
IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970

ACTA
SANCTORUM
JULII.
TOMUS SEPTIMUS.


Pectit illi Scientia Sanctorum. Sap. 10
In plenitudine Sanctorum detentio mea Eccli.
ACTA
SANCTORUM
MENSIS
IULIUS
ERUDITIO
VERITAS
ANTIQUA REDUCO
OBSCURA REVELO
P. Balthaz. Bouttats, scul.

ACTA SANCTORUM JULII

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium Monumentis, ſervatâ primigeniâ veterum Scriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariiſque & Obſervationibus

ILLUSTRATA

A

JOANNE BAPT. SOLLERIO,
JOANNE PINIO,
GUILIELMO CUPERO,
PETRO BOSCHIO,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS VII


Quo dies vigeſimus nonus, trigeſimus & trigeſimus primus continentur.



ANTVERPIÆ
Apud JACOBUM DU MOULIN.
M D C C X X X I.



P. B. Bouttats sculp: Anver. 1731.



MARIÆ ANNÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, ET SERENISSIMÆ

ARCHIDUCI,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI, GELDRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ: COMITI FLANDRIÆ, NAMURCI, TYROLIS, GORITIÆ &c.



Omus hic de Actis Sanctorum Julii menſis, Auguſtiſſimo Parenti conſecrati poſtremus, eo quidem titulo Tibi inſcribitur, ARCHIDUX SERENISSIMA, quod natu minor in Auſtriaca ſerie, & ipſa poſtrema es ordine; aſt alia non defuere urgentiora-

que

que argumenta quæ librum hunc Tibi præcipuè vindicarent, idque imprimis quod Sanctos licet ſolito pauciores contineat, tales certè complectatur, quos amore Dei & proximi ferventiſſimos, Tibi potiſſimum venerandos imitandoſque propoſuiſti. Patieris etenim, DOMINA MEA SERENISSIMA, ea me confidenter eloqui, quæ de Tuis præclaris virtutibus, non in Aula ſolum Paterna, ſed tota paſſim Vindobonenſi urbe, imo ditionibus Auſtriacis univerſis, quin & toto Romano imperio laudatiſſimè circumferuntur; ut jam nunc eò videaris ſtudiosè contendere, quò Te Sanctorum exempla deducunt, hortantur, exſtimulant. Loquamur apertius; ea in Te, quantumvis tenella Archiduce, eluceſcunt veræ Chriſtianæ pietatis ſpecimina, ut Urbis totius amorem Tibi conciliaveris, animos, corda, tenerrimoſque ſenſus pridem obſtrinxeris, eo feliciſſimo omine, quo non Romani ſolum imperii ſed orbis totius Europæi delicium Te aliquando fore augurantur univerſi, eoſque adeo populos fortunatiſſimos vel modo audacter prædicare non dubitent, quos Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Annæ ſuaviſſimo imperio ſubeſſe contigerit. Porro quemadmodum ſingularibus corporis eximiiſque animi dotibus ornatiſſima es, (Auguſtiſſimum enim Genitorem vel in imagine refers) ſic iis præcipuè virtutibus excellis, quæ Auguſtiſſimo Auſtriaco ſanguini congenitæ, Te, jure quaſi hereditario, præter ceteras reddunt amabiliſſimam. Clementiam loquor affabilitati conjunctam, quam à protoparente religioſiſſimo Imperatore Rudolpho, in poſteros olim transfuſam, eos in-

inter perpetuo claruiſſe accepimus, atque in Auguſtiſſimo Genitore perſeverantem, non ſine ſumma voluptate experti aliquando ſumus. Age vero: ea modo inſpicere liceat, quibus ætati Tuæ competenti maximè exercitio ad virtutum omnium pretioſiſſimam gemmam eniteris, innatam nempe illam Auſtriacis Principibus in Deum ter Optimum Maximum ardentiſſimam devotionem, quæ pari quodammodo flexu in ejus amicos, Cælites Sanctos, diffunditur, quos quam Tibi caros habeas, qua item veneratione proſequaris, mihi quam teſtatiſſimum eſt: illudque imprimis, quod præter ardentem cum Deo communicationem, nihil ſuavius Tibi poſſit obtingere, nihil jucundius, quam ſi cum Sanctis ipſis in Sacrorum librorum lectione Tibi liceat converſari. Egregia enimvero ad ſolidiſſimas virtutes incitamenta, quemadmodum oblatum hîc Tibi, SERENISSIMA PRINCEPS, de Actis Sanctorum volumen, exemplis perſpicuis non minus quam admirandis abundantiſſimè demonſtrabit. Ut de vetuſtiſſimis ſimul & longè illuſtriſſimis Eccleſiæ Catholicæ incomparabilibus Præſulibus Germano & Lupo non loquar, recentiora exempla ſunt, quæ in duobus Auguſtiſſimi Jeſu nominis inſignibus planè cultoribus, S. Joanne Columbino & S. Ignatio Loyola, admirandum prorſus in modum emicuerunt: ille negotiis ſecularibus & lucri aviditati immerſus, hic militari gloria tumidus, ita librorum Sacrorum lectione in viros alios commutati ſunt, ut ſpretis calcatiſque mundanis omnibus,

tum

tum lucris & voluptatibus , tum honoribus & vanitatibus nuntium fortiſſimè juxta ac conſtantiſſimè remiſerint , animarum ad Deum convertendarum facti lucratores avidiſſimi , tum vero adorandi Jeſu Servatoris nominis flagrantiſſimi prædicatores. Ex iis Ignatium Tibi ſingulariter in deliciis eſſe , ARCHIDUX SERENISSIMA , perſpectiſſimum habeo , eum nempe Sanctum , quem olim Auguſtiſſimi Carolus & Ferdinandus inſigni cultu vivum proſecuti ſunt , ſingulares naſcentis tum Societatis noſtræ Patroni , Patres , auſim dicere ; æquè ac Ferdinandus ille alter Græcienſibus , Viennenſibus innumeriſque aliis monumentis tota Societate celebris non minus quam venerandus : cui cedere noluiſſe videtur Avus Tuus Auguſtiſſimus , æternæ memoriæ , atque æternùm de Sanctis meritus, Leopoldus & ipſe Ignatius , & Sancti patrocinium non obſcurè expertus ; neque ceſſurum confidimus Genitorem Auguſtiſſimum , operis hujus noſtri munificentiſſimum Mæcenatem. Ad S. Ignatium redeo , cujus Vitam ad ceteras Tuas virtutes præluxiſſe , ex iis , quæ quotidie præbes egregiis ſpeciminibus , exploraſſe videor. Ecquid enim aliud loquuntur memorata illa Tua erga Numen ſupremum ardens dilectio ? Quid tenerrimus in ſuaviſſimum Jeſum amor ? Quid in Sanctos veneratio ? Quid erga res omnes ſacras quin & homines Deo conſecratos laudatiſſima reverentia ? Reliqua proſequamur , oculoſque in eam virtutem flectamus potiſſimum , quam S. Ignatius Societatis ſuæ teſſeram quodammodo eſſe

ſe voluit, angelicam morum innocentiam, in Te uſque adeo refulgentem, ut virginalis in vultu ſeſe continuò prodat verecundia, vel ob leviſſimos nævos etiam oſcitanter commiſſos. Aut vehementer equidem fallor, aut indicia iſtiuſmodi ſtrenuam Te & vigilantem Sereniſſimarum Amitarum, quibus Sanctiſſimus Parens Noſter adeo cordi eſt, imitatricem fore atque æmulatricem haud obſcurè præſagiunt. Quid ſolas Sereniſſimas Amitas, ſingularibus ſuis virtutibus toti orbi Chriſtiano notiſſimas, appello, dum tot alia Auguſtiſſimi ſanguinis fulgentiſſima lumina præceſſerunt, quæ Gynæceum Halenſe à tot luſtris prædicat, & porro laudare non deſinet vel ipſa ſera poſteritas, imo æternùm perſeveratura jucundiſſima memoria Ignatianarum illarum, quas Tibi non minus caras quam notas eſſe, manifeſtè oſtendit parium virtutum in tenerrima ætate præmatura licet, at conſtans æmulatio? Orationis limites excedam neceſſe eſt, ARCHIDUX SERENISSIMA, ſi reliquas Tuas cum S. Ignatio communes dotes enumerare contendero; aſt ea ſane prætereunda minimè eſt, qua non ſolum divina aut ſacra fervidè meditaris, verùm & Tuum illud eſt ornamentum prorſus ſingulare, quo etiam Chriſti membris, pauperibus præſertim & egenis, ſumma commiſeratione, non ſine illuſtrium matronarum Tibi obſequentium ſtupore, ſuccurrere conſueviſti. Ignoſce, DOMINA MEA SERENISSIMA, ſi è plurimis exemplum unicum ſeligam memoratu longè digniſſimum: dum non ita pridem ſacri

Jubilæi tempore miſericordiæ viſcera ita Tibi commoviſti, ut quod anno forte non uno ærariolum in arbitrarios uſus ſenſim collegeras, illud totum quantum, largiſſima ſane manu, in pauperes erogatum volueris, eo animata verè Chriſtiano argumento, quod ex tam ſancta Jubilæi conſecutione, potiorem Tibi theſaurum obventurum rectiſſimè argueres; eorum utique non immemor, quæ ex ſacris lectionibus felici memoriæ mandaveras, *Da pauperibus & habebis theſaurum in cælo*, ut monet ſapientiſſimus ille cæleſtium bonorum OEconomus, qui vana omnia ſeculi blandimenta expertus, viam longè ſecuriſſimam ad æternùm duraturas divitias apertiſſimè demonſtravit. Neque hoc contenta, alium Tibi theſaurum paras non minus æſtimabilem, dum ſolicito eoque quotidiano orandi ſtudio, id curare ſoles quam maximè, ut propitium habeas largitorem bonorum omnium; quo piiſſimo artificio theſauri cæleſtis vadimonium, ad ſanctiſſimi Patroni exemplum, ut virgo de numero prudentum, Tibi ſecuriſſimè comparaſti. ~~Macte~~ vero animis, MARIA ANNA SERENISSIMA, & quam gloriosè cœpiſti digniſſimam Auſtriaca Principe vitæ ſemitam, ut firmo tramite teneas, dicatum hîc Tibi oblatumque de Sanctis volumen præ oculis habere non deſinas. Atque ut à principio ordiri Tibi liceat, eam, inter Sanctos alios omnino non neglexeris, virginem utique ſanctiſſimam, quæ Chriſto ipſi Servatori hoſpitium præbere meruit: Martham illam, inquam, quæ ad obſequen-

obſequendum Domino , vel nimium ſolicita fuiſſe memoratur. Eò Te , SERENISSIMA PRINCEPS , vel modo anhelantem conſpicor, ut & officio conſimili Tibi fungi concedatur , quoties Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ particeps, Dominum etiam Tuum, Salvatorem amantiſſimum, devotiſſimè ſuſcipies , in quo venerando , laudando orandoque numquam poteris eſſe nimis ſolicita. Unam hanc è multis , ſacroſancto Dei verbo laudatam virginem ſeligo, quam Tibi , PIISSIMA ARCHIDUX , in exemplum etiam proponi poſſe exiſtimem , cui tot alias in eodem libro adjunctas incomparabiles heroidas , effuſo , pro Sponſo verè virgineo, ſanguine laureatas, non ſine ſtupore miraberis , quarum ſi minus veſtigia Tibi ſequi fas ſit , at certè invictam fortitudinem attentius contempleris , animos inde ſuſceptura , quibus ita ad perſeverantiam in rectè cœptis promoveàris , ut quæ modo tenuioribus lineamentis virtutum ſpecimina præclarè exhibes , eadem uſque in beatam ſenectam , numquam intermitti patiaris. Neque vero tædeat umquam eo progredi , quo Te optimus Patronus invitaverit , ſuaviſſima etiam in eum finem documenta daturus. Illic , mihi crede , tamquam in ſpeculo intueri meditarique licebit omnium virtutum inſignia prorſus , quæ inclytiſſimus Patriarcha Noſter Ignatius , non filiis ſuis dumtaxat , ſed omni hominum generi , etiam Principibus Auguſtiſſimis exempla & miranda & imitanda reliquit , quæ ego hîc fruſtra ſingillatim enumeravero , dum in libro ipſo luculentiſſimè exhibentur. Nunc Te poſtremùm alloquar , DO-

MI-

MINA MEA SERENISSIMA, hortarique non verebor quam impenſiſſimè, ut quem Tibi ducem in ordinanda totius vitæ pia ſanctaque ſerie jam nunc propoſuiſti, eumdem & Tibi patronum tutelaremque perpetuò adſciſcas, quemque innumeris prope miraculis, clientibus etiam afflictiſſimis ubique terrarum benignè ſuccurriſſe intelliges, de ejus patrocinio eò fias ſecurior, quò glorioſis ejus veſtigiis religioſius perges inſiſtere. Fortunatius nihil Tibi vovere ac demiſſiſſimè augurari poſſunt

SERENISSIMA ARCHIDUX

ARCHIDUCALIS SERENITATIS
TUÆ

Clientes Devotiſſimi
JOAN. BAPT. SOLLERIUS
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
PETRUS BOSCHIUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS
TOMI SEPTIMI
DE ACTIS SANCTORUM
JULII.

EST hic ultimus prænotati menſis Julii tomus, mole par ceteris, non item dierum aut Sanctorum numero, ordine ſecundus ſupra trigeſimum, tres ſolos ultimos menſis dies XXIX, XXX & XXXI complexus, quibus referuntur Sancti propriis ſuis nominibus ſolum octoginta octo, anonymi vero trecenti & octoginta quatuor, præter varios non expreſſo numero manipulos. Sanctorum nominatorum paucitatem ſupplent illuſtriores Sancti aliquot, de quorum præclariſſimis geſtis plura pertractanda fuerunt, ut mox docebimus. Solita eſt ad ordinatam claritatem, virorum diviſio, per receptos in Eccleſia gradus *Eccleſiaſticum* nempe, *Monaſticum* & *Secularem*, ultimam porro claſſem conſtituentibus Sanctis feminis, ſub titulo *Sexus Feminei*, ſervato etiam ubique de more regionum ordine.

EX STATU ECCLESIASTICO.

In Oriente ſolus inter antiſtites ſanctos occurrit *Conſtantinus*, iſtius nominis patriarcha CPolitanus, ab aliis ſynonymis poſterioribus, etiam patriarchis, orthodoxiâ ſuâ, tamquam characteriſticâ diſcretus. Eſt & ſolus etiam in Africa *Firmus* Tagaſtenſis epiſcopus, qui in Faſtis vetuſtioribus planè ignotus, S. Auguſtino debet, quòd in Romano hodierno locum obtinuerit: firma nempe voluntate nec mentiendi, nec hominem, apud ſe occultatum, vel morte intentata, prodendi. De Romano Pontifice *Felice* II lites & controverſiæ: ut non ineptè ſignum dixeris, cui contradiceretur; pluribus ejus famam, ſanctitatem ac martyrium lacerantibus, paucioribus cauſam ejus, tamquam ferme deſperatam, meticulosè tuentibus, abſterritis nempe libello aliquo ſupplice, cujus ſuppoſititiam præfationem mirum eſt tot viris doctis imponere potuiſſe. Eversâ eâ ſatyrâ, expenduntur explicanturque omnia, quæ â nonnullis ſanctis Patribus de ejus in S. Liberii locum ſubſtitutione ac deinde ceſſione, paulo acerbius dicta odioſè congeruntur: certè & conſtans in Eccleſia cultus, & fides integra & martyrium, aliorum auctoritate meritò vindicantur. *Calimerus* Mediolani ordini ſuo, non geminus ſed unicus reſtituitur, tam inſigni veneratione à ſucceſſoribus epiſcopis habitus, ut ex iis unus altare aureum ei erexiſſe memoretur. *Petrus* Ravennatium præſul multis tenebris à Rubeo aliiſque involutus, atque è ſerie locoque ſuo non rectè depulſus, ex Agnelli probatiori chronologia ſic reſtituitur, ut non *Junior* ſed *Senior* planè primuſque iſtius nominis poſtliminio oſtendatur, geſtis ejus meliori etiam ordine ex eodem Agnello diſpoſitis, præeunte ejus illuſtratore Bacchinio. Huc ſpectat Auguſtiſſimi nominis JESU cultor eximius, eoque titulo etiam hodie in progenie ſua celeberrimus *S. Ignatius*, ab illuſtri loco natali *de Loyola* dictus, qui ex ſeculari militia, Societatis ſeu militum JESU ductor ac fundator, in ſacra ſua militia etiamnum vivus, à celebri Exercitiorum ſpiritualium libro, quam acriter impugnato, tam gloriosè defenſo & approbato, curſum ſuum exorſus eſt. Hinc peregrinatio Hieroſolymitana, ſtudia litterarum à veterano prope milite inchoata, Lutetiæ paucorum ſociorum aggregatio, unde initia novi planè apoſtolici clericalis Ordinis Romæ approbati; ejus per orbem, in Indias uſque propagatio, acerrimæ perſecutiones ſuperatæ, quas inter effulſere favores Pontificii & Cæſarei, variorumque principum, in Germania præſertim, ſocios adverſus hæreſes certaturos poſtulantium; quibus omnibus tenella religio ſuffecit, dirigente Ignatio, inter obloquia, criminationes, calumnias atque anguſtias, divina virtute mirabiliter fulto. Quorum omnium accurata redditur ratio, Vitaque de eo à Ribadeneira ſcripta, ex Maffeio, Orlandino, Bartolo authenticiſque archivi Romani documentis mirificè juxta ac copioſè elucidatur. Tum vero gloria ejus poſthuma, non ſolum egregiis monumentis, verum & plurimis perpetuiſque ad hæc tempora miraculis ſolidè confirmata eſt.

E Gallia bina Eccleſiæ ſidera, viri verè magni, tomum hunc ornant *Germanus* Autiſſiodorenſis & *Lupus* Trecenſis epiſcopi, Apoſtolicis temporibus digniſſimi. Ille ex

duce ſeu gubernatore provinciæ, viro potente, conjugato, ac ſuperſtitioſo venatore, ſtupendo prodigio ferme invitus in clerum primùm adſcitus, tum presbyter ordinatus, & paulo poſt, univerſo populo poſtulante, epiſcopus conſecratus, ſimul & exemplum gregis factus, atque incredibili pœnitentiæ & auſteritatis genere, vitæ rationem exorſus eſt, quam inter labores prope immenſos ad extremum uſque ſpiritum conſtantiſſimè tenuit; non uni Autiſſiodorenſi eccleſiæ, ſed toti ferme Galliæ, Britanniæ & Italiæ natus. Suos incredibili labore inſtituit; Britannos è Pelagianorum luto eripuit, Armoricorum gratiâ Ravennam progreſſus, ibi glorioſum vitæ finem invenit, vel mortuus ad ſedem ſuam triumphantis in morem reductus. Singula accuratè deſcribunt Conſtantius ſoluta, S. Hericus ligata oratione, quibus admiranda & genere & numero prodigia ſubjunguntur. De reliquiis, id miraculo proximum, quod vel viliſſima ad ipſum ſpectantia ſummo ubique in pretio habita ſint & porro habeantur. Quæ omnia operoſè & accuratè eruderata ſunt ac dilucidè illuſtrata. Huic ſuppar, ut cœpi dicere, nec inferioribus geſtis, virtutibus ac miraculis illuſtris *Lupus* ille, Trecenſium ſuorum adverſus ferum Attilam prodigioſus defenſor, hodieque pretioſis ſuis reliquiis eorum patronus, Sidonio Apollinari laudatiſſimus. Celeberrimæ cum S. Germano in Britanniam expeditiones, Vitæ plures de eo ſcriptæ, uti ætas, parentes, educatio, tum vita ejus monaſtica, dimiſſa non invita uxore; ſecuta in ipſo epiſcopatu vita aſperrima, labores, diſcipuli, ſeceſſus non unus, ſumma apud omnes auctoritas & veneratio, tempus obitûs & inſignia miracula, ceteraque ad Sanctum ſpectantia ſtudiosè expendenda fuerunt. Non adeo ſplendida ſunt quæ de *Genevæo*, Dolæ in Britannia Armorica epiſcopo traduntur, uti & de *Proſpero* Aurelianenſi antiſtite. Idem dixeris de duobus Metenſibus epiſcopis *Expletio* & *Goſſelino*, quorum hic vix ut Sanctus agnoſci potuit. Magis emicuit *Guilielmi* Briocenſis præſulis infracta fortitudo in tuendis Eccleſiæ juribus, adverſus ducem, ſummum cleri oſorem, indeque *Mauclerc* ſarcaſmo inuſtum. Geſta præclara, exſilium, relictumque perpetuum monumentum, de Viri ſanctitate abunde teſtantur.

Unum Anglia epiſcopum ſuggerit, ſedis Cantuarienſis egregium vindicem *Tatwinum*, ob ſuſceptam peregrinationem Romanam, unde Pallium retulit, ceteraſque meritas prærogativas; æterna idcirco apud ſuos, non minus quam ob inſignem ſanctitatem memoria dignus.

EX STATU MONASTICO.

Huc referendi CCCL anonymi monachi martyres, furentium Acephalorum totidem victimæ, in Hiſtoria eccleſiaſtica notiſſimæ.

Porro ordinis hujus in hoc tomo Sanctorum paucitatem egregiè compenſat auguſtiſſimi *JESU* nominis alter cultor ſanè præclarus eoque nomine Ordinis religioſi fundator, *Joannes Columbinus* Senis, laicæ ferme familiæ inſtitutor, mirabili, ut ita dicam, metamorphoſi, ex avidiſſimo lucri trapezita, factus venator animarum non minus quæſtuoſus; tam inaudita morum totiuſque vitæ mutatione, ut prodigio ſimile fuerit, in tam humili vitæ genere, nobiles ſectatores nanciſci potuiſſe. Hinc novus in Eccleſia Ordo, à nominis JESU perpetua prope invocatione *Jeſuatorum* dictus. Fundatoris ipſius genus, ætas, Ordinis primordia, exercitia, habitus, progreſſus, mutationes, oppugnationes, exſtinctio: tum vero geſta Sancti & miracula, corporis diuturna incorruptio, aliaque eodem ſpectantia: demum & monialium Jeſuatarum inſtitutum perſeverans, ejus origo & leges ordinatè diſcutiuntur explicanturque.

In Gallia *Imiterius* jurenſis monachus, in loco Cellulæ dicto, latêre ſolitus, ſolam nominis & ſanctitatis famam reliquit. Nec multo notior eſt vita quam duxere germani fratres apud Treviros ſolitarii *Bantus* ac *Beatus*, ille ibi antiquo cultu illuſtris, hic non minori veneratione in Cartuſia Confluentina, quò ejus ſacrum corpus delatum eſt, celebrari ſolitus.

Neothus regio ſanguine in Anglia ortus, monachus primùm Glaſtonienſis, inde ſolitarius, præclariſſimis multis, tum naturæ tum gratiæ dotibus ornatus, ſtupendis etiam prope miraculis ac prophetiæ dono glorioſè effulſit.

Apud Belgas cultu magis quam rebus geſtis Antverpiæ notus eſt *Hathebrandus*, illuc tranſlatus ex Friſia, ne iconomachorum pateret injuriis. Dantur lectiones de vita, in quibus id vel præcipuè mirandum, virum pauperem plura cœnobia condere potuiſſe, ſed quorum hodie vix ſuperſunt veſtigia.

EX STATU SECULARI.

Inter Orientales *Callinicus* Gangræ in Paphlagonia martyrii lauream conſecutus eſt: *Joannes* autem miles ſub impiiſſimo Juliano certavit. Quibus adde *Mamantem* & *Baſiliſcum*. Miles alter *Eudocimus*, dictus *Juſtus*, magnis poſt obitum ſignis refulgens, miro modo Cpolim tranſlatus eſt. *Fabius*, non *Fabianus*, & ipſe miles, ſingulari fortitudine Cæſaream Mauritaniæ illuſtravit.

Romæ celebratiſſimi Perſæ martyres *Abdon* & *Sennen* non uni diſſertationi materiam præbuerunt. Inſignes ibidem mar-

Ro-

tyres *Simplicius*, *Fauſtinus* & *Beatrix*. *Oneſimus* porro & ſocii ex Vaſconia martyres Puteolis, eaſdem ferme controverſias renovant, quas alibi difficile fuit evolvere. Ad ſimiles ſcopulos explorandi etiam fuere *Fantius* & *Deodata*, pro quibus certant Syracuſani Siculi cum Taurianenſibus Calabris. *Juſtinus* confeſſor Tuderti colitur, *Terentius* vero inter patronos Faventinos. At *Rufinus* martyr Aſſiſii aut triplex eſt, aut ita confuſus, ut quem hoc die velint Aſſiſienſes, non facilè quis explicuerit.

E Septemtrione *Olavus* rex Norvegiæ & martyr inclytus, etiam apud ipſos acatholicos, ſi non debitum cultum, ſaltem illuſtriſſimam ſanctitatis famam promeritus eſt, apoſtolus ſuorum non minus dicendus quam princeps: qui immenſos labores, fidei Chriſtianæ inter ſuos propagandæ causâ ſuſceptos, paſſaſque ab eiſdem diras perſecutiones, martyrii tandem laureâ glorioſè coronavit; mirificis clarus miraculis. Quæ omnia ex reconditis Norvegiæ monumentis accerſere, quam operoſum fuerit, facilè intelliget eruditus lector.

EX SEXU FEMINEO.

Martha Chriſti Servatoris hoſpita, ſatis nota eſt ex Euangelio: ejus in Provinciam adventus, iiſdem quibus ſororis Mariæ Magdalenæ obnoxius eſt difficultatibus, quas tales non cenſemus, ut Taraſconenſes vetuſtiſſima ſua poſſeſſione deturbandi ſint. *Julitta* martyr Cæſareæ in Cappadocia, S. Baſilium encomiaſten nacta eſt, quemadmodum & celebres Tuburbitanæ in Africa *Maxima*, *Donatilla* & *Secunda* S. Auguſtinum. Major longè difficultas fuit in iis elucidandis quæ de *Lucilla*, *Flora* & *Eugenio* mira admodum & tantum non incredibilia memorantur, eis non abſimilia, quæ de *Luceia* virgine & *Auceia* rege barbarorum dedimus xxv Junii: ut ferme dubius hæreas, ſintne ambæ hiſtoriæ confundendæ.

Helena vidua martyr in Suecia, à S. Brynolfo Scarenſi epiſcopo multis titulis laudari merita eſt; peregrinatione Hieroſolymitana, virtutibus, martyrio, miraculis & perenni fonte in Zelandia Danica illuſtris.

Atque hi ſunt præcipui Sancti de quibus in hoc tomo agitur: reliqua docebunt ſoliti indices, tum nominum Sanctorum, tum Chronologicus, Hiſtoricus, Topographicus, Onomaſticus & Moralis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſimè Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, *&* 19 *Junii* 1694, *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi Typographos & Bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere & vendere poſſint libros & opera qualibet, ritè approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latius in ipſis patentibus litteris apparet: cum etiam ſua Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus S. R. Imperio ſubjectis;*

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Franciſco Retz, concedo Jacobo du Moulin *facultatem ſic imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum opus, ex more noſtræ Societatis (quod hiſce atteſtor) recognitum & approbatum; videlicet: Tomum Septimum de Actis Sanctorum Julii; collectis & illuſtratis per Joannem Bapt. Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum, & Petrum Boſchium presbyteros theologos Societatis noſtræ. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Antverpiæ* VII *Julii* MDCCXXXI.

GREGORIUS VAN PARYS.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII REGII.

CÆſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, prætet voluntatem Joannis Bapt. Sollerii è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jeſu, permitto Jacobo du Moulin, ut Tomum Septimum de Actis Sanctorum Julii, meo permiſſu ab ipſo impreſſum, publicet. Datum Antverpiæ X *Julii* MDCCXXXI.

APPROBATIO ORDINARII.

TOmus hic Septimus de Actis Sanctorum Julii à PP. Joanne Baptiſta Sollerio, Joanne Pinio, Guilielmo Cupero & Petro Boſchio, pari ac priores diligentia ac eruditione elaboratus, utiliter lucem aſpiciet. Ita teſtor Antverpiæ hac XXVIII *Junii* MDCCXXXI.

F. G. ULLENS
Can. Schol. Offic. & Lib. Cenſor
Antverpiæ.

PROTESTATIO AUCTORUM.

QUod identidem proteſtati ſunt deceſſores noſtri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, ſe ſervatas velle Urbani Papæ VIII Conſtitutiones; neque ſuis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam ſit hiſtoriæ, ab hominibus errori obnoxiis ſcriptæ: idem ante hunc Septimum Tomum Julii denuo proteſtamur.

IN-

INDEX SANCTORUM
AD TOMUM VII JULII.

A

30 ABdon & Sennen mart. Romæ. COMM. PRÆV. § 1. Antiquus horum Martyrum cultus ex variis monumentis 130. § 2. Difficultates circa Actorum veritatem, & quædam de iis conjectura 132. § 3. Variæ horum Sanctorum reliquiæ, earumque translationes 135. ACTA auctore anonymo, *ex Ms. Fuldensi cum aliis collato.* 137. Translatio ex Urbe ad monasterium Arulense, *ex Ms. Arulensi quod Baluzius edidit.* CAP. 1. Territorii Arulensis descriptio, calamitates, & earum remedium ab abbate Arnulfo Romæ quæsitum in Sanctorum reliquiis 139. CAP. 2. Revelatio de reliquiis SS. Abdon & Sennen, earum translatio & miracula in itinere patrata 140

29 Absеodus, Rufus, Abdo, Pontianus & Nicetus *Ex Hieron.* 37

29 Anastasia, Philippus, Saturninus, Cælestius, Petrunia & Pelagia *Ex Hieron.* 38

B

30 BAntus & Beatus fratres presbb. conff. Treviris & Confluentiæ 307

29 Benjamin & Berius, seu Verius, & fortè Benius. *Cultus apud Græcos* 43

C

29 CAllinicus mart. Gangræ in Paphlagonia. COMM. PRÆV. Cultus ex Marllio Rom. ac Fastis Græcis, elogia, palæstra martyrii, Acta 39. MARTYRIUM. *Ex editis apud Surium* 40

31 Calimerus episc. mart. Mediolani in Insubria. COMM. PRÆV. De cultu ætate & gestis 171. DEPOSITIO S. Calimeri martyris episc. Mediol. *Ex antiquissimo cod. Ms. Ambrosiano* 173

29 Constantinus patriarcha CPolitanus, CPoli. CAP. 1. Cultus ex Fastis Græcis, elogium, tempus sedis ac mortis 84. CAP. 2. Orthodoxia S. Constantini, & sinceritas hîc sextæ synodi œcumenicæ stabilitur 85

D

31 DEmocritus, Secundus, Dionysius & Thyrsus MM. *Ex Hieron.* 178

E

31 EUdocimus Justus seu junior CPoli COMM. PRÆV. Cultus apud Græcos, elogia, tempus vitæ, mortis modus, cognomentum duplex, Acta 308. Vita *ex editis apud Surium.* Prologus CAP. 1. Sancti natales, educatio, virtutes, militia, mors, miracula hanc consecutâ 310. CAP. 2. Corporis integritas ac flexibilitas, translatio CPolim; honorifica ibidem depositio 312

30 Expletius episc. conf. Metis in Belgica 1, 157

F

31 FAbius mart. Cæsareæ in Mauritania. Bollandi commentatio posthuma 179

31 Fantius ac Deodata Tauriani in Calabria vel Syracusis in Sicilia. COMM. PRÆV. Memoria in Fastis, Acta aliis immixta hîc discussa; quænam hîc dentur 176. ACTA *ex Vita S. Fantini tom.* v *Julii à pag.* 553, 177

29 Faustinus confessor Tuderti in Umbria 38

29 Felix PP. II & mart. Romæ COMM. CRIT. de cultu, pontificatu & obitu. § 1. Ad quæstiones introductio 43. §. 2. S. Felicis cultus in Ecclesia receptissimus 45. § 3. Quæ adversus S. Felicem opponi solent, solvuntur 47. § 4 SS. Athanasius & Hieronymus, ceteræque huc spectantes difficultates explicantur 49

29 Felix, Nicetas, Postiniana & Philippus. *Ex Hieron.* 37

31 Firmus episc. conf. Tagaste in Africa. *Ex Marlio Romano.* 180

G

31 GErmanus episc. conf. Autissiodori in Gallia. COMM. PRÆV. § 1. Sancti cultus & reliquiæ, earumque translationes 184. §. 2. Sacri corporis ejus amissio in strage Hugonotica anni 1567, 187 § 3. Quid etiamnum variis in locis de Sancti corpore supereſſe dicatur 189. § 4 S. Germani Acta & eorum scriptores 191. § 5. Annus ejus natalis; conversio, & episcopatûs initium 193. § 6. Legatio duplex in Britanniam adversus Pelagianos 195. § 7. Gesta Sancti apud Britannos; & reliqua usque ad obitum 198. Epistola Constantii presbyteri ad S. Patientem Lugdunensem. episcopum 200. Epistola ejusdem ad S. Censurium Autissiodorensem episcopum 201. VITA auctore Constantio presbytero, *ex Ms. Chiffletiano, cum aliis multis collato* ibid. LIBER PRIMUS CAP. 1. S. Germani honores in seculo; mira ejus vocatio ad clericatum, successionemque in locum S. Amatoris ep. Autissiodorensis; hujus obitus ornatus miraculis 202. CAP. 2. Electio Sancti in episc. Autissiodorensem; nova in hoc statu & austera ejus vita; fundatio monasterii; potestas in dæmones 204. CAP. 3. Libellus de mirabili revelatione S. Corcodemi M. & conversione S. Mamertini ab idololatria 206. CAP. 4. Ejusdem libelli continuatio 209. CAP. 5. S. Germani pietas erga defunctos insepultos; ejus ac S. Lupi episcopi Trecensis missio

sio Britannica adversus Pelagianos; consecratio S. Genovefæ; tempestatis mira sedatio 211. CAP. 6. SS. Germani & Lupi episcoporum felix expeditio adversus Pelagianos in Britannia 213. CAP. 7. Alia S. Germani expeditio ad Galliarum præfectum, ex commiseratione susceptа & ornata miraculis 214. ARGUMENTUM libri primi & secundi 215. LIBER SECUND. CAP. 1. Alia ejus cum S. Severo ep. in Britanniam expeditio contra Pelagianos; alia pro Armoricanis in Italiam 216 CAP. 2. Miracula in hoc itinere plurima; felicissimus obitus apud Ravennates; defuncti honores, & translatio ad ecclesiam Autissiodorensem magnificentissima 218. EADEM VITA auctore Herico monacho, à stylo Constantii soluto ad ligatum revocata, *ex vetustissimo Ms. Lobiensi* &c. Epistola auctoris dedicatoria ad Carolum Calvum 221. Auctoris invocatio 223. Allocutio ejusdem ad librum 225. LIBER I Vitæ magni patris Germani, de prosa in metrum transfusa. CAP. 1. Sancti patria, nobilitas, studia, conjugium, honores, amor venationis & superstitio 226. CAP. 2. S. Amatoris zelus adversus Germani superstitionem; & hujus ira 227. CAP. 3. Revelatio S. Amatori facta de suo obitu, & successione Germani; hujusque conversio & mirabilis ordinatio 229. Præfatio lib. 2. 230. LIBER. II. CAP. 1. S. Amatoris obitus; successio S. Germani, & initium vitæ austerissimæ 231. CAP. 2. Collatio Sancti cum Apostolis, Martyribus &c. Ejusdem hospitalitas; solitudo, cœnobium 232. Præfatio libri 3 233. LIBER III. CAP. 1. Potestas ejus mirabilis in dæmones; conversio S. Mamertini 234. CAP. 2. Ejus pietas erga defunctos; remuneratio hospitii; electio ad expeditionem Britannicam; consecratio S. Genovefæ virginis 235 CAP. 3. Tempestas sedata Sancti precibus; Pelagiani argumentis ejus & miraculo victi 237. Præfatio libri 4, 238. LIBER IV, CAP. 1 Cetera apud Britannos gesta; ac præsertim victoria Alleluiatica 239. CAP. 2. Reditus è Britannia; iter Arelatense miraculis illustratum 241. CAP. 3. Revelatio Sancto facta de natali S. Juliani M.; nova expeditio in Britanniam, visitatâ S. Genovefâ; felix reditus 242. Præfatio Libri 5. LIBER V. CAP. 1. Armoricorum prodigiosa defensio, & nova pro iisdem susceptа profectio in Italiam; miracula in itinere usque ad Alpes facta 244. cap. 2. Continuatio ejusdem itineris & miraculorum per Italiam 246. Præfatio libri 6, 248. LIBER VI. CAP. 1. S. Germani adventus ad regiam tunc urbem Ravennatium, imperatori ceterisque gratissimus; miraculorum ejus ibidem frequentia 249. CAP. 2. Ibidem mortuum suscitat; liberat energumenum; prædicit obitum suum 251. CAP. 4. Sancti morbus; obitus; gloria; hereditas; funus; translatio in Gallias 252. Epilogus. Dei & S. Germani in auctorem beneficia, hujus operis causæ præcipuæ 254. MIRACULA S. GERMANI ep. Autiss. Libri duo auctore eodem Herico monacho, *ex pervetusto codice nostro Lugdunensi collato* &c. Prologus auctoris 255. LIBER I. CAP. 1. S. Germani colloquium cum discipulo defuncto; mortui resuscitatio, aliaque viventis miracula à Constantio prætermissa 256. CAP. 2. Alia quædam ad ejus vitam spectantia usque ad obitum & exsequias 258. CAP. 3. Translatio corporis ejus in Gallias, ejusdem receptio ac sepultura 260. CAP. 4. Basilicæ S. Germani & sepulcri magnificentia regia, miraculis assiduis decorata 263. CAP. 5. Miracula in aliis S. Germani per Galliam ecclesiis facta 266. CAP. 6. Continuatio miraculorum variis locis ibidem ejus nomini dicatis patratorum 268. CAP. 7. Miracula facta apud cœnobium S. Germani Montefalconense 270. CAP. 8. Miracula ejus quæ in Alpibus & in Britannia contigerunt 271. LIBER II. Prologus ejusdem auctoris. CAP. 1. Nova ecclesiæ S. Germani in cœnobio Autissiodorensi fabrica, miraculis & cœpta & confecta 273. CAP. 2. S. Germani translationes miraculis illustratæ; sanctorum quoque Amatoris ep. & Urbani ac Tiburtii MM. reliquiæ ad ejus ecclesiam delatæ 275. CAP. 3. Prodigia facta in translatione SS. Urbani & Tiburtii MM.; item SS. Mauritii & Innocentii MM.; Catalogus Sanctorum in cryptis S. Germani Autissiodori sepultorum 278. CAP. 4. Elogium ecclesiæ S. Germani Autissiodorensis; & pia S. Herici ad fratres exhortatio 282. Sermo ejusdem Herici, in solennitate S. Germani recitandus 284. APPENDIX 1, ad S. Herici lib. 2 de Miraculis S. Germani, auctore anonymo, *ex Ms. Chiffletiano.* 285. APPEND. ALT. ad S. Herici historiam de Miraculis S. Germani, 287. APPEND. III. De miraculis S. Germani ep. Autiss. Selebiensibus, auctore anonymo. *Ex hist. Selebiensi* &c. CAP. 1. Auctoris præfatio ad librum 1; abscissio digiti S. Germani punita; ejusdemque in Angliam imperata translatio 290. CAP. 2. Ipsa sacri digiti ad Selebiam prodigiosa translatio 292. CAP. 3. Ejusdem ibi veneratio stabiliri cœpta miraculis 295. CAP. 4. Præfatio ejusdem auctoris, ad librum suum secundum; & aliquot S. Germani miracula ibidem facta sub Elia abbate 297. CAP. 5. Continuatio miraculorum sub eodem abbate 299. CAP. 6. Plura in uno homine Sancti prodigia; tum alia sub abbate Germano spectata 300. CAP. 7. Reliqua miracula usque ad annum Christi 1174, 302.

29 Genevæus episc. conf. Dolæ in Britannia Armorica 83

31 Gosselinus ep. conf. Metis in Belgica 1. SYLL. de aliquali cultu, gestis & ætate 304

29 Guilielmus ep. conf. Brioci in Britannia Armorica. COMM. PRÆV. Sancti ætas, genus, episcopatus, persecutiones, canonizatio, cultus, Acta eorumque scriptor 120. VITA auctore Godefrido Calvo, *ex Surio*. Prologus &c. 122. MIRACULA & CANONIZATIO. 125

H

30 HAthebrandus abbas conf. Antverpiæ in Belgio. COMM. PRÆV. § 1. Sancti notitia ex reliquiarum Antverpiam translatione 161. § 2. Illustriss. Antverpiensis episcopi diploma & Acta 163. VITA in octo lectiones distributa *ex Ms. cœnobii S. Salvatoris Antverpiæ* 164

31 Helena vidua martyr Scodevæ in Suecia. COMM. PRÆV. Sanctæ cultus apud Suecos & Zelandos; ejus vita & ætas 329. VITA, auctore, ut putamus, S. Brynolfo ep. Scarensi, *ex cod. Ms. cœnobii Bodecensis*. Incipit passio S. Helenæ viduæ & martyris quæ est Calendis Augusti 332

I

31 IGnatius Loyola conf. fundator Ordinis clericorum regularium Societatis Jesu Romæ. COMM. PRÆV. § 1. Sancti nomen & cognomen,

gnomen, patria 409. § 2. Locus nativitatis in Loyolæa domo; animus; parentes, fratres ac ſorores; ſeries genealogica 411. § 3. Educatio; vita militaris; propugnatio arcis Pampelonenſis 412. § 4. Lectio ſacra; Mons ſerratus; Sancti ibidem confeſſarius, ac mora; veſtitus; imago & inſcriptio 414. § 5. Iter è Monte ſerrato Manreſam; Sancti ſpelunca; Exercitia ſpiritualia ibidem compoſita; tempus commorationis 417. § 6. Exercitiorum liber à quo, ubi & quando ſcriptus? Hujus argumenti vindiciæ 419. § 7. Argumenta alia, quibus Exercitiorum liber S. Ignatio, tamquam vero ejuſdem auctori aſſeritur; expenſa recentioris cujuſdam objecta 421. § 8. Exercitiorum idea; viri in illis tradendis exercitati; fructus in Societatem Jeſu ſingillatim, atque in univerſam rempublicam Chriſtianam generatim ex illis derivati, S. Ignatio etiamnum vivente 423. § 9. Exercitiorum liber impugnatus; examinari juſſus à Sede Apoſtolica; deinde ab eadem approbatus ac laudatus; ejuſdem libri vindiciæ 425. § 10. Aliæ Exercitiorum vindiciæ; elogia 427. § 11. Sancti Barcinone in Italiam, & inde in Terram ſanctam profectio; Barcinonem reverſi litterarum ſtudia, virtutes, prophetiæ 429. § 12. Monaſterium meliori frugi reddere ſatagens, peſſimè mulctatur; virtutes exercitæ; elogia; ſuſpenſo ſpatium pœnitentiæ miro prorſus modo impetratum 431. § 13. An ſuſpenſus ille à morte ſit ſuſcitatus; ſocii Barcinone Sancto adjuncti; de quodam non aſſumpto prophetia 432. § 14. Res complutenſes ac Salmanticenſes 434. § 15. Adventus Lutetiam Pariſiorum; calumnia occaſione collegii ibidem Montis acuti Sancto impacta; exercitia pietatis, ſtudia humaniora, hoſpitium 436. § 16. Excurſus in Belgium; prophetia Antverpiæ edita; publica infamia Pariſiis, in magnam Sancti laudem converſa; reductio hæreticorum; ſocii priores inconſtantes 438. § 17. Primi è quibus coaluit Jeſu Societas; elogia; licentiæ ac magiſterii gradus in Artibus 440. § 18. Studium theologicum Pariſiis; vota in Monte Martyrum; commoratio Pariſienſis; diſceſſus in Hiſpaniam; teſtimonium 442. § 19. Iter in patriam; virtutum exempla; morum emendatio; miracula, vaticinationes, ardor divini amoris; illuſtratum cubiculum 445. § 20. Colloquium Segobricæ de inſtituenda Societate Jeſu; adventus Venetias 447. § 21. S. Ignatius Venetiis à S. Cajetano Thienæo non petiit admitti in Ordinem PP. Theatinorum 448. § 22. Alia argumenta, quæ iſti fabellæ incommodant; Sedis Apoſtolicæ de ea judicium 451. § 23. Tres ſocii prioribus adlecti; denarius primorum Patrum numerus; Fabri fructus Pariſiis; ejus ac ſociorum diſceſſus Venetias, inde Romam; Sanctus cur Venetiis relictus 453. § 24. Primi Patres gratiosè à Romano Pontifice admiſſi; ſuſcipiendi Ordines ſacros & eccleſiaſtica munia obeundi facultates 455. § 25. Declarata Sancti adverſus criminationes innocentia; primitiæ ſacræ ubi & quando celebratæ 457. § 26. Famoſa apparitio S. Ignatio facta in agro Romano; ingreſſus in Urbem; tradita Exercitia 439. § 27. Albanetana apud monachos Benedictinos Sancti in condendis Societatis Jeſu Conſtitutionibus inſtitutio commentitia; primorum Patrum de conſtituenda Societate deliberationes 461. § 28. Variæ Patrum determinationes circa Societatem inſtituendam; facultas prædicandi ac confeſſiones excipiendi in Urbe & ejus diſtrictu 464. § 29. Romanæ inopiæ per Ignatium ſuccurrit Margarita Auſtriaca; hujus ad ipſum litteræ, acta Emin. Contareni apud Pontificem pro Societate; labores Patrum in Italia; Societas fertur per apparitionem promota 466. § 30. Societas opportuno tempore inſtituta; ejuſdem fines ac media 468. § 31. Alia quædam media Societati propria; ejus vivendi modus; duæ proprietates ei cum aliis religioſis communes 470. § 32. Origo nominis Societatis Jeſu; ejuſdem impugnatio 471. § 33. Extrema ad abolendum è Societate hoc nomen tentata; audacia cujuſdam epiſcopi Romanâ auctoritate repreſſa; nominis ejuſdem commendatio ex re quadam mira; objectiones contra illud 473. § 34. Societas Jeſu à S. Ignatio, & ab aliis, ut fertur præcognita, antequam condita; principalis ejuſdem auctor ac ſecundarius; primus item ejuſdem Præpoſitus Generalis quorum ſuffragiis electus 474. § 35. Suffragia Patrum pro electione S. Ignatii in Præpoſitum Generalem; item declaratio duplex S. Franciſci Xaverii circa Societatis Jeſu Conſtitutiones, ex autographis eorum; quando illud munus Ignatius inierit 477. § 36. S. Ignatii & ſociorum tunc Romæ exiſtentium profeſſio conſignata ſcripto; autographa abſentium; profeſſio Patrum Romæ in manibus commiſſarii Benedictini non edita; quomodo Ignatius generalatum ſit auſpicatus; converſio hæretici; primi Societatis provinciales; inſtauratio Decretalis Innocentii III 479. § 37. Ordinis Carthuſiani cum Societate Jeſu Coloniæ inita familiaritas ab anno 1543, aucta deinceps & propagata; ejuſdem Ordinis Lutetiæ Pariſiorum erga noſtros benevolentia 482. § 38. Sententiæ quibus ſanctus Pater ac Socii ejus à publica infamia liberantur ad Ribadeneiræ lib. 3, cap. 13, 484. § 39. Dignitates eccleſiaſticæ hominibus Societatis ab Ignatio præcluſæ; regi Romanorum circa Caniſium utcumque factum ſatis; nonnulla circa Claudium Jaium, S. Fr. Borgiam ac Lainium in hac materia 486. § 40. Geſta ab Ignatio in liberanda Societate à feminarum cura 487. § 41. Sacri Cardinalium Collegii, ac deinde Julii PP. III in Ignatium & Societatem benevolentia; conventus Patrum in Urbem; approbatio & dignitas Conſtitutionum 489. § 42. Mirabiles Ignatii ſenſus in condendis Conſtitutionibus; harum confectio pluribus titulis veneranda; abdicatio generalatûs à Sancto pertentata; res Indicæ; collegium Germanicum 491. § 43. Litteræ illuſtrium perſonarum in Hiſpania, Italia ac Gallia ad S. Ignatium ſcriptæ circa collegia Societatis Jeſu 493. § 44. Ferdinandi ad S. Ignatium litteræ de collegio Viennenſi, componendo catechiſmo, conſcientiæ ſuæ negotiis, conficiendo à viris Societatis compendio theologico pro Germania contra hæreſes 495. § 45. Ferdinandi I epiſtolæ ad S. Ignatium, & geſta ad fundandum collegium Pragenſe 498. § 46. Ex epiſtolis Alberti Bavariæ ducis ad S. Ignatium elucidantur ac confirmantur res à noſtris geſtæ Ingolſtadii ac fundatum ab eodem duce collegium 501. § 47. Teſtimonia originalia à S. Ignatio in Italia & Sicilia in favorem Societatis obtenta, occaſione decreti Sorbonici adverſus eamdem Societatem lati 502. § 48. Teſtimonia in laudem Societatis data in Hiſpania, Luſi-

Luſitania, Germania ac Belgio, occaſione ejuſdem decreti Sorbonici; illius in Hiſpania prohibitio. 505. § 49. Societas Belgica; S. Ignatii in gubernanda Societate adminiſter; gratia apud Marcellum PP. II, ac Paulum IV. 507. § 50. Sancti morbus; mors ejuſque adjuncta 508. § 51. Alia nonnulla circa Sancti obitum, & ejuſdem adjuncta ex antiquis documentis eruta 511. § 52. Apparitio, miraculum, concurſus, ſepultura, novus in Societate vigor 513. § 53. S. Franciſci Xaverii & aliorum è Societate Jeſu concepta de S. Ignatio æſtimatio 515. § 54. De S. Ignatii ſanctitate quid ſenſerit P. Petrus Ribadeneira 516. § 55. Viri illuſtres externi, meritorum S. Ignatii præcones 518. § 56. Quanto in pretio fuerit S. Ignatius apud Cardinales Gaſparem de Quiroga, Franciſcum Mariam Taurufium &c. 520. § 57. Vultus ac corporis conformatio; veſtitus, afflicta valetudo, effigies, ſcripta 521. § 58. Alia quædam S. Ignatii ſcripta 523. § 59. Chronicon breve ab anno 1521, uſque ad 1543; ulterius deinde continuatum uſque ad Sancti obitum 524. § 60. De S. Ignatii virtutibus, ac primo de oratione 526. § 61. Donum lacrymarum ac deliciæ cæleſtes, ex affectu erga ſanctiſſimam Trinitatem 528. § 62. Externa inter orandum reverentia; animi collectio; nonnulla piæ affectionis puncta. 529. § 63. Pia erga SS. Euchariſtiam, Jeſum mediatorem ejuſque Virginem matrem & S. Ignatium martyrem affectio 531. § 64. Caritas erga proximum; gratus erga bene merentes animus 534. § 65. Alia quædam erga bene meritos officia; manſuetudo & amor pacis 536. § 66. Alia manſuetudinis Ignatianæ ſpecimina; amor Dei 537. § 67. Humilitas S. Ignatii ac data circa eam documenta 539. § 68. S. Ignatii obedientiæ exempla ac documenta 541. § 69. Alia obedientiæ ſpecimina ac documenta 543. § 70. Sancti erga Chriſti Vicarium, præſules eccleſiaſticos ac principes ſeculares obſervantia 545. § 71 Amor voluntariæ paupertatis 547. § 72. Qualis paupertas Societati Jeſu à ſuo conditore præſcripta; animi ejus magnitudo 548. § 73. Alia magnitudinis animi ejus ſpecimina 550. § 74. Dantur reliqua, ex conſtantia in rebus magnis. Æquabilitas animi; victoria qua homo ſeipſum vincit 552. § 75. Alia de victoria ſui documenta; examen particulare; afflictatio corporis, caſtitas, modeſtia, ſermo 554. § 76. Severitas in vindicanda religioſa diſciplina 557. § 77. Alia vindicatæ religioſæ diſciplinæ exempla; fuga novitatum; modus puniendi defectus ac delatoribus credendi 559. § 78. Severitas in immorigeris, ineptis & in malo obſtinatis è Societate dimittendis 561. § 79. Alia quædam in expurganda ab ineptis Societate exempla; benignitas erga eos qui inde dimitti vellent 563. § 80. Solicitudo paterna in curandis ſubditorum corporis & animi morbis; reverens eorum erga Sanctum affectus; alia ipſius erga illos intimi amoris argumenta 563. § 81. Alia, quæ Ignatii in regendo ſuavitatem commendant 568. § 82. Qualem ſe præbuerit Sanctus Pater erga novitios 570. § 83. Induſtria in formandis Societatis Jeſu præſidibus; frequens communicatio litterarum 572. § 84. Apophthegmata quædam aſcetica S. Ignatii 574. § 85. Nonnulla Sancti placita circa ſcholaſticos, magiſtros litterarum humaniorum ac Præpoſitum Societatis Generalem; donum pacis procurandæ; ſtudium erigendorum in Germania Seminariorum, ac propagandæ Hieroſolymis Societatis Jeſu 575. § 86. Virtutes S. Ignatii, ac documenta aſcetica, teſtimonio P. Oliverii Manarei confirmata, pars 1, 2 & 3, 578 &c. § 87. Spiritus propheticus; notitia arcanorum 584. § 88. Vultus cæleſti luce illuſtratus; apparitio; mirum in dæmones imperium 585. § 89. Miracula à Viro ſancto patrata fuiſſe, Ribadeneira non negavit 588. § 90. Reliquæ pro miraculis S. Ignatii à Ribadeneira aſſertis vindiciæ 590. § 91. Vita prima ex ore S. Ignatii excepta & ſcripta à P. Ludovico Conſalvo à Camera S. J.; Perpinianus Vitam ejuſdem Sancti conſcribere meditatus; Didacus Paiva Andradius quid & quando ſcripſerit 591. § 92. Vita à P. Petro Ribadeneira ſcripta 593. § 93. Notæ in Vitam à Ribadeneira vulgatam; ejuſdem vindiciæ; res geſtæ Sancti à Maffeio & Orlandino editæ 596. § 94. Vitæ ab aliis vulgatæ; monumenta noſtra Romana Mss 598. § 95. Prima ſepultura & tranſlationes corporis S. Ignatii, referuntur à pag. 599. § 96. Breves in tranſlationem ſecundam ac tertiam obſervationes pro identitate, ſtabili poſſeſſione, ac perpetua præſentia corporis S. Ignatii Romæ. Corpus venerabilis ſervi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini in ſepulcrum Sancti delatum 602. § 97. Acta pro canonizatione S. Ignatii ſub Clemente PP. VIII; cultus publicus Romæ inchoatus 603. § 98. Beatificatio promota atque obtenta ſub Paulo PP. V; Decretum S. Congreg. Rituum 606. § 99. Publica Urbis & orbis lætitia in dicta beatificatione; eadem cælitùs prodigiis comprobata; Breve Pauli PP. V, quo Beati Officium ac Miſſa extenditur ad totam Societatem; geſta ſub laudato Pontifice pro canonizatione 608. § 100. Litteræ Ludovici XIII Francorum regis, pro Beati canonizatione; Gregorii XV ad illas reponſoriæ 610. § 101 Relatio facta Gregorio PP. XV ſuper vita, ſanctitate, actis canonizationis ac miraculis S. Ignatii: deducuntur tres partes, à pag. 611. § 102. S. Iſidoro proximus in canonizatione S. Ignatius; elogium ejus; dies iſtius ſolennitatis, ſententiæ Cardinalium circa eam prolatæ 619. § 103. Reliqua purpuratorum Patrum ſuper B. Ignatii canonizatione ſuffragia 621. § 104. Suffragia archiepiſcoporum & epiſcoporum; Gregorii XV reſponſio, decretum & ſententia 623. § 105. Indulgentiæ, collecta pro Miſſa Pontificia, Bulla canonizationis; propagatio cultûs in Hiſpania; eadem alibi petita 624. § 106. Officia Sancti propria 625. § 107. Indultum peculiare circa recitationem Officii S. Ignatii; ejus olim conclavia, nunc ſacella domeſtica Romæ, & ſacra ibidem ipſius lipſana 627. § 108. Cranium S. Ignatii in ſacrario domus profeſſæ Societatis Jeſu Romæ; an & quid apud PP. Camaldulenſes prope Tuſculum in Latio? 628. § 109. Alia ſacra lipſana Romæ, in Hiſpania, Gallia, Coloniæ Agrippinæ 630. § 110. Sacra lipſana in Germania & Belgio 632. ACTA ANTIQUISS. à P. Ludovico Conſalvo S. J. ex ore Sancti excepta: & à P. Hannibale Codretto ejuſdem S. J. in Latinum converſa. Præfatio ſcriptoris 634. CAP. 1. Vita militaris, vulnus in propugnatione Pampelonenſi, ſanatio, lectio ſacra, apparitio; donum caſtitatis, deſiderium itineris Hieroſolymitani ac vitæ perfectioris 635. cap. 2. Diſceſ-

IN SEPTIMUM TOMUM JULII.

Diſceſſus è patria, geſta in Monte ſerrato ac Manreſæ 637. CAP. 3. Scrupuli; cæleſtes favores; iter Barcinonenſe 639. CAP. 4. Adventus Romam, Venetias, Hieroſolymam, atque ad loca ſacra 642. CAP. 5. Adventus in Apuliam, Venetias, Ferrariam, ac Genuam; captus pro ſpeculatore, contemnitur tamquam demens; ſtudia Barcinone ac Compluti 644. CAP. 6. Carceres Compluti ac Salmanticæ 646. CAP. 7. Studia Lutetiæ Pariſiorum, & alia ibidem geſta 649. CAP. 8. Adventus in patriam, virtutes ibi exercitæ; iter in ulteriorem Hiſpaniam; deinde in Italiam; famoſa ibidem apparitio ac geſta 651. VITA ALTERA, auctore R. P. Petro Ribadeneira S. Ignatii ſynchrono ac familiari conſcripta. *Ex editionibus Plantiniana anni 1587, & Colonienſi anni 1602; hîc recuſa.* Prologus auctoris ad Lectorem 655. Item Prologus ad Fratres S. J. ibid. CAP. 1. Natales S. Ignatii, vita in ſeculo acta, ad meliorem converſio 658. CAP. 2. Profectio in Montem ſerratum; ibidem geſta, vita Manreſæ inſtituta; ſcrupuli 661. CAP. 3. Divinæ illuſtrationes; Exercitiorum ſpiritualium liber, gravis morbus 664. CAP. 4. Iter Hieroſolymitanum, perluſtratio locorum ſanctorum; reditus in Hiſpaniam; ſtudia litterarum Barcinone 667. CAP. 5. Acta Compluti & Salmanticæ; profectio Pariſios 671. CAP. 6. Studia Lutetiæ Pariſiorum, officia caritatis in invidiam vocata 674. CAP. 7. Liberatio à publica virgarum infamia; ſocii Sancto adjuncti; reditus in Hiſpaniam 676. cap. 8. Accuſationes Venetiis; adventus Sociorum, labores in Veneta ditione 679. CAP. 9. Socius à S. Ignatio curatus; luſtratæ academiæ, apparitio Domini Jeſu; ingreſſus in Urbem; mora Sancti in Monte Caſino 682. CAP. 10. Deliberatio de conſtituenda Societate; magna Romæ tempeſtas; Ignatii ac ſociorum, tum intra tum extra eam labores; S. Franciſcus Xaverius ac Simon Rodericus in Indias deſtinati 684. CAP. 11. Confirmata à Paulo PP. III. Societas; mirum Dei in ea conſtituenda conſilium 688. CAP. 12. Alia, in Societate conſtituenda divinæ providentiæ argumenta 692. CAP. 13. Orthodoxa fides apud Indos propagata 694. CAP. 14. Electio Ignatii in Præpoſitum Generalem, ipſius ac patrum profeſſio; Sancti regimen; S. Franciſci Xaverii in Indiam & aliorum aliò profectio 698. cap. 15. Varia Societatis collegia, ejuſdem amplior à Sede Apoſtolica confirmatio 701. cap. 16. Pia Romæ opera; varia collegia, obitus P. Petri Fabri 704. CAP. 17. PP. Cartuſiani mirificè erga Societatem affecti; malefacta pro benefactis S. Ignatio repenſa; Societas à cura feminarum liberata; aditus ad honores eccleſiaſticos præcluſus 707. CAP. 18. Varia Societatis collegia; ejuſdem elogium à Magiſtro Generali Ordinis FF. Prædicatorum datum; noſtri Africam, Siciliam ac Braſiliam ingreſſi 711. CAP. 19. Societas à Julio PP. III. confirmata, Inſtituti idea 714. CAP. 20. Plenior Inſtituti ac formæ Societatis deſcriptio 718. CAP. 21. Ejuſdem deſcriptionis proſecutio 720. CAP. 22. Inſtitutum Societatis Jeſu à Gregorio PP. XIII confirmatur 723. CAP. 23. De collegiis, quæ habet Societas Jeſu, ad inſtituendam juventutem 726. CAP. 24. Reliqua ejuſdem argumenti commoda expenduntur 730. CAP. 25. Voluntas deponendi regimen Societatis, ejuſdem Conſtitutiones, collegium Romanum & alia quædam in Hiſpania; noſtri ab archiepiſcopo Toletano ibidem vexati; provincialatus Lainii, mors Jaii 734. CAP. 26. Collegium Germanicum; obitus & elogium S. Franciſci Xaverii 737. CAP. 27. Luſtrata à noſtris Corſica; Exercitia ſpiritualia ad fidei Quæſitores delata; collegia ac diſtributæ in Hiſpania provinciæ, varia collegia; collegii Sorbonenſis contra Societatem decretum. CAP. 28. Duo è Societate Euangelii præcones à barbaris interempti; alter Æthiopiæ patriarcha creatus; ſeditio Cæſarauguſtana in laudem Societatis converſa, varia collegia 743. CAP. 29. Societas in variis provinciis propagata; S. Ignatii obitus 746. CAP. 30. Graviſſimorum virorum de S. Ignatio judicia; habitudo corporis 748. CAP. 31. Oratio ac familiaritas cum Deo 750. cap. 32. Caritas erga proximos; animi ſubmiſſio 753. CAP. 33. Perfectæ obedientiæ exempla & documenta à Sancto data, imperium in animi affectus 756. cap. 34. Moderatio & efficacia ſermonis; ſeveritas benignitate temperata 759. CAP. 35. Commiſeratio, animi magnitudo 762. cap. 36. Rerum ſpiritualium peritia 765. CAP. 37. Aliæ in rebus ſpiritualibus S. Ignatii induſtriæ 768. CAP. 38. Prudentia in rebus gerendis ac vigilantia 770. CAP. 39. Miracula à S. Ignatio patrata 773. GLORIA POSTHUMA. *Ex variis qua ſcriptis qua impreſſis documentis.* CAP. 1. Gloria poſthuma è loco natali. § 1. Domus Loyolanæ idea; ſacellum ſancti Patris 777. § 2. Ulterior ſacelli notitia; Sancti lipſanotheca, collegium, ædes ſacra 778. § 3. Publica erga ſacrarium Loyolanum veneratio; miracula 780. § 4. Alia miracula; Loyolana domus quomodo Societati Jeſu acquiſita 782. CAP. 2 GLORIA POSTHUMA S. Ignatii ex commoratione apud Manreſanos ac Barcinonenſes. § 1. Spelunca aliaque loca Manreſæ Sancto honorifica 783. § 2. Alia venerationis ſpecimina; cæleſtes favores; Spelunca Societati Jeſu data 785. § 3. Exercitia ſpiritualia poſt Sancti mortem laudata; uſus eorum in Societate, & apud viros ſanctos &c. 786. § 4. Uſus Exercitiorum apud Italos, ac Venetenſes in Britannia minore 788. § 5. Uſus Exercitiorum in ditione Subalpina, & adjunctis ei provinciis 789. § 6. Sanctus apud Barcinonenſes poſt mortem glorioſus 790. CAP. 3. GLORIA Sancti POSTHUMA ex miraculis. § 1. Miracula uſque ad annum Chriſti 1600 in Italia ac Sicilia patrata 792. § 2. Miracula ad annum uſque 1600 in Hiſpania 795. § 3. Miracula in Balearium inſularum majore, Germania & India, quibus additur unum in Belgio anno 1610, 797. § 4. Miracula per S. Ignatium edita ab anno 1591 ad 1616. Pars 1, 2 & 3, à pag. 799. § 5. Miraculorum ab anno 1566 uſque ad prædictum annum 1616 ſupplementum & continuatio uſque ad 1628, ex centum miraculis à P. Daniele Bartolo excuſis, Vitæ S. Ignatii lib. 5. Pars 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, ad pag. 820. § 6. Miraculorum ac beneficiorum ſupplementum & continuatio uſque ad annum 1730. Claſſis prima ex Italia à pag. 822. Claſſis 2 ex Sicilia 824. Reliqua ad Siciliam ſpectantia miracula 827. Claſſis 3, ex Hiſpania; ac primo ex Arragonia 829. Alia ibidem miracula 832. Ex Catalonia aliiſque Hiſpaniæ locis 834. Claſſis 4, ex Sabaudia ac Germania 836. Claſſis 5, ex Prouincia Belgica. CAP. 4. GLORIA POSTHUMA ex imaginibus, ac patrocinio tutelari; ſingularis erga Sanctum veneratio. § 1. Imago Munebregana, Guadianenſis, Antiquarienſis, Regalbutana, ac Crembſienſis

Crembſienſis 840 § 2. Sanctus in variis Hiſpaniæ Italiæque locis &c. patronus tutelaris 842. § 3. Singularis erga Sanctum veneratio in Belgio, Germania, America. 844. CAP. 5. GLORIA Sancti POSTHUMA ex ædibus ſacris, honore ſepulcri, apparitionibus. § 1. Templa Romæ, in Belgio & alibi 845. § 2. Gloria ſepulcri S. Ignatii ex ſacello Romano 847. CAP. 6. GLORIA S. Ignatii POSTHUMA ex Societate Jeſu, quam inſtituit. § 1. Gloria ex SS. Tereſia, Philippo Nerio & Carolo Borromæo in Societatis fundatorem derivata 849. § 2. Gloria Sancti è beato exitu eorum qui moriuntur in Societate Jeſu 851. Auctarium circa beneficia patrocinio S. Ignatii attributa 852

Imiterius confeſſor in comitatu Burgundiæ. SYLL. de cultu 306

31 Joannes Columbinus fundator Ordinis Jeſuatorum, prope Senas in Tuſcia. COMM. PRÆV. § 1. Antiquus Beati cultus ex variis monumentis 333. § 2. Diverſi Actorum ſcriptores eorumque auctoritas 335. § 3. Elegans Beati elogium ſeu vitæ compendium ex Faſtis Senenſibus 337. § 4. Aliqua in longioribus Actis omiſſa & controverſa 339. § 5. Miracula interceſſione Beati patrata 341. § 6. Corpus Beati, diu incorruptum & integrum, tandem diſſolvitur, & pars capitis & oſſium, olim furto ablata, adhuc in diœceſi Ariminenſi invenitur 342. § 7. Jeſuatorum origo, nomenclatura, exercitia & veſtitus 344. § 8. Jeſuatici Ordinis progreſſus, regulæ, ſtatuta, conſuetudines & privilegia 346. § 9. Jeſuatorum inſtitutum, diu fruſtra impugnatum, ac tandem Pontificia auctoritate exſtinctum 349. § 10. Monialium Jeſuatarum inſtitutum adhuc perſeverans, Ordinis origo, leges, & præcipua primæ adjutricis geſta 351. VITA auctore Joanne Baptiſta Roſſi S. J. *ex editione Romana ad ordinem hiſtoricum reducta.* CAP. 1. B. Joannis patria, ſtirps, cognomen, parentes, prima ſtudia, conjugium, proles, negotia & munera ante converſionem adminiſtrata 354. CAP. 2. Mira & ſubita ejus converſio ad bonam frugem ex lectione Actorum S. Mariæ Ægyptiacæ 356. CAP. 3. Conſentiente uxore, votum caſtitatis ab ipſo emiſſum, & alia pietatis exercitia obita 357. CAP. 4. Electio ſocii, & ejuſdem ad ſimilem apoſtolicæ vitæ normam inductio 359. CAP. 5. Morbus Beati, occulta fuga ad noſocomium, & vexatio ex parte uxoris ſuæ ob pauperem ac vilem vivendi modum 360. CAP. 6. Mirificus orantis Beati ſplendor, benigna Chriſti ſuſceptio ſub forma leproſi, divina conſolatio, & tandem his miraculis emollita uxoris durities 362. CAP. 7. Omnimoda bonorum ſuorum abdicatio, vehemens paupertatis amor, & prodigioſus honoris contemptus 365. CAP. 8. Fervens illius erga Chriſtum amor, aliquot diſcipulorum delectus; & dura eorumdem probatio 367. CAP. 9. Inſignis duorum juvenum converſio & conſtans eorum fervor 370. CAP. 10. Senenſe fratrum Prædicatorum cœnobium, opera B. Joannis Columbini ad ſtrictiorem paupertatis & diſciplinæ obſervantiam redactum 372. CAP. 11. Indictum B. Joanni exſilium à magiſtratu Senenſi, divina ob id vindicta, ſubita injuſtæ expulſionis revocatio, & amica ad reditum invitatio 373. CAP. 12. Commoratio ejus in urbe Aretina; prodigioſa unius ſocii ſanatio, & alia ibidem geſta 374. CAP. 13. Profectio Tifernum, mira quorumdam converſio, inimicorum reconciliatio; monialium ad ſtrictiorem paupertatem reductio, & crebra cum epiſcopo Tifernate converſatio 376. CAP. 14. Magnus concionum fructus in variis Tuſciæ locis, pietas Piſanorum à beato Joanne laudata, verbum Dei in aliis urbibus diſſiminatum, & nonnulli diſcipuli collecti 378. § 15. Horrida Beati pœnitentia, expetita illius inſtructio à Corſignanenſibus, pervicax Monticellanorum duritia, obtenta tamen paucorum converſio, & ibidem ſubita ulceroſi viri ſanatio 380. CAP. 16. Uberes concionum fructus in Monte Alcino collecti, morbus omnium ſodalium B. Joannis Columbini, & repentina unius per ipſius preces ſanatio 382. CAP. 17. Columbini abſentis apparitio alteri facta, cognitio rerum longè diſtantium, diſceſſus ex Monte Alcino, miracula in itinere patrata, adventus Aſcianum, & copioſa ſeminati ibidem verbi divini meſſis 284. CAP. 18. Reditus Beati ad urbem Senenſem, priſtinus diſciplinæ ac paupertatis rigor apud moniales S. Abundii ab ipſo reſtitutus, conſobrina exhortatione ejus & miraculo ad ſeveram vivendi methodum adducta 385. CAP. 19. Diverſa miracula quæ in vita Beati contigerunt 387. CAP. 20. Diſceſſus B. Joannis ex urbe Senenſi Viterbium; ingenioſa adoleſcentis in illo itinere induſtria, ut Beati diſcipulus fieret, & alia memoratu digna quæ Viterbii geſta ſunt 388. CAP. 21. Profectio Beati Cornetum; receptio Urbani PP. in portu Cornetano, diſceſſus Viterbium, congregatio illius à ſummo Pontifice approbata, & uniformis habitus omnibus ſociis præſcriptus 390. CAP. 22. Falſa B. Joannis ſociorumque accuſatio, innocentia illorum poſt examen comperta, eadem veſtium forma omnibus à Romano Pontifice data, pius vivendi modus probatus, & alia paternæ benevolentiæ ſigna ipſis exhibita 392. CAP. 23. Reverſio Beati ad urbem Senenſem, morbus in itinere, pia teſtatio ante ſumptionem ſacri Viatici, & poſtrema ad diſcipulos ſuos monita 394. CAP. 24. Pius B. Joannis obitus, indicia ſanctitatis poſt mortem ſecuta, honorificæ exſequiæ, & ſepultura in monaſterio S. Abundii 397. MIRACULA quæ ab obitu Sancti uſque ad annum 1435 contigerunt, auctore Feo Belcaro, *ex Italicis Actis* &c. 398. ALIA MIRACULA quæ ſeculo 16 patrata ſunt, auctore Paulo Morigia, *ex Italica Jeſuatorum hiſtoria* 400. APPENDIX. De ſcriptis & documentis B. Jo. Columbini 402. § 1. Senſa B. Jo. Columbini de fide, ſpe, & caritate erga Deum & proximum 403. § 2. Documenta ejuſdem Beati de ſublimi quodam orationis genere, de mortificatione, voluntaria paupertate, mundi contemptu & patientia 405. § 3. Doctrina illius de humilitate, timore Domini, prudenti regimine & ſtudio perfectionis 406

30 Joannes miles. Cultus apud Græcos, elogia, veneratio publica CPoli 148

30 S. Julitta mart. Cæſareæ in Cappadocia. COMM. PRÆV. Cultus, elogia, tempus ac locus martyrii, Acta ex S. Baſilio magno 141. ELOGIUM auctore S. Baſilio magno &c. Sancta iniquè oppreſſa rejicitur in judicio, quia Chriſtiana; in igne martyrium conſummat illæſo corpore; gloria poſthuma 143

L

29 LUcilla, Flora, Eugenius & alii Romæ. COMM. PRÆV. § 1. Antiquus horum Sanctorum

rum cultus, incertum martyrii tempus, & ambigua eorum ab aliis distinctio 13. § 2. Varia tum Mss. tum impressa Actorum exemplaria, eorumque antiquitas 16. § 3. Diversa recentiorum auctorum judicia de Actis horum Sanctorum 18. § 4. Verosimilis Actorum cum aliis confusio, & manifesta eorumdem mutua imitatio 21. ACTA *ex Ms. codice Cathedralis ecclesiæ Aretinæ* 23. ACTA ALIA auctore S. Petro Damiani, *ex Romana editione ejus operum.* Prologus. CAP. 1. Harum sanctarum Virginum pietas, captivitas, & in captivitate libertas 25. CAP. 2. Virginum è captivitate liberatio, reditus Romam, & martyrium unà cum suo raptore 26. APPENDIX De posthuma eorumdem martyrum gloria § 1. Prima sacrorum corporum sepultura, & eorum translatio ad diœcesim & urbem Aretinam 27. § 2. Variæ ecclesiæ in Italia, Hispania & Gallia reliquias SS. Floræ Lucillæ & Eugenii sibi vindicant 29. § 3. Reliquiæ SS. Eugenii, Antonini & Theodori, quæ in Germania esse existimantur 31

29 Lupus episc. conf. Trecis in Gallia, COMM. PRÆV. § 1. Sancti cultus: reliquiæ earumque translationes 51. § 2. Elogia quædam Sancto nostro recitata, maximè à S. Sidonio Apollinari 54. § 3. Acta ejus antiqua, tum brevia, tum longiora, eorumque ætas & meritum 56. § 4. Locus & annus Sancti natalis, parentes, educatio, nuptiæ 59. § 5. Ejusdem vita monastica apud Lerinenses; primordia episcopatus; Legatio in Britanniam cum S. Germano ep. Autissiodorensi 61. § 6. Gesta ejus post reditum in Britanniam; liberatio Trecarum ab Attila; secessus in montem Latisconem, & inde Matisconem, ejusque causa 64. § 7. Reditus ejus ad ecclesiam suam; ad S. Sidonium gratulatoria; tempus felicis obitûs 66. § 8. Miracula S. Lupi post obitum facta 68. ACTA ANTIQUA auctore anonymo, *ex cod. Valcellensi Ms. collato &c.* 69. ACTA RECENT. auctore anonymo *ex Ms. Ultrajectino, collato* &c. CAP. 1. S. Lupi natales, educatio, nuptiæ, vita monastica, electio ad sedem Tricassinam 72. CAP. 2. SS. Lupi & Germani expeditio in Britanniam adversus Pelagianos 73. CAP. 3. Fides Catholica restituta Britannis per SS. Lupi & Germani prædicationem & miracula 75. CAP. 4. Attilæ irruptiones in Gallias; martyrium SS. Memorii & sociorum ejus; Trecarum immunitas ab Hunnorum vastatione; Attilæ interitus 77. CAP. 5. Asperrima vita S. Lupi, & quædam ejus miracula 80. Cap. 6. Ejusdem apud omnes veneratio; discipuli, obitus & sepultura 81

M

30 MAmas & Basiliscus martt. Cultus *ex Fastis Græcis* 149

29 Martha V. Christi Servatoris hospita, Tarascone in Provincia: COMM. HIST. § 1. Cultus ex sacris Fastis aliisque venerationis monumentis. 4. § 2. Martha Tarasconensium Gloria. 6. § 3. Augustior theca Ludovici XI Franciæ regis aliaque ejusdem loci decora & Sanctæ ipsius miracula. 8. § 4. GESTA S. Marthæ, *ex Officio Avenionensi* 9. § 5. Cultus S. Marthæ extra Provinciam, reliquiæ, miracula alia, templaque ipsi dicata 11

31 Martyres 12 Romani. Notitia *ex Fastis Græcis* 180

31 Martyres 350 monachi anonymi in Syria secunda. *Ex Martyrologio Romano* 305

30 Maxima, Donatilla & Secunda Tubuibi in Africa COMM. PRÆV. De palæstra martyrii ejusque tempore, cultu & Actis 146. MARTYRIUM *ex S. Adonis Martyrologio* 147

N

31 NEotus conf. in Anglia. COMM. PRÆV. § 1. Sancti cultus & Actorum scriptores 314. CAP. 2. Aliquæ Actorum circumstantiæ examinantur 316. § 3. Reliquiæ & variæ earum translationes 318. VITA, auctore anonymo, *ex cod. Beccensis monasterii in Normannia, collato* &c. Prologus 319. CAP. 1. Sancti clara stirps, parentes, studia, vita monastica, virtutes, sacerdotium, & exigua corporis statura 320. CAP. 2. Vita solitaria, Romana peregrinatio, cœnobii constructio, sanctitatis fama & stupenda miracula in hujus Sancti gratiam patrata 322. CAP. 3. Sancti miraculum, auxilium, monita, prædicationes; morbus, mors & sepultura 324. CAP. 4. Prophetia Sancti completa, apparitio illius post mortem Ælfredo regi facta, relata ejus auxilio victoria de paganis, eorumque conversio ad fidem Christianam 326

O

29 OLavus rex & martyr, Nidrosiæ in Norvegia. COMM. HIST. § 1. Cultus antiquitas & propagatio 87. § 2. Acta, eorumque auctoritas; notitia brevis parentum & majorum S. Olavi 89. § 3. Patria, tempus natale, educatio, expeditiones piraticæ 91. § 4. Baptismi ejus tempus ac locus; reditus in patriam, regnique primordia 94. § 5. Jus civile & canonicum ab eo conditum; liberatæ provinciæ; pax facta cum rege Sueciæ; zelus pro religione Christiana; pietas singularis & quotidiana, Sigurdi obitus 96. § 6. S. Olavi mansuetudo & clementia; nuptiæ; labores ad stabiliendam in provinciis ethnicis rem Christianam 98. § 7. Olavi Sueci obitus; Sancti pietas & clementia; Vossensium aliorumque conversio; filius S. Olavo natus; insularum submissio; gesta in Uplandis 100. § 8. Sancti bellum cum Canuto Magno; miraculum geminum; fuga in Russiam ob corruptos à Canuto subditos 102. § 9. Reditus ejus in Norvegiam; pugna & martyrium; regni tempus 105. § 10. Sancti corporis sepultura, elevatio, decoratio, incorruptio vegeta quotannis observata, pluraque inter hæc miracula 108. § 11. Ejusdem corporis translationes variæ, asserta incorruptio, status modernus, aliaque ad reliquias pertinentia 110. ACTA BREVIA auctore anonymo, *ex Passionali Ms. cœnobii Bodecensis.* CAP. 1. Sancti conversio; labores ejus apostolici non minus quam regii; martyrium 113. CAP. 2 Miracula mortem ejus consecuta 115. APPENDIX miraculorum S. Olavi regis ac martyris, ex variis monumentis 117

31 Onesimus & socii martt. Puteolis in Campania. *Ex Officio proprio* 175

P

29 PAter, mater ac duo filii. Cultus *ex duobus Mss. Græcis* 43

31 Petrus episc. conf. Ravennæ in Italia. COMM. PRÆV. Petrus qui Ravennæ colitur, non junior sed senior dicendus 181 VITA *ex Agnelli libro Pontificali* 182

29 Prosper episc. conf. Aureliani in Gallia. SYLLOGE de cultu & ætate 82

R

30 RUfinus mart. Assisii in Umbria. COMM. CRIT. Unusne an plures sancti Rufini Assisii celebrentur 150. B. Petri Damiani sermo de S. Rufino martyre 151. Ejusdem hymnus de ipso S. Rufino, breviter ejus martyrium comprehendens 154
30 Rufus, Priscus & XIV alii martt. verosimiliter Tuburbitani. *Ex Hieron.* 148

S

29 SEraphina. *Ex Marliis* 38
29 S Simplicius, Faustinus & Beatrix Romæ. COMM. PRÆV. Cultus horum Martyrum; reliquiæ; Acta. ACTA *ex editis Mombritii & plurimis Mss.* 34

T

30 TAtwinus episcopus conf., Cantuariæ in Anglia. SYLLOGE de cultu & gestis 159
30 Terentius confessor, Faventiæ in Æmilia Italiæ. COMM. PRÆV. Sancti cultus probatus, Acta magis incerta 154 VITA *ex Ms. verosimiliter Faventino* 155

U

30 URsus episc. conf. Autissiodori in Gallia. SYLLOGE de cultu, ætate, gestis & sepultura 158

INDEX APPENDICIS,

Juxta ordinem dierum.

DE B. Bartholomæo Vicentino, tom. 1, die prima 854. Eodem tomo & die, de SS. Felice & Moderato, ibid. Eodem tomo die 11 Julii; de S. Juvenale patriarcha Hierosol. COMM. HIST. § 1. Sancti cultus & elogia 855. § 2. SYLLOGE gestorum ejus 857. § 3. Accusationes adversus ipsum, & vindiciæ 860. Tom. 11 Julii die VI, 863. Ad appendicem diei VI, pag. 447. De B. Hugone peregrino 864. Ad diem VII Julii. De S. Wolfilaico, ibid. Ad diem X Julii. De reliquiis S. Alexandri M. filii S. Felicitatis 864. Ad diem XI Julii. De S. Amabili virgine, Rothomagi in parthenone S. Amandi. De S. Læto puero M. Pruvini in Briegio seu Bria Galliæ. SYLL. De cultu & Actis Dominica 2 Julii. De S. Marcellina virgine ad diem XVII Julii 866. Ad diem XX Julii. D. S. Marino presbytero confessore Autissiodori in Gallia. 869. Vindiciæ breves pro Hispanica S. Jacobi prædicatione. Contra R. P. Michaëlem à S. Maria, magistrum sacræ Theologiæ, ex Ord. FF. Eremitarum S. Augustini. § 1. Resuscitatæ hujus controversiæ origo, progressus ac materia explicantur 869. § 2. Argumentum de tempore divisionis Apostolorum frustra nobis ab adversario objicitur 871. § 3. Præcipuum adversarii argumentum refellitur ac enervatur 875. § 4. Alia quædam R. P. Michaëlis argumenta obiter diluuntur 878. § 5. Aliquot effugia adversario occluduntur 881. § 6. Adversarius constringitur incluctabili auctoritate S. Hieronymi, quam frustra tentat eludere 885.

INDEX CHRONOLOGICUS

SECULO I.

SMartha Christi Servatoris hospita celebris in Provincia Galliæ 8

SECULO II.

Sub finem floruit S. Calimerus episc. Mediolanen. martyr 171

SECULO IV.

Anno 359 obiit S. Felix PP. II & martyr 43
An. 378 natus est S. Germanus Autissiodorensis episcopus 193
An. 390 S. Expletius ep. conf. Metis 157

SECULO V.

Floruit S. Prosper ep. Aurelianensis 82
Obiit S. Lupus ep. Trecensis in Gallia 51
An. 425 Petrus, *Senior* non *junior* dicendus, Ravennatum episcopus obiit 181
An. 429 missio S. Germani in Britanniam 195
An. 448 signatur ejus obitus 184
An. 488 scribitur ejus vita 255
An. 460 creditur obiisse Gosselinus Metensis ep. 304

SECULO VI.

Monachi CCCL anonymi MM. in Syria 2 305

SECULO VII.

S. Genevæus ep. Dolæ in Britannia Armorica 83

Con-

Conſtantinus Patriarcha CPolitanus 48
Floruerunt ſancti fratres Bantus & Beatus 307

SECULO VIII.

An. 734 Obiit S. Tatwinus ep. Cantuarien. conf. 159

SECULO IX.

An. 877 aut circiter obiit S. Neotus conf. in Anglia 314

SECULO XI.

Floruit S. Olavus rex Norvegiæ & martyr 87
Item S. Helena vidua, martyrium etiam paſſa 329

SECULO XII.

S. Hathebrandus abbas conf. in Friſia 161

SECULO XIV.

Anno 1367 confirmatus eſt Ordo Jeſuatorum 390
Eodem obiit ejus fundator S Joannes Columbinus 397

SECULO XV.

An. 1428 Jeſuatorum Ordinem tuetur Martinus PP. V. 350
An. 1491 Natus eſt S. Ignatius Loyola 411

SECULO XVI.

Anno 1521 Globo tormenti bellici læditur S. Ignatius 413
1522 Sacræ militiæ tirocinium ponit 415
1540 Societatem à ſe inſtitutam confirmari curat 462
1556 Ad laborum præmium à Deo evocatur 510
An. 1568 Amiſſum ſac. corpus S. Germani Autiſſiodor. 187

SECULO XVII.

Anno 1609 Inter Beatos refertur S. Ignatius à Paulo PP. V. 608
An. 1622 Canonizatur à Gregorio PP. XV. 619
An. 1668 Jeſuatorum Ordo ſupprimitur à Clemente PP. IX. 351

NOTITIA FIGURARUM

Ornantium hunc tomum.

PRæfigitur ſolitum operis frontiſpicium.
Item effigies ſereniſſimæ Archiducis Mariæ Annæ, cui tomus ipſe inſcribitur.
Lipſanotheca S. Marthæ pag. 8
SS. Abdon & Sennen 130
Theca reliquiarum S. Hathebrandi 163
Effigies S. Joannis Columbini 346
Vicus, vulgo La Storta, prope Romam 461
Effigies S. Ignatii Loyolæ 523
Sigillum S. Ignatii 532
Imago B. V. Cæſarauguſt. olim S. Ignatii 533
S. Ignatii chriographum 632
Candelæ reliquum candelabro inſertum 633
Ara argentea Loyolana 780
Antiqua domus Loyolana, collegium, ſacellum ibid.
Numiſma in memoriam conditæ ædis ſacræ collegii Romani 845
Ara & ſacellum S. Ignatii Romæ 848

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 11 *num.* 35 *lin.* 2 perfidiæ, *lege* perfidæ.
P. 18 *n.* 32 *deeſt verbum in marginalibus*; probatur, videtur, *aut ſimile.*
P. 46 *n.* 15 *lin.* 12 eum *l.* cum.
P. 62 *n.* 56 *lin.* 27 anni 426, *l.* 425.
P. 312 *in annotatis lit.* a, Zozimo *l.* Zoſimo.
P. 337 *n.* 34 *lin.* 1 damnare non potuit *l.* non damnare non potuit.
P. 341 *litt. B in additione* proſterius *l.* poſterius.
P. 368 *n.* 110 *lin.* 7 quæſius *l.* quæſitus.
P. 424 *n.* 81 *lin.* 21 revocatæ *l.* revocata.
P. 425 *n.* 84 *in margine* perſonis *l.* ac perſonis.
P. 429 *n.* 107 *l.* 17 propitius *l.* propitia.
P. 435 *n.* 132 *in margine* quem Deus *l.* litterarium defectum Deus.
P. 457 *n.* 255 *l.* 7 exemplum eſt *l.* extat exemplar.
P. 468 *n.* 308 *l.* 14 ponuntians *l.* pronuntians.
P. 482 *n.* 380 *l.* 2, invenio *l.* ita fere invenio.
P. 501 *n.* 483 *l.* 4 cap. 15 *l.* cap. 19.
P. 506 *n.* 506 *l.* 23 Deo primum tuæ, *l.* Deo primum, tuæ.
P. 513 *n.* 547 *l.* 5 patri *l.* patris.
P. 520 *n.* 587 *l.* 2 paragrapho 54 *l.* paragr. 55. *Ibid. lin.* 3 paragrapho 51 *l.* paragrapho 53.
P. 523 *n.* 600 *l.* 1 Ribadeneira modò aſſignatus *l.* Ribadeneira in Catalogo Scriptorum S. J.
P. 558 *n.* 778 *in marg.* præſide- *l.* præſides.
P. 566 *n.* 817 *l.* 10 lectionet abſtinere *l.* lectione abſtineret.
P. 578 *n.* 879 *l.* 4 tranſcribi *l.* priùs tranſcribi.
P. 581 *n.* 901 *l.* 4 tranquililtas *l.* tranquillitas.
P. 584. *n.* 919 *l.* 6 170 *l.* 17°.
P. 585 *n.* 921 *l.* 18 260 *l.* 26°.
P. 610 *n.* 1042 *l.* 4 numero proximo *l.* proximè.
P. 640 *n.* 27 *in marg.* pára come *l.* para comer.
P. 668 *n.* 68 *l.* 3 percunia *l.* pecunia.
P. 670 *lin. ult. in annotatis* ibidem lit. e *l.* in dicta Vita num. 41.
P. 673 *n.* 96 *in marg.* prohibitus *l.* prohibiti.
P. 684 *n.* 150 *in marg.* umbuit *l.* imbuit.
P. 691 *n.* 188 *l.* 29 fruſtra *l.* fruſta.
P. 700 *n.* 231 *l.* 2 Broerus *l.* Broetus.
P. 732 *n.* 379 *l.* 19 edididit *l.* edidit.
P. 734 *n.* 386 *l.* 7 Bransbergæ *l.* Brunsbergæ.
P. 752 *n.* 477 *l.* 11 perfueretur *l.* perfruerentur.
P. 786 *n.* 61 *in marg.* heteradoxo *l.* heterodoxo.
P. 820 *n.* 274 *in marg.* Juvenem. *l.* Juvenis.
P. 823 *quæ num.* 288 *habentur, pone num.* 287.
P. 824 *n.* 296 *l.* 9 roſas *l.* roſis.
P. 838 *n.* 389 *l.* 3 Oenoponti *l.* Oeniponti.
P. 839 *n.* 396 *l.* 1 patratum *l.* Antverpiæ patratum.
P. 849 *n.* 452 *l.* 8 de trium *l.* de quatuor.

ACTA SANCTORUM
JULII.
TOMUS SEPTIMUS.
VIGESIMA NONA DIES.

SANCTI QUI IV KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Martha V. Christi hospita, Tarascone in Provincia

S. Lucilla, S. Flora, S. Eugenius, S. Antoninus, S. Theodorus & socc. XVIII — Martyres Romæ.

S. Simplicius, S. Faustinus, S. Beatrix — Martyres ibidem.

S. Absеodus, S. Rufus, S. Abdo, S. Pontianus, S. Nicetus — Martyres ibidem.

S. Felix, S. Niceta, S. Postiniana, S. Philippus — Martyres in Africa.

S. Anastasia, S. Philippus, S. Saturninus, S. Cælestius, S. Patrunia — Martyres incerti loci.

S. Pelagia

S. Faustinus conf., Tuderti in Umbria.

S. Seraphina.

S. Callinicus M., Gangræ in Paphlagonia.

SS. Anonymi pater, mater ac duo filii; apud Græcos.

S. Benjamin, S. Berius seu Verius &c. — Apud Græcos.

S. Felix II Papa Martyr, Romæ.

S. Lupus Ep. Conf., Trecis in Gallia.

S. Prosper Ep. Conf., Aureliani in Gallia.

S. Genevæus Ep. Conf., Dolæ in Britannia Armorica.

S. Constantinus Patriarcha CPolitanus.

S. Olavus Rex Martyr, in Norvegia.

S. Guilielmus Ep. Conf., Brioci in Britannia Armorica.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Athanasii episcopi Methonensis commemoratio in Sicilia, *nempe quod origine* Catanensis *fuerit, ponitur hoc die à Ferrario, iis fere verbis quibus usus est Caietanus in Martyrologio Siculo; forte quòd ambo ignoraverint, coli Sanctum eo die quo de ipso actum est* XXXI Januarii.

Odœnum *pro* Oweno, *de quo ad* XXVI *diximus, tamquam Confessorem ex Martyrologio Anglicano Wilsoni editionis anni* MDCVIII *hoc die produxit Ferrarius: at Wilsonus ipse in posteriori editione anni* MDCXL *melius ipsum omisit, memor fortasse referri ipsum eo die quo de ipso sub* owini *nomine actum est* IV Martii.

S. Guilielmum *episcopum Pictaviensem, ejus nominis III, ad hunc diem reduxit Ghinius, quem hic non spectare pridem ostenderunt Majores nostri, dum de eo agerent ad* XXIX Martii.

S. Domni *seu* Domnii *Salonensis episcopi translationem factam Spalatum hoc die celebrari notavit Henschenius, citans descriptam translatio-*

A

nis ejuſdem hiſtoriam , quam fruſtra ſit huc adduxiſſe. Vide quæ de Sancto dicta ſunt ad ejus natalem XI Aprilis.

B. Marquardum *ex Ordine S. Franciſci hoc die è proprio ſuo penu eduxit Ferrarius , quem Arturus & Hueberus melius retulerant eo die , ſive obitûs ſive tranſlationis aut elevationis , quo de ipſo in hoc opere actum eſt* XXIX Maii.

S. Apoſtolus Artemas in pace conſummatus *refertur cum verſiculis in noſtro Supplemento ſæpiſſimè indicato ; ſed de illo egimus , uti diximus heſterno die inter Prætermiſſos ,* XXI Junii.

S. Joannis Baptiſtæ capitis revelatio *vel in ipſo Romano parvo hoc die ſignatur. Additur in Molano , quod* facta ſit Pipino regi in Aquitania : *ac demum quod* de ea ſit tractatus apud martyrem Cyprianum. *Quæ ad ſanctiſſimum Domini Præcurſorem ſpectant abundè illuſtrata ſunt* XXIV Junii.

S. Ladiſlai *Hungariæ regis tranſlatio , neſcio unde relata ſit in Additiones Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum : verum ſive ea hoc die ſive ſequenti facta fuerit , jam abunde relata & illuſtrata eſt in Actis die quo Sanctus colitur* XXVII Junii.

B

S. Mariæ Magdalenæ octava *notatur in codice Uſuardino Bruxellenſi , adiſis* XXII Julii.

S. Peregrini *memoria male ad hunc diem dilata eſt in codice Uſuardino Hagenoyenſi : de eo actum eſt die præcedenti* XXVIII Julii.

S. Camelianus *epiſcopus Trecenſis male hoc die ſignatur in noſtro Florario Sanctorum Ms. , de ipſo actum eſt die quo verè colitur* XXVIII Julii.

S. Euſtathii *memoria ſignatur in apographis noſtris Mss. Sirmondo-Chiffletianis : de quo egimus cum Martyrologio Romano , die præcedente* XXVIII Julii.

Urbanum Papam ſecundum , qui ſacrum bellum in Saracenos pro recuperandis Hieroſolymis indixit , *celebrat hoc die Ferrarius* , Beatum *ipſum appellans poſt Martyrologos monaſticos Wionem , Dorganium & Menardum , quibus acceſſit Bucelinus meritiſſimo ipſum elogio exornans , quod ſeculo* VI *Benedictino tomo* 2 *pag.* 902 *fecit etiam Mabillonius , eum æque ac ceteri* Beati *titulo veneratus. Tum verò in Poſthumis parte* 3 *inſignem tanti Pontificis Vitam nobis reliquit , quam huc libentiſſimè tranſtuliſſemus ſi cultus alicujus , ab Eccleſia permiſſi vel tenuia veſtigia ſuggeſſiſſet , quibus quamdiu caremus , præſcriptos à Majoribus limites haudquaquam tranſgredi nobis integrum putamus. Ornetur quibuſvis elogiis , geſta ejus præclariſſima laudentur ab omnibus ſcriptoribus quos longo ordine recenſent prædicti monaſtici , quouſque de cultu non conſtat , ultra ſeriem virorum* piæ memoriæ , *ut Sauſſayus , aut* venerabilium *ut eum alii compellant , à nobis evehendus non eſt.*

C

S. Gennardum presbyterum confeſſorem , *omnibus aliis Martyrologiis incognitum , hoc die nobis ſuggerit codex Hieronymianus , quem Blumianum appellamus , laterculum ſuum , teſte Florentinio incipiens à Fontanellenſi additamento hujuſmodi :* In Fontanella monaſterio , depoſitio Gennardi presb. & conf. *Fruſtra Sanctum hujus nominis pro hoc die quæſivi hactenus , neque alio ſignatum uſquam reperi præterquam apud Caſtellanum , inter Sanctos incertæ diei ſeu ahemeros ipſum numerantem cum titulo* abbatis S. Ægidii in Septimania , *de cetero nec verbum addens , quo ad diſtinctiorem ejus notitiam procedi queat. Doceant nos ii quorum intereſt ,* D *cultum ejuſque diem , ætatem , geſta &c. , ut alibi de eo agi poſſit.*

Dedicatio baſilicæ B. Petri Apoſtoli , *quæ etiam* in Fontanella monaſterio *ab aliis codicibus Hieronymianis refertur , hujus loci non eſt.*

Ludovici Torques , *ut venerabilis martyris , cum duobus ſociis memoriam recolit Marcheſius in ſuo Diario Dominicano , ſatis longam vitæ ejus ſeriem ſubjungens.*

Bartholomæus Rondaninus *Faventinus , ejus Ordinis Dei famulus, ab eodem Marcheſio etiam hoc die conſignatur.*

Baldricus II , *ut epiſcopus* XLVII , *ob multa præclarè geſta merito inter Flores eccleſiæ Leodienſis à Fiſeno connumeratus eſt.*

S. Theodori martyris *Romani memoriam hoc die agit Petrus Paulus Boſca in Martyrologio Mediolanenſi , ut* cujus corpus Mediolani in eccleſia conceptionis PP. Capucinorum religiosè conſervatur. *Verum de iſtiuſmodi Sanctis , quorum corpora ex cryptis Romanis recentius erutа ſunt , arbitrario nomine inſignitis , melius tacuiſſet jam dictus Martyrologus : non ſemel de ea re correptus & porro corripiendus.*

B

Marcella , *ut S. Marthæ ancilla ſeu pediſſequa ad hunc diem à Majoribus noſtris non ſemel remiſſa eſt ; nempe ex notatiuncula aliqua ad Vitam S. Veronicæ de Binaſco* XIII *Januarii ; iterum ex Greveno* VIII *Junii ; tum demum & ex* X *Junii. Ac ſane aptius referri non poterat quam eo die quo magiſtræ ſeu dominæ feſtivitas recolitur. Hinc in Uſuardo Florentino hæc leguntur :* Item beatæ Marcellæ famulæ beatæ Marthæ , quæ poſt ejus mortem in Slavoniam pergens , & ibi Euangelium Chriſti prædicans , poſt annum à dormitione Marthæ , in pace quievit. *Alia plane legit Florarium noſtrum Sanctorum Ms. , alia additiones Cartuſiæ Bruxell. ad Grevenum , alia Maurolycus & breviſſimè Ferrarius : porro longiori oratione ipſam in ſupplemento ornavit Sauſſayus ; ſed æque incerta omnia , quemadmodum & cultus ; de quo & reliquis ad ipſam ſpectantibus , quid ſatis ſecurè dici poſſit , prorſus non video ; ut perinde ſit , ſive hoc loco ſive alio hæc de ipſa commemorentur.*

Ethelwinum , *ut* epiſcopum Lindisfarnorun *ſacris Faſtis primus , quod ſciam , inſeruit Wilſonus in Martyrologio ſuo Anglicano editionis anni* 1608 *ad* XXIX *Junii , ſequente Ferrario, ut eo die in Prætermiſſis notatum invenies. Tum vero Wilſonus idem in editione altera anni* 1640, *ad hunc diem , neſcio an melius , removit ; nonnulla utrobique de ipſo aſſerens , non magis certa quam ſit ejus ſanctitas aut cultus , de quibus omnibus hæc ſola reperio apud noſtrum Alfordum in Annalibus ad annum* 701 , *num.* 8 , Moritur circa hæc tempora Ethelwinus , Sidnaceſtrenſis epiſcopus , de quo ſupra , cum de ſede illa dixi. *Forte hic Sanctus eſt de quo noſtrum Martyrologium* XXIX *Julii , ubi ſcribitur Lindesfarnenſis epiſcopus , cum ſcribi potius debeat Lindesfarorum : nam qui Sidnaceſtriæ ſedit , ita dicebatur : & quia Beda lib.* 3 , *cap.* 27 , *cum de Ædilhun ſcribit ſanctè mortuo , affirmat eum fratrem habuiſſe ejuſdem* nominis , qui factus eſt epiſcopus in Lindiſſe , hunc eumdem eſſe putamus. *Satis dubia hæc ſunt omnia , certe non ſufficientia , ut Ethelwinus iſte , alibi prorſus incognitus , Sanctis continuo in hoc opere annumeretur.*

F

Vir-

A Virgilium episcopum, *absque ulteriori notitia hoc die pro sua auctoritate signavit Camerarius, atque item*

Melchiadem confessorem: *neutrum admittam donec de utriusque sanctitate & cultu aliunde constet.*

Alnardum, Almardum, *sive* Alinardum *Lugdunensem episcopum heri inter Prætermissos collocavimus, neque hoc die præstantiorem locum meretur, tametsi à Menardo inter Sanctos relatus sit*

Oliverii *nescio cujus, episcopi* nihilominus & confessoris, *natalem* in civitate Pobispoforum *annuntiant Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Quæro Sanctum istius nominis, in Belgio satis recepti, at nullum reperio præter* Liberium *seu* oliverium *Anconitanum peregrinum, de quo actum est* XXVII *Maii: quæro episcopum Pobispoforitanum, quem qui assignaverit, de geographia optimè meritus fuerit.*

Joannes de Florentia *Ordinis Prædicatorum Sanctis etiam, in jam dictis Additionibus Cartusiæ Bruxellensis, annumeratur; at is ne Marchesio quidem notus est in Dominicano Diario*

Alexander *Cistertiensis abbas, ordine nonus, à S.* B *Bernardo ad meliorem vitam conversus, magnis ornatur elogiis ab Henriquez, Chalemoto aliisque, ut qui electus ab universo Ordine* abbas generalis, eam dignitatem egregiis virtutibus decoraverit, & tandem ætate grandævus, pietate ac miraculis celeberrimus quieverit in Domino; post cujus transitum, multis signis sanctitas ejus magis innotuerit. *Habet locum hoc die in Kalendario Cistertiensi Divione excuso, & à nobis sæpe citato. Sic nimirum ut* Beatus *celebratur ab Ordinis scriptoribus; verum à Saussayo aliisque non nisi* piæ memoriæ *titulo donatur, cui à nobis, quamdiu de cultu non constat, nihil superaddi potest.*

Beatrix *ejusdem Ordinis virgo præclarissima, in cœnobio dicto Nazareth, prope Liram Brabantiæ prima Priorissa, Raissio aliisque laudatissima est, atque ut* Beata *ab Henriquez & Chalemoto prædicatur. Vitam ejus plane admirabilem in Hagiologio Brabantino scripsit Joannes Gillemannus, & post ipsum Joannes de Assigny Gallicè, Latinè vero præfatus Henriquez inter Quinque prudentes virgines. Neque nos quidquam prætermisimus, quo de cultu saltem aliquali certiores redderemur, insignem Vitam prælo paratam, hîc edituri: at spe nostra omnino frustrati, cogimur solum breve elogium referre quod ei in suo Menologio laudatus Henriquez aptavit,* Virginem *commemorans* admirandæ sanctitatis, quæ corpus suum aculeis, spinis, catenis durissimisque funiculis continuò affligens, spiritum immaculatum servavit, & spiritu prophetico ac multis miraculis claruit, & glorioſas ac frequentes habuit revelationes: cujus cor Christus igneo jaculo dulciter transfixit, eamque inter omnes creaturas ab ipso specialiter dilectam asseruit, & sic meritis glorioſa ex hac vita feliciter discessit.

Bartholomæi *laudatæ jam virginis Beatricis parentis, ut viri venerabilis ex eodem Ordine Cistertiensi Vitam etiam habemus, egregiis ejus gestis, à Raissio contractis, refertam, quod hîc indicasse sit satis.*

Beatricis, Alhambræ in diœcesi Terulensi, *verba sunt Ferrarii hoc die; qui positionem seu locum explicans ita habet:* Oppidum est diœcesis Terulensis in regno tamen Toletano apud

ortum Asiæ fluvii, quod veteribus Laminium D dictum putatur. *Tum de Beatrice ait, se ipsam accepisse* ex monumentis & Vitâ ejusdem edita, cujus translatio hac die ex Pauli V concessione anno MDCVI celebratur: ex lib. fac. Congregationis Rituum. *Non ausim hæc aperti erroris aut falsitatis arguere; at qualiscumque Beatrices, qualiscumque hæc sit* translatio, *quæro ipsius natalem, & quamdiu apud Tamayum talem Hispanam Sanctam non invenio, dubitare saltem licet de tota Ferrariana orationis veritate*

Coëllanum *eumque* sanctum *reperisse se putavit Colganus & quidem hoc die celebrandum, ad Vitam S. Brigidæ pag.* 379 *col.* 2; *at conjecturam ejus non probavit Bollandus ad Vitam eamdem num.* 13: *& vel si conveniret nomen auctori Vitæ istius Sanctæ; necdum probaretur* Coëllanum *istum, sive* Coëlanum *aut* Coëlcuum *Sanctorum Fastis adscribendum, tacentibus catalogis.*

Coccea *aliqua non eo statim titulo dicenda est* Sancta, *quod Sancti alicujus nutrix fuerit, ut Colganus censuit ad Vitam S. Kerani pag.* 460, *num.* 24, *multo minus ad hunc diem pertinet, vulgatis Catalogis ignota*

Memoria encæniorum venerabilis templi Dominæ E (ὑπεραγιοσύνης) nostræ Deiparæ αγιασίον τῶ Προμούντῳ * *inscribitur nostris apographis Græcis Sirmondo-Chiffletianis, quæ nobis subserviunt pro Supplemento ad Menæa excusa. Ædem hanc apud Cangium non invenimus; sed non est dubium, quin ad CPolim spectet; nam idem auctor CPolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 186 *ponit ædem sacram* Archangeli ultra sinum in Promoti suburbano, *ex Chronico Alexandrino: monasterium etiam* τῶ Προμούντε *profert; ubi hæc fortasse Deiparæ ædes steterit. Sed pro* Προμούντε *esse scribendum* Προμότε, *plane cum Cangio censemus; de quo, uti & de loci situ, consuli is potest.*

* Προμότε

Sex fratres MM. *Aureliani in Gallia*
Ludovicus de Plana M. *Stampis in Gallia*
Adelmarus de Felsinio *Fugiaci in Gallia*
Soldanerius *Viterbii in Italia*
Landonus à Monte feltrio *in Italia*
Bernardinus Perusinus *Puteolis in Campania Italiæ*
Petrus Franciscus Gorus *Florentiæ in Italia*
Marcus à Bononia *apud Campum bassum in Apulia*
Paulus à Corleone *Corleonis in Sicilia*
Angelus Storrens *Sergnii in Apulia*
Martinus à Numbela *Badejocii in territ. Hispalensi*
Franciscus de las Naucas *Mexici*
Anonymus *Sagunti in Hispania*
Franciscus Doziechus *in Hispania*
Anna & Colletta virgines *Auxoniæ in Burgundia*
Martinus Baraus *cum aliis præclaris Patribus in Aquitania*
Paulinus de Pistoria *aliique ex ordine Capucinorum*
Franciſca de Belena *Belvisii in Hispania*

cum titulo Beati *memorantur ab Arturo in Menologio Franciscano & duæ ultimæ etiam in Gynæceo* F

ut venerabiles referuntur in Menologio Hueberi

S. Ursi episcopi Autissiodorensis *memoriam dum hoc die refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui in Romano non sunt, extra chorum, ut sæpe aliàs, saltat, utpote cum probè nosset &*

A quidem fateatur, *die ſequenti in Romano recoli. Meminiſſe debuerat tituli ſui, atque adeo neque hunc* S. Urſum, *neque* Theodotam cum filiis, *neque* Eudocimum *hoc die ſignare; quod eſt rebus ſatis obſcuris novas affundere tenebras. Hæc obiter notata ſint. De* S. Urſo *agemus loco ſuo, nempe die craſtina* xxx Julii.

Sanctorum martyrum Mamantis & Baſiliſci ἐν τοῖς Δαρεὶς *mentionem faciunt Menæa magna typis edita, hoc die; ſed cum in aliis Faſtis Græcis conſignentur die proximè ſequenti, neque ſciamus quæ cui dies ſit præferenda, ideo malumus cum pluribus eos differre ad diem* xxx Julii.

Beati Joannis militis *nomen ponitur in Menæis magnis excuſis; in Faſtis autem ſacris eccleſiæ Æthiopicæ apud Iobum Ludolfum in hiſtoria iſtius gentis pag.* 424, *ubi ſcribitur* Johannes præfectus militum; *de quo cum aliis tabulis Græcis nos acturi ſumus* xxx Julii.

Pii imperatoris Theodoſii junioris (ὁ νέος) *memoria refertur in Menæis magnis excuſis, ſequente, ut ſolet, Maximo Cythereo. Vide dicenda inter Prætermiſſos die proximè ſequente* xxx Julii.

B SS. Fantius & Deodata *martyres Syracuſani, neſcio cur à Ferrario hoc die ſignentur, cum à Cajetano referantur menſis hujus die* xxxi Julii.

S. Eudocimi conf. in Cappadocia *meminit hoc die Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt; quo etiam die datur ejus Vita apud Surium. Sed Sanctum hunc nos rejicimus ad diem, quo in Faſtis Græcis refertur,* xxxi Julii.

D Sanctæ martyris Theodotæ & filiorum *commemoratio ſit in Menologio, ex interpretatione Sirleti apud Caniſium edito, ac Menæis typo excuſis, utrobique cum elogio: quos hoc etiam die ſignat Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt: ſed quamquam iſti Martyres ibi non ſint hoc die; alio tamen ibi notantur, quo & apud nos proferentur,* xi Auguſti.

S. Serapia *ſignatur hoc die in variis Martyrologiis, quorum aliqua male ſcribunt* Seraphiam. *Nota eſt Sancta Romana ſciturque hoc die martyrium ſubiiſſe, verum feſtivitas ejus propter rationes ſuo tempore explicandas, dilata eſt in Martyrologio Romano ad* iii Septembris.

SS. Abundii & Abundantii *cum S. Felice PP. II & martyre memoria ſignatur hoc die in Martyrologio Romano. Agetur de ipſis feſto ipſorum natali* xvi Septembris.

Malcolmi IV regis Chriſtianiſſimi virginis elevationem Dumfirmelini *annuntiat Dempſterus atque ex eo Ferrarius. Porro de Malcolmo eodem variis diebus agit idem Dempſterus, Malcolmum III S. Margaritæ maritum, de quo cum Margarita uxore actum eſt* x *Junii, cum Malcolmo IV confundens: atque iterum* xiii & xxiii *Novembris. Demum elevatio de qua hodie, iterum refertur* xxv *Decembris. Malim tantiſper Camerario adhærere regis hujus natalem ſignanti, eo die quo res examinari poterit* iii Decembris. E

DE S. MARTHA VIRGINE,

CHRISTI SERVATORIS HOSPITA,

TARASCONE IN PROVINCIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

J. B. S.

§ I. Cultus ex ſacris Faſtis aliiſque venerationis monumentis.

C Sec. 1.

Sanctæ hujus cultus peculiaris

Poſtca quæ in Commmentario de S. Maria Magdalena ad xxii *Julii ſatis fusè diſputata, utrique ſorori communia ſunt, tum circa cultûs diem, tum circa depoſitionem in Provincia, hîc ea dumtaxat brevius expendenda reſtant quæ ad ſolam* S. Martham *hoc* xxix *Julii referuntur. Hæc vero ut clarius intelligas, primum conſulendus eſt* §. 9, *jam dicti Commentarii Magdaleniani, tum vero noſtra ad Uſuardi Martyrologium obſervatio* xvii *Decembris, ubi quæ de memoria* S. Lazari & S. Marthæ in Bethania *à Romano parvo inſinuantur, eo ſenſu accipienda memineris, quem ſuis locis uberius explicuimus; eadem enim ubique militat ratio pro prævalente Provincialium traditione circa ſacrorum iſtorum corporum avitam poſſeſſionem: dierum vero & fratri & ſororibus adſcriptorum diverſitatem ſatis vindicatam exiſtimamus, dum Hieronymianorum aliorumque Martyrologiorum vitiatas annuntiationes, unde mutationes in Officia eccleſiaſtica irrepſerunt, ex probatioribus monumentis reſtituere conati ſumus. Hîc nobis de ſola* S. Martha *ſermo erit, ducto principio à notitia urbis ſeu oppidi, ubi ea hodiedum celeberrimo cultu honoratur.* F

2 *Inter varia Provinciæ ſacra monumenta quæ Majoribus noſtris olim ſuggeſſit noſter P. Carolus Faber, ſæpius in hoc opere idcirco laudatus, non poſtremum eſt Ms., in Chartarum noſtrarum theſauro repertum, atque ab ipſo deſumptum ex grandi codice D. Henrici de Suarez, quo inter alia* S. Marthæ *Vita continebatur, præmiſſâ loci, quo de hîc infra ſermo recurret, brevi deſcriptione: Taraſconem intellige, ſic ab ipſo depictam:* Taraſco Provinciæ urbs, ad lævam Rhodani, quo intermedio à Bellicadro in Occitania diſtinguitur, urbs antiqua in finibus Cavarum: Strabo namque uti extremum eorum oppidum notat: ſolo fertili æque & amæno, Vigueriatus eſt (*intellige vicariatum ſeu territorium*) è præcipius totius Provinciæ. Exiſtimarunt aliqui nomen habuiſſe ab horrendo dracone regionem infeſtante, vulgo Taruſca cognominato. *Aſt alii prudentius antiquitatem urbis probant ex Strabone, qui ante Chriſti tempora opus ſuum Geographicum edidit.* Inter Avenionem & Arelatum quaſi medium ad quatuor leucas diſtat: ejus meminit Ptolemæus lib. 2, cap. 10. Taraſconem vocans. Eſt ſub parlamento Aquenſi & in diœceſi Avenionenſi. *Taraſcone in Provincia*

3 *Hîc*

AUCTORE J. B. S.

A hoc die pridem celebris fuit

3 *His præmissis, ad* S. Martham *Tarasconensium singulariſſimam patronam quod modo seorsim attinet, necdum mihi perspectum fateor, quo potissimum tempore à* XVII *Octobris vel* XVII *Decembris, quibus diebus à Romano parvo & Adone in citato Commentario num.* 99 *signatam observavimus; quandonam, inquam, ex iis locis ad hunc* XXIX *Julii retracta fuerit. Si recte colligo, ex iis codicibus Usuardinis, in quibus hoc die constanter relatam inveni, nempe Aquicinctino, Lovanienſi, Bruxellenſi, Florentino aliisque, tuto censeri posse videtur, saltem ante seculum tertium decimum ipsam hodierna solennitate celebratam fuisse, quippe cum ea ætate multo posteriores non fuisse codices istos, alibi ostenderimus. Certe antiquum etiam esse oportet codicem quo usus est Belinus dum primam suam editionem Venetiis curavit anno* 1498, *in qua disertissimè annuntiatur his verbis:* Item eodem die festum S. Marthæ virginis, sororis S. Mariæ Magdalenæ & Lazari. *Fastos Græcos hic non adduco, nam synonyma quæ in Menologio Sirleti* IV *Junii, in Menæis* VIII *Februarii ut* martyr *cum sorore Maria signatur, huc prorsus non pertinet, ut alibi etiam ostensum est.*

B quamvis nonnullæ ecclesiæ varient.

4 *Colitur itaque hoc die* S. Martha *tota quam late patet Ecclesia Catholica quæ ritu Romano utitur, sic in Martyrologio expressa:* Tarasci in Gallia Narbonensi, S. Marthæ virginis, hospitæ Salvatoris nostri, & sororis beatæ Mariæ Magdalenæ & S. Lazari. *Non eadem est apud aliquas Galliæ ecclesias ratio, ut de S. Maria Magdalena suo loco diximus. Notavit Castellanus in primo Bimestri pag.* 346, *ambas sorores eodem hoc ipso die Aurelianis celebrari, at quo ritu non exposuit. Habeo præ manibus directorium novissimum ecclesiæ Autissiodorensis, in quo S. Mariæ Magdalenæ festum notatur* XXII *Julii; hoc vero die fit Officium de S. Lupo Trecensi, cum commemoratione* SS. Mariæ & Marthæ Christi hospitarum. *Sic & alibi pro vario hodiernorum criticorum arbitrio mutationi subjacent Officia ecclesiastica, ut etiam videre est apud Cluniacenses, ubi frater sororibus ipsis adjungitur ad diem* I *Septembris, teste eodem Castellano, cujus potissimum ductu & impulsu S. Mariæ Bethanidis Officium in diœcesi Parisiensi recitatur* XIX *Januarii; at* S. Martha *Christi hospita loco suo dimota non est, servata ibidem hodierna ejus festivitate ritu semiduplici.*

C Sanssayus veterem traditionem sequitur,

5 *Atque hæc quidem satis certa sunt, quidquid avidè arripuerit neolegendista Gallus quod in Prætermissis ad* XVI *Februarii notatum invenerat ex Martyrologio Aquisgranensi Ms., nempe eo die* Marthæ, Mariæ sororum & Lazari *natalem signari* Hierosolymis: *quasi codex iste, manifestè aberrans, ceteris opponi possit. Ea hîc, ut alibi, sequimur quæ verosimiliora sunt, quæ à centum non amplius annis in ipsa Gallia passim admittebantur, à quibus proinde non recessit Saussayus in Martyrologio suo sic disertè scribens:* Tarasci in Gallia Narbonensi, S. Marthæ virginis, quæ beatæ Mariæ Magdalenæ & Lazari soror, domus hospitio excepit Salvatorem nostrum Jesum Christum: post cujus ascensionem in Gallias divino nutu cum ipsis commigrans, Massiliæ primùm constitit, ubi sui sexus collecto cœtu, vitæ regularis prima huic dedit specimina, deinde Tarascum, ut Christi cultum & idem institutum ampliaret, progressa, post piorum laborum perfectum cumulum, ad conspectum æterni Regis supernæque Sion beatorum civium consortium, eo die, quem prædixerat, meritis plena & miraculis illustris lætanter evolavit. Ad cujus tumulum magna cum fierent divinæ virtutis & gloriæ insignia, Clodovæus rex Francorum delatus, à gravi, qua detinebatur ægritudine sanatus est.

Gvesnæus monumenta antiqua

6 *Plura de sacro* S. Marthæ *cultu ex Fastis colligere, in re tam manifesta supervacaneum judico. Habe modo quæ noster Guesnæus in Magdalena Massilienſi advena, de sancta Sorore obiter collegit illustria venerationis monumenta cap.* 18, *ex cujus* §. 6 *hæc describo:* Avenione, ubi primùm Martha ad prædicandum Christi Euangelium delata concedit, haud obscura virtutum ejus miraculorumque patent vestigia; quippe areola domicilii, quod occupaverat, in sacellum perangustum tectoque modico insigne excitata, hodie religionis ergo à multis visitur, à pluribus etiam forte videretur, nisi vulgo penè ignotus esset locus, aut ad eum aditus, ut plurimum foribus intercluſus. Olim quidem, cum esset, sive ob beneficiorum ejus recentiorem memoriam, sive ob religiosæ venerationis inflammatum ardentiori amore studium Christianorum, notior; adeo coli ab Avenionensibus solebat, ut nemo fere proximum ac continens Deiparæ Virginis templum se adiisse crederet, qui non illa quoque Marthæ cellulæ vestigia sanctissima frequentasset.

E

quæ Avenione supersunt

7 Sita est domus ad Orientem in supercilio excisi monticuli, non procul pontificiarum ædium postico & altissima turri. Illinc verò metropolitani templi & collegii canonicorum ædes amplissimæ, totam ferme regionem occupant. Quæ causa fuit cur devius omnino sit locus atque avius: neque enim certis semitis aditur, & perito itineris duce opus est. Sed eo quoque, ut opinor, aliquod relictum esse videtur monumentum rei locique, quod Avenionenses diem natalem Marthæ in festis habeant, eoque vertente, quotannis prædicti canonici ad ejus sacellum supplicationem decernant, ibidemque frequenti civium concursu, sacerdotalis muneris pensum aliquod horarium Missæque solennia exsequantur, ne tam memorandæ pietatis monumentum penitus intereat. In bullato diplomate dato anno salutis MCCCCLXXV die XX Februarii, quo Sixtus IV Pontifex, mutata regulari forma, canonicos Dominæ à Domnis in seculares traduxit, leguntur hæc verba: " Cum itaque, sicut accepimus, licet ec-
„ clesia Avenionensis Ord. S. Auguſtini, quæ in-
„ ter ceteras cathedrales ecclesias illarum par-
„ tium claret, & olim à beata Martha, Domini
„ Jesu Christi Redemptoris hospita, ad laudem
„ ejus & gloriosæ Virginis est fundata &c. *Quo autem hæc Sixti IV verba sensu accipienda sint docebit te Papebrochius in Propylæo pag.* * 79 c, *quod hic obiter notasse sufficiat. Pergit Guesnæus.*

F

satis accurate recenset.

8 Ferunt in eadem urbe clarissimum cœnobium ac templum fratrum Prædicatorum Marthæ sanctitatem & quasi divinum quoddam opus spirare. Locus enim aut loci potius vestigium esse dicitur, in quo juvenem quemdam, Avenionem proximè, in fluvio submersum & defunctum, vitæ restituit ac saluti. Testes habeo non paucos spectatissimæ fidei & religionis, S. Vincentium Ferrerium, qui Avenione præsens aderat, eo fere tempore, quo in recenti fundatione ejusdem monasterii, hoc visentibus aut dicentibus miraculo erat. " Post hoc, inquit, Avenionem ivit Mar-
„ tha, & cum prædicasset ibi in magna quadam
„ platea (ubi nunc est conventus Prædicatorum)
„ quidam juvenis infidelis, volens venire ad ser-
„ monem sine navi, natando voluit transire Rho-
„ danum, & submersus fuit, & post quatridu-

AUCTORE J. B. S.

,, um inventus eſt. B. Martha ſuſcitavit eum, de-
,, votè orando Jeſum Chriſtum, quod ſicut ipſe
,, voluit ſuſcitare Lazarum fratrem ſuum, ita vel-
,, let ſuſcitare iſtum juvenem ,,. *Habes celebris miraculi ſubſtantiam, à Bernardo Guidone variiſque Legendis pluſculum exornatam. Verum hæc Avenionenſia religioſæ venerationis veſtigia modo ſufficiant. Nunc Taraſconem cum Gueſnæo progredimur.*

§ II. S. Martha Taraſconenſium Gloria.

Præterm iſſis incertis & obſcuris,

H*Anc equidem non à mirandis ſignis aut vulgatiſſimis prodigiis repetendam exiſtimo, ſed à pretioſis Sanctæ exuviis ibidem conſtanter honoratis, ab eccleſia ei dicata, à perpetuo iſtic patrocinio, quæ* S. Marthæ *triumphos appellat is qui hiſtoriam panegyricam Gallicè edidit, de qua inferius agendum erit. Draconem porro illum, tetris coloribus paſſim depictum, templi à Sancta ædificati dedicationem, aliaque non minus ſtupenda*

B

quæ in ejus obitu & exſequiis contigiſſe narrantur; tum regis Clodovæi Taraſconem acceſſum, atque ab inſanabili morbo curationem, aliaque id genus miranda potius quam certa fide digna; ea, inquam, hîc vindicanda aut aſſerenda non ſuſcipio; ſatis ſit rebus iſtis acquieſcere, quæ ad ſolidam S. Marthæ *gloriam conducunt: idque imprimis quod Avenione digreſſa Taraſconem ſeſe contulerit, ibidemque ſanctiſſimam vitam (qua magis quam verbis incolas inſtituiſſe cenſenda eſt) conſimili morte concluſerit. Neque vero ab eo abhorrere quis debet, quod dum eo loci conſiſteret, non ſolum Chriſti Hoſpita, ſed & Apoſtola, inter primas curas de ſororibus virginibus congregandis cogitare cœperit, in quarum conſortio reliquam vitam exegerit.*

notatur ſac. corpus inventum 1187:

10 *Ceterum quale templum Taraſcone ædificare ipſa potuerit, ex indiciis ſatis certis non eſt promptum colligere. Volunt ipſi de inferiori templo id intelligendum, in quo nempe ipſius ſacrum corpus repertum fuerit, ut notat ſequens inſcriptio:*

Viginti novies ſeptem cum mille relapſis
Anno poſtremo nobis patet Hoſpita Chriſti:
Mille ducentis tranſactis, minus & tribus annis
Imbertus præſul Roſtagno præſule ſecum
C in prima Junii conſecrat eccleſiam.

Ex quo patet, *inquit Gueſnæus*, ſanctiſſimæ Marthæ reliquias, quas olim propter furorem gentilium celari oportuerat, & in inferioris templi hypogæo habebantur ſepoſitæ & reconditæ, divinitus inventas eſſe anno MCLXXXVII: ſuperiorem vero ædem ſacram conſtructam & inauguratam fuiſſe anno MCXCVII. De præſulibus quod quæritur, conjicere licet, primum illum Imbertum fuiſſe de Aqueria, qui inter archiepiſcopos Arelatenſes numeratur. Roſtagnus fuit archiepiſcopus Avenionenſis.

1459 caput argenteæ thecæ impoſitum;

11 *Ad clariora ſenſim accedimus; nam quæ poſterioribus ſeculis geſta ſunt, iis documentis nituntur, quibus ſi paria de vetuſtioribus traditionibus haberentur, jam pridem cavillantium criticorum calami repreſſi fuiſſent. Audiamus ea quæ hic tradit Gueſnæus pag.* 119: Anno MCCCCLVIII ſanctiſſimæ Marthæ ſepulcrum apertum eſt; ejuſque veneranda calvitia in argenteo cruſtuliſque aureolis illito capite repoſita, ut patet ex præſcriptis ea de re Actis, quæ ex tabulis rerum communis ſtatus Taraſconenſibus, quod quiſque comodiſſimè percipere videbitur, fideliter excerpſimus. *Et nos ex Gueſnæo hîc ſubjiciemus, unde pateat quanta olim veneratione, quam intepuiſſe non arbitramur, pretioſiſſimum depoſitum coluerint Taraſconenſes,* S. Marthæ *clientes fideliſſimi. Inſtrumenti titulus eſt hujuſmodi:* Proceſſus factus de repoſitione capitis ſanctæ Marthæ Taraſcone, in imaginem argenteam ſuperauratam, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo, & die octavo menſis Auguſti. *Tum ſic habet:*

D

12 In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, a- *quæ res tota*
men. Anno incarnationis ejuſdem MCCCCLVIII, die quadam Martis intitulata, octava menſis Auguſti, regnante ſereniſſimo & illuſtri principe & domino noſtro Renato, Dei gratia regnorum Jeruſalem & Siciliæ rege, ducatuum Andegaviæ, & Barris duce, comitatuumque Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis comite feliciter exiſtente. Amen. Tenore hujus præſentis publici proceſſus cunctis fiat manifeſtum, quod, permittente divina providentia, & Spiritu ſancto inflammante populum Chriſtianum villæ Taraſconis, Avenionenſis diœceſis, qui populus, & univerſitas dictæ villæ Taraſconis, moti ſingulari devo-
E tione erga glorioſam virginem ſanctam Martham, ſepultam in dicta villa Taraſconis, & in eccleſia ejuſdem, quæ merebatur dici Hoſpita Chriſti Salvatoris mundi, & ut caput ejuſdem glorioſæ ſanctæ Marthæ, repoſitum in quadam parva capſeta, repoſita in tumulo retrò altare ſanctæ Marthæ, in capella inferiori; ob reverentiam ipſius virginis glorioſæ ſanctæ Marthæ fieri fecerunt unam imaginem argenteam deauratam, & circum circa illam, vitam ſanctæ Marthæ per imagines de argento, ut oculis luculentis apparere poteſt, & quatuor Taraſcas deferentes illud fieri fecerunt, ut cum majori devotione invocari poſſet.

accuratâ

13 Verum quod, permittente altiſſimo domino noſtro, patrato dicto opere capitis, ut ſupra deſcribitur, contigit præfatum ſereniſſimum dominum noſtrum regem Renatum applicare ad dictam villam Taraſconis, cum illuſtriſſima principiſſa domina noſtra D. Joanna regina Hieruſalem & Siciliæ ejus conſorte. Ad cujus regiam majeſtatem, ipſa univerſitas Taraſconis exponi fecit, per nobiles ac honorabiles viros D. Joannem de Luperiis legum doctorem, & Jacobum Rodulfi ſcindicos * dictæ villæ Taraſconis (ciſ- **an. ſyndi-*
dem dominis ſcindicis aſſiſtente magnifico mili- *cos?*
te D. Joanne de ſancto Michaële, D. de Bucedone, capitaneo Caſtri Bauci, & totius baroniæ & conſiliario regio) præmiſſum opus argenteum fuiſſe patratum. Itaque ſolum non remanebat niſi caput dictæ glorioſæ virginis Marthæ relevare, & illud reponi facere in dictam imaginem argenteam, & ut dignius fieri poſſit cum honore & laudibus Dei, & dictæ ſanctæ Marthæ, eamdem regiam majeſtatem ſuppliciter requiſiverunt, ut in relevatione dicti capitis cum ejus inclytiſſima comitiva, ac prælatis eccleſiæ, qui in talibus intereſſe debent, intervenire habeat, & ut veritas in futurum dicendis atteſtatur & referatur, ut Chriſtianis fideliter corpus dictæ ſanctæ Marthæ viſitantibus poſſit affirmari, caput illud eſſe relevatum, & repoſitum in dictum opus argenteum.

F

& authentica

14 Et dictus D. noſter rex Renatus, ut verus Chriſtianus, habens ſingularem devotionem & amorem erga dictam S. Martham, tantam patronam dictæ ſuæ villæ Taraſconis: conſiderans caput dictæ S. Marthæ, ſi relevetur & reponatur in dictum opus, eſſe melius quam ſicut jacet in terra prædicti tumuli; promptum & paratum

ſe

A se obtulit, cum omni honore & reverentia, quibus potuit; licet indignum reputet, interesse relevationi dicti capitis; & pro illo relevando mandare D. Cardinali de Fuxo, Avenionensi legato, ut venire habeat, & si causans suam senectutem venire non posset, delegare, & committere habeat & dignetur, quod & illico factum extitit. Paulo post continuata dicta devotione, apud dictam villam Tarasconis se transtulit venerabilis religiosus D. Guillelmus Morelli canonicus & officialis curiæ episcopalis Avenionensis, tamquam legatus & commissus, per dictum Cardinalem de Fuxo, & hoc, die quadam Jovis, quæ intitulatur decima dicti mensis Augusti: qui D. officialis & commissarius ad relevationem dicti capitis, una cum supra nominatis DD. scindicis Tarasconis, ejusdem domini officialis adventum illustri D. nostro regi Renato notificaverunt, quo facto, inter dictos D. officialem & scindicos, ordinatum & concluſum extitit, procedere ad apertionem tumuli, ubi per relevationem ejusdem alias factam, quod ibi demonstratur, sepulta est dicta glorioſa S. Martha.

describitur

15 In cujus quidem ordinationis executionem, primum ordinatum fuit, supersedere quacumque manufactura in dicta villa Tarasconis, & hoc, voce tubæ præcedenti, quasi quidem major pars populi Christiani, & fere tota gens dictæ villæ Tarasconis, apud dictam ecclesiam S. Marthæ se transtulit, ad videndum fieri dictam aperturam tumuli, caputque dictæ S. Marthæ reponi in dicta imagine de argento superdeaurata. Quibus sic factis, dictus dominus officialis, una cum scindicis prænominatis, ad capellam S. Marthæ se personaliter contulerunt, & paraverunt omnia eorum munimenta, facientia ad apertionem dicti tumuli, & ibidem statim prænominatus D. noster rex Renatus, & dicta D. nostra regina, una cum illustribus & magnificis duce, Seneschallo D. Frederico de Lotharingia, duce de Vaudemont genero dicti D. nostri regis, D. Jolanda ejus uxore, filia dicti D. nostri regis, & frequenti nobilium conventu & ceteris aliis curiæ regiæ, apud dictam ecclesiam S. Marthæ & capellam, ubi sepulta est dicta glorioſa S. Martha, applicuerunt.

ut facta C

16 Quibus accedentibus, & facta primum devota oratione, Deo & dictæ glorioſæ S. Marthæ, ad apertionem dicti tumuli processerunt, & primo fuit per lignifabros, præsente semper dicto D. nostro rege, ad apertionem cujusdam tabernaculi, in altum elevati, facti de postibus nuceis, clavibus firmiter clausi; & facta apertione dicti tabernaculi, intra ipsum reperta fuit una capsa, plena terra, lapidibus, & minutis ossibus dictæ glorioſæ S. Marthæ. Item & secundo cum in capsa non fuerit repertum caput, dictus dominus rex voluit inquisitionem habere à senioribus dictæ villæ, qui fuerant in relevatione totius corporis S. Marthæ, & ibidem statim ad dictum D. nostrum regem ductus fuit nobilis Lazarus de Luperiis, supranominatus, septuagenarius, dictæ villæ Tarasconis, qui fuerat præsens relevationi corporis dictæ S. Marthæ, & interrogatus per D. nostrum regem Renatum, si fuerat in relevatione corporis dictæ S. Marthæ; qui respondit, quod sic, cum pluribus & diversis episcopis, & prælatis, & fuit repositum corpus S. Marthæ in una capsa, longitudinis quatuor aut quinque palmarum, & caput illius separatum, in una alia capsula, & illam vidit suis propriis oculis ponere infra tumulum, retro altare S. Marthæ positum.

AUCTORE J. B. S. *coram rege Renato*

17 Et quidem digito monstravit, dando intersigna, videlicet quod sit in capsa, ubi est corpus S. Marthæ, una amphora vitrea, quæ commodè non potest cognosci, de quo sit. Quæ reperta fuit supra corpus dictæ glorioſæ S. Marthæ, & supra pectus. In qua dicitur, quod erat de terra, supra quam sanguis corporis D. Jesu Christi fuerat sparsus, dum fuit positus in cruce. Quibus sic dictis, fuit apertus tumulus cum magnis solennitatibus & devotione, magnis circumcirca luminaribus, januis portæ capellæ S. Marthæ clausis, in eadem inclusis prænominatis, una cum notario subscripto. Quo aperto, repertæ fuerunt duæ capsæ, in quarum altera, videlicet majori, reperta sunt ossa magna dictæ glorioſæ S. Marthæ, & corpus item in alia capsula; reperta item fuerunt ossa capitis glorioſæ dictæ S. Marthæ fracta aliquantulum propter magnam temporis distantiam, quo dictum caput reciusum extiterat in dictum vas; ac cum maxilla inferiori dictæ S. Marthæ, sana & nitida sicuti prima die, qua reperta fuit, sine aliqua violentia, & macula, sed ex dicto vase proveniebat odor incompabilis, ex quo omnes assistentes videbantur fatiari, & ibidem statim in præsentia dicti D. nostri regis, & aliorum omnium, facta fuit monitio, alta & intelligibili voce, ne aliqua persona cujuscumque conditionis, seu gradus existat, auderet recipere, publicè, clam, latenter, vel quoquo modo, de dictis reliquiis, sine licentia dicti D. Cardinalis, seu ejus vicarii, & hoc sub pœna excommunicationis, quæ pœna bina & trina vice fuit publicata, alta & intelligibili voce. E

aliisque primoribus

18 Et demum ibidem apportato opere capitis de argento, repositi super altare, dicto D. officiali, & presbyteris dictæ ecclesiæ S. Marthæ cantantibus, campanis pulsantibus, & populo Christiano in orationibus vigilante, luminaribus magnis accensis, dictum caput per prædictum dominum officialem captum repositum extitit intra dictum opus argenti; præsentibus dicto D. nostro rege Renato, ejusque illustri consorte, D. Frederico de Lotharingia ejus genero, D. Jolanda ejus uxore, filia dicti D. nostri regis, Fulqueto d' Aragon, domino de Misone, Joanne de sancto Michaële militibus, Antonio de Ponteves, domino de Cabanes, scindicis & assessore dictæ villæ, & nobis notariis subscriptis, ac omnibus aliis nobilibus & incolis dictæ villæ Tarasconis, superius nominatis, & ibidem statim præsentibus continuo quibus supra, clauso dicto capite, in dicto vase argenteo, in ea parte in qua aperiri poterat, pariter fuit sigillatum sigillo parvo illustris principis dicti D. nostri regis, & inde sigillo dictæ villæ Tarasconis, in testimonium veritatis omnium præmissorum. Sic relevatum cum magnis honore & reverentia, ac laudibus portatum extitit superius, super altare, ibi osculatum à multitudine populi, ibidem sistente, & inde repositum in armario sive scrinio, ubi custodiri debet (cujus claves è manibus operarii, & scindicorum dictæ villæ) fuit dimissum, prout est & esse debet. F

jam dicto anno 1458

19 Quibus sic peractis, redierе omnes, ad alia ossa corporis dictæ S. Marthæ & reservata in amphora, quæ supra pectus dictæ S. Marthæ reperta extitit pro reliquiario: sciendo in futurum, quod illa omnia reducta fuerunt honestè, in dicta magna capsa, ipsa prius velo parata, cum panno canapis tenuissimo & cum magna devotione reposita fuerunt intra dictum tumulum, magis

AUCTORE J. B. S.

gis infimum, & una ex capſis ubi prius erat relevata ipſa glorioſa S. Martha; & in altiori vaſe marmoreo ſupra dictum vas repoſita extitit capſa, ubi ſunt omnia oſſa minuta alia dictæ S. Marthæ. Qui tumulus fuit cumulatus & coopertus prima die quodam vaſe marmoreo; demumque de quodam alio lapide elevato in altum admodum, & ſic ipſum corpus debitè recluſum, & tumulatum cuſtoditur cum magno honore, & reverentia, per dictam villam Taraſconis, ubi quotidie fiunt miracula infinita per interceſſionem ipſius glorioſæ S. Marthæ. Et demum adveniente die Dominica, quæ fuit XIII Auguſti, dictum caput fuit cum magnis honore & reverentia, in proceſſione ſubtus umbellam portatum, per dictam villam, & hoc per univerſitatem, motam ſingulari devotione erga dictam S. Martham. In quorum fidem ego Petrus Margoti notarius publicus, una cum honorabili viro magiſtro Joanne Mutatoris etiam notario &c.

B

§ III. Auguſtior theca Ludovici XI Franciæ regis, aliaque ejuſdem loci decora & Sanctæ ipſius miracula.

Auguſta theca fuſius Gallicè


QUem verbo ſuperius indicare cœpimus panegyriſtam Gallum, hîc paulo propius conveniemus. Fuit is R. adm. atque Ampl. D. R. Bertet, dum librum ederet, anno 1650, Prior, Cantor & canonicus ad S. Marthæ, *poſtmodum eccleſiæ ejuſdem decanus, qui libro bene magno orationem verboſè pertexuit, in paucas paginas facile contrahendam, ut proinde mirum nemini videri debeat, ſi eo opere vix uſi fuerimus. Ipſum diviſit auctor in partes potiſſimum quatuor, quarum primâ* S. Martham *ut* innocentem *exhibet, altera* agentem *ſeu* operatricem, *tertia* acquirentem *ſeu* conquæſtricem, *quarta demum, qua ſola tantillum utemur, heroidem ſuam ut* triumphantem *circumducit. Mitto quæ poſtremæ partis iſtius totis novem capitibus verboſiſſimè more ſuo perorat, illud præ manibus accipio, quod cap.* 10 *fusè ſcribit de Ludovici XI Franciæ regis inſigni munificentia, quam ad totas duodecim paginas extendit, ego vero ex Gueſnæo depromere malui, ne tot parergis ſtudioſè iſtic innexis, tædium potius afferam quam voluptatem. En igitur quæ de magnificentiſſima theca tradit ipſe pag.* 122:

C

brevius Latinè deſcribitur,

21 Anno MCCCCLXXVIII Ludovicus XI Francorum rex aureum illud S. Marthæ caput, quod etiamnum ſpectandum omnibus præbetur, inſigne pietatis ſuæ regiæque munificentiæ monumentum obtulit. Elaboratum fuerat illud caput ab Andrea Mauché Turonenſi, aurariorum operum artifice, & ab eo Taraſconem delatum, comitante regio piarum largitionum quæſtore, de quibus acta, ſcriptis litteris ſolenniter teſtata, Pariſios retulerunt, inſcripto D. Philippo &c. Eodem anno MCCCCLXXVIII, IX Decembris calvitia S. Marthæ, ex illa priori argentea theca, auro dumtaxat illuſa, in hoc ſolidè aureum caput aſportata & decentiſſimè repoſita: quod caput ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo Siſtaricenſi epiſcopo, ſolenniori apparatu conſecratum eſt, & honore maximo per urbem circumductum, nec non ſolenni omnium ordinum ad ædes ſacras divino numini gratulatione, ipſo rege Renato cum regina ſubſequente, & univerſorum aulicorum, dynaſtarum & principum comitatu. D

22 *Appoſitè hîc ſupplevit Bertetus quod noſter omiſerat, ipſius videlicet auguſtiſſimæ thecæ imaginem, quam aſpexiſſe ſatis eſt, ut de regia munificentia ſtatuatur. En ipſam, pro ut à Berteto in jam citato Gallico opere æri inciſa repræſentatur,* atque hîc exhibetur.



Quas opere anaglyptico expreſſas vides hiſtorias, nulla interpretatione opus habent, ſunt ipſa præcipua vitæ S. Marthæ, *quemadmodum in Legendis circumferuntur, geſta. Addit porro orator, non ibi ſtetiſſe regiam erga ſanctam Patronam liberalitatem, utpote qui in ejus honorem, eccleſiam eam ditaverit ubi ſacrum ejus corpus depoſitum eſt, fundando opimos canonicatus quindecim, aliaque omnia ſubordinata officia, vicarios perpetuos, clericos, choraulos, reliquaque id genus munera, ad imitationem ſanctæ regiæ Pariſienſis capellæ, uſque adeo ut* S. Marthæ *capitulum vix ulli eſſet in toto regno ſecundum. Pergit orator ſigillatim exponere, quæ & qualia dona rex munificus eccleſiæ iſti præterea contulerit, variaque & illuſtria beneficia quæ ſanctiſſimæ Patronæ ſuæ accepta retulerit, liberatus etiam variis inſidiis, ac præſenti mortis periculo, cujus rei prægrandem calicem argenteum deauratum teſtem reliquerit, qui hodiedum in uſu eſſe pergit ſolennioribus feſtivitatibus. Atque ex his, opinor, facile colligis, quanti facienda ſit Chalemoti obſervatio, dum in ſuo Menologio, alibi* S. Marthæ *caput, nempe apud ſuas ſanctimoniales collocatum exiſtimat.* F

Alia monumenta ipſi erecta

23 *Porro recenſitis Ludovici XI aliorumque Franciæ regum in Taraſconenſem* S. Marthæ *eccleſiam beneficiis, proſequitur Bertetus ſequenti cap.* 11 *enumerare exhibitos Sanctæ honores à viris primariis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, eoſque inter à ſuprema in terris poteſtate: quibus omnibus longa oratione exornatis, id voluit dicere, Gregorium XI, dum adhuc Avenione reſideret, ſumptuoſam aram in jam dicta eccleſia erexiſſe, opere tum materia, auro nempe, argento & lapidibus pretioſis, tum vero inſigni artificio ſpectabili; partes ejus ſingulas, nempe præcipuas Sanctæ actiones,*

opere

A opere anaglyptico ibidem expressas, more suo ita describens, ita triumphantem Martham in eo altari repræsentatam exhibens, ut id saltem verissimè asserat, nempe fieri non posse, qui magnificam aram contempletur, quin ex tam variis multiplicibusque iconismis continuo perspiciat, eam dignissimæ Christi Hospitæ consecratam esse. Subdit demum, reliquas omnes dignitates ecclesiasticas votis ac liberalitatibus suis dona ac munera certatim contulisse, quæ illustriorem redderent sanctissimæ istius Patronæ triumphum: atque hæc toto reliquo capite de S. R. E. Cardinalibus, archiepiscopis, principibus, aliisque dynastis ac optimatibus modo suo oratorio cumulatè recenset.

tum votivæ tabulæ

24 Ad S. Marthæ gloriam propius spectant votivæ tabulæ istic circumquaque expositæ in perpetuam miraculorum à Sancta patratorum memoriam. Id vero plane mirabile, Berteto teste, concurrere ex omni parte ingentem populi multitudinem, iis muneribus passim onustam, quæ singuli sanctæ Sospitatrici certatim adferunt in gratiarum actionem, tum ob singularia accepta beneficia, tum ob imminentia mala, quibus Sanctæ patrocinio se liberatos agnoscunt. Si oratori credimus, nusquam tot dona, nusquam tot picturæ, nusquam tantus Sancti alicujus triumphantis apparatus, quantus in uno S. Marthæ templo spectantium oculos rapit in admirationem; adeo ut relatis signis & prodigiis, tamquam totidem peristromatibus muri ipsi mirificè exornentur; dicamus singulos penicillorum tractus, colores singulos, singula ipsa verba illustre testimonium reddere gratiarum acceptarum potentissimæ Triumphatricis intercessione: vel ipsi diversarum gentium habitus, appensa arma, naves, humanorum cordium, capitum, tibiarum brachiorumque formæ gratitudinis argumenta sunt, non minus pium quam jucundum, in eo beneficiorum omnis generis armamentario spectaculum præbentia.

plurimorum miraculorum testes.

25 Ne in immensum abeat miraculorum prope innumerabilium relatio, eo se restringit orator noster, ut rotundè testari non formidet, S. Marthæ subdita esse elementa omnia in quæ dominium prodigiosè exercuerit. Ab igne exorsus memorabile exemplum adducit, dum anno 1639, exorto incendio, tota Tarasconensis civitas periclitaretur, flagrante non minima ejus parte: at Sanctæ reliquiis furenti jam flammæ, & non solum urbi, sed & maturæ circumquaque messi certum exitium minitanti oppositis, ita subito resedit, ut patentissimi miraculi tot testes habuerit, quot erant Tarasconenses incolæ. Ad aërem quod attinet, pernicioses ejus influxus non minus potenter Sancta compescuit, dum annis 1629, 1639, 1640 & 1649, grassante circumquaque pestifera lue, Tarasconenses clientes suos tam mirabiliter protexit; ut dum vicinos omnes contagio invasisset, ab ea ipsi immunes fuerint. Narrat deinde, quoties exundantes rapidissimi Rhodani undas Sancta visibiliter repressérit, submersosque vitæ restituerit. Demum ut & de terra triumphasse ostendat, id Bertetus extollit potissimum, quod Tarasconensis ager constanti fertilitate & abundantia sub tam potenti Protectrice perpetuo gaudeat.

Singulare Tarasconensium

26 Operis conclusio eò appositè reducitur, quod triumphatrix Martha singulari prorsus protectione Tarasconenses suos foveat & tueatur, innumerisque beneficiis quotidie cumulet, ut adeo rectissimè dici possit non solum ipsorum Patrona, sed gratiosiori titulo Mater pientissima. Neque sane extra Tarasconem quærenda miracula, quibus Sanctæ merita illustrentur, cum in sola ea urbe, si Berteto

fides est, quotidiana sint & perpetua. Unum in oratore mecum desiderabis, quod longissima sua panegyri id explicare neglexerit quod ad Sanctæ honorem non parum conduxisset; quo nimirum ritu quave Officii solennitate capitulum istud Sammarthanum sanctissimam suam Patronam celebrare consueverit. Quod igitur Tarasco non suggessit, Avenione, tamquam à metropoli accersendum fuit; unde pridem accepimus Officium B. Marthæ virginis & hospitæ Christi. Juxta leges Romani Breviarii ultimo emendati auctoritate Clementis VIII. Inde ea nobis modo desumenda erunt, quæ totius ejus vitæ & virtutum aliqualem seriem, ex ipso Euangelio, ex SS. Patrum encomiis, ex vulgatis pridem Legendis exhibitura sunt.

in Sancta patrocinium.

27 In eo Officio per octavam, uti loquimur, distributo, hæc præcipuè observanda sunt, quod ut Psalmi ad omnes Horas ex ordinario Breviarii Romani accepti sunt, ita plures Antiphonæ Euangelii verbis plerumque conceptæ exhibentur, hymni duo proprii, quemadmodum & nonnulla responsoria, ut ex iis quæ seq. §. deducemus, clarius patebit. Lectiones ad I Noct. primæ diei satis communes sunt ex libris Eccles. & Proverb.; II Noct. ex S. Augustino, III ex S. Basilio: die II & III ex aliis sanctis Patribus, rectè desumuntur. Die IV fit de S. Petro ad Vincula. Die V ponuntur lectiones II Noct. ex Breviario Romano ad hanc diem XXIX Julii. Porro die VI de Inventione S. Stephani, VII de S. Dominico: VIII demum eruuntur lectiones II Noct. ex traditione seu ex vulgatis Legendis, quæ quali auctoritate nitantur, ex iis quæ de S. Maria Magdalena disputavimus, satis patere existimamus. Sufficient hic ea pauca specimina, ut de longioribus historiis apud Bellovacensem, S. Antoninum, Petrum de Natalibus, Bernardum Guidonis alioque feratur judicium. Marcella, Synthex aliique id genus meritò hodie non recipiuntur. Nobis igitur satis erit, præcipua Vitæ capita ex eo Officio decerpsisse.

§ IV. Gesta S. Marthæ, ex Officio Avenionensi.

Constat Officium

Antiphonæ ad Vesperas. 1. Intravit Jesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. II. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. III. Diligebat Jesus Martham; & sororem ejus Mariam & Lazarum. IV. Dixit Jesus Marthæ, resurget frater tuus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet. V. Ait Martha; Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Capitulum.* Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit, disciplina illius datum Dei est. *Hymnus.* Quidquid superna civitas Cavo recondit ambitu, Hoc, Martha, claudis ædibus, Cum Jesus illuc advenit. Beata ter cænacula, Mensæ, cibi, sedilia, Quæ corpus illud attigit, Quod cuncta tactu consecrat. Beatior sed hospita, Quæ pascis à quo pasceris, Mentemque reples hospite, Dum membra curas hospitis. Quam te juvat turbatio, Cui talis imminet quies, Quam recreant negotia, Quæ tanta præbent otia. Da, Martha, da fidelibus Sic membra Christi pascere, Ut pectus impleant Deo, Mundi nec æstus sentiant. Fac dulcis hospes mentium, Nos hospitæ suffragio, Cæli quieto civium Gaudere contubernio.

AUCTORE J. B. S.

29 *Antiphona ad Magnificat.* Suſcepit Dominum Martha ſicut ſolent ſuſcipi peregrini, ſed tamen ſuſcepit famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura Creatorem, ſpiritu paſcenda in carne paſcendum. *Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui unigenitum tuum, pro ſalute hominum in terris converſantem, ſanctiſſimæ virginis Marthæ hoſpitio ſuſcipi voluiſti: præſta, quæſumus, ut ejuſdem virginis meritis & interceſſione, in cælorum domicilio recipi miſericorditer valeamus. *Invitatorium.* Imperatorem cælorum qui beatam Martham cælo ſuſcepit, à qua fuerat ſuſceptus in terris, venite adoremus. *Hymnus.* Chriſte vitæ, Chriſte mortis Jura juſtè temperans. Et ſemel reos ſepulcri Nocte longa contegens: Quæ fuit vis illa amoris, Quæ poteſtas hoſpitæ, Ut tua jam lege raptum Supplicanti redderes? Sole jam quarto jacebat Præda mortis Lazarus, Corda frigus, ora pallor, Membra livor texerat; Et lues fœdo per auras Diffluebat halitu, Martha lacrymis liqueſcit, Martha ſupplex accidit; Martha ſperat, Martha credit, Te Deum pronuntians, Vinceris piaſque reddis Lacrymanti lachrymas: Infremis, divoque mortis Vincla rumpis ſpiritu, Juſſa mors audit, ſibique Fit ſuperſtes Lazarus. Chriſte fac preces fidelis Sentiat plebs hoſpitæ, Et ſuæ ſepulcra culpæ Rediviva deſerat.

propriis Antiphonis

B

30 *Ad* I *Noct. Antiph.* 1. Beatæ Marthæ ſoror erat, nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. II. Stetit Martha & ait; Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. III. Reſpondens dixit illi Dominus; Martha, Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. *Sequuntur Lectiones primi Noct. de quibus ſupra dictum eſt. Tum* II *Noct. Antiph.* 1 Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum ejus. II. Miſerunt ergo ſorores ejus ad Jeſum dicentes; Ecce quem amas infirmatur. III. Audiens autem Jeſus, dixit eis; Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Deus per eam. *Lectiones* IV, V *&* VI *ſumptæ notantur ex ſermone S. Auguſtini de verbis Domini* 26, *quas hîc juvat deſcribere, pauculis iis præteritis quæ ſuperius dedimus.*

ad Nocturna ſingula,

C

31 *Lect* IV. Martha & Maria duæ ſorores erant, ambæ non ſolum carne, ſed etiam religione germanæ, ambæ Domino cohæſerunt, ambæ Domino in carne præſenti concorditer ſervierunt. Suſcepit eum Martha ſicut ..... Voluit enim Dominus formam ſervi accipere, & acceptâ formâ ſervi, in illa paſci à ſervis dignatione non conditione. Nam & iſta dignatio fuit, ſe præbere paſcendum. Habebat carnem in qua eſuriret quidem & ſitiret; ſed neſcitis quia in eremo eſurienti angeli miniſtrabant? Ergo quod paſci voluit, paſcenti præſtitit. *Reſponſ.* Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi *&c. Lect.* V. Martha igitur Dominum paſcere diſponens & præparans, circa multum miniſterium occupabatur. Maria ſoror ejus paſci à Domino magis elegit. Deſeruit quodammodo ſororem ſuam circa multum miniſterium laborantem, & ſedit ipſa ad pedes Domini, & vacans audiebat verbum ejus. Auris fideliſſima audierat: Vacate & videte quoniam ego ſum Dominus. Illa turbabatur, iſta epulabatur, illa multa diſponebat; iſta unum aſpiciebat. Utrumque officium bonum; ſed tamen quod ſit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, & patienter audiamus.

& Lectionibus propriis:

D

32 *Reſp.* Dixit Martha ad Jeſum; Sed nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus *&c. Lect.* VI. Bona ſunt miniſteria circa pauperes, & maximè circa Sanctos Dei ſervitia debita, obſequia religioſa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apoſtolo; Si nos verbis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Bona ſunt hæc, melius eſt tamen quod elegit Maria; illud enim habet ex neceſſitate occupationem, iſtud ex caritate ſuavitatem. Vult homo occurrere quando miniſtrat, & aliquando non poteſt. Quæritur quod deeſt, paratur quod adeſt, diſtenditur animus. Nam ſi Martha ad illa ſufficeret, adjutorium ſororis numquam poſceret. Multa ſunt, diverſa ſunt, quia carnalia ſunt, quia temporalia ſunt: & ſi bona ſunt, tranſitoria ſunt; Marthæ autem quid ait Dominus? Maria meliorem partem elegit; non tu malam, ſed illa meliorem. *Reſp.* Jeſus autem dixit Marthæ; Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, vivet *&c.*

tum Reſponſoriis,

33 *Ad* III *Noct. Antiph.* 1. Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi. II. Dixit Jeſu Martha ſoror ejus qui fuerat mortuus; Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim. III. Reſpondit ei Jeſus; Nonne dixi tibi, quia ſi credideris, videbis gloriam Dei? *Lect.* VII, *homilia S. Baſilii epiſcopi.* Martha hoſpitio Dominum ſuſcepit, ad ejus vero pedes aſſidet Maria. Laudandum ſane in utraque ſorore ſtudium. Ceterum tu res diſtinguito. Nam Martha in miniſterio occupata, ea parabat quæ hoſpitis corpori futura erant neceſſaria. Contra Maria, cum ad pedes illius aſſideret, audiendis, quæ ab eo dicebantur vacabat. Sic altera Domini partem illam quæ attingi aſpectu poterat, reficiebat; altera parti illi quæ occulta cerni non poterat, intendebat. Verè enim qui aderat, is & homo erat & Deus. Idem ſtudium ambarum mulierum approbabat. *Reſp.* Utique, Domine, ego credidi; quia tu es Chriſtus filius Dei vivi *&c.*

homiliis,

E

34 *Lect.* VIII. At Martha cum labore nimio delaſſaretur, Dominum rogabat, ut ad ſe in ſuſcepto munere adjuvandum, ſororem vellet adhortari. Dic enim tu, inquit, ut ſurgens mecum miniſtret. Cui Dominus; Martha, Martha .... Neque enim ea fuit cauſa quamobrem huc veniremus, ut in toris ſupini recumberemus, neque ut ventrem expleremus, ſed ob eam rem hîc ſumus, ut paſcamus nos verbo veritatis, & myſteriorum contemplatione. Itaque Dominus, neque illam à ſuſcepto miniſterio eſt dehortatus, & huic laudem tribuit, quod quæ diceret, auſcultaret. *Reſp.* Nonne dixi tibi *&c. Lect.* IX. Agedum igitur, per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animadverto: unum quidem inferioris notæ, nempe quod in craſſioribus vitæ hujus muneribus obeundis ſe occuparit, quamquam ipſum quoque mirificè commodum eſt. Alterum nobilius & cum ſpiritu magis conjunctum, nimirum quod ſeſe ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu qui audis, ſpiritui convenienter interpretare, & utrumvis magis placuerit, diligito; atque ſi miniſtrare vis, in nomine Chriſti miniſtrato. Ipſe enim dixit; Quatenus feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

& rurſus propriis

F

35 *In reliquo Officio Antiphonæ eædem recurrunt; Hymnus ad Laudes deſcribi meretur:* Felice, Martha, remige, Temone, velo, flamine, Rectore, nauta, naviga. Cum Chriſtus hæc ſit omnia

quæ repetuntur

A nia, Te noſtra prono geſtiunt Sinu tenere littora, Quam ſuſtinere perfidiæ Telluris ora neſciit. Tu monſtra noſtris exiges Terris, Vitæ reduces corpora, Regeſque morbis eximes. Quod quiſque ſupplex expetet, Hoc impetratum proſperæ Feret potens ſalubria, Nullumque triſtem deſeres. O ter quaterque, ô ſepties Beatus urbis incola, Qui te ac tuorum cominus Sedem celebrat oſſium. Cui propter advolvi licet Qui fletibus ſpargit locum, Qui pectus in terram premit, Qui vota fundit murmure. Fac dulcis hoſpes mentium Nos hoſpitæ ſuffragio, Cæli quieto civium Gaudere contubernio. *Quæ die* 11 *&* 111 *referuntur homiliæ, eæ* S. Marthæ *geſta non magis explicant, quam quæ jam dicta, aut aliunde ſatis nota ſunt. Die* 1v *fit de S. Petro ad Vincula:* v *autem recitantur lectiones ex Breviario Romano, quas in gratiam eorum, quibus Officium iſtud ad manum non eſt, hîc juverit ſubjicere. Lect.* 1v.

per Octavam

B 36 Martha nobilibus & copioſis parentibus nata, ſed Chriſti Domini hoſpitio clarior, poſt ejus aſcenſum in cælum, cum fratre, ſorore & Marcella pediſſequa ac Maximino, uno ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti Domini, qui totam illam domum baptizaverat, multiſque aliis Chriſtianis comprehenſa, à Judæis in navem, ſine velo & remigio imponitur, vaſtiſſimoque mari ad certiſſimum naufragium committitur; ſed navis, Deo gubernante, ſalvis omnibus Maſſiliam appulſa eſt. *Lect.* v. Eo miraculo & horum prædicatione primùm Maſſilienſes, mox Aquenſes ac finitimæ gentes in Chriſtum crediderunt, Lazaruſque Maſſilienſium, & Maximinus Aquenſium epiſcopus creatur. Magdalena vero aſſueta orationi & pedibus Domini; ut optima parte contemplandæ cæleſtis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit, ubi triginta annos vixit *&c.* Martha autem mirabili vitæ ſanctitate & caritate, omnium Maſſilienſium animis in ſui admirationem adductis, in locum à viris remotiſſimum, cum aliquot honeſtiſſimis feminis ſe recepit, ubi ſumma cum laude pietatis & prudentiæ, diu vixit, ac demum, morte ſua multo ante prædicta, miraculis clara migravit ad Dominum 1v Kalendas Auguſti. Corpus ejus apud Tharaſconem magnam habet venerationem.

occurrentibus

C 37 *Hæc ferme ex S. Mariæ Magdalenæ Legenda, de qua aliàs ſatis diximus. Cum* v1 *die Inventio S. Stephani,* v11 *S. Dominici feſtivitas celebrentur, ſola ultima Octavæ die lectiones propriæ adducuntur, vetuſta iſtic traditione receptæ, quæ longioris hiſtoriæ vices ſupplere hic poterunt. Lect.* 1v. Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt. Eam ob rem mirabilia opera, quibus B. Marthæ & vitam & mortem illuſtrare Deus voluit, pia perennique memoria Taraſconenſis eccleſia olim coluit & teſtatiſſima traditione ad hanc ætatem propagavit. Illud inter reliqua nobile. Immanis draco terrarum aquarumque pernicies, tenebricoſum nemus ad Rhodani ripam obſederat. Illinc quaſi ex inſidiis, aut in aggere publicum iter agentibus, repentinus ingruens, aut in flumen navigiis improviſus ſubiens, eaque ſubvertens, humanas prædas agebat. Fecerat monſtro venerationem timor, & religio erat tangere, quod horror erat vel audire. Sed ut illuc Martha advenit, divini ſecura præſidii, monſtrum adorta eſt, ipſumque ſacra perſperſum aquâ ita edomuit, ut muliebri vinctum zona, audenti jam populo & illudendum tradiderit & mactandum.

38 *Lect.* v. Subinde cum magna jam populi multitudo verbis illius & factis in Chriſti fidem eſſet traducta, ſacris ſynaxibus peragendis eccleſiam exædificavit; ad cujus encænia cum S. Maximinum Aquenſem, Trophimum Arelatenſem, alioſque magno numero fideles convocaſſet, excipiendis hoſpitibus defuit vinum: ſed piis Hoſpitæ precibus Chriſtus adfuit, & versâ in vinum aquâ, vetus miraculum innovavit. Hoc quoque digniſſimum eſt memoratu. Avenione civitate nobili, ubi Tharaſconenſis eccleſiæ matrix eſt, celebri aliquando concione, inter urbis portam & Rhodani ripam, de fide Chriſti verba faciebat B. Martha. Turbam conſpicatus ex ulteriore ripa adoleſcens, aviduſque noſcendi quid ageretur, auſus eſt natando illuc contendere, ſed vi fluminis illico abreptus ſubmerſuſque interiit. Conquiſitum cadaver ad concionantis pedes abjicitur: illa, brevi oratione interpoſita, ſanum vegetumque ſuis reſtituit.

AUCTORE *J. B. S.*

feſtivitatibus

interrupta.

39 *Lect.* v1. Quid illud? quod in beatæ Marthæ funere traditur contigiſſe? Præerat tunc Petragoricenſi eccleſiæ ſanctus Fronto, è Chriſti diſcipulis unus: is cum ſolenniter ſacris operaretur, & Petragoricis corpore non abſcederet, Chriſto tamen agente, ad beatæ Marthæ exſequias corpore præſens fuit. Cujus rei fidem fecere pontificiæ ejus chirothecæ, tunc eo loco relictæ, quarum altera etiam nunc illic aſſervatur. Demum eamdem gratiam quam præbuerat Deus vivæ, ſervavit & mortuæ. Nam Clodovæus, qui primus è Francorum regibus Chriſto nomen dedit, ubi provinciam iſtam ſecundam Viennenſem Viſegotorum, quos Ariana labes tunc infecerat, jugo exemiſſet, graviſſimo renum dolore torqueri cœpit. Itaque fama admonitus miraculorum, quæ ad beatæ Marthæ ſepulcrum quotidie perpetrabantur, ut eò ſupplex acceſſit, plenam retulit ſanitatem. *Totum Officium hoc diſticho clauditur:*

Hoſpita quæ Chriſtum excepiſti, Martha, precare
Hoſpes ſit nobis, hoſpes ut ille tuus.

E

§ V. Cultus S. Marthæ extra Provinciam, reliquiæ, miracula alia, templaque ipſi dicata.

Aliæ S. Marthæ reliquiæ

QUæ *ſupra à* §. 2 *à nobis tradita ſunt de occultatis ad uſque ſeculum duodecimum ſacris* S. Marthæ *reliquiis, rurſuſque reconditis donec ſeculo* XV *arctius denuo recluſæ fuerint, ſi ut certa & indubitata admittantur, difficile ſanè erit colligere, quando aut unde acceptæ ſint variæ aliæ ejuſdem Sanctæ reliquiæ quæ per Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Belgium & forte regiones alias ſub ejus nomine circumferuntur, ut ex variorum ſcriptorum fide mox pluribus referemus. Verum non uſque adeo ſcrupuloſè in iis nos verſari, ſæpius jam & abundè præmonuimus; nam ſive veræ ſint ipſiuſmet ſanctæ Chriſti Hoſpitæ forte Taraſci ſeu Taraſcone obtentæ, ſive cognominis Sanctæ alterius; recepto nobis principio inniti pergimus, rectè & religioſè id genus pignora honorari, modo genuinæ Sancti alicujus reliquiæ ſint, ut ſemel & ſemper ab odioſa quæſtione eximamur, quam jam toties diximus, nos nec decidere velle, nec poſſe. Ea igitur ratione intelligenda ſunt quæ hoc ultimo paragrapho, in gratiam piorum* S. Marthæ *clientum recenſebimus.*

41 *Has inter reliquias non poſtremum locum ea Florentiæ*

AUCTORE J. B. S.

tenent quarum notitiam Florentiâ cum Majoribus noſtris communicavit Exim. P. M. Raphaël Badius, monaſterii Virginum Humiliatarum, in proximo Montugo, ut vocant, Confeſſarius, quod S. Marthæ *nomine, à prima ſua inſtitutione, nempe à ſec.* XIV *inſignitum, pretioſo theſauro gaudet, anno* 1389, *eò non ſine miraculo delato, aliis poſtmodum prodigiis illuſtri, & forte etiam hodie celebri, tametſi ejus rei documenta ad nos non pervenerint. Badii commentariolus Italicus in eo conſiſtit, quod dicti parthenonis initia ſignet ad an.* 1336 *ex hereditate cujuſdam Lotharii di Davanzato de Davanzati, qui per teſtamenti ſui exſecutores, totam ipſam impendi voluerit in fundandum exſtruendumque virginum cœnobium, non deſignatâ, cui ſubeſſent, regulâ: unde cum in exſecutorum numero eſſent FF. Philippus & Paulus ex Ordine Humiliatorum, nihil antiquius habuere, quam ut, obtentis ab Ordinario & parocho debitis facultatibus, ex Ordine ſuo virgines in eam hereditatem inducerent, fundo ad id comparato, in quo parthenonem erigerent, qui etiam poſt exſtinctum aut ſuppreſſum virorum Ordinem, in virginibus & ibi & alibi ad hunc uſque diem religioſè perſeverat.*

B

42 *Porro locus plane non eſt ut de fratribus iſtis Humiliatis, notiſſimis olim, ſaltem in Italia religioſis, hic agamus pluribus; qui eorum noſcendorum cupidus eſt, videat is in opere noſtro quæ de eorum inſtitutionis initiis dicta ſunt tomo* III *Aprilis pag.* 466, *de ejuſdem vero exſtinctione tomo* I *Maii pag.* 663, *tum autem ſcriptores illos qui ex profeſſo de Religioſis Ordinibus tractarunt Paulum Morigiam, Joannem Petrum Creſcentium, Philippum Bonnannium, Hippolytum Helyotum & alios: ad rem noſtram propius ſpectat, quod inchoatâ* VIII *Maii* 1342 *templi fabricâ, ſerio cogitari cœperit de introducendis eò ſanctimonialibus, ac deinde* VIII *Septembris* 1343, *omnibus rectè ordinatis, admiſſæ ſint nobiles virgines, unde religioſa illa Humiliatarum familia feliciter coaluerit, poſt varios, ut diximus, adverſos Ordinis caſus, hodiedum ſubſiſtens. Hiſce ita præmiſſis, ad argumentum accedimus, de Sanctæ noſtræ reliquiis ex inſtituto acturi, quæ ut caſu plane mirabili eo adductæ ſunt, ſic ſingularia poſt ſe reliquerunt ſanctiſſimæ Chriſti Hoſpitæ patrocinationis documenta. Hoc igitur modo in præcitata Ms. relatione narrat Badius:*

apud Humiliatas,

C

43 *Non multis poſt memoratam modo parthenonis fundationem annis, hoc eſt, inquit, circa annum* 1389, *tranſiturus illac ex Gallia, à Clemente VII Avenionenſi promotus Cardinalis Joannes de Broniaco, Romam proficiſcens, ubi ad Montugum progreſſus eſt, ſenſit, vi quadam occulta, equam cui inſidebat, retineri prohiberique quo minus ultra procederet. Cauſam porro inquirens inſoliti hujuſmodi prodigii, edoctuſque, monaſterium illud* S. Marthæ *Bethanicæ ſacrum, cujus ipſe venerandas reliquias, nempe digiti groſſioris ſeu medii articulum è Provincia ſecum abſportaverat, facile intellexit; ſuperiori poteſtate ſeſe compelli, ut pretioſa illa, quantumvis ſibi cara ipſana ibidem loci honoranda deponeret; ſtatimque monaſterium ipſum ingreſſus, ejus ſuperiore cæteriſque monialibus ad ſe vocatis, rem, uti contigerat, ingenuè expoſuit, ſacrumque theſaurum proferens, eo ipſas munificè donavit recreavitque, gratiſſimo utique munere, tum quod beatiſſimæ ſuæ Protectricis ac Matris eſſent reliquiæ, tum quod divina diſpoſitione ad ſe tranſmiſſæ viderentur. Ex ſecutis autem miraculis, id prè ceteris refero, quod an.* 1514, *idque multiplex accidit in quatuor diverſis monialibus, ejuſdem Sanctæ interceſſione eodemque tempore à præſentiſſimo mortis periculo liberatis.*

quas eo attulit Card. de Broniaco

D

44 *Enumerantur iſtic fuſius morbi varii quibus tum laborarent quatuor ſorores propriis nominibus expreſſæ, nimirum Magdalena Libri, Anna Davanzati, Bernarda Bernardi, Andrea de Guidi, quæ cum periculoſiſſimis infirmitatibus diu afflictæ decubuiſſent, jamque à medicis pro depoſitis haberentur, id demum conſilii, id auxilii ſuperfuit, ut ſanctiſſimæ Patronæ reliquiæ è templo per ſuperiorem, piè comitantibus ceteris omnibus monialibus, ad prope agonizantes ex ordine deferrentur, quarum nonnullis jam ſancta ipſa Martha ſeſe præſentem exhibuerat certaſque de valetudinis recuperatione reddiderat. Id certè, ſtupentibus omnibus, continuè ſubſecutum eſt, ut tres è lecto mox ſurgentes Soſpitatrici gratias ad ejus aram acturæ feſtinaverint, alia quæ nonnihil dubitaverat, tandem etiam reliquas ad templum ſubſecuta fuerit ſana prorſus & integra. Porro tanti miraculi fama cum ad aures Vicarii generalis P. Benedicti Bartoli perveniſſet, eo ſtatim advolavit, ipſaque* S. Marthæ *feſta luce, inſigni celebritate gratiæ Deo ſanctiſſimæque Thaumaturgæ ſolenniſſimè peractæ ſunt; tota rei ſerie in tabulas debitè relata, quam hic in pauca contraxiſſe, ſufficere exiſtimavimus.*

multis miraculis

E

45 *Nec prætereunda ſingulariſſima etiam gratia, quæ in totam iſtam ſacram familiam, eximio prorſus* S. Marthæ *favore & patrocinio, annis poſt quinque collata eſt, dum anno* 1529 *furente rurſus bello, ut jam tot annis in Tuſcia tumultuatum fuerat; armis tunc circa Florentiam undique perſtrepentibus; dumque militari licentia diriperentur omnia incenderenturque, moniales vero in tutiora loca ſe recepiſſent, relicta ad domus cuſtodiam unica vetula ſorore laica, id prodigii obſervatum eſt; graſſantes milites monaſterium ingreſſos, tanta formidine ſubito fuiſſe correptos, ut nec unus ad direptionem manus extendere auſus fuerit: nimirum virgo aliqua ipſos perterruit candidis veſtibus induta, conſtrictum draconem fune ducens, virginum cellulas omnemque monaſterii ambitum circumiens, quam* S. Martham *fuiſſe, eâ formâ in templo depictam, conſtans omnium fuit opinio: id certe indubitatum, nullam prorſus à militibus illatam monaſterio injuriam aut jacturam; aſſerentibus etiam nonnullis prædatoribus, virginum pſalmodiam noctu ſe ſæpius intellexiſſe, cum tamen certo ſcirent, nullam prorſus religioſam eo tempore ibi exſtitiſſe. Atque hæc ibi: nunc alias per Italiam, Romanas ſaltem Bononienſeſque eccleſias perluſtremus.*

ibidem celebres.

F

46 *Satis celebris Romæ eſt* S. Marthæ *eccleſia prope collegium noſtrum Romanum, exſtructa cum vicino monaſterio, anno, ut inquit Pancirolus* 1546 *incredibili prope cura & zelo S. Ignatii de Loyola Societatis noſtræ fundatoris, ut feminæ pœnitentes à lubrica vita converſæ ibidem reciperentur ad meliorem vitam inſtituendæ; quibus poſtmodum alio tranſlatis, admiſſæ in eo monaſterio fuere virgines ſanctimoniales, ſub regula S. Auguſtini hodiedum iſtic ſuperſtites. Ad rem noſtram hic facit maximè, quod, teſte Piazza in Hemerologio, ſanctæ* Marthæ *reliquiæ in ejus loci eccleſia honorari dicantur. Eſt & aliud Romæ dicatum* S. Marthæ *templum poſt S. Petri baſilicam, ubi & hoſpitium ſeu noſocomium exſtat, in uſum Pontificiæ familiæ deſtinatum. Porro ad S. Cæciliæ tria* S. Marthæ *oſſa reperit laudatus Piazza, aliaſque ejuſdem reliquias ad S. Mariæ de Victoria. Bononiæ item in S. Vitalis platea templum ſanctæ Chriſti Hoſpitæ ſacrum*

Item Romæ in propria eccleſia,

A crum memorat Masinius ad hunc diem, in quo & ipsius reliquiæ venerationi exponantur, quemadmodum & in ecclesia metropolitana, ad S. Stephani, & ad S. Luciæ PP. Societatis Jesu.

in Belgio 47 Neque Belgium nostrum sacris S. Marthæ pignoribus carere, ostendit Rayssius, ubi ipsa non uno loco se invenisse testatur in suo Hierogazophylacio Belgico. Atque imprimis in nobilissimo Aquicinctino cœnobio pag. 58 nobis refert pedem integrum beatæ virginis Marthæ, utique nostræ seu Tarasconensis, quæ sola celebris fuit hactenus. Hicpes sinister est, inquit Rayssius, integer prorsus carne & ossibus constans, insignique theca ex crystallo, maximi sane pretii in formam calcei effigiata, decenter inclusus. Addit in suo sacrario Bucelinus, os ejusdem perinsigne in monasterio B. V. M. de Naxara, ut in Hispaniam quoque S. Marthæ reliquias perveniisse, ex ipso intelligas. In Parco deinde, celebri juxta Lovanium abbatia Ordinis Præmonstratensis pag. 401 jam dicti Hierogazophylacii, inter varia sacra & veneranda cimelia etiam S. Marthæ annumerantur. Demum pag. 494 catalogum bene longum texit reliquiarum nostrarum Mechlinienſium, ubi dono dominæ Adrianæ de Ridder, particulæ aliquæ asservantur de sanctis Maria & Martha. AUCTORE J. B. S.

Prage & alibi. 48 Ne plures alios thesauros investigare cogar aut evolvere, quod ab aliis majori otio fieri facile patiar, suggero postremas mihi quidem notas reliquias, quas offert tomus noster primus Januarii pag. 1084 in longiori Pragensi serie, tum tomus ejusdem mensis alter pag. 612 in pari sacrorum ejusmodi lipsanorum enumeratione Ulyssiponensi, ubi inter cetera etiam aliqua S. Marthæ recensentur. Porro Pragenses istas paulo notabiliores oportet esse reliquias, cum earum haud dubiè causâ, & erectum magnificum sacellum, & per universam diœcesim solenne festum in suis sacris Bohemiæ pulveribus narret noster Crugerius tom. 1, pag. 19. Atque hisce, quæ hactenus deducta sunt, si non criticis & morosis hominibus, saltem piis S. Marthæ cultoribus factum satis existimo.

E

DE SS. LUCILLA, FLORA, EUGENIO, ANTONINO, THEODORO, ET OCTODECIM SOCIIS MARTYRIBUS.

E

ROMÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Antiquus horum Sanctorum cultus, incertum martyrii tempus, & ambigua eorum ab aliis distinctio.

XXIX JULII.

Ex antiquis auctoribus,

C

DE immemorabili trium priorum Martyrum cultu constat ex tribus S. Petri Damiani sermonibus, quos in annua eorum festivitate habuit, & in quorum ultimo gesta & martyrium Lucillæ, Floræ, *ac* Eugenii *seu potius* Eugegii *historicè exponit. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 6 cap. 157 Acta & martyrium trium priorum narrat, & de reliquis martyrii Sociis hæc addit:* Horum exemplo Antonius, Theodorus, Dionysius, Apollonius, Capanus, Piosus, Corseus, Chorigenes, Pacus, Saturnus, Victor, & alii novem, quorum nomina minimè reperta sunt, se Christi cultores acclamantes, ab eodem præfecto (*nempe Helio, de quo antea egerat*) gladio cæsi martyrio coronantur, quorum omnium passio agitur IV Kal. Augusti.

ædificatis ecclesiis 2 *Franciscus Dini, advocatus Lucinianensis, qui sub nomine Academici Recollecti dissertationem pro Actis sanctarum* Floræ *&* Lucillæ *contra Baronium anno 1723 Lucæ typis vulgavit, publicam earumdem Virginum ac Martyrum venerationem in illa dissertatione pag. 48 exponit his verbis:* Cultus sanctarum Virginum pluribus in locis satis latus apparet ex ecclesiis sub nomine SS. Floræ & Lucillæ conditis, & affluentiâ populorum veneratis: exstat enim templum Castri Turritæ non longè ab Arretio, & ecclesia Stagiani, item ecclesia Sarnæ, & alia Verrazzani, ut æque ecclesia Poggioli, & ecclesia Sapigni sub nomine earumdem Sanctarum; & vetustissima ecclesia Hostiæ Tyberinæ, & satis antiqua in Monte Amiato, & magnificum templum sanctarum Floræ & Lucillæ civitatis Arretinæ, & alia plura monumenta in aris & picturis ubique diffusis. *De inclyto Benedictini Ordinis monasterio, quod ab his duabus Virginibus cognomen habet, & de sacris illarum reliquiis eò translatis postmodum agemus.*

& quibusdam Martyrologiis, F 3 *Inter Martyrologia, quæ de his Sanctis meminisse novimus, primum est Usuardinum, quod Grevenus anno 1515 Coloniæ edidit, & in quo ad diem* XXIX *Julii leguntur sequentia:* Eugenii regis barbarorum, Floræ, Lucillæ virginum cum aliis multis martyrio coronatorum. *Molanus eodem die in additionibus ad Usuardum minore charactere* SS. Floram *&* Lucillam *tantummodo exprimit, aliosque generatim sic memorat:* Romæ sanctarum virginum Floræ & Lucillæ martyrum cum aliis multis, quarum Passio habetur, & exstat de eis sermo Petri Damiani. *Maurolycus in suo Martyrologio de tribus primis nominatim agit, & aliorum numerum ita recenset:* Romæ sanctarum Floræ & Lucillæ virginum cum Eugenio barbarorum rege & aliis viginti sub Aclio (*verosimiliter* c *pro* e *legit*, *&* Aelium *dicere voluit*) præfecto passarum.

ostenditur immemorabilis cultus horum Martyrum, 4 *Petrus Galesinius plura eorumdem Martyrum nomina sic expressit:* Romæ item sanctarum virginum Lucillæ & Floræ, Eugenii, Antonini, Theodori, Dionysii, Apollonii, Capani, Piosi, Corsei, Chorigenis, Pacii, Saturnini, Victoris & aliorum novem, qui Galieno imperatore ob præclara certamina fidei confessione in primis illustres, coronantur. *In notis autem ad hunc Martyrologii sui locum indicat, sese ea desump-*

AUCTORE G. C.

ſumpſiſſe ex libro ſcripto & tabulis eccleſiaſticorum annalium, ex ſermone item Petri Damiani xx, qui manu ſcriptus exſtat. *Cum Petrus Damiani de tribus primis Sanctis dumtaxat mentionem faciat, haud dubie Galeſinius reliqua Martyrum nomina ex Petro Equilino vel aliis eorum Actis hauſit. Martyrologium Romanum, quo hodiedum utimur, circa numerum Martyrum cum Galeſinio convenit, ſed pauciores proprio nomine ita appellat:* Romæ præterea ſanctorum martyrum Lucillæ & Floræ virginum, Eugenii, Antonini, Theodori, & Sociorum decem & octo, qui ſub Gallieno imperatore illuſtre martyrium obierunt.

quos Baronius

5 *Si Martyres iſti* ſub Gallieno imperatore *paſſi ſint, ut hic in Romano Martyrologio & apud Galeſinium dicitur, illud intelligendum eſt juxta monitionem eminentiſſimi Baronii, qui in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 262 *num.* 55 *ita ſcribit:* Quod autem ſpectat ad Martyres Romæ paſſos, quod nonnulli ſub Gallieno imperatore martyrium ſubiiſſe dicantur; non id accidit, ut, ceſſante Valeriano, ii martyrio fuerint coronati: quandoquidem (ut dicemus) Gallienus, capto ab hoſtibus Valeriano parente, mox perſecutionem ceſſare juſſit, datis pro Chriſtianis edictis; ſed quod ſolus Gallienus Romæ imperaret, Valeriano agente cum exercitu in Oriente, idcirco plerique Martyres, ſive Romæ, ſive alibi, ſub Gallieno paſſi dicuntur. *Hinc eminentiſſimus annaliſta eodem Chriſti anno num.* 57 *martyrium horum Sanctorum ita collocat:* Ibidem etiam Flora & Lucilla virgines, Eugenius, Antoninus, Theodorus, atque Socii decem & octo occiſi ſunt, Gallieno jubente, ut memoriæ proditum eſt in Romano Martyrologio, natali ipſorum die, quarto Kalendas Auguſti.

B

anno 262 paſſos perperam aſſeris.

6 *Neſcio, cur eminentiſſimus ſcriptor huic martyrio determinatè aſſignaverit annum Chriſti* 262, *qui certè à vera chronologia aberrat*; quandoquidem Gallienus, capto ab hoſtibus Valeriano parente, mox perſecutionem ceſſare juſſit, datis pro Chriſtianis edictis, *ut ipſe Baronius ibidem fatetur. At Pagius in Critica ad annum Chriſti* 259 *num.* 8 *& ſequentibus contendit, Valerianum hoc ipſo anno* 259 *à Perſis captum fuiſſe; Tillemontius verò in Hiſtoria imperatorum tomo* 3 *pag.* 519 *&* 520 *probare nititur, captivitatem illam anno* 260 *collocandam eſſe. Quidquid ſit de hac chronologica controverſia, omnes eruditi jam deſerunt Baronium, qui eamdem Valeriani captivitatem uſque ad annum Chriſti* 262 *perperam diſtulit. Si igitur Gallienus, patre ſuo capto, ſtatim perſecutionem contra Chriſtianos ceſſare juſſit, quomodo potuerunt hæ Virgines cum aliis anno* 262 *ſub Valeriano & Gallieno palmam martyrii obtinere? Quomodo determinatus ſub his imperatoribus annus aſſignatur, cum hactenus nulla Actorum exemplaria aut veterum monumenta prodierint, in quibus glorioſum horum Martyrum certamen ſub imperio Valeriani & Gallieni referatur?*

C

Petrus Damiani illorum martyrium ad annum 1So refert ſub Helio præfecto

7 *Initio numeri* 5 *dixi*; ſi Martyres iſti ſub Gallieno imperatore paſſi ſint, *quia S. Petrus Damiani in ſermone tertio de* SS. Flora & Lucilla, *qui à Conſtantino Caëtano Romæ anno* 1606 *inter ejus opera tomo* 2 *à pag.* 247 *editus eſt, chronologiam Martyrologii Romani & eminentiſſimi Baronii multum prævertit, quando ibidem de pietate harum duarum Virginum ita agere incipit:* Glorioſæ igitur virgines Flora & Lucilla ſorores temporibus, quantum intelligi poteſt & datur, Antonini cognomento Pii, cum Romæ ſuis ſanctis moribus in conſpectibus divinis arderent; foris verò ſecundùm nominum ſuorum proprietatem florerent & lucerent, apoſtolicam vitam delegerunt. *Cum autem Antoninus Pius ab anno Chriſti* 138 *uſque ad* 161 *gubernaverit, veroſimiliter Petrus Damiani collegit, eas virgines ſub imperio illius floruiſſe*, quantum intelligi poteſt & datur *ex tempore martyrii, quod poſt viginti annorum captivitatem ſubierunt, & de quo Petrus in eodem ſermone pag.* 248 *circa finem ſic loquitur:* Imperantibus igitur Romæ M. Antonio Vero & Commodo Aurelio, anno ſcilicet Domini centeſimo octogeſimo vel circa, SS. virgines Flora & Lucilla ſorores eum Eugegio rege ad martyrium ſuſcipiendum pro Chriſto urbem Romam intrantes inveniunt, agente præfecto urbis, Helio nomine, furor * gentilium contra Chriſticolas deſævire. *Alia Actorum apographa certum martyrii tempus non indicant, excepto uno infra producendo, quod illud etiam ſub iiſdem imperatoribus collocat.*

* *lege* furorem

D

cujus nomen eo tempore non invenitur,

8 *Quod ſi forte hæc* Floræ, Lucillæ & Eugegii *hiſtoria confuſa ſit cum Actis Luceiæ virginis & Auceiæ regis, de quibus die* XXV *Junii actum eſt, martyrium eorum uſque ad tempora Diocletiani differendum eſſet: nam anno Chriſti* 301 *urbi Romanæ præfuit Ælius Dionyſius, qui forte in his & illis Actis juxta morem ſatis uſitatum unico Ælii vel Helii nomine appellatur. De altero Romanæ urbis præfecto, qui Ælius Ceſetianus vocatur, & ſub quo hæ Virgines circa annum* 275 *martyrio affici potuerunt, poſtea agemus. Id unicum hìc aſſero, ab anno Chriſti* 254 *uſque ad mortem Valeriani & Gallieni nullum Ælium occurrere inter præfectos urbis Romanæ, quos Bucherius noſter in Commentario ad Canonem Paſchalem Victorii cap.* 13 *à pag.* 236 *enumerat, & quorum ſimilem catalogum Georgius Eccardus ex codice Cæſarco inter ſcriptores medii ævi tomo* 1 *à pag.* 18 *nuper edidit. Hinc ſequi videtur, quod* Flora, Lucilla & Eugegius *lauream martyrii non obtinuerint ſub imperio Valeriani aut Gallieni, cum toto illo tempore nullus Ælius aut Helius urbi Romanæ præfuerit, qui tamen in variis eorum Actis conſtanter nominatur. Quare in margine hujus commentarii nihil certi circa tempus martyrii notare volui, cum tria Mss. Actorum exemplaria nullos imperatores nominent, & ſub illis, quos Petrus Damiani & Martyrologium Romanum ſignarunt, nullum Ælium aut Helium, Romæ præfectum, reperire potuerim.*

E

F

eiſi Helius vel Ælius vocari poſſit,

9 *Ne quis autem hìc hæreat ad nomen præfecti Romani, quem modò* Ælium *modò* Helium *appellavimus, audiat Raphaëlem Volaterranum, qui in Commentariis Urbanis, Baſileæ anno* 1544 *impreſſis, lib.* 13 *fol.* 142 *agens de origine Æliorum & variis iſtius nominis viris ita præmonet:* ÆLIOS cum diphthongo & HELIOS cum adſpiratione ſcriptos utroque modo in antiquis marmoribus invenimus. *Scio, Joannem Glandorpium in Onomaſtico Romano col.* 11 *huic Volaterrani teſtimonio contradicere; at interim fateri debet, eumdem Claudii libertum, qui ſub Nerone impotenter dominabatur, in Annalibus Taciti lib.* 13 *cap.* 1 Ælium *nuncupari, qui in mox citanda Dionis Epitome pag.* 294 *& ſequente* Helius (*Græcè* Ἥλιος) *vocatur. Adde, quod Tacitus lib.* 1 *Hiſtoriarum cap.* 37 *eumdem ſine diphthongo* Elium *nominet. Sic etiam quidam Galliæ populi ab antiquis geographis promiſcuè* Hedui, *vel* Ædui *& ſimpliciter* Edui *appellantur, & à Græcis per vo-*

cem

A rem Εδδοι vel Αἴδδοι exprimuntur, *ut apud Cellarium in Notitia orbis antiqui part. 1 lib. 2 cap. 2 pag. 136 videri poteſt. Non opus eſt pluribus hujus promiſcuæ ſcriptionis exemplis, cum ipſe hodiernorum Actorum defenſor, in cujus gratiam potiſſimùm minutiora hujus hiſtoriæ adjuncta tam ſcrupulosè examinamus, nullum hîc nobis negotium faceſſat: advocatus enim ille obvium quemlibet Romanæ urbis præfectum, nomine Helium vel Ælium, ſub imperio Commodi vel Valeriani & Gallieni libenter arripuiſſet, ut ex jam dicendis ſatis apparebit.*

10 *Franciſcus Dini in memorata ſuperiùs diſ-*
quem Dinus fruſtra quæſi-vit. *ſertatione putat, ſe ſub Commodo imperatore hunc Ælium vel Helium præfectum invenisse; dum ibi pag. 39 ſic ſcribit:* Memorant etiam Q. Helium Lætum præfectum prætorio vel exercitibus ſub Commodo, ex Herodiano lib. 1 cap. 3 Gandorpius (*voluit ſupra citatum Glandorpium haud dubie indicare*) Baronius *&c. At imprimis Dinus hîc nobis non oſtendit Helium perfectum Urbis, qualem Acta ab ipſomet edita ibidem pag. 55 clarè requirunt his verbis:* Tunc autem Ancillæ Chriſti, quæ ad civitatem monitæ venerunt, Romæ ſe palam oſtenderunt, & poſt pauços dies comprehen-
B duntur, & illico ducuntur ad præfectum urbis Romæ. Cumque oblatæ fuiſſent Helio præfecto Urbis, dixit ad eas. *Sed Dinus non ignorat, ut opinor, inter præfectum Urbis & præfectum prætorii apud Romanos ingens diſcrimen eo tempore fuiſſe. Si quis horum officiorum differentiam pleniùs noſſe cupit, conſulat Guidum Pancirolum in Notitia dignitatum imperii fol. 6, 115, & ſequentibus.*

11 *Præterea is idem prætorii præfectus, quem*
& à ſe inventum exiſtimat. *Dinus* Q. Helium Lætum *vocat, ab antiquis pleriſque auctoribus* Q. Æmilius Lætus *appellatur. Sic Epitome Dionis, quæ inter minores Græcos Romanæ hiſtoriæ ſcriptores Francofurti anno 1590 impreſſa eſt, in ea editione pag. 383 expreſſe habet, quod imperatori Commodo inter gladiatores* pugnanti Æmilius Lætus præfectus prætorio *aſſiſteret. Equidem fateor, eumdem in Onomaſtico Romano col. 17 nominari Q. Ælium Lætum à Glandorpio, qui forte ſecutus eſt quamdam Lampridii editionem, in qua* Ælius *legebatur: nam inter novemdecim Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, quos Janus Gruterus Hanoviæ anno 1611 edidit, pag. 284 in ipſo Lampridii textu ita habetur:* Quintus Æmilius Lætus præfectus & Marcia concubina
C ejus inierunt conjurationem ad occidendum eum. *Hinc quoque inter ſex Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Lugduni Batavorum anno 1671 cum variis notis impreſſos, præter Salmaſii monitionem editor ibidem tomo 2 pag. 520 ad eumdem Lampridii locum hæc notari jubet:* QUINTUS ÆLIUS LÆTUS; ſcripti ÆMILIUS; ſic Dio & Zonaras. *Certè Zonaras ſua ætate in ſcriptis codicibus* Æmilium *legiſſe videtur, cum in Pariſienſi editione anni 1686 tomo 1 Annalium pag. 600 de illo ipſo ſic ſcribat:* Æmilius (*Græcè* Αἰμίλιος) Lætus præfectus, & Electus cubicularius, cum eum factis illis offenſi monuiſſent, ut deſiſteret, iracundiam & minas illius (*nempe imperatoris Commodi, de quo ibi agitur*) metuentes, in bubulis carnibus venenum ei præbuerunt. *Hæc ſatis ſuperque dicta ſint de iſto prætorii præfecto, qui huc non pertinet, etiamſi revera nomen Ælii habuiſſet.*

12 *Præter ſuperiùs indicatam confuſionis ſuſpi-*
cionem, quæ oritur ex nomine Ælii vel Helii præfecti, ſub quo tam Luceia virgo & Auceias rex, quam Flora & Lucilla *cum* Eugegio *rege in utriſ-*
que Actis martyrium ſubiiſſe dicuntur, alius nos AUCTORE G. C.
vexat ſcrupulus, quem eruditis proponimus, ut eum nobis evellant. In manuſcripto Actorum exemplari, cujus ecgraphum anno 1640 P. Beatillus noſter Neapoli ad Bollandum miſit, præter Floram, Lucillam & Eugegium, *numerus & nomina reliquorum Martyrum ita recenſentur:* Offerebantur autem & alii tredecim, quorum hæc nomina ſunt; id eſt Aſſerius, Antonius, Theodorus, Dionyſius, Apollonius, Caponius, Pyoſius, Coryſius, Origenes, Paceus, Saturius, Victorius, Victor, & alii novem, quorum nomina minimè reperimus. *In vetuſto codice eccleſiæ Aretinæ, ex quo inferiùs Acta eorum dabimus, poſt narratum* Floræ, Lucillæ, & Eugegii *martyrium hæc leguntur:* Offerebant autem miniſtri & alios duodecim id eſt Aſſerium, Antonium, Theodorum, Dionyſium, Appollonium, Capomium, Pioſium, Corſeum, Origenem, Paccum, Saturium, Victorem & alios novem, quorum nomina minimè reperimus. *Simili fere modo nomina exprimit Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris, ad quod proximè accedit Petrus Equilinus, cujus verba initio hujus paragraphi exhibuimus.*

Suſpicamur, Acta horum Martyrum cum aliis confuſa eſſe,

E

13 *Jam verò audiamus Martyrologium Roma-*
eorumque annuntiationem *num, quod die* XXIV *Junii ſic habet:* Ibidem (*ſcilicet Romæ, ubi etiam præcedentes Martyres paſſi fuerant*) ſanctorum Martyrum Fauſti & aliorum viginti trium. *At qui hîc* Fauſtus *appellatur, in aliis Martyrologiis vocatur* Feſtus *vel* Sixtus, *cui antiquiſſima Hieronymiana* Luciam *ſeu* Luceiam *addunt hoc modo:* Romæ Feſti, Luciæ (*in Corbienſi* Luceiæ *legitur*) cum aliis viginti duobus. *Alia apographa hanc virginem & martyrem nominant* Lucelam, *ut in Opere noſtro ad diem* XXIV *Junii, tomo* IV *ejuſdem menſis pag. 808 videri poteſt. Galeſinius in ſuo Martyrologio ad eamdem* XXIV *diem Junii ita annuntiat:* Romæ ſanctæ Luceiæ virginis, Aceiæ regis, & viginti duo * martyrum. *Juverit hîc ſemper obſervare numerum iſtorum Martyrum, qui utrobique ad viginti quatuor reducitur aut proximè accedit.*

* *lege* duorum

14 *Pergamus ad diem ſequentem ſeu* XXV *Junii* *in Martyrologio Romano* *cum hodierno Martyrologio Romano, ubi ſic legitur:* Romæ ſanctæ Luciæ virginis & martyris cum aliis viginti duobus. *Hîc omittitur Auceias rex, quem Notkerus aliis eadem die ſic adjungit:* Romæ S. Luciæ virginis & Auceiæ regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati ſunt. F *His adde Luciam, quam tomo* II *Julii pag. 249 inter Prætermiſſos collocavimus, & de qua Martyrologium Romanum die* VI *Julii ita meminit:* Eodem die ſanctæ Luciæ martyris, quæ natione Campana, à Rixio vicario * tenta & acriter cru- * *al.* Varo ciata, eumdem convertit ad Chriſtum, quibus adjuncti ſunt Antoninus, Severinus, Diodorus, Dion, & alii decem & ſeptem, qui in Paſſione collegæ & in corona fuere conſortes. *Ne hîc operosè actum agamus vide plura tomo* V *Junii noſtri à pag.* 11, *& attentè conſidera nomina Sociorum, qui ibidem in Actis pag.* 14 *ſic exprimuntur:* Offeruntur ei alii viginti (*ſcilicet præter Luceiam virginem & Auceiam regem*) id eſt Antonius, Hereneus, Theodorus, Dionyſius, Apollonius, Apamius, Pronicus, Coteus, Orion, Papicus, Satyrus, Victor & alii novem, quorum nomina ſoli Deo cognita ſunt. *Hæc cum dictis dicendiſque compara, & ſedulò attende, an nuſquam annuntiationum confuſio irrepſiſſe videatur.*

15 *Præterea idem Martyrologium Romanum* *aliquoties repetii.* *die* XV *Decembris ſequentes Martyres ita celebrat:*

Romæ

AUCTORE G.C

Romæ ſanctorum Martyrum Irenei, Antonii, Theodori, Saturnini, Victoris, & aliorum decem & ſeptem, qui in perſecutione Valeriani pro Chriſto paſſi ſunt. *Memento, quod eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti 262 num. 57 affirmet, etiam hos viginti duos Sanctos ſub Gallieno imperatore laureâ martyrii coronatos fuiſſe, quemadmodum de viginti tribus hodiernis ibidem aſſerit. Confer ergo fere æqualem Martyrum illorum numerum, ſimilia aliquorum nomina, & diligenter adverte, an diverſis diebus non ſit fortaſſe repetita ejuſdem ſanctæ cohortis annuntiatio, quamvis modo plura, modo pauciora illuſtrium iſtorum militum nomina exprimantur. Sed de hac re iterum ſermo infra recurret, quando Acta Luceiæ virginis & Auceiæ regis cum hodiernis Sanctorum noſtrorum Actis conferemus, & manifeſtam alterutrorum imitationem detegemus.*

§ II. Varia tum manuſcripta tum impreſſa Actorum exemplaria, eorumque antiquitas.

B

De Actis in codice Oratorii Romani

Inter quatuor horum Actorum apographa, quæ hactenus in litteraria Muſei noſtri ſupellectile conſervavimus, primum prodit ex collectaneis P. Antonii Gallonii, & excerptum eſt ex Ms. codice Oratorii Romani, litterâ H ſignato, ut in margine notatur. Hæc Acta, quorum autographum apud Romanos Oratorii Patres adhuc in bibliotheca inveniri arbitror, ab omnibus aliis in principio differunt, atque ita incipiunt: Tempore, quo Marcus Antoninus cum Aurelio Commodo Romanam rempublicam gubernandam ſuſceperat, anno videlicet ab Incarnatione Domini centeſimo trigeſimo tertio, quidam præpotens rex Eugegius, natione & Partorum genere oriundus, ingenti comparato exercitu Italiam petens, ſtatum reipublicæ Romanæ barbarica feritate invaſit, ac partâ victoriâ regnum, quo venerat, repetens, Floram virginem ſanctimonialem, civem urbis Romæ, cepit unà cum beatiſſima virgine Lucilla ſorore. *Anni imperatorum hîc malè componuntur cum annis Chriſti, qui manifeſtus error haud dubiè per amanuenſis oſcitantiam irrepſit, & in fine eorumdem Actorum ita corrigitur:* Paſſæ ſunt iſtæ glorioſæ virgines & Martyres Chriſti, anno ſalutis noſtræ centeſimo octogeſimo vel circa, quarto Calendas Auguſti. *Reliqua quæ hîc omittimus, cum aliis Actorum exemplaribus planè conveniunt.*

C

Baronius veroſimillime judicium tulit,

17 *Non placet hîc nobis præpotens ille rex, natione Parthus, qui cum ingenti ſuorum exercitu Italiam invaſerit, quandoquidem ex antiquis ſcriptoribus conſtat, tunc Parthos ab imperatoribus Romanis ultro in Oriente oppugnatos ac devictos fuiſſe. Hæc aliaque etiam Antonio Gallonio diſplicuerunt, ut in obſervationibus ad ſuam Italicam ſanctarum Virginum Romanarum Hiſtoriam poſt Acta* SS. Lucillæ & Floræ *pag.* 143 *& ſequente ſatis indicavit. Hinc probabiliſſimè colligo, Gallonium hæc ipſa Acta, quæ Papebrochio noſtro ex ejus collectaneis perhumaniter communicata ſunt, præ oculis habuiſſe.*

ut contra opinionem Dini

18 *Fruſtra igitur Franciſcus Dinus in memorata* SS. Floræ & Lucillæ *apologia* § 2 *nobis perſuadere nititur, ab eminentiſſimo Baronio dumtaxat viſa eſſe prolixiora harum Virginum Acta, verſibus Leoninis aliiſque digreſſionibus interpolata, prout in quodam Aretini monaſterii codice continentur. Fruſtra, inquam, ſeverum Baronii judicium, de quo nos infra pluribus, hac ratione eludere conatur, & nimis confidenter pag.* 10 *ſic concludit:* Igitur hæc Acta, teſte etiam Antonio Gallonio, cum Baronio convivente; in libro de Virginibus Romanis pag. 142 ad diem XXIX Julii fuerunt Baronio miſſa. *Non eſt dubitandum, quin Gallonius & Baronius judicaverint de illis Actis, quæ in Romana Oratorii bibliotheca conſervabantur. Hæc autem nec verſibus nec hymnis interpolata ſunt,* quæ Acta, *inquit ibidem Dinus,* credimus Baronio tranſmiſſa cum verſibus intermediis, digeſta in triginta lectiones, ſacræ Scripturæ locis accommode exornata: *nam Acta Galloniana, excepto principio, cum aliis fere ad verbum concordant, ut ſupra monuimus.*

D

ex ipſo Baronio oſtenditur.

19 *Potuiſſet Dinus hallucinationem ſuam colligere ex ipſo Actorum initio, quod Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hoc die ſic citat:* Ejuſdem generis eſſe probantur ea, quæ legimus in manuſcriptis, quorum eſt exordium: TEMPORE, QUO MARCUS ANTONINUS CUM AURELIO COMMODO &c. *Non magis ovum ovo eſt ſimile, quam principio Actorum Gallonii hîc citatum à Baronio initium. Interim ipſemet Dinus pag.* 9 *& ſequente fatetur, in prolixioribus monaſterii Aretini Actis prius varias Eccleſiæ perſecutiones narrari, & tandem lectione* IV *hiſtoriam harum Martyrum ſic incipere:* Prænotata itaque tempeſtate quidam excellentiſſimus atque fortiſſimus barbarus rex Eugegius. *Confer hæc cum exordio, quod ex Actis Gallonii ſupra num.* 16 *dedimus, & utriuſque principii diſcrimen ultro in oculos incurret.*

E

Neapolitana & Belgica eorumdem Actorum apographa

20 *Antonius Beatillus, Societatis Jeſu ſacerdos & ſtrenuus operis noſtri adjutor, Neapoli ad Majores noſtros anno* 1640 *tranſmiſit alterum eorumdem Actorum exemplar, neſcio ex qua bibliotheca aut codice deſcriptum, quod initio ab ecgrapho Galloniano prorſus differt: nam nullum martyrii tempus indicat, de exercitu in imperium Romanum irruente non meminit; ſed ſimpliciter aſſerit, ſanctas illas Virgines captas eſſe* à ferociſſimo barbaro rege, Eugegio nomine, *de cujus genere aut natione altùm ſilet. Ceterùm cum duobus ſequentibus apographis planè convenit, niſi quod in hoc, præter novem anonymos martyrii Socios, alii* tredecim *nominentur, ubi alia exemplaria tantum* duodecim *recenſent, quos ſupra num.* 12 *nominibus ſuis expreſſimus. Huic conſonat tertium apographum, quod olim Roſweydus noſter ex Ultrajectino S. Salvatoris codice accepit, ſi demas jam indicatam duodecim Sociorum diſcrepantiam & in fine quamdam exigui momenti clauſulam, quæ ponitur in Aretino Actorum exemplari, de quo jam pauca præmonebimus.*

F

fere concordant cum Ms. codice Aretino,

21 *Denique ampliſſimus D Honorius Turamini, dum Aretino* SS. Floræ *ac* Lucillæ *monaſterio præerat, anno* 1721 *unà cum humaniſſimis litteris ad nos miſit manuſcriptam Franciſci Dini diſſertationem, cui præmittebantur authentica earumdem Virginum Acta, quæ Dinus anno* 1723 *ſimul cum apologia ſua contra Baronium typis vulgavit. Hæc omnia digniſſimus iſte abbas pro ſingulari amore, quo ſanctas monaſterii ſui Patronas proſequebatur, nobis benignè communicavit, & ea Acta ex antiquo codice extrahi, epiſcopali ſigillo muniri, ac legitimis teſtimoniis roborari curavit.*

22 *Inter alias formulas, quæ in hujuſmodi inſtrumentis adhiberi ſolent, Angelus de Biſdominis.*

A nis, *publicus notarius Aretinus, de illo Actorum apographo sic testatur :* In Dei nomine Amen. Die Mercurii, undecimâ mensis Decembris 1720. Vitæ infrascriptæ SS. Floræ & Lucillæ copia fuit extracta è quodam libro, in cathedrali Aretina existente, cartæ pecudineæ cooperto foderis * ligneis : licet non numeratas tamen invenitur ad paginas 96 circa medium descriptio Vitæ suprædictarum Sanctarum, & quia cum dicto ejus originali concordare inveni, ego infrascriptus notarius in fidem me subscripsi. *Tunc Actorum ecgrapho subscriptum erat propria manu notarii nomen, & deinde consuetum aliorum testimonium de ipsius munere ac fide subsequebatur. Nos hæc Aretina Acta, cum aliis collata, post hunc commentarium excudemus, & in margine aut annotatis discrepantiam gravioris momenti observabimus. Nunc ad impressa Actorum exemplaria progrediamur.*

ex quo authenticum ecgraphum anno 1721 accepimus.

** id est involucris*

23 *Hic primum locum merentur illa Acta, quæ in operibus S. Petri Damiani tomo 2 à pag. 247 excusa sunt : nam Petrus Damiani in duobus aliis sermonibus, quos de* SS. Flora & Lucilla *instituit, & qui eodem tomo pag. 95 & sequentibus occurrunt, gesta earum paucis attingit, eaque potius oratorie quam historice exponit ; at in tertia concione jam citata totam istius historiæ seriem percurrit, & quasdam rei gestæ circumstantias explicat, quæ in Mss. Actis tacentur. Sic asserit,* Eugegium *regem fuisse* in Africæ partibus, *de qua mundi parte in tribus Mss. nostris altum est silentium. Imo apographum Gallonianum indicat, illum natione Parthum fuisse. Verùm ut hæc omnia faciliùs inter se conferri possint, etiam Acta sub nomine S. Petri Damiani edita secundo loco recudemus.*

Etsi Petrus Damiani similem historiam referat

B

24 *Quamvis de primo Actorum scriptore ejusque ætate nihil certi possit decerni, tamen constat, antiquiora Acta concionibus S. Petri Damiani materiam suppeditasse, cum ipse in jam citata Constantini Caetani editione tomo 2 serm. 35 pag. 95 sub finem ita loquatur :* Istæ itaque, sicut in veterum gestorum reperitur historia, à barbaro quodam rege captæ per geminata decennii curricula sub honesta custodia sunt detentæ. *Deinde circa medium paginæ sequentis hæc habet :* Jam verò quod stylus tradit historiæ, Dominum scilicet eis nocturno silentio fuisse locutum, easque ad consummandum Romæ provocasse martyrium *&c. Denique in ultimo sermone pag. 247 ante ipsam Actorum narrationem ita præfatur :* Sed ipsa nobis historia jam loquatur, ipsa nobis Sanctorum originem, ipsa eorum vitæ progressum, ipsa consummati certaminis gloriam jam proponat. *Ex his liquet, ante tempora Petri Damiani hanc traditionem aut historiam exstitisse.*

ex antiquioribus Actis,

C

25 *Certè eruditissimus Baronius priorem S. Petri Damiani sermonem legerat, & nihilominus in notis ad Martyrologium Romanum hac die dolet, genuina harum Sanctarum Acta periisse, & vulgarem earum historiam ibidem in dubium revocat ex ipsis Damiani verbis, quæ in eodem sermone pag. 96 sic habentur :* Si tamen rei fides adhibenda, quæ dicitur. *Non me latet, quod Dinus in sua dissertatione hæc Damiani verba in alium sensum violenter detorqueat ; & propterea eminentissimum Baronium pag. 14 sic aggrediatur :* De cetero Baronius magnum colaphum impegisset sancto Cardinali Damiano, quem Wernerius Cartusianus vocat doctorem gravissimæ auctoritatis, & Trithemius pietatis admirabilis, si probabile quidem fuisset, illum in aliquo dubitasse de veritate

ea tamen non probatur à Baronio, contra quem insurgit Dinus,

historiæ. *Tunc post ineptam contra ecclesiasticos Baronii Annales retorsionem, quæ hîc nihil ad rem facit, adversarium pagina sequente sic interrogat :* Ad quid ergo aptissimis Scripturæ locis, hortationibus ad plebem confluentem orationes consarcinasset scriptor ille piissimus, si in aliquo de rerum veritate anceps fuisset ?

AUCTORE G. C.

26 *Sed interroganti Dino respondemus, ab eruditissimis piissimisque concionatoribus exempla Sanctorum ac ipsorum Apostolorum quotidie populo ad imitationem proponi, etiamsi vulgaria illorum Acta ab ipsis certa non habeantur. Sic concionatores quotannis in festo sanctæ matris Annæ, S. Margaritæ, S. Barbaræ, aliorumque plurium sanctorum rectè hortantur populum ad patrocinium eorum implorandum, ac imitandas eorum virtutes, etsi de ipsorum gestis multa incerta & improbabilia narrari non ignorent. An S. Petro Damiani magnum colaphum impingit, ut Diniana phrasi utar, qui Actis S. Christophori fidem abrogat, quamvis Damianus tomo 2 à pag. 92 in annua illius festivitate sermonem instituerit ? Potuit igitur S. Petrus Damiani de* SS. Flora & Lucilla *utiliter diversas conciones habere, & bona fide populo proponere earum Acta, quæ tunc communiter circumferebantur, præsertim cum narrationis suæ certitudinem prudenter restrinxerit his verbis :* Si tamen rei fides adhibenda, quæ dicitur.

& Petro Damiani

E

27 *Similes dubitandi formulæ in rebus historicis apud Damianum adeo usitatæ sunt, ut hanc Dinus contra communem hominum sensum frustra explicare conetur. Sic lib. 1. epist. 10 de veritate cujusdam historiæ, quam conscripserat, se dubitare significat his verbis :* Hæc eadem gesta, quæ scribimus, quia in transitu audire nos contigit, utrum inoffensam fidei lineam teneant, certum per omnia non habemus. *Iterum lib. 2 epist. 14 post narrata varia miracula ad Desiderium abbatem Casinensem ita scribit :* Hæc omnia, venerabilis pater, non sine magno timore describimus, ne vel per oblivionem propriam vel per infidæ relationis audaciam à veritatis linea quantumlibet declinemus. *Denique lib. 2 epist. 15 eumdem Desiderium sic cautè monet :* Hæc ego, venerabilis pater, & alia quamplurima non sine magnæ formidinis angore conscribo, ne videlicet vel relatores mei meræ veritatis semitam non tenuerint, vel ipse quoque relationum in quolibet immemor, oblivione deliquerim. *Vides, non omnia pro indubitatis habenda esse, quæ sanctus ille scriptor ex aliorum testimonio facilè credit & narrat.*

in rebus historicis

F

28 *Quin imo nonnumquam ex populari traditione refert quædam adeo mira & improbabilia, ut eminentissimus Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis ad annum 1060 post enumerata S. Petri Damiani Opera de quibusdam illius scriptis observatione prima sic judicaverit :* In epistola ad Dominicum cap. 5 narrantur quædam leviora de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere, & in figura avicularum de lacu averni exire cernuntur ; quæ fabulis fortasse similiora sunt, quam historiæ. *Prodigiosa hæc historia jam in editione Constantini Caetani, quæ anno 1610 Parisiis prodiit, lib. 1 epist. 9 legitur, & iterum lib. 2 epist. 14 paucis indicatur. Sunt & alia, quæ doctissimus piissimusque Bellarminus ibidem in ipsius scriptis reprehendit.*

majorem tribuit auctoritatem

29 *Quapropter ipsemet Sanctus iste non diffitetur, quædam à se ex qualicumque aliorum fide narrari, & idcirco ea libero lectoris judicio sub-*

quàm exigat ipse sanctus scriptor.

mit-

AUCTORE G. C. *mittit, ut patet ex libro 1 epiſt. 9, ubi ſe propter hanc ipſam aviculorum hiſtoriam ſic excuſat:* Sed cum hæc de aviculis, & corvo inter aquas nigras aliquando apparentibus, aliquando ſe abſcondentibus, in pagina digeſſiſſem, religioſus monaſterii Caſinenſis abbas Deſiderius advenit, ſeſeque rem ſic habere funditus abnegavit. Cumque illum & Humbertum, meum videlicet relatorem, in mutua colloquia deduxiſſem, Humbertus ait: Ego quidem hujus allegationis teſtimonium non defendo, verumtamen hoc ſimpliciter retuli, quod ab accolis loci illius audivi. Sed quoniam perſonæ iſtæ, Deſiderius videlicet & Humbertus, tantæ auctoritatis ſint, ut neutri eorum fides debeat denegari, ego quoque, quod ſcripſi, procaciter non affirmo, ſed utrum verum ſit necne, legentium inquiſitioni relinquendum eſſe decerno. *An Deſiderius abbas magnum colaphum impegit S. Petro Damiano, quando narrationi ejus contradixit*, ſeſeque rem ſic habere funditus abnegavit? *Deſinat ergo Dinus majorem credulitatem à nobis exigere, quàm poſtulaverit ipſemet Petrus Damiani, cujus bonam fidem & ſanctitatem interea veneramur.*

B

qui *Acta Aretina* 30 *Hîc quæri poteſt, utrum Petrus Damiani aliquod exemplar ex quatuor manuſcriptis noſtris ſecutus fuerit. Franciſcus Dinus in jam ſæpe laudata diſſertatione pag. 4 & ſequente, id de Aretino eccleſiæ cathedralis apographo ſic confidenter aſſerit:* Convenit in rerum ſubſtantia earumdem Martyrum Paſſio, quæ reperitur in ſatis antiquo & integerrimo codice pergameno, picto & inaurato eccleſiæ cathedralis Arretinæ, in quo breviori ubique methodo continentur, ut dicitur in exordio: LEGENDÆ SANCTORUM TOTIUS ANNI, & antiquitas Legendæ SS. Floræ & Lucillæ ſatis prodit ex ſtylo ſimplici, ut firmiter credo, quinti ſeculi; utque candido lectorum judicio locum relinquam, in fine operæ pretium duxi univerſam hanc Sanctorum Paſſionem ad litteram fideliter, ut par eſt, tranſcribere. De his meminiſſe patet S. Petrum Damianum, qui ſcribebat ſeptingentis circiter abhinc annis, dum ſerm. XXXV de SS. Flora & Lucilla inquit: ISTA ITAQUE SICUT IN VETERI REPERITUR HISTORIA. *Hîc majorem citationis accurationem & fidelitatem in Dino cogor requirere, quia in eo ſermone hæc ſic leguntur:* Iſtæ itaque, SICUT IN VETERUM GESTORUM REPERITUR HISTORIA, à barbaro quodam rege captæ, per geminata decennii curricula ſub honeſta cuſtodia ſunt detentæ. *Petrus Damianus non dicit, hæc reperiri* in veteri hiſtoria, *ſed* in veterum geſtorum hiſtoria. *Potcrant autem eſſe vetera geſta, quamvis eſſet recentior eorum hiſtoria, ut nimis frequenter in elucidandis Sanctorum Actis experimur.*

C

aliaque *Mss. noſtra* 31 *Jam verò ulterius contendo, quod Petrus Damiani memoratam Legendam Aretinam præ oculis non habuerit. Imprimis id probo ex tempore martyrii, quod Petrus Damiani exprimit, & de quo in hac Legenda Aretina prorſus tacetur. Deinde in ſermone Petri Damiani dicitur* Eugegius *fuiſſe rex barbarus* in Africæ partibus, *& ſanctas Virgines in Africam abduxiſſe, quæ regio in Actis Aretinis non nominatur. Denique Damianus nullum verbum facit de tot martyrii ſociis, qui in Legenda Aretina aliiſque Mss. noſtris recenſentur. Nonne illi etiam ſanctas Virgines honore afficiunt, quando in iis Actis ita præfecto Helio reſpondentes inducuntur?* Notum ſit tibi quia Chriſtiani ſumus, & credimus in Chriſtum, in quem beata Flora & Lucilla credideruut. *Cur igitur hos glorioſos certaminis comites & imitatores omiſiſſet, ſi hæc eadem Acta præ manibus habuiſſet?*

D

32 *Ex his etiam conjicio, Acta Galloniana Petro Damiani non præluxiſſe, quia* Eugegius *in illis* natione & Partorum genere oriundus *ſcribitur, ut ſupra monuimus: ſi enim ea vidiſſet, quomodo* Eugegium *ex Partho in Afrum transformaſſet? Propterea tamen non inficior, Damiano alia Acta ad manum fuiſſe, quæ etiam vetera appellare potuerit, quamvis dumtaxat uno alterove ſeculo ante ſuam ætatem compoſita fuiſſent. Quidquid ſit, advocatus ille* ex ſtylo ſimplici *non evincit, Legendam Aretinam ſeculo quinto exſtitiſſe, etiamſi ſe id firmiter credere affirmet.* præ oculis habuiſſe,

33 *Petrus de Natalibus lib. 6 cap. 157 etiam aſſerit, ſanctas illas Virgines ab* Eugenio (*ſic pro* Eugegio *conſtanter ſcribit*) *in Africam abductas fuiſſe, ut infra apparebit, quando alia occaſione compendium Actorum ex illo proferemus. Ex hactenus aſſignatis fontibus ſua hauſerunt recentiores, excepto Tamayo, qui in ſuo Martyrologio Hiſpanico tomo 4 pag. 289 contra antiquiores ſcriptores Paſſionem earum propria auctoritate concinnavit, &* Eugenium *liberaliter civitate Romana donavit, Acta alio charactere ſic magnificè narrare incipiens:* Eugenius civis Romanus tempore Valerii & Galieni imperatorum, cum adverſus Chriſtianos dira & immanis perſecutio exoriretur, & Helius præfectus adverſus Chriſti membra crudeliter deſæviret, ita ut multorum fidelium corpora cruciatuum atrocitate diſcerperet, conſtans in fide cum aliis ſociis martyrialem congreſſum exſpectabat *&c. Non eſt operæ pretium referre reliqua, cum ipſemet Tamayus ibidem fateatur, ſeſe hæc omnia deſumpſiſſe ex recentioribus auctoribus, quorum tamen nullus* Eugenium, *quod ſciam, civem Romanum nuncupavit. Nihil attinet hîc longo ordine recenſere alios ſcriptores, qui propter ſacras horum Sanctorum reliquias, quas ad patriam ſuam tranſlatas fuiſſe exiſtimant, Acta illorum Gallicè, Germanicè, ac Hiſpanicè ediderunt: nam de illis auctoribus alia occaſione iterum inferiùs mentio facienda eſt.* ex quibus recentiores ſua hauſerunt, excepto *Tamayo*:

E

§ III. Diverſa recentiorum auctorum judicia de Actis horum Sanctorum.

F

Post Baronium de Actorum ſinceritate dubitant *Cardinalis Baronius in notis ad hodiernam Martyrologii Romani annuntiationem de his Martyrum Actis ita judicat:* Agit de his item Molanus in additionibus ad Uſuardum. Exſtat manuſcriptus ſermo Petri Damiani in die natali prædictarum Virginum & Martyrum. Incipit: GAUDEAMUS, FRATRES &c. Quæ autem Petrus in Catalogo lib. 6 cap. 157 de his ſcribit, apocrypha omnino eſſe noſcuntur, nec ulla penitus veritate ſubſiſtunt. Ejuſdem generis eſſe probantur ea, quæ legimus in manuſcriptis, quorum eſt exordium: TEMPORE, QUO MARCUS ANTONINUS CUM AURELIO COMMODO &c. Habet complura, quæ nec temporum nec rerum veritati ulla ex parte conſentiunt. Nec meliora his nactus videtur Petrus Damiani, dum de iiſdem Actis ſermonem texens, quaſi anceps per latum campum excurrentem orationem fræno quodam coërcens ait: SI TAMEN REI FIDES EST ADHIBENDA, QUA DICITUR, &c. Dolemus clariſſimarum Martyrum germana Acta periiſſe; ſed magis

A magis dolemus, à neſcio quo otioſo ac imperito, quædam fabuloſa commenta illorum loco eſſe ſuppoſita. *Hoc Eminentiſſimi ſcriptoris judicium quidam probant, alii improbant, ut jam videbimus.*

alii ſcriptores

35 *Antonius Gallonius in Hiſtoria ſanctarum Virginum Romanarum ſententiam Baronii amplectitur, & ibidem à pagina 143 in obſervationibus plures difficultates contra hæc Acta proponit. Silvanus Razzius in Vitis feminarum ſanctitate illuſtrium tomo 4 fol. 107 verſo memorata Baronii verba Italicè vertit, & opinioni illius conſentit. Nicolaus Deſ-Guerrois, presbyter Trecenſis, in Gallicis ſanctitatis Chriſtianæ annalibus ad annum Chriſti 262 fol. 27 verſo dolet cum Baronio, ſincera horum Martyrum Acta intercidiſſe, & cum eodem cenſet, S. Petrum Damiani de illorum Actorum certitudine dubitaſſe. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die* XXIX *Julii in annotatione ad hæc Acta opinionem ſuam declarat his paucis verbis:* Agit de illis Petrus in Catalogo lib. 6 cap. 157. Sed diversè: narrat enim quædam, quæ parum veriſimilia videntur; maxime de rege illo Eugenio.

B

ac præter morem ſuum ipſe Tamayus

36 *Quin imo ipſe Tamayus, quod mireris, hîc præter morem ſuum adeo ſcrupuloſus eſt, ut tomo 4 Martyrologii Hiſpanici pag. 289 de ſuſpectis* S. Eugenii *Actis ita rotundè pronuntiet:* Hinc veniunt reſpuenda Acta conſcripta de hoc ſancto Martyre ab illuſtriſſimo DD. Petro Gonzalez de Mendoza archiepiſcopo Granatenſi in Hiſtoria Salicenſi lib. 4 cap. 9 fol. 818, ubi apocryphum ſcripturam ſecutus, Petri Equilini & aliorum commenta contexuit. *Sic ille, qui centies alibi fabuloſa Sanctorum Acta defendit, ac novis fabulis auget; imo in his ipſis Actis, quæ pro genio ſuo verbosè exornat,* S. Eugenium *propria auctoritate ſine teſte ſine tabulis facit civem Romanum, & nihilominus hanc lucubrationem ſuam nobis pro genuina hiſtoria obtrudit. Ne verò ipſum judicii tam inſoliti pœnituiſſe videatur, poſt Acta* SS. Lucillæ & Floræ *ibidem pag. 291 idem ita repetit:* Hæc ſunt Acta iſtarum ſanctarum Virginum genuina; illa verò, quæ Petrus Equilinus conſarcinavit, procul dubio apocrypha cenſenda ſunt, ut notarunt Baronius, Gallonius, Razzius, & Ferrarius, quidquid in contrarium D. Petrus Gonzalez & P. Vargas commententur.

contra duos ſcriptores Hiſpanos

C

37 *Saltem ex his Tamayi verbis didici, Acta horum Martyrum ab illuſtriſſimo Petro Gonzalez de Mendoza, & R. P. Alfonſo de Vargas contra Baronium vindicari. Primò igitur conſulni reverendiſſimum archiepiſcopum, qui in Hiſtoria Hiſpanica divæ Virginis Salicenſis lib. 4 cap. 9 poſt multa ratiocinia prudenter dubitat, an hiſtoria* SS. Floræ, Lucillæ *ac* Eugenii *ab altera Luceia virginis & Auceiæ regis diſtinguatur. Deinde ibidem pag. 823 opinatur, tempore Gordiani imperatoris ſeu anno Chriſti 242 in Africam abductas fuiſſe, & poſt viginti annorum captivitatem anno Chriſti 262 ſub imperio Valeriani & Gallieni palmam martyrii obtinuiſſe. Hanc opinionem ſuam probare nititur ex ipſo Baronio, qui in Annalibus ad annum Chriſti 242 num. 1 ſic ſcribit:* Sabinus & Venuſtus conſules creati ſunt, quibus (ut auctor eſt Capitolinus) Gordianus Sabinianum cum ſuis in Africa rebellantem compreſſit.

qui ea Acta tueri conantur,

38 *Fateor, hanc Afrorum rebellionem à Julio Capitolino inter ſex Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores pag. 161 referri; ſed nuſquam ibi legitur, conjuratos illos adeo fuiſſe potentes, ut in Italiam ultro irrumpere auderent. Gratis tamen demus, Afros quoſdam piraticis navibus Romana littora infeſtaſſe; reſtabit adhuc aſſignandus anno Chriſti 262* AUCTORE G. C. *præfectus Urbis, nomine Helius ſeu Ælius, qualis ſub toto Gallieni imperio non invenitur, ſicut ſupra* § 1 *diximus juxta antiquos Bucherii & Eccardi catalogos, in quibus præfectus Urbis ſub conſulatu Gallieni* V *& Fauſtini, ſeu anno Chriſti 262,* Nummius Albinus *vocatur.*

etſi ambo circa tempus martyrii

39 *Alfonſus de Vargas ex Ordine Minorum S. Franciſci de obſervantia in Vitis glorioſorum martyrum, quorum reliquiæ in Hortenſi Deiparæ Conventu honorantur, hiſtoriam* SS. Floræ & Lucillæ *ex Petro Damiani Hiſpanicè reddidit, mutato tamen martyrii tempore, ut ibi fol. 6 verſo ſincerè præmonet. Deinde fol. 14 in obſervatione ad illa Acta repetit jam dictam illuſtriſſimi præſulis Granatenſis conjecturam, quam de tempore captivitatis ex rebellione Africana formaverat, & in fine obſervationis ſuæ concludit, quod auctoritas S. Petri Damiani ſufficiat, ut de veritate hujus hiſtoriæ nemo audeat dubitare. At quomodo Alfonſus de Vargas dubitare auſus eſt de ætate harum Virginum, quam S. Petrus Damiani apertè expreſſit? Cur uſque ad tempora Valeriani & Gallieni differt illarum martyrium, quod S. Petrus Damiani ſub* M. Antonio vero & Commodo Aurelio *diſertè conſignavit?*

E

ab opinione Petri Damiani diſcedant:

40 *Diſcere cupimus, an aliquis ſcriptor, Petro Damiani antiquior, certamen harum Virginum ſub imperio Valeriani & Gallieni collocaverit. Quod ſi juxta Alfonſum Petrus Damiani tantopere hîc à vera chronologia aberraverit, an etiam in aliis ejuſdem hiſtoriæ circumſtantiis errare non potuit? Ceterùm jam paragrapho præcedente oſtendimus, ipſum Damianum in rebus hiſtoricis non exigere à nobis tam cæcam credulitatem, ut narrationes ſuas nolit prudenti lectorum inquiſitioni relinquere.*

Dinus hæc Acta ex profeſſo defendit,

41 *Hos duos Actorum defenſores labore multum ſuperavit jam ſæpe laudatus Franciſcus Dinus, qui anno 1723 ſub nomine Academici Recollecti Latinam diſſertationem edidit, ut hiſtoriam* SS. Floræ, Lucillæ *ac* Eugenii *contra Baronium vindicaret. In ea apologia manibus pedibuſque, ut ita dicam, ſupra relato Eminentiſſimi Baronii judicio obluctatur, & undique argumenta corradit, ut ea Acta veroſimilia reddat, in utrumque paratus, ſive martyrium iſtarum Virginum ſub imperatore Commodo contigiſſe velis, ſive illud octoginta circiter annis uſque ad imperium Valeriani & Gallieni malis differre. Jam ſuperius attigi aliquas illius conjecturas, quæ mihi hactenus non ſatisfaciunt, & quas propterea ibidem refutavi. Ceterùm laudo pium Dini conatum, quamvis illum optato ſucceſſu caruiſſe doleam. Nihilominus in ejus gratiam hic libenter jam indicabo, quaſnam iſtius hiſtoriæ difficultates utcumque diſſolverit.*

F

& quaſdam difficultates,

42 *Primò ſatis ſuperque probat, nomen regis, quo* Eugegius *in Actis appellatur, antiquitus non habuiſſe tam reſtrictam ſignificationem, qualis ei jam communiter tribuitur. Unde hic per regem intelligit dynaſtam aut potentem toparcham, idque eruit ex ipſis Actis, in quibus non dicitur palatia, urbes, aut regnum, ſed dumtaxat* domum ſuam & matronam ſuam, & filios, & omnes ampliſſimas poſſeſſiones *reliquiſſe. Denique ex variis ſacris & profanis monumentis concludit, illud regis nomen diviti ac potenti piratæ tribui potuiſſe. Sed non erat opus tam multis teſtimoniis, ut explicaretur ille dignitatis titulus, quem Eminentiſſimus Baronius & Papebrochius noſter jam dudum expoſuerant, & quem viri eruditi haud difficulter admittunt.*

AUCTORE G. C. in iis occurrentes, explicare nititur;

43 *Secundò rectè oſtendit, tam frequentem fuiſſe in Africa rebellionem contra imperatores Romanos, ut* Eugegius *uno alterove earum tempore facilè ad oſtia Tiberina potuerit navem piraticam appellere, & in terram deſcendens illas Romanas Virgines, ruri commorantes, ſecum in captivitatem abducere. Hæc non ſunt improbabilia, cum quotidiana experientia nos doceat, noſtris temporibus ſimilia ad littora Italiæ & Hiſpaniæ ſæpius à piratis Afris clanculum perpetrari. Sed tunc rejicienda ſunt Acta Galloniana, quæ innuunt,* Eugegium *terreſtri exercitu Italiam invaſiſſe, & cum Romanis feliciter dimicaſſe, ut colligitur ex his verbis:* Quidam præpotens rex Eugegius, natione & Partorum genere oriundus, ingenti comparato exercitu Italiam petens, ſtatum reipublicæ Romanæ barbarica feritate invaſit, ac partâ victoriâ, regnum, quo venerat, repetens, Floram virginem ſanctimonialem, civem urbis Romæ, cepit unà cum beatiſſima virgine Lucilla ſorore. *Nos his Actis Gallonianis Aretina eccleſiæ cathedralis aliaque Acta libenter præferremus, ſi reliquæ difficultates tam probabiliter ſolverentur.*

B *ſed maximè laborat, ut Romanæ urbis præfectum,*

44 *At Dinus in omnem partem ſe torquet, ut inveniat præfectum Urbis, nomine Helium, qui in omnibus Actis clarè exprimitur. Cum verò talem non reperiret ſub imperio Valeriani & Gallieni, pag.* 40 *hanc excuſationem affert:* In Actis innumerabilibus & probatiſſimis nomina Auguſtorum non leguntur, ſed præſidum tantum, quorum nomina impoſſibile eſt verificari ex hiſtoris illorum temporum, quamvis tunc tamquam clariſſimi omnibus innoteſcerent. *Sed illa excuſatio hîc non obtinet: etſi enim libenter concedam, omnia talium præſidum nomina ex antiquis hiſtoriis probari non poſſe, tamen legitimè concludo, nullum Helium ſub Valeriano & Gallieno fuiſſe præfectum urbis Romanæ, quia apud Bucherium & Eccardum ſupra citatos exſtat antiquiſſimus catalogus, in quo præfecti Urbis ab anno Chriſti* 254 *uſque ad annum* 354 *ſine ulla interruptione recenſentur, & ibi ſub toto Valeriani & Gallieni imperio quotannis præfecti Urbis ab Helio longè diverſi nominantur. Hæc igitur diſerta præfectorum Urbis enumeratio deſtruit frivolam Dini excuſationem, quam alioquin ex ſilentio antiquitatis non prorſus fruſtra allegare potuiſſet.*

nomine Ælium inveniat: C

45 *Nec minus Dino laborandum fuit, ut quæreret quemdam Helium, qui ſub imperatore Commodo præfecturam urbis Romanæ adminiſtraſſet. Hinc pag.* 39 *memorat* Q. Helium Lætum; *ſed jam ſupra diximus, hunc probabilius* Q. Æmilium Lætum *appellari, & ipſe Dinus fatetur, illum fuiſſe præfectum prætorii, cum tamen præfectus Urbis aſſignandus eſſet. Cum autem ſatis adverteret, hunc præfectum prætorii ab eruditis pro præfecto Urbis non facilè admittendum eſſe, confugere cogitur ad P. Helvium Pertinacem, qui ſub Commodo præfectum Urbis egit, & poſtea imperium Romanum gubernavit. In ea hypotheſi gratis petit, ut Helvium pro Helio contra unanimem Actorum conſenſum legamus:* Sique errori amanuenſis tribuatur, *inquit pag.* 34, ubi ad Commodi tempora Paſſio ſanctarum Virginum referatur, HELVIUS, non HELIUS, præfectus in Actis legendus eſſet. *Sed Dinus, neceſſitate compulſus, contra conſtantem Actorum lectionem ſine ullo fundamento excogitavit hunc amanuenſis errorem, qui proinde tam facilè negatur quam aſſeritur.*

46 *At viro ſedulo, Helium præfectum ubique fruſtra quærenti, feramus opem, quam poſſumus, dummodo à ſententia ſua paululum velit recedere.* D *Primò itaque dicat, iſtas duas Virgines ſub imperio Valeriani & Gallieni potius ab aliquo dynaſta barbaro abductas fuiſſe, quam ſub iis imperatoribus martyrium conſummaſſe, & poſt viginti annorum captivitatem ei Ælium Urbis præfectum oſtendemus. Hac aſſertione non contradicet Aretinis cathedralis eccleſiæ Actis, quæ nullos Romanos imperatores deſignant, ſed dumtaxat præfectum Romanæ urbis nominant Helium, ſub quo Virgines iſtæ unà cum* Eugegio *coronam martyrii adeptæ fuerunt. Neque improbabiliter aſſeret, illas Virgines ſub imperio Valeriani & Gallieni in captivitatem abductas fuiſſe, cum barbaræ gentes eo tempore undique in imperium Romanum atque in ipſam Italiam irruerent, ut ex veteri hiſtorico jam oſtendemus.* cui fruſtra laboranti opem ferimus,

47 *Zoſimus, qui anno* 1590 *Francofurti cum aliis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus Græco-Latinè excuſus eſt, lib.* 1 *Hiſtoriarum pag.* 646 *ad propoſitum noſtrum hæc habet.* Valerianus, animadverſo periculo, quod imperio Romano cunctis ex partibus immineret, Gallienum filium imperii conſortem deligit; & quod undique publicæ res infeſtarentur, ipſe verſus Orientem movet, ut Perſis reſiſteret: Europæos exercitus filio tradit, cohortatus eum, cum iis ut copiis ſemet irruentibus undique barbaris opponeret. Gallienus videns Germanicas gentes ceteris infeſtiores eſſe, quæ adcolas Rheni Celticas nationes acrius vexarent, hanc partem ſibi propugnandam ab hoſtibus ſumit; aliis, qui per Italiam, Illyricum, Græciamque prædis agendis intenti eſſent, duces cum eorum locorum exercitibus bellum facere juſſit. *Tillemontius in Hiſtoria imperatorum tomo* 3 *pag.* 322 *affirmat, Gallienum anno Chriſti* 253 *ſocium imperii adſcitum fuiſſe, adeoque barbari Italiam infeſtabant circa hoc tempus, cujus poſtea oportet meminiſſe. Imo Scythæ poſtmodum ſub Gallieno univerſam Italiam excurſionibus ſuis afflixerunt,* & ad ipſam uſque Romam perrexerunt, *ut Zoſimus ibidem pag.* 650 *teſtatur.* & opportuno tempore E

48 *Itaque nullo modo mirum foret, ſi ſanctæ illæ Virgines in tam crebra variarum gentium irruptione captæ fuiſſent ab aliquo principe barbarorum, qui circa annum* 253 *vel* 254 *Italiam depopulabantur. Hoc poſito, poſt captivitatem viginti annorum, qui in omnibus iſtarum Sanctarum Actis numerantur, eas Romam reducimus, & ibi opportune invenimus Ælium Ceſetianum, qui forte ſub imperio Aureliani præfecturam urbis Romanæ adminiſtravit, & certè electioni Taciti imperatoris anno* 275 *interfuit, atque hoc munere functus eſt, ut Vopiſcus in Lugduno-Batava Hiſtoriæ Auguſtæ editione tom.* 1 *pag.* 605 *teſtatur his verbis:* Ibi præfectus Urbis Ælius Ceſetianus ſic locutus eſt. *Si Dinus hoc ſyſtema amplexus fuiſſet nihil à veriſimilitudine alienum protuliſſet, & hæc omnia facilè conciliaſſet cum Aretinis cathedralis eccleſiæ Actis, quorum antiquitatem & fidem tantopere extollit.* Ælium Urbis præfectum aſſignamus F

49 *Noſtra hypotheſis ex eo confirmatur, quod imperator Aurelianus non diu ante mortem, quæ juxta exactiores chronologos anno Chriſti* 275 *evenit, perſecutionem contra Chriſtianos moverit, ut Lactantius in libro de Mortibus perſecutorum cap.* 6 *indicat his verbis:* Aurelianus, qui eſſet naturâ veſanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminiſſet; tamen oblitus ſceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis laceſſivit. Verùm illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit; ſed protinus inter initia ſui furoris exſtinctus ex quadam hypotheſi,

A ctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus. *Aurelianus ergo ſub vitæ ſuæ finem (puta anno Chriſti 274 exeunte) cœpit Chriſtianos perſequi cruentis ſcriptis, ſive* compoſitis contra nos edictis, *ut Euſebius in editione Valeſiana lib. 7 Hiſt. eccleſ. cap. 30 loquitur. Quamvis autem ea edicta ad ulteriores provincias non pervenerint, tamen veroſimiliter Romæ & in vicinioribus regionibus publicata fuerant.*

quam eruditis ponimus. 50 *Nec videmus rationem aſſerendi, quod hæc perſecutio cum morte Aureliani deſierit: nam Euſebius loco proximè citato nos docet, Aurelianum conſiliis quorumdam impulſum fuiſſe, ut hanc perſecutionem adverſus Chriſtianos excitaret. Quis non credat, etiam mortuo Aureliano, ethnicos his edictis abuſos fuiſſe, ut Chriſtianos perſequerentur? Quis ſibi facilè perſuadebit, impios deorum antiſtites & ſacrificulos, præſertim Romæ, hanc occaſionem neglexiſſe, qua odium ſuum in*
B *Chriſtianos poterant explere? Non eſt ergo abſonum, ſi dicatur Ælius Ceſetianus poſt mortem Aureliani, vacante per ſex vel ſeptem menſes imperio,* Floram, Lucillam *ac* Eugegium *ob Chriſtianæ religionis profeſſionem anno Chriſti 275 capitis damnaſſe. De hac Aureliani perſecutione & martyribus, qui circa iſtud tempus paſſi ſunt, conſule Tillemontium tomo 4 Monument. eccleſ. pag. 345 & ſequentibus. Hæc quidem veroſimilia ſunt, & nec Actis nec antiquæ hiſtoriæ repugnant; attamen pro eorum veritate ſpondere non audemus, cum obſtet alia difficultas, quam paragrapho ſequente quibuſcumque iſtorum Actorum vindicibus ſolvendam proponimus.*

§ IV. Veroſimilis Actorum cum aliis confuſio, & manifeſta eorumdem mutua imitatio.

C *Ut Acta confuſa aut ſaltem ſimilia eſſe oſtendantur,* JAm § 1 *de ambigua horum Martyrum ab aliis diſtinctione aliquid indicare cœpi; hîc autem erudito lectori proponam rationes, ob quas aliquis non temere ſuſpicari poſſit, hiſtoriam* Floræ, Lucillæ, & Eugegii *confuſam eſſe cum Actis Luceiæ virginis & Auceiæ regis, quæ Papebrochius noſter ad diem* XXV *Junii illuſtravit. Scio, illic ſolam Luceiam induci, & regem nomine Auceiæ appellari; hîc verò* Floram *cum* Lucilla *ſorore intervenire, & regem* Eugegium *nominari. Non ignoro, martyrium Luceiæ & Auceiæ ſub imperatore Diocletiano collocari; ſed etiam adverti, in tribus manuſcriptis* Floræ & Lucillæ *Actis nullos imperatores Romanos nominari, & S. Petrum Damiani ac Martyrologium Romanum hodiernum in iis aſſignandis multum inter ſe differre. Denique non inficior, hiſtoriam ſimilem bis contingere potuiſſe, quamvis non videatur re ipſa bis contigiſſe. At ſaltem contendo, ſi Acta non ſint eadem, illa ex his aut hæc ex illis deſumpta fuiſſe. Quapropter compendium utrorumque Actorum hîc ſimul exhibeo, ut de hac re lector ipſe judicet.*

exhibemus duplicis hiſtoriæ compendium 52 *Petrus Equilinus in Catalogo lib. 6 cap. 4.* De ſanctis Luceia virgine & Anceia martyribus *ita ſcribit*: Luceia virgo & Anceias ejus dominus temporalis Romæ martyrium paſſi ſunt temporibus Diocletiani. Hæc Romana origine ab Anceia barbarorum rege capta & in patriam ſuam adducta eſt: quam dum barbarus violare vellet, audiens ab ea, quod Deum cæli haberet ſponſum, ejus defloratione extimuit, & reverenter ipſam tractans in ſolitaria domo repoſuit, ancillis aliis ei ad miniſterium deputatis, quæ die noctuque jejuniis & orationibus intenta erat, cujus etiam precibus idem rex pluries de ſuis hoſtibus triumphavit. Unde & ejus ſanctitatis exemplo ad Chriſtum converſus Virginem manumiſit. Dum autem illa repatriare vellet revelatione divina præmonita, Anceias Dei providentia, deſerto regno, Virginem uſque Romam ſecutus eſt, ubi ambo ipſi pro nominis Chriſti confeſſione detenti gladio martyrium impleverunt VIII Kalendas Julii. *Vincentius Bellovacenſis in Speculo lib. 12 cap. 97 ferè ſimilem eorumdem Actorum ſynopſim exhibet; ſed Luceiæ & Auceiæ martyrium ad diem ſequentem differt, ac illis viginti duos ſocios ita adjungit:* Paſſi ſunt etiam cum eis alii XXII, qui tunc in carcerem miſſi fuerant, quorum omnium martyrium celebratur VII Kal. Julii. AUCTORE G. C.

ex Petro Equilino, E 53 *Nunc audi, quid idem Equilinus in Catalogo lib. 6 cap.* 157 de ſanctis Flora & Lucilla virginibus & Sociis martyribus *narret hoc modo:* Flora & Lucilla virgines cum ſociis ſuis Eugenio & aliis Romæ martyrium ſub Hélio Urbis præfecto paſſæ ſunt. Hæ cum eſſent ſorores Chriſtianæ ſanctimoniales, & ex urbe Roma oriundæ ab Eugenio barbarorum rege captæ ſunt, & in Africam ductæ: quas cum tyrannus violare vellet, dixerunt regi, ſe Deum cæli habere ſuæ virginitatis cuſtodem & corruptionis ultorem. Quod ille audiens timuit, eaſque revereri cœpit, atque in quodam cubiculo incluſit, adhibitis ancillis ad miniſterium earum, quæ jejuniis & orationibus intendebant. Rex verò cum ſæpius ad bellum prodiret, earum ſe orationibus commendabat, & continuò de hoſtibus victoriam reportabat, omniaque ipſi ad votum proſperè ſuccedebant. Sicque viginti annis apud barbarum permanentes, poſt ipſum tempus divinitus admonentur, ut Romam redeant, & martyrium percipiant. Quod cum regi retuliſſent, ipſe jam mente Chriſtianus effectus, divino ſpiritu tractus, Virgines deſerere noluit; ſed relicto regno, unà ſecum Romam pervenit. Ipſæ autem ab Helio præfecto comprehenſæ, cum ſacrificare nollent, capite puniuntur, cum quibus & Eugenius ſe Chriſtianum profitens ſimul etiam decollatur. Horum exemplo Antonius, Theodorus, Dionyſius, Apollonius, Capanus, Pioſus, Corſeus, Chorigenes, Pacus, Saturnus, Victor & alii novem, quorum nomina minimè reperta ſunt, ſe Chriſti cultores acclamantes ab eodem præfecto gladio cæſi martyrio coronantur, quorum omnium paſſio agitur IIII Kal. Auguſti. F

& quoſdam longiorum Actorum textus 54 *Si quis adhuc de confuſione Actorum dubitet, quia in priore Petri Equilini compendio non memoratur Helius, Urbis præfectus, nec recenſentur martyrii comites, illum de Actorum identitate aut ſaltem de mutua eorum imitatione prorſus convincendum arbitramur, quando utraque Acta longiora inter ſe conferre voluerit. Nos hîc unum alterumve ſpecimen paucis dabimus circa Helium præfectum & martyrii ſocios, qui in priori Petri Equilini compendio omittuntur. In Actis SS. Luceiæ & Auceiæ, quæ ad diem* XXV *Junii tomo* V *iſtius menſis à pag.* 13 *ex Ms. Vaticano & Amandino edidimus, ſic legitur:* Poſt paucos dies comprehenſa eſt ſancta Luceia à miniſtris, & adducitur ad Urbis præfectum Ælium, qui dixit ad eam: Tu Chriſtiana es? Virgo Dei reſpondit;

AUCTORE G. C.

Christiana sum : nam ad hoc me Dominus post viginti annos de captivitate revocare dignatus est, ut martyrii coronam accipiam..... Sic præfectus, datâ sententiâ, jussit eam decollari. *In Actis hodiernis hæc de* SS. Flora & Lucilla *sic narrantur :* Post paucos dies comprehenduntur & illæ, ducunturque ad præfectum urbis Romæ : cumque oblatæ fuissent Helio præfecto Urbis, dixit ad eas : Vos Christianæ estis ? Responderunt Virgines Christi & dixerunt ; Christianæ sumus: nam ad hoc nos mittere Dominus noster Jesus Christus post viginti annos de captivitate dignatus est, ut ad martyrii coronam perveniamus..... Tunc præfectus, hac audita sententia, jussit eas decollari.

inter se comparamus,

55 *Quod verò ad socios martyrii attinet, ii in Actis SS. Luceiæ & Auceiæ tomo citato pag.* 14 *sic enumerantur :* Offeruntur ei alii viginti, id est Antonius, Hereneus, Theodorus, Dionysius, Apollonius, Apamius, Pronicus, Coteus, Orion, Papicus, Satyrus, Victor, & alii novem, quorum nomina soli Deo cognita sunt. *Acta autem* SS. Floræ *&* Lucillæ, *quæ ex codice cathedralis ecclesiæ Aretinæ accepimus, hodiernos martyrii socios ita commemorant :* Offerebant autem ministri & alios XII, id est Asserium, Antonium, Theodorum, Dionysium, Appollonium, Capomium, Piosium, Corseum, Originem, Paccum, Saturium, Victorem, & alios VIIII, quorum nomina minimè repperimus. *Quid hîc discriminis est, præter luxata quorumdam Martyrum nomina ? Verbo uno tanta est utriusque historiæ similitudo, ut eadem videri possit, aut saltem narratio unius ex altera, paucis mutatis, haud dubie desumpta fuerit, sicut quilibet ex attenta longiorum Actorum collatione facilè deprehendet.*

B

ex quibus saltem constat

56 *Dico, saltem narrationem unius historiæ ex altera, paucis mutatis, haud dubie desumptam fuisse : fieri enim potuit, ut duæ sorores Christianæ vi vel fraude ab aliquo dynasta ethnico abductæ fuerint, quem illæ postmodum ad fidem Christianam miraculis converterint, ac etiam martyrii sui socium habuerint. Hæc synopsis, cujus alia adjuncta ignorabantur, alicui posterioris temporis scriptori forte fundamentum præbuit, ut ex Actis Luceiæ virginis & Auceiæ reguli hanc historiam adornaret. Simile quid contingere potuit uni virgini Christianæ, cujus ignota gesta fortasse aliquis Actorum exornator, quales non pauci à sæculo* IX *exstiterunt, ex historia* SS. Floræ, Lucillæ *&* Eugegii *iisdem episodiis amplificaverit.*

C

de mutua Actorum imitatione.

57 *Cum itaque de mutua Actorum imitatione apud attentos utrorumque lectores constare debeat, rogo Dinum aut quemvis apologiæ ejus defensorem, ut nos doceat, utra historia prius conscripta fuerit. Equidem fateor, id difficulter determinari posse, nisi ipsa Actorum autographa inter se conferrentur, quod vix licet sperare. Papebrochius noster codices, ex quibus Acta SS. Luceiæ virginis & Auceiæ regis edidit, tomo* V *Junii pag.* 11 *ita assignat :* Habemus ea Acta ex duobus insignibus Mss., altero Vaticano Romæ à nobis, altero apud S. Amandi in Hannonia monasterium invento à Rosweido ; & eadem sæpius alibi vidisse meminimus. *Jam nos superius manuscripta hodiernorum Martyrum Acta recensuimus ; sed eorum còdicum, ex quibus excerpta sunt, antiquitatem etiam ignoramus, de qua sine oculata inspectione aut certis virorum peritorum testimoniis temerè judicaremus. Quare arbitramur, certò pronuntiari non posse, utra Acta sint genuina, nisi de majori alterutrorum antiquitate constiterit.*

58 *Fortasse Dinus reponet, Aretina ecclesiæ cathedralis Acta antiquissima & sæculo* V *composita esse, ut in sua dissertatione pag.* 4 ex stylo simplici *collegit. At respondeo, id tam facilè negari, quam asseratur, & idem de Actis SS. Luceiæ & Auceiæ dici posse, cum hæc non tantùm simili stylo, sed iisdem ferè verbis aut phrasibus conscripta sint. Quod si contendat, ea à Petro Damiani visa esse, & vetera vocari, ut pag.* 5 *affirmat, assertionem ejus rotundè negabo ob rationes, quas* § 2 *num.* 31 *produxi. Imo propter hanc ipsam eorumdem Actorum discrepantiam suspicabor, Acta Luceiæ & Auceiæ, quæ sibi constant, hodiernis* SS. Floræ, Lucillæ, *&* Eugegii *Actis sinceritate & antiquitate præstare. Firmiter ergo Dinus statuat, quænam Acta* SS. Floræ *&* Lucillæ *velit tueri : nam ut naufragus modò unam, modò alteram tabulam arripit. Nunc cum Petro Damiani & codice monasterii Aretini Virgines illas sub imperatore Commodo passas esse concedit ; mox iterum cum Martyrologio Romano & Galesinio martyrium earum sub imperio Valeriani & Gallieni collocat, & utrobique è difficultatum procellis emergere conatur, dum interim sub his imperatoribus nullum Romanæ urbis præfectum, nomine Helium vel Ælium, potest assignare.*

Dino datur optio,

59 *Quapropter Dino amicè suadeo, ut defendat sola cathedralis ecclesiæ Aretinæ Acta, quæ antiquissima esse existimat. Neque ab hoc consilio meo videtur multum abhorrere, dum in dissertatione sua ad angustias redactus, pag.* 39 *de his ipsis Actis ita loquitur :* In illis verò cathedralis Arretinæ, quæ Acta asseri possunt excerpta fideliter ab antiquiori autographo ..... nihil dicitur, quod passæ sint sub Commodo, sed solummodo nomen Helii præfecti Urbis apponitur. *Defendat, inquam, hæc sola Acta, juxta quæ probabilis raptionis occasio, viginti captivitatis anni, & Ælius Cesetianus, Romanæ urbis præfectus, opportunè inveniuntur, ut paragrapho præcedente à num.* 46 *ostendimus.*

utrum malit hoc martyrium collocare sub Ælio Cesetiano,

E

an sub Ælio Dionysio,

60 *At tunc redibit quæstio, utrum Acta* SS. Floræ, Lucillæ *&* Eugegii *(tantisper supponimus, unam historiam ab altera diversam esse) priùs sint conscripta, & scriptori aliorum materiam subministraverint : nam in Actis SS. Luceiæ & Auceiæ opportunum captivitatis tempus, Ælius præfectus, & alia adjuncta æque probabiliter explicantur, ut Papebrochius noster ad diem* XXV *Junii in Commentario prævio ante illa Acta erudite demonstrat. Imprimis præfectura Ælii Dionysii, quæ in annum Christi* 301 *incidit, optimè concordat cum reliqua Actorum historia, quæ affirmat, Luceiam viginti annos in captivitate expleviisse, ac post illos Romæ sub Ælio præfecto Urbis laureâ martyrii coronatam fuisse : si enim à præfectura Ælii viginti annos retrocedendo numeraveris, pervenies ad tempora Probi imperatoris, quibus hic raptus probabilissimè fieri potuit, sive illum aperto bello, sive occulto latrocinio factum velis, ut ex sequentibus intelliges.*

F

quando omnia Actorum adjuncta cum tempore

61 *Flavius Vopiscus, inter sex Historiæ Augustæ scriptores Parisiis anno* 1620 *editus, in Vita imperatoris Probi narrat multa bella, quæ ille contra varias barbarorum nationes gessit, &* pag. 239 *post alia sic scribit :* Blemyas etiam subegit, quorum captivos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum, stupente populo Romano, præbuerunt. *Geographi passim testantur, Blemyas in Africa circa Ægyptum habitasse. Dubitari vix potest, quin victores Romani unà cum aliis captivis*

A *vis præcipuos Blemyarum duces aut regulos Romam transmiserint, ut more suo triumphum de subacto populo augustiorem redderent. Quidni aliquis potentior istius gentis dux aut regulus clam aufugiens, aut ab ipsis Romanis in patriam remissus, Christianam virginem, dolo interceptam, barbaricâ licentiâ secum abduxerit, ut eâ abuteretur?*

62 *Quod si credere malis, virginem illam aperta vi raptam esse, audi eumdem Vopiscum, qui ibidem pagina sequente de Probo sic loquitur:* Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit, & centum millia Bastarnarum in solo Romano constituit, qui omnes fidem servaverunt. Sed cum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est ex Gepidis, Gautunnis, & Vandalis, illi omnes fidem fregerunt, &, occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus & navigando vagati sunt, nec parum molestiæ Romanæ gloriæ intulerunt. *Si tot barbaræ nationes* per totum penè orbem pedibus & navigando vagati sunt, *& Romanum imperium, aliis rebellionibus distractum, vexaverint,*

B *quidni aliquis barbarus dynasta aut potens pirata ad ostia Tiberina appulerit, & cum alia præda unam alteramve virginem Christianam avexerit?*

63 *Jam memorata Probi imperatoris gesta & barbararum gentium rebellio circa annum Christi* 279 *vel* 280 *contigerunt, ut apud Tillemontium in Historia Imperatorum tomo* 3 *à pag.* 429 *videri potest. Si autem ab eo tempore viginti annos captivitatis computaveris, pertinges ad annum Christi* 301, *quo præfecturam Urbis administravit Ælius, sub quo Luceia & Auceias coronam martyrii obtinuisse dicuntur. Propter hanc Actorum congruentiam cum veteri historia Papebrochius noster, quem de nimia credulitate non facile accusandum arbitror, Commentarium prævium de his Martyribus tomo* V *Junii pag.* 12 *sic finit:* His ita prævie explicatis, nihil video, cur recipi hæc Acta non possint, non solùm ut antiqua, sed etiam ut sincera graviterque & verosimiliter scripta; neque ullatenus similia iis, quæ excusare cogimur, tamquam multis post rem gestam seculis ex parum sincera traditione aut etiam præsumpta similitudine adornata circumstantiis, fabulam potius quam historiam referre judicandis.

64 *Si Dinus aut alius quispiam Actorum Aretinorum vindex solidè ostenderit, historiam* SS. Floræ, Lucillæ & Eugegii *ab historia SS. Luceiæ & Auceiæ diversam esse, libenter de illa, aut saltem de illius substantia, idem judicium feremus, & hypothesim nostram, superius à num.* 46 *propositam, tamquam thesim defendemus. Addidi, nos saltem de alterutrius historiæ substantia libenter ita judicaturos, quia mutua verborum ac phrasium imitatio in Actis longioribus tam manifesta est, ut non possit negari. At vereor, ut aliquis ipsam substantiæ diversitatem satis clarè demonstret. Quamvis ob vehementem confusionis suspicionem inter prætermissos hujus diei hanc sanctorum Martyrum catervam ponere potuissemus, & lectorem ad Acta SS. Luceiæ, Auceiæ & sociorum remittere, tamen Acta* SS. Floræ, Lucillæ *& aliorum hac die cum Martyrologio Romano etiam elucidare voluimus ob rationes, quas jam allegabimus.*

65 *Imprimis inter tot tamque diversas barbarorum incursiones, ut supra monui, absolutè fieri potuit, ut talis virginum Christianarum raptus diverso tempore bis contigerit, & similem successum habuerit, qui alicui posterioris ætatis scriptori, circumstantiarum ignaro, materiam præbuit, ut antiquiora similis historiæ Acta imitare-*

& antiqua historia

facilè conciliantur.

Quamquam hodierna Acta cum aliis videantur confusa,

C

tamen ob quasdam rationes hac die illustrantur.

tur. Præterea religioni nobis ducebamus omittere S. Floram *(etsi* Lucilla *virgo &* Eugegius *rex fortasse à* Luceia *virgine &* Auceia *rege non distinguerentur) de cujus immemorabili cultu ex S. Petro Damiani & quibusdam Martyrologiis constabat. Denique ex reverentia secuti sumus Martyrologium Romanum, quod hac die* S. Floram *cum aliis annuntiat, & susè hanc historiam discussimus, ut facilius dispicerent illi, quorum interest, utrum annuntiatio Martyrologii Romani ad diem* XXV *Junii, &* XXIX *Julii utrobique sit retinenda, postquam cum Actis SS. Luceiæ, Auceiæ & aliorum attentè contulerint hæc*

AUCTORE G. C.

ACTA

auctore anonymo

ex Ms. codice cathedralis ecclesiæ Aretinæ, quorum authenticum apographum anno 1721 *ad nos missum est.*

E

FLora virgo sanctimonialis *a*, civis urbis Romæ, capta est unà cum beatissima virgine Lucilla à ferocissimo barbaro rege *b* Eugegio nomine. Cum verò cepisset eas, duxit in patriam suam *c*, vidensque eas esse pulcherrimas, voluit corrumpere eas. Ut vidit beatissima Virgo Flora illius libidinis insaniam, ait ad eum: Noli vim facere, quoniam magnum habeo sponsum, qui statim vindicat injuriam meam in te; At ille iracundia repletus dixit ad illam: Et quis est sponsus tuus, vel cujus est potestatis, ut vindicet injuriam tuam in me. At illa fiducialiter, ut ancilla Christi, nihil metuens dixit ad eum: Dominum meum Jesùm Christum habeo sponsum, qui est in cælo, cui me ego, & soror mea Lucilla devovimus esse ancillas, qui habet potestatem universæ carnis, & servimus illi sine macula; qui & potestatem habet præstare omnia petentibus se ex fide, & qui eum agnoscunt.

Sanctæ Virgines, ab Eugegio regulo captæ,

a
b
c

67 At ille verò cum hæc verba audisset, dixit ad eas: Ergo, ut video, Christianæ estis vos? Castissimæ Dei responderunt: Christianæ sumus planè. Audiens verò eas esse Christianas, territus est ab eis valde. Itaque ab ea hora cœpit eas dignè honorare, sicut merebantur sperantes in Domino honorari; statimque jussit cubiculum dignissimum præparari in remoto loco, ubi nullus virorum haberet ingressum. Cumque Electæ Dei in eum ingrederentur, dignissimas quoque jussit eis puellas obsequium exhibere, quibus præcepit, ut ab obsequio earum non recederent, sed honorificè eis obsequerentur, ut ancillis Christi, dicens eis: Eæ verò magnæ sunt, quæ Deum, qui est in cælo, colunt.

libidini ejus resistunt,

F

68 At illæ Ancillæ Christi in cubiculo cœperunt orationibus, & jejuniis vacare, gratias magnas agentes Deo die, noctuque, eo quod dignas habuisset Dominus ancillas suas positas in captivitate, & tantam eis Dominus gloriam præstitisset, ut gratiam invenissent in conspectu regis alienigenæ. Pro eo etiam frequenter orabant Deum, ut nihil mali illi contingeret, nec in domo ipsius. Cum autem hæc fecissent, contigit ei post pau-

& ab eo honorantur

EX MS. paucum tempus, ut ad bellum procederet contra adversarios suos, cumque proficisceretur, vocavit ancillas Christi, & ait ad eas: Flora, & Lucilla, ancillæ Christi, precamini Deum vestrum pro me, ut salvus redeam ad domum meam, superatis eisdem, victisque adversariis meis & amplius vos honorabo. At illæ dixerunt ad eum: Vade, inquiunt, salvus & sanus; credimus enim in Deum Jesum Christum, qui est in cælis, quia incolumis exinde reverteris.

cui etiam precibus suis victoriam obtinent.

69 At ille profectus contra adversarios suos, devicit illos citò, & reversus est sanus in domum suam cum magna gloria; & exinde cœpit eas honorare, & velut matres habere, eo quod ita ei proveniſſet. Intellexit enim, quod per earum orationes Deus eum in omnibus adjuvasset *. Et quia longum est totum, quod per eas Dominus operatus est, enarrare per ordinem, ex his, quæ gesta sunt, breviter aliqua prosequar. Quoniam quotienscumque perrexisset ad bellum, adversarios suos sive per voluntatem, seu vi provolutos ad se colligebat. Ita illi contingebat, ut prostratis inimicis suis victor inde ad domos suas rediret. Census quoque, & honor domus suæ crescebat, & de die in diem proficiebat. Hæc Dominus Jesus Christus orationibus ancillarum suarum beatæ

*l. adjuvisset

B Floræ, & Lucillæ omnia præstabat.

Post viginti annorum captivitatem

70 Cum autem complessent ibi commemoratæ ancillæ Dei Flora, & Lucilla viginti annos, ait ad illas Dominus in somnis nocte: Surgite Flora, & Lucilla, & amplius hic ne moremini, sed revertimini in urbem Romam civitatem vestram; quoniam oportet vos ibi martyrium complere. At illæ surgentes primo mane exultantes & gaudentes, gratias agentes Deo, eo quod illa nocte dignatus est eis præcipere, ut ad civitatem suam remearent, magis autem inibi ut accipere

* & *redundat* gratiam martyrii festinarent, & * ajunt ad regem beata Flora, & Lucilla: Dimitte nos, ut redeamus ad patriam nostram, quia ibi martyrium consummari oportet, quoniam ad coronam martyrii vocat nos Deus: sic enim nobis revelare dignatus est Dominus noster Jesus Christus, cui servimus corpore immaculato. Vide ne velis nos hîc retinere, & graveris.

Eugegius illas Romam comitatur,

71 At ille dixit ad eas: Si vos hinc ire dicitis, ego hic ut quid remaneam? non enim expedit mihi: nam venient adversarii mei huc, quos Deus vester per orationem vestram repulit à me, interficient & occident me, ideoque omnia derelinquo, & vadam vobiscum. Quæ dixerunt; Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, quod ille te adoptavit sibi servum ad societatem gregis sui sancti. Et ille cum audisset tale, tantumque promissum, dereliquit domum suam & matronam suam, & filios, & omnes ampliſſimas possessiones suas, quas poterat possidere, comitatus est cum Ancillis Christi, non ut alienus, sed ut domesticus civis earum, non ut barbarus, sed ut civis Romanorum, non ut lupus, sed ut ovis Christi. Carpit iter cum magnis Dei ancillis Flora, & Lucilla. Toti tres properant ire Romam, ingrediuntur civitatem, & ibi persecutionis tempus agebatur.

& unà cum iis Virginibus

72 Tunc autem Ancillæ Christi, quæ ad civitatem monitæ venerunt, Romæ se palam ostenderunt, & post paucos dies comprehenduntur & illæ, ducunturque ad præfectum urbis Romæ.

d Cumque oblatæ fuissent Helio *d* præfecto Urbis dixit ad eas: Vos Christianæ estis? Responderunt Virgines Christi, & dixerunt: Christianæ sumus: nam ad hoc nos mittere Dominus noster Jesus Christus post viginti annos de captivitate dignatus est, ut ad martyrii coronam perveniamus. Præfectus dixit: Justissimi imperatores jusserunt, ut aut sacrificent Christiani diis nostris, aut tradantur eis. Tunc responderunt Ancillæ Christi: Dicimus tibi, quia paratæ sumus pro vivo, & vero Deo mori; ad hoc enim de captivitate nos Dominus noster vocare dignatus est, ut passionem certaminis accipiamus. Tunc præfectus, hac audita sententia, jussit eas decollari. D

ob Christi fidem capite plectitur,

73 Cumque hæc vidisset Eugegius rex, eoquod Ancillæ Dei martyrii coronam suscepissent, obtulit se viriliter præfecto, dicens ei: Et me cum eis depone, quia hæ ambæ dominæ meæ sunt. & cum hæc audisset, interrogavit eum præfectus dicens: Quis es tu? Eugegius respondit; Ego sum Eugegius rex, & ego sum, qui eas hinc duxi captivas, cum contra Romanos pugnarem: nam multa mihi per eas Dominus præstitit, quia ego in captivitate xx annis conservavi eas. Sed cum Deus earum apparuisset eis dicens ad eas: Revertimini Flora, & Lucilla Romam martyrium suscipere, elegi eas magis, relictis omnibus meis, sequi. Ego namque pro nomine Domini nostri Jesu Christi martyrium cum eis desidero. Præ- E fectus dixit: Tu Christianus non es; quomodo ergo poteris pro nomine Dei ipsarum mori? Eugegius dixit: Effusio sanguinis credo quod me faciat Christianum, & à conspectu suo Christus me faciat non esse alienum. Et hunc venerabilem virum in confessione Christi præfectus jussit decollari. Et cum hæc fecisset, exivit in prætorium suum.

quibus etiam alii Martyres adjunguntur.

74 Offerebant autem ministri & alios XII, id est Asserium, Antonium, Theodorum, Dionysium, Apollonium, Capomium, Piosium, Corseum, Origenem, Paccum, Saturium, Victorem *e*, & alios VIIII, quorum nomina minimè reperimus, quos interrogavit præfectus, si essent Christiani; at illi confessi sunt & dixerunt: Notum sit tibi, quia Christiani sumus, & credimus in Christum, in quem beata Flora, & Lucilla crediderunt, & cum hæc audisset, jussit & ipsos decollari similiter. Et ipsi cum magno gaudio venerabiliter susceperunt martyrium, Deo gratias agentes, qui eos ad confessionem sui nominis, ac gloriæ suæ perducere dignatus est; & passæ sunt istæ gloriosæ Virgines, & Martyres Christi quarto Kal. Augustas. Regnante Domino F nostro Jesu Christo, cui est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Per sanctimonialem hîc non intelligitur femina votis religiosis adstricta, ut aliqui perperam existimant: nam antiquitùs etiam hoc nomine appellabantur feminæ aut virgines, quæ vitæ integritati potissimùm operam dabant, quamvis nullis legibus monasticis alligarentur, ut apud Cangium in Glossario videre licet.*

b *Vocabulum regis rectè mitigavit Dinus, ut in Commentario prævio num. 42 diximus.*

c *Patria ipsius, quæ hîc tacetur, à Petro Damiani Africa vocatur.*

d *De hoc præfecto urbis Romanæ, qui in omnibus Actis nominatur, sat multa disputavimus in Commentario prævio.*

e *Horum Martyrum numerus & nomina in quibusdam Actorum exemplaribus nonnihil mutantur.*

ACTA

ACTA ALIA

auctore S. Petro Damiani.

Ex Romana Operum ejus editione, per Conſtantinum Cäetanum curata, tomo 2 à pag. 247.

PROLOGUS.

Auctor omnium Martyrum fortitudinem laudat, B

DEum mirabilem in Sanctis ſuis, Pſalmiſta teſte, didicimus, non ſolum, in eo quod mirabilia ſigna per eos operatur in his, qui infirmantur; verum etiam, quod per eum ipſi convaleſcentes de infirmitate communi, fortes facti ſunt in bello. Infirmitas enim hominum avet mortem fugere, maximè verò ſi ſit cum cruciatibus inferenda. Sed ſancti Martyres hanc infirmitatem per Dei gratiam ſuperantes, non ſolum oblata pertulere tormenta, ſed per ipſa ſuam vitam fuderunt: verum etiam ultro ſe tyrannis & carnificibus ad pœnas atrociſſimas obtulerunt. Quod hominum genus optimo jure dixerim, divino munere, fortitudinem ſuam mutaſſe. Cum, quod per naturam amatur, nullo cogente, deponunt: &, quod naturaliter exhorretur, ipſi ſuâ ſponte ſequuntur. Quod ſiquidem mentis robur, quamvis in viris ipſis mirabile ſit, & ſummis laudibus dignum; longe tamen eſt mirabilius, & laudabilius in ſexu femineo, qui frigiditate ſuæ naturæ timidus, & mollis eſt: & ſicut bellis ineptiſſimus eſt, ita gladios odit, & arma: & non ſolum conſpectum, ſed & memoriam ſanguinis perhorreſcit.

& præcipue miram horum conſtantiam extollit. a C

76 Hæc idcirco præmiſerim, ut intelligatis, fratres chariſſimi, quales, quantæque ſint Virgines, ad quarum ſolennia convenitis *a*, in quibus non ſolum religionem venerari debemus, nec virginitatem tantum, ſed & ipſum martyrium: nec qualecumque martyrium, ſed tale, ad quod ipſæ ſua ſponte de remotis regionibus non ſecus, quam ad ſummas delicias cucurrere. In quo ſummæ fortitudinis actu non ſolum emicuere, ſed etiam ſuæ virginitatis exemplo, barbarorum regem nondum baptiſmatis unda renatum, ad idem certamen, eodem ſubeundum affectu, æmulatione ſanctiſſima, perduxerunt. Quas quidem Virgines, & regem ſi comparemus ad invicem in actu tantæ virtutis, ſexu quidem ſuperant, pietate & exemplo; ſuperantur autem à rege, quod is nondum regeneratus in Chriſto, tyrocinium ſuum à tanta celſitudine perfectionis incepit, ut prius martyr fieret, quam fidei ſuſciperet ſacramentum: & qui lotus aqua non fuerat, ſuo ſanguine lavaretur. O vere ſpectaculum maximum, cernere eum, qui Chriſtianus non fuerat, cervicem pro Chriſto tendere: & eum, qui nondum erat renatus baptiſmate, per martyrii palmam baptizatis plurimis anteferri! Sed ipſa nobis hiſtoria *b* jam loquatur, ipſa Sanctorum originem, ipſa eorum vitæ progreſſum, ipſa conſummati certaminis gloriam jam proponat.

ANNOTATA. AUCTORE PET. DAM.

a *Hinc colligo, hanc narrationem in annua harum Virginum feſtivitate inſtitutam eſſe.*

b *Non exprimitur, utrum hac hiſtoria tunc fuerit ſcripta vel traditione dumtaxat accepta. Vide quæ de ſimili Petri Damiani textu in Commentario prævio num. 30 dixi.*

CAPUT I.

Harum ſanctarum Virginum pietas, captivitas, & in captivitate libertas.

Poſt Romanæ urbis laudes

URbem Romam univerſas urbes omni nobilitatis genere præceſſiſſe, & caput orbis fuiſſe, manifeſtum eſt. Si enim ante Chriſti Domini nativitatem conſideres, Romanos invenis rerum dominos; ſin poſt, per B. Petri ſedem caput orbis effectam vides; ſi viros, qui provenerant in E ea, mente revolvas, conſilio cautos, ſtrenuos armis, fortitudine ſummos, præſtantes juſtitia, moderatos in rebus omnibus, comprobabis. Unum, quod ante Chriſtum defuerat, fidei ſcilicet pietas, per Petrum illata, urbem, quæ cætenus in ceteris ceteras ſuperaverat, nobilitavit a deo, ut in hoc etiam ceteras antecedat. Quis enim ſufficiat numerare, quot hujus urbis indigenæ Chriſtianis temporibus bello, paceque claruerint? Vincit quidem opinionem eorum numerus, vincit & fidem. Sed inter eos, qui cruciatibus ſuis regnum cæleſte mercati ſunt, hæ nimirum, ad quarum ſolennia convenitis, ſpecialem obtinent dignitatem, virilem quidem animum induentes. Romæ progenitæ, Romæ religioſiſſimè vivere, Romæ defungi demum conſtantiſſimæ meruerunt.

narratur pia vita harum Virginum, a.

78 Glorioſæ igitur virgines Flora & Lucilla ſorores, temporibus, quantum intelligi poteſt, & datur, Antonini, cognomento Pii *a*, cum Romæ ſuis ſanctis moribus in conſpectibus divinis arderent; foris verò ſecundum nominum ſuorum proprietatem, florerent, & lucerent, apoſtolicam vitam delegerunt, qua ſe à terrenarum rerum F more retraherent, & corporis ſui ſanctificata vaſcula pudicitiæ ſanctificatione litarent; & quæ noverant per ſuperbiam angelos corruiſſe, per humilitatem ſibi ad cælos pararent aſcenſum. Cum igitur per hæc, & alia benefacta, Deo, hominibuſque placerent; voluit eas Dominus per tribulationes, veluti aurum per ignem probare, ut eas apud ſe glorioſiores efficeret. Cum enim Deus Virgines ſanctas virtute fortitudinis inſtruxiſſet, noluit eas latere, ſed in campum certaminis prodire: ut quæ ſui corporis paſſiones, & diaboli tentationes vicerant, ipſum etiam ſeculum ſuperarent.

quas barbarus regulus captas

79 A levioribus igitur ſumens initium conſilio ſancto ſuo, quomodo de malis etiam elicit bona, Sanctas de regione ſua ſubduci permiſit, ut & patientiæ meritum ſumerent, & nomen Chriſti exteris gentibus nuntiarent, & eas ad ejus cultum adducerent. Erat ſiquidem per ea tempora in Africæ partibus *b* rex barbarus, nomine Eugegius, qui Romanis regionibus infeſtus, eas depopulare *c* conatus, inter reliquos captivos, Vir- b

AUCTORE PET. DAM.

gines ſanctas, volente Deo, in ſuam regionem adduxit: quas cum juvenili ætate & pulchritudine præſtantes videret, in earum exarſit amorem. Quibus cum cultu regio mundum muliebrem exhiberi curaret, Flora virgo prudenter advertens, quid intenderet barbarus, ait ad eum: Vide, quid facias. Nam potentiſſimum ſponſum habemus, qui noſtris, ſuiſque permotus injuriis, furorem ſuum exagitabit in te.

ob intrepidam virginitatis ſuæ defenſionem

80 Furit, auditis his, barbarus, & ſuperbiæ vanitate turgidus, non putans inveniri poſſe quemquam, qui in ſe poſſit exercere vindictam, turbata mente, & arroganti voce reſpondit: Et quis eſt ſponſus veſter, cujuſve poteſtatis, ut injurias ſuas, vel veſtras in me poſſit ulciſci? Virgo vero Domini Flora nihil trepidans, femineæ cogitationi virilem fiduciam inſerens, Deum, inquit, & Dominum Jeſum Chriſtum ſponſum habemus, qui cælum, terramque de nihilo condidit: & univerſa, quæ cæli ambitu continentur: cui cuncta deſerviunt, cui nihil poteſt eſſe difficile; huic Domino Deo nos ipſas ſpopondimus, huic immaculato corde & corpore ſervimus.

B

Quod violari, quod pollui, quod tuæ libidini deſervire, quam abſonum, quam impium, quamque ſit impoſſibile, videas. Neque enim potes perſuadere tibi, ſi templum Dei, quod ſumus nos, violare tractaveris, te impunè iturum: ſed certo certius tibi perſuadere debes, te protinus diſperdendum ab eo, quem in noſtris laceſſis injuriis.

honore afficit,

81 His auditis, invictiſſimus rex, tantam miratus feminæ conſtantiam, facundiam & caſtitatis amorem, Domini nutu terretur, & impurum affectum, quo virginibus ſtuprum paraverat, in religionem commutans, Deum ſummum & verum in earum pectoribus veneratur: ſtatimque juſſit eis ſecretum & ornatum cubiculum præparari, ad quod nulli virorum pateret ingreſſus, ſed ſolis virginibus, quas perpetuo Sanctarum obſequio dedicaverat. Quibus etiam mandavit, ut ab earum miniſterio non recederent, ſed eis ſumma reverentia deſervirent; utpote ancillis Dei, qui moraretur in cælis.

& earum precibus

82 Videntes igitur ſanctæ Sorores tantam Dei providentiam circa ſe, qua de prædone patronum, & de corruptore pudoris aſſertorem effecerat, & principum curiam in monaſticum clauſtrum commutarat, divinum conſilium admiratæ, gratias agebant ingentes omnium bonorum Auctori, qui & in captivitate poſitas apud alienigenam regem tantam gratiam invenire feciſſet, pro cujus incolumitate, ſimul & ſalute perpetua, Deum, prout juſtum erat, frequenter orabant, ne qua notari poſſent ingratitudinis macula.

C

varia beneficia obtinet.

83 Formatur interim animus regis ad fidem, & in tantum earum ſacris precibus confidebat; ut & profecturus ad bellum, ſe eis inſtantiſſimè commendaret: à quibus cum juberetur bono animo eſſe, vel audiret ſe domum cum ſalute reverſurum, quaſi cæleſti munitus oraculo, victoriæ ſpem certam concipiens, deſcendebat in prælium, & ſemper nutu Dei victoriam reportabat. Quibus evidentiſſimis earum ſignis ſanctitatis, rex intelligens, per earum ſe preces eſſe protectum à Deo, & in cunctis agendis adjutum majori Virgines proſequebatur honore, & velut matres habebat, beatum ſe judicans, & regnum ſuum *d*, quod ancillarum Chriſti protegebatur meritis, & precibus firmabatur.

d

D

ANNOTATA.

a *Antoninus Pius ab anno Chriſti* 138 *uſque ad* 161 *Romanum imperium tenuit, ut in Commentario prævio num.* 7 *dictum eſt.*

b *Patria hujus reguli in tribus Mss. Actorum apographis ſiletur, ut in Commentario prævio obſervavimus.*

c *Depopulatio ea facilè intelligi poteſt juxta ea, quæ in Commentario prævio num.* 48 *vel* 62 *notavimus.*

d *Hic ditio iſtius dynaſtæ vocatur* regnum, *etſi Dinus ex Actis Aretinis ob eam vocem omiſſam argumentetur, & nomen regis mitiget, ut in Commentario prævio num.* 42 *videri poteſt.*

CAPUT II.

Virginum è captivitate liberatio, reditus Romam, & martyrium unà cum ſuo raptore.

E

Sanctæ virgines poſt viginti annorum captivitatem

VIrginibus igitur ſanctis in Africana regione ſubEugegio rege, religioſe, ſancteque degentibus, & rege jugibus illas obſequiis, & beneficiis proſequente, jam annus vigeſimus agebatur, ex quo fuerant de ſua propria civitate captivatæ. Poſt quod temporis ſpatium, volens Dominus Jeſus fideliſſimas Sponſas ſuas de ſeculi præſentis eruere laborioſo certamine, & in ipſum cæleſtem thalamum introducere, & ſciens illas ad martyrium ſubeundum eſſe promptiſſimas, noluit eas domeſticis tantum triumphis ornari; verum in campum prodire, & ſancto certamine glorioſam vitam glorioſi martyrii triumpho finire. Non enim fruſtra rex noſter milites ſuos fortiſſimis armis accingit, quod profecto tunc faceret, ſi quos ad martyrium roboraret, & certamen non opponeret, & naturæ ſineret in pace concedere.

præmonentur ad martyrium Romæ ſubeundum,

85 Sponſus igitur ſuus ſub intempeſtæ noctis ſilentio per viſionem apparet, & eas his verbis alloquitur: Dilectæ ſponſæ, nullam ultra moram in his regionibus facite, ſed ſurgentes ad patriam veſtram redite, ubi vos oportet per martyrium conſummari. Quibus auditis, Virgines gaviſæ gaudio magno pro tanto nuncio, & beneficio, ſponſo Chriſto gratias ſummas egerunt; & mane ſuo principi narraverunt, rogantes; ut ſibi liceret ad patriam, ſecundùm oraculum ad ſe factum, ad palmam martyrii conſequendam, redire.

F

quas ipſe raptor comitatur

86 Tunc verò hæc audiens rex, & perpendens, impium, ſimul & impoſſibile divinis refragari præceptis, & alta conſideratione pertractans, eatenus ſe per præſentiam Virginum in rebus bellicis, non modo ſervatum eſſe, ſed auctum & per eas in omnibus glorioſum effectum, per earum abſentiam ſibi, vitæque ſuæ timens exitium, decrevit earum itineribus comitem ſe tribuere, & dixit ad eas: Quandoquidem vobis recedendum eſt, & integrum mihi non ſit veſtrum diſceſſum in his regionibus remorari, ſi permittitis, veniam & ipſe vobiſcum. Innuentibus autem eis, & id fieri cupientibus, & aſſerentibus inſuper, ipſum Chriſtiano gregi certo certius aggregandum, quaſi divino reſponſo permotus, regno, filiis, & uxore dimiſſa, Ancillarum Chriſti comes efficitur: & qui jam virgines barbarico furore de regionibus earum abduxerat,

A xerat, quasi pater amantissimus reducebat.

87 Inter utrumque si conferas, mutationem divinæ dexteræ contueris. Ibi enim Eugegium lupum ferocissimum invenis, hic mansuetissimum agnum. Aliena tunc rapere, virginitatem corrumpere, innocentes occidere conabatur: at nunc sua pro nihilo ducit, pudicitiam asserit, pro Christo mori desiderat, atque ad vitam ponendam pro Christo sua sponte de longinquis regionibus occurrit. Mirentur hæc gentiles & increduli, mirentur nescientes, Deum in Sanctis suis esse mirabilem, sicut præfati sumus *a*. Nos enim hujusmodi non mirari, sed amare debemus, fidelibus omnia scientes possibilia.

divinâ gratiâ mutatus,

a

88 Imperantibus igitur Romæ M. Antonio Vero, & Commodo Aurelio *b*, anno scilicet Domini centesimo octogesimo, vel circa, sanctæ virgines Flora & Lucilla, sorores, cum Eugegio rege ad martyrium suscipiendum pro Christo urbem Romam intrantes, inveniunt, agente præfecto urbis, Helio nomine, furor *gentilium contra Christicolas desævire. Quem illæ minimè veritæ, palam se ostenderunt, & à satellitibus comprehensæ, præfecto Urbis Helio *c* præsentantur, à quo de Christiano cultu percunctatæ, Christianas incunctanter se astruunt, adjicientes, se post annorum viginti captivitatem, jussu Christi, Romam ad martyrium rediisse.

& sub Helio, Romanæ urbis præfecto,

b

**lege furorem*

B

c

89 Quibus Helius, præceptum imperatorum asserit; & inculcat id esse, ut Christiani diis litent, vel gravibus suppliciis occidantur. Ad hæc Virgines responderunt, paratas se pro vivo veroque Deo vitam propriam ponere, ad quod ipsæ revelatione divina de longinquis mundi regionibus advenissent. Tunc impius Helius videns eas non posse de sancto proposito amoveri, jussit eas felici cruore damnari, juxta cujus imperium adstante Eugegio, & earum constantiam admirante, à lictoribus capite plexæ, martyrii coronam adeptæ sunt.

post illarum martyrium

90 Post quarum excessum, videns Eugegius rex Floram & Lucillam, matres suas, & dominas per tantam constantiam coronatas, se superstitem reliquisse, ardens amore martyrii, cujus in sexu femineo jam exempla præcesserant, præfecto ultro se obtulit, dicens: Et me ipsum cum eis depone, quoniam ambæ dominæ meæ sunt, & post earum excessum vivere renuo. Interrogatus autem quis esset, nomen edicit, & patriam, virginum quoque, & suam omnem historiam manifestat, adjiciens, se pro nomine Jesu Christi mortem appetere. Retractabat Helius, & revocabat in dubium, quod hic, qui Christianus non erat, vellet pro Christo defungi. Cui rex Eugegius dixit: Effusio mei sanguinis me Christi cultorem efficiet, qui me à sua gratia alienum non ducet. Post quam fidei confessionem Vir venerabilis jussu præfecti capite truncatur.

capite truncatus

C

91 Sic virgines gloriosæ Flora & Lucilla cum Eugegio rege capitis obtruncatione, & morte, immortalitatem acquisierunt quarto Kalendas Augusti, quas ad thalamum summi sponsi spiritus angelici duxerunt, quæ, dum viverent, & in morte, toto mentis affectu, atque amore prosecutæ sunt, pro quo divitias, voluptates, honores, & vitam ipsam, qua nihil homini carius, libentissime contempserunt. In quo quiescentes, & beatæ pro voluntaria paupertate inæstimabiles & veras divitias acquisierunt, pro temporalibus jejuniis æterna convivia, pro contemptu pruritus fœdissimi honestatem, & perpetuas voluptates; pro ridiculis & puerilibus honoribus hujus vitæ veros, solidos & sempiternos honores, & pro momentanea fragilique vitam meruere perpetuam. PET. DAM.

immarcescibilem gloriæ coronam adipiscitur.

ANNOTATA.

a *Similia divinæ gratiæ miracula in sacra Scriptura & historia ecclesiastica adhuc occurrunt.*

b *De his imperatoribus, quorum nomina hic luxata aut transposita sunt, vide Tillemontium tomo 2 Hist. imperat. pag. 562 & sequentibus.*

c *Ubique occurrit ille Urbis præfectus Helius, quamvis martyrium harum Virginum tempore multum diverso à quibusdam collocetur.*

APPENDIX

De posthuma eorumdem Martyrum gloria.

§. I. Prima sacrorum corporum sepultura, & eorum translatio ad diœcesim & urbem Aretinam.

Corpora horum Martyrum in suburbio Ostiensi sepulta,

Gallonianum Ms., de quo in Commentario prævio num. 16 meminimus, primum sepulturæ locum in fine Actorum ita indicat: Passæ sunt istæ gloriosæ Virgines & Martyres Christi anno salutis nostræ centesimo octogesimo vel circa, quarto Calendas Augusti, quarum corpora à fidelibus Christicolis honorificè in suburbano civitatis Hostiensis humata, ibidem fere septingentis annis quieverunt. *Ex hoc textu dumtaxat erui potest, illic corpora* Floræ *&* Lucillæ *sepulta fuisse. Nihilominus ipse Antonius Gallonius in Italica Virginum Romanarum historia pag. 143 affirmat, alios martyrii socios unà cum istis duabus Virginibus in vicinia Ostiensi tumulatos fuisse. Petrus Damiani, qui de SS.* Flora, Lucilla *&* Eugegio *tantummodo agit, post sermonem superiùs editum tomo 2 Operum pag. 249 de horum trium sepultura hæc subnectit*: Corpora verò eorum à fidelibus collecta sunt, & Christianè sepulta in suburbano civitatis Ostiensis, ubi quieverunt annos per septingentos & ultra, videlicet usque ad annum Domini nongentesimum primum: quo tempore religiosus pater Joannes, episcopus Aretinus, cancellarius Palatinus, sacra sanctarum Floræ & Lucillæ & Eugegii corpora à Benedicto ejus nominis Romano Pontifice tertio petiit & accepit. *Deinde subjungit translationis istius historiam, quæ si revera Petro Damiani tribuenda sit, ingens in eam anachronismus irrepsit, ut statim observabimus.*

postmodum translata sunt

93 *Etiam chronologicus error est in altera ejusdem translationis narratione, quam Papebrochius noster ex collectaneis Gallonii excerpsit, & quæ sic sonat:* Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXI Joannes humilis episcopus Aretinus ac Romanus cancellarius à domino Benedicto Papa III prædicta corpora (*nempe* SS. Floræ, Lucillæ *&* Eugegii, *quorum nomina titulus exprimit*) impetravit, & à familia sua portari faciens ad episcopatum suum, per aliam viam ipse episcopus, ne à Romanis persequentibus inveniretur, iter suum confecit. Contigit autem, familiares suos cum sanctis corporibus inter lacum, nomine Disortium, & Aretinas paludes hospitari; loci verò

AUCTORE G. C.

habitatores ex reverentia famulorum intelligentes, ibi esse sacras reliquias, miraculosè quamdam particulam pretiosissimarum reliquiarum impetraverunt, ibique ecclesiam ædificantes, in honorem Dei Genitricis Mariæ, & sanctarum Dei Lucillæ & Floræ consecrari faciunt: unde & castrum à sancta Flora nomen accepit, & sic Comites illius regionis vocantur Comites sanctæ Floræ, qui priùs vocabantur Comites Amiatæ.

ad diœcesis Aretinæ ecclesiam

94 Inde igitur progredientes cœptum iter agere cœperunt; pervenientes usque in Aretinam planitiem ulterius sacra corpora ferre nequibant. Episcopus autem, ut supra dictum est, per aliam viam iter arripiens, ante eos venit ad civitatem suam; sed cum nuntiatum ei fuisset, quod evenerat, occurrit obviam eis cum maxima clericorum multitudine; sed cum sacra pignora penitus de loco illo moveri non possent, inito consilio cum his, qui aderant, jumentum abire sinunt, ut quem locum animal peteret, ipsum sine aliqua hæsitatione scirent sanctas Virgines elegisse ad habitandum: quod animal cursu veloci montem ascendit, qui Titanus tunc dicebatur, nunc verò mons sanctæ Floræ de Turrita, per duo quasi milliaria distans à civitate Aretina. Ibi in ecclesia corpora sancta requieverunt per multa secula & ætates, ubi mirabilia magnifica & multa operatus est Dominus noster Jesus Christus ad laudem & gloriam nominis sui.

B

sive monasterium,

95 *Huc usque etiam pertingit narratio, quæ S. Petro Damiani adscribitur, & quæ cum hoc Ms. Galloniano conferri potest; nec ab illo in substantia differt, nisi quod supradictæ montis Titani ecclesiæ superaddat monasterium, dum post narratum reliquiarum immobilium prodigium pergit hoc modo:* Tunc devotus antistes, accepto nuntio, & maxima deductus multitudine clericorum & populi, perrexit obviam Sanctis, & præmissis precibus sacris, & lacrymis aspersus, per se ipsum jumentum illud movere conatus est. Quod cum & ipse non posset, inito cum suis consilio, jumentum abire sinunt, pro certo sciens, eum locum à Sanctis electum, ad quem sua sponte veterinum animal advolasset. Quo facto, brutum animal ab angelis Dei sanctisque Martyribus ductum, quasi de carceribus erumperet, cursu velocissimo montem, qui tunc Titanus dicebatur, ascendit, & in loco certo Sanctis cælitùs constituto constitit, qui ab urbe Aretina per duo millia fere passuum distat: ubi brevi devotione fidelium basilica facta est, & monachorum cœnobium, quod sanctitate commorantium in eo, & interventu Virginum crebris magnisque miraculis in multos annos mirabiliter adolevit: pro cujus celebritate cœnobii & devotione Sanctarum castrum ibi conditum est, & à sancta Flora, sicut & mons ipse totus, accepit nomen, quod annis plurimis floruit.

C

cujus fundatio ignoratur.

96 *Si hîc in alterutra narratione rectè signatus esset translationis istius annus, colligere possemus, quo tempore fundatum fuerit cœnobium* SS. Floræ & Lucillæ, *circa cujus originem ipsi scriptores monastici in tenebris palpant: nam Placidus Puccinellius ante Chronologiam abbatum generalium congregationis Casinensis* de nobili abbatia SS. Floræ, Lucillæ & Eugegii civitatis Aretii (*hic est ejus titulus*) *ita scribit:* Hujusce abbatiæ propriam non invenimus fundationem; sed exploratum est nobis, eam ædificatam fuisse ante adventum S. Caroli Magni in Italiam, qui eamque ditavit nobilissimo diplomate, anno DCCC mandans, abbates dictæ abbatiæ debere esse ex patriciis ejusdem civitatis, & non alienigenas. Ideo tantum ab anno DCCCCLXV incepimus seriem prælatorum dictæ abbatiæ. *Si vera sit alterutra translationis historia, suppositium est hîc à Puccinellio citatum Caroli Magni diploma, & corruit tanta fundationis antiquitas, quæ etiam latuit Mabillonium, diligentem veterum monumentorum scrutatorem, dum in Annalibus Benedictinis ad annum Christi 939 lib. 44 num. 5 post relatam Lotharii regis donationem, monasterio* SS. Floræ & Lucillæ *factam, de ejusdem cœnobii exordio sic dubitat:* Quo tempore conditum sit illud monasterium, quive fuerint ejus conditores, incertum. Certe non multùm ante hoc tempus exstitisse crediderim. *Dixi, quod colligere possemus tempus fundationis, si in alterutra narratione rectè signatus esset translationis annus, quia in utraque historia chronologiam cum inductis personis componi non posse, jam demonstrabo.*

D

Petrus Damiani,

97 *Petrus Damiani affirmat, corpora horum Martyrum per septingentos & plures annos in suburbano civitatis Ostiensis requievisse* usque ad annum Domini nongentesimum primum, *& eo tempore Joannem episcopum Aretinum has sacras reliquias* à Benedicto ejus nominis Romano Pontifice tertio *petiisse atque accepisse. Verùm anno 901 Benedictus Papa, istius nominis tertius, jam abhinc quadraginta duobus annis ex hac vita migraverat, ut chronologi passim tradunt. Neque eo anno adhuc in vivis fuisse videtur Joannes, præsul Aretinus, cum Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ in novissima editione Veneta col. 414 de ejus successore hæc memoret:* Petrus, hujus nominis III, Aretinorum narratur fuisse episcopus ex privilegio Ludovici regis Italiæ anno DCCCCI, & ex monumento Lucensis ecclesiæ anno DCCCCV, ut infra in episcopis illius videbimus. *Hinc satis liquet, S. Petrum Damiani, aut quisquis est auctor hujus narrationis, tempora Benedicti Papæ & Joannis episcopi Aretini cum anno nongentesimo primo perperam conjunxisse.*

E

& Ms. Gallonianum

98 *Supra exhibitum Ms. Gallonianum, quod illam sacrorum corporum translationem anno 861 alligat, ad annos Benedicti III Pontificis propius quidem accedit; sed cum iis conciliari non potest: etenim Benedictus iste anno 858 mortuus est, postquam Ecclesiam ab anno 855 per duos annos, menses sex & dies decem dumtaxat gubernaverat, ut apud Pagium in Breviario Romanorum Pontificum tomo 2 à pag. 79 probatur. Non potuit igitur Joannes Aretinus anno 861 sacras illas reliquias à Benedicto III Pontifice impetrare. Hinc sequitur, Franciscum Dinum falli, dum in sua Dissertatione pag. 45 scribit, Baronium* vidisse Joannis supplicem libellum, præsentatum Benedicto, anno DCCCLXI; qui utinam, *inquit*, ad nos perveniisset; cum ex eo libaremus clariores notitias ad sanctarum Virginum celebritatem. *Nescio, qua metamorphosi Dinus historiam translationis in* Joannis supplicem libellum, præsentatum Benedicto, anno DCCCLXI *transmutaverit, cum Baronius hac die in notis ad Martyrologium Romanum ita apertè loquatur:* Legimus libellum de earumdem sacrorum corporum translatione, qui sic exorditur: ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCLXI, JOANNES HUMILIS EPISCOPUS ARETINUS &c. *An eminentissimus scriptor his verbis libellum* supplicem, *Benedicto Pontifici oblatum, indicat? Certè ex hoc libelli exordio satis patet, lectum esse à Baronio idem Ms. Gallonianum, quod nos supra à num. 93 dedimus. Frustra ergo Dinus desiderat hanc translationis historiam,*

F

A *riam, cui ſimilem inter Opera Petri Damiani habebat, & ex qua* clariores notitias ad ſanctarum Virginum celebritatem *non hauſiſſet.*

perſonas malè cum annis combinans

99 *Porro ſi ſacra iſtorum Martyrum corpora ſub pontificatu Benedicti III tranſlata fuerint, oportet id contigiſſe inter annum* 855 *&* 858, *cui tempori non repugnat epiſcopatus Joannis, de quo laudatus Ughellus tomo* 1 *Italiæ ſacræ in jam dicta editione Veneta col.* 413 *&* 414 *hæc habet :* Joannes epiſcopus Aretinus, palatinuſque comes, Caroli Calvi imperatoris conſecrationi interfuit, celebratæ ab Aſperto archiepiſcopo Mediolanenſi, anno DCCCLXXVI. Fuit legatus Apoſtolicus, dum juramentum fidelitatis eidem Carolo Calvo præſtaretur, anno DCCCLXXVII. Ejuſdem etiam Joannis mentio exſtat in quodam privilegio Sigifridi ducis anno DCCCLVIII; illiuſque meminit Baronius ad annum DCCCLXXVI, *Deinde ibidem ex communi aliorum opinione memoratam ſacrorum corporum tranſlationem Joanni iſti ſic adſcribit :* Ab Oſtia Tiberina tranſtulit Aretium corpora SS. Floræ, Lucillæ, Eugeniique regis Africani, de quo Petrus Damianus, Baroniuſque in notis ad Martyrologium Romanum die XXIX Julii. *Ughellus prudenter hîc omiſit determinatum tranſlationis iſtius annum, in quo ſignando Petrus Damiani & alii à vera Benedicti III Pontificis ætate aberrarunt, ut jam oſtendimus.*

B

in narranda tranſlatione ſacrorum corporum,

100 *Quando Ughellus hîc dicit, quod Joannes ille corpora trium iſtorum Martyrum tranſtulerit* Aretium, *intelligendus eſt de territorio Aretino, ex quo poſtea ad urbem Aretinam delata ſunt, ut Conſtantinus Caëtanus, ni fallor, poſt præfatam Petri Damiani hiſtoriam monet his verbis, alio charactere impreſſis :* Monaſterium verò anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo tertio per factiones Aretinorum Ghelfas & Ghibellinas dirutum eſt. Qua deſolatione peracta, cum ſanctis reliquiis tranſlatum eſt in urbem Aretii, ubi uſque hodie Virgines ſanctæ magna populi veneratione coluntur. Caſtrum verò poſtea anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto propter eaſdem factiones dirutum eſt. *Hæc fortaſſe deſumpta ſunt ex Petro Ricordato, qui in Hiſtoria monaſtica fol.* 452 *verſo ſimilia Italicè refert.*

quæ poſtea in ipſam urbem Aretinam tranſlata ſunt,

101 *Gallonianum Ms. noſtrum de eadem monaſterii everſione, & ſubſecuta ſacrorum corporum tranſlatione ad ipſam urbem Aretinam, ita in fine meminit :* Nunc verò quieſcunt in civitate Aretii in eccleſia, quæ fuit ædificata anno Domini MCCCLXXXIII poſt everſionem caſtelli & monaſterii ſanctæ Floræ de Turrita; quod caſtellum, eccleſia & monaſterium deſtructa & everſa fuerunt per bella ſeu partes Aretinorum videlicet Guelfas & Gibellinas. Et licet diebus noſtris devotio hominum longè ſit imminuta, multa tamen adhuc miracula faciunt earum patrocinia implorantibus. *Non ſatis clarè intelligo, quomodo monaſterium iſtud territorii Aretini anno* 1193 *fuerit dirutum, & poſt eam deſtructionem unà cum ſacris illis reliquiis in urbe Aretina collocatum, dum interim in Ms. Galloniano legimus, ſacras illas reliquias requieſcere Aretii* in eccleſia, quæ fuit ædificata anno Domini MCCCLXXXIII poſt everſionem caſtelli & monaſterii ſanctæ Floræ de Turrita. *Hæc, inquam, non ſatis clarè intelligo : ubinam enim toto illo temporis intervallo, quod ab anno* 1193 *uſque ad annum* 1383 *effluxit, reliquiæ illæ quieverunt ? An Aretii in alia eccleſia ? An ea eccleſia, quæ anno* 1383 *ædificata dicitur, illo anno fuit reſtaurata ? An forte error in numerum annorum irrepſit ?*

AUCTORE G C.

In qua hactenus requieſcere dicuntur.

102 *Utcumque ſeſe ea res habeat, monaſterium illud extra urbem Aretinam ab his Martyribus cognomen gerebat tempore S. Petri Damiani, qui lib.* 7 *epiſt.* 14 *de eo ſic ſcribit :* Dicam ſane, quod mihi retulit Heinricus, venerabilis rector cœnobii ad honorem beatarum Virginum Floræ & Lucillæ in Aretino territorio conſtituti. *Hoc monaſterium in urbe Aretina etiamnum floret, & brevitatis causâ communiter* S. Floræ *nomine tantummodo appellatur, ut videre eſt apud Ughellum in noviſſima Italiæ ſacræ editione tomo* 1 *col.* 403, *ubi inter cetera diœceſis Aretinæ ornamenta ſic recenſetur :* Sparſa per urbem ac diœceſim plura monaſteria, templaque magnificè culta, certiſſimo Aretinorum in Deum pietatis argumento viſuntur. Eminet in iis D. Floræ Ordinis S. Benedicti nobile cœnobium ingentibus redditibus ampliſſimiſque privilegiis ab imperatoribus ac regibus obtentis potitur. *Nunc ſupereſt examinanda lis, quæ circa reliquias aliquorum ex his ſanctis Martyribus movetur.*

§ II. Variæ eccleſiæ in Italia, Hiſpania, & Gallia reliquias SS. Floræ, Lucillæ & Eugenii ſibi vindicant.

E

Præter reliquias horum Martyrum in Italia,

H*Aud difficulter credo, ſacra quædam oſſa ſanctorum Martyrum, de quorum tranſlatione in diœceſim & urbem Aretinam ſupra egimus, vicinis eccleſiis communicata fuiſſe. Saltem de venerandis illorum exuviis, quæ in Italia honorantur, Franciſcus Dinus pag.* 48 *&* 49 *ſuæ Diſſertationis nos docet ſequentia :* Earum reliquiæ venerantur in eccleſiis Servorum, & in ea S. Sebaſtiani Peruſiæ, & meminit Jacobillus de reliquia S. Eugegii poſt Vitas Sanctorum Umbriæ : & in archivio abbatiæ Aretii lib. 39 pag. 101 eſt memoria abbatis Aleotti, in qua natratur, quod in eccleſia S. Floræ montis Amiatæ, deperditis hoſtili incendio reliquiis, Boſo Comiti S. Floræ petenti fuerit os & digitus earumdem Sanctarum conſignatus, & cum magna populi veneratione acceptus. Et anno MDCXLIX fuit miſſa epiſtola à Sarſinæ epiſcopo pro impetranda dictæ eccleſiæ Sapigni ab abbate Gregorio Riccardetti aliqua reliquia S. Floræ; qua honorificenter tranſmiſſa, idem epiſcopus cum toto clero ad illam recipiendam extra eccleſiam ſe contulerit.

F

Hiſpani ſibi vindicant notabiles earum partes :

104 *Satis facilè capio, quod vicinæ quædam eccleſiæ in Italia nonnullas ſacrarum reliquiarum particulas ex theſauro Aretini monaſterii accipere potuerint ; ſed non video, quo fundamento Tamayus integra horum Martyrum corpora, aut notabiles eorum partes in Hiſpaniam adduxerit. Imprimis tomo* 4 *Martyrologii Hiſpanici pag.* 289 *in Actis* S. Eugegii *ſeu* Eugenii, *quæ ex cerebro ſuo concinnavit, de ſacris illius reliquiis hæc habet :* Cujus corpus tunc à Chriſtianis ſepultum, poſt ejus partem Aretium Italiæ, & partem ad Salicienſe cœnobium in Hiſpania tranſlatam, utrobique honorificentiſſimè cuſtoditur & colitur. *Deinde hunc ſuum Actorum textum ita latius explicat :* Diximus partem corporis apud Aretium Italiæ cuſtodiri, & optimè : nam eccleſia illa totum habere contendit ex donatione Benedicti III Pontificis maximi facta Joanni epiſcopo Aretino, ut referunt Gallonius, Razzius & Ferrarius : &

AUCTORE G. C.

ne confusionis pondere gravarentur Fratres Minores Conventus Salicensis in Hispania, qui etiam totum Martyris corpus possidere contendunt ex beneplacito Pauli V Pontificis maximi, cujus diploma refert idem D. Petrus Gonzalez Historiæ Salicensis dicto libro 4 cap. 9, unicuique partem pignorum statuere congruum fuit. *Sat confidenter, si sat verè. At ipsum fontem adeamus, quem Tamayus assignat.*

& nonnulla integra corpora

105 *Illustrissimus Petrus Gonzalez de Mendoza lib. 4 Hist. Salic. cap. 3 (non cap. 9, ut Tamayus malè citat) profert assignatum diploma, quod sic incipit:* In Dei nomine. Amen. Noverint universi, quod anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo septimo, die verò quinta mensis Februarii, indictione quinta, Pontificatus autem sanctissimi D. N. Pauli divinâ providentia Papæ quinti anno secundo, coram me notario publico Apostolico & testibus infra scriptis in Aracælitano Conventu sancti Francisci hujus almæ Urbis, personaliter comparuerit reverendissimus admodum pater frater Ludovicus de sancto Joanne Euangelista, prædicator & sacræ theologiæ professor Ordinis sancti Francisci discalceatorum, & dixit, se facere donationem quorumdam sanctorum Martyrum corporum integrorum. *Juvat hîc paulisper subsistere. Si corpora illorum Martyrum, inter quos nominatur aliquis Eugenius, fuerint integra, quo jure Tamayus illa mutilat, & partem* S. Eugenii *relinquit monasterio Aretino, & alteram Conventui Salicensi concedit?*

B

quæ ex cryptis Romanis acceperunt,

106 *At pergamus cum eodem diplomate, in quo nomina sanctorum Martyrum ita exprimuntur:* Crescentius, Philippus, EUGENIUS, Titus, Aurelia virgo & martyr, & Eusebius Papa & martyr. Quæ quidem sacra corpora fuerunt à me dicto notario Apostolico propriis manibus è cœmeterio sancti Sebastiani extra muros almæ Urbis desumpta cum licentia & supplicatione sanctissimi D. N. Pauli Papæ quinti. *An hic Eugenius, cujus corpus extractum est* è cœmeterio sancti Sebastiani extra muros almæ Urbis, *idem dici potest cum* Eugegio *vel* Eugenio, *qui primam sepulturam habuit in suburbio Ostiensi, & cujus corpus inde jam à multis seculis ad diœcesim Aretinam translatum est, ut ex antiquis instrumentis discimus? Cetera in hoc diplomate, quod hîc totum exscribere non vacat, rectè probatur, illas sanctorum Martyrum reliquias, Româ in Hispaniam transmissas, publicæ veneration licitè exponi posse; sed præter quamdam nominis similitudinem nihil est, ex quo colligas, Eugenium illum cum* Eugenio *vel* Eugegio *nostro eumdem esse: imo ex tempore & loco patet, illos multum inter se differre.*

C

ut patet ex Martyrologio Hispanico Tamayi

107 *Nec Tamayo sufficit corpus* S. Eugenii *nostri gratis divisisse, ut ea sacri thesauri parte Hispanos ditaret; quin etiam partem corporis* S. Floræ *& integrum corpus* S. Dionysii *ex eadem Martyrum cohorte popularibus suis liberaliter tribuit, dum Actis* SS. Floræ & Lucillæ, *ex Ferrario desumptis, hæc sua auctoritate addit:* Quarum exemplo, martyrii desiderio incensus Dionysius & alii socii Christum liberè prædicantes, ejusdem judicis jussu decollati sunt: quorum corpora cum SS. Virginum corporibus apud Ostiam à Christianis sepulta sunt; ex quibus postmodum partem exuviarum S. Floræ apud Aretinum (*forte voluit dicere* Aretium *vel subintellexit monasterium*) Italiæ, & partem ejusdem corporis virginis cum integro S. Dionysii corpore apud cœnobium S. Mariæ Hortanæ prope Illorcim in Hispania translatam comperimus.

D

aliisque Diplomatibus

108 *Unde Tamayus illam translationem eruerit, paulo inferiùs in notis significat hoc modo:* Quatenus ad translationem partis corporis S. Floræ, sororis S. Lucillæ virginum Romanarum, & integra sacra lipsana S. Dionysii, earum & aliorum Martyrum socii, Româ [ad] cœnobium Hortense fratrum Minorum prope urbem Illorcim in Murcitano regno Hispaniæ, videndus R. P. F. Alphonsus de Vargas in Historia Virginis Hortanæ § VII fol. 76, ubi fol. 77 authenticum de hujusmodi sacrarum glebarum [translatione] testimonium refert, ex quo patet, quod anno MDCXXIII hæc sacra pignora ibidem ex Urbe fuere translata. *At quomodo hæc iterum cohærent? Tamayus numero præcedente fatetur, corpora harum Martyrum* apud Ostiam à Christianis sepulta *fuisse: hoc autem numero asserit, quod aliqua eorumdem pars anno 1623 ex urbe Romana in Hispaniam translata fuerit. An forte hæ reliquiæ ex prima sepultura Ostiensi translatæ fuerunt ad quoddam cœmeterium Romanum, ex quo desumptæ sunt juxta ipsum instrumentum, quod Alphonsus de Vargas in Historia Virginis Hortanæ à fol. 77 ex Latino Hispanicè exhibet? Sed ubinam talis translationis ex uno sepulcro ad alterum testes aut tabulæ reperiuntur? Ex his ergo ob supradictas rationes etiam concludo, Sanctos illos, qui in Conventu Hortano honorantur, ab hodiernis Martyribus nostris diversos esse.*

E

& testimoniis,

109 *Eodem tomo 4 Martyrologii Hispanici pag.* 289 *memoratur* S. Flora virgo & martyr Romana, *quam Tamayus ab hac nostra distinguit, & de qua ibidem sic notat:* Ejus sacra pignora ex decreto Urbani VIII Pontificis maximi anno Domini MDCXL translata sunt ad Hispaniam, concedente R. P. F. Joanne ab Annuntiatione Fratrum Discalciatorum SSS. Trinitatis, redemptionis captivorum procuratore generali, ut patet ex diplomate superius adducto. *Diploma illud adduxerat ad diem* IX *Aprilis tomo 2 sui Martyrologii à pag.* 564, *ubi dicitur corpus istius* S. Floræ *cum aliis multorum Sanctorum reliquiis* ex Calixti cœmeterio *extractum, & in Hispaniam transmissum. Tamayus autem tomo 4 præfati Martyrologii pag.* 290 *affirmat, sacra ejus pignora* Salmanticensi collegio per R. P. F. Isidorum de S. Joanne, tunc ministrum generalem, concessa *fuisse.*

F

quæ pro sua possessione

** lege soror*

110 *Tunc verò ibidem hanc distinctionis rationem allegat:* Quæ aut qualis ista sit virgo & martyr, penitus ignoro: nam sororem * Lucillæ haud esse possit, quia ejus corpus partim apud Aretium Italiæ, & partim in cœnobio Minorum sanctæ Virginis Hortanæ in Hispania juxta Illorcim asservatum agnoscimus. *Næ Tamayus hîc præter morem scrupulosus est! Quandoquidem jam corpus* S. Floræ *dispertire cœperat, eodem fundamento, id est nullo, potuisset istud in tres aut plures partes dividere, ut collegio Salmanticensi, æque ac Hortano Conventui gratificaretur. Nos non audemus ullis extra Italiam concedere veras* SS. Floræ, Lucillæ *aut* Eugegii *reliquias, nisi sese illas ex Aretino monasterio accepisse legitimè probaverint. Hinc prudens lector facile colliget, quid de sequentibus eorumdem corporum competitoribus sit sentiendum.*

ipsimet allegant.

111 *Martinus de la Naja, rector collegii Bilbilitani Societatis Jesu, Cæsar-Augustæ anno* 1653 *Acta* SS. Floræ, Lucillæ, & Eugenii *ex Petro Damiani & Petro Equilino Hispanicè edidit. Huic opusculo occasionem præbuit quædam S. Lucilla, cujus corpus anno* 1643 *ex urbe Romana Bil-*

A *Bilbilim tranſlatum eſt, & ibidem in collegio noſtro honoratur, ut initio narrationis iſtius Hiſpanicæ pag. 1 videre eſt. Ubique autem R. P. rector ſupponit, hanc S. Lucillam cum hodierna* S. Floræ *ſorore eamdem eſſe. Attamen poſt Acta in fine pag. 22 ex Baronio & Gallonio refert, corpora harum Sanctarum in civitate Oſtienſi à Chriſtianis ſepulturæ tradita fuiſſe, & illuſtre illarum martyrium ac ſacras reliquias Aretii in Tuſcia multum celebrari. At nos ex hac ſepultura Oſtienſi, & Aretina reliquiarum celebritate concludimus, quod S. Lucilla Bilbilim tranſlata ob ſolam homonymiam confuſa fuerit cum altera, quæ cum ſorore ſua &* Eugegio *rege martyrium ſubiiſſe narratur.*

Sacra capita SS. Floræ & Lucillæ

112 *Ex Hiſpania tranſeamus in Galliam, ubi etiam aliquæ eccleſiæ veras eorumdem hodiernorum Martyrum reliquias ſibi vindicant: nam Nicolaus Deſ-Guerrois in libro Gallico, cui titulus eſt* Sanctitas Chriſtiana: *& in quo præcipuè hiſtoriam Trecenſem illuſtrat, ad annum Chriſti 262 à fol. 27 verſo Acta* SS. Floræ, Lucillæ *ac* Eugenii *oratorie amplificat, & tandem fol. 30 verſo aſſerit, ſacra capita harum duarum Virginum in Tricaſſino Ordinis Præmonſtratenſis cœnobio, quod vulgo* ſacellum S. Mariæ ad plancas *dicitur, ab immemorabili tempore honorificè conſervari, & quotannis ad diem* XXIX *Julii magna confluentis populi devotione viſitari. Attamen paulo ſuperiùs ex Baronio tradit, tranſlationem eorumdem corporum ad diœceſim Aretinam anno 861 contigiſſe, ideoque cautè addit, forte illum duorum ſacrorum capitum theſaurum eodem tempore in Galliam allatum fuiſſe.*

B

in diœceſi Trecenſi

113 *Nicolaus Camuzatus in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis fol. 363 de memorato Præmonſtratenſis ordinis cœnobio ſic obiter agit:* Nec verò iidem comites liberalitatis eximiæ fructu, tum monaſterium Belli loci, quod ejuſdem regulæ mandritas paulo antè ſuſceperat, tum cœnobium Capellanum, quod B. Mariæ de capella ad plancas ſeu aſſeres vulgus appellat, eodem pænè tempore *(videlicet ſeculo* XII*)* in Tricaſſina diœceſi conſtitutum, carere ſuſtinuerunt. *Cum itaque tranſlatio iſtarum Sanctarum ad diœceſim Aretinam ſeculo* IX *facta fuerit, & Comites Brene ſeculo* XII *dumtaxat monaſterium Capellanum fundaverint, Præmonſtratenſibus iſtius loci cœnobitis probandum incumbit, ſacra illarum Virginum capita jam à ſeculo* IX *in Galliam allata eſſe, vel poſtea ex Aretino theſauro ad ſuum cœnobium perveniſſe. Sed antequam has notabiles* SS. Floræ *&* Lucillæ *reliquias ipſis certò attribuam, antiquos & fide dignos hujus tranſlationis teſtes ac tabulas requiro.*

C

& corpus S. Eugenii Lemovicis in Gallia eſſe perhibentur.

114 *Lemovicis in Gallia publicæ veneration exponitur corpus S. Eugenii, quem aliqui cum hodierno* S. Eugegio *vel* Eugenio *confundunt, ut didici ex litteris cujuſdam Galli, cujus nomen caſu à reliqua epiſtola avulſum eſt, & qui ad majores noſtros poſt alias eruditas quæſtiones ita ſcribit:* R. P. A. Girard è Societate Jeſu in nova & magna Sanctorum Legenda, quam nuper edidit, ſub finem nonnullas addidit Sanctorum Vitas, quorum corpora è Romana civitate ad diverſas Galliarum eccleſias tranſlata ſunt, ut ſancti Marini ſenatoris & martyris, qui colitur XXVI Decembris, & cujus corpus tranſlatum eſt ad Urſulinas Cadomenſes in Normannia Gallica anno MDCLV. Item S. Theodoræ virginis & martyris, de qua in Actis S. Alexandri Papæ, quæ colitur 1 Aprilis, & cujus corpus ad eaſdem Urſulinas eodem tempore tranſlatum eſt, ut in illa Legenda videre eſt. Denique habet & Vitam S. Eugenii regis cujuſdam Africani & martyris ad diem XXIX Julii, cujus Acta refert Petrus Damianus tomo 2 Operum in fine: & in fine addit ille P. Girard, quod corpus illius Eugenii regis & martyris inventum fuerit Romæ in cœmeterio Callixti anno MDCLXII, & inde ad Carmelitas diſcalceatos Lemovicis tranſlatum anno MDCLXIII, ibique ſolenniter fidelium venerationi expoſitum. Illa corpora eſſe eorum Sanctorum, quorum Acta habentur, mihi non facilè perſuadeo. *Neque nos id facilè in animum inducemus, ut ex præcedentibus ac ſequentibus ſatis colligi poteſt.* AUCTORE G. C.

§ III. Reliquiæ SS Eugenii, Antonini, & Theodori, quæ in Germania eſſe exiſtimantur.

Urſinenſe cœnobium in Germaniæ

E

PRater Italicas, Hiſpanicas & Gallicas hodierni S. Eugegii *vel* Eugenii *reliquias, de quibus paragrapho præcedente egimus, eaſdem ſibi vindicat Urſinenſe cœnobium, cujus ſitum & fundationem Bruſchius Centuria 1 Monaſteriorum Germaniæ fol. 161 verſo ſic deſcribit:* Urſinium, vel (ut nunc corruptè dicitur) Irſingum olim caſtrum eo ipſo loco conditum, ubi hodie S. Stephani templum in editiore colle conſpicitur, nunc verò monaſterium Ordinis ac inſtituti Benedictini ampliſſimum ac pulcherrimum, paululùm infra Khauffburnium oppidum imperiale non procul à Wertachio amne in mediis denſiſſimiſque nemoribus ſitum, fundatum & locupletatum eſt anno Chriſti MCLXXXII, regnante Friderico Barbaroſſa Suevorum duce & præglorioſiſſimo imperatore, ab Henrico marchione de Rumſperg & ejus filiis Godefrido & Bertholdo & Irmelgarde filia, in media eccleſia ibi ſepultis. *Corbinianus Khamm in ſua Hierarchia Auguſtana part. 3 cap. 13 ſect. 1 pag. 363 locum ejuſdem cœnobii ex diſtantia vicinorum oppidorum ita clarius indicat:* Urſinum, Urſinium, Irſingum, vernaculâ linguâ Irſen, Irſe dictum, imperiale ampliſſimum, & pulcherrimum monaſterium diſtat unâ horâ ab oppido imperiali Kauffburâ, quatuor Mindelhemio, quinque Ottoburâ, & ſex horis Landſpergâ.

juxta litteras ampliſſimi abbatis

F

116 *Ampliſſimus D. Placidus, hujus monaſterii abbas, anno 1670 ad Papebrochium noſtrum humaniſſimas dedit litteras, in quibus poſt honorificam Operis noſtri mentionem ita pergit:* Cum verò & ego pro monaſterio meo ante paucos annos integrum corpus S. Eugenii regis & martyris Româ allatum obtinuerim, qui modò in magna habetur veneratione, atque de ejus Vita & tranſlatione quædam habeam documenta, uti accluſi libelli monſtrabunt, optarem ego atque rogarem, ut R. V. hunc etiam ſanctum Eugenium, ſi fieri adhuc poſſit, & ita viſum fuerit, ſuis faſtis ad XXIX Julii inſereret: poterit autem, ſi auctores citati non ſatis fide digni videbuntur, addere, demere, augere, minuere, mutare, prout placebit. Utut ſit de auctoritate de Vita ejus ſcribentium; hoc tamen certum eſt, quod ſcribitur de ejus inventione & tranſlatione. Poſſem & referre quædam beneficia ab ipſo ægris collata, quæ cum nondum ſint approbata, omitto.

& libellum Germanicum

117 *Benigniſſimus ille abbas de veritate Actorum dubitari quidem permittit, & nimiam nobis ea augendi, minuendi ac mutandi licentiam concedit; ſed ſupponit, S. Eugenium iſtum ab hodierno*

AUCTORE G. C.

erno hujus nominis Martyre non differre. Id manifestius apparet ex libello Germanico, quem idem abbas litteris suis adjunxit, & in quo post vulgarem Actorum synopsin solennitas translationis rhythmis Germanicis, choro musico, aliisque ejusmodi ornamentis decoratur. Huic libello etiam præfixa est imago, quæ S. Eugenium corona, sceptro, ac vestibus regiis exornat, & tamquam glorioſum Ursinensis monasterii patronum repræsentat. Infra istam effigiem æri incisa leguntur sequentia: Sanctus Eugenius rex & martyr, Romæ anno CCLXII passus, ibidem jussu sanctissimi Papæ Alexandri VII anno MDCLXVI cum S. Antonino socio martyrii ex cœmiterio Priscillæ à reverendissimo & illustrissimo archiepiscopo Octaviano Carrapha effossus, ac inde demum anno MDCLXVIII in imperiale monasterium Ursinense Ordinis S. Benedicti sub reverendissimo D. abbate Placido solenniter translatus est. *Ex his communis istorum cœnobitarum persuasio satis intelligitur.*

corpus hodierni S. Eugenii sibi tribuit.

118 *Ceterum nos juxta desiderium reverendissimi abbatis de veris alicujus S. Eugenii reliquiis, ad monasterium Ursinense translatis, nullo modo ambigimus, cum illarum reliquiarum inventio, translatio, & licita veneratio in eodem libello legitimis instrumentis probentur; at præter nominis similitudinem nullum videmus fundamentum credendi, has reliquias spectare ad S.* Eugenium *martyrem, qui hac die in Martyrologio Romano refertur. Quod si hæc nominis similitudo ad id asserendum sufficiat, nos eodem fundamento contendere poterimus, corpus S.* Eugenii *regis in Domo Professa Antverpiensi Societatis nostræ conservari, cum martyrem istius nominis è cryptis Romanis acceperimus, & cum legitima licentia ipsum publicæ veneration exponamus. Interim nemo nostrum id sibi persuadet; sed sacras illius reliquias veneramur tamquam veri martyris, cujus gesta ignoramus.*

& in Angelomontano Helvetiæ monasterio martyr ejusdem nominis

119 *Cœnobium Angelomontanum, quod inter Uraniæ Subsilvaniæque montes in Helvetia situm est, eodem jure ad* S. Eugenium *regem pertinere crederet corpus S. Eugenii martyris Româ acceptum, de quo R. D. Ignatius ejusdem monasterii abbas ad majores nostros ita scribit:* Paucis abhinc annis Româ divini favoris eximium pignus montibus nostris illatum, sacrum videlicet sancti martyris Eugenii corpus, quod de mandato sanctissimi domini Alexandri VII ex cœmeterio S. Ciriacæ unà cum aliis decem sacris corporibus extractum (inciso ipsius tumbæ lapidi cum palma nomine S. EUGENIUS M.) ab illustrissimo & reverendissimo D. Marcello Anania, eminentissimi D. Marii Cardinalis Ginetti tunc temporis vicarii generalis vicesgerente, anno Domini MDCLV prænobili D. Thomæ Candido Veneto, auratæ militiæ equiti cum facultate illud publicæ veneration quacumque in ecclesia exponendi, datum, & ab eodem equite D. Thoma ultimâ Maii anno MDCLX reverendissimo & amplissimo DD. Ignatio prædicti monasterii Angelomontani abbati ac vallis domino absoluto, in capsa lignea sigillis eminentissimi D Cardinalis vicarii, ejusdemque vicesgerentis probè munita transmissum, eidemque reverendissimo D. abbati XXIX Junii anno MDCLX per virum honoratum Oswaldum Zelger Subsilvanum solenni ritu loco publico ad hoc deputato præsentatum & in manus consignatum est.

prodigiosa præstat beneficia

120 Quod postmodum processione devotissima in dicti monasterii ecclesiam deportatum, publicæque veneration in sacello sanctorum principum Apostolorum Petri & Pauli expositum primo, quo fieri potuit, tempore aræ, ejusdem honori à præfato reverendissimo D. abbate Ignatio magnis sumptibus, recèns conditæ, sacri corporis partibus priùs inter se artificioso nexu commissis ac opere Phrygio insigniter exornatis, in forma leniter cubantis, impositum est. Et verò tanti sideris seu fulgor seu fama illico magnam tum incolarum devotionem, tum advenarum per invia ac devia quin & per abrupta montium affluxum ac frequentiam excivit; dum sanis subinde corporibus animæ sanitas, ægris verò corporum quoque curatio impertiebatur, adeo ut elapsis proximè tribus lustris & quod excurrit, miracula testium fide dignorum attestatione legitimâ rite comprobata numerum septingentorum facilè excedant. Prodigiosam certè Martyris hujus beneficentiam altero à sacri corporis adventu die, è territorii nostri vasallis, primarius reverendissimi D. abbatis officialis, amanum vocant, Andreas Kuster, sexagenario major, vir quà bello quà pace insignis experientiæ ac prudentiæ expertus est. Is ex maligno, quo dudum periculosè decumbebat, morbo indecorè claudicans infimis à sancto Martyre precibus opem implorans, postridie subitam & constantem incolumitatem obtinuit.

multis reliquias suas piè visitantibus.

121 Fuere (ut variorum corporis languorum persanationes prudens præteream) qui vel quæ à multo tempore per enormia scelera, & quod gravius, per sacrilegas confessiones, in corpore ceteroquin sano, miseras & oppidò contaminatas traherent animas, voto ad S. Eugenium facto, labes non confessione magis quam lacrymis feliciter eluerent. Magnum certè Dei amicum, sanctum & glorioſum martyrem Eugenium summi juxtà ac infimi proclamant. Et sanè pretiosam fuisse mortem ejus in conspectu Domini, qui tam glorioſum fecit sepulcrum ejus, vel ipsâ, præter frequentiora miracula, argumento esse potest tota & tanta sacrorum anathematum, è regione sacelli ejus appensorum, copia, ut quod sæpius experti jam sumus, æternumque experturos nos piè speramus, merito solenni commemoratione frequentiùs accinamus: In servo suo sancto martyre Eugenio consolabitur nos Deus. Amen. *Hæc fusiùs referre volui, ut omnes intelligant, reliquias ignotorum Sanctorum propter crebra miracula aut celebrem earum cultum non esse notioribus ejusdem nominis Sanctis adscribendas: Ursinenses enim non facilè corpus* S. Eugenii *regis & martyris concedent Angelomontanis, quamvis apud hos posteriores plura & illustriora miracula patrentur. Nos pro utrisque nil præter nudum ejusdem martyris nomen stare existimamus.*

Moniales Cistertienses in Bavaria putant,

122 *Cœnobium monialium Cistercienſium in Bavaria inferiore, quod communiter* Vallis felix *seu vernaculè* Seeligenthal *vocatur, & de quo Gaspar Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cistercienſis lib. 3 pag. 21 consuli potest, anno 1668 è Romanis cryptis accepit corpus S. Antonini martyris, & eo loco plerique S. Antoninum illum ex hodierno Martyrum numero esse arbitrantur: nam in libello quodam Germanico, qui Monachii anno 1669 editus est, vulgaria* SS. Floræ, Lucillæ *& sociorum Acta ex Petro Equilino referuntur,* & S. Antoninus *tamquam tener, pulcher, ac nobilis adolescens Romanus describitur, atque cum Helio præfecto loquens in scenam præcipuè inducitur, etiamsi in illis Petri Equilini Actis nullum de his omnibus fiat verbum, sed solum* S. Antonini *nomen exprimatur.*

123 *Idem libellus Germanicus pag. 15 & sequente*

A

ad ſe corpus hodierni S. Antonini tranſlatum eſſe,

quente aſſerit, S. Antoninum *alioſque martyrii ſocios à Chriſtianis ſepultos fuiſſe in eccleſia S. Sebaſtiani extra urbem Romanam via Appia in cœmeterio Calliſti, atque eo loco corpus iſtius Martyris per mille quadringentos quatuor annos, decem menſes, ac viginti duos dies quieviſſe, donec Alexander VII Papa illud è cryptis iſtis extrahi permiſit, quod deinde ad moniales Ciſtercienſes ſolenniter tranſlatum eſt; corpus verò* S. Eugenii *regis, tunc ex eadem crypta eductum, in Urſinenſi ordinis Benedictini monaſterio honorificè collocatum eſt, ut authentica inſtrumenta teſtantur. Neſcio, qua auctoritate aut veriſimilitudinis ſpecie auctor iſtius libelli hunc ſepulturæ locum* SS. Antonino & Eugenio *regi aſſignaverit.*

cui opinioni aliqua difficultas opponitur.

124 *Nolo hîc ei opponere Petrum Damiani, qui corpora* SS. Floræ, Lucillæ *ac* Eugegii *regis in ſuburbio Oſtienſi primùm ſepulta fuiſſe affirmat. Sed contradicit ipſis authenticis Urſinenſis monaſterii inſtrumentis, ad quæ nihilominus provocat: nam R. P. Joannes Laurentius à ſancto Andrea, procurator generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, anno* 1667 *in epiſtola, quam Urſinenſes inter authentica tranſlationis teſtimonia ad calcem ſui libelli Germanici ediderunt, ſic ſcribit:* Cœmeterium, ex quo extracta ſunt duo corpora ſanctorum martyrum Eugenii & Antonini, fuit illud Priſcillæ, quod non fuit expreſſum in litteris authenticis eorum, quia dictæ litteræ authenticæ fuerunt deductæ ex originali continente authenticam generalem omnium corporum, quæ extracta fuerunt eadem die ex cœmeteriis: attamen in capſulis particularibus ſignantur cœmeteria ſingulorum, quando excavantur, quorum omnium ſum ego ipſe teſtis, qui devotionis gratiâ præſens aliquando dictæ excavationi, vidi prædicta duo corpora ſimul extrahi ex eodem loco, ſub eodem lapide ſepulta, cum propriis eorum nominibus. *At cœmeterium Priſcillæ à cœmeterio Calliſti longè diverſum eſt. Quomodo igitur moniales Ciſtercienſes affirmare poſſunt, corpus S. Antonini ſui ex cœmeterio Calliſti eductum eſſe? Hæc inter ſe concilient, ſi poſſint. Nos interim pergimus ad alium ejuſdem caterva Martyrem, quem nonnulli in Germaniam tranſlatum fuiſſe exiſtimant.*

B

Corpus S. Theodori hodierni Auguſtæ Vindelicorum

C

125 *Simon Mayr, Societatis noſtræ ſacerdos, Auguſtâ Vindelicorum anno* 1694 *ad Janningum noſtrum ita ſcripſit:* Miſſum eſt nobis nuper Româ corpus S. Theodori martyris unà cum litteris authenticis, & noſtræ Societatis templo hîc Auguſtæ donatum; jamque pro viribus ſacra oſſa ornantur, ut publicæ venerationi fidelium exponantur, quem in finem cogitamus etiam brevem ejuſdem ſancti Martyris vitæ, mortis, & martyrii epitomen typis edere, ut piis Catholicorum ſtudiis & votis faciamus ſatis. Rogamus itaque R. V. ut, ſi quæ monumenta de hoc ſancto Martyre exſtent, ea vel paucis exſcribi curet, & nobis communicare dignetur: de vita, inquam, de natione, ætate, conditione, morte & genere martyrii, ſi tamen quidpiam de his annotatum reliquit antiquitas. Sed metuo, ut aliquid exſtet. Cum autem plures ſint hujus nominis ſancti Martyres, ut ne dubium relinquatur de noſtro ſacro pignore, ſcriptum eſt nobis Româ, eſſe reliquias S. Theodori martyris, cujus memoria celebretur in Martyrologio Romano ad diem XXIX Julii. Inquiſivi ego in Baronio de hoc Sancto ad annum Chriſti CCLXII tomo 2 fol. 617, ſed præter nomen & necem vix quidquam reperi. Itaque ſi quid porro documenti repererit R. V. obſecro, id nobis ſcribere, cum vacabit, dignetur.

126 *Janningus hiſce litteris reſpondit, tum nomen Theodori ſacro iſtius Martyris corpori recenter inditum, tum cultui illius diem* XXIX *Julii gratis aſſignatum videri; ceterùm de* S. Theodoro, *qui* XXIX *Julii memoratur, nihil exſtare certi præter nomen, quod cum aliis, poſt ſanctas virgines* Floram & Lucillam *paſſis, recenſetur. Non habemus, quod huic Janningi judicio addamus præter alterum S. Theodorum, quem Petrus Paulus Boſca in ſuo Martyrologio Mediolanenſi ad eamdem diem* XXIX *Julii ſic annuntiat:* Romæ ſancti Theodori, cujus corpus Mediolani in eccleſia Conceptionis patrum Capucinorum religioſè conſervatur. *In notis autem dicit, ſe hanc notitiam accepiſſe* ex tabulario PP. Capucinorum, qui hodie peragunt Officium ritu duplici de S. Theodoro. *An is S. Theodorus ſit ex hodierna Martyrum caterva, aliis indagandum relinquo.*

D

& Mediolani conſervari putatur.

127 *Nemo hîc nobis dicat (id ab indiſcretis & rudioribus Catholicis nonnumquam objici audivi) critico hujuſmodi examine devotionem populi erga ſacras reliquias diminui, cum plebs cupiat noſſe geſta illorum Sanctorum, quos veneratur. Sed reſpondemus, cultum Sanctorum, qui veritate niti debet, falſa plebis perſuaſione augendum non eſſe. Quod ſi fervor quorumdam intepeſcat, quia Sanctum illum ignotum eſſe intelligunt, concionatorum eſt plebeio iſti errori occurrere, & auditores ſuos ad veram ſolidamque ſacrarum reliquiarum venerationem hortari. Doceant illos, quod per interceſſionem ignotorum Martyrum aliquando plura præſtentur beneficia, dum eorum auxilium viva fide imploratur. Exemplo eſſe poteſt S. Eugenius, qui in Angelomontano monaſterio colitur, & cujus invocatione plus quam ſeptingenta miracula contigerunt, ut ſupra num.* 120 *ex ampliſſimi abbatis teſtimonio retulimus. Narrent terribilem punitionem æditui, qui reliquias cujuſdam Sancti ſibi ignoti contemnens, ab ipſo Sancto apparente ita multatus eſt, ut poſtridie moreretur, ſicut in opere noſtro ad diem* XXVI *Maii, tomo* VI *ejuſdem menſis pag.* 440 *ex fide dignis teſtimoniis refertur.*

Suggeruntur rationes

E

128 *Quod ſi concionator antiquiora hujus aut ſimilis rei exempla populo velit proponere, adeat Vitam S. Gregorii Magni, quæ in opere noſtro ad diem* XII *Martii illuſtratur, ibique tomo* II *ejuſdem menſis pag.* 154 *inveniet, quod patrata fuerint miracula per pannos, qui corporibus Sanctorum tantummodo fuerant admoti. Hinc idem S. Gregorius Papa Conſtantiæ imperatrici, reliquias S. Pauli Apoſtoli petenti, lib.* 3 *epiſt.* 30 *poſt alia ſic reſpondet:* Cognoſcat autem tranquilliſſima domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore; ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur: quod levatum in eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, acſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut à majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit.

& exempla,

F

129 *Etiam de his pannis ſeu brandeis, contactu ſanctorum corporum ſacratis, intelligendus eſt S. Gregorius, dum lib.* 2 *Dialogorum cap.* 38 *Petrum ita interrogantem inducit:* Quidnam eſſe dicimus, quod plerumque in ipſis quoque pa-

quibus populus

AUCTORE G.C patrociniis Martyrum ſic eſſe ſentimus, ut non tanta per corpora ſua, quanta beneficia per reliquias oſtendant, atque illic majora ſigna faciant, ubi minimè per ſemetipſos jacent? *Tunc verò S. Gregorius interroganti Petro ibidem ſic reſpondet:* Ubi in ſuis corporibus ſancti Martyres jacent, dubium, Petre, non eſt, quod multa valeant ſigna demonſtrare, ſicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula oſtendunt. Sed quia ab infirmis poteſt mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præſentes ſint, ubi conſtat quia in ſuis corporibus non ſint, ibi neceſſe eſt, eos majora ſigna oſtendere, ubi de eorum præſentia poteſt mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa eſt, tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit & non jacere corpore & tamen non deeſſe ab exauditione.

130 *Hæc & ſimilia exempla, quorum plura diligens concionator facilè inveniet, materiam ſuggerunt excitandi populum, ut etiam ignotorum Martyrum patrocinium magnâ fiduciâ imploret: ſi enim per brandea ſeu lintea, corporibus ſanctorum Martyrum admota, fidelibus prodigioſa beneficia præſtentur, quanto magis ea conferentur per ipſa ſanctorum Martyrum oſſa, de quorum veritate nullo modo dubitandum eſt, cum corpora hujuſmodi Martyrum è cryptis Romanis ad alias regiones non transferantur, priuſquam ſeverum examen ſubierint, & in tumulis eorum certa martyrii ſigna reperta fuerint, ut apud Marcum Antonium Boldettum in Obſervationibus ad cœmeteria ſanctorum Martyrum, Romæ anno 1720 Italicè editis, poteſt videri. Ceterùm hæc accuratiùs diſcutere volui, ut eâdem operâ refellerem mendacia hæreticorum, qui nos calumniantur, quaſi ſine ullis prudentiæ regulis obvia qualibet oſſa avidè pro ſacris arripiamus & veneremur. Interea Catholici, contemptis eorum calumniis, juxta majorum ſuorum conſuetudinem Sanctos piè colere pergant, & reliquias etiam ignotorum Martyrum debita veneratione proſequantur.* D

ad ignotorum Martyrum cultum excitari poſſit.

B

DE SANCTIS MARTYRIBUS

SIMPLICIO, FAUSTINO, ET BEATRICE

ROMÆ.

E

P. B. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus horum Martyrum; reliquiæ; Acta.

SUB DIOCLETIANO *Martyrum horum antiquiſſimam ſimul & conſtantem in Occidente venerationem cum vetuſta monumenta, tum uſus hodiernus oſtendunt: adſcripti enim leguntur hoc die Faſtis Hieronymianis juxta probatiſſima quæque exemplaria, à Florentinio aliiſque vulgata; in quibus tamen obſervari velim,* Beatricis *nomen aliquando luxari; ut in codice Epternacenſi ſcribitur,* Biatricis; *in Blumiano* Viatricæ. *Exſtant & orationes propriæ in eorumdem natali ſub Sacrificium olim recitandæ, quæ videri poſſunt in Libris Sacramentorum tam Gelaſianis apud Thomaſium libro* 2, *capitulo* 37, *quam Gregorianis apud Pamelium (cujus præ ceteris codicem laudat idem Thomaſius in præfatione ad opus quod citavimus) Liturgicorum tom.* 2, *pag.* 321. *Conſule ſis etiam Menardum in obſervationibus ad editionem ſuam ejuſdem operis, pag.* 171 *& ſeq. Sunt verò orationes illæ apud Thomaſium & Pamelium prorſus eædem, niſi quod apud hunc integrè recitantur nomina martyrum* Simplicii, Fauſtini & Beatricis; *apud illum verò magis barbarè,* Simplici, Fauſtini, & Viatricis. *Hoc etiam peculiare omnino eſt codici Gelaſiano, quod Martyrum noſtrorum natalem ſolus collocet non* IV, *ut omnes, ſed* V Kal. Auguſti.

Horum cultus in Eccleſia Romana

2 *Sequuntur antiqua Kalendaria Frontonis & Allatii; itemque Martyrologia, ut Romanum vetus, Wandelberti, Rabani, Adonis, Uſuardi, Notkeri, & (ut cetera præteream) Romanum hodiernum; ſed omnia ad hunc, quem diximus, diem* IV *Kal. Auguſti. Horum, ne faſtidio ſint, ſingulorum textus aſſignaſſe ſufficiat; unum pro omnibus Adonianum accipe, unde Actorum noſtrorum vetuſtatem intelligas; ſic enim habet:* Item eodem die (IV *Kal. Aug.*) natale ſanctorum martyrum Simplicii, Fauſtini & Beatricis, temporibus Diocletiani & Maximiani: qui poſt multa ac diverſa ſupplicia juſſi ſunt capitalem ſubire ſententiam; & ligato ſaxo in collo eorum, jactari per pontem, qui vocatur Lapideus, in Tiberinis rheumatibus. Quorum corpora Dei nutu inventa ſunt à beata ſorore eorum Beatrice & à beatis presbyteris Criſpo & Joanne, & ſepulta ſunt in loco, qui appellatur Sextum Philippi, via Portuenſi, quarto Kalendas Auguſti. F

antiquiſſimus probatur

3 Beatrix autem, ſoror Martyrum, cum moraretur apud venerabilem Lucinam, factum eſt, ut quidam vicinus poſſeſſor Lucretius ambiret poſſeſſiunculam ejus. Pro hoc itaque fecit teneri ſanctam Beatricem, & duci ad ſacrificandum. Tunc beata Beatrix exclamavit: Chriſtiana ſum; non ſacrifico dæmoniis. Ducta eſt itaque & carcerali cuſtodiæ mancipata. Cumque in Dei nomine liberè ageret, fecit eam ambitioſus Lucretius præfocari noctu. Quam venerabilis Lucina juxta ſanctos Martyres, germanos ejus, ſepelivit quarto Kalendas Auguſti. Poſt hoc ingreſſus prædium Sanctorum Lucretius, dum ibi epularetur, quædam mulier infantulum lactabat. Qui infantulus coram omnibus in convivio vocem emiſit: Audi, Lucreti: occidiſti, & invaſiſti; ecce, datus es in poſſeſſionem inimici. Ad hanc vocem invaſus eſt à maligno ſpiritu ibi in convivio, & per tres horas vexatus, emiſit ſpiritum. *Hæc ille medio circiter ſeculo nono, ex Actis, ut patebit, infra producendis.* *ex Marliis & libris Sacramentorum.*

4 *Eum-*

A *S. Leo PP. II tranſtulit eorum corpora ad Eccleſiam S. Pauli,*

4 *Eumdem quoque cultum arguunt tranſlationes reliquiarum variæ; quarum unam refert Anaſtaſius Bibliothecarius ad S. Leonem PP. II, de quo ita ſcribit:* Hic fecit eccleſiam in urbe Roma juxta ſanctam Bibianam, ubi & corpora Sanctorum Simplicii, Fauſtini & Beatricis, atque aliorum Martyrum recondidit, & ad nomen beati Pauli apoſtoli dedicavit ſub die vigeſima ſecunda menſis Februarii; ubi & dona obtulit; *idque anno, ut contendit Pagius, Chriſti* 683. *Cum verò hîc nulla fiat mentio loci, unde hæc tum corpora ad eccleſiam S. Pauli allata fuerint, incertum eſt, primane hæc fuerit eorum tranſlatio, an hanc aliæ præceſſerint: & primam quidem hanc fuiſſe indicat Octavius Pancirolus in Theſauris almæ Urbis abſconditis, regione* 2, *eccleſiâ* 45, *quæ eſt S. Mariæ Majoris, pag.* 261; *cum aſſerat, ab eodem S. Leone eruta tunc fuiſſe hæc corpora ex cœmeterio jam dicto in via Portuenſi, ubi primùm condita fuerant. Verùm hujus rei teſtem requirimus antiquiorem.*

qua collapsâ, partim ad S. Mariam Majorem delata ſunt,

B 5 *Certius eſt, tranſlationem hanc alias, ſed longo intervallo, eſſe conſecutas; id quod ipſæ teſtantur reliquiæ, aliis modò locis collocatæ: nam teſte Aringho Romæ ſubterraneæ tom.* 1, *lib.* 2, *cap.* 20, *num.* 5, *cum eccleſia S. Pauli vetuſtate collapſa jam eſſet, inde* ſanctorum Simplicii, Fauſtini, & Beatricis corpora . . . in S. Mariæ Majoris baſilicam, unà cum ipſa marmorea arcâ, ubi aſſervabantur, delata, pio ac religioſo fidelium cultu deinceps cuſtodienda depoſita ibidem fuere. *De arca illa ibidem num.* 1 *hæc ſcripſerat:* Quorum (*nempe* Simplicii & Fauſtini) marmoream arcam, in qua depoſiti primùm fuerant, in ſacrario baſilicæ S. Mariæ Majoris, inſcriptione hac prænotatam, diligenter olim ſuſpeximus, videlicet:

MARTYRES SIMPLICIVS ET FAVSTINVS
QVI PASSI SVNT IN FLVMEN TIBERE, ET
POSITI SVNT IN CIMITERIVM
GENEROSES
SVPER PHILIPPI.

Ita Aringhus; & fere etiam Baronius in annotatis ad hunc diem in Martyrologio. Ex hac porrò ſatis alioqui barbara epigraphe colligendum videtur, S. Beatrici *tumulum illum cum Fratribus ſuis non fuiſſe communem; cum horum tantummodo nomina præferat. Cætera iſtic notata ex Actis & annotatis lucem accipient.*

C *partim ad S. Nicolaum in Carcere, & S. Andream de Valle.*

6 *Eamdem tranſlationem loco mox aſſignato recenſet Pancirolus, ſed & tertiam ſimul adſtruit; cum dicta tria corpora non integra narret eſſe apud S. Mariam Majorem, ſed mediam eorum partem aſſervari in eccleſia, S. Nicolai in Carcere dicta. Fatetur interea, ignorari omnino tempus tum diviſionis hujus, tum tranſlationis utriuſvis. His adjungi poteſt quarta, qua reliquiarum S. Beatricis pars notabilis devenit ad eccleſiam, S. Andreæ de Valle nuncupatam; ut in Hemerologio ſacro Urbis, die* XXIX *Julii, tradit Carolus Bartholomæus Piazza his verbis:* Feſtum (SS. Simplicii, Fauſtini & Beatricis, *de quibus ibi diſſerit*) celebratur in baſilica S. Mariæ Majoris, ubi corporum eorum pars magna ſervatur; & in eccleſia S. Nicolai in Carcere, ubi eſt pars altera; & ad S. Andream de Valle, ubi S. Beatricis exponuntur inſignes reliquiæ. *Et hæ Romæ quidem celebrantur, tametſi etiam cum exteris eccleſiis communicatas fuiſſe oporteat, cum & Bononiæ aliquas repererit Maſinius; & ſi Nicolao Bertrando credimus,* S. Simplicii *corpus, aut ſaltem pars ejus inſignis Toloſam in Gallias pervenerit. Et vel Tamayo, id genus pignorum avidiſſimo, non ignobilem partem haud gravatè concederem, ſi eâ acquieſceret; minimè vero, cum totum ipſe* S. Beatricis, *& quidem hujus corpus ſibi vendicat, ſub Gregorio XIII, ut pro ſua auctoritate audet aſſerere, inventum; quod poſtmodum, nempe anno* 1649 *Innocentius X, ad Mariam Annam Hiſpaniæ reginam Mediolanum miſerit per Cardinalem Ludoviſium. Non negaverim equidem, ſacrum aliquod corpus, ſub eo nomine, ſanctis quibuſque feminis facile aptabili, reginæ iſti dono datum, aſt hujus* S. Beatricis *fuiſſe, unde vel remotè colligi poſſit, prorſus non invenio: ut proinde admittendam continuo non cenſeam turgidam hanc Tamayi annuntiationem:* In regali Scurialenſi cœnobio, beatæ Beatricis virginis & martyris, ſororis ſanctorum Simplicii & Fauſtini, quæ cum in ergaſtulo ſuffocata expleviſſet agonem, Gregorio XIII Pont. Max. inventa & honorificè cum fratribus ſepulta eſt. Nunc vero ejus ſacra lipſana S. D. N. Innocentius X Pont. Max. Sereniſſimæ Mariæ Annæ Hiſpaniarum reginæ Catholicæ, inter alia pietatis munera, in itineris tutelam emiſit, quæ in Hiſpaniam advecta, locum in regali cœnobio ſeculis permanſurum invenere. *Cum his confer quæ habentur in Martyrologio Novocomenſi, ut de antiquiori poſſeſſione facias conjecturam.*

AUCTORE P. B.

E

7 *Acta Martyrum noſtrorum, qualia typis edidit Mombritius tom.* 2, *fol.* 293, *exſtant in plurimis ac pervetuſtis Codicibus manu exaratis; ut ſunt in Muſeo noſtro ſignati Q Ms.* 6, *Q Ms.* 7, *aliique, ſed minus antiqui; tum alibi plures, ut in archivo eccleſiæ Audomaropolitanæ, in cœnobio Præmonſtratenſium canonicorum Windbergenſi in Bavaria, à quibus eorumdem Actorum apographa jam olim accepimus; item alii, ad quos hæc apographa examinata fuerunt, in monaſterio Cartuſiæ Brugenſis, in cœnobiis S. Maximini & S. Martini Treviris, in bibliotheca quondam celebri Belſortiana; his adde codices Romanos, Vaticanum & Vallicellenſem, quos hic ceteris congruere patet ex fragmentis illis Actorum noſtrorum, quæ profert Aringhus, ſupra num.* 5 *citatus. Quid plura? Adonem hæc eadem vidiſſe ac deſcripſiſſe propemodum nemo dubitabit, ubi elogium ex illo datum cum Actis hiſce contulerit.*

Acta Mss. erant jam inde à ſeculo 9 ſeparata ab Actis S. Anthimi presb. & M. interpolatis,

8 *Eadem, quamquam paulò ſuccinctiùs, habes in Actis S. Anthimi presbyteri & martyris, quæ dedimus ad* XI *Maii, imò potius in Actorum illorum appendice, ſeu capite tertio. Et licet paſſim in codicibus occurrant ſic, ut modò producentur, ab Actis S. Anthimi eorumve appendice ſeparata, & in pleriſque quidem codicibus illis Acta S. Anthimi nulla prorſus legantur, ne in illo quidem, quem ſecutus eſt Ado (utpote qui nudam S. Anthimi die* XI *Maii memoriam proponit, nihil adjungens elogii) putamus tamen, Acta Martyrum noſtrorum nequaquam ſeorſum, ut nunc exſtant, fuiſſe compoſita, ſed ſimul cum Actis S. Anthimi, aut horum appendice, ſive capite tertio. Manifeſtum id faciunt, quæ juxta omnes codices num.* 2 *narrantur de corniculis duabus ſingulas quotidie nuces ad SS. Lucinam &* Beatricem *afferentibus; quæ omnino ita reſpiciunt ea, quæ in Actis S. Anthimi cap.* 3, *num.* 12 *præcedunt, ut ſine illis intelligi non poſſint; ideoque forſitan ab Adone, Notkero, Petro de Natalibus lib.* 6, *cap.* 153, *Jacobo de Voragine cap.* 99 *in Actorum noſtrorum epitomis omiſſa ſunt; quia nullus eorum S Anthimi Acta viderat; ſine quibus, quid ſibi vellent in Actis Martyrum noſtrorum corniculæ, divinare non poterant. Avul-*

quibus antea fuerant inſerta, forte à quodam Actorum interpolatore;

F

AUCTORE P. B.

ſa igitur hæc ab illis fuiſſe primò credimus, ac ſic deinde ſeparatim in varios codices tranſiiſſe. Niſi quis velit, in Actis S. Anthimi & ſociorum multa fuiſſe de variis Martyribus ſeorſim primò ſcripta, quæ deinde in maſſam unam non ſine interpolatione coaluerint, à qua denuò abſtracta fuerint Acta hæc noſtra, cornicularum epiſodio vitiata.

Unde & nunc incorrupta non ſunt; fide tamen in pleriſque digna.

9 *Epiſodium dixi, ut mitiùs agerem, quam Tillemontius notâ* 1 *in S. Lucinam, Monum. eccleſ. tom.* 4, *pag.* 758, *ubi fabulam illud appellat. De eo certè nihil eſt in Actis melioris notæ S. Sebaſtiani M. die* XX *Januarii pag.* 278; *ubi tamen occaſio erat rem eamdem, ſi re vera contigiſſet, verbo ſaltem uno indicandi. Idem omittit Baronius ad annum Chriſti* 302, *num.* 114, *ubi Acta noſtra compendio tradit, addens in margine, ea eſſe* in aliquibus corrigenda; *quod intelleXiſſe videtur primùm quidem de hoc ipſo epiſodio, cum illud ipſe ſupprimat; tum de vitiis quibuſdam ſyntacticis aut ſimilibus levioris momenti: nam quod ad narrationis ſubſtantiam pertinet, eam adhibet ipſe, nil corrigens. Et ſanè quid in illis carpi merito poſſit ultra, non video; ſaltem ſi per ſe ſpectentur Acta, reſciſſis iis, quæ hæc antecedunt & ſequuntur in Actis S. Anthimi cap.* 3, *quæque huc propriè non pertinent. Quod enim Tillemontio Monum. eccl. tom.* 4, *pag.* 560 *diſplicere viſa ſit narratio cædis & occupati prædii S.* Beatricis *per Lucretium, hominem, ut ille ponit, privatum, id leve eſt: privatum etenim non fuiſſe Lucretium, ſatis Acta produnt num.* 2; *tametſi ex officio publico miniſter undequaque perfidus privatum ſectatus eſſe commodum dicatur. Corrigendum ergo quidem cum Baronio monumentum hoc antiquitatis putamus; at nequaquam Tillemontio aſſentiendum, qui illud pag.* 559 *aptum eſſe negat ad fidem ullam faciendam; cum tamen eodem iſtic utatur; & quorſum, obſecro; niſi ad fidem faciendam? En igitur ipſa*

A C T A

Ex editis Mombritii & plurimis Mss.

C

Simplicium & Fauſtinum fratres martyres ſepelit Beatrix ſoror,

TEmporibus Diocletiani & Maximiani, ſceleratiſſimorum imperatorum, multi Chriſtianorum necati ſunt in urbe Roma propter nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. Eodem autem tempore contigit, ut quædam, Beatrix nomine & opere, quæ erat ſoror ſanctorum Simplicii & Fauſtini, qui pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti multa & diverſa ſupplicia, quæ illata ſunt eis à carnificibus, juſſi ſunt capitalem ſubire ſententiam *a*; & corpora eorum, ligato ſaxo in colla eorum, ſic mitterentur *b* per pontem, qui vocatur Lapideus *c*, in Tiberinis rheumatibus *d*: quorum corpora Dei nutu inventa ſunt juxta locum, qui appellatur Sextus Philippi *e*, via Portuenſi *f*. Tunc beata Beatrix unà cum beatis Criſpo & Joanne presbyteris *g* aliiſque Chriſtianis levaverunt corpora ſanctorum martyrum Simplicii & Fauſtini de fluvio, & ſepelierunt ea ibi in Sexto Philippi *h*, quarto Kalendas Auguſtas. Et hæc, ut diximus, beata, Beatrix nomine, eorum ſoror, poſteaquam ſuis ſepulturam fratribus Martyribuſque Chriſti fecit, venit ad venerabilem Lucinam *i*, & apud eam morata eſt per menſes ſeptem *k*, in quo omni ſpatio ſemper duæ corniculæ cum ſingulis nucibus advenerunt *l*.

a
b
c d
e f
g
h

D
i k
l

2 Factum eſt autem, ut quoddam prædium, quod fuerat beatæ Beatricis commune cum Fratribus, vicinus poſſeſſor ambiret. Tunc itaque fecit tenere * beatam Beatricem & duci ad ſacrificandum idolis. Tunc beata Beatrix dixit ad eos: Ego non ſacrifico dæmoniis, quia Chriſtiana ſum. Quare Lucretius dixit ad eam: Accede nunc, & ſacrifica magnæ deæ Dianæ, & libera te à diverſis ſuppliciis, quæ te exſpectant. Itaque beata Beatrix exclamavit voce magna dicens ad eum: Numquam tibi bene ſit *m*, Lucreti; ego jam tibi dixi, quia Chriſtiana ſum, & Domini mei Jeſu Chriſti ancilla; & reprobis idolis tuis numquam ſacrifico. Quibus auditis, juſſit eam Lucretius carcerali cuſtodia mancipari, quouſque de ea cogitaret *n*. Cumque in Dei nomine obſtitiſſet *, fecit eam ambitioſus vicinus Lucretius præfocari noctu à ſervis ſuis; & ſic tradidit ſpiritum Domino: quam etiam ſancta ac venerabilis Lucina unà cum ſuis ſanctiſſimis Fratribus ibi in Sexto Philippi ſepelivit quarto Kalendas Auguſtas *o*.

ubi & ipſa deinde Martyr ſepulta fuit,

m

n

* *codd. al.* perſtitiſſet; *al.* liberè ageret; *al.* perſeveraſſet.

o

3 Poſt hæc autem ingreſſus eſt prædium Sanctorum, & fecit Lucretius convivium, in quo inſultans * Sanctis Dei, dum epulantur * & eſſet ibi mulier, quæ filium ſuum lactabat, ille infantulus, pannis involutus, vocem emiſit in convivio coram omnibus, dicens: Audi, Lucreti; occidiſti & invaſiſti: ecce, datus es in poſſeſſionem inimici. Ad hanc verò vocem impalluit Lucretius, & tremor ac timor invaſit eum; ſtatimque etiam ſatanas in eum ingreſſus, ibi in convivio per tres horas vexavit eum, quouſque ſpiritum ejus tolleret. Tantus autem metus irruit in omnes, qui aderant, ut ſimul omnes ad Chriſtianos confugium facerent, & Chriſtiani facti, omnibus enarrarent paſſionem ſanctæ ac beatæ martyris Beatricis, virginis Chriſti, in convivio vindicatam. Lucina autem venerabilis femina cum fugeret, aſperitate territa paſſionis, apparuit ei ſancta Dei Beatrix, dicens: Noli abſcedere: quia in hoc menſe pax dabitur eccleſiis Chriſti *p*. Quod factum eſt, Domino auxiliante., & regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

E

Deo necem ejus ulciſcente; & per eam revelante finem perſecutionis.

* *al.* inſultabat; *al.* inſultabant

* *al.* epularetur; *al.* epularentur.

p

F

ANNOTATA.

a *Per* ſententiam capitalem *intelligit Tillemontius, ubi de S. Lucina, tom.* 4, *pag.* 559, *illam, qua capita Martyribus amputata fuerint. Sed ſi eſt ita; quomodo poſt reſecta capita,* ligato ſaxo in colla eorum, *mitti poterant in Tiberim? Malim ergo* capitalem *accipere* ſententiam *pro ea, quæ necem qualemcumque imperaret: atque adeo præfocatos fuiſſe aquis Tiberinis hoſce Fratres exiſtimo; id quod inſcriptio ſupra num.* 5 *exhibita non obſcurè confirmat.*

b *Ita eodices fere omnes. Sed patet, nullam hîc eſſe ſyntaxim. Vel igitur reſtituenda eſt ex Actis S. Anthimi* XI *Maii, vel ita legendum cum vetuſtiſſimo Ms. S. Audomari:* Eodem autem tempore ſanctus Simplicius & ſanctus Fauſtinus pro nomine Chriſti poſt multa ac diverſa ſupplicia, quæ illata ſunt eis à carnificibus, juſſi ſunt capitalem ſubire ſententiam; & corpora eorum, ligato ſaxo in colla eorum, mittebantur per pontem, qui vocatur Lapideus, in Tiberinis rheumatibus. Quorum corpora Dei nutu inventa ſunt jux-

A juxta locum, qui appellatur Sexto Philippi, via Portuenſi. Tunc beata Beatrix unà cum beatis Criſpo & Joanne &c.

c Qui vulgo Lapideus, ſed à prudentioribus Lepidi vocatur, *inquit hoc die Notkerus in Martyrologio. Appellatur & Sublicius & Æmilius, eſtque unus ex antiquis octo pontibus Tiberi Romæ impoſitis, idemque, quem defendit Horatius Cocles, donec à tergo abrumperetur, quemque pro ligneo lapideum poſtea fecit Æmilius Lepidus, teſte Leandro Alberto in deſcriptione Latii, ubi de hoc plura legi poſſunt. Vide & Aringhum Romæ ſubterran. tom.* 1, *lib.* 1, *cap.* 6 *num.* 10.

d *Id eſt*, in fluenta Tiberina : rheuma *enim Græcè* fluxum *ſonat.* Tiberis *verò cui notus non eſt ?*

e *Codices alii habent* Sexto Philippi ; *plerique* Sextum Philippi ; *codex S. Martini Treviris*, Sexto milliario Philippi. *Variant quoque hîc exemplaria Martyrologii Hieronymiani apud Florentinium. Sunt, qui exiſtiment, vocatum ſic fuiſſe locum, quòd ſexto ab Urbe milliari diſtaret ; ſed longius abfuiſſe, docet Aringhus Romæ ſubterraneæ tom.* 1, *lib.* 2, *cap.* 20 : *ubi de hoc loco unicè agit. Mirabilis ergo prorſus hæc fuit inventio ſacrorum corporum, ut quæ ſine manifeſto prodigio tot milliaribus abripi non poterant flumine, cum eſſent colligatis depreſſa ſaxis ; neque adeo ibi quæri aut inveniri potuiſſe videntur ſine divino quodam indicio.*

B

f Via Portuenſis *erat, quæ juxta ripam Tiberis Româ ducebat ad Portum Trajani ; ſicut Oſtienſis appellabatur, quæ juxta ripam adverſam ſtrata fuit uſque ad oſtia Tiberina.*

AUCTORE P. B.

g *De* SS. Criſpo & Joanne *agendum erit cum Martyrologio Rom. die* 18 *Auguſti.*

h *Ubi nimirum cœmeterium erat Generoſes, juxta epigraphen in commentario num.* 5 *propoſitam. Adi Aringhum paulo ante citatum.*

i *Colitur* S. Lucina *die* 30 *Junii, quando de illa eſt actum. Ex hoc autem loco veriſimile videtur, quod obſervavimus in Actis S. Sebaſtiani M. die* 20 *Januarii cap.* 11, *num.* 36, *eamdem eſſe* Beatricem *hanc noſtram cum illa, quæ dicitur ibidem cum S. Lucina de ſacro fonte ſuſcepiſſe feminas à S. Polycarpo tinctas.*

k *Ita & in Actis S. Anthimi, & hîc in pleriſque codicibus ; in quibuſdam tamen, ut Audomaropolitano, & noſtro P Ms.* 157 *legitur* per dies ſeptem.

l *Adi Commentarium num.* 8 *&* 9.

m *An & hoc corrigendum eſt ; an potius explicandum eo modo, quo apud interpretes Scripturæ ſacræ illud Petri Actorum cap.* 8 *verſ.* 20 : Pecunia tua tecum ſit in perditionem ?

n *Hæc & ſimilia ſanè homini privato non quadrant, qualem hunc* Lucretium *ſtatuit, neſcio quo fundamento, Tillemontius.*

E

o *Hoc eſt, eodem menſe ac die, quo Fratres ejus, ſed non eodem anno, ut patet ex numero præcedenti.*

p *Tillemontius in S. Lucina tom.* 4 *Monum. pag.* 560 *ſuſpicatur, hîc prædici pacem illam qualemcumque, quæ eccleſiis, maximè occidentalibus, accidit, cum Diocletianus & Maximianus Herculeus imperio ceſſerunt menſe Maio anni* 305.

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS VIA PORTUENSI

ABSEODO, RUFO, ABDO, PONTIANO ET NICETO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XXIX JULII

C

Am dixi, horum anteſignanum in codice Epternacenſi adſtrui Philippum, *qui non ad proprium Martyris nomen, ſed ad cœmeterii, ad* Sextum Philippi *referendus eſt: ubi & id etiam in eodem codice notandum, quod hanc claſſem cum tribus fratribus, jam relatis, Simplicio, Fauſtino & Beatrice confuderit ; in Lucenſi vero atque in Blumiano* Felix *aliquis immiſceatur, qui cum Africæ poſitione melius infra recurrit. Purior eſt Corbeienſis annuntiatio, ubi tamen pro* Niceti *legitur* Diceti.

F

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

FELICE, NICETA VEL NITICA, POSTINIANA VEL POSTUNIANA, ET PHILIPPO,

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XXIX JULII

Os quatuor Martyres Afros eſſe, colligere me cogunt codices Lucenſis & Corbeienſis : tametſi Epternacenſis poſt nomen Felicis *inſertam habeat particulam* alibi ; *in eo præterea à reliquis diſſentiens, quod inter Poſtinianam & Philippum* Patruinam *intrudat, quæ ab aliis ad ultimam claſſem reducitur ; ut proinde ad ſolos quaternos martyres tota hæc turma reſtringatur, cum ea ſola differentia, quam in ipſo titulo expreſſimus, quod pro* Nicetæ, *Corbeienſis legat* Nitiœ, *ſolus vero Epternacenſis* Poſtunianæ. *Nihil præterea recurrit quod obſervatione dignum ſit.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS INCERTI LOCI

ANASTASIA, PHILIPPO, SATURNINO, CÆLESTIO, PATRUNIA ET PELAGIA.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XXIX Julii. *IN variis noſtris codicibus variè diſpoſiti Sancti, ordine hîc deſcripto recenſendi videntur. Jam monui* Patruinam *in Epternacenſi tranſpoſitam fuiſſe, quæ in Lucenſibus* Patrunia *dicitur. Magis etiam à genuino textu recedit Corbeienſis, dum pro* Pelagia *quæ agmen claudit,* Jocundinum, *neſcio quem, aliis prorſus ignotum ſubſtituit. Nimis quam manifeſtum eſt, aliorum codicum auctoritatem hîc præferendam.*

DE S. FAUSTINO CONFESSORE

J. B. S. B

Tuderti in Umbria.

XXIX Julii. *TUdertina civitas jam in Actis noſtris ſatis nota eſt: de Martano autem ſeu Martulano epiſcopatu, jam pridem antiquato, agit Ughellus tomo* 10 *novæ editionis col.* 129, *cujus primum epiſcopum S. Brutium retulimus ad* IX *hujus menſis; de altero S. Felice pauca dicturi* XXX *Octobris. Hæc nos ducunt ad* S. Fauſtinum *qui S. Felicis diſcipulus fuiſſe ſupponitur, origine, ut volunt Martanus, Tudertì vero honoratus, de cujus ætate aut geſtis nihil uſquam traditum eſt, ut gratis plane notarit Ferrarius,* vixiſſe ſub Diocletiano & Maximiano. *Neque ſane in ſacris Faſtis noſtris vel memoriam reperias præterquam in ſolo Martyrologio Romano, in hac parte à Baronio auctо, ut qui in annotatione nihil alleget præter* veteta monumenta eccleſiæ Tudertinæ, quæ ad nos, *inquit*, allata ſunt: *ea utique quibus ſubinde uſus eſt Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, expreſsè aſſerens, ſe ea accepiſſe ex Officiis eccleſiæ Tudertinæ, recens Romæ approbatis; puta ſub elapſi ſeculi principium, quibus quod adderent nec Jacobillus de Sanctis Umbriæ, nec Poſſevinus de Tudertinis quidquam magnopere habuere, id nos unicè docentes, coli iſtic Sanctum Officio duplici, ſub ea lectione, quam hîc ex Ferrario ſubjicimus:*

De ejus cultu Tuderti

Fauſtinus S. Felicis epiſcopi Martani diſcipulus, cum magiſtrum ſuum martyrio afficiendum accepiſſet, ad illum veniens ad fortiter mortem pro Chriſto perferendam hortatus eſt. Cum vero magiſtrum ſepeliſſet, ad ejus ſepulchrum manens viſiones Angelorum habere meruit. Is baſilicam in S. Felicis honorem ab epiſcopo Spoletano inchoatam perfecit. Tandem poſt magnas perſecutiones, & calamitates, quas ſanctiſſimè vivens perpeſſus eſt, miraculis clarus migravit in cælum IV Kal. Auguſti. Cujus nomini à civibus Tudertinis, in agro haud procul à caſtro, quod vulgus S. Fauſtini villam appellat, eccleſia conſtructa & dedicata eſt. *exſtat lectio.*

C F

DE SANCTA SERAPHINA

J. B. S.

Ex Martyrologiis

XXIX Julii. *NUdum hîc nomen profero abſque ullo virginis aut martyris titulo, quòd eum expreſſum non reperierim, neque de geſtis, patria aut ætate vel verbum uſpiam.* Mamiam *nominari, id fateor, at fruſtra à me quæſitam, vel in ipſa Armenia minore, ubi ipſam Ferrarius, divinando, opinor, collocaverat. Minus etiam queo perſpicere, quid Caſtellanum moverit, ut ad marginem notaret* circa annum CCCCLXII, *utpote de qua jam dixi, nihil à me præter ſolum nomen repertum, & quidem poſt longam tædioſamque diſquiſitionem. Ignoraſſe prorſus Baronium de qua Sancta ibi ageretur, ex eo manifeſtè patet, quod ſola hæc verba annotarit:* Tam in Martyrologio antiquo Romano, quam in veteri Ms. de ea habetur mentio hoc die. *Quale iſtud Ms. ſit, neſcio; niſi codicem Strozzianum viderit, quem habes in auctariis Uſuardinis. Porro* Romanum antiquum, *quod ipſe appellat, non aliud eſt quam Belini* ſecundùm morem curiæ Romanæ, *in quo ſic plane legitur:* In Mamienſi civitate, ſanctæ Seraphinæ. *Grevenus pro* Mamienſi *ſubſtituit* Mamerti: *pejus etiam Maurolycus* Hamienſi, *ex quibus, uti & ex Molano lucis tantumdem hauſeris.*

Solo nomine nota

Atque hîc manum ſubduxeram, ulterioris indagationis pertæſus, dum aliud agens, incidi in Tamayi Martyrologium Hiſpanicum, ubi prima ipſa laterculi annuntiatione tam multa, tam putidè fingi potuiſſe vehementer miratus ſum. Audi commentum purum, putum: Mamiæ in Gallæcia Hiſpaniæ, S. Seraphinæ virginis, quæ cum à B. Jacobo Apoſtolo, fidei rudimenta perciperet, & poſtea orationibus, jejuniis & caritatis operibus vacaret, ad Sponſum caſtitatis flore migravit. *Ita ille, in obſcura quæque graſſari ſolitus, & favente Juliano ſuo geographiam & topographiam* *à Tamayo mirè depingitur.*

A *am ad nutus ſuos inflectere. Et notas quidem ſuas à novo mendacio exorſus eſt, dum ait* recoli ipſam, *nempe* S. Seraphinam, in antiquo Martyrologio Romano Roſweydi, *quod neſcio an à limine unquam ſalutaverit. Tum vero alia ex ſymmiſtis ſuis comminiſcens, ſus deque vertit omnia, quæ hîc pluribus piget refellere. Aulum Halum non moror, neque Actorum ſeriem ex Juliano Toletano inverecunde compaginatam, uſque adeo ut vel ipſius obitûs annum, nempe 56 ex Dextri conjecturis aſſuere non dubitaverit.* AUCTORE J. B. S.

DE S. CALLINICO MART.

GANGRÆ IN PAPHLAGONIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus ex Martyrologio Romano ac Faſtis Græcis, elogia, palæſtra martyrii, Acta.

DIE XXIX JULII.

Lorioſus ille Chriſti Athleta ab heſterno die inter Prætermiſſos ad hodiernum rejectus, inſcribitur Martyrologio Romano, hiſce verbis eum commemoranti: Gangræ in Paphlagonia S. Callinici martyris, qui virgis ferreis verberatus, aliiſque ſuppliciis cruciatus, tandem in fornacem injectus, ſpiritum Deo reddidit. *Apud Græcos memoria ejus vulgatiſſima eſt, uti liquet ex eorum Faſtis, nimirum Typico S. Sabæ, Menologio apud Caniſium, Menæis magnis prælo editis, Synaxario Baſiliano, Calendario, quod vulgavit Genebrardus, Horologio utroque, Anthologio; Horologio item ſeu Horis canonicis monachorum Baſilianorum Cryptæ Ferratæ, apographis denique Ambroſianis; ut Martyrologium Arabico-Ægyptium, ac Menologium Slavo-Ruſſicum præteream, & Kalendarium Ruthenorum apud Poſſevinum; in quo vocatur* Callimachus; *nonne minus rectè, quia non ſatis conformiter ad tot alia exemplaria, quæ* Callinicum *conſtanter ſcribunt?*

B *Cultus apud Latinos ac Græcos:*

2 *Menæa citata præter verſum acroſtichum, aptant ipſi poſt ſecundam ejus annuntiationem ſequentes verſiculos:*

verſiculi ex Menæis excuſis:

Βληθεὶς ὁ Καλλίνικος ἐν καμίνῳ,
Τὸ νικηφαλὲς εὗρε καὶ θεῖον σέφος.
Εἰκάδι ἀμφ' ἐνάτῃ φλὸξ Καλλίνικον κατέδαψε.
Dum Callinicum flamma fornacis vorat,
Pulcri triumphi lauream à Deo obtinet.
C Vicenâ nonâ flamma exuſſit Calinicum.

Alluſio eſt in nomine proprio Καλλίνικος *& adjectivo* νικηφαλὲς: *quæ* pulcri triumphi *vel* pulcrè triumphantis *ſignificato reddere poſſis Latinè.*

3 *Ex elogiis illud integrum Latinè hîc verto, quod apud nos habetur Græcè ſub finem tomi* 1 *menſis Julii, in Synaxario Baſilii imperatoris. Sic itaque ſonat:* Callinicus Chriſti martyr fuit ex regione Ciliciæ. Dum verò Chriſtianus eſſet, & verbum Dei doceret, auctor erat, ut abſtinerent à rebus vanis, Chriſtum autem omnium factorem agnoſcerent: unde comprehenſus, ad præſidem ductus eſt, & omnigenis ab ipſo tormentis ſubjectus: ferreaque calceamenta indutus clavis acutis inſtructa, coactus eſt currere ante equos, uſque ad civitatem Gangrenſem, quæ diſtabat ſtadia ſexaginta: & poſtquam pedes emenſus eſſet ſexaginta ſtadia, & vidiſſet, quod milites, qui ſe abducebant, præ ſiti animo linquerentur, fuſis precibus, eduxit aquam è terra, & potavit eos. Et dum ad Gangrenſem pervenerat civitatem, in carcere concluſus eſt; ac paucis pòſt diebus è carcere ejectus, & coactus Chriſtum negare, & morem non gerens, igne vivendi finem fecit: ac pretioſum ipſius corpus manibus Chriſtianorum in ipſo loco, ubi martyrium compleverat, depoſitum eſt.

elogium ex Synaxario Baſilii imperatoris,

4 *Porro* Gangra *ſeu* Gangre; Gangræ *item numero plurali &* Gangra, *urbs eſt in Paphlagonia mediterranea, caput gentis ac regia ſedes.* Ultimus Paphlagoniæ rex fuit Deiotarus, Caſtoris filius, cognomento Philadelphus Morzeos regiam habens, & Gangra oppidulum ſimul ac caſtellum, *teſte Strabone lib.* 12. *Urbs iſta magis innotuit ſynodo ibi habita; de qua Labbeus tom.* 2 *Conciliorum à col.* 413; *notatque Severinus Binius ibidem col.* 428 *ex Stephano, quamdam hujus nominis urbem fuiſſe in Arabia felice, & ex Niceta quamdam item* Gangram *Ponti indicat. In titulo autem dictæ ſynodi rectè quidem* Gangra *hæc noſtra attribuitur Paphlagoniæ; ſed ibidem expungendum cenſemus,* ſeu regione Pelaſgorum, *quod ab alio quodam perperam hîc adjectum ſit. Et verò adjectio iſta rectè abeſt à noviſſima Conciliorum editione, à noſtro Joanne Harduino vulgata. Etenim auctore Plinio lib.* 4, *cap.* 4, Peloponneſus, .. antè appellata *fuit* Pelaſgia, *Græciæ in Europa peninſula.* *in quo poſita Gangra martyrii palæſtra* E

5 *Porro ſitum urbis Gangrenſis aſſignat Cellarius in mappula expanſa ante librum* 3 *Geographiæ antiquæ; quem tamen ibidem cap.* 8, *pag.* 192 *fatetur,* difficile eſſe invenire: quia nec Ptolomæus habet, neque in Itinerariis apparet; præterquam quod Peutingerianâ tabulâ GANGARIS exſtat, quæ haud dubiè, *inquit,* Gangra eſt: unde iter Pompeiopolim per XXXV dirigitur; hinc Synopen per XXVII. Quæ ſi ita ſunt (nec verò certiora habemus) magnopere errant, qui ad flumen Halyn ponunt, ut fit in indice Conciliorum etiam Labbei editionis, *col.* 122 *Apparatus prioris. Sed non videmus, quod adeo* magnopere errent *illi; nam tametſi fluvio iſti, prout notatur in eadem mappula, proximè & immediatè contigua non ſit Gangra, ſi tamen* ad *cum aliqua loci latitudine accipias pro* verſus, *ſic impactum à Cellario errorem vel excuſabis vel ſaltem aliquouſque mitigabis. Atque hæc quidem de palæſtra martyrii in producto Sancti elogio expreſſa.* F *hîc elucidatur:*

6 *Ejuſdem in ſubſtantia argumenti ſunt elogia in Menæis magnis excuſis, apud Caniſium, & in novo Anthologio: minutiunculas non moror hîc: de quibus mentio fiet in annotatis ad Acta. In ſchedis quoque noſtris Mss. notatum invenio elogium Græcum cum iſto exordio:* Οἵοντι πάχεσιν; *additurque eſſe,* Pariſiis in B. R. cod. 389. *Illud ſingulare eſt, quo abſolvitur elogium in Anthologio,* *cui in ſubſtantia conſonant alia elogia: ædes Sancti CPoli; Gangra item cum reliquiis.*

AUCTORE J. P.

thologio, *& dictis Menais* : Celebratur ejus solennitas juxta Justiniani pontem, & juxta Petrium ; *de quibus vide Cangii indicem ad CPolim Christianam* ; *apud quem etiam invenies* portam seu portulam S. Callinici, *lib.* 1, *pag.* 50 ; *& lib.* 4, *pag.* 180 *tradit*, *quod pons iste ab æde* S. Callinici *appellationem sumpserit* ; *quam ædem reædificavit Basilius Macedo*, *teste Porphyrogenito in Avi Vita cap.* 93. *Antiquissimam insuper* apud Gangras .. ecclesiam sancti martyris Callinici, *&* reliquias ejus *seculo* 5, *sub Anastasio imperatore*, *habes lib.* 15 *historiæ Miscellæ* ; *de qua etiam æde meminit Cedrenus ad annum* 25 *dicti imperatoris. De Martyris festo nonnulla observamus in annotatis lit.* k.

Acta Græca, latinè edita apud Surium,

7 *Habemus Acta Græca*, *transcripta*, *sicut apponitur*, ex Julio Metaphrastæ bibliothecæ regis Franciæ ; *hoc titulo prænotata :* Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος τοῦ Χριστοῦ Καλλινίκου. Martyrium sancti & glorioſi megalomartyris Christi, Callinici. *Sic porro incipit :* Τῆς εἰδωλικῆς μανίας ὑπερφυοῦς, καὶ πάντα ὑπερμεμιμένης καὶ διαφθειρούσης. *Finitur autem hoc modo :* Δίδε ἡμῖν ὁμαλῶς καὶ ἀπροσκόπως τὴν τοῦ βίου διαγωγὴν τραχυτητι,

B

ὡς ἂν ἄκλυστοι τῶν πειρασμῶν διανηξάμενοι θάλασσαν, τοῖς τῆς ἀναπαύσεως λιμένι καθορμισθείημεν, αὐτὸν ἔχοντες κυβερνήτην ἐν τῶν πρεσβειῶν, τὸ κύριον ἡμῶν καὶ σωτῆρα &c. *Unde planum fit*, *quod illud Martyrium coincidat cum eo*, *quod sub nomine Symeonis Metaphrastis editum est apud Surium* ; *quod videre etiam est apud Lipomanum tom.* 6.

non satis bonæ notæ.

8 *Et sanè sive is verus Martyrii auctor exstiterit*, *sive alius quispiam anonymus*, *sub isto nomine ab aliis adoptatus*, *parum refert cognoscere : hoc unum dicere possumus*, *in hoc Martyrio*, *tametsi non longo*, *quosdam non obscuræ notæ characteres relucere*, *quæ dramaticas Græcorum compositiones præferunt. Exempla sint prologus*, *dialogismi*, *ac tota narrationis congeries*, *in qua genuinorum Actorum materia nullatenus possumus invenire*, *neque illum ex ea satis commodum tempus elicere martyrii. Apud Surium quidem adscribitur in margine annus* 250 ; *sed unde*, *& quam verè*, *ipse viderit. Baronius autem ad annum* 254 *Martyribus sub Decio passis annumerat hunc nostrum* ; *sed ex nullo id monumento probat. Interpretatio apud Surium Latina satis exacta & contorta est* ; *quam nunc exhibeo.*

C

MARTYRIUM

Sub nomine Simeonis Metaphrastis.

Ex editis apud Surium.

Plures dæmon abduxit in errorem ;

CUm simulacrorum invalesceret insania, & omnia exederet & corrumperet, malis quidem dæmonibus divinus honor attribuebatur : Deo autem creatori & opifici universorum neque animum volebant adhibere, qui erant dediti impietati ; neque ei, quem par est, honorem tribuere. Nam cum mutilatis essent animis ii, quibus obtigerat, ut fierent ad Dei imaginem, veritatis quidem lucem aversabantur, convenientes oculis ad ejus, qui illos fecerat, agnitionem : currebant autem ad tenebras erroris, neque volentes illustrari splendore suæ gratiæ, neque omnino contra intueri, & adspicere ubique diffusum radium cognitionis. Nam cum multam & tenebricosam effudisset malignus in homines ignorationem, & eos omnino in suam redegisset potestatem, à vero quidem & solo Deo disjunxit & abduxit : surda autem & muta simulacra turpissimè persuasit colere & adorare : ut sic eos omnino expugnaret & subjugaret. Sed qui nos custodit & servat Dominus, non concessit ei, ut omnino suum in nos impleret odium : neque se adeo impudenter gereret, ut nos omnes conculcaret. Multi enim eum vicerunt, & omnes ejus vires perdiderunt. Domini enim amore inflammatis eorum animis, & totis ejus, qui est potens, charitate confirmatis, ad bellum gerendum adversus inimicum strenuè & audacter processerunt ; omnibus quidem membris lacerati, & carnis compagibus resoluti, recreationem autem ac delicias ea, quæ magnos dolores afferunt, tormenta existimantes : quos adhuc certaminum sanguine distillantes accepit Christus agonotheta.

D

sed à variis superatur ; quos inter S. Callinicus,

2 Puræ namque ei oblati sunt hostiæ, & victimæ voluntariæ. Propter quæ communis superatus inimicus, cecidit admirabili quodam casu, illis spectantibus. Cum eo congressus magnus quoque Athleta, & corona redimitus Callinicus, cujus luctam & certamina in præsenti prosequitur oratio, usque adeo derisit ea, quæ sunt ejus terribilia, ut tamquam infantem prima statim lucta postraverit, & humi affixerit. Sed ejus quidem egregii Viri omnia singulatim dicere & referre, nec ulla posset oratio, nec quæ ab eo gesta sunt, auditione fuerunt accepta ab omnibus, ut possint omnia proferri ab omnibus. Quædam autem pauca, & quæ eorum, qui audierunt, minimè fugiunt memoriam, (etenim interfuerunt quidem, cum decerraret Martyr, & viderunt nonnulla eorum, quæ fiebant) præsenti oratione tradentur memoriæ Sic enim & nostro satisfaciemus desiderio, & Athletæ afferemus brevem laudem martyrii.

E

fidei propagandæ studio clarus ;

3 Hic ergò divinus & magnus Callinicus in bona, & omnium rerum fertili Ciliciæ regione natus, fuit præclarè educatus, Deum quidem omnium salvatorem & effectorem ab infantia confitens & honorans : simulacra autem, nullo sensu prædita & planè surda, abhorrens & habens odio. Qui cum etiam vellet pietatem ubique disseminare, usus est multis & longis peregrinationibus ; vitam quidem dignam religione exercens ; vitæ autem institutum exornans religione. Fidem enim in Christum non solum in sinu ferre, sed etiam publicè prædicare, pium esse existimans, cognitus fuit à multis magister veritatis : quos perinde ac quidam magnes trahebat ad seipsum, & avertebat ab errore. Ab ejus enim, tamquam alicujus sirenis, dulcissimo verborum capti sono ii, qui audiebant, statim deducebantur ad fidei agnitionem, pulcra ei effecti præda.

F

Ancyræ Galatiæ præsertim ; ubi sistitur præsidi :

4 Cum verò multos vicos & civitates obiens, perveniſſet Ancyram *a*, Galatiæ civitatem magnam, & populo frequentissimam, (erat autem verbum divinum in ea explicans & dividens) & multi ex iis, qui tunc illic erant, fuissent ejus doctrinæ participes, accensa est ab aliquibus in eum invidia & odium inconsideratum. Qui enim divinas insolenter despiciebant admonitiones, & aversati quidem erant veritatem, tamquam terra autem petricosa semen verbi non admittebant, fidei Præconem accusant apud eum, qui tunc erat præses civitatis, virum quidem plenum impietate, plenum item ira & crudelitate. Ei autem erat

rat nomen Sacerdos *b*. Ad quem cum productus esset Athleta, & venisset in ejus conspectum: Quid, inquit, audax & arrogans præses Sancto, adversus tantam potentiam audes solus ex aliis te insolenter gerere, idque cum sis advena, & non nostras, omnibus se submittentibus, & diis sacrificia offerentibus, & eos studentibus habere benevolos ac propitios; per quos nobis donantur, quæcumque sunt optima & pulcherrima? Sed tu quidem non solùm non accedis diis sacrificaturus, & eos placaturus: sed eos etiam ab instituto dimovens, qui volunt accedere, verbis ad inducendum accommodatis decipis, neque corporis fretus magnitudine, neque authoritate ulla aut dignitate. Cui Martyr Christi sic mansuetè respondit & placidè:

cui egregiè respondet,

5 Ego quidem me fateor esse hominem specie humilem & pusillum: circumfero autem in hoc meo vase fictili pretiosum meum thesaurum, & margaritam Christum Dominum meum & Salvatorem Jesum, cujus sum servus: cui projectus sum ab utero, qui est mihi divitiæ, gloriatio & virtus; per quæ sunt mihi delectabilia & longè jucundissima quæcumque sunt in vita aspera & molesta. Non est ergo mirum, ô præses, si cum talis sit mihi Dominus, contendo & decerto, ut & ipse me à vitii rubigine expoliam, me integrum & sincerum, quoad ejus fieri potest, conservans, & quemadmodum ab errore idolorum eos, qui sunt decepti, avellam, & adducam ad veritatem. Qui enim abducit peccatorem ab errore viæ suæ, (ut dicunt divinitus inspirata eloquia) servabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Atque utinam tu quoque à me persuadereris, præsentem quidem relinquere deceptionem, ad veritatis autem lucem accedere. Tunc enim re vera cognovisses, quid sit universorum quidem Deus & Dominus: quid autem, quæ sunt apud vos simulacra; quæ revera sunt animæ exitium & interitus.

deridens minas & tormenta,

6 Hæc cum mala audiisset anima, & quæ ea, quæ sunt honesta, habet odio, quæ contineri non poterat, irâ fuit repleta, & Sanctum torvè intuens: Mihi, inquit, videris mortem vitæ præferre jucundissimæ, & ideo adversùs deos verbis usus es insolentibus, & amentiam tuam significantibus, hæc puerilia & inania contexens, & uno *c* spiritu proferens: sed scias futurum, ut nihil horum tibi prosit, neque te aliquis ex meis manibus eripiat, ne is quidem, quem tu profiteris Deum & Salvatorem. Omnia enim tua membra contrectabo, & quodcumque est acerbum, tibi inferam supplicium: ut ipsâ scias experientiâ, quantum sit malum non patere iis, qui dominatum obtinent, & quam multis sint pœnis obnoxii ii, qui deos subsannant, & eorum cultum repudiant. Quem Martyr audacius fixis intuens oculis: Noli, inquit, differre, nec protrahere: sed cito para omnia tormentorum instrumenta. Veniant flagella, ensis, ignis, rotæ, & quæcumque alia excogitata fuerunt ad supplicia. Est enim mihi unum solum terribile & formidandum, ne quid timeatur plus quam Deus, & ab ea, quæ illic est, separet beatitudine. Alia autem omnia, quæ meo corpori inuleris, voluptatem mihi potiùs reputabo, quam cruciatum, propter meum in Deum amorem.

quibus

7 Tunc præses cum desperasset fore, ut mutaretur, jubet ei totum corpus cædi nervis crudelissimis. Qui cum cæderetur, clamabat præco: Agnosce deos, Callinice, & eos invoca, ut te ib hoc tormento eximant. Ille autem tam leniter plagas accipiebat, ut ne videretur quidem omnino pati: tantum abest, ut concideret, aut flecteretur, ad Deum solum totam mentem dirigens, & ei constanter agens gratias, pro quo hæc pati delegerat. Et quo magis videbat corpus sanguine diffluere, eo magis subsannabat eos, qui verberabant, quod non plures & vehementiores ei plagas inferrent. Sunt eæ enim, inquit, longè minores & imbecilliores, quam ego exspectavi, & quam sim tolerare paratus. Propter quæ majori furore percitus Sacerdos, jubet eum pendêre à ligno, & ferreis laniari ungulis. Quem cum etiam circumstetissent lictores agrestes & crudeles, scrutati sunt totam compagem corporis, nulli corporis parti parcentes. Dixisses eum habere naturam lapidis, aut aliquam aliam eorum, quæ sunt dura & repugnantia, cum vidisses eum nulla affici molestia, nec ullo frangi dolore. Sic eum mutavit ejus amor in Christum, ut ejus, quam habebat, obliviscceretur naturæ. Tantum enim abfuit, ut summo tormento succumberet, ut voce libera irrideret & ludificaretur tyrannum. Qua de causa videbatur hic quidem inexpugnabilis; ille autem pudore affectus, & sola quadam inani se exultatione jactitans.

excarnificatur: & ad fornacem destinatur.

8 Cum autem omnino desperasset stolidus, ad hoc ultimum conversus est supplicium, quod solus vel cum admodum paucis excogitavit & invenit: quod quidem erat signum ejus furiosæ & amentis animæ. Nam cum crepidas clavis acutis confixisset, jubet alligari pedibus Martyris, & imperat iis, qui eum abducebant, lictoribus, ut tractus iniret viam Gangram *d* usque. Ut autem majores & acriores ei afferrentur dolores ex perforatione clavorum, cum alios lictores collocasset in equis perniciissimis, cogebat ante eos currere Athletam clavis confixum. Omnino vel ad solum spectaculum fractus esset omnis animus, ne apertis quidem oculis hæc ferens adspicere. Sed non ille immanis, & corde planè lapideo aut natura, est ullo modo commotus, aut dolorem reputavit insuperabilem: sed tamquam iis, quæ gerebantur, insultans, præsidebat superbus, impiam suam animam implens talibus spectaculis. Qui etiam jussit lictoribus, ut simulatque dictam ascendissent civitatem, vehementissimam fornacem accenderent, & Sanctum in eam injicerent: ut etiam, qui illic sunt, aiebat, viderent ejus inobedientiam, atque contumaciam: quoniam in ea quoque civitate multos, ut accepimus, abduxit à cultu deorum.

Insigne Martyr patrat miraculum,

9 Ille ergo magnus Christi Athleta per hanc viam ductus laboriosam, habebat supernam gratiam eum confirmantem & sustentantem: à quo etiam perficiebatur cursus celerius, quam ab illis equis, quantumvis pernicibus. Nam perinde levis, ac si fuisset ad cursum expeditus, cum illis ferro alligatis percurrebat crepidis, psallens illa Davidis: Exspectans exspectavi Dominum, & attendit mihi. Et eduxit me à lacu miseriæ, & à luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Et illud: Dominus illuminatio mea & Salvator meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Postquam autem currens peregit sexaginta stadia *e*, & pervenit ad quemdam locum, qui dicebatur Matrica *f*, facit in eo quoddam insigne miraculum. Nam cum lictoribus, qui eum abducebant, linguæ siti horrerent & æstu immodico, (erat enim mensis Julius) & propter viæ molestiam propemodum deficerent, & nec aqua alicunde appareret, qua sitim sedarent, & se exanimatos re-

EX EDITIS APUD SURIUM.

EX EDITIS APUD SURIUM.

crearent, & nec alia inveniretur ratio, qua malo afferrent remedium, omni ſpe abjecta, ad ſolum Sanctum converſi ſunt, ad ejus pedes provoluti, & hæc ei dicentes cum lachrymis: Ne recorderis noſtrorum malorum, ô Sancte, nec veniant in mentem noſtræ in te contumeliæ. Sed eorum omnium oblitus, fer nobis opem periclitantibus, & da aquam ſitientibus animabus, & quæ ſunt vi æſtus liquefactæ: conſumptus enim eſt nobis humor naturalis. Defecit, ut vides, virtus: æſtus imminet capiti. Nos omnia ſimul opprimunt mala, quæ tuum eſt ſolius mutare & curare.

aqua ex petra deficientes præ ſiti lictores refocillans;

10 Hæc dicentibus lictoribus tenui & imbecilla voce, eorum movetur miſericordia Vir maximè miſericors: & cum ſe convertiſſet ad preces, invocavit Deum, qui injuriarum & malorum obliviſcitur, ne eos deſpiciat tanta oppreſſos neceſſitate: ſed miſereatur, & aquam eis bibendam præbeat, ſicut olim populo, qui erat in ſolitudine, & eos conſoletur, qui ſunt aduſti ſiti. Simul autem cum Sancti invocatione & precibus (ô miraculum!) aqua ex quadam petra effluens, &
B tamquam ex fonte copioſè ſcaturiens, & lictorum torrida ora refrigeravit, repleta illo novo & copioſo fluento, quod poſteris eſt conſervatum ple-
g num & perenne *g*. Non enim defecit fluens ab eo tempore, & numquam eſt conſumptum. Talis fuit Martyris ad Deum fiducia & virtus. Ita eos, qui glorificant ipſum, Deus glorificat. Qui enim ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos, & nutrit omnes tam malos, quàm bonos, quid mirum, ſi his etiam viris, licet ſint moribus ſævi, & cædes ſpirantes, abundè ſuppeditarit ſuam miſericordiam? Qui cum etiam, ut diximus, abundè bibiſſent ex illa aqua, quæ affluxerat, & ſuos recreaſſent ac erexiſſent animos, perrexerunt iter facere, ſequente eos quoque Martyre. Quod
h cum totis ſeptuaginta *h* ſtadiis confeciſſent, Gangram pervenerunt, ſicut eis imperatum fuerat.

ac tandem in fornacem injectus martyrium conſummat.

11 Ceterum lictores non lubentes quidem, (habebant enim ante oculos Martyris beneficium) ſed victi metu eorum, qui obtinebant dominatum *i*, (habebant enim animos molles & flexibiles, & hiantes ad ea ſola, quæ videbantur) feſtinarunt
i facere id, quod juſſi fuerant, eos maximè incitante Martyre, ut abiret celerius ad eum, quem cupiebat. Quocirca cum fornacem ſuccendiſſent,
C & Sanctum propè ſtatuiſſent, jam lætantem & exultantem in eam injecerunt. Qui cum etiam ultimis verbis Deum laudaſſet, & in certaminis conſummatione egiſſet gratias, in manus Domini tradidit ſpiritum, & ad eam, quæ illic eſt, tranſiit
k beatitudinem, vigeſimo nono menſis Julii *k*. Sed tu quidem, ô Beate, martyrum decus & ornamentum, ſic è vita egreſſus, & præmiorum ſtigmatibus decoratus, nunc purus ſedes cum Chriſto ſponſo puriſſimo, in hoc te oblectans & exhilarans, & corona gloriæ ab eo coronatus. Memento autem noſtri quoque deinceps, qui te colimus, & hoc ſacrum tuum feſtum celebramus:
D & da nobis, ut æquabiliter & ſine ulla offenſione tranſigamus vitæ aſperitatem: ut cum non obruti enataverimus ex hoc mari tentationum, in portum quietis appellamus, ipſum habentes gubernatorem tuis interceſſionibus Dominum noſtrum & Salvatorem Chriſtum: Quem decet omnis honor & adoratio in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Ancyra *duplex eſt; de qua obiter meminimus die 28 hujus, occaſione S. Euſtathii martyris.*

b *Elogium Baſilianum, quod ſuprà dedimus, præſidis nomen non exprimit*; Sacerdonem *verò vocat Menologium Caniſianum*; *Menæa excuſa & novum Anthologium* Σακερδῶνα.

c *Græcè eſt ἀπνδυσὶ, id eſt* uno ſpiritu, *vel* ſine reſpiratione. *Merito itaque expungendus eſt aſteriſcus marginalis apud Surium, quaſi* fortè *legendum ſit* vano.

d Gangra *ſuperius explanata eſt.*

e *Menæa excuſa ſic habent*: Jubetur currere E
uſque ad civitatem Gangræ diſtantem ſtadia octoginta. Equo itaque emenſus (διπωδύσας *) ſeptem; *quibus conſonat Anthologium: ſed legendum potius cenſeo cum Synaxario Baſiliano* πεδύσας, *ut intelligatur Martyr juſſus eſſe conficere illud ſpatium itinere pedeſtri*; ſtadiorum, *ſi dicto Synaxario credimus*, ſexaginta. *Ex Menologio apud Caniſium habemus, quod Martyr* juſſus ſit ante equos Præſidis currere uſque ad urbem Gangram, diſtantem ſtadiis octoginta.

* διϊππωδύσας

f *Locum hunc in aliis elogiis non offendo: cujus ex hoc martyrii contextu meminit Ortelius; ſynonymum alterum in Pannonia inferiore oppidum, & Valeriæ Ripenſis indicans.*

g *Menæa excuſa cum Anthologio paucis illud ipſum fere indicant, dum dicunt*: Ἐξήγαγεν ὕδωρ ὅπερ ἡ νῦν εἰς ἔτι πηγάζει. Eduxit aquam; quæ ad hanc uſque diem ſcaturit; *ut habet verſio Latina in Menologio apud Caniſium; tacente Baſiliano Synaxario de continuatione iſtius miraculi.*

h *Loci hujus diſtantia alibi diſcrepat, ex dictis litt.* e.

i Imperatores, *ut ſuſpicor, intelligit; in Græco quippe eſt* τῷ τ κρατέντων: *quos ſi nominare potuiſſet, notam ſuggeſſiſſet chronologicam ad figendum tempus martyrii.*

k *Elogia* S. Callinicum *ſignant eodem quidem die: ſed martyrio tunc functum non memorant: quod alio fortaſſis die contigerit: nam* olim, *teſte Baronio in notationibus*, feſtum S. Callinici celebrari ſolitum fuit VIII Kalend. Novembris, ut apparet ex Actis SS. Synodi Chalcedonenſis: ea enim die, ſexta Actio ejus concilii eſt habita. Verùm ea verba, quæ in tranſlatione Dionyſii exigui poſt ſubſcriptionem epiſcoporum in ea Actione reperiuntur, in Græco textu deſunt hodie; *neque ego apud Labbeum & Harduinum in textu Latino quidquam de hac re invenio.*

F

DE

DIE VIGESIMA NONA JULII.

DE SS. MARTYRIBUS ANONYMIS

PATRE, MATRE AC DUOBUS FILIIS.

Cultus ex duobus Mss. Græcis. J. F.

DIE XXIX JULII.

Cultus ex Menæo Chifletiano ac Mazariniano; cetera nobis incognita.

Ultus publicus anonymorum istorum Martyrum, ab hesterno die inter Prætermissos huc rejectorum, & aliunde nobis ignotorum, nititur duobus nostris apographis Græcis, videlicet Menæo Chifletiano ac Mazariniano. In priore quidem exemplari indeterminatè & prorsus obscurè ita signantur: Πατὴρ, μήτης, ϗ δύο τέκνα. Pater, mater, & duo filii. *In posteriore autem cum majore aliquousque saltem notitia:* Οἱ ἅγιοι μάρτυρες πατὴρ καὶ μήτηρ σὺν δυσὶ τέκνοις ἐν εἰρήνῃ τελ. Sancti martyres pater & mater cum duobus filiis in pace consummantur. *Cum majore, inquam, aliquousque saltem notita; uti perspicuum fit ex sequentibus versiculis, dictæ annuntiationi subjectis:*

Πατὴρ ἐκαύθη καὶ τέκεσσι καὶ τέκνα,
Τὸ πατροφονοτέκτονον ἀθλητῶν γένος.
Matrem, patremque, & filios ignis vorat,
Patrisque simile & matris heroum genus.

Cetera, quæ ad hanc sacram familiam spectant; Deo nota, nobis autem incognita sunt; ac proinde plura his superaddere non licet.

DE SS. BENJAMIN ET BERIO, SEU VERIO, *ET FORTE BENIO, BINÆO, AC BENEO.*

Cultus apud Græcos. J. P.

DIE XXIX JULII.

Sancti isti nec eodem modo nec die notantur in Fastis: * *forte* Βενιαμὶν

Onuntur Sancti isti apud Græcos diverso modo ac diverso die: Menæa quippe magna typis edita, hodierno sic scribunt: Τῶν ἁγίων Βενιαμὶν καὶ Βηρίς. SS. Beniamin & Berii. *Crastino autem, excerpta ex Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ tradunt ista:* Τῶν ἁγίων Βενὶς καὶ Βιναῖς. SS. Benii & Binæi. *Codex Taurinensis die item crastino nomina nobis suggerit* τ῀ ἁγίων Βενιαμὶμ *, Βενὶς καὶ Βενές. Sanctorum Beniamyim, Benii & Benei. Ex istis annuntiationibus, si mendosæ non sint, habemus Sanctos quatuor, diverso modo, tametsi cum summa efformationis affinitate, exaratos. Dixi, si mendosæ non sint annuntiationes; pro qua re quisnam ausit sponsorem se aut vadem ponere? In* Benjamin *quidem minor videtur difficultas; major est in* Berio, Benio *ac* Bineo *seu* Binæo; *quæ tria nomina nos ita concipimus, ne absque sufficiente necessitate Sanctos multiplicemus, ut non sint nisi unius unici Sancti, multiplicato nomine fortassis, quod mendosè scriptum alicubi, ac dein transcriptum fuerit cum incremento. Id tamen propterea quod certò nobis non constat, ideo Sanctos quatuor superius in titulo posuimus cum adverbio* fortè; *si, ut fieri certè potest, singula nomina propria, adeo inter se convenientia, singulos fortasse Sanctos designent.*

2 *Porro publica eorum veneratio confirmatur ex allatis Fastis Græcis, in quibus haud dubiè designatur locus, ubi cultum habuerint; videlicet* Μηνσίον τ῀ παλατίων ϗ Ἑβδόμης. Juxta palatia Hebdomi. *Notat quidem Cangius CPolis Christianæ lib. 4, pag. 120, ex Menæis hoc die* XXIX *Julii*, SS. Benjamini & Verii festum & memoriam celebrari *isto loco*; sed, *addit*, an in æde iis dicata, incertum. *De Hebdomo agit idem auctor ibidem lib. 2, pag. 172, & alibi, sicut videre est in indice ejus ad CPolim Christianam. Plura, quæ circa hos Sanctos observemus, in promptu non sunt.* cultus CPolis

DE S. FELICE PP. II ET MARTYRE *ROMÆ.*

COMMENTARIUS CRITICUS. J. B. S.

DE CULTU, PONTIFICATU ET OBITU.

§ I. Ad quæstiones introductio.

ANNO CCCLIX.

Non agitur hîc de Legendis

On hîc de S. Felicis *Actis prævie illustrandis agitur, quamvis enim multæ ejus reperiantur Legendæ, tum editæ apud antiquiores Bellovacensem, S. Antoninum, Petrum de Natalibus, Mombritium, & quotquot alios numeraveris passim citari solitos, tum vero apud nos variæ exstent Mss.; ingenuè fateri cogimur, nullam prorsus esse, quam tuendam aut satis appositè explicandam suscipere audeamus. Breviores alias invenio ex diversis codicibus descriptas, quarum principium notissimum est;* Fuit temporibus, *quas alio nomine insignire vix possis quam textûs Anastasii, satis per se difficilis, interpolationes; nisi malis dicere, ipsum Anastasii textum, ex hujusmodi farcimine, à*

AUCTORE J. B. S.

Luciferianis forte corraſo, pro majori parte proceſſiſſe. Minus etiam tolerabilis eſt longa ac tædioſa, imo inſulſa hiſtoria, cujus bina exempla inter chartas noſtras reperi ſub hoc titulo: Incipiunt Acta & paſſio beati Felicis martyris atque Pontificis edita à B. Bonifacio martyre & Pontifice. Natalis ejus IV Kalendas Auguſtas. *Inepto & falſo titulo reſpondent ferme cetera, verſibus hinc inde intermixtis, ut ſatis ſit, iſtiuſmodi pium drama hîc nominaſſe.*

ſive antiquis ſive recentioribus;

2 *Æquè diffuſa eſt recentior altera ſancti Pontificis Vita, dicam, an potius ſtudioſa apologia, Romæ ſeculo proximè præterito, à neſcio quo compoſita, cui longa ſcriptorum in ſpeciem ſeries præmittitur, ex quibus nimirum compilata cenſeri debeat, certè in ſequentia quinque capita diviſa.* 1. De Electione Felicis. 2. Qualis fuerit Felix ante adeptam Pontificiam dignitatem. 3. De rebus in pontificatu geſtis. 4. De obitu Felicis & iis quæ obitum ſunt conſecuta. 5. Quid veritati magis congruere videndum ſit (*diceret*, videatur) in præſenti controverſia. *Laudandum utcumque fateor ſcriptoris iſtius conatum, verum in quo tam multa falſa & dubia indiſcriminatim veris immixta ſunt, tot allegata momenti perexigui teſtimonia, ut ſi parerga omnia ſubduxeris, ad paucas pagellas tota diſſertatio facile contrahi queat. Recte, opinor, quis conjecerit, non placuiſſe Romæ verboſiorem commentarium, non ſatis ſolidis fulcris ſubnixum, quem neque mihi eventilare hîc eſt animus; aliæ adducendæ ſunt auctoritates, unde quæ ad* S. Felicis *cultum, pontificatum & obitum ſpectant, paulo ſolidius ſtabiliantur.*

B

alia prius enodanda ſunt,

3 *Huc igitur facit noſtra hæc præfatiuncula, nempe ad enodandas quæſtiones, quæ à duobus jam ferme ſeculis eruditorum ingenia mirum in modum exercuerunt, fatente Baronio, tempore Gregorii XIII eam ſe animo opinionem concepiſſe, quod* S. Felix II, *in titulo hîc propoſitus, non ſolum non* Martyris *titulo donandus, ſed nec* Sancti *appellatione honorandus eſſet, atque adeo è ſacris Faſtis prorſus eradendus, tametſi jam à tot ſeculis in Martyrologiis locum habuiſſet. Notiſſima eſt hiſtoria in ejus Annalibus videnda ad annum* 357, *infra à nobis recitanda, in qua quid ipſum compulerit, ut, mutatâ prorſus ſententiâ,* Felicem *& ut* Sanctum *& ut* Martyrem *agnoſceret, pluribus explicat, non dubitans certè quin inter Romanos Pontifices ipſi locus debeatur, quidquid à nonnullis SS Patrum, Optati, Hieronymi & Auguſtini Catalogis non computetur: quod certè* Felici *huic noſtro peculiare non eſſe, jam pridem oſtendit Henſchenius. Habes paucis intricatiſſimæ controverſiæ præcipua capita, quæ eo ordine diſpertiri conabimur, ut ſingulis ſuis paragraphis ſua proponatur materia, atque ea qua poterit, accuratione expendatur.*

C

convellendaque famoſa præfatio

4 *Ac primò quidem fontem præcipuum deſignamus & aggredimur unde odioſa maximè adverſus* S. Felicem *argumenta depromuntur, quibus, præter ſolitam ſuam modeſtiam, virus affundere non neglexit Tillemontius, infra à nobis conveniendus; nuſquam diſſimulando, quæ ceteri eorum temporum notiſſimi ſcriptores in ſanctum hunc Pontificem, fortaſſe paulo acrius atque ex adverſariorum relationibus hinc inde intorſerunt. Hîc illa potiſſimum tela avertere & infringere conabimur, quæ ex famoſiſſimo presbyterorum Luciferianorum Marcellini & Fauſtini libello precum, dicamus potius ex ſuppoſititia perperamque ei aſſuta virulenta præfatione deſumi conſuevere, quam mirandum prorſus eſt, tam facile ab iis admiſſam qui partes* S. Felicis, *cujus iſtic fama tam turpiter proſcinditur, tutandas ſuſceperunt. Evolvi libellum ſæpius, ipſumque & præfationem expendi attentiſſimè, non abſque gravi ſtomacho, quod audaciſſimi ſchiſmatici, vel apud ipſos Auguſtos in epiſcoporum aliorumque famam liberrime involent, eaque temerè comminiſcantur, quæ mirum eſt Cæſares iſtos Valentinianum, Theodoſium & Arcadium tolerare potuiſſe, ſi verum eſt eorum reſcriptum, ſub finem hujuſmodi precum appoſitum.*

D

ineptiſſimè adjecta

5 *At mittamus tantiſper libellum iſtum ſupplicem ſeu preces, in quibus expreſſis ſuis nominibus & in recto uti loquimur, jam dictos imperatores alloquuntur bini oratores, non Romæ ſed Conſtantinopoli, non tempore* Felicis *aut Liberii aut Damaſi, ſed dum ſimul ipſi regnarent, quod certe non videtur fieri potuiſſe niſi circa annum* 390, *quando de tribus iſtis Pontificibus conqueri minimè poterant præclari illi Luciferianorum patroni; qui proinde toto ſuo illo libello precum, nullum iſtorum Pontificum vel eminus ſalutant, ut prorſus non intelligam, quis eorum opuſculo infame caput præfixerit, quod ab ejus materia ſexcentis paraſangis diſtare oſtenditur; ut jam taceam quod ridiculum videatur, libello ſupplici, tantis principibus offerendo, præfationem adjicere, tametſi ad rem ſpectaret quam proximè; ſatis erat preces effundere, mirum quam inſolentes & duras, ne cruda & immiti ſatyra ornari ipſas oporteret; præterquam quod abſurda præfatio, non ab ipſis compoſita ſit; quod ex fine manifeſtiſſimè patet, dum impius narrator de Marcellino & Fauſtino loquitur in tertia perſona, quemadmodum & ipſe Valentinianus inducitur, quem non niſi ineptiſſimè tali præfatione alloquerentur; ut totis poſt ipſos ſeculis, humano utcumque capiti cervix equina, dicam monſtruoſa, appingi potuerit. Rem introſpiciamus.*

E

æquè inepto libello precum

6 *Ut à titulo exordiar, certiſſimum videtur, eum à Marcellino & Fauſtino prorſus concinnatum non eſſe. Quid, obſecro, ad libellum precum facit* præfatio de eodem ſchiſmate Urſini, *ad quod nec vox una ex toto libello torqueri queat? Quid deinde orationis principium procul accerſitum,* temporibus Conſtantii imperatoris, filii Conſtantini? *Non aliter quis loqueretur de re multis jam ſeculis præterita. Quis igitur binos illos oratores ita garriviſſe cenſeat, de geſtis quibus ipſi nimirum interfuerint? Quis non continuò perſpiciat, Damaſum hîc unicè impeti, quem, quiſquis ſatyræ auctor fuerit, ſtatim* ambitione corruptum *pronuntiat; tum vero tam immaniter dilacerat, ut non* ſchiſma Urſini, *quem* ſanctum, venerabilem, ſine crimine *&* prius Pontificem ordinatum *aſſerit, ſed Damaſum traducat,* impietate maculatum, ſcelerum conſcium *eorumque* auctorem, *ut latrocinantem, vaſtatorem & homicidam? Hæccine, obſecro, ab alio procudi potuerint, quam ab impiiſſimo ſycophanta, qui ſub iſtorum presbyterorum nomine, in S. Damaſum bilem omnem ſuam evomuerit, à non minus ſcelerato Catholicæ Eccleſiæ hoſte poſtmodum collectam, atque in ea adverſaria intruſam, quibus Onuphrius Panvinius notas ſuas in Platinam bellè adornavit.*

F

Marcellini & Fauſtini

7 *Adverſetur quiſquis voluerit, numquam in animum inducam, presbyteros illos Marcellinum & Fauſtinum, utut de cetero audaces, tam inverecundam, tam impudentem, tam mendacem narrationem libello ſuo precum præfixiſſe, nedum imperatoribus tam orthodoxis offerre auſos fuiſſe. Liceat dicere quod ſentio; Videri mihi præfationem iſtam, partum eſſe ſceleſti alicujus tenebrionis hæretici, qui per trium iſtorum Pontificum latus,*

Ro-

A *Romanæ Eccleſiæ faciem, ſemper ſplendidam & immaculatam conſpurcare contenderit, ut proinde nullam omnino fidem promereatur; non majorem certe in iis quæ de* SS. Felice *& Liberio, quam in iis quæ de S. Damaſo patentiſſimè mentitus eſt; ut quid ex pura, puta calumniarum farragine tutò admitti poſſit, quo ſæpius lego, eo minus intelligam. Atqui ex impuriſſima iſta ſentina turbidas ſuas aquas hauſere ii omnes qui* S. Felici *tam inclementer, tanto, ut ita dicam, furore adverſati ſunt: Quid igitur tantopere verebimur, fœtentem cloacam hinc amoliri, dicam apertius, totam illam prætenſam præfationem ab hac controverſia penitus excludere, iiſque ſolis intendere, quæ ex multò certioribus fundamentis depromuntur?*

quam hinc procul amotam volumus.

8 *His præmiſſis, tamquam aſſertis, aut ſaltem poſtulatis, erit diſſertationis noſtræ ordinata ſeries, ut* I *parte, ſeu paragrapho ſequenti ea recenſeamus, quæ ad* S. Felicis *conſtantem in Eccleſia Catholica cultum pertinent ex Martyrologiis aliiſque eccleſiaſticis monumentis, quæ argumentorum noſtrorum ſedes, aut loci communes merito appellantur, quique tales ſunt, ut ſi tamen è ſacris Faſtis excludi debeat ſanctus Pontifex* Felix, B *innumeris aliis, indubitatè hactenus honoratis, idem immineat periculum. Parte* 2, *ſeu altero paragrapho referentur, quæ adverſus ipſum ex aliis ſcriptoribus eccleſiaſticis paſſim admiſſis, Rufino nempe, Socrate, Sozomeno & Theodoreto objici ſolita ſunt; præſertim vero ex SS. Athanaſio & Hieronymo, quibus ſolvendis ſerviet pars tertia. Tum demum de exſilio lapſuque Liberii & noſtri pontificatu; inde de Liberii reſipiſcentia, hujuſque abdicatione, ac poſtremo de martyrio diſputandum erit: è quibus omnibus non ita difficile eſſet emergere, ſi ſinceri & integri ad nos perveniſſent Pontificum Catalogi, quos ſtudiosè corruptos, aut ſaltem interpolatos, ex dicendis manifeſtè perſpicies. Sit igitur*

§ II. S. Felicis cultus in Eccleſia receptiſſimus.

Quam adversâ famâ laboraverit S. Felix

C *ADverſa fama laboraſſe Sanctum, de cujus cultu hìc agere incipimus, in confeſſo eſt, à ſeculo præſertim* XVI, *quo hæretici, Catholicæ Eccleſiæ hoſtes infeſtiſſimi, reconditos quoſque hiſtoriæ angulos ſcrutati ſunt, ut ipſi maculas, rugas & probra quæque inurerent filii apoſtatæ; Catholicis etiam ſcriptoribus in deceptionem adductis: adeo ut Onuphrius Panvinius à codice ſuo Avellanenſi, quem in notis ad Platinam recitat, ſeductus, & ipſum ſecutus Ciacconius aliique rotundè & expreſſis verbis, non dico ut Sanctum ſed nec ut Papam* Felicem *admittere auſi fuerint: quibus tamen occurrêre Victorellus, Oldoinus & reliqui Catholici ſcriptores omnes paſſim, ſi paucos hypercriticos à nobis ſæpe notatos excipias, quibus id familiare imprimis, ut in qualibet Eccleſiæ ulcera, ſive vera ſive ſuppoſita unguem caninum infigant, quidquid vel tantillum olet, avidiſſimè arrodere ſoliti, ut infra patebit evidentius. Quouſque vero præſens controverſia vel in ipſa urbe Romana dicto jam ſeculo adducta fuerit, docebit te Baronius citato ſuperius anno* 357, *num.* 50, *cujus hìc verba iis præmittimus quæ ad ſtabiliendum* S. Felicis *cultum dicere aggredimur.*

docet abunde Baronius,

10 Cum ingreſſus Felicis abſque controverſia à majoribus fuerit exiſtimatus iniquus, & de exitu ipſius eàdem inter ſe pugnantia ſcripta nutent; inde accidit ut temporibus pontificatus Gregorii XIII, dum de emendatione Romani Martyrologii à viris eruditis, ad hoc delectis frequentes haberentur conventus, & de Felice non levis controverſia incidiſſet, expungenduſne eſſet ob vitioſum ingreſſum ejus, vel abſque martyrii titulo relinquendus; deque his diu multumque altercatum eſſet, & ego in eam ſententiam pedibus irem, ut Felicis nomen expungendum eſſet, eoque argumento volumen haud breve ſcripſiſſem, cui faverent adſtipularenturque complures viri eruditi in Urbe tunc exiſtentes; accidit planè, veluti divino miraculo, ut cum in diaconia SS. MM. Coſmæ & Damiani, in foro ad templum pacis poſita, quidam male conſulti, ſed non ſine divina providentia, clam altare unum à dextris poſitum ſuffoderent, ut theſaurum invenirent, quem acceperant, neſcio quo revelante, ibi eſſe repoſitum; in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere, tabulæ lapideæ interſtitio ab altero diſtincto, repoſitæ invenirentur reliquiæ ſanctorum martyrum Marci atque Marcelliani & Tranquillini; in altero vero arcæ latere corpus S. Felicis, de quo agimus, una cum lapideo laterculo ibidem intus poſito, hiſce litteris exarato: CORPUS FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM; quod accidit pridie ejus diei quo ejuſdem S. Felicis in Eccleſia natalis dies agi conſuevit IV Kal. Auguſti anno Domini MDLXXXII, cum de ejus meritis diſceptatio magna eſſet, jamque penè ob innumeras contrarias aſſertiones cauſa cadere videretur: quando opportunè ipſemet Felix viſus eſt, admiratione omnium, redivivus comparuiſſe, per ſe ſuam ipſe cauſam acturus, cum jam valde ſtylo contradicentium eſſet oppreſſus. E

quem Marlia conſulere oportuit,

11 *Aut ego multum fallor, aut ſi Eminentiſſimo Annaliſtæ ea omnia documenta inſpicere promptum fuiſſet, quæ hìc ſubjicienda ſunt, non tam facile ab adverſariis induci ſe ſiviſſet, neque tanto zelo calamum acuiſſet ut* S. Felicem *è Martyrologio Romano expungeret: nam etſi dubium fatear, utrum in codicibus Hieronymianis ſatis expreſſè referatur, potiuſque oppoſitum mihi videri in obſervationibus ad Uſuardum pridem indicaverim, quidquid codex Menardi apud Florentinium ipſi faveat, nemo ſane nobis eripiet auctoritatem Romani parvi, à Roſweydo editi in quo diſertiſſimè leguntur hæc verba:* Romæ, Felicis Papæ & martyris ſub Conſtantio. *Porro Martyrologii iſtius, quod* vetus Romanum *appellavit editor Roſweydus, antiquitas & ſinceritas abunde ſuis locis vindicatæ ſunt, quod preſſè ſecutus eſt Viennenſis inſulatus Martyrologus, hunc Uſuardus & Notkerus, illos ceteri omnes, quorum ejuſdem rei teſtium nubes afferri poſſet: ac nequis frigidè regerat, hos omnes Martyrologos unius inſtar habendos; Rabanum adde, atque haud dubie Wandelbertum; quo etiam Beda ſeu Florus adduci poſſe videtur. Adde demum Sacramentaria à Frontone recitata de quorum vetuſtate fruſtra cavillabuntur immoderatiores critici; quibus accedent alia inferius ſubnectenda.* F

ex quibus de vetuſto cultu doceri poterat.

12 *Ut candidè & ſincerè ſingula hìc expendere conſtituimus, ſic prævìè & ultro non diffitemur, elogia à nonnullis noſtris Martyrologis, hìc citandis, concinnata, præſertim ab Adone, Rabano & Notkero, talia eſſe, ut certiora proferre nequeant, quam ſint fontes ipſi unde ſua illi hauſiſſe deprehenduntur: ut maximè dolendum ſit, Catalogos Pontificios, de quibus agit Henſchenius ante tomum* I *Aprilis, puriores ad nos non perveniſſe, amanuenſium aliquorum, ut ſuſpicari licet, malitia*

AUCTORE J. B. S.

litia corruptos, aut imperitia luxatos & interpolatos; quod idem de tam variis Anastasii, tum Mss. codicibus tum editionibus dicendum est, quæ omnia si in primâ sua integritate servata fuissent, multis nos, procul dubio, difficultatibus exemerent, quibus nihilominus S. Felicem expedire conabimur, præcipuo illo mastige exarmato, quo potissimum receptam Ecclesiæ opinionem critici nostri arietare conjecerant: prætensam illam Marcellini & Faustini præfationem intelligo, cujus nullam prorsus nos rationem hic habituros, jam supra monuimus. En igitur Martyrologorum nostrorum aciem, qua adversariorum cavillos & vitilitigationes nullius adversus Ecclesiæ vetustissimam sententiam, ponderis esse, nobiscum, nisi fallor, non sine voluptate agnosces & perspicies. Audi modo encomiasten Adonem;

Habes Adonem & reliquos,

13 Romæ via Aurelia, beati Felicis Pontificis, sub Constantio filio Constantini. Idem Constantius augustus concilium hæreticorum ac Valentis & Ursacii Arianorum approbans, quia & ipse Arianus erat, ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatus, ejecit S. Felicem Urbis Episcopum de sede episcopatûs sui; & facta est persecutio magna in clero, ita ut presbyteri & clerici plures necarentur & martyrio coronarentur. Depositus sanctus ac beatissimus Papa Felix habitavit in prædiolo suo, quod est via Portuensi: & agentibus postmodum hæreticis, exinde levatus, ductus est ad civitatem & capite truncatus martyrio coronatur IV Idus Novembris. Exinde raptum corpus ejus à presbyteris & clericis & sepultum in basilica, quam ipse construxit via Aurelia XV Kal. Decembris, in milliario secundo: cujus natalis celebratur IV Kal. Augusti. Sedit autem in episcopatu anno uno, mensibus tribus, diebus duobus. *Brevius sed eodem prope sensu Rabanus, qui Adonem certo non vidit:* Romæ eodem die, passio Felicis Papæ & martyris. Hic Felix declaravit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cum secundo rebaptizaretur ab Eusebio Nicomediensi episcopo, & juxta præcepta ejusdem Constantii Augusti, martyrio coronatur & capite detruncatur.

B

habes martyrii locum

14 *Notkeri annuntiationem describere opus non est, utpote ex Adone acceptam: Usuardum tamen audire juvat, cujus textus tam appositè contractus est, ut nihil in eo occurrat quod commodè propugnari non possit. Sic habet:* Romæ via Aurelia, natalis beati Felicis Papæ, qui à Constantio augusto, ob Catholicæ fidei defensionem à sede sua dejectus & gladio necatus glorioſissimè occubuit. *Hic recta & justa martyrii causa assignatur, à loco autem præscinditur in quo præcipua est difficultas. Hanc porro explanavit Baronius Annalium tomo 9, pag. 867 inter ea quæ in prioribus tomis addenda vel emendanda recenset; ubi unà etiam cultum confirmat qui in ipso martyrii loco perseveraverit. Ita ibi loquitur:* Id factum dicitur in civitate Cære, sic restituendum esse, pro Cora, ex antiquis Cærensis ecclesiæ monumentis didicimus. Est Cære civitas in Faliscis, viâ Aureliâ posita, decimo septimo ab urbe lapide; ubi idem Felix ut patronus colitur, cujus Pontificis illustrata memoriâ, facta olim fuit sedes episcopalis. Est invenire frequenter inter alios episcopos in publicis conventibus, Cære episcopus. *En modo ipsum Martyrologii Romani textum:*

C

in hodierno Romano.

15 Romæ via Aurelia, S Felicis secundi Papæ & martyris, qui à Constantio imperatore Ariano, ob Catholicæ fidei defensionem è Sede sua dejectus, & Ceræ in Tuscia occultè gladio necatus, glorioſè occubuit. Ejus corpus inde à clericis raptum, eadem via sepultum fuit: postea vero ad ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani delatum, ibidem Gregorio decimo tertio summo Pontifice repertum est sub altare, una cum reliquiis sanctorum martyrum Marci, Marcelliani & Tranquillini, atque in eodem loco pridie Kal. Augusti simul eum eis reconditum. *Atque hæc præcipuorum veterum Martyrologiorum tam distincta expressaque testimonia sic* S. Felicis *cultum extra omnem controversiam collocant, ut alium quemlibet, nequidquam obstrepentibus malevolis, verissimè Sanctum, de communi hagiophilorum æquè ac hagiographorum consensu declararent. Adde & Florum & Wandelbertum, quos de nostro* S. Felice *etiam agere ex Kalendariis mox citandis non obscurè patebit. Neque sane opus est Maurolycum, Bedam Plantinianum, Felicum, Galesinium aut alios recentiores huc accersere, qui ad augendum numerum, non item ad majorem auctoritatem conciliandam frustra adducerentur. De vetustis Kalendariis aut Sacramentariis non eadem est ratio.*

D

E

Accedit Frontonis Kalendarium

16 *Hæc nobis suggerit Fronto in Kalendario suo Romano ad hunc diem sic legens:* DIE XXIX (*nempe Julii*) NATAL. SS. FELICIS PAPÆ, SIMPLICII, FAUSTINI ET BEATRICIS VIA PORTUENSE, *allegans præterea Sacramentaria in quibus etiam* Felix *cum iisdem sociis recolitur, licet non in omnibus addatur titulus* Papæ. *Quæ vero difficultas hîc movetur circa* viam Portuensem, *facile solvitur ex eo quod pluribus successivè locis corpus depositum fuerit, post plura demum secula ad SS. Cosmæ & Damiani Romæ repertum. Porro celebrem fuisse ejus memoriam ostendunt Adrianus & Nicolaus Romani Pontifices, qui apud Anastasium* S. Felicis *corpus honorasse, ecclesiamque & cœmeterium restaurasse dicuntur. Horum primus quem seculo* VIII *sedisse constat, in novissima editione pag. 262, inter varia Sanctorum corpora etiam legitur honorasse* corpus S. Felicis, simili modo martyris seu Pontificis. *De ecclesia autem ejusdem Sancti habetur pag. 266:* Nec non & ecclesiam S Felicis positam foris portam Portuensem, à novo restauravit. *Tum de Nicolao seculi* IX *Pontifice, æquè diserte testatur Anastasius pag. 418;* Renovavit etiam ipse Pastor benignus cœmeterium beati Felicis martyris, ac confessionem via Portuensi. *Dubium Frontonis circa cultum S. Felicis I solutum habes in Actis nostris* XXX *Maii: Marcellinum autem & Faustinum, qui ei negotium facessebant, jam ex arena discedere compulimus.*

F

Sacramentarium Tolosanum,

17 *Sequatur modo præclarum aliud ex Sacramentario, non jam Romano sed Tolosano pro* S. Felicis *ab omni ævo agnita sanctitate argumentum, ubi istic in Litaniis antiquissimis, inter alios sanctos Pontifices sic invocatur* Felix *ut dubium esse prorsus non possit quin ipse indigitetur, Frontone id evidenter demonstrante;* S. Felix Apostolice ora (*intellige pro nobis.*) *Mirum sane si hæc studiosè exornata quis dixerit etiam in ipsa Gallia, ut & ibi Sanctus fingeretur, quem vix seculo* VII *aut* VIII *in sacros Ecclesiæ Fastos tantum non intrusum imaginari sibi præsumunt, ac zelo prorsus cæco aliis suadere conantur severiores nostri critici, omnia sus deque habentes, modo* S. Felicem *& dignitate, & cultu ecclesiastico & martyrii laurea, præjudicis transversim abrepti, inclementer exspolient. Quod autem non expressius* martyr, *sed* confessor *dumtaxat appelletur, ejus martyrio nihil*

A *hil obeſſe, ſatis aliunde intelligitur, ut norunt earum rerum periti atque item apud Frontonem explicatum invenies. Fruſtra hoc teſtimonium, cum nonnullis ſymmiſtis ſuis, ſolita ſua modeſtia vellicat Tillemontius, uti & illud quod ſequitur deſumptum ex Actis S. Euſebii presbyteri, eapropter non rejiciendum.*

18 *Acta illa ſeu Vitam S. Euſebii Romani presbyteri (qui* XIV *Auguſti colitur) poſtremum vulgavit V. C. Stephanus Baluzius tomo* 2 *Miſcellaneorum pag.* 141, *in quibus more ſuo ſcrutari non neglexit quæ carperet, paſſim dubitans Tillemontius, auſus demum ad poſteriora ſecula ipſa retrahere contra apertam Oroſii fidem, qui ſe, utpote S. ipſius Euſebii diſcipulum*, hæc geſta conſcripſiſſe *diſertis verbis teſtatur: quæ tamen ultro fatemur, falſariorum manus non effugiſſe. Hic ſatis ſit, Virum præclariſſimum Euſebium ſiſti, Catholicum, Sanctum, & ſancto ibidem* Felici *contra Liberium adhærentem, qui coram ipſo & imperatore, malim dicere imperatoris juſſu, multis interrogatus, intrepidè fidem & integritatem ſuam tutatus eſt; ex quo cum quæreretur*; Quid eſſet inter fidem & fidem? *ita reſpondiſſe fertur:* Quantum ad nos peccatores, integrè tenentes ſumus. Quantum ad vos, inſania diaboli & invidia ſuperſtitionis veſtræ (*forte addendum* fecit) ut Felicem Epiſcopum, quem vos non tacuiſtis Catholicum, & Dominum Jeſum Chriſtum invocantem, purum Sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis cauſam exilio direxiſtis *, qui tamen in prædiolo ſuo orationibus vacat. *Quamdiu vacare licuerit, non uſque adeo promptum eſt definire*; modico *certè* tempore *ſuperfuiſſe, inferius intelliges. Ceterum cultum ejus irrefragabilem eſſe, aut ex ſupra dictis conſtat, aut de quo Sancto probari is ſufficienter poſſit, equidem non ſatis perſpicio.*

19 *Inter critici noſtri ſcrupulos is nempe præcipuus ac palmaris eſt tomo* 6 *Monumentorum pag.* 777, *quod in Actis illis ſupponantur uno eodemque tempore Romæ fuiſſe Liberius Papa & Conſtantius auguſtus, quod critico iſti aſyſtaton prorſus viſum eſt, in ea hypotheſi quod Liberii exſilium tamdiu duraverit, ut Conſtantium Romæ agentem menſibus Aprili & Majo anni* 357 *iſtic reperire ipſe non potuerit. Equidem tueri id nolim, fateborque lubens, ſincera & primigenia S. Euſebii Acta ad nos non perveniſſe, in quibus nimirum nec alia deſint quæ jure merito corrigenda ſint. Neque ſane ex toto mihi placet adductus dialogiſmus, qui ex interpolatoris ignorantia ſeu nequitia ſic formatus ſit, ut ambo illi Liberius & Conſtantius Romæ unà cum S. Euſebio fuiſſe fingantur, & hic quidem Cæſaris præſentis juſſu multa perpeſſus, contra fidem hiſtoriæ, ex qua habemus, non tam apertè, certe non ad effuſionem ſanguinis Conſtantium, quantumvis Arianum, in Catholicos ſæviiſſe. Jam ſatis innui, in perfidos ejus miniſtros refundendum, quidquid tum Euſebius, tum* Felix *ipſe aliique pro fide toleraſſe dicuntur. Ad rem noſtram facit unicè, Acta S. Euſebii talia eſſe, ut quiſquis interrogator iſte fuerit, de* Felicis PP. *ſanctitate haud dubium ferant teſtimonium. Quæ præterea ipſi opponuntur, docebit ſolvetque ſequens*

tum & S. Euſebii Acta

accommodè explicata.

B

* An non direxeritis?

C

§ III. Quæ adverſus S. Felicem opponi ſolent, ſolvuntur.

QUemadmodum *dubiis turbulentiſque temporibus fieri aſſolet, ut res etiam innocuæ pro partium ſtudiis diverſiſſimo modo referantur, id plane accidiſſe perſpicies in iis quæ* Felicem, *quem modo audacter, ex Eccleſiæ ſenſu Sanctum declaravimus, circumſtant, ubi tam incerta variaque ſunt ſcriptorum veterum teſtimonia, ut quid ex iis certi ſtatuas, vix detur intelligi. Atque hæc non ſolum ad ejus ingreſſum, ſeu in Liberii locum ſubſtitutionem ſpectant, quam alii innocentem, alii ſubdolam, ſacrilegam & perjuram pronuntiant; ſed & ad regiminis tempus, ejectionem, martyrium ejuſque cauſam pertinent: ut quocumque te vertas, vix ubi pedem figere tuto poſſis uſquam reperias. Neque vero ſatis obvium eſt diſtinguere quouſque ſe ea extendant; ego, ne hîc longis digreſſionibus extrà chorum ſaltare velle videar, Sancti cultum, mores ſanctos, martyrium, tuenda ſuſcipio; de reliqua pontificatus controverſia eos auctores aſſignaturus, apud quos res ea pridem ita explanata eſt, ut ſi Tillemontius ejuſque gregales eos conſulere dignati fuiſſent, non tam leviter, ut ego quidem exiſtimo, ad omnimodam ejus condemnationem prorupiſſent.*

AUCTORE J. B. S.

Ut ut impleta hîc multa occurrant,

21 *Duriſſima ſane eſt ea cenſura, quam tomo* 6 *Monument. pag.* 781, *præter ſolitam ſuam modeſtiam ita proferre auſus eſt:* Ut quid igitur tot difficultatibus ſolvendis implicamur ad defenſionem viri quem tota antiquitas deſerit? quem neceſſe eſt fateri, toto ſaltem biennio fuiſſe horrorem Eccleſiæ, quemque tueri nequeas, niſi ruinoſis fundamentis innitendo, ac parvi momenti auctoritatibus, quæ ſeipſas interimant, utpote ſcriptis authenticis convulſæ. *Hæc quam temerè eructentur, puto Majores noſtros alioſque pridem demonſtraſſe. Videantur ea quæ ad Catalogos Pontificios ante tom.* 1 *Aprilis paucis olim attigit Henſchenius; tum vero iſtius menſis tom.* III *pag.* 1002, *ejuſdem de Marcellino & Felice diſſertatio, ubi quæ ex SS. Athanaſio & Hieronymo afferuntur, ſolidè emollire conatus eſt. Notæ etiam ſunt Papebrochii diſſertationes à Pagio laudatæ, in quibus cum præfationi, Marcellino & Fauſtino ſuppoſitæ, pluſculum tribuerit, non ægrè ferret, ſi adhuc viveret, ſeſe in ea parte à nobis deſeri. Actum non agamus; quæ ipſi in* S. Felicis *favorem rectè diſputarunt, ea utique hîc adoptata cupimus; at cum iis non acquieverit cenſor noſter, ea iterum refellere cogimur, quæ ipſe recentius obtruſit. En igitur antiquorum hiſtoricorum textus hîc ex ordine, quibus explicatis, nihil opinor ſuperfuturum quo critici nos magnopere terreant.*

juſto durior eſt Tillemontii cenſura,

E

F

22 *A Rufino ordimur, qui inter varias confuſiones lib.* 10 *accumulatas, cap.* 22 *de Romana hoc refert quod* S. Felici *magnopere obeſſe non poteſt, dum ſugillatur quidem ejus cum Arianis ſimulata communio, at fidei integritas aſſeritur. ſic ibi habet:* Igitur Liberius . . . qui . . . in urbe Roma per idem tempus ſacerdotio fungebatur, in exſilium truditur; inque ejus locum Felix diaconus ſuus ab hæreticis ſubrogatur: & non tam ſectæ diverſitate, quam communionis & ordinationis convenientia maculatur. *Neque ſane video quid ex Socrate lib.* 2 *cap.* 37 *tantopere haurire poſſit cum ſuis Tillemontius, niſi obfirmato animo certum ſit venena undecumque exſugere. Ita loquitur:* Et primus quidem Liberius, Romanæ urbis Epiſcopus, cum fidei illi conſenſum accommodare renuiſſet, in exſilium mittitur, Felice in ejus locum ab Urſacianis ſuffecto. Qui cum eſſet Eccleſiæ Romanæ diaconus, Arianam tunc amplexus perfidiam, ad epiſcopatus honorem promotus eſt. Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minimè amplexum eſſe, ſed vi

neque ex Rufino

ac

AUCTORE J. B. S.

ac neceſſitate compulſum ordinationem ſuſcepiſſe. *Quæ invidioſa hîc ſunt avidiſſimè arripit Tillemontius ; ego quæ ſub finem benigna ſunt , ea vera exiſtimo. Quis noſtrûm vincet ?*

neque ex Sozomeno

23 *Sed neque Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15 *edit. Valeſianæ quidquam refert quod* S. Felicis *famæ aut ſanctitati officiat : id vero expreſſiſſimè aſſerit, ipſum haud diu poſt Liberii reditum ſupervixiſſe , quo ruit tota Tillemontii machina de impoſſibilitate martyrii ſub Conſtantio. Tu videſis , quid ex Sozomeno contra Sanctum exſculpi queat.* Imperator , *inquit* , Romam redeundi poteſtatem Liberio conceſſit. Scripſerunt etiam epiſcopi qui Sirmium convenerant , ad Felicem qui tum Romanæ Eccleſiæ præſidebat , & ad clerum ejuſdem civitatis , ut Liberium ſuſciperent , utque ambo Apoſtolicam Sedem gubernarent , & ſimul ſacerdotio fungerentur abſque ulla diſſenſione , & quidquid moleſtiæ acciderat propter Felicis ordinationem atque abſentiam Liberii , oblivioni traderent. Nam Liberium , utpote virum undequaque egregium , & qui pro religione imperatori fortiter reſtitiſſet , populus Romanus impensè diligebat : adeo ut ejus cauſa graviſſimam ſeditionem excitaverit , & ad cædes uſque proruperit. Poſt hæc vero cum Felix modico tempore ſupervixiſſet , Liberius ſolus Eccleſiam adminiſtravit. Quod quidem divina providentia ita diſpenſavit , ne Sedes Petri dehoneſtaretur à duobus Præſulibus ſimul gubernata : quod diſcordiæ ſignum , & ab eccleſiaſticis legibus alienum eſt.

B

nullo pacto confirmata :

24 *Hæc , ſi poſſit , conciliet Tillemontius cum putidiſſimis calumniis ex infami præfatione , à nobis repudiata , corraſis. Conciliet item ea quæ idem Sozomenus habet ejuſdem libri cap.* 11 *in hæc verba :* Liberius epiſcopatu Romano ſpoliatus eſt , ejuſque adminiſtratio commiſſa eſt Felici cuidam, illius cleri diacono. Quem quidem ajunt fidei concilii Nicæni perpetuo adhæſiſſe , & quod ad religionem pertinet , omni prorſus reprehenſione caruiſſe. Unum vero illud in eo eſſe reprehenſum, quod etiam ante ordinationem communione cum hæreticis ſociatus fuiſſet. *Atque hæc ſunt antiquiſſima de* S. Felice *teſtimonia , quæ quomodo cohæreant cum audaci Tillemontii epiphonemate nuper adducto , ubi depingitur tamquam* à tota antiquitate deſertus , *tamquam* horror Eccleſiæ , quem

C

tueri nequeas niſi ruinoſis fundamentis *&c. quæro qui ſatis explicet. Certe relata huc uſque ſcripta , ipſa illa authentica ſunt , ſiqua ego noverim, à critico noſtro jactata, ex quibus epiphonema hand quaquam eruitur. Addam & alterum ſcriptorem, nempe Theodoretum , ex quo in favorem abſurdæ cenſuræ tantumdem extundent , niſi eum cum ceteris ad præjudicia ſua obtorto collo inflectant. Audiamus igitur ipſum Theodoretum*

neque item ex Theodoreto

25 *Hic lib.* 2 , *toto cap.* 17 *non niſi* de exſilio & reditu B. Liberii *loquitur , præmiſſaque mulierum aliquot Romanarum apud Conſtantium ſupplicatione , ſic de S. Felice pergit :* Quippe poſt magnum Liberium ordinatus fuerat quidam ex ejus diaconis , Felix nomine : qui formulam fidei à Nicænis patribus expoſitæ , integram quidem atque inviolatam ſervabat , cum iis tamen qui eam labefactabant , liberè communicabat. Atque ob hanc cauſam nemo ex civibus Romanis in eccleſiam ingreſſus eſt , dum ille intus eſſet ; idque tum mulieres illæ imperatori ſuggeſſerunt. Flexus itaque imperator , egregium illum omnique laude digniſſimum ab exſilio redire juſſit : ambos vero in commune Eccleſiam adminiſtrare. Hæc imperatoris epiſtola cum in Circo recitata eſſet , populus exclamavit , æquam eſſe imperatoris ſententiam. Spectatores enim diviſos eſſe in factiones duas , ex coloribus ſuis cognominatas. Alterum igitur epiſcopum huic factioni , alterum illi præeſſe oportere. Hac ratione cum imperatoris epiſtolam exploſiſſent , omnes una voce acclamarunt : Unus Deus , unus Chriſtus , unus epiſcopus. Ipſa enim eorum verba hîc apponere æquum exiſtimavi. Poſt has Chriſtianiſſimæ plebis acclamationes, pietate ac juſtitia plenas, reverſus eſt admirandus ille Liberius ; Felix vero recedens , ad aliam urbem ſe contulit.

D

cujus verba facile explicantur :

26 *Affectatam non nihil hanc eſſe Theodoreti narrationem atque in Liberii favorem adornatam, nemo non ſtatim diceret , qui infelicis ejus lapſu hiſtoriam apud alios legiſſet ; ex qua nimirum refelli poſſe crederet , quæ de ejus tam pacifico & triumphanti reditu memorantur , ubi apud alios legitur , vim à Conſtantio Romanis inferri debuiſſe, ut in Urbem reciperetur , majorem etiam ut tanquam Pontifex agnoſceretur , Clero & populo* S. Felici , *ſemper Catholico , & tunc maxime probato adhærentibus , qui demum , vi etiam quodammodo adhibita expellendus fuerit. Atque hæc alia eſt Liberiani reditus hiſtoria , cujus Sedem , à qua per ſubſcriptionem defecerat , eo certe tempore legitimè* S. Felix *tenuit , donec reſipiſcens Liberius poſt alias difficultates eam denuo obtinuerit. Ad hunc modum exponi poſſunt Theodoreti verba ; quamquam in ordine ad rem noſtram nihil in ejus textu ſit quod* S. Felicem *tantillum lædat , niſi id crudè dictum , quod* nemo ex civibus Romanis eccleſiam ingreſſus eſt , dum ille intus eſſet ; *diceret , multos Romæ Liberio addictos manſiſſe , quamdiu de ejus in fide conſtantia dubitari non potuit : quid enim ſunt* ſpectatores in factiones diviſi ?

E

ut & quæ apud Athanasium.

27 *Ne quid in ambigua cauſa diſſimulare voluiſſe videar , illa ex S. Athanaſio referam quæ Sancto noſtro honorifica certè non ſunt , ſed quæ apud reliquos ſcriptores non ita expreſſa invenias , ne quidem in mendaci præfatione. Sic lego in epiſtola ad ſolitarios , ſeu ut eſt in noviſſima operum ejus editione , in hiſtoria Ariana ad monachos , quæ exſtat tomo* 1 , *pag.* 389. Hoc itaque uſus (*Conſtantius*) miniſtro (*nempe* Epicteto neophyto audaci adoleſcente) rem plane ſtupendam Romæ perpetravit , quæ revera Antichriſti malignitatem præ ſe ferat. Adornato namque in eccleſiæ locum palatio , cum populorum vice , tres ſibi caſtratos adeſſe juſſiſſet , demum improbos tres cataſcopos , id eſt exploratores , haud enim epiſcopi nuncupandi , adegit ut Felicem quemdam , ipſorum moribus dignum hominem , epiſcopum ordinarent in palatio. Populi enim animadverſa hæreticorum prævaricatione , non conceſſerunt , ut eccleſias illi ingrederentur , ſed procul illis abſceſſerunt.

F

& Hieronymum duriora ſunt.

28 *Hæc qua ratione emollienda ſint pridemque emolliverit Henſchenius , dicemus paragrapho ſequente ; audiantur hîc modo etiam quæ in Euſebii Chronico S. Hieronymus ad annum Conſtantii* XII , *qui fuit Chriſti* CCCLII *de* S. Felice *non ſatis exactè ad chronologiam ſcripſit :* Romanæ Eccleſiæ XXXIV ordinatur Liberius ; quo in exſilium truſo , omnes clerici juraverunt , ut nullum alium ſuſciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuiſſet in ſacerdotium ſubſtitutus , plurimi pejeraverunt , & poſt annum cum Felice ejecti ſunt , quia Liberius tædio victus exſilii , & in hæretica pravitate ſubſcribens , Romam quaſi victor intraverat. *Mirum profecto de Sancti pontificatu ejuſque*

A *que duratione tam diversa à synchronis etiam scriptoribus tradi potuisse. Hic* post annum *ejectus fertur* Felix, *quem biennium & ultra adimpleviſſe, in confeſſo eſſe videtur. Tum autem quod in Chronico Proſperi hæc ita referantur ut Liberii exſilium figatur* nono epiſcopatus ejus anno, *admitti prorſus non poteſt. Cetera cum verbis S. Athanaſii iiſque, quæ ſuperſunt, difficultatibus jam, quouſque fieri poterit, explanare conabimur.*

§ IV. SS. Athanaſius & Hieronymus, ceteræque huc ſpectantes difficultates explicantur.

Ea pridem & merito

ET de S. Athanaſio quidem rectè ceuſuiſſe videtur Henſchenius, in ea Eccleſiæ Romanæ, prævalentibus ubique Arianis, confuſione, facile aliqua in Ægyptum permanaſſe, quæ non ſatis exactam exhiberent rerum geſtarum ſeriem: certe adjuncta electionis S. Felicis *atrioribus nemo colo-*

B *ribus depinxit: in quo tametſi vera prædicaſſe non diffiteremur; id demum diceret, quod jam ultro admiſimus, non ſatis legitimum fuiſſe Sancti in Sedem Romanam ingreſſum. Nam quod alter Pontificum Catalogus, ab hoc ferme articulo male inchoatus, inſinuat, quaſi* Congregati ſacerdotes, & cum conſilio eorum Liberius, ordinaverunt in ejus (Liberii) loco Felicem presbyterum epiſcopum, venerabilem virum; *non videmus ea niti auctoritate, quæ plane requiritur ut tam aperto S. Athanaſii teſtimonio opponatur; cum & jam dictus Catalogus & Pontificalium verba ita eo loco aliis & dubiis & falſis permixta jam monuerimus, ut quid tuto ex ipſis hauriri poſſit, non facile quis definiat. Ceterum* Venerabilem *fuiſſe & conſtantiſſimè orthodoxum manſiſſe, neque aliter quam* neceſſitate compulſum ordinationem ſuſcepiſſe S. Felicem, *ut viduatæ quodammodo Eccleſiæ ſuccurreret, id vero ex dictis ſatis perſpicuum exiſtimamus.*

emollivit Henſchenius.

30 *Demus nihilominus cum Henſchenio,* Felicem *revera ab Arianis electum, ſive quod Liberio eum adverſari crederent, ideoque ſuarum eſſe partium; ſive quod ſperarent, tanto obſtrictum beneficio ad eaſdem facile adducendum, aut ſaltem acturum diſſimulantius, numquid non in eo*

C *decepti fuerunt Ariani, quemadmodum ex poſt geſtis ac morte pro fide obita clarè patuit? Quo modo decepti iidem fuerint in SS. Meletio atque Cyrillo, hoc pro Hieroſolymitana, iſto pro Antiochena ſede per Arianorum factionem electis, & quos fautores ſibi ſperaverant, acerrimos paſſi adverſarios, vidimus* XII *Februarii &* XVIII *Martii. Idem utique hîc ipſis acciderit,* Felice, *ut ſupra teſtabatur Sozomenus,* fidei concilii Nicæni perpetuo adhærente, & quod ad religionem pertineret, omni prorſus reprehenſione carente, *quinimo ſubinde ita Arianis infeſto, ut non niſi eorum invidia odio & artibus è medio demum ſublatus ſit, non Valentiniano & Valente coſſ. ſeu anno* 365, *ut mentitur famoſa præfatio,* ſed modico tempore *poſt Liberii reſtitutionem. Atque his rectè expoſitis, ſatis emollitum putamus, quod à citatis SS. Patribus duriuſcule dictum accepimus.*

Perplexa multa alia

31 *Verumtamen perplexa ſuperſunt non pauca in diſtinguendis turbatis illis Liberii &* Felicis *temporibus, determinandiſque annis, menſibus & diebus, quibus hîc tum illegitimè ſederit, tum vero poſtmodum legitimè, de qua re teſtimonia pro-*

tulimus ſuperiori paragrapho prorſus non conveni- AUCTORE
entia, aliis ejuſdem temporis ſcriptoribus Liberii J. B. S.
exſilium ad ſolum annum, aliis ad biennium, aliis ad triennium extendentibus. Nequid hic ut certum aſſerere præſumam, id ſaltem puto veroſimillimè dicendum, triennio & forte amplius Româ abfuiſſe Liberium, nempe ab anno 355, *quo à Conſtantio Mediolanum accerſitus, tam intrepidè & fortiter ſe geſſit, ut inde in Thraciam pulſus, annis minimum duobus fatale exſilium toleraverit, cujus tædio victus, id demum humanitus paſſus ſit quod ſupra abunde retulimus. Ex quo tempore non incongruè forte dici poſſet, quod legitimè ſederit* S. Felix, *atque exinde fluere cœperint annus integer, menſes tres & duo dies, qui in Catalogis ei conſtanter tribuuntur, verum aliter hi rectius explicari poſſunt, ut mox patebit manifeſtius.*

De SS. Liberii & Felicis temporibus

32 *Non parva ſane ea difficultas eſt, ut veri pontificatûs termini circumſcribantur, quando-*
quidem non diu poſt lapſum in Urbem rediiſſe ſupponitur Liberius anno 358, *imo, ut volunt aliqui,* victor intravit. *Aſt hæc omnia non tam pacifica fuiſſe, ſuperius notavimus: quod vero à pleriſque inobſervatum eſt, eo rem rediiſſe oportet, ut Liberius, quantumvis à Romanis deſideratus, non tam plana omnia in reditu invenerit, quin, rebus alternantibus, denuo cedere coactus ſit, rurſus in exſilium pulſus, quemadmodum diſertis verbis legitur in S. Hieronymi Chronico ad annum* 359: Liberius epiſcopus Rom. in exſilium pellitur: *niſi id forte potius ſpectet ad ipſum reditus annum* 358. *At quoquo modo ea expli-*
cueris, id certe evincere videmur quod quæritur, nimirum toto eo tempore Liberii vices, ſive per novam electionem, ſive aliter legitimè ſuppleviſſe S. Felicem; *qui rebus Liberii tandem plenè compoſitis, ultro ceſſerit,* modico *poſt* tempore, *ab infenſis Arianis, quos ante deluſerat, fortaſſe etiam cum aliis, martyrio coronatus.*

à Blanchino

33 *Atque ab hac explicandi ratione haud videtur abhorruiſſe recens Anaſtaſii Bibliothecarii cum peramplis notis ac diſſertationibus editor illuſtriſſimus Blanchinus tomo* 3 *pag.* 15, *ubi citans verba, quibus* in exſilio *Liberius* feciſſe *dicitur* annos duos, *ſic ſubjungit:* Huic biennio ſi addatur annus unus cum menſibus tribus & diebus duobus Felici tributis, colligitur ſumma annorum 3 menſ. 3 & dierum 2. Hæc autem detracta ex annis 14, menſibus 4, diebus 2, numeratis ab inito per Liberium pontificatu ad ejus obitum ex documentis quarti ſeculi

14 - 4 - 2
3 - 3 - 2
11 menſ. 1 - 0

ſuperſtites relinquit annos

Tribuunt picturæ S. Pauli & complures Catalogi cum Bibliothecario pontificatui Liberii annos x, menſ. VII dies III. Quare menſes 5 & dies 27 ſupra annos duos ſolidos ejuſdem exſilio ſunt aſſignandi. Tum vero ex hiſce annis exſilii 2, menſ. 5, dieb. 27, & ex legitimo pontificatu Felicis 1 - 3 - 2, cum aſſignatis ſedi Liberii 10 - 7 - 3, colligitur ſumma ann. 14 - menſ. 4. dier. 2, reſpondens intervallo temporis intercepto ex die XXII Maii CCCLII, ad XXIV Septembris CCCLXVI, qua rebus humanis exemptus fuit.

ſatis veroſimiliter

34 *Plura deinde in hanc rem documenta adducens, quæ apud ipſum videri poſſunt, ſic demum ad rem noſtram concludit:* Erit itaque chronologia duorum Pontificum Liberii & Felicis ex allatis documentis ita diſponenda.

Anno 352, Die Dominica XXII Maii ordinatur Rom. Pontifex Liberius.

355 Idibus Auguſti pellitur in exſilium Libe-

AUCTORE J. B. S.

rius.

356 Die .... intruditur Felix in Sedem Romanam.

157 Die IV Non. Aug. redit à priori exſilio Liberius.

358 Die X Martii exſulat iterum Liberius, poſt menſes 7 dies 9 à reditu numeratos & cedit pontificatu.

358 Eligitur legitimè ſucceſſor S. Felix die VIII Auguſti

359 S. Felix expulſus martyr ſive occiditur, ſive cedit pontificatu die XI Novembris.

359 Ceſſat epiſcopatus juxta Bibliothecarium dies 39, ex XI Nov. ad XXI Dec.

359 Die XXI Dec. iterum eligitur Rom. Pontifex Liberius, qui Apoſtolicæ Sedi præſidet uſque ad obitum ſuum XXIV Septembris CCCLXVI.

compoſita ſunt.

35 *Ita Blanchinus, cujus etſi ſingulos apices tuendos non ſuſcipiam, rationem certe veroſimillimam fateor, quâ expediatur nodus aliàs indiſſolubilis, ad diſtinguenda Liberii &* Felicis *tempora, quaſi ſtudioſe hactenus involuta: quibus ad eum modum ordinatis, non longa opus erit diſſertatione, ut verus pontificatus Romanus* S. Felici *vindicetur, de qua re fuſius olim egerunt laudati ab Henſchenio Cardinales Perronius & Bellarminus, Gretſerus & tot alii, ad quos jam ſupra eos remiſimus, quibus hæc non ſatisfecerint hîc ex inſtituto noſtro eatenus elucidanda. Neque vero ea moramur quæ Chriſtianus Lupus apud Henſchenium, paucique alii Catholici, à repudiata ſuperius Marcellini & Fauſtini ſuppoſititia præfatione ſeducti, ad excludendam è Romanorum Pontificum ſerie* S. Felicem *noſtrum, non niſi temerè congeſſerunt, utpote quem teſtes irrefragabiles à Schelſtratio Antiquitatis eccl. illuſtratæ tom.* I, *diſſertatione* 2, *cap.* 9, § 11 *magno numero relati, ut veriſſimum Pontificem conſtanti atque unanimi ſuffragio & olim admiſerunt & hodiedum admittunt, ſolis hypercriticis, à nobis ſupra notatis, contra hiſcere audentibus.*

B

Quæ contra martyrium objiciuntur

C

36 *Neque etiam de* S. Felicis *martyrio ejuſque cauſa multis diſputandum exiſtimo: qui laureolam iſtam tanto conatu ei avellere contendunt, hoc potiſſimum telo nos impugnant, quod ex toties rejecta falſariorum præfatione Sanctus noſter Conſtantio diu ſupervixerit ſcilicet, quem* modico *poſt abdicationem* tempore *è vivis ereptum oſtendimus. Atque eo etiam argumento, veram martyrii palmam ei adſcribere auſus non eſt Papebrochius, quamquam alio ſenſu ipſum & ut martyrem & ut ſanctum ac verum Pontificem ſemper veneratus ſit. Aliter in citata non ſemel diſſertatione olim ſtatuerat Henſchenius; neque nos à receptiſſima Baronii totiuſque Eccleſiæ catholicæ opinione vel ad latum unguem recedendum arbitramur, dum ut ſupra aiebat Annaliſta eminentiſſimus;* opportunè ipſemet Felix viſus eſt, admiratione omnium, redivivus comparuiſſe, per ſe ſuam ipſe cauſam acturus, cum jam valde ſtylo contradicentium eſſet oppreſſus. *Quidquid hic contra luctetur cum ſuis Tillemontius, cauſam evincit reperta inſcriptio,* CORPUS FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM. D

non minus facile

37 *Fruſtra hîc me interrogaveris, num ex Catalogis Pontificiis aut libris Pontificalibus martyrii iſtius* S. Felicis *cauſam accerſam, quæ iſtic paſſim expreſſa eſt, ubi nempe legitur:* Hic declaravit Conſtantium filium Conſtantini hæreticum, & ſecundo rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi juxta Nicomediam in Aquilone villa *&c. Paucis reſpondeo; Minimè gentium: neque id niſi ab imperitis quari poteſt, cum manifeſtè pateat, ſitque adeo vel vulgo notum admiſſumque, verba illa ab ignorante in eum locum perperam intruſa, atque ab omnibus* S. Felicis *vindicibus certatim rejecta. Verum etſi ea cauſa falsò ibi allegetur poſſitque ea periocha abeſſe, manente integerrima conſtructione, aut alio etiam ſenſu, ut notat laudatus Blanchinus, explicari; ſatis nobis ſuperque eſt, aut* Conſtantii præcepto, *tametſi id ægre concedendum putemus, aut eo totius rei conſcio; quod ſe à* S. Felice *deluſum, habitumque adeo ut hæreticum intelligeret, certè* ob Catholicæ fidei defenſionem, *qua* Conſtantium *abunde* damnaſſet, *à perfidis Arianis* martyrio coronatum *& capite* truncatum fuiſſe. E

diſſolvi poſſunt.

38 *Quod de martyrii loco, diverſimodè etiam notato, movere quis poſſet; id à Baronio abundè putamus expoſitum, adductis ſupra verbis num.* 14. *Porro de vero natali die quid opinandum ſit; ignorantiam fateri malo, quam multis rem involvere: quamvis enim in uno alterove codice referatur ad* XXVII *Februarii, hoc die coli certum eſt, ſive is obitus, ſive tranſlationis, ſive abdicationis cenſeatur: ſatis diu ſpinoſis tricis implexi fuimus, quibus ea demum quadrat coronis, quam ipſis impoſuit Baronius dicto anno* 357 *num.* 52, *his verbis:* Quod autem ad univerſam rerum geſtarum inter Liberium atque Felicem ſeriem ſpectat; intuere mecum atque admirare pariter, lector, ſummam Dei providentiam, quâ ſemper moderatus eſt ipſam Romanam Eccleſiam. Nam labefactato ex Arianorum communione, etſi non hæreſis participatione Liberio, Felicem antea eorumdem communicatione conjunctum, excitat ex adverſo, ſtatimque erigit adverſus eos ipſos Arianos, quorum ſanè ope fuerat Romanam Cathedram conſecutus, & magno præſidio contra adverſarios confirmat; ſicque ad pugnam roborat, ut exagitans Arianos omnes, eorumque principem Conſtantium feriens anathemate, fuerit pro mercede inſignitus corona martyrii.

A D

DE S. LUPO EPISCOPO CONFESSORE

TRECIS IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. P. B.

§ I. Sancti cultus; reliquiæ, earumque tranſlationes.

ANNO CDLXXIX. *Colitur hoc die juxta Martyrologium Rom.*

B

Recas, ſive Tricaſſes, urbem amplam Galliæ Celticæ ad Sequanam fluvium, Campaniæ provinciæ caput, atque antiqua epiſcoporum ſede nobilem binis jam in ſuperiori tomo antiſtites exornarunt; S. Urſus videlicet & S. Camelianus; ſed ambobus illuſtriùs, qui inter eos medius interceſſit, S. Lupus: *utpote quem hoc die non Trecenſes tantummodo ut patronum, ab opere ſervili per omnem diœceſim feriati, colunt, teſte Deſ-Guerrois in Hiſtoria eccleſiaſtica Tricaſſium ad annum 451, fol. 89 verſo; verùm etiam ex Martyrologio Romano univerſa his verbis celebrat Eccleſia:* Trecis in Gallia, Sancti Lupi epiſcopi & confeſſoris, qui cum Beato Germano ad expugnandam Pelagianorum hæreſim in Britanniam perrexit, urbemque Trecas à furore Attilæ, Galliam omnem devaſtantis, aſſidua oratione defendit: demùm quinquaginta duobus annis ſacerdotio venerabiliter functus, in pace quievit.

& alia antiquiſſima. 2 *Romano præiverat olim Beda, ut à nobis editus eſt tom. 2 Martii, ubi ad hunc diem ſic habet:* Eodem die depoſitio S. Lupi epiſcopi de Trecas, qui cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duos annos ſacerdotio functus eſt: qui tempore Attilæ, qui Galliam vaſtabat, ſicut in hymno ejus canitur," Dum bella cuncta perderent, Orando Trecas munivit",. *Idem fere habent Rabanus, Ado, Notkerus; niſi quod hic annos epiſcopatûs numero rotundo* quinquaginta *numeret, quod etiam in quibuſdam Bedæ exemplaribus factum obſervavimus. Uſuardus, more ſuo contractior, de Attila non meminit. Breviùs Wandelbertus:*

C

Felix, Simplicius, Fauſtinus, & alma Beatrix,
Tricaſſique Lupus quartam communiter aurant *.

**al.* ornant

In vetuſtiſſimis quoque exemplaribus Martyrologii Hieronymiani adſcripta legitur, Trecas civitate depoſitio ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris. *Dixi ſupra, Trecenſes eum hoc die ſolenniter celebrare; quod ita nolim accipi, quaſi hunc ſolum diem ejus cultui conſecrent: nam & Dominica ante hunc diem, & ſecunda dies octava, ſeu* XXX *Julii, & Dominica Palmarum, & dies alii, de quibus infra, peculiari apud illos ritu in Tutelaris ſui honorem quotannis tranſiguntur; ut aſſerit Couſinetus in notis Mss.*

Ejus eccleſia ſec. VI *celebrata miraculis,* 3 *Sed & his antiquiora ſuppetunt venerationis ejus publicæ, ſaltem apud Tricaſſes, argumenta: ibi enim ſeculo ſexto baſilicam exſtitiſſe, ipſius nomine ac prodigiis celebrem, non ſolùm Gregorius epiſcopus Turonenſis, quem poſtea producemus, eſt auctor; ſed eo aliquanto etiam ſenior Nicetius epiſcopus Trevirenſis in epiſtola ad Chlodoſuindam reginam, Alboïni Longobardorum regis uxorem, quam præter alios exhibet Cheſnius Scriptorum Galliæ tom.* 1, *pag.* 853 *& ſeqq., quamque Labbeus noſter in Compendio chronologico ſcriptam notat anno Chriſti* 565, *idque exemplo Sirmondi, Conciliorum Galliæ tom.* 1, *pag.* 321 *& ſequente. In ea poſtquam de eccleſiæ S. Martini Turonenſis ac frequentibus in illa miraculis ſanctus hic præſul præclara memoravit, ſic ad alias progreditur:* Nam quid dicam adhuc de domino Germano, Hilario, vel Lupo epiſcopis; ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo; ubi tribulantes, id eſt, dæmonia habentes, in æra ſuſpenſi torquentur, & Dominos, quos dixi, eſſe confitentur? Numquid in eccleſiis eorum (*Longobardorum*) ſic faciunt? *&c.*

non illa, ubi nunc ſunt ejus reliquiæ, 4 *Non erat hæc illa baſilica, ubi nunc ſacra ejus lipſana intra muros Trecenſes conquieſcunt, ut in Coſmographia ſua tom.* 1, *part.* 1, *pag.* 344, *perperam Belloforeſtius aſſeruit; ſed alia in ſuburbio tum quidem ad orientem poſita, at nunc, dilatato in eam partem ambitu mœnium, prope portam S. Jacobi incluſa, nobilitataque cœnobio, ſancti Martini in Areis nuncupato: quamquam neque hæc ipſa eadem nunc prorſus eſt cum antiqua illa, de qua modò Gregorius Nicetiuſque meminerunt, quæque anno* 889 *everſa funditus eſt à Normannis; ita ut ex vetere baſilica ſola reliqua eſſet ædicula, quæ Martiniana nuncupata eſt, ac proceſſu temporis fidelium largitionibus ampliata, ut videre eſt apud Camuzatum in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis à folio* 294 *verſo. Varia variis temporibus huic nomina fuiſſe tradit Deſ-Guerrois in Hiſtoria citata ad annum* 427, *fol.* 85; *ac primò quidem appellatam eccleſiam ſeu monaſterium B. Mariæ; deinde verò, cum ſepultus in ea fuiſſet* S. Lupus *ac plurimis continuò inclareſceret miraculis, obſoleſcente priori titulo, baſilicam* S. Lupi *cœpiſſe nuncupari; donec facibus Normannicis deflagravit, & cum ablatis alìò* S. Lupi *exuviis ejuſdem nomen amiſit, ſancti deinceps Martini dicta.*

E F

ſed antiquior alia, ubi ſepultus fuit, 5 *Sunt qui eamdem illam eccleſiam olim conditam fuiſſe volunt ab ipſo* S. Lupo, *ut Deſ-Guerrois ad an.* 427 *fol.* 84 *verſo; & quidem intra biennium ab accepta Tricaſſinæ ſedis adminiſtratione, quod addit auctor Vitæ ejus Gallicæ Ms.; & Couſinetus in notis ad cap.* 10 *Vitæ longioris Ms., Pariſiis huc ad nos miſſis, id ſe colligere ait,* tum quia nulla ejuſdem eccleſiæ monumenta antiquiora ſunt; tum quia ſcriptorum omnium vulgatiſſima hæc fuit opinio. *Favet certè huic ſententiæ Hugo Flaviniacenſis, auctor ſeculi undecimi, loco, quem paragrapho ſequente recitabimus, cum de Sancto ita pronuntiat:* Unde raptus ad pontificatum, eamdem gravitatem morum, eamdem humilitatis & vilitatis ſectabatur continentiam, LOCATO SIBI IN PROSPECTU URBIS MONASTERIO, ubi cum his, qui ſecum aderant, divinis intendebat theoriis. *Accedit etiam, quod ibidem ſine dubio ſepultus ſuit; atque adeo ejus eſſe ſepulcrum illud elegans & pervetuſtum, quod ibidem etiamnum ſupereſſe dicitur, quidam, teſte Couſineto in notis ad cap.* 51 *laudatæ Vitæ Ms.,* certiſſimis conjecturis opinantur: *quod ſanè ar-*

AUCTORE P. B.

gumento est, ecclesiam illam singulari ratione peculiarem ipsi fuisse, cum viveret.

6 *Ut ut est, cum in hac basilica sacrum hoc depositum per quatuor circiter secula perhonorificè servatum fuisset, ingruenti Normannorum calamitati feliciter atque in tempore subductum est, aliòque translatum; quod ex epistola discimus Adelerini (seu Adelelini; nam utroque modo ibi notatus legitur) comitis simul & abbatis* S. Lupi *apud Camuzatium pag. 296, ubi sic scribit:* Adelerinus abbas S. Lupi Raginario archiclavi (*id est*, thesaurario) ceteriscque canonicis ecclesiæ S. Lupi famulantibus; notum esse volumus omnibus filiis sanctæ Dei Ecclesiæ, quia cum tota penè paganorum crudelitate popularetur Gallia, eâdem rabie grassante Trecorum conati sunt tangere limina: quorum adventu cives ejusdem urbis paventes, qua quisque potuit, parte aufugerunt. In suburbio autem prædictæ civitatis corpus B. Lupi in magna gloria & diligenti cura à Raginario, ejusdem ecclesiæ archiclavi, & à reliquis clericis nobiliter servabatur, qui omnes uno consensu glebam sancti Viri suis humeris ad tuta detulere loca.

Donec anno 889 inde ablatus est metu Normannorum

B

7 Pagani verò urbem captam incendio tradiderunt, vastantes cuncta & diripientes omnia. Quibus recedentibus, qui à proprio solo olim discesserant, dulcia cœperunt invisere loca, & urbem, quam nudam dimiserant necessitate cogente, licet serò, muris & turribus & seris obfirmaverunt. In qua jam dictus Raginarius unà cum consensu Bodonis XXXIX episcopi Trecorum, & Adelelini illustris comitis & abbatis S. Lupi, juvantibus & opem ferentibus ejusdem ecclesiæ clericis, in proprio sui juris solo infra muros prædictæ civitatis ecclesiam construxerunt, in qua etiam condigno honore sacrum corpus B. Lupi posuerunt: quia eam, in qua prius extra muros fuerat humatum, feritas & immanitas Marcomannorum flammis adusserat. Placuit itaque *&c.* Actum Augusta Trecorum civitate publicè, Cal. Martii, anno 111 regnante Odone glorioſissimo rege.

ad loca tutiora,

8 *Constat hinc primò, sublatum ex ecclesia jam dicta fuisse* S. Lupi *corpus ante illius & urbis incendium, quod accidit, non anno* 892, *ut cum Sigeberto putarunt Camuzatus & Des-Guerrois; sed anno* 889, *ut cum synchronis scriptoribus Reginone & Annalista Metensi nunc rectius chronologi statuunt. Constat secundò, illud interim loco aliquo tuto fuisse repositum, donec barbari recessissent, & urbs instaurata ac munita jam esset, imò & ecclesia intra illam ædificata, in quam thesaurus iste posset inferri. Constat tertiò, & ecclesiam illam novam jam erectam fuisse, & translatum eò Sancti corpus anno regni Odonis tertio, qui non est annus Christi* 893, *ut iterum juxta Sigeberti Chronicum supputant historici, quos dixi, Trecenses; sed annus Christi* 891: *siquidem Odo regnare cœpit post mensem Aprilem anni* 888, *ut ex Reginone aliisque Sigeberto vetustioribus docet Labbeus noster in Chronologia sua: hæc autem Adelerini epistola scripta est sub finem anni tertii, nempe Kalendis Martiis. Scripta, inquam, tunc est epistola peractæ translationis testis; at ipsa translatio pertinere videtur ad annum præcedentem; cum celebretur die* X *Maii; uti in Prætermissis ad illum diem notavimus. Constat quartò, sub iisdem custodibus permansisse sacras reliquias, qui tum quidem canonici erant seculares, at anno* 1135 *regulares facti sunt, quod vitæ genus hodieque profitentur: iidem enim, qui veterem ecclesiam in suburbio possederant, in urbe novam, ubi nunc est, ædificarunt, & in hanc migrantes, unà secum ac deposito suo,* S. Lupi *titulum transtulerunt. Adisis Guitherum abbatem apud Camuzatum loco, quem indicavi.*

ac tandem anno 890 intra urbem repositus, ubi nunc est.

C

D

9 *Cum vita regularis ac religiosa canonicorum ecclesiæ* S. Lupi *tandem reflоruit, quæ languere diu jam cœperat, in sanctum Præsidem pietas ac veneratio: nam sub abbate Eurardo seu Everardo, qui cœnobio isti præfuit, teste Guithero ejus successore, ab anno* 1147 *usque ad* 1153, *vel potius (nam erratum ibi videtur in priori numero, licet id neque Des-Guerrois, neque Sammarthani observaverint) ab anno* 1141 *die* XIX *Decembris, quando Gerardus ejus decessor, juxta ejusdem Guitheri calculum, jam à die* XXIV *præcedentis eodem anno Novembris officio cesserat, usque ad annum* 1153, *diem* XXII *Novembris, quo desiit vivere, cum præfuisset, ut ibidem Guitherus asserit,* annis undecim, mensibus undecim, diebus tribus: *sub abbate, inquam, Eurardo* corpus S. Lupi publicè, præsentibus Henrico pontifice (*Tricassino, qui juxta Camuzatum sedit ab anno* 1146 *usque ad* 1169) suburbanisque abbatibus, populo monstratum est; capsa, in qua idem corpus repositum est, suis (*Eurardi*) expensis facta. *Quæ ejusdem Guitheri verba sunt.*

Corpus hierotheca imponitur sub medium seculi 12.

E

10 *Nescio, ad hanc transpositionem, an ad priorem translationem spectet, quod narratur in Vita Gallica Ms. cap.* 20, *cui titulus est:* De translatione sacrarum reliquiarum S. Lupi: *sic enim habet:* Ossa S. Lupi educta sunt ex sepulcro suo cum ornamentis pontificalibus, quibus, cum humo mandaretur, corpus involutum fuerat, quæque per miraculum inventa sunt incorrupta. Omnia simul reposita in thecam, populo ad imploranda Sancti suffragia undique affluenti exponendam. *Et paulo inferiùs:* Indumenta pontificalia ad hunc usque diem conspiciuntur ad Dei, & magni S. Lupi, gloriam; & festa ejus luce proponi publicè solent. *Consinetus in notis ad Vitæ Ms. cap.* 51 *bina profert instrumenta; alterum ab Everardo abbate datum anno* 1448, *alterum aliquanto posteriùs à Petro Andoillette abbate; in quibus hæc indumenta sigillatim recensentur: sed qui nobis notas illas exscripsit amanuensis, brevitatis causâ, textus ex iis citatos prætermisit, secus sanè ac jussus fuerat: neque enim de hac re in vulgatis alibi monumentis quidquam hactenus nobis occurrit.*

Vestimenta ejus incorrupta.

F

11 *Priori capsæ elegantior deinde alia & pretiosior ex argento artificiosè elaborato substituta per Joannem de Chailly abbatem* S. Lupi, *qui juxta cœnobii sui Necrologium officio ac vita decessit anno* 1365, *in eamque traducta pars corporis (nam caput seorsim inclusum est.) Huic scrinio, teste Camuzato fol.* 153, *insculpta hæc erat epigraphe:* Ista capsa fuit incepta & perfecta cum Dei adjutorio tempore Joannis de Chailleyo, abbatis hujus monasterii, licentiati in Decretis. Orate Deum pro eo. *Observa,* inceptam *hic dici* & perfectam, *non* fractam & refectam, *ut interpretatur Des-Guerrois ad annum* 1486 *fol.* 408 *verso; ubi ait (viderit ipse, quo fundamento) veterem arcam, quam, ut ante diximus, circa medium seculi duodecimi Eurardus adornaverat, argenteam fuisse; sed cum tempore Chailleyi abbatis ad conquirendas oblationes per pagos vicinos ritu solenni circumferretur, fractam esse, & ab hoc abbate reparatam: imo iterum subinde diffractam fuisse, cum abbatem ageret Nicolaus Forjot, qui eam denuò multo, quam ante, sumptuosiùs instaurari jusserit.*

Corpus impositum thecæ argenteæ circa med. sec. 14.

12 *Soli-*

A

Oſtenſio capitis & repoſitio in aliam thecam elegantiſſimam,

12 *Solidius eſt, quod idem ad annum* 1505 *de Forjoto narrat ex Camuzato, qui fol.* 153 *verſo, ex vetuſto codice cœnobii S.* Lupi *monumentum exſcribit his verbis conceptum :* Anno Domini MDV, apoſtolicam naviculam gubernante Julio II, Rom. Pontifice ; dum regni Francorum imperium moderaretur Ludovicus XII, præerat eccleſiæ Trecenſi Jacobus Raguier epiſcopus reverendus. Is anno ſupradicto, die verò Aprilis VI, ſcilicet Dominica prima poſt octavas Paſchæ, ad humilem venerabilis patris Nicolai Forjot, tunc abbatis monaſterii S. Lupi Trecenſis (viri ſanè litteris ac moribus, nec non rei domeſticæ ac familiaris curâ nominatiſſimi) ſupplicationem ex quodam veteri vaſculo argenteo, pulcro & honeſto, venerandum B. Lupi, Trecorum epiſcopi ac patroni, caput inter Miſſarum ſolemnia, poſtque Offertorium extraxit, populoque Trecenſi ex tabulato, ad hoc in medio dicti monaſterii templo diſpoſito, magna cum religione monſtravit. Hincque novum in vaſculum, non minus pretioſum, quam magnificum, auro gemmiſque decoratum, à prædicto venerabili patre Nicolao Forjot, dicti monaſterii S. Lupi abbate, per quemdam argentarium fabrum Trecis commorantem, Joannem Papillon dictum, magna cum impenſa fabrefactum, debito ac religioſo apparatu honorificè tranſtulit, relictâ in jam dicto vaſculo inferiori dicti B. Lupi mandibulâ.

B

anno 1505 *ſolenniſſimè facta,*

13 Decoraverunt perſonaliter & cum magna devotione venerati ſunt ſanctæ tranſlationis actum venerabiles ac religioſi patres Carolus de Refuge monaſterii Cellæ, Philippus de Bournaut Moliſmenſis, Emundus Erardus S. Martini in Areis, Savinus Gillot Rippatorii, & dictus Nicolaus Forjot dicti S. Lupi, abbates : item circumſpecti ac honorandi viri Nicolaus le Bacle decanus Trecenſis, Ludovicus de Courcelles Brenæ, & Ludovicus Bude Areyarum in eccleſia Trecenſi archidiaconi, Joannes Millon officialis Trecenſis, Joannes de Cellereis capicerius, & Stephanus de Refuge cellarius eccleſiæ collegiatæ S. Stephani Trecenſis, cum aliis dictæ Trecenſis & S. Stephani Trecenſis eccleſiarum canonicis. Miniſtrabant divinaque cantica concinebant religioſi ac canonici hujus jam dicti monaſterii Nicolaus Prunel Prior clauſtralis, Petrus Leſpargnot theſaurarius, & Joannes Noan præpoſitus cum aliis ſuis canonicis tam domi quam ruri commorantibus.

C

quæ quotannis recolitur Dom. 2 *poſt Paſcha.*

14 Non defuerunt hujus inclytæ civitatis inſigniores viri dominus de Fouion comitatûs Deu gubernator, illuſtriſque principis domini Dorvali Campaniæ gubernatoris viceſgerens, Joannes Clemens generalis, Joannes Bazin particularis locum tenentes domini baillivi Trecenſis, Guilelmus Huyard conſiliarius, Antonius Huyard advocatus, & Simon Liborom procurator regii, Guilelmus Bruyer præpoſitus Trecenſis cum Petro de Chappis & Guidone Coiffard ſuis loca tenentibus, Nicolaus Marel fiſci regii ordinarius receptor, itemque Hugo Leſprivier cameræ Trecenſis ſcabinorum major, Joannes Saulnier vectigalium regiorum (taillias vocant) electus *, itemque Joannes Berthier, Michaël Angenoſt, Joannes Richer, Antonius Vitel, Joannes Megrigny & Guilelmus Hay matricularii hujus eccleſiæ jam dictæ, itemque Guilelmus Mole & Joannes Tartier mercatores cum aliis inſignioribus Trecenſis civitatis viris pleriſque, cumque plebis utriuſque ſexus & conditionis tam ex civitate quam ex agris maxima multitudine, quanta nec viſa prius in prædicto monaſterio. Tantaque fuit in Deum exultatio & ad B. Lupum patronum ſuum omnium devotio, ut nemo pio gaudio non lacrymaretur ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui glorificat Sanctos ſuos ; cui cum Patre & Spiritu ſancto honor, virtus & gloria in æternum. Amen. *Hæc ibi. Nos annuam celebritatis hujus memoriam apud Tricaſſinos ſervari, dudum notavimus in Prætermiſſis ad diem* VI *Aprilis. Couſinetus addit, huic ſolennitati aſſignatam eſſe Dominicam* 2 *poſt Paſcha.*

* *an.* receptor ?

AUCTORE P. B.

Tres capſæ argenteæ reliquiarum S. Lupi Trecis.

15 *Porrò ex dictis conſequens eſt, ut præter indumenta pontificalia, reliquiarum* S. Lupi *in cœnobio illo, thecæ tres aſſerventur argenteæ, major videlicet, quæ maximam corporis partem continet ; minor alia vetus, è qua caput eductum eſt præter inferiorem mandibulam, quæ in illa relicta eſt ; ac Forjotiana tandem, quam ultimò memoravimus, quaque, ut paulo ſuperiùs Camuzatus obſervat, exhibet* effigiem epiſcopi, quam duo angeli ſuffulciunt, totam fere argenteam & inauratam, operibuſque encauſticis ſuperinductis & gemmis fulgentibus elegantiſſimè adornatam, & eouſque affabrè factam, ut omnium quidem, qui ipſam perluſtrarint & perſpicaci oculo perlegerint, judicio, in nullo totius Galliæ delubro cum ea imagine ob artificii ſubtilitatem componendum opus, quantâvis elaboratum ſit induſtriâ, inveniatur.

E

Eccleſiæ plures ejus nomine & reliquiis inſignes.

16 *Neque mirum eſt, tanti Præſidem hunc ſuum fieri à Trecenſibus, quando iis numquam defuit in rebus adverſis, ut affirmat auctor Vitæ Gallicæ Ms., ſubdens id incitamento fuiſſe fidelibus non in vicinia modò Tricaſſium, ſed inde etiam longè poſitis, ut hujus Sancti reliquias expeterent & quidam obtinerent, ejuſque nomine ſuas Deo baſilicas dedicarent ; ut præſentis auxilium, ſi quid eis ſiniſtri accideret, commodius implorarent.* Itâque factum, *inquit*, ut eccleſiæ nunc ſint plures quam triginta cum intra diœceſim Trecenſem, tum in remotis ab ea provinciis, quæ S. Lupum ut patronum celebrent titulatem. Imo & S. Eligius, epiſcopus Noviomenſis, ſuo tempore monaſterium Novioduno vicinum inſtituit, cujus eccleſiam Deo conſecravit nomine S. Lupi Trecenſis ; ita palam omnibus faciens ſuam erga hunc Sanctum devotionem. *De hoc cœnobio, quod poſteriùs S. Eligii nuncupatum eſt, videri poſſunt Annales Benedictini tom.* 1, *pag.* 354. *Quid, quod ipſi etiam in regno Neapolitano Beneventani non eccleſias ei ſolùm erexerint, ſed ejuſdem quoque in iis reliquias venerari ſe putent ? Ita certè de Sancto noſtro ſcribit Marius de Vipera in Catalogo Sanctorum eccleſiæ Beneventanæ ad diem* XXIX *Julii :* Cujus ſacrum corpus fuit Beneventum tranſlatum, & in baſilica ipſi dicata exſtat ſepultum, olim Benedictinæ familiæ addicta. Caputque ejus, in cathedrali in argentea theca incluſum, magna veneratione aſſervatur. Eſt & alia baſilica eidem excitata extra civitatem, prope ubi de Serretella dicitur, à qua tota illa regio nomen habet. Quando tranſlatio prædicta facta exſtiterit, non eſt qui id doceat. Beneventanæ civitatis calamitatibus id adſcribitur. *Ita Marius ; qui ſi de corporis & capitis potiori parte velit intelligi, nemini poſt ea quæ hoc paragrapho dedimus, facile perſuadebit, non confuſos hic eſſe Sanctos ſynonymos, noſtrumque adeo* Lupum *pro alio quocumque* S. Lupo *ſuppoſitum.*

F

AUCTORE P. B.

§ II. Elogia quædam Sancto noſtro recitata, maximè à S. Sidonio Apollinari.

S. Eucherius comparat S. Lupum S. Paulo apoſtolo.

Quamquam ea, quæ huc uſque produximus, publica erga ſanctum hunc Antiſtitem jam calo receptum venerationis indicia, luculenta ſunt meritorum ejus ac certiſſima teſtimonia; non pigebit hic tamen addidiſſe quædam ei elogia, cum viventi à coætaneis, tum à poſteris defuncto conſignata; quæ quidem etſi privata ſint, ſunt tamen eo tempore & ab iis auctoribus adornata, ut de veritate fuccritateque ſuſpecta nemini videri poſſint. Tale eſt illud, quod habet S. Euchrius, epiſcopus poſtmodum Lugduuenſis, ſub finem libelli, quem de Laude eremi ſcripſit ad S. Hilarium; ubi ſolitudinem Lerinenſem à viris ſanctiſſimis, quos aluerat illa alebatque, commendans, Hæc habuit, *inquit*, reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin lupum retulit: *ac ſi apertè dicat: alterum ac redivivum in* Lupo *Paulum apoſtolum eremus hæc habuit; ita hujus ille mores, virtutes, ardorem lucrandarum Deo animarum in ſeſe expreſſerat. Quo quidem quid aſſeri poſſit illuſtrius, non video; maximè de illo, qui tum nuper admodum ex illa ſolitudine ad labores apoſtolicos erat egreſſus: ſcriptus eſt enim hic libellus poſtquam Hilarius priſtinæ quietis amore ad Lerinum redierat, unde ſub finem anni 426 cum S. Honorato conceſſerat Arelatem, ubi hunc in eccleſiæ ſibi creditæ adminiſtratione non diu juvit; & antequam idem S. Hilarius ad S. Honoratum crebrò invitatus reverteretur, aliquanto ante ejus obitum, ſeu diem* XVI *Januarii anni* 429; *ſcriptus eſt ergo anno* 427, *vel ad ſummum ſequente; quando* S. Lupus *haud ita pridem factus epiſcopus, nondum in agro Domini excolendo illa præſtiterat, quæ maximam deinde ejus nomini gloriam attulerunt.*

S. Sidonius Apollin. appellat patrem patrum, epiſcopum epiſcoporum, alterum Jacobum,

C

18 *Multo uberior eſt in ejus laudibus, qui multo poſterius eas recenſuit, S. Apollinaris Sidonius epiſcopus Arvernorum, Epiſtolarum lib.* 6, *epiſt.* 1, *quæ ſic habet:* Sidonius domino papæ Lupo ſalutem. Benedictus Spiritus ſanctus & Pater Dei omnipotentis, quòd tu pater patrum, & epiſcopus epiſcoporum, & alter ſeculi tui Jacobus, de quadam ſpecula caritatis, nec de inferiore Jeruſalem tota Eccleſiæ Dei noſtri membra ſuperinſpicis; dignus qui omnes conſolaris infirmos, quique meritò ab omnibus conſularis. Et quid nunc ego dignum dignationi hujc putris & fœtida reatu terra reſpondeam? Colloquii ſalutaris tui & indigentiam patiens & timorem, recordatione vitæ plectibilis adducor, ut clamem tibi, quod dixit Domino tuus ille collega: " Exi à me, „ quia homo peccator ſum, Domine „. Sed ſi iſte timor non temperetur affectu, vereor, ne Geraſenorum deſtituar exemplo, & diſcedas à finibus meis. Quin potius illud, quod mihi conducibilius eſt, colleproſi mei te propoſita conditione conſtringam, ut ajam tibi: " Si vis, potes „ me mundare „. Qua ille ſententia non plus de Chriſto, quid, peteret, prodidit, quàm, quid crederet, publicavit.

primum totius orbis pontificem,

19 Ergone, cum ſis procul ambiguo primus omnium toto, quà patet, orbe pontificum; cum prærogativæ ſubjiciatur, cum cenſuræ tuæ attremat etiam turba collegii; cum in gravitatis veſtræ comparationem ipſa etiam grandævorum corda pueraſcant; cum poſt deſudatas militiæ Lirinenſis excubias, & in apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia, utriuſque ſanctorum ordinis quemdam te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritalia caſtra venerentur; tu nihilominus haſtatorum anteſignanorumque pauliſper contubernio ſequeſtratus, ultimos calones tuos lixaſque non deſpicis, & ad extimos trahariorum, qui per inſipientiam ſuam adhuc ad carnis ſarcinas ſedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers, ac manum linguæ porrigis in conſcientia vulneratis? Noſti, ut apparet, ex adverſa acie fauciatos, Dux veterane, colligere; & peritiſſimus tubicen ad Chriſtum à peccatis receptui canere; & euangelici paſtoris exemplo non amplius lætaris, ſi permaneant ſani, quàm ſi non remaneant deſperati.

D

morum normam, columnam virtutum, veram dulcedinem,

20 Te ergo, norma morum, te, columna virtutum, te (ſi blandiri reis licet) vera, quia ſancta, dulcedo, deſpicatiſſimi vermis ulcera digitis exhortationis contrectare non piguit. Tibi avaritiæ non fuit, paſcere monitis animam fragilitate jejunam, & de apotheca dilectionis altiſſimæ, ſectandæ nobis humilitatis propinare menſuram. Sed ora, ut quandoque reſipiſcam, quantum meas deprimat oneris impoſiti maſſa cervices. Facinorum continuatione miſer eò neceſſitatis acceſſi, ut is pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare, ſi ſupplicet. Nam quis bene medelam æger impertiat? Quis febriens arrotanti tactu pulſum diſtinguat incolumem? Quis deſertor ſcientiam rei militaris jure laudaverit? Quis eſculentus abſtemium competenter arguerit? Indigniſſimus mortalium neceſſe habeo dicere, quod facere detrecto; & ad mea ipſe verba damnabilis, cum imperem quæ non impleo, idem in me quotidie cogor dictare ſententiam.

E

interceſſorem Moyſe non minorem,

21 Sed ſi tu inter me & illum, cui crucifigeris, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum pro ſcelerum meorum populo, junior mage quam minor Moſes, interceſſor aſſiſtas, non ulterius deſcendemus in infernum viventes; nec per carnalium vitiorum incentiva flammati, ad altare Domini ignem diutius accendemus alienum. Quia, quamquam nos, utpote reos, gloriæ libra non reſpicit, ſatis tamen ſuperque gaudebimus, ſi precatu tuo levare valeamus interioris hominis noſtri, etſi non integrum ad remunerationem, certè vel cicatricatum pectus ad veniam. Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa. *Hæc antiſtes ille ſanctiſſimus, nec minus utique, cum alium laudat, ſincerus; quam, cum ſe deprimit, humilis, reſpondebat epiſtolæ, qua* S. Lupus *collatam illi recèns epiſcopi dignitatem gratulatus fuerat anno circiter Chriſti* 472, *ut infra videbitur. Epiſtolam verò illam* S. Lupi *ſuo etiam loco proferemus.*

F

epiſcopum incomparabiliter eminentem; dominantem vitiis omnibus,

22 *Dedit idem & alias tum ad Sanctum noſtrum, tum ad alios litteras, in quibus eamdem conſtanter in eum venerationem ſuam, idem de ſanctitate ejus ceteriſque dotibus judicium profitètur: ſic epiſtolam ejuſdem libri quartam* S. Lupo *inſcriptam orditur his verbis:* Præter officium, quod incomparabiliter eminenti Apoſtolatui tuo ſine fine debetur, etſi abſque intermiſſione ſolvatur, commendo ſupplicum bajulorum pro nova neceſſitate vetuſtam neceſſitudinem *&c. Sic ibidem epiſt.* 9 *ad eumdem, poſtquam laudaſſet epiſtolæ cujuſdam à* S. Lupo *ad Gallum aliquem ad frugem & uxorem, quam malè deſeruerat, revocandum conſcriptæ admirabilem efficaciam ac fru-*

A *fructum, hæc ſubdit :* Quod ſupereſt, obſecramus, ut crebra oratione, per quam vitiis omnibus immanè dominamini, nos quoque, ſicut evangelicos Magos remeaſſe manifeſtum eſt, vel jam nunc per aliam viam morum in Beatorum patriam redire faciatis.

cenſorem tam in litteris quam in moribus ſibi contremiſcendum,

23 *Sic libro 9, epiſt. 11, cum accuſatus amicè à* S. Lupo *fuiſſet juſſuſque ſe per epiſtolam copioſam defendere, quaſi de violatis caritatis & amicitiæ legibus, eò quod volumen epiſtolarum, libris ſeptem prioribus contentarum, ſibi abſolutè non obtuliſſet, ſed perlegendum tantummodo, ac tum alteri cuidam reſignandum; ita factum purgat Sidonius, ut ipſam hic epiſtolam, niſi eſſet longiuſcula, placeret exſcribere; adeo multa complectitur, quæ ad Sancti noſtri gloriam mirificè faciant. Ac primò quidem* Delicto, *inquit*, huic, quantulumcumque eſt, inter principia confeſtim ſupplico ignoſci, diffidentiæ, & non ſuperbiæ, faſſus errorem : nam cum mihi rigor cenſuræ tuæ in litteris æquè ut moribus ſit ambifariàm contremiſcendus, fateor tamen, in voluminis ipſius operiſque reſeratu illam mihi fuiſſe plus oneri, quam prætenditis, caritatem : .. quandoquidem mortalium mentibus vis hæc naturalitus ineſt, ut ſiquid perperam fiat, minùs indulgeant plus amici.

B

omnibus epiſcopis à ſe prælatum, & merito,

24 *Deinde non auſus* Lupo *ipſe per ſeſe præ reverentia contradicere*, Dixiſſet alius, *inquit* : neminem tibi prætuli... Quem prælatum ſuſpicabare, unius epiſtolæ formâ contentus abſceſſit : ... tu, qui te quereris omiſſum, tribus loquaciſſimis paginis (*litteras intelligit, quarum primas dedimus, duas alias modò citavimus*) fatigatus, potius in nauſeam concitaris ... Adde quia etiam in hoc, quod forſitan non notaſti, reverentiæ tuæ meritorumque ratio ſervata eſt ; quod, ſicut tu antiſtitum cæterorum cathedris, prior eſt tuus in libro titulus (*Libros ſextum & ſeptimum indicat, qui epiſtolas continent epiſcopis variis Gallicanis inſcriptas, quarum ordine prima eſt ad* S. Lupum.) Illius nomen vix ſemel tantùm, & ſibi adſcripta pagina ſonat : tuo, præter tibi deputatas, frequentur illuſtrantur alienæ : *quod infra patebit. Tum inter alia ſignificat (ſi tamen obſcuram ſententiam ſatis aſſequor) ideo ſe membranas ſuas per* Lupum *ad alium deſtinaſſe, ut hic eas à tam oculato cenſore perlectas emendataſque poſſet accipere:* Neque enim in iis, *inquit*, quæ tractaveris, ulla culpabitur aut diſtinctionum raritas, aut frequentia barbariſmorum. *Concludit tandem purgationem hanc ſuam, ſed alieno nomine uſurpatam, his verbis :* Hæc & his plura fors aliquis. Ego verò cuncta prætereo, & malo precari veniam, quam reatum, ſi hoc eſſe creditur, deprecari.

C

ut cui per annos 50 poſtpoſiti omnes fuerint ;

25 Attamen, *inquit paulo inferiùs*, cum ſatis tibi, & quidem meritò, (Quidnam enim [*tibi*] ſimile ?) in omnibus cedam (quippe qui in alio genere virtutum jam per quinquennia decem non æquævis ſacerdotibus tantùm, verùm & antiquis quoties collatus, antelatuſque ſis) noveris volo, ... pedem me conflictui tuo, ſi mutuo ſuper amore certandum eſt, non retractaturum ; quia cum in ceteris rebus, tum fœdiſſimum perquàm eſt in dilectione ſuperari. Quæ, velis nolis, certa profeſſio convitiis tuis illis, cuncta ſanè blandimentorum mella vincentibus, non præter æquum reponderatur.

litterarum ac litteratorum fautorem eximium,

26 *Demum epiſtolæ finem imponens, id in ſancto Præſule commendat, quod merito hodieque antiſtites imitentur omnes ; ut litteras videlicet earumque ſtudioſos impensè foveant.* En litteras, *inquit*, tam garrulas ferme quàm requirebas : ... namque in audentiam ſermocinandi quem non ipſe compellas ? *Exinde radio illum ſolari comparans, ex abditiſſimis terræ viſceribus fontes elicienti*, Ita, *inquit*, ſi quos, Vir ſacroſancte, ſtudioſorum ſenſeris aut quietos, aut verecundos, aut in obſcuro jacentis famæ receſſu deliteſcentes, hos eloquii tui claritas, artifice confabulatu dum compellat, & publicat. Sed quorſum iſta ; quid morarum eſt ? Redeamus ad cauſam, ſuper cujus abundante blateratu, quia pareo, precor, ut errata confeſſum veniæ clementis indulti placatus impertias : licet (quæ lætitia tua ſancta, quæque communio) copioſiùs hilarere, ſi meæ culpæ defenſio potius tibi ſcripta feratur, quàm ſatisfactio. Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa. *Scripta hæc ſunt biennio ante obitum* S. Lupi.

in ſacra Scriptura exercitatiſſimum &c.

27 *Epiſtolæ ad alios exaratæ ; in quibus de ipſo cum laude meminit S. Sidonius, variæ ſunt ; ut lib. 4, ep. 17, in qua Arbogaſtem, de ſacris Litteris aliqua ſciſcitatum, remittit nominatim &c. ad* inclytos Galliarum patres & protomyſtas Lupum *& Auſpicium* : quorum doctrinæ abundanti eventilandæ nec conſultatio, *inquit*, tua ſufficit. *Lib. 7, ep. 13 extollit Himerium, quod* ſanctum epiſcopum Lupum, facile principem pontificum Gallicanorum ... morum .. imitatione reſtituit. *Itaque quidquid ibi de Himerio diſſerit, etiam* S. Lupo *congruere neceſſe eſt. Lib. 8, ep. 14 Antiolii fidem auctoritatemque commendat ex eo, quod is* quondam in cœnobio Lirinenſi Luporum concellita Maximorumque fuerit. *Ibidem ep. 15 laudat* ſanctum Anianum, maximum conſummatiſſimumque pontificem, Lupo parem, Germanoque (*Autiſſiodorenſi epiſcopo*) non imparem. *In Carmine 16, quod eſt Euchariſticum ad Fauſtum, inter maxima Lirinenſis inſulæ lumina recenſetur* Sancta Caprasî vita ſenis, juveniſque Lupi.

E

Epiſtola Ruricii ep. Lemovic. non videtur ad ipſum ſpectare ;

28 *Sunt, qui epiſtolam Ruricii, epiſcopi Lemovicenſis, libri primi decimam apud Caniſium Antiquarum lect. tom. 5, pag. 469, ad hunc* Lupum *datam fuiſſe velint, quem in ea proinde Ruricius tenerrimo affectu compellet* pectus ſuum, dominum ſuum, flammam pectoris ſui ; *verùm nihil iſtic occurrit, unde epiſtolam illam epiſcopo, ac non viro potius ſeculari inſcriptam arguas, eloquentiæ tum tamen laude florenti, qualis per ea tempora, & quidem Lemovico haud paulò propinquior, erat Lupus ille, ad quem ſpectat epiſtola S. Sidonii undecima libri octavi : huic certè aptius quadrant tituli* magnanimitatis, probitatis *&c. quibus in iſtis litteris inſignitur.*

F

ſed potius ad illum pertinet elogium Gregorii Magni;

29 *Cum hæc & Sanctorum & ſynchronorum de Antiſtite noſtro judicia quis expenderit, nolet, opinor, multis ea poſterorum privatis teſtimoniis onerari veriùs, quam confirmari ; non poſſum tamen, quin unum ſaltem alterumve producam ; atque illud imprimis, quod de* SS. Lupo *ſimul & Germano intelligendum eſſe oſtendit Pagius in Criticis Baronii ad annum 429 num. 5, illud, inquam, quod habet S. Gregorius Magnus lib. 27 Moral. cap. 6, ubi ſacrum hoc illis adaptat vaticinium Job cap. 36 :* " Si voluit extendere nubes, ,, quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo ,, deſuper, cardines quoque maris operiet. ,, *ad quæ verba Gregorius*: Quod faciendum quidem Heliu vocibus audivimus, *inquit* ; ſed auctore Deo jam factum cernimus : omnipotens enim Dominus coruſcantibus nubibus cardines maris operuit ; quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim, penè cunctarum jam gentium corda penetravit. Ecce, in una fide Orientis limitem Occi-

AUCTORE P. B.

cidentisque conjunxit. Ecce, lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræum cœpit Halleluia resonare. Ecce, quondam tumidus, jam substratus Sanctorum pedibus servit oceanus, ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant *&c. Confer hæc sis cum altera* S. Lupi *Vita, quam damus, cap.* 3, *præcipuè num.* 27.

& aliud luculentum Hugonis Flaviniacensis.

30 *Ne quid verò de antiqua tanti Viri existimatione diuturnitas temporum detrivisse videatur, audi Hugonem, abbatem Flaviniacensem in Chronico apud Labbeum Biblioth. Mss. tom.* 1, *pag.* 83, *ubi de S. Pulchronio agitur, veterum omnium laudes seculo* XI *coacervantem :* Erat tunc temporis in eadem urbe Tricorum beatus Lupus morum probitate celebris, sanctitatis dote insignis, pietate laudabilis, patientia mirabilis, sapientia conspicuus, caritate diffusus, spe longanimis, fide prædicabilis, gravitate venerabilis, per zelum justitiæ erectus erga delinquentes, per compassionem proximus, in adversis patientissimus, in prosperis cautus; in quo omnis laus securè canitur. Hic in seculo annis septem cum uxore sua Piminiola, Sancti Hilarii Arelatensis episcopi sorore conversatus, Lirinense cœnobium expetiit; unde raptus ad pontificatum, eamdem gravitatem morum, eamdem humilitatis & vilitatis sectabatur continentiam, locato sibi in prospectu urbis monasterio, ubi cum his, qui secum aderant, divinis intendebat theoriis. Huic Magistro beatus Pulchronius in monasterio erudiendus à parentibus traditur *&c.*

B

§ III. Acta ejus antiqua, tum brevia, tum longiora, eorumque ætas & meritum.

Post Actorum epitomas, quæ sola exstabant,

C

ACta S. Lupi *non admodum pervulgata fuisse, aut certè nunc esse, ex eo conjicimus, quod eruditorum ejus præconum vix quisquam est hodie, qui aliud illorum aut citet aut sequatur exemplar, quam quod à Surio, sed* elimato passim *auctoris primigenii* stylo, *est editum. Ante illud sola publici juris erant Actorum (heu! nimis jam antea per se brevium) bina compendia : alterum in Speculo historiali apud Vincentium Bellovacensem lib.* 20, *cap.* 16, *& hoc quidem satis fideliter ex ipsis vetustis Actis excerptum; alterum in Catalogo Sanctorum apud Petrum de Natalibus lib.* 6, *cap.* 156, *nescio, unde desumptum; paulo quidem Vincentiano succinctius, sed non paulo corruptius; idque sive nomina spectes propria, ut cum* S. Lupi *conjugem Punimolam appellat, atque hujus fratrem Germanum; sive ipsam historiam; ut cum eumdem* Lupum *biennio monachum fuisse statuit; cum illum, nondum episcopum, cum S. Germano per annum sistit in Britannia; cum obcæcatum prodigiosè Tricassibus Attilam cum exercitu exhibet; cum denique hujus Præsulis episcopatum annis quinque & viginti circumscribit : quamquam postremum hoc vitium non ipsius est Equilini, (in editione enim Vicentina anni* 1493, *quam habemus, rectè exprimuntur anni* 52) *sed junioris typographi.*

32 *Fecit epitomes hujus utriusque cum brevitas tum discrepantia, ut Vita demum ipsa expeteretur ab omnibus; donec Surii tandem sagacitate atque industria emersit è tenebris codicum antiquorum; sed quanto limatior, tanto deformior : siquidem antiquitatem ut nativus color exornat, sic dedecorant pigmenta recentia. Vel sic tamen doctorum hominum judicio placuit, summaque adeo aviditate excepta est non ab exteris modò, sed ab ipsis etiam Trecensibus; ut qui hanc alteri, quam dudum in Officio recitare consueverant, non dubitaverint anteferre :* Historia ejus, *inquit de Sancto nostro Camuzatus, eruditus ecclesiæ Tricassinæ canonicus, in Promptuario suo fol.* 153, exstat apud Surium tomo quarto. Alia etiam habetur, sed minus sincerè & venustè scripta, quæ in ecclesiis Tricassinæ diœcesis legitur. *Eminentissimus Baronius eamdem laudat in Annalibus ad an.* 451, *num.* 41, *ut* fideliſſimè scriptam; *& ad an.* 472, *num.* 15, Exstant, *inquit*, res gestæ (*apud Surium, quem citat in margine*) sancti Lupi, licet brevi compendio, omni tamen fide antiquitus ab homine ejus temporis scriptis traditæ. *Ac de fide quidem auctoris integerrima idem sentit Tillemontius, vir utique ad istiusmodi præconia minimè præceps, Monument. Eccles. tom.* 16, *pag.* 127.

D

ipsa tandem Acta produxit Surius, sed mutato stylo, quæ laudantur;

E

nos eadem stylo primigenio

33 *Cum tamen idem Baronius ad an.* 451, *num.* 42 *de eodem scriptore Actisque sic habeat :* Subdit miracula ab eo (*S. Lupo*) tunc edita fidelissimus suorum temporum rerum scriptor; licet multa nimiâ brevitate transilierit : nisi forte mutilata habeantur, quæ exstant, ejus Acta : *satis insinuat, non ita satisfactum lectoribus à Surio fuisse, quin magnum reliquerit accenderitque genuini, ex quo hauserat, fontis desiderium : id quod etiam apertè supra Tillemontius profitetur. Hunc nacti pridem nos amicorum beneficio sumus; atque utinam purum! neque enim vetustissima etiam inter se prorsus consonant exemplaria, ut ex tribus liquet, quæ habemus. Horum illud visum est optimum, quod simplicissimum, licet mendosissimè scriptum in codice nostro membraneo Valcellensi ad diem* XXIX *Julii; idemque exstat, ut nobis significavit P. Joannes Gamans noster, in Ms. Blauburano : alterum, quod à Gamansio descriptum accepimus* ex Bodecensis cœnobii, Ordinis regularium S. Augustini, diœceseos Paderbornensis Passionali pergameno Ms. insigni, mensis Julii fol. 131, *aliquanto comptius est, & ad Surii stylum propiùs accedit, ut illud hic ante oculos habuisse videatur; ceterum à priori sic differt, ut sensu semper, & maximam quoque partem verbis ambo conveniant.*

F

dabimus ex Mss.

34 *Tertium exemplar ex Mss. Accincti monasterii & Vallis Lucentis à Chiffletio nostro submissum est, idemque servari intelligo inter monumenta Cousineti ad S. Genovefam Parisiis. Hoc interpolatum esse ipso statim exordio patet : nam ubi priora duo exemplaria hæc tantùm habent :* Beatissimi & apostolici viri, antistitis Lupi, Vitam ex aliquantulo enarrare operæ pretium est; quoniam in operibus laudum suarum multiplex materia dicendi consurgit : *ibi in exemplari hoc tertio scribitur :* Beatissimi & apostolici viri, antistitis Lupi, Vitam ex aliquantulo enarrare conemur; etenim qualiter se Deo, tam in operibus bonis, quam in virtutibus, exhibuit, cunctis fidelibus discernere operæ pretium est; quoniam in operibus laudum suarum *&c. Idem, ut cetera præteream, apparet ex fine, qui in prioribus exemplaribus talis est :* Vitæ præsentis debitum solvens, spiritum emisit ad cælum, dignis in terra laudibus excolendus. Unde nunc nobis, quò sublimis evectus est, præsidium glorioſus impendat; præstante Domino nostro

A

ſtro J. C., cui eſt gloria & poteſtas per omnia ſecula ſeculorum Amen : *in tertio autem talis :* Ab hoc ſeculo migravit ad Dominum, conſecutus à Domino munus ſibi promiſſum, atque gaudium accepturus æternum, beatum cælo, ſuſcipientibus angelis, intulit ſpiritum ; corpus cum plebe catholica relinquens in tumulo, dignis atque angelicis laudibus excolendum ; ubi præſenti tempore & uſque in ſecula omnis plebs catholica, oranda meretur adipiſci oracula, ut cuſtodiatur Eccleſia catholica, & à gente eripiatur hæretica, & ad gaudia perveniat ſempiterna ; adjuvante Domino noſtro J. C., qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen. *Equidem ejuſmodi amplificationibus, tametſi antiquis, vel novellam Surii exornationem prætulerim ; ut quæ multo ſit moderatior. Itaque huic exemplari cum aliis conferendo non immorabimur, cum paſſim differat.*

De auctoris ætate ac fide.

B

35 *Primum igitur exemplar hîc dabimus, tamquam ab omni ſuco ornatuque præ ceteris alienum, atque adeo vetuſtiſſimum ; reliquorum, ſi quando notabilis fuerit, diſcrepantiam addituri. Porrò de ſcriptoris ætate non eſt, quod à Baronii ſententia, ſupra num.* 32 *propoſita, recedamus : quamquam nihil etiam occurrit, unde illam ſolidè confirmemus. Itaque Tillemontius dum hujus anonymi fidem pro meritis extollit, ætatem cautè diſſimulat. Poſſet hæc fortaſſis ex ipſa Vita num.* 11 *utcumque colligi, niſi locus eſſet corruptiſſimus, nec ſatis apertè in majori, de qua mox dicemus, Vita reſtitutus cap.* 6, *num.* 57, *ubi hæc leguntur :* Subſcriptis etenim ejus referantibus diſcipulis, qui ejus in talibus ſemper adhæſerant monitis, relatio ejus actuum tradita eſt poſteris ; quorum unus fuit Polochronius *&c : quamquam enim hæc interpretatio innuere videatur, Acta* S. Lupi *antiquiora conſcripta fuiſſe ab aliquo, qui cum diſcipulis ejus vixerit aliquamdiu, ab iiſque didicerit quæ ſubinde, puta ante medium ſeculi* VI, *litteris commendaret : ſenſum tamen etiam hæc verba metaphoricum patiuntur, imò talem adjuncta videntur exigere ; acſi dictum ſit : Ipſa ſanctorum ejus diſcipulorum opera, & crebra, quibus fulſere, miracula, manifeſta ſunt poſteris Magiſtri præconia, & vitæ quodammodo ejus virtutumque luculenta relatio. Hic autem ſenſus ſi in prima Vita umquam fuerit, uſque adeo nihil ad aſſequendam biographi ætatem facit ; ut etiam ab iis, qui modò ſcriberent, verè poſſet adhiberi. Ut ut eſt, antiquum hunc Scriptorem ac fidelem eſſe, conſtabit ex modò dicendis de Vita longiori.*

C

Vita altera S. Lupi longior

36 *Vitam* S. Lupi *longiorem ſeu majorem appello illam, qua olim in ejus Officio uti conſueverant eccleſiæ Trecenſes, aliæque ipſius nomine dicatæ. Hujus apographum exemplar unum habemus ex Ms. codice Ultrajectino S. Martini, alterumque in codice noſtro pergameno P. Ms.* 14. *Dividitur utrobique capitibus undecim. Eadem aſſervatur Ms. Pariſiis in cœnobio S. Genovefæ, & quidem notis copioſiſſimis illuſtrata à Jacobo Couſineto, Ordinis S. Auguſtini apud Trecenſes olim canonico, qui eam, ex vetuſtiſſimis abbatiæ* S. Lupi *ibidem Mss. erutam, ad quinquaginta circiter Mss. extranea contulit, obtulitque nobis ultro ac perhumaniter anno* 1663 ; *incertum tamen, quam ob cauſam ſubinde non miſerit. Eamdem verò eſſe cum noſtra, didicimus ex P. Stephano Soucieto noſtro, viro cum eruditione de omnibus, tum aſſiduis officiis de opere noſtro optimè merente : hic enim anno* 1728 *& textus aliquot noſtros cum exemplari Couſineti contulit, & hujus notas omnes exſcribi nobis curavit : ex quibus deprehendimus, tria tantùm eſſe notabilia, inter Mss. noſtra & Couſinctianum, diſcrimina : primum quidem, quod hoc minutiùs dividatur, puta in capita omnino unum & quinquaginta ; ſecundum verò, quod in hoc legantur, quæcumque infra toto capite quarto inde tranſcripſimus, quia in utroque exemplari noſtro prætermiſſa prorſus erant ; tertium denique, quod in gemino Ms. noſtro ad calcem Vitæ, num.* 62 *epiphonema quoddam adjiciatur, quod in Pariſienſi non legitur.*

AUCTORE P. B.

37 *Hanc Vitam, ut ſupra monuimus, breviori Surianæ poſtponendam duxit, qui utramque legerat* Camuzatus, *tamquam* minus ſincerè & venuſtè ſcriptam. *Et fol.* 295 *de eccleſia differens, quæ nunc dicitur S. Martini in Areis, cum eam narraſſet tempore, quo* S. Lupus *exceſſit è vivis, Deiparæ Virgini fuiſſe conſecratam, idque ex hac eadem Vita, ſubdit illico :* Quod tamen aſſeveranter affirmare non auſim ; quamvis illud in Ms. S. Lupi Hiſtoria ſcriptum legatur : longè enim poſt ejus obitum concinnata eſt, ut & ſtylus, temporibus conſentaneus, ſatis indicat. *Patet hinc viri, in antiquitatibus Trecenſibus verſatiſſimi, de hac Vita, ſcriptoriſque fide judicium, candorque in monumentis patriæ diſcernendis tam rarus, quam ſeverus.*

Camuzato parum placuit ;

38 *Longè aliter de illa ſtatuit Couſinetus tum alibi, tum præſertim tomo ſecundo manuſcriptorum ab eo relictorum, & ad S. Genovefæ ſervatorum ; ubi de Scriptoribus agit, qui de* S. Lupo *poſteritati aliquid commendarunt, art.* 1 : *ibi enim & Vitam hanc, & ejus auctorem mirificis extollit elogiis : ac Vitam quidem appellat* Hiſtoriam fideliſſimam ; viam certam & rectam ; elaboratiſſimum opus, in quo nullum [*auctor*] errorem admiſit, nullum dubium incluſit, à quo apocrypha omnia eliminavit & procul abegit, Hiſtoriam *denique*, quam ignoravit Baronius, & cujus tantùm epitomen apud Surium legit & probavit. *Auctorem vero non ſemel nuncupat* ſcriptorem integerrimum, ſapientiſſimum, graviſſimum, meritiſſimum, clariſſimum, ſtudioſiſſimum, primum *inter hiſtoriæ S. Lupi ſcriptores* locum meritum, *utpote* qui primas egit & habuit in eodem opere ; qui veritati ſtuduit imprimis & brevitati ; qui ab ipſiſmet S. Lupi diſcipulis audierit, quæ ſcriptis diligentiſſimè commendavit, *&c.*

at Couſineto ſupra modum, tum in Ms. Pariſienſi,

39 *Cum hæc legerem, vix potui dubitare, quin ejuſdem eſſet Couſineti, erga nos optimè, dum vixit, affecti munus* Vita *quædam Gallica Ms.* glorioſi S. Lupi, epiſcopi & patroni Tricaſſium in Campania, hauſta ex antiquis Mss. abbatiæ regalis, quæ ipſius titulo inſignitur in eadem urbe, atque ex variis, qui de illo meminerunt, auctoribus aliis. *Hanc ille, opinor, ex Vitæ ſuæ Latinæ, ex notarum, aliorumque monumentorum ſuorum congerie, compilandam, & pro illis, quæ promiſerat, mittendam nobis judicaverit : tametſi ejus nomen, neſcio cujus oſcitantiâ, muneri non ſit inſcriptum. Conjecturam firmant primò titulus Vitæ jam datus, qui fere conſonat cum titulo Vitæ ejus Latinæ Pariſiis aſſervatæ : ſecundò annus, quo ſcripta notatur,* 1664, *qui annum proximè ſecutus eſt, quo monumenta ſua Latina nobis addixerat : tertiò totius Vitæ per capita* 20 *(tot enim ſunt) decurſus, ubique cum Vita Latina notiſque in eam Couſinctianis, ad marginem aliquoties citatis, conſentiens : ipſa denique Præfatio, quæ tota pertinet ad extollendam defendendamque præ omnibus majorem illam* S. Lupi *Vitam Latinam, quam ubique ſequitur, licet aliunde nonnulla in-*

tum in Vitæ Gallicæ S. Lupi Ms. præfatione ;

E

F

ter-

AUCTORE P. B.

termiſceat, addatque. Præcipua porrò, quæ pro Vita noſtra majore omnibus præferenda in prologo illo producuntur, argumenta huc redeunt:

ubi varia congerit argumenta,

40 *I. Virtutes* S. Lupi *viventis, elogia & veneratio defuncto ſtatim undequaque tributa credere non ſinunt, primigenia ejus Acta tam jejunè conſcripta fuiſſe, quam ſunt apud Surium*, ubi vivæ ejus imaginis levis tantùm adumbratio datur. *Quærenda ſunt igitur alibi longiora ſimul & genuina.* 11. *Ubi verò ea potius inveniantur, quam ubi vivus mortuuſque conſtanter floruit, hoc eſt in eccleſia Trecenſi? Talia ergo cenſenda ſunt, quæ iſtic olim in ſolennitatibus* S. Lupi *recitari conſueverunt.* 111. *In his narratio eſt amplior, antiquior, verior, quam in omnibus compendiis; iis proinde omnibus præferenda eſt: & ampliorem quidem eſſe, per ſe patet; antiquitatem verò colligere eſt tum ex priſco Actorum illorum uſu in eccleſiis ejus nomine conſecratis, tum ex Hugone Flaviniacenſi, qui ante annos ſexcentos ex iis textum citavit; tum vel maximè ex his ipſis Actis (infra cap. 6, num. 54;) ubi auctor aſſerit, ſeſe ab ipſis Sancti diſcipulis audiviſſe, quæ narrat: denique veritati hanc magis congruere, liquet ex eo,*

B

quod compendia recentiora S. Lupo *annum tantum unum in Lerino concedant; cum annos ſaltem quindecim debuiſſent numerare: Actorum verò longiorum hiſtoria tempus nullum definiat: deinde ex eo id etiam eluceſcit, quod eadem compendia tam ingratos fingant Trecenſes ſtatim poſt innoxium Attilæ diſceſſum erga Præſulem ac Liberatorem ſuum; ut hic eorum à ſe defectione offenſus, exſilium elegerit voluntarium; à quo non dicitur poſtea rediiſſe; ut adeo vel biennio poſt obiiſſe videri debeat, vel ad obitum uſque per annos ſex circiter & viginti gregem ſibi creditum deſeruiſſe; quorum hoc de Epiſcopo epiſcoporum incredibile eſt; illud autem apertiſſimè falſum. Tanto ergo his verior auctor noſter, quanto iſtis magis oppoſita narrat. Hæc ibi.*

quibus auctoris ejus ætatem & fidem,

41 *Sed horum priora duo argumenta quivis videt, quam parum urgeant: ad tertium reponi poteſt primò, ampliorem quidem eſſe hiſtoriam illam, quam ſit alia, de qua ſuperiùs egimus, ſed plerumque verbis tantum aut epiſodiis aliunde accerſitis; ceterùm ad rei ſubſtantiam pauca admodum adjicere; ordinem quoque rerum eumdem preſsè ſequi: imò vel hoc ipſo ſuſpectam eſſe, quod ſit amplior; cum hiſtoriæ, quando ſeorſim & ex profeſſo ſcribuntur, creſcere ſoleant ſæpius, quam decreſcere. Secundò, vel inde igitur colligi poſſe, longiorem breviori recentiorem eſſe; neque contrarium erui vel ex uſu eccleſiarum Trecenſium, vel ex Hugone Flaviniacenſi, vel ex ipſis Actis majoribus: uſus enim ille quam ſit antiquus, non conſtat; quod verò textum ex his Actis deſcripſerit Hugo in Chronico apud Labbeum in Biblioth. Mſs. librorum tom.*

C

1, pag. 89, inde conſequi fatemur, ea ſeculo undecimo exſtitiſſe (quod nemo negat;) at nequaquam, eſſe omnium antiquiſſima. Imò verò non obſcurè indicat ibidem abbas ille Flaviniacenſis, Acta illa longiora aliis eſſe poſteriora: citat enim primò loco Vitam beatiſſimi Lupi *(minorem noſtram, ut putamus, licet verba non exprimat, quæ minus clara erant, ſed ſenſum tantummodo;) tum ſubdit:* Teſtatur hoc & alius quidam præfati beati Lupi ſcripto virtutes replicans; *ita longioris Vitæ ſcriptorem deſignans, cujus deinde textum ſubjungit. Cur illum, obſecro, ſecundo loco poſuit; niſi quia poſteriorem putavit? Quid eſt propriè* replicare ſcripto virtutes S. Lupi, *niſi antea ſcriptas uberiùs explicare?*

42 *Denique quod auctorem hunc eruditus Cou-*

ſinetus credat ſua non ex priore ſcripto, ſed ex ipſo S. Lupi *diſcipulorum ore excepiſſe, id collegit ex loco, quem ſupra citabam num.* 35; *at ille quam ſit ambiguus, ibidem indicavi. Fac tamen, clarum eſſe, atque id apertè ſignificare, quod relatio actuum* S. Lupi *poſteris ſit ſcripto tradita, idque referantibus ſeu dictantibus ejus diſcipulis. Cedo, de qua relatione ſcripto tradita hoc affirmat; de ſuane, an de alia? Non de ſua, opinor, ſi aliam agnoſcit ſuâ priorem: talem autem non agnoſcit ſolùm, ſed etiam ſecutum ſe dicit: ſic enim habet infra cap. 6, num. 54, ubi de* S. Lupi *geſtis meminit:* Nonnulla verò incuriâ perierunt malè ſervantium: pauca etiam in ore ſunt hominum; ſed quia adſtipulationi non innituntur hagiographorum, quaſi apocrypha eliminamus à compendio noſtrarum litterarum *&c. Ut quid queritur, ſervata non fuiſſe Acta omnia, ſi nulla credat ante ſe ſcripta fuiſſe? Cur queritur, periiſſe Acta, ſi cum diſcipulis, eorum teſtibus ac ſpectatoribus vivebat? Quinam verò illi homines ſunt, in quorum ore, cum ille ſcriberet, pauca ferebantur de Sancto, & quidem apocrypha? An* S. Lupi *diſcipuli? Tandem quænam ſcribere ſe aſſerit auctor ille de Sancto noſtro; an non illa, quæ* adſtipulationi innituntur hagiographorum? *Potuitne diſertiùs teſtari, non primum eſſe ſeſe, qui de* S. Lupo *ſcripſerit; ſed alios præceſſiſſe, quos ipſe ſit ſecutus? Horum autem præcipuum putamus illum fuiſſe, qui Vitam breviorem conſcripſit: cum & hujus veſtigia premat auctor longioris, & alia in antiquis codicibus nulla* S. Lupi *Vita compareat: nam compoſitam aliquam fuiſſe à Gilda Sapiente, non probant qui aſſerunt; ut ad diem* XXIX *Januarii pag. 954 Majores noſtri obſervarunt.*

cum ſeculo demùm octavo ſeneſcente, aut nono ſcripſerit.

43 *Jam de fide hujus ſcriptoris quid ſentiendum, patebit ex ſequentibus paragraphis & annotatis. Dabimus illum interim, qualis qualis eſt; ut quivis videat, quanti ſit æſtimandus. Et ſanè antiquum eſſe, non diffitemur; & quidem ſcripſiſſe videtur ante annum Chriſti* 889, *quandoquidem de* S. Lupi *tranſlatione prima non meminit; & poſt editam, paſſimque, etiam in Gallia, vulgatam* Hiſtoriam gentis Anglorum, *quam ſeculo præcedente venerabilis Beda conſcripſerat: hanc enim, & non aliam ab eo citari cap. 3, num. 30, certum videbitur conferenti ea, quæ narrat auctor capp. 2 & 3, cum Hiſtoria Bedæ lib. 1, cap. 17 & ſeqq.: quamquam enim Bedæ nitorem brevitatemque, ut cetera ſolet omnia, garrulitate ſua plerumque amplificet ſimul & inficiat; tamen identidem ad ipſiſſima Bedæ verba phraſeſque relabitur, eaque deſcribit, ut jacent: ut certiſſimè Hiſtoriam Bedæ ante oculos habuiſſe dicendus ſit; niſi alia oſtendatur antiquior* Hiſtoria actuum Anglicorum, *quam Beda totidem verbis deſcriptam inſeruerit ſuæ; & quæ quidem tam vulgaris olim in Gallia fuerit, quàm eam fuiſſe innuit, quam aſſignat auctor noſter his verbis:* cum ſcire volentibus in medio ſit Hiſtoria actuum Anglicorum. *Scio equidem, Bedam hæc hauſiſſe ex Vita S. Germani Altiſſiodorenſis, & hujus etiam hîc verbis uti: ſed Vita illa appellari non potuit* Hiſtoria actuum Anglicorum; *atque adeo eam auctor noſter vel non vidit, vel certè per titulum jam dictum indicare nec potuit nec voluit. Porrò Scriptoris noſtri nomen ignotum eſt: ſed patria aut certè domicilio Trecenſem fuiſſe, conjicimus ex cap. 6, num. 59.*

D

juſto amplius extollit;

E

F

§ IV.

A

§ IV. Locus & annus Sancti natalis, parentes, educatio: nuptiæ.

S. Lupi patria Tullum in Lotharingia:

JUverit nunc *Acta ſancti Antiſtitis tum antiqua, tum à recentioribus aucta ſigillatim expendere; idque ordine, ut ſimul ad ſua quæque tempora revocentur: ſunt enim plura in iis obſervanda, quam ut referri inter annotata poſſint, niſi onerare potius Vitam utramque Ms., quam illuſtrare velimus. Quæritur ergo primùm, ubi ſit natus.* Ex urbe Leucorum, *inquit Vita prima; addit verò ſecunda:* Quæ nunc dirivato vocabulo Tullum vocatur, *id quod etiam additur in prioris Vitæ Ms. paſſim interpolato Accincti monaſterii & Vallis Lucentis.* Leuci *dicti ſunt olim, qui tractum illum modernæ Lotharingiæ incolebant, qui fere Moſam inter & Moſellam fluvios, ubi alter alteri proximus eſt, continetur. His urbes duas ipſe olim Ptolemæus in Geographia ſua aſſignat,* Tullum *videlicet* & Naſium. *Tullum tamen in priore Vita per* urbem Leucorum *deſignari potius, quam Naſium, auctori majoris Vitæ facile conceſſero; tum quia urbs erat præcipua & Leucorum caput, tum quia antonomaſticè &* Leucia & civitas Leucorum *in vetuſtis monumentis appellata legitur; ut videre licet apud Valeſium in Notitia Galliarum ad vocem* Tullum. *Inſcitiam tamen aliquam arguere videntur addita illa,* Quæ nunc dirivato vocabulo Tullum vocatur; *quaſi verò diu poſt S.* Lupi *tempora vocitari Tullum cœperit; quæ fuit eo nomine à ſeculo ſaltem æræ Chriſtianæ ſecundo celeberrima.*

annus natalis ejus circiter 383:

45 *Annum Sancti natalem neutra exprimunt Acta; hinc variatur inter neotericos. Sammarthani in epiſcopis Trecenſibus, dum illum aiunt* quinquaginta duobus annis natum ad epiſcopatum Trecenſem aſſumptum fuiſſe, *eoque annis totidem functum, tranſiiſſe ad Chriſtum anno* CDLXXIX, *natum cenſent anno circiter Chriſti* 375; *ſed nihil afferunt, quo dicta ſtabiliant. Tillemontius Monument. eccleſ. tom.* 16, *pag.* 127 *nativitatem ejus contrà differt uſque ad finem circiter ſeculi quarti; credo, quia ſic ejus chronologiam ſatis commodè poterat ordinare; maximè cum ſe putaret anno tantùm uno opus habere ad circumſcribendam vitam ejus in inſula Lerinenſi monaſticam, de qua re dicetur inferiùs: certè nullum aliud reperio pro hac ſententia fundamentum. Nobis non improbabilis apparet annus, quem adſtruit in notis ad Vitam Ms. Couſinetus, Chriſti* 383; *cum & totam Vitæ chronologiam reddat magis veriſimilem, ut videbimus; & aliqua ſaltem auctoritate nitatur: nam notâ* 1 *in caput* 51 *pro ea citat* vetuſtum quemquam codicem inter *cœnobii ſui* plutearios, *qui ſic habeat:* Obiit autem ſanctiſſimus ille Pontifex (*Lupus*) plenus dierum, ætatis ſuæ anno nonageſimo ſexto, expletis ab Incarnatione Domini quadringentis ſeptuaginta novem annis. *Deme* 96 *à* 479, *& annum habebis vel natalem vel natali proximum* 383. *Ceterùm candidè fateor, maximam non eſſe iſtius codicis auctoritatem; cum in eo ſuperioribus verbis hæc ſatis ineptè (fortè ex majori Vita) ſubdantur:* Anaſtaſio tenente monarchiam; mutavitque terrea cælicis, fruens gaudio divinæ majeſtatis: *Anaſtaſius enim imperare primùm cœpit anno* 491.

46 *Patrem* S. Lupi *Mss. noſtra tam Vita mi-*

B

C

noris, quam majoris exemplaria Epyricum, Epyrichium, Epirichium, Epirrichium *nuncupant, præter Valcellenſe, quod habet* Hebricium: Epyrichium *quoque in ſuis Mss. legi teſtatur Couſinetus; nuſquam* Epirochium; *ut appellatur apud Surium & qui eo ſunt uſi recentiores paſſim omnes. De matre ejus nihil ſcitur, & ipſum nomen ignotum eſt; quidquid eam Savaro ſororem fuiſſe ſuſpicatur S. Germani epiſcopi Autiſſiodorenſis, quod nec Couſinetus quidem ipſi aſſentitur. Nobilem tamen imprimis utrumque parentem innuit Vita prior, dum Filium aſſerit fuiſſe* familiæ primum, *ſive eâ præ aliis illuſtrem. Hinc, opinor, auctor ſecundæ Vitæ collegerit, Sanctum noſtrum* parentibus lineâ regalis exortum propaginis; *&, quia reges in Galliis non invenerat, in vicina illos Britannia quærendos putaverit, addens,* propagatum *fuiſſe* regio ſtemmate in pago Britannico pollentibus. *Sequitur hunc tum in notis ad Vitam illam, tum in Vita Gallica Ms. Couſinetus, operosè contendens, fieri potuiſſe, ut S.* Lupi *majores, Chriſtianam amplexi religionem, ad vitandas perſecutiones, in Gallias ex inſula Britanniæ commigraverint; cum id multos feciſſe, Gildas aliique teſtentur. Non diffiteor equidem, id fieri potuiſſe; ſed ut omnino factum eſſe credam, teſtem exigo magis idoneum; maximè cum nihil hujuſmodi vel in Vita antiquiore, vel apud Sidonium, vel in ullis Britannorum monumentis reperiam: & hi quidem tametſi Præſulem hunc ſanctiſſimum tamquam Catholicæ in Britannia fidei vindicem, ſacris aliquando Faſtis ſuis, teſte Alfordo in Annalibus ad annum* 479, *adſcriptum habuerint; à ſe tamen eſſe oriundum hactenus ignorarunt. Et cedo mihi reges ante ſeculum quintum in ea Britanniæ parte, quæ Romano parebat imperio.*

AUCTORE P. B.

parentes ejus & proſapia;

E

47 *De Sancti fratribus aut ſororibus Acta neutra meminerunt: at unum ſaltem ipſi fratrem germanum fuiſſe, nomine Vincentium, qui aſceticam deinde vitam cum eo in ſolitudine Lerinenſi aliquamdiu coluerit, ex S. Eucherio diſcimus in epiſtola, de qua ſupra § 2, num.* 17 *mentionem feccimus, de Laude eremi pag.* 40; *ubi de Lerina,* Hæc habuit, *inquit,* reverendi nominis Lupum; . . hæc habuit germanum ejus Vincentium, interno gemmam ſplendore perſpicuam. *Sed quis iſte Vincentius? Idemne cum S. Vincentio, qui presbyteri Lerinenſis titulo ſcriptiſque celebratur; an alius? Hoc enim die* XXIV *Maii, quo de priori eſt actum, huc Papebrochius indiſcuſſum remiſit. Res eſt ſanè obſcura, ſive nomen, ſive monaſterium, ſive tempus conſideres, quæ utrique (ſi duos tamen eſſe voluerimus) communia ſtatuere neceſſe eſt. Unum faciunt Sauſſayus in Martyrologio ad diem* XXIV *Maii, Baluzius in* Notis ad Vincentium Lirinenſem, *à ſe editum Pariſiis anno* 1669, *pag.* 431, *aliique eruditi non pauci, id ſupponentes potius, quam probantes; quibus etiam Couſinetus in notis ad Vitam Ms. adhæret notâ* 3 *in cap.* 6, *pro ſe citans* Lectionarium novum regalis eccleſiæ S. Lupi in feſto S. Lupi Lectione IV, & Breviarium Tullenſe, editum anno MDCXXIV, *ad diem* XXIV *Maii. Sed hæc recentia ſunt: nam in Breviario Tullenſi, quod habemus, anni* 1535 *nullus apparet illo die Vincentius.*

F

frater, Vincentius, Lerinenſis aliquando monachus;

48 *Contrà, diverſum fuiſſe Vincentium vulgò Lerinenſem, à noſtro, cenſet Tillemontius tom.* 16, *ubi de* S. Lupo, *pag.* 128; *idque quia Vincentius,* S. Lupi *frater, jam Lerinenſis eſſe deſierat anno Chriſti* 427, *æquè atque ipſe* Lupus, *ut ex citata mox epiſtola S. Eucherii patet: Vincentius autem ille, quem Gennadius appellat* apud mona-

non ille tamen,

AUCTORE P. B.

sterium Lerinensis insulæ presbyterum, (*utique quia talis erat, cum illam disputationem scriberet, quam ipsi Gennadius attribuit*) *disputationem suam seu Commonitorium adversus hæreseon novationes composuit, ut ipsemet indicat apud Baluzium pag.* 365, *triennio ferme post concilium*, quod in Asia apud Ephesium celebratum est VV. CC. Basso Antiochoque consulibus, *id est anno Christi* 431: *non ergo noster ille Vincentius fuisse videtur, cum annis antea quinque Lerino excesserit. Norisius quidem Hist. Pelagianæ lib.* 2, *cap.* 11 *contendit, Vincentium, Commonitorii auctorem, non ideo à Gennadio* Lerinensis insulæ presbyterum *vocari, quia in illa insula monachus exsistens scripserit; sed quia ad eam posterius accesserit, in eaque mortuus sit ac sepultus. Quod si verum est, eluditur, fateor, argumentum pro amborum diversitate jam positum, dicendo, Vincentium nostrum vel ad Lerinum rediisse, exemplo S. Hilarii, post annum* 434, *vel etiam Lerinensem à Gennadio nuncupari, quia Lerinum, antequam scriberet, incoluisset.*

B qui Commonitorium in Lerina scribebat an. 434;

49 *At enim nego, Vincentium nostrum eò rediisse, cum id nemo affirmet, nec probare potuerit Norisius: nego, Vincentium scriptorem à Gennadio, qui eodem, quo ipse, seculo Massiliæ floruit, Lerinensem vocari, qui in Lerino non scripserit: aliter enim sonant Gennadii verba, aliter ab omnibus ante & fere etiam post Norisium intellecta sunt. Et sanè levis est ratio, qua novellam suam de hac re sententiam tuetur; dum ait, auctorem Commonitorii ipso statim initio se monachum quidem fateri cum scriberet, at non Lerinensem: sunt enim hæc ejus verba:* Locus autem (*hortatur nos ad scribendum*;) quòd urbium frequentiam turbasque vitantes, remotioris villulæ, & in ea secretum monasterii incolamus habitaculum. *At* in Lerina, *subdit Norisius*, nulla villa erat: .. antequam enim S. Honoratus .. Lerinam appelleret, hæc à nullo habitabatur; *id quod probat ex Hilario in Vita S. Honorati. Sed quodnam hoc argumenti genus est:* In Lerina nulla villa erat, antequam S. Honoratus Lerinam appelleret, sub finem scilicet seculi quarti vel initium quinti: ergo nec ulla erat anno 434, quo scribebat Vincentius? *An non passim cœnobia villarum juxta se urbiumque excitandarum occasio fuere? Tum quis dicat, auctorem illum, sicut celare lectorem voluit nomen suum, adscito nomine Peregrini, ita non voluisse etiam obscuriùs designare Lerinam suam,* villulam *eam* remotiorem *appellando? Adi Baluzium citatum pag.* 432, *& Tillemontium tom.* 15, *notâ* 2 *in Vincentium Lerinensem, pag.* 860. *Gennadium ergo sequimur juxta veterem eruditorum & obviam interpretationem; Vincentium vulgo Lerinensem, Commonitorii scriptorem anno* 434 *Lerinam incoluisse dicimus; illumque proinde à nostro, qui jam anno* 427 *inde abscesserat, diversum fuisse statuimus.*

C sed alius; & forte S. Vincentius ep. Sanctonensis.

50 *Quod si quis roget, quis tandem ergo fuerit, aut quò ex insula Lerinensi contulerit sese Vincentius* S. Lupi *germanus; respondeo, minùs patere, quid esse tum cœperit, quam quid esse desierit; nec facile inter alios plures ejusdem ætatis Vincentios nostrum posse designari. Quia tamen ipsum laudat S. Eucherius tamquam* interno gemmam splendore perspicuam, *id est, ut ego quidem interpretor, scientiâ ac sanctitate, quæ* interna *sunt ornamenta, inter coætaneos eminentem; crediderim illum, item ut Fratrem aliosque, qui ex eodem asceterio tum temporis prodibant, episcopum electum fuisse, & quidem Sanctonensem, ac deinde Sanctorum albo adscriptum. Conjecturam hanc injicit Prosa vetus in laudem S. Honorati aliorumque Sanctorum, qui Lerinam aliquando coluerunt, apud Vincentium Barrali in Chronologia Lerinensi parte* 1, *pag.* 29; *ubi S. Vincentio statim adjungitur* S. Lupus *in hæc verba:* Vincentius Sanctonensis, Lupusque Trecensis, Atque Justus Lugdunensis Fuerunt antistites. *Idem* S. Vincentius episcopus Sanctonensis *inter Sanctos, olim apud Lerinam cultos, sed quorum nunc neque festum anniversarium, neque Acta sciantur, recensetur è vetusto catalogo ibidem, parte* 2, *pag.* 149. *Nec refert, quod apud Sammarthanos non appareat S. Vincentius in serie episcoporum Sanctonensium; cum in illa serie desiderentur plurimi usque ad seculum sextum episcopi.*

D

51 *Habuit & patruum* S. Lupus, *in plerisque exemplaribus Cousinetianis* Alistichium *nuncupatum: nam in sola, inquit, epitome vocatur* Lustricius. Alistichium *in brevioribus Actis legit etiam Surius, & sic habent bina exemplaria nostra Mss. majoris Vitæ; at minoris, Bodecense nominat* Alysticum; *Valcellense & Accinctinum*, Listicium. Patruo æquè familiæ meritis decorato *junior adhuc* Lupus, *post obitum patris*, scholis traditur, rhetoricis imbuitur (*vel* imbuendus) studiis; *ut est in Vita priore. A quo traditur? A patruo, opinor, pupilli tutore. At cui traditur litteris imbuendus? Ipsine eidem patruo? Vix credo. Quis enim virum* familiæ primum *facile sibi suadeat ludimagistrum fuisse? Malim ergo legere:* Ab Alistichio patruo scholis traditur *&c. Atque in hanc sententiam si non legit, saltem interpretandum censuit hunc locum Surius. Auctor interim secundæ Vitæ hæc ita exposuit, ut ipsi patruo, quem proinde philosophum facit, imbuendum Puerum traditum fuisse narret: nihil tamen de* scholis *meminit; credo, ne patruum, quem regio stemmate propagatum asseruerat, nimis ineptè continuò pædotribam cogeretur fateri. Ceterùm de Alistichio nihil alibi legimus; uti neque de Sancti cognatis aliis: nam de S. Germano Autissiodorensi, quem ei fratrem dat apud Usserium de Primordiis Britan. eccles. cap.* 11 *Claudius Menardus; Petrus verò Equilinus cognatum, unde sit haustum, nescimus, nisi posterior id acceperit è Vita secunda, quæ cap.* 1, *num.* 3 *quid simile videtur innuere.*

Alistichius S. Lupi patruus; an & magister?

E

52 *A scholis & eloquentiæ laude ad nuptias* S. Lupi *transit auctor Vitæ brevis: at longioris scriptor prius cum inter ephebos collocat in aula S. Germani ducis, qui deinde episcopus fuit Autissiodorensis. Sed hoc narrat iterum ipse solus, & epitome, nescio quæ, citata apud Cousinetum in notis ad Vitæ Ms. cap.* 3. *Silent antiquiores, qui de* SS. Lupo *Germanoque scripserunt. Eamdem ergo res hæc fidem meretur quam aliæ eâdem unicè auctoritate infra subnixæ: atque imprimis quod ab eodem duce Germano comes creatus ibidem num.* 4 *dicitur anno circiter quarto post nuptias, de quibus mox agemus, cum Pimeniola celebratas: nam Cousineto, qui hanc assertionem non tuetur modò, sed etiam explicandam censet de comitatu Trecensi, qui Sancto nostro collatus hîc fuerit, probandum erat, recentiora non esse, quam hæc ipsa sint Acta, testimonia quæ profert; puta* sigillum vetus abbatiæ S. Lupi Trecensis, quod utrimque celatum exprimit ex utraque parte sanctum Lupum; in altera cum ornamentis pontificalibus gladium, acie in terram demissa, manu gestantem, cum inscriptione: SIGILLUM CAPITULI S. LUPI TRECENSIS; in altera verò parte eumdem Lupum designat in equo laxatis habenis admisso, equestri habitu

An S. Germani ephebus, an comes Trecensis fuerit S. Lupus:

F

habitu gladium in aërem vibrantem ; cujus eſt inſcriptio : SANCTUS LUPUS , COMES TRECENSIS. *Sanè vox* Capituli *hoc ſenſu accepta , priſca non redolet Eccleſiæ ſecula. Aliud teſtimonium ex litteris Henrici , comitis Trecenſis , anno* 1161 *datis apud Camuzatum fol.* 307 *depromit , in quibus fit mentio* dominii , quod in civitate Trecenſi antiquitus B. Lupus habuit confeſſor glorioſus, *& recognoſcitur* ſignum & memoria ipſius antiquæ dominationis. *At hæc referri poſſunt vel ad* S. Lupum *epiſcopum , vel ad eccleſiam ejus nomine conſecratam ; ſæpe enim per nomen Sanctorum deſignantur eorum eccleſiæ , & quæ ad eorum eccleſiæ dominium pertinent , ad ipſorum dominium pertinere dicuntur. Adde , nihil ibi de* S. Lupi *comitatu legi ; & ut legeretur , inſtrumentum eſſe ſeculi duodecimi.*

quando , & quam ſponſam duxerit;

53 *De conjugio* S. Lupi *cum Pimeniola , S. Hilarii epiſcopi ſubinde Arelatenſis , de quo ad diem* v *Maii eſt actum , ſorores utraque conſentiunt Acta ; licet aliter atque aliter ſponſæ nomen exprimant Mſs.* Pimeniolam *in ſuo legit Surius , Vincentius Bellovacenſis Spec. hiſt. lib.* 20 , *cap.* 16, *Mſs. noſtra Valcellenſe ac Bodecenſe : at Ms. Accinctinum habet* Pimiolam ; *Petrus Equilinus*, Punimolam ; *bina majoris Vitæ exemplaria , alterum* Pinniolam , *alterum* Pynniolam ; *apud Couſinetum verò* Piminiolam. *Eſt hæc nobis aliunde prorſus ignota ; at multo ignotior Equilino , ut qui eam S. Germani Arelatenſis , qui nullus fuit , ineptè facit ſororem. Quo autem tempore initum fuerit hoc matrimonium , ſiletur in Actis ; hinc recentiorum diſſenſio , ut Couſineti in notis ad Vitæ Ms. caput* 4 , *qui illud refert ad annum Chriſti* 403 ; *& Bailleti in Legenda Gallica , qui adſcribit anno* 417 ; *& hîc quidem nullam addit rationem , cur ita ſtatuat ; ille verò id facit , quòd aliter conjugii ſeptennium , quod adſtruunt Acta , invenire non potuerit ante ſeceſſum* S. Lupi *in inſulam Lerinenſem , quam contigiſſe vult anno Chriſti* 410; *de quo poſteriùs convenietur. Nos rem , ut eſt , malumus incertam atque indefinitam relinquere ; modò & poſt annum* 403 *& ante annum* 417 *contigiſſe dicatur : poſt annum , inquam ,* 403 ; *quia cum S. Hilarius alterum tunc tantùm ætatis annum ageret , nec ſciatur multos habuiſſe fratres aut ſorores , non apparet , ſororem tum illi fuiſſe nubilem : ante annum verò* 417 ; *quia videtur* S. Lupo *poſt expletum in conjugio ſeptennium , & ante ſuſceptum epiſcopatum , temporis quantum poteſt in Lerino dandum eſſe ; ut ſuo loco videbitur.*

an cum ea perpetuam continentiam,

54 *De liberis ex illo matrimonio ſuſceptis nihil ſcitur. Laudatur verò in antiquiori Vita Pimeniola à ſenſuum maturitate & ſtudio verecundi pudoris. At in ſecunda Vita creſcit oratio , dum ambo conjuges num.* 5 *perpetuam dicuntur ſervaſſe virginitatem. Longiùs etiam progreditur Couſinetus tum in notis ad majorem illam Vitam Latinam ; tum in Gallica , quam ipſe ſine dubio compoſuit , manuſcripta , cap.* 2 , *ubi ait , ambos ab initio contractarum nuptiarum caſtitatis perpetuæ votum conſenſu mutuo nuncupaſſe , idque hortatu S. Hilarii , fratris Pimeniolæ. Verùm hîc optimi atque eruditi viri parum cauta fuit ſedulitas : nuptias enim has ille celebratas aſſerit anno* 403 ; *Hilarium verò certum eſt tunc infantem tantummodo fuiſſe bimulum. Decepit illum epiſtola cujuſdam Hilarii ad S. Auguſtinum Hipponenſem , quæ in editione Benedictinorum Pariſienſium tomo ſecundo legitur inter Auguſtinianas ducenteſima vigeſima ſexta , & in fine ſic habet :* Sciat ſanctitas tua, fratrem meum , cujus maximè causâ hinc diſceſſimus , cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam devoviſſe. Unde rogamus ſanctitatem tuam , ut orare digneris , quò hoc ipſum in eis Dominus confirmare & cuſtodire dignetur. *Hæc omnino Couſinetus S. Hilarii Arelatenſis verba de* S. Lupo *ejuſque conjuge Pimeniola putavit eſſe.* AUCTORE P. B.

mutuo voto conſecratam Deo, ſervaverit.

55 *Sed epiſtolam illam Hilario Arelatenſi adſcribi non poſſe, poſt Bellarminum , Labbeum , aliosque , nos ipſi oſtendimus die* v *Maii in Appendice ad ejus Acta. Idem operosè facit Tillemontius tom.* 13 , *notâ* 91 *in S. Auguſtinum ; & tomo* 15, *ubi de S. Hilario Arelatenſi , cap.* 11 , Res hæc eſt , *inquit* , de qua neminem nunc eruditum ambigere credimus. *Fac tamen , S. Hilarii Arelatenſis hanc eſſe ; fac, ab eo* S. Lupum *ac Pimeniolam deſignari , & quidem* fratrem *appellatum eſſe , cum eſſet levir ; illam verò* matronam , *cum eſſet Hilarii germana ſoror : ne ſic quidem Couſineto ſuffragari poteſt hic locus : non enim aſſerit , conjuges matrimonio numquam uſos fuiſſe , & in ipſis nuptiis perfectam Deo continentiam devoviſſe. Adde , ridiculum videri poſſe , ſi anno demum* 429 (*tum enim epiſtola ſcripta eſt*) *hoc eſt , biennio poſt initum à* S. Lupo *epiſcopatum , S. Hilarius , tamquam rem novam , S. Auguſtini precibus commendaverit votum continentiæ , quod juxta Couſinetum Sanctus noſter cum ſponſa feciſſet anno Chriſti* 403, *ſive ab annis omnino viginti ſex. Sed quid opus eſt hîc plura dicere ? Fatemur ergo , nullam eſſe virtutem tam eximiam , ut negari de Viro debeat ,* in quo , *ut ſupra monebat Hugo Flaviniacenſis ,* omnis laus ſecurè canitur ; *ut aſſeratur tamen res adeo ſingularis , ut eſt virginitas in conjugio & quidem voto conſecrata , de qua nec auctor antiquioris Vitæ , nec S. Sidonius Apollinaris , nec alii ejus præcones meminerint , neſcio an majoris Vitæ ſufficere poſſit auctoritas ; quamquam nec ipſa de voto mentionem facit. Certè idem Hugo , qui majorem illam Vitam , ut ante vidimus , æquè ac minorem legerat , tot inter congeſta ſancti Præſulis elogia , virginitatem ejus conjugalem non attigit.*

§ V. Ejuſdem vita monaſtica apud Lerinenſes ; primordia epiſcopatûs ; legatio in Britanniam cum S. Germano ep. Autiſſiodorenſi.

S. Lupus ſecedit in eremum Lerinenſem ;

SEptimo conjugii anno , *juxta Vitam utramque , par illud ſanctum* , inſtigante Domino, ſe ad converſionem hortatu mutuo contulit. *Et Pimeniola quidem quò ſe receperit , ignoratur* ; Lupus *verò* relicto patrio lare , cunctiſque mundanæ cupiditatis nexibus deſtitutus, euangelicæ perfectionis exempla ſectatur , virumque eximiæ ſanctitatis ... S. Honoratum (*uxoris ſuæ conſanguineum , ut colligitur ex Actis SS. Honorati & Hilarii*) ... credidit expetendum , abbatem primæ habitationis in ſolo Lyrinenſi : cujus nempe inſtructione cervice ſubdita jugum dominicæ ſervitutis excepit , omnium vigiliarum abſtinentiarumque dogmatibus inſtitutus. *Quibus verbis ſatis diſertè exprimitur inſtitutum ejus apud Lerinenſes monaſticum , idque ſub S. Honorato abbate ; adeoque ante finem anni* 426 , *quo ille abbatis officium cum archiepiſcopatu Arelatenſi commutavit. Sed quamdiu ante ? Vix anno toto , ſi recentiores pleroſque audimus , qui Vitam Sancti vel in ſolo*

AUCTORE P. B. *Surio, vel etiam in epitome Vincentii Bellovacenſis legere potuerunt: nam cum utrobique anno tantùm uno dicatur in Lerino degiſſe, quando ad inſulas Trecenſes evehebatur; evectus autem ad has fuerit adulto, ut mox patebit, anno Chriſti 426; ſequitur, ſi Surio Vincentioque ſtandum eſt, ut vix ante finem anni 426 ad inſulam illam acceſſiſſe putandus ſit.*

57 *Ab his plurimùm diſſidet Couſinetus in Vita Gallica Ms. & in notis ad Latinam noſtram Ms. ſecundam: contendit enim, non unum annum, non duos (quot adſtruit Equilinus) in ſeceſſu Lerinenſi poſitos à* Lupo *fuiſſe, ſed ut minimum quindecim: quippe qui ſecundùm Acta longiora cap. 1, num. 5 Lerinum aditurus, comitatum Trecenſem S. Germano, etiam tum duci, reddiderit; Germanum autem cum Georgio Viole in Vita S. Germani Gallica cap. 24, putat ducatui renuntiaſſe anno 410, aut certè non ſeriùs: unde nec ſeriùs differri poſſe exiſtimat diſceſſum* S. Lupi *ad ſolitudinem Lerinenſem. Non placet hæc opinio, quòd ex ea ſequatur alia jam refutata de nuptiis anno 403 celebratis. Reſponderi igitur poteſt primò, de dignitate comitis ejuſque reſtitutione Germano duci facta ſolum teſtari auctorem Vitæ ſecundæ; nec*

B *hujus eam eſſe auctoritatem, ut ſatis in illa ſecurè liceat acquieſcere. Deinde ex Conſtantio, Actorum S. Germani ſcriptore antiquiſſimo integerrimoque, liquere, ducatui non renuntiaſſe Germanum, niſi paulò ante obitum S. Amatoris, qui incidit in annum Chriſti 418 juxta dicta ad diem 1 Maii pag. 51. Ergo, ne Vitæ quidem ſecundæ inſiſtendo, cogimur* S. Lupum *ante annum Chriſti 417 in Lerino ſiſtere. Neque verò argumenta Violii ad veram diſertæ Conſtantii hiſtoriæ hoc loco aſſerendam adigunt: petuntur enim ex chronologia Vitæ Sanctorum Simplicii ep. Auguſtodunenſis, & Patricii Hibernorum Apoſtoli; quæ talis eſt, ut ex Conſtantio emendari debeat, utpote inferioribus longe momentis, ne dicam apertè falſis, ſubnixa; ut videſis ad dies* XVII *Martii, ubi de S. Patricio; &* XXIV *Junii, ubi de S. Simplicio eſt actum. De hoc etiam conſuli poſſunt vel Monumenta ad hiſt. eccl. Tillemontii tom.* 10, *notâ* 2 *in S. Simplicium, vel Gallia Chriſtiana in epiſcopis Auguſtodunenſibus tom.* 4 *editionis noviſſimæ: ubi Violii chronologia planè ſubverttitur. Plura de his, cum de S. Germano tractabitur, die* XXXI *hujus menſis.*

58 *Minus diſplicet alterum Couſineti argumentum, quo id ſaltem conatur evincere, ne uno tantùm alterove anno Lerinenſe aſceterium tenuiſſe* S. Lupus *credatur: plus enim aliquid ait exigere S. Eucherium citatum ſupra, cum illum inter ſex, quos nominatim appellat, Lerinæ primipilos ab ipſo fundatore tertium recenſet. Idem de S. Apollinari Sidonio dicendum carmine* 16 *ad Fauſtum; ubi inter præcipua ejuſdem inſulæ decora, quorum pauca nomine compellat, in ipſo ſtatim principio numeratur* Sancta Caprasî vita ſenis, juveniſque Lupi: *& lib.* 8, *epiſt.* 14, *ubi Antiolium commendat, quod olim in cœnobio Lerinenſi fuiſſet* Luporum concellita Maximorumque, *quaſi duos illos nominando, omnes nominaret, quorum ibi præ reliquis eluxiſſent virtutes: & in epiſtola ad ipſum Sanctum, quam* § 2 *totam dedimus, num.* 19; *ubi vitam ejus in Lerino, ac deinde in epiſcopatu ductam commemorans, addit:* Utriuſque Sanctorum ordinis (*monaſtici videlicet & epiſcopalis*) quemdam te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritalia caſtra venerentur. *Hæc ſanè elogia, non unius anni tironem monachum, quantumvis excellentem (Quos enim novitius fervor non per annum*

ſed neque per unum tantummodo, C

facile unum excellere patiatur?) ſed conſtantem ac probatæ diutius in ea profeſſione virtutis arguunt. D

59 *Et verò unde vel Surius, vel Vincentius Bellovacenſis annum illum unum deſcripſerint, neſcio. Nullum certè tempus definitur neque in tribus exemplaribus noſtris Mss. Vitæ minoris; neque in ullis majoris Vitæ, cujus auctor haud dubiè minorem ante oculos habuit; neque apud Hugonem Flaviniacenſem, qui Vitam utramque legerat, ut vide in Bibliotheca Mss. librorum à Labbeo edita tom.* 1 *pag.* 84. *Suſpicor ergo, ſiquidem in Suriano Vincentianoque codicibus Mss. annus unus notatus fuerit, illum à ſciolo quodam amanuenſe ideo intruſum fuiſſe, quia paulo poſt narratur, S.* Lupum *è Lerino regreſſum eſſe Matiſconem,* ut quæ ſibi remanſerant, pauperibus erogando diſtraheret. *Id nimirum ille ante profeſſionem religioſam, exacto jam tirocinio (quod unius anni fuiſſe putaverit) omnino crediderit fieri debuiſſe; hinc annum illum expreſſerit, quem ipſe exiſtimaret in prototypo ſuo vel omiſſum eſſe, vel neceſſariò ſubintelligi. Quod ſi eſt ita, nullam profectò codices iſti merentur hoc loco fidem: plura enim tum licitè ſimul & validè fiebant à monachis in hoc genere, quæ deinde reſciſſa ſunt; ut oſtendit Thomaſſinus in Veteri & nova Eccleſiæ diſciplina parte* 3, *lib.* 2, *cap.* 43. *Deinde cum cunctis mundanæ cupiditatis nexibus renuntiaſſe ibidem dicatur Sanctus, antequam Lerinum adiret, euangelicæ perfectionis exempla ſectatus, ſine dubio renuntiaverat jam tum etiam iis, quæ habebat Matiſcone; & cum cetera ante diſceſſum è patria reipſa diſtraxerit, aliqua cauſa fuiſſe debet, quo minus idem tum exſequi potuerit in bonis Matiſconenſibus: eadem verò cauſa annis illum pluribus à propoſiti exſecutione potuit prohibere. Habes hujus rei exemplum eadem ætate præclarum in celeberrimo illo Zenone monacho, de quo Theodoretus in hiſtoria religioſa cap.* 12. *Mitto alia, quibus oſtendi poteſt, ex illa bonorum diſtractione nequaquam conſequi, ut anno tantùm uno monachus antea fuerit* S. Lupus; *nec eam obeſſe, quo minus ei annos in Lerino ſex ſeptemve facile concedamus.*

quem neſcimus unde Surius hauſerit, contra Mss. noſtra omnia.

60 *Annos autem illos continuos fuiſſe cenſemus, nec ante deſiiſſe, quàm electus fuerit epiſcopus Tricaſſinus; atque adeo hîc iterum à Couſineto recedimus, qui in notis ſuis & Vita Gallica Ms. exiſtimat, Sanctum noſtrum, annuente S. Honorato, diſceſſiſſe è cœnobio Lerinenſi Matiſconem unà cum fratre ſuo Vincentio, biennio ante epiſcopatum; idque ut contemplativæ vitæ deinceps activam & apoſtolicam jungeret; cui quidem novæ profeſſioni cum aliquanto tempore vacaſſe narretur in Vita ſecunda, inde non inconſultè ſe credit Couſinetus huic rei biennium aſſignare. Sed nempe auctori ſuo, noſtrâ quidem ſententiâ, nimium tribuit: nam is, niſi fallor, vitam illam apoſtolicam eò tantùm excogitavit, quod in* Lupum, *annis jam pluribus monaſticam paupertatem, ſua opinione, profeſſum, quadrare ea non poſſe crederet in ſenſu proprio, quæ de facultatum diſtractione legerat in Vita noſtra antiqua; itáque ea ipſe ſenſu myſtico interpretanda putavit, quaſi de bonorum ibi tantummodo ſpiritualium diſtractione ageretur. Ut ut eſt; nos verbis auctoris primigenii in ſenſu proprio nativoque, à quo nihil cogit recedere, adhæremus; neque proinde Sanctum credimus è ſolitudine ſua veniſſe Matiſconem aliam ob cauſam, quam* ut quæ *iſtic* ſibi remanſerant, pauperibus erogando diſtraheret; *neque eò veniſſe cum propoſito Lerinum non repetendi, aut aliud vitæ genus auſpicandi, ad quod nullum*

ſed per ſex circiter ſeptemve: nec illam deſeruit, E

F

A *lius auctoritate ſcitur evocatum fuiſſe, niſi cum à grege Trecenſi paſtor optatus eſt. Sed neque S. Apollinaris, ubi militiam ejus ſpiritualem deſcribit, de medio inter monaſticum & epiſcopalem militiæ gradu meminit. Hugo Flaviniacenſis loco ante aſſignato*, Lirinenſe, *inquit de* S. Lupo, cœnobium expetiit; UNDE raptus ad pontificatum, eamdem gravitatem morum ... ſectabatur.

niſi cum electus eſt epiſcopus Trecenſis ſub finem anni 426,

61 *Raptus autem ad pontificatum fuit occaſione defuncti recèns S. Urſi epiſcopi Tricaſſini: hunc enim ejus deceſſorem faciunt & Vita noſtra ſecunda & epiſcoporum Trecenſium vetus catalogus apud Camuzatum. Obiit verò S. Urſus die* XXV *Julii, ut vide ad diem illum pag.* 167: *videtur ergo non diu poſteriùs ſuffectus illi fuiſſe* S. Lupus; *ſed vel ſequente Auguſto, vel ſub autumni initia. Annus non admodum exploratus eſt, aliis* 426, *aliis* 427, *aliis* 428 *deligentibus. Qui annum* 426 *aut* 427 *defendunt, eum ſtabilire nituntur ex Vita noſtra prima & chronico Proſperi: nam in illa dicitur* S. Lupus *cum S. Germano in Britanniam fuiſſe miſſus*, tranſcurſo (*poſt ordinationem ſuam*) bienniitempore ... temporibus hibernis; *in hoc autem, eadem hæc miſſio facta notatur, Coſſ.* Florentio & Dionyſio, *id eſt anno Chriſti* 429. *Cum ergo in eumdem conſulatum & annum bis incidant hiberna tempora, ſemel initio, & iterum in fine conſulatûs & anni, qui Vitam veterem intelligendam putant de parte illa hiemis, quæ cum initio conſulatûs jam dicti concurrebat, tranſcurſi biennii exordium repetere poſſunt à fine anni* 426: *qui verò de illa hiemis parte interpretandam exiſtimant, quæ ſub finem anni & conſulatûs ejuſdem inceperat, initium ejuſdem biennii poſſunt ſtatuere versùs finem anni* 427. *Nobis præplacet autumnus anni* 426 *pro initio epiſcopatûs* S. Lupi; *pro miſſione verò Britannica hiberni temporis illa pars, quæ anno* 429 *vernum attingebat proximè: nam præterquam quod ſic* biennium *illud facile* tranſcurſum, *id eſt completum invenitur; ita potius inchoandum illud eſſe, ſuadent ſequentia.*

non ſub finem 427,

62 *Primò, quia propriè hiems tantùm una ingulos incidit conſulatus, tum ſcilicet, cum novi conſules creantur: pars enim illa, quæ ſub finem conſulatûs menſe Decembri redit, tantilla eſt, ut conſiderari non debeat: quando ergo miſſus in Britanniam Sanctus dicitur in hieme, Coſſ. Florentio & Dionyſio, id intelligendum videtur de hieme, quæ paulo ante conſulatum anni* 429 *cœpta, cum illo concurrit à Kalendis Januarii uſque ad ver. Secundò, expeditionem illam Britannicam exeunte potius hieme, quam ineunte ſuſceptam fuiſſe, innuere videtur Conſtantius in Vita S. Germani, cum ait, ſanctos Præſules ad Britanniam appulſos, inſulam* raptim (*adeoque non diu poſt adventum ſuum*) opinione, prædicatione, virtutibus impleviſſe: *& cum quotidie irruente frequentia ſtiparentur, divinum ſermonem non ſolùm in eccleſiis*, verùm etiam (*quod ineunti veri congruit, non hiemi mediæ*) per trivia, per rura, per devia *diffudiſſe. Adierant ergo inſulam anno* 429 *circa tempus vernum, non menſe Decembri: ac proinde, cum* S. Lupus *tum biennium epiſcopatûs tranſcurriſſe debuerit, quem autumnali tempore auſpicatus erat, neceſſe eſt ejuſdem epiſcopatus initium defigere in autumno anni* 426. *Accedit huc tertiò, quod comparatio* S. Lupi *epiſcopi cum Paulo Apoſtolo, à S. Eucherio inſtituta anno Chriſti* 427 *vel* 428, *videatur ſupponere non recèns adeo tum ſuſceptum ab eo munus epiſcopi, ſed tanto ſaltem temporis ſpatio adminiſtratum, quanto opus erat ad apoſtolicarum Pauli virtutum tot edenda ſpecimina, ut ipſum earum numero ac ſimilitudine Paulum dicì poſſet referre. Extendendum eſt ergo potius ad annum* 426 *principium ejus, quam ab annis ſequentibus ordiendum.* AUCTORE P. B.

nedum 428.

63 *Imò contra annum* 428, *quem epiſcopatûs hujus primordiis aſſignat Pagius in criticis ad Annales anno illo, num.* 23, *facit inſuper, quod in hoc ſyſtemate* tranſcurſum *non ſit in epiſcopatu* biennium *ante expeditionem Britannicam. Deinde quod parum urgeat ratio, qua opinionem illam ſolus defendit Pagius: petit enim eam ex epiſtola S. Sidonii Apollinaris prima libri ſexti, ſcripta, ut ibi affirmat, anno* 473, *in qua dicuntur à* S. Lupo in apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia: ubi Sidonius, *inquit*, epiſcopatûs Lupi annos per quinquennia numerat, quia hoc anno (428) quo Valentinianus imperii cæſarei quinquennalia dedit, epiſcopus creatus fuerat. *Quis non videt, hoc negari poſſe perinde ut affirmatur? Certè qui opera Sidonii legit, minimè mirabitur annos* Lupi *per quinquennia numerantem; quandoquidem & poëta fuit, & phraſes paſſim affectat vulgo minus obvias. Cur verò ſicut imperatores quinquennia ſua à ſuis quique diverſis ordiuntur inaugurationibus; ita etiam* S. Lupi *quinquennia ab ipſius* Lupi *inauguratione, tametſi cum imperatoria non congrueret, numerare non potuit Sidonius? Præterea nego, S. Sidonium vel ordinatum eſſe epiſcopum, vel epiſtolam laudatam ſcripſiſſe anno Chriſti* 473; *tametſi id eruditè Pagius tum in Criticis Baronianis ad annum* 472, *num.* 5, *tum in Prolegomenis ad Diſſertationem ſuam hypaticam num.* 31 *&* 32 *conetur adſtruere, ſed argumentis planè ſimilibus, ideoque à Tillemontio rejectis in Monumentis ad hiſt. eccleſ. tom.* 16 *notâ* 6 *in S. Sidonium. Adiſis illum; & nobiſcum ſtatues, non ex tempore ſcriptæ iſtius epiſtolæ colligendum eſſe initium epiſcopatûs* S. Lupi, *ſed ex hoc initio, Sidonianæ tam ordinationis quam epiſtolæ tempus.*

De cœnobio, quod ab eo conditum dicitur, & legatione in Britanniam,

64 *Intra biennium verò illud, quod legationem Britannicam anteceſſit, conditam eſſe à ſancto Præſule eccleſiam illam ac monaſterium, de quibus egi ſupra* § 1, *num.* 4 *&* 5, *affirmat Couſinetus. Rem, utcumque probabilem, ut vidimus, ſubtimidè tamen, admittit Camuzatus in Antiquitatibus Tricaſſ. fol.* 295; *at verò tempus illius qua ratione definiri poſſit, non video; viderint illi, qui definiunt ex iis tantùm verbis Vitæ ſecundæ cap.* 2, *num.* 12, *quibus dicitur Sanctus ante diſceſſum in Britanniam* totum clerum compaginaſſe moribus ſuis almis. *Hoc ſanè intelligi poteſt feciſſe abſque inſtituto cœnobio. Neque verò, tametſi aliter non poſſet intelligi, ullam in chronologia fidem meretur auctor ille, cum in ea paſſim totâ aberret viâ: exemplo ſit, quæ biennium illud ſecuta eſt, SS.* Lupi *& Germani expeditio Britannica, anno* 429, *ut ex S. Proſpero certum eſt, ſuſcepta: hanc enim biographus ille cap.* 2, *num.* 13, *collocat* anno dominicæ Incarnationis quadringenteſimo quadrageſimo nono, Marciano regnante cum Valeriano: *ubi quot fere verba, tot ſunt parachroniſmi turpiſſimi: nam anno* 448 *extremum diem obiit S. Germanus; Marcianus imperare primùm cœpit anno* 450, *& quidem adulto; Valerianus autem illo ſeculo nullus. Couſinetus quidem hoc vitium librariis impingit, qui* Valerianum *ſcripſerint pro Valentiniano;* Valerianum *tamen legi fatetur in omnibus exemplaribus. Non diffiteor equidem, eſſe chronographos, qui hanc legationem juſto ſeriùs annotaverint, ut Adonem, Sigebertum, Robertum Altiſſiodorenſem, Matthæum Weſtmonaſterienſem; ſed quæ horum auctoritas, quæ ætas, quæ con-*

AUCTORE P. B.

conſenſio, ut cum Proſpero, Eucherio, aliiſque ipſius S. Lupi *æqualibus aut ſupparibus conferatur? Itaque nec auctorem hic ſuum, nec recentiores illos chronologos ipſe Couſinetus auſus eſt ſequi; utpote ab eruditis in hac re pridem ac merito rejectos. Vide Pagium in Criticis ad an.* 429.

ejuſque duratione.

65 *Quanto tempore commorati apud Britannos fuerint Antiſtites apoſtolici non liquet. Couſinetus in notis ſuis triennium numerat*, videlicet ab anno Chriſti ccccxxix ad annum cccxxxii; ut ex Actis, *inquit*, S. Micomeris patet. *Sed quid de Actis S. Michomeris educi poſſit hujuſcemodi, diſpiciat, qui volet, ad diem* xxx *Aprilis pag.* 775; *ego certè non aſſequor. Georgius Viole in Vita S. Germani cap.* 15 *contendit, legationem illam duraſſe non minus annis quatuordecim aut quindecim, ab anno ſcilicet Chriſti* 429 *ad* 444. *Uſſerius in indice chronologico ad eccleſiarum Britannicarum Primordia, Sanctorum adventum in Britanniam notat anno* 429; *reditum anno* 430. *Sed nihil admodum ſolidi in partem ullam eſt momenti; niſi quod parum veriſimilis videatur continuata tot annis Paſtorum à credito ſibi grege abſentia. Ceterùm tum hoc, tum quid ab utriſque geſtum ibi fuerit, expendetur in Actis S. Germani, qui primas in hac*

B *expeditione, utpote ſenior, partes egit.*

§ VI. Geſta ejus poſt reditum è Britannia; liberatio Trecarum ab Attila; receſſus in montem Latiſconem, & inde Matiſconem, ejuſque cauſa.

Quid deinde egiſſe ſciatur Sanctus uſque ad an. 451,

Quid è Britannia redux egerit S. Lupus *uſque ad irruptionem Attilæ, non explicat Vita antiqua. Couſinetus tamen affirmat, interfuiſſe illum cum aliis epiſcopis anno* 444 *concilio, ut creditur, Veſuntionenſi in celebri cauſa Chelidonii epiſcopi. Quæ quidem conjectura ob maximam ejus inter Galliarum præſules auctoritatem ſatis eſt veriſimilis; incerta tamen; cum ſynodi iſtius acta perierint. Addit idem, ſepultum ab eo fuiſſe S. Michomerem anno* 446; *idque ex hujus Actis; verùm hæc quanti fiant, jam diximus. Auctor denique Vitæ noſtræ ſecundæ cap.* 3, *num.* 30, *invitatum illum denuò fuiſſe narrat unà cum S. Germano ad alteram adversùs reſuſcitatam in Britannia Pelagianorum hæreſim expeditionem (anno circiter* 447;) *ſed corporis moleſtiâ fractum, ſuaque & aliarum eccleſiarum diſtentum ſolicitudine, id recuſaſſe, ac pro ſe cum S. Germano comitari juſſiſſe diſcipulum ſuum S. Severum, epiſcopum Trevirenſem. Invitatum fuiſſe, non dicit Conſtantius in Vita S. Germani. Corporis moleſtiâ fractum fuiſſe, minus crediderim, cum & junior fuerit S. Germano (qui & ipſe vitæ auſteritate nihilo mitiùs atterere corpus aſſueverat) & illi annis uno & triginta ſuperfuerit. Tum cui placeat imperium illud* S. Lupi *in S. Severum, diſcipulum quidem ejus aliquando, at epiſcopum tunc Trevirenſem? Comitem ſanè Germani Severum facit Conſtantius, ſed non à* Lupo *miſſum. Quare ſiquid horum credi debeat, ita malim interpretari ſcriptorem noſtrum; ut moleſtia corporis non* ſenium (*ut expoſuit Hugo Flaviniacenſis apud Labbeum in Bibliotheca Mss. lib. tom.* 1, *pag* 84;) *ſed morbum ſonet, quo tum conflictatus fuerit* S. Lupus; *imperium verò ſeu*

C *juſſio, conſilium ſignificet Severo datum, aut adhortationem.* D

quo ſuos ab Attila debarbarorum exercitu innumerabili extrema, *quæ*

67 *Illuſtre nunc ſequitur Antiſtitis noſtri facinus, quo Attilam, cum Hunnorum aliorumque fendit; paſſi jam tot alii fuerant, Tricaſſibus omnia minitantem, precibus exarmavit. De anno, quo id acciderit, nemo dubitat, quin fuerit Chriſti* 451, *Coſſ.* Marciano auguſto & Flavio Adelphio, *Attilanis in Gallia vaſtationibus & clade apud S. Proſperum in Chronico alioſque memorabilis. Non ita, teſte Bonfinio rerum Hungaric. decade* 1, *lib.* 4, *convenit inter auctores, ante, an poſt famoſam illam inter Aëtium Attilamque pugnam contigerit: ipſe tamen cum aliis, qui ſub finem ſeculi decimi quinti Attilæ geſta ex Hungaricis aliarumque gentium monumentis operosè collegerunt, ut Thurocio in Chronica Hungar. part.* 1, *cap.* 16; *Callimacho Experiente, & Nicolao Olaho in Attila, poſt cladem Catalaunicam id maluit referre; quod & nobis placet, non adeo quia cum Vita noſtra ſecunda congruit, quam quia ſatis apertè ſignificari videtur in prima; dum in ea narratur num.* 5, *rogatum fuiſſe ab Attila* S. Lupum, *ut ſe atque exercitum ſuum ad Rhenum uſque deduceret, idque* pro incolumitatis ſuæ ſtatu exercituſque ſui ſalute. *Cur enim viam relegerit ad Rhenum; cur ſibi ſuiſque timuerit; niſi quòd,* amiſſâ, *poſt cladem*, præliandi fiduciâ, ad propria reverteretur, *ut fere habet S. Proſper? Itaque neque Hungaris hic illis aſſentiendum videtur, qui Attilæ, poſt prælium, variarum urbium excidia tribuunt, & quidem poſt receſſum à Tricaſſibus.* E

quod variè narratur

68 *Dolendum verò, quod hunc* S. Lupi *cum Attila congreſſum neque Idacius, neque Proſper, neque Jornandes, neque alius illis temporibus utcumque vicinus, præter unum Vitæ noſtræ veteris auctorem, attigerint; tum, quod hic ipſe rem tam obſcurè obiterque narraverit; ut adjuncta pleraque poſteris divinanda reliquiſſe videatur. Supplere quidem hunc defectum toto capite quarto ſcriptor Vitæ ſecundæ conatus eſt; ſed vereor, ut magnam apud omnes is fidem obtineat, qui poſtquam Attilam num.* 40 *inaudito eatenus interitu periiſſe memoraſſet, eumdem rurſus num.* 45 *vivum ac furiis agitatum producit in ſcenam. Plura non dicimus: nam cum totum illud caput fere pertineat ad Acta S. Memorii & Sociorum ejus martyrum, quæ hinc deſumpta contraxiſſe videtur Camuzatus in Promptuario antiquitatum Tricaſſ. fol.* 430, *ac notis illuſtraſſe, ad eum lectores remittimus, judicem utique, cum eccleſiæ ſuæ deprimit monumenta, minimè ſuſpectum; donec de iiſdem & aliis, quæ habemus, nihilo melioribus eorumdem Martyrum Actis nos ipſi die* VII *Septembris, quo coluntur, uberiùs diſſeramus. Id ſolum hîc obſervari cupimus, caput hoc totum in utroque noſtro majoris Vitæ exemplari deeſſe; ſed non ſine manifeſta mutilatione; cum initium ſequentis capitis cum fine præcedentis nequaquam cohæreret: quare hiatum hunc ex integro Couſineti textu ſupplendum curavimus. Porrò aliter hæc narrant recentiores multo Hungarorum chronographi; at utrùm veriùs, merito ambigas; quandoquidem inſtrumenta non citant, quibus aſſerant narrationem ſuam; nedum indicant, cujus illa ſint ætatis aut pretii. Accipe interim, ut viſum erit, quæ in Attila ſuo cap.* 9 *tradit Nicolaus Olahus:*

à recentioribus.

69 Primùm igitur omnium Tricaſſiorum urbem, . . . in finibus Senonum ad flumen Sequanam ſitam, venit (*Attila.*) . . . Hujus igitur Tro-

ize

A iæ antiſtes divus Lupus, habitu indutus pontificali, cum multitudine cleri, Athilæ advenienti fit obvius. Is, facta ſalutatione, interrogat Athilam, quiſnam eſſet, qui tot regibus devictis, nationibus ac populis proſtratis, urbibus everſis, cuncta vi ſibi ſubderet. Cui Athila, Ego, inquit, ſum rex Hunnorum, flagellum Dei. Qua voce Lupus territus, Quis, inquit, mortalium flagello Dei mei reſiſtet, quo minus in omnes, quos volet, ſæviat? Veni igitur, ut dicis, Dei mei flagellum: quo libet, proficiſcare: omnia tibi, ut Dei miniſtro, me non repugnante, parebunt. Jubet inde portas urbis reſerari, ac Athilam (frenum equi honoris causâ manu tenens) ſumma veneratione introducit. Qui ſive humanitate ductus Epiſcopi, ſive Dei voluntate, ſine ullius cæde & detrimento per urbem mediam cum omnibus ſuis copiis progreſſus, altera urbis parte egreditur. . . . Dum igitur, relictâ Trecâ, ad Rhemos exercitum duceret, magnum ſuæ clementiæ in itinere edidit teſtimonium: nam cum pleroſque Trecæ urbis accolas, metu perterritos, cum conjugibus & liberis ad ſilvas vicinas, ſalutis ſuæ tuendæ causâ, profugientes in itinere conſpexiſſet, B eos bono animo & intrepido eſſe juſſos, domum abire permiſit. Inter quos adducta eſt ad eum per milites ex ripa fluminis, in quod ſe metu fere exanimata, præcipitare volebat, quædam mulier, quæ parvulâ filiolâ, quò ſinus ulnæque faciliore gravarentur onere, collo faſciis alligatâ; ac duabus minoribus jumento, quod agebat, impoſitis; deinde aliis quoque ſeptem, per annorum ſeriem majoribus, circumſepta erat filiabus. Movit Athilam miſeræ mulieris ad pedes ejus lacrymoſa provolutio, ac tot prolium infantium numerus: juſſamque aſſurgere manibus propriis erexit. Quam amplius deinde donis, ut filiolas nutriret, & maritis collocaret, donatam, domum redire jubet. *Hæc ille; de S.* Lupo *tum præſente aut hæc ſuadente nihil inſinuans.*

Cur Sanctus eodem anno 451 in montem Latiſconem ſeceſſerit,

70 *Accedimus modo ad locum, quo nullus in Actis* S. Lupi *apparet intricatior. Ponimus ergo, id verum eſſe, quod in veteri Vita num.* 5 *narratur de deducto per ſanctum Antiſtitem Attila uſque ad Rhenum, qui tum inde illum ex condicto ad ſuos remiſerit; tametſi res hæc omiſſa ſit in Vita ſecunda. Quæritur, quid deinde acciderit. Sic habet Surius:* Reverſus autem Vir Dei, ut vidit C ſe deſperatione ſuorum turbatum, ad montis perfugium Latiſconem ceteris ſolertior feſtinavit, ut eò transferret plebem, quam orationum ſuarum ſuffragiis diſcrimini ſubjacentem inter excidia publica & hoſtilia arma defenderat. Illud perfugium diſtat ab urbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennii ſpatio, offenſus raritate ſuorum eò venientium, Matiſconem ſibi cenſuit expetendam *&c. Hunc textum ſequi non dubitarunt auctores Surio juniores, quotquot fere de Sancto noſtro meminerunt, etiam oculatiſſimi quique; cum tamen in eo plura ſint haud ſanè conciliatu facilia. Unde enim, obſecro, tanta Trecenſium deſperatio? Nihil paſſi fuerant; urbem, domos, fortunas omnium divino præſidio tutatus erat Epiſcopus intactaſque ſervaverat; hoſtem inſuper, ne timeri ultra poſſet, ſibi ſuiſque demeruerat; imò jam ultra Rhenum abduxerat: non erat ergo deſperandi illis aut fugiendi cauſa; ſed potius, ſiqui ante fugerant, promptiſſimè redeundi. Multo minus apparet, cur ipſe* S. Lupus *tum fugerit, & quidem* ceteris ſolertior feſtinaverit. *Quem enim timere poterat? Attilam, jam abſentem, jam ſibi ſuiſque benevolum? Atqui ne furentem*

quidem timuerat. Suoſne? At quam ob cauſam? AUCTORE P. B. *Nam quod colluſionis cum Attila inſimulatum apud eos fuiſſe neoterici quidam ſuſpicantur, id nulla ratione veriſimile faciunt. Prætereo cetera, quæ in textu citato diſplicent; ſed quæ tamen quomodocumque demùm explicanda cenſerem, niſi in Surio legerentur cum hac monitione præfixa:* Stylum Fr. Laur. Surius paſſim elimavit. *Vereor ſanè, ne ſcabrum hoc loco exemplar præ manibus habens, bona quidem fide, ſed ita tamen illud elimaverit, ut primigenii ſcriptoris mentem non ſit aſſecutus.*

71 *Suſpicionem hanc auget, quod nulla nos conſequi manuſcripta potuimus, quæ hoc eodem loco corrupta non ſint. En ſpecimina. Valcellenſe perelegans ſic habet:* Regreſſus namque ut vidit ſervorum diſperſionem & turbatum ad montis perfugium Latiſconi expertus Olericio feſtinavit, ut illic transferret plebem, quam orationum ſuffragiis diſcrimini ſubjacentem inter excidia publica & hoſtilia arma defenderat. Ubi biennii temporis ſpatium commanens, offenſus venientium caritate ſuorum, Matiſconii ſe cenſuit transferendum *&c. Bodecenſe autem, nihil de Latiſcone memorans, mutilatum eſt in hunc modum:* Reverſus E igitur ſacerdos Domini Lupus ad prædictum oppidum Matiſcone, quod non longè diſtabat à Tricaſſina urbe (*imò diſtat leucis horariis circiter* 44) cum ibidem poſt duorum annorum circulum vitam ſanctæ converſationis duxiſſet, oblata eſt ei quædam mulier *&c. Omnium verò mendoſiſſimum eſt Ms. Accinctinum & Vallis Lucentis, dum ita ſcribit:* Qui (*S. Lupus*) cum viſitare à fidelibus Chriſtianis ipſum tyrannum (*Attilam*) rogaretur, ille infidelis exſtitit dux perditionis; & ſtatim confractus dolore corporis ſui, ſenſit injuriam; ſed ſemper deſperatus fuit, ut per prædicationem, unde virtutem Dei ad ſalutem receperat, duriſſimo animo fatigato à diabolo non reverteretur; Latiſconem montem, captivam prædam furando, ingenio ire feſtinavit. Sanctus verò antiſtes Chriſti Lupus hoc apud Deum valuit obtinere, ut hoſtilibus armis plebs Chriſti non periret. Ibique duobus annis Vir Dei commanens, videnſque quod à paucis fidelibus Chriſtianis, qui remanſerant ſibi, adquiſitis viſitaretur, inde digreſſus, urbem Matiſconem ſtatuit pervenire *&c. Enimvero ſi tale aliquod exemplar habuit Surius, quis auſit dicere, rectè illud ab eo elimatum fuiſſe?*

non ſatis liquet ex Mss. Actis, hoc loco valde corruptis:

72 *Mihi certè non facile ſuadebitur, meliorem Surio vetuſtioremve fuiſſe codicem, quam ille fuerit, quo uſus eſt à tot ſeculis auctor Vitæ ſecundæ, qui cap.* 5, *num.* 46 *ſcriptori primigenio ſenſum tribuit tanto veriſimiliorem, quanto magis à Suriano diverſum. En illum:* His ita geſtis (*quæ de Trecis per* Lupum *ab Attila liberatis narraverat,*) & rebus Tricaſſinæ eccleſiæ ſumma pace placatis, Lupus volens ſe arctiùs implicare vacationibus divinis, & cæleſtibus tantùm intereſſe choreis, turmas civium, causâ ſuæ liberationis eum colentium, deſeruit; & ad montem Latiſconem pervenire ſtuduit; ubi rerum ſecularium exemptus laqueis, theoricæ tantùm vitæ per biennium operibus ſtuduit continuis. Sed, ecce, Lux illa Phœbea ſub latibulo tali diu latere non potuit; cum tandem ejus fama finitimos concivit. Ille verò contemplationi ſuæ videns crebrò redeuntis populi frequentiam obeſſe, biennii exacto ibidem tempore, ad urbem Matiſconam . . maturat tendere *&c. Vides hîc aliam cauſam ſecedendi in Latiſconenſem ſolitudinem; favorem ſcilicet plauſuſque triumphales, quibus Liberatorem ſuum tam impensè Trecenſes colebant, ut eos ferre diutiùs non poſſet*

& olim longè alio ſenſu intellectis, F

AUCTORE P. B.

ejus humilitas. Vides, & aliam fuisse causam Latisconem deserendi ac longius ab ecclesia sua recedendi; non raritatem *utique* suorum eò venientium, *ut habet Surius; sed potius* caritatem & frequentiam, *cui subtrahere se tantisper voluerit, donec oblitteratâ paulatim recentis beneficii memoriâ, civium erga se fervor & affectus immodicus intepesceret.*

quàm qui apud Surium exhibetur.

73 *Neque obest huic interpretationi, quod in Ms. Valcellensi dicatur in montem illum festinasse* videns servorum dispersionem; ut illic transferret plebem, quam orationum suffragiis discrimini subjacentem inter excidia publica & hostilia arma defenderat; *vel, ut habet Accinctinum*, captivam prædam futando: *nam siquid simile genuini codices habuere; id intelligi potest non de civibus Trecensibus, sed de circumjectis rusticis accolisque, quorum plurimos in summa desperatione, ac rebus omnibus amissis, quaquaversum fugisse, paulo ante narrabat Olahus; multos etiam captos fuisse verisimile est: his libertatem, illis fugam tutam obtinuisse potest* S. Lupus, *cum Attilam versùs Rhenum comitaretur: cum autem in reditu pluribus eorum deesse videret, ubi aut unde subsisterent, eos eduxisse in Latisconem, ibique coloniam illis novam assignasse, quæ latibulum simul esset suum ac dulcis à strepitu Tricassino secessus, simul novella quodammodo intra diœcesim suam ecclesia, in qua boni pastoris officium utilissimè posset exercere.*

B

De situ Latisconis montis,

74 *Dixi:* intra diœcesim suam: *nam in ea Latisconem fuisse, docet Valesius in Notitia Galliarum, ubi de Lingonibus agit; non definiens tamen ulteriùs ejus situm. Camuzatus verò in annotatis ad Acta S. Memorii fol.* 431 *verso textum citans ex Vita* S. Lupi, *hæc notat in margine:* Monuit me vir eruditus, Latisconem montem esse, qui Gallicò vocabulo Lansuine indigitatur, quique quindecim leucis à Tricassina civitate distat, tribus verò à cœnobio Molismensi; in cujus montis vertice olim munitissimum castellum extructum erat, quod ante annos multos funditus dirutum & solo adæquatum est. Illa autem distantia satis aptè & congruè quadrat (*textui ex Vita S. Lupi Suriana citato*,) si tria milliaria leucæ tribuantur, toto spatio interstitii ad quadraginta quinque milliaria excrescente. *Totidem videlicet milliaria apud Surium assignantur; non item in Mss. nostris sive veteris sive recentioris Vitæ: itaque si solo distantiæ istius argumento nititur hæc Latisconis designatio, non admodum certa est. Camuzatum interea secutus est Des-Guerrois in Historia sua ecclesiastica Tricassina fol.* 89; *sed nihil rationis addidit.*

C

è quo Sanctus anno 453 abiit Matisconem; ubi egit cum S. Euphronio ep. Augustodun.

75 *Ubicumque verò fuerit Latisco, non ita procul abfuisse videtur ab urbe Trecensi, quin commoda fuerit ex hac ad montem illum excursio; quandoquidem ad vitandam suorum eò venientium frequentiam sanctus Præsul post biennium, hoc est anno Christi* 453, *Matisconem usque recessit. Matisconem, inquam, quæ urbs est episcopalis in ducatu Burgundiæ: quamquam non intra ipsam urbem commoratus fuisse Sanctus videtur, utpote fugitans multitudinis, sed* in prædio *quodam* Matisconii, *ut est in Vita prima num.* 6; *ubi & bina notantur istic ab eo patrata miracula. Ibi quoque erat, nisi fallor, quando tam ipse quam S. Euphronius episcopus Augustodunensis, consulti per commonitorium à Talasio episcopo Andegavensi de observatione vigiliarum Natalis Domini, Epiphaniæ, & Paschæ, item de bigamis clericis & iis, qui conjugati assumuntur, communem illam epistolam Talasio rescripserunt, qua ecclesiarum suarum in rebus propositis disciplinam exponunt. Non recitabimus autem hic illam, tum quia non est solius Antistitis nostri propria, tum quia in omnium manibus sunt collectiones conciliorum, in quibus reperitur, ut in Labbeana tom.* 4, *col.* 1048. *Scripta ibidem creditur sub initia episcopatûs Talasii, qui ordinatus fuerat* IV Nonas Octobris, Opilione V. C. Consule, anno Christi CCCCLIII, *ut legitur in titulo concilii Andegavensis tum habiti, ejusdem tomi col.* 1020: *vel eodem ergo, vel anno sequenti composita videtur, quando* S. Lupus *in Matisconensi prædio degens, non procul aberat Augustoduno: neque enim diu ultra annum* 454 *in illo recessu se detinuit, ut modò explicabitur.*

D

§ VII. Reditus ejus ad ecclesiam suam; epistola ad S. Sidonium gratulatoria; tempus felicis obitûs.

E

S. Lupus Matisconè rediit

Mirantur eruditi, in Vita priore nostra nihil dici de reditu sancti Antistitis ad ecclesiam suam; & quæ in ea à numero 7 *ad finem usque narrantur, sine ulla loci alterius mentione sic decurri, quasi Matisconè & substitisset semper; & finem denique vivendi fecisset: cum tamen id certissimè falsum ostendi possit ex epistolis ad eum datis à S. Apollinare Sidonio jam episcopo, adeoque post annum* 471, *& ante annum* 477, *quo septem priores epistolarum suarum libros edidit, ut ipsemet indicat lib.* 9, *epist.* 11. *Ex epistolis illis certum omnino est, non diu mansisse illum extra ecclesiam suam: nam qua veritate laudari posset lib.* 6. *epist.* 1, *anno* 472, *tamquam* Pater patrum & Episcopus episcoporum, & alter seculi sui Jacobus, *si jam ab annis uno & viginti procul à grege anachoretam egisset? Tum quid nisi Trecas designat Sidonius, cum verbis jam recitatis continuò hæc addit:* De quadam specula caritatis, nec de inferiore Jerusalem tota Ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis, dignus qui omnes consoleris infirmos, quique merito ab omnibus consularis? *Perinde enim est, ac si diceret: uti S. Jacobus Hierosolymorum episcopus sic in sua residebat ecclesia, ut simul scriptis & consiliis ad aliarum omnium consolationem institutionemque curas suas & caritatem extenderet; ita tu quoque tametsi in ecclesia tua, quæ Hierosolymitanam illam æmulâ disciplinâ & sanctitate refert, corpore resideas, animo tamen ecclesias omnes inspicis, dum eas epistolis vel consolaris afflictas, vel consulentes instituis. Sed nihil in hac re legi potest evidentius, quam ejusdem libri epistola* 4, *quæ expressis verbis præsentem Tricassibus* S. Lupum *supponit, ut eam vel obiter inspicienti palàm fiet.*

F

ad ecclesiam suam anno 455;

77 *Quid quod ipsa Vita ejus antiqua non reditum hunc dumtaxat, sed etiam tempus non obscurè videatur innuere, quo acciderit? Ac reditum quidem, quia quidquid extra sedem suam & stabile domicilium gessisse Sanctum narrat, ibi locum exprimit, in quo singula contigerunt, ut Britanniam, Rhenum, Latisconem, viam è Latisconе versùs Matisconem, ipsam denique Matisconem, de qua cum ita loquitur num.* 6, Cui quidem degenti in prædio Matisconii, oblata sibi est puella &c., *satis insinuat, se complecti totum illud tempus, quo Sanctus ibi degit, nec de illo tempore aliud sciri, præter miraculum ibi relatum. Cum*

ergo

A *ergo à numero ſeptimo res prorſus alias ad finem uſque ſine ulla locorum deſignatione recenſeat, ſignificare videtur, eas intra diœceſim & ordinariam ejus ſtationem eſſe geſtas, & quidem* annis fere viginti & quinque ; *unde tempus colligas, quo, relicta Matiſcone, Trecas redierit, perpetuò manſurus. Fuerit ergo Matiſcone biennio circiter, ab anno* 453 *uſque ad initium fere anni* 455 *: nam inde uſque ad obitum ejus, ſive annum* 479, *diem* XXIX *Julii, anni ſunt* 24 *& medius, hoc eſt* fere viginti & quinque. *Ita certè auctorem hunc veterem intellexit omnino & expoſuit, qui Vitam ex eo ſecundam adornavit, cap.* 5, *num.* 49.

in qua uſque ad obitum permanſit.

78 *Ea verò, quæ intra annos illos* 25 *accidiſſe narrantur, ad ſua quæque definita tempora reducere, nec promptum eſt mihi, neque operæ pretium. Miror verò, cum Couſinetum video ad illos reducere, quæ modò de utroque Sancti ſeceſſu dicta ſunt : cenſet enim, illum abiiſſe primùm in Latiſconem anno quarto ante obitum ſuum ; in quo ſanè & ſuo auctori refragatur & noſtro : utraque enim Acta id apertè narrant factum eſſe ſtatim atque urbem ab Attila defenderat. Et de noſtris Actis vetuſtioribus res eſt evidens, ipſo fatente & carpente Couſineto ; de recentioribus verò, quæ ſecundo loco dabimus, quæque Couſinetiana quodammodo dici poſſunt, quod ea ipſe & ſequi ſe profitetur & illuſtrare, non eſt, quod aliter ſentire quis poſſit ; ſive ordinem narrationis attendat, ſive, quam adſtruunt, ſecedendi cauſam : hanc enim cap.* 5, *num.* 46 *duplicem ſtatuunt ; primam,* ut ſe arctiùs implicaret vacationibus divinis ; *alteram, ut* turmas civium, CAUSA SUÆ LIBERATIONIS EUM COLENTIUM, DESERERET. *Cedo, an id cives illi anno demum à liberatione ſua primo ac vigeſimo inceptaſſe credendi ſunt ; an potius calente adhuc, ut ita dicam, beneficio ? Hæc ſufficiant ad convellendam optimi viri ſententiam, nullâ alioqui auctoritate munitam. Quia verò in Actis nulla fit mentio litterarum intra idem tempus à Sancto ſcriptarum, non poſſum, quin epiſtolam ejus illam hic repræſentem, qua ſuprà § 2, num.* 21 *monui, gratulatum fuiſſe* S. Lupum *S. Sidonio Apollinari de ſuſcepto recèns epiſcopatu circa initium anni* 472 *: eſt enim & unicum propriè & Viro tanto digniſſimum monumentum : nam alia epiſtola, de qua paulo ante memini, ipſi cum S. Euphronio communis fuit. Sic igitur ſonat apud Acherium in Spicilegio recuſo tom.* 3, *pag.* 302 :

B

C

LUPUS DOMNO PAPÆ SIDONIO.

Gratulatur S. Sidonio Apollinari

79 Gratias ago Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto per Spiritum ſanctum, qui te, cariſſime frater, in hac generali titubatione & preſſura dilectiſſimæ ſponſæ Eccleſiæ ſuæ ad ejus ſuſtentationem & conſolationem in ſacerdotem vocavit, ut ſis lucerna in Iſraël ; & ſicut ambitioſos honores mundanæ militiæ cum ſumma laude exequutus es, ita militiæ cæleſtis operoſa munia & humilia miniſteria, ipſo adjuvante Chriſto, alacriter percurras; nec retro, ad aratrum applicata manu, pigritantium agricolarum more, oculos convertas. Tu imperatorios apices per glorioſiſſimas affinitates proximè conſequutus es ; tu trabeales ornatus ſplendidaſque præfecturas, & quidquid irrequieta deſideriorum ſeries ſibi beatius in ſeculo poteſt fingere, honorificus & inter ſtreperos plauſus exercuiſti. Mutatus eſt ordo ; & in domo Domini apicem attigiſti, qui non in exuberanti mundani faſtus fulgore, ſed in maximè infima mentis depreſſione, & humili reſupinati cordis abjectione pertractandus eſt.

80 Qui olim conabaris natalium decora additis honoribus ſuperare, nec credebas, homini ſufficere, ſi ceteris par eſſet, & pares non tranſgrederetur, in eum ſtatum deveniſti, in quo, licet ſuperior, nulli te debes ſuperiorem reputare : minimo ſubditorum tuorum ſuppoſitus, eo plus eris honoratior, quo te humilitas Chriſti accinget; & eorum plantas oſculaberis, ſupra quorum capita pedes tuos olim collocare dedignabaris. Iſte profectò jam tibi labor incumbit, ut ſis omnium ſervus, qui videbaris omnium dominus, & aliis incurveris, qui ceteros conculcabas, non quia eras ſuperbus, ſed quia dignitatum præteritarum majeſtate, ne dicam vanitate, tantum tibi ceteros antecedendum erat, quantum tibi modò præ ceteris eſt recedendum. Fac ergo, ut nunc ingenium transferas ad divina, qui tantum valuiſti ad humana. Colligant plebes tuæ ex ore tuo ſpinas de capite Crucifixi, qui ex verbis tuis colligebant roſas de pompa mundiali ; & capiant de eloquio ſacerdotis verba diſciplinæ cæleſtis, qui capiebant de eloquio dominantis normam diſciplinæ civilis.

AUCTORE P. B. *anno circiter* 472

dignitatem epiſcopalem.

81 Ego quidem, qui te tantum amavi cum ſequebaris ariditatem ſeculi, quali menſura putas jam amare ſequentem ubertatem cæli ? Jam deliberabor, & inſtans eſt reſolutio mea ; ſed non putavero reſolvi, qui licet ſolutus, in te vivam, & te in Eccleſia relinquam. Gaudeo exui poſtquam Eccleſiam induiſti & te induit Eccleſia. Macte, amicitiâ vetuſte, ſed fraternitate recens. Supprimit poſtremus titulos antiquos : nihil eſt, quod hodie velim de præterita meminiſſe dilectione, quando moderna dignitatis & firmiorem facit eſſe caritatem & tenaciorem. O ſi Deus vellet, ut te amplecterer ! Sed in ſpiritu perficio, quod non poſſum in corpore ; &, præſente Chriſto, non amplius reipublicæ præfectum veneror & oſculor, ſed Eccleſiæ, qui mihi filius ætate, dignitate frater, & meritis pater eſt. Ora pro me, ut in Domino conſummatus, opus, quod injunxit, conſummem, & in eo tandem impleam tempora, quæ reſtant, qui tot & tanta (Væ mihi !) his, quæ non debui, implevi ; ſed apud Dominum miſericordia. Memor eſto mei.

E

Moritur anno ætatis 96, *epiſcopatûs* 53, *Chriſti* 479, XXIX *Julii ;*

F

82 *Qui hanc epiſtolam legerit, fallor, niſi mecum impensè doleat jacturam tot aliarum, quot ab eo ſcriptas fuiſſe colligimus ex Sidonio ; dum illum facit eccleſiarum omnium in rebus dubiis conſiliarium, in adverſis conſolatorem. Juvat tamen vel ſemel loquentem audiviſſe Sanctum, ut inde penitiùs ejus indolem ſpiritumque noverimus. Ceterùm ex hujus epiſtolæ parte poſtrema facile eſt conjicere, grandævam, cum hanc dictaret anno* 472, S. Lupi *ætatem ; ob quam videtur etiam à Sidonio ſupra cum S. Jacobo comparatus, qui anno ætatis nonageſimo ſexto martyrium feciſſe creditur. Cum igitur poſt hæc annis inſuper ſeptem vixerit, minimè mirum videri debet, quod illum ſupra § 4, num.* 45 *natum dixerimus anno Chriſti* 383, *atque adeo Jacobi longævitatem vivendo adæquaſſe :* obiit *enim, ut ibidem ex vetuſto codice notavimus,* ætatis ſuæ anno nonageſimo ſexto, expletis ab Incarnatione Domini quadringentis ſeptuaginta novem annis ; *imò ipſo illo anno Chriſti* 479, *die* XXIX *Julii felicem ejus ad Superos tranſitum contigiſſe ſtatuunt poſt Baronium ceteri fere omnes: nec verò differri ulteriùs poteſt : cum juxta utramque Vitam & Martyrologos § 1, num.* 1 *&* 2 *citatos rexerit eccleſiam Trecenſem annis* 52, *qui ab exeunte circiter anno Chriſti* 426 *etiam completè numerati, ultra annum jam dictum* 479 *non excurrunt ; ſi verò mutilos aliqua parte accipias, in anni præcedentis menſe Julio conſiſtes. De epiſcopatu*

AUCTORE P. B. *patu autem tam diuturno nemo eſt, qui dubitet; quandoquidem epiſtolæ ſuperſunt S. Sidonii Apollinaris ad eum datæ, altera epiſcopatûs ejus anno quadrageſimo quinto vel ſexto, altera quinquageſimo vel ſequenti; ut § 2 vidimus.*

non ſeriùs. 83 *Ex his collige, falſum eſſe, quod ait auctor Vitæ ſecundæ cap. 6, num. 61, obiiſſe* S. Lupum, Anaſtaſio tenente monarchiam regni; *quod & ſupra obſervavimus § 4, num. 45. Deinde, erraſſe etiam epiſcopos illos, qui anno Chriſti 845 Meldenſe concilium celebrantes, canone 73 adſcripſerunt* ſancto Lupo Trecaſſinorum epiſcopo *canonem trigeſimum concilii Aurelianenſis tertii; quod anno 538, non à Trecaſſeno (jam annis 59 vitâ functo,) ſed à Lugdunenſi Lupo coactum fuerat: id quod mirum eſt, neminem obſervaſſe ante Sirmondum noſtrum. Atque hæc ad illuſtranda Antiſtitis noſtri, dum hic fuit, Acta præcipua ſufficiant: nam quæ minoris momenti ſunt, ad annotata remittimus. Supereſt nunc, ut de miraculis, quæ jam cælo receptus oſtendit, pauca dicamus; cum de iis neutra Vita quid memoret.*

B

§ VIII. Miracula S. Lupi poſt obitum facta.

Ex innumeris miraculis pauca ſigillatim ſcripta.

INnumerabilia ac prodigioſa fuiſſe S. Lupi, *jam fonte bonorum omnium in cælo fruentis, erga clientes ſuos beneficia, dubitare non ſinunt, quæ paragrapho primo de cultu ejus diſſeruimus tum num. 3, ubi luculentum eſt pro ſeculo ſexto S. Nicetii teſtimonium; tum num. 16: nam quæ ibi de eccleſiis ejus nomine erectis dedicatiſque notavimus, ſine aſſiduis miraculis vix fingi poſſunt accidiſſe. Eadem verò ut perpetua ſerie continuari oſtendat Couſinetus, hæc tradit in notis ſuis ad caput 48 Vitæ Ms. etiam nunc obſervari Trecis:* Genitrices, *inquit*, ſeu nutrices ſtatim poſt collatum infantibus ſacri Baptiſmi ſacramentum, prolem ſuam aut nutritium ad fanum S. Lupi iſtunt. Ibi ſacerdotes, ritu ubique recepto, S. Lupo Collectas, & alias preces fundunt, quibus, in modum exorciſmi cujuſdam, infantis corpuſculum contra adverſas valetudines in virtute Chriſti & meritis ſanctiſſimi Tutelaris munitur. Quibus peractis, ad majorem patrocinii cautelam, catalogo cuidam inſcribitur infans, quò ſub Sancti auſpiciis vivere certiùs teneatur. Subinde quovis morbo laborent ſive pueri, ſive adulti, ad S. Lupum undequaque accurritur; cujus patrocinii juvamen ſæpe experiuntur. Si typo (*id eſt morbo comitiali, aut ſimili convulſione*) corripiantur infantes, quæ adeo ſæva eſt, ut humanis careat remediis, adeoque medico cæleſti indigeat, divi Lupi expoſcitur patrocinium; quæ cum ſæpius illius meritis depellatur, S. LUPI TYPUS vulgo appellatur.

C

Protectio ſervi, & punitio domini blaſphemi:

85 *Mirum ergo, tot ex prodigiis tam pauca litteris ſigillatim eſſe commendata. Plura nos certè non invenimus, quam quæ modò ſubjicientur. S. Gregorius ep. Turonenſis lib. de Gloria Confeſſorum cap. 67 hoc refert:* Lupum antiſtitem apud Tricaſſinorum Campaniæ urbem ſepultum, nulli habetur incognitum: ad cujus baſilicam Mauri cujuſdam ſervus, negligentiâ admiſſâ, confugit: frendens verò dominus ejus, de veſtigio proſecutus, ingreſſus baſilicam, nec oratione proſtratus, blaſphemias in Sanctum evomere cœpit, ac dicere: En tu, Lupe, ſervum meum auferes? Et propter te non licebit mihi in eum ultionem debitam exercere? Et injecta manu ſervum trahere cœpit, dicens: Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulcro; ut eruat te de manibus meis. Hæc dicente miſero, extemplò lingua, quæ in Sanctum blaſphemias effudit, divinitus obligatur; atque mutatus [*al.* mutus] homo debachare cœpit per totam ædem, dans mugitum ut pecus, ſermonem ut homo non proferens. Cumque hæc ſuis nuntiata fuiſſent, adprehenſum duxerunt ad domum ſuam. Uxor verò ejus multa munera in baſilicam poſuit; ſed hic tertia die cum gravi cruciatu vitam finivit. Quo defuncto, mulier quæ dederat, recepit; ſervus tamen permanſit ingenuus. D

incendia exſtincta annis 1524 & 1539:

86 Oculis quoque omnium ſpectabilem ſe præbuit virtus ſacrarum S. Lupi reliquiarum ac benigna Patroni hujus protectio, *inquit*, ex Chronologia S. Lupi ſub abbate vigeſimo octavo *Couſinetus in Vita Gallica Ms. cap.* 18, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, die XXV menſis Maii; quando urbis Trecenſis pars media flammis correpta fuerat, quibus eccleſiæ ſeptem deflagrarunt, ædeſque ter mille & ultra in cineres redactæ ſunt, idque horis non amplius decem: tum enim productâ ad urbis meditullium, ubi jam quoque incendium furebat, S. Lupi lipſanothecâ, ſubitò ad hujus depoſiti pretioſi conſpectum ignis conquievit. *Pluribus hæc eadem narrat laudatus antea Deſ-Guerrois fol. 417 verſo; qui & aliud addit ejuſdem urbis incendium anno 1539, die IV Maii, ſimili prorſus modo exſtinctum, niſi quod non ſolius tunc* S. Lupi, *ſed ſanctarum inſuper Hoildis & Helenæ corpora prolata fuerunt; quorum proinde ſimul omnium meritis adſcriptum hoc fuit tamquam commune prodigium.* E

ſubita blaſphemi pœna

87 *Narrat Thuanus Hiſtoriarum ſui temporis tom. 5, lib. 99, pag. 86 infelicem Calviniano-rum ad opprimendam anno 1590, XV Kal. Octobres, feſto S. Lamberti, urbem Trecenſem, quæ tum fœderatis parebat, expeditionem; ſed quia iſtic nonnulla diſſimulat, rem eamdem ex majorum traditione Couſinetus in notis in Vitæ Ms. caput 40, ad Sancti noſtri gloriam ita referendam exiſtimavit:* Die, *inquit*, ſupradicto, qui eſt XVII Septembris, cum ab adverſariis religionis Tricaſſes timerent (à quibus & abhorrent,) obſeratis ea de cauſa portis omnibus civitatis, pretioſum S. Lupi caput, in elegante theca recluſum, cum per vicos in publica ſupplicatione, adſtantibus omnibus ordinibus, ut aſſolet, deferrent; dumque cives omnes, ipſi quoque ſtationarii, ſupplicationi adeſſent & vota ſua ex præcordiis funderent, regiis copiis aditus in civitatem patuit. Interim eorum dux quidam ſceleratus, qui ad arcam uſque medius inter copias perrexerat, impiè Sanctorum reliquias irridens, exprobrabat his verbis: Heu, heu Tricaſſes, quid vobis proſit Lupus veſter & moriones, modò vobis erit experimento! Sanctum Paſtorem noſtrum intelligebat impius ille & aliorum Sanctorum innumeras exuvias, quas ſpe jam deprædabatur. Vix blaſphemiæ verba illa protulit homuncio, cum ſubito ſclopeti ictu mulctatus interiit. F

& urbis Trecenſis liberatio an. 1590:

88 Inde verò plebeii, in vindictam impietatis Sanctorumque defenſionem acriter commoti, copias omnes forti animo delent, ſpoliaque adverſariorum, & victoriæ inſignia ad S. Lupi aras, quibus gratias benigno liberatori penderent, appenderunt. Dies autem prædictus XVII Septembris deinceps feſtus atque ſolennis in honorem S. Lamberti ſanctique Lupi in hujus eccleſia celebratus eſt. Sed ad hæc uſque tempora rex Chriſtianiſſimus grati in Deum animi penſum, ob perpetuum

A um exhibitæ ſibi obedientiæ monumentum ſolennes haſce publicas ſupplicationes inſtituit feriâ tertia majoris ſeptimanæ. *Hæc ille, quorum fidem penes auctorem eſſe volumus. Videtur certè quid ſimile ad eumdem annum indicare Deſ-Guerrois fol.* 423 *verſo*; *nam* eodem, *inquit*, anno, die XVII Septembris Trecæ per inſidias ab hoſtibus occupatæ ſunt, qui uſque ad medium jam urbis pervenerant, quando, Dei magis ac Sanctorum tutelarium ſuorum virtute, quam viribus humanis repulſi ſunt.

Sanatio puellæ à morbo caduco,

89 *Idem Couſinetus in Vita* S. Lupi *Gallica Ms. cap.* 19 *ex Actis capitularibus abbatiæ ejus Tricaſſinæ, trium miraculorum teſtimonium profert authenticum, Actis illis die* XIX *Octobris* 1641, *ne periret, juſſu Prioris inſertum; quod hic è Gallico verſum exhibeo:* Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto Matthæus Le Febure, mercator cauponarius *, habitans Victoriaci Francici (*quod oppidum eſt Campaniæ ad Matronam fluvium*) filiam habebat annos fermè undecim natam, quæ morbo comitiali frequenter vexabatur. Monitus fuit dictus Le Febure unáque uxor ejus, votum oportere fieri nomine S. Lupi Trecenſis, ac Trecas adiri ſuppliciter, curarique ut Miſſæ ſacrificium offerretur: id quod fecit memoratus Le Febure, eò ſecum adducens filiam ſuam, ſimul cum glore ſua; comitabatur verò etiam Nicolaus quidam Le Roux, uti & uxor dicti Le Roux mercatoris apud Victoriacum Francicum. Ubi Trecas pervenerat, curavit in eccleſia S. Lupi ad aram maximam celebrari Sacrum, cui & ſupradicti aſtiterunt. Interea tempore Sacrificii dictus Le Febure animo neutiquam ad pietatem affecto jocari cœpit ac ridere, & imagines aſpectando per ludibrium quærere, quî vocarentur icones illæ. Peracto Sacro, proferebatur caput S. Lupi; hoc ille ut vidit, exploſit ſcilicet, & Vellem, inquit, ſanctum hunc Lupum habere domi meæ; eſſet mihi ſanè perutilis: neque enim parum ex illo pecuniæ conflarem.

* marchand hoſtelin

B

& patris ejus blaſphemi punitio;

90 Sanatur interim ejus filia, nec morbo deinceps illo tentata fuit umquam, quo antea laboraverat. Sed patrem, qui ad hæc riſerat & caput S. Lupi ſibi donari per jocum optaverat, malum idem, quo conflictata fuerat filia, tertio circiter pòſt menſe corripuit. Hoc autem ingruente, niſi properè quiſpiam ſuccurriſſet identidem, atque hominem agitaſſet, exſtinctus brevi fuiſſet miſer; [ut eventus re vera docuit: nam] cum die quodam Dominico manè eſſet in horto ſuo; veritus, ne ſe morbus invaderet, domum reverſus eſt, ubi mox correptus, pronus in lectulum vilem collapſus eſt; cumque adeſſet nemo, qui poſſet opitulari (nam ad Sacrum omnes exierant) ita, uti ceciderat, exſpiravit.

C

item alterius puellæ epilepticæ, circa an. 1639.

91 Dicto Le Roux filiola fuit ſex tantùm ſeptemve menſibus in lucem edita, quæ ſpaſmis ita frequenter afficiebatur, ut crederetur mortua. Duravit hoc malum uſque ad annum ætatis tertium. Tum verò dictus Le Roux recordari cœpit filiæ dicti Le Febure, quæ adeundo dicti S. Lupi Trecenſis eccleſiam liberata fuerat morbo comitiali: votum ergo dicto S. Lupo & ipſe fecit; quo emiſſo, numquam amplius filiolam malo illo tentari deprehendit: & die vigeſima nona Auguſti anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi noni dictus Le Roux & uxor ejus Miſſam offerri curaverunt in honorem S. Lupi, præſente filia ſua. Quæ omnia ſupradicta memoratus Le Roux affirmat eſſe vera, & ſubſcripſit: Nicolaus Le Roux; adjectâ nomini notâ propriâ. *Hactenus inſtrumentum illud: neque quod ſigillatim de miraculis addamus, quidquam ſupereſt. Quare ad ipſa nunc Acta progredimur; de quibus monuimus ſuprà* § 3.

AUCTORE P. B.

ACTA ANTIQUA

Auctore anonymo, ex codice Valcellenſi Ms., collato cum aliis Mss. & editione Surii.

S. Lupi patria, parentes, conjugium.

BEatiſſimi & apoſtolici viri antiſtitis Lupi vitam ex aliquantulo enarrare operæ pretium eſt; quoniam in operibus laudum ſuarum multiplex materia dicendi conſurgit. Fuit namque ex urbe Leucorum *a* familiæ primus, Hebricio * genitus patre. Quo defuncto, Liſticio * patruo, æquè familiæ meritis decorato, ſcholis traditur rhetoricis imbuitur * ſtudiis *b*. Quem deinceps adprimè eruditum, per regionem eloquentis eloquii * fama vulgabat. Cui glorioſæ memoriæ Pimeniola, ſancti Clari * Arelatenſis epiſcopi germana, juncta matrimonio fuit: quæ juventutis annos ſenſuum maturitate conſervans, verecundiæ ſemper pudore flagrabat *c*.

a

* imò Epirichio

* al. Aliſtichio

E

* Bod. Ms. imbuendus

b

* Bod. florentem eloquio

* lege Hilarii cum al. Mss.

c

Conſentiente uxore fit monachus Lerinenſis,

2 Septimo conjugii anno, inſtigante Domino, ſe ad converſionem hortatu mutuo contulerunt. Tunc ille ſuperni ſpiritûs vigore flammatus, transferens ad nitorem mentium * veſtis ornatum; relicto patrio lare, cunctiſque mundanæ cupiditatis nexibus deſtitutus *, euangelicæ perfectionis exempla ſectatur; virumque eximiæ claritatis & gratiæ ſplendore conſpicuum, ſanctum Honoratum alacri animo, majorem * virtute credidit expetendum, abbatem primæ habitationis *d* in ſolo Lyrinenſi *; cujus nempe inſtructione cervice ſubdita jugum dominicæ ſervitutis excepit, omnium vigiliarum abſtinentiarumque dogmatibus inſtitutus.

* Bod. mentis

* Bod. deſtructis

* Bod. majori

d

* al. inſulæ Lyrinenſis *deinde epiſcopus Tricaſſinus.*

3 Quove * fidei calore regrediens ad oppidum Matiſconium, ut quæ ſibi remanſerant, pauperibus erogando diſtraheret, ad urbis Trecaſſinæ illico pontificium raptus eſt. Cujus talia perfectionis fuere primordia, ut civibus ſuis viam ſalutis non niſi ſemper * prædicationibus aperiret, & imperiti populi ſenſus divina inſtrueret lectione. Clerum ſuum quoque, gratia præeunte, habenis juſtitiæ ſtrenuè gubernabat.

* Bod. Quo ille

* Bod. cotidianis

F

Cum S. Germano è Britannia Pelagianiſmum eliminat.

4 Poſt hæc cum eſſet ingenio pollens, clarus eloquio, ſanctitate præcipuus, tranſcurſo biennii tempore cum ſancto Germano, totius perfectionis & gratiæ ſpiritalis famâ pleno, contra hæreſim Pelagianam, pravi * dogmatis fœdam, ad Britanniam commeavit. Qui uno ſpiritu juncti & pari voluntate concordes, terribilis oceani fluctus, temporibus hybernis inexplorato mari ſe committentes, orationis gubernaculo mitigabant: quippe inter undarum minas ad portum ſerenitatis advecti, virtutibus crebris adventus ſui nuncium præmittebant: namque mœnibus propinquantes, omnium excipiebantur occurſu: ubi ſignorum mirabilibus *, cunctis admirationi fuere: nam captus ab hominibus * facientes, ægrotis medelam reddentes, palam ſpiritus nequam de obſeſſis corporibus propellebant: omnes enim * prorſus ad fidem Trecaſſinæ confeſſionis *e* ab errore populos adduxere, illo jam penè totâ ex parte Britanniâ occupatâ *f*.

* forte pravis

* Bod. oſtentationibus

* Bod. capturam hominum

* al. etiam

e

f g

5 Inter hæc non longa poſt tempora *g* immi-

EX MSS. *Trecas ab Attilæ vaſtatione defendit;* * *al.* muris *cum Bod.*

nentibus Hunis, quorum per Gallias ubique diffusus premebat exercitus; quippe cum diversa urbium loca simulatæ pacis arte temptaret, Trecassinam urbem patentibus campis expositam, & armis immunitam & mare *, cum infensaret sui agminis densitate, solicitus piæ mentis Antistes, recurrens ad nota præsidia, sola ad Deum intercessione & prece deposita, supernæ opis defendit auxilio: in cujus absolutione totius discriminis compressit incendia *h*. At ille feralis Attila & immitis, fidem ejus altiore sensu suscipiens *, pro incolumitatis suæ statu, exercitusque sui salute, secum indicit iturum; Rheni etiam fluenta visurum; ibique eum dimittendum pariter pollicetur. Cui, de loco confestim ut revertatur, offertur; reditus non negatur, iter ostenditur: nec minus pro se orandum supplicavit enixè, interprete Hunigasio.

h * *Surius*, suſpiciens

6 Regressus namque *i* ut vidit servorum dispersionem & turbatum ad montis perfugium Latisconi expertus Olericio festinavit, ut illic transferret plebem, quam orationum suffragiis discrimini subjacentem inter excidia publica & hostilia arma defenderat. Ubi biennii temporis spatium commanens, offensus venientium caritate suorum, Matisconii se censuit transferendum: ibique eunti quædam mulier Alisia *k*, prostrata corpore in aggere publico paralytica, proclamavit: quæ mox, eodem orante, remedium sanitatis adepta est.

hinc in Latisconem secedit, indeque Matisconem, ubi patrat miracula. *i* B *k*

Cui quidem degenti in prædio *l* Matisconii, oblata sibi est puella, hora circiter sexta *: impulsu dæmonis muta: cui protinus signum crucis imponens, mediaque nocte ex more consurgens, & psalmorum decantatione peracta, invocato nomine Trinitatis, imperavit *, [&] restituit pristinæ locutionis officium *m*.

l * hora *&c. desunt in Bod.* * *Surius*, impetravit *m*

7 Cujus è plurimis licet pauca perstricta sint, tamen videtur cum pietate qualitas replicanda *n*. Annis fere viginti & quinque *o* asperi lectuli jacendi laborem superpositus stabiliter sustinebat *p*: cui indumentum non nisi semper cilicium fuit: deinde unius tunicæ semper usu contentus, in orationibus pervigil alternis noctibus perdurabat: biduanis jejuniis defatigato corpusculo, juventutis incentiva prosternens, fletibus ora, futuris intentus, indefessè rigabat: jugi etiam districtioni omne Sabbatum superponens *q*, quam non nisi panis hordeaceus solvebat

Vita ejus per annos 25 asperrima, *n* *o* *p* *q*

C *opera misericordiæ,* * *Bod.* transmisit

8 Nec sacræ immemor Legis, census suos in inopias pauperum transmigravit *, & in redemptionem transtulit captivorum; sciens, eleemosynis, cælorum regna posse mercari. Nam plurimos sæpe, quos detineri desperationis incommodo reperisset, visitatione celeri refovebat: inter quos scilicet carissimum * Claudium, filium spectabilis Germanianæ *, quem jam, deficiente vigore membrorum, vicinæ mortis pallor operuerat, in quo hiatus frigidi designabant robur extinctum: jamque exanime * intra hospitium corpusculum *, orationi intentus, revocat * in morte compositum: refunditur in viscera calor egressus; languentes venæ incipiunt motus admovere defectos: & spem vivendi ostendit in faciem *: sicque incolumem sub ope Christi paternis reformavit affectibus *.

* *Bod.* clarissimum juvenem * *al.* Germaniani, *&* rectè. * *Bod.* examinem * *Bod.* corpusculi * *addit Bod.* ad vitam * *Bod.* facie * *Bod.* aspectibus *non sine miraculis.*

9 Nec minoris miraculi res est: uno eodemque tempore & alibi extendisse virtutem. Nam clarissima mater familias, germana sancti ac venerabilis presbyteri Rustici, quæ letali dudum constringebatur defectione membrorum, cui mensibus decem neque pes neque manus implebat officium, ab eo visitari desideravit: quem ad se intuens venientem, inter preces & * fletus admiscens, palmas utrasque tetendit, inquiens: Si vis, potes me mundare *. At ille bis terque ad Deum in oratione procumbens, lacrymarum imbre perfusus, compellavit ægrotam: quæ magna voce proclamans, ait, nihil se dolere; desisse languorem. [Et] cui jam fuerat voluntas refectionis allata *, extemplò victûs alimoniam flagitavit.

D * *id est*, etiam * *al.* sanare * *Bod.* ablata *melius*

10 Illud singularis gratiæ beneficium, quod ei inter proceres seculi erat divinitus concessum, solicitudo memoriæ credidit retinendum: [nam cum ab omnibus gentium regibus ingens illi reverentiæ exhiberetur affectus; specialiùs tamen à rege Gebaudo *r* obedientiæ fuit honor impensus: *s*] Nam Brionenses *t*, videlicet quos Alemannorum quondam cepit immanitas, scriptorum ad sui notitiam paginâ * destinatâ, non cupiditate illectus, non prædâ hominum captus, non auri pondere nec pretio victus, sed regia dignitate sublimis, cunctos dempsit hostili servitio, nam * nimiæ dominationis acerbitate depressos, & velut devictus * reipublicæ legibus, statum, quem amiserant, universis hujus absolutionis & libertatis pristinæ reparavit *v*.

Maxima ejus auctoritas, etiam apud reges exteros. *r* *s* *t* * *Bod. addit*, ab Episcopo * *Bod.* jam, *&* rectè * *Bod.* devotus

E *v*

11 ⁂ Cui * rei gestæ elationem * posteris tradunt præsentium exempla facturum * qui affuerunt * vera ex scholis ejusdem discipulorum virtutis exempla docuerunt: ⁂ *u* nam cuncti insignibus miraculis præminebant. Unde in sanctum Pulchronium *x*, episcopum ecclesiæ Veredunensis, curationum gratia prælucebat: ita ut religatis post tergum manibus dæmoniacis imperaret, & priùs sensum *y* perciperent, quam in collisionem suorum corporum cernui laberentur *. Sanctum Severum *z* Treviris ordinatum, primæ Germaniæ gentibus prædicantem, Apostolorum non ambigimus societati permixtum. Sanctum quoque Alpinum *aa*, Cathalaunicæ pontificem civitatis, resplendentem prærogativâ diutinæ sanitatis *, locis plurimis non silendum est quam sæpe dæmonum purgator extiterit. Merito in tantorum præconiis *, Magistri laus glorioſa signatur.

Discipulos habuit sanctos & thaumaturgos. * *an* Cujus? * *f.* relationem * *f.* factorum * *f.* & quia fuerunt *u x y z* * *Bod.* labi cernerentur *aa* * *Bod. & Sur.* sanctitatis * *Bod. addit*, discipulorum

12 In cujus sede dignus profectò antistes Camilianus *bb* miræ probitatis * successor electus est: nam gloriosæ memoriæ pontifex Lupus, ætate perfecta *, annis quinquaginta & duobus sacerdotio functus, vitæ præsentis debitum complens, spiritum emisit ad cælum, dignis in terra laudibus excolendus. Unde nunc nobis, quo sublimis * evectus est, præsidium glorioſus impendat; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria & potestas per omnia secula seculorum. Amen *cc*.

Annis 52 episcopal. munere functus, sanctè moritur. *bb* * *Bod.* morum probitate * *Bod.* provecta * *Bod.* sublimiùs *cc*

F

ANNOTATA.

a *De* Leucis *& eorum* urbe *adi Commentarium prævium* § 4, *à num.* 44; *ubi & de familia Sancti plura disseruimus; uti & de tempore, quo singula hic narrata contigerint.*

b *An ipsi patruo traditus fuerit litteris imbuendus, an potiùs à patruo, ibidem discussum est num.* 51.

c *De* Pimeniola *atque hoc conjugio satis ibidem diximus à num.* 53.

d Primæ habitationis *dicitur abbas S. Honoratus; quia habitata non fuit insula Lerinensis, antequam ad eam accessit ac cœnobium in ea condidit Sanctus ille; quod proinde* prima habitatio *potest appellari. Vide Comm.* § 4, *num.* 49. *Cetera, quæ hoc, & sequente numero explicatione indigent, exposita sunt ibidem* § 5.

e Ad fidem Trecassinæ confessionis; *ita diserti*

tissimè

A *tissime codex Valcellensis ; at Bodecensis habet*, Ad fidem trinæ confessionis ; *Accinctinus verò*, Ad Trinitatis fidem. *Sed quid hæc ad Pelagianos, quorum error non sanctissimam Trinitatem, sed Jesu Christi gratiam oppugnabat ? Viderit hoc, opinor, Surius ; adeoque stylum elimando pro his verbis ; quæ fortè in ejus Ms. legebantur*, Ad fidem trinæ confessionis, *reponenda censuerit ista*, Ad sanæ fidei confessionem : *& recte quidem, si hanc elimationem non de judicio suo, sed ex alio quodam antiquo monumento prompsisset. Nos id præstari posse existimamus, opponendo aliis codicem Valcellensem, atque adeo legendo*, Ad fidem Trecassinæ confessionis. *Certum est enim ex Constantio in Vita S. Germani*, ex Britannis directam legationem Gallicanis episcopis nuntiasse, Pelagianam perversitatem in locis suis latè populos occupasse; *ob eamque causam in Gallia* synodum numerosam collectam fuisse, *in qua delecti ex omnibus ad exstirpandam apud Britannos hæresim Pelagianam, in hac utique synodo damnatam iterum & catholica confessione redargutam, fuere SS. Germanus &* Lupus. *Eam nos* confessionem *ab auctore nostro de-*

B *signari putamus, & appellari* Trecassinam, *quia synodus illa in urbe Tricassina collecta fuerit ; adeoque hîc ejus locum indicari, quem quia non assignaverat Constantius, qui de synodo illa solus meminerat, eruditi hactenus ignorarunt.*

f *Mss. Bodecense & Accinctinum interpolata hîc sunt : primum sic habet :* Omnes etiam populos prorsus ad fidem trinæ confessionis ab errore antiquæ perversitatis abduxerunt Itaque jam tota Britannia fide Christianæ religionis fuerat occupata. *Alterum verò sic :* Talemque Dominus in eorum occursum gratiam tribuere dignatus est, ut.. gentem pravo dogmate deceptam, ad Trinitatis fidem & religionem Catholicam revocarent, & ad urbes illarum regionum propinquantes, mutorum signa miraculis radiarent. Nequam spiritus de obsessis corporibus fugabant, cæcorum lumina restituebant, & omnibus viam salutis ostendebant. Fuitque à Domino inspirata gratia in itinere, & felix peregrinatio in opere. *Hæc omnia multum à simplicitate tam codicis, quem sequimur, quam illius, quem polivit Surius, distant.*

g *Adi Commentarium* § 5, *num.* 65, *&* § 6 *ab initio.*

h *Bodecense Ms. habet* incendium ; *quod hîc*

C *patet accipi figuratè ad significandam discriminis magnitudinem præsentiamque.*

i *De hoc loco in Mss. nostris corruptissimo consule dicta in Comm.* § 6, *num.* 70 *& seqq.*

k *Surius legit*, juxta Alisiam ; *Bod. Ms.* juxta basilicam, in qua orare consueverat, *quæ videntur interpolatoris esse. Est autem* Alisia, *vel* Alexia, *seu potius* Alesia, *olim urbs, nunc vicus in ducatu Burgundiæ, unâ tantùm leucâ distans Flaviniaco ; adeoque Trecas inter & Matisconem ; de hac plura Valesius in Notitia Galliæ.*

l *Bod.* in eodem castello. *Tillemontius innuit, hoc* prædium *etiam tum ad Sanctum pertinuisse, tamquam patrimonii olim sui reliquias ; sed nihil video, unde id possit colligi. Adi etiam Commentarium* § 6, *num.* 75.

m *Hujus narrationis constructio paulò nitidior est in Bodec. Ms. ; res tamen narrata non differt.*

n *Locus hic admodum obscurus est, ut prima fronte nescias, referendane sint, quæ sequuntur, ad præteritum tempus, an ad futurum ; imò ad præteritum potius referri dicas in Ms. Bodecensi his verbis :* Licet pauca de plurimis strictim & compendiosè dixerimus ; videtur tamen non incongruum, ut vitæ ejus qualitatem AB EXORDIO replicemus. *Aliter tamen videtur legisse Surius ; aliter auctor Vitæ secundæ ; aliter exigit rerum ordo & adjuncta ; ut in Commentario dictum est* § 7, *num.* 76 *& seq.* EX MSS.

o *Sic habent omnia Mss. nostra tam primæ quam secundæ Vitæ, uti & Vincentius Bellovacensis, contra Surium, qui scribit*, annis plus minus viginti.

p *Bodecense :* Expers lectuli, jacendi laborem suprapositus tabulæ sustinebat ; *& fere consonat Bellovacensis & Surius : Accinctinum habet* tabulam lapideam, *uti & auctor Vitæ secundæ.*

q Superponere Sabbatum jugi districtioni, *idem est ac Sabbato quolibet jejunium solito strictius ac severius observare. Vide Canginm ad vocem* Superpositio. *Bodecense habet*, Jugem etiam districtionem omni Sabbato superponens.

r *De* Gebaudo, *vel juxta Surium* Gebavulto, *aut* Gibuldo, *vel* Gibaldo, *Alamannorum per hæc tempora rege, agitur quoque in Vita S. Severini Noricorum apostoli ad diem* 8 *Januarii, pag.* 491.

s *Quod uncis hîc est inclusum, accipere coacti* B *fuimus ex Ms. Bodecensi, quia Valcellense nullum sensum offert, sic habens :* Quippe cum hominibus gentium regibus eidem reverentia servaretur, affectibus specialiùs arrigebat vultu (*fortè pro*, tamen à Gebavulto) obedientia (*fortè* obedientiæ) fuit honor impensus.

t Brionenses *etiam legit Surius ; cetera Mss., etiam Vitæ secundæ*, Brigonenses *Sed eadem, opinor, utriusque nominis significatio est. Erant autem* Brionenses, *qui pagum Brionensem alterutrum (nam duos istic fuisse docet Valesius in Notitia Galliarum) in Campania Gallicâ incolebant. Tillemontius hæc putat referri posse ad* Breones, *seu Briones, qui ad Vindelicos pertinuerunt juxta Cellarium in Notitia orbis antiqui tom.* 1 *pag.* 335 *& seq. ; verùm de prioribus hunc locum explicat auctor Vitæ secundæ cap.* 6, *num.* 55. *Tum hîc* Brionenses *appellantur, non* Briones.

v *Sensus videtur esse : Gebavultus reparavit eis statum, quem nunc obtinent Brionenses per illam regis absolutionem, & quem olim obtinuerant, antequam capti fuissent. Bodecense Ms. habet :* Statum, quem amiserant universi, libertati pristinæ reparavit.

u *Hic textus inclusus asteriscis* ⁂ *est corruptus* F *ille, de quo dixi in Commentario* § 3, *num.* 35. *Ego sic restituerem atque interpretarer :* Cujus rei gestæ relationem posteris tradunt præsentium exempla factorum, hoc est præsens hæc mea Actorum S. Lupi descriptio : quod autem hæc vera fuerint, docuerunt exempla virtutis, id est sanctitas & miracula discipulorum, qui ex ejusdem schola prodierunt : nam *&c. Accinctinum Ms. sic refert :* Cujus rei gratia & relatione in præsenti tempore exempla Viri Dei ostenduntur manifesta : quæ fuerunt autem ex scholis ejusdem discipulorum virtutes, exemplo & operibus docuerunt ; & cuncti in multis miraculis &c. *Bodecense verò sic :* Non solùm autem ille beatus Antistes multis virtutum insignibus celebris fuit ; verùm etiam discipuli ejus miraculorum fulgore ubique præminebant.

x *De* S. Pulchronio *seu* Polychronio *actum est, iterumque agi debet die* 17 *Februarii.*

y *Id est effectum imperii ; qui proinde prævertere solebat impetus illos, quos, cum expelluntur, exerunt plerumque dæmones, allidendo ad terram energumenos. Hunc locum clarioribus verbis expli-*

EX MSS. *explicatum citat Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi agit de hoc Sancto, apud Labbeum in Biblioth. Mſs. libb. tom.* 1, *pag.* 84.

z *De* S. Severo *ep. Trevir. agendum erit* 15 *Octobris. Quod autem hic dicitur in* Germania prima *prædicaſſe, id non ſignificat, Treviros ad Germaniam tum pertinuiſſe cis-Rhenanam, ſive primam ſive ſecundam (nam Belgicæ primæ attributi fuerunt;) ſed quod labores ſuos apoſtolicos ad primam ſeu ſuperiorem Germaniam præcipuè extenderit; ſicuti & ad Britannos extendit, qui multo minus ad eum ſpectabant, quam prima Germania; cum utraque Germania cis-Rhenana, totaque Belgica ſedi Trevirenſi metropolitico jure olim paruerint; teſte Carolo à S. Paulo in Geographia ſacra ultimæ editionis pag.* 136 *& ſeq.*

aa *De* S. Alpino *agemus die* 7 *Septembris.*

bb *De* S. Cameliano S. Lupi *ſucceſſore egimus die* 28 *hujus menſis.*

cc *Minuſculas exemplaris hujus à Bodecenſi diſcrepantias, ut quæ ad rem nihil facerent, conſulto hîc illic negligendas putavimus.*

B

ACTA
RECENTIORA

Auctore anonymo, ex Ms. Ultrajectino S. Martini, collato cum codice noſtro membraneo ſignato P. Ms. 14, & ſuppleto ex aliis.

CAPUT I.

S. Lupi natales, educatio, nuptiæ, vita monaſtica, electio ad ſedem Tricaſſinam.

C

I. *S. Lupi patria, & genus regium,* * *Conſinet legi* dirivato *a b*

SAnctus Domini confeſſor Lupus, vir omni mentis probitate conſpicuus, & æterno Regi ſacerdos dilectiſſimus, in urbe Leucorum, quæ nunc deviato * vocabulo Tullum vocatur, extitit oriundus, parentibus lineâ regalis exortus propaginis, propagatis regio ſtemmate [vel ſtigmate *a*] in pago Britannico pollentibus *b*. Pater ejus, Epyrichus nomine nuncupatus, majorum ſuorum nobilitate fuit opulentiſſimus. Qui Puerulus bonæ indolis in ipſis infantiæ cunis alitur lacte ſupernæ traditionis. Sed vix percurrerat gemitus infantiæ, cum mors inevitabilis ipſum viduat genitore. Quo mortis retibus irretito, Puer quidam * facie tenus, fontem ſapientiæ ſitiens, oppido debriandus litteris patruo traditur, Aliſtichio vocabulo, tam ſeculi dignitate quam philoſophiæ diademate decenter ornato. * *an* quidem?

eruditio, forma, virtutes,

2 Hic Puer ſagaciſſimus innitens theſauro prudentiæ, obedienti fervens aure, adeptus eſt eam mirificiſſimè: in ſeptiformis enim philoſophiæ artibus ſic excellebat præ ceteris coævis omnibus, ut quaſi ſol deputaretur inter ſodalium ſidereos cœtus. Nec latuerunt eum philoſophorum callida argumenta nec poëtarum grandiſona figmenta, nec divinæ auctoritatis allegorica myſteria: quia ibi in diſcendo nulla mora eſt, ubi Spiritus Sanctus doctor adeſt. Sicque nobilitabatur hinc dogmatis regimine, illinc ſanguinis generoſitate, ut famoſus jam in omnium haberetur ore: erat enim omni morum honeſtate redimitus, corpore formoſus, animo benignus, eloquio gratioſus, omnia ſolerti conſiderans oculo, fluxa vitiorum præſtigia * virtutis calcabat calcaneo, & virtutum culmina aſcendebat conamine ſummo. D * *imo* præſtigias fluxas

II. *converſatio in aula S. Germani, tum ducis;* *c*

3 Hunc igitur liberalibus litterarum rivulis propinatum, parentela titulis inſignita nobilitatum, in aula Germani, tunc ducis, poſtea verò Antiſſiodorenſis epiſcopi, ſtudet decenter admiſſum *c*: quem excipiens dux ſinu placidæ dilectionis, intima ſui animi credidit ei plus reliquis: nam hinc ſuppetit ſanguinis generoſitas, illinc docti animi lenitas: adeſt & ſodalium amor inextricabilis; quorum ſic obſequebatur ſtudiis, ut laus ejus omnibus eſſet amabilis. Igitur epheborum pudicè exemptus fervore, cum juvenilis ætatis juveneſceret maturitate & videretur habere modum ſuæ vitæ, nuptiarum ſponſalia ſuadent parentes eum celebrare. Aſſenſum præbet eorum ſuaſioni, non ardore explendæ libidinis, ſed teſtimonio celandæ caſtitatis. Quæritur diverſarum terrarum provinciis, quæ ejuſdem nobilitatis inveniretur digna accubitare ipſius thalamis. F

caſtæ nuptiæ, & dignitas Comitis. * *Conſin.* Piminiolam

4 Inveniunt tandem puellam, ſancti Hilarii Arelatenſis epiſcopi germanam, nomine Pinniolam *. Hanc igitur corpore formoſiſſimam, morum, majorum nobilitate præſtantiſſimam, ſanctitate fratri ſuo comparandam, ſibi caſtam vendicat ſponſam. Nec tamen enervat petulans libido animum pudicitiæ deditum; ſed caſtimoniæ dat locum; quia fervebat vena caſti animi de ſola lampade Chriſti, ſecundùm dictum Apoſtoli, uxorem habens erat tamquam non habens: ardebat enim in beatiſſimo Tirone amor caſtitatis, ſicut enucleavit exhibitio operis. Ad ſufficientiæ etiam terrenæ complendam plenitudinem, eum ſibi procerum multitudo & gentium plebs elegerunt Comitem; ut qui rhetoricâ affluebat facundiâ, & callebat [quomodo] dicendo vel tacendo ſcientiæ ſuæ moderamine moderaretur commotæ plebis jurgia *d*. *d*

III. *poſt annos* 7 *valedicit conjugi & ſeculo,* F

5 Orbita ſolaris jam ſeptenos annos irradiaverat arvis ex quo celebraverat nuptias caſtæ conjugis, cum, ecce, tempus advenit, quo diu deliberata complere ſtuduit: ardet enim relinquere Comitatum, triennio jam adminiſtratum; ardet exonerare mentis collum onere terrenarum curarum; ardet caſtæ conjugis à ſe repudiare matrimonium; quò curis ſeculi omnino expeditus, ſoli Deo vacare poſſit liberiùs, ut & ſine uxore manens, cogitet tantùm quæ Domini ſunt, quomodo placeat ipſi. Studet activam vitam, quæ turbatur erga plurima, poſtponere; & contemplativæ, cæleſtibus vicinæ, culmen attingere: ſuſpirat centeſimam virginitatis à Domino accipere coronam. Unde ſtatim pudicæ conjugis parvipendit apertè diſſimulatam copulam; anhelat virtutum perfectionem adipiſci. Unde & Comitatum ſuum Germano reddidit duci, & renuntiat omnibus, quæ poſſidet, propter nomen Chriſti.

ut monachum induat apud Lerinenſes;

6 Relictis itaque patriis laribus, & prædiorum magnitudine illimitatis jugeribus, & totius mundanæ cupiditatis ruptis nexibus, Domini ſecutus diſciplinam, poſt regni militiam, monachicam elegit vitam; & velut alter Abraham, exiens de terra & cognatione ſecularium negotiorum; adivit egregiæ ſanctitatis virum & gratiæ Dei ſplendore conſpicuum, ideoque cunctis honorandum, no-

A nomine Honoratum, qui abbas ſummæ parſimoniæ & arctiſſimæ vitæ præerat primæ habitationi Lirinenſis inſulæ. Caput etiam ſequebantur membra, id eſt monachi, Dei æmulatione æmulantes abbatis miranda opera, & ejus formæ imprimebant omnia ſua.

ubi eximiis elucet virtutibus ; ** Couſin.* prætextam

7 Ibi Miles Dei ſeculi depoſuit prætexta * [ſeu præcepta] induens ſe ſanctæ regulæ cucullam ; impoſitoque collo ſuæ mentis Chriſti jugo, monitis utilibus abbatis aurem accommodat cordis, ſubjungens facta ampliora dictis, mortuus mundo, vivens verò Chriſto ; nullumque ſinit tempus præterire vacuum ſalutis labore, ſed ſemper aut obedientiæ inſudat laboribus, aut ſine intermiſſione orationum lucubrationibus, aut ædificabilium ſermonum inſiſtit ſeminibus. Fit cunctis exemplar & ſpeculum, à quo reſultat omnis lux imitandorum operum. Secundùm dictum Apoſtoli, ejus converſatio erat in cælis. Sed tamen nullus eſt ſcriptorum, qui explicare poſſit commercia ejus virtutum : unde, cum conjiciatur ex inclitis ejus miraculis, cujus converſationis fuerit, tam hîc quam reliquis locis, pauca carpentes de

B multis, eorum aliquanta inſeremus paginulis.

quas & aliis communicaturus Matiſconem abit. 8 Igitur agoniſta Dei Lupus, ubertate omnium virtutum ubertim vigoratus, & omni auſteritate monaſticæ vitæ aſſuetus, cum jam arctam viam, quæ ducit ad vitam, delectabili curreret corde, ipſiuſque curſum remorari nullo modo valerent mundi illecebræ ; ne tantum lumen unius clauſtri occulerent latebræ, à cœnobio prædicto recedit, Dei providentia diſponente, & ad urbem

** pro* Matiſconem Maſticonem * pervenit, eumdem eâdem præeunte, non quaſi propoſiti deſertor, & mundi, jam ſibi crucifixi, repetitor ; ſed hiat ire de virtute in virtutem, & contemplari Spiritus ſancti diviſionem, ut in multis diffuſam in ſui unius cordis

** an coacervaret ?* thеſauro qua ſervaret * virtutum ſummam, & velut apis argumentoſa, diverſorum locorum floridas conſuetudines decerperet, quas in mellitorum operum dulcedine ipſe congereret. Exemplum bonorum actuum ſe præbebat omnibus, ut multi ad comparationem vitæ ipſius parvipendentes ſuæ antè actæ vitæ curſus, & ejus illecti bonorum operum fœnoribus, præeuntem ſequi totis molirentur conatibus. Nam ſubſerviebat multorum ſaluti, qui pridem ſibi vixerat ſoli. Doctrinam verborum ſolidabat aſtipulatione operum, ſciens,

C caput eſſe doctrinæ, quæ doceat, ſe facere.

IV. *Eligitur epiſcopus Tricaſſinus ;* 9 Cum ſic ejus operum odor redoleret populo circumcirca manenti, & fama ejus jam increbreſceret per ora vulgi, contigit, Sanctum Urſum, præſulem Trecaſſinæ eccleſiæ, mortem obiiſſe, terrarumque ſuſpiria cæleſtibus gaudiis mutaſſe : quo eccleſia tanto paſtore viduata, æſtuabat pontificalem cathedram digni paſtoris relocari infulâ. Rimanti indagine luſtrant diverſi diverſarum urbium loca, examinantes diverſorum vitam perſpicacis mentis lucernâ. Tandem multis inſpectis, non reperitur Lupi æquiparandus meritis. Hunc igitur commerciis virtutum & bonorum operum moribus omnibus expoſitum regalis celſitudo ac Ariſtaci *e* præfecti ſtimulatio, procerumque multitudo, & plebis Trecorum concors concio, ſibi fieri epiſcopum acclamabant uno ore. Ille autem vitæ ſtudens anachoriticæ *f* & populi turbine timens retardari curſum ſuæ vitæ, quantis poterat renitebatur luctaminibus, teſtans, ſe imparem viribus,

e

f

**f.* nimium cui imponeretur onus, parvis ejus humeris minus * & parvo ejus robore majus.

10 Non conſpicio, ait, fratres, iis me floribus redimitum, quibus divina auctoritas florere

monet epiſcopum. Plebs econtra ardore divinæ voluntatis ſuccenſa, ſic eum eſt adorſa : En, ſpernere Chriſtum convinceris, cum ejus oves paſcere nolis: innocens enim & abſque ſermone converſatio quantum prodeſt exemplo, tantum nocet ſilentio. Sed & cum tui ſolius & non proximorum curâ ferveſcis, profectò quaſi unius tantùm pedis calciamento uteris. Proſapiâ polles, divino dogmate fulges, omnibus excellis, virtute coruſcus haberis : quid igitur moraris, aut moramur multis ? Velis, nolis, noſter eris epiſcopus. Tunc Vir humilitatis ſuminæ cum non auderet reſpuere quod utiliter præcipitur ſubire, caritatis geminæ circumfultus virtute, ad ſedem pontificalis honoris ſublimatus eſt, gratia Dei favente.

EX MSS. *quod onus invitus quidem ſuſcipit ;*

at ſuſceptum, ſtrenuè gerit.

11 Hic Præſul almifluus ſortitus culmen religionis perpetuæ, ſtuduit ſanctitatis opem augere, &, ſi quid deerat perfectionis, ſupplere. Mactabat omni die holocauſtum Domino non ex pectore alieno, ſed ex pectore proprio : temperatus erat æquitate, prudens fortitudine, longanimitate vigens, in adverſis patiens ; quæcumque Deo placita eſſe noverat, linguâ docebat & opere exercebat : ſiquando alicujus adverſi infeſtatio occurriſſet ovili ſibi commiſſo, ipſe pro turribus & viribus ſtabat ex adverſo ; nec quemquam ſibi commiſſorum patiebatur patere diabolo, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devorare poſſit : ſolicitus plebis, diœceſim luſtrabat ſuæ urbis, confirmans fidem individuæ Trinitatis, & ſanans omnes protegendo virtutum alis.

E

ANNOTATA.

a *In codice noſtro aſſignato legitur*, ſcemate vel ſtigmate : *apud Couſinetum verò in textu*, ſtegmate ; *ad marginem additur*, alibi, ſtemmate. *Aliquoties autem bina ſic verba in exemplaribus hujus Vitæ recurrunt ; quia amanuenſes antiquioris manuſcripti characteres contractos diſcernere non potuerunt : nos illud uncis includimus quod minus probamus.*

b *Vide de his Commentarium* § 4, *num.* 46.

c *Senſus eſt : Parentela nobilitatis titulis inſignita (id eſt conſanguinei ejus nobiles) ſtudet hunc* Lupum *admiſſum (ſeu admitti) in aula &c.*

d *Multa hîc inobſervata præterimus ; quia diſcuſſa jam ſunt in Commentario prævio : id quod & in ſequentibus monitum lectorem volumus.*

e *Couſinetus legit* Ariſtarchi, *eumque putat Comitatum urbis Tricaſſinæ poſt* S. Lupum *obtinuiſſe ; ſed nihil addit argumenti, niſi quod* non repugnet.

f *Atqui juxta hunc auctorem numero præcedente, anachoreſim ſuam Lerinenſem deſeruerat jam, & ſubſerviebat* multorum ſaluti, qui pridem ſibi vixerat ſoli *&c. An ergo melius ſecum ipſe cohæret hic ſcriptor, quam cum Vita priore ? Adi Commentarium prævium* § 5, *num.* 60.

F

CAPUT II.

SS. Lupi & Germani expeditio in Britanniam adversùs Pelagianos.

Graſſante hæreſi Pelagiana

TAlibus propugnaculis dum præſulatum ſibi creditum muniret Lupus, miles ſummi Regis, & per biennium vacans continuis hujuſmodi factis, jamque totum clerum compaginaret

mori-

EX MSS. moribus ſuis almis, contigit, Britanniam tranſmarinam veneno infici antiqui ſerpentis, qui conabatur germina Catholicæ fidei adhuc in ea pullulantia hæreſibus obruere nefandiſſimis: tempore enim, quo poſt Incarnationem Domini Trecenteſimus nonageſimus quartus impletus eſt annus, Archadio & Honorio regnantibus *a*: quidam Brito &, ut ſic dicam, brutus intonuit hæreticus, pelago falſitatis demerſus, nomine Pelagius, miniſter diabolicæ falſitatis & conditor obſcœnæ ſuperſtitionis; qui in tantum commendabat libertatem arbitrii rationalis [creaturæ vel] naturæ, ut ſine dono divinæ gratiæ ad perficiendam hominis juſtitiam diceret ſufficere; & ſine ejuſdem gratiæ auxilio mendoſè auctorizaret, hominem ſalvari poſſe.

a

per univerſam d. Britanniam,

13 A cujus falſificati cordis pharetra ſpicula nefandæ hæreſis volitare cœperunt per totius Britanniæ loca. Quem plumbeum pugionem Innocentius Pontifex Sedis Romanæ anathematis mucrone damnavit: ſed nec ejus nec aliorum orthodoxorum ſumma auctoritas corrigere valuit virulentas illius anguis verſutias; ſed pro parte victus, linguis adhuc micat & ore truculentus, ſeque defendendo magis auget crimen ſuæ hæreſis, quam minuat ſatisfaciendo pro malis commiſſis. Et more accidit hominum, ut fama mali magis quam boni crebreſceret in ore multorum: unde hæc peſtis mobilitate viguit, vireſque eundo acquiſivit, & per annos LV *b* ſerpentinum illud virus prævaluit. Anno igitur dominicæ Incarnationis quadringenteſimo quadrageſimo nono, Marciano regnante cum Valeriano *c*, jam in tantum in auras ſe extulit, ut totam Britanniam ſuffundere tentaverit.

B

b

c

epiſcopi Gallicani opem à Britannis catholicis rogati,

14 Verùm Britannorum aliqui divino numine ſepti, cum nec vomitum illius aſpidis excipere vellent, ſcilicet ut gratiam Dei blaſphemarent; nec illius ſyllogiſticis concluſionibus reſiſtere reſponſis ſimplicibus poſſent, ultimum & utiliſſimum omnibus inſedit conſilium; ſcilicet ut à Galliæ epiſcopis ſibi exſpectent ſuccurſum. Quod nimirum dum aures Gallicanorum perculiſſet antiſtitum, ſynodi conſtruunt tempus & locum *d*, quâ confluentes deliberent, quid ſit de iis actitandum. Conveniunt è diverſis urbibus Galliæ; convenit & Lupus præſul Tricaſſinæ eccleſiæ; fit conſilio mora multa: manentibus & monentibus tandem potior cunctis hæc ſedit ſententia; ſcilicet ut ad dona fidei tuendæ præſtantiſſimus eligatur, qui ad tantæ hæreſis machinamenta refutanda mittatur. Quæ vox dum per aurium volutatur receptacula, gelidus tremor ſtatim per ima cucurrit oſſa: alium enim terrent ſævientis maris rodendæ * procellæ, alium conſcientia, qua pollet, verſutiſſimo hoſti non poſſe reſiſtere; alium acris hyemis algor, tunc penè intolerabilis omnibus, & cælum non tractabile æquoreis ratibus.

d

C

* *an* radendæ?

ed deſtinant SS. Lupum & Germanum; qui antea velant S. Genovefam:

15 Tandem, omnibus poſtpoſitis, Lupus inexpugnabilis fidei cinctus propugnaculis, & Germanus eligitur epiſcopus Antiſſiodorenſis. Omnes aſſenſerunt, & quæ ſibi quiſque timebat, in illos converſa tulerunt. At Satellites Dei interiùs ferventes flammâ ſancti Flaminis, exteriora contemnunt frigora hyemis; conſcientia etiam eorum multo dogmate ſibi lætabunda ſuadet, eos obſidere hæreticorum tortuoſa figmenta. Pro amore igitur Domini reſpondent, ſe paratos omnia pati, & ejuſdem omnipotentiâ fretos, qua etiam inter omnia rugitus * aſinæ in facundiæ poteſt flectere ſonos, hæreticorum propoſitionibus ſe obviam ituros. Hinc benedictionis munere robora-

* *Conſin.* rudius

ti *e*, iter arripiunt ſecuri. Jamque paſſibus æquis arva Pariſiorum tangunt, ubi Genovefam *f* virginem inveniunt; quam dum corde feneſtrato *g* conſpiciunt, & Domino revelante, bonæ indolis eſſe cognoſcunt, ſuaſionibus ſalubribus excitant, & ſacroſancto velamine velant.

D

e *f*

g

VI.

exinde navigantes tempeſtate jactantur

16 Inde permeantes, oceanum mare adeunt celeres, vela dant, & vaſtum æquor cava trabe pervolant, & uſque ad medium freti, quod à Galliæ oris Britannias uſque tenditur, ſecundis flatibus tuta navis labitur: ſed poſtquam altum tenuit carina, nec jam amplius ulla apparet terra, ſed undique populus ſeu ſcopulus *, & undique pontus; tum Domini permiſſione, qui Sanctos ſuos diſponebat probare & clarificare, inimica vis dæmonum cœpit occurrere, videntium inſuperabiles Viros ad recuperandam ſalutem populorum tendere. Venti incumbunt ampnibus, vaſtoſque tollunt ad littora fluctus, & ſupra capita eorum imber aſtitit cæruleus, nec non & omnis inhorruit unda nubibus: nubes diem involvit, & nox humida cælum abſtulit: hinc navis curvato gurgite tollitur in cælum, hinc apertè mergitur in abyſſum: franguntur remi, nec ventorum rabiem ſuſtinent mali: eripiunt nubes ex oculis cælum & diem, præſentemque minantur omnia mortem.

* *imò* undique polus *Conſin.*

E

à dæmonibus excitata, ſed à Sanctis preces ſedata.

17 Tunc Milites Chriſti invictiſſimi pectora terquaterque percuſſi, auxilium invocant Jeſu Chriſti, qui quondam diſcipulos in ſimili tempeſtate liberaverat, & Petrum mergentem ſuſtentaverat: nec mora, cælum eorum patuit precibus, & oratio ad ſupernos pervenit auditus: dicto citius Dominus tumida æquora placavit, inimicos dæmones fugavit, collectaſque nubes diſperſit, ſolemque placidum reduxit: hinc vela ſecundi intendunt venti, ferturque cita gurgite navis, & tandem Britannicis adjicitur oris; ubi potiuntur Sancti quiete optati littoris. Ibi innumera populi multitudo convenerat, quæ diu exſpectatos Sacerdotes cum gaudio ſuſcipere maturat; quibus etiam vox dæmoniaca, etſi invita, venturos ipſos prædixerat: ſiniſtri enim ſpiritus jam annuntiaverant, quod timebant. Sed & poſtea, dum potenti virtute Sacerdotum excluduntur à vaſculis humanorum corporum, profitentur, ſe excitaſſe tempeſtatis periculum, & multotiens, quamvis fruſtra intendiſſe laqueos adverſitatum, quibus præpeditos cupiebant retro dare greſſum.

Convertunt hæreticos plurimos ardore apoſtolico.

F

18 Sed inſuperabiles Viros ubique conſtat adeptos eſſe victoriæ gaudium: nullius enim eloquentiſſima lingua poteſt explicare, quantis, & quibus virtutum miraculis coruſcaverint in locis Britanniæ. Quid moremur multis? Britanniam totam impleverunt ſancta opinione, virtutibus, prædicatione; nec tantùm ſub eccleſiarum parietibus per eos verbi divini ſemina, verùm etiam per rura, per trivia ſpargebantur & compita. Jam Pelagianum virus evomebant ipſo infecti, & rorem hauriebant Catholicæ fidei; ſubtrahebantur Pelagianorum ſchiſmati, & gratiam cæleſtem profitentes reparatricem mundi, compaginabantur Eccleſiæ corpori. Nec mirum: erat enim in Præſulibus, inſtar Apoſtolorum, & gloria & auctoritas per conſcientiam, doctrina per litterarum affluentiam, virtutes per meritorum opulentiam.

Provocantur à Pelagianis ad publicam diſputationem,

19 Latitabant mordaci conſcientia pallentes ſiniſtræ perſuaſionis auctores, more maligni ſpiritûs, perire populum ſibi evadentem gementes. Tandem diuturna meditatione concepta, etſi videbatur profanis impar ea pugna; tamen, ne ſilentes viderentur probare antè reprobata, præſumunt monomachiæ cominus inire bella, dubi-

amquo

A amque ſortem duelli maluerunt ſubire ; quam in populum, quem converterant, pudorem taciturnitatis incurrere ; ſcilicet ne viderentur ſe ipſi ſilentio damnaviſſe : procedunt conſpicui nitore veſtium, fulgidi auro, & oſtro decori, & aſſentatione multorum fiſi. Illorum ab ore ſcintillæ non
*f. non abſiſtunt obſiſtunt *, & oculis acribus ignes ferveſcunt : illinc Viri apoſtolici oblato fœdere gaudentes, dum vident bellum componi, nullius, niſi tantùm Dei, adjutorio freti ; iſtinc hæretici agreſti cultu procedunt turbidi.

*ſed hos ita confutant ; 20 Adſunt ſtudio huic effuſæ matres, invalidique ſenes, & promiſcui ſexûs plebes, finem rei exſpectantes : aſtant pugnatores ſectâ diſſimiles, armis diſpares : hinc fides divina, inde præſumptio humana ; hinc pietas humilis, inde ſuperbia facilis ; hinc falſilogus Pelagius, hinc auctor veritatis Chriſtus. Primùm Viri apoſtolici præbuerunt adverſariis copiam loquendi, & diu deliberata jubent citò affari *. Sed eorum garrulitas fit veritatis pondere inanis, contenta tantùm verborum næniis, paleis comparanda ſine granis, ipſa, ut ita dicam, tempora * ſibilis polluit vitulentis, auraſque vicinas eructationibus putridis, aureſque diu onerat latratibus infeſtis ; ſtomachantur bile ſub obliqua, cum deficiunt mendacia laborioſa ; tumidas intendunt rumpere buccas, cum jam nulla ſuccurrat falſitas.

* an effari ?

*f. templa

B

*ut violentas plebis manus hæretici vix effugerint. 21 Deinde Antiſtites venerandi ſpiritu intelligentiæ profuſiùs repleti, tamquam imbres, mittunt eloquia Dei, & falſas perfidorum diſſolvunt concluſiones, ut ignis ſtipulas arentes ; divinis nituntur auctoritatibus, & eorum collidunt impetus : miſcebatur ſermo proprius cum divino, & aſſertiones ſanctas ratus ſequebatur ordo : vanitas convincitur, perfidia confutatur ; ita ut ad ſingulas verborum objectiones dum nequeunt reſpondere, taciti ſe fatentur * erraſſe : moliuntur reſurgere, ut ſerpens gravi vulneratus vulnere ; ſed nulla datur vi poſſe, quia retentatur pari clauda vulnere : populus arbiter vix manus abſtinet, volens interficere quos videt ſuccubuiſſe ; exclamans ſine intermiſſione, Antiſtites victores eſſe : ſed Viri apoſtolici, amatores pacis ſummæ, nullum volentes perire, ſed omnes ſalvos eſſe, compeſcuerunt populorum manus divina majeſtate, nec voluerunt malum pro malo reddere, ſed more ſummi Magiſtri, verbis, quibus & truces leones poſſent mitigare, adverſantium corda ſtudebant linire. Verùm illi pelago falſitatis ultra modum immerſi, ad ſummam nudamque veritatis viam non poſſunt erigi.

* an fateantur ?

C

ANNOTATA.

a *Videtur hæc auctor arripuiſſe ex Hiſtoria venerabilis Bedæ lib.* 1, *cap.* 10 ; *ubi dicitur quidem, Arcadius cum fratre Honorio regnum ſuſcepiſſe* anno ab Incarnatione Domini trecenteſimo nonageſimo quarto (*quamquam id anno tantùm ſequente contigit* ;) *ſed non dicitur eodem anno exorta Pelagii hæreſis : hanc enim ſine anni determinatione Beda natam fuiſſe aſſerit temporibus Arcadii & Honorii imperatorum ; quod verum eſt, cum ambo ſimul imperaverint uſque ad annum Chriſti* 408. *Porrò poſt annum Chriſti* 397 *emerſiſſe è latebris errores Pelagii, ex S. Auguſtino probatur lib. de dono Perſeverantiæ cap.* 20, *ubi ſe ait edidiſſe libros Confeſſionum* antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet : *edidit autem illos anno* 397, *juxta Tillemontium, aut circa annum* 400 *juxta nuperrimos operum ejus editores Benedictinos.*

b Per annos LV : *totidem numerantur ab anno* 394, *à quo ſcriptor hic Pelagianiſmi primordia non bene repetit, uſque ad annum* 449, *ad quem minus etiam rectè expeditionem* SS. Lupi *ac Germani in Britanniam mox referet.* EX MSS.

c *Vide Commentarium* § 5, *num.* 64.

d *Locum hujus ſynodi fuiſſe ipſam urbem Tricaſſinam exiſtimamus ſuprà in annotatis ad Acta priora lit.* e.

e A quo nempe, *inquit hîc Couſinetus*, niſi à ſummo Pontifice, & à Gallicanis epiſcopis, à quibus miſſionis ſuæ munus acceperunt ? *Nam & à Cæleſtino Papa miſſum fuiſſe S. Germanum, teſtatur S. Proſper in Chronico. Vide Baronium ad an.* 429.

f *Hæc de S.* Genovefa *aliunde accepit auctor, quam ex Beda, ex quo accepit cetera quæ hîc narrat de Britannica miſſione. Fortè & Vitam S. Germani aliquam adhibuit.*

g Corde feneſtrato, *id eſt perſpicaci & intima penetrante præcordia.*

CAPUT III.

Fides catholica reſtituta Britannis per SS. Lupi & Germani prædicationem & miracula.

E

Sancti Pelagianos confundunt, & fidem probant ISta dum geruntur, mutuiſque ſermonibus longum tempus exigitur, ad miraculum venitur, & ſermonum dubietas operis examine probatur : nam quidam tribunitiæ dignitatis honore ſublimatus cum conjuge procedit in medium, qui magnis clamoribus implevit prima ora patrum : adducunt enim ſecum filiam decennem, formoſam corpore, ſed frontis privatam lumine, genibus provolvuntur Sacerdotum orantes quatiente ſingultu, filiæ reddi lumen oculorum. At Lupus rebellium conatus volens radicitus deſtruere, hortatur ſocium ſuum Germanum, ut adverſarios rogent pro recuperando lumine inſiſtere. Sed illi conſcientia puniente deterriti, cum ultra non daretur eis fugâ elabi, etſi inviti, colla tamen deponunt victi, enervatos ſe conclamant ; & cum parentibus pro recuperando lumine puellæ Antiſtites orant.

cæca puellæ viſum impetrando. 23 Sacerdotes autem Dei videntes, illos propria confeſſione victos, & omni conatu deſtitutos, ut, recuperato lumine ſub clara fronte puellæ, redderetur etiam lumen fidei in eorum corde, gratiam cunctipotentis Patris cœperunt pulſare. Nec mora, præſto adeſt divina gloria, quæ, reddito lumine, tenebrarum devicit obſcura. Hinc F puella feneſtris claræ frontis donata, parentelæ *, ultra quam dici poſſit, lætanti aſſignatur læta. Quod miraculum dum fidelibus oculis populi eſt ſubjectum, corroborat prædicationem verborum, quæ demiſſa per aures, ſegniter irritaverat animos eorum. Nam & adverſarii, poſtquam populus omnis eorum favent exhortationi, teſtantur, ſe quoque ab hac nullo modo jam poſſe exorbitari * : integreſcit in illis quotidie fidei ſacramentum, & crebreſcentibus miraculis ferveſcunt & ipſi baptiſmatis adire lavacrum *a*.

* *id eſt*, parentibus

l. exorbitare

a VII. *Britanni adversùs Pictos & Saxones opem petunt à Sanctis,*

24 Ad augmentandam etiam voluntatem fidei percipiendæ, Domino permittente, qui omnes vult ad ſe trahere, nec reſpicit, qua quiſque ad ipſum trahitur occaſione, talia contigerunt genti Britannicæ. Nam Saxones Pictique ſeptemtrionales junctis viribus bellum ſumpſerunt adversùs Bri-

EX MSS. tones : ſed Britones viribus impares, nec acies audentes ſtruere, nec campis ſe credere, ut caſtra tantummodo & muros ſervarent, tutos aggere, turribus inclauſos abdunt ſe properè. Sed & adhuc timor pallidus corda eorum acuit, ſalſuſque ſudor per oſſa cucurrit ; ut municipia undique cuncta * munitionibus diffiderent non poſſe contraſtare tot & tantis exercitibus occurrentibus. Solatiis igitur deſtituti agminum, & virtutibus incitati mirandorum operum, provolvuntur genibus Epiſcoporum ; ut humanitus deſtituti, divinitus impetrarent auxilium.

* *f.* cincta

qui hac occaſione multis Baptiſmum perſuadent ;

25 Tunc Sacerdotes Dei armis inexpugnabilis fidei præcincti, ſoliuſque Omnipotentis munimine fiſi, corda trepidantium lenibus leniunt verbis, mœſtoſque dulcibus ſolantur dictis : Ne trepidetis, ajunt, fratres, neque timor anxius veſtras laceret mentes ; quia in proximo eſt ſalus veſtra, ſi non longè abſit voluntas veſtra : potens eſt enim Dominus liberare vos de inimicorum veſtrorum manibus, liberatoſque his & hujuſmodi tribulationibus perducere ad æthereos cœtus. Unde ſi adhærentes ei, baptiſmate ejus fueritis loti,

B hac, & à cunctis hoſtium infeſtationibus liberabimini. Talibus & horum ſimilibus dulcioribus verbis trahitur ad Chriſtum populus innumerabilis, ſicque roboratur Sanctorum inſtitutionibus, ut maximus crederetur acceſſiſſe exercitus. Apoſtolicis ducibus militabat in caſtris Chriſtus. Ad complendam etiam populi religionem, revolverat cæli ambitus Quadrageſimæ obſervationem, quæ religioſis ſuſpirantibus ad reſurrectionem exaggerabat pleniſſimam religionem, in tantum ut aſſiduis prædicationibus eorum, populi inſtigati ad gratiam baptiſmatis convolarent celerrimi. Tandem Paſchali ingruente ſolennitate, catechumenorum multitudo ſacratur baptiſma.

zum expiatum ipſi ducunt exercitum & inermem :

* *f.* caſtrorum

C

26 Qua ſolennitate emenſa, dum jam hoſtis civitatum obſideret propugnacula, Lupo cum Germano præeuntibus, ſequitur madidus baptiſmate exercitus ; fides tuta fervet in populo, ut, abjecto armorum ſubſidio, ſalus ſperetur ſolùm à Domino. Inſtitutio vel forma caſtitatis * nuntiatur hoſtibus truculentis ; qui ſperantes, facile poſſe vinci inermes, ac opprimi metu exánimes, pernicibus plantis addunt alas ; & mœrentes recolligunt, inſperati belli timore fugatos ; quorum tamen adventum celerem, fama euro velocior trepidam divulgat in gentem. Quæ vox dum inermium aures percutit, timor pallidus ſenſum decutit, & armorum munimina antea abjecta unuſquiſque recipere quærit. Sed Viri Apoſtolici auxilio cælitus venturo fiſi, profitentur ſe duces belli, armorumque fiduciam monent à ſe longè fieri. Nec minus hoc juſſi faciunt, omnibuſque poſtpoſitis, Sanctos ſequuntur, quocumque incedunt.

hoſtibus irruentibus, omnes ingeminant Alleluia ;

27 Tunc illi cum expeditis circumcirca percurrentes è regione, quâ hoſtium ſperabatur adventus, adeunt vallem celeres, quam cingunt undique nemoroſi colles ; quam intrantes, divinitus inſtituti, componunt exercitum timore ſuſpenſum ſermone tali : Una, inquiunt, vox voci reſpondeat noſtræ ; quæ tamen ad ſummam unico innitatur ſermone. Jamque eſt hoſtium cuneus properans, ut nil velocius, ſpe victoriæ feſtinantiſſimus, repentino impetu ſuffundere ſperans ſe inerme vulgus. Quibus irruentibus undique cœperunt Sancti Alleluiaticum melos devota voce ter repetere. Hinc populus omnis pectora tundens pugnis, eamdem laudem frequentat vocibus altiſonis : adſpirante Domino, mirabilis adſonat echo, ſilvarumque colles elatum clamorem multiplicant, aëre repercuſſo. D

quo territi adverſarii præcipites fuginnt,

28 Intonat omne nemus terribiliter, menteſque hoſtium attonitas timor anxius diſſolvit atrociter. Non ſolùm ſcopulos & nemus circumdatum, ſed ipſum timent ſuper ſe ruere cælum. Solvuntur membra omnium timore, geliduſque coit ſanguis formidine ſalſuſque etiam ſudor è toto corpore. Sternuntur cælitus inclito * terrore ; trepidationique injectæ pernicitas pedum creditur vix ſufficere : arma ſunt oneri fugientibus, & celeribus plantis teſtudineus creditur adeſſe greſſus : projiciunt omnia, gaudentes eripuiſſe diſcrimini vel nuda corpora. Fugiunt per prærupta & invia ; teneris plantis tribulorum terunt fructeta : plures etiam tota formidine præcipites flumen abſorbuit, quos antea ſuper ſe incedentes ſuſtinuit.

* *an* indito?

relictis in prædam impedimentis.

29 Ultionem ſuam innocens exercitus intuetur & victoriæ conceſſæ otioſus ſpectator efficitur. Spolia colliguntur expoſita ; & milites religioſi amplectuntur cæleſtis palmæ gaudia. Triumphant victoriâ, fide obtentâ, non viribus compoſitâ. Tandem omnibus rite compoſitis, & hoſtibus viſibilibus & inviſibilibus fortiter expulſis, redire moliuntur Pontifices cum benedictione devotè. Adeſt præſto clypeus dominicæ protectionis, qui eos protectos ab omnium hoſtium inſidiis tranquillo greſſu reddidit ſedibus ſuis. E

VIII.

In altera expeditione Britannica Lupus pro ſe diſcipulum mittit.

30 Nec longi temporis interveniente interſtitio, reviviſcere cœpit Pelagiana hæreſis per Britanniam iteratò, ſed paucorum (utpote multis devictis) auctorum innitens ſubſidio. Rurſus Britanniæ coloni per prætitulatos Viros lacte Catholicæ fidei perlucidi & imbuti, ad eoſdem mittunt ; & adhuc rudes & tantæ rabiei vento impares, ab eis ſuccurſum petunt, ne pereant germina, quæ noviter plantaverunt. At Domini athleta Lupus jam corporis moleſtiâ fractus *b*, & eccleſiæ ſibi commiſſæ regimine præcipuè intentus, & ſocium ſuum Germanum fidens ſufficere adverſus incredulorum inſultus, ipſe remanens, diverſorum epiſcopatuum populum conſolatus & conſolaturus, diſcipulum ſuum, nomine Severum, cum Germano epiſcopo jubet accelerare [ad] maria greſſus : hunc enim Magiſter facundiſſimus litterarum imbuerat dogmatibus, & divini operis informaverat legibus ; qui totius ſanctitatis [archæ * nixus &] archæ innixus, & magiſter * Lupi æmulator ſagaciſſimus Trevirorum eccleſiæ ordinatus erat epiſcopus, verbique divini ſemina [prævius ſeu] primas Germaniæ, propagabat gentibus. Hunc igitur ſapientiæ lampade clarum Germano trans maria Lupus mittit ſocium. Sed de his plus juſto, ut timeo, dictum ; cum ſcire volentibus in medio ſit hiſtoria actuum Anglicorum *c* : unde ad alia jam vertamus manum *d*.

b

* *l.* arcâ

* magiſtri

F

c

d

ANNOTATA.

a *Quod hic de Baptiſmo dicitur, de ſuo ſcriptor hic addit ; & ſatis quidem ineptè ; cum de ſolis hactenus Pelagianis agatur. De Baptiſmo mentionem facit Beda poſterius, ubi de ethnicis agitur, quos ante victoriam de Saxonibus ac Pictis relatam ſacri Præſules expiarunt.*

b *Adi Comment.* § 6, *num.* 66.

c *Hiſtoriam deſignat eccleſiaſticam gentis Anglorum à venerabili Beda conſcriptam, lib.* 1, *cap.* 17 *& ſequentibus, quæ utinam exſcripſiſſet potiùs, quàm pueriliter adeo amplificaſſet ! Ceterùm infra hæc omnia, lector, hauries multo puriùs ex fonte primi-*

A *primigenio ad diem hujus menſis 31 ex Actis, inquam, S. Germani ep. Autiſſiodorenſis à Conſtantio compoſitis.*

d *Obſerva, hinc uſque ad initium numeri 46 hiare utraque exemplaria noſtra Mss., ſcriptione tamen ita continuatâ, ut ſi nihil deeſſet; at ſenſu & ordine narrationis minimè cohærente, ut patebit legenti ea quæ num. 46 habentur. Quare quod omiſſum hîc erat, hoc eſt totum caput quartum ut ſequitur, ex Conſinetiano exemplari Pariſiis nobis deſcriptum, hoc loco exhibemus, uno capite complectentes, quod ibi diſpeſcitur in decem.*

CAPUT IV.

Attilæ irruptiones in Gallias; martyrium SS. Memorii & Sociorum ejus; Trecarum immunitas ab Hunnorum vaſtatione; Attilæ interitus.

B

Attilæ irruptio,

QUodam tempore irruentes Huni cum Attila, ſuo rege, per quæque loca Galliæ ſive Germaniæ populabantur omnia ferro & igne: ad vindictam namque ſcelerum, quæ commiſerant incolæ Gallicani, in tantum, Domino permittente, perſecuta eſt ira ejuſdem Attilæ ſæviſſimi Tyranni ut, interemptis multis millibus plebis, nec civitatibus munitiſſimis, nec Sanctorum parceret eccleſiis; ſed omnia conſummando vaſtaret incendiis; nam multos Sanctorum, qui tunc præerant civitatibus per regnum, legimus quam maximè inſudaſſe, quo poſſent ſibi commiſſa [ſubducere] apertè furenti, ſed à Domino minimè obtinuiſſe.

S. Servatio olim revelata,

32 Beatus Servatius, Tungrenſis epiſcopus *a*, filius Emmui, filii Eliud, qui fuit conſobrinus beatæ Mariæ Virginis *b*, non modò privatarum rerum, ſed & publicarum quoque curis ac ſolicitudine anhelus, revelationum ſuarum unam de mille revelare diſcipulis ſuis dignatus eſt, prædicens, typicos Johanni in viſu ſcorpiones oſtenſos, locuſtaſque galeatas, ſcilicet barbaricas Hunorum phalanges, de puteo abyſſi ſuæ progreſſuras fore, orbemque florentis Eccleſiæ præcipuè per Gallias, & ſpecialiter urbem Octaviam, quæ Tungris vocata eſt, depaſtum ire. It rumor & pavor per populos & provincias: rogatur Sanctus in Burgundiam ire ad urbem Trecaſſinam *c*: aſſenſit benignitas Sancti: contendit illi obviam omnis ſacerdotalis dignitas, totaque regni ſublimitas: inſtantiâ precum compellitur exponere, quæ noverit: exoratus exponit. Omnibus metu concuſſis, initur conſilium, quatenus à diverſis regionibus evocatis epiſcopis & ſpiritalibus viris, apud Agrippinam Coloniam concilium celebretur, in quo, quid agendum ſit, communi decreto ſtatuatur. Inter ceteros affuit huic concilio Trecenſis epiſcopus Obtatianus *. Multis inibi multa deliberantibus, tandem ſedit & complacuit omnibus, ut beatus Servatius, cui Deus ſecreta ſua revelaverat, ad Apoſtolorum Petri & Pauli limina Romam dirigeretur; ſi quo modo poſſet interceſſione precum ſuarum obtinere, ut imminens ultio Dei ad miſericordiam flecteretur. Acquievit Sanctus: Romam venit; ad tumulum Apoſtolorum votorum ſuorum preces effudit.

a
b

C

c

* *al.* Optatianus

33 Tandem poſt multas lacrymas, poſt multa ſuſpiria, poſt multas vigilias obdormivit. Poſt hæc quieſcenti & tamquam in exceſſu mentis conſtituto Dominus Jeſus Chriſtus cum magna multitudine Sanctorum glorioſus apparuit; inter quos ſe ei præ ceteris beatus Petrus Apoſtolus offerens, ſic allocutus eſt, dicens: Servati, quod ſemel prædeſtinatum eſt & fixum apud ſummum Judicem mutari non poterit: ſed indultum eſt tibi, quod plaga ſuperveniens tempore tuo non erit, nec eam videbis. Revertere quantocyus in terram tuam, & prædica populo tuo pœnitentiam: quia, ſi pœnituerunt & converſi fuerunt, corpora quidem dabuntur in direptionem [vel directionem;] ſed animæ tibi datæ ſunt, ut ſalvæ fiant. Beatus Servatius reſpondit: Pater, non credent mihi; quia gens exaſperans eſt. Cui beatus Petrus, Vade, inquit, ſecurus; & ego clavem hanc committo tibi, cum qua tibi trado poteſtatem ligandi atque ſolvendi: & per hoc ſignum ne timeas; quia credent tibi. Proficiſcere Trajectum; ubi, paucis diebus evolutis, quieſces in pace, & ad curiam noſtram pertranſibis. Auditis hujuſcemodi reſponſis, ſanctus Servatius reverſus eſt, ſicut ei beatus Petrus ordinaverat, & apud Trajectum requievit, & appoſitus eſt ad patres ſuos. E

ex Mss. ejuſque precibus aliquamdiu dilata,

eo mortuo Gallias inundant;

34 Paucis poſt tranſitum illius elabentibus annis *d*, omnis caro Europæ in flagitio & ſcelere corruperat viam ſuam, more Judæorum Prophetis inſultantium: Pertranſibunt dies, & peribit omnis viſio; cum, ecce * *, Attila Hunorum rex *e*, Walameris Oſtrogothorum regis, & Ardarici Gepidarum regis *f*, & multarum aquilonarium gentium ſibi ſubjectarum auxilio fultus, à Pannoniis egreſſus, occidentale imperium invadit cum quingentis armatorum millibus. Et primò per totas Gallias tanta Dei per eos efferbuit indignatio, ut nullam omnino civitatem, caſtellum, vel oppidum aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio.

d

[e
f

repreſſa quidem primò, ſed mox inſtaurata furioſiùs,

35 Poſtremò Aurelianis urbem eis obſidentibus, ad ſubſidium Galliarum advolavit patricius Romanorum Etius, fultus & ipſe Theoderici Wiſigothorum, & Merovei Francorum regis, aliarumque gentium copiis militaribus. Conſerto prælio in campis Catalaunicis, pugnatum eſt uſque ad diremptionem noctis. Etius quidem ſuperior receſſit; Attilam tamen non uſque ad internecionem delevit. Cæſa ſunt ibi centum octoginta millia *g* pugnatorum; inter quos etiam cecidit Theodericus rex Wiſigothorum. Attila, reſumpta ſpe & profectu *, repatriavit, maturè rediturus, ſupleto exercitu *. Quis memoret, quantas in reditu nunc hîc, nunc illic irruens per Gallias dederit ſtrages: & vineæ Domini ſabaoth ferus aper ſubverterit urbes & mænia? Dant præteritæ cladis indicium civitates Lingonis & Treveris; ſed maximè (proh dolor!) Tungris, quondam glorioſa in regnis, indita * in ſuperbia; quam ſubitò ſubvertit Deus, ſicut Sodomam & Gomorram. Diviſit autem Dominus Trajectum & Tungrim, ſicut olim inter Hebræos & Ægyptios, ut longo licet tempore Tungri obſeſſâ, ne unus quidem hoſtium proximam Trajectum devenerit, aut ſaltem viderit.

g

* *Sigebertus,* ex Aëtii diſceſſu F

* *f.* inclita

Lingonibus, Treviris, Tungris &c. fatalis.

36 Captis demum & occiſis in ore gladii omnibus, ſubſedit Tungris inſtar Babylonis deſertæ. Ibi habitavere corvi & hericius, & ortæ ſunt in domibus ejus ſpinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus, & redacta eſt ad nihilum, & deſolata eſt in finem. Huni verò diſpari rabie in ſacra vigilia Paſchæ urbem Metis circumdederunt: ſed dum contra firmitatem murorum nil proficerent

ex MSS. & fatigati demum inanes rejecti, nefariæ plebis clamor aſcendit in cælum, ſicut Sodomæ & Gomorræ; & (proh dolor!) muri ſolidiſſimi ultro corruerunt. Hoſtes, aſſumpta ſpe, intraverunt: cives in ore gladii perierunt: ſolum Protomartyris oratorium à periculis remanſit illæſum; cui quidam deſuper in armis ſplendidus adſtans, tela procul hoſtium & flammas repulit: Auctor, Metenſis epiſcopus, captivatur; ſed, Hunis cæcitate percuſſis, cum captivis ſuæ urbis relaxatur. In portis Remenſium ipſe ſathan ſeſe oſtendit ductorem barbarorum, proſtrato ibi etiam ſanctiſſimo Nicaſio præſule cum ſorore Eutropia virgine & univerſa plebe *h*.

Trecenſem cladem deprecatur S. Lupus,

37 Hæc barbaries *i* gravis dum cauſas cæleſtis Regis deſtrueret parcens nullis, Attila rex ejus, quo non ſceleratior ullus, legatos ad urbem Trecaſſim miſit, Lupoque antiſtiti, ut ejus ſervituti ipſe manciparetur, & urbem Trecorum ſuo dominio traderet, mandavit. At Lupus, ut erat humilitatis præcipuæ, deputans ſub corde humili, ſe minus reliquis epiſcopis apud Deum valere, qui precibus ſua nequibant tutare *, mandat, ſub ejus poteſtate humiliandum eſſe. Nuntiis redeuntibus, Pontifex inſtat precibus profuſioribus, acuunt ſuſpiria pervigiles queſtus, oraque ejus natant fletibus, nec in pace ſopor ullus, ſemperque pernox perſeverat in orationibus: poſcit divinitus auxilium, quo grex ſibi commiſſus tyranni poſſit effugere gladium. Poſt longos ergo gemitus ductos à pectoris imo, quadam nocte declinat ſompno. Panditur interea domus Omnipotentis, angeluſque ejus juſſu adlabitur terris: pervenit ad Lupum, talibuſque dictis alloquitur mœſtum: Ne trepides, inquit, Miles Dei, neve lacerét timor intima cordis tui; quoniam audivit Dominus preces fletus tui: ſolve metum; quia magni meriti [es] apud Deum. Ecce, lacrymæ, quæ diu toto labuntur ab ore, peccata laverunt plebis tuæ, & incendia extinxerunt civitatis tibi commiſſæ.

i

* *l.* tutari

C

eni & revelatur S. Memorii & ſocc. 7 martyrium;

38 Nec ſolùm urbem à concremantibus flammis eruit Dominus; ſed etiam excedens vota tua, quoſdam tuorum per coronam martyrii vocat ad æthereos cœtus: nam in eccleſia tibi credita quoſdam educaſti fratres, paſcua divini verbi, quibus eos paviſti, memoriter ruminantes, & æmula manu te in omnibus bonis ſectantes, quos per martyrium Dominus vocat ad cœtus cæleſtes; quos nominatim & perſonaliter tibi deſignabo, ne devius error adſit tibi in tot fratrum collegio. Primus eorum frater eſt Memorius, Diaconi arce ſublimatus, & ſeptem pueruli bonæ indolis, quos adhuc arcet magiſtratus in ſcholis. Cum ergo ferox ille hoſtis appropinquaverit ſedibus tuis, humilians te in hoc ſicut in omnibus aliis, prætitulatos fratres obviam mittas illis, ferentes ſigna dominicæ Crucis, cum Euangeliorum textibus; quia ſic eos ad ætherea vocat Chriſtus.

B

ad quod illi ſe læti comparant,

39 His dictis, angelus ſe immiſcuit auris: at Præſul membra corripit à ſompno, & in ſublime erectus, gratias reddit Deo; pernoctat in orationibus uſque dum ſupera reviſit ſol æthereus: mane verò facto, fratribus ſupradictis denuntiat ſibi dicta ab angelo: attamen humanitatis causâ triſtatur de morte ſibi ſubditorum acerba. At illi amore cæleſtis regni flagrantes, & ad centeſimam martyrii coronam ſuſpirantes, Dominum, qui eos non propriis exigentibus meritis, ſed gratiâ ſuæ largitatis ad hanc gloriam vocabat, laudant unanimes. Jamque hoſtis territorium Trecaſſinum appetit cum concrepitantibus flammis, urbemque tendit Trecaſſim, ſperans ſe poſſeſſurum eam ſine offendiculo contradictionis. Fugantur populi timore percuſſi à ſedibus nativis; matres cum puerulis crinibus ſparſis, ſenes cum juvenculis tuſi * pectora pugnis, properant omnes ad mænia urbis: ſicque fugiunt à facie hoſtis, ut aves ab incurſu maris, & oves à facie leonis. Quorum adventum mortiferum ut agnovit Præſul jam urbi vicinum, deſignatos fratres ammonet, etſi flens, perficere juſſum. At illi albis induti pretioſis, & inſigniti crucibus cum Euangeliorum textibus aureis, ſumpta benedictione Pontificis, & dato oſculo, cunctis obviam tendunt hoſtibus ferreis.

D

* *l.* tunſi

Attilaque ultro occurrentes, miſeræ ipſi necis occaſionem præbent;

40 Præveniunt ad villam, ſermone francilo-quo Vrolium dictam, ſuper ripam Sequanæ ſitam, civitati Trecaſſinæ vicinam; ubi hoſtium expectant veſaniam. Adeſt Attila rabidus, ſedens ſuper equum rabidiorem Getulis leonibus, ſeptuſque truculentis comitibus. Cui occurrit Memorius obviam cum ſuis, obviamque pergunt ei incedentes cum reverentia ſummi honoris. Jamque inſtat hora divinæ prædeſtinationis, qua & ille ferox ſentiat mulctam divinæ animadverſionis, & Deo dilecti reddant animas cælorum aſtris. Ventus enim vehemens divinitus exortus pulvere campi fœdat omnium conſpectus & omnium penetrat ſinus. Quin etiam Memorii ſociorumque ejus, ſcilicet regi proximorum, veſtes amplas intendit præ omnibus, murmurque terribile reddit intus concluſus: quarum albedine inedicibili repercuſſus equus Attilæ, & attonitus tanti ſonitus murmure, hac & illac cœpit volitare, nec poterat retardari freni diſtrictione: fugit per præruptа & invia, datque ſaltus incompoſitos per ſcopulorum ardua: donec ſeſſorem impium tergo detrudat. Tunc ille ſupinus cadens ab alto, pœnas luit corpore toto. Fruſtatim diſſolvitur corpus, nec ex toto corpore integer vel unus remanet artus; patiturque mortem dignam propriis actibus, ejuſque anima gehennæ demergitur ignibus *k*.

E

k

ideo & ipſi ab ejus comitibus occiſi:

41 Comitatus autem ille leonis vîdens regis ſui exitium, clamat, viros ſanctos uſos arte magorum, rabiemque totam vertit in corpora ipſorum. Cæduntur gladiis more bidentium, & particulatim diſcerpuntur corpora Chriſti tironum: ſæviunt lupi in agnos, mactantque dentibus teneros. Erat manus tortorum in Chriſti milites, phalanxque torva in roſeos flores; nec pudor ullus mulctare non repugnantes & opprimere innocentes: omnes trucidat acies ferri, uno tantùm excepto, quem Dominus diſponebat ſuperſtitem eſſe ſocio gregi: nam Domini gratia diſponente, unus *l* ex ſeptem elapſus eſt luporum faucibus, qui delitescens ſub cujuſdam ſalicis denſis viminibus, præviderat omnia formidoloſus. Quin etiam poſtquam plebs ſcelerata, ſancti Memorii viſcera plus omnium rimata eſt ferro, caput venerandum reſcindit à corporis trunco, & Sequanæ demergit profundo. Sicque corporum relictis glebis, Martyres ſancti junguntur cæleſtibus choreis, & à Domino decorantur fulgidis laureis.

F

l

tum ipſi ſe comites mutua cæde conficiunt.

42 Nec mora; continuò inſtat divina ultio, à qua vindictam ſperaverat Martyrum concio: nam omnes nimia cupidine capiuntur auri & ornamenti, quæ detulerant in veſtibus & libris Martyres ſancti; cupit quiſque habere totum, non partes: unde oritur inter eos execranda cædes: dæmonis inſtinctu mutuo cæduntur in ictu, & inteſtino pereunt interitu: non hæſitat genitus enſem exercere in canum genitorem, nec genitor in genitam ſobolem; nec parcit germanus germano, nec avunculus

culus nepoti ſuo. Quid multa? cunctorum cum nulla foret par pœna malorum illis, qui profanaverant aras Dei ejuſque Sanctorum; hoc tamen ipſi ſibi compenſaverunt exitium; nulluſque ſuperfuit ex tanto agmine; ſed una omnes uniti conſpiratione, una pereunt morte.

S. Lupus inventa MM. corpora ſepelit:

43 Is ergo, qui latitabat ſub ſalice, videns ſtragem deferbuiſſe, & cadaveribus interemptorum campum horrere, nec unum ex tantis ſupereſſe, de latibulo ſtuduit proſerpere, & quæ facta erant, ſancto Pontifici celeriter nuntiare. Illum congeſtæ portarum ad limina matres ut ſolum viderunt, clamorem in æthera tollunt; qualis bello ſupremus apertis urbibus, aut pelago carinis jam deſcendentibus: quæ dum Pontificis percuſſerunt aures, humanitatis causâ lacrymis implevit oculorum orbes; & tamen interiori mente gaudet, terram cælis commutaſſe fratres. Fratribus accerſitis, feſtinat ad funera fratrum, volens ad urbem honorificè deferre corpora eorum. Innuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes mœnibus effuſi, per plana, per invia paſſim, quiſque ſuas ad lacrymas currunt avidi; ipſoſque euntes comitabantur millia populi: ſtudio ſolandi fervent: gemitu itinera, & plangoribus reclamant arva. Ut verò perventum eſt ad campum, tunc fragor miſerrimus exoritur ore omnium; ceu prius nulli manaſſent imbres lamentorum. Requirunt inter porcos & margaritas, id eſt inter homines tyrannos, Dei Athletas: latebant enim inter tribulos aſperos lilia leniſſima, id eſt, Martyres ſancti inter perſecutorum nequiſſimorum cadavera.

martyrium autem fecerant 7 Idus Septemb.

44 Tandem diverſis luſtratis, inveniunt eos variis jactatos locis. Reperitur corpus ſancti Memorii privatum capite, ſicut prædiximus factum fuiſſe. Tunc Pontifici ipſum caput quærenti adeſt puerulus, qui latuerat ſub viminibus, indicatque gurgitem, quo demerſus erat theſaurus. At ille ſuſpiria trahens ab imo pectore, Dominoque ſupplicans humillima prece, cum baculo, quem geſtabat, adiit amnem, temptans ſi quo modo reperire poſſet exanimis trunci fragmen; intentuſque orationibus baculum cœpit acſi natantem tendere ſuper aquæ fluctus. Facto citiùs crucis ſigno, Domini juſſu, caput Martyris ſumma ebullit in unda, ſequiturque baculum, ut piſcis hamum; acſi ejuſdem baculi cuſpide ſit profeſſum *. Quod trepida manu arripiens Epiſcopus, revehit ad corpus, ipſumque reponit cervicibus. Quos inventos humeris imponentes, ad urbem volunt deferre; ſed nullo modo datur poſſe. Quod ut oculo, divinitus luce claro, Præſul vidit, Domini non eſſe voluntatem, eos illuc deferri aſſenſit; contemplatuſque locum tanto theſauro aptum, in eo recondidit ſanctarum reliquiarum theſaurum. Sicque compleverunt Martyres prædicti martyrium ſuum ſeptimo Idus Septembris, commutantes terras cælis.

* *an perfoſſum?*

Attila propter S. Lupum Trecis parcit; ac tandem perit miſerè.

45 Ventum eſt Trecas: pugnatur ad portas: deſuper beatus Lupus pontifex ultro hoſtem compellans, Quiſnam tu es, inquit, qui terras noſtras emoliris, gentemque perturbas? Cui rex furiis ſcelerum agitatus, Ego ſum, ait, Attila, flagellum Dei. Quo contra humilis Antiſtes graviter ingemiſcens, Et Ego ſum Lupus, inquit, heu! vaſtator gregis Dei, & dignus nimium flagello Dei. Mox beatus Lupus juſſit portas patefieri, ut ingrederetur hoſtis Attila. Miro miraculo inimici divinitus cæcitate percuſſi, tranſierunt à porta ad portam per mediam civitatem, tum neminem videntes, tum neminem lædentes. Quid Veſontionum, quid urbis Leucorum, ſingulorum immorer preſſuris locorum? Rurſum Attila validiorem jungens exercitum, Italiam ingreditur, & omnes penè civitates aut diruit, aut diripuit, aut incendit. Ad eum Leo Papa *m* venit; & non ſolùm ſalutem; ſed & ut rediret, obtinuit. Rex Attila rogatus à ſuis, cur ei tam fuiſſet placabilis, reſpondit, ſe non eum eſſe veritum, ſed ſenem quemdam venerabilem, evaginato gladio ſibi mortem minitantem, niſi ejus in omnibus expleret voluntatem. Poſt hæc Marciano imperatori apparens Dominus in ſomnis, arcum Attilæ fractum oſtendit *n*: nec id vanum fuit: eadem quippe nocte Attila in nuptiis ſuis crapulatus, erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus, in lecto eſt offocatus; reſpiravitque mundus tanta liberatus peſte *o*. EX MSS. *m* *n* *o*

ANNOTATA.

a *De* S. Servatio *fusè actum die* 13 *Maii à pag.* 209, *iterumque in Exegeſi de epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi ante tomum ſeptimum Maii à pag.* XXI.

b *Hæc genealogia quàm ſit fabuloſa in eadem Exegeſi reperies loco citato: indidemque diſces, quouſque admittenda ſint, & quomodo explicanda cetera, quæ de eodem Sancto hîc ſubjiciuntur.*

c *Nondum alibi legimus* urbem Tricaſſinam *in Burgundia quomodocumque ſumpta collocatam; ſed in Campania: itaque pro Burgundia alii Franciam vel legerunt vel ſubſtituerunt; ut vide in variis editionibus concilii Agrippinenſis, ad annum* 346 *celebrati; ubi & ſuſpectæ fidei dicuntur à Binio, quæ in illo concilio de legatione S. Servatii ad Sedem Apoſtolicam ob graſſationem Hunnicam narrantur, eademque rejicit Baronius ad annum* 346, *num.* 9; *ut quæ tempore nequaquam cohæreant.*

d *Inter concilium Colonienſe jam dictum & irruptionem Attilæ anni elapſi ſunt centum & quinque. Neque de illa ergo actum in illo concilio; neque ea ad Sancti ejuſdem Servatii tempora pertinere potuit; cujus Acta vide; & confer, ſi lubet, cum poſterioribus obſervationibus Pagii in Criticis ad Baronii annum* 451.

e *Quæ hoc & ſequenti numero comprehenſa ſunt aſteriſcis, apud Sigebertum in Chronico verbis totidem referuntur in editione Miræi ad annum Chriſti* 453; *atque adeo vel ibi ex auctore noſtro exſcripta ſunt; vel inde arrepta, & auctori noſtro, qui Sigeberto haud dubiè fuit antiquior, ab alio interpolatore ſuppoſita.*

f Walameris & Ardaricus *præ ceteris regulis Attilæ cari cur fuerint, vide apud Jornandem de rebus Geticis cap.* 38.

g In hoc famoſiſſimo & fortiſſimarum gentium bello ab utriuſque partibus CLXII (al. CLXV) millia cæſa referuntur, exceptis XC (al. XV) millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congreſſionem publicam noctu ſibi occurrentes, mutuis concidêre vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus: *ita Jornandes ibid cap.* 41 *in editione noviſſima ann.* 1723 *Scriptorum Italiæ tom.* 1, *pag.* 212. *Ad. & Valeſium, Rerum Francicarum tom.* 1, *lib.* 4, *ubi expeditionem hanc Attilæ totam exponit ex auctoribus variis.*

h *Hæc omnia diſcutienda remittimus ad diem* 10 *Auguſti, quando de* S. Auctore *ep. Metenſi; &* 14 *Decembris, quo de* SS. Nicaſio & Eutropia *agendum erit.*

i *Hinc incipiunt Acta S. Memorii & Sociorum ejus martyrum, de quibus diximus in Commentario*

EX MSS. *rio* § 6, *num.* 68.

k *Ineptam ſanè fabulam & auctore vel tantillùm hiſtoriæ gnaro prorſus indignam! Itaque Couſinetus hoc loco obſervat, eam non eſſe hujus auctoris, ſed exſcriptoris cujuſdam: at nihilo magis id probat, quam Camuzatus in notis ad Acta S. Memorii* debile *illud* nimis, *ſe judice*, & infirmum ſubterfugium, *quod in recentiori Ms. Gallico, duos hîc Attilas adſtruente, repererat.*

l *Quem fuiſſe volunt S. Camelianum, qui* S. Lupo *poſtea in epiſcopatu ſucceſſit.*

m S. Leonis Magni *Acta dedimus die* XI *Aprilis.*

n *Hoc idem habet Jornandes de rebus Geticis cap.* 49.

o *Hactenus exemplaria Couſineti ſecuti, dedimus, quod noſtris deerat: cetera, quæ ſequuntur, ex utroque noſtro Ms. producemus.*

CAPUT V.

Aſperrima vita Sancti Lupi, & quædam ejus miracula.

B

IX. *S. Lupus ſecedit in montem Latiſconem,* *a*

His ita geſtis, & rebus Trecaſinæ eccleſiæ ſumma pace placatis, Lupus volens ſe arctius implicare vacationibus divinis, & cæleſtibus tantùm intereſſe choreis, turmas civium, causâ ſuæ liberationis cum colentium, deſeruit, & ad montem Latiſconem pervenire ſtuduit *a*; ubi rerum ſecularium exemptus laqueis, theoricæ tantùm vitæ per biennium operibus ſtuduit continuis. Sed, ecce, lux illa phœbea ſub latibulo tali diu latere non potuit; cum tandem ejus fama finitimos conſcivit. Ille verò contemplationi ſuæ videns crebrò redeuntis populi frequentiam obeſſe, biennii exacto ibidem tempore, ad urbem Matiſconam [vel Latiſconam] maturat tendere.

& biennio poſt Matiſconem; ubi ſanat paralyticam, * *al.* ſancto

47 Cumque fines illius provinciæ ſecundo * attigiſſet pede, invenit mulierem deſtitutam omni corporis virtute, ſolutam ſcilicet membris torpore laxæ paralyſis, & uſtulatam æſtibus anhelæ febris: vita manens ſine corporis uſu, mortis imago illi erat, immenſuſque calor frigus letale coquebat. Quæ dum vocem Pontificis audiſſet, ubicumque, qua potuit virtute, remedium ſanctitatis * cœpit implorare. Vir Domini mitiſſimus miſericordiâ motus, aſſiduis inſtare cœpit precibus, quibus ſoſpitas priſtina poſſit ei reddi divinitus: fit pronior arvis, propinquior datis aſtris *b*, nec fit ab ea longinqua auris divina, tantis fidelis Viri precibus pulſata: ilico ſtringitur in ſolidum, quæ fluxerat antea nervis, & fugit algor ferventis febris: illa ſana convaleſcens membris, genibus obvolvitur Pontificis, grateſque Deo reddidit vocibus lætis.

C

* *al.* ſanitatis

b

X. *aliamque muto dæmone inſeſſam.*

48 Cum adhuc Præco Dei in ejuſdem moraretur finibus patriæ, & fragrantia virtutum ejus fragraret ubique, ecce, offertur ei puella, quam felle [jugis vel] nigri veneni infecerat ſerpens lividus, gaudens humano tabo proprium pingueſcere virus. Nec ſuffecerat ſe jactare ſub ipſius corporis aula; ſed velut fauces angens, vocis abſtulerat organa. Quam Vir mitiſſimus intuens oculo, ſignavit eam ſanctæ Crucis ſignaculo, fugienſque populi circumſtantis favorem, noluit illis præſentibus pro ea fundere orationem, exſpectans dum cæli ambitus revehat noctem. Jam cœperat nox humenti palla ſolarem ſubtexere orbitam, & cæruleam terris infuderat umbram; cum demum Athleta Dei pro ea cœpit precum fundere hoſtiam. Cælum ejus patuit precibus, & oratio ad ſupernos pervenit auditus. Muta diu tacitas effudit lingua loquelas, Lubricuſque ille Celidrus * in vacuas evanuit auras. Ut fudit in terris roſeum jubar ſol ignitomus *, patuit eam ſanam eſſe omnibus. Quæ glorificans Deum, notam repetiit domum.

D

* *l.* chelydrus

* *f.* ignivomus

Revertitur Trecas; ubi annis 25 *ſupervivit,* *c*

49 Biennioque ibidem exacto, cum jam virtutum ejus fragrantia redoleret vulgo, & finitimos fama adcieret ad eum; calle diverſo, prædicti montis *c* relicto faſtigio, epiſcopatus ſui ſedem munere repetivit divino. Quo * morans quanta ſe extulerit virtutum in arce, nulli explicare eſt poſſibile. Annis denique viginti & quinque, antequam pretioſa reſolveretur in morte, nulla ſomnos fovebat veſtimentorum mollitie, nec torto camporum gramine; ſed ſolâ tabulâ lapideâ ſolo terræ certè ſubſtratâ corpus ſuſtentabat fatigatum ab oratione divina: pretioſarum veſtium honorem non affectabat; ſed ſolo aſperrimo cilicio membra macie confecta contegebat: juxta divinam vocem, unâ tantùm tunicâ contentus erat; reliqua verò ſibi ſupervacanea deputans, pauperibus erogabat: jugi deliberabat mente, quia ſericum & purpuræ non poſſent Chriſtum induere. Apoſtolorum imitans affectus, nulli ſecundus, ſprevit agros, ſuſpirans polos: gazas recondebat, quò nequeant pati adverſa, & quò neſciant æruginis & ærugæ timere exterminia: ſemper ſatagebat de parte conquirere totum & penſare manentia, in cauſis caducorum, & ſequi per damna quæſtum.

* pro Ubi

E

in omnes miſericors, in ſe unum durus. * *an* ſolvens?

50 Biduanis jejuniis corpus attenuabat, omnibus hebdomadibus carnis incentiva terrenis parſimoniæ compedibus ſolutus *; omni etiam ciborum delectamento ſublato, jejuniorum victimam dilatabat ad veſperam, gemitu & fletu fulciens eam, ipſamque tandem hiſpidi hordei pauxillo ſolvens pallidam: ſtipendiorum epiſcopatus ſui partem maximam peregrinis & pauperibus diſtribuebat; reliquam verò in redemptionem captivorum expendebat. Animarum motus felle nequiſſimi hoſtis excitatos curabat aſſiduè; corporum detrimenta reſtituebat: quibuſque * videbatur adeſſe. Iſta dum fierent, ſicque virtutum decoratum Domino domicilium in beato Viro polirent [ſeu pollerent,] accelerant diverſis è ſedibus diverſiſſimis varicati & vexati infirmitatibus poſcentes dulce ſuavitatis * munus: quos ille curabat precibus ſuper æthera fuſis; & revocata ſuis obtemperabant organa nervis. Sed nos modicis grandia includimus verbis, timentes, prolixum vel ſaltem faſtidioſum eſſe ſingula variis aperire ſententiis; & ne tanta lateant merita Viri, locum eſſe credimus de multis vel pauca patefieri.

* *id eſt,* omnibus

* *l.* ſanitatis

F

XI. *Claudium moribundum prece ſanat*

51 Claudius exſpectabilis * Germani * filius, nobilis nobilibus genitus, acerrimæ infirmitatis gravatus eſt compedibus; ut defunctis membris, nodiſque laxata mole ſolutis, adhuc animatus, jam multis videretur mortuus: reſoluta quippe membra jacebant officiis deſerta ſuis, languidaque demiſſis pendebant vincula nervis; diligenterque eum intuentibus non aliud videbatur in eo, quam mortis imago; fovebatur ſcilicet ignis ſpiritûs pectore ſolo. Vir ergo Domini ſolita flexus pietate, lacrymarum fundens imbrem, pro eo cœpit Dominum orare. Cujus preces auris divina non morata eſt exaudire tempore aliquanto, ſed faciliùs patuit oranti Dilecto. Redit ſtatim calor ſpiritus, & gelidos ad vitam ſubrigit artus: reformantu organa peremptæ vocis, & ſtringitur in ſoli-

* *al.* ſpectabilis

* *an* Germaniani?

A solidum, qui fluxerat antea nervis. Linquit monumenta natura * cubilis, quod misero erat pars mortis: laudat Dominum vocibus exultans, amplectiturque genua sancti Viri, ejus genibus se volutans. Congratulatur pater filio sospiti, nec majore certè tenetur * lætitia, sospitate reddita sibi. His ita gestis alia subdenda decrevimus, ut magis luceat sancta Sancti virtus.

*f. nota

*f. teneretur

52 Mater familiâs quædam clarissima, sancti ac venerabilis Rustici scilicet germana, infirmitate indicibili torquebatur, & per decem juges menses ipso morbo sic vinciebatur, ut omnium membrorum perditis officiis, penè exanimis videretur. Quæque dies, vel potius hora, credebatur esse ultima, nihilque aliud sperabatur ab omnibus, quam mors deterrima. Morbo dum diutissimè torqueretur tam indicibili; tandem virtute, qua potuit, cœpit precari, ut à beato Lupo mereretur visitari. Vir Domini longa ejus audiens suspiria & visitationis suæ diu desiderata munia, in hoc, sicut in omnibus, amplectens Domini præcepta, infirmæ illius adiit lugubria tecta: cujus ad aures dum laberetur pennata fama nuntians, Lupum adire lugentia sua tecta, præsentiâ ejus aliquantulum roborata, oculos diu clausos attollit, ipsumque videre summo conamine quæcit. Quem cum vidisset, duplices palmas tendit ad sidera, & refert voce talia: Virtutum sancte Vir Domini schemate clare, cui Deus in cunctis aures accommodat dictis, si tibi stat cordi, potes hîc mea membra saluti reddere, perduras & carnis solvere habenas.

uti & sororem

B

53 Mox dum hæc sic ejus aures mulceret, & tanto eam dolore affligi videret, vulnera pii cordis fecerunt viam, orbesque obortis implevit lacrymis. Ad solita igitur vertitur orationum medicamenta, longaque trahens ab imo pectore suspiria, Dominum pro ea precatur voce gemebunda. Dum jam protelaret precum vota, singultu quatiente, vix valens explicare verba; eccę, mulier domum replet, sic clamans voce sonora: Grates Celsithrono ridenti pectore reddo; & tibi, singularem cui Christus præstat honorem, Vir Doni sancte, quo non est major in orbe: ecce enim, dolor truculentus tuis precibus abactus, totius corporis deseruit artus; sanitas tuis precibus introducta, nulla infirmitatis priscæ reliquit vestigia. Hæc dum pectore peroraſſet ridiculoso, vagitus lætitiæ dans more incomposito, sana & incolumis corripit se è lecto, ignotaque domûs loca calle cœpit oberrare concito.

Rustici presbyteri.

C

ANNOTATA.

a *Redi ad Commentarii* § 6, *num.* 70 *& seqq.*

b *Sensus videtur hic esse: Mulier in terram prona & abjecta, sit cælo sibi per preces* S. Lupi *conciliato propinquior.*

c *Nempe Latisconensis, qui Matisscone Trecas repetenti debuisset occurrere.*

CAPUT VI.

Ejusdem apud omnes veneratio; discipuli; obitus & sepultura.

Auctor cur plura miracula prætereat.

SEd de miraculis nos satis egisse arbitramur lectoribus peritis, qui solent vitam præponere factis, qui etiam maxima speculantur ex minimis: innumerabilis est enim acervus ejus factorum,

quorum maxima ipse occuluit, fugitans favorem hominum; nonnulla verò incuriâ perierunt malè servantium; pauca etiam in ore sunt hominum; sed quia adstipulationi non innituntur hagiographorum, quasi apocrypha eliminamus à compendio nostrarum litterarum: hæc tantùm, quæ procul dubio scimus, curavimus indicare; ne videamur gnaris loqui diarsicè [vel diascirtice *a.*] EX MSS.

a

55 Illud enim etiam singularis gratiæ beneficium coruscabat in Viro, primâ & summâ paginulâ mihi dicto, quod ab omnibus honore coleretur reverendissimo. Regalis huic humiliabatur celsitudo; procerum famulabatur multitudo; quorum si quis Christianorum quemlibet severitate coartasset legis, vel oppressisset pondere tyrannicæ potestatis, Lupi placatus grata oratione, quocumque * teneretur, solvebat eum fastè. Inter quos ei Sabaucus * rex Alemannorum eminentius humilitatis impendebat obsequium, pede vicino * complens in omnibus ejus præceptum.

Tantum omnes S. Lupo deferebant,

* *id est*, ubicumque

* *Cousin.* Gesbauthus

56 Nam Alemannorum immanitas fortè vinctos duxerat Brigonenses silvicolas, partes civitati Trecorum incolenti * vicinas: tunc Vir sanctus, litteris manu propria exaratis, à rege prædicto postulat, Brigonenses laxari à vinculis, cujus ille mandata oculo parturiens * sagaci, & corde exquirens efficaci, non auri execrando excæcatus est munere, non alicujus luti infectus cupiditate, sed preces Pontificis devotissima susscepit mente: vinctis, quos tenebat, claustra pandit; colla attrita baculis pius solvit, cunctosque liberè abire permittit, eamdemque libertatem eos tenere decernit. Sicque virtus & impetratio sancti Viri impetravit, eos libertate donari.

* *hoc est*, statim *ut ejus rogatu etiam rex externus captivos dimiserit.*

E

* *imò* incolentes

* *lege* percurrens

57 Prolixitate impoliti sermonis fastidium putamus nos intulisse lectoribus, dictis rimantibus actus tanti Pontificis: unde garrulitas nostra, quæ ingenii sui stultitiâ magis dedecorat decoranda, conticescat; & tanti Magistri interdum propria intermittens, discipulorum ejus aliqua patefaciat; ut argumentum ab effectu trahentibus doctis, in discipulorum vita mirabili, mirabilis liqueat virtus Magistri: subscriptis etenim ejus referantibus discipulis, qui ejus in talibus semper adhæserunt monitis, relatio ejus actuum tradita est posteris *b*: ** quorum unus fuit sanctus Polocronius *, ecclesiæ Verdunensis episcopus, meritis & honore coruscus; cujus vitam sanctitate plenam munere virtutum miraculorum patratio ostendit, quibus claruit plusquam credibile sit: nam miseris, quos dira vexabat conditio furoris, ut & intrinsecus angerentur *c* ferreis hominum catenis, precibus à Domino remissionem impetrabat sanitatis *; ut & *d* dæmones pellerentur cum armis suis virulentis, & larvarum lemurumque carerent deinde phantasiis. Nec solum in talibus, sed & in diversis fulgebat horum similibus; quæ libellus de ejus vita scriptus elucidat scire volentibus **

S. Lupi discipuli fuerunt SS. Polychronius ep. Verdun.

b

* *l.* Polychronius

F

c

* *Hugo Flav.* furoris

d

58 Sanctus nihilominus Severus, super quo mentionem paulo superiùs fecimus, discipulorum ejus fuit unus; qui virtutum culmen adeptus, Treverorum ecclesiæ ordinatus est archiepiscopus. Is primo * Germaniæ gentibus, quam à Magistro didicerat, prædicans doctrinam, bonorum omnium exercitationibus pontificalem redimibat cathedram: cujus etiam mirabilium magnificentia actuum non tantum in libris, sed & in ore est hominum. Tertius nihilominus ex auditoribus ejus fuit Alpinus, Catalaunicæ urbis episcopus, omni morum probitate conspicuus, & in ægritudinibus quibuslibet animarum vel corporum sanandis

Severus ep. Trevir., Alpinus ep. Catalaun.,

* *f.* primæ

EX MSS. promptiſſimus : cujus flores virtutum, tam carne quam ſpiritu actarum, ubique redolent, & tam biblis præteritarum plenis, quam hominibus

f. præſentes, ſc. virtutes præſentia * cernentibus inhærent : ejus enim præcipuè ſubſidiis credit ſe muniri gens Catalaunicæ urbis.

Camelianus, Lupi ſucceſſor, quibus adde S. Aventinum. 59 Sanctus præterea Camelianus, quem ſucceſſorem ſuæ ſedis ſurrogavit, ejus diſcipulatui adhæſit ; cujus vita pretioſa & omni laude digna, & mors digno diademate recompenſata penes nos habentur ſumma admiratione culta : nam Pater ſanctus ſubjectos de ſucceſſore volens certos reddere, nutu cunctorum ſurrogavit Camelianum dignum dignè. Horum pontificum contubernio interfuit cluentiſſimus nomine Aventinus *e*, qui cujus fuerit virtutis, non tam exhibitio miraculorum, quam ſcripta pandunt Vita. Nunc, lector ſolertiſſime, ſolerti animo perpende, quantis virtutum floribus Vas illud potuit fragrare, quod tanto ſuos debriavit nectare : perpende, quanto nituerit Caput ſchemate, cum tanto reniteant articuli fulgore : perpende, quantos divinitus excipiat manipulos, qui tales aluerit culmos.

o

B *Poſt annos in epiſcopatu 52 moritur S. Lupus,* 60 Interea cœpit adeſſe tempus, quo agonizantis Militis bravio erat remunerandus : nam LII annis eccleſiæ præfuit ſibi creditæ, excolens gregem dominicæ plebis ſummo opere. Tandem omnibus rite peractis, & rebus omnibus ſumma pace locatis, divinitus invitatur ad præmia regni cæleſtis : ſolvitur carnis ergaſtulo, & cæleſti invehitur palatio : angelorum cœtus fit obvius, & paradiſi tanto Conſorte lætatur conventus. Corpus tumulandum relinquit flentibus alumnis, & animam clarè cælorum reddidit aſtris.

& ſepelitur in monaſterio S. Mariæ. 61 Cujus ſolenne pignus corporis pervigilibus frequentantes obſequiis, tandem in orientali ſuburbio Trecaſinæ civitatis, monaſterio dicato ſub honore beatæ Mariæ ſemper Virginis *f*, tam diſcipuli quam plebs totius condunt civitatis ; ut quem, dum adviveret, ſemper habuerunt defenſorem & pro propugnaculo, etiam mortuum pro inexpugnabili haberent ſcuto. Obiit autem Pontifex ſæpe dictus quarto Kalendas Auguſti, Anaſtaſio tenente monarchiam regni *g* ; mutavitque terrea cæ-

f

8 nente monarchiam regni *g* ; mutavitque terrea cælicis ſerviens * gaudio divinæ majeſtatis, quæ expers temporis in unitate Trinitatis vivit & regnat in ſeculorum ſeculis. Amen *h*.

D *f. fruens*

h

Epiphonema ſcriptoris. 62 O Sancta ſancti Viri præconia ! O incomparabilis ejus præſentia ; quem tantis alumni proſequuntur lamentis, & tam inexplicabilibus cæleſtis turba excipit hymnis ! Rex regum ſuperna te vocat ad palatia ; angelorum turba tibi fit obvia, à mundi hujus palæſtra ad ſuperna te ducens gaudia : frueris gaudens Apoſtolorum contubernio, glorificatione Prophetarum, confeſſione Martyrum, cohereditate Confeſſorum, integritate Virginum ; odaſque Domino cum eis concinens, æternæ palmæ fers præmium ; quo memor ſis te piè flagitantium. Amen.

ANNOTATA.

a *Sic utramque vocem disjunctivè exhibent gemina Mss. noſtræ ; ſed prima tenenda eſt : διαίρω* efferre *ſignificat, διαφοις* elationem. *Ait ergo (Et utinam verè !) ſe noluiſſe ſcribere, niſi quæ certa comperiſſet ; idque ne quis exiſtimaret, ea quæ narravit, temerè & ultra verum extolli. Couſinetus legit* diaſyrticè, *id eſt* obtrectatoriè ; *ſed patet, lectionem noſtram eſſe præferendam.* E

b *Vide Commentarium* § 3, *num.* 35. *Quæ hîc ſequuntur aſteriſco gemino contenta, iiſdem fere verbis omnibus hinc deſcripſit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi ; ut monuimus in Comment.* § 3, *num.* 41.

c *Hugo Flaviniac. pro*, ut & intrinſecus angerentur, *legit*, ut aſtringerentur.

d *Hugo habet*, ut ſolo ejus juſſu & dæmones *&c.*

e *De S.* Aventino *presbytero egimus die* 4 *Februarii.*

f *Diximus de hoc monaſterio in Comment.* § 1, *num.* 4 *& ſeq.*

g *Falſum id eſſe oſtendimus in Comment.* § 7.

h *Hic terminantur Acta in exemplaribus Couſineti ; at in utroque noſtro additur ſequens epiphonema.*

DE S. PROSPERO EPISCOPO CONFES.

F

C

AURELIANI IN GALLIA.

J. B. S.

Sylloge de cultu & ætate.

SEC. V. *DE Sancti hujus geſtis non eſt quod memorem, nam, teſte Carolo Sauſſeyo in iſtius eccleſiæ Annalibus pag.* 89, De Proſpero nihil haberemus, niſi ad eum ſcripſiſſet Sidonius Apollinaris epiſcopus Arvernenſis, ex cujus epiſtolis agnoſcimus, eum B. Aniano proximè ſucceſſiſſe : *de qua re paulò inferius. Hîc primo cultum proſequimur, antiquum ſanè & celebrem, utpote in codicibus Hieronymianis expreſſum :* Aurelianis civitate, depoſitio Proſperi epiſcopi. *Etſi vero fateamur, meram additionem eſſe primigenio textui inſertam, quemadmodum & alteram de S. Lupo Trecenſi, vetuſtiſſimam ipſam eſſe, nemo qui hos codices noverit, diffitebitur. Inde ipſam accepit Rabanus, non impropria ſortaſſe ipſi adjiciens epitheta* doctiſſimi viri & ſanctiſſimi ; *quibus melius ſimpliciter acquieviſſet Notkerus, evitaturus confuſionem, quam apertiſſimè prodidit hiſce verbis* ; Qui multa ad utilitatem Eccleſiæ conſcripſit, maximéque gratiam Dei, contra ſuperbiam hæreticorum defenſare curavit : *hæc enim ad alium Proſperum, Aquitanum videlicet, Pelagianiſmi reliquiarum maſtygem, ſpectare, vulgo notiſſimum eſt, & à Majoribus noſtris pridem obſervatum tomo* V *Junii, pag.* 54.

De geſtis pauca ſciuntur ;

cultus notior eſt.

2 *Id vero mirandum quam maximè, Aurelianenſem* Proſperum *vel ipſis popularibus Martyrologis Floro, Adoni & Uſua do prateritum, neque in multis hujus auctariis celebratum, ut ex noſtra editione cuique licet perſpicere. Binium deſcripſere Sammarthani, in brevi eo, quod Sanflo tribuunt, elogio errantem ſecuti, aſſignando feſtivitati ejus* V Kal.

A Kal. Augusti, *ubi in aliis omnibus signatur hic dies* IV Kal. Aug. *Sammarthanorum verba sunt :* S. Prosper celebris sanctimoniâ, uti testantur publicæ ecclesiarum tabulæ, quibus præconium ejus annis singulis V Kal. Augusti in ecclesia decantatur. *Intellige, inquam, diem hodiernum, quo rectè Saussayus eleganti magis quam vera oratione in suo Martyrologio ipsum ornavit :* Aureliis, sancti Prosperi episcopi confessoris, qui tantæ sanctitatis fuit, ut beato Aniano digno delectu succederet, cujus & laudis studiosus cultor adeo fuit, ut à Sidonio episcopo Arvernensi, eloquentiæ gloria celebratissimo, flagitaret posteris commendari. Nec minus ardens ipsius virtutum æmulator ; actibus eximios ejus progressus consecutus ; postquam etiam synodis interfuisset Carpentoractensi & Vasensi, magno cum scientiæ & pietatis decore, talenti divinitus crediti, ampliatis copiosè fœnoribus, ad gaudium Domini fidelis servus pro meritis evocatus est. *Si recte notant Kalendaria, officium hoc die Aureliani fit de S. Martha, cum* S. Prosperi *commemoratione. Atque hæc de cultu.*

B *De ejus ætate* 3 *In assignanda ætate Binium merito deseruere Sammarthani, id unum adjicientes* ; successisse autem Aniano anno CCCCLIII, palam est ex epistola Sidonii Apollinaris lib. 8 ep. 15. *Idne ex ipsa epistola tam clarè educatur, tute judex esto. Ita scribit Sidonius :* Dum laudibus summis sanctum Anianum, maximum consummatissimumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem vis celebrari, fideliumque desideras pectoribus infigi Viri talis ac tanti mores, merita, virtutes : cui etiam illud non absque justitia gloriæ datur, quod te successore decessit ; exegeras mihi ut promitterem tibi, Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum, quo videlicet Aurelianensis urbis obsidio, oppugnatio, irruptio nec direptio, & illa vulgata exauditi cælitus sacerdotis vaticinatio continebatur. Cœperam scribere, sed arrepti operis fasce perspecto, tæduit inchoasse. Propter hoc nullis auribus credidi, quod primùm me censore damnaveram. Dabitur, ut spero, precatui tuo, & meritis antistitis summi, quatenus præconio sui, sub quacumque & quidem celeri occasione famulemur *&c. è quibus de S. Aniani episcopatûs fine, aquè ac de* S. Prosperi *initio tantumdem prorsus elicies.*

4 *Id satis rectè advertit Saussyus annalista :* Ex qua epistola, *inquit*, hæc oportet legere, Primum, S. Prosperum proximè, ut dixi, Aniano successisse : decessit enim Anianus, Prospero successore. Perperam ergo præposteratum ordinem in tabulis Democharis & aliis [obierva] in quibus inter eos interjiciuntur Magnus, Febatus, Gratianus, Monitor. Demum vero S. Prosperum contemporaneum fuisse S. Sidonio Apollinari, qui floruit, ut habet Trithemius, temporibus Zenonis imperatoris circa annum CCCCLXXX. *Hæc ita accipe, ut S. Prosperum* contemporaneum fuisse S. Sidonio, *haudquaquam diffiteamur, at vero si eo sensu ad annum* CCCCLXXX *S. Sidonii ætatem produxeris, quasi etiam ad eum annum removendus sit* S. Prosper, *qui proinde etiam tunc floruerit : quamvis ad id tempus pervenisse concedamus S. Arvernensem antistitem, de* Prospero *certe, unde id Saussyus colligere potuerit, prorsus non intelligimus : multoque etiam minus assentimur iis quæ infra subjungit*, hunc esse Prosperum, qui subscripsit concilio Carpentoractensi, *ut ante nos observavit Labbeus, ad Binii notationem appositè has voculas adjiciens*, errat Binius. E

5 *Prodigium certe comminisci oportet, si* S. Prosper *anno* 453 *S. Aniano, fatente Saussyo, successerit, vitam vero protraxerit ad annum* 527, *quo habitum fuisse Carpentoractense concilium hodie in confesso est. Porro quamdiu vixerit* S. Prosper, *fatebor ingenuè id mihi incompertum, neque ausim adstruere, Sidonii epistolam ad ipsum datam, scriptam esse dum jam Claromontanam cathedram administraret, ad quam non nisi circa annum* 470 *evectus est. Planiora omnia fuerint si junior ipsam scripsisse dicatur Sidonius, puta anno circiter* 460, *sanctum vero Prosperum annis saltem aliquibus supervixisse, tametsi incertum prorsus esse oporteat, utrum Sidonium episcopalibus infulis fulgentem umquam viderit. Non multum forte hic aberrat Saussyus dum* S. Prosperum ad minus decem annis sedisse *arbitratur, scilicet à morte S. Aniani, quæ incidit in annum* CCCCLIII *usque ad annum* CCCCLXIII ; *tametsi falsò ibi nitatur supposito, quod eo anno celebratum fuerit Carpentoractense concilium, cujus veram epocham restituimus ; aliaque ibi adducat non satis consequenter connexa.* *utcumque solvuntur.*

AUCTORE J. B. S. *dubia non pauca*

C F

DE S. GENEVÆO EPISC. CONFESS.

J. B. S.

DOLÆ IN BRITANNIA ARMORICA.

DCXXXIX.

Solo cultu notus est.

Dubitari potuit, utrum huic Genevæo, *seu* Geneveo *in Actis nostris concedendus esset locus, tum quod in Catalogis absque* Sancti *titulo referatur, tum quod præter nomen de eo nihil memoriæ proditum sit, ne quidem apud Albertum, liberalem ceteroquin Sanctorum popularium encomiasten, apud quem tamen* Sancti *appellatione donatus est. Eum præcesserat Saussayus, in Supplemento Martyrologii sic de eo scribens :* Eodem die apud Dolum in Armorica, depositio sancti Genevæi, illius ecclesiæ episcopi, illic & memoria sanctitatis & cultu nominis, certique natalis consignatione illustris. *Ast neque ejus neque Alberti auctoritati inniti ausus fuissem, nisi Castellanus, in hac parte accuratior, de* S. Genevæi *cultu* testimonium tulisset ; *non* Dolensem episcopum *ipsum, sed* regionarium *appellans, ac superiorem Dolensis monasterii post S. Bridocum. Si Alberto credimus, electus fuit anno* DCXXXIV, *ac post quinquennium, anno* DCXXXIX *migravit ad Dominum.*

A D

DE S. CONSTANTINO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO,

J. P. *CONSTANTINOPOLI.*

CAPUT I.

Cultus ex Faſtis Græcis, elogium, tempus ſedis ac mortis.

ANNO DCLXXVI.

QUam diebus omnino diverſis receníitum apud Græcos invenimus Conſtantinum *hunc, tam ex conſenſione plurium & auctoritate annuntiationum ſufficiens præberi nobis putamus fundamentum, ut in favorem legitimi ac publici aliquando ipſi conceſſi cultus pronuntiemus: nam Menæa magna excuſa hoc die* XXIX *Julii* Conſtantini patriarchæ Conſtantinopoleos *memoriam faciunt: quo & ipſum ſignat Menæum Mazarinianum his verbis:* Ὁ ἅγιος Κωνσταντῖνος πατρ. Κ. Π. ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται. Sanctus Conſtantinus patriarcha CP. in pace conſummatur. *Et mox iſto, quod ibidem ſubditur, diſticho laudatur:*

Ἔχεις ἄληκτον εἰς Ἑδὲμ προεδρείαν,
Κωνσταντῖνε, πρόεδρε τῶν Κωνσταντίνων.
Primas in altis obtinet ineffabiles,
Qui civitatis regiæ primas tulit.

Quæ magis ad verbum ſtylo ſolito ſic reddi poſſunt: Habes ineffabilem in Edem præpoſituram, Conſtantine, præſes urbis Conſtantini. *Alluſio eſt, uti aliàs ſæpius in hujuſcemodi verſiculis, parvi leporis, utpote quæ præſulibus omnibus facilè applicari poſſit. Menæum Chiffletii hunc ſanctum Præſulem memorat ad diem* XXVIII *hujus: ſicut tunc habes inter Prætermiſſos.*

B *Memoria ejus ex Faſtis Græcis;*

2 *Ad ſtabiliendum autem publicum, quo CPoli olim honoratus fuerit, cultum, maximè conducit teſtimonium, quod legitur in noſtro Ms. ſupplemento ad Menæa magna excuſa, ex apographis Sirmondo-Chiffletianis ad diem* IX *Auguſti; ubi poſtquam hæc, præfixo Sirmondi nomine, data fuiſſet annuntiatio,* Μνήμη ἐν ἁγίοις Κωνσταντίνου ἀρχιεπισκόπου τῆς βασιλίδος πόλεως, Memoria S. Conſtantini archiepiſcopi imperatoriæ civitatis; *mox ſubditur:* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ, ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ. Celebratur autem ſolennitas ipſius in ſanctiſſima magna eccleſia, in die Dominica; *CPoli videlicet in eccleſia S. Sophiæ, ac die Dominica incerta: cum nulla hîc determinetur. Id quod anſam fortaſſe præbuit, diverſis adeo inter ſe diebus ipſum in Faſtos referendi. Nunc ita ſtabilito* Conſtantini *cultu, explanandum nobis eſt, quiſnam iſte ſit inter plures patriarchas CPolitanos ſynonymos, quem Græci veneratione publica proſecuti fuerint.*

Veneratio publica CPoli.

C

3 *Anſelmus Bandurus noviſſimè contexuit ſeriem chronologicam Patriarcharum CPolitanorum, incipiendo à S. Metrophane, & deſinendo in Gregorio II ſeu Georgio Meliſſeno, tomo ſuo primo Imperii orientalis præfixam: ubi quatuor occurrunt Conſtantini. Et primus quidem alligatur anno Chriſti* 674; *ſecundus ex Silæi epiſcopo, patriarcha renuntiatur anno* 754 *à Conſtantino Copronymo; ſed deinde factus ei exoſus, & in exſilium relegatus die* XXX *Auguſti anno* 766. *Tertius eſt Conſtantinus Lichnudes ſeu Lichudes, Michaeli Cerulario per Iſacium imperatorem anno* 1059 *in exſilium ejecto ſuffectus. Quartus denique Conſtantinus Chliarenus ibidem notatur anno* 1153 *eccleſiam CP. adminiſtrandam ſuſcepiſſe. Ecquis itaque ex his quatuor ſynonymis patriarchis CP. intelligi debet, qui, quamvis confuſo dumtaxat nomine, in ſacris tamen Græcorum Tabulis memoratus fuiſſe videatur? Secundus ne ullum locum vel remotiſſimum quidem hic nanciſci queat, multa & gravia prohibent rationum momenta: nam, teſte Theophane in Chronographia, ejurata imaginum religione, ſacrilegis ſe nuptus contaminavit;* falſi, *ut eum vocat plus ſemel,* nominis patriarcha.

Inquiritur, quiſnam è quatuor ſynonymis patriarchis CP.

4 *Donec tandem à peſſimo imperatore Copronymo peſſimè habitus eſt, poſtquam ab exſilio, ad quod ipſius juſſu erat ejectus, CPolim eſſet reverſus; ubi omnigenis injuriarum modis indibrio expoſitus, & turpiſſimè exauctoratus, inter hæc verba infeliciſſimæ tragœdiæ ſcenam finivit: nam* miſſis ad eum patriciis interrogat *imperator Conſtantinus Copronymus, uti auctor eſt Theophanes;* Quid de fide noſtra; & ea, quam habuimus, ſynodo ſentis? Is verò animi planè vani homuncio: Optimè, reſpondet, credis, & ſynodum rectè celebraſti: nimirum hoc pacto imperatorem rurſus placare ſperans. Illi dato reſponſo citius ſubinferunt: Hoc unum erat, quod ex impuro ore tuo audire volebamus. Nunc itaque in tenebras, & in malam horam perge. Itaque ſententia in eum lata in Cynegio capite truncatus eſt. *Ergo* Hæreticus *iſte, prout merito vocatur à Baronio ad annum* 767, patriarcha *locum hîc habere non poteſt, quando de albo Sanctorum agitur. Plura de eo dabit idem Baronius ad annum* 754, *&* 767. *Jam verò tertius & quartus recentiores nobis ſunt, quam ut huc ſpectare poſſint. De utroque tractat Pagius; ac de tertio quidem ad annum* 1058 *num.* 12 (*ubi Pſelli circa præclaras ejus ſapientiæ ac rerum agendarum dotes elogium invenies*) *& ad annum* 1066, *num.* 10. *De quarto autem meminit idem auctor ad an.* 1155, *num.* 12.

hîc ſit intelligendus:

E

F

5 *Supereſt itaque, ut nullus alius* Conſtantinus patriarcha *in Faſtis Græcis notatus intelligi debeat, quam iſtius nominis primus. Et vero de ejus orthodoxia hoc redditum habes teſtimonium in concilio CPolitano tertio, Actione* 13, *apud Labbeum tomo* 6, *col.* 995: Sanctum concilium dixit: Corporali ſacramento in noſtra audientia, & glorioſiſſimorum judicum, qui nobiſcum ſunt, perſoluto à Georgio Deo amabili diacono, & chartophylace ſanctæ hujus magnæ Dei eccleſiæ, perfectamque nobis ſatisfactionem hujuſmodi corporali verbo prohibente, quod nullatenus ſanctæ memoriæ Thomas, Joannes atque Conſtantinus, à quibuſdam libellos extorſerunt de operatione & voluntate: nos ſanctæ memoriæ tres viros, id eſt, Thomam, Joannem, & Conſtantinum prævidimus in identitate manere, atque in ſacris diptychis ſanctarum eccleſiarum recitari; utpote qui in

& quæſtio deciditur pro Conſtantino primo; in Concilio CPolitano 3 laudato,

A in omnibus immaculati, & irreprehenſibiles inventi ſunt circa rectam noſtram Chriſtianorum fidem. *Baronius ad annum 664 Acta iſta ſextæ ſynodi ſuſpecta ſe habere ſatis oſtendit, dum priuſquam illa proferat, præmittit*, ſi tamen impoſtura careant.

tamquam probe catholico.

6 *Et ſanè impoſtura non carere, quatenus Catholicus accenſent Thomam ac Joannem, Conſtantini in cathedra patriarchali deceſſores, habet Baronius tum ibi obiter, tum pluribus id probat ad annum 656 in dicto Thoma; & ad annum 658 in Joanne.* Ceterum, *inquit ad annum 664*, quod ad Conſtantinum pertinet, nihil prohibet, quin potuerit eſſe Catholicus, imperatore (*Conſtante*) jam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico. *Pagius ad annum 666, num. 1 affirmatiùs, & meâ quidem ſententiâ, rectiùs ſtatuit, ipſum* fuiſſe epiſcopum Catholicum. *Etenim quoniam publica veneratio, à variis Tabulis alicui Conſtantino attributa, verificari dumtaxat poteſt, atque ex dictis verificari debet in hoc* Conſtantino *noſtro, non autem in alio; ſupereſt,*

B *ut ab illo amoveamus ſuſpicionem omnem monotheliſmi contra Catholicos; præſertim cum ipſius ſolennitas, ſicut ſupra vidimus, CPoli celebrata fuiſſe dicatur; qui proin in ſua legitimi ac publici cultus poſſeſſione relinquendus eſt, donec ratio aliqua ſolida afferatur, quæ non affertur hactenus, quæ ipſum ab ea deturbet; uti pluribus probabitur paragrapho proximo.*

Officium ante epiſcopatum, tempus ſedis ac mortis.

7 *De reliquis verò, quæ ad ipſum ſpectant, hæc pauca accipe.* Erat diaconus ejuſdem eccleſiæ *CPolitanæ, itemque* vaſorum cuſtos & œconomus, *teſte Nicephoro in Chronographia, antequam ad ejuſdem eccleſiæ infulas promoveretur. Id autem anno 674 contigiſſe probat Pagius ultimo loco citatus, contra Baronium, qui illud anno 664 annectit; mortem verò Præſulis noſtri laudatus Pagius adaptat anno 676, ex Chronico Nicephori, quod eum ſediſſe doceat anno uno, menſibus octo, & diebus ſeptem, juxta editionem Græcam Scaligeri, & editionem regiam*; licet, *inquit*, Baronius, uſus forſan editione Nicephori parum correcta, habeat annum unum, menſes 2, & dies 7. *Et verò quia allegatus ſupra Bandurus iſtorum Patriarcharum ſeriem ac ſucceſſionem ita ordinavit, ut eas, conſultis, uti puto, & expenſis aliorum auctorum circa illas temporis charactcribus, æræ Chriſtianæ annis accommodarit, viſum eſt ex ipſo, conſentiente Pagio, principium patriarchatus Conſtantiniani affigere dicto anno 674; finem verò anno 676. Etenim hanc rationem temporis longè præferendam eſſe illi, quam Baronio viſum fuit notare, perſpicuum fiet ex dicendis, quibus Sanctum noſtrum ab omni hæreſcos ſuſpicione liberare, Actaque ſextæ ſynodi, quæ eminentiſſimus idem Cardinalis tamquam depravata hic opinatur, vindicare conabimur.*

C

CAPUT II.

Orthodoxia S. Conſtantini, & ſinceritas hîc ſextæ ſynodi œcumenicæ ſtabilitur.

VErba *ſynodi œcumenicæ* VI, *quæ fuit Conſtantinopolitana* III, *ſuperiùs num. 6 pro orthodoxia* S. Conſtantini *à nobis producta, quia Baronius depravata fuiſſe exiſtimavit, id cauſæ fuit, cur debiliùs ac remiſſiùs circa hoc punctum quid ſentiret, exprompſerit, his verbis uſus:* Quod ad Conſtantinum pertinet, NIHIL PROHIBET, QUIN POTUERIT eſſe catholicus *&c. Audin'*, nihil prohibet, quin potuerit *&c.? Quæ rem ſuſpendunt ac relinquunt potius in incerto, quam affirment ac determinent. Contra autem, quod ſalvâ ſapientiſſimi viri reverentiâ dictum ſit, poterat fieri, imo verò debebat: quia diſertiſſimis prædictæ ſynodi verbis luculentum profertur teſtimonium, quod tam* Conſtantinus, *quam Thomas ac Joannes, deceſſores ejus, accuſati de libellis non ſat Catholicis apud quoſdam extortis, prout colligitur ex allato ſuprà ſynodi fragmento*, in omnibus immaculati, & irreprehenſibiles inventi ſunt circa rectam noſtram, *inquit ſynodus*, Chriſtianorum fidem. *Quo teſtimonio quidnam ad Sancti noſtri honorem conducibilius; quidnam ad comprobandam orthodoxæ fidei ejus veritatem prædicari queat aptius, non videmus; modo ſit legitimum, ſincerum ac genuinum.*

AUCTORE J. P.

Teſtimonium pro orthodoxia S. Conſtantini à ſexta ſynodo datum

9 *Et verò quod tale ſit, quandoquidem totus in eo præſentis controverſiæ cardo vertitur, probandum nobis jam incumbit. Pagius in Critica hiſtorico-chronologica in Annales Baronii, ad annum 658, num. 2 ſic fatur:* Thomæ ſucceſſit Joannes, quem utrumque in Actis ſextæ ſynodi Catholicum malè prædicari putavit Baronius, quod ea depravata exiſtimaret. Ad hæc utrumque fuiſſe participem eorum, quæ facta ſunt in S. Maximum, ejuſque diſcipulos, qui hoc tempore duriſſimo detinebantur exilio, arbitratus eſt. Verùm cum jam conſtet, ante Thomæ & Joannis (*ac proin ante S. Conſtantini noſtri*) pontificatum CPoli ſævitum eſſe in S. Maximum, ejuſque diſcipulos, Actaque ſextæ ſynodi indubitatæ fidei eſſe; nunc de utroque patriarcha (*atque adeo potiore jure de hoc noſtro*) nonniſi bene ſentiendum. *Ita Pagius; quibus & nos omnino ſubſcribimus. Quod verò Baronius in oppoſita planè ſententia fuerit, conſtat ex iis, quæ habet ad dictum annum 658 de Thoma CPolitano epiſcopo; cui anno mortem ejus aſſigit, vocans eum Monotheliram; ubi & de Joanne agit, ipſius ſucceſſore.*

oſtenditur

E

10 *Ante omnia itaque probandum nobis eſt, ante Thomæ ac Joannis pontificatum CPoli ſævitum eſſe in S. Maximum, ejuſque diſcipulos; quod ſi evictum dederimus, ſequuntur tria inde corollaria: nimirum* 1. *Acta ſextæ ſynodi, quatenus illos tamquam orthodoxos laudant, depravata non eſſe, ſed ſincera.* 2. *Rectè proin de illorum præſulum fide ſentiendum eſſe.* 3. *Denique teſtimonium ſynodi habere plenam auctoritatem, ut quæ aſſeverat de orthodoxia* S. Conſtantini, *citra omnem dubitationem admittantur; & quidem potiore, ut hoc iterum repetamus, jure; quia juxta dicta publicæ venerationis poſſeſſio pro ipſo ſtat Itaque tempus mortis S. Anaſtaſii presbyteri & apocriſarii, S. Maximi abbatis, & Anaſtaſii, ejus diſcipuli, Pagius ad annum 660, partim ex ejuſdem Anaſtaſii apocriſarii epiſtola ad Theodoſium presbyterum Gangrenſem, partim ex Hypomneſtico determinat, ſummatim referens, quæ huc faciunt. Epiſtola illa inſcribitur Operibus S. Maximi, quæ duobus tomis edita ſunt Pariſiis per R. P. Franciſcum Combefiſium, & illa legitur tom.* 1, *à pag.* LXVII; *ex qua deſcribo ſequentia:*

non eſſe depravatum, ſed ſincerum

F

11 *Epiſtola* miſſa *notatur in titulo, qui ei præfigitur*, à tertio exilio, id eſt Lazico. *Mox ſub epiſtolæ exordium*, Notum igitur facio vobis, *inquit Anaſtaſius*, quod cum veniſſemus ad amicorum Chriſti regionem Lazorum VI Idus Junias, v

ex ratione temporis.

AUCTORE J. P.

Indict. (*quæ concurrit cum anno Christi* 662) statim separaverunt nos ab invicem, præceptione illius, qui tunc præesse his, qui illic erant, sorte meruerat; diripientes omnia, usque ad unam acum & filum, quæcumque ad necessarias utilitates, tam ex vobis, quam ex aliis Christi amicis adquisieramus. Et sacratissimum quidem illum virum (dominum, aio, Maximum abbatem) neque in subjugali, neque in vehiculo sedere valentem, pro eo, quod in infirmitate positus esset; cum, plectentes virgulas ex eis quasi lectulum texuissent, bajulantes detulerunt, & incluserunt in castro Schemari vocitato, juxta gentem illorum, qui dicuntur Alani. Dominum verò Anastasium abbatem, & me peccatorem super equos imponentes duxerunt *&c.*

quo martyrium S. Maximi

12 Porro Christi Dei martyr, domnus videlicet abba Maximus, cum esset custodiæ mancipatus in castro superiùs memorato, divina sibi facta visione, advocavit quosdam ex his, qui erant in castro, & dixit ad eos: Tertio decimo die Augusti mensis hujus instantis, quintæ dictæ Indictionis, feriâ septimâ, assumet me Dominus: quod & factum est. Igitur tertio decimo die prædicti Augusti mensis, præteritæ v Indictionis secundùm divinum ejus vaticinium, feriâ septimâ, præsentibus derelictis, perrexit ad Dominum. *Atque hinc prorsus constat, S. Maximum, anno Christi* 662 *vitâ functum fuisse. Nunc autem de ipso Anastasio, quid circa tempus mortis definiendum sit, expendamus.*

B

ac sociorum

13 *De Stephano Catholicæ fidei fervente præcone in Lazica idem Anastasius in eadem epistola sic scribit:* Nobilis ille vir Kalendis Januarii, VIII Indictionis, quæ modo præteriit, ... obdormivit in Domino: *ergo Anastasius anno Christi* 665, *quocum illa Indictio concurrebat, necdum obierat. In scholio autem, dictæ epistolæ subjecto, disertissimis terminis mortis tempus sic definitur:* Obiit autem & ipse sanctus pater noster & martyr Anastasius, qui hanc scripsit epistolam, die Dominico, hora tertia, v Idus Octobris, cum in sancta collecta diceret, Sancta Sanctis, Indictione x; *id est anno* 666, *quo Indictio decima Kalendis Septembris inchoata est. Hypomnesticon supra memoratum, quod habetur apud Combefisium loco citato, à pag.* LXXX, *eumdem diem, annum eumdem mortis Anastasii apocrisarii signat, videlicet* Octimbrii die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter sancta Officia, Sancta Sanctis, Indictione decima. *Nec desunt ibidem characteristicæ notæ, ex quibus durationem vexationum ejus determinemus: nam mox ita dicitur:* Prædictus quidem sanctus Anastasius presbyter & apocrisiarius Romanus, à sexta Indictione præteriti cycli usque ad decimam Indictionem, in omnibus prædictis tribus exiliis suis, traductionibus diversis affectus, tribulationibusque & necessitatibus & angustiis non mediocribus nec modicis, permansit annis viginti.

C

contigisse probatur:

14 *Ab anno itaque Christi* 647, *quo Indictio sexta Kalendis Septembris cœpit, usque ad annum* 666, *quo Indictio decima Kalendis Septembr. inchoata fuit, persecutiones sustinuit Anastasius; atque adeo à Constante imperatore ante promulgationem famosi Typi, quæ contigit anno* 648. *Denique de S. Maximo, & Anastasio ejus discipulo Hypomnesticon denuo hæc memorat pag.* LXXXIII: Pariter & Anastasius discipulus ejus ab undecima Indictione præteriti Cycli per tria exilia, Bizys scilicet & Perberi Thracensium regionis, atque prædictum Lazicum, in multis contritionibus, & intolerabilibus necessitatibus, atque hujusmodi athleticis certaminibus, annis decem peractis, ad regnum migravere supremum: sanctus quidem Maximus, sicut dictum est, mense Augusto, die tertiadecima, Indictione quinta ... Discipulus verò ejus Anastasius mense Julio, die vicesima quarta, Indictionis ejusdem. *Unde planum fit, Maximum atque Anastasium ejus discipulum vexationibus exercitos fuisse ab anno* 652, *usque ad annum* 662, *ab undecima videlicet Indictione, usque ad quintam.*

D

unde sua Constantino nostro plena orthodoxia

15 *Age vero nunc, & tam diebus mortis, quam persecutionis horum Athletarum duratione, de quibus hactenus & satis multa & solida in medium protulimus, accuratè perpensis, statuendum lectori relinquimus, an duo dicti præsules CPolitani Thomas ac Joannes partem aliquam habuerint in iis, quæ contra laudatos hosce fidei confessores, Maximum ac socios ejus, agitata ab hæreticis narravimus: in iis, inquam, quæ contra illos ab hæreticis agitata sunt; qui præsules tum ad insulas promoti fuere, quando omnia jam pridem adversus eos intentata erant; adeo ut nulla veri specie asseri posse videatur, quod ullo hi pacto in arumnas eorum influxerint: nam Thomas II, quo de hic agimus, anno primùm* 666 *creatus patriarcha notatur apud Bandurum superiùs allegatum; ubi & Thomæ Joannes V dicitur suffectus fuisse anno* 668: Constantinus *verò noster, duobus istis successit, ac cathedræ CPolitanæ regimen, ut supra dicebamus, adiit anno* 674; *ac proin quia tempore remotior fuit Antistes à laudatorum fidei pugilum vexationibus, remotior etiam merito censeri debet ab omni in illas vel levissimo etiam influxu, atque adeo verus, sincerus ac genuinus orthodoxus.*

E

& sinceritas synodo 6 asseritur contra Baronium, hîc excusandum.

16 *Merito igitur simul cum duobus aliis decessoribus suis laudatur Actione* 13 *synodi œcumenicæ sextæ, seu CPolitanæ tertiæ, quæ ob has laudes neutiquam depravata hîc dici potest; sicut jam abunde probatum dedimus. Quæ ad Thomam & Joannem spectant, operosius quidem tractavimus, quamvis illa propriè non erant hujus loci, sed ita faciendum fuit, tam ut sua Actioni* 13 *sæpe dicta synodi sinceritas assereretur, quam ut* Constantini *nostri orthodoxia pleniore luce clarescceret. Quod sapientissimus Annalium ecclesiasticorum auctor durius de Thoma & Joanne senserit; quodque de* Constantini *orthodoxia non satis planè & affirmatè locutus fuerit, non tam mirari debemus, quam excusare: neque enim omnia videre potuit Baronius; multaque in lucem monumenta prodiere, quæ ipsum, dum suos Annales conderet, latebant; ut dubium esse non possit, quin longè aliter in hac nostra cum ipso controversia scripturus fuisset, si epistolam, & Hypomnesticon, superius citata, in promptu habuisset; quorum verba nimis clara & expressa sunt, quam ut cum in ratione temporis, quam Baronius ponit, tum in aliis, ex eadem non satis aptè ab ipso hic ordinata consectariis, debita cum reverentia ab ipsius opinione non recedamus. Verùm hæc & alia, quæ ad notionem temporis nostri Patriarchæ pertinent, plenius examinari poterunt in Tractatu chronologico, qui de hisce patriarchis, Deo bene favente, posteà in lucem edetur.*

F

DE

A D

DE S. OLAVO, REGE ET MARTYRE,

NIDROSIÆ IN NORVEGIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS. P. B.

§ I. Cultûs antiquitas & propagatio.

ANNO MXXX.

Nidrosiæ S. Olavi veneratio publica

B

Anctum Olavum *regem ac martyrem veneratur hoc die, imò venerata est olim, cum à vera nondum religione desciviſſet, Norvegia; idque imprimis Nidrosiæ, urbe totius regni primaria, neque tam regum plurimorum ſolio, quam hujus unius tumulo longè pridem latéque celebrata. Condiderat eam paucis ante annis Olavus alius, cognomento Trygguinus, ſeu Tryggonis filius, quando hujus interitu collapſam* Olavus *noſter inſtauravit illuſtriùs ornavitque, teſte Petro Claudii Undalino apud Torfæum Hiſt. Norveg. part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 21. *Nomen à ſitu duxit; os enim occupat fluvii Nid, qui Norvegis in ſecundo caſu Nidar inflectitur; hinc* Nidaroſia, *& per ſyncopen* Nidroſia. *Sed & à tractu, cui præſidet, Thrandia, Throndemonis, Throndemnis, Throndemis, Drontheim, Trontheim appellata paſſim legitur. Sinui Thrandenſi aſſidet, ubi is Naderum excipit, ad gradum ab æquatore circiter ſexageſimum quintum cum dimidio. Epiſcopos habere cœpit ſub* S. Olavo *rege uſque ad annum Chriſti* 1152, *quo ad cathedram archiepiſcopalem evecta eſt, juxta eumdem Undalinum ibidem cap.* 19; *ubi & antiſtitum ejus catalogus exhibetur. Annum illum erecti, & quidem* in honorem ſancti Olafi, *archiepiſcopatûs confirmat Torfæus Hiſt. Norveg. part.* 3, *lib.* 9, *cap.* 12, *contra Miræum, Pagium, alioſque, ex Joannis Magni Hiſtoria Gothorum lib.* 18, *cap.* 18 *id referentes ad annum Chriſti* 1148. *Nunc verò urbem hanc à priſtino ſplendore diſtare plurimùm, aſſerunt Baudrantius, aliique geographi.*

anno poſt martyrium vix elapſo decreta;

C

2 *Nidroſiæ, inquam, cæleſtes primùm honores* Olavo *decreti ſunt, idque anno poſt ejus martyrium uno tantùm ac diebus quinque elapſis; quando ſublatum è tumulo corpus ejus, ariſque in ade S. Clementis admotum, & omnium veneration ab epiſcopo Grimkele, ut latiùs infra narrabitur, fuit expoſitum. Nidroſiam tota brevi ſecuta eſt Norvegia: nam vix ſancti Patris locum anno Chriſti circiter* 1035 *filius ejus Magnus adeptus erat, cum ad ipſius cultum promovendum incubuit: itaque præter alia eò ſpectantia id effecit, juxta Torfæum citatum part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 16, *ut* mox per univerſam Norvegiam feſtum memoriæ ſancti Olafi, lege lata, promulgatoque die, qui menſe, quo cæſus eſt, quotannis recurrit, inſtitutum conſecratumque *fuerit*, pari cum celeberrimis veneratione in perpetuum colendum. *Neque verò ad hanc legem condendam ſervandamve humana tantum auctoritas, quantum divina contulit: tot enim aſſiduè firmabatur prodigiis, ut eam exteri continuò, ad quos lata non fuerat, certatim & & ultro amplexi ſint.*

ac toto mox Septemtrione hoc die celebrata.

3 *Teſtatur id certè Adamus Bremenſis Hiſt. eccleſ. lib.* 2, *cap.* 43 *his verbis:* Igitur Olaph rex & martyr tali fine conſummatus eſt, corpuſque ejus in civitate magna regni ſui, quæ Throndemonis dicitur, cum decenti eſt honore tumulatum; ubi uſque hodie pluribus miraculis & ſanitatibus, quæ per eum fiunt, Dominus oſtendere dignatus eſt, quanti meriti ſit in cælis, qui ſic glorificatur in terris. Regnavit autem annis XII. Cujus paſſionis feſtivitas agitur IV Kal. Auguſti, omnibus Septemtrionalis oceani populis, Sueonum, Gothorum, Semborum, Danorum atque Slavorum æterno cultu memorabilis. *Scribebat hæc Adamus eodem ſeculo, quo Sanctus vixit. Conſonat huic ſuppar Annaliſta Saxo, nuper editus in Corpore hiſtorico medii ævi à V. Cl. Joanne Georgio Eccardo, tom.* 1, *col.* 491, *cum ait:* Iſte eſt beatus Olaph rex & martyr, cujus feſtivitas agitur IV Kal. Auguſti omnibus Septentrionalis oceani populis Nortmannorum, Sueonum, Gothorum, & Danorum, atque Slavorum æterno cultu memorabilis.

E

& quidem cultu peculiari,

4 *Neque verò apud eos hoc die cultum qualemcumque obtinuit, ſed ſingularem omnino, ut quem regnorum ſuorum Patronum delegerint: ac de Nortmannis quidem ſeu Norvegis id patet ex dictis: de Sueonibus verò fidem faciunt* Officia propria SS. Patronorum regni Sueciæ, ex vetuſtis Breviariis ejuſdem regni deprompta; ad inſtantiam ſereniſſimi Sigiſmundi III, Sueciæ & Poloniæ regis, à ſac. Rituum congregatione, auctoritate Apoſtolica, recognita & approbata; atque omnibus, tam in dicto Sueciæ, quam etiam Poloniæ regno habitantibus conceſſa; ut liberè & licitè, tranſlatis vel omiſſis aliis Officiis, quæ eadem die occurrunt, recitari poſſint & valeant. *Sic habet inſcriptio Officiorum illorum in editione Plantiniana anni* 1651. *Inter ea verò ſuum habet die* XXIX *Julii* S. Olavus *rex & martyr, & quidem ritûs duplicis, cum oratione, antiphonis, lectionibus, & reſponſoriis aliquot propriis; quæ, quòd vulgo exſtant, hîc prætermittimus. Conſtat hinc interim, etiam juxta vetuſta regni Breviaria, honoratum illum à Sueonibus, ut Patronum, fuiſſe, ejuſque peculiarem venerationem nunc inſuper ad Polonos extendi.*

F

qualem in Suecia

5 *Breviariis illis antiquis, quæ non habemus,* reſpondet *Miſſale Suecicum, quod penes nos eſt, excuſum, ut ex typis colligimus, circa finem ſeculi* XV: *ibi namque in Kalendario prævio rubricâ notatur feſtum* IV Kal. Aug. Olavi regis duplex. *Tum loco ſuo Miſſa propria exhibetur, ex qua Sequentiam ſaltem non piget excerpere, quæ ſic legitur:*

Lux illuxit lætabunda,
Lux illuſtris, lux jucunda,
Lux digna præconio.
In ſolemne gaudium
Prorumpat fidelium
Sincera devotio.
Glorioſus hodie
Chriſti Martyr, gloriæ
Sublimatus ſolio,

Pro

A Pro terrenis brevia
Commutavit gaudia
Felici commercio.
Inſignis Martyris inſignis gloria
Dulcis eſt gaudii dulcis materia.
Inſiſte canticis, mater Eccleſia;
Cæleſti jubilo tange cæleſtia.
Inter curas abſolutus
Rex Olavus conſtitutus
In regni faſtigio,
Suſpirabat in æterna,
Provolabat in ſuperna
Mentis deſiderio.
Chriſti tactus in odore,
Vires ſumens ex languore,
Corde, factis, vocis ore,
*Quem amabat, coluit.
Sed nec minis, nec terrore
Mortis fractus, nec labore,
Idolorum ab errore,
Multo quidem cum ſudore,
Gentem ſuam eruit.
Tulit ab impia gente ludibria,
Minas & odia, pœnas, exilia;
Sed mente ſtabili, mirâ conſtantiâ
B Devicit omnia; felix felicia
Migrans ad gaudia cum palma nobili.
Ante diem paſſionis
Ad inſtantis vim agonis
Animatus viſionis
Divinæ ſolatio,
Quod amabat, præguſtabat,
Præguſtatum plus optabat,
Plus optatum vendicabat
Illuſtri martyrio.
Rex & Martyr triumphalis,
Tutor noſter ſpecialis,
Tua proles ſpiritalis
Sit ab hujus mundi malis,
Te tuente, libera.
Quos infeſtat vis carnalis,
Corruptela generalis,
Peſtis potens & letalis,
Nos ſub tuis tutos alis
Tua ſalvet dextera. Amen.

jam olim habuit, C 6 *Eódem ſpectant, quæ docet nuperus auctor, in hac re minimè ſuſpectus, utpote ab avita veraque religione alienus; cum ad Vaſtovii Vitem Aquiloniam, quam anno* 1708 *Upſaliæ recudendam atque illuſtrandam ſuſcepit, pag.* 22 *de priſco Martyris noſtri apud Sueones cultu hæc tradit:* Cathedralis eccleſia metropolitanæ hujus noſtræ urbis (*Upſaliæ*) memoriæ illius (*S. Olavi*) ut & S. Erici, & Laurentii martyris, more illorum temporum, olim conſecrata fuit: & non paucæ eccleſiæ rurales hujus diœceſeos effigiem Olavi hodieque ſervant. Cenſus item annuus, veneratione Regis, ad templum Nidroſienſe diu hinc tranſmiſſus fuit. Nicolaus autem Katilli, cognomento Albus, duodecimus archiepiſcopus Upſalenſis (*qui juxta Joannem Magnum ſedit ab anno Chriſti* 1305 *uſque ad* 1314) ſuæ eccleſiæ eumdem meritò vindicavit. *Ita ille.*

& in Dania, 7 *De Danis vix opus eſt dicere; quando regem habuit aliquando cum Norvegis eumdem,* S. Olavi *filium, Magnum ſcilicet Bonum, cui nihil æquè cordi fuiſſe dicitur, ut ſanctiſſimi Parentis apud ſubditos veneratio; quam omnibus perſuadere ob frequentia & ubivis celebrata tum temporis miracula facillimum fuit. Idem tamen etiam comprobari poteſt cum ex codice Danico, cujus annuntiationem inter Uſuardi noſtri auctaria ad hunc diem reperies, tum ex antiquis ejuſdem populi Faſtis, quos litteris Runicis olim exaratos deinde prælo ſubjecit illuſtravitque Olaus Wormius Hafniæ anno* 1643: *in iis enim* Olai feſtum *aſſignatur die* XXIX *Julii, & quidem rubricâ expreſſum, ut alia, quæ ſolenniore præ ceteris cultu celebranda vulgo proponuntur. His adde Breviarium eccleſiæ ac diœceſis Sleſwicenſis impreſſum Pariſiis anno* 1512; *ubi eodem die præter lectiones ſex in primo & ſecundo nocturno ex Actis ejus contractas propria quoque collecta recitatur: in Kalendario autem, quod præmittitur, minio partim notatur feſtum, partim atramento, ut aliorum quorumdam Sanctorum, quorum in Dania memoria fuit olim celebrior. Et ſanè interdicta iſtic antiquitus opera tum ſervilia fuiſſe, liquebit ex miraculis infrà.*

in Scotia, in Anglia, 8 *Quid, quod etiam extra fines ſuos uſque ad Anglos Scotoſque eumdem Dani cultum propagarunt? De Scotia teſtem habemus Hectorem Boëthium Hiſt. Scotorum lib.* XI *versùs finem; ubi cruentum in Buchania Danos inter & Scotos prælium, ſanctique mox inter eos fœderis leges commemorat, & has inter alias:* Ager, quo cruentum recèns prælium erat geſtum, ſacer fieret Chriſtianorum ſepulturæ, pontificis operâ dicatus. In eo conderentur Dani recenter cæſi (nam ipſi Chriſti dogma paulo antè ſuſceperant;) conditoque ibidem templo, inſtituerentur ſacerdotes ad ſacra pro illis Deo optimo maximo quotidie exequenda. *Tum id factum narrat Hector; & ſubdit:* Veteris illius templi, divo Olavo (in cujus tutela Danorum Norwegorumque regnum eſt) aliquot poſt tempora . . . tum ſacrati, vel hoc ſeculo extant veſtigia . . . , templo arenæ ventorum impulſu (ut frequentiùs in illis fit locis) agitatæ multitudine obruto, alteroque haud ei diſſimili, loco commodiori, reædificato. *Hæc refert ad Malcolmi Scotorum regis tempora, quem obiiſſe docet anno circiter Chriſti* 1040: *unde antiquitatem colligas Danicæ Scoticæque erga* S. Olavum *religionis; quæ ibi etiam nunc inter Scotos Catholicos, dum litanias recitant, conſervari dicitur. Et quidni hanc etiam per ea tempora, dum Angliâ potirentur, iidem eò Dani invexiſſe credantur? Floruit ibi certè plurimùm; cum urbs ſola Londinenſis (ex qua de ceteris facilè eſt conjectura) eccleſias plures, & quidem paræciales,* S. Olavi *nomine dedicatas olim oſtentaverit. Nec dubium proinde, quin ejuſdem regni Faſtis olim ſacris fuerit adſcriptus; quod etiam ex Uſuardi auctariis licet colligere: notatur enim hoc die in codice Altempſiano, quem eccleſiæ Wintonienſis in Anglia fuiſſe, ibidem in præfatione oſtendimus.*

in Belgio, Gallia &c. 9 *Sed & in Belgio antiquum ejus fuiſſe cultum ac pervulgatum, ex iiſdem Uſuardi ad hunc diem auctariis eluceſcit; ut ex codice Aquicinctino, quem in præfatione judicavimus ſeculo decimo tertio non videri poſteriorem; ex Roſweydino, qui, ut ibidem indicatum eſt, ad eccleſiam B. Mariæ Ultrajectinam aliquando pertinuit, referturque ad ſeculum duodecimum; ex Florario Sanctorum Ms. anni* 1486; *ac denique ex editionibus Lubeco-Colonienſi anni* 1490, *& Greveniana anni* 1515. *In Galliam unde aut quando idem cultus promanaverit, incertum; Pariſiis tamen & Rotomagi viget, ut* § XI, *num.* 126 *narrabitur: mirum, ni per Normannos jam iſtuc olim introductus: nam per eoſdem uſque in Hiſpaniam inde à ſeculo* XIII *penetraſſe dicitur; per Chriſtinam videlicet, Haconis Norvegiæ regis filiam, quæ Philippo, Alfonſi Caſtellæ regis fratri, nupta, id primum à conjuge poſtulatum aſſecuta ſit, ut in ea regione*

mox

A *mox templum* S. Olavi *titulo conſecrandum erigeretur. Videſis Torfæum Hiſt. Norveg. part.* 4, *lib.* 4, *cap.* 44.

10 *Prætereo gentes alias (ipſoſque adeo Groenlandos apud Blavium in Atlante ſuo tom.* 1, *part.* 1, *pag.* 4) *quibus Martyris hujus gloria, ut per decurſum patebit, pluribus retro ſeculis innotuit. Quid enim opus eſt ad cultum ejus aſſerendum eccleſias enumerare ſingulas; quando illum in Martyrologio ſuo Romana defendit, quæ complectitur univerſas? In eo namque annuntiatam hoc die videmus feſtam* In Norvegia ſancti Olavi regis & martyris *memoriam; neque id nuper admodum, ſed ab annis ſaltem ducentis & ultra; ut palam ſit ex editione Beliniana anno* 1521, *ſuperſtite etiam tum auctore, Pariſiis adornata. Notuſne fuerit ante annum etiam illum in vetuſtioribus ejuſdem Eccleſiæ tabulis, ignoramus. In editione Belini Veneta anni* 1498 *certè non comparet. Porrò quæ hîc de cultu retulimus, minimè mira videri poterunt, cum expenſa fuerint quæ de reliquiis ejus atque miraculis proferentur inferiùs: Martyris verò titulum ei datum credimus, quia in eo bello cecidit, quod illi maximè ob religionis Catholicæ in regno promovendæ aſſerendæque ſtudium ardentiſſimum, ſubditorum (quorum tamen plurimi Chriſtiani jam erant) rebellio ſuſcitaverat.*

Ejus annuntiatio in Martyrologio Rom.

B

§ II. Acta, eorumque auctoritas; notitia brevis parentum & majorum S. Olavi.

Acta minus certa, quam cultus:

QUam plana ſunt, quæ de Sancti cultu dicta ſunt hactenus, tam ancipitis ſunt auctoritatis ac fidei, quæ circumferuntur ejus *Acta*: ut neſcias, quid ex iis affirmari pro certo poſſit; quippe quorum nec nota ſit ætas, nec certus auctor, neque conſona narratio. Hæc verò diſcrepantia, etiam in præcipuis geſtorum ejus capitibus, quam ſit antiqua, docent Adamus Bremenſis, qui eodem, quo Sanctus, ſeculo floruit, & Theodricus monachus Nidroſienſis, qui ſeculo ſequente Hiſtoriam de regibus Norvegiæ compoſuit, excuſam Amſteladami anno 1684: nam prior de modo peracti martyrii (quo quid accuratiùs tum ſciri vulgo debuit?) tres affert, maximéque diverſas ætate ſua ſententias Hiſt. eccleſ. lib. 2, cap. 43: totidem alias producit alter cap. 13, neque minus pugnantes, de loco ac tempore converſionis ejus & ſuſcepti Baptiſmi: addit verò: Nec mirum, de Olavo id contigiſſe (*ut ambigeretur ſcilicet, quando, aut in qua mundi plaga Chriſto nomen dederit*) in illa terra, ubi nullus antiquitatum umquam ſcriptor fuerit: cum idem ſcribat B. Hieronymus de Conſtantino Magno &c. *Enimvero ſi bini illi ſanctiſſimæ ejus vitæ cardines in obſcuro vertuntur, quid ſatis erit in rebus ejus minoribus exploratum? Juvat tamen quidquid ad manus noſtras devenit, expendere.*

C

12 *Acta Sancti Mss. habemus duplicia: altera* ex Bodecenſis cœnobii, Ordinis regularium S. Auguſtini, diœceſis Paderbornenſis, Paſſionali pergameno Ms. inſigni, menſis Julii fol. ccvi; *ut manu propria adſcripſit, qui hæc, ut alia plurima, huc deſtinavit, laudatus toties Societatis Jeſu presbyter Joannes Gamans. Altera ex Ms. Ultrajectino ſancti Salvatoris. Hæc in iis, quæ ad vitam Sancti & martyrium pertinent, conſuta ſunt fabulis, & iſtorum temporum ac locorum hiſtoriis adverſantur: quam ob cauſam eatenus omittenda cenſuimus. En tibi interim, ſi lubet, eorum compendium: Converſus ad Chriſtum per viros apoſtolicos in regno ſuo* Olavus, *mox ipſe fidem prædicat. Hinc germani ſui incurrit odium. Utrivis interim offertur Daniæ regnum, illi ceſſurum unicè, qui è duobus citiùs adnavigaverit. Claſſem igitur expedit frater:* Olavus *à Chriſto apparente animatus, naviculam ſine comitatu unicam ſibi deligit, quæ, angelo duce, per diſſectos prodigiosè pertuſoſque ſcopulos tranſmiſſa, tam cito, tam recto curſu appellitur ad portum Danicum; ut menſe toto fratrem anteverterit. Idem haud procul Nidroſiâ ſubinde factum, cum Norvegiam, quam frater invaſerat, repeteret* Olavus. *Hic porrò Daniæ vix regnum adeptus, religionem Chriſtianam verbis ac miraculis continuò dilatavit. Quod non ferens germanus, effecit tandem, ut Sanctus, quod eum Chriſtus cum cruce ſpectatus monuerat, profugerit in Ruſſiam; ubi diei Dominicæ religionem, ſcindendo per imprudentiam baculo, ut putabat ipſe, temeratam, inſigni, quod infra narrabitur, exemplo expiavit.*

horum duo exemplaria Mss.

AUCTORE P. B.

13 *Poſt triennium iterum ſpectabilem ei ſe Dominus offert, onuſtum cruce, ſpinis coronatum, atque hiantibus toto corpore cruentum vulneribus; &, Redeundum tibi, inquit, in Daniam,* Olave *cariſſime; ut quæ tuâ cauſâ paſſus ego ſum, tu ab impio fratre cauſâ meâ patiaris. Dum paret ille, iterum cæleſti viſo paratique poſt victoriam triumphi contemplatione recreatus, in fraternas incidit inſidias; qui mox abreptum in regiam aut Chriſto renuntiare jubet, aut Chriſti ſupplicia necemque ſuſtinere. Cum verò dimoveri à propoſito non poſſet* Olavus, *mox eadem ſubiit omnia, ut breviſſimè dicam, quæ in prætorio Pilati & in monte Calvariæ Dominus; niſi quod non pro crucifigentibus tantùm, ſed &* pro mercatoribus, mare tranſeuntibus, qui ipſum in periculis invocarent, *oraverit. Tres quoque horas pependit è cruce; horâ nonâ clamans, In manus tuas &c. exſpiravit: terra tremuit; ædificia plura corruerunt.* Tandem tertia die volebat (*frater*) corpus ejus comburere; corpus autem intactum ab igne permanſit: ſed de cineribus ignis venit draco terribilis, qui germanum Olavi cum pluribus interfecit. *Tum ſequuntur miracula, de quibus inferiùs. Hæc Acta ſecutus eſt ante duo jam ſecula Grevenus, ac deinde Molanus; ut vide in auctariis noſtris Uſuardinis ad hunc diem. Hæc eadem aut ſimilia legiſſe videtur Joannes Meurſius Hiſt. Danicæ lib.* 3, *cum de cæde S.* Olavi *ait:* Norvagique adeo ipſi non proditione eum à ſuis cæſum, ſed à fratre Haraldo, volunt; cum quo de limitibus controverſia illi eſſet. *Itaque Norvegis ea tribuit auctoribus. Quam verò inſulſa ſint, ex dicendis colliges.*

quorum unum fabuloſum, E

F

14 *Multo ſincerius eſt Ms. Bodecenſe; quod proinde prælo dignum putavimus, & huic Commentario ſubnectendum. Ex eo deprompta videntur lectiones, quas modò dicebam, ſex propriæ veteris Breviarii Sleſwicenſis, præter quintam, quæ aliunde hauſta ſit oportet, cum illud memoret, quod poſt conciſum Dominica die baculum Sancto contigiſſe poſtea narrabitur. Ex utriſque autem hiſce Actis conflata eſt Vita* S. Olavi, *quæ fol.* 110 *& ſeqq. exſtat in Legenda Sanctorum impreſſa Lovanii anno* 1485: *nam fere ab initio ea recenſet, & quidem verbis propemodum iiſdem, quæ habentur in Ms. Bodecenſi à numero* 2 *uſque ad medium circiter numerum* 7: *inde verò uſque ad finem proſequitur narrationem per ea, quæ in Ms.*

alterum ſincerius: ex utroque conflata Legenda excuſa.

AUCTORE P. B.

Ultrajectino fere à capite ad calcem usque legun-tur ; nisi quod paucula omittat , quædam etiam addat , nonnulla transponat , maximè in mira-culis. Nihilo igitur minus est fabulosa , quàm Ul-trajectina , quam continet ; imò verò magis : quandoquidem ejus auctaria , quantumvis exigua, nænias obtrudunt meras ; ut cum dicitur fol. 102: Veniens ergo S. Olavus , ut regnum Daciæ , si-bi divinitus promissum , acceptaret , omnes cam-panæ totius regni per se pulsare inceperunt. Hoc idem factum est , eo revertente de Ruscia ab exi-lio in Daciam.

Varia ejus Acta Latinè edita cur hîc non recudan-tur ;

15 *Alia ejusdem Acta in Vite sua Aquilonia vulgavit Vastovius tum è Vita nostra Bodecensi , tum ex Adamo Bremensi aliisque scriptoribus com-pilata ; aut , si mavis , Actorum breve compen-dium , pleraque generatim , pauciſſima ſigillatim facta recensens. Itaque & hoc missum facimus. U-berior Saxo Grammaticus Hist. Danicæ lib.* 10 ; *Ericus Olai , decanus Upsalensis Hist. Gothorum Suecorumque lib.* 2 ; *& toto post hunc seculo Jo-annes Magnus archiepiscopus Upsalensis , à quo Vitam Sancti mutuati sunt & qui Olai Magni lu-cubrationes edidit Hist. gentium Septemtr. lib.* 2 , *cap.* 21 , *& qui opus Surii post Mosandrum am-plificavit ; ubi ad hunc diem Julii* XXIX *legi potest: neque enim eorum quemquam seorsim hîc sequen-dum putamus ; sive quod exteri fuerunt omnes , sive quod neque inter se ubique, neque cum Norve-gis consentiunt , sive quod omittunt plurima , non singuli tantùm , verùm etiam universi ; & ea qui-dem imprimis , quæ ad commendandam Regis Martyris sanctitatem posthumamque gloriam plu-rimùm faciunt : quo ex capite non satis quoque placet Theodricus monachus , quem alioquin om-nibus anteferre non dubitarem , utpote & Norve-gum , & Saxoni æqualem , & inter suos omni-um primum.*

B

sed ex iis potiùs , aliisque monumentis

16 *Islandorum olim in rebus historicis maxima toto Septemtrione fuit auctoritas , & præsertim a-pud Norvegos ; quod ipse cum in prologo suo , tum in historia , Theodricus affirmat. Horum plura quidem & antiqua periere monumenta ; supereſſe tamen non pauca dicuntur , vernaculo sermone concepta , atque inter alia Vita* S. Olavi *nostri ; nescitur à quo , aut quando composita ; vetusto ta-men inscripta codici , quem ab insula , ubi deli-tuit , Occidentalis Islandiæ , Flateyensem appel-lant. In hisce versandis totus fuit , tum maximè, cum Historiam Norvegicam jam prope quinqua-genarius meditari cœpit, Thormodus Torfæus, Da-niæ Norvegiæque regis historiographus , & ipse in Islandia natus : cujus tandem opus illud , trigin-ta , & quod excurrit , annis elaboratum , & in partes seu tomos quatuor divisum Hafniæ anno* 1711 *prodiit in lucem. In præfatione totius Histo-riæ instrumenta describit , quibus est usus ; sunt-que magnam partem Islandica tum , cum ibi re-ligio Catholica floreret unicè , conscripta ; fabu-lis tamen , ut fatetur , non raris aspersa ; sed quæ à veris narrationibus facile secerni possint. Id quod sigillatim quoque monet de Vita* S. Olavi *in Serie regum Daniæ lib.* 1 , *cap.* 4. *Catholicis au-tem hisce monumentis , ubi ad sancti Regis nostri ac Martyris tempora describenda descendit , ita fere est usus , ut exspectationem nostram superave-rit : nam cum heterodoxus fuerit & à Sanctorum cultu prorsus abhorrens ; vix quidquam tamen , quod ad Martyris hujus gloriam veneratione mque comperit attinere , videtur ita dissimulasse , quin obiter saltem attigerit.*

C

17 *Cum igitur jejuna valde sint Acta Mss. , quæ , quia meliora non suppetunt , danda censui-mus , cogamurque adeo , ut erudito pioque lecto-ri fiat satis , syllogen his rerum omnium aut sal-tem præcipuarum , quæ sparsim apud auctores va-rios de* S. Olavo *inveniuntur , ad compensandam istius Manuscripti egestatem , prætexere ; nemo, opinor , ægrè feret orthodoxus , si & hunc scripto-rem , aut ejus potiùs instrumenta , sæpius appel-lari viderit : permulta enim tradit , quæ in tene-bris hactenus Norvegicis Islandicisque sepulta de-lituere. Nec verò de fidelitate ejus hîc laborandum videtur : nam ut hæc tanta non esset in omnibus, quantam ipse in præfatione verbis admodum gra-vibus profitetur , in iis certè suspecta fingi non po-test , quæ ad Martyris hujus sanctitatem , mira-cula , cultumque veterem illustrandum spectant ; quæque proinde auctoris hujus multo magis interе-rat , perpetuis damnare latebris , quam ad sectæ suæ redargutionem opprobriumque sempiternum pro-ducere.*

D

commentarius detur historicus ,

præmissa brevi notitia parentum ejus

18 *Priusquam verò de Sancto ipso differamus, juverit de parentibus ejus ac majoribus hîc pauca notasse. Patrem habuit Haraldum , matrem A-stam , teste cum aliis passim Theodrico Nidrosien-si cap.* 13. *Haraldo à Groenlandia , Norvegiæ provincia, in qua fuit educatus , cognomen Groens-ke , seu Groenskii fuisse inditum , ex monumentis Norvegicis docet Torfæus part.* 2 , *lib.* 6 , *cap.* 6 *& alibi ; ex Suecis verò Ericus Olai lib.* 1 , *pag.* 27 , *& qui hunc secutus est , Joannes Magnus. Hallucinantur ergo tam Arngrimus Jonas , cum* Olavi *nostri matrem Astridam nominat, Rerum Is-landic. lib.* 2 , *pag.* 150 (*neque enim hujus* O-lavi , *sed alterius cognomento Trygguini seu Tryg-gonis filii parens fuit Astrida , juxta Torfæum in Serie reg. Dan. lib.* 3 , *cap.* 10) *quàm Bailletus in Legenda sua ad hunc diem , dum Sancti pa-trem Thirgonem ait fuisse , quem alii Haraldum Groenskam nuncupaverint. Enimvero alius Thir-go , seu potius Tryggo , alius Haraldus Groens-ka ; tametsi filium uterque Olavum genuit : ne-que eos ita confusos reperit legendista apud Saxu-nem Grammaticum aut Joannem Magnum , quos ad marginem citat. Sed nimis aperta sunt hæc , quàm ut morari nos debeant.*

E

ac majorum.

19 *Per utrumque parentem reges atavos atti-gisse Sanctus creditur : avum enim paternum , jux-ta Compendium Snorrianum apud Torfæum part.* 3 , *lib.* 1 , *cap.* 19 , *habuit Gudriodum ; proa-vum Biornum; abavum Haraldum Pulchricomum, primum totius Norvegiæ seculo nono declinante monarcham. Idem , sed paulo corruptiùs , legere est apud Theodricum Nidrosiensem cap.* 13 ; *ubi Gudriodum ipse appellat* Gotd' rotd'ar Syr , *Bior-num verò ,* Bernhardum , *cognomento* Mercato-rem. *Matris genealogiam à Ragnare seu Regnero Lodbroch , rege Daniæ , atque Angliæ , ut fe-runt , domitore expandunt Torfæus in Serie reg. Dan. lib.* 3 , *cap.* 10 ; *& paulò aliter loco ante citato Jonas ; quorum ille ibidem pag.* 366 , *na-tum fuisse statuit Regnerum anno circiter Christi* 720 , *defunctum verò anno* 790.

F

Pater ejus, Australis Norvegiæ rex ,

20 *Haraldus Groenskius post patris cædem fu-gere compulsus in Sueciam , post annos aliquot Ha-raldi Cærulidentis , regis Daniæ , beneficio resti-tutus , ab anno ætatis decimo octavo , Christi cir-citer* 962 , *patrium regnum obtinuit , hoc est , non universam Norvegiam (ut innuere videtur Eri-cus Upsalensis lib.* 1 , *pag.* 27) *sed partem ejus aliquam ; Vingulmarchiam scilicet , Vestfoldiam, & Agdas usque ad Lindisnesiam , ut ostendit Tor-fæus part.* 2 , *lib.* 6 , *cap.* 16 ; *sive totum fere*

Nor-

A *Norvegiæ tractum auſtralem : Vingulmarchia namque, ut idem ex Undalino docet part. 1, lib. 2, cap. 2, à freto Suinaſunda, in præfectura Bahuſienſi ſito, ab Ortu versùs Septemtrionem & Occidentem extendebatur uſque ad ſinum Obſloënſem; inde verò Veſtfoldia versùs Occaſum uſque ad Agdas, ſive Agdaſidam; quæ ulteriùs versùs Landiſneſiam, ultimum Norvegiæ ab Auſtro & Occidente angulum, protenſa in præfecturas tres dividitur, quas appellant Liſterleen, ſeu Liſtenſem; Mandalſleen, ſeu Mandalenſem; Nedeneſleen, ſeu Nidneſenſem; quibus adjiciunt recentiores quartam, quam dicunt Abigdelag, aliis Raabygdelag; de quibus idem Undalinus conſulatur loco citato, cap. 10.*

apud Suecos incendio periit. 21. *Jam annos ibi multos, Daniæ regi conditionibus certis obnoxius, regnaverat, cum orientalia quædam Septemtrionis loca populatus, claſſem in reditu Sueciæ littoribus applicuit, ut narratur apud Torfæum part. 2, lib. 8, cap. 17. Excepit hoſpitem perhonorificè Sueciæ regina Sigridis, Erici Victorioſi nuper conjux, tum vidua; dum tamen in convivio facetiis plusculum indulget, convivam odioſa comparatione pupugit; haud minoris eſſe ſibi dictitans agros & prædia ſua, quàm regnum ejus totum in Norvegia. Non diſſimulavit iram Haraldus, & abrupto mox epulo, diſceſſit. Tum regina vulneri periculoſo medendum rata, tot muneribus, tantoque honore abeuntem obruit, ut placatum dimitteret. At hoc perfunctam diſcrimine, aliud excepit haud paulo gravius. Æſtate proxima Haraldus Aſtæ conjugis repudium, novaſque meditatus nuptias, dum expeditionem navalem versùs Orientem reſumit, ex itinere Sigridem ſalutat, ejuſque expoſcit atque urget conjugium. Illa procum armatum nec admittere omnino volens, nec auſa reſpuere, dehortari primùm à conſilio cœpit, Aſtæque fidem ac merita commendare, neque ſpem tamen omnem excludere : tum ubi operam ſe ſenſit perdere; verita, ne præſenti repulſa ſuperioris injuriæ vindictam accenderet, eam aſtu ſtatuit antevertere. Benignè ergo invitatum ad epulas largo paratoque perfudit mero, donec potu ſimul ſomnoque captum, ſubjectis triclinio facibus, exuſſit. Id factum Upſaliæ teſtatur Ericus Upſalenſis lib. 2, pag. 28. Nunc ad* Olavum *Haraldi filium progrediamur.*

C

§ III. Patria, tempus natale, educatio, expeditiones piraticæ.

Locus S. Olavi *AB interitu patris non multum removeri poteſt* S. Olavi *natale tempus; ſiquidem juxtà Iſlandos apud Torfæum proximè aſſignatum, jam eo gravidam Haraldus Aſtam reliquerat, cum ab illa diſcederet. Hæc verò ut & mariti exitium & decretum ſibi paulo ante ab eo repudium, ex Hranio quodam, qui ſervandæ reducendæque claſſi præfuerat, intellexit; regno (quod Haconi Comiti Norvegiæ monarchæ ceſſiſſe tum putatur) protinus egreſſa, ſeſe ad patrem ſuum Gudbrandum in Uplandas recepit. Uplandas autem & Uplandos appellant Norvegiæ mediterraneæ tractum ampliſſimum, pluribus olim regulis habitatum, nunc verò Aggerhuſienſis præfecturæ nomine comprehenſum, & ab intimo propemodum ſinûs Oſloënſis, ſeu Obſloënſis receſſu ad Septemtrionalia vergentem, de quo Undalinus lib. 2 à capite 6 uſque ad 9. In hoc tractu ſita quoque eſt Groenlandia Norvegica, quà Occaſum & Thelemarkiam, olim Groenlandiæ ſubjectam, reſpicit lacus Mios. Ibi educatum fuiſſe Haraldum diximus; eòdem confugiſſe Aſtam, ac poſthumum Haraldo* Olavum *enixam eſſe in prædio Vika, aſſerit ex codice Flateyenſi Torfæus part. 2, lib. 8, cap. 17. At enim quo tempore ?*

AUCTORE P. B.

& annus natalis; 23 *Id ſanè perobſcurum arbitror : nam ſi Iſlandos audimus apud Torfæum mox indicatum, perierit Haraldus ineunte circiter æſtate anni 995, quo & natum eorum aliqui* Olavum *ſtatuunt apud eumdem part. 3, lib. 1, cap. 14. Sequitur hos ipſe Torfæus ibidem & part. 2, lib. 8, cap. 35; tametſi fateatur, in hac re codicem Flateyenſem ſibi non conſentire, dum in Vita Olavi Trygguini trimulum fuiſſe, cum Theodrico Nidroſienſi cap. 13, aliiſque, tradit; quando ab eodem Olavo Trygguino inventus apud matrem in Uplandis fuit, anno monarchiæ ejus tertio, Chriſti 998; nupſiſſeque jam tum Aſtam Sigurdo Syri : in Vita autem S.* Olavi *ſexennem fuiſſe memorat, cum Sigurdus Syr ejus matrem ambiret,* quam etiam, *inquit Torfæus,* anno CMXCVIII uxorem duxiſſe conſtat : *itaque hîc annus ei natalis aſſignatur 992; ibi 995. Fallor, ſi inſtrumentis parum adeo cohærentibus utravis ſententia ſtabiliri tutò poteſt; maximè cum incredibile propemodum videatur,* Olavum, *ſi tam ſerò natus eſt, ea geſſiſſe, quæ ex iiſdem auctoribus paulo inferiùs referemus.*

B E

ſed hic parum certus. 24 *Loccenius, rerum Septemtrionalium peritus in paucis, tam lubricam & incertam horum temporum rationem comperiſſe ſe profitetur, ut in Hiſtoria ſua Suecorum ante annum 1150 chronologiam nullam indicare ſit auſus. Et verò ab Iſlandorum calculis plurimùm recedit Jacobus Giſlo in* Chronologia ab optimis quibuſque auctoribus collecta, *excuſaque Stokholmiæ anno 1592, cum ad annum Chriſti 998 hæc notat :* S. Olavus, rex Norvegiæ floruit, & bellum geſſit cum Olavo Skottkonung : *ad annum verò 999 :* S. Olavus filiam Olavi Skottkonung in uxorem duxit. *Adde, Pontanum Rerum Danicarum lib. 5 in eam ſententiam propendere, quæ Anlaſum illum, qui Suenonem Danorum regem anno 994 in obſidione Londinenſi adverſus Anglos juviſſe dicitur,* Olavum ſanctum *fuiſſe ſuſpicatur; eumque proinde jam tum adultum ſtatuit. Faciunt hæc omnia, ut Iſlandorum placitis non ſatis hæc res deciſa videri debeat : niſi quis velit, plus iis tribuendum nunc eſſe, quam ſeculo duodecimo voluerit Theodricus cap. 1, ubi veterum Iſlandorum chronologiam* diligentiſſimè inveſtigatam *& timidè defendit, & ſequitur infeliciter; dum Haraldum Pulchre-comatum,* S. Olavi *abavum, regnaſſe ait* anno ab Incarnatione Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, *hoc eſt, anno poſt Abnepotis ejus martyrium, juxta ipſius Theodrici computum, vigeſimo tertio.*

F

Ejus educatio uſque ad annum æt. 12 vel 15. 25 *Neque conſtat ſibi codex idem Flateyenſis, dum educationem* Olavi *deſcribit : nam, Torfæo teſte part. 3, lib. 1, cap. 14, modò enutritum affirmat apud avum maternum Gudbrandum in Groenlandia, modò apud vitricum Sigurdum Syrem, Hringarikiæ regulum. Utrumque tamen aſſertum conciliari poteſt, ſi matrem ſecutus dicatur Filius, & cum ea apud avum detentus, donec ad ſecundas nuptias Aſta tranſiit, eumque ſecum ad Sigurdum traduxit in Hringarikiam, quæ Obſloënſi ſinui versùs Aquilonem vicina eſt. Mitto quæ hîc edidiſſe Puerum narrant cum bellicoſi, tum magnifici ac liberalis olim animi ſpecimina. Octennis cum eſſet, æquales omnes ſuperaſſe fertur &*

AUCTORE P. B

corporis & ingenii viribus ; nec nisi duodecim annos agebat (ut communiter , *inquit Torfæus ibidem cap.* 15 , tria Mss. pergamenea habent ; quartum tamen pariter vetustum quindecim refert) cum primam nauticam expeditionem suscepit , Hranio , qui eum , intra tamen paternam domum , nutriverat , Nutritiusque inde , aliàs Peregrinator , dictus est , curâ ejus , donec adolesceret , custodiâque commissâ : fuit enim vir piraticæ gnarus & assuetus.

exinde expeditiones piraticæ

26 Primò cursus in Daniam directus , Ottare Nigro teste : exinde primo autumno , in Sueciam ; ubi cædibus , latrociniis & incendiis omnia miscuit , jure , ut sibi videbatur , optimo , in ultionem paternæ cædis ; eodem poëta (*Ottare Nigro*) hoc sensu versus ea de re modulante :

Vos remis agitare rates & pandere vela
Assueti , passim , zephyris spirantibus , amplis
Instructi spoliis , peragrastis Balthica regna.
In primis Cygni meritas sunt pendere pœnas
Compulsi fratres : metus omnia miscuit ingens.

Cygni fratres *hîc Sueci vocantur ab allusione nominum* Sven , *quod Suecum* , *&* Svan , *quod cygnum significat. Observari autem hîc velim , versus hujuscemodi Islandicè primùm compositos esse , & maximo apud omnes Septemtrionales in pretio , utpote æqualia temporibus , de quibus agunt , testimonia. Poëtæ enim illi , seu scaldri , ut appellantur , regum olim principumque perpetui comites ac ministri præcipui , ea fere , quibus interfuerant ipsi , præsenti carmine celebrare consueverant. Horum catalogum exhibuit Olaus Wormius , & ex illo nuper Sibbernus in Bibliotheca historica Dano-Norvegica cap.* 1 , *adjectis , sub quibus floruere , regibus ; ubi &* Ottarem Snarte , *seu Nigrum sub* S. Olavo *notatum invenies , uti & alios infra citandos.*

B

primùm in Sueciam ,

27 *In hac expeditione post superatos in mari Baltico non minus arte ac dolo , quàm virtute , Sotium & Thordum piratas , juxta Torfæum ibidem & cap.* 16 , classe Suediam ingressus (*verba sunt Loccenii , qui Torfæo brevior est Hist. Suec. lib.* 1 , *pag.* 17 ,) magis cum agris , pecoribus & villis , quàm hominibus bellum gessit , omnia circumquaque depopulatus ad lacum usque , tunc Logen , nunc Melerum dictum. Inde Sigtunam (*haud procul Stockholmiâ versùs Septemtrionem*) progressus , ponte amnem stravit ; per quem traduceret exercitum. Sed rex Suediæ (*Olavus Skotkonung*) contra eum justo cum exercitu egressus, catenâ ferreâ per lacum Stocsundium trajectâ , præsidiisque positis , ei intercluſit reditum ac tutum receptum. His angustiis circumventus Olaus Haraldi , consilium , quod præsens necessitas subjecit , ex tempore capit ; & ad Agnifitiam , ab Agno Dageri filio ita dictam , postea Stocholmiam à Stocsundio appellatam , depressiori solo , ubi nunc flumen est Australe , noctu magnâ suorum industriâ & celeritate perfosso , & aquâ denso imbre adauctâ , extraxit se cum classe sua , salvusque hinc evasit.

C

inde in Gothlandiam ,

28 *Primum hoc fuisse* Olavi *nostri bellum , scriptores Norvegi Suecique consentiunt , non hic modò , quem produxi , Loccenius , sed & Joannes Magnus Hist. Goth. lib.* 17 , *cap.* 21 , *& Ericus Upsalensis lib.* 2 , *pag.* 29 ; *quamquam hi de ætate ejus annorum* 12 *aut* 15 *altum silent , ut cui talia non admodum congruant ; quod ipse non dissimulat Torfæus loco citato , tametsi auctorum suorum fidem opinioni suæ præferendam duxerit. Erat verò , cum hæc ait à Loccenio referri ad ea tempora , quibus* Olavus *jam rex Norvegiæ factus esset : plura namque inter hæc & regnum ejus , paucis tamen his verbis interjicit :* Ita ex manibus & insidiis hostium prorsus inopinantium elapsus, quum Gothiam , Finnoniam , Frisiam , Angliam, aliasque peregrinas oras peragrasset , tandem ad suos in Norvegiam reversus est ; *ac tum demum de monarchia consequenda agitasse* Olavum *narrat : & consonant Ericus ac Magnus ; nisi quod uterque de Gothica seu potius Gothlandica incursione aliquanto uberiùs meminit ; & Ericus quidem in hunc modum :* Ille verò (Olavus , *Stocsundio mox elapsus*) partes Suecorum aggressus , accessit Gothlandiam *(insulam in mari Baltico ad Orientem Ostrogothiæ*) & magnam pecuniæ summam à Gothlandensibus extorsit ; alioquin totam terram dedisset in prædam. Tunc verò pacificè apud eos hiemabat : *anno videlicet* 1007 , *ut putat Torfæus : at ego vel serius hæc gesta crederem , vel natum citius* Olavum , robustum *nunc utique , ut observat Ericus* , & audacem.

D

Ostiliam , Finniam , Daniam , Frisiam ,

29 Primo vere (*anni sequentis*) inde in Ostiliam (*quæ Gothlandis orientalis est insula , Livonico objecta sinui , vulgò Oesel*) movit , latéque populatus , incolas cum valida manu obsistentes superat , fugientes in pœnam perfidiæ cædit : primo namque adventu pacem certâ pecuniâ pacti sunt ; ad quam recipiendam cum statuta die adesset , armis , non pecuniâ instructi confluxerunt. *Ita Torfæus ibidem , tam hujus , quam Gothlandicæ invasionis testem appellans coætaneum Siguatum Poëtam , aliis Siguardum Skald. Pergit verò :* Inde Finniam , seu Finningiam , petivit ; ubi tuto latrocinio , Finnis saltibus & latebris se occultantibus , nec manum conferere ausis , agri vastantur , præda abigitur. *Verùm* Olavus , *dum hujus dulcedine longiùs abripi se finit à littore , Finnorum insidias ægrè , nec sine suorum sanguine , evadit.* In Daniam deinde trajectum , *inquit idem* , ubi *Dano cuidam Comiti* , Thorkeli Procero (ut unum tantum Ms. exemplar *historiæ Snorrianæ , appellatum* Kringla , habet) jam ad expeditionem nauticam in procinctu se junxit ; qui in Austrum navigatione directa , maritimam Cimbriæ oram prætervecti , cum in Sudurvikam perveniſſent , in multas piratarum manus (*forte naves*) inciderunt ; prælioque commisso , multas earum in suam potestatem redegerunt. . . Secundùm hanc victoriam Frisiam Olafus petivit , jactisque ad latus Kinnlimense anchoris , populabundus incolas aggreditur ; qui vim vi repulsuri , cum illo conflixerunt ; *secundo , an adverso Marte , non additur ; annus tamen cap.* 17 *notatur , quo , secundùm Islandicos annales Norvegiæ, id acciderit , Christi* 1008.

E

F

Angliam ,

30 *Ad ejusdem anni autumnum refertur ibidem* Olavi *nostri adventus primus in Angliam ; ut qui & non multum antecesserit obitum Suenonis , Daniæ regis , Angliæque domitoris , quem Islandi affigunt anno Christi* 1009 ; *& toto triennio mortem Ethelredi , Angliæ regis , præverterit , quam illi , ibidem cap.* 19 , *anno Christi* 1012 , *vel* 1011 *illigant : nam triennium , quod Ethelredi obitus clauserit* , Olavum *transegisse in Anglia non Islandi solùm , sed & Sueci asserunt, atque imprimis Ericus Upsalensis lib.* 1 , *pag.* 30. *Et credi quidem id posset , si anni tum Suenonis tum Ethelredi fatales hîc rectè consignarentur ; at enim quantamcumque Islandicis annalibus suis auctoritatem esse Torfæus velit ; eò tamen adducet neminem , ut illos , præsertim in hac re , antiquioribus Anglicarum rerum scriptoribus comparandos , nedum anteferendos putet. Atqui horum omnium*

A *mnium teſtimonia conſonant, quibus & Suenonem apud ſe anno Chriſti* 1014, *& Ethelredum anno* 1016 *obiiſſe aſſerunt; ut videre eſt in Chronico Saxonico, Florentio Wigornienſi, Simeone Dunelmenſi, aliiſque ad annos modò deſignatos. Non poteſt ergo cenſeri* Olavus *in Angliam veniſſe paulò ante obitum Suenonis, ibique triennio, uſque ad Ethelredi mortem permanſiſſe: cum ante annum Chriſti* 1016, *etiam juxta Torfæi chronotaxim, univerſæ ſibi Norvegiæ regnum & ſubjecerit & præſens adminiſtraverit; ut infra videbitur.*

ſed hæc ultima

31 *Saxo Grammaticus Hiſt. Danicæ lib.* 10 *id factum narrat poſtquam exceſſerat è vivis Sueno,* & Olavus *Norvegiæ totius imperio jam erat potitus: tum enim à Canuto, Suenonis filio, ad ſubigendam denuò, quæ defecerat, Angliam invitatum, ſtrenuam ei operam navaſſe; donec (anno* 1016 *jam adulto) pace cum Edmundo, Ethelredi defuncti filio, compoſita, Norvegiam repetens à Canuto diſceſſerit, & iratus quidem illi, tum quòd ſe promiſſa Angliæ parte fraudaſſet, tum quod pellicem eripuiſſet Alvinam. Saxonem ſequitur Krantzius in Dania lib.* 4, *cap.* 25, *&*

B *alibi, uti & Meurſius Hiſt. Dan. lib.* 3, *ubi de Canuto Magno. Hæc ſententia conciliari nequit cum Adamo Bremenſi Hiſt. eccl. lib.* 2, *cap.* 40; *ubi ait,* inter Knut (*Canutum*) & Olaph (Olavum *noſtrum*) regem Nordmannorum continuum fuiſſe bellum, nec ceſſaſſe omnibus diebus vitæ eorum, *idque ſtatim atque obierat Sueno, Canuti pater, ut ibidem innuit cap.* 36; *neque cum Hiſtoria Norvegica, juxta quam* Olavus *nec poſt annum Chriſti* 1014 *umquam adiſſe Angliam potuit; nec Danis iſtic antea, ſed Ethelredo militavit, ſaltem ſecundùm ſelectiora monumenta, quæ contra narrationem codicis Flateyenſis Torfæus defendit eâdem ſemper parte* 3, *lib.* 1, *cap.* 19; *in quibus nulla quoque vel de promiſſa regni parte, vel de Alvina concubina fit mentio. Pugnat etiam cum Suecorum hiſtoria apud utrumque Magnum & Ericum Upſalenſem, qui* Olavum *itidem aſſerunt ab Ethelredo in Anglia contra Danos ſtetiſſe: licet extenus Adamo Bremenſi repugnent etiam ipſi; quippe qui* Olavum *noſtrum (ſive eumdem illum faciat cum* Olavo *filio Cracaben, ſive diverſum) Danis adhæſiſſe uſque ad Suenonis obitum, manifeſtè indicat, cum tunc eum narret* ſeparatum eſſe à regno Danorum; *neque poſteriorem ei profectionem ad Anglos ullam adſtruat.*

C *tam variè deſcribitur,*

32 *Alii* Olavum *multo citius in Anglia ſiſtunt; ut Joannes Wallingfordus, qui ſeculo decimo tertio ineunte floruit, & anno* 1691 *inter ſcriptores hiſtoriæ Britannicæ quindecim editus eſt Oxoniæ: is enim eumdem hunc* Olavum *fuiſſe affirmat pag.* 550, *qui Suenonem juverit in obſidione Londinenſi (anno* 994) *ac martyrio deinde & miraculis coruſcaverit. Hunc non viderat Pontanus, opinor, cum in eamdem ſententiam, ut ſupra monebam, inclinaret, atque ita intelligendos crederet ſeculi duodecimi auctores Anglicanos; quantumvis nomen immutantes,* Anlafum *appellent, cum de obſidione Londinenſi agunt ad annum jam memoratum;* Olavum *verò deinde &* Olafum *ad annos Chriſti* 1027 *& ſequentes, ut videſis in Chronico Saxonico, Florentio Wigornienſi, & Simeone Dunelmenſi, ut recentiores omittam; qui omnes (ſi primum excipias) Anlafi ſui expeditionem brevioſſimis terminis circumſcribunt: veniſſe enim illum aiunt cum Suenone, & Londinum invaſiſſe* VIII *Septembris anni* 994; *inde verò per varias provincias incendio, vaſtatione, cædibus fœdaſſe omnia, donec ingenti pretio delinitus, in Southamptonia per hiemem, Anglis ex condicto victum* AUCTORE P. B. *præbentibus, conquievit: quo tempore Ethelredus eum, quanto potuit ſtudio, à Suenonis partibus abſtractum, ita ſuis aſſeruit, ut ab ipſo Ethelredo in Sacramento Confirmationis ſuſceptus, æſtate proxima Norvegiam repeteret, pollicitus, quod & præſtitit, numquam ſe Angliam hoſtili animo reviſurum. Dixi: Si primum excipias: nam Chronicum Saxonicum illum etiam anno* 993 *in Anglia bellantem exhibet, & pace, ſeu induciis factis, ab Ethelredo* in Conſecratione (*id eſt, Baptiſmo, ut ex Cangio patet*) ſuſceptum. *Sed de Baptiſmo agemus inferius.*

ut nihil certi poſſimus elicere.

33 *Anlafum tamen hunc ab* Olavo *noſtro diverſum, atque adeo Olavum Tryggonicum fuiſſe, contendunt Alſordus noſter ad annum illum, & Torfæus part.* 2, *lib.* 8, *cap.* 17 & 29; *& verò momentis etiam gravibus non caret eorum opinio. Sed quid ego hiſce diutiùs memet ipſe piumque lectorem fatigo; cum neque ſanctitatis* Olavi *interſit, hæc ſciri; neque in tanta ſcriptorum diſcordia ita definiri ex uno poſſint, quin labefactentur ex aliis? En tibi interim breviter quæ tum ibi, tum alibi, extra patriam geſſiſſe Heroëm noſtrum ex Snorrii Sturlæi, Iſlandi (qui ſeculo decimo tertio claruit) compendio verbis totidem, niſi quod parentheſes ſuas interſerit, Latinè refert Torfæus part.* 3, *lib.* 1, *cap.* 19: Filius Haraldi Pulchricomi fuit Biornus, Gudriodi pater; Gudriodus autem Haraldi Groenskii pater erat, illius, qui uxorem duxit Aſtam, Gudbrandi Kulæ filiam. Eorum filius fuit Olavus Craſſus; qui puer patriâ cum nutritio ſuo Hranio exceſſit. Primus ei conflictus ad ſcopulos Sotinos; ſecundus in Eſthonia; tertius in Suurvica, Daniæ provincia; quartus in Vinlandia (Finnlandia legendum;) quintus in Kinnlimaſida adversùs equites.

E

Compendium geſtorum ejus extra patriam,

34 Inde in Angliam conceſſit; ubi ad pontem Londinenſem conflictus ſextus, adverſùs Danos, qui ibi bellabant, prædoneſque facti ſunt (verſuque Siguati Poëtæ confirmatur.) Dani pontem propugnabant: Olafus Ethelredi partes ſecutus, oppugnabat (Ottaris Nigri verſus in teſtimonium citatur integer.) Septimus in teſquis Ringmarenſibus (prælium Ringmarenſe Simon Dunelmenſis de Geſtis regum Angliæ ad annum MX memorat.) Octavus, cum Cantuariam expugnaret, adversùs Danos & Vandalos; nam & illi Knuto militabant (Siguati verſus affertur.) Nonus ad fluvium Nyamodam, contra Danos (Siguati rhythmus iterum adducitur.) Decimus adverſus Danos piratas in loco Hole, ubi caſtellum quoddam diruit. Undecimus in Griſlupollis. Inde Occidentem versùs profectus, in ſinu Fetlenſi duodecimum certamen geſſit. Auſtrum verſus inde movens, decimum tertium prælium in Seliupollis ciebat, expugnatoque oppido Gunnvaldsburgo, Comitem Geirſinnum comprehendit.

F

à Snorrio Sturlæo deſumptum.

35 Inde Auſtrum versùs ad fluvium Karlſa procinctum movit; utramque ripam infeſtabat, diuque ibi adverſis ventis detentus, cum Niorvaſundam (fretum Gaditanum) meditaretur, monitus eſt, Deum nolle, eum in Auſtrum longiùs procedere; ſed potiùs, ut pattiam Norvegiam repeteret, ibique rex in æternum permaneret. Deinde Rex in Pictaviam retro movit, ingreſſuſque Leiram (Ligerim) oppidum Varandi poſt editum certamen exuſſit. Proxima hieme in Siguo, aliis Signa (oppidum aut pars aliqua Normanniæ eſt) reſedit, præmiſitque in Angliam Hranium, nutritium ſuum cum muneribus & promiſſis ingentibus ad alliciendos magnatum animos; quod

AUCTORE P. B.

ille fideliter executus, usque Londinum pervenit. Proximo vere Olafus in Angliam trajecit, decimumque sextum prælium in Jungfurda gessit. Decimum septimum ad Valdiam (Carmen Siguati poëtæ, Chronicis omnibus notatum, vicies cum hoste collatis signis cum pugnasse liquidò tradit.) *Hæc ibi; obscurè, ut patet; sed si verè, quis non miretur historicorum, Anglicorum imprimis, silentium?*

§ IV. Baptismi ejus tempus ac locus; reditus in patriam, regnique primordia.

Jam olim dubitatum est,

Quæ de Olavo *dicta sunt paragrapho superiore, facilius ignorari quilibet patietur, quàm, quæ cum illis conjuncta fuit, ejus ab avitis superstitionibus ad Christi Baptisma conversionem. Est verò hæc certissima, & ab auctoribus plurimis passim asserta, sed non uno ab omnibus loco ac tempore: neque enim agitari desiit, quæ à sæculo duodecimo inter ipsos etiam Norvegos agitata fuit controversia, tribus distracta sententiis, ut ex Theodrico Nidrosiensi liquet; qui cap.* 13, *cum narrasset, Olavum Tryggonis filium, Norvegiæ ab anno* 995 *usque ad* 1000 *monarcham, venisse ad Uplandas, ibique inveniisse cognatum suum* Olavum *nostrum unà cum Asta matre, trium annorum puerulum; continuò subjicit:* Tunc & eum (*S. Olavum*) unà cum matre, ibidem, secundùm quosdam, baptizari fecit: alii contendunt, eum in Anglia baptizatum: sed & ego legi in Historia Normannorum, quod à Roberto in Normandia Rothomagensi metropolitano baptizatus fuerit.

B

quo loco ac tempore baptizatus fuerit Sanctus:

37 *Opinionem primam ceteris, ut verisimiliorem, præfert Torfæus part.* 3, *lib.* 1, *cap.* 14; *sed nullum addit argumentum. Eamdem adstruit Vita fabulosa in Ms. Ultrajectino, quatenus lustratum illum sacro fonte asserit in Norvegia; variat in eo tamen, quod adultum fuisse tum indicet, non puerum; nec de Olavi Trygguini interventu meminerit. Secunda est Joannis Walingfordi, qui eum tempore obsidii Londinensis (anno* 994) *Ethelredo suscipiente, baptizatum affirmat pag.* 548, *& Joannis Magni, qui tamen minus clarus est, cum eum lib.* 17, *cap.* 23 *ait* cooperatione Mildredi (*Ethelredi*) Anglorum regis, Baptismatis sacramento ablutum fuisse: *quibus accedit Chronicum Saxonicum suprà citatum* § 3, *num.* 32, *juxta illos saltem, qui per Anlafum intelligi volunt* Olavum *nostrum. Tertiam præ ceteris probasse videtur ipse Theodricus, quando hanc solam ratiocinio confirmare nititur, quod ibi legi malim, quàm hîc adscribere, cum omnino sit parachronicum; utpote Robertum Franciæ regem cum Willelmo Normanniæ duce conjungens. Eamdem ante Theodricum defendit Willelmus Calculus, monachus Gemmeticensis, Hist. Normannorum lib.* 5, *cap.* 12; *eamdem Thomas Walsingamus, à Camdeno editus, in Hypodigmate Neustriæ pag.* 429; *eamdem Vita Ms. Bodecensis infra cap.* 1, *num.* 2; *Lectiones Breviarii Slesvicensis anni* 1512; *& antiqui Breviarii Nidrosiensis, teste Torfæo mox assignato; imo & Proprii moderni Suecorum; eamdem Vastovius in ejus Vita; Pommerayus in Historia archiepiscop. Rotomag., ubi de Roberto I, pag.* 245, *aliique.*

C

38 *Sanè nisi vera sit hæc postrema sententia, difficile dictu erit, unde eam excogitare potuerit monachus Gemmeticensis, aut qua fronte scriptis publicis sit ausus asserere, vix toto sæculo post factum elapso; ex tabulis Rotomagensibus, si falsum scriberet, facile revincendus. Tum nisi vera sit hæc opinio, credi vix poterit fieri potuisse, ut eam, rejectis aliis, ecclesiæ Daniæ, Sueciæ, ipsiusque adeo metropolitana Norvegiæ jam olim in Officio recitandam adoptarint; cum Norvegorum præsertim illustrius id esset episcopis, si eis potiùs, quàm externo, melioris vitæ primitias debuisse secundùm Deum Rex tam sanctus crederetur. Neque nos igitur dubitamus asserere, id Rotomagi contigisse; sed quo tempore? Henschenius noster in Commentario historico de S. Sigfrido ad diem* XV *Februarii* § 1, *num.* 3 *assignat annum* 993, Olavo *nostro tribuens, quæ apud scriptores Anglos de Anlafo legerat: verùm obstant Calculus & Walsingamus, quorum ille testis est in hac re gravissimus; ambo enim id accidisse asseverant operâ Richardi II, Normanniæ ducis (qui patri primùm successit anno* 996) *& post obitum Suenonis, Daniæ regis, qui incidit in annum* 1014, *& initium Februarii. Validum hoc telum est in eos, qui Anlafum illum, ut supra vidimus, cum* S. Olavo *confundunt.*

D

nos tamen id factum putamus Rotomagi;

E

anno circiter Christi 1014.

39 *Videtur ergo salutaribus expiatus undis* Olavus *anno eodem, quo regressus ad suos, Norvegiam universam sibi cœpit subjicere, hoc est* 1014. *Neque video, quid huic sententiæ magnopere possit incommodare: vivebant tum certè omnes, qui tanto negotio occasionem, Willelmo teste, præbuerunt; Richardus II, Normanniæ dux; Robertus I, archiepiscopus Rotomagensis; Odo, Comes Carnotensis. Adde, juxta ipsos etiam Islandos, apud Torfæum part.* 3, *lib.* 1, *cap.* 18, Olavum *anno illo in Normannia usque ad vernum tempus fuisse commoratum. Sola objici potest rerum à Calculo narratarum series; ut quæ videatur innuere, id contigisse ante expugnatum à Roberto, Galliæ rege, & Richardo II, duce Normanniæ, Milidunum; cum hoc ibidem narretur post* Olavi *Baptismum cap.* 14. *Qui proinde, si servatus est ordo, reponendus videbitur ante annum Christi* 999, *quo hæc Milidunensis oppressio ex Chronico Floriacensi notatur apud Labbeum in Chronologia historica, & Danielem in Historia Galliæ. Sed reponi potest, non semper ab historicis temporis ordinem, cum facta narrant disparata, servari; atque adeo sæpe ne sciri quidem. Sic idem Willelmus* Olavi *Baptismo Ethelredi mortem præmittit ibidem cap.* 9, *cum illum sine dubio secuta sit. Porrò nomen in Baptismate non videtur immutasse, quidquid in annotatis hoc die ad Martyrologium Romanum id velit Baronius ex inspecta minus, ut apparet, accuratè Historia Joannis Magni lib.* 17, *cap.* 21; *ubi narrat,* Olavum regem Jacobi nomine in Baptismate appellatum fuisse: *sed alius hic est Olavus à nostro, Sueciæ rex, non Norvegiæ. Adi Ericum Upsalensem lib.* 1, *in fine.*

F

quo & in patriam rediit Olavus,

40 *Postquam verò Rotomagi* S. Olavus cum nonnullis suorum, hortante Roberto archiepiscopo, ad fidem conversus esset, atque ab eo Baptismate lotus, & sacro Chrismate delibutus, de percepta gratia gaudens, ad regnum suum regressus est, *inquit Calculus lib.* 5, *cap.* 12. *Alii tamen aditam ab eo priùs Angliam, atque inde Norvegiam tradunt. Ad Angliam refert Theodricus Nidrosiensis, quod ante discessum in Norvegiam ei accidisse narrat cap.* 15 *his verbis:* Fertur, quod tunc Olavus adierit quemdam heremitam, magnæ sanctitatis virum, qui ei multa prædixerit, & quia

A quia largiturus ei esset Dominus abundantiam gratiæ suæ, nec non & quali morte ex hac luce migraturus esset ad Christum. *Annales Islandici apud Torfæum part. 3, lib. 1, cap. 20 per Northumbriam illum circumducunt; ubi expugnato portu Valdensi, duas conspicuæ magnitudinis naves confici curaverit, singulisque sexaginta delectos & cataphractos milites imposuerit, cum quibus, reliqua classe exercituque dimissis, patriam repetierit, ut eam tum ab Hacone, ejusque patruo Suenone, Jarlis seu Comitibus, fiduciario jure pro Sueciæ Daniæque regibus administratam, externo tandem jugo exsolveret, sibique, si posset, & Christo (quod jam facere cœperat pridem Olavus Trygguinus cognatus ejus) vindicaret. Ac de navibus quidem duabus numeroque militum loricatorum consentit his etiam Theodricus loco citato; ubi reditum ejus ad suos ita prosequitur.*

ut eam indigna servitute liberatam,

41 Prospero igitur cursu transmisso oceano, applicuit primò, quodam divino præsagio, ad insulam quamdam (*juxta Torfæum*, in medio Norvegiæ tamquam umbilico sitam) quæ maternâ linguâ nostrâ dicitur Sæla, Latinè verò interpretatur Felicitas, nimirum portendens futuram Viri beatitudinem, & quia spem felicitatis æternæ toti patriæ auspicio sui adventûs invexerit. Abhinc navigavit in locum, qui dicitur Sautungsund (*Torfæo* Ulfasunda, *ad Austrum Sælæ*) ubi & moratus est aliquot dies. Ibi tunc perlatum est ad eum, adventare Hacon, Filium Erici (*& in majorem regni Norvegici partem successorem*) cum duabus navibus, una parva, quam nos vocamus scuta, altera longa, quam antiqui vocabant liburnam ... Quo comperto, Olavus noster excogitavit hujusmodi laqueum. Fecit naves suas altrinsecus econtrà locari; &, quia locus erat angustissimus, cordas inter ipsas naves tendi, quæ tamen fluctibus operirentur, ne dolum detegerent; ut dum ibi incauti irretirentur, illæsi & sine sanguinis effusione, si fieri posset, caperentur: quod & ita contigit. Nam adveniens Hacon, nil aliud suspicatus, quàm esse mercatores, ilico à Rege captus est. Ibi tunc abjuravit totam illam partem Norwagiæ, quam ipse tenuerat: inde profectus est in Angliam, *ad Canutum Magnum, cujus erat ex sorore nepos.*

B

C *sibi, ut legitimo regi, subderet.*

42 *Hoc obice tam feliciter sublato, restabat alius; Sueno videlicet Jarlus, Haconis, ut dixi, patruus; qui reliquam Norvegiæ partem post victum Olavum Trygguinum à Sueciæ rege sibi commissam obtinebat: is enim, teste ibidem Theodrico,* cum audisset adventum beati Olavi, collecto exercitu mox illum insequitur. Olavus verò rex (hoc enim nomen à suis jam sortitus fuerat, more antiquorum Romanorum; quia & ibi exercitus sibi solebat creare imperatorem & regium nomen imponere) diffidens de auxilio Throndensium (noverat enim eorum facilitatem & inconstantiam) secessit in superiorem provinciam, ibique hiemavit cum vitrico suo Siuuardo (*alii Sigurdum appellant*) & Asta matre; *nihil interim negligens, quo & vitricum & ceteros Uplandorum regulos ad regem se totius Norvegiæ hereditario jure legitimum agnoscendum & proclamandum adduceret; id quod ab iis elabente circiter eodem anno reparatæ salutis* 1014 *in solennibus secundùm Uplandorum leges comitiis consecutus est. Tum verò Suenonem Comitem cum infesto exercitu sibi proximo vere occurrentem apud Vikam (Australis hæc erat Norvegiæ tractus sinum ambiens Obsloënsem) navali certamine ita contudit, ut is in Sueciam, ubi brevi pòst obiit, profugus, vacuam faciAUCTORE P. B.

lemque Norvegiæ totius monarchiam Victori reliquerit; ut videri latiùs potest apud Torfæum part. 3, lib. 1, à cap. 22 usque ad 27: neque enim hic nobis nisi summa rerum capita, & ea quidem selecta, propositum est recensere.

Et verò regnare ibi cœpit eodem anno;

43 *Quod ad annum pertinet, quo ad regni fastigium fuerit primùm evectus, in eo non obscurè conveniunt auctores rerum Aquilonarium præcipui; ut Adamus Bremensis lib. 2, cap. 26 & Saxo Grammaticus lib. 10 in Canuto Magno, dum Olaviani regni primordia cum Suenonis Daniæ regis obitu, qui anno* 1014 *ab Anglis consignatur, proximè conjungunt. Hinc forte Grevenus, qui in Usuardi sui prima editione obitum* S. Olavi *notaverat anno Christi* 1028, *in secunda notavit anno* 1026; *quod vel apud Adamum in aliquo exemplari, vel apud Albertum Stadensem legisset, illum regnasse annis duodecim; quos proinde ab anno* 1014 *numerandos credidit: eoque id magis, quod eum* IV *Kal. Augusti, feriâ sextâ, occisum putaverit, ut* § 9, *num.* 101 *dicetur. Theodricus quoque Nidrosiensis cap.* 19 *occubuisse ait beatum* Olavum *anno, de quo postea dicendi locus erit,* 1029; *postquam annis* 15, *ut cap.* 20 *narrat, regnum obtinuisset: initium igitur regni ejus ab eodem anno Christi* 1014 *repetit. Quin ipse etiam Ericus Upsalensis, tametsi illud lib.* 1, *pag.* 30 *aliquamdiu post obitum Ethelredi regis Anglorum differat; cum paulo tamen inferiùs annum cadis* Olavi *statuat* 1028, *eumdemque subinde regni ejus decimum quintum, ad eamdem omnino (si annum decimum quintum incompletum intelligas) sententiam redigetur. Neque huic refragari censendi sunt recentiores alii, qui regnum ejus auspicantur ab anno Christi* 1015; *sive quòd finem anni præcedentis negligendum putaverint; sive quod anno demum illo absolutum, victo exacloque Suenone Jarlo, imperium sit adeptus.*

E

quamquam anno tantùm sequente

44 *Nam vix, partâ victoriâ, cognovit* Olavus, *regno excessisse Suenonem Comitem, cum* Occidentalia Vikæ, *inquit ibidem Torfæus cap.* 26, usque promontorium Lidandisnesiam prætervectus, magno populi confluxu exceptus, ubique rex pronunciatur anno MXV. Inde certior, Erlingum Skialgum (*qui Suenoni militabat*) magnum militum numerum contraxisse, in Aquilonaribus Agdiæ partibus moras amputabat, ventique ad votum spirantis opportunitate usurus, in Thrandiam magnis itineribus contendit, plurimum referre ratus, si populosissimas regni provincias, dum Comes procul abesset, sibi subjiceret. Nec fefellit opinio: nam ut primùm eò pervenit, absque ulla tergiversatione omnium suffragiis rex creatur; Nidarosiæque per autumnum consedit; ubi omnia, quæ ad victum hibernum requirebantur, instrui curavit, palatiumque regium, ædemque sacram, memoriæ S. Clementis dicatam, in eodem loco, quo auctoris, qui hæc scripsit, tempore sita erat, exstrui *&c. Visum hæc fuit exscribere, quòd inde eluceseat, quantopere ab ipso regni aditu Christiana ei religio cordi fuerit.*

F

monarchiam universam obtinuerit.

45 *Interea Sueno Comes seu Jarlus, dum & Russorum spoliis & viribus Suecorum adjutus, amissas nuper ditiones recuperare meditabatur, in ipso belli procinctu tentatus morbo, vivere sub autumnum ejusdem anni desierat: cujus rei nuntius nutantes alioqui provincias aliquot* Olavo *sic asseruit, ut solum hunc ultro regem Norvegiæ totius non expeterent modò, sed & rite singulæ proclamarent, & pensis mox regiis vectigalibus profiterentur. Ussit id Olavum Skotkonung, Sueciæ regem, maximè cum ex provinciis sibi sub Suenonis administra-*

AUCTORE P.B.

nistratione per Norvegiam tributariis nihil per exactores, hac hieme de more submissos, potuisset extundere; imò corum aliquos suspendio mulctassèt S. Olavus, *quòd populum sibi jam subditum, postquam id ipse fieri disertè vetuisset, exactionibus improbis vexare porrò obstinatiùs perrexissent. Bellum igitur & gravissimum, & minimè dubium imminebat; sed illud susque deque tantisper habens* Olavus *noster, priùs sibi regnum legibus formandum, quàm defendendum armis decernit: ut modò ex Historiæ Norvegicæ, quam & hîc secuti jam fuimus, part. 3, lib. 2, cap. 2 referemus.*

§ V. Jus civile & canonicum ab eo conditum; liberatæ provinciæ; pax facta cum rege Sueciæ; zelus pro religione Christiana; pietas singularis & quotidiana; Sigurdi obitus.

B

PRoximo vere (*anni scilicet 1016, juxta Islandos ibidem cap. 2*) Rex Thrandis expeditionem in Australes Orientalesque regni partes injungit. Mox toto regno sapientissimum quemque, sine ullo divitiarum respectu ad se convocavit, legesque, quas Hacon Adalsteini alumnus (*primus Norvegiæ rex Christianus ab anno Christi 935 usque ad 950, ut censet Torfæus Hist. Norveg. part. 2, lib. 1, append. 2*) in Thrandia condidit, sibi exponi curavit; iisque ex illorum consilio, prout videbatur, vel dempsit vel addidit. Jus autem canonicum, quod Christianett, seu Ecclesiasticum jus appellabat, ex sententia Grimkelis sacerdotumque composuit, summaque ope nixus est ad exstirpandum ethnicismum, pravosque mores, Christianæ professioni noxios; eóque rem deduxit, ut cives in leges, quas tulit, consentirent, seque ad earum obsequium jurejurando obligarent. Nec illa solicitudo regni limitibus terminabatur: majora de Christiana re mereri cupiens, anxiè in vicinarum gentium mores & instituta, præsertim quæ religionem spectabant, inquirebat; Orcadensium nempe, Hialtlandorum, Færeyensium, & Islandorum; variaque in singulis vitia & defectus observabat... *iisque* articulos illos, quos Christianæ pietati adversantes legibus eorum eximi voluit, misit.

Anno 1016 leges condit civiles & ecclesiasticas,

C

47 *Cum Grimkelem hîc audis appellari, antistitem illum intellige, quem cum aliis tam episcopis, quam presbyteris multis adductum ex Anglia à* S. Olavo *tradit, commendatque imprimis à doctrina & virtutibus Adamus Bremensis Hist. eccl. lib. 2, cap. 40; in quem locum consuli possunt, quæ observat Torfæus part. 3, lib. 3, cap. 10. Quantum verò huic ejusque sacerdotibus tum ipse detulerit, tum à suis deferri voluerit Rex sanctus ab ipso statim regni principio, textus modò descriptus indicat; quem confirmat laudatus Bremensis de iisdem adjiciens:* Quorum monitu & doctrina cor suum Deo præparavit (*S. Olavus,*) subjectumque populum ad regendum commisit. *Itaque à Regis latere vix umquam discedebant; in publicis autem consessibus secundum ab eo locum occupare consueverant; ut palam fit ex descriptione palatii Nidrosiæ anno superiore, uti diximus, ædificati, ubi juxta Torfæi narrationem part. 3, lib. 2, cap. 1,* in medio cœnaculo solium Regis erat; suprà (sive à dextera) collocatus Grimkel episcopus cum sacerdotibus; infrà (sive à sinistra) consiliarii *&c. Idem denique hic est ille Grimkel, qui Martyris deinde nostri corpus è terra sustulit. Sed ad cœptam redeamus historiam.*

& has quidem ex episcopi & sacerdotum sententia;

D

48 His peractis, in Australes partes procinctum movit (*S. Olavus*) in singulis præfecturis aliquantisper moratus. Ubi convocatis in curias judiciales civibus, leges, quæ Christianismum munirent, publicè recensitæ, pravæ consuetudines abrogatæ, moresque idololatriam redolentes vetiti, qui Comitum (*Erici, Suenonis, Haconis*) tempore irrepserunt: nam licet legum auctoritatem severè vindicarent, Christianorum tamen sacrorum nulla illis cura; religio cujusque arbitrio permissa. Inde factum, ut passim circa maritima omnes quidem sacro lavacro abluti; plurimi tamen Christianarum constitutionum ignari essent; mediterranea autem, montana, & valles ethnici tantùm incolebant: nam cum suo quisque arbitrio circa divina sentiret, id singulorum mentibus maximè inhærebat, quod in juventute didicerant. Tam periculosæ licentiæ fræna ut injicerentur, gravis pœna universis & singulis novæ legis prævaricatoribus, absque ullo conditionis sortisque respectu adjecta est; cujus metu ubique in obsequium Regis, tandem etiam absque contradictione, juratum. *Itaque jam tum elogium illud promereri cœperat, quod ei Theodricus cap. 16, ubi leges jam dictas egregiè laudat, adscribit in hæc verba:* Et, ut breviter concludam, ad hoc tantùm principabatur mortalibus, ut eos ad immortalitatis gloriam, quantum in se esset, perduceret.

quæ toto regno promulgatæ ac receptæ sunt.

E

49 *Nequaquam tamen interea dum apostolum videbatur agere, quæ regis erant, intermittebat: tantum enim illi Deus in eadem expeditione auctoritatis afflavit, tantum subditis amoris ac studii; ut, cum ad Vikam accederet, diffugientibus, qui hactenus ibi sub Erico & Hacone consederant, regis Daniæ præfectis, ultro ei ab omnibus & obsequium, & census regii ac vectigalia deferrentur. Quin & Tonsbergâ Gothiam versùs cursum instituens, provinciam Bahusiensem, à Suecis pridem occupatam, ad pristinam fidem benevolentiâ reduxit, non armis; nisi quod Eilifum, Sueciæ istic regis præfectum, civium voluntati obstrepentem, Thorer quidam Procerus, Norvegici Regis emissarius, per tumultum obtruncaverit. Inde insulis aliquot vicinis locisque maritimis receptis, affecta jam æstate Raumelfam usque, qui Bahusiensi præfecturæ versùs Aquilonem propinquus est, revectus amnem subiit, oppidumque mox Sarpsburgum, Virgini Deiparæ dicatum, excitavit; autumnum ibi proximum & hiemem exacturus: Hist. Norveg. ibid. capp. 3 & 4. Sarpsburgum verò, ut notat Undalinus lib. 2, cap. 5, à Suecis anno Christi 1617 redactum est in cineres, pro eoque urbem aliam, mari tamen aliquanto propiorem, exstruxit rex Daniæ Fridericus II, quæ ab ejus nomine Fridrichstadum appellatur.*

Eodem tempore occupatas à Danis Sueciæque provincias recipit,

F

50 *Non poterant hæc sic abire, quin irritatos antea satis cum Sueciæ tum Daniæ regum animos acerbissimè exulcerarent. Minùs tamen erat præsens à Canuto Magno (tum rebus Anglicis nimis occupato, quàm ut alias cogitaret) periculum. At Olavum Suecum malè omnes metuebant, ut quem non belli causæ tantummodo, sed & proludia quædam incitarent: hac enim eadem hieme Huitius quidam à* S. Olavo *ad exigenda per Jamtiam tributa proficisci jussus è Thrandia, cum jam omnia*

anno 1017 legatos ad Sueciæ regem de pace acturos destinat,

A

nia congeſſiſſet, à Suecis militibus, in quos forte inciderat, ſpoliatus primùm, dein cum comitibus undecim occiſus erat. Aliquanto etiam ante interdicta fuerant inter utramque gentem commercia. Odium verò Olavi Suecici adverſus Norvegicum eò excreverat, ut nec regem illum, nec aliter quam Craſſum *compellari umquam pateretur. Quod ei cognomen, tametſi ex contemptu natum, ob corporis tamen habitudinem deinceps adhæſit. Atque hæc quidem, ut aliud nihil addam, belli erant jam cœpti indicia manifeſta. Terrebat illud verò præ ceteris Vikenſes; qui Regem proinde conati ſunt exorare, ut, miſſis ad Suecum legatis, conditiones pacis offerret. Fecit hoc ille tum quidem circa autumnum anni* 1017 *: ſed cum jure ſuo ne ad latum quidem unguem ſtatuiſſet cedere, metum iſta legatio auxiſſet potiùs, quam ſpem vel minimam feciſſet, niſi alio fuiſſet ſubnixa præſidio.*

qui & eam concedere, & filiam Sancto deſponderè cogitur.

B

51 *Mirificè enim ad hoc negotium Regi noſtro profuit, Occidentalis Gothiæ comitem Rognualdum (alii Ragualdum vocant) amicitia ſibi ac fœdere æſtate nuperrimâ devinxiſſe; ut ut hoc ipſum fœdus, cum Olavo Tributario primùm innotuerat, bilem ejus vehementiſſimè accendiſſet. Hujus itaque ductui & conſiliis permiſſa legatio fuit; quæ cum apud regem implacabilem diu protracta, nihil proficeret; tum verò Rognualdus non conſiliis, ſed auctoritate, qua valebat, agendum intelligens, anno* 1018 *ineunte, in Sueciam ipſe proficiſcitur; ibique re cum Thorgnyre, nutritio ſimul & agnato ſuo, eodemque ſupremo Upſalenſium judice, ac ſummæ apud ſuos exiſtimationis viro, cummunicata, ſic hujus ope in proximis regni comitiis uſus eſt, ut, comprobante Olavi Norvegici poſtulata populo, iis aſſentiri regem Sueciæ vel invitum fremententemque coegerit; quippe qui non ſeditionis modò, niſi id faceret, verùm etiam regni ac vitæ periculum apertè proſpiceret. Ita & pax* Olavo *noſtro iiſdem, quibus propoſita fuerat ab eo conditionibus, data; & Ingigerdis, ſeu Ingris, Olavi Suecici filia (nam & hanc expetierat) deſponſa fuit. Adi-ſis hæc omnia pluribus enarrantem Torfæum ibidem à cap.* 4 *uſque ad* 11; *aut, ſi mavis, Loccenium Hiſt. Suec. lib.* 1, *ubi de Olavo, cognomento Tributario Rege, Suecicè* Skattkonung. *Nos viam relegimus, quam, ne legationis ordo interrumperetur, prætervecti jam ſumus.*

C

Uplandas interea luſtrat S. Olavus, ac religionis Chriſtianæ ſtatum,

52 *Vix legatos jam dictos* S. Olavus *in Sueciam direxerat, quando ipſe eodem* autumno anni MXVII Sarpsburgo profectus, Vingulmarchiam primò tranſivit, eo ordine obſervato, ut ſemper in ſuperioribus (*id eſt, Uplandis, de quibus ſupra monui* § 3, *num.* 22) diverſaretur, eóque reliquarum partium incolas, præcipuè verò cultiorum provinciarum populoſiſſimarumque, convocaret. Ubique in religionis ſtatum ſolicitè inquiſitum, cujus cultus ſeverè ubique injunctus, abuſus abrogatus. Dati, & per provincias locis maximè idoneis ſparſi paſtores gregis, quot opus erat, qui curam ejus gererent. Pœna, ſacra averſantibus, exilium, vel manuum vel pedum mutilatio: aliis oculi eruti, alii capite plexi, alii patibulo ſuffixi. Nemo impunitus evaſit, nullo ordinum opumve diſcrimine pœnæ exactæ, nullus geometricæ proportionis reſpectus. *Ita ex Mss. ſuis Torfæus part.* 3, *lib.* 2, *cap.* 7. *At ſi nullo diſcrimine exactæ ſunt pœnæ, ſi nullus geometricæ proportionis fuit reſpectus; cur non eadem omnibus, qui Chriſtiana ſacra averſabantur, inflicta pœna eſt; ſed aliis exilium, aliis mutilatio &c.? Nimirum per averſationem illam hîc ſignificare noluit auctor qualecumque in illis Chriſtianæ religionis odium; ſed tale; ut per diverſa crimina, quibus diverſa reſponderit pœna, ſe prodidiſſet; puta fidei præcones perſequendo; neophytos vexando; ſacroſancta myſteria ſacrilegè profanando; aut iis etiam ad præſtigias, quibus (teſte Adamo Brem. lib.* 2, *cap.* 40) *tota illa barbaries exundabat, abutendo; conventus ſacros diſſipando; ſacella deſtruendo; fidem, ſemel cum baptiſmo ſuſceptam, abjiciendo, ut infra dicitur* § 9, *num.* 96, *aliiſve hujuſcemodi pluribus. Sed hiſtoriam proſequamur.*

AUCTORE P. B.

53 Raumarichiam (*præfecturam in iiſdem Uplandis ſitam, de qua Undalinus lib.* 2, *cap.* 6) cum trecentis militibus ingreſſus, quanto ad mediterranea provectus eſt, eo minorem Chriſtianæ fidei notitiam deprehendit; inſtitit tamen eadem ſeveritate in pœnis, ni pareretur, exigendis perſeverare. Inde ad Raumarichiæ regem (*imò regulum*, Olavi, *ut ceteri erant omnes, ſubditum*) aſſiduus punitorum, bonis mulctatorum, vel relegatorum confluxus adeo eum terruit; ut, quò ſe verteret, neſciret. Cum autem Hrærekus, Heidmarchiæ rex, eorum (*regulorum Uplandicorum*) eſſet ſapientiſſimus, conſilia ejus requirere ſtatuit. Ad eum igitur profectus, quo in ſtatu res ſuæ eſſent, exponit. Placuit Gudriodum, Dalorum regem, & Hadalandiæ regem arceſſere. Omnes in villa Heidmarchiæ Hringiſakro (*nunc Rindſaker; ubi ingens fluvius, qui Gudbrandzdalos, vulgo Gulbrands Dalen perluit, in lacum Mios, quem alii Mois appellant non ſine duorum lacuum multum à ſe invicem diſtantium confuſione, effunditur;*) ubi Hringus rex, Hræreki frater, habitabat, convenerunt. Hi quinque ſimul inter ſe ſeorſim colloquebantur. *Colloquium verò illud, ut in pauca totum contraham, in conſpirationem deſiit adversùs* Olavum; *ut quo ſuperſtite nulla ipſis libertas, ſalus nulla ſperanda foret. Dies ergo facinori conſtituta, qua Regem iſtuc acceſſurum noverant; convocati ex provinciis ſingulis civium primarii; ſatrapæ quoque ex ſingulis regnis cum trecentis quique militibus ad præfinitum tempus adeſſe juſſi: dum reguli interea ibidem conviviis indulgerent.*

& hunc tam ſeverè; ut reguli id non ferentes, ei necem moliantur;

54 *Conſultationi verò eorum interfuerat Ketill quidem Kalfus; qui conſcenſa mox nave lacum emenſus, & poſtridie ad* Olavum *à matutinis precibus redeuntem perveniens, ei conjurationis ordinem omnem aperuit.* Rex igitur dicto celeriùs amandat, qui equos undique conquirant, alios ad lacum, ad naviculas, quot poſſent, in adventum ſuum præparandas. Inde templum accedens, Sacra celebrari juſſit; quibus peractis, à prandio ingenti celeritate ad lacum profectus, Ketillis nave cum comitibus, quot capere poterat, conſcenſa, reliquos in naviculas transferendos diviſit. Adulto veſpere, tranquillo ſtagno remigatum eſt: principio lucis cum omnibus copiis, quæ quadringentis militibus conſtabant, Hringiſakrum perventum, cuſtodibus nihil de eorum adventu ſentientibus: *ædes, in quibus unà degebant, inermes adhuc & inopes, conjurati, confeſtim armato milite circumſeſſæ; ipſi oppreſſi, & ad Regem ſine mora producti. Is Hræreknm, ceteris magis aſtutum ac pervicacem, ne quid porrò tentare poſſet, utroque privavit oculo, cuſtoditumque apud ſe in comitatu detinuit. Gudriodo exciſa lingua. Hringus & reliqui duo, data fide, ſe numquam in Norvegiam redituros, exulare juſſi. Tum omnium provincias, tamquam belli jure quæſitas, ſibi* Olavus *reſervat. In ſatrapas deinde, prout*

E

ſed conſpiratio detecta punitur.

F

AUCTORE P. B.

conjurationis quisque particeps deprehendi potuit, animadversum est. Singula, *inquit Torfæus*, Ottar Niger (*poeta coætaneus*) tribus versibus memorat, in autographis obviis.

Sancti religiosa pietas; obitus vitrici, ejusque filii.

55 *Demirari hic libet Regis hujus nostri, paulo antè barbari ethnicique, religionem, principibus Catholicis merito imitandam; cum ita dies singulos in regni curas divideret, ut eorum primitias, melioremque adeo partem, matutinis in templo precibus ac Sacrificiis consecraret. Id verò quam solenne ipsi fuerit, tum è locis aliis apud ipsum Torfæum non paucis, tum ex hoc præsertim, quem modò recitavimus, elucescit: neque enim unquam aliàs omisisse censeri potest, quod, ubi in mora tantum erat regni vitæque periculum, animo tam sedato peregit. Itaque minimè mirum est, si ei ardua quævis negotia, sæpe præter omnium spem, tam prosperè cesserint. Porrò rebus, quas jam exposui, confectis, ad perlustrandam, ut cœperat, Raumarichiam rediit, vicinam Hadalandiam subinde inspecturus. Moritur interea eadem hac hieme anni* 1017 Olavi *vitricus, Sigurdus Syr, relictis cum Asta tribus, quos ex ea susceperat, filiis, Halfdano, Guttormo, &, qui triennis fuisse tum dicitur, Haraldo: ad quam proinde Rex sanctus, piusque adeo filius, aliquamdiu consolandam divertit.*

B

§ VI. S. Olavi mansuetudo & clementia; nuptiæ; labores ad stabiliendam in provinciis ethnicis rem Christianam.

Anno 1018 *S. Olavus mira dedit exempla mansuetudinis*

ANno 1018 Olavus *à primo vere provincias obiens, versùs Austrum & Occasum Hordiam usque, maritimas, classem, satrapas ad comitatum delectos, & quidquid conferre aliquid ad nuptiarum, autumno proximo celebrandarum, splendorem ornatumque poterat, comparavit. Quo tempore non unum inusitatæ regibus clementiæ specimen dedit; ut est in Hist. Norveg. part.* 3, *lib.* 2, *cap.* 11 *& seqq. Dum enim Hrærekum, oculis, ut dixi, captum, nusquam à latere suo dimittit; is, quantumvis nihilo minus honorificè, quam cum apud suos regnaret, ab* Olavo *haberetur; prioris tamen fortunæ numquam immemor, atque in omnem ultionis occasionem intentus, Regem è medio tollere, quacumque demum id consequi posset ratione, decrevit. Ministrum ergo suis, ut putabat, consiliis idoneum nactus, eò miserum perpulit, ut meditatum diu facinus in se reciperet. Famque hic pugione sub veste condito Regem ad preces vespertinas accedentem confossurus, intra vestibulum opperiebatur, cum subito ejus aspectu ac majestate turbatus, pavoris aliquid vultu prodidit: quo Rex animadverso,* Quid ita; *ait*: mihine insidiaris? *Hac voce excussam ei crederes vestem simul ac sicam è manibus; ita illis protinus in medium abjectis, & veniam supplex orabat, & ultro conceptum scelus auctoremque fatebatur. At enim quæ pœna reum utrumque secuta est? Sicarium, ut incolumis regno excederet: Hrærekum, ut ne Regi deinceps tam propè assisteret; tum ut ad custodiam binis imposterum spectatæ fidei stipatoribus regiis uteretur. Hæccine læsæ majestatis, duplicisque in Hræreko adversùs eum conjurationis supplicia dici possunt?*

C

57 *Frangere sanè tam immitem animum tanta lenitas debuit; efferavit tamen: nam appetente mox Paschæ solennitate, Regem, quem occidere bis frustra tentaverat, fugere, non tamen sine cæde, statuit. Favebat locus: cum Rege enim Tunsbergæ tunc erat, emporio frequentissimo: nec deerant, qui adjutarent, à Finno quodam perfido callidissimè, nequa posset esse suspicio, subornati. Hi regulum fugitivum, trucidatis ejus jussu doloque ambobus, quos ei nuper* Olavus *adhibuerat, custodibus, ex ipso Regis hospitio clam noctu subductum, ac parata in portu nave exceptum sine dubio avexissent; nisi quis domi in calentia casu per tenebras impingens cadavera, recentis flagitii cognoscendi occasionem Regi dedisset: qui statim emissis terra marique satellitibus, fugientis navem brevi est assecutus, atque ipsum adeo Hrærekum, & quidem solum: nam ceteri, cum elabendi spes alia non superesset, navigio ad littus appulso, sese in silvas abdiderant, uno tamen ex persequentibus sagittâ prostrato. At quid supplicii sumptum? Hoc unum lego:* Exinde Hrærekus arctiori custodia noctes diesque observatus: *hoc est, ut ego quidem interpretor, Rex ei crimen suâ causâ commissum condonavit; solumque cavit imposterum, ne talia perpetraret. Verùm hoc ipsum quam parum severè caverit, ex sequentibus colliges, quæ ipsis historici nostri verbis placet adscribere.*

D

erga rebellem captivumque regulum,

E

58 Festo Ascensionis dominicæ (*eodem anno ejus vitæ ac loco*) cum Regem ad sacram ædem accedentem episcopus cum sacri ordinis processu ad sedem regiam deduxit; cui * Hrærekus pro more à latere, togæ laciniâ faciem velatus, assidens, [&] humerum ejus manu attrectans, Holosericam, inquit, Agnate, vestem hodie geris. Fit id, respondit Rex, in festi, quod celebramus, maximi honorem, quo Christus in cælos ascendit. Non, respondit Hrærekus, ea, quæ de Christo narratis, ita assequor, ut credam: multa enim in iis absurda; quamvis priscâ memoriâ multa acciderint. Exordio Sacrorum Missalium, cum progressus loco Rex, manibus supra caput levatis, ad altare in genua procumbens, preces funderet, toga forte in humeros rejiciebatur. Mox Hrærekus alacriter exsiliens, pugione, quem sub veste occultaverat, Regem appetit; attractisque leviter humeris (quòd opinione ulteriùs se à loco removisset) toga passim scissa, sine tamen vulnere Regis: successu frustratus, ictum iterat; sed ubi longiùs processisse agnovit, Mene, exclamat, Crasse, fugis? Extemploque jussu Regis templo educitur.

** melius dixisset, huic*

F

59 Tum verò multi enixè flagitabant, ut Rex eum occideret, securitatique suæ consuleret; cui nihil periculosius, quam tantorum flagitiorum sive venia, sive contemptus; cum detentus noctes diesque, in singula momenta intentus, vitæ ejus insidietur; dimissus, graves turbas & intestina bella procul dubio excitaturus. Rex, consilio approbato, multos minoribus de causis capite plexos affirmat: se tamen invitum victoriam de quinque Uplandorum regibus unâ matutinâ horulâ sine ullius cæde (quod sui essent propinqui) partam, illius sanguine maculaturum. *Sic ibi monumenta Islandica; ex quibus cap.* 13 *etiam narratur, quo pacto eum Rex post hoc facinus in Groenlandiam, aut si id fieri non posset (ut re vera non potuit) in Islandiam transferri jusserit, ibique apud fidos sibi, quos assignabat, amicos collocari; istic verò optimè ipsi fuisse dicitur; donec morbo tentatus interiit. Displicebunt, opinor, criticis in textu jam producto adjuncta quædam, quæ*

non semel ineum occideret, sidiatum.

nec

A nec mihi placent ; at ſi vera eſt narrationis ſubſtantia, ſat erit ad Olavi noſtri manſuetudinem admirandam. Nunc quæ cap. 14 & ſeqq. commemorantur, paucis exſequar.

Eodem anno ſponſam exſpectans, à Sueciæ rege eluditur,

60 Tunsbergâ poſt hæc Olavus cum ingenti claſſe atque apparatu comitatuque exquiſitiſſimo ad regni ſui Gothiæque limites, Konghellam navigat, ſponſam ibi ex condicto Ingigerdem excepturus. Obſtupuit verò, cum iſtuc appulſus & in multam uſque commoratus æſtatem, nil de ſponſæ adventu quidquam, nil de Sueci regis conſiliis aut morarum cauſis inaudiit. Ad Rognualdum tandem, Gothiæ Comitem, per legatos recurrit ; at hic nihilo de re tota certior, diu ſuſpenſum detinet ; donec, acceptis ab ipſa Ingigerde litteris, quod illa nuntiabat, cum Olavo communicavit ; reſcidiſſe videlicet omnino Sueciæ regem ea pacta, quæ ſibi anno ſuperiore violenter extorta dictitaret ; alterique principi filiam conjugem deſtinaſſe ; non illi, ut aiebat, qui peſſimè de ſe toties eſſet meritus. Addebat autem Comes, orabatque, ne tam atrocem iniqui regis injuriam, ſibi crederet ulla ratione poſſe adſcribi, neve hæc adeo fœderi ſuo atque amicitiæ, quam æternam vellet eſſe, quidquam officeret. Hac denuntiatione commotus pro rei indignitate Olavus, anceps hæſit aliquamdiu, feſtivumne apparatum in bellicum continuò verteret, ac penetraret in Sueciam ; an ad annum uſque proximum vindictam differret : hoc tamen, quòd & proceribus magis probaretur, decrevit. Dimiſſis igitur in præſens copiis, Sarpsburgum, hiemem ibi cum numeroſo ſatellitio exacturus, receſſit.

B

cujus aliam filiam ducit anno 1019, quo & pax initæ cum Suecis.

61 Rognualdus interea Ingigerdem intelligit à patre Ruſſiæ regi Jariſlao deſponſam, cujus ſibi anno ſuperiore Norvegiæ Regi collocandæ demandata fuerat in comitiis ſolennibus provincia. Quare & ipſe ad vindicandam utcumque & Olavi noſtri, & comitiorum illorum, & ſuam injuriam, audendum aliquid ratus, ex occaſione conſilium cepit. Erat tum forte apud ipſum Aſtridis, altera Olavi Tributarii filia, hoc tantùm inferior Ingigerde, quod ex matre minus nobili eſſet genita. Hanc ergo id minimè nolentem S. Olavo, ſponſam offert, clam, ſi placeret, patre ducendam. Cum conditioni ſolertiſſimè per legatum propoſitæ aſſenſus tandem Rex ſanctus eſſet, Sarpsburgum Comes ipſe cum Aſtride contendens, nuptias tum auctoritate ſua, tum periculo conficit circa feſtum Purificatæ Virginis anno 1019. Infremuit quidem, rem primùm ut reſciit, pater, uſque adeo ut Rognualdum patibulo deſtinaret : brevi tamen tum precibus Ingigerdis, tum coorta populi ſeditione, tum procerum conſiliis ſic ejus ira deferbuit ; ut, indicto ad Konghellam regis utriuſque conventu, & nuptiæ anno eodem confirmatæ ſint, & ſocerum inter ac Generum pax demum ſincera coaluerit. Hæc multo uberiùs Iſlandi referunt loco citato ; conſonatque Theodricus Nidroſienſis cap. 16 ; quibus adhærere merito maluit Loccenius Hiſt. Suec. lib. 1, quam recentioribus Erico Upſalenſi & Joanni Magno, qui hæc aliter narrant.

C

Anno 1020 religionem Chriſtianam promovet circa Thrandiam :

62 Exinde Olavus itinere per Vikam inſtituto ad Septemtrionem deflectit, ut provincias in eo tractu poſitas inſpiciat ; donec Thrandiam in autumno attigit ; ubi per hiemem degens, & in religionis Chriſtianæ ſtatum more ſuo ſolicitè inquirens, comperit, Aquilonarem Halogiæ (præfectura erat Thrandenſi ſeu Nidroſienſi ſatis vicina versùs Boream, uti & Naumudalum, de quo mox. Vide Undalinum lib. 2, cap. 2) partem cognitionis illius planè exſortem : ſed & multa in Naumudalo ac interiore Thrandia limam requirere. Viſum itaque Regi in remotiora, & primò quidem Halogiam adſitaque proficiſci uſque ad extremos imperii ſui limites (puta Finmarchiam.) .. Appetente vere, anno MXX, quinque naves, navaleſque ſocii cum ſatellitibus numero trecenti delecti, curſuſque in Naumudalum directus : evocatique in curias cives, ubique fidem Regi ſacramento obſtrinxerunt, moreque ſeculi regem pronuntiarunt. Mox leges, nuper latæ, promulgatæ ; adjecta vel capitis, vel membrorum, vel omnium bonorum publicandorum pœna, nova ſacra averſantibus ſecundùm obſtinationis modum vel gradus ; irrogataque ſupplicia multis, idque abſque ullo ſortis ſtatuſve reſpectu ; nec priùs diſceſſum, quam omnes & ſinguli in religionem juraſſent... Maxima æſtatis pars in Halogia per ſingulas curias Chriſtianis ſacris publicandis civibuſque initiandis tranſacta.. Affecta æſtate in Thrandiam reditum : ibi hiems proxima exacta. Torfæus part. 3, lib. 2, cap. 20.

ubi anno ſequente plecti, qui mos ad idola defecerant :

63 Iiſdem curis annum inſequentem præcipuè conſecravit : nam cum ex iiſdem provinciis renuntiatum ſibi ab exploratoribus eſſet, cives earum primarios, tameſi ſacro fonte abluti omnes fuiſſent, poſt Regis tamen diſceſſum ad ejurata paſſim idolorum ſacrificia celebranda confluere, eos ad ſe ſemel & iterum, ut cauſam dicerent, evocavit. Adfuit inter alios Aulver quidam, ceteris ut magis reus, ſic magis etiam diſertus ac potens : is compoſitis ex arte mendaciis bis ita crimen ſibi ſuiſque objectum diluiſſe ſe credidit, ut nihil jam futurum eſſet à Rege periculi. At ille feſto Paſchatis, anno eodem 1021, per Thoraldinm quemdam rem totam, ut erat, pro certo edoctus, imò & diem proximè inſtantem, quo juxta conſtitutum inter eos ordinem ab ipſo Aulvere nefanda hæc inter epulas ſacra eſſent peragenda, comparatis mox armatiſque navibus, improviſus ad locum advolat ; Aulverem in ipſo ſcelere deprehenſum jubet interfici, ceteros apprehendi, ac pro ſuo quoſque merito plecti. Tum locis indicta, habitaque comitia ; in iis Chriſtiana primùm inſtaurata profeſſio ; deinde ſacræ ædes, ſacerdoteſque, qui veræ fidei promovendæ advigilarent, conſtituti ; tum, quæ Aulveris fuerant, regio addicta fiſco ; qui ea tamen ejus viduæ, cujus tutelam ſuſceperat, exinde cum honeſtiori connubio fortunaque reſtituit. Ita ferè Torfæus ibidem, cap. 21 ; ubi hæc ſubdit : Annus hic erat regni Olafi ſecundùm exemplaria Mss. ſeptimus. Congruunt ſanè quæ ſupra diximus § 4, num. 43.

Inde in alias provincias Chriſti cultum,

64 Eodem anno Orcadum inſularum Comites cum in mutuis diſſidiis ad Olavum confugêre, ejus ſe clientes, ſeu vaſallos, ut ſub aliis olim Norvegiæ regibus fuerant, profiteri juſſi ſunt ad eum modum, quem apud Torfæum legere eſt toto capite 22. Magis huc ſpectat, quod ex capite ſequente addo per compendium : Secundùm cædem Aulveris, inquit, tranſactionemque cum Comitibus Orcadenſibus, Rex, utrâque Mæriâ (vulgo Noordmeer & Sundmerland) luſtratâ, eodem autumno in Raumsdalum (vulgo Romsdalen) pervenit ; ibique relictis navibus, terreſtri itinere in Uplandas conceſſit. Leſiæ & Doſiæ viſitatæ ; incolæ ad Chriſtiana ſacra adacti ; refractarii morte multati (ſenſu nimirum ſuperiùs expoſito hæc intelligo ;) quidam fugâ ſibi conſulebant ; converſorum filii obſides dati ; eccleſiis ſacrorum præſides præfecti. Idem obſervatum per alia tractûs ejuſdem Gudbranzdalenſis loca ; donec rei fama ad Gudbrandum, vallium iſtarum dynaſtam, per ethnicos magoſve fugitivos delata, apoſtolici Regis

E

F

AUCTORE P. B.

expeditionem propemodum intervertit : princeps enim ille , ut erat religioni Chriſtianæ non minus infenſus , quam devotus avitæ ſuperſtitioni , ruſticos undique ad ſeptingenta uſque capita contractos , duce filio , in Olavum *mittit. Verùm hic divina fretus ope ruſticanum exercitum ita excepit ac fudit ; ut ne ducem quidem ſineret elabi ; ſed captum apud ſe quatriduo detinuerit ; tum ſummâ benevolentiâ cumulatum , veraque , ut apparet , imbutum fide , non tamen initiatum , remiſerit , ut proximum Regis adventum parenti renuntiaret.*

non ſine periculis, & magno labore,

65 *Exarſit ad hæc pater non in* Olavum *tantummodo , ſed etiam in filium ; cujus tam animus modò ac religio , quam exercitus Victori ceſſiſſet. Acceptum itaque dedecus novo bello per ſe ipſe ulturus jam erat , cum* eadem nocte viſus [*eſt ipſi*] per quietem vir facie clara , ſed formidabili, aſſiſtere, hiſque verbis alloqui : Vides , quàm infelix filii tui adversùs regem Olafum expeditio fuerit : tu tamen damnum clademque longè majorem accipies , ſi te oppoſueris : occumbes cum univerſo exercitu , unà cum illis à lupis & corvis dilaniandus. Territus hac viſione , eam ad Thordum Iſtrumagium , qui quoque Dalorum (*ſeu Vallium in eodem tractu versùs Auſtrum*) princeps erat , detulit : qui eamdem ſibi quoque oblatam memorabat. *Quare omiſſo pugnæ conſilio , Regem ultro invitat ; gratiſſimum id ſibi fore ſignificans, ſi quidquid novi dogmatis afferat , in conventu pacifico proponatur. Accepta conditio ; & triduum colloquio datum , præſentibus cum ingenti ſuorum multitudine Gudbrando ac Thordo Iſtrumagio. Primo die multa Rex ſanctus , multa Sigurdus , quem ſecum habebat , epiſcopus de vero Deo ejuſque cultu diſſeruere ; ſed nullo tum quidem operæ pretio : negabant enim ethnici , Deum ſe illum , quem nec oſtendere quiſquam nec videre poſſet , agnoſcere : alium ſibi eſſe , cujus & notum numen eſſet , & majeſtas omnium oculis quovis die ſpectabilis. Quod ſi aliquid Chriſtianorum ille Deus valeret , id efficeret ſaltem , ut aura , quæ pluvia tunc erat , in craſtinum conventum ſerenior aſpiraret : tum ſuum ſeſe Thorem (ſic idolum nuncupabant) medium in forum producturos. Atque ita diſceſſum eſt.*

B

dejectis idolis, C

66 Olavus *cum obſide Gudbrandi filio ad hoſpitium reverſus* , ceteris cubitum euntibus , univerſam noctem inſomnem ardentibus precibus traduxit , *peractiſque prima luce ſacris , ad forum cum Sigurdo regreditur. Auditus iterum antiſtes, cum de rebus divinis copioſè diceret , cælo , quod expetierant ethnici , mirum in modum favente. Ceterùm non ita perſuaſit omnibus , quin tertium ſibi diem ſecundo ſimilem dari poſtularent. Poſt noctem ergo , rurſus ab* Olavo *pervigili prece traductam , reditur ad concionem ; ad quam ethnici , cum nihil jam pluviæ timerent , ſimulacrum illud ſuum , tum ingenti mole tum auro argentoque conſpicuum , advexerant ; verum illud eſſe deum atque omnipotentem clamitantes. Exploſit* Olavus *ſcilicet , atque unico impulſu , quo in fruſta diſſiluit , ita confutavit ; ut in has voces Gudbrandus erumperet :* Magnum quidem damnum dei noſtri interitu acceptum eſt : cum tamen ſibi ſuccurrere nequiverit ; par eſt , ut in illius cultum concedamus , quem tu colis. Mox Gudbrandus cum filio ab epiſcopo baptizatus ; relictique in Dalis verbi Dei miniſtri ; amicitiaque inter Regem Gudbrandumque contracta , poſtea viguit : ab eoque templum in Dalis fundatum.

67 In Heidmarchiam inde profectus Rex , univerſam ad Chriſti notitiam perduxit ; paſtores per parœcias diſpoſuit ; templa ædificari initiariD que curavit : deſiderabantur enim multa : neque enim prima luſtratione , poſt captos reges exactoſque , in penetralia provinciæ proficiſci licuit , irritatorum ingeniorum factionumque regiarum inſidiantiumque metu. Jam verò inter domitos , præfectorumque regiorum metu coërcitos , imperioque aſſuetos omnia tutiora. Heidmarchiâ univerſâ in Chriſtianum morem manſuefactâ , per Thotniam & Hadalandiam itum; neque priùs, quam incolis Chriſtianis ritibus imbutis , diſceſſum. Hringarichia deinde viſitata : ibi quoque quæ ad Chriſtianam fidem confirmandam deſiderabantur , abunde proviſa. Cives autem Raumarichiæ de adventu Regis certiores , non immemores ſe profeſſi noviſſimi tranſitûs , copias contraxerunt , eique ad fluvium Niciam obvii , numero longè ſuperiores , prius eum adorti ſunt ; ſed mox in fugam acti , clade ſua Chriſtianam religionem lucrati ſunt. Univerſa inde provincia luſtrata , Chriſtiana ſacra recepit. In Soleyas inde Ortum versùs profectus , totam provinciam ad nova ſacra convertit. *Ita clauſit Sanctus annum Chriſti* 1021, *perpetuo progreſſu per mediterraneas ſibique ſuccedentes ordine ſituque provincias ab Aquilone in Auſtrum.* E

egregiè fundat & ſtabilit.

§ VII. Olavi Sueci obitus ; Sancti pietas & clementia ; Voſſenſium aliorumque converſio ; filius S. Olavo natus ; inſularum ſubmiſſio ; geſta in Uplandis.

Olavi Sueciæ regis obitus an acciderit anno 1022.

A*Nno Chriſti* 1022 *nihil admodum memorabile notatum invenio ; præter obitum Olavi, Sueciæ regis , cognomento Skotkonung , qui , ut jam vidimus ,* Olavi *noſtri ſocer erat ; quemque hoc anno vitâ exceſſiſſe Iſlandi volunt non ſolùm hoc loco , ſive Hiſt. Norveg. part. 3 , lib. 2 , cap. 23 ; ſed & in Annotationibus ad Vaſtovii Vitem Aquiloniam pag. 27 ; quos proinde Torfæus etiam ſequitur in Serie regum Daniæ lib. 3 , cap. 10. Verùm aliud hîc alii ſtatuunt ; ut nihil appareat certi: nam annum huic rei* 1018 *aſſignat Joannes Magnus Hiſt. Goth. lib. 17 , cap. 23 , & poſt hunc in ſuis Chronicis Giſlo & Suaningius ; annum* 1024 *tuetur Meſſenius in Annotationibus ad Vaſtovium citatus ; annum* 1027 *indicare videtur Ericus Upſalenſis , cum lib. 2 , pag. 31 , ait illum obiiſſe* anno octavo poſtquam dedit (*S. Olavo*) filiam ſuam; *quamquam ſibi non conſtat, ibidem ſubdens :* Rex Norvegiæ (*S. Olavus*) poſt mortem Schottakonungh diu ſupervixit. Mortuus eſt verò S. Olavus anno Domini MXXVIII. *Et ſupervixiſſe quidem Olavo Sueco Norvegicum , docet etiam Hiſt. Dan. lib.* 10 *in Canuto Magno Saxo Grammaticus. Adamus contrà Bremenſis Hiſt. eccl. lib. 2 , cap. 54 , Norvegico Suecum ſuperſtitem facit , ſaltem quinquennio ; cum hunc obiiſſe aſſerat* eodem tempore , *quo Canutus Magnus finem vivendi fecit : & hunc ſequitur Vaſtovius in Vite Aquilonia ; imò & Theodricus Nidroſienſis , ut patet tum ex cap.* 16 , *tum maximè ex cap.* 18. *Quid ergo hîc certi ſtatuas ?* F

S. Olavus anno 1023 in inſula Carmen inſu-

69 *Poſtquam annum* 1022 *magnam partem in Vika , & provinciis deinde Orientalibus ſuo more obeundis inſumpſiſſet* S. Olavus , *primo vere anni* 1023 *Sarpsburgo Tonsbergam redux , mox ad*

A *insulam Kormtem (vulgo Carmen) versùs Occasum, in præfectura nunc Stavangerleensi, positam, navigat; ubi juxta Historiam Norvegicam part. 3, lib. 2, cap. 26 res accidit, hîc non prorsus omittenda. Quinto post Paschа die dum apud Augvaldzneſiam (vulgo Aulſnes) Rex, inter cœnandum, villicum quemdam suum Thorerem de injuria, qua is nuper Asbiornum quemdam nobilem affecisset, interrogat, Thorerque veris falsa miscendo se purgat, Asbiornus (qui clam ingressus, coram audiebat omnia) in accusatorem suum, Regi proximè assistentem, involans, gladio caput ei demessuit. Tulit rem* Olavus, *ut æquum erat, indignissimè*; verbis tamen more suo temperavit. *Ceterùm præcipiti sceleri haud minùs promptum (nam reum in ipso loco jusserat apprehendi) parabat supplicium, deprecante frustra Skialgo, Asbiorni consobrino: qui cum Regis exorandi spem nullam videret; Thorarinum agressus est, cujus custodiæ vinctum Asbiornum* Olavus *commiserat; ut id saltem se absente satageret, ne reus ante Dominicam proximam plecteretur; quod ille facturum se recepit, ac præstitit.*

B *homicidæ supplicium ex pietate differens.*

70 *Nam cum nocentem eadem nocte juberet* Olavus *in crucem abripi, Thorarino reponente*, nocturnas cædes nefarias reputari, *rem in crastinam lucem differri passus est.* Postridie *verò* Rex publicis precibus cum interfuisset, necessariis cognoscendis usque ad tempus solennibus Sacris celebrandis idoneum vacabat; accedensque templum, à Thorarino quærit, assurrexeritne in tantum sol, ut amicus eorum Asbiornus patibulo suffigi possit. *Tum ille venerabundus*, Retulit, *inquit*, episcopus proximo, qui præcessit, die Veneris, Regem omnipotentem gravissimas injurias sustulisse; beatiorem, qui ejus patientiam, quam qui feralis istius sententiæ auctores, qua morti adjudicatus est, imitari posset; cras diem profestum, nec longam moram. *Hac arte sanctissimo Principi diem secundum, qui Veneris erat, extorsit: nam* Rex eum intuitus, Obtinebis, ait, ne hodie occidatur: tu modò custodi, tuæ certè vitæ periculo, si quocumque modo elabatur. His dictis, ad templum accessit.... Feriâ septimâ, celebratis maturinis precibus, Rex in frequenti provincialium conventu lites longiore tempore audivit, quàm aliàs consuevit; inde ad solennia Sacra, iisque finitis, ad prandium processit. *Thorarinus interea ædituo persuaserat, ne solennitatis (Dominicæ in Albis) imminentis signum ad horam consuetam differret; sed agitaret æra campana, cum primùm regia mensa moveretur.* Finito *igitur* prandio, .. cum captivum à servis ad locum supplicii duci jussisset, campana sonuit; eodemque momento Thorarinus Regem accedens, ut festi tempore ei parceretur, oravit. Rex, custodiâ ipsi mandatâ, ad sacra processit.

C *tandem condonat.*

71 *Die Dominicâ, episcopus expiato per sacram exomologesim Asbiorno ut Sacris meridianis interesset, permisit. Thorarinus verò, futuri haud dubiè conscius, Regem exorat, ut rei custodia mox aliis committatur. Vix deinde Sacro, cui & Rex cum suis, & vinctus ad templi fores Asbiornus, assistebant, datum erat initium; cum Erlingus advenit, Skialgi pater, idemque avunculus Asbiorni, & satraparum in Occidentali Norvegia potentissimus; milites, quos, hortante filio, collegerat, mille secum & quingentos adducens. His primò imperatum, ut custodibus Asbiornum eriperent; tum nequid ultra, nisi jussi, moverent. Dum id fit, commotus ad strepitum ac tumultum populus, templo effunditur*, præter Regem, qui immotus Sacris intentus consedit; *donec, iis absolutis, & ipse prodiit; occurrente ad salutandum per mediam suorum aciem Erlingo, ac nepoti hoc saltem postulante concedi, ut nec morte, nec mutilatione, nec exsilio mulctaretur. Cum armatas preces Rex imperterritus asperè, ut se dignum erat, exciperet; excandescens Erlingus, vim, nisi audiretur, minitari præsentem ausus est. Non* Olavum *hæc, sed Sigurdum episcopum terruere, à quo tandem ille exorari se sivit, ut mitiore pœna & læsæ majestati, & avunculi patrocinio satisfieret.* AUCTORE P. B.

72 Eodem verè, *ut habet Historia Norveg. ibid. cap. 27*, cum Hordiam rex Olafus circumvisset, in Vorsiam (*vicinæ sunt versùs Aquilonem provinciæ*) profectus est; cognitoque, Christianum ibi cultum langueſcere, in Vangio (*vulgo* Vangs, *ad Orientem utriusque Hordiæ sive Horlandiæ*) forum egit; quò frequentes incolæ, sed armati omnes, convenerunt. Jussi Christiana sacra profiteri, ethnica armis vindicare statuebant. Instructa ab utraque parte acie, cum res ad conflictum spectaret, singulis Vossensium ducis officium detrectantibus, inde metu perculsi, Regi se universi dediderunt; amplexique dogmata, quæ imperabantur, Christo nomen dederunt: nec inde prius, quam singulis ad fidem revocatis, discessum... In sinum Ostrensem (*vulgo* Oster fioerd, *in Hordia Septemtrionali*) inde profectus Rex, receptis navibus, Sogniam (*paulo magis Aquilonarem*) petit, eamque per æstatem lustravit. Autumno sinum intrat (*Sognienſem.*) In Valdresiam (*quæ à sinu versùs Ortum ad Gudbrandi valles extenditur*) deinde procinctum movit magnis itineribus stagnum usque; ubi improvisus omnibus, singula navigia intercepit. Indicto foro, locum propè lacum delegit; ut omnium naves, si necessitas exigeret, in potestate haberet. *Expeditio Sancti apostolica ad Vossenses.*

73 Frequentes ibi cives, armati omnes, Christiana sacra obtrudenti, strepitu tumultuque minati, conticere eum jusserunt. Intractabiles observans, majorique numero, quam ut cogi possent, ad causas audiendas, litesque dirimendas se convertit; consilio, ut in factiones distributos à proposito oppugnandi Christianismi distraheret. Mox magna litium messis concordiam solvit, singulis litigantium studiosè necessitudines fautoresque in causæ præsidium conquirentibus, idque toto die, donec vespere conventus solutus est. Sed nec tunc quidem rustici collectam turbam distrahi passi sunt: nam cum primùm de Regis adventu certiores facti erant, telo, belli indice, per universam provinciam misso, omnibus simul liberis servisque convocatis, in Regem moverunt, villis maximam partem intra provinciam hominibus vacuis. Quod cum Regem non lateret, naves conscendit, transmittensque transversum lacum, agros exspoliat, uritque. Quod conspicati, qui in unum congregati, Regem invadere decreverant, mox inter se discordes plurimi domos suas repetebant; si forte uxores liberosque periculis eximere possent. Dissipata itaque acie.... non amplius resistere poterant. Itaque Rex, trajecto stagno, ab utroque latere provinciam vastat, diripit, incendit. Qua necessitate coacti, manus dederunt; clementiamque implorantes, obsequium promiserunt. Singulis talia postulantibus parcitum; Christianaque sacra ubique introducta, omnesque provinciæ ejus incolæ baptizati, fidem obsidibus firmabant. *& Valdrenses ad Christum convertendos:*

74 Longa deinde per autumnum mora Regem in templis ædificandis, consecrandis, sacerdoti-

AUCTORE P. B

busque ordinandis, detinuit. Navibus per isthmos inter stagna deductis, profectum; nec tamen per superiora, suspectâ colonorum fide: quod usque dilatum, dum asperum frigus aquas congelaret. Tum demum in Thotniam (*præfecturam in mediterraneis haud procul Valdresiâ*) itum.... Inde Rex per aquilonares valles montem usque profectus, rectà Thrandiam petivit, ibique hiemavit.... Erat (*verò hac eadem hieme, sive exeuntis anni* 1023, *sive ineuntis* 1024) in aula Regis virgo quædam, nomine Alfhildis, insigni forma, honesto quidem stemmate natuque; sed inter regias ancillas numerata: cui Rex, paucis conscis, assuevit. Hæc nocte quadam, paucis mulieribus, presbytero, & poëta Siguato præsentibus, cum partûs dolore diutiùs conflictata, nec sine præsentissimo vitæ periculo puerum enixa est, mortuo quàm vivo propiorem, atque adeo, ut discerni nequiret, an vitalem auram traheret. Sed ut primùm ægrè admodum respiravit, sacerdos Siguato suggessit, Regem necessariò excitandum, sine cujus consensu infans, sacrâ lymphâ abluendus, certo nomine insigniri absque temeritatis culpa nequiret, nec initiationis Sacramentum absque animæ illius periculo differri.

unde Nidrosiam reverso nascitur Magnus filius

B

75 Is necessitatis articulum agnoscens, non tamen adeo inevitabilem, ut severum Regis interdictum de se non excitando eapropter violandum existimaret (cum constaret, sponte excitari velle;) mystæ auctor fuit, ut is lustrali aqua infantem perfunderet; ipse nominis imponendi periculum in se susciperet. Id quod factum est; pueroque nomen Magni inditum. Manè sequentis diei, postquam Rex surrexisset, quæ gesta essent, cognovit. Accito itaque Siguato, quærit, unde tanta ei audacia, ut filium suum, se inscio, baptizari fecerit. Quia, respondit, duos Deo lucrari, quàm diabolo unum malui... Ad mortem spectabat infans; si ante baptismum extinctus, procul dubio diaboli, jam verò Dei. Sed nec, te irato, ultra mortem puniri poteram; quam si jam officio rectè functus, te exigente, non evadam; Deum tamen habebo propitium. Quî, inquit Rex, puerum Magnum appellasti, nomine familiæ nostræ ignoto? Caroli Magni, respondit, viri, quem toto orbe optimum novi, nomen ei aptavi.... Probavitque Rex animi vultusque hilaritate factum. Is puer deinde adolevit; tandem etiam rex Norvegorum potentissimus evasit. Ab eo deinceps Magni nomen in posteros reges, deinde etiam alios, profluxisse videtur.

& quidem ex adulterio,

C

76 *Utinam vera non sint, quæ modò de* Olavi *filio, ex pellice suscepto descripsimus! Utinam cum Henningio, tomo quarto tabularum Genealogicarum pag.* 222, *nullos ei liberos, saltem post conversionem, nisi legitimo thoro progenitos, possimus adscribere! Sed Islandis gravissima patrocinatur auctoritas Adami Bremensis, qui Hist. eccl. lib.* 2, *cap.* 57 Magnum *appellat* filium Olaph martyris à concubina: *favet annalista Saxo, Adamo suppar, ut supra monui* § 1, *num.* 3, *cum ad annum dominicæ Incarnationis* 1059 *de Magno asserit:* Istum beatus Olaph rex & martyr ex concubina procreavit: *hunc brevi intervallo secutus est verbis æquè disertis cap.* 16 *Theodricus Nidrosiensis, addens, quinquennem tantummodo fuisse Magnum, quando illum Jaroslavi tutelæ paulo ante martyrium Pater commendabat. Huic equidem quæ par auctoritas possit opponi, non video. Itaque hîc admirari mavelim cum hominis, quantumvis sancti, adversùs libidinem, nisi cautissimè sibi semper attenderit, imbecillitatem; tum Dei, ubi tantum crimen sincera sequitur pœnitentia, misericordiam: quam proinde utramque haud sanè minorem expertus, toties in Psalmis repetit rex alius & Propheta sanctissimus. Notat porrò ex Arngrimo Torfæus cap.* 26, *hoc anno* 1023 *Groenlandiam Sancto nostro tributariam esse factam, sed ab eo pacto subinde defeciisse.*

ut graves auctores affirmant. Groenlandia Regi tributaria.

D

77 *Sequenti vere anni* 1024 *Asbiornus, cum priori sceleri insignem adjecisset perfidiam regiæque contemptum clementiæ, quòd aliter plecti non poterat, clam jussus interfici. Quæ res non paucos cum Erlingo satrapas alienavit à Rege. Quoniam verò, ut est in Historia Norvegica ibidem, cap.* 29, jam totius regni majores provinciæ Christianum dogma receperant, *ad insulas transmarinas Groenlandiam, Ferrenses, Islandiam* Olavus *curam vertit. Et* in Islandiam *quidem* materiam templo ædificando, campanamque ingentem dono misit: quæ in perpetuum ejus honorem memoriamque in publico totius insulæ comitio constituta est. Campana autem scriptoris nostri ætate ibidem remansit; jam verò ablata est, *inquit Torfæus.* Hæc dona missa sunt, postquam Islandi jus canonicum, quod ipse condiderat, in suas leges, ipso monente, retulerunt; *tum spe, ut istic narratur, eosdem sibi subjiciendi; quod per legatum hac æstate, qua & Ferrenses ad obsequium adegerit, tentasse dicitur; nec verò ego negaverim: id miror tamen à Torfæo part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 9, *Arngrimoque in Crymogæa sua lib.* 3, *sub initium, tam sinistrè accipi, quasi sola dominandi cupiditate sit actum, ac non potiùs vel boni communis, vel religionis amore; ut eamdem ibi nuper ab Olavo, ut volunt, Tryggonio propositam, perinde ut jam fecerat in Norvegia, & promoveret simul, & in perpetuum stabiliret. Quod addit Arngrimus, nobiles ex Islandia juvenes, qui in aula Norvegica educabantur, eam ob causam in vincula conjectos à Rege ac male habitos fuisse, hoc verò hæretico blasphemoque scriptori, nec ullum pro se testem afferenti, quis credet?*

Anno 1024 *Islandis se dominum offert; sed recusatur:*

E

78 Olavus *interea ab affecto ejusdem anni vere Nidrosiâ classem versùs Australia solverat; totaque æstate in adjacentibus mari provinciis perlustrandis posita, ad Orientales usque limites autumno devenit. Inde Vikam revisens,* hiemem in Uplandis exegit; ubi conviviis passim exceptus, quæ ad confirmandum novellæ religionis statum desiderabantur, abunde procuravit, correctis, quæ limam requirere videbantur. *Ibi tum quoque non impari sorte & Gunnhildem ex Sigurdo vitrico sororem, & materteram Isridem, nuptui collocavit. Qua occasione commemoratur hîc quoque* altera Regis matertera, nomine Thoruna, [quæ] S. Hallvardi mater fuit. *Vide dicta de S. Hallvardo ad diem* XIV *Maii, qua colitur, pag.* 401.

apud Uplandos hiemat.

§ VIII. Sancti bellum cum Canuto Magno; Miraculum geminum; fuga in Russiam ob corruptos à Canuto subditos.

Anno 1025, *Canuto Norvegiam reposcente,*

VIx, *post inspectas Uplandorum provincias aliquot, Rex proximo vere anni* 1025 *Tunsbergam concesserat, juxta Historiam Norveg. part.* 3, *lib.* 2, *cap.* 30, *cum ex Anglia legati à Canuto Magno venere, cum litteris, quibus significabat,*

A cabat, *Norvegiæ regnum hereditario jure ſuum eſſe; nolle ſe tamen id bello perſequi, niſi cogatur: quin imò ſi Norvegiæ poſſeſſionem cum regio titulo detinere cupiat* Olavus, *hanc eum ſuo beneficio impetraturum; modò ſe adiret, tributaque, quæ Comites antea, ipſe quoque impoſterum penderet. Hæc ille tum ſcilicet movenda demum cenſuit, poſtquam & res ſuas in Anglia ſatis jam firmatas, &* Olavi *ſatis luxatum apud Norvegos comperiſſet imperium: neque enim potuerat Rex ſanctus aut tam ſeverum ſuperſtitioni bellum indicere, aut conditas à ſe leges, & religionem præſertim tanto ſtudio urgere Catholicam, aut obeundis abſque intermiſſione provinciis, improborum ubique ſatraparum licentiæ præſens imminere; quin odia multorum in ſe ſimultateſque concitaret. Hæc autem fovere impensè noverat Canutus: nam ſiquis ad eum è Norvegis quacumque ex cauſa recurreret, is & benignè, ſi ſubſiſtere vellet, habebatur, &, ſi non vellet, profuſis muneribus onuſtus abibat. Qua induſtria quot ſibi amicos exteros, tot inteſtinos* Olavo *paravit hoſtes. Neque verò,* B *cum res ad certam regni recuperandi ſpem ſatis matura videbatur, Canutum ſegniter impellebat Hacon Comes, privatæ apud eum, ex quo cedere* Olavo *coactus fuerat, jam pridem vitæ pertæſus.*

Olavus cum rege Sueciæ ſe ad bellum parat:

80 *Rex ergo haud ignarus, quò hæc vergeret legatio, cum Norvegiam nullo jure Canuti, ſed ſuum unius legitimum eſſe patrimonium renuntiaſſet; illudque adeo ſe armis, quoad viveret, ab injuſta cujuſvis tyrannide vindicaturum; convocatis ad ſe per præfectos copiis, in Vika ſeſe continebat; unde promptiſſima eſſe poterat in hoſtem, quacumque regnum aggrederetur, expeditio. Inde legatis ad Suecos directis, Aunundum (vel Olavum Tributarium, hujus Aunundi ſive Amundi patrem, ut alii volunt, juxta dicta ſuperiùs num.* 68) *eorum regem, in belli ſocietatem ſic attraxit, ut à Canuto deinde, qui Daniæ proſpecturus, Angliam per autumnum atque hiemem reliquit, avelli nequiverit. Atque ita & annus ille, & qui hunc proximè ſecutus eſt, in ſolo fere belli metu apparatuque præteriit: qui quidem apparatus anno* 1026 *apud Suecos Norvegoſque multo ferbuit magis, poſtquam utriuſque gentis reges ad Konghellam ſecreta coram inter ſe conſilia contuliſſent; ut ne tum quidem fuerit intermiſſus, cum revectus in Angliam cum copiis omnibus extremo vere Canutus, relicto ad regni Danici tutelam filio, nihil jam hoſtile præ ſe ferebat: neque enim is ille* Olavo *videbatur, qui litem ſemel motam diu poſſet ſuſpendere. Quare prævertendum potiùs, quam exſpectandum cenſuit.*

anno 1027 Zelandiam vexat;

81 *Itaque maritima regni loca Nidroſiam uſque circumiens, navium, militum, pecuniæ, quantum potuit, collegit; ac tandem, redeunte vere anni* 1027, *cum ingenti claſſe numeroſoque terreſtrium ac navalium copiarum exercitu inde movit in Auſtrum.* Ubi in Hordiam pervenit, *inquit Hiſtoria Norveg. ibidem cap.* 37, cognovit, Erlingum Skialgium (*de quo ſupra num.* 71 *& ſeqq.*) magno comitatu, quatuor vel quinque navibus, quarum primariam ipſe duxerat, reliquas ſinguli filiorum, ſingulas viginti ſcalmorum, in Angliam ad regem Knutum conceſſiſſe. *Aliorum verò nondum tam aperta defectio erat. Inde Rex ad Auſtrales ulteriùs provincias delatus, cum de Canuti expeditione certi nihil acciperet, nec ſine gravi damno tot ibi copiæ detineri diu poſſent, ſuos in Daniam transferre ſtatuit, alienis ſumptibus alendos. Quod idem Sueci fecere. Et hi quidem Scaniam Sueciæ contiguam; illi vicinam Zelandiam populationibus æſtivis impunè vaſtarunt; Danis, qui regum duorum robori arcendo impares prorſus erant, de ſola Jutia defendenda ſolicitis, ac ſpe interea deditionis, tamquam brevi utroque decernendæ, utrumque hoſtem, noquid ſerium tentaret, callidè fallentibus.*

ſed à Canuto pulſus, Norvegiam repetit:

82 *Senſere dolum, cum advolantis ex Anglia, Septembri menſe, Canuti fama, & hanc ponè ſecuta claſſis, ambos perculit; ut quæ numero ac magnitudine navium ceteroque apparatu Suecicam ſimul & Norvegicam dimidia parte ſuperaret. Tum verò, inerti populatione miſſa, de tuenda communi fortuna cogitatum. Nec longum deliberationi ſpatium fuit: tam alacer enim ac præceps in hoſtem rapiebatur Canutus; ut parum abfuerit, quin per* Olavi *ſtratagema vel colliſa claſſe interiret; vel diſſipatâ, in hoſtium aſſilientium manus vivus incideret. Quod ultimum Ulphonis Comitis, regi leviro ſuo opportunè ſuccurrentis, avertit induſtria; qua factum, ut redintegrata Danorum claſſe, non aliud adverſariæ, quàm in citata fuga, præſidium fuerit. Animum tamen non deſpondit* Olavus (*qui,* E *dum rex Sueciæ ex communi conſilio exercitum navalem utrumque duceret, proximè ad Helgam fluvium cum ceteris copiis excubuerat;*) *niſi poſtquam Suecos, vel invito eorum rege, dilabi paſſim animadvertit: tum enim & ipſe, licet ſolus cum ſuis aliquamdiu ſtativa ſervaverit, tandem, relictis ad Calmariam navibus, terreſtri per Gothiam Occidentalem itinere Norvegiam repetiit: Canutus verò, cum id reſciit, Zelandiam. Hæc porrò, quæ ex Hiſtoria Norvegica delibamus, quam variè tractentur ab aliis, oſtendit Loccenius Hiſt. Suec. lib.* 1, *ubi de Amundo Annoſo. Mirum verò hîc præ omnibus eſt Chronicum Saxonicum, quod prælium hoc ad Helgam, vel, ut ibi vertitur, ad* fluvium ſanctum, *narrat accidiſſe anno Chriſti* 1025; *additque:* Ibi autem viri quamplurimi interfecti ſunt à Canuti regis parte, tam Dani quam Angli; & Suedi loco funeris dominati ſunt.

miraculo intercalari duplici

83 *Non poſſum, quin hîc interſeram, quæ ex Iſlandis ſuis narrat Torfæus part.* 3, *in appendice ad lib.* 2, *cap.* 3, *tum quòd hoc fere tempore creduntur accidiſſe, tum quòd in medio armorum tumultu conſtantem* Olavi *ſanctimoniam egregiè produnt. Hoc enim ſtativa, ut diximus, apud Helgam tuente, qui excubias agebant, Eigill quidam, & Toſius Gothiæ Comitis cujuſdam filius, vinctos omnes, quòd eorum lamenta ferre non poſſent, effractâ noctu cuſtodiâ, dimiſere liberos. Indignum facinus ita Regem commovit,* ut cæde utriuſque protinus vindicaturus videretur. Paulo pòſt Eigill in deſperatum morbum incidit, [&] magna pœnitentiâ ductus, Regem ſibi quocumque modo placare ſtatuit; oranſque per internuntios veniam, diu exaudiri nequivit. Tandem interceſſore Finno Arnino, Regem eò uſque perpulit; ut ſe ægrum non modò inviſeret, ſed etiam lateri, quod maximè torquebatur, manus imponeret, precibuſque ſe Deo commendaret. Fugatus continuò morbus ſanitatem reſtituit. F

divinitus ornatus.

84 *Toſio quoque addicta venia, ſi patrem Comitem ad Regis alloquium poſſet inducere. Erat is Gothus, neque adeo ſubditus* Olavo, *ſed regi Sueciæ: ethnicis præterea ſuperſtitionibus tantopere addictus, ut non religionem dumtaxat Chriſtianam exſecraretur; ſed & illos, qui hanc profiterentur, cane pejùs & angue deſugeret. Hunc ad* Olavum *allicere, noverat Toſius quàm eſſet arduum: facturum ſe tamen, quidquid poſſet, recepit. Domum ergo profectus, vix rem ſatis edixerat, cum*

à

AUCTORE P. B.

à furente patre asperiora, quam quæ animo prospexerat, audire debuit ac pati, donec id tandem, quod flagitabat, evicit, & cum patre Sarpsburgum rediit ad Regem. Adducto Comite, Tofius, iram Regis denuo deprecatus, absolvitur. Postera die Rex Comiti Christianorum sacrorum majestatem utilitatemque cum multis nequidquam commendasset, obstinatum in inveterato cultu monet; esse eum in sua potestate; nolle tamen invitum ad eum cultum cogere, qui quanto magis spontaneus, tanto Deo futurus acceptior: liberum itaque eum se dimittere. Nec ultra detinet. Profectus Comes via per saltum ferente; nec procul repentino morbo corripitur. Regem itaque arcessit; venientique mutatam sententiam refert: velle se Christianum fieri. Mox adhibitus sacerdos, senem convertit; qui ablutus salutari lavacro, animum præsagire asseverat, ultimum hunc sibi morbum futurum: nolle eo loco efferri, ubi sibi tanta salus illuxerit: quem quoque secum consecrari optet, templo post excessum suum superstructo, dotarique ecclesiam liberaliter, idque pro animæ suæ salute. *Sic obiit ille; & quod optaverat, ab heredibus cumulatè præstitum est. Mihi verò plus hic aliquid, quàm in depulsis antè per attactum doloribus, apparet miraculi. Sed redeundum, unde digressi sumus.*

B

85 *Erit, opinor, qui superiùs narrata legere vix possit, quin Angliæ Danieque regis incuset segnitiem; quippe qui victorem exercitum innumerabilem otiosa tantillæ hostium classis observatione tam diu detinuerit. At enim nolebat ille feroces simul & venales animos ferro subigere, sed auro. Id quod tum per speculatores suos agebat maximè, cum nihil agere videretur: tot enim hoc ipso tempore Norvegorum duces largitate corrupit; ut* Olavus, *si quam suis consultationem indixisset, ex sententiarum contentione maligniſque multorum consiliis, rem sibi cum perfidis esse, non obscurè conjiceret. Verùm id multo intellexit apertius, ubi Norvegiam attingens, Erlingum audivit cumulatum divitiis jam aliquamdiu ab exercitu Danico in patriam rediisse, & quidem cum Canuti exploratoribus non paucis, qui ingentes, quos ad demerendos regi suo satrapas advexerant secum, thesauros tam liberaliter effudissent; ut multos è Norvegis palàm, clam verò plures defeciſſe ab* Olavo *constaret. Itaque vix usquam jam tuta erat Regi apud suos fides, maximè Occidentem versùs ac Septemtrionem. Unde coactus est in Vika per hiemem Uplandisque subsistere; quamquam & ibi conductos reperit in se sicarios, ut in Historia Norveg. part. 3, lib. 2, cap. 41 videre est.*

Canutus, post corruptos muneribus Norvegiæ satrapas,

C

86 *Canutus verò cum à præcipuis quibusque Norvegiæ proceribus non amari jam se tantummodo sciret, verùm etiam vehementer expeti; anno* 1028, *ut primùm per veris auras tempestivum fuit ad navigandum mare, classem expedit navium (si Islandis credimus loco mox citato)* pluſquam quadringentarum supra mille, *vel (ut cum Theodrico Nidrosiensi cap.* 16, *censet Ericus Olai lib.* 2, *in Amundo Carbonario)* mille ducentarum, *vel certè (si Florentium Wigornienſem alioſque Anglos præferre ceteris æquum est)* quinquaginta *dumtaxat. Hoc sanè, si de bellicis magniſque navigiis agitur, verisimilius est. Sic igitur transmisso, qui Daniam à Norvegia discernit, oceano; ad Occidentales regni partes appulsus, indeque versùs Boream per maritimas omnes provincias Nidrosiam usque triumphantis in morem deductus, rex ubique solennibus comitiis, miraque omnium gratulatione salutatur, non partis illius tantum-*

Norvegiam obtinet; ubi Haconem proregem creat anno 1028:

D

modo, cujus antea sibi jus arrogaverat; sed Norvegiæ universæ. Quod idem cum deinde Sarpsburgi factum esset, Hacone sive Haquino Comite (quem ut anno præterito belli ducem, sic modò triumphi socium adsciverat) prorege apud Norvegos relicto, Daniam sub exitum autumni repetiit: neque enim solicitabat eum Olavus, *quem satis exauctoratum pulsumque arbitrabatur, cum omnes ei propemodum regni proceres non subduxissent modò, sed in hostes etiam infensissimos commutasset.*

Olavus autem, perspectâ suorum perfidiâ,

87 *Canuti discessu cognito, Rex sanctus, qui in lacu Dramensi apud Vikenses interea cum paucis delituerat, Tunsbergam accessit. Erant ibi naves ex portu Calmarienſi per æstatem revectæ non amplius tredecim; quibus vel fortunam suam, vel subditorum fidem explorare per se voluit, priusquam regno excederet. Milite autem commeatuque frustra imperato, expeditionis comites adhibere coactus est, qui se sponte offerebant. Navigatio sub anni* 1028 *finem Lindisnesiam versùs instituta; inde porrò vix ad Septemtrionem inflexa, cum & ventis adversantibus retardatur, & innotescit Erlingo; qui, ingenti mox contracta classe, incursionem parat, sed sibi nimia festinatione fatalem: dum enim austro jam aspirante elabentem sibi videt* Olavum, *impatiens moræ prætoriam, quam ducebat ipse, sic impulit, ut à reliquis ejus navibus longissimo intervallo distracta, ante ad promontorium Bukense cum Rege confligeret, ab eoque vinceretur, quam illæ possent succurrere. Pugnatum tamen acerrimè fuerat; nec, nisi post interfectos propugnatores ad unum omnes, capta cum duce, etiam tum dimicante, prætoria. Erlingo parcitum voluit* Olavus; *sed auditus ab Aslako non fuit: hic namque tantam perfidiam in cognato sibi principe non ferens, eum è vestigio impacta capiti bipenne mactavit. Res hæc Regem quidem offendit graviter; sed supervenientes continuò Erlingi copias omnes, Olavianis multo superiores, ita perculit; ut immemores victoriæ, de funere tantùm duci suo cæsisque commilitonibus ducendo cogitarent.*

E

fugit in Sueciam, atque inde in Russiam

88 Olavus *hoc metu liberatus, quo longiùs in Aquilonem provehitur, hoc majora impendere sibi intelligit undequaque discrimina: & à tergo quidem Erlingi filios ad paternæ cædis ultionem exercitum expedire; ex adverso autem ipsum cum satrapis multis magnaque manu Haconem jam in proximo, ad se, si possit, opprimendum, adesse; aliunde etiam nihil sibi affulgere præsidii, ne in ipso quidem comitatu: ex eo enim præcipuos quosque sensim à latere suo ad Haconem desciscere. Cedendum ergo mari duxit; vitæque tum suæ, tum suorum per asperos regni montes fugiendo consulendum. Iter usque Lesias proximosque Gudbrandzdalos difficillimum fuit, nec sine miraculis, ut apud Torfæum part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 1 *Islandi referunt, complanatum: quadringentis enim ibi militibus ac centum insuper agricolis, qui viam sternebant, penuriâ laborantibus tantum ciborum obtinuisse fusis ad Deum precibus* Olavus *dicitur, ut singuli abundarent; tum immania saxa, quæ ne centum quidem operæ moliri poterant, paucorum impulsu, postquam attigisset ipse, revulsa cessisse; fons denique sub antro scaturiens, præsentissimum ægrotanti pecori remedium fuisse, ex quo ibi manus Rex sanctus abluerat, indeque locus S.* Olavi antrum *hodieque nuncupari. A Gudbrandzdalis porrò per Heidmarchiam, Vermiam, Nericiam ad Succiæ tandem regem verno tempore cum Astride conjuge, communique filia Ulfhilde, Magno filio, antistite Sigurdo, ut colligi potest ibidem*

F

ex

A *ex cap.* 4, *aliiſque non multis evaſit, ſubſtititque aliquamdiu; donec* eadem æſtate, relictis in Suecia regina, filiaque, ipſe navibus comparatis, aſſumpto filio Magno, in Ruſſiam ad regem Jariſleifum (*aliis Jariſlavum*) reginamque Ingigerdem, veterem ſponſam, nunc uxoris ſororem, conceſſit; ſummâque benevolentiâ exceptus, territorium ad ſuſtentationem vitæ aulæque ſufficiens conſequitur.

anno 1029, 89 *Sic regnum exſilio mutavit Sanctus anno, juxta chronotaxim Iſlandicam*, 1029; *quamquam fugitivus & expulſus verè dici poſſit ab anno præcedente, quo & Canutus Norvegiam ſibi totam ſubjecit, & ipſe in latebras Dramenſes abditus, exſuli jam tum in ditione ſua, quam regi erat ſimilior. Hoc ſenſu chronologiam hanc validè confirmant Anglicana Wigornienſis, Dunelmenſis, aliorumque probatiſſima Chronica, cum ad annum Chriſti* 1028 *ſic habent:* Canutus, rex Anglorum & Danorum quinquaginta navibus magnis Norregiam devectus, Olavum regem de illa expulit, ſibique eam ſubjugavit. *Iidem ea quoque ad annum* 1027, *quæ de corruptis per Canutum Norvegis Iſlandi memorant, his verbis adſtruunt:* Cum regi Anglorum & Danorum Canuto intimatum fuiſſet, quod Norregani regem ſuum Olavum propter ejus ſimplicitatem, & manſuetudinem, æquitatem, & religioſitatem, nimis vilipenderent, multum auri & argenti quibuſdam illorum miſit, multis rogans petitionibus, ut illo ſpreto & abjecto, deditionem illi facerent, ac illum ſuper ſe regnare permitterent. Qui cum ea, quæ miſerat, aviditate magna ſuſcepiſſent, ei remandari juſſerunt, ad illum ſuſcipiendum ſe paratos fore, quandocumque vellet venire. *Ceterùm de narrata trium regum expeditione, eodem anno* 1027 *ſuſcepta, verbum ibi nullum; uti neque in Actis noſtris, neque apud Adamum Bremenſem, aut monachum Theodricum* (*qui & ipſe Olavianum exſilium anno Chriſti* 1028 *adſcribit*) *vel Olavo ſynchronos Iſlandiæ poëtas* (*nam Siguatus à Torfæo adductus part.* 3, *lib.* 2, *cap.* 37 *de ſolo Canuti apparatu, anno* 1028 *in Norvegiam abſque pugna deſtinato poteſt intelligi*;) *in ea tamen poſt Saxonem Grammaticum aſſerenda Dani fere Suecique conſentiunt, licet in adjunctis plurimùm diſcrepantes.*

C *ut plures affirmant.* 90 *Porrò cum de tempore jam dicti exſilii tot auctores antiqui conſentiant, non auſim iis Grammaticum Saxonem anteferre, qui victum à Canuti claſſe regnoque expulſum exſulaſſe in Ruſſia* Olavum *ſtatuit; tum inde reverſum, atque Amundi Suecorum regis ope, ejecto viciſſim, à quo pulſus fuerat, Canuto, reſtitutum, ſanctiſſimè, ut antea, regnaſſe; & hæc quidem omnia ante annum* 1027, *ſive expeditionem, de qua diximus, Danicam. Scio equidem, haud abſimilem regni hujus viciſſitudinem ab Adamo Hiſt. eccl. lib.* 2, *cap.* 43 *narrari, ſed ex* fama, *ut ait,* volante *tantùm; deinde modo tam diverſo, ut narrationis varietas fidem hîc hiſtoricam non parum imminuat. Et ſanè ſi vera ſunt hæc, vel erraſſe cæteros omnes neceſſe eſt; vel* (*quod nec Adamus, nec Saxo commenti ſunt*) *bis exſulem* Olavum *fuiſſe. Malim igitur credere, minus iis notum fuiſſe ejuſdem exſilii tempus, quam aliis, ac præſertim Anglis, qui ſingula, quæ breviſſimè narrant, in ſingulos accuratè annos ita diſtribuunt, ut rerum potius tempora, quam res ipſas indagaſſe videantur. Tum nemo eorum, opinor, eſt, qui Canutum aſſerat ante annum Chriſti* 1028 *Norvegiæ regem fuiſſe, nedum ab* Olavo *dejectum; cum ejus tamen res multo leviores diligenter annotaverint.*

AUCTORE P. B.

§ IX. Reditus ejus in Norvegiam; pugna & martyrium; regni tempus.

Exeunte anno 1029 *Haconis interitus nuntiatur Olavo,*

NOn *diu* Olavus *apud Jariſlavum degerat, cum exeunte circiter ejuſdem anni autumno Hacon, ſponſam ex Anglia domum transferens, in mari periit,* nullo, *ut addit Hiſtoria Norvegica part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 2, præter deſiderium nuſquam comparentium, nuntio. *Unde factum exiſtimo, ut Angli ejus interitum anno tantùm ſequente notaverint: cum Norvegis aliquanto citiùs innotuerit; atque imprimis Biorno cuidam Stallario, qui honeſtè ab* Olavo *fugiente dimiſſus, Haconi deinde extortam auro miniſque fidem obligaverat. Is verò, ubi mortuum proregem audiit, ſacramento jam exſolutum ſe credens, in Ruſſiam confeſtim ad* Olavum *properat, eique ſub anni finem & Haconis nuntiat exitium, & recuperandæ Norvegiæ oblatam divinitus opportunitatem* (*Ericus Upſalenſis id plures feciſſe tradit; Joannes Magnus legatos ait fuiſſe à quibuſdam Norvegiæ proceribus miſſos.*) *Aliter Regem hic nuntius, aliter proceres, exſilii ſocios, affecit: hi nempe patriæ, rerumque, quas amiſerant, deſiderio tenebantur; ille hæc faſtidiens, ex ſolo Dei nutu pendebat; ut qui numquam ante meliùs, quam in otio Ruſſico, guſtaſſet ac vidiſſet;* quoniam ſuavis eſt Dominus; *& illud abſque dubio crebriùs uſurpaſſet:* Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? . . . Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. . . Mihi adhærere Deo bonum eſt.

apud Ruſſos jam tum celebri ob vitæ ſanctimoniam,

92 *Dum enim in Ruſſia commoratus eſt, juxta Hiſtoriam citatam ibidem cap.* 3, *in rerum divinarum contemplatione totus fuit: &* animi à terrenis abſtracti indicia paſſim obſervata: *ut adeo jam & aulæ totius opinione ſanctus haberetur, & opinionem hanc divina prodigia comprobarent.* Nam cum ſummæ, *ut loco aſſignato legitur,* dignationis viduæ filius, enato in gutture ulcere, ſeu ſtruma, ad deſperationem uſque laboraret, conſulta à matre ſibi familiari regina Ingigerdis, F eam ad regem Olafum, quem optimum medicum affirmabat, miſſam, ſuis eum verbis (ſi aliter non procederet) orare juſſit, ut manus [filio] adhibere non gravaretur. Aditus, imperitiam artis medicæ excuſans, ad interpretem illius eam relegabat. Verùm auditis reginæ verbis, manus admovit; diutiuſque contrectans, non prius dimiſit, quam puer os commoveret: mox ingeſtam panis particulam, quam volæ ſuæ, crucis formâ, decuſſatim impoſuit, cùm puer deglutiviſſet, dolor omnis evanuit, paucorum dierum ſpatio ſanitas rediit.

miraculis comprobatam;

93 *Eamdem exiſtimationem auxit mirificè præclarum facinus, quod iſtic etiam accidiſſe Iſlandi eodem capite ſic referunt:* Quantâ autem curâ leges divinas obſervaverit, vel exinde patet, quod die forte Dominicâ in ſede regia reſidens, altioribus cogitationibus immerſus, bacilli, quem manu tenebat, cultello ſchidias demeteret, moneturque ab adſtante pocillatore, qui eum celebris diei oblitum obſervabat, feriam ſecundam hebdomadis in craſtinum diem incidere; conjectis in eum oculis in mentem revocabat, feſtam diem violatam. Candelam ergo accenſam poſcit, collectaque ſingula fragmenta volæ impoſita ſuccen-

AUCTORE P. B.

dit, urique paſſus, dum arderent, ſupplicium pœnamque tranſgreſſi, quantumvis per ignorantiam, mandati divini ipſe de ſe, cum primùm peccaſſe reſcivit, ſeverè exegit. *Multo hæc elegantiùs adornata legi poſſunt apud Saxonem, ubi de Canuto Magno Hiſt. Danicæ lib.* 10; *unde ad Krantzium, Vaſtovium, alioſque tranſiere. At in Breviario Nidroſienſi, teſte Torfæo part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 12, *itemque in Sleſwicenſi, de quo monui* § 1, *num.* 7; *uti & in Vita Sancti Ms. Ultrajectina, qua de egimus* § 2, *num.* 12, *res eadem inter miracula recenſetur; nec immeritò, ſi verum eſt, quod iſtic aſſeritur*, Olavi *dexteram, abſumptis igne ſegmentis, illæſam permanſiſſe.*

qui divino inſtinctu actus,

94 *Ex his (ut ad propoſitum redeam) colligere pronum eſt, Principis iſtiuſmodi animum multo jam per ſe minus ad aſſiduas regalis faſtigii turbas, quam ad tranquillam privatæ conjunctæque cum Deo vitæ ſolitudinem aſpiraſſe: nec proinde mirum videri oportere, ſi de reliqua tum ætate vel peregrinationibus ſacris, ut ibidem narratur, vel monaſtico inſtituto conſecranda cogitaverit. Sed neque ignorare, jam expertus, poterat, quanto multis ad ſalutem utilior, Deoque gratior eſſe poſſet apoſtolica, quam tenuerat hactenus, regnandi ratio. Ad eam autem geminam ſibi viam aperiri videbat; alteram à Jariſlavo & Ingigerde, qui regni ſui, ethnicis paſſim adhuc erroribus involuti, quantam optare vellet, ei partem offerebant; alteram à Biorno & conſortibus exſilii ſatrapis, vitam ultro & omnia devoventibus, ſi modò, cum facile poſſet, vacuam occupare Norvegiam, ultimamque ſtabiliendæ in ea religioni manum admovere deceneret.* His anxius, Deo res ſuas ſolicitè commendabat, *inquit ibidem Hiſtoria*, eam ſibi ſortem depoſcens, quam ipſe providerit. *Quando, ecce, vir inſignis (Olavum credidit ipſe Tryggonium, regem olim Norvegiæ) ei viſus eſt per quietem aſſiſtere, & acribus ad reditum verbis hortari: Theodricus tamen cap.* 18 *tantùm dicit*, Olavum admonitum *fuiſſe* in ſomnis, *ut rediret*; *Acta noſtra Mss. & Breviarium Sleſwicenſe* divino inſtinctu inſpiratum. *Sed ſive inſtinctus fuerit, ſive cujuſcumque divinitus apparentis oratio; ſic Regem ad parendum impulit, ut nullis Jariſlavi aut Ingigerdis ei malè timentium blanditiis poſſet retineri; datum iis tamen, ut Magnum, ejus filium, in tutela ſervarent.*

B

C

cum exercitu ad recuperandam Norvegiam redit;

95 *Holmgardo, ubi Moſcorum tum erat regia, cum epiſcopo Sigurdo, & comitibus ducentis, ſæviente bruma, profectus, verno tempore Aroſiam tenuit, cum Sueciæ regi, tum conjugi præſertim ſuæ ac filiæ, hoſpes longè jucundiſſimus. Mora tamen ipſi longior ibi, quam gratior fuit: neque enim iter è Ruſſia in Sueciam deproperari ſic potuerat, quin jam ejus fama uſque in Norvegiam ſparſa, regnum tumultu commoveret univerſum. Quod ubi Suecis renuntiatum eſt, ab* Olavi *expeditione militiaque omnes abſterruit. Nec deerant, qui vel intermittendam dicerent, vel ad meliora tempora differendam. Verùm ille, cum altioribus ageretur conſiliis, urgere non deſtitit, quoad, obtenta ab amico rege cum ſatellitibus quadringentis, militum, quotquot ſequi vellent, conſcribendorum facultate, iter in Aquilonem Jemptiam versùs inſtituit. In eo tractu mirificè recreatus eſt, cum Haraldum, fratrem uterinum, conſpexit auxilio ſibi cum ſexcentis è Norvegia militibus venientem. Acceſſit mox etiam cum mille ducentis Dagus, Hringi Heidmarchiæ regis (de quo ſuprà* § 5, *num.* 53 *& ſeq.*) *filius; quibus & alii per viam adjuncti ſunt, donec per Sueciæ fines, monteſque Thrandenſibus ad Orientem oppoſitos penetratum eſt. Ibi demùm cum Regi, quia bellum inſtabat, luſtrare placuiſſet exercitum, nongentos in eo comperit ethnicis adhuc ſordibus immerſos. Hos ille vel faceſſere jubet, vel Chriſtum agnoſcere:* non *enim* indigere ſe (*teſte etiam Theodrico, cujus hæc verba ſunt*) paganorum & à Deo alienorum, maximè contra Chriſtianos; vilem ſibi fore victoriam, quæ iniquorum manibus pararetur. *Ita pars major dilapſa; quadringenti religionem Chriſtianam amplexi ſunt, ac totus exercitus ad tria capitum millia redactus. Quibus quidem ſubinde alii, ſed non alia lege, ſunt additi.*

D

mira lenitatis, aliarumque virtutum exempla præbens.

96 *Rebelles interea, quà venturum cognoverant, audit accedere, ſed copiis, quantas uno in loco numquam Norvegia vidiſſet, inſtructos. Quare ſuorum paucitati conſulturus, arma imperat vicinis agricolis. At illorum aliqui jam apud hoſtes erant; ceteri, paucis exceptis, obſequi recuſabant. Perfidiam non tulere duces; ſed villarum direptione atque incendiis, ſi Regi videretur, plectendam clamitabant: cum ille, reos quidem eos eſſe, & iſtiuſmodi pœnis uſum ſe aliquando confeſſus eſt;* Verùm cum cauſam Dei, *inquit*, proſtitutam datam ei fidem, tranſitumque ad idola & paganiſmum exequerer: jam verò cauſa hæc me attinet, probis quidem generoſiſque animis execrabilis; multo tamen levior; quippe defectio à rege. *Compreſſâ ſic turbâ, progreditur intrepidè; id ſe precibus, vigiliis, inedia facile conſecuturum confidens, quod numero forte non poſſet. Et verò hæc Deo cordi fuiſſe, ſi codici Flateyenſi credimus, prodigio non uno, ſed inferiùs à nobis proferendo, patuit. Illud prætereundum hoc loco non eſt, quod hoſtibus aliquanto jam propinquior, multas argenti ſelibras agricolæ his verbis tradidiſſe dicitur:* Hoc argentum reſervabis, finitoque bello, pro hoſtium noſtrorum, qui prælio occumbent, animarum ſalute tripartitò ad propitiandum Deum erogabis: pars templis, pars ſacerdotibus, pars quoque pauperibus cedet. *Idem paulo aliter narrat & multis extollit Theodricus Nidroſienſis cap.* 19.

E

Ante pugnam cœleſti viſo recreatus.

97 *Tandem ventum eſt Stiklaſtadas. Oppidum id erat ſeu prædium, ut vult Undalinus apud Torfæum Hiſt. Norv. part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 19, duobus in ortum à Nidaroſia milliaribus ſitum; *at juxta mappas Wittianas leucis inde horariis diſtat circiter octodecim. Ibi cum jam prope in conſpectu hoſtis eſſet, agmina conſtitere: quando Thorgillo cuidam, qui iſtic habitabat, ad Regem accedenti, operamque offerenti in bello, reſpondit Sanctus*, utiliorem navaturum, ſi ſuorum poſt conflictum ſauciorum auxilium ſublevamenque, mortuorumque ſepulturam in ſe reciperet. Petivit quoque, ut corpori ſuo, ſi forte occumberet, curam adhiberet, ni ab hoſtibus prohiberetur. Id quod ille quoque pollicitus eſt. *Inſtructa deinde acie, ſuiſque ad rem ſtrenuè gerendam animatis, dum hoſtium exſpectatur incurſus, ſomno Rex tantiſper indulget. Sed illis ſigna mox erigentibus, à Finno, copiarum ſuarum duce, excitatus, interpellari ſomnium queſtus eſt: cumque reponeret Finnus*, quod neceſſitas excipiendi hoſtilem impetum omni ſomnio anteferenda videretur: jam enim directam in ſe aciem facile perſpici; Rex, non tam prope adhuc acceſſiſſe, reſpondit, quin præſtiterit dormiviſſe. Quid verò, ait Finnus, ſomniaſti, quod tanti facis, ut ipſe evigilaſſe maluiſſes? Scalam, inquit Rex, vidi à terra in cælum uſque pertingentem, meque per gradus aſcendentem, ſupremamque tenuiſſe. *Cæleſte hoc fuiſſe*

F

A *fuiſſe ſomnium, cum ipſa res indicat, tum auctores, qui illud referunt, plurimi, ut Albertus Stadenſis in Chronico ad annum* 1028, *Vita noſtra utraque Ms., Breviarium Sleſwicenſe, Vaſtovius &c. Quorum tamen aliqui id aliquanto citiùs accidiſſe volunt, ut ex Actis noſtris videbitur.*

98 *Porrò progreſſus ante aciem Rex, ubi Kalfum, Finni fratrem, hoſtiumque ſupremum ducem, non tantum abeſſe jam ex adverſo vidit, quin exaudiri invicem poſſent,* Quid ibi, inquit, Kalfe? Nonne noviſſimo diſceſſu (*nam poſt Regis diſceſſum, ad Canutum, aureos montes pollicentem, defecerat*) amicè nos invicem ſalutabamus? Nec tibi fas tela in nos ingerere, cum quatuor fratres tui nobis militent. Multa, reſpondit Kalfus, præter fas jam fiunt: noviſſimo enim diſceſſu tuo nos ita deſeruiſti, ut neceſſitate compelleremur pàciſci cum iis, qui remanebant. Itaque locum, quem quiſque tenet, eumdem defendet. Paciſcerer tamen tecum, ſi mei arbitrii eſſem. Tum Rex: Tu forte, Kalfe, ad pacem propendes; haud tamen cives pacificè ſe gerunt. *Sic per ſe denuò pacem non obſcurè rebellibus obtulit, quam paulò antè rejecerant, uti ex Theodrico diſcimus cap.* 19 *ita ſcribente:* Audiens igitur Rex, congregatam adverſum ſe multitudinem, miſit ad ad eos Fin, fratrem Kalfs, .. qui populo pacem offerret; Regis animum paratum nuntiaret: oblitum enim præteritarum injuriarum, ignoſcere cuique quod eatenus perperam egiſſet: deteſtari ſe effuſionem humani ſanguinis, & maximè in civilibus bellis: nullo modo ſe velle manum conſerere, ſi ſalubribus ejus monitis acquieſcant. Efera verò mens barbarorum unanimi conſenſu paci contradicit; & multo miſeri magis eligunt Sanctum Dei hoſtiliter impetere, quam ſalutaria ejus monita ſuſcipere. *Hunc nimirum in eis furorem accenderat epiſcopi cujuſdam Dani (quem Iſlandi Sigurdum, ſed à priore diverſum; alii Trugillum appellant) Canuto addictiſſimi ſeditioſa oratio; quam legeſis Hiſt. Norveg. part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 7.

veniam rebellibus fruſtra offert:

99 *Ab his ergo ſine mora ſignum conflictui datum; cum in eos Olaviani, pictis in caſſide & clypeo crucibus omnes conſpicui, ac teſſerâ præſcriptâ,* Prorſum, prorſum, Chriſti, Crucis, Regis milites, *ſe mutuò incitantes, ferociter invehuntur, pugnamque cient, quam ita breviter exhibet eodem capite Theodricus:* Collatis itaque ſignis, ferebat vexillum ante Regem vir ſtrenuus, nomine Biorn. Hic in primo ſtatim congreſſu occiſus eſt à Thori Hund, qui primam aciem ducebat contra Regem. Illico ſubſecutus eſt occaſus Regis, accepto, ut fertur, vulnere ingenti. Quis ei manus intulerit; utrùm unum an plura vulnera habuerit, quia à diverſis diverſa dicuntur, nos nil temere affirmare volumus, nec officioſo mendacio aliorum aures demulcere. Dagr verò, unus ex principibus Regis; nec non & cognatus ejus, cernens, vexillum unà cum Rege cecidiſſe, viriliter illud erexit, hortatus ſocios & obteſtatus, ut necem Regis non velint inultam; ne geminatum gaudium adverſarii reportarent, & de nece Regis, & de incruenta victoria. Inde ruunt omnes in arma; penetrant bis vel ter aciem hoſtium; plurimos proſternunt; protrahitur pugna uſque ad veſperam; nox pugnantes diremit: diſcedunt tandem utrique non tam victi, quam feſſi & vulneribus afflicti. *Longior eſt Iſlandorum deſcriptio Hiſt. Norveg. part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 8; *differeque tum in aliis nonnullis, tum in ipſa Regis cade, quam ita proponit:* Eodem momento Rex in Kalfi agnatos provectus, Olafum lethali vulnere affecit. Thorer verò (*Hund, ſeu Canis, cujus manum modò Rex hebeſcente gladio vulneraverat, humerumque contuderat Biornus*) colligens ſe, Biornum medium transfodit. Interea Thorſteinus naupegus Regem ſupra ſiniſtrum genu feriebat; confeſtimque à Finno occiditur. Iſto vulnere accepto, Rex ad ſaxum ſe reclinans, abjecto gladio, cæleſtem opem invocavit. Thorer autem ſubtus loricam ventrem ei perfodit. Mox Kalfus ſiniſtrum colli latus percuſſit. Tria iſta vulnera, in corpore ejus conſpecta, vivis eum exemerunt: dubitant tamen, an Kalfus vulnus ei intulerit.

occiditur

AUCTORE P. B.

100 *Ceterùm toties in hujus expeditionis ac pugnæ narratione variorum & ſynchronorum poëtarum carmina in teſtimonium aſſignantur; ut, ſi clara ſint illa ac genuina, mirandum ſit, unde ipſo illo, quo ſuſceptam fuiſſe oporteret, ſeculo tam obſcura fuerit, quàm prodit Adamus Bremenſis Hiſt. eccl. lib.* 2, *cap.* 43, *cum ita ſcribit:* Unde Rex Chriſtianiſſimus, fortitudine in hoſtes, & juſtitiâ in ſuos celebris, ad hoc ſe in regnum à Deo credidit reſtitutum, ut jam ex tunc nemini parcere debuiſſet, qui vel magus permanere vellet, aut Chriſtianus fieri detrectaret. Et cum magna ex parte votum ſuum impleſſet, pauci, qui ex Magis remanſerant, in ultionem eorum, quos Rex damnavit, ipſum etiam obtruncare non dubitarunt. Alii verò dicunt, eum in bello peremptum: quidam autem in medio populi circo ad ludibrium Magis expoſitum. Sed & alii ſciunt, illum ob gratiam Knut regis latenter occiſum; quod & verum eſſe non diffidimus, eoquod regnum ejus invaſerit. *Ob gratiam Canuti occiſum eſſe, fatetur Grammaticus (quidquid Canutum defendere conetur Alfordus noſter in Annal. eccles. Anglic. ad annum* 1028, *num.* 3;) *non tamen latenter, ſed in* domeſtico bello. *Chronicum Saxonicum ad annum* 1030, Hoc anno, *inquit*, venit Olafus rex poſtea in Norwegiam: iſte verò populus coactus adversùs eum, cum illo præliatus eſt; iſque ibi occidebatur. *In prælio quoque cecidiſſe Martyrem, Acta noſtra Ms., Breviarium Sleſwicenſe, Ericus Upſalenſis, Joannes Magnus, aliique cum Iſlandis ſentiunt; à quorum opinione neque nobis recedendum videtur, utpote tot gentium diverſarum fulta monumentis.*

in prælio, ut putamus;

101 *De anno quoque ac die martyrii nonnulla diſſenſio eſt: nam annum Chriſti* 1028 *aſſignant Albertus Stadenſis in Chronico, ſic haud dubie Adamum Bremenſem interpretatus; Ericus Upſalenſis lib.* 2, *in Olao Skotkonung; Vita Ms. Bodecenſis, Breviarium Sleſwicenſe; & recentiores paſſim cum Baronio. Theodricus verò Nidroſienſis cap.* 19, Occubuit autem, *inquit*, beatus Olavus quarto Kal. Auguſti, quod tunc erat quarta feria, anno ab Incarnatione Domini milleſimo viceſimo nono; ut nos certiùs indagare potuimus. *Errat ſanè vel ipſe, vel librarius quiſpiam; cum littera Dominicalis anno illo fuerit E; adeoque quarto Kal. Auguſti feria tertia, non quarta. Et quarto quidem Kalendas Auguſti obiiſſe Sanctum aſſerunt, quotquot natalem hunc ejus diem ſuperiùs annotarunt; diem verò illum in quartam feriam (non in ſextam, ut ex Vita Ultrajectina, Lovanii, ut ante monuimus, excuſa auctaque fabulis, Grevenus exiſtimavit) incidiſſe, præter Theodricum affirmant etiam Ms. Bodecenſe cap.* 10, *num.* 10; *Snorro Sturlonides ſcriptor ſeculi* XIII *in Vita* Olavi, *citata in annotatis ad Vitem Aquilonicm col.* 22; *& auctor Chronica Danorum, qui*

idque anno Chriſti 1030 *die* 29 *Julii,*

AUCTORE P. B. *eodem ſeculo floruiſſe creditur, in editione Lipſienſi anni* 1695, *pag.* 4. *Hoc verò neque cum anno* 1028 *cohærere poteſt, quo dies* XXIX *Julii in feriam ſecundam incidit. Malim igitur cum Iſlandis hunc obitum referre ad annum Chriſti* 1030, *quo feria quarta congruit cum* IV *Kal. Auguſti; maximè cum annum hunc diſertè exprimant Chronicum Saxonicum, Florentius Wigornienſis, Simon Dunelmenſis, Radulphus de Diceto, aliique paſſim inter Anglos, quos ad eumdem annum ſecutus Matthæus Weſtmonaſterienſis*, Eodem, *ait*, anno (1030) ſanctus Olavus, rex, doctor, prædicator, & apoſtolus Noricorum in Norwegia, Haraldi regis Noricorum filius, in Norwegia perimitur, à Noricis percuſſus nimis truculenter quadam ſecuri: . . indignabatur enim gens illa pagana & cruentiſſima, quod primas leges & ſuperſtitioſas idem ſanctus rex Olavus prædicando, docendo, euangelizando, ſtatuendo evacuaret. *His adde Suaningium, Huitfeldium, Torfæum, Sibernum, alioſque neotericos, in rebus Borealibus operosè verſatos.*

B *cum regnaſſet annis fere ſedecim.*

102 *Hinc jam ſtatue, quamdiu apud ſuos* Olavus *regnaverit: annis videlicet fere ſedecim, ſi ab intercepto Hacone uſque ad martyrium computentur. Adamus Bremenſis, qui Hiſt. eccles. lib.* 2, *cap.* 43 *annos regni duodecim tantummodo numerat (ſi tamen eo loco interpolatus non eſt, cum hæc alibi deeſſe teſtetur, qui Adamum Hamburgi edidit anno* 1706,) *uti & Albertus Stadenſis; tot forte annos regno detrahunt, quot exſilio tribuendos putarunt. Et de Stadenſi quidem id minus eſt mirum, quandoquidem* Olavi *eadem biennio antevertit. Sic Theodricus Nidroſienſis cap.* 20, Regnavit autem, *inquit*, B. Olavus annis quindecim; quorum tredecim ſolus obtinuit regnum: nam primo anno cum Suenone, filio Hacon Mali, pugnam habuit; ultimo verò . . . rebellionem paſſus eſt, & inquietum fuit regnum. *Ubi vides, annos regni propriè dicti cenſeri* tredecim, *amputatis duobus, quibus impeditum illud fuit, & uno, quem Regis vitæ detraxit, mortuum ſtatuens anno* 1029: *numeraſſet ergo cum Stadenſi annos regni tantummodo* duodecim, *ſi interfectum cum illo putaſſet anno* 1028. *Porrò chronologiæ noſtræ graviſſimum argumentum eſt in Carmine Iſlandico Siguati poëtæ*, S. Olavo, *dum viveret, familiariſſimi; quod ita vertit Hiſt. Norveg. part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 9 *Torfæus:* Rexit Olafus regnum ſuperiùs, generoſum caput, integras hiemes (aliquam occumberet) quindecim, in illo territorio: *totidem enim integræ putantur hiemes ab exeunte anno* 1014, *uſque ad ultimam elabentis anni* 1029, *quam non* in illo territorio, *ſed exſul apud Ruſſos traduxit. Si tamen & hanc placet adnumerare, regnaſſe dices integras hiemes ſedecim.*

C

§ X. Sancti corporis ſepultura, elevatio, decoratio, incorruptio vegeta quotannis obſervata, pluraque inter hæc miracula.

REs hactenus ab Olavo *geſtas ſummatim exſecuti, ad eas accedimus, quæ defuncto acciderunt. Finito prælio* nec Thorer quidem *(qui à Rege, ut jam diximus, vulneratus, ei ventrem perfoderat)* quantumvis in Regem vivum infeſtus, ultra tamen mortem ſæviebat, *inquit hiſtoricus noſter part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 8. Quin tactus humanitate, tantique faſtigii reverentia, demortui corpus decenter compoſitum, veſte texit: deterſoque ſanguine, faciem, tamquam dormientis, rubentem, quàm vivi clariorem conſpexit; cum manans è vulnere Regis in vulnus ejus, quod manu exceperat, ſanguis adeo præſentem medicinam attulit, ut obligatione opus non eſſet. Id quidem ipſe, cum ſanctitas Regis publicaretur, teſtatus eſt; omniumque hoſtium nobiliorum primus eam propugnare occepit. *Corpus tamen ejus tum auferre non eſt auſus (credo, quòd hoſtium cadavera condere vetitum eſſet, ut cap.* 9 *narratur;) ſed id in craſtinum diſtulit; atque ita hanc ei gloriam ille præripuit, cui id ſuprà dixìmus Sanctum ipſum ante pugnam demandaſſe; Thorgillus, inquam, de quo ibidem hæc leguntur:*

D *Sancti ſanguis ipſo die prælii ſanat ejus interfectorem,*

104 Thorgils, Halmæ filius, promiſſæ Regi curæ haud immemor, cum filio Grimo, ſero veſpere inter tenebras corpus ejus in exiguam quamdam caſam ſolitariam, villâque diremptam (*horreum appellat Undalinus part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 19, *quod ſuo tempore ſubſiſtere dicebatur*) illatum, veſteque nudatum, accenſa luce, aquâ abluebat; linteiſque involutum, in pavimento ſub lignorum ſtrue occultabat, ne ingredientibus obvium foret: abſolutoque pietatis officio, demum redibat. Evenit autem, ut inter mendicantium turbam, quæ utrumque exercitum ſequebatur, &, finito bello, receptacula per noctem quærebat, cæcus quidam pauper à directore, qui eum ductare ſolebat, eò introductus, dum manibus locum quieti commodum explorabat, humectata manu elevando pileo admota, oculos liquore digitis adhærente aſpergeret, ortoque ſtatim pruritu, fricaret; exiens deindè, manus proprias, deinde proxima quæque, quantum per tenebras licebat, oculis colligens, prædium deinde accederet (*per* prædium *hîc, & ſuprà per* villam *Stiklaſtadas intellige*;) ingreſſuſque domum, receptum luminum uſum omnibus palàm faceret. Multi, qui præſentes erant, noverunt quod cæcus vicatim ſtipem petiverit. Itaque inſolentem caſum admirati, ubinam illa caſa eſſet, exquiſiverunt. Hinc haud mediocris metus Thorgilſem & Grimum inceſſit, ne, dum tanti miraculi cauſam explorarent, hoſtes quoque regii corpore ejus potirentur, injuriiſque & ludibrio afficerent. Certi itaque, ſanctitati Regis eum honorem à Deo habitum, actutum eò clam omnibus ſe conferentes, efferunt, campoque abſcondunt. *Id factum narratur eâdem feriâ quartâ, qua Sanctus occubuerat.*

E *aliumque cæcum;*

F

105 *Poſtridie*, feriâ quintâ, *cum ad requirendum Sancti corpus rediſſet Thorer; aliique in eodem campo ſaucios ſuos inveſtigarent*; Thorgils & Grimus de cadavere Regis valde ſoliciti erant, ne inventum denique hoſtium ludibrio exponeretur: cognoverunt enim, eos conſtituiſſe illud vel aquis immergere, vel igne conſumere. Auxit metum inſolita lux, ipſis quoque obſervata; quæ locum, ubi concidebat, priuſquam inde auferretur, deinde eum, quem jam delegerant, irradiavit, ne inimicis anſam ad eum intentiùs ſcrutandum forte præbens, illud quoque proderet. Loculo igitur, quàm poterant accuratiſſimè facto, illud impoſuerunt. Fecerunt & alium, quem lapidibus ſtipuliſque, pondere cadaver exæquante, repletum magnâ curâ clauſerunt. Utrumque lembo impoſitum, cum primùm Stiklaſtadis advenæ receſſerunt

corpus luce cæleſti radiat, & clam apud Nidroſiam conditur;

A ſerunt... Nidaroſiam deportarunt; apertè eum, in quem lapides congeſti erant; reliquum occultarunt. Mox nuntiis epiſcopum (*Danum illum, de quo ſuperiùs*) certiorem faciunt, inventum ſe Regis cadaver adferre. Mittit ille, qui ad pontem excipiant: exceptus [eſt loculus] qui lapidibus onuſtus [erat,] inque ſinum lembo delatus, juſſu ejus mergitur. *Fallor, niſi hoc fabulam olêre videbitur.* Nocte verò Thorgils inter tenebras adverſo flumine remigans, donec urbem ſuperaſſet, ad locum, qui Sordida porta appellatur, navem admovet, inque domunculam ab aliis ſeparatam funus infert. Interea Thorgils urbem ingreſſus, adit eos, quos Regi amiciſſimos fuiſſe novit; poſtulatque, ut corpus regium accipiant. Id verò cum ſinguli metu præpediti abnuerent, ipſe ad ſuperiora per fluvium reportat, ibique in arena condit, ſedulò providens, ne ulla recentis operis veſtigia paterent; abſolutoque tanto pietatis miniſterio, domum repetit.

ſed ea mox fuit miraculorum copia; B

106 *Dum ibi latuit ſancti Regis corpus, latere merita Deus noluit: tantam enim continuò ſive miraculorum ſuperiorum fama, ſive occultus Numinis inſtinctus vulgo fiduciam excitavit, ut ſiquis humana deſtitutus ope, divinam optaret, ad S.* Olavi *ſimul confugeret patrocinium, idque eventu tam felice, tam frequente ac mirabili, juxta Torfæi hiſtoriam ibidem, cap.* 11, *ut, dum ſe alii morbis, periculis alii, alii adverſis caſibus poſt nuncupata ejus nomine vota non ſine prodigiis ereptos profitentur, invictis teſtimoniis ſanctitatem ejus brevi omnibus perſuaſerint. Mutata vel infenſiſſimorum nuper hoſtium de ſuo Rege judicia. Pœnituit reum quemque præteritæ ſeditionis ac cædis tam nefariæ. In Trugillum antiſtitem, auctorem illius præcipuum, nemo non ringebatur; ut is adeo nihil ſibi tutum ſatis apud Norvegos futurum proſpiciens, mox in Angliam ad Canutum profugerit. In hujus locum, agentibus Thrandis, evocatus illicò ex Uplandis Grimkel epiſcopus, Sancto, quoad vixit, in paucis carus; rogatuſque, ut miraculorum examen inſtitueret. Comperta eorum veritate, Thorgillum, Grimumque Stiklaſtadis ad ſe Nidroſiam vocat; à quibus & alia nonnulla, & locum, ubi abditum eſſet Martyris corpus, edoctus, unà cum Einare Thambaskelfere, qui & Sancti cultum nihilo minus habebat cordi, & in aula valebat plurimùm, regem regiſque matrem adiit, tanti theſauri honeſtiori ſepultura decorandi facultatem ab eis poſtulaturus. Rex tum erat Sueno, Canuti Magni ex Alfifa ſeu Alvina concubina filius, aut ſaltem pro tali habitus; qui Haconi defuncto ſuffectus à patre, maternis conſiliis tam duro ſubditos exercebat imperio, ut ad exigendas unicè, quas Regem ſanctiſſimum trucidando meruerant, pœnas miſſus à Deo vindice videretur. Certè in hac ipſius Sancti cauſa uſque adeo ſe commodum præbuit, ut antiſtitis arbitrio totam commiſerit.*

C

ut anno 1031 publicæ venerationi exponi debuerit,

107 Magnus tum populi in urbe concurſus, frequenſque epiſcopum Einaremque ſtipans comitatus, ad locum ſepulcri proceſſit: apertaque humo, capulum, quaſi ſemetipſum exerturum, parùm infra ſuperficiem inventum. Conſenſu inde multitudinis ad ædem (*ab ipſomet erectam juxta* § 4, *num.* 44) S. Clementis, juſſu epiſcopi conditur. *Hæc tranſlatio anno* 1031 *in æſtate facta dicitur; eamque proinde (fortè quòd nova rurſum prodigia cultum Sancti publicum maturarent) brevi intervallo conſecuta eſt corporis elevatio; de qua ſic ibidem Iſlandi:* Sublatum deinde [idem capulum] poſt menſes duodecim dieſque quinque à cæde Regis (*hoc eſt anno* 1031, *die ſecunda, ſi quinque diebus annumeretur dies cædis; vel, ſi is excludatur, tertia menſis Auguſti.*) Tunc quoque propiùs ſuperficiem ſe tranſtuliſſe deprehenſum, politumque, tamquam recèns fabricatum. Præſule, dum aperiretur, præſente, odor exhalatioque ſuavis circumſtantes mirificè affecit. Facies ab eo nudata, nihil à viva mutata, dormientem roſeis genis repræſentabat. Id verò miraculum omnibus viſum (*ſi tamen ſatis ſincerè ſcriptum, verſumve*) quod capilli ungueſque, acſi in eum uſque diem vixiſſet, creviſſent: ad quod ſpectatum ipſe rex, materque, & procerum ſinguli acceſſerunt. Verùm Alfifa, corpora hominum arenis infoſſa, tardè putreſcere arguens, aliter ſe habiturum, ſi terræ pulverulentæ conditum fuiſſet, prædicabat. Epiſcopus capillo myſtaceque, quem ſeculi more longum Rex aluerat, forficibus præfectis, ad regem Alfifamque converſus, Jam, ait, ad eamdem menſuram redegi, quam aſſecuti ſunt, cum moreretur; partes autem præfectæ, quas teneo, poſtmodum accreverunt.

& quidem prorſus incorruptum. E

108 Alfifa, gnara quàm opinio ſanctitatis Regis ſibi eſſet periculoſa, præfectas capillorum particulas igne explorari juſſit; Sanctum habituram, ſi vim ejus reſpuerent: neque enim novum aut ad miraculum quidquam, ſi terræ, longo quamvis tempore, infoſſi crines non corrumpantur; quippe obſervatum ſæpius, etiam in iis, qui ſepulcro diutius detenti fuiſſent, quam Vir iſte. Thuribulo igitur, igne thureque conſecratis impleto, injecta ſegmenta, exeſo thure incorrupta in omnium conſpectu regi proceribuſque omnibus antiſtes exhibuit. Alfifæ igni non conſecrato idem experiri poſtulanti Einar ſilentium injunxit, multiſque eam & acerbis verbis objurgavit. Facta tunc miraculo fides, Olafuſque ab ipſo rege, publico judicio Sanctus pronuntiatus (*ineptum hoc eſt, ſi aliud ſignificet, quàm quod publico antiſtitis ac populi judicio rex ſe quoque aſſentiri palàm teſtatus ſit;*) corpuſque ædi S. Clementis illatum (*forte ex cœmeterio,*) ſupra altare exaltatum; loculus byſſo obductus, porizomate holoſerico: mox multifaria miracula in teſtimonium ſanctitatis edita.

Hujus elevationis memoria ſolennis & anniverſaria. F

109 *Hujus quoque elevationis meminit; ut initio diximus, Theodricus Nidroſienſis in Hiſtoria de regibus Norvegicis citata jam ſæpius, cap.* 20, *ubi ſic habet:* Quomodo verò mox omnipotens Deus merita martyris ſui Olavi declaraverit, cæcis viſum reddendo, & multa commoda ægris mortalibus impendendo; & qualiter epiſcopus Grimkel, qui fuit filius fratris Sigwardi (*aliis Sigurdi*) epiſcopi, quem Olavus, filius Tryggya, ſecum adduxerat de Anglia, poſt annum & quinque dies beatum corpus è terra levaverit, & in loco decenter ornato repoſuerit, in Nidroſienſi metropoli, quò ſtatim, peractâ pugnâ, tranſvectum fuerat; quia hæc omnia à nonnullis memoriæ tradita ſunt, nos notis immorari ſuperfluum duximus. *Et verò ne tantæ rei memoria Norvegis olim poſſet excidere, anniverſario exinde feſto, & quidem cum pervigilio ſolenni, celebrata fuit Nidroſiæ, ut vide apud Torfæum part.* 3, *lib.* 10, *cap.* 24, *& alibi; ubi appellatur* S. Olavi feſtum poſterius; *primum enim agitur hoc die* XXIX *Julii; illud verò die, qua facta eſt elevatio, ſecunda vel tertia Auguſti. Secunda, inquam, vel tertia: nam diei ſecundæ Auguſti hæc ſolennitas aſſigitur loco citato; uti & part.* 4, *lib.* 6, *cap.*

AUCTORE P. B.

AUCTORE P. B.

9; *at part.* 4, *lib.* 5, *cap.* 4 incidere *dicitur* in tertium diem Auguſti: *& utrolibet die intelligi poteſt peracta elevatio.*

Plura miracula in eadem elevatione facta;

110 *Textui, quem numero penultimo dedimus, hæc ſubdit Torfæus:* Memorant, in loco, ubi primùm cadaver ſepultum, perennis aquæ fontem exſtitiſſe, morbis expellendis ſalubrem, ſanatorum frequentiâ, magnâ deinceps curâ obſervatum. Ibi ædicula (capellam vocant) primò exſtructa, altareque, ubi monumentum Regis ſtatutum; quo loco, tempore ſcriptoris noſtri templum Chriſto ſacrum ſtetit (*ab Olavo Pacifico erectum, ut vide paragrapho ſeq. num.* 116) ... Tradit inſuper, famâ vulgatum, fanum Olavi ſuo tempore conſtitiſſe, ubi domus illa ſolitaria, in quam illatum corpus unicam noctem remanſit: (*hoc Magnum inchoaſſe, Haraldum perfeciſſe § ſeq. num.* 114 *dicemus.*) Portam quoque Olafi appellatam, ubi reliquiæ ejus de nave exportatæ; ſuo quidem tempore in medio urbis. Capilli, unguiumque præſecandorum curam (utrumque enim, tamquam vivum, creviſſe) epiſcopum geſſiſſe. His teſtimonium perhibent carmina duorum poëtarum, qui hæc ipſa coram inſpexerunt, vetuſtate ſua auctoritatem omni exceptione majorem ſibi vindicantia: primum familiaris ejus Siguati, qui capillos creviſſe affirmat; ſecundum Thorarini Loftungæ, eò invictæ fidei, quod odæ, quæ Glelogn dicitur, honori Sueni, Alfifæ filii, dicatæ hæc inſeruerit; ubi præter crinium, unguiumque incrementum, ipſe, qui præſens apud Suenum [fuerat,] campanas ſponte ſonare, ſponte candelas ſuper altare accendi; gregem (ut interpretatur auctor) immenſum claudorum, cæcorumque, aut aliter ægrotantium, jam tum recepta valetudine integram inde diſceſſiſſe perhibet.

B

& alia, maximè cum Sancti filius Norvegiæ rex factus,

111 *Dum hæc per univerſum regnum fama circumfert, novis identidem prodigiis & creſcens & confirmata, mirum eſt, quantùm omnium animos affecerit, eorum præſertim, qui de Rege, jam ſuæ etiam opinione ſanctiſſimo, peſſimè ſe nuper meritos agnoſcebant. Itaque tam atroci flagitio ſatis eluendo nullas ſibi lacrymas profuturas credunt, niſi illatam injuriam, qua ſaltem jam poſſint, parte, compenſent. Quare quod ereptum* Olavo *per ſe dolent imperium, Magno, ejus filio, apud Ruſſos ſuperſtiti, quantumvis undecimum dumtaxat ageret ætatis annum, reſtituere per ſe ſine mora decernunt: ut quod non ſolùm æquitas fieri poſtularet, ſed & facile fieri tempora ſinerent: Sueonis enim Alvinæque tyrannidem jam ferebat nemo, nemo non exſecrabatur. Sic anno circiter* 1035 (*de quo tamen diſputantem adiſis Torfæum Hiſt. Norveg. part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 16) *reductus per eos è Ruſſia per Sueciam cum numeroſo exercitu atque Aſtride noverca Magnus, tanto ſatraparum vulgique ſtudio exceptus eſt; ut Sueno, deſtitutum ſe videns, in Daniam ultro diffugerit, eodem iſtic anno ſublatus è vivis.*

C

Patris reliquias pretioſâ thecâ decoravit; anno circiter 1035.

112 Et Magno quidem, *ut habet ibidem Torfæus*, filio ejus in regnum reducto, regiaque dignitate ſublimato, prima cura, operumque principalium initium erat in exornandis paternis reliquiis. Sarcophagum igitur ad corporis modum, capuli ſimilitudine, auro, argento, gemmiſque exornatum fieri conſtituit, anteridis in formam ſupernè pectinatum, poſtica parte laminis connexum, antica ſera penſili clauſum, columellis ſuſtentum. Ei corpus Regis illatum, multa ſtatim miracula edidiſſe, etiam poëtæ Siguati teſtimonio, tunc temporis Magni regis ſatellitis, qui multos, qui illuc cæci acceſſiſſent, recepto viſu inde receſſiſſe, carmine cecinit. Hoc illud eſt celeberrimum S. Olafi ſcrinium, per quod longo tempore jurabatur, etiam legum juſſu, idque in rebus graviſſimis: nam & ſi rex aliquis eligendus eſſet, nullo ex regali ſtemmate exiſtente, ad hoc ipſum ſcrinium proceres, optimum electuros, jurare tenebantur. Mox per univerſam Norvegiam feſtum memoriæ ſancti Olafi &c., *ut ſupra* § 1, *num.* 2. *Hujus porrò jurisjurandi exempla dat aliqua per decurſum Hiſtoriæ, ut part.* 3, *lib.* 4, *cap.* 5, *& alibi. Lipſanothecæ verò curam præcipuam ab epiſcopo ad hunc regem tranſiiſſe, docet eadem ibidem hiſtoria cap.* 13, *cum de Nidroſia diſſerens, ſubdit:* Ibi Magnus à primo in regnum reditu ſolus S. Olavi reliquias cuſtodivit, clavemque reſervabat; ſemelque quotannis, aperto ſarcophago, ipſe capillos tondebat, unguesque ſecabat, frequenti ſemper prodigiorum proventu. *Hæc ad annum* 1046 *referuntur.*

D

quam ipſe & ſucceſſor quotannis aperiebant ad capillos & unguem Sancti reſecandos.

113 *Curam hanc deinde Magnus cum Norvegiæ regno in Haraldum tranſtulit, fratrem S. Olavi uterinum; qui poſt cladem Stikladenſem elapſus in Ruſſiam, indeque in Orientem profectus, incredibilia geſſiſſe dicitur, donec divitiis oneratus, in patriam ad regem nepotem rediit, eique anno circiter* 1047 *morienti ſucceſſit. Idem ergo ille pietatis officium ab eo tempore quotannis obivit uſque ad expeditionem Anglicanam annumque ſibi fatalem, Chriſti* 1066, *quo Hiſtoria Norvegica part.* 3, *lib.* 5, *cap.* 17 *hæc memorat:* Haraldi autem claſſis univerſa, copiæque Solundis apparuere. Ipſe, paratis omnibus, antequam Nidroſiâ ſolveret, ſcrinium S. Olafi acceſſit, aperuitque; præſectiſque capillis & unguibus, iterum clauſit, clavemque in fluvium Nidam projecit; nec poſtea apertum perhibetur uſque ad tempora Magni, regis Haconis filii & archiepiſcopi Jonis, teſte Hrockinskinna (*ſic appellat codicem Iſlandicum, de quo videſis ejus prolegomena Hiſtoriæ præfixa,*) quæ hoc addit (*non ſine errore tamen, ut patebit § ſeq. num.* 118.) *Nam quæ poſtea ex Undalino narrabimus, hujus codicis auctore poſteriora ſunt.* Quo verò fine Haraldus claves projecerit, *inquit ibidem de ſuo Torfæus*, nemini conſtat. Corruptionem ſenſiſſe credi poſſet; ni poſt tot deinceps annos incorruptum deprehenſum eſſet. Nam an aliud identidem unguentis delibutum ſubſtitutum fuerit, haud immeritò dubitatur. *Quibus verbis Undalinum, ut infra videbimus, carpit; nimis tamen indulgenter, utpote gregalem ſuum.* Certè cum hæc Haraldus faceret, lapſi ſunt à cæde S. Olafi anni triginta ſex, Kringlæ (*codex eſt Iſlandicus*) triginta quinque.

E

§ XI. Ejuſdem corporis tranſlationes variæ, aſſerta incorruptio, ſtatus modernus, aliaque ad reliquias pertinentia.

Geminæ corporis tranſlationes ante annum 1066.

S*Acrum hoc depoſitum ex eccleſia S. Clementis in alias deinde atque alias tranſlatum fuiſſe, ex Torfæi Hiſtoria docemur; ut cum part.* 3, *lib.* 5, *cap.* 19 *dicitur:* Magnus rex (*Norvegiæ ſimul ac Daniæ, Sancti filius, de quo egimus hactenus, cognomento* Bonus & Potens) templum S. Olafo (*Nidroſiæ*) exſtrui curaverat, ubi corpus ejus una nocte reſervatum eſt: non tamen perfecit. Quod deerat, Haraldus (*Sancti frater, cognomento* Strenuus, *aliis* Durus, Imperioſus, Pul-

F

A Pulcricomus) ſupplevit . . . Excitabat quoque (*idem Haraldus*) à fundamento templum B. Virginis , prope locum , ubi corpus Fratris primam hiemem in arena ſepultum quieſcebat, magnæ molis ædem , tanta firmitate calce coagmentatam , ut confringi vix poſſet , cum archiepiſcopus Eyſtenus (*poſt annos centum*) eam deſtrueret. Quoad baſilica iſta (*B. Virginis*) perfecta eſſet , reliquiæ S. Olafi in templo ei dicato conſervabantur. *Hîc duplex ergo tranſlatio corporis aſſeritur tempore Haraldi facta ; prior ex baſilica S. Clementis , ubi ante fuerat , ad eccleſiam* S. Olavi, *à Magno cœptam , abſolutam ab Haraldo ; poſterior ex hac S.* Olavi *eccleſia ad baſilicam B. Virginis , ab eodem Haraldo (uti etiam notat Theodricus Nidroſienſis cap.* 29) *aut eo ſaltem regnante , ædificatam : nam ipſius Haraldi tantam aut religionem , aut munificentiam vix credet , qui ea legerit , quæ de illo vix annis quatuordecim poſt ejus obitum Adamus Bremenſis Hiſt. eccleſ. lib.* 3 , *cap.* 18 *& ſeq. ſcripſit in hæc verba :*

regnante Haraldo , Sancti fratre ; qui peſſimè audiit. B

115 Rex Haroldus crudelitate ſua omnes tyrannorum furores exceſſit : multæ enim per illum eccleſiæ virum dirutæ ; multi Chriſtiani ab illo per ſupplicia ſunt necati. Erat autem vir potens & clarus victoriis ; qui priùs in Græcia & Scythiæ regionibus multa contra barbaros prælia exercuit.. Itaque multis imperans nationibus , propter avaritiam ſuam & crudelitatem omnibus erat inviſus. Serviebat etiam maleficis artibus , non attendens miſer , quod ſanctiſſimus Germanus ejus talia monſtra eradicavit à regno , certans uſque ad ſanguinem pro amplectenda Chriſtianitatis norma ; cujus egregia merita teſtantur hæc miracula , quæ quotidie fiunt ad ſepulcrum Regis in civitate Throndempnis. Videbat hæc ille derelictus à Deo ; nihilque compunctus , oblationes quoque ac theſauros , qui ſumma fidelium devotione ad tumulum Fratris ſunt collati, ipſe Haroldus unca manu corradens , militibus diſperſit. *&c. Diluere hæc quidem conatus eſt loco ſupra citato Torfæus ; ſed argumentis, ut vocant , fere negativis ; tum ita , ut vix uſquam alibi magis genuinum ſe prodat Martini Lutheri diſcipulum. Nos rem noſtram agamus.*

Sub Haraldi ſucceſſore ac filio alia tranſlatio , & annua ſupplicatio miraculis ornata ; C

116 *Alia ejuſdem Theſauri tranſlatio exhibetur Hiſt. Norveg. part.* 3 , *lib.* 6 , *cap.* 12 ; *ubi ab Olavo Quieto ſeu Pacifico , Haraldi jam dicti filio & in regnum ſucceſſore , dicitur præter cetera pietatis opera* Nidaroſiæ baſilica ſaxea ædificata , collocataque ſupra ſepulcrum , quo S. Olafus conditus erat ; ita ut altare ipſi conditorio ſuperſtrueretur. Hanc cathedralem ædem Abſolon Petræus appellat , primumque lapidem ab ipſo rege ſtratum memorat. Eò ſtatim ſcrinium ejus tranſlatum , altarique ſuperimpoſitum : ſecuta miraculorum multa ſeries. Anno ſequente , cum idem feſtum recurreret , veſperâ nimirum pervigilii ejus , magnâ frequentiâ populi , cæcus viſum recuperavit. Craſtino autem , quo dies memoriæ ejus feſtus celebrabatur , cum ſcrinium ſanctæque reliquiæ pro more templo efferrentur , inque cœmeterio collocarentur , qui longo tempore mutus erat , loquendi facultatem uſumque recuperavit. Inde Deo & S. Olafo fluente vena laudes celebratæ. Mulier etiam longum iter è Suecia profecta , annos quatuordecim (codici Flateyenſi octodecim) cæca in templum introducta , ſatis oculata , viſu inter ſacra Miſſæ recepto , educta , publicâ ſupplicatione Deo factâ. Hujus quoque regis tempore accidit , cum per plateas ſcrinium illud ſacrum portaretur , ut inſolita gravitate portantibus immobile repentè fieret : effracta platea , infantis necati reliquias monſtravit , quibus Scrinium incubuit : quibus ablatis , idem , qui antea , portabilis ſcrinio genius rediit. AUCTORE P. B.

quorum tamen aliqua diu poſteriùs facta narrantur.

117 *Eumdem regem , eamdemque baſilicam deſignat Theodricus Nidroſienſis cap.* 29 , *cum ait :* Iſte conſtruxit baſilicam in honorem Sanctæ Trinitatis in Nidroſienſi metropoli , ubi nunc (*aliquanto poſt medium ſeculi duodecimi*) requieſcit corpus beati Olavi martyris ; ſicut & prius pater ejus Haraldus eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis in eadem civitate conſtruxerat , ut hactenus cernitur. *Ceterùm miracula , quæ iſtic anno ſequente facta narrantur , præter ultimum , de quo me alibi non memini legere , multo ſeriùs accidiſſe tradunt Acta noſtra Mss. cap.* 2 , *num.* 12 , *& Breviarium Nidroſienſe apud ipſum Torfæum part.* 3 , *lib.* 3 , *cap.* 12 , *pag.* 213 ; nempe anno , quo beati martyris Olavi baſilica novo principatûs (*id eſt archiepiſcopatûs*) & pallii veſtitur honore ; *qui eſt , juxta Undalinum part.* 1 , *lib.* 2 , *cap.* 19 , *pag.* 83 , *annus Chriſti* 1152.

Magnus rex Sancti corpus incorruptum comperit an. 1098. E

118 *Singulare prorſus eſt , quod apud Camdenum in Britanniæ deſcriptione legitur pag.* 841, *ubi vetuſtum* Chronicum regum Manniæ , *inſulæ Hiberniam inter & Britanniam quà Scotos attingit , ſitæ profert ; in eo enim ad annum Chriſti* 1098 *ſic habetur :* Eodem anno Magnus , rex Norwegi , filius Olavi , filii Haraldi Harfagre (*id eſt* , Pulcricomi) volens explorare incorruptionem S. Olavi regis & martyris , præcepit , ut ejus mauſolæum aperiretur. Epiſcopo autem & clero reſiſtente , ipſe rex audacter inceſſit , & vi regia aperiri ſcrinium fecit. Cumque & oculis vidiſſet , & manibus attrectaſſet incorruptum corpus , ſubitò timor magnus irruit in eum , & cum magna feſtinatione diſceſſit. Sequente nocte Olavus rex & martyr ei per viſum apparuit , dicens: Elige tu , inquam , unum è duobus ; vel vitam cum regno infra triginta dies amittere ; vel à Norwegia diſcedere , & eam amplius numquam videre. Expergefactus rex à ſomno , vocavit ad ſe principes & majores natu , & expoſuit eis viſionem. Illi autem conterriti , hoc conſilium dederunt ei , ut cum omni feſtinatione de Norwegia exiret. Ille ſine mora coadunari fecit claſſem centum ſexaginta navium , & ad Orcadas inſulas tranſfretat , quas ſibi ſtatim ſubjugavit , & tranſitum faciens per univerſas inſulas , eaſque ſibi ſubjiciens , pervenit uſque ad Manniam. . . . Videns autem inſulam pulcherrimam , placuit in oculis ejus , eamque ſibi habitationem elegit. . Quæ uſque hodie ex ejus nomine nuncupatur. *&c. Vides, apertam hîc fuiſſe lipſanothecam ſub Magno Nudipede , non Haconis , ſed Olavi Pacifici filio ; neque adeo primùm tempore Joni archiepiſcopi , ut ſuprà narrabat Hrockinskinna : nam is anno demum* 1152 *ex epiſcopo Stafangrenſi primus Nidroſiæ archiepiſcopus , teſte Undalino ſuprà , creatus eſt.* F

Baſilica metropolitana Nidroſiæ elegantiſſima ,

119 *Neſcio , quò referri debeant initia baſilicæ illius metropolitanæ in eadem urbe Nidroſienſi , quæ tum* S. Olavi *titulo , tum operis elegantia ſingulari ad noſtra uſque tempora , tametſi reliquiæ ejus tantum aliquæ ſuperſint , ſupra modum ac fidem celebratur. Undalinus enim ejus primordia altiùs repetit apud Torfæum part.* 1 , *lib.* 2 , *cap.* 19, *pag.* 80 , *cum eamdem illam vult eſſe* , cujus fundamenta Haraldus Strenuus , Norvegiæ rex & S. Olafi frater , primus in arenoſo illo colle , ubi fratris Olafi corpus primùm ſepultum fuerat , jaci curavit , ejuſque poſtea filius rex Olafus , cognomento Quietus ſeu Tranquillus , unà cum archie-

AUCTORI P. B. chiepiſcopo Eyſteno quadantenus perfecit, Chriſtoque dicavit; ſanctique Olafi loculum altari impoſuit. *At errat homo non ſemel: nam* 1. *Non aliam ſive in illo colle, ſive prope illum, eccleſiam condidiſſe ſcitur Haraldus, præter illam, quam Deiparæ conſecratam diximus.* 2. *Hujus autem non ſolùm fundamenta jecit, ſed eam prorſus abſolvit.* 3. *Alia eſt hæc ab illa, quam ædificavit ejus filius Olafus; uti teſtatur Theodricus, qui, ſuprà num.* 117, *utramque ſimul exſiſtentem vidit.* 4. *Turpis parachroniſmus eſt, Undalino præſertim, hoc eſt Norvego & inter viros patriæ ſuæ ac ſectæ eruditos numerato, cum Olafi Pacifici regnum conjungit cum Eyſteni archiepiſcopatu, quæ tamen inter ſe diſtant annis propemodum octoginta. Rectè igitur aſſertis hiſce ſubdit ibidem Torfæus:* Hæc falſa ſunt.

120 *At enim an verum videri poterit, quod ipſe mox addit:* Longè enim poſt Olafum vixit Eyſtenus ille, qui baſilicam, cujus hodie aliqua pars exſtat, ædificavit, deſtructo illo, quod Haraldus rex excitavit, templo? *Haud equidem crediderim: neque enim illo loco condita fuit baſilica illa metropolitica, quem occupabat eccleſia Deiparæ Haraldina; ſed illo eodem, quo conſtructa fuerat alia ab Olavo, Haraldi filio; id quod ex ipſis Torfæo & Undalino colligimus: nam hic loco citato, ille part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 11 *ex antiquis monumentis docent, magnificæ illius ædis metropolitanæ* altiorem aram ſupra locum, ubi monumentum Regis erat, *conſtitutum fuiſſe*; ibi quoque altare in veteri illa æde (*cujus locum occupabat hæc nova*) ſtetiſſe. *Atqui hoc non quadrat veteri eccleſiæ Haraldinæ; ſed Olavianæ, juxta ipſum iterum Torfæum ſuprà num.* 116: *hujus ergo, non illius locum occupavit metropolitana, quam dicimus: adeoque ſiqua deſtructa fuit, ut novo ædificio locum daret, Olaviana fuit. Quamquam neque veri admodum ſimile ſit, deſtructum fuiſſe funditus opus regium, quòd ſeculo nondum uno ſtetiſſet. Fortè ea tantùm demolitus eſt Eyſtenus, quæ novæ formæ, quam volebat inducere, minus apta videbantur. Sic cœptum opus ab Olavo Pacifico dici poterit, quod Eyſtenus conſummaverit. Ut ut eſt, cum Eyſteno fabrica illa vel unicè vel præcipue tribuatur, dicere de illa uſque in hunc locum diſtulimus: ſedit enim Eyſtenus ille, quem Theodricus in Hiſtoriæ ſuæ dedicatione appellat*, dominum & patrem ſuum Auguſtinum Nidroſienſem archiepiſcopum, *ſedit, inquam, juxta Undalinum ſuprà, ab anno Chriſti* 1161 *uſque ad* 1184.

121 *Subſiſtebat etiamnum illa anno* 1550, *quo Coſmographiam ſuam Carolo V Imp. inſcribebat Munſterus, quandoquidem lib.* 4, *in Norvegia, de Nidroſia ſcribens, ita pronuntiat:* Exſtat hodie eccleſia cathedralis, argumentum veteris felicitatis; cui magnitudine, & labori (laborati, *opinor*) lapidis artificio par opus non eſt ſub orbe Chriſtiano. Crepido circum altare corrupta fuit incendio, ſed reparata anno MDXXX: in quam quidem crepidinem reparandam impenſa imputantur ad ſeptem millia aureorum. Atque à tantilla parte æſtimatio præſtantiæ fiat templi totius. Hoc autem tempore (*inquit ſuprà Undalinus, qui ſcribebat ſub finem ſeculi* XVI) maxima ejus pars, exceptâ tantum ſacrâ cellâ ſeu choro, proſtrata & diruta jacet, *& quidem, ut idem teſtatur inferiùs, ictu fulminis, quo bis antè leviùs contacta, tandem tertiò deflagravit, poſt Munſteri, ut apparet, tempora, diuque adeo poſtquam à Lutheranis occupata jam eſſet ac profanata. Partem, quæ ſupereſt, ejuſdem ſectæ antiſtiti & canonicis viginti quatuor ceſſiſſe, tradit Davitius in deſcriptione Europæ tom.* 3, *pag.* 687. *Qui de ejus forma ac materia pluſculum deſiderat, adeat Undalinum loco aſſignato; ubi etiam ſubjicit ſequentia:*

122 Et prout cathedralis hæc baſilica ſtructuræ elegantia, omnique operis magnificentia eminebat, ita etiam reliquis ornamentis, ceteris præſtabat: ditiſſimum enim habuit ſacrarium, libris, calicibus, patellis, veſtibus ſacerdotalibus, hierothecis, atque aliis ejus generis rebus ac eccleſiæ utenſilibus refertiſſimum.... Eſt & hæc baſilica, pro hujus regni facultate, ingentibus reditibus magniſque poſſeſſionibus ditiſſima.... Illud verò dolendum... quod ſub initium reformatæ religionis (*ita ſectam ſuam nuncupat, miniſter ipſe Lutheranus*) templis ac monaſteriis, quidquid auri, argenti, aliorumque cimeliorum, ibidem reperiebatur, detrahere minimè contenti, ornatas & elegantes ſtructuras .. dejecerunt ac deſtruxerunt, ... ſacraſque ædes, ... deteſtabile Chriſtianoque homine indignum latrocinium exercendo, omni ornatu prorſus denudarunt... Hoc modo Otto Stigius pulcherrimam Thrandenſis baſilicæ bibliothecam .. ibidem in cœmeterio cremari curavit... Eadem tempeſtate argenteus, quo S. Olafi corpus condebatur, loculus, duabus .. ligneis arcis (*quibus includebatur loculus argenteus*) omni auro argentoque ac pretioſiſſimis gemmis (quarum una reliquis præſtabat, quam archiepiſcopus Eiricus Valkendorp butyri viginti tonnarum dodecadibus emerat..) denudatis, ablatus eſt; ut & ingens crux argentea, à tribus in pompa viris ante S. Olafi tumbam (*ad quam in ſupplicatione circumferendam ſexaginta bajulos requiri, ſuperiùs dixerat*) portari ſolita, ... cum reliquis hujus baſilicæ cimeliis aureis pariter ac argenteis, exedræ & triclinio exempta; ... quorum haud exiguam partem ingens quoddam navigium in Daniam tranſvecturum, ante Agdaneſiam undis abſorptum, numquam poſtea comparuit: cum paulò antè bona ejuſdem pecuniæ portio, magna nave in Daniam tranſportanda, Batavis piratis in prædam ceſſiſſet; quod contigit anno Chriſti MDXLI.

& per ſacrilegium detectandum expilata;

123 *Hic hæreſi cognatus furor; hæc latrocinia; hoc, ipſiſmet cum pudore fatentibus, ſceleratiſſimæ direptionis emolumentum fuit. Vellem tamen, ut idem auctor, cum talia diſſimulare anſus non eſt, etiam addidiſſet, quid gregales ejus ſacrilegi, loculum ſacrum auferentes, de incluſo Sancti corpore ſtatuerint. Videntur id certè illæſum uteumque aſſervaſſe, ligneis forſan, quas ornamentis ſpoliaverant, arcis illis binis incluſum, donec, ut idem inferiùs narrat*, bellorum tempeſtate inter Danos (*quorum erat Norvegia*) Sueoſque ſæviente, hi, cum Thrandiam armis obtinuiſſent (*anno juxta Calviſium Chriſti* 1564,) hoc idem corpus in ſepulcreto quodam humo mandari curarunt; quod Friderico Daniæ rege exercitum huc mittente, pulſiſque hoſtibus, & Thrandiâ (*paucis poſtquam capta fuiſſet menſibus*) recuperatâ, è noſtratibus (*Danis aut Norvegis*) quibuſdam locum indicantibus, effoſſum eſt, & ſummo cum honore & magnificentia in cathedrali baſilica in cenotaphio reconditum; cujus exequias univerſi hîc eccleſiaſtici ordinis viri, nobiles, cum militum tribunis, copiis omnibus & omni reliqua turba, quantâ pro hujus oppidi (*jam pridem à veteri amplitudine ſtatuque dejecti*) facultate fieri poterat, reverentiâ cohoneſtantes, proſequebantur.

corpore tamen Sancti honeſtè uteumque ſervato;

maxima parte deflagravit, poſtquam à Lutheranis occupata eſſet,

S. Olavo condita ſeculo XII.

A quebantur. *Nimirum hoc regiæ dignitati datum ; non ſanctitati.*

& quidem incorrupto ; 124 *Sed enim incommoda novatoribus accidebat corporis Regis Romano-catholici nota vulgo & jactata paſſim ab orthodoxis incorruptio ; argumentum utique veræ ejus religionis ac ſanctimoniæ præter alia luculentum. Multi, quos allocutum ſe dicit Undalinus, ſiccum illud jam quidem, ſed integrum tamen inſpexerant ; atque inter alios, qui fortè Catholici erant, Jonam quemdam, Agdarum nomophylacem, & anno 1575, ætatis autem 63, vitâ functum, qui orthodoxus olim fuerat & eccleſiæ Thrandenſis diaconus, at poſtea ad Lutheranos deſecerat, apud quos integerrimæ vitæ laudem adeptus eſt. Retulit is Undalino*, ſe vidiſſe aridum & ſiccum illud corpus, .. idque grandi & procera fuiſſe ſtatura, omni ex parte integrum, rubrâ barbâ, naſoque parum concidente & ariditate conſtricto, in quo letalia ejus vulnera viſebantur, ligni inſtar durum & ſiccum... Nihil *verò* impedire ſtatuit, quo minus id verum ejus corpus haberi poſſit. Nihilominus cum miraretur, quod ſupra quingentos & quinquaginta annos... omnino corruptum & vermibus conſumptum non eſſet, concluſit, aut à Pontificiis balſamo conditum (cujus tamen nullam notam, nec humoris veſtigium exhibuit) aut miraculosè conſervatum. *Vides, ne illum quidem, qui veram religionem ejurare potuerat, hujus tamen prodigii evidentiam, tametſi vellet maximè, ex animo prorſus eradere potuiſſe ? Nam balſamo conditum fuiſſe quî poterat credere, ſi nullam balſami notam, nec ullum humoris veſtigium curiosè inſpicienti corpus exhibebat ?*

quale fuit, cum anno tandem 1568 terrâ eſt obrutum. 125 *Idem tamen, ſi Undalino credimus hæretico, tandem* ſibi perſuaſit, monachos falſa venditantes, in primi putridi Regis corporis locum aliud balſamo conditum & ſiccatum clanculùm ſubſtituiſſe ; talique deinceps modo putreſcenti recens ſemper ſubſtituendo, vulgati miraculi ſpeciem conſervatam oſtentaſſe. *At hoc ne ipſe quidem Undalinus ſuadere ſibi potuit : ſubdit enim:* Quod tamen ſi factum eſſet, famam numquam vulgaſſe, res mira videri poſſit. *Vah miſeros ! Ut ſe torquent, cum veritati fidem nec dare volunt, nec poſſunt, obſtrepente conſcientiâ, denegare ! Quid verò malignius, quid fingi ſtultius poteſt, quam quod ſibi Jonas ille perſuaſerit ? Monachi aliud corpus ſubſtituerunt. Atqui in monachorum poteſtate numquam fuit* S. Olavi *ſepulcrum ; ſoli primùm epiſcopi, tum reges, deinde rurſus epiſcopi loculi clavim ſervarunt. Aliud corpus ſubſtituerunt. Quando, obſecro ? Ante Magni Boni & Haraldi Sirenui tempora ; an poſt illa ? Si primum ; cur fraudem non deprehendit vel Sancti filius vel frater ? Si ſecundum : ergo fateris, idem corpus abſque ulla fraude per annos 35 incorruptum fuiſſe ac vegetum. Quid ni ergo etiam diutius ? Aliud ſubſtituerunt. O ſtolidos igitur Danos illos Norvegoſque Lutheranos, qui corpus illud, quod neſcirent latronis eſſet aut mendici, an Regis, tantâ reverentia (ſuprà num. 123) proſecuti ſunt ! Sed quid hiſce næniis ſigillatim confutandis immoremur, quas ne ipſi quidem heterodoxi aut ſibi ſatis aut gregalibus probari poſſe cenſuerunt ? Quid ergo ? Miraculum faſſi tandem ſunt ? Noluerunt. Negarunt ergo ? Non poterant. Quid igitur ? Obturarunt. Nam, teſte ibidem Undalino*, Anno MDLXVIII Georgius Lycke, eques auratus, regio juſſu huc (*Nidroſiam*) profectus, S. Olafi buſtum humo impleri juſſit. *Non potui, cum hoc legerem, non illius meminiſſe, quod habet S. Jo-*

annes cap. 12 : Cogitaverunt autem principes ſacerdotum, ut Lazarum interficerent ; quia multi propter eum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum. *Hactenus de corpore.* AUCTORE P. B.

Reliquiæ ejus aliæ. 126 *Sunt alibi tamen & aliæ ejuſdem Sancti reliquiæ majori in honore ſervatæ : nam, teſte Benzelio in annotationibus ad Vaſtovii Vitem Aquiloniam pag.* 23, Caſſidem & calcaria Olavi, Nidroſienſis olim eccleſiæ anathemata, Ericus XIV, rex Suethiæ, urbe occupata anno MDLXIV, Stockholmiam attulit ; illicque in ſacello eccleſiæ primariæ B. Nicolao dedicatæ hodieque aſſervantur. *Pariſiis quoque ad S. Victoris, ſacellum eſt* S. Olavi, *ubi Martyris hujus induſium in veneratione habetur ; ut ad diem* XXIX *Julii notatur in Kalendario, quod ſpirituale vocant, Pariſino anni* 1697 *& ſequentium. Rotomagum inſuper devenisse exuviarum ejus aliquid, ait Franciſcus Pommerayus in Hiſtoria archiepiſcoporum Rotomagenſium, ubi de Roberto I, cap.* 2, *num.* 8, *pag.* 245 ; *quamquam nec aſſerti teſtem, nec tranſlationis tempus aut modum, nec reliquiæ ipſæ quales ſint, vel unde decerptæ, ſignificet. Fuerunt aliæ præterea quædam apud Nidroſienſes olim in eccleſia cathedrali ; ut Sancti bipennis & vexillum, de quibus agit Theodricus cap.* 24 ; *item haſta, de qua Torfæus part.* 4, *lib.* 4, *cap.* 26, *quæ quò nunc evaſerint, neſcimus.* E

Cur huic commentario ſubjiciamus Actorum epitomen Ms. 127 *Atque hæc ſunt, quæ ad* S. Olavi *hiſtoriam illuſtrandam conferre maximè judicavimus ; quæ ſi quibuſdam longiora videbuntur, aut minoris in rebus quibuſdam fidei, quòd ex monumentis quidem Catholicis, ſed Catholico fere hactenus orbi ignotis, & quidem per interpretem heterodoxum, promanaverint, iis gratum, opinor, accidet, ſi Actorum qualemcumque epitomen Ms. ex Catholico cœnobii Bodecenſis archivo promiſſam repræſentaverimus ; & eo quidem gratius, quod ex hoc, præſertim fonte derivata videntur compendia, quæ in antiquis Breviariis, & Aquilonia Vite recitantur. Huic tamen, quia miracula non admodum multa continet, cum Adami Bremenſis lib.* 3, *cap.* 19, *aliorumque paſſim teſtimonio plurima fuerint ac penè quotidiana, appendicem ſubjiciemus nonnullorum, quæ alibi conſignata occurrêre.*

ACTA BREVIA

Auctore anonymo, ex Paſſionali pergameno Ms. cœnobii Bodecenſis. F

CAPUT I.

Sancti converſio ; labores ejus apoſtolici non minus quam regii ; martyrium.

Prædicatur Norvegis Evangelium: REgnante illuſtriſſimo rege Olavo apud Norwegiam, quæ eſt terra prægrandis, versùs Aquilonem locata, à meridie Daciam habens, eamdem ingreſſi ſunt terram pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Hactenus ſacrilegis idolorum mancipatæ ritibus & ſuperſtitioſis erroribus deluſæ nationes illæ, veri Dei fidem

MS. & cultum audierant quidem *a*, ſed multi ſuſcipere contempſerant: ſicut enim loca Aquiloni proxima inhabitabant, ita familiariùs eas poſſederat, & tenaciori glacie infidelitatis aſtrinxerat Aquilo ille, à quo panditur omne malum ſuper univerſam faciem terræ, & à cujus facie ollam ſuccenſam vidit Jeremias, & qui in Iſaia jactanter profert: Super aſtra cæli exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti; in lateribus Aquilonis. Ceterùm magnus Dominus & laudabilis nimis, qui de lateribus Aquilonis ædificavit civitatem ſuam, auſtri placido flamine Aquilonis diſſipavit duritiam, & gentium efferarum obſtinatos ac feroces animos calore fidei tandem emollivit. Audierunt auditum à Domino, & legatos ad illas gentes miſit præcones verbi ſui, qui veritatem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, partibus illis prædicarent, culturam everterent idolorum, credentibus vitam indeficientem & gaudia æterna promitterent, incredulos & rebelles futuri judicii & perennis ſupplicii metu deterrerent.

a

B *& baptizatur Rotomagi S. Olavus, b*

2 Huic tunc, ut diximus, provinciæ præerat rex Olavus; qui licet gentilis *b*, naturâ tamen benignus erat, & ad honeſta quæque ſequenda quadam mentis ingenuitate promptiſſimus. Hic, evangelicæ veritatis ſinceritate in Anglia comperta, fidem toto admiſit pectore, & ad Baptiſmi gratiam in urbe Rothomagi devota animi alacritate convolavit. Purificatus igitur lavacro ſalutari, repentè mutatus eſt in alium virum; & juxta quod Apoſtolus ait, conſepultus Chriſto poſt Baptiſmum in mortem, oblitus quæ retro ſunt, in anteriora ſe extendens, in novitate vitæ, ſuſceptæ religionis perfectiſſimus obſervator, ambulabat. Sordebat ei omnis vana delectatio, & terreni regni gloria præ dulcedine cæleſti vileſcebat: in regali faſtigio conſtitutus, ſpiritu pauper erat; & terrenis negotiis implicatus, nihilominus meditabatur cæleſtia: quidquid divina lex prohibet, vehementer abhorrebat; quidquid præcipit, ardentiſſimo complectebatur affectu.

b

rex idem & apoſtolus ſubditorum,

3 Nec propria ſalute contentus, populos, quibus, divina diſpenſante providentia, præſtitutus erat, ad fidem vigilanti convertere nitebatur inſtantia; & novo rerum ordine rex, apoſtoli vice fungens, ipſe dux verbi, Chriſti gratiam paſſim omnibus prædicabat; nonnullos etiam prædicationis gratiâ, quæ diffuſa erat in labiis ejus, à nefandis dæmonum cultibus ad agnitionem & reverentiam ſui Creatoris reduxit; nonnullos ad ſeculi contemptum & amorem ſupernæ patriæ mirabilis ejus devotio & vita continentiſſima medullitus inflammavit. Cujus enim obſtinationem, cujus duritiam inſigniſſimi Regis ſermo dulcis & ſapientiâ plenus ſpirituali non frangeret? Cujus torporem vel deſidiam converſatio ſingularis illius non excitaret?

C

etiam ejus pietati adverſantium,

4 Verumtamen in medio nationis pravæ & perverſæ poſitus, licet multos converteret; quam plurimos tamen habebat adverſarios fortes & potentes; in quibus majorem locum ſibi vendicabat voluntas, quam pietas vel ratio; animi præceps impetus, quam amor veritatis. Hi nobiliſſimi Chriſti Martyris prædicationi & operibus ſanctis, totis niſibus obviabant, & vias Domini rectas evertere conabantur. Juſtus autem, ut leo confidens, abſque terrore erat; & juxta exemplum beati Job, non expaveſcebat ad multitudinem nimiam, nec deſpectio propinquorum terrebat eum, nec adverſantium minis vel inſidiis averti poterat à prædicationis conſtantia.

5 Jeſu bone! Quantos labores, quantas perſecutiones ſuſtinuit, antequam populum incredulum, & ſibi contradicentem à ſua poſſet perverſitate deflectere? Datum ſiquidem erat illi, non ſolùm ut Chriſtum crederet, ſed etiam ut pro illo pateretur; nec ſolùm pati, nec ſolùm temporalis regni diadema pro Chriſto paratus erat deponere; ſed etiam martyrii per coronam ad perennium gloriam gaudiorum pertingere enixiùs deſiderabat. O quam devotæ charitatis flagrantia; quantus fidei fervor excellentiſſimi Chriſti Martyris pectus accenderat! Qui in medio gentium indomitarum conſtitutus (quibus, juxta Salomonem, confidentibus in ſtultitia ſua minùs erat tutum occurrere quàm urſæ ſævienti raptis catulis) non ceſſabat tamen ſalutare fidei verbum, quod abhorrebant, publicè & privatim quantiſcumque poſſet ingerere. Plurimùm profecit in brevi, & innumerabilem Domino multitudinem acquiſivit: confluebant ad Baptiſma certatim populi, & numerus credentium augebatur indies: effringebantur ſtatuæ; ſuccidebantur luci; evertebantur delubra; ordinabantur ſacerdotes, & fabricabantur eccleſiæ; offerebant donaria populi cum devotione & alacritate; erubeſcebant idolorum cultores; confundebantur qui confidebant in ſculptili, & in multis illius regionis partibus, infidelium depreſſa multitudine, mutire non audens omnis iniquitas, oppilabat os ſuum.

D

ethnicos pluriſmos convertens,

E

6 Exultabat Rex plus quam credi poteſt, laborum ſuorum gratiſſimos fructus jam in præſenti percipiens: non ceſſabat autem indefeſſus Evangelii prædicator nunc obſtinatos convincere, nunc inſtruere rudes, nunc in fide teneros confirmare: nihil regii faſtus, nihil tyrannidis in ſuos exercebat ſubditos; imò omnibus exempla præbebat magnæ humilitatis & manſuetudinis. In futurum etiam provinciis, quibus præerat, providens, ne nobiliores quique & potentiores per potentiam humiliores opprimerent, leges divinas & humanas multâ plenas ſapientiâ & mira compoſitas diſcretione ſcripſit & promulgavit; in quibus ſuum cuique conditioni jus aſſignavit. In illis etiam, quantum liceret prælatis in ſubjectos, & quantam ſubjecti reverentiam exhiberent erga prælatos, certis limitibus diſcrevit. Ibi modeſtiſſimus & æquiſſimus arbiter ſapienter conſiderans, plerumque reges poteſtate ſibi conceſſa ſuperbè abuti in ſubditos, legum rigore regalem coërcuit & refrænavit licentiam. In illis legibus claret, quam devotus erga Deum, quam benignus erga proximum Rex glorioſus extiterit.

& leges condens verè Chriſtianas.

F

7 Explicari verbis non poteſt, quanta beneficia populis illis Rex ſæpe nominatus contulerit; quantum profuit, dum præfuit, & in promulgatione legum, & in ſuſtentatione pauperum, & aſſiduitate prædicationis, & exemplo ſuæ ſanctiſſimæ converſationis *c*. Sed è converſo perpeſſus eſt ab eis tribulationes multas & malas; donec illorum multitudini reſiſtere non valens; ſeceſſit in Ruſciam, opportunum ratus cedere tempori, donec voluntati ſuæ ac propoſito tempus idoneum Dominus conferre dignaretur. Nemini veniat in mentem, fortiſſimum & conſtantiſſimum Chriſti Athletam, ut eſt infirmitatis humanæ, ceſſiſſe perterritum metu paſſionis, qui ſæpenumero paſſioni ſe ſponte objecerat, ſicut rei exitus & illuſtre martyrium ipſius declaravit; utilitati aliorum, opportuniori ſe reſervavit tempori, quando fructus uberiores exhibere Domino, & talentum ſibi commiſſum multiplici reſignare poſſet cum uſura.

Tandem ab adverſariis in Ruſſiam fugere cogitur;

c

8 Clariſſimus igitur Chriſti Martyr ingreſſus Ru-

A *unde rediens ad martyrium viam sternit, * lege* Jarislavo

Ruſciam, & à Jarzellano * ejuſdem provinciæ rege magnifico gloriosè ſuſceptus, & in honore ampliſſimo, quamdiu ibi morari voluit, habitus eſt. Ibi non parvo tempore demoratus, honeſtæ vitæ formam, & ſuæ religionis, caritatis, benignitatis & patientiæ celebre monumentum incolis reliquit. Denique decoctus igne perſecutionis & exilii, acceptabilis inventus & idoneus, qui majora certamina poſſet ſuſtinere, divino inſpiratus inſtinctu, per Sueciæ fines ad propria remeavit. Ibi collata ſibi à Domino abundantiore gratia, à multis cum magno ſuſceptus deſiderio, gratioſus & optabilis bonis, verendus atque terribilis apparuit ſanæ doctrinæ adverſariis. Indutus igitur loricâ fidei, & accinctus gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, per infamiam & bonam famam, per gloriam & ignobilitatem, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris orator egregius fidei verbum conſtanter ubique in via diſſeminabat; paratus pro Chriſto pati quaſlibet perſecutiones, objiciebat ſe ſponte periculis, martyrium, ſi Deo placuiſſet, ſuſcipere non recuſans.

B *cujus palmam à ſubditis ſeditioſis*

9 Et quoniam dignus eſt operarius mercede ſua, tandem Domino placuit Agoniſtam ſuum de carcere carnis educere, ut pleniſſimam & ſuperabundantem laborum ſuorum reciperet mercedem, & Regem rex videret in decore ſuo. Erat quædam pars illius terræ, in qua modò ſanctiſſimum corpus ejus requieſcit, cujus incolæ *d*, indurati & pertinaces in malitia ſua, veritatis, & ideo Regis, hoſtes erant inexorabiles: in hanc venit provinciam Chriſti Martyr, forte Dei gratiam populis incredulis prædicaturus: quo comperto, veritatis hoſtes convocaverunt conſilium iniquitatis; convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus: erat namque ejus ſalutifera prædicatio ipſis & eorum operibus valde contraria. Unde quidam ex eis, cuidam * Kanuti, ejus adverſarii, muneribus corrupti; quidam verò ſolius malitiæ inſtinctu, ſed & novam religionem, paternis ſcilicet legibus contrariam, ſuſcipere recuſantes, ordinato exercitu in loco, qui nunc Sticlaſtadt appellatur, ignorantem & à ſua gente aliquantulum diſtantem, bello excipiunt: ſed illuſtriſſimus Martyr, qui totus ſuſpenſus in cæleſtia, per martyrii coronam illuc pervenire intimis deſiderabat præcordiis, à facie multitudinis non timuit: imminet illi bellum quod amator pacis ſuſcepit, pro juſtitia & æquitate pugnaturus. Exercitu itaque, quantum in brevi potuit, congregato, obviat inimicis.

d

*f. cujuſdam

C *ſtatim obtinuit, inpitatus ante à Chriſto.*

10 Porrò Dominus, qui Martyri ſuo mercedem, pro quo tot agones pertulerat, reddere, & gloriam ſuam, quam diutiùs & avidiùs ſitierat, jam revelare decreverat, ut glorioſiùs eum coronaret, iniquorum jaculis glorioſum Martyrem occumbere permiſit. Occubuit autem quarto Kalendas Auguſti, feriâ quartâ, milleſimo & viceſimo octavo anno *e* ab Incarnatione Domini, pro fidei defenſione ab inimicis fidei crudeliter interemptus, feliciter de caſtris ad æterna Regis palatia, de bello migrans ad pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, ad laudem & gloriam Chriſti. Amen. Nocte igitur præcedente diem, qua Martyr inclytus paſſus eſt, apparuit illi Dominus Jeſus, verbis conſolatoriis illum demulcens: Accede, inquit, ad me, Dilecte mi, ut laborum tuorum fructus dulciſſimos carpas, in ſempiterna lætitia noſtro fruens conſortio. Qua viſione admodum confortatus, paſſioni ſe lætus obtulit, jam divinitus ſperans ſcalam, quam in ſomnis nuper ad cælos erectam viderat *f*, per quam ad dulcedinem, quam guſtaverat, feliciter erat aſcenſurus. EX MS.

e

f

ANNOTATA.

a *Nempe ſub Olavo Tryggonis filio, Norvegiæ rege; cujus maximas laudes ex eo petunt Norvegi, quod religionem ipſis Chriſtianam annuntiari curaverit. Vide ejus elogium & vindicias, adverſus Adamum Bremenſem, Saxonem Grammaticum alioſque, apud Torfæum Hiſt. Norveg. part. 2, lib. 10, cap. 51.*

b Gentilis *non erat ampliùs, cum regnum obtinuit; ſed tamen paulò antè fuerat.*

c *Hinc de illo Saxo Grammaticus lib.* 10, Ab eodem quoque, *inquit*, pauperibus protectio, pupillis tutela, ſacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentiâ laceſſitis ſubſidia præbebantur. Præterea ex gremio ejus, veluti quodam munificentiæ fonte, complura alia virtutum ſpectacula manaverunt. Hæc hactenus; quia publico cultu conſecrata pietas privatæ laudis egena non eſt.

d *Thrandenſes deſignat auctor.*

e *Imo anno* 1030, *ut* § 9, *num.* 101 *dictum.*

f *De viſione ſcalæ dixi ibidem, num.* 97.

CAPUT II.

Miracula mortem ejus conſecuta.

Cæco viſus, elinguibus loquela reddita:

EVoluto itaque paſſionis illius tempore, cum corpus ejus regales laviſſent miniſtri, projecta eſt ante oſtium aqua, mixta ſanguine, qui de vulneribus Beatiſſimi fluxerat. Tranſiens itaque ante oſtium quidam cæcus, caſu prolapſus eſt in locum, qui adhuc aquâ infectâ ſanguine madebat; cumque digitos madefactos eâdem aquâ ad oculos ſuos reduxiſſet, illico, deterſâ caligine, lumen priſtinum recepit. Qui certiùs explorans miraculum, ſe per beati martyris Olavi meritum viſum recepiſſe, cognoſcit. Unde cum ipſo omnes audientes miraculum, divinam pietatem & Martyris meritum dignis extulere præconiis *a*.

a

Pueri cujuſdam, falsò impetiti crimine (ut ſæpe fert juſtus crimen impii) lingua abſciſſa eſt. Hic famâ miraculorum, quæ per ſancti Olavi merita fieri frequenter audierat, excitatus, ad memoriam Martyris venit; Sanctum multis efflagitat lacrymis, altis exorat gemitibus, ut loquendi officium, quod injuſtè perdiderat, ſuo reſtituat interventu. Factumque eſt, ut qui ad ſepulchrum Sancti mœrens & elinguis venerat, ad ſua cum gaudio liberè loquens remeaverit *b*.

F

b

Alter quidam à Slavis captus, abſciſſâ linguâ, forte elapſus eſt. Hic ad memoriam Martyris veniens, & ut linguæ ſuæ priſtina redderetur ſanitas, cum intima cordis contritione poſtulans, uſum loquendi, quem amiſerat, recepit, ſeque in eccleſia eadem perenni obſequio Martyris mancipavit.

contracta, cæci, mutus, debiles ſanati:

12 Mulier quædam adeo deformiter contracta, ut pedes ejus clunibus adhærerent, ad ſepulchrum Martyris allata eſt; ubi cum in lacrymis & obſecratione jugi perſeveraſſet diutiùs, integræ ſoſpitati reddita, extenſis nervis, erectis tibiis, confortatis pedibus, & ſingulis membris officio ſuo & formæ redditis, hilaris & gaudens ad propria repedavit.

EX MS.

Anno igitur, quo beati martyris Olavi basilica novo principatûs & pallii vestitur honore *c*, inter crebras populorum confluentias adsunt quidam tres debiles ex longinquo, varia corporum ægritudine laborantes; qui pariter ad ecclesiam beati Martyris venientes, ipsius obtentu sperabant, se ea die gratiam sospitatis potissimùm impetrare; qua idem Martyr carnis jura pro Christo solvens, gaudium suscepit æternaliter permansurum: erat namque inter eos quidam cæcus, qui in ipsa Martyris vigilia visionis lætitiâ meruit consolari. Die verò sequenti, cum processionis officia solemniter agerentur, & in cimiterio feretrum more solito deponeretur, mutus quidam locutionis gratiam recepit, ejusque detenta lingua, officia *d* in laudem Salvatoris gaudens laxavit.

Mulier etiam quædam, à Suevorum *e* finibus longè profecta, ad limina sancti Martyris orationum causâ decrevit proficisci; quæ licet in itinere tam cæcitatis, quam laboris pateretur incommoda, fide tamen robusta & spe confortata, iter complevit aggressum: quæ cum natalis illius die glorioſam ingrederetur basilicam, & sacrosancta Missarum celebrarentur officia, visionis optatæ lætitiam, quam ab annis tredecim *f* amiserat, meruit recipere.

13 Varingus *g* quidam in Ruscia servum emerat, bonæ indolis juvenem, sed mutum; qui dum nihil de seipso profiteri posset, cujus gentis esset ignorabatur: ars tamen, qua erat instructus, inter Varingos eum conversatum fuisse prodebat: nam arma, quibus illi soli utuntur, fabricare noverat. Hic cum ex venditione dominia diversa probasset, ad mercatorem quemdam postmodum devenit, qui ei pietatis intuitu jugum laxavit servile. Hic optata libertate potitus, in civitatem devenit, quæ Holingard *h* appellatur, & in domum cujusdam religiosæ matronæ hospitalitatis gratiâ susceptus, per dies aliquos mansit. Mulier autem in beati martyris Olavi honore existens sedula, ad singulas horas in ejus ecclesia orationibus incumbebat. Nocturni igitur temporis horâ visus est à se videri beatus martyr Olavus, præcipiens sibi, ut præfatum secum puerum ad ecclesiam deducat: quod statim ad matutinales horas properans exequitur. Cumque in ecclesiam venirent, puer haud diu moratus, sopore resolvitur; & qui mulieri priùs apparens, curandum ad ecclesiam adduci præcepit, vultu & habitu probatur postmodum, divina favente gratia, curationem puero apparens contulisse.

14 Erat in Hybernia quidam dux, Guthorinus *i* nomine, natione Noricus, scilicet beati Olavi nepos, vir genere præclarus, & armis potens. Hic cum rege Bibliniæ *k* Margado fœderatus, & quadam familiari societate convinctus erat. Contigit autem, ut ambo pariter in expeditione cum numerosa classe profecti, inde multis opibus locupletati reverterentur. Quodam die, dum spolia inter se divisuri convenissent, videns Rex prædam innumerabilem, amore cupiditatis cæcatus est: proponit duci, ut eligat unum è duobus quod velit; Aut, inquit, omnia cum navibus relinques spolia, aut à me bellum tibi illatum sustinebis. Inter has positus dux Guthorinus angustias, quid eligat, nesciebat: relinquere prædam cum navibus turpe sibi & indecorum nimis videbatur; bellum suscipere periculosum admodum erat: erat enim inter exercitus grandis distantia: rex enim quindecim naves habuisse dicitur; dux verò tantùm quinque.

15 Dux itaque anxius Guthorinus biduanas petiit inducias; si forte tyrannum à nequitia excogitata posset deflectere: nam eodem die erat vigilia beati Olavi regis & martyris. Postquam verò animum barbari nullis potuit precibus emollire, elegit honestè mori, quam cum dedecore tanto & infamia sui generis, spolia sua tyranno cum navibus relinquere: sed, quia humanum derat, divinum implorat auxilium, & beatum Olavum, ut sibi succurrat, deprecatur, promisitque, se in ecclesia Martyris crucem facturum argenteam, si se de manu regis perfidi liberaret. Quid multa? Ordinato exercitu, inimicis occurrit agminibus, & fortissimè dimicans, ope Christi & glorioſi Martyris interventu totam barbarorum multitudinem prostravit. Inopinatâ autem potitus victoriâ, cum lætitia ac multis spoliis reversus, crucem fecit argenteam miræ magnitudinis, longè humani corporis molem excedentem *l*, & posuit eam in ecclesia beati Martyris ad corpus ejus, in divini triumphi & inopinatæ victoriæ, quam per merita ejus obtinuerat, monumentum.

16 Erat in Dacia præpositus *m* quidam, vir odibilis & pravus, &, ut de iniquo legitur judice, Deum nec homines reverens; hic ancillam habebat natam in provincia beati martyris Olavi *n*; & hæc erat erga venerationem Sancti devotissima. Præpositus autem ille, ut erat homo perversus & nequam & qui laudes bonorum ingenti depravaret studio, non credebat his, quæ de Martyre dicebantur; sed quidquid de miraculis ejus & gloria communis divulgabat assertio rumore, fictitium & ridiculum æstimabat. Contigit autem, ut passionis ejusdem Regis & Martyris annua reverteretur solemnitas, quam cum magna veneratione regionis illius homines celebrant. Vir ergo pessimus ad ostendendam malitiam suam inveniens tempus idoneum, pravitatem, quam pridem in corde tractaverat, in opere demonstravit: non solùm enim noluit exhibere reverentiam Sancti natalitio; sed etiam ad contemptum illius, præfatæ mulieri, quam erga venerationem Martyris ceteris devotiorem compererat, præcipit, ut in ipso festivitatis die panes deferat, ad coquendum *o*. Illa, quia perversitatem hominis noverat, & se tormentis sciebat affligendam gravissimis, nisi obsecundaret illius scelerati imperio, licet invita, sacrilegis mandatis obtemperat; panes defert ad clibanum: læsa vehementer, crebris gemitibus Sanctum interpellans, testatur quoque, & juramento confirmat, se numquam deinceps delaturam honorem Martyri, nisi certis declararet indiciis in tanta necessitate virtutem suam. O recens, & ante tempus illud inauditum miraculum! Uno eodemque momento & homo nequissimus percutitur cæcitate *p*, & panes in clibano positi convertuntur in lapides. Adhuc ex illis lapidibus unus in miraculi testimonium & memoriam in beati basilica reservatur Martyris. Amen.

d in laudem Salvatoris gaudens laxavit.
e
B *f*
item mutus. *g*
h
C
Victoria insignis *i* *k*
D *obtenta, invocato Sancto.*
l
E *Festum ejus violans duplici miraculo punitur.* *m* *n*
F
p

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum fere eodem modo describitur in Breviario Slesvicensi Lect.* 4; *at in Vita Ultrajectina variant quædam adjuncta; sicut & suprà* § 10, *num.* 104.

b *Hoc & sequentia duo miracula iisdem verbis, sed paulo corruptiùs, leguntur in antiquo Breviario Nidrosiensi apud Torfæum part.* 3, *lib.* 3, *cap.* 12.

c *De tempore horum trium proximè sequentium miraculorum adi Commentarium* § 11, *num.* 116

&

A &c. *seq.*

d *Breviarium Nidrosiense habet* : Et diu detentæ linguæ officium in laudem *&c.*

e A Suevorum finibus. *Ita etiam Breviarium Nidrosiense. Superiùs tamen* § 11, *num.* 116 *dicebatur* è Suecia profecta. *Et sanè cum Suecia multo minus distet Nidrosiâ, quam Suevia; mulier verò hæc* longè profecta *dicatur; Suevicam fuisse, non omnino incredibile est.*

f Tredecim *habet etiam Breviarium Nidros.; loco tamen suprà citato legitur* quatuordecim *&* octodecim.

g *De* Waringis, *seu* Varingis *agit Cangius in Glossario; sed multo fusiùs in Observationibus ad Historiam Constantinopolitanam Ville-Harduini num.* 89; *docetque, hoc nomine vocatos fuisse Anglo-Danos, qui ex Anglia à Normannis expulsi, Byzantinorum imperatori se mancipaverint. Horum ducem fuisse Haraldum, Sancti fratrem, sub Michaële Paphlagone, tradit Torfæus part.* 3, *lib.* 4, *cap.* 10. *Sed quid illi ad Russos? An ad eos etiam confugisse illorum aliqui dicentur? Fallor,* B *nisi hoc loco* Varingi *appellentur exteri apud Russos* Waregi *illi, qui principes suos, à Russis ad imperium anno circiter Christi* 862 *electos, secuti, ibi deinceps remansere. Erat verò* Wagria (*unde &* Vagri *&* Waregi *& forte etiam* Varingi *dicti*) famosissima quondam Wandalorum civitas & provincia, Lubecæ & ducatui Holsatiæ finitima, *inquit Baro Herbersteinius in rerum Moscoviticarum Commentariis, quos hîc, si lubet, consule sub initia usque ad pag.* 5.

h Holingard, *rectiùs in Breviario Nidros., ubi hoc prodigium totidem verbis recitatur, legimus* Holmgarder; *quam cum juxta monumenta Islandica, in quibus sæpe recurrit, dicatur fuisse Russorum regia, suspicor, ab aliis* Novogardiam *appellari apud lacum Ilmen; quandoquidem hæc totius olim Russiæ potentissima fuit. Certe* Holingardiam *apud geographos nusquam reperimus.*

i Guttormus *legitur in Brev. Nidros., quod narrat hoc etiam miraculum; Torfæus verò Hist. Norveg. part.* 3, *lib.* 5, *cap.* 4, *ubi idem refert ad annum circiter Christi* 1052, Guttormum *appellat; aitque fuisse Haraldi Strenui ex sorore Gunnhilde nepotem, adeoque nepotem etiam* S. Olavi, C *cujus eadem Gunnhildis soror erat uterina.*

k *Imò* Dubliniæ, *seu provinciæ illius, cujus caput erat* Dublinum, *urbs Hiberniæ celeberrima. Adi Torfæum loco citato: nam inde eos ambos in Britanniam navigasse ad spolia conquirenda tradit.*

l *Crux illa ad septem ulnas assurgebat; & in ecclesia metropolitana Nidrosiæ deinde servata fuit; ut vide apud eumdem ibidem Torfæum.*

m *Hoc miraculum est etiam in Breviario Slesvic., ubi etiam legitur* præpositus; *sed in Ms. Ultrajectino dicitur fuisse* miles quidam; *& quidem (ut ineptam videas interpolationem)* in Dacia in villa, in qua corpus S. Olavi est sepultum.

n Provinciam B. Olavi *appellat, opinor, Thrandiam; ubi erant ejus reliquiæ longè latéque celebres miraculis; nisi mavis intelligi totam Norvegiam.*

o *Apparet ergo, id in Dacia seu Dania licitum non fuisse illo die, adeoque diem illum etiam ibi, ut festum, quod aiunt, in populo institutum fuisse; ut in Commentario observavimus.*

p *In sola Vita Ms. Ultrajectensi dicitur impius ille conversus, post duplex hoc miraculum, ad Sancti sepulcrum accessisse, ac promisisse* ei perpetuo servire, & vigiliam ejus in pane & aqua jejunare; statimque visum recepisse.

EX VARIIS.

APPENDIX

MIRACULORUM S. OLAVI REGIS AC MARTYRIS.

Ex variis monumentis.

Sacerdos crudeliter mutilatus.

PRæter *miracula tum ex Vita Ms. Bodecensi modò, tum aliunde in Commentario prævio recensita, nonnulla commemorantur alia; quæ, ne quid neglectum videri possit etiam in hac parte, subjungimus. In Breviario Nidrosiensi, apud Torfæum citatum descripto, inter ea, quæ cum Ms. Bodecensi habet communia, hæc insuper admiscentur:* Erant duo viri fratres; & hi genere præclari, abundantes in seculo obtinuerunt divitias. Illis erat soror, secundùm carnis superficiem pulcra; sed, ut rei probavit exitus, ad pravorum detrectationes minus circumspecta. Hæc cum quodam sacerdote Anglico, qui in domo fratrum ejusdem mulieris manebat, devotam habens familiaritatem, honesto zelo multa ei contulerat beneficia. Accidit autem, ut de muliere illa sinistra suspicio oriretur. Sed, quia sermo malus mentem audientium faciliter solet inficere, propter assidua colloquia insonti sacerdoti culpa indicitur. Fratres autem ejus ad magnam familiaritatem, qua sacerdoti conjuncta fuerat, quasi de re certi, supra modum indignati sunt; & furore nimio succensi, dolorem suum dissimulando suppresserunt. Quadam verò die sacerdotem, nihil mali suspicantem, evocant; & assumpto quodam cliente suo, iniquitatis, quam conceperant, conscio, quasi cujusdam rei gerendæ [causâ] secum abducunt: cumque remotè & longè à domo sua in loca secretiora devenissent, arripientes presbyterum, nihil tale formidantem, frangunt ei tibias, abscindunt linguam à capite, oculos eruunt; denique, cum ille dolore anxius, linguæ residuum movens, balbutire videtur, invadentes eum, partem linguæ, quam reliquerant, forcipibus extrahentes, iterum abscindunt, & eodem semivivo relicto, in domo cujusdam pauperculæ mulieris ab ipsa susceptus defertur.

subitò sanatus à S. Olavo apparente.

2 Porrò ille tantam expertus crudelitatem hominum, de divina clementia non diffidit: ore tacens, devoto corde efficacius loquitur, quo infirmior, eo fortior & potens, ad glorioſum martyrem Olavum, de cujus meritis tam magna audierat, totis conversus præcordiis, illum sibi in tanta necessitate non deesse. Quo miserior, eo miserabilior, quo magis anxius, eo obnixiùs eum deposcit. Sic in oratione & gemitu & contritione cordis persistens, opem Martyris implorare non cessat; miser miseratione dignus. Postero tandem die soporis quiete resolvitur; &, ecce, apparuit ei sanctus Martyr, dicens, se esse Olavum, quem tam devotè & obnixè invocaverat: deinde oculos ejus & tibias, & quæque loca saucia blanda manu pertractans, tandem ut ad linguam ejus manum suam misit, radices tanto extraxit conamine, ut nimio dolore coactus, clamorem maximum sacerdos emitteret. Illico post salutarem tactum Martyris tam graviter læso tanta divinæ pietatis ubertas affuit, ut nihil omnino passus videretur: lingua reddita, tibiæ sanatæ, oculi restituti, & loca, siquæ fuerant vulnerata vel læsa, integerrimam recepere sospitatem. In

EX VARIIS. argumentum tamen, quod oculi fuerint eruti, remanſit in palpebris cicatrix candida. *Legitur hoc idem miraculum in Vita Ms. Ultrajectenſi, ſed aliis verbis; diciturque accidiſſe in Dacia; tum* S. Olavus *non tantùm tetigiſſe presbyteri vulnera, ſed unguento etiam, quod in pyxide afferebat, unxiſſe, addita ſingulis unctionibus precatione congrua*; Dominus meus Jeſus, qui claudis greſſum præbuit, te ſanet. In nomine ejus tibi dico, ſurge, & ambula *&c.*

Incendium imagine Sancti reſtinctum in Ruſſia: æca ſanata.

3 In civitate quadam Ruſſiæ, quæ Holmgarder appellatur, contigit, tale incendium ſubitò deveniſſe, ut totius urbis vaſtatio videretur imminere: cujus habitatores nimirum * timore reſoluti, ad quemdam ſacerdotem Latinum, nomine Stephanum, qui in eccleſia beati Olavi ibidem miniſtrabat, catervatim confluunt, ut in tanta neceſſitate experiantur beati Martyris [opem,] & certis probent indiciis, quæ de ipſo, fama referente, didicerant. Sacerdos autem haud ſegnis eorum favet voluntati; imaginem ejus arripit brachiis ſuis; ignibus oppoſuit. Sed nec ignis ulteriùs tranſgreditur, & pars relicta civitatis ab incendio liberatur. *Idem etiam narrat Ms. Ultrajectinum, ſubdens:* Propter hoc miraculum hæc civitas poſt hoc incepit ſanctum Olaum martyrem in maxima devotione habere, cujus feſtum eſt in die Sanctorum martyrum Felicis & Simplicii, Fauſtini & Beatricis. *De his hoc eodem die* XXIX *Julii ſuprà nos egimus. Pergit verò Breviarium Nidroſienſe:*

B

Contigit in loco, qui Stiklaſtad dicitur, eo anno, quo beati martyris Olavi baſilica novo principatûs & pallii veſtiretur honore, quod mulier quædam viſum recepit, cujus pupilla ab alio infante in pueritia cultelli punctu violata eſt; & ex illius dolore uterque oculus ad cæcitatem gravatus eſt. Sed Martyris interventu, deterſa cæcitate, priſtinum lumen ſe recepiſſe gaudet.

Imperator Cpolitanus, duce S. Olavo, vincit infideles,

4 Apud regiam urbem Conſtantinopolim celebris eſt S. Olavi regis & martyris memoria, & in civitate eadem in honorem ejus eccleſia fabricata eſt. Accidit quadam tempeſtate, ut præfatæ urbis imperator, exercitu collecto, adversùs quemdam paganorum regem præliaturus procederet: ordinata utrimque acie & ſtudio militari diſpoſita, bellum inivit. Invadunt Chriſtianos acerrimè barbari, & in primo congreſſu victores exiſtunt. Occumbit pars maxima Græcorum, & Chriſtiani exercitus robur elanguet. Reſtabat acies non grandis, quæ nihil aliud præſtolabatur, quam mortem. Deſolatus imperator, & fere corde diſſolutus, ad divinum ſe convertit auxilium, & beati martyris Olavi opem profuſis pariter implorat lacrymis, quem pro juſtitia pugnantibus frequenter adeſſe, fama referente, didicerant: vovent, ſe ſub nomine Martyris, & in honorem ſanctæ Mariæ Virginis, in urbe regia fabricaturos eccleſiam, ſi ejus interventu victores remearent. O prælarum & inſigne miraculum! Apparet Martyr quibuſdam de exercitu, & Chriſtianam aciem ſignifer inſignis præcedit. Horror invadit hoſtilem exercitum, & metu divino perculſi omnes vertuntur in fugam immanes barbari, quibus paulo ante multus & fortis reſiſtere non valebat exercitus: auxilio Martyris munita perſequitur acies non grandis; fit paganorum ſtrages innumera, & multis onuſti ſpoliis victores Chriſtiani revertuntur.

C

5 Imperator igitur Conſtantinopolim regreſſus, voti, quo ſe apud Deum & beatum Martyrem obligaverat, non immemor, in honorem Sanctæ Mariæ Virginis eccleſiam conſtruxit: ad cujus opus fabricæ tam devota fuit & prompta populi victoris oblatio; quatenus perfecta eccleſia ingenti, & peractis omnibus, quæ ad ejus ornatum erant neceſſaria, adhuc de pecunia oblata multum ſupereſſet. Et quam in his & aliis multis beneficiorum inſigniis omnium animus in beati Martyris obſequio devotus exſtiterit, multarum pretioſarum, & inde miſſarum rerum ſplendore, hæc, in qua ipſe requieſcit, teſtatur eccleſia. *Utinam imperator, expreſſo nomine deſignatus vel hîc eſſet, vel in Ms. Ultrajectino, in quo res eadem, ſed aliis adumbrata coloribus exhibetur! Ibi enim* S. Olavus *ante aciem de cælo ſiſtitur*, tamquam rex coronatus, ſedens ſuper equum album, bene armatus, habens in manibus ſuis vexillum cum albo panno, & in uno latere habens crucem rubeam cum corona plicata tamquam de ſpinis cum omnibus armis Chriſti, & in alio latere arma ſancti martyris Olavi; [qui] & dixit imperatori: Sequimini me in nomine Jeſu Chriſti, & S. Olavi; & victoriam obtinebitis; quia vocatus adſum *&c. Verùm huic Ms. paſſim apertè interpolato, vix eſt, ubi ſatis in rerum adjunctis fidas. Quid ſi miraculum hoc ſub imperio Michaelis Paphlagonis militanti Haraldo*, S. Olavi *fratri*, *credamus accidiſſe? Certè id videtur dicendum; niſi vel bis eadem propemodum omnia contigiſſe velis Conſtantinopoli, vel falſa de Haraldo narrari ab Iſlandis apud Torfæum part.* 3, *lib.* 4, *cap.* 10. *Imperaſſe autem putatur Paphlago ab anno Chriſti* 1034 *uſque ad* 1041.

D

eique ac Deiparæ templum erigit, & munera Nidroſiam mittit.

E

Repreſſum incendium; oculi ſanati.

6 Contigit quodam tempore, civitatem, in qua Sanctus Martyr requieſcit, vehementer accendi. Unde ad muniendam ipſam eccleſiam corpus Martyris pro muro ignibus opponunt. Acceſſit autem quidam ſatis temerarius; & ſcrinium Martyris cœpit verberare, minas inferendo, quod totum ſimul incendio relinquendum eſſet, niſi ſolitum monſtraret beneficium, & eccleſiam cum domibus adhuc illæſis, ſuis orationibus cuſtodiret. Eccleſia autem intacta permanſit; ſed vir ille nocte ſequenti gravi oculorum dolore correptus, tandem in eccleſia ſancti Martyris precibus ſalutem recepit. *Hoc in ſolo Breviario Nidroſienſi legimus; quemadmodum & aliud, quod inde ſubjicio.*

Innocens ſuſpenſus, ope S. Olavi implorata,

F

7 Ruſticus quidam, vir ſimplex & innocens, à quibuſdam potentibus provinciæ illius, in qua manebat, non juſtitiâ, ſed odii causâ, falſo latrocinii crimine impetitur, & poſtpoſita diſcuſſione negans trahitur, & inimicorum præjudicio ſuſpendio addicitur. Cumque anxius & miſerabilis in gente perverſa nullum, cum oraret, juſtitiæ locum videret, de humano prorſus deſperat auxilio. Unde ad Dei miſericordiam toto ſe vertebat pectore; & beatum martyrem Olavum obnixiùs deprecatur, ut innocenti ſibi apud Deum precibus pro juſtitia ſubveniat, qui nocentes multoties miſericorditer à debita pœna ſuis precibus liberat. Quid plura? Ex adipe prodiit iniquitas eorum: abſque mora tranſiit in effectum: ſuſpendunt inſontem ſuſpendio digni. Verùm legis ſcrutator S. Olavus miſeretur miſerabili; affuit clamanti, pro innocentia juſtitiam poſtulanti. Continuò itaque ut à terra levatus eſt, quaſi in viſione viſus eſt ſibi ſanctus martyr Olavus pedibus ſuis aſſerem ſuppoſuiſſe; cui innixus, per novem ferme horas illæſus permanſit; donec uxor ſua & filii à quodam nobili reverterentur, impetratâ licentiâ ut corpus deponerent & ſepulturæ commendarent.

ſervatur incolumis.

8 Cumque [laborarent,] ut eum ſuſtollerent; filius ejus aſcendit in arborem, cui ſuſpenſus

A ſus adhærebat, quæ ex quodam promontorio altè fixa manebat, cujus ſummitatem cum prædictus juvenis ſerpendo attingeret, vibrato ictu, ligamen, quo ſuſtentabatur, præcidit. Quod dum fieret, corpus miſerabile in tale præcipitium tendit, ut magis membratim crederetur comminui, quam etiam viventi ſalus poſſe ſperari. Sed nec casûs aſperitas, nec eminentia ſcopuli poterat inferre gravamen, cui pro juſtitia Martyris meritum præſtitit juvamen. Qui ſtatim quaſi reſolutus ſopore, reſedit, viſionem velut ſomnium recolens. Cum autem, diſcedente algore, vigor membris accreſceret, & reſumpto ſpiritu paulatim convaleſceret; & ad Sancti Martyris limina properè tendit, & rem penès ſe geſtam, & multorum teſtimonio approbatam, ad laudem Dei, ex ordine, ejus loci archiepiſcopo & fratribus (*canonicis Nidroſienſibus*) expoſuit. *Hactenus laudatum Breviarium, in illo fragmento, quod ſolum videre nobis licuit apud Torfæum; ait verò hic etiam, eadem omnia in codice Flateyenſi* tamquam ex profeſſo *enumerari; nec pauca deinde adjici, quæ Sanctus tum vivus, tum defunctus ediderit. En generis utriuſque ſpecimina quædam, quæ quidem fidem aliquam mereri videntur.*

B

Equus ſubito ſanatus: aqua in cereviſiam, hydromeli, vinum mutata,

9 *Cum Sanctus exercitum Stiklaſtadas duceret, ut ſupra dictum in Commentario § 9, num. 96,* eo ipſo die equum, cui Rex inſidebat, diſtracto crure, inutilem factum memorat (*codex ille;*) cumque ſinguli ſuos certatim offerrent, neminem admiſiſſe; teſtatum, aut ſe pedibus inceſſurum, aut eodem vectore uſurum: obligato deinde pede, in amœna pabula, dum cibo ſe refeciſſent, immiſſum, finito prandio, integrum recepiſſe. Eodemque die ſitienti ſibi allatam aquam, ſed ab epiſcopo benedictionis formulâ prius conſecratam, repuliſſe, negantem, cereviſiam ſe popoſciſſe; iterumque relatam pariter averſatum, cum mulſum ſaperet; tertiò tandem obteſtatum, cum cereviſiam hydromelique illo die (quippe jejunio deſtinato) recuſaverit, haudquaquam vino ſe indulturum. Tum verò epiſcopum, agnito miraculo, dono divinitus dato frui eum imperaſſe, atque ita ſalubri ſe hauſtu recreaſſe. *Ita Torfæus parte 3, lib. 3, cap. 5, qui tamen hæc pro fabulis habet, cum ſint multo credibiliora, quam quod ex eodem codice refert ibidem lib. 3, cap. 12 de Sigurdo à lamia quadam Trollorum* (*gigantes & magos intellige, juxta part. 1, lib. 3, cap. 2*) *generis diris devoto, & à S.* Olavo *per inciſam manui crucem reſtituto. Porrò inter viventis miracula numerari etiam poſſunt prædictiones ejus variæ, quas eventus oſtendit, à prophetico ſpiritu dictatas fuiſſe. Harum exempla dat Torfæus part. 3, pag.* 173, 175, 181, 189.

C

reſtituta elinguis loquela;

10 *Idem quoque loco proximè citato inter defuncti prodigia ex eodem codice hæc refert:* Eyſteni Ingiique regum Norvegorum temporibus, qui patri Haraldo Gillio anno MXXXVI (*imo* MCXXXVI, *ut infra accuratiùs notatur lib. 9, cap. 5 & 6*) occiſo cum fratre tertio Sigurdo Broncho (non tamen omnes ſimul) in regnum ſucceſſerunt, quidam, nomine Haldor in Vandalos incidens, linguâ per partem gulæ proximam perfoſſam extractâ atque imis radicibus excisâ privatus; voto Olafo nuncupato, elinguis impoſterum ſermonis uſum, ut antea, recepit: ei deinde, quoad vixit, in æde ſacra miniſterium præſtitit. Meminit hujus miraculi Snorrius Sturlæus. *Mihi ſanè idem videtur, quod paulo ante Torfæus ex Breviario Nidroſienſi dederat; uti & nos ex Ms. Bodecenſi cap. 2, num. 11; licet ibi Slavi, hîc Vandali* (*nam hi ſæpe confuſi reperiuntur apud auctores Septemtrionales, ut patet ex Hiſtoriæ Norveg. part. 3, lib. 4, cap. 7*) *linguam evelliſſe dicantur. Quæ verò indidem ſubdit, nova ſunt.*

EX VARIIS.

alia quædam beneficia.

11 Mulierem præterea Nidaroſiæ habitantem, quæ epilepſiâ ſingulis menſibus laborans, novum, eumque juvenem, maritum morbum celabat, poſtquam eum (*S. Olavum*) unà cum B. Virgine invocavit, adque pervigilium candelam obtuliſſet, jejuniaque à ſacerdote injuncta rectè peregiſſet, ab iſta peſte liberaſſe traditur.

Rupem quoque in Thelemarchia, cum cives de ædificanda ei lapidea æde conſultaſſent, nec ſaxa decenti mollitie extarent, cum primùm latomus lapidicinam exploraſſet, ſponte ruptam laudatus codex memorat; inde templum levi negotio exſtructum.

Puerum etiam in provincia Nidaroſiæ proxima per biduum errore abreptum, poſt nuncupata ſibi vota, in eo loco, ubi diu fruſtra quæſitus eſt, apparuiſſe.

Virum quoque, qui ſe malò dæmoni mancipaverat, cum ad templum ſibi dicatum ceremoniis interfuiſſet, ad veram pœnitentiam convertiſſe. Atque hæc ſunt, *inquit Torfæus*, quæ codex Flateyenſis multis memorat, in compendium relata.

D

E

Sancti balteo ſanata ſubitò vulnera.

12 *Alia ſunt ejus mirabilia, in Hiſtoria Norvegica loco non uno ſparſa; unde ea præſertim ſeligo, quæ minus diſplicent; ut quæ referuntur imprimis part. 3, lib. 4, cap. 7 ex Morkinskinna, qui codex eſt vetuſtus Iſlandicus, ſed hic illic interpolatus, ut in Præfatione Hiſtoriæ memoratæ dicitur. De hoc ita Torfæus:* Tradit enim idem liber, dum Magnus (*Sancti filius & Norvegiæ Daniæque rex*) in occurſum Vandalorum (*Daniam infeſtantium anno Chriſti circiter* 1046) exercitum duceret; Ordulfum (*Saxoniæ ducem, qui Ulfhildem, S. Olavi filiam, Magni ſororem, duxerat*) è bello (*quodam*) domum redeuntem, ſauciumque. in palatio cum aulicis potaſſe, uxore Ulfhilde à latere aſſidente; cum derepentè vir quidam, pileum Danicum gerens, ingreſſus, patumque in pavimento conſiſtens, iterum exiens omnibus fuerit conſpectus: interrogatam à duce Ulfhildem, num virum noviſſet, reſpondiſſe, ex myſtace Patrem ſuum [videri:] Magnum forte, fratrem ſuum, auxilio indigere. Ducem verò pollicitum, ſe cum copiis omnibus, quas bello reduxerat, ſuccurſurum, mox edixiſſe tribunis militum, ut cohortes quiſque ſuas educerent. Illam verò interfatam poſtulaſſe, ut vulnera ſibi obligari pateretur; debilem nimiùm [futurum,] ni Deus, Paterque ſuus ſanaret. Inde balteo Patris ſui (*S. Olavi*) admoto, ſtatim dolorem evanuiſſe. Ducem deinde raptim in occurſum Magni profectum, *&c.*

F

Apparet filio, & victoriam ſpondet:

13 *Narratur ibi deinde Magni de Vandalis numero longè ſuperioribus victoria, à S.* Olavo, *tum ipſi, tum ruſtico cuidam apparente, promiſſa, & indiciis aſſerta cæleſtibus; ſed quia res ibi longiùs deducitur, placet eam breviùs ex Theodrici Nidroſienſis Hiſtoriæ cap. 24 deſcribere.* Wandali, *inquit*, ... tunc ... incredibili multitudine advecti ſunt in Daciam, operientes faciem terræ more locuſtarum. Quod cernens Magnus rex, animo conſternatus eſt: nam neque tempus habuit exercitum (*majorem*) congregandi, nec tutum putabat cum paucis contra tantam multitudinem dimicare; & intolerabile videbatur, vaſtari regionem in præſentia ſui. In hac igitur anguſtia mentis poſito regi fertur nocte ſubſequente apparuiſſe beatum Olavum, patrem ejus, & ei

EX VARIIS. ei monuiſſe, eum in Deo ſpem ponere; facile ei eſſe dare victoriam non minus in paucis, quam in pluribus: oportere eum craſtino die ad bellum procedere; Dei miſeratione victoriam non defuturam. Hac ergo viſione confortatus rex Magnus, in craſtinum viriliter proceſſit ad prælium, ſubſequens vexillum, quod Patris ejus fuerat; tenens manu bipennem ejuſdem, quæ ibi confracta eſt, & modò ſervatur in Nidroſienſi eccleſia. Major * itaque ruit in hoſtem; plurimos proſtravit, ceteros turpiter, Deo auxiliante, in fugam vertit. Hoc prælium geſtum eſt in loco, qui dicitur Luirſcogs Heithr, *in Jutia. Vide Torfæum loco citato, & Grammaticum Saxonem ſub finem libri decimi, alioſque.*

* *lege* Magnus

fratrem è carcere liberat:

14 *Cum diu Haraldus, ſancti Regis ac Martyris frater, in imperio Conſtantinopolitano meruiſſet, gravi tandem crimine accuſatus, in carcerem cum duobus famulis conjicitur; tum verò, ut ex ſuis monumentis narrat Torfæus part.* 3, *lib.* 4, *cap.* 11, fertur, cum per plateas eò duceretur, frater ejus S. Olafus ei apparuiſſe, liberationiſque ſpem feciſſe. Verùm eadem nocte vidua quædam opulenta, duobus comitata famulis, ſcalis ad ſuprema (*carceris altiſſimi, ſed ſupernè aperti*) progreſſa, funè ad ima demiſſo, ſingulos pœnalibus clauſtris exemiſſe; idque monitore S. Olafo, quam [dicitur] ægrotantem priùs ſanaſſe, tum verò per quietem ſoſtri loco, ut periclitanti fratri ſubveniret, repopoſciſſe, locumque carceris indicaſſe. *Tum aliquanto inferius additur:* In illa platea (*Conſtantinopoli ſcilicet*) qua ſanctus Olafus Haraldo apparuit, cum in carcerem duceretur, in honorem ejus ſacellum exſtructum eſt, quod auctorum horum temporibus floruit, manſitque in eum diem carceri ab Haraldo deinceps nomen. *Hæc mira quidem, ſed minus tamen fabuloſa videntur, quam quæ de carcere Haraldi Conſtantinopolitano, ac mirabili evaſione vel Saxo Grammaticus, vel alii ibidem citati narrant.*

B

filio felicem prædicit obitum:

15 *Magnum quoque filium, qui proſperrimo victoriarum curſu ſpem jam de ſe maximam faciebat, à temporariis curis ad cæleſtium contemplationem mortiſque præparationem revocaſſe dicitur ibidem, cap.* 15: Vidit enim per quietem, patrem S. Olafum, ſibi aſtantem, eligere juſſiſſe; ſecumne ſtatim vadere: an regum potentiſſimus evadere, ætatemque ad ſenium prorogare mallet; hac tamen conditione, ut ſcelus committeret, cujus vel venia deſperanda, vel difficulter impetranda videretur. Viſus autem ſibi Patri ſuo electionem detuliſſe; eum verò ſecum vadere juſſiſſe. *Nec diu ſuperſuiſſe, ibidem narratur: quamquam de ejus obitu non eadem aliorum ſententia eſt; ut iſtic & ſequenti præſertim capite legere licet; ubi & mirificis commendatam elogiis, imo & miraculis, ejus memoriam invenies. Norvegi defunctum volunt* XXV *Octobris, anno* 1047, *ætatis vigeſimo tertio, regni Norvegici circiter duodecimo, Danici ſimul & Norvegici quinto. Adi Theodricum Nidroſ. cap.* 27.

D

contractum ſanat Londini.

16 *Miraculo, quod ſupra de Guttormo retulimus, aliud in Kringla connectitur, teſte Torfæo ibidem lib.* 5, *cap.* 4, nec ſcio, *inquit*, an ad hæc tempora referendum. Tradit enim, contractum quemdam in Gallia, genibus pugniſque repentem, quòd digiti in volam eſſent intorti, ſub dio in via quadam dormientem, virum quemdam nobilem ſe accedentem ſomniaſſe, qui, quò tenderet, quæſivit. Villam, quò ire deſtinavit, profitentem, monuit, ut templum, Olafo Londini ſacrum, viſitaret. Expergefactus, monitiſque pariturus, Londinum petit; delatuſque in pontem, ubi templum Olafi eſſet, ſciſcitatur. Reſponſo accepto, complura ibi templa, nec, quibus ſingula conſecrata eſſent, ſibi conſtare; paulò pòſt acceſſit eum vir quidam, quò pergeret, quærens. Ut Olafi templum peti cognovit, ſe ducem ſequi juſſit: noſſe enim viam, quæ eò ferat. Tranſitoque ponte, plateâque templo contiguâ ſuperatâ, cum ad portam perveniſſet, ducem intrantem ægrè ſecutus, cumque ſuper limina ſe conjeciſſet, derepentè ſanus abſque gravamine inceſſit; dux autem diſparuit. *Mitto prodigia cetera, quòd ex adjunctis fabuloſis omnino vel conficta, vel certè incredibilia videantur; ut quod etiam refert Olaus Magnus Hiſt. Septemtrion. lib.* 2, *cap.* 15 *de gigantibus ab eo in ſtatuas lapideas commutatis.*

E

C

DE S. GUILIELMO EPISCOPO CONF.

F

BRIOCI IN BRITANNIA ARMORICA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti ætas, genus, epiſcopatus, perſecutiones, canonizatio, cultus, Acta eorumque ſcriptor.

ANNO MCCXXXVII.

Virtutes potius in Vita narrantur

ANtiſtitem proferimus, rebus præclarè geſtis, certaminibus pro eccleſiaſtica libertate, ceteriſque eminentibus virtutibus ſeculo XIII *totâ Galliâ tam celebrem, tot miraculis illuſtrem, ut paucis poſt obitum annis, in album Sanctorum ſolenniter relatus fuerit. Fuit is* S. Guilielmus (*aliis* Guillelmus *aut* Wilhelmus) *Briocenſis in minori Britannia epiſcopus, de qua civitate cum jam pridem actum fuerit ad* 1 *Maii, ejus Sancti occaſione, à qua appellationem ſortita fuit, non eſt quod ei pluribus deſcribendæ hic immoremur. Id mirum eſt, Sancto tam illuſtri ſcriptorem non obtigiſſe qui præter virtutes & miracula, aliquali ordine Acta ejus diſpoſuerit, ex quo nimirum erui potuiſſet, qua origine, aut quando natus, quando creatus epiſcopus, quo demum anno felicem animam exhalaverit; ut encomium te legere intelligas potius quam ſanctiſſimæ vitæ hiſtoriam, teſtante ipſomet,* ſe non omnia, ſed *ſolum* aliqua explanare, ſermone quodam, licet rudi ac ſimplici, brevi tamen admodum & veraci, *ut ex ſequentibus fiet manifeſtum.*

2 *Ete-*

AUCTORE J. B. S.

A quam earum adjuncta

2 *Etenim de Sancti ætate nec verbo agit biographus, ut nisi successorem Philippum nominasset, tum vero Innocentium IV Pontificem, à quo Sanctorum honoribus donatus est, vix divinari posset, ad quod seculum revocare ipsum oporteret. Porro qui de solo felici ejus exitu subinde scripsere, rem potius involvunt quam elucident. Sammarthani in Gallia Christiana disertè signant annum* 1234, *eisque presse adhæret nuperus Historiæ Britannicæ scriptor Lobinæus tomo* I, *pag.* 217. *Contra vero Joannes Chenu, Claudius Robertus, d'Argentré aliique quos citat & sequitur Albertus le Grand, glorioſum ejus obitum unanimiter reducunt ad annum* 1237, *in eo inter se discordes quod episcopatûs tempora aut restringant aut extendant. Audi laudatum Chenu, qui decessoris Silvestri morte anno* 1225 *innexa, sic pergit :* S. Guillelmus II dictus Pinchonius, rexit ecclesiam XIV annis: partem ecclesiæ cathedralis construxit, quam perfeciſſet, nisi invida mors eum abripuisset XXIX Julii anno MCCXXXVII.

aut tempus episcopatûs &c.

B

3 *Melius initia episcopatus* S. Guilielmi *refert Robertus ad annum* 1220, *ut non solum* XIV *annos in dignitate, sed* XVII *circiter expleverit, saltem anno sedis* XVII *primùm è vita migraverit; id quod rectè adoptavit Albertus Le Grand, sic vitæ seriem instituens, ut natum velit Sanctum anno circiter* 1184; *ætatis* XXII, *adeoque* 1206, *minores Ordines suscepisse, ad altiores successivè promotum, ac demum, mortuo decessore Silvestro, qui sedecim dumtaxat mensibus sederat, ad cathedram evectum anno, ut diximus,* 1220. *His ita ordinatis, septemdecim pontificatûs annos* S. Guilielmo *tribuit, finem ejus rectè connectens cum anno* 1237. *Verum sui immemor turpiter labitur, dum ait* anno ætatis LIX *ad Superos evolasse, cujus vitæ initia superius revocaverat ad annum* 1184; *ut si consequenter loqui voluerit, non ultra* LIII *vitæ annos Sancto adscribere potuerit. At enim candidè fatemur, nos reperire hactenus non potuisse, quo verè anno lucem aspexerit, unde determinatos vitæ annos liceret colligere : si verè* LIX *ætatis annum attigerit, toto sexennio citius, adeoque anno* 1178 *ortum dicere necesse est.*

Nec de origine quidquam traditur :

C

4 *De natalibus dubium ingerit Legendæ scriptor, dum in Prologo opus suum in septem capita dispescens, ait se* acturum primo de ipsius nobili origine, *quam tamen nec verbo unico attingit; nisi eam intelligat de nobilitate morali, ea nempe quam sola statuit atque unica virtus, seu de recta & pia educatione illustrium eo sensu parentum, quos de cetero constat nulla prorsus seculari nobilitate fuisse conspicuos, ut diserte tradunt omnes qui de ejus progenitoribus vel obiter locuti sunt. Parentum itaque sortem & conditionem supra mediocrem non fuisse, in confesso est : nomen patri Oliverius seu Olivarius Pinchon, vel ut alia Pichon (Picionem Latinè format Castellanus) ex vico S. Albani diœcesis Briocensis : matrem autem dictam accepimus Joannam Fortin, ex vico æque ignobili diœcesis Maclovienſis, ut adeo tota* S. Guilielmi *nobilitas, à solis heroicis virtutibus atque insigni sanctitate accersenda sit, qua in parte muneri suo prorsus non defuit Legendæ concinnator.*

pauca de exsilio.

5 *Ex ipso nimirum colligi omnino possunt dotes omnes virtutesque sancto Antistite dignissimæ, nempe* orationis gratia, ad divina reverentia, mira sapientia & scientia, & discreta prudentia, *tum præter* vitæ austeritatem, pietatem & humilitatem, fervida ejus, *imò incomparabilis* caritas, *tum in Deum, tum in proximum, puta in dilectissimum sibi gregem, ac pauperes potissimum, in quos non quotidianas solum stataſque eleemosynas, sed* bladum *omne suum, dicamus horrea, & quidquid in domo sua habuit, largissimè profudit. Adde pastoralem, imo planè paternam atque indefessam curam; in propugnandis ecclesiæ clerique juribus infractam fortitudinem, qua duci Petro,* cognomento Mauclerc, *intellige infensissimo cleri osori, in faciem restitit, seque non semel præsentissimo mortis periculo exposuit : quam quidem laboriosam ejus vitæ partem non satis diligenter exsequitur auctor, sed cujus defectum Albertus aliique abunde suppleverunt. Eò demum res rediit, ut in exsilium pulsus, ab ægro episcopo Pictavienſi benignè susceptus, ejus vices aliquamdiu indefesso zelo suppleverit.*

Obitus & canonizatio.

E

6 *Ad suos postliminio redux, glorioſum vitæ cursum pari fine absolvit, tanta perfectissimæ sanctitatis famâ post se relictâ, ut ea Lugdunum continuò penetraverit, ubi per id tempus commorans Innocentius PP. IV, cognita miraculorum celebritate, vix toto post obitum decennio, Sanctorum catalogo eum adscribere non dubitaverit; expedito ad id insigni diplomate* XVII *Kalend. Maii, anno ejus* IV *seu* 1247, *quod hîc post Acta & Miracula integrum referemus, ubi id peculiariter notandum est, ipsum canonizationis diem* XV *Aprilis solennem apud Briocenſes perseveraſſe, bullâ ipsâ Canonizationis in tres lectiones distributâ, præter natalem hoc die celebrari solitum cum solenni octava, cujus decursu variæ diversis diebus lectiones recitantur, ut sint numero duodecim, totam ferme Legendam complectentes, quæ & ad alias Britanniæ Armoricæ ecclesias extensæ sint, de quibus videndus Albertus, singulas ordine recensens. Porro hymnos Sancto proprios huc referre operæ pretium non duxi, neque recentiora Martyrologia, Usuardum Bruxellenſem, Molanum aut alios, quorum omnium vices supplebit Saussayi elogium hujusmodi :*

Saussayi elogium.

F

7 Ipso die in Briocensi diœcesi, depositio S. Guilielmi, ejusdem civitatis episcopi & confessoris. Hic virginalis vitæ studioſus, & in pauperes perpetuò egregia usus eleëmosyna, tum maximè aliquando ingravescente annona, non solum quidquid frumenti ipse habuit, sed aliunde mutuo accepit, egentibus ad vitæ sustentationem impertitus est. Orationi præterea & precibus ita deditus, ut præter divinum horarum Canonicarum officium, & alias pias precationes, totum etiam Psalmorum librum singulis diebus intima animi pietate recitaret. Humilitate item & abstinentia mirabili fuit : zelo etiam pastorali & fortitudine præcellens. Sæpe siquidem pro ovium suarum corporali salute, irruentium in civitatem hostium gladiis cervices suas objecit. Ut damna & injurias à suis depelleret, sæpe dies noctesque in fletibus & lacrymis pervigil exegit; ut iram divini numinis, horum sceleribus offensi mitigaret. Exsilium etiam pro justitia Vir Dei perpessus est. Sed exstinctis divina ultione tyrannis, iterum ad suam diœcesim, condigno honore revocatus; ibi ultimum vitæ actum, multis aliis pietatis & sanctis operibus clarum, feliciter consummavit. Corpus ejus in cathedrali ecclesia sepultum, biennio post incorruptum repertum est, suaviſſimo fragrans odore : magnisque virtutum divinarum coruscationibus testatam fecit glorioſi spiritus beatitudinem. Quem ideo Innocentius PP. IV solenni judicio Sanctorum catalogo colendum adscripsit.

Quis scriptor

8 *Superest ut de Vitæ auctore pauca disquiramus. Eum Surius rotundè nominavit* Godefridum

AUCTORE J. B. S.

Calvum, Bituricenſem archiepiſcopum : *at ſtra hic inter civitatis illius archiantiſtites quæſitus eſt hactenus. Neque vero dignitatem hujuſmodi ſcriptor ipſe ſibi tribuere auſus eſt, candidè profeſſus* imperitiam *ſuam in verbis*, Licet autem in me non abundet ſcientia ; nec ſuppetat facundia *&c.*, *quæ prorſus cadere non videntur in virum qui fuerit archiepiſcopus ſive Bituricenſis ſive alterius metropolis ; verùm, ut Claudius Robertus rectè conjectaſſe videtur, in aliquem potius ſancti ipſius Guilielmi obſequio deputatum, qui Bituricenſis fortaſſe origine, in eccleſia Briocenſi archidiaconi aut archipresbyteri munere functus fuerit. Nos viri nomen, nempe Godefridi ſeu Gaufredi, cognomento Calvi, retinendum cenſuimus, ab omni titulo aut gradu abſtinentes. En modo Vitam ipſam, ut à Surio edita eſt, ſervatis ad marginem auctoris capitibus.*

V I T A

B

Auctore Godefrido Calvo. Ex Surio.

PROLOGUS.

Auctoris excuſatio.

SCripturus Vitam beati antiſtitis Guilielmi, inhabitatorem ejus invoco Spiritum ſanctum : ut qui ei virtutes largitus eſt, mihi ad narrandum eas ſermonem tribuat, & de ſua clementia vires præbeat, quas mea imperitia denegat. Licet autem in me non abundet ſcientia, nec ſuppetat facundia ad hujuſmodi ſancti Viri miranda opera, prout condecet, depromenda ; inductus tamen tam devotione, qua ipſi Sancto ex pluribus beneficiis & ſuffragiis per eum receptis obligor, quam requiſitione quorumdam virorum valde ſolennium, quibus obtemperare ex charitate compellor, ipſius geſta, non quidem omnia : quia non omnia didici, aut ſcire potui : ſed aliqua, quæ partim in ejus domo & ſocietate exiſtens, oculata fide perſpexi : partim à quibuſdam viris fide dignis auditu percepi, ad Dei & ſanctiſſimi Viri gloriam explanare conabor, ſermone quodam licet rudi ac ſimplici, brevi tamen admodum & veraci. Ut autem quæ ſequuntur, facilius ſe offerant inquirenti, ſeptem infra poſitis capitulis ſunt diſtincta. Agitur enim primo de ipſius nobili origine & ſanctæ vitæ inchoatione. Secundo, de orationis gratia, & ejus ad divina reverentia. Tertio, de mira ipſius ſapientia, & ſcientia, & diſcreta prudentia. Quarto, de ejus fervida charitate, vitæ auſteritate & pietate. Quinto, de ipſius profunda & admiranda humilitate. Sexto, de ejus felici obitu & conſummatione. Septimo de mirabili ejus canonizatione & tranſlatione.

C

INCIPIT VITA

Carnis integritatem ſervavit.

SAnctus Guilielmus à primævo juventutis ſuæ flore ſenile cor gerens, nulli voluptati animum dedit : ſed ſciens militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, in ſanctitate & juſtitia coram Deo ſervire diſpoſuit omnibus diebus vitæ ſuæ. Qui in carne ambulans, non ſecundùm carnis deſideria militavit, ſed eam ſpiritui ſervire coëgit. Quod in ſuo obitu cuidam confeſſori ſuo, cui cordis arcana, tamquam domeſtico, committebat, reſeravit, dicens : Frater, age gratias pro me Deo, qui me uſque hodie mundum à peccato carnis per ſuam gratiam cuſtodivit. Verumtamen humani generis inimicus, qui & eo, quod à juſto contemnitur, magis ad ſcandala provocatur, tamquam leo rugiens, quærens quem devoret, per mulierum aſtutias ipſum ſervum Dei corrumpere pluries attentavit. Cum enim idem adhuc juvenis, & in minori officio conſtitutus, in domo cujuſdam divitis fuiſſet hoſpitatus, mulier quædam fornicationis ſpiritu ſtimulata, radios igneos in ipſum Dei virum procaciter vibrabat. Non enim ſolum Deo ſanctitatis merito, ſed etiam cunctis eum videntibus corporis elegantia, verborum facundia, & converſationis gratia placens erat. Poſtquam autem immundus ſpiritus cor illius mulierculæ fallaciter occupavit, donec conceptum in animo virus peccati effunderet, non quievit. Die verò cedente tenebris, ceteris dormientibus, captato noctis ſilentio, perrexit ad beati viri cubiculum dormientis, & ad latus ejus ſe projecit coluber tortuoſus. Porro vir Dei ad tactum mulieris inſolitum excitatus, non ſolùm ſcelus abhorruit, verùm etiam de lecto ſtatim, quaſi de medio ignis exiliens, à facie colubri ſe abſcondit : ſicut patriarcha Joſeph, qui fugit oblatam libidinem, pallio derelicto.

D

E

Impudicæ mulieres eum infeſtant.

2 Verè ergo beatus Guilielmus, qui inventus eſt ſine macula : qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus ; & facere mala, & non fecit. Alio quodam tempore, cum B. Guilielmus pontificali officio fungeretur, quædam nobilis mulier de territorio Briocenſi, tam viri, quam amicorum auxilio viduata, ſuper debitis & aliis negotiis in Epiſcopi curia plurimum vexabatur. Tandem quid ageret, neſciens, ex muliebri nequitia cogitavit, quòd ſi poſſet amore polluto Pontificis gratiam obtinere, ſuos facilius adverſarios ſuperaret, & cauſam ſuam favore judicis fine proſpero terminaret. Quadam igitur die deductum in partem Epiſcopum cœpit blandis ſermonibus & plenis illecebris ad commiſcendum ſecum in obſcœno libidinis provocare. Sed vir Dei Spiritu ſancto præmunitus, cauſam ejus & intentionem cordis ſordidam intelligens, talè fertur mulieri dediſſe reſponſum : O mulier infelix, cur paſtorem tuum, pontificem, patrem & dominum, hujuſmodi verbis ſeducere voluiſti ? Et excutiens manu tunicam lineam ante pectus, qua more pontificis utebatur, quaſi de ſinu cordis ignem excluderet, cum indignationis indiciis hæc adjecit : Vide, miſera, quia Dei Epiſcopus ſum & ſacerdos. Tunc increpationis viri Dei ſtimulis ſauciata, pallio confuſionis operuit vultum ſuum, & tacta dolore cordis intrinſecus, de domo protinus eſt egreſſa. Sic tamquam aurum in fornace probavit Dominus Sanctum ſuum, & ſicut holocauſti hoſtiam accepit eum merito caſtitatis.

F

Benignitas ejus in miſeros, & pauperes.

3 Præter hæc caſtitatis inſignia, aliud in ejus obitu virginitatis apparuit argumentum. Nam cum corpus ejus à miniſtris eccleſiæ lavandum digna cum reverentia tractaretur, illius membra inferiora non pudenda, ſed quaſi puerilia ſunt inventa. Virginitatis ergo aureola decoratus, qui cum mulieribus non eſt coinquinatus, meritò ſequitur Agnum Dei. Non ſolùm autem lumbos præcinxit fortitudine caſtitatis, verùm etiam lucernas ardentes tenuit in manibus per opera charitatis. Ipſe enim tamquam pater piiſſimus pauperes nutriebat, miſerorum miſerias relevabat, & cetera

A tera pietatis opera misericorditer indigentibus exhibebat. Nec satis erat sibi, quòd per bursarium pauperibus ministrabat: quinimmò de bursa, quam ad hoc portare consueverat, ipsemet indigentibus manum misericordiæ porrigebat. Tanto siquidem circa pauperes ardebat compassionis affectu, quòd quando ciborum reliquiæ dabantur pauperibus congregatis, ipse per fenestram aliquam super dantes & accipientes intuitum dirigebat, ne quispiam eleëmosynam defraudaret, neve pauper aliquis læderetur, vel expers muneris remaneret. Si verò multitudini pauperum non sufficerent eroganda, defectum protinus suppleri faciebat.

4 Tempore quodam caro, cum B. Guilielmus videret fame pauperes cruciari, totum bladum suum eis exposuit dispergendum. Sed cum inter tantos minimè sufficeret, præsertim cum usque ad messem magnum adhuc temporis spatium supereresset, precibus suis canonicorum bladum accepit mutuò, pauperibus erogandum. Verè beatus est iste Sanctus, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris: sed sicut jucundus homo miseris miserans, sua Domino commodavit. Sic enim in villicatione sua fidelis extitit, quòd omnibus fere necessitati pauperum distributis, unde testamentum faceret, nihil omnino supereresset. Maluit enim in cælo thesaurum sibi creditum collocare, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur: quàm in terra cum servo pigro Domini sui pecuniam occultare, aut alienis relinquere devorandam. Sic lucerna beati Guilielmi non solùm luxit exterius ad Dei gloriam: verùm etiam arsit interiùs in affectu, cujus ardor fuit in ipso tripliciter ordinatus, ad Deum scilicet, seipsum, & proximum. Nam in amore Dei totus, devotis precibus vacando, exardescebat cum propheta, dicente: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Cap. II. *Magna liberalitas in caritate annonæ.*

B

5 Quamvis enim cum Martha circa curam regiminis multis negotiis esset occupatus: illud tamen Mariæ necessarium, divinis sermonibus vacans & devotis orationibus, nullatenus omittebat. Præter enim horas Canonicas & alias orationes consuetas, diebus singulis Psalterium, quod sciebat cordetenus, lectitabat. Iterum quoad seipsum, arsit in eodem igniculus charitatis, de quo dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat? Ignis enim incinerat & consumit. Deus autem noster ignis consumens est. Cujus ardor beati viri animam per humilitatem incineravit: corpus per fragilitatem attenuans, utraque pari fœdere Dei servitio mancipavit, sicut in Levitico scriptum est: Utramque partem consumpsit ignis. Beatus verò Guilielmus quanto major erat, eo magis humilis apparebat, & humilitatis opera faciebat. Nam aliquando ad sufflandum ignem pro calefaciendo cibo pauperum, caput suum dicitur inclinasse.

Quotidie legit Psalterium.

C

Cap. III. *Summa caritas,*

6 Die quadam ad domum ejus, nuntius quidam venit, commodato postulans balnearium vas pro muliere paupere, in puerperio decubante. Nam pro hujusmodi piis operibus vascula talia reservabat. Cumque causam ejus itineris Episcopus didicisset, nec quisquam de suis famulis, præter capellanum, præsens esset, nec negavit ei, nec distulit quod petebat, sed cum adjutorio capellani sui vas, quod blado plenum erat, evacuans, imposuit in humeros nuntii propriis manibus ad portandum.

7 Quadam autem nocte lectus cujusdam monachi in Episcopi cubiculo factus erat: cumque vadens dormitum Episcopus, lectum monachi prope terram cerneret, suum verò propter pontificalem excellentiam ac reverentiam loco superiori: non est passus inferiorem se jacere monachum: immo fecit iterum lectum sterni, & alterum alteri coæquari. His & aliis hujusmodi meritis & exemplis beatus iste Guilielmus pontifex exaltationis æternæ gloriam est adeptus. Non solùm autem cor ejus incineravit ignis Dominicæ charitatis, sed & corpus per pœnitentiam cremavit. Quamvis enim suæ, necnon & aliorum dignitatibus vel meritis deferendo, magna sæpe convivia præparari faceret, servata tamen modestia, semper parum gustans de carnibus, reliquum in eleëmosynam pauperibus erogandum reservabat.

A Godf. CALVO. *& humilitas.*

8 Aqua pura vel cum vino mixta largiter utebatur, quamvis à pluribus vinum & pinguia diligere putaretur. Præterea cum lectus ejus, sicut decebat Pontificem, sterneretur, & servi crederent ipsum super mollia quiescentem, spreto cubili, terræ duritiam ad orandum & dormiendum sæpius eligebat. Quantùm verò ad proximum, in eo charitas ignescebat. Nam quotiescumque desolatum aliquem vel afflictum cerneret, aut infirmum, infirmabatur & ipse secundùm illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Die insuper quadam, dum ipse beatus Vir staret in medio domûs suæ, quædam hydropica ac paupercula mulier eleëmosynam postulans stetit ante eum. Erat autem infirmitate sic inflata, quòd vix corpus suum capere poterat tunicæ latitudo. Quam intuens pius Pater, qui super afflictos pia semper gestabat viscera charitatis, præcepit eleëmosynam ei dari: necnon de theriaca, quam habebat, poculum ei ministrabat, piè credens ipsam per antidotum hujusmodi posse consequi sanitatem. Accepto poculo, mulier abiit via sua.

Cap. IV. *Vitæ austeritas*

E

9 Hora prandii memor fuit Episcopus illius, & ferculum suum, de quo parum gustaverat, per nuntium illi misit. Quam per vicos & plateas nuntius diu quærens, tandem invenit in lectulo passione nimia laborantem, & fini suo eam appropinquantem. Quod cum Episcopo retulisset, timens ille, ne per theriacam, quam ei ministrari jusserat, mortis periculum incurrisset, oraturus pro ea ad Dominum, in ecclesiam festinavit: ubi flens largiter & rugiens à gemitu cordis sui, reum se mortis ejus humiliter accusando, tamdiu misericordiam Domini invocavit, donec nuntiatum est ei, quod mulier surrexit, & ab infirmitate sua dimissa penitus esset. Quod Episcopus audiens, fecit eam præ gaudio sibi præsentari. Quam videns sanitati plenariè restitutam, admirans vix credere potuit, quòd hæc esset, quàm quasi monstrum viderat ipso die. Quis autem dubitet, mulierem hanc de portis mortis, sancti Viri fuisse precibus & meritis revocatam?

ac in feminam miseram humanitas.

F

Cap. V. *Objicit se periculis pro ovibus suis.*

10 Alio quodam tempore; cum ex pressura præliorum, quæ inter Francos & Britones agitabantur, ducatus Britanniæ turbaretur, & Briocensis civitas, irruentibus in eam alternatim hostibus, damnis multis & injuriis gravaretur, beatus Guilielmus, tamquam bonus pastor, cum fletu magno per civitatem circumiens, dispersas oves conabatur paternis affectibus consolari. Sæpe etiam prædonum in medium se magnanimiter ingerens, animam suam pro ovibus suis ponere non formidabat. O quoties in ipsum oviculas protegentem, viri sanguinum manus sacrilegas injecerunt,

A. GODF. CALVO.

cerunt, & in cervicem ejus vibrantes gladios, ipſum minis & contumeliis affecerunt. Ipſe verò cum hæc omnia pateretur, non comminabatur, ſed tamquam agnus manſuetiſſimus, corde tacito patientiam ſervabat. Et ſi quando propter clericorum inſtantiam, neceſſitas ipſum compelleret ferre excommunicationis ſententiam in maleficos & prædones, ne remiſſus & negligens videretur, cum dolore cordis & multis lacrymis vim clavium exercebat, cum malefactores hujuſmodi ſententiæ gladio feriebat.

Pellitur in exſilium.

11 Quanto charitatis ardore dilexit proximos, qui ſic luxit, ut David & Samuel, inimicos? Sic virga ſancta de radice Jeſſe, quod interpretatur incendium, procedebat. Nam virga correctionis, de incendio debet egredi charitatis. Ezechiel autem loquens de quatuor animalibus, de igne vidit in ſpiritu fulgur egrediens. Ex igne verò fulgur egreditur cum excommunicationis ſententia, non ex ira vel odio, ſed ex charitate profertur. Intereà gravi perſecutione per tyrannorum malitiam in eccleſia Britannica ſæviente, B. Guilielmus zelo juſtitiæ viriliter inflammatus, ferocitati tyrannicæ reſiſtere ſatagebat. Quam ob cauſam minis & injuriis ab ipſis tyrannis & eorum complicibus eſt adſtrictus: nihilominus tamen murum ſe pro domo Domini, quantum poterat, opponebat Renuens igitur in præjudicium libertatis eccleſiaſticæ principum acquieſcere voluntati, compulſus eſt exire Britanniam, & in exilium proficiſci. Sed vir juſtus, tamquam leo confidens in Domino, ſcienſque quòd dignitas nominis Chriſti omnia poſſidet in omni poſſeſſione, & quòd omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor: damna, minas, exilium & contumelias propter ſpem æternæ beatitudinis ſuſtinuit patienter. Nam Dominus dicit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

B

CAP. VI. *Pictavenſis epiſcopi ſuſcipit operam vicariam.*

12 Tunc temporis verò Pictavenſis epiſcopus, continuis laborans infirmitatibus, impotens & debilis erat factus, ita quòd officium ſibi competens exercere penitus non valebat: qui beatum Guilielmum, obſtinatæ perſecutionis impetum fugientem venerabiliter ſuſcipiens & devotè, gregis ſui curam ipſi committere dignum duxit. Beatus igitur Guilielmus, aſſumpta cura vicaria Pictavenſis diœceſis, ibi per annos aliquot ſanctiſſimè converſatus in his, quæ ad ſuum officium ſpectabant, ordines celebrando, eccleſias dedicando, altaria conſecrando, pueros confirmando, necnon & alia pontificis officia ſolicitè miniſtrando, apud Deum & homines gratioſum ſe exhibuit & famoſum. Cum autem placuit Deo ferocitatis hoſtium impetum enervare, relictis ovibus alienis, bonus paſtor ad oves proprias, ob ipſius abſentiam nimium deſolatas, reverſus eſt cum gaudio valde magno.

C

Redit ad ſedem ſuam.

13 Circa curam iſtum propriarum ovium, non ſolùm ſpiritualiter ſanctæ converſationis exemplo & doctrinæ pabulo: verùm etiam temporaliter humanæ neceſſitatis ſubſidio, ſicut dictum eſt, ſolicitè vigilabat. Hoc enim triplici cibo præcepit Dominus Petro ſuiſque ſucceſſoribus paſcere plebem ſuam. Et quamvis gregis ſui curam præponeret omni negotio temporali, fabricam tamen Briocenſis eccleſiæ cathedralis, ſi poſſet in pace vivere, proponebat conſummare jam inceptam. Circa quod opus cum die quadam vigilantius cogitaret, ſpiritu prophetico repletus, dixit: Certè vivus vel mortuus ædificium hujus eccleſiæ conſummabo. Dominus autem ipſius prophetiam proceſſu temporis adimplevit. Nam cum ipſe vivens feliciter, victurus in perpetuum, præſentis vitæ curſum feliciter conſummaſſet, corpus ejus ſanctiſſimum in eccleſia cathedrali digna fuit cum reverentia tumulatum.

D

Felix obitus ejus.

14 Quod cum ibidem duobus annis, antequam coruſcaret miraculis, tamquam lapis pretioſus latuiſſet, Philippus epiſcopus ſucceſſor ejus ſtuduit nihilo minus fideliter ipſius propoſiti circa fabricam eccleſiæ fieri proſecutor. Oportebat autem pro fundamento quærendo, ſecundùm diſpoſitionem operis, corpus beati Guilielmi de loco in quo poſitum fuerat, transferri. Factum eſt autem, cum ad effodiendum theſaurum illum clerici cum populo conveniſſent, ipſum corpus cum omnium membrorum integritate mirabiliter eſt repertum, & quaſi pretioſiſſimis fuiſſet aromatibus conditum, optimo odore eos, qui aderant, adimplevit: ita ut ex converſatione, quam viderant, & mirabilibus, quæ videbant, ipſum proculdubio crederent eſſe ſanctum, cum corruptibile corpus, quod quidem per biennium in ſepulcro latuerat, cernerent incorruptum. Quid aliud dicere poterant, niſi quod à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?

E

Corpus ejus poſt biennium invenitur incorruptum.

15 Mirabantur præteréà, nec mirum, quomodo cadaver hominis, quod tamdiu jacuerat ſub terra, odoris ſuaviſſimi redolentiâ ſpecies aromaticas ſuperaret. Sed ille, cui integer à peccato ſervierat carnis, ex incorrupti inventione corporis ſanctitatis ipſius lucernam de ſub modio ſuper candelabrum exaltari diſpoſuit, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt, odor ſuavitatis ex ipſo Domino, ſuaviter omnia diſponente, mirificè procedebat: ut qui vitæ in vitam bonus odor fuerat, bonus odor ſanctitatis, odorem miraculorum prodigiis diffunderet uſquequaque. Ab illo enim die cœpit crebrioribus coruſcare miraculis, per quæ ſanctitatis ejus notitiam, non ſolùm per univerſam Britanniam, verùm etiam per circum adjacentes & remotas provincias Dominus dilatavit. Quotquot itaque diverſis oppreſſi languoribus ejus tumulum viſitarunt, ſalutis ab eo beneficia fidenter poſtulantes, recuperata ſanitatis optatæ gratia, lætantes ad propria ſunt regreſſi. Quamobrem catervatim currunt undique populi, cernere cupientes, necnon in ſeipſis experientes miracula, quæ per eum mirabilis in Sanctis ſuis Dominus miſericorditer operatur. Quorum eleëmoſynis & devotis oblationibus eccleſia, quam Sanctus in vita vel poſt mortem dixerat ſe ſtructurum, opere pretioſo ſuſcepit complementum, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Miracula ad tumulum ejus.

F

CAP. VII. *Refertur ab Innocentio IV in numerum Sanctorum.*

16 Cum igitur beatus Guilielmus tot & tantis miraculorum radiis, non ſolùm Britanniam, verùm etiam diverſas mundi provincias illuſtraret, Philippus bonæ memoriæ Briocenſis epiſcopus, ſucceſſor ejus, indignum arbitrans, ſi tantum lumen intus vel ſubtus modium celaretur, ad dominum Papam Innocentium IV, Lugduni tunc temporis reſidentem, cum firmiſſimis miraculorum teſtimoniis & teſtibus propter hujuſmodi negotium properavit. Quibus auditis rumoribus, exultans in gaudio Præſul ſummus, miraculorum inquiſitionem Cardinali cuidam committere dignum duxit. Sed quod accidit ipſa die, propter hujuſmodi negotium aſſignata, non minùs eſt miraculo deputandum. Nam præter teſtes idoneos, quos adduxerat dictus epiſcopus Briocenſis, alii quamplurimi de aliis mundi partibus ſubitò confluxerunt, de ſanctitate beati Guilielmi probatiſſima perhibentes, eò quòd tam in ſe, quam in aliis, ipſius invocata ſuffragia pro diverſis infirmitati-

A tatibus ſenſiſſe firmiter aſſerebant. Probatis itaque miraculis, & in ſummi Pontificis audientia recitatis, necnon ab eo & cunctis Cardinalibus aliiſque eccleſiarum prælatis, qui aderant, approbatis, idem ſummus Pontifex, de communi fratrum conſilio, Guilielmum Briocenſem epiſcopum in Sanctorum catalogo, meritis ejus exigentibus, decrevit firmiter conſcribendum, & celebri memoria venerandum. Ipſius autem Sancti mirabilia, pauca tamen, quia non poſſet aliquis ſingula quæque ſcripto explicare, breviter enarrabo.

MIRACULA.

Hydropicæ curatio.

MUlier quædam Briocenſis diœceſis, quæ tribus & eo ampliùs annis per totum corpus fuerat hydropiſi ſic inflata, quòd ſanitatem poſſe conſequi nullatenus credebatur: facto voto, ſuper beati Guilielmi tumulum, quarto Calendas Auguſti, die videlicet, quo beatiſſimus Confeſſor migravit à ſeculo, requievit, & poſt horam diei primam, cum divinum officium in eccleſia cantaretur, quaſi de ſomno evigilans, ſublato tumore, beati Guilielmi meritis reſtituta eſt ſubitò priſtinæ ſanitati.

B

Item contracti.

2 Homo etiam quidam languidus apud ſanctum Briocum ante januam alterius hominis jacebat in ſterquilinio, ſic contractus, quòd pro victu ſuo quærendo per villam ſuper palmas & genua ſe gerebat. Cujus paſſioni mulier quædam compatiens, dixit ei: Alane, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, voveo te beato Guilielmo, qui ſuis meritis & precibus tibi conferet ſanitatem. Et apprehendens eum ad manus mulier & ejus filius, ſuper pedes ſuos erexerunt. Qui protinus conſolidatis membris, ad eccleſiam cum multis eum ſequentibus, & Deum in beato Guilielmo laudantibus, iter arripuit, omnipotenti Deo gratias referens & ſuo ſanctiſſimo Confeſſori.

Mulieris horridus morbus pellitur.

3 Alia inſuper mulier tantam lateris corroſionem patiens, quòd inteſtinis ferè patentibus, cum horrore magno fætorem nimium emittebat, per unam noctem ſuper ſepulcrum Sancti requievit. In craſtino verò circa horam primam multis præſentibus, ab hac horribili paſſione ſic extitit liberata, quòd nulla remanſerunt prædictæ paſſionis veſtigia.

C

Mortuus puer revivi ſcit.

4 Cum præterea puer quidam, velut annorum octo, circa ripam ludens cujuſdam fluminis, in ipſum ſubitò cecidiſſet, populis clamantibus, pater ejus præ dolore cucurrit ad locum, citius quærens eum. Quem cum multis eum juvantibus minimè reperiſſet, ingeminatis clamoribus cœpit inſanire. Adſtans verò populus ei compatiens, dixit: Vove filium tuum ſancto Guilielmo, ad cujus invocationem Deus miracula operatur. At ille conſilio eorum vix intendens præ dolore, protinus ſic clamavit: Sancte Guilielme, confeſſor Domini benedicte, tibi meum filium voveo & commendo. Vix votum finierat, & ecce puer ſub aqua mortuus eſt inventus, & de profundo fluminis extractus. Quem mortuum pater inſpiciens, iterato clamare ad beatum Guilielmum cœpit lacrymabiliter, & eum invocare, dicens: Sancte Guilielme, redde mihi filium meum vivum, quem mihi oſtendere dignatus es ſic defunctum. Mater autem pueri tunc temporis ad beatum Guilielmum profecta peregrè pro eodem puero, quia eidem infirmitas quædam acciderat, ad ejus tumulum nocte præcedenti aderat. Dum igitur pater voto & orationi devotus exiſteret, in conſpectu adſtantium ſtatim eſt puero vita reſtituta. *A. GODF. CALVO.*

Item alius puer.

5 Alius inſuper puer, quaſi annorum trium, de Dolenſium finibus, in quoddam foſſatum cecidit, per quod faciebat mare tranſitum. Ubi cum parentes ejus cum dolore quærentes filium, annuente Domino, perveniſſent, reſupinum in aqua puerum repererunt, & de fovea extraxerunt. Cumque in eo nullum vitæ comperiſſent indicium, ipſum cum clamore valido & dolore voverunt beatiſſimo Confeſſori. Ad cujus invocationem puer, aquam evomens cum ſanguine, reſpiravit.

Sanantur vitia corporis teterrima.

6 Rurſus homo quidam per ſex annos & amplius duo foramina in ventre habuerat & habebat, adeo pernicioſa, quòd quidquid per os ſuum ſecundùm viam nutrimenti ſumebat in corpus, relictis naturæ purgatoriis locis, per illa duo foramina turpiter emittebat. Qui ante Guilielmi tumulum requieſcens, ad invocationem ejuſdem Sancti, à tam enormi paſſione curatus eſt. Cuidam etiam mulieri eſt candidior ſolito mamilla ſubito reſtituta, quam ſibi præ nimio infirmitatis dolore miſerabiliter amputaverat.

E

Alia miracula.

7 Viro præterea cuidam eſt repente conſolidata ruptura, per quam ipſius viſcera ſe adſpectibus hominum horribiliter offerebant. Quædam rurſus puella, cujus adeo pedes & tibiæ ulceroſæ erant ex quadam paſſione, quam medici fiſtulam nuncupant, quòd ei ſola tibiarum abſciſſio, ne per eam, ſinceram corporis partem corrumpi contingeret, pro conſilio præſtolabatur, ad plenum eſt à prædictis vulneribus liberata. Alia quoque puella, ignis incendio intercepta, fuit in medio carbonum reperta. Cui ejuſdem Sancti meritis ignis, vim ſuæ virtutis oblitus, nullum impreſſit veſtigium læſionis.

Nautæ è periculo eripiuntur.

8 Quadam etiam die, cum quidam nautæ peregre profecti ad beatum Guilielmum, per mare vellent ad propria remeare, facta eſt tempeſtas in mari valida, adeo ut ruptis funibus fractiſque remigiis, fluctus naviculam operirent. Qui nimirum de vita deſperantes, beatiſſimi Guilielmi auxilium invocando, dixerunt: O beate Guilielme, confeſſor Domini glorioſe, ſuccurre nobis in ſupremo mortis periculo conſtitutis. Statimque ad ejus invocationem ſani nautæ, cum navicula fluctibus operta, ad portum proſperum ſine humano remige pervenerunt. Quid plura? Per beati Guilielmi confeſſoris glorioſiſſimi merita reſtituit Dominus cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum: ſicut probant baculi, lectique lignei, quos ante ſepulcrum ejus ſalutis beneficia conſecuti, redeuntes ad propria, reliquerunt. Poſſeſſi à dæmone liberantur, paralytici reparantur, quam plurimi vi febrium laborantes, ſanitatem celerem conſequuntur. Hæc & alia multa & magna mirabilia, quorum non eſt numerus, præſertim cum illius miracula finem non habeant, per beatiſſimum confeſſorem ſuum Guilielmum Dominus omnipotens operatur, ad laudem & gloriam nominis ſui, Amen.

F

CANONIZATIO.

Relatis præclaris ejus virtutibus

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio illuſtri Regi Franciæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum veniſſet Patriarcha Jacob ad locum in quo poſt ſolis occubitum requieſcere cupiebat, jacentes lapides capiti ſuo ſuppoſuit, ac in loco dormivit

EX BULLA. eodem. Cujus imitatus exemplum ſanctæ memoriæ beatus Guilielmus Briocenſis epiſcopus, in via præſentis ſeculi mundo dormire non deſtitit, lapide quem reprobaverunt ædificantes, prudenter capiti ſuo ſuppoſito ſuæ mentis. Nam ipſe virtutibus intentus, invigilans, & ab hujus mundi ſtrepitu, quantum permittebat pontificalis dignitas, ſe ſubducens, concupiſcentiæ oculos, quos primis parentibus ſeductor aperuit, clauſos à ſuæ nativitatis primordio cuſtodivit, ut ſuæ mentis ad terrena non reflecteretur intuitus, quominus ad contemplandam divinæ celſitudinis majeſtatem liberior haberetur. Sciebat namque quòd ſervire duobus dominis, gaudere cum mundo & regnare cum Chriſto nulli mortalium reperitur fuiſſe conceſſum. Quare mundum iſtum in contemptum deducens, ejus concupiſcentias prorſus à ſuis actibus abdicavit, & carnem cum vitiis multarum aſperitatum anguſtiis crucifigens, eam velut unigenitam filiam cum Jephte Domino in ſacrificium obtulit, ferventis igne ſuppoſito charitatis, ſicque carnis & oculorum concupiſcentiis proinde legi ſuppoſitis rationis. Tunc inimicus humani generis qui ſe ſinceris mentibus ingerit importunus, fortius ſurgebat in ſcandala, ut eum ſaltem ad Deum erectum à ſuo ſtatu per ſuperbiam vitæ dejiceret, qui conſuevit ex aliorum plerumque inſurgere victoria vitiorum. Sed idem Epiſcopus, velut alter Jacob, vitiorum videlicet ſupplantator, aſſumpto præmiſſo lapide Domino noſtro Jeſu Chriſto, cum quo etiam David ingentem Philiſtæum miraculosè proſtraverat, ſic inimici diaboli pravos penitus debilitavit conatus, quod licet non deſineret invidere; ne tamen jam ſuperatus ulterius vinceretur formidans, eumdem Epiſcopum ſuis perverſis inſultibus jam impetere non audebat. Nec mirum ſi nihil inimicus proficiebat in eo, qui per jugem orationum inſtantiam aſſiduè lyram pulſabat Davidicam, quæ non patiebatur Saulem regem Iſraëliticum ob ſui cantus dulcedinem à maligno ſpiritu moleſtari.

ac deinde etiam miraculis;

Eo itaque de mundo, carne ac diabolo glorioſum (auctore Domino) conſequente triumphum, non ſolum ſcalam, cui fuerat innixus Dominus, & per quam Jacob angelos vidit aſcendentes & deſcendentes, meruit intueri, quinimmo aſcendit & deſcendit per eam, ut ſuo Conditori per dulcis contemplationis ſtudium inhæreret, & interdum condeſcenderet, per piæ compaſſionis affectum, ſuorum infirmitatibus ſubditorum. Quia profecto ne ſibi ſoli per vitæ meritum in mundo proficeret, dumtaxat Rachelis amplexibus, contemplationi quidem pulchræ ſed ſterili adhærendo; unà cum Jacob ad Liæ quandoque deſcendit cubiculum, minaturus ad loca deſerti pœnitentiæ gregem ſibi commiſſum, gemellis fœtibus fœcundatum: quem cum omni diligentia pavit tripliciter, videlicet verbo prædicationis, fructu orationis, & in hoc miræ converſationis exemplo, quòd virginitatis pollebat candore, abſtinentiæ gloriabatur anguſtiis, & blandimentis erat prædituſ lenitatis. Meritò igitur tunc gaudere poterat Briocenſis eccleſia curæ talis deputata Paſtoris, qui tamquam magiſterium vitæ, pietatis titulus, & miſericordiæ ſpeculum totam Britanniam & adjacentes provincias ſuæ doctrinæ radiis mirificè illuſtrarat. Sed nunc, non ſolùm ipſa, immo Eccleſia univerſalis debet ampliori perfundi lætitia, tum quia de novo perſpicuum ſidus oriri conſpicit in partibus Occidentis, per quod & in mundi pelago naufragantes ad portum reducuntur ſalutis, tum quia talem in terris meruit producere filium, nunc angelorum concivem effectum, cujus patrocinium invocandum cenſuit in ſuis neceſſitatibus non indignum. Ceterum ut ipſe, qui dum adhuc in carne retineretur, erat quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ, oliva pullulans, & cypreſſus incremento proficiens venuſtatis: nunc carnis ſolutis nexibus, & Iſraël de Jacob, id eſt Deum videns, effectus, tamquam lucerna non ſub modio, ſed ſupra candelabrum poſita, illis qui ſunt in domo Domini miraculis coruſcaret, eſt per ipſum velut alterum Elyſæum puer mortuus ſuſcitatus. Cuidam mulieri eſt candidior ſolito reſtituta mamilla, quam ſibi præ nimio infirmitatis dolore miſerabiliter amputarat. Muliere nihilominus altera, per extenuationem corporis congruam, ab hydropiſi nimium tumeſcente curatâ. Viro inſuper cuidam inguinis repente conſolidata ruptura, per quam ipſius viſcera ſe hominum aſpectibus horribiliter offerebant. Quædam etiam puella, cujus adeo pedes & tibiæ infecti fuerant ulceribus fiſtularum, quod ei ſolâ tibiarum abſciſſio, ne per hoc ſinceram corporis partem corrumpi contingeret, pro conſilio præſtabatur, ad plenum de ulceribus liberata prædictis.

Sanctis ſolenniter adſcribitur.

Altera quoque puella ignis intercepta incendio, fuit in medio carbonum reperta, cui ejuſdem Sancti meritis ignis vim ſuæ virtutis oblitus, nullum impreſſit veſtigium læſionis. Necnon lumen cæcis, auditus ſurdis, mutis loquela, greſſus claudis, & paralyticis debitum membrorum officium, ad invocationem ſui glorioſiſſimi nominis ſubitò conferuntur: per quod ignorantium Deum tenebræ pulſantur, hæreticorum perverſum dogma confunditur, & fidelium beata credulitas adaugetur. Cum igitur dignum ſit, ut quos triumphans ſublimavit eccleſia, militans quæ ipſam ut poteſt ſemper imitari deſiderat, prompto veneretur affectu: Nos poſtquam de tam apertis ejuſdem Epiſcopi miraculis, tam per teſtes idoneos, quàm etiam quoſdam miraculosè curatos in noſtra & Fratrum noſtrorum præſentia conſtitutos liquidò conſtitit, ipſum quem cum juſtis in libro viventium tranſcriptum eſſe cognovimus, de communi Fratrum eorumdem & venerabilis fratris noſtri Patriarchæ Conſtantinopolitanenſis & prælatorum omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam in feſto Reſurrectionis Dominicæ exiſtentium conſilio, & aſſenſu, glorioſo Beatorum catalogo decrevimus adſcribendum, univerſis regni tui Prælatis præcipiendo mandantes, quatenus feſtum ipſius quarto Kalendas Auguſti, quo ſpiritum reddidit Domino, attenta devotione celebrare procurent, ac faciant per ſuas civitates & Diœceſes à Chriſti fidelibus ſolemniter celebrari, ut per hoc eum in cælis mereantur interceſſorem propitium invenire. Porro cupientes ſepulturam ipſius, quæ tam evidentibus ſignis rutilare dignoſcitur, congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui cum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejuſdem auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies, accedentibus verò ad prædictam ſepulturam infrà ejuſdem feſti octavas, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Ut ergo de novi Sancti celebritate lætetur, quòd velut florem miræ fragrantiæ in Eccleſiæ ſanctæ roſario productum conſpicit regia celſitudo, ac Conditori omnium qui tanti Confeſſoris præſentia Eccleſiam ipſam dignatus eſt modernis temporibus decorare, ſine intermiſſione gra-

A gratiarum uberes referat actiones, præmissa ſe-renitati regiæ meritò duximus præſentibus inti-manda, cupientes quòd ſic per piæ devotionis ſtudium, ipſius ſuffragium tibi vendices, apud De-um, ut virtutum incremento proficias & futuræ tandem beatitudinis gloriam conſequi merearis. Datum Lugduni, decimo ſeptimo Calendas Maii, Pontificatus noſtri anno quarto. EX BULLA

TRIGESIMA DIES.

SANCTI QUI III KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Abdon, S. Sennen } Martyres Romæ.

S. Julitta martyr, Cæſareæ in Cappadocia.

S. Maxima, S. Donatilla, S. Secunda } Martyres Tuburbi in Africa.

B

S. Rufus, S. Priſcus, S. Paternica, S. Septimia, S. Optio, S. Ammonius, S. Juſtus, S. Julia, S. Potamia, S. Abdus, S. Aceneus, S. Maxima, S. Hoſpis } Martyres etiam veroſimiliter Tuburbi in Africa.

S. Donatula & forte S. Silvanus & S. Magnilus

S. Joannes miles, cultus apud Græcos.

S. Mamas, S. Baſiliſcus } Martyres apud Græcos.

E

S. Rufinus martyr, Aſſiſii in Umbria.

S. Terentius confeſſor, Faventiæ in Æmilia.

S. Expletius epiſc. confeſſor, Metis in Belgica 1.

S. Urſus epiſc. confeſſor, Autiſſiodori in Gallia.

S. Tatwinus epiſc. confeſſor, Cantuariæ in Anglia.

S. Hathebrandus abbas confeſſor, Antverpiæ in Belgio; ex Friſia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

C

F

S. Brunulphus epiſcopus Scarenſis *in Suecia, ſignatus eſt hoc die in Florario Ms. cum S. Helena populari martyre, unde eum veroſimiliter accepit Grevenus; ex hoc Caniſius, Ferrarius & alii: at de ſancto Epiſcopo actum eſt vero ejus natali die* VI Februarii.

B. Æmilianam *hoc die, poſt ex Ordine venerabiles, ultimo loco ſignavit in ſuo Menologio Franciſcano Fortunatus Hueberus, ſub latiſſima poſitione* in Italia, *nullo prorſus addito charactere, unde ſatis dignoſci poſſit. Non aliam ego Æmilianam novi, quæ* ſingularem in S. Franciſci Ordine tertio promeruerit laudem *præter Florentinam viduam, quæ alio nomine* Humiliana *dicitur: aſt illa importunè hujus diei latereulo inſeritur, cum ſpectet ad diem quo Acta ejus pridem illuſtrata ſunt* XIX Maii.

S. Aldrici *Senonenſis epiſcopi hoc die ſignatur* tranſlatio. *Geſta ejus & reliqua ad eum ſpectantia illuſtrata ſunt ipſo die natali* VI Junii.

S. Lutgardis V. tranſlationem *hoc die ſignant additiones Mss. Carthuſiæ Bruxellenſes ad Grevenum. Acta ejus & reliqua ad ipſam ſpectantia illuſtrata ſunt* XVI Junii.

S. Gebhardum *ſeu* Gebehardum *neſcio ex quibus tabulis Salisburgenſibus hoc die ſignat Ferrarius, notans Baronium ejus obitum retuliſſe* XVI *Junii, quando de eo in ſupplemento Junii ad iſtum diem fuſè actum eſt* XVI Junii.

S. Ladiſlaus *rex Hungariæ dicitur à Ferrario hoc die coli in eccleſia Zagabrienſi: poterat & in hoc & in aliis ſuperfluo labori parcere, ubi ex Martyrologio Romano ſciebat coli* XXVII Junii.

S. Martialis *Lemovicenſis ep.* XVIII *Februarii huc per errorem remiſſus eſt; ſpectat ad diem quo Acta ejus illuſtrata ſunt* XXX Junii.

S. Erentrudis, *ſeu* Erendrudis *male in Kalendario aliquo refertur hoc die; jam pridem de ea actum eſt vero ejus natali* XXX Junii.

S. Godelevæ tranſlatio *à Florario Ms. hoc die ſatis recte ſignata eſt. Sanctæ geſta ſuo loco illuſtravimus, nempe tomo* II *Julii, ubi de ejus tranſlatione plura invenies pag.* 375, *nempe* VI Jul.

Sanctorum apoſtolorum Silæ & Silvani, ac ſociorum *memoria habetur hoc die in variis Græcis Tabulis, nimirum Typico S. Sabæ, Menæis ma-*

A

magnis excuſis cum acroſtichide ac verſiculis, Menologio apud Caniſium, Anthologio, Horologio ſeu Horis canonicis Cryptæ Ferratæ, ac codice Taurinenſi Ms.; ſed in Horologio anni 1607 *& in Kalendario apud Genebrardum non addunt illis ſocii. De* S. Sila *ſive* Silvano apoſtolo, *actum invenies apud nos die* XIII *hujus, ſecutos Martyrologium Romanum; ubi etiam probatur, quod unus hic* Silas *ſive, ſi ita vis,* Silvanus, *perperam à Græcis in duos dividatur. Et præter ea, quæ ibi in confirmationem iſtius unitatis producta fuere, addi poteſt, quod Kalendarium Ruthenorum apud Poſſevinum, nec non Syriacum ſeu Chaldaicum & Horologium anno* 1601 *editum, ſolius* Silæ *apoſtoli meminerint. Conſule interea quæ tam ſuper hac unitate, quam de ſociis* Creſcente, Epæneto & Andronico *dicta ſunt ad diem* XIII Julii.

S. Lubertus, *forte* Libertus *martyr alicubi à Majoribus hoc die repertus, idem veroſimiliter ipſe eſt qui Trudonopoli in Belgio à Normannis trucidatus, colitur quando de eo egimus* XIV Julii.

B

S. Theodemirum *martyrem Cordubenſem ex tabulis iſtius eccleſiæ ſe hoc die referre teſtatur Ferrarius; nos cum Martyrologio Romano de eo egimus* XXV Julii.

SS. Mauri epiſcopi, Pantaleonis & Sergii MM. tranſlatio *Vigiliis hoc die commemoratur: coluntur Sancti & de ipſis jam actum eſt* XXVII Jul.

S. Samſon *neſcio cur hoc die colatur in Officiis Abrincenſibus, nos de eo egimus*
SS. Nazarius & ſocii *etiam alicubi in hunc diem transferuntur: eorum natalis eſt* } XXVIII Julii.

Sancti P. N. Conſtantini junioris (ὁ νέος) patriarchæ CPolitani memoria *habetur ad hunc diem adſcripta Supplemento noſtro Ms. Sirmondo-Chiffletiano; quæ etiam refertur in apographis ex codice Taurinenſi, & Menæis Mss. bibliothecæ Ambroſianæ; ſed hîc ubique abſque titulo* ſancti. *Quatuor novimus ſynonymos CPolitanos patriarchas; particula verò* ὁ νέος *vel hîc ſincera eſt & genuina, vel adventitia atque intruſa: ſi primum, putamus per eam denotari Conſtantinum II, cui locus inter Cælites convenire neutiquam poteſt: ſin verò ſecundum, ut ſcribi debeat* Conſtantinus *ſimpliciter, tunc intelligi fortè poterit patriarcha hujus nominis primus; quem dedimus* XXIX *hujus. Tu conſuleſis, quæ dicta à nobis ſunt eodem die* XXIX Julii.

S. Martha *in Kalendario aliquo huc tranſlata, ſpectat ad* XXIX Julii.

SS. Benjamin, Benii, Binæi *nomina ſignantur alicubi in Græcis noſtris apographis; de quibus* XXIX Julii.

S. Fauſtinus *Tuderti non recte notatur hoc die, ſpectat ad præcedentem* XXIX Julii.

S. Silvanum, *neſcio quem, qui Euangelium in Galliis prædicaverit, hoc die nobis annuntiat Caſtellanus, nullis aliis appoſitis characteribus, unde inter plures ſynonymos ſatis dignoſci aut diſtingui poſſit; nulla adducta auctoritate qua conſtet talem* Silvanum, *præter tot alios in rerum natura umquam exſtitiſſe aut ſaltem inter Sanctos commemorandum & quidem hoc die. Quid quod ipſe in indice dubitet, utrum cum* S. Sila *confundendus non ſit? Poterat ſane tam obſcuræ annuntiationi ſuperſedere, qua quid fieri poſſit, prorſus non intelligimus.*

Ludovicum Gandulium *titulo* beati *hoc die ornat Marcheſius in Diario Dominicano, geſta ejus fusè deſcribens, obitumque conſignans anno* 1615; *at cum nulla cultus ei umquam ab Eccleſia conceſſi indicia adferat, nobis integrum non eſt Apoſtolicum judicium prævertere.* D

Saranum *aliquem in Scotia epiſcopum*, cujus pretioſæ reliquiæ in Tungland recondebantur, *invenerunt Majores noſtri ad* X *Martii. Mirum non notaſſe alium* Saranum doctorem qui ſuos ad Paſcha Romanorum more celebrandum induxit: *quæ etiam Dempſteri verba ſunt, tertium ſynonymum producentis* XVIII *Maii & ipſum epiſcopum* ad Mulum Galviæ. *De primo dubitarunt Majores, utrum admittendus eſſet, imo an confundendus cum eo quem hoc die ſignat Camerarius his verbis:* Sanctus Saranus. De eo decretum Honorii primi Pontificis tom. 3 conciliorum generalium & alii auctores. *Qualiſcumque collectio iſta Conciliorum ſit, aut qualecumque Honorii decretum; ex his non probatur* Sarani *ſanctitas aut cultus, neque ad eum vindicandum ſufficit Dempſteri aut Camerarii auctoritas, niſi aliunde roboretur.*

Item ſancti Tiburtii, *quid apud Grevenum ſignificet, prorſus non intelligo: haud dubiè nec ſcivit ipſe de quo ageret. Si titulum* martyris *adderet, haberem quo reducerem; at nominis iſtius confeſſorem necdum novi.* E

Lupini epiſcopi, *apud eumdem Grevenum æque obſcura oratio eſt, ſi canonicum Carcaſſonenſem dixiſſet, erat quo remitti poſſet.*

Catharina de Vaninis *inſigni elogio donatur in Faſtis Senenſibus, ut quæ à libidinoſa vita ad ſeriam pœnitentiam revocata, præclaris virtutibus, quin & miraculis in vita & poſt mortem reſplenduerit, ut merito inter venerabiles connumeretur, ſed abſque omni Sanctæ aut Beatæ titulo.*

Thimotæus martyr Valimenſis cum ſuis confratribus Carmelitis anno MCCLXVIII in cœnobio Valim martyrio coronatur. *Ita ſecundùm omnes apices R. P. Philippus Viſitantinus in ſua Acie ordinata Ms.*

Germanus *aliquis filius Galli donatur* Sancti *titulo à Colgano, ubi de S. Mele,* VI *Februarii pag.* 262, *col.* 2, *num.* 13; *aſt ego eum in notis tabulis Hibernicis nuſquam reperio.*

C

Mariam *aliquam, virginem abbatiſſam, nempe in monaſterio* à S. Helena erecto in monte Calvariæ, *hoc die profert Arturus in Gynæceo, ubi ſemper deſideratur quod primo neceſſarium eſt, ut de cultu conſtet.* F

Wiltrudis *virgo & ipſa abbatiſſa Summontarianenſis monaſterii in territorio Auguſtano*, genere, ſanctimonia & miraculis illuſtris *in Gynæceo etiam prædicatur ut* beata, *pro qua adducit Raderum noſtrum tomo* 3 *Bavariæ Sanctæ pag.* 135. *Vera eſt citatio, atque à Radero multis ibi ornatur illuſtris virgo ſanctimonialis, &* beatæ *titulo donatur; at quo die ipſa migraverit, & quo proinde eccleſiaſticam venerationem conſecuta ſit, id plane ignoravit Raderus, quod Arturo incumbebat oſtendere, priuſquam eam hoc die referret. Hoc nos doceant illi quorum intereſt &* Wiltrudi *iſti locum inter Sanctos in hoc opere ultro & libentiſſimè concedemus.*

Euangeliſta *Tiburtina virgo Clariſſa hoc etiam die* beata *declaratur ab eodem Arturo.*

Andream *celebrem olim Pragenſem epiſcopum multis magniſque encomiis exornat noſter Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum pag.* 255, *ut* cujus caput Pragam allatum, in ſacrario S. Wenceſlai (ubi crux aurea ſuper altare S. Crucis picta, hodieque viſitur) velut martyris locatum

A tum eſt, idque miraculis, Caroli IV Cæſaris tempore, ſcribitur claruiſſe. *Additque :* Quod S. Thomas Cantuarienſis in Anglia, hoc *fuiſſe* Andream epiſcopum in Bohemia *&c. quæ ſanè cultum aliquem ſacris reliquiis ſeculo* XIV *exhibitum fuiſſe ſatis manifeſte oſtendunt ; quamvis nec apud Crugerium nec apud alios ejus uſquam, ut* Sancti *aut* Beati *celebretur memoria. In ea perplexitate conſulendum putavi noſtrum P. Jacobum Rebitzer Pragæ commorantem, à quo quod reſponſum eſt hic ſubjicio :* De Andrea epiſcopo quondam Pragenſi, de quo inquiritur, id breviter repono, non tam ex meo ſenſu, qui huc uſque de cultu hujus viri Sancti nihil inaudieram, quam ex mente quorumdam capitularium hujatium, quos deſuper requiſivi, nempe ; quod in ſuis ſcriptis repetiant, Virum hunc temporibus illis, de quibus Balbinus mentionem fecit, cultum eſſe ut Beatum, nunc vero cultum iſtum penitus deſiiſſe, ut jam paucis vel de nomine notus ſit. *Ex quibus ſatis*

B *patet, locum ei in hoc opere tribui non poſſe, qui aliàs hoc ejus die natali* XXX *Julii tribuendus eſſet.*

Viſæ *ſeu* Bishoes *alicujus abbatis*, diſcipuli Sanudæ *laudatio ſatis incompta, ex Syriaco Latinè verſa, ad Majores noſtros Pariſiis tranſmiſſa eſt, huic operi nimirum inſerenda ad hunc diem* XXX *Julii, quo illum Caſtellanus ex Kalendario Coptico, haud dubiè Jobi Ludolfi, apud quem vocatur* abba Witza, diſcipulus Shinodæ, *in additiones ſuas ad Martyrologium Romanum tranſtulit. Jam non ſemel dictum eſt, & iterum repetimus, nullam nos prorſus iſtiuſmodi Sanctorum rationem habituros, niſi prius de eorum orthodoxia conſtet, ſintque alicubi in antiquis Faſtis ſeu Græcis ſeu Latinis ſignati. Magiſtrum illum abbatem* Synadam *ſeu* Sanudam *excluſimus* 1 *Julii, neque hunc* Viſam, *ſeu* Witzam *ſeu* Biſoen *digniorem cenſemus qui inter veros Sanctos connumeretur.*

Pii imperatoris Theodoſii junioris (ζ νέϐ) *nomen inſcribitur apographo noſtro ex codice Taurinenſi* β, *in excerptis ex Menæis bibliothecæ Ambroſianæ, nec non Supplemento noſtro ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis : verùm quandoquidem*

C *imperator iſte tam heſterno quam hodierno die tàmquam* pius, *non autem tamquam* Beatus, *nedum* Sanctus *apud Græcos memoratur ; neque ſcitur aliunde, quod apud eos ſolenni, publico legitimove aut ſufficiente ſaltem cultu honoratus umquam fuerit, abſit, ut eumdem nos ipſi attribuere auſimus, donec nobis de illo ſufficienter conſtiterit.*

Guido *abbas* XVI *Ciſtertienſis & epiſcopus Rhemenſis hoc die refertur in Kalendario Ciſtertienſi cum titulo* Beati, *quem ei etiam tribuit Henriquez in Menologio, ſed* XX *Aprilis, quo die vide Prætermiſſos pag.* 744. *Iterum recurrit* XX *Maii in jam dicto Kalendario & Chalemoto.*

Arnaldus *variorum cœnobiorum prius abbas, deinde contra Albigenſes prædicator, demum archiepiſcopus Narbonenſis, eodem titulo donatus ab Henriquez hoc die, inſigni elogio ornatur, ſed multo prolixiori à Bucelino, quibus omnibus necdum video meritum ipſum Sanctorum honores, ut Sauſſayus eum ſolum retulerit inter viros piæ memoriæ, quemadmodum & Guidonem ſeu Widonem de quo mox locuti ſumus.*

Theodoricus de cellario *monachus Hemmerodenſis non majori jure Beatis adſcribitur à jam dictis Henriquez, Chalemoto ac Bucelino.*

D Gerardus *martyr, in Germania*
Bertrandus à Turre *confeſſor, Avenione*
Gregorius Lombardus, *Baiocis in Neuſtria inferiori Galliæ*
Benevenutus *confeſſor, Mantuæ in Italia*
Hieremias *confeſſor, Forolivii in Romandiola*
Petrus à Gamarra *confeſſor, apud Salicetum in Caſtella*
Joannes Baptiſta *confeſſor, Sanſeverini in Apulia*
Petrus de Aierola *confeſſor, Lauri in Campania Italiæ*
Joannes à S. Franciſco *confeſſor, Mexici in India occidentali*
Antonius Benaldus *confeſſor, Cortraci in Flandria*
Joannes à Sanctis *confeſſor, Penerandæ in territorio Salmantino*

cum titulo Beati *memorantur ab Arturo in Marlio Franciſcano.*

Hueberus in Menologio pleroſque referens, ab omni titulo prudentius abſtinet.

Franciſcus Galindus, *Curci ſeu Villæ de ſancta in regno Peruano* E
Ludovicus de monte Feltro, *confeſſor in Italia*

Adduntur ab Huebero.

Godinum Bracarenſem in Gallæcia Hiſpaniæ epiſcopum *cum elogio nobis hodie profert fœcundus ignotorum Sanctorum refoſſor Tamayus in Martyrologio ſuo Hiſpanico ; candidè faſſus*, nondum ejus memoriam in aliquo ex Martyrologiis antiquis & recentioribus ſcriptam cognoſci : *quo poſito, quidquid nobis citet ex Alvaro Lupo aut aliis, probare poterit*, virum doctrina celebrem *fuiſſe ; &, ſi ita vis, etiam* bonis operibus conſpicuum, *at Sanctorum catalogo adſcribendum, id vero non evicit Tamayus : nec magis probant Chronologia monaſtica Luſitana, aut Rodericus da Cunha in hiſtoriæ ſuæ parte* 2 *cap.* 17, *aut alii.*

Theodemirus apud Calagurim Hiſpaniæ urbem in Vaſconum populis epiſcopus, *ex eadem Tamayi figlina porrigitur, auctoribus potiſſimum Luitprando & Juliano, quos hìc ſatis ſit nominaſſe.*

Oſtanus *apud Tamayum ordine tertius* Aucæ in Murgoborum populis Hiſpaniæ *& ipſe* epiſcopus, *cujus* memoria, *ut fatetur*, ſub ſilentii velo jacebat, auctoritate Luitprandi & Juliani reviviſcit, *imo planiſſimè emortua eſt.* F

S. Pantho *ſeu* Banto *presbyter annuntiatur hoc die in cod. Uſuardino Bruxellenſi, ab aliis die ſequenti ; jam monuimus ad* XXVI *Julii, nos & de* Beato *ejus fratre, qui ibi ſignabatur, & de ipſo, utpote quorum geſta connexa ſint, acturos die ſequenti* XXXI Julii.

S. Germani vigiliam, *alicubi ſignatam, hìc indicare ſatis eſt, de ipſo agetur die ſequenti* XXXI Julii.

S. Helena martyr *in Suecia hoc die refertur in Florario Ms. Greveno & Molano : melius Ferrarius cum Vaſtovio in Vite Aquilonia eam ſignavit die ſequenti* XXXI Julii.

Egreſſio crucis à palatio (*intellige CPolitano*) & acceſſus juxta magnam eccleſiam *&c.*, *donec tandem per totam urbem circumferatur, contra morbos, hòc menſe quam aliis frequentiores, intelligitur ex Menæis noſtris Mss. excerptis è bibliotheca Ambroſiana. At de profeſto crucis alibi apud Græcos agitur die craſtina* XXXI Jul.

S. Fantinum *huc perperam intruſit Bucelinus Philippum Ferrarium peſſimè citans, qui in utroquo ſuo Catalogo* Fantinum *expreſſiſſime refert die ſequenti ; multa & ipſe miſcens & confundens, ut jam dictum eſt, dum de* S. Fantino Tauria-

A nensi *ageretur* XXIV *Julii, & rursus repetendum erit, dum ad proprium locum in Prætermissis remittetur die sequenti* XXXI Julii.

S. Justam martyrem *in Aprutio, non nisi apud Ferrarium repererit Castellanus; cur vero ipsam hoc die signaverit, prorsus non assequor: neque certe aliam indicare potest præter Forconiensem, quæ in utroque Catalogo, disertissime relata est eo die quo de ipsa agemus* I Augusti.

S. Justinus puer martyr *ex* XXVII *Martii male ad hunc diem remissus est: signatur enim in vetustioribus Martyrologiis & in Romano, die quo de ipso agemus* I Augusti.

S. Tertullinus *non rectè hoc die signatur in cod. Usuardino Florentino, fortasse ex Flori auctariis acceptus: de ipso cum antiquis & Romano Martyrologio agetur proprio die natali* IV Augusti.

S. Alexandri martyris translationem *ex Galesinio accepit Ferrarius hoc die in Catalogo generali, rectè observans notari à Galesinio annum* 220, D *pro* 1220; *atque item in tabulis ecclesiæ Bergomensis, non reperiri hac die istam translationem; forte, inquit, quod solum in ecclesia S. Alexandri ea celebretur. Locus erit id accuratius examinandi eo die quo Sanctus ponitur in Martyrologio Romano* XXVI Augusti.

S. Leofronam *illustrem in Anglia cum multis sociis martyrem hoc die consignavit Wion, eumque in prima sua Martyrologii Anglicani editione anni* 1608 *secutus est Wilsonus, & hunc Ferrarius: verum in posteriori sua editione anni* 1640, *sanctam consignavit eo die quo de ipsa agemus* XXIII Septembris.

S. Luciæ V. M. translatio *Greveno adscripta reperitur in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis: absque ulla aut loci in quem facta sit, aut temporis memoria. Notissima est celeberrimæ Sanctæ festivitas* XIII Decembris.

DE SS. ABDON ET SENNEN MARTT. E


ROMÆ.

G. C. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Antiquus horum Martyrum cultus ex variis monumentis.

SUB DECIO. *Probatur cultus immemorabilis ex imaginibus,*

ANtiquissimam horum Martyrum venerationem satis indicat Calendarium Romanæ Ecclesiæ, quod circa medium seculi IV *exaratum Ægidius Bucherius noster suo Commentario in Victorii Aquitani canonem Paschalem inseruit, & quod ibidem pag.* 268 *sic habet:* Tertio Kalendas Augusti Abdon & Sennen in Pontiani (*subintellige cœmeterio*) quod est ad Ursum pileatum. *Paulus Aringhus tomo* 1 *Romæ subterraneæ lib.* 2 *cap.* 22 *testatur, vetustas nostrorum Martyrum imagines in hoc Pontiani cœmeterio ab Antonio Bosio inter alia vetera monumenta inventas esse, easque ibidem pag.* 383 *repræsentat. Nos hîc easdem ex ipso contractas & fideliter juxta prototypon æri incisas exhibemus.*



Romæ in cœmeterio Pontiani

2 *Laudatus Aringhus loco citato pag.* 376 *de hoc monumento ità disserit:* Mira & inenarrabili tandem animi exultatione, quod diu à Bosio perquisitum peroptatumque fuerat, sanctorum martyrum Abdon & Sennen sepulcrum ultro sese contemplandum obtulit. Lateritius ibi sarcophagus exstabat, longitudinis palmorum septem cum dimidio, altitudinis quatuor, profunditatis totidem, in cujus anteriori prospectu pictura quædam Christum redemptorem nube circumfusum præ se ferebat, qui ambabus manibus invictos martyres Abdon & Sennen ibidem pari arte pictos, suisque nominibus prænotatos coronat. Hi autem præclarissimi Martyres stantes ibidem repræsentantur, & præ-

A præter diadema, quod nobile ſanctitatis inſigne eſt, pileolum quemdam Perſarum more capiti impoſitum geſtant.

inventis 3 Porro in eodem ſarcophago juxta ſanctum Abdon beati quoque Milis imago appoſita cernitur, laicali, ut jam diximus, veſte induti, & juxta ſanctum Sennen adeſt imago B. Vincentii levitæ, qui eccleſiaſticis de more indumentis decoratur. In ejuſdem verò ſarcophagi labro inſcriptionem appoſitam fuiſſe, ejuſdem veſtigia præ nimia jam vetuſtate penitus conſumpta deſignabant: in ejuſdem autem inſcriptionis initio hæc verba dumtaxat perlegi potuere, nempe ONIS DIE, quæ divinando potius quam explanando hîc interim nobis deſcribere ac recenſere fas erit, ut iſte nimirum ſit verborum ſenſus DEPOSITIONIS ſeu TRANSLATIONIS DIE: iſtæc nimirum ad tempus referendo, quando ſacra beatorum Martyrum corpora ibidem depoſita vel certè tranſlata fuere. *Non ſunt hujus loci, quæ Aringhus ibidem de adjunctis Martyribus diſputat. Ceterùm quo tempore corpora* SS. Abdon & Sennen B *in hoc cœmeterium illata ſint, poſtmodum alia occaſione indicabimus.*

veteribuſque Martyrologiis 4 *Florentinius in notis ad Martyrologium ſuum hac die rectè obſervat, celeberrimos ſanctos martyres* Abdon & Sennen *ab antiquiſſimo tempore Romæ venerationem accepiſſe, & in omnibus Occidentalibus Eccleſiæ Martyrologiis indicatos fuiſſe: nam præter jam relata antiquitatis monumenta eoſdem Sanctos vetuſtiſſima Hieronymiani Martyrologii apographa, Allatii & Frontonis Kalendaria, ac à Menardo Thomaſioque edita Sacramentaria celebrant. His qdde Bedam, Florum, auctorem Romani Parvi, Rabanum, Adonem, Uſuardum, Notkerum & Wandelbertum, quorum poſtremus hac die in ſuo Martyrologio metrico ita canit:*

Abdon & Zennen deſignat tertia ſanctos
Regni quos Romæ tribuit de germine Perſis.

Non opus eſſe arbitror hîc ſingulos iſtorum Martyrologorum textus coacervare, cum de immemorabili illorum Martyrum cultu abunde conſtet, & longior Adonis annuntiatio ſeu potius Actorum compendium poſtea ſit exhibendum.

& proponitur difficultas circa urbem C 5 *Quare dumtaxat proferam breviorem Uſuardi annuntiationem, quæ nobilitatem horum Sanctorum, locum captivitatis, & genus martyrii ita indicat:* Romæ natalis ſanctorum Abdon & Sennes ſubregulorum, qui cum in Cordula civitate Perſarum vincula paterentur à Decio, ad ultimum eos duxit Romam catenis obligatos, & diverſis pœnis maceratos, ubi primo plumbatis cæſi & deinde gladio interfecti ſunt. *Similia narrantur in vulgaribus eorum Actis, è quibus hæc veroſimiliter excerpta ſunt, ut poſtmodum videbimus. Interea negotium hîc nobis faceſſit civitas* Corduła, *quæ etiam* Corduba, Cerduba, Corduena, Cerduna *aliiſque modis ſcribitur, ut in Uſuardo noſtro illuſtrato ad hanc diem obſervatum eſt. Nihil hîc moramur Pancirolum, qui in Theſauris abſconditis urbis Romanæ pag.* 837 *Cordubam Hiſpaniæ nobis obtrudit.*

in qua ſancti hi Martyres capti fuiſſe dicuntur. 6 *Eminentiſſimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die* XV *&* XXII *Aprilis putat, indicari Corduenam, de qua Ammianus Marcellinus meminit, & quam Æthicus coſmographus Cordubennam appellat; ubi de fluvio Tigri agit. Ammianus Marcellinus quidem agens de bello Perſico lib.* 24 *cap.* 8 Corduenam *nominat; ſed editio Lugduno-Batava anni* 1693 *ibidem notat, in manuſcripto codice* Corduam *legi. Præterea Mau-*

rolycus nobis aliàm dubitandi materiam ſuggerit, dum hac die in ſuo Martyrologio affirmat, SS. Abdon & Sennen in Chorodna civitate Perſarum *vincula paſſos fuiſſe. Equidem fateor, quod* Chorodna *aliis* Chorodra *à Ptolomæo lib. 6 Geographiæ cap. 4 inter civitates Perſidis recenſeatur; at neſcio, qua auctoritate Maurolycus illud nomen pro aliis ſupra dictis ſubſtituerit, & dubito, utrum Chorodna à Corduena & ſimilibus ejuſdem civitatis nominibus differat. Quapropter has tenebras diſſipare volentibus libenter locum cedimus, & ad confirmandum Martyrum noſtrorum cultum progredimur.* AUCTORE G. C.

Veneratio horum Sanctorum ex urbe Romana 7 *Romæ antiquitus eccleſiam ad illorum Martyrum honorem conditam fuiſſe, ſatis patet ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui in Vitis Pontificum Romanorum cap.* 97 *de Hadriano I Papa ſic tradit:* Eccleſiam ſancti Felicis poſitam foris portam Portuenſem à novo reſtauravit: ſimulque & baſilicam ſanctorum Abdon & Sennen atque beatæ Candidæ unà cum ceteris Sanctorum cœmeteriis in idipſum pariter renovavit. *Hinc colligo, illam* SS. Abdon & Sennen *baſilicam jam diu exſtitiſſe, cum ſeculo octavo reſtaurari debuerit. Seculo ſequente Nicolaus I Papa collapſum eorumdem Martyrum cœmeterium renovavit, ut idem Anaſtaſius cap.* 107 *narrat his verbis:* Renovavit etiam ipſe Paſtor benignus cœmeterium beati Felicis martyris ac confeſſionem via Portuenſi: nec non & cœmeterium eadem via ad Urſum pileatum, ubi corpora ſanctorum Chriſti martyrum Abdon & Sennen requieverunt, jam in ruinis poſito *, pulcro ac miro reſtauravit honore. E

lege poſitum in Galliam 8 *Neque hæc veneratio intra urbem Romanam ſubſtitit; ſed jam ab aliquot ſeculis in Galliam pervenit, ubi etiamnum perſeverat, ut noſter Simon Mothier in notis ad Martyrologium Romanum teſtatur: ibi enim poſt alia aſſerit, duos iſtos Martyres variis iſtius regni locis invocari ad conſervandos terræ fructus, ac præcipue Ernodori vel Exeloduni in provincia Bituricenſi (vernaculè* Iſſoudun *vocatur) magno populi concurſu celebrari. Nicolaus Catherinot in Sanctuario Bituricenſi docet, eoſdem Sanctos eccleſiæ vulgo dictæ* Givaudins *aliàs* Javaldapns & Javaudains *patronos eſſe, eorumque patrocinium communiter contra grandinem implorari. Simon de Peyronet in Catalogo alphabetico Sanctorum ac Sanctarum, qui poſt ejus mortem anno* 1706 *Toloſæ editus eſt, de* S. Abdon *poſt alia ſic notat:* Parœciam habet ſibi ſacram in hac noſtra diœceſi Toloſana, ubi vernaculè S. DON vocitatur ab indigenis. *Qua ratione cultus eorumdem Martyrum in alias Galliæ & Italiæ urbes propagatus fuerit, facilè intelligetur, quando de reliquiis & variis ſacrorum corporum tranſlationibus agemus.* F

& montem Libanum 9 *Quinimo Catholicus iſtorum Martyrum cultus (neſcio qua occaſione aut quo tempore) in Orientem tranſiit, ut Franciſcus Quareſmius tomo* 2 *Terræ ſanctæ lib.* 7 *peregrinat.* 7 *cap.* 5 *teſtatur his verbis:* Longè à Canobin, tria circiter milliaria, eſt villa fœcunda ſatis & amœna; oleis, ficubus, nucibus & aliis arboribus abundans & aquis irrigua; ubi multæ domus & aliquæ eccleſiæ ſunt: & eſt ibi una archiepiſcopalis ſancto Sergio dicata, & ſedes archiepiſcopi Maronitæ montis Libani, quæ Eden appellatur, & forte propter ejus amœnitatem & delicias: Eden enim deliciæ interpretatur.

propagata eſt. 10 Supra ipſam eſt ſacellum ſanctis martyribus Abdon & Sennen dicatum, quod Maronitæ ABDA appellant: in quorum die feſto (quod ipſi

AUCTORE G. C.

mobile faciunt, ipsumque celebrant Dominicâ primâ Maii) quando Missâ celebratur, subtus altare fons aquæ vivæ emanat; & cum venerabile elevatur sacramentum magis fluit, & post aliquot dies siccatur: & ita evoluto anni circulo, eodem tempore similiter fluit, & post Kalendarium Gregorianum & decem dierum mutationem factam simili modo Dominicâ primâ Maii aquas elargitur. Ita ab archiepiscopo Eden & aliis, qui viderunt, intellexi. *Parisiis anno* 1722 *D. De la Roque Gallicè edidit suum Hodœporicon Syriæ & montis Libani, in quo tamquam testis oculatus tomo* 1 *pag.* 197 *affirmat, hos duos Martyres Persas, in Eden à Maronitis magna devotione honorari. Non est autem dubitandum de mira fontis istius scaturigine, quam Quaresmius ex incolis fide dignis intellexit, etsi D. de la Roque ibi de illa non meminerit, quia forte propter brevem in eo loco moram nihil de ea audivit.*

§ II. Difficultates circa Actorum veritatem, & quædam de iis conjecturæ.

B

Varia Mss. Acta,

Utinam de Actorum veritate sicut de legitima horum Martyrum veneratione constaret! Habemus in Mss. nostris codicibus aliisque apographis varia horum Actorum exemplaria, quæ tamen castigatione indigent, *ut cum eminentissimo Baronio in notis ad Martyrologium Romanum hac die fateri cogimur. Apud Surium ea Actis Laurentianis ad diem* x *Augusti inserta leguntur. In codice nostro, signato P Ms.* 155, *iisdem præmittuntur Acta S. Polychronii aliorumque martyrum Persarum, de quibus die* XVII *Februarii &* XXII *Aprilis egimus. Mombritius tomo* 1, *& Petrus Equilinus lib.* 6 *cap.* 158 *ea seorsim ediderunt, cum quibus codex noster Valcellensis P Ms.* 157, *apographum Fuldense, ac Audomarense ita concordant, ut circa rei substantiam non discrepent.*

quæ videntur conscripta esse post ætatem Constantini Magni

C

12 *Nescimus, quo auctore aut quo seculo ea omnia exarata sint. Sed ubique in fine Actorum leguntur hæc aut similia:* Jacuerunt corpora ad exemplum Christianorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Quirinus Christianus subdiaconus, qui manebat ibidem juxta amphitheatrum, & collegit nocte corpora & recondidit in arcam plumbeam in domo sua tertio Kalendas Augusti. Postea verò latuerunt corpora sanctorum Abdon & Sennes martyrum multos annos usque ad tempora Constantini; jam Christiani. *Et tunc* levata sunt corpora sancta & translata sunt in cœmeterio Pontiani. *Si Quirinus ille tribus diebus post peractum glorioſum certamen corpora horum Martyrum in domo sua recondidit, quomodo in Kalendario Bucheriano ac aliis antiquissimis fastis martyrium eorum* tertio Kalendas Augusti *signatur? At quocumque modo ea se habeant, saltem ex hac clausula non improbabiliter colligimus, Actorum scriptorem post tempora Constantini Magni vixisse.*

& ante seculum nonum

13 *Aliunde autem patet, eadem Acta ante seculum* IX *scripta fuisse, cum Ado in Martyrologio suo illa sic contraxerit:* Romæ natale Abdon & Sennes subregulorum sub Decio imperatore: quos Decius in Cordula civitate Persarum sibi præsentari jussit; quibus & dixit: Sic stulti facti estis, ut non recordemini, quia non colentes deos traditi estis in manus Romanorum & nostras? Cui beatus Abdon: Magis nos victores facti sumus, Deo favente & Domino Jesu Christo, qui regnat in æternum. Jubente igitur Decio, vincti catenis recluſi sunt in arcta custodia. Tunc dixit Abdon ad Sennen: Ecce gloria, quam semper speravimus. Post menses quatuor veniens Decius Romam, & adducens secum beatos Abdon & Sennen catenis vinctos, jussit omnem senatum convocari & fecit conventum in Tellude cum Valeriano præfecto v Kalendas Augusti, & jussit sibi præsentari Abdon & Sennen maceratos diversis pœnis. Et dixit ad senatum: Dii deæque tradiderunt hostes ferociſſimos in manus nostras. Ecce inimici Reipublicæ & Romani imperii. D

14 Et introducti sunt ornati auro & lapide pretioso, vincti catenis; omnisque senatus mirari cœpit in aspectibus eorum. Et cum constanter Christum in conspectu eorum faterentur, Decius iratus jussit Valeriano præfecto, ut si non adorarent deum solem, ferarum morsibus interirent. Qui denudavit eos & duxit ante simulacrum solis juxta amphitheatrum, ut sacrificarent. Verùm illi contemnentes, exspuerunt in simulacrum solis. Tunc Valerianus jussit, ut plumbatis cæderentur. Deinde introducti in amphitheatrum, & dimissi sunt eis leones duo & ursi quatuor, qui rugientes venerunt ad pedes Sanctorum, & nullatenus recedentes custodiebant eos. Valerianus verò plenus furore, jussit gladiatores introire & Beatos subregulos interficere, & ligare pedes eorum, & ante simulacrum solis jactare, ubi jacuerunt corpora Sanctorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Quirinus Christianus subdiaconus, qui manebat juxta amphitheatrum, & collegit noctu corpora, & recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Kalendas Augusti, ubi latuerunt usque ad tempora Constantini. Tunc se referantes beati Martyres, levati sunt & translati in cœmeterio Pontiani. *Quicumque hoc compendium conferre voluerit cum Actis, post hunc commentarium exhibendis, prudenter dubitare non poterit, quin Ado eadem Acta aut plane similia pra oculis habuerit.* E

ut patet ex Adonis compendio,

15 *Nunc forte quispiam quæret, quid de his Actis judicemus. Cum semper desideremus Acta illustrium Martyrum defendere, quamdiu fieri potest, illæsa veritate, malumus alienis verbis, quam nostris istud judicium exprimere. Eminentissimus Baronius fatetur, hæc Acta* nonnihil corrupta *esse, quando in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 254 *num.* 27 *de his aliisque Martyribus Persis ita scribit:* Abusus est Decius, de Persis quam est consecutus Christiani hominis ope victoriam: nam eam diis acceptam ferens, in eorum contemptores Christianos acrius vindicavit, occisis, qui in ejus manus devenerant, Persis Christianis, Polychronio episcopo Babylonis, Parmenio, Elima, & Chrysotelo presbyteris, diaconis Luca & Mucio, virisque nobilissimis Maximo & Olympiade, ac demum post longa vincula Abdone & Sennen subregulis. Exstant horum Acta, sed nonnihil corrupta. F

juxta Baronium nonnihil corrupta sunt,

quam corruptionem aliqui critici

16 *Severiores quidam critici his Baronii dictis non acquiescunt, sed contendunt, Persicam Decii imperatoris expeditionem, cui hæc omnia innituntur, confictam esse. Audi inter illos eminentissimum Norisium, qui Dissertatione* 3 *de epochis Syro-Macedonum cap.* 10 *de hac re ita ratiocinatur:* Ceterùm illa Decii in Persas expeditio in Annales ecclesiasticos deportata est ex Actis, quæ præmittuntur narrationi martyrii S. Laurentii, quæ tamen eidem eruditissimo Baronio loco laudato num. XXVII nonnihil corrupta dicuntur, & in notis

A tis Martyrologii ad diem xxx Julii caſtigatione indigere fatetur. Initio Actorum cap. 1 dicitur Decius, victis acie Perſis, Babylonem, Bactrianam & Aſſyriam recuperaſſe, ac apud Babylonem templum Saturno ædificandum juſſiſſe, quo perfecto, Polychronius Babylonis epiſcopus, diis ibidem libare recuſans, neci traditus fuit, clero ejuſdem eccleſiæ in civitatem Cordubam tracto, ibique poſtea interfecto.

majorem faciunt,

17 Additur, Decium ex Perſide Romam Abdonem & Sennem Perſarum ſubregulos duxiſſe, eoſque ob Chriſti cultum interficiendos juſſiſſe, quibus paucos intra dies ſocios addidit ſanctos Sixtum Papam ac Laurentium. Denique dicitur Decius à dæmone correptus animam Romæ inter cruciatus exhalaſſe; quæ omnia plane fabuloſa ſunt: nam Sextus Rufus in Breviario accuratè bella à Romanis cum Perſis geſta recenſens, bello à Gordiano contra illos feliciter adminiſtrato addit alrerum poſtea à Valeriano contra eoſdem improſpere geſtum, quæ itidem ſcribit Eutropius libro IX, ita ut nulla uſquam legatur Decii contra Perſas expeditio.

B *dum Perſicam Decii imperatoris expeditionem negant,*

18 *Deinde ex epiſtolis S. Cypriani aliiſque antiquis ſcriptoribus probare nititur, Decium, qui ad ſummum duobus annis & aliquot menſibus imperavit, uſque ad annum Chriſti* 251 *Romæ manſiſſe, quando in Macedoniam aut vicinas regiones contra Priſcum imperii æmulum ac faventes illi Gothos profectus eſt, ubi ab hoſtibus victus occubuit. Tandem Noriſius poſt hæc argumenta ſic concludit:* Itaque fictitia eſt illa Decii in Perſas expeditio in memoratis Actis narrata, uti etiam perperam ibidem dicuntur Sixtus Papa ac Laurentius martyres ſub Decio occiſi, qui Valeriano auguſto imperante interfecti ſunt, uti etiam falſum eſt, Decium Romæ ſævam animam exhalaſſe, cum ille, ut, ceteris conſentientibus, ait Conſtantinus auguſtus in oratione ad Sanctorum cœtum cap. 24 in Scythicis campis unà cum omni exercitu proſtratus interierit.

ex qua cenſura ſequeretur,

19 *Juxta hanc Noriſii aliorumque cenſuram ſequeretur, nos nihil de his Martyribus tutò poſſe affirmare, niſi quod Florus in codice Atrebatenſi ac Tornacenſi ante tomum* II *Martii pag.* XXVII *ſic de illis tradit:* Romæ paſſio ſanctorum Abdon & Sennes, qui de Perſida Romam VENERUNT, & ſub Decio imperatore diverſis pœnis macerati,

C ad ultimum gladio interfecti ſunt. *Nota, Florum non dicere, quod illi Martyres à Decio Romam adducti ſint, ſed ita loqui, acſi ultro Romam venerint, ibique ab ethnicis detecti martyrium ſub Decio imperatore ſubierint. Neque ea peregrinatio Romana, à Perſis Chriſtianis ſuſcepta, exemplo caret: nam quoſdam Perſas orationis causâ Romam veniſſe legimus apud Florum, Adonem & Uſuardum, inter quos poſtremus ad diem* XX *Januarii ſic habet:* Viâ Corneliâ ſanctorum martyrum Marii & Marthæ cum filiis ſuis Audifax & Abacuc nobilium de Perſida, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudii principis: è quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignem, ungues, manuum præciſionem, Martha in Nympha necata, ceteri ſunt decollati, & corpora eorum incenſa.

magnam Actorum partem conflictam eſſe.

20 *Hinc etiam ſequeretur, Perſicam illam Decii expeditionem ab Actorum ſcriptore gratis excogitatam fuiſſe, ut inveniretur opportuna occaſio, qua* SS. Abdon & Sennen *ex tam longinqua regione Romam adducerentur. At tunc maxima Actorum pars falſa eſt, & corruit lectio Breviarii Romani, quæ hoc fundamento nititur, & quam hodiedum ita recitamus:* Abdon & Sennen Perſæ, AUCTORE G. C. Decio imperatore accuſati, quod corpora Chriſtianorum, quæ inhumata projiciebantur, in ſuo prædio ſepeliſſent, juſſu imperatoris comprehenduntur, & diis jubentur ſacrificare: quod cum facere negligerent, & Jeſum Chriſtum Deum conſtantiſſime prædicarent, traditos in arctam cuſtodiam, Romam poſtea rediens Decius vinctos duxit in triumpho. Qui cum in urbe ad ſimulacra attracti eſſent, ea deteſtati conſpuerunt. Quamobrem urſis ac leonibus objecti ſunt, quos feræ non audebant attingere. Demum gladiis trucidati, colligatis pedibus tracti ſunt ante ſolis ſimulacrum, quorum corpora clam inde aſportata Quirinus diaconus ſepelivit in ſuis ædibus.

Etſi Actorum ſcriptor ab omni errore eximi non poſſit,

21 *Ingenuè fatemur, hic nobis aquam hærere, cum antiqua monumenta, ab Adone viſa & contracta, tantæ falſitatis arguere non audeamus, & contrariis Noriſii argumentis planè ſatisfacere non poſſimus, Attamen nolumus tueri omnes Actorum circumſtantias, in quibus hinc inde manifeſti errores deteguntur. Sic Acta noſtra num.* 2 *innuunt, S. Sixtum Pontificem Romanum ſub Decio captum & martyrio affectum eſſe, cum tamen ſub imperatore Valeriano paſſus fuerit, ut ad diem* VI *Auguſti ſolidis argumentis poterit oſtendi. Occurrunt etiam alia nonnulla obſcura & corrupta, quæ in Annotatis obſervabimus. Quod ſi ſcriptor Actorum tam imperitè tempora confuderit, potuit etiam facilè commiſcere ea, quæ Decius ante & poſt adeptum imperium geſſit, qua de re jam conjecturam noſtram eruditis proponemus.*

tamen facilius excuſari aut explicari poteſt

22 *Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die* XVII *Februarii monet,* tempora Decii ſcriptorum inopiâ remanſiſſe obſcuriſſima, eaque tantùm de eo facta eſſe perſpicua, quæ de perſecutione ab ipſo in Chriſtianos excitata produnt Chriſtianorum ſcriptiones & Acta ſanctorum Martyrum. *Hæc monitio etiam obtinet in geſtis Decii, antequam ad imperatoriam dignitatem evecheretur, quæ nuſquam apud hiſtoricos diſtinctè exprimuntur. Nihilominus ex Sexto Aurelio Victore in Epitome de vita & moribus imperatorum Romanorum diſcimus, quod Decius eſſet* in armis promptiſſimus. *Idem auctor in Hiſtoria abbreviata de Cæſaribus indicat, quod* Decius Syrmienſium vico ortus, militiæ gradu ad imperium *aſcenderit. Imo Decium rei militaris peritiſſimum ac bello ſtrenuum fuiſſe ſatis patet ex eo, quod Philippus imperator illum invitum exercitui ſuo præfecerit, ut lib.* 1 *Hiſtoriarum narrat Zoſimus, qui ibidem addit, Decio à militibus imperium delatum eſſe, eo quod inter alia* uſu militari Philippum anteiret.

ſi Decius ante ſuſceptum imperium

23 *Cum igitur Decius tantâ rei militaris peritiâ præditus fuerit, non eſt improbabile, illum circa annum Chriſti* 243 *quamdam exercitûs Romani partem, in bello Perſico duxiſſe ſub imperatore Gordiano, qui adhuc juvenis ope ducum ſuorum varias de Perſis retulit victorias, ut Julius Capitolinus in Hiſtoria Auguſta pag.* 162 *teſtatur. Præterea non eſt à veroſimilitudine alienum, tunc aliquos Perſas à Decio captos eſſe, ac primores eorum Romam abductos fuiſſe, ut conſueto more augerent pompam triumphi, quem ſenatus Romanus jam Gordiano decreverat, ſicut idem Capitolinus loco proximè citato refert hoc modo:* His in ſenatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet.

cum imperatore Gordiano

24 *Interea Gordianus cum victricibus copiis Romam reverſurus interficitur inſidiis Philippi, qui juxta Zoſimum lib.* 1 *ſtatim imperium arripit,*

AUCTORE G. C.

& ſacramentis intervenientibus amicitiâ cum Sapore conſtitutâ, belloque ſopito, Romam proficiſcitur. *Facile autem fieri potuit, ut aliqui Perſæ captivi, præſertim Chriſtiani, qui jam Romam abducti fuerant, in ea urbe ultro manere voluerint, tum quòd ibi plures Chriſtianos invenirent, tum quòd liberius religionis ſuæ exercitium haberent ſub Philippo imperatore, quem varii antiqui ſcriptores Chriſtianum fuiſſe exiſtimant, & qui certè Chriſtianis favebat, ut colligitur ex S. Dionyſio Alexandrino ſynchrono, qui apud Euſebium in editione Valeſiana lib. 6 cap. 41 mortem Philippi ac Decii ſucceſſionem ita indicat:* Sed continuo imperii illius, (*ſcilicet Philippi*) erga nos benigniſſimi, mutatio nobis nuntiata eſt; & graviſſimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum imperatoris, *nempe Decii, qui terribilem contra Chriſti cultores perſecutionem movit, ut idem Sanctus ibi pluribus deſcribit.*

in Perſide victoriam obtinuerit, ut conjicimus;

B

25 *Jam autem ſupponamus, ex iſtis nobilibus Perſis* SS. Abdon & Sennen *ob memoratas rationes Romæ remanſiſſe uſque ad imperium Decii, qui anno Chriſti 249 Philippum occidit, & imperator factus* præ odio adverſus Philippum, perſecutionem intulit Eccleſiæ, *ut Euſebius lib. 6 cap. 39 loquitur. Nihil itaque mirum, ſi hos Perſas Chriſtianos, quos ante aliquot annos è Perſide Romam adduxerat, ſtatim comprehendi juſſerit, & martyrio affecerit. Hoc modo explicari poterunt Acta S. Polychronii, aliorumque Martyrum Perſarum, quos Decius in Oriente interfeciſſe traditur: potuit enim tunc victor & militiæ dux ſub Gordiano aliquos ſacerdotes & clericos, pleriſque popularibus ſuis inviſos, ſine illo metu occidere. Hoc pacto etiam utcumque poterunt conciliari Acta noſtra, ſi tantummodo dicamus, quod ſcriptor Actorum geſta Decii ducis & imperatoris miſcuerit, ſicut alibi tempora diverſa manifeſtè confudit, & martyrium S. Sixti Papæ ſub Valeriano præfecto collocat, quod Valeriano imperatori adſcribendum eſt. Tota hæc conjectura, ni fallimur, nec limites veroſimilitudinis excedit, nec veteri hiſtoriæ repugnat.*

& quam conjecturam confirmamus ex nummis,

C

26 *Quinimo ipſe Noriſius nobis ſuggerit materiam, qua conjecturam noſtram confirmemus: nam Diſſertatione tertia de epochis Syro-Macedonum exhibet nummos, quos anno Chriſti 250 in honorem Decii imperatoris cudit Colonia Rheſæneſiorum in Meſopotamia, quam Gordianus obtenta ibidem victoria contra Perſas maximè memorabilem reddidit, ut Julianus Apoſtata in oratione apud Ammianum Marcellinum lib. 23 cap. 5 teſtatur. Noriſius circa iſtos nummos ſibi ipſi hunc movet ſcrupulum:* Alterum rurſus dubium occurrit, nempe cur Rheſæneſii tot nummos uno eodemque anno CXVIII (*ſi hos annos 118 addas annis Urbis conditæ 885 vel Chriſti 132, quo Rheſæneſii in gratiam Hadriani imperatoris epocham ſuam inchoarunt, pervenies ad annum Urbis conditæ 1003 ſeu Chriſti 250*) imagine Decii, ac quoſdam etiam Herenniæ Etruſcillæ Auguſtæ uxoris, itemque utriuſque filii Decii cæſaris obſignaverint, cum hactenus rari ejuſdem urbis nummi alios cæſares repræſentantes, inventi fuerint? *Deinde refert opinionem Baronii, qui Decium imperatorem contra Perſas bellum geſſiſſe exiſtimat, eamque refellit, ut ſuperiùs à num. 16 vidimus.*

à Noriſio exhibitis,

27 *Denique Noriſius eamdem Diſſertationem ita concludit:* Itaque tot nummi apud Rheſænam uno eodemque anno ſcalpti fuerunt, non quòd ibidem bello Perſico urgente Decius ſubſtitit; ſed vel quia cives ab abſente imperatore novis beneficiis ornati fuerunt; vel quia legatus quipiam Meſopotamiæ apud Rheſænam, coloniam Romanam, forte degens, tot numiſmata in honorem Decii ac totius domus Auguſtæ obſignanda curavit. *At ſi Noriſio licuit has cuſorum nummorum ratiunculas divinando allegare, cur nobis non licebit conjicere, quod Rheſaneſii voluerint commemorare victorias, non ita pridem à Decio copiarum duce circa urbem ſuam de Perſis relatas, ut hac adulatione gratiam novi imperatoris aucuparentur? Ne autem hæc conjectura omnino gratis excogitata videatur, ipſas nummorum inſcriptiones ac imagines accuratè exponemus.*

D

qui Rheſanæ in Meſopotamia

28 *Noriſius in anteriore ſui nummi parte exhibet caput laureâ redimitum, in cujus circulo leguntur hi characteres Græci:* ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΓΑΙ. ΜΕC. ΚΥ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟC. CΕΒ. *id eſt* IMPERATOR CÆSAR CAJUS MESSIUS QUINTUS TRAIANUS DECIUS AUGUSTUS. *In poſteriore ejuſdem nummi parte repræſentatur mulier capite turrito, inſidens ſcopulis: ſpicas tenet dextrâ, monticulis verò innititur ſiniſtrâ. Superius autem cernitur aquila, quæ coronam lauream roſtro geſtat: inferiùs autem eſt fluvius, ex quo quidam emergere videtur. Græca epigraphe hic ita habet:* CΕΠ. ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ L. ΗΙΡ. *Hoc eſt* SEPTIMIORUM RHESÆNESIORUM ANNO CXVIII, *ut Noriſius explicat, qui Græcas illas litteras* ΗΙΡ *vult eſſe numerales. At alii hos poſtremos characteres paulo aliter exprimunt, ſumuntque etiam litteras* ΠΡ. *pro initialibus vocis* ΠΡΩΤΟC *id eſt* primus, *ita ut ſignificent, nummos illos anno primo imperii Deciani cuſos fuiſſe. Sed nihil hîc noſtra intereſt, ſive ad primum Decii annum ſpectent, ſive ad annum Chriſti 250, prout ſupra computavimus. Ceterum Anſelmus Bandurus in Numiſmatibus imperatorum Romanorum tomo 1 pag. 16 notat, Rheſaneſios à fundatore ſuo nomen Septimiorum aſſumpſiſſe. In aliis ejuſdem temporis nummis civitatem ſuam appellant coloniam Septimiam, ut jam videbimus.*

E

ad honorem Decii

29 *Joannes Triſtanus tomo 2 Imperii metallici pag. 588 & ſequente profert tres alios Rheſaneſiorum nummos, quorum unum brevitatis causâ hîc dumtaxat explicabimus. Ex una parte exhibetur caput Decii coronâ radiatâ cinctum, & humeris annexum eſt paludamentum cum hac inſcriptione:* ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕ. Κ. ΤΡΑΙΑ. ΔΕΚΙΟ. CΕΒ. *id eſt juxta ipſius explicationem:* IMPERATOR CÆSAR GNÆUS MESSIUS QUINTUS TRAIANUS DECIUS AUGUSTUS. *In altera nummi parte repræſentatur mulier cum modio ſtans, & dextrâ pateram tenens, ac ſiniſtra cornu copiæ, ut communiter appellatur. Ante pedes à dextris eſt ara ignita, ex cujus infima parte prodit palmæ ramus. Cernitur à dextris in area aquila alis expanſis coronam lauream tenens roſtro, & palmæ ramo inſiſtens. Hîc verò talis epigraphe circumſcribitur:* CΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ L. ΠΡ. *Id eſt, ut Triſtanus interpretatur:* SEPTIMIA COLONIA RHESÆNESIORUM ANNO PRIMO.

F

cum victoriæ ſignis cuſi fuerunt.

30 *At quorſum, inquies, hæc omnia tam ſcrupulosè deſcribuntur? Quid hæ effigies ad quæſtionem pertinent? Reſpondeo, nos ex his imaginibus conjicere, quod Rheſaneſii his nummis aliquam Decii victoriam voluerint indicare: quid enim aliud ſignificarent tot palmæ & lauri, quæ etiam in aliis eorum nummis exprimuntur? Neque ab hac explicatione noſtra abhorret Bandurus, dum in Numiſmatibus imperatorum Romanorum tomo 1 pag. 16 ad hunc poſteriorem nummum ſic notat:*

Mu-

A Mulierem autem in hoc nummo expreſſam, alii Iſidem putant eſſe, alii urbis genium pro Decio ſacra facientem; unde victoria deorum auxilio indicatur per palmam ex aræ imo exſurgentem. *Quod ſi lauri & palmæ ſigna ſint adeptæ victoriæ, qualem victoriam, obſecro, Decius primo imperii ſui anno vel Chriſti 250 de hoſtibus reportavit? Si igitur hi nummi, anno Decii primo vel Chriſti 250 cuſi, indicent victorias ante ſuſceptum imperium à Decio obtentas, nonne eos veroſimilius interpretabimur de victoria circa Rheſænam contra Perſas relata, quam illa Romanorum colonia ante paucos annos viderat, & jam Decio novo ſuo imperatori gratulatur? Has conjecturas ad Acta noſtra utcumque conſervanda propoſuimus, liberum de iis judicium eruditis lectoribus relinquentes.*

§ III. Variæ horum Sanctorum reliquiæ, earumque tranſlationes.

B

Corpora horum Martyrum, quæ Florentiam

EX ſupra allato Actorum fragmento & compendio Adonis ſcimus, corpora SS. Abdon & Sennen *in domo Quirini ſubdiaconi latuiſſe uſque ad tempora Conſtantini Magni, quando ad cœmeterium Pontiani tranſlata ſunt. Non eſt omnino certum, quamdiu ſacra iſta corpora in cœmeterio illo quieverint: nam ſi credamus Actis quibuſdam S. Zenobii, epiſcopi Florentini, eaque ſtrictè intelligamus, ſacer ille theſaurus poſt medium ſeculi* IV *Florentiam tranſlatus eſt, quandoquidem in Vita S. Zenobii, per Joannem archipresbyterum Aretinum ſcripta, apud Surium die* XXV *Maii hæc legimus:* Sed redeamus ad Zenobium noſtrum, cui Papa Damaſus præclarum munus, DUO CORPORA ſanctorum videlicet Abdon & Sennen dono dedit, quaſi mutuæ inter ſe amicitiæ futurum poſteris monumentum: quæ in majori eccleſia, videlicet ſancti Salvatoris, ſub altari Zenobius capsâ plumbeâ collocavit.

à ſancto Zenobio tranſlata dicuntur,

32 *Verùm antiquiora S. Zenobii Acta, quæ ad diem* XXV *Maii edidimus, de tranſlatis illorum Sanctorum corporibus non meminerunt. Propterea tamen non inficior, aliquas* SS. Abdon & Sennen *reliquias in eccleſia Florentina conſervari, cum ea anno* 1584 *inſpectæ & recognitæ fuerint, ut apud nos tomo* VI *Maii pag. 66 ex fide dignis inſtrumentis refertur, & ubi lipſanotheca ſic deſcribitur:* Ex latere ipſius capſæ erat capſella plumbea ferruminata & religata, in qua repertæ ſunt reliquiæ ſanctorum Creſcentii & Eugenii ſociorum S. Zenobii, & SS. Abdonis atque Zennen martyrum *&c. Franciſcus Cionacci in opuſculo Italico de reliquiis metropolitanæ eccleſiæ Florentinæ aſſerit, memoratam capſulam intra altare ſanctæ crucis inventam eſſe cum hac epigraphe:* RELIQUIÆ SANCTORUM EUGENII ET CRESCENTII, ET SS. ABDON ET SENNEN MARTYRUM, ET ALIORUM SANCTORUM. *Ex hac ipſa inſcriptione & præfatæ capſulæ parvitate colligo, Joannem Aretinum in Vita S. Zenobii more ſatis apud hagiologos uſitato totum pro parte ſcripſiſſe, & arbitror, Florentinos non niſi aliqua horum Martyrum oſſa ſibi vindicare.*

C

majori ex parte adhuc Romæ conſervantur,

33 *Hanc opinionem meam confirmat pervetuſtus bibliothecæ Vallicellenſis codex, qui apud Aringhum tomo* I *Romæ ſubterraneæ lib. 2 cap. 19 pag. 363 poſt narratam eorumdem ſanctorum Martyrum in cœmeterio Pontiani ſepulturam ſubnectit ſequentia:* Poſtea verò Gregorius Papa tranſtulit ea inde intra Urbem in baſilicam S. Marci Papæ, & ibi honorificè collocavit; in quo loco multa beneficia exuberant uſque in hodiernum diem. *Aringhus ibidem hanc tranſlationem non ſine fundamento adſcribit Gregorio IV Pontifici, qui S. Marci eccleſiam ante medium ſeculi* IX *inſtauravit, ac variis donis ornavit, ut Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitis Romanorum Pontificum cap. 103 teſtatur. Pancirolus in Theſauris abſconditis urbis Romanæ pag. 837 & ſequente tranſlationes illas multiplicat atque aliter recenſet; ſed cum nullos aſſertionis ſuæ teſtes citet, & aſſentiatur reliquis Romanis ſcriptoribus, qui majorem iſtorum corporum partem hactenus in eccleſia S. Marci Papæ annua feſtivitate honorari aſſerunt, diutius hîc nos morari non debet, His adde Wilhelmum Malmesburienſem, qui lib. 4 de geſtis regum Anglorum cap. 2 ſcribit, ſua ætate* SS. Abdon & Sennen *cum aliis Sanctis in eccleſia prope portam Portuenſem conſervari. Hinc patet, S. Zenobium integra horum Martyrum corpora Florentiam non tranſtuliſſe, & à Florentinis partem pro toto accipiendam eſſe, quod etiam ſentiendum eſt de reliquis eorumdem ſacrorum corporum competitoribus, quos jam enumerabo.*

AUCTORE G. C.

E

etſi quædam Italiæ urbes eadem ſibi vindicent.

34 *Jacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 6 cap. 5 poſt narratum* SS. Abdon & Sennen *martyrium hæc ſubdit:* Eorum veneranda ſiquidem corpora Româ Ticinum delata, in ſancta Maria Nova tumulantur. *Ughellus tomo 2 Italiæ ſacræ in noviſſima editione Veneta col. 142 agens de cathedrali templo Parmenſi inter alia ſic ſcribit:* In eo requieſcere pia Parmenſium devotio vetuſtaque memoria narrat, corpora SS. Herculani patroni, qui in portu Romano die V Septembris martyrio coronatus eſt, Joannis Calibitæ, Pudentianæ, Abdon & Sennen *&c. Sed Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXX *Julii poſt prolatum Actorum compendium prudenter hæc annotavit:* Corpora horum ſanctorum Martyrum Parmæ in eccleſia cathedrali aſſervantur, ut tabulæ ejuſdem eccleſiæ docent. Eadem Romæ in baſilica S. Marci, & Ticini in æde S. Euſebii quieſcere putantur; quod [non] niſi ſecundùm partem eſſe poteſt. *Haud dubie ſic etiam locutus fuiſſet, ſi vidiſſet diploma ſeculi* XI, *in quo monachis Amiatinis diœceſis Cluſinæ apud Ughellum tomo 3 Italiæ ſacræ in proxime memorata editione col. 624 corpora eorumdem Martyrum ſic rotundè tribuuntur:* In altari S. Marci infra columnas corpus ipſius, & corpora SS. Abdon & Sennen, & reliquiæ S. Martini. *Idem ſentiendum eſt de corpore S. Abdon, quod Ludovicus Vedrianus in Monumentis Sanctorum Mutinenſium pag. 121 & ſequente apud monachos Benedictinos Mutinæ in eccleſia S. Petri honorificè conſervari affirmat. Nunc tranſeamus ad Gallos, qui eadem ſacra corpora ſibi vindicant.*

F

Vetus Breviarium Pariſienſe,

35 *Sueſſionenſes S. Medardi cœnobitæ à multis ſeculis tam firmiter putarunt, corpora* SS. Abdon & Sennen *ad monaſterium ſuum delata fuiſſe, ut ea tranſlatio in Breviario Pariſienſi anni 1636 poſt Actorum ſynopſin die* XXX *Julii ſic legeretur:* Quorum corpora clam inde aſportata Quirinus diaconus ſepelivit in ſuis ædibus; è quibus deinde, micantibus prodigiis, ad venerationem levata, demum in Galliam tranſlata ſunt, atque Sueſſione in ſanctuario celebris eccleſiæ ſancti Medardi multa honorificatione repoſita: unde exturbata ab hæreticis, labente ſuperiore ſeculo, impiè exuſta ſunt; ſed non ſine divinæ gloriæ & juſtitiæ adverſus ſacrilegos oſtenſione, ſicut in Martyrologio Galliæ plenius enarratur.

AUCTORE G. C. *& Martyrologium Gallicanum,*

36 *Suſpicor, hîc aſſignari Martyrologium Gallicanum Sauſſayi, quod ad diem* XXIV *Martii ſic habet:* Suellione ſuſceptio reliquiarum ſanctorum Abdon & Sennen martyrum, quæ Româ in Gallias ſub Ludovico Pio delatæ, illic in baſilica ſancti Medardi cum nonnullis pretioſis cælitum exuviis digno cultu repoſitæ & diu conſervatæ ſunt, donec hagiomachorum modernorum impio furore è ſacrario cœnobii prædicti dejectæ, atque in rogo, quem illi in gremio eccleſiæ accenderant impii, cum triginta circiter aliorum Beatorum corporibus fuerunt concrematæ. At non ſecus ac thus in igne ſuaviſſimum odorem emiſerunt, cujus fragrantiam orthodoxi eximio ſolatio perſenſêre; hæretici verò econtra tanto fœtore inde affecti ſunt, ut nonnulli excedere properè coacti ſint. Unus etiam in divinæ ultionis indicium peſtilenti ulcere illico in gutture percuſſus, paucis pòſt horis ejulans & deſperans miſerè exſtinctus eſt.

in quibus eadem corpora Sueſſione in Gallia quieviſſe narrantur, B

37 *Facilè credo, ſacrilegos iſtos rerum ſacrarum vaſtatores juſto Dei judicio publicè punitos fuiſſe; ſed miror, corpora* SS. Abdon *&* Sennen *aliorumque Sanctorum hîc utrobique tam rotundè appellari, acſi ea in Sueſſionenſi S. Medardi monaſterio integra fuiſſent, cum tamen aliæ eccleſiæ maximam illorum partem potiori jure ſibi vindicent, & forſan Sueſſione exiguæ eorum reliquiæ fuerint. Tota hæc Medardenſium Benedictinorum perſuaſio nititur quadam narratione, quam nos olim ex Ms. codice Veſontionenſi S. Stephani deſcriptam accepimus, & quam poſtea Mabillonius Actis Sanctorum ordinis Benedictini ſeculo* IV *part.* I *à pag.* 411 *inſcruit. Iſtius autem narrationis hic eſt titulus:* Incipit epiſtola Odilonis ad Ingrannum de adventu & ſuſceptione corporum ſanctorum martyrum Tiburtii, Marcellini & Petri, Marcelliani & Marci, Proti & Hyacinthi, Marii & Marthæ, Audifax & Abacuc, Abdonis & Sennis, quæ eſt pridie Idus Julii.

non videntur ſolido fundamento niti.

38 *Papebrochius noſter tomo* I *Junii à pag.* 206 *occaſione tranſlationis SS. Marcellini & Petri epiſtolam illam fictionis arguit, eamque pluribus argumentis convellit. Imo ipſe epiſtolæ auctor ſatis indicat, ſuo tempore de his reliquiis dubitatum fuiſſe, dum paulo poſt initium ita ſcribit:* Proinde quia multi multa loquuntur de beatorum Marcellini & Petri, Marcelliani, Marci, Proti & C Hyacinthi, Marii & Marthæ, Audifax & Abacuc, Abdonis, Sennis martyrum tranſlatione ab urbe Roma in Gallias, & repauſationis eorum locum vel ſe neſcire diſſimulant, & negligenter diſſimulando invidioſe abnegant, operæ pretium fuit, ut de tantorum corporali præſentia Chriſti militum & veritas rei ambiguæ ſatisfaceret, & dubitantium fides ad amorem Martyrum credendo in melius proficeret. *Reliqua videri poſſunt apud Mabillonium loco proximè citato, qui non videtur eam epiſtolam magni feciſſe, ut ex ſequentibus apparebit.*

Arulenſes cœnobitæ in Ruſcinone

39 *Arulenſe monaſterium, in Comitatu Ruſcinonenſi non procul à limitibus Catalauniæ ad montes Pyrenæos ſitum, etiam gloriatur, ſeſe jam à multis ſeculis corpora* SS. Abdon *&* Sennen *ex urbe Romana accepiſſe. Eruditiſſimus Baluzius in Appendice ad Marcam Hiſpanicam à col.* 1449 *nobis* ex veteri membrana Arulenſi *exhibet ſatis longam & miram hujus tranſlationis hiſtoriam, cui talem monitionem præmittit:* Cum invenire non poſſem tempus, quo vixit Arnulfus abbas Arulenſis, ac propterea difficile eſſet certè definire, quando gentium facta ſit iſta tranſlatio; nolem autem pro veris ea amplecti, quæ de illa leguntur in Martyrologio Hiſpano, ubi ad diem XXX Julii iſta dicuntur eveniſſe tempore Karoli M. imperatoris, malui narrationem iſtam ponere extra ordinem in calce hujus appendicis, quam eam in loco fortaſſe non ſuo collocare. D

jam à ſeptingentis annis ſibi adſcripſerunt corpora SS. Abdon & Sennen,

40 Ceterùm illam eſſe antiquam facile colligitur ex titulis CXLIII & CCXVI ejuſdem appendicis, ex quibus conſtat creditum fuiſſe ævo Roberti & Henrici regum Franciæ, corpora ſanctorum Abdon & Sennen cuſtodita fuiſſe in monaſterio Arulenſi. Contrà in actis conſecrationis eccleſiæ ſancti Salvatoris de monte Amiato in diœceſi Cluſina reperio eos, qui conſecrationem illam peregerunt anno MXXXVI, adnotaſſe in altari ſancti Martini (*utraque Ughelliana editio habet* S. Marci) poſita fuiſſe corpora ſanctorum Abdon & Sennen .... Eadem ſe habere putant Parmenſes in eccleſia ſua cathedrali, ut tradit Ughellus. Monumenta monaſterii Arulenſis mihi videntur eſſe certiora. *Tunc ſequitur ipſa tranſlationis narratio, quam nos poſt hunc Commentarium prævium ipſis ſanctorum Martyrum Actis ſubnectemus.* E

ut ex antiquis inſtrumentis patet,

41 *Inſtrumenta, quæ Baluzius hîc pro antiqua monaſterii Arulenſis poſſeſſione citat, in eadem Appendice Marcæ Hiſpanicæ à col.* 948 *&* 1063 *apud ipſum inveniuntur. In priori, quod anno Chriſti* 994 *factum eſt, dicuntur teſtes in eccleſia* ſupra ſanctos martyres Abdon & Sennen *juraſſe, ut rei cujuſdam veritatem probarent. In altero, quod anno Chriſti* 1036 *datum eſt, ita legitur:* Ego Willelmus gratiâ Dei comes ſimul cum conjuge mea ac filio, auditâ querelâ, redigo in poteſtate Domini ſanctæque Mariæ cœnobii Arulenſis præfatam hereditatem jure perpetuo integriter poſſidendam: nempe & ipſam tertiam partem prædictæ hereditatis, quæ ſecundùm conſuetudinem noſtræ terræ mihi jure debetur, dono Domino meo corporibuſque ſanctis, qui * in præ- ** lege quæ*
libato quieſcunt monaſterio, quorum glorioſa nomina ſunt Abdon videlicet & Sennen, ut jure perpetuo integriter poſſideant ſupra annotatam tertiam partem, ut perpetualiter per unumquemque annum ex frugibus ſeu ſervitiis & redibitionibus ante prædicta Sanctorum corpora luminaria accendantur aſſiduè. *Edmundus Martene in Theſauro novo anecdotorum tomo* I *col.* 155 *nuper hoc idem poſterius diploma* ex autographo Arulenſi *etiam edidit.* F

& Mabillonius

42 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 796 *lib.* 26 *num.* 56 *agens de monaſterio Arulenſi eamdem ſacrarum reliquiarum tranſlationem ita memorat:* Iſtuc ab Arnulfo abbate tranſlata dicuntur ex urbe Roma corpora ſanctorum Abdon & Sennen, eruta ex cœmeterio baſilicæ ſancti Laurentii extramuranæ: cujus rei narratio, chronologicis deſtituta notis, cui tempori aſſignanda ſit, incertum. Neque id erui poteſt ex epitaphio Arnulfi abbatis, qui has reliquias Româ attuliſſe & IX Kalendas Novembris deceſſiſſe perhibetur. Huc tamen ſcitè obſervat eruditus Baluzius, antiquam eſſe hanc tranſlationem, uti colligitur ex diplomatis Roberti & Henrici regum Franciæ, in quibus pro certo habetur, corpora ſanctorum Abdon & Sennen tunc cuſtodita fuiſſe in monaſterio Arulenſi, tametſi eccleſia ſancti Salvatoris de monte Amiato in diœceſi Cluſina, & Parmenſis eccleſia cathedralis ea ſe poſſidere gloriantur, uti & Sueſſionenſe S. Medardi cœnobium. *Si Mabillonius ſupradictam Odilonis epiſtolam judicaſſet genuinam, plura pro Sueſſionenſibus eorumdem Martyrum corporibus dixiſſet.*

43 *Duo*

A

ac duo recentiores Benedictini fatentur.

43 *Duo Benedictini ex congregatione S. Mauri in Itinere ſuo litterario, quod Pariſiis anno* 1717 *Gallicè ediderunt, part.* 2 *pag.* 61 *fatentur, ſe non ita pridem in monaſterio Arulenſi inveniſſe inſtrumenta, ex quibus probatur, illic à ſeptingentis & amplius annis creditum fuiſſe, quod ibi corpora* SS. Abdon & Sennen *exſiſtant. Præterea tamquam teſtes oculati affirmant, in introitu eccleſiæ Arulenſis cerni ſepulcrum lapideum, in quo dicuntur hi ſancti Martyres antea requieviſſe, atque iſtud ſepulcrum, quatuor columnis innixum, ita ut terram non tangat, prodigioſo modo ſemper plenum aquâ reperiri. Addunt, quod populus per exiguum foramen linteola in hanc aquam intingat, ut ea poſtmodum ægrotis admoveantur: ex quo ſequitur effectus, inquiunt, quem fides eorum meretur.*

De tranſlatione illorum corporum ad monaſterium Arulenſe

B

44 *Jam ſupereſt, ut aliquid præmoneamus de prodigioſa iſtius tranſlationis hiſtoria, cujus ſcriptorem & ætatem ignoramus. Antonius Vincentius Domenec ex Ordine Prædicatorum in Hiſtoria generali Sanctorum Catalauniæ ad diem* XXX *Julii à fol.* 69 *verſo, veroſimiliter ex Latino Ms. Arulenſi, Hiſpanicè edidit miracula, quæ in ea tranſlatione contigerunt. Hiſce adjungit nonnulla recentiora, quæ à cordatis viris faciliorem fidem impetrabunt, cum non ſint adeo ſtupenda, & ob expreſſas rerum circumſtantias credibiliora reddantur: nam inter alia refert, abbatem Arulenſem anno* 1492 *à conſulibus Perpinianenſibus in magna ſiccitatis calamitate rogatum fuiſſe, ut reliquias* SS. Abdon & Sennen *Perpinianum ad tempus transferri permitteret, illiſque eò devotè tranſlatis, ſtatim uberem aquarum copiam impetratam eſſe. Deinde addit, cives Perpinianenſes anno* 1519 *iterum ſimili beneficio affectos fuiſſe, & incolas Arulenſes in nimia terræ ſiccitate eamdem Sanctorum interceſſionem ſæpius experiri. Denique narrat, quoſdam ægros pia horum Martyrum invocatione ſubitò priſtinæ ſanitati reſtitutos fuiſſe.*

& de quibuſdam miraculis aliqua præmonemus.

C

45 *Antonius de Yepes in Chronico generali Ordinis S. Benedicti tomo* 3 *centuria* 3 *fol.* 266 *ad annum Chriſti* 778 *judicat, hæc omnia miracula non habere æqualem certitudinem, ſignificatque, Hiſpanicam illam miraculorum collectionem ſibi magis placituram fuiſſe, ſi Antonius Vincentius Domenec pauciora & meliora ex iis elegiſſet. Arbitror, Yepeſium ita pronuntiaſſe propter antiquiora prodigia, quæ in ipſa tranſlatione evenerunt, & quæ tamen in Ms. codice Arulenſi leguntur: recentiora enim civitati Perpinianenſi ac toti provinciæ Ruſcinonenſi nota eſſe potuerunt, & forte illic authenticis teſtimoniis confirmantur. Quidquid ſit, Antonius Vincentius Domenec opus ſuum ex variis auctoribus & archivis ſedulò collegit, ita ut de bona illius fide non dubitemus. Attamen ob rationes ſupra allegatas ei conſentire non poſſumus, dum fol.* 70 *memorati operis dicit, Arnulfum abbatem Arulenſem* corpora integra ſanctorum regum Abdon & Sennen *à Pontifice Romano accepiſſe. Porro judicium Yepeſii de ſtupendis miraculis nec probare nec improbare audemus. Judicet de iis ipſe lector, cui nunc primùm Acta horum ſanctorum Martyrum ac deinde Arulenſem tranſlationis hiſtoriam exhibebimus.*

Ex Mss.

ACTA

auctore anonymo.

Ex Ms. Fuldenſi, quod cum aliis collatum eſt.

EO *a* tempore cœpit Decius curioſe quærere Chriſtianos, & miſit auctoritatem ſuam in univerſam Perſidam *b*. Tunc quia non potuerunt abſcondi lucernæ lucentes ſub modio, poſitæ ſunt ſuper candelabrum, ut lucerent omnibus, qui in domo Domini ſunt. Tunc venerunt ad eum pagani & dixerunt ei: Ecce quibus in victoria tua ſanguinem redonaſti, corpora Chriſtianorum colligunt, & in prædio ſuo recondunt, & nec diis humiliantur, nec præcepta tua ſequuntur, ut ſacrificiis honorentur. Decius dixit: Qui ſunt iſti profani? Dictum eſt: Abdo & Sennes. Eadem hora juſſit Decius præſentari ſibi Abdon & Sennem, qui dum veniſſent ante conſpectum Decii, dicit eis: Sic & vos ſtulti facti eſtis? Vel hoc recordamini, quia non colentes deos traditi eſtis in manus Romanorum & noſtras. Reſpondit Abdo: Magis nos victores facti ſumus, Deo favente & Domino Jeſu Chriſto, qui regnat in æternum. Decius iratus dixit: Neſcitis quia vita veſtra in manu mea humiliatur? Reſpondit Abdo & dixit: Nos Deo Patri & Domino Jeſu Chriſto humiliamur, qui pro noſtra ſalute dignatus eſt ad terram venire & humiliari. Tunc juſſit eos Decius in arcta cuſtodia recludi vinctos catenis. Tunc dixit Abdo ad Sennem: Ecce gloria, quam ſemper ſperavimus à Domino *c*.

Decius SS. Abdon & Sennen ex Perſide

a

b

E

c

Romam adducit,

d

2 Eodem tempore nuntiatum eſt Decio, eo quod Galba *d* mortuus fuiſſet: & pergit Romam. Veniens autem Decius Romam poſt menſes quatuor & ſecum adducens beatiſſimos ſubregulos Abdon & Sennem catenis vinctos pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti [eos ſervavit] pro gloria, eo quod nobiles eſſent, ad ſpectaculum Romanorum. Juſſit Valerianus omnes Chriſtianos publica auctoritate teneri & recludi. Eodem tempore tenuit beatiſſimum ſenem Xixtum Epiſcopum Romanorum *e* cum omni clero ſuo, & recludit eos in cuſtodia publica & fuerunt clauſi multis diebus. Tunc veniebant ad eos multi Chriſtiani, ut benedictionem ab eis acciperent ſacramenti: quia tempus perſecutionis urgebat; & ſic in cuſtodiam veniebant & deferebant [filios *f*] ſuos & propinquos ex paganis, & baptizabantur à beato Sixto Epiſcopo.

F

e

f

3 Tunc Decius juſſit omnem ſenatum convocari; & fecit conventum cum Valeriano præfecto *g* quinto Kalendas Auguſti, & conſtituto facto, juſſit ſibi Decius præſentari Abdon & Sennem ſubregulos Chriſtianos, quos de Perſida adduxerat, maceratos diverſis pœnis, & dixit Decius ad Senatum: Audiat cœtus veſter, patres conſcripti, dii deæque tradiderunt hoſtes ferociſſimos in manus noſtras: ecce inimici reipublicæ & Romani imperii. Et introducti ſunt ornati ex auro & lapide pretioſo vincti catenis; quos cum vidiſſet omnis ſenatus, mirari cœperunt in aſpectibus eorum. Tantam enim gratiam contulit Dominus Servis ſuis, ut magis dolor eſſet in amore eorum, quam furor.

qui in ſenatum deducti,

g

4 Tunc juſſit Decius abduci Claudium pontifi-

EX MSS. & variis modis frustra tentati,

cem Capitolii, & pontifex Claudius detulit secum tripodam, & dicit Decius Cæsar ad Abdon & Sennem: Sacrificate diis & estote subreguli Romanæ libertatis, & possidete omnia nostra & pacem Romani imperii, augemini divitiis & facultatibus & honoribus, & consulite vobismet ipsis. Respondérunt Abdo & Sennen: Nos immeriti & peccatores semel nos obtulimus Domino Jesu Christo oblationem & sacrificium, non diis tuis sacrificia. Decius dixit: Istis acerrima tormenta paranda sunt, & jussit Decius ursos feroces & leones parari. Dixit Abdo & Sennes: Quid tardas? Fac quod putas: nos securi sumus de Domino nostro Jesu Christo, qui potens est omnia cogitamenta tua & teipsum destruere.

ut diis sacrificarent, *al. sessionem i

5 Alia die venerunt & nuntiaverunt Decio, quia ursi & leones in caveis mortui fuissent; Decius autem iratus jussit sibi editionem * *i* in amphitheatro parari: & factum est, cum venissent ad amphitheatrum, noluit Decius introire; sed jussit Valeriano præfecto dicens: Si non adoraverint Deum solem, ferarum morsibus lacerati intereant. Tunc Valerianus dixit ad Abdon & Sennem: Consulite natalibus vestris & thurificate Deo Soli; quod si non feceritis, peribitis à morsibus ferarum. Responderunt Abdo & Sennes dicentes: Jam diximus tibi: Nos Dominum Jesum Christum adoramus. Nam manufactis simulacris numquam humiliamur. Eadem hora denudavit eos, & furore repletus duxit eos ante simulacrum solis juxta amphitheatrum, & præcepit militibus, ut compellerent eos ad sacrificium. Illi autem contemnentes exspuerunt in simulacrum, & dixerunt ad Valerianum beatissimi Abdo & Sennes, Jam fac, quod facturus es.

B

primùm feris objiciuntur, quæ eos non læserunt,

6 Tunc jussit Valerianus sub voce præconia, ut cum plumbatis cæderentur, dicens: Deos blasphemare nolite: & jussit eos introduci in amphitheatrum, ut ferarum morsibus consumerentur. Et cum ingressi fuissent, responderunt in conspectu Valeriani, dicentes Abdo & Sennes: In nomine Domini nostri Jesu Christi introimus ad coronam, qui interdicat tibi, immunde spiritus, & facto signo crucis, introierunt in amphitheatrum; qui cum introissent in conspectu Valeriani nudo corpore, tamen induti corpore Christi, dicit Valerianus: Dimittantur leones duo, ursi quatuor *k*: qui dum dimissi fuissent, venerunt rugientes ad pedes sanctorum Abdo & Sennes, & nullatenus recedebant à pedibus eorum, sed magis custodiebant eos. Dixit Valerianus: Magica apparuit ars eorum; & nemo poterat ad eos accedere propter impetum ferarum.

k

C

ac demum tridentibus interficiuntur. *l*

7 Valerianus furore plenus jussit, ut gladiatores introirent cum tribus dentibus *l* gladiatorum, & ipsi eos interficerent; qui cum percussi fuissent, ligaverunt pedes eorum ex jussu Valeriani & traxerunt & jactaverunt eos ante simulacrum solis juxta amphitheatrum, & jacuerunt corpora ad exemplum Christianorum tribus diebus. Pòst triduo venit quidam Quirinus Christianus subdiaconus, qui manebat ibidem juxta amphitheatrum, & collegit noctu corpora & recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Kalendas Augusti *m*. Postea verò latuerunt corpora sanctorum Abdo & Sennes martyrum multos annos usque ad tempora Constantini; de qua re factum est, ut ipsos beatos Martyres, [locum] revelantes [invenerint] temporibus Constantini, jam Christiani. [Tunc] levata sunt corpora sancta, & translata sunt in cœmeterio Pontiani.

m

ANNOTATA.

D

a *In aliis Actorum apographis legitur* eodem tempore; *quia illis præfixum erat martyrium SS. Polychronii & sociorum, sicuti etiam fit apud Surium in Actis S. Laurentii ad diem* 10 *Augusti. Etsi autem hæc nostra sic incipiant, videtur tamen in codice Fuldensi præcessisse idem S. Polychronii martyrium, quod majores nostri ad diem* 17 *Februarii ediderunt.*

b *Est hyperbole: nam Romani circa hæc tempora universam Persidem non subjugarunt; sed recuperarunt aut ceperunt nonnullas urbes, quas Persæ antea suo dominio subjecerant.*

c *Hìc sequebantur in apographo nostro brevia SS. Olympiadis & Maximi Acta, quæ omitto, quia ad diem* 15 *Aprilis ea dedimus.*

d *Non existimo, scriptorem Actorum adeo fuisse chronologiæ imperitum, ut voluerit indicare Galbam imperatorem, qui primo Christi seculo obiit. Antonius Vincentius Domenec in Hispanicis horum Martyrum Actis dicit, Galbam istum fuisse senatorem, quem Decius contra Persas proficiscens vicarium Romæ reliquerit. Sed nescio, qua auctoritate id affirmet, cum apud antiquos historicos hoc tempore nusquam hujusmodi Galba inveniatur. Quid si librarius aut ipse auctor per oscitantiam scripserit Galbam pro Gordiano? In hac hypothesi confirmaretur conjectura, quam in Commentario prævio proposuimus.*

E

e *Hunc anachronismum in Commentario prævio observavimus, & ad diem* 6 *Augusti plura de eo dici poterunt.*

f *Hanc vocem, quæ in ecgrapho nostro deerat; ex Ms. Audomarensi supplevi.*

g *Is verosimiliter est ille Valerianus, qui post Decium imperio præfuit, & de quo Trebellius Pollio in Historia Augusta pag.* 173 *ita scribit:* Valerianus imperator, nobilis genere, patre Valerio, censor antea, & per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens, cujus per annos septuaginta vita laudabilis in eam conscenderat gloriam, ut per omnes honores & magistratus insigniter gestos imperator fieret.

h *Antiquitus apud Romanos varii fuerunt hujus nominis pontifices ethnici; sed nullum inveni, qui tempore Decii ita vocabatur.*

F

i *In Ms. Ultrajectino etiam legimus* editionem; *at in Audomarensi clarius* sessionem. *Nihil tamen in textu mutare volui, quia suspicor, forte* editiorem locum *legendum esse.*

k *Auctor supra indefinitè dixerat, Decio nuntiatum fuisse, quod* ursi & leones in caveis mortui fuissent. *Id itaque de aliquibus dumtaxat intelligi potest, cum postea* leones duo & ursi quatuor *contra Sanctos emissi dicantur, quamvis Surius in Actis Laurentianis non satis consequenter hanc propositionem interpretatus fuerit, quasi Decio nuntiatum sit,* ursos & leones omnes in caveis mortuos esse, *ut ipse ibi expressit.*

l *In Ms. Ultrajectino habetur:* cum tridentibus.

m *De difficultate, quæ mihi circa hanc sepulturæ diem occurrit, monui aliqua in commentario prævio num.* 12.

TRANS-

A

TRANSLATIO

AB URBE ROMANA AD MONASTERIUM ARULENSE.

Ex Ms. Arulenſi, quod Stephanus Baluzius in Appendice ad Marcam Hiſpanicam à columna 1449 edidit.

CAPUT I.

Territorii Arulenſis deſcriptio, calamitates, & earum remedium ab abbate Arnulfo Romæ quæſitum in Sanctorum reliquiis.

B

PRo declaratione eorum, quæ dicenda ſunt circa tranſlationem corporum beatiſſimorum martyrum Abdon & Sennen apud locum de Arulis *a*, eſt ſciendum, quod dictus locus de Arulis eſt ſituatus in valle quadam, per quam tranſit fluvius, qui nominatur ab incolis Tech *b*, in comitatu Roſſilionis *c* & in territorio Valleſperii *d* & Elnenſi *e* diœceſi, in quo eſt ſituatum quoddam monaſterium monachorum nigrorum Ordinis Cluniacenſis.

Accolæ Arulenſes
a
b
c d
e

2 In iſta igitur valle ex reverberatione ſolis, quoniam ita naturaliter grando generatur, conſuevit tempore, quo fructus terræ in manibus debebant devenire laborantium, inſurgere tempeſtates grandinis & fulgurum in tantum, quod non remanebant fructus nec folia in vineis, nec in campis apparebant niſi paleæ tantum ſine grano.

tempeſtatibus

3 Inſuper erat in dicto loco & valle alia non mediocriter aſpera tempeſtas ſive peſtilentia, quoniam de die & nocte videbantur beſtiæ ſilveſtres & feroces, & ſignanter cati *f* & etiam ſimiæ, nec non & multæ aliæ ſpecies beſtiarum ſilveſtrium, quæ non timentes faciem hominum per loca ſita in dicta valle intrabant, & pueros rapiebant de cunabulis, & ſuffocabant, & etiam devorabant & comedebant *g* non in modicum terrorem & horrorem omnium tam clericorum quam laicorum habitantium in dicta valle, necnon in magnum dicti cœnobii & dictorum monachorum, pro quibus multum tota illa portio terræ & etiam ejus vicini multipliciter & non immerito gravabantur.

aliiſque calamitatibus afflicti
f
C
g

4 Quid plura? Concilium inierunt omnes clerici pariter & laici, quid agendum eſſet. Erat autem tunc temporis in dicto monaſterio quidam abbas nomine Arnulphus *h*, qui erat ſanctæ vitæ, & ornatus virtutibus & moribus bonis, humilis, devotus, pius, prudens, & religioſus. Cum igitur ab iſto venerabili abbate necnon & aliis bonis viris clericis pariter & laicis fuiſſet ordinatum, ut jejuniis & orationibus inſiſterent, ut Dominus per ſuam ſanctam miſericordiam dignaretur tales peſtilentias & tribulationes à populo ſuo ſublevare & auferre, tandem per dictum dominum abbatem & à dictis monachis & aliis Chriſti cultoribus celebrabantur jejunia & orationes & proceſſiones, cum quibus viſus frequentiſſime eſt Deus placari & populo indulgere. Sed nec ex hoc ceſſavit tempeſtas, vel ex verſutia diaboli inimici naturæ humanæ, vel ex malitia habitantium in dicta valle ſive territorio.

Deum placare conantur.
h

EX IMPRESSIS.

5 Videns hoc prædictus abbas Arnulphus, cogitavit intra ſe, ut ſi forte propter peccata ſua ſive gentis in dicto territorio commorantis iſtud adveniret, damnum non poſſet tranſire ſive ſublevari ſine reliquiis alicujus Sancti, quæ portarentur in dicto loco de Arulis. Et ex iſta ratione cogitavit pergere Romam duabus de cauſis. Primò ad viſitandum limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum, qui ibi pro Chriſti nomine paſſi fuerunt tempore diverſorum imperatorum. Secunda ratio, ut ex dictis reliquiis accipere mereretur à ſummo Pontifice aliquas reliquias, quas portaret ad prædictum locum de Arulis, ut ſaltem propter merita illorum Deus propitiaretur & miſereretur, & dictas peſtilentias à populo removeret.

Abbas Arulenſis videns ea mala non ceſſare,

E

6 Qui Abbas prædictus & devotus, non motus proprio conſilio, ſed conſilio & ordinatione illius, cujus eſt omnia gubernare, qui poſt multas lacrymas riſum inducit, & poſt pluviarum inundantiam ſerenitatem præſtat, & poſt tempeſtatem tranquillum facit, Romam perrexit, ibique viſitavit diverſa cum magna devotione cimiteria, ubi diverſæ reliquiæ & corpora Sanctorum requieſcunt. Et cum quotidie cum magna devotione & ferventi animo & oratione dicta loca viſitaret, accidit, ut ſummus Pontifex quadam die eſſet ad faciendam proceſſionem in quodam cimiterio, ubi ſita eſt eccleſia in honore beati Laurentii *i*; quæ proceſſio, ſtatio dicebatur.

Romam proficiſcitur,

i

7 Et cum ſummus Pontifex vidiſſet dictum abbatem ita aſſiduum in oratione & viſitatione locorum ſtationum, accerſito eo, interrogavit eum unde oriundus eſſet, & qua de cauſa ibi adveniſſet. Qui cum à ſummo Pontifice interrogatus fuiſſet, cum eſſet vir magnæ prudentiæ & in affatu diſertiſſimus, reſpondit ſummo Pontifici multum reverenter, humiliter, & ſapienter, indicans ei, unde oriundus fuerat, & quomodo erat abbas dicti cœnobii monachorum, & quod in dicta valle inſurrexerant tribulationes, tempeſtates tales & peſtilentiæ.

& Pontifici calamitatem patriæ ſuæ exponit,

F

8 Cumque omnia, quæ geſta fuerant, eidem ſummo Pontifici dictus abbas prænarraſſet, compaſſus ſummus Antiſtes dicto Arnulpho abbati necnon incolis habitantibus in ea, ſic reſpondit: Oro Deum, ut per ſuam piiſſimam miſericordiam vos conſolare dignetur, & mittat angelum ſuum de cælis, qui vos cuſtodiat & tueatur de tantis tribulationibus & periculis. His dictis, reverendus Arnulfus abbas præfatus ad pedes ſummi Pontificis provolutus, ita ipſum affatus eſt: Beatiſſime Pater, noveris me famulum tuum ex hoc ante tuam paternitatem adveniſſe, Deo diſponente, ut tua ſanctitas famulis tuis, qui tantam ſuſtinent peſtilentiam, dignetur concedere & dare aliquas reliquias alicujus vel aliquorum Sanctorum, ut ſaltem propter merita beati vel beatorum Sanctorum tantam & tam fortem peſtem Deus à famulis ſuis avertat.

ab eoque petit aliquas Sanctorum reliquias,

9 Quod audiens ſummus Antiſtes, pietate motus pariter & benignitate, lacrymando ad abbatem ſic locutus eſt: Video neceſſitatem, quam habetis, & devotionem, quam tu habes. Concedo tibi pariter & trado quaſcumque reliquias volueris, exceptis reliquiis beatorum Apoſtolorum Petri &

quæ ipſi benignè promittit.

EX IMPRESSIS.

Pauli & beatorum martyrum Stephani & Laurentii. Tunc ſanctus abbas ita reſpondit: Beatiſſime Pater, ex quo tantam gratiam mihi & famulis veſtris Deo largiente facere vultis, date mihi unam noctem ſpatii, ut deprecer Deum, ut dignetur mihi oſtendere, quæ erunt reliquiæ, quæ transferendæ ſunt in dicto cœnobio ſive valle. Placuit poſtulatio ſummo Pontifici, & quod ſic agere deberet conſuluit.

ANNOTATA.

a *Iſtud oppidum, quod vernaculè* Arles, *& Latinè* Arelate *vel* Arulæ *vocatur, excrevit circa monaſterium Arulenſe, à quo etiam nomen accepit. Situm eſt in extremis finibus Ruſcinonis non procul à Catalaunia in loco montibus circumdato, quod tamen ſua amœnitate non caret, ut duo Benedictini, qui illud non ita pridem adierunt, in Hodœporico ſuo litterario part. 2 pag. 61 teſtantur.*

b *Eſt parvus Galliæ Narbonenſis fluvius, qui oritur in limite Cerretaniæ ex montibus Pyrenæis; deinde in occaſum tendens Arulas Cerretumque rigat, & paulo infra Helenam mari mediterraneo miſcetur. De eo Pomponius Mela & Plinius meminerunt.*

B

c *Hîc provincia illa ſic vocatur à nomine Hiſpanico* Roſillon, *quamvis Latinè nuncupetur* Comitatus Ruſcinonenſis, *qui ab antiqua urbe Ruſcinone, jam dudum exciſa, nomen accepit.*

d *Vocatur à Baudrantio Latinè* Vallis Pyrri, *eſtque tractus Ruſcinonis in meridiem extenſus verſus montes Pyrenæos.*

e *Latinè Helena, Gallicè* Elne, *eſt urbs epiſcopalis, cujus ſedes anno* 1604 *Perpinianum tranſlata eſt. De ejus antiquitate & præſulibus plura videri poſſunt in Gallia Chriſtiana.*

f Cati *vel* catti *barbarè dicuntur pro felibus, qui hîc haud dubiè ſilveſtres ſignificantur.*

g *Id forte intelligendum eſt de lupis aut ſimilibus feris: numquam enim audivi aut legi, homines à felibus aut ſimiis rapi ac devorari.*

h *Fruſtra poſt Baluzium & Mabillonium quæſivi, quo tempore vixerit is Arnulfus in monaſterio Arulenſi, quamvis ibi de illo legatur ſequens epitaphium, in quo dies mortis indicatur:*

Pulvere concretus jacet hîc in pulvere vetus
.... Arnulfus Chriſti venerandus alumnus.
Hic pater egregius, vivens ſemper ſtudioſus
Myſtico * Davidico depromere carmine * nablo
Digeſſit monachis Benedicti dogmata patris.
Ille quidem ſanctas Romanis vexit ab oris
Sancti reliquias Sennen martyris & Abdon.
Cælica, Cunctipotens, illi da ſcandere regna,
Agmina florigeris retinent ubi fulgida ſectis *.
Ergo Kalendarum nono cum pace Novembris
Spiritus illius ſeculo migravit ab iſto.
Carpe viator iter, ſupplex dic: Parce, Redemptor.

C

* *forte* Myſtica carmina

* *lege* ſertis

i *Cum in urbe Romana multæ ſint eccleſiæ in honorem S. Laurentii exſtructæ, non facile dictu eſt, quanam hîc indicetur.*

CAPUT II.

Revelatio de reliquiis SS. Abdon & Sennen, earum tranſlatio, & miracula in itinere patrata.

SAnctus ergo abbas illa nocte orationi ſe dedit cum lacrymis, ut Deus per ſuam miſericordiam ei oſtendere dignaretur voluntatem ſuam ſuper prædictis. Qui tamen dum in oratione perſtitiſſet, obdormivit aliquantulum. Et tunc in viſione oſtenſum ſibi fuit cimiterium prædictum, ubi ſita eſt eccleſia beati Laurentii, & in dicto cimiterio oſtenſi ſibi ſunt duo tumuli, & ex utroque emanabat ſanguis ad modum fontis, & in medio ſanguinis videbantur liſtæ *a* viridæ.

D *Abbas revelatione edoctus,*

a *quod reliquias SS. Abdon & Sennen in patriam ferre debeat,*

11 Qui admirans quamplurimum intra ſe quærebat, quorum eſſent reliquiæ Sanctorum. Cui per viſionem eamdem reſponſum fuit, quod beatiſſimorum martyrum Abdon & Sennen. Qui converſus ad vocem dixit dictus abbas: O Domine, ſi tibi eſſet placitum, ut iſta mecum adportarem pro liberatione patriæ! Reſpondit vox: Iſtæ ſunt reliquiæ, quas vobis Deus conceſſit ad tollendam tribulationem & peſtem, quam patimini. Et ideo ſurge & vade ad ſummum Pontificem, ut tibi tradat dicta corpora *b* Sanctorum, & ut tibi manifeſtentur, perquire cimiterium tibi oſtenſum, & videbis ex tumulis ipſorum emanare ſanguinem, & ea quæ tibi oſtenſa ſunt. Tunc dictus abbas ſurgens, perrexit ad ſummum Pontificem, & narravit ei omnia, quæ ſibi oſtenſa fuerant.

b

E *viſione ſua Pontifici Romano indicatâ,*

12 Tunc Papa cum magno gaudio vocavit totum clerum, & cum proceſſione venerunt ad dictum cimiterium, & ita invenerunt, ſicut per viſionem oſtenſum [fuerat] abbati. Tunc omnes gratias Deo referentes, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed in eis adimplet miſericordiam ſuam, frangentes inſtrumentis ferreis monumenta, tanta fragrantia exinde emanavit, ut videretur apotheca aromatum & omnium pigmentorum cella affuiſſe, ex quorum tactu diverſorum ſunt ſanata genera morborum.

eas ab ipſo impetrat, ac transfert,

13 Accipiens autem dictus abbas reliquias prædictas cum magna devotione, & accepta licentia ab Antiſtite ſummo, iter ſuum aſſumpſit cum intentione ad propria remeandi. Fuit autem anxius dictus abbas, quomodo tam pretioſas margaritas ſecurè ad dictum locum de Arulis portaret. Tunc ordinatione habuit unum barrile *c* ſatis magnum & ad hoc idoneum, in quo fecit tres domunculas ex poſtibus & bitumine, & in medio poſuit reliquias prædictas, & in aliis in utraque vinum, quaſi proviſionem volens facere ad navigandum, quo facto, pervenit ad civitatem Januenſem *d*.

c

d

quibus mulier energumena liberatur,

14 Cumque perveniſſet ad portum maris, ut ibi navem aſcenderet, fuit ibi quædam mulier dæmoniaca, quæ videns ſanctum abbatem cum animali portantem barrile, dæmon clamavit: Excrucior ex quo ſancti Dei Abdon & Sennen fuerunt hîc. Hoc autem cum audiſſet dictus abbas, aſſumpſit de vino, quod erat in barrile, voluit dare potum mulieri. Sed cum vinum appropinquaret jam in os ejus, non valuit ſuſtinere dæmon, ſed cum magnis clamoribus & fœtoribus exivit, & mulier ſanitatem accepit.

F

dæmones afflictantur,

15 His peractis, navem ſive lignum aſcendit proparans venire & ad propria remeare. Sed cum fuiſſent in mari per decem milliaria, auditæ ſunt in aëre voces & lamentationes dæmonum dicentium: Sancti Dei, quare nos affligitis & torquetis? Interim ſurgit tempeſtas non modica in mari, in tantum ut omnes nautæ timerent de naufragio, maxime cum viderent antennam à vento frangi & multa alia inconvenientia & pericula immittere.

& porta maris tempeſtas ſedatur,

16 Tunc devotus abbas orationem fecit, ut Sancti per ſua merita ad Deum orarent, ut Deus per ſuam miſericordiam eos exaudiret, ut liberati à morte & periculo, ſani & incolumes Deo gratias refer-

A referrent. Et cum abbas cum omnibus aliis orationem compleſſet, viſi ſunt à cunctis in navi exiſtentibus duo juvenes, ſupra quod dici poteſt, pulcri, qui tenentes manu antennam, eam levaverunt cum velis plenis vento; & ſic feliciter applicuerunt ad portum nominatum ab incolis Capdequers *e*, ubi ad memoriam dicti miraculi ſita fuit quædam eccleſia ſeu capella in honore dictorum Sanctorum non longe ab illo loco.

e

Diverſa miracula

17 Profectus eſt ſæpedictus abbas & venit ad quemdam locum nominatum la Jonquera *f*; ibique invenit unam mulierem & duos pueros cæcos, qui mendicabant; qui cum peterent eleemoſynam ab iſto domno abbate, abſtracto vino de barrili, dedit eis potum. Qui cum guſtaſſent, ſtatim ſanitatem receperunt. Deinde appropinquans ad dictum locum de Arulis, ne videretur diſcrepare dignitati & officio, quo fungebatur, ſi dictum barrile in humeris portaret, conduxit unum hominem cum uno animali, qui dictum barrile ad ſæpedictum monaſterium portaret. Sed cum per loca tranſirent, campanæ per ſe ipſas pulſabant, nullo humano auxilio ſuffragante.

f

B 18 Sed cum dictus treginerius *g* hoc comperiſſet, cum fuiſſet prope cœnobium de Arulis prædictum, & campanæ omnes per ſe ipſas, ut dictum eſt, pulſarent, dixit dictus treginerius: Per Deum, ego videbo ſi porto diabolos vel quid porto. Et inpunxit in animale & cecidit per magnam ripam, quæ multum erat alta, ſed propter merita Sanctorum Deus animal, & ea quæ portabat, ita præſervavit, ut in aliquo non læderetur, immo Deo ducente citius animal fuit in dicto monaſterio quam treginerius, nec dictus abbas, qui cum eo veniebant.

In reliquo itinere patrantur,

g

19 Ex quibus omnibus clarè intelligi poteſt, quanti meriti apud Dominum ſint iſti glorioſiſſimi Martyres, qui tantis clarent miraculorum virtutibus. Cum autem dictus abbas ad dictum monaſterium perveniſſet cum tanto theſauro Sanctorum, fuit, nec immerito, cum magno gaudio receptus à clero & populo, & cum magno honore & ſolennitate dictæ reliquiæ fuerunt collocatæ in eccleſia beatæ Mariæ. Et ex tunc propter merita dictorum Sanctorum Deus illas peſtilentias, quæ ante erant in dicta valle, ſublevare & ceſſare fecit.

& reliquiæ in monaſterio Arulenſi collocantur,

20 Ibi continuè clarent miraculis & virtutibus, ſanitatem præſtantes diverſis generibus morborum. Præſtat etiam Deus omnibus in illo loco petentibus propter merita beatiſſimorum martyrum Abdon & Sennen optatum effectum, ſi juſtè petierint. Oremus igitur clementiſſimum Deum, ut per merita beatorum martyrum Abdon & Sennen confetat nobis hîc gratiam ſuam, & in futuro gloriam ſempiternam, in qua vivit & regnat per infinita ſecula ſeculorum benedictus Deus. Amen.

EX IMPRESSIS. *ubi eas honorantibus varia beneficia conferuntur.*

ANNOTATA.

a *Liſta apud ſcriptores medii ævi uſurpatur pro limbo, tænia aut vitta. Suſpicor, auctorem hîc voluiſſe ſignificare, quod in ſanguine apparuerint vittæ vel lineæ virides.*

b *Hîc pro toto intellige partem, ita ut per* corpora Sanctorum *ſignificentur aliquæ illorum reliquiæ, ſicuti in Commentario prævio monuimus.*

c Barile *&* Barillus, *Gallicè* Baril, *ſignificat amphoram & cadum vel dolium. Unde Joannes de Janua apud Cangium in Gloſſario hæc habet:* Cadus, vas quod vulgo dicitur barile.

d *Id eſt* ad civitatem Genuenſem: *Janua enim pro Genua in ſcriptis medii ævi ſæpius occurrit.*

e *Teſte Baudrantio, latinè hoc oppidum vocatur* Cadacherium, *olim vulgo Cadachers; nunc verò à Gallis* cap de Quers *& ab incolis* Cadaquez *appellatur, ſitumque eſt in Catalaunia ad littus maris Mediterranei cum portu in Emporienſi tractu prope Rhodas. Antonius Vincentius Domenec hunc portum Hiſpanicè vocat* cabo de cruzes, *dicitque eum octo leucis ab oppido Arulenſi diſtare,*

f *Eſt oppidulum Catalauniæ in tractu Emporienſi ad radices montium Pyrenæorum, & diſtat tribus leucis ab ora maris Mediterranei in occaſum.*

g Treginerius *haud dubiè hîc barbarè provenit ab obſoleta voce Hiſpanica* traginero, *quæ aurigam vel mulionem ſignificat.*

DE S. JULITTA MARTYRE

C F

CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus, elogia, tempus ac locus martyrii, Acta ex S. Baſilio magno.

SUB DIOCLETIANO.

Annua Sanctæ memoria in Martyrologio Romano, ac Faſtis Græcis cum elogiis;

Æſaream Cappadociæ, aliàs apud nos laudatam die XIV *Junii inter ea, quæ ad illuſtrandam Vitam S. Baſilii magni ex variis ibi collecta ſunt, martyrio ſuo nobilitavit* S. Julitta, *Faſtis Græcis ac Martyrologio Romano hodierna die inſcripta. Hoc ita eam annuntiat:* Cæſareæ in Cappadocia ſanctæ Julittæ martyris, quæ bona ſua à quodam potente ſibi uſurpata in judicio repetens, cum ille exceptionem daret, quod ut Chriſtiana non deberet audiri, mox à judice juſſa eſt thus idolis offerre, ut poſſet audiri; quod illa conſtanter recuſans, in ignem conjecta, ſpiritum Deo reddidit: corpus autem à flammis permanſit illæſum. Ejus præclaras laudes S. Baſilius magnus egregio encomio celebravit. *Apud Græcos hoc etiam die refertur in Menæis magnis excuſis, ac Menologio apud Caniſium; ſed craſtino, in Synaxario Baſilii imperatoris, ubique cum elogio: quibus adde Menologium Slavo-Ruſſicum, in quo etiam notatur ejus memoria.* Certamen S. martyris Julittæ *etiam memoratur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, ſed* XXXI *hujus.*

2 *Textum verò Græcum Synaxarii Baſiliani, ad finem tomi* I *menſis Julii à nobis vulgatum,*

AUCTORE J. P.

è quibus damus illud, quod habetur 31 hujus in Synaxario Basiliano

hic more nostro latinitate donamus, & sic sonat: Certamen sanctæ martyris Julittæ. Julitta Christi martyr, erat è civitate Cæsareæ Cappadociæ. Habebat illa actionem adversus virum quemdam avarum ac violentum, qui abscissâ plurimam partem ejus terrâ, agros, animalia, villas, famulos, omnemque vitæ supellectilem ad se transtulit, contempto jure ac Deo; sycophantis & falsis testibus, nec non munerum largitionibus, quibus judices corrumpebat, innixus. Dum autem illa adstaret coram judice, & inciperet edocere viri tyrannidem, accusata ab ipso fuit, quod esset Christiana: atque ad nihil præsentium bonorum oculos conjiciens, sed omnia contemnens, Valeat, inquiebat, vita, & ejus gloria: ego enim omnium conditorem & effectorem non negabo. Statim itaque injustus judex igni eam tradidit. Fornax verò, Sanctæ complexa corpus, sicut lucidus thalamus, animam quidem misit ad cælestem regionem; pretiosum autem ipsius corpus affinibus & cognatis atque omnibus fidelibus servavit incolume. *Atque hæc quidem è dicto Synaxario transtulimus.*

B

cum aliis collato - alibi versiculis Martyr honoratur.

3 *Similia habentur in Menæis magnis typo cusis, Menologio apud Canisium, & in excerptis è bibliotheca Ambrosiana; sed ibi die crastino; & ex iis, quæ brevissimè manu nostri Henschenii ad finem elogii in istis excerptis adscripta sunt, discimus Sanctæ memoriam legi in utroque codice Taurinensi: quo item die* XXXI *hujus nomen ejus consignatur in nostro Supplemento pluries citato, ac proin satis noto, hisce cum versiculis:*

Ὡς ἀχλυῶδες καὶ τὸ πῦρ τὸ καμίνε
Πρὸς τὸ καλὸν λάμπεσαν ἦν Ἰελίτλαν.

Ubi cum micante pulcrè Julitta rogus
Confertur; is caligo, non splendor fuit.

Quasi dicas, Julittam *tam inusitato splendore micuisse in medio igne, ut lux ejus, ad lucem Martyris comparata, jam non lux, sed mera caligo censeri debeat. Quæ allusio poetica ita hîc parum proprii & appositi ad rem ipsam salis habet, ut omnibus Martyribus, qui illæsi ab igne permanserunt, facilè applicari possit. Nunc videamus, an alicunde exsculpere possimus verum martyrii tempus, quod nec elogia superius commemorata, nec ipsa S. Basilii magni oratio panegyrica, quam post hunc Commentarium producturi sumus, determinant.*

C

Passa videtur Sancta sub Diocletiano; quo anno, non constat.

4 *Habemus tamen ex iis notam aliquam chronologicam, cujus adminiculo instruimur circa tempus martyrii; illam videlicet, quod Sancta à suo jure rejecta fuerit in judicio, quia erat Christiana. Discimus enim ex Eusebio lib.* 8, *cap.* 2, *& clarius ex Lactantio de Mortibus persecutorum cap.* 15, *quod per primum Diocletiani edictum Christiani declarati fuerint infames, & incapaces, qui in judicio, quacumque etiam de causa, audirentur: id quod adeo perfectè convenit cum historia* S. Julittæ, *ut nos, secuti Tillemontium tom.* 5, *in notationibus ad persecutionem Diocletiani, notatione* 76, *non credamus faciendam esse difficultatem, si dicamus cum Baronio, quod martyrii palmam consecuta sit sub persecutione Diocletiani; an autem anno* 304, *cui illud martyrium adaptat Baronius, non tam certò constat, quam quod non ante annum primum istius persecutionis, Christi* 303, *quo ad diem* XXIV *Februarii illud decretum promulgatum fuit; ut videre est apud eumdem Tillemontium de dicta persecutione articulo* 8. *Certiora etiam non invenit legendista Gallicus in Sanctæ martyrio, quod suis Vitis Sanctorum intexuit ad hunc diem* XXX *Julii, dicens credi illud contigisse tempore imperatoris Galerii Maximiani, qui Diocletiano in imperio successit anno Christi* 305. *Menologium Slavo-Russicum* passam *dicit* anno CCCIV, sub Constantio & Galieno; *pro quo debuit dicere* Galerio Maximiano: *nam Gallienum imperatorem perperam conjungi cum Constantio Chloro, hîc haud dubiè indicato, notissimum est.*

D

5 *Quæ autem ad palæstram martyrii spectant,* *Palæstram martyrii putamus esse Cæsaream Cappadociæ:* *non undequaque ita eluceſcunt, ut omni prorsus difficultate careant. Baronius ad annum ex eo citatum, num.* 67 *Cæsareæ Cappadociæ illam attribuit. Elogia Græca Sanctæ natales adscribunt eidem civitati; an verò eadem, quæ patria, etiam palæstra fuerit martyrii, diserte non exprimunt: quamquam illud, quod est apud Canisium plusculum lucis saltem crepera nobis suggerat, unde appareat, verum martyrii locum ibidem fuisse: dicit enim.* Hæc *Sancta* cum cupisset apud præsidem Cæsareæ quemdam iniquum hominem accusare, quod agros, villas *&c.* ad se transferret; *ubi loci cum prætor seu gubernator, sicut observat Tillemontius in assignata superius notatione* 76, *ordinariè resideret, judicare omnino licet, eumdem quoque locum Sanctæ martyrio obtigisse. Favere videtur Panegyris S. Basilii magni, si integrum ejusdem contextum attentè quis consideret; neque enim illum encomiastem alioqui ita locuturum fuisse persuadere nobis possumus, in ecclesia utique Cæsariensis urbis, atque ad suos, quibus episcopus præerat, ibidem subditos. Et, quod caput est, de corpore ita pronuntiat:* Sanè in ornatissimo primarii templi urbis totius vestibulo conditum, loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam... Terra porro, istius Beatæ adventu benedicta, aquam emisit, quæ suapte natura nulli non NOSTRUM gratiosissima esse debeat. *&c.*

E

difficultas ex interprete Latino elogii S. Basilii de Sancta, proponitur,

6 *Atque ex his postremis hujus loci verbis,* dicendum, *inquit rectè Tillemontius in eadem notatione,* quod loquatur *S. Basilius* de ipsa Cæsarea, aut de civitate non valde ab ea remota; *sed nos eum intelligamus de ipsa sola Cæsarea, quandoquidem de Sanctæ corpore ibidem quiescente adeo diserte meminit, neque aliunde illud eò translatum vel verbo indicat. Difficultatem movet Tillemontio τῇ ἐπιδημίᾳ in mox allato textu. Latinus interpres illud reddit* adventu, *Tillemontius* par la visite, *id est* visitatione, *quasi* ille Sanctus *juxta Tillemontium*, videatur loqui de ecclesia, ubi requiescebat corpus *Sanctæ*, tamquam de loco diverso ab eo, in quo ipse erat. *Attamen candidè fatetur, non bene videre se, quid sibi velit τῇ ἐπιδημίᾳ*, si non intelligatur simpliciter de præsentia ejus corporis. *Et verò quid nî vox illa ita hîc intelligi possit, imo ita intelligi debeat, ut apertè non obstet; quo minus* Julitta, *tam Cæsareæ nata, quam deposita, ita etiam Cæsareæ martyrii agonem consummasse, intelligatur; quidquid Panegyreos Basilianæ interpres per illam* adventum *intellexerit?*

F

expenditur,

7 *Neque enim vox ἐπιδημία adventum de loco in locum dumtaxat significat, sed denotat etiam* mansionem *seu* habitationem *in loco. Ne rem hanc longius protrahamus, satis nobis esse posset, lectorem remittere ad lexica Græco-Latina. Tacitus tamen præterire non possum paucula exempla in Julii Pollucis Onomastico segmento* 9, *lib.* 9, *cap.* 1, *pag.* 979, *num.* 9, *editionis anni* 1706, *cum latina, quæ textui Græco ibidem respondet, interpretatione:* Ἐπιδημεῖν, in populo versari, ἐπιδημῆσαι, populo cohabitare, ἐπιδημία, cohabitatio. *Quidnam autem τῇ ἐπιδημίᾳ nobis hîc officit, si ita exponatur, prout exponi ex dictis potest, quò minùs*

ter-

A terra *ecclesiæ Cæsariensis* istius Beatæ mansione, cohabitatione sive præsentiâ benedicta, aquam emiserit *&c.? Quidnam hîc cogit recurrere ad locum vel proximè vel remotè distantem à loco depositionis corporis* S. Julittæ, *in Panegyri S. Basilii magni indicato? Et quia magna vis est in significato vocis* ἐπδημία, *quatenus præsentiam in loco designat; placet uno alterove exemplo illam confirmare.*

8 *Scapula citat illud Synesii epist.* 149: Ἡμῖν ἀεὶ καὶ ἀπὼν ἐπιδημεῖς τῇ μνήμῃ. Nobis, etiam tum quando abes (*corpore,*) præsens es memoriâ. *Alterum ibidem est ex Callimacho in Hymno Apollinis; ubi dicitur Apollo in reddendis oraculis* ἐπδημεῖν, *id est* præsens *esse: si quidem ea oracula certiora habebantur gentilibus, in quibus manifesta erat secundum ipsos numinis præsentia. Hac itaque in notione vocem* ἐπδημία *accipe, & evanescet difficultas, quo minus nostræ Martyris exuviæ in templo Cæsariensi depositæ, & ipsa Sancta martyrium passa fuisse intelligatur in ista civitate. Utrumque quamquam disertis & claris terminis non dicatur in elogio ejusdem Sanctæ, ex contextu tamen toto, atque ex adjunctis omnibus, deducimus tamquam admodum verosimile ac probabile.* & diluitur.

B 9 *Porro in eodem elogio varia notantur, quæ ad gloriam* S. Julittæ *posthumam conducunt: nimirum festus dies, seu annua ejusdem memoria, sepulcrum, confluxusque ad illud populi fructuosissimus, ac fons miraculosus. Baronius ad annum* 304, *à num.* 66 *utitur isto elogio; ac post illum Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 5 *persecutionis Diocletianeæ articulo* 66; *legendi-sta Gallicus ad diem* xxx *Julii; quod & Ruinartius inserit Actis sanctorum Martyrum sinceris ac selectis à pag.* 515 *editionis secundæ. Elogium illud habuit ad suos S. Basilius magnus, Cæsariensis ecclesiæ præsul, & modo quidem solenni; nec non die sanctæ Martyri quotannis sacro, illo utique* qui memoriam renovet, *ut in elogio dicitur,* magni illius certaminis *&c. An verò is inciderit in hunc diem* xxx *Julii, an in diem proximè sequentem, non satis constat: quia tam uno quam altero Sanctæ memoriam signant Græcorum Fasti. Damus porro elogium ex operibus S. Basilii magni, typo editis Lutetiæ Parisiorum anno* 1618, *cum notis nostri Frontonis Ducæi, tom.* 1, *à pag.* 367, *interprete Gaudefrido sive Godefrido Tilmanno: nec verò versiones aliæ neglectæ sunt, uti planum fiet ex annotatis.* Elogii, quod ex S. Basilio magno hîc datur,

C 10 *Locum quemdam prædicti elogii num.* 10, in lignorum struem accensam insiluit, *Græcè* πρὸς πῦραν ἥλατο, *ex se quidem satis clarum, expendere pauculis visum est, occasionem præbente Tillemontio, qui loco citato, nota* 77 *censet, eum posse exponi hoc modo, ut significet ardorem & contentionem, quibus Martyr se contulerit ad locum, ubi comburi debebat; vel quod ipsam etiam conscenderit pyram, siquidem jam tum erat præparata; vel gaudium, quo ambiri se undique à flammis vidit, easque admisit. At verò quidnam cogit Tillemontium verba adeo clara à sensu proprio ac naturali detorquere ad metaphoricum?* Quia, *inquit,* moris erat tum temporis, uti nunc, alligare eum, qui supplicio debebat affici, aut ipsis etiam clavis affigere ad palum; & accendere postmodum ignem. *Sed ratio ista planè frivola videtur: nam sicuti sua cuique regulæ datur exceptio, ita cuique consuetudini datur & sua. Et dicat, amabo, Tillemontius, nonne eamdem istam, quam pro Sanctæ nostræ tempore allegat, consuetudinem, allegare etiam debebit pro S. Apollonia, si consequenter loqui voluerit? Et tamen Eusebius lib.* 6 *Eccl. hist. cap.* 41 *de illa tradit sequentia, interprete Henrico Valesio:* Locus quidam expenditur

11 Accenso autem extra urbem rogo, minabantur vivam se illam combusturos. . . At illa veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa, celeriter in ignem insiliit & conflagravit. *Hic quidem, haud dissimulo, expressis terminis dicitur ista sancta Martyr ante tantisper* dimissa *fuisse, quam in ignem insilierit; sed quid vetat, quo minus hæc nostra, jam ad ignem damnata, sed vehementi Spiritus sancti igne accensa (id quod conforme est tum iis, quæ hîc de ea præmittuntur in textu, tum imprimis patheticæ, quam ad circumstantes mulieres habuit; orationi) quid, inquam, vetat, quò minus ita affecta, & longioris impatiens moræ,* in lignorum struem accensam insiluerit *prius, quam solito tum temporis more ad palum annecteretur? Clara quippe sunt verba S. Basilii magni; ad improprium ac metaphoricum sensum non detorquenda, quando in proprio ac naturali exponi possunt; id quod hîc fieri posse, perspicuum est. Est enim* ἅλλομαι εἰς τὸ πῦρ, prosilio *vel* insilio in ignem. *Adisis Lexica Græca;* πρὸς verò *præpositio, quâ utitur auctor elogii, cum accusandi casu, idem significat, quod* εἰς *sive* in *cum motu. Et sanè hujus, de quo agimus, loci apud Basilium vim non satis exprimunt versiones quædam, uti videre dabitur in annotatis, ad sæpe dictum elogium, quod nunc exhibemus.* E

AUCTORE J. P. & explanatur.

ELOGIUM

Auctore S. Basilio magno, Cæsareæ Cappadociæ archiep., ex Homilia inter diversas quinta, Gaudefrido Tilmanno interprete.

Sancta iniquè oppressa rejicitur in judicio, quia Christiana; in igne martyrium consummat, illæso corpore; gloria posthuma. F

QUæ de beata Martyre prædicatio se offert vobis depromendam, hujusce est causa congregationis *a*. Hunc enim diem vobis induximus * celebriter agendum: quippe qui memoriam renovet magni illius certaminis, quod in muliebri quidem corpore, generoso alioqui animo, & plusquam virili, omni admiratione ac stupore percellens cum illos, qui & ipsi præsentes spectarunt decertantem, tum eos, qui auditu percepturi sunt in posterum, referentibus his, qui re ipsa tanti istius agonis periculum fecerunt, beatissima mulier Julitta *b* decertavit (si tamen decori ratio permittit eam vocari mulierem, quæ heroica animi fortitudine supergressa est *c* infirmam naturæ muliebris conditionem:) *S. Julitta supra sexum fortis* *a* * indiximus *b* *c*

2 Cujus unius magnanimitate & constantia maximopere crediderim consternatum esse & perculsum communem humani generis adversarium, nimirum indignissimè ferentem, à mulieribus sibi præ- *ac victrix diaboli*

A. S. BASILIO MAGNO.

præripi palmam victoriæ ; qui quidem consuerit magnificas illas voces expromere impotenti superbia insolescens , se scilicet concussurum universum terrarum orbem, & quasi nidum comprehensurum , ac velut ova derelicta è medio sublaturum , urbesque adducturum in solitudinem : cum interim generosæ hujus Mulieris virtute conspiciatur inferior , quam , quod primum tempore solicitabatur , à Christo ut deficeret, adnisus est elidere argumentis & convincere inconstantiæ , quasi quæ per naturæ infirmitatem minus posset continenter pietatem erga Deum tueri servareve, hanc denique invenit, doctrice experientia *d* , conditione naturæ fortiorem , ut quæ adversarii terricul menta tantò eluserit magis , risuque prosequuta sit, quantò magis ille eam sperabat se iisdem perterrefacturum.

d

injustè opprimitur ab iniquo bonorum suorum invasore ;

3 Formulam enim hæc , litemve judiciariam intenderat uni cuipiam ex primoribus civitatis viro ; qui fraude & violenta impressione * undevis extortas opes sibi uni vindicarat , per rapinam & prædam confertim corraserat divitias. Hic terræ plurimum circumciderat *e* , neque non agros , villas , pecora ac famulos Julittæ interceperat. Denique cum omnem reliquam supellectilem apprimè opulentam , & eam Mulieri ademptam ad se transduxisset , forensia judicia celeri occupatione prævertit , ut corrumperet , subornatis aliquot calumniatoribus , testibusque falsis , simul & causæ cardinem reponens in illiberali & sordida largitione , planè corruptelâ judicum.

* oppressione

B

e

judicemque instruere parans ; accusatur quod esset Christiana ;

4 Dies status decidendæ isti causæ ut advenit, en tibi præco ex nomine quemque ciebat , jam adornatis & assidentibus advocatis. Cumque hæc cœpisset instruere judicem de impotenti tyrannide hominis , esseteque enarratura formulam modumve , quo initio possederit primùm ; simul etiam edoctura diuturni temporis prolixitudine suam confirmari ditionem ; ad hæc cum jam miserum in modum deploraret violentam viri & inexplebilem avaritiam in occupandis alienis ; ille tum in aream fori progressus , ait , lege agere illi non licere , nec actionem illam introducere : neque enim fas esse , quidquam cum civibus aliis habere commune eos , qui hactenus minimè coluerunt deos imperatorum , ni prius Christi fidem ejurarint.

C

nisi Christum abjuret, in judicio non audiendam :

5 Prætori in speciem videbatur *f* is in medium proponere , quæ essent juri consentanea , quæve maximopere conduxerant *g*. Jubetur mox afferri thus , prunas * item : & propositio litigantibus hæc prætenditur à judicibus *h* , eos *i* quidem & legibus , & legum suffragiis perfrui posse , abjurent modo Christum ; quod si fixius adhæresceret fidei , nullum jam ipsis relinqui usum neque fori , neque legum , at ne reliqua quidem reipublicæ ; quippe [qui] juxta sanctionem legis, per ejus temporis imperatores latæ *k* , notam infamiæ incurrissent.

g

* prunæ

h *i*

k

sed illa caducis bonis nihil mota ,

6 Illa quid secundùm hæc ? Illicne studio capiebatur recuperandarum opum *l* ? Num quod sibi noverat usui fore *m* , neglectim transmisit , obtinendæ controversiæ causâ adversus sibi injurium? Periculo à judicibus impendente consternata animo est & exterrita ? Sanè nihil minus. Quid ait? Ipsa potius valeat vita , ipsæ pessum eant fortuitæ facultates : at ne ipsum corpus mihi prius superstit , quam in Deum creatorem meum ulla impia vox mihi ex ore egeratur *n*.

l

m

n

nihil tyranno aut tormentis territa

7 Ejusmodi suis sermonibus quò videbat exasperari prætorem infensius , & acrioris iræ æstu adversum se succendi ; hoc Deo uberiores exsolvebat gratias : quod dum ob caducas facultates controvertit raptori ac delitigat *o* , visa sit sibi ipsi sancire *p* bonorum cælestium possessionem : terram quidem perspiciebat sibi adimi , ut possideret paradisum : addici infamiæ , digna ut haberetur corona gloriæ : corpus per contumeliam concidi flagris , vita quoque hac temporaria spoliari , compos ut esset beatæ illius spei , Sanctorum omnium choris allecta * in cælestis regni gaudio.

D

o

p

* adlecta

8 Denique dum interrogaretur crebrius , nec aliam redderet vocem , contestans ancillam se esse Christi , quin & eos execraretur , qui invitarent & hortarentur ad abjurandam fidem : tum judex ille iniquitatis non eam modo amplissimis illis opibus , quæ præter justitiæ legumque sanctiones illi ademptæ fuerant , privavit ; sed & multam ei dixit , velut ipse putabat , vitâ ut privaretur , atrociter addicens eam igni. Hæc porro nullam ad rem earum , quæ , interim dum vivitur , oblectare nos assolent , visa est festinè adeo excurrere , atque ad destinatam sibi flammam concita perrexit , facie , habitu , ipsis quæ depromebat , verbis , alacritate insuper efflorescente palam indicans , quod in animo delitescebat , profusissimum gaudium.

fatetur se ancillam Christi ; & ad ignem damnata , læta ad flammas properat :

E

adhortans mulieres adstantes ad parem pro Christo magnimitatem.

9 Mulieres quotquot sibi adstabant proximè , obsecrabat, ne ad tolerandos pro tuenda Christiana religione labores , animos sinerent remollescere: neu causificarentur aut prætexerent infirmam femineæ naturæ conditionem. Eâdem quippè massâ , quâ & viri , & ipsæ constamus , dicebat : ad imaginem Dei perinde ac isti , & nos conditæ sumus. Est sanè mulier ab Opifice creata , peræquè ac vir , capax virtutis. Quid enim miri est ? An non consanguineæ & ipsæ sumus viris per omnia ? Non enim ad constituendam mulierem sola est assumpta caro , sed & os ex ossibus ; quo fit , ut & ipsæ Domino nihil minus ac viri redhibere debeamus firmitatem fidei atque constantiam , nec non in adversis patientiam.

Insilit in ignem ; animæ in cælum migrat , illæso à flammis corpore : sepultura , fons miraculosus ;

10 His dictis , in lignorum struem accensam insiluit *q* , quæ perinde ac thalamus splendore coruscus , corpus sanctæ Julittæ circumplexa , animam quidem in cælestem illam destinavit regionem *r* , & quæ illius meritis congruebat , requiem : corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus & cognatis incolume , nec ulla sui parte læsum ; quod sanè in ornatissimo templi *s* urbis vestibulo *t* conditum , loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam , nec minus , qui eò loci conveniunt, efficit sanctiores. Terra porro istius Beatæ adventu *u* benedicta , aquam *x* emisit, quæ suapte natura nulli non nostrûm gratiosissima esse debeat , adeo ut Martyr hæc imaginem pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem, totius incolas urbis , perinde ac lacte quopiam in communes usus affatim scaturiente nutrit.

F

q

r

s

t

u *x*

cujus aquæ salutiferæ. Hortatio ad Sanctam imitandam.

11 Hæc aqua sanis *y* tutela est , & temperatè deliciantibus suppeditatio voluptatis , & solatium ægris. Hanc ipsam in nos benignè contulit Martyr gratiam , quam olim suis Jerichuntinis Elisæus *z* impartivit , dum salsuginem naturæ communis aquarum loci istius circumquaque finitimi benedictione permutavit in saporem dulcem planè, deliciosum & perquam suavem. Viri , ne , quæso , siveritis ad tuendam religionem vos conspici mulieribus inferiores. Mulieres , ab hoc proposito vobis exemplo ne desciveritis , quin citra prætextum omnem cohæresciteprestius susceptæ semel huic pietati , & reipsa facite periculum , hunc naturæ vestræ defectum nulli esse vobis impedimento , quo minus possitis conficere quidvis ope-

y

z

A operis boni. De hac Martyre plura dicere parantem revocat, nec ſinit diuturniorem trahere moram ſermo, qui heri quidem mihi cœptus eſt, nec uſquequaque abſolutus.

ANNOTATA.

a *Minus rectè editio Latina Baſileenſis, anni* 1566 : Argumentum quidem Eccleſiæ eſt. *Rectius Colonienſis, anni* 1531, *& Baſileenſis anni* 1565, Concionis hodiernæ cauſa.

b *Cave, ne hanc noſtram confundas cum ſynonymis, Antiochena nempe & Tarſenſi in Cilicia, datis die* 16 *Junii. Noſter Fronto Ducæus in notis pag.* 33 *ad illas voces* beatiſſima Mulier, *obſervat*, hæc à præcedentibus ita fuiſſe interpunctione divulſa, ut alteram periodum inchoarent.

c *Græcè eſt* ἀπεκρύψασαν ; *quod editio Colon. citata non rectè vertit* correxit ; *at fortè mendosè pro* contexit. *Baſileenſis anni* 1566 *melius*, occultavit, *quam noſter hic interpres*, ſupergreſſa eſt. *Porro illa hîc proximè ſequentia* quaſi nidum comprehenſurum *&c.*, *ſunt phraſis Iſaiæ* 10, ℣. 14.

B d *Græcè δίχα τῆς πείρας, id eſt* per experientiam; *non autem* præter opinionem, *uti illud reddit editio Colonienſis citata : Baſileenſis verò anni* 1565 *rectè quidem habet* ipſa experientia ; *ſed præterea addit* præter opinionem ; *quod in textu Græco neutiquam invenio.*

e *Græcè* ἀποτεμόμενος, *ac proin melius dixiſſet interpres* abſciderat, *id eſt, ſibi vendicarat.*

f *Græcè ſimpliciter* ἐδόκει, videbatur ; *& ſic rectè habent editio Colon., nec non utraque Baſileenſis.*

g *Græcè* ἀναγκαῖα πεποιεῖνθαι, *id eſt*, neceſſaria prætendere, *uti eſt in editione Colonienſi ; in qua tamen paucula de* thure *ac* prunis ; *quæ legimus proximè ſequentia in textu Græco, prætermiſſa ſunt.*

h *Brevius & clarius dixiſſet interpres* & pronuntiatum fuit litigantibus, *vel* pronuntiatum fuit à judicibus : *Græcè enim eſt* καὶ πεῖσαι τοῖς δικαζομένοις. *Editio Baſileen. anni* 1565 *melius quam interpres noſter, habet*, dabaturque ſententia à judicibus. *Baſileenſis autem anni* 1566 *minus rectè & dilucidè*, propoſitio litigantibus prætenta. *Colonienſis aſſignata, ſive interpres ſenſum non ſatis perceperit, ſive per oſcitantiam omiſerit, illud non reddidit.*

C i *In Græco textu lego* ἀρνεμένην μὲν .. ἀντεχομένην δὲ ; *ac proin illud* abjurare *interpretis* (*at ſecundùm textum* negare) *&* adhæreſcere, *quod mox ſequitur, non numero plurali Chriſtianos, ſed Sanctam vi textus indigitat ; id quod obſervatur in utraque editione Baſileenſi ; non autem in Colonienſi.*

k *De hac lege diximus in Commentario prævio, num.* 4.

l Ἆρ' ἐδελεάσθη τῷ πλούτῳ ; Num ineſcata eſt divitiis ? (*Quid gratiæ hîc ſuprà habet* Illicne ?) *vel* An opum illecebris capta *vel* decepta eſt ? *Primam expoſitionem rectè adhibet editio Baſileen. anni* 1566 ; *nullam ſuper his verbis lego in Colonienſi ; Baſileenſis verò altera non ſatis rectè*, An opes captavit ?

A. S. BASILIO MAGNO.

m *Editio Baſileen. anni* 1566 *vertit* id quod conducibile eſt ; *ſed malim* τὸ συμφέρον, *quod lego in textu Græco, exponere potius cum editione Baſileenſi anni* 1565, ſalutem ſuam ; *quam cum Colonienſi* jus faſque ; *vel cum interprete noſtro*, uſui fore.

n *Poterat interpres illud textus Græci* μηδὲ τὸ σῶμά μοι περιλειφθείη πρίν τινα φονῶ *&c.*, *tametſi non verbum de verbo, ſic vertere*, corpus mihi priùs pereat, antequam in Deum *&c. Simile eſt illud Virgilii lib.* 4 *Æneidos*, ℣ 24 : Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat. . . Ante pudor quam te violo. *Editiones Colon. & Baſileenſis prior ſatis hîc claræ, dum ſic legunt :* corpus . . iri perditum malo, quam *&c.* ; *non autem Baſileenſis poſterior, dicendo*, & neque corpus mihi reliquum fiat, antequam vocem *&c.*

o *Quanto iterum dilucidius id quod eſt Græcè,* ὅτι χρημάτων φθαρτῶν ἀμφισβητῆσαι, *ac ſine ambagibus explanaſſet*, quod ob divitias caducas contendens, viſa ſit *&c.*

F p Βεβαιῶσαι, *id eſt*, ſtabilire *cum edit. Baſil. anni* 1565, *vel cum alia* confirmare : *non autem* præferre *cum Colonienſi ; quæ & in proximè ſequentibus habet, cur diſpliceat.*

q *Editio Colon.* in pyram procurrit, *cum Baſileenſi anni* 1565 ; *Baſileenſis anni* 1566 ad rogum inſilivit : *verſionem iſtarum duarum priorum editionum non probo ; ultima illa debuiſſet dicere* in rogum inſiluit.

r *In Græco textu eſt* χώρειαν, *quod rectè vertitur* regionem ; *in Menologio apud Caniſium legitur* choream ; *fortè quia interpres legerit in Græco exemplari* χωρείων, *pro* χώραν *vel* χορίον, *quæ duo idem ſignificant.*

ſ *Editio latina, quam vidit Ruinartius, addit* primarii totius, *ut ipſe notatum reliquit ad hunc locum.*

t *Edit. Colon.* templo ; *Baſileenſis prior* civitatis ſuburbio ; *poſterior* delubro in ſuburbio : *præplacet noſter interpres.*

u *Conſonat editio Colon. & Baſileenſis prior ; poſterior autem ponit, quod idem eſt*, acceſſu : *at nihil horum probo propter dicta in Comm. præv. à num.* 6.

x *In Græco textu additur* ἐκ τῶν οἰκείων λαγόνων, ex ſuis *ſeu* propriis hiatibus *vel* fiſſuris ; *utraque editio Baſileenſis* ex propriis lateribus : *ſed minùs rectè Colonienſis* ex propriis brachiis.

E y Totam hanc periodum, *inquit ad hæc verba noſter Fronto Ducæus in notis pag.* 33, ab interprete omiſſam reſtituimus, quam & Baſilienſis editio & Cornarius, & manuſcripti agnoſcunt : in uno tamen Olivariano legitur σώφρονος ἡδονῆς χορηγὸν ,, temperatæ voluptatis ſuppeditatio ,,.

z *Hiſtoria paucis narratur* 4 *Regum, cap.* 2, 19 : Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt.. , ſed aquæ peſſimæ ſunt *&c.*

A

DE SANCTIS VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS TUBURBITANIS IN AFRICA

MAXIMA, DONATILLA ET SECUNDA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De palæstra martyrii ejusque tempore, cultu & Actis.

FORTE SUB DIOCLETIANO.

Martyres appello insignes hasce Christianas heroidas easdemque & virgines, tametsi in antiquioribus Fastis & à S. Augustino utraque laurea non decorentur, quæ in aliis omnibus constantissimè ipsis tribuitur. Martyrium certe celeberrimum est, *De Sanctorum numero*

præeunte Carthaginensi Kalendario à Mabillonio edito, in quo Septimia *adjicitur, in nostris vulgatis Martyrologiis præterita, quod ad eamdem Tuburbitanam classem spectare non existimarint, tametsi certissimè eò pertineat, ut ex sequenti classe patebit. Sic legit laudatum Kalendarium:* III Kal. Ag. Sanctarum Tuburbitanarum & Septimiæ, *ubi trium nostrarum palæstra sic exprimitur, ut dubium id solum relinquatur, ad quod Tuburbum (cum in Africa minimùm duplex sit) sanctæ illæ Pugiles revocandæ sint.* Tuburbum aliud majus, *inquit Mabillonius in notis ad citatum Kalendarii textum,* aliud minus. Tuburbitanæ civitatis majoris meminit Victor Vitensis in lib. 3. Tuburbum minus in Zeugitana.... Tuburbum majus Africæ proconsularis civitas erat, cujus episcopus Benenatus in Notitia Africæ. *In alterutra civitate passas esse, id quidem dubium non videtur; in qua determinatè, necdum constat: utri probabilius adscribi possint, mox dispiciemus.*

2 *Rem nonnihil involvit codex Hieronymianus Lucensis dum scripsit;* In Africa civitate Tuburtulo Cæsariæ, *ubi alii planius Africam solum nominarunt. Ast omnia turbasse videtur Romanum parvum singulari sua positione* TUBURBO LUCERNARIÆ, Maximæ, Donatillæ & Secundæ virginum, *unde eam accipiens Ado, in omnem suam progeniem transfudit;* Eodem die apud Africam, civitate Tuburbo Lucernariæ; *à qua non deflexit Notkerus: at parum fideliter ductorem deseruit Usuardus, dum scripsit* Apud Africam civitate Lucernaria, *quam frustra Ortelius aliique Geographi ibi quæsierunt. Neque in moderno Romano res satis composita est, dum restituto Tuburbo, ibi sic legitur;* Tuburbi Lucernariæ. *Alios Martyrologos frustra hîc recensuero, sive ejusdem sint sive alterius classis. Rabanus certò de ipsis non meminit, minus etiam Beda, Florus aut Wandelbertus, ut adeo lucis inde aliquid frustra nonnulli quæsierint, neque felicius aliunde, ut in Observationibus nostris ad Usuardum pridem insinuavimus, lectores tunc remittentes ad Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis* VII *Martii, ubi de Tuburbo variè inflexo operosius disquiritur; ad Mabillonium & Ruinartium, ex quibus pro determinando martyrii loco nihil certi elici posse, jam satis perspeximus.* *& de martyrii loco*

C

3 *Citatis jam locis id disquiritur potissimum, sintne etiam inter Tuburbitanas computandæ binæ illæ illustres martyres Perpetua & Felicitas cum sociis, de qua re hîc nobis minimè laborandum est. Rem nostram conficeret qui vel ex levi indicio* Tuburbum *aliquod* Lucernarium *vel* Tuburbim Lucernariam *vel urbem aliquam* Lucernariam *dictam, in Africa ostenderet, in qua passæ essent Sanctæ de quibus agimus, aliique aut socii aut populares, quos in proxima classe infra recensebimus. Si de martyrii tempore satis constaret, referrique adeo posset classis hæc nostra ad eam persecutionem in qua passa est sancta Crispina, cujus Acta gemina habes inter Ruinartii selecta pag.* 494, *ubi Anulinus proconsul nostrarum supplicia Virgini isti ad terrorem ingerit; sic illam affatus:* Vivere diu desideras, aut mori in pœnis, sicut & ceteræ consortes tuæ Maxima, Donatilla & Secunda? *id certe colligeretur, in ea civitate Tuburbitana passas esse, quæ loco martyrii S. Crispinæ proxima fuit, quo aliquousque nos ducerent ea verba;* consortes tuæ, *esset etiam adeo Tuburbum majus in Africa proconsulari, in qua Africæ parte satis verosimile est, nostras hasce martyrium consummasse, atque inde Tuburbitanas dictas, sive ipso loco natæ sint, sive in vicinia.* *non nulla disceptatio.*

4 *Atque id modo inquirendum, sitne similius vero* Maximam, Donatillam *atque* Secundam *sub Gallieno agonem compleviſſe quam sub Diocletiano. Pro Gallieno stant Acta qualiacumque, nescio unde mutuata, certè auctoritatis non magnæ, tametsi ab Adone recitata sint, ubi Anulinus in Africa præses sub Gallieno adducitur, quem multis post annis eò perveniſſe constat. Et vero si tot Anulini præfecti olim exstiterint, quot in variis Martyrum dubiis Actis sæpissime allegantur, jam non proprium nomen, sed ferme appellativum dicendum videbitur, utpote cujus nominis, sub singulis fermè imperatoribus, & variis quidem locis, aliquis in Christianos sævierit, vel ab ipso Neronis tempore, ut habes ad* XXVIII *hujus mensis in Actis SS. Nazarii & Celsi; item die præcedenti de SS. Flora, Lucilla & sociis, atque alibi diversis diebus aliis. De Anulino igitur S. Crispinæ judice cum plane constet ex probatissimis Actis, is vero satis apertè pronuntiet, tres nostras Virgines sævitiam suam non ita pridem expertas, non videtur earum martyrium à S. Crispinæ certamine, nec à certaminis loco multum removeri posse, censendumque adeo, ad eamdem persecutionem spectare ad quam ipsa S. Crispina pertinet, simulque ad eamdem provinciam. Audiamus modo Ruinartii ad ipsius S. Crispinæ Acta prænotionem num.* 3. *Quæritur etiam*

5 Passa est, *inquit*, S. Crispina sub Anulino proconsule apud Coloniam Thebestinam & quidem anno CCCIV, ut videtur, quo anno maxime in Africa sæviebat persecutio adversus Christianos. .... An vero Colonia Thebestina à Thebeste civitate Numidiæ distinguenda? Certe Anulinum in Proconsulari, & Florum in Numidia adversus Christianos tum temporis sæviisse, scribit Optatus *sub quo tyranno passæ fuerint:*

A tus Milevitanus epiſcopus lib. 3. Quin Thagarenſis Criſpina dicitur. Duplex autem eſt civitas Thagara, una in Proconſulari, ubi fideles perſequebatur Anulinus, *unde rurſus videtur colligi, in eadem provincia & Thagurenſem Criſpinam & noſtras Tuburbitanas martyrii coronam conſecutas. Quod ſi tamen verè dicatur in citato Commentario* VII *Martii & à noviſſimis operum S. Auguſtini editoribus, apud Ruinartium pag.* 82, *etiam in ipſa* Proconſulari provincia duplex Tuburbum fuiſſe, *tunc eo res deducetur, ut ingenuè fatear, promptum mihi non eſſe, alterutrum ſeligere, quo Sanctarum noſtrarum patriam aut palæſtram accuratius definiam; niſi appoſitum* Lucernariæ *luminis aliquid ſubminiſtrare cuiquam videatur, quod mihi certè necdum conſpicuum eſt, ut hæc de loco & tempore martyrii, in ea rerum perplexitate ſatis dicta ſint.*

Item an de iis agat S. Auguſtinus.

6 *De cultu quod memorare ſuperius cœperam, is ſane extra omnem controverſiam poſitus eſt, imo tota Eccleſia receptiſſimus juxta ac celeberrimus eſt, ut ex vetuſtis tabulis manifeſtiſſimum redditur, ad ſolenniorem feſtivitatem ſola deficiente in Breviario & Miſſali commemoratione. Controverſum olim fuit, utrum in S. Auguſtini ſermone* 32, *à noſtro Sirmondo edito, qui eſt novæ editionis* 345, *recte notatum ſit, loqui ibi ſanctum Doctorem de Martyribus* Tuburbitanis, *an forte legendum* Suburbitanis; *verum rectè obſervat laudatus Ruinartius, citata pagina* 82, *num.* 3; *etiam admiſſa correctione, in ea cauſa quæ cum Henrico Valeſio vertebatur, nihil prorſus decidi: nam ut ibi in Auguſtino legendum ſit* Tuburbitanæ, *non referri id ad binas illas jam laudatas Martyres, verum certo ad noſtras,* Maximam, Donatillam & Secundam, *quas verè Tuburbitanas fuiſſe clamat tota antiquitas, ut etiam inde hodiernarum Sanctarum clariſſimam famam venerationemque in ipſa Africa intelligas; quas nempe ſanctiſſimus Doctor oratione ſua laudaverit, in quâ utinam eâ vel eminus attigiſſet, quæ ad illuſtranda earum geſta maximè deſiderantur!*

B

Vera Acta perierunt.

7 *Jam pridem vehementer optavimus, harum Sanctarum Acta primigenia alicunde eruerentur. quemadmodum refoſſæ ſunt illarum paſſiones, de quibus jam locuti ſumus, nempe SS. Perpetuæ ac Felicitatis atque etiam S. Criſpinæ, ex quibus ea ſolverentur quæ eruditorum ingenia vexarunt hactenus. Nam quæ de ipſis circumfertur Legenda, ſive Ms. ſive typis edita, non magna præfert ſinceritatis indicia; imo tot nævis infecta apparet, ut ab hujuſmodi rerum tantillum peritis non facile admittatur. Ea quam habemus ex Ms. S. Salvatoris Ultrajecti deſumptam & cum aliis collatam, vel in ipſo principio labitur, dum* Maximæ *ſubſtituit* Maximillam *& pro* Tuburbitana *civitate,* Tyburcianam, *aliaque refert æquè ignoranter luxata & corrupta, certe pejoris longè notæ quam ſint ea Acta quæ in Adonis Martyrologio leguntur, & ipſa, ut jam dixi, non ſatis accurata aut probata, imo veroſimillimè ex aliis, ut in ſimilibus frequenter accidiſſe aliàs oſtendimus, pro aliqua parte deſumpta & Sanctis noſtris aptata. En ipſa ex Adone ad verbum deſcripta, atque ubi opus fuit, notatiuncula una alterave explicata.*

C

AUCTORE J. B. S.

MARTYRIUM

Ex S. Adonis Martyrologio.

Cum ad ſupplicium ducerentur Maxima & Donatilla,

EOdem die apud Africam, civitate Tuburbo Lucernariæ, natale ſanctarum virginum, Maximæ, Donatillæ, & Secundæ: quæ perſecutione Galieni ſub Anolino judice paſſæ ſunt. Qui interrogatione factâ, diſtulit audientiam, & beatas virgines & ſorores, Maximam & Donatillam, ad civitatem Tuburbitanam perduci juſſit, quibus nec panem nec aquam ſubminiſtrari præcepit, ſed aceto & felle potari. Videns autem Beatiſſimarum fiduciam, exarſit in iram, & juſſit ut urgerentur ambulare. Erat quædam puella in ſuperioribus domus ſuæ conſtituta, annorum duodecim, nomine Secunda: cui dum multæ nuptiarum conditiones offeruntur, omnes contempſit, & unum Deum dilexit. Hæc accenſa ſpiritu Dei; cum videret commartyres ſuas Maximam & Donatillam tranſeuntes, (fuit enim in ſuperioribus domus ejus mœnianum *, ubi ſtabat) & ſanctarum Virginum pulchritudinem fidei oculis conſideraret, cogitavit & decrevit ad ſimilem gratiam pervenire.

E

* *l.* Meniannum

ultro ſe iis adjunxit Secunda

2 Et ne aliquis prohiberet honeſtè deſcendere, ut impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem ſuam contemplata eſt, nec patrem carnalem curavit: ſed, relictis omnibus, unum auctorem caſtitatis Deum quæſivit, quem in æternum poſſedit, & tenuit. Cum ergo egrederentur beatæ Martyres & procederent, Secunda feſtina clamabat poſt eas: Nolite me dimittere, veniam vobiſcum. Et ſimul cum illis civitatem Tuburbitanam ingreſſa eſt. Alia die hora tertia Anolinus proconſul pro tribunali conſedit, & Maximam, & Donatillam ſibi præſentari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cum cæderentur, juſſit calcem ſuper plagas earum ſpargi, & fricari: deinde in equuleo extendi & torqueri, & ſtativam * ad bibendum offerri: deinde in craticulam & ad carbones igneos ſterni, & prunas ardentes ſuper capita earum adjici: poſtmodum in theatro ad delubrum deponi, & ab omnibus conculcari. Tunc ex officio dictum eſt, eſſe cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam ſuo judicio Anolinus proconſul applicari juſſit.

* *aquam non manantem.*

F

atque una coronam conſecuta eſt.

3 Cumque adeſſet, ait: Chriſtiana es, an pagana? Secunda dixit: Chriſtiana ſum. Statim Anolinus ipſam cum Maxima & Donatilla ad beſtias damnavit, & eas ferro vinctas ad ſpectaculum populi adduci præcepit. Quæ cum inducerentur, in media arenâ oſculatæ ſunt ſe invicem ut martyrium pace complerent. Urſus autem ferociſſimus ac ſæviſſimus illicò eis laxatus, in manſuetudinem verſus, earum veſtigia linxit potius quam momordit. Iratus Anolinus, quia, ſe furente, beſtias mites vidit, locutus cum concilio, ſententiam ex tabella recitavit: Maximam, Donatillam & Secundam, in ſuperſtitione ſua perdurantes, quæ diverſas pœnas pertulerunt, & beſtiis objectæ ſunt, & diis noſtris ſacrificare noluerunt, gladio animadverti placet. Maxima, Donatilla & Secunda dixerunt: Deo gratias. Et conſummatæ ſunt tertio Kalendas Auguſti.

A D

DE ALIIS MARTYRIBUS VEROSIMILITER ETIAM TUBURBITANIS

RUFO, PRISCO, PATERNICA, SEPTIMIA, OPTIONE, AMMONIO, JUSTO, JULIA, POTAMIA, ABDI, ACENEO; ITEM MAXIMA, HOSPIDE, DONATULA; ET FORTE SILVANO ET MAGNILO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XXX JULII.

HOs ſolos codices hîc adduco, quòd in aliis etiam antiquis Martyrologiis non referantur præterquam in ſolo Notkero, codicem aliquem mutilum ſecuto, in quo ſolos decem ex memorata claſſe invenerit; B *quomodo etiam ferme legit Epternacenſis, qui non niſi novem recenſet. Numerum quatuordecim uniformiter ſignant ambo exemplaria Lucenſe & Corbeienſe, in quo poſteriori adduntur & duo alii* Silvanus & Magnilus, *quibus ad diſtinctionem præpoſui particulam* forte: *nam utrum reliquis accenſendi ſint, an porro reſcindendi, unde certo explorem non habeo. At pro numero quatuordecim rectè etiam allegat Florentinius codicem aliquem Reg. Suecia, quem in Animadverſis ſuis ſecundum nominat Holſtenius, aſſerens eoſdem ibi pugiles referri qui in Lucenſi recenſentur, ut de dicto jam claſſis iſtius numero dubitandum non videatur. Sintne porro Tuburbitani quoque omnes qui poſt particulam* item *annuntiantur, non audet negare Florentinius, neque ego negaverim, cum nulla certa appareat diſtinctionis nota. De prioribus certe res in propatulo eſt, cum tribus relatis ſupra Virginibus immediatè ſubjungantur. An ſimul cum ipſis eodem die an alio tempore paſſi, id equidem affirmare non auſim: neque aliud occurrit quod de præfatis Martyribus prædicari poſſit; neque de nominibus magnopere laborandum putavi, cum modiciſſima in ipſis occurrat diſcrepantia; nam* Paternice & Paternica, Ammonicus *vel* Ammonius, Potamiena *ſeu* Potamia *tam parum inter ſe differunt, ut ea ſcrupuloſius obſervare, operæ pretium non videatur.* E

DE BEATO JOANNE MILITE.

J. P.

Cultus apud Græcos, elogia, veneratio publica CPoli.

Sub Juliano Apostata.

BEatum hunc Joannem, *plurimorum ſynonymorum Sanctorum fœcundum nomen, heſterno die inter Prætermiſſos rejecimus è Menæis magnis excuſis, & Faſtis ſacris eccleſiæ Æthiopicæ, ad hunc diem; quo inſcribitur (& majore quidem alicubi cum ſolennitate) variis aliis Tabulis Græcis. In apographis noſtris excerptis ex bibliotheca Ambroſiana refertur his verbis:* Μνήμη ϛ μαχαιρᾶ Ἰωάννου ϛ στρατιώτου. Memoria beati Joannis militis. *Sequitur elogium; de quo uti & de aliis paullo pòſt. Ecgraphis Ambroſianis conſonat annuntiatio Synaxarii Baſiliani. In Supplemento noſtro ad Menæa excuſa, quod conſtat ex apographis Sirmondo-Chiffletianis, loco annuntiationis Græcæ, invenio latinis litteris ſcriptum,* Joannis ducis; *cui mox ſubnectitur hoc diſtichon:*

Cultus ex Faſtis Græcis C

* an Eis?

Εἰ * βαρβάρους ἔκ οἶδα δαίμονας τέως,
Ἕως τελῶντῆς ὑπερπὲς Χερσωνίτα.
Nuſquam Beatos ſcimus inter barbaros,
Donec decore Miles ô Chriſti occidis.

Quò alludat poëta, obſervationem noſtram promimus num. 5; *quod autem dicat, neſcire ſe Beatos inter barbaros; intellige vel in ſenſu valde accommodo, ut non promiſcuè illos Beatos ſit reperire; vel Taifalis illud ſolis applica, de quibus infra; è quorum numero ſolum* Joannem *noverit poëta fuiſſe beatum.*

2 *Titulus porro* ducis *Beato noſtro etiam datur in aliis noſtris ecgraphis Ambroſianis, quæ catalogum Sanctorum continent, inde excerptum ac per menſes deductum. Martyrologium Arabico-Ægyptium ſic habet:* Memoria S. Joannis militis. *In Ephemeridibus Græco-Moſchis apud nos ante tomum* 1 *Maii, pag.* XXXVII *vocatur* Joannes miles martyr; *qui etiam titulus ei datur in Menologio Slavo-Ruſſico; tum quod nomini ejus præfigunturduæ illæ majuſculæ* S. M., *quæ ſanctum martyrem ſignificant; tum quod dicitur ibidem paſſus anno* 364. *Sed de hac re dicetur inferius. Nunc elogium, quod Græcè impreſſum legitur ad calcem tomi* 1 *menſis Julii, Latinè ſic reddimus:* F

ſtabilitur.

3 Erat hic ſub Juliano Prævaricatore militans. Dimiſſus itaque unà cum aliis militibus, ut perſecutionem adverſus Chriſtianos moveret; iis quidem, qui ipſum videbant, perſecutor apparebat; ſed clam ſtabat à parte Chriſtianorum: his quidem priuſquam comprehenderentur, ſignificans fugam: illis autem, poſtquam jam comprehenſi eſſent, clam attendens, ut fugâ ſe ſubducerent. Non commiſerationis verò dumtaxat erga eos exhibebat affectum, ſed indigentibus etiam ſuppeditabat ea, quæ & orationibus & jejuniis erant accommodata. Ad hæc, viſitatione infirmorum, & afflictorum conſolatione vitam exornabat ſuam, atque ad honeſtatem accommodabat. Exactâ autem ſic vitâ, requievit in Domino, depoſituſque eſt in loco, in quo ponebantur peregrini. Sed cuidam poſtmodum mulieri per revela- *Elogium Latinè hîc redditum.*

A velationem innotuit ; cui adſtans , res ſuas in vita geſtas , & quo vocaretur nomine , manifeſtavit. Miracula verò multa alia patrans , fugam ſervorum cohibet. Ὁ Παραβάτης , prævaricator , *antiquum Juliano Apoſtatæ nomen inditum fuit , ſicut patet ex Theophane. Imperavit ab anno 361 uſque ad 363 ; unde de tempore , quo* B. Joannes *vixit , ſtatuere potes.*

& cum alio collatum ; cujus poſtremi paucula addizamenta

4 *Similia occurrunt in elogio , quod eſt inter excerpta bibliothecæ Ambroſianæ , quæ aſſervamus ; in quo tamen ponitur Sanctus* στρατευόμενος ἐν τῷ νουμέρῳ τῶν Ταϋφάλων , militans in numero Tayphalorum ; *ac depoſitus fuiſſe* ἐν τῷ τόπῳ λεγομένῳ Πανδέκτῃ , in loco , qui dicitur Pandecte. *In fine autem poſt apparitionem mulieri circa Sanctum factam , ſubditur :* Λέγεται δὲ οὗτος ὁ Ἅγιος καὶ ἄλλα μὲν θαύματα ποιεῖν , ἐξαιρέτως δὲ τὰς δεσμὰς ἐπέχειν τῶν οἰκετῶν , καὶ τὰ σύλα * καταμηνύειν , καὶ τὰς Φόρας φανερὰς καθιστᾶν. Dicitur autem hic Sanctus & alia facere miracula , præſertim verò fugam cohibere famulorum , & pignora indicare , & fures manifeſtare. *Porro quod hîc dicitur* ἐν τῷ νουμέρῳ τῶν Ταϋφάλων , *intellige in numero militari , ſeu cohorte (vide utrumque Cangii Gloſſarium)* Thaiphalorum *ſeu* Taifalorum , *utroque enim modò ſcribitur apud Ortelium ; eſtque* Scythica natio Zoſimo *lib.* 2. Gentes trans Danubium, in Dacia, cir- Hieraſum fluvium erant ; quos à Trajano imp. devictos tradit Eutropius. Horum quoque meminere Aurel. Victor in Gratiano imp. , Ammianus 31 , Liber Notitiar. , & Panegyricus Genethliacus , imp. Maximiano dictus. Sed ſine afflatu Taifali plerumque ſcribunt. Joannes Gothus pro Triballis videtur habere.

** forte τὰς σύλας* compilationes

B

5 *Ita Ortelius ; quæ tranſcribimus ex ipſius fide , ulteriore opera ſuperſedentes : & verò quod in rem noſtram hîc eſt , & ſufficere nobis debet , illud obſervatum unicè volumus , per ordinem militarem ſeu phalangem , in qua militaverit* B. Joannes , *intelligi juxta dicta poſſe illam , quæ conſtiterit è militibus barbaræ Taifalorum gentis ; quo alluſerit auctor verſiculorum ſuperiùs num.* 1 *allatorum ; quid enim aliud voluerit , non videmus. Jam verò quod attinet ad nomen* Pandecte ; *ſi verè , quod ſuperiùs dicitur , id nominis loco iſti adhæſerit ; potuit ita appellatus fuiſſe* ἀπὸ τῆς πανδέχεσθαι , *ex eo quod* caperet *peregrinorum* omnium *cadavera , tamquam commune & inhonoratum vilioris iſtius hominum generis receptaculum. Sed valeat , quanti poteſt valere , hæc noſtra conjectura. De ſepulcris , quæ* Polyandria *antiquitus dicta fuerint , conſtat ex Hiſtoria converſionis S. Joſephi Comitis die* XXII *hujus menſis , pag.* 249.

hîc à nobis exponuntur.

6 *Quod verò Faſti Græco-Moſchi ac Slavo-Ruſſici ſuperiùs allegati Beatum noſtrum dicebant exſtitiſſe* martyrem ; *neutiquam nos in hac re iis ſuffragari poſſumus ; de qua Græci nec in annuntiationibus , nec in elogiis modò productis quidquam produnt. Interim haud obſcurum ejus nomen delituiſſe , ſed publica veneratione honoratum fuiſſe CPoli , conficitur ex citato noſtro Supplemento , ubi notantur iſta :* Ἡ δὲ τότε σύναξις τελεῖται ἐν τῷ σεπτῷ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγ. ἀποστ. καὶ εὐαγγ. Ἰωάννου τοῦ Θεολ. πλησίον τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας. Hujus verò dies feſtus celebratur in venerabili apoſtolico templo ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ Joannis Theologi prope ſanctiſſimam magnam eccleſiam , *Sophianam , de qua Cangius CPolis Chriſtianæ lib.* 3 , *à pag.* 5. *Pluſcula de hoc templo noſtro dabit Cangius CPolis Chriſtianæ lib.* 4 , *pag.* 113. *Atque hæc quidem ſunt , quæ de noſtro Beato dicenda ſe offerunt ; utinam occaſionem præbitura , ut Acta ejus , ſicubi abſtruſa lateant , è tenebris prodeant in lucem.*

Martyr alicubi dicitur B. Joannes fuiſſe ; quod nobis non probatur : templum CPoli.

E

AUCTORE J. P.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

MAMANTE ET BASILISCO.

Cultus ex Faſtis Græcis.

C

DIE XXX JULII.

J. P. F

Cultus apud Græcos ;

AB *heſterno die , quo in Menæis magnis excuſis memorantur hi Martyres , ad hodiernum eos remiſimus , ſicut indicatum ibi fuit inter Prætermiſſos. In dictis igitur Menæis ita tunc annuntiantur , conſonante Maximo Cytherorum epiſcopo :* Sanctorum martyrum Mamantis & Baſiliſci in Darii. *Pro eo ; quod in iſtis Menæis , nimium quantum mendoſis , habetur* τῶν ἁγίων μάρτυρος , *rectiùs lege cum Cythereo præſule* τῶν ἁγίων μαρτύρων ; *ambo enim fuerunt Martyres , non ſolus* Mamas ; *uti planum fiet ex annuntiationibus , hoc die in alios Græcorum Faſtos tranſcriptis. Codex Taurinenſis habet iſta :* Ἀθλησις τῶν ἁγ. μμ. Μάμαντος καὶ Βασιλίσκου ἐν τοῖς Δαρεὶς *. Certamen ſanctorum martyrum Mamantis & Baſiliſci in Darii. *Conſentiunt excerpta noſtra è Menæis Mſs. bibliothecæ Ambroſianæ , ac Supplementum noſtrum Ms. ad Menæa impreſſa , pluries citatum ; in quo illam annuntiationem inſertam , ſed alio modo , quam continuetur ipſe textus , adſcriptam lego , non tamen , ut ſuppono , aliunde huc intruſam.*

* Δαρεὶς

2 *Utcumque tamen res illa ſe habeat , parum refert ; quandoquidem textus ipſe clarius nos in-*

genus mortis

ſtruit circa illos Pugiles , quam ullus alius ex productis ; docens , quo uterque mortis genere martyrium conſummarit. Ac de Baſiliſco *quidem ſic loquitur hoc die :* Τῇ αὐτῇ ἡμ. ὁ ἅγ. Βασιλίσκος ὁ γέρων ξίφει τελ. Eodem die S. Baſiliſcus ſenex gladio conſummatur. *Et mox ſubduntur duo illi verſiculi :*

Ναὶ , Βασιλίσκε , ψαλμικῶς ἐπ' ἀσπίδα ,
Καὶ βασιλίσκον βαῖνε τῆς τομῆς φέρων.
Age , Baſiliſce , pſalmicè ſuper aſpidem ,
Atque baſiliſcum gradere , truncatus caput.

Patet , alluſionem hîc eſſe , nec ſine gratia , ad illud Pſalmi 90 , ℣. 13 : Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.

3 *De Sancto autem* Mamante *ſequuntur ibidem iſta :* Τῇ αὐτῇ ἡμ. ὁ ἅγιος Μάμας ἐν τῇ θαλάσσῃ βληθεὶς τελ. Eodem die ſanctus Mamas in mare jactus conſummatur. *Suos is quoque , ut prior , adjectos habet verſiculos , his verbis expreſſos :*

ex apographis noſtris Sirmondo-Chiffletianis.

Ὡς οἷα μύσης τῶν ἁλιέων Μάμας
Τολμᾷ θαλάσσης ἐξερευνᾶν καὶ βάθη.
Quaſi ſit peritus myſta piſcatûs Mamas ,
Intrepidus audet maria ſcrutari infima.

Per ſubſtantivum μύσης , *quod communiter accipi ſolet pro diſcente ſacra , myſteriorum perito , vel ini-*

AUCTORE J. P.

tiato ſacris alicujus numinis, hîc intellige eum, qui apprimè & intimè ſit gnarus τῶν ἁλιέων piſcatorum, *ſeu artis piſcatoriæ.*

Cultum habuerunt Sancti CPoli.

4 *Ceterùm ex loco ſeu tractu* in Darii, *qui ſuperioribus annuntiationibus adjungitur, colligimus, hoſce Martyres publica veneratione cultos fuiſſe CPoli, in ſua ſcilicet, vel alterius Sancti ade ſacra: de quo cultu etiam meminit Cangius CPolis Chriſtiana lib.* 4, *pag.* 128, *quamquam admodum jejunè, ex Menæis; ubi nihil invenio, qua parte tractus ille ſitus fuerit. Petrus Gyllius in ſuo Boſporo Thracio lib.* 2, *cap.* 12 *agit de* ponte Darii: *unde tractus ille, hîc deſignatus, nomen fortaſſe duxerit; qui proin pars aliqua exſtiterit, ſpectans ad CPolim, verſus dictum Boſporum, ſeu ad os aut fretum CPolitanum. Atque hæc quidem noſtra eſt conjectura circa locum aliunde nobis planè obſcurum: & futurus fortè eſt aliquis (ſit ſanè optamus) qui melioribus ac certioribus documentis illius, quo de agimus, loci ſitum illuſtret. Porro ubi ubi tractus iſte fuerit, ad urbem certè CPolitanam pertinere, illud argumento eſt, quod dum Faſti Græci ſuis annuntiationibus adjungunt ædem ſacram, & tractum aliquem ſeu locum, ubi Sancti, quos annuntiant, colantur, ſtata lege id ſit intelligendum de CPoli, prout quotidiana nos docet experientia, & exempla apud Cangium citatum lib.* 4.

DE S. RUFINO MARTYRE

ASSISII IN UMBRIA.

J. B. S. B

COMMENTARIUS CRITICUS.

Unuſne an plures ſancti Rufini Aſſiſii celebrentur?

XXX JULII.

Ex S. Damiani ſermone

A*Cturus de* S. Rufino *ſeu* Ruffino *martyre, qui hiſce plane verbis hoc die annuntiatur in Martyrologio Romano*, Aſſiſii in Umbria, S. Rufini martyris; *ea inveſtigando quæ ad geſta ſeu paſſionem ſaltem Martyris illuſtrandam conducerent, non alia offendi, quam quæ rem totam ita involverent & implicarent, ut quid demum tolerabili aliqua ratione de præfato Sancto dici poſſet, prorſus non intelligerem: ubi telam expandero, ſintne ſatis explanabiles plicæ & replicæ, lectorum judicio diſpiciendum relinquam. Quod igitur in hac re nobis primum eſt, dum poſt Martyrologium Baronii notationes conſulo, hæc ad hunc* XXX *Julii diem, citatumque textum expoſita invenio:* Exſtat de eodem ſermo Petri Damiani, nec non ſacer hymnus, quæ omnia habes apud Surium tom. 4 hac die. *Sic nimirum Baronio præluxerat Galeſinius, in cujus notis id monemur præterea, & apud Lipomanum reperiri tomo* 8, *quod verum eſt; atque ibidem hymnus etiam ſancto Petro Damiano tribuitur, quem tamen in ejus operibus ita ſermoni ſubjunctum reperire non licuit; forte quod editor Caietanus, junioris alterius ſcriptoris, ex rhythmorum numeris, eſſe cenſuerit.*

C

neqnit decidi quæſtio,

2 *Pergo igitur ad ipſum citatum ſermonem, qui in editione Romana laudati Caietani eſt ordine* XXXVII, *ubi longa oratione agens ſanctus Cardinalis de antiquorum patriarcharum ſepulturis, ad hæc verba demum delabitur*: Beati igitur hujus Martyris corpus de ſuburbio Aſſiſienſis oppidi, ubi antiquitus fuerat poſitum, intra mœnia poſtmodum fuit, gentilis impetus terrore, tranſlatum. *Litem deinde proſequitur inter Hugonem tunc epiſcopum & Aſſiſinatem populum, de labro lapideo, in quo olim Sancti corpus poſitum fuerat, transferendo; an ad cathedralem eccleſiam, an ad ipſam S. Rufini baſilicam, ubi miranda narrantur, ſed quæ ad Sancti vitam aut paſſionem non ſpectant: poſtmodum miracula alia, ex quibus tantumdem de* S. Rufini *geſtis docearis. Tum vero ſubdit:* His itaque tranſactis, cœpit non parva inquiſitio fieri, quo die invictiſſimi triumphatoris Chriſti Rufini deberet martyrium celebrari. Nullis ſiquidem apud eos exſtantibus hiſtoriæ monumentis, ſola erant eatenus annuæ dedicationis ſolennitate contenti. Tandem auctore Deo, repertâ paſſionis hiſtoriâ, conſtituit venerabilis pontifex, juxta tenorem videlicet quem litteræ teſtabantur, ut III Kal. Auguſti ejuſdem glorioſi Martyris feſtivitas coleretur.

quæ aliunde magis implicatur,

3 *Ex his apertè docemur, S. Petri Damiani ævo, nempe ſeculo* XI, *quo & vivebat laudatus Hugo Aſſiſienſis epiſcopus, fixam primùm ſtabilitamque fuiſſe hoc die* III *Kal. Auguſti* S. Rufini *feſtivitatem, cum Aſſiſienſes* eatenus ſola fuiſſent annuæ dedicationis (*opinor baſilicæ ipſius Sancti*) ſolennitate contenti: *ut mirum videri non debeat, nullam Sancti hujus apud antiquos Martyrologos repertam fuiſſe memoriam. Porro id mirum maxime, ex tota* reperta paſſionis hiſtoria, *nec verbum à S. Petro Damiano memorari, niſi eam jam dicto hymno complecti voluiſſe dixeris, quod minimè crediderim, cum hymnus totus & aliis ſanctis Martyribus quibuſlibet facile aptari poſſit. Hæc modo combinari velim cum iis quæ tradit Ughellus in utraque editione Italiæ ſacræ tomo* 1 *de Epiſcopis Aſſiſienſibus*, Hugonem *nempe illum, S. Damiano ſynchronum*, anno ML tranſtuliſſe corpus S Rufini, *cum diſertiſſimè aſſerat S. Damianus, ſacrum illud idem corpus*, gentilis impetus terrore, *adeoque multis ante ſeculis, ex ſuburbio* intra mœnia fuiſſe tranſlatum; *tempore autem Hugonis, ut ex ipſa concione infra ſubjicienda intelliges, non niſi de tranſlatione labri lapidei acerrimè tumultuatum fuiſſe.*

F

dum alia hiſtoria obtenditur,

4 *Creſcit oratio, imo redditur nodus omnino indiſſolubilis, ſi ad Ferrarium recurras, utpote qui hoc ipſo die in Catalogo Sanctorum Italiæ agens* De S. Rufino martyre Aſſiſii, *hiſtoriam profert, ab iis quæ in ſermone dicuntur, toto cælo diverſam, quam hîc totam ſubjicio:* Rufinus clericus presbytero cuidam apud Aſſiſium inſerviebat. Cum autem presbyter ille adulterium commiſiſſet, veritus ne Rufinus, in judicium vocatus, vi juramenti ſe proderet, illum in puteum, nemine vidente, præcipitavit. Poſt multum temporis ſpatium ab haurientibus aquam detectus eſt, ac ita integer & incorruptus inventus, ac ſi recens ſuffocatus

A tus fuiſſet. In cujus ore lilium florens repertum ferunt, in quo veritas ter in flore impreſſa cernebatur. *Hæc* ex antiqua traditione & picturis eccleſiæ *ſe accepiſſe teſtatur Ferrarius, unde materiam ſumpſit Jacobillus, ut hiſtoriam hîc brevi compendio relatam, paulo fuſius ſuo marte extenderet; qua fide, hîc non diſputo. Notat autem ibidem Ferrarius*, exſtare eccleſiam extra urbem in loco Arcis nominato, huic ſancto Martyri dicatam, qui etiam S. Rufinus de arce cognominari ſolet. *Atque hæc in Catalogo majori ſeu de Sanctis Italiæ.*

quæ cum dicto ſermone non convenit;

5 *Ex his vero, niſi ego vehementer fallar, ad evidentiam patet, non recoli hoc tempore apud Aſſiſinates, neque hoc die, memoriam ejus* S. Rufini martyris, *de quo loquentem audivimus S. Petrum Damianum, ut qui de clerico nec eminus meminerit, ſed de celebri priſco Martyre, qui non in* Arcis caſtro, *non in cathedrali eccleſia, ſed propria in baſilica, & intra oppidi mœnia, dum Damianus viveret, ſolenniter colerctur. Neque rem implexiſſimam elucidavit Ferrarius dum in Catalogo generali alia omnia miſcuit ad diem* XIX *Auguſti, ubi præmiſſa in laterculo hac annuntiatione,* Apud Aſſiſium, S. Rufini martyris, *notavit ea ſe accepiſſe*, ex tabulis eccleſiæ Aſſiſinatis. Exſtat, *inquit*, Arcis caſtro in M. (*opinor* monte) apud Aſſiſium eccleſia, ſuo nomini dicata, licet corpus in cathedrali quieſcat eccleſia. Colitur in Piceno in diœceſi Firmana, quod in Piceno natus ſit. De eo in noſtro Catalogo. *Imo vero, ſed hac* XXX *Julii, quo die certiſſimè colebatur* Rufinus *aliquis vetuſtus martyr, quando de Sancto orationem habuit Petrus Damianus, quam totam, æque ac hymnum infra ſubjiciam, ex quibus id demum erit conſequens, voli, aut ſaltem cultos olim fuiſſe apud Aſſiſinates, tres diverſos ſanctos* Rufinos *martyres, quorum hodie ſaltem duo in unum confuſi ſint.*

B

ſed neque epiſcopo quadrat

6 *Non Epiſcopus cum Martyre S. Petri Damiani, ut male eos combinavit Jacobillus, apud quem dum lucem quærerem, novis tenebris me involutum ſenſi. Narrat ille fuſius, ut jam dixi, hiſtoriam clerici ab adultero Curato in puteo ſuffocati, vultque primo*, rem illam contigiſſe XXX Julii circa annum Chriſti milleſimum, nempe ante mortem S. Petri Damiani Cardinalis, quoniam ipſe, qui obiit MLXXII, narrat, tempore ſuo Aſſiſii celebratam fuiſſe unius S. Rufini martyris feſtivitatem ipſa die XXX Julii. *Tum autem ſubdit,* Aſt ipſe (*nempe ſanctus Oſtienſis Cardinalis*) illum concludit, *vult dicere confundit*, cum Vita alterius S. Rufini epiſcopi & martyris, cujus feſtum agitur XI Auguſti. *Rectius multo dixiſſet, & hîc & alibi ſæpe titubans Jacobillus, ſanctum Cardinalem Damianum, tota ſua oratione ne cogitaſſe quidem de ſancto illo* Rufino Aſſiſienſi epiſcopo, *multo minus de qualicumque Clerico, tam perfidè ſubmerſo & quidem eo circiter quo vivebat tempore, nempe circa annum milleſimum, dum Martyrem ſuum ita depingit, ut manifeſte intelligas, & ſub tyrannis gentilibus paſſum fuiſſe, & eorum timore ſacrum corpus è ſuburbanis in civitatem tranſlatum fuiſſe.*

C

cujus corpus ſec. XI primùm repertum fuerit.

7 *Neque vero de epiſcopo loqui poſſe S. Damianum, ex eo planè conficitur, quod ejus ætate ferme ignoraretur Aſſiſii ſanctus martyr* epiſcopus Rufinus, *certe ubi corpus ejus jaceret, omnino neſciretur, cujus rei teſtem iterum habeo Ughellum in Vidone XV* (*aliàs X*) *Aſſiſienſi epiſcopo, qui anno* 1204 *eam cathedram conſcendit, dum ita de eo ſcribit*; Meruitque S. Rufinum primum Aſſiſii epiſcopum & martyrem invictum, qui ad eum diem mortales latuerat, reperire, repertumque in cathedrali honorificentiori loco collocare die III Menſis Auguſti MCCXII; *quo die Ferrarius in Catalogo generali ita loquitur:* Aſſiſii, tranſlatio S. Rufini epiſcopi & martyris; *at falsò ei tribuit Jacobillus, quod in eodem Catalogo* XI *Auguſti natalem ejuſdem Sancti celebret, de quo ne quidem loquitur: in Catalogo autem Sanctorum Italiæ ad eam diem* XI *Auguſti* Rufinum *quidem memorat cum Martyrologio Romano, aſt ipſum Marſorum epiſcopum, cui non ſatis aptè adſcribit hymnum Petri Oſtienſis ſeu S. Damiani, qui non magis epiſcopo quadrat quam clerico ſuffocato, ut jam taceam, de eodemmet* S. Rufino epiſcopo, *ipſum in utroque Catalogo egiſſe* XI *Februarii: verum adeo novum non eſt in Ferrario lapſum memoriæ deprehendere.*

AUCTORE J. B. S.

Quæritur ab Aſſiſinatibus dubiorum ſolutio.

8 *Habes hîc labyrinthum ex quo non facile emerſeris, niſi filum præbeant Aſſiſienſes ipſi, nobiſque ex ſuæ eccleſiæ diſtinctioribus monumentis clarius diſtinguant, quem* ſanctum Rufinum *olim coluerint hac die* XXX *Julii, quem porro hodie*; *Damianenſemne an Ferrarienſem colant* XIX *Auguſti, atque an ob impedimentum quod nobis fingit Jacobillus, quaſi Indulgentia Portiunculæ obeſſe poſſit quo minus* XXX *Julii, toto nempe ante ipſam triduo, ſolita recolatur vetuſtiſſimi Martyris ſuique olim patroni feſtivitas. Doceant nos demum, aliumne ipſi colant* S. Rufinum epiſcopum *præter eum qui* XI *Auguſti in Martyrologio Romano ita annuntiatur:* Eodem die, paſſio ſanctorum Rufini Marſorum epiſcopi & ſociorum ſub Maximino imperatore? *Ubi ea ipſi paulo diſtinctius explicuerint, polliceri audeo, monumenta quæ ſuggeſſerint, accuratiſſimè à nobis diſcutienda illuſtrandaque ad dictam diem* XI *Auguſti. Interim cum aliud modo nihil ſuppetat quod cum aliqua certitudine de* S. Rufino *prædicari queat, præter laudatum toties S. Petri Damiani ſermonem, eum cum hymno, ſicuti à Lipomano & Surio editus eſt, de integro hîc recudimus.*

D

E

Beati Petri Damiani ſermo de S. Rufino martyre.

F

Sumpto exordio à reſurrectione mortuorum

NOſtis, fratres chariſſimi, ſicut ex Catholicæ fidei magiſtro didiciſtis, quia in ultimæ diſcuſſionis examine, omnes ſimul & peccatores & juſti ante tribunal æterni Judicis, cum ſuis ſunt corporibus exhibendi, Apoſtolo teſtante, qui ait: Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum. Et reprobi quidem ad hoc, ut quia hîc cum carne ſimul & anima Conditoris ſui præcepta calcaverint, cum eadem illic utraque ſubſtantia, ſententiam juſtæ damnationis excipiant, atque utrobique deinceps ſuppliciorum amaritudinem ſentiant, qui dum viverent, pravis ſuis delectationibus ex utroque deſerviebant: electi autem, ut quia carnem ſuam nunc cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere non deſiſtunt, cum ipſis ſuis corporibus, quibus videlicet tamquam tabernaculis, in divina militia uſi ſunt, ad ſupernæ claritatis gloriam provehentur; ut ſoluto militiæ cingulo, unum tunc interior & exterior homo ſentiant quietis perpetuæ municipium, qui ad unum pervenere per communia bella triumphum, & quibus eadem fuit pugna, eadem ſit nihilominus corona.

2 Iſtud plane erit ſabbatum noſtrum, ille ſeptimus

ex Surio. & à cura sepultura

timus legis annus, ille veraciter Jubileus. Sabbatum quippe feriatum esse præcipitur, & æterna per illud requies figuratur. Sub ejusdem quoque quietis æternæ vel resurrectionis designandæ mysterio, in septimo anno libertas redditur. In Jubileo autem tubis clangitur, ut unusquisque ad possessionem propriam revertatur, Canet enim tuba, sicut dicit Apostolus, & mortui qui in Christo sunt, resurgent. Ad possessiones ergo propriας omnes tunc revertuntur: quia in illo ultimo resurrectionis die unusquisque proprium corpus recipit, in quo, dum præsentem vitam duceret, habitavit. Tunc Adam, tunc Noë, tunc omnes antiqui patres, imò omnium mortalium animæ ad amissam carnis suæ terram redeunt: quia recepta corpora sua in perpetuum possidebunt, & perducti in libertatem filiorum Dei, jam securè gaudebunt omnes, servili vinculo corruptionis humanæ soluti. Cum ergo Sanctorum corpora tantæ futura sint dignitatis, ut & coronam vitæ perpetuæ, & immortalitatis stolam cum suis animabus sint communiter receptura: quid mirum, si nunc omnipotens Deus apta illis loca provideat, & eorum tumulos non passim, vel per casum fieri, sed ex suæ voluntatis electione disponat?

B

in Abraham, Jacob

3 Enimverò & illud sæpè non ociosè quæritur; Cur Abraham, qui se ex parte corporis pulverem esse confitetur & cinerem, tam ambitiosam sepulturæ suæ providentiam habuit, ut ex omni peregrinationis suæ latitudine solam Hebron, Chananitidis, videlicet regionis, eligeret, in qua etiam non parva summa speluncam sibi duplicem compararet. Jacob quoque filios, & Joseph fratres suos obtestantes adjurant, ut eorum ossa ad eamdem speluncam post obitum transferant. Quid est ergò, quòd sancti viri, qui & præsentem, & omnem mundi gloriam sublimi mentis arce despexerant, tam cupidè, tam anxiè, tam studiosè de loco, ubi eorum conderentur cineres, litigabant, nisi quia per Prophetiæ spiritum noverant, Salvatorem mundi illic de suo semine nasciturum, & sanguinem, qui mundi peccata dilueret, in illa specialiter regione fundendum? sicut per Psalmistam dicitur: Quia Deus noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ. Quod nimirum quamquam de ipso Domini corpore specialiter possit intelligi, de regione tamen illa quoque, ubi pati dignatus est, quæ certè

C

mundi meditullium est, non incongruè dici videtur.

& antiquis patriarchis;

4 In Chananæa igitur terra sancti Patres nostri tumulos elegerunt, ut inde illi mererentur quandoque resurgere, ubi ille videlicet surrectionis author Christus, primogenitus vivorum & mortuorum, in se dignatus est resurrectionis gloriam declarare. Et quid ampliùs dicam de honore, quem bonorum remunerator Deus Sanctorum suorum corporibus exhibet, quando ipse Deus omnipotens Moysi corpus dignatus est sepelire, & Elisei cadaver mortuum legitur suscitasse? Imo, ut verum fatear, quod in carne viventibus Sanctis minimè contulit, hoc sæpè divina dispensatio mortuis prærogavit. Quod in Abdo scilicet viro Dei liquidò perpenditur, quem viventem quidem leo potuit occisurus invadere, sed cadaver ejus nequaquam permissus est aliquatenus violare. Preciosa nimirum in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus. Non ergo mirum, si divina dispensatio congrua Sanctorum corporibus loca distribuit, & ea nunc quasi quoddam depositum terræ commendat, quæ postmodum in regnis cælestibus transferenda restituat. Sed jam propter quod ista præmisimus, de beati Ruffini miraculis breviter aliqua perstringamus.

D

agit de S. Rufini sepulcro

5 Beati igitur hujus Martyris corpus de suburbio Assisiensis oppidi, ubi antiquitus fuerat positum, intrà mœnia postmodum fuit, gentilis impetus terrore, translatum. Labrum autem lapideum, in quo prædictum corpus ante jacuerat, per longum tempus extra muros fuerat derelictum. De quo nimirum inter populum & Hugonem, ejusdem tunc sedis episcopum, gravis est orta seditio. Episcopus siquidem ad ecclesiam beatæ Mariæ semper Virginis, quæ ejus loci prima sedes est, deferendum esse censebat, eo nimirum consilio, ut quod mater ecclesia corpus martyris non haberet, quodam saltem vacui sepulcri solatio compensaret. Econtra populus asserebat, inter sacras reliquias & proprium tumulum divisionem fieri non debere, nec humanis nunc adinventionibus permutandum, quod ab ipso glorioso Martyris consummato triumpho videretur divinitus institutum. Taliter igitur hinc atque inde certantibus, labrum mœnibus urbis infertur, & ab utriusque simul partibus ad bivii cujusdam compitum pervenitur.

E

gravium causa contentionum,

6 Illic itaque cum fautores Episcopi ad sanctæ Mariæ, reliqua autem pars populi ad beati Ruffini basilicam sacrum vasculum pertrahere molirentur, his atque illis in diversa nitentibus, crescente jurgio, eo usque processum est, ut furentes arma corriperent, & mutuos inter se ictus, amissa placidæ mentis ratione, miscerent. Vibratis atque * gladiis, cominus utrimque concurritur, & acres ardentibus animis ad infligenda mutuo vulnera debacchantur. Sed ô prædicanda divina clementia, quæ humanis miseretur erroribus, & sæpè nostris pravis voluntatibus ita obviat, ut ad bonos exitus ipsa etiam malè cœpta perducat. Quid multis morer? Nullus illic vulneratur, nulla denique nec tenuis quidem gutta sanguinis funditur, atque ut mirabilibus adhuc mirabiliora succedant, sexaginta ferè viri ex parte Episcopi prædictum vasculum ad ecclesiam beatæ Mariæ conabantur attrahere, sed nullis illud nisibus de loci sui fixa potuerunt statione movere. Illi igitur cum jam præ lassitudine fracti omnino deficerent, & vehiculum lapidis funditus desperarent; tunc ex altera parte vix septem homines urnam corripientes, ad S. Ruffini basilicam tanta illam permissi sunt celeritate pervehere, ut non lapidem, sed palearum potiùs viderentur fasciculum deferre. Illico populi clámor exultantis attollitur, gratiarum actio fautori Deo læta persolvitur, & quia pius Deus unum cum populo suo senserit, ab omnibus alacriter divulgatur. Tunc denique probatum est, verùm esse quod dicitur: Vox populi, vox Dei.

* An non itaque?

quas Sanctus divini curat

7 Accessit autem ad rei certitudinem & presbyter quidam, ab ipso videlicet beato Ruffino ad Episcopum missus. Nam cum præfatus Episcopus adversus eos, qui sibi restiterant, non leviter commotus esset, atque illi pararent sibi dignè satisfacere, & devota illum humilitate placare, presbytero, quem diximus, per visum beatus Martyr apparuit, eique dixit: Vade, & dic Episcopo, si me non vult offendere, satisfactionem quamlibet à populo non recipiat: sed gratis ei puram sui amoris & benedictionis gratiam reddat: Mea siquidem hoc gestum est voluntate, ut vasculum illud ad meam deferretur ecclesiam, quatenus meum in eo corpusculum denuò recondatur. Noverat etiam, quia nisi ego illis tumultuantibus interfuissem, meque eorum telis opposuissem,

A issem, magna hominum strages fusa jaceret. Sed cum episcopus adhuc hæsitans, ne his quidem verbis presbyteri fidem accommodare disponeret, ecce quidam, qui contractus fuerat, gaudens & exultans eodem die à beato se Ruffino fatebatur erectum, sibique ab eodem beato Martyre hoc mandatum perhibebat injunctum, ut hæc ipsa cuncta per ordinem, quæ presbyter asserebat, ipse quoque nihilominus episcopo nunciaret. Tandem episcopus, omni scrupulo dubietatis amoto, quod sibi imperatum est, incunctanter exequitur, atque in gratiam suo populo donatis offensionibus fœderatur.

ac miraculis excusat.

8 Sed ne apud aliquem fortassis episcopus nævum reprehensionis incurrat, quia ab ecclesia sua ad horam discedens, contra Dei judicium sentiebat, Isaac ad memoriam reducendus est, qui non Esau, à se videlicet electum, sed Jacob potius, ab uxore suppositum benedixit. Et illic ergo carnalis uxor, & hîc spiritualis sponsa viris suis in propriæ sententiæ diversitate prævaluit: quia qui mundi infirma elegit, ut confundat fortia, Deus utrique consensit. Propheta quoque B David construere templum voluit, sed hoc illi superna dispositio non permisit. Inter Paulum quoque & Barnabam pro Joanne quodam legimus interveniisse dissidium: propter quod tamen non solum utriusque Apostoli non imminutum est meritum, sed ipse quoque discipulus ab Apostolicæ disciplinæ linea non erravit. Non ergo mirum, si nunc homo aliquando inscius à veritate dissentiat, cum & ipsis Apostolis & Prophetis humanitus aliquid accidisse, Scripturarum authoritas probet. Sed hæc aliàs. Nunc ad proposita redeamus. Porrò eodem die, duo cæci ad altare beati Martyris illuminati sunt. Sed & alius debilitatus membris & gibberosus erectus est, & saluti per omnia restitutus. De quibus porrò miraculis dumtaxat quid factum sit, nobis referre sufficiat, ne si qualiter facta sint singula, per rei gestæ ordinem referre contendimus, auditores fortasse (quod absit) lacinioſi styli prolixitate gravemus. Ipsa quoque miracula enumerando persequi cuncta negligimus, sed velut ex magno quodam flumine cyathum haurientes trahimus, quem super mensam Christi convivantibus salubriter propinemus: ne mentis stomachus ingurgitatione gravari, sed sobrio potu tantummodo sitis possit auferri. Ad alia C igitur adhuc enarranda miracula, quæ per eumdem beatissimum Martyrem divinitus sunt ostensa, pergamus.

Violenter ablata restituuntur.

9 Per idem itaque tempus vir quidam non ferendæ vesaniæ, crudelis & rigidus, pauperculæ mulieri de sui juris agro chartulam fecerat, quam tunc cum magni furoris impetu contumaciter requirebat: unde & bovem sibi, & unam securim violenter abstulerat, robur videlicet domesticæ facultatis, & spem regendæ familiæ. Quod ista præ dolore non ferens, cum contribulati amaritudine spiritûs ecclesiam beati Ruffini festinanter ingreditur, ante altare prosternitur: atque ut sibi in tantæ calamitatis articulo subveniret, lacrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adest tandem divina misericordia, & mox ut ab oratione consurgit, jacere in pavimento securim suam ante pedes attonita conspicit. Ilico mœror nimirùm in lætitiam vertitur, & digna Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant, unanimiter exhibetur. Sed ecce raptor negocium adhuc suæ perversitatis exequitur, & præfatæ mulieri, nisi monimentum redderet, supplicium comminatur: qui tamen mox ut securim tam mirabiliter redditam didicit, confusus & obstupefactus expavit, bovem reddidit, pœnitentiam egit, atque omnem querelam, quam eatenus adversùs eam habuerat, sedata animi feritate, sopivit. ex Surio.

reverſuntur-que boves furto abducti.

10 Præterea duodecim fures invicem conspirantes, in domum cujusdam rustici hostiliter irruerunt. Qui ligantes eum primò, deinde boves & cætera domus animalia diripientes, protinus abierunt. Interea rusticus lachrymabiliter vociferabatur, & gemebundus aiebat: O sancte Ruffine, adspice miserum, releva calamitate depressum, nec placeat tibi, ut prædones & nequissimi homines meæ facultatulæ paupertate ditentur. Ad hanc ergo vocem (mira res!) cum jam raptores animalia prosequentes, duodecim milliariis ferè transmissis, procul abissent, ecce omnes, qui direpti fuerant, greges balantes & mugientes accurrunt, & intrà caulas se solito more recipiunt. Sicque factum est, ut & illi quæ præ manibus habere videbantur, repente sublata congemerent: & iste quæ deflebat amissa recipiens, versis utrobique vicibus, exultaret. Visis itaque tot virtutibus, & tam evidentibus miraculorum signis, prædictus Hugo, venerabilis ejusdem sedis antistes, de parva basilica, in qua sanctum corpus fuerat ante receptum, magnam construxit ecclesiam, & juxta possibilitatem sumptûs, non ignobiliter decoravit. Deinde beati Martyris corpus ipso alveo, qui certaminis materia fuerat, condidit, & cum magna totius diœcesanæ plebis frequentia altare desuper consecravit. Porrò autem quanti illic deinceps cæci fuerint illuminati, quanti à dæmonibus erepti, quanti ex variis languoribus liberati, perlongum est vel apicibus tradere, vel sermone proferre. F

Stabilitur hæc die festivitas

11 His itaque transactis, cœpit non parva inquisitio fieri, quo die invictissimi triumphatoris Christi Ruffini deberet martyrium celebrari. Nullis siquidem apud eos extantibus historiæ monimentis, sola erant eatenus annuæ dedicationis solennitate contenti. Tandem authore Deo, reperta passionis historia, constituit venerabilis Pontifex juxta tenorem videlicet, quem literæ testabantur, ut tertio Kalendas Augusti ejusdem glorioſi Martyris festivitas coleretur. Nonnulli verò adversùs episcopum invidiæ facibus accensi, & vesaniæ spiritu implacabiliter incitati, tumultuabantur, oneroſum esse dicentes, populum geminatis unius Sancti solennitatibus feriari, superstitioſumque esse domesticis adinventas studiis festivitates noviter introduci: ad summam, non fabricatum hoc religionis amore, sed ardore pecuniæ. Præsertim autem quidam protervi homines, qui à vocabulo loci, quem incolunt, Insulani vocantur, ipso præclaræ festivitatis die irreverenter abutentes, cœperunt cum suis mulierculis non modo textrinis operibus audaciter insistere, verum etiam ruralibus exercitiis liberius insudare.

cujus violatores divinitus puniuntur.

12 Sed protinus illos sententia divinæ animadversionis ulciscitur, & flagellis eruditi, ad cor redeunt, qui cor habere in prosperitate noluerunt. Ut eis aptissimè congruere videatur, quod per Prophetam dicitur: Redite, prævaricatores, ad cor. Illud etiam: Et nunc ignis adversarios consumit. Nam casas eorum repentè flamma corripuit, & non solùm domestica quæque, sed & quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagravit; adeò ut infelices illi in extremis jam periculis constituti, ad amnem hinc inde confluerent, & in ipsum gurgitis alveum accensa quæque jactarent. Sed ut perspicuè probaretur hoc non casum, sed divini furoris esse indicium,

ex Surio. quidquid mergebatur, extingui non poterat. Miro itaque modo elementum illud vires sui juris & partim tenebat, & ex parte perdiderat : nam & liquida erat aqua, ut immersa quæque fluctu dehiscente reciperet : & quodammodo humida non erat, ut ardentia extinguere posset. Sed quid minimis immoror, cum & ipsa hominum membra flamma prosiliens occupaverit, & extinctionis remedium, quocumque se verterent, invenire non valerent ? Tandem ustulati, fumigati, & in modum torris combusti, cum magnis ululatuum stridoribus ad beati Ruffini altare confugiunt, indulgentiam petunt, & commissi piaculi de cætero emendationem per pœnitentiam pollicentur. Precibus igitur beatissimi Martyris ab incendii doloribus liberati, incolumes ad propria sunt reversi. Ab illo itaque tempore absque ullo cunctationis obstaculo, beati Ruffini martyrium colitur, & die, quam prædiximus, cum magnæ devotionis instantia ad ejus ecclesiam à populis undique convenitur.

uti & illi qui Sancto destinata rapere conabantur.

13 Illud quoque prætereundum esse non arbitror, quod viri quidam trabem de sylva operosis exercitiis levigatam, ad beati Ruffini vectare ecclesiam conabantur : quibus nimirùm quidam Perusinorum violentiam ingerentes, lignum hostiliter extorserunt. Sed cum raptores arborem instantissimi conatûs anxietate protraherent, & jamjamque Perusinis mœnibus uno vix interjacente milliario propinquarent, repente vehiculum hæsit, nullisque virium nisibus impelli ulterius potuit. Interea contigui quoque homines ad auxilium confluunt, non pauci etiam jugati boves adduntur. Ordinant diligentius machinam, invicem exhortantur, in robur se colligunt, armos objiciunt, vociferantur, impingunt ; lignum tamen immobile permanet, acsi fixum radicibus teneretur. Demum magistra necessitas docuit, quod cæca hominum pravitas ignorabat. Mens namque eorum perpetrati criminis conscia, licet serò, liquidò cognovit, quia qui de beati Martyris substantia rapinam fecerant, meritò illis divina virtus obstabat. Mutato itaque repente consilio, Assisium versùs illico vehiculum dirigunt, & accelerandi facultate percepta, beatissimo Martyri, quod superbè rapuerant, humiliter reddunt.

C *Peroratio.*

14 Agamus igitur Salvatori nostro Christo gratias, & digna laudum præconia referamus : qui dum per cives supernæ Hierusalem talia nobis beneficia prærogat, tamquam per exiguas micas ac tenues, ad plenum nos convivium mensæ cælestis invitat : & dum illos jam post laborem quiescentes in patria ubertim satiat, nos etiam in hujus peregrinationis itinere, quasi quibusdam ciborum reliquiis utcumque sustentat : imò qui illos solido suæ visionis cibo reficit, quando nos signorum suorum lacte tamquam parvulos nutrit, donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen. D

Ejusdem hymnus de ipso S. Rufino, breviter ejus martyrium comprehendens.

Magnum Rufini meritum
Turba canat fidelium :
Quo mundi victor exstitit,
Et liber astra petiit.
Bellator invictissimus
Præbet ora lapidibus,
Sed verbis grando verberum
Non indidit silentium.
Plumbatis inde cæditur ; E
Jam jam obisse creditur :
Sed qui putatur mortuus,
Surgit in arma promptius.
Detruditur in clibanum
Furentem flammis ignium,
Caminus sed incendii
Fit nemus refrigerii.
Nam flammis crepitantibus
Clarus immersit angelus,
Ad cujus mox imperium
Perdit vires incendium.
Certat martyr egregius,
Ut leo vinci nescius :
Cuncta pœnarum genera
Mente calcat intrepida.
Saxum collo suspenditur ;
Sic fluctibus immergitur :
Quem aqua Christo genuit,
Per hanc ad ipsum pervenit.
Nunc carnis liber onere,
Rubro vestitur podere,
Corona plexus capite
De pretioso lapide.
Te Martyr alme petimus
Mentis pronæ visceribus,
Nos tua solvant merita, F
Quos nostra gravant debita.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa Flamini.

DE S. TERENTIO CONFESSORE
FAVENTIÆ IN ÆMILIA ITALIÆ.

J.B.S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus probatus, Acta magis incerta.

xxx Julii. *Faventiam alibi non semel, & quidem recentissimè ad* xxvii *hujus mensis memoravimus, ubi de B. Nevolono agendum fuit. Colit eadem ista civitas inter præcipuos suos patronos, protectoresque Sanctum, alibi vix nomine notum, nempe* Terentium, *sub titulo diaconi, de quo inter sacras ecclesiasticas memorias ea antiquissima est, quam nobis suggessit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex monumentis, ut ait, ejus ecclesiæ Mss., auctoritatis sanè non magnæ, præterquam in eo solo* Colitur Faventiæ

A *ſolo capite, de quo dubitare non licet, quod nimirum immemorabili veneratione ibidem cultus fuerit* S. Terentius, *teſte Julio Cæſare Tondutio, civitatis ipſius hiſtorico, ſuperius etiam à nobis laudato, dum pag.* 16 *eccleſias Faventinas parochiales enumerans, inter tres particulares, ipſam* S. Terentii, *ut protectoris nominat, citatque ſynodum diœceſanam, ſub Ugolino anno* 1311 *ex Ordine Minorum aſſumpto, habitam, in qua natales ſingulariter celebrandi præſcribuntur*; Beatorum confeſſorum Æmiliani pontificis, & Rentii (*vult dicere* Terentii) levitæ, in civitate & burgis, ad quorum corpora veneranda, in ſuis propriis eccleſiis reſidentia, Dominus cotidie miranda dignatur oſtendere.

Inter præcipuos patronos,

2 *Nec minus illuſtre eſt apud eumdem Faventinum ſcriptorem, perpetuæ erga* S. Terentium *venerationis incolarum argumentum, in templo cathedrali omnium oculis expoſitum, ubi inter præcipuos ejuſdem urbis Sanctos & quidem protectores, annua ſolennitate feſtivè celebrandus præcipitur hac memorabili inſcriptione, à laudato Tondutio, poſt narratam famoſam Ravennatem iſtius temporis cladem, his plane terminis pag.* 601 *expreſſa*:

B

IMMINENTE CIVITATI EX GALLIS
PERICULO CÆDIS, EXITII ET FLAMMÆ,
VOVIT UNIVERSUS POPULUS FAVENTINUS
AGERE NON MINUS SOLEMNITER IN DIEB. FESTIM *
SS. SAVINI, EMILIANI, TERENTII ET
PETRI DAMIANI, QUAM DIEB. DOMINICIS AGI
SOLITUM DEBITUMQ. SIT, SI MODO OMNIPOTENS
DEUS RUINAM VERTERET
MDXII.

* *An non* FESTIV. ?

Licet alibi ignotus ſit.

3 *Atque hæc eò adducta ſunt, ut de Sancti, ſacris omnibus Faſtis præterquam Ferrarianis ignoti, conſtanti cultu omnino conſtet, priuſquam de ejus vita aut geſtis ſermonem inſtituam. Ea porro adeo ſimplicia & jejuna, dicamus candidè, adeo incerta videntur, ut fateri cogar, vix fidem apud paulo accuratiores hiſtoricos uſquam inventura. In promptu ratio eſt, quod ſolitis characteribus, auctoritatem conciliantibus, prorſus deſtituta ſint. Et genus Sancti ſeu origo, & vel ipſum quo vixerit ſeculum omnino incomperta ſunt, nec de Actorum compilatore, ætate ejus aut fide magis quidquam conſtat. Quod enim ait Ferrarius in ſua annotatione*; Vitam à S. Petro Damiano ſcriptam ferunt: *gratis aſſeritur & popularem tantummodo traditionem ſapit, quemadmodum tota ipſa qualiſcumque Vitæ ſeries, quæ tribus potiſſimum, cæci nempe, paralytici & hydropici miraculis conſtans, notum & nota probitatis ſcriptorem moretur, priuſquam tam facile, ut ſincera admittatur, præterquam quod reliqua omnia, præter principium æque dubium, non niſi perpetua videantur plurium miraculorum mera concatenatio.*

C

Legenda ſatis miſerè conſuta

4 *Ea unde ad nos Legenda pervenerit, nuſquam obſervatum à Majoribus aut indicatum invenio: character paulo intricatior Italicam manum arguit, ut facile ſuſpicer, ex monumentis Mss. eccleſiæ Faventinæ, quæ ipſa allegat Ferrarius, ad nos tranſmiſſam fuiſſe. An & quid idem Ferrarius Imola, ſeu Foro Cornelii de* S. Terentio, *præter cultum ut Sancti popularis, acceperit, quod in altero Catalogo citare potuerit, neque indicat ipſe, neque mihi conjicere promptum eſt; ad Vitam, de qua jam diximus, quamque mox ſubjiciemus, haud dubie referenda ſunt omnia. At vero prætereundum non eſt aliud ſingulare* S. Terentii *apud Faventinos cultûs teſtimonium, in peculiari oratione quæ prædictæ Vitæ ſubjuncta eſt in hunc modum*: Deus qui populo tuo Faventino celebrem hunc diem in beati Terentii confeſſoris tui ſolemnitate feciſti; tribue, quæſumus, ut illum apud te interceſſorem habere mereamur in cælis, quem nobis, te inſpirante, protectorem elegimus in terris. Per Dominum &c. *Ceterum in Papebrochii itinerario Romano Ms. notatum reperi, de ſolo S. Savino fieri* officium duplex 1 claſſis *de reliquis patronis Æmiliano, Terentio, Petro Damiano*, duplex 2 claſſis tantum.

AUCTORE J. B. S.

compendium paulo nitidius

5 *Apud laudatum Ferrarium in majori Catalogo Faventinæ urbis Protector diſertè etiam appellatur, ſubjungiturque Vitæ compendium, quod locum hîc ſuum meretur, à pleriſque, niſi vehementer fallar, toti ipſi hiſtoriæ, ex qua contractum eſt, præferendum. Sic habet*: Terentius Foro Cornelii natus, à puero ſimplex & humilis, eccleſias, Deo ſerviendi cupidus, frequentabat. In numerum clericorum adſcriptus & ſacris litteris imbutus, diaconus creatus, Faventiam veniens eccleſiæ S. Crucis, in qua inſigne xenodochium erectum eſt, inſervire cœpit, orationibus, vigiliis, aliiſque piis exercitationibus addictus. Cujus ſanctitas vitæ brevi manifeſtata eſt: nam Androgeus quidam mendicus, à nativitate cæcus, Foro Cornelii vitam ducens immaculatam, in ſomnis admonitus, ut ſe Faventiam ad Terentium levitam conferret, eo ductus, ac ante Terentii pedes proſtratus, quod ab angelo ſibi in ſomnis præceptum fuerat, exponit. Cumque Terentius ſe peccatorem diceret, tandem mendici precibus exoratus aquam afferri jubet, eaque ablutis manibus, oculos cæci lavit; iſque (mirandum!) repente lumen oculorum recepit.

E

tradit Ferrarius.

6 *Hæc in Vita multo fuſius deducta ſunt, uti & quæ ſequuntur, hîc pauciſſimis delibata. Sic proſequitur*: Quo miraculo per urbem vulgato, multi infirmos ſuos ad ſanctum Levitam deferebant, quos ille ſigno crucis, & manus imponens ſanabat. Terentius ne inanis gloriæ tentaretur à dæmone, clàm fugiens, apud ædem S. Petri, inter denſiſſimas arbores tuguriolum exſtruxit. Sed cum detectus fuiſſet, variis morbis oppreſſi ad eum in dies plurimi confluebant, quos Chriſti nomine invocato, ſanabat. Denique ſibi hinc demigrandi tempus adeſſe, angelo revelante, præſentiens, ſacris probe munitus, feliciter obdormivit in Domino III Kal. Auguſti. Cujus corpus primùm in eccleſiâ S. M. conditum, poſtea, cum multis in dies miraculis fulgeret, in eccleſiam S. Crucis, cui inſervierat, tranſlatum eſt. Eum Faventini uti ſuum Patronum venerantur. *Hactenus Ferrarius, cujus epitomen ſatis nitidam confer modo cum Legenda quam hic ex Ms. noſtro ſubjungimus.*

F

VITA

Ex Ms., veroſimiliter Faventino

Incerta ætas æque ac origo

BEatus Terentius Forum Cornelii, quam urbem poſteri Imolam dixere, patriam habet. Sed quo tempore natus ſit, aut quos parentes habuerit, non liquet. Humili quidem loco editum, non parva ex iis quæ ſequuntur, conjectura eſt: ſed, ut ait Apoſtolus; Non eſt acceptor perſonarum Deus, qui cum ſit omnium conditor, & pater, non generis & natalium claritatem

EX MS. tatem, sed animi bona cujuslibet & merita respicit, quique ex ignobilibus illustres efficit, qualem divino munere factum esse hunc Levitam postmodum constabit. Solet enim Deus in Sanctis suis plerumque ab ipsis surgentis ætatis initiis præmonstrare, variis quibusdam modis, quales futuri sint, quorum splendore Ecclesiam suam illustrare decreverit. Mira igitur in puero simplicitas & humilitas, ardensque sanctarum litterarum desiderium statim enituit.

adolescentia sanctè instituta.

2 Propterea Imolensem frequentabat ecclesiam, ubi postquam orationi, & contemplationi vacaverat, ministris illius subditus, incredibili studio litteras discebat, in quibus brevi quidem temporis spatio adeo profecit, ut jam posset ad sacros ordines promoveri, ad quos per suos gradus promotus est, sic tamen, ut non sit diaconatum transgressus: quo gradu insignitus, frequentare vehementius ecclesiam, & orationem cœpit, cui incessanter die noctuque vacabat. Post certum vero tempus, sancti Spiritus impulsu, patriam relinquens, Faventiam se contulit, in qua tunc erat celebre sanctæ crucis xenodochium, quod est publicum adventantium, præcipuè vero pauperum hospitium; quem postmodum vidua mulier, Deum timens, in suam domum benignè recepit, in qua haud parvo tempore commoratus est. Frequentabat autem sanctæ crucis ecclesiam, ubi orationibus, & meditationi jugiter insistebat. Quare spiritui sic vacans, corporis minimam curam gerebat, nec aliam quidem nisi quam humana necessitas exigeret; propterea tenuissimo cibo potuque utebatur.

B

Androgeus cæcus

3 His gradibus paulatim sanctus Levita ante oculos divinæ majestatis attollebatur, & in dies eminentior fiebat, nondum tamen noscebatur: studiose latere cupiens, sicut veris Dei famulis mos est, quibus peculiare inest bonum humilitatis, præcipuum sanctæ religionis fundamentum. Sed Deus, qui eum elegerat & volebat illum in Ecclesia sua tamquam super candelabro lucernam splendescere, non est passus illum diutius latere. Erat Imolæ quidam ab ipsa nativitate cæcus, cui nomen Androgeus, victum mendicans, vir alioquin bonus & Deo gratus, qui ejus demum miseratus orbitatem, angelum ad eum misit, qui ei diceret; Androgee, Dei sum nuntius ad te missus, ut te doceam, quo pacto visum recipias. Mirifice lætatus est ille, & ait: Deo meo gratias ago qui servi sui misertus est. Ergo ait angelus; Ocius te Faventiam ad sanctum levitam Terentium confer. Et quomodo illum inveniam, aut quem pecunctabor? inquit cæcus. Ubi Faventiam veneris, ait angelus, quærito sanctæ crucis ecclesiam, ubi civitatis illius nosocomium est; in ea illum invenies orationi, ac divinis laudibus incessanter intentum: inventum autem illum sic alloquêris: Terenti, serve Dei, cælestis me nuntius ad te misit, ut oculos meos aperias, & videam. Modum autem, quem servare debeat, esse hunc dices: suas lavet aqua manus; ex eo quod residuum fuerit aquæ, tuos in nomine Christi abluat oculos, quo facto, Dei misericordiam experiere.

C

miro modo visum recipit,

4 His dictis, angelus evanuit. Postquam illuxit, Androgeus gaudii ac spei plenus, iter arripuit. Ubi Faventiam pervenit, ad ecclesiam sanctæ crucis perductus est. Beatum ibi Levitam invenit, ad cujus genua procumbens, cælestis nuntii mandata executus est. Quod ubi audivit ille, ut erat humilis & omnis fugitans inanis gloriæ fomitem, respondit, se peccatorem esse, & egere lumine, nedum posse aliis impertiri; esse hoc ab iis petendum, quibus suam Deus gratiam uberius contulisset. At cæcus, divino fretus monito, ait, se non prius ab ejus discessurum pedibus, quam impetrasset quod se ab eo consequi posse, non dubitabat: scire, se non frustra ad eum esse missum. Quid sanctus faceret Levita? Hinc pudor ingenuus illum retrahebat, inde jussum urgebat divinum; neque enim ab re factum credebat, ut ad se adhuc ignotum ignotus homo veniisset, & tantam rem à se & tam pertinaciter posceret. Precibus igitur illius, & constantia victus, aquam sibi afferri jussit; lavit manus, & cæci oculos perfudit, dicens; Lucem te videre faciat, qui oculos cæci nati aperuit Dominus Jesus. Mirabilis Deus in Sanctis suis! Mira res continuò, & omni stupore digna secuta est. Videre statim cœpit, qui numquam antea viderat. D

multique alii ægri sananturi.

5 Extemplo autem fama rei tantæ totam urbem pervagata est, & ingens populi concursus miraculo stupentium ad eum illico factus. Ita sancti Levitæ, quæ hactenus latuerat, virtus cœpit innotescere, ut deinceps ardens super candelabro lucerna esse inciperet, & ope sua multis laborantibus subveniret. Androgeus autem tanti miraculi testis uberrimus, & cupiens, quas posset, Deo gratias agere, in ipsa ecclesia, in qua lumen videre meruerat, diu fidelis ministerii officio functus est, & illius sacerdotibus inservivit. Vulgata miraculi fama, innumerabilis undique omnis generis ægrotantium cœpit ad eum multitudo confluere, quos impositione manus, in Christi nomine, omnes sanabat. Cumque in dies magis celebre fieret illius nomen, offensus urbis frequentia, & nominis sui celebritate, secessum cogitare cœpit, veritus ne qua antiqui hostis fraude pollueretur. Sciebat enim, nihil illum avidius, studiosius nihil quærere, quam quomodo possit veros Dei famulos ab instituto cursu retrahere. E

Frustra latere cupiens

6 Recordabatur, innumerabilem fuisse anachoretarum multitudinem, qui Ægypti deserta incoluissent, non ob aliud quidem, nisi ut hominum frequentiam & applausus effugerent, & simul Deo uberius & attentius famularentur. Cum iis igitur adnumerari voluit. Quare, decreto secessu, cum magno Faventinæ urbis mœrore, quæ se pretioso privari thesauro videbat, locum sibi ad ædem divi Petri in Lacuna delegit, ubi tunc silva erat arboribus densissima, in cujus remotiore parte angustum sibi tugurium construxit in loco, cui Santureto incolæ nomen indiderant, ubi orationibus ac jejuniis, aliaque multiplici carnis maceratione, majore quodam conatu Deo cœpit famulari. Sed ibi quoque latere diu non potuit: nam ad illum undique variis affecti morbis ægrotantes adducebantur, quos omnes, invocato Christi nomine, sanabat: inter quos adductus est miserrimus quidam, cujus intolerabili vexatum paralysi corpus jam decem annos fuerat, quem ubi propinqui ante Sancti tugurium statuere, dixerunt: Serve Dei, tuæ sanctitatis fama impulsi, de longinquis partibus ad te infelicem hunc adduximus, qua vero spe, res ipsa indicat. Huic tu, quam soles benigne aliis præstare, opem ne deneges. His dictis, reliquere ibi ægrotum & abiere. F

invenitur à paralytico,

7 Infelix autem ille, ubi se à suis destitutum vidit; Heu! me miser, inquit, salutis causa huc adductus sum, sed, ut video, cibus feris in hac solitudine sum futurus. Hæc audiens Terentius, ut erat in omnes pius & ad subveniendum laborantibus semper paratus, miseratione motus dixit: Quid tibi vis & quid quæris fili. Ait ille: Quid quæram, & quid velim, satis quidem videre potes. To-

A Totos decem annos hoc modo laboravi: ſpe ſalutis recuperandæ huc me propinqui adduxere; ſed ut cernis, mox deſeruere, ut cum mihi auxilio eſſe, ac me tueri non poſſim, ferarum cibus continuo fiam; niſi tu mihi quam, ut ad nos fama pertulit, tot aliis præſtitiſti, opem feras. Hic vero converſus ad preces, flens ac gemens rogare cœpit, ne ſe ab hominibus ſic deſtitutum deſereret. Sanctus autem Vir in ſua perſtans humilitate, ac ſe peccatorem aſſerens, nec dignum, qui ſe divinis inſerere operibus auderet, tentare quod rogabatur, prorſus negabat.

quem etiam ſanat,

8 At paralyticus multo magis inſtare, ac renuentem urgere precibus. Demum illius miſeratione victus, brevem ad Deum orationem habuit. A qua ubi ſurrexit, converſus ad paralyticum dixit; Quo vocaris nomine? Leo, inquit. Tunc Terentius, volens illius fidem experiri; Crediſne, inquit, Patrem &c: trinum eſſe in perſonis, in ſubſtantia vero unum? Credidi & credo, & crediturus ſum ſemper. Tunc ſanctus Vir: Crediſne, poſſe illum te iſto, quo laboras morbo liberare? Credo equidem. Ait ille: In illius ergo nomine, qui dixit paralytico: Tolle grabatum

B tuum & ambula; tibi præcipio ut ſurgas; ſic quidem ut nulla deinceps ægritudinis iſtius veſtigia in te remaneant. Vix verba finierat: ſurrexit continuo ſanus, & ita firmis greſſibus, ac totius corporis viribus, ac ſi nullo umquam morbo laboraſſet; & Deo & ſancto Viro, quas æquum fuit, gratias agens, lætus & exultans propriis pedibus in patriam rediit. Non minus mirandum quod ſum relaturus.

uti & hydropicum.

9 Erat Bononiæ quidam dira laborans hydropiſi, quæ adeo illius membra tumefecerat, adeoque diſtenderat, ut hominis in eo vix forma dignoſci poſſet. Is audita viri ſanctitate ac miraculorum fama, fidei ac ſpei plenus, rependo magis quam eundo ad eum venit, ejuſque opem ſupplicum more implorando, aſſerebat, ſe minimè dubitare poſſe quidem, ſe illius apud Deum precibus exitiali morbo liberari. Cui ſanctus; Pater, inquit, miſericordiarum, & totius conſolationis eſt Deus, qui poteſt & ſolet ad ſe ſincera fide confugientes exaudire: ad illum tibi confugiendum eſt, qui dixit: Petite & accipietis; pulſate & aperietur vobis. Scio, inquit ille, nec dubito, poſſe Deum, & ſolêre petentibus præſtare quæ dicis; ſed & illud non me latet, talia etiam per Sanctos

C ſuos operari, in quorum numero niſi tu eſſes, haudquaquam tanta ægrotantium multitudo, quæ ad te confluxit, & confluere non deſinit, ſuis liberata languoribus, à te ſanata diſceſſiſſet. Proinde quod ope tua, ſicut fama refert; quàm plurimi à Deo impetrarunt, ut mihi quoque concedas, per eum, qui per te tot miranda operari non ceſſat, ſupplex rogo. Miratus tantam hominis fidem atque conſtantiam Terentius, non ultra differendum putavit. Et brevi ad Deum, ſicut in ſimilibus illi mos erat, habita oratione, converſus ad hydropicum; In nomine, inquit, Chriſti præcipio tibi, ut ſanus & gaudens ad tuos revertare. Ad cujus vocis imperium ita convaluit, ut nullum in eo diræ ægritudinis ſignum remaneret. Ita Deum & Sanctum illius laudans, & præconiis extollens, in ſuam lætus patriam reverſus eſt. Ex Ms.

De morte præmonitus ad eam ſe parat.

10 Cum autem jam tempus adveniſſet, in quo Deus illi promiſſam ſuis ſervis mercedem perſolveret, cæleſtem ad eum miſit nuntium, qui de die migrationis ſuæ certiorem illum faceret. Quo audito, mirificè lætatus eſt, cupiens continuo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Igitur, convocatis ad ſe propinquis loci illius religioſis viris, diem illis obitus ſui adveniſſe nuntiavit; apud quos ſanctam & admodum ſalubrem orationem habuit, impenſè illos ad Dei proximique dilectionem, ad charitatis, & miſericordiæ opera hortatus. Dei autem miſerationem ſibi illiſque imploraus, & ſiquid umquam deliquiſſet, veniam precatus, totum ſeſe illi commendavit, oculiſque ac manibus in cælum elevatis, cum magna veneratione adſtantium, inter hymnos & pſalmos felicem cælo tradidit animam. Sanctum autem illius Viri cadaver, qui convenerant plurimi, magna cum reverentia ſuſceptum, cum hymnis & canticis ad vicinam Beatiſſimæ Virginis eccleſiam, quæ templo, quod ſupra diximus, beati Petri propinqua eſt, extulere, ad quam, audito ſancti Viri obitu, ingens multitudo confluxit, ibique ductis ſolenniter exequiis, magno cum honore ſepultus eſt. Quot autem, & quantis miraculis illic effulſerit, longum eſſet perſcribere, ut confirmata poſt obitum, quæ concepta erat in pectoribus hominum de Juvenis ſanctitate opinio creſceret, & venerabilior illis in dies fieret. Sed non eſt paſſa divina providentia diutius in loco minus celebri & quaſi in abſcondito Servum ſuum latere: nam poſt aliquot annos Faventino populo ingens illum in urbem transferendi deſiderium injecit. Igitur tali civitas effuſa impulſu, ex æde, quam diximus, beatiſſimæ Virginis in urbem tantum theſaurum ſumma cum veneratione ac plauſu tranſtulit; & in eccleſia ſanctæ crucis, in qua ille diu verſatus, ac demum cognitus fuerat, honorificè collocavit, ubi miraculis innumerabilibus illum Deus illuſtrem fieri voluit.

E F

DE S. EXPLETIO EPISC. CONFESSORE

Metis in Belgica 1.

J. B. S.

ANNO CCCXC.

Quamquam à claſſicis Marlliis abſit,

Irum prorſus, hunc Expletium *inter Sanctos primùm ſignatum fuiſſe à Ferrario in Catalogo generali, his verbis:* Metis, ſancti Expletii epiſcopi ejuſdem urbis. *Vades autem ſuos adducens, eum ſe accepiſſe notat*; Ex tabulis eccleſiæ & Catalogo epiſcoporum Metenſium, nec non ex Kalendario Lotharingiæ. *Quas determinate tabulas appellet, quodve Lotharingiæ Kalendarium, ſatis compertum non habeo: in Catalogo epiſcoporum Metenſium Meuriſſio præfixo, titulum Sancti ſeu S. nomini ejus præponi certum eſt, tametſi in ipſo hiſtoriæ decurſu ab ea appellatione abſtineat; ſic tamen de eo loquens, ut, licet paucis, abunde certè demonſtret, ſanctitatis famâ fuiſſe inſignem. Verba ejus ex Gallicis Latinâ facio:* Quo tempore beatus Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis electus eſt, eodemque anno quo glorioſus S. Martinus Turonenſis eccleſiæ regimen ſuſcepit, cathedram Metenſem conſcendit Expletius, anno nimirum CCCLXXV, qui poſtquam ſanctè gregem gubernaſ-

AUCTORE J. B. S.

set annis XVI, plenus gloria & benedictionibus mortuus est anno CCCXC, sedente Romæ Papa Siricio, imperantibus autem Valentiniano II & Theodosio I. D

cultus tamen ei deberi videtur.

2 *Quidquid igitur à receptis classicis aliisque Martyrologiis præteritus sit* S. Expletius, *videntur argumenta sufficientia Ferrario præluxisse, quibus ipsum Sanctis annumeraret, neque nobis putamus integrum, eum ex opere nostro excludere, Saussayo etiam in Martyrologio ad hunc diem ita diserte ipsum consignante:* Metis, sancti Expleccii episcopi & confessoris, qui sancto Auctori succedens, eam ecclesiam annis sexdecim in omni sanctitate rexit, consummatusque in officio pietatis, sub Siricio Papa evolavit ad cælum. *De certo obitûs die non habeo quod controvertam, aut verò definiam; satis sit, festivitatem ejus hoc die recoli, quidquid in additionibus & correctionibus suis ipsum signandum notet Castellanus* XXVII *Julii*; Metis, sancti Expletii episcopi, *cujus transitum refert ad annum non expresse* CCCXC, *cum Meurisio, sed circiter ad* CCCC. *Verum quemadmodum de natali die, sic nec de certo obitûs anno quod decernamus suppetit, ut in hac parte Meurissio, satis accurato rerum ecclesiasticarum Metensium illustratori, nos posse acquiescere existimemus.*

DE S. URSO EPISC. ET CONFESSORE AUTISSIODORI IN GALLIA.

Sylloge de cultu, ætate, gestis & sepultura.

J. B. S. B

SEC. VI.

DE Autissiodoro jam toties in Actis nostris sermo fuit, ut uberior loci notitia hîc supervacua sit. Sanctum, de quo hîc agendum est, ab antiquario Gallico, ut sæpe aliàs factum, codicibus Hieronymianis adjectum fuisse, rectè observat Florentinius. Sic in Epternacensi ultimo loco annuntiatur; Antisiodoro civitate, depositio Ursi episcopi, *& sic descripsit Rabanus. In Lucensi & Corbeiensi titulus* beati *nomini præfigitur, idque secutus est Notkerus. Ab Adone præteritus est; quod neque in Floro, sub nomine Bedæ à nobis edito, neque in Romano parvo repertus fuerit; unde nec ejus meminit Usuardus, in cujus auctariis notissimus est, uti & in omnibus aliis recentioribus Martyrologiis, tum excusis tum Mss., ut de cultu receptissimo dubitandum non sit. In Directorio novissimo ecclesiæ Autissiodorensis cum S. Palladii translatione hoc die conjungitur sub ritu semiduplici, notaturque obiisse circa annum* 508; *quod stare omnino non potest cum brevi ejus elogio in Historia episcoporum Antissiod. apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. diserte asserente, ipsum fuisse temporibus Joannis Papæ atque Felicis, quos novimus sedisse ab anno* 523 *ad* 530. *At nos turbatissimam historiæ istius chronologiam ordinandam non suscipimus.*

Hieronymianis adjectus est.

C

De gestis pauca supersunt;

2 *Neque de gestis ejus alia supersunt quam quæ in citata Historia commemorantur, hac brevi narratione:* Ursus sedit annos VI, menses IV. De hoc viro sanctissimo fideli relatione vulgatur, quod juxta S. Amatoris basilicam recluſus, anachoreticam duxerit vitam, ubi oratorium usque hodie est ejus nominis memoriæ sacrum. Contigit eo tempore, urbem repentino afflatam incendio conflagrasse, sed ad virum Dei cum sublatus in altum clamor populi perveniſſet, succurrendum periculo ratus, familiarem illuc baculum destinavit: ipse precibus obnixius atque instanter incubuit, eo inter minaces flammas, & quæ adhuc supererant constituto; dicto citius incendium omne deflagravit. Hac occasione sancti Viri merito declarato, urbis decedente pontifice, vi extractum præsulatui suffecere. Cella ejus in ecclesiam cessit. Exegit vitæ suæ tempus annis LXXXI: moribus & meritis pretiosus, fragilitatis molem III Kal. Augustas excessit, atque in basilica S. Germani, juxta prædecessores suos honestam meruit sepulturam. Fuit enim temporibus Joannis Papæ atque Felicis. Hic est Joannes, quem Theodoricus rex hæreticus Ravennæ in custodia affligendo interfecit, imperante Justino, Lampadio & Oreste Coss. Fuit autem civitas sine episcopo anno uno, mens. VI. E

notior est sacri corporis inventio.

3 *Hîc ad rem nostram observanda hæc verba;* Atque in basilica S. Germani, juxta prædecessores suos, honestam meruit sepulturam; *de qua modo nihil certius doceri possumus, quam ex Visitatione Seguieriana facta anno* 1634 *&* 1636 *atque alibi à nobis citata, uti in codice nostro transcripta habetur pag.* CCLXXX *his verbis:* Conversi ad alium parietem, duas imagines sanctorum Alodii & Ursi episcoporum, antiquissimas quidem, sed ab hæreticis, ut apparebat, mutilatas inspeximus; quibus imaginibus proximè suppositi erant duo sarcophagi lapidei, in quorum uno alter sarcophagus ligneus; & utrique sepulcro convenientia elogia diversis characteribus parieti erant insculpta. Inventus etiam sarcophagus lapideus, & pro angustia loci exiguus; in quo quidem sarcophago unius corporis ossa, cuculla vel aliquo alio id genus indumento tenebantur incluſa, patuit. Pro S. Urso hæc legimus epitaphia... Beatæ recordationis Ursus episcopus obiit III Kal. Augusti, cum esset annorum LXXXII. Rexit autem Autissiodorensem ecclesiam anno LXVIII à beato Germano. Hic requiescit sanctæ recordationis Ursus episcopus, qui rexit ecclesiam Autissiodorensem annis sex, mensibus quatuor. F

Ejus epitaphia.

4 *Alia epitaphia luxata & imperfecta, quæ in jam dicta collectione Ms. parte* 1, *pag.* 39 *referuntur, non describo. Sola hæc in epitaphio primo à nostro collectore notata sunt; usque adeo venerabilem fuisse memoriam S. Germani apud Autissiodorenses, ut ab ejus decessu episcoporum successiones computari cœperint: tum & illud, quod anni illi* 68 *à S. Germani obitu sic numerati sint, ut sola SS. Alodii & Censurii tempora colligantur, acsi vacationes non interveniſſent. Subdit idem collector, Democharem æquè ac Baronium æquivoco laborasse, dum hunc* S. Ursum *putarunt subscripsisse epistolæ synodicæ ad Papam Leonem directæ. Cujus porro ætatis atque adeo & auctoritatis sint versus ibidem adducti, promptum non est divinare. Ita sonant:*

Ursus in obscuro vixisse reconditus antro
Dicitur, ut vitam fingeret ore sibi.
At baculo exstinctus tenebras ut dispulit ignis

Vi-

A Vitam etiam populis fingere posse docet. *Ævum certè recentius sapere videtur allusio ad ursam catulum lingentem cum hac epigraphe*, INFECTAM PROLEM ORE REFORMAT. *Neque omiserim verba ultima quibus indicat, in cathedrali aque ac S. Germani ecclesiis, S. Ursi memoriam hoc die festivam esse usque ad prandium: quod an hoc etiam tempore perseveret, compertum non habeo; neque alia occurrunt unde unde ea accersere voluerim, quæ de hodierno S. Ursio prædicentur.* AUCTORE J. B. S.

DE S. TATWINO EPISCOPO CONF.

CANTUARIÆ IN ANGLIA.

Sylloge de cultu & gestis. J. B. S.

An. DCC. XXXIV. *Antuarienſis archiepiſcopus, ordine nonus*, S. Tatwinus *vario modo inflectitur, ut quem alii* Tacuine, Tarwine, Tadwinum, Cadwinum, Scadwinum *aliterque enuntiant, eumdem tamen indicantes, qui Sanctos inter pridem connumeratus est, ut habes in auctariis Usuardinis, ubi codex Altempsianus distinctissimè signat:* In Cantia, depositio sancti Tadwini episcopi & confessoris. *De eodem meminit Florarium nostrum Ms. iisdem prope terminis, at perperam* XII *Aprilis, ut eo die in elencho Pratermissorum observatum invenies. Ghinius ipsum inter canonicos retulit* X *Junii, qui non obitûs dies est, sed consecrationis episcopalis. Secutus est Ferrarius, male allegans Martyrologium Anglicanum, utpote quod tali die de* S. Tatwino *altum silet, ipsum in utraque editione hoc ipso die commemorans. Porro Sancti titulo semper honoratum fuisse in Anglia, manifestè perspicies ex Vita S. Augustini, ejus gentis apostoli ad* XXVI *Maii pag.* 438, *dum inter translata ibi Sanctorum præsulum corpora, non postremum locum tenet is, de quo agimus*, S. Tatwinus, *ut in sua saltempri-matiali ecclesia, quamdiu Catholica stetit, debita Sanctis veneratione cultum fuisse certissimum videatur*

De cultu Cantuariæ satis constat, B

non item quod fuerit monachus. C

2 *An item quod monachus fuerit, & Benedictini Ordinis, non ausim tam positivè asserere, quidquid Parkerus & Godwinus aliique id insinuent, pridem arripuerit Joannes Trithemius, ex quo fortasse Menardus, qui apud Wicnem in Martyrologio de ipso nihil legerat, tametsi alibi* Tadvinum Sanctum *appellet. Bucelinus non parvo elogio* S. Tatwinum *ornavit; verum in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, à Mabillonio editis, prætermissus est, dumque de eo agit in Annalibus, satis dubium relinquit, utrum inter suos ipsum recenseat. Litem equidem non dirimo, cujuscumque conditionis fuerit, ex Beda liquet, virum fuisse plane illustrem, dum de eo scribit Historiæ gentis Anglorum lib.* 5 *cap.* 24 *& ultimo; ad annum* 731, *memorata Brechtwaldi antecessoris morte, ita subjungens:* Pro quo anno eodem factus est archiepiscopus vocabulo Tatwine, de provincia Merciorum, cum fuisset presbyter in monasterio quod vocatur Brindum. Consecratus est autem in Doroverni civitate à viris venerabilibus Daniele Ventano, & Ingwaldo Londonensi, & Alduino Liccitfeldensi, & Aldulfo Rofensi antistitibus die x Junii mensis, Dominica; vir religione & prudentia insignis, sacris quoque litteris nobiliter instructus.

3 *Bedam præ oculis habuit Gervasius seculi* XII *monachus, de Pontificibus Cantuariensibus sic memorans:* Tatwinus presbyter monasterii, quod vocatur Brindun, de provincia Merciorum, electus est & consecratus in Cantuaria à Daniele Wentano, & Ingualdo Londonienſi, & Altwino Lichesfeldensi & Aldulfo Roffensi die x mensis Junii, [DCCXXXI] vir religione & prudentia insignis; sacris quoque litteris nobiliter instructus. Susceptt pallium à Papa Gregorio missum: tribus annis Cantuariensem rexit ecclesiam & tandem III Kalendas Augusti de seculo migravit. *Eumdem quoque Anglicanæ historiæ patrem ad verbum descripsit Radulfus de Diceto, de Sancti monachatu nec verbum etiam memorans. Hæc autem Bedæ verbis de suo superaddidit:* Huic Gregorius Papa dedit Pallium, scribens ei in hæc verba: Præcipimus ut omnis homo totius Angliæ tibi obediat, & sciat te primatem totius insulæ. Obiit autem cum sedisset annis tribus. Hujus tempore Beda obiit: *imo, ut est receptissima sententia, quam adversus Baronii dubitantis opinionem recte probat noster Alfordus, eodem ipso, quo* S. Tatwinus *anno* 734. *Elogia Gervasii & Radulfi;*

E

4 *Omnia complexus est Antiquitatum Britannicæ ecclesiæ collector; cujus etiam verba, cum de Sancto nostro monumenta alia non exstent, hic recitare juverit:* Anno eodem (731) quo Birthualdus moriebatur, factus est archiepiscopus Cantuariensis Tatwinus Mercius, aliàs Cadwinus vel Scadwinus, monachus Ordinis S. Benedicti in abbatia Brenton, quamquam alii eum non fuisse monachum scribunt. Beda sacerdotem illum fuisse monasterii Brenton, in provincia Merciorum constanter affirmat. Consecratus est anno primo Gregorii III Pontificis Romani in civitate sua à Daniele Wentano, Ingwaldo Londinensi, Adwino Lichfeldensi, & Adulfo Roffensi episcopis. Vir fuit religione insignis, & sacris litteris egregiè instructus. Anno post consecrationem secundo orta est inter sedem Cantuariensem & Eborac. de primatu controversia, qua de causa ipse Romam profectus est, ubi à Gregorio Pontifice pallio donatus, primatus etiam confirmationem accepit, deinde in Angliam celeri cursu contendit. Non multo pòst duos episcopos ordinavit. De hujus gestis parum aut nihil memoria dignum reperimus. Ad hujus tempora historiam suam Beda perduxit..... Tatwinus ubi tres integros annos fecisset, diem clausit extremum anno DCCXXXIV & Cantuariæ honorificè tumulo conditus. *item Antiquitatum Britanniæ*

F

5 *Quod vero in Trophæis suis Maihew, jam dictis adjecerit, Gotzelinum* virtutes *ejus* miras & prædicandas scripsisse, ejusque miracula prædicasse, signa exaltasse; *potuerunt ea fortasse existere dum viveret Malmesburiensis; at nec ipse vidit, nec eorum quidquam modo suppetit: ut hic modo habeas quæ de* S. Tatwini *gestis supersunt omnia, in quibus difficultatis id observavit noster* Al- *Maihew*

AUCTORE J. B. S.

Alfordus, quod non facile quis explicuerit, quid contentionis exortum ſit, Sanctum hunc noſtrum inter & archiepiſcopum tunc Eboracenſem, uti paulo fuſius exponit in ſuis Annalibus ad annum 732, num. 1 & 2, ubi citatis quæ jam proxime dedimus, verbis, pendet in re controverſa, quis in Eboracenſi eccleſia cum S. Tatwino contenderit, *tandemque concludit in hæc verba:* Quamobrem cum antiqui nihil de lite mota inter Dorovernenſem & Eboracenſem eccleſiam, nihil de conteſtantibus dicunt, opinor, Tatwinum eo ſolum modo Romam appellaſſe, quo paulo ante Bonifacius appellaverat; hoc eſt Gregorium agnoſcendo eccleſiarum omnium principem, & poſtulando ut apoſtolica auctoritate Dorovernenſis ſedis privilegia tueretur. *Pergit deinde Alfordus:*

& Alfordi. 6 Hoc rectius dicitur, quam ut Wilfridum, modeſti animi virum, contentioſum dicas, aut Egbertum (animoſioris ingenii hominem fateor cum Malmesburienſi) tam cito in epiſcopum conſecraveris. Ille quidem poſtea fecit dixitque multum pro Eboracenſis ſedis dignitate, quod forte anſam dedit Parkero & Godwino tempora confundendi: B ſed cum Tatwino ſediſſe non putatur. Quidquid ſit, Tatwinus Romam profectus, à Gregorio III pallium, dignitatis inſigne, & has litteras impetravit, omnibus Angliæ epiſcopis inſcriptas, in hunc modum, nulla Eboracenſis eccleſiæ facta mentione. *Sequuntur litteræ ipſæ Pontificiæ, unicum quod de S.* Tatwino *reliquum ſit documentum, à nobis proinde minimè omittendum, ubi ad totius Sylloges noſtræ complementum ex Hovedeno apud laudatum Alſordum Sancti ipſius tranſitum cæleſti fortaſſe oſtento præſignatum exhibuerimus. Ita ſcribit ille ad annum 734:* Luna ſanguineo rubore eſt perfuſa quaſi horâ integrâ ſecundo Kal. Februarii circa gallicinium, dein nigredine ſubſequente ad lucem propriam eſt reverſa. Eodem anno Thatwinus epiſcopus nonus Dorovernenſis civitatis in Cantia obiit die tertio Kalend. Auguſti. *En modo diploma Pontificium:*

Gregorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, epiſcopis Angliæ ſalutem.

C

Laudato pro meritis Sancto,

7 Dei omnipotentis immenſæ pietatis magnitudinem collaudamus, qui ſuæ majeſtatis gloriam ſic dilatare dignatus eſt, ut in omnem terram exierit jam ſonus prædicatorum ſuorum & in fines orbis terræ, verba eorum. Cujus ineffabili pietatis gratia, ſicut noſcimur procreati, ita quoque ſumus adoptati, ſanctæ regenerationis portantes myſterium, in ſpem gloriæ filiorum Dei, D per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. Reverentiæ itaque veſtræ dicato collegio collætantes, ut in fide ſtabiles & in opere efficaces inveniamini, hortamur, honore invicem prævenientes, & alter alterius onera portantes, quod ſic adimplebitis legem Chriſti, charitatem continuam habentes, in dilectione Dei & proximi, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Fratris igitur noſtri Tatwini qui beatæ memoriæ Auguſtini prædicatoris veſtri cathedræ ſubrogatus eſt, adventus nos admodum lætificavit, quod virum religionis, & magnæ probitatis, ſub ipſo tempore, quo apud nos ſtetit, eum cognovimus. Proinde auditis ejus petitionibus, anteceſſorum ejus jura dignitatis perquiri in ſacro ſcrinio fecimus: & invenientes eum juſta poſtulaſſe, ſacrum pallium cum venerabili uſu dalmaticæ, Apoſtolica ei auctoritate tradidimus: annuentes quoque jura dignitatis omnia, quæ prædeceſſores ſui, à tempore beatæ memoriæ Auguſtini habuiſſe noſcuntur.

præeminentiæ ſedis confirmat, E

8 Sicut ergo prædeceſſores noſtri Gregorii Rom. Pontificis decretum præfato Auguſtino, ſyncello ſuo, prædicatori veſtro, omnes epiſcopos Angliæ ſubjecit: ſic nos, Deo autore, & B. Petro Apoſtolorum principe, licet indigni, ejus nomine vicem gerentes, tibi Tatwine, Doroverniæ civitatis archiepiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus legitimis, omnes eccleſias Britanniæ, earumque rectores, ſubjicimus, Apoſtolica auctoritate præcipientes, ut omnis homo totius Angliæ tuis canonicis juſſionibus obediat: & te ſciat eſſe primatem, atque ſpeculatorem totius inſulæ, cui vices noſtras per omnia gerendas, in regione illa commiſimus. Tuam autem eccleſiam Doroverinæ conſtitutam, ut propriam, & primam ſobolem religionis veſtræ in Chriſto, ſpecialiter ſub tuitione manus noſtræ tenemus: quam volumus in pacis tranquillitate vigere: ejuſque jura & dignitatis privilegia, in perpetuum immutilata ſervari.

atque epiſcopos ad ſubjectionem hortatur.

9 Quod prima, & mater eſt aliarum omnium, primitus in veſtra religione conſtituta, in honore ſancti Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Scriptum eſt enim: Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus: & ubi eſt caput vegetum, reliqua membra fortius vegetantur. Vos itaque fratres, hæc Apoſtolicæ auctoritatis mandata, cum alacritate, & ſubjectionis reverentia, audite, & ſuſcipite, F & cum præfato fratre noſtro, Archiepiſcopo veſtro, in meſſe Dei laborate. Si autem quivis hæc perturbare voluerit, & noſtræ definitionis ſtatuta divellere contenderit, & violare; ſciat ſe contra ipſum mundi Salvatorem, & B. Petri auctoritatem, niti; & ideo, niſi reſipuerit, æternæ damnationis ſententiam incurrere. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi. *Hactenus Gregorius.*

D E

A

DE S. HATHEBRANDO ABB. ET CONF.

ANTVERPIÆ IN BELGIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. B. S.

§ I. Sancti notitia ex reliquiarum Antverpiam tranſlatione.

MCXCVIII. *Sanctum hîc producimus, ante elapſum proximè ſeculum nullis ſacris Faſtis inſcriptum, ne quidem Molano, Sanctos omnes Belgicos accuratiſſimè recenſenti, in Natalibus ſuis poſthumis anno* 1595 *Lovanii à Cuyckio, & rurſus* 1616 *Duaci à Lintrenſi & Colvenerio editis, ut manifeſtiſſimè pateat, nullam ad ea uſque tempora S.* Hathebrandi *ſeu* Hatebrandi *notitiam in has Belgii partes perveniſſe, tametſi Sanctus in Friſia Belgica floruiſſet, & totis ante quadringentis annis è ſeculo migraſſet, anno nimirum* 1198, *ut ferunt lectiones ex aliquali Vita, ſeu potius antiquo loci ipſius, in quo vixit & mortuus eſt, Officio contextæ, ex octo ad quatuor contractæ, atque hîc Antverpiæ pro cœnobio S. Salvatoris ad hanc diem* XXX *Julii, Sancto feſtivam, typis editæ, ut patet ex proprio directorio,* permiſſu ſuperiorum *impreſſo, at numquam in uſum reducto, ſub hoc titulo:* Feſta particularia, quæ in eccleſia S. Salvatoris Ordinis Ciſtercienſis Antverpiæ, ratione notabilium reliquiarum triginta ſex eminentium Sanctorum ac Sanctarum, ſacræ fidelium venerationi exponuntur & annuatim celebrantur.

In Brabantia primum innotuit

B

2 *Horum inter Sanctorum reliquias, aliunde acquiſitas, ſextum & trigeſimum locum tenent quæ acceptæ ſunt ex ſacro ipſius corpore, quo de agimus,* S. Hathebrandi, *in parte Friſiæ Groningana olim celebris, quæ Weſtfaliæ proxima, Fivelingoa dicebatur, Monaſterienſi diœceſi ſubdita. Abbas iſtic præfuit monaſterio à ſe condito anno* 1183, *nomine* Feldwirth, *cui poſtmodum ad aliorum, opinor ejuſdem Ordinis diſtinctionem,* Oldeklooſter *ſeu* monaſterii *aut* Clauſtri veteris *nomen eſt inditum, ubi alterum virorum, alterum virginum cœnobium exſtitit, manſitque in eadem diœceſi uſque ad tempora erectorum in Belgio novorum epiſcopatuum anno* 1559, *quando Groningæ datus præſul, totam eam maritimam regionem, multis monaſteriis locupletem, ſibi ſubjectam habuit, donec ſub ſeculi* XVII *principium prævalentes inſolescentesque hæretici omnia Catholicæ pietatis monumenta miſerum in modum everterunt & deſtruxerunt, atque ea inter monaſterium illud* Feldwerth, *ſeu* Oldeklooſter, *cujus nulla hodie, quod ſciam, ſuperſunt veſtigia. Ita notat abbatum Catalogus, ſeu potius necrologium, Sancti qualicumque Vitæ, quam Ms. habemus, ſubjunctum:* Anno MDCVIII, V Aprilis obiit D. Hermannus à Dockum abbas in Veteri cœnobio. Fuit abbas XXVII hujus cœnobii, forte & ultimus: rexit clauſtrum annis XLIX, ſed ſuo tempore clauſtrum deſtrui inceptum eſt; quod præfatus abbas magno dolore animi vidit, & etiam ſuo officio eſt privatus, quemadmodum de hac terra, de ceteris abbatibus eſt actum.

per tranſlationem reliquiarum

C

3 *In ea generali juxta ac deploranda calamitate, quod potuit, curavit Catholica pietas pretioſis Sanctorum depoſitis ſalvandis tempeſtivè proſpici, factumque adeo ut* S. Hathebrandi *corpus, ſedulo prius occultatum, deinde fidei viri probè Catholici commiſſum, Antverpiam tranſlatum fuerit, ad jam dicti cœnobii S. Salvatoris eccleſiam, atque ab illuſtriſſimo ejus urbis antiſtite Joanne Maldero anno* 1620 *ſolenniter recognitum & approbatum, publicæque venerationi expoſitum, quemadmodum ex ipſomet inſtrumento, ſequenti paragrapho producendo & explicando, clarius intelliges: unde tota in hoc Belgio Catholico celebritas ortum habuit, ſuffragante potiſſimum Chryſoſtomo Henriquez in Floribus Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis, ubi tomo* 2. *pag.* 399 *ipſum Malderi diploma refert æquè ac in ſuo Menologio ad* VII *Januarii ita primùm annuntians;* Antverpiæ, adventus reliquiarum ſancti Hathebrandi, primi abbatis Antiqui monaſterii in patria Groningenſi, quæ Antverpiam advectæ in S. Salvatoris Ciſtercienſium cœnobio aſſervantur. *Hunc ductorem ſecuti ſunt, qui poſt ipſum ſcripſere, tum Belgæ tum Galli, ex iſto Henriqueziano fonte ſua depromentes.*

ex hæreticorum manibus feliciter ereptarum.

D

4 *Hos inter ita loquitur Menardus in ſuo Martyrologio Benedictino hoc die:* Antverpiæ, S. Hathebrandi abbatis, *in obſervationibus diſertè indicans, ſe ex citato Henriquez Sanctum accepiſſe, quem nec apud Wionem nec apud alium Ordinis ſui ſcriptorem invenire potuerat. Ipſiſſimum fontem ſapit Sauſſayus, dum etiam* VII *Januarii textui ſuo, minori charactere ſubnectit:* Antverpiæ in S. Salvatoris cœnobitica eccleſia, facta eſt ipſo die ſuſceptio reliquiarum S. Hathebrandi, primi abbatis Antiqui monaſterii in Friſia, cujus depoſitionis memoria colitur III Kal. Auguſti; *quo die paulo confuſius elogium texuit:* In Belgio, S. Hathebrandi abbatis & confeſſoris, meritis eximii, qui Apingendamium apud Friſios cœnobium inchoans, vitæ ſanctiſſimæ illic magna decora prodidit: conſtructoque deinde ad propagationem pietatis in Hollandia Felduuertenſi monaſterio, quod Clauſtrum antiquum dictum eſt, filios multos divinæ religionis ſemine procreavit, emeritæque demum beatitudinis præmia percepit à Domino. In ſacra æde ſui cœnobii ſepultus ſignis admirandis refulſit, quæ eam, quâ in cælis potitur, gloriam declaraverunt. Cum autem deſtructum fuiſſet ab hæreticis hoc cœnobium, pia Henrici præpoſiti S. Salvatoris Antverpienſis providentia, hinc ſublatum ipſius cælitis venerabile corpus, non ita diu ad ipſam præpoſituram tranſlatum fuit, approbante Joanne Maldero ep. Antv., qui feſtum ſancti ipſius Confeſſoris quotannis peragi juſſit hoc die, quo conſignatum eſt.

Hinc ab Henriquez aliiſque laudatus,

E

F

5 *Porro Henriquezium, Menardum & Sauſſayum præceſſerat Aubertus Miræus in Faſtis ſuis Belgicis & Burgundicis, biennio circiter poſt ſolennem ſacri corporis recognitionem excuſis, in quibus Sauſſayano non multo accuratius elogium concinnavit, his plane verbis:* Hatebrandus ſeu Hathebrandus

quos Miræus præceſſerat.

AUCTORE J. B. S.

Feldwertenſe monaſterium Ordinis S. Benedicti, quod, poſtea Antiquum clauſtrum eſt dictum, pro utroque ſexu anno MCLXXXIII inchoavit, Appingendami apud Friſios, in diœceſi olim Ultrajectenſi, nunc Groningenſi. Obiit autem anno MCXCVIII, ibidem conditus: cujus ſacra oſſa inde Antverpiam an. MDCXX ad cœnobium S. Salvatoris (quod eſt monachorum Ord. Ciſtercienſis) ſunt allata; unà cum codice Ms. in quo lectiones habentur de vita ejuſdem, à monachis Feld-wertenſibus in templo, ut apparet, recitari ſolitæ. Inter alia narrantur iſta: Tria temporibus vitæ ſuæ conſtruxit in Friſia pius Pater monaſteria; Feldwerth primum, Merehuſum ſecundum, Germerawald tertium. *Subjungitur & hîc diploma laudati epiſcopi Antverpienſis, quod ex Ms. noſtro, cum Miræo & Henriquez collato, mox illuſtratum dabimus, ubi Vitæ compendium, aptiſſimè contractum ex Rayſſii Auctario, ad obſcurioris hiſtoriæ ipſiuſque Malderiani diplomatis intelligentiam præmiſerimus. En titulum:*

B

Rayſſius in elogio patriam & parentes memorat;

6 De ſancto Hathebrando primo abbate Veteris clauſtri, Ord. S. Benedicti Nurſitæ. Ex ejus Vita manuſcripta, quam ad nos officiosè tranſmiſit D. Philippus van Boonem, prior S. Salvatoris, vulgo Petri Potz. *Hic textus eſt:* Apud Vetus clauſtrum in Friſia, natalis ſancti Hathebrandi, primi ibidem abbatis. Is apud Vifelgones Friſiæ populos natus eſt, parentibus, qui laboribus manuum ſuarum victum ſibi compararent. Quis vero qualiſve futurus eſſet, ante nativitatem parentibus Deus præſignificavit. Alundo ſiquidem (erat is Hathebrandi pater) qui ab uxore diſceſſerat propter ejus ſterilitatem, dormienti divinitus facta eſt vox ut ſurgeret, & ad uxorem reverteretur, quoniam ex ea prolem ſuſcepturus eſſet. Evigilans vero multum timuit; quare Deum orat, quatenus ſuam voluntatem ſibi indicaret. Statim ergo obdormivit, eamdemque quam prius vocem audiit, quodque naſcitura proles monachorum pater foret, ſerviret Domino cunctis diebus in ſanctitate, & multos converteret ab iniquitate.

inde filii inſtituntum monaſticum,

C

7 Illico ſurgens gaviſus, & reverſus cum gaudio ſuſcipitur ab uxore. Quæ pacificè cum viro in poſterum habitans filium promiſſum genuit. Ætatis anno decimo quinto ad ſcholas amandatus eſt, ut clericali honore inſigniretur: qui poſtmodum ſcientia competenter inſtructus, pervenit uſque ad honorem presbyteratus. Sacerdos factus, in ſimplicitate Deo ut ſerviret, locum ſolitarium quæſivit: ubi poſtea parentibus orbatus, penitus renuntiavit ſeculo, & religioſum habitum ſuſcepit. Ante ipſum in Friſia non erant monaſteria, ſed neque aliqua regularis diſciplina. Primus igitur cœpit cellas & oratoria conſtruere, & fratres ad ſanctum habitum provocare. Tum multi vicini videntes eum ſanctiſſimè vivere, cœperunt ad eum confluere, & ſe ſuaque monaſterio tradiderunt, ut eſſent ſpiritu pauperes in hoc ſeculo.

abbatis munus præclarè geſtum:

8 Ceterum concordi fratrum ſententia in abbatem electus, & ab epiſcopo Monaſterienſi benedictus, omnibus præluxit verbo & exemplo, omnibus major erat in vitæ ſanctitate, major in fratrum caritate, in humilitate, contemplatione & in mentis ad Deum elevatione. Vigiliis & jejuniis corpus macerabat. Noctu vicibus quadrageſies flexis genibus Deum exorabat. Spiritum vero ſuum ab oratione non relaxabat. Sæpe in ſextis feriis virgis in tantum ſe caſtigabat, ut ſanguis ex dorſo flueret. Cogebat fratres ad ſervandum rigorem orationis, quem monſtravit verbis & exemplis. Cumque conſpicerent illicita non ſibi licere, cœperunt adverſus ipſum inſurgere: at ille maluit affligi pro juſtitia, quam dimittere eos vivere ſine diſciplina. Quidam religioſus videns fratres religionis diſciplinam parvi pendere, propoſuerat, habitu relicto, ad loca ſancta proficiſci: quare Deum non ſine gemitibus exoravit: ſtatim quidam in ſpecie ſui abbatis ei apparuit multis gemmis in birro exornatus: à quo non parum conſolationis delibutus oleo, illico propoſitum mutavit, & conſtanter in monaſterio Deo deinceps ſervivit. D

ſigna non nulla & miracula;

9 Ceterum quam Deo accepta eſſet ejus ſanctitas, hominibus non ſemel innotuit; ſemel enim madefactam ab imbre cucullam exuens, ad ſplendorem ſolis medio in aëre, nullo fulciente adminiculo, ſuſpendit. Aliàs cum ad clauſtrum Merehuſum, quod ipſe conſtruxerat, viſitando declinaret, mulierculæ miſeriâ precibuſque motus, Deum pro eadem exoravit; tum prehendens ejus brachium, ſimul ſanitate donavit. Ipſa verò dolore brachii, quo per triennium adflicta fuerat, liberata, patriam illam circuivit clamando, cum gratiarum actione, dicens orationibus Abbatis ſe ſalvam in brachio; idcirco dandas Deo laudes, & Hathebrando ejus fideli ſervo. Porro multitudo maxima, propter miraculum in ea factum, ad Abbatem veniebat, & gratias Deo maximas referebat. Alii vero verbum Dei ab ore ipſius audire cupientes, alii vero ſanctum Hominem videre volentes, alii autem confitendo peccata ſua, pœnitentiam agentes, alii vero conſilium ſalutare de ſecretis ſuis ab eo quærentes, alii autem diverſos infirmos ad clauſtrum adducentes, ſanitatem à Deo orationibus ejus non deſperantes. E

tum Sancti obitum:

10 Videns Vir Dei quia univerſus populus ipſum magnificabat, iter ſuum ad Feldwirth clauſtrum arripere volebat, ſed turba tenens eum, ire non ſinebat. Sed ſecretè propter vanam gloriam de terra illa recedens, & ad Antiquum clauſtrum regrediens, poſtea multo tempore non auſus fuit in Emeſgoniam intrare, quoniam homines quærebant ipſum honorare. Obiit anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, & rexit quindecim annis. Ejus reliquiæ ad ſancti Salvatoris Antverpiæ prioratum non ita nuper, anno ſcilicet milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, cura & ſtudio Domini Henrici Vander Heyden, tum ibidem prioris, nunc autem Villarienſis abbatis, religioſè illatæ ſunt, ſub atteſtatione multarum & venerabilium perſonarum: ita ut reverendiſſimus epiſcopus Antverpienſis Joannes Malderus, omnibus rite examinatis, cenſuerit, eaſdem à fideli populo venerandas, ac quadraginta dierum indulgentias templum dicti prioratus, ubi ſancti Hathebrandi reliquiæ quieſcunt, viſitantibus, & ibidem pro felici Eccleſiæ ſtatu, principum Chriſtianorum concordia ac hæreſum extirpatione orantibus, conceſſerit hac die tranſmigartionis ejuſdem Sancti. F

poſt quem manſerit ſuavis odor prognoſticus

11 Teſtantur prædicti teſtes, ſe à religioſis ejuſdem monaſterii ac fide dignis catholicis viris audiviſſe: imminente aliquo gravi infortunio eidem monaſterio, aliquot diebus præcedentibus ſolere ibidem diſpergi ſuaviſſimum quemdam odorem, ita ut monaſterium totum repleatur. *Quæ hîc poſtremò dicuntur de miraculo ſuaviſſimi odoris, imminente gravi calamitate, olim in cœnobio Feldwertenſi diſpergi ſolito, unde hauſerit Rayſſius, fateri cogor, me prorſus ignorare: ejus rei nec*


Vita

A *Vita inferius danda, nec diploma Malderi meminit; neque poſt adhibitam omnem diligentiam, & in Friſia, & hîc Antverpiæ apud cœnobitas S. Salvatoris, vel minimum documentum nanciſci hactenus potui, unde confirmetur hujuſmodi prodigium. An dum viveret Rayſſii inſtructor D. Philippus van Boonem talis ſupereſſet traditio, non habeo unde certo conjiciam.*

12 *Quod hîc reliquum eſt, quæri poteſt, quo præcipuè cultu & veneratione Antverpiæ in dicto jam templo celebretur Sanctus ipſa hujus diei* XXX *Julii feſtivitate, cum jam ſuperius inſinuaverim, Officium de ipſo non recitari. Re accuratè inveſtigata, id in ipſo loco comperi, ſolenne Sacrum de eo decantari; verùm de cetero reliqua omnia die illo, quemadmodum toto anni decurſu, Officia ipſa peragi more & ritu Ciſtercienſi, nulla habita ratione Sanctorum etiam aliorum quinque & triginta, quidquid in libello, cujus titulum dedimus, recenſeantur. Id præterea conſtat, è S. Hathebrandi reliquiis nonnullas cum variis aliis eccleſiis communicatas, atque eas inter cum ſacello aliquo Livano, Cluſa ſeu cella dicto, ſub directione RR. PP. Dominicanorum, ubi ex expanſo Belgico programmate docemur, ſolenniter elevatas fuiſſe anno* 1701, *tamquam patroni ſingularis adverſus ulcera varioſque dolores, quibus propitium ipſum pii cultores ſæpius experti ſunt. Juverit demum hîc oculis ſubjicere lipſanothecam ipſam in qua quæ ſuperſunt Sancti oſſa reconduntur, ſacro vertice mitrâ inſigni, in ſuperiori parte expoſito, quemadmodum hîc intueri datur.*

Cultus ejus Antverpiæ.

B



C

CORPUS
FERE INTEGRUM
S. HATHEBRANDI
ABBATIS
COLITUR 30 JULII

AUCTORE J. B. S.

§ II. Illuſtriſſ. Antverp. epiſcopi diploma & Acta.

Tota cultus celebritas

C*Um ex hujus inſtrumenti fide tota pendeat cultus* S. Hathebrandi *celebritas, imo & ejus, ſaltem in hac noſtra Brabantia, & hinc alibi principium, nihil magis ad Sancti gloriam conducere poteſt, quam ſi ipſum hîc proponatur, &, quoad fieri poterit, ſic illuſtretur, ut de totius rei veritate nullum prorſus dubium ſupereſſe poſſit. Quocirca id ſupponendum præcipuè, Illuſtriſſimum approbatorem eò adductum non fuiſſe, ut tamquam Sancti alicujus veras reliquias publicæ venerationi exponi conceſſerit, quin ei omnino conſtiterit, eaſdem alibi pari cultu donatas fuiſſe, ſaltem, ab immemorabili, ut conſequenter cenſendum plane ſit,* Hathebrandum *Sancti appellatione multis ante annis & forte ſeculis gaviſum fuiſſe, tametſi hodie monumenta non exſtent, unde ea demonſtrari queant, præter ſolam Vitam, rudi planè & incondito ſtylo, neſcio à quo aut quando compoſitam, atque in lectiones octo diſtributam, ut infra clarius perſpicies. Audi modo loquentem rurſus Henriquez in notis ad citatum Menologium:* Erat tunc temporis prior cœnobii S. Salvatoris R. P. Henricus Vander Heyden, nunc abbas Villarienſis, cujus cura & ſolicitudine ſacrum beati Viri corpus ad illud monaſterium advectum fuit. Unde autem, quave occaſione illuc delatum fuerit, ex litteris reverendiſſ. epiſcopi Antverp. conſtat, quæ tales ſunt. *Habe ipſum diploma:*

ex diplomate epiſcopi Antverpienſis

14 Joannes Malderus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Antverpienſis omnibus has viſuris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ex authentico inſtrumento, plurium fide digno teſtimonio roborato, nobis conſtet, reliquias penè integri corporis ſancti Hathebrandi, primi abbatis monaſterii dicti Oldencloſter, Ordinis S. Benedicti, prope Appingendam, diœceſis Groningenſis, modo ab hæreticis occupati, anno Domini MDCXVII, ex tumba ſita in medio eccleſiæ dicti monaſterii, à vice-prioriſſa monialium ibidem & duabus converſis, ſolis ſuperſtitibus religioſis ejuſdem monaſterii fuiſſe extractas, & poſt obitum dictæ vice-prioriſſæ ab altera dictarum converſarum, nomine Joanna Dierickx, in cuſtodiam fuiſſe traditas probo & honeſto viro Nicolao Gaſparis, civi dicti loci Appingendam.

F

in quo quæ dubia videri poterant

15 *Quandoquidem, ut jam obſervatum eſt,* de S. Hathebrandi *cultu in tabulis eccleſiaſticis nullum exſtabat veſtigium, dubitatum certè fuiſſet, utrum in his Actis locus ei tribueretur, niſi acceſſiſſet diploma quod hic deſcribimus, inde robur ſuum præcipuè accipiens, quod teſtetur Illuſtriſſ. approbator,* ex authentico inſtrumento plurium fide digno teſtimonio roborato, ſibi conſtare reliquias *eſſe* penè integri corporis S. Hathebrandi primi abbatis monaſterii dicti Oldencloſter; *ut adeo extra controverſiam cenſeri debeat,* Hathebrandum *in eo monaſterio ab immemorabili cultum fuiſſe ut Sanctum, ejuſque ſacras reliquias ſummo in pretio habitas, ac tanta cura à ſuperſtitibus monialibus ex tumba ſeu monumento extractas fuiſſe & abſconditas, ne ab impiis hæreticis profanarentur. Quod autem* ex tumba ſita in medio eccleſiæ *extractæ dicantur; nolim, ſepulcrum ſub terra tibi imagineris: in iis enim & Germanicis partibus ſatis receptum eſt, quod non ſemel videre memini, ut tumbæ ſeu capſæ ſacras reliquias*

AUCTORE J. B. S.

liquias continentes, in ipſo templo, ſeu medio ſeu laterali exſtruantur, clatris undique ſeu columellis ferreis, in ſacelluli modum circumſepta, in quibus elevata Sanctorum corpora aſſervantur, eo modo populi venerationi expoſita.

explicantur.

16 *Neque magis te terreant monaſterii vice-prioriſſa & converſæ ſeu laicæ binæ, quæ ſalvandi ſacri theſauri curam ſuſceperint, quaſi tum monachorum clauſtrum ad moniales tranſiiſſet, quod Bucelinus rotundè aſſerere auſus eſt: nequaquam; nam duo iſtic cœnobia exſtitiſſe jam diximus; atque id in quantacumque inſtrumentorum penuria, apertius ad Chronicam B. Emonis, inter ſacra antiquitatis monumenta collectionis Hugonianæ notatum invenies pag.* 477, *fundatum nempe à ſancto* cœnobium pro utroque ſexu, *ut ſupra etiam obſervabat Miræus; intellige bina cœnobia, alterum virorum, feminarum alterum, ejuſdem Benedictini Ordinis: viris autem ſub ſeculi* XVII *initium, vel præcedentis exitum diſperſis, remanſerint ſanctimoniales aliquæ, certè tres illæ, de quibus in diplomate agitur, quæ ſacris eccleſiæ cimeliis ſalvandis occultandiſque tam ſolicitè intenderint, ut ſingularis Patroni ſui corpus rapacibus iconomachorum manibus præripuerint, commiſerintque* probo *iſti* & honeſto viro Nicolaò Gaſparis, civi dicti loci de Appingendam.

B

Teſtes in recognitione adhibiti,

17 *Quæ deinde in diplomate Malderiano ſequuntur, explicatione non indigent; id rectè cavit Antiſtes illuſtriſſ. juxta ac eruditiſſimus, ut teſtes adhiberet omni exceptione majores in dictarum reliquiarum inſtrumentorumque, ad earum ſufficientem probationem ſpectantium recognitionem, quales, omni dubio procul fuere eccleſiæ ſuæ archidiaconus Cornelius de Witte ſacræ theologiæ Licentiatus, & rei totius promotor atque exſecutor Henricus Vander Heyden, Villarienſis poſtmodum digniſſimus abbas; tum vero viri celeberrimi Laurentius Beyerlinck, ingenti ſuo opere, ſub titulo* Theatrum vitæ humanæ, *toto orbe Chriſtiano notiſſimus, ac Franciſcus Vander Zypen, aliàs Zypæus, juris utriuſque peritiſſimus, atque in Belgici præſertim expoſitione coryphæus, quos omnes eò ſtudia ſua contuliſſe dubitandum non eſt, ne quid ad totius rei veritatem ac certitudinem deſideraretur. Sequatur itaque modo altera diplomatis pars in qua ſic proſequitur Illuſtriſſimus approbator:*

C

& reliqua ad ſecuritatem ſpectantia.

18 Qui Nicolaus coram nobis, præſentibus D. Cornelio de Witte ſacræ theologiæ Licentiato, archidiacono noſtro, P. Henrico Vander Heyden, priore monaſterii S. Salvatoris hujus civitatis Antverpienſis, D. Laurentio Beyerlinck ſacræ theologiæ Licentiato, archipresbytero eccleſiæ noſtræ cathedralis, & D. Franciſco Vander Zypen, utriuſque juris Licentiato, canonico ejuſdem eccleſiæ ac Officiali noſtro, ſub ſolenni juramento declaravit, ſe dictas reliquias à præfata ſorore Joanna accepiſſe, atque tuliſſe ad hanc civitatem Antverpienſem, ut in prædicto monaſterio ſancti Salvatoris aſſerventur. Nos, pro munere noſtro, libenter iis intenti, per quæ fideles ad debitum Sanctorum cum Chriſto regnantium cultum, & eorum reliquiarum venerationem incitentur, approbamus dictas reliquias, eaſque declaramus eſſe prædicti S. Hathebrandi genuinas; ideoque concedimus, ut eæ, tamquam ſufficienter à nobis recognitæ & probatæ, in templo antedicti monaſterii S. Salvatoris, eodem modo, ut olim in eccleſia, unde tranſlatæ ſunt, populo Chriſtiano venerandæ exponantur, atque omnibus Chriſti fidelibus die xxx Julii (qui ejuſdem S. Hatſiebrandi natalis eſt) idem templum ſingulis annis devotè viſitantibus, ibidemque pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, principum Chriſtianorum concordia, & hæreſum exſtirpatione, pias ad Deum preces fundentibus, quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta, in Domino largimur. Datum Antverpiæ die XVII menſis Januarii anno D. MDCXX.

D

Nulla hodie apud Friſones Sancti memoria;

19 *Nihil modo ſupereſt, niſi ut ad Acta ipſa tranſeamus, qualia ad verbum deſumpta ſunt ex Ms. libello loci ipſius Oldecloſter, quem cum ipſo ſacro corpore ad ſæpedictum S. Salvatoris cœnobium attulit laudatus ſupra Nicolaus Gaſparis, eo ſtylo & ordine digeſta quo ſupra dicere cœpimus, ut facile pateat, non niſi in monachorum uſum, dicamus ad fovendam in iis erga ſanctum Fundatorem venerationem, ſatis miſerè, ut erant ea tempora, exornata: quod vero in hac re miſerrimum eſt, fruſtra in Friſiam & alio recurri, ut vel minimum lucis in tantis tenebris nanciſcerer. Conſultus ſiquidem de variis huc ſpectantibus Miſſionarius noſter Groninganus P. Petrus Van Reyſingen, paucis ac diſertè reſpondit, nullum prorſus iſtic, neque in Ommelandia ſeu circumjacentibus pagis, cultum aut memoriam ſancti alicujus* Hathebrandi *ſupereſſe apud orthodoxos, ne nomen quidem, quod alioquin inter tot alia Friſica, in Baptiſmo imponi ſolita, Sanctorum nomina procul dubio recenſeretur: ut ſuſpicari merito liceat, confuſum eſſe ſeu idem cum nomine* S. Hiltebrandi *martyris, magni S. Bonifacii ſocii, de quo ad* V *Junii actum eſt: neque ſic tamen in Rituali Friſico efferri; ubi* Yſebrandi & Hillebrandi *in baptiſmo nomina imponuntur; quæ certè Sanctorum eſſe necdum agnoſco, niſi ad jam dicta revocentur. Tu inde tutò conjice, quid de Vita aut geſtis hodie ibi reperiri poſſit.*

Acta vero non magni momenti.

20 *Auctorem itaque jam dictæ Vitæ aut ejus ætatem in vanum planè quæſieris. Si ex ſubnexo Catalogo ſive Necrologio liceret arguere, ſequeretur, præfatas lectiones non niſi ſub ſeculi* XVII *initium compoſitas: at cum certo vetuſtioris longè uſûs in choro fuiſſe videantur, major antiquitas eis omnino tribuenda eſt. Id ſatis patet, ex ipſis contractum eſſe Rayſſii elogium, eo ferme modo conceptum, quo lectiones quatuor in peculiari Directorio S. Salvatoris, ad ejus eccleſiæ uſum compoſito, ſed necdum recepto, quas fruſtra hîc deſcriberem, cum in Vita jam ſubjungenda plenius contineantur. Sequatur itaque*

E

F

VITA

In octo lectiones diſtributa

Ex Ms. cœnobii S. Salvatoris Antverpiæ.

LECTIO I.

Uxorem ob diſſidia fugiens Sancti pater

a

b

FUit in Friſiæ partibus, in terra Vifelgonum *a* vir quidam, nomine Alundus, qui duxit uxorem, nomine Tettam. Erant ambo pauperes, nec habebant prædia, niſi tantummodo, juxta metam illius terræ, tredecim gramina *b*. Ambo laboribus manuum ſuarum vivebant, nec heredem habebant. Tetta concipere à viro ſuo non po-

potuit ; & vir ejus eam valde exoſam habebat. Igitur inceperunt invicem conjuges diſcordare, nec aliquis poterat eos ad concordiam revocare. Propoſuit eam in perpetuum deſerere, quia noluit diutius ei commanere. Reliquit igitur eam, domum, agros, & quidquid habuit, & ſic inops, & pauper ab ea receſſit: [&] venit in terram Gutieſgoniæ *e* in villam, quæ Uſquerth *d* dicitur. Ibi ad ſervitium unius divitis provocatur, factus ibi multo tempore illius armiger, quia Domino ſuo ſervivit in omnibus fideliter. Intentionem revertendi ad conjugem, poſtea numquam habuit, idcirco Domino ſuo ardentiori dilectione ſervivit. Sed Deus omnipotens aliter diſpoſuit, & tali modo ad propriam uxorem ipſum revocavit. Nocte igitur quadam, dum ille in ſomno jacuit, talem vocem audivit: Alunde, ſurge, & vade ad uxorem propriam, quoniam habebis ſpecialem gratiam. Naſcetur tibi filius: hic erit bonus & juſtus. Evigilans, multum timuit, quid hoc ſomnium eſſet, cogitavit, invocato nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſi ex Deo eſſet, iterum hæc vox ad ſe veniret, & ut divinam voluntatem ipſi indicaret.

A

d c

B

ANNOTATA.

a *Pars eſt Friſiæ orientalior proxima ſinui Dollarto atque oſtio fluvii Emeſæ, ſive Amaſii, dicta* Fivelingoa *in Friſiæ mappa geographica Menſonis Alting: hinc incola* Fivelingii.

b *Quæ terræ menſura ſit* gramen, *necdum inveni explicatum: peréxiguam eſſe portionem, ſatis oſtendit tam expreſſa pauperies. Paulo diſtinctiorem notitiam ſuggeſſit laudatus ſupra P. van Reyſingen, notans terræ menſuram eſſe, quæ vulgo iſtic* graes *dicatur, propria Friſonibus, complectens virgas geometricas* 240, *quarum ſingulæ pedes* 14 *itidem geometricos contineant.*

c *Intellige partem occidentaliorem, quæ apud Altingium notatur* Hunſingoa.

d *Forte* Viskawirth *in jam dicta mappa, non procul à mari.*

LECTIO II.

C *divinitus monitus ad eam regrederetur;*

Finita oratione, ſtatim obdormivit, & eamdem vocem dicentem ſibi, ſecundùm quod prius, audivit: Alunde, ſurge & revertere ad Tettam uxorem tuam propriam; à Deo talem habebis gratiam: Ex ea naſcetur tibi filius; hic erit monachorum pater almificus; ſerviet Domino cunctis diebus vitæ ſuæ in ſanctitate, & multos convertet ab iniquitate: & hoc erit tibi ſignum veritatis. Juxta viam per quam ad eam redibis in Halfwert *a*, duas aves ſimul dulciter juxta campanas videbis: Sic tu, & uxor tua poſt hæc debetis concorditer vivere, nec amplius inter vos diſſentire. Evigilans Deo laudes reddidit, & quod talem honorem peccatori Deus exhibuit, ſurgens ſtatim multum gaviſus fuit; quia de promiſſis firmiter credidit, O! in puero naſcendo vitæ ſanctitas! O! in Salvatore infinita bonitas! Accepit licentiam à ſuo domino, cui multo tempore fideli ſerviebat obſequio, dominus illum triſtis dimiſit, quia ſincero corde illum dilexit.

a

ANNOTATA.

a *In tabula non exprimitur; haud dubiè quod non niſi villa aut vicus fuerit,*

EX MS.

LECTIO III.

Regrediens monſtrato loco vidit aviculas ſedentes & quaſi divinum juſſum explentes. Reverſus domum ſuam, cum gaudio ſuſcipitur, conjugale vero ſacramentum inter ipſos celebratur. Habitaverunt ambo ſimul in loco qui Kapmenæe *a* dicitur, & à Deo filius promiſſus ibidem naſcitur, nomen puero à parentibus Hathebrandus eſt impoſitum. Ablactatus puer, in quinto decimo anno ad ſcholas adducitur, ut clericali honore perfrueretur. Igitur Hathebrandus clericus in ſcientia competenter litteratus, pervenit uſque ad honorem presbyteratus. Sacerdos Dei Hathebrandus in ſimplicitate Deo fideliter ſervivit, idcirco locum ſolitarium quæſivit. Habebant parentes ejus parvum mare, juxta quod habebant aream, nec umquam aliquis habitavit ſuper eam. Fregerunt de Kaſtminze domum, erexerunt manſionem ſuper area, juxta ſtagnum. Creverunt arundines in mari juxta eorum domum, & tellus inter mare, & domum, propter quod locus dictus eſt Feldwirth *b*, uſque in diem hodiernum.

obſequens promiſſum filium ſuſcipit.

a

E

b

ANNOTATA.

a *Inferius eſt* Kaſtminze: *at neque hic locus in dicta tabula reperitur, ob datam jam rationem.*

b *Videtur ſcriptor velle indicare, accreviſſe terram circa eorum domum, ita ut ager aut campus ex mari ſeu ſtagno concreſceret; unde Belgicè intelligi poſſet,* Factus campus; Feld wirth: *niſi malis inſulam indicari, quod paulo majori auctoritate firmatum vellem, quemadmodum & quæ ſequuntur.*

LECTIO IV.

Orbatus utriſque parentibus, ſtatim cupiens renuntiare ſeculo, ut eo liberius ſerviret Chriſto, fecit abbas ſancti Pauli in Trajecto ipſum monachum, & ſic humilitatis cauſa ſanctum ſuſcepit habitum *a*. Ante ipſum in Friſiæ partibus non erant monaſteria, ſed neque aliqua regularis diſciplina *b*. Cœpit vir bonus cellas, & oratorium conſtruere, & fratres honeſtos, ad ſanctum habitum provocare. Erat monaſterium ſuum in Friſiæ partibus primum monaſterium, propter hoc dictum eſt clauſtrum, uſque in præſentem diem, Clauſtrum antiquum *c*. Multi vicini ſui, videntes eum ſanctiſſimè vivere, cœperunt ad habitum ſanctum convolare, commiſerunt ſe & ſua monaſterio, ut eſſent ſpiritu pauperes in hoc ſeculo. Erat vir bonus, & purus in corpore & ſimplex in mente, ut de B. Job legitur, qui erat vir ſimplex, & rectus Deum timens, & à malo opere recedens. Contigit autem, ut epiſcopus Monaſterienſis in Friſiam viſitando deſcenderet, & ut officium ſibi commiſſum expleret, venit ad memorati Viri monaſterium, ei nomen abbatis impoſuit & officium. Ad petitionem conventûs hoc fecit, quoniam nullus electioni ſuæ contradixit.

Hic parentibus orbatus monachumque indutus.

a

b

F

c

ANNOTATA.

a *Satis mira & præceps hîc depingitur monachi inſtitutio.*

b *Ignorantiam hîc prodit Vitæ ſcriptor: nam à ſeculi iſtius principio ad annum* 1183, *quo ſuum cœnobium fundavit* S. Hathebrandus, *jam*

EX MS. *multa erant in Friſia condita monaſteria, à Canonicis regularibus, à Ciſtertienſibus & Præmonſtratenſibus, quæ hîc enumerare, nec vacat, nec opus eſt.*

c *Non rectè probat quod intendit ſcriptor, nam Campus floridus vocatur etiam* Oldenclooſter, *ut aliud taceam ad Marnam, in ipſa illa Friſia regione.*

LECTIO V.

aggregatos ſocios egregiis exemplis inſtituit.

Accepta benedictione, major fuit in vitæ ſanctitate, major in fratrum caritate, major in humilitate, major in contemplatione, major ad Deum in mentis elevatione. Vigiliis, & jejuniis corpus macerabat, gemitibus & orationibus, & lacrymis inſiſtebat, nocturno tempore, vicibus quadringentis flexis genibus Deum exorabat, ſpiritum vero ſuum invictum ab oratione non relaxabat: ſæpe in ſextis feriis cum virgis in tantum ſe caſtigabat, quod ſanguis, ex ſuo dorſo fluebat; ſicut vir bonus virtutibus claruit, ita in vita ſua mirabilis claruit. Cogebat fratres ad ſervandum rigorem Ordinis, quem monſtravit verbis & exemplis. Cumque conſpicerent, illicita non licere, cœperunt quidam adverſus ipſum manifeſtè inſurgere. Revera quadam die dum ſecundum conſuetudinem in conventu ambularet, ſteterunt mali fratres in via ſua, ut eum verberibus, & fuſtibus caſtigarent. Cumque ad dexteram vel ad ſiniſtram declinare non potuit, accipiens in via vaſculum, ſub cuculla capiti ſuo, ut mortem evaderet impoſuit. Pertranſiens ipſos, ſuper caput ictum magnum cum patientia ſuſtinuit, & ſic propter remedium memoratum, ſanguinis effuſionem evaſit. Altera die illos cum ſeveritate ſanctè corripuit, & illi conſentiendum eſſe, ſibi nullus contradixit *a*. Servans vir bonus Ezechielis propheticum: Væ paſtoribus Iſraël, qui ſeipſos paſcebant, gregem autem meum non cuſtodiebant. Malens ipſe magis affligi pro juſtitia, quam dimittere eos vivere ſine diſciplina.

ANNOTATA.

a *Vult dicere, immorigeros fratres ad religioſam diſciplinam reductos eſſe, ſaltem pleroſque.*

LECTIO VI.

Diffidens frater confortatur, & immorigeri ad ſaniora reducuntur.

Quidam frater Everardus nomine fuit qui Deum timebat, ſanctam obedientiam, & regulæ diſciplinam, quantum potuit, obſervabat. Hic videns quia abbati invidebant, nec mandata Dei, & Ordinis obſervabant, cœpit in corde ſuo quid ageret revolvere: quia nolebat in clauſtro cum livore vivere, propoſuit ſanctum habitum abjicere & ad partes Hieroſolymorum pergere. Quodam nocturno tempore dictis matutinis, Deum cum gemitibus exorabat, & quid ei ſalubre ad faciendum eſſet, flagitare non ceſſabat. Cumque in corde ſuo abire de clauſtro propoſuiſſet, & orationes ſuas, quaſi tunc finiviſſet, ſtatim quidam in ſpecie ſui abbatis ei apparuit, qui etiam multas gemmas pretioſas, in birro *a* portavit: quædam gemmæ, ut ſol cum eſt in cancro, ſplendentes, aliæ vero quaſi luna coruſcantes, aliæ ſicut ſtellæ lucentes, aliæ vero nullum lumen proferentes. Quare ſic mœrens ſederet, ille interrogavit. Cui frater Everardus ſtatim reſpondit; Domine mi Pater, cras volo habitum monachalem abjicere, quoniam diutius tantas moleſtias à Fratribus non poſſum ſuſtinere; melius eſt in exilio cum pace Deo ſervire, quam in clauſtro cum livore vivere. Et qui ſunt hujuſmodi lapides tam pretioſi, quia numquam tales ferre conſueviſti: ſemper, Pater, ſanctitas tua in humilitate vixit. Statim fratri Everardo ille reſpondit; Noli, frater, habitum ſanctum abjicere, quoniam per multas tribulationes in regnum Dei nos oportet introire: malorum eſt à peccatis purgare juſtum: ſicut flagellum purgare ſolet triticum, & ſicut ignis argentum, ſic mundari nos oportet, antequam perveniamus ad cælum.

ANNOTATA.

a *Vocis hujus variæ notiones ſunt, pro tunica hîc accipi, ex adjunctis manifeſtum eſt.*

LECTIO VII.

Mira Sancti fiducia in extruendis monaſteriis;

Apoſtoli vero & fideles ab infidelibus perſecutiones multas ſuſtinuerunt; tamen Domino fideliter ſine crimine ſervierunt. Judas Scarioth quondam habuit charitatem; infidelibus prædicavit; miracula fecit; ſed quoniam in ultimo fur, & traditor exſtitit, idcirco vitam ſuam malo fine concluſit: & quid proſunt tibi quæ feciſti opera bona, ſi modo intendas ad deteriora? Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur. Tunc ſtatim frater Everardus, intentionem ſuam revocavit, & uſque ad mortem ſuam in clauſtro fideliter Deo ſervivit. Quodam tempore, cum Abbas cum fratribus, ſecundum conſuetudinem, in pratis laboravit, ſubito de cælo pluvia non modica ſuper ipſos erupit. Ceſſante pluvia, cucullâ ſuâ ſe Pater exuit, & tunc quaſi ex turbatione in ſplendorem ſolis ſuſpendit, ita ut nec terram, nec lignum, nec aliquid humanum tetigit, ſed quaſi ad exſiccandum veſtimentum, nec ipſe tenuit *a*. Videntes fratres quæ fiebant, Deo maximas laudes reddebant. Tria quippe temporibus vitæ ſuæ conſtruxit in Friſia, pius Pater monaſteria, Feldwirdt primum, Merehuſum ſecundum, Germerawald *b* tertium. Cumque ſecundum conſuetudinem Pater ad clauſtrum Merehuſium viſitando declinaret, obviam quamdam mulierculam habebat. Quæ clamabat, flens, ejulans, atque dicens, pater Abba, ſerve Dei, miſerere mei, poteris ſi vis à Deo impetrare gratiam, ut ego ſanitàtem recipiam; nequaquam recedam à te, niſi ores pro me Deum, & fortiter apprehendens tenuit eum, nec ultra equitare permiſit illum.

ANNOTATA.

a *Frequens in Actis noſtris miraculum, etiam in Vita B. Siardi, in eadem Friſia Canonici Præmonſtratenſis, Horti S. Mariæ (vulgo* Mariengart*) abbatis, qui colitur* XIII *Novembris, & de quo ſic apud Hemconium canitur:* Longa ſuper radios extendens pallia ſolis. *Utrum in fide hujus ſcriptoris, hoc alterum de* S. Hathebrando *admittendum ſit, rerum hujuſmodi peritorum eſto judicium.*

b *Fides etiam hic ſit penes auctorem: miraculo certè proximum eſt, virum tam pauperem, annorum quindecim decurſu, tria cœnobia condere potuiſſe. Equidem* Merehuſum *alibi non inveni: in Antiquitatibus Hugonianis pag.* 557 *notatur* Gemerwolt *ſeu* Gemerwalda abbatia Benedictinorum.

LEC-

A

LECTIO VIII.

Miracula ac ſanctiſſimus obitus.

Videns vir bonus mulieris conſtantiam, clamavit ad Dominum, miſericordia motus ſuper eam; Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui reſpicis corda hominum, magis quam eorum opera, ne reſpicias peccata mea, ſed reſpice, quæſo, ſuper hanc mulieris fidem, quæ credit hac vice à te recipere ſanitatem, ut ſciant fideles ſervi tui, quia omnia poſſibilia ſunt firmiter credenti, propter nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum Amen. Cumque orationem fudiſſet ad Dominum, apprehendens brachium illius, confeſtim ſanitatem accepit. Statim vero mulier clara voce Deo laudes reddidit. Aſcendens Pater ſine mora Merehuſiam in clauſtrum proprium, ut ibidem expleret viſitationis obſequium. Prælibata vero mulier vociferando per terram Emeſgoni *a*; Brocmanniæ circuiens, clamabat cum gratiarum actione, atque dicens, quia orationibus Abbatis ſalva ſum in brachio
B meo, idcirco detis unà mecum laudes Deo & Hathebrando fideli ſervo ſuo. Tribus annis & eo amplius dolor brachii ſui eam cruciabat, in tantum ut manum ad os proprium, vel ad pedem flectere nullo modo valeret. Igitur multitudo maxima propter miraculum in ea factum ad Abbatem veniebat, & gratias Deo maximas referebat: alii vero verbum Dei ab ore ipſius audire cupientes, alii vero ſanctum hominem videre volentes, alii autem peccata ſua confitendo pœnitentiam agentes, alii vero conſilium ſalutare de ſecretis ſuis ab eo quærentes, alii autem diverſos infirmos ad clauſtrum adducentes, ſanitatem à Deo orationibus ſuis non deſperantes. Videns vir Dei quia univerſus populus ipſum magnificabat, iter vero ſuum ad Feldwirt clauſtrum accipere volebat, ſed turba tenens eum ire non ſinebat. Sed ſecretè propter vanam gloriam de terra recedens, & ad Antiquum clauſtrum regrediens, poſtea multò tempore non auſus fuit in Emeſgoniam intrare, quoniam homines quærebant ipſum honorare *b*.

ANNOTATA.

C

a Emeſgoniam *intelligo, quam ſupra* Hunſingoam *diximus. Vicinam fuiſſe Brocmanniam, ſatis patet.*

b *Atque hic ſiſtunt lectiones, quibus, nullo intermedio titulo, ſubjungitur abbatum Feldwertenſium ſeries, ſeu potius Necrologium, in quo primum locum occupat Sanctus hoc modo:*

Ipſo die Abdon & Sennen obiit pius pater Hathebrandus abbas primus in Feldwert & fundator monaſterii, qui obiit anno Domini M. C. nonageſimo octavo, & rexit quindecim annis.

1 M. C. LXXXIII inceptum fuit monaſterium in Feldwert.

2 In profeſto Sixti Papæ obiit domnus Reyndo, piæ memoriæ abbas ſecundus in Feldwert, anno Domini MCCXIII qui rexit XV annis.

3 Undeno Kalend. Julii obiit domnus Tedo tertius abbas in Feldwerdt.

EX MS.

4 In profeſto Criſpini, & Criſpiniani obiit domnus Eyzo abbas piæ memoriæ quartus in Feldwert.

5 Decimo Kalend. Februarii obiit domnus Hoyto piæ memoriæ quintus abbas in Feldwert.

6 In die ſancti Martini obiit, domnus Penudus, piæ memoriæ ſextus abbas in Feldwert.

7 Decimo octavo Kalend. Januarii obiit domnus Syfrydus piæ memoriæ ſeptimus abbas in Feldwert.

8 Quarto Nonas Martii obiit domnus Ondulphus piæ memoriæ octavus abbas in Feldwert.

9 Ipſo die Symonis & Judæ, obiit domnus Itto piæ memoriæ nonus abbas in Feldwert.

10 Pridie nonas Decembris obiit dominus Aldbertus piæ memoriæ decimus abbas.

11 Pridie Kalend. Junii obiit dominus Egericus piæ memoriæ XI abbas in Feldwert.

12 Altera die undecim millium virginum obiit dominus Tyo piæ memoriæ XII abbas in Feldwert.

13 Duodecimo Kalend. Junii obiit dominus Osbrandus piæ memoriæ abbas in Feldwert XIII. E

14 Kalend. Junii obiit dominus Hemmo XIV abbas in Feldwert.

15 Sexto nonas Martii obiit dominus Sioko XV abbas.

16 Pridie Kalend. Majas obiit dominus Oſbrandus XVI abbas.

17 Nono Kalend. Junii obiit piæ memoriæ dominus Rudolphus XVII abbas in Feldwert.

18 Octavo idus Septembris obiit dominus Zeyno piæ memoriæ XVIII abbas in Feldwert.

19 In profeſto ſanctæ Catherinæ virginis obiit dominus Johannes Grave XIX abbas in Feldwert.

20 Altera die Tiburtii, & Valeriani obiit Hermannus Nordis piæ memoriæ XX abbas in Feldwert.

21 Sexto Kalend. Septemb. obiit dominus Johannes Nordis XXI abbas in Feldwert.

22 Quarto Non. Octobris obiit dominus Gerardus de Buren piæ memoriæ abbas XXII in Feldwert.

23 Ipſo divi Petri ad Cathedram obiit dominus Jacobus de Daventria XXIII abbas in Feldwert.

24 Ipſo die Symonis & Judæ Apoſtolorum obiit dominus Regnerus de Daventria XXIIII abbas in Feldwert. F

25 Ipſo profeſto ſanctæ Barbaræ virginis obiit venerabilis dominus & dilectus Pater noſter, dominus Johannes Altinck XXV abbas in Feldwert. anno Domini MDXL.

26 Die tertia Septembris obiit venerabilis dominus & dilectus Pater noſter dominus Boſſuinus Johannes XXVI abbas in Feldwerdt anno MDLIX.

27 Anno MDCVIII quinto Aprilis obiit Reverendus Hermannus à Dockum abbas in Veteri cœnobio, fuit abbas XXVII hujus cœnobii, forte & ultimus: rexit clauſtrum annis XLIX, ſed ſuo tempore clauſtrum deſtrui inceptum eſt, quod præfatus abbas magno dolore animi vidit, & etiam ſuo officio eſt privatus, quemadmodum de hac terra, de ceteris abbatibus eſt actum.

IHS

TRI-

A D

TRIGESIMA PRIMA DIES.

SANCTI QUI PRIDIE KAL. AUG. COLUNTUR.

S. Calimerus ep. mart., Mediolani.

S. Oneſimus & ſocii MM., Puteolis.

S. Fantius ⎫ MM., in Calabria
S. Deodata ⎭ vel in Sicilia.

S. Democritus ⎫
S. Secundus ⎬ MM., veroſimilius
S. Dionyſius ⎭ in Africa.
B S. Thyrſus ⎭

S. Fabius M., Cæſareæ in Mauritania.

SS. XII Martyres Romani.

S. Firmus ep. conf., Tagaſte in Africa.

S. Petrus ep. conf., Ravennæ in Italia.

S. Germanus epiſc. Autiſſiodorenſis.

S. Goſſelinus ep. conf., Metis in Belgica 1ª.

SS. CCCL Martyres in Syria Secunda.

S. Imiterius conf., in Comitatu Burgundiæ.

S. Bantus ⎫ confeſſ., Treveris
S. Beatus ⎭ & Confluentiæ. E

S. Eudocimus Juſtus, CPoli.

S. Neothus conf. in Anglia.

S. Helena vidua martyr in Suecia.

S. Joannes Columbinus, Jeſuatorum inſtitutor, Senis in Italia.

S. Ignatius de Loyola, fundator Soc. Jeſu, Romæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Joſeph Arimathiæ, curator (*ſepulcri*) Domini *notatur in Supplemento noſtro ad Menæa Græca excuſa, ex apographis Sirmondo-Chiffletianis conſtante; cujus* Joſephi, curatoris Domini *etiam fit mentio in Menæo Mazariniano. Ex his acceptum ſuſpicor à Caſtellano; at nos jam pridem de illo egimus cum Martyrologio Romano, die* XVII Martii.

C

Apoſtolus Tychicus *hoc die notatur in Menæo Mazariniano*, ut in pace conſummatus; *additis duobus verſiculis: adiſis diem, quo de illo actum, præeunte Martyrologio Romano*, XXIX Aprilis.

S. Morandum *monachum in Suntgovia confeſſorem rectè ſignaverat Grevenus, cur ipſum hoc die iterum repetat, nec divinando aſſequor: ſatis ſit de eo à nobis actum eſſe die* III Junii.

Beatorum confeſſorum Joannis presbyteri & Benigni diaconi depoſitio apud Medianum monaſterium, qui carne & ſpiritu germani, à beato Hidulpho Treverorum archiepiſcopo educati, ſimul migrantes, uno conditi ſunt mauſoleo. *Sic legitur in Uſuardo Luxovienſi; nos utrumque ſanctiſſimo magiſtro, cujus Actis ipſorum geſta innexa erant, conjungendos putavimus, ut videre eſt tomo* III *Julii pagg.* 236 *&* 237 *die* XI Julii.

S. Fauſtini feſtum in ejus E. P., *id eſt* eccleſia propria, *notatur in Ordine recitandi divinum Officium eccleſiæ ac diœceſis Venetæ pro anno* 1683. *Sanctum ſynonymum dedimus ad diem* 24 *hujus menſis à pag.* 547; *alium præterea daturi cum Græcis ac Martyrologio Romano ad diem* 30 *Auguſti; qui apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, neſcio qua de cauſa, ad diem* 31 *Julii retractus eſt, cum alio certò confuſus; ut videre eſt apud nos dicto die* 24, *à pag.* 549. *Is itaque, cujus feſtum ſupra commemoratur, vel jam datus eſt iſto die, vel dandus altero, videlicet* XXIV Julii vel XXX Aug.

F

S. Guilielmi epiſcopi *alicubi hoc die ſignati nomine, non videtur alius intelligi poſſe à Briocenſi, de quo jam egimus* XXIX Julii.

S. Floram virginem martyrem, *à* Lucilla *aliiſque ſociis ſejunctam, hoc die nobis refert Grevenus: tu videſis quæ de ea totaque cohorte dicta ſunt* XXIX Julii.

S. Hathebrandus *hoc die malè à Rayſſio annuntiatur, atque item à Bucelino, de eo jam actum eſt die præcedenti* XXX Julii.

S. Cathwini *ut* Cantuarienſis archiepiſcopi & confeſſoris *meminit hoc die Uſuardus Altempſianus.* Tatwinum *abſque dubio indicare voluit, de quo egimus die præcedenti* XXX Julii.

S. Julittæ M. *memoria hoc die legitur in quibuſdam Faſtis Græcis; ut videre eſt ex dictis die, quo cum Martyrologio Romano ac Menæis magnis &c. eam dedimus* XXX Julii.

Venerabilis ac vivificæ Crucis profeſtus dies *legitur hoc die in Typico S. Sabæ, Menæis magnis excuſis, Calendario apud Genebrardum, & Horologio anni* 1607; *de quo etiam meminit Menolo-*

A *nologium Slavo-Ruſſicum Sparwenfeldianum. Vide quæ inter Prætermiſſos dicta ſunt die heſterno* XXX Julii.

S. Sabinum *in Florario Sanctorum Ms. ſic hoc die annuntiatum reperi :* Apud Treverim, natale S. Sabini epiſcopi & Banti presbyteri & confeſſoris. *De hoc ſuo loco hîc agitur cum fratre* Beato ; *at quid ſibi alter apud Treveros velit, prorſus non intelligo, ut ibi iterum indicatum invenies.*

Auguſtiduno, dedicatio eccleſiæ ſenioris, & tranſlatio multorum ſanctorum MM. *eſt additamentum ad codices Hieronymianos, ut habes apud Florentinium.*

Capuæ ſancti Oliverii epiſcopi & confeſſoris : forte idem quem notavi quarto Kalendas. *Pura, puta additio eſt Cartuſiæ Bruxellenſis, hîc poſitionem ſeu locum mutantis; de quo in Prætermiſſis egimus* XXIX *hujus, quo ex tempore nihil occurrit quod ibi dictis ſuperaddamus.*

Encæniorum venerabilis ædis ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ in Blachernis ubi jacet ſancta tumba, commemoratio *ponitur in Menæis magnis excuſis : quo fortè etiam reſpexerit Kalendarium Syriacum ſeu Chaldaicum, confuſè atque indeterminatè ſic ſcribens :* Renovatio templi Deiparæ Mariæ.

Sancti novi Accademici certamen *ponitur in Martyrologio Arabico-Ægyptio ; ſed ſuſpicamur locum hunc fœdè corruptum eſſe ; in quo intelligendum putamus S. Eudocimum juniorem (hoc die à nobis datum) juxta dicta in ejus Commentario prævio num.* 2, *quem conſule.*

Mariæ jejunium incipere, *hoc die refertur in Martyrologio Arabico-Ægyptio ; & Menologium Slavo-Ruſſicum Sparwenfeldianum*, hoc die, *inquit*, jejunare incipimus.

S. Julianum *aliquem ut* patronum coli Maceratæ *in agro Picano Italiæ, ſcripſit olim ad Bollandum noſter P. Henricus Lindanus, tum Laureti, ni fallor, Pœnitentiarius. Quærere à Maceratenſibus liceat, utrùm ex ſexaginta ſynonymis hactenus datis, is unus ſit, an ab iis diverſus? Tum quæ ejus ætas aut geſta ſint, ut alio die ab ipſis deſignando, de eo agi poſſit, cum de eo hac die altiſſimum ubique ſit ſilentium.*

S. Thyrſus M. *in nonnullis codicibus Hieronymianis aliiſque ſeorſim poſitus, non alius eſt ab eo quem hoc die cum ſociis retulimus.*

C Arnaldus *abbas Ciſtercienſis refertur hoc die in Kalendario, ut ordine* XVIII ; *verum ab Henriquez & Chalemoto ſignatus eſt* XXIV *Septembris.*

Maria de Satillon *ſingulari elogio ornatur &* beata *dicitur in Menologio Henriquez, in Bellopratenſi cœnobio, de qua etiam agunt Chalemotus & ante ipſum Rayſſius, ita paucis virtutes ejus complexus :* Hæc multis adinodum virtutibus effulſit, obſervationi regularum, orationi ac meditationi, præſertim infantiæ Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti tota dedita. *Obiiſſe dicitur anno* 1577.

Adam *primus abbas monaſterii beatæ Mariæ de Lanckenhemio* ſanctitatis titulo celeberrimus *à Chryſoſtomo Henriquez prædicatur, adducto epitaphio hujuſmodi :*

Abbas cœnobii primus ac optimus hujus
Hîc cubat eximiæ vir pietatis Adam.

Vera hæc omnia exiſtimo : verum hîc deſideratur primo requiſitum, ut de cultu ei legitimè exhibito doceamur.

Gerardum I *Cameracenſem epiſcopum hoc die ferme ut* Sanctum *ſignavit alicubi Papebrochius,*

auctoritate ſolius Marloti, qui in hiſtoria Remenſi tom. 2 *pag.* 77 *eum rotundè hujuſmodi titulo exornat, ſed quem apud populares noſtros Martyrologos fruſtra quæſiverim hactenus. Neque vero, tametſi Sanctus eſſet, ad hunc diem ſpectaret, cum mortuus ſit* XIV *Martii, ut expreſſè notatur in Catalogo, Balderici Chronico præfixo, in editione Colvenerii & diſertius in notis ad lib.* 3, *cap.* 63, *pag.* 576. *Citat vero Colvenerius Vitam B. Lietberti cap.* 2, quo aſſeritur, *inquit*, ſancte vixiſſe & canonicè eccleſiam ſibi commiſſam rexiſſe. *Ut ut ſit, virum, rebus præclarè geſtis illuſtrem, demonſtrat citatum Chronicon toto ferme lib.* 3 ; *at Sanctorum honoribus legitimè aliquando donatum, quæro qui nobis præmonſtret ; de eo, ſi liceat, ultro & libentiſſimè in Supplemento Martii acturis.*

Agnetem *aliquam abbatiſſam Doxanenſem, inter alias ſynonymas, etiam virtutibus inſignes, refert in ſua Epitome rerum Bohemicarum noſter Bohuſlaus Balbinus : at non ita, ut ſacris aris umquam admotam oſtendat ; utpote hæc ſola ex antiquo Kalendario deſcribens :* XXXI Julii obiit beatæ memoriæ Agnes prælata loci hujus, quæ eidem contulit vineam & LXXX marcas argenti.

Bartholomæus Franciſcanus *laudatur ab Arturo, poſt Gonzagam, Barezzum & Marium Mutium, adducitque epitaphium ſepulcro appoſitum in conventu Mantuano, ubi corpus requieſcit, his verbis conceptum :* Bartholomæo Bergomenſi, homini Dei : qui obiit MDXLVI die ultima Julii. *Paucis multa, fateor ; verum ut Sanctis in hoc opere annumeretur, exſpectanda ſummæ in Eccleſia auctoritatis declaratio.*

S. Dodonem *nobis annuntiat hoc die auctarium aliquod Uſuardi Vaticani his verbis :* In caſtro S. Agnelli, natalis ſancti Dodonis abbatis. *Novimus* ſanctum Dodonem de Aſcha *Ordinis Præmonſtratenſis in Friſia, de quo actum eſt* XXX *Martii : alium ſynonymum ſuggerunt Molani Natales ad* XXVIII *Octobris, S. Urſmari diſcipulum : an ille cum alterutro confundendus ſit, an potius ab utroque diverſus, non habeo, unde definiam.* Caſtrum S. Agnelli *Italicum quid ſonare videtur, forte à S. Agnello Neapolitano, qui colitur* XIV *Decembris. At Sanctum ſub* Dodonis *nomine nullum agnovit Ferrarius, neque id tradunt tabulæ aliæ, ſaltem quæ mihi innotuerint.*

Benedictus I Papa *à Wione, Dorganio aliiſque monaſticis eadem auctoritate inter Sanctos relatus eſt, qua uſi ſunt in ſignando Pelagio II, à Majoribus noſtris ad* VIII *Februarii nihilominus prætermiſſo. Ferrarius qui in Catalogo Sanctorum Italiæ de Benedicto nec verbo meminerat, in Generali monaſticos iſtos ſecutus eſt, ſic tamen ut ſynonymum Benedictum II, qui ut Sanctus verè colitur* VII *Maii, cum hoc primo apertè confuderit, quemadmodum & eum confuderant auctaria Uſuardina ad* XXIV *Aprilis citata, ſed eodem die in Prætermiſſis refutata ; ut nihil ſatis fundatum appareat, quo* Benedictus I *inter Sanctos referri poſſit ; à quo cum abſtinuerit Baronius, non ſolitus Romanos Pontificis negligere, fruſtra plane eſt monaſticorum iſtorum annuntiatio, ut ipſum in hoc opere collocemus, quem in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, nec ut monachum nec ut Sanctum admittere auſi ſunt Acherius & Mabillonius. Quidquid igitur Sancti titulo donetur, ornetur-*

que

A

que radiis in vulgatiſſimis tabulis Cavallerianis, curanda omnino non eſt pictorum aut ſcalptorum nimia in hac parte libertas.

S. Fabianus *martyr hoc die Cæſareæ à Ferrario ſignatus, is ipſe eſt de quo hoc die hic ſuo loco agitur ſub vero nomine* Fabii.

Sebertum regem *ex Kalendario Anglico, haud dubiè male deſcripto, ſe accepiſſe teſtatur Ferrarius in Catalogo generali; nos iſtius nominis nec regem nec Sanctum novimus: ſi de Sebbo aut Sigeberto loqui voluit; de iis agetur ſuo loco & tempore.*

Matthæolum Camertem & Antonium Peruſinum *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini producit nobis hoc die Jacobillus inter Sanctos Umbriæ cum titulo* Beati, *quali etiam donantur ab Herrera & aliis Ordinis ſcriptoribus, quos omnes ſupra ſapuit jam dictus Jacobillus, dum ipſis hunc, tamquam cultûs diem aſſignavit, quem apud ipſos Auguſtinianos non reperit. Utriuſque elogia ultro & libenter admitto, cupioque locum inter Sanctos utrique adſcribere, ubi de legitimo cultu certoque ejus die me ii, quorum intereſt, edocuerint.*

B

Godefridus de Cortebeke: *primò Affligemii Benedictinus, deinde Villarii Ciſtercienſis monachus, vir eximiæ virtutis, ut pluribus deſcribitur in lib. de illuſtribus viris monaſterii Villarienſis cap. 20. Non tamen Beatis, quorum elevata ſunt corpora, accenſetur. Refertur hoc die à Chryſoſtomo Henriquez, x Februarii ab Arnoldo Rayſſio, ut ibi docuimus.*

Gaſpar Barzæus *Belga è Societate noſtra ut Hormutii, in inſula ſinûs Perſici, verus apoſtolus meritis hoc die laudibus ornatur in Molani Natalibus Sanctorum Belgii, non vero obitûs die, uti ad calcem elogii, quod iſtic videri poteſt, obſervat editor, notans etiam Vitam ejus à P. Nicolao Trigault tribus libris vulgatam Antverpiæ anno* 1610, *ubi ſcribitur, quemadmodum & in noſtro Menologio, Barzæum* XVIII *Octobris ad laborum mercedem evocatum eſſe.*

S. Chriſtinæ octava *memoratur à Caietano in Martyrologio Siculo.*

Bartholomæus de las Caſas, *ſeu* Caſaus, *ut magnus Dei ſervus, Moyſes Dominicanus, ac novi orbis apoſtolus deſcribitur à Marcheſio in ſacro Diario Dominicano, ubi ex Pio & Davila illuſtria ejus geſta & virtutes, tum vero fuſè memorantur immenſi prope labores quos, tum ut privatus, tum ut epiſcopus miro ardore exantlavit, nonagenario major mortuus hoc die anno* 1566. *Rectè vero à Sanctorum honoribus abſtinet Marcheſius, cujus modeſtiam aliis in hoc genere imitandam proponimus.*

C

Michaël à S. Dominico, & Arſenia Afra, *paulo liberalius beatitatis laurea donantur in Anno ſancto Belgico, & in Viridario Germanico, ubi etiam* Pina *aliqua adjungitur, quos ſatis erat debito elogio ornaſſe.*

Triginta duo Martyres *in Anglia*
Anonymus *confeſſor in Hiſpania*
Agnellus ab Alvernia *conf. in Italia*
Adamus *conf. Catharæ in Dalmatia*
Illuminatus de Salvis *conf. Hiſtonii in Apulia*
Thomas Graultius *conf. Atrebati in Belgio*
Marcus Pecorarius *conf. in Etruria*
Petrus Neapolitanus *conf. Maſſacii in Picano*
Franciſcus Ximenius *conf. Mexici*

} Beati *titulo donantur ab Arturo in Martyrologio Franciſcano & duæ ultimæ etiam in Gynaceo.*

Ludovicus à Catalagirone *conf. Plataæ in Sicilia*
Joanna à Præſentatione *virg. Belviſii in Hiſpania*
Agnes Bizerra *Virg. Ulmeti in Hiſpania*

D

Catharina de Quadia *virg. etiam Ulmeti adjungitur ab Huebero, ſed qui nec ipſam nec ceteros alio quam pietatis titulo commendavit.*

S. Proſperi *ſacrorum pignorum depoſitionem Madridii in cœnobio SS. Trinitatis Fratrum Excalceatorum à Tamayo hoc die relatam, nempe Martyris Romani, cujus corpus Urbanus VIII iis conceſſerit, ſatis ſit hîc annotaſſe.*

S. Euſebius Vercellenſis epiſcopus, *certaminibus adverſus Arianos ſuſceptis, tota Eccleſia celeberrimus, hoc die à Bollando alicubi ſignatus repertus eſt, ſed perperam; cum verus ejus natalis ſit* 1 *Auguſti. At neque ibi illuſtranda ejus Acta, ſed ad* XVI *Decembris opportunius transferenda, oſtendetur in Prætermiſſis diei ſequentis* 1 Auguſti.

E

Serapiæ cum tribus filiabus Piſtis, Elpis & Agapes *legunt auctaria Uſuardina ex codicibus Victorino & Reginæ Sueciæ; perperam uterque codex: nam ſcribere debuerunt non* Serapiæ, *ſed* Sapientiæ *aut* Sophiæ, *neque hoc die claſſis illa referenda, ſed quo verè colitur & in Romano ſignatur* 1 Auguſti

Critullini martyris *ſimilis fere Altempſiani codicis corruptio eſt, per quam* S Tertullinum *appellare debuit, quem in Florario, Greveno & Caniſio etiam ſignatum invenimus; ſed jam pridie cum Romano remiſimus ad diem* IV Auguſti.

Et domni Amnani vel Anenani epiſcopi *legitur in codice Hieronymiano Epternacenſi, ubi Lucenſis ſeu Fontanellenſis legit;* Aunachara epiſcopi de ordinatione epati; *Corbeienſis vero,* Aunachori epiſcopi natalitium, ordinatio epiſcopi: *paulo nitidius Ms. Reginæ Sueciæ,* Aunari epiſcopi natalitium ordinationis epiſcopatus. *Patet, additamentum eſſe Autiſſiodorenſe, ubi notus eſt* Aunarius, *qui &* Anacharius *inflectitur, &* Aunacharius, *colitur autem* XXV Sep.

F

Saturnum *alias* Saturninum, *magni S. Germani diſcipulum inter Sanctos collocavit, & quidem hoc* XXXI *Julii die, Collectio Bargedæana Ms. Sanctorum Autiſſiodorenſium, ut qui in neſcio quo S. Germani Martyrologio reperiri dicatur, eodem die obiiſſe, quo ſanctiſſimus Magiſter. At Sauſſayo, qui in Gallicani ſui Supplemento inter Sanctos extra ordinem vagantes, ipſum retulit, de vero obitus die nil quidquam innotuit, uti nec Caſtellano inter Æmeros ſuos ſolo venerabilis, titulo ipſum ornare auſo. Alibi certè, & quidem inter tam numeroſa Uſuardi auctaria nuſquam notus eſt. Scimus ipſum laudari in S. Germani Vita ab Erico ſcripta; quin & in hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium, in S. Germani elogio Sanctum appellari: at quærendus ſupereſt certus dies cultûs, quærenda ejuſdem certa teſtimonia. Notavit eruditiſſ. D. Le Boeuf in Catalogo epp. Autiſſiod., hiſtoriæ ſuæ ſubnexo,* Saturnum *hunc, cui vices ſuas S. Germanus abſens committere ſolebat, veroſimillimè eumdem eſſe cum* Fraterno, *ſeu* Faturno, *quem S. Germani ſucceſſorem ſtatuunt: de quo ferat traditio, quod à barbaris (haud dubiè graſſante Attila anno* 451) *martyrio affectus ſuerit, idque eo die, quo res examinari poterit* XXIX Septembris.

Hibernum abbatem Turonenſem *hoc die inter Sanctos*

A

ctos signatum reperit Bollandus in aliquo Benedictino Kalendario, male coagmentato; utpote in quo nec nomen, nec dignitas, nec obitûs dies rectè exprimantur. Herbernum, Erbernum *seu, ut alii,* Heribertum *nominare debuerat, non abbatem solum Majoris monasterii, sed & Turonensem archiepiscopum, à Normannis plurima fortiter passum, virumque adeo præclarissimum,* sub *cujus* custodia corpus S. Martini Autisiodorum *usque* transmissum *fuerit,* relatumque deinceps sacrum pignus *&c. Inter Sanctos eum referre non dubitavit Saussayus in Martyrologio Gallicano, non hoc die, sed proprio natali* xxx *Octobris, quo insigne ei elogium texit, ac multo prolixius Bucelinus. At enim sanctitatis laurea donatus non est in Actis Benedictinis aut eorum Annalibus, ut verosimillimum sit, nec in ipsa Turonensi ecclesia, nec in Majori monasterio festivitatem ejus umquam celebratam fuisse. Quibus omnibus ritè inspectis & perpensis,* à Sancti *aut etiam* Beati *appellatione abstinuit Castellanus in additionibus suis pag.* 988 *solo* Venerabilis *titulo ipsum honorans. Nobis hîc nec disputandum quidquam est nec definiendum: res de integro examinabitur jam dicto natali die* xxx Octobris.

B

SS. Nemesius & Lucillus *in aliquo Kalendario hoc die perperam relati sunt, ac male efformatum posterioris nomen, ubi pro* Lucillo *substituenda certissimè est* Lucilla virgo, *sancti ipsius Nemesii filia, de quibus cum Romano agendum erit* xxxi Octobris.

D

S. Nicolai reconciliatio *signata in Martyrologio S. Cyriaci, cujus fragmentum dedimus tomo* vii *Junii, quid sibi velit, haud equidem divinare mihi hactenus licuit: forte lucis aliquid affulgebit dum de Sancto ipso agendum erit die natali* vi Decembris.

S. Apostolus Trophimus gladio consummatus, *cum duobus versiculis, nihil peculiare admodum significantibus, insertus legitur supplemento nostro ad Menæa excusa, & Menæo Mazariniano. Per hunc nos* Trophimum *non possumus alium intelligere; quam illum, qui tamquam unus ex* lxx *Discipulis, sectator Pauli ac martyr, atque apud Græcos celebratus fuerit, prout intelliges è Prætermissis ad diem* 14 *Aprilis; de quo item tunc meminit Castellanus in additionibus ad suum Martyrologium universale. Vide etiam notationes Baronii ad diem* 29 *Decembris, quo refertur in Martyrologio Romano, & à posteris nostris dari poterit eodem die* xxix Decembris.

E

DE S. CALIMERO EPISC. ET MART. *MEDIOLANI IN INSUBRIA.*

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J.B.S.

De cultu, ætate, & gestis.

SUB FINEM SEC. II.

Qua ad cultum spectant

C

Nomen variè efformatum Calemeri, Calimerii, Chalemeri, Kalemerii *&c. eumdem ipsum exhibet Mediolanensem episcopum, in Catalogis à Papebrochio ante tom.* vii *Maii recensitis, post Anatolonem, Gaium & Castritianum ordine quartum, cujus tempora seu ætatem & gesta, quoad fieri poterit, expendemus; ubi primùm egerimus de cultu, quem vetustissimum non esse ex eo facile intelligis, quod nullis, quæ classica appellamus, Martyrologiis nomen ejus reperiatur inscriptum, ne ullis quidem eorum auctariis, prætergquam additamento Molani ad Usuardum hoc die in posterioribus editionibus in quibus ita legitur:* Mediolani, nativitas S. Calimeri pontificis & martyris, *non indicato alio fonte unde acceptus fuerit, quam Missali Ambrosiano. Certe Baronius dum* S. Calimerum *Romano primus inseruit, alias quas citaret, tabulas non habuit, nisi solas Mediolanenses, nempe Præfationem Ambrosianam, & ea quæ à Galesinio hoc die notantur, jam jam referenda.* Habetur mentio, *inquit ibidem Baronius,* de eodem in Actis sanctorum Faustini & Jovitæ. *Utique; & quidem tom.* 11 *Februarii pag.* 812, *col.* 2; *verum quæ ibi obiter de* S. Calimero *narrantur, cum iis quæ de ipso infra dicentur, nemo facile conciliaverit: neque magis placent, quæ alii subinde de obsequiis à* S. Calimero *sanctis Fratribus præstitis commemorarunt.*

2 *Galesinium prius audiamus in Martyrologio suo diei hujus annuntiationem sic inchoantem;* Mediolani, sancti Calimeri episcopi & martyris; cujus religione, disciplina & martyrio, non solum ecclesia Mediolánensis aucta atque exornata est, sed etiam Liguria penè cuncta ejusdem virtute, singularique Christianæ pietatis propagandæ labore susscepit Jesu Christi fidem. *Ad quæ in Notationibus suis ita observat:* Ex tabulis ecclesiæ Mediolanensis & Brixiensis. Extat de eo præterea Præfatio Ambrosiana, & mentio fit in Canone Mis. Ambr. Ex monumentis vero ejusdem Ambrosianæ ecclesiæ pervetustis nos illius actiones acceptas SPLENDIDIUS LATINE REDDIDIMUS. MARTYRIO CORONATUS DICITUR ADRIANO IMP. *Ita Galesinius; cujus splendidam orationem nec invenio, nec quærendam sentio. Ab ejus splendore non tantopere deflectit historia à nobis infra producenda; ast in eo multo securior, quod* S. Calimerum *non* sub Adriano martyrio coronatum dicat; *sed tum primùm ad episcopatum promotum, quem ad annos* 53 *tenuisse, Catalogi & cetera monumenta constanter asserunt, quidquid in variis adjunctis inter se plurimùm discrepent.*

satis stabilita sunt,

F

3 *Neque id magnopere mirandum, cum monumenta illa tantam antiquitatem non præferant, ut certi aliquid præter dignitatem episcopalem & martyrium ex iis tuto eruatur. Et quidem citata à nobis Acta sanctorum Faustini & Jovitæ* S. Calimerum *Romæ ordinatum volunt sub S. Evaristo Pontifice, dum eo sancti Martyres deducti essent. Alia plane memorat in sua Historia Mediolanensi Carolus Novariensis episcopus, quibus prorsus opposi-*

non item quæ ad ætatem.

AUCTORE J. B. S.

posita tradit libellus Romæ excusus sub titulo Successores S. Barnabæ *ex Biblioth. Vaticana, ubi sub nomine* Callocerii *hæc habentur :* Rexit ecclesiam Mediolanen. à Xisto I Pont. ordinatus. Ejus religione, disciplina & martyrio non solum ecclesia Mediolan. aucta atque exornata est, sed etiam Liguria penè cuncta ejusdem virtute singularique Christianæ pietatis propagandæ labore suscepit Jesu Christi fidem. Hic in vinculis deductos Mediolanum Faustinum & Jovitam nobiles Brixianos. . . . opibus adjuvit, verbo consolatus est, & ad perferendas pro Christi nomine ærumnas adhortatus est, [&] in eadem persecutione, initio videlicet susceptæ ab Adriano imperii, martyrii palma insignis quievit in Domino, cum ecclesiam rexisset annis LIII.

Memoria ejus celebris

4 *Atque ex hujusmodi anachronismis nata est, saltem studiosè arrepta occasio* Calimerum *geminandi, ne synonymo Sancto careret Brixia. Quocumque te verteris, non est ubi pedem tuto figas. Sed nos ea prosequamur quæ ad cultum spectant potissimum, cujus nimirum insigne monumentum est Missale Ambrosianum, quod apud nos pervetustum*

B

exstat, editum nempe anno 1522, *ex quo hæc ad Sancti gloriam desumenda censuimus. Prima oratio est* SUPER POPULUM : Omnipotens Deus, solemnitatem hujus diei propitius intuere, & Ecclesiam tuam intercessione beati Kalimeri pontificis & martyris tui continua fac celebritate gaudere, omniumque in te credentium vota perfice. Per. Epistola : Ubi spiritus Domini. Euangelium : Cum venerit filius hominis. SUPER SYNDONEM: Deus auctor mundi & conditor, qui Sanctis tuis in confessione tui nominis virtutem atque victoriam contulisti ; præsta populo tuo, ut cujus annua celebritate devotis exultat obsequiis, ejus suffragiis tuæ pietatis consequatur auxilium. Per.

in *Missali Ambrosiano* ;

5 *Sequitur oratio tertia* SUPER OBLATAM. Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Kalimerum martyrem tuum pontificalibus infulis decorasti, præsta, quæsumus, nos ejus exemplo & magnifico interventu, tibi dignè munera consecrare, ac mundi gloriam mente despicere, & cælum semper ambire Per. PRÆFATIO. Æterne Deus : & in hac die, quam beati Kalimeri passio consecravit, & nobis venerabilem exhibuit, prædicare. Qui euangelica prædicatione imbutus, doctrinis cælestibus educatus, electione dignitatis conspicuus, & martyr insignis, & sacerdos refulsit egregius : per Christum. Post COMMUNIONEM. Deus, qui es tuorum antistitum potentissimus illustrator, tribue, quæsumus, ut per hæc Sacramenta, quæ sumpsimus, & beatissimi pontificis & martyris tui Kalimeri magnificis exemplis pariter & monitis informati, seculi istius caliginem sine periculo transeamus. Per. *Prater hanc Missam, sibi propriam, id peculiare habet* S. Calimerus, *quod etiam in ordinario Canone ejus fiat commemoratio post SS. Naboris & Felicis, ante S. Materni, Eustorgii &c.*

C

& in *Breviario Vitæ compendium.*

6 *Adde modo lectionem ex Breviario Ambrosiano, S. Caroli Card. jussu edito & postea recognito anno* 1635 : Calimerius nobili genere in Græcia natus, Romæ educatus, inde Mediolanum venit, ubi à beato Castritiano benignè exceptus, cognitaque illius morum sanctitate & doctrina, in basilicæ Faustinianæ clero adscribitur. In cujus cleri collegio dum fuit, ceteris pietate præluxit. Itaque post Castritiani obitum, præclara virtutum laude florens, dignus habitus est, qui in illius locum episcopus suffectus, ecclesiam Mediolanensem gubernaret. Quod sane munus usque adeo recusare contendit, ut catenis vinctus ad illud accesserit. Post vero, etiamsi episcopalem curam & dignitatem coactus susceperit, non solum ecclesiam sibi commissam religione & doctrina illustravit, sed Liguriam omnem prædicatione sanctéque factorum exemplis Christo Domino adjunxit. Quamobrem in Antonini & Commodi persecutione comprehensus, à fidei hostibus primùm variè cruciatus, demum vulneribus confossus, cervicibusque gladio transverberatis, præceps in puteum dejectus, ad martyrii palmam abiit in cælum pridie Calendas Augusti. Ejus corpus sepultum est in basilica nomine suo exstructa, in qua altare aureum ob Martyris memoriam Thomas archiepiscopus faciendum curavit. Septimo postea provinciali concilio, magno episcoporum numero, populorumque concursu sancti Calimerii corpus translatum & in pristina sede honestissimè collocatum fuit. *Atque hæc de cultu satis.*

D

Sunt qui rem involverunt

7 *Dubiam Sancti ætatem jam attigimus, aliis sub Euaristo, aliis sub Sixto, aliis sub Telesphoro Romanam ejus institutionem locantibus, imo ejus martyrium sub Adriano : quæ quam absonè incitato libello successorum S. Barnabæ combinata sint, ex dictis patere existimo. Minus etiam observanda sunt quæ ex Onuphrio Panvinio citat & refellit Ferrarius ; si enim, ut vult ille, sub Antonino Pio episcopus demum creatus est* S. Calimerus *anno primùm* 155, *sederit autem annis* 53, *sitque ejus obitus differendus ad annum* 208, *ruere oportet totam episcoporum Mediolanensium chronologiam, & quæ de Sanctis superstunt utcumque tolerabilia. Neque vero lucem his adfert Petrus Paulus Bosca in suo Martyrologio Mediolanensi : nam præter scriptorum variorum nomina ; quos inspicere vix operæ pretium est, ac bina aut terna epigrammata, ad res implexas elucidandas haudquaquam opportuna, auget potius dubia, quam explanet ; nam duos sanctos* Calimeros *ex jam dictis SS. Faustini & Jovitæ Actis adstruere, quid est aliud, quam rebus de se obscuris tenebras affundere, quas paulo operosius dispellere juvisset ?*

E

ut geminos Calimeros fingant :

8 *Cetera quæ adversus Faynum disputat Bosca, tantumdem rem illustrant, nobis longe tutius visum est, antiquis monumentis insistere, satis ordinatè in Legenda deductis, ut alia ista attendenda non sint, quæ ex ruinosis fundamentis per æquè incerta conjectaria, non absque partium studio deducuntur. Ne hic igitur tricis plane incertis diutiùs implicemur, sufficiat,* S. Calimeri *ætatem ejusque gesta ea ratione componere, qua pridem usus est Papebrochius in laudata Exegesi, cujus verba hic non pigebit describere. Ita ex probatioribus monumentis de Sancto statuit :* S. Calimerus sedit annos LIII, depositus pridie Kalendas Augusti. *Atque hic titulus est : tum ita ex Catalogis pergit :* Hic decennio fere ante venerandæ memoriæ Castritiani præsulis excessum, juvenem se dederat in disciplinam S. Telesphori Papæ, quem anno CXXVII ordinatum, decennio & amplius sedisse demonstravimus : sed territus periculis, inter quæ hunc versari videbat, propter persecutorum rabiem secessit Mediolanum. *Quam hæc Legendis conformia sint, uti & quæ sequuntur, infra patebit manifestius : textum sequamur :*

F

satis recte chronologiam ordinavit Papebrochius.

9 A S. Castritiano adscriptus in clerum, atque eo mortuo electus episcopus, & multa sub Antonino Pio perpessus, itemque sub Antonino & Commodo, cum annorum circiter quinquaginta trium curricula peregisset in cura pastorali, tandem puteo mersus occubuit martyr pridie Kalend. Augu-

A Auguſti. Ceſſavit autem epiſcopatus anno uno & medio. Sic hiſtoria jam ſæpe allegata, quæ per quos diximus LIII deducit nos ad annum Chriſti CXCI, ita ut annus CXCIII. ſucceſſori Monæ fuerit primus. De corpore nihil ſciebatur aut cum ſcriberetur hiſtoria, aut cum hic Catalogus compilaretur. Ferrarius ait, in cœmeterio Caii ſepultum, in eccleſia poſtea ſuo nomine ædificata conditum eſſe: & ibi, inquit, altare aureum in ſancti Martyris honorem à Thoma archiepiſcopo ſub Carolo magno poſitum eſt, qui Thomas cum ſucceſſerit anno DCCLVI, apparet, eum, qui primæ huic parti depoſitionis locum, quando ſcire potuit, adnotavit, id prius feciſſe, quam invento corpore eccleſia hæc conderetur. Facta eſt autem S. Calimeri tranſlatio à Frederico Card. Borromæo, in novam arcam, ſub eodem altari, quo prius, recondendam, anno MDCXIX die XXXI Maii, ipſaque eccleſia, olim Humiliatorum præpoſitura, nunc puellis periclitantibus juxta eam collectis deſervit,

B *Verboſa eſt depoſitionis hiſtoria*

10 *Geſtorum* S. Calimeri *ſeriem aliquam Mediolani deſcripſit Henſchenius, ex antiquiſſimo, ut notavit Papebrochius, cod. Ms. Ambroſiano f. N n.* 246. *Oratio eſt, ut ſupra inſinuabam, ſplendidæ Galeſinii latinitati haud multum poſtponenda; aſt ipſo longè vetuſtior, cum dictum illum codicem vetuſtiſſimum appellent Majores noſtri, in iſtiuſmodi monumentis dignoſcendis judices haud ſanè imperiti. Ad quod circiter ſeculum referendus ſit, non habeo unde conjiciam; verboſum planè ſcriptorem agnoſces ex ipſo Legendæ principio, in hunc modum contexto:* Tranſlato ad cæleſtem curiam viro præclariſſimo Caſtritiano, atque in ſenatorum illuſtriſſimorum concilio, quaſi bellicoſiſſimo ac veterano triumphatore nitenti ſubſellio decibiliter ſublimato. *Dixiſſet brevius & nitidius; S. Caſtritiano ad ſupernum laborum præmium evocato. Ceterum cum Acta nulla reperiam quæ veroſimilius geſtorum* S. Calimeri *ſeriem proſequantur; ut ut hinc inde barbariſmis inſperſa ſit oratio, eam hîc integram ſubjiciam, ubi de ſepultura ex Carolo Novarienſi epiſcopo paucula notavero.*

Corpus inventum ſec. XV.

11 *Sic ille in ſua hiſtoria Mediolanenſi memorat pag.* 39: Hujus beati Martyris corpus, Franciſco Sfortiâ duce (*opinor primo iſtius nominis, qui adulto ſec.* XV *floruit*) inventum tradit Boſſius

C in confeſſione ſive ſacello ſubterraneo eccleſiæ ipſi Martyri dicatæ, quæ eſt extra portam Romanam, in qua cum parochiali cura duo presbyteri, canonici dicti, reſident; arbitror enim ibi fuiſſe olim canonicorum collegium. Inventum vero ait in puteo quodam: cum etiam in puteum ab impiis illis, cum eum necaſſent, projectum dicatur. Argumentum cultus inſignis hujus ſancti Epiſcopi illud eſt, quod in ejus Miſſa propriam Præfationem habet eccleſia Ambroſiana: imo eum in ſacro Miſſæ Canone nominat unà cum Apoſtolis & aliis martyribus. Adhuc ejus corpus in ejuſdem eccleſiæ confeſſione jacet, quo loco curaſſe traditur Thomas archiepiſcopus altare aureum ei ſuperponi. *Ut verbo dicam quod ſupereſt; præfatæ* S. Calimeri *eccleſiæ vetuſtatem & nobilitatem non aliunde certius hauries, quam ex iis quæ de procurata à S. Laurentio ejus reſtauratione cecinit Ennodius, ut habes tomo* VI *Julii noſtri pag.* 442. *En modo promiſſam ipſam hiſtoriam.*

D

Depoſitio S. Calimeri *a* martyris epiſcopi Mediolanenſis.

a

Ex antiquiſſimo cod. Ms. Ambroſiano f. N n. 246.

TRanſlato ad cæleſtem curiam viro præclariſſimo Caſtritiano atque in ſenatorum illuſtriſſimorum concilio, quaſi bellicoſiſſimo ac veterano triumphatore nitenti ſubſellio decibiliter ſublimato, plebs viduata fidelium non modicâ urgebatur triſtitiâ, anxia multum & geminæ hinc inde mœſtitiæ angore prolapſa, primùm de paſtoris obitu & de deſtitutione ſui, demum de præeligendo ſucceſſore, qui difficile tanti viri compar poſſet illo in tempore inveniri; quandoquidem peſtiferâ Ælii Adriani vexatione per totum Romanum orbem, maximéque eâ parte Italiæ, quæ Ciſalpina Gallia nomen habet, Dei Eccleſia duriter quatiebatur. Qui primo imperii eventu mitem ſeſe erga Chriſtianos viros mentitus, poſtmodum ad genuinam, velut canis rabidus, converſus inſaniam, invidorum quorumdam inſolentiâ vulgique vecordis ſtultiſſimis acclamationibus adeò irritatus eſt, ut multorum, juſſu ejus, martyria & cruciatus Sanctorum quaquaverſum intonarent. *Sublato Mediolani Caſtritiano epiſc.*

E

2 Hac ergo cauſſa collecti pariter, Chriſtum Jeſum implorabant gemitibus cordis & lacrymarum fontibus hinc indeque manantibus. Sed Deus omnipotens, qui ſuorum optata *b* fidelium maximâ ſemper cum pietate & paternâ ſolicitudine provident, non paſſus eſt ſuam plebem ſibi ſedulè obſequentem neceſſariis diutius viduari præſidiis: quin potius ſolitum continuò poſtulatus, quod ante ſecula præſcierat, à prædeſtinatione præbuit adminiculum. Erat namque id temporis in clero Fauſtæ eccleſiæ delegato vir ſanctiſſimus, generis proſapiâ gravis *, ſed morum illuſtrium ſcientiæque probitate Romanus, cui nomen Calimerus: qui multâ abſtinentiâ & jugi vigilantiâ peroptimè ſaginatus, porrò etiam indefeſſâ divinorum dogmatum meditatione abundantiſſimè ſarcinatus (qualem Dei ſapientia beatum appellat: Beatus, inquiens, qui vigilat ad me & obſervat quotidie ad poſtes oſtii mei) facile poterat confratribus & condiſcipulis bonorum operum, & evidens documentum tribuere, & ingens exemplum præſtare. *Succeſſor deſignatur Calimerus,*

b

* *l.* Græcus

F

3 Sed quia ſolet nonnumquam in talibus infauſtus latere jactantiæ faſtus, quodam fictæ ſanctitatis velamine palliatus, & malè caſurum flebilis extollentiæ ſubrepere ſupercilium, is, quem loquor, vir mirificus & omni laude celebrandus, tantæ humilitatis tantæque fuit ſanctitatis, ut non ſolùm cunctis in clero ſubjectus fratribus, verùm etiam minimis quibuſque officiis eſſet ſemper intentus. De hoc varia à diverſis narratur, ſed certior eſt quorumdam ſuper eo, ut ſuſpicor, relatio, quam in præſenti materia, licet ſuccinctè, utillimum puto adjicere. Decennio ferè ante venerandæ memoriæ Caſtritiani præſulis exceſſum, dum Adrianus infelix deteriorari, ut præfatus ſum, à meliori propoſito ſtatuiſſet, & Chriſti cultores perſequi, non modò per alios ſed ſeipſo fautore, inſani capitis pœnas luituro, decretis vulgatis cœpiſſet: quâ tempeſtate Romanæ quoque Ec- *qui Roma eò profugus,*

XX MS. clesiæ summum Pontificem Telesphorum magnis virtutum præconiis insignitum, cujus sagacitate atque industria suprataxatus vir Dei Calimerus salubérrimis actibus & sacris monitis à puero fuerat informatus, inter sepulchra martyrum latitantem excitata lues inveniens, Martyrum meritis & numero copularet; æstimans quia si ipsum caput deterrere ac percutere valuisset, hoc est Romanum Pontificem: subjectiora facilius membra, id est diffusas quáque per orbem ecclesias & earum præsules degluberet atque confoderet.

multisque virtutibus clarus

4 Cum ergo adhuc puer in junioribus imbellis degeret annis, veritus ne, si ad pœnam simili modo ut Magister, raperetur, perdurare non posset, secessit ab Urbe latenter. Dumque fugitivus viator aliquot oberrando diebus, nocturnum conficeret iter, Dei tandem revocatus auxilio Albam pervenit ad urbem, quæ alio nomine Mediolanium dicta est: ibidem sæpe memoratum præsulem Christianorum, utpote patronum famosissimum, requirens invenit Castritianum: à quo benignissimè susceptus, ac non multò pòst morum patientia & fidei documentis probatus inventus, reliquo discipulorum ipsius cœtui coadunatus est. In quo quanta solicitudo in divinis obsequiis, quantus mutuæ caritatis affectus in fraternis officiis excreverit, non est hujus nostræ exilitatis evolvere: quocirca supersedendum de his magis arbitror & ad cetera festinandum.

B

omnis admittere vi compellitur.

5 Intereà ut cœpta subsequar, cum gravi omnes mœrore afficerentur, de restituendo pastore ovili destituto, & nullus auderet vel cogitare de seipso, vel proferre de socio, vixdum cælitus attacti ad reverentissimum Calimerum sese convertunt: in quo velut speculari lapide sui magistri & vitam mirabilem & præclara dogmata uno pariter oculo unoque auditu contemplabantur ac perdiscebant. Deposcunt ergo illum humiliter, ut suis miseratus sodalibus, pastoris non abnuat officium pertinaciter; cui non parvum meritum diuturni temporis felix contulerat exercitium. Quid multis moror? Recusanti omnimodis & velut hosti cuidam acriter obsistenti, vis laudanda ingeritur. Ducitur catenatus domesticis futurus pastor ab ovibus, & non nisi episcopali sacrandus benedictione absolvitur. Postremò sacratus in episcopum tantam providendis à se ovilibus curam strenuè impendit, ut juxta quod sui aptissimè nominis idioma concinit, boni diei, qui Christus est, assertor existens, ab idololatriæ tenebris multorum depelleret mentes, ac lucis æternæ compotes efficeret.

C

Laborando indefessus

6 Quanti autem per ipsum baptismi lavacro abluti, quanti animo simul & corpore curati, quæ vox, quæ poterit lingua retexere. Nullius umquam accessus ad eum sine salubri documento, nulliusque recessus ab eo sine viatico opportuno: nullius in quacumque anxietate postulatio absque competenti coram illo effusa est remedio. Verùm persecutionis turbine, etiam Adriano perempto, necdum quiescente, sed sub Antonino successore ipsius atrocissimè sæviente, iste, de quo sermo est, non jam, ut prius, fugæ metu abdita penetrabat, sed audacter palanterque paganos refellens ritus, prompto animo ad perferenda quæque pro Christo dura & aspera sponte se ipsis tribunalibus ingerebat. Quin etiam carcerum ergastula ultro ingrediens, Christi militum animos ad passionum tolerantiam incitabat, non solum gravia quæcumque pro Christo pati, sed mori insuper paratus.

7 Persæpe denique cum vinculatis vinculatus, sæpius cum flagellatis penè exitialiter flagellatus, sæpissimè quoque, dum falsorum protereret portenta Deorum, & eorum cultores vanos, cœcos ac miseros palàm cunctis ediceret; cæsus diutissimè carpentoque super impositus, cum exulantibus exiliatus est. Sed quia in eo totius patriæ salus & vita omnium consistere absque dubio credebatur, ut vinculis eximi, ut plagarum inflictarum livore mederi, ut exiliis reduci quantocius posset, summa fidelium cura incunctanter satagebat. Attamen, ut moris est, amore paucorum bonorum, multorum magis magisque adversus illum concitata sunt odia perversorum.

D

& pericula quæque contemnens

tandem capitur.

8 Mittunt denique & nefando Cæsari de nomine Calimeri suggerunt: illum totius auctorem sceleris, maleficorumque omnium principem, deorum injurias temerariè per plateas garrientem, ab eorum debito cultu totam penè Liguriam avertentem, præmissis supplicationibus nuntiant: dedecus reipublicæ futurum inclamant, si ab uno detestando ac disperdendo sene, deorum magna potentia derideatur, atque impunè ab uno jugiter derisa, turpiter ab omnibus contemnatur. Mox igitur datâ sententiâ præcipitur, ut ubicumque inventus fuisset, sine morâ puniretur. Sed Vir sanctus plus divinum imperium perpendens, quam vitæ præsentis excidium metuens, non diebus, non noctibus incepto desistebat. Unde contigit ut cum aliis in Romuleo inventus cœmeterio, quod est in latere ejusdem urbis meridiano ,, haud longè ab Apollinis fano, ubi cum consuetudinario thure tendentes oratum intuens quosdam, acrius more solito increpabat: ab eisdem, quos piè admonebat, correptus, inhonestè Phœbi traditur excubitoribus horrendo pœnarum genere puniendus

E

atque in puteum præcipitatus,

9 Quem illi inveteratum dumtaxat suorum deorum captum attendentes inimicum, gaudio immenso exhilarati, laudes dabant summas auctoribus diis, adeo ut plausu theatrico chorus repleri, tellus concuti putaretur. Tum verò insurgunt pariter, & sanctum Dei Calimerum multis undique plagis perfodiunt, reminiscentesque qualia illis probra objecerit, & frequenti eos nævo objecerit vel fœdaverit, & quòd plurimos ex ipsis ad fidem Christi adtractos & aquâ salutaris fontis infusâ manu propria submersos abluerit; cum adhuc feminecis ante illorum pedes jacens, spirare extremum moriturus habitum cerneretur, in adjacentis putei profundum, inversis immersum pedibus, transcapitaverunt, clamantes pariter ac dicentes: Nos te melius abluemus fontanis aquis, quam tu nostros, quos incantationibus tuis amentes efficiens, aquis turbidis abluisse probaris.

F

martyrio coronatur.

10 Hic B. Calimeri cursus in stadio hujus vitæ, hoc certamen fuit, quod ad laudem & gloriam cælestis Regis per annorum circiter quinquaginta trium curricula indefessus palæstrites, Christo auspice peregit. Quibus perniciter evolutis, superni palatii aulam scandit cum reliquis commilitonibus atque coævis, potiturus bravio vitæ perennis. Dies passionis illius pridie Kalendarum Augusti. Fuit autem temporibus Adriani, Antonini, item Antonini & Commodi. Cessavit episcopatus anno & medio.

ANNOTATA.

a Calemerus, *inquit Sirmondus ad Ennodium*, ut Enemerus, rectum est à Καλήμερος, ἐνήμερος. Usus inflexit ut Calimerus dicatur, sicut Calocerus, *pro Calocæro*, *quod Græcis est* Καλόκαιρος.

b *Legebatur secunda manu scriptum* opportuna; *monuit Papebrochius, potius legendum* optata.

D E

A D

DE S. ONESIMO ET SOCIIS MM.

PUTEOLIS IN CAMPANIA.

J. B. S.

Ex Officio proprio.

XXXI JUL. *Officium citamus, quod ſolum citari potuit, cum aliis monumentis omnino deſtituti ſimus: Officium, inquam, quod primùm Leontinis in Sicilia à Paulo PP. V anno 1608 conceſſum eſt, ſequenti proximè anno 1609 ad Puteolanos etiam extenſum, Romæ vero editum apud Jacobum Maſcardum anno 1612, ut ex ipſo inſtrumento conſtat, à P. Antonio Beatillo cum Majoribus noſtris communicato, cujus hæc prima eſt facies:* Officium SS. Oneſimi, Eraſmi & ſociorum mart. à ſanctiſſimo D. N. Paulo V, ſummo Pontifice approbatum, & in civitate Puteolana & ejus diœceſi à clericis tam ſecularibus quam regularibus celebrandum. *Hæc vero leguntur in facie adverſa:* Admodum illuſtribus DD. Capitulo & clero eccleſiæ Puteolenſis: ad ineundam tuendamque inter Puteolorum ac Leontinorum civitates, quæ ſub eorumdem Sanctorum patrocinio numerantur, benevolentiam; Agathinus Caſtilionius protonotarius apoſtolicus, & canonicus Leontinus donò dedit Romæ MDCXII. *Sequitur Officium ipſum* XXXI Julii duplex. *En modo lectiones* in ſecundo nocturno.

Ignotos antea Sanctos

B

2 LECT. IV. Oneſimus in perſecutione Decii comprehenſus cum Alphio, Philadelpho, Cyrino, Eraſmo, ac tredecim aliis diſcipulis in Vaſconia; ubi Euangelicæ ſalutis ſemen diſſeminabat; ad Nigellionem præfectum conducitur: in cujus conſpectu intrepidè Jeſum Chriſtum divino cultu adorandum aſſeverans, maxillis lapide contunditur. Tum reliqui ejus exemplo exciti; Et nos etiam Chriſtiani ſumus, exclamant; diſcipulos ne dimittas impunes, dum magiſtrum crucias: agedum conjunge nos eidem certamini, quorum eadem eſt ſententia. Adjungam vos, inquit Nigellio, nefario præceptori. Quare eos totum diem crinibus ſuſpenſos torquet.

ex Lectionibus Romæ editis 1612 producimus

C

3 LECT. V. Poſtridie Romam, ligatis ad terga manibus, ad Decium miſſi, Licinio Valeriano traduntur, qui primùm Sanctos, manibus pedibuſque graviſſimo ligno devinctis, in cuſtodia haberi præcepit: ubi à ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo (vinculis ex ipſo conſpectu reſolutis) ad perferendos cruciatus inflammantur. Poſt aliquot dies in quæſtionem vocati, ſenatum univerſum de vana idolorum ſuperſtitione reprehendunt. Tum Valerianus blanditiis agendum ratus, honores divitiaſque pollicetur, ſi à Chriſto deficere in animum inducant. Sed ubi locum pollicitationibus non dari percepit, nervis acriter verberatos ad Diomedem Puteolorum præfectum dimittit.

quarum hîc textum

4 LECT. VI. Tunc Diomedes Oneſimo: Num, ait, tu ſimplices adoleſcentium animos pravis dogmatibus decepiſti? Ego, reſpondit, illos non decepi, ſed ab ignorantia vindicans, in viam veritatis deduxi. His verbis accenſus præfectus, ingenti lapide Oneſimum comprimi jubet. Quare Sanctus præceptor ſanctiſſimam animam Domino commendans, de tyranno triumphavit. Eraſmus vero & tredecim condiſcipuli extra urbem capite plectuntur circiter Kalen. Auguſti. Quorum corpora à Chriſtianis ſepulta ſunt: ſed Eraſmi corpus, divino monitu præmonſtratum, à S. Neophyto epiſcopo Leontinos aſportatum eſt, & in ſepulcro ſanctorum fratrum honorificè conditum. *Utramque approbationem & conceſſionem ſac. Rituum Congregationis, tum Leontinis* XV *Martii* MDCVIII, *tum Puteolenſibus* XXVII *Julii* MDCIX *habes ad calcem, ſubſcribente* Dominico epiſcopo Oſtienſi Card. Pinello, & Joanne Paulo Mucantio Secretario.

referre viſum eſt,

E

multis difficultatibus obnoxium.

5 *Totam illam hiſtoriam ferme ad verbum deſcripſit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ citans relatum jam Officium eccleſiæ Leontinæ, quod idem denuo appellat in Catalogo ſuo generali hoc ipſo die, quo plane ignotos fateri cogimur tum* Oneſimum, *tum* Eraſmum *& ſocios in omnibus omnino Martyrologiis aut Faſtis ſacris quibuſcumque, ſaltem quæ in toto noſtro Muſeo reperiantur: quod quam rarum ſit, non eſt quod pluribus proſequar. Id fatemur præterea, lectiones jam præmiſſas, nec locis, nec temporibus nec rebus, geſtis convenire. Capti* in Vaſconia (*ſatis nota regione ad montes Pirenæos*) *Martyres Græcis omnes nominibus inſigniti*, poſtridie Romam *mittuntur ad Decium, & Licinio Valeriano traduntur: inde Puteolos tranſmiſſos torquet Diomedes, qui poſt* Oneſimum *magiſtrum* ingenti lapide compreſſum, *Eraſmum etiam & tredecim condiſcipulos extra urbem capite plectit, ut prorſus non intelligas quo Alphius, Philadelphus & Cyrinus evanuerint. Ceterum adjunctis illis qualibuſcumque in medio relictis, ut ſalvetur rei ſubſtantia,*

Oneſimorum non ſatis obvia diſtinctio

F

6 *Quæſtio præcipua moveri poteſt, num ſanctus hic* Oneſimus *confundendus ſit cum eo vel iis, de quo vel de quibus actum eſt* XVI *Februarii, ubi ſatis dubium relinquitur, ſitne* Oneſimus *Philemonis ſervus, de quo ſcribit Apoſtolus, idem cum ſynonymo epiſcopo Epheſino, de qua re ad eam diem diſputari poterit, dum menſis iſte ſupplebitur augebiturque, ut jam non ſemel in hoc opere dictum eſt. Quod huc ſpectat, id ſatis obſervavit Henſchenius, & modo certiſſimum videtur, hodiernum* Oneſimum, *quiſquis fuerit, ab utriſque diſtinguendum, cujus nulla Acta reperiri novimus, ſaltem quæ ſecurè admitti poſſint; non ea quæ citato loco examinavit Henſchenius exſtantque apud Surium ex Metaphraſte; neque ea quæ Papebrochius ad* X *Maii operoſiſſimè diſcuſſit de SS. Alphio, Philadelpho & Cyrino; ubi quæ in Lectionibus noſtris graviſſimè offendunt, paulo tolerabilius explicata invenies.*

neque modus Acta reſtituendi.

7 *Tolerabilius, inquam, nam poſt adhibitum quantumcumque conatum, hoc propria manu de* S. Oneſimo *ſcriptum reliquit Papebrochius:* Vide notata in Maio ad Vitam SS. Alphii &c. Mallem huc applicare ex Lipomano & Surio Acta poſita XVI Februarii, detractis detrahendis; hæc vero pro fictis rejicere. *Utra præferenda ſint, non auſim equidem definire. Siquid ex Metaphraſtica*

A *ca oratione huic noſtro* S. Oneſimo *aptari poſſit, id eo demum reducetur, quod Romæ paſſus ſit, & Puteolis martyrium cum ſociis conſummaverit, aliis tribus, ſi Actis ipſorum credimus, in Sicilia eamdem coronam apud Leontinos conſecutis. Si plura de his legere cupis, adiſis jam dicta Acta, & Surium, cujus longam orationem, merito ab Henſchenio prætermiſſam, & huc quodammodo rejectam, nos recudendam non cenſuimus, cum præter locos, Metaphraſti nimis quam communes, nihil magnopere ſolidi habeat, quod ſancto noſtro* Oneſimo *aut ſociis magis proprium ſit, quam ceteris ferme ſanctis Martyribus: ſatis multa valde imperitè connexa & conſuta dicuntur in Lectionibus, ut hîc ab aliis æquè obſcuris & incertis tutius abſtinendum videatur.* D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FANTIO AC DEODATA.

TAURIANI IN CALABRIA, VEL SYRACUSIS IN SICILIA.

J. P. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B Memoria in Faſtis, Acta aliis immixta hîc diſcuſſa; quænam hîc dentur. E

FORTE IN PERSECUTIONE DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.

Memoria diebus variis

*Tauriano

Ecentiores Martyrologi iſtorum Martyrum memoriam non eodem ſignant die: nam Molanus in additionibus ad ſuum Uſuardum anno 1573 *editum, hoc die* XXXI *Julii poſt Maurolycum ſic habet:* In Calabria, oppido Tabritano * S. Fantini confeſſoris Syracuſani; cujus parentes Fantius ac Deodata, Syracuſis plumbatis cæſi, cum diis litare nollent, decollati ſunt. *Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt, eodem quidem iſto die tradit ſequentia:* Syracuſis ſanctorum martyrum Fantii & Deodatæ, ſub Diocletiano; *additane in notis, ſe eos dare* ex Tabulis eccleſiæ Syracuſanæ; *ſed iiſdem fere verbis iterum de illis meminit ad diem* XXXI *Auguſti, ac denuo citat dictæ eccleſiæ Tabulas, hoc ſuperaddito, quod* eos ut cives ſuos colat. *Tertio denique eoſdem ſanctos Martyres repetit ad diem* XIV *Decembris, præter Tabulas eccleſiæ Syracuſanæ, etiam eas quæ ſint Leontinæ citans;* quas

C Romæ ab Agathino, *inquit*, Leontino presbytero accepimus. *Sed nos iſtarum Tabularum ætatem, fidem atque auctoritatem non ſatis exploratam habemus. Credamus tamen Ferrario affirmanti, quod eccleſia Syracuſana Sanctos hoſce* ut cives ſuos colat; *an verò tales fuerint, mox diſcutietur.*

apud recentiores hagiologos relata: Acta Vitæ S. Fantini immixta,

2 *Noſter Octavius Caietanus in Vitis Sanctorum Siculorum tom.* 1, *pag.* 122 *illos affigit huic diei* XXXI *Julii; de quibus antea etiam meminerat in Idea iſtius operis pag.* 89; *ac noſter poſtmodum Franciſcus Carrera in Pantheo Siculo, ubi à pag.* 189 *elogium contexit. Jam autem ſi quæras primum fontem, à quo profluxerint recentiores iſti annuntiationum rivuli; reſpondemus, alium nobis non eſſe cognitum præter Vitam S. Fantini,* SS. Fantii *ac* Deodatæ *filii; quam produximus ad diem* XXIV *hujus menſis, à pag.* 553; *ubi de illis agitur cap.* 1; *& cap.* 2 *dicitur, quod* cum recuſarent proconſuli obedire, & thura diis adolere, capita iis præciſa ſunt. *Optabile porro prorſus foret, ut Vita iſta melioris eſſet notæ, & à quibuſdam ſordibus magis expurgata: quam rem tantiſper indicavimus in Commentario ejus prævio,* § 1, *num.* 7; *item* § 2 *ſub initium: è quo Commentario accerſenda etiam ſunt plura alia, quæ tunc occaſione S. Fantini in anteceſſum de noſtris hiſce duobus Sanctis tractata ſparſim, ut fit, ibidem fuere: videlicet de eorum nominibus propriis num.* 11; *de nobilitate ex otioſi ingenii nugis excogitata, à num.* 5; *de tempore martyrii num.* 11 *in fine; at num.* 14 *dictum ſuit, quod ratio temporis incerta maneat, utpote non ſufficienter probata: quidquid Caietanus ad marginem Vitæ Sanctorum noſtrorum, quam edidit, apponat* ann. Ch. CCCIV.

è cujus Commentario varia hîc eruuntur circa ætatem ac patriam

3 Cenſemus, *inquit Caietanus eodem num.* 11 *citatus*, Fantini parentes externa perſecutione ſublatos, quæ ab imperatoribus Diocletiano & Maximiano excitata eſt; *ſed quod cenſet, neutiquam eum probare ibidem indicavimus. Geſta ac Martyrium eorum interſperſa leguntur Vitæ S. Fantini apud Petrum de Natalibus, epiſcopum Equilinum, lib.* 6, *cap.* 160; *ſed quæ ſit corrupta, prout reperies in allegato Commentario, num.* 25. *Quæſtio altera hîc moveri poteſt, an Sancti noſtri Syracuſani fuerint. Syracuſis adſcribi in recentioribus Martyrologiorum annuntiationibus; tamquam cives item Syracuſanos à Syracuſanis coli, teſte Ferrario, nunc vidimus; ſed ſicut nos illam gloriam Syracuſanis neutiquam invidemus, ſic gratularemur ſolidam, ſiquidem ea ab ipſis proferretur, rationem. Fundamentum unicum, quantum putamus, hujus rei non aliunde videtur deſumi poſſe, quam ex Vita S. Fantini, in qua utique num.* 1 *is* Syracuſis natus *aſſeritur; & ejuſdem Vitæ num.* 5 agri Syracuſani *fit mentio; in quo venatus fuerit. Denique ea, quæ mox referuntur de captivitate ejus, ac martyrio* Fantii *ac* Deodatæ *intelligenda cenſemus, ex rerum adjunctis in civitate Syracuſana contigiſſe; ſi vera dicit auctor.* F

horum Sanctorum, Syracuſis an Tauriani?

4 *Hoc unicum, uti exiſtimamus, fundamentum eſt, quo niti poſſunt Syracuſani, ut* SS. Fantium *ac* Deodatam ut cives ſuos colant. *Quod quamquam unicum, ſufficiens tamen hîc eſſet, modo ſatis ſolidè, melioris, inquam, Vitæ ſcriptoris, quam ſit iſte anonymus, auctoritate ſtabiliretur. Deinde cum in allegato pluries Vitæ S. Fantini*

A *tini Commentario prævio, à num. 5 propositis ac discussis pluribus difficultatibus circa locum ipsius natalem, an Tauriani in Calabria iste locus fuerit, an Syracusis, nos tandem Sanctum istum Taurianensibus tantisper dandum esse censuerimus, donec Syracusani certiora nos docerent; ideo sanctos Fantini Parentes tantisper etiam damus Taurianensibus, vel tamquam istius loci incolas vel cives; in titulo tamen hujus præsentis nostri Commentarii disjunctivè Syracusis vel Tauriani annuntiatos; tum quia Syracusani sunt in possessione; tum quia sententia nostra, quæ Taurianensibus tantisper favet, non est omnino certa.*

S. Deodata perperam à quopiam Sanctis Leontinis fuit adscripta.

5 *Quæ cum ita sint, sequitur, ut nihil morari, nedum movere nos debeat* vir quidem Leontinus *apud Caietanum in Animadversionibus tomo 1, pag. 103, qui* caritate in patriam, & pietate in D. martyrem Deodatam permotus, ejus imaginem ære incidendam Romæ curavit cum hac inscriptione, *quæ ibidem profertur:* Sancta Deodata, martyr Leontina, mater S. Fantii Syracusani. *At mox rectè observat, quod vir ille* Leontinam Deodatam esse crediderit, Actis vitiatis deceptus, in quæ Petrus Equilinus impegit; *cujus locum ibidem affert, unà cum verbis codicis Madrensiani, similes nugas continente. Utriusque textus verba transcribere tædet. Videri interim possunt, quæ diximus in Commentario S. Fantini num. 5, ubi hallucinationem cujusdam, imo ejusdem, ni fallor, qui supra, Leontini, qui* Deodatam inter divos Leontinos adscripsit, *ex laudato Caietano obiter, prout tunc res ferebat, indicatam lector inveniet.*

B

6 *Idem Caietanus tomo citato, pag. 122 Acta* SS. Fantii *ac* Deodatæ *contexuit è Vita S. Fantini; quæ proin plus auctoritatis habere non possunt, quam auctor ipse anonymus, è quo desumpta sunt, non magnam certè fidem merito, sicut partim ex superioribus, partim ex sæpe citato nostro Commentario, à num. 34 intelligi datur. Quamquam verò Acta ista à Caietano composita nihil habeant, unde hic recudi mereantur; quia tamen brevissima sunt, & Sanctorum nostrorum gesta sub uno quasi aspectu exhibent, in Vita alioqui S. Fantini quærenda, ideo nobis visum est, illa Acta, ne alio pro iis recurrendum sit, lectoris oculis hîc non subducere, quæ alicubi etiam à nobis correcta sunt.*

Acta, quæ hîc dantur.

C *Sic itaque habent*

ACTA

Ex Vita S. Fantini tom. V Julii, à pag. 553, Auctore Octavio Caietano S. I., tom. I Vitarum Sanctorum Siculorum, pag. 122.

D FAntius, & Deodata conjuges, splendore generis, & opibus inter Syracusanos *a* clari, cum ethnici adhuc essent, miroque liberorum desiderio, quibus diu caruerant, tenerentur; largitate in pauperes, precibusque ab diis exposcebant suis. Nocte quadam Fantius visus sibi est in somnis videre, sisti se unà cum Deodata uxore ad Dei Patris judicium, damnarique superstitionis impiæ crimine ad æternos inferorum ignes; sed adsidentem filium Jesum Christum, conjugibus adfuisse, plagisque Patri suo objectis, simul iis veniam, stirpemque impetrasse; mox etiam pollicitum, parentes fidem rectam à filio susceptures. Qua Christi Domini prece, dicta jam sententia à summo judice revocata est.

EX IMPR. *Sancti dum essent ethnici, ac liberos desiderarent, Fantio promittitur in visione*

2 Viso territus, excitusque Fantius, auditoque Deodata, mente conditam numinis reverentiam tenuere, rectèque factis aluere: sed somnio ex eventu fides. Omen lætum parentibus fuit, natus puer, cui Fantino nomen. Is, quo die duodecimum annum explebat, cum in agro Syracusano venaretur cervam forte oblatam (an divinitus?) refugientem in antrum insecutus, sanctum eremitam offendit, à quo unà cum Leontio famulo instructus in Jesu Christi fide, ac baptizatus est.

filius, qui baptizatur.

E

3 Domum reversus puer, quæ sibi contigerant enarratis, parentes Christianæ vitæ instituta docet. Ii verò, cum animo, quæ in somnis Fantius vidissent, probe commemorarent, fidem alacres cum familia susceepere. Simul beati Parentes sua omnia, quæ haberent, in egentes erogant. Ex eo Christianæ religionis accusati, prehensique unà cum filio ante consularem sistuntur; interrogati, quinam essent; Christianos esse, responderunt.

ac parentes ad fidem convertit.

4 Ob id dictum, irati consularis jussu, omnes plumbatis contusi sunt; sed cum nulla vi doloris, & atrocitate ictuum egregiæ vocis constantiam mutarent, in custodias conjiciuntur, ubi noctu delapsus cum luce angelus, cibo refecit, & ad martyrium confirmavit: prædictoque Fantium, & Deodatam postridie martyrium obituros, Fantinum puerum vinculis exsolutum, foribus ultro patefactis, liberum abire permisit, quò deduceret Deus. Orto die, Fantius, & Deodata ad consularem retracti, cum ejus obtemperare mandatis, ac diis adolere thura respuerent, decollati sunt; oblatisque pro Christi nomine cervicibus, ad immortalitatis lauream convolarunt.

Plumbatis cæduntur, & confirmante eos angelo, martyrio coronantur.

F

ANNOTATA.

a *An Sancti isti Syracusanis verè sint accensendi, an potius Taurianensibus, diximus in Commentario prævio.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS
DEMOCRITO, SECUNDO, DIONYSIO ET THYRSO
VEROSIMILIUS IN AFRICA.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XXXI JUL. *Quæ in Obſervationibus ad Uſuardum hoc die indeciſa reliquimus, tum de vera horum ſanctorum Martyrum palæſtra, tum de quarto ſocio tribus prioribus adjungendo, tametſi apud Uſuardum non exprimatur; jam paulo diligentius expendenda ſunt. In textu Uſuardino ſic diſertiſſimè legitur:* Civitate Sinnada, ſanctorum Democriti, Secundi & Dioniſii: *ubi an ſtudiosè à regione abſtraxerit Uſuardus, etſi omnino perſpectum non ſit, certè nec* Phrygiæ, *nec* Africæ *Martyres adſcribere auſus eſt; ut meritò quærendum ſuperſit, utrum Baronius ſatis rectè Uſuardinum textum transformaverit, ita ſcribens:* In Phrygia Pacatiana, ſanctorum Democriti, Secundi & Dionyſii, *qualem annuntiationem in nullo Martyrologio, mihi quidem noto, uſquam invenit, cum potius in claſſicis, qui de Sanctis meminerunt, ut in Rabano & Notkero, diſertè habeatur;* In Africa, civitate Sinnada, *quemadmodum etiam notant codices Hieronymiani majores omnes, excepto ſolo Epternacenſi, in quo ex* Africa *imperitus amanuenſis haud dubiè* Phrigia *effinxerit, quales tranſmutationes in eo codice non raro occurrere, ex alibi ſæpiſſimè dictis notiſſimum eſt. Quid quod & Beda Plantinianus* in Africa *etiam quaternos Martyres collocet.*

Quod de palæſtra dubium fuit,

B

2 Quantum *porro* in loco agonis aſſignando, *quod olim obſervavit Florentinius* diſtent inter ſe *codices, non ſolum Hieronymiani, ſed & ceteri prope omnes, ex enumeratione apud illuſtriſſimum Hydruntinum in topographica ad Martyrolog. Rom. diſceptatione intelliges: ſcribunt ſiquidem aliqui* Synnada, *alii* Cinnada, *tum* Sindana, Sinenda, Sinnenda, Synoda, Cinoda, Summanda, Sumada; *ſic tamen ut regio adjecta non* Phrygiam *ſed* Africam *ubique paſſim redoleat, ut proinde vera palæſtra non in Aſia, ſed in altera illa orbis parte quærenda ſit; ubi, ſi minus ſub ea forma, certè ſub aliqua proximè accedente locus reperiendus ſit, cui Sancti tribuantur, quem ſatis appositè aſſignavit laudatus Florentinius,* Synnadæ *ſubſtituendo affinem Africæ urbem* Sinitam. In collatione equidem Carthaginenſi, *inquit,* & apud Victorem Uticenſem Sinitenſis locus exprimitur in Africa. Synica & Synicenſis epiſcopatus in Africa fuit, cujus meminit D. Auguſtinus lib. 2, cap. 8, & Siniſtenſis tractus meminit idem epiſt. 128 ad Donatum.

jam reſolvi poſſe videtur,

C

Sanctos non Phrygiæ ſed Africæ tribuendo;

3 *Tum ſubjungit:* Eidem Auguſtino Africa ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt, ut hic notat Galeſinius, & fere in vetuſtiori noſtro M. ſupra reliquos aliarum regionum exuberant, ut non difficile eſſet, hos etiam Africæ, non Phrygiæ aſſerere: *quod ſanè, conſiderata codicum noſtrorum auctoritate, non poteſt non videri longè veroſimilius. Præterquam quod & id argumenti accedat, certè non infundati: cum enim ſatis illuſtres videantur hi Martyres, ſi verè Phryges eſſent, imo vel ſolum Aſiatici, à Græcis, iſtiuſmodi Sanctorum ſedulis collectoribus, non tam facile videntur prætereundi; dum interim nec Menæa, nec Menologia nec alia Græca monumenta eorum memoriam umquam prodidiſſe ſciuntur. Vitio itaque verti nobis non poteſt, quod relicto textu Martyrologii Romani, ad antiquiorum codicum fidem ſic reſtituendum cenſuerimus, quemadmodum in titulo & nomina & numerus Sanctorum & palæſtra ipſa veroſimilius expreſſa ſunt.*

E

& ſocium quartum adjungendo.

4 *Jam & de* S. Thyrſo *ut pauca dicamus, non magis dubium eſt, utrum tribus aliis adjungendus ſit, quam vero plane ſimile modò oſtenderimus, non* Phrygiæ *ſed* Africæ *tribuendos eſſe omnes, & non* Sinnadæ, *Africæ incognitæ, ſed* Sinitæ *probabilius vindicandos.* Thyrſum *igitur, ſeu* Tyrſum *textui adſcribendum cenſuimus, rejiciendaque proinde verba illa quæ in Ms. Reginæ Suecæ legit Florentinius, atque item in Animadverſis Holſtenius,* Tyri in Syria, Tirſi, *quæ in Ms. noſtro S. Columbæ, quod Reginæ Sueciæ appellamus, edidimuſque tomo* VII *Junii; quæ in eo, inquam Ms. non reperiuntur, ſed potius confirmatur lectio à nobis prælata de* Africa Phrygiæ *ſubſtituenda, ſic enim ibi expreſſè habetur.* In Africa, civitate Sinnada, natalis ſanctorum Democriti, Secundi, Dioniſii & Tiri: *ubi ſatis patet, legendum* Tirſi, *unde in errorem codices alii contracti induci potuerint, ut* Tirum *palæſtram eſſe putaverint. De quatuor ſociis dubium omne tollunt Rabanus & Notkerus, dum ita annuntiant:* In Africa, civitate Sinnada, natale ſanctorum Democriti, Secundi, Dionyſii, Thyrſi.

F

DE S. FABIO MARTYRE
CÆSAREÆ IN MAURITANIA

Bollandi commentatio posthuma. J. B. S.

XXXI JUL.

Cur anticipata compositio.

QUæsitus est olim inter Sanctos nostros Martyres Fabius aliquis nomine, quo cum insignitus esset Alexander PP. VII, tum Fabius Chisius ad pacem Monasteriensem legatus Apostolicus, operosius incubuit Bollandus ut viro illustrissimo, de se bene merito, patronum synonymum assignaret; ut pluribus deductum invenies ad XVII Maii, tomo IV pag. 132. Is vero Fabius, extra ordinem ibi positus, cum planè dubius esset, substitui omnino poterat Fabius alter sociis S. Anthimi ad XI Maii annumeratus; vel ille potius qui hoc die colitur, S. Fabius Cæsariensis: nam qui XXI Maii cum aliis relatus est, Româ Viennam præterito demum seculo translatus, è cœmeteriis haud dubiè acceptus, inter Sanctos ignotos computandus videtur. Notior hic Fabius iis patronus tuto decerni potest qui forte etiam hodie eo nomine compellantur; ut jure merito suspicer, dandam hîc à nobis Bollandi commentationem, præter receptum morem, præmaturè adornatam, eò unicè directam fuisse, ut laudato jam summo Pontifici Alexandro gratificaretur. Ipsam, uti inter chartas nostras reperta est, totam ad verbum subjicimus:

S. Fabii natalis,

2 Apud Cæsaream pridie Kalendas Augusti celebratur Passio B. Fabii Martyris, qui cum ferre vexilla Præsidalia recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem trusus, deinde interrogatus semel & iterum, in Christi confessione perdurat, & mox à Judice capitali sententiâ condemnatur. Ita Usuardus, Bellinus, aliique. Sed in quibusdam, uti & in Martyrologio Romano, postrema verba ita efferuntur: cum in confessione Christi perduraret, mox à Judice capitali sententiâ condemnatur. Brevius de eo agunt antiqua Martyrologia, vetus Romanum à Rosweydo editum: Cæsareæ, Fabii Martyris. Mss. S. Richarii & S. Maximini: Apud Cæsaream, S. Fabii Martyris. Ms. S. Lamberti Leodii: Eodem die passio S. Fabiani Martyris. Alii quoque Fabianum appellant, ut Ferrarius, qui Petrum de Natalibus citat, cum is disertè Fabium vocet. Ms. S. Martini Treviris: In Cæsareâ, Fabiani Martyris, qui ob fidem Catholicam decollatus est. Ejus natalem ita Martyrologio suo inscripsit Wandelbertus monachus: Martyrii pridie Fabium pia gloria texit. Julius hæc orbi excedens solennia linquit.

Acta ejus ex Adone,

3 Acta S. Fabii nondum reperire potuimus. Habuit ea Ado, qui eorum hanc epitomen Martyrologio suo intexuit, atque ex eo Notkerus, Petrus de Natal. lib. 6 cap. 162, (non 165 ut Baronius citat) Surius, Ms. Florarium, Canisius: Cæsareæ, passio S. Fabii Martyris, qui cum ferre vexilla præsidalia recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem trusus est: deinde productus sistitur ante tribunal. Interrogatus semel & iterum, in Christi confessione perdurat: & mox à furibundo Judice capitali sententiâ condemnatur. Post hæc inhumatum corpus custodiri jubetur: quod post triduum reticulo insutum, in maris profunda, seorsum caput, seorsum cadaver immergitur. Sed Domini virtute resciſso reticulo, membra capiti revocantur, & scapulis cervix cum indiciis passionis adjungitur. Atque ita suæ integritati redditum corpus, unda blandiore ad Cartennitanum littus evectum, condigno cultu à fidelibus in basilicâ tumulatum est. Rosweydus in suâ editione duo illa verba omisit, in basilicâ; quæ habentur in Mss. Lobiensi, Taroanensi, Leodiensi S. Laurentii; itemque in Notkero, Ms. Florario, vulgato Bedæ Martyrologio, quod Adoni omnino congruit, ut vel inde pateat Bedæ non esse, quem multò succinctiorem fuisse constat. Petrus in basilicâ ibidem juxtà positâ conditum scribit: Canisius, fuisse dein eo loco ædificatam basilicam.

locus martyrii, & sepultura;

4 Cum autem plures urbes nomine Cæsareæ sint appellatæ, dubitari potest in quâ earum Christi miles certarit. Si in Cæsarea Palæstinæ quondam metropoli; quî potuit illius Acta ignorare, aut non historiæ suæ inserere Eusebius, ejus urbis episcopus? Quæ adduntur de littore Cartennitano, ad quod appulsum est corpus Martyris, manifestè indicant de Cæsareâ Mauritaniæ esse sermonem. Erat enim Cartenna, sive, ut Ptolomæus scribit lib. 4 cap. 3, Cartenniæ urbs insignis Mauritaniæ Cæsariensis, non procul Cæsareâ, circa Καρτένα ποταμοῦ ἐκβολὰς, Carteni fluminis ostia. Atque à Carteno videtur Cartenianum littus deduxisse Rosweydus, qui tamen in margine fatetur ab aliis Cartemianum dici, vulgo Caternitanum. Imò rectius Cartennitanum, aut certè Cartenitanum, ut habent codices Mss. Lobiensis & Laurentinus, ac Notkerus; Florarium Carcenitanum; Beda vulgatus: Careniranum; Petrus de Natal. Caternianum; Canisius, Catervianum. In Notitiâ provinciarum Africæ quam noster Sirmondus edidit, memoratur inter episcopos Mauritaniæ Cæsariensis Lucidus Cartennitanus, urbis videlicet Cartennæ antistes.

tempus,

5 Quo tempore martyrium subierit Fabius, nemo eorum, qui citati sunt, prodidit. Galesinius, licet præter eos neminem citet, tradit tamen sub Diocletiano contigisse; Cæsareæ, inquit, S. Fabii Martyris, qui in Diocletiani & Maximiani persecutione, aliquot dies primùm in carcere inclusus, deinde in judicium perductus, institutis de fide quæstionibus, cum in illius confessione admodum constans esset, demum multis exanthlatis tormentis fecuri percutitur.

causa.

6 Sed cur ille ferre vexilla præsidalia (quæ Petrus præsidaria, Maurolycus præsidiaria appellat, alii præsidialia, Canisius solùm militaria) cur ea, inquam, ferre recusavit? An sacrum aliquod in Ecclesiâ munus gerebat? Felicius militem vocat, nec est improbabile. Nam sæpius quidem aliàs compulsi militare, qui divinis ministeriis essent consecrati, in opprobrium sacrosancti, in quo consistebant, status; verùm ut signa ferret, aliosve honores militares, nescio an hîc non militi esse delatum, credibile sit. Nec verò, si vana persuasione

AUCTORE J. B. S.

suasione, existimans nefas esse Christiano ordines ducere, aliave administrare belli munera, ideò se morti temerè objecisset, in Martyrum numero reponeretur ab Ecclesiâ: uti neque repositum esse militem illum existimo, si deinde interfectus est, qui donativum sub Severo Principe accepturus, quâ redimire caput debuerat, coronam manu gestavit, caussamque expostulatus Christianus sum, *respondit; quo facto pax periclitata, imò & turbata Ecclesiæ. Quod tamen factum libro de Coronâ militis operosè, at non satis solidè defendit Tertullianus, jam Montani captus deliramentis. Quæ ergo ferre* Fabius *noster signa recusavit, ea verisimile est deorum fuisse effigies, aut cum aliqua idololatrica suscipi actione debuisse, formulave sacramenti profana, ut per deos geniumve Cæsaris juraret, quod meritò semper Christiani milites abnuerunt.*

7 *Huc usque Bollandus accuratè omnia colligens quæ de* S. Fabio *ex Martyrologiis erui potuere, ut dictum est in mea hoc die ad Usuardum observatione, ad quam lectores remitto, hîc solum additurus, mirandum videri posse, quod Bollandus num.* 2 *tam expressè asserat, Sancti istius* Acta *se* nondum reperire potuisse, *cum verosimillimum sit, ea quæ citavi ex codice Mossiacensi seu Moissiacensi, descripta esse à Papebrochio, atque Antverpiam allata Parisiis anno* 1662; *nisi forte, uti principio dictum est, suum illum commentarium in Fabii Chisii gratiam multo ante composuerit, aut verius senserit, totam illam juvenilem luxuriantemque orationem, de qua in citata observatione meminimus, dignam prorsus non esse quæ inter Acta connumeretur, aut tali nomine veniat, utpote mera dictio, quæ verboso magis panegyristæ aut concionatori quam serio historico conveniat, hinc inde etiam ab Adoniano sensu aberrans, ut nos proinde eam omnino supprimendam censuerimus, cum hujusmodi argumenta in Actis nostris minimè desint, in quibus stylum exercuisse otiosos homines manifestissimè pateat.*

Acta verbosiora prætermissa sunt.

B

DE SANCTIS MARTYRIBUS XII ROMANIS.

J. P.

Notitia ex Fastis Græcis.

DIE XXXI JULII.

E sanctis hisce Martyribus meminit hoc die Supplementum nostrum ex apographis Sirmondo-Chifletianis, quando sic memorat: Οἱ ἅγιοι δώδεκα Μάρτυρες Ῥωμαῖοι ξ. φει τελ. Sancti duodecim Martyres Romani gladio consummantur. *Eodem prorsus modo signantur in Menæo Mazariniano; nisi quod ibi præposito articulo dicatur* οἱ Ῥωμαῖοι, *Utroque loco aptatur illis hoc distichon:*

Ῥώμης παλαιᾶς δώδεκα βλαστὸς, Λόγε,
Τραχηλοτμήτους Μάρτυρας δέξαι νέους.

Antiqua quæ dat Roma bis sex germina
Demessa, Christe, Martyres novos cape.

Nec plura habemus, quæ circa illorum Martyrum ætatem, palæstram &c. proferamus; omnia quippe nobis abstrusa sunt.

DE S. FIRMO EPISCOPO CONFES.

TAGASTE IN AFRICA.

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

C XXXI JUL.

Sacris Fastis adscriptus est à Baronio,

Rinsquam de eo Sancto, omnibus sacris tabulis seu Fastis, saltem quæ Baronianam Martyrologii Romani recognitionem seu potius auctionem præcesserunt, prorsus incognito, quidquam hîc audeam asserere, id referendum censui quod Eminentissimus Annalista ad annum 372, *num.*, *non* 15, *ut notat Martyrologii ejus editio Moguntina anni* 1631, *sed verè num.* 115 *narrat his verbis:* Nec prætereundum quod S. Hieronymus sub anno octavo absoluto, nono tamen inchoato Valentiniani & Valentis imperatorum (est hic ipse annus) in Chronico ait: Presbyter Sirmii iniquissimè occiditur, qui Octavianum ex proconsule apud se latitantem prodere noluisset. *Tum vero persimile factum subjungit ex libro de Mendacio, quem ad Cosentium seu Consentium scripsit S. Augustinus tomo* 4, *cap.* 13, *pag* 9 *col.* 1, *ubi* Firmum, *de quo hîc loquimur, vehementer laudat, quod profugum ad se nescio quem, apparitoribus ab imperatore submissis revelare aut prodere noluerit, extrema quæque potius passus, quam ut fidem datam violaret, aut mendacio rem tegeret.*

F

2 *Ipsa S. Augustini verba loco citato ex editione Lovanienſium hîc describimus:* Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices, nec prodam, nec mentiar? Fecit hoc episcopus quondam Tagastensis ecclesiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cum ab eo quæreretur homo jussu imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentia quanta poterat, occultabat; respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis (nondum enim erant imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius? *Hæc S. Augustinus, inquit Baronius,* ex quibus videas, æquiorem erga episcopum fuisse ethnicum imperatorem; quam contra presbyterum, Valentinianum, ab omnibus crudelitatis nimiæ condemnatum. Hujus autem Firmi dies natalis in Sanctorum memoriam descriptus habetur pridie Kalend. Augusti.

moto, opinor, auctoritate S. Augustini;

3 *Fatemur utique* Firmi *nomen inter Sanctos de-*

describi, ast in solo Martyrologio Romano, neque enim habuit Annalista Eminentissimus quem præter se ibi citaret; neque in vetustiorem ejus cultum, neque in alias res gestas, virtutes aut ætatem inquisivit, aut fortasse inquirere potuit, cum aliunde sanctus iste Firmus notus omnino non sit; ut facile ex eo intelliges quod Tillemontius de eo obiter agens, sola ista nudè referat, quæ apud Baronium, aut apud S. Augustinum de eo scripta reperat. Neque etiam indicia ulla suggerit sanctus Doctor, ex quibus in imperatoris istius ethnici notitiam ac proinde in S. Firmi temporum cognitionem deveniamus. Id quidem verum est, glorioſum Firmi nomen, ut pluribus sanctis Martyribus proprium, in Actis nostris non semel relatum esse, verum Tagastensis istius episcopi memoriam in antiquioribus Martyrologiis nusquam signatam fuisse, jam satis diximus.

• A nam alibi Firmus iste notus non est.

AUCTORE J. B. S.

DE S. PETRO EPISC. CONFESSORE

RAVENNÆ IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B. S.

Petrus qui Ravennæ colitur, non junior sed senior dicendus.

B ANNO CDXXV.

REpetenda hîc non sunt quæ occasione S. Ecclesii diximus ad hujus mensis diem XXVII; nempe in Actis hisce nostris jam toties de Ravenna ejusque prærogativis actum esse, ut de istis nihil præterea memorandum occurrat. De justo numero sanctorum episcoporum eadem, quæ ibi tangitur quæstio, supereſt, non facile dirimenda. Nodus vero implexior hîc resolvendus, quis Petrus iste sit, qui à Ravennatibus ut Sanctus colitur, relatus ad hunc diem in citatis alibi Officiis, tametsi tota festivitas de S. Germano celebretur. Rubeum aliosque scriptores Ravennates & Ferrarium secuti Majores nostri, minimè dubitarunt, quin is esset cognomento junior, istius nominis tertius, ordine XXXV, quique adeo synodis Romanis interfuerit in causa S. Symmachi PP., ad XIX Julii pluribus exposita. Eadem prorsus est Ughelli opinio, tametsi ipsum ordine XXV episcopum numeret. Ut verbo dicam, contra solem loqui visus fuisset, siquis ante editum Agnellum de Pontificibus Ravennat., receptissimis illis Ravennatium placitis fuisset ausus contradicere. Ut clarissimè res tota perspiciatur, præmittendum hîc censui Ferrarii elogium ex Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi ea planè contrahit, quæ paulo fusius retulit Ravennatis historiæ conditor Rubeus, variis locis libri sui tertii. Audi Ferrarium:

Qui antea junior creditus est

C

2 Petrus, cognomento Junior, ex Syria originem duxit. Hic sancto Joanni II hujus nominis episcopo Ravennatum suffectus est, quo tempore Theodoricus rex urbem obsidebat; multaque propterea incommoda passus est. Conciliis Romæ sub Symmacho habitis interfuit ac subscriptus est, ubi se ecclesiasticæ libertatis acerrimum defensorem & schismaticorum hostem ostendit. Reversus Ravennam Principi Apostolorum admirabile templum in oppido Classensi ædificare cœpit, inter totius Italiæ præcipua censendum. Vir fuit gravitate vitæque innocentia insignis, corpore gracili barbaque promissa. Libros novæ Legis tabulis aureis exaratos gemmisque ornatos ecclesiæ largitus est. Cum itaque templi memorati ædificationi intentus esset, morbo correptus animam Deo reddidit pridie Kalendas Sextiles, in eodem divi Petri templo sepultus. Cujus corpus post multos annos integrum suavissimoque odore completum repertum est. *Allegat hîc, & verè, monumenta ecclesiæ Ravennatis atque Hieronymum Rubeum in ejusdem civitatis historia lib. 3.*

post Rubeum Ferrarium & alios,

E

3 *Tum vero in annotatione sic pergit:* Is secundus hujus nominis episcopus Ravennas, principio regni Theodorici CDXCIII creatus est à S. Apollinare XXIII, præfuitque ex Fastis Panvinii annos IX. Quare fieri non potest ut sub Narsete exarcho, ut quidam scribunt, vixerit. *Rectè sanè à Narsetis ætate ipsum removet, qui si Agnellum consulere potuisset, toto seculo & amplius Narsete seniorem dicere debuerat. Quotus autem in serie fuerit, ex dictis satis dubium perspicis, sensimque colligis, turbata & implexa esse quæ de hoc S.* Petro *tradita sunt: nam ut ut recitatum ex Ferrario elogium speciosum appareat, tot auctoritatibus confirmatum admissumque hactenus, ruinosum ipsum tamen prorsus, eversumque adeo & convulsum est auctoritate ipsius Agnelli, alios prope omnes Sancti characteres producentis, dum alterum* Petrum *sanctum prædicat, illum nempe qui primus istius nominis S. Ursum secutus est, sanctum vero Neonem successorem habuit, non jam ad seculum sextum, seu ad S. Symmachi Papæ tempora removendus, sed qui Valentiniani III ætate vixerit, primo imperii ejus anno ad Superos evocatus, quemadmodum disertissimè tradit Vita à nobis inferius recensenda.*

ex Agnelli historia

F

4 *Vidit Rubei sphalmata, vidit difficultates omnes, easque primus expendit, ac quo potuit, conatu explanare conatus est V. C. dominus Benedictus Bacchinius, à nobis non semel laudatus, Agnellum illustrans dissertatione tertia, primæ editionis in 4, tomo 1 à pag. 206, inter Scriptores Italiæ tomo 2 à pag. 52, ubi* historiam Ravennatis ecclesiæ & chronologiam ad integrum seculum spectantem ita turbatam *agnoscit*, ut vix sperare liceat, ex tot ambagibus & parachronismatum tenebris evadere. *Ad nos vero hîc spectat potissimum, quod in prima ad* S. Petri *Vitam observatione, coactum se fateatur,* ut priorem hunc Petrum, *contra communem populariorum scriptorum opinionem* agnosceret, quod aliàs argumenta desint (si meram traditionem excipias) quibus Petrum III inter Sanctos cultum probemus; Petri autem prioris sanctitatem, usque à Gallæ Placidiæ ætate ex hoc Agnelli loco (*in Vita num. 8 recitando*) cognoscimus. Petrus itaque episcopus, quem ecclesia Ravennas ut Sanctum colit, non tertius sed prior hic est. De tertio illud tantum novimus, Symmachi Romani Pontificis ævo Romæ in pluribus conciliis sedisse, quod per parachronis-

loco suo & tempori restituitur,

AUCTORE J. B. S.

nissmum ..... Petro alteri .... tributum est.

5 *Hæc Bacchinius rectè, opinor, & re attentè sedulóque examinata, ut apud ipsum citata jam dissertatione 3 pluribus videri potest, ubi* de ætate episcoporum Ravennatum, qui floruêre à Petro ejus nominis primo ad Ecclesium *eruditè disputat; ex cujus num.* 1 *de reliquis conjecturam facies.* Ad implicatissima, *inquit*, Agnelli loca pervenimus, in quibus temporum rationem aptè disponere, nisi ex conjecturis fiat, vix sperandum. Usque in hanc diem fiderunt eruditi, quotquot de Ravennatis ecclesiæ episcopis scripsêre, Hieronymi Rubei historiæ, qui licet ex fide documentorum omnia se digessisse asseveret, appareret tamen sæpius conjecturis tantum ædificasse, quod necessitas ipsa suadebat. Ipse cum non nisi eodem medio salebras superare cogar, ut qui conatus meos legerint, æqui bonique consulant, tricas omnes in unum exponendas primùm duxi, quatenus ex rei difficultate, censores eorum quæ ad nodum implicatissimum dissolvendum adjiciam, benigniores efficiam. *Pergit inde septem episcoporum intricatissima tempora operosè digerere tota dissertationis suæ prima parte.*

vejectis pleribus

B

6 *Alterâ vero Rubei anomalias in disponenda eadem illa episcoporum serie refert & refellit; verum ea hîc describere opus non censeo, cum jam edita in eruditorum manibus versentur. Id autem prætermittendum non est, quod citata etiam jam prima sua ad Vitam S. Petri observatione, pro asserenda* Petri episcopi ejus nominis primi veritate *sic exponit*: Petrum hunc contra Rubeum & Rubeum secutos admittere, ne pontificum Ravennatum seriem ab Agnello traditam inverterem, suaserunt argumenta in præcedenti dissertatione explicata: nunc addere placet, quæ ex ejusdem Vita suggeruntur. Primo itaque inverisimile est, Agnellum deceptum fuisse à senioribus, retrotrahendo ad initia ferme quinti seculi Petrum, qui Symmachi tempore floruit, cum manifestè ea narrantur de Petro antiquiori, quæ Chrysologo, nec juniori illi competere possunt. Ex Syriæ partibus hunc venisse cum ceteris prædecessoribus suis, apertè tradit noster. Id autem falso diceretur vel de Petro Chrysologo, quem Italum fuisse nullus in hanc diem dubitavit, vel de Petro posteriori, qui aliquos prædecessores Italos habuit. Barba etiam prolixior argumentum suggerit, quo alterum ab altero distinguamus, inde enim Petrum per ea tempora floruisse apparet, quibus maximè Ravennas ecclesia græcisare visa est, cum scilicet residentibus ibidem Augustis, ad Græcæ ecclesiæ mores in pluribus se componebant ecclesiastici.

Rubei anachronismis

C

7 *Neque ibi sistit Bacchinius, assumptum argumentum sic prosequens:* Excisо autem occidentali imperio, Gothisque rerum Ravennæque potitis, barbam rasisse episcopos Ravennates, argumento esse potest antiquissima S. Ecclesii effigies, quam infra, ex veteri Ravennæ musivo, suo loco dabimus. Rei huic illud arbitror certitudinis gradum conferre, quod in fine Vitæ narratur, pro ejusdem videlicet sanctitate Gallam Placidiam jussisse, ejus effigiem in S. Joannis Euangelistæ basilica tessellis fingi, cujus effigiei locus assignatur, & partes describuntur ita distinctè, ut minimè verisimile sit, Agnellum decipi potuisse, nec distinxisse inter Petri prioris & Petri Chrysologi effigiem; nam illam ad Petrum III pertinere non potuisse, barba ipsa clamat & ratio temporis loquitur, nec enim Gallæ Placidiæ jussu potuit Petri III effigies fieri. *Atque hæc sufficere omnino videntur ut in ordine ad hodiernum* S. Petrum *cum Bacchinio concludamus, Ferrarii elogium ex Rubeanis anachronismis confusum esse ac proinde pro majori parte omnino repudiandum, neque alterum Petrum præter hunc & synonymum Chrysologum inter Sanctos Ravennæ episcopos verosimillimè admitti posse, quorum ille verus fundator fuerit Petrianæ ecclesiæ, in qua trecenta altaria fuisse dicuntur.*

qui solidè refutantur.

D.

8 *Jam ad Vitam Agnellianam quod attinet; fateor candidè in Sancti gestis ac virtutibus recensendis ficciorem esse ac jejuniorem; ut jam parergum taceam, quo fusius memoratur historia eremitæ nescio cujus, à Rubeo ex Ægypto accersiti, qui Ravennam venerit duobus leonibus comitatus, ut Christi Salvatoris effigiem aliquam intueretur, qua visa mortuus sit, cum suis leonibus ibidem sepultus: quam narrationem ex populari traditione Agnellum accepisse, satis patere existimo. Quod de inventione corporis* Domni Petri archiepiscopi *nomine insigniti ab eodem memoratur, utrum ad hunc Sanctum referendum sit, non audet definire Bacchinius; neque ego modum reperio, quo id facile determinetur. Quæ præterea dubia sunt, explanat idem Bacchinius observatione* 2, *ubi etiam advertes*, alapas *Agnellianas non incongruè à Rubeo expositas per hæc verba; Quod* divinæ legis ab Christo Deo traditæ libros tabulis exaratos aureis, præstantissimis gemmis ornaverit. *Sedis tempus non exprimitur; verum si recte decessoris S. Ursi obitus relatus sit ad annum* 412, *noster autem brevi successerit, mortuus anno* 1 *Valentiniani seu* 425, *annis* 13 *sedisse, necesse est. En modo Vitam ipsam prout ab Agnello describitur.*

Datur hîc Sancti elogium.

E

VITA

Ex Agnelli libro Pontificali

editionis Bacchinianæ tomo 1 *à pag.* 226.

CAP. 1. *Sancti patria & Petrianæ eccl. fundatio.*

PEtrus antistes XVII sanctissimus vir, tenui corpore, procera statura, macilentus effigie, prolixam habens barbam. A tempore B. Apollinaris unà cum isto viro prædecessores sui Syriæ fuerunt. Fundator ecclesiæ Petrianæ muros per circuitum ædificans, sed nondum omnia complens. Nulla ecclesia in ædificio major fuit similis illi, neque in longitudine, neque in altitudine, & valde exornata fuit de pretiosis lapidibus, & tessellis variis decorata, & valde locupletata in auro & argento, & vasculis sacris, quibus *a* ipse fieri jussit. Ibi asserunt affuisse imaginem Salvatoris depictam, quam numquam similem in picturis homo videre potuisset super Regiam *b*. Tam speciosissimam, & assimilata fuit, qualem ipse Filius Dei in carne non fastidivit, quando gentes prædicavit: sed tamen volo, ut vobis notum sit, quod de suprascripta Domini nostri sancti effigie à singulis audivi senioribus tam popularibus, quam sacerdotibus, sicut ipsi traditum habuerunt ab antecessoribus suis.

F

a

b

Salvatoris imago laudata.

2 Non solum mihi intimatum est, qui volo hunc adscribere pontificalem, verum etiam & ceteris meis condiscipulis, & fratribus, qui nutriti in gremio sanctæ Ursianæ ecclesiæ fuimus; quod fuisset quidam spiritualis pater in eremo, qui postulabat quotidie à Domino, ut ostendisset ei formam

A mam incarnationis ſuæ. Qui dum poſt multa tempora in tali oratione ſuæ animæ tædio laſſaretur, aſtitit ei nocte vir in candidis veſtimentis, angelico habitu indutus, dixitque illi; Ecce exaudita eſt oratio tua, & laborem tuum aſpexi. Surge, vade in civitatem, quæ vocatur Claſſis, & quære ibi eccleſiam Petrianam, & cum ingreſſus ibidem fueris, aſpice ſuper valvas ejuſdem eccle-
c ſiæ infra Ardicam *c*, ibi me videbis depictum in parietis calce, qualis ego fui in mundo in carne. Deinde ipſe gaudio magno repletus, verbo audito lætus, & ovans eremum reliquit; comitabanturque cum eo duo leones, & ſurgens per longinqua terrena itinera ad civitatem Claſſem pervenit, & cum ingreſſus fuiſſet in præfatam eccleſiam una cum ipſis leonibus diutiſſimè plorans & orans, per parietes ſanctam effigiem quærere cœpit.

Eremitæ cujuſdam

3 Qui cum non inveniſſet, venit ad locum, qui dormienti revelatus fuerat, ipſa eſſe depicta effigies, & videns eam cecidit pronus in terram, lacrymoſus adoravit, & agens gratias, quia ſic viderat, veluti ei fuerat in ſomnis revelatum. Et
B intuens in illam diutiſſime, dixit; Gratiam tibi ago exauditor omnium Deus, qui non ſpernis quærentes te, nec deſideras peccatorum mortem, ſed invocanti te præſto es; apud quem mediator, nec nuncius, nec intramiſſor neceſſe eſt; apud quem non eſt mora deprecantium fidelium, juxta quod nobis per prophetas pollicitus es; Adhuc loquente te ecce adſum. Ecce non ſecundum mea merita, ſed ſecundum tuam miſericordiam deſiderium meum adimpletum eſt. Jam ſatiatus ſum de ſanctis divitiis tuis, jam de theſauro cæleſti locupletatus ſum. Suſcipe animam meam in aula ſancta tua, ut invitatus ad cœnam Agni, merear ingredi in regno tuo, & ſedere ad menſam tuam. Et his dictis, diutiſſime orans, & gaudens, inter duoſque leones circa eum rugientes reddidit ſpiritum.

d ad eam acceſſus & obitus.

4 Quod *d* de hinc capientes populum concurrerunt adprehendentes terram foſſariam cum nimio timore, & veneratione, lambentes leones ejus membra, atque veſtigia, & lacrymas fundentes, cum ingenti luctu ſepelierunt eum. Tunc leones unus ad caput ejus proſtratus eſt, & alius ad pedes, rugitus magnos inter ſe dantes, concurrentes hinc & inde juxta ſancti Viri corpus,
C magnis vocibus perſtrepentes, atque ſua colla ſub ejus tumulo cupientes ſubmittere (amariſſimè populus cum ipſis leonibus flebat) ambo interierunt. Ipſe vero populus in fovea ex utraque parte in terra, juxta ſancti Viri corpus ſepelivit illos hinc & inde. Cum nimio autem metu territus populus in viam ſuam reverſus eſt, & narrabat mirabilia, quæ Dominus in hominibus, & beſtiis exercuerat.

CAP. II. *Sancti mors*

5 Fuit autem in Valentiniani temporibus; cum enim cœpiſſet Valentinianus imperare, in ipſo introitu imperii ejus beatus iſte Petrus vita exſpoliatus aſtra petivit. Ut aiunt quidam, ſepultus fuit in ſua fundata eccleſia Petriana. Certiſſime enim ſciatis, veritatem vobis dicam, non ullum mendacium. Dum in monaſterio meo beatæ & ſemper virginis Mariæ, quæ vocatur ad Blachernas reſiderem, quod eſt fundatum non longe à Guande-
e laria *e*, dum vellem perſcrutare omnium vitas Pontificum Ravennatum, hæſitator eram animæ meæ de hujus ſancti Viri tumulo.

& ſepulcrum:

6 Quod dum ita cogitarem, unus ex pueris, qui quotidie aſpectibus meis conſiſtebat, nunciavit mihi, Georgium presbyterum Claſſenſis eccleſiæ adveniſſe. Ille verò illo tempore regebat curam eccleſiæ S. Severi confeſſoris Chriſti, vir valde venerabilis, conſtans in omnibus, firmus abſque imbecillitate. Qui cum ſuiſſet ad me ingreſſus, poſtquam ſediſſet, ſtatim ſciſcitare cum cœpi, forſitan, aut per antiquos homines in auditu, aut viſu aliquid de beati hujus Pontificis gloſochonio *f* ſciſſet. Ille autem hilari vultu dixit *f* mihi; oſtendam tibi, quod maxime cupis, ubi pretioſiſſimus requieſcit theſaurus. Qui cum aſcendiſſemus equos, properavimus Claſſem: & juſſi meis hominibus, qui nobiſcum comitabantur, longius recedere, quaſi ſtadio medio; & ingreſſi ſumus infra monaſterium S. Jacobi, quod eſt fundatum infra ſuprascriptæ eccleſiæ fonte. EX AGNELLO.

7 Vidimus ſepulcrum ex lapide proconiſo *g* pretioſo, & elevavimus duriter, atque modicè coopereulum. Invenimus infra ipſam arcam capſam cypreſſinam: cumque ſublevaſſemus ejus tegumen, vidimus nos ambo ſanctum corpus jacens, quaſi ipſa hora ſepultus fuiſſet, longam habens ſtaturam, cutemque pallore præditam, & omnia integra membra, pectus & ventrem integrum, nulla pars deerat, niſi pulvillus capitis minuerat. Tantum autem odorem manavit, ac ſi incenſum flagrantes mixturarum myrrha, balſamoque ſentivimus. Irruit ſuper nos terror horribilis, ac vehementiſſimus, & tanta triſtitia, ut quod antea alacriter aperuimus, vix etiam cum ſuſpiriis, & gemitibus claudere potuimus. Odor denique nos ſuperabat in omnibus, & ſic fuit, ut amplius quam unam hebdomadam odor ex noſtris naribus numquam receſſit. Et deſuper ipſam arcam illius imaginem mire depictam continebatur litteris; *Donus Petrus Archiepiſcopus.* *g corpus ab Agnello reperium.*

8 Et infra eccleſiam B. Joannis Euangeliſtæ juſſit Galla Placidia pro illius ſanctitate ejus effigiem teſſellis exornari in pariete tribunali poſt tergum Pontificis ſupra ſedem, ubi Pontifex ſedet. Quæ effigies ita eſt facta, & prolixam habens barbam, extenſis manibus, quaſi Miſſas canit, & hoſtia veluti ſuper altare poſita eſt, & ecce Angelus Domini in aſpectu altaris illius orationes ſuſcipiens, eſt depictus. CAP. III. *Effigies à Galla Placidia curata,*

9 Iſtius temporibus Galla Placidia auguſta multa dona in eccleſia Ravennæ obtulit, & lucernam cum cereis; totum ex auro primo fecit, penſantes, ut dicunt quidam, pondere publico libras ſeptem, unà cum ſua effigie ſcenofactoriæ artis factam, infra orbitam, & per in gyro legentem; *Parabo lucernam Chriſto meo.* Et hic beatiſſimus
F alapas *h* Euangeliorum ex auro optimo, & gemmis lucidiſſimis fecit, & effigies illius ibidem facta eſt, quæ permanent uſque in præſentem diem, litteræ hoc oſtendentes deſuper capitis illius ſcriptæ ſunt; *Dominus Petrus antiſtes ob diem ordinationis ſuæ ſanctæ eccleſiæ ſic obtulit.* Defunctus eſt pridie Kal. Auguſti ſedit annos . . . . . menſes. . . . . Dies. . . . . *h* *ejuſque & Sancti in eccleſiam donaria.*

ANNOTATA.

a *Seculum ſuum ſapit Agnellus, barbariſmis & ſolœciſmis nimium quantum inſperſus, ſed quorum hîc ratio habenda non eſt, quoties intelligi poteſt quid velit.*

b Regiam *explicat Bacchinius per* valvas baſilicæ, *quas ita corrupta latinitate indicarit Agnellus, infra num.* 2 *tantillo clarius locutus.*

c *Quid per* ardicam *ſignificatum velit, ex adjunctis colligendum eſt:* regiam *hic utcumque percipis, puta* ardicam *ſuperiorem ejus partem eſſe: conjice porro, quæ ſit illa* calx parietis *ſuper valvas.*

d *Non*

EX MS.

d *Non minus divinanda ſunt quæ hîc ſequuntur, homineſne an leones eremitam ſepelierint.*

e Blachernæ, Guandelaria *atque id genus loca alia in vetuſtiori Ravennæ topographia quærenda ſunt.*

f *Aut ſepulcrum aut loculum indicat voce barbara pro* Γλωσσόκομον, *ſeu* Γλωπτοκομεῖον.

g *A loco, opinor, unde marmor iſtud eruitur, ſumpta eſt appellatio, nempe* à Proconneſo *ſive* Præconneſo, *inſula Propontidis, de qua vide geographos.*

h Alapas Euangeliorum *ex Rubeo explicuimus in Commentario prævio; ſic nempe Agnellus libri opercula indigitat.*

DE S. GERMANO EPISCOPO CONF.

AUTISSIODORI IN GALLIA.

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus, & reliquiæ, earumque tranſlationes.

ANNO CDXLVIII.

B

S. Germani magna apud omnes veneratio:

Autiſſiodorum, urbem Galliæ ad Icaunam fluvium in moderna Burgundia ſitam, quàm numeroſa antiſtitum Sanctorum ſeries illuſtraverit, plurium, & quæ jam dedimus, & quæ loco ſuo dabuntur, Acta produnt. Horum verò omnium nemo eſt, qui patriæ ſuæ ac ſedis gloriam extulerit altiùs, latiúſque protenderit, quàm qui modò fere ſextus inter eos ordine numeratur, S. Germanus: *quo ſanè ſi quid in Gallîis majus ætate ſua noviſſet S. Apollinaris Sidonius, non ſatis, opinor, ex arte laudaſſet lib.* 8, *epiſt.* 15 ſanctum Anianum, maximum conſummatiſſimumque pontificem; *cum illum diceret* Lupo parem, Germanoque non imparem. *Sed privata, quæ juſto longiùs abduxerant, mittamus elogia: quando idem de illo ſenſus fuit univerſæ pridem eccleſiæ Gallicanæ; ut quæ Sanctis eum indigenis omnibus prætuliſſe cultu videatur, ac ſoli Martino Turonenſi exæquaſſe; cum hujus haud fortè plures, quàm illius nomine dicatas toto paſſim regno excitavit eccleſias; & in una quidem urbe Pariſienſi (quæ ſuum tamen & ipſa ſanctum Germanum habuit antiſtitem, meritis ac prodigiis, ut ad diem* XXVIII *Maii noſtri videre eſt, celeberrimum*) Germano *Autiſſiodorenſi, teſte Bailleto, tres. Prætereo gentes alias, atque imprimis Britannicam; quæ, ut liquet ex Alfordi noſtri Annalibus ad annum Chriſti* 441, *num.* 2, *vix ipſis Gallis concedere in hac parte voluit,* ſtructis ejus nomini templis, oppidis, monaſteriis, & altaribus.

C

feſtum olim primarium Kal. Octob.;

2 *Sed neque de cultûs antiquitate diſſerendum hîc eſt: ſatis per ſe Acta demonſtrant, vitæ finem, venerationis exordium fuiſſe. Itaque apud veteres Martyrologos plura ejus per annum feſta conſignantur; quorum illud olim præcipuum fuiſſe docebit Hericus in Miraculis, num.* 44 *&* 53, *quod ratione depoſitionis ejus celebrabatur Kalendis Octobribus. Ea, ni fallor, cauſa Wandelberto fuerit, cur ad illum tantummodo diem in Martyrologio ſuo metrico* S. Germani *memoriam his verſibus exornaverit:*

Germanuſque, ſimul doctrina inſignis & actu,
Tum propriam munit meritis Autiſiodorum;
Qui oceano fidei refugas & dogma nefandum
Reppulit, & ſignis te, Picta Britannia, texit.

Ado quoque, tametſi alios imitatus, mentionem ejus aliquam faciat die, quæ Sanctus obiit, XXXI *Julii; adeo tamen ibi jejunus eſt, adeo ad Kalendas Octobres copioſus; ut facile colligas, poſterius hoc feſtum priore tunc fuiſſe ſolennius; cóque proinde non temerè referri poſſe Miſſam illam, Adone, ut volunt, multo antiquiorem, de* S. Germano *noſtro, quam in Miſſali Gallicano veteri Thomaſius, & poſt eum Mabillonius edidit Liturgiæ Gallicanæ lib.* 3, *pag.* 329.

D

E

at nunc pridie Kal. Auguſti;

3 *Nunc aliter res habet: nam in Autiſſiodorenſi quidem ejus cœnobio par eſt utriuſque ſolennitas ac primæ claſſis; ut affirmat Georgius Viole in Ms. noſtro Autiſſiodorenſi* C 94, *pag.* 37: *utrumque ſuâ iſtic præſentiâ cohoneſtare ſoliti pridem canonici cathedralis eccleſiæ. Quæ conſuetudo jam tum antiquiſſima, ſub abbate Radulpho, qui præfuiſſe dicitur ab anno Chriſti* 1188 *uſque ad* 1208, *confirmata legitur ibidem pag.* 242; *ubi & de eodem abbate ſubditur:* Statuit inſuper, ... ut Octavæ utriuſque feſti S. Germani ſint duplices. *Per diœceſim verò, juxta nuperrimum Breviarium, dies depoſitionis ritu tantùm duplicis majoris colitur, præterquam in eccleſia cathedrali, in qua ſemiſolennis habetur; cum per totam diœceſim ſolennis notetur dies tranſitûs, ſive* XXXI *Julii: quem ſolum ejus venerationi aſſignat Martyrologium Romanum his verbis:* Ravennæ, tranſitus ſancti Germani, Antiſiodorenſis epiſcopi, genere, fide, doctrina, & miraculorum gloria clariſſimi (*huc uſque conſonat Uſuardo;*) qui Britanniam à Pelagianorum hæreſibus penitus liberavit. *Solum hoc etiam feſtum exhibet Martyrologium, quod Bedæ nomine pridem vulgavimus; ſed neſcio, cur ad Kalendas Auguſtas. Idem illud fuiſſe, quod ſingulari religione ſervatum apud Britannos invenies infra in Miraculis Selebienſibus cap.* 7, *num.* 78, *diſces ibidem ex num.* 76.

F

alia quatuor etiamnum obſervata.

4 *Tertium ab utraque jam dicta celebritate locum obtinuiſſe videtur dies* XXII *Septembris, qua notatus reperitur,* In Autiſiodoro, civitate Galliæ, adventus & exceptio ſancti Germani, epiſcopi & confeſſoris, ab Italia; *ut vide apud Florentinium in Martyrologio Hieronymiano, vetuſta hîc manu interpolato; apud Acherium in Spicilegio recuſo, tom.* 2, *pag.* 19; *apud Martenium ampliſſimæ Collectionis tom.* 6, *col.* 651, *&* 721; *alioſque, etiam in Mss. Æquè propemodum Autiſſiodori memorabilis eſt memoria tranſlationis ejus, quæ (ut nihil de Mss. noſtris dicam) in veteri Martyrologio Autiſſiodorenſi apud Martenium citatum col.* 686 *talis eſt:* VIII Idus Januarii. ... Autiſſiodero tranſlatio ſancti Germani confeſſoris: *illa nimirum, quam à Carolo Calvo accuratam eſſe anno* 859 ſancto Epiphaniorum die, *teſtatur Hericus in Miraculis num.* 101, *addens,* diem illam *ejuſdem principis ſtudio* ſucciduis ſeculis perpetuò

A petuò celebrem *indictam esse. Rectè ergo* S. Germani *translationem hoc die Martyrologio suo Gallicano adscripsit Saussayus ; quamquam ignoravisse se prodidit , de qua Sancti translatione ageretur. His accedunt dies* XVII *Martii , quam* S. Germani *inventioni , nescio cui , sacram ex Breviario quodam antiquo nobis adnotavit Chifletius noster ; ac dies prima Junii , qua idem festum alicubi ordinationis seu consecrationis* S. Germani *nostri memoriam reperit. Quatuor verò hæc festa etiamnum in Autissiodorensi Sancti cœnobio celebrari , asserit Viole in Ms. C 94 , pag. 26 ; secundum tamen, ob solennitatem Epiphaniæ, usque in sequentem diem perpetua lege differri : quartum verò* electionis & consecrationis *appellari. Notatur insuper in Calendario Floriacensi apud Martenium, tomo assignato , col. 651 ,* V Cal. [*Septembres*] Autissiodori translatio corporis S. Germani episcopi ; *de qua nil alibi legimus.*

Quanto in honore habeantur

5 *At enim nihil ad singularem omnium ordinum erga sanctissimum hunc Antistitem affectum ac religionem comprobandam evidentius , quàm si reliquiarum ejus qualiumcumque æstimationem illam consideres , qua se quisque beatum olim credidit , tum vel rerum vilissimarum , quas attigisset ille aliquando , nactus aliquid esset. Exempla dabit luculenta Constantius num. 55 , ubi Nectariolæ studium in colligendo condendoque stramine , cui noctem unam incubuerat Sanctus hospes, commendat ; num. 70 , ubi de patenula lignea cum pane hordeaceo , Placidiæ augustæ à* S. Germano *antidori loco remissa ; ac tandem num. 75, ubi ejusdem principis æquè ac S. Petri Chrysologi , aliorumque sex antistitum tantam de* Germani *vix defuncti vestibus contentionem ait fuisse , ut nisi tunicæ sagulique discissione sedata non sit. Nonninus quoque , de quo ex S. Gregorio episcopo Turonensi agit Hericus in Miraculis num.* 41 , *quanti fecerit vel particulam lapidis ejus sepulcralis , ibi videbitur.*

B

res etiam aliqui viles ,

6 *Et verò ne nunc quidem rerum ejuscemodi pretio tot lapsa secula quidquam detrivisse , testantur ecclesiæ , apud quas asservari inter pretiosissima sacrorum thesaurorum cimelia dicuntur ; ut ecclesia Deiparæ Virginis metropolitana Parisiis , quæ manicam habere creditur , quam ipse Sanctus morti proximus fertur pro eulogia misisse S. Genovefæ , teste Du Breul Antiquit. Paris. lib.* 1, *pag.* 40 *: ecclesia S. Stephani cathedralis Autissiodori , cui S. Heribaldus , episcopus trigesimus quintus , seculo nono* capsam auro argentoque mirificè decoravit ; ubi vestimenta sacratissimi Germani reposuit ; *ut habet Historia episcoporum Autissiodorensium , cap.* 36. *Vestimentorum illorum unum olim è capsa produci quotannis consuevisse die* XXX *Julii , atque è summo sanctuario exponi publicè ; cetera verò die* III *Augusti in solenni supplicatione circumferri , asserit Historia capti per Calvinianos ac liberati Autissiodori , in instrumentis annexis pag.* XXX ; *ubi & subdit ,* recuperatam (*ex Hugonottica calamitate*) vestimentorum illorum partem novæ thecæ inclusam fuisse anno Christi MDCXXXVI ; visitatam verò anno MDCCXIX. *Vide etiam ibidem pag.* LIII ; *& Violam in Vita Gallica cap.* 28 , *pag.* 209. *Harum vestium elenchum veterem proferre se putat Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 2 , *lib.* 32, *num.* 37. *At mihi res dubia videtur ; cum inter illas memorentur aliqua , quæ in thesauro metropolitanæ ecclesiæ Parisiensis recenset Du Breul paulò antè citatus , refertque ad S. Germanum Parisiensem ; tum quia in isto elencho videtur S. Germanus , ter simpliciter appellatus , à nostro discerni , cui additur ibidem epitheton* Autissiodorensis.

C

AUCTORE P. B.

7 *Ecclesia quoque cœnobii ejus in eadem urbe , quanta cura ac veneratione servet ad hunc usque diem pannum sericum , quo corpus olim ejus obtexerat Placidia ; sepulcrum item lapideum , in quo conditus aliquando fuit ; quin & fragmenta sarcophagi cypressini , in quo translatus fuit ex Italia , dicetur inferiùs. Est & in catalogo reliquiarum abbatiæ S. Petri Autissiodorensis (* vulgo de saint Pere) *juxta Ms. nostrum Autissiodorense , cujus auctor præcipuus creditur Georgius Viole , adscripta* pars sudarii (*sic vestem illam appellant, qua obvolutum fuit à Placidia corpus*) S. Germani episcopi Autissiodorensis. *Templum insuper Gronense (vernaculè* à Gron , *qui pagus est prope Senonas) frusta vestimentorum ejus aliqua religiosè custodit ; ut nos docuit nuperrimè Illustrissimus Autissiodorensis.* In parœcia *denique* S. Germani de Gueron , *inquit Viole in Vita S. Gallicè edita cap.* 28 , *pag.* 208 , quæ leucâ unâ distat Bajocis *in Normannia* , est mappa altaris perelegans , super qua ibi fert traditio illum istac transeuntem sacrosanctum Missæ sacrificium celebrasse. Hoc verò in ea mirandum est , quod ab hominum memoria numquam lota , candorem suum niveum servet ; quantumvis ad sacra Mysteria conficienda satis frequenter adhibeatur. *Ejusdem generis Ladriaci fuisse suspicamur illa Sancti pignora , de quibus Hericus meminit in Miraculis num. 53. De particulis sarcophagi ejus vide eumdem num.* 70.

quòd vel usu ejus vel corporis attactu consecrata sint.

D

Corporis translatio , sepultura , tumulus , quàm augusta ;

8 *Jam si tantum iis , quæ Sancti corpus utcumque attigere , honoris impensum sit , de ipso corpore quid dicemus? Certè nondum exspiraverat Præsul apostolicus , cum jam sibi thesaurum illum Placidia destinasset ; ut quem non nisi ipsiusmet moribundi rogatu , & quidem invita dimisit ; sed quanto cum apparatu comitatuque , narrabit infra Constantius num.* 76 ; *ubi etiam asseret , quantamcumque hanc illustre funus deducentium pompam à Gallis , Patronum proprium excipientibus ,* majore famulatu *superatam fuisse. De exsequiarum verò ejus ac sepulturæ apud suos magnificentia consulendus in Miraculis S. Hericus num.* 34 *&* 37 ; *uti & de basilica* ingentis fabricæ atque operosæ amplitudinis , *quam* supra sancti tumulum Pontificis *exstruxit S. Chrothildis regina , Clodovei primi conjux , ibidem num.* 38; *de ornatu regio , quem ipsi tumulo Clotarius , Chrothildis , ut ait , filius , maternæque devotionis fidissimus exsecutor & heres , adjecit ; de profusa Ingundis , conjugis ejus , in eamdem basilicam liberalitate , ibidem , num.* 39.

E

F

item altera , ac tertia translatio sub Carolo Calvo.

9 *Idem deinde erga* S. Germanum *affectus ad posteros reges principesque Gallicanos propagatus est , ut in Vita Gallica cap.* 27 *multis probat Viole : excelluere hoc tamen inter alios maximè & Conradus ille , quem Comitem appellant Parisiorum , & Judithæ imperatricis fratrem , Carolique adeo Calvi avunculum ; & ipse hic ejus nepos Carolus Galliarum rex ac deinde imperator : & Conradus quidem , cum basilicam à S. Chrothilde excitatam , quà respicit orientem , ea parte protendit , ubi major deinde ara locata est , sub qua & cryptas condidit tribus distinctas fornicibus , cum ipso opere , tum Sanctorum plurium , atque imprimis* S Germani , *tumulis hodieque memorabiles : Carolus verò , cum eodem tempore geminam ibidem sacri corporis ejus translationem adornavit ; alteram unà cum fratre suo Ludovico , anno* 841 , *die* 1 *Septembris , in alium , ut appa-*

AUCTORE P. B.

apparet, ejusdem ecclesiæ locum; alteram, absolutâ Conradi fabricâ, ad operosè præparatum illi in crypta subterraneâ monumentum, anno Christi 859, die VI Januarii. Atque hæc, cum ab Herico in Miraculis lib. 2, cap. 1 & 2 satis fusè narrentur, hîc obiter attigisse sufficiat. Non meminit autem ille de translatione reliquiarum S. Martini ad ecclesiam S. Germani *Autissiodorensem, in qua tamquam in asylo permansisse eas ab anno Christi 852 usque ad 887 contendit Pagius ex tractatu S. Odonis de reversione S. Martini à Burgundia. Sed & nos eam cum eodem tractatu, non paucis difficultatibus obnoxio, ad Novembrem dandam discutiendamque remittimus.*

Ejusdem exornatio per Lotharium abbatem;

10 *Augusti patris vestigiis institisse Lotharium, Calvi filium illum, cujus præmaturum obitum in præfatione ad Vitam* S. Germani *metricam Hericus infra deflebit, ex eo manifestum est, quod non modo eumdem Hericum ad Præsulis nostri Acta stylo ligato exornanda vehementer impulerit; sed ipse quoque sacram ejus lipsanothecam, sive, ut est in Gestis abbatum ejusdem ecclesiæ cap. 13,* capsulam *auro gemmisque decoraverit; nec diu posteriùs in morbum incidens ac morti jam proximus, impetraverit à parente (forte quòd id per se ipse non posset, nupera largitate exhaustus) ut præter alia* in basilica S. Germani, ante sacratissimos sepulcri ipsius cineres ... una lucerna indeficienter accensa augeretur; nec pro hac quæquam ceterarum minuatur: *de qua re consule Annales Benedictinos ad annum, quo vivere desiit,* 865, *num.* 35.

B

& solicita custodia tempore grassantium Normannorum,

11 *Hinc porrò colligit Viole in Vita Gallica cap.* 28, *quarto circiter anno post translationem anni* 859, *eductas è tumulo reliquias, pretiosæque illi thecæ per hunc Lotharium inclusas, publicè primùm in ara principe exponi cœpisse; donec non multo pòst abscondi cum theca debuerunt, teste Fratre Nevelone in Martyrologio Ms. Corbeiensi, ubi ad* VIII *Idus Januarii facta translati anno* 859 *in cryptas corporis mentione, continuò subdit:* Per idem verò tempus, nec multo dierum intercedente curriculo, terribili paganorum (*Normannorum*) infestatione metum incutiente, sæpe dicti Confessoris sepulcrum altiùs humi profunditate defossa, tenacissimi cæmenti glutine terræ venis est firmissimè insitum: ac super illud alius est locatus sarcophagus, quo fragmina cypressini loculi, in quo corpus illius à Ravenna olim devectum est, continetur. Quod ob ambiguitatem futuris seculis tollendam subjungere placuit. *Ita Nevelo, qui tum floruisse dicitur. Nescio tamen, an hæc satis cohæreant cum S. Odonis jam laudato tractatu; nisi & S. Martini corpus in eamdem basilicam nuper allatum, prostitisse quidem ibi velis aliquamdiu; at, metu illo ingruente, reconditum istic etiam fuisse.*

C

ac postea reverentia erga illud singularis.

12 *Quamdiu desossum ita latuerit Sancti nostri corpus, haud constat. Viole in Vita Gallica, cap.* 28 *erutum fuisse censet & palàm in eminenti basilicæ loco expositum ab anno circiter* 865; *sed conjecturis id probat non admodum solidis; cum verisimile non sit, quod metu Normannorum absconditum fuerat, id metu illo durante, ne dicam crescente, fuisse productum: durasse autem illum apud Autissiodorenses usque ad initia seculi decimi, patet cum aliunde, tum ex Actis B. Geranni episcopi Autissiodorensis ad diem* XXVIII *hujus mensis. Neque refert, quod ante tempus illud relatum ad suos S. Martini corpus affirmet Odo: nam vel fallit ejus chronologia, ut putat Viole; vel ideo relatum est, quia jam majus illi periculum à Normannis Autissiodori timebatur, quàm Turonibus, ut contra ipsum fere Odonem vult Pagius; vel alia fuerit hujus rei causa, de qua suo loco videbitur. Quandocumque verò elata inde fuerit* S. Germani *theca, singularis illi tum semper præ aliis Sanctorum reliquiis exhibita est reverentia; ut ex Historia episcoporum Autissiod. cap.* 49, *& Roberti Autissiodorensis monachi Chronologia colligitur: nam cum Robertus rex seculo* XI *de pace cum Burgundis acturus, in pago Autissiodorensi concilium, ut ibi appellatur, indixisset, cui & ipse* cum episcopis ac abbatibus adfuit, simul & innumerabilia (*ut mos olim erat*) Sanctorum pignora totius penè provinciæ; *cumque* quidam peterent, ut glorioſi Germani corpus illuc deferretur; respondit Hugo episcopus (*Autissiodorensis:*) Absit, ut ossa incomparabilis Viri pro quacumque re aliquando commoveantur: quod ceteri audientes, gratanter consenserunt. *Ceterùm in publicis populi calamitatibus commota quandoque & in supplicatione per urbem circumducta fuisse, testatur Viole in Ms. Autissiodorensi pag.* 261 *&* 267.

D

E

Ejusdem incorruptio asserta seculo XI;

13 *Neque hæc veneratio corpori tunc tantum sacro deferebatur; sed & toti propter illud basilicæ, teste Glabro infrà in Appendice altera ad historiam Herici num.* 10 *& sequente. Quin & assiduos eodem seculo, saltem interdiu, lipsanis hisce advigilasse custodes, indicat auctor miraculorum, quæ dabimus, Selebiensium num.* 3; *ubi & quod pro seculo* IX *bis testatus in Miraculis fuerat Hericus num.* 96 *&* 101, *id ipse pro seculo* XI *jam provecto testatur,* in Autissiodorensi nempe cœnobio beatissimi Germani corpusculum incorruptum requiescere & integrum; *& quidem, ut ibidem num.* 6 *innuit, in altari, loco ut externis hominibus inaccesso, sic domesticis, noctu præsertim, non satis obserato; donec ei digitus ex temerario monachi cujusdam affectu,* vel morsu vel abscissione *sublatus, mentem injecit fratribus & inde removendi tutiúsque occludendi corporis, & digiti amputati, qui vel sic mansit incorruptus, in hujus locum super altare collocandi; unde aliquot post annis in Angliam translatus est. Hæc porrò tam sancti pignoris inconsiderata violatio præsenti divinitus supplicio castigata, priorem erga illud religionem non parum adauxit: non item illa, opinor, quæ circa initium seculi* XIII *impunè contigisse dicitur in Gestis abbatum* S. Germani *Autissiodorensis cap.* 13:

F

& conservatio usque ad seculum 16.

14 *Quando scilicet Radulphi abbatis cum episcopo Hugone, & monachorum cum abbate diuturna litigia eò rem domesticam deduxere, ut ad eam sustinendam ne sancti quidem* Germani *thecæ pepercerint:* Capsula etiam, *inquit auctor operis jam citati,* beati Germani, olim à bonæ memoriæ Lothario abbate, filio Karoli regis, auro & gemmis decorata, remanentibus tantùm frontibus, auro & gemmis excoriata extitit. *Sed & ipsæ illæ, ut hîc vocantur, frontes, cum aliis ejusdem ecclesiæ cimeliis vasisque pretiosissimis Anglo, Navarroque regibus anno* 1359 *in maximis oppressæ civitatis angustiis oppignoratæ fuerunt; nec multis post annis, ut susè tradit Viola in Vita Gallica cap.* 28, *restitutæ. Subinde verò, ut idem asserit in Ms. Autissiodorensi nostro pag.* 256, *hujus arcæ splendori melius à Joanne Bituricensium duce consultum est, cum ad ejus imprimis conservationem, anno* 1375 *auri bessem quotannis pendendum in perpetuum assignavit. Accessit,* eodem *teste ibidem pag.* 262, *ingenti* S. Germani, *ut modò supereſt, basilicæ, tot retrò annis instaura-*

ri

A *ri cœptæ, impositâ tandem, exeunte circiter seculo* XV, *coronis; magnum sanè propensæ erga sancti Præsidis tumulum & constantis, etiam per iniquissima tempora, devotionis argumentum. Eo loco res erant, cum abreptæ Calviniano toxico furiæ, in hoc, ut in alia passim, sacrarium irruêre: de qua procella, quia variè traditur; nunc paucis agendum.*

§ II. Sacri corporis ejus amissio in strage Hugonottica anni MDLXVII.

Ossa Sancti an per Calvinianos dispersa,

DE *Autissiodoro ab Hugonottis anno* 1567, *die* XXVII *Septembris per insidias ac proditiones occupato, & usque ad anni sequentis Aprilem, quo sunt ejecti, latrociniis nullisque non sacrilegis susque deque verso legi meretur Historia non admodum longa, quam idiomate Gallico ibidem edidit anno* 1723 *D. Le Beuf, ecclesiæ Autissiodorensis canonicus & succentor. Nos id unum quærimus; quid in hoc tumultu S.* Germani *reliquiis acciderit: violatas enim fuisse, in confesso est apud omnes; at quo loco, qua ratione, quo eventu, disputatur. Auctor jam dictus rem hoc sensu describit pag.* 142: *convenerat inter hæreticos, ut, quamprimum urbe potiti essent, cœnobium S.* Germani, *ne quid efferri subducive posset, armatæ paucorum tantisper obsiderent excubiæ, dum prædonum duces adessent. Factum id est tam solerter; ut à monachis, fugam anxiè deproperantibus, vix abdi quidquam potuerit. Ita supervenienti mox latrocinantium agmini universa prædivitis monasterii templique gaza cessit in prædam. Erant post altare majus, præter thecam S.* Germani *tot principum undique fulgentem anathematis, repositæ sex aliæ grandes (in Actis visitationis cryptarum, anno* 1642 *compositis, tantùm quinque, & paulò aliter, recensentur) SS. Annarii, Urbani, Tiburtii, Theobaldi, Romani, & quorumdam è sociis S. Mauritii Martyrum insignes corporibus: has omnes idem impetus præcepsque furor loco revulsas deturbat in pavimentum, ossa simul sacra petulanti impiaque turbæ promiscuè hac illac proculcanda dispergens. Ut adeo si quid harum S.* Germani *reliquiarum etiamnum Autissiodori supersit, quod in ea tot aliarum confusione collectum possit internosci, id eximiæ Catholicorum quorumdam pietati ac periculo debeatur. Hæc ille; non asserens interim, hujusmodi aliquid supereſſe.*

B

& cum aliis permista fuerint;

16 *Viole in Vita Sancti cap.* 28 *tres proponit de hac re opiniones, medio, quo scribebat, seculo decimo septimo vigentes; quarum prima cum descriptione jam data satis congruit; secundam ita prosequitur:* Sunt tamen, qui affirmare voluerint, Hugonottos divina quadam virtute constrictos, adversùs venerandum hoc atque ipsis terribile dæmonibus corpus attentare nihil ausos fuisse; sed arcæ ejus, auro gemmisque elaboratæ, contentos materiâ, ad ecclesiam, quæ inclusa repererant, ossa retulisse. Quæ quidem narratio si falsa non est, servari adhuc illa in ejus ecclesiæ thesauro censeri poterunt inter alia bene multa, quæ tum clam à Catholicis collecta, & in illum dein sine discrimine comportata fuerunt. *Valuisse hæc sententia in eodem cœnobio videtur anno* 1663, *quando demùm Sanctorum plurium reliquiæ ex ferali illa strage superstites permixtæque, in capsas repositæ*

C

sunt, omnium simul nominibus consignatas: nam inter ea sancti quoque Germani *nomen adscriptum esse, ex epistola moderni ejusdem urbis episcopi nupera didicimus. Ut ut est; neutram harum opinionem satis sibi probari potuisse, ostendit ipse ibidem Viole; cum tertiam, atque adeo suam, in hæc verba subjiciat:*

AUCTORE P. B.

an combusta seorsum;

17 Verùm conjecturæ non desunt multumque verisimilitudinis, quæ suadeant, hæc (*ossa S.* Germani) in privati cujusdam ædibus in cineres fuisse redacta. *Utinam conjecturas illas verbo saltem uno exposuisset! Jam enim revocantur in dubium: cum ante annum Christi* 1634 *vestigium earum nullum appareat. Itaque tum primum exortas simul esse, simul tacite confutatas, volunt & Illustrissimus Autissiodorensis in epistola memorata, & ejus, in Autissiodoro capito liberatoque pag.* 144, *canonicus Le Beuf: id enim constare ex instrumento juridico, cujus apographum repertum sit inter schedas domini Mousse, in eadem urbe procuratoris; quodque testetur, interrogatos legitimè coram urbis Autissiodorensis Locum-tenente, ut vocant, generali anno* 1634 *de corpore S.* Germani *cœnobitas ejus, affirmasse, tamquam rem paratorum testium auctoritate mox comprobandam, exustum illud à Calvinianis fuisse: tum prodire ac loqui jussos esse, qui citati fuerant, testes duodecim, omnes octogenarios, & scelerum ab hæreticis Autissiodori patratorum olim spectatores: horum autem neminem de corporis modò dicti combustione vel minimam feciſſe mentionem. Mirum sanè, id vel nescisse Violam, virum, si quis alius, res in hoc genere etiam minutissimas operosè scrutatum, & ab anno* 1632 *usque ad* 1636 *in cœnobio* S. Germani *Autissiodorensi Priorem; vel ita dissimulasse, ut multis post annis, puta* 1656, *exustionem illam corporis publicis etiam typis tueri sit ausus! Eamdem exinde sententiam, & quidem magis affirmatè, secuti sunt Mabillonius, tum in Itinere suo Italico litterario pag.* 231, *tum in Annalibus ad annum* 859, *num.* 49; *Tillemontius tom.* 15 *in* S. Germano *art.* 10, *aliique, quos inter censetur Dominicus Fournier abbatiæ ejusdem Sancti monachus in Descriptione cryptarum ecclesiæ suæ, Autissiodori prælo vulgata anno* 1714.

an potiùs alicubi defossa;

18 *Quid si neque dispersa fuerint hæc ossa, neque ad ecclesiam relata, neque vel ibi vel alibi violata flammis; sed in ipsa theca sua asportata fuerint ab Hugonottis in Jacobi cujusdam Loronis Calviniani castrum, Domus-alba nuncupatum, haud procul ab oppido Colangii-super-Jcaunam; ibique defossa etiamnum delitescant? Certè eò allatam S.* Germani *thecam, &, cum nullis diu viribus, nullâ aurifabri industriâ, dissolvi potuisset aut comminui, die circiter, postquam advecta fuerat, sexta decima ibidem egesto ad eam rem altè solo regestoque sepultam fuisse, oculata testis (utpote Loronis, cum hæc fierent, ancillula, & in ipsa defossione, quæ noctu contigit, facem præferre jussa) coram judice Donciaceno in ditione Nivernensi jure jurando asseruit Claudina Ravier die* XV *Decembris, anno Christi* 1610, *ætatis autem suæ quinquagesimo quinto: ad quod usque tempus refossam non fuisse thecam illam, pro certo habebat. Sed nec id scitur posteriùs esse factum; cum locus deinde ignotus fuerit: quippe quem ne ipsa quidem Claudina anno jam notato potuit assignare; tum quòd illum non nisi admodum juvencula vidisset; tum quòd destructum interèa castrum, aliamque ad formam redactum, nulla situs veteris vestigia referret. Qui narrationis hujus plura cupit adjun-*

E

F

AUCTORE P. B.

cta, longum conſulat inſtrumentum apud citatum D. Le Beuf pag. XII & ſequentibus: ubi & facile calliget, non agi de aperta, aut vacua, ſolaque adeo, ſed integra ac prodigiosè indiſſolubili S. Germani capſa & reliquiis. Enimvero ſi diſſolvi ab iis non potuit, aperiri non potuit; cum à ſeculo undecimo tot ſeris diverſis concluſa fuerit, ut ſine plurimorum, *apud quos claves erant depoſitæ,* conſenſu *pateſieri non poſſet; ut colliges ex Miraculis Selebienſibus cap. 1, num. 7. Atque hinc exſiſtit opinio quarta, à tribus prioribus longè diverſa; quam velim equidem ipſa potiùs occulti in loco obſeratique theſauri inventione aliquando, quàm unius mulierculæ, & quidem ruſticanæ, quantumvis juratæ, teſtificatione firmari.*

an hæreticis per Catholicos erepta,

19 *Sequitur nunc opinio quinta, eaque omnium recentiſſima; quam ita nuper accepimus à viro primariæ apud Autiſſiodorenſes in hujuſmodi negotiis auctoritatis ac fidei:* Eſt, *inquit,* cur credam, eas (*reliquias* S. Germani) hæreticorum iſtorum (*Hugonottorum*) furori tum, cum eas incendio deſtinabant, per generoſos fideles ſubtractas fuiſſe, ſaccoque mox lineo impoſitas, & ſic apud eos per annos fermè triginta * ſervatas. Commiſſus deinde fuit ſaccus ille ſancto cuidam urbis Autiſſiodorenſis abbati, qui eum arcæ incluſit ferro ſeriſque munitæ (*dans un coffre fort*) & in iſtius monaſterii penetralibus ad hunc uſque diem conſervatæ. Eidem ſacco affixa eſt ſchedula, abbatis iſtius regularis manu per modum commentarii notata; continetque ſequentia: " Hæc oſſa mihi in manus conſignata ſunt „ per homines pios; qui mihi dixerunt, eſſe „ reliquias ex theca S. Germani; ſeque illas col„ legiſſe in pavimento eccleſiæ dicti S. Germani „ ipſo tempore, quo Hugonotti ejuſdem baſili„ cæ lipſanothecas demoliti ſunt anno MDLXVII. „ Notatum MDCVII „.

B

* imò quadraginta

20 Porrò hæc ſchedula nullius quidem nomine eſt obſignata; ſed character talis eſt, ut omnino videatur eſſe viri cujuſdam eximii, qui tum iſtius monaſterii abbas erat regularis, & Ludovico XIII regi à ſacris (*vulgò eleemoſynarius.*) Obiit anno MDCXXVII in odore ſanctitatis. (*Aptè cadunt hæc omnia in Edmundum, abbatem cœnobii S. Mariani Præmonſtratenſem.*) Permultæ etiamnum ſchedæ ſuperſunt ejus manu exaratæ: & notitia characterum ipſius, teſtimonio æquivalet, nec minùs diſertè ſignificare videtur, & illi hæc oſſa tradita, & ab illo ſacci ſchedulam conſcriptam fuiſſe; quàm ſi id ipſemet vel ore vel ſubſcripto nomine teſtaretur. *Hîc interſeritur catalogus accuratus oſſium, tum quæ ſaccus continet plurima, tum etiam multorum, quæ in eo ad humani ſceleti integritatem deſiderantur; quem hîc omitto. Deinde ſubditur:* Epocha ſchedulæ innuit, eos, qui hæc oſſa dederunt, illa jam tum conſervaſſe per annos quadraginta.... Cur verò ea non reſtituerint religioſis monaſterii S. Germani potiùs, quàm aliis, ignoratur; uti & cur ea tam diu penes ſe detinuerint.

C

& in ſacco quodam Autiſſiodori adhuc ſervata:

quæ poſtrema opinio ex adjunctis

21 *Mihi quidem ſaccus hic nequaquam placet; nec adducar facile, ut* homines pios *fuiſſe credam, qui alienum tanti pretii theſaurum in tam indigno, ſordido, patuloque receptaculo per annos quadraginta conditum tam injuſtè detinuerint; ac ne tum quidem iis, à quibus abſtulerant; ſed aliis, ad quos nullo jure ſpectare noverant, reſtituerint. Quis verò abbatem ſibi fingat regularem tam iniquum, ut rem cum nullis conferendam divitiis contra jus faſque ſibi vindicarit? Tam ſtolidum, ut ignotis hominibus (nam ſi noti erant,* D *nominatos oportuit) oſſa tam neglecta, tamquam* S. Germani *reliquias, ſine teſte, ſine tabulis, ſine jure jurando, ſine ulla probatione obtrudentibus crediderit? Tam impium verò, ſi credidit; ut ea ne tantillo quidem honore dignatus ſit; ſed cum eodem ſacco per viginti, quibus deinde præfuiſſe dicitur, annos in profanam ciſtam abſtruſerit? Tam ineptum denique, ut in re tanta per nudam ſchedulam, abſque ſigillo aut nomine temerè ſacco appoſitam, fidem poſteris facturum ſe crederet? At characteres, inquit, loquuntur. Reſpondeo, non rarò diverſorum hominum characteres eſſe admodum ſimiles. Deinde, loquantur ſanè characteres, indicentque (per me licet) manifeſtè, cujus ſint: nego, illum loqui legitimè aut voluiſſe aut potuiſſe, qui ſcripto ſuo aut nomen noluit aut ſigillum adjicere.*

ſuſpecta videtur.

22 *Sed enim fac, abbatis illius hanc eſſe ſchedam; fac etiam legitimè ſubſcriptam eſſe. Quid eâ probabitur? Hoc unum ſcilicet, quòd homines, qui optimo abbati videbantur eſſe pii, hæc oſſa attulerint, dixerintque, eſſe* S. Germani; *ſeque ea in hujus baſilica ab hæreticis effuſa collegiſſe. Dixerint enimvero. Quid tum? An id verè eos dixiſſe, an probaſſe teſtatur ſcheda? Neutiquam. Atqui contrarium Claudina paulo ſuperiùs non dixit modò, ſed etiam juravit. Demonſtrandum hoc igitur, etiam admiſſo ſchedulæ teſtimonio, ſupererit, vera dixiſſe homines illos; ac proinde, vera hæc eſſe* S. Germani *Autiſſiodorenſis oſſa. Id autem qua ratione fieri poſſit, non video. Eſſet quidem, fateor, aliquod ad hanc rem argumentum, ſi oſſa in ſacco ſervata cum aliis omnibus ejuſdem Sancti oſſibus, quæ à variis eccleſiis ab immemorabili tempore poſſidentur, conferri poſſent; atque ita inter ſe congruere omnia deprehenderentur, ut nullum abundaret: at ſiquid redundet, id eſt, ſi os aliquod ſaccus contineat, quod idem ſpecie tamquam* S. Germani *noſtri cultum occurrat alibi, & vel authentico teſtimonio, vel antiquiſſima loci traditione probatum ut tale; quis, obſecro, teſtimonium ejuſmodi traditionemve per ſaccum, nuper admodum è tenebris erutum, nec idonea munitum auctoritate, ſe ſperet evertere? Atqui id jam deprehenſum eſſe, mox palàm fiet num.* 29.

Quid ex tam diverſa narratione conſtet.

23 *Cum igitur ex tot opinionum contentione ſatis appareat, quàm parum certæ ſint ſingulæ, imo & univerſæ; illis lectorum arbitrio relictis, hoc de* S. Germani *corpore ſolum aſſeri poſſe tutò putamus, quod ſolum aſſerit, apud Le Beuf pag.* XI, *Frater Petrus de Peſſeliere, teſtis longè graviſſimus, utpote cœnobii* S. Germani *ab anno* 1544 *uſque ad* 1597 *Autiſſiodort Prior:* Quo quidem anno, *inquit ille,* MDLXVII civitas Autiſſiodorenſis ab Hugonotis intercepta & capta eſt: ideoque monaſterium S. Germani cum pluribus aliis eccleſiis ejuſdem civitatis dirutum & everſum, & omni ligno, tegula, ferro, plumbo, vitro, campanis ſpoliatum; direptis primò ſacroſanctis tum ſanctiſſimi patris divi Germani, tum aliorum Sanctorum capſulis ac reliquiis, nec non & ornamentis eccleſiaſticis, libris, chartis, titulis, ceteraque totius domus ſupellectile. *Ceterùm hæc de illis tantummodo Sancti hujus reliquiis intelligenda ſunt, quæ ad ſtragem uſque Calvinianam in ejus theca remanſerant; non de iis, quæ ante tempus illud inde excerptæ atque aliò tam intra ipſum cœnobium, quàm extra illud tranſlatæ fuerant; de quibus nunc pauca dicturi, à cœnobio ducamus initium.*

F

§ III.

A

§ III. Quid etiamnum variis in locis de Sancti corpore ſupereſſe dicatur.

Superſunt in cœnobio Antiſſiodorenſi S. Germani os digiti, pulvis corporis &c.,

QUid igitur, *inquit Viole in Vita Gallica cap.* 28, eccleſiæ S. Germani de tam divite ſacrarum ejus reliquiarum theſauro, tot retrò ſeculis ab ea poſſeſſo, nunc ſupereſt? Reſtant adhuc pannus ingens ſericus, imperatoriis diſtinctus aquilis, quo Sancti corpus involutum olim fuit, quemque S. Germani ſudarium vulgus appellat; os unum è digitorum ejus aliquo; ſepulcrum lapideum, in quo diu corpus quievit; & in illo ſepulcro cineres ejus, ſeu pulvis ejuſdem corporis, cum primi ex cypreſſo ſarcophagi fragmentis aliquot notabilibus. Verùm hoc quantulumcumque reſiduum ſufficit ad dolorem, quem è jactura ab hæreticis allata, quantumvis inæſtimabili, contraximus, utcumque leniendum: quandoquidem & glorioſi Præſidis noſtri ſpiritus cineribus ſuis adhuc totus aſſiſtit; & vel capuli cypreſſini lignum aquis intinctum prodigioſas cum in febricitantes tum in aliis affectos miſeriis exerit vires; & tantum abeſt, ut priſtina fidelium erga tumulum ejus pietas intepeſcat, ut potiùs augeatur in dies; & neminem (ut ſemel dicam) eorum deſerit Sanctus, qui vel in morbis ſuis, vel in animi corporiſve anguſtiis, vel in negotiis arduis & intricatis, vel in cruciantibus acerbiſſimè calamitatibus ad ejus præſidium cum ſincero Chriſtianæ pietatis ſenſu confugiunt. *De ſepulcro & ſudario, quod accuratiùs multo deſcribit, videri meretur Mabillonius ſive in Itinere Italico pag.* 231, *ſive in Annalibus Benedictinis ad annum* 859, *num.* 49; *neutro tamen loco reliquias alias commemorat.*

B

quæ tempore Hugonottorum ſub terra latebant:

24 *Ex his ſolum ſudarium* (*in ſacrario, opinor, ubi erat ſeculo* XIII) *expoſitum fuiſſe hæreticis prædonibus, ab iiſque raptum, & muliert cuidam in paræcia S. Petri venditum; ab ea porrò, cum rem ſacram eſſe comperiſſet, ad cœnobium S. Petri delatum, atque inde tandem rediſſe ad baſilicam* S. Germani, *ex auctore Deſcriptionis cryptarum obſervat Le Beuf pag.* 143: *cetera verò Hugonottos latuere. Et cypreſſini quidem capuli fragmina à ſeculo* IX, *ut ex Nevelone vidimus, in ſepulcro lapideo condita, cum eodem inventa ſunt ab Hugone abbate, quando veterem S.* Germani *aram, ſub initium ſeculi* XII, *ad novam erigendam, dirueret, juxta Geſta abbatum cap.* 9, *& interpretationem Violæ in Vita Gallica cap.* 28. *Eadem in eodem iterum ſepulcro reperta ſunt anno* 1277, *quando ara jam dicta incendio corrupta, deſtrui, ac nova denuò ædificari debuit; ſed cum tunc in illo tumulo,* inventum ſit unum oſſiculum de ipſo corpore B. Germani, ut creditur, cum parte ſerici pallii, ſimilis illi pallio ſudarii, quod habetur in theſauro, & multis aliis indumentis, tam ſericis quàm lineis, & tribus vel pluribus ſcriniolis, & aliis lignis de capſa, ut creditur, in qua delatum fuit corpus ejuſdem ſancti Pontificis à Ravenna, & cum multo pulvere de corpore & interiori ejus ſepulcro, ut creditur; *& uno denario Autiſſiodorenſis monetæ; ut eſt in Geſtis abbatum* S. Germani, *cap.* 17: *cum tunc, inquam, præter fragmenta cypreſſina, tot aliæ ibi reliquiæ ſint inventæ, additas haſce fuiſſe exiſtimamus poſt ſuperiorem inventionem, dum reſtaurabatur altare ſeculo* XII; *atque adeo, jam tum corpus, quod ſub medium ſeculi* XI *incorruptum adhuc erat, reſolutum fuiſſe; imo & partes ejus eximi cœpiſſe è theca, alióque transferri: ſiquidem hoc ejus oſſiculum & hi ejus cineres fuerint.* AUCTORE P. B.

C

unde educta ſunt & altari impoſita anno 1634.

26 Paucis *verò* poſt *ultimam hanc inventionem* diebus, *teſte Viola ibidem*, omnes hæ reliquiæ, excepto ſudario (*imò & indumentis aliis & denario, ut apparet*) cum ipſo tumulo lapideo tranſlatæ fuerunt ad locum, in quo abſcondita bello Normannico fuerat Sancti lipſanotheca, hoc eſt in latam altamque foſſam inter aram S. Germani in cryptis & altare Sanctorum omnium: unde anno MDCXXXIV, die 2 Novembris unà cum ſepulcro lapideo eductæ, atque in memoratam S. Germani aram elatæ ſunt; altari omnium Sanctorum, tum ut commodius fieret hæc tranſlatio, tum ut ſepulcrum auguſtius appareret, tunc temporis deſtructo. Solennitatem hanc rogatu Prioris (*ipſe is erat, qui ſcribit*) & religioſorum celebravit illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus Dominicus Seguier, epiſcopus tunc Autiſſiodorenſis; qui ſimul veras has eſſe S. Germani reliquias pronuntiavit: quod brevi collata multis ad earumdem reliquiarum contactum non ſine miraculo ſanitas, abundè confirmavit. *Hactenus de cœnobio. Nunc ad alia loca, ad quæ ſacri hujus corporis pars aliqua devenerit, eodem capite* 28 *præeuntem ſequamur Violam.*

D

Quid ſit in Pariſienſi ejus eccleſia:

27 In baſilica regia, *inquit*, S. Germani Autiſſiodorenſis.. Pariſiis os habetur ſatis notabile, quod ſpectare mihi quidem ac venerari contigit, cum duobus tribuſve manûs oſſiculis; quæ ſimul omnia argenteo inauratoque incluſa ſunt brachio. *Sed qui hæc ſecundis nuper curis examinari curavit, Illuſtriſſimus Autiſſiodorenſis ait, aperto brachio illo, quod partim æneum ſit, partim argenteum atque auro tinctum, inventa eſſe os brachii, ſeu partem potiùs extremam radii, quâ manui jungitur, de quo tamen judicari certè non potuerit, utrius brachii pars fuerit; partem inſuper coſtæ, aliudque oſſis* (*neſcitur cujus*) *fragmentum exiguum: infra has autem reliquias in alio pulvillo eſſe fruſtum cranii, uti & maxillæ inferioris cum dentibus aliquot molaribus: ceterùm non dici, has omnes reliquias eſſe* S. Germani; *pro ſolo brachio traditionem eſſe, ab iſta forſan thecæ forma profectam.*

E

Quid in cœnobio S. Vatoni, & Montefalconenſi;

28 Cœnobium S. Vatoni Verdunenſe, Ordinis S. Benedicti, poſſidet etiam os alterutrius brachii; unde poſtremis hiſce annis deciſæ ſunt aliquot particulæ, & ad eccleſiam Buzanciacam haud procul Moſomo, ut matronæ cujuſdam in iis partibus nobilis pio ſatisfieret deſiderio, tranſlatæ. *Ita Viole. Sed & hoc examinandum cenſuit memoratus epiſcopus; comperitque per litteras ex S. Vatoni monaſterio ad ſe datas, non os brachii, ſed inferiorem tibiæ partem, iſtic in argenteo brachio conſervari.* Ad S. Germani in Monte-falconis oſtenditur os aliud aliquod brachii, *inquit Viole. At epiſcopo Autiſſiodorenſi ab iſtius eccleſiæ capitulo reſcriptum eſt, de* S. Germani *reliquiis certis habere ſe in manu argentea phalangem pollicis dextri: eſſe quidem apud ſe ſeparatim brachii partem aliquam cum indiciis illud* S. Germano *tribuentibus; de horum tamen fide ſibi non conſtare.*

F

Mediani, Conchus, Ceſſiaci, Monte-Peſſulano,

29 In paræcia S. Germani Medianenſi (*de Miége*) prioratu olim cœnobii Cluniacenſis, habetur brachii ſiniſtri os illud, quod cubitum vocant. *Atqui totus ſiniſtri brachii cubitus etiam in ſacco, de quo ſuperiùs memini, reperitur.* In abbatia S. Petri Conchenſi, Ordinis Benedictini,

AUCTORE P. B.

diœceſeos Ebroicenſis, eſt pars cranii: Ceſſiaci (*Cheſſy*) ad Ligerim... Aurelianum inter & Gargolium, aliquot fruſta coſtarum, quæ & ipſe vidi, *inquit. Inſpectæ nuper ſunt coſtæ illæ; & ab iis, quæ in ſacco ſervantur Autiſſiodori, colore differunt.* Urbanus Papa V, Monte Peſſulano fundans SS. Germano & Benedicto cœnobium, ... utriuſque Sancti reliquias ex monaſteriis Autiſſiodorenſi ac Floriacenſi poſtulavit. Movit Autiſſiodorenſes cum ſumma Pontificis dignitas, tum ſingularia ejus in monaſterium, cui abbas ante præfuerat, merita. Datum ergo illi os integrum brachii; quod prædiviti capſæ mandavit includi. *Hæc idem Viole; addens, pretioſum hoc pignus à Calvinianis, auri gemmarumque captis ornatu, fuiſſe direptum. Obſervat verò Autiſſiodorenſis antiſtes, juxta Garielem in libro de Origine S. Petri apud Montem Peſſulanum pag.* 42, *non os brachii iſtic ab Urbano conceſſum fuiſſe; ſed caput* S. Germani: *imò juxta eumdem in margine pag.* 154 *videri etiamnum de reliquiis ejus ibidem aliquid ſupereſſe.*

B *Lembruni, Autiſſiodori, Remis &c.*

30 Ad S. Germani de Lembruno, in Limania Alvernica, duæ ſunt coſtæ, quas pluribus in dies miraculis Deus illuſtrat, in iis præcipuè, quibus malè affecti ſunt oculi. *Epiſcopus Autiſſiodorenſis unam hîc tantùm coſtam aſſignat, dimidio circiter pede longam; at ſubdit, eſſe inſuper ibi fragmentum cranii & alias quaſdam* S. Germani *reliquias, teſte viro quodam probo, qui puer olim ejuſdem Sancti beneficio ſanatus fuerit.* Spectantur ejus etiam lipſana in monaſteriis S. Juliani Autiſſiodori, S. Remigii Remis, S. Petri Corbeiæ, S. Petri Catalauni in Campania, S. Cornelii Compendii, Paraclyti in diœceſi Ambianenſi: præterea in eccleſiis S. Germani apud Rhedones in Britannia minore, S. Germani vulgò de Viteaux, de Montdeon, & locis aliis pluribus. *Sic iterum Viole, de reliquiarum illarum peculiari qualitate nihil adjiciens. Illuſtriſſimus verò Autiſſiodorenſis conſtare nunc aſſerit, reliquias S. Germani Corbeienſes non hujus eſſe* Germani *noſtri, ſed Pariſienſis: Mondeonenſes autem à parocho vicino & chirurgo comite viſitatas eſſe, qui retulerint, ibi ſervari radium ſiniſtri, ut quidem videbatur, brachii; nihil tamen appoſitum eſſe authentici documenti; imò radium illum incluſum eſſe thecæ ad modum brachii vel è ſtanno vel certè ex argento viliſſimo conflatæ;* ut *proinde* dubium videri poſſit, an os tale in theca tantilli pretii ſolicitè conſervatum fuerit. *Hæc enimvero collectio adversùs nuperum ſaccum multo eſt validior.*

C *Quid habuerit eccleſia S. Stephan Autiſſiod. de corpore ejus;*

31 Cathedralis eccleſia S. Stephani Autiſſiodori præter ingentem elegantium lipſanothecarum, quibus ante oppreſſam ab hæreticis urbem gaudebat, copiam, aureum quoque brachium poſſedit, cui Gualdricus epiſcopus, cum illud anno circiter CMXX juſſiſſet confici, & reliquias S. Germani & nomen impoſuerat. *Conſonat Violæ noſtro Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap.* 44; *niſi quod hæc* manum *appellet* auream, *non brachium. Miror igitur, nullam hujus mentionem fieri in veteri illo Inventario, quod exhibetur apud D. Le Beuf pag.* XXV. *Porrò quid fuerint iſtæ reliquiæ; veſtium, an corporis pars aliqua, non ſcitur; de corpore tamen, utpote tum incorrupto integroque, decidere quidquam auſum eſſe Gualdricum, non facile exiſtimem. Sanè qui tale quid animo, ut putabat, optimo centum & quod excurrit annis poſteriùs aggreſſus eſt monachus, quam tulerit pœnam, dicet Hiſtoria Selebienſis.*

32 *Multo minus credibile eſt, corporis ejus aliquid fuiſſe reliquias illas* S. Germani, *quas in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiod. cap.* 20 *ad monaſterium S. Amantii in pago Cadurcino deportaſſe dicitur S. Deſiderius, quem ſediſſe volunt ab anno circiter Chriſti* 603 *uſque ad* 621: *cum ſaltem uſque ad Caroli Calvi tempora intactum permanſiſſe corpus illud, diſertè teſtetur Hericus in Miraculis num.* 96. *Itaque de veſtibus aut alia re ſimili intelligendum hunc locum putavit Viole; quemadmodum & alium illum, quem ex antiquo Lectionario monaſterii Cuxanenſis, diœceſeos Elnenſis, in Catalaunia, Hiſpanicè profert Antonius Vincentius Domenec in Hiſtoria ſua generali Sanctorum principatus Catalaunici, ad diem* V *Januarii; unde ad Yepeſium quoque tranſiit in Chronico Benedictino ad annum Chriſti* 745, *cap.* 4. *Dicitur ibi Protaſius quidam archidiaconus Urgelitanus, poſt dirutum S. Andreæ cœnobium Exaladenſe, adiiſſe Carolum Magnum anno* 794, *ab eoque impetraſſe, ut non modò aliud excitaretur,* S. Germani *Autiſſiodorenſis nomine conſecratum, in valle Cuxanenſi; verùm etiam ut ejuſdem imperatoris juſſu ſibi ab epiſcopo Autiſſiodorenſi traderetur* S. Germani *manus cum dente uno S. Amatoris, ad novum ſuum illud cœnobium transferenda.*

D *quid cœnobium S. Amantii Cadurcenſe,*

E

33 *Hîc, inquam, ſi interpretem audimus Violam, manus* S. Germani *vocitari potuerit manus aliqua argentea, cui de veſtimento ſancti Præſulis inſertum quid fuerit. Quod ſi nunc, ait, ibi quiddam ex oſſibus ejus videtur; id eò poſt obitum Caroli Magni deveniſſe dicendum erit: niſi quis velit, auctores, dum corporis hujus integritatem tam diuturnam adſtruunt, hoc non affirmaſſe de corpore omnibus membris ſuis coharente, ſed de omnibus ac ſingulis membris, etiam abſciſſis à corpore, & in diverſa loca tranſlatis. Harum conjecturarum prima ſatis eſt commoda, ſi ſatis veriſimilis; tertia neque cum Herici neque cum Selebienſi hiſtoria facile conciliabitur; ſecundam amplectuntur Acherius & Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinorum tom.* 5, *pag.* 877; *ubi, Legendæ iſtius Hiſpanicæ hiſtoriâ eruditè confutatâ, cœnobii Cuxanenſis exordia, & manûs jam dictæ tranſlationem Carolo Calvo imperatori tribunt; non facturi, opinor, ſi editam paulò poſt à Baluzio Marcam Hiſpanicam lib.* 4, *col.* 362 *& ſeq. videre potuiſſent; juxta quam & ipſe deinceps Mabillonius in Annalibus, tom.* 3, *pag.* 219 *fatetur, anno primùm* 878, *hoc eſt poſt obitum Caroli Calvi, de Cuxanenſis monaſterii primordiis cogitari cœpiſſe. Hinc patet, quantam jam dicta Legenda mereatur fidem. Neque negaverim tamen, aliquid reliquiarum* S. Germani *in illo cœnobio fuiſſe, etiam ante annum Chriſti circiter* 1040, *quo de eccleſia Cuxanenſis reliquiis ſcribebat Garſias, ejuſdem loci monachus, in Appendice Marcæ Hiſpanicæ col.* 1075, *hæc inter alia:* In altaribus interim eccleſiæ nomini ſuo cuique reliquias miſerant: *quaſi dicat, in ſingulis altaribus repoſitas fuiſſe reliquias illorum Sanctorum, quorum nomine inſignita erant altaria. Erat verò inter illos abſque dubio* S. Germanus *noſter; utpote eccleſiæ ac cœnobii unà cum archangelo Michaële, cujus erat ara maxima, patronus. Verùm corporis ejus jam tum ibi partem aliquam (puta manum) fuiſſe, credemus, cum documentis melioribus id comprobatum videbimus.*

F *& S. Germani Cuxanenſis.*

34 *Præter eccleſias hactenus à Viole enumeratas recenſet & alias in epiſtola laudata Autiſſiodorenſis epiſcopus; ut Gronenſem propè Senonas, ubi ſit coſta ejus una, ſed fracta bifariàm, cum ſegmen-*

Quid ſit Groni, Metis, Moſomi, Nanceii, Bajocis, in pago Cezenſi,

A *mentis veſtium tam* S. Germani, *quàm S. Amatoris, præfixis epigraphis annorum circiter ducentorum & amplius: abbatiam S. Vincentii Metis, ubi juxta catalogum vetuſtum ſerventur ejuſdem reliquiæ notabiles: abbatiam item Moſomenſem in Campania Galliæ, & eccleſiam S. Leopoldi Nanceienſem; ſed quid earum utervis hic locus poſſideat, non additur: abbatiam quoque S. Luciani Bajacenſem, ubi habeatur pars magna cranii, non ſemel acciſa, ut ejus particulis loca varia fruerentur: Cezenſis inſuper pagi eccleſiam in diœceſi S. Flori, ubi oſtendatur brachium integrum, ſua etiam nunc pelle tectum, cui deſit nihil, præter digitum indicem, quem ſibi acceperit Sanflorianus epiſcopus; & pollicem, qui in vicino pago Breſonenſi conſervetur; & particulam cubiti, quæ circa annum 1665 conceſſa fuerit monachis* S. Germani *Autiſſiodorenſibus. Hoc tamen brachium non hujus noſtri, ſed alterius eſſe ſancti Germani, ſuſpicatur idem Illuſtriſſimus, tum ex aliis conjecturis, tum vel maximè quòd nondum amiſerit digitum medium, qui à manu dextra* S. Germani *Autiſſiodorenſis inde à ſeculo* XI *juxta Hiſtoriam Setebienſem avulſus & in Angliam tranſlatus fuit. Argumentum profectò ineluctabile, ſi, ut ponitur, brachium illud Cezenſe dextrum ſit. Quid de aliis dicam eccleſiis, de quibus Hericus in Miraculis num.* 51 *& ſequentibus?*

apud Cluniacenſes, Rutilenſes, Colonienſes.

35 *Vidit etiam Româ in Belgium rediens annò* 1662 *Papebrochius noſter & veneratus eſt in abbatia Cluniacenſi* ſancti Germani Autiſſiodorenſis oſſa aliquot, *ut in itinerario ſuo Ms. notavit. Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 453 *in Rutilenſi Cartuſia ad ripam Moſæ honorari dicit* junctúram unam pedum S. Germani epiſcopi Autiſſiodorenſis. *Gelenius de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine lib.* 3, *ſyntagm.* 1, *pag.* 237 *explicans eccleſiæ ſuæ metropolitanæ lipſanothecas*, Quarta, *inquit*, hierotheca argentea continet præter diverſas de ſanctis Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus reliquias, brachium S. Germani epiſcopi, qui à ſenatu ad regendam Burgundiam miſſus, S. Amatori in ſede Autiſſiodorenſi ſuccenturiatus, . . . ſedit annos triginta. *Sed vereor, ne de reliquiis plus modò videar dixiſſe, quàm ſatis eſt. Et verò quis omnes vel enumeret vel defendat; cum ſint & aliæ plurimæ ſola* S. Germani, *aut* S. Germani epiſcopi *inſcriptione notæ?*

B

C

§ IV. S. Germani Acta, & eorum ſcriptores.

Vitam S. Germani ſcripſit Conſtantius, auctor graviſſimus,

Nactus eſt S. Germanus *operum ſuorum præconem Conſtantium, presbyterum, ut epiſtolis ejus ad SS. Patientem & Cenſurium epiſcopos præfixa in vetuſtis codicibus docet inſcriptio, Lugdunenſem. Epiſcopum quidem hunc facit S. Iſidorus De viris illuſtribus cap.* 4; ſed perperam, ni fallor, *inquit Sirmondus noſter in annotatis ad S. Sidonii Apollinaris lib.* 1 *epiſt.* 1; *cui nunc paſſim omnes conſentiunt. Ceterum vir tantus fuit, ut vix ei parem ætas illa tuliſſe videatur. Itaque Arvernicæ illud eccleſiæ ſidus, quem modò dicebam, Sidonius non ſatis habuit ei epiſtolarum ſuarum libros octo nuncupare, imò* defæcandos limandoſque *committere; ſed illos inſuper tot ejus identidem reſperſit elogiis, ut ea legere apud auctorem tam litteratum ſanctumque nemo poſſit, quin continuò virum hunc fuiſſe undequaque ſummum agnoſcat. Adiſis lib.* 1 *ep.* 1; *lib.* 2 *ep.* 10, *lib.* 7 *ep.* 18, *lib.* 8 *ep.* 16, *lib.* 9 *ep.* 16; *ſed præ omnibus libri tertii epiſtolam ſecundam, ex qua hoc etiam inter alia diſces, Conſtantii labores anno Chriſti circiter* 473 (*hoc eſt quinto tantum aut ſexto ſupra vigeſimum ab obitu* S. Germani) *pro Arvernis feliciſſimè ſuſceptos inde extolli maximè, quod eos ſubiiſſet* perſona ætate gravis, infirmitate fragilis, nobilitate ſublimis, religione venerabilis, ſolius dilectionis obtentu. *Diu ergo cum Sancto, de quo ſcribit, ejuſque æqualibus vixiſſe debuit; quod ad reliquam ſcriptoris hujus auctoritatem pondus addit graviſſimum; quandocumque demùm hoc opus aggreſſus fuerit.*

AUCTORE P. B.

nondum elapſis ab ejus obitu annis 40:

37 *Nam tempus, quo texere hanc hiſtoriam cœperit, tum quo eam Autiſſiodorum uſque vulgaverit, quis preſſiùs, quàm ipſemet auctor in epiſtola gemina, Actis præmittenda, definiat? Id ergo contigiſſe certum eſt, ſedentibus Lugduni S. Patiente, Autiſſiodori verò S. Cenſurio epiſcopis. At utriuſque tempora nec brevia fuere, nec ſatis huc uſque notis circumſcripta terminis: ut de S. Patiente Gallia Chriſtiana noviſſimæ editionis tom.* 4, *col.* 25; *de S. Cenſurio nos ipſi oſtendimus die* X *Junii, pag.* 278; *ubi chronologiam illam funditus everſam videbis, quam infrà in præfatione ad Miracula* S. Germani *proponet Hericus; & ex qua conſequi debebat, ut non ante annum ab obitu Sancti quadrageſimum abſoluta ejus Vitæ hiſtoria, aut certè ad S. Cenſurium miſſa credi poſſet; tametſi vel ipſo epiſcopatûs ejus initio miſſa fingeretur. Diſjecto verò collectionis hujus fundamento, ipſam quoque corruere neceſſe eſt. Porrò ne nihil in hac re ſtatuiſſe videamur; haud abſurdum id quidem apparet, ſi dixerimus, nec ante annum* 483, *nec multo poſteriùs in publicum hæc Acta prodiiſſe. Cur ante annum illum id factum non putemus, facit altiſſimum S. Sidonii in epiſtolis cò uſque excurrentibus de opere Conſtantii tam præclaro ſilentium: differre autem multo longiùs, nec ſinit ætas Conſtantii, jam ante decennium* gravis & infirmitate fragilis; *neque cognt ſive S. Patientis, ſive S. Cenſurii tempora: licet enim neutrius initium ſciamus aut finem; ſediſſe tamen ambos, incurſantibus Arverniam Viſigothis, ſive versùs annum Chriſti* 473 *aut ſequentem, ex ejuſdem Sidonii libro ſexto, epiſt.* 10 *&* 12, *non obſcurè colligimus.*

E

F

38 *Typis eadem hæc Acta dudum emiſit in lucem Boninus Mombritius, ſed locis variis miſerè truncata, totque fœdata mendis, vix ut legi ſine ſtomacho poſſint; ne verò legi debeant, fecit Surius, cum ea ex melioribus utique codicibus ad hunc diem* XXXI *Julii integra demum & accuratiùs caſtigata lectoribus obtulit. Cum tamen etiam huic editioni ſuos non deeſſe nævos, leviores tamen ac tolerabiles, deprehenderimus; ne quid in monumento tam pretioſo deſiderari poſſit, illud iterum ad veterum membranarum fidem exigere maluimus, quàm à Surio mutuari. Dabimus igitur hoc opus Conſtantii ex apographo vetuſti codicis Chiffletiani, ſed cum aliis pluribus operosè collato, puta per nos cum codicibus Valcellenſi, Marchianenſi, Reginæ Succiæ codice* 13, *Trevirenſi S. Maximini, Boni-Fontenſi, S. Audomari, codice noſtro Q Ms.* 4, *& cum editione Surii, per ipſum verò Chiffletium, virum ſanè in rem noſtram, dum advixit, laborioſiſſimum, cum codice Ms. S. Lazari Heduenſis, aliiſque tribus quos ſigillatim non deſignat. Obſervari autem hic velim, in quibuſdam exemplaribus capita diſtingui per titulos abſque numeris, in aliis per numeros tantùm & ſine titulis: titulos verò, ubi ad-*

quam non à Surio, ſed ex Mſſ. codd. proferemus;

AUCTORE P. B.

adscripti sunt, in aliis atque aliis codicibus ita variare; ut auctoris esse non possint; proindeque hîc negligentur. Numeros tamen si quis volet, eos Romanis litteris exprimemus in margine. Ad ipsum Vitæ textum quod attinet, quantumvis in illo conferendo minutissima quæque notaverim; non eo tamen id animo feci, ut meris nugis nec in re quidquam vel sententia mutantibus, aut margines nostras, aut lectoris patientiam onerarem; verùm ut in minutiis id exhiberem, in quo codices plures melioresque conveniunt. Cetera, quæ observari merebantur discrimina, vel juxta textum vel in Annotatis adscripsi.

hanc S Hericus metro illigatam, unà cum 2 libris de miraculis,

39 *Constantium Hericus, vel, ut in veterrimis Mss. ipse se nominat, Heiricus excipiet, longo licet seculorum quatuor intervallo junior. Hunc Sanctis adscriptum dedimus die* XXIV *Junii; ubi videri de illo plura possunt. Mabillonius tom.* 1 *Analectorum pag.* 415 *Collectaneis ejus adnotationes subjicit, in quibus natalem ei locum statuit vicum leucis duabus Autissiodoro distantem, cui & nomen dederit: sed errorem deinde suum agnovit vir eruditus, emendavitque in Annalibus Benedict. tom.* 2, *lib.* 32, *num.* 47, *omnino asserens,*

B

ex ipsa urbe Autissiodorensi oriundum esse Hericum. Quantum ei nomen olim litteræ pepererint, hæc Trithemii in Scriptoribus eccles. verba produnt: Ericus monachus Ordinis S. Benedicti, cœnobii Autissiodorensis civitatis, vir in divinis Scripturis doctus, & in disciplinis secularium litterarum eruditissimus, carmine excellens & prosa, in declamandis ad populum homiliis doctor egregius fuit. *Hinc in Historia episcoporum Autissiodorensium, ad quam illustrandam & ipse sub episcopo Wala collaboravit, cap.* 39 *illustre epitheton* Theosophi *meruit. Scripsit præter alia poema luculentum, in sex libros divisum, quo Vitam* S. Germani *à Constantio elaboratam, heroicis versibus exornavit: tum de ejusdem Sancti vita & miraculis oratione soluta libros duos; quorum priore non pauca supplere conatus est, quæ studiosè à Constantio dolebat omissa; inde ad posteriora progrediens tanto auctoritate sua fit gravior, quanto suis temporibus narratione propinquior.*

soluto stylo posteriùs compositis,

C

40 *Utrumque simul opus Carolo Calvo nuncupavit jam augusto, ut ex dedicatione poëmati præmissa liquebit, hoc est, anno Christi* 876 *aut sequente. Sed an poëma tum primùm absolverat? Ita sensisse loco citato videtur Bollandus noster, cum ex his Herici de se verbis, in epilogo libri sexti, num.* 178 *:*

En vitam miseram jam trina decennia versant,
Additur his annus, ævo glisçente, secundus;

cum ex his, inquam, colligat, natum videri poëtam circiter annum DCCCXLIII. *At Mabillonius Annalium tom.* 3, *lib.* 36 *illa ætatis ejus trina decennia, tametsi in fine operis posita, intelligi vult* de prima molitione, non de absolutione operis. *Ego verò neutri assentior: non Bollando; quia diu absolutum fuisse opus illud existimo, priusquam Carolo nuncuparetur; ut ipsemet Hericus indicat in sua Dedicatione, num.* 8 *: non etiam Mabillonio; quis enim aut qua veri specie anno ætatis, exempli gratiâ, quadragesimo affirmet seu voce seu scripto;* En vitam miseram *&c. ? Deinde lucubrationem illam auctor ipse ibidem num.* 7 *suscepisse se narrat, cum recèns è scholis emersisset. An verisimile est, obsecro, qui anno, juxta Epilogum libri* 6, *num.* 176, *ætatis fere septimo scholis illis traditus fuerat, easdem usque ad annum ætatis* 32 *contrivisse? Mitto alia; quia res hîc ipsa loqui videtur.*

41 *Quod addit ibidem Mabillonius, carmen perfectum esse post duos libros de miraculis* S. Germani; *id enimvero multo minus assequor. Quid enim? An hos in scholis composuisse censebitur, è quibus recèns emerserat cum carmen aggressus est? Nemo credet. An cœptum interrupit carmen, ut opus illud aliud interjiceret? Quæ causa? Quis auctor? Libros, inquis, duos de miraculis unà cum Vita metrica Carolo nuncupavit. Esto sanè. Ergo hanc illis posteriùs absolverat. Nego equidem, id sequi: aliud enim est absolvere, aliud edere seu nuncupare; quod ipse Hericus in Epistola dedicatoria num.* 8 *satis indicat, cum* diu *se cunctatum fuisse ait, opere jam confecto, priusquam in publicum illud ederet. Censeo igitur, inchoatum fuisse carmen non diu ante obitum abbatis Lotharii, sive annum Christi* 866, *quando auctor* vix primas operis partes attigerat, *ut fatetur in Dedicatione, num.* 7 *: exinde verò hunc* cœpto operi perfectionis pertinaciam, *ut ibidem ipse loquitur,* admovisse; *hoc est, non ante hoc opus dimisisse aut interrupisse, quam perfecerit, idque post annos aliquot, puta anno Christi circiter* 870; *ad quem referri facile patior trina decennia cum annis duobus ætatis ejus: post hæc verò libros illos duos*

D

Carolo Calvo imp. nuncupavit an. 876 aut sequente :

E

de miraculis aggressum esse, quos anno Christi 873 *(ut patet ex lib.* 2, *cap.* 2, *num.* 107*) si inchoaverat, certè nondum absolverat: poema tandem, & duos de miraculis libros (illud pridem; hos nuper expeditos) per eamdem epistolam anno Christi circiter* 876 *obtulisse imperatori.*

utrumque hoc opus dabimus.

42 *Opus utrumque jam dudum promisimus; nunc fidem liberamus; non eò minorem ab hagiophilis, uti confidimus, inituri gratiam, quòd excusum utrumque jam fuerit. Nam poëma si satis accuratum prodiit (de quo statuere nihil jam possumus, cum illud anno* 1647 *viro de nobis optimè aliàs merito commodatum, numquam posteà viderimus;) rarum tamen admodum oportet esse, utpote semel tantummodo, idque Parisiis anno* 1543, *luci datum. Sed neque libros de vita & miraculis* S. Germani *alibi vulgatos novimus, quam apud Labbeum nostrum in Bibliotheca Mss. librorum, nunc etiam non cuivis obvia, tom.* 1, *à pag.* 531. *Ibi verò quam parum emendatè (sive typographorum, sive membranarum antiquarum, aut eas male exscribentium vitio) legantur, qui editionem hanc nostram cum illa contulerit, passim ac facile deprehendet.*

F

ex Mss. probatissimis.

43 *Poema dabimus quam fidelissimè* ex Ms. vetustissimo Lobiensi in quarto, *ut in apographo notatur. Contulimus verò illud cum alio Ms. Belfortii, in quo sæpe corriguntur metri vitia; quæ tamen ipsius auctoris putamus esse; deinde cum codice nostro P. Ms.* 4, *quem, quia Lugduni coemit olim Henschenius, Lugdunensem appellabimus. Nihil eo correctius, nihil in hoc genere, meo quidem judicio, vetustius: nam si characterem spectes, omnino referes ad seculum nonum vel decimum; sin verò annotationes eadem pleraque manu, sed minutioribus litteris, aut inter lineas aut ad marginem appositas; ipsum continuò Hericum fuisse dices, qui eas vel scripserit vel dictaverit; adeo singularem ipsius per ea tempora propriamque cum in re theologica, tum præsertim in poëtica eruditionem spirant: notas tamen sive poëticas sive grammaticales, cum ad rem nostram non faciant, negligendas putavimus. Libros porrò singulos, alterius metri, sed auctoris ejusdem, exornant proludia: neque hîc omittentur; cum tamen titulis careant rem exponentibus, nostros ad marginem adjecimus. In ipsa Vita ipsius Herici titu-*

A *titulis uſi ſumus ; capitum verò veterum numeri Romanis , ut ante , litteris notabuntur. Continet idem ille codex Lugdunenſis præter Sermonem in ſolennitate* S. Germani *recitandum, etiam libros Herici duos de Vita & Miraculis ejus ; quos eâdem inde fide producemus , & quidem collatos cum codice noſtro inſigni P Ms.* 157 *; cum ecgrapho , neſcio unde , per Chiffletium nobis deprompto , ex quo appendicem primam ad Herici librum ſecundum exhibebimus ; ac tandem cum editione Labbeana. Vetus diviſio capitum inſcriptioneſque ſervabuntur in margine ; ſed has ad numeros noſtros Arabicos diſtractas accommodabimus.*

Addentur poſt duas appendices ad Hericum , Miracula Selebienſia ;

44 *Appendici primæ ſuccedet altera , ex auctoribus variis per nos compilata : atque huic demum Miracula* S. Germani *Selebienſia , quæ cum alibi non habuerimus , à Labbeo noſtro mutuati ſumus Biblioth. Mss. libb. tom.* 1 , *pag.* 594 *& ſequentibus , ubi Hiſtoriam producit Selebienſis monaſterii ; unde nos miracula ſola , & quæ ad hæc utcumque illuſtranda conferre aliquid viſa ſunt , excerpſimus. Auctor monachus fuit Selebienſis* , vix, *cum hæc ſcribere cœpit* , viceſimum ſecundum annum *ingreſſus ætatis , ut ipſe fatebitur cap.* 1 , *num.* 2. *De fide autem ſua legi omnino velim quæ dabit cap.* 4 , *num.* 35 *& ſequente. Tempus , quo ſcripſerit , ſic habet cap.* 7 , *in fine :* Actum autem hoc anno incarnati Verbi Dei milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto , fundationis eccleſiæ noſtræ centeſimo ſexto , abbatis Gileberti decimo quarto : quo etiam anno hæc ſcribere aggreſſi ſumus. *De cœnobio ejus nihil hîc addo ; quia illud ipſe in miraculis deſignabit. De eodem obiter quoque monent apud Labbeum ibidem Geſta abbatum* S. Germani *cap.* 6 , *pag.* 574. *Monaſticum Anglicanum præter inſtrumenta fundationis , eccleſiæ Selebienſis ſatis auguſtæ latera duo ære expreſſa repræſentat tom.* 1 *ante paginam* 371.

B

ſed aliud nihil.

45 *Hæc ſunt omnia , quæ ad* S. Germani *gloriam hîc edenda judicavimus : nam ſiqua ſunt alia , ea fere vel ex his fontibus hauſta ſunt , variéque & permixta (ut in Legendario noſtro P Ms.* 10 , *ubi ex Conſtantio & Herico viciſſim adhibitis Legenda* S. Germani *una conflatur) & contracta (ut in codice noſtro ✠ Ms.* 160 , *Petro de Natalibus &c. ;) vel ſuſpectæ ſunt auctoritatis ; ut quæ apud Nennium & Higdenum ex vetuſta quadam , ſed fabuloſa Britannorum Legenda proferuntur ; cujuſmodi etiam aliqua narrantur in codice noſtro non admodum antiquo ✠ Ms.* 87 , *in quo eadem eſt Vita* S. Germani , *quam dedit Jacobus de Voragine cap.* 102 , *& ex qua juxta antiqua Breviaria Autiſſiodorenſia recitabantur in Officio feſti ejus lectiones ad Matutinum. Verùm de his plura per decurſum. Nunc ad aliqua , quæ in Actis Sancti noſtri lectorem morari poſſunt , ſigillatim diſcutienda pergamus.*

C

§ V. Annus ejus natalis ; converſio , & epiſcopatûs initium.

Natus videtur S. Germanus anno circiter 378 ;

ANnum S. Germani *natalem non aſſignat Conſtantius : Hiſtoria verò epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap.* 7 , *cum illum* militaſſe *narrat* ſub Valentiniano majore , *qui vivis exceſſit anno Chriſti* 375 , *videtur multo anteriùs natum innuere. Sed nimirum nemo jam neſcit , quàm abſurda ſit paſſim hujus Hiſtoriæ chronologia. Hîc certè nihilo verior apparet in deſignanda Sancti ætate , quàm in epiſcopatûs ejus primordiis , quæ ad tempora revocat Theodoſii I , anno* 395 *vitâ functi. Ad conjecturas ergo redigimur , quas ipſe offert Conſtantius num.* 46 , *dum cum reſpectu S. Lupi* ſeniorem *appellat in expeditione anno Chriſti* 429 *ſuſcepta ; & num.* 62 , *ubi* ſenex *abſolutè pronuntiatur anno Chriſti* 448 ; *ac tandem num.* 66 , *ubi ſenectutem ejus eodem anno adeo jam fractam exhibet , ut miraculi loco reponat , quod ſenem alium ipſe geſtaſſet in humeris* , qui ſemet ipſum ferre vix poterat. *Hæc , niſi fallor , vix tum ſeptuagenario minorem fuiſſe indicant ; natumque adeo versùs annum Chriſti* 378 : *qua ratione & S. Lupo non ſolùm epiſcopatu , ſed etiam ætate dici verè potuit ſenior ; & anno Chriſti* 417 *ſatis juvenis , ut in eum quadraret illud Conſtantii num.* 2 : Cui mos erat tirunculorum potiùs induſtriis indulgere , quàm Chriſtianæ religioni operam dare.

AUCTORE P. B.

converſus autem eodem anno , quo factus epiſcopus.

47 *Quæ de converſione & mirabili vocatione* S. Germani *à vita laica ad eccleſiaſticam narrat Conſtantius à num.* 3 *uſque ad num.* 6 , *manifeſtiſſimè ſignificant , converſum ordinatumque fuiſſe Sanctum non diu ante obitum S. Amatoris ; quæ verò deinde habet à num.* 6 *uſque ad num.* 10 , *nihilo minus clarè indicant , neque diu poſt exſequias ejuſdem S. Amatoris ep. Autiſſiodorenſis electum ejus loco* Germanum *fuiſſe. Ita hæc interpretatus eſt ſeculo* IX *S. Hericus in Vita metrica à num.* 33 ; *ita denuo idem ipſe in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium (hanc enim uſque ad ſua tempora cap.* 39 *compoſuiſſe dicuntur ejuſdem eccleſiæ canonici* Rainogala & Alagus , collaborante Herrico theoſopho ſimul & monacho) *cap.* 7 , *ubi deſcriptæ Sancti converſioni , ſubditur :* Paucis itaque diebus interpoſitis , S. Amator . . . ultimum ſpiritum exhalavit : cum ſubitò univerſi populi Germanum uno ore proclamant antiſtitem. *Ita ſeculo* XI *Fulbertus ep. Carnotenſis , vir ætate ſua eruditione clariſſimus , epiſt.* 38 *Guidoni epiſcopo ſcribebat :* Magni etenim viri , ut optimè noſti , (*erat ergo hæc ſententia apud omnes recepta*) Ambroſius Mediolanenſis , & Germanus Antiſſiodorenſis , aliique nonnulli , quia tales in laico habitu exſtiterunt , SUBITO nobis ſancti præſules exierunt. *Ubi vides , perexiguum ſpatium admitti inter ſtatum* S. Germani *laicum & epiſcopalem. Ita quoque Conſtantium , quotquot huc uſque viderim , omnes intelligunt , unum ſi exceperis Georgium Viole in Vita* S. Germani *Gallica cap.* 7, *& præcipuè cap.* 24 ; *ubi contendit , converſionem modò dictam* annis decem & amplius *ejus epiſcopatu priorem fuiſſe.*

E

F

non antè ; ut perperam putavit Viole ,

48 *Opinionem verò hanc ſuam duplici argumento ſtabilire conatur. Primum huc redigimus : Converſus eſt* S. Germanus , *ſuperſtite S. Simplicio ep. Auguſtodunenſi , ut ex Conſtantio certum eſt : Simplicius autem vivere non potuit uſque ad annum Chriſti* 418 (*quo* S. Germanum *ſucceſſiſſe conſtat S. Amatori ;*) *niſi ſupra omnem fidem ſedviſſe fingatur annis pluſquam octoginta : ſiquidem in ſede Auguſtodunenſi ſuffectus fuerat S. Rheticio anno Chriſti* 337 , *interfuit deinde ſynodis Colonienſi anno* 346 *& Sardicenſi anno* 347 (*Addere poterat & Valentinæ anno* 374.) *Ergo annis, ut minimùm , decem ante converſus eſt* Germanus, *quàm creatus ſit antiſtes. Hoc primum. Alterum ita contraho : S. Patritius , Hibernorum apoſtolus , ſacras Litteras apud* S. Germanum *didicit, ſi non vivente adhuc S. Martino Turonenſi , annis ſaltem octodecim antequam apoſtolatum anno Chriſti*

AUCTORE P. B.

sti 431 *adiret ; hoc est ab anno saltem* 413 *: ergo jam tum Litterarum sacrarum scientiâ longè latéque celebris evaserat* Germanus *: ergo illarum studiis jam pridem se totum addixerat, atque adeo militiam pridem ac profanam dignitatem cum ecclesiastica disciplina & professione commutaverat. Ita ferè Viola.*

quia duos SS. Simplicios epp. Augustodunenses

49 *Respondeo ad primum, etiam à Viola dari debere S. Simplicio annos in episcopatu circiter* 70; *tot autem annis illum sedisse, quis credat ? 2. Pro exordio episcopatûs ejus ad annum* 337 *defigendo nihil afferri posse ; synodos verò citatas valere tantum pro anno* 346 *& sequentibus. 3. Synodorum illarum auctoritate, quamvis eam sibi omnes objecerint, neminem tamen hactenus permoveri potuisse, ut eam Constantio vim afferret, quam attulit Viola, tametsi unicum cum illo S. Simplicium agnoscerent ; sed auctoritatem illam modis variis elusisse ; ut videri potest in Actis nostris ad diem* XIII *Maii pag.* 210, *& ad* XXIV *Junii pag.* 812 ; *apud Tillemontium tom.* 10 *in notis ad S. Simplicium pag.* 835 *& seq. ; ac denique in Gallia Christiana novissimæ editionis tom.* 4 *col.* 330. *Ceterùm, cum bona Majorum nostrorum aliorumque passim eruditorum venia, ingenuè fateor, displicere mihi ac visum esse semper violentum illud effugium, quo, ut unicum S. Simplicium episcopum Augustodunensem adstruerent, eumque ad annum usque* 418 *superstitem facerent, concilium Colonienſe sive Agrippinense, in quo disertè adfuisse legitur cum aliis episcopis* Simplicius Augustodunensium, *eatenus quoque corruptum esse voluerunt : in concilio autem Sardicensi, licet inter episcopos Galliæ recenseatur Simplicius, non addi tamen locum episcopatûs, neque proinde de Augustodunensi intelligi oportere : idem etiam dici posse de Valentino ; quamquam illud minus incommodet, utpote habitum anno* 374, *à quo usque ad* 418 *anni tantum sint* 44 ; *quibus sedisse non absurdè credi possit Simplicius.*

confudit in unum,

50 *Censeo igitur, S. Simplicium ep. Augustodunensem jam assignatis conciliis adstitisse ; eumdemque illum esse, cujus Acta ex Gregorio Turonensi dedimus* XXIV *Junii, utpote in quibus dicatur vidisse publicam Augustoduni supplicationem & sacrificia ad simulacrum Berecynthiæ, quod (saltem Augustoduni, ubi Galliarum præfecti residebant) videri ut summum potuit usque ad edictum, quod, Libanio teste, sub finem imperii, hoc est ante annum* 375, *Valentinianus & Valens imperatores edidere. Sed nego, sanctum illum Simplicium confundi posse cum nostro, quem seculo sequente floruisse tradit Constantius : nam duos Simplicios ; alterum, quem jam diximus, ordine octavum, alterum ordine duodecimum, cujus notatos annos non invenerit, in Serie chronologica episcoporum Augustodunensium exhibet Severtius, Chronol. archiep. Lugdunens. tom.* 3, *pag.* 1 *: consonant, ut asseritur in Gallia Christiana loco citato, catalogus, quem refert Saunier, & alius,* qui in sacrario (*ecclesiæ Augustodunensis*) continetur. *Duos quoque sanctos Simplicios Augustodunenses Martyrologia quamplurima, tum vetustissima, tum recentiora discernunt ; & alterius quidem (nescimus, utrius) depositionem consignant die* XXIV *Junii (Saussayus* XXV ; *) alterius verò die* XIX *Novembris ; de quibus, ne longus hîc sim, consule ad utrumque illum diem in Hieronymianis Florentinium, in Adonianis Rosweydum cum supplemento, in Usuardinis Usuardum nostrum cum auctariis, in aliis Labbeum in Hagiologio Franco-Gallia, Ferrarium in Catalogo generali, ubi ad* XIX *Novembris præter alios citat etiam tabulas ecclesiæ Augustodunensis. Quis verò post tot hæc testimonia duos illos episcopos Augustodunenses, utrumque Sanctum, utrumque synonymum, sed alterum altero aliquanto seniorem, neget exstitisse ? Priorem ergo illum fuisse dicimus, de quo agit S. Gregorius Turonensis & citata concilia ; posteriorem verò hunc nostrum, de cujus Actis nihil sciatur præter id, quod paucis hoc loco Constantius attingit. Atque ita evanescit primum argumentum Violæ.*

& Vita cuidam S. Patricii nimium tribuit.

51 *Ad secundum respondeo, Vitas S. Patricii hîc plurimùm inter se discrepare ; ut videre est in Triade thaumaturga Colgani : ubi prima S. Patricium* S. Germano *discipulum tradit* in Australi parte Latii (*quod ineptum videtur, si de* S. Germano *nostro intelligendum est ; & tamen etiam traditur in Vita secunda, quarta, & septima*) *nec addit annos, quos apud eum posuerit ; uti nec in Vita quinta numerantur : Vita tertia annos tantùm quatuor recenset ; sed annis multis ante obitum S. Martini Turonensis ; quod æquè absurdum est, sive hunc defunctum cum Pagio statuas anno* 400, *sive anno* 397 *cum Tillemontio: Vita secunda* annos *putat* triginta, vel quadraginta, *quibus* S. Germanum *audierit S. Patricius ; annos quoque triginta referunt Vita quarta & septima : sola sexta, Jocelino auctore, annos habet octodecim ; sed eos non videtur alibi reperisse, quam vel in Legenda quadam* S. Germani *Anglicana & fabulosa, vel apud Hericum in Vita ejusdem Sancti : quam solam hîc citat. Omnes autem, si primam forte excipias, episcopum jam tum Autissiodorensem* S. Germanum *faciunt, cum ad illum S. Patricius accessit ; omnes quoque hunc illius discipulum tot annis fuisse volunt, antequam à S. Cœlestino PP. sit missus ad Hibernos ; pleraque insuper annos illos inchoant diu ante mortem S. Martini ep. Turonensis. Hæccine, obsecro, monumenta sunt, quæ opponi possint Constantio, ex quo & aliis certissimè conficitur, anno primùm Christi* 418 S. Germanum *episcopum esse creatum? Piget enimverò hîc hærere diutius. Adisis, lector (si tamen res tanti videtur) operosè de S. Patricio differentem Papebrochium ad diem* XVII *Martii ; ibi quid, ubi, quamdiu cum* S. Germano *egerit, ita digestum invenies, ut Constantio nihil officiat.*

Non fuit monachus ante episcopatum à

52 *Sunt etiam, qui Sanctum nostrum, priusquam episcopus fieret, monachum fuisse crediderint, idque ipso conversionis initio; ut Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Britan. ad annum* 429, *num.* 11 *&* 12, *id eruens ex eo, quod apud Constantium num.* 5 *dicatur S. Amator* S. Germanum, cæsariem ejus capiti detrahens, HABITU RELIGIONIS, rejectis secularibus ornamentis, induisse. *Verùm satis ex textu patet,* habitum religionis *hîc illum appellari, qui opponebatur* secularibus ornamentis, *quique assumebatur ab iis, qui religioni, hoc est Dei cultui, se totos mancipabant ; quales erant clerici quicumque. Certè monachos Autissiodorum illos primùm vidit, quos creatus aliquamdiu antistes* Germanus, *ut postea dicetur, instituit. Cujus ergo cœnobii monachum illum Autissiodori tum consecrasset Amator, si nullum erat ? Dic ergo, per me licet, monachum fuisse, non professione quidem, sed moribus, ac victûs præsertim cultûsque asperitate : his enim, ex quo susceperit ecclesiæ suæ gubernacula, monachos non æquavit modò, sed ad mortem usque etiam superavit.*

53 *Dixi, ex Constantio & aliis, anno* 418 *collo-*

A episcopus verò consecratus est an. Christi 418,

collocanda esse Sancti nostri in Autissiodorensi sede primordia : constat enim 1. ex dictis, successisse illum S. Amatori, eodem, quo hic decessit anno. 2. Germanum sedisse annis 30, diebus 25 ; obiisse verò die XXXI Julii ; ut asserit in fine Vitæ, si non ipse Constantius, auctor certè antiquus alius, quem sequitur Historia epp. Autissiodorensium cap. 7, dissentiente jam nemine. 3. Illum cum S. Hilario ep. Arelatensi, ut in hujus Actis ad diem V Maii pag. 31 narratur, interfuisse depositioni Chelidonii ep. Vesontionensis, quam anno 444 accidisse, ex iisdem Actis & Valentiniani de eadem causa rescripto, ad Aëtium anno sequente VIII Idus Junii dato, colligunt Norisius Hist. Pelagianæ lib. 2, cap. 12, Pagius in Critica in Annales Baronii ad an. 445, num. 8, & quoquot sunt alii melioris notæ chronologi. 4. Non igitur episcopum eum fuisse ante annum 414. 5. S. Amatorem ad Superos evolasse Kalendarum Maiarum quartâ feriâ, ut scribit num. 6 Constantius. 6. S. Germanum desiisse vivere, superstite Valentiniano III cum Placidia matre, ut idem affirmat sub finem Vitæ. 7. Concursum feriæ quartæ cum Kalendis Maii post annum Christi 412 tantùm incidisse in annos 418 & 429. Denique annos triginta, si ducantur ab anno 429, excurrere toto quadriennio ultra Valentiniani imperatoris interitum, & annis novem ultra mortem Placidiæ. Restat igitur solus annus 418 tam S. Amatoris obitu, quàm S. Germani successione notandus ; & hac quidem à die circiter VII Julii, à qua anni 30, dies 25 putati, desinunt in XXXI Julii, qua exspirasse dicendus est, anno Christi 448.

die septima Julii.

54 Mirabitur fortasse quispiam, cur mense demum Julio episcopatûs ejus epocha sumpserit initium, hoc est post menses omnino duos ab obitu decessoris ; quandoquidem juxta Constantium num. 9 vix ei fuerunt justa persoluta, cum subitò Germanum episcopum omnium una vox postulavit. Sed mirari desinet, si ad ea, quæ statim ibidem sequuntur, attenderit : Bellum civile indicitur potestati &c., quæ apertè significant, nihil non tentasse Germanum, ut electionem suam impediret. Sic impediri illa quidem omnino non potuit ; retardari tamen sine dubio debuit. Electus ergo videtur die 1 Junii : nam in Hist. epp. Autissiod. cap. 7 dicitur suscepisse sacerdotium triceſima die post obitum S. Amatoris ; Viola verò in Vita Gallica cap. 6, etiam nunc in ejus abbatia Autissiodorensi celebrari quotannis ait die prima Junii festum electionis ipsius ; & quamquam eodem simul die, ut paragrapho 1, num. 4 diximus, ordinationis seu consecrationis ejus memoria colitur ; non eodem tamen die hanc olim contigisse vult idem auctor ; sed eam nobiscum differt ad mensem Julium ; nescio tamen, cur ad sextam potiùs mensis istius diem, quam ad septimam ; cum hæc anno 418 Dominica fuerit, adeoque consecrationi episcopali opportunior. Ceterùm hæc quoque ordinationis per mensem unum ab electione dilatio facile concipitur ; ut quæ ab episcoporum trium concursu, non æquè semper expedito, dependerit. Ab ordinatione porrò, non ab electione, episcopatûs hujus tempora computari, ibidem etiam fatetur Viola.

An mundo tunc primum renuntiaverit.

55 Erit verò etiam, opinor, quem ea possint offendere, quæ num. 9 sic narrat Constantius : Suscepit sacerdotium (id est episcopatum) invitus, coactus, addictus : sed repentè mutatur ex omnibus. Deseritur mundi militia ; cælestis assumitur : seculi pompa calcatur : uxor in sororem mutatur ex conjuge, &c. Quid enim ? Tum hæc demum cœpit, cum jam esset episcopus ; qui juxta ipsum Constantium num. 8 ante obitum S. Amatoris, mensesque adeo, ut minimum, duos presbyter fuerat consecratus ? An in hoc ordine constitutus, usque ad episcopatum militare mundo, aut loco conjugis uxorem habere perrexerit ? Absit profectò ut tantum de illo nefas vel cogitasse auctorem nostrum, nedum asseruisse suspicemur. Vel aliud ergo nihil intelligi voluit, nisi S. Germanum, quod à prima ad sacros ordines promotione, more ordinario & clericis usitato fecerat, id post acceptum episcopatum cœpisse modo longè alio ac prorsus inaudito palàm profiteri, eam sibi in cibo, potu, vestitu, lecto, vigiliis, rebusque aliis ad bellum adversùs qualibet hujus vitæ commoda vel delitias etiam innocuas implacabile pertinentibus legem indicendo, quam inde usque ad vitæ finem semper & ubique constantissimè tenuit : vel hoc, inquam, voluit Constantius ; vel, si mavis, priores omnes Sancti ordinationes, utpote & brevi intervallo ab episcopali discretas, & ad hanc unicè ex divina revelatione directas, tamquam unam ejus episcopalem ordinationem accepit ; atque hoc sensu verè dixit, Germanum ab accepta episcopi dignitate cœpisse, quidquid à primo ad illam gradu seu ordinatione cœperat facitare.

AUCTORE P. B.

Cur habitum monasticum episcopus assumpserit.

56 Quod ad vestitum ejus num. 11 depictum attinet, eum cum Thomassino in Vetere & nova Ecclesiæ disciplina tom. 1, part. 1, lib. 2, cap. 43, non diffitemur monasticum potiùs quàm episcopalem fuisse. Nimirum in hoc sibi, ut in ceteris, sanctissimos quosdam ecclesiæ Gallicanæ præsules, & maximum imprimis Martinum, Vir divino plenus ardore suique contemptor egregius imitandos proposuit ; quando morem nondum illum Ecclesia reprobaverat. Crediderim etiam, jam tum eum animo designasse cœnobium illud, quod haud multo posteriùs excitavit ; quippe qui non ignoraret, quantâ tum temporis illæ præ ceteris ecclesiæ florerent sanctimoniâ, ad quas institutum hujusmodi introductum jam esset. Ut ergo ad hoc vitæ genus Autissiodorenses etiam suos alliceret fortiùs, meliùsque formaret, ipse eodem habitu, iisdemque asperitatum exercitiis præire omnibus voluit. Atque ea forsitan causa subinde fuit, cur in Germano reprehendendum numquam putaverit, S. Cælestinus PP. I, quod anno 428 in quibusdam provinciarum Viennensis & Narbonensis episcopis inter alia suggillavit ; puta, quod superstitioso potiùs cultui inservientes quàm mentis vel fidei puritati, monachorum instar incederent amicti pallio & lumbos præcincti ; idque, ut ex eadem epistola patet, non ex humilitate spontanea, sed ex superstitione, qua id in Evangelio præceptum esse credebant ; non ad suos docendos, sed ad eorum oculis per insignem hypocrisin imponendum. Certè hoc genus vestimenti, nemine non suspiciente, ipsaque adeo, ut ex Constantio liquet num. 75, Italia venerante, non nisi cum vita Germanus deposuit.

§ VI. Legatio duplex in Britanniam adversùs Pelagianos.

Sanctus anno 429 mittitur in Britanniam cum S. Lupo ep. Trecensi

LOngiore discussione non egent quæ sequuntur in Actis usque ad missionem ejus apostolicam ad Britannos, de qua paulo hîc uberiùs agendum. Susceptam illam fuisse incunte circiter anno Christi 429, diximus jam supra in Commentario prævio ad Acta S. Lupi episcopi Trecensis § 5, à num. 61, pag. 63. Consulesis de anno etiam Pagium in Cri-

AUCTORE P. B. *Critica hoc loco. Annum illum, ſimulque expeditionis hujus occaſionem, & auctorem præcipuum aſſignat S. Proſper Aquitanus in Chronico integro his verbis:* Florentio & Dionyſio coſſ. ... Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani epiſcopi filius, eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladii diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem epiſcopum vice ſua mittit; & *, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit *. *Aliter hæc narrat Conſtantius num.* 41; *nam de S. Cæleſtino non meminit; &* S. Germano *apoſtolici hujus muneris ſocium adjungit S. Lupum epiſcopum Tricaſſinum, qui illud in ſynodo quadam Gallicana, ad hoc ipſum negotium coacta, patrum univerſorum precibus exorati, in ſe receperint. Diverſa ſunt hæc; ſed minimè contraria. Cum igitur auctor uterque ſit fide digniſſimus, concilianda rectè cenſuit Baronius ad annum* 429 *amborum teſtimonia:* Potuit, *inquit*, utrumque facile contigiſſe; ut, quem mittendum ſynodus illa delegiſſet, Pontifex comprobaſſet; vel quem ſibi ad eam provinciam legare deberet, ipſe Cæleſtinus arbitrio Gallorum epiſcoporum reliquiſſet. *Primum præplacet; quia ex Conſtantio appareret, priùs ad ſynodum Gallicanam recurriſſe Britannos, quàm Romam. Quod ſolum verò* Germanum *notet Proſper; eò id illum feciſſe putamus, quod* S. Germano *legationis hujus partes primarias Cæleſtinus detuliſſet. Florentius tamen Wigornienſis Proſperum hoc anno exſcribens, S. Lupum diſertè* Germano *comitem aſſignat.*

*al. ut dirigat
* *al.* & redegit

B

58 *Quis autem fuerit iſte Pelagianus Agricola; qui ejus alii tum apud Britannos aſſeclæ, non conſtat: nam qui Agricolam cum Leporio confundunt; Severianum verò epiſcopum cum Severo Sulpitio; tum qui Pelagianis hîc Faſtidium adjungunt epiſcopum, nihil horum evincunt; ut vide apud Uſſerium de Britan. eccleſ. Primord. cap.* 11; *& de Faſtidio quidem legi quoque meretur Pagius in Crit. ad annum* 420, *num.* 28. *Nos ad Conſtantium redeamus; qui num.* 47 *ſynodum ſeu conventum deſcribit publicum, in quo hæreticorum illorum contractas in unum vires ſic adorti ſunt Antiſtites noſtri, ut unico conflictu bellum hoc univerſum confecerint. Id Londini factum aſſerit Boëthius Hiſt. Scotorum lib.* 8, *ubi* tenuit, *inquit*, diſceptatio inter Pelagianos & orthodoxæ fidei Propugnatores, plures dies; ſed cum Pelagiani reſiſtere non poſſent, eorumque planè cauſam judicarent omnes inclinatam; qui ex eis reſipiſcere contumaciter ſpreviſſent, flammis regionum magiſtratuum operâ ſunt aduſti: ceteri pro admiſſo delicto Pontificum authoritate pœnis adacti, recepti ſunt in gratiam. *Hæc ille, ſed ſine teſte omnia. Camdenus contrà Verolamii in Hertfordiæ comitatu (cujus apud eum deſcriptionem conſule) geſtum hoc eſſe contendit, &* juxta proſtratæ, *ait*, hujus urbis mœnia Germani ſacellum etiamnum nomine, etſi profano uſu, ſupereſt, quo loci ille pro ſuggeſtu verbum divinum effatus erat; ut antiquæ Fani-Albani membranulæ teſtantur. *Camdeno adſtipulatur Florilegus Weſtmonaſterienſis ad annum* 446; *non tamen (quod Uſſerio citato viſum eſt) Conſtantius: quandoquidem num.* 49 *&* 50 *apertè innuit, à loco hujus diſputationis uſque ad ſepulcrum S. Albani Verolamienſe, iter longum fuiſſe & reditum laborioſum. Exſpectamus ergo, ut hanc litem decidat is, apud quem, teſte Tillemontio, dicuntur hujus Acta ſynodi delitеſcere.*

adversùs Pelagianos, quos expugnavit.

C

59 *Supplicationem Præſulum apoſtolicorum ad S. Albani M. tumulum excepit continuò celeberrimus ille Britonum de Saxonibus ac Pictis triumphus, à cantu, quo partus eſt, dictus Alleluiaticus. Itaque ad primam* SS. Germani *& Lupi ad Britannos legationem, teſte Conſtantio, certiſſimè pertinet. Quæ res mirum, quamdiu quantumque chronologos pleroſque & hiſtoricos etiam eximios exercuerit; dum nullos in Britanniam veniſſe Saxones ſtatuerent ante tempora Vortigerni, qui eos adversùs Pictos & Scotos de tranſmarinis partibus in auxilium vocavit; id quod ante annum Chriſti* 446 *non contigiſſe, ultro fatebantur. Hinc alii primam ad Britannos* S. Germani *cum S. Lupo miſſionem, abjectâ S. Proſperi, Actorumque S. Lupi vetuſtiſſimorum auctoritate, huc uſque differendam putarunt: alii, retento Proſpero, primam* S. Germani *expeditionem referunt quidem ad annum Chriſti* 429; *ſed aliam hanc fuiſſe volunt ab ea, quam diu poſteriùs cum S. Lupo ſuſceperit & ad quam victoria de Saxonibus Pictiſque jam dicta pertineat. Ita dum Proſpero conantur adhærere, Vitam S. Lupi rejiciunt; imò ipſum Conſtantium, qui poſt miſſionem cum S. Lupo abſolutam, aliam adſtruit; quam illi, quia tempus non ſuppetit, coguntur omittere: alii denique duas tantum* S. Germani *in Britanniam excurſiones admittunt apoſtolicas; primam cum S. Lupo; alteram cum S. Severo ep. Trevirenſi; ſed contra diſertam Conſtantii fidem, triumphum Alleluiaticum huic affigunt, non illi. In hoc luto miratus equidem ſum etiamnum volutari Bailletum. Sed utinam hîc tantùm ille peccaſſet! Porrò hæc omnia ſyſtemata non tantùm ex eo capite corruunt, quod optimis, ut vidimus, auctoribus adverſentur; ſed etiam ex illo, quod ante conſtet,* Germanum *obiiſſe, quàm invitati à Vortigerno Saxones, in Britanniam ſint appulſi: obiit enim ille anno* 448; *cum hi anno primùm ſequente, ut ex Alfordo & Pagio diſces, Britanniam attigerint.*

D

In eadem expeditione retulit victoriam,

60 *Iſtiuſmodi anguſtiis chronologiam Britannicam pridem expedivit Uſſerius de Britan. eccleſ. Primordiis cap.* 11, *pag.* 335; *&, antequam hujus opus vidiſſet, Alfordus noſter in Annalibus eccleſ. Britan. ad annum* 458, *num.* 3, *invictis uterque teſtimoniis demonſtrans, inde à Valentiniani I imperio frequentes Saxonum in Britannos incurſiones fuiſſe. His aſſentitur Pagius in Critica Baron. ad an.* 429, *num.* 8 *& ſeqq., in eo ſolùm diverſus, quod Saxones illos, de quibus agunt Conſtantius aliique, & qui ante Vortigerni regnum Britanniam infeſtare identidem conſueverant, ab Anglo-Saxonibus diſcerni velit; hos Germaniæ; illos Scotiæ, vel Orcadum certè, inquilinos fuiſſe contendens. Sed Scoti fuerint, externi fuerint, noſtrâ hîc parum intereſt; dummodo id certum ſit (quod eſt profectò certiſſimum) graſſari illos in Britanniam ante annum Chriſti circiter* 429 *cœpiſſe: hoc enim ad S. Proſperi, Conſtantii, Actorum S. Lupi auctoritatem per hæc tempora longè graviſſimam conciliandam vindicandamque ſat eſt. De loco hujus victoriæ addit ibidem Uſſerius pag.* 333: In agro Flintenſi (*qui ſpectat ad Walliam Borealem*) juxta oppidum, quod Angli Mold, Cambro-Britanni Guid-cruc appellant, hoc geſtum ajunt; indeque locum Maes-Garmon, quod Campum Germani ſonat, huc uſque nomen retinuiſſe: in præterfluente Aleno fluviolo, ſacro hoc exercitu baptizato.

quam vocant Alleluiaticam;

E

61 *Conſtantius, mox ut prodigioſam hanc victoriam narravit, reditum ſubjicit Antiſtitum noſtrorum in Galliam. Quæritur ergo, quanto tempore hæc eorum legatio, tam breviter à biographo ex-*

poſtquam in Pelagianos non uno altero ve mense,

A *expedita, duraverit. Tillemontius, qui cap.* 7 *Norisium, quem citat, in hujus missionis initio versùs finem anni* 429 *differendo secutus, eidem adhæret cap. seq., triumphum Alleluiaticum (qui juxta Constantium accidit aliquamdiu post actas ab utroque Episcopo ad S. Albanum de legatione tam feliciter absoluta gratias) referens ad Pascha anni* 430. *Ita si iter ad S. Albani sepulcrum, & moram tum ibi, tum in reditu, ob lasum graviter* S. Germani *pedem, protractam; deinde iter aliud in Walliam Septemtrionalem, ubi memorata victoria contigisse creditur, & ubi tempus aliquod Quadragesimæ quotidianis prædicationibus Apostoli nostri, teste Constantio num.* 51, *in Britonum castris ante victoriam exegerunt; si hæc, inquam, omnia consideres, confectum in systemate Norisii ac Tillemontii missionis hujus negotium fateri cogeris ante Quadragesimam, cujus initium anno* 430 *incidebat in diem* XII *Februarii; atque ita vix duos illi absolvendo insumptos fuisse menses, & eos quidem brumales, quibus nemo credet, concionatos fuisse Sacerdotes, quantumvis apostolicos*, non solum in ecclesiis, verùm etiam per trivia, per rura, per devia; *ut habet Constantius num.* 47. *Minus verò etiam Alfordus huic rei spatium concedat, necesse est; cum ad annum Christi* 429, *num* 33 *Antistites affirmat eodem anno domum revertisse, quo venerant.*

(non annis etiam 14 aut 15;) 62 *Viole contrà in Vita* S. Germani *Gallica cap.* 12 *& sequentibus, ubi miros habet parachronismos, contendit, hanc expeditionem ad annos ut minimum quatuordecim extensam fuisse; idque duobus maximè argumentis; quorum prius nititur fabulâ inferiùs refutandâ, qua dicitur per insignem Vortigerni calumniam accusatus fuisse* S. Germanus *de infami cum ejusdem regis filia commercio, ex qua filium scilicet procreasset jam tum, cum hoc judicio peteretur Vir integerrimus, grandiusculum.* Hæc impostura, *inquit Viole*, ut aliquam veri speciem præ se ferret, necessarium prorsus erat, ut Sanctus jam annos aliquòt in Britannia transegisset. *Fateor; sed nego, ullam in ea veri speciem apparere; quod mox ostendam. Secundum argumentum nihilo solidius est; ponit enim iter illud Arelatense, quod à reditu Britannico statim aggressus est* S. Germanus, *juxta Constantium num.* 53, *esse connectendum cum depositione Chelidonii, cui adfuisse jam diximus Antistitem nostrum anno* 444; *ad quem ab anno discessûs in Britanniam* 429 *commorationis in ea spatium fere protendendum censet idem Viola. Sed erat: nam cum Arelaten Sanctus venit*, Auxiliaris etiam tum regebat per Gallias apicem præfecturæ, *teste Constantio num.* 57: *cum autem Chelidonii causa verteretur, idem Auxiliaris non Galliarum amplius (is enim Marcellus tunc erat, ut patet ex veteri inscriptione Narbonensi, quam exhibet Quesnellus in opere confixo seu notis in epistolam* 2 *S. Leonis Papæ I) sed Urbis præfectus erat, aut certè præfectus prætorio per Italiam, tunc in Urbe residens; id quod palàm faciunt Acta S. Hilarii ad diem* V *Maii, pag.* 31, *num.* 23. *Aliud ergo tempus fuit Arelatensis hujus itineris; aliud judicii Chelidoniani: ac proinde nullum hîc restat Violæ fundamentum.*

(sed anno saltem uno solido sibi dimicasset.) 63 *Nobis neque minus huic legationi quàm anni solidi spatium adscribendum videtur, neque multo etiam amplius: nam ne multo plus tribuatur, vetat Constantius, num.* 47 *non minus commendans Legatorum apostolicorum in agendo celeritatem, quàm populorum in submissione promptitudinem. Ad hanc pertinent hæc ejus verba:* I-taque regionis universitas in eorum sententiam prompta transierat: *ad illam verò hæc:* Britannicam insulam, quæ inter omnes est vel prima vel maxima, Apostolici Sacerdotes RAPTIM opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. *Ne verò hæc ita deproperata quis putet, ut annum totum non exegerint, expendat Britanniæ amplitudinem ac miserrimum statum, quem legati inde in Gallias missi, annuntiantes apud Constantium num.* 41, *asserebant*, Pelagianam perversitatem in locis suis LATE POPULOS occupasse. *Latè ergo patere debuit Apostolorum nostrorum labor; maximè si non provincias obierint modò, vel urbes, aut ecclesias; sed ne remotos quidem regni angulos indiscussos reliquerint, divinumque sermonem, ut ait Constantius*, per trivia, per rura, per devia *sic diffuderint*, ut passim *(hoc est ad singulos ferè passus, ut dici solet, subsistentibus Episcopis)* & fide Catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoscerent. *Hæc qui negat anno toto durasse, fateri, ut jam diximus, cogitur, uno alterove mense, & media quidem hieme, debuisse confieri; ac proinde non pedibus, non cursu Apostolos nostros, sed volatu lustrasse omnia. Adde, quod longiorem à sedibus suis absentiam manifestè arguunt, quæ de illorum ad suos reditu Constantius narrat num.* 53. *Putamus igitur, discessisse in Britanniam Sanctos incunte circiter anno* 429, *ob rationes in Commentario ad Acta S. Lupi prolatas; non rediisse autem ante Maium circiter anni sequentis.*

Altera in Britanniam excursio facta est anno 447. 64 *Multa Britanniæ scriptores à* S. Germano *apud se gesta commemorant, de quibus nullam Constantius fecerit mentionem. Sed quoniam duplex ejus fuit ad insulam illam expeditio, nec inter omnes convenit, ad utram referenda sint singula, priusquam hæc dispicimus, nonnulla de secunda notemus. Duo nobis in hac, ex Constantii eam à num.* 59 *describentis narratione, certa prorsus apparent: primum, quod priore facilior multo fuerit, ac proinde brevior: nam ut eò advenit*, recognoscit, *inquit auctor ille num.* 61, populum in ea, qua reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt, culpam esse paucorum: inquirunt auctores, inventosque condemnant. *Alterum est, quod hanc expeditionem statim Armoricana; Armoricanam verò Italica, in qua diem anno* 448 *clausit extremum, sine mora secuta sit:* Vix domum de transmarina expeditione remeaverat, *inquit Constantius num.* 62, & jam legatio Armoricani tractûs fatigationem beati Antistitis ambiebat, *&c. Hinc porrò sequitur primò, ut vel ad eumdem annum, quo mortuus est, referenda sit hæc ejus posterior ad Britannos excursio, uti refertur ab Usserio in Indice chronologico; vel certè ad annum præcedentem, quæ Norisii Hist. Pelagian. lib.* 2, *cap.* 12, *Pagii in Critica ad annum* 435, *num.* 38, *aliorumque, & nostra sententia est, à Sigeberto pridem & Florilego adoptata; qui quamquam in anno mortis assignando, biennio aberraverint, legationem hanc tamen ad annum ejus vitæ penultimum defixerunt.*

non annis 435. 65 *Sequitur secundò, ut non admodum presse intelligi possit Beda Hist. eccles. cap.* 21, *ubi primæ expeditioni secundam subjicit in hæc verba:* Nec multo pòst interposito tempore, nuntiatur ex eadem insula, Pelagianam perversitatem iteratò paucis authoribus dilatari *&c: tempus enim utrique interpositum, ut ex dictis patet, annorum fuit circiter septemdecim. Id quia non animadvertêre chronologi quidam, turpiter prolapsi sunt: nam Matthæus Westmonasterienſis ut ambas legationes*

AUCTORE P. B.

tiones conjungeret propiùs, primam diſtulit uſque ad annum 446 *: eamdem ob cauſam Baronius, & hunc ſecutus Alſordus noſter, cum priorem ſuo loco reliquiſſent, ſecundam ad annum Chriſti* 435 *conſignandam putarunt. Et Alfordus quidem ex hoc errore in alium incidit, quo miſſionem ſecundam annis aliquot continuis duraſſe ſtatuit: unde labyrinthum ingreditur inextricabilem, dum ad annum* 441, *num.* 1 *fatetur, ex Conſtantio colligi, mortuum eſſe* S. Germanum *anno* 448; *nec tamen affirmare audet, cum ultra annum* 440 *in Britannia permanſiſſe: cum juxta eumdem Conſtantium tempus iſtius expeditionis connecti debeat proximè cum anno mortis; nec poſſit adeo ulla omnino ratione fingi ſuſcepta ante annum Chriſti* 444, *quo* S. Germanus *cauſam Chelidonii in Gallia decidebat.*

§ VII. Geſta Sancti apud Britannos; & reliqua uſque ad obitum.

B

An ibi regem depoſuerit, eique ſubulcum ſubſtituerit.

QUæ *in utraque ad Britannos miſſione feciſſe* Germanum *narrat Conſtantius, nemo eſt qui in dubium revocet; verùm alia, quæ ab Anglicanis ſcriptoribus ſuperadduntur, qua digna ſint fide, juvat expendere. Famoſum illud eſt inter cetera, quod de rege per Sanctum exauctorato, ac ſuffecto in ejus locum ſubulco in Miraculis num.* 80 *& ſeqq. tradit Hericus, acceptum, ut ait, à Marco epiſcopo Britone, qui hoc* ita apud Britanniam catholicis litteris contineri, juris jurandi interpoſitione firmabat. *Credo equidem, catholicis litteris contentam fuiſſe hanc hiſtoriam. Sed quænam erant litteræ iſtæ catholicæ? Legenda, ut arbitror,* S. Germani *Britannica; ideo* catholica *dicta, quod ab omnibus totâ paſſim Britanniâ lectitaretur. Certè rem eamdem in ea legit ſeculo* XIV *Ranulphus Higdenus, uti teſtatur in Polychronico ſuo lib.* 5 *ad annum* 449; *ſed de Vortigerno Britonum rege narratam; de quo certiſſimè falſa eſt; cum nec depoſitus ille fuerit, niſi annis aliquot poſt obitum* S. Germani; *nec ei ſucceſſerit ſubulcus aliquis; ſed ſtrenuus belli dux, idemque Vortigerni filius, Vortimerus. Scio, non de Vortigerno hæc referri à Nennio, Scriptore, ut volunt, ineuntis ſeculi ſeptimi, in Hiſtoria ſua Britonum cap.* 30 *& ſequentibus; ſed Poviſorum in Wallia tyranno, cui nomen erat Benli: verùm & hoc ſcio, rem hanc longè aliter ab eo narrari: nam, ut cetera præteream, non depoſitum ipſe à* Germano *regem illum, ſed igne cæleſti cum arce ſua totaque familia ſubitò abſumptum periiſſe, ac tum demum ſubulcum illum hoſpitalem, quem Ketel appellat, ei à ſancto Præſule ſubrogatum aſſerit. Tum quis dicat, plus Nennio, fabulis nimium quantum & parachroniſmis indulgenti, tribuendum eſſe, quàm Legendæ cuicumque Britannicæ? Nam & ipſe cap.* 49 librum *citat, ſeu Legendam,* beati Germani, *in qua idem interitus ad* Germani *preces ac jejunia Vortigerno adſcribitur, quem ipſe paulo ſuperiùs de Benlio ſuo narraverat. Negamus ergo, hiſtoriam illam ſeculo nono ſinceram à Marco videri potuiſſe; quæ duobus jam ſaltem ante ſeculis erat corruptiſſima: tametſi modò per Hericum ad Vincentium Bellovacenſem, alioſque latiùs emanaverit.*

C

67 *Dixi, fabulis indulgere Nennium & parachroniſmis; illarum, cui opus ad manum eſt, exemplum legat inſigne cap.* 43, *quod merito ſanè ab Higdeno mox aſſignato exploditur, utpote ne vetularum quidem colo dignum: horum verò aliud habet æquè luculentum cap.* 54 *his verbis:* Beatus vero Germanus reverſus eſt poſt mortem Guorthigirni ad patriam ſuam: & ſanctus Patricius erat in illo tempore captivus apud Scotos; & dominus illius Melchu; & porcarius cum illo erat... Ac pòſt Romam uſque perrexit, & per longum ſpatium ibidem manſit... *ac tum tandem* à Celeſtino Papa Romano, & angelo Dei, cui nomen erat Victor, monente, & Germano ſancto epiſcopo, ad Scotos convertendos in Chriſtum mittitur. S. Germanus *non vixit ultra annum* 448; *Vortigernus juxta Alfordi, Uſſerii, aliorumque exactiorem chronologiam, annum attigit* 466; *S. Cæleſtinus Papa anno* 432 *mortalem cum immortali vita commutavit. Conjice ergo, quam bellè Nennius ſuis ſingula temporibus dividat; & quanta proinde in rebus hiſtoricis eſſe poſſit ejus auctoritas; imò & quam antiqua fuerit ac præceps Britannorum in iiſdem abſque delectu & arripiendis credulitas, & aſſerendis licentia.*

D *Nennii Banchorenſis perexilis auctoritas.*

E *Ejuſdem fabula de rege Vortigerno*

68 *Ex dictis quoque collige, quàm ſit futilis ejuſdem narratio de Vortigerno rege per* Germanum *ejecto, qua ſuprà num.* 62 *nitebatur Viola: ſic enim habet cap.* 38: Et ſuper hæc omnia mala adjiciens Guorthigernus, accepit filiam ſuam propriam in uxorem ſibi, quæ peperit ei filium. Hoc autem cum compertum eſſet à S. Germano, venit corripere regem cum omni clero Britonum. Et dum conventa eſſet magna ſynodus clericorum ac laicorum in uno conſilio, ipſe rex præmonuit filiam ſuam, ut exiret ad conventum, & ut daret filium ſuum in ſinu Germani; diceretque, quod ipſe erat pater ejus: ac ipſa fecit, ſicut edocta erat. S. Germanus eum benignè accepit; & dicere cœpit: Pater tibi ero; nec te permittam, niſi mihi novacula cum forcipe pectineque detur, & ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audivit puer, obedivit verbo ſenioris Sancti; & ad avum ſuum patremque carnalem Guorthigernum perrexit; & dixit illi: Pater meus es tu; caput meum tonde, & comam capitis mei pecte. Ille autem ſiluit, & puero reſpondere noluit; ſed ſurrexit, iratuſque eſt vehementer; & ut à facie S. Germani fugeret, quærebat: & maledictus eſt, & damnatus à B. Germano & omni conſilio * Britonum. *Hæc omnia ſolâ recitatione ſatis confutari cenſuit Uſſerius in Britan. eccl. Primord. cap.* 12, *cum cetera huc ſpectantia ex Nennii cap.* 45 *ſubjuncturus, ita ſcriberet:*

F * al. concilio

69 Et ne complendæ fabulæ quid deeſſet, Samuel Benlani filius, ſive quis alius ille fuerit, qui Ninio (*ſeu Nennio*) centones ſuos aſſuit, dignum patellâ iſtâ adjecit hoc operculum: Guorthomir, filius Guorthigirni, in ſynodo habita apud Guartherniaun, poſtquam nefandus rex ob inceſtum, quem cum filia commiſerat, à facie Germani & clericorum Britanniæ in fugam iret, patris nequitiæ conſentire noluit; ſed rediens ad S. Germanum, ad pedes ejus cecidit, veniam poſtulans: atque pro illata à patre ſuo & ſorore S. Germano calumnia, terram ipſam, in qua prædictus Epiſcopus opprobrium tale ſuſtinuit, in æternum ſuam fieri ſancivit. Unde & in memoriam S. Germani Guartheuniaun nomen accepit, quod Latinè ſonat, Calumnia juſtè retorta: quoniam cum Epiſcopum vituperare putaverat, ſemetipſum vituperio affecit. *Qui Nennio juniores, non e-*

per S. Germanum exauctorato.

A *omnem ei ademere fidem, hoc ſolum ex illo notant, excommunicatum fuiſſe à S.* Germano *Vortigernum ob inceſtum cum filia; cetera ſilentio non obſcurè redarguentes: ut vide apud Florilegum ad an.* 450, *Willelmum Malmesburienſem lib.* 1, *Henricum Huntingdonienſem lib.* 2, *Ranulphum Higdenum in Polychron. ad an.* 449. *At ne hoc quidem Nennio conceſſerim; cum id factum affirmet non ſolùm poſt Anglo-Saxonum adventum in Britanniam, ſive annum Chriſti* 449; *ſed & poſt nuptias Vortigerni cum pagana Hengiſti filia, quæ quidem nuptiæ, teſte cum aliis Matthæo Weſtmonaſterienſi, vera demum cauſa fuerunt, cur anno* 454, *hoc eſt, ſexto poſt obitum* S. Germani, *Britanniæ proceres, rejecto Vortigerno, Vortimerum elegerint.*

An Sanctus epiſcopos in Britannia conſecraverit:

70 *Conſtantio minùs repugnant, quæ ſic apud Capgravium in Vita S. Dubricii epiſcopi fol.* 87 *leguntur :* Exorta tandem hæreſi Pelagiana, ad illam confutandam ſanctus Germanus & Lupus epiſcopi à Galliæ epiſcopis ad Britannos miſſi ſunt. Qui cum hæreſim illam exſtirpaſſent, epiſcopos in pluribus locis Britanniæ conſecrarunt. *Conſonat ejuſdem Sancti Vita longior, ſeculo, ut putatur, duodecimo ſcripta, auctore Benedicto monacho Claudioceſtrenſi, editaque Londini anno* 1691 *in Anglia ſacra part.* 2, *à pag.* 654. *Hæc, inquam, Conſtantio minus repugnant; cum ſimilia innuiſſe videri poſſit num.* 52 *compendioſa hac phraſi :* Compoſitâ itaque opulentiſſimâ inſulâ ſecuritate multiplici, ... reditum moliuntur. *Verùm quod in eadem Vita ſequitur,* Et dextralis, *id eſt Auſtralis,* partis Britanniæ beatum Dubricium ſummum doctorem & archiepiſcopum ſtatuerunt; & Landavenſem eccleſiam in honore beati Petri fundatam, ſedem cathedralem collocarunt, *vix credibile apparet; ſi, ut in eadem Vita dicitur,* anno Domini quingenteſimo duodecimo S. Dubricius migravit ad Dominum, *vel anno* 522; *ut alii volunt apud Alfordum ad an.* 436 : *imo apertiſſimè falſum eſt; ſi, quod aſſerit Vita longior,* Dubricium metropolitanum archipræſulem, ab Ambroſio Aurelio rege totius Britonum monarchiæ .... delectum *conſecraviſſe dicantur : cum Ambroſius, regnare cœperit anno* 466, *hoc eſt annis octodecim poſt exceſſum ex hac vita* Germani. *Vide tamen Alfordum loco citato, & Uſſerium in Primord. eccl. Britan. cap.* 5, *pag.* 79, *& cap.* 11, *pag.* 337, *& in Indice chronol. ad an.* 430. *Nos, quanti valeant Acta hæc S. Dubricii, ad diem* XIV *Novembris diſcutiendum remittimus.*

B

C

An litteras docuerit Oxonii & Cantabrigiæ.

71 *Placet etiam Alfordo ad an.* 437, *aliiſque, quod affirmant recentiores aliqui,* S. Germanum *Oxonii litteras docuiſſe, ibique per anni dimidium commoratum fuiſſe. Idem quanta potuit auctoritate, ſtabilire conatus eſt auctor Hiſtoriæ & antiquitatum univerſitatis Oxonienſis lib.* 1, *pag.* 9 *& ſequente. Sed eam in rem nihil attulit, quod notari mereatur, præter locum Aſſerii Menevenſis, dudum antè illi ab Uſſerio cap.* 11, *pag.* 341 *& ſeq. abjudicatum; quòd, ut ait ipſe,* antiquiſſimum antigraphum, ſi non ipſius (quod omnino videtur) Aſſerii, certè proximis ab eo temporibus characteribus Saxonicis exaratum, adhuc in Cottoniana bibliotheca conſervetur, in quo iſtorum omnium neque vola exſtat neque veſtigium. *Hæc igitur ipſe non temerè in Indice citato ad fabulas relegat, æquè ac illa, quæ Cantabrigienſes aliqui venditarunt, quaſi* SS. Germanus *& Lupus apud ſe* nedum ſacram docuerint Scripturam, verùm & alias liberales ſcientias, experientiâ rationis & naturæ formâ, patriæ & juvenibus manifeſtaverint; ita quod aſtronomia & ceteris artibus eruditi, curſus ſtellarum diligenter obſervaverunt, *&c. quæ relata refutataque vide apud eumdem Uſſerium cap.* 11, *pag.* 337 *& ſeqq.*

AUCTORE P. B.

Quam diſciplinam ad Britones intro-duxiſſe dicatur;

72 *Neſcio, an multò pluris fieri debeat, quod idem Uſſerius legiſſe ſe teſtatur ibidem in anonymo de eccleſiaſticorum Officiorum origine, nongentis abhinc annis ſcripto, libello;* Germanum *ſcilicet & Lupum ordinem cursûs Gallorum, ſive Gallicanam liturgiam, à Joanne Caſſiano & Lirinenſis cœnobii patribus acceptum, in Britanniam induxiſſe. Certè textus, quem ex illo Mſ. profert pag.* 343, *non magnam præ ſe fert auctoritatem; cum & Caſſianum &* Germanum *monachos fuiſſe ſtatuat Lirinenſes. Timidè etiam ad eoſdem Sanctos refert, quæ de Cambrorum ſuorum religione inſtitutiſque narrat, Giraldus Cambrenſis in Cambriæ deſcript. cap.* 18; *ubi ſic habet :* Unde & à tempore, quo Germanus Altiſiodorenſis & Lupus Trecenſis ... in inſulam miſſi ſunt, nihil hæreticum, nihil rectæ fidei contrarium ſenſere. Ab eorumdem quoque doctrina hæc, ut fertur, uſque in hodiernum documenta tenuerunt : de quolibet pane appoſito primum fractionis angulum pauperibus donant. Terni quoque in Trinitatis memoriam ad prandium ſedent. Viro cuilibet religioſo, monacho, vel clerico, vel cuicumque religionis habitum præferenti ſtatim, projectis armis, cernuo capite benedictionem petunt. Epiſcopalem verò Confirmationem & chriſmatis, qua gratia Spiritûs datur, inunctionem præ alia gente totus populus magnopere petit. Omnium quoque rerum, quas poſſident, animalium, pecorum, & pecudum interdum decimas donant; quandò videlicet vel uxores ſibi maritali copula jungunt, vel peregrinationis iter arripiunt, aut quamlibet vitæ ſuæ, Eccleſiæ conſilio, correctionem aſſumunt. Hanc autem rerum ſuarum partitionem, decimam magnam vocant; cujus duas partes eccleſiæ ſuæ baptiſmali, tertiam verò epiſcopo dioceſano dare ſolent.

D

& præſertim ad Cambrenſes.

73 Præ omni autem peregrino labore, Romam peregrè libentius eundo, devotis mentibus Apoſtolorum limina propenſiùs adorant. Eccleſiis autem & eccleſiaſticis viris, Sanctorum quoque reliquiis, & campanis bajulis, libris textis, & cruci devotam reverentiam exhibere, longéque magis, quàm ullam gentem his omnibus honorem deferre videmus. Unde & eccleſiæ iſtorum longè majorem, quàm alibi, pacem habent : non etenim in cœmiteriis ſolùm, verùm etiam extra procul per metas & foſſas ulteriores, ab epiſcopis causâ pacis impoſitas & conſtitutas, animalibus ad paſcua pax ſervatur. Eccleſiæ verò majores, quibus majorem antiquitas reverentiam exhibuit, quatenus armenta manè ad paſcua exire & veſperi redire poſſint, pacem præbent. Unde ſi cum principe capitales quis inimicitias incurrerit, ſi eccleſiæ refugium quæſierit, eâdem ſibi & ſuis pace gaudebit. ... Heremitas & anachoritas abſtinentiæ majoris, magiſque ſpirituales, alibi non videas. *Hæc ille, qui cum anno circiter* 1200 *floruerit, teſtari per ſe non potuit, hæc à* SS. Germano *& Lupo profecta olim eſſe; ideoque prudenter addidit,* ut fertur, *quaſi dicat, popularem tantummodo, miniméque exploratam traditionem hanc eſſe.*

E

F

An Sanctus etiam ad Hibernos,

74 *Viole in Vita* S. Germani *Gallica cap.* 14 *vult, eum tempore primæ expeditionis Britannicæ in Scotiam quoque & Hiberniam excurriſſe; nam in Scotia converſum ab illo ad fidem Chriſtianam fuiſ-*

AUCTORE P. B.

fuiſſe Audinum Scotiæ principem cum Aquila conjuge & filio, cui Sanctus nomen ſuum in Baptiſmo dederit: ex Hibernia verò adductum ab eo in Gallias Michomerem fuiſſe; hoc ex Herico in Miraculis num. 7; *illud ex Vita S. Germani epiſcopi & martyris erui. Reſpondeo, de Michomere videri poſſe, quæ ſcripſit Papebrochius noſter ad diem* XXX *Aprilis pag.* 776 *& ſequente; ubi locum illum Herici ſic explicat, ut neget in Hibernia fuiſſe umquam* Germanum. *Ego interim illud verè ab Herico dici potuiſſe cenſeo de Michomere:* Qui ſanctum Virum (*Germanum*) de Hibernia fuerat proſecutus, *ſi fama miraculorum illum ex vicina Hibernia in Britanniam ad* S. Germanum *attraxerit, indeque cum illo in Galliam. Certè clariorem antiquioremque, quàm hanc S. Herici, auctoritatem requiro, ut Apoſtolum noſtrum ad Hibernos divertiſſe credam; quod ne ipſi quidem hactenus Hiberni, quos viderim, aſſeruere, hac tantùm parte* Germano *gloriantes, quod eo allaborante, maximum ejus diſcipulum Patricium à S. Cæleſtino Papa aliquando obtinuerint.*

B *& Scotos excurrerit.*

75 *De S. Germano ep. & Mart. ejuſque parentibus ac familia egimus ad diem* 2 *Maii; ubi pag.* 259 *Scotos eos quidem fuiſſe oſtendimus, ſed tum temporis extra ſolum patrium in Britannia commorantes; ubi à* S. Germano *noſtro converſi ſint. Scio, id in ipſa Scotia factum dici in Vita ejuſdem Sancti à Labbeo noſtro vulgata in Biblioth. Mſs. libb. tom.* 1, *pag.* 717; *ſed intruſum dici poteſt; cum abſit à noſtris. Quamquam quid hæc nos Vita moretur; quæ neque noſtro, neque Labbei judicio probari potuerit? Atque hæc ſunt, quæ de geſtis* S. Germani *noſtri Britannicis Conſtantianæ narrationi ſuperaddita reperimus; quorum cum nihil à Venerabili Beda, antiquitatum gentis illius prudenti juxta operoſoque collectore, notatum fuerit; vel poſt ejus tempora ſcribi ac vetuſtiorum auctorum operibus inſpergi ab interpolatoribus cœpiſſe cenſenda ſunt; vel ſic eum ſcripta traditave comperiſſe, ut neque ſua, neque poſteritatis fide ſatis digna judicaverit, ſola Conſtantii relatione contentus,*

An è Britannia redux templum conſecrarit Aureliani; C

76 *Ad reditum* S. Germani *ſecundum è Britannia* (*neſcio, quo fundamento*) *refert Viole cap.* 17, *quæ de congreſſu cum S. Aniano ep. Aurelianenſi narrat Hericus in Miraculis num.* 10 *& ſequente; ſed* ex Ms. *quodam* Autiſſiodorenſi de Vita S. Germani *addit hiſtoriam, quam, ſi vera eſt, mirabitur quilibet, Hericum ipſum aut ignorare potuiſſe, aut conſultò præterire. En illam: S. Anianus, eccleſiam quamdam ſæpe fruſtra conſecrare conatus, quòd cœptas identidem cæremonias maligni ſpiritus incondito clamore horrendiſque fragoribus abrumpere coëgiſſent, id S.* Germanum, *ut perficeret, oravit. Non reſtitit ille. Verùm vix ad locum ambo jam venerant, cum iidem clamores, eadem obſtrepuere murmura.* Germanus *itaque ad exorciſmos verſus, ita vim tartaream conſtrinxit; ut omni populo prodere ſeſe, aſſumpta belluæ informis ſpecie, cogeretur; quam Præſul injecto cervicibus laqueo foras abreptam* (*ut moloſſum diceres*) *palo, dum abſoluta dedicatio eſſet, alligavit; tum verò coràm omnibus dimiſit innoxiam. Eccleſiæ ſubinde nomen ex re datum,* S. Germani de exorciſmo (S. Germain de l'adjurerie;) *tametſi corrupta poſtmodum voce appellari cœperit,* S. Germani de Judaïſmo (S. Germain de la Juifverie;) *quaſi Judæorum olim ſynagoga fuiſſet.*

77 *Pluris non fecerim, quod idem auctor ait cap.* 21, S. Germanum *poſt eamdem expeditionem adiſſe Romam, indeque Ravennam, ubi finem vivendi fecerit. Sanè iter illud Italicum ita deſcribit Conſtantius à num.* 63; *ut nullum reliquerit hujuſmodi aſſertioni locum. Atqui hoc aſſerit, inquit Viole, Vita S. Magnantiæ in Mſs. Auguſtodunenſi; idem innuit in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium Paſchalis PP. ad Humbaudum ep. Autiſſ. reſcribens pag.* 459; *idem quoque Molanus affirmat in Additionibus ad Uſuardum, cum ait, à* S. Germano *Romam ex Britannia tranſlatas eſſe S. Albani M. reliquias. Reſpondeo, Vitam illam S. Magnantiæ, quam Violæ beneficio olim accepimus, id quidem affirmare; ſed non admodum antiquam videri, atque ex ſola vulgi traditione ſcriptam; ut patebit die* XXVI *Novembris, quo dabitur: abjicienda eſt ergo, ubi Conſtantio repugnat. Paſchalis PP. II in epiſtola citata tantùm dicit, à prædeceſſoribus ſuis confirmatas eſſe donationes, quibus eccleſiæ Autiſſiodorenſi poſſeſſiones ſuas tranſcripſerat* S. Germanus, per *ejuſdem* beati Germani petitionem. *Peti autem hoc potuit per epiſtolam vel procuratorem; idque non ſub vitæ finem, ſed ſub* D aut Romam adierit: E *epiſcopatûs initium, quando poſſeſſionibus exuiſſe ſe videtur, juxta Conſtantium num.* 9. *Molanus ubicumque id habeat* (*neque enim locus aſſignatur*) *hauſerit, opinor, ex libello illo, Coloniæ excuſo anno* 1502, *quem refutavimus in Actis S. Albani M. ad diem* XXII *Junii pag.* 173 *& ſeq. Quamquam in libello illo non dicuntur iſtæ reliquiæ per* S. Germanum *Romam uſque delatæ; hunc enim fingit Romam cogitaſſe quidem; ſed non ultra Ravennam pertigiſſe; ubi eas moriens commendaverit Placidiæ, à qua illas Roma demum acceperit.*

quo anno obiit, &c.

78 *Stabiliendus hîc eſſet annus, quo Sanctus obiit, Chriſti* 448; *ſed jam id ſolidiſſimè factum putamus, ubi de initio epiſcopatûs egimus,* § 5; *num.* 53. *Multa quoque de diſcipulis ejus habet Viole cap.* 29, *quæ pluribus diſputari poſſunt; verùm & hæc aliò conſultiùs erit remittere: nam cum ferè Sancti ſint, quicumque ex iis noti ſunt; actum de iis eſt, vel agendum loco ſuo. Aliud verò nihil occurrit, quod non magis commodè illuſtrari poſſit in Annotatis. Ipſa hîc igitur Acta, per ſe ſatis longa, ſubjiciemus, ubi geminam Conſtantii, de qua ſuprà monuimus* § 4, *num.* 37, *epiſtolam præmiſerimus; quæ ſic habet:*

F

EPISTOLA

Conſtantii presbyteri, ad ſanctum Patientem, Lugdunenſem epiſcopum.

DOmino beatiſſimo apoſtolico, & mihi in æternum patrono Patienti, Conſtantius peccator. Meritò inter omnes virtutes obedientia vendicat principatum, quæ facit pleroſque tentare quod nequeunt. Et ideo digni devotionis laude habendi ſunt, qui, inconſiderata ſui impoſſibilitate, jubentibus obſequuntur. Itaque, papa venerabilis, dum & ſanctum Virum illuſtrare virtutibus ſuis deſideras, & profectui omnium, miraculorum exempla largiri, imperaſti ſæpiſſimè, ut Vitam ſanctiſſimi Germani epiſcopi, obumbratam ſilentio, qualicumque ſtylo, vel præſentibus vel poſteris traderem. Quod dum audacter aggredior, præſumptionis reum eſſe me ſentio.

A tio. Sed date veniam ; nam penè est , ut etiam judicium vestrum quædam culpa respergat , qui tantæ materiæ relatorem magis dignum debuissetis eligere. Sed quia uterque caritati operam damus , dum & vos me putatis posse quod nequeo, & ego auctoritati vestræ libens pareo , orate , ut ministerium meum gratiam , quam sui merito non potest obtinere , vestra intercessione mereatur. Vale longùm in Christo , meique semper memor esto , beatissime præsul.

EPISTOLA

Ejusdem ad sanctum Censurium Autissiodorensem episcopum.

DOmino beatissimo , & mihi apostolico honore venerabili Censurio papæ , Constantius peccator. Prima mihi cura est , pudorem conscientiæ humilis custodire , cujus cancellos si in aliquo forte transgredior , jubentûm magis culpa, B quàm mea est. Itaque ut Vitam gestaque beatissimi Germani episcopi vel ex parte perstringerem , fratris vestri sancti antistitis Patientis fecit auctoritas ; cujus præceptioni , si non ut debui, ut potui tamen parui. Cumque obedientia mea ad beatitudinis vestræ notitiam perveniset , ut iteratò in temeritatem prorumperem , præcepistis ; jubendo , ut paginula , quæ adhuc intra secreti vicinia *a* tenebatur , longiùs , me auctore, procederet ; essemque ipse reatûs mei quodammodo & accusator & proditor. Manifestè enim condemnatio in me manebit , si verborum meorum abjectio, doctorum offeratur auditui. Rejecto itaque pudoris velamine , obtemperans jussioni , transmisi vobis impensæ devotionis obsequium ; pro fiducia caritatis deposcens , ut duplici me favore tueamini ; quatenus & legentûm examen evadam , & ministerium meum, per intercessionem vestram, *b* Domini mei sancti Germani sensibus intimetur *b*.

ANNOTATA.

a Intra secreti vicinia teneri *idem est Constantio , quod* propemodum secretum esse , *puta quia hoc scriptum suum non nisi cum paucis amicis Lugduni hactenus communicaverat.*

C b *In codice nostro insigni membraneo Q Ms.* 4 *deest hæc epistola ad S. Censurium cum toto , qui sequitur , Constantii prologo ; quorum loco hæc leguntur :* Vir apostolicæ recordationis Domnus Germanus episcopus , pridie Kalendas Augusti de corpore discessit , & migravit ad Dominum. Quem venerabilem diem omnes ecclesiæ , præcipuè in provinciis Gallicanis , prædicabili devotione concelebrant , excolunt , venerantur ; ut suffragiis illius misericordiam Domini consequantur. *Eadem leguntur in codd. Marchianensi , & S Maximini Trevirensi.*

Chiffletius noster post utramque epistolam hæc notat : In Ms. codice S. Lazari Æduensis pervetusto , opus Constantii presbyteri præibant hi versus , auctore incerto , sed antiquo & diserto :

Signat magnificos tomus hic pro parte triumphos
Magni Germani , genesim , miracula , mores;
Qualiter à tenero pueritia floruit ungui ,
Auspiciis quanto sophiæ completa fluento ;
Fasces patricios , insignia nobilitatis ,
Clarum conjugii , rebusque & germine nomen,
Posthabitum tandem constanti pectore mundum:
Ordinis ut sacri metas , & pontificatûs
Sumpserit insignem meritis & nomine dotem:
Indictasque cruces carni , jejunia longa ,
Noctes insomnes , & duri stramina lecti :
Largique quadrificum documenta aspersa per orbem :
Clara & apostolicis miracula digna tropæis :
Egressum ad superos , & sacri jura sepulcri.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

VITA

Auctore Constantio presbytero ex Ms. Chiffletiano cum aliis multis collato.

PROLOGUS AUCTORIS.

PLerique ad scribendum , solicitante materia E uberiore , producti sunt ; dum per multiplices sensus locupletari creduntur ingenia ; sed mihi illustrissimi viri Germani antistitis vitam gestaque vel aliqua ex parte dicturo , incutitur pro miraculorum numerositate trepidatio. Et sicut solis splendor humanis illatus obtutibus , hebetata oculorum acie , lumen confundit ex lumine ; ita animi mei infirmitas oblatum præconiorum cumulum , quem implere non potest , expavescit. Sed rursus intra sedem pectoris mei contentio alterna confligit : hinc resistit impossibilitas conscientiæ; illinc commemorare aliqua vel proferre & religionis contemplatio , & innumerabilium miraculorum exempla compellunt , quæ agnitioni vel profectui omnium impiè per obductum silentium subtrahuntur. Idcirco malui verecundiam meam negligere , quam virtutes divinas usquequaque oblivione veterascere. Excusat materia dictatorem, & cui verborum abjectio displicuerit , sensus placebit. Nec vereor persuasorem * me hujusce ministerii judicandum : tanta enim jam temporum fluxere curricula *a* ; ut obscurata per silentium vix colligatur agnitio. Et verè maluissem relatores tantorum bonorum alios potiùs , quàm me fuisse ; F quia quicumque illi , me fuerant digniores : quod quia non contigit , me malo esse , quàm neminem *b*.

Causa scribendi , & scriptoris modestia.

* *Cod. Vallell.* pervasorem , *& rectè.*

b

ANNOTATA.

a *De tempore , quo scripserit auctor , suprà diximus in Commentario prævio , num.* 37.

b *In cod. Vallcll. Prologo subjicitur libri primi argumentum , ab argumento libri secundi avulsum : nos utrumque iisdem verbis conceptum jungemus ad calcem libri primi juxta codices alios plures. Nam omnes , quos vidimus , codices hoc opus Constantii in duos dividunt libros ; nec dubito , quin sic etiam divisum legerit S. Hericus ; licet illud in Miraculis num.* 3 librum *appellet ; & ex eo Tillemontius hic art.* 3 *colligere videatur , divisionem illam in libros duos non esse ab ipso Constantio factam. Quasi verò plurium librorum ad eamdem rem spectantium congeriem* librum *etiam unum vocitare non liceat ; nec de libris Tristium dixerit Naso :*

Parve (nec invideo) sine me liber ibis in Urbem.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

Enimvero tam acuta crisis vereor, ne totum tandem hoc opus Constantio abjudicet; cum paginis constet bene multis; ipse verò in epistola ad S. Censurium lucubrationem suam appellarit paginulam.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

S. Germani honores in seculo; mira ejus vocatio ad clericatum, successionemque in locum S. Amatoris ep. Autissiodorensis; hujus obitus ornatus miraculis.

B

I. *S. Germani patria, natales, honores in seculo:*

IGitur Germanus, Autisiodorensis oppidi indigena fuit, parentibus *a* splendidissimis procreatus, & ab ipsis infantiæ rudimentis, studiis liberalibus institutus: in quo doctrinæ collatio cum ingenii ubertate consentiens, eruditissimum duplicato bono, id est naturæ & industriæ, reddiderunt. Atque ut in eum perfectio literarum plena confluëret, post auditoria Gallicanâ, intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecit. Deinde tribunalia præfecturæ, professione advocationis, ornavit. In quo actu dum multiplici laudis luce resplenderet, sublimem genere, divitiis & moribus sortitur uxorem *b*. Quem quidem togæ præconiis præminentem, protinus respublica ad honorum præsumpsit insignia; Ducatûs *c* culmen, & regimen per provincias conferendo. Erudiebatur profectò divinitatis occulto judicio, ne quid perfectionis deesset apostolico Pontifici mox futuro. Parabatur eloquentia prædicationibus; juris doctrina justitiæ; uxoris societas ad testimonium castitatis.

a

b

c

II. *venationis amor, & superstiosa ostentatio;*

2 Eo namque tempore territorium Autisiodorensis urbis visitatione propria gubernabat. Cui mos erat, tirunculorum potiùs induströis indulgere, quàm Christianæ religioni operam dare. Is ergo assiduè venatui invigilans, ferarum copiam insidiis, atque artis strenuitate frequentissimè capiebat. Erat autem arbor pirus in urbe media, amœnitate gratissima; ad cujus ramusculos ferarum ab eo deprehensarum capita pro admiratione venationis nimiæ dependebant: quem celebris * ejusdem tunc civitatis Amator episcopus his frequens compellabat eloquiis: Desine, quæso, Vir honoratorum splendidissime, hæc jocularia, quæ Christianis offensa, paganis verò imitanda sunt, exercere. Hoc opus idololatriæ culturæ est *d*, non Christianæ elegantissimæ disciplinæ. Et licet hoc indesinenter vir Deo dignus perageret; ille tamen nullo modo admonenti se acquiescere voluit, aut obedire. Vir autem Domini iterum atque iterum eum hortabatur, ut non solùm à consuetudine malè arrepta discederet; verùm etiam & ipsam arborem, ne Christianis offendiculum esset, radicitus exstirparet *. Sed ille nullatenus aurem placidam applicare voluit admonenti. In hujus ergo persuasionis tempore, quadam die Germanus ex urbe in prædia sui juris secessit.

C

* *al.* cælebs vir

d

* *al.* abstirparet

3 Tunc beatus Amator opportunitatem opperiens, sacrilegam arborem cum caudicibus abscidit: &, ne aliquâ ejus incredulis esset memoria, igni concremandam illicò deputavit. Oscilla e verò, quæ tamquam trophæi * cujusdam certaminis umbram dependentia ostentabant, longiùs à civitatis terminis projici præcepit. Protinus autem fama gressus suos ad aures Germani retorquens, dictis animum incendit; atque iram suis suasionibus exaggerans, ferocem effecit; ita ut oblitus sanctæ religionis, cujus jam fuerat ritu atque munere insignitus, mortem beatissimo viro minitaret *. Et ne ei aliquo modo quorumdam Christianorum conventus furenti resisteret, turbas suorum secum coadunans, civitati improvisus advenit. Hæc omnia dum à quibusdam cognita, Amatori sanctissimo panderentur, ait: Ego indignum *f* me esse judico, Testem fieri, fuso sanguine, Salvatoris *. Hoc est quod Græci appellant Martyrem *g*. Divina ergo revelatione suæ decessionis tempus agnoscens, & Germanum sibi futurum successorem providens, Æduam profectus est, ubi Julius *h* reipublicæ rector, ac gubernator Galliæ præsidebat *i*.

D

cui resistens S. Amator, indignationem Germani incurrit simul,

e

* *Cod. Valcel.* trophæa.

* *Cod. Valcel. & alii,* minaretur

f

* *al.* Salvatori

g

h

i

III. *simul brevi successurum sibi, divinitus intelligens,*

4 Tunc Simplicius *k*, vir summæ simplicitatis atque caritatis, ejusdem civitatis episcopus, rumore adventûs ejus præventus, ei cum ordine clericatûs, nec non & cum Julio præfecto, officii sui turmis stipato, ire obvius non neglexit. Quem ritè salutatum, atque debitæ venerationis assentatione puriùs * honoratum, ad Æduam civitatem perduxerunt. Exhinc postera die sanctus Amator ad prætorium Julii se velle ingredi asserit. Cujus Juliùs adventum cognoscens, citiùs in occursum ejus profectus est; &, quemadmodum decebat fidelissimum Dei cultorem, obsequiis intra tectum inducit, & more Christianissimi filii, ingressûs ipsius se postulat benedictionem suppliciter promereri. Suppleta ergo oratione, sic sacerdos reverentissimus præfectum alloquitur: Finem meum, Domino mihi innotescente, cognovi; & quia non est alter, qui regimen sanctæ ecclesiæ suscipiat, nisi illustrissimus Germanus, sicut mihi Dominus Deus meus revelare dignatus est; posco celsitudinem tuam, ut licentiam *l* tribuas mihi roganti, eumdem Germanum tonsurare. Cui præfectus, Licet, inquit, necessarius sit, atque utilis reipublicæ nostræ; tamen quia Deus sibi illum elegit, sicut tua beatitudo attestatur, contra Dei præceptum venire non possum. Tunc voti compos, cum lætitia suæ est iterum redditus civitati.

E

k

* *non* priùs, *ut Sur. legit*

l

F

IV. *miro modo illum clero adscribit, & ordinat,*

5 In quam cum venisset, præcepit universum populum in atrium domûs ejus adesse. Qui cum venissent, his eis * concionatus est affatibus: Animo attentiores estote, filii dulcissimi: est enim operæ pretium, vestris sensibus allegari, quæ meæ mentis recessus parturiunt. Deo revelante, diem transitûs mei de seculo evidentissimè scio atque cognovi. Propterea hortor unanimitatem vestram, ut diligentiùs perscrutantes, ex cœtu vestro virum firmissimum eligatis, qui speculator sit domui Dei. Illi autem hoc audientes, conticuerunt; & nullus eorum ei verbum respondit. Tunc ille videns, quod omnes silerent, iter direxit ad sanctam ecclesiam; in cujus comitatu omnis congeries profecta est populorum. Subeunte autem illo ecclesiam, cum & populus ingredi voluisset, ita eum allocutus est, dicens: Exonerate, filii carissimi, jaculis manus, & arma ex humeris vestris rejicite, & sic domum Dei ingredimini: quoniam hæc domus est orationis, non Martis statio petulantis *m*. Illi verò hæc audientes, dicto citiùs quidquid chalybis gestabant, forinsecus posuerunt. Tunc beatus Amator videns, Germanum illustrissimum nihil oneris truculenti

* *pleraque Mss.* eos

m

por-

A portantem, præcepit oſtiariis, fores eccleſiæ ut clauſtris artarent. Ipſe verò, glomeratâ ſecum turbâ clericorum atque nobilium, injiciens manus, Germanum apprehendit; &, invocato nomine Domini, cæſariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis ſecularibus ornamentis, cum promotionis honore *n* induit; talibus eum verbis exhortans, atque confirmans: Satagere te oportet, venerabilis Frater, quò incontaminatum atque immaculatum cuſtodias honorem tibi commiſſum; quia, me decedente, tibi omnipotens Deus paſtorale commiſit officium.

n

v. *& populo aſſentienti ſucceſſorem eligendum proponit;*

6 Deinde verò incipit jam beatiſſimus Amator obitûs ſui inciamentis urgeri. Et licèt fuiſſet ægritudine faucius, numquam tamen omiſit prædicationibus populum confirmare, ac dicere: Filioli, hanc Dominus meus, à quo hucuſque fueram peregrinus, animam meam ſuſcipiet: obſecro, ut unanimes atque concordes fratrem Germanum loci mei faciatis adipiſci officium. Cui omnis turba conſentiens, ad confirmationem perſuaſionis ejus, reſpondit: Amen; non tamen ſine lacrymis, neque ſine dolore: omnis namque ætas, atque ordo, vel ſexus, lamentationibus afficiebatur, quia talem amittebat paſtorem. Erat tamen eis inter hæc ſolatii genus, quòd non diſſimilem forent recepturi Pontificem. Igitur Calendarum Maiarum quartâ feriâ *o* acriùs cœpit corporis diſſolutione fatigari. Sed nec ſic quievit, etiam inter dolores, à ſalutari prædicatione; ſed omnibus ſalubrem admonitionem inculcans, ita loquebatur:

B

c

tum animam reddit, ſpecie columbæ cælis invectam;

7 Prohibete lamenta ſonare; vetate populos flere. Ibi profectò luctivagæ voces emittendæ ſunt, ubi meliori deterior fuerit ſucceſſurus: hîc verò incaſſum lacrymas funditis, ubi optimis meliora ſuccedunt. Iſtius namque vobis prædeſtinati Pontificis non ſolùm vita proderit; verùm etiam mors. Hoc dicens, præcepit ſe ad ſanctam eccleſiam provehi; ut ibi ſpiritum Datori redderet, ubi die ac nocte eidem conſueverat profiteri. Progreditur cum eo dextrâ lævâque frequens populi multitudo: præcedit clericorum chorus: matronarum catèrva ſubſequitur. At ille ubi eccleſiam eſt ingreſſus, pontificalem thronum aſcendens, ferè horâ diei tertiâ emiſit ſpiritum. Et continuò chorus Sanctorum (quod eſt ad dicendum mirabile) ſucceſſit; & ſpiritum ejus cum hymnis & laudibus in ſpecie columbæ vehebat ad cælum. Hoc multis cernentibus & narrantibus eſt confirmatum.

C

vi. *dum autem ſepelitur corpus, paralyticus ſanatur.*

8 Exinde ad locum, qui appellatur Autricus *p*, ad ſepulturam deducitur. Unde dum redeunt, ecce, proſpiciunt quemdam hominem paralyticum, qui jam triginta annis ipſo morbo detinebatur, cervicibus hominum bajulari (erat autem ex territorio Biturico,) quem ſanctiſſimi Amatoris opinio de locis propriis vehi ac peregrinari compulerat. Accedunt hi propiùs, qui portabant; viri Dei ſoſpitatem inquirunt; cognoſcunt, ipſius fuiſſe, quam catervatim ex urbe * viderant proficiſci, funeris pompam. Tunc languidus exorat, ut vel aquis paululùm frui mereretur, quibus perfuſum fuerat illius ſacratiſſimum corpus. Hoc comperiens reverentiſſimus Germanus, tunc presbyter, admirans fidem illorum, juſſit ex eadem aqua paralytici membra perfundi. Mox autem ut delibuti corporis lympha ægroti eſt membris allata, protinùs languor omnis diſceſſit, & membrorum compages, morbida reſolutione illicò carens, ſuis eſt conſolidata medullis, atque nervis vigentibus reparata.

p

**al* in urbem

ANNOTATA.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

a Parentibus, *Ruſtico ſcilicet & Germanilla, de quibus Hericus infrà in Miraculis num.* 19.

b Uxorem, Euſtachiam nomine, *inquit Hiſtoria epp. Autiſſiod. cap* 7.

c *Inter* ducatus *duodecim imperii Romani in Occidente numeratur ducatus Armoricani & Nervicani limitis, per provincias quinque diffuſus; per Aquitanicam nempe primam & ſecundam, per ſecundam item ac tertiam Lugdunenſem, & Senoniam, ad quam ſpectabat Autiſſiodorum; ut conſtat ex Notitia imperii. Hic ergo* Germano *obtigiſſe dicendus eſt; quandoquidem, teſte Conſtantio num. ſeq.*, territorium Autiſſiodorenſis urbis viſitatione propria gubernabat.

d *Hinc ſimile quid colliges apud ethnicos in uſu fuiſſe non tantùm in honorem Martis, cui tropæa ad quercum erigebant hoſtium devictorum ſpoliis oneratam; ut eſt apud Maronem initio lib.* 11 *Æneidos; nec tantùm in honorem Bacchi, ut idem docet lib.* 2 *Georg. à vers.* 385; *ſed etiam in honorem Apollinis vel Dianæ, ſi proſperè ceſſiſſet venatio. Quamquam ea* Germani, *utpote Chriſtiani, nequaquam hîc mens erat; cum ſolatio hoc facto vulgi admirationem plauſumque captaverit: ut paulo antè dicebatur.*

e *Patet, hîc à Conſtantio capita ferarum, ex piri ramis dependentia, appellari* oſcilla (*ſic enim ſcribunt optimi codices.*) *At unde hoc nomen? Grammatici certant; quos conſule, ſi lubet, in Lexicis etymologicis. Hericus illud videtur duxiſſe ab* os *&* cillo *ſeu* cilleo, *id eſt* moveo; *quòd ſcilicet capitum illorum varia ſpecies, aſpectantis vulgi ora moveret ad riſum, jocumve. Adiſis illum in Vita metrica num.* 27.

f *In Vita S. Amatoris die* 1 *Maii pag.* 57, *num.* 25 *legitur* dignum; *quod non eſt credibile de ſe ſenſiſſe virum tam ſanctum & humilem.*

g *Deeſt hæc parentheſis codici Valcellenſi; non aliis; quorum tamen aliqui in ea habent* Martyr; *ſed* Martyrem *legit etiam Stephanus Africanus in Vita S. Amatoris loco citato.*

h *Hoc iter ſuſceptum fuiſſe diximus in Comm.* § 5, *num.* 47, *anno* 418 *ante Maium. Neceſſe eſt ergo*, Julium *hunc fuiſſe binominem (ut polyonymi ſolebant eſſe Romani) vocatumque etiam fuiſſe* Agricolam, *ſi vera eſt lex illa, quam apud Cheſnium in Scriptoribus Hiſt. Franc. tom.* 1, *pag.* 83 *profert Papirius Maſſonus*, ad Agricolam præfectum Galliarum data xv Cal. Maias; accepta Arelate x Cal. Junias .. Honorio XII & Theodoſio VIII Coſſ *id eſt, anno* 418: *neque enim dici poteſt, ut putavit Tillemontius Not.* 2 *in S.* Germanum, *Julio ſucceſſiſſe Agricolam ipſo illo tempore, quo lex data eſt; & paulo antè Amatorem ad Julium veniſſe, quàm præfecturâ deſungeretur: nam ex ipſa lege patet, eam ad ejuſdem Agricolæ (qui proinde jam diu præfecturam illam geſſerat intimèque perſpexerat) ſuggeſtionem fuiſſe conditam.*

i *Cave tamen, Æduam ſive Auguſtodunum Præfectorum Galliarum ſedem ordinariam fuiſſe credas; hanc enim tum Arelati habebant; ut ex lege jam citata aliiſque monumentis probat Valeſius in Notitia Gall. pag.* 39. *Imò hæc Julii Agricolæ ad Æduos per hoc tempus excurſio cauſa videtur fuiſſe, cur lex illa,* XV *Kal. Maii data Ravennæ, ubi tum degebat Honorius imperator, Arelati accepta non fuerit ante* X *Kal. Junii; puta quia non antè redierat illuc Auguſtoduno præfectus,*

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

ctus, ad quem fuerat directa.

k Simplicius *hujus nominis secundus, & ipse sanctus, ut in Comm. dictum § 5, num. 50.*

l *Nimirum id sine imperatoria vel præfectorum facultate non licebat in reipublicæ civilis administris: erratque adeo Thomassinus in Veteri & nova Eccles. disciplina part. 3, lib. 1, cap. 18, num. 15, cum ait,* S. Germanum *clero fuisse addictum,* nulla usquam mentione imperatorii consensûs concessi, aut requisiti.

m Petulantis. *Ita codd. omnes; in Vita S. Amatoris tamen legitur* præliantis.

n Cum promotionis honore; *hoc est, non tantùm illum clero per tonsuram aggregans, sed etiam simul ad sacros ordines promovens, si non eodem die, saltem eodem tempore, ac brevissimo intervallo: nam sine alia ordinationis ejus mentione mox illum Constantius presbyterum producet in scenam. Et verò sic verba hæc etiam interpretatur Hericus in Vita metrica num. 38 his versibus:*

Mutatumque animo, mutans discrimine vestis,
Promotum jubet esse gradûs in honore secundi.

B *Honor verò secundi gradûs sive ordinis non est diaconatus; ut perperam credidit Viole cap. 5; sed presbyterium; ut hoc ipso loco vel ipse Hericus, vel suppar ei scholiastes in codice nostro Lugdunensi annotavit. Adi Thomassinum citatum part. 1, cap. 53, num. 2.*

o *Kalendarum Maiarum concursus cum feria quarta non potest hîc annum alium significare, quàm Christi 418; ut ostendimus in Commentario § 5, num. 53. Est hic Chronologiæ veterum episcoporum Autissiod. cardo præcipuus.*

p Autricus *mons* (*vulgo* Mont-Artre) *urbi ad Austrum vicinus.*

CAPUT II.

Electio Sancti in episcopum Autissiodorensem; nova in hoc statu & austera ejus vita; fundatio monasterii; potestas in dæmones.

C

VII. *S. Germanus eligitur episcopus;* *a*

TUm subitò divina procedit auctoritas, quam consensus universitatis exsequitur. Nam clerici omnes, cunctaque nobilitas, plebs urbana, vel rustica in unam venere sententiam: Germanum episcopum omnium una vox postulat: bellum civile indicitur potestati *a*; cujus subjectio facilis fuit; cum etiam ab his, quos pro se paraverat, vinceretur. Suscepit sacerdotium invitus, coactus, addictus: sed repentè mutatur ex omnibus. Deseritur mundi militia, cælestis assumitur; seculi pompa calcatur, humilitas conversationis eligitur; uxor in sororem mutatur ex conjuge; substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur *b*.

b

VIII. *quando perpetuam & austeritatem in victu,*

10 Jam verò enarrari non potest, qua hostilitate vim sibi ipse conciverit; quas cruces, quæve supplicia, corporis sui persecutor induerit. Breviter juxta veri fidem universa perstringam. Ex ea verò die, qua sacerdotii sumpsit exordium, usque ad terminum vitæ, tanta obstinatione tabe corporis animam suam pavit, ut numquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, numquam vel salem ad usum condiendi saporis acceperit. Sanè die Resurrectionis, vel Nativitatis Dominicæ, potiones singulæ sumebantur; in quibus ita vini sapor aquis nimiis diluebatur; ut aceti austeritas solet largis permixtionibus temperari. In refectionibus primùm cinerem prælibavit; deinde panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipse excussit & moluit. Et cum hic cibus, gravior jejuniis, indiceretur, numquam nisi vespere; interdum tamen in hebdomada media; plerumque die septimo, ponebatur *c*. D *c*

IX. *in vestitu, in somno &c. austeritatem assumpsit:* *d*

11 Indumentum, cuculla & tunica indiscretis fuere temporibus. Nam neque hyeme accessit adjectio, neque æstate levamen admissum est. Quod utrumque tamdiu usui fuit (nisi fortè donatum est *d*) donec attritione nimia solveretur; cilicio semper interiùs inhærente.

X. *e*

Spatium verò lectuli sui trabeculæ dolatiles ambiebant, injectos cineres usque ad marginem continentes: qui tamen quotidiana impressione densati, inconfecti *e* soli duritiam præferebant. Stratum omne, subjecto cilicio, & superposito uno tantùm sagulo, fuit. Caput ab humeris per cervicis confinium nulla sublevavit adjectio. Ita pronus prostrata per terram membra damnaverat. Noctibus numquam vestitum, rarò cingulum, rarò calceamenta detraxit; redimitus loro semper, & capsula Sanctorum reliquias continente. Jugis gemitus, oratio perseverans. Longum enim tempus somnum capere inter tormenta non poterat. Dicat quisque quod senserit; ceterùm absolutè definio, beatum Germanum inter tot cruces longum traxisse martyrium. O quàm præclara Dei nostri virtus, & pietas! qui Famulum suum in via veritatis fideliter gradientem, duplici remuneratione donavit; ut & præteriti, siqui fuerant, decoquerentur errores, & celeriter defæcata sanctitas præstaretur: quique peccatis præteritis forsitan tenebatur obnoxius, inciperet fœnerator esse virtutum. E

XI. *hospitalitatem colit; instituit monasterium.*

12 Hospitalitatem peculiari observatione servavit: omnibus enim, sine ulla exceptione personæ, domum præbuit; & convivium jejunus pastor exhibuit. Pedes omnibus, manibus suis lavit, Dominicæ institutionis minister & custos.

XII. F

Itaque Vir beâtissimus (quod est difficillimum) inter frequentias populorum solitudinis vitam, & eremum in seculi conversatione servavit. Qui duplicem viam Christo ad profectum religionis instituens, in conspectu Autisiodorensis oppidi, interposito Icaunâ flumine, monasterium *f* collocavit *g*; ut ad fidem Catholicam populi, ad congregationem monachorum, & ecclesiasticam gratiam raperentur: præsertim cum tali Pontifice vel magistro, accedentibus miraculis fides succensa ferveret *g*. Et *h* ut ad tentamenta virtutum crescentibus meritis veniretur, non præsumptionis, sed misericordiæ principium fuit. *f* *g* *h*

XIII. *pecuniam per dæmoniacum furto ablatam* *i* &

13 Erat illo tempore vir bonis moribus, Januarius nomine; qui cum princeps præsidali militaret officio *i*, exactos à provincialibus solidos *k* ad judicem deferebat. Is cum, causâ visendi eum, ex itinere divertisset, sacculum perdidit, quem ferebat: nulloque de circumstantibus intuente, casu is reperit, qui vexari inimica infestatione consueverat. Tandemque in se reversus, damnum viator agnovit. Implet questibus civitatem, & à beatissimo Sacerdote non aliter, quàm si ipsi tradidisset, pecuniam requirebat. Quam ille in Dei nomine reformandam *, quasi verus debitor, repromisit. Ea tum dies Sabbati fuit, qua per totam urbem solicita indagatione percucurrit. * *id est* restituendam

Et

A Et cum nihil indicii fuiſſet inventum, poſt triduum is, qui ſolidos requirebat, lacrymans genua Sacerdotis amplectitur, conteſtans, appetiturum ſe ſupremæ mortis occaſum, niſi pecunia fuiſſet inventa.

fateri dæmonem cogit ac reddere; ſimulque faceſſere:

14 Indicit Epiſcopus patientiam; pollicetur ſecuritatem; nec multùm pòſt, priuſquam proderetur admiſſum, exhiberi ſecretè ad ſe unum ex his, qui patiebantur, præcepit. Fortuitu is, qui furti auctor fuerat, præſentatur. Quem cum diſtricta examinatione diſcuteret, dicens, fieri non poſſe ut admiſſum facinus lateret; inimico, per quem fieri prava conſueverant, imperat, ut veri fidem celeriter fateatur. Sed nequam ſpiritus crimen ac malitiam, quam commiſerat, denegavit. Tum verò pia commotio Sacerdotis producit inficiantem præcepit in populum. Nec mora, Miſſam celebraturus egreditur: præmiſſaque in

m *l* plebem ſalutatione ſolemni *l*, in oratione *m*, tota corporis ſtrage proſternitur. Statimque infelix inimici & captivus pariter & miniſter in ſublime

B ſuſpenditur; eccleſia ejus clamore completur; plebs univerſa turbatur; & quaſi flammis circumdatus, cum voce maxima nomen invocat Sacerdotis; crimen, quod commiſerat, confitetur. Tandemque Vir beatiſſimus ex oratione conſurgens, accedit ad podium *n*, evocat æſtuantem,

n omnia diſcutit, univerſa cognoſcit. Solidi de latebris proferuntur; clamor popularis attollitur, & uno ore Germani meritum, & divinitatis potentia prædicatur: eodemque miraculo & deceptus pecuniam, & obſeſſus recepit ſoſpitatem. Plures quidem jam antè curaverat; ſed ſemper notitiam ſecreti obumbratione ſuppreſſit. Hoc verò factum ideò memorabile, quia publicum fuit.

XIV.

dæmonum infeſtationes pellit oleo conſecrato:

15 Quodam tempore, conſpiratione terribili, beato Viro bellum quoddam dæmones intulerunt. Quem cum multiplici infeſtatione tentatum, indutum fidei loricâ inexpugnabilem reperiſſent, conceptam machinam ad plebis excidium contulerunt. Nam primùm parvuli, deinde majores natu repentè, tumefactis intrinſecùs faucibus, interibant; ut irruente morte, ægritudinis ſpatium vix triduo traheretur. Ita more furentis gladii populus delebatur. Nihil opis humana proviſio conferebat: & penè ſerò plebs trepida ad divinum præſidium per Antiſtitem decucurrit. Qui protinus oleum benedixit; cujus tactu ita intrinſecus

C tumefacta tabeſcebat infirmitas, ut ſtatim meatus pervius & anhelitum & cibum deficientibus miniſtraret; tantaque celeritate remedium cæleſte ſuccurrit, quantâ irruerat illata pernicies. Quod admiſſum malignorum ſpirituum infeſtatione contigiſſe, unus ab obſeſſis, dum à ſancto Viro purgaretur, evomuit; omneſque in fugam verſos ejus oratione, confeſſus eſt.

XV.

Energumenum precibus liberat in ſuo monaſterio.

16 Erat autem familiare beatiſſimo Viro, alternis vicibus, nunc eccleſiam, nunc monaſterium, quaſi dux cæleſtium militum, viſitare; ut certantibus ſtudiis æmulantes ad perfectionis gloriam provocaret. Quadam vice occupatione detentus, cum ad monaſterium rogaretur, excuſavit adventum: nec multo pòſt abſolutus morarum nexibus, inſperatam fratribus ſui præſentiam deferebat. Contigit, ut horâ eâdem in mo-

* *forte* conſueverant naſterio unus ex his, qui pati conſueverat *, vexaretur *o*. Qui ſubitò cum ſumma voce proclamat: Germanus ad flumen eſt; ſed ſine navigio

o *p* non poteſt tranſmeare. Diu abbas *p* fidem dictis negavit; dum & nequam ſpiritum fallere, & illum non adeſſe, quia excuſaverat, judicavit. Cumque in eadem vociferatione perſiſteret, miſſus unus ex fratribus, veridicum fuiſſe dæmonem, nuntiavit. Navigium mittitur; tranſit Sacerdos; & cum ea, qua ſolebat, gratulatione ſuſcipitur. Incumbit ſine mora orationi: congregatio tota proſternitur. Cum ſubitò per inane aëris inviſibilibus nexibus hoſtis religatus appenditur: & id tantum morarum fuit, dum de oratione conſurgeretur: nihilque aliud deprecatus eſt, quàm ut cum aliqua corporis debilitate diſcederet. Quo interdicto, fœda relinquens veſtigia, cum eo, quo erat dignus, fœtore diſceſſit.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

cujus occaſione ad S. Mamertinum abbatem digreditur auctor.

17 Hoc itaque monaſterium; iter ſequens Magiſtri, ſemper virtutibus floruit, & ſanitatum miraculis longè latéque refulſit. Qualiter ſanè Mamertinus *q* ab idolorum cultura converſus, divina revelatione percepta, beatum Virum eodem cœnobio degentem expetiverit, commodum huic operi videtur inſerere. Quod tamen ejuſdem Mamertini verbis meliùs cenſuimus intimandum. Verùm ob quemque cupidum plenæ narrationis, libellum de hac ipſa revelatione ex ordine editum hîc ponere diſpoſuimus.

q

E

ANNOTATA.

a Poteſtati, *id eſt Magiſtratui; quod per diſtractionem de* S. Germano *jam presbytero dicitur, quia paulo antè magiſtratum geſſerat.*

b *Vide quæ de toto hoc loco dicta ſunt in Comment.* § 5, *num.* 54 *& ſeq.*

c *Senſus eſt: cum talem ſibi cibum, quem ſumere gravius erat quàm jejunare, perpetuò præſcripſiſſet; illum tamen ipſum, quantumvis ad ſuſtentandas diu vires leviſſimum, non niſi veſpere ſumebat: veſpere, inquam; non tamen quotidie veſpere; ſed interdum mediâ tantùm hebdomada, ſeu die Mercurii, veſpere; interdum, imò plerumque, tantùm die ſeptimo, ſeu Sabbato, veſpere; itaque interdum quidem bis, plerumque tamen ſemel dumtaxat per hebdomadam comedebat, idque veſpere. Vide infrà num.* 66. *Explicare hæc viſum eſt, tametſi non valde obſcura; ut quivis videat, quàm infideliter ea verterit Bailletus in Legenda ſua Gallica:* Aux jours de jeune il ne mangeoit que le ſoir; & quelques fois au bout de trois jours; on l'a vû même paſſer la ſemaine ſans manger plus d'une fois: *id eſt*, Diebus jejunii non niſi veſperi comedebat; & interdum poſt elapſum triduum: quin imò fuit, cum hebdomadâ totâ non niſi ſemel ſumpſiſſe cibum deprehenſus eſt. *Quaſi tantùm indictis ab Eccleſia jejuniorum diebus hanc victûs rationem obſervaverit; & rariſſimè etiam tum ad ſeptimum uſque diem abſtinuerit: quod utrumque falſiſſimum eſt.*

F

d Niſi fortè donatum eſt; *id eſt, niſi fortè indumentum illud antè pauperi cuidam ac nudo dediſſet, quàm eſſet attritum.*

e Inconfectum ſolum *appellare videtur auctor, quod numquam aratro aut ligone verſum exercitumve, & æterno ſitu & obterentium pedibus omnino tandem induruit. Poteſt etiam* inconfectum *dici* ſolum *pro non confecto, non complanato; ut in ruſticanis nonnumquam tuguriis viſitur, durum ſimul & inæquale.*

f *Hoc* monaſterium *cenſetur primum diœceſeos Autiſſiodorenſis, ad ortum urbis æſtivum aliquando poſitum; at pridem jam dirutum. Superſtite* S. Germano, *appellabatur monaſterium SS. Coſmæ & Damiani, in quorum honorem fuerat inſtitutum; at illo defuncto,* S. Germani *nomen habuit; donec ſeculo ſexto* S. Mariani *nuncupari cœpit, ab hujus ſepulcro, miraculis ibi frequentiſſimo:*

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

ut vide in Hist. epp. Autissiod. capp. 7, 8, *&* 19. *Cave tamen, id confundas cum alio cœnobio Autissiodorensi, quod deinde* S. Germani *nomine ac tumulo celeberrimum fuit. Plura de utroque docebit Gallia Christiana.*

g *Quæ litterâ* g *bis positâ concludimus, in Ms. San-Maximiniano, & codice nostro Q Ms. 4 sic leguntur :* Ut fides Catholica populi augeretur, & monachilis congregatio famulatura Domino institueretur : *in quibus differunt ab aliis plurimis, meritoque rejiciuntur ; quia, cum nullam hîc faciant mentionem de miraculis, tollunt connexionem sequentium cum antecedentibus : nam*

h *Quia de miraculis* S. Germani *hoc loco meminit Constantius, eorum primum mox numero sequente descripturus, præfatur his verbis :* Et ut ad tentamenta virtutum *&c. Quasi dicat : Et quoniam de Sancti virtutibus seu miraculis memini ; eccum unum, & quidem inter ea, quæ publicè patravit, primum, quod non ex præsumptione, sed ex commiseratione erga Januarium*

B *quemdam tentavit, jam subjicio :* Erat illo tempore vir bonis moribus *&c.*

i *Cujus erat fiscum administrare in provincia præsidi Romano commissa.*

k Solidi *apud Romanos nummi erant aurei ; ideo præ ceteris solidi nuncupati, quòd nummi alii solidorum valorem non æquabant ; sed ejus vel dimidium tantùm erant, vel triens &c.*

l *Hunc ritum primis seculis viguisse, ut episcopus Missam celebraturus egrediens, populum primò salutaret, dicendo,* Dominus vobiscum, *vel,* Pax vobis ; *ex SS. Joanne Chrysostomo & Augustino ostendit le Brun in opere liturgico Parisiis excuso anno* 1726 *tom.* 2, *dissert.* 1, *art.* 5, § 9.

m *De oratione ad Sacrificium præparatoria, nullis certis formulis tunc definita, sed sacrificaturi pio arbitrio relicta, vide eumdem tom.* 1, *part.* 1, *art.* 1.

n Podium *hic significare videtur infimum chori locum, ex quo proximus erat ad plebem in ecclesia consistentem descensus ac prospectus ; sicut in amphitheatris podium locus erat arenæ proximus. Sumi etiam potest pro ambone, seu loco elatiore, in quo recitari solebant lectiones sacræ & homiliæ ad populum. Vide Cangium, &, si lubet, etiam*

C *Cabassutium in Notitia eccles. pag.* 40, *ubi de ambone plura. Putavit Viole in Vita Gallica cap.* 8, podium *hîc dici locum ecclesiæ, in quo detinebantur olim energumeni, juxta canonem* 17 *concilii Ancyrani ; sed patet, hîc illum intelligi non posse ; cum statim antea dixerit Constantius :* Tum verò pia commotio Sacerdotis produci inficiantem præcepit in populum. Nec mora, Missam celebraturus *&c. Non erat ergo in sepio illo amplius hic energumenus cum aliis, sed inde eductus in medium plebis : neque proinde ad illud septum accessisse credendus est* S. Germanus, *ut miserum ad se evocaret, qui in media jam ecclesia suspensus æstuabat.*

o Vexaretur, *à dæmone scilicet : agitur enim de energumeno.*

p *Non erat ergo ipse* S. Germanus *abbas cœnobii SS. Cosmæ & Damiani, à se fundati ; ut fingitur in Ms. nostro Autissiod. C* 94 *pag.* 337.

q *De* S. Mamertino *actum est die* 20 *Aprilis.*

D

CAPUT III.

Libellus de mirabili revelatione S. Corcodemi M., & conversione S. Mamertini ab idololatria.

XVI. *Libellus, quo ipse Mamertinus narrat,*

QUanta *a* sit divinæ misericordiæ pietas, quantamque bonitatis ejus generi humano patientia gratiam largiatur, nemo Christianorum ignorat. Ita igitur suarum manuum figmentum diligit, ut ad declarandam operis sui in eo doctrinam indifferenter omnium bonorum malorumque referet linguas. Quid namque interest inter horum servorum Dei *b* revelationem, & Apostolorum ignorantibus gentibus manifestationem ? Hi igitur, quorum Vitam innotescendam auribus ratum duximus populorum, dum ipsi soli Deo, qui eam largitus fuerat, in notitia esset, humanam verò penè omnem creaturam latuisset, à pagano, medelam vulneris quærente *c*, nescientibus panditur: & Pauli Barnabæque gentibus ignota spiritualis prudentia, per immundum spiritum publicatur *d*. Igitur cum hi Deo placiti diuturno tempore in suis lucifluis *e*, jacuissent sepulcris, per Mamertinum, qui eorum nunc spirituale narrat *f* negotium, in omnium cognitionem devenerunt.

a

b

E

c

d

e

f

19 Eram itaque ego ipse, inquit *g* Mamertinus, idolis serviens, & Jovis templi vel ceterorum falsorum deorum frequentissimus cultor ; ita ut nullo modo vel tempore possem simulacris eorum evelli. Et cum eorum instantissima devotione nefandas statuas venerarer, cæcitatem unius oculi pertuli, & ariditatem manûs promerui. Eram ergo & debilitatus corpore, obsecundans stationibus nefandis ; &, quasi reatûs mei incursu, ipsis iratis, plagatus fuissem, crebriùs eis lacrymosas preces effundens, rogabam, ut delictis meis veniam tribuissent. Cumque hoc continuatis momentis tristior perpetrarem, eunte me ad præfatum dæmonum habitaculum, obvius mihi fuit quidam, Sabinus *h* nomine, tonsus capite, & vestimentis religiosis amictus. Quem dum percontarer, quis, & unde esset, vel quò pergeret ; & propter hanc causam interrogationum ad invicem sermocinaremur ; ait præfatus vir : Unde tibi talis accidit morbus ; vel * cujus religionis es tu ? Cui ego : Cultor sum maximorum deorum, Jovis, Mercurii, Apollinis, vel omnium numinum. Propterea indifferenter *i* aras eorum lacrymans pulso, ut mihi reconciliati, quæ abstulerunt indignati, reforment * propitii.

ethnicum se fuisse, & divinitus punitum

g

h

F

* *pro* & ; *ut infrà*

i

* *id est,* restituant *propter idololatriam ; ut ei probavit Sabinus clericus.*

20 Hæc audiens ille ; respondit : Erras, nescius veritatem : propterea talibus malis involveris, & crudeliter flagellaris. Illi si alicujus scientiæ vel intellectûs regerentur doctrinâ, non perpetuò cæci, muti, surdi, odore privati, gressu impediti, manibus trunci, ferro aut plumbo inhærerent colligati. Nonne ipsi sunt, de quibus sacratissima canit Scriptura : Os habent, & non loquentur ; oculos habent, & non videbunt ; aures habent, & non audient ; nares habent, & non odorabunt ; manus habent, & non palpabunt ; pedes habent, & non ambulabunt ; non clamabunt in gutture suo ; neque enim est spiritus in ore ipsorum ? Et subsequitur de vobis loquens Propheta : Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Vides pœnam statuarum cultoribus præparatam. Vides comparatio-

A rationem veridico ore prolatam ? Festina igitur, si vis amissi oculi visionem, & aridæ manûs sanitatis percipere viriditatem, meis eloquiis obedire.

cujus consilio ad S. Germanum proficiscitur Autisiodorum;

21 Est enim in ecclesia Autisiodorensi vir sanctissimus, nomine Germanus (cujus ego sum clericus) timens Deum, & recedens à malo; cui seipsum Christus facie ad faciem demonstrat, & per eum inenarrabiles ostendit corporum curationes. Si vis ergo sanus fieri, relicta servitute idolorum, qua es miserabiliter irretitus, ipsius tibi præsentiæ posce præsidium. Quo audito, agens gratias, rogavi præfatum virum, ut iter mihi, quo ad eum, de quo indicaverat, Episcopum posset pervenire, illico demonstraret. Ille autem lætitiâ plenus, propter quod me suis vidit obedire præceptis, antetulit gressum; & de alto aggere, quod est monte Matogene, ostendens planitiem viæ, revertitur. Ego verò perseverans, lætus iter carpebam. Erat autem eodem die tempestivus imber ab ortu solis usque ad occasum: & licet fuissem madida veste gravatus, B nequaquam tamen restiti fatigatus *k*. Ecce autem, *k* labente jam die, horâ penè undecimâ *l*, adven- *l* tante nocte, factæ sunt tenebræ pluvialibus imbribus mixtæ; ita ut nullus posset nec sui itineris comitem aspicere.

sed nocte oppressus, divertit in vicinam urbi cellulam;

22 Vix tandem perveni ad cœmeterium, in quo sancti Amatoris episcopi dicebant esse corpusculum. Et quoniam imbres vibrato fulgure jugiter descendebant in terra, cœpi anxiari, & nimiùm esse solicitus; quia non inveniebam, in quo me reciperem habitaculo. Crebris ergo micantibus ignibus ex æthere, parva cellula ostenditur oculis meis, in qua unus erat sarcophagus. Quid plura ? Ingredior, obliqui aëris flammis perterritus. Tunc non inveniens, ubi requiescerem, super ipsum me jactavi sarcophagum, ignorans, quis in eo requiesceret sepulcro. Ingresso autem me, repentina lux in eodem habitaculo ita per sudum refulsit, ut existimarem solis radios reducis terram suo tempore illustrasse. Supponens ergo capiti meo sportam, quam bajulabam, & lateri baculum, utpote lassus, atque nimiùm humectatus, somno indulsi.

C *ubi sepulti SS. Corcodemus & socii cum aliis ipsi apparent,*

23 Intempesta verò nocte evigilans, respexi juvenem vestibus dealbatum in vestibulo præfatæ cellulæ, in quo jacebam, lucifluè illustratum *m*. Ego verò insolitam latiùs * majestatem aspiciens, territus, pronum me supra illam, in qua dormiebam, prostravi memoriam. Eram autem intra me orans, timore perterritus, & dicens: Deus Christianorum, cui est purè deserviens Germanus episcopus, cujus ego sanctitatis atque operis bonitatem nunc sequor, erue me de tali, in quo tremebundus jaceo, citò terrore. Me talia prosequente, adolescens, quem ante ostium stare prævideram, emittit vocem dulcifluam, *n* dicens: Sancte Corcodeme *n*, sancte Corcodeme, levita Christi. His auditis, beatissimus vir Corcodemus de sepulchro, supra quod procubueram, respondit: Scio, qui sis, & vocem tuam audio; tantùm dic, quid me velis, Florentine *o* frater. At ille, Surge, inquit, velociter: beatus Peregrinus episcopus *p* cum ceteris fratribus pro nocturnis excubiis celebrandis in ecclesia sunt congregati; propterea te quoque sanctus Amator admonet, ut venias, & interfis sancto conventui.

m

* *Cod. Lugdun.* insolitæ lucis

n

o

p

eumque defendunt

24 Tunc beatus Corcodemus ait: Regredere citius, dulcissime frater, ad sanctum ac beatissimum episcopum mea reportans mandata. Hac igitur nocte non possum de hoc tabernaculo egredi; quoniam hospitalitatem alicui peregrino præbui. Scio enim, quæ hîc sit obsidens turba catulorum, & insidias hospiti præparans; quò, me egresso, miserum devoret; ac dilaniet, &, si egressus fuero, venenosos in eum dentes infigat. Me suis Deus excubiis non fraudat: quoniam sunt mecum fratres subdiaconi duo; id est, Alexander *q*, & Jovianus *r*; necnon & Jovinianus lector. Ergo obsecro te, ut sanctis episcopis hæc, quæ tibi locutus sum, referas, & ab his mihi impetres veniam. Antefatus igitur juvenis, accepto responso, egressus est: me autem tanta cognoscentem mysteria, medullitus formido invasit. Inde soporifero cesserunt languida somno membra.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

q r

à latentibus ibi serpentibus,

s

25 Et ecce, in extasi raptus, adesse existimabam rursus juvenem, priusquam galli cantarent; ad januam *s*, & clamasse rursum eo nomine, quo antè clamaverat: & illo iterum respondente, & interrogante, quid vellet; tunc ille dixit: Sancti episcopi Peregrinus, & Amator, priusquam à se discedant, Missas sunt votivas celebraturi; & propterea te quoque miserunt invitare, ut ministerium tui officii peragas. Si verò formidas propter præfatum hospitem, aiunt, ut vice tua Alexander ei custodiam præbeat. Sed & illud jusserunt, ut tecum Jovianum subdiaconum, & Jovinianum lectorem, qui Alleluia decantent, adducas. His peractis, videbam ego ipse, aperto sepulcro, egredientem ex eo virum, aspectu miræ pulchritudinis decoratum, & vestimentum ejus niveum, tamquam byssum. Illo egresso, quemadmodum videbam, reperit tres ante ostium stantes in veste candida, & salutavit eos, nomine unumquemque vocans. Tunc dixit Alexandro: Reverentissimi antefati episcopi Peregrinus, & Amator, jusserunt me usque ad eos venire. Qui iterum jusserunt te huic cellæ præponi, propter hospitem conservandum, & custodiendum à catulis, matre, & filiis septem, qui ad necem ejus delitescunt.

E

& mysteriis Christianis,

26 Post hæc rursus contemplabar, quemadmodum tenuerit dexteram meam reverentissimus diaconus, & dixerit: Veni nobiscum, hospes, ad Missas. Pergentibus itaque nobis, vidi quinque stantes ante crepidinem altaris, speciosissimis indutos stolis: & videbam me interrogantem beatissimum Corcodemum, qui essent illi, qui coram altari assistebant. Et dixit mihi: Ille, qui in medio stat, ipse est sanctus Peregrinus episcopus & martyr, cum quo à Romana urbe ego quoque missus sum imperio Papæ Sixti. Illi duo qui dextro adhærent lateri, sunt Amator, & Marcellianus *t* episcopi; qui sinistro, Elladius *u* est, & Valerianus *x* sanctissimi, qui beatissimo Peregrino gradatim successerunt *y*. Discedens igitur à me perspicuus diaconus, ipsorum est redditus vultibus. Tunc demum quasi me coram, audiebam sanctum Amatorem episcopum dicentem diacono: Præbe silentium *z*, frater, quò possimus, remoto strepitu, voti compotes fieri: festinat enim Peregrinus frater ad proprium habitaculum Baugiacum *aa* reverti; & oportet nos propter eum paulo temperius sacrificium consummare. Indicto itaque silentio, & catechumenorum denuntiata discessione, ego mirabar intra me, tantæ novitatis contemplans mysterium: non tamen ausus fui post catechumenorum denuntiationem ad locum, ubi Missæ celebrabantur, pedem attollere; sed videbar mihi in eodem loco, in quo reverentissimus me diaconus constituerat, stare.

F

t u

x

y

z

aa

27 Item

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS. *ei per visum tamquam adstanti exhibitis, imbuunt.* * *al.* velut indignum

27 Item videbatur mihi interrogasse diaconum beatus Peregrinus, ac dixisse: Quis homo hic est, qui tecum hanc basilicam est ingressus? Et respondisse diaconum: Hic est hospes meus, cujus me custodia, ne vestris dudum parerem imperiis, retinebat. Ergo iterum velut in die * videbam me stare juxta ipsos; & non solùm personâ, sed & vestium qualitate discretum; admiransque dicebam: Cur hi niveis sunt vestibus omnes induti; & ego nigris induor tegumentis? Cum hæc & talia mecum ruminassem, vox delata est in aures meas ad Corcodemum diaconum ex ore episcoporum emissa: Segrega, frater, hospitem tuum à nostris cœtibus; & foras ab ecclesia expelle; quoniam indignus est gratiæ particeps esse, propter quod idolis Jovis deservit. Quorum quasi præceptis inserviens, pellere me foras sæpedictus diaconus nitebatur. Tunc ego cadere quasi ad pedes ejus, & his eum affatibus exorare videbar; & dixi ad reverentissimum diaconum: Amice Dei, deprecor te, ut apud præsentes episcopos intercedas, ut mecum misericordiam faB ciant, & ritum dæmonum, quo teneor obligatus, dissumpant. Ad quam supplicationem motus, videbatur me eis præsentasse, &, ab illis accepto mandato, mihi manum imponere.

ANNOTATA.

a *Hæc præfatio libelli usque ad initium numeri sequentis deest in codice nostro Q Ms.* 4, *& Marchianensi; sed in aliis passim codicibus exstat. Non videtur autem esse Constantii; multo etiam minus ipsius Mamertini; sed alterius, qui Mamertini testimonium & narrationem per libellum evulgans, illi prologum & epilogum de suo adjecerit; ut suo loco videbitur.*

b *Nempe SS. Corcodemi & sociorum MM., de quorum revelatione hîc agetur.*

c *Ipso scilicet Mamertino, ut ex sequente narratione liquebit.*

d *Innuere videtur auctor id, quod de puella habente spiritum Pythonem narrat S. Lucas Act.* 16: Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat, dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. *&c. Sed cur Paulo jungitur Barnabas, qui jam antè à Paulo discesserat? Alium hîc pro alio scriptum putamus,*
C *Barnabam pro Sila: nam hic erat tum Pauli comes cum Luca & Timotheo.*

e *Cur* luciflua *dicantur hæc* sepulcra, *infra colliges num.* 22 *&* 23.

f Narrat. *Ita cum Surio pleraque Mss. Ipse sic etiam primò legerat Chiffletius; delevit tamen postea, ac substituit,* narro; *uti etiam diserte habet pervetustus codex noster Lugdunensis P. Ms.* 4, *in quo libellus hic, eodem, quo cetera, charactere in fine exaratus est, sed seorsum sine Vita Constantiana S.* Germani. *Ego retinendum censeo* narrat; *ut nondum hic Mamertinus, sed idem loquatur, qui Mamertini verbis adjecit epilogum, qui certissimè Mamertini esse non potest; ut infrà patebit.*

g Inquit. *Et hanc vocem delevit, postquam scripserat, Chiffletius; erasa est eadem ex codice Lugdunensi, ubi locus ita vacat, ut additam aliquando fuisse, certò appareat. Deest autem omnino in Mss. Valcellensi, & Marchianensi, uti & in cod. Q Ms.* 4: *quod quidem in duobus ultimis mirum non est; cum in his etiam omissa sit præfatio jam data, tamquam ad historiam nihil faciens (quod in quibusdam codicibus frequenter accidit) ejusque loco brevitatis causâ reposita sint hæc:* Quod tamen ejusdem Mamertini verbis meliùs poterit enucleari. Sic ergo incipit: Eram ego Mamertinus *&c. Ego interea omittendam non putavi: cum enim, juxta plurima Mss. præfatio non sit ipsius Mamertini, ut colligitur ex nota præcedente; non potest, quisquis eam composuit, suis verbis verba Mamertini subjicere, nisi vel addita, vel subintellecta saltem voce,* inquit. *Et verò non sola Mamertini verba; sed totum de conversione ejus libellum, adeoque & præfationem & epilogum, inserere huc voluisse Constantium, patet ex fine capitis præcedentis.* D

h *De* S. Savino *seu* Sabino (*nam codices variant*) *vide quæ diximus* XI *Julii, pag.* 289.

i Indifferenter, *id est sine dilatione, sive assiduè. Mss. San-Maximinianum, Marchianense, & Q Ms.* 4 *habent,* indesinenter.

k *Quæ sequuntur hinc usque ad initium numeri* 32, *omissa sunt in Ms. San-Maximiniano, & Q Ms.* 4; *& similem codicem præ oculis habuisse videtur S. Hericus in Vita metrica num.* 72: *sed non rectè omissa hæc esse, ostendunt codices omnes alii; imò illi ipsi, qui hæc prætermittunt; nam quæ habent à numero* 32 *de S. Mamertino, sine præcedentibus intelligi nequeunt.* E

l *Adverte, tam hic, quàm suprà num.* 7, *horas numerari more Romano, ab ortu solis.*

m *Pro,* in quo jacebam, luciflua illustratum, *legit Cod. Lugdunensis;* Cujus præsentiâ cellula, in qua jacebam, luciflua inundatione illustrabatur: ego verò *&c.*

n *De* S. Corcodemo *actum est* 4 *Maii pag.* 453.

o S. Florentinus M. *à Bargedeo in Menologio Autissiodorensi Ms. notatur die* 4 *Octob., quo agi de illo poterit.*

p *Egimus de* S. Peregrino, *primo Autissiodorensium episcopo & M.* 16 *Maii, pag.* 561.

q *De hoc* S. Alexandro *dici poterit die, quo colitur Autissiodori,* 4 *Februarii, cum ad mensem illum redibitur.*

r *De hoc* S. Joviano, *seu* Juviano, *ut est in cod. Lugdunensi,* subdiacono, *nondum comperi, quo die colatur. Vide dicta de* S. Joviniano, *qui sequitur,* lectore *& M. die* 5 *Maii, pag.* 5.

s *Codex Lugdun. sic habet:* Et ecce, in extasi elevatus, adesse me existimabam, priusquam galli cantarent; & vidisse reversum juvenem ad januam *&c,* F

t *De* S. Marcelliano ep. *Autissiod., S. Peregrini successore, consule diem* 2 *Maii, pag.* 203.

u *De* S. Elladio, Eladio, *seu potius* Helladio *ep. Autissiod. adi ejusdem mensis diem* 8, *pag.* 300.

x *De* S. Valeriano ep. *Autiss. dictum* 6 *Maii, pag.* 105.

y *Hoc scilicet ordine,* 1 *S. Peregrinus,* 2 *S. Marcellianus,* 3 *S. Valerianus,* 4 *S. Helladius,* 5 *S. Amator. Fictitius ergo videtur* Valerius *in Hist. epp. Autissiod. à* Valeriano *distinctus.*

z Silentium *indicatur, quod olim ante Præfationem Missæ, quando & catechumeni recedere jubebantur, indicebant diaconi; de qua re videri potest laudatus le Brun tom.* 2, *dissert.* 4, *art.* 3.

aa *Vulgò* Boüy.

CAP.

A

CAPUT IV.

Ejuſdem libelli continuatio.

POſt impoſitionem iterum manûs, videbam me ſanctis epiſcopis præſentatum, & inſtructum ab eis, quæ amplecterer, & à quibus cæremoniis ſepararer. Et rurſum audire me putabam epiſcopos, quemadmodum delegaverint Sancto diacono, dicentes: Amantiſſime frater, reduc tecum hoſpitem; & mone illum, ut, lucifero exorto, fratri ſe præſentet Germano; quia ipſi eſt à Chriſto Deo directus, ut per eum omni plenitudine ſpiritalis gratiæ impleatur. Deinde videbam me ipſum ſupplicare illis, & ipſos me alloqui & exhortari ad perficiendam in me doctrinam fidei. Videbam etiam, illis diſcedentibus, præfatum diaconum tenentem manum meam, & reſtituentem me ad ſuam, de qua me eduxerat, cellulam.

Mamertinus à Sanctis per quietem inſtruitur de fide Catholica,

B

29 Item videbam, priuſquam ingreſſi eſſemus cellulam, procidere me ad pedes ejuſdem diaconi, & ita dixiſſe: Ne, quæſo, iraſcatur dominus meus, ſi adhuc in conſpectu tuo locutus fuerit famulus tuus. Qui quaſi reſpondebat: Dic, quæ te remordent, cum fiducia. Et ego: Obſecro te, quot temporum lapſa ſunt curricula, ex quo in hoc habitaculo requieſcis? Qui reſpondit: Poſt martyrium beatiſſimi Peregrini, die tertio paſſionis ejus (non quidem eo tempore *a*) de ſeculo ad Dominum migravi. Optaveramus quidem participes fieri paſſionis ego cum fratribus meis, ſicut fueramus unius quoque bajulatores mandati; ſed poſt non multum temporis imperator eſt ordinatus, doctrinâ Chriſtianâ refulgens *b*, qui, perſecutione remota, cunctas clauſas eccleſias patefecit, & eis Catholicos præpoſitos ordinavit. Propterea non potuimus, quæ voluimus, conſequi. Fratres autem mei erant hi; Marſus presbyter *c*, Alexander, & Jovianus. Et ſepultus ſum in hoc loco ab iiſdem fratribus meis. Ipſi autem, ut mihi divinitus revelatum eſt, Confeſſores obierunt. Jovinianus verò lector, Deo procurante, martyrium conſummavit.

imò ipſi Sancti de ſe ei quædam revelant.

a

b

c

C

30 Cumque omnia hæc in exceſſu mentis vidiſſem, ſopore fugato, experrectus ſum; & continuò gallus cantavit. Ego autem memor mei, oſtenſo mihi ſignaculo frontem munivi. Tunc ego planctigerum ejulatum emittens, ſupra ſepulturam, tamquam ſuper aram dominicam, procubui; quam irrigans lacrymis, precem fundebam, & dixi: Domine Deus Iſraël, qui in altis habitas, & humilia reſpicis, & alta à longè cognoſcis: præter quem non eſt alius Deus *d*: qui ob reparationem generis humani in terram veniſti, & cum hominibus converſatus es: cujus nutu, ac miſericordia ego indignus in hac nocte, meæ ſalvationis ſecreta noſſe promerui; concede mihi, ut celeriùs famuli tui ſancti Germani contempler aſpectum, cui me recto itinere perduxiſti. Completa oratione, poſtratum corpus erexi: & cum aciem oculorum ad baſilicam ſancti Amatoris dirigerem, aſpexi lucem immenſam, intus foriſque fulgentem; ita ut crederem, repulſa noctis caligine, ſui temporis metâ ſolem confinia repleviſſe *. Dehinc ex eodem item loco vox canora atque hymnigera ad meos eſt auditus delata.

Evigilans Mamertinus, Deum orat,

d

** cod. Lugd. repetiſſe*

31 Continuò ego in eodem, quo audieram,

loco, ſubſtiti, quouſque quæ cantabantur, audirem. Prima ergo antiphona, quæ ad aures meas venerat: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Secundà hæc erat: Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te. Tertia: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Et cum hæc audiſſem, reverſus ad me, proſtravi me ſepties in ſupradicto ſarcophago, orans & dicens: Deus ſancti Corcodemi, ſuſcipe feſtinantem ad te, & ne confundas me ab expectatione mea: tua enim pietate, & gratia ad hoc delatus ſum habitaculum, per quod meorum contagia cognovi errorum. Rurſum conſurgens, illuc ad ipſam baſilicam elevavi obtutus; & audio iterum antiphonam meæ ſaluti atque converſioni conſonam: Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Jacob. His ſanctis affatibus confortatus, tertiò me in oratione proſtravi. Trina igitur obſecratione perfecta, ſurgens, videbam eam, quam prius videram lucem, ablatam à facie oculorum, in quibus antè fulſerat; & repentinæ me illicò tenebræ circumſepſerunt. Ego tamen jam myſterio edoctus, fronti meæ dominicum infixi vexillum. Dum hæc geruntur, vulgaris lux terris reddita radiavit. Mox ego iterum atque iterum ſalutis me charactere confirmans, & ſancto hoſpiti grates exſolvens, ad Doctorem *e* atque ad Ducem cæleſtis Imperatoris citiùs properávi.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS. *& alia viſione recreatur, & animatur, ut S. Germanum adeat.*

E

e

32 Exploranti * ergo, ubi ſanctiſſimus Germanus epiſcopus eo die habitaret, incolæ civitatis dixerunt: Non eſt hîc: monaſterium habet proximum, & illuc frequentiſſimè gratiâ viſitationis cymbâ portatur. Tunc deprecatus ſum eos, qui mihi indicaverant, ut ad ipſum monaſterium ducentem viam demonſtrarent. Qua arrepta, quò tendebam, perveni: & me paululùm ante oſtium immorante, ſubitò vir beatiſſimus Germanus egreditur; quem procidens in terram adoravi. Ille autem non eventu, ſed admonitus egrediebatur in occurſum meum: Deus enim omnium conditor revelaverat Famulo ſuo & meam neceſſitatem, & quorum ſuiſſem ad eum juſſione directus; ſicut poſtea comperi. Curvatus ergo ſolo tenus, obſecrabam Virum Dei, ut me benediceret. Qui extenta manu elevavit me, dicens: Habe fiduciam; ne terrearis. Et apprehendens mentum meum, oſculatus eſt me. Cui ego: Ne facias, Vir ſanctiſſime; quoniam adhuc ab oſculis ararum dæmonum os meum non eſt mundatum. Cui ſanctus Germanus: Agnovi ego nocte tranſacta, ab omnibus illecebris te mundatum fuiſſe. Quo audito, obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit. Tunc egregius Vir inhærens manui meæ, pariter ad monaſterium ingreſſi ſumus.

à quo perbenignè acceptus fuit; * *antiqui codd.* explorans

F

33 Ego verò intra me ipſum movebar, dicens: Quis huic indicavit, quæ clam geſta ſunt noctis præteritæ ſpatio? Et me talia cogitante, introduxit me in cellulam ſuam *f*, & ſedens dixit: Obſecro, fili, ut mihi quæcumque geſta ſunt, & ad tuam nocte præterita notitiam pervenerunt, innoteſcere non demoreris. Tunc ego incipiens à prima origine uſque ad ejuſdem affatus *g* ei ſingillatim expoſui; reticens de turba catulorum. Mox ille ait: Nonne obſecravi te, ut omnia narres, & nihil mihi de oſtenſis tibi myſteriis celes? Cur partem penè cunctam * miraculis excedentem myſterii reticuiſti? Proſequere, & expone nobis inſidias, quæ te circumadſtabant, catulorum. Ego verò hæc audiens, dixi: Quid nar-

utpote omnium, quæ jam illi acciderant, divinitus conſcio;

f

g

* *Surius,* cuncta

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

rem Domino meo pulvis & cinis ? Ubi divinitus fit allocutio, ceſſet incondita mortalium linguarum narratio. Video enim te Deo plenum ; & cum ſis localis, ubique quæ aguntur, cognoſcis. Ille ſubridens, dixit : Verè quidquid propter te actum eſt, à viris venerabilibus epiſcopis, vel à diacono cognovi, & præſens fui. Ne formides; fides tua te ſalvum fecit. Hæc audiens, declinans me in faciem, ingemui ; & apprehendens genua ejus, reliqua, quæ ad perficiendam fidei Chriſtianæ potentiam ſuperfuerunt, rogavi ut per ejus dexteram implerentur.

itaque ab eodem baptizatur, & ſanatur miraculo duplici :

34 Tunc demum pari comitatu ad civitatem proceſſimus. Ingreſſi autem in eccleſiam, vocatis clericis & quibuſdam laicis, dixit mihi : Repete, obſecro, quæ dudum in monaſterio, me interrogante, narraſti ; ut & hi audiant, qui ignorant. Cui ego tremulus & timore proſtratus, reſpondi ; quid dicam, quod non Beatitudo tua antè præſciat ? Et Epiſcopus : Propter adſtantes tibi dixi, non propter me. Ego autem iterum repetens omnia, illis quoque innotui. Qui infinito gaudio exhilarati, Deo laudes & gratias referebant, dicentes : Gratias tibi Deus, quia hoc tibi vas electionis ante mundi conſtitutionem prædeſtinaſti, per quod virtutis tuæ magnitudinem, & potentiam * omnibus, & ſine fine demonſtrares. Tunc beatus Epiſcopus inducit me in locum, ubi remiſſio fit omnium peccatorum; & de more ſacerdotali aquis benedictis, baptiſmum mihi tradidit, replens circa me & in me univerſa officia gratiæ ſpiritalis. Ad quem ego : Domine, ſicut animæ receſſus ſalvaſti ; ita & corporis debilitati membra reſtitue ſanitati : da ſolitam lucem utriſque patentibus oculis aſpicere, & geminis manibus conſueta opera attrectare. Hæc audiens Antiſtes, dixit mihi : Credis, hoc me poſſe in te operari ? Reſpondi : Credo Domine ; & propterea ad tuam profectus ſum pietatem. His auditis, accepto oleo, & ſignans oculum atque manum, officiis propriis, repulſo morbo, reſtituit. Hi, qui adfuerant, videntes, rurſum opera Dei laudaverunt, quæ per virum probatiſſimum atque ſanctiſſimum Germanum fiebant epiſcopum.

B

* *al.* virtutes tuas *al.* virtutis tuæ virtutes

hinc ſimul adeunt cellam S. Corcodemi,

35 Tunc ait turbæ, quæ cum eo erat : Pergamus cum hoc homine ad locum, in quo hoſpitatus eſt nocte ; & videamus, ſi adhuc ibi eſt catula * cum catulis ſeptem. Qui dixerunt : Quidquid præcipis, fiat. Ego autem exiens de medio illorum, præcedebam, illis cum beato Epiſcopo ſubſequentibus uſque ad locum. Cumque veniſſemus ad locum, oratione celebrata, dixit Epiſcopus : Dic mihi, juvenis ; ubi vidiſti adſtantem virum, veſtibus niveis circumdatum ? Et ego : Domine, hîc in veſtibulo. Iterum dicit : Super quod ſepulcrum inclinatus es nocte ? Ego autem digito oſtendens, monſtravi ſepulcrum. Tunc ſanctus Epiſcopus dixit : Removete lapidem de hoc ſepulcro, ut interiora ejus inſpiciamus. Remoto itaque lapide, viſi ſunt ſerpentes octo ; primus immaniſſimus, ceteri verò ſeptem paulo inferiores.

* *al.* ſerpens

C

ex qua pellit S. Germanus prodigiosè ſerpentes :

36 Viſis ergo hominibus, ille coluber capite erecto circumſpiciebat omnes, plus tamen beatiſſimum Germanum epiſcopum. Cui præfatus Vir: Serpens nequiſſime, adhuc non deſeris calcaneum humani generis ; & audes poſt prævaricationem tuam & devictionem, gyros ſuper membra reverentiſſimi Corcodemi diaconi tuos extendere ? Vivit Dominus, quoniam morte cum omnibus tuis fueras dignus ; ſed quoniam obedi-

ſti præfati fratris imperio, & abſtinuiſti veneniferos voratus tuos à præſentis hoſpitis corpore, egredere ſoſpes ; & ulteriùs, ubi converſatio humana eſt, recubare non audeas. Sit autem habitaculum tuum ſilveſtre gremium, vel eremi vaſtitas. Quos autem itineris tui in circuitu habitatores repereris, ne noceas aut lædas. Non ego, ſed Chriſtus per me tibi imperat. Tunc ſerpens, velut ſuæ iniquitatis mole gravatus, ſubmiſſo capite, ſepties ſpirarum ſuarum tendens volumina, tamquam valedicens, & gratias agens beatiſſimo Germano, pectoris tractu graditur : cujus poſt tergum turba minor ſequebatur. Viſa enormitate corporis ejus, cuncti trementes beatiſſimi Germani comites, fugam arripiunt. Strabat tamen ille immobilis, fiduciam habens beatiſſimæ ſanctitatis. Tunc redarguens populum fugientem, dixit : State, & videte mirabilia Dei, quæ operatur in nobis indignis. In ipſo autem tractu æſtimatus eſt ſerpens poſſe habere longitudinem cubitorum ſeptem. His miraculis oſtenſis, illa cellula beati Corcodemi diaconi, quæ propter denſitatem veprium, nulli, niſi tantùm antiſtiti Germano, fuerat nota, facta eſt, Deo operante, omni ſexui cognita ; & non ſolùm omnium notitiam promeruit, ſed & culturam. Omnes igitur ex hoc tempore, eidem cellulæ votivam gerentes devotionem, alacriter frequentabant.

D

E

his attonitus Mamertinus, Sancti monaſterio ſeſe addixit.

37 Mamertinus *h* igitur, per quem, & in quo Deus virtutum ſuarum oſtenta depalavit, videns hæc, non ſolùm à gentili errore ; ſed etiam à cæcitate, ac ariditate clementiſſimè liberatus, & à ſerpentium morſibus Dei nutu ereptus, conſecravit ſe monaſterio ſancti Germani epiſcopi ita devotiſſimè *i*, ut nuſquam ex eo foras egrederetur, niſi forte ejuſdem Epiſcopi aut imperio, aut comitatu illectus. Cujus ſancta converſatio ita doctrina ſpiritali floruit, ut defuncto archimandrita Alogio *k*, qui eum monachum fecerat, ipſe hereditario jure ſanctitatis * ejus officium ſuſcepiſſet *l*. De his ita. Ceterùm ordinem narrationis cœptæ proſequamur *m*.

h

i

k

* *al.* hereditariæ ſanctitatis

l *m*

ANNOTATA.

a *Id eſt, eodem quidem menſe, & tertio die poſt illum, quo S. Peregrinus in cælos evolavit, ego quoque vivis exceſſi ; non tamen eodem tempore ; ſed annis aliquot poſteriùs. Fecit hic locus, opinor, ut feſtum S. Corcodemi huc uſque celebrari ſolitum die 4 Maii, in Breviario nuperrimo Autiſſiodorenſi anni 1726 repoſitum ſit die 18 ejuſdem menſis, qui tertius eſt à feſto S. Peregrini ep. Notavit Chiffletius, hæc verba,* die tertio paſſionis ejus, *abeſſe à Mss. codicibus ; ſed hæc ego in omnibus noſtris reperi.*

b *Intellige Conſtantinum Magnum.*

c *De* S. Marſo presb. *agendum erit 4 Octobris. In recenti tamen Breviario Autiſſiod. notatur die 5 ejuſdem menſis.*

d *Ne quis miretur, toties hîc adhiberi textus ſacros ab homine recentiſſimè Chriſtiano ; meminerit, hæc ab eo ſcribi potuiſſe diu poſteriùs, quàm acciderant ; ac tum in Scriptura verſatiſſimo pronum fuiſſe res antea factas verbis ſacris exprimere.*

e *Codex Lugd. habet :* Et ſancto hoſpiti (*Corcodemo ſcilicet*) grates exſolvens atque doctori ; ut valui tiro, ad ducem (*S. Germanum*) cæleſtis Imperatoris citiùs properavi.

f *De* cellula S. Germani *vide infrà Hericum in Miraculis num.* 22.

g *Alii codd. habent :* uſque ad eumdem profectum mei ; *alii :* uſque ad eumdem locum expoſui

A posui profectûs mei causam ; *cod. Lugd.* : usque ad eamdem profectûs mei causam.

h *Hîc est epilogus , ab eo , qui S. Mamertini narrationem publico libello vulgavit , adjectus.*

i *Hoc certè & quod sequitur, de se ipso scripsisse Mamertinum , omnino incredibile est.*

k Alogio. *Sic Mss. nostra omnia , præter codicem Lugdunensem , qui habet* Alodio. *Idemne ergo* Alogius *archimandrita , & Alodius episcopus Autissiodorensis , qui* S. Germano *defuncto successit ? Aiunt S. Hericus in Miraculis num.* 118 , *Historia epp. Autissiod. cap.* 8 , *Robertus monachus S. Mariani in Chronologia ad annum* 448 , *aliique : negant Chiffletius noster in Mss., & Tillemontius not.* 7 *in S.* Germanum. *Nos rem examinandam remittimus ad diem* 28 *Septembris, quo colitur S. Alodius ep. Autissiodorensis.*

l *In cod. Lugd. additur :* Gesta sunt autem hæc omnia in civitate Autissiodorensi , imperante & perficiente Domino nostro Jesu Christo ; cui est honor , & gloria , & imperium in secula seculorum. Amen.

m De his ita. Ceterùm *&c. Hæc leguntur non solum in Mss. Chiffletianis ; sed etiam in San-Maximiniano , Boni Fontis , & Q. Ms.* 4. *Alii codices omittunt.*

B

CAPUT V.

S. Germani pietas erga defunctos insepultos ; ejus ac S. Lupi ep. Trecensis missio Britannica adversus Pelagianos ; consecratio S. Genovefæ ; tempestatis mira sedatio.

XVII.

Divertit Sanctus in domum spectris infestatam ;

* *al.* semirutis

C

QUodam enim tempore , cum iter ageret hyeme , ac diem totam in jejunio ac fatigatione nimia duxisset ; commonetur , ut , cogente vespere , quocumque secederet. Erat eminus domicilium absque tectis , jam pridem sine habitatore semirutum *; quod etiam per incuriam vulgaris habitatoris arbusta contexerant ; ut penè esset melius noctem sub nudi aëris rigore durare , quàm in illo periculo & horrore succedere : præsertim cum duo senes , propter infestationem terribilem , hanc ipsam domum inhabitabilem prædixissent. Quod ubi Vir beatissimus comperit , horrentes ruinas , quasi amœnitates , expetiit ; ibique inter multiplices , quæ quondam fuerant, mansiones , inventa vix una est , quæ instar haberet habitaculi. Illic leves sarcinulæ * , & paucissimi comites collocantur ; quibus brevis cœnula esui fuit , Episcopo penitus abstinente. Deinde alta jam nocte , cum unus ex clericis legendi suscepisset officium , ille jejunio & fatigatione confectus , sopore superatus est. Tum subitò ante os legentis adstitit umbra terribilis ; & paulatim sub oculis intuentis erigitur : parietes etiam saxorum imbribus colliduntur.

* *al.* claves & sarcinulæ

eamque mox purgat , compertâ infestationis causâ :

39 Tunc verò deterritus lector , præsidium Sacerdotis implorat. Qui statim prosiliens , effigiem terribilis imaginis intuetur ; & præmissa obsecratione nominis Christi , imperat , ut quis esset , quidve illic ageret , fateretur. Qui protinus terrifica vanitate depositâ , voce humili , more supplicantis eloquitur , se vel * comparem suum, auctores criminum fuisse multorum ; insepultos jacere ; & ob hoc inquietare homines , quia ipsi quieti esse non possent. Rogat , ut pro eis Dominum precaretur , quatenus recepti , requiem mererentur. Ad hæc Vir sanctus indoluit ; imperatque ut locum ostenderet , quo jacerent. Tum verò , cereo præcedente, dux umbra progreditur; & inter difficultates maximas ruinarum , intempesta nocte , locum in quo projecti fuerant , indicavit. Ut verò mundo est redditus dies , circumjectos incolas invitat ; hortatur ipse operis maturator adsistens : rudera tumultuariè superjecta per tempus , rastris avulsa purgantur. Inveniuntur corpora fusa sine ordine , ossa ferreis adhuc nexibus illigata. Ad legem sepulturæ fossa dirigitur ; membra exuta vinculis , linteis ambiuntur ; humus superjecta componitur ; oratio intercessionis impenditur ; obtinetur defunctis requies , viventibus quies ; ita ut post eamdem diem sine ullo terroris indicio , domicilium frequentato habitatore floruerit *a*.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

* *pro* &

a

XVIII.

gallis gallinaceis cantum restituit.

E

40 Neque illud omittendum videtur , quod in eodem itinere post dies aliquot noctis cæcitate compulsus , mediocrium personarum successit hospitio. Nam id maximè , ambitum fugiens , requirebat. Cumque in divino opere solito pernoctasset officio , lux orta est , nullis gallorum cantibus nuntiata , cum earum avium copia in iisdem domibus non deesset. Causam novitatis explorat ; agnoscit , multum jam tempus esse , quo tristis taciturnitas naturale gallicinium damnavisset. Ab omnibus exoratus , mercedem mansionis exsolvit. Acceptum enim triticum benedictione condivit ; quo pastæ aviculæ auditus habitantium usque ad molestiam frequentatis cantibus fatigabant. Ita virtus divina , etiam in rebus minimis , maxima præminebat.

XIX.

Mittitur cum S. Lupo in Britanniam contra Pelagianos :

b

41 Eodem tempore , ex Britanniis directa legatio , Gallicanis episcopis nuntiavit , Pelagianam perversitatem in locis suis latè populos occupasse ; & quamprimum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam synodus numerosa collecta est *b* ; omniumque judicio , duo præclara religionis lumina universorum precibus ambiuntur , Germanus , ac Lupus , apostolici sacerdotes , terram corporibus , cælum meritis possidentes. Et quanto laboriosior necessitas apparebat , tanto eam promptiùs Heroës devotissimi susceperunt ; celeritatem negotii , fidei stimulis maturantes.

F

XX.

in itinere de S. Genovefa puella vaticinatur :

c

42 Quibus territorium Parisiacæ urbis , itineris continuatione permeantibus , vicus quidam , cui Metodori *c* vetustas vocabulum indidit , fatigationi eorum humanitatem hospitii ministravit. Cives loci , tantorum Virorum agnito superventu, permixta vulgi multitudine , obviam procedunt, benedictionem expetunt , debitam Sanctis venerationem impendunt. Cumque beatissimus Germanus confluentem multitudinem salutaris verbi exhortatione refoveret , ad medium circumstantis populi longè porrecto intuitu , puellam quamdam , Genovefam *d* nomine , inter adstantes eminus conspicatur. At Vates divinus , nescio quid in ea cælestе & angelicum auspicatus , è proximo hanc jubet suis sisti conspectibus. Obstupuere omnes , intentisque animis propheticam de puella sancti Viri sententiam exspectabant. Cujus caput venerabilis Pontifex sacri oris exosculatione demulcens , inter castos amplexus , quibus esset orta parentibus , vel quo censeretur nomine , ab adstantibus scisciatur. Mox puellæ no-

d

men

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

men edicitur; parentes quoque evocati, in præsentiam adducuntur Episcopi. Interrogati de puella, suam esse filiam profitentur. Tum Germanus (ut erat ipsius semper divinitatis conscius) prophetico intonans spiritu, tali electam à Deo puellam præconio extulit, in hunc modum virginis genitores affatus: Beatos, inquit, vos dies illa fecit, qua tantæ prolis vos contigit esse parentes; cujus ortus nativitatis ipsis quoque angelis lætitiam peperit salutarem: erit enim pretiosi apud Deum meriti, ac spiritalis perfectione propositi ipsis etiam viris aliquatenus imitanda.

XXI. *eamque Christo virginem consecrat,*

43 Plurima quoque alia, quæ prolixitas explicare non patitur, in laudem virginis prosecutus, tandem versus ad puellam, iterata hanc benignitate complectitur, teneroque annos, qua tantus Vir poterat affabilitate, consolatur: atque inter deosculantis lenia blandimenta, ne sibi animi sui secretum pandere erubescat, hortatur. Percunctatur, si vitæ sanctimonialis cælibatum velit suscipere, ac Christi sponsalitio titulari. Illa tanti sponsi nomine delectata, titulum virginitatis amplectitur, seque hujus professionis jam dudum a-
B stringi desiderio profitetur. Exorat, ut, si id dignum ipse duceret, sanctitatis ejus benedictione voti sui compos redderetur. Rursus in amplexus virginis Sacerdos incumbit, & ut constantis esset animi, exhortatur. Interea gressum divertit ad ecclesiam, maximo populorum agmine prosequente: ibique inter diutissimos Psalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem beatus Germanus manum dexteram super caput virginis indefesse tenuit. Expleta solemniter oratione, cibum unà cum gratiarum actione sumpserunt. Tum commendans eam parentibus, in crastinum redire præcepit.

tum prodigioso monumento & exhortatione instructæ valedicit:

44 Subeunte diluculo, maturè adest Genovefa. At beatus Germanus, utrum pridianæ professionis esset adhuc memor, virginem percunctatur. Illa Spiritu animata divino, constanter se suæ sponsionis reminisci fatetur, atque in ejus observantia perpetuò se manere decernit. Ut autem id fieri posset, superno auxilio quam maximè, & beati Patris intercessionibus indigere. Atque ut ipsam divinitatem cerneres amborum votis evidentissimè favere, Germanus vultum in terram defixit; moxque æreum nummum, divinâ (ut credo) allatum sententiâ, impressione Crucis exsculptum inspexit, inspectumque protinus à
C terra collegit. Quem loco muneris Genovefæ tradidit, atque semper collo suspensum, ob sui memoriam ferre præcepit. Hoc, inquit, me recedente, pignus mei amoris præ oculis jugiter gestare memento. Ceterùm universa alia mundialis pulchritudinis ornamenta, auri geminarumve compacta fulgoribus, numquam tuis vel collo vel digitis inseri patiaris. Habeant hæc, quæ seculo militant; tu, quæ sponsa Christo adscripta es, ornamenta spiritalia concupisce. Ita fatus, Virgini valefecit; atque ut sui semper esset memor, admonuit. Commendansque eam iterum parentibus, iter, quod cœperant, perrexerunt.

XXII. *in mari subortam tempestatem*

45 Hi itaque Oceanum mare, Christo duce & auctore, conscendunt, qui Famulos suos inter discrimina & tutos reddidit, & probatos. Ac primùm de sinu Gallico flabris lenibus navis in altum provecta deducitur, donec ad æquor medium perveniret; ubi porrectis in longum visibus, nihil aliud quàm cælum videretur & maria. Nec multo pòst occurrit in pelago legionis inimica vis dæmonum; qui tantos ac tales Viros pertendere ad recipiendam populorum salutem, lividis iniquitatibus inviderent. Opponunt pericula, procellas concitant, cælum diemque nubium nocte subducunt, tenebrarum caliginem maris atque aëris horrore congeminant. Ventorum furorem vela non sustinent; & Oceani moles fragilis cymba vix tolerat. Cedebant ministeria victa nautarum: ferebatur navigium oratione, non viribus. Et casu Dux ipse vel Pontifex fractus corporis lassitudine, sopore resolutus est. Tum verò, quasi repugnatore cessante, tempestas excitata convaluit; & jam navigium superfusis fluctibus mergebatur. D

oleo consecrato precibusque compescit, ac Britanniam attingit.

46 Tunc beatus Lupus, omnesque turbati, excitant Seniorem, elementis furentibus opponendum. Qui periculi immanitate constantior, Christum invocat; increpat Oceanum, & procellis fævientibus causam religionis opponit. Statimque assumpto oleo, in nomine Trinitatis, levi aspergine fluctus sævientes oppressit. Collegam commonet; hortatur universos; oratio uno ore & clamore profunditur. Adest divinitas; fugantur inimici; tranquillitas serena subsequitur; venti contrarii ad itineris ministeria vertuntur; navigium famulatrix unda prosequitur; decursisque im- E
mensis spatiis, brevi optati littoris quiete potiuntur. Ibique conveniens ex diversis partibus multitudo, excepit Sacerdotes; quos venturos etiam vaticinatio adversa prædixerat: nuntiabant enim sinistri spiritus, quod timebant. Qui imperio Sacerdotum dum ab obsessis corporibus detruduntur, & tempestatis ordinem, & pericula, quæ intulerant, fatebantur, victosque se eorum meritis & imperio non negabant.

ANNOTATA.

a *Exempla simillima etiam inter ethnicos contigisse, ex Plutarcho in Parallelis, Plinio juniore, & Luciano, ostendit Menochius noster in opere Italico, quod Historias inscribit, part. 2, Centuriâ 4, cap. 31. Nimirum ipsi damones illo honore fraudari nolebant, qui superstitiosis exsequiarum ritibus sibi deferri consueverat: ipsi ergo per ejusmodi terriculamenta sepulturam urgebant, quæ defuncti manibus conferre nihil poterat. Deum verò Christianis, sibi ante obitum pœnitentiâ reconciliatis, talia permisisse, non adeo mirum est, tum ut ipsis animabus debitum ita solatium afferretur, tum ut fideles neophytos ad opus illud misericordiæ toties in* F *sacris Litteris commendatum, summa deinceps religione accurandum, validius permoveret.*

b *De hac synodo disserit Garnerius noster in Appendice posteriore ad primam partem operum Marii Mercatoris dissertatione 2, synodo 21: putatque habitam Arelati anno 427; sed locum ac tempus levibus argumentis probat. Nos eam Trecis collectam fuisse suspicamur; idque ex Vita S. Lupi ep. Trecensis num. 4, ad quam vide, quæ supra notavimus pag. 70 & seq. litterâ e. Ejus tempus non posse removeri ab ipso Sanctorum in Britanniam discessu, satis ex eorum festinatione, hic à Constantio descripta, colligitur; videturque adeo pertinere ad initium anni 429, juxta jam dicta in Commentario § 6.*

c Metodorum, *aliàs* Nemetodorum, Nannetodurum *&c.*, *vulgò* Nanterre, *vicus est Galliæ in agro Parisiensi, leucis duabus distans Lutetiâ in Occasum, teste Baudrantio.*

d *De* S. Genovefa *fusè actum est die 3 Januarii à pag.* 137.

C A-

A

CAPUT VI.

SS. Germani & Lupi episcoporum felix expeditio adversus Pelagianos in Britannia.

XXIII. *Sancti in Britannia Pelagianos expugnant disputatione,* * *al.* fideles

INterea Britanniarum insulam, quæ inter omnes est vel prima vel maxima, apostolici Sacerdotes raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt: & cum quotidie irruente frequentia stiparentur, divinus sermo non solùm in ecclesiis; verùm etiam per trivia, per rura, per devia diffundebatur; ut passim & fide * Catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoscerent. Erat in illis, Apostolorum instar, gloria & auctoritas per conscientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis. Accedebat præterea tantis auctoribus assertio veritatis. Itaque regionis universitas in eorum sententiam prompta transiérat. Latebant abditi siniſtræ persuasionis auctores, B & more maligni spiritûs, gemebant, perire sibi populos evadentes. Ad extremum, diuturna meditatione concepta, præsumunt inire conflictum. Procedunt conspicui divitiis, veste fulgentes, circumdati assentatione multorum; contentioniſque subire aleam maluerunt, quàm in populo, quem subverterant, pudorem taciturnitatis incurrere; ne viderentur se ipsi silentio damnaviſſe. Illic planè immensæ multitudinis numerositas, etiam cum conjugibus ac liberis excita convenerat: aderat populus spectator futurus & judex: adstabant partes dispari conditione dissimiles: hinc divina auctoritas, inde humana præsumptio; hinc fides, inde perfidia; inde Pelagius auctor, hinc Christus. Primo in loco beatissimi Sacerdotes præbuerunt adversariis copiam disputandi; quæ sola verborum nuditate, diu inaniter & aures occupavit, & tempora. Deinde Antistites venerandi, torrentes eloquii sui cum apostolicis & evangelicis tonitruis profuderunt. Miscebatur sermo proprius cum divino, & assertiones violentissimas lectionum testimonia sequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur; ita ut ad singulas verborum objectiones, reos se, dum respondere nequeunt, C faterentur. Populus arbiter vix manus continet; judicium tamen clamore testatur.

XXIV. *& miraculo:* 48 Cum subitò vir tribunitiæ potestatis cum conjuge procedit in medium, decem annorum filiam cæcam sinibus ingerens Sacerdotum; quam illi offerri adversariis præceperunt. Sed illi conscientia puniente deterriti, jungunt cum parentibus preces, & curationem parvulæ à Sacerdotibus precantur. Qui exspectationem populi, & inclinatos adversarios intuentes, orationem breviter fundunt. Ac deinde Germanus plenus Spiritu sancto, sanctam invocat Trinitatem, & protinus adhærentem lateri suo capsulam cum Sanctorum reliquiis, collo avulsam, manibus comprehendit; eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicavit: quos statim evacuatos tenebris, lumine veritatis implevit. Exultant parentes miraculo; populus contremiscit. Post quam diem ita ex animis hominum persuasio iniqua deleta est, ut Sacerdotum doctrinam sitientibus desideriis sectarentur.

XXV. 49 Compressa itaque perversitate damnabili, ejusque auctoribus confutatis, animisque omnium fidei puritate compositis, Sacerdotes ad beatum Albanum martyrem *a*, auctori Deo per ipsum gratias acturi, petierunt. Ubi Germanus omnium Apostolorum diversorumque Martyrum reliquias secum habens, facta oratione, jussit revelli sepulcrum, pretiosa ibidem mun. ra conditurus: arbitrans opportunum, ut membra Sanctorum ex diversis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cælum, sepulcri quoque unius teneret hospitium. Quibus depositis honorificè atque sociatis *b*, de loco ipso, ubi beati Martyris effusus fuerat sanguis, massam pulveris secum portaturus abstulit *c*; in qua apparebat, cruore servato, rubuisse * Martyrum cædem, persecutore pallente. Quibus ita gestis, innumera hominum eodem die ad Dominum turba conversa est.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS. *S. Albani M. reliquias aliquas aufert S. Germanus, aliasque substituit:*

a

b

c

* *al.* rubere

50 Unde dum redeunt, insidiator inimicus, casualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapsûs occasione contrivit; ignorans, merita illius, sicut Job beatissimi, afflictione corporis propaganda. Et dum aliquamdiu uno in loco infirmitatis necessitate constringitur, in vicinia, qua manebat, casuale exarsit incendium. Quod, consumptis domibus, quæ illic palustri arundine tegebantur, ad habitaculum, in quo idem jacebat, flabris stimulantibus ferebatur. Concursus omnium ad Antistitem convolavit, ut elevatis manibus, periculum, quod imminebat, evaderet. Qui, omnibus increpatis, moveri se fidei præsumptione non passus est. Multitudo omnis desperatione perterrita, obviam occurrit incendio. Sed ut Dei potentia manifestior appareret, quidquid custodire tentaverat turba, igne consumitur; quod verò jacens & infirmus defenderat, reservatur. Hospitium sancti Viri expaveſcens flamma transilivit, ultra, citraque desæviens; & inter globos flammantis incendii incolume tabernaculum, quod Habitator inclusus servabat, emicuit. Exultat turba miraculo, & victam se divinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis *, turba sine numero; hi animas curari cupientes, hi corpora.

XXVI. *precibus arcet incendium, aliaque patrat miracula.*

E

* *al.* Præsulis

Referri nequeunt, quæ Christus operabatur in Famulo, qui virtutes faciebat infimus. Et cum debilitati suæ nihil remedii pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niveis vestibus vidit sibi adesse personam, quæ manu extensa jacentem videretur attollere, eumque consistere firmis vestigiis imperabat. Post quam horam ita, fugatis doloribus, recepit pristinam sanitatem, ut die reddito, itineris laborem subiret intrepidus.

XXVII.

F

51 Interea Saxones Pictique bellum adversus Britones, junctis viribus susceperunt *d*, quos eadem necessitas in castra contraxerat. Et cum trepidi partes suas penè impares judicarent, sanctorum Antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes adventum, tantum securitatis ac fiduciæ contulerunt, ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque apostolicis Ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia Sacerdotum; in tantum, ut quotidianis prædicationibus instituti, certatim ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitûs multitudo undam lavacri salutaris expetiit *e*. Ecclesia ad diem Resurrectionis dominicæ frondibus contexta componitur, & in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus; fides fervet in populo; & contempto armorum præsidio, divinitatis expectatur auxilium. Interea hæc institutio vel for-

XXVIII. *Sancti Episcopi Scotos & Pictos*

d

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

ma castrorum hostibus nuntiatur. Qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, assumpta alacritate festinant; quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumque emensa sollemnitate Paschali, recens de lavacro pars major exercitûs arma capere, & bellum parare tentaret, Germanus ducem se prælii profitetur; eligit expeditos; circumjecta percurrit; & è regione, qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur. Quo in loco novum componit exercitum, ipse dux agminis.

solo cantu Alleluiatico fundunt; tum repetunt Gallias.

52 Et jam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti; cum subitò Germanus signifer universos admonet, & prædicit, ut voci suæ uno clamore respondeant: securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, Alleluia tertiò repetitum Sacerdotes exclamant. Sequitur una vox omnium; & elevatum clamorem, repercusso aëre, montium inclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur; & ruisse super se non solùm rupes circumdatas, verùm etiam ipsam cæli machinam contremiscunt: trepidationique injectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt; arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites, flumen, quod sensim venientes transierant, devoravit. Ultionem suam innocens intuetur exercitus, & victoriæ præstitæ otiosus spectator efficitur; spolia colliguntur exposita; & prædam cælestis victoriæ miles religiosus adipiscitur. Triumphant Pontifices, hostibus fusis sine sanguine; triumphant victoriâ, fide obtentâ, non viribus. Compositâ itaque opulentissimâ insulâ securitate multiplici, superatisque hostibus vel spiritalibus vel carne conspicuis (quippe qui vicissent Pelagianistas & Saxones) cum totius numero regionis *f* reditum moliuntur. Tranquillam navigationem merita propria, & intercessio Albani martyris paraverunt; quietosque Antistites suorum desideriis felix carina restituit.

ANNOTATA.

a S. Albani *& sociorum MM. Acta illustravimus die 22 Junii à pag.* 146.

b *Nulla hîc mentio elevati de terra corporis S. Albani per* S. Germanum; *cujus sepulcrum jam tum erat cultu publico ingentique basilica celeberrimum. Quid ergo sibi volunt, quæ habet Mabillonius in Annalibus ad annum* 1066, *num.* 94, *cum de Eadfrido, abbate S. Albani, ita scribit:* Ejus tempore basilica in honorem S. Germani episcopi Autisiodorensis constructa est eo in loco, ubi sanctus Præsul corpus S. Albani è terra levaverat?

c Abstulit; *Autissiodorum videlicet; ubi basilicam hisce reliquiis condendis exædificans, S. Albani nomine dedicavit; ut in Miraculis num.* 17 *affirmat Hericus.*

d *Adi Commentarium num.* 59 *& seq.*

e *Patet hinc, multos ante tempus hoc Britones Christianos nondum fuisse.*

f *Id est, Britannis maximo numero Sanctos in reditu deducentibus.*

CAPUT VII.

Alia S. Germani expeditio ad Galliarum præfectum ex commiseratione suscepta & ornata miraculis.

Redux ad suos Germanus, pro iis novum iter arripit Arelatum,

ITaque reditu venerabilium Sacerdotum exultant Galliæ, gaudent ecclesiæ, dæmones contremiscunt. Certè expectatio propriæ civitatis beatum Germanum votis duplicibus ambiebat; quam & apud majestatem divinam, & inter mundi procellas servare consueverat. Tributaria enim functio præter solitum, & necessitates innumeræ cives suos, quasi pupillos orbatos parente, depressérant. Recipiunt præsidium destituti; agnoscit causas; mœroribus congemiscit; & pro quiete vel requie quæsiturus remedia civitati, post marina discrimina, labores terrenæ expeditionis ingreditur. Itaque Gallias illustraturus, parvissimo comitatu & exigua evectione progreditur, qui pro largissimis thesauris Christum ferebat in pectore.

in quo Sancti equum furatus aliquis, eum cogitur miraculo restituere: * *al.* accessit

54 Operæ pretium puto mandare memoriæ, etiam ejus iter clarum fuisse virtutibus. Necdum territorium suæ civitatis excesserat, viam leniter carpens (eratque, imminente jam vespera, dies pluvius) cum subitò comitatui suo nudus pede, cucullo vacuus, nimis expeditus viator adcrescit *; cujus etiam nuditati condoluit. Qui dolosè inhærens contubernio, jungitur mansione; & inter innocentes, occupatosque custodes, qui Deo, non animalibus, vigilabant, jumentum, quo Senior vehebatur, prædo nocturnus arripuit. Die reddito, amissio evectionis agnoscitur; &, ut Sacerdoti animal non deesset, unus ex clericis impeditem mutatur ex equite. Dumque iter agitur, circumjecti comites intuentur beatum Virum, extra morem, conceptam lætitiam vultûs obumbratione velantem. Quod cum ab omnibus videretur, unus ex reliquis, auctoritate concepta, causam lætitiæ percunctatur. At ille inquit: Paululùm remoremur; quia infelicis illius labor & irridendus est & dolendus, quem mox videbitis æstuantem. Cumque delapsi animalibus substitissent, paulo pòst eminus intuentur peditem, post se manu captum animal deducentem; qui brevi adjungitur, dum ille accelerat, hi morantur *: statimque vestigiis provolutus, crimen, quod commiserat, confitetur; & ita totius noctis spatio irretitum se esse retulit, ut longiùs prodire non posset, nec evadendi viam aliam reperisset, nisi ut abductum animal reformaret. Ad hæc Vir beatus; Si hesterna, inquit, die nudo tibi tegimen dedissem, furandi necessitas non fuisset. Quod deest, accipe; reforma, quod nostrum est. Itaque confessor criminis pro pœna commissi non solùm veniam, verùm etiam præmium cum benedictione suscepit,

* *al.* immorantur

ubique per viam turmatim excipitur; dæmoniacum absens liberat:

55 Quærebat Vir Deo plenus secretum & abjectionem oculi, cum virtutibus proderetur; in quo verè euangelica sententia probatur; civitatem supra montem positam latere non posse. Vitabat suorum solatia, extraneorum declinabat occursus; sed obscurari non poterat majestatis luce circumdatus. Nam vici omnes, municipia, civitates, quotquot sese per itineris ejus tramitem porrigebant,

A rigebant, in occurſum cum conjugibus ac liberis convolabant, & continuatum plerumque agmen, dum occurrentes jungebant proſequentibus, cohærebant.

XXXII. Præteriri ſilentio impium puto, in Aliſienſi loco *a* abſens quantum virtutis operatus eſt. Erat illic presbyter, Senator nomine, natalibus nobilis, religione nobilior. Conjux illi Nectariola *b*, ſimilis ſanctitate: quos præteriens, pro ſtudio antiquæ caritatis, expetiit. Advenienti præparant manſionem; & quanto major perſona aderat, tanto minor impenditur apparatus. Matrona furtim ſtramen in lectulo ſubdidit Sacerdotis; quo ille inſcius cubitavit: deductaque nocte oratione vel Pſalmis, die reddito, iter, quò agebatur, ingreditur. Illuſtrato hoſpitio familia tota gaudebat. Strati reliquias fidelis matrona collegit, & condidit. Accidit poſt dies aliquot, ut Agreſtius quidam bene ingenuus, habens uxorem, filios, & parentes, poſſeſſio fieret invadentis inimici; ſuorumque omnium fletibus non minùs Germani abſentia, quam infelicis captivitas lugebatur. Et B cum nihil remedii poſſet adhiberi, præſumpſit virtutem fidei matrona venerabilis. Stramen conditum profert, quo furioſus circumdatus colligatur. Qui per ſpatium noctis unius, quaſi appoſito vallatus incendio, inclamato ſemper nomine Sacerdotis (qui cum abeſſet præſentiâ, virtute non deerat) divino purgatur auxilio; neque umquam poſtea in omni vitæ ſuæ ſpatio periculum tentationis incurrit.

XXXIII. *Lugduni concionatur; Arelati ſuſcipitur à S. Hilario ep.* 56 Itaque ſanctus Germanus Arelatum petens, ad Lugdunenſium urbem, Arari *c* famulante, devectus eſt: ubi certantibus populi ſtudiis, indiſcreta ætas & ſexus uno occurrit officio: omnes benedictionem flagitant; tactum requirunt; &, quod ſupereſt multitudini, relevat vel vidiſſe. Diverſæ infirmitates paſſim benedictione ſanantur; prædicationibus civitas recreatur: & licet feſtinus abſceſſerit, ſitientem tamen populum doctrinæ fontibus irrigavit. Si itinera ejus cuncta percurram, ſi univerſa commemorem, parabit prolixitas congeſta faſtidium: ſed dabit Dominus veniam, quod ſciens plura prætereo. Itaque advenientem beatiſſimum Virum urbs Arelatenſis religioſa gratulatione ſuſcepit, apoſtolicum inſtar ſui temporis Sacerdotem ſuſcipiens. Illuſtrabatur eo tempore civitas Hilario ſacerdote *d*, multimoda virtute pretioſo: erat enim fidei igneus torrens cæleſtis eloquii, & præceptionis divinæ operarius indefeſſus: qui venerabilem ſanctum Pontificem affatu, ut patrem; reverentiâ, ut Apoſtolum, ſublimabat.

XXXIV. *& Auxiliare Galliarum præfecto, cujus uxorem ſanat e* 57 Auxiliaris etiam tum regebat per Gallias apicem præfecturæ: qui præſentiam Sacerdotis duplicata gratulatione ſuſcepit; quòd & inſignem virtutibus Virum deſiderabat agnoſcere; & quòd uxor ejuſdem longo jam tempore quartano tabeſcebat incommodo. Ingredienti longiſſimo præter conſuetudinem famulatur occurſu, ſimulque admiratione defigitur. Ita enim dignitas vultûs, ſermonis eruditio, prædicationis auctoritas, ſtupentis animum compleverunt; ut meritò famâ eum minorem fuiſſe cognoſceret *e*: inventus eſt enim rebus major eſſe, quàm nuntiis. Offert munera; ingerit beneficia; ambitque * à beatiſſimo Viro, ut dignaretur accipere, quod tradebat. Incommodum confitetur uxoris: qua viſitata, ita vis paſſionis extincta eſt, ut tremor præcedens, & febris ſubſequens deleretur. Redditaque priſtinæ ſanitati fidelis matrona, remedium cæleſte ſuſcepit, quo & corpus ſalubritate, & anima credulitate convaluit *f*. Acceptis itaque ex voluntate beneficiis, optatum levamen propriæ detulit civitati; licet in ſe maximum civibus & remedium referret & gaudium.

58 Denique cum multa peragraret loca, & ſalutaris doctrinæ pabulo, audientium corda, menteſque reficeret, pervenit quodam tempore ad Brivatenſem vicum *g*, ubi ſanctiſſimi Juliani martyris corpus honorabiliter habebatur humatum. Ibi namque plebs vicina mœſta pendebat, eo quod ignoraret diem, in qua beatiſſimus Martyr deberet pro virtutis ac paſſionis gloria honorari. Factum eſt autem, dum ibidem adventaret, ut ſciſcitaretur ab incolis, quo tempore hujus ſacra ſollemnia celebrarentur. At illi ſe neſcire fatentur. Tunc ille; Oremus, inquit; & fortaſſis nobis hæc Domini potentia revelare dignabitur. Adveniente autem noctis tempore, redierunt quique ad ſua. Tunc idem ſanctiſſimus Pontifex more ſolito in oratione pernoctavit. Redeunte verò matutino tempore, ac ſole orto, convocatis ſenioribus loci, ſi cui fortè Dominus aliquid depalaverit, inquirit. At illi; minimè, inquiunt, Domine. Et ille: Quinto Calendarum menſis ſeptimi celebrandam eſſe ſcitote feſtivitatem. Nam, ut mihi divinitus eſt oſtenſum, hac die hic ab infidelibus exſtinctus, ſanctorum Martyrum eſt ſocietati conjunctus *h*. Tunc devotus, qui aderat, populus, vota Præſuli reddens, optatam refert corporis & animæ medicinam.

A. Constantio presb. ex mss. *f* XXXV. *S. Juliani M. natalem ſibi revelatum Brivatenſibus indicat.* *g*

E

b

C

d

e

* *Ita cod. Valcell.*

ANNOTATA.

a Aliſienſis, *ſeu Alexienſis vel potiùs Aleſienſis tractus, vulgo* l'Auxois, *pars eſt Burgundiæ in Gallia, Divionem ad ortum, Autiſſiodorum ad occaſum, ad meridiem Auguſtodunum, & Campaniam denique ad ſeptemtrionem reſpiciens.*

b *Sed ante ſuſceptos ordines ſacros ducta; poſt eos verò in ſororem verſa; ut illis temporibus frequens ferebat uſus.*

c Arar, *ſeu* Araris, *& Saucona, vulgò* la Saone, *notiſſimus eſt Galliæ fluvius per Burgundiæ ducatum Lugdunum rectà petens, ubi Rodano exceptus, nomen amittit; Lugduno autem Arelatum uſque Rodanus vehit.*

d S. Hilarii *hujus Acta dedimus 5 Maii.*

e Ut famâ eum minorem fuiſſe cognoſceret; *ſupple: quàm præſentiâ: hæc enim majorem illum exhibebat coràm, quàm potuerat abſentem fama depingere:*

F

f *Quaſi dicat, eodem miraculo & corpus ſanatum fuiſſe, & fidem in animo mirifice confirmatam & adauctam.*

g Brivatenſis vicus, *vulgo* Brioude, *urbs eſt Galliæ in Arvernia inferiore, S. Juliani M., de quo dicendum erit die 28 Auguſti, quo colitur, ſepulcro memorabilis.*

h *Idem ex Conſtantio narrat S. Gregorius Turonenſis ep. De miraculis S. Juliani cap. 29. Patet verò ex hoc loco, quàm ſolicitæ olim fuerint eccleſiæ in Sanctorum feſtis non alio, quàm quo deceſſerant, die celebrandis.*

ARGUMENTUM

Libri primi & ſecundi.

PRimus, qui præcedit, libellus ſplendidiſſimam ejus præmonſtrat generoſitatem *a*, mirabi-

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

rabilemque converſionem, nec non & antiquorum Patrum non imparem continentiam; itinera quoque, & nonnulla in quibus mirabiliter effulſit, non ſolùm documentis, verùm etiam miraculorum ſignis. Secundus denique, qui ſubſequitur, liber, deſignat, qualiter apud Galliam & inſignis exſtitit vir apoſtolicus, & doctor egregius: & quod non ſolùm Galliam verbo pariter & exemplo illuſtraverit, verùm etiam Britanniam inſulam à Pelagiana ſorde purgavit: atque inde Ravennam perveniens, ibidem in pace quievit *b*.

b

ANNOTATA.

a Generoſitatem, *id eſt nobilitatem ſtemmatis.*

b *Hoc Argumentum, ut antea monui, legitur hoc loco in multis & vetuſtis codicibus; ut in cod. S. Lazari Æduenſis, in Bonifontenſi, Marchianenſi, Reginæ Sueciæ, Q Ms. 4, & Valcellenſi; niſi quod in hoc ſejungatur; ut etiam dictum eſt in Annotatis ad Prologum ſuprà litt.* b. *Videtur autem ex ipſis verbis, quibus conceptum eſt, ad hunc locum pertinere, tamquam tranſitus à libro priore ad ſequentem. Non auſim tamen certò affirmare, ipſius hoc eſſe Conſtantii; quia ſunt codices, in quibus deſideratur: ſed nec auſim negare; quia ſæpe in quibuſdam codicibus amputantur ab Actis, quæ ad hiſtoriam neceſſaria non ſunt; tametſi certum ſit, auctoris eſſe.*

B

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Alia ejus cum S. Severo ep. in Britanniam expeditio contra Pelagianos; alia pro Armoricanis in Italiam.

1. *Iterum revocatus in Britanniam cum S. Severo ep.* a

INterea ex Britanniis nuntiatur, Pelagianam perverſitatem iteratò paucis auctoribus dilatari *a*: rurſuſque ad beatiſſimum Virum preces omnium deferuntur, ut cauſam Dei, quam priùs obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni feſtinus occurrit; dum & laboribus delectatur, & Chriſto ſe gratanter impendit. Ceſſit tandem inimici invidia, victa virtutibus; nec tentare auſus eſt, quem Dei amicum eſſe jam ſenſerat.

2. *S. Genovefam reviſit, & ab invidis eam defendit:* b a

60 Adjuncto itaque Severo epiſcopo *b*, totius ſanctitatis viro (qui tunc Treviris ordinatus epiſcopus, gentibus primæ Germaniæ *c* verbum vitæ prædicabat) Pariſios iteratò dum expetit, totius plebis plauſu, ut tantum Virum decebat, excipitur. Benedictionem poſtulatus, ubertim omnibus impertitur. Interea pignoris inibi dudum à ſe ſpecialiùs commendati non immemor, de puella Genovefa, qualiter ſe habeat, attentiùs ſciſcitatur. Credo, ſanctum Virum minimè latuiſſe, quæ, & qualia poſt ejus diſceſſum ab obloquentibus virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes, cunctas poſtremò, quæ à lividis manare aſſolent, ſimultates. Atque ut eorum irrevocabilem in malo pertinaciam par eſſet agnoſcere, iniquæ mentis virus, & jamdudum concepta molimina, nec in ipſa ſancti Viri præſentia, aliquatenus potuere ſupprimere. Verùm ille, cui meliùs, quàm ipſis etiam ſuis eſſet nota parentibus, obtrectantium garrulitate poſthabita, ad virginis ſe diverſorium contulit, atque hanc non ſine ingenti ſtupore intuentium, adeo humiliter ſalutavit; ut adverteres, eum in illa ipſius divinitatis, cujus erat templum, præſentiam fuiſſe veneratum. Et ne adventus beati Pontificis ſacræ virgini nihil contuliſſe videretur, neve ejus inter improbos perſona inexpurgata remaneret, habito ſermone ad populum, prima converſationis ejus auſpicia declarans, cujus, & quanti eſſet apud Deum meriti, cunctis evidenter expoſuit, in argumentum tantæ rei arentem terram, cui orans ſuperjacere conſueverat, frequenti lacrymarum imbre madentem oſtentans. Itaque univerſorum animis erga innocentem paſtorali aſſertione compoſitis, iter præmaturans inceptum, mare, Chriſto auctore, conſcendit. Ad itineris tranquillitatem elementa conſentiunt; navigium venti, fluctus, aëra *d* proſequuntur.

D

d III. *in Britannia verò ſtatim prodigiis ſubacta eſt hæreſis.*

61 Interea ſiniſtri ſpiritus pervolantes per totam inſulam, Germanum venire, invitis vaticinationibus nuntiabant: in tantum, ut Elaphius * quidam, regionis illius primus, in occurſum Sanctorum ſine ulla manifeſti nuntii relatione properaverit: exhibens ſecum filium, quem in ipſo flore adoleſcentiæ debilitas dolenda damnaverat. Erat enim areſcentibus nervis, contracto poplite, cui per ſiccitatem cruris uſus veſtigii negabatur. Hunc Elaphium provincia tota ſubſequitur. Veniunt Sacerdotes; occurrit inſcia multitudo: confeſtim benedictio, & ſermonis divini doctrina profunditur: recognoſcit populum in ea, qua reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt culpam eſſe paucorum: inquirunt auctores, inventoſque condemnant.

* *al.* Elaſius, *uti & infrà*

E

IV

Cum ſubitò Elaphius manibus advolvitur Sacerdotum, offerens filium, cujus neceſſitatem ætas & debilitas, etiam ſine precibus, allegabant. Fit communis omnium dolor, præcipuè Sacerdotum; qui conceptam miſericordiam ad divinam clementiam contulerunt. Statimque adoleſcentem beatus Germanus ſedere compulit. Attrectat poplitem debilitate curvatum, & per tota infirmitatis ſpatia medicabilis dextra percurrit. Salùbrem tactum ſanitas feſtina ſubſequitur: ariditas ſuccum; nervi officia receperunt; & in conſpectu omnium, filio incolumitas, patri filius reformatur. Implentur populi ſtupore miraculi, & in pectoribus omnium fides Catholica firmabatur. Prædicatio deinde ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur: omniumque ſententiâ, pravitatis auctores expulſi ab inſula, adducuntur Sacerdotibus, ad mediterranea *e* deferendi; ut & regio abſolutione, & illi emendatione fruerentur. Quod in tantum ſalubriter factum eſt, ut in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Itaque compoſitis omnibus, beatiſſimi Sacerdotes ea, qua venerant, proſperitate reverſi ſunt *f*.

F

e

f

V. *Reverſus, Armoricanos mirificè defendit:*

62 Vix domum de tranſmarina expeditione remeaverat; & jam legatio Armoricani tractûs *g*, fatigationem beati Antiſtitis ambiebat. Offenſus enim ſuperbæ inſolentiâ regionis vir magnificus Aëtius, qui tum rempublicam gubernabat, Eochari *h*, ferociſſimo Alanorum *i* regi, loca illa inclinanda pro rebellionis præſumptione *k* permiſerat; quæ ille aviditate barbaricæ cupiditatis inhiaverat. Itaque genti bellicoſiſſimæ, regique idolorum miniſtro objicitur Senex unus; ſed tamen omnibus Chriſti præſidio major & fortior. Nec mora, feſtinus egreditur; quia imminebat bellicus apparatus. Jam progreſſa gens fuerat, totumque iter

g

h *i*

k

eques

A eques ferratus impleverat; & tamen Sacerdos noſter obvius ferebatur, donec ad ipſum regem, qui ſubſequebatur, accederet. Occurrit in itinere jam progreſſo, & armato duci inter ſuorum catervas opponitur: medioque interprete, primùm precem ſupplicem fundit; deinde increpat differentem; ad extremum, manu injecta, fræni habenas invadit, atque in eo loco univerſum ſiſtit exercitum. Ad hæc rex ferociſſimus admirationem pro iracundia, Deo imperante, concepit: ſtupet conſtantiam; veneratur reverentiam; auctoritatis pertinaciâ permovetur. Apparatus bellicus, armorumque commotio ad conſilii civilitatem, depoſito tumore, deſcendit: tractaturque qualiter, non quod rex voluerat, ſed quod Sacerdos petierat, compleretur. Ad ſtationis quietem rex exercitusque ſe recipit: pacis ſecuritatem fideliſſimam pollicetur, ea conditione, ut venia, quam ipſe præſtiterat, ab imperatore, vel ab Aetio peteretur. Interea per interceſſionem, & meritum Sacerdotis rex compreſſus eſt, exercitus revocatus, provinciæ à vaſtationibus abſolutæ.

B

VI. *pro iiſdem adiens Italiam, mutam ſanat, & prædicit obitum ſuum:*

63 Exin Italiam petiturus egreditur; cui id ſolum ſuffecerat, ne umquam labore vacuus, quiete frueretur; ſed, ut Propheta ait, ambulabat de virtute in virtutem. Nam dum præterit, ex conſuetudine pietatis familiarem ſuum Senatorem *l* presbyterum iterum viſitavit; à quo illi annotum viginti circiter muta offertur puella; cujus os, frontem, vultumque totum cum olei attrectatione benedixit; deinde conditum poculum præcepit offerri, in quo tres particulas panis manibus propriis comminutas infudit: unamque in os puellæ ipſe inſeruit; imperans, ut priuſquam acciperet, petitionem benedictionis ediceret. Quam ſtatim clara voce, antequam panem ſumeret, poſtulavit: ac deinceps uſus loquendi, natus ex mirabilibus, in reliqua ejus ætate permanſit. Deinde profecturus, ſolito affectuoſiùs in amicum irruit: os, frontem, oculos oſculatur: inhæret amplexibus, & hujuſmodi verbis ſalutatum reliquit: Vale in æternum, frater cariſſime; vale, animæ meæ portio: tribuat Deus, ut nos in die judicii ſine confuſione videamus; ceterùm

C in hac luce mutuo numquam fruemur aſpectu.

VII. *affluxus populi & veneratio; colloquium cum S. Caſſiano ep. defuncto:*

64 Erat iter illius comitatu proprio ſolitarium; ſed occurrentibus ab hominibus conſtipatum; in tantum, ut per omnes aggeres, quos in itinere ſuo illuſtratos reliquit, uſque in hodiernum diem, ubicumque aut oravit, aut docuit, oratoriæ * cellulæ, & ſigna Crucis elata præfulgeant. Territorium ſanè Auguſtodunenſe dum præterit, advenienti multitudo indiſcretæ ætatis & ſexus occurrit. Qui dum loca Sanctorum ex more circumiret, tandem pervenit ad tumulum ſancti Caſſiani pontificis *m*. In quo ita divina virtus apparuit, ut in Pario lapide contrarius color Crucem exprimeret, & ſalutare ſignum varietas diſtincta monſtraret. Quod cum Germanus ſanctiſſimus fuiſſet intuitus, fuſis ex more Chriſto precibus, ait: Quid hîc agis, frater glorioſe? At ille ſtatim è tumulo, cunctis, qui aderant audientibus; Dulci, inquit, in pace quiete potior, & adventum Redemptoris exſpecto. Cui Germanus mutua ſermonis voce dixit: Quieſce per longum in Chriſto, frater, tempus: ut autem divinæ tubæ cantum & exoptati clangoris ſonum ac ſacræ reſurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis, & pro hac plebe, attentiùs intercede ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Miranda eſt in ſancto Viro principalis miraculorum eminentia, cui cuncta, imis etiam ſepulcris abdita, famulabantur ad votum. Et ſingula quidem, quæ ab eo mirabiliter ſunt geſta, præcipua ſunt admiratione ſuſcipienda; hoc verò eò mirabile; quo infrequens eſt. Cujus enim animum admiratio non percellat, duos non incelebres viros, quos nulla umquam mutui conſpectûs alternitas præſentaverat, alterum à viventibus, à ſepultis alterum ſeruiſſe *n* colloquia? Uterque nimirum beatæ illius & ſupernæ Hieruſalem civis erat, cujus pars jam cælo fruitur, pars adhuc in terris peregrinatur. Quo factum eſt, ut is, qui jam patriam obtinebat, exulantem licet adhuc, Commilitonem agnoſceret, agnitique votis atque alloquio reſponderet.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

n

65 Illic in conventu omnium proſtrati in terram parentes, filiam in annis nubilibus obtulerunt, cui debilitas pœnam ſæviſſimam temporis acceſſione generaverat. Ab ortu enim nativitatis ſuæ ita; contractis nervis, in palmam digiti curvabantur; ut, creſcentibus introrſum nimiè unguibus, cedente carnis teneritudine, tot inciperent eſſe vulnera, quot digiti: & niſi inſiſtenti acumini oſſa objecta aliquatenus reſtitiſſent, palmam totam ulcera interiùs immerſa tranſfoderent. Hujus dexteram comprehenſam dum attrectat Sacerdos, tactûs ſalubritate benedixit; apprehenſoſque ſigillatim digitos, cedentibus nervis, in uſum flexibilem revocavit; redditurque miniſterio manus, quæ inferebat ſibi ipſa perniciem. Inſuper id pietatis adjungit, ut ſanctis manibus, directis jam digitis, exceſſum unguium ad formam communis conſuetudinis reſecaret.

VIII. *contractio manûs ſanata.*

E

66 Decurſis itaque civitatibus Gallicanis, dum Alpes, Italiam ingreſſurus, exſuperat; caſu artificibus, ex opere mercenario domum redeuntibus, itineris collatione ſociatur. Qui dum gravati injuſtis faſcibus, juga nubibus inſerta conſcendunt, torrente obvio tenebantur, qui in illis præruptis præcipitiis neque animalium neque hominum veſtigia fideliter hærere patitur *o*. Erat ex his viator unus & claudus & ſenior: hujus faſcem Vir beatiſſimus humeris ſuis inter vaſtos gurgites deportavit; eumque exoneratum, iterato tranſitu, ſubjecta cervice tranſpoſuit. Libet hîc parumper ſubſiſtere, & in admiratione tanti Viri aliquamdiu ſpatiari. Verè Dominus in Sanctis ſuis potens, verè omnipotens; verè fons benignitatis ejus nullis verborum ſuffragiis explicandus! Cernetes, ſi adeſſes; in ſancto Viro ingenuam quamdam ſpiritus carniſque palæſtram; invictam dico animi fortitudinem, imbecillitati corporeæ concertantem. Is certè, cujus faciem ſqualidus jejuniorum pallor confecerat *p*, cujus inediam ſeptimus plerumque dies pane tantùm hordeaceo recreabat, cujus ſomnum ſtratus mollior numquam exceperat, quem continui itineris quotidiana fatigatio diſtrahebat, qui denique ſemetipſum ferre vix poterat, tantam ſubitò caritatis concepit animo corporeque virtutem; ut nec ponderis quantitate addictus *, nec torrentis obvii impetu territus, ſenem ætate pariter & debilitate graviſſimum, faſce priùs tranſpoſito, ſanctis in humeris vectitaret. Et ut plus mireris negotium, animadverte, hoc à nobili & clariſſima perſona patratum, quod nec infimus quiſque noſtri temporis facere dignaretur. Re enim vera ab operibus miſericordiæ alienum ſe reddere non poterat, in cujus ſacro pectore humilitas, virtutum mater, caritas quoque ac miſericordia gratiſſimum cubile collocaverat. Et cum ſtudioſiſſimè ſui agnitionem abjectione velaret, Mediolani, quis aut quantus eſſet, celare non potuit.

IX. *Caritatis, miſericordiæ, & humilitatis inſigne faciens.*

F

P

* *ſupple* ipſui *vel* exitio

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

ANNOTATA.

a *De hac ſecunda* S. Germani *in Britanniam expeditione vide Commentarium prævium* § 6, *num.* 64.

b *De* S. Severo ep. *Trevirenſi agetur* 15 *Octobris.*

c *Atqui Treviri pertinebant ad Belgicam primam : ſed hæc aliò ſpectant.*

d *Videtur hic eſſe ſolœciſmus : cum accuſativum caſum ſingularem* aëra *adhibeat Conſtantius pro nominativo plurali* aëres. *Certè vocem hanc ſive in ſingulari ſive in plurali numero generi neutri adſcriptum apud grammaticos nondum inveni.*

e Ad mediterranea, *id eſt extra inſulam Britanniæ ; puta vel in Gallias ; ut cenſet Tillemontius art.* 8 *: vel in Italiam ; ut habet Hiſtoria epp. Autiſſiod. cap.* 7, *ubi dicitur :* Teſtantur hodieque quam plurimi, didiciſſe, prædictos hæreticos à Germano ſanctiſſimo, Cæleſtino Papæ fuiſſe tranſmiſſos. *De Cæleſtino tamen id certò falſum eſt, utpote qui tum annis circiter quindecim è vivis exceſſerat.*

B f *Hic ſequebantur in cod.* 13 *reginæ Sueciæ quædam Conſtantio malè ſuppoſita, & ex Herico in Miraculis num.* 10 *&* 11 *huc intruſa.*

g Tractus Armoricanus *is eſt, ad quem pertinet Britannia minor in Gallia ; multo tamen hic olim longiùs latiúſque porrigebatur, ſi (ut quidam volunt) provincias Lugdunenſem ſecundam & tertiam, ſeu totam ſimul Britanniam Gallicam, Normanniam, & quæ utrique ſunt vicina, complexus eſt.*

h *Alii legunt* Eocharich. Hic eſt Eocaricus, vel Eocricus, quem Tiro Proſper in Faſtis Vitricum pro Jucrico appellat, aitque Theodoſio XVII & Feſto Coſſ. reipublicæ Romanæ fidelem & multis documentis bellicis clarum habitum eſſe, *inquit, ſed non probat, Valeſius Rerum Francicarum lib.* 4 *ad annum* 439.

i Alanorum. *Ita Mss. Chiffletiana, uti & Marchianenſe, Audomarenſe, Valcellenſe ; & idem legit ſeculo nono Hericus tam in Vita metrica, quam in Miraculis. Totus autem hic numerus deeſt codici Boniſontenſi, & noſtro Q Ms.* 4; *ut adeo nullum viderim, qui cum Surio ſcribat,* Alemannorum. *Porrò Alanos in Galliis ab anno circiter* 406 *remanſiſſe, cenſet ibidem Valeſius ; & alios quidem ad Rhodanum, alios ad Ligerim,*
C *Valentiniano imperante, diviſos conſediſſe ſub ſuo quoſque rege, Sangibano ſcilicet & Eochare, ſive Eocharich.*

k *Vide Hericum in Vita metrica num.* 120 *& in Miraculis num.* 24 ; *ubi Armoricanos atro calculo depingit.*

l *Eumdem illum, de quo ſupra, num.* 55.

m *De* S. Caſſiano *ep. Auguſtodunenſi quam primùm agemus die* 5 *Auguſti. Floruit ſeculo quarto.*

n Seruiſſe. Sero eſt duplex. Unum notat Necto, Jungo : & facit ex ſe ſerui, ſertum : alterum ſignificat Semino : ac facit, ſevi, ſatum, *inquit Voſſius in Lexico etymologico.*

o *Plerique codices habent*, patiuntur ; *quod referri debet non ad unum illum torrentem, de quo hîc agitur, ſed ad omnes in jugis Alpinis huic ſimiles.*

p *Ita Chiffletii Mss. cum San-Maximiniano, Marchian., Boniſont., & Q Ms.* 4. *Alii habent*, Cujus faciem ſqualidus, *omiſſis ceteris ; quod, quia nullam ſententiam exprimebat, credo, immutaſſe Surium, ac repoſuiſſe*, Cujus facies ſquallida.

D

CAPUT II.

Miracula in hoc itinere plurima ; feliciſſimus obitus apud Ravennates ; defuncti honores, & tranſlatio ad eccleſiam Autiſſiodorenſem magnificentiſſima.

x. *Sanctus Mediolani proditur à dæmone, quem mox expulit.*

ERat autem dies Sanctorum *a* ſolemnitate venerabilis, qui in unum plurimos collegerat ſacerdotes. Et dum Miſſa ſacris myſteriis celebraretur altari, incognitus & improviſus ingreditur. Statimque unus è populo, captivus inimici, cum ingenti vociferatione proclamat : Cur nos in Italia, Germane, perſequeris ? Sufficiat tibi, quod nos de Galliis excluſiſti : ſufficiat, quod nos, & Oceanum mare oratione ſuperaſti. Quid univerſa perluſtras ? Quieſce ; ut nos quieti eſſe poſſimus. Fit admiratio & terror in populo. Quis eſ- E
ſet Germanus, dum alter alterum intuetur, inquiritur. Et licet habitu deſpicabilis videretur ; vultûs tamen dignitate cognoſcitur. Conſultus, gradum aut ordinem non negavit. Epiſcopi omnes Sanctum Dei digna humilitate venerantur. Exorant, ut furioſum, qui nomen ejus confeſſus fuerat, viſitaret. Quem non præſumptionis cothurno, ſed obedientiæ ſtudio præcepit exhiberi ; remotumque in ſecretario * ; celebri abſolutione * *al.* ſacrario
purgatum, ad conventum publicum revocavit incolumem. Hoc primum virtutis ſuæ ſignum in Italia per Famulum ſuum Chriſtus operari dignatus eſt. Concurrebat diverſa populi multitudo, benedictionem expertæ ſanctitatis opperiens. junctiſque cum prædicatione miraculis, & animas curabat, & corpora.

xi. *Eleemoſyna data, ſtatim aliâ centuplâ compenſatur.*

68 Egreſſus urbe opulentiſſima, dum iter ſenſim horis felicibus carpit, occurrunt pauperes, eleemoſynam poſtulantes. Conſulit diaconem, quantum eſſet in ſumptibus. Tres tantùm aureos eſſe, reſpondit. Totoſque ſtatim præcepit erogari. Ad hæc diaconus : Unde victuri hodie ſumus? Reſpondens ait : Paſcet Deus pauperes ſuos : tu, quod habes, indigentibus præſta. Diaconus, quaſi providus, duos erogat, reſervat unum. Dumque iter agitur cœptum, intuentur poſt ſe equites concitatos ; qui brevi adjuncti, ſtatim deſiliunt ; & provoluti genibus, hujuſmodi precem fundunt : Dominus noſter, vir ſpectabilis, Leporius non longè abhinc domicilio fruitur ; qui cum familia ſua ita implicitus diverſo tenetur incommodo, ut & propria, & ſuorum infirmitate ſuccumbat. Cujus ad vos lacrymas deportamus. Infirmum, ſi dignum ducitis, viſitate. Si verò precem noſtram occupationis veſtræ neceſſitas vincit, orationem interceſſionis impendite. Mereatur benedictionem, ſi non meretur aſpectum. Ad hæc Vir beatiſſimus repletur miſericordiâ ; &, relicto itinere, ea via rectior judicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Divertit, reclamantibus ſuis ; & deſideratum petentibus præſtat adventum, dicens : nihil mihi prius eſt, quàm Domini præcepta complere. Tum illi cum exultatione & gaudio ducentorum ſolidorum munus, quod tranſiniſſum fuerat, obtulerunt. Deinde converſus ad diaconem, ait : Accipe, quæ traduntur ; & intellige, te fraudem feciſſe pauperibus : nam F
ſi

A si totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. Contremuit diaconus, ſecretum reatûs ſui innotuiſſe Pontifici.

XII. *Familiam totam ægrotantem uno die ſanat.*

69 Interea gradum accelerant: pervenitur: & tamquam manifeſta ſanitas fuiſſet ingreſſa, ita omnium animos Sancti relevavit adventus. Notas profert & exerit medicinas; Chriſtum proſtratus exorat; ſuiſque lacrymis gaudia mercatur aliorum. Viſitantur domini, viſitantur & famuli; ac ſine ulla diſcretione perſonæ tuguria circumit, cubilia univerſa perluſtrat; &, interpoſito unius diei ſpatio, ita cæleſtes medicinas obtinuit, ut egrediens die tertia, domum totam reliquerit incolumitate gaudentem; proſequente eum domino, quem lectulo invenerat decumbentem *b*. Præcedebat enim venerabilem Virum fama laudabilis, exigens, ut nuntiati deſideraretur agnitio.

b

XIII. *Ut ab imperatore &c. exceptus fuerit Ravennæ; quæ acceperit, ac dederit munera:* * *forte* affectus

70 Ferebatur jam per ora Ravennatium populorum: & adventûs ſui moras prævius accuſabat effectus *. Tandem diu exſpectatus excipitur. Providerat quidem, ut nocturno ingreſſus ſilentio, ſecreta obſcuritate tegeretur; ſed deſiderantium excubias vitare non potuit. Illic Petrus *c* tum pontifex, Chriſti eccleſiam apoſtolica inſtitutione retinebat.

c

XIV. B *d*

Regebat etiam Romanum imperium Placidia regina, cum filio Valentiniano jam juvene *d*; qui ita fidem Catholicam diligebant; ut, cum omnibus imperarent, Dei famulis ſublimi humilitate ſervirent. Qui omnes venerabilem Sacerdotem certantibus ſtudiis provido amore ſuſcipiunt. Ambiunt principes, occurrunt proceres, eccleſia cum exultatione amplectitur. Ad diverſorium Sacerdotis regina venerabilis vas argenti ampliſſimum, refertum cibis delicatioribus ſine ulla carnis admixtione, tranſmiſit. Quod ſuſceptum ea ratione diſtribuit, ut cibos miniſtris ſuis traderet; ipſe verò vendicaret argentum; remittens loco muneris patenulam * ligneam, panem hordeaceum continentem. Quod illa utrumque cum ingenti gratulatione complexa eſt; quòd & argentum ſuum tranſmiſiſſet ad pauperes, & illam eſcam beati Viri cum miniſterio abjecti vaſculi ſuſcepiſſet. Nam & lignum poſtea auro ambiit, & panem multis remediis & virtutibus reſervavit.

* *al.* patinulam

XV. *ibidem captivos prodigio liberat, ſanat ægros &c.* C

71 Quadam die, dum plateam latiſſimam turbis anguſtatus ingreditur, carcerem refertum vinctis, ſupplicia & mortem exſpectantibus, præteribat. Qui, agnito tranſitu Sacerdotis, unum clamorem collatis vocibus ſuſtulerunt. Cauſam requirit; agnoſcit: cuſtodes evocat; ſubtrahuntur. Diverſæ enim palatii poteſtates miſerorum turbam in ergaſtuli illius noctes damnaverant. Quò ſe verteret, miſericordia non habebat. Tandem ad notum recurrit auxilium; & quod difficile erat ab hominibus impetrare, à majeſtate Dei poſcit: greſſum divertit ad carcerem: cernuus in orationem membra proſternit. Tum verò Dominus noſter adſtantibus populis gratiam, quam Famulo ſuo tribueret, oſtendit. Clauſura, vinculis & ſerâ conſtricta, diſſolvitur: repagula ferrata diſſiliunt: divina pietas referat, quod meditatio humanæ crudelitatis artaverat. Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens vacua onera catenarum; tenens nexus, quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquando, quia vacuus; &, præcedente pietatis triumpho, turba miſerorum gremio eccleſiæ gaudentis infertur.

XVI. Creſcebat quotidie admiratio & fama Pontificis: occurrebant populi; ſanabantur infirmi; Chriſtuſque gratiam, quam contulerat, dilata-

bat. Aſſidebant jugiter obſequentes ſex venerabiles ſacerdotes *e*; qui non minùs abſtinentiæ ejus cruces ſine interpolatione durantes, quàm virtutes aſſiduas mirabantur. Hi teſtes operum illius multis fuere temporibus *f*.

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS. *e f*

XVII. *mortuum ad vitam revocat:* *g* * *al.* adoleſcentiæ

72 Voluſiani cujuſdam filius, qui tum patricii Segiſvulti cancellis præerat *g*, ſuccenſus igne febrium vexabatur; & ità æſtuantis vaporis accenſio, adoleſcentis * medullas corpuſque conſumpſerat, ut deſperatio conclamata ſequeretur. Medici manus & promiſſa jam ſubtrahuntur, luctuſque ſolus parentibus reſervatur. Ad beatum Virum ſpes tarda convertitur: parentes cum amicis omnibus & propinquis Sancti genibus implicantur. Additur etiam interceſſio ſacerdotum, cum quibus feſtinus expetit ægrotantem: euntibuſque occurſor obvius, adoleſcentem jam mortuum nuntiavit; nec eſſe cauſam, qua ſe Vir venerabilis fatigaret. Inſiſtunt tamen antiſtites; ſupplicant, ut cœptum miſericordiæ impleret officium. Inveniunt corpus exanime, &, vitæ calore repulſo, mortis rigore jam frigidum: depoſitaque pro animæ requie oratione, remeabant; cum ſubitò multitudinis luctus attollitur: inhærent ſeniores *h* ſui manibus Sacerdotis, ut pro parentum orbitate, & defuncti reditu Domino ſupplicaret. Diu reſiſtit, ſancto pudore confuſus: ceſſit tandem miſericordiæ & caritatis imperio. Fidei arma concutiens, turbas ejicit; mortuoque, in oratione proſtratus, adjungitur: rigat lacrymis terram; in cælum alti gemitus porriguntur; vocat planctibus Chriſtum. Interea movetur exanimis, & paulatim membris emortuis vitalia redduntur officia. Oculi lucem quærunt; micant digiti; lingua jam reſonat: uterque conſurgit; iſte de oratione, ille de morte. Germanus manu allevat dormientem: reſidet, reſpirat, reficitur, reſpicit; paulatimque vigore concepto, integram recipit ſoſpitatem. Redditur parentibus filius; luctus vertuntur in gaudium, & uno clamore populorum, virtus majeſtatis extollitur. Continuat Chriſtus virtutes in Famulo; & mox recipiendum in requiem, miraculorum laude ſublimat.

h

E

XVIII. *liberat energumenum:* F

73 Acholii eunuchi, tum præpoſiti regalis cubiculi, alumnus, jam juvenis liberaliter inſtitutus, hujuſmodi dæmonio vexabatur, quod per menſtruum tempus, redeuntibus incrementis lunaribus, captivos ſuos caduca alliſione proſternit. Interventu reginæ vel procerum, ſancto Viro præſentatur & traditur. Quem diu examinatum purgare die eadem diſtulit; cum ſoleret furioſiſſimos dæmones prima manûs impoſitione depellere. Ita enim miſerandi juvenis medullas & interiora penetraverat, ut quaſi vas proprium certis temporibus poſſideret. Recludi ergo eum ſecum nocte conſtituit. Tum verò ex interioribus latebris manifeſtus erupit; & quaſi inter tormenta compoſitus, tempus indicat, quo ab ineunte ætate ceperat innocentem. Itaque juſſus egreditur: purgatuſque adoleſcens poſt diem alterum palatio reformatur. Cauſam ſanè Armoricanæ regionis, quæ neceſſitatem peregrinationis indixerat, obtenta venia & ſecuritate perpetua, ad proprium obtinuiſſet arbitrium; niſi titubationis perfidia mobilem & indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam revocaſſet. Quo facto, & interceſſio Sacerdotis evanuit, & imperialis crudelitas * circumſcriptione fruſtrata eſt. Qui tamen pro calliditate multiplici, brevi pœnas perfidæ temeritatis exſolvit *i*.

* *id eſt*, indignatio

i

XIX. 74 Germanus igitur quadam die, matutinali ſolemnitate perfecta, dum cum epiſcopis ſermonem

A. CONSTANTIO PRESB. EX MSS.

nem de religione conferret, mœstissimam protulit mentionem, inquiens: Commendo vobis, fratres carissimi, translitum meum. Videbar mihi per nocturnum soporem à Domino nostro viaticum peregrinaturus accipere; & cum causam peregrinationis inquirerem; Ne metuas, inquit; ad patriam, non ad peregrinationem, te dirigo; ubi habebis quietem & requiem sempiternam. Derivabant intellectu aliò somnium sacerdotes; sed ille studiosiùs commendabat extrema, dicens: Bene novi, quam patriam Deus suis famulis repromittit. Factum est, ut post dies aliquot *k* sequeretur incommodum; quo ingravescente, civitas tota turbatur. Accelerabat transitum, qui vocabat ad gloriam; & fessum à laboribus Dominus invitabat ad præmia.

obitum suum instare, divina revelatione prænoscit:

k

XX. 75 Regina Placidia, depositio imperii supercilio, occurrit pauperi, requirit infirmum, tribuens quidquid ab ea beneficii postulat. Peculiariter sanè petiit, quod illa invita concessit, ut gleba corporis sui patriæ redderetur. Visitantûm verò tanta fuit diebus ac noctibus multitudo, quantam aut admisit aditus, aut domus recepit. Tempus omne choris psallentibus tenebatur. Septimo incommodi die ad cælos anima felix & beata transfertur.

paulo post moritur, reliquias certatim captantibus qui aderant.

B

XXI. Hereditas deinceps relicta dividitur: partem præsumpsit imperium; partem vendicant sacerdotes. Et quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest quod capiant. Solius benedictionis heres capsulam cum Sanctis * regina suscepit. Cucullam cum interiori cilicio Petrus episcopus * usurpavit. Sex verò antistites, ut aliquid monumenti ex successione sanctitatis acciperent, dirumpere quod superfuerat maluerunt. Unus pallium, cingulum alter accepit; duo tunicam, duo sagulum *l* diviserunt.

* *Valcl. & al.* cum reliquiis
* *nempe* Chrysologus

l

XXII. 76 Deinde apparatu defuncti fervent studia conferentium; accusantium, cur parva expensa Mortuo deberetur. Acholius corpus aromatum constrictione solidavit; regina vestivit. Quibus omnibus rite perfectis, expensis & evectionibus iter instruit imperator, ministrosque ejus copiosa largitione prosequitur. Sacerdotes religionis obsequium & in præsenti instruunt, & ordinatione præmittunt; unumque agmen informatur ad Gallias.

Institutio funeris; translatio in Gallias; miraculum Placentiæ factum.

XXIII. Placentiam corpus dum præterit, cæcâ jam nocte pervenit. Quod in ecclesia collocatum, dum vigiliis sanctæ devotionis excolitur, matrona quædam loci ejus, paralysi dissoluta, ita ut nullum membrum suo fungeretur officio, precariò deposcit, ut feretro corporis subderetur. Ibique usque ad lucem extenta decubuit. Maturè corpus attollitur; surgit & mulier; & vivificata per Mortuum, mirantibus populis, propriis pedibus debitum reddit obsequium *m*.

C

m

XXIV. Excipiunt Galliæ Patronum proprium majore famulatu; quippe ubi reverentiæ jungebatur affectus. Omne hominum genus diverso occurrit officio. Alii vias, præruptis depositis, molliunt, & pontium innovatione continuant: alii expensas ingerunt: alii Psalmis intonant: alii colla supponunt. Refulgebat, repercusso solis radio, splendorem sibi etiam per diem vendicans luminum multitudo; totoque ministerio caritatis, propriæ redditur civitati; ubi sepultus corpore, quotidianis miraculis vivit & gloria.

XXV. 77 Ego *n* duplicem veniam à te, lector, exposco. Primùm, quòd solœcismis & abjectione verborum aures tuas vulnero; deinde, quòd prolixior pagina videtur parere fastidium. Sed non pigeat recensere, quod Christum præstare non piguit; qui dum Sanctos suos glorificat, nos invitat exemplo. Et tamen Deum testor, conscium secretorum, me plura de domini mei Germani factis agnita & probata tacuisse: ex quo reum me esse fateor, supprimendo, quod mirabiliter ad profectum omnium divina virtus operata est. Et ideo in scribendo succinctum magis me arbitror fuisse, quàm nimium *o*.

n

D

Epilogus auctoris, excusantis, quod multa omiserit.

o

Sedit *p* autem isdem domnus & apostolicus vir, sanctissimus Germanus, in episcopali cathedra annos XXX, dies XXV. Obiit verò plenus Spiritu sancto apud Ravennam Italiæ civitatem, pridie Kalendas Augusti, Valentiniano adhuc juvene imperante cum Placidia matre: à quibus ibidem pro admiratione sanctitatis, ac assiduitate miraculorum honorificè susceptus, Domino Christo sibi apparente, obitum suum prænoscens, obtinuit ut propriæ redderetur civitati. Cujus sacratissimum corpus, honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, suam est delatum ad urbem: ibique sub die Kalendarum Octobrium à propriis civibus, celeberrimo cultu, condignæ est sepulturæ traditum. Ubi innumerabilibus virtutibus pollens, summâ excolitur gloriâ.

p

E

EXPLICIT VITA S. GERMANI EPISCOPI.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Fulgida fulgentem Germanum sidera captant.
Florida florentem Germanum millia plaudunt.
Cælica cælestem Germanum carmina cantant.
Splendida splendentem Germanum gaudia pangunt *q*.

q

ANNOTATA.

a Sanctorum, *Gervasii, opinor, & Protasii MM., quorum solennitas agitur Mediolani* 19 *Junii. Vide etiam, si lubet Violam cap.* 19; *ubi illum refutat, qui crediderat, hîc assignari festum Sanctorum omnium, tunc nondum institutum.*

b *Hoc miraculum Puricellus Dissertationis Nazarianæ cap.* 62 *accidisse putat in pago Niguarda, haud procul Mediolano, ob ecclesiam* S. Germano *ibi ab antiquissima memoria erectam, idque occasione, ut ipse conjicit, hujus prodigii.*

c Petrus, *ab aureo sermone dictus* Chrysologus, *de quo agendum erit* 2 *Decembris. Obiit anno, ut creditur,* 450.

d *Natus enim erat Valentinianus III anno* 419, *mense Julio: anno igitur* 448, *de quo hîc sermo est, agebat annum ætatis* 29, *eumque jam propè compleverat.*

e Sacerdotes; *episcopos intellige; qui tum fortè negotiorum causâ Ravennam, ubi residebat imperator, unde unde venerant.*

f *Id est, diu superfuerunt, testantes quæ in* Germano *Ravennæ mirari satis non potuerant: unde horum aliquos, hæc Acta scribente Constantio, superstites fuisse, putat Hericus in Prologo ad Miracula num.* 3.

g *Nunc* primum secretarium *vulgus appellat.*

h Seniores *hîc ambiguè ponitur; ut nescias, an ad episcopos comites referri debeat; an ad Segisvultum ejusque conjugem, qui erant* sui, *hoc est adolescentis,* seniores *seu domini; an tandem ad ejus parentes. Videntur mihi antistites notari potissimùm; ut quibus* S. Germani *merita magis erant perspecta, majoremque fiduciam tanti prodigii facerent.*

i. *Hoc de populo Armoricano dicitur, non de imperatore. Adi S. Hericum in Miraculis num.* 25.

A 25. *Sequebatur hîc in Chiffletii codice Æduensi miraculum suscitati ad vitam aselli ; sed quia inter exemplaria Vitæ Constantianæ Mss., aliud nullum vidimus, in quo illud legatur, Constantio abjudicandum putavi, & ad Appendicem secundam post Herici Miracula relegandum, ubi legi potest num.* 4, *cum subnexis observationibus.*

k *Puta die septimo ante obitum, ut mox dicetur, seu* 25 *Julii.*

l *Est* sagulum *vestis militaris, qua loricati superindui solebant. Tillemontius art.* 9 *ne ejusmodi vestem episcopo dare videatur, vertit* sa robe, *quod adeo vagum est & latè patens, ut si* sagulum *hîc vestimentum seu indumentum qualecumque significet, non facile possit interpres ille erroris argui. Sed ego indumentum hîc intelligi nullum existimo; sed lodicem seu stragulam, qua noctu obtectus dormiebat, juxta eumdem Constantium suprà num.* 11 : Stratum omne subjecto cilicio, & superposito uno tantùm sagulo fuit. *Et verò* sagum *etiam alibi hoc sensu usurpatum invenies, lector, apud Cangium, & alios.*

m *Prosequendo scilicet cum aliis illustre funus.*

B n *In codice S. Maximini sicut antea Prologus omissus fuit, sic omittitur hoc loco Epilogus, & quidquid sequitur. Idem de Q Ms.* 4 *dictum puta ; sed & alia multa in utroque truncantur.*

o *In Ms. quodam Belfortiano hîc sequebantur capita sex ; sed ex Herici Miraculis huc assuta, & verbis quidem iisdem. In codice verò reginæ Suecicæ huic Epilogo addebatur,* Explicit. *Post quam tamen vocem ea sequebantur, quæ & nos subjicimus.*

p *Hîc Chiffletius hanc notam præmittit :* In codice S. Lazari Æduensis & in tribus aliis, quos legimus, sequebantur quæ hîc subjicimus de S. Germani chronologia : quæ nisi sunt Constantii ipsius, sunt certè vetusti & accurati scriptoris. *Addo ego Mss. Marchianense, Audomarense, Valcellense, & quod secutus est Surius ; imò & quod præ oculis habuit S. Hericus in Miraculis num.* 23, *ubi partim substantiam, partim verba hinc desumens, subdit :* Ut liber Gestorum ejus satiùs explicat. *Videtur hæc proinde tamquam libri Constantiani partem agnoscere.*

q *Ita Cod. Valcellensis ; sed cum hi versus nihil admodum salis habeant ; vix eos esse quis credet Constantii, quem inter excellentes poëtas recenset S. Sidonius Apollinaris : accedit, quod non invenerit eos in suis Mss. Chiffletius ; sed & prætermittuntur in quibusdam aliis : in quibus autem non omittuntur, alio loco leguntur, quàm quo habet Ms. Valcellense, ut apud Surium videre est.*

C

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

EADEM VITA,

AUCTORE S. HERICO MONACHO,

à stylo Constantii soluto ad ligatum revocata ; ex vetustissimo Ms. Lobiensi, collato cum perantiquo codice Lugdunensi, & Ms. Belfortiano.

EPISTOLA

auctoris dedicatoria ad Carolum [*Calvum*] *regem simul & imperatorem præcellentissimum* a.

E

a

IMmortalibus sceptris prædestinato, regumque omnium præcellentissimo Carolo, perpetuo triumphatori ac semper augusto, Heiricus, cœnobitarum extimus, instantem ac perpetuam in Domino felicitatem. Quoties memoriâ replico, altitudinem vestram * sceptra paterna non modò virtute, consilio, prudentiaque regere ; verùm etiam non minore studio ex intimis sapientiæ speculis, veræ pulchritudinis colores ducere, hisque tempora, perditis fœdata moribus, informare ; subinde in spes optimas erigor, ejusque sæpe numero, quæ ante nos dicta est, sententiæ veritate repungor, felicem fore rempublicam, si vel philosopharentur reges, vel philosophi regnarent. Quamquam non insciens sim, eam, quæ nunc respublica dicitur, usque adeo vitiorum omnium proluvie obsoleviſſe *, ut de ejus salute merito desperetur à pluribus, quòd nec virtute subigi, nec sapientiâ patitur moderari. Multa sunt vestræ monumenta clementiæ, multa symbola pietatis : illud vel maximè vobis * æternam parat memoriam, quod famatissimi avi vestri Caroli *b* studium erga immortales disciplinas, non modò ex æquo repræsentatis ; verùm etiam incomparabili fervore transcenditis : dum quod ille sopitis eduxit cineribus, vos fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis usquequaque provehitis ; imò (ut sublimibus sublimia conferam) ad sidera perurgetis. Ita vestra tempestate ingenia hominum duplici nituntur adminiculo ; dum ad sapientiæ abdita persequenda omnes quidem exemplo allicitis ; quosdam verò etiam præmiis invitatis.

Carolus amat fovetque litteras,

* *Belfort.* tuam *ubique*

* *al.* insordiisse

F

* *Belfort.* ti- bi *singulariter ubique*

b

2 Hùc accedit illud veritatis inexpugnabile argumentum, quo se vestra singularis prudentia contra emergentes forte querimonias circumspecta satis ratione tuetur : ne enim nostra inertia, quæ suam sponte amplectitur cæcitatem, velum sibi excusationis de ignorantia obduceret, neve de præceptorum inopia merito causaretur, id vobis singulare studium effeciſtis, ut ſicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam philosophia pollicetur, hoc ad publicam eruditionem undecumque vestra celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret.

evocatis è Græcia & Hibernia,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Luget hoc Græcia, novis invidiæ aculeis laceſſita: quam ſui quondam incolæ jam dudum cum Aſianis opibus aſpernantur, veſtra potiùs magnanimitate delectati, ſtudiis allecti, liberalitate confiſi: dolet, inquam, ſe olim ſingulariter mirabilem, ac mirabiliter ſingularem, à ſuis deſtitui: dolet certè, ſua illa privilegia (quod numquam hactenus verita eſt) ad climata noſtra transferri. Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine, penè totam cum grege philoſophorum ad littora noſtra migrantem? Quorum quiſquis peritior eſt, ultro ſibi indicit exilium; ut Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.

imò undequaque viris eruditis:

3 Itaque, Cæſar invictiſſime, penè eſt, ut univerſus orbis novas in te ſtruat controverſias, novis adverſùm te declamationibus invehatur: qui dum te tuoſque ornamentis ſapientiæ illuſtrare contendis, cunctarum fere gentium ſcholas & ſtudia ſuſtuliſti: ſublatis enim præceptoribus, confine & conſequens eſt, facile omnium ingenia otio congelaſſe. Ita namque ſpretis ceteris, in eam mundi partem, quam veſtra poteſtas complectitur, B univerſa optimarum artium ſtudia confluxerunt; ut veriſimile habeam, jam dudum eas humanæ peroſas inertiæ, terris penitus exceſſiſſe, niſi veſtræ integritatis amplitudine tenerentur; in quà etiam unicum ſuæ profeſſionis culmen ac faſtigium (ut palàm eminet) mirabiliter collocarunt. Hinc eſt, quod, cum ſit perantiqua ſententia, Silent leges inter arma; hæc tamen, tam belli quam pacis tempore, apud vos plurimum ſemper obtinent dignitatis. Ita ut meritò vocitetur ſchola palatium: cujus apex, non minùs ſcholaribus quàm militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis. Quidquid igitur literæ poſſunt, quidquid aſſequuntur ingenia, vobis debent; vobis, inquam, qui natus ad agendum ſemper aliquid dignum viro, cum virtute præcellitis, tum etiam ſapientiâ refulgetis.

inter quos excellens Lotharius, ipſius Caroli filius, multa ſcrutando,

4 Quorſum iſta protulerim, illud in cauſa eſt: divæ memoriæ Hlotharium, veſtræ filium majeſtatis, annis puerum, mente philoſophum, ingenuè profiteor animi indole & ſolertiæ opibus (ut vobis uni concedam) præ ceteris ſui ævi mortalibus extitiſſe pretioſum. Is, quod veſtra diſpoſitione & Deo devotus, & beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in Sanctum, tantum ardoris in locum conceC perat, ut vitam illius mors livida nobis meritò invidiſſe putetur *c*. Cumque eſſet divini puer ingenii, atque erga rerum notitiam ſummè ſtudioſus, contigit, eum in una dierum, libri cujuſdam abdi-

c

* *Cod. Lugd.* penita

ta * perſcrutantem, geminas epiſtolas offendiſſe: in altera earum, ſanctiſſimus Aunarius, ſextus poſt beatum Germanum Autiſſiodori epiſcopus, Stephanum Africanum presbyterum, ut vitam ejuſdem ſanctiſſimi patris noſtri Germani metrica ratione digereret, precibus ambiebat: in altera idem Stephanus, præfato ſe pariturum pontifici, ex reſcripto ſignificabat. Quarum formam epiſtolarum hîc quoque interſeri optimum factu judicavi; ut ratio regiis auribus inſinuanda, omnem ambiguitatis ſcrupulum valeat eluctari *d*.

d

comperit, olim ab Aunario ep. Autiſſiod. rogatum fuiſſe Stephanum presb., * *al.* provinciæ Africæ

5 Epiſtola Aunarii epiſcopi ad Stephanum presbyterum Africanum * ". Dilectiſſimo atque amantiſſimo, & internæ mihi vinculo caritatis connexo fratri Stephano presbytero, Aunarius gratiâ Dei epiſcopus, in Domino æternam ſalutem. Tuæ nobis doctrinæ multis jam experimentis adprobata prudentia compulit nos quamdam tuis humeris imperioſam ſuperponere ſarcinulam: ſed eam, quæ tibi non ſit oneri, ſed honori: nec quæ deorſum iniquo pondere premat, ſed quæ potiùs cælum uſque ſuſtollat. Cognitum tibi eſt, cariſſime fra- D ter, quæ ſit humanarum mentium diverſitas, & quemadmodum ſtudia in contraria non ſolùm inane vulgus, verùm etiam univerſa ſcindatur nobilitas. Et quidam quidem proſaico oblectantur ſtylo; quidam autem numeris ſe rhythmiſve ac cantibus verſuum delectari fatentur. Ergo ut omnium votis occurrerem, & nullus ſtio deſiderio fraudaretur, placuit mihi, ut Vitas beatiſſimorum Profeſſorum quaſdam pede libero deſcriberem, quaſdam verò lege metrica impeditas digererem. Ob quam rem obſecro unitam mihi tuæ dilectionis amicitiam, ut beatiſſimi Germani epiſcopi Vitam in verſuum qualitatem commutare non deſiſtas: ſancti verò Amatoris proſaica modulatione deſcribas: ut ſectatores apoſtolicæ prædicationis effecti, omnibus omnia efficiamur, & nulli quicquam debeamus, niſi ut invicem diligamus. Individuam mihi caritatem veſtram divina cuſtodiat pietas, venerabilis frater,,.

ut Vitam S. Germani metro deſcriberet; & id Stephanum recepiſſe.

6 Reſcriptum antefati presbyteri ": Domino beatiſſimo & Apoſtolicis infulis decorato, patri ſpiritali, Aunario epiſcopo, Stephanus, omnium E ſervorum Chriſti famulus. Decurſis literis apoſtolatûs veſtri, quò ſancti deſiderii ardor, ſumma alacritate pertendat, luce clariùs approbavi. Eſt igitur devotionis veſtræ propoſitum, virorum opinatiſſimorum Germani & Amatoris floridæ vitæ nobiles actus deſcribere. Sed ad eos lepidiſſimi callis veſtri dirigatur intentio, qui poſſint virtutum lumina æquiperis affatibus inſpicare *e*. Verùm ego, cujus iners ingenium gemino rigore torpeſcit, & lingua balbutiens ſaucium inter raciduſ los curſus ſqualido ſitu impedita, non loquitur, ſed ſtridet potiùs; quomodo potero divinitus inſpirata Virorum ſanctiſſimorum munera polito expedire ſermone; qui nec privata poſſum humano caſu confecta negotia explicare? Ridiculo (ni fallor) inexplicabili ac ludibrio ſemet impedit, quiſquis ultra virium ſuarum poſſibilitatem onus aſſumit. Nonne ferarum ſectatores ſi minùs captioſa induſtria formaverit, audax temeritas peſſumdabit? Numquam tiro victoriæ monumenta parmâ depictâ geſtabit, ſi eum docta veterani exempla non inſtruxerint. Numquam etiam aëris patulum iter tutus ales reſecabit, cui prævia dux penniger mater non fuerit. Jacebit profectò fluctuum eliſione truncatus, quiſquis ſuæ procitatis fiſus auctoramento, indocilem ratis dexteram ingerit clavo. Sic unuſquiſque in diverſum imperitiæ hamo inſcinditur, ſi doctorum favoribus minimè adjuvetur. Ergo, beatiſſime vir, quæſo, ut illa mihi culmen apicis tui imponat, quæ facile me poſſe perficere non dubitat. Si tamen & in hoc opere, quidquid illepidè aut infacetè ruſtica garrulitas digeſſerit, æquanimiter feras, aggrediar; & faciam, quæ paterna imperat ac jubet auctoritas. Vale longum in tempus, domine ſemper meus & apoſtolice papa,,.

F

Ea verò cum non exſtaret; Lotharius ab Herico aliam componi voluit,

7 His ſolicita lectione decurſis, tandemque relatu aſſiſtentium hujuſmodi opus penes nos numquam & nuſquam paruiſſe comperiens, multa animoſitate correptus, quòd tantum opus frùſtra hominum notitiæ deperiſſet, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur. Tandemque me, qui tum recèns ſcholis emerſeram, convocato, dolorem aperit inteſtinum; utque ei, ſiqua poſſem, ratione mederer, importuniùs conteſtatur: ſcilicet ut, quod elaboratum quondam in præfatis epiſtolis legerat, iterarem; actuſque Germani præcellentiſſimos à proſa in metrum, deſideriis illius ſatisfacturus, transfunderem. Expavi (fa-

A (fateor) negotium, & ſupra vires eſſe reputans, quod imponebatur, quoad potui, colla ſubduxi. Objectu tandem regularis capituli addictus, quod etiam impoſſibilia præcepta abbatis minimè refugienda præſcribit, ſuſcepi quidem (ut par erat) jubentis imperium, quamquam nullâ virium conſcientiâ, verùm, ut inſtitutio præmonet regularis, de caritate confidens, & de adjutorio Dei obediens. Vix primas operis partes attigeram: & (Heu miſera humanæ conditio ſortis!) abbas ille meus, propediem futurus in orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempeſtiva ſeculum morte deſeruit. Hic caſus tam lugubris, tam acerbus omnia mihi ſtudia, omnes curas excuſſerat; niſi probabilis illa ſententia animo ſubveniſſet; dolorem tempore minui; quodque diuturnitas allatura eſſet, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, id nos anteferre conſilio prudentiaque debere. Hac cogitatione animum impuli, ut vivo morigeratus fueram, etiam mortuo obſequi, inque defuncti gratiam, cœpto operi perfectionis pertinaciam admovere. Inſtiti, ut potui; & non invitâ Minervâ, voluntati bonæ laxas permit-
B tens habenas, conceptos interdum luctus muſarum colludio, tamquam noti cujuſdam medicaminis arte, levabam.

8 Confectum ſanè opus in publicum edere diſplicebat; quòd, cui illud deſtinarem ſpecialiter, non ſatis animo deliberaveram. Diu cunctanti vos, Cæſar præcellentiſſime, vos, inquam, inteſtatæ prolis heres proximus occurriſti; ejus bona ad vos lege redierunt. His animo ſubductis, auſus ſum * hoc literarum ad veſtram majeſtatem præmittere, quæ ſequentis operis continentiam, præſtructo rationis ordine, commendarent. Habe igitur poſt funus dilectiſſimi filii hereditarium pignus, quo & defuncti memoriam ſuaviter refricare, & integrè fidelis famuli devotionem advertere valeas; qui te nullo modo paſſus ſum extremi ſaltem muneris utilitate fraudari.

9 Confeci præterea ex miraculis præcellentiſſimi Germani opuſculum aliud geminis diſtinctum libris; in quo quia veſtri tum nominis tum temporis mentio frequentiùs agitur, veſtræ nihilominus illud malui celſitudini dedicatum *. Accipe & hoc; eumque erga Germani reverentiam animum concipe, qui regiam ſanè deceat majeſta-
C tem. Et quamquam aſtuti ſit, omnia ad ſuam utilitatem referre; in hoc tamen & pro hoc, quantus quantus eſt, labore, beati potiùs Germani laudem, quàm perſonæ propriæ requiro favorem: quem quanti faciam, facile pernoſſe poteſtis, ſi noſtri tenorem carminis ordine percurratis. Longi itaque ſudoris uſuram eam captare percupio, ut glorificetur Deus in miraculis, qui voluit eſſe admirandus in Sanctis: ut ſanctiſſimo Germano in terris veneratio creſcat & gloria, qui hanc in cæleſtibus obtinuit per bonorum operum incrementa: ut acquiratur ædificatio legentibus, pax credentibus, ſalus imitantibus, immortalitas in fide perſeverantibus: qua ut perpetuò polleas, & optamus & indefeſſè oramus, regum maxime, triumphator perpetue ac ſemper auguſte. A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

quam hic, quia Lotharius obierat interea, Carolo dedicat

* *C. Lugd.* auſum cœpi

nnà cum 2 libris proſaicis, de miraculis S. Germani.
* *al.* dedicandum

ANNOTATA.

a *In Cod. Lugdunenſi legebatur hic titulus:* Commendatio ſequentis operis ad glorioſum regem Karolum per epiſtolam facta. *Porrò de hac epiſtola conſulendus eſt neceſſariò Commentarius noſter prævius* §. 4 *à num.* 39. *Exſtat verò eadem, ſed truncata, apud Cheſnium tom.* 2, *pag.* 470.

b Carolum Magnum *intellige, Ludovici Pii patrem, Caroli Calvi avum. Cod. Lugdunenſis ſemper ſcribit* Karolum.

c *Obiit* Lotharius, *Caroli Calvi filius, & cœnobii* S. Germani *Autiſſiodori abbas commendatarius, circa feſta Chriſti natalitia, hoc eſt, vel in fine anni* 865, *ut innuunt Annales Bertiniani apud Cheſnium; vel ineunte* 866, *ut indicat S. Ado in Chronico circa finem. Vide & Annales Benedictinos ad an.* 865 *num.* 35.

d *Exſtat utraque, quæ ſequitur, epiſtola etiam in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiod. cap.* 19. *Dedimus & nos utramque, inde, ut arbitror, deſumptam, in Commentario prævio ad Acta S. Amatoris ep. die* 1 *Maii. Præfuiſſe autem eccleſiæ Autiſſiodorenſi ſtatuitur* S. Aunarius *ab anno Chriſti circiter* 571, *uſque ad* 603; *quod amplius examinari poterit die* 25 *Septembris, quo colitur.*

e Æquiperis affatibus inſpicare. *Ita optimus Codex noſter Lugdunenſis. Pro quibus legitur in Ms. Belfortiano:* convenienti oratione celebrare. *Sed Ms. illud paſſim interpolatum eſt. In Hiſt. epp. Autiſſiod. habetur:* æquiparis afflatibus inſpicere. *Non rectè. Eſt enim ſenſus auctoris: Quære tibi alium ſcriptorem, O præſul Aunari, qui poſſit SS. Amatoris &* Germani *virtutes tam excellentes non inferiori eloquio illuſtrare. Itaque* virtutum lumina, *ſeu faces,* æquiperis affatibus inſpicare, *eſt virtutes illas ſic ornare dicendo; ut inſpicatæ (id eſt in ſpicæ modum conciſæ) per rhetoricam faces videantur, cujus ope luculentius, quàm per ſe poſſint, quaquaverſum lumen effundant. Uſus eſt eadem voce Virgilius lib.* 1 *Georgic. verſ.* 291:

Et quidam ſeros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inſpicat acuto.

AUCTORIS INVOCATIO

Phaleucio hendecaſyllabo deſcripta.

Poëta ſanctus

ÆTernum ſpecimen, decuſque rerum,
Cauſarum ſeries, origo lucis,
Naturæ columen, paterque veri,
Fons & principium, bonique ſumma,
Hac te ſuppliciter canemus oda:
Oramus, capias ab ore munus.
a O fœcunda Τελειὰς, Μονάςque *a* ſimplex,
b Seu te diſtribuant, Ἕλληνας ἢ *b*,
c Οὐσίαν Μίαν εἰς Τρεῖς ὑποστάσεις *c*;
Seu, ſicut Latius fatetur orbis,
d Μίαν ὑπόςασιν, Τρία πρόσωπα *d*;
Idem ſemper es, idem * ipſe conſtas. * *Belfort.* idem &
Gignens, ingenitus, Pater vocaris.
Te Natum genitum σοφία plaudit:
Vivax Spiritus, ex utroque manas:
Perſoniſque tribus ſacramus unam,
Unam colligimus in his θεῶτεν *e*; *e*
Quæ ſic dicta placet, quòd omne cernat *f*; *f*
Seu quod ſic potiùs per omne currat *g*, *g*
Ut nuſquam tamen extra *h* ſe feratur, *h*
Cum ſit motus, & idem ipſe ſtatus,
Et motus ſtabilis; ut olim aiunt,

Sta-

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Status mobilis atque : sic priores
Dixisse invenio & peritiores.
11 Ὢν *i* substantificum, τόπος*que k* rerum;
Per seipsum bonitas ; ἰδέᾳ mundi ;
Per seipsum sapiens ; ἀνάρχῳ *l* idem :
Non est ; nam supereſt, & esse præstat :
Hoc non est, nec id * est ; sed extat omne ;
Non hîc, non ibi ; sed per omne totus.
Μικρὸς καὶ μέγαλῳ μέσοσε Θεός *m* :
Μικρὸς ; dum minimis opem ministrat :
Μέσῳ ; intima dum gubernat æquè :
In magnis μέγαλῳ probatur idem.
Sic parvis, mediis, adestque magnis,
Ipse individuus, manensque totus.
Ὢν ἀρχὴ, μέσον, ὢν τέλοσε πάντων *n* ;
Ex ipso quoniam, per ipsum atque
Sunt quæcumque vigent ; ad ipsum æquè
Tendunt omnia, tamquam ad quietem.
Ipsum πρωτότυπον *, eumdem ipsum
Affirmant nihilum, plus ut stupescas ;
Incomprehensibilis quòd extet omni
Naturæ, superans νοερὸς λόγοσε * :
Qui dum non capitur, Nihil vocatur ;
Apparet quotiens θεοφανὶς *o*,
In quiddam ex nihilo venire fertur.
Scribunt, hoc nihilo creata cuncta.
Hinc est, quod tenebræ vocatur idem :
Ψαλμίστης * etenim sacer sic inquit :
Sicut sunt tenebræ, sic lumen ejus ;
Optanti quoniam, sed haud valenti
Speclari, tenebræ putantur atræ ;
Non accessibilem colitque lucem.
12 Cum se sic habeant fluenta veri,
Ultro concipias, subest necesse,
Nullis nos animis, lepore nullo,
De vero proprium bonoque summo
Præfinire Deo ; nec esse promptum,
Qualis, quantus item, quis esse possit.
Oratu meliùs propinquiúsque
Legabis * animo siquid subornas * :
Orari placidis vult ille verbis,
Largiri facilis, dedisse promptus.
His ergo modulis adito Patrem,
Patrem cum Genito, piumque Πνεῦμα * :
Lux, & nostra salus, redemptioque,
Largitor φύσεως, χάεντε præsta *p*,
Lumen glaucividas * agens in umbras,
Cæcis ἐμπνείῳ * reclude cælos.
Quondam θεσμοφόρον * Moysea tecum
Εἰς γνόφον * Sinai sic indidisti.
Quærentes validâ juvato dextrâ,
Quando non potis est adire tete
Cuiquam, des nisi tu venire per te :
Ostendas faciem decet tamen te
His, qui nil aliud petunt, nisi te :
Nam nec hoc * poterunt, nisi sit ex te.
Nubes rumpe, malasque φαντασίας
Quîs mentis acies reverberata,
Purè non sinitur Deum tueri,
Ceu se invisibilem videre præstat
His, qui lucifluum sitire fontem
Noverunt, requiem, suumque finem.
13 Quod restat siquidem, quod instat, inquam,
Præsentes operas tui indigentes
Componas, petimus ; favensque voto,
Et sensus cumules, & ora solvas ;
Ut mutis liquidæ fluant loquelæ
Largiri solitus, nec impotenter.
GERMANO titulum parare laudis
Urget materies, amor coartat,
In te mirificus, puer Hlothari ;
Cui fas non fuerit negare quicquam,
Non os, non animum, nec illa cettè,
Quæ sunt officiis amica pulchris.
Id quò congruè, quò fiat decenter,
Et spes omnimodas, spe*que* summam
In te conferimus, repertor artis,
Qua pectus hominis præominatum *q*
Scandit sidereos honore campos,
Distinctum beluis nitore mentis *r*.
Non hæc ob meriti beatitatem
GERMANI peto, sed per almitatem,
Siquid lucifluum peregit ille,
Quod laudi fuerit Patri superno ;
Si vexilla tui secutus Heros,
Oppressit rigidum severus hostem ;
Si jejunia, si cruces iniquas,
Si noctes tulit idem inquietas ;
Si non extimuit maris minaces,
Securus pelagi, subire fauces ;
Si quicquid gladius, potestque flamma,
Contempsit patiens amore Christi.

k i
l
m
n
o
p
q
r

B C D E F

* *i. e.* exemplar principale
* *B.* νόας λόγουσε, *i. e.* intellectus rationesque
* *pro* Ψάλτης
* pro allegabis *Not. Mss.*
* latenter præparas *ibid.*
* Spiritum
* *id est* caliginosas. *Not. Mss.*
* *B.* Namque hoc nec
opem implorat,
ut opus susceptum prosperè succedat.

ANNOTATA.

a *Hellenizat hîc passim Hericus ; est autem* Τελεὰς Trinitas, μονὰς unitas.

b Ἕλληνας κατὰ, secundum Græcos.

c *Id est*, substantiam unam in tres personas.

d *In margine addebatur hæc nota, ipsius, ni fallor, Herici :* Differentiam facit S. Dionysius, ceterique doctores Græci inter οὐσίαν, id est, essentiam, & ὑπόστασιν, id est, substantiam : οὐσίαν quidem intelligentes unicam illam ac simplicem divinæ bonitatis naturam ; ὑπόστασιν singularum personarum propriam & individuam substantiam : dicunt enim secundùm illum priorem versiculum, unam essentiam in tribus substantiis. Sanctus autem Augustinus, ceterique Patres Latialiter scribentes, fidem sanctæ Trinitatis exprimunt, dicentes unam substantiam in tribus personis. Una eademque fides est in omnibus, quamvis significationum videatur esse diversitas. *Sublata nunc difficultas, postquam* ὑπόστασις *Latinè dici cœpit, non substantia, sed subsistentia.*

e Θεῶτεν *pro* θειότητα *seu* θεότητα divinitatem.

f *Quasi* θεότης *dicta sit à* θεάομαι specto, video.

g *A verbo* θέω curro.

h Extrà *secundam habet longam. Vitiosum ergo hîc metrum. Sed non adeo in hisce scrupulosus fuit auctor noster ; ut exemplis infrà sexcentis patebit. Quæ proinde ne notanda quidem putamus, nedum ex interpolato Ms. Belfortiano pueriliter emendanda ; cum codex Lobiensis Lugdunensisque consenserint. Sic autem hunc versum corrigit Ms. Belfortianum :*

Ut se numquam aliò feratur extra.

i ὢν *masculinum pro* ὂν *neutro, quod Latinè nunc* ens *dicimus.*

k Τόῳ, locus : omnia quippe intra ipsum sunt. *Notæ Mss. cod. Lugdun.*

l Ἄναρχῳ, principio carens.

m *Id est*, Parvus, & magnus, mediusque Deus ; *ubi* μέγαλῳ *pro* μέγας.

n *Id est*, Ens principium, medium, & finis rerum omnium.

o *Pro* θεοφανίοις *vel* θεοφανίας. Θεοφάνια *autem* est, ut ait Maximus, divina manifestatio, quæ

A quæ fit ex condescensione Verbi divini ad humanam naturam, & exaltatione ejusdem naturæ ad prædictum Verbum per divinum amorem. *Not. Mss. cod. Lugd.*

p Id est, qui dedisti naturam, largire & gratiam. *Not. Mss. Cod. Lugd.*

q Id est, quodam quasi omine confortatum. *Not. Mss. Cod. Lugd.*

r Id est, acumine rationis. *Ibid.*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ALLOCUTIO EJUSDEM AD LIBRUM,

διηώλῳ διεξόφῳ *decursa* a.

a

SI te perliquido tuemur ore,
Nec ludunt insomnia mentem,
Libro, nimiùm festinanti prodire in vulgus, Non illud tulerim, libelle, frustra,
Quod tanti popularia ducis;
Natalem latebram ut perosus, ultro
Insano oblectere tumultu.
b Non nihil miserum characterizant *b*
Tædia secreti; nec amica
Quod semper studiis sigilla castis
* *supple* rumpere Tantisper refugis*: licet illam,
B Quæ fertur, Danaën ahena turris
Auripluo vix texit ab imbri.
Quid tam turmivomæ juvant plateæ?
Quid refluæ dicacibus urbes?
Quem necdum tetigit litura; necdum,
Sordibus explosis, color auxit.
Si non insipidus deerrat augur;
O nimium passure pudoris!
Vulgant, Bucolicen labore trimo
Cultiùs explicuisse Maronem.
Septenis itidem polibat annis
Quadrifidam sudore Georgen.
Exin Æneadas in arma pulchros
Endecas ad limamque redegit.
Nec libras animo, quid ille; quid nos;
Quid potuit spes altera Romæ;
Quid possit minimus minorum impar,
Nec minimos tamen inter habendus.
Et, nî proripias in ora vulgi,
Impatiens, clavemque recusas?
15 Invitum quatiunt severa vatem
malè ominatur auctor, Omina, terrificique sonores;
Virtus gnostica nec sinit volentem
Importunis parcere verbis:
C Hæc nolens capies, volens itemque:
* *i. e.* contradicentem His nos ἀντιλέγοντα * subimus.

In vulgus venies, favente voto.
Prô! quanto jactabere fluctu!
Hic fœdum spuet: hic, coacta nare,
Succinet infandumque inimicumque:
Hic plausum manibus dabit profanis:
Hic ter succutiet pede terram:
Verrucas * alius scaturientes, * *i. e.* vitia carminis. *Not. Mss.*
Etsi nulla tamen patet usquam,
Disquiret digito, notabit ore;
Integra quippe invertere doctus.
Et quo perditior quis ac profanus,
Acriùs hoc tolletur in iras.
E Tandem ludibrio subactus omni,
Μυροκόπου * trudêre tabernâ, * *i. e.* unguentarii
Aut nardi modicum feres, piperve,
Et siquid chartis amicitur
Ignavis *c.* Monitor, repulsus olim, *c*
Abstiterit; nec cura mederi *d.* *d*
16 Neu te consilio querare nostro *nisi in fronte nomen S. Germani præferat.*
Fraudatum, id * tecum ipse referto: * *nempe* consilium
Quà frontem titulus præordinabit,
Nemo ὄνομα * præfixerit auctor: * *i. e.* nomen
GERMANUS subeat prioris arcem
Auspicii; hic primordia signet.
Hoc forsan poteris inerme vulgus
Temnere, seu discrimina mille.
Tanti nominis obicem protervæ
Vix ausint spreviisse phalanges.
Mitescet rabies; sputisque parcent,
& cynico * incrudescere dente. * *i. e.* canino *seu* invido
J nunc, Mæoniis * adacte pennis, * *i. e.* Homericis
J dextro, liber, alite felix.
Nec te non monitum, nec insuasum
Olim discessisse graveris.
Quod restat, dubiis remitte fatis.
F Teque utinam meliora sequantur!

ANNOTATA.

a *Hæc* Allocutio *hoc loco legitur in optimo codice Lugdunensi; quamvis desit Mss. Lobiensi & Belfortiano.*

b *Sensus est: Hæc malæ fortunæ tibi, ô libelle, impendentis indicia sunt, quod secretum oderis, quodque non refugias differasque, saltem tantisper, sigilla rumpere, quæ castis studiis tam necessaria sunt. Nam si Danaë, Acrisii filia, ab impudente Jove ne in ahena quidem turre satis tuta fuit; quid te fiet, qui nec occludi vis, nec delitescere?*

c Ignavis, *id est inanibus, quæ quia nihil continent lectu dignum, sordidis usibus adhibentur.*

d *Id est, quod si umquam eò redactus fueris, libelle, tum verò te ego, qui nunc moneo, fortunæ te tuæ permittam ac prorsus abdicabo.*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

D

LIBER PRIMUS

Vitæ magni patris Germani, de prosa in metrum transfusæ.

CAPUT I.

Sancti patria, nobilitas, studia, conjugium, honores, amor venationis, & superstitio.

1. CEltica quà medios exporgit Gallia tractus,
Quáque est vel terris, vel mitior illa colonis,
De S. Germani patria. Urbem haud incelebrem Galli posuere priores,
Uberibus glebis & opimi munere Bacchi *a*,
a Ac prælabentis jucundis usibus amnis *b*,
b Magnarum multis quæ se componere possit;
c Autricus à priscis olim vocitata refertur *c*.
B Ætas posterior pinnas & culmina avitis
Mœnibus imposuit, duri munimina belli.
Ex augmentatis verso cognomine muris
Sive sequax usûs dicas, Autissiodorum,
d Seu mutilare velis, & dixeris Altiodorum *d*,
Nomine diverso res est cumulatior una.
Hæc genitalis humus, hæc Patris patria nostri;
Finibus his ortus, natalia rura beavit.

II. *De nobilitate ejus insigni.*
18 Haud multis opus est in Sancto nobilitatis
Cognatæ memorare decus, quæ dote gemellâ
Splendidaque, & locuples, opibusque & germine fulsit:
Indicium documenque rei numerosa retentant
e Prædia, succiduis olim notissima chartis *e*.

III. *De peritia artium à puero.*
19 Ætatis breve ver & primi gratia floris
Artibus immaduit facili conamine septem *f*.
Auxerat Infantis largitrix gratia pectus
f Muneribus geminis *g*; quodque assolét esse duobus
g Gratum & sufficiens, hoc præcumulaverat uni:
Namque ut septenis sapientia nixa columnis
Aptificare domum dilecto in pectore posset,
Ingenium vivax conamen juvit ad omne:
h Inque vices animo genitaliter exspatianti *h*
Sedulitas prætendit opem studiosa magistri.
C Utraque res, moderante Deo, felicia cœptu
Tempora glisscentis jam tunc provexit Ephebi.
Plurima per steriles sparguntur semina sulcos
Proventu modico, vel, ut multum, mediocri;
At quæ fœcundas ineunt frumenta novales,
Spe manant duplici, cum glebæ, tum sationis;
Plenaque conspicuo respondet copia cornu.

IV. *Quod Romæ jus didicerit.*
20 Cumque foret vehemens, animique ad cuncta rapacis,
Nil intentatum, nil denique liquit inhaustum,
Quicquid ab indigenis potuit manare magistris:
Cuncta brevi nam penè puer, citraque juventam
Omnia combiberat. Furit intimus ossibus ardor
Ulteriora sequi, & studiis, nî copia desit,
Otia conterere, studiis impendere sese,
Inque mori studiis. Perparva & vilia scitu,
Siqua patent usquam; cara & prægrandia censet,
Siqua latent. Erat ingenuis tunc artibus usque
Certus honor, studiisque addebat gloria calcar.
Incitus his animis talique cupidine vinctus,
Quò caput est orbis, rerum permaxima Roma,
Tendit iter, Latii nodos addiscere juris.
Et didicit, palmamque brevi tulit ille laborum.

V. *s*
21 Scire erat haud magnum, si non & posse subiret.
Et stulto sapiens minimùm referre putatur,
Si non & possit. Meliùs duo vincta feruntur;
Quæ si dispescas, perit alterum: ita alterius res
Altera poscit opem sociam, & conjurat amicè.
Ergo ut quæ tecto fuerat meditata cubili,
Pòst per marmoreas clamare sophia plateas
Posset *k*, & obliquis demum dare jura superbis,
Mox ad patricios Juvenis raptatur honores;
Causarumque actor per publica vota creatus,
Arcuit urbanas juris frænamine lites.

Quod advocationis ibidem officium gesserit. *k*

VI. *Quod eodem degens officio, copulam uxoris susceperit.* *l*
22 Gratatur Latium tanto censore *l*; fruique
Hoc tantùm præsente parùm est; de posteritate
Cogitat; utque Viro non desit gloria prolis,
Utque Viri non destituatur germine Roma,
In consorte thori spes est; qua rite carere
Haud patiuntur opes, ætasque obnoxia carni,
Prolis amor, mentis probitas in conjuge pulchra, E
Et gazæ, & mores, & casti insigne pudoris.
Qualis ubi visa est, digito patet *m*; est quia nostris *m*
Rara avis in terris corvoque ignotior albo *n*.
23 Usibus innumeris Romanus calluit orbis *n*

VII. *Quod primo usu togæ ducatûs regimen per provincias acceperit; & descriptio latior prætextæ,* * ex toto *Belsh. & Lugd.* ambivium
Olim. Partem absumpsit edax ex asse * vetustas;
Pars terit antiquis rerum vestigia libris.
Gens fuit illa sagax, & cum bellare perita,
Tum mores formare scia, & componere cauta.
Neu tenera in pueris nævo intabesceret ætas
(Quandoquidem in vitium mens est hæc cerea flecti,
Cumque iter ambiguum * ramosa ad compita vexit,
Proposuitque viam, Samio præeunte, bicallem *o*;
Dextra sequi cunctatur iners, votoque maligno
Leva tenet) visa est ea tum via rectior illi *p*:
Servabat teneros custodia pervigil annos,
Et casti comites, & opis rubrica *q* magistræ
Apposita, & curvos innormans regula mores.
Et pressus ratione animus, vincique laborans,
Ac præceptoris ducens sub pollice vultum:
Signabat trepidas, & adhuc rationis egentes, F
Consiliique inopes prætexta * aptissima mentes, * *subintelligé*, toga
Dicta, quòd hanc Tyrio lymbus prætexeret ostro, *r*
Et super hanc adficta toreumata *r*, græculus usus *s*
(A Graiis traxere Itali *s*) index nobilitatis. *& togæ.*
24 Hic tum cultus erat. Transcensa puertia postquam
Vestibat teneras molli lanugine malas
(Id bis octonos erat attrectasse Decembres)
Cedebat prætexta togæ, patriisque coævas
Aptabant laribus, puerilia munera, bullas.
Hîc trepida optatum sortita infantia finem,
Hîc fixit metas: exin bellique domique
Utilis, & rebus quavis in parte gerendis
Quisque putabatur maturo commodus ævo.
Hauserat hoc ævi, Juvenisque togatus agebat
Ætatis solidam cumulato robore partem,
Cum super addictas præsulque & dux regiones
Effertur, terris quà Gallicus incubat axis,
Cum vindex scelerum, tum dispensator honorum.
Orbem tum totum * victor Romanus habebat, * *per* hyperbolen
Quà mare, quà tellus, quà cardo invergit uterque;
Siquod in orbe fretum, siquis sinus abditus usquam,
Siquod clima foret phœbeæ lampadis expers,
Siqua fuit regio, fulvum quæ gigneret aurum,
Nil nisi Romani vivebat nominis umbrâ;

Ar-

A Arbitrio ſancti conſtabant cuncta ſenatûs.
Sceptra, magiſtratus, tituli, prætoria, ſellæ,
*Belf. prætexta & Prætexta *, trabeæ, faſces, inſigne tribunal,
Ædilis, quæſtor, dictator, juridicuſque,
Et, rerum cui ſumma patet paretque, monarchos,
Et conflandarum per gentes cautio legum,
Et pax & bellum, lis & concordia rerum,
Omnia conſcriptis ſervibant patribus olim,
*i. e. curiæ Not. Mss. Quos penes immenſi ſtabat cuſtodia mundi:
Cumque forent clauſi reſides in parte ſacelli *,
Divinis quadrum fingebant legibus orbem.
Geſtorum ſeries aliquatenus intercepta,
A diverticulo demum repetita placebit.

VIII. *Quod occulto judicio divinitatis omni perfectionis genere pontificatui parabatur.*

25 Creſcebat meritis mactus ſucceſſibus Heros,
Perfectique ſequax, primam tendebat ad arcem [t]
Curſibus impigris; ne non perfectus ab omni
Parte foret, ſacer & præſul jamjamque futurus.
Utque ad letiferas aciem contendere peſtes,
Emerſaſque hereſes * unde unde extrudere poſſet,
Armabat doctam vivax facundia linguam.
[t] Juſtitiæ doctor, juris quoque norma futurus,
*Belf. Hæreticaſque lues Jure dedit ſtudium diſcendo extempore juri.
Quique pudicitiæ populis documenta daturus,
B Et caſti cauturus erat decreta cubilis,
Ordine præcipuo legalis fœdera lecti
Suſcipit, & caſta vitam cum conjuge ducens,
Jura voluptati permiſit nulla nefandæ;
Gignendæ tantùm contentus vivere proli.

IX. *Quod territorio genitali ſpeciali aſſiduitate præſidebat.*

26 Cumque Virum latè parentis ad omnia terræ
Multa fatigaret privatim & publicè * cura,
Pronior in patrias animum defixerat oras
Affectus genitalis humi, quam mitibus uſque
Temperat officiis & molli flectit habena,
*B. privata & publica Præſens præſentem præſenti numine firmans.
Hæc domus, hæc requies, hæc oblectatio vitæ:
Vel quia fundorum non contemnenda facultas
Hîc illi fuerat, juris monumenta paterni;
Vel quia (terrigenis eſt quod nonnulla voluptas)
Copia multarum Juveni permagna ferarum
Silveſtres præbebat opes. Venatibus ille
Deditus, & levium meditans ſpectacula rerum,
[u] Laſcivis animum ſtudiis paſcebat inertem [u]:
Cumque foret ſacri dilutus fonte liquoris,
Nudo ſe tantùm gaudebat nomine dici
Chriſticolam; luteum ſapiebant cetera ſeclum.

X. *De pyro venationis ejus gerula.*

27 Altoque & lato ſtabat gratiſſima quondam
Urbe pyrus mediâ, populo ſpectabilis omni;
Non quia pendentûm flavebat honore pyrorum;
Nec quia perpetuæ vernabat munere frondis;
C Sed deprenſarum paſſim capita alta ferarum,
Arboris obſcœnæ patulis hærentia ramis,
Præbebant vano plauſum & ſpectacula vulgo.
*cornua Not. Mss. Horrebant illic trepidi ramalia * cervi,
Et dirùm frendentis apri fera ſpicula, dentes,
Acribus exitium meditantes forte moloſſis:
Tunc quoque ſic variis arbos induta tropæis,
Fundebat rudibus laſcivi ſemina riſûs.
Fixerat hæc Juvenis, laudis captator & auræ,
Qua facilis animi paſcique capique ſueſcunt.

ANNOTATA.

a *De vineis Autiſſiodorenſibus, olim* vini ſuperlativi bajulis, *vide Le Beuf in Præfat. Capti receptique Autiſſiodori pag. 29 & ſeq.*

b *Icaunæ ſcilicet, vulgò Yonne.*

c Autricus à priſcis *&c.* Qui Autiſſiodurum dictum priùs Autricum putat, ſuam geographiæ ignorantiam prodit, *inquit Valeſius in Notitia Galliarum, ubi de Autiſſioduro.*

d *De diverſiſſima hujus nominis apud auctores immutatione, vide ibidem Valeſium, ubi & hanc Julii Tomus VII.*

Herici etymologiam rejectam invenies: quia Dor, Dur, Deur, *aut* Dour *non mœnia vel muros Celticè, ſed aquam ſignificaverit. De qua re nos etiam alibi non ſemel.* A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

d *De prædiis* S. Germani *patrimonialibus dicetur in Miraculis Hericianis num.* 19.

f *Artes liberales tametſi plures ſunt, communiter ſeptem numerantur; grammatica, rhetorica, dialectica, muſica, arithmetica, geometria, aſtrologia.*

g Muneribus geminis, id eſt, ingenio & ſtudio. *Not. Mss. cod. Lugd.*

h Genitaliter exſpatianti, id eſt, naturaliter capaciſſimo. *Not. Mss. ibid.*

i Poſſe; *ſupple, ſcientiâ uti jam acquiſitâ.*

k Scriptum eſt: Sapientia in ſilentio diſcitur. Item: In plateis dat vocem ſuam. Priùs ergo in ſilentio diſcitur, ut poſt in plateis vociferetur. *Not. Mss. ibid.*

l Cenſores dicebantur, qui de moribus judicabant. *Not. Mss. ibid. At cenſorem fuiſſe* Germanum, *non dicit Conſtantius*

m *Juxta illud*; Quam pulcrum eſt monſtrari digitis, & dicier: Hic eſt?

n Salomon: Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni. *Not. Mss. ibid.* E

o Pythagoras Samius qualitatem vitæ humanæ Y litteræ conformavit. *Not. Mss. ibid. Hinc colligo, quid* ramoſa compita, *quid* via bicallis.

p *Senſus eſt: Genti Romanæ tunc, quando pueritia à vitiis ad virtutem flexu facilis erat, viſum eſt hâc pueros ad virtutem viâ deducere; iis nempe adhibendo cuſtodes &c.*

q Rubrica fabrorum linea, dicta à rubro colore. Ponitur autem pro diligentia magiſtrali. *Not. Mss. ibid.*

r Id eſt bullæ aureæ. *Not. Mss. ibid. Non erant autem illæ togis prætextis* adfictæ; *ſed è collo puerorum ſuſpenſæ.*

s *Imò uſum hunc ab Hetruſcis ductum fuiſſe, docet ac probat Wolfgangus Lazius in Commentariis reipubl. Rom. lib. 8, cap. 2; ubi de prætexta plura diſſerit. De bulla verò ſigillatim etiam agit lib. 9; cap. 13.*

t Ad arcem, ſapientiæ ſcilicet & virtutis. *Not. Mss.*

u Laſcivis, *id eſt caſtis quidem, ſed juvenilibus tamen ac inanibus ſtudiis venandi paſcebat animum* inertem, *hoc eſt, ab officii ſui curis vacantem, atque interquieſcentem* F

CAPUT II.

S. Amatoris zelus adversùs Germani ſuperſtitionem; & hujus ira.

XI. *Quod ſanctus per id tempo-ris florebat Amator.*

URbis amor noſtræ, ſacrique refector ovilis,
Præſul Amator erat, merito cognomine mactus,
Doctor magnificus, meritorum luce coruſcus,
Signorum titulis longè latéque celebris.
Noverat hic rapidis metam præfigere flammis,
Noverat adverſas verbo detrudere peſtes,
Auribus obſtructis aditum prætendere vocis,
Officium vinctis præcepto reddere linguis,
Poſt funus functis uſum concedere lucis:
Omnia qui poterat, Sancto dedit omnia poſſe.
Sancte gregis tutor, qui jure vocaris Amator,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Non auri aut mundi, verùm trans omnia Christi;
Ne mihi succense, de te perpauca loquenti.
Gestorum mihi dulce foret monumenta tuorum,
Et vitæ totum plectro percurrere textum;
Sed revocat sumpti series perlonga laboris;
Nec sinit à cœpto quóquam deflectere calle.
Et te grandiloquos vellem nutrîsse poëtas,
Qui tibi multicanâ possent garrire camœnâ.
Vatibus ut careas, rectorum est culpa tuorum *a*.
His aliud dabimus tempusque locumque querelis.
Tu tamen interèa præsentibus utere, pastor,
Obsequiis; & siqua meo condigna relatu
Ad nostri poterunt præconia currere Patris *,
Laudibus illa tuis accedere posse, putato.
Tu pater; ille tuus per Christum denique natus.
Crede mihi, magnæ reputatur portio laudis,
Cum patris in faciem nati laudatur imago.
Narrandi cœptum repetat jam musa tenorem.

a

* *scil.* S. Germani

XII. *Ut sanctus Amator germanum levitatis arguerit.*

29 Insanos ritus & noxia ludicra Sancti
Ægrè fert animus; nec distulit ille superbos
Incœptus miti jam tum compescere fatu,
Talibus aggressus, captato tempore, verbis:
Cum te frænandis Romana industria terris
Prætulit, & patriæ patremque ducemque tuendæ,
B Credidit esse virum; nec res tum credita, vero
Abstitit: esse virum te denique multa coartant,
Cum titulus generis, tum magni culmen honoris,
Et, quod utrumque regit, divinis accumulatum
Ingeniis pectus, mensque omnis conscia recti.
Sola virile decus levitas fœdatque fugatque;
Sola, inquam, levitas. Insano proxima testis
Abstirpanda suis, en, cum radicibus arbos,
Quamprimum potis est. Sectentur talia divi
Numinis expertes; aliud * professio nostræ
Relligionis amat, cum *, quid mage postulet usus,
Quærenti sola occurrit meditatio mortis.
Multa suis gravitas meruit præconia seclis:
Eximium fecit levis inconstantia nullum.
Define proclives lubricosque ad devia vulgi
Præcipitare animos. Res est incognita nulli:
Crimina, quæ magnis auctoribus usa * geruntur,
Corrumpunt citiùs; multoque domestica pejus,
Extima quàm serpunt; homines cum sponte sequaces
Præmonstrata ducum rapiunt exempla suorum.
Ergo age, & omissis, quæ ludicra cumque putantur,
O præstans animi, complectere seria tantùm.
Ista repræsentant, quærit respublica qualem,
C Signa virum; satis ista decent in principe signa.
Sæpius ista Viri præsul stillabat in aurem;
Ille levi ferre *b*, & cœptis instare superbis:
Irrita nam celeres rapiebant omnia venti.

* *B.* non ista
* *Ms. Lob.* cui

* *B.* acta

XIII. *Ut, absente Germano, arbor sit cæsa.*

30 Certa fuit Juveni visendi prædia quadam
Causa die; cujus tandem progressus ab urbe
Obtulit optatam votis quoque præsulis horam:
Utque erat in Domini solùm defixus amore,
Perque hoc humani contemptor jure timoris,
Adscito sacri quamprimum milite cleri
Ridiculi gerulam, capitumque immane feracem
Arborem adit; quantoque potest insistere jussu,
Præcipit inflicto cæsam procumbere ferro.
Cædentûm tremuere manus, pavidique verenda
Majestate Ducis, si robora cara ferirent,
In sua vertendas metuebant colla secures.
Cæsores trepido Sanctus torpore paventes
Ut vidit, raptam primus tentare bipennem
Ausus, & injecto violanda in robora ferro,
Jam vestrum nemo dubitet succidere, dixit.
In caput hoc unum noxæ reputetur origo:
Dicite, me fecisse nefas. Hoc inquit: & omnis
Paruit imperiis, licet insecura *, jubentis
Turba. Sonat crebris acciså bipennibus arbos,
Ictaque dat gemitus; & cum durissima ferro,
Pondere tum proprio victa, occubuitque, ruitque.
Tum primùm admisit solari munere tacta
Subdita terra diem; rebus tum præbita vanis
Interit, & meritos arbor conflatur in ignes.
Quæque affixa diu fuerant oscilla ferarum,
Pontificis jussu tota pelluntur ab urbe.
Hæc rure abducto fiebant Principe cuncta.

D

* *B.* quamvis maletuta

XIV. *Rem Germano famâ delatam* [*esse*]; *& prolixior descriptio ejusdem famæ.*

31 Fama, quid in cælo rerum pelagoque geratur
Et tellure, videt, totique est conscia mundo;
Quodque usquam est, toto quamquam sit ab orbe remotum,
Inspicit, inque cavas penetrat malefida latebras.
Omnia cum didicit, mox omnibus omnia pandit.
Et, quia dicentem sequitur nonnulla venustas
Verborum, crescitque novis facundia causis,
Multa fides illi vulgo præbetur ab omni.
Non ea rem clamore gerit, sed murmure vocis,
Nescio quid, raucum & grave cornicatur inepta:
Mille trahit secum rumores, mille susurros;
Mixtaque cum veris pariter quoque falsa geruntur.
Cumque novis vacuas implet sermonibus auras,
Succedunt comites nonnumquam gaudia cassa;
Nunc timor; interdum rabies invisa furoris.
Advolat hæc Juveni, inflicti prænuntia damni:
Arboris occasu spretumque Ducem *, læsumque tribunal,
Et sublata sui queritur male jura timoris;
Nec fore se posthac ullius in orbe vigoris,
Si non censorî * jam tum temerator honoris
Supplicium toti præsul dependeret urbi.
Occupat ira Virum; seseque ferocior ipso,
Infremuitque minax, traxitque per ora ruborem:
Ut fremit acer equus, cum Martius ære canoro
Signa movet tubicen, pugnæque insumit * amorem.
Non illum magni reverentia pontificatûs,
Non sanctæ cohibet respectus relligionis:
Absistunt oculis rectum, pietasque, pudorque:
Torva furit, Sanctoque necem meditatur iniquam
Dirus: &, O socii, lectissima pectora, dixit,
Præcipitem hunc rapite, & meritis fontissima pœnis
Membra date, stygiæque reum demittite morti.
Sentiat, esse viros. Sic fatus: & acrior irâ,
Arma parent, coëantque animis in prælia totis,
Edicit sociis. Neu plebs obstare furenti
Posset, &, obductis aditum defendere portis,
Occupat ignaram congestis viribus urbem.

E

* *B.* spretum læsumque tribunal

* *pro* censorii

* *B.* incendit

F

XV. *Comperta Germani indignatione, S. Amator martyrii titulum lætus amplectitur.*

32 Sanctus, ut accensi comperta est Principis ira,
Martyr ut emeritam certamine sumere palmam,
Utque sui possit perfundi fonte cruoris,
Optat; & intrepido profundit talia vultu:
Quod satis est, suprâque satis, huc viximus usque:
Nunc faciem penetrare cupit cum spiritus ardens,
Christe, tuam, tædetque viæ, tædetque laboris:
Quà breviora patent recti compendia callis,
Ire juvat: via sit trepidis nimis ardua quamquam;
Sidereos properè dabitur contingere campos,
Sanguinis effusi si nos vestigia ducant.
Martyrii titulum tensis complectimur ulnis,
Et sponte expetimus pulchram per vulnera mortem.
Tu modò nos dignare tuo pro nomine testes.
Hæc dicens, animumque neci, collumque parabat
Carnifici: stat fixa viro sententia mortis
Intrepido. Sed, Christe, tuis mundissima castris

Li-

A Lilia cum * roſis pariter candentia vernant ;
*B. juncta Nec te martyrii conſtantia ſola meretur ,
Nec fuſo quiſquam tantùm fit ſanguine Martyr;
Sæpe etiam multis peperit pia vita coronam ;
Eſtque ſacerdotum confeſſio munda tuorum
Grata tibi , quos juſtitiæ perfectio veſtit.
Tuque adeo , quem mens atri pleniſſima fellis
*al. movet In Sanctum peccare monet * , ſæviſſime Princeps,
Nil tibi , nil , voto non ſuccedente maligno ,
Collatum ducas : & tu quandoque futurus
Certè præſul eris toto notiſſimus orbe.
Arbiter æternus jam dudum præſciit iſtud ,
Nec ſinit inſontis fœdari ſorde cruoris
Præſcitas ad ſacra manus , medicina ſalubris
Per quas innumeros fluxura putatur ad ægros.

ANNOTATA.

a *Videtur ſugillare epiſcopos Autiſſiodorenſes , quod artem poeticam non magis in clero foverint.*
b Levi ferre , *pro flocci facere. Hunc verſum ſic mutat Ms. Belfortii :*
B Talibus haud monitis venari deſtitit ille.

CAPUT III.

Revelatio S. Amatori facta de ſuo obitu , & ſucceſſione Germani; hujuſque converſio & mirabilis ordinatio.

XVI. PRæſul ut emeritam multo certamine palmam,
Sumeret , aſſumptus divini in parte ſenatûs,
Ut ſanctus Amator Tempus erat , licuitque viro prædiſcere tempus ;
Quive foret ſacri poſt ſe ſucceſſor honoris ,
Inſpirante Deo & plebis curante ſalutem.
Urbs antiqua fuit , toto celeberrima mundo ,
Ædua dicta priùs. Primaria cum jacerentur
Fundamenta ſolo , geminos fert fabula viſos
Prælia laſcivis agitantes luſibus hædos.
Auſpiciis veteres aſſueti denique primis
a Nomina condendis ponebant urbibus olim *a*.
Hanc primùm veniens Alpino à vertice Cæſar,
*B. ſuboleret Tunc cum barbarico feritaret * Gallia ritu,
Aſſcivit ſociam , gentiſque in fœdera traxit
b Romuleæ , ſocioſque novos fratreſque vocavit *b*;
C Inque caput regni primatum ſumere juſſit.
c Celtica Roma dein voluit cœpitque vocari *c*.
34 Crevit amicitiæ ſenſim per tempora robur;
Heduam perrexerit. Urbs quoque provectum meritiſque & nomine
ſumpſit ,
d Auguſtidunum demùm concepta vocati *d* ,
Auguſti montem transfert quod Celtica lingua.
Non fuit illa ferax frugum per ſecula tellus ,
*B. Non Nec * opulenta ſatis : cingunt namque omnia
ſilvæ
Montibus horricomis , ſteriliſque ad ſemina ceſ-
pes ,
Vomeris impatiens , curvique immunis aratri ;
Et vexat duras cæli inclementia terras.
Verùm nulla viros tellus magis extulit armis
Præcipuos , animique magis ad prælia lecti.
Ergo ubi vicinæ præſenſit tempora mortis
Sanctus & omnino ſemper memorandus Amator,
Urbis ad edictæ non ſegnis mœnia tendit.
Officii ſummam ſervabat Julius illic *e* ,
Vir præſtans , & cum præfecti culmine clarus ,
Tum fidei purus votoque & nomine cultor.
Antiſtes quoque ſanctus erat Simplicius illic , *A. S. Hi-*
Magni vir meriti , magnique miniſter honoris. *RICO MO-*
Junctaque pontifici regalis jure poteſtas , *NACHO.*
Commiſſam paribus plebem frænabat habenis : *EX MSS.*
Hic tumidam rigida gentem ditione premebat;
Ille ſalutiferi formabat munere verbi.
35 Adventare virum præſul , præſeſque beatum XVII.
Ut Simplicius epiſcopus
Ut ſenſere ; parant , turmis hinc inde coactis
Et cleri & populi , venienti occurrere Sancto ;
Excipiuntque virum : dicta acceptaque ſalute ,
In gremium duxere ſuæ ſolemniter urbis.
Noctem lætitiæ tribuêre & laudibus illam.
Utque vigil nitido rutilans diſcluſit ab ortu
Purpureas aurora fores , ſtelliſque fugatis ,
Lucifer exactæ fecit diſcrimina noctis ,
Præſidis ad celſum ſe pergere velle tribunal ,
Præſul ait , properatque viam : fert obvius illi
Ille gradum , quantiſque poteſt Sanctum veneratur
Obſequiis , humilique petit benedicier ore.
Tunc voti compos ; prætoria ducit in alta. E
Coràm , quæ vellet , cum facta eſt copia fandi,
Talibus aggreditur : Nolim , quod venimus , inquit ,
Eventu reris * , vir præſtantiſſime , factum : *modus indicativus pro*
Seria res tantumque viæ , tantumque laboris *ſubjunct.*
Sumere nos monuit. Deceſſûs tempora noſtri
Conditor accelerat , gravium molemque laborum
Fine levat , finiſque diem prædiſcere donat.
Nec tam ſupremæ ſors & vicinia mortis ,
Quàm nos cura pii poſt nos percellit ovilis.
Et quia magnanimûm non eſt permagna virorum
Copia , quîs ſanctæ committi regmina plebis
Jure queant , ac multa ſeges fortique bonoque
Indiget agricolâ ; res eſt quæ maximè * veſtram *B. me*
Poſcit opem ; quando injuſſu non principis illàm *Hercule*
Moliri potis eſt : tantum fert veſtra decoris
Majeſtas , ipſoque ſuo fit pondere pluris.
Summa rei eſt : petimus (non aſpernare petentem)
Germano liceat flavi decerpere crinis
Cæſariem : vas ille Deo lectumque ſacrumque
Uſibus Eccleſiæ * ſtudiis conducet honeſtis. *B. ac pa-*
36 Diriguit novitate rei, multumque retractans, *riter*
Quamquam dixit , erat regno gratiſſimus omni; *cum Julio*
Divinis humana nefas præferre putamus.
Quocirca quod , flante Deo prænoſcis agendum,
Accelera : officio non defraudabere noſtro.
Voto perfruitus , notamque relatus ad urbem ,
Ampla per eccleſiæ ſolemniter atria plebem F
Stare jubet cunctam , cœtuque ex more coacto ,
Inque unum cunctis aciem tendentibus , infit:
Fratres & filî , ſudoris præmia noſtri ,
Sumite rem , modicis liceat quam promere verbis:
Poſt infinitos immani mole labores
Rebus in anguſtis ; quos huc toleravimus uſque ,
Poſt inconſtantis permenſa volumina vitæ ;
Poſt gravis exilii non mitia pondera feſſo
Optatò patriam donatur cernere veram.
Et quamquam carnis gratamur compede ſolvi ,
Spiritus ut Chriſto mereatur jure coëſſe ;
Anxia cura tamen noſtri nos angit ovilis.
Ergo agite , & tanti inſpectantes millia cœtûs ,
Eccleſiæ dignum poſt me ſignate magiſtrum.
Omnibus æque viris unum præponite cunctis ,
Fruge ſalutiferi certo qui tempore verbi
Sufficiat veſtris propenſa diaria menſis.
Obticuere omnes : rem tantùm pectore verſant.
Ille , rei meliùs cui finis & ordo patebat ,
Limina ad eccleſiæ greſſum flectitque citatque :
37 Proſequitur plebs tota virum , templique

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

parabant
Cum Sancto penetrare fores: inſtantibus ille
Reſtitit, ac placido cunctos affamine mulcens,
Officii eſt, dixit, votique in ſecula noſtri,
ei occurrerit. Divinam curare domum, paciſque miniſtros
Ordine pacato divis admittere tectis;
At quos cædis amor bellique inſana cupido
Inſtimulat, totis quamprimum arcere ſacellis:
Obtentu quoniam facta eſt domus iſta precandi;
Non ut veſani præſtet ſpectacula Martis.
Ergo ut magnificis interfore ſacramentis
**B.* ſiet Copia cuique fiat *, telis ferroque maligno
Exonerate manus. Dixit; nec dicere tempus
Plura tulit: poſito nam cuncti pondere ferri,
Enſe latus, jaculoque manus ſolvuntque levantque.
Colliſu armorum tellus ſubjecta retinnit.
Sic præcedentem templi in penetralia Sanctum:
Plebs eſt niſa ſequi. Poſita jam fronte minaci,
Neſcius ingenii, proviſæ neſcius artis,
Dux aderat, primuſque ſubit: ſic poſtulat ordo.
B Præſul ſepoſitis Germanum ut conſpicit armis,
Fortibus artari templi jubet oſtia clauſtris.
Fit dicto citiùs, mandarat quod faciendum.
Quis tibi, magne Leo, cernenti talia vultus?
Quæ tibi tum capto primùm ſententia venit
Plurima volventi? Caſsò conabere cuncta.
Si ſævire voles, armorum ſpicula deſunt;
Sive fugâ labi, patet hîc non exitus uſquam.
Manſueſcas potiùs; magis hæc ſententia præſtat.
Diſce patique manum, humanos nec effuge tactus:
Mitibus includi pudeat non denique caulis.
Res hæc multorum quondam celebrabitur ore,
Si contingat oves inter recubare Leonem.

XVIII. *Ut comam depoſuerit.*

38 Antiſtes, ſacri circumfuſo agmine cleri,
Vique manuque Virum primus pervadit inermem,
Magno auſum præbente Deo; cujuſque vocato
Nomine, ſublimi crinem de vertice carpens,
Mutatumque animo mutans diſcrimine veſtis,
* *i. e.* presbyterii *Nat. Mss.* Promotum jubet eſſe gradûs in honore ſecundi*;
Solicitum ſatis eſſe monens, pignuſque receptum
Illæſa ſervare fide; quòd protinus ipſum
Sciret in eccleſiæ poſt ſe fore regmine primum,
Heredemque loci, ſucceſſoremque magiſtri.
Diſcite, doctores, decretorumque datores, D
Paſtoreſque gregis (ſed multi nomine tantùm)
Myſtica qui rudibus committi poſſe negatis
Sacramenta Dei (verum nec id eſſe negamus)
Diſcite Spiritui ſed vos ſummittere Sancto;
Cujus opus lex eſt, & diſpenſatio norma;
Atque ubi vult, ſpirat; quoniam Natoque Patrique
Majeſtate pari communicat: inque docendo
Non eget ille morâ: quoniam tetigiſſe, docere eſt;
Et voluiſſe, agere; & mutat, cum denique luſtrat.
Epilogus. 39 Longa via eſt, iter arduum; id ut * acceleretur,
* *B.* id ut tandem Infirmis tardamur equis, quique impete primo
Acriter inceptum peragunt vix denique curſum:
Velle bonum quoniam retinent; ſed poſſe puſillum.
Conſule, care comes, quocirca illiſque tibique;
Digreſſuſque domo, metas hîc figito primas.
Incepiſſe aliquid jam pars eſt quantula facti.

ANNOTATA. E

a *Mera hæc eſt fabula: neque enim urbi Celticæ, antequam Romanos noviſſet, nomen ab Hado Latinum datum fuiſſe, credibile eſt.*

b *Imò hoc diu ante Julii Cæſaris adventum in Gallias contigiſſe, oſtendit Valeſius in Notitia Gall. in* Auguſtoduno Æduorum. *Negat vero idem, Auguſtoduno ullum umquam jus metropoliticum fuiſſe in alias provincias, ac ne in Lugdunenſem quidem. Vide infrà litt.* e.

c Quando autem; aut à quibus ſcriptoribus caput gentis Æduorum dictum eſt Celtica Roma? *Ita negando quærit ibidem Valeſius.*

d Ab Auguſto igitur, à quo forſitan beneficiis auctum aut operibus exornatum erat, & à monte vicino, Auguſtodunum nomen Latino-Gallicum accepit: vulgò Auſtun. *Valeſius ibid.*

e *Videtur putaſſe Hericus, Præfecti Galliarum ſedem ordinariam fuiſſe Auguſtoduni per hæc tempora* (*Hinc urbem illam, opinor*, caput regni *paulo antè vocitabat:*) *ſed hoc falſum diximus in annotatis ad Conſtantium num.* 3 *litt.* i.

C PRÆFATIO LIBRI SECUNDI, F

τειχώλῳ τετραστόφῳ edita.

Rogat auctor Spiritum ſanctum,

PRiſcos ingenui cura poëmatis
Vates cum raperet (quippe facetius,
Purum, molle, canorum,
Olim ſcribere laus erat)
Phœbeis latibus vota potentia
Indebant, ſolitis relligionibus,
Muſas vela futuro
Credentes dare carmini.
Centum vocibus hic ora crepantia,
Hic linguas totidem, pectus aheneum,
Oris ferrea plectra,
Excibat ſtudioſiùs.
Me robuſta fides, mens bene credula,
**B.* quippe Diverſum petere, & ſanè * decentius,
Ne dicam officioſum,
Importuniùs excitat.
O lux terrigenûm mentibus addita!
O mirande nimis Spiritus artifex!
O largitor honorum!
O facundia fertilis!
Olim formifluos qui latices ſuper
Portabare fovens, formificans quoque:
Cuncta informia namque
Extant te ſine, Conditor.
te cœptis aſpiret. 41 Inceptis placido flamine curſibus
Aſpira, & faciles ſuggere dactylos,
Spondeoſque moroſos:
Namque hæc copula gratior.
At non ſufficiunt verba fluentia,
Nî ſit materies ſplendida carminis
Utrumque approbat uſus,
Et nos utraque poſcimus;
Quamquam tanta ſit hæc, tamque pereſſlua;
Ut ſenſus meritò menſque perhorreat
Tantæ ſcrupea molis,
Atque intacta cacumina;
Nonnullas operas poſtulat attamen,
In litus fluvium cogere turgidum,
Campos cum per apertos
Seſe latiùs explicat.

O

A O noſtri validæ Pontificis cruces !
Quîs non ſufficiunt verba, manus quoque :
Nedum cuique ferendas
Ullo fœdere dixerim.
His figam calamum, te tamen auſpice,
Pro quo cuncta quidem pertulit aſpera,
Nec bis, nec ſemel ille ;
Sed, quàm vita, moroſior *a*. A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ANNOTATA.

a *Quaſi dicat : Non ante cruciare ſe Sanctus deſiit, quàm vivere.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

S. Amatoris obitus ; ſucceſſio S. Germani ; & initium vitæ auſteriſſimæ.

1. *Exceſſus S. Amatoris ; & electio Germani in epiſcopatum.*

B MOribus & meritis ſpectatus Amator opimis,
Vivere cui Chriſtus fuit, & ſors ultima lucrum,
Virtutum plenus titulis, plenuſque dierum,
Ceperat emeritam, ſudorum præmia, palmam,
Candentis ſpecie transfuſus in aſtra columbæ.
Tum verò populos in conſona vota ruentes
Aſpiceres, ſpirante Deo : namque agmina cleri
Nobilibus conſerta ruunt ; plebs ruſtica plebi
Concinit urbanæ ; par eſt ſententia cunctis,
Vox eadem ; ſtudiiſque ardent communibus omnes
Germano titulum decernere pontificatûs :
Hunc claris meritis, hunc nobilitate legendum,
Dogmate præcipuum, generoſo pectore primum,
Principibus notum, & nonnulla parte verendum,
Cautum conſiliis divo de fonte petitis.
Multa Viri caſtam cumulant præconia laudem :
Materiem merita alta dabant ; perque ora volentûm
Libera ſponte fluunt ſermonis famina veri.
Cuique aliud non eſt, nec præſtat copia fandi,
Germanum ingeminat, Germanum ad ſidera jactat,
Quáque feras oculos, quáque aurem ducere tentes,
C Omnia Germanum. Tanta eſt concordia vocum.

II. *Quod bellum civile indicitur poteſtati.*

43 Multa renitenti, ſeque abjurare paranti,
Civile inſtituunt Primati inferre duellum ;
Statque animis incepta ſequi, nec ducere quóquam
Propoſita de ſorte pedem. Quid victa poteſtas,
Quid contra niti populorum millia poſſit ?
Quin motemque gerat, ſuperaque ab ſede profectam
Inſtantis nôrit cauſam prodîſſe negotî.

III. *Quod ab his etiam, quos pro ſe paraverat, vincerentur.*

44 Si quos præterea pro ſe fortaſſe parârat
Patronos obices ; rerum mox cardine verſo,
Senſit in adverſas animum deponere partes ;
Expertus, quà velle Dei eſt, huc cetera flecti.

IV. *Quod, ſuſcepto ſacerdotio, mutatur ex omnibus.*

45 Sumptus honos, non ſponte licet : factuſque ſacerdos,
Si quid erat luteum, prudens convertit in aurum ;
Augmentoque gradûs virtutum copia fluxit.
Labentis linquuntur opes & munia regni ;
Lucraque cum pompis, & quidquid labile, lapſum,
Lapſurumve putes, mens eſt ea pendere flocci.
Quin & paupertas opibus prælata caducis
Quidquid ad humanos licitò contraxerat uſus,
Spe meliore aridis * largè * transfundit egenis,
Inſtanti contenta die, nec craſtina curans.
Uxor, ad amplexus tantùm fidiſſima caſtos
Hac ſubjecta tenus, ſortem eſt in verſa ſororis,
Cæleſtem cælebs ſancto cum Conjuge vitam
In reliquum ductura diem. Mutatio celſi
Hæc fuit illa Dei ; confectum eſt munere cujus,
Si quando lævam ſana quis mente peroſus,
Pronior in dextram valido conamine fertur.
46 Ardua currenti moles in carmine ſurgit,
Pondere torva ſuo ; quòd non eſt tempore viſa,
Non audita rudi ; perque hoc incognita cunctis,
Credita non cunctis, tentata eſt denique paucis.
Spiritus alme, veni ; quaque id virtute dediſti
Quo poſſet fieri, da nunc quoque poſſe profari.
Factus apoſtolici compos & compar * honoris,
Duxit apoſtolicam factis & nomine vitam ;
Indixitque ſuæ mox ardua prælia carni,
Æternaſque cruces animi commenta ferocis *.
47 Ex qua namque die dici concepit & eſſe
Forte ſacer, tanta carnem impietate ſubegit ;
Os ut ab omnimodis exin ſecluſerit eſcis,
Quîs avidum affectant humana inventa ſaporem :
Non uſum Cereris, non uſum denique Bacchi
Jam tum vel labiis paſſus contingere ſummis ;
Non oleum, non ille cibis inſumpſit acetum,
Quo ſine nulla placent, extant lautiſſima quamquam :
Præſiccis dapibus ſalis adjumenta negavit.
48 Feſta dies ferias ſiquando indixerat orbi,
Induto carnem nitida de Virgine Verbo,
Vel cum tartareo victor redivivus ab orco
Extulit humanæ ſecum vexilla ſalutis,
Singula ſolemnis pro relligione diei
Indulſiſſe ferunt expenſis pocula parcis ;
Vina ſed irriguis undantiùs obruta lymphis,
Nativum abnuerant, nec jam modò vina, ſaporem.
49 Corpus inane cibo ſuſtentaturus inerti,
Davidis memor ille boni, cui carmina curæ,
Libavit primò cineres ; ſic hordea ſumpſit.
Is modò panis erat : factum ſumpſiſſe reatus
Alterius manibus, ſi non hunc impiger ipſe
Excuteret moleretque ſuis ; referre peritus,
Externo, an proprio victum ſudore pararet,
Quodque foret manuum felix probitate ſuarum.
Temperiùs ſumpſiſſe cibum fortaſſe voluptas
Qualemcumque foret ; præceps cum linqueret arva
Phœbus, in Heſperias occaſu pronior undas,
Perſiccis dapibus certam præſcripſerat horam.
Ad medium hebdomadis quoties duravit inanis?
Sæpius in ſeptem traxit jejunia noctes.
50 Qua tulit æſtivos anni pro parte calores,
Hac tulit & rigidas ipſa cum veſte pruinas.
Veſtis erat tenui tunicam ſupplêſſe cuculla,
Ciliciumque internè latens * : hoc horrida membra,
Dura cutis, nullo molles in tempore ſomni.
Sumpta ſemel, jugi numquam conceſſit ab uſu,
Tradita pauperibus niſi cum ſucceſſit in uſum,
Aut attrita nimis nullos deceſſit ad uſus.
Ac velut hoſtiles in planum fundere turres
Quiſque ruens, valida premit obſidione rebelles;
Nec

V. *De inenarrabilibus cruciibus ejus.*

VI. *De abnegatione cibi.*

VII. *De qualitate poculi.*

VIII. *Qualitas cibi & hora.*

IX. *Vilitas veſtimenti.*

E

F

* *an.* **avidis?**
* *B.* **manu larga**

* *B.* **compar & compos**

* *i.e.* **generoſi**

* *B.* **intus latitans**

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Nec ceſſat machinis *, nec fictis arte latebris ;
Cumque foris gladio pugnat, terroribus intus,
Non priùs abſiſtens, teneat quàm mœnia victor :
Hiſdem animis corpus vexans acerrimus hoſtis,
Exoſuſque ſibi, nunc his, nunc impetit illis
Mortificare modis : jejunîs afficit intus,
Aſperitate foris ; domitoque immane leoni
Aſpera proponens, tum deteriora minatur.
O nova perdomitæ nimiùm conſtantia carnis,
Naturæ cui jura datum eſt ſuperare potentis,
Ingenitumque homini pedibus ſubſternere πάθος * !

x. *De auſteritate lectuli ejus.*

ſr Lectus erat, quadri gracilis complexio ligni,
Flammarum exuviis cineriſque aſpergine duri
Margine plena tenus : confectus jamque jacentis
Duruerat de mole cinis, rigidique ferebat
Terga ſoli : duræ dederant ſtratoria ſetæ,
Pertenui ſubjecta ſago : quà plurima cervix
Verticis excelſi ſuperam conſurgit ad arcem,
Nulla Viri ſuppoſta caput res extulit umquam.
Damnârat ſic membra ſolo. Quid, noctibus ille
B Quod non detraxit feſſo de corpore veſtem ?
Rara pedum tegmenta tulit ; ſic cingula rarò :
Sanctorum ſancto non dempſit pignora collo.
Non pectus gemitu, non os immune precatu.
Hæc inter, cui non ſomnum tormenta negarent ?
In carmen procede, liber, mens anxia dixit :
Ulteriora vocant. Alio mox numine tacta,
Stemus, item dixit : revocant primaria curſum :
Nec ſemel his hæſiſſe ſat eſt ; refricata placebunt
Illa magis : ſpectanda Viri converſio ſancti,
Virque viro veteri novus æqua lance ferendus ;
Quid fuerit, quid ſit factus, quis prodiit ex quo.

xi. *Collatio veteris & novi hominis.*

52 Pranſuro quondam regali prædia luxu
Orbibus antiquis dapium diverſa ferebant :
Nec modus impenſæ ; nec edendi copia ſimplex :
Vilia, nata domi ; non magna, domeſtica quæque ;
Arte petita magis, duroque labore ſequentûm
Empta placent : quodque eſt ima tellure ferarum,
Quod cælo volucrum, pelagique per abdita nantûm,
Principis infrænes conducebantur ad uſus,
Non mandante fame, at varium latura ſaporem *a*.
Has epulas, hæc fallacis lactamina mundi
Hauſta priùs Juveni (Rerum commercia mira !)
Pòſt compenſarunt ter binis hordea luſtris *b*,
C Libatî cineres, jejunia longa dierum.
Quæ veniunt patriis & prima & plurima terris,
Vina miniſtrabant gemmæ pretioſa capaces ;
Ut diverſorum taceam commenta liquorum.
Extulit hæc palmis interdum fonte petita
Lympha cavis : culpamque putes, niſi ſumere parcè.
53 Quid memorem Phrygio perſcriptas pectine veſtes,
Nec ſemel in Tyrios cocta indumenta rubores,
Craſſius his aurum ſuperinſutaſque ſmaragdos,
Tum byſſos niveas, holoſerica plumea, torques ;
Multa, Duci quæ larga dabat fortuna ſuperbo,
Singula diſcretis alium factura diebus ?
Artubus his olidi induxit ſetalia capri,
Interulis quondam ſolitus ſudare τελχάπτοις *c*.
Quid, quod & officiis expletum rite diurnis
(Tum ludos tractabat enim, tum feria paſſim)
A turba ad placidi cedentem tuta cubilis
Mollior exceptum ſomnos haurire ſalubres
Culcita ſuadebat, rutilo lautiſſima cocco ?
Hæc eadem rigido tellus aſperrima tergo
Membra tulit, niveas jam dediſcentia plumas.
Nec ſomnis operam dedit, at plangoribus ille :
Inque ſuo ſtratu Domini memor omnipotentis, D
Ac veteris jam tum recolens veſtigia vitæ,
Deluit * internas fletu medicante latebras.
Hoſtia viva, placens, rationis acumine fulta,
Sic ſe virtutum caſta mactavit in ara ;
Poſt Chriſtum portare crucem, ſeſeque negato,
Gnarus ad aſtrigeri contendere culmina cæli,
Confixus cui mundus erat, qui denique mundo.

* *i. e.* paſſionem *Not. Mss.*

* *pro* eluit *vel* diluit

ANNOTATA.

a Id eſt, non ut famem tollerent, ſed ut voluptatem cumularent. *Not. Mss. Cod. Lugd.*

b *Hoc eſt, annis triginta, quibus epiſcopus fuit.*

c Interulas dicimus, interiores tunicas ; trichaptas autem, capillaris ſubtilitatis : τρίχαι (*imò* τρίχες) enim Græcè capilli. *Ita Not. Mss. ibid. Alioqui* τρίχαπτον *propriè bombycinum quoddam textum eſt, quo capitis crines conſtringuntur, Latinis crinale dictum. Sed patet, hoc loco tunicam ſubtilem intelligi, oppoſitam aſperitati cilicii.*

CAPUT II. E

Collatio Sancti cum Apoſtolis, Martyribus &c. Ejuſdem hoſpitalitas ; ſolitudo ; cœnobium.

PRudentes aſſunto viri, ſenſuque coacto,
Expendant hujus cauſas & ſenſa negotî,
Conſultiſque animis, tulerit quod maximè dignum *,
Quiſque ferat : mihi certè eadem ſententia perſtat,
Inque dies animo eſt magis illapſura tenaci,
Germanum, quantis hac vixit ſorte diebus,
Nobile martyrium totidem traxiſſe diebus.
Nemo moleſtus eat ; ferat iſta ſuperflua nemo :
Germanus mihi Martyr erit ; nec ducar ineptus,
Pro nobis ora, magne, cum dixero, Martyr.

xii. *Quod inter tot cruces longum martyrium ſuſtinuerit.*

* *B.* quæ digna relatu

55 Quodque eſt his potius ; quamquam vocer improbus, auſim,
Magna quibus toto ſeges expatiavit in orbe,
Fidus Apoſtolicis Germanum inſcribere granis ;
Et ſi non numero, numeri quem finiit auctor ;
At merito. Meritis ipſi concurrere Petro
Haud vetitum ; meritis Petrus non invidet æquis.
Vitam & virtutes à noſtro Præſule geſtas
Et documenta lege * : ſi non & Apoſtolus eſſe
Et dici valeat, vel dic ; vel dicere * fallax.

xiii. *Quod etiam Apoſtolis merito coæquetur.*

F

* *B.* Legas

* *pro* dicitor

56 Pontificum cathedras quantis ſplendoribus ornet,
Quòd ſatis emineat, non eſt hinc dicere multa.
Inferior nullo, multis præſtantior extans,
Id ſibi privatum Chriſti fert munere munus,
Dogmate quod rutilus, ſigniſque frequentibus ingens,
Et verbo & claris confecerit omnia geſtis.

xiv. *Quid ad Confeſſores.*

57 Cur non &, liciti pepigit quia fœdera lecti,
Virgineo quiſquam tentet ſubducere *a* ſerto ?
Incorrupta fides, voti mens conſcia recti,
Non umquam eſt nivei labem perpeſſa pudoris.
Eſtque parum intactæ carnis geſſiſſe nitelas,
Intimus obſcæno ſi non homo purus ab actu,
Integritate ſui ſtudeat conſtare decoris.

xv. *Quod & virginibus merito ſocietur.*

a

58 Ergo age ; & adductis coràm rationibus, omnes
Ordine per Sanctos animum rape : congrua noſtro

xvi.

A stro
Quod, ſicut omnibus meritò particeps eſt, ita & coronâ.
In cunctis ſunt multa Patri: cumque agmine magno
Mundus cenſoris cogetur ad ora futuri,
Cumque & apoſtolicus conſederit ille ſenatus,
Germanus rutilo ſubnixus & ipſe ſedili,
De magno decreta ratus cenſoria judex
Orbe feret; tum Martyribus cum fortia ſacris
Præmia pendentur, roſeam feret ille coronam,
Quam peperere cruces addicto in corpore longæ:
Cumque ſacerdotes cauti pro merce talenti,
Pro carne edomita, facti pro fœnore lucri,
Ordine promeriti intrarint penetralia regni,
Germano in partem palma victrice locata;
Optime, dicetur, pro parvis maxima, Serve;
Excipe; quòd fueris pleno de corde fidelis.

XVII.
Quod cum conjugatis, continentibus, & virginibus remuneretur.
59 Terra ferax trimoda * beat ubertate colonum:
Sic ſator edocuit, verbi dum ſemina mittit.
Cumque alii referent nitidos ſuper aſtra maniplos,
Præmia quiſque ſui repetens pro parte laboris,
Germanum ternis cernes radiare coronis.
B. triplici
Quique à ter denis in ſexagena profectus *b*,
A læva in dextram ſemper veſtigia duxit,
B Virgineo planè pollebit ſtemmate felix:
Virginibus datus ille comes, Agnumque ſequetur,
Quà greſſum tulerit; quodque eſt natale pudicis,
Concinet ætheria reſonum dulcedine carmen.
Tantus ut is fieret, tua ſunt hæc munia, Chriſte,
Quo ſine nil rectum, cum quo ſunt omnia recta.

XVIII.
De bono hoſpitalitatis.
60 Qua duo cælicolis quondam virtute receptis
c
Complacuere patres *c*, fuit hæc vernacula Sancto:
Edicti memor hic toties humana monentis,
Cui bene mox facias, quemquam non eſſe legendum,
Quodque viatori patuerunt oſtia juſti,
Omnibus hoſpitii perlargum præbuit uſum;
Nemo eſt exceptus, perpeſſus nemo repulſam;
Collegit cunctos, ſtruxit convivia cunctis:
Intulit ipſe dapes; cunctiſque unde unde refectis,
Eſuriit ſolus. Quantum his dependere curæ
** i. e.* diligentiæ *Not. Mss.*
Dilectûſve * fuit? Caperet tamquam omnia Chriſtus
Officia, & membris tum præſentiſſimus eſſet;
Ille pedum ſordes manibus depellere caſtis,
Oſculaque exterſis inſtanter figere plantis;
Id feciſſe Deum, & fieri juſſiſſe, peritus.
Invalidos mira ſemper pietate refecit;
Deſperata diu, nec jam medicalia multis
Ulcera dum fovit, quoties à morte reſumpſit?
C Hic cæcis oculus, pes idem denique claudis,
Pauperibuſque pater: ſic omnibus omnia factus,
Offecit nullis, certavit profore cunctis.

XIX.
Quod in ſeculi frequentia eremum ſervaverit.
61 Cumque ipſo tantùm videas hoc tempore multos
Secretos à plebe loco, nulloque pudore,
Affectare animis itidem popularia laxis;
Hic vice converſa, rarò quod contigit ulli,
In populis nitidam ſecreti munere vitam
Obtinuit. Quodque mirum; mundalia tractans,
Fallacis minimè traxit contagia mundi.
O mirum! piceas quemquam contingere ſordes,
Nec pice fœdari. Mirum! quod conditus imis
Ignis eat ſinibus; veſteſque ferantur inuſtæ.
62 Curarum permagna fuit, conducere ſemper
Eccleſiæ, cui rector erat, quamque ordine miro
Augmentis ſanctæ componens relligionis,
Inſtituit duplici regna ad cæleſtia quoſque
Ire via. Sunt perfectæ feliciter ambæ;
Ad cælum tendunt æquis proceſſibus ambæ:
Laxiùs una vehens (Hæc eſſe Canonica fertur:)
Πρακτικὴν *d* aſſueto * jam dudum more frequentat:
Altera limitibus arta eſt hinc inde coactis,
Nec per plana vehit; molitur ad ardua ſemper:
Hæc & apoſtolica eſt, eademque θεωρικὴ ***, tantùm
Seceſſu gaudens, ſecreto læta perenni.
Hanc ingreſſuris tum mœnia pulchra locavit,
Urbis ab aſpectu, tumido quà prominet amni
Surgentem ad Phœbum, fluvio tamen interjecto,
Jcaunam dixit nomen largita vetuſtas.
Hoc diſtincta modo ſors eccleſiaſtica crevit,
Crevit in immenſum; ſtudiiſque rapacibus omnes
Ad ſanctam certo migrabant ordine vitam,
Felices Paſtore bono, quem prævia virtus
E Fecerat egregium, proponebatque ſequendum.
Quis non civiles tali cum Præſule mores
Conciperet; quamquam modò barbarus ille veniſſet ***?
** B.* fuiſſet
Quis fidei poſſet purus non fervere cultor,
Etſi in centenûm juratus ſacra deorum?
Quis ferus uſqueadeo, quem non miteſcere Sancti
Gratia compulerit? Numquam ſermonibus ille
Rem geſſit tantùm; poterat ſic denique ſperni,
Si non & faceret: contemnenduſque putatur
Doctor in eloquiis, niſi fert ſuffragia factis:
Quave, quod eſt Chriſtò carum, ſubducere vili
Arte queat luteos exhalans quiſque vapores,
Oſque Dei dici, non eſt efferre facultas *e*.
e
63 Tertius ut capiat ſignis * exordia liber, * *Epilogus.*
Morales operas poſcit finire ſecundus; ** i. e.* miraculis
Indigna quamquam cogi brevitate queratur. ** B.* codex

ANNOTATA.

a Subducere, *pro ducere ſub ſerto virgineo, ſeu virginibus annumerare.*

b *Alludit ad parabolam de ſemine lapſo in terram bonam & fructum afferente centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum Matth.* 13. *Additur in Notis Mss:* Centenarius numerus à læva tranſlatus in dexteram, virginitatis ſymbolum eſt. F

c Abraham & Loth. *Not. Mss.*

d Πρακτικὴν, *id eſt*, activam vitam. *Not. Mss.*

e Deus per Iſaiam: Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Vilis eſt Deo hic mundus; pretioſum, anima ad imaginem ſui creata. *Not. Mss. ibid. Senſus ergo eſt: dici non poteſt, quo pacto ille animas Deo lucrari doctrinâ poſſit qui doctrinæ exemplum non adjungit.*

PRÆFATIO LIBRI TERTII

μονοκώλῳ *explicata.*

Elogium S. Germani
GYranti cuneos Chriſticolûm, quos humus extulit,
Occurrit ratio cum vehemens, tum mederatior,
Lector pace tua, quam liceat prodere puriùs:
Nulli deterit hæc officii magnificentiam.
Inſpectes, alium muneribus dogmatis inclyti
Præpollere; alium pro meritis ſcandere ſidera;
Hunc ſignis celebrem clarificat fama beatior:
Vix unum invenias, cui ſimul hæc omnia confluant.
Vulgant Hilarium *a* ſeptifidis artibus * inclytum; *a*
Martinus *b* titulis ſignipotens aſtra reverberat; * *i. e.* liberalibus
Pal- *b*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Palmam ſanctifici propoſiti Antonius tulit * :
Clarus quiſque ſua laude nitet tempore perpeti.
Sic donis homines munificus Spiritus imbuit ,
Qui , cum ſimpliciter ſimplificus ſubſtet & unicus ,
Ob fœcunda tamen multiplici dote chariſmata.
Cæleſtis potiùs ſeptifluum pagina concrepat.
65 O terque atque quater magnificum , & denique millies ,
Uni qui meruit fortè bono participarier !
Ut de illo ſileam , qui ſiquidem plurima rettulit;
Hic Germanus , hic eſt , cui melico * carmine plaudimus :
Hunc ornat σοφίας καθολικῆς c ſumma peritia :
Hic claris meritis inferior nemine fulſerit :
Hunc per ſigna tamen magnificis confer Apoſtolis,
Si non aſſimili jure potens hic quoque ſplendeat.
Teſtis proluvie Pelagii exempta Britannia ;
Teſtis , qua rigidas ille cruces cellula pertulit ;
Teſtes , quà facilem cumque pedem vel ſemel intulit ,
Stantes eccleſiæ , & vivifici ſymbola nominis.
Excurſis igitur principio moribus optimis ,
Ultro ſigna vocant quadrifido orbe micantia.
Huc nos auſpiciis ire bonis , inclyte , luminum
Fons idemque pater qui merito diceris , annue.

B. intulit

B. lyrico

D

6

ANNOTATA.

a Hilarium , *Pictavienſem ſcilicet epiſcopum , de quo nos die 13 Januarii.*

b Martinus *ep. Turonenſis , longè notiſſimus , quemadmodum &* S. Antonius *abbas , qui ſequitur.*

c Σοφίας καθολικῆς , id eſt , ſapientiæ univerſalis. *Not. Mss.*

LIBER TERTIUS.

B

CAPUT I.

Poteſtas ejus mirabilis in dæmones ; converſio S. Mamertini.

Ut ad miracula ventum eſt.

CReverunt miri , meritis creſcentibus , actus,
Famoſumque Viro per ſigna potentia nomen
Elicuere cruces ; quarum quo durior uſus ,
Hoc in patrandis melior præſtantia miris.
Principium tulit his , non experientia juris
Vana fui , nec , qua quondam capiuntur inertes,
Exauctoratæ levis inconſtantia mentis ;
Verùm nota bonis feſſi compaſſio fratris ,
Cui non ferre manum pars eſt indigna reatûs *a*.

a

11.

De pecunia comperta.

67 Extulit illa virum ſtudiis frugalibus ætas ,
Officiis habilem primis ; Januarius olli
Cognomen gentile fuit , ſub præſide princeps
Delectus penſis gentem multare tributis.
Ponderis exacti congeſtam tempore ſummam
Fortè ferebat eò , plenis ut lata crumenis
Adderet exoticis æraria publica gazis.
Is , quòd erat ſancti devotus verna timoris ,
Viſere Pontificem veſtigia torſit in urbem ,
Indignum pietate ratus , cum comminus * eſſet,
Præteriiſſe Virum : tulit hinc ad mœnia greſſum.
Mox vectigalis paſſus diſpendia ſacci ,
Jam reus eſt , & adhuc capitis diſcrimina neſcit :
Amiſſos rapuit pervaſus dæmone quidam
Cum ſacco nummos ; cumque aforet arbiter omnis ,
Condidit in latebras. Damnis addictus * amaris ,
A quonam repetat , quod non commiſerit ulli ?
Anxius incertis opplet conqueſtibus urbem ;
Itque reditque viam ; quà nunc veſtigia preſſit ,
Nequidquam relegens ; quòd res incognita perſtat.
Collapſis ſpebus , ſola hæc ſententia manſit ,
In Sanctum transferre Virum reparamina damni ;
Hunc precibus , hunc & lacrymis inceſſere veris;
Haud aliter quam depoſitis obnoxius eſſet.
Præſul lugentis ſortem miſeratus iniquam ,
Poſſe reformari ſpondet diſpendia fiſci :
Femineis animum velit exonerare querelis.
Præſulis edictum tota mox urbe pependit ;
Quærendæque rei tridui dilatio fertur.

B. proximus

C

nempe Januarius

E

per energumenum.

68 Hoc miſer expenſo , votoque eluſus inani,
Impatiens ruit , ac Sancti veſtigia ſtringens ,
Publica nî fuerit comperta pecunia , dixit ,
Jam laqueo eliſam flebis diſcedere vitam.
Quid pietas ageret ? Jubet è patientibus unum
Acciri. Caſu ſceleris deducitur auctor.
Imperat , edicat pacti contagia furti.
Ille fovet latebram. Produci in plebe negantem
Mox jubet : hinc ſacris ſeſe ſollemniter aptat :
Elatis manibus plebem de more ſalutans ,
Sternitur , & terram porrecto corpore preſſans,
Ingemit. Orantis hauſerunt ſidera vocem.
Nec mora , tum volucres agitur captivus in auras,
Suppliciis ſaltem veri documenta daturus.
Eccleſiam clamor , populum trepidatio complet.
Extulit illa dies miris ſpectacula rebus ,
Quòd reus & Judex acri certamine cauſam
Expendêre ſuam : jacet hic , attollitur ille ;
Iſte ſolum precibus , ventos premit ille querelis ;
Contigit hic terram , fugit hic contingere terram,
Stare loco infelix modicùm non auſus eodem;
Ac velut ingenti circumvallatus ab igne ,
Germanum inclamat , crimenque ex ordine faſſus
Digerit. Antiſtes artus è pulvere tollens ,
Concivit miſerum , coramque aſſiſtere juſſit ,
Inque aures populi ſeriem percurrerere furti ;
Quod ſupereſt , notis ſolidos efferre latebris.
Elatus populi percellit ſidera clamor ,
Germani meritum Chriſtique inſignia teſtans.

F

III.

Hoc primum miraculum publicè operatus eſt.

69 Dicitur auſpiciis hæc experientia primis
Applauſiſſe Viro , res eſt quòd publicè geſta ;
Sæpe tamen flatus * extruſerat ille ſuperbos ;
Secreti cupidus voluit ſed prodere nulli.

i. e. ſpiritus

70 Cum Sancto partes infeſſa lite ſiniſtræ
Certavere Viro ; quodam ſed tempore bellum
Acrius incubuit ; multaque hunc arte petitum
Ut videre ſuis patulum non cedere telis ,
Conceptum ſub corde nefas in damna tulere
Plebis ; in hanc atras tandem exeruere phare-
tras.
Continuò latis clades incanduit arvis ,
Diraque per vaſtum reptant contagia vulgus.
Spiritus * obſeſſis angens præcordia clauſtris ,
Ægraque per tumidas adigens ſuſpiria fauces ,
Compulit infeſto populum ſuccumbere leto.
Sic inimica lues , ternis vix tracta diebus,
Mergebat miſeros indigno funere cives.

IV.

De peſtilentia per dæmones illata.

i. e. anhelitus *Not. Mss.*

Con-

A Conclamata ſalus ; vitæ fiducia ceſſit;
*B. ſemina Inque dies ſævi crudeſcunt σπέρματα * morbi.
Ferre manum nemo ; fatis occurrere nemo.
Agnovit veteris pius argumenta chelydri
Præſul , & indoluit. Sacri tum ſchemate ſigni
Imbuit allatum verbiſque potentibus unguen.
Hoc depulſa lues ; hoc vitæ reddita plebes ;
Halitus atque cibus tactu reparata liquoris ,
Perniciem pepulere ; ſalus feſtina recurrit :
Purgavit Medicus, quodcumque infecerat hydrus.
Dæmonicos flatus talem ſeviſſe ruinam ,
Pòſt patuit : namque à miſero dum pellitur uno
Spiritus , id retulit , Sanctoque manus ad ſidera
b dante *b*,
Turbine verborum turpem excepiſſe repulſam.

V. 71 Æmula virtutum proponens præmia cunctis ,
De adventu ejus ad monaſterium. Nunc monachos , nunc ille citabat ad ardua clerum :
Seque his præſentem vicibus dum redderet æquis,
Quadam forte die rogitatus viſere fratres ,
Abnuit , alterius diſtentus pondere cauſæ.
Ecce ſed exemptus cura nexuque negotî
Poſt modicum , ignaros fratres egreſſus adibat.
B Obſeſſorum unus patiens ad limina fratrum ,
Pluſque furens ſolito , vocem per inania tollit ;
Affore Germanum vicini ad fluminis oras ,
*B. fluvium Nec ſine præmiſſa pelagus * tranſcendere * cymba.
*ſupple poſſe Fallere fallacem fallaci pectore vatem ,
Aſſeruere diu ; clamor ſed preſſiùs inſtans ,
Certiùs id ſciri , nec rem differre monebat.
Miſſus ad hæc frater , certos de Præſule reddit :
Cymba volat , gratumque vehit fidiſſima pondus:
Excipitur ſolito fratrum fervore Sacerdos :
Incumbit precibus , ſequitur quem concio tota.
Extemplo validis artatum nexibus hoſtis
Captivum ſublimè rapit ; dumque iſte moratur
In precibus , furit hic , & queſtibus aëra complet ,
Seque ferox miſeri trudendum pectore frendens ,
Lædere corporeos ſaltem ſineretur ut artus ,
Implorat : ſed & hoc ſibi non ſuccedere certus,
Exiit obſcœnam compulſus rumpere partem :
Condignus ſequitur furis veſtigia fœtor.
Claruit ergo locus meritis & honore Magiſtri ,
Et ſuccedentûm moderamine diſcipulorum
Ille diu. Calamum brevitas à talibus arcet *c*.

c VI. 72 Mamertinus erat Phœbique Joviſque ſacerdos ,
De converſione Mamertini. Tum quoque cunctorum cultor pro poſſe deorum.
Hic poſt exactos aliquot his cultibus annos ,
C Unius officio miſer expoliatur ocelli ,
Arentis pariter referens diſpendia dextræ :
Pulſatiſque diu , dudum quas rexerat , aris ;
Expertus , ſurdos nequidquam in vota vocari ,
d Judice Chriſticola , inciderat quem fortè *d* , Sabino ,
Formantem exemplis decreta monaſtica pulchris
Germanum expetiit. Rerum jam Cognitor illi
Signârat cauſamque viri , votumque , modumque.
* *B.* prope Jam fere * contigerat ſacri pia limina tecti ,
Obvius Antiſtes & ſe tum forte ferebat.
Ille ſolo Sanctum ſupplex affuſus adorat :
Erectum Præſul miro dignamine mulcens ,
Ingreditur , gratiſque hominem ſermonibus afflat:
Itur ad eccleſiam : credens perfunditur undis :
Exutus veteris tandem ſqualore parentis ,
Induitur niveam , mutata mente , figuram :
Quin & corporeos ſenſit concedere morbos ;
Cumque manu lumen ſeſe meruiſſe gaviſus ,
Ætatis reliquum Sancti ſub numine duxit.

ANNOTATA.

A. S. Herico Monacho. Ex Mss.

a *Hæc breviter Conſtantius ſuprà num.* 12 : Et ut ad tentamenta virtutum , creſcentibus meritis , veniretur , non præſumptionis , ſed miſericordiæ principium fuit.

b *Ms. Belfortii , cujus correctiones paſſim plurimas omitto , ob antiquitatem aliorum codicum & hujus recentem auctoritatem , ſic reſtituit hos binos verſus :*

Pòſt patuit : namque à miſero dum ſpiritus exit ,
Id retulit ; Sancto Superos in vota vocante ,
Turbine *&c.*

c *Videtur hoc referri ad hiſtoriam S. Mamertini , quæ occaſione hujus monaſterii longiùs deducitur à Conſtantio ; ab Herico autem breviſſimè contracta ſubjungitur.*

d *Pro* , in quem fortè inciderat.

CAPUT II.

E

Ejus pietas erga defunctos ; remuneratio hoſpitii ; electio ad expeditionem Britannicam ; conſecratio S. Genovefæ virginis.

VEridico ſermone Deus haud profore dixit, VII.
Intimâ ſub modii tectam torpere lucernam. *De domicilio*
Noverat id noſter præcelſo dogmate Paſtor ,
Nec patiebatur latebris conſiſtere cæcis.
Bruma pruinoſis increverat horrida terris ;
Ille iter inſiſtens , admota nocte , monetur
Hoſpitio feſſis tenebras defendere membris.
Id ſolum : nam cœpta Viro jejunia perſtant.
Fortè procul parent veteris veſtigia villæ ,
Putribus annoſa jamjam ſolitudine tectis ;
Alta veternoſas cohibent arbuſta ruinas :
Sæva loci facies , tum converſatio ſæva.
Præſtabat rigido noctem ſubducere cælo ,
Quàm caput horrori dubium committere tanto ;
Quòd ferè * nocturnis infeſta pericula larvis *B.* prope
Rite loco nullam paterentur adeſſe quietem.
Comperit iſta ſenum Præſul ſermone duorum ; F
Metatuſque locum ; Tectis ſuccedite , dixit ,
Ambiguis , ſocii : patet hîc ſpes ampla triumphi.
Hîc inter multas vix una eſt manſio viſa ,
Inſtar habens veteris (fuerat quandoque) tuguri.
Hanc petit, huc comites , iteris huc frivola transfert *a*. *a*
Cœna brevis alios ; Sanctum pſalmodia pavit.
Nox erat , & plenum carpebant cuncta ſoporem;
Lector divinis admovit acumina * libris : *i. e.* oculos
Mos erat iſte Viro. Ceſſerunt feſſa ſopori
Membra tamen , vicitque animum ſubſtantia * * carnis fragilitas *N. Mss.*
fortem.
Interea ante oculos infelix umbra legentis
Aſtitit, ac non magna quidem; mox acta * ſupernè * *f.* aucta
Creſcere in immenſum. Premit imber ſaxeus ædem ;
Miſſilibus labat acta domus ; tremit excita tellus.
Frigidus invadit trepidi præcordia terror ;
Verba abeunt ; vox obductis in faucibus hæret.
Nutanti ſpes una fuit , ſubducere ſomno

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS. *purgato.*

Pontificem. Vidit; magnique in nomine Chriſti,
Quis ſit, quidve petat, coràm jubet ille fateri.
74 Terrificam preſſit ſummiſſa voce figuram,
Se ſociumque ferens ſcelerum contagia plura
Admiſiſſe ſuum; pœnas pendiſſe feroces;
Munera defunctos non promeruiſſe ſepulchri;
Quódque quies miſeris umquam non ulla daretur,
Infeſtare homines. Orat (ſint viſcera ſiqua,
Si qua Viro pietas) efflagitet Omnipotentem
Pro ſe, proque ſuo (tanta eſt ea cura) ſodali,
Sedibus exceptos poſt tot jam tempora certis
Tranquillam miſeris ſinat inventare quietem.
Indolet; éque imo ſuſpiria pectore volvens,
Quò jaceant, monſtrare jubet. Dux luminis umbra
Præviat, & veteres inter convulſa ruinas
Torva ſubit: locus eſt obnoxius ille duobus.
Utque color rebus nitido ſub ſidere fulſit,
Invitat rigidos operis Præceptor agreſtes;
Hortaturque viros, caſtris hinc inde coactis,
Expurgare locum. Longo ſint tempore quamquam
Congeſtæ ſordes; citus at labor omnia vicit.
B Cernuntur paſſim duo fuſa cadavera tandem,
Mole diu compreſſa rudi: vix lurida ſivit
Agnoſci, quod erant humana cadavera, tabes:
Cernitur exeſum ſcabra rubigine ferrum,
Vincula jam ſiccis hærentia tunc quoque membris.
Ingemit humanam Sancti clementia ſortem,
Quamque poteſt, miſeris affert compaſſio curam;
Commoda funeribus ſinuatur foſſa duobus;
Mollia detractis ſuccedunt lintea vinclis;
Pulveris aggeſtu facies obducta ſepulchri;
Signaturque locus venturo notior ævo;
Tum pia pro miſeris Patris interceſſio fertur,
Defunctis requiem, vivis latura quietem.
Impavidi poſt hæc fundum tenuere coloni.
Securamque mali implevit generatio villam.

VIII. *De gallorum vocibus abſolutis*

75 Poſt ſoles aliquot, caſu compulſus eodem,
Hoſpitio feſſus ſucceſſit pauperiorum
More ſuo: nam ventoſum vitare tumorem
Arte volens tali, latebram ſic ſæpe fovebat.
Nox ea divinis acceſſit tota negotîs *;
Et jam flammipedum curſu provectus equorum
Sparſerat ingenuum phœbus per cuncta ruborem,
Gallorum nullis lucem præcentibus ortam *
Antiſtes ſtupuit, quamquam nonnulla volucrum
Copia tum domibus conſpectaretur in illis.
Quæſiti, priſcis hæc ſe cœpiſſe ſub annis
Damna pati, replicant. Votis ambita virorum
C Succurrit pietas benedicti munere farris.
Hoc paſtæ volucres vitioſa ſilentia noctis
Deponunt, ſegnemque diem concentibus urgent.
Pœnituit tacuiſſe diu: nam, fauce ſoluta,
Inſomnes fecere homines. Sic, cardine verſo,
Non tantùm mutæ, quàm diſplicuere canentes.
Rebus in exiguis ingentia gaudia præſtans,
Hoſpitium tali propenſum munere * liquit.

* *B.* impenſa eſt integra rebus

* *ſupple* nuntiari

* *B.* penſatum fœnore

IX. *Britannia hæreſi polluta; & deſcriptio ejus.*

76 Extima telluris limbo cinxiſſe perenni
Oceanum, perhibent patrum inſtrumenta priorum:
Is certè finem quadrato fecerat orbi,
Gallica quà rapidi perſtringunt littora fluctus;
Inſula nî vaſto terrarum plurima ductu
Alterius penè * nomen conduceret orbis,
Edicto veterum vocitata Britannia, brutis
Barbara quòd feritet gens ultro moribus omnis.
Inſula cunctarum conſtat medioxima * quarum
Maximá vel prima: ſpatiis nam tenſa pe[r]umplis,
Ter fere * trigenis productim millibus illa
Longa patet; tranſverſa tuens, fit lata trecentis *b*;
Interque occaſum & ſeptem porrecta triones,
Invidioſa * ſuis exercet ſemina glebis:
Quámque ferax frugum, tam fertilis illa virorum.
Polluit hanc error præfato tempore dirus;
Quod ſatis ad propriam poſſet conferre ſalutem
Arbitra libertas; etiamſi gratia deſit.
Pelagius quidam, vana de gente *μοναζος c*,
Livida tartarei ſpirans atramina fellis,
Talibus infecit mortalia corda venenis,
Pectore perverſus, fœdo perverſior ore.
77 Præſulibus Gallis pandit legatio fida
Diſcrimen fidei partes lapſantis in illas,
Quamque poteſt primùm, populis ſuccurrere lapſis.
Relligioſorum pepulit compaſſio mentem
Expoſitos diro fratres efferre periclo.
Hinc ſynodus numeroſa coit: communibus illic
Cauſa ſubeſt lacrymis; contundunt pectora quiſque;
Quodque negat ſermo, peragunt ſuſpiria voto:
Flent peſtem cuncti; nequeunt ſuccurrere cuncti.
Quæritur è cunctis, relevet qui vulnere cunctos.
Et ſanctum meritis, & acuto dogmate cautum,
Et ſignis facilem poſcit lis tanta patronum.
E Te, Pater, hæc ſpectant; tu rebus natus agendis,
His quoque ſuccedes, repetita ſorte, periclis.
Ne trepida: pariunt æternam talia laurum:
Magnos magna petunt, concedunt vilia parvis.
Has in Germano reputant conſiſtere dotes,
Comminus hunc acri concurrere poſſe duello;
Cum lingua & manibus, tum nobilitate potentem,
Laturum facilè pulchros ex hoſte triumphos.
Omnibus id cordi, tenet hæc ſententia cunctos:
Ambitur precibus: ceſſit dilectio tandem,
Conjurata mori fratrum pro laude ſuorum.

* *i. e.* præcipua *N. Mss.*

c

X. *Germanus Britanniam perrecturus eligitur.*

78 Præcepti memores, ſocium metantur * ituro:
Namque duo meliùs ſortem legantur ad unam;
Et lapſo comiti certatim ſubvenit alter:
Sic duo nocturnum capiunt in pace ſoporem:
Invadens unum, premitur virtute duorum.
Id qui ſuppleret, Lupus eſt ex nomine lectus,
Nobilis Auguſtæ quondam qui forte Tricorum
Præſul erat, ſignis & opimo * nomine ſummus.
Junxit apoſtolicos moderatrix gratia vates,
Terram corporibus, cælum virtute colentes.
Quoque labor pluris, & res edura putatur
(Omnia nam magno, quæ ſunt pergrandia, conſtant)
Hoc ſe pernices ad fortia cuncta tulere,
Curſibus impigris ſtadium percurrere docti.

XI. *Ut S. Lupus ei collega delectus ſit.*

* *i. e.* eligunt *N. Mss.*

* *C. Lugd.* opino, *B.* claro

F 79 In Pariſiacas itiner convertitur oras;
Metodorus feſſis tribuit compendia noctis.
Turba loci complexa diem, teſtata probatos
Adventare Viros, rapto fert agmine greſſum,
Obviaque exceptis impertit debita Sanctis.
Funditur in cunctam præſens benedictio plebem:
Inde rudes animos monitis cæleſtibus aptans,
Spargere nectareas arvis arentibus undas
Germanus ſacer aggreditur; plenoque fluentem
Vultibus immotis attentant fonte ſophiam.
Eminus in medio divam conſtare puellam,
Porrecto Præſul cernit ſuper agmina vultu;
Ac velut æthereum quid commentatur in illa,
Comminus admotam præblando famine mulcet.
Sic cui venales fundit licitatio gemmas,
Dum cunctis inhiat, pretioſam conſpicit unam;
Hanc rapit, hanc multis optat ſibi ſtare talentis,
Semotamque aliis gremio dat ferre tenaci.
Immenſum ſtupuere viri. Caput ille paventis
Ore fovens ſacro, quibus orta parentibus eſſet,
Quodve ſibi nomen, fatu perquirit amico.
Virginis in medium monſtrantur adeſſe parentes,

XII. *Ut Genovefam*

Rite

A Rite * quod & patrio nomen Genovefa tuliſſet.
* pro ritu *N. Mss. Chriſto*
80 Mox ſacer implevit divini pectora Vatis
Spiritus, & rutilo ſic intonat ore Sacerdos:
O lepidum certè caput! O præcordia digna!
O ſemper meritos tali de prole parentes!
Cujus in exortu ſuperos ingentia Cives
Gaudia perflarunt, vero ſi credere curæ eſt,
Intima ſecretis hæc quondam admota ſupernis,
Conſtabit percara Deo, perſplendida mundo,
Atque ipſis imitanda viris. Sic fatus, & ultro
* B. ipſam Complectens pueram *; Fare, ô ſanctiſſima dixit,
Neu percunctanti malis ſubducere Patri,
An delecteris magni cognomine Sponſi,
d Cujus in amplexus, niſi non ſiet integra, tranſit *d*.
Illa rapit verbum, plenoque audentior ore;
Hujus amore feror dudum, quàm fervida dixit;
Amplector titulum cognatæ virginitatis,
Innuba ſidereo poſſim quò nubere Sponſo.
* B. firmarier Id, ſi dignaris, per te roborarier * opto:
Et manibus ſubmitto caput: fer vota precanti.
Præſul ovat ſpolio, caſtiſque amplexibus urgens,
B Magnanimem perſtare jubet. Mox limina lætus
Eccleſiæ penetrat, fixâque in vertice dextrâ,
Solemnes ex more preces & vota peregit,
Spiritui ſancto vas aptans immaculatum.
81 Confectis rebus, relevant mortalia victu.
conſecrarit. Tum fido pignus deponens jure parenti *,
* patri & matri *N. Mss.* Ad lucem remeare jubet. Sic denique factum.
Num memor heſterni perſiſtis, filia, voti?
Præſul ait. Certè memorem ſe, virgo fatetur;
Ejus at obtentu, nimiùm foret indiga cujus,
Conſervaturam pactis ſponſalia tædis.
Succeſſit res mira loco: faviſſe videres
Amborum votis collato munere Chriſtum:
Prona ſolo Præſul mox pendula lumina fixit;
Æreus emicuit ſupremo in pulvere nummus,
Inſculptus cruce. Sublatum tellure Sacerdos
Munus adoptivæ collo devovit alumnæ,
Hoc, dicens, dotis noſtræ geſtamen habeto;
Hoc diſcedentem ante oculos perſæpe vocato:
Cetera, mundano pompam referentia cultu,
A collo digitiſque tuis arcere memento:
Extera carnalem ſubigant inſignia ſponſam;
Nupta Deo, gemmis animum compone pudicis.
Nunc longùm, pretioſa, vale. Genitoribus illam
Servandam poſt hæc fidis commiſit. At ipſe
Continuavit iter noto moderamine cœptum.

C

ANNOTATA.

a *Utrumque hunc verſum ſic emendat Ms. Belfortianum:*

Inſtar habens tugurî (fuerat quandoque) vetuſti:
Hanc petit; huc comites, huc eſt tranſlata ſupellex.

b *Imò longitudo Britanniæ majoris ab ora Septemtrionali Scotiæ ad Antonam oppidum in ora Auſtrali Angliæ, numeratur* 530 *milliarium; latitudo verò inter Cantium promontorium ad ortum, & Bolerium ad occaſum,* 320.

c *Id eſt*, monachus *Not. Mss. Cod. Lugd. fortè pro* μοναζόντων, *id eſt, ſolitariam vitam agentium:* μονάζω *enim Græcè non dicitur.*

d Ordo verborum: cujus in amplexus non tranſit, niſi ſit integra. *Not. Mss.*

A. S. HENRICO MONACHO. EX MSS.

CAPUT III.

Tempeſtas ſedata Sancti precibus; Pelagiani argumentis ejus & miraculo victi.

HInc mare conſcendunt, uſi ſed produce Chriſto
XIII. *De tempeſtate.*
Fidenteſque, ſibi ceſſura pericula cuncta;
Qui tutus proprios inter diſcrimina Servos,
Gaudia poſt tenebras ceſſit potiora probatis.
Lenibus ac primùm facta eſt progreſſio flabris
Æquoris ad medium, ſubductis cum procul arvis,
Sola maris facies cælo complexa pateret.
Gloria ſpiritibus quamquam detracta malignis,
Fecerit eſſe reos; manet his ſubſtantia priſca,
Natalis levitas vento penetralior * omni;
* B. pernicior Livida mens, ſemper ſtudiis obnixa piorum;
Quodque Dei caſtis cernunt accedere lucris,
Id lugent periiſſe ſibi. Properare beatos E
Ingemuere Viros captæ ſuccurrere plebi.
Occurrunt, totoque agitant diſcrimina ponto.
Incumbunt venti, raptim de ſede ruentes
Quiſque ſua, pulſoſque ferunt ad ſidera fluctus.
Nox ruit, & denſæ cælum obduxere tenebræ.
Aridus inſonuit tremulis compagibus axis:
Fulmina mixta volant. Jam confudiſſe putantur
Concordes elementa vices, mundique ruina
In priſcum reditura chaos. Vix vela ferebant
Ventorum rabiem. Præceps à faucibus imis
Pontus hiat, jamque infernas oſtentat arenas.
Inclemens tremulam diverberat unda carinam
Ictibus alternis: cedit prudentia nautæ;
Ceſſerunt vires; permittunt omnia ventis.
83 Una ſalus feſſis, magni præſentia Patris.
per dæmones concitata. Hunc labor oppreſſum duri cunctamine ſomni
* al. diri Obruerat: ſenſit rabies inviſa procellæ,
Intepuiſſe Virum; ac nullo velut obice pulſa,
Ingeminatque necem, rapuitque ad ſidera molem.
Spes omnis erepta viris vitæque fugæque:
Jamque mori cupiunt, careant * formidine mortis.
* *pro* ut careant Incumbens decimus poſt hæc (miſerabile) fluctus,
Involvit trepidam letali turbine puppim;
Jamque ſuperfuſis latus inclinaverat undis.
Horrendùm collega Lupus nautæque paventes,
Excutiunt torpore Virum. Spes omnibus una,
Objectare Senem placandis fluctibus unum. F
Surgit, & evalidis immota fronte procellis,
Nomine præmiſſo mundi rectoris JESU,
Increpat audacem præſtanti pectore pontum:
Hinc ſacro tumidos irrorans chriſmate fluctus,
Fundit more preces. Orantem gratia præſens
Proſequitur: cedunt, detectis artibus, hoſtes:
Nox mutata die. Compenſant gaudia luctus:
Unda favet votis, ventoque impulſa feruntur
Vela ſuo, fluctuque volat famulante carina.
84 Æquoris immenſos optato flamine tractus
XIV. *Ut appulſos exceperint.* Explicuere brevi, ſolvuntque in littore vota.
Partibus è variis properans ſine nomine plebes,
Excepere Viros, vates quos forte ſiniſter
Olim venturos trepido prædixerat ore.
Ingreſſos operum comitatur gloria felix;
Dæmonas inque feros fertur ſententia primùm:
Namque hi, pervaſa dum proturbantur ab æde,
Pontica ſe Sanctis ſtruxiſſe pericula pandunt.
Molitos magno cælique mariſque tumultu
Cælitus emiſſam populis arcere ſalutem:
Seque Sacerdotum meritis & numine victos,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Conceſſiſſe mari. Mirantur talia cuncti.
85 Fama celer vaſtæ penetrans regionis in oras,
Diſpergit, veniſſe Viros, veſtigia quorum
Proſequitur manifeſta ſalus. Communibus omnes
XV. *Ut, errore pulſo, fidem reſtaurarint.*
Exultant animis: implevit pectora ſummus
Æthereis Ducibus ſe paſſim dedere fervor.
Funditur in cunctas ſermonis gratia partes.
Urbes, eccleſiæ, conventus, compita, rura,
Omnia cæleſtis ſpirant meditamina legis.
Inſula divinis impletur tota tropæis.
Siquibus atrocem peſtis defixerat unguem,
Vulnera dum pandunt, vitæ medicamina ſumunt.
Firmatur fidei cunctorum mentibus ardor;
Cuncta fidem redolent, fidei ſtant fœdere cuncta.
Inſtar apoſtolicum Patribus pollebat in illis,
Officii gravitas, innati gratia vultûs,
Antiquuſque nitor, tum præcellentia quædam;
Intemerata Viris ſemper mens conſcia recti,
Artibus egregiis inſtructa peritia quorum
Verteret hoſtiles fermonis acumine turmas.
Gallia cauſidicos (gratare, Britannia) tales
E Jus tibi dicturos ſupero pro munere mittit.
XVI. *Ut in eorum ſententiam omnes tranſierint.*
86 Compulit ad ſanam verax aſſertio mentem
Nutantes populos: tenebris cedentibus, ardet
Prodigiis animata fides: latet abdita peſtis,
Auctoreſque latent trepidi, tetriſque cavernis
Condita pernicies damnis illacrymat, atque
* i. e. diaboli More gemit zabuli, * populos evadere letum.
XVII. *Ut hæreticis*
87 Dira per ancipites ſed abit trepidatio mentes;
Congreſſi metuunt rationis pondere ſterni;
Sive loco cedant, ſe damnaviſſe ſilentes.
Hinc metus, inde pudor capiti præjudicat æquè.
* *B.* potiùs Corda pudor ſubigit vulgo * ſuccedere liti,
* *B.* timoris Quàm non congreſſos ſe condemnaſſe timori *.
Jamque dies aderat pulchro diſcrimine rebus
Indictura fidem. Procedunt eminus hoſtes
Pluribus obſequiis aſſentatuque ſuorum,
Divitiis rutili, pompa præeunte, feroces:
Diſtinguit Tyrias auri ſubſtantia veſtes;
Quæque deeſt meritis, cedit reverentia gazis.
Signifer hinc fidei Germanus, gloria ſecli,
Fulmineo flagrans clypeo & cæleſtibus armis,
Progreditur, juxtaque ſubit collega benignus.
Fama ciet populos; regio coit omnis in unum,
Spectatura diem. Tandem proceſſibus æquis
Comminus aſtatur; verùm non viribus æquis.
C Hinc ſincera fides, hinc pugnat perfidus error;
Hinc auctor Chriſtus, illinc Pelagius auctor:
* *C. Lugd.* mortis *congreſſi ſint.* Hinc pietas, hinc peſtiferæ meditatio fraudis *.
88 Hoſtibus ac primum dicendi copia ceſſit,
Conſtitit hæc nudis ſolùm vaniſſima verbis,
Nec contenta modo, tempuſque aureſque fatigans,
Garrula, torva, procax, infertilis, improba, mendax;
Par flammæ, cui materies demit indiga vires; D
Informis vel dum coquitur ceu maſſa camino,
Follibus egeſtas capiens fabrilibus auras,
Horrendum ſtridet. Poſtquam juſtiſſima verbis
In longum ductis poſuerunt tædia finem,
Inde Sacerdotes, hauſtu ſpirante ſuperno,
Ignea cæleſtis vibrantes ſpicula linguæ,
Ingentes tonitrus, ingentia fulmina fundunt;
Mixtaque apoſtolicis vernacula verba loquelis,
Concina ſermonem teſtatur lectio *a* caſtum. *a*
Erubuere truces obſtipo lumine partes;
Perfidus intepuit fœdis torporibus error;
Terga fugæ nudant, ſeſeque ad ſingula victos,
Dum contra nequeunt, inceſta * fronte fatentur. * *B.* demiſſa
Arbiter at populus vix tandem vindice ferro
Continuere manus. Licuit quod denique ſolum,
Condemnant clamore reos. Ita concio fervet,
Quàm venerata pios, tam deteſtata profanos.
89 Proruit in medium quidam cum conjuge princeps, XVIII. *De puella illuminata.*
Unica cui geminis jam dudum filia luſtris
Natales tenebras ignota luce trahebat.
Ingerit hanc Sanctis. Victis hanc hoſtibus illi E
Cenſent offerri. Semel at præſumptio pulſa,
Virtutem tentare fugit; junctiſque parenti
Exorant precibus, miſeram de clade levari.
Flectitur his pietas, miſeros miſerata parentes.
Fundunt more precem; pater hinc Germanus amicum
Rite vocans numen, Sanctorum pignora collo
Abducit manibus, frontique admota puellæ,
Damnatas nota refovet * virtute lucernas: * *B.* refovent
Profiluit medicina potens, pulſiſque tenebris,
Implevit vacuas ignoto ſole feneſtras.
Nec jam ferre valent læti ſua vota parentes:
Quin etiam populis crevit formido ſalubris:
Hinc ſuccenſa fides, illò percanduit uſque,
Erroris quoad ulla forent veſtigia nuſquam.
Sic aliena ſalus aliis fit cauſa ſalutis.
90 Vix medium quamquam trepidi confecimus *Epilogus.*
æquor, * *B.* & adhuc
Nec datur aggreſſos adhuc * exire Britannos;
Siſtendum poſtrema monent. Nunc pondere paulùm
Materiæ confectus, iners ſuccumbe poëta:
Quod reſtat forſan, reparato pectore, curres *b*. *b*

ANNOTATA. F

a Lectio, *textuum ſcilicet Scripturæ ſacræ, quibus dicta ſua probabant.*

b *Hîc ſequebantur in ſolo Ms. Lobienſi Hymnus in Sancti feſtum, ut fere excuſus eſt in antiquis Breviariis Autiſſiodorenſibus ad utraſque Veſperas; tum duæ ſtrophæ profanæ & ad* Germanum *nequaquam ſpectantes; quæ proinde omittentur.*

PRÆFATIO LIBRI QUARTI

τετραχώλῳ τετραστόφῳ deſcripta.

Exemplo S. Petri in mari ſubſidentis, a

SCandere puppim,
Tranſque meare ſalum
Cœtum diſcipulorum
Quondam Chriſtus juſſerat *a*:
Cedere vulgus
In ſua quemque jubet:
Hinc montis ſubit alta:
Sic numen Patris invocat.
Nocte ſoporâ
Omnia torpuerant;
Sulcabatque minaces
Puppis cærula gurgites:
Flamine lævo
Æquora ferbuerant:

Spes

A Spes abſumpta ſalutis
Tantâ mortis imagine.
Æthera jamque
Lucifer impulerat ;
Cum quartam ſtationem
Pernox miles inordinat ,
Chriſtus amico
Fluctibus in liquidis
Fert veſtigia greſſu ,
Seque horrentibus intulit ;
Mox tremor artus
Occupat egelidos ;
Clamor ſidera pulſat ;
Terror pectora verberat.
En , ego , Chriſtus
Ut ſacer intonuit ,
Simon , robore ſumpto ,
Hæc in famina proſilit :
Si tua verè
Nos adiit pietas ,
Noto me quoque juſſu
Tecum pergere præcipe :
B Nam neque ſummo
Res gravis ulla Deo ;
Me ſiccoſque videbis
Greſſus ferre per æquora.
Mox miſeratus ,
Annuit his Dominus :
Fidens numine Petrus ,
Puppim deſilit ocyùs :
Pendula ponto
Membra ſenex agitat ,
Innixuſque marinis
Dat veſtigia fluctibus.
Res nova mentem
Perculerat tremulam :
Tum diſcrimina pontus
Intentat fera fervidus :
Quemque * fidelem
Æquora ſuſtulerant ,
Paulatim liquefacta
Mox ſubſidere cerneres.
Corpore merſus
Jamque Petrus medio ,
JESU nunc bone , clamat ,
His me deripe fluctibus :
Obvia Chriſti
Dextera quem rapuit ;
Conſcenſaque liburno * ,
Cedunt noxia flamina.
92 Nos quoque dudum
Prætumidum pelagus ,
Summi nomine Chriſti
Confiſi , penetravimus :
Jam fere * curſus
Contigimus medios :
Ponti cerula tantùm ,
Et cælum undique cernitur :
Auxius haurit
Pectora jamque pavor :
Tollunt æquora molem :
Incepti quoque pœnitet.
Pande ſerenam ,
Chriſte , tamen faciem ,
Spes & reſpice lapſas :
Votis omnia ceſſerint.
Jamque potentem
Porge manum trepido :
Auſim ſcandere tecum
Quamquam torva pericula.

A. S. HERRICO MONACHO. EX MSS. * C. *Lugd.* & *B.* Quæque

* *f.* liburnâ

poëta JESUM *auxilio vacat.*

* *B.* prope

E

ANNOTATA.

a *Vide Euangelium Matthæi cap.* 14 *à verſ.* 22.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Cetera apud Britannos geſta ; ac præſertim victoria Alleluiatica.

C

I

Quod à Britannis reverſuri , Albanum M. expetiverunt ; & de reliquiis commutatis.

STraverat infandam felix conſtantia peſtem ,
Niſa Deo ; puroque fides conflata ſereno ,
Ignibat caſtis cunctorum pectora flammis.
Juſta reverſuros pepulit ſententia Patres ,
Martyris Albani votis ambire ſepulchrum.
Protegit ille ſuos meritis precibuſque Britannos ,
Millia pœnarum Chriſti pro nomine paſſus ;
Ultima quem capitis rapuit ſententia cæſi :
At non lictori ceſſit res tuta ſuperbo ;
Utque caput Sancto , ceciderunt lumina ſævo.
Sic tu , Chriſte , tuos interdum ulciſcere ſervos.

II.

Allocutio ad Sanctum.

94 Te quoque perſtringi , Martyr , non abnue verbis
Plus juſto brevibus : nam nî potiora vocarent ,
Fortè meis & tu calamis obnoxius eſſes.
Idque mihi gratum nunc non mediocriter extat ,
Quod , te Germano quondam faviſſe beato ,
Accipio ; quique auctori perſolvere pulchras
Rite parans grates , referat pretioſa ſepulchri
Clauſtra tui , cineresque pios caſto ordine ſacris
Muneribus cumulans , Sanctorum pignora condit ,
Diverſis collecta locis : ſic denique juſtum
Sic fore conveniens ; loculo tegerentur ut uno ,
Quos eadem meritis nectebat gloria pulchris F
Muneris inque vicem , ſacro de pulvere partem
Suſtulit. Infectus fuſo de ſanguine ceſpes ,
Tum quoque ſervabat veteris monimenta triumphi.
Hoc ſecum Præſul plenus virtute revixit *. * *lege* revexit
Hinc tibi ſurrexit præclari ſchematis aula
Mœnibus in noſtris , manibus conſtructa beatis *a*. *a*
Hic , Albane preces , hic audis vota piorum ;
Sæpius hîc juſti cives ſenſere ſupernos.

III.

Ut inſidiis dæmonis pedem contriverit.

95 Quiſque * piè vixit , diro mox comminus hoſti
Seſe congreſſum capitis diſcrimine ſenſit.
Divinis functum priſco de more negotîs ,
Jamque revertentem vis excipit invida Sanctum ;
Tum pacis gerulum , præcurſoremque ſalutis
Impulit incauti contritum pondere lapsùs
Fortè pedem. Lubricos hac inſtruis , impie , ſemper
Arte dolos ; aurum ſed quod fornace probetur ,
Immemor interdum. Veteris meminiſſe duelli
Profuerat. Quondam meritis Job clarus opimis ,
Clarior exacto rediit certamine victor.
Et quamquam ſummos impellant fulmina montes ,

* *pro* quiſquis

Non

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Non ſanè id quod ſunt, ceſſant exiſtere montes.
96 Cumque loco feſſus Pater artaretur eodem,
Cernere erat tectam modio torpere lucernam.
Fortè emerſerunt validis incendia flabris,
Vicinas populata domos; jamque omnia victrix
Flamma tenet: ſpes omnis abit; conſumpta paluſtri
Tecta crepant calamo; furit, & jam Præſulis ingens
Fertur in hoſpitium, zephyris urgentibus, ignis:
Turba volat; manibuſque Pater ſublatus amicis
Diſcrimen fugiat, votis concordibus orant.
Abnuit Antiſtes, caſtigatoque tumultu,
Increpat infidos, nulla ratione moveri
Se paſſus. Tanta eſt fidei conſtantia Sancto.
Plebs trepidare metu flammamque obſiſtere contra.
Humanos niſus turpem cepiſſe repulſam,
Mox patuit: nam conſumptis, quæcumque tueri
Turba cupit, ſiquid Præſul defenderat æger,
Exceſſit rabidos, merito pugnante, vapores:
Cumque fere ſpatiis ultrà citráque ſubactis,
Spargeret immitem populatrix flamma furorem,
Expavit modici contingere tecta mapalis,
B Quod Pater incluſus torvo ſervavit ab igni.
Pertentant animos ingentia gaudia plebis,
Seque magis ſupero lætantur numine victos.
97 Nec ſtringi numeris, nec poſſunt cedere verbis,
Languidus hoſpitio Præſul quæ geſſit in illo.
Noctes atque dies miſerorum turba jacentis
Excubat ante fores; animis languentibus iſti,
Corporibus poſcunt columen tabentibus illi.
Cumque nihil pateretur opis ſuccedere morbo *,
Nocte Viro quadam ſpecioſi numinis inſtar,
Æthereum ſpirans vultuque & tegmine quiddam,
Cernitur: admotâ rectum conſiſtere dextrâ
Imperat, inque pedes nutantem ſubrigit. Ille,
Robore concepto, raptum, cedentibus umbris,
Urget iter, rapidis ignarus parcere plantis.
98 Saxonas, adſcitis in conſcia crimina Pictis,
Seriùs * innocuos contra flagraſſe Britannos,
Olim fama canit. Feritas quòd litibus omnis
Paſcitur, inque trucem compellit cuncta furorem
Natalis rabies; veteris tum ſemina rixæ
Conflarant rigidis utrimque incendia bellis.
Jamque duæ genti, conſertis viribus, uni
Concurriſſe parant, caſtriſque hinc inde locatis,
Eminus indubiæ tentant proludia pugnæ,
Effectu vario. Necdum Germanus amica
Extulerat regione pedem; licet ille, parati
C Æquoris impatiens, reditum jam jamque citaret.
Perculerat trepidos vehemens formido Britannos,
Quòd modicæ vires, & belli copia longè
Hoſtibus impar erat *. Nutu inſtillata ſuperno
Mentibus ambiguis felix ſententia plauſit,
Rebus in anguſtis magni ſuffragia Patris
Poſcere: viſa ſalus hæc eſt metuentibus una.
Spondet præſidium, nec differt vota ſuorum:
Accedit caſtris: ſequitur collega fidelis.
Torpuerat rigidus quibus in præcordia ſanguis,
Ingentes auſus, ingentia pectora ſumunt:
Læta meret Ducibus acies infracta ſupernis,
Agmine ceu magno, meritis confiſa Duorum.
99 Tempus erat cuncto ſemper venerabile mundo,
Cum quadragenis plebes operata diebus,
Pingueſcit * macie, ſoliſque intenta ſupernis,
Suſpirat ſanctum purgato pectore Paſcha.
Addebat feriis * Patrum præſentia caſtis
Munia ſplendoris; ſacroque exercita verbo
Pars vulgi potior, niveum baptiſma ſubibat.
Procinctu poſitis, Paſchalis nomine feſti,
Frondibus implexis inſtar contexitur urbis D
Eccleſia: ingentes ſpirant campeſtria laudes.
Procedit madidus pulchro baptiſmate miles,
Cui lorica fides, cui ſpes fidiſſimus enſis,
Cui ſcutum validum dilectio mutua fratrum:
Armorum reliquus ſed enim contemnitur uſus,
Pontificum meritis mundi cedentibus armis.
Caſtrorum novitas ſuſpecto panditur hoſti:
Vincendi ſpes ampla ſubit: ridentur inermes,
Conſertaque manu nil mox, niſi præda, futuri.
Irruat incautis ſupereſt acerrimus hoſtis;
Invadat, laniet, cunctantes opprimat omnes.
Dicta dies cædi nimiùm præſumpta futuræ;
Nec latuere doli, fraus explorata pateſcit.
Jamque dies aderat Paſchalibus edita pompis,
At non funeribus, ceu jam præſumpſerat hoſtis.
Sacris explicitis, rutilus ſplendore lavacri
Miles in arma ruit, votiſque ad fortia promptis
Stare parat contrà, ſoli concedere tandem
Obnixus morti. Præſul certaminis hujus
Arbiter, ancipites diſponens rite cohortes,
Infert ſe medium; elatâque ad ſidera dextrâ,
Me duce, me, dixit, bellum tractabitur omne:
Signifer indictæ ſubeam primordia pugnæ. E
100 Hæc ubi dicta dedit, longum progreſſus victoriam
in agmen,
Delectos comites numero ſortitur ab omni;
Luſtratiſque locis, quà fortè irrumperet hoſtis,
Montibus obductam cernit procumbere vallem:
Siſtitur hîc pulchris radians exercitus armis.
Illo (quod numquam) læti vidêre Britanni
Nempe die inſtructum magno duce Præſule bellum.
Res nova; ſed quantum longis incognita ſeclis,
Æternis tanto mage condigniſſima Faſtis.
Jamque ferox aderat confiſus viribus hoſtis,
Confiſus latebris (quamquam detecta paterent
Omnia, præcauto ſatis explorata labore;)
Cum Pater edictum turmas exponit in omnes;
Quem prior ediderit librata voce canorem,
Vocibus elatis miles reſpondeat omnis,
Securus prædæ, ſecurus denique cædis.
Hoſtis adeſt: pactæ Præſul non immemor horæ,
Exigit ingentem pleno de pectore vocem,
Alleluia pium ternis concentibus urgens.
Cunctorum ſequitur ſublatus ad æthera clamor:
Preſſiùs exceptum triplicant montana ſonorem.
101 Sternitur infelix, animis marcentibus, hoſtis, obtinuerit.
Seque ſuper, vaſtas non tantùm incumbere rupes, F
Quin etiam metuit ſuperûm convexa polorum.
Quod reſtat, ſolumque putant ſupereſſe ſaluti,
Committunt pedibus trepidæ commercia vitæ.
Non hæc ſufficiunt celeres ad munia plantæ:
Et quamquam volucres plaudant fugientibus alæ,
Omnia pigra putant, nec ſunt fugientibus alæ:
Fundunt arma procul, gaudentes corpora tantum
Subduxiſſe neci: conſumptos flumine plures
Accipimus: cuicumque leve eſt incumbere leto,
Dummodo contingat duras impune ſequentûm
Evaſiſſe manus. Cæleſtibus ultio flabris
Acta furit, nec fert requiem trepidantibus ullam.
Stat victor, cumulatque novo rem carmine, miles,
Ultoremque ſui pangit per cantica Chriſtum.
Incubat hinc ſpoliis felici numine partis,
Nil ſibi, cuncta Deo reputanſque ferenſque potenti.
Plaudunt Pontifices tanti ſplendore triumphi:
Auſpiciis confecta novis, & ſanguine nullo,
Hoſtibus exultat felix victoria fuſis.

Ut infirmus incendium reſtinxerit.

Ut infirmos innumeros curaverit; & de viſitatione angelica.

Ut ducem belli profeſſus,

VI. VII.

* ſuo *ſcilicet*

* *i. e.* gravius *Not. Mss.*

* B. inferior

cæleſtem

* B. Tabeſcit

* B. feſtis

* B. Tabeſcit

* B. feſtis

A

ANNOTATA.

a *Adi auctorem noſtrum infra in Miraculis num.* 17.

CAPUT II.

Reditus è Britannia; iter Arelatenſe miraculis illuſtratum.

VII. *Ut rediens, cives tributorum inſolentiâ depreſſos invenerit.*

REbus compoſitis, celerem pro poſſe regreſſum
Cura gregis proprii ſemper propenſa monebat:
Invitat pelagus, Chriſto moderante, paratum;
Menſque favet, meritis non caſſò conſcia pulchris;
Martyr & Albanus precibus comitatur euntes,
Sedibus optatò donec potiantur amicis.
Læta revertentes exultat Gallia Patres:
Naſcitur eccleſiis optatæ gratia lucis;
Contrà dæmonibus duri tortura doloris.
B Germanus notam tandem delatus ad urbem,
Ambitur duplici paſtor pietate ſuorum;
Obvia turba ruit, luctu teſtata dolorem,
Plauſu lætitiam; mixtis in utrumque feruntur
Agmina tanta modis: lacrymis at gaudia cedunt.
a Preſſerat in miſeros clavum fortuna trabalem *a*,
Dum Pater almus abeſt: cauſas tamen ordine diſcit;
Oppreſſos dudum cenſoris pondere cives
Acriùs inſolitis rem contriviſſe tributis.
Ingemit ærumnis; pietatis viſcera pandit:
Rimatur, quanam miſeros à clade levare
Arte queat: magniſque caput ſudoribus ille
Voverat, omnigenûm patiens ſine more laborum.
Urget cura Virum; nec jam ſuffragia differt.
Feſſus adhuc pelagi, rurſum terreſtria tentat;
Ingrediturque viam, longum quà Gallia vergens
Pandit iter; ſanctoque ferens in pectore Chriſtum,
Progreditur, modico contentus ad omnia ſumptu.

VIII. *Ut equum abductum receperit.*

103 Carpebat greſſu Præſul per aperta modeſto
Rura viam, veſperque diem condebat in undis,
Obruerat totum pluvio qui frigore cælum:
Confectus macie, confectus ſordibus, ecce,
Addit ſe comitem perverſo pectore quidam,
Nudus ad uſque pedes. Pepulit miſeratio cunctos.
C Jungitur hoſpitio prætextus paupere prædo,
Interque innocuos cubitum dat membra miniſtros:
Hos ſopor, hunc urget ſævæ meditatio fraudis.
Proficuum ſceleri gnarus conducere tempus,
Surgit, & addictum ſancti Senioris in uſus
* *B.* cabal-lum Abducit ſtabulis inceſta fraude jumentum *.
Redditus utque dies, noti jactura vehicli
Noſcitur; at furti jam ſe ſubduxerat auctor.
Neve Sacerdoti præſens evectio deeſſet,
Clericus obſequium Sancto dependere ſuetus,
In peditem mutatur eques: ſic exigit ordo.
Dumque iter accelerant, liquido perfuſa ſereno
Clara Viri facies ſobrio moderamine fulſit;
Sed præter ſolitum lætæ ſpiramina mentis
Fronte premit. Vidêre ſui; cunctiſque viritim
Attonitis, audax paulòque expromptior unus,
Quænam tanta, rogat, læti ſit gratia vultûs.
104 Ille ſub hæc, Modicùm, ſocii, ſubſiſtite, dixit,
Et ridendus & infelici ſorte dolendus
Jam veſtris oculis miſer objectabitur ille,
Quem mox torquebit fœdi mens conſcia facti.
Dixit; & in partem porrectis viſibus, ecce,
Eminus inſpiciunt peditem, loroque manuque
Raptum animal poſt ſe pudibunda fronte trahentem. *A. S.* Herico monacho. ex mss.
Dumque ille accelerat, dumque hi non multa morantur,
Conſequiturque brevi, ſeque ad veſtigia ſternit,
Ordine commiſſum faſſus per ſingula crimen,
Seque ita totius implexum * tempore noctis, * *B.* conſtrictum
Ut nullo quóquam poſſet divertere pacto;
Nî mox quadrupedem voviſſet reddere captum.
Tum Sacer indoluit, mollique affamine mulcens:
En, tibi quod nudo deerat, ſi fortè dediſſem,
Patrandi ſceleris impulſio nulla fuiſſet.
Nunc cape cujus eges: quod noſtrum eſt, redditò, dixit.
Sic reus indultam revehit cum munere pacem.

IX. *De occurſu populorum.*

105 Secreti cupidus ſancto Vir numine plenus,
Non magis externos doctus vitare favores,
Quamque * miniſtrorum ſolatia crebra ſuorum, * *B.* Atque
Voto detulerat latebramque fovere perennem,
Immunemque auræ, quàm longa eſt, ducere vitam.
Inconvulſa manet magni ſed ſponſio Jesu,
Montibus impoſitam non abdi viſibus urbem:
Quemque tegit meritis abſiſtens gloria pulchris, E
Indicat egregiis illuſtrans gratia ſignis;
Et quaquà tulerat facilem per compita greſſum,
Urbibus & vicis raptim promiſcua ſeſe
Obvia turba dabat, præclaris excita factis,
Et, quamquam longi, facilè ſecura laboris.

X. *De ſtramine,*

106 Te quoque, Cæſareis fatalis Aleſia caſtris,
Haud jure abnuerem calamis committere noſtris;
Quæ, quòd alas proprios præpingui pane colonos *b*, *b*
Nominis adjectu quondam ſignata putaris.
Te fines Heduos & limina ſumma tuentem
Aggreſſus quondam ſævo certamine Cæſar,
Penè tulit Latias non æquo Marte phalangas,
Expertus, patriis quid Gallia poſſet in armis:
Nunc reſtant veteris tantùm veſtigia caſtri.
Presbyter extiterat claris natalibus illic,
Clarior ingenio, cui tum gentile Senator
Nomen erat. Vita meritoque ſimillima conjunx
Æquabat ſtudiis caſti decreta jugalis.
Ambo provecti, macti ſucceſſibus ambo.

in quo Aleſiæ inſcius cubitavit.

107 His Præſul ſancti, qui commendatur, amoris
Fœdere junctus erat. Hos tum cum forte petiſſet,
Excipiunt, quanto conſenſit copia, cultu.
Hîc matrona piam ſtruxit ſub Præſule fraudem
Stramine ſubjecto; quo neſcius incubitavit; F
Telluris ſolitus aliàs incumbere tergo.
Impulit utque novo terras afflamine Titan,
Urget iter; gaudetque domus, gaudentque miniſtri,
Seſe illuſtratos noti ſolamine Patris.
Relliquias matrona toro collegit, & omni
Compoſitas ſtudio, cauſis vitalibus * abdit. * *i. e.* medicinæ *N. Mss.*
Poſt ſoles aliquot, natali lampade quidam
Splendidus, & multa rerum ditione ſuperbus,
Dæmone perflatur: ſuberant ſuffragia nulla,
Quódque abſens Germanus erat, ſpes ceſſerat omnis.
Præſumpſit matrona fidem, Chriſtoque vocato,
Servato miſeri circumdat ſtramine corpus.
Abſentis merito, ceſſit res ardua voto.
Nocte miſer, magno tamquam vallatus ab igni,
Æſtuat, & replico Germanum nomine frendens,
Abripitur ſævi tandem de fauce leonis,
In reliquum ſoſpes, collato munere, tempus.

XI. *Ut Lugdunenſes doctrina & ſignis illuſtraverit.*

108 In Lugdunenſes æquis proceſſibus arces
Vexit Arar, Rhodano ſeſe ſub mœnibus abdens.
Lugduno celebrant Gallorum famine nomen
Impoſitum quondam, quòd ſit mons lucidus idem *c*.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

dem *c*.
Exceptum ſtudiis plebes amplectitur æquis :
Ætas cuncta ruit : ſexus concurrit uterque.
Tangere nec tantùm ; juvat aſpexiſſe frequenter.
Procedit cunctis benedictio plena ſalutis ;
Tum relevat grato cunctorum pectora verbo ;
Et quamquam feſtinus eat, ſitientia certè,
Quod ſatis eſt, relevat vivaci dogmate corda.

XII. *Ut Arelati*

109 Jam dudum gravibus quamquam dilatio votis
Obſtiterat, miro tandem raptatur amore
Obvia Germano, fuſis quacumque catervis,
Urbs Arelas. Fundatoris cognomine primi
d Hoc duxiſſe ferunt incerto tempore nomen *d*.
Hîc tunc Hilarius, hinc uſque ad ſidera notus,
Præſulis officium verboque manuque gerebat :
Igneus ille fide, cæleſti famine torrens,
* *B.* indefeſſus honeſtis Præceptis operam dabat indefeſſè beatis * ;
Hic, ut apoſtolicum præclari temporis inſtar,
Excipiens, prona Sanctum pietate colebat,
Affectu patrem, meriti ſplendore magiſtrum.
Frænabat rigidam præfecti nomine gentem
Auxiliaris item ; geminis cui grandia votis
B Adventu magni fulſerunt gaudia Patris ;
Ille viri dudum pleno flagrabat amore,
Viſendi cupidus, tum quòd quartana jugalem
Torrebat longo jam dudum tempore lampas.

excepius ſit.

110 Intranti longum princeps rapit obvius agmen,
Excipit, oblectat, refovet, veneratur, adorat;
Tum totum facili metitur lumine corpus.
Impulit attonitam trepida formidine mentem,
Digna Viro facies, & plenum numine pectus,
Sermonis gravitas, illuſtris gloria vultûs,
Fama minor meritis, magni præſtantia cordis.
Exin præcipuis effundit munera gazis,
Oblatiſque manum dignetur pandere, poſcit.
Uxoris poſt hæc ſupplex incommoda jungit.
Annuit Antiſtes fidei, nec præmia differt :
Ingreditur ; manifeſta ſalus comitatur euntem :
Diſcutit ingrediens ægro de corpore peſtem,
Et tremor & febris puncto delentur eodem.
Sic capit optatum felix matrona levamen.
Adventûs poſt hæc exponens ordine cauſas
* i. e. juſtis & moderatis Perfruitur ſobriis *, obtento principe, votis.
Civibus oppreſſis revehit vexilla quietis ;
Summa ſalus toti quamvis exiſteret urbi
Reddita Paſtoris tantùm præſentia magni.

C

ANNOTATA.

a Clavus trabalis, *adhibitus olim fuiſſe creditur ad ſupplicium & cruciatum inferendum. Hinc de Fortuna Horatius lib. 1 carm. Ode 35 :*

Te ſemper anteit ſæva neceſſitas,
Clavos trabales, & cuneos manu
geſtans ahena *&c.*

b *De* Aleſia *adi Valeſii Notitiam Galliarum ; ubi ex Diodoro Siculo ejus etymon ducit* ἀπὸ τῆς ἄλης, *ſive errore Herculis. Adi & Julium Cæſarem de Bello Gallico lib. 7 versùs finem.*

c *Hoc refutatum vide apud eumdem Valeſium ibidem, ubi de* Lugduno Seguſianorum.

d *Et hoc explodit Valeſius ibidem in* Arelato.

D

CAPUT III.

Revelatio Sancto facta de natali S. Juliani M. ; nova expeditio in Britanniam ; viſitata S. Genovefa ; felix reditus.

XIII. *Ut ei Dominus diem paſſionis Juliani martyris*

NEſcius immunem ſudoris inire quietem,
Arvernas quondam Præſul progreſſus in oras,
In Brivatenſem flexit veſtigia vicum.
Hîc, martyr Juliane, tibi pro nomine ſummo
Millia pœnarum truculento tempore paſſo,
Haud impunè bonis ſemper obnixa vetuſtas,
Detraxit celſi paſſim monumenta triumphi :
Et quamquam clarus famoſo nomine Martyr
Solis ab occaſu jam tum ferreris in ortum ; E
Hoc certè quiddam fueras obſcurior ipſo,
Semper honorandi quod plebs oblita diei,
Haud tibi certa dabat celebri ſolemnia ritu.
Non tulit errorem longis inoleſcere ſeclis
Germanus veniens ; ac primùm, tempore quonam
Sacra ferant Sancto, fatu perquirit amico.
Indoctum vulgus ſeſe neſcire fatentur.

revelaverit.

111 Tum Pater, E ſummis poſcendum ſedibus, inquit,
Quod potis humanæ non eſt expendere menti.
Nox ruit, inque ſuam cœtu ceſſere ſoluto
Quiſque domum : Præſul ſacra pernoctat in æde.
Luteaque in roſeis rutilans aurora capillis,
Vix matutino rubefecerat æthera curru ;
Præſul adeſt ; cauſamne Deus patefecerit ulli,
Ultro perquirens. Expertes eſſe negotî,
Seſe teſtantur. Mox hæc in verba Sacerdos :
Menſis legitimum ſubeat quàm ſeptimus annum,
Hoc ſcitote priùs mundo clareſcere feſtum
Quatuor ante dies * ; hæc ſunt natalia Sancti,
His Martyr factus felici ſorte Kalendis,
Inditus eſt Superis fuſo pro ſanguine caſtris :
Res comperta mihi monitis cæleſtibus hæc eſt.
Dixit ; & ingentem perfundunt gaudia plebem.
Martyris ex illo celebratur tempore pompa, F
Gallia quà partes latè ſpatiatur in omnes ;

* *i. e.* v Kal. Septemb.

XIV. *Ut Pelagiana hæreſis recruduiſſe nuntiatur.*

112 Rurſus bella moves ; ſpiras incendia rurſus,
Defecto nequior * conſurgens bellua collo ?
Tela quidem forti nuper proſtrata duello
Non pudet in miſeros iterum conflare Britannos?
Parce tibi, jam parce, precor ; quo ſæpius atrum
Extuleris viroſa caput, jaculabere * certè,
Et repetita dabunt celerem commenta ruinam :
Quod ſemel inſanum eſt, iteratum inſanius horret,
Majoremque ferunt bis vulnera rupta dolorem.
Vix Præſul poſitis humeros ſubduxerat armis,
Immensùm feſſus, propriamque reviſerat urbem ;
Ecce, ferebantur precibus mandata coactis
Cunctorum, quiqui fuerant, ex parte piorum,
In miſeros iterum peſtem recidiſſe Britannos
Dogmatis inſani, nec ſpem reſtare ſalutis,
Nì priùs obtentam pulchro certamine cauſam
Tutetur ſolitò. Suberat ſpes certa triumphi
Pro miſeris moviſſe manus ; nec gloriâ velis
Iret prima ſuis, ſi non ſuprema ſubiret

* *B.* Nequior abſciſſo
* *B.* Jugulabere

In-

A Infectis impoſta manus *a*. His vocibus iras
a Excitat, impatienſque moræ mox arma repoſcit,
Arma celer; notiſque artus inducitur armis.
Voverat ille ſuum fidei pro nomine pectus,
In quamcumque daret caſus incumbere mortem:
Ibat paciferis perluſtrans greſſibus orbem,
Semina ſancta ferens; & pulchro dogmate pandens,
Præmia Chriſticolis quæ & quanta parentur in aſtris;
**B* manent Contrà, quæ reprobos ineant * poſt funera pœnæ.

xv. *Ut Pariſius veniens,*
113 Tuque iterum celebris priſcum, Lutetia, nomen
Carmine conde meo; mihi certè mentio conſtat
Semper grata tui, quòd te nunc oſſibus ornat
* *ſcilicet* S. Genovefa Sponſa * mei Domini, quondam celeberrima ſignis.
Huc tunc ingreſſus præſul Germanus, amore
Excipitur miro. Pronam benedictio plebem
Confovet: ingenti perſultant omnia plauſu.
Depoſiti memor ille ſui, quinam Genovefam
B Caſus agat, ſtudio mox percunctatur amico.
Cælitus attigerant animum diſcrimina, credo,
Plurima, quæ tempus fuerat perpeſſa per illud:
Ut ſolet obloquiis pietas ſuccumbere duris.
* i. e. facile *N. Mss.* Parque * fuit nigræ virus deprehendere mentis,
Cum concepta ſemel furialis ſemina flammæ
Nec, ſancto præſente Viro, plebs livida preſſit;
Cui tamen illa ſuo meliùs quàm nota parenti eſt.
114 Exin virgineæ ſecedit in abdita cellæ,
Genovefam viſitaverit. Conſeptus populo; prodit mox obvia virgo;
Quam Pater ingenti magnus pietate ſalutat;
Numinis ut templum veneratum jure putares.
Hinc ſpectans plebem, dextrâque ſilentia mandans,
Virginis auſpiciis repetit præconia primis:
Ut ſacrum Chriſto felix infantia corpus
Aptarit, nullo temerandum in ſecula pacto:
Se quoque virginei ſemper manſiſſe pudoris,
Abjuncto quamquam ſecretum corpore, teſtem.
Utque, ait, indubias ſtatuat ſententia mentes,
Argumenta rei veris perdiſcite ſignis.
Dixit, & infectam lacrymarum flumine terram,
Virgo orans recubos quà ſe flectebat in artus,
Oſtentat digito. Rabies hinc pulſa, furentes
Leniit; incepti cunctos piguiſſe videres.
C Conſenſu ſocio cunctis decernitur inſons;
Inſontem cuncti conſerta laude fatentur:
Componit rabidos aſſertio vera tumultus,
Deque animis atri pellit contagia fellis.
Exin Pariſias celebris Genovefa per oras,
Obtinuit meritæ paſſim præconia palmæ.
115 Singula geſtorum, clariſſima virgo, tuorum
Allocutio. Committi calamis fuerat devotio noſtris;
Grandia multivolum revocant ſed cœpta poëtam.
Ne tamen hos juſto fundam ſine fœnore verſus,
Supplicis eſto memor, precibuſque tuere fidelem;
Quaſque tuo noſti dotes accedere Sponſo,
Acceſſiſſe tibi, collata ſorte, putato:
Jamque vale, conjuncta Deo, ſeclique memento.

xvi. *De adventu ejus per dæmones nuntiato.*
116 Hinc mare conſcendunt; concurrunt omnia votis;
Puppis in obſequium componunt flamina curſum;
Fluctibus infeſtas videas ceſſiſſe procellas;
Vivida vi virtus ventorum verbera vicit.
Tuque ferox aberas, dæmon, non auſus adeſſe;
Quòd necdum, pelago fueris quæ paſſus in ipſo,
Exciderant animo. Sed mens tibi livida quamquam,
Antiqui populos emergere fauce draconis,
Æternùm doleat; virtus ſanctiſſima certè
Impulit invitum populis prædicere vatem
Præſulis adventum. Necdum contingere terram
Quiverat; inſula Germanum jam tota fremebat.
Fortè loci princeps Helaphius, indice nullo,
Occurſum properat; tam certum eſt credere vati.
Filius huic primis curvo damnatus ab annis
Poplite, marcentis tulerat diſpendia cruris.
Exhibet hunc ſecum: ſequitur provincia tota,
Turba ſacerdotum, concurſûs inſcia plebes.
Ordine ſummiſſis prodit benedictio cunctis:
Hinc doctrina fluens ſermonibus irrigat omnes.
Agnoſcit populos fidei tunc uſque tenaces;
Auctores ſceleris compertum exiſtere paucos:
Quæruntur; vindexque reos ſententia plectit.

xvii. *Ut Helaphii filium curaverit.*
117 Irrumpit denſas Helaphius ipſe catervas, E
Objectans claudo deformem corpore natum.
Nec verbis opus eſt; allegant plurima cauſam,
Ætas, debilitas, lacrymæ ſuper omnia patris.
Elicit ingentem compaſſio juſta dolorem
Cunctorum ex animis: flexus quàm maximè Præſul,
Seſe præſidiis confert ex more ſupernis;
Tum juvenem reſidere jubet; mox arte magiſtra
Explicuit medicam doctus ſuccurrere dextram,
Attrectans ſiccos leni palpamine nervos.
Mox, tamquam digitis flueret medicina ſalubris,
Conſequitur feſtina ſalus; rapit arida ſuccum
Compages refluum; remeant in priſtina nervi,
Atque interdictum repetunt veſtigia flexum,
Multorumque oculis fulſerunt dona ſalutis *; * *C. Lugd.*
Cum pater incolumem recipit poſt tempora natum, & *B.* Creantis
Natus plaudentem recipit per gaudia patrem.
Sic tua, Chriſte, modis inolent præconia miris,
Et fidei capiunt invictum pectora robur.
Hinc ſacer ad plebem ſermo convertitur omnem
De lapſu, ſeu quæ reparent impendia lapſum.
Obtinet immotis columen fundata columnis
Tuta fides; fidei pugnant pro fœdere cuncti.
Perpauci ſuberant detectæ fraudis alumni;
Siſtuntur coràm *; cunctis eadem ſententia per- * *B. deeſt* coràm
ſtat, F
Exilio multare jugi. Sic inſula felix
Tartarea tum peſte carens, inſignibus almæ
Nunc quoque nunc fidei caſto ſplendore coruſcat.
Pace locis parta, ſpoliis percomptus opimis,
Alite felici notam remeavit in urbem
Germanus, ſuperis merito gratiſſimis aſtris.

Epilogus.
118 Tuque ô, cui toto diſcretos orbe Britannos
Bis penetrare datum, bis intima cernere magni
Monſtra maris, poſitis huc tandem flectere velis;
Votaque ſervatus ſolvens in littore nautes,
Qua ratione potes, genium curare memento;
Teque para (rerum fors eſt incerta) futuro;
Ut, ſi quis ſubeat, poſſis par eſſe labori.

ANNOTATA.

a Id eſt, ſi non ultima manus rei inceptæ imponeretur. *Not. Mss. C. Lugd.*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

D

PRÆFATIO LIBRI QUINTI,

διπώλῳ διτρόφῳ peracta.

a *Poëta Icari fabulam conſiderans,*

DIves Dædalon olim Ἑκατόμπολις *a* extulit
Multa laude peritum,
Quondam qui fugiens Minoëia palatia,
Ceris nexuit alas,
Pennis præpetibus vacuum ratus aëra
Tutò poſſe meari.
Aſcivit comitem levitas temeraria
Lævo fœdere gnatum,
In patriſque latus ſubit aliger Icarus,
Patriſſare coactus.
Tum vidêre poli duo quadrupedantia
Primùm monſtra volare.
Arctos ad gelidas pater impiger evolat,
Tutus frigore lævo:
Tandem Chalcidicis ſuperaſtitit arcibus;
Hæc primùm attigit arva:
B Hîc templum tibi nobile, Phœbe, dicavit, &
Feſſas exuit alas.
Natus, Dædaleis minus integer artibus,
Incautuſque pericli,
* *B.* ἐμπυ- Plus juſto ἐμπυρεῖ * ſubit ardua climatis *;
ρείᾳ . . . κλί- Mox pennis reſolutis,
ματος. Cognomen pelago dedit Icarus obvio,
Sævis obrutus undis.
119 Hæc te monſtra petunt, tibi fabula competit
Hæc, ignare poëta:
Jam tu Dedaleo nimis ocyor Icaro,
Terrarum infima linquis;
Dum te materies nimiùm rapit ardua
Cælo intendere pennas.
Atque ô dulcicanum rapereris in alitem,
Manarentque canoro
Plumæ per digitos humeroſque volatili!
Tum te per liquidum æthera
Nectentem modulis bene diſſona limmata *
Vivax penna bearet.
Ah! te ne ſubigant temeraria ludicra,
Dum ſublimia tentas.
Ah! ne præcipitem penetralia fulmina
Sæva in tartara pellant:
Quando extat vetitum nimis ardua perſequi,
Nec tranſcendere vires.
His tu, Chriſte, potes medicarier unicè,
Hæc eludere tela:
Et cui poſſe fuit dare talia fieri *;
Non te poſſe negarim
Caſto vela quidem dare commoda carmini;
Nec ſpes deviat uſquam.

Chriſtum invocat, ne illa poſſit de ſe vere narrari.

* *B.* lemmata *i. e.* hemitonia *N. Mss.*

E

* *B.* confici

ANNOTATA.

a Ἑκατόμπολις, id eſt, centum civitatum inſula, Creta videlicet. *N. Mss.*

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Armoricorum prodigioſa defenſio, & nova pro iiſdem ſuſcepta profectio in Italiam; miracula in itinere uſque ad Alpes facta.

C

I. *Ut Armoricanam legationem excepit;* *a*

DEfeſſo pelagi glebæ natalis in oras
Vix remeare datum, cum protinus obvia longo
Procurrit tractu tenſis legatio palmis,
Præſtolata diu repetentem patria Sanctum.
Gens inter geminos notiſſima clauditur amnes *a*,
Armoricana priùs veteri cognomine dicta;
Torva, ferox, ventoſa, procax, incauta, rebellis,
Inconſtans, diſparque ſibi novitatis amore,
Prodiga verborum; ſed non & prodiga facti:
Dicere plus, feciſſe minus, taxatur honeſtum.
Regibus hanc fidei numquam ſervaſſe tenorem,
Sæpius expertum. Quare, quo principe felix
Tunc quoque florebat titulis reſpublica priſcis,
Magna ſalus patriæ (nomen fuit Ætius illi)
Pertæſus tumidæ mores & crimina gentis,
Vaſtandam rigidis tandem permiſit Alanis.
Rex erat his Eochar, belua crudelior omni.
Quid cædes memorem, & furialia facta tyranni?
Expertus latè totis in partibus orbis.
Ergo exoptatæ permiſſa licentia cædi
Inſtigat rabidas gentis in funera fauces;
Barbara mens inhiat jugulis; factura periclum,
Quid poſſit feritas: ſævum rapit improbus agmen,
Ardens optatæ quamprimum incumbere prædæ.
121 Percellit miſeram dira expectatio gentem, *& deſcriptio ejuſdem gentis.*
Et metus impatiens, & rerum plurimus horror:
Nec verò ſimplex urget præcordia terror:
Non conferre manum, non fines hoſte tueri,
Non ſaltem tentare fugam ſententia ſurgit.
Fingit quiſque ſibi varii diſcrimina leti,
Solaque ſuſpectæ torquet dilatio mortis.
Una ſubeſt miſeris ratio ſervata ſalutis;
Si ſe dignetur gladiis opponere Præſul.
Legatis hæc ſumma fuit. Quid nunc quoque Sancte,
Quid facturus eris? Si te ſubducere tentes,
Noſti, quid capto ſit viſcera claudere fratri:
Sive juvare velis; terrent quàm multa volentem?
Rex ferus, horrendæ rabies incognita gentis,
Et lingua & mores, torvæque protervia frontis;
Tum quòd perpetui defeſſum mole laboris
Deſtituant tenues ineuntem grandia vires.
Fide Deo; fraterna feret dilectio palmam.
Poſſe dabit, qui velle dedit: res ardua quamquam,
Concedet juſtis lævo mox numine votis.
II. *Ut regem barbarum*
122 Ergo iter invadit. Aderat gens perfida, fines
Jam tranſgreſſa ſuos; faciem telluris apertæ Im-

F

A Implerat ferratus eques ; rex agminis atri
Barbarus in medio, trucibus horrendus in armis,
Optatæ ſpe cædis hiat. Mox præduce fidens
Germanus Domino, medios irrumpit in hoſtes,
Armatoque duci ſeſe (mirabile dictu !)
Ingerit intrepidus ; medioque interprete, primùm
Exorat, ſeſeque preces effundit in omnes.
*B. quædam Ille, manus indocta pati ceu beſtia quondam *,
Orantem refugit. Præſul cunctamina ſævi
Pectoris increpitat. Nihilo minus abnuit ille.
Antiſtes cœptis tandem perſiſtere certus,
Injecitque manum, frænique invaſit habenas.
Immensùm ſtupuere omnes. Siſtuntur eodem
Agmina fixa loco ; nec cedit copia cuiquam
Vel mutare locum, vel quoquam flectere greſſum.
Tanto ſidereæ perfudit gratia lucis
Pontificem radio : par vultibus ille Mojſis,
Cornutam faciem Domini referentis ab ore,
Terruit immanes frontis ſplendore phalanges,
Non auſas niti, non auſas tendere contrà.
123 Rex ferus indomitam juſſus deponere mentem,
aggreſſus ſit. B Miratur potiùs ; ſtupidum miracula terrent :
Quæ tam magnanimem faciat conſtantia Sanctum;
Quanta Seni virtus, quanta eſt reverentia vultûs,
Millibus ut potior ſeu conſtet fortior unus.
Bellicus ad pacem extemplo deponitur ardor ;
Concedunt humana Deo ; violenta furoris
Conditio poſitis tractat civilia bellis ;
Qualiter id fiat, fieri quod jure Sacerdos
Decernit, non quod rabidus præfixerat ardor.
Poſtquam cædis amor & vis compreſſa furoris,
Componunt animos ; tum pacis munia tutæ
Collatis ineunt robuſto fœdere dextris ;
Caſtra dehinc repetunt. Merito ſic Præſulis almi
Deponit trepidum gens Armoricana timorem,
Emergens tandem trucium de fauce ferarum ;
Hac ratione tamen, partæ per fœdera paci
Romanus ſtipulam ſi præbeat induperator.
124 Hæc quorſum tendant, ſatis eſt edicere promptum.
Apoſtrophe ad Sanctum. Te, Pater, hæc rurſum, te certè hæc talia ſpectant :
Jam te ſidereus, jam dudum poſcit Olympus,
Teque olim miſeris mordaciùs invidet arvis.
At non terrigenis fas eſt excedere caſtris,
C Ipſe quoad Latias greſſum deflexus in oras,
Hîc quoque cæleſtem facias flaveſcere meſſem.
Forſan & hæc ſuperis fertur ſententia faſtis ;
Ut, conſummato magnorum fine laborum,
Victor in Italia capias inſigne ſuperbum,
Quæſitam meritis, partam virtute coronam,
Diſtinctum pulchris rutilum diadema beryllis.
O Pater ! O magnis pelagi defuncte periclis !
Te ſed adhuc ſubeunda manent quàm plurima terris :
Quo tecumque feret fortuna, audentior ito.
O graviora tamen crebrò diſcrimina paſſe,
His quandoque feret felix conſtantia finem.
III. 125 Nec mora (Quas etenim flammis cæleſtibus ardens
Ut proficiſcens in Italiam, presbyterum Senatorem denuo viſitaverit. Poſſet habere moras ?) patriis digreſſus ab oris,
Alpinas celerem greſſum detorquet in arces ;
Teque iterum gradiens ſtudio pietatis avitæ,
Care petit meritis & relligione Senator,
Hoſpitii grato penſurus fœnore dotem.
Conſtitit ante oculos ſubitò producta puella,
Omnimodi ſermonis inops, quam longa coævi
Cardine bis deno carpebant damna ſilentî.
Comminus admotam miro dignamine Præſul
Suſcipit ; inde manu faciem perluſtrat amica, A. S. Herico monacho. ex mss.
Os, frontem, & totum permulcens unguine vultum ;
Treſque dehinc panis vino permiſcuit offas ;
Inque os attonitæ componens virginis unam,
Imperat, acceptum præeat benedictio panem.
Illa Sacerdotis parens ad ſingula verbis,
Edicit pleno, Præſul quod juſſerat, ore.
Sic exorta novo manans facundia ritu,
Ætatis reliquos exin duravit in annos.
126 Inde profecturus, præterquam fortè ſolebat, IV. Ut eidem exceſſum prædixerit ſuum.
Artiùs unanimem complexibus urget amicum ;
Interque amplexus quàm molli famine mulcens,
Æternùm valeas, frater cariſſime, dixit,
Indiſcreta meæ per ſecula portio mentis.
Annuat Omnipotens, rebus cum fine ſupremo
Venerit extremam diſtrictus ponere metam,
Vultibus ut læti nos contueamur opacis b :
*B. Hujus enim donec Nam donec hujus * ſolvatur ſarcina carnis,
Alterno vetitum poſthac concurrere viſu.
Hæc Pater effudit digreſſu dicta ſupremo,
Hiſque ſalutatum diſcedens liquit amicum.
Dicat, quiſque velit, deceſsûs tempora Sanctum E
Ignoraſſe ſui, propriam cum linqueret urbem c.
Continuabat iter, paucis ex more miniſtris ;
Obvia ſed populis ſtipabat turba coactis :
His Pater æterni fundebat ſemina verbi.
Idque juvat meminiſſe magis, quod ſiqua locorum
Aut orans, aut fortè docens, luſtraverat olim,
Perſiſtunt hodieque ſacris notiſſima cellis,
Aut crucis elatum fulget venerabile ſignum.
127 Perluſtrans Hedui poſthæc confinia pagi, V. Ut ab Heduis exceptus ſit.
Mitibus officiis ſummi pietate favoris
Excipitur ſolitò : fervent examina vulgi ;
Omnis adeſt ætas ; ſexus concurrit uterque ;
Nec vacat, & nimium eſt fragili committere pennæ,
Quantus erat Sancti cunctorum mentibus ardor,
Affectu quanto, quanta pietate colebant,
Quem nôrant ſummum ſummæ Deitatis amicum.
128 Fortè, pererratis totius mœnibus urbis, VI. Ut S. Caſſianum
Relligione calens ſacras dum circuit ædes,
Devenit, quo Caſſiani venerabile corpus
Quondam pontificis tumulo recubabat honeſto :
In quo virtutis radiabant ſigna ſupernæ,
Militis eximii clarum teſtata triumphum.
Marmor erat Parium, miro candore decorum:
Hoc claudebantur ſacri tum ſepta ſepulcri. F
Cælitus at rubri ſpecies diverſa coloris
Preſſit vivificum, variato marmore, ſignum ;
Ut nova forma crucis, manibus diſtincta ſupernis,
Caſſianum meritis etiam poſt funera claris
Vivere monſtraret. Pater id Germanus adactis
Inſpectans oculis, multumque diuque retractat,
Quàm ſit munificus ſervis in ſecula Chriſtus.
129 Mox fuſis precibus, Quid tu, clariſſime, dixit, in ſepulchro fuerit allocutus.
Quid nunc, frater, agis ? Tumuloque refertur ab imo
Vox audita viri : Felici ſede locatus,
Optatæ potior tranquillo munere lucis,
Venturum ſpectans * patrio cum numine Chriſtum. * B. exſpectans
Ergo, ait Antiſtes, longùm, gratiſſime frater,
Sedibus auguſtis accepta ſorte quieſce :
Utque ſalutaris reduces poſt funera clangor
Impleat æthereis quondam concentibus aures,
Pro nobis, proque hoc populo, propenſiùs ora.
O meritum ſublime Viri, quem gratia ſummi
Hactenus evexit virtutum culmine Chriſti,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Omnia cui parent, reſpondent omnia votis,
Subſidant imis quamquam ſopita ſepulchris!
Nec mirum, civem potuit ſi noſcere civis
Conregnans Chriſto tractantem terrea mundo,
In portu reſidens pontumque æſtuſque ſecantem:
Da paulum ſpatii: modicâ removebitur horâ,
Hactenus innocuos ſiquid diſpeſcit amicos.

VIII. *Ut manum puellæ direxerit.*

130 Interea coràm, fletu quatiente, parentes
Comminus accedunt, artuſque in pulvere ponunt.
Nubilis hos ſequitur demiſſâ fronte puella,
Olim cognatæ patiens & conſcia pœnæ:
Fuderat hanc uterus, vitiato germine, matris
In palmam digitis, nervo marcente, recurvis:
Temporis addiderant ſævum incrementa dolorem:
Creverunt nimiis duri progreſſibus ungues,
Atque intus teneram laniabant ſpicula carnem;
Quotque manum digiti, tot vulnera dira tenebant;
Et jam perfoſſam penetrarant ulcera palmam,
Oſſibus exceptum ſi non ceſſiſſet acumen.
Attrectat Præſul tactûs medicamine dextram,
B Atque levans digitos leni moderamine cunctos,
Infuſo nervis vitalis munere ſucci,
Ordine flexibilem miro revocavit in uſum.
Redditur officio manuum lætiſſima virgo:
Nec jam ſe capiunt votorum feſta ſuorum.
Adjecit Sancti pietas memorabile quiddam:
Correxitque manum, dempſitque ſuperflua quæque,
Progreſſos nimiis reſecans exceſſibus ungues;
Id ſanctis manibus non effeciſſe gravatus.

ANNOTATA.

a Sequanam & Ligerim. *Not. Mss.*

b *Fortè*: Vultibus ut læti nos non tueamur opacis; *cum ſenſus Conſtantii ſit num.* 63: Ut nos in die judicii ſine confuſione videamus.

c *Senſus eſt: Dicat nunc, quiſquis vult, Sancto, cum Autiſſiodoro in Italiam diſcederet, revelatum non fuiſſe tempus felicis obitûs: nam vel ex hac ſalutatione patet contrarium.*

CAPUT II.

Continuatio ejuſdem itineris & miraculorum per Italiam.

C

VIII. *Ut Alpes conſcenderit; earumque deſcriptio.*

GAllica permenſus ſignis comitantibus arva,
Hinc ſubit aërias meritis ſublimior Alpes:
Limes hic Auſonias Gallis diſterminat oras,
Æternis nivibus, æterno frigore torpens;
Humano generi non ante meabilis umquam,
Hannibal Hiſpana remeans quàm victor ab ora,
a Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto *a*.
Cum tamen inſolito pulſatus frigore Pœnus,
Torpuit, & regem ſpoliatum milite liquit;
Ille quidem alterius damno confectus ocelli,
Propellat Pœnos ut nix Alpina tepores
* *i. e.* elephas Senſit, Maura ducem veheret cum bellua * luſcum.
Hîc nactus meritum præſul Germanus honorem,
* B. laudemque Obtinuit clari monumenque * decuſque triumphi.

IX. *Ut claudum humeris devexerit.*

132 Jam ſol oceano rubros tingebat amictus;
Artifices, operis ſumpta mercede diurni,
Sub noctem proprias pariter referuntur in ædes:
His Pater obnixo rupis per devia greſſu
Collatum carpebat iter; miſerique malignis
Faſcibus opreſſi gemitu montana ſubibant.
Obvius extabat devexa per ardua torrens,
Immanem rabiem violento vertice torquens D
Molibus undiſonis; hoc tardabantur euntes;
Quòd non fida tumens caperet veſtigia gurges.
Confectus ſenio, confectus denique morbo
Unus erat; moles miſerum duplicata premebat;
Vixque ferens tremulos plantis titubantibus artus,
Anxius impoſito durùm ſub faſce gemebat.
Antiſtes ſolitò miſerans claudumque ſenemque,
Attollit proprias miſeri geſtamen in ulnas,
Tranſque tulit pelagus: non ſeciùs *, amne remenſo, * B. ſegnius
Squalentem & tremulo marcentem corpore demum
Suppoſta cervice ſubit, mediaſque per undas
Evehit, & tuto trajectum littore ponit.

X. *Libratio factæ præcedentis.*

133 Inter dicta feror medius dicendaque vates:
Hæc revocant; aſt illa vocant: debetur utriſque.
Hîc mecum ſubſiſte tamen, quocumque locorum
Digredior: ſtupidum percellent plurima ſenſum.
Omnia mira; novis emergunt cuncta figuris;
At non ſe ſpeciem ratio defixit in ullam: E
Preſſius obruitur rerum ſub pondere pectus;
Pectus libratis impellunt ſingula verbis.
Germanus miſerum collo trans æquora vexit.
Germanus miſerum. Si te perſona fatigat;
Inclytus & nulli generis ſplendore ſecundus,
Dignatur humeris miſerum ſuſtollere pulchris:
Quod non quis faceret noſtri vel infimus ævi.
Quære gradum: toto Præſul notiſſimus orbe.
Da, qui ſe tantum malit ſummittere præſul.
Ætatem poſcis? Senior plenuſque dierum:
Oblitum proprii non mendax dixeris ævi.
Quanta valetudo, quod robur, quærere pergis?
Squalidus, æterno jejunî fœdere ſiccus,
Viſcera cui macies, pallor confecerat ora,
Aſpera poſt ſeptem recreabant hordea ſoles,
Defeſſo pauſam telluris terga ferebant,
Vix artus, vix ille ferens, vix oſſibus hærens,
Concipit ingentem pietatis pectore flammam,
Pondere non fractus, refugus non planè pericli,
Exhauſtumque ſenem, ſenio confectus & ipſe,
Faſce priùs miſſo, tremulis tranſvexit in ulnis.
Magnus in æthereo meritò reputaris Olympo,
Juncte Deo Præſul, cui tot holocauſta piorum
Conceſſum eſt operum Regi mactare polorum.

XI. *Ut Mediolanum venerit; & deſcriptio nominis ejus.*

134 Ulteriora petens claram defertur in urbem,
Quam Mediolanum fertur dixiſſe vetuſtas.
Fama ſerit (quamquam famæ non creditur omni)
Quondam inteſtinis flagrans quod Gallia bellis, F
Expulerit proprios violento Marte colonos
Sedibus è propriis, Latio qui fortè coacti,
Hanc extruxerunt collatis ſtipibus urbem;
Dicentes Medio-, facti de nomine, -Lanum,
Quòd, cum prima novis ſtruerent fundamina muris,
Lanea ſus media perhibetur parte reperta *b*. A
Huc Præſul veniens, auras vitabat inanes,
Obnixus ſolitis ſeſe velare latebris;
Delituit non ille tamen, quin protinus omni,
Quis quantuſve foret, liquidò clareſceret urbi.

XII. *Ut per dæmonem publicatus,*

135 Solemnis tum fortè dies contraxerat illuc
Plures pontificum, ſacramque geruntur ad aram
Divini, quîs Chriſticolæ vegetantur, honores.
Ingreditur placidam præſul Germanus in aulam
Ignotus, humilis abjectæ tegmine veſtis.
Extemplo quidam, nexu quem vinxerat hoſtis
Dæmonico, vacuas implet clamoribus auras:
Cur nos Italicis urges, Germane, ſub oris?
Quid tantum miſeri de te meruiſſe putamur?
Heu feritas! Heu crudelis violentia rerum!
Nec pelago locus eſt, ipſis excludimur arvis.

Nu-

A Nuper Gallorum pulſi conceſſimus oris ;
Præbuit oceanus pelagi inter vaſta latebram :
Hinc quoque detruſos precibus, Germane, fugaſti.
Omnia quid penetras ? Orbis quid devia luſtras?
Deſine, & optatam feſſis permitte quietem.
Obſtupuere animis ; exangues implicat artus
Conceptus hac voce tremor : fit quæſtio paſſim,
Quis Germanus erat, quem vox audita petebat.
136 Compertus tandem eſt præclari ſchemate vultûs ; *eumdem expulerit.*
Cetera plebeium referunt inſignia cultum.
Conſultus, non ſanè gradum, non ille negavit.
Cernua pontificum veneratur concio Sanctum ;
Viſeret utque ſui latorem * nominis, omnes, ** i. e.* indicem *energumenum*
Collatis precibus, votis communibus inſtant.
Parendum ſanctis Præſul pro tempore ducens,
Secretos ſubiit, miſero comitante, receſſus.
Conceptis non multa fuit dilatio votis :
Prodiit, & fœdâ purgatum peſte reducens,
Incolumem populis pulchra virtute reformat.
Hoc Pater, hoc primùm Latiis innotuit arvis
B Auſpicio. Mox diverſis è partibus omnes
Concurrunt populi, pervulgatæque frequentant
C Munus opis. Tum conſertis ad dogmata ſignis *c*,
Sic probris animas, ſic corpora clade levabat.
XIII. 137 Exin multiflua Præſul digreſſus ab urbe,
De fraude pauperibus per diaconem facta. Suſceptum provehebat * iter felicibus oris :
Occurrit mendica manus, ſtipemque petebat,
Docta & ſufficiens alienâ vivere quadrâ.
* *B.* peragebat Conſulit Antiſtes ſumptûs ratione * miniſtrum.
* *pro* de ratione Conſcius ille ſibi, ternum ſupereſſe nomiſma,
Amplius haud quicquam ſumptus, reſpondit, in omnes.
Mox jubet indiguis largiri cuncta miſellis.
Victuros hodie nos unde, diaconus inquit,
Sancte, putas ? Non fas Chriſto diffidere, dixit ;
Paſcet at ille ſuos (nil nunc vereamur) egenos:
Tu modò, quod potis eſt, inopes curare memento.
Venturi cautus, quamquam non jure, miniſter,
Largiturque duos, unumque in poſtera ſervat.
Non lucri tantum, damni, vir provide, quantum
Hac vice ſtruxiſti, temnens præcepta Magiſtri:
Lucratuſque parum, meruiſti perdere multum.
C Sic vindicta ſequax, ſic votum luſit avarum.
XIV. 138 Dumque iter expediunt ; rapido fervore citatis,
Ut legatos Leporii Ecce, viri cernuntur equis poſt terga meantûm:
Deſiluere brevi ; ſanctiſque in pulvere fuſi
Procumbunt pedibus ; tum ſic in verba feruntur:
Haud procul hinc dominum ſpectatæ nobilitatis,
Fortunæ celebris, præcelſi juris, habemus ;
Quem ſævis urget jactura domeſtica nodis :
Cum famulis, omnique domo (miſerabile dictu !)
Decubat, innumeris addictus denique morbis :
Sic certè, ſic ille ſua, ſic ille ſuorum
Clade gemens, miſeram quamprimum abrumpere vitam
Quærit, & inviſos letho finire labores ;
Comperit at poſtquam, noſtras vos ire per oras,
* *B.* illapſa Ambiguis animis ſpes eſt relapſa * ſalutis.
Ejus nunc ad vos ferimus lacrymaſque preceſque:
Si poterit dignum Pietas id ducere veſtra,
Viſite languentem ; ſummiſſo pectore poſcit :
* *B.* abrumpunt Seu violenta preces abſumunt * ſeria noſtras,
Nec potis eſt itiner quoquam deſiſtere cœptum;
At precibus juſtis benedictio juncta ſalubris
Compenſet vultûs oblectamenta negati :
Uno donetur, ſi non mereatur utroque.
139 Tum Pater ammirans fidei venerabile pignus, A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.
Indoluit, ſtrinxitque animum pietatis imago ;
Et quamquam cœpti ſtimularet cura laboris
Non differre diem, via rectior illa putatur, *exceperit.*
Qua merces operi ſervatur debita juſto.
Nec mora ; divertit. Comites obſiſtere contrà ;
Legati contrà connixis viribus inſtant :
Dumque hi, dumque illi * ; fit concertatio longa. * *ſubintellige* contendunt
Indiguis magis ille favet ; per ſecula, dicens,
Nil prius eſſe ſibi, quam juſſa faceſſere Chriſti,
Biſque mori propter Domini præcepta paratum.
O Patrem ſummo ſplendoris culmine dignum !
O, ſibi qui propriam refugit dependere vitam,
Quique Deo vivens, immò cui vivere Chriſtus,
Fraternis animam mavult opponere lucris !
Ergo memento piis, Pater ô, perſiſtere cœptis.
Non deerit ſancto bravium, mihi crede, labori.
140 Legatos hilares ſubit exultatio digna : XV.
Quódque ſuis votis dignatur cedere Præſul, *Ut diaconem pro fraude increpaverit.*
Bis centum promunt inſtructo munere ſoldos *d*, *d*
Dona Viro. Præſul non tantùm munere lætus,
Pignore quàm fidei, commendat cuncta miniſtro;
Hæc cape nunc, dicens, ac te ſuccumbere noxæ E
Diſce ; quòd in miſeros fraudem meditatus egenos,
Malueris eſſe tenax : nam ſi, quod tradere juſſi,
Ceſſiſſes, ſolitò Chriſto tribuente, reſuſos
Tercentum caperes hodierno fœnore ſoldos.
Invadit formido hominem, ſecreta reatûs
Germano patuiſſe ſui. Non ſanè putato
Hoc mirum, bone vir, tanto quod clauſa Prophetæ
Cordis hiant : plenus ſancti qui numine Flatûs,
Jam Deus eſt, jam divinos ſortitur honores.
141 Neve opis indiguos dilatio multa gravaret, XVI.
Ut Leporium cum ſuis viſitaverit.
Accelerat, raptoque gradu, quò vota requirunt,
Præſtaturus adeſt, miſſis * comitantibus îſdem. * *i.e.* legatis
Mox, tamquam manifeſta ſalus ingreſſa ſubîſſet,
Expectata Patris relevat præſentia cunctos.
Hîc artes Medicum notas efferre videres :
Hinc pietas, illinc perfecta peritia claret.
Sternitur, & Chriſtum ſolitò proſtratus adorat,
Tunc magis alta petens, fieret cum pronior arvis:
Auribus hinc ſuperis oratio fuſa ſalubris ;
Cui lacrymæ fecere viam ſuper aſtra volanti,
Gaudia multorum mercantur flumina quarum.
Inviſit dominos, inviſit denique ſervos : F
Certanti ſtudio indiſcreta cubilia luſtrat:
Omnibus æthereas impertit jure medelas.
Unius ſpatio res eſt confecta diei ;
Una dies cunctis fudit fomenta ſalutis.
Poſt hinc digreditur : dominus comitatur euntem
Ipſe domûs : gaudent reparatis viribus omnes :
Plauſus ubique ſonat, pulchræ & modulatio laudis :
Chriſtum cuncta boant ; Germanum cuncta reſultant.
Gloria ſic Domino, ſic creſcit opinio Servo ;
Diſpergens lepidum, quaquà pergebat, odorem.
Innatus ſubigit cunctorum pectora fervor
Noſſe Virum, mira meritorum luce coruſcum.
Multa quidem ſuberant clarum gignentia nomen;
Dogma, labor, comitas, mores, conſtantia, fervor ;
Quodque eſt præcipuum, dilectio plurima fratrum ;
Qua grave quicquid erat, terraque marique ferebat.
142 Quid tu, quid greſſum raptas per devia, *Epilogus.*
ſo-

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

sodes ?
Quid cancellato flectis compendia ductu ?
Ire brevi poteras, quà te per longa fatigas.
Ravennam certè meliùs via regia ducit.
Non ab re tulerim, quod diverticula quæris :
Immò ego (sic animus, sic denique ferre videtur)
Ravennam subtriste aliquid portendere, credo,
Quod vel exitio, vel possit cedere damno ;
Contiguis quòd tam succedere mœnibus horres.
Quicquid id est ; subsiste parum ; flatuque recepto,
Obnixis animis, supereſt quodcumque, subibis.

ANNOTATA.

a *De Hannibalis expeditione in Italiam bello secundo Punico videsis Livium lib.* 21, *aut Silium Italicum lib.* 3, *vel etiam Cluverium Italiæ antiquæ lib.* 1, *cap.* 33.

b *De hac origine nominis* Mediolani *consule Leandrum Albertum, ubi de hac urbe agit in Lombardia Transpadana versùs medium.*

c Consertis ad dogmata signis, *id est, adjunctis doctrinæ miraculis.*

d Soldos *pro* solidos, *qui nummi erant aurei*

PRÆFATIO LIBRI SEXTI,

διχώλῳ διτρόφῳ variata.

Acta Sancti sex libris poëta describit ;

Expensas operis claudit pulcherrimus ἑξὰς *a* ;
Lector amice, vides.
Cujus si causas & mystica symbola quæras ;
Impiger ediderim.
Exemplar, solidum facturus Conditor orbem,
Hoc sibi proposuit :
B Namque opus omne suum numero discrevit eodem ; ut
Pagina sacra refert :
Quamvis & simul & semel omnia condita, verax
Theologia canat ;
Perfectum sed opus numeri perfectio signat,
Partibus apta suis.
b Cardinis hunc primi si per theoremata ducas *b*,
Eminet egregius :
Namque sua solus sese regione coërcet,
Gnarus habere modum :
Nec summam minuit, nec vult transcendere summam,
Partibus explicitus *c* :
Unum sexta quidem est ; duo tertia ; dimidium tres ;
Sex ea restituunt.
C 144 Visne, aliud referam, mage quod mirabere, lector ?
Huc ades, idque refer.
Partibus in versum * ductis, iisdemque remixtis,
Instruit hic δεκαδεν *d*.
Pars est sexta μονὰς *e*, numeri progressio prima :
Primitus illa subit :
Tertia namque δυὰς *f*, sedem tenet atque secundam ;
Fons paritatis ea est :
Dimidiumque τριὰς *g*, hanc tertius excipit ordo ;
Hinc fluit imparitas :
Cum sexta medium, μοναδεν τριὰς applicat ; atque
His fluit alma τετρὰς *h* :
Tertia cum medio δυαδεν τριαδενque coaptat ;
Πεντὰς *i* ab his oritur.
Partes omnimodæ digesta sorte refusæ,
Ἕξα quidem reparant *k*.
Cum sexta totus parit ἑπταδεν officiosam *l* ;
Hanc sterilem perhibent *m* :
Tertia cum toto creat ὀκταδεν *n* ; hinc fluit ἐλπὶς
Vivere post cineres *o* ;
Totus cum medio, numeraliter ἐννέα * gignit ;
Is triplicat τριαδεν :
His superacta μονὰς, πάντων τέλος * numerorum
Proficit in decaden *.
Sic operis meritum merces mansura sequetur,
Quam δεκὰς effigiat *p*.
Tam manet hoc verum, quam qui super omnia sol est ;
Nec ratio titubat.
Anne tibi videor senaria symbola, lector,
Elicuisse parum ?
Si potes, ede alium * simili ratione cluentem ;
Cedat & iste loco.
Quod si non potis est ; perfectos disce triumphos
Præsulis esse mei,
Quos cohibet numerus, quem tu jam rite συνεργὸν *
Dixeris esse Dei *q*.
145 Oratu meliùs, super est quodcumque laboris,
Expedies modico.
O clemens Trinitas, nostræ quoque fons trinitatis.
Nam tribus omne subest :
Οὐσίαν, δύναμιν dicunt, ἐνέργειαν atque ;
Quîs sine, nulla φύσις *r*.
Est etiam trinitas animæ contermina nostræ,
Qua fit imago Dei :
Νοῦς hæc, atque λόγος, etiam διάνοια *s* vocatur ;
Hanc quoque tu tribuis.
Ergo àge, & optatas largire attingere metas,
Summe Deus, Trinitas.
Nequa tamen subeant exhaustam tædia mentem ;
Te duce progredimur.

a ut illorum perfectio ex numeri senarii perfectione elucescat.
* i. e. in ordinem *Not. Mss.*
b
c
d
e
f
g
h
i
k
l
m
n
o
* *i. e.* novem
E
* *i. e.* omnium finis
* numerum denarium
p
* *nempe* numerum
* *i. e.* cooperantem
q *Exinde SS. Trinitatem invocat.*
F
r
s

ANNOTATA.

a Ἑξὰς, *id est numerus senarius, in quem libros suos auctor dividit : hunc verò* pulcherrimum *appellat, quia perfectissimus censetur, ut mox probabitur. Sed cur* ἑξὰς *hîc masculinè accipitur? Respondeo, quia numerum significat ; juxta illud:* Respicit interdum nomen generale poëta.

b Cardo primus numerorum est ab uno ad decem. *Not. Mss. Sensus ergo est : si numerum hunc senarium consideres attentè, invenies illum eminere inter decem primos.*

c *Uterque hic versus eòdem recidit, & significat, hanc perfectionem senario numero propriam esse, quod omnes ejus partes aliquotæ simul sumptæ non imminuant ejus summam nec augeant : tres enim tantùm habet partes aliquotas, nempe sextam, quæ est unitas ; tertiam, quæ sunt duo ; & dimidium, quod est tria : has si conjungas, nempe* 1, 2, *&* 3 ; *faciunt sex. Non sic alii numeri : nam exempli causâ, octonarius has habet partes aliquotas, octavam (id est* 1) *quartam*

A (2) *dimidium* (4.) *Has ſi jungas, non conficient octo, ſed ſeptem tantummodo.*

d Δεκαδεν, *pro* δεκάδα, *id eſt* numerum denarium.

e Μονὰς *eſt* unitas, *principium numeri; & ſexta pars numeri ſenarii.*

f Δυὰς, *id eſt* numerus binarius, *qui eſt pars tertia ſenarii.*

g Τριὰς, numerus ternarius, *ſenarii dimidium.*

h *Id eſt, pars ſexta ſenarii (quæ eſt unitas) juncta medio (quod eſt numerus ternarius) gignit quatuor, ſeu numerum quaternarium, qui Græcè dicitur* τετρὰς, *quæ* alma *vocari videtur, quod quatuor elementa contineat, quibus corpora conſtant & aluntur omnia.*

i Πεντὰς, *id eſt* numerus quinarius *oritur ex ſenarii parte tertia (quæ eſt* δυὰς*) & ſenarii medio (quod eſt* τριὰς *:) 2 enim & 3 faciunt 5.*

k *Nam 1, 2, & 3 faciunt 6.*

l *Hoc eſt, 1 & 6 faciunt* numerum ſeptenarium *ſive* ἑπτάδα officioſam, id eſt in multis efficacem *Not. Mss.*

B m Quia intra denarium ſola ἑπτὰς nec gignit, nec gignitur. *Not. Mss.*

n *Nam 2 & 6 faciunt 8, ſive* ὀκτάδα.

o Ἐλπὶς vivere poſt cineres, *id eſt* ſpes reſurrectionis. Octonarius *enim* in divinis Litteris Novum Teſtamentum, corporum reſurrectionem, ac majeſtatem regni Dei ſignificat, *inquit & probat Bongus ad hunc numerum in opere, quod inſcribit* Myſticæ numerorum ſignificationis librum. *Ubi de hoc genere plurima eruditè congeſta lector ejuſmodi rerum curioſus inveniet, ſingulis numeris propria.*

p *Ut oſtendit idem Bongus in numero denario, ultra medium.* A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

q *Lepida ſanè collectio :* Ego triumphos S. Germani enarro libris ſex; atqui numerus ſenarius perfectus eſt: ergo & perfecti triumphi illi. *Sed hæc ludenti poetæ condonanda.*

r *Id eſt :* Eſſentiam, virtutem atque operationem; *ſine quibus nulla eſt* φύσι, *ſeu* natura. In omni enim natura rationabili intellectualique tria hæc inſeparabiliter ſemperque incorruptibiliter manentia conſiderantur. Horum exemplum. Nulla natura, ſive rationalis ſive intellectualis, eſt, quæ ignoret, ſe eſſe; quamvis neſciat, quid ſit. Dum ergo dico: Intelligo, me eſſe; nonne hoc uno verbo, quod eſt intelligo, tria ſignifico à ſe inſeparabilia? Nam & me eſſe, & poſſe, & intelligere me eſſe demonſtro: non enim intelligerem, ſi non eſſem; neque intelligerem, ſi virtute intelligentiæ carerem; nec illa virtus in me ſilet, ſed in operationem intelligendi prorumpit. *Ita Notæ Mss. Cod. Lugd.*

s *Id eſt*, mens, ratio, *&* cogitatio *ſeu conſilium : de quibus additur in notis Mss. cod. Lugd.:* His tribus eſſentialis trinitas animæ ad imaginem Dei conſtitutæ ſubſiſtit. *Porrò quantùm Patres laboraverint, quámque diverſas vias inierint, ad inveniendam exponendamque illam imaginem & ſimilitudinem Dei, quam in homine certum eſt exſiſtere, docent ſacrarum Litterarum interpretes in illud Geneſeos,* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Adi, ſi placet, Benedictum Pererium noſtrum in Comment. in Geneſim tom. 1, lib. 4 ferè ab initio.* E

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

S. Germani adventus ad regiam tunc urbem Ravennatium imperatori ceteriſque gratiſſimus; miraculorum ejus ibidem frequentia.

C

1. PRævia fama ruens Latium conciverat orbem,
Digreſſum patriis Germanum nuper ab oris,
Ut Ravennæ deſideratus exceptuſque ſit. Ravennam certa celerem ratione ſubire:
Compertum id populi vario ſermone ferebant;
Urbibus, & vicis, per compita, perque plateas
Hoc vir, hoc mulier hoc tunc infanſque ſenexque
Hoc juvenis, medium & ſiquid juvenemque ſenemque
Diſpeſcit; validæ quatiebant omnia voces;
Omnia fervebant; inſtabant omnia votis:
Germanum dives, Germanum denique pauper
Venturum, reſono paſſim clamore fremebant.
Tantus amor Sancto, tanta eſt inſtantia vulgo
Viſere Pontificem certamque referre ſalutem:
* *B.* jamque Et quamquam ſumpti reſpectu planè * laboris
Impatiens urgeret iter; ſed plurimus ardor
Obſtantes ægrè nexuſque moraſque ferebat,
Increpitans ſegnem mordaci pectore greſſum.
Sic deſideriis ſemper dilatio fertur
Accumulare ſitim: quæ ſi dilata reſidunt,
Non deſideria * certè, non illa fuerunt. * *B. ſupple* hæc
Tandem ſuſciperis, mundo gratiſſime Præſul, a
Expectate diu; quamquam non ſorte cupita a:
More quidem ſolito nocturna ſilentia captans.
Non tamen excubias illic vitare ſagaces
Poſſe fuit; nec fraus cupidos concepta fefellit,
Quin & conſpicerent, & conſpecto fruerentur.
Principis eccleſiæ meritoque & nomine pollens
Petrus * apoſtolicum dicta ſervabat in urbe * Chryſologus *nempe*
Fortè gregem, vir præcelſo ſplendoris aviti
Stemmate conſpicuus, multa & probitate coruſcus.

F

147 Tum quoque jam juvenis cum matre Valentinianus
Romula ſceptra gerens, rerum flectebat habenas,
Maximus imperio, factis & nomine magnus b.
Catholicæ fidei genitrix Placidia cultu
Inſignem tenero puerum formârat ab ungui,
Stemmate condignum quondam ſceptriſque paternis.
Cumque poteſtatis præcelleret ordine cunctos,
(Quippe pater patriæ, magni moderator & orbis;)
Religionis amor complêrat pectora tantus,
Ut Chriſti famulis diverſa in parte locatis,
Cum genitrice pia plenum deferret honoris
Officiique modum. Patrii ſic ſceptra decoris
Ornabat ſobriæ * jam tum virtutis amator. * *B.* ſanctæ
Germanum magnæ ſubeuntem mœnibus urbis,
Qua tantum pietate Patrem tractare decebat,
Excipiunt. Rerum converſa ſorte, videres,
Ut pompæ refugum ſtudio certante premebat
Vulgi pompa ſequax: edicto principis omnes
Occurrunt proceres; properat promiſcua plebes;

11. *Ut Valentinianus cum matre tunc imperârit; & de exceptione ejus.* b

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Tum ſacer eccleſiæ denſo ruit agmine clerus:
Laudibus hi plaudunt, perſultant plauſibus illi,
Et commune decus parili pietate ſalutant.
148 Plurimus auguſtos animi perflaverat ardor,

III. *Ut regina & Epiſcopus viciſſim ſibi fercula miſerint.*

Obſequiis cumulare Virum. Cautiſſima rerum
Vas amplum regina ſtruens regalibus eſcis,
Non tamen ullius mixta pinguedine carnis,
Mittit Pontifici. Suſcepto munere tali,
Partitur propriis obſonia cuncta miniſtris:
Vindicat argentum, miſeris fracturus egenis.
Exin conſpicuum compenſat munere munus;
Et vili & modico ſuppletur lignea pane,
Quam Præſul parcos patinam promebat in uſus:
Mittitur auguſtæ. Donum complexa verenter
Suſcipit, & tamquam caperet cæleſtia, condit;
Munere læta dato, ſed lætior illa recepto.
Quàm fuerit carum manans à Præſule donum,
Mox liquidò patuit; quòd & auro claudere lignum
Juſſerit, & variis panem ſervare medelis.
O res æternis certè digniſſima faſtis!
B O, quæ ſublimes inclinas gratia mentes,
Et Chriſto ſubigis mundani colla tumoris!
O regina, pium venerans in Præſule numen!
O, cui jam defert Romana potentia, Præſul!
* B. Non Nec * aberit multo, quin ocyùs aſtra ſequenti
Deferat ætherius Superis cum millibus axis.

IV. *Ut reos de carcere*

149 Fortè die quadam, populo ſtipante, plateam
Ingreditur, placido perluſtrans omnia greſſu,
Devenitque locum, miſera quo ſorte nocentûm
Publica damnârant tenebris ergaſtula turbam,
Quique immerſa cavo ſtricti veſtigia ligno,
Incertum, optârentne magis, potiuſne timerent
Suppliciis finire diem: ſpes cetera torpet.
Ne trepidate, viri, neu vos addicite morti:
Non omnis abſumpta ſalus: quà nulla putatur,
Advehet optatum, ſubducta clade, levamen.
Compertus miſeris utque eſt tranſire Sacerdos,
Elatas pariter tollunt ad ſidera voces.
Agnoſcit cauſas, populo referente, doloris:
Indolet, ac facilem ſtringit compaſſio mentem:
Carceris immites blanda pietate miniſtros
Advocat. Abducunt Sancti ſe viſibus illi,
Solvere quòd nullâ poterant ratione nocentes,
Quos aulæ proceres horrendæ mergere morti
C Decreto tulerant. Quò te nunc vertere demum,
Quò poteris, pietas? Vereor, perſiſtere cœpto
Ne non ſufficias; aut, ſi perſiſtere mens eſt,
Indecorem ſubeas, tentata ſorte, repulſam.
En, feritas refugitque preces, ſpernitque precantem.
Præſtat divinum magis explorare favorem;
Quodque negant homines, à majeſtate precari:
Cetera ſic quondam, ſic tu ſuperare ſolebas.
150 Præſul pœnales greſſum deflectit in ædes:

oratione ſolverit.

Membra ſolo ſternit: Deitatem cernuus orat:
Nec pietas fruſtrata Virum; patuitque repentè
Gratia, qua gratum Chriſtus perflârat Alumnum.
Mox fundamentis carcer concuſſus ab imis,
Solvitur, & rigidi ſummittunt vincula poſtes;
Ferrea, laxatis immani pondere clauſtris,
Porta patet; duros mirùm langueſcere nexus,
Et triplices videas uſum abjuraſſe catenas.
Exonerata gravi relevantur pondere colla,
Colla, manuſque, pedes, & quicquid vis truculenta
Attârat rigido miſerorum in corpore ferro;
Abſolvit pietas, rabies quod vinxerat atra.
O ſemper robuſta fides! cui ſubjacet omne,
Quod natura negat, certis quam legibus uti
Omnipotens prohibet, fieri ſiquando perurget, D
Eſſe quod inſolitum, natura teſte, probatur;
Proruit exemptis miſerorum concio vinclis,
Squalida, pigra, horrens, miſerabilis, hiſpida, marcens;
Præque ferens vacuos facili geſtamine nexus,
Quîs prius implicitos feritas obduxerat artus.
Linquitur innocuus tandem poſt tempora carcer,
Immunemque necis pandit ſubeuntibus aulam.
Eccleſiæ gremio, pacis præeunte triumpho,
Germanus reducem mira pietate cohortem
Inſerit. Illa novo perſultans carmine plaudit.

V. *De incremento ſignorum & gloriæ ejus.*

151 Ibat in immenſum meritis inſtructa beatis
Fama Patris magni; ſignorum gloria nec non
Clara comes populos ad dogmata ſancta ciebat
E cunctis properare locis, quibus ardua virtus
Jam dudum comperta foret. Facundia quamquam
Nunc mihi ſuppeteret, ſoliti quam carmine vates
Gutture centicano, totidemque expoſcere linguis;
Singula nec modicis poſſem perſtringere verbis,
Quæ Pater Auſoniis miracula geſſerit oris, E
Amplificante Deo dilectæ munera dotis.
Quis non quæſitam membriſve animiſve medelæ
Hauſit opem? Cui non faverunt vota petenti?
Quis non munificum cumulandus munere ſenſit?
Quis non ſtolidus, patrem perſenſit egenus,
Doctorem Summiſſum minimi, venerandum denique ſummi;
Utque docet Paulus, ſic omnibus omnia factus,
Divinis omnes ſtuduit tranſfundere lucris.

VI. *Ut ei ſex pontifices jugiter aſſidebant.*

152 Hæc tamen angelico non impar vita colori
Ne ſine teſte foret, ſex aſſediſſe feruntur
Sancto pontifices, meritoque & nomine clari
Tempore continuo; ſeu cum miracula mundo
Ederet, aut crucibus corpuſque artuſque domaret.
Hi teſtes operum multis manſere diebus.

VII. *Materiei futuræ trepidatio.*

153 Huc pede difficili quamquam decurrimus uſque;
At nunc ulteriùs tentans intendere greſſum,
Materiæ novitate premor; tum pondere feſſus *, * C. *Lugd.* preſſus
Ire quidem nequeo; pudor eſt deponere faſcem.
Atque utinam, rebus cælum creſcentibus uſque,
Creſcere verba dares, naſci qui verba dediſti!
Eligerem * ſub faſce mori, quàm cedere cœptis. * B. Maluerim
Sed quid ago? Priſcumne ſinam periiſſe laborem? F
Cuique datum pelagi penè * contingere litus, * B. ferme
Unius objectu & trepida formidine ſaxi
Lintea retrodare, & patiar ſuccumbere noxæ?
Huc, Pater, aſpires votis ingentibus, oro,
Speſque procul fuſas in pectoris antra refundas;
Vitalem functis animam cui reddere membris
Quondam poſſe fuit cœnoſa mole gravato.
Argumenta tui capiam tamen inde favoris,
Si modò, quod memini, rite percurrere dones.

ANNOTATA.

a Quia ignotus ingredi maluerat. *Not. Mss.*

b *Poterat taceri hoc; ſaltem ſi de toto imperii ejus tempore intelligi debeat.*

A

CAPUT II.

Ibidem mortuum ſuſcitat; liberat energumenum; prædicit obitum ſuum.

VIII. *Ut Voluſiani filium*

VOluſianus erat præcelſo nomine quidam,
Urbis patricio, toti dilectus & urbi,
Atque à cancellis priſco de more miniſter.
Filius huic primis impensè gratus in annis,
Jam promulgandæ ſpem poſteritatis alebat;
Is tamen immodicæ pulſatus verbere febris,
Tabuit infelix; furit oſſibus intima peſtis,
Quin etiam liquidas jam depopulata medullas;
Torrebat vicibus miſerum friguſque calorque
Peſtifer, inſanus, miſerabilis, immoderatus;
Pertæſumque cibi, pertæſum denique potûs,
Ferreus in mortem perſtabat trudere ſomnus.
Jam cedunt medici; ſpes eſt ſublata ſalutis;
B Percellunt trepidos tantùm lamenta parentes,
Lurida in æternam clauſuros lumina mortem.
Vota ſed ad Sanctum prope ſera tuliſtis, amici.
Prævertit cita mors, nulli quæ parcere novit.
Ille tamen properat, cœtu comitante piorum.
Nuntius interea cœpto deterret euntes,
Nec fore, qua ſeſe Præſul ratione fatiget,
Quòd puer extremæ juſſus concedere ſorti,
Sparſerit in tenues uſum ſpiraminis auras.
155 Tum verò precibus ſubigunt communi-
à morte bus omnes
Officio perſtare pio; nec diſtulit ille.
Inveniunt rigidos, fibris marcentibus, artus,
Et jam concretum letali frigore pectus:
Utque eſt Chriſticolis rituſque & cura ſalubris,
Functam muneribus violenta ſorte caducis
Commendant animam, cui vivunt omnia, Regi.
Hinc remeare parant. Tum luctus tollitur ingens,
Permixtuſque ferit populorum ſidera plangor,
Confundens lugubres diris clamoribus ædes.
Pontifices manibus defigunt oſcula ſanctis;
Orant, lugentûm miſereſceret ille parentum,
Defunctumque imo precibus revocaret averno.
Obſtitit ille diu ſancti ratione pudoris,
Virtutem temerè faſſus non eſſe petendam,
C Nec, poſſis quantum, fieri debere periclum.
Imperiis fidei tandem concedere doctus,
Annuit; hinc pulchris mentem præcingitur armis,
Commoda militiæ quæ noverat eſſe ſupernæ:
Hæc Heros vibrat, turbaſque faceſſere mandat:
** i.e. humi* Sternitur hinc arvis *, tanto vicinior aſtris;
Fletibus implet humum, gemitu percellit Olympum,
Et Chriſtum lacrymis, & Chriſtum planctibus orat.
reduxerit. 155 Audiit Omnipotens, nec differt vota Fidelis:
Elicitamque imis animam remeare cavernis,
Qua virtute poteſt, detexta retexere juſſit.
Extemplò recalent, motis compagibus, artus,
** B.* vegeti ** B.* loca congrua Et ſenſim priſci * repetunt collegia * ſenſus;
Sanguine concepto, ſocius calor oſſa reviſit:
Quæ ſopor urgebat, lucem jam lumina ſpirant;
Jamque micant digiti; jam quærit lingua moveri:
Omnia vitales exercent membra figuras.
Nec priùs Antiſtes artus è pulvere tollit,
Comminus adnixus; donec conſurgit uterque,
Et puer, & Præſul; hic leto, fletibus ille:
Germanus juvenem ſævo de funere raptum
Erigit; erectum turbis gaudentibus inſert. A. S. Hermico monacho. ex mss.
Procedit de morte novus, ſtatuque reducto,
Reſpirat, reſidet, refovetur, reſpicit, horret,
Seque ſtupet ſupereſſe ſibi: mox viribus actis,
Exiit in ſolidum connixo pectore robur.
Læta rei facies luctus eluſit acerbos,
Et percepta diem peperérunt gaudia feſtum
Vocibus elatis: contingit ſidera virtus
Magnificata Dei. Sic tu, ſic, Chriſte, futuro
Mox tecum famulo cumulas præconia laudum.
Gloria ſumma tibi, mortis qui victor acerbæ:
Præcipis electis ſuccumbere tartara ſervis.
157 Regalis princeps hac tempeſtate cubilis, IX.
Et ſervator opum perhibetur fortè fuiſſe *Ut Accolii puerum dæmone purgavit.*
Accolius, claro famoſus nomine ſpado.
Nobilis hic damno tum torquebatur alumni;
Jam juvenis, jam qua velles, ex arte periti:
Repſerat in miſerum rabies horrenda furoris
Dæmonis afflatu, propria qui peſte nocivus,
Allidit captas fœdo diſcrimine mentes,
Menſtrua deciduos cum luna recolligit ignes.
Reginæ precibus, miſerantis talia, Sancto
Offertur, longa tandem de clade piandus.
Suſcipit; atque die purgandum diſtulit illo;
Cum tamen immanes, præmiſſo famine tantùm, E
Trudere mos eſſet quoquam de corpore peſtes;
Namque adeò miſerum cæcus penetraverat hoſtis,
Intimaque & fluidas perſederat uſque medullas,
Acſi certa domus, ſeu vas ſpeciale maligni
Uſibus addictum captiva ſorte fuiſſet.
Hunc Pater, hunc ſecum ſub noctem claudere juſſit.
Mox quaſi tormentis dæmon compulſus amaris,
Prorumpit cæcis verbi virtute latebris;
Seque infelicem teneris rapuiſſe ſub annis
Indicat; eſſe ſui, placeat ſi cedere, juris,
Quod ſibi conſtaret tantis ſerviſſe diebus.
Non tulit iſta Pater; procul at diſcedere juſſit,
Nec pòſt divini ſpecimen tentare decoris.
Effugit, & tenues exhalat pulſus in auras.
Purgatus juvenis plaudenti redditur aulæ.
158 Venerat illè quidem, poſcentibus Armo- X.
ricanis, *Ut cauſam Armoricanorum ad præſens quidem obtinuerit.*
Pacturus veniam ſcævæ *a* pro crimine gentis.
Ceſſit res votis; mox annuit induperator;
Arbitrio Patris conſtarunt * cuncta beati.
Et foret illa quidem firmiſſima cautio pacis;
Mobilis at priſcæ revomens contagia fraudis
Natio, peſtiferum ſolitò meditata duellum,
Auſa eſt Romanas in ſeſe armare ſecures.
Hoc & Pontificis fuit interceſſio caſſa,
Et ſi quid feritas præfixerat imperialis,
Conflatum in miſeros atroci ſorte pependit.
159 Dum per mirificos Germani volvimur a- XI.
ctus, *Præparatio futuræ narrationis ſacri tranſitûs ejus.*
Dum juvat inſignes calamo ſignare labores,
Quodque eſt innumerum, numero comprehendere; tamquam
(Dicere quod ſcelus eſt) ſic rara peregerit ille,
Ut noſtris meritò poſſint ſuccumbere verbis.
Pars rerum melior denſa caligine torpet,
Perniciem trepido certè latura poëtæ.
Et te permagni fraudatum munere fructûs,
Queſtuque & lacrymis quondam cauſabere lector,
Si ſummam cœpto detrectet muſa labori
Impoſuiſſe manum; cum ſit hæc * ſumma laboris, * *B.* quando hæc eſt
Qualiter ad vitam per mortis ' mina victor
Germanus ſubiit, liquidâ percurrere cannâ.
Eſto: funereos ſed mens præſaga doloris
Horret inire modos. O res condigna taceri
Pugnantem placido juvit con ittere plectro;

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Victorem refugis rutilo pompare triumpho ?
Exul gratus erat ; regnans non gratior extet ?
Dicere si metuis mortali corpore functum ;
Ast immortalem cumulata laude frequenta.
Verè immortalis, verè per secula vivit,
Vivit, & empyrias auget splendore cohortes,
Conjunctus Domino, conformis denique Christo,
Quodque magis stupeas, unitus & unificatus
Inque Deum transfusus homo, factusque Θέωσις *.
160 Solverat umbrivaga mersas caligine terras
Φωσφόρος * , ingenuum rebus reparare colorem
Gnarus, & ignigenas cælo subducere stellas :
Germanusque pater, solemni laude peracta,
Quæ matutinos exercet carmine somnos,
Mutua præsulibus de relligione beatis
Verba dabat, nitido Doctor clarissimus ore.
Auribus explicitis, collectis sensibus, omnes
Indebant animo felicia dicta capaci.
Quid, facunde Pater, quid per diversa moraris ?
Dic, quod dicendum ; quamquam sit dicere triste,
Triste, minax, querulum, a lacrymabile, prodigiosum.
B Tandem, dilecti Germano fœdere fratres,
Accipite hæc, & rem penitus defigite, dixit :
Vximus, & jussas ævi decurrimus oras ;
Nunc, quia certa manet generi sententia nostro,
Quæque creata vigent, labefacta senescere constat,
Jam suprema vocant, vocat, inquam, Christus ; eundum est :
Solvi vult animus pœnali carcere trusus ;
Jamque memor generis, contagia pigra recusat ;
Æthra * libens repetit, qui germen ab æthere traxit.
Ergo resolvendus Superûmque ad lumen * iturus,
Me, finemque meum vobis committere curo.
161 Nocte quidem placidum caperem cum fortè soporem,
Visa mihi facies, generosi numinis instar,
Fassa Deum ; nec vox hominem nec verba sonabant :
Christus erat, solet ille suos hac visere forma,
Admotâque mihi blando conamine dextrâ,
Arrisit, rutiloque hæc insuper addidit ore :
Care, peregrinas itinet subiturus in oras,
Excipe cælestem, provisa viatica, stipem,
Adjumenta viæ. Tali tum famine motus,
Quærebam causamque viæ, causamque laboris.
C Non, inquit, metuas : patriam revocaris in altam ;
Et civem egregium jam jamque reposcit Olympus,
Quo mox perpetuam capies sine fine quietem;
Quo sine nocte dies, sine tempore tempora currunt :
Et pax, & requies, & lux, & gloria perpes.
Dixit, & æthereas sese libravit in auras.
Sic Pater occiduæ sortis suprema canebat.
Pontifices aliò somnî portenta trahebant,
Credere nec poterant, contingere quod metuebant :
Sustulerat timor ipse fidem. Sed Præsul anhelus
In patriæ remeare sinum, studiosiùs instat
Omnibus extremi causam mandare diei ;
Sat sibi compertum, sat se pernoscere dicens,
Quam patriam famulis Regnator spondeat orbis.

*pro æthera

* B. limen

Christo revelante, prædixerit.

ANNOTATA.

a Scævæ *pro* malæ *ac* perversæ.

D

CAPUT III.

Sancti morbus ; obitus ; gloria, hereditas ; funus ; translatio in Gallias.

XIII. *Ut langnore correptus sit.*

VIx soles aliquot, spatio cedente, mearant ;
Effectusque celer sequitur præsagia Vatis:
Carpuntur facili sanctissima membra dolore ;
Invadit tenues penetralis flamma medullas ;
Jamque pedes torpent, jam nutant mollia crura,
Elanguent oculi moribundo in corpore sicci ;
Cuncta labant ; mens sola Deum cernitque capitque
163 Ast, ubi progressu cœpit crudescere morbus,
Urbs trepidare metu, luctuque incendere cælum :
Heu sors terrigenis olim conflata colonis !
Cernere vix licuit ; jam nos, Pater optime, linquis ?
Nec patitur Christus carum per secla Clientem
Vel torquere diu, partove absistere regno,
Martyrium cui vita fuit ; quin mole laborum
Defessum nimia ter denos circiter annos,
Invitat superas rerum Moderator in arces.

XIV. *Ut, ingravescente incommodo, civitas turbata sit.*

E

164 Augustas inter, quas umquam protulit orbis,
Fastu seposito felix Placidia regni
Visitat infirmum, refovet, complectitur, ambit ;
Docta caput rigidum divis summittere jussis,
Suggerit, edicat, siquid mens anxia captat :
Nec mora præstandi, nî desit cura petendi.
Mox Patris animum * patriæ perstrinxit imago, * B. Patris mox
Digrediens mœstam Pastor quam liquerat olim,
Dum se fraternis mavult impendere causis ;
Nescia quæ rerum, sortisque ignara futuræ,
Præsulis ad reditum voto pendebat inermi.

XV. *Ut ab augusta visitatus, referri se in patriam postulaverit.*

165 Quid tu, quid gravidis oneras cælestia votis, *Apostrophe ad urbem.*
O plebs, ô patria ? Quid adhuc spes pascis inertes?
Fata parant aliud, nec rerum maximus Auctor
Hac vice prosequitur solita pietate volentes.
Quod præstat, quodque est satius, præponderat ille.
Tempus adest, meritum capiat sine fine triumphum
Germanus, liquidi scandens Capitolia cæli ;
Nec circumscribi, brevibusve insidere muris
Candida pompa sinit ; Latias mage fusa per oras
Edere quadrifido quærit spectacula mundo.
Spectabunt alii ; spectato tu potiere ;
Et gremio capies, & molli fronde fovebis.
Non tuus est prisci Præsul oblitus amoris ;
Defunctusque docet, quantùm te vivus amarit :
Te repetit ; repetita, dabis pia thura sepulto.
Hoc speciale quidem reginam poscere munus
Instituit ; numquam illa magis invita petenti
Concessit ; sensitque, Viro non esse negandum,
Quòd secùs ac vellet, numquam contingere possit.
Ter benedicte Pater, ter splendide, ter venerande,
Omnigenas tibi post Christum dependimus odas
Grex populusque tuus, cui viscera tot pietatis,
Gaudia tot mentis, spes tantas, commoda tanta,
Te redeunte, refers ; cum quo sunt omnia dextra ;

F

A tra ;
Quo ſine nulla forent, nî frivola, cæca, ſiniſtra.

XVI. *Concurſus populorum ad infirmum.*

166 Quid referam Latio populos ex orbe ruentes
Quò languet medicus? Ardor manet omnibus idem
Viſere, & obſequiis Sancto concurrere dignis:
Et faciunt, ut quiſque poteſt, ut poſtulat ordo:
Omne choris tempus pſallentibus immodulatur;
Pro lacrymis laudes, pro luctu perſonat hymnus,
Invitans Superas Patris ad ſuprema cohortes.

XVII. *Ut ſancta anima carne ſoluta ſit.*

167 Septimus afflarat rapido terreſtria curru
Phœbus, ab occiduis remeans illuſtrior undis:
Spiritus at coïcis *a* ardens emergere vinclis,
Emicat, & liquidas liber transfertur in auras,
Hymnizante polo lætumque alalagma *b* canente:
Sepſerunt comites miro ſplendore Superni,
Victoremque ferunt trans ignea ſidera lætum,
Et ſiſtunt ſolio ſummi per ſecula Regis.

a
b

XVIII. *Deſcriptio gloriæ ejus in cælos tranſlati.*

168 Miratur placidi ſublimia culmina regni,
Ignotum certè lumen miratur Olympi;
Et jam ſub pedibus nubes & ſidera cernit;
Deſpectat roſei candentia lumina ſolis;
B Deſpectat gelidæ rorantia ſidera lunæ,
Et quæcumque vagos exercet ſtella recurſus,
Telluris molem, circumfuſaſque tenebras,
*ſpiritus Pneumata * ventorum, tempeſtatumque tumorem:
Cur ver tranquillum, cur torrida prodeat æſtas;
Autumnus uvis fœtetur, bruma pruinis:
Et quicquid mundi volvit ſtructura triquadri,
Et quicquid phyſicis perhibent ſuccumbere cauſis;
Siqua vigent numeris, menſuris, ponderibuſve;
Si qua latent, & ſi qua patent in cardine rerum,
Puro cunctorum ſpeculatur lumine cauſam:
Omnia ſe ſubter, Chriſtum ſuper omnia cernit.
Ridet quin etiam pompas & culmina ſecli,
Reges horrendos, diademata, ſceptra, tyrannos,
Et multo gazas ſcelerum fervore petitas,
Illuſas auro tenui diſcrimine veſtes,
Et quicquid mundana poteſt variare ſupellex;
* malas affectiones Ridet præterea vanæ κακοπαθείας * mentis,
Gaudia, ſpeſque novas, iras, atroſque timores,
Fumificaſque faces, ſolitus quas ſpargere livor:
Proterit hæc pedibus, hæc Victor denique calcat;
Quin & peſtiferi, ſubigens venena, draconis
Conterit ille caput, criſtaſque & ſibila colla
C Deprimit; ille jacet, non auſus tollere contrà.

XIX. *Ut à Chriſto ſit tripliciter coronatus.*

169 Interea Chriſtus triplici caput ipſe corona
Cingit: quæ prima eſt, ter deno iaſpide vernat;
Proxima quæ ſurgit, ſtat ſexies acta * decemplex;
Tertia centeno rutilat pulcherrima verſu *c*.
O decus! ô magni pernobilis Incola cæli!
Orbis deliciæ, Præſul, per ſecula ſalve,
Terque quaterque juvat, vel millies addere; ſalve:
Et ſalve, & valeas, & aveto, & ſumme valeto.

* *B.* bis ter facta
c

XX. *Ut certatim defuncti exuvias diripuerint.*

170 Quod ſupereſt; valida inter partes lite coorta,
Præſulis induvias certatim quiſque repoſcunt;
His inhiant, has quiſque ſibi rapuiſſe laborant:
Acrior ex opibus nuſquam contentio ſummis
Emerſiſſe ſolet: modicâ diteſcere prædâ
Eſt votum cunctis, nequeat cum cedere cunctis.
Promitur in medium, partem ſed vindicat aula,
Partem pontifices, collata ſorte, capeſſunt.
Sanctorum gerulam divo prò munere capſam
Impatiens regina capit; mox pignoris almi
Petrus ovat ſpolio, præſul ſanctiſſimus urbis,
Ciliciumque rapit, ſacram rapit ipſe cucullam;
Cetera pontifices certant diſtrumpere ſeni,
Atque unus cinglum prævindicat, alter amictum;
Cumque duo tunicam, ſagulum duo diripuere.
Hæc, Pater, Auſonias linquis monumenta per oras;
Cæſaris edicto notam referendus ad urbem,
His Ravenna tibi meritos dependit honores.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

XXI. *De apparatu funeris ejus.*

171 Funeris impenſas animis communibus urgent,
Quòd non parva Viro debetur gloria tanto.
Accolius ſolido pollinxit aromate corpus;
Veſtibus, & molli regina Placidia fulcro
Extulit, & ſanctos texit propenſiùs artus;
Hinc iter, & comites, expenſas, atque vehicla,
Suppetiaſque viæ, ſeu commoda cuncta meandi
Inſtruit auguſtus, lectoſque hac ſorte miniſtros
Proſequitur largis regali munere * donis,
Pontifices ea cura penes quàm maxime fervet
Et præſens ſtruere obſequium, & vigilare futuro.
Tum quicquid poſcit præſtantia relligionis,
Funeris omnimodos unde unde aptantur in uſus.
Agmine præcipuo ſic informantur ad oras,
Gallia (plaudè) tuas, Antiſtite læta recepto.

* *C. Lugd.* & *B.* culmine

XXII. *Ut Placentiam veniens paralyticam reformaverit.*

172 Nec te divinis exortem duxero donis,
Italicis non infœcunda Placentia glebis,
Cui mox dignatur ſanctum ſuccedere funus;
Quodque intra eccleſiæ noctu ſecreta locatum
Dum vigili pietas hymnoque & lumine ſervat,
Fortè loci matrona ſubit, cui paſſio dudum,
Dicta paralyſis, miſeros labefecerat artus:
Jam nervis fluidum * laxa compage ſolutis
Cernere erat miſeram defunctis vivere membris.
Hæc ſancto ſubdi poſcit benefida feretro.
Subditur; & tota, quàm longa eſt, nocte recumbens,
Haurit cæleſtes, Chriſto vegetante, medelas:
Stringitur in ſolidum; nervis in priſca reductis,
Exceptat placidum, ſopita peſte, vigorem.
Lux redit, & cœptum repetunt inſiſtere callem:
Elato capulo, mulier ſaniſſima ſurgit,
Munere Defuncti vitam ſortita ſalubrem.
Miratur populus, genuinis vadere plantis,
Hactenus officii fuerat quæ totius impos.
Nec numerum referunt, nec ſtringi carmine poſſunt
Cetera, luſtratas quæ tum patrata per oras.
Quin & bis triplicem nodo compeſcere funem
Cogimur, & raptis ſtadium componere metis.
Lecta dabunt aliàs devotæ ſymbola mentis.

* *imò* fluidam
d

XXIII. *Ut Gallia omnis funeri occurrerit.*

173 Æthereo monitu diviſque exercita juſſis
Gallia, Penninas agmen contendit in Alpes,
Exceptura ſuum duplici pietate Parentem;
Quòd propriùs, quòd longinqua regione relatus:
Urget amor cives, urget reverentia certè;
Quodque verentur, amant; quod amant id nempe verentur:
Felices; utroque tamen ſi perpete voto
Et metuant & ament metuendum & ſemper amandum.

XXIV. *Deſcriptio, & officia occurrentium.*

174 Omne genus hominum diverſa ad munia currit:
Ergo vias alii, disjectis molibus, æquant;
Pontibus inſtructis conducunt littora quidam;
Hi pſalmis reboant; plaudunt concentibus illi;
Succollant alii; jactant impendia multi;
Qui poſſunt, onerî vicibus ſuccedere gaudent;
Id qui non poſſunt, quod ſolum denique poſſunt,
Deducunt oculis, oculis & voce ſequuntur:
Lumina multiplici rerum conſtructa paratu
Obnubunt rutilos phœbeæ lampadis ignes.
Tanta datur cineri ſi rerum pompa caduco;
Quanta animam ſuperis inſignit gloria caſtris?
Quanta polo; ſi tanta ſolo? Te dante, Redemptor,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ptor,
Sanctorum semper mors est pretiosa tuorum.
Hoc splendore, Pater, Latiis evectus ab oris,
Ordine magnifico dilectæ redderis urbi,
Nobile qua servat sanctissima membra sepulchrum.
Spiritus at perpes meritorum lampade vernans,
Vivit, & æternis attollit seculà signis.

ANNOTATA.

a Coïcis, id est terrenis. *Not. Mss. Sed scribendum* choïcis, *à Græco* χοϊκὸς, terrenus.

b Alalagma, id est hymnum victoriæ. *Not. Mss. ab* ἀλαλάζω, jubilo, exsulto.

c *Alluditur, ut suprà, ad parabolam de semine fructificante in terra bona Matth.* 13.

d Bis triplicem funem *appellat libros hosce sex.*

EPILOGUS.

Dei, & S. Germani in auctorem beneficia, hujus operis causa præcipua.

XXV. Conclusio

NUnc tibi nunc meritos, JESU, sacramus honores,
Subnixus solio flectis qui cuncta paterno,
Verbum cuncta creans, ructatum pectore Patris,
Rex, & principium, pax, & de lumine lumen,
Ars, & consilium, lex, & concordia rerum,
Causaque causarum, sed & ignee fons animarum,
Idem principium, medium idem, terminus idem;
Qui numquam non es, numquam non esse tulisti;
Semper habes esse, qui præstas omnibus esse;
Essentûm pura ac simplex essentia rerum;
Artubus infusus, percurrens omnia mundi,
Totus per totum, nec pars te distinet una.
Te Patris radium, te Patri, Christe, coævum,
Te colimus casta post hæc de Virgine natum
Pneumatis accessu, supera manantis ab arce
Decreto Τειάδος, qua substant omnia, summæ.
Sic Verbum caro fit, carnem quod fecerat olim;
Ut caro conversim fieret mirabile Verbum.
Sic te Σαρκάλογον * casta ratione fatemur,
Vera Dei proles, hominis verissima proles;
Verus homo atque Deus; hinc conditus, inde Creator:
Sic duplicata φύσις personam temperat unam.
Tu pius humanæ per secula gentis amator,
Sanguine perfusum tersisti crimine mundum;
Demissus stygias vitæ reparator ad umbras,
Ut tandem, spoliis prostrato ex hoste receptis,
Splendidus οὐρανίας * remeares victor in arces;
Quò te suscipiunt Seraphim oculosa, canoro
Carmine multiplicem modulantia δωξαλογίαν *,
Et senas pandunt blandis applausibus alas,
Ardentes summo summæ Deitatis amore.
Hîc tu stelligero dispensans omnia sceptro,
Partiris propriis polyformia munera servis.
Iste talentorum sortitus fœnora quinque,
Naviter activis exercet tempora causis;
Hic scitu melior, compensat dogmata factis,
Testatus geminum sese retulisse talentum:
Est, cui doctrinæ succedit copia tantùm;
Debitor unius reputabitur iste talenti.
Atque utinam tenebras non ille redactus in atras,
Eluat æterno mercis dispendia luctu!

*i. e. Carnem-Verbum. *Not. Mss.*

*i. e. cælestes

* *pro* δοξολογίαν collaudationem

176 Nec me gazarum meritò, Rex magne, tuarum
Exortem faxim: sunt & mihi pensa talenti
Cauta mei: stant cuique suæ compendia mercis;
In luteis specubus defossa pecunia quamquam
Et furti & fraudis servum condemnet inertem.
Cumque dies reducem te fecerit ultimus arvis,
Atque inter famulos discrimina duxeris æqua,
Hic referet macti grates & præmia fisci,
Admissus superi in sedes & gaudia regni;
Ille luet meritis neglecta porisinata * pœnis,
Extrusus placidæ pulchris è mœnibus aulæ.
Id reputans animo, metuensque immane pericli,
Quà possem tantæ memet subducere noxæ,
Sedulus instabam: volventem plurima tandem
Impulit huc (nec certum habeo, casusne, Deusne)
Germanum melicis illustrem reddere musis,
Hoc venam ingenii primùm tentare periclo,
Hoc intemptatæ rudimen * pulsare poësis:
Multa dabant animos; amor & reverentia Sancti,
Plurima materies, tum præter cetera, quòd me
Et debere Viro & nimium debere monebat
Conscia mens rerum. Septennem ferme puellum
Sancti servitiis me transcripsere parentes
Et sensûs inopem, & cautæ rationis nermem.
Suscepit tenerum blandè miseratus alumnum;
Pane aluit; tegmenta dedit; fomenta paravit;
Corpore provexit; tum sensibus amplificavit,
Vivax difficilem pectus largitus in artem;
Languores pepulit; discrimina cuncta subegit;
Absentem precibus, præsentem numine juvit;
Contulit omne bonum; compescuit omne sinistrum.
Carminibus nostris hic illaudatus abiret?
177 Talia volventem terrebant plurima contrà;
Materiæ gravitas, siccæ jejunia linguæ,
Tum species operis, vilis persona poëtæ,
Quódque Dei laus est labiis incompta scelestis.
Subvenit trepido præsens fiducia vati;
Quòd posses lubrici plectrum vegetare palati,
Cui mutis facilem mos est reparare loquelam.
Inque preces validas memet connixus adegi,
Sic reputans, sic te, rerum Moderator adorans:
Si tua sunt, quæ posco, Deus; si, te tribuente,
Germanus hæc posse tulit, tu rite petenti
Munera fer linguæ, cujus sunt munera linguæ:
Gratia velle dedit; concedat gratia posse.
Audîsti, & siquid potui, tu posse dedisti.
Hinc tua laus nostro semper concrescat in ore,
Rex regum, Pater alme hominum, spes clara tuorum,
Quem sua collatis jubilat plasmatio bombis,
Astra, poli, nubes, & machina cuncta polorum,
Solque, sororque *, nives, lymphæque, & spiritus omnis.
Cauma, geluque, dies, & densæ nubila noctis,
Aridaque, & montes, colles, & cærula ponti,
Fluminaque, & fontes, exin viventia cuncta,
Quæque vehit tellus, aër quæ provehit altus,
Quæ vehit æquoreus diversos gurges in usus.
178 Ergo age, & oblatis præsens illabere votis,
Quodque dare placuit, placeat captare libenter;
Ut quondam minimo viduam quadrante beasti;
Ignoscensque, meæ disrumpito vincula culpæ:
Multa namque premor formidine suppliciorum.
En, vitam miseram jam trina decennia versant,
Additur his annus, ævo glisscente, secundus a;
Meque boni quicquam numquam gessisse, recordor:

*i. e. lunaque

cum gratiarum

actione.

Hinc

A Hinc curæ ſtimulant, & mentis ad intima mordent.
Jam lapſum releva; jam purga ſorde, Creator;
Exue præteritis, præſentibus atque tuere,
Præcautumque ſatis à culpis redde futuris.
Da meminiſſe tui, ſicut meminiſſe neceſſe eſt,
Vitta prius rupto quàm diffluat aurea ductu,
Effundat liquidas funiſve argenteus undas,
Et ciſterna rotam, fons influus atterat urnam:
* *pro* quandocumque Tum, quandoque * meæ tenuis ſubſtantia vitæ
Liquerit hos artus, & conclamata jacebit
Materies cineris, tu clemens parce Redemptor,
Ne me tartarei rapiat vis ulla miniſtri,
Neu voret hanc animam truculentæ flamma gehennæ.
* *B.* conſumpſerit Cumque & quadrifidum finis abſumpſerit * orbem,
Affueriſque tui judex in numine Patris,
Judicium libris tecumque ſedebit apertis,
Heu! quis me inſtanti tum defenſabit ab ira?
Subnixum trabea, præſul Germane, perenni
Tunc inter proceres te cernere credo ſupernos:
Ergo tui tum, ſancte Pater, miſereſcito vatis;
Cumque olidis vinctum * deſpexeris eminus hædis
(Id mihi nam ſpondent ſcelerum monumenta meorum)
Tum Regem precibus pulſare memento benignis:
Flectetur certè, dicet flexuſque miniſtro:
Germanus poſcit; non fas ſpreviſſe precantem;
Hunc hædum niveos quamprimum transfer in agnos:
Agnus eat dexter, decoretur vellere pulchro.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

* *B.* junctum

ANNOTATA.

a *Adi Commentarium prævium num.* 40.

B

MIRACULA

E

S. Germani epiſcopi Autiſſiodorenſis.

LIBRI DUO.

AUCTORE EODEM S. HERICO MONACHO.

Ex pervetuſto codice noſtro membraneo Lugdunenſi, cum aliis Mss. & editione Labbeana collato.

PROLOGUS AUCTORIS.

Acta S. Germani VItam & Miracula apoſtolicæ memoriæ ſummaque cum reverentia nominandi domni Germani epiſcopi, abſque ullis litterarum præſidiis inoperoſo, vel potius profano, diutiùs, quàm fuit æquum, latuiſſe ſilentio, conſulta diligentiùs magiſtra rerum teſtatur antiquitas. Conſtat namque ad ſancti Cenſurii epiſcopi tempora, qui quartus poſt beatiſſimum Germanum rexit eccleſiam Autiſſiodorenſem, intentatum omnibus id perſtitiſſe negotium, dum per ſucceſſus temporum juniores quique ſimplici ſeniorum relatione contenti, numquam hæc arbitrabantur à memoria poſſe obſoleſcere; quandoquidem vulgaris
C inurbanitas tum ſe optimè credit diuturnitati proſpicere, cum illuſtria quæque & maxima, ſuccidua ſolùm narratione ad poſteros fecerit emanare. Res iſta non inſana minus quàm improvida, pernicioſa Sanctorum præconiis interdum peperit detrimenta, quòd qui imperitæ ruſticitati fidem aſtruat, rarum quemque reperias; dum ea, quæ afferunt, partim fabuloſa, inepta partim & ridicula, perque hoc literarum ſacrariis æſtimantur indigna. Ita factum eſt, ut quædam ignorata penitus, alia ad ſuccedentium notitiam inſincerè manantia, multorum & magnorum Sanctorum præcelſas memorias inofficioſiſſimè obſcurârint.

annis 40 poſt ejus obitum, 2 Quod ſi cuiquam fortè curioſo rerum, ea quæ in Geſtis de tanto feruntur Antiſtite, minus rata, minus plena, minus denique veritate ſubnixa videantur, quòd priùs, quàm hæc ederentur, aliquot temporum dicuntur interfluxiſſe curricula; hunc inſpecta ratione diligentiùs, quod non probè ſentiat, adhibitæ vetuſtatis patrocinio caſtigamus. Siquidem, ut in noſtræ archivis eccleſiæ annotatum reperitur, beatiſſimo Germano rebus exempto humanis, in epiſcopatum ſuffectus Alodius, triginta ferme annis pontificatûs ſui functionem explevit. Hoc vitâ defuncto, ob rabiem emergentium intra Gallias barbarorum, eccleſiaſticæ libertatis merſa privilegia, dignitas obruta, ſplendor obtuſus, vim Chriſtiani roboris cunctam perdiderunt: itaque civitas epiſcopo vidua decem permanſit annis; quibus tranſactis, Fraternus, à beato Germano tertius pontificatui ſubrogatur. Is qua die ordinatus, eâdem quoque ab eiſdem barbaris interemptus, martyrio coronatus eſt. Huic prænominatus Cenſurius quarto ſubſtituitur loco. Ab exceſſu itaque beatiſſimi Germani ad hunc uſque Cenſurium plus minus quadraginta colliguntur anni ſupratáxato ordine decurrentes *a*.

F

a cum ſupereſſent oculati rerum teſtes,

3 Is cum eccleſiaſtici primatûs polleret dignitate, Conſtantius Lugduni impensè doctiſſimus, impulſu vel precibus ſancti Patientis, ejus tunc urbis epiſcopi, librum de vita & virtutibus beatiſſimi Germani mira ſententiarum elegantia, copioſoque delectu verborum excellentiſſimè edidit; cum per ora cunctorum Sancti recens adhuc ſpiraret memoria, pluresque, qui eum degentem ſeculo viderant, ſupereſſent; quorum indubitata relatio, ſanctitatis ejus magnalia pura adhuc, & necdum varietatis labem perpeſſa, ferebat. Nec verò abnuerim ſex illorum pontificum, qui ſancto Viro in Italia commoranti jugiter aſſederunt, aliquos tunc quoque rebus interfuiſſe humanis; qui juxta fidem ejuſdem hiſtoriographi, teſtes operum illius multis extitere temporibus.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS. *ſcripſit Conſtantius, presbyter Lugdunenſis,*

4 Ea tempeſtate Lugdunenſium civitas, prima ac præcipua Galliarum, profeſſione quoque ſcientiæ, artiumque diſciplina inter omnes extulerat caput: offenſa namque ſapientia, quæ propter ſeipſam tantùm appetenda eſt, quorumdam lucris turpibus, multorum indiſciplinatâ vitâ, omnium poſtremò tepidè ſe appetentium inhoneſtâ deſidiâ, præceptorum inopia intercedente, priorumque ſtudiis penè collapſis, hujus noſtræ exitialiter peroſa regionis, Lugduni ſibi aliquamdiu familiare conſiſtorium collocavit. Ibi, quas dicunt, diſciplinarum liberalium peritia, quaſque ordine currere hoc tempore fabula tantùm eſt, eo uſque convaluit; ut quantùm ad ſcholas, publicum appellaretur citramarini orbis gymnaſium. Et, ut aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod quiſque * artium profitendarum afficeretur ſtudio, non antè profeſſis inſcribi merebatur, quàm huc exploratâ diligentiâ examinatus abiret. Cui rei Satyricus quoque aſtipulatur; qui, ut exempli circumſtantiâ res eluceat, primo ſui operis libro acriter diuque in impudicos invectus, refert, eos conſcientiâ frequentati ſceleris perinde palleſcere, Ut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram *b*. Ita claret, hanc ſapientibus & palmas & nomina olim fuiſſe largitam.

* *pro* quiſquis

B *b*

5 Hæc brevi perſtrinximus, ut advertas, ad beati Germani retractanda miracula è tanta urbe non imperitum quemque, verùm eloquentiſſimum, aſcitum ſui induſtriâ pontificis, acceſſiſſe. Qui etſi, ut ſubjecti operis teſtatur præſentia, facundiâ conſpicuus, modicis & abſolutis ſententiis efferendus, brevitatis amantiſſimus, faſtidii denique evitandi plus æquo ſtudioſus extitit; præſumptionis tamen ſe reum coarguens, non abſque pudoris cunctamine tantæ ſe difficultatis operas inſumpſiſſe fatetur, ex ſuæ omnino humilitatis abjectu juſtificandus, &, præterquam quod ſciens plura præteriit, multifaria laude digniſſimus. Opus ſanè confectum, operosâque apud ſe diu repexum diligentiâ, obtentu prænominati ſancti Cenſurii Autiſſiodorenſi poſtmodum direxit eccleſiæ, ipſo auctore longiùs promulgandum. Ubi quoniam veritate, cui minimè grati exiſtimus, teſtatur Deum conſcium ſecretorum, ſe plura de domni Germani factis agnita & probata tacuiſſe (ex quo reum ſe quoque denunciat, ſupprimendo, quod mirabiliter ad profectum omnium divina virtus operata eſt *c*;) diu eſt, quod religioni concinnum, ſaluti conducibile, ædificationi certè proficuum exiſtere, animo induxi meo; ſi horum aliqua, quæ omiſſa ſunt, quæve notitia conſequi potuit, ab aliquo peritiorum litteris allegari contigiſſet.

eleganter & accuratiſſimè; ſed multa ſe faſſus omiſiſſe.

C *c*

6 Quod quia ineffectum hactenus eſt, conſtatque certiſſimè, hæc, ut non impunè præteriri, ita non infructuosè attingi; quamquam nullâ, niſi per divinum adjutorium, hujus poſſibilitatis conſcientiâ, non mihi quidem meique ſimilibus, ſcilicet imperitis, attentandum, verùm devotionis in Deum, affectioniſque in Sanctum plenum opus aggredior; eo magis in ſpem ductus, quòd is, qui totius creaturæ univerſaliter laudatur officio, ſi homines ſua præconia ſuppreſſerint, lapides aſſerit clamaturos. Suſcepti negotii eam ducimus diſpoſitionem conſtare ratiſſimam, ſi eorum, quæ ante glorioſum ejus tranſitum per eum patrata, relatione ſatis aſſertâ feruntur, aliqua præmittentes, ad illa, quæ pòſt ad ſacram ejus memoriam & fieri vidimus, & facta didicimus, ordine provehamur. Verùm, ne ſuccincto operi ſuccenſeat præfatum prolixius *, animante Domino, ad propoſitum accedamus.

Horum aliqua proferet Hericus; tum ad poſteriora miracula deſcendet.

* *id eſt*, præfatio prolixior

D

ANNOTATA.

a *Vide quæ de his dicta ſunt in Commentario prævio* § 4, *num.* 36 *& ſeq.*

b *Juvenalis lib.* 1 *Satyrarum, verſu* 44; *cujus expoſitionem dat Papirius Maſſonus in Deſcriptione fluminum Galliæ, ubi de Arare fluvio.*

c *Adi Conſtantium num.* 77.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

S. Germani colloquium cum diſcipulo defuncto, mortui reſuſcitatio; aliaque viventis miracula à Conſtantio prætermiſſa.

E

1. *De Michomere,*

ITinera ſancti Viri cæleſtibus ſemper claruiſſe miraculis, & Geſtorum auctoritas, & eorum, quos peragravit, fatentur notiſſima monumenta locorum: neque enim mundanis tenebris lucernam fas erat obnubi ſideream, quam ad errorum diſcutiendam caliginem ſuaviter cuncta diſponens Deus candelabro locaverat in ſublimi. Ut ergo eccleſiaſticis ex animo utilitatibus proprium devoverat caput, certi ratione negotii contigit, eum cum delectis comitibus iter neceſſarium aggredi. Jamque eo aliquantùm progreſſo, unus diſcipulorum ejus, qui ſanctum Virum de Hibernia fuerat proſecutus *a*, cui Michomeri vocabulum fuit, ad hanc ipſam delectus expeditionem, quòd cum ipſo exire nequiverat, poſt Magiſtri veſtigia profectus eſt; qui cum ad caſtrum, cui Tharnodori *b* nomen eſt, diſtatque ab urbe * fere decem & octo millibus, perveniſſet, languore interceptus, ibidem decubuit; pauciſque interjectis diebus vitâ defunctus, atque in clivo ejuſdem rupis à fidelibus ſepulturæ mandatus eſt.

a

b

* *ſc. Autiſſiodorenſi*

F

monacho & diſcipulo ejus.

8 Contigit, beatiſſimum Germanum poſt dies aliquot, remenſo itinere, ad eumdem deveniſſe locum (credo exceſſum diſcipuli, præmonente eum Spiritu, didiciſſe:) accedenſque ad locum, quo fuerat tumulatus, oratione præmiſſa, juſſit revelli ſepulchrum. Michomeres vocatus ex nomine, vitali reſumpto uſu, reſediſſe fertur: à quo ſanctiſſimus Pontifex, quid ageret, aut ſi quiete frueretur, curioſiùs percontatus, hoc confirmatur accepiſſe reſponſi; Gratias, inquit, Pater ſanctiſſime, præcipuis meritis tuis & ago & habeo, quoniam obtentu beatitudinis tuæ, nihil moleſtum, triſte nihil pertuli; cuncta mihi placida, ſalubria conſtant univerſa. Cui Pontifex; Vis, ait, mecum adhuc in prædicationis officio deſudare; an, ut cœperas, quieſcere? Tum ille; Dummodo, inquit, tuæ non grave ſit ſanctitati, peregrinari à Chriſto ulteriùs neceſſe non habeo, cui, ut cœpi, adhærere optimum mihi eſt; oroque, unde modò avocatus ſum, tuis quàm citiſſimè precibus revocari. Quo prædicto *c* annuente Pontifice, caput iterum depoſuit, cunctiſque mirantibus, in pace quievit. Fidenter dixerim, eum tunc habitaſſe in Germano,

c

A no, qui quondam quatriduanum Lazarum clauſo jam vocavit è tumulo. Hoc miraculum & tunc latè patuit, & adhuc celeberrimum vo vitur per ora cunctorum: nam & beato Michomeri ipſo in loco deinceps oratorium eſt conſtructum, ubi Sanctum Dei dignè venerantibus divina hodieque beneficia cumulantur.

II. *De altaris dedicatione mirabili.*

9 Illud ſanè, quod apud urbem Aquiliſmam, ſive, ut uſus frequentior Egoliſmam *d* cognominat, perpetratum ferunt, eo robuſtiùs creditur, quo ejus indicia oculis ſubjecta monſtrantur. Quo cum itineris eſſet continuatione delatus, dignâ, & quæ ſanè virum decebat apoſtolicum, exceptione honoratus, ut novum eccleſiæ ſenioris altare honori Apoſtolorum Principis conſecrans dedicaret, obnixè poſtulatus eſt; rogantibus caritatis officio morem geſſit. Cumque id ſolemni ritu perageret, innocentia puritatque ſanctarum ejus manuum cæleſti mox miraculo declaratur. Ubicumque enim, & quoties per altaris cornua mediumque, crucis effigiem ſanctificati unguinis liquore ſignavit; ita marmor impreſſione pollicis liquefactum ſubterfugit, ut ad impulſum digiti niveam putares ceſſiſſe mollitiem Extat idem marmor altari hodieque ſuperpoſitum & ſpectaculo & venerationi, quod ſancti Viri benedictione ſacratum, ſingularem ejus atteſtatur gratiam meritorum.

d

B

III. *Quod ei revertenti ad urbem ſuam ſanctus Anianus per ſpiritum inſtructus occurrerit.*

10 In ſuburbio Aurelianenſi eccleſia eſt ejus nomine dedicata, meritis frequentiùs illuſtrata; cui conſtruendæ hanc fuiſſe memorant primariam rationem: cum, compoſitis eccleſiaſticis negotiis, quibus quàm maximè urgebatur, alacriter ad propria remeans, Aurelianenſi urbi jam proximus immineret; extemplo ſigna baſilicæ ſenioris, nemine impellente, concuſſa, concentu altroneo (quod eſt dictu mirabile) adventûs ejus cœperunt eſſe prænuntia. Tunc eidem civitati ſanctus erat Anianus epiſcopus *e*, vir ſanctitate & miraculis & ipſe glorioſus, qui interna ſpiritûs edoctus revelatione, univerſis cleri plebiſque undecumque coactis agminibus, extra urbem beatiſſimo Germano obviam prodiit, excepit, veneratus eſt, tantoque confectum ex itinere, quantâ decuit obſequiorum diligentiâ, refovit. O quantis illa dies exacta lætitiis! Quantum honoris, theſauri quantum urbs illa ferebat, duabus apoſtolicis fulta columnis, olivis geminis impinguata, candelabris ſplendidiſſimis illuſtrata! Eo itaque loci, quo ſe mutuis Sacerdotes amplexibus ſolemniter exceperunt, eccleſia poſtmodum beati Germani nomine conſtructa, divinorum impensâ beneficiorum memorabile ejus meritis præbet teſtimonium.

e

C

IV. *De mortuo in itinere ſuſcitato.*

11 Poſtquam itaque ſpirituali ſuavitate in Chriſto pariter epulati, jocundiſſimis ſe virtutum dapibus alternè expleverunt; Germanum ſanctiſſimum, id, quod reſtabat, itineris peracturum vir æquè meritis egregius Anianus in ſecundum fere ab urbe lapidem germanæ benevolentiæ affectu proſecutus eſt. Quibus iter carpentibus, ecce, mulier vidua, unici cadaver filii tumulandum ferens, pedibus provoluta Sanctorum, ut ſui miſererentur, orabat inſtantiùs; non caſu, verùm diſpoſitione cæleſti eorum ſibi oblatam præſentiam; incunctanter ſe credere, amborum meritis maternæ ſolitudini poſſe filium reformari. Diu inter duos dubitatum eſt, longè de re tentanda pertinaciter concertatum; dum & hic beato Aniano, quòd ſua eſſet diœceſis, de miraculo judicat præſumendum; & ille à Germano ſanctiſſimo, ſi quid erat faciendum, celeriùs obtineri poſſe confirmat. Cedens itaque partim maternis lacrymis, partim inſtantiæ præſulis, omnia ſufferenti præfiſus caritati, orationi ſolito incumbit more Germanus beatiſſimus, defunctique vitam lacrymis mercatus uberrimis, ingenti univerſorum gaudio, lugenti matri filium à funere revocavit incolumem. Eccleſia ſanctitati ejus eodem conſtructa loco, innumeris deinceps virtutibus claruit; in qua monſtratur hodieque tumulus hominis ſuſcitati, qui poſtmodum, decurſo vitæ ſuæ legitimo ſpatio, ob miraculi perennem memoriam, honeſtam ibidem meruit ſepulturam. Locus quoque ceſpitis, cui Sanctus in oratione proſtratus incubuit, magnæ adhuc omnibus extat veneration, cancello ligneo oppoſito, atque à permeantium pedibus ſacratæ terræ loculum defendente

A. S. HERICO MONACHO, EX MSS.

V. *Quod ruens paries,*

12 Idem territorium in publico aggere vicum continet quemdam, qui ex antiquo Baſilicas nuncupatus, patrati apud ſe dudum miraculi famoſam adhuc oſtentat evidentiam. Quidam namque ejus loci incola, genere conſpicuus, copiis opulentus, ingentem in fundo ſuo conductis artificibus extruebat eccleſiam; cujus mole aliquatenus jam in ſublime porrecta, cum ad conſummandum id, quod reſtabat operis, anxia ſtructorum inſtaret diligentia, die quadam in ejuſdem ædificii culmine ſtantibus, opuſque mirè properantibus architectis, paries, cui inſiſtebatur, à ſummo ad ima fundamenti ita perruptus diſſectuſque eſt, ut nutantibus partibus ſibi ruinam, ſuperſtantibus verò proximum è veſtigio minaretur interitum Cæmentariorum imperitiâ collapſum opus, an diſpenſatione res humanas ordinabiliter digerente *, patrando fuerit mater es oblata miraculo, id verò non facilè diſcreverim.

E

* *al.* dirigente

objectu ſigni ſalutaris reſtiterit.

13 Caſu Germanus ſanctiſſimus ex adverſo publicâ incedens viâ, periculum ut conſpexit, manum in ſublime extulit, cruciſque expreſſo ſignaculo, jamjamque vergenti ac pendulo lapſum parieti interdixit. Objectu manus ſanctiſſimæ paries reſtitit, ac tamquam validiſſimo exceptus fulcro, in ſui ſe ſtatûs rectitudinem recepit. Ita unius effectu virtutis, & ruinæ parietem, & homines morti ſubduxit Quo quidem peracto, magniſque excellentium declaratus præconiis meritorum, propoſitum, ut cœperat, continuavit iter. Poſt tempus aliquod explicito tandem opere templique fabricâ conſummatâ, cum jam de conſecratione tractaretur, operis dominus prudenti tactus ſententia; Nemo, inquit, hanc ſuo competentiùs illuſtrabit nomine, quàm Germanus ſanctiſſimus, cujus ſublimibus meritis jam dudum initiata cognoſcitur. Perſtat hodieque eccleſia hæc, beatiſſimi Germani titulo clariſſima, miraculorum exhibitione frequentiſſima, oſtentans adhuc eumdem parietem rimoſa cicatrice notabilem, præferentemque in ſe apoſtolicæ teſtimonia ſanctitatis *f*.

F

f

VI. *De corylo humi defixa.*

14 Raro uſquam aut manſit, aut docuit, quo non ſuæ ſingularis excellentiæ magnifica monumenta perdurent: piis animis piè de Deo ſentientibus ſatisfaciet è multis paucitas annotata. Hæc ſanè eo referuntur tutiùs, quo noſcuntur certiùs, conſpiciuntur præſentiùs. Per pagum Tullenſem iter carpens, obvia populorum exceptus multitudine, quodam reſedit loco, occurrentemque turbam verbi ſalutaris exhortatione formaturus, colurnam, quam fortè manu geſtabat, virgam humi defixit. Explicita prædicatione (mirum quod fuit viſu, mirum quod eſt & dictu) ramuſculos jam frondeſque produxerat. Hæc in ejus teſtimonium ſanctitatis in corylum roboris immenſi convaluit, atque uſque hodie ingenti ab omnibus

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

cautela veneratur, ne aut ramum quis ex ea decerpere, aut indecens quidpiam sub illa, aut circa illam, audeat perpetrare. Is locus nunc quoque vulgariter, Ad cambuttam *g* S. Germani, dicitur.

g

VII. *De fago singularis magnitudinis.*

15 In pago quoque Vastinensi *h*, in vicinia Gajaci monasterii, interjecto Odonna flumine, fagus est mirandæ magnitudinis, stipite procera, ramorum ambitu vastissima, densitate opaca; quæ similiter sancti virtute Pontificis coaluisse incunctanter asseritur, dum post sermonem eo loci ad populum habitum, bacillum, quo senilès regebat artus, telluri altiùs defixisset. Hæc pro insolenti magnitudine ad sui spectaculum multos è contiguis adscivit regionibus. Ecclesia secus arborem est ejus insignis nomine; locusque idem, Ad fagum S. Germani, populariter nuncupatur.

h

VIII. *De corporibus Martyrum præsulatûs ejus tempore revelatis.*

16 Quod sanè venerabilium Martyrum busta pontificatûs ejus tempore comperta claruerunt, quis jure à miraculis excipiendum judicet? Sanctæ igitur illius multitudinis, quam cum beato Prisco *i* apud locum Cotiacum Aurelianæ persecutionis trucidavit immanitas, sacratissima corpora propter sævientem rabiem clam subducta, in cisterna quadam vastissima à Christianis, qui tum existebant rarissimi, passim congesta sunt. Horum memoria longò labentium temporum obscurata defluxu, ad tempus usque Germani sanctissimi cunctis ignota delituit: quo præsule, Deus, in cujus conspectu fuorum semper est mors pretiosa Sanctorum, disponens illorum patrocinio populis subvenire, veneranda eorum corpora declaravit; caput quoque beatissimi Prisci martyris eidem miris revelans modis: cui recondendo quatuor ab urbe millibus ecclesiam construens consecravit; quam signorum copia continuè affluens populorum concursibus facit esse celebrem. Hoc non aliunde commentatum; verùm ex relatione passionis eorum sincera relatione insertum est.

i De S. Prisco & Sociis ejus MM. actum est ad diem 26 Maii, à pag. 365; ubi & hæc invenies illustrata.

ANNOTATA.

a *Consule Commentarium prævium num.* 74. Hibernia *hîc legitur in omnibus Mss. nostris; adeoque sic legendum videtur; licet Papebrochius noster aliquando dubitaverit ad diem* 30 *Aprilis, pag.* 776.

b Tharnodori, *aliàs* Ternodori, *vulgo* Tonnere, *in Campania Gallica.*

c *Hoc sanè quanto mirabilius est, tanto minus videtur à Constantio vel ignorari vel omitti potuisse, si verum est. Ipse Hericus non videtur id pro certo habuisse, ut innuitur initio numeri sequentis.*

d *Vulgo* Angoulesme, *urbs episcopalis sub archiepiscopatu Burdegalensi.*

e *De S.* Aniano ep. *Aurelianensi agendum erit* 17 *Novembris. Diutissimè sedisse dicitur à Sammarthanis, puta ab anno Christi circiter* 390 *usque ad* 453.

f *Hujus ecclesiæ solos parietes cum altari superfuisse, cum scriberet, testatur Viola in Vita Sancti Gallica cap.* 28, *pag.* 207.

g Cambuta *seu* cambutta *baculus appellatur sive scipio, quo nituntur ambulantes, ut ostendit Cangius in Glossario.*

h Pagus Vastinensis, *vulgo* le Gastinois, *tractus est Galliæ in provincia insulæ Franciæ. In illo tractu est* monasterium Gaiacum, *parthenoni S. Faræ subjectum, tribus circiter leucis ab oppido Montis-Arigisi; de quo cœnobio meminit Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 841, *num.* 41.

CAPUT II.

Alia quædam ad ejus vitam spectantia usque ad obitum & exsequias.

IX. *De revelatione perspicua in basilica Albani martyris*

ID quoque, quod in ecclesiis ab ipso dedicatis potiorem divinæ virtutis evidentiam in exhibendis miraculis nemo fere ambigit declarari, à salutaribus meritorum ejus præconiis abjudicari inhumanissimum inopportunumque putatur. Quod ut fiat perspicuum, uno tantùm, eodemque non incelebri, nitemur exemplo. Reversus ex Britanniis, reliquias antiquissimi pretiosique Albani martyris secum detulit, atque infra muros Autissiodori basilicam eis condendis exædificans, præfati Martyris nomine dedicavit; in qua ferunt, quemdam anxiè religiosum deservisse presbyterum, qui inter cetera probitatis studia id sibi familiare effecerat, ut, signo basilicæ senioris increpante, corpus è lecto corripiens, ad ecclesiam quam celerrimè properaret: dumque ejusmodi erga divinum servitium instaret vigilantiâ, unâ noctium, cum à propria egrederetur domo, quæ suprædictæ basilicæ adhærebat, angelicum audivit chorum, harmonicâ concinentem consonantiâ, Alleluia, cum Psalmo CXLVIII, qui inscribitur, Laudate Dominum de cælis, ad finem usque Psalterii. Qui attonitis auribus ad ostium oratorii auscultans diligentiùs, eamdem memoriter didicit modulationem.

18 Erat autem Alleluia, quod nostra ecclesia Septuagesimæ tantùm die Dominico, cum supra memorato Psalmo modulari consuevit, quod in primo versu semel, in secundo bis, in tertio tribus reciprocatum vicibus, in quarto demum reiteratur à capite: quantum autem reor, in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis competenter canitur. Id cum teneret memoriâ, convocatis post solemne matutinum Fratribus, traditaque, quam perceperat, revelatione, ut res foret testatior, modulationem quoque compertam eos edocuit: cujus omnis suavitas protinus à mente illius ita elapsa est, ut non nisi vocabuli solummodo deinceps reminisci potuerit. Quod ei jure contigisse putatur; ut is, qui intimata sibi secreta cælestia inconsultè prodidit, aliis id ad laudem Dei retinentibus, suâ solius * ignorantiâ puniretur. Quod Paulus Apostolus se metuere significans, fatetur, se audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et Joanni præcipitur, ne signet *a*, quæ locuta sunt septem tonitrua. Animæ quoque divina speculanti jubetur: Audi, Israël; & tace *b*. Multa apud idem oratorium recensentur collata beneficia, cum in expulsione dæmonum, tum in illuminatione cæcorum; in his verò quàm maximè, qui diversa febrium accessione vexati, ad locum se, Sanctorum imploratis patrociniis, contulerunt.

declaratæ

* al. solus

a

b

X. *Quod suæ sedis ecclesiam multimoda largitate*

19 Ecclesiam, cui præsul erat, non spiritualibus modò, verùm & temporalibus copiosissimè extulit incrementis. Cujus in possessionibus facultas ante ipsum quàm fuerit perexilis, facilè colligi potest; si, qualibus eam copiis auctam reliquit, æquis rationibus inspectetur: nam quia quan-

A quantum ad natales, nobiliſſimus fuit nobilium; quantum ad fortunam, in poſſeſſionibus & prædiis ditiſſimorum ditiſſimus; omnium, quæ ei ex jure paterno ceſſerant, in vita ſua heredem fecit eccleſiam, quam ejus ex parte maxima patrimoniis hodieque conſtare cognoſcimus. Sunt autem prædia hæc numero perplura, quantitate permaxima, finibus ſpatioſa, ſibique contermina, ſitûs qualitate jucundiſſima, reddituum ubertate
e præclara *c*. Horum in uno, cui Epponiacus ex vetuſtate nomen eſt, venerabilis genitor ejus, Ruſticus nuncupatus, cum genitrice, Germanilla nomine, in eccleſia Apoſtolorum Principis no-
d mine dedicata *d*, aris eorum capitibus ſuperpoſitis *e*, decenter conditi requieſcunt.

20 O virum, cui ſemper ſumma debentur; qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus pau-
ditaverit. periem, totum Chriſto dedit, ſibi nihil retinuit! Quis animi ejus facilem, & ſanè ingenuo dignum in hac parte poſſit explicare candorem? Quis bona, quibus nunc Eccleſia Chriſti per ipſum fruitur, relatu comprehendere? Unde nunc epiſcopi ditantur, victualia clerici conſequuntur, ſuſtentantur monachi, recreantur egeni, hujus fuC it, ex ejus ad hos fœcundiſſima largitate profuſum eſt. Quanta ad nos virtutum ſanctitatiſque ejus exempla manaverunt? Quanto latiora hinc potuiſſent confici monumenta, compingi volumina, ſi ei degenti in ſeculo curioſus adhæſiſſet aliquis, qui verba ejus, ut ſingula ab ore fluebant, exciperet, actus ejus omnes curioſiùs obſervaret, miracula denique, ſemper ei in promptu aſſiſtentia, tenaci memoriæ commendaret? Quandoquidem luculentus ille geſtorum ejus breviator (ut non dixerim explanator, quòd numquam abſque ſcrupulo vel legerim, vel legi audiverim) ſi itinera ejus cuncta percurreret, ſi univerſa commemoraret, paraturum ſe conteſtatur lecturis congeſta prolixitate faſtidium *f*.

f

XI. *Succincta mentio Patricii, per beatum Germanum in Hiberniam deſtinati.*

21 Et quoniam gloria Patris in ſuorum clarefcit moderamine filiorum, è multis, quos in Chriſto filios, in religione creditur habuiſſe diſcipulos, unius tantùm, ejuſdemque famoſiſſimi, caſtigata brevitate ſufficiet inſeri mentionem. Patricius, ut Geſtorum ejus ſeries prodit, Hiberniæ peculiaris apoſtolus regionis, ſanctiſſimo ei diſcipulatui octodecim addictus annis *g*, non mediocrem è tanti vena fontis in Scripturis cæleſtiB bus hauſit eruditionem: quemque in religione magnanimem, in virtutibus excellentem, in doctrina ſtrenuum, diviniſſimus conſideravit Pontifex; ineptumque ducens, robuſtiſſimum agricolam in dominicæ ſegetis torpere cultura, ad ſanctum Cæleſtinum urbis Romæ Papam per Segetium, presbyterum ſuum, eum direxit; qui viro præſtantiſſimo probitatis eccleſiaſticæ teſtimonium apud Sedem ferret Apoſtolicam. Cujus judicio approbatus, auctoritate fultus, benedictione denique roboratus, Hiberniæ partes expetiit, gentique illi propriè datus apoſtolus, tum quidem eam doctrina & miraculis, nunc quoque, & in perpetuum mirificis apoſtolatus ſui illuſtrat privilegiis.

g

XII. *De cellula, crucibus illius familiariter conſcia.*

22 Singularis meritorum ejus potentia hoc ſe tuetur argumento, quod per omnes aggeres itineris ſui, ubicumque aut oravit, aut docuit, uſque in hodiernum diem oratoriæ cellæ, & ſigna Crucis elata præfulgent; monſtratur hodieque in monaſterio, quod ipſe conſtruxit, oratorium, poſtea ejus conſecratum nomine; ubi incunctanter novimus, eſſe cellulam *h* afflictionum ejus & cruciatuum conſciam; cui, neſcio, oſtiolum, an

h

feneſtram dixerim, tanta erat humilitate perexiguum; ut nemo, quamvis quantilli corporis, niſi pronus per id inrepere potuerit. Quid ibi gemituum, quid fuſum eſt lacrymarum; quantæ Viro ad contemplandum Deum diviniſſimo revelationes allatæ, angelicæ conſolationes adhibitæ; poſtremò quàm crebra confluentibus eò populis animarum corporumque percepta remedia; multum eſt dicere. Quis ſaltem efficaciter ſufficiat penſitare, quæ, quanta, & quàm frequentia fuerint? Quia ſoli conſtat Deo. Poſtquam inceptum negotium paucis promovimus, ad eorum, quæ glorioſum ejus tranſitum ſubſecuta ſunt, partem quantulam explicandam, invocato Domino, accedam. A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

XIII. *Recapitulatio glorioſi tranſitus ejus.*

23 Splendidiſſimus, orbique in tenebris agenti lumen inextinguibile datus domnus Germanus epiſcopus, poſt inimitabilem in ſeculo vitam, poſt Gallias, Britanniaſque, ipſam denique Italiam doctrina & miraculis reſperſas, à Chriſto Domino vocatus, ſalutiferoque confortatus Viatico, apud Ravennam Italiæ civitatem Spiritu ſancto plenus obiit, Valentiniano juniore, Conſtantii filio, cum matre Placidia orbis terrarum obE tinente monarchiam; à quibus ibidem pro admiratione ſanctitatis, atque aſſiduitate miraculorum, ut liber Geſtorum ejus ſatiùs explicat, honorificè ſuſceptus, Domino Chriſto ſibi apparente, obitûs ſui prænoſcens diem, multa licet cum difficultate obtinuit, ut gleba ſui corporis propriæ redderetur civitati.

XIV. *Quod non fortuitu Ravennam pervexerit,*

24 Cauſa præterea profectionis ejus Ravennam quàm non incerta vel fortuita fuerit, Vitæ ejus textus declarat: quodque hîc recapitulatum, erit fortaſſe non inofficioſum. Vir magnificus Aëtius ea tempeſtate reipublicæ patricius ac rector datus, Armoricani provocatus inſolentiâ populi (cujus leves & indiſciplinati animi rarò umquam erga principes fidei ſervavere conſtantiam) Eochari Alanorum regi ferociſſimo regionem illam pro rebellionis ultione invadendam, ſubjugandam, vaſtandamque permiſerat. Quam cum barbarus crudeliſſimè invaſiſſet, non tam prædæ congerie, quàm cæde allectus & ſanguine; beatiſſimus Germanus, jam ei progreſſo armatoque inter hoſtiles impetus occurrens, mirabili auctoritatis conſtantia (quodque univerſis ab eo patratis miraculis æſtimo præferendum) animum compulit ferocem deponere, exercitum revocare, à provinF ciæ vaſtatione deſiſtere; ea conditione tamen, ut venia, quam barbarus præſtiterat, ab imperatore, vel ab Aëtio peteretur. Ut ergo cœptum miſericordiæ compleret officium, decurſis Gallicanis, vel Italicis civitatibus, multiſque ipſo in itinere declaratus miraculis, Ravennam, quo tunc imperator cum matre auguſta agebat, diu licet expectatus, pervenit; ibique ad arbitrium ſuum, pro quibus petebat, pacem & ſecuritatem obtinuit.

& cauſa profectionis ejus.

25 Verùm, quia mobilis animi perfidia indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam revocavit, non multo poſt ejus exceſſum, tyrannica, quam ipſe in vita ſua compreſſerat, graviùs in infelices emerſit immanitas, Alanis, Gothis & Wandalis ab Hiſpaniis in Africam, hinc in Gallias progreſſis, univerſaque ferro, flammis & vaſtitate proterentibus; necdum ſupra memoratus ſanctiſſimus Anianus exceſſerat; adhuc reverentiſſimus collega ejus Lupus, Trecaſſinorum antiſtes, cæleſtem in terris agebat vitam; quique plebem ſuam à barbarica ferocitate precibus protegens, ſicut in hymno feſtivitatis ejus, Beda teKk 2 ſte,

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ſte, canitur, Dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit *i*. Quæ cum ita ſe habeant, divinâ profectò gratiâ beatiſſimo Germano proviſum hoc quoque nemo dubitaverit; ut qui divinæ legis inſuperabilis exiſtens cauſidicus, pro Chriſto legatione functus in mundo fuerat, in ſanctæ pacis confirmatione temporalis vitæ finem caperet, pro qua inter Deum & homines reparanda mortem voluntariam Auctor vitæ pertuliſſet. Quo enim decentiùs ordine agonis ſui curſum conſummare potuit, quàm ut in eo animam poneret, cui & pro quo conſequendo in tam longo hujus vitæ ſtadio cucurriſſet?

i

XV. *Quod etiam, cum proficiſceretur, imminentem exceſſum non ignoraverit.*

26 Siquem ſanè improba ludit cogitatio, beatum Virum ignorantiâ imminentis deceſſûs tantæ expeditionis molem ſubîſſe; qui ſi vitæ ſuæ terminum, ut è veſtigio inſtabat, agnoſceret, ne pedem quidem ab urbe ſua longiùs efferre pateretur; hunc ad librum de vita ejus editum dirigimus, quò & repræſentata veritate, errorem exuat, & vicini ſui tranſitûs quàm non improvidus fuerit, etiam cum proficiſceretur, vel inſtructus

B agnoſcat. Nam cum propter ſuprà memoratum negotium petiturus Italiam, familiarem ſuum Senatorem presbyterum præteriens, ex conſuetudine viſitaſſet; profecturus ab eo, ſolito affectuoſiùs in amicum irruit, ac poſt amplexus multiplices & oſcula prædulcia, hujuſmodi verbis ſalutatum reliquit: Vale in æternum, frater cariſſime; vale, animæ meæ portio: tribuat Deus, ut nos in die judicii ſine confuſione videamus: ceterùm in hac luce mutuo numquam fruemur aſpectu *k*. Quod quia ita contigiſſe manifeſtum eſt, cui de præſcientia ſui tranſitûs liceat ambigere, qui de ſe tanta, tamque evidentia prædicere potuit? Ita verò Sanctus & caritate anxius & jamjamque imminentis obitûs non ignarus, nihil prius duxit, quàm Domini præcepta complere, ſeque ipſum circa finem pro ovium Chriſti relevatione impendere. His ita locatis, propoſita repetamus.

k

XVI. *De nobiliſſimo ſacri funeris apparatu.*

27 In apparatu defuncti ſua certatim omnes ſtudia contulerunt: Acolius, regalis præpoſitus cubiculi, cujus dudum puerum ab atrociſſimi dæmonis peſte curaverat, venerabile corpus multiformi aromatum compoſitione confecit. Auguſta ut vivo obſecuta fuerat, mortuo quoque ex animo deferre deſiderans, ſacri glebam cadaveris operoſis ac valdè ſubtilibus cumulavit indumentis, ad id devehendum conſervandumque ex cypreſſo

C mundiſſima loculo *l* coaptato. Quibus ita compoſitis, ne quid Sancti deeſſet officiis, anxiè præcavit imperator, iter inſtruxit, evectiones neceſſarias præbuit, miniſtros, comiteſque deducendo funeri deſtinavit, quos expenſarum & tortius humanitatis impendiis copiosè proſecutus eſt. Epiſcopis ea fuit cura permaxima, ne ſacris exequiis vel ad horam deeſſent officia religionis, quæ ipſi & in præſenti inſtruunt, & ne proceſſu itineris deficiant, ordinatione præmittunt. Ita funus ſatis ambitiosè inſtructum, magno proſequentium agmine promovetur ad Gallias.

ANNOTATA.

a Ne ſignet *&c. Imo Apocalypſeos cap.* 10, *verſu* 4 *legitur:* Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere. *Ubi ſignare idem eſt quod ſigillo obſignare & occulta ſervare. Senſum hîc ergo Hericus ſequitur, non verba; per* Ne ſignet *intelligendo, Ne prodat, ne ſcribat, ne palam faciat.*

b Audi, Iſraël, & tace: *non legitur ſic in vulgata; ſed apud Septuaginta, Deut.* 27 *verſu* 9, Tace, & audi, Iſraël. *S. Hieronymus quoque ad Ruſticum monachum hæc verba Moyſi tribuit*, Audi Iſraël, & tace. D

c *Horum aliquot enumerat Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiod. cap.* 7 *his verbis:* Hic beatiſſimus Pontifex baſilicæ S. Stephani protomartyris agrum nobiliſſimum, cui Varſiacus nomen eſt, cum univerſo apparatu & appendiciis ſuis contulit. (*Ibi erectam à Sancto eccleſiam fuiſſe S. Eugeniæ martyri Romanæ, aſſerit D. le Beuf in Capto & liberato Autiſſiodoro pag.* 284) ſimiliter Verciſum, mirabile in ſe continentem palatium, cum appendiciis ſuis; Poliacum quoque, ſeu Marciniacum; ſed & Tociacum cum ſuis ſimiliter appendiciis; fundum quoque Patriniacum, & Cutiacum æquè cum appendiciis ſuis: multa denique & alia, quæ nobis modernis incognita, Deo verò ſunt omnia nota. *Quid & aliis eccleſiis dederit, ibidem lege; & apud Viole cap.* 7.

d Apoſtolorum Principis nomine dedicata: *at Hiſt. epp. Autiſſiod. loco citato habet*, B. Joannis nomine dedicata. *Forte ambos patronos coluit.* E

e Sic Ruſticus & Germanilla videntur quodammodo canonizati, *inquit in annotatis Mss. Chifletius noſter; neque aliter Viola in Vita Gallica cap.* 1. *Et ſanè, niſi pro Sanctis habiti fuerint, non congruebat eorum tumulis ejuſmodi veneratio. Nemo eſt interim, quantum aſſequi potui, qui eos audeat Sanctis annumerare. Porrò ex aris illis duabus ea, quæ à dextris fuit*, S. Germano *ſubinde conſecrata, celebris fuiſſe dicitur prodigiis, & præſertim reſuſcitatione parvulorum, quos mortuos enixæ matres ibidem offerre conſueverant; teſte Viola jam aſſignato, cap.* 1.

f *Conſtantium accuſat ſuis ipſius verbis, quæ dedimus num.* 56.

g *Adi Commentarium prævium ſupra num.* 48 *&* 51. *Obſerva hîc etiam, in omnibus exemplaribus noſtris exprimi* annos octodecim; *ac proinde corrigendam eſſe notam Papebrochii noſtri in Vitam S. Patricii die* 17 *Martii pag.* 546.

h *De hac* cellula *meminiſſe videtur Conſtantius ſuprà num.* 33.

i *Hymnus ille adhuc integer eſſe dicitur in analectis Couſineti de S. Lupo ep. Trecenſi, quæ Pariſiis ſervantur Mss. apud S. Genovefæ.* F

k *Ita Conſtantius, num.* 63.

l Loculi *hujus fragmenta etiamnum in pretio ſervari diximus in Commentario.*

CAPUT III.

Tranſlatio corporis ejus in Gallias; ejuſdem receptio ac ſepultura.

XVII. *De eccleſia*

QUàm robuſti meriti, quàm excellentis gloriæ, quàm denique ſummi apud Chriſtum loci fuerit, cujus erant, quibus publici aggeres illuſtrabantur, exequiæ, pertinuit ad divinitatem ſignorum affluentiâ declarare. Vulgi ore feruntur quàm plurima, quibus eo fides detrahitur, quod variè indigeſtéque feruntur. Nobile illud pretioſumque eſt, quod cum memoriâ digniſſimum, tum æquè litteris ex antiquo inditum, & fidem aſtruit, & ædificationi conducit. Expeditione ſuperiùs memorata, à venerabili Euſebio *a*, Ver-

a

cel-

A lensium pontifice, decenter exceptus, omnibusque humanitatis officiis, ut par erat, relevatus est: is ipse Eusebius post longa contra antiquum hostem certamina, post hæreticorum, à quibus multa passus est, convulsa molimina, post illud denique clarissimum Phrygiæ exilium, à quo post quadriennium remeavit, longo jam confectus senio, rebusque pace reddita, novam tunc in urbe sua miles jam emeritus condebat ecclesiam. Hanc ut Germanus beatissimus, Ravennâ rediens, dedicaret, obnixè deprecatus est: quod se devotiùs impleturum seriò repromisit.

per mortuum 29 Actum est, ut, beatissimi Confessoris comperto decessu, ad suæ consecrationem basilicæ, ut mos fert ecclesiasticus, præfatus pontifex se apparet; quod * cum solemniter ingressurus, pharos ex more compositas jussisset accendi (mirum dictu quod est) admota flamma nullis lychnorum excipi potuit alimentis; quamquam id non semel nec simplici tentatum arte, frustra persistentium manus eluserit ministrorum. Cumque per dies aliquot cassò iteratus labor perstantibus perB turbaretur obstaculis, insolito negotii percitus interceptu, à re proposita desistendum judicavit episcopus; quòd sibi cunctisque constaret evidentissimum, impediri encænii functionem, aut in diversum differendam tempus, aut pontificis alterius officio reservari. Interea venerandi funeris adesse pompam, famæ præcurrentis nuntiatur indicio; cui prosequendo quis non emergeret; quem propriæ salutis incuria non urgeret? Congestum undique rapit agmen episcopus; impensæque devotionis officiis exceptum corpus intra jam dictæ basilicæ ambitum introduxit. Quod ubi primas ædium partes attigit, ita universa luminum congeries cælitus inflammata perfulsit, ut palam fieret, ad sacri exequias corporis hic quoque non defuisse divinæ præsentiam majestatis; dum quæ humanis non cesserant ingeniis, divinis facile nutibus deserviebant.

** al. quam*

Vercellis mirabiliter dedicata.

30 Tum sanctissimus Eusebius voti sui conscius, promissionisque à Sancto perceptæ non immemor, re altiùs expensa, quodque cælestibus erat confectum auspiciis, humanis ineptum ducens ministeriis retentari; Sanctissimus, ait, Germanus pactæ memor sponsionis, ne voti nostri imperfectione torqueremur, quod vivens promiserat, mortuus implere non distulit: quapropC ter susceptis tam evidentibus, tam præcelsis, tam denique singularibus sanctitatis ejus testimoniis, ad exigendum, quod divinis superest mysteriis, implorato Domino, accingamur. Ita fatus, ad altare se contulit, & Gloria in excelsis Deo, quanto potuit canore, persultans, festum populis indixit diem. Sacris episcopaliter celebratis, ac de splendore miraculi agitato sermone, diutiùs quod superfuit horarum, religiosis circa sacrum funus mancipavit excubiis. O justorum suavis & semper indefecta memoria! O suorum in conspectu Domini mors perpetuò pretiosa Sanctorum! Quid loci apud Dominum meruerit, nemini de cetero licuit dubitare; ante cujus exuvias honorandas * in externis quoque regionibus tantus signorum splendor emicuit: quod fortasse soli constaret Deo; nisi mirabilium frequentia id generi declarasset humano.

** al. adorandas*

XVIII. *De fervore instantissimo occurrentium populorum.*

31 Quibus ita exactis, viæ redditur, novusque obsequiorum ardor, cunctorum innatus mentibus, erga sancti funeris munia cumulatur. Crescebat ingens undecumque concurrentium numerositas populorum, dum & novus locis singulis comitatus accederet, & prosequentes quosque itineris continuatio non tæderet. Vectandi successus corporis cunctis, quamquam sese violenter ingererent, provenire non potuit: quibus tamen accedendi fuit copia, vicibus cessit: at quos irruens frequentia cominus id tractare prohibuit, officii genus erat oculis deducere, ac vocibus intimo devotionis fonte manantibus personare. Plurima per iter totum, tum ecclesiis ejus nomine dedicatis, tum titulis sparsim affixis, beatitudinis ejus monumenta monstrantur: quocumque locorum aut pernoctavit, aut pausam duxit, sanctitatis ejus adhuc notabiliter florente memoria.

A. S. Herico Monacho. Ex Mss.

XIX. *Qualiter sancti excessus Saturno innotuerit.*

32 Pretium deputabitur operæ, id intactum non excedere; qualiter sancti excessum Pontificis cunctis semper consulens divina providentia, plebi quoque suæ orbitatem propriam adhuc ignoranti compertam fore voluerit. Saturnus *b* erat beatissimi Germani presbyter & discipulus, vitâ æquè probatissimus, ac sancto Viro familiariter dilectus. Is, eo profecto in Italiam, jussu ejus in urbe remanserat. Qua ergo nocte glorioSus Domini Confessor & Pontifex apud Ravennam felici migravit excessu, is quoque Autissiodori positus, E splendidissimum ejus transitum, angelo pandente, cognovit, ac divina instructus revelatione, populis denuntiavit; quorum ingenti secum coacta multitudine, ad Alpium juga properat; ubi excipiunt Galliæ Patronum proprium, tanto ejus funeri propensiùs servituræ, quanto potiorem famulatum reverentiæ mixtus amoris extorquebat affectus. Hoc non commentitium est, nec venâ ingenii prurientis extusum; verùm vetustissimo insculptum marmori, scripturâ quoque ipsâ antiquitatis repræsentante characterem, apud nos hodieque servatur.

b

XX. *De quinque sororibus sacrum corpus ardentissimè prosecutis.*

33 Crediderim sanè, nonnullos à Ravenna, sanctitatis ejus expertissimos, cum sacri gleba corporis peregrinationem sibi ultroneam indixisse, ac per hoc infatigatis animis, quamquam esset via longior, funus venerabile prosecutos. In quibus & ex quibus quinque feruntur famosissimæ proposito virgines, natu germanæ *c*, quarum nomina vel merita celebrem in nostra provincia ex longo obtinuere memoriam. Harum tres, his vocabulis Magnentia, Palladia, atque Camilla *d*, ut singulæ ipso in itinere divinitus evocatæ diem clausere novissimum *e*, in publico aggere nobilem accepere sepulturam, ecclesiis superstructis, earumque sanctitati dedicatis; quæ hodieque ob miraculorum evidentiam & famosissimæ constant, & ingenti populorum studio frequentantur. Duarum, quibus sacri tumulationem corporis est videre concessum, altera, cui Maximæ vocabulum fuit, circa eamdem basilicam condi promeruit; quam tamen postmodum ambitus fabricæ majoris includit: altera, Porcaria dicta, nono ferè ab urbe milliario in ecclesia suis præclara meritis requiescit.

c

d

e

F

XXI. *De sacri exceptione corporis & splendidissimo sepulturæ apparatu.*

34 Ex pridie Kalendarum Augustarum die, qua Confessor eximius sarcinâ levatus carnis, cælestibus est insinuatus sacrariis, tertius & quinquagesimus volvebatur dies *f*, cum sacri thesaurus corporis propriæ refusus urbi, solenni obsequio populorum excipitur, atque intra principalis, cui sederat, ecclesiæ *g* ambitum collocatur. Ibi per decem continuos dies *h* ingentibus officiorum impensis excolitur; donec omnibus, quæ ad jus sepulcri pertinent, officiosissimè apparatis, non parva humani generis congesta multitudine, ut Virum decebat apostolicum, sepulturæ traderetur. Verùm, quia in rebus singulis pro captu impune cuique opinari licitum est, non te-

f

g

h

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

mere dixerim, tantorum interceſſu dierum non funeris ſolummodo proviſum apparatui; verùm ſacerdotibus ac populis è remotis terrarum undecumque occurſuris, quique, ſi Sancti defuiſſent exequiis, id verò ferrent ægerrimè, fuit hac tumulandi Pontificis dilatione conſultum.

XXII. *Quid muneris in relatione ſacri corporis collatum putetur; per apoſtrophen.*

35 Quod ergo ſacri tui corporis præſentiâ fruimur, quod Viri poſt Apoſtolos ſplendidiſſimi gloriosâ memoriâ illuſtramur, quod denique certiſſimum, quò ſe noſtra fragilitas conferat, periculorum omnium præſidium obtinemus, præmiſſo ineffabili ſanctæ & individuæ Trinitatis præconio, tibi, Pater ſacratiſſime, grates omnimodas & habemus & agimus: te amatorem patriæ, tutorem gregis, tuorumque prædicamus patrem clementiſſimum filiorum; qui cum in auguſtis imperii ſedibus ipſorum componi poſſes manibus auguſtorum, tantoque apicem locare ſublimiùs, quanto eſt Romana excellentia Gallicanâ mediocritate provectior; utque Roma Apoſtolis, Ravenna quoque Germano perſtaret inſignis: viceruntamen paterna ac materna viſcera; vicit deſolatorum amor & affectio filiorum, quos qualiter vivens, quámque impensè dilexeras, mortuus declaraſti. Ita certè, ita tuam decebat, Pater æquiſſime, ſanctitatem; ut qui pro externorum commodis te frequenter impenderas, terras ac maria peragraveras, aſpera poſtremò cuncta pertuleras, domeſticam non negligeres plebem, cui te Rector rerum maximus ſpecialem contulit præeſſe paſtorem. O quàm benè de illa meritus, quàm ſinceris es obſequiis excolendus, cujus orbitati acerbiſſimæ, tam præſens, tam præcipuum, tam denique familiare ſuffragium providiſti, quo non modo præſentibus conſuleres, verùm ipſis poſteris quoque ſubvenires! Urbem noſtram rerum natura diſpoſitrix ſiccis locavit in rupibus, nullis opibus fultam, nulla ſitûs artiſve qualitate munitam: hæc ne nomine quidem digna exiſteret, ſi tui theſauro corporis caruiſſet: quo quia illuſtrari mirificè meruit, eo inter ceteras hinc glorioſiùs emicat, quo poſt Apoſtolos nulla alia margaritum pretioſius ſervat.

B

XXIII. *Retractatio exceptionis ſupradictæ.*

36 Jam verò de ſupradictæ exceptionis qualitate quid ſentiam, ad plenum efferre non ſufficio; quoniam diu mecum multumque retractans, nec ipſa animi ſatis hanc perſpicacitate diſcerno. Diem namque illam gaudii dixerim, an mœroris, id

C

verò in ancipiti eſt: ſed & ſi alterum ſine altero prædicem, tantorum tamque religioſorum civium tum pietati tum prudentiæ vereor derogare. Cujus enim fletibus ora vacarent, quem ovilis paſtore deſtituti orbitas admoneret? In quà id putabatur graviſſimum, quod peregrè obeuntis exceſſui devotiſſimos filios ne conceſſum quidem fuerat intereſſe. Illud verò gaudium, quàm fuit ineffabile; quàm puris affectibus conflata lætitia? Recipiebant Patrem filii, Tutorem pupilli, deſperati conſilium, trepidi firmamentum. O diem feſtivam, tantis uberem lacrymis, tantis gravidam gaudiis; cui quiſque * non interfuit, ſpectaculorum parte quàm maxima caruit; qua nec urbem triſtior, nec orbem afflavit hilarior.

* *pro* quiſquis

XXIV. *Ut ſacrum corpus ſepulturæ traditum ſit, & de loco ſepulcri.*

37 Ritè omnibus præparatis, cum & confluentium nulla eſſet requies, & qui convenerant, vix jam regionis amplitudine caperentur, die Kalendarum Octobrium intra ſepulcri abdita theſaurus cæleſtis deponitur, tanto orbis terrarum officio, tanta humani generis pietate, ut luce clariùs conſtaret omnibus, hunc ſummi in cælo eſſe meriti, cujus in terris tanta providebantur honori. Locus ſepulcri hujus tum quidem perexiguum erat oratorium, in ſuo ipſius prædio, martyris Mauritii meritis dedicatum *i*, quod Vir ſplendidiſſimus ſupra memorato quondam Saturno delegaverat, ut ſub profeſſione ſacerdotalis tituli Martyrum memoriis inibi deſerviret. Necdum immanitas ethnicæ ſuperſtitionis obſoleverat; adhuc Chriſtianitas arctis obſeſſa finibus angebatur, faniſque per orbem uſquequaque vigentibus, Chriſti eccleſiis extruendis modicus ambitus, exiguus impendebatur & cultus: nondum ſe circa talia fidelium ardor effuderat; quorum in his regionibus ante Germanum ſanctiſſimum ingens quoque raritas exiſtebat. Cum enim ipſe in urbe ſua ſeptimus ordine eccleſiam rexerit, claret profectò, quod hi, qui ante ipſum extitere pontifices, obluctante ſibi ſævientium rabie paganorum, minus liberè, minus plenè religionis fundavere primordia; cui tamen hic, cujus nobilitati, virtuti ac ſapientiæ paſſim obniti non poterat *, multimoda ſuo tempore contulit incrementa.

D

* *cod. Valcel.* poterant

E

ANNOTATA.

F a *De* S. Euſebio *ep. Vercellenſi agit Martyrologium Rom. die* 1 *Auguſti; ſed cum nuper decreto Romano feſtum ejus & Officium affixum ſit diei* 16 *Decembris, eò nos ejus Acta remittemus. Patet verò ex hoc loco, quàm parum in antiqua chronologia verſatus fuerit Hericus noſter, qui hæc de Euſebio, annis facile ſeptuaginta ante* Germanum *vitâ functo, ſcribere non dubitaverit. Itaque pro Euſebio, quem exhibent Mss. noſtra omnia, ſcribendum fuiſſe S. Albinum, contendit Ughellus in epiſcopis Vercellenſibus, Italiæ ſacræ recuſæ tom.* 4, *col.* 761. *At ego ſatis vereor; ut hoc omnibus placeat: nam alia hiſtoria, huic admodum ſimilis narratur à S. Adone archiepiſcopo Viennenſi, & Herici æquali, in Chronico, ætate ſexta, ad annum Chriſti* 452; *cujus hæc eſt ſubſtantia: Cum* S. Germanus *Ravennam petens, Viennam in Gallia præteriret, ibi à S. Severo presbytero rogatus, ut eccleſiam S. Stephani recèns ædificatam conſecraret, id ſe in reditu facturum promiſit. Sed dum fruſtra diu exſpectatus, non redit, ac dedicatio per alium paratur, ecce tibi, in ipſo articulo* S. Germani *defuncti corpus Ravennâ ad ſuos deſtinatum, illac refertur, atque in eamdem eccleſiam S. Stephani, repauſandi gratiâ, tantiſper deponitur*; ſicque Viri Dei promiſſum impletur. *Addit Ado:* Iſicius tunc temporis Viennenſem regebat eccleſiam: *in quo & ipſe errat inſigniter: cum Iſichius primus Viennenſis non ſederit ſaltem ante annum Chriſti* 472; *ut oſtenſum eſt ad diem* 16 *Martii, ubi de S. Iſichio, pag.* 448; *& diem* 5 *Februarii, ubi de S. Avito, Iſichii filio & ſucceſſore, pag.* 661. *Non commendant ſanè & utriuſque hiſtoriæ ſimilitudo, & utriuſque ſcriptoris errores in ea palpabiles veritatem utriuſvis. Abſit tamen, ut falſam omnino dicamus alterutram. Viola cap.* 23 *deprehendit errorem quidem Herici; ſed non Adonis; itáque quod Hericus de S. Euſebio & eccleſia Vercellenſi narrat, ipſe de S. Iſichio & eccleſia Viennenſi exponit, utramque confundens narrationem.*

F

b *De* Saturno *hoc vide prætermiſſos ad hunc diem.*

c *In Vita Ms. S. Magnentiæ non dicuntur hæ virgines fuiſſe inter ſe germanæ; ſed S. Magnentiæ* collegæ & comites. *Deinde non* quinque *ibi numerantur, ſed quatuor tantùm, omiſſâ* Maximâ. Maximam *quoque vel de hoc numero non eſſe, vel*

A *vel cum Magnentia confundi oportere, contendit Bargedæus in collectione Ms. Sanctorum Autissiodorensium ad diem 26 Novembris; idque quia in theca lapidea longè antiquissima, in qua servatur corpus S. Magnentiæ, hæc repræsentatur in lecto moribunda cum tribus tantùm assistentibus ei virginibus: tum quia non plures exhibentur in picturis ecclesiæ S. Palladiæ. Diversam tamen à Magnentia Maximam fuisse, evincit ejus tumulus & corpus, quæ usque ad profanationem Calvinianam anni 1567 Autissiodori in cœnobio S. Germani servata fuerunt; ut patet ex Actis visitationis Sigurianæ; ubi etiamnum supereresse dicitur hoc ejus epitaphium Gallicum:* Hic jacet corpus dominæ S. Maximæ virginis, quæ comitata est corpus S. Germani Ravennâ usque in hoc cœnobium cum S. Palladia, S. Magnentia, S. Camilla, & S. Porcaria. *Ceterùm quo die colatur* S. Maxima, *tametsi exstet ejus sacellum in laudato cœnobio, hactenus ignoramus. Castellanus eam accenset abemeris.*

d *De* S. Magnentia *agetur 26 Novembris; de* SS. Palladia & Porcaria 8 *Octobris; de* S. Camilla *actum jam est die 3 Martii pag. 242; ubi emendandus annus mortis ejus.*

e *Si in ipso itinere mortuæ sunt, vel non celebrantur eo die, quo obierunt (iter enim duravit ab initio Augusti usque ad 22 Septembris;) vel ubi per viam in morbum inciderunt, diu decubuisse dicendæ sunt, antequam exspiraverint.*

f *Advenit ergo die 22 Septembris, quo adventum illum celebrari diximus in Commentario prævio num. 4.*

g *Puta* ecclesiæ *S. Stephani, quæ cathedralis est: non tamen ibi sepultus fuit; ut mox patebit.*

h *Nempe (ut sequetur num. 37) usque ad Kalendas Octobris, hujus rei memoriæ, solenniter, ut antè ostendimus, consecratas. Porrò totum hoc tempus rotundo sexaginta dierum numero, sed minus accuratè, complexus est S. Gregorius Turonensis infrà citandus num. 41.*

i *In Hist. epp. Autissiod. cap. 7 de Sancto nostro dicitur:* Fecit & basilicam in honore sanctorum martyrum Agaunensium Mauricii scilicet, sociorumque ejus; ubi & hæc dona obtulit, Warchiacum in pago Senonico, cum universis appendiciis suis; in pago quoque Autissiodorensi Corvallem cum appendiciis suis; nec non & Molinis, similiter cum appendiciis suis. In quo etiam oratorio sanctum Saturninum vitæ probatissimum, suumque discipulum, ordinavit presbyterum; ut sub professione sacerdotalis tituli Martyrum inibi memoriis deserviret.

CAPUT IV.

Basilica S. Germani & sepulcri magnificentia regia, miraculis assiduis decorata.

xxv. *De extructione basilicæ beatissimi Germani.*

PRogressu temporum sacræ fidei circumquaque prolatis insignibus, cum & ipsi quoque Francorum proceres edictis colla cælestibus summisissent, venerabilis & monumentis condigna perennibus Crotechildis *a* regina, magni principis Clodovei uxor, spiritu tacta divino, supra sancti tumulum Pontificis ingentis fabricæ atque operosæ amplitudinis extruxit basilicam, confidens se suosque ejus non parum provehi posse precibus, cujus tanta tamque mirifica extabant insignia sanctitatis. Ac ipsa tempestate, cum præfata augusta sanctus Lupus episcopus venit de superioris Burgundiæ partibus *b*; quique non multo pòst ad xvi. Kal. Julii *c*, die functus supremo, ex reginæ placito in eadem ecclesia decenter ac religiosè compositus requievit; quod Pario penes nos impressum marmori cuique legere cupienti scriptura prodit antiquior. A. S. HERICO MONACHO. EX MSS. *b* *c*

39 Exinde major Clotharius, prænominatæ Crotechildis filius, regni sublimatus in solio, maternæque devotionis fidissimus executor & heres, post genitricis excessum super adorandam beatissimi Germani memoriam per manus sancti Desiderii, ejusdem tunc urbis episcopi *d*, regalibus expensis fredam *e* composuit; quæ auro argentoque elegantissimè decorata, in nostram quoque duravit ætatem, auctorem ministrumque operis insculptarum sibi designans suffragio litterarum. Quin etiam memorabilis ejusdem Clotharii conjux, Ingundis nomine, cum religione famosissima, tum etiam largitatis & diligentiæ erga ecclesias singularis, sepulcro beati Germani per idem tempus plurima vasorum palliorumque obtulit ornamenta; inter quæ calicem egregium auro splendidissimo gemmisque compactum vidimus, pretiosis reginæ memoriam insertis litteris præferentem, quæ munus hoc per manus suprà nominati Desiderii pontificis beato Germano devota contulerat. xxvi. *De ornatu sacræ memoriæ ejus.* *d* *e* E

40 Locum sanè illum, ob sacri privilegium corporis, miraculorum gloriâ semper extitisse frequentissimum, nemo impune dubitaverit. Ea quoniam nec numero colligi *f*, nec personarum, in quibus patrata sunt, nomina poterant retineri (ut solent citò data ac supperentia quæque vilescere) incuriæ pariter & oblivionis squalloribus obducta torpuerunt: quæ tamen extitisse perplurima, ex eo saltem colligere possumus, quod nonnulli adhuc seniorum superstitem agunt vitam, qui se ante fores sacri hujus templi innumera patratorum signorum appensa vidisse confirmant insignia, quæ ab energumenis, debilibus, surdisque ac mutis revalescentibus loco deposita, divinorum erga infirmos beneficiorum utilem diu repræsentavere memoriam. xxvii. *Quod locus idem miraculorum semper floruerit.* *f*

41 Denique & Gregorius, Turonorum antistes, miraculorum curiosus indagator ac studiosissimus editor, nonnulla ad hujus & per hujus beatissimi Patris memoriam patrata commemorat; quæ suis, quàm nostris, verbis intimanda maluimus, ne rei absque pretio operæ permutatæ quiddam fidei detrahamus. xxviii. *Quid Gregorius Turonicus in miraculorum libris.* F

Germanus, inquit, glorioſus confessor in urbe Ravenna *g* obiit; inde verò levatus, post dies sexaginta ad civitatem Autissiodorum delatus, sepulturæ mandatus est. Tempore autem Teudechildæ reginæ *h* Nonninus quidam tribunus ex Arverno, de Francia, post reddita reginæ tributa, revertens, Autissiodorensem urbem adiit, causâ tantùm religionis; provolutusque ad beatissimi Germani sepulcrum, cum diutissimè orasset, extracto de vagina tigre *i*, lapidem, qui super venerabile sepulcrum habebatur, nemine vidente, percussit; de quo excusso particulâ modicâ, tamquam æneus diriguit; ita ut nullum membrum posset ullatenus vindicare *k*, aut vocem emittere. Videntes autem eum pueri sic humi jacere, nesciebant, quid ei evenisset: accedens verò unus eorum, cum eum interpellasset, nullum ab eodem responsum accepit. Tum ille, ut erat rigidus, in corde suo intelligens se damnatum, *g* *i* *k*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

natum, votum vovit, dicens: Scio, me præsumptuosum extitisse, beatissime Confessor; sed devotio exegit, ut præsumerem; & ideo, si me dignaris absolvere, & ad propria cum tua gratia redire permiseris, in basilica has reliquias condens, festivitatem tuam devotissimè annis singulis celebrare curabo. Cujus clausum murmur Vir sanctus intelligens, eum absolvit & abire permisit incolumem. Qui veniens, reliquias illas in ecclesia posuit, & Sancti festa per singulos annos fidèliter celebravit.

XXIX. *Quid evidentiæ in eadem basilica declaratum sit: ex verbis ejusdem Gregorii.*

42 Quodam autem tempore ad supradictam basilicam, in qua reliquiæ conditæ sunt, cum Avito, avunculo meo, Arvernorum antistite *l*, accessimus. Ubi cum sanctus pontifex jejunus ingressus fuisset horâ quasi decimâ, omnes qui cum eo intravimus, odorem liliorum rosarumque naribus hausimus; quod nobis Beati Germani præstitum merito, non ambigimus: erat enim mensis nonus. Actum vico Musciacas *m*. De his Gregorius ita. Quibus præmissis ad ea, quæ nostræ vel propinquaverunt, vel accesserunt ætati, styli seriem transferamus. Verùm, quoniam spiritalibus spiritalia seminantur, dignitasque Domini in servorum probitate perpenditur, rationi proximum judico, brevi ostendere, tanti Patris meritis divinum erga loci incolas favorem in fine maximè claruisse.

l

m

B

XXX. *De Esopo puero ab angelis visitato.*

43 Esopo vocabulum cuidam puerulo fuit, qui cum vix quinque annorum infantiam contigisset, sancto Ordini à parentibus mancipatus, prout tenera ætas pati poterat, primis litterarum characteribus ludo quàm serio *n* formabatur. Is dysenteria correptus, ingentis languoris molestias angusto in corpore tolerabat. Matutini cujusdam diluculo à seniorum uno, qualiter se ageret, percontatus, cuncta sibi respondit constare salubria; lectionis suæ tenorem se paulo antè ex memoria reddidisse; quæ causa alacritatis ei securitatisque plurimum contulisset. De qualitate ejus lectionis interrogatus, centesimi decimi septimi Psalmi primum versum ultra ejus ætatis tenaciam proferens, Confitemini, ait, Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Cum id nec scripto discere, nec per ætatem vel usum memoriæ insinuare potuerit; à quo rem didicerit, postulatus; Non videtis, ait, parvulos scalæ hujus excellentissimæ connisos gradibus ad cælestia contendentes? Non pluta effatus, ut finem verbis, vitæ quoque terminum fixit. Certissimum est, angelicos spiritus habitudine puerorum ejus innocentiæ Deo placitæ demonstratos; animam quoque fragilitatis exemptam compede susceptisse. Aliis ipsam quoque imminentis decessûs horam novimus revelatam; adeò ut & lavacra & vestium mutationes, prout mortuis exhibenda erant, ipsi adhuc viventes ultro prævenerint. Nonnullis ejusdem beatissimi Patris persona vultu venustissimo, reverenda canitie, pontificali dignitate conspecta, & consolationis plurimum & securitatis non parum exhibuit. Hoc è multis non extraordinariè fortasse tetigerimus; ut palàm liqueat, hunc devotè sibi obsequentium anxiè curam gerere famulorum. Hinc ad reliqua transeamus.

n

C

XXXI. *De eo qui pomum furto ablegit.*

44 Immoderata gulæ appetentia, ob quam omnes peccato mortique succumbimus, leve putatur & ludicrum; sed quo cavetur minùs, eo atrociùs perimit. Hanc Vir sanctus cum in semetipso extingueret, tum quod in aliis quoque sibi displiceat, studuit commendare. Ut fidelibus mos est devotionem suam, quibus possunt, modulis declarare; ante sacri sepulcrum corporis strata jacebant poma autumnali viriditate vernantia; quæ ut diversa genere, odore quoque gratissima, geminam accedentibus aspectûs olfactûsque sui gratiam ministrarent: interea, populis ad beati festum Præsulis ex more fluentibus, quibusque permittebatur accedere, sacri pavimentum lecti religiosa veneratione deosculantibus, è rure, cui Nantilla vocabulum est, distatque ab urbe non plurimum, rusticorum quemdam contigit interesse. Is oculorum gulæque captus illecebrâ, manu sacris injectâ, pomum clanculò rapuit, ac tamquam eo voluptati morem gesturus, abscessit. Hujus temeritatem è vestigio comes ultio castigavit: nam, ut esu pomi illicito satisfecit desiderio, interdicto loquendi usu, mutus effectus, reum se criminis miser agnovit. Huic calamitati finem annus imposuit; cum solemnitatis ejusdem annuò remeante spectaculo, Sancti sepulcrum repetens, fletu reatum diluit, votisque addictus quamplurimis, loquelam pariter & veniam reportavit. Hoc priùs compertum non est, donec is, in quo peractum fuerat, rei gestæ seriem indicaret. Id actum est eâ, quæ Kalendis Octobribus evenit, festivitate, quamque ob sacri ejus depositionem corporis splendidiorem ceteris prisca veterum commendavit auctoritas.

D

E

XXXII. *De adolescente debilitate damnato.*

45 Rus quoddam nobile Vastinensis pagi Conbilias dicitur, è cujus incolis quidam annis pubertatem inducentibus infausta genuum debilitate mulctatus, ad præfatæ concurrens festivitatis gaudia, naturali reformatus rectitudini, cujus quàm maximè erat indigus, optatæ secum retulit munia sospitatis.

XXXIII. *De eo, qui bibens noctu,*

46 Institutione Apostolorum Principis informamur, contra veternosas maligni hostis astutias, spiritales & indefectas constanter exercere vigilias, qui tamquam leo dominicis semper infestus ovilibus, incautum quemque & negligentem excipit, laniat, intercludit. Hujus decipulas, quàm subdolas, tam subtiles, subducto cavere monemur exemplo. Quemdam Senonici ruris incolam, pecualis curæ diligentiâ rem familiarem non segniter exercentem, contigit proprium filium providendis pascendisque suibus præfecisse. Hunc antelucano diei cujusdam, ut familiare talibus est, à somno experrectum, sues in pascua ducere cum præcepisset, puer siti correptus vehementissima, raptim se ad situlam contulit, haustumque laticem absque salutaris præmissione signaculi ineunctanter absumpsit: ita vis ardoris (instigante, ut liquet, dæmone) medullas adolescentis invaserat. Lugendum dictu! uno miser eodemque hausto & pestem glutivit & poculum: confestim namque allisus à dæmone, tortusque diutissimè, catenis addicitur, clausturisque validissimis cohibetur.

F

correptus est à dæmone.

47 Cumque per tempus aliquod inrequietâ miseriâ urgeretur, salubriore patentes afflati consilio, ad famosissimam B. Germani memoriam deducendum decreverunt; credentes quàm verissimè, immundos spiritus sacri corporis præsentiæ cedere, cujus virtutem & merita constabat eos frequentiùs expaviisse. Id cum fecissent, applicitum solo puerum ante sepulcrum venerabile porrexerunt, votorum summam ubertate orationis & fletuum obnixiùs prosequentes. Fratres, quorum erat officii religiosis locum excubiis observare, & cruciatu pueri & parentum devotione permoti, accedunt cominus; adhibitisque ecclesiasticis exorcismis, levamen misero per sacri virtutem Præsulis deprecantur. Permodico horæ interveniente curriculo, surgit incolumis; lætisque

A que parentibus perceptæ ſecum retulit gaudia ſanitatis. Superſunt hodieque quamplurimi, qui ſe rei geſtæ interfuiſſe, ſatis ſubnixa relatione fatentur.

XXXIV. *Quod in perjuros quoque evidentem exerat ultionem.*

48 Rem & omnino cavendam & plurimis incunctanter expertam præterire injurium duxerim; cum conſtet, in rebus quoque minimis maximam interdum eminere divinæ virtutis evidentiam. Cum enim ſacroſancti memoriam Confeſſoris continuis intro extroque palàm ſit radiare miraculis, in perjuros quoque non ſegnis probatur ultor exiſtere; ut liquidò emineat, Sanctorum pignora humanis interdum auſibus non impunè laceſſiri: nam ſi quis aut cupiditatis illectu, aut animi pertinacis impulſu, mendacio patrocinari definiens, ſaltem in armillâ januæ *o* jusjurandum explere præſumpſerit, hunc quod ſit reus perjurii, tum rei familiaris diſpendio, tum corporeæ damno valetudinis, abſque dilatione, pediſſequa corripit ultio, duriſque implexum nexibus, aut cita ſatisfactione liberum, aut proximo interitu efficit condemnatum. Id non integri ſolùm corporis præſentia meruit; verumetiam ubicumque locorum ſanctitatis ejus memoria colitur, reverentiæ tantum obtinuit; ut in baſilica, Germani conſecrata nomine, nemo fere, tametſi immaniſſimus, audeat pejerare.

o

B

XXXV. *Quanta virtus ſanctiſſimo ſepulcro adſit.*

49 Jam verò circa ipſius ſepta ſepulcri quanta ſe virtute præſentem exhibeat, hi maximè & evidenter experti ſunt, quibus ejuſdem, ut verè dicam, ſancti ſanctorum ſpecialis eſt deputata cuſtodia. Frequenter namque oleum lampadis ante ſacrum tumulum dependentis excreviſſe deprehenſum eſt; cum quindecim ferme diebus totidemque noctibus inextinctum manens, nihil imminutionis pateretur.

XXXVI. *Quid diligentiæ à ſacri cuſtodibus corporis exigatur.*

50 Illud quoque non negligenter exceſſerim, quantam locus ſacer obſequiorum exigat diligentiam; adeò ut, ſi lucernam, quæ propriè ſanctiſſimo deſervit corpori, per noctem extingui contigerit, nulla indulgeatur cuſtodibus requies, nulla potiendi ſomno facultas, donec defecti impenſa luminis accuratiùs reparetur. Interdum tamquam cujuſdam manûs impulſu moleſtiùs impetuntur; ut nemini impunè dubitare liceat, debita loco ſervitia non ineptè nec ſegniter exercenda. Quid memorem, nonnullos ante hujus reverendi aram ſepulcri in oratione ſecretiùs procumbentes, loci concuſſu precum efficaciam, cæleſtiſque reſpectum facilitatis perſenſiſſe? Omitto, ſacri hujus nominis invocationem multis quoque abſentibus ac periculo proximis præſentiſſimè ſubveniſſe.

C

XXXVII. *De virtute panis ejus nomine inſigniti.*

51 De pane verò ejuſdem cœnobii multa & mira languentibus remedia provenire, pervulgatiſſimum eſt; adeo ut, ſi quis, quamquam decumbens validiſſimè, hujus afficiatur deſiderio, efficaciſſimum eſſe reducis putetur indicium ſoſpitatis. Hoc non incolatum aſſcribimus ſanctitati; verùm & devotè poſtulantium fides obtinere talia, & beatiſſimi Germani meritum, cujus nomine panis inſcribitur, multo valet præſtare majora. Tua hæc ſunt munera, Chriſte, qui in tuorum mirabilis es virtute Sanctorum; dumque hos miraculis clarificas, ad eorum nos imitationem inflammas. Hæc de his, quæ circa ſacrum ejus corpus aut geſta ſunt, aut geruntur, excerpta quàm veriſſimè, faſtidii fortaſſis evaſere nauſeam patrocinio brevitatis. Hinc paucula de illis locis, in quibus ejus venerantur reliquiæ *p*, perſtringentes, ad libelli finem ocyùs properamus.

p

ANNOTATA.

A. S. Hedrico monacho. ex mss.

a S. Crotechildis *Acta dedimus die 3 Junii à pag. 292; in quibus hujus rei nulla ſigillatim fit mentio.*

b *Puta, ubi regnum olim Burgundiæ fuit, cujus regia ſedes erat Arelatum. Porrò cujus eccleſiæ epiſcopus hic* Lupus *fuerit, ignoratur. Videſis conjecturam Mabillonii in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti 593, num. 40.*

c *Eo die tamen à Majoribus noſtris omiſſus eſt, quantumvis hîc* Sanctus *vocetur, ſicut & in epitaphio ejus in Cryptis Autiſſiodorenſibus cœnobii S. Germani; ubi & corpus inventum eſt ab illuſtriſſimo Siguierio in viſitatione ſæpiùs memorata anni 1636: omiſſus eſt, inquam; quia de cultu, ut opinor, non ſatis conſtabat.*

d *Clotharius I, Galliæ tandem monarcha, plures habuit uxores poſt Ingundem, quæ prima fuit: obiit verò Clotharius ille anno Chriſti 561. Quomodo ergo vel prima ejus conjux, vel huic ipſe diu ſuperſtes, munificentiam ſuam in hunc locum expromere potuerunt* per manus ſancti Deſiderii *epiſcopi Autiſſiodorenſis, qui juxta Hiſtoriam epiſcoporum illorum cap. 20 ſedere primùm cœpit ſub finem ſeculi ſexti? An fortè Clotharius primus perperam pro ſecundo accipitur? Atqui huic neſcitur conjugem fuiſſe Ingundem. An* Deſiderius *per errorem pro alio quopiam ejus deceſſore poſitus? An potiùs enorme vitium dicemus eſſe in chronologia Deſiderii, ut paſſim alia occurrunt in iſta Hiſtoria? Non obſtat certè epiſtola S. Gregorii Magni ibidem adducta, tamquam inſcripta* Deſiderio epiſcopo Autiſſiodorenſi: *nam juxta Gregorii Regiſtrum lib. 7 inter epiſtolas Indictione ſecunda, ſive anno Chriſti 599, ſcriptas habetur hæc eadem centeſima decimâ ſexta, inſcripta tantùm* Deſiderio epiſcopo, *ſine loco ſedis. Putat vero ibi Mabillonius, Deſiderium non hunc noſtrum deſignari, ſed Viennenſem. Adiſis illum in Annalibus Benedictinis ad annum 622, num. 34.*

e Freda, *ut probat Cangius, eſt ornamentum vel umbraculum, quod per modum ædiculæ feretris & capſis Sanctorum ſuperimponi conſuevit.*

f *Vide teſtimonium conſonum S. Nicetii ep. Trevirenſis ſuprà productum in Commentario ad Acta S. Lupi ep. Trecenſis § 1, num. 3, pag. 51.*

g *Sic omnia noſtra Mss.; apud ipſum tamen Gregorium de Gloria Confeſſorum, cap. 41, quod hîc exſcribitur, pro* Ravenna *legitur* Roma; *ſed malè, ſaltem in pleriſque codicibus Mss. & editis.*

h Teudechildæ reginæ; *non illius, quam, ut alias plures, ex humili loco ſublatam legitimæ conjugi Ingobergæ ſuperinduxit Charibertus, Pariſiorum rex, Clotharii primi filius, anno 567 vitâ defunctus, & de qua plura S. Gregorius in Hiſtoria ſua Francorum lib. 4, cap. 26 refert; ſed alterius, quæ fuerit Theodorici, uſque ad annum 534 Auſtraſiæ regis, filia, Theodeberti anno 547 vivis erepti ſoror; de qua plura vide apud Valeſium Rerum Francicarum lib. 7. Conſule & annotatâ ad Gregorii Hiſt. Franc. lib. 4 cap. 26 in operum ejus editione Pariſienſi anni 1699.*

i Tigre, id eſt, cultro majore, *ut ad marginem codicis Lugdunenſis annotatur eadem manu, qua textus exaratus eſt. Enſem intelligit Cangius in Gloſſario.*

k Vindicare; *ita codex Lugdunenſis, at Valcellenſis & Ms. Chiffletianum* vendicare, *quod eódem redit. Eſt aut vindicare ſeu vendicare, aliquid ſuum facere, ad ſuos uſus convertere, ut*

E

F

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

eo possis uti pro arbitrio tuo ; quod sanè melius est, quàm quod in edito Gregorio legitur, judicare, *vel in Herici editione Labbeana*, indicare.

l *Sic iterum codices nostri ; licet apud Labbeum, & in ipsius Gregorii editione tantùm habeatur*, cum Avito episcopo. *Patruum habuit appellatque Gregorius S. Gallum, qui Avitum in ecclesiæ Claromontanæ gubernatione præcessit ; sed* S. Avitum *hunc, de quo tamen (utpote suo in sacris Litteris aliquando magistro) sæpissimè meminit, numquam vel avunculi vel ullo consanguinitatis alio titulo nuncupat. Porrò de* S. Avito *ep. Arvernorum agi poterit mense proximo.*

m Musciacas, *vulgo* Mauzac *seu* Mozac *in pago Ricomagensi apud Arvernos.*

n Ludo quàm seriò, *Chiffletius legit* ludo quamserio. *Sed quidni sensus esse possit, puerum vix quinquennem non seriò instructum fuisse, sed ludo; ut qui seriæ institutionis per ætatem capax non esset ? Patet verò hinc, quàm tenera olim ætate liberos suos pii parentes sancto Ordini seu monachorum disciplinæ, mancipaverint. De se ipso Hericus id asseruit suprà in Epilogo ad Vitam metricam num.* 176.

B o Armilla januæ *quid sit, non reperi hactenus. Suspicor, annulum significari (nam & pro annulo armilla sumitur) quo janua solet ab egredientibus attrahi, ut aforis occludi possit : ut sensus sit : Nam si quis, occluso etiam templo vel sacello* S. Germani, *ad januam foris consistens, & vel annulum januæ contingens, pejerare ac falsi testem invocare ausit sanctum Præsulem*, hunc quod sit reus perjurii *&c.*

p *Videtur ergo in singulis ecclesiis, de quibus nunc aget Hericus, aliquid olim fuisse reliquiarum* S. Germani.

CAPUT V.

Miracula in aliis S. Germani per Galliam ecclesiis facta.

XXXVIII. *De surdo inter dormiendum curato.*

IN cœnobio Meleredensi *a* major ecclesia hujus præcellentissimi Patris nomine dedicata cognoscitur. Id cœnobium genti Britonum Romam infatigabiliter expetenti & pervium & familiare est: horum in collegio surdus quidam advenerat ; cui cum aliud non suppeteret hospitium, noctu ante fores ecclesiæ, lapide capiti suppositο, cubitavit : die reddito somnum exuit ; moxque, se beatissimi Germani obtentu damno caruisse aurium, impendiò lætatus est. Lapis, ejus subjectus capiti, receptæ tulit testimonium sanitati, quòd, eo surgente, cruore perfusus apparuit. Pro recuperata salute votivas egit gratias, maturantesque iter socios incunctanter prosecutus est. Huic rei multorum adhuc, qui id inspexere, superstitum præsentia suffragatur.

a C

XXXIX. *De ecclesia Ladriaci fundi.*

53 In pago Laticensi, qui Lingonicæ * defert Diœcesi, fundus est notissimus, Ladriacus nomine, apud quem ecclesia est hujus pretiosissimi Præsulis sacrata pignoribus, quæ montano sita in culmine, aliquantum à villa longiùs distat. Quamobrem nonnulli Lingonicæ præsules civitatis hanc diruere, & aliam pro ea intra villæ ambitum instaurare conati basilicam, frustra consumpsere operam, cum id non semel, nec bis fuerit attentatum : nam quotiescumque sacrum altaris lapidem ob reliquias elevandas amovere tentarunt, tanto fixus pondere perseveravit immobilis, ut facile adverteres, antiquum loco cultum avertere divinæ non esse permissum providentiæ. Quo in loco cum semper mira patrentur & maxima ; in splendidissima tamen festivitate Kalendarum Octobrium divina copiosiùs beneficia devotè confluentibus ingeruntur.

* *vulgo* de Langres

D

XL. *De mulière cæca inibi curata.*

54 Quodam itaque tempore, cum ad præfatæ celebritatis annuum diem populus ex more conflueret ; ex villa, cui Marcenniacus vocabulum est, distatque à loco suprædicto non plurimùm, mulierem captam oculis contigit interesse. Hæc ingressa basilicam, precibus ac votis uberrimis suæ cæcitati remedium flagitabat ; cumque sacræ à fidelibus vigiliæ debitis agerentur officiis, universo id spectante conventu, cœpit ex ejus oculis guttatim cruor effluere. Intra horas brevissimas omnimoda discussa caligine, redeuntis diei jubar cernere, & clarè omnia videre promeruit ; diem illam gratiis exegit & laudibus ; peractisque suæ reparationis salutaribus, votorum plena remeavit ad propria.

E

XLI. *De invaliditate cujusdam reparatione.*

55 Annus sequens ejusdem gaudia festivitatis revexerat, interque turbas properantium quemdam ex familia sancti Mammetis *b*, ejusdem colonum villæ, invalidum totoque corpore reptilem, contigit adveniſse. Is, dum se ex animo ad Deum contulit, beati obtentu Præsulis nativæ rectitudinis columen multorum in præsentia recuperavit. Quotidiani, tertiani, quartanive typhi * assiduè percepta remedia, perenni febricitantium concursu locum frequentatissimum reddidere ; quorum nemo levaminis expers rediit, quisquis ad sancta limina fide plenus accessit.

b

* *i. e.* febris

XLII. *De equo in pratum ecclesiæ violenter admisso.*

56 Loco sanè illi, rebusque ad eum pertinentibus, violentiam non inferendam, temerarii quique experti sunt. Quodam namque cum suis iter continuante comitibus, unus eorum, cui id genus officii incumbebat, equos, quibus in ipso utebantur itinere, prato ecclesiæ inducere nitebatur : cui cum à quodam rusticorum dictum fuisset, beati Germani esse pratum, tantique nominis respectu ab ejus invasione parcendum ; ille verba sibi tantùm dari existimans, equos nihilominus introduxit. Primus qui ingressus est, mox ut herbam dentibus carpsit, damnabili deformitate mulctatus est, in effigiem X litteræ faucibus per transversum distortis. Equorum custos, inspecto negotio, reliquos quàm celerrimè abigeris, proventum rei Domino nuntiat. Is offensæ pœnitens, candelam ad modum equinæ longitudinis pro piaculo detulit ; sanctoque satisfaciens Germano, vehiculi * reparationem obtinuit. E multis pauca perstrinximus, ne locum tantis insignem privilegiis præteriisse videremur.

F

* *i. e.* equi

XLIII. *De miraculis,*

57 Hinc Pauliacum, villam ruris Senonici, vel compendiosiùs memorare, non tam vicinitate loci, quàm dignitate compellimur. Fundus ille ad beati Germani pertinens potestatem, ecclesiam quoque habet & nomine ejus celebrem, & virtutibus præcellentem ; quas quoniam vel difficile vel impossibile est aut numero, aut ordine explicari, omissis iis, quæ veteravit antiquitas, pauca ex illis quàm succinctè contingimus, de quibus si incidat dubietas, multitudine testium obruemur.

Autissiodorensis pagi accola, Petrus cognomine, contractione genuum amiserat naturalem commeandi usum. Vota concepit ; ad sancta limina reptabundus accessit ; mox debilitati subtractus, beati Germani patrocinio se promeruisse gavisus est solidam gressuum functionem. Scabella dudum fa-

familiaria ſuſpenſa pro foribus, rei geſtæ argumento fuere diutiùs.

Ex vicino fundo, cui Blariacus vocabulum eſt, mulier, Nonnula nomine, contractu totius corporis penitus inofficioſa, ad eamdem baſilicam geſtatorio ſe contulit; moxque beati Germani merito officiis reſtituta decentibus, & ſalutis & gaudii plena receſſit.

apud eccleſiam 58 Altera ejuſdem villæ mulier, Alda ex parentibus nuncupata, nihilominus contracti corporis damna deplorans, geſtatorio ſe illuc ferri petiit; atque, præſentis ſuffragio medicinæ membris in priſcum cedentibus, valens ac læta diſceſſit.

Ex agro Autiſſiodorenſi, Pratilis dicto, item alia mulier, Berlindis nomine, artubus ipſa quoque contractis, prædictæ baſilicæ vehiculo delata ſucceſſit; orationi ſe dedit; vota apud Sanctum depoſuit: moxque præſentem experta Deum, naturalibus organis reſtituta convaluit.

Ex villa Luſciniaco mulierem toto contractam corpore, Teduiſam nomine, fama huc miraculorum adduxerat. Hæc, beati Patris ſuffragante merito, membrorum decus cum rectitudine conſecuta, conſciam ſe hujus beneficii plurium dierum ſervitio declaravit.

Hujus ſanè loci non eſſe ſimplicem majeſtatem, plurimi quoque, diverſa febrium acceſſione vexati, ſæpiùs probaverunt. Alcharium quemdam, quartano impetu deſperabiliter tabeſcentem, illuc contigit adveniſſe: eccleſiam ſubiit; excubias egit; ſeque potentiſſima beati Patris ope quàm celerrimè ſoſpitati redditum, ingentibus præconiis declaravit.

Agius, ejuſdem loci presbyter, tertianam diu paſſus inertiam; ut ſe devotè ad Deum contulit, obtentu beati Præſulis celeri donatus beneficio, importunam mox peſtem exceſſit.

Beatus, ipſius baſilicæ clericus, quotidiana inquietudine acriter fatigatus, divinas per beatum Germanum medicinas expetiit; ſeque repentè inrequietâ moleſtiâ exemptum ſenſit.

Pauliaci 59 Si univerſos apud hunc locum noſtra tempeſtate hujuſmodi ereptos incommodo memorare velim, parabit, credo, tædium numeroſitas occurrentium perſonarum. Parcendum itaque talibus, atque ad reliqua ædificationi proficua concedendum.

Ejuſdem loci mulier, Doda nomine, ſacras ferias negligentiùs tractans, ipſam quoque diei Dominicæ majeſtatem, Chriſtianis omnibus propenſiùs obſervabilem, auſa eſt lanificio uſuali violare. Temeritatem operis excepit continuò ſeveritas ultionis: manus ad illicita conſuetæ, neceſſariis mox deſtituuntur officiis; actumque eſt, ut nec naturæ poſſent ſatisfacere, quæ Auctorem naturæ in profanatione ſuæ diei non timuerant provocare. Tandem miſera reatum agnoſcens, ad beati Germani ſe ſuffragia contulit; ne talia deinceps iteraret, voto ſe interpoſito obligavit; clementiſſimi Patris facilitate miſericordiam conſecuta, ſub multorum conſpectu & ſanitatem manuum & criminis veniam reportavit.

** al.* non nulla Ejuſdem impiatione diei Nonnula* mulier manibus itidem contrahi meruit. Criminis conſcia eccleſiam adiit; vota multiplicavit; beati Patris interventu incolumitatem cum emendatione vitii domum revexit.

Item alia, Fredegardis nomine, ſimili pro crimine eodem mulctata eſt ſupplicio; & facti pœnitens, & de miſericordia non deſperans, ad præfatum locum ſe contulit; faciem lacrymis, cælum gemitu oneravit; ſacerdos loci pro recuperatione infelicis publicam orationem adhibuit; beato interveniente Germano, & facinori veniam & manibus prometuit ſoſpitatem. A. S. HERICO MONACHO. EX MSS. geſtis.

60 Quæ verò ad locum hunc pertinent, ſacra eſſe, nec in uſus ceteros perperam transferenda, frequenti præſumptorum caſtigatione pateſactum eſt. Loci ejus ſacerdos (ut ſolet inſipientium animus circa talia fore incautus) ex funè; quo ſignum eccleſiæ dudum pulſari conſueverat, capiſtrum equo impoſuit. Mox liquidò claruit, rem ſemel ſacram, domeſticis uſibus non decuiſſe conduci: ut enim equino capiti inductum eſt, cuncta, quæ funis complexus fuerat, ita derepente abſumpta ſunt, ut univerſa caro cum pilis & cute oſſium tenus ferro putaretur deciſa. Sic equus ille innoxius, temeritatis alienæ de cetero ſervavit indicia; quippe qui nec carnis plenæ, nec cutis ſolidæ, nec pilorum deinceps recipere meruit recrementa.

Ex rure, cui Villaris nomen eſt, mulier, Maria nomine, ad locum hunc ſub prætextu orationis acceſſit, nactaque opportunitatem ſacrilegii, linteum de ambone ſubduxit, domumque cum furto regreſſa, profanos renes ſacro tegumento præcinxit. Illico totis artubus diſſoluta, cum detrimento corporis ſenſit præſentiam ultionis. Mox facti pœnitens, reatum agnovit, ſeque ad locum, quò malè priùs acceſſerat, reportari petiit; publicè confeſſa delictum, ſacrilegii nefas lacrymis expiavit. Sic ſacerdotis & populi interventu clementiam meruit; ac deinceps, beato miſerante Germano, cum incolumis, tum etiam caſtigata receſſit. His & ſimilibus locus ille frequens privilegiis, facilè ſibi famoſum reverentiæ titulum vindicavit.

XLIV. *De puella muta.*

61 Præterea in pago Rotomagenſi regius fiſcus eſt, quem incolæ, ob palatii antiquitatem, Veterem domum nuncupant: capella palatio contigua, beatiſſimi Germani famoſa nomine, illuſtris merito; ſignorum dote ſummam ſibi facilè venerationem obtinuit. Unum erit propoſitæ ſufficiens brevitati; quod eo memorare compellimur, quo publicum ſcimus. Rex Carolus *c* huc fortaſſe devenerat, cum Heriſpogio duce Britonum placitaturus, ac ſeria quæque de regni negotiis tractaturus: illuc, ut in tanto conventu aſſolet, immodica turba pauperum undecumque confluxit; inter quos puella quoque muta adfuit, familiaris inopiæ malum quæritandæ ſtipis artificio docta temperare. Ea, quòd hoſpitii facultatem non reperit, intra capellæ ambitum conceſſit. Circa noctem mediam vigilanti Germanus ſanctiſſimus aſtitit, placidoque hanc alloquio mulcens; Jus, inquit, hoſpitii negatum tibi ab hominibus*, humanitate, qua potero, compenſabo. Ita fatus, mentum mutæ blanda ſubrigens manu, in os ejus expuit; moxque viſibilem ſuæ oſtenſionis præſentiam ſubtraxit. Virtute medicaminis intima faucium rupta, ſanguinis ejecere quamplurimum; adeò ut tota planities pavimenti eo ſuperfuſa videretur.

** al.* omnibus

62 Umbris cedentibus, ſuperis reducta dies necdum noti proventum miraculi perſpicuis declaravit indiciis: nam & puella loquendi recepto uſu, quod ſecum actum fuerat, ordine proſecuta eſt; & is, qui ab ore loquentis rivatim fluxerat, cruor, adhuc in pavimento recentiſſimus, patratæ rei argumentum præſentiſſimum afferebat. Interea à nonnullis curioſiùs percontata, in qua ſibi beatus Germanus apparuiſſet effigie, perſonam ſe vidiſſe teſtabatur vultûs dignitate ſplendi- *generalis conventûs teſtimonio curata.*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

dissimam, staturâ mediocrem, capilli qualitate decoram, mixta tamen canitie reverendam. Hæc & alia dixit se in eo notasse signa, quæ nonnulli eorum, qui sacrum ejus corpus, cùm transferretur, quondam tractare meruerunt, quàm simillimè se asserunt perspexisse. Huic miraculo tot extitere testes, quot ad hujus generalis conventûs spectaculum è cunctis regni partibus occurrere potuerunt.

ANNOTATA.

a Meleredensi, *aliàs* Meleretensi, Melerensi *&c.*, *nunc vulgo* Moutier, *in pago Autissiodorensi; de cujus fundatione Robertus monachus in Chronologia post annum* 729; *& fusiùs Mabillonius in Annalibus ad an.* 721, *num.* 47 *& alibi.*

b S. Mammetis, *sive* Mamantis M., *subintellige basilicæ. Celebris in Galliis hic Martyr evasit, ex quo S. Radegundis regina reliquias ejus seculo sexto ex Oriente obtinuit, uti dicetur* 17 *Augusti. Ejus nomine Lingones seculo duodecimo, post impetratas quoque reliquias ejus insignes, cathedralem ecclesiam dedicarunt.*

B

c Carolus, *cognomento* Calvus, *cui opus hoc auctor nuncupavit. Conventum hunc refert Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 851, *num.* 27.

CAPUT VI.

Continuatio miraculorum variis locis ibidem ejus nomine dicatis patratorum.

XLV.

De oratorio beati Remigii manibus, in ejus honorem extructo.

SAnctissimus & in optimis quibusque præclarus Remigius, Remorum pontifex pretiosus, honore Germani beatissimi in loco, quo sepeliri decreverat, quique ab urbe Remensi milliario fermè distat, propria manu, ut vetustissima Testamenti ejus pandit auctoritas, extruxit basilicam. Hæc ut antiquitate longæva, ita quoque miraculorum perstat splendore clarissima. Horum autem duorum festa Pontificum Kalendis Octobribus mundo pariter illuxisse, vulgo quoque notissimum est. Ad hæc solito celebranda spectaculo ad locum supradictum, quo scilicet sanctissimi Remigii corpus quiescit venerabile, populus ex more confluxerat. Factum est, ut Officiis vespertinis exactis, generaliter, ut in cœnobiis mos est, universa vulgi concio à septis ecclesiæ custodum instantiâ pelleretur. Contractum quemdam amici vehiculo detulerant, quem à beati Remigii expulsum templo, in præfatam sancti Germani basilicam, quòd pro foribus consisteret, intulerunt. Ibi per noctem aliquantisper excubans, beatissimi Germani meritis sospitati redditus, naturalibus gressuum officiis de cetero perfrui meruit. Ita Vir apostolici culminis etiam suæ commendavit sublimia dignitatis, ostendens, se in ejus celebritate diei locum obtinere præcipuum, quam clarificare voluit suorum quoque privilegiis meritorum. Loca hæc, quorum huic opusculo mentionem inseruimus, virtutibus pollent penè continuis; verùm nos ea tantùm attingere decrevimus, quæ pervulgata omnibus, ambiguitatis scrupulum eluctari meruerunt.

C

XLVI.

De basilica,

64 In suburbio Suessionico B. Germani ecclesia eminet, quam opinio conscia vetustatis à duodecim famosissimis negotiatoribus orbis olim perhibet esse constructam; qui quoniam de regnis ad regna sedulè permeantes, prope ripam Axonæ crebriùs fixere tentoria, id suæ frequentiæ decreverunt eo loco statuere monumentum; ut collatis expensis beato Germano ædificarent basilicam, cujus merito ac precibus inter terrarum marisque discrimina se præcipuè posse protegi, confidebant. De sanctitate ejus loci sunt nobis comperta quamplurima, quæ opusculi brevitas explicare non patitur: pauca perstringere animus suggerit, quæ per sacerdotem ejus basilicæ fideliter comperta tenemus. Hic ipse ad revisendos agros ecclesiæ die quadam se ferebat esse profectum: dolo vicini cujusdam agrorum terminos immutatos, ac non absque suæ partis detrimento reperit esse confusos; adhibitaque denuò legitima cum testibus mentione, lapidem in terminis composuit; atque pro causa solicitus; Sancte, ait, Germane, siqua tui sacerdotis te detinet cura, hos agri tui terminos à pervadentium tuere calumnia. His dictis, domum repetit.

D

65 Vicinus interea, cupiditatis acrimonia perurgente, noctu ad campum accedens, convulsum à terminis lapidem longè semovit, sua amplificans, aliena perperam coangustans. Die redditò, presbyter revertitur; violatos terminos aspicit; atque iteratæ temeritatis impatiens, felle commoto; Nonne, ait, sancte Germane, tuæ fidei ista commiseram? Vix iste in campo verba compleverat, & jam sacrilegum intra domesticos parietes ultrix pœna plectebat; subitis doloribus corripitur; & totis contractus membris, virium adminiculo destituitur. Mox temeritatis reminiscens, amicos advocat; consilium salutare implorat; ad presbyterum per amicos causa defertur; ut misero piè consulat, humiliter flagitatur. Ille nullum præsentius remedium se scire asserit, quàm ut, votis sumptis, ad ejus se ecclesiam conferat, cujus offensâ eum talia pertulisse constabat. Gestatorio delatus, accessit; perque dies aliquot peractâ ibi pœnitentiâ, clementiam meruit; sospitati deinde reformatus abscessit; non magis ipse correctus, quàm ceteris, ne tale quidpiam deinceps admittere audeant, exemplo futurus.

Sessionis

E

66 Idem ipse presbyter, dum quadam nocte dominicâ in ecclesia solemne celebraret Officium, levi sopore subductus, sensit, se superventu cujusdam personæ impulsum, atque, ut festinus domum suam ingrederetur, admonitum. Illico surrexit; & rapto cereo, domum ingressus, latrones intra cubiculum reperit, stramenta lecti, & si quid vestimentorum repererant, sarcinantes. Quos custodiæ mancipans, in ecclesiam rediit, & residuum Officii diligenter explevit. Liquet, beatum Germanum basilicæ suæ consuluisse ministro; ne, dum divinæ laudi insisteret, rei familiaris damna subiret.

ejus honore

F

67 Minus est audita depromere, nisi & aliqua oculis percepta subdantur. Pridie Kalendarum Augusti beati Germani transitus apud urbem Suessionicam fervido celebrabatur obsequio; cumque die in vesperam proniore divinæ laudis celebritas, cum in urbanis, tum etiam in suburbanis ecclesiis ac monasteriis esset explicita, solicita mihi cogitatio incidit, Axonâ transmeato, ad præfatam properare basilicam, ne fortè (quod animo reputabam) abscessu presbyteri vespertina loco deessent Officia. Sumptis itaque aliquot fratribus, anxiè properabam. Jamque nobis ecclesiæ atrium subeuntibus, signa solitum dedere clangorem. Concitato acriùs cursu, ad ostium accessimus;

construc-

A simus ; quod clauſum quidem, ſed minimè obſeratum invenimus. Vix nos pedem poſueramus in limine, & jam ſigna pulſari deſierant. Huc illucque oculos circumferentes, neminem in eccleſia vidimus. Oſtium, per quod elabi poſſet aliquis, nullum erat. Domum ſacerdotis ſumma celeritate ingreſſi, diligenter perſcrutantes omnia, perſonam nullam, vacua cuncta conſpeximus. Presbyter cum ſuis omnibus, ut poſtea profeſſus eſt, relicta domo vacua, jamdudum in urbem pranſurus abſceſſerat. Cumque rem mecum tacitus volverem, conjectum eſt ab omnibus, beato Germano divina veſpere non defuiſſe obſequia, quæ ab hominibus palàm videbantur eſſe neglecta. Conſummato Officio, alacres diſceſſimus, luminaribus in noctem compoſitis, & oſtiis eccleſiæ diligentiùs communitis. Et quamquam mens miraculi conſcia in interioris hominis penetralibus plauderet ; malui tamen, cæleſte portentum aliis prædicantibus publicari ; ne cui fortè ſuſpectus efficerer, quod, cum ſim beati Germani peculiare mancipium, multiplicandi favoris gratiâ

B voluerim majora ex minoribus affectare.

XLVII. *De temeritate Viviani principis apud Cadriacum in Falconibus punita.*

68 Pagus Cinomannicus *a* beatiſſimi Germani meritis devotus ſpecialiter, infinita apud ſe diverſis locis ejus miracula prædicat, quæ ſi litteris mandarentur omnia, maximi per ſe poſſent corpus implere voluminis. Eſt in ipſo pago Cadriacus villa, habens eccleſiam ejus virtutibus glorioſam : is locus quoniam ex longo ſignorum claret affluentiâ, ardentiſſimo populorum indefeſſè confluentium ſtudio frequentatur. Teſtantur, qui videre ſæpiſſimè totius baſilicæ parietes intra extraque pallis *b* ac linteis coopertos, quæ fidelium devotio, ob percepta ſanitatum dona cæleſtium, ſacro ſuſpendit loco. Ea, quòd arcto conſtructa ambitu, concurrentium impar erat conventui populorum, à loci incolis hinc inde ligneis eſt ambita porticibus. Huc vice quadam Vivianus princeps *c* deveniens, qui tum eidem dominabatur fundo, inſtructum ſeſſurus ad prandium, capos *d*, quos vulgò falcones nuncupant, qui ſecum delati fuerant, per baſilicæ porticus componi præcepit. Hoc facto, convivio ſeſe indulſit : à quo cùm ſurrexiſſet, falcones univerſos mortuos reperit, iiſdem, quibus implexi fuerant, pedicis dependentes. Temeritas principis punita damno gratiſſimæ voluptatis, ipſi quidem triſtitiam, reliquis intulit admirationem. Germanus ſanctiſſimus ſuo reverentiam vindicans loco, quàm ſibi diſplicuerit ſæva rapacitas, evidenter admonuit, cujus vitium etiam in avibus raptu victitantibus tam diſtrictè perſecutus eſt.

C

XLVIII. *Quod hîc quoque perjurii temeritas puniatur.*

69 In perjuros quoque tantus exiſtit ultor ; ut in altari ejus baſilicæ nemo audeat, ne verum quidem, juramento peragere. At ſi qui ſaltem in eccleſiæ janua jurare tentarunt, inevitabili mox ultione perculſi expiraverunt alii ; alii imbecilles effecti, perpetuò profanis auſibus pœnas dedere præcipites. Cæci ipſo in loco lumen recuperavere quamplurimi, claudi greſſum, leproſi pollutæ cutis munditiam, frigoritici * ſoſpitatem. Hæc compendio tetigimus ; ne locus quotidianis illuſter * beneficiis, excipiatur ab officio noſtræ commemorationis. Ceterùm in locis Cinomannicis, Andegavinis quoque, ac Baiocaſinis *e* certiſſimè aſſerunt, beatiſſimi Germani gloriam penè copioſiùs ab omni populo venerari, quàm (ſi dici liceat) quo ſancta ejus membra recubant tumulata ; adeò ut infinita miracula, per eum in his patrata regionibus, ne verbis quidem attingi, nedum paginis inſeri valeant.

* *i. e.* febricitantes

* *al.* illuſtris

70 Nec temerè prætereundum, quod portiunculæ ex loculo ſacri corporis pro reliquiis datæ, cæleſtibus interdum claruere miraculis : namque illuſtri cuidam viro, beati Germani reliquias poſtulanti, aſtulam *f* ex cupreſſo, qua quondam ſacrum tegebatur corpus, ab archiclavo * eccleſiæ meminimus fuiſſe conceſſam. Ille ſumma cum devotione ſuſcepit ; & in ſuperioribus partibus Autiſſiodorenſis pagi in patrimonio ſuo, quod Heldinnus dicitur, oratorium ſancti Præſulis honore conſtruxit. Huc ſe quadam die puella quædam reptilis contulit, quam ita horrendæ vis debilitatis affecerat, ut cruribus contractis, & pedibus retro diſtortis, univerſam inceſsûs ei penitus abjuraverit facultatem. Hæc aliquamdiu intra oratorium commorata, cum ſe orationi expromptiùs implicaſſet, ita derepentè juncturarum ac nervorum ejus compages diſſiluerunt, ut confractum aliquid in fruſta ceſſiſſe putares ; ipſa quoque articulorum oſſa trans corii denſitatem adeo violenter cum ſanguine proruperunt, ac ſi admotis totidem ſpiculis miſeram cutem cerneres perforari : ac tum quidem exanimis penè facta, paulo pòſt receptis officiis, huc illucque deambulans, ingens longè latéque præconium miraculo dedicavit. Exin locus ille & virtutibus frequens & conventibus celeber, ſpecialem apud ſe quoque reverentiam divino cultui vindicavit.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

XLIX. *De cujuſdam puellæ mirabili reſtauratione.*

f

* *vulgo* theſaurario

71 Morvennicos ſaltus *g* hujuſmodi oratoriis eſſe refertos nemini, niſi locorum inſcio, incognitum eſt ; quippe quæ conſtat adeo eſſe famoſa, ut cuncta itinerum ambiguitas, quæ per ſilveſtria poteſt incidere, horum notione locorum, quaſi quodam lapideo milliario, declaretur. Ita Germanus beatiſſimus felici patrocinio prævioque ducatu itinera dirigit, vias componit, gradientibus ſubvenit, nec ſolùm errore exuit, verùm etiam à periculorum incurſione communit. Novimus his in locis nonnullas ejus honore baſilicas, in quibus olei crebro manare pinguedinem, & miraculi frequentiâ, & multorum teſtimonio confirmatur. De febribus pellendis memorare aliquid ſuperfluum ducimus ; quando hoc beneficium quotidianum non jam miraculo ducitur. Alias quoque ſcimus per ejuſdem ſolitudinis vaſta diffuſas, quibus quanto minor ab homine cultus impenditur, tanto in eis divinitatis præſentia potior declaratur.

L. *De locis*

g

72 Nam & luminaria ſi aut tardiùs accendi contigerit, aut accenſa extingui, ſæpenumero deprehenſa ſunt illic cælitus inflammari ; ſigna quoque eccleſiæ interdum, nullo pulſante, ſonantia periculoſam cuſtodum negligentiam erga divinas Horas ſpontaneo officio increpare. Ut palàm emineat, ceſſante diligentia hominum, non abeſſe loco cuſtodiam angelorum. Nec verò aſpernandum eſt, ſi magnis Dei beneficiis etiam minima inſerantur : tanta etenim auctoritate beatus Germanus res ad ſe pertinentes etiam à beſtiis protegit ; ut, ſi fortè vulpes (ut ſe habent ſilveſtria) gallinam ſacerdotis invaſerit, rapto potiri nulla ratione ſinatur ; quin potiùs loco defixa, nec fugiendi copiam, nec lædendi habeat facultatem ; donec ſuperventu hominum cum prædone pariter præda capiatur. Agit hoc dignanter in minimis, qui maxima quæque potenter operatur in magnis, quique univerſalis naturæ & conditor & moderator, ne unum quidem paſſerem caſſò perire permittit.

Morvennicis

F

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ANNOTATA.

a Pagus Cinomannicus & Cenomannicus, *vulgò* le Maine, *Normanniam attingit & minorem Britanniam.*

b Pallis, *id eſt* aulæis; *vide Cangium.*

c Vivianus *ille, dux fuit Caroli Calvi, cæſus in prælio adverſùs Heriſpogium Britanniæ ducem anno* 851 *juxta Chronicum Ademari apud Labbeum in Bibliotheca Mss. librorum tom.* 2, *pag.* 161 *& ſeq.*

d Falcones *appellari* capos *à* capiendo, *docent paſſim cum Cangio etymologi. Labbeus* aves *legit; ego codices noſtros malim ſequi.*

e *Nota ſatis hæc territoria ſunt Bajocaſinum, vulgo* de Bayeux, *in Normania; Cinomanicum; Normaniæ, uti dixi, adhærens; uti & Cenomanico adhæret Andegavinum, vulgo* Anjou.

f *Ita Mss. Eſt autem* aſtula *vox apud medii ævi ſcriptores uſitata pro ſegmento, ut vide apud Cangium.*

B g *Morvennicum, ſeu Morvinnum pagum regiunculam facit valde montoſam & ſilveſtrem Valeſius in Notitia Galliarum, &* partim, *inquit*, Nivernenſi pago, partim dominio Caſtri Canini (Chaſteau Chinon,) partim etiam Burgundiæ attribuitur.

CAPUT VII.

Miracula facta apud cœnobium S. Germani Monfalconenſe.

11. *a* De reverentia

FAlconis montem *a* ex antiquo vocatum non jure præterierim; ne locum nobilem frequentemque virtutibus, tam negligenter, quàm obliviosè videar ſuppreſſiſſe. Id cœnobium beatiſſimi Germani præcelſum meritis, ut illuſtratur nomine, ita virtutibus exornatur; multa ibi ſignorum gloria, multa mortalibus è cælo conferuntur beneficia; ibi viſum cæcitas, debilitas reparationem, auditum ſurdus frequenter emeruit, frigoriticis quàm multa ex improviſo percepta remedia; his quàm maximè, qui quartano decumbentes incommodo, acriora febrium concitamenta ſenſere. Illud non reticendum, quanta in pervaſores loci vindicta deſæviat; quibus in loco temere perpetraſſe aliquid, mortem ſibi conſciviſſe fuit: nam ſi quis inibi aut dominari per tyrannidem, aut cum cœnobii familia ſæviùs agere, aut rerum eccleſiaſticarum pervaſor eſſe tentaverit, huic non in longum differtur ultio; verùm quàm citiſſimo raptatus interitu, ſacrilegæ temeritatis è veſtigio pœnas luit. Id apud cunctos loci incolas certiſſimum, expertumque eſt; & tamquam naturale verſatur in ore proverbium, eum, qui ſancto non timuerit violentus eſſe Germano, aut trucibus luporum dentibus conteri, aut Moſæ fluminis rapido gurgite incunctanter abſumi. Hac juſti Judicis diſpenſatione mirabili, & piis in Sanctum Domini amoris affectio, & improbis quibuſque in reſecandis auſibus timoris ingeritur magnitudo. Audiant talia ſeculi poteſtates; diſcantque, damnum eccleſiis non inferendum, ſcientes certiſſimè, Deum in ſuorum injuriis vindicem eſſe ſervorum.

C

74 Quidam præterea fur eccleſiarum effractionibus aſſuetus, præfatam beati Patris baſilicam, *cœnobii,* fraudis opportunitate captata, ſubintrans, coronam argenteam ante altare pendentem demiſſo funе depoſuit; quam ut profanis manibus comprehendit, ita divinitus loco defixus eſt, ut nec pedem ſubducere, nec manus temerarias ad ſe poſſet ullo modo revocare; donec ſacri loci remeante cuſtode, ſacrilegus cum furto pariter teneretur. Caſtellum quoddam Adriani dicitur ad ſupradicti cœnobii pertinens poteſtatem. Id arduo ſitu in prærupti montis faſtigio collocatum, beati nihilominus Germani eccleſiam præfert, cui frequens virtutum copia & reverentiæ & honoris plurimum acquiſivit. Cæcus igitur quidam ea in regione notiſſimus, profectus à villa, cui ad Leones vocabulum eſt, quamque ad radices ejuſdem montis locavit antiquitas, ſpe recuperandi luminis per convexa rupis ad præfatam baſilicam properabat; ſed cum aſcensûs difficultate gravatus, montis altitudinem ſuperare non poſſet, imbecillitate pariter & labore decumbens, feſſos artus ſopori permiſit. Dormienti clementiſſimus Germanus adfuit, blandaque miſerum pietate demulcens, ut labori parceret juſſit; tum veteris ſpinæ truncum in parte montis oſtendens, ut baculo terram foderet, ac de unda mergentis * laticis oculos ablueret, imperavit. Sopori ſubductus, duce puero, locum expetit; terram baculo ſubigit; eventum miraculi præſtolatur. Fons largiſſimus exilit; eo oculos fovet aliquamdiu; mox decuſſa caligine, novo fruitur die. Votis urgentibus, montis verticem ſcandit; miraculum publicat; Reparatori ſuo multiformes grates accumulat. Fons ille remediorum fœcundiſſimus, è remotis quoque locis à pluribus frequentatus, & lavacro relevat, & potu jucundat.

D

E

* *al.* emergentis

75 Ejuſdem loci vice-dominus quadam die diſcutiendis negotiis datâ ſingulari operâ, eccleſiaſticam familiam iniquis imperiis opprimebat. Reclamantibus cunctis, & apertam violentiam tumultuoſa vociferatione teſtantibus, unum eorum, qui inter ceteros honoratior videbatur, ligatum ſtipiti, virgis mulctandum præcepit. Hac omnes crudelitate permoti, pedibus provolvuntur, atque ut facultatis oppoſitione indignitatem verberum removeret, obnixiùs ſupplicant: quæ res ſævitiam hominis non ſolùm non leniit, verùm acerbiùs provocavit. Cumque jam miſerum ad ſupplicia violenta raptarent, beati Germani præſidium anxiis cœpit vocibus inclamare. Judex felle commoto; Etſi ſanctus, ait, Germanus hac tibi vice mox ſubvenerit, quid poſſint verbera tuo ipſius experiere ſupplicio. Vix iſta compleverat; & in partem converſus, graviſſimè corruit, ac temeritatem verborum crurifragio compenſavit. Ita beatus Germanus, ſe fuiſſe præſentiſſimum declaravit; dum & miſerum abſolutione donavit, & contumacem merita contritione perdomuit. Cumque rem geſtam celer ubique fama diſpergeret, matrona quædam ex illuſtribus, hujuſmodi negotio relatione comperto, in tumorem erigitur; ac frivolum animum incendens levitate verborum, in hujuſmodi querelam effertur: Non, inquit, decuerat ſanctum Germanum in hac parte ita facilem extitiſſe, ut hominem ſua quærentem tanta crudelitate conficeret. Blaſphemos ſermones ultio repentina corripuit; nam ut iſta furens protulit, & in verbo veſtigia torſit; ita pedem ejus dextrum vindex pœna contrivit; ut penè exanimis ancillarum manibus in cubiculum referretur. Igitur quæ paulo antè de alterius cauſabatur incommodo, jam nunc propriæ calamitatis remedium anxia quæritabat; quemque injuſtum

quod

B

in

A in ſuperbi hominis punitione notaverat, juſtum jam per omnia in ſuam potiùs contritionem prædicabat : amicis & parentibus adſcitis negotium profitetur ; animi in ſe levitatem increpat ; oris facilitatem objurgat ; & votis tandem & muneribus onerata, eccleſiam expetit ; ſcelus lacrymis expiat ; à beatiſſimo Germano veniam cum ſanitate repoſcit ; nec multo interjectu temporis miſericordem ſenſit, quem dudum fuerat experta ſeverum. Soſpitati reddita, in domum ſuam caſtigata receſſit, parcendumque ſermonibus immodeſtis modernæ ultionis exemplo perdocuit.

Mons-falconis

76 Conſimile quiddam in villa Altiſſiodorenſis pagi, cui Abundiacus nomen eſt, patratum meminimus ; in qua vir quidam illuſter & penè toti notiſſimus regioni, quemdam ex loci incolis ſævis verberibus profligari præceperat ; illoque pretioſi Patris ſuffragium inclamante, non modò flexus non eſt, verùm etiam maturari crudele negotium imperans, equum feſtinatò conſcendit : ac priùs, quàm portam excederet, equus in ſublime tollitur ; ſeſſorem dorſo excutit ; coxâque tranſversùm fractâ, miſerâ alliſione proſternit.

B Nec priùs ſoſpitatem meruit, quàm beato Germano, cujus nomen ſpreverat, debita pœnitudine ſatisfecit. Hoc propter facti ſimilitudinem ita inſerto, ad locum *b*, quem omiſimus, ſeriem referamus *c*.

b

c

dicitur.

77 Supradicti caſtelli dominus cupiditati nefariæ morem gerens, res ad eccleſiam pertinentes auſu temerario abdicavit. Quo comperto, Remenſis epiſcopus, ad cujus diœceſim locus ille pertinere cognoſcitur, evocato presbytero, ne ſacrilego homini Miſſæ officium impenderet, interdixit. Nec multo poſt ille ſuperveniens, conſueti officii celebritatem à presbytero exigebat ; quod poſtquam à pontifice comperit interdictum, ejuſdem loci villico advocato, quod eccleſiæ abſtractum fuerat, datis vadibus reddi juſſit. Ita Miſſæ potitus officio, ſiniſtræ voluntatis ſtimulo perurgente, quod paulò antè reddi juſſerat, violata fidei interpoſitione, denuo præcipit abdicari. Nec longum lætatus eſt, quin ſacrilegum pœna corriperet : vix namque domum remeaverat ; & maligno pervaſus ſpiritu, infeliciter torquebatur. Uxor temeritatis conſcia, pro ſalute viri ad eccleſiam cereos & vota direxit ; è quibus ne unus quidem accendi potuit, perſeverante erga infelicem divinæ indignationis indicio, quam ſemel in ſe provocare non timuerat ſacrilegæ cupiditatis exemplo. Cui immaniſſimæ calamitati tum demum ſuperna miſeratio finem dedit, cum conjugis & parentum conſilio perſuaſus, & quod priùs abſtulerat eccleſiæ reddidit, & ex legitimo patrimonio tantumdem aliud condonavit. Eamdem baſilicam fur nocturnus ingrediens univerſa ad altaris ornatum pertinentia ſacrilegis manibus exportavit. Cumque ſe in pedes ſolitò conjeciſſet, ita eum vis divina implicuit ; ut ab atrio eccleſiæ nullo pacto digredi potuerit : itáque totam noctem ambulans, ſequentis auroræ diluculo in porticu baſilicæ repertus eſt & conſcientiâ trepidus, & furto onuſtus. Ita prædo confunditur ; præda recipitur ; beatus Germanus ſuo in loco liberaliter agere argumentis evidentibus declaratur.

C

De locis planis & habitabilibus nulla ſunt, quæ dicimus ; ſi non montana quæque & ardua, ac per hoc humanis penè inacceſſa greſſibus, Germani virtutibus eſſe pervia, declaremus *d*.

ANNOTATA.

A. S. Hericho monacho. ex mss.

a Falconis-mons, *vulgo Mont-Faucon, oppidum eſt Galliæ in Campania. De monaſterio verò ibidem celebri* S. Germani *dictum eſt in Commentario prævio ad Acta S. Wandregiſili die 22 Julii ; ejus primordia deſcribit Frodoardus Hiſtoriæ eccleſiæ Remenſis lib. 4, cap. 39.*

b *Ad Montem-Falconis videlicet.*

c *Hìc apud Labbeum ſequitur narratio de aſello reſuſcitato, quam infrà dabimus in Appendice ſecunda, num. 4. Huc illa ſanè imperitè intruſa fuit contra apertum Herici contextum, ac fidem codicum noſtrorum omnium : imò multo opportuniùs aptiúſque ſuprà Vitæ Conſtantianæ inſeri poſſet inter numeros 73 & 74.*

d *Hæc tranſitio, ad ſequentem narrationem, legitur in ſolo codice Lugdunenſi.*

CAPUT VIII.

Miracula ejus, quæ in Alpibus, & in Britannia contigerunt.

E

LII. *De oratorio ejus inter alpium ſumma conſtructo.*

JUga Penninarum Alpium, non plus candore nivium, quàm ejus illuſtrari meritis, eo certius, quo expertius eſt : nam in monte, qui Minoris Jovis *a* dicitur, ejus eccleſia eſt ambitu modica, virtutibus magna ; quæ ob ſacri repauſationem corporis, cum Ravennâ referretur, eo loco conſtructa fuiſſe cognoſcitur. Hæc Romam pergentibus, indeque remeantibus inevitabiliter pervia eſt ; quòd publicus agger, in quo conſiſtit, propter itineris anguſtias omnem divertendi ab ea denegat facultatem. Illuc innumera divinæ largitatis ſubinde clarent beneficia, quæ loci aſperitatem ac ſolitudinem copioſa remediorum fertilitate compenſant ; ut jure fatearis, cæleſtis munificentiæ majeſtatem ſiccis etiam rupibus non deeſſe. Iter agentes quoſque, quos noctis horror irruens, aut fatigationis difficultas impediens, aut infirmitatis ſarcina prægravans, ſub tectum eccleſiæ tranſire compellit, ſanitatum ibi dona percipere, luce clariùs inde colligitur, quòd presbyter, ad cujus curam locus pertinet, in remota planitie frequentiùs habitans, ſi quando ſacris morem geſturus, montana conſcendit, multa ibi revaleſcentium argumenta conſpicit infirmorum ; nam & mutorum tabellæ, quarum concuſſu ſtipem poſtulant ; repentium quoque geſtamina contractorum ibi frequenter inventa ; interdum & ſanguine pavimentum madens ; ſed & votiva in diverſis munuſculis relicta bellaria noctu patratis in loco fidem aſtruxere miraculis.

a

F

LIII. *Quod in patrandis miraculis ſecretum ſemper prætuleris.*

79 Familiare quondam ſancto Viro fuerat ſecretum & abjectionem oculi quærere, res à ſe geſtas mirabiliter ſecretalibus umbris tradere, quantumque in ipſo fuit, omnes virtutes ſuas perennis ignorantiæ latebris obſcurare : hinc certè eſt, quod cum multa illius miracula mundo innotuerint, nec potuerint locorum obſcuritate celari, cum virtutibus proderetur ; innumera tamen ſunt, quæ jactantiæ refugus in hominum non paſſus eſt venire notitiam ; quippe qui humanæ poſſibilitatis modulum ſupergreſſus, angelis conſciis & cælo teſte fruebatur. Hunc hodieque morem Pater ſervat egregius, qui cum incomparabilis exiſtat apud Deum meriti, plura interdum

in

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

in locellis obſcurioribus, ſuo tantùm titulatis nomine, viſibilium præbet oſtenta ſignorum, quàm quo ſemper adorandi ejus corporis ſacram veneramur præſentiam. Verùm, quia infidelibus quibuſque, & qui ex viſibilibus tantùm inviſibilia metiuntur, familiare eſt ſigna cum Judæis quærere, & præſentibus ſolùm commodis oblectari; mihi certè, cujus jam fides in robur convaluit, cui ad vitam ingredi propoſitum eſt, qui denique corporibus animas, quantum immortalia mortalibus, perituris manſura, incomparabiliter præſtare non ambigo, cariùs hæc conſtabunt ſemper beneficia, quæ interiorem hominem ſpiritaliter & perpetuò beant, quàm quæ exteriorem corporaliter & tranſitoriè relevant: hæc diebus, hæc noctibus è Germani tumulo ubertim manare, nemo ſani capitis jure dubitaverit.

LIV. *De Britannis ſancto Germano ſpeciali cultu obnoxiis;*

80 Dum per mediterranea circumvecti loca, ſingula curiosè diſquirimus, penè fuit, ut Oceanum, extima mundi mirabiliter cingentem, ab excellentiſſimi Patris noſtri privilegiis exciperemus; quibus cum totus redundet orbis, uberiùs tamen his Britannia gloriatur, inſula inter omnes vel prima, vel maxima; de qua ut * fert auctoritas: Finis erat orbis ora Gallici littoris; niſi Britannia inſula ſingulari amplitudine nomen penè orbis alterius mereretur *b*. Hæc beato Germano peculiari devotione ſubmiſſa, multis ſe beneficiorum impendiis ſanctitati ejus eſſe teſtatur obnoxiam; quòd ſcilicet ejus doctrinis illuminata, quòd per eum non ſemel eſt à ſordibus hæreſum expurgata, quòd denique multiplici miraculorum lampade illuſtrata. Quæ quoniam doctorum nobilium ſtudio litteris ſunt aliquatenus commendata, iteratione non indigent. Fertur unum famoſum inter cetera, cujus ad nos notitia per ſanctum ſenem Marcum, ejuſdem gentis epiſcopum decucurrit: qui natione quidem Brito, educatus verò in Hibernia, poſt longa pontificalis ſanctitatis exercitia, ultroneam ſibi peregrinationem indixit. Sic traductus in Franciam, piiſſimique regis Caroli munificentiâ illectus, apud beatorum Medardi & Sebaſtiani cœnobium *c* anachoreticam exercet vitam, ſingularis noſtro tempore unicæ philoſophus ſanctitatis. Hic multis coram ſæpiùs referre ſolitus erat, Germanum ſanctiſſimum (ut ipſius utar verbis) ſuæ nationis apoſtolum, vice quadam, dum Britannias permearet, regis palatium cum ſuis diſcipulis introîſſe. Erat tum hiems horrida, nec hominibus ſolùm, verùm etiam ipſis beſtiis vehementer infeſta. Itaque directo ad regem internuntio, ſuperventuræ nocti hoſpitium poſtulavit. Rex abnuit, atque, ut erat & gente & animo barbarus, negotium floccipendit. Interea Germanus cum diſcipulis ſub divo perſiſtens, cæli inclementiam infractis animis tolerabat.

* ut *redundat*

b

c

deque ſubulci hoſpitio,

81 Jamque die in veſperam coacto, ſubulcus regis regreſſus à paſcuis, penſum quotidiani ſalarii acceptum ex palatio ad proprium tugurium referebat. Is ubi Germanum beatiſſimum conſpexit brumali horrore cum diſcipulis tabeſcentem, appropinquans cominus, orat humiliter, ut, quis eſſet, quave ex cauſa inter algores nimios illic moraretur, ediceret. Cumque nihil certitudinis ex reſponſo percepiſſet, perſonæ dignitate permotus; Oro, ait, quiſquis es Domine, ut parcas corpori, ſervique tui ſuccedere digneris hoſpitio, ac demum, ſiqua paupertati meæ ſuppetunt officia, receptare: non parum enim intereſſe video, imminentis noctis anguſtias quantumlibet vili domicilio temperare. Non aſpernatus perſonæ qualitatem, ſucceſſit hoſpitio; & quæ ſibi à paupere impendebantur, obſequia libens excepit. Erat illi in peculio vacca tantùm & vitulus: converſuſque ad uxorem; Et non intelligis, ait, quantum ſuſceperis hoſpitem: accingere itaque, & unicum, qui nobis eſt, vitulum mactans, cœnaturis appone. Dicto illa incunctanter paruit, coctumque vitulum in menſa componit. Epiſcopus ſolitò abſtinens, ceteris eſum indicit. Cœnâ explicitâ, beatus Germanus mulierem evocat, imperatque, ut oſſa vituli collecta diligentiùs ſuper pelliculam ejus ante matrem in præſepio componat. Quo facto (mirum dictu quod eſt) vitulus abſque mora ſurrexit, matrique coadſtans, pabulum carpere cœpit. Tum ad utroſque converſus Antiſtes; Salvo, inquit, prædio caritatis, jura hoſpitii tali interim beneficio compenſata recipite. Proventum rei mirabilem collato omnes præconio ſuſtulerunt.

& rege abjecto.

82 In craſtinum Pontifex palatium repetit, regiſque ad publicum præſtolatur egreſſum. Illum ab intimis procedentem Germanus excipit, atque potenti objurgatione verborum, cur ſibi pridie hoſpitium negaverit, ſeverus exquirit. Rex ſtupore defixus intorpuit, Virique conſtantiâ attonitus, à reſponſo defecit. Tum Germanus auctoritate mirabili; Egredere, inquit, & ſceptra regni melioti permitte. Illo hæſitante, Germanus baculo cunctantem impellens; Egredieris, ait; & ſicut definitum conſtat à Domino, nequaquam deinceps in æternum poteſtate regia abuteris. Barbarus auctoritatem cæleſtem in Præſule reformidans, cum conjuge & liberis indifferenter * egreditur, palatii fores retentare nulla poſthac ratione conatus. Tum Germanus, uno ex diſcipulis directo, ſubulcum cum conjuge evocat; atque univerſo ſtupente palatio, in regni culmen componit. Ex eo tempore in hodiernum reges ex ſubulci genere prodeuntes, nationi Britonum dominantur, Deo per beatum Germanum res humanas mirabiliter ordinante. Hæc ita apud Britanniam catholicis literis contineri, prædictus mihi epiſcopus jurisjurandi interpoſitione firmabat; cujus probitatem quiſque expertus eſt, verbis illius fidem cedere nullo modo dubitabit *d*. O Virum inter mortalium agmina ſingularem! O Hominem ipſius jam divinitatis ſymbola præferentem! Necdum luteam molem depoſuit; & jam cum Chriſto de mundo decernit, poteſtates ordinat, regna diſponit. Inſanum te palàm pronuntio, quiſquis Germani merito provehi populos ad regna cæleſtia poſſe deſperas, quem terrenos adhuc vehentem artus tanta potuiſſe conſideras.

**i. e. ſine dilatione*

d

ANNOTATA.

a *Summum Penninum, ſeu* Montem Jovis (*vulgo* Mont-Jou *Gallicè, Italicè* Monte-Giove) *eumdem facit Cluverius Italiæ antiq. lib.* 1, *cap.* 32, *cum eo, qui in mappis geographicis appellatur* Mons divi Bernardi major (*le grand S. Bernard.*) *Quidni ergo* Mons minoris Jovis *ille cenſeatur, quem ab alio non adeo diſſitum vocitant* Montem D. Bernardi minorem (*le petit S. Bernard?*) *Per hos iter eſt è Gallia in ditionem Mediolanenſem: uterque verò notatur in Sabaudia ad limites ducatûs Auguſtani.*

b *Verba ſunt Solini in Polyhiſtore cap.* 22.

c *Cœnobium intelligit, quod apud Sueſſiones Sanctorum Medardi ac Sebaſtiani reliquiis celeberrimum fuit; de quo plura Mabillonius in Annalibus paſſim.*

d *Adi*

A d *Adi tamen quæ de his omnibus in Commentario dicta ſunt ſuprà* §. 7.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS

ejuſdem auctoris.

PRioris libelli ſerie pro captu ingenii utcumque decurſa, ſecundus, qui ſupereſt, privatas poſcit operas, nunc quidem inſtanter incipiendus, ſed non etiam conſequenter omnifariam conſummandus: expenſis namque his, quæ præ manibus verſantur, ſi qua deinceps apoſtolici Patris noſtri merito ſe fortaſſis ingeſſerint, impiger exequar; quæque Divinitati præſtare placuerit, ea indifferenter * ſchedis indere non gravabor *a*. Libens verò huic aſtringar debito, nec eo me velim eximi umquam; quodque ſolvendo, & numquam perſolvendo, utinam vinculis emicem corporis, perſeverante erga Germani memoriam ſummæ & perantiquæ privilegio ſanctitatis. Habet ille plures tanto negotio aptiores, cui ſi deeſſent propria, externa certè ad votum ultro famularentur obſequia: verùm, dum quondam tractaret ſecularia, noverat auro bibere, noverat interdum & fictilibus prandere; cumque pocula ſuppeterent gemmea principi, non tamen horrebat pro tempore in multiplicis uſum miniſterii etiam ligneis uti. Non aſpernabitur, credo, ſua præconia per infimum & elinguem digeri; cujus tanta eſt meritorum gloria, ut mutis quoque ipſis copiam de ſe loquendi ſufficiat largiri: eritque dignitatis genus, modica de modicis ſumere, cui poſſe ſubeſt ingentia quæque de maximis receptare. Jam dudum proponenti dicere multa ſe certatim ingerunt, quorum nil prius, nil competentius libelli veſtibulo præfigendum reor, quàm illud, quo pacto munificentiſſimus Pater noſter noſtrâ quidem memoriâ ſuo ſubveniendum decrevit loco. Ei rei talem fuiſſe conſequentiam, ſubjecta relatione declaratur.

Affectus Herici erga Sanctum; & propoſitum hujus libri.

* *i. e.* ſtatim *a*

B

ANNOTATA.

C a *Siquid tamen poſt editum hoc opus de S.* Germani *miraculis notaverit Hericus, id cum ſchedis periiſſe neceſſe eſt: niſi huic ipſi operi poſt nuncupationem, atque adeo obitum Caroli Calvi, quædam ab Herico inſerta fuiſſe velis miracula; uti inſerta fuiſſe alia quædam notabimus num.* 90.

CAPUT I.

Nova eccleſiæ S. Germani in cœnobio Autiſſiodorenſi fabrica, miraculis & cœpta & confecta.

1. Commemoratio Chuonradi majoris, & a

CHuonradus princeps famoſiſſimus, collega regum, & inter primates aulicos apprimè inclytus, per id temporis regiâ munificentiâ maximis, & ſua condignis nobilitate fulgebat honoribus *a*. Conjunx illi erat Adheleidh nomine, primorum & ipſa natalium perinde titulis glorioſa; quippe quæ avita antiquorum procerum oriunda propagine, ſplendorem generis auguſtiſſimæ æquiparabat ſtemmate dignitatis *b*. Junxerat hos cum conjugii caritas tum ſocialis gratia probitatis, fortunarum amplitudinem religionis in Deum, moderationis in ſeculum cultibus exæquantes. Mira in perſonis ſecularibus officioſitas, ingens devotio, inexplicabilis fidei magnitudo; ut difficile judicare ſufficeres, uter eorum in religionem pronior, in Sanctos ferventior, in pauperum diligentiam * copioſior appareret; ita ſe pietatis certabant officiis prævenire, cum faſtigio dignitatis, tum etiam virtutis æmulandæ ſtudio omnibus potiores.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS. *b*

* *Lab.* indigentiam

85 Cumque plurimos & ſecularium hoc tempore videas ambitionis fovendæ gratiâ eccleſiaſticas prælationes inhiare; hos noſtra tempeſtate vel primos vel ſolos extitiſſe, pace cunctorum dixerim, qui ſacrorum locorum ſuſcepta poteſtate, non magis præeſſe *c* voluerint, quàm prodeſſe; nec æſtuanti avaritiæ ſervorum Dei oppreſſione ſatisfacere, verùm obrepentes illis indigentias propriis opibus aut penitus excludere, aut tolerabiliter temperare. Hoc, me tacente, ubique terrarum diverſæ conclamant eccleſiæ, horum devotione incomparabili, vel rerum copiis auctæ, vel ornamentorum competentium gloria notabiliter inſignitæ. Locus id noſter vel maximè conteſtatur, qui eorumdem multiplicibus auctus donariis, ordinabili Divinitatis providentiâ hujuſmodi cœpit exordio inſigniri.

& de munificentia ejus.

c

E

86 Memoratus princeps cum in dies magnificis honorum profectibus ſingularis attolleret apicem poteſtatis, contigit, ſecundas res illius extemporaliter irruentis incommodi moleſtiâ interturbari: ita namque unius oculorum clades immanè confecerat, ut accedente tempore, craſſi ſuperductu glaucomatis pupilla deficiens, cum damno luminis intolerandi quotidie coacervaret augmenta doloris. Turba medicorum è palatio cunctiſque regni partibus coacta confluxerat, multiformem artis induſtriam, collatis peritiæ viribus, in principem expenſura. Diu multumque abſque operæ pretio laboratum; quidquid humanæ fuit experientiæ, fruſtra conſumptum eſt: ita adulta peſtis viſque morbida ſenſim crudeſcens, quamvis ſpectatiſſimorum, & vota & manus eluſerat medicorum. Itaque quod artis eſt vel maximum, vel ſupremum, ferro cauterioque agendum, quod ſupererat, decreverunt. Princeps urgere factum; quandoquidem eo ſanitas deſperabatur infecto. Tentando negotio dictus dies piè impias medicorum provocabat inſtantiùs officinas *.

11. De lumine principis

F

* *i. e.* officia *reparato.*

87 Jamque aderat; cum ille inter ſpem metumque ſatis anxius, ut noctem ferè totam inſomnem exegerat, antelucandum *d* credidit; cæleſtes priùs quæſiturus precibus medicinas, ad ſepulcrum Germani beatiſſimi votorum plenus acceſſit; fratribuſque nocturnam ſtationem ex more peragentibus, diu totius ſtrage corporis in oratione procubuit. Interea dolor ſævire acriùs; ille tamen nihilo minus cœpto perſiſtere. Locus herbis erat conſitus *e*: his ille injecta manu, captandi gratiâ refrigerii, oculum fovit aliquamdiu. Horæ paululo interjecto, manum fronti detrahit, herbiſque ſummotis, omnimodam cum dolore miratus eſt ceſſiſſe caliginem. Ita beati Germani meritis principi conſultum devotiſſimo, ut unius uſurâ diluculi & minaces medicorum terrores exueret, & integra ſopiti reparatione luminis de cetero frueretur. Laudes in Deum, grates in San-

d

e

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ctum funduntur inexplebiles; collatumque beneficium duplici gratulatione ſuſcipitur, quòd & repentinum acceſſit, & impacatæ valetudinis inevitabilem neceſſitatem, ultra quàm votis aſpirari poterat, circumſcripſit. Quodque tunc quidem præ manibus inventum eſt, armillas aureas ſacro ſepulcro obtulit. Devotionis verò tantum & benevolentiæ erga Sanctum concepit locum, quantum poſtea rerum ingens probavit effectus. His ita explicitis, in ſui juris receſſit latifundia.

III. *De prima orientalis fabricæ conceptione.*

88 Exin verò quotidianis proceſſibus intimus creſcebat ardor, novum perindeque decens aliquid moliri, quod & ſuæ par devotioni & beati Confeſſoris commodum exiſteret dignitati. Piis de Deo cogitatibus felicem non deeſſe exitum, hujus quoque proventu rei declaratum eſt: excellentis memoriæ conjugem advocat; communicatoque cum ea negotio, quid ſibi ſederet animo, quidve faciendum decerneret, evidentiùs intimavit. Ea, quòd eſſet ingenii ſingularis, & cum ſummo loco nata, tum ingenitæ quoque prudentiæ dote præcipua, rem illico pervidit acutiſſimè: ex ore principis verbum rapuit; quodque erat in
B ſpiratum divinitus, accelerandum quàm poſſet maximè perſuaſit; ſe totius molem negotii ſubituram libentiſſimè: ſiqua viderentur difficilia, juſtis facilè ceſſura deſideriis; futurum, ut res, quamquam ardua, brevi cupitæ perfectionis faſtigium obtineret. Talibus animata, maturandum credidit; omniſque moræ impatiens, ad beati Germani cœnobium ex juſſu principis profecta pervenit; ac primùm loci poſitione perſpecta diligentiùs, poſtquam ſuo vidit cuncta reſpondere propoſito, dici non poteſt, quanto ſe fervore addixerit cœptis inſiſtere; dummodo Divinitas religionis flexa diſpoſitionibus, quod velle dederat, poſſe donaret.

IV. *De opportunitate*

89 Erat locus naturali quodam ſitu commodiſſimus; atque à parte Orientali, clivo montis paulatim lenteſcente, competenter adclinè pendulus, ultro ſe cujuſdam ingentis fabricæ conceptionibus ingerebat. Ad artifices talium experientiſſimos res confertur: horum induſtriâ ad loci opportunitatem accedente, concepti operis exemplar conficitur, & quaſi quodam præludio futuræ moles magnitudinis ceris brevibus informatur ea pulcritudine, ea ſubtilitate, quæ digna angelorum hominumque rege, quæ Sanctorum collegio, quæ
C ipſius etiam loci majeſtate eſſet. Expenſis competentibus præparatis, exactores magiſtrique operum deliguntur; quorum inrequieto ſtudio, ſummaque inſtantia immenſum opus incredibili celeritate peragitur, tanta facilitate rerum, tanta alacritate animorum; ut in promptu eſſet omnibus, divinum negotio concurriſſe favorem. De cujus qualitate fabricæ multa forent, quæ ad laudem operis jure litteris mandarentur; verùm quia & oculis ſubjecta eſt, & ferè omnibus circumquaque notiſſima, parcendum in talibus paginæ per magis neceſſaria poſteriùs dilatandæ.

ac poſitione

90 Robuſtâ diligentiâ confectum opus; multiſque, opitulante Deo, ſeculis duraturum Chuonrado principi ejuſque jugali benigniſſimæ immortalem de cetero feret memoriam meritorum; quorum pronam & incomparabilem in nos locumque noſtrum ex animo benevolentiam, poſteritatis quoque illorum hereditaria devotio comprobavit; filii *f* ſcilicet æquiſſimorum parentum & probitati & pietati quàm ſimillimè reſpondentes; quibus ultra omne, quod humanum eſt, idem locus & animo ſedit & indicibili amore cariſſimus evidenter apparuit; quos, quia jam dudum in-
cipientis felicitatis noſtræ ſucceſſibus torquebaris, D
acerbo præventos occaſu, ſors, ſeculorum provectui ſemper invida, ſuſtuliſti. Ne tamen nos omnimoda præſidiorum ſpe interceptos, ut cœperas, uſquequaque proſterneres, infrænes conatus tuos & dira molimina rerum prudentiſſimus Moderator eluſit, hunc, qui cælo propitio, ſuperſtes adhuc, vitales carpit auras, noſtræ primùm ſaluti, multorum dehinc uſui, cunctorum poſtremò profectui reſervando.

loci.

91 Is eſt Hugo, ut abſque aſſentationis fuco verum fatear, & nomine & officio Abbas; de quo quidquid dixero, longè infra meritum ipſius eſt; præſtatque de eo ſilere per omnia, quàm parum dicere: neque enim quidquam nunc de eo tractandum ſuſcepi; niſi quod eximia proles, egregiis manans genitoribus, hos quàm ſimillimè tum dignitate, tum moribus repræſentat. Eo factum eſt, ut paternis, annuente Deo, ſuffectus honoribus, avitæ memor gloriæ, & poteſtatis & probitatis patriæ robuſtiſſimus heres exiſtat, beato protegente Germano, votis noſtris cunctorumque fidelium ad ſanctæ decus Eccleſiæ & diutiſſimè & feliciter floriturus. Sed memoriam illius viri, omnes anni excipient conſequentes. Rebus ſanè ſuavi lapſu decurrentibus jucundum fue-
E
rat * immorari; niſi res ordine ſecuturæ pronos in voluptatem animos avocarent.

* *pro eſſet*

V. *De fratrum*

92 Operi magnificè elaborato, ſiqua ornatui fore poterant, inſtantiſſimè parabantur; & quoniam in noſtra provincia marmorum copia minimè ſuppetebat, in remotis hæc quærenda regionibus decreverunt. Hac de cauſa quidam fratrum periculoſæ expeditionis bis aggreſſi difficultatem, interque vaſtos Rhodani gurgites iter plenum diſcriminis ſubeuntes, Arelatum, ac deinde Maſſiliam, quæ eſt Galliarum ultima, perrexerunt. Quibus ea fuit animi conditio, ut omnes acerbitates, cunctas rerum inſolentias, extrema certè omnia ferrent non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter. Ibi ingentibus congreſſi periculis, multa aſtu, multa auſu, callidè audaces, audacter callidi ſuperarunt, magna omnia magno conſtare, audenteſque fortunâ juvari, non immemores. Eruderatis itaque ædificiorum veterum circumquaque ruinis, ingentem marmorum pretioſorum copiam obtentu partim, partim pretio congregarunt; oneratiſque navibus præda præoptabili, victorioſo ſucceſſu cœptorum audacium memorabilem bis duxere triumphum. Per iter hor-
F
ribile divinum eis non defuiſſe favorem, incunctanter dixerim; quòd & minacis tumorem pelagi, & infidæ gentis ferociam infracti animis, infeſſi viribus, exceſſerunt. Sæpenumero B. Germani præſentiſſimum ſenſere patrocinium; cum, ejus invocato nomine, fatalibus exempti caſibus, emirati ſunt, ſe ſubitò ſecundis adverſa mutaſſe.

profectione

93 Vel illud, quale, quamque evidens fuit, quod è multis unum decretæ ſufficiens credimus brevitati? Expletis, pro quibus perrexerant, regreſſum inſtantiſſimè maturantes, rapaci Rhodano ſe committunt: die quadam conſcenſuros navim falſa ſpe diurnæ tranquillitatis matutina, ut ſolent, ſerena deceperant; at ſubitò coorta tempeſtas naturalem pelagi rabiem accedentis procellæ concurſibus efferavit. Ingens univerſos terror impulit, pertæſos fluctuum, pavidos periculorum; ac primùm nauclero faciem elementorum diligentiùs exploranti, viſum eſt, quàm poſſet celerrimè, ſubeundum littus, cedendum diſcrimini, atque inceptæ tunc quidem navigationi parcendum; quòd vehementiùs ſolito commotus aër,

vix

A vix intra ſequens triduum, placidum pateſaceret in fluctibus commeatum. Porrectis itaque in longum obtutibus, eccleſia cernitur; quam contrà ſubeuntes, optatæ telluris tuta tenuerunt. Egreſſos curandorum corporum acrior urgebat inſtantia: ad id procurandum diverſis diverſa expetentibus, compertum eſt à loci incolis, eccleſiam illam, beati Germani nomine & meritis ſacram, tantum apud univerſos reverentiæ vindicaſſe; ut nemo de rebus ad locum pertinentibus quidquam præſumere, nemo vel ſurculum è circumjectis ſepibus audeat uſurpare; totam inſuper ruris circumpoſiti viciniam majeſtate loci adeo tutam exiſtere, ut diebus vel noctibus integris veſtimenta ſua paſſim tum ſepibus, tum arboribus ſuſpenſa relinquentes, abſque furis metu vel periculo propriis domibus reſiderent. Ita beatiſſimi Germani fide in tuto degunt omnia; genuſque miraculi eſt, res diſcrimini expoſitas ſecus periculum non perire.

in Provinciam,

94 Hoc ita comperto, animos angoribus relevant; locum alacres expetunt; peculiaris nomen Patris notis affectibus complectuntur; orationi devotiùs incumbentes, pro præteritis gra-

B tias referunt, pro futuris vota concipiunt. Sic ſe ſuaque omnia per glorioſi Protectoris meritum Deo familiariùs commendantes, littoris repetunt ſtationem; cum ſubitò viſibus circumquaque directis, longo proſpectu cernunt, univerſam aëris inclementiam, ultra quàm ſperari poterat, procubuiſſe; ventos, elementaque omnia, pernicioſa feritate depoſita, in priſcam manſueviſſe temperiem. Nec mora, alacres iter repetunt deſperatum, expromptiſque ad fortia viribus, ſecundos pelago exigunt curſus, ſemel hauſtâ fiduciâ ſecuri caſuum, & quidquid emergentium obſiſtere poterat procellarum, reſpectu conciliati per Germanum Numinis, contemptores. Straverat ille quondam ſiniſtram Oceano Britannico legionem, cum hunc ad pereuntium inſtaurationem populorum tendere virulenta antiqui hoſtis pervicacia invideret. Nunc quoque quis dubitet, ejus virtutis, ejus extitiſſe meriti, quod, poſt fluctuum repentina diſcrimina, conclamata ſerenitatis gaudia reluxerunt?

marmorum causâ.

95 Miraculo proximum judico, quod, perductis ad locum deſtinatum marmoribus, quidquid columnarum devectum eſt, tanta univerſis

C fabricæ partibus habitudine convenerunt, ac ſi indiſcrepanter, &, ut dicunt, in unguem eiſdem ipſis deformatæ lineis, propoſito reſponderint exemplari. In quarum collocatione quid inter cetera mirum vel evidens claruerit, æſtimo non tacendum. Harum unam non contemnendæ magnitudinis baſi impoſitam, aggregata robuſtorum manu, ſuperne ducto fornici, collatis viribus, inſerebant; cunctiſque ſumma ope nitentibus, cum jam penè erecta conſiſteret, vicit molis immanitas impellentes, jamque elapſa manibus, ſuo ipſius in ruinam pondere ferebatur. Metu periculi ceſſerant univerſi, fruſtatim mox conterendi marmoris lapſum non abſque doloris intimi ſcrupulo præſtolantes. Præſente Deo, res contra opinatum ceſſit; quodque humana manus exequi nequiverat, divinæ virtutis occurſu multò gratiùs, multoque faciliùs confectum eſt; quantoque priùs impetu deorſum ruiſſe, tanto mox viſa eſt, abſque viſibili præſidio, mole ſuâ ſuperna repoſcere. Ita loco fixa, inconvulſam perennis miraculi memoriam ingerit ſpecioſam.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

ANNOTATA.

a *Erat enim frater Judithæ Bavaricæ, ſecundæ uxoris imperatoris Ludovici Pii, ac matris Caroli Calvi; cui, tamquam avunculus,* Conradus *ille magno erat in pretio: multi Comitem Pariſiorum appellant: uti &* Seniorem *ſeu* Majorem, *reſpectu filii cognominis, de quo inferius. Vide Sammarthanos Hiſt. domûs Franciæ lib. 7, ubi de filiis Ludovici Pii.*

b *Fuit* Adheleidh, *ſeu* Adelaïs *filia Ludovici Pii ex priori conjuge Ermengarde; ut ibidem aſſerunt Sammarthani.*

c *Præcrat ergo (more illorum temporum, cum primariis regni proceribus tribuebantur à regibus abbatiæ, ſæpe etiam plures ſingulis) cœnobio uni vel pluribus Conradus hic noſter; ac de Lebrahenſi id monaſterio probat Mabillonius Annalium BB. tom. 3 ad an. 853, num. 54; de Autiſſiodorenſi verò ex hoc loco Viola in Ms. Autiſſiod.; ubi illum numerat decimum tertium* S. Germani *Autiſſiodorenſis abbatem.*

d Antelucandum. *ita Mss. noſtra; quaſi ab* antelucari, *id eſt lucem ſeu ſolis ortum prævenire.*

e Conſitus, *id eſt reſperſus: neque enim intra eccleſiam credibile eſt herbas creviſſe, quidquid Violæ cap. 26 viſum ſit: herbis autem Sanctorum tumulos à fidelibus conſpergi olim conſuevisſe, conſtat ex S. Gregorio Turonenſi in Vitis Patrum cap. 8, ubi de S. Nicetio Lugdunenſi num. 6.*

f Filii *Conradi & Adelaidis tres numerantur;* Welfo *ſcilicet ſive* Guelfo, *cui paruerunt cœnobia duo, Centulenſe S. Richarii, ac S. Columbæ Senonenſe:* Conradus Comes *junior, qui Guelfoni defuncto in præfectura S. Columbæ ſuffectus, eodem illum anno Chriſti 881 ad æternitatem ſecutus eſt, teſte Mabillonio in Annalibus ad annum illum num. 53: ac tandem* Hugo, *ab abbatiis, quas plures habuit, vulgo* Abbas *dictus; qui cum juxta mox dicenda, ſupereſſet ſolus hæc ſcribente Herico, ſequitur, ut quæ de illis hîc referuntur, huc inſerta fuerint ab auctore noſtro poſt annum 881, & ante annum 886, quo ſecundùm Annales Benedictinos Hugo deceſſit; adeoque ut huic operi diu poſt factam Carolo Calvo dedicationem acceſſerint.*

CAPUT II.

S. Germani tranſlationes miraculis illuſtratæ; ſanctorum quoque Amatoris ep., & Urbani ac Tiburtii MM. reliquiæ ad ejus eccleſiam delatæ.

PErfecto opere, cunctiſque decorem prætendentibus conſummatis, ſanctiſſimum & toto orbe venerandum corpus B. Germani in cryptam tanto condignam theſauro, magna ambitione apparatûs, ingenti obſequiorum genere tranſlatum eſt *a*. Jamdudum quidem ante annos aliquot *b* juſſu cæſarum Caroli ac Ludovici *c* ab Heriboldo *d*, venerabili pontifice, fuerat tranſmutatum; cum à tempore ſui tranſitûs, ex quo Ravennâ relatum eſt, per annos circiter cccc in eadem eccleſia, quo loco primariæ ſepulturæ traditum fuerat,

VI. *De tranſmutatione*

a b c d

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

quievisset. Adfuerunt tunc quoque meritorum ejus argumenta præcipua, non absque miraculorum privilegiis solemniùs commendata. Pretiosi denique sepulcri intimis patefactis, ita demùm corpus venerabile cum omni cultu vestium integrum, intemeratum, atque omni incorruptionis genere speciosum apparuit; ut cuilibet ignaro rerum facilè persuaderi potuerit, recèns defunctum, recèns tumulo abditum, recentibus indumentorum apparatibus circumseptum. Accessit huc publici splendor miraculi, pro sui magnitudine non tacendi.

sacri corporis,

97 Infelicem quemdam, cui Heleno vocabulum fuit, adeo vis horrenda confecerat, ut præter linguæ & aurium infausta dispendia, atri quoque dæmonis violentiâ per diuturnum tempus miserè torqueretur. Jamque ejus calamitatem Creatore propitio miserante, contigit, eum translationis supradictæ spectaculo interesse. Is referebat postea, quod ecclesiam ter conatus egredi, personæ cujusdam gravis & venerabilis occursu ter fuerit in ecclesiam revocatus. Verisimile est, inter malignum benignumque spiritum de salvando vel non salvando homine, iis egressûs regressûsque vicibus, aliquamdiu concertatum; dum & huic vas olim possessum linquere, & illi superni facturam Artificis ab inimico teneri diutiùs inhumanissimum putabatur. Regressu tandem tertio, tamquam impulsu quodam adactus violentiùs, in pavimentum ruit; moxque ore, auribus, ac naribus prævalida cruoris effusione perfluxit *. Ita per obtentum ejus, cujus sacra transferebantur pignora, sospitati redditus, & peste dæmonis caruit, & necessariorum sensuum rediviva ministeria in pristinos recepit usus.

B

** al. profluxit*

& commemoratio primariæ translationis.

98 Ad fidem miraculi, diebus postea superstes quamplurimis, beneficii percepti non immemorem conscientiam obsequiis suæ tenuitati competentibus apud beati Germani memoriam declaravit. Actum est hoc anno Dei hominis facti DCCXLI, regnante jam piissimo Carolo, cæsaris Ludovici filio; postquam à civili prælio *e* regressûs victor, extra omnes fratres suos regiæ apicem extulit potestatis. At anno ejusdem Verbi incarnati DCCCLIX, qui est regis Caroli nonus & decimus, amplificatâ eâdem basilicâ, cryptarumque, ut suprà digestum est, pulcritudine decorata, sæpe dicti sæpiusque dicendi Patris nostri sanctissimum mausoleum à loco primariæ translationis denuò summotum est, ad conditorium suprascriptum, novâ operosâque præparatum diligentiâ, publicis cultibus tranferendum. Ea res (ut cunctis penè notissimum est) hoc ordine decucurrit.

e

G

VII. *Commemoratio perduellii*

99 Hludovicus Germaniæ rex, à trans-Rhenanis partibus violentus emergens, fraternæ sortis regnum, sanctissimo jurisjurandi interventu, olim Francorum judicio confirmatum *f* absque ullo respectu icti fœderis, temerarius inhiavit *g*. Egerant hoc infidæ perduellium factiones, quibus mens quidem quietis impatiens, ferina verò rabies & inquietudo bestialis audendi quidlibet, quamvis immanissimum, vires & animum suggerebant: quod genus hominum ad cædem & amentiam ultro proficiscens, impiam dexteram ad necem civium transtulerunt. Jamque universi penè regni proceres ab isto ad illum defecerant; æquitate nihil, viribus universa constabant; cæde, rapinis, incendiis cuncta ferebantur; non illos à cœptis immanibus Christianitatis titulus revocabat, non humani contemplatio fœderis, non ubique locorum præsentialiter plenus & pleniter præsens ac per hoc omnia desuper inspectans Deus, non denique consideratio futuri, consummato orbe, judicii inter bene meritos & male conscios æquis lancibus expendendi.

f

g

D

100 Inter hæc mansuetissimus rex Carolus, belli pacisque artibus Davidicæ semper modestiæ comparandus, cum se fraternæ sævitiæ, in dies pertinaciter crudescenti, humanis copiis ex æquo non posse resistere pervidisset; vicibus omnia volvi non inscius, ferendisque fortiter casibus ac, Deo propitio, superandis à puero assuetus, cedendum tempori arbitratus est [potius], quàm suo, ac reipublicæ dispendio, cæcis extraordinariè periculis incumbendum. Itaque salubriore, & quod tantum decebat principem, consilio animatus, posthabita spe temporalis adjutorii, ad divinum se præsidium contulit; satis pernicioşum sciens, ut divinis diffidere, ita, quoque humanis viribus inconsultiùs niti. Atque inter spem metumque confinis, expeditione memorata beati Germani cœnobium Deo tactus adiit.

inter reges.

VIII. *Qualiter præfatus rex idem corpus sacrum transtulerit.*

101 Igitur loci ac temporis opportunitate captata, sacri translationem corporis absque dilatione perficiendam decrevit; quòd & suæ reversionis incertus existeret, & conceptæ in Sanctum devotionis officiis plurimum sibi roboris acquiri posse, non dubitaret. Sancto igitur Epiphaniorum die *h* solemniter omnibus præparatis, ad gloriosi corporis reverenter accessit memoriam: pauci admodum circumsistunt; episcopi scilicet venerabiles, & probatissimi sacerdotes, regem intra sanctorum sanctissima comitati: ceteros quidem ab intimis arcuit. Hymnos verò & psalmodiam infatigabiliter personantes, datâ operâ in officio perseverare mandavit. Hinc maturans negotium plenum reverentiæ, sepulcrum aperuit. Membra pretiosissima, perinde ut pridem, integra supplicibus oculis conspicatus, congruo honore veneratus est. Quid votorum ibi conceperit, quid affectionis impenderit, quàm purè se super aram ipsam spiritali contritione mactaverit, Deo constitit & constat soli; quique sibi id fuisse gratissimum, è vestigio declaravit. Post hæc corpus venerabile solis pontificum passus manibus contrectari, operosis denuò palliis decenter ambivit. Gratum præterea suæ odorem fidei multâ balsami, multâ thymiamatis impensâ, per beatum Germanum, respicienti omnia porrigens Conditori, thesaurum incomparabilem adorandi corporis ejus eo loci, quo nunc veneratur & excolitur, larga ambitione, ingenti gloria, principali denique reverentia transpositum collocavit. Locum regia largitate & donis magnificè cumulavit; diemque illam, festivis exactam apparatibus, succiduis seculis perpetuò celebrem indixit *i*.

E

h

i

IX. *Qualiter hostes, Deo se protegente, repulerit.*

102 Mox itaque peractis suæ devotionis salutaribus, fortissimo Deo, qui dat salutem regibus, interventu Germani beatissimi, voto supplici se committens, fidens animi, & tamquam de victoria jam obtenta securus, delectu facto, absque cunctamine hosti obviam properat, fide [magis], quàm armis rem bellicam peracturus. Sicque duce Christo usus, hostiles copias sine sanguine repulit, duplici donatus beneficio, quòd & de hoste trophæum cepit, & homicidii, vel potius parricidii, reatum, Deo se in omnibus protegente, declinavit, in reliquum, largitore Deo, ac protegente beato Germano, rerum potiturus, & feliciter regnaturus *k*.

k

X. *Abbreviatio*

103 Idoneum pietati, nobisque constabit salutiferum, si ad beati honorem Pontificis subjungantur, siqua post hæc seriem temporis illustravere miracula. Non multo dierum intermeante cur-

A curriculo, adoleſcens quidam poplitum damno debilis pariter & deformis, templo beati Patris adito, ſedulis per aliquot dies excubiis neceſſariam inceſſûs recuperationem per ſacri corporis merita precabatur. Ea tum nox erat diei Dominicæ, quæ ſacræ quadrageſimalis obſervantiæ dies mediare cognoſcitur. Cumque circa gallicinium nocturnæ functionis officioſitas à fratribus ageretur, per merita Præſulis genuinæ rectitudini potentiſſimè reformatus, magnum aſtanti populo ſpectaculum præbuit, & divinæ laudi per ora cunctorum nobilem materiam ac memorabile incrementum.

Huic aliud eadem tempeſtate ſucceſſit miraculum, & ipſum quoque publicè multorum ſub oculis celebratum. Quidam loquelæ privatus uſu, dum ſe robuſtæ fidei patrocinio ad Sanctum contulit, damnoſi latebram ſilentii ſuffragio recepti ſermonis exceſſit. Tabellæ teſſerariæ, templi ſuſpenſæ veſtibulo, monumentum ei rei fuere.

miraculorum 104 Sequentis declaratione miraculi DCCCLXIX annus incarnati Domini volvebatur: Adalricus quidam, patriâ Senonicus, ipſo ſuæ debilitatis B genere uſquequaque notiſſimus, ita toto reptilis corpore trahebatur; ut debilitas deformitati addita, neceſſariora corporis officia homini detraxiſſe videretur. Non illum talem natura produxerat; ſed extemporaliter irruens calamitas, Deo tantùm cauſæ conſcio, anno jam duodecimo trahebatur. Infelicitatis ſuæ levamen frequentes * ad Sanctorum memorias, anxiè quidem, ſed ineficaciter quæritabat. Certiſſimè eminet, hunc beatiſſimi Patris noſtri meritis reſervatum. Igitur cum ad Kalendarum Octobrium ſolemnitatem publicis orbis terrarum gaudiis celebrandam numeroſa populorum fluxiſſet ex more congeries, is quoque eniſu, quo potuit, conventui intereſſe curavit; non tam receptandæ ſoſpitatis, ut ipſe pòſt fatebatur, obtentu, quàm ut collata coëuntium ſtipe juvaretur: verùm artifex humanitatis Deus, cui familiare eſt non rogantibus quoque gratis multa præſtare, unius expenſâ miraculi & dici gloriam, & miſero, quam deſperaverat, contulit medicinam. Emenſa namque ſacrarum vigiliarum parte fere media, cum alternantis chori vicibus Pſalmus, qui inſcribitur, Te decet Hymnus, Deus, in Sion, decantari cœpiſſet, tantus miſeri revaleſcentis eccleſiam clamor implevit; ut non C vulgi modò frequentiam, verùm & ipſos divini choros Officii medullitus tremebundus horror invaſerit. Superventu ſalutis, nervorum labefactæ compages, membraque in priſcos vigores remeantia, in clamores incompoſitos excitaverant infelicem. Ad vocem hinc inde certatim concurritur; collapſuſque, corpore & membris penè emortuis, invenitur: paulò pòſt reſumptis viribus, uſuque greſſuum remeante, divinæ fermentum laudis præſentibus attulit, futuris tranſmiſit. Ad hujus aſſertionem operis is ipſe ſuperſtitem agit vitam, ac ſacro corpori de ſe ſatis merito pro viribus debitum expendens obſequium, ſuæ ſecum circumfert indicia ſoſpitatis.

** al.* frequenter

poſt ſecundam 105 Sacri tranſitûs ejus nox officioſis vigiliis ſolitò ducebatur; & quemdam fratrum adeo religioſum intimus dolor vitalium miſerè fatigabat; & erat viro mœror inconſolabilis, luctus immodicus, non tam infirmitatis urgeri violentiâ, quàm quòd defectus viribus, debitis ſolemnitatis obſequiis non poterat intereſſe. Inter hæc feſſis artubus ſopor incumbit. Dormienti ſanctus Germanus præſentem ſe exhibet; imperat, quid ageret, quidve pateretur, incunctanter edicat. Illo moleſtam ægritudinem profitente, doloris loco placidam viſus eſt admoviſſe manum. Vigoris plenus ſurrexit continuò; & ingenti cunctorum miraculo pſallentium ſeſe choris lætus inſeruit. Dici non poteſt, univerſorum animis in laudem Dei fervoris quantum acceſſerit. *A. S. Hedrico monachо. ex mss.*

ſacri corporis

106 Sanctiſſimi prædeceſſoris ejus Amatoris feſtus dies * advenerat, & collectis epiſcopis, venerabile corpus ejus principali transferebatur reverentia. Ei ſpectaculo beati quoque Germani collegium abſiſtere, non tam eſſet indecens quàm nefarium. Reliquias ſacri corporis accepturi nil competentius poſtulandum decreverunt, quàm dextræ digitos manûs, quibus quondam violentus Germano crinem decerpſerat. Id impetratum, ambitioſâ pompâ, feſtivo gaudio referebant. Cumque baſilicam ingreſſi, remque divinam peracturi, ſactum pignus ante ſepulcrum beati Germani deponerent, in promptu fuit agnoſcere, duo præcellentis meriti lumina piis gaudiis, novâ gloriâ, concurriſſe: nam quædam mulier geſtatorio delata, pro eo quod toto reptabunda corpore, genitalibus artuum careret officiis; decenti mox reformata ſtaturæ, amborum meritis plenæ E retulit gaudia ſoſpitatis. Clerus laudibus, populares clamoribus extulere factum, quo & dies illuſtrata, & antiqua Pontificum ſanctorum inter ſe familiaritas argumentis perſpicuis comprobata videbatur.

** i.e.* campanæ

Sacri quadrageſimæ volvebantur dies; & ſurdam è pago Senonico mulierem contigit adveniſſe. Somnio præmonita fuerat, ut chordam ſigni * faceret, atque ad beati Germani baſilicam deferret. Dicto paruit; funem attulit; ſigno applicitus eſt. Id manu propria cum pulſaſſet, momento eodem æs ſonum edidit, mulier auditum recepit.

tranſlationem.

107 Anno DCCCLXXIII Verbi inter homines humanati publica fidelium religioſitas populorum diem Kalendarum Octobrium votivis gaudiis exigebat. Adfuit inter ceteros quidam pagi Andegavenſis indigena ex vico, Baſilicas nuncupato, Adalſadus nomine, triginta ferme & trium annorum curriculo contractorum genuum damna circumferens: inita igitur Miſſarum celebritate ſolemni, ingreſſus eccleſiam, ut ipſe fert, immenſis cœpit fervoribus æſtuare; quibus mitigandis locum quærens, foras item egreditur. Mox calore cedente, tanto frigoris horrore correptus eſt; ut penè ſe exanimandum crederet, niſi denuo F eccleſiam introiret. Quò demum ingreſſus, priſcis rurſum caloribus inflammatur. Inter hæc genua diſſiliunt; nervi laxantur; eccleſia clamore completur. Jamque in ambone reſponſorium cantabatur: ad ſanctum ſepulcrum cominus admovetur; ſub oculis omnium compages olim mortuæ diſtenduntur; nervorum ſiccitas animatur; genua in priſcam habitudinem diriguntur; ad laudem Dei fidelium cœtus accenditur; duplicatâque lætitiâ, ora vocibus, genæ lacrymis adimplentur; ſermo ad populum de feſtivitatis ſplendore convertitur; beatus Germanus ſuo præſens adeſſe dici, evidenti beneficio comprobatur. Adhuc, de quo loquimur, ſupereſt, memoremque ſe accepti beneficii, qua poteſt, ſervitute fatetur. Et magnæ & multiplices, Chriſte, tibi ſuppetunt medicinæ, cumque ſis univerſitatis conditor, res perperam ſtantes modis complacitis & inſtaurando ordinas & ordinando inſtauras.

108 Summi & incomparabilis Patris noſtri præ- *xi.*
coniis eximendum vereor, quod, ejus gratia meritorum interveniente, ſanctorum quoque pignoribus Martyrum ab urbe Roma locus idem meruit

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

cumulari. Jam id, credo, provida divinitas prætendebat, cum inter cetera suprà memorati operis *l* instrumenta secretarium *m* quoque conditorii ejus, nec uni, nec soli tantummodo parabatur: venturos scilicet propediem alios alicunde patronos, qui locum præsentiâ supplerent, meritis protegerent, virtutibus illustrarent. Quod quia silentio obducere immanissimum est, nusquam opportuniùs video vel inserendum, vel inseri potuisse.

Qualiter sanctorum pignora Martyrum, ab Urbe delata,

m l

locus idem meruerit.

109 Anno itaque incarnati Dei DCCCLXII fratrum quidam mandatis pariter & epistolis regiis instructi, urbem Romam expetunt, cum orationis gratiâ, tum etiam quarumdam ecclesiasticarum studio causarum; quas, Deo negotium procurante, & allegarunt strenuè, & efficaciter expleverunt. Prudentissimus & maximâ venerationis reverentiâ suspiciendus Nicolaus Papa *n*, Romanæ tum Cathedræ præsidens, vicem Apostolici culminis & dignitate & studio præferebat: qui, cum prænominatis legatariis ad cuncta, quæ vellent, per dies aliquot plenissimè sui copiam fecisset, magnâ sui ministrorumque ejus gratiâ discessuris sanctorum martyrum Urbani & Tiburtii reliquias *o* tradidit, & virtute pretiosas, & quantitate præcipuas. Sic Dei favore & obtentu regis Caroli, quod aliàs vel laboriosissimum, vel impossibile fuerat, facili negotio confecerunt.

n

B

o

ANNOTATA.

a *Anno scilicet Christi* 859, *ut mox dicetur.*

b *Nempe anno Christi* 841, *ut sequetur.*

c Ludovici *Germaniæ regis, qui Caroli Calvi frater erat, sed major natu, utpote ex Ermengarde genitus: ambo autem* cæsares *appellantur, quòd imperatoris, Ludovici Pii scilicet, essent filii.*

d *De* S. Heriboldo, *aliàs* Heribaldo *ep. Autissiod. actum est die* 25 *Aprilis pag.* 378; *antequam Historiam episcoporum istius ecclesiæ, ubi amplum habet elogium, Majores nostri vidissent.*

e *Fontanetico scilicet illo tam memorabili quàm cruento: nam illud eodem anno gestum erat mense Junio; cum hæc translatio acciderit Kalendis Septembris, juxta Hist. epp. Autissiod. cap.* 36, *& Robertum monachum Autissiodorensem in Chronologia ad an. Christi* 841.

C f *Anno* 843 *mense Augusto, quando de regnorum partitione inter Lotharium, Ludovicum & Carolum, Ludovici Pii filios, Veroduni convenerat.*

g *Hoc factum anno* 858 *per rebellium factionem, quæ Carolum exosa, Ludovicum adversùs fratrem in Gallias invitaverat.*

h *Anni videlicet, ut paulò ante dicebatur,* Verbi incarnati DCCCLIX.

i *Adi Commentarium prævium num.* 4.

k *Hæc fusiùs narrantur in Annalibus Francorum Fuldensibus ad annum* 858 *& sequentem apud Chesnium tom.* 2, *pag.* 555 *& seq.*

l *Puta basilicæ, ingenti ædificio versùs orientem à Conrado protensæ.*

m Secretarium *apud auctores ecclesiasticos accipitur quidem fere pro sacrario, seu, ut vulgus appellat, sacristia; sed hìc patet cryptas intelligi, quas sub novo ædificio idem Conradus, tamquam chorum subterraneum, condiderat; ut ibi imposterum* S. Germani *corpus asservaretur majori cum reverentia.*

n *Hujus nominis primus.*

o *At cujus* Urbani, *cujus* Tiburtii? *An Urbani Papæ & martyris? Ita cum Herico censent Autissiodorenses; sed vide, quæ de hoc dicta sunt ad diem* 25 *Maii, præsertim pag.* 9 *& sequente. An etiam illius Tiburtii, de quo in Actis S. Ceciliæ V. M.? Ita quoque iisdem visum est; sed consule Acta nostra ad diem* 14 *Aprilis, maximè pag.* 210. D

CAPUT III.

Prodigia facta in translatione SS. Urbani & Tiburtii MM.; item SS. Mauritii & Innocentii MM.; catalogus Sanctorum in cryptis S. Germani Autissiodori sepultorum.

E

QUid pignoris, quid thesauri Romuleâ ferretur ab urbe, virtutum consequentium cre- XII. De
britate cœptum est è vestigio declarari: remotis superfluis, siqua referenda sunt, compendio fient gratiora.

Urbem egressi, mansione prima in sancti Alexandri ecclesiam devenerunt. Ibi cum pernoctarent, candela prolixæ longitudinis, uno succensa capite, post paululum à parte alia flagrans, utrimque præluxisse visa est. Ingenti devotione complexi factum, duorum præcipuis Sanctorum memoriis, geminis de cetero serviendum luminaribus, adverterunt. Exin illuster vir Hlotharius, ejusdem comes expeditionis, febre correptus pervalida, candelam suo statui respondentem detulit, & ante sacras pernoctans reliquias, in crastinum se omnimodâ languoris molestiâ levatum sensit. Actum Vulterris *a*. a

Meginarius, ejusdem Hlotharii presbyter, non multùm pòst febre succensus violentissima, candelâ Sanctis adhibitâ, quàm excellenter, tam facile curatus est. Familiare deinceps omnibus effectum, irruentes sibi per totum iter imbecillitates, Sanctorum constanter imploratis patrociniis, declinare. F

111 Emensis Alpibus, ad sanctos Agaunenses *patratis*
Martyres *b* diverterunt. Ibi ab Hueberto *c*, abbate *b* *a*
famosissimo, excepti quàm familiariter, tanti fatigationem itineris plenâ viri benevolentiâ, ingenti religiosorum affectu, largâ denique totius liberalitatis indulgentiâ relevarunt. Dehinc oblatam sibi negotii opportunitatem intentatam linquere non sibi integrum fore arbitrantes, Sanctorum Agaunensium reliquias à prænominato principe poscendas decreverunt. Is, volente Deo, quod postulabatur, excepit libentissimè, quod & viris esset familiarissimus, &, utpote secularia meditans tantùm, in Sanctorum largiendis patrociniis non satis avarus. Quamobrem, sacrorum corporum accito custode, pretiosi martyris Mauritii complectendam reliquiarum partem cum venerando capite sancti Innocentii, legionarii quondam ejus, incunctanter largiri præcepit. Id quamquam omnes ferrent ægerrimè; obtinuit tamen jussio principis indifferenter * fieri, quod *i.e. statim
volebat. Votorum compotes, iter repetunt, justis semper faventem dispositionibus impendio glorificantes Deum.

Obsequiorum erga Sanctos splendor, signorumque frequentia circumjectos passim populos spe-

A ſpectaculo aggregabat; cedentibus aliis, alii ſuccedebant; dum & hos novâ perceptorum beneficiorum gratiâ lætos in ſua recedere, & illos percipiendorum ſpes alacriter impelleret properare.

miraculis d

112 Publicè famoſus & famosè publicus locus eſt, Orbam *d* vulgò cognominant. Eò cum veniſſent, puella infantula ejus loci, Oſanna nomine, quam nativitas & mutam produxerat & contractam, auditis pſallentium populorum vocibus, miris perveniendi ad Sanctos angebatur deſideriis. Id quia verbis non poterat, geſtu corporis & ſtridore faucium declarabat. Aridis tandem nervis reptilem extorquens gradum, eniſu, quo potuit, pervenit. Mox tantæ fidei remunerata fructu, ignotæ rectitudinis, univerſis mirantibus, recepit uſum. Hinc Sacris communicans, ſacerdotis juſſu reſpondit. Amen. Ex eo pleni compos eloquii, ad locum uſque, qui Arlia dicitur, Sanctos proſecuta eſt.

e

Dehinc in villam, cui Botgalia *e* nomen, cum veniſſent, quidam ejus loci, caducus à puero, adeò ut per dies ſingulos caducam non ſemel alliſionem pateretur, raptim ad Sanctos cucurrit; feretrum vexit; triduo proſecutus, nihil demum mali paſſus eſt.

B

compendioſa f

113 Hinc ad Salinas *f* ventum. Pater parvulum filium, contractione artuum imbecillem, humeris vectitans, ſub feretrum compoſuit. Paulo pòſt cœpit erigi, & patrem anxiè inclamare. Exciti omnes vocibus, hinc inde concurrunt; incolumem inveniunt: pater ſub oculis omnium ſanum recipiens filium ſuum, immensùm lætus revexit ad propria. Actum in eccleſia ſancti Joannis Baptiſtæ, vico publico.

g

Saltum Mortkaliæ *g* ingreſſos novæ hilaritatis afflavit acceſſus: namque inter ventorum impetus & pluvias vehementes, duo cerei ſacrorum prævii pignorum, inextincto per diem totam lumine perduraruntIta Sanctorum gratiâ, quibus deferebantur, evidentiùs contutati, indefeſſo officio & imbres & flamina contempſerunt.

h

In villam pagi Amauſenſis, quæ campus Vellii *h* dicitur, cum veniſſent; mulier ab ipſo materni uteri muta progreſſu, fide plena concurrit; precem fundit; effectum precis conſecuta eſt. Illico intima faucium negatæ dudum vocis cepere canorem, promptâque verborum affluentiâ diuturni damna ſilentii compenſarunt. Sic conceſſum beneficium exercitio ſermonis exaggerans, Ararim *i* uſque proſecuta eſt, miſertum ſui plaſmatis & affectu & vocibus collaudans Deum.

C

i

relatio. k

114 Hinc illis pagum Oſcarenſem *k* permeantibus, puella infans, honeſto loco nata, quæ & ipſa cognati patiebatur detrimenta ſilentii, de ſinu nutricis exiliens, curſu rapidiſſimo ad Sanctos venit; amplexoque feretro, ſuos adeſſe Dominos, etiam atque etiam inexplebilis inclamabat. Sic linguæ vinculo reſoluto, laudes aggerans laudibus, ad caſtrum uſque Divionem *l* comes individua perduravit. Pater ejus & mater iter agentibus poſtmodum competentia itineri munera deſtinarunt.

l

m

Aliſienſem poſt hæc pertranſeuntes pagum *m*, in villâ, quæ Fanum dicitur, noctem exigendam decreverunt. Eccleſia ejus loci beati Germani ſolemnis conſtat nomine. In hac pretioſa Sanctorum pignora collocarunt. Puella fere duodennis advenerat; quam deformitate damnabili colli cerviciſque contractio humerum complexa turpabat. Hæc pervigilem in eccleſia noctem ducens, & præoptatæ ſaluti & abſolutæ pulcritudini reſtituta, cælum ipſum votis & laudibus onerabat, Auctores beneficii Autiſſiodorum proſecuta, ſalutaribus obſequiis integrum exegit annum. *A. S. Herico monacho. ex mss.*

In villam, Pompejacum dictam, venientes, in eccleſia ſancti Chriſtophori nocturnæ ſtationis excubias peregerunt. Puer bene natus, Herimbertus nomine, immani febrium torquebatur acceſſu: delatus à parentibus, incommodum exuit; robuſtæ ſoſpitatis optantibus gaudium cumulavit.

XIII. *De celebri exceptione*

115 Inde profectis ſolemnis Autiſſiodori parabatur exceptio; quò tandem pridie Kalendarum Novembrium pervenerunt, multâ gloriâ, ingenti pompa, inexplicabili rerum præſtantia. Creverunt ex eo miracula viſibiliter corporalia, inviſibiliter ſpiritualia, quo magis ſubtilia, eo magis utilia, indefinenter aſſidua, indubitanter profícua, quantoque perenniùs duratura, tanto certiùs profutura.

Folcoldus *, ex cœnobio ſancti Juliani *n* clericus, quartano incommodo per anni fere ſpatium vexatus, ad Sanctos ſe humiliter contulit. Mox fidei donatus præmio, ſoſpitate reddita, languorem exceſſit. **al.* Fucaldus, *al.* Fulcoldus *n*

Non poſt multos dies, colonus quidam familiæ ſancti Germani, ex rure, cui Sorgiacus vocabulum eſt, compertâ virtutum famâ, eò greſſum tendere animum induxit. Erat ſanè paralyſis violentiâ totis artubus reſolutus. Ea nocte, cujus poſtridie profectionem parabat, dormienti ei vir, habitu pontificis, ſpecioſa canitie ſpectatus, apparuit; ſeque Urbanum confeſſus, Ecce, inquit, ſanus factus, incommodum exceſſiſti; verumtamen rectà perge, quò decreveras; ac pro ſalute recepta congrua memento vota perſolvere. Jubentis edictum obedientia comes excepit; pergenſque, ut imperatum erat, quod ſecum actum fuerat, palàm explicuit. E

Sanctorum.

116 Exin multis locum expetentibus innumera præſtitere; cunctis poſtremò rite ſupplicantibus indubitatâ rerum evidentiâ ſeſe exhibuere præſentiſſimos: quodque gratum habeant, honeſta ſibi in loco deferri ſervitia, plurimis expertum modis, una tantum, eademque perbrevi admodum, relatione conſtabit. Beati martyris Tiburtii anniverſarius paſſionis dies advenerat, & pia fratrum devotio nocturnis vigiliis officioſiùs inſiſtebat. Inter hæc cuidam fratrum in oratione ſecretiùs procumbenti, atque in divinæ contemplationis faſtigium aliquatenus rapto, ſe videndum exhibuit, ea formæ habitudine, ea pulcritudine juventæ, qua expreſſiùs * in ſuæ Paſſionis textu deſcribitur. Viſus eſt autem ante loculum reliquiarum ſuarum, libratis in aëra greſſibus, aſſiſtere, & expanſis ad orientem manibus, quarum unâ virgam ferebat auream, pro totius ſalute populi inſtantiùs ſupplicare. Is nobis hoc poſtmodum cum lacrymis referebat. Id mirè gratum omnibus, & præſenti & fututæ devotioni conduxit. F

**Lab.* expreſſus

Præterea anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXV merito ſuæ religionis venerabilis Herchenraus, Catalaunorum epiſcopus, ad cœnobium ſancti Germani veniens, largitione fratrum reliquias pretioſi Papæ & martyris Urbani obtinuit; eiſque ſuſceptis, monaſterium in pago Pertenſi ejus honore conſtruxit. Quo loco tanta tamque frequentia poſtmodum claruere miracula; ut, ſi literis univerſa mandarentur, ſuo per ſe poſſent ſuppeditare volumini *o*.

o

Sanctorum Româ delatorum commemorationi paucis, ut puto, morem geſſimus; nunc res exigit, iis dilatis vel omiſſis, in reliqua proficiſci.

XIV.

117 Poſtquam longè ſuperiùs comprehenſum opus viſum eſt & eccleſiaſtico decori congruum

&

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

Qualiter Sanctorum corpora translata;

& Sanctorum componendis pignoribus condignum, exercitatâ sapientium sententiâ optimum factu judicatum est, ut suprà memoratæ Martyrum reliquiæ, nec non & corpora beatorum pontificum Altissiodorensium, olim in ipsa ecclesia tumulata, transferrentur in cryptas, & circa corpus beatissimi Germani præcipua officii diligentiâ conderentur: divina mente, probo consilio; ut quos eadem cæli regia continet, ejusdem quoque in terris habitaculi capacitas sociaret. Factum ita est; & dextro quidem latere, id est à plaga Australi, ossa beati Urbani Papæ cum capite sancti Innocentii martyris eodem loculo composita sunt. Hinc corpus venerabilis Alodii, successoris quondam ejus *p*, ac trium deinde sanctorum pontificum, Ursi, Romani, & Theodosii. A parte pedum, id est plaga Orientali, secus aram, pretiosi confessoris & præsulis Aunarii membra sacratissima requiescunt. Siniſtrum, id est Septentrionale latus, glorioſi martyris Tiburtii pignora occuparunt, subjunctis quinque pontificum corporibus venerandis, hoc est Sancti Fraterni episcopi & martyris, Censurii, Gregorii, Desiderii ac Lupi; & extrà hos, sancti Moderati pueri, quondam martyrio coronati. Horum quia nomina præmisimus, si qua ex eis ad nostram manavere notitiam, modesto compendio perstringamus.

p

B

1.18 Ac primum Alodius, cujus vel meriti vel dignitatis extiterit, hinc colligi valet, quod, beato Germano adhuc superstite, in monasterio illius archimandrites præfuit, ipsoque post sublimato ad cælestia, in pontificatûs sortem ei succedere meruit *q*. Is imitator & heres Magistri, postquam Autissiodorensem per annos XXX, mensem I, dies XII, rexit ecclesiam, optimorum loculeples stipendiis meritorum in pace decessit; atque in eadem beati Germani basilica decenter sepultus est. Eo decedente, mansit civitas absque episcopo annis X, ut in procemio quoque opusculi prænotavimus, ob sævitiem scilicet vastantium Gallias barbarorum; quibus explicitis, sanctus Fraternus pontificali cathedræ subrogatur. Is, qua die à fidelibus episcopus ordinatus, à barbaris est martyrio coronatus die III Kalendarum Octobrium. Hinc Censurius pontificatui suffectus est. Is est, cujus tempore Constantius orator obtentu sancti Patientis, Lugdunensis episcopi, Vitam Beati Germani mirabili stylo edidit, omnique diligentia elaboratam ei postmodum habendam direxit. Hic post administratum rite sacerdotium annis triginta & octo, mens. III, diebus VI *r*, obiit IV Idus Junii sanctitatis plenus, bonisque omnibus copiosus. Sepultus est in ecclesia beatissimi Germani.

& pontificum

q

C

r

Beatus verò Aunarius, quàm excellentis privilegii fuerit, relatio Gestorum ejus satis superque declarat. Qui inter cetera suæ sanctitatis illustria, basilicam quoque beati Germani magnificis prædiis locupletavit; quòd & natu splendidissimus, & possessionum amplitudine fuerat copiosus. Hic tam vivens, quàm mortuus signorum gloriâ coruscavit; functusque sacerdotio annis XLIII, mensibus X, diebus XX, VII Kalendarum Octobrium Sancto spiritu plenus decessit; & in basilica beati Germani prope corpus ejus debitâ reverentiâ appositus est ad patres suos.

Autissiodorensium,

1.19 Quid beatum Desiderium memorem? Cujus etiam secularis dignitas tanta extitit; ut ei nemo, quamvis potentissimus, ex æquo se conferre potuerit: fuit enim propinquus Brunechildi reginæ, filiisque ejus Francorum regibus; quorum & munificentia principali ingentem prædiorum amplitudinem consequutus est. Hujus genitrix, Nectaria nomine, in monasterio S. Amantii, quod situm est in pago Petragorico *s*, sepulta requievit; quod idem postea in matris memoriam honestis donariis & maxima fundorum dote perornavit; quemadmodum testamenti ejus pagina declarat. Quantum sanè ex collatione temporum licuit perscrutari, beato Papæ Gregorio contemporalis fuit. Extant ejus ad illum epistolæ, celebritatem viri litteris quoque Apostolicis commendantes *t*. Is adeo fundorum dives extitit; ut nulla vel medianæ Burgundiæ *u*, vel Aquitanicæ provinciæ principalis ecclesia inveniatur, quam non rebus auxerit peropimis. Ecclesiam sanè beati Stephani, cui sedit, miro decore ampliavit, ingenti testudine à parte Orientis applicita, auroque ac musivo splendidissimè decorata, instar ejus, quam Siagrius, episcopus *x* Augustoduni fecisse agnoscitur. Altare quoque antiquum eò transponens, sub die Kalendarum Majarum XIII dedicavit. Eamdem quoque ecclesiam multis & magnis patrimoniis solemniter extulit, cum in locis diversis, tum vel maximè in pago Sanctonico *y*.

D

s

t

u

x

E

y

qui ibidem sepulti sunt,

1.20 Beati præterea Germani basilicam, in qua post mortem requiescere disponebat, multis auxit rebus, viri liberalitatem pariter atque præstantiam hodieque contestantibus: vasa aurea atque argentea plurima contulit, quorum & operis speciem & ponderis per singula quantitatem, in talibus quoque diligentissimus, facto à se inseruit testamento. Basilicam sanctorum martyrum Gervasii & Protasii per manus Marini diaconi *z* sui constrúi jussit, suisque dotavit rebus. Idem Marinus in eadem ecclesia requievit. Suorum heredem bonorum Christum & Ecclesiam qualiter substituerit, antiquissimi & bis superiùs memorati testamenti ejus pandit auctoritas, quodque in nostris adhuc conservatum archivis, multam viri dignitatem, largitatem plurimam, dispositiones cautâ semper diligentiâ circumspectas, copiosiùs contestatur. De quo, quia plura suppeditant, quàm suscepti operis brevitas sufficiat explicare, his omissis, cetera prosequamur. Vitæ peracto cursu, sexto Kalendarum Novembrium supremam sortitus diem, in ecclesia B. Germani debita veneratione translatus est.

z

succincta

F

1.21 Romanus cathedræ substituitur; de quo fertur, quod, cum esset vir sanctissimus, decisione capitis martyrium consummarit pridie Nonarum Octobrium, expleto functionis suæ tempore annis III, diebus XV.

De beato Urso, fideli relatione vulgatur, quod juxta sancti Amatoris basilicam reclusus, anachoreticam duxerit vitam; ubi oratorium hodieque est, ejus nominis memoriâ sacrum. Contigit eo tempore, urbem repentino afflatam incendio conflagrasse. Ad virum Dei cum sublatus in altum clamor populi perveniſſet, succurrendum periculo ratus, familiarem illuc baculum destinavit: ipse precibus obnixis, quàm instanter incubuit. Eo inter minaces flammas & quæ adhuc integra supererant, constituto, dicto citiùs incendium omne deflagravit. Hac occasione sancti viri merito declarato, urbis decedente pontifice, vi extractum præsulatui suffecere. Cella ejus in ecclesiam cessit. Exegit sacerdotium annis VI, mensibus IIII: moribusque & meritis pretiosus, tertio Kal. August. fragilitatis excessit molem.

Theodosius episcopus, post gubernatam sedem annis octo, diebus viginti quatuor, decimo sexto Kal. Aug. diem excepit ultimum; proque suæ meri-

A merito ſanctitatis nobilem in B. Germani eccleſia ſortitus eſt ſepulturam.

122 Gregorius, & ipſe ſanctus epiſcopus, præfuit eccleſiæ annis duodecim, menſibus ſex; exactoque ſuæ vicis officio XIV Kalend. Januarias humana deponens, in eccleſia beati Germani ſupremum promeruit munus. commemoratio.

Lupus epiſcopus, ut in antiquiſſimo marmore epitaphii ejus animadverſum eſt, utque ſuperiore libello meminimus, cum Crotechilde, regina venerabili, illuc devenit, quo tempore B. Germani ædificabat baſilicam; & ſuo præventus fine, ibidem ſepultus eſt. Requieſcit in eadem baſilica ſanctus Optatus epiſcopus cum duobus presbyteris, Sanctino & Memorio; cum quibus primò ſepultus fuit in eccleſia ſancti Chriſtophori martyris, quam ipſe extruxerat; poſtmodum, annis labentibus, tranſlata ſunt eorum corpora in eccleſiam S. Germani tam officiosè, tam ſolemniter; ut in omnibus Martyrologiis, & maximè vetuſtis, dies tranſlationis eorum inſertus habeatur ſexto Nonas tertii menſis *: tranſitus autem vel depoſitio illorum pridie Kalend. Septemb. annotatur. Eodem ſanè ſarcophago omnes pariter requieſcunt. *i. e. Maii

De puero Moderato hoc tantummodo compertum eſt, quod puer martyrio coronatus, in propria baſilica diu requieverit. Poſt clareſcentibus circa ſepulcrum ejus miraculis, in eccleſiam beati Germani tranſpoſitus eſt, cultu Officiorum & impendiis luminum copioſiùs venerandus.

ANNOTATA.

a Vulterræ, *aliàs* Volaterræ, *vulgo* Volterra, *urbs eſt antiquiſſima in Hetruria & agro Piſano.*

b *Id eſt ad cœnobium horum Martyrum nomine celeberrimum in loco, ubi paſſi ſunt ac ſepulti, Agauno ſeu Acauno, in diœceſi Sedunenſi ad Rhodanum fluvium, Sedunum inter & lacum Lemanum, ſed huic propiore, vulgo* S. Morits; *de quo monaſterio vide Sammarthanos in Abbatiis Galliarum, ubi de* Agauno. *Martyres autem hi ſunt S. Mauritius & ſocii milites legionis Thebææ, de quibus agendum erit 22 Septembris.*

c *Erat* Hucbertus *frater Theodebergæ reginæ, uxoris Lotharii Lotharingiæ regis, ejus qui nulla re notior fuit, quàm infami cum Waldrada pellice commercio, quod auſus Romæ perjurio ac ſacrilegio tueri, terribiles cum ſuis Deo vindici pœnas dedit anno* 869. Hucbertus, *licet clericus aliquando, ſecularem deinceps vitam profeſſus eſt;* abbas *interea multarum, quas partim acceperat, partim invaſerat, abbatiarum,* famoſiſſimus *fuit non virtutibus, ſed vitiis, ac decoctis direptiſque præſertim cœnobiorum, quibus præerat, facultatibus. Periit verò & ipſe infeliciter anno, juxta Annales Francorum Bertinianos,* 864. *Plura de hoc Annales Benedictini tom.* 3, *locis variis.* C

d Orba *oppidum eſt Helvetiæ, quà ad Burgundiæ comitatum vergit, ejuſdem nominis fluvio impoſita, inter lacum Lemanum ſeu Gebennenſem, & alium, illi à Septemtrione proximum, Novoburgicum.*

e *Vulgo* Bougeaille, *Orbam inter & Salinas, de quibus mox.*

f Salinæ, *vernaculè* Salins, *oppidum in Comitatu Burgundico, tredecim circiter leucis Orbâ diſſitum ad occidentem.*

g Mortkaliæ: *ita cum codice noſtro Lugdunenſi legit etiam Chiffletius, addens, vulgo ſaltum hunc appellari* Bois de Mouchar. *Codex Valcellenſis habet* Mortaliæ; *Labbeus* Montiskattæ. *Patet autem, ſitum illum eſſe in Comitatu Burgundico, Salinas inter & Ararim.* A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

h *Vernaculè* Chamblay, *ut ad marginem ſui textûs adnotavit Chiffletius. De* pago Amauſenſi *nihil reperi; apparet tamen ex hoc itinere, quo circiter loco fuerit.*

i Arar *ſeu* Araris, *vulgo* la Saone, *fluvius Galliæ notiſſimus eſt; de quo ſuprà.*

k Pagus Oſcarenſis *ab Oſcara fluvio nomen habet:* Oſcara *autem, vulgo* Ouſche, *in Ducatu Burgundiæ in Ararim influit apud Laudonam S. Joannis, aliàs* S. Jean de Laune: *inde ergo uſque ad pagum Divionenſem extendi videtur. Valeſius illum concludit Arari, Oſcarâ, ac Tillâ fluminibus.*

l Divio, *ſeu* Divionum, *vulgo* Dijon, *urbs eſt percelebris ad Oſcaram fluvium, Ducatûs Burgundiæ caput.*

m *De* pago Aliſienſi, *ſeu* Aleſienſi *dictum eſt ſuprà. Situs eſt Divionem inter & Autiſſiodorum; ſed Divioni propinquior.*

n *Plura fuerunt hujus tituli cœnobia; & unum quidem Autiſſiodori; ubi olim monachos & moniales, ſeparatim tamen, habitaſſe, docet Le Beuf in præfatione ad Captum & liberatum Autiſſiodorum.* E

o *De his adi Acta S. Urbani Papæ & M.* 25 *Maii.* Perſtat etiam nunc hoc monaſterium ſub Benedictina congregatione S. Vitoni, *inquit Mabillonius Annalium tom.* 3, *lib.* 36, *num.* 43.

p Ejus, *id eſt* S. Germani. *De* S. Alodio *agetur* 28 *Septembris; de* S. Urſo *vide heſternum diem* 30 *Julii; de* S. Theodoſio 17 *ejuſdem menſis: de* S. Romano *agi poterit* 6 *Octobris; de* S. Aunario 25 *Septembris; de* S. Fraterno 29 *ejuſdem menſis; de* S. Cenſurio *dixi ſuprà:* S. Gregorius *colitur* 19 *Decembris;* Deſiderius 27 *Octobris:* de Lupo *ep. vide Annotata ſuperiùs ad num.* 38: S. Moderatum *dedimus* 1 *Julii. Conſule etiam, ſi placet, Hiſtoriam epiſcoporum Autiſſiodorenſium.*

q *Vide annotata ad Conſtantianam Vitam, num.* 37, *lit.* k.

r *De hac auctoris noſtri chronologia adi Commentarium prævium* § 4, *num.* 37.

s *Imò* in pago Cadurcino, *ut rectiùs legitur in Hiſt. epp. Autiſſiod. cap.* 20. *Vide Annales Benedictinos tom.* 1, *lib.* 11, *num.* 34.

t *Vide Annotata ſuperiùs ad lib.* 1 *cap.* 4, *num.* 39 *litt.* d. F

u Mediana Burgundia *dicitur hîc Burgundiæ Ducatus:* medianus *enim pro* medius *accipitur à declinantis Latinitatis auctoribus apud Cangium. Burgundia verò olim fuit in tres partes diviſa, ut docet Brietius in Parallelis geographiæ veteris & novæ tom.* 1, *lib.* 7, *cap.* 5, *quarum prima Burgundia Jurana, ſecunda Burgundia ducalis, tertia, quam appellant Liberum Comitatum ſeu Comitatum Burgundiæ.*

x S. Siagrius *ſive* Syagrius *epiſc. Auguſtodunenſis floruit uſque ad annum Chriſti circiter* 600; *colitur autem* 27 *Auguſti, quando agendum de illo erit.*

y Sanctonicus pagus, *vulgò* Saintonge, *eſt provincia Galliæ ad Oceanum Aquitanicum.*

z Marinus *ille poſtea presbyter fuit, quo titulo apud Autiſſiodorenſes colitur die* 20 *Julii. Adi Supplementum ad finem hujus tomi.*

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

CAPUT IV.

Elogium ecclesiæ S. Germani Autissiodorensis; & pia S. Herici ad fratres exhortatio.

XV. *De dignitate loci tot Sanctorum memoriis cumulati.*

TAlibus, tamque magnificis locus illuster honoribus, mactus titulis, privilegiis gloriosus, cui non videatur majestatis suæ merito venerandus? Sancta quondam sanctorum verebantur Hebræi, quòd ibi Arca Testamenti, intraque eam virga Aaron, & cæleste manna, ibi altare, quòd dicebatur Thymiamatis, ibi Cherubin * aurea cum Propitiatorio, ceteraque symbola intellectualiter typica & typicè intellectualia, ac per hoc futuræ olim veritatis conjecturam præferentia, tegebantur. Nonne tibi multo videtur impensiùs venerandum summæ sanctitatis habitaculum, tot Sanctorum splendidum memoriis, sublime tropæis? Ea semel per annum & uni & soli pontifici pandebantur, pro suis totiusque populi excessibus rogaturo: hæc nostra, & re & nomine sancta, patent singulis, patent omnibus, quotidie facilia, facilè quotidiana; quantoque se peccator ingesserit, tanto religiosæ importunitatis pretium uberiùs reportabit. Ad ea si quis externorum accederet, temeritatem morte luebat: ad hæc externi etiam omnes accedimus, ut mortis meritum immortalitatis stipendio compensemus. Ibi brutorum cruor animalium inferebatur in sancta per pontificem: hîc summè boni Pontificis vitale Corpus, Sanguisque sanctissimus, cælestis usu mysterii, Christianis omnibus conficitur in salutem. Tanta inest loco dignitas, tanta principalis reverentiæ sanctitudo. Quem quotiescumque devotus intraveris, cernere est Christum Apostolis consedentem, Martyribus compugnantem, Confessoribus colloquentem, Virginibus collætantem, Sanctis postremò omnibus conregnantem. Tanta præterea ibi sunt orationum loca, tam crebra Sanctorum altaria; ut cum omnia peragraveris, singulis illacrymaveris, meliorem diei partem in lucrum tibi cessisse læteris.

* *imo* Cherubim

B

C

XVI. *Adversus eos, qui Sanctorum spiritus negant*

124 Nec eos patienter accipiendos æstimo, qui Sanctorum animas vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel super aram Dei consedisse delirant; nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes. Absurdum omnino est, ut sacræ testatur interpres Historiæ *a*, Sanctis injicere vincula, ut usque ad diem judicii pœnali custodia teneantur, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum, quocumque ierit. Si Agnus ubique; ergo & hi qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt *b*: quique Deo cernente omnia, penetrante omnia, cognoscente omnia perfruuntur, nihil in naturæ multiplicis varietate constat, quod non ipsi quoque cernant, penetrent, & absque morosæ difficultatis oppositione cognoscant *c*. Itaque, quamvis Sanctorum animas nusquam & numquam à Deo abesse, ac per hoc, & semper & ubique jure se invocantibus adesse crediderim; nec facile dejici de sententia patiar *d*: cineres tamen suos amare & circumvolitare, eisque præsentes semper assistere, cum incunctanter animo feram, tum constanter voce efferam, ore proloquar, privatimque & publicè, securus præjudicii, profitebor.

a

b

c

d

125 Cumque ad Germani memoriam indignus accessero, hunc fidei oculis suspiciam; hujus angelicam faciem, ex consortio sermonis Dei frequentiùs illustratam, ipsisque regibus tremendam, aliquoties contemplabor; ejus animi gravitatem comitate conditam, propositi constantiam, senectutis reverentiam admirabor; procumbensque sepulcro, ac sanctum deosculans lapidem, tamquam meo imminentem vertici venerabor summissiùs. Interdum verò, si copia conferatur, etiam vestigia stringere; at, si id non dignetur, locum certè, ubi steterunt pedes ejus, non cessabo fideliter adorare. Quemque absenti etiam multa præstitisse non ingratus memini, numquam eò animum impulerim, ut diffidam, hunc quoque rite veneratum, præsenti & sedulo multo magis affuturum.

D *suis corporibus esse præsentes.*

Ex propositi occasione negotii confectum quiddam est, quo & temerariis scrupulum injectum, & sinceris Sanctorum cultoribus conducibile reor aliquid procuratum: quibus gratandum omnino percenseo, quod, ruant licet venti, procellæ sæviant, flumina intumescant, domus certè Dei, cujus & cultores & ministri sunt, intitubatam, immobilem, inviolatamque sui roboris æternùm obtineat firmitatem, quæ non fluidis incumbens arenis, verùm columnis cælestibus subnixa, petræque unita perenni, architectante Deo, in solidum robur evaserit.

E

XVII. *Commonitorium*

126 Agite itaque, spiritalis tirocinii professores, excellentis propositi complices, summæ philosophi sanctitatis, quos sacro Ordini consuescere, in Religione consenescere, virtutibus immori, præsaga rerum gratia præelegit, voluntas exercuit, pudica parentum devotio mancipavit: date operam, præstate diligentiam, librate cautelam, ne pectoris vestri domicilium spiritus malignus inficiat, ne sensibus admixtus intimis incestet animæ sanctitatem, splendidissimumque illum divini theorematis oculum illecebrâ suboratæ persuasionis obnubilet. Liceat in vos semel conceptam materiem non per omnia contemnendi auctoris *e* & sententia & lineis explicare. Serpit antiqui malum hostis per omnes aditus sensuales; dat se figuris; accommodat coloribus; adhæret sonis; odoribus se subjicit; infundit saporibus; ac tenebrosis affectionibus, tamquam quibusdam nebulis, implet omnes meatus intelligentiæ, per quos pandere lumen rationis mentis radius solet. In hoc Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc rectè facti meritum relucet: Deus ubique præsens est; tunc autem unicuique nostrûm simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus præsentia patuerit. Ut enim visus oculorum si fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, adesse non putat (frustra enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis desit integritas:) ita etiam Deus, qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest. Non meum est, quod dixi, non mihi assero, non ascribo (nec enim fortissimo cuique clavam de manu facilè extorqueri posse præsumo) quod quidem de mente mundanda ad videndum Deum paganus scripsit. Verùm eo ipso Christiano, & baptizato, & mortuo, quod semel probè dixerat, ineptum fuit obsolescere. Quorsum ista tam alto petita principio? Videlicet ut recolatis scriptum: Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret. Et: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quorum alterum cautelæ proficit, alterum divinæ contemplationi conducit.

e

F

A 127 Facite viciſſim memineritis, propter vos Chriſtum mortuum; ut qui vivitis, non jam vobis vivatis; ſed ei, qui pro vobis mortuus eſt; neve adverſus Deum ex ejus munere inflemini. Accipite item ſcriptum: Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem: non quia eramus ſancti & immaculati, aut quia futuri eramus ſancti & immaculati (alioqui non tam prærogatio gratiæ, quàm viciſſitudo, vel relatio meriti putaretur;) ſed elegit nos, ut eſſemus ſancti & immaculati, id eſt eligendo præſtitit, ut eſſemus ſancti & immaculati; qui niſi vellet, ne ulli quidem eſſe poſſemus. Ei caput ſubmittite; nec de veſtra, ſed de ejus bonitate præſumite; ſub potentiſſima manu ejus humiliamini. Tutum capietis in ejus pietate perfugium, qui ſemper paratus eſt parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Athletæ Dei eſtis, in ſtadio ſpiritali decernitis: legitimè certandum eſt, ut ad bravium pertingatur. Spectaculum huic mundo facti eſtis; in vos omnium oculi diriguntur; converſatio veſtra tamquam in ſpeculo conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ: quidquid egeritis, id ſibi omnes faciendum putant. Cavete committere, quod vel reprehenſoribus pateat, vel imitatores in ruinam compellat. Propoſiti hujus principes æmula vobis pietate proponite, quorum veracem doctrinam & ſancta opera imitantes, ad cæleſtis regni paſcua properate. Mortem horis omnibus impendentem indefectè meditamini; ſcientes, nihil eſſe diuturnum, in quo poteſt eſſe aliquid extremum; moriendumque omnibus, & id incertum, an eo ipſo die. Cumque ad id ventum fuerit, tum illud quidquid præteriit, effluxit; tantùm remanet, quod virtute & rectè factis conſecutus ſis. Voluntatibus renitimini; voluptatibus repugnate, ne & vos eorum ſubjaceatis excidio, de quibus Propheta conqueſtus, quod tranſierint in affectum cordis, imaginem illorum in civitate Dei ad nihilum redigendam imprecatur.

ſanctis

128 Si quid Deo voviſtis, incunctanter abſolvite, memores, ruinam eſſe homini poſt vota tractare *f*. Præſtatque non vovere, quàm vota non reddere. Nec procul, nec extra ſunt votorum noſtrorum impendia; ſed, ut Pſalmiſta fatetur, In me ſunt Deus vota, quæ reddam, laudationes tibi. In his indefeſſè perſiſtite; has interdiu, has C noctibus concinnate; in his, quidquid ſobriè poteſtis, adjicite; quoniam, cum laude noſtra non egeat; grata tamen ei eſt ſuæ devotio creaturæ: veſtra laude nec parum proficit; pio tamen ſtudio facitis, ut eâ vos plurimùm proficiatis. Aliis belligerantibus, agricolantibus aliis, tertius ordo eſtis, quos in partem privatæ ſortis allegit, quantò rebus extrinſecis vacuos, tantò ſuæ ſervitutis functionibus occupandos. Utque alii pro vobis duras conditiones ſubeunt vel militiæ, vel laboris; itidem vos illis obnoxii perſiſtitis, ut eos orationum & Officii inſtantiâ proſequamini. Atque ut aliud eſſe coarguam, quod naturæ conſortibus; aliud, quod ipſi debetur Deo: illud ante omnia ſemper in oculis volvite, quod ipſe vos fecerit; quod perditos reformârit; quod tam crebris, tam copioſis, tam denique proficuis provexerit beneficiis; ut hinc laudandi illum conceptâ materiâ, dum ei competentes gratias de perceptis & habetis & refertis muneribus, fiatis ad accipienda deinceps & plura & plurima digniores. Jam verò ut in ſummi præconio capitis membra quoque ejus inclyta non nihil conſtet habere commune, accipite & illud celeuma Davidicum in hæc proloquentis verba: Laudate Dominum in Sanctis ejus; tamquam eamdem ſententiam modo diverſo explicans, dicat: Non ſatis conſultè agitis, ſi ab invicti imperatoris gloria fidiſſimorum ejus militum triumphos & merita eximenda judicatis: ſumma igitur ope, ſummis viribus glorificate Deum, gratis vobis bona omnia tribuentem; veneramini beatum Germanum, ea vobis potentiſſimæ interceſſionis ſuffragio promerentem; ceteroſque, ei & templo conſortes & merito, pia devotione proſequimini, anxiis affectibus implorate; ut quem locum eligere, ſuaque præſentia & ſanctitate florentiſſimum eſſe voluerunt, hunc, univerſis hoſtium copiis terra marique ſuperatis, ac truculenta dæmonum excluſa tyrannide, cladibus eximant, ruinis abducant, meritis fulciant, precibus protegant, atque ab omnifaria præſentium futurorumque diſcriminum immanitate defendant.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

fratribus.
f

ANNOTATA.

a *S. Hieronymum intelligit in tractatu adverſus Vigilantium; unde hic Hericus nonnulla exſcribit. De hac autem Vigilantii aliorumque ſententia ſuper ſtatu Sanctorum poſt vitam uſque ad judicii diem plura Card. Bellarminus de Beatitudine & canonizatione Sanctorum lib. 1, cap. 1.* E

b *Hæc etiam verba ſunt S. Hieronymi, quibus non ſignificat, Agnum, id eſt Chriſtum Deum hominem, eſſe in omni loco propriè ſecundùm naturam humanam æquè ac ſecundùm divinam, quæ Ubiquiſtarum eſt hæreſis; ſed illum ſumma præditum eſſe libertate, agilitateque, qua mox eſſe poſſit, ubicumque vult: talem verò libertatem etiam illis communicatam ait eſſe, qui ſequuntur Agnum, quocumque ierit; ac proinde falſum eſſe (quod aſſerebat Vigilantius,) eos vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei conſidere detentos,* nec poſſe ſuis tumulis, & ubi voluerint, adeſſe præſentes. *Vides, non dici, illos ubique adeſſe præſentes; ſed poſſe ſuis tumulis, & ubi voluerint, adeſſe præſentes.*

c *De hac opinione videri poteſt S. Thomas prima parte, quæſt. 12, art. 8, & alibi; ubi eam rejicit. Cognoſcere tamen Sanctos quæcumque in terris ad ſe pertinentia geruntur, atque imprimis ſeſe invocantium vota, docet idem 2, 2, quæſt. 83, art. 4, & part. 3, quæſt. 10, art. 2. Qua verò ratione ea cognoſcant, quatuor ſunt Doctorum ſententiæ, inquit Bellarminus libro citato, cap. 20, ubi eas breviter propoſitas legere eſt.* F

d *Nimirum in ea ſententia fuit Hericus, quam & Hieronymus videtur innuere, quod animæ Sanctorum, ſicut etiam angeli, mira quadam celeritate naturæ quodammodo ſint ubique, & per ſe audiant preces ſupplicantium. Vide Bellarminum ibidem hanc refutantem.*

e *In margine codicis Lugdunenſis noſtri antiquiſſima manu citatus legitur* Fonteius, *neſcio quis*, Cartaginienſis: *apud Labbeum verò in ipſo textu paulo inferiùs legitur:* Quod quidam de mente mundanda ad videndum Deum paganus Fonteius Carthaginenſibus ſcripſit.

f Tractare, *ea ſcilicet, quæ votis repugnant. Vel* tractare *fortè accipitur pro differre ſeu in longum trahere votorum exſecutionem. Labbeus legit*, retractare.

A. S. HERICO MONACHO. EX MSS.

SERMO

Ejuſdem Heirici, in ſolemnitate S. Germani recitandus a.

a

REColitis (dilectiſſimi) diem publicis Eccleſiæ gaudiis dedicatum; cujus ſplendorem etſi ſermo taceat, religioſorum tamen conventus & devotio clamat: tam honeſtis enim ſtudiis, tam conſpirantibus votis, in hujus diei cultum & lætitiam conjuraſtis; ut feſtivitatis magnificentia ſuis per ſe titulis ſatis emineat, tametſi ab ejus laude officioſitas præconis abſiſtat. Tantorum igitur cauſas, & fomitem gaudiorum crebris, immò continuis lectionibus didiciſtis: voſque ea intentis excepiſſe animis, non obſcuro indicio declaraſtis; dum miraculorum cæleſtium majeſtatem ſacris paginis intonantem, internis ſuſpiriis, & perſpicuo ad ſingula honoraſtis affectu. Hodie enim pretioſus Germanus, ille quondam hujus eccleſiæ antiſtes præcipuus, nunc autem totius quoque orbis apud Deum protector eximius, glorioſo tranſitu terras deſerens, cælos penetrans, præſentiæ Domini redditus eſt. Quid dico, quod terras deſeruit, cujus (juxta Apoſtolum) converſatio ſemper in cælis fuit? Quid, quod præſentiæ Domini redditus eſt; qui cum Helia ſanctiſſimo, conſpectui Dei viventis perpetuò aſtitit indefeſſus? Dicam equidem de illo aliquid; etſi non ſatis propriè, at non nimis ineptè; etſi minùs audaciter, ſatis certè veraciter: dicam, inquam, hunc eſſe beatiſſimi Germani diem, non funebrem, ſed celebrem; non lugubrem, ſed ſalubrem; in quo longo finem imponens certamini, calcato mundo, proſtrato diabolo, glorioſus victor emicuit; & tamquam alter Helias curru prævectus angelico, cæleſte Capitolium athleta triumphalis aſcendit.

Hodie S. Germanus in cælum ſublatus eſt;

130 Jure enim huic, Heliæ triumphus aſſcribitur, cui omnibus ſanctitatis, & virtutum inſignibus ex æquo reſpondere probatur: nam, ut omittam cetera, in quibus ſe ſancti Dei homines pia æmulatione, æmula pietate viciſſim præveniunt; in illo certè ſingularis vel abſtinentiæ, vel continentiæ privilegio, alterum præferre alteri non ſatis liberaliter audeo: utrumque enim ſanctiſſimum, utrumque abſtinentiſſimum non contemnenda teſtatur auctoritas. Quamquam nec illud mente excidit, quod Prophetæ famem panes manè, carnes veſpere, corvis miniſtrantibus, temperabant *b*; Pontificis verò inediam poſt ſeptimum plerumque diem panis tantùm hordeaceus recreabat: in illo jejunii continuationem dies quadrageſimus ſolvit; in iſto abſtinentiæ profeſſionem annus triceſimus clauſit: Helias ſubcinericii panis edulio confortatus, uſque ad montem Dei Oreb jejunium traxit; Germanus omnipotentis Spiritus gratiâ roboratus, jejunando & orando arcem ſupernæ civitatis aſcendit: in illo tranſacti laboris moleſtias, mulieris viduæ liberalitas relevavit; in iſto familiares natalium divitiarum opulentias crux quotidiana conſumpſit: Helias furores perſequentium declinans, aliquamdiu inter beſtias ſolitarius vixit; Germanus, cujus hîc hodie memoriâ paſcimur, favores obſequentium fugiens (quod non tam rarum, quàm mirabile eſt) in populis eremita permanſit. Atque, ut à laboribus ad laborum præmia veniamus, Heliam curru raptum igneo, terrenus paradiſus abduxit, ſuo tempore moriturum; Germanum angelico fultum cuneo, ſidereus thronus excepit, ad judicandum quoque orbem cum Apoſtolis in gloria ſurrecturum.

ſicut S. Elias, cui comparatur, in paradiſum.

b

131 Non immeritò itaque mater Eccleſia hujus exultat triumphis, cujus ſingularibus ornatur exemplis. Et univerſaliter quidem in omnium commemoratione Sanctorum exultandum nobis, ratio perſuadet; ſed in hujus Patris excellentia copioſiùs meritò gloriandum, qui noſtra Paſtor in urbe, toto Doctor in orbe, in corpore illo (cui caput Chriſtus eſt) tantùm dignitatis obtinuit; ut inter ejus membra præcipua & nomine & merito cenſeretur. Quamquam itaque ejus eximia ſanctitas celebrem toto terrarum orbe promeruit claritatem; apud nos tamen, & à nobis eſt propenſiùs venerandus, quos ſacri corporis præſentiâ magnificat, beneficiis gratificat, interceſſione conſervat. Iſte enim, iſte eſt vir, per quem tibi lumen Euangelii, Gallia, coruſcavit: in quo, & per quem ſanctitatis & miraculorum tibi jubar effulſit. Hic tuus Pater, hic proprius Paſtor eſt; qui rudem tuæ religionis infantiam verbo aluit, exemplo formavit; protexit in adverſis, provexit in proſperis; divina concilians, humana componens. Multa pro te pertulit: graves ſibi terra marique expeditiones, gratiâ ſummi in te amoris indixit: non ceſſit laboribus, non pepercit ſudoribus, oblitus imbecillitatis corporeæ, oblitus longævitatis annoſæ. Pro ſalute tua principibus ſe oppoſuit; pro pace tua barbaris caput objecit; amori tuo poſt Deum nihil prætulit; pro quo, & in quo extrema certè omnia pati conceſſit.

Feſtum igitur hunc diem omnes agant;

132 Et quamquam illum ſingulæ orbis partes certatim vicibus raperent (quippe in quo, & ex quo maximè, per id temporis, ſalus omnium & vota pendebant;) te tamen omnibus prætulit; utilitates tuas publicas & privatas paterno ſemper affectu curavit. Tu revertentem excipiebas, feſſum fovebas; tu relevatio itineris, tu eras quies blanda laboris. Itaque etſi aliis non, tibi certè Apoſtolus eſt: ſigna enim apoſtolatûs ejus nos ſumus omnes in Domino. Poſtremò, illud quale eſt, quàm vehemens caritatis indicium; quàm memorabile paterni, vel potiùs materni pectoris argumentum? Longâ jam feſſum militiâ vocatio cæleſtis urgebat: vicinam mortem præſenſerat: ad æternæ remunerationis ſtipendium animus cum fine tendebat: pro relevandis miſeris, moleſtam ſibi peregrinationem impoſuit, non veritus ſenex juga Alpium, non obvias moles torrentium; non denique (quod maximum eſt) peregrè mori metuens; immò quicquid eſſe poteſt in morte graviſſimum, parvipendens.

Galli præſertim, quos Sanctus & olim vivens,

133 Sic equidem, ut reor, ſic rerum ordo poſcebat; ut Bellatorem, Chriſte, tuum, quem Gallia pugnantem aſpexerat, Italia exciperet triumphantem. Alibi ergo præliatur; alibi coronatur. Diu præſtolatum, tardè ſuſceptum Italicus orbis amplectitur; & per oblectamenta imperialia, per ſacerdotum obſequia blandas Viro innectit moras. Interea Chriſtus adeſt; præbet ituro viaticum; ad angelorum epulas invitat Amicum. Mixta luctibus gaudia indiſcretè per ampla feruntur palatia; dum & morituro lacrymas tribuunt, & (quamquam fruſtra) de hereditando ſacri funeris pignore plaudunt. Et illi quidem conflabant talia; verùm immutabilis Arbiter præordinaverat meliora. Germanus enim cælo ſpiritum refundebat, & cariis civibus ſalubria providebat. Itaque

& nunc ſepultus, tenerrimè fovit ac fovet.

pro

A pro tempore ſatisfactum utriſque eſt : Italiam moriens illuſtravit ; Gallias mortuus viſitavit. Sed poſt mortem non viſitaret, niſi & mortuus viveret. Vivit, inquam, mortuus, qui mortuos ſuſcitaverat vivus. Mortuus conſecravit nobis diem hodiernum, qui (ſi rite à nobis veneratur) obtinebit æternum. Vide igitur, quàm optimè de nobis eſt meritus, quibus tantopere voluit eſſe patronus. Cui cum vos debitæ venerationis cultum impenditis, uſuram vobis multiplicem fructuoſo fœnore præparatis ; quoniam per præſentiam ſacri ejus corporis plus accipitis, quàm præſtatis. De cujus gloria quia nihil dignum dicere poſſumus, jam nunc ad eum & voces, & vota verramus : ſanctitatem ejus, ſummiſſis animis, fœcundis precibus ambiamus.

Supplex ad Patronum apoſtrophe.

134 Memento (Pater ſplendidiſſime) memento tuorum per ſecula filiorum, nec obliviſcatur gregis pervigil cura Paſtoris. Credimus, te ad tribunal Altiſſimi incoinquinatum aſſiſtere ; ne ergo abnuas, fragilitatem noſtram immanium criminum ſqualoribus relevare. Potes equidem ſpatium nobis pœnitentiæ à manſuetiſſimo Judice impetrare, qui dignus habitus es, in conſpectu Agni canticum novum cantare: tantùm, qui illi meruiſti eſſe pediſſequus, nobis digneris eſſe patronus. Orationum, quas ad ſepulcrum tuum fundimus, interpres ante Deum eſto fidiſſimus : qui nobis exſtitiſti ſtrenuiſſimus prædicator, eſto nihilominus pro noſtris calamitatibus clementiſſimus ſuffragator. Poſce correctionem moribus, tranquillitatem temporibus, cunctorum veniam peccaminum, æternorum compendia gaudiorum. Facilè, quod popoſceris, obtinebis ; quandoquidem ita te tuo conjunctum credimus potentiſſimo Imperatori ; ut nec poſſis velle, quod ille noluerit ; nec velis quippiam deprecari, quo illum non cognoveris delectari, qui vivit, & regnat, & dominatur in omni gente, loco, & tempore, & per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

B

ANNOTATA.

a *Legitur hic titulus cum ſubjecto ſermone in codice noſtro Lugdunenſi ; non tamen hoc loco, ſed ante utrumque librum de vitâ & miraculis : eumdem quoque Sermonem in ſuis Mss. invenit ac nobis exſcripſit Chiffletius.*

C b *Sequitur auctor noſter verſionem ſeptuaginta Interpretum : nam in Vulgata lib. 3 Regum cap. 17 legitur :* Corvi quoque deferebant ei (*Eliæ*) panem & carnes manè ; ſimiliter panem & carnes veſperi.

APPENDIX PRIMA

ad S. Herici librum ſecundum de miraculis S. Germani.

Auctore anonymo, monacho ejuſdem cœnobii Autiſſiodorenſis a. *Ex Ms. Chiffletiano.*

1. NOvi factum operis & leni falo *b*, quamvis imperitè, memoriæ poſterorum mandare ſtudemus, quod obtentum meritis Germani, apoſtolici viri, epiſcopi Autrici, credibile eſſe *b De ſilva*

debet omnimodis, ſine hæſitatione veri. Unus fratrum cœnobii ſancti Joannis Reomaënſis miraculum mirabile, quod oculis ſuis vidit, & manibus propriis tractavit, Hugo nomine (qui fuit nepos domni Heldrici, bonæ famæ abbatis hujus *c*, illiuſque monaſterii) patratum nuperrimè narravit. Eſt quodam in loco, qui dicitur vulgariter Morvennus *d*, in pago Heduæ, eccleſia quædam conſtructa antiquitus in honore ſancti Germani ; ſed incendio penitùs deperiit. Quam iſdem monachus cupidè cupiens reſtaurare, & voluntariè dare operam ei erat ſtudii ; ſed in faciendo videbatur eſſe difficultas : quia ſaltus, unde reædificaretur, deerat proprius. Dum ergo de hac re pro ſe hæſitando quæreret, & inquirendo anxiaretur, acceſſit ad eum quidam homo, obſitus plurimis annis, & cano capite floridus, dicens illi : Quid anxiaris, domine frater ; vel quid tibi eſt faciendæ voluntatis ?

EX MS.

c

d

2 Ille infit : Incidit mihi velle hanc, quàm cernis, eccleſiam ex toto collapſam reſtaurandi : ſed ſilva deeſt, qua poſſit reformari. In quam ille : In hac re dixero conſilium breve ; ſed tamen, ut videtur, utile. Non eſt (ut tu arbitraris & metuis) hæc poteſtas ſancti Joannis vacua & privata ſilva ; ſed incuriâ & pigritiâ deſipientium proviſorum eſt abolita & ſublata à ditione poteſtatis veſtræ. Accipito ergo nunc invectionem excommunicationis, & recitâ in eccleſia in auribus populi audientis, ne quis celet occulendo, qui novit eſſe index ſilvæ, quæ adjacet rectè dominio ſancti Joannis. Ego nempe novi ; ſed formido verum dicere, preſſus formidine meorum dominorum, qui eam ſe ſciunt diu poſſediſſe injuſtè. Tunc monachus paret ovans : & ſparſa in populum excommunicatione, omnes in commune proteſtantur, ſe non noſſe. Illum ſolum ſenem præfatum objiciunt, proclamantes, hujus rei eum eſſe ſciolum. Illico ſenex antiquus præcedit lætus ; deſignat terminos illi fratri, &, qui aderant, famulis ; demonſtrat diviſiones ſilvæ, poſitas antiquiore tempore. Prædictis duorum Confeſſorum *e* meritis nemo obſtitit ; ſed, ut Propheta dicit, Non fuit, qui aperiret os, & moveret pennam, & ganniret. Abſque diſceptatione concertationis vel minima, recuperata eſt ſancto Joanni ſaltûs pars vel maxima.

recepta.

E

e

3 Tunc ergo mittunt cæſores lignorum ; ſuccidunt quercus ſecuribus ; quadrato opere poliuntur dolabrâ, quæ fierent ædificationi eccleſiæ congrua. Unâ ergo dierum plauſtrum ad devehendos ſectos fuſtes adducit ; carrum onerat ; ipſemet pedes, cucullâ ſuccinctus, ſtimulo & leni ſibilo boves demulcet, quò accelerent iter. Illi contenta cervice ſtridens trahunt plauſtrum. Et vix paululum proceſſerant ; duæ rotæ carri inferiores ita ſubitò confringuntur ; ut eas recuperandi nulla ſpes eſſet, & non viderentur fore aptæ, niſi pabulo ignis. Condolens frater caſu repentino, adducit alias ; plauſtrum redintegrat. Jam pluſculum viæ, quàm ſuperiùs, confecerant, cum repentè totæ quatuor rotæ ita conquaſſantur (ut * modioli, & cantæ *, & radii) ſic conteruntur ; ut à nullo perito hujus carpentariæ artis viderentur ullo ingenio poſſe conſolidari. At verò bonus vir ille, antea obedientiâ agilis & celer, tam inſperato calamitatis damno, irâ nimiâ (quæ eſt brevis furor) intimo dolore cordis tactus (non ſolummodo enim ſex rotæ ; ſed & tota ſtabilitas carri contrita erat) ſtomacho inardeſcente, furiâ invectus, in hæc injurioſa prorupit verba, complosis manibus, & lacrymis

II. *De*

F

* *fortè &* * *lege* canthi

ex MS. genis humidis : Eja, Germane ; te huc uſque inter primos apoſtolici ordinis Sanctos, memoriam tui penes me retinens, deputaveram ; ſed amodo nec ultimum dignum eſſe ducam. Apparet nunc in propatulo, quanta tua ſanctitas extiterit, dum morareris in mundo. Hanc nempe eccleſiam inhianter reſtituere tibi geſtiens, tui opem auxilii indefeſſè implorabam, te adjutorem, te auxiliatorem imprecans. Hei mihi ! De quanta ſpe decidi ! Nuſquam hactenus placeat Deo, ut quiſquam hujus tuæ eccleſiæ exiſtat reformator ; quia tu deſinis fieri ad conſtruendum auxiliator.

4 Hæc verba cachinnando, aduncis naribus nimium indulgens, progrediebatur, vacuos boves ante ſe ſtimulando agitans ; cum, ecce, ſubitaneo clamore revocant famulorum voces duorum, qui carri diſſipationem obſtipo capite admirabantur, ſubitò, & in momento oculi, & citius dicto in priſtinum ſtatum reſtitutum mirabiliter reſpiciunt (eorum verò unus Tetradus, alter Gaufredus vocitatur.) Dominum ſuum, ut retro redeat, taliter vocitando cum clamore deprecantur : Siſte gradum, & ad nos retrogradum verte greſſum pedis ; & cernes, mirabilem Germanum feciſſe mirabiliter, quem tumido ore delitigando duriter convitiis laceſſiſti. Tum verò ille attonitis auribus audiens, reſtitit ; & pernici curſu citiſſimè advolans, accurrit ; intuetur oculis ; palpat manibus ; miratur tam repentinum & mirabile opus ; totus humi proſternitur ; &, qui priùs amaris lacrymis faciem rigaverat, nunc verſa vice itidem dulcibus lacrymulis vultum hilarem irrigat, effundens dulciter hæc precabilia verba: Indulge, quæſo, piiſſime Germane ; & da veniam monacho, qui tibi mille convitia injecit ore nefario. O Deus ! Quàm citiſſimè velocem Operarium ! Cujus crates placidi & tranquilli pectoris, in quo fuit quies jugiter Spiritûs ſancti, & ſapientia ſaporis, ejus ſapidum pectus numquam preſſit taretrum *, quo fieret foramen, quo conjungeretur plauſtrum, rotundum : nec manus ejus calloſa extitit dolabrâ bene incidenti ; ſed oleo ſancto dignè fuit lita, præparata ad ſacrificanda ſacroſancta Sacrificia, & benedictiones populo largiendas : licet flagello virgæ hordeum excuſſerit, & volubili rota triverit ; ùt temperaret inopiam voluntariæ famis. Nunc jam lætus inſtabo operi tuæ eccleſiæ ; quod antea mœrens metuebam non poſſe perfici ob penuriam contriti carri ; quia tu, beatiſſime Confeſſor, modò factus es mihi velox auxiliator.

carri

* *imò* terebrum

C

5 Potuit hoc ille, ut puto, Patres conſcripti *f*, celerè impetrare ab aure proxima ſibi Divinitatis, qui vitulum, voratum à ſuis famulis, vivum reddidit, & calidum ſumen matris ſugere donavit, & vocem vaccæ matris mugientis recognoſcere præſtitit : inſuper regem inhumanum & iniquum, hoſpitalitatem negantem ſibi, poteſtativè de regno depoſuit ; & ſubulcum hoſpitalem in ſede regni imperiosè conſtituit. Denique illud plauſtrum divinitus fabricatum operi eccleſiæ fabricandæ, in vehendo lapides, ligna, quadratas trabes, & quidquid ſtructuræ neceſſarium extitit, tam diu duravit, donec ad perfectum opus eſt ductum.

reparato. *f*

III. *De luminibus ſuper altare divinitus apparentibus.*

6 Erat autem altare ipſius eccleſiæ ſub divo poſitum, hiemali pluvia & glaciali frigore penè totum diſſipatum : defluxerant enim lapides à lateribus, & cæmentum deciderat. Unâ ergo dierum præfatus frater, adveſperaſcente die, dum Veſperas eundo iret perſolvere, conſpicit eminus cum ſuis, qui eum poſt * ſequebantur, per quatuor cornua altaris quatuor candelas clariſſimo lumine, ſed divino, ſuccenſas, & in medio quintam, ceteris eminentiorem. Corporeis ergo oculis divinum intuentes lumen, hærendo ſtupent ; &, paulatim claritatis luce ſubducta, altari propiùs accedunt. Verùm in ipſa nocte nec volendo poſſunt illud manu tangere. Sequenti verò die commonet operarios, dicens : Conſideremus hoc altare, ſi erit poſſibile, ut non penitus deſtruatur ; ſed iiſdem ipſis lapidibus reformetur, qui defluxerunt à lateribus. Igitur dum ſegregant lapides à cæmento, reperiunt quamdam buſtillam *g*, interiùs ligneam, exteriùs cornu cervino tectam, ſed penè putridam, continentem in ſe medium digitum manûs cujuſdam Sancti (ut creditur) nervis, & corio, & ungulâ adhuc compactum ſolidè, cum tribus juncturis, aureum annulum habentem. Sed cujus Sancti nomen fuerit, neſcitur ; quia brevis * nequibat reperiri, carie conſumptus. Reædificato ergo altari, reliquiæ conduntur infrà cum annulo, ut priùs fuerant.

an ponè ?

D

g

* *i. e.* ſchedula

IV. *De capris, à ſacuco prohibitis.*

7 Excreverat autem juxta crepidinem altaris quædam arbuſcula, quæ vulgò ſacucus *h* dicitur ; quam capræ, ut fœtido ore carperent folliculos & frondes teneras, novo vere progenitas, ſcandere erant ſolitæ. Mirareris, & vix à riſu ora comprimeres, jocosè videndo, ſi cerneres : quia velociùs ad terram ruebant ſupinæ inferiùs, quam conſcenderant ſalientes ſuperiùs ; intactos relinquentes ramuſculos ab eſu. Si ergo conſideremus hoc perparvum mirabile, valemus intelligere, ſi proviſor noſter magnificus, Germanus, hanc inutilem arbuſculam conſervabat illæſam à putidis dentibus hædorum ; quanta proviſione & cum quanta diligentia conſervat & cuſtodit protegendo omnem ſuam familiam utriuſque ordinis, qui ejus fideliter cuſtodiendo conſervant bona ſine fraude malignitatis. Tria ergo bona opera eſt hîc operata beati Germani virtus apoſtolica : ſilva reſtituitur perdita ; carrum reformatur, ut dictum eſt, contritum ; altare conſpicitur cæleſti igne illuminatum. Ferunt enim (ut eſt volitans fama) quod ipſe rediens Româ, propria manu ipſam benedixerit eccleſiam.

h

E

V. *De*

8 Sententia deterrens delinquentem ea eſt, quæ dicit, quoniam in eo membro corporis, quo plus peccaverit quis, in eo magis duriùs punietur. Quod accidiſſe [dicitur], Dei vindicantis ultione, Francorum cuidam reginæ, nobili germine ortæ, nomine Emmæ *i*, quæ fuit uxor regis Radulfi *k*, ejuſdem Francorum gentis. Is denique fuit filius Richardi, Burgundiæ ducis, juſti & æqui judicatoris *l*, & pugnatoris eximii. Præfatus verò rex, licet inſignis gloria regali, & armis bellicis & audaciâ præferendus Hectori Trojano per omnia ; eam ſortitus uxorem, à lingua doloſa & cupiditate nimia, quæ in corde illius erat colligata, cohibere vix poterat : nam quamdam villam, quæ adjacet dominio ſancti Germani, Patroni noſtri hujus ; quæ dicitur Quinciacus, & conjacet in pago Nivernenſi, muliebri audacia invadendo pervaſerat, & ſuis neotericis buteonibus *m* diſtribuendo ad poſſidendum diſtribuerat.

De

F

i

k

l

m

9 Sed repentè inaudita calamitas, & viſu horrenda miſeriæ plaga ab ira divina ſuper eam deſcendit graviter. Nam lingua ejus (quæ, ut Apoſtolus dicit, eſt inquietum malum, plena veneno mortifero) ab ejus nefario ore turpè & miſerabiliter progrediens, infra ſepta dentium, ut naturæ humanæ ſe uſus habet, recipi nec concludi poterat ; ſed aperto ore hians, miſerandum ſpectaculum & plorabile omnibus ſe intuentibus ex-

Emma

A exhibebat. Verùm aliquando tacta dolore cordis intrinsecùs, & quod inhonestè patiebatur extrinsecùs, sentiens, & in se rediens, ad monasterium præcelsi pontificis Germani se cum multa turba satellitum plangentium, indiciis manuum potiùs, quàm sono vocis fecit deduci; & duo mira monilia, quæ collum & perversum ejus pectus dependentia decorabant (quæ manu S. Eligii, ut ipsum præclarum opus inspicientibus indicat, [concinnata fuerant]) sancto Pontifici dono, pro emendatione & redditione malè invasæ villæ, tradidit: propria enim manu ad frontem pedis capsæ sancti Germani clavis ea defixit; ut hodieque ab aspicientibus clarè potest intueri.

regina. 10 Illico divinæ misericordiæ respectus desuper affuit, & oratio precum apostolici Germani eam humilem reginam, exorantem veniam pro commissis, ineffabiliter respexit. Continuò nempe lingua improbè ejecta à faucium intimis reflexionibus, meatum meruit: & paulatim dulce & naturale cymbalum vocis verborum facundam elocutionem promeruit: & quæ antea inflatis buccis, tumido ore insana verba delitigare consueB verat; deinceps verbere superno duriter & lenè correpta, suavia & dulcia verba fari addidicit; & posthinc lenis, & suavis, & misericors extitit. De hoc verò rege Radulfo si quis nosse velit, quam fuerit illi vivida dextra bello, & quomodo Normannos, Franciam & Burgundiam devastantes depopulando, armis pepulerit, in miran auxilio jutus, magnis præliis fusos effugavit *n*. Cujus regis corpus in basilica sanctæ Columbæ Senonas, medio in choro honorabiliter marmore pullo tectum, requiescit. Ejus quoque Richardi patris corpus in crypta S. Symphoriani ad dexteram altaris pausat tumulatum, eodem in monasterio. Is denique Richardus, cum moriens, pede limen mortis calcaret, & ab episcopis, qui eum circumsteterant, hortaretur, ut suam inclamaret culpam; quia sanguinem multorum fuderat; respondit; dicens: Pœnitet, me non plus feciſſe; quia dum unum nequam peremi, centum salvavi: & unius latrunculi (pro interitu ejus) complures complices à malis patrandis suas continuerunt manus.

ANNOTATA.

C

a *Hujus Appendicis auctorem fuisse monachum cœnobii Autissiodorensis* S. Germani, *patebit num.* 1, *uti & quo tempore floruerit, puta non admodum diu post annum Christi* 1010.

b *Quid sibi hîc velit* & leni falo, *fateor, me non assequi. Suspicor, vitium esse in Ms., ac sine* & *legendum esse* brevi filo, *vel* stylo, *aut quid simile.*

c Hujus, *hoc est monasterii* S. Germani *Autissiodorensis; hunc enim sui cœnobii patronum fuisse, prodit scriptor num.* 8; *& in eodem fuisse thecam seu corpus* S. Germani, *indicat num.* 9, *ubi de monilibus agit ad frontem pedis capsæ* S. Germani *affixis ab Emma regina in compensationem villæ ad idem cœnobium pertinentis, quam injustè ipsa invaserat. Præterea Heldricus uni tantùm scitur præfuisse monasterio*, S. Germani: *nam Flaviniacense, & Reomaënse, quorum etiam abbas fuit, alios patronos colunt. Præfuit autem ille cœnobio Autissiodorensi jam dicto per annos viginti circiter & unum, nempe ab anno Christi* nongentesimo octogesimo nono *usque ad millesimum decimum, quo illi successit Achardus juxta Gesta abbatum istius monasterii cap.* 1 & 2. *Hinc facile est colligere auctoris nostri eam, quam dixi ætatem; ut qui ex hujus Heldrici nepote didicerit, quæ hîc narrat: incertum tamen, ex fratre Heldrici aut sorore nepos is fuerit, an ex filio: nam matrimonio junctum fuisse Heldricum, antequam seculo valediceret, putat Mabillonius in Annalibus tom.* 4, *lib.* 50, *num.* 20. EX MS.

d *Vide annotata ad Herici Miracula superiùs num.* 71.

e *S. Joannis scilicet, ad cujus monasterium silva spectabat; &* S. Germani, *qui in ea ecclesiam habuerat, de qua restauranda nunc agitur.*

f *Videtur ergo hanc suam narrationem hîc scriptor vel recitasse in cœtu monachorum cœnobii sui, vel certè ad eos direxisse historiam suam: nam eorum hîc præcipuos compellare videtur: ut apud Romanos præcipuam dignitatem obtinebant* Patres conscripti.

g Bustilla, bustula, buxtula *&c. pyxidem significat seu capsulam, à Gallico* boëte.

h *Imò* sambucus, *Hispanicè* Saüco, *& apud quosdam Gallo-Belgas* Sahuc *&* saihuc.

i *Erat hæc* Emma *filia Roberti, Galliæ regis, & ante maritum decessit anno (juxta Sammarthanos Hist. Domûs Francicæ lib.* 11) *Christi* 934. E

k *Obiit* Radulfus rex *anno* 936, *teste Frodoardo Hist. eccles. Rem. lib.* 4, *cap.* 26.

l *Vulgari cognomento* Justitiarii, *qui vitâ functus est anno* 921.

m Buteo *nomen est avis rapacis; cui fortè comparat auctor Emma proceres; nisi mavis* buteones *hîc dici à* buta, *hoc est lagena; quo sensu helluonibus & gregi parasitico annumeratos invenies apud Cangium in Glossario.*

n *De* S. Benedicto *actum est die* 21 *Martii. Videtur auctor respicere Miracula S. Benedicti per Aimoinum Floriacensem scripta, & ibidem data, ac præcipuè, quod in iis narratur cap.* 1, *num.* 3, *& cap.* 2 *num.* 5. *pag.* 318 *& seq.*

APPENDIX ALTERA

ad S. Herici historiam de Miraculis S. Germani, ex variis auctoribus collecta. F

S. Germanus hospitem liberat ab illusionibus dæmonum:

Præter miracula, quæ producta sunt hactenus, circumferuntur & alia quædam, non omnino dissimulanda. Primum esto, quod in Actorum ejus compendio habet codex noster membraneus ✠ *Ms.* 87 *in hæc verba:* Hospitatus (*S. Germanus*) in quodam loco, cum post cœnam iterum mensa pararetur, admiratus, interrogat, cui denuo præpararent. Cui cum dicerent, quod bonis illis mulieribus, quæ de nocte incedunt, præpararetur; illa nocte statuit S. Germanus vigilare. Et, ecce, videt multitudinem dæmonum in mensa in forma hominum & mulierum venientem. Qui eis præcipiens, ne abirent, cunctos de familia excitavit, inquirens, si personas illas cognoscerent. Qui cum omnes vicinos suos & vicinas esse, dicerent; misit ad domos singulorum, dæmonibus præcipiens, ne abirent. Et, ecce, omnes in suis lectulis sunt inventi. Adjurati igitur, se dæmones esse dixerunt, qui sic hominibus illudebant. *Idem habent in Sancti hujus Legenda Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, S. Antoninus*

part.

EX VARIIS. *part.* 2, *tit.* XI, *cap.* 18, § 5; *& Breviarium Autiſſiodorenſe anni* 1571, *aliudque vetuſtius; quæ id contigiſſe addunt* in quodam ſuæ diœceſis vico. *Atque hæc omnis eſt auctoritas, quam ad hujus narrationis confirmationem potuimus aſſequi. Eſt ea igitur, niſi monumenta proferantur antiquiora, noſtrâ quidem ſententiâ non ſatis gravis; cum ne codex quidem ille noſter ante ſeculum* XIII *videatur exaratus.*

mendicum mortuum ad vitam revocat;

2 *Alterum reperit domnus Georgius Viole (qui & præcedens adoptat cap.* 9) *in Ms. neſcio quo, Autiſſiodorenſi de Vita* S. Germani; *quod & ipſe in ejuſdem Vita Gallica cap.* 17 *ad hunc ferè modum exponit: Sanctus Antiſtes cum ad conficiendum negotium Armoricanum cogitaret in Italiam, noluit ante proficiſci, quàm amicos, atque imprimis S. Lupum epiſcopum Tricaſſinum ſalutaſſet. Trecenſes verò vix advenire jam illum intelligunt, cum extra muros in ejus occurſum magno numero prodeunt, pauperes præſertim, quos ipſe ut impenſiùs diligere, ita fovere conſueverat liberaliùs. Ex his duo ceteros anteverterant; quos inter maligno ſanè conſilio, ut largiorem ab eo ſtipem obtinerent, ita convenerat, ut alter mortuum ſe tantiſper fingeret; dum alter ad perſolvenda ſocio juſta à prætereunte Epiſcopo eleemoſynam flagitaret. Dum hæc agunt miſeri, adeſt Sanctus; videtque & corpus extenſum, ac re vera mortuum, & ſodalis lacrymas, quas non magis amici defuncti deſiderium, ut mentiebatur, quàm egeſtas extunderet propria, quæ ne id ſibi quidem reliquiſſet, unde ei poſſet exſequias qualeſcumque accurare. Commovit animum Præſulis utrumque ſpectaculum. Itaque mox poſitis humi genibus, Deo primùm animam defuncti commendat; tum ſuperſtiti ſocio tantum effundi jubet pecuniæ, quantum & ad ſumptum funeris, & ad inopiam propriam ſublevandam ſufficeret; atque ita progreſſo paulo longiùs Antiſtite, vafer ille prædam cum ſocio partiturus jam erat, cum mortuum omnino comperit, qui ſe mortuum ſimulaverat. Ergo & fictus modò dolor in verum commutatus, uſqueadeo ſtimulavit hominem, ut citiſſimo curſu Epiſcopum aſſecutus, ad ejus ſeſe pedes abjiceret, fateretur ultro flagitium, miſericordiam opemque imploraret. Cedit Præſul; ad mortuum è veſtigio redit, eumque, invocata ſanctiſſima Trinitate, reducit ad vitam.*

B

C

quod utinam vetuſtioribus probetur monumentis!

3 *Ad perpetuam verò hujus prodigii memoriam, ædificatam in ipſo loco fuiſſe eccleſiam, idem ibi ſcriptor affirmat, tituloque* S. Germani *conſecratam, & beneficiis ejus tam frequentibus illuſtratam identidem, ut pago ibidem condendo occaſionem dederit, qui quidem, obſoleto veteri Villæ Lincuriæ nomine, nunc vulgo* S. Germani *nuncupetur, ſituſque ſit in via regia, quæ ducit Autiſſiodorum, medio tantùm ab urbe Tricaſſina lapide: in hac porrò eccleſia hiſtoriam jam dictam loco non uno repræſentari, atque imprimis in altaris ſupremi tabula, & in alia, quæ ad eccleſiæ navim ſpectetur, vitrea;* ubi eam ipſe, *inquit,* magna voluptate contemplatus ſum, cum ad locum illum eâ tantummodo causâ me contuli, hoc ipſo anno MDCLV. *Addit inſuper, in antiquo Breviario Ms. eccleſiæ S. Renoberti Autiſſiodorenſis caſum quoque narrari ſimilem, qui eidem ſancto* Germano *acciderit, cum Dei verbum ad Venetenſis atque Andegavenſis epiſcopatuum confinia prædicaret. Simillimam & nos ad diem* XV *hujus menſis pag.* 43 *de S. Jacobo epiſcopo Niſibeno hiſtoriam ex Theodoreto dedimus; neque tamen hanc ideo* S. Germano *abjudicandam cenſemus. Verumenimvero prodigium tam inuſitatum, & quidem loco publico coram teſtibus bis ab eo patratum, monumentoque tam celebri, atque urbi Autiſſiodorenſi tam vicino poſteritati commendatum, & Conſtantii notitiam, & religioſam S. Herici diligentiam effugere, ſi verum eſt, potuiſſe, quis non mirabitur?*

D

Aſellum mortuum vitæ reſtituit;

4 *Tertium haud paulo vulgatius, nihilo tamen minus mirandum, ſic legitur:* Sed nec illud omittendum videtur; non ſolùm hominum, ſed etiam animalium Famulo ſuo Dominum vivificationis gratiam contuliſſe, ſecundùm illud propheticum; Homines & jumenta ſalvabis, Domine. Igitur cum pro ſtudio religionis Placidia mater Imperii * beatum Germanum ad convivium evocaſſet; non ob hoc tantùm * ut regiis dapibus uteretur, ſed ut ex ejus benedictione refectionem haurirent, religiosè & fideliter poſcenti ſuam præſentiam non negavit. Et cum in loco * hoſpitii, procul à palatio reſideret; ſeniles artus, jejunio vigiliiſque confecti, aſinulo deferente, palatio deportantur. At verò inter epulas unus ex miniſtris, reginæ in aurem ſuſurrat; animal, quo ſanctus Pontifex fuerat advectus, repentina morte ſopitum. Reticeri hæc beato Antiſtiti juſſit: anxia tamen, ne uſitata evectione privatus, triſtis à convivio remearet; in vice amiſſi animalis, miræ manſuetudinis ſedendus equus Perſa producitur. Quem intuens Vir Dei; Meus, inquit, mihi onager præſentetur; quia non alia me hinc evectio, quàm quæ exhibuit, reportabit. Tum exanime atque diſtenſum cadaver oſtenditur. Ad quod accedens, ait: Surge, muſcio; revertamur hoſpitio. Et baculo Sancti admonitus, contremiſcit: ſtatimque proſiliens, dorſo & auribus concuſſis, nihil adverſi ſe paſſum, alacri vigore teſtatur. Ita uſque ad obitum beati antiſtitis Germani cum omni commoditate evectio ſuavis impenditur.

* *f.* imperatoris
* *al.* non tam
* *al.* cum locus

E

quod tamen neſcimus quis primò narraverit.

5 *Dixi, miraculum hoc prioribus eſſe vulgatius: traditur enim à Viole in Vita Gallica cap.* 21; *ab Hieronymo Rubeo in Vita S. Petri Chryſologi; à Wernero Rolewink in Faſciculo temporum ſub anno Chriſti* 434; *à S. Antonino part.* 2, *tit.* XI, *cap.* 18, § 6, *à Petro de Natalibus in Catalogo; à Vincentio Bellovacenſi in Speculo Hiſt. lib.* 20 *cap.* 14, *ut alios omittam quamplurimos etiam in vetuſtis codicibus Mss. At enim ſi de certa antiquitate narrationis, aut ejus auctore quæritur; neque hunc, neque illam nos aſſecutos hactenus eſſe profitemur: nam in codice noſtro ✠ Ms.* 87 (*quem ſecutus eſt Jacobus de Voragine & eccleſia ipſa Autiſſiodorenſis in Breviario veterrimæ impreſſionis*) *auctor nullus adſcribitur. In alio, neſcio quo, veteri codice, de quo nos monuit, qui legerat, Alexander Wiltheimius noſter, extra ordinem adſcripta ſeorſim erat ad finem Vitæ* S. Germani, *metricè ab Herico compoſita; ſic tamen ut ad opus Herici nulla ratione pertinere videretur. In membranis, quibus uſus eſt Labbeus,* S. Herico *tribuitur lib.* 1 *de Vita & miraculis* S. Germani, *cap.* 52; *ſed & contra fidem codicum aliorum, & adeo inſulsè; ut librarium perquam hebetem fuiſſe oporteat, qui eam loco tam alieno intruſerit. Denique Chiffletius itidem noſter eam reperit in Sancti Vita per Conſtantium presbyterum ſcripta, cujus erat in libro ſecundo caput* XIX *juxta pervetuſtum codicem S. Lazari Æduenſis, ex quo nobis illam, uti jam exhibuimus, deſcripſit. Verùm eatenus hic iterum codex ab omnibus, quos viderimus, aliis diſſidet; quamquam in hac re ſimilem exſcripſit Mombritius. Antiquam ergo ut-*

F

cum-

A *cumque fatemur esse ; sed ex quo fonte , aut qua fide profluxerit , ignoramus.*

Sancti lipsanotheca , sine bajulo ducta per aërem.

6 *Jam de illo quid censebimus , quod in Vita Gallica cap. 26 refert Violius ? Fit ibi mentio de corpore S. Martini episcopi Turonensis , ob grassantes seculo nono jam adulto Normannos Autissiodorum delato , & in ecclesia* S. Germani *deposito , donec post annos triginta & amplius , sublato metu , relatum inde solenni pompa Turonum est. Dicitur verò cum sacrum illud depositum ex æde* S. Germani *efferretur , ipsa quoque hujus lipsanotheca sponte sua mota de loco , ac nemine manus adhibente , usque ad ecclesiæ valvas quasi deduxisse hospitem discedentem , eoque jam egresso , locum suum cælesti vecta virtute repetiisse.* Grande *enimvero* prodigium , *inquit Viole ; sed quanto est grandius , tanto est creditu difficilius , nisi testes idonei proferantur ; quales non sunt , quos producit Violius ,* Nicolaus *nempe* Gilles in Historia Franciæ (*quæ , teste Longo in sua Bibliotheca num.* 7433, plena est fabulis *exeunte seculo decimo quinto corrasis* ,) *&* Ms. Autissiodorense de Vita S. Germani idiomate vernaculo conceptum ; *&*

B *hoc quidem à Gillio discrepans : narrat enim , thecam* S. Germani *, cum usque ad templi limen reliquias S. Martini esset comitata , substitisse ; nec se priùs ad locum suum ab Autissiodorensibus passam esse referri , quàm corpus Sancti Martini usque ad suæ diœceseos limites iidem transtulissent. Horum verò omnium nihil est apud S. Odonem in Tractatu de reversione B. Martini de Burgundia ; ubi tamen hujus ejusdem translationis historiam cum adjunctis omnibus ex instituto describit.*

Sanctus apparet episcopo moribundo , anno 998.

7 *Melioris notæ miraculum est , quod in Historia episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum Biblioth. Mss. libb. tom.* 1 , *pag.* 448 , *accidisse scribitur Joanni episcopo Autissiodorensi , quem aliqui beatum nuncupant. Fuerat is* S. Germani *admodum studiosus* ; mense quoque Januario (*anno* 998) dolore tactus corporis , cœpit infirmari : qui deductus usque ad ultimum penè exhalationis spiritum , raptus in extasi , satis decoram visionem vidit. Qui protinus evocans virum clarissimum sibique amicissimum Achardum , tunc monasterii B. Germani præpositum , abbatem verò postmodum , ei hujusmodi visionem retulit , dicens : Modò , inquit , mihi apparuit Dominus meus Jesus Christus , simulque cum eo Germanus beatissimus , aliique quamplures splendidissimi viri ; quorum præsentia permaximum contulit mihi & mei doloris levamen & animi sospitatem : qui etiam mihi spoponderunt , Domino miserante , mox ut evocatus à corpore fuero , protinus in illorum adunari consortium. His dictis , orando summis labiis nomina Sanctorum depromens , crebrisque suspiriis ac lacrymosis oculis ad cælum respiciens , excessit à corpore

C XII Kal. Febr. *Omitto aliud , quo circa idem tempus apparuisse Sanctus dicitur mulieri cuidam , quam paulò antè multis dæmonibus liberaverat ; ut est in Actis S. Joannis abbatis Reomaënsis ; quæ , si lubet , consule ad diem* XXVIII *Januarii , pag.* 867 , *num.* 10 *& seq.*

Adversùs regis Roberti vires

8 *Neque inferioris auctoritatis est , quod narrat Glaber Rodulphus , monachus aliquando Autissiodorensis (ut innuit ipse infrà num.* 13) *in Historia sui temporis lib.* 2 , *cap.* 8 , *contigisse anno Christi* 1004 , *quo* ascendit , *inquit* , Rotbertus [Galliæ] rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum , ducens etiam secum Richardum , Rotomagorum Comitem cum triginta millibus Normannorum ; quoniam Burgundiones ei

fuere rebelles .... Deveniens quoque rex primitus cum omni exercitu civitatem Autisiodorum, eam obsidione circumdedit. Qui diu ibi crebris assultibus fatigatus residens , non adversus eam prævaluit... Relicta namque civitate , rex cum universo bellico apparatu convertit se ad castrum beati præsulis Germani expugnandum , quod munito aggere præpollens hæret civitati. Vallaverat enim illud Landrici Comitis [Autissiodorensis] exercitus , nec non ejusdem loci familiares viri, hostium siquidem metuentes sacri gregis direptionem. Occurrit interea furenti regi Odilo , venerabilis abbas Cluniacensis monasterii , cupiens intervenire partes utrasque .... Qui minùs posse fieri cernens quod decreverat , hortabatur fratres octo tantummodo , qui ad Confessoris custodiam relicti fuerant (nam ceteros cum suo abbate, Hilderico nomine , jussio regis inde exire compulerat ,) ut orationi instarent assiduè , si fortè Domini pietas eos , pariterque locum à tanta obsidione dignaretur eripere.

EX VARIIS.

defendit castrum & ecclesiam suam.

9 Sexto igitur obsidionis die illucescente , nimio rex arreptus [est] furore , indutus loricâ simul & galeâ , omnemque exercitum dictis exacuens ... Regi in procinctu jam constituto occurrit supradictus abbas Odilo , illum increpans, ejusque primates redarguens , cum adversus tantum Dei pontificem , scilicet Germanum , hostili manu insurrexissent : cui specialiter , ut in Gestis illius invenitur , usui fuit Dei auxilio & bella compescere plurima , & regum ferocitati resistere. Cujus verbis minùs auditum præbentes , quò tendebant , pervenerunt ; cingentesque supradictum castrum in coronæ modum , certatim illud expugnaturi , prælium inierunt. Alternis quoque partibus diu multumque decertantibus , domûs suæ parti Dei subitò affuit præsens auxilium : nam ejusdem castri universa capacitas ita repleta est in hora prælii tetterimâ nebulâ ; ut nemini hostium aforis pervius foret jaculandi aditus; cum ab intro repugnantibus cernerent , se gravi cæde prosterni. Sicque cum suorum,maximè Normannorum , concisione dimiserunt castrum incolume. Quos , licet tardè , pœnituit , adversùs magni meriti locum arma sumpsisse. Contigit etiam, ut horâ , qua regis exercitus adversus locum sacrum certamen inire cœpisset , vir religiosus Gislebertus , ejusdem loci monachus , super altare B. Mariæ semper Virginis , quod decentius ceteris in vertice ejusdem constat ecclesiæ , quemadmodum horâ diei tertiâ quotidie consueverat , Missarum sacramenta celebrare inciperet. Quod scilicet factum satis cælitus præstitæ congruit victoriæ. *Idem narratur in Historia episcoporum Autissiod cap.* 49 , *apud Labbeum Biblioth. Mss. libb. tom.* 1 *pag.* 449, *& in Gestis abbatum* S. Germani *Autissiod. cap.* 1 , *ibidem pag.* 572. *Neque prorsus absimile est , quod multo posteriùs è Chronico Ms. ecclesiæ cathedralis Autissiod. describit Violius his verbis :* Anno MLVIII clandestina irruptione captum est castrum S. Germani à militibus Roberti [Burgundiæ] ducis , & Theobaldi [Campaniæ] comitis. Qui ingressi , nutu divino territi , quantocyus exierunt intra venerabiles Quadragesimæ dies.

E

F

Miracula S. Germani

10 *Ad Sanctum quoque nostrum referenda videntur , quæ in eodem ejus cœnobio ad concilianda ecclesiæ reverentiam evenisse idem Glaber lib.* 5 , *cap.* 1 *testatur.* Mirificè tamen , *inquit* , apud Autisiodorum in ecclesia B. Germani contigisse meminimus. Erat ibidem frater , Gerardus nomine , cui mos erat post solemnes Matutinales in o-

EX VARIIS. ratorio remorari. Huic contigit quodam manè, ut inter orationes obdormiſceret. Qui protinus gravi ſomno depreſſus, velut exanimis delatus eſt foràs monaſterii; ſed qualiter, aut à quibus, huc uſque neſcitur. Qui expergefactus, reperit ſe in clauſtro, extra monaſterium, ejectum, admirans indicibiliter quod factum de ſeſe cernebat.

Simili quippe modo contigit cuidam presbytero, in eodem monaſterio pernoctanti: dum in ſubterioribus cryptis, ubi multa Sanctorum requieſcunt corpora, obdormiret, circa galli cantum reperit ſemet aſportatum poſt chorum monachorum.

Namque de eadem eccleſia certa relatio conſtat, quoniam, ſi contigerit noctu luminare extingui, quouſque reaccendatur, cuſtodes ejuſ-
*f. poſſunt dem eccleſiæ nullam quietem poſſe * conſequi.

ad conciliandam eccleſiæ ſuæ reverentiam.

11 Præterea fuit quidam frater, qui ſolitus erat ad altare S. Mariæ, quod excellentiſſimè conſtat, frequenter orare, ac gemitus & compunctionis lacrymas fundere. Unum igitur ei erat, quod penè univerſis accidit, inter oratum frequenter ſpuere, ac delumbè (*id eſt debiliter ſeu ex debilitate*) ſalivam emittere. Contigit verò aliquando, ut ſomno oppreſſus obdormiret. Apparuit ei ſtans juxta altare quidam candidis indumentis circumdatus, præferens in manibus pannum candidiſſimum, atque in hujuſmodi erumpebat verba: Cur me, inquiens, ſputis propriis verberando illinis? Nam ego, ut cernis, ſuſcipio munus tuarum orationum, deferens illud ad conſpectum miſericordiſſimi Judicis. Qua viſione correptus frater ille, & ſeſe continuit, & ceteros, ut ſe, in quantum valerent, in ſacris locis continerent, ammonere curavit.... Clarere igitur locum prædictum diutinè meritis B. Germani, ac ceterorum Sanctorum ibidem quieſcentium, ſignis & prodigiis tam in donis ſanitatum, quàm in ultionum vindictis ad ſe pertinentia diripientium, manifeſtum eſt. Siqui nempe de primatibus patriæ, hujuſce loci rerum invaſores ſeu diremptores increverunt, Deus exinde ultor ipſorum genus cum ſuis rebus in opprobrium, & penè ad nihilum redigere conſuevit. Hujus enim teſtimonium inter cetera noſtræ aſſertionis evidens extat ultio generis cujuſdam Bavonis, nec non & filii ejus Alwalonis, creberrimaque confuſio Silliniaci ſacrilegiſſimi caſtri.

B

C

Aliud, quod ipſi Glabro accidit eamdem eccleſiam exornanti;

12 Præterea egomet quondam rogatus à conſervis & fratribus noſtris ejuſdem loci, ut altariorum titulos, qui à ſcholaſticis (*id eſt, litteratis*) compoſiti olim fuerant, ſed vetuſtate, ut penè cuncta, fatiſcentes, minimè comparebant, reformarem. Quod, ut competens erat, libenti animo, quomodo valebam, adimplere ſtudui. Sed priuſquam ad cœpti operis calcem opus perducerem, ex nimia corporis ſtatione, ut reor, nocte quadam in ſtrato conquiniſcens, ita contractus ſum membris omnibus hicterica paſſione, ut non erigere memet, neque in latus aliud vertere ullo modo valerem. Poſt triduum verò inſecuta nocte nimiis detento anguſtiis apparuit mihi vir canitie venerandus; qui me in ſomnis per brachium erigens aiebat: Exple quantocyus quod cœpiſti: dolere ultra ne paveas. Illico verò expergefactus, memet admirans, excutienſque à lectulo, cucurri ad altare victorioſorum Martyrum, Victoris videlicet, Apollinariſque, ac Georgii; quoniam illorum oratorium contiguum erat domui infirmorum: ibique univerſorum Deo humillimas grates referens, alacer Matutinales explevi ſolemnes. Die verò inſecuta toto integerrimè valens corpore, eorum Martyrum nominibus propriis ibidem compoſui titulum. D

& pœna monachi, opus illud ex invidia deſtruentis.

13 Eccleſiæ denique majoris (*puta S. Germani*) erant altaria numero viginti duo; quibus, ut decens erat, titulis ſinopi de verſibus hexametris convenienter digeſtis, Sanctorumque epitaphiis reparatis, religioſorum etiam virorum quorumdam tumulos itidem perornare curavi. Quod ſanæ mentis hominibus admodum placabile fuit. Sed, ut pater Odilo ſæpius plangere ſolitus fuerat, ita contigit: ... nam quidam à ſui monaſterii fratribus exoſus diſcedens, venit ad noſtros; à quibus, ut mos illorum ſemper fuit, devotè ſuſceptus eſt. Is autem veneno invidiæ infecit abbatem cum aliquibus monachis, compellens in tantum adversùm me odium; ut præſcriptos altariorum titulos deſtruerent univerſos. Sed protinus, Domino ultore, affuit illius vindex, qui incentor extiterat fraternæ diſcordiæ: multatus enim [eſt] illico damnabili oculorum cæcitate, offendens pedibus irrecuperabiliter uſque in finem vitæ ſuæ. Cujus denique rei eventus tam vicinis, quàm longè poſitis non minimam præbuit admirationem. *Hæc ille de loco, ubi ſanctiſſimi Præſulis corpus depoſitum ſervabatur; at nunc alium ſubjicimus, qui de ſolo Sancti digito in Angliam tranſlato quàm multa, tam mira memorabit.* E

APPENDIX III.

De miraculis S. Germani ep. Autiſſiodorenſis Selebienſibus.

AUCTORE ANONYMO.

Ex Hiſtoria Selebienſis in Anglia monaſterii, edita apud Philippum Labbeum noſtrum, Novæ bibliothecæ Mss. librorum tom. 1 *à pag.* 594.

CAPUT I. F

Auctoris præfatio ad librum primum; Abſciſſio digiti S. Germani punita; ejuſdemque in Angliam imperata tranſlatio.

Auctor hæc ſcribit rogatus & juſſus,

DIlectionis tuæ precibus infinitis, virorum mihi cariſſime, quibus me hiſtoriographum creare non deſinis, plurima ſunt, quæ me huc uſque parêre vetuerunt. Talibus ſiquidem ac tantis paſſim obedire rogatibus ætas immatura me vetuit, parvitas imperita prohibuit, ignorantia tenebroſa retraxit. Hæ ſunt meæ obſtinationis cauſæ præcipuæ, hæ excuſationes juſtæ ſilentii, hæ ad excuſationem compulſiones violentæ. Ceterùm tua ſagacitas quod amica ſimplicitate non valuit impetrare per ſe, aſtuta calliditate penè violenter extorſit per alium; quippe dum tuis precibus illius,

A lius, domni scilicet Prioris, imperia sociasti, cujus jussionibus obviare nec patitur ratio, nec sinit institutio regularis. Sic conjunctis viribus, tu precibus amicis invitas ad studium, ille imperiali obedientia compellit ad obsequium: tibi quippe, quia amicus es, resistere obstinatè non debeo; illi, quia dominus & pater est, obviare nec volo, nec valeo.

ipse quidem juvenis; sed fide seniorum.

2 Negotium igitur curabo, quod imponitis; aggrediar hoc opus arduum hebes & insscius, vestra sanè merita meis viribus anteponens, & plus in vestris orationibus, quàm in mea possibilitate confidens; aggredior, inquam, opus egregium puer & parvulus, qualiterque ecclesia Selebiensis fundata sit, quæ causa, quis modus fundationis extitit, qui & fundatores fuerint, sicut ex ipsius domni Prioris ceterorumque seniorum relatione investigare potuero, Domini Dei nostri gratia adjuvante, litteris insinuare curabo. Precor autem omnes hujus opusculi nostri lectores, eorum vestigiis mente provolutus & animo, quatinus meam pusillitatem in caritate, quæ Deus est, supportantes, meæ infirmitati compatientes,
B nec inordinatè positis obloqui, nec pueriliter studeant derogare tractatis. Satis est, me meo proprio judicio judicari: præterea rusticitatis est & inclementiæ illum accusare vel obloqui, qui primitus accusator est sui. Præsumptionis autem calumniam obedientia regularis, quæ ad hoc opus me compulit, refrænabit, simplicitatemque calami agrestis, ætas tenella, quæ vix vicesimum secundum annum ingreditur, excusabit.

I. *Qualiter monachus quidam*

3 Prima quidem lectione, de venerandi patris & patroni nostri Germani digito, qui totius penè nostræ narrationis causa est & materia, qualiter eum de dexterâ Præsulis olim violenter quidam decerpserit, manifestare dignum duxi. Quod quidem tibi, lector, ideo prima lectionis fronte insinuare curavi; ut cum historicam narrationem inchoavero, sine digressionis habitu continuetur oratio, nec sit necesse de historia ad alia narranda digredi, cum, quod scire oportet de digito, tibi præcedenti relatione fuerit antea patefactum. Fuit in Autissiodorensi cœnobio, ubi beatissimi Germani corpusculum incorruptum requiescit & integrum, frater quidam, qui etiam inibi subsecretarii *a* fungebatur officio, qui in beatissimi Confessoris amorem specialis igne dilectionis accensus extitit, in ejus laude continuus, in
C memoria sedulus, in obsequio studiosus. Hic, ut ei esset memoria Præsulis de frequenti frequentior, spes ex certa certior, cultus ex devoto devotior, nescio cujus spiritûs suggestione concepit, ut aliquid monumenti de sanctissimo Sancti corpore furtivus invasor abstraheret.

digitum S. Germani decerpsit.

4 Hoc facilè quidem crediderim, hunc animum sinistri spiritus persuasione conceptum; cum eum & amoris incendium ad culpam compulerit, & ad præsumptionis ausum simplex & pia intentio animaverit. Hujusmodi affectu mente concepto, ad effectum opus affectum perducere totis desideriis anhelabat; temporis opportunitatem expectat, horæ congruentiam præstolatur. Nec mora; nocturnum silentium monachorum, & custodum absentia, sociorum & custodum subtractio, ad conceptam animo rem exequendam horam congruam, constantem animum, silentii fidem contulerunt. Credebat homo latere debere rem factam sub tenebris, mortaliumque devitare notitiam, quod sub solius Dei perficeretur aspectu. Hac spe confirmatus in anima ad factum, locum, quo sanctissimi Præsulis corpus requie-

scit, adivit; præmeditatusque, ut credo, quid eripere voluisset, digitum medium manus dextеræ sacrilegii reus vel morsu, vel abscissione destruxit. EX IMPRESSIS.

II. *Quàm admirabilem ultionem*

5 Vix se temerarius ab ausu præsumptuoso retraxerat, cum Confessoris offensi admirabilem & inauditam seculis in se præsensit ultionem, quæ tam admirabilis est, & plena stupore; ut difficile sit agnoscere, utrùm in ea plus ira Præsulis, quàm clementia; plus misericordia, quàm judicium commendetur. Mox namque ut reatum reus admiserat, divinitatis quodam agitatus impulsu, virtuteque coactus, reum pectus infatigabiliter pugno tundere cœpit utroque, semper voce flebili, continua lamentatione declamans: Sancte Germane, miserere mei. Postea quamdiu superfuit, ab hoc mirabili satisfactionis genere cessare non potuit, nisi cum corpusculum aut soporis quiete foveret, aut ciborum perceptione reficeret. Respice, quæso, & mirare, mirabilem Germanum fecisse mirabiliter; respice & mirare, clementem Pontificem erga filium non immisericorditer injuriâ commoveri; & si commotus injuriâ; sat tamen clementer & paternæ * commotionis repressit incendium; dum non ad salutis virtutisve dispendium, sed ad obtentum veniæ, ad satisfactionem offensæ, ad beatitudinis meritum ultionis exercuit disciplinam. *f.* paternè

idem pertulit pro reatu.

6 Sic igitur dum se reus deprehensum à Divinitatis majestate sentiret, digitum super altare necessitate coactus reposuit, in satisfactione prænotata continua lamentatione perdurans. Nec intercessit dilatio, cum ad eum quosdam de fratribus conduxit fortuna: aspiciunt & mirantur miraculum omnibus seculis admirandum; non diu celari potuit res digna spectaculo; paucis primò præcognita, ad plurimorum notitiam in momento pervenit: accurrunt monachi, dumque passum accelerant singuli, in hora congregantur universi: in conventu publico reus de eventu conventus, causam edifferit; exposuit modum; confitetur admissum; ostenditur digitus in altari, quem rapuit; manifestatur sententia, quam ex rapina promeruit: plangunt monachi Præsulem tam vehementer offensum, plangunt errorem fratris immensum, plangunt filii Patris injuriam, plangunt fraterni reatûs incuriam.

III. *De sancti Præsulis corporis repositione & obsequii diligentia.*

7 Communi subinde fratrum consilio corpus Præsulis in tali loco reponitur, sic aptatur; ut sine plurimorum consensu nec aspici valeat, nec adiri: circumcluditur siquidem usquequaque forti muro sarcophagus, uno tantùm ostio ferreo admittente accessum ad requiescentis honorem: indeficienti lumine lampas ibi perseverat accensa; quæ ut illius, cujus deservit honori, circa sacri sepulcri ambitum præsentiam commendaret, visa quindecim diebus fermè totidemque noctibus, dum semper arderet, nihil imminutionis prætulisse. Nec illud silendum est, quod si fortuito casu per noctem illam extingui contigit, sicut in libro Miraculorum ejus scribitur *b*, nulla indulgeatur custodibus requies, nulla potiendi somno facultas, donec defecti luminis obsequium reparetur: interdum cujusdam manûs impulsu molestiùs impetuntur; ut nemini impunè dubitare liceat, debita loco servitia non ineptè, non segniter exercenda. Digitus autem in eburnea pyxide compositus, honorificè vice corporis altario superpositus eminebat; qui ad incorrupti corporis invincibile argumentum, ita carnis & cutis integritate perseverat ornatus; ut pili etiam infra mediam juncturam tam firmiter cuti adhære- *b*

EX IMPRESSIS.

ant ; quod ad intuentium admirationem per eos in ſublime digitus poſſit & ſoleat elevari. Iis ita digeſtis, ad hiſtoricæ narrationis accedamus exordium.

IV. *Qualiter Benedictus monachus effectus ſit,* c

8 Eodem fermè tempore, quo Angliam dux Normanniæ Willelmus invaſerat, potentique dextera ſuo ſubjugavit imperio *c*, fuit in prædicto Autiſſiodorenſi cœnobio frater quidam, nomine Benedictus ; nec immeritò ſane tali nomine vocitatus ; nam, tamquam de re nomen ſortitus, habere meruit benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hic in eodem educatus cœnobio, loci illius abbati *d* ſub ſeculari habitu diu multumque ſervierat ; jamque tempus advenerat, quo & egregii juvenis obſequia, ſua ſibi præmia poſtulabant, & benignus Dominus non ejus ingratus obſequiis, illum honorificè remunerare parabat ; & ne remuneratio juvenis animum vel votum offenderet, duarum illi rerum propoſuit optionem ; ut ſcilicet quod mallet è duobus eligeret, vel militiæ cingulum in ſeculo, vel militiam monachatûs in monaſterio.

d

B *& poſtea ſubſacriſta.* **f.* proponenti

9 Optionem ergo hujuſcemodi proponente *, reſpondit abbati Benedictus, Melior eſt, inquit, dies una in atriis tuis, Domine, ſuper millia ; elegi providus abjectus eſſe in domo Domini Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum ; quia miſericordiam & virtutem diligit Deus ; gratiam & gloriam dabit Dominus. Infinita eſt in ſeculo militantium multitudo ; verùm, quod pudor eſt dicere, vitiis potiùs, quàm virtutibus ſervientium : infamis eſt militia ſolo nomine militare, & dedecus indecens vitiis & inertiæ ſervire ſub armis : ad hæc ſpiritalia caſtra me confero, ubi nec virtus præmio, nec honeſtas reverentiæ carebit honore : illi Domino militabo, qui ſuos milites virtute corroborat, quiete lætificat, gloria & honore coronat. Nec mora, monachicis diſciplinis Benedictus injectus, litteriſque appoſitus, ordinem monachorum & ſervitium in brevi didicit ; quia in lege Domini voluntas ejus, & in mandatis ejus meditabatur die ac nocte. Sic ergo dum ambularet de virtute in virtutem, dum aſcenſiones in corde ſuo diſponeret, dedit ei Dominus fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius ; ac deinde, tamquam moribus & genere fuerit levita, ſactorum ſecretorum cuſtos & conſcius, ejus pro vitæ merito, pro morum honeſtate, prælatus.

C V. *Qualiter S. Germanus terriò apparuit,*

10 Quo officio dum tempore plurimo fungeretur, fideliſque ſervus & prudens in modico & in majori probaretur, beatus Germanus ei nocturna viſione apparuit, talibuſque eum, tamquam alterum Abraham, eſt allocutus affatibus : Egredere, inquit, de terra tua, & de cognatione tua, & de hac domo Patris tui ; & veni in terram, quam monſtraveto tibi. Eſt locus in Anglia, vocaturque Selebia, meo proviſus honori, meæ laudis prædeſtinatus obſequiis, mei nominis titulis celebris futurus & gloria : qui ſuper ripam * *vulgo* Ouſe Uſæ * fluminis ſitus, non plurimùm diſtat ab Eboraca civitate *e*. Hujus te loci providi & prælegi meo nomini fundatorem ; fundabiſque tibi * cellam in poſſeſſione regali, quæ ſcilicet prope * pertinet ad jus regis. Et ne tantam talemque peregrinationem ſolus formides arripere, meo, crede, comitatu conſolaberis, meo conſilio confirmaberis, mea protectione munieris. Digitum etiam meum, qui ſuper altare eſt, in mei memoriam tecum aſportabis ; quem ut ſecurè & ſine amiſſionis periculo ferre valeas, brachium tuum inter cubitum & ſcapulam cultello aperies, & infra illud digitum collocabis. Nec hoc facere trepides, quia nec effundes ſanguinem, nec pœnam tolerabis. D

* *f.* ibi
* *an* propriè ?

11 Iis dictis, viſio ſacratiſſimi Confeſſoris ablata. Manè ergo facto, nolens Benedictus obſervare ſomnia, quæ multos multoties errare fecerunt, neglexit viſionem, nec attendit. Cui ſe beatus Germanus iterata viſione demonſtrans, increpavit, cur neglexiſſet, quod viderat : imperavit, ut omnia quàm citiùs implere ſatageret. Neglexit adhuc Benedictus viſionem, ſicut antea jam fecerat, nec aliquid de viſionis executione cogitabat. Nec immemor ſuſcepti negotii, tertiò ſe monacho, ſicut primò & ſecundò jam fecerat, beatus Confeſſor oſtendit : quem ſolito ſeveriùs affatus, taliter aſpera ratione convenit : Heus, inquit, num tanti à te habitus ſum ; ut viſionem meam digneris * implere ? Jam tertiò tibi fruſtrà apparui, votum & velle meum aperui ; nec tamen hactenus imperiis meis parere paraſti. Prædico igitur, & in veritate pronuntio, quod, niſi citiùs juſſionem meam adimpleveris, inobedientiæ tuæ gravem excipies & perferes ultionem. E

& in Angliam ad Selebiam cum digito ſuo transfretari monuit.

* *f.* dedigneris

ANNOTATA.

a Secretarius *olim, nunc vulgo* ſacriſta *appellatur ; hinc patet, quid ſit* ſubſecretarius, *nempe* ſacriſta ſecundarius.

b *Apud Hericum ſuprà num.* 50.

c *Id factum anno* 1066.

d *Abbas ibi tunc erat Galterus, biennio tantùm antè electus, hoc eſt, anno Chriſti* 1064. *Fortè etiam ejus deceſſori, Boſoni Priori, ſervierat Benedictus.*

e Eboraca civitas *ad orientem Britannia in Eboracenſi ducatu ſita, vulgo* York *appellatur.*

CAPUT II

Ipſa ſacri digiti ad Selebiam prodigioſa tranſlatio.

F VI. *Qualiter Benedictus*

HAc Benedictus voce perterritus, exinde cœpit ſecum de profectione tractare. Et quoniam diſceſſionem ſuam rationis & licentiæ libertate munire volebat, ingreſſus capitulum, licentiam petiit abeundi ; cauſam tamen diſceſſionis miraculumque viſionis omnino diſſimulans. Nec impetrare valens vice prima, quod petiit, patienter ſuſpendit negotium ; dieque craſtina licentiam iterum ſatis avidè poſtulabat ; reclamant ſinguli, reſiſtunt univerſi, & in contumelias monachi monachorum omnium voces unà proſiliunt, clamores perſtrepunt, jurgia proferuntur,

Voces immites, convitia, jurgia, lites,
Lis creat, Ordo movet, fert furor, ira fovet.

Contumelioſam itaque paſſus repulſam ; neceſſitate compulſus, clanculò diſcedere cogitabat ; digitum glorioſi Præſulis, ſicut ei juſſerat ipſe, nocturno ſilentio rapuit ; apertoque brachio ſuo, digitum infrà repoſuit. In quo ſolo facto miracula plurima coruſcant ; quia nec vulnus invenit ſanguinem, nec vulneratus cruciatûs incommoduin ! acceſſit etiam ad hæc non inferioris prodigii ſplendor & gloria, quia cum pretioſum pignus ad brachium admoviſſet, ad illius ſuſceptionem

A nem continuò se vulnus hiatu citissimo sufficienter aperuit, susceptoque digito iterum se recenti reclusione recepit. Ligavit tamen ille vulnus linteolis, ac si brachium cauterarium *a* haberet.

a

ab Antissiodoro recessit;

13 Quo facto, factisque ceteris, quæ facere compulit itineris apparatus, Deo se commendans, & sanctissimo patrono suo Germano; media nocte monasterium egressus, iter ingreditur, quod Gallicana ducebat ad littora. Jamque crastina dies illuxerat, nec illius absentia diutiùs latere valebat: primò quidem sociis & sacrorum custodibus, ac deinde fratribus omnibus illius discessus innotuit: quæritur in monasterio, nec invenitur: inquiritur per civitatem, nec ulla de eo certitudo cognoscitur: exploratur per ecclesiam sat solicitè, si salva sint omnia; si illo discedente, cuncta, quæ sub cura ejus fuerant, intacta remanserint. Dum ergo considerantur omnia, singula pertractantur, ad extremum pretiosum Præsulis digitum abesse compererunt. Tunc clamor per ecclesiam oritur, & turbatio per monasterium funditur; tunc gemitus & lamenta per

B civitatis ambitum elevantur;

Tunc doluit quivis, mulier, mas, advena, civis;
Hinc gemitus juvenum personat, inde senum:
Doctus, hebes; stultus; sensatus, parvus; adultus,
Femina, vir flebant; fletuque fluente madebant.

& in Angliam pervenit.

14 Ad persequendum postremò monachum per itinera plurima plurimi destinantur:

Insequitur monachum monachorum turba furentûm,
Atque minans cædes hinc eques, inde pedes.

Unum plurimi prosequuntur: unanimes persequentes inveniunt; invenientes capiunt, capientes clementer * arguunt, indignanter increpant, vehementer objurgant; sacrilegii demum Benedictus arguitur, de digito sacratissimo secretè palámque convenitur: diffitetur imposita; constanti ratione se nec sacrilegum nec sacrilegii conscium; viva voce testatur: sed illi, quorum cor induratum, quorum fuit manus extenta, nec ejus excusationem accipiunt, nec ullam approbant rationem. Ceterùm vim & violentiam ingerentes, manus injiciunt; vestibus eum expoliant; omnia perscrutantur incassùm; tandem consummato labore, quia scrutati sunt iniquè, dispendioso defecerunt scrutantes scrutinio; nec super eum, quod quærebant, reperire valentes, maxima perturbatione confusi, Autissiodorum redierunt. Benedictus autem ad mare perveniens, prospero & felici cursu cum pretioso thesauro devenit in Angliam.

** f. inclementer*

C

VII. *Qualiter pro Selebia Salesbyriam adivit,*

b

15 Secundis itaque ventorum afflatibus Anglicà Benedictus ad littora pro Selebeia Salesbyriam *b* cœpit inquirere; quam ab insulanis edoctus, ad eam, quasi ad locum sibi divinitus prædestinatum, festinabat;

Dum citus accelerat, ut, quod mens, pes quoque quærat,
Consummans breviter abbreviavit iter.

Fuit tunc temporis in Salesbyria civis quidam, Edwardus nomine, vir omni morum honestate præfulgens, & inter secularia vitam & morem diffitens secularem; habitu tamen & specie specimen in eo secularitatis apparebat; qui etiam non minùs censûs, quàm sensûs locupletatus honore, propter diversarum opum affluentem congeriem dives cognominabatur. Hic ergo Salesbyriam advenientem Benedictum solemni susceptit officio, susceptum devoto relevavit obsequio, relevatum fideli & amico confortavit consilio. Cumque diebus paucis apud eum perendinaret Benedictus, tam familiaris, tam amicus ei effectus est; ut eum semper de reliquo, quamdiu superfuit prædictus Edwardus, ut amicum coleret, ut fratrem diligeret, ut patrem & dominum honoraret:

EX IMPRESSIS.

Hæc tria veridicum servant constanter amicum;
Usus in iis clamat; semper amicus amat.

& ab Edwardo suscepit.

16 Testantur hoc illius non minùs pretiosa, quàm speciosa munuscula, quæ caritate ductus, ad decorem domûs Domini, ad sanctissimi præsulis Germani reverentiam, Benedicto postea delegavit: siquidem ei contulit ad pretiosi digiti repositionem phylacterium quoddam aureum, rotundum, quantitate præcipuum, qualitate perspicuum, cælatura mirificum, opere pretiosum; quod usque hodie in monasterio Selebiensi conservatum, omnes se contemplantes non minus in sui ipsius laudem, quàm admirationem pro antiqui operis accendit dignitate. Dedit ei etiam ad altare operimentum linteum quoddam, opere mirifico decoratum, majestatis Domini cum Euan- E
gelistis quatuór, sed & crucifici * Domini, nec non etiam duodecim Apostolorum continens imagines opere plumario supertextas. Longum omnia retexere, quæ Benedicto contulit. Hæc tantùm ad fidelis viri monimentum memorasse sufficiat, maximè cum usque hodie in monasterio conservetur utrumque.

** f.* crucifixi

& honoratus fit.

17 Cum igitur, ut dicere cœperam, ab hoc viro perenni memoria digno Salesbyriam adveniens Benedictus excíperetur hospitio, venerabili hospiti suo cuncta, quæ sibi contigerant, seriatim exposuit; glorioso scilicet Præsulis apparitionem; apparentis allocutionem, alloquentis jussionem, jussionis executionem. Suspendit tamen aliqua, nec plura de visionis jussione narravit, quàm vera & firma experientia certam * probave- ** f.* experi-
rat. Summa totius narrationis hoc extitit, quod entiâ certâ
eum beatus Germanus in Angliam ad Salesbyriam delegaverat: sic quippe putabat dixisse Confessorem, quia nomen Salesbyriæ percelebre fuit; Selebiæ verò tunc temporis satis incognitum; & quia Salesbyriam priùs sæpe nominari Benedictus audierat, illò se putabat à beato Germano transmissum. Igitur ut fidem audientibus faceret, Benedictus brachium suum ostendit, digitum Præsulis continens pretiosum. Grates summas & gra- F
tias omnes Deo & beato Germano persolvunt; illum bene venisse, proclamant; felicem fore locum tam glorioso Præsulis patrocinio profitentur. Ac tum putabat Benedictus, se ad locum sibi à Deo prædestinatum pervenisse. Cum [verò] neque civitatem Eboracam, neque Usam fluvium in illis finibus esse deprehendit, tunc admodum contristatus, cœpit intra se valdè scandalizari, & à fide deficere; maximè quia locum, quem per visionem, ut putabat, audierat; sed loci signa non invenisset; lætitiam tamen & gaudium vultu præferens, anxietatem & scandalum, quod patiebatur, callidè dissimulabat,

Vultus lætitia mœstos simulata serenans,
Scandala dissimulat mentis amara viri.

VIII. *Qualiter ei S. Germanus ibidem apparuit, & per visum ei Selebiam ostendit.*

18 Jam exorto vespere, se tardior hora protraxerat, & Benedictum itineris fatigatio, mentis anxietas, cogitationum molestia ad refectionem, ad soporem, ad requiem invitabant:

Cum labor, anxietas, vaga mens monuere soporem,
Dormit homo, valeat ut sic reparare vigorem.

EX IMPRESSIS. * *f.* Benedicte

Quem altiùs ſopore depreſſum beatus Germanus apparens ſubridenſque paululùm, talibus allocutus affatibus, Quid, inquit, Benedictus *, tam novus hoſpes & advena, tam abundanti triſtitia, ſubitoque mœrore confunderis?

Dic, quid agis, quid habes; dic, quæ tibi cauſa doloris?

f. ſint

Sunt * mala, quæ pateris intus, aperta foris. Num tuæ habitationi locum congruum inveniſti? Si ſedulè petiſſes, ſolicitè quæſiſſes, inſtanter pulſaſſes; de acceptione certiſſima, de inventione promptiſſima, de apertione & congaudêres. Non dixi tibi Salesbyriam; ſed ut requireres Selebeiam. Quod nomen beatus Germanus, ſeptus ſyllabarum producendo, repetens, Verùm, inquit, ne tibi rurſus elapſo loci nomine, error avertat à pervio; jam tibi locum ipſum oſtendam; ut, cum ad illum iteratò perveneris, ceſpitem ſcias, quem elegi, cognoſcere. Sic fatus, raptum hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio; Deus ſcit) univerſum loci ſitum illi demonſtrans, Hæc, inquit, requies mea in ſeculum ſeculi; hîc habitabo, quoniam elegi eam. His dictis, viſio diſparuit Confeſſoris.

B

IX. *qualiter perveniens Lumam, navem reperit,* c

19 Mane autem facto, quæ viderat, hoſpiti ſuo Benedictus expoſuit; interjectiſque diebus non plurimis, accepto ab eodem hoſpite ſuo clerico quodam, Teobaldo nomine (qui ſcilicet interpres ejus eſſet) Lumam *c* Benedictus uſque pervenit. Quò cum perveniſſet, navem inibi reperit onerariam, quæ curſum Eboracam deſtinabat ad urbem. Verùm inclementiâ demorata ventorum, quindecim dierum interceſſu vel ampliùs illic oneraria jacuerat. Crediderim ſanè, nec immeritò, ventorum hanc adverſitatem cælitus commoveri; quatenus, ſic rate retenta, Benedicto illuc advenienti non evectionis præſtò deeſſet obſequium: quod ex ipſa aëris immutatione ſat patenter datur intelligi; quia in ſecunda die, qua illò Benedictus advenerat, mox aëre mutato, ventorum opportunitas, auræ ſerenitas, æquoris tranquillitas ad navigationem provocabat ituros.

quæ 15 diebus illic onerata jacuerat. * *f.* quod

20 Aſſerit ſe domnus Prior hæc apud Lumam à quadam matrona valdè decrepita didiciſſe, quo * ſe juvenculam in domo patris ſui Benedictum vidiſſe perhibuit hoſpitatum, &, cum eumdem Benedictum infirmitas fortaſſe coëgiſſet ut balneis uteretur, brachium ſuum dexterum, in quo digitus glorioſus continebatur, jugiter ab aquis in ſublime ſuſpendens, præcavit ſummopere ne aquarum injuriâ digitus offenderetur; quod cum vidiſſent, qui aderant, &, cur hoc faceret, inquirerent, priùs infirmitatem quamdam dixit ſe habere in brachio; ſed poſtmodum rei veritatem & ordinem hoſpiti ſuo narravit, ſeque illò dixit adveniſſe, ut ibi navem conſcendens, per aquarum fluxum locum ſibi prædeſtinatum adiret.

C

X. *Qualiter Selebiam in eadem navi perveniens, habitaculum Sancti conſtruxit.*

21 Igitur nautæ prædictæ navis, Benedicti voluntatem cognoſcentes, & ſe ad illius ingreſſum benedici confidentes, illum cum maximo gaudio in eam ſuſcipiunt, omnia, quæ ei erant neceſſaria, devotè conferentes. Benedicto itaque eorum aggregato conſortio

Aura datur lenis; volat undis cymba ſerenis;
Tranſvolat alta ratis æquora ſana ſatis.
Nil grave, nil triſte monſtrat mare, te duce, Chriſte:
Rector, ut optarat, æquora primus arat.

Sicque proſpero ventorum impulſu mare pervelantes, in Uſam fluvium elapſi ſunt. Nec mora; loco, qui Selebeia dicitur, appropinquant: quem eminus Benedictus intuitus, eumque continuò ex priſtina viſione recognoſcens, Hîc, inquit, hîc ad terras reducite; quia hic locus, quem elegit Dominus. Sicque ad terram cum ſociis demiſſus à nautis, è veſtigio ſuper ripa fluminis ad honorem Domini ſignum Crucis elevavit, ac deinde ſub quadam miræ magnitudinis quercu, quæ à patriotis Strihac vocabatur, in regali poſſeſſione frondibus & foliis parvulum conſtruxit habitaculum, anno circiter ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo nono, qui eſt annus quartus Willermi primi regis.

D

XI. *Quàm gaudenter locum illum amplexatus ſit;*

22 Loci deinde ſitum univerſum uſquequaque Benedictus explorando perluſtrans, territorium, confinia, prædiorumque & poſſeſſionum metas & terminos perambulans, quid cuivis adjaceret dominio, diligenter addidicit; videnſque locum amœniſſimum tam frequenti nemore conſitum, tam abundanti diverſoque flumine coronatum, tamquam terrenum quemdam paradiſum, illum amplexatus, non minùs de illius utili opportunitate, quàm ex inventione ceteri congaudebat. Ceterùm quoniam ſe præbet occaſio, ſpecialius aliquid & apertius de loci ſitu vel qualitate dicendum eſt: cujus nomen Selebi * dicitur Anglicè, quod interpretatum Latinè dicitur Marini vituli villa; quod vocabulum eſt ſortitus, quia piſces hujuſmodi frequenter ibi ſolebant capi antiquitus. Situs ſuper ripam Uſæ fluminis, ad auſtralem ſcilicet plagam Eboracæ civitatis, ab eadem diſtans non plurimùm, ſed quaſi ſpatio milliariorum decem; interjacente nemorum & ſylvarum multiplici circumſtantia ex omni parte coronatur, quæ amœno loco multum decoris conferunt, plus tamen utilitatis impendunt; inter quæ nemora plurima ſunt quantitate, qualitate præcipua, quæ propriè ejuſdem loci dominio adjacent & appendent.

* *vulgo* Selby

E

& de ipſius loci ſitu.

23 Aquarum etiam tanta vicinitate fruitur, tòt & tantis curſibus circumcinctus munitur; ut, exceptis lacubus & ſtagnis, quæ piſcibus copioſa proxima ſunt, quibus etiam molendina curantur, trium regalium fluviorum, Uſæ ſcilicet, Derpente, & Air proximitate locus gaudeat, utilitate vigeat, copia ſuſtentetur: ſunt namque prædicti tres fluvii valde inſignes, & omni genere piſcium, qui in aquis dulcibus inveniuntur, abundantes. Harum igitur duarum rerum, nemorum videlicet & aquarum, commoditate Selebia præpollens, tertiæ rei non minus utilis, lapidis ſcilicet inſigniſſimi, copiâ ad omnem ſtructuram nobiliſſimi, ad omnem cælaturam aptiſſimi præditatur. Quid plura? Habentur in eodem loco, vel in locis eidem loco pertinentibus, quæcumque, ut ita dixerim, ad regni gubernacula poſtulantur. Monaſterium præterea tam pulcrè, tam inſignitèr in illo ſuo ſecreto ſedet receſſu; ut ex omni parte per vias publicas à longè gradientibus eccleſiæ turris, & cetera quædam officinarum tecta, quæ aliquantulum in ſublime conſurgunt, appareant & oſtendantur. Quidquid etiam ad Eboracum de tranſmarinis partibus, vel ex ullis Angliæ portubus advehitur navigio, vel ab illa deportatur, antè portas monaſterii Selebienſis tranſire conſuevit. Sed quoniam hæc de loci qualitate per digreſſum exponentes, aliquantulum ab incepta narratione receſſimus, his omiſſis, ad ea proſequenda, quæ cœpimus, redeamus.

F

ANNOTATA.

a Cauterarium *barbarè à* cauterio *admoto dictum.*

b Sa-

A b Salesbyria *urbs eſt in comitatu Wiltonienſi ad meridiem Britanniæ. Selebiâ profectò plurimùm diſſita.*

c Lumam *appellari hîc puto urbem vicinam freto Vectico, vulgò* Lymington, *ad meridiem Salesbyriæ.*

CAPUT III.

Ejuſdem ibi veneratio ſtabiliri cœpta miraculis.

XII. *Qualiter mutus, digito ſacratiſſimi Præſulis conſignatus,*

CUm itaque, ſicuti prælibatum eſt, ſibi parvulum tugurium, vel potiùs umbraculum, Benedictus conſtruxiſſet, illo, pretioſo pignori, digito ſcilicet ſacratiſſimo, continuas laudes perſolvens, juges excubias amminiſtrans, attendit ſummopere, ne umquam reliquiis venerandis divina deeſſent obſequia; exhibet officium ſacris; ſatis officiosè providet, obſequium ne deſit eis
B ſtudiosè. Verum, ne diutius illa pretioſa lucerna ſub modio poſita, in illa deſerti ſolitudine lateret abſcondita, ſed potiùs in publico ſublimata, lucenſque quamplurimis, ab omnibus coleretur, ad habitaculum Benedicti mutum quemdam fortuna conduxerat; qui nutu annuens, benedictionem aliquam ſibi fieri poſtulabat. Quod Benedictus intuitus, ibique materiam ſuæ demonſtrationis & profectûs intelligens, converſus ad Patronum benigniſſimum, En, inquit, beatiſſime Germane, in peregrinatione barbara poſiti non cognoſcimur, in ſilveſtri gremio demerſi non videmur, in heremi ſolitudine detruſi ab omnibus ignoramur: oſtende ergo ſuper hunc miſerum tuam miſericordiam, ut videamur; exalta tuam potentiam, ne ulteriùs ignoremur.

loquelam promernit. 25 Sic fatus, digitum Præſulis pretioſum apprehendens, ſuper os muti ſalutare crucis ſignum expreſſit. Sicque, prædamnatæ linguæ retinaculis diſſolutis, in uſum loquendi modo mirabili oris officium relaxatur.

Os, ſic dum tangit digitus, ſua vincula frangit;
C Paſſio victa jacet, non mage lingua tacet;
Purgantur venæ; nocuo rumpuntur habenæ;
Os patet; affatur lingua; loquela datur.

Hoc deinde per regionis amplitudinem uſquequaque divulgato miraculo, non minus in Benedicti, quàm in beati Germani reverentiam & amorem, omnium comprovincialium affectus accenduntur & animi. Ingens etiam raritas monachorum, quæ tunc temporis extitit, duplo ad Benedictum honorandum & colendum ſtudia cunctorum excitavit: per totam enim Eboraci Siriam *a*, excepta
a Dunelmenſi congregatione *b*, nec monachus nec
b monachorum locus aliquis in illis diebus facilè valuit reperiri.

XIII. *Qualiter Hugo vicecomes Benedictum viſitavit,*

26 Contigit autem eodem tempore, ut vicecomes Eboracenſis, Hugo ſcilicet, filius Baldrici, juxta Selebeiam evectus navigio pertranſiret; qui cum ſuper ripam fluminis crucis elevatum conſpexiſſet ſignaculum, interrogavit, quam ob cauſam ibi crux emineret elata; cumque rem didiciſſet, continuò juſſit ad terram navem reducere, ut Dei ſervum allocuturus exiret. Comitabatur autem eum non modica militiæ multitudo, quia bellicæ claſſis immanitate perdurante, non adhuc perfectæ pacis tranquillitas ab armis & acie militem abſolverat. Fregit hoc in illis finibus Anglorum indomita ferocitas & invicta conſtantia, qui ſemper ad vindictam ſuam in Gallos inſurgentes ultra vires & poſſe, ubicumque ſibi invicem obviabant, quis eorum plus poſſet in viribus, experiri nitebantur. Hac de cauſa tanta militum multitudine prædictus vicecomes conſtipatus incedebat. EX IMPRESSIS.

& in familiaritatem & amicitiam ſuſcepit. 27 Qui cum ad Benedicti cellulam perveniſſet, reperit eum fortuitu ante ſacras reliquias in oratione procumbentem; &, orationis fine præſtolato, ab oratione ſurgentem monachum humiliter ſalutavit, illumque bene veniſſe, devotiſſimè proclamavit. Quem Benedictus gratanter reſalutans, adventûs ſui cauſam & modum illi ſeriatim expoſuit; digitum ſanctiſſimi præſulis Germani, quem attulerat, illis omnibus patenter oſtendens, dicebat ſe advenam & peregrinum, nullum in illis regionibus notum habere, nullum prægognitum; ſe nullius, niſi ſolius Dei & beati Germani, adjutorio roborari. Quamobrem, inquit, tuæ protectioni me ſubmittens, tuo conſilio me committens, tuam ſuppliciter exoro clementiam, ut ad id, quod cœpi, conſummandum pro Dei amore, tuo me informes conſilio, tuo me proſequaris auxilio, tuâ me ſolertiâ conſoleris. Annuit illico vir fidelis, & ad preces ſervi Dei aurem inclinans benigniſſimè, Faciam, inquit, libentiſſimè, quæ poſcaris; quia, Deo mihi incolumitatem largiente, me habebis cooperatorem in quæſtubus, fautorem in votis, criltorem in proſperis, & adjutorem in adverſis. E

XIV. *Qualiter vicecomes tentorium ſuum extentum illic dereliquit, & capellam conſtruere fecit.*

28 Hæc dicens, juſſit mox tentorium ſuum extendere; ut hoſpitii vice digitum glorioſum exciperet, & ſuſceptionis honoraret obſequio: quod cum perfeciſſet, nec eum plus inibi demorari curæ ſuæ pateretur officium, tentorium, ſicut erat extentum, hoſpiti, quem in eo ſuſceperat, offerens dereliquit; aſſerens, inuſitatum eſſe, remanente hoſpite, hoſpitium deportare, ac ſic cum ceteris proceribus, qui latus ejus ambiebant, Benedicto vale dicens. Mox omnes conjugibus ſuis mandaverunt, ut carpentarios ad capellam conſtruendam Benedicto delegarent, & omnia, quæ eis erant neceſſaria, miniſtrarent. Quod illæ mox devotiſſimè proſequentes, miſſis carpentariis, oratoriolum, in honore beati Germani in
F eodem ſcilicet loco, ubi uſque hùc capella villæ perſeverat erecta, conſtruere fecerunt.

XV. *Qualiter rex locum & licentiam fundandi monaſterium & alias terras Benedicto dedit.*

29 Vicecomes autem prædictæ promiſſionis ſuæ non immemor, Benedictum in omnibus, quæ poterat, ſecundùm vires & poſſe ſuum promovere nitebatur; ſed quoniam in regali poſſeſſione, rege neſciente, defixerat habitaculum, conſilium habuit, ut quàm citiùs valeret, regi ſe Benedictus oſtenderet; ut illius auctoritate munitus, ſecuriùs inchoata perficeret. Perductuſque à vicecomite ante regem Willermum primum, cum adventûs ſui cauſam modumque regi narraſſet, conceſſit ei rex benigniſſimè, ut monaſterium in ſua poſſeſſione fundaret, dans ei de propria menſa fundationis locum, unam ſcilicet carrucatam
c terræ *c*, in quâ monaſterium & villa, quæ Selebeia dicitur, conſtructa ſunt; & nemus quoddam, vocatum Flaxlei; & villam quamdam, vocatam Roupeclif; & aliam dimidiam carrucatam terræ in Braitum; & cum iis omnibus piſcariam unam, quæ dicitur Witegiff.

XVI. 30 His acceptis à rege Willermo, reverſus cum pace Benedictus, officinas regulares circa capellam ſuam inſtitit ædificare. Cœperunt illico ſenſim plurimi ad ejus ſe conferre conſortium; depoſitaque ſecularitatis imagine, ſuavi jugo Chriſt

EX IMPRESSIS. *Qualiter acceptis, quæ rex dederat, conventum S. Germani Benedictus congregavit.*

sti sui cordis & corporis humiliare cervices ; quos Benedictus advenientes prudenter excipiens ; sed & alios , maximèque illos , quos indole bona pollere callebat , plurimis exhortationibus allicions , infra breve tempus conventum sibi fratrum congregavit. Fuit namque vir bona sapientiæ dote ditatus , & in sua lingua specialiter eloquens & disertus , licet non satis artibus liberalibus esset edoctus ,

Cui mens , lingua , genæ , consulta , diserta, serenæ ,
Præstant ad morem facienda , loquenda , decorem ;
Tullius ore , Cato sed mente , Parisque decore,
Intus habens decoris munia , signa foris.

XVII. *Qualiter latronis dextra, qui capellam volebat infringere , parieti adhæsit.*

31 Fuit autem eodem tempore quidam princeps latronum , nomine Swam , filius Sigge ; qui in vicinis nemoribus , cum adhærentibus sibi complicibus , assiduis discursibus vagabatur ; ex cujus consortio quidam maledictus Benedicto invidens & insidians , nequam spiritûs instigatione corruptus , ut ea , quæ habebat Benedictus , furtivus prædo diriperet , ad capellam nocturno silentio violentus accessit ; deinde vim & violentiam sacris ambiens inferre sacrilegus , ut ostium elevaret de cardine , manum temerariam incunctanter injecit. Nec distulit ulteriùs suam potentiam virtuosam potentemque virtutem ostendere beati Germani provocata benignitas : quippe mox ut contigit , maligna dextera ad capellæ parietem adhæsit tam firmiter ; ut & vires amitteret , ne damnum perficeret ; & posse perderet , ne se à scelere non offensus averteret. Sic is , qui aliena venerat tollere , nec cum semetipso tantùm abire permissus , diei jubar [&] monachorum adventum tremulus & invitus expectabat. Demum inventus à monachis , crimenque confessus , voti etiam interpositione constringens , quod numquam illis malè faciendo beatum Germanum offenderet , orantibus pro se monachis , vix promeruit , ut liber abire sineretur.

XVIII. *Qualiter filius vicecomitis à caduca gutta curatus per digitum sit.*

32 Ex multis & magnis miraculis , quæ tunc temporis sæpissimè refulsere , pauca sunt admodum , quæ ad nostræ posteritatis potuerunt pervenire notitiam ; unde cavendum summopere , ne aliquod irrelatum remaneat , quod ex illis veridica seniorum valuimus relatione cognoscere. Ab Ernisio Deburum , tunc Eboracensi Vicecomite , centum marcas eo tempore Benedictus assumens , digitum ei pretioso * loco pignoris pro tanti pretii quantitate commisit *d* : & cum prædictum pondus argenti coram testibus erat suscepturus , pignus illud pretiosum de loculo producens , & per pilos , qui infra mediam junctura cuti adhærebant , coram universis elevans in sublime , Quam , inquit ad vicecomitem , tibi arrham tradam in sacculo , diligenter attende , quod vel quale tuæ pecuniæ pignus suscipias , cujus est profectò sine æstimatione quantitas , sine diffinitione qualitas , sine pretio pretium , sine comparatione virtus & subsidium. Sicque digitum pretiosissimum reponens in loculo , vicecomitis commisit diligentiæ.

* *f.* pretiosum

d

33 Quem ille cum summa suscipiens reverentia , devotione tanta coluit , honore tanto servavit ; ut hinc & inde duo semper ardentia luminaria illius provideret & procuraret obsequio. Nec sine pietatis mercede tantæ venerationis reverentiam reliquiis insignis hujusmodi Confessoris exhibuit : recepit illico beneficium , quod fidei pietas , quod devotionis reverentia promeruerat : habebat siquidem filium ætatis satis acerbæ , Hugonem nomine , qui lacrymabili infirmitatis genere prægravatus , caduca solebat passione vexari. Qui patris & jussu & monitu cum quadam nocte reliquiis devotas exsolvisset excubias , clementissimi Germani meritis tali salutis & incolumitatis dono ditatus est ; ut totius passionis exemptus incommodo , numquam de reliquo illius passionis molestiâ gravaretur. . . . *e*.

e

XXXIV. *De aqua, quæ capellæ gradum transire nequivit.*

34 Post cujus *f* discessionem electus Durannus quidam , monachus sanctæ Mariæ Eboraci , qui novem annis præfuit monasterio ; scilicet usque ad annum novissimum regis Henrici *g*. In cujus Duranni tempore res magna contigit & plena stupore ; quæ ut paginis inserta præluceat , breviter hanc memorabo. Nivis & glaciei dissolutione mirabili Usa fluvius mirabiliter excrescens , ripas suas vehementer excesserat ; cujus inundatio tam repentina fuerat & insolita ; ut cum , Matutinorum signo pulsante , nihil appareret , antequam fratres Matutinas percantassent , per totum claustrum & officinas se aqua diffudisset. Tunc villæ capella, quæ fluminis alveo fuit contigua , tanto plus aquarum impulsibus periclitata , quanto majori fluminis rigore concussa. Circa quam satis se præsentem ostendit beati Germani potens benignitas & benigna potestas ; nam cum aqua per quindecim ferè dies excresceus , se super capellæ parietes , qui virgultis contecti fuerant , quinque ferè cubitis extulisset , numquam tamen valuit infra capellam unum gradum , qui ante altare fuit, excedere ; quamvis , parietibus usquequaque carie consumptis , foramina per circuitum & plurima paterent & maxima. Visum ergo & diligentiùs exploratum ; & inventa aqua duobus cubitis esse altior extra , quàm intus. Hoc miraculum tam cognitum & divulgatum ; ut adhuc etiam quasi proverbium evolitet per ora cunctorum. Dicunt etiam , in eadem capella luminaria ardentia sæpiùs visa fuisse ; sæpè voces psallentium & cantantium auditas & intellectas ; sed in diebus abbatis Duranni hoc , quod retulimus , contigit de aqua miraculum. . . . *h*.

f

g

h

ANNOTATA.

a Siria *hîc dicitur à voce Anglica* Shire , *quæ provinciam , ditionem , territorium significat.*

b Dunelmum , *vulgo* Durham , *urbs est episcopalis sub archiepiscopo Eboracensi ad Vedram fluvium in Anglia boreali ; in ea celeberrimum fuit cœnobium ipsi ecclesiæ cathedrali annexum , cujus luculenta exstat historia per Simeonem Dunelmensem compositâ , & per alios deinde continuata. Ecclesiæ sciographiam exhibet Monasticum Anglicanum , ubi de Ordinis Benedictini cœnobiis , tom. 1 , pag. 39.*

c Carrucata terræ , *tantum est agri , quantum uno aratro per annum coli potest. Vide Cangium.*

d *Atqui nefas erat rem per se sacram oppignerari. Sed nimirum ea temporum illorum atque hominum ruditas fuit ac simplicitas.*

e *Hinc plurimis omissis , quæ ad cœnobii & abbatum ejus historiam unicè pertinent , transilimus ad caput 34 libri primi ; ubi aliquid occurrit miraculi.*

f *Herberti scilicet abbatis Selebiensis , de quo antè erat actum.*

g *Hoc est , usque ad annum Christi* 1135 , *quo Henricus I Angliæ rex obiit.*

h *Omisso hîc iterum capite* 35 , *prosequimur ad librum secundum , ex quo sunt excerpta , quæ subjicimus.*

CA-

A

CAPUT IV.

Præfatio ejuſdem auctoris ad librum ſuum ſecundum; & aliquot S. Germani miracula ibidem facta ſub Helia abbate.

SUperioris exaratione voluminis jam ex utraque parte ſchedâ decursâ, præſentis opuſculi poſueram finire laborem; quod me facere dum non permittitis, facitis indiſcretè; quia & meam tenuitatem tam immoderato labore vexatis, & invidorum, ſi qui ſint, adverſum me livorem excitatis; odioſum me facitis Chananæis & Pheræis habitatoribus terræ hujus. Illis ſiquidem materiam augetis invidiæ, dum honoris mihi cauſas adminiſtratis & gloriæ. Unde tremulus ſatis & dubius iſtud proſequor veſtræ juſſionis opuſculum; quia timeo, quod futurum præſentio, ne ſcriptoris causâ contemnatur pagina; ne occaſione vilis hiſtoriographi pretioſa ſubſannetur & reſpuatur hiſtoria. Sunt enim quamplurimi in hoc tempore, qui non quod, ſed quis dicas, attendunt: qui perverſam metonymiam facientes, non perſonam ex dictis, ſed ex perſona dicta volunt approbare. Timeo, quod jam imminere video, ne ii tales, ob meam parvitatem, à me ſcriptam ſubſannent hiſtoriam, nec dedignentur * legere, quæ tam vilem perſonam cognoverint edidiſſe. Quamobrem ab hoc labore manum retrahere propoſueram; ſed vos, qui penè violenter hoc coëgiſtis incipere, violentiùs cogitis & implere: factus ſum inſipiens; vos me coëgiſtis; ſiquidem non veni voluntatem meam facere, ſed ejus qui miſit me: meis votis reſtiti, ut veſtris ſatisfacerem; meam voluntatem adnihilo, dum veſtram implere laboro. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum; ſine iniquitate cucurri, & direxi: invidorum inſaniæ, ſcandalis puſillorum, quæ ex hoc noſtro ſtudio fortaſſe contrahentur, vos arbitror in capite debere reſpicere *; quia vos hujus operis adjutores * eſtis, ego miniſter.

Scriptoris noſtri modeſtia.

B

* *imò* dignentur

C

* *fortè* reſpondere

* *an* auctores? *& fines.*

36 Ceterùm ſunt aliqui, quibus reſpondendum; qui ſuam invidiam volentes palliare, quaſi juſta ratione hoc opuſculum noſtrum nitantur reprobare, dicentes, à nemine debere rem ſcribi, niſi à quo potuit & videri; nec aliquem debere credere rem ex auditu, quam probare non potuit ex viſu. Quid ergo? Nonne fides ex auditu? Quanta audivimus, & cognovimus ea, quia patres noſtri opera Dei & virtutes ejus narraverunt nobis, ne ſint occultata à filiis eorum in generatione altera? Et tamen majorem hiſtoriæ partem, ab abbate ſcilicet Hugone *a* uſque ad calcem, vidiſſe potiùs, quàm audiviſſe me judico; quia illorum ore locutus ſum, qui viderunt. Teſtem invoco conſcium ſecretorum, me aliud non narraſſe, quàm ab illis audivi; qui etiam tales ſunt, ut eorum maturitati diſcredere infidelitatis ſignum ſit & nota perfidiæ. Hæc me paucis dixiſſe non ſine magno cordis dolore livor & oblocutio compulit invidorum. Ceterùm bene facient, ſi ſe ab hujuſmodi vitio correxerint, qui ſibi conſcii ſe cognoverint hîc notari: ſi autem peccator adiciat ad peccandum, ad nos illius non pertinebit exceſſus; ſit ſanguis ejus ſuper eum: nos Paulum habentes Apoſtolum, Chriſti bonus odor erimus, & in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis, qui pereunt. . . . *b*.

a

EX IMPRESSIS.

b

37 Contigit ergo in ejus tempore *c*, ut Henricus de Laci, qui ejuſdem cognatus extitit, communicato cum eo conſilio, in Selebio caſtellum elevaret. Nec præterivit hebdomada, cum hoc cognoſcens Comes Willermus, . . . cui fuit cum Henrico congreſſus, incœptum Caſtellum obſidere feſtinavit: villam ergo primùm anxiis impetens & furibundis inſultibus, cum diu pugnatorum repelleretur inſtantiâ, tandem aditum clandeſtinum per monachorum habuit officinas. Interea propter metum invadentium hoſtium, propter prædonum effrænem incurſum, ad cœmeterii refugium, ad eccleſiæ præſidium, ſe cum ſua ſupellectili quiſque contulerat. Villam igitur hoſtium & prædonum ingreſſis agminibus, ad prædæ raptum, ad rapinæ congeriem ſinguli vires & ſtudia conferebant. Sed cum domos rebus & habitatore vacuas & vacantes reperiſſent, plures ex eis ad invaſionem eccleſiæ crudelitas rapacitatis attraxit; quorum unus, ceteris in malum audacior, [ut] eccleſiæ fores de vectibus ejiceret, palum levatorium oſtio ſubmiſit in limine. Tunc una vox omnium foris aſtantium in cælum defertur; ut ſeipſum defenderet, ſuam domum protegeret, ſuis inimicis reſiſteret beatus Germanus, poſtulatur.

V.

De homine, c

38 Nec plus in ſcelere proceſſerat ſceleratus ille ſacrilegus; è veſtigio divinitatis attritus judicio cecidit reſupinus, edoctus procul dubio, non plus ſapere quàm oportuit, ſed ſapere ad ſobrietatem. Cœpit illico tam vehementi tumore per omnes artus miſer groſſeſcere; ut ipſa ſua inflammatione penè cutis extenta rumperetur; ac deinde, perſeverante tumore, tam deformi nigredine obfuſcari, ut Mauro ſimillimus, pice vel fuligine cacabatus *d* putaretur: denique levatus, & ad hoſpitium delatus à ſociis, in doloris lecto collocatus, tunc, aliquantulum paſſione ſuſpenſa, doloreque laxato, in ſe reverſus, nomine Benedictum monachum, qui operi præfuit, ut abſolutus, res ſuas ei tribueret, fecit accerſiri. Qui cum adveniſſet & illum vidiſſet, tam repentino horrore ac timore correptus [eſt], acſi dæmonem facie ad faciem conſpexiſſet: rogatus autem, ut res languentis ad operis uſus acciperet, ita reſpondit: Oblationes, inquit, impiorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex ſcelere. Traditus hic totus Sathanæ, nec habet in eo partem Dominus deſuper, aut hereditatem omnipotens de excelſis. Vix verba compleverat, & mox rediviva calamitas adeo miſerum fatigabat, ut ei, præſente monacho, neſcio qua divina virtute, protinus unum ex oculis vis doloris ejiceret. Tunc metu & horrore cogente, cum monachus feſtinaſſet exire, priuſquam perveniſſent ad oſtium, oculus, qui miſero remanſerat, de capite, ſicut prior, erupit: ad modum namque pruni præmaturi, quod, cum manu premitur, lapidem ſolet evomere; ſic illius oculi paſſionis anxietate depreſſi, cum ſanguinis conſtipatione migrarunt de ſuis ſedibus, & eruperunt,

d

qui eccleſiæ fores in guerra volebat effringere;

F

39 Notandum, quod fortaſſe vitia, quæ in eo percuſſa ſunt, ipſius percuſſionis qualitatibus ſunt notata; dum per tumorem corporis, mentis ſuperbia; per obfuſcationem nigredinis, conſcientiæ malitia; per oculorum amiſſum, cordis cæcitas oſtenſa. Ideo quippe, ſicut dicit Gregorius, fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum

& qualiter percuſſus ſit.

EX IMPRESSIS.

num ad interiora perducantur ; quatinus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea, quæ mirabiliora sunt, invisibilia credantur. Volens ergo Confessor eximius per unius interitum plurimos ab offensa salvare, causas verberis denotavit in verbere ; ut hoc cognoscentes homines, vitia regnare timerent in se, quæ tam districtè puniri cognovissent in alio. Vexatus itaque miser ille tantæ passionis pœnâ, tanti cruciatûs incommodo, vix diem tertium in languore sustinuit, quin ei sicut oculos, sic & animam cum magna cruciationis anxietate valetudo passionis auferret ; sicque factum, ut plurimi à talibus ausis illius cohiberentur interitu, nec aliquis beatum Germanum auderet offendere, qui illius damnati vel vidisset vel audisset admirabilem & infelicem eventum.

VI. *De milite, qui equum de cœmeterio rapuit.*

40 Fuerunt tamen aliqui, qui eodem die, priusquam illius manifestaretur interitus, ad opus simile, licet ad non tam omnino temerarium, manus extenderent ; quorum fortasse sacrilega potuisset latere præsumptio, si non eam ultio subsequens divina propalaret. Quidam namque ex militibus paganus, Foliot nomine, eodem die equum de cœmeterio rapuit & eduxit ; sed non impunè, reverentiâ postpositâ Confessoris, hoc præsumpsit ; cujus protinus indignationem pertulit, & expertus iram : ad vindictam quippe malefacti mox, antequam cœmeterium egredi potuisset, vulnus recepit letale, cujus irremediabili damnatus incommodo, & mentis & corporis salutem amisit : sicut enim corpus languorem ex vulnere, sic & animus amentiam contraxit ex languore. Sed hac in re hoc mirabile videbatur, quod, licet tam acerrimo fuisset vulnere saucius, qualiter tamen, vel à quo fuisset vulneratus, penitus ignoravit. Cum itaque perseveranti valetudine gravaretur, omnemque modum & mensuram accrescens languor excederet, intra dies paucos singulari calamitate viam universæ carnis ingrediens, præsentis vitæ miseriam terminavit.

B

VII. *De milite, qui de ecclesia quemdam rapuit & eduxit.*

41 Equitem alium ad tantam amentiam aviditas rapinæ protraxerat ; ut ex ipsa ecclesia vi & violentia quemdam abstraheret, abstractumque captivum deduceret. Cujus temeritatem, temporis postposita dilatione, comes ultio prosecuta. Divinitatis namque sententiâ contractis & conflexis artubus, membrorum & usu & officio privatus emarcuit. Qui percussus doluit, attrituque susceptit disciplinam ; quia tantum meliùs profecit ex verbere, quanto deteriùs affligebatur ex scelere. Donansque subinde libertate captivum, votique se promissione constringens, quod Confessorem, quem offendebat, satisfacturus ex offensa requireret, monachorum pro se intercedente conventu, pristinæ restitutus [est] sospitati.

C

VIII. *De eo quod nullus sine alicujus experientia flagelli potest evadere,*

42 His ergo tribus prælibatis exemplis, diligenter, obsecro, prudens lector, adverte, quàm sui, quàm suorum injuriæ districtus ultor beatus Germanus existat. Hoc in libro miraculorum ejus legimus, hoc exemplis inibi suppositis discimus, hoc in hostium nostrorum eventibus frequenter approbamus, hoc quasi vulgare proverbium habentes in ore asserunt nostri seniores, dicentes, aut vix, aut numquam aliquem se vidisse, qui beatum Germanum vel furto, vel fraude, vel alicujus rei ablatione provocasset, qui sine alicujus experientia flagelli potuisset evadere. Alii puniuntur inopiâ ; alii valetudine & infirmitate flagellantur ; quidam (quod durius) ante mortem integritate memoriæ ; quidam sensûs sanitate privantur ; quod nos tanto liberiùs & indubitanter asserimus, quanto, inquam, plurimis, licet minores simus, hoc viderimus approbatum.

D

43 Sed hæc peccatorum percussio utrùm clementiæ Confessoris deputanda sit, an furori, non temerè quisquam definire præsumat : percussionum quippe diversa sunt scelera * ; & sunt aliqui, quos clementia judicis flagellis atterit, ut purget ; quidam verò, quos furor affligit, ut damnet : omnis namque divina percussio, secundùm Gregorium, aut in nobis purgatio præsentis vitæ est, aut initium pœnæ subsequentis : sed infeliciores sunt, quicumque sine pœna vel flagello punienda committunt ; quia, juxta Augustinum, nihil infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala consuetudo, velut hostis interior, roboratur. Verùm, sicut beatus Germanus in sui vel suorum injurias ulciscendo districtus esse probatur, sic in subveniendo de se præsumentibus omnino clemens & benignissimus. Quod quidem satis evidenter miraculorum subsequens enarratio declarabit.

qui S. Germanum quoquo modo offenderit.

* *f.* genera

IX. *De capella, quæ inter incendia*

44 Hostes namque postquam villam invaserant, invasamque rapacitatis violentiâ deprædati fuerant, tandem se de tam dissoluta diffusione congregantes in aciem collegerunt. Castellum autem, unius Henrici tantummodo munitum præsidio, cum tota die conjunctis viribus oppugnassent, nihil proficientes, inani labore se diem illam exegisse doluerunt ad vesperam. Repulsam ergo suam alicubi vindicare studentes, accensis ignibus villam incendio damnaverunt. Ignis igitur alimentum ex omni parte reperiens, non acquievit accensus, donec totius penè villæ fabricam in unum redigeret quasi fornacis incendium. Tunc circa pretiosi præsulis Germani capellam, cujus superiùs in superiori libello meminimus, ostensum satis evidens & insigne miraculum : æstuantibus quippe circumcincta flammarum incendiis, permansit intacta ; igniumque sævientium periclitata fulminibus, perseveravit illæsa ; quamvis ei tanta proximitate hinc & inde domorum adhærerent ædificia ; ut propinquiora cum accendissent incendium, ultra capellam quasi in unum crinem è diverso veniens se flamma colligere videretur. Quæ res ipsos etiam hostes adeo stupore replevit, ut mirantes loquerentur ad invicem : Si super hoc tugurium congereremus incendium, antea liquesceret, quia * arderet.

E

* *lege* quàm *permansit illæsa.*

45 Fidenter dixerim, illum clementem scilicet Germanum esse præsentem, illum hanc capellam combustionis eripuisse discrimini, qui attriti pedis olim prægravatus incommodo, hospitium suum ab exustione protegens, à periculo salvavit incendii. Et hoc pro maximo habere debemus honore, pro summo tenere solatio, cum speciali devotione venerari, quod antiqua miracula, quæ gessit in corpore, quadam reiteratione dignatur apud nos clemens innovare patronus. Uno siquidem virtutis genere, eademque miraculi qualitate expaveſcens, illic flamma Præsulis hospitium, hîc ecclesiam, utrobique præsentiam, transilivit, ultra citraque desæviens : & inter globos flammantis incendii incolume tabernaculum, quod inclusus habitator servabat, emicuit. Nec hoc præterire debemus, quod cum crux quædam, quæ in eadem adoratur capella, foris contra ignem fuisset allata, continuò se repressit incendium, & se in seipsum retorquens, crucem illam, ubicumque portaretur, quasi fugere conabatur.

F

AN-

A

ANNOTATA.

a *Præfuit* Hugo *per annos viginti ſex uſque ad annum Chriſti circiter* 1122, *ut ipſe auctor noſter ſuperiùs dixerat.*

b *Viſum eſt hanc Præfationem non prætermittere: licet enim nullum in ea prodigium narretur; per eam tamen omnia, quæ ſequuntur, miracula non mediocriter confirmantur.*

c *Tempore ſcilicet abbatis Heliæ Paganelli, qui præfuit ab anno Chriſti circiter* 1143, *ut paulo ante ſignificat hiſtoricus noſter, uſque ad* 1152, *ut infrà teſtatur.*

d Cacabatus, *id eſt inſtar cacabi denigratus.*

CAPUT V.

Continuatio miraculorum ſub eodem abbate.

B

x. *Quod milites nullum in guerra captivum tenere propter S. Germanum valebant.* * *lege* in B. Germano

IGitur cum prædictus Comes poſt dies aliquot caſtellum obtinuiſſet, Henrici milites inde dejiciens, ſuos intra conſtituit; qui rapinis vacantes & provinciæ deprædationibus inſiſtentes, omnes opprimebant, quibus viribus prævalebant. Sed gravem in beatum Germanum * eſt crudelitas eorum ſortita vicinum; qui eis in omne damnum imminere ſolebat: nam aut rarò, aut numquam aliquem captivum, qui vel minimam in beatum Germanum fidem conceperat, retinere valebant, quin eum perderent ereptum piiſſimi clementiâ Confeſſoris; quod exemplis ſuppoſitis ſatis liquidò comprobavimus.

xi. *De pellipario, qualiter S. Germanum invocans, à vinculis liberatus.* * *i. e.* pellionem

47 Pelliparium * quemdam ex Pontefracto crudelitas eorum infauſta rapuerat; à quo cum pro redemptione pretium exigerent, quod dare nequivit, quaſi votis eorum voluntatique contrarium, diu multumque diverſis eum cruciatibus afflixerunt. Qui ſibi deeſſe ſentiens ad evadendi remedium humanum omne ſolatium, ad divinum ſe totis deſideriis inclinavit auxilium: ſanctum Germanum jugi lamentatione proclamat, aſſiduis gemitibus invocat, continua devotione requirit. Unde cuſtodibus furore commotis, quadam die, cum ad diſcurſum omnes procederent, vinculis eum omnimodis, quàm firmiùs potuerunt, arctantes, taliter illum ironica ſubſannatione deridebant: clama, inquit *; ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam; ne ſileas, antequam vincula clamore diſſolvas: ſi quid poteſt, adjuvet te miſertus tui tuus ſanctus Germanus ille, quem invocas. Sicque feſtinantes ad prædam, illum cuſtodem hoſpitii reliquerunt, pondere gravatum catenarum. Poſt quorum egreſſum vix hora præteriit, cum ei manus, quæ poſt tergum vinciebantur, cœperunt repentè diſſolvi; quas ad ſe retrahens, & ad votum expandens, vincula gaviſus [eſt] ſui clamoris virtute dirupta. Cumque ſecum de facto cogitaret, vidit ſubitò de lignis, quæ pedes ejus compreſſerant, clavos emergere; ligna ab invicem diſſolvi; laxari vincula; feras amoveri. Pedes ergo ſatagens ad ſe retrahere, nullius obſtaculi ſenſit retinaculum. Surgens itaque quàm citiùs, quaſi de ſua ſalute ſolicitus, ad eccleſiæ ſe præſidium contulit, modo mirabili Confeſſoris adjutorio liberatus.

C

* *l.* inquiunt

xii. * *f.* ex

48 Item filium parvulum quidam & * captivis obſidem pro ſua redemptione cuidam militi

dereliquerat; qui parvulus edoctus ſanctum invocare Germanum, eodem modo, quo ſuperior, à vinculis meruit liberari. EX IMPRESSIS. *De parvulo, qui S. Germani invocatione liberatus eſt.*

49 Quædam mulier quoadusque vir ſuus debitum redderet, obſidem ſe pro eodem dederat inimicis; ſed cum veniſſet terminus, quo novem marcas vir ſuus reddere conſtituerat, novem conjugi ſuæ denarios delegavit; quos cum illa militi, cui debebantur, obtuliſſet, in indignationem illum vehementer commovit, & accendit in iram, quæ tam fuit effera, plenaque furore; ut mamillarum vel manuum abſciſſionem prænotatus eques ei minaretur. Tunc ſolito aſperior hiems inhorruerat, quæ nimium & ventorum aſpirata procellis, quemque felicem fecerat, qui ſub tectorum præſidio meruit inveniri. Quod cernens miles, vel potiùs miſer, ille (quia nihil miſerabilius quàm neſcire miſereri) mulierculam illam penè nudam tota nocte ſub dio conſtituens, hiemalis rigoris totum ſuſtinere coëgit horrorem. Namque manibus à tergo ligatis, pedibuſque per medium parietem compedum & catenarum artatione conſtrictis, duplicem miſeram perferre fecit cruciatum; cum brumalis ſcilicet tempeſtatis incommodo nexuum & catenarum flebilem afflictionem. Unde totis viſceribus ad clementem Germanum illa converſa, eo devotiùs, quo & opportuniùs adjutorium illius poſtulabat. Nec mora; manibus & pedibus divina virtute vinculis abſolutis, ad eccleſiam nocte media, cum fratres matutinos hymnos cantaſſent, incolumis & læta pervenit. xiii. *De muliere, quæ ſe pro viro ſuo obſidem dederat; qualiter evaſit.* E

50 Item clericus quidam pro genitoris redemptione obſes tenebatur in vinculis; nec pater ejus debitum reddiderat. Jam præſtitutus terminus præterierat, nec reddendi prælationem * expectaverat. Cujus fidei falſitas fraudiſque fallacia in detrimentum & ſupplicium innocentis filii tota redundabat: pro paternæ quippe tranſgreſſionis injuria nati punitur innocentia; qui pudore confunditur, opprobriis ejuratur, ſuppliciis atteritur, minis prædamnatur. Quadam namque die, cum manus miles pranſurus ablueret, juvenis, ut manicas teneret abluentis, acceſſit. Quem ille cum indignationis rancore repellens, Quid, inquit, inter homines te, canis peſſime, præſumis immergere? Fuge velociùs; & hoc interim habeto ſolatium, quod non citiùs ea menſa tolletur è gremio, quin de te dignam & gravem capiam ultionem. xiv. *De clerico, qui pro patre obſes tenebatur,* * *f.* dilationem F

51 Repulſus taliter, inter manducandum petitâ licentiâ, ex parte curiæ cum cuſtode vinctus exivit, videnſque eccleſiam, O, inquit, ſancte Germane, meæ miſeriæ dignare miſereri; experiar in me, quæſo, quam clemens * erga alios tam benignam audivi ſæpe clementiam. Vix hæc intra ſe verba compleverat; &, ecce, compedis annulum de pede ſubitò ſenſit deſcendiſſe; quem manu ſublevans, volucrique curſu per mediam domum exiliens, ad eccleſiam, quàm citiùs potuit, properavit. Inſequuntur eum ex omni parte quamplurimi; & licet eum attingere multi potuiſſent; nullus tamen in eum, ut retineretur, manus valebat injicere. Sicque beati Germani ſe protegente clementia, præſidium eccleſiæ nemine ſubivit obſtante. *qualiter meruit liberari.* * clemens *abundat*

52 Ex unius pagi conſortio viri fuere ſeptem, qui ſub una cuſtodia ſimul in vinculis tenebantur afflicti. Ad quos ſervandos tanto proceſſerat cuſtodia durior, cura ſolicitior, vigilantia cautior, quanto de illis ſperabatur redemptio ditior, cenſus profuſior, pecunia major. Pedes ligna; xv. *De viris 7, quos S. Germanus viſibiliter apparens,*

EX IMPRESSIS.

manus vincula conſtrinxerant: affligebantur tam immenſo catenarum pondere; ut eos potiùs ferrea moles opprimeret, quàm ambitus coarctaret. Nec tamen milites ſecuros reddidit hujuſmodi captivis illata captivitas; ſemper eos dubios & ſuſpectos fecerat ſolita miſeratio Germani clementiſſimi, & illum jugiter invocans mirabilis fides & devotio captivorum, qui ſemper illum in corde tenentes, & ore numquam ab illius invocatione ceſſare volebant: unde cuſtodibus ordinatis, aſſiduam & indefeſſam eis cuſtodiam militum ſolicitudo providerat; ut, ſi eos vincula retinere non poſſent, ſaltem vel cuſtodum & vigilum ſagacitas à fuga prohiberet.

abſolvit & eduxit.

53 Cum ergo nocte quadam egentes, anguſtiati, afflicti, miſeri, gementes ſederent, ex omni parte cum luminaribus cuſtodes habentes; reſerato ſubitò oſtio, quod ſeris artabatur, ingreſſa perſona pulcherrima; quæ unum illorum talibus affata ſermonibus; Quid, inquit, clamas ad me? Surge velociter; & eccleſiæ quàm citiùs pete refugium. At ille cum lacrymis, O Domine, inquit, quomodo poſſem fugere, qui tot vinculorum concatenatione proſtratus, immobilis effectus ſum? Et ſi vinculis abſolverer, exire non poſſem, cuſtodum iſtorum præſentiâ prædamnatus. Et perſona; Nunc, inquit, videbis, quid facturus ſim. Surgere ne differas; ſatagenſque complere, quòd moneo, ad munimen te transfer eccleſiæ. Tunc ille pedes ſatagens ad ſe retrahere, nullum impediens ſenſit obſtaculum. Similiter ceteris vinculis abſolutis, liberatum ſe comperit, & ſenſit expeditum. Vix abſolutionis ſuæ ſortem edixerat, cum ſe omnes ſimiliter invenerunt abſolutos: continuóque ſurgentes, obſtante nemine, nullo retinente, præeunte perſona, ad eccleſiam pervenerunt. Hæc omnia cuſtodes videntes & intelligentes, taliter ſunt divina virtute percuſſi; ut & motum perderent, & vocem, donec ad villæ medium fugitiva turba veniſſet.

XVI. *De quodam Willermo, qui de ſummitate caſtelli*

54 Cum ergo ſe taliter milites à Confeſſoris potentia conſpexiſſent illudi, plus de pudoris immanitate, quàm de damni magnitudine ſunt confuſi: unde Præſulis clementiæ quaſi rebellare nitentes, conſilium contra eum inierunt, ut vel unum ex captivis ab illius ereptione ſervando viderentur illius potentiæ ſuis viribus reſtitiſſe; & in hoc ceterorum omnium captivorum admiſſum bene ſe vindicaſſe crederent, & tenerent, ſi vel unum ex ipſis, quaſi fortiores, à beati Germani liberatione retinere valerent. Igitur ut hæc fierent, certatim ſinguli ſua conſilia contulerunt. Unum ergo, Willermum nomine, capientes, infra domum quamdam in caſtelli ſummitate recluſerunt. De longinqua regione ſpecialiter pro hac cauſa catenam miræ magnitudinis & horroris attulerant. Hanc à domûs tecto, ubi eam cuidam aſſeri clavis affixerunt, dependentem collo circumdedere captivi. Alligabantur præterea pedes ejus in compedibus, & manus ejus in manicis ferreis. Tali cuſtodia prædamnatus, doloris & anxietatis vulnere miſer tabeſcebat, ſpem tamen ſuam in beato Germano collocaverat, cujus auxilium continua devotione poſtulabat.

mirabiliter evaſit.

55 Nec incaſſum ejus adjutorium tam inſtanter petierat, quem ſine dilatione temporis habere meruit adjutorem. Jam namque decurſâ hebdomadâ, Dominica dies illuxerat, qua milites omnes & famuli ad Miſſarum audienda ſolemnia de caſtello deſcenderant; janitor etiam ipſe, qui captivi cuſtos extiterat, obſerato oſtio domûs, tamquam citiùs reverſurus exivit. Tunc intuens ſe captivus ſine cuſtode relictum, clementem Germanum obnoxius * invocabat. Nec mora; manuum & pedum ſolutionem meruit devotio fideliter poſtulantis: qui protinus manus extendens ad fortia, tectum cellulæ diſſipavit, aſſeremque catenæ ſuæ adhærentem in humeris accipiens, per foramen evaſit; ſicque ſepium & herciorum [a] hirſuta tranſcendens acumina, foſſarum profunditates & abyſſos (quomodo vel qualiter, neſcivit) tranſiliens, populorum denique ab eccleſia redeuntium occurſus præteriens, ad capellæ munimen, nemine perturbante, pervenit.

* *f.* obnixiùs

[a] Herciorum *vox eſt Græca:* ἕρκος *enim &* ἕρκιον *ſignificat quodcumque repagulum, quo locus aliquis occluditur ac munitur, ut ſepem, palos, vallum &c.*

XVII. *De ruſtico, qui S. Germanum invocans, nullius cruciatûs ſcivit ſentire ſupplicium.*

56 Ruſticum alium cum cepiſſent, nec ſe vellent ejus cuſtodiæ milites diutiùs inquietare moleſtiâ; ut citiùs ab eo redemptionis pretium extorquerent, plurimis eum tormentis affecerunt. Sed cum piiſſimi nomen invocaſſet Germani, tale tantumque Præſulis erga ſe cognovit beneficium; ut, quaſi munimine regio ſeptus, nullius paſſionis incommodum, nullius cruciatûs ſentire ſciret ſupplicium: unde cum tortoribus tormenta deridens, omnes, quas ei hoſtes irrogare poterant, deſpexit injurias: mole namque loricarum aggravatum cum illum nunc per manus, nunc per pedes tyranni ſuſpenderent, funem de fumo ſubterponentes, nihil ingerere valuere ſupplicii. Hiemalibus item menſibus cum eum mergerent, & nunc hac, nunc illac traherent chordis ſub glacie; nihil paſſus injuriæ, locum quietis & refrigerii adeptum ſe fuiſſe gaudebat afflictus. Sicque Confeſſoris adjutorio protectus à pœnis, ab hoſtium mancipatione etiam confeſtim meruit liberari.

ANNOTATA.

a Herciorum *vox eſt Græca:* ἕρκος *enim &* ἕρκιον *ſignificat quodcumque repagulum, quo locus aliquis occluditur ac munitur, ut ſepem, palos, vallum &c.*

CAPUT VI.

Plura in uno homine Sancti prodigia; tum alia ſub abbate Germano ſpectata.

XVIII. *De Martino, qui hominem S. Germani volens calumniari,*

MArcas quindecim duobus militibus nocturno ſilentio prædo furtivus abſtulerat; cujus criminis reatum cuidam ex armigeris ſuis, cui Martinus fuit vocabulum, imponentes, illum furti facti vel auctorem, vel complicem eſſe dixerunt: quod cum ille viva voce negaret, quatinus ab eo rei confeſſionem extorquerent, multimodis & multis eum cruciatibus affecerunt. Qui in arcto poſitus, ut imminentes cruciatus vel evaderet, vel differret, quia veram neſcivit confeſſionem, mendacem adverſùs ſemet ipſe compoſuit. Dixit namque, ſe furatum fuiſſe pecuniam, & cuidam ex hominibus ſancti Germani, Roberto nomine, totam commiſiſſe. Ad monachos hac cauſa fit militum ſubinde concurſus, unanimiter ſe de facto ſibi damno conquerentium: cum eis etiam miſer ille famulus eorum advenerat, hominem ſancti Germani de furti participatione vel exceptione calumniaturus.

loqui non valuit.

58 Quem iniqua plenum cogitatione quidam ex monachis, Willermus ſcilicet Grandis, intelligens;

A ligens ; Ex parte, inquit, Dei & ſancti Germani prohibeo te, ne falſum ſuper hunc hominem clamorem emittas. Adhæſit miſero lingua mox faucibus ; & interdicto ſermonis officio, vis vocis in gutture damnata defecit. Inſtant milites, ut loquatur ; ut modum rei, vel reatûs edicat, omnes hortantur ; ſed non priùs à damnationis vinculis ſolvi meruit, quàm ab iniqua cogitatione, qua virum innocentem calumniari propoſuerat, mentem omnino purgaſſet. Mutans ergo animum, omnemque mentiendi voluntatem abjiciens, uſu recepto loquendi, tales prorupit in voces : Oportet obedire Deo magis quàm hominibus : veritatem oportet dicere, cui mentiendi eſt omnis ablata facultas : unde in veritate profiteor, quod numquam iſte, me ſciente, de veſtro cenſu vel parvum vel magnum habuit aut cognovit.

XIX. *Quomodo illum à militibus ſuſpenſum*

59 Quod ut milites audierunt, verecundo rubore ſuffuſi, pariter ad hoſpitia redierunt. Pœnis item acerrimis miſer addicitur, ſuppliciis afficitur, cruciatibus examinatur. Qui tantæ paſſionis inſtantiam, ſicut antea fecerat, aliquo cogitans intervallo dirumpere ; Jam, inquit militibus, quia nullum de evaſione ſpei ſolatium eſt, bonum & verum vobis dabo de pecuniæ veſtræ recuperatione conſilium. Ad vivarium pergite, ibique quàm citiùs inventuri ſaccellum quærite ; quia inibi me fateor pecuniam abſcondiſſe, demergendo ſub flumine. Nec diſtulere milites hujuſmodi, ſi verum eſſet, probare conſilium. Raſtris & uncis tota die gurgitis imum diſcerpunt ; ſed nihil ex optato reperire valentes, diſpendioſo labore defecere deluſi.

S. Germanus à morte ſalvavit.

60 Unde vehementi furore repleti, ad illuſionis tantæ vindictam omnes aſſurgunt. Uno animo concordique conſilio famulum illum ſumentes, in craſtino in ſecreto nemoris receſſu ſuſpenſione damnaverunt. Ad hoſpitium ſubinde reverſi, cum jam, furore ſedato, rationis lumen mentis tranquillitas admiſiſſet, ſic unus eorum ceteros affatus, Stultam, inquit, rem & inconſultam fecimus, qui hunc hominem ſine judicialis definitione ſententiæ, ſine criminis alicujus approbatione damnare præſumpſimus ; ſiquidem erga Dominum & erga homines juſtam damnationem promeruimus, qui iſtum injuſtè damnavimus. Feſtinemus igitur, ut illum deponentes de ſtipite, alicujus artis induſtriâ temeritatem noſtram palliemus. Ad locum itaque quo illum damnaverant, concitè venientes, quem jam mortuum ſe reperturos putabant, ſalvum & incolumem invenerunt. Et cum illos ad ſe venire vidiſſet, Recedite, inquit, pro Dei amore, recedite ; nec me ulteriùs inquietare velitis. Sanctus Germanus, quem invocavi ſæpiſſimè, ab omni me periculi ſalvavit diſcrimine. Ipſe me ſuis manibus in cruce ſuſtinuit, nec ullam laquei moleſtiam ſentire permiſit.

B

C

XX. *Quomodo idem Martinus uſque ad mortem vulneratus,*

61 Solutus tandem, & ad hoſpitium reductus, novis ſuppliciis iteratò ſubjicitur. Quem hoſtium veſana crudelitas tam vehementer afflixit ; ut abundantiori abſorptus triſtitia, eligeret potiùs vitam finiendo terminare ſupplicium, quàm diutius ſubſiſtendo tanti diſcriminis tardius invenire remedium. Caſu veſtes juxta eum mulier conſuëbat ; cujus ille forcipes audacter arripiens, & ab invicem in fruſta detorquens, ſemetipſum in corde percuſſit, & quanta valuit virtute perfodit. Ruit ilico miſer Elannus *, & manante jugiter madefactus ſanguine, mortuo ſimilis, jacebat immobilis. Clamor mox populi repentinus aſſurgit ; volat fama per villam ; ſe ipſum occidiſſe Martinum, ferebatur per ora cunctorum. Quod audiens monachus ille, quem prænominavi, Willermus, cum ceteris & ille feſtinus accurrit, qui milites increpatione contumelioſa redarguebat.

*f. in vulnus

EX IMPRESSIS.

62 Vos, inquit, hujus reatu criminis adſtricti tenemini ; quoniam ad hanc rem perpetrandam non tam fuit occaſio, quàm violenta compulſio, veſtra crudelitas. Vel jam nunc illum, cum plus punire nequeat, ceſſet punire velle noſtra * veſania. Mihi nunc illum ad honorem beati Germani donate ; ut, ſi verum, quod illum in ligno ſanctus Germanus à morte ſalvavit, nunc illum ſaluti priſtinæ ſua virtute reſtituat. Quod cum milites libenter annuiſſent, vulneratum illum & vix vitalem halitum in corpore habentem, ad monaſterii cœmeterium monachus fecit afferri ; protinuſque faciens illi cum aquæ benedictæ, qua reliquias laverat, admixtione de virentis herbæ gramine potionem, infra diem tertium piiſſimi Præſulis auxilio priſtinæ reſtituit ſoſpitâti. His igitur miraculis, quæ ad notitiam noſtram multorum relatione pervenerunt, breviter annotatis, ad proſecutionis hiſtoriæ ſeriem redeamus ; ſi hoc tua prudentia, lector, agnoſcat, plurima nos abbreviationis gratiâ præteriſſe, ne ſi circa ſingula, quæ audivimus, & vera probavimus, moraremur, generaret legentibus lectionis prolixitas congeſta faſtidium. . . . .

infra diem tertium veſtitutus ſoſpitati.

*f. veſtra

E

63 Nec inſerere lectioni tædeat miracula, quæ circa feretrum ſuum in peregrinatione prædicationis *a* beatus Germanus dignatus oſtendere : nam cum in ſupradicti abbatis Germani *b* temporibus aliquantulum in prædicationis gratia fratres cum feretro laborarent, ſe de ſuis curam habere quàm maximam ſignis multis plurimiſque prodigiis Confeſſor eximius frequenter oſtendit. Ex quibus multa omittentes, hæc paucula dignum duximus mandare memoriæ, ne opera divina, quæ ad Sanctorum laudem & gloriam contigerunt, omnino videremur ſilentio præteriſſe. Cum namque tempore quodam iter agerent, flumen quoddam eos oportebat tranſire per pontem ; cumque pertranſiſſent, equum onerarium, qui ciſtellas ferebat, in fluminis medio, lapſo pede, contigit cecidiſſe.

XXVI. *De ciſtellis, quæ in flumine ceciderant,*

a

b

64 Clamor omnium in cælum ſuſtollitur ; beati Germani præſidium vox univerſorum una petebat. Monachus, cui nomen Benedictus, humo proſtratus, lacrymiſque perfuſus, de ſanctuariorum madefactione [magis], quàm de caballi periculo verebatur. Conjunctis tamen viribus, collatiſque conſiliis, cum magno labore caballum cum onere tandem ad terram pertraxerunt : ad aquarum eliciendam injuriam citiùs ciſtellas aperiunt ; quarum altera veſtimenta cum reliquiis ; altera ceras, mappulas, cetera iter agentibus neceſſaria continebat ; [hanc autem cum] aquâ plenam reperiſſent, illam, quæ reliquiis conſervandis ſerviebat, ita ſiccam & intactam invenerunt, ac ſi numquam illam laticis ullus contigiſſet excurſus.

quomodo illa, quæ reliquias continebat, ſicca inventa.

F

65 Pagum quemdam alio tempore prætereuntes, carrum ſua ſupellectili oneratum ante ſe duci fecerunt. Infans bimus ſtans caſu in tugurii cujuſdam oſtiolo, cum citiùs metu carri voluiſſet aufugere, repentè cecidit, & uſque ad viæ medium volutatus eſt. Equi ductor id neſciens, cum incunctanter cum carro progrederetur, una rota vehiculi per ventrem jacentis tranſivit infantis : quod cum vidiſſent, qui ſequebantur, elevatis vocibus, ut caveret, ut ſtaret carri ductor, hortantur. Quorum ille vocibus attonitus ſubitò reſti-

XXVII. *De puero bimo,*

EX IMPRESSIS. tit, equumque paululùm cum habena recullans *c*, rotam iterum per infantis pectus tranſire coëgit. Mater pueri de tugurio repentè proſiliens, cælum gemitu, aërem clamore replevit; puerum de ſolo ſuſtulit extentum, exanimem, nihil indicii vitalis habentem.

c

quem carri rota contrivit.

66 Comitabatur tum feretrum domnus nunc Prior, quo numquam aliquis in ſanctum Germanum devotior: qui videns, quod factum fuerat, timenſque, ne aliqua illis inde tribulatio naſceretur, dolore plenus ad pium Patronum converſus, veluti familiari vel parili, taliter loquebatur: Quid, ſancte Germane, feciſti? Nos te prædicamus ſuſcitaſſe defunctos; & tu è contrario viventes interficis. Nuntios, ut homicidas ad prætorium vis duci facere, judicis ſubiciendos ſententiæ? Jam facito, quod volueris, quia non antea feretrum iſto de loco movebitur, quàm ab hac offenſa nos liberos & immunes reddideris. Sic fatus, mox cum ceteris omnibus equo deſiliens, orationem pro puero faciebat. Interim ſub feretro mater tenebat infantem; qui oratione completa,
B cum inter matris manus non convaluiſſet, ad terram ſub ſanctuariis, monacho jubente, depoſitus [eſt]; & mox ut terram tetigit, quaſi indignans, quod ſuper nudam humum poneretur, modo mirabili redivivus exurgit; &, veluti ſi nihil paſſus fuiſſet incommodi, ſancti Germani virtute ſalvatus, aufugit exiliens.

XXVIII. *De recluſa, cui S. Germanus apparuit, & Selebiam per viſum oſtendit.*

67 Inde progredientes, in eccleſia quadam pernoctaverunt; cujus parieti cellulam habebat quædam recluſa *d* contiguam; quæ cum ad feneſtram ſuam eadem nocte ſedens, orando forſitan obdormiviſſet, ſanctus ei confeſſor Germanus apparuit, eam hujuſmodi ratione conveniens: Quid, inquit, ſopore deprimeris; cum te magis conveniat vigilare? An ignoras, quàm ſancta, quàm pretioſa ſunt iſta ſanctuaria, quæ coram te cernis præſentia? Domum etiam meam, unde hæc ſunt, eam tibi demonſtrabo. Moxque eam per viſum Selebiam adducens, univerſique loci ſitum, eccleſiam, monachos etiam in choro pſallentes, cœmeterium, quod arboribus nuceis conſitum, apertè demonſtrans; Hæc, inquit, domus mea; ii monachi: horum fraternitatem, poſt finem tibi valde neceſſariam, die craſtina ne obliviſcaris expetere: clerico etiam, qui pro reliquiis ad populum loquitur, ex mea parte hoc dicito, quod
C niſi ſe à diſſolutione levitateque compeſcat, infra annum pudendam inobedientiæ ſuæ perferet ultionem. Manè igitur facto, ſe fidelis femina monachorum precibus benefactiſque committens, univerſa, quæ per viſum viderat, ſeriatim expoſuit. Clerico autem, Radulpho nomine, quæ Confeſſor juſſerat, cuncta narravit. Quæ cum ille non attendiſſet, eodem anno, ſicut Confeſſor comminatus fuerat, magnum & pudore plenum incurrit infortunium.

XXIX. *De femina, quam S. Germanus per viſum increpavit, cum famulos ſuos non attentiùs honoraſſet.*

68 Nec huic viſioni fuit illud diſſimile, quod cum quædam femina, quæ eos hoſpitio ſuſceperat, minus illis devotè miniſtraſſet, nocte ſequenti ſanctus ei Germanus apparuit; &, cur famulos ſuos & ſanctuaria non attentiùs honoraſſet, aſpera objurgatione quæſivit; præcepitque, ut in craſtino, ubicumque eſſent in provincia, eos accerſiret, & devotis eos obſequiis præveniendo digna ſatisfactione priſtinam negligentiam emenderet. Quoddam etiam fidei commiſſum eadem mulier, cum eſſet juvencula, ſtolidè fecerat, quod oblivioni tradens, omnimodo negligenter violaverat; quod ei beatus Germanus ad memoriam reducens, cui, quando, & ubi hoc fecerat, manifeſtè declaravit; & D, ut tanti reatûs exceſſum humili ſatageret confeſſione corrigere, diligenter admonuit. Quæ omnia complens illa cum ſumma diligentia, precibus & orationibus in craſtino ſe monachorum humiliter & devotè commiſit.

XXX. *De canonico à quartano febrium incommodo ante feretrum liberato.*

69 Febrium adeò canonicus quartano vexabatur incommodo; ut nullius adjutorio medicinæ valens liberari, ſub mortis diſcrimine plus deſperatione, quàm morbo tabeſceret. Hic ante feretrum cum ſummæ devotionis reverentia veniens, & auxilium piiſſimi Germani cum magna contritione cordis implorans, hauſtâ, qua reliquiæ lotæ fuerant, aquâ benedictâ, omni valetudinis calamitate depulſa, priſtinæ reſtitutus eſt ſoſpitati.

ANNOTATA.

a *Nimirùm reliquias Sancti noſtri non numquam aliò circumferebant monachi Selebienſes, ut vicinos populos ad ejus cultum accenderent.*

b *Præfuit Germanus hîc monaſterio Selebienſi per annos ſeptem, adeoque juxta auctoris noſtri chronotaxim, uſque ad annum Chriſti circiter* 1162. E

c Recullans *pro retrogredi cogens*, *à Gallico* reculer *dictum videtur.*

d Recluſa, *id eſt ſanctimonialis ſolitariam in cellula vitam profitens.*

CAPUT VII.

Reliqua miracula uſque ad annum Chriſti MCLXXIV.

XXXI. *De muliercula, quæ 15 annis infirmitate laboraverat, quomodo ſanata.*

APud Donwicum muliercula quædam fuerat, quæ quindecim annis, ut aiebat, valetudine tanta laboraverat; ut numquam progredi ſine duorum baculorum ſuſtentatione valeret. Hæc, cum eò feretrum adveniret, cum ceteris & ipſa, ſicut valebat, occurrit, & in eccleſiam ſancti Joannis, ubi ſtationem acceperat, devotiſſimè proſecuta. Cumque piiſſimi præſulis Germani clementiam diutiùs imploraſſet, turba plebium diſcedente, domicilium & ipſa repetiit. Manè facto tantum ſibi virtutis acceſſiſſe perſenſit; ut unius ei baculi ſuſtentatio bene ſufficeret. Venit ad eccleſiam; fecit quod potuit; dedit quod habuit; F fragmen panis ad feretrum obtulit matrona fidelis. Monachus cum rem geſtam cognoviſſet, Spem, inquit, habeto bonam in ſancti Germani clementia: cras præſens aderis, tibique ſalutiferam de aqua benedicta conferam potionem. Annuit mulier; in craſtino venit ſine baculo, tantam ſe virtutem & incolumitatem habere proteſtans, quantam ſe numquam à nativitate meminit habuiſſe. Sicque poculum ſalutare deguſtans, Germani piiſſimi meritis profectum * ſuæ valetudinis meruit retinere remedium. * *f.* perfectum

XXXII. *De parvulo contracto & ſanato.*

71 Affuit ante feretrum die craſtina non inferioris fidei femina, filiarum quatuor adhærentium ſibi circumcincta proceſſu: aderat quintus puer maſculus, quinque annis à nativitate lacrymabili contractionis damnatus incommodo: contractis ſiquidem & conflexis nervis in poplite pedis unius, & greſſum & motum perdiderat. Pro illius ſupplicaturæ ſalute candelas habentes in manibus mater & ſorores advenerant; cumque pro parvuli ſanitate diutiùs exoraſſent, acceſſit mater ad monachum; &, ut cum reliquiis genu pue-

ri

A ri languidum tangeret, cum lacrymis poſtulavit. Quod frater annuens, arreptis reliquiis, ſuper infantis genu poſuit, Pſalmum quinquageſimum cum precibus & collecta decantans. Puer protinus in lacrymis & clamore prorumpens, angustiari cœpit, acſi totius cruris inciſionem pateretur: *f. crepare* extendentes ſe nervi cœperunt crepere *, veluti ſi corrigias quaſdam aliquis ibi fregiſſet: ſicque Sanctorum meritis, quorum ibi reliquiæ ferebantur, mater triſtitiæ, puer infirmitatis miſeriâ liberati, domum cum ſummo gaudio redierunt.

XXXIII. *De puella morti proxima, quomodo ſanitatem ante feretrum recepit.*

72 Eccleſiam quamdam, ut ibi cum feretro pernoctarent, intrare volentes, oſtium invenerunt ſeris arctatum; clavem monachus allaturus, domum ſacerdotis expetiit. Quò cum perveniſſet, ſororem presbyteri tanta reperit infirmitate gravari, ut nocte proxima deberet ad munimen exitûs Chriſmatis unctione liniri. Occupaverat adeò totam familiam fletus & gemitus; ut vix de negotio vel breve reſponſum ab eis monachus extorquere valeret. Tunc ſalutare conſilium illis impertiens; Quid, inquit, vos ipſos lacrymis, in-
B firmam clamore confunditis? Candelam illi facite, quæ hac nocte reliquiarum noſtrarum honori deſerviat; & credo, quia, ſi fides veſtra non obviat, citò circa eam divinæ videbitis operationis indicium. Et factum eſt, mater pro filia nocte cum candela ſanctuariis vigilias devotas exſolvit. Manè facto, tanto ſe levamine perfuſam ſenſit ægrota, ut è lecto proſiliens, amicorum manibus ſuſtentata, veniret ad eccleſiam; ubi, cum Miſſas audiens, & orationibus inſiſtens, ad horam uſque nonam feretro miniſtraſſet excubias, divinâ copioſiùs meliorata virtute, domum repedavit, nullius indigens ſuſtentationis auxilio. Hinc ad ea, quæ hoc noſtro tempore fieri vidimus, enucleanda procedat oratio.

XXXIV. *De homine languido,*

73 Anno, ut arbitror, ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, qui annus ſeptimus abbatis Gilerberti; languidus quidam, Ketellus nomine, ab amicis in carro Selebiam deductus, in villula, quæ Gaiteford dicitur, ad ſancti præſulis Germani ſolemnitatem deſcenderat. Nocte feſtivitatis in eccleſiam delatus à ſuis, inter chorum & altare cum luminari deponitur. Tunc, ſicut mos languidis, ante curationem vehementiùs cœpit urgeri, tantoque duriùs languore vexari, quanto ſalvationis illius velociùs imminebat & tempus & hora. Inſtitit ſanè
C tam miſerabilibus vocibus, tam lacrymoſis gemitibus, tam planctuoſis ſuſpiriis; ut nos omnes, qui in choro fuimus, ſui doloris compaſſione plurimùm promoveret *. Circa ſecundum nocturnum membra ſua viſceraque tanta ſenſit commotione turbari, acſi omnia ejus interiora quadam revolutione verſarentur. Nauſeâ ſubinde diu multumque laborans, ſanitatis ſibi tandem appropinquante remedio, quod pectus ſuum infecerat, valetudinis virus evomuit.

* *an* permoveret?

quomodo nocte S. Germani

74 Sicque pauliſper ſumpto ſopore, cum evigilaſſet, infirmitatis exclusâ moleſtiâ, perfectæ ſalutis ſibi divina virtute ſenſit acceſſiſſe ſubſidium. Surgens ergo protinus, & oblationem ſuam faciens, nemini quicquam de ſuæ recuperatione ſalutis oſtendens, domum pedetentim reverſus. Nec tamen celari res potuit, quæ celari non debuit. Mittitur ergo totius conſultu capituli fidelis frater, qui rei mirabilis eventum approbet, modum exquirat, veritatem exploret. Qui ad prædictum pagum veniens, loci ſeniores in eccleſiam convocavit: ſtatuitur in mediò, qui ſanatus fuerat; de ſalutis ſuæ recuperatione con-

venitur. Tunc ille, Ego, inquit, domine, per hos quinque annos, ſicut præſentes omnes noverunt, tanto languore gravatus ſum; ut numquam ad opus aliquod manus valerem extendere; numquam, quem non citiùs evomerem, cibum aliquem ſumere; numquam vel ad eccleſiam progredi ſine aliorum adjutorio prævalerem. EX IMPRESSIS.

ſanitati reſtitutus.

75 Cumque cum uxore ſua omnes, qui præſentes fuerunt, unius acclamationis ſententiâ hoc ſe vidiſſe, ſic ſe rem habere, teſtarentur, adjecit ille: Hujuſcemodi ergo, domine, damnatus incommodo, plurima Sanctorum loca viſitavi; ſed ſemper deterioratus, ex labore itineris infirmior redii, quàm exivi: infortunio tanto tabeſcens, non exire, non progredi ultra diſpoſui: cumque propoſitum illud bene tenerem, apparuit mihi nocte quadam vir pulcherrimus, dicens, ſe eſſe ſanctum Germanum; &, cum obnoxius * illum pro ſalute mea deprecarer; Ad eccleſiam, inquit, meam in feſtivitatis meæ ſolemnio venies, ſi ab hac, qua laboras, moleſtia cupis liberari. Veni, ſicut juſſerat; & ab infirmitate Dei gratiâ, ſicut cernitis, liberatus ſum. Reductus ergo à monacho, & in foro venalium die Dominicâ populo demonſtratus, eccleſiæ ſanctæ repræſentatur incolumis. Solemni eum proceſſione ſuſcepimus, & Te Dominum laudamus, quanta valuimus devotione, cantantes, nomen Domini benediximus, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

* *l.* obnixiùs

B

XXXV. *De homine vexato à dæmone,*

76 In craſtino feſtivitatis noſtri Pontificis, beati Petri Apoſtolorum principis ſolemnitatem, quæ ad Vincula nominatur, per orbem celebrat univerſalis Eccleſia. Qua die joculatores, qui ad feſtivitatem noſtram conveniunt, cereum feſtivum ad veſperas ſolent offerre. Quod cum in anno prænotato cum hiſtrionum & ſaltantium laſciva jactantia, univerſo eos vulgo proſequente, feciſſent; monachi cujuſdam famulum, qui ad feſtivitatem venerat, intra eccleſiam dæmonium arripuit, & in terram projecit. Tantâ protinus miſer vexatus inſaniâ, tanto furore repletus; ut, ſi fineretur, ſemetipſum ſuis dentibus mordicus diſcerpſiſſet. Verùm aſtantium populorum vi & virtute cohibitus, cum manibus diutiùs teneri bene non poſſet, quodam extentus & ligatus in aſſere, coram altari deponitur; beati Germani clementiæ commendatur, funibus uſquequaque ligatus. Cum ſic coartaretur, ut nullum in eo membrum moveri potuiſſet, rotantibus & totis aſpectibus furibundis, & indefeſſis vocibus, barbaris & inauditis ſermonibus ſuam inſaniam propalabat.

F

quomodo per reliquias mundatus ſit.

77 Cum igitur eum fratres vehementer ſine ceſſatione vexari conſpicerent, ejus miſeriæ condolentes, in aliquo miſericordiæ opere ſubvenire ſatagebant: orationem ſiquidem pro eo facientes, ſudarium ſancti præſulis noſtri Germani ſuper caput ejus; ſuper pectus autem phylacterium, carnem ſanctæ virginis Agathæ cum ceteris reliquiis continens, poſuerunt. Inter tam ſancta ſanctuaria perfidus invaſor, malignus hoſtis artatus quò fugeret, quò ſe verteret, non habebat. Hoc unum ſibi poſſibile reperit, ut invaſum hominem derelinquens, ſanctuariorum præſentiam repentino devitaret elapſu. Fœdas igitur & fœtore plenas poſt ſe ſemitas derelinquens, per os jacentis vomitu ejectus exiliit. Sicque Sanctorum meritis homo liberatus, omnem in momento vultus & animi ferocitatem abjecit, &, velut agnus manſuetiſſimus, caput declinans, oculorum palpebras in ſoporem deflexit. Inſequenti die poſt Miſſæ majoris Euangelium ſanum illum

&

EX IMPRESSIS. & incolumem cum ſignorum pulſatione, & feſtivo, Te Dominum laudamus, ſuſcepimus, Dominum in donis ſuis, & Germanum ſanctiſſimum in omnibus operibus ſuis benedicentes, qui de eccleſia ſua curam ſe habere maximam tot virtutum & miraculorum ſignis tam frequenter oſtendit.

XXXVI. *De ruſtico, cujus manibus vanga adhæſit.*

78 Ruſticus quidam in provincia, quæ Elmete *a* dicitur, anno ſubſequenti fuerat, qui reverentiam ſancti Confeſſoris oblitus, iſta feſtivitatis ſuæ die hortum operaturus intraverat. Verùm tantæ tamque reverendæ ſolemnitatis die * non diutiùs operando violare permiſſus, reatum, quem ex tali præſumptione contraxerat, mox indice pœna cognovit. Cum namque tota virtute terram effoderet, adhæſit repentè tam firmiter manibus ſuis vanga *b*, quam tenuit; ut nullo modo illis excuti poſſet, vel auferri. Nec antea meruit ab hujuſmodi damnationis vinculo liberari, quàm ſacerdoti reatum confeſſus, voti ſe etiam promiſſione conſtringeret, quod eccleſiam ſancti Germani cum oblatione ſua requireret, & ſemper de reliquo, quamdiu viveret, diem illam ſolemniter celebraret. Tunc demum clementiſſimi Germani clementiâ liberatus, Selebiam cum oblatione ſua perveniens, & ſatisfactionem ex offenſa faciens, diſcrimen quod temerè incurrerat, & feliciter evaſerat, nobis expoſuit.

a * *l.* diem

b

B

XXXVII. *De homine inflato,*

79 Nec prætereundum, quod non ſolùm apud nos, verùm etiam omnibus in locis, ubicumque Præſulem noſtrum tribulatus aliquis invocaverit, & eccleſiam ſuam expetere ſe fideli mente promiſerit, votorum ſuorum optatum conſequi meretur effectum. Hoc nautarum & naufragorum ereptione ſæpe didicimus, hoc infirmantium & male habentium ſalvatione frequenter experti ſumus; & hoc quidem multo ſæpius ſolet accidere, quàm ut exemplis indigeat approbari. Hoc unum tamen antequam liber calce claudatur, referatur exemplum. Homo quidam ex pago, qui Dwigtum dicitur, in nemore, die quadam ante octavas ſancti Germani laboraturus exierat; cumque cibum, quem ſecum attulerat, ſine potu ſumpſiſſet, tantam præ ardore ſolis nimio & laboris inſtantia incurrit ſitim; ut niſi citiùs alicujus potùs ſedaretur ex hauſtu, animam exhalare putares. Aquam igitur diu multumque quærens, nec uſui aptam inveniens, pluvialem & patentem tandem reperit & aſſumpſit. Quam incredibili aviditate abſorbens potiùs, quàm ebibens, cum infelici poculo infeliciorem deglutivit & peſtem. Mox ſiquidem ut potaverat, tanta cœpit inflatione groſſeſcere; ut antequam domum pervenire valeret, per omnes ejus artus ſe tumor letalis effudiſſet.

C

80 Itaque collocatus in lectulo, cum per momenta ſingula tumor cum languore ſuccreſceret, ſpe omni ſalutis excluſa, in moribundi ſenſibus futuræ tantùm mortis regnabat imago. In tanta tribulatione laborantem conſolantes vicini frequenter cucurrerunt. Cum ceteris ad infirmum intravit quædam matrona fidelis; quæ videns infirmum valetudine tanta tabeſcere, inquit: Fili cariſſime, ſi aliquam in ſanctum Germanum fidem concipiens, illum te requiſiturum cum tua oblatione fideli mente permitteret *, credo quod illius merito citò reciperes ſanitatem. Ad illius feſtivitatem deſcenderam; & tot ibi languidos ſuæ ſalutis vidi recuperare medelam; ut difficile crediderim, aliquem in eum ſpem bonam habentem ſui voti non citiùs effectum promereri. Is * languidus in devotionis arce levatus, votum vovens, ſe ſancti Germani mœnia *, ſi convaleret, expetiturum cum oblatione promiſit. Lichino *c* demum ſe metiens, antequam hora præteriit, divino quodam melioratus antidoto, vomitu totum, quod eum infecerat, virus ejecit: ſicque peſte valetudinis totius elicita, infra diem tertium priſtinæ reſtitutus ſoſpitati, votum ſuum deinde perſolvens, ad eccleſiam noſtram uſque pervenit, & quæ circa ſe facta fuerant, nobis ſeriatim expoſuit.

D *quomodo S. Germanum invocans, ſanatus ſit.*

* *l.* promitteres

* *f.* Iis

* *i. e.* Selebiam

c

E

Actum autem hoc anno incarnati Verbi Dei, milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, fundationis eccleſiæ noſtræ centeſimo ſexto, abbatis Gileberti decimoquarto; quo etiam anno hæc ſcribere aggreſſi ſumus, prævenientе & proſequente ſtudium noſtrum gratia Dei, qui vivit & regnat trinus & unus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Elmet *olim dicta fuit regiuncula in Ducatu Eboracenſi à Selebienſibus in occaſum milliaribus circiter undecim diſtans, haud procul ab oppido Leda, Arum inter & Warfum flumina; ut ex Camdeno videre eſt in deſcriptione Comitatûs Eboracenſis. Hinc diſcimus, quàm longè jam tum in Anglia ſe extenderit non ſolum cultus* S. Germani, *ſed etiam feſti ejus hodierni ſolennitas in populo, quam veriſimile eſt eò invexiſſe monachos Selebienſes.*

b *Lata eſt hujus vocis ſignificatio, ut apud Cangium videre eſt; hoc loco tamen* ligonem *denotari ſenſus indicat.*

c Lichinum, *id eſt ellychnium. Sed cur eo ſe metiebatur? Credo, ut cereum confici juberet ejuſdem ſecum longitudinis, quem oblaturum ſe voverit.*

F

DE S. GOSSELINO EPISC. CONF.

METIS IN BELGICA I.

J. B. S.

Sylloge de aliquali cultu, geſtis & ætate.

ANNO CDLX.

Quæſita diu argumenta

Diu, ut verum fatear, multumque dubius hæſi & incertus, utrum Goſſelinus, *hîc in titulo præfixus, inter Sanctos locum mereretur, an potius inter Prætermiſſos rejiciendus eſſet; non quod variæ nominis inflexiones, per* Gunſelini, Goſolini, Coſoloni, Conſolini, Conſoloni, Anſalini *&c. dubiam quodammodo appellationem redderent, ſed quod nec in Martyrologiis claſſicis, nec in aliis Faſtis ſacris, etiam ipſius Metenſis cathedralis eccleſiæ, ulla ejus memoria occurreret, ne quidem apud Meuriſſium, qui de cetero epiſcopos Metenſes accuratiſſimè recenſet, non ſolitus quid-*

quidquam prætermittere quod ad ipsorum sanctitatem demonstrandam, aut ad probandum cultum vel minimùm conducat. Sciebam equidem in Ferrarii Catalogo Sanctorum generali hoc die signari his verbis; Metis, S. Ansolini episcopi Metensis, *allegatis* tabulis ecclesiæ, & Catalogis episcoporum Metensium: *at tabulas istas Metensis ecclesiæ diu frustra quæsieram; in Catalogis vero episcoporum, quos apud Warnefridum, Dominicium, Democharem, Sammarthanos & alibi legeram, nec unum fuit reperire, in quo* Sancti *titulus, vel tenui vestigio*, Gosselino *appositus reperiretur.*

2 *Succenturiabatur quidem Ferrario Saussayus* pro ejus cultu, *in Supplemento Martyrologii sui Gallicani pagina* 1153, *ubi eumdem more suo laudat grandi elogio, sed ita communi, ut singulis episcopis sanctis totum aptari posset, nisi episcopum Metensem nominasset; singulari eo parachronismo notandus, quod toto ferme seculo posteriorem faciat, dum ita scribit:* Metis, depositio sancti Ansolini, aliàs Goselini episcopi & confessoris, qui sancto Agatimbro meritis suppar successit, annosque octodecim omni laude episcopali florens, hanc ecclesiam direxit, Domini lucra, non commoda quærens. *Atqui ex omnibus Catalogis, jam à nobis citatis, id satis certum videtur, totis tribus Agatimbro vetustiorem esse eum, quo de hìc agimus*, Gosselinum, *utpote cui successerint Romanus in serie* XIX, *Freminius* XX, *Gramacius* XXI, *quos demum Agatimbrus secutus est, anno primùm* 520: *unde ex eo etiam capite suspecta mihi reddebatur Saussayi, tam turpiter aberrantis, auctoritas, quam hìc admittere etiam ausus non fuerit Castellanus, de* Gosselino *nostro altum silens, quantumvis cetera diligens Sanctorum refossor.*

3 *Nihilominus tamen, cum muneris mei esse* reperta sunt. *omnino existimem, Sanctis in hac parte quantum licet favere, altius inquirendum censui, num forte, si non in cathedralis ecclesiæ, saltem in alicujus alterius urbis istius Martyrologio aut Kalendario sancti hujus* Gosselini *seu* Gunzolini *commemorationem aliquam reperire liceret. Atque eccum opportunissimè recurrit extractum ex Martyrologio Ms. ecclesiæ S. Petri Metensis civitatis, inter chartas nostras præfixum Vitæ sancti Livarii seu Libarii ad* XXV *Novembris (quo die is colitur) primùm producendæ atque in lucem edendæ, in quo extracto inter alia hanc annuntiationem inveni disertissimis verbis hoc ipso die expressam*; Metis, natale sancti Gunzolini episcopi & Confessoris; *cujus Martyrologii antiquitatem tametsi omnino exploratam non habeam, satis vetustam putavi, ut* Gunzolino *isti quem nos cum Meurissio* Gosselinum *vocamus, locus in hoc opere inter Sanctos non immerito vindicaretur. Atque hæc de cultu satis: de cetero quod dicatur vix supereſt.*

AUCTORE J. B. S.

4 *Etenim de* S. Gosselini *gestis id solum habuit* Multa passus supponitur. *quod traderet Meurissius, præmissa paulo longiori de Attilæ grassationibus historia, iis vixisse temporibus* bonum episcopum Gosselinum, *ut à barbarorum incursionibus gravissimas angustias & calamitates sit passus. Cetera in elogio suo, solita elegantia, sed adiaphora, supplevit Saussayus, dum jam dictis hæc superaddidit:* Unde fideli villicatione exacta, servus fidelis in gaudium Domini sui admissus, talenta gratiæ, quæ sedula opera multiplicaverat, ipsi Domino retulit, & hinc adaucto munere, divitiis numquam perituris in cælesti regno pro meritis locupletatus est. *Porro ad Sancti ætatem quod attinet, nec eam examinandam suscipio, nec verè unde examinem habeo: si recte temporum rationem inierit Meuressius, non septimus decimus ordine fuerit, ut notant Sammarthani, sed* XVIII, *episcopalem curam luctuosissima tempestate exorsus circa annum* 443, *quæ per octodecim annos inter varias persecutiones strenuè & sedulo exercita, ad laborum ærumnarumque præmium evocatus sit hac* XXXI *Julii anno* 460.

E

DE SANCTIS CCCL MARTYRIBUS
MONACHIS ANONYMIS
IN SYRIA SECUNDA.

C F

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

ANNO DXVII.

Rom. Marlio inserti sunt,

T ut celebres censeri possint hi Martyres, in immani illa Severianorum, dicamus, an Dioscoritarum, certè Acephalorum prædatoria persecutione, connivente, vel forte instigante impio Imperatore Anastasio, in Syria interempti, nulla tamen in ecclesiasticis tabulis, seu Græcis seu Latinis, eorum usquam memoria exstitit, donec eos Martyrologio Romano inseruit Baronius ad hunc diem, his verbis: In Syria, sanctorum trecentorum quinquaginta monachorum Martyrum, qui ob defensionem synodi Chalcedonensis ab hæreticis occisi sunt. *In annotationibus suis nullum fontem assignare potuit, unde classem illam acceperit, præter celebrem epistolam archimandritarum quatuor & viginti plurimorumque aliorum ad Hormisdam Papam datam, modo in Conciliis notissimam, unde & illa desumpsit quæ de ingenti monachorum strage fidem faciunt. Porro tragicæ illæ furentium nebulonum grassationes ab eodem Eminentissimo Annalista satis fusè describuntur ad annum* 517 *à num.* 50: *at cum modo vulgatissimæ sint, satis erit ad opportunam hìc rei notitiam, si quæ de his contraxit Pagius, breviter decerpamus. Ita ille in Critica sua ad dictum annum num.* 3 *&* 4.

2 Hoc & præcedenti seculo Maronitæ religionem Catholicam egregiè tuiti sunt, indeque in Martyrologio Romano ad diem XXXI Julii habetur, *quod jam supra retulimus.* Exstat de eorum nece libellus viginti quatuor archimandritarum ad Hormisdam Romanum Pontificem in quo legitur: ,, Quoniam Christus Deus noster Principem pastorum, & doctorem & medicum animarum constituit Vos, & vestrum sanctum angelum; dignum est, passiones quæ nobis contigerunt exponere, & immisericordes ostendere lupos qui dissipant gregem Christi. Qui autem sint isti, & qui

eorumque historiam ex celebri epistola

AUCTORE J. B. S.

qui adverſus nos armaverint, audiſtis utique, Beatiſſime, Severus ille & Petrus, qui numquam in Chriſtiano numero reputati ſunt, qui per ſingulos dies ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, ſanctiſſimum ac beatiſſimum Patrem noſtrum Leonem publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æſtimantes, & colendos canones SS. Patrum conculcantes, epiſcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, & cogentes illudere prædictam ſanctam Synodum, ſuppliciis inæſtimabilibus affligentes, euntibus nobis ad mandram domini Simeonis pro cauſa Eccleſiæ, inſidiati ſunt nobis in itinere perditi, coinquinati, & ſupervenientes occiderunt ex nobis CCCL, quoſdam autem vulneraverunt, alios vero qui potuerant ad colenda altaria fugere, ibidem peremerunt, & monaſteria incenderunt.

3 In ſupplicatione vero eorumdem monachorum ad Joannem patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad quintam generalem ſynodum præfati monachi Maronitæ ajunt: „ Dirum ſpectaculum fuerunt jacentes viri, qui religioſis certaminibus uſque ad canitiem certaverunt nudi, & inſepulti jactati, ultra trecentos exiſtentes ex ſecunda Syrorum provincia nati, canibus & avibus lacerandi projecti. „ Et in alio præfatorum libello ad Menam patriarcham: „ Et eorum canitiem non veriti, opus gladii in ipſos fecerunt, circa trecentos quinquaginta numero exiſtentes, eorumque membra inſtrata diſperſerunt. „ *Atque hæc de ſanctis, qui hoc die coluntur, Martyribus ſatis dicta ſint. Quæ deinceps de admirandis monachorum Maronitarum, pro tuenda Catholica religione facinoribus ſubjiciuntur, huc propriè non ſpectant; alibi fortaſſe locum ſuum inventura. Videant curioſi lectores quæ de his fuſius diſputavit Fauſtus Naironus in diſſertatione de origine, nomine, ac religione Maronitarum, Romæ impreſſa anno* 1679, *ubi à pag.* 11 *totam hanc perſecutionum hiſtoriam fuſius proſequitur.*

pauca proſequitur Pagius.

DE S. IMITERIO CONFESSORE

IN COMITATU BURGUNDIÆ.

J. B. S.

Sylloge de cultu.

XXXI JUL.

Notitia à Caſtellano accepta,

QUod Imiterius, *aliàs* Ymiterius *ſeu* Ymitherius (*Gallicè* Ityere) *hoc die inter Sanctos referatur, id omnino deberi fatemur, toties à nobis laudato Sanctorum, præcipuè Gallorum, impigro reſſori Claudio Caſtellano, quo nempe ſolo duce, ejus notitiam affecuti ſumus, tacentibus ceteris omnibus tabulis eccleſiaſticis ſeu Martyrologiis, tum antiquis, tum recentioribus, etiam Sauſſayo. At enim vaga ejus annuntiatio hoc die in Martyrologio ſuo univerſali, principio haud multum placuit, quod ita nudè ſcripſiſſet*; In comitatu Burgundiæ (*en Franchecomtè*) S. Imiterii confeſſoris, *abſque ulla determinati loci, conditionis aut ætatis aſſignato veſtigio. Nèque vero hanc reperit uſquam, aſt in Supplemento addendum monuit*; monachi ad S. Andreæ Jurenſis, dicti poſtmodum S. Eugendi, ac demum S. Claudii; *ut id poſtremùm intellexerimus, quærendum Sanctum qualemcumque inter monachos antiquiſſimi monaſterii Jurenſis ſeu Condateſcenſis, cujus præcipui fundatores cenſentur SS. Romanus, Lupicinus atque Eugendus, ac demum reſtaurator celebertimus S. Claudius, ex epiſcopo Veſontionenſi, ibidem abbas.*

inde ex monumentis Jurenſibus,

2 *Prævia hac luce, ad jam dicti S. Claudii Acta proceſſum eſt; ipſa illa nimirum quæ ad* VI *Junii illuſtrata ſunt, ubi Chiffletii noſtri ſcripta, Pariſiis accepta recenſens notavit Papebrochius tomo* 1 *pag.* 646 obiter *alicubi* agi de ſanctis Ymiterio & Mauro, *alibi prorſus incognitis. Eò demum rediit tota iſthic ſuggeſta notitia, quod poſt tædioſam inveſtigationem, Chiffletii ipſius manu, cap.* 7 *de Romano monaſterio in diœceſi Lauſanenſi, ſcriptum repererim, quod hìc ſubjicio:* In his monaſteriis Jurenſibus, vel quæ ex Jurenſibus derivata ſunt, inter alios complures ſanctitate illuſtres viros floruerunt, ut opinor, Ymiterius & Maurus, de quibus hæc reperio in Martyrologio S. Eugendi Jurenſis; PRIDIE KALENDAS AUGUSTI, COMMEMORATIO S. YMITERII MONACHI, tum deinde VIII Kalendas Novembris, In territorio Veſontionenſi, natale S. Mauri confeſſoris. *De hoc S. Mauro agetur ſuo loco & tempore; huc propriè ſpectant quæ de hodierno Sancto in annexa charta ab eodem Chiffletio obſervata invenio.*

maximè ex Chiffletio

3 Sancti Ymitherii nomine fuiſſe olim abbatiam dixit Severtius in Brendnico XVIII epiſcopo Matiſconenſi, ſed fidem dictis non fecit. Monachus tantum nuncupatur in Martyrologio Jurenſi; ejus vero antiqua ſedes, in qua vitam exegiſſe creditur, & in qua ſepultus eſt, CELLULÆ dumtaxat appellatione deſignatur à Karolo Calvo in diplomate, quo eam Cellulam Matiſcenſi S. Vincentii eccleſiæ reſtituit, cui nempe jam olim nonas & decimas annuatim pendere ſolita erat, in argumentum ſubjectionis poſt omnem memoriam; ut merito dubium ſuperſit, num S. Ymitherius ad primorum patrum Jurenſium ætatem pertineat. Ceterum adſcriptum eſt nomen ejus in Martyrologio proprio Jurenſium, ut ſupra monuimus, pridie Kalendas Auguſti, ac eadem die, Julii menſis XXXI colitur in eccleſia Matiſconenſi, ſub officio de communi confeſſoris non pontificis. Sed & memoratur ſurdus ex annis decem, cum ad ejus eccleſiam tenderet, in itinere perſanatus: & alia quamplurima, eo invocato, contingere miracula, conſtans eſt fama: unde & mandatum prodiit, ut, ſervatâ juris formâ, de illis quæſtio inſtitueretur.

confirmatus eſt cultus.

4 *Jam dictum diploma deſcribi curavit atque eruditis notis illuſtravit laudatus Chiffletius, verum ex iis omnibus ad Sanctum noſtrum id unicè attinet, quod* Cellula S. Imiterii, *ibi commemoretur, Reginardo cuidam, falſos titulos prætexenti, à Carolo Calvo conceſſa, quæ inde ad Raculfum dilapſa ſit, demum ab epiſcopo Matiſconenſi, utpote ad eccleſiam S. Vincentii antiquo jure ſpectans, poſtliminio revendicata. Id, inquam, huc ſolum facit, quod* Cellula *iſta* S. Imiterii *nomine indigitata,*

A *gitata, ſeu mavis, inſignita fuerit; cujus rei non video rationem aliam, ſaltem veriſimilem, adduci poſſe, quam quod ipſam illam* Cellulam *Sanctus olim incoluerit, ſive ut ſuperior ſive ut ſubditus. Ceterum qua ætate aut quam diu vixerit, quibus muneribus functus ſit; quibus præfulſerit virtutibus, nuſquam memoriæ traditum reperi: neque de ejus ſignis aut miraculis quidquam ſupereſt, præter paucula illa quæ ex Chiffletio modo retulimus: ut rectè ſupra notaverimus, de ſolo S. Ioannitii cultu hîc à nobis quæſtionem inſtitui.* AUCTORE J. B. S.

DE SS. FRATRIBUS BANTO ET BEATO.

PRESBYTERIS CONFESSORIBUS.

Treviris & Confluentiæ.

J. B. S.

SEC. VII. *De S. Beati*



Am in tabula Prætermiſſorum menſis hujus diei XXVI *præfixa, alterum ex his ſanctis Fratribus, nempe* Beatum *eo die recoli obſervavimus in Uſuardis Colonienſibus, atque item in Molani auctariis; nihilominus tamen huc remittendum fuiſſe, quod amborum Fratrum ſolennitas hoc die* B *unà celebretur in Proprio Trevirenſi, ut ex lectione infrà ſubjicienda patebit. De cultu itaque, licet non antiquiſſimo, utpote claſſicis Martyrologiis incognito, dubitandi locus non eſt; ſic* S. Beatus *annuntiatur dicta die* XXVI *Julii in Florario noſtro Sanctorum Ms.* Apud Treverim, natale S. Beati confeſſoris, viri ſanctiſſimi, ex ſuo nomine vitam demonſtrantis. *Edit. Lubeco-Col. ita loquitur:* In territorio Treverenſi, circa Confluentiam in monte, natale S. Beati presbyteri confeſſoris. *In Greveno ſimplicius;* Treveris, S. Beati presbyteri & confeſſoris. *Hunc textum ſecutus eſt Molanus in prima ſua editione; verum aliis pluſculum adjunxit:* In Cartuſia prope Confluentiam, ſancti Beati presbyteri Trevirenſis & confeſſoris. *Ex his facile colligis, utrumque Sanctum veroſimillimè Treviris depoſitum fuiſſe, unde* S. Beatus *ad dictum montem apud Confluentiam tranſlatus fuerit, quemadmodum infra diſtinctius explicabitur.*

& S. Banti cultu C

2 *Jam vero de* S. Banto *ita hoc die legit Uſuardus Abdinghoffenſis:* Treveris, S. Bantonis confeſſoris Chriſti, *quæ ipſiſſima verba Molanus auctariis ſuis inſeruit. Sive autem* Bantonis, *ſive* Pantonis *aut* Panthonis *dixeris, ad eumdem referenda ſunt omnia. Sic habet Edit. Lubeco-Col.,* Treveris, S. Banti confeſſoris: *Grevenus verò,* Treveris, Panthonis (aliàs Banti) presbyteri & confeſſoris. *His paulo antiquius citatum Florarium Sanctorum Ms. hoc die ſcripſit:* Apud Treverim civitatem, natale S. Sabini epiſcopi, & Banti presbyteri & confeſſoris. *Quid ſibi velit iſta combinatio* S. Sabini epiſcopi, *Trevirenſibus plane ignoti, cum* S. Banto, *non facile divinaveris; ſi S. Baſinum ſcripſiſſet, aliquid diceret ad Trevirenſes ſpectans; aſt is colitur* IV *Martii, quo ipſo die in eodem Florario rectiſſimè ſignatus eſt. Accedat reliquis Sauſſayus qui etiam hoc die* Bantonem *annuntiat. Atque hæc ex Martyrologiis, tametſi recentioribus adducta, ambos ſanctiſſimos Fratres ſatis celebres demonſtrant,* Bantum *Treveris præcipuè,* Beatum *vero in Cartuſia Confluentina, de qua non nulla ſubjiciam, ubi breve elogium utriuſque ex Proprio Trevirenſi deſcripſero.*

certa teſtimonia.

3 *Ita iſthic legitur ad* XXXI *diem Julii; Sanctorum Beati & Banti presbyterorum & confeſſorum Trevirenſium.* LECT. III: Beatus & Bantus duo clariſſima urbis Trevericæ lumina, tempore Modoaldi epiſcopi finitimum Trevetis Vogeſum inſederunt. Qui ſanguinis viciſſitudine atque amore pariter fraterno ſic vitæ beatioris ac cæleſtis haud diſpari ſorte, ambo germani, ambo ſacerdotes, ac vaſtæ ſolitudinis incolæ, arduum uterque iter virtutis emenſi, abſtinentiæ laboribus & integritate longè conſpicui; poſtremo eximiâ relictâ ſanctitatis famâ, hinc migrarunt ad Superos. Et Beati corpus in divæ Genitricis E ad Martyres æde, decenti ſepultura ſub marmore conditum, expertæ quondam ſoſpitatis remedium febricitantibus attulit. Cujus inde tranſlatione mons prope Confluentes nomen ſortitus, quem nunc Cartuſiani inhabitant, miraculis quoque inclareſcit. Bantus vero in oratorio ædis metropolitanæ propinquo repoſitus eſt.

De eorum geſtis in Vita S. Magnerici

4 *Prater hæc Vitam aliquam* S. Beati *ex jam dicta Cartuſia Confluentina ad Majores noſtros olim miſit laudatiſſimus nobis ſemper P. Joannes Gamans; aſt ea quantumvis brevis, ex Ebrewinianis Actis corraſa, media ſui parte non magis ad Sanctos noſtros fratres ſpectat, quam ad ſanctos Paulum, Ingobertum, Diſibodum, Wolfilaicum alioſque, de quibus, ut ſynchronis, multa miſcet Vita S. Magnerici expenſa ad* XXV *Julii, ex illa ſatis erit paucula hæc decerpere:* Erant in urbe Treverica duo ſacerdotes Domini Bantus & ejus germanus frater, nomine & re Beatus, cum aliis ſanctiſſimis eremitis in parochia Treverorum ſupra montem Cebenam & Voſago ſilva manentibus, qui vitam duxere beatificam: quibus in gaudium Domini ingreſſis, S. F Bantus corpore ſepultus fuit in capella retro eccleſiam majorem Treverim, ubi quondam fuit fraternitas & congregatio, quæ adhuc dicitur præbenda S. Banti, id eſt die Bantprobent *Germanicè, de qua hodie plura diſquirere operæ pretium prorſus non video.*

& apud alios

5 *Satis vaga hæc ſunt omnia, neque tamen clariora aliunde accerſes. Montem* Cebenam *explicant per* Paulsberg, *ex oppoſita, inquiunt, Moſellæ ripa urbi Trevirenſi, cum quo* Voſagum *ſeu* Vogeſum *unde Moſella profluit, non facile compoſueris. De* Bantprobent *quod ſtatuam non habeo, uti nec de certa ætate, anno aut die obitûs, non magis quam ex iis quæ de* S. Beato *ibidem ſequuntur, ut ex mera traditione accepta omnia manifeſtum ſit. Audi ſequelam:* Sed S. Beatus ſepultus fuit ad S. Mariam veterem in littore Moſellæ, olim dictum Capitolium, ubi nunc eſt cœnobium Benedictinorum, & nunc vocatur Mariæ ad Martyres, retro ſummum altare ſub albo marmore. At poſtmodum ſub Poppone archiepiſcopo ad hunc montem, qui antea Mons Martyrum vocabatur, tranſlatus; cujus tranſlationis feſtum olim colebatur in die Criſpini & Criſpiniani,

AUCTORE J. B. S.

ni, ſed nos hoc die reliquiarum colimus. Et ab hoc adventu dicitur hic Mons S. Beati, cujus nominis participes hìc & in futuro meritis & precibus dicti Beati patroni noſtri, faciat nos omnipotens & miſericors Deus. Amen.

ſatis vaga narrantium.

6 *Eadem ferme de ſanctis Fratribus breviter ſed nitidè prædicat Browerus in Annalibus tom.* 1, *pag.* 347, *num.* 32, *cujus verba hic etiam deſcribi merentur :* Ceterum eodem circiter tempore finitimum Treveris Vogeſum inſedêre duo clariſſima urbis Trevericæ lumina Banto & Beatus, ut ſanguinis neceſſitudine atque amore pariter fraterno, ſic vitæ beatioris ac cæleſtis haud diſpari ſorte, ambo germani, ambo ſacerdotes, ac vaſtæ ſolitudinis incolæ, arduum uterque virtutis iter emenſi, abſtinentiæ laboribus & integritate longè conſpicui. Enimvero apud D. Beati ſepulcrum expertæ quondam ſuſpitatis remedium ſenſêre febricitantes. Unde Eberwinus ante annos plus minus quingentos abbas Theologienſis · Sed nos, inquit, hoc ipſum beneficium in nobis experti & fideliter adepti ſumus. Denique eximiâ relictâ ſanctitatis famâ, hinc migrarunt ad Superos; & Bantonis quidem corpus in oratorio ſummæ ædi metropolitanæ propinquo, Beati vero in Divæ Genitricis ad Martyres ſub marmore reconditum, inde quò tranſlati ſint ſuo nobis loco dicendum ſervatur. Dies utrique natalis menſe Julio, ſed illius tricesimo primo, hujus autem ſexto colitur & vigeſimo.

B

De S. Beati tranſlatione

7 *Quod de tranſlatis SS. Fratrum corporibus hìc notat Browerus, verum eſſ de* S. Beato, *extra controverſiam eſt, at* S. Bantum *ex* oratorio ſummæ ædi metropolitanæ propinquo, *aliò deportatum fuiſſe, nuſquam reperi hactenus : imo vero in citata Proprii Trevirenſis lectione, quæ cum Broweri textu apprimè convenit, ibidem loci etiam hodie* repoſitus *aſſertiſſimè aſſeritur. Porro* S. Beati *ſacros cineres conſtat, tranſlatos eſſe ad eum montem Confluentiæ proximum, quem Carthuſianis ſeculo primùm* XIV *ceſſiſſe ex geſtis Balduini archiepiſcopi mox oſtendemus. Sic igitur de* S. Beati *tranſlatione anno* 1018 *facta à Poppone memorat laudatus Browerus pag.* 506 *num.* 14. Virginis Deiparæ ad Martyres domicilium, quod D. Benedicti diſciplina à Theodorico devinctum fuiſſe diximus, cum hac ætate Canonici, Benedictinis per vim excluſis, occupaſſent : Poppo his viciſſim pro merito eorum exactis, monachis locum inhabitandum reſtituit, & S. Beati presbyteri cineres inde Confluentiam ad eum montem tranſtulit, qui ſanctiſſimo Carthuſianorum excultus domicilio, ab eodem Divo hodieque fert vocabulum.

D

explicantur quæ occurrunt dubia.

8 *Reliquum eſt ut Carthuſianos, non à Poppone (cujus tempore necdum erant in rerum natura) ſed à Balduino in* Montem S. Beati *traductos, quod polliciti ſumus, oſtendamus, ex Broweri ipſius indice Chronologico pag.* 28, *ubi ad annum* 1313 *ſic legitur :* Montem S. Beati Confluentiæ, prius à PP. Benedictinis poſſeſſum, canonicis tranſcripſit. *Tum vero ad annum* 1330 *ita ſubdit:* Carthuſiani à Balduino Trevirim advocantur, & ſedes ſupra urbem amœna, cum oratorio B. Albani, ab abbate S. Matthiæ Eberhardo coëmpto, viciniſque agris attribuitur. Unde Confluentiam quoque ad Montem S. Beati, canonicis excluſis, traducti ſunt. *In Tractatulo de origine & progreſſu Ordinis Carthuſienſis, circa Montem* S. Beati *narrat aliqua Henricus Kalkar, non ſatis digna quæ hic referantur : ſufficiant reperta hactenus probatiora monumenta ; nam de peculiaribus utriuſque Sancti geſtis, virtutibus aut miraculis nihil præter jam dicta traduum accepimus. Neque de ipſorum ætate certiora colliges quam ſi eorum principia ad S. Magnericum ſeculo* VI *exeunte, obitum vero ad S. Modoaldi tempora veroſimillime revoces, circa annum* 637, *quo amborum exitum Browerus collocandum cenſuit.*

E

DE S. EUDOCIMO JUSTO SEU JUNIORE

CONSTANTINOPOLI.

C

F

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus apud Græcos, elogia, tempus vitæ, mortis modus, cognomentum duplex, Acta.

SUB THEOPHILO IMP.

Sanctus vario modo in variis Faſtis notatus ;

Ina Sancto huic, uti vides, cognomenta ſunt ſuperaddita Juſti *videlicet ac* Junioris : *in Faſtis quippe Græcis nunc cum uno, nunc cum altero memoratur ; quamquam ſine ullo in eiſdem etiam occurrat, uti planum fit ex annuntiationibus; quas ſubjicimus. Typicum ſub nomine S. Sabæita habet :* Sancti & juſti Eudocimi ; *cui conſentiunt Menæa magna Græcorum typis cuſa, Horologium anno* 1607 *editum, Anthologium. Menologium verò ab eminentiſſimo Sirleto verſum, & a Caniſio vulgatum ſcribit iſta :* Natalis beati Eudocimi junioris : *quo pariter cognomine ſignatur in Menæo Chiffletii ac Menæis Ambroſianis : ſed in Horologio anni* 1601 Eudocii (*pro* Eudocimi) juſti. *Synaxarium Baſilianum modo à præcedentibus diverſo ſic annuntiat :* Memoria ſancti martyris noſtri Eudocimi Junioris. *Kalendarium Ruthenorum apud Poſſevinum ſimpliciter ponit* S. Eudocimi ; *& in eo, quod eſt apud Genebrardum notatur* Eudocimus.

2 *Nec verò apud alios idem hunc Sanctum annuntiandi modus ſervatur : nam in Menologio Slavo-Ruſſico Sparwenfeldiano mentio fit* S. & juſti Eudocimi ; *in Ephemeridibus autem Græco-Moſchis apud nos editis ante tomum* 1 *Maii pag.* XXXVII *habetur* Eudocimus tribunus martyr. *Annuntiationem Martyrologii Arabico-Ægyptii* Certamen ſancti novi Academici, *corruptam ac fœdè mendoſam eſſe, omnino ſuſpicamur ; pro qua ſcribi debeat* ſancti NOVI (Καινὸς, *quod novum ; ſed hic*

A *hic juvenem ſeu juniorem ſignificat*) Eudocimi ; *tum quia convenit dies ; convenit cognomen* ὁ νέος, novi, *id eſt* Junioris ; *nec repugnat* certamen : *nam & alibi, ut vidimus, tamquam martyr refertur ; non rectè, ut poſtea dicemus. Favet incorruptio corporis, tamquam characteriſmus Sancto maximè proprius juxta Acta num.* 14, *ubi tantopere ea commendatur ; de quâ oratio propria Sancti, in dicto mox Martyrologio, his verbis expreſſa :* O ſancte médice Accademice, qui vocatus es de terra ad cæleſtes habitationes : & incorruptum corpus tuum poſt mortem remanſit, quia ambulaſti in ſanitate * & itinere perfecto, dum ſervaſti corpus tuum à corruptione, precare, ut nos etiam ſalvemur. *Titulus* medici *hic ſingularis commodè referri poteſt ad curationes, quæ factæ ſunt per unctionem olei lucernæ, ad ſepulcrum ejus poſitæ, de quibus Acta. Prætereo, quod mentio etiam habeatur noſtri Sancti, apud Molanum in editione anni* 1573 ; *Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, nec non apud Caſtellanum in additionibus ad ſuum Martyrologium univerſale, cum parvo elogio: at de elogiis agemus paullo poſt, ubi prius nonnulla ornamenta exhibuerimus, quibus ultra annuntiationem, alicubi in ſacris Græcorum Tabulis honorificè admodùm condecoratur. Id quod ſit in Menæis eorum magnis citatis, prout nunc viſuri ſumus.*

* an ſanctitate ?

B

cui canon aptatur ac verſiculi :

3 *Inter alia itaque* S. Eudocimo *ibidem accommodata, invenitur conditus in ejus honorem canon, cujus hoc loco vel meminiſſe, ſit ſatis, præfixa eidem acroſtichidæ, his verbis expreſſa :*

Τμνῶ, Μάκαρ, σε τὰς πανευσεβεῖς τρόπους. Ἰωσήφ.
Tuos, Beate, piiſſimos mores cano.
Joſeph.

Nomen Ἰωσὴφ, *quod verſiculo iſti acroſticho additur*, Joſephum *denotat canonis conditorem ; de qua re plura diximus die* XVII *hujus, in Commentario prævio ad Vitam S. Alexii*, § 4, *pag.* 247. *Odis prædicti canonis interſeritur repetita Sancti noſtri annuntiatio ; & poſt hanc tres ſequentes ponuntur verſiculi :*

Τὸν θεῖον Εὐδόκιμον, ᾧ βίος γέλως,
Τὸ θεῖον ἐὐδόκησεν ἐκθῆναι βίᾳ.
Δέχνυται Εὐδόκιμον πρώτη τάφος ἐν τριακοστῇ.
Eudocime dive, vita cui riſus fuit,
Te rapere ſibi complacuit è vita Deus.
Condidit Eudocimum trigeſima prima ſepulcro.

C *Patet alluſio poëtæ ad nomen ſancti* Εὐδόκιμος *& verbum* εὐδοκέω, *cum modico, ut ſæpius in iſtiuſmodi alluſionibus Menæorum aliàs uſuvenit, ſale.*

Elogium ex Synaxario Baſilii imp. Latinè redditur

4 *Inter elogia, illud Latinè reddimus, quod habetur in Synaxario Baſilii imperatoris hac die, ut intelligi poſſit textus Græcus, apud nos prælo vulgatus in fine tomi primi menſis Julii. Sic ergo ſonat :* Hic Beatus, imperante Theophilo Chriſti oſore, exſtitit : cujus parentes ſimul cum vitæ ſplendore (erant enim patricii) orthodoxos ſe probarunt, genere Cappadoces. Eudocimus idcirco ad virtutem rectè ab illis inſtitutus ; candidatus à Theophilo creatus fuit, & caſtris præeſſe juſſus, primum quidem per regionem Cappadocum, deinde autem per Charſianum : qui velut ſtatera quædam ac regula juſtitiæ ſuum cuique ex æquo tribuebat, plurimas quotidie eleemoſynas erogabat, eccleſias venuſtè & affabrè exornabat, viduas & orphanos defendebat, &, ut verbo complectar omnia, omnem virtutis ſpeciem exercebat. Vitâ itaque ad Dei nutum exactâ, morbo corporis correptus, ſpiritum ſuum Deo tradidit : cujus propinqui, voluntatem ejus implentes, Sanctum cum indumentis ac calceis ſepelierunt ; multis à Deo miraculis glorificatum. *Hactenus elogium, quod paucis priùs explanabimus, quam cum elogiis ulibi notatis illud conferamus.* AUCTORE J. P.

& explanatur ;

5 *Theophilus, qui in eodem memoratur, Michaelis Balbi filius, imperare cœpit anno Chriſti* 829 ; *deſiit* 842, *ut videre eſt apud Baronium ac Pagium.* Candidatus *autem ab eo factus noſter Sanctus ibidem fertur : circa cujus officii dignitatem, inſtitutionem, numerum, varia invenies apud Cangium in Gloſſario ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis. Ad* Charſianum *quod ſpectat ; illud in ipſa Cappadocia ſitum fuiſſe, colligimus, ex iis, quæ habentur apud Cedrenum in hiſtoriarum compendio pag.* 457 *editionis regiæ, narrantem de Maſalma, quod* cum in Cappadociam veniſſet, Charſianum (τὸ Χαρσιανὸν) caſtrum fraude cepit. *Adde quod pro ſitu ejus in Cappadocia citetur apud Ortelium Porphyrogenneta ; ſed locus non aſſignatur. Porro caſtrum illud non obſcuri nominis milites aluiſſe, intelligere inde poſſumus, quod apud Porphyrogennetam pag.* 169 *ejuſdem regiæ editionis* Charſianitæ (οἱ Χαρσιανοὶ) *nominentur, de virtutis præſtantia cum Armeniacis contendentes. Menæa magna typis edita & Anthologium ſcribunt* Χαρσιανῶν ; *ſed pro alia ſcriptione tamquam ſincera & genuina, faciunt tam ea quæ jam citavimus ; quam etiam Acta Græca, quæ habemus, ac Surius adhibent. Quæ ſequuntur in elogio de egregia Sancti juſtitia, ad cognomentum ejus pertinent, de quo mox.*

cum aliis item elogiorum exemplaribus confertur.

6 *Sequitur, ut nunc de aliis elogiorum exemplaribus paucula quædam obſervemus : paucula, inquam ; cum ſint ſimilia in re & ſubſtantia. In Menæis impreſſis, Anthologio, & Menologio apud Caniſium nomina* S. Eudocimi *parentum, in ſuperiore elogio prætermiſſa, recenſentur, nimirum* Baſilius & Eudocia, *conformiter ad Acta ; quibus etiam conſentit hæc Menologii Caniſiani clauſula :* Corporis quidem ſancti tranſlatio facta eſt ſexto die menſis Junii ; dormitio verò trigeſimo primo Julii. *Menæa excuſa cum Anthologio rectè addunt, quod tranſlatio iſta facta ſit* πρὸς τὸ Βυζάντιον, Byzantium verſus *ſeu CPolim ; tranſlatio verò iſta tam in elogiis obiter, quam in Actis pluribus tradita, nulli certo anno affigitur ; ſi tamen Actis credimus, non diu adeo poſt Sancti obitum illam contigiſſe oportet, cum in illis dicatur, vivente etiamnum Sancti matre contigiſſe. Aſt hæc & ſimilia pluſculum lucis accipient ex ætate ac tempore, quo is vixit & obiit : de quâ re noſtras nunc proferimus conjecturas.*

D

E

F

Tempus vitæ ac mortis.

7 *Standa auctoritate, quæ certè exigua nobis eſt, Actorum & elogiorum, habemus ex ea, quod vixerit tempore Theophili imperatoris, ſub quo utique militarit, & nomen aliquod decuſque geſſerit, caſtris præeſſe juſſus : ac proin annos circiter viginti tunc numeraverit, quando eò dignitatis admotus fuit ; deinde natales hauſerit, anno circiter* 813 ; *& ulterius vivere deſierit anno circiter* 843 ; *ſi verum denuo narrant Acta, quæ eum* triginta tres annos natum *vitam cum morte commutaſſe perhibent. Atque ex his conjecturis (neque enim majus eis pondus ineſſe volumus) ſequitur, ut per annos circiter decem militiam profeſſus ſit, eam exorſus verſus annum circiter* 833. *Tempus, quo Sanctus vixit, definit Menologium Slavo-Ruſſicum, dicens :* Vixit anno DCCCXXXVI ſub Theophilo inimico Chriſti : *qui annus cohæret cum tempore, à nobis per hypotheſim potius, quàm per theſim definito ; nam tam illud, quam*

AUCTORE J. P.

plura alia non satis certa nobis sunt, propterea quod Actis adeo incertis nituntur.

An Sanctus fuerit martyr:

9 *Vidimus superius, alicubi in Fastis* S. Eudocimum *cum titulo* martyris *annuntiari; & quod mireris, in Synaxario Basilii imperatoris; qui titulus quo pacto cohæreat cum iis, quæ dicuntur in elogio ejusdem Synaxarii jam à nobis allato, non assequimur: nam ex eo habemus, quod* morbo corporis correptus, spiritum suum Deo tradiderit; *in quo conspirant tria alia, quæ supra memoravimus, elogia. In Actis autem num.* 7 *nullum martyrii vestigium occurrit; sed disertissimè indicatur, quod extremum morte naturali diem clauserit: ac proinde censemus, titulum* martyris *illuc intrusum esse, & tamquam nostro Sancto planè indebitum, ex dicto Menologio nec non Ephemeridibus Græco-Moschis expungendum esse.*

datur ratio duplicis ejus cognomenti.

10 *Verbulo etiam nobis agendum restat de duplici, quo inscribi eum vidimus in quibusdam Tabulis sacris, cognomento* Justi *videlicet &* Junioris. *Primi notio peti potest ac debet ex elogiis & Actis, ubi à justitia potissimum laudatur: unde nomen virtuti, summa cum perfectione exercitæ, congruum ipsi adhæserit. Secundum cognomentum planè indicat, Sanctum quemdam synonymum extitisse tempore priorem hoc nostro: sed quisnam is sit, quò spectet, aut quando floruerit, hactenus invenire nusquam potuimus. His ita expositis, nunc expendenda veniunt Sancti Acta; de quibus instruere lectorem placet, observando sequentia pauca, quæ pro eorum merito sufficient: reliqua quippe conjicientur in annotata.*

B

Actorum character;

11 *De Actis hoc pronuntiare possumus, quod sint ex eorum numero, quæ non tam redoleant historiam, quam orationem historicam ornatu sententiarum ac verborum pluribus locis phaleratam; adeo ut eorum auctor, sive is Metaphrastes fuerit, sub cujus nomine edita sunt apud Surium, sive alius quispiam, maluerit copiosè dicere & delectare, quam sincerè lectorem docere; prout Græcorum obtinet mos; de quo identidem cogimur justas atque iteratas sæxcentis locis renovare querelas, uti notissimum est iis omnibus, qui Acta Sanctorum à limine salutarunt. Sed ne gratis hanc Vitæ* S. Eudocimi *ac meritis duriorem inuri à nobis censuram aliquis arbitretur; pauca accipiat specimina, è quibus illa censura confirmetur. Ut de prologo auctoris nihil dicamus; apostrophe matris ad Filium prope sepulcrum ejus, quid nisi scenam redolet, ac pathos theatrale verbis & affectibus egregiè promptum & comptum, ut videre est num.* 13? *Huc etiam referri meretur dialogismus num.* 16. *Floridula quoque sunt, quæ narrat auctor de corporis post mortem integritate, num* 14. *Adde, quod sententiis Scripturæ sacræ, quibus rei historiam infarcit, potuisset supersedere. Quod verò ad Vitæ, translationis ac miraculorum substantiam attinet; damus omnia ex auctoris fide: nihil enim nobis est in promptu, quo vel illa omnia tamquam vera probemus, vel tamquam falsa, aliqua saltem ex parte, reprobemus.*

C

quæ & Græcè habemus.

12 *Habemus etiam Acta Græca,* ex Julio, *prout illis adscribitur,* Metaphrastæ in regis Franc. biblioth.; *ex* Ms. *videlicet* Medicæo *exscripta, atque hoc titulo prænotata:* Βίος καὶ πολιτεία ἔ ὁσίου καὶ δικαίου Εὐδοκίμου. Vita & conversatio sancti & justi Eudocimi. *Exordium est hujusmodi:* Εὐδοκίμου ἔ κατὰ Θεὸν φερωνύμως εὐδοκιμήσαντος ἡ βίον ἐξηγήσασθαι καλόν· ἡδονὴ γὰρ ἐντεῦθεν *&c. Finis autem hic:* δι' ἔ δαίμονες φυγαδεύονται, νόσοι λύονται, καὶ Θεὸς ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων δοξάζεται *&c. quæ consentiunt Vitæ, quam nos ex Surio daturi sumus. Quamquam verò versio Latina, quæ apud ipsum legitur, habet unde merito displiceat, tamquam contorta non raro, minusque perspicua & clara; quia servili nimium textus Græci idiotismorum interpretationi adstricta: novam tamen eidem substituere, putamus operæ pretium non esse. Antiquam itaque accipe, in novos numeros ac capitum titulos more nostro distributam.*

D

VITA

Ex editis apud Surium

sub nomine Simeonis Metaphrastis.

PROLOGUS.

E

Præfatur auctor de vita Sancti, omnibus virtutibus conspicua.

EUdocimi, qui convenienter suo nomini *a* ex Deo laudem est assecutus, vitam bonum est exponere. Hinc enim simul voluptas & utilitas non redit solùm ad expositores, sed multò magis ad auditores: non solùm quòd se ostenderit vehementem amatorem virtutis, & quod est honestum, statim elegerit ab ineunte ætate (cum multis enim aliis fuit hic vitæ zelus ei communis;) sed quod in illo præcipuum & penè singulare, vel omni, vel magna ex parte excelluit, ejus in mundo fuit supra mundum vita: & quòd cum viveret in medio tumultuum, & harum rerum instabilium, quæ omnibus tempestatibus sordibusque plenæ sunt, puram & tranquillam, & minimè inquinatam suam conservaverit animam: & ostenderit esse timidi & pusilli animi, mundi fugam persequi, & adjutrice uti solitudine, perinde ac si quis in maris tranquillitate navigans, & absque ullis fluctibus ventisque vehementibus, velit vocari peritus navigationis, & intelligens eorum, quæ ad mare pertinent. Quoniam ergò illius vita est exemplar sufficiens, cùm omnibus, ut semel dicam, qui virtutis studium sibi vendicant, tum iis, qui in mundo vivunt, & mundo (ut cum divino Paulo dicam) uti solùm, non abuti eligunt: dicantur res illius, & virorum bonorum animis apponatur mensa divina, & opsonia, quæ numquam consumuntur.

F

ANNOTATA.

a *Græcum quippe* δόκιμος *latine dicitur* probatus, probus, admirandus, laudatus, splendidus.

CAPUT I.

Sancti natales, educatio, virtutes, militia, mors, miracula hanc consecuta.

Eudocimus parentes illustres, virtute nobilitans,

SAnctus ergo Eudocimus genus quidem duxit ex Cappadocibus, piorum parentum pia soboles. Quorum alter quidem Basilius, Eudocia autem nomine, quæ genuerat, erant genere insignes, opibus abundantes, illustresque auctorita-

te,

A te. Patriciorum *a* enim dignitate clarus erat Basilius. Cum tam præclaros autem generis fontes haberet filius, non tam visus est nobilis ex parentibus, neque tantam ex eis accepit gloriam, quantam ipse præclaris suis factis ex se nobilitatem suis attulit parentibus. Nam filios quidem, qui ex claris orti sunt parentibus, permultos invenies: parentes autem talium filiorum, qui in medio mundo vitam nulli reprehensioni affinem transegerunt, admodum paucos. Ille ergo doctrinæ & disciplinis jussus attendere, magnum in his posuit studium, non verberibus, non terroribus, non aliquo alio indigens ex iis, quæ possunt puerilem ad res honestas excitare socordiam: sed ipse erat sibi stimulus ex propensione & animi alacritate ad ea, quæ bona sunt. Multò autem magis invigilabat lectioni divinorum eloquiorum, & assiduè in eis versabatur, adeo ut ipse quoque caneret cum divino Davide: Exultabo ego super eloquia tua, ut qui invenit spolia multa. Et; Quàm dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est. Propterea ei reputatum est supra millia auri & argenti, juxta divinum prophetam, dico

B Davidem: Et Dei eloquia dulcia gutturi ejus fuerunt, & supra mel ori ejus.

3 Vacabat autem divinis templis & assiduè ad ea veniebat. Et cum ejus æquales & familiares dediti essent venationibus, & equorum cursibus, & aliis adolescentum studiis, ille ea ægrè ferebat, & ab eis minimè movebatur, & nulli cedebat ex iis, quæ juvenilibus blandiuntur cupiditatibus. Jucundè verò & lubenter versabatur Eudocimus, aut in domo orationis, aut in lectione divinorum eloquiorum, per quæ studebat seipsum reddere templum Deo dignum, ut qui nihil ostenderet injucundum, nihil turpe ex deformitate animi perturbationum, & in eas collato studio. Non res adversæ, non secundæ, non aliquid ex iis, quæ animum possunt aut efferre, aut deprimere, fuit satis validum ad eum à suo instituto dimovendum: sed dexteris & sinistris armis (ut dicit Paulus) dexterè utebatur, & ea materiam faciebat philosophiæ. Quin etiam cum viam sæpè ingrederetur, tam quæ ferebat ad regiam, quàm quæ in ullum alium locum, mentem simul & linguam habebat intentam operi: hanc quidem canentem psalmos Davidis, illam autem attendentem, &

C quæ dicebantur intelligentem, & jubenti ipsi Davidi parentem. Non enim id ei, quod multis, usu veniebat, qui psallunt quidem, sed non intelligunt: quique cum iis, quæ dicunt, ipsi priùs pugnant, & re ipsa apertè contradicunt, cum procul ab iis, quæ dicuntur, aberret eorum animus.

4 Temperantiam autem, quæ verè publica est, & pulcritudine alias excellit virtutes, sic amavit, & ab ea ita apertè est superatus, ut eam in vita sociam, & quæ secum habitaret, delegerit, & audacter cum Job diceret non hoc solùm: Oculum meum non est cor consecutum: sed etiam, quod illo est majus, pactum feciſſe cum oculis, nullo modo intellexisse super virginem: & usque adeo vitaverit cum muliere colloqui, ut soli matri non esset prohibitum ad eum accedere, quam in magna habebat veneratione: ut qui non solùm maternis, sed virtutis etiam cederet legibus. Præter eam autem nulli licebat mulieri cum eo omnino loqui, aut ad eum adire.

5 Cum temperantia verò conjunxit etiam eleemosynam, cum pulcherrima eam, quæ est maximè hilaris: adeò ut illius quidem lumine illustraretur facies, hujus autem oleo cor pingue fieret, esſetque & mundus & misericors: adeò ut altitudo, quæ procedit ex puritate, ad proximum (ut par est) ex consensu se inclinans, in tuto esset. Tam splendidè autem attendebat eleemosynæ, & eam ita amplectebatur, ut non solùm superfluis, sed etiam necessariis se piè gereret: & non parcè seminaret, sed in benedictionibus: & non solùm pecuniis, sed etiam carnibus, si ex iis pauperibus dari posset auxilium, minimè parceret, idque admodum hilari, promptoque & alacri animo, motus dilectione in Deum & proximum. Fructus enim charitatis, est in fratrem misericordia, adeo ut ipse promptior esset ad dandum, quàm ille ad accipiendum, qui opus habebat misericordiâ: & cum dedisset, ipse magis lætaretur, & plùs se juvari crederet, quàm is, qui acceperat: quomodo res verè habebat. Majores enim sunt divinæ gratiæ, quàm humanæ, quas ipse larga manu emebat largiùs illinc scaturientes. Et, ut semel dicam, orphanorum erat pater Eudocimus; curator viduarum, indumentum nudorum, panis esurientium, animarum, quæ ægritudine gravabantur, solatium.

6 Is cum & ab imperatore *b* honores, & quæ est ad tempus, gloriam assequeretur propter virtutem, nihil ex eo lædebatur, ut cujus nec calor animæ repesceret, neque ad cursum spiritualem fieret impetus hebetior: sed potiùs eam quoque Deo asscribens gratiam, hinc sumebat occasionem majoris in ipsum desiderii, & eum colendi promptiùs & alacriùs. Certè cum esset electus, ut præesset parti exercitûs Cappadocum, & moraretur circa id, quod vocatur Charsianum *c*, gerebat magnam curam populi: ut qui non solùm de eis esset paternè solicitus, sed eas etiam, quæ erant inter se invicem, ut solent, controversias solveret, nullam in partem propendente trutina justitiæ: & judicans orphanum (ut dicam cum Esaia) & viduam justificans, & omnibus idem apparens per æqualem in omnes benevolentiam. Et quid opus est, ut dicam singula? Erat virtute perfectus Eudocimus: erat insignis charitate in Deum, & insignis charitate in proximum. Quamobrem ejus exitium & interitum, proximo, inquam, clanculum detrahere, adeò odio habebat, ut non solùm ipse nihil tale faceret, sed etiam si alius vellet facere, minimè sustineret non honestis verbis aures præbere: & quòd ad se attinet, illas quoque conservaret peccatis superio-

F res.

7 Illum sic viventem, piumque vitæ institutum exercentem, & rectè se gerentem communis in regione aliena *d* finis occupat, cum esset triginta tres annos natus, & necdum quidem canis capillos albefeciſſet, multorum autem canos superaret prudentia. Malè autem habebat Eudocimum, non quòd absolutè moreretur, ut qui per totam vitam id esset meditatus, & quam cum egisset vitam, quænam sors esset eum consecuta: & alioqui cum esset sapiens, non ignorabat omnino, qualis esset lex inter composita: nempe quòd cum accepisset principium, necesse esset finem quoque consequi: quamobrem non eum conturbabat corporis separatio: sed quòd, cum matrem non vidisset charissimam, longè esset peregrinatus. Quomodo autem est mortuus? Est enim hoc simul philosophiæ & utilitatis particeps. Ægrotabat quidem vir ille, & morbus eum jam eò deduxerat, ut ultimum ageret spiritum. Ipse verò cum suos accersisset familiares, primùm quidem diligenter mandavit, & eos jurejurando adegit, ut eum mandarent sepulcro, sic indutum,

&

a Ex edit. apud Surium.

cum egregia erga inopes misericordia conjungit;

E

tum etiam, quando erat inutiles, omnes justitiæ partes explens.

b

c

supra ætatem mirificè eâ excellit.

Castimoniam

In flore ætatis piissimè moritur.

d

Ex edit. apud Surium.

& nequaquam in ipſum * obſervarent, quæ ſolent in mortuis. Deinde cum omnes juſſiſſet extra fores egredi, ipſe ſolùm incluſus dat ſe orationi. Oratio autem erat, (audita enim fuit à quodam, qui prope fores auſcultabat) ut ejus ad Deum exceſſus eſſet obſcurus, & nulli cognitus, quomodo etiam tota fere ejus vita nulli evaſit manifeſta. Cum verò alia quoque adjeciſſet orationi, & egiſſet gratias, & poſtremò dixiſſet, In manus tuas commendo ſpiritum meum, verè ſanctam emiſit animam. Quidam autem ex iis, qui ſepulturæ ejus inſerviebant, magis ruſticè, quàm piè, in hoc mandato exſequendo affecti, non ſolùm cum veſtimentis & calceis, quibus erat indutus, ſed etiam cum ſtragulis, in quibus jacebat, in lignea capſa ſic impoſitum, humi condunt eum, qui nihil habebat dignum tenebris, nube omnino ſolem, aut lignum * modio, aut potiùs, ſi mavis, in cella penaria pretioſiſſimum theſaurum, & qui non poteſt conſumi. Sed ille ſic quidem fuit conditus: Deus autem non paſſus eſt eum latere, ſed eum reddit manifeſtum causâ multorum utilitatis. Sic autem facit.

* *l.* in ipſo

* *l.* lychnum, *Gr.* λυχνον, *i. e.* lucernam

B *Dæmoniacus ſit liber ad tumulum ejus;*

8 Vir quidam à ſpiritu vexabatur dæmoniaco, Elias nomine, cum poſt mortem Sancti non multi dies præteriiſſent. Repentè accedit ad ſepulcrum, multa quidem dicens, multa autem faciens, quæ ſolet facere nequitia dæmonum in damnum humanæ naturæ, quæ deſuper bello ab eo appetitur. Dæmone quidem moto à Sancto, aut à Chriſti potiùs virtute, ut eum manifeſtum faceret & honoraret: movente autem & torquente, & maxima tempeſtate hominem conturbante, cum tamquam mortuum Eliam humi jeciſſet, ſceleratum illud dæmonium ſtatim abiit, ut quod fuerat homini veluti quædam diſciplina, & medicamentum ad expianda peccata iis, quæ Deus novit, judiciis. Atque Elias quidem ſic fuit liberatus à dæmone: Deus autem non eouſque fecit conſiſtere ſui Servi gloriam: immò verò cum tamquam tuba valde clamans, in multos eſſet diſperſum miraculum, multitudinem eorum, qui laborabant variis morbis, vocavit ad ſepulcrum; ſepulcrum, inquam, ex quo admirabiliter multis ſcaturiebat vita & curatio.

oleo lucernæ ejus ſanantur quidam debiles:

C

9 Ex his verò una mulier, quæ habebat filium, cujus ſolutæ erant manus, quique eas ferebat non ſecus atque lapis ac ſtatua, cum ardenter acceſſiſſet ad ſepulcrum, non longâ opus habuit morâ, non negotiis, non diebus: ſed cùm primum venit, ei opem tulit ad liberandum à morbo filium, oleum ſumptum ex lucerna beati ſepulcri: quo cùm illa filii manus unxiſſet, vidit ſtatim eum totum illæſum, & utentem manibus ſimul liberis, & ſuo fungentibus officio. Alius autem puer eodem quidem modo affectus, in hoc verò ſolo differens, quòd priori quidem manus, ei autem pedes erant immobiles. Is ergo ſimili fide oblatus, ſimilem quoque conſecutus fuit curationem. Nam cum is quoque unctus eſſet in pedibus oleo lucernæ, protinus exiliit, & fuit cauſa magnæ gratiarum actionis, quæ offerebatur ipſi Sancto, qui curaverat, & Deo, qui præbuerat gratiam curationum.

dæmoniaca liberatur; ac pulvere ſepulcri varii curantur morbi.

10 Rurſus autem mulier vexata à dæmone, liberata eſt à maligno ſpiritu eam vexante, cum ſolùm acceſſiſſet ad ſepulcrum, & pulcrè didiciſſet, quemadmodum lux perſequitur tenebras, & quàm ſit terribilis, bonus & gratus ſervus malo ſervo & fugitivo, propter eam, quæ ei cum Domino intercedit, conjunctionem & familiaritatem. Porro autem alii quoque mulieri, quæ gravi morbo laborabat, fuit mirabilis curatio ſolutio ſepulcri, D pulvis ſumptus cum fide, deinde aqua conſperſus, aut, ut meliùs dicam, ejus lacrymis, & impoſitus parti corporis, quæ malè ſe habebat. Et ideo cum ſeminaſſet in lacrymis ferventis in Deum fidei, meſſuit exultationem curationis. Non paucis quoque aliis malè affectis, qui longè aberant, fide autem non erant longè, hic pulvis ad eos allatus, viſus eſt aptum in omni morbo medicamentum, & quod multis quoque aliis modis erat jucundiſſimum. Nam cum eo, quòd curabat certiſſimè, habebat etiam celeritatem, & cum celeritate, moleſtiæ vacuitatem, & cum moleſtiæ vacuitate, quòd nulla erat omnino ſolvenda merces, & nihil penitus damni accipiebatur. Deficiet me tempus & oratio, defectæque erunt manus ſcriptionis operi ſervientes, ſi voluerimus omnia comprehendere, quæ & priùs ille, ubi fuit ſepultus, & nunc huc quoque tranſlatus facit miracula.

ANNOTATA.

E

a *De patriciorum dignitate, à Conſtantino M. inſtituta, auctore Zozimo lib. 2, conſuli poteſt Gloſſarium Cangii ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis.*

b *Theophilo videlicet, ſi verum dicant elogia: de quibus in Commentario.*

c *Ita ſcribendum, ibidem monuimus: ubi & de ſitu egimus.*

d *In tractu nimirum Charſianorum, prout colligi poteſt ex iis, quæ proximè præcedunt: idque ſatis clarè eruitur ex num.* 11 *infra.*

CAPUT II.

Corporis integritas ac flexibilitas; tranſlatio CPolim; honorifica ibidem depoſitio.

Ad fines Charſiani, ubi S. Eudocimi corpus quieſcebat, F

QUoniam autem tranſlationis meminit oratio, de ea quoque tractandum eſt, quemadmodum facta ſit, & quænam fuerit cauſa, quòd illius corpus ſepultum in finibus Charſiani, ſit in hanc regiam tranſlatum civitatem. Magna & velox ejus miraculorum fama in omnes partes pervadebat, & implebat aures omnium: & natura quidem ſic habebat, nunc autem velocior quoque facta eſt propter rei novitatem. Ubi enim ſperaverit quiſpiam, hominem in mundo viventem, & qui populi ſuſceperat adminiſtrationem, & qui ſingulis horis, tantis agitabatur fluctibus, poſſe per ſe quieſcere, & interiorem hominem habere nulla vexatum moleſtia, illæſoſque & manifeſtos in ſe conſervare typos Dei memoriæ, & ejus metu cor cuſtodire mundum ab omnibus ſordibus? Nam pietatem quidem exercere, & amplecti honeſtatem, virtutiſque aliquantiſper & Dei meminiſſe mandatorum, in multis fortaſſe invenies ex iis etiam, qui in mundo vivunt. Non enim eos omnino virtute nudabimus, & tamquam propriam poſſeſſionem eis ſolis tribuemus, qui ſunt à mundo ſeparati. Sed ad tantam impatibilitatis & virtutis eſſe evectum altitudinem, ut conſequatur quis gratiam & ſplendorem miraculorum, id eorum ſolùm dixeris, qui mundo & mundanis omnibus multam ſalutem dixerunt, & ſolitudines magis, quàm civitates, & deſerta, & longè eſſe remo-

A remotum ab amicis propter Christum sunt amplexi, eorumque paucorum: siquidem paucorum novimus eam, quæ est pro viribus, perfectionem.

miraculorum fama mater ejus excita, contendit;

12 Cum sic ergo fama ejus mortis & miraculorum esset dispersa, ejus parentes (eis enim adhuc viventibus est mortuus) & maximè mater, quæ maximo & germanissimo amore, ut filios solent matres, eum prosequebatur, magnum ignem habebant in visceribus, simul quidem & ut filium desiderantes, & cupientes conspici parentes ejus, qui adeo clarus erat miraculis. Mater ergo non ferens cordis impetum, arbitrata, esse quid parvum & nihili faciendum, & non satis firmam piæ matri excusationem viæ longitudinem & senectutis imbecillitatem, horum omnium nullam ducens rationem, profecta Byzantio, ad id, quod jam priùs diximus, Charsianum incredibili pervenit celeritate. Deinde cum adspexisset eorum multitudinem, qui assiduè accedebant ad sepulcrum, & donum, quod assequebantur, qui multis & variis laborabant morbis & affectionibus, & quàm celerem adipiscebantur curationem ipsorum, inquam, malignorum spirituum, mor-
B borumque & affectionum, ut qui perinde ac si horribilem terrorem, & accedere non permittentem, eis incutiat sepulcrum, non possint permanere: vel potiùs ut hostes quidam & inimici, qui fortis Imperatoris ne possint quidem ferre conspectum, sed eos, quos ceperunt, statim dimittant, & in fugam se conjiciant. Hæc cum illa vidisset, & sepulcro fuisset circumfusa, jucundè & canorè deflebat, partim quidem filium lugens ut mortuum, partim autem ut ex Deo viventem, & tantis dignatum miraculis admirans: & ut quæ ipsa quoque gratiâ & gloriâ frueretur, & eo nomine gloriaretur.

& ad sepulcrum maternis affectibus indulget.

13 Fili, voce dicebat altiore, fili, lux æterna meorum oculorum, fili arcanum quoddam & ineffabile bonum parentibus: undenam tibi hæc clara & magna lux curationum? Undenam copiosa fluxit gratia spiritûs? An sunt hæc omnino piæ vitæ remuneratio, & occultorum laborum? An potiùs non solùm remuneratio, sed arrha & proœmium bonorum, quæ te post hæc manent? Sum ego revera beata inter matres, quæ digna sum habita, quæ essem & vocarer mater talis filii. Non tibi ampliùs contexo lamentationes maternas tamquam filio, sed tamquam Dei amico
C hymnos cano spiritales. Non ampliùs te voco filium, & fructum ventris mei, sed filium Dei per gratiam, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed revera natum ex Deo. Quem cum ipsa genuerim carnaliter, ab ipso rursùs vicissim generor spiritaliter. Nec eruhesco eum vocare patrem, cujus verus pater est ille cælestis: cognati autem, angeli & Sanctorum omnium chori, bonorum operum communione, & æqualitate remunerationis. Curam gere parentum, quibus est gravius tui desiderium, quàm senectus. Atqui, ô charissime, pulcrè carnali tuæ matri referes gratiam pro datis alimentis, si spiritali tuo patri tuis intercessionibus eam reddas familiarem. Pulcrè quoque patri tuo referes gratiam, quòd te ad hoc, ut esses, produxerit, si ad ejus senectutis & imbecillitatis requiem sinus Abrahæ petieris. Hæc nunc à te contendunt & patris canities, & matris in partu dolores, & ubera, quæ tu, qui es omni ex parte perfectus, suxisti, cum esses adhuc infans. Curam gere parentum, curam gere cognatorum. Lætabitur, sat scio, Deus, quem tu honorandum censes in parentibus, quos jubet illius præceptum honorare, utpote quod per ipsos honor ad illum feratur. Nam & primus omnium est pater, & opifex, & causa, ut ad hoc, ut sint, producantur.

EX EDIT. APUD SURIUM.

Corpus integrum.

14 Hæc dixit, & jubet tolli lapidem, & capsam trahi extra monumentum. Quod cum factum esset, ubi, ea jubente, apertus est loculus, cernitur miraculum, & ad videndum divinissimum, & ad dicendum jucundissimum, & ad ea, quæ præcesserunt, confirmanda validissimum. Decem & octo menses præterierant post mortem, & qui tot ante dies erat mortuus, nullum habuit signum, non corporis fluxionem, non compagis solutionem, non carnis consumptionem, non nigrorem, non aliquid, quod esset evanidum, aut quod emarcuisset, & esset liquefactum: sed totus videbatur recens, perinde ac si nuper eum reliquisset anima. Propemodùm videbantur esse membra cum motu, genæ cum rubore, labra cum flore, os cum anhelitu. Existimâsses, te eum omnino videre non mortuum, sed potiùs dormientem, aut seipsum colligentem, & diligentius aliquid meditantem. Porro autem ipsæ tunicæ, ipsæ vestes strágulæ adeo erant integræ & illæsæ, & nullo detri-
E mento affectæ, (quòd attinet ad sepulturam) atque si fuissent positæ in arca, & diligenter custoditæ. Est mortuis corporibus ex se quid injucundum ac tetrum. Est vestibus quoque, quæ longo tempore jacuerunt, & aliis ejusmodi malus quidam odor, & qui offendit odoratum. Illic autem nihil ejusmodi, sed bonus odor, & gratia & delectatio, tamquam non aliquod sepulcrum & loculus, sed hortus esset apertus. Probantur ea, quæ dicta sunt, & quòd corpus esset adhuc integrum & recens, ex hoc, quod sequitur.

ac flexibile; cujus indumenta aufert quidam;

15 Quidam monachus, Joseph nomine, sacerdos, & qui pietati studebat, cum tunc adesset, subjectis manibus, & amplexus mortuum, conabatur erigere. Ille autem cedebat, & videbatur parere, & seipsum tradere. Erectus itaque fuit vir ille admirabilis, articulis & compagibus rectè inter sese habentibus. Quod cum vidisset presbyter, & metu esset repletus, rogavit, ut permitteret ea auferre, quibus erat indutus. Ipse autem rursus paruit, & manus remisit presbytero & pedes, ut iis uteretur ut vellet. Exuit ergo eum sacerdos tunicâ, & eum alterâ induit. A pedibus verò amovet non solùm calceos, sed
F ea etiam, quæ intus erant ex serico imposita pedibus. Hæc ergo omnia tam facilè fecit, & citra ullum laborem, perinde ac si ille opem ferret sacerdoti, & se traderet, ut eo commodè uti posset. Deinde eum rursus reclinat in ea, quâ prius erat, figura: adeo ut id totum divino factum sit consilio, quòd sic sepultus fuerit, ut erat antea: ut vel ex hoc esset manifestum omnibus, quòd post sepulturam manserit corpus potentius interitu & dissolutione. Quod quidem visum multis dæmonibus & morbis causa fuit, ut fugerent; & meritò: si enim etiam cum esset absconsum, erat eis terribile; postquam apparuit, quomodo non esset ejusmodi, ut non posset omnino sustineri?

iti & clam ipsum corpus;

16 Quid post hæc est consecutum? Contendebat mater, sacro sublato corpore, domum reverti. Hæc enim, dicebat, stella ex meo ventre orta est. Qui autem in ea habitabant regione, contendebant non concedere, ut id aggrederetur. Nam etsi, dicebant, ex te processit illa stella, cernitur tamen apud nos occidisse. Quomodo ergo cum à nobis auferes, qui miraculorum tales ostendit radios? Ex te pulcher quidem germinavit palmes, sed apud nos produxit botros mira-

Ex edit. apud Surium.

culorum, & ei placuit, ut nos frueremur musto gratiarum & curationum. Non erat Deo difficile, si unde processit, eum voluisset illuc rursus divertere. Ne videaris ergo repugnare judicio Dei & voluntati, neque nobis divinas gratias invideas. Ne nos fonte privaveris, qui non nobis solis, sed etiam communiter omnibus est ad fruendum propositus. Ad gloriam tibi sufficit, quod ejus mater apparueris, de cujus etiam mortuo corpore tanta est contentio. Nos priùs ex hac expelles patria, quam hoc bono nobis à Deo dato nostram prives patriam. Illa postquam hæc audiisset, sciens esse sibi aliquod sapientius capiendum consilium, quievit. Deinde autem cum jussisset omnes valere, domum revertitur. Ille verò pius in primis monachus & sacerdos, de quo priùs diximus, cum remansisset, & dierum multitudine omnem expulsisset * suspicionem, & in eo custodiendo effecisset custodes socordiores, noctu ingressus, divinum suffuratus est thesaurum, & cum furto aufugit. Sed odor miraculorum ostendit unguentum, quod celabatur, & morborum curatio fuit furti accusatrix.

* expulisset

B

in via CPoim versus miraculis clarum:

17 Mulier enim quædam, dum is in via ferretur, & qui eum ferebant in quodam, ut est consentaneum, vellent loco requiescere: illa, inquam, cum à maligno vexaretur spiritu, in loculum irruit, & graviter insiliit, & veluti à magno fluctu fuit exagitata. Deinde cum Sanctum turpissimis esset infectata maledictis, non illa quidem omnino, sed qui eam inhabitabat, quem adversarium dixeris, fortis ille ab eo percussus recessit, abiens in loca, ad quæ à Deo fuerat condemnatus. Illa autem sana domum rursus est reversa. Non longum tempus interceserat, & virgo quædam præfecta monasterii, quod vocabatur Mantineum *a*, cum secreto quodam & gravi morbo laboraret, & non posset graves, quos sentiebat ex eo, ferre dolores, cum resciviſſet illud mortuum vitam afferens corpus afferri, & magna fide & animi ardore ei facta obviam, tamquam viventi & audienti Sancto ad loculum ei morbum dixisset, ardentis fidei mercedem, celerem invenit curationem. Ejusmodi miracula faciens, & eam à Deo gloriam adipiscens, Byzantium tandem introducitur corpus parentibus jucundissimum, mortalibusque utilissimum, malis spiritibus potentius, ægritudinibus & morbis validius, medicamentum verè inexpugnabile: neque valens solùm adversus unum morbum, sed, ut semel dicam, resistens omnibus.

D

18 Mater ergo læta tali reditu filii, & simul caput in Christo tollens, splendoremque & magnificentiam in tempore ostendens, argenti magno sumptu capsam induit: non solùm id faciens, tamquam in gratiam filii, sed eum studens honorare, tamquam Dei amicum: ut illud quidem esset naturæ, hoc verò pii animi, & mentis Deum amantis. Cum sic ergo capsam argento parentes optimi circumdedissent, hoc verè sacrum templum deponunt in pulcro templo, quod ipsi Deiparæ construxerant, communes hominibus effecti benefactores, dato dono, quod extenditur in sempiternum: per quem dæmones fugantur, morbi solvuntur, & Deus in omnibus, & per omnia glorificatur. Quoniam eum decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

quod CPoli honorificè deponitur.

E

ANNOTATA.

a *Parthenonis ejusdem vel saltem synonymi situm individuum frustra quæsivimus die 27 hujus in Commentario prævio ad elogium S. Anthusæ virginis, num. 6: qui ex neutro loco extundi potest. Ejus itaque notitiam, siqua etiamnum superſit, incolis aut accolis explanandam relinquimus.*

DE S. NEOTO CONFESSORE

IN ANGLIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

F

§ I. Sancti cultus & Actorum scriptores.

C

Circa annum dcccLxxvii.

Antiquus S. Neoti cultus in Cornubia

Hic Sanctus ob sacri corporis translationem & diversum venerationis locum in duabus Angliæ provinciis annuntiatur, ut patet ex Eduardo Maihewio, qui in Trophæis sanctorum Anglorum die xxxi *Julii sic habet:* Neotstokii in Cornubia, sive potius ad Neoti oppidum, vulgo S. Needs, in Comitatu Huntingdonensi, sancti Neoti abbatis, viri sanctissimi & doctissimi *&c. Camdenus in sua Britannia pag.* 138 *& sequente priorem antiqui cultûs locum ita indicat:* Leskerdæ adjacet quæ olim ecclesia S. Guerir, id est, si interpreteris è Britannico, S. Medici, ubi, ut scribit Asserius, rex Alfredus in oratione prostratus ex morbo convaluit. Cum autem Neotus vir eximia sanctitate & doctrina in eadem ecclesia postea conderetur, alterius lumini ita præluxit, ut inde Neoteſtow id est Neothi locus, nunc S. Neoths, vocaretur, virique religiosi, qui ibidem Deo famulabantur, clerici S. Neoti dicerentur, satisque opimos reditus habuerunt, ut in libro Guilielmi Conquestoris videre est.

& Huntingdonia

2 *Alterum venerationis locum in Huntingdonia idem Camdenus pag.* 366 *operis citati ita assignat:* Meridionalem partem Usa fluvius, quem sæpe dixi, alluit & floribus vestit: ad quem inter alia obscurioris famæ, tria adsident notissima oppida. Ubi relictis Bedfordiensibus, hunc agrum subintrarit, primùm invisit sancti Neoti fanum, vulgo S. Needes, à Neoto viro cùm docto tùm sancto, qui in propaganda Christi religione omne vitæ studium consumpsit, cujus corpus à Neotstok in Cornwallia huc translatum erat, & in ejus honorem Alfricus, Elfridi Comitis palatium in monasterium convertit; quod latifundiis plurimis Roisia, uxor Richardi, domini de Clare statim à Normannorum adventu locupletavit. Antea verò hic locus ab Ainulpho viro etiam sancto Ainulphsbury dicebatur, quod nomen in ejus parte etiam adhuc supereſt. *De aliis donationibus ac privilegiis, posteriori huic cœnobio concessis, videri*

A deri poteſt *Monaſticon Anglicanum tomo* 1 *pag.* 368 *& ſequentibus, quia heterodoxos ſcriptores non rejicimus, dum avitam majorum ſuorum erga Sanctos pietatem fateri coguntur.*

probatur ex ipſis ſcriptoribus heterodoxis,

3 *Joannes Spedus in Theatro Britanniæ lib.* 1 *cap.* 29 *pag.* 58 *de eodem Huntingdoniæ monaſterio & ultima ejus ruina ſic ſcribit:* In prominenti & projecto illius angulo in memoriam S. Neoti, Glaſconiæ monachi, filii, ut vulgo credebatur, Ethelwolfi Viſi-Saxonum regis (cujus Neoti corpus à Neotſtoke Cornubiæ ad Ainulphsbury, ab Ainulpho viro etiam ſancto tum dictum, nunc Einesbury, tranſlatum erat) comes Alfricus & Ethelfleda palatium comitis Elfredi in monaſterium nigrorum monachorum convertit, quod à Danis dirutum & ſubverſum fuit: ſed ex illius ruderibus Roiſia conjux Richardi, filii comitis Gilberti de Clare in honorem Dei, virginis beatæ Mariæ de Becco, & S. Neoti prioratum (tamquam cellam abbatiæ de Becco in Normannia) nigrorum monachorum, nuper qui ſtetit, ad fanum S. Neoti anno Domini MCXIII erexit; quem
B cum Henricus octavus demolitus eſſet, bis centum quinquaginta ſex libris, quindecim denariis & quadrante æſtimatus eſt. *Sic nempe ſacra pietatis monumenta, quæ priſca Catholicorum munificentia ad honorem Sanctorum erexerat, nova heterodoxorum avaritia deſtruxit, aut in profanos uſus convertit! Quamvis hæc ipſa adverſariorum teſtimonia immemorabilem* S. Neoti *cultum abunde prodant, tamen eumdem ex antiquioribus ſcriptoribus Catholicis confirmabimus.*

aliiſque monumentis Catholicorum,

4 *Aſſerius epiſcopus Scireburnenſis, qui Sancto noſtro ſynchronus floruit ac ſeculo* X *ineunte obiit, ſatis clarè innuit,* Neotum *non diu poſt mortem communiter pro Sancto habitum fuiſſe, dum in Vita Ælfredi regis & in Annalibus ſuis illum glorioſo* ſancti *ac* beatiſſimi *nomine compellat. Præterea Ingulphus, abbas Croylandenſis, Wilhelmus Malmesburienſis, aliique veteres Angliæ ſcriptores ipſum eodem titulo exornant. His adde vetuſta donationum ac privilegiorum diplomata, eccleſiis* S. Neoti *conceſſa, quæ in Monaſtico Anglicano ſupra aſſignavimus. Denique eumdem cultum teſtantur Auctaria Uſuardina, aliaque Catholicorum Martyrologia, quorum textus coacervare ſuperfluum arbitror, cum communis veterum & recentiorum conſenſus hunc Virum ab immemo-*
C *rabili tempore in numerum Sanctorum retulerit.*

qui feſtum ejus die 31 Julii celebrarunt.

5 *Etſi in Actis* S. Neoti, *Capgravio antiquioribus, nuſquam legatur, quod pridie Kalendas Auguſti obierit, tamen cum Auctariis Uſuardinis, Harpsfeldio, Maihewio, aliiſque recentioribus illum hac die confidenter in opere noſtro collocamus, quia Benedictini Beccenſes in Normannia, teſte Mabillonio, antiquitus* XXXI *Julii feſtum illius colebant. Præterea Ordericus Vitalis, qui ſeculo* XII *floruit, lib.* 4 *Hiſt. eccleſ. ad annum Chriſti* 1073 *teſtatur, annuam* S. Neoti *feſtivitatem* ſecundo, *id eſt pridie,* Kal. Auguſti *celebrari conſueviſſe, quando de tranſlatione reliquiarum ejus ad monaſterium Croylandenſe ita ſcribit:* Osketelus, magnæ nobilitatis monachus, ejuſdem eccleſiæ abbas effectus eſt. Porro Leniova ſoror ejus Enolfesburiæ domina erat, ubi tunc temporis corpus S. Neoti abbatis & confeſſoris jacebat: ſed dignum tanto viro ſervitium non fiebat. Unde præfata mulier Witheleſiam acceſſit, & fratrem ſuum Osketelum abbatem cum quibuſdam Crulandenſibus monachis illuc accerſiit, ibique corpus S. Neoti, quod reverenter ſecum detulerat, monachis, quos digniores ſe credebat, tradidit. At illi munus ſibi à Deo collatum gratanter ſuſcepe- AUCTORE
runt, & juxta altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ G. C.
in aquilonari parte honorabiliter collocaverunt. Ibi uſque hodie à fidelibus veneranter excolitur, ejuſque feſtivitas 11 Kal. Auguſti celebratur. *Hoc loco* corpus S. Neoti *pro notabilibus ejuſdem Sancti reliquiis accipiendum eſt, ut poſtmodum oſtendemus. Nunc de variis Actorum ſcriptoribus aliqua præmonebimus.*

Auctor ſynchronus, quo caremus,

6 *Primus, qui Vitam* S. Neoti *conſcripſit, eſt auctor nobis ignotus; ſed ipſi Sancto coævus, ut colligo ex laudati Aſſerii Annalibus, quos Thomas Gale anno* 1691 *Oxoniæ typis vulgavit, ubi Aſſerius pag.* 166 *narrat, Ælfredum regem ob improviſam hoſtium irruptionem in domo cujuſdam ruſtici diu latuiſſe,* ut in Vita ſancti patris Neoti legitur. *Hæc eadem verba leguntur ad annum* 878 *in geſtis Ælfredi regis, quæ Aſſerius ei familariſſimus litteris mandavit, & quæ inter ſcriptores quoſdam Anglos apud Camdenum inveniuntur. Cum igitur Aſſerius, qui cum* S. Neoto *vixit, Vitam ejus ſua ætate ſcriptam citet, debuit ea non diu poſt Sancti obitum exarata fuiſſe. Utinam nancifci licuiſſet hanc ſcriptoris ſynchroni lucubrationem, quæ forte alicubi cum blattis & tineis luctatur! Sed vix ſperamus, nos tam felices futuros, cum Mabillonius illam reperire non potuerit, & Maihewius eam periiſſe arbitretur.* E

alter anonymus ſeculi 12, quem typis vulgabimus,

7 *Poſt hunc primum biographum, quantum ſcimus, longo temporis intervallo proximè ſequitur alter anonymus, quem Mabillonius putat fuiſſe monachum cellæ* S. Neoti *in Huntingdonia, & ineunte ſeculo* XII *vixiſſe. Quidquid ſit de hac Mabillonii opinione, quæ probabilis, ſed certa non eſt, accepimus integrum hujus anonymi opuſculum* ex Ms. codice beatæ Mariæ de Becco Herluini Ordinis S. Benedicti, congregationis S. Mauri diœceſis Rothomagenſis in Normannia, *ut in ipſo apographo erat notatum. Mabillonius Vitam* S. Neoti, *quam in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ſeculo* IV *part.* 2 *à pag.* 324 *edidit, ex eodem monaſterio adeptus eſt, ut in obſervationibus præviis indicavit: ſed ibidem præmonet, majorem prologi partem, tamquam inutilem, à ſe reſectam fuiſſe. Nos hunc prologum dabimus integrum unà cum iiſdem Actis, ut curioſus lector genium auctoris tanto faciliùs cognoſcat. Ceterùm hæc hiſtoria interdum correctione ac explicatione indiget, ut per decurſum hujus Commentarii prævii & in Annotatis apparebit.* F

Guilielmus Rameſienſis, quem omittimus,

8 *Huic anonymo ſuppar eſt, ni fallimur, Guilielmus Rameſienſis, à patria ſua Rameſey ſic cognominatus, qui ſtylo ligato & ſoluto Vitam* S. Neoti *compoſuit, quando in cœnobio Croylandenſi monachum vel abbatem agebat. Hæc aliaque ejus ſcripta Pitſeus recenſet in catalogo ſcriptorum Angliæ ad annum Chriſti* 1180, *ubi etiam exprimit prima plurium opuſculorum verba, ex quibus colligimus, nos habere ea omnia, quæ iſte Guilielmus de* S. Neoti *geſtis ac reliquiarum ejus tranſlatione in proſa concinnavit. Mabillonius in laudatis obſervationibus præviis de hac lucubratione ſic monet:* Initium proſæ Guilielmi Rameſienſis, qua in S. Neoti feſto uſi ſunt olim Beccenſes noſtri, etiam accepimus, ſed quæ laudatorio potius quam hiſtorico modo procedit, ideoque à nobis omiſſa. Librum ejuſdem Guilielmi de tranſlatione S. Neoti hactenus deſideramus. *Vitam illam pangyricam, quæ in ſedecim ſectiones ſeu forte lectiones diviſa eſt, etiam prætermittemus; ſed brevem tranſlationis narrationem, quæ more medii ævi* liber *vocatur, & qua Mabillonius caruit, huic*

AUCTORE G. C.

commentario inseremus.

ac denique Capgravius Acta S. Neoti conscripserunt,

9 *Quartus denique biographus exstat apud Capgravium in Legenda Sanctorum Angliæ à fol.* 239 *verso, nisi forte sit ipse Capgravius, qui Vitam illam ex aliis auctoribus collegerit, atque pro libito suo exornarit. Certe videtur scriptorem nostrum anonymum, quem edituri sumus, præ oculis habuisse, cum non tantum longiores ejus periodos contrahat, verum etiam subinde iisdem verbis utatur. Attamen in fine Actorum enumerat sacras* S. Neoti *reliquias, ad monasterium Croylandense translatas, quam translationem verosimiliter ex Guilielmo Rameisiensi in compendium redegit, & quam nos ex ipso Guilielmo postmodum alia occasione referemus.*

ex quibus Maihewius tantum tres novit.

10 *Eduardus Maihewius Acta anonymi nostri exstare nescivit, quando in Trophæis Sanctorum Anglorum ad diem* XXXI *Julii de tribus* S. Neoti *biographis ita disserit:* A tribus auctoribus vitæ sanctissimæ hujus Abbatis historiam conscriptam comperimus. Primùm ab anonymo quodam statim post ipsius obitum. Hujus meminit Asserus ejus contemporaneus in libro de rebus gestis Alfredi regis, quem paucis elapsis annis, postquam idem
B sanctus Neotus è seculo migraverat, elaboravit: anno enim Christi DCCCLXXVIII aliqua ex Vita sancti patris Neoti, quæ tunc exstabat, citat. Deinde à Guilielmo Rameisiensi, Croylandensi monacho, qui claruit anno circiter Christi MCLXXX. Ultimò à Joanne Capgravio: is enim in Legenda Sanctorum Angliæ, quam edidit, Vitam etiam sancti Neoti inseruit. Historiam primi periisse arbitramur; secundi nondum vidimus; in tertia existimamus nonnulla haberi veritati minus consona. *Hoc postremum Maihewii judicium de Capgravio etiam quadrat in anonymum nostrum, ut paragrapho sequente videbimus.*

§. II. Aliquæ Actorum circumstantiæ examinantur.

S. Neotus illustri stirpe ortus

C *In his discussionibus ipsum Actorum ordinem sequentes, à parentibus Sancti nostri incipiamus. Mabillonius in editis prædicti anonymi Actis patrem* S. Neoti *Fidulfum vocari existimat, & ad nomen istud ita notat:* Hinc corrigendi Johannes Capgravius, qui patrem Neoti Ethelvulfum regem, Alfredi magni fratrem; & Johannes Pitseus, qui Aldulfum appellatum dicunt. *At videtur hoc loco Mabillonius cum umbris pugnare. Capgravius enim in editione Londinensi anni* 1516 *Vitam* S. Neoti *exorditur hoc modo:* Rex quidam fuit Occidentalium Anglorum ac Cantiæ, nomine Edulphus, egregiæ magis liberalitati studens, quam mundanæ serviens cupiditati; multa enim de facultatibus, ecclesiis atque pauperibus erogabat, cunctis ecclesiam oppugnantibus scutum defensionis liberè opponebat. Dominus autem cum sit excelsus humilia respiciens & alta à longe cognoscens ejus opera respexit, eique filium dedit nomine Neotum. *Non video, patrem* S. Neoti *hîc à Capgravio* Ethelvulfum *aut* Alfredi magni fratrem *appellari.*

& Ælfredi regis cognatus

12 *An forte ipse Mabillonius putavit, Ethelwulfum fuisse* Alfredi magni fratrem? *Sed tunc ipsemet corrigendus est, cum Asserius in Vita regis Ælfredi sæpius disertè asserat, Ethelwulfum Alfredi regis patrem fuisse. Si itaque rex Ethelwulfus fuisset pater* S. Neoti, *Alfredus fuisset frater* S. Neoti, *quod verosimile non putamus, quia tantam sanguinis propinquitatem non siluisset Asserius, à quo alii Alfredi fratres recensentur,* & S. Neotus *dumtaxat regis Alfredi* cognatus *vocatur. Præterea pater* S. Neoti, *qui à Mabillonio tam confidenter* Fidulfus *nominatur, in apographo nostro Beccensi clarè appellatur* Eldulfus, *quæ expressio propius accedit ad nomen* Edulfi *vel* Aldulfi, *quod Capgravius ac Pitseus haud dubie in aliis codicibus invenerunt. Unde suspicor, amanuensem Mabillonii hîc characterum ignorantiâ errasse, quemadmodum alibi in iisdem Actis vocem* genere *pro* gratiæ *legit, ut in Annotatis observabimus. Interea fatemur, nos de hoc Eldulfo, Edulfo vel Aldulfo nullam in historia Anglica memoriam reperisse, & nusquam matrem Sancti nostri proprio nomine expressam legisse. Nunc de monastica* S. Neoti *vita quædam discutiamus.*

D

monasticam vitam amplexus est in cœnobio Glastonienſi

13 *Pitseus in opere de illustribus Angliæ scriptoribus ad annum Christi* 883 *affirmat, quod* S. Neotus *fuerit* Ordinis S. Benedicti monachus in cœnobio Harinstoco, alii volunt in Glasconiensi. *Maihewius hanc diversam de duplici cœnobio opinionem facilè conciliari posse existimavit, si* S. Neotus *dicatur* fortassis, quod in uno monasterio inchoaverat, in altero prosecutus *fuisse. Quidquid sit de hac facili utriusque sententiæ compositione, hactenus neminem veterum scriptorum invenimus, qui asserat, Sanctum nostrum* in cœnobio Harinstoco *vitam monasticam duxisse. Guilielmus Malmesburiensis apud Alfordum nostrum in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum Christi* 878 *num.* 3 *inter alia de* S. Neoto *sic scribit:* Factus adolescentulus, cunctis parentum relictis rebus, mundum cum omnibus suis pompis abegit, sanctumque religionis habitum in monasterio Glastonienſi; quod in maxima veneratione atque frequentia ab incolis omnibus fuit habitum, devotus suscepit. *Sic quoque anonymus noster Actorum scriptor, Guilielmus Rameisiensis & Joannes Capgravius de Glastonienſi monasterio dumtaxat meminerunt, quando monasticam* S. Neoti *professionem narrant. Verùm occurrit hîc alia difficultas, quæ jam proponenda est.*

E

sed non sub S. Dunstano abbate, ut Capgravius falsè asserit,

14 *Capgravius in supradicta Sanctorum Anglorum Legenda fol.* 239 *verso post alia de* S. Neoto *hæc habet:* In Glastonienſi cœnobio monachus sub Dunstano abbate effectus est. *At quomodo* S. Neotus *potuit monasticam vitam amplecti* sub Dunstano abbate, *cum Dunstanus plus quam centum annis post* Neotum *obierit: ille enim mortuus est anno Christi* 988, *ut in ejus Actis ad diem* XIX *Maii diximus; hic vero è vivis excessit circa annum Christi* 877, *ut postea ostendemus. Adde, quod juxta Guilielmum Malmesburiensem in catalogo abbatum Glastonienſium, quem Thomas Gale anno* 1691 *Oxoniæ inter quindecim scriptores Anglos. pag.* 328 *edidit, Dunstanus primum anno* 940 *abbatiam Glastonienſem regere cœperit, in cujus locum Ælwardus anno* 962 *suffectus est. Hinc itaque sequitur,* S. Neotum *jam ultra sexaginta annos mortuum fuisse, antequam Dunstanus munere abbatis fungeretur.*

F

forte secutus anonymum Vitæ scriptorem,

15 *Maihewius in jam sæpe laudatis Anglorum Sanctorum Trophæis ad diem* XXXI *Julii satis vidit hanc difficultatem, ideoque sese eâ sic obiter expedire nititur:* Verùm, *inquit,* si sub Dunstano abbate Glasconiæ vitam monasticam egerit, alium hunc Dunstanum, à sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariensi fuisse necesse est: sanctus enim Dunstanus archiepiscopus Cantuariensis, cum hæc fierent, nondum erat in lucem editus. *Hoc effugium præclusit anonymus noster biographus, qui*

agens

A *agens de monaſtico* S. Neoti *tirocinio in cœnobio Glaſtonienſi ſic num.* 10 *Actorum clarè Dunſtanum illum deſcribit :* Ibi tunc temporis ſanctus præerat Dunſtanus, pater inſignis, & variis decoratus miraculorum ſignis, qui merito ſanctitatis & diſcretionis ac divinæ gratiâ dignationis, Cantuarienſis honoris apicem adeptus, utrumque poſtea feliciter obtinuit : numquam enim (ut fertur) paſtoralem ejuſdem eccleſiæ curam deſeruit. *Hoc accedit, quod in toto abbatum Glaſtonienſium catalogo, quem Guilielmus Malmesburienſis loco proximè citato exhibet, nullus alius abbas ibidem Dunſtanus nominetur. Igitur tantummodo ſupereſt, ut fateamur, ab anonymo Actorum ſcriptore & incauto ejus ſectatore Capgravio hic turpiter erratum eſſe.*

qui poſterior etiam perperam S. Adelwoldum condiſcipulum S. Neoti facit.

16 *Anonymus ex hoc errore lapſus eſt in alterum, quo perperam putavit, Adelwoldum vel Æthelwoldum fuiſſe in monaſterio Glaſtonienſi ſynchronum & familiarem* S. Neoti *ſocium, ut num.* 12 *Actorum indicat his verbis :* Vir Domini pretioſus unum ſibi præ ceteris elegit familiariſſimum, nomine Adelwoldum, qui poſtea rem patris ibidem ſortitus & nomen, Wintonienſis eccleſiæ
B pontifex inde ſublimatus eſt, cujus vita glorioſa Deo complacuit, & mors in ejus conſpectu prædicatur glorioſa. *In Vita iſtius Adelwoldi vel Æthelwoldi die prima Auguſti apud Surium hæc legimus :* Ethelwoldus porro Glaſconiam petiit & ſub abbate Dunſtano habitum monaſticum induit. *Ex hoc ipſo Ethelwoldi tirocinio, quod ſub abbate Dunſtano poſuit, patet craſſus anonymi noſtri parachroniſmus, ut ex numero præcedente ſatis colligitur. Idem manifeſtè apparet ex morte Ethelwoldi, quæ in iiſdem Actis apud Surium ita exprimitur :* Obiit ſanctus epiſcopus Calendis Auguſti, anno ſalutis nongenteſimo octogeſimo quarto. *Hæc obiter dicta ſint ex Vita S. Ethelwoldi, quæ ad diem primam Auguſti accuratiùs illuſtrabitur.*

Sanctus, mutatâ vitâ cœnobiticâ in ſolitariam,

17 *Sanctus noſter exemplo plurium Sanctorum à cœnobitica vivendi ratione tranſiit ad ſolitariam ſeu eremiticam, ut anonymus Vitæ ipſius ſcriptor num.* 20 *& ſequente exponit his verbis :* Tandem vir Dei Neotus intra ſe deliberans hominum declinare frequentiam & exhibitam ſibi ab hominibus honorificentiam, ſicut omnimodis evitabat jactantiam, divino præmonitus oraculo, intra
C Cornubiæ confinia, remota perquiſivit ſolitudinis loca..... Ad hoc enim elongavit fugiens & manſit in ſolitudine, ut ſoli Deo ſolidiùs adhæreret ſolitarius ; & cum nihil ei deeſſet in conventu ad juſtitiæ perfectionem, ſummopere tamen nitebatur in receſſu ad ejuſdem perfectionem : ibi enim vires exercebat, quas antea collegerat ; ibi vitam exhibebat, quam antea in ſcriptis didicerat. *Hæc fuſius ex Actis noſtris referre volui, ut hæreticum quemdam calumniatorem tanto evidentiùs mendacii convincerem.*

cujus mutationis cauſam Balæus mendaciter aſſignat,

18 *Quamvis hæc veteris auctoris verba monaſticam cœnobii Glaſtonienſis diſciplinam diſertè laudent, & illam vitæ mutationem divinæ voluntati ardentique majoris perfectionis deſiderio expreſſè adſcribant, tamen mendax Balæus in opere de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus centuria* 2 *cap.* 23 *aliam hujus mutationis cauſam lectoribus ſuis obtrudere non erubuit hoc modo :* Neotus Aldulphius vel apud Anglos Orientales vel apud Cantios nobiliter ortus, ut litterarum vacaret ſtudiis, in Glaſconienſi cœnobio monaſticæ vitæ ſtatum elegit : quorumdam poſtea monaſterialium aſpernatus ignaviam, quod Dei non docuiſſent verbum, in Cornubiæ ſolitudinem quamdam non procul à fano Petroci receſſit cum præceptore & libris, ut illic res divinas propiùs experiretur. *Quandoquidem impoſtor ille famulum* S. Neoti, *qualis in Actis num.* 29 *appellatur, & qui num.* 20 *ſolus cum Sancto in eremum diſceſſiſſe traditur, in præceptorem illius transformaverit, ac liberaliter magiſterio donaverit, potuiſſet eadem liberalitate libros illuc delatos in copioſam bibliothecam mutare. Sed ut ſeriò dicam, quod ſentio, non arbitror, ipſos cordatos heterodoxos fidem adhibituros iis, quæ hîc & alibi impurus iſte apoſtata è cerebro ſuo fingit, & ſine ullo teſte pro ſuo contra Catholicos odio impudenter effutit.* AUCTORE G. C.

poſtea Romam proficiſcitur ante annum 882,

19 *Cum* S. Neotus *ſeptem annos in ſolitudine illa tranſegiſſet, Romam petiit, &* à memorando Papa Marino cum honoris reverentia ſuſceptus eſt, *ut Acta noſtra num.* 23 *loquuntur. At hic iterum manifeſta temporum vel perſonarum confuſio occurrit, & Romana* S. Neoti *peregrinatio nullo modo componi poteſt cum pontificatu Marini Papæ, quem alii Martinum appellant : nam juxta exactiores chronologos Marinus anno Chriſti* 882 *Romanam S. Petri cathedram aſcendit, & poſt brevem Eccleſiæ gubernationem anno* 884 *è vivis exceſſit. Si igitur evicero,* S. Neotum *ante annum Chriſti* 882 *obiiſſe, evidenter conſtabit, illum Romæ à Marino Papa ſuſceptum non fuiſſe, quod anonymus Actorum ſcriptor perperam affirmat. Nunc itaque de tempore, quo* S. Neotus *ex hac vita migravit, diſſerendum eſt.* E

ut ex mortis ſuæ prædictione

20 *Acta noſtra cap.* 3 *exponunt, quomodo* S. Neotus, *prænuntiata prius Ælfredo regi paganorum in Angliam incurſione, etiam eidem imminentem ſuam mortem prædixerit his verbis :* Ego verò, meæ tempore reſolutionis inſtante, poſt modicum viam univerſitatis ingrediar : quæ tibi prædico, credere non diffe.as. Hæc enim mihi Domino revelante, meque ad optatum littoris portum ſuâ gratiâ perducente, in proximo noveris adimpleri. *Deinde poſt narratam Sancti noſtri mortem in iiſdem Actis cap.* 4 *num.* 47 *hæc ſequuntur :* Eo tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, octavo Idus Januarii, contigit quemdam immaniſſimæ crudelitatis tyrannum, Gittronem nomine, cum magno ac belligero claſſium apparatu Anglorum inſulam invaſiſſe. *Ex his textibus inter ſe collatis & maturè expenſis colligo,* S. Neotum *ante hanc paganorum irruptionem mortuum eſſe, cum Sanctus Ælfredo regi diſertè ſignificet, tempus mortis ſuæ inſtare, & ſe brevi viam univerſæ carnis ingreſſurum, ac denique omnia eventura, quæ ipſi de calamitoſa hoſtium incurſione ac inferenda tandem illis clade antea prædixerat.* F

& Sancti jam mortui apparitione,

21 *Præterea juxta veteres Angliæ hiſtoricos Ælfredus rex anno* 878 *poſt Paſcha cum exercitu ſuo paganis occurrit, & Gitronem prælio ſuperavit. Sed ante hanc pugnam* S. Neotus *ſolicito regi Ælfredo de nocte apparuit, ut anonymus noſter à num.* 55 *narrat, eumque ſic allocutus eſt :* Pone igitur modum triſtitiæ, ac de cetero deſiderata perfruere jucunditate : ad hoc enim me miſit Dominus de ſuperna Sanctorum quiete, ut tua jam terminetur miſeria. *Deinde poſt alia verba, quibus* S. Neotus *Ælfredo regi reportandam de barbaris victoriam promiſiſſe traditur, ſcriptor Actorum num.* 56 *ita concludit :* His dictis, Sanctus diſparuit, iterum receptus in gloria. *Ex his aliiſque, quæ eodem capite in Actis noſtris referuntur, evidenter ſequi putamus, ut* S. Neotus *poſt mortem ſuam Ælfredo regi apparuerit, & ante iſtud præ-*

AUCTORE G.C.

lium uno alterove anno mortuus fuerit. Idcirco initio hujus Commentarii in margine obitum Sancti circa annum DCCCLXXVII *assignavi.*

Ælfredo regi facta

22 *At fortasse nonnemo dicet, quod illa apparitio, quam anonymus Actorum scriptor* S. Neoto *attribuit, S. Cuthberto adscribatur ab aliis auctoribus, inter quos Guilielmus Malmesburiensis lib. 2 de Gestis regum Anglorum cap. 4 sic narrat:* Solebat ipse (*nimirum Ælfredus rex, de quo ibi agit*) postea in tempora feliciora reductus, casus suos jucunda hilarique comitate familiaribus exponere, qualiterque per beati Cuthberti meritum eos evaserit; sicut plerumque mos est mortalibus, ut eos illa juvet meminisse, quæ olim horruerint excepisse: nam cum quadam die in insula incluſus solus domi esset, sociis per oram fluminis ad piscandum dispersis, corpus curis ægrum sopori commisit, & ecce Cuthbertus, Lindisfarnensis quondam episcopus, his verbis dormientem alloquitur: Ego sum Cuthbertus, si audisti; misit me Dominus, ut tibi prospera annuntiem: quia enim Anglia jam dudum peccatorum

B pœnas enormiter luit; modo tandem Deus indigenarum Sanctorum meritis super eam misericordiæ oculo respicit. Tu quoque tam miserabiliter regno extorris, gloriosè post paucum tempus in solium reponeris, atque adeo tibi signum eximium dabo. Venient hodie piscatores tui magnam vim grandium piscium corbibus evehentes; quod erit eo mirabilius, quia his diebus gelante aqua fluvius asperatus nihil tale sperare promittit: super hoc hodie gelido rore stillans aër omnem piscantium artem eludit. Verùm tu fortunæ secundæ compos regaliter feceris, si adjutorem tuum Deum & me ejus nuntium competenti devotione demereueris. Hæc dicens Sanctus, regem soporatum solicitudinibus exuit. *Eadem S. Cuthberti apparitio, aliis circumstantiis ornata, in opere nostro ad diem* XX *Martii tomo* III *ejusdem mensis à pag.* 127 *fusius refertur.*

aliisque testimoniis ostenditur.

23 *Ex his inferri posset, debili fundamento niti argumentum, quod ex apparitione* S. Neoti *desumpsimus, cum ea forte S. Cuthberto sit adscribenda. Sed nolo hic operosiùs disputare, an ea apparitio alterutri vel utrique tribui possit, cum saltem Asserius in Vita Ælfredi regis ad annum Christi* 878 *agens de adversis, quæ eidem regi circa hoc tempus contigerunt, ita loquatur:* Beatissi-

C mus vir Neotus ADHUC VIVENS IN CARNE, qui erat cognatus suus, intimo corde doluit, maximamque adversitatem ob hoc ei venturam spiritu prophetico plenus PRÆDIXERAT. *Ex hac phrasi colligo,* S. Neotum *jam fuisse mortuum, quando ea adversa Ælfredo acciderunt: frustra enim adderet, quod illas calamitates Sanctus* adhuc vivens in carne *prædixerit, si adhuc vixisset eo tempore, quo evenerunt. Quinimo Martyrologium Anglicum, anno* 1608 *editum, mortem* S. Neoti *circa annum* 871 *collocat. Alterum Martyrologium, quod anno* 1640 *Anglicè impressum est, obitum ejusdem Sancti circa annum* 890 *consignat. Sed sicut prima editio Martyrologii Anglicani fortasse obitum istius Sancti nimis prævertit, ita secunda editio eumdem nimis videtur differre. At quiscumque sit verus mortis ejus annus, saltem biographus noster manifestè sibi contradicit & à recta chronologia aberrat, quando in Actis asserit,* S. Neotum *Romæ à Marino Papa susceptum fuisse & nihilominus jam mortuum Ælfredo apparuisse in prælio, quod rex ille anno* 878 *cum Gitrone pagano inivit.*

D

§ III. Reliquiæ & variæ earum translationes.

Corpus S. Neoti, cujus hodiedum pauca reliquiæ noscuntur,

POstquam publicus Sanctorum cultus ex Anglia proscriptus est, *non facilè à nobis dici potest, ubinam hoc tempore omnes venerandæ* S. Neoti *reliquiæ delitescant. Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* IV *part.* 2 *pag.* 338 *nobis tantummodo indicat, maxillam* S. Neoti *in Beccensi Normanniæ monasterio asservari. Lelandus in Monastico Anglicano pag.* 368 *de exuviis ejusdem Sancti à se visis ita testatur:* Vidi tunicam interiorem sancti Neoti ex panno villoso, more Hibernico; pecten sancti Neoti ex osſiculo duos digitos lato, insertis piscium denticulis instar maxillæ lupi fluviatilis. *Alias istius Sancti reliquias, quæ forte ad Catholicas regiones translatæ sunt, vel adhuc in Anglia latent, lipsanophilis Anglis investigandas relinquo, & antiquam sacrorum ossium venerationem, variasque eorum translationes ex veteribus auctoribus describo.*

E

ex Cornubia, ubi sepultum fuerat,

25 *Acta nostra num.* 44 *primam* S. Neoti *sepulturam sic indicant:* In eadem autem ecclesia, quam idem Domini Confessor atque sacerdos à primis construxerat fundamentis, sacrum ejus ac venerabile corpusculum veneranter est humatum, & à dignis dignè reconditum. *Ecclesiam illam in Cornubia sitam fuisse, patet ex Asserio, qui in Vita Ælfredi ad annum* 884 *narrat, quomodo rex ille opem Sanctorum implorando promptum diuturni morbi lenimen invenerit:* Cum Cornubiam venandi causâ adiret, *inquit*, & ad quamdam ecclesiam orandi causâ divertisset, in qua sanctus Gueryr requiescit, & nunc etiam sanctus Neotus ibidem pausat, sublevatus est. *Vide, quæ de hac ecclesia superius num.* 1 *ex Camdeno diximus.*

in Huntingdoniam

26 *Nescimus, quanto annorum spatio corpus* S. Neoti *in Cornubia quieverit, & an inde totum postea in Huntingdoniam translatum fuerit: nam anonymus de translatione in Huntingdoniam non meminit, & in Actis nostris num.* 46 *ita loquitur, acsi reliquiæ istius Sancti suo tempore adhuc in priori ecclesiâ requiescerent. Joannes Bromton abbas Jornalensis, qui circa finem seculi* XII *floruisse videtur, inter decem scriptores Historiæ Anglicanæ col.* 818 *de Ælfredo rege etiam ita scribit:* Cornubiam adiit, ecclesiam sancti Guevori, ubi sanctus Neotus REQUIESCIT, visitavit, & ibi pro morbo sedando aut saltem immutando Deum rogavit. *Observa, quod non dicat* requiescebat; *sed* requiescit, *quasi corpus* S. Neoti *usque ad suam ætatem ibidem adhuc persisteret. Sed ex dicendis apparebit, majorem reliquiarum partem non tamdiu in Cornubia relictam fuisse.*

F

incerto tempore translatum est.

27 *Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum* 890 *num.* 18 *dicit esse* incertum, quamdiu Neoti corpus in Occidente illo manserit: nam constat inde in Icenos translatum, ac in Huntindonienſi agro depositum. Ibi oppidum cernitur, quod hodieque à sancto Neoto vulgus appellat Saint Needs. *Mabillonius in Appendice ad Vitam* S. Neoti, *postquam supra memoratum Joannis Bromtoni textum allegaverat, & verba anonymi nostri explicuerat, de tempore primæ translationis ita judicat:* Existimem, corpus sacrum Ainolbesbiriam in agro Huntindonensi delatum fuisse pontificatu Adelwoldi episcopi Wintonienſis, quando eo in loco S. Neoti cella instaurata est, ut dixi in observationibus prævis.

In

A *In illis observationibus præviis num.* 3 *ex Monastico Anglicano retulerat, quomodo S. Adelwoldus, rogante Leofrico comite & uxore ejus Leofleda, qui locum suppeditarunt, labente seculo* x *monachos ex cœnobio Elienſi & Torneiensi acciverit, & in Huntingdonienſi* S. Neoti *cella constituerit. Ipsum Monasticon Anglicanum tomo* 1 *pag.* 369 *consuli potest. Porro historiam & circumstantias hujus primæ translationis, etsi de rei substantia satis constet, nusquam in antiquis monumentis invenire potuimus.*

Postmodum ex Huntingdonia ad Croylandense monasterium delata sunt

28 *Certiora proferemus de altera earumdem reliquiarum translatione, quam Ingulphus synchronus & postea abbas Croylandensis in sua Historia descripsit his verbis:* In tempore itaque domini Osketuli abbatis Croilandiæ, cum sic Dani totam terram inquietarent, indigenæ de villis & vicis ad civitates & castella, & plurimi ad paludes & lacum * loca invia refugientes, Danorum transitum & discursum pro anima præcavebant. Accidit ergo, quamdam magnam dominam villæ, quæ Elnophesbiry vocatur, Lefwinam nomine, sororem scilicet ex parentum propagine domini Osketuli abbatis Croilandiæ, ad Witlesey tunc villam suam venire, & secum sacras reliquias, scilicet sacratissimam glebam sancti Neoti confessoris
B de Elnophesbiry, quia minus honorificè jacuerunt ac Danorum deprædationi patuerunt, in scrinio ad id aptato deferre. Quæ dirigens celerem nuntium ad fratrem suum, dominum abbatem Osketulum supplici postulabat supplicatione, quatenus cum congruo fratrum suorum comitatu Witlesiam placeret accedere, & dictas reliquias S. Neoti confessoris secum in suum monasterium cum digna reverentia deportare. Ille gaudens & exsultans, assumptis secum quibusdam fratribus, Witlesiam adiit & dictas sanctas reliquias cum debita honorificentia & psalmorum melodia ad Croilandiam transtulit; ac juxta sanctæ Dei genitricis Mariæ altare cum devotione debita collocantur. *De eadem translatione meminit Ordericus Vitalis, cujus verba superius num.* 5 *alia occasione produxi.*

notabiles ejusdem corporis partes,

29 *Quæri hic posset, an totum corpus ex Huntingdonienſi* S. Neoti *cella Croylandiam translatum fuerit. Huic quæstioni plenè satisfaciet laudatus Guilielmus de Rameſey, monachus Croylandensis, qui in quodam opusculo, quod in supellectile nostra litteraria inveni, & quo Mabillonius se caruisse fatetur, de his* S. Neoti *reliquiis ita disseruit:* Cum beati confessoris Neoti reliquiæ apud
C Croylandiam in crepidine parietis post altare maius satis honorificè multis diebus quievissent, placuit domino Henrico abbati, sublatis inde reliquiis & altius honorabiliusque locatis, altare in eodem loco erigere. Habebatur enim apud nos lapidea altaris tabula, quam sancti patris nostri fuisse Cuthlaci majores nostri tradiderunt: & hanc in honorem patroni nostri loco supradicto supradictus abbas levare proposuerat; quod & fecit, reposito interim reliquiarum supradictarum loculo super altare aliud, donec illis collocandis locus præpararetur idoneus. Erat autem loculus lapideus, ferro plumboque signatus, annulos habens altrinsecus, quo facilius posset transportari.

quæ hic enumerantur,

30 Verùm quoniam à multis retro temporibus in dubium multis venerat, quid quantumve de beato apud nos haberetur Neoto, præsertim cum fratres in loco, qui sancti Neoti dicitur, commorantes, se eum habere assererent: & contra, non nisi apud nos eum esse satis pertinaciter contenderetur, placuit tam abbati quam fratribus fidem super jam dictis consulere oculatam. Cum ergo summa devotione accensis cereis, cum letaniarum decantatione convenientes ad locum, & loculum cum timore Domini infringentes, thecam ligneam diligenter ferro circumquaque clausam reperiunt, & eâ iteratò referatâ, aliquid aspiciunt; unde & verum probetur, quod à nostris ex majorum traditione prædicatur, & non omnino falsum, quod à fratribus apud sanctum Neotum manentibus affirmatur: inventum est enim & hîc esse Neotum & ibi nihilominus esse posse Neotum, quia cum pro parte majori alicubi res esse dicatur, profecto & apud nos esse, rationabiliter dici potest, & apud eos, si tamen id habent reliquiarum ejus, quod nobis deest: reseratâ etenim, ut supra dictum est, thecâ illâ ligneâ, reperta sunt intus testa capitis, ossa tibiarum, ossa coxarum, de collo, de scapulis & thorace nonnulla; & has nemo majores dignioresque partes corporis ambigit.

etsi forte in Huntingdonienſi S. Neoti cella aliquæ reliquiæ remanserint.

31 Potest nihilominus & apud illos major, quoad numerum, reliquiarum ejus pars esse, si tamen residuum habere eos constet: nam cum eum mulier venerabilis Levina hostilitatis tempore, securitatis causâ, & amore Osketelli tunc abbatis Croylandiæ transferre statuisset, votis suis satisfactum credidit, si, relictis in sarcophago unà cum cineribus costis, spondilibus, aliisque ossibus minutis, ea transferret ossa, quæ majora erant, & ideo minus barbarorum rabiem latere possent. Nec est credibile, deceptam fuisse mulieris sanctæ solicitudinem, cum & domina fuerit fundi illius, & ejusdem Confessoris cultrix devotissima; utpote quæ eidem oratorium eo loci construxerit. Sed barbarorum, ut dictum est, crudelitatem metuens, cum à mediterraneis partibus ad loca tutiora confugeret, eximiæ dilectionis intuitu, etiam beati Viri reliquias fugæ suæ comites & exilii solatia habere voluit. Has ergo, ut supra dictum est, sic visas ac reverenter deosculatas supra nominatus abbas manibus propriis lavit, in sindone munda involvit, & in feretro, satis pro tempore competenti, ad honorem Christi & Confessoris sui honorificè reposuit. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo tertio, à sacro transitu sancti patris Cuthlaci quadringentesimo nonagesimo nono, qui fuit annus Innocentii tertii decimus sextus, Joannis Anglorum regis decimus quartus, domini abbatis Henrici vicesimus tertius. F *Hæc reliquiarum translatio & accurata partium enumeratio etiam in Monastico Anglicano tomo* 1 *pag.* 369 *paucioribus verbis referuntur. Atque hæc sunt præcipua, quæ monenda esse censuimus ante ipsam Actorum editionem, quam nunc subjungimus.*

AUCTORE G. C.

E

VITA

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. codice Beccensis monasterii in Normannia, cum editione Mabillonii collato.

PROLOGUS.

Auctor inter res creatas distin-

CUm universarum essentialis rerum perpetuitas, elementorum venustissima confusæ molis

A. ANONYMO. distinctio, singulorumque conspicua ac decentissima existentium varietas summum laudent Artificem, summum esse summumque principium, quo auctore ex nihilitate primò simul ac conjunctim universa confusaque materies, ac deinde formaliter secundùm genus ac species suas universorum singula proprium ad esse prodierunt, & omnia valde bona, singulari tamen ac speciali quadam laudationis prærogativa in illis & ab illis summus rerum laudandus est Artifex, in quibus præclariùs atque lucidiùs glorioſus apparet atque laudabilis, quibus etiam ad privilegii decus & gloriam datum & naturaliter insitum est, ita summum laudare & laudando venerari principium, ut, quod laudant, ductu noverint rationis laudabiles: spiritus quippe angelicus & homo adeo sunt præcellenti naturæ fastigio sublimati, quod etiam sui præpollent Artificis imagine persigniti.

præcipuè extollit angelos & homines,

2 Unde rationali vivacitate, intellectuali perspicacitate ac ceterarum Deo simillima rerum disparilitate singula quoque præeunt eisque jure præferuntur conditionis: quanto enim quis veritati similior, tanto ab universitatis vanitate fit remotior, & quanto vanitati similior, tanto fit incommutabilitati dissimilior. Hinc est quod ait Propheta: Quia homo per peccatum vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Porro angeli, etsi naturâ boni, gratiâ tamen summi boni, bonitatis ipsi bono inhærendo interminabili, ita confirmati sunt, ut nec lapsum incurrere velint nec valeant; quin etiam Dominum Deum sabaoth gratissimè proclamantes voce consonant infatigabili.

B

& ab iis transit ad Sanctos,

3 Verùm quoniam ipsorum est frui Deo perenniter, eique desideranter inhærere, nullo umquam lapsu deficiendi à bono interminabili eis intercludente polum, nullo nisu reversionis iterum lapsis aperiente, paulisper ab eis calle reflexo humili stilo retorquentes aliunde, loquendi sistimus gradum, præsertim cum nec eorum cursum, quo nostrum saltem dirigamus, perspexerimus ad bravium aut plenè statum agnoverimus, nec ad laudem cælestium, peccatorum sufficiat eloquium: neque enim incarcerati & à luce privati lucis & aurarum discernere valent amœnitatem. Angelorum igitur edocti magisterio, quorum, ut legitur, ministerio lex ordinata est in manu mediatoris, in illorum laudem & admirationem compendiosissimè prorumpamus, qui cum sint filii hominum & de massa prodierint peccatrice, gratia matre mediante, Sancti nomine prædicantur & actu: qui arrepta, dum adhuc viverent, ignominiosa corporum vilitate, mundo abjectissimi habebantur, & tamquam omnium peripsema facti sunt, ut omnibus velut astra matutina lucescerent in exemplum, & naufragantibus portum ostenderent salutis.

C

& nominatim ad S. Neotum,

4 Dominus autem noster Jesus Christus Deus de Deo, summi Patris imago, verique solis radius, qui in visceribus misericordiæ, adveniente temporis plenitudine, visitavit nos oriens ex alto, ipse divinitatis potentia & essentiali præsentia totus semper ubique præsens est: ipse absque omni solicitudinis inquietudine usquequaque operando ad totius decorem universitatis atque venustatem tam singula specialiter, quam omnia generaliter, sapienter regit atque disponit: à quatuor enim ventis suos collecturus electos, varia temporum vicissitudine, quando & ut voluit, totum Sanctorum splendoribus illuminavit orbem: inter quos piissimus ac nominatissimus Dei servus Neotus, velut micantissimum sidus, sub occidui *a* climatis axe suo resplenduit in tempore, qui licet à septemtrionali *b* plaga occidentalibus procrearetur, ac moraretur in partibus ab anatole *c* atque mesembria *d* ex opposito remotissimis *e*, sub glaciali tamen dysis *f* algore, fidei atque caritatis semper ferbuit ardore. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

D *b* *c* *d* *e* *f*

cujus aliqua gesta se collegisse præfatur.

5 Vir autem iste claruit quidem nobili parentum prosapia; sed multo clarior exstitit in devota fidei confessione. Hujus Viri stilo qualicumque saltem ex parte prosequendam suscepimus laudationem; nec tamen præcipiti audacia vel impetuosa præsumptione tanti operis aggredimur fastigium, sed potius erga Sanctum habita devotione & intenta multorum supplicatione. Multis ergo prætermissis, quorum ad nos usque nequaquam plene pervolavit notitia, quamplurium incuria negligentiæ ministrante fomitem, multorumque languescente memoria, perpauca de tanti Viri gestis atque miraculis huic operi, Deo favente, interserimus *g*: sicut enim in omnibus fastidium, ita debet ab omnibus evitari prolixitas.

g

E

ANNOTATA.

a *Puto, quod auctor indicare velit*, S. Neotum *in occidua Angliæ parte maximè virtutibus splenduisse, nisi forte totam Angliam respectu aliarum regionum appellet* occidui climatis axem.

b *Nescio, an biographus hîc significare velit, quod* S. Neotus *in septemtrionali Angliæ parte parentibus occidentalibus natus sit; an verò quod inter Anglos occidentales magis versùs septemtrionem procreatus fuerit: utrumque enim ex ambiguo sensu erui potest.*

c *Hîc scriptor vocabula Græca interdum affectat, ut semel atque iterum videbimus: nam ἀνατολὴ Græcè significat orientem, seu plagam orientalem.*

d *Iterum vox Græca, cum* μεσημβρία *sit Latinè* meridies *seu plaga meridionalis.*

e *Si S. Neotus* moraretur in partibus ab anatole atque mesembria ex opposito remotissimis, *sequitur, ipsum habitasse in extrema Angliæ parte, quæ est inter occidentem & septemtrionem, cum hæc ab oriente & meridie ex opposito sit remotissima.*

F

f *Anonymus rursum hîc obtrudit vocem Græcam δύσις, quæ occasum vel plagam occidentalem significat.*

g *Hac phrasi auctor satis sincerè indicat, se diu post Sancti tempora scripsisse, & ex qualicumque aliorum relatione quædam de illius gestis collegisse.*

CAPUT I.

Sancti clara stirps, parentes, studia, vita monastica, virtutes, sacerdotium, & exigua corporis statura.

S. Neotus nobili stirpe

CUm adhuc Anglia, quæ prisco nomine Britannia dicebatur, pluribus adjaceret regibus obtinenda, priusquam debellata triumphali Nortmannorum subjugaretur ditioni *a*; quod eleganter regio jure nunc obtinet unus, quatuor tunc reges insigniter obtinebant. Tunc etenim temporis

a

A ris totum Anglorum imperium per tetrarchias divisum, quatuor conferebat regibus sceptrigeræ potestatis ac regii diadematis insignia. Fuit autem ex illis unus vir Christianissimus ac princeps egregius, Edulfus *b* nomine, occidentales Angliæ partes totamque Cantiam strenuè gubernans, qui ceteris in Anglia circumquaque regnantibus dicitur præfuisse *c*. Uxor ejus venerabilis nihilo minùs de regum prosapia orta, plus florigera virtutum redolebat plenitudine, quàm superba parentum se præferret jactantia.

b

c

& pius parentibus ortus

7 Ambo itaque plus egregiæ studentes liberalitati, quod eis genus & mores conferebant, quàm mundanæ servientes cupiditati, quod abhorret vera nobilitas; plus honorem Creatoris, quàm proprii jura regiminis assecuti sunt: multa enim de propriis facultatibus ecclesiis atque pauperibus unanimi conferebant favore, cunctisque ecclesiam oppugnantibus scutum liberæ defensionis opponebant. Dominus autem, cum sit excelsus, humilia respiciens & alta à longè cognoscens, respexit ad eos & ad eorum opesa, deditque eis heredem: in quo tamen jura propriæ retinuit hereditatis, æternam ei recompensaturus, ut Regis regum & heres & filius per gratiam factus adoptionis, ei quandoque confidenter arrideret dicens: Tu es, Domine, qui restitues hereditatem meam mihi.

B

operam dat litteris,

8 Sanctus igitur Neotus regio quidem, sed carnali de stemmate natus, salutari traditur à parentibus lavacro regenerandus, sicque expurgato in eo veteri fermento massæ corruptibilis, factus est nova conspersio, sigillum supernæ accipiens hereditatis. Renatus autem ex aqua & Spiritu sancto, transactisque feliciter teneris infantiæ annis, litterarum implicatur exercitiis, moralibus ac divinis informandus disciplinis, ut sciat, quid, cui debeat; quid ex se, quid ex Deo habeat; quid carnalis, quid spiritualis ei nativitas contulerit; quid ex generis nobilitate, quid ex gratiæ divinæ largitate contraxerit.

quibus instructus

9 Quibus dum totus intenderet exercitiis, sancti Spiritus eruditionibus atque documentis consummatus in brevi, explevit tempora multa; sicque in vera philosophia quod decuit, didicit, ut quidquid indecens esset, præteriret: non enim ab hujusmodi studiis carnis delectatio, non petulantia vel mentis elatio, non pompæ secularis revocabat ambitio. Inter coætaneos duplicis vernabat viroris fragrantia, dum & morum honestate, bonæ indolis prætendebat elegantiam, & virtutum suavitate viriliter in puero sectabatur justitiam; hunc siquidem cerneres & corporis adhuc parvitate puerum, & mentis jam gravitate summæ perfectionis virum. Sic enim quotidie coram Deo & hominibus, salutaribus proficiebat incrementis, ut super senes intelligens, ab omni via mala prohiberet pedes suos, nitorem & gloriam pretiosarum vestium, omnemque seculi luxum penitus abhorrebat, tamquam regalis oblitus prosapiæ; quod postea rerum probavit affectus *.

C

** fortè effectus*

in cœnobio Glastonienſi

10 Ingressus quippe adolescentiæ tramitem, cum jam militares attigisset annos, seculari noluit implicari militia, sed potiùs eligens temporaliter abjectus esse in domo Dei sui, quàm in regio gloriari palatio, in Glastonienſi cœnobio *d* monachus effectus est. Erat autem locus ille & magni famâ nominis circumquaque celeberrimus, & virtutum aromatibus frequentantibus eum saluberrimus. Ibi tunc temporis sanctus præerat Dunstanus *e* pater insignis, & variis decoratus miraculorum signis, qui merito sanctitatis & discretionis, ac divinæ gratia dignationis, Cantuariensis honoris apicem adeptus, utrumque postea feliciter obtinuit: numquam enim (ut fertur) pastoralem ejusdem ecclesiæ curam deseruit.

d

e

A. ANONYMO.

11 Vir autem Domini Neotus campum ibi certaminis ingressus, tam à prædicto Patre, quàm à Fratribus diligenter monasticis informatur eruditionibus. Et cum multi sancti viri cum eo currerent in stadio, ut in unitate corporis Christi & pacis ecclesiasticæ compaginati, omnes, ut unus, acciperent bravium; tamen iste noster Patronus *f* cum Apostolo Dei æmulatione singulos æmulabatur. Cum enim in diversis diversa consideraret gratiarum munera, pro singulis Deo gratias agens, de singulis singulorum proficiebat profectibus. Unde factum est, ut subitò ad tantæ religionis adscenderet fastigium, quod nihil ei virtutis & gratiæ deesse crederetur.

monasticam vitam amplectitur,

f

12 Et quoniam unicuique procurandum est, ut de multis unum saltem habeat, cum quo familiares possit conferre sermones; cui cordis aditus pateat & recessus, juxta illud Sapientis, unus sit tibi consiliarius è mille; Vir Domini pretiosus unum sibi præ ceteris elegit familiarissimum, nomine Adelvoldum *, qui postea rem patris ibidem sortitus & nomen, Wintonienſis ecclesiæ pontifex inde sublimatus est: cujus vita gloriosa Deo complacuit, & mors in ejus conspectu prædicatur gloriosa *g*.

& ibidem alios verbo

E

** Mabil. Adelevoldum*

g

13 Hunc familiaritatis gratiâ Sanctus alloquitur dicens: Frater amantissime, prætermittamus plurima, & conferamus alterutrum cælestis vitæ colloquia, ut ampliorem exprimamus contemplationis dulcedinem. Temperetur corporei laboris nimietas, & demus operam speculationi. Spiritus enim promtus est, caro autem infirma. Prætermittamus Marthæ erga plurima solicitudinem, & unum cum Maria eligamus necessarium. Facta autem aliquantula digressionis hujuscemodi mora, sancto Sanctus iterum aiebat: Venerande frater, vita brevis, labor utilis; otiositas est culpabilis, cum animæ sit inimica. Recurramus ardentiùs ad laboris consuetudinem, nec caro spiritui dominetur, sed debitæ subjiciatur servituti.

& exemplo

ad perfectionem hortatur.

14 In hunc modum Vir sanctissimus instanter prædictum fratrem & alios instruebat, sic unum ex altero temperans exercitium, ut utrumque avidiùs alternatim resumerent: sic enim Rachelis pulcritudinem laudabat, ut Liæ non contemneret fœcunditatem: & cum aliis iter vitæ prædicaret, seipsum singulis apponebat sanctæ conversationis exemplar. Jejuniorum enim & parsimoniæ observatione, sedula vigiliarum pernoctatione ac pervigili orationum frequentatione, jugique legis meditatione spiritum roborans, carnis domabat superbiam. Quidquid etiam præter moderatam naturæ sustentationem reservare poterat, in necessarios indigentium usus expendebatur.

F

Quamvis latere cuperet,

15 Vixit autem in hac devotionis constantia pluribus annis, neminem per confinia forinsecus agnoscens. Cumque fama circumquaque crebrescente, jam universis ejus innotesceret religio; ipse tamen specie tenus adhuc omnibus ignotus exsistebat, exceptis his, cum quibus habitabat, & peculiari domus familia. Nec prætereundum, quod dum totus eum conventus ex merito cognitæ sanctitatis unanimiter ut patrem veneraretur, ac vinculo sibi caritatis adstringeret; tamen omnimodis ejus semitas investigare non poterant, nec furtivas orationum excubias. Frequenter enim mutato, ne cognosceretur, habitu, nonnumquam verò peregrinorum alteratus induviis in ec-

A. ANONYMO. clesia pernoctabat, vacans attentiùs orationi. Cum verò lux adveniens noctis dissiparet caliginem, habitu latenter exutus peregrino, proprio rursus induebatur.

tamen ob virtutum famam diaconus ordinatur,

16 Hujus denique viri fama celebris episcopum non latuit, qui missis ad eum nuntiis advenientem pater filium, ut patrem filius, solemniter suscepit; quem aliquanto secum tempore gratanter retinens, ejusque felicibus utens colloquiis, tandem cognita sanctitatis puritate, diaconii promovit ad gradum: in quo vir Dei Neotus magis magisque proficiens, vasa Domini, vas electum, mundo corde munda ministrabat. Et quemadmodum levitis in veteri Testamento universa ad cultum tabernaculi pertinentia tradebantur custodienda, sic levitæ Neoto idem est assignatum ex officio: quod officiosissimè complens, ut dulcem carperet obedientiæ fructum, sic Deo per omnia placuit, ut nemini displiceret.

& deinde ad sacerdotium promotus

17 Raptus autem postea pari monachorum ac clericorum desiderio ad honorem sacerdotii, quamquam renitens & indignum adhuc se esse vociferans, qualem se omnibus, voce, forma & B actu exhibuerit, non est nostræ facultatis evolvere: ut tamen epilogo *h* nonnulla perstringam, ipse velut fons patens irriguus & indeficiens, sitientibus verbi divini pocula propinabat; ab obsessis corporibus, fusis ad Deum precibus, dæmoniacam rabiem excludebat; languidis debilibusque medelam salutis conferebat. Unde factum est, ut catervatim ad eum undecumque turbæ confluerent, alii corporalem, alii spiritualem curationem efflagitantes. Ille verò singulorum in se transformabat affectus, gaudens cum gaudentibus, flensque cum flentibus, omnibus omnia factus, ut lucrifaceret Christo, omnesque eum tamquam omnium patrem & patriæ propugnatorem unanimi venerabantur affectu; & voce ejus audita, vel saltem specie cognita, lætabundi remeabant ad propria.

h

suppositio scabello sacrum celebrat ob exiguam corporis staturam;

18 Erat quippe Neotus (ut dictum est) clarus avis, clarus studiis, clarus moribus, clarus virtutibus; lingua facundus, verbo discretus, scientia laudabilis, doctrinaque mirabilis; in consilio utilis, omnibus factus amabilis. Erat nihilo minus adspectu angelicus. vultus hilaritate conspicuus, incessu modificatus, omniumque membrorum officio compositus, sed corporis brevitate alter Zachæus *i*. Scabello namque ferreo suppositio Missas celebrabat, & altaris cultui assistebat, quod usque hodie ad ejusdem Viri gloriam & piissimam recordationis memoriam, vice reliquiarum, in eadem reservatur ecclesia.

C *i*

ad quam juvandam miraculum patratur.

19 Inter innumera miraculorum signa signorumque prodigia, quæ per eum divinitus creberrimè fiebant, accidit unum cella memoriali dignissimum, quod nos idcirco ad devotionis excitationem memorare curavimus, ut unius saltem relatio multorum sit certa probatio. Quadam die dum Neotus, ceteris tamquam omissis, solis ex assueto spiritualibus intenderet, affuit persona quædam, cui sedula reverentiæ debebatur exhibitio, pulsans instanter ad ostium, ut ei panderetur ingressus. Neotus autem Dei servus accelerans, qui tunc (ut dictum est) secretarii *k* fungebatur officio, ut pulsanti celeriter aperiret, summopere nitebatur, nec ad seram in sublimi erectam attingere poterat pro staturæ brevitate; cumque qui pulsabat, pulsando magis ac magis instaret, & hinc inde solicitus se vir Dei circumferret; conspicit eminus eamdem seram de loco, ubi clavis confixa tenebatur, divinâ demissam omnipotentiâ, ad succinctorium usque depositam, sicque intrare volenti veneranter aperuit, glorificans Dominum, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, qui suis in operibus semper est ab omnibus & ubique glorificandus. D

k

ANNOTATA.

a *Alfordus noster in suis Annalibus ad annum 1066 refert hanc memorabilem Normannorum victoriam, qua sibi Angliam subjugarunt. Unde patet, scriptorem illum post hæc tempora vixisse, ut in Commentario prævio observavimus.*

b *Sic in apographo nostro scribitur hoc nomen, de quo in Commentario prævio num. 12 plura diximus.*

c *Nullus hoc nomine insignitus regnum Cantii aut occidentalium Anglorum circa hæc tempora administravit. Quare oportet, hoc nomen ab ipso auctore vel amanuensibus corruptum esse.*

d *De hoc monasterio, quod in agro Somersetensi situm est, videri potest Monasticon Anglicanum tomo 1 à pag. 1. De eodem Majores nostri tomo 1 Februarii à pag. 906 fusè egerunt.* E

e *Crassus enimvero error, quem in Commentario prævio notavimus.*

f *Verosimiliter ex his verbis Mabillonius collegit, scriptorem hunc fuisse monachum S. Neoti in Huntingdonia.*

g *Hic est alius scriptoris parachronismus, quem in Commentario prævio etiam observavimus.*

h *Id est* compendio perstringam: *nam per epilogum subinde intelligitur epitome, ut videre est apud Cangium in Glossario.*

i *Nempe Zachæus, ut in Euangelio Lucæ cap. 19 ℣ 3 legimus,* statura pusillus erat.

k Secretarius *hoc loco accipitur pro ædituo, ut Mabillonius in margine notavit. Hanc vocem ita interdum intelligi, nonnullis exemplis probat Cangius in Glossario.*

CAPUT II.

Vita solitaria, Romana peregrinatio, cœnobii constructio, sanctitatis fama & stupenda miracula in hujus Sancti gratiam patrata. F

Cum unico famulo

TAndem vir Dei Neotus intra se deliberans hominum declinare frequentiam, & exhibitam sibi ab hominibus honorificentiam; sicut omnimodis evitabat jactantiam, divino præmonitus oraculo, intra Cornubiæ *a* confinia, remota perquisivit solitudinis loca. Unius itaque clientis contentus comitatu, nomine Barrii *b*, quem sui fecerat secreti conscium, quique eum nec in vita, nec in morte deseruit; nunc ambiens excelsa montium, nunc concava perlustrans convallium; nunc densas silvarum opacitates, nunc saltuum ac fluminum amœnitates, ipso ducente, quo præmonente locum mutaverat, sibi destinatam attigit nemorosæ mansitationis aptitudinem. Erat autem locus ille nemorosa circumseptus arborum densitate, fluminum perspicuus jucunditate, & collaterali maris affinitate.

a

b

asperam vitam ducit

21 Hunc ergo locum Christi Miles eligens, tamquam neoptolemus *c*, & nunc primo conversus E

A sus à seculo, rursus elapsus est. Ibi proculdubio promeruit frequenter angelica dignatione visitari. Novum quippe vivendi terminum, novis denuo virtutum incrementis, tamquam novis instituens votis, omnipotenti Deo per omnia satagebat anachoriticæ conversationis semitam ingressus artiorem. Ad hoc enim elongavit fugiens, & mansit in solitudine, ut soli Deo solidiùs adhæreret solitarius: & cum nihil ei deesset in conventu ad justitiæ perfectionem, summopere tamen nitebatur in secessu ad ejusdem perfectionem. Ibi enim vires exercebat, quas antea collegerat; ibi vitam exhibebat, quam in scriptis didicerat *d*. Gustaverat & viderat, quàm suavis est Dominus: legerat & intellexerat, quia timentibus Deum nihil deest.

in solitudine, ex qua post septem annos

22 Spinæ divitiarum in eo verbum vitæ non suffocabant, nec sarcinis oneratum secularibus juxta semitam retardabant. Ea nimirum, quæ retro sunt, oblitus, ad ea, quæ ante sunt, extendebatur. Audierat enim quod scriptum est: Nemo mittens manum ad aratrum, & adspiciens retro, aptus est
B regno Dei; & illud: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus; in corporis autem cruciatu Dominum imitabatur, illam ejusdem prætendens sententiam: Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non est me dignus. Sanctus igitur Neotus, qui columba fuit in grege, nunc est turtur in solitudine: illius vitam duxerat socialem, nunc istius agit solitariam: illius retinens simplicitatem, istius conservat castitatem & utriusque gemitum: & sicut de beato Joanne Baptista legimus, vestibus asperrimis atque cilicinis caro ejus oppressa tegebatur, & pauperrimi victus parcitate sustentabatur. Sic nimirum ei videbatur tamquam anteacta tempora in otium expendisset, & in vacuum consumpsisset. In hac eremi vastitate, sua contentus inedia & voluntaria paupertate, ut septemplici repletus gratia, septem feliciter annos explevit, numquam hujuscemodi rigoris reflectens habenas.

Romam proficiscitur,

23 Sanctus igitur Neotus erectus in virtutum culmine. Sedem petiit Apostolicam, ut inde sanctioribus informaretur institutis, ubi caput noverat totius religionis. Scire etiam volebat, utrum à summo Pontifice ratum haberetur, quod ipse agebat, & agere intendebat quod divina factum
C est dispositione, ne lucerna diutius sub modio lateret, sed ostensa super candelabrum tenebras effugaret. Romam igitur juxta pium desiderium propositi devotus perveniens Neotus, à memorando
e Papa Marino *e* cum honoris reverentia susceptus est in amplexu caritatis confovendus.

& in patriam reversus

24 Cumque aliquamdiu cum eo conversatus fuisset, eique purissima cordis arcana funditus patefecisset, utroque alterius recreato solamine, tandem postulata cum benedictione licentia & suscepta prædicationis obedientia, ad prælectum dilectæ paupertatis asylum redire Sanctus disposuit. Quis autem mira & magnifica, quæ Deus per eum in itinere gessit, narrare sufficiat? Multos quippe variis dissolutos languoribus prece pia consolidavit, prava hæreticorum dogmata viva voce confutavit, & ad Catholicæ fidei symbolum istos adduxit, illos revocavit: imbre prædicationis terram circumquaque aridam irrigavit, discordes pacificavit; & nunc doctrinæ rigore, nunc consilii ratione, nunc interfusa oratione, multa multis contulit bona.

cœnobium construit,

25 Glorioſus Dei servus & Confessor à peregrinatione reversus, iteratò continuis se subdidit laboribus: & quia itineris difficultate in melius

indurerat, duriorem, in quantum valuit, & artiorem religionis semitam ingressus est. Unde factum est, ut frequentissimè angelico confortaretur alloquio, & sustentaretur patrocinio: qui spiritu vivebat, spiritu & ambulabat. Disponens exinde divino nutu pluribus prodesse; sicut in illis partibus noverat necesse; noluit ulteriùs solitarius esse: quia vivere pluribus, & se vita & moribus ceteris anteferre, conversatio est specialis. Cœpit ergo ardenti desiderio monasterium construere, domos ædificare, officinis insistere, sicque summo fultus Artifice, in brevi quod intendebat consummavit, ut ferventissimi rigoris lora nullatenus relaxaret. A. ANONYMO.

atque ob sanctitatis famam

26 Omnes ilico occidentales Angliæ fines ejus famositas pervolavit, totamque longè latéque attingens provinciam, repentè populos reddidit attonitos: quod de illo quis sentiebat, celebri laude statim ceteris referebat, donec omnibus innotescens oleum effusum factum est nomen ejus. In illis quippe locis pauci admodum culmen adhuc perfectionis attigerant *f*. Occurrunt ad eum populi hac odorifera respersi suavitate, utrum vera de ipso audierint persemet ipsos exploraturi; qui
E omnes cum regina Saba, quæ venerat à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, dicere possunt, se pauca audivisse, & multa inveniisse. *f*

multos cœnobitica vitæ socios colligit,

27 Exinde multi nobiles & justi, seculi fastum inter ceteros potentiores ejus saluberrimis compuncti eruditionibus fallaces abdicarunt delicias, se suaque Domino sacrificium offerentes qui sacris ejus consiliis in omnibus obtemperantes, regularibus inardescunt disciplinis informari. Multi quoque suos ad eum deferunt filios, subnixis orantes precibus, ut eo duce, pastore atque patrono, miseros seculi fluctus evadere queant, ad vitam enutriti æternam. Porro fratribus quamplurimis cujuscumque ætatis, regulariter ibidem congregatis, venerandus pater Neotus omnes erudiens, omnibus proficiens, reciproca vicissitudine virtutum in se charismata concipiebat ab omnibus, ipse totus in cælo angelica conversatione, totus erat in illis caritatis fervore.

Pisces ad S. Neoti fustigationem divinitus assignati,

28 Quid de tanti viri sanctitate referam? Quid reticescam? Nempe ut minùs hyperbolicè loquar, pauca, sed admiranda scribo, quæ præterire nefas est, aut punienda negligentia. Ista siquidem ferè omnes, & maximè comprovinciales, devota & celeberrima concinunt relatione. Erat ibi (ut aiunt) & est usque hodie fons quidam irriguus, qui totum locum reddebat aptiorem, gratam ei conferens amœnitatem, in quo Pater insignis, Deo provisore, totius boni largitore, tres invenerat pisciculos; illos autem nec lædere præsumsit, nec tangere ausus fuit, donec divina revelatione nosset, quid ex his sibi foret agendum; quod factum est: affatu namque angelico præceptum accepit divinitus atque sententiam, ut singulis diebus, vel quoties expediret, unum tantùm accipiens, reliquos duos semper ibi conservaret illæsos. Hanc itaque sententiam, tamquam mortis & vitæ januam, diu custodivit inviolatam, pro hoc & aliis beneficiis Deo infatigabiliter gratias referens. Cumque uno sublato, duo semper illibati remansissent, divina suppletus bonitate, in crastino suprascriptus reperiebatur pisciculorum numerus. F

ex quibus famulus duos imprudenter in cibum apposuerat,

29 Accidit autem aliquando, ut vir Dei, molesta corporis detentus infirmitate, vix aliquo vel modicè vesceretur edulio. Proinde custos ejus & famulus fidelissimus, de quo superiùs mentio facta fuit, condolens & compatiens pii Patris incommoditati, quantocius ad fontem properavit,

A. ANONYMO. & duos inde afferens piſciculos, præparare ſolicitus curavit. Unum itaque aſſatum, alterum elixum Domino ſuo, quem medullitus diligebat, obtulit in diſco, rogans & excitans eum, ut comederet. Cumque vir Dei, quid eſſet in diſco, requiſiſſet, & unde piſces allati fuiſſent; Barrius famulus ejus, ſicut erat ſimplex & innocens, quod ſimpliciter fuerat factum, ſimpliciter recognovit. Ideo, inquit, Pater, duos à fonte piſciculos ſuſtuli, & diverſo modo tibi in edulium præparavi, ut ſi fortè uno veſci non potueris, ex altero, ſi fieri poteſt, ſaltem reficiaris.

prodigiosè revivisc unt,

30 Tunc Domini Servus & athleta, ſimplici quidem animo, ſed tamquam in ira commotus, in verba prorupit increpationis dicens: Quare hoc feciſti? Quare nobis victum divinitus attributum temere abſtuliſti? Quare contra Dei nutum atque ſententiam agere præſumpſiſti? Hæc dicens juſſit inde piſces auferri & in fonte reponi. Ipſe verò ad expertum converſus orationis remedium, ut & Dominum placaret, & deſolatum conſolaretur famulum, obtinuit. Pronus etenim ſolo ac gemebundus incumbens, nequaquam ab oratione di-
B citur ſurrexiſſe, donec ei nuntiatum fuiſſet, piſciculos more ſolito in fonte natare viventes. Tunc cum gratiarum actione ſurgens, unum denuo juſſit afferri, & paratum in eſum ſibi apponi. Cumque guſtaſſet, ilico ſanus effectus convaluit. Ecce Vir iſte, ſicut de Salomone ſcriptum reperimus, non ſolùm quod poſtulavit impetravit, verùm etiam quod non poſtulavit. Habemus hîc, quid admirari, quidve debeamus venerari. O virum ineffabili laudatione dignum! ô pium Spiritus ſancti ſacrarium!

& cervi jugum ſubeunt loco boum,

31 Audiamus & aliud quod ſolemniter atque devotè ſexus uterque refert. Quadam nocte, ut referunt, venerandi Patris boves furto ſublati ſunt, quibus tota domus in agricultura ſuſtentabatur. Cùm verò Fratres pro tali penuria cum pio Patre ad agros egreſſi fuiſſent, ut pro poſſe labori attentiùs inſiſterent; ecce cervi quamplures de frutetis nemorum gregatim advenientes, ad eos manſuetiſſimi properabant, eiſque tamquam alii cervorum hinnuli matribus applaudebant: quod videns pius monachorum pater & dux Neotus, per cujus merita hæc & alia fiebant magnalia, & ad cujus manſuetudinem leones & tygres & feræ quæ-
C libet indomitæ manſueſcerent, Fratres conſolatus eſt, dicens, Dominum eorum reſpexiſſe devotionem; ſtatimque cervi, ejus juſſu colla jugo ſubmittentes aratris apponuntur: ſicque (mirabile dictu!) boum vices longo tempore ſuppleſſe referuntur.

quos abſtulerant, fures, qui hoc miraculo converuntur.

32 Fures autem, qui ſceleris hujus auctores exſtiterant, tam admirabile factum expaveſcentes, Virum Deo plenum quantocius adierunt, veniam imploraturi. Cumque advenientes ei ſua reſtituiſſent animalia, pedibus ejus advoluti, plenam indulgentiæ largitatem ab eo miſericorditer perceperunt, atque dignum pœnitentiæ fructum ſe facturos promiſerunt, vitam ſuam de cetero ejus conſilio munientes. Unde patens eſt, Virum Dei ſanctitatis manſuetudine, boves à latronibus & latrones à dæmonibus eripuiſſe. Aſſerunt etiam inſigni concrepantes præconio, ſuprà dictos cervos, & eos, qui de eorum ſtirpe prodierunt, ad hujus rei notitiam atque probationem, notitiæ ſuæ ſignum uſque hodie prætendere, apparente circa loca, ubi juga tetigerunt, albedine: hoc tamen nec pro rei inſolentia ſyllogizando probare contendo, nec de Dei potentia diffiſus abnegare præſumo *g*.

g

D

ANNOTATA.

a *Cornubia, Anglicè* Cornwal, *provincia Angliæ occidentalis in occaſum maximè extenſa.*

b *Iſte Barrius ſepultus eſt in monaſterio* S. Neoti *in Huntingdonia, ut in Monaſtico Anglicano tomo* 1 *pag.* 368 *legitur.*

c *Hic iterum biographus utitur voce Græca* νεοπόλεμος, *quæ tironem in bello vel novum militem ſignificat.*

d *Ex his verbis in Commentario prævio refutavimus calumniam Balæi.*

e *In Commentario prævio oſtendimus, Romanam* S. Neoti *profectionem ſub Marino Papa non potuiſſe contingere.*

f *Aſſerius in Vita Ælfredi regis rationem hujus rei reddit; nimirum* quia per multa retracta annorum curricula monaſticæ vitæ deſiderium ab illa tota gente, nec non à multis aliis gentibus funditus deſierat, quamvis perplurima adhuc monaſteria in illa regione conſtructa permanebant.

g *Scriptor hoc loco ſaltem candidè mentem ſuam explicat, ac ſatis oſtendit, ſeſe hæc prodigia* E *juxta vulgarem iſtius temporis traditionem bona fide referre.*

CAPUT III.

Sancti miraculum, auxilium, monita, prædictiones, morbus, mors & ſepultura.

Quidam venator, viſo miraculo,

FActum eſt autem in una dierum, ut idem Domini Servus more ſolito ſtaret in fonte, in quo ſolitus erat ad rigoris incrementum totum ex integro Pſalterium perſolvere. Porro cerva quædam per devexa montium, per devia nemorum, per divortia dumorum fugiens, immoderatis ad eum ſaltibus accelerabat. Canes quippe, venatore incitante, celerrimis eam inſectationibus & acerbis latratibus infeſtabant. Corruens autem ſupra fontem ſecus pedes memorandi Patris, tamquam voce ſua vitæ remedium, & mortis ab eo depoſcens inducias, tamdiu ibi proſtrata jacuit, donec li-
F beram inde juſſit abire.

fit monachus,

34 Sed & canes hoc videntes tamquam gravis morsûs vel ictûs afflicti vulnere, retro paſſim omnes ſtatim aufugerunt. Ipſe verò venator procidens in terram, ſanctum adoravit Neotum, & per eum veterem hominem exuens cum actibus ſuis, novum indutus eſt, ſacrum ab eo habitum ſuſcipiens. Eſt etiam facti hujus probabilis aſſertio, cornu venatoris ejuſdem uſque inpræſentiarum in eccleſia ſancti Petroci *a* reſervatum, & *a*
vice reliquiarum ibidem honorificè ſublimatum ob reverentiam atque memoriam Neoti, confeſſoris ſanctiſſimi, per cujus donum ibi tranſlatum eſt.

& ob auditam prodigiorum famam

35 Non eſt ſilendum factum nihilo minus memorabile. Accidit aliquando, juxta communem multorum aſſertionem, ut Neoteſcenſes (à Neoto quippe villa vocabulum traxit) ſolitum ſervitutis obſequium domino ſuo ſoliciti perſolvere ſatagerent. Cumque quadriga cum rebus ad eum pertinentibus ſervitute * onerata incedens, jam medium iter perageret; affuit ventus obviàm turbinis vehemens ab aquilone veniens, qui mira impetus ſui valitudine boves, quadrigam, homines impellens, nullo eorum niſu prævalente, ad lo-

* *Mabil.* ſervitutem

A locum, unde moti fuerant, retrusit. Præpotens autem, cui præfatum exhibebatur obsequium, concipiens hoc meritis & voluntate pii Patris fieri, Neotescensibus hanc relaxans servitutem, eos de cetero libertatis ampliavit gratiâ.

Ælfredus invisit S Neotum, consanguineum suum, *b*

36 Pro his & hujusmodi factis crevit fama Viri Dei, & omnium erga Neotum est augmentata devotio. Contigit namque Alvredum *b* Anglorum regem egregium, famosa Neoti concepisse magnalia; & talibus excitatum præconiis, orationum ejus adiisse suffragia: ad quem cum venisset, corpore simul humiliatus ac mente, postulavit ab eo benedici. Ipse verò piissimus Dei Servus regem ut dominum cum honore, & ut fratrem *c* cum amore suscipiens, benedixit, edocuit, & erudivit eum scientia, viam prudentiæ ostendens illi: pravos etiam ejus redarguens actus, jussit in melius converti, & tanto securiùs, quanto carnis propagine ei jungebatur affiniùs. Neque enim alienus vel ipso genere inferior sanctus erat Neotus, sed ex eodem sanguine cretus. Rex itaque spiritualibus diligenter instructus, optata iterum benedictione suscepta, hilaris inde recessit.

c

B

qui regem officii sui admonet,

37 Ex ea die rex assuevit sanctum frequenter adire Neotum, saluberrimis ejus muniendus consiliis & fulciendus patrociniis. Sed quamquam de sanctissimis illius monitis atque præceptis idem rex aliquantisper profecisset; nondum tamen ad plenum rectè regendi normam assecutus, viam deseruerat pravitatis. Quadam denique die solemni venientem, ex more de tyrannidis improbitate & de superba reginminis austeritate *d*, acriter eum sanctus increpavit Neotus: & qui priùs quasi calcando *e* subtiliter vulnus tetigerat, jam tunc quasi sapiens medicus ejusdem vulneris profunditatem & occulta doloris gladio linguæ penetravit; ad sulphureas gehennæ flammas eum trepidare coëgit & ad gaudia humilibus repromissa negligentem excitavit.

d

e

ac eventuras ei calamitates prænuntiat,

38 Volebat eum erudiri, qui judicabat terram, quia potentes potenter tormenta esse passuros non dubitabat. Apponebat ei sanctum David, quem ad regendum de pòst fœtantes Dominus acceperat regum mansuetissimum, & omnibus humilitatis exemplar humilitate prælectum & approbatum: asserebat & Saülem superbiâ reprobatum, qui cum parvulus esset in oculis suis, caput constitutus fuerat in tribubus Israël: necnon inter aspera increpativæ admonitionis convitia, spiritu attractus prophetico futura ei prædixit infortunia. Quid gloriaris, inquit, in malitia? Quid potens es in iniquitate? Elevatus es ad modicum, & non subsistes, & sicut summitates spicarum conterêris. Ubi est gloriatio tua? Etsi nondum excusa est, aliquando tamen excludetur. Ipso enim reginminis principatu, cujus inani gloriatione te ipsum excedendo superbis, in proximo privaberis. Irrumpentibus quippe intra regionem istam barbaris, atque Dei permissione triumphantibus, vix solus evadens, vagus & profugus eris super terram: sicque pauper & egenus aliquamdiu latitabis, timens, ne omnis, qui invenerit te, occidat te.

C

earum remedia prescribit,

39 Cum autem hujus infortunii cognoveris effectum, confortare & esto robustus: viriliter age, & confortetur cor tuum. In omnibus Dei misericordiæ memor eris, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Noveris enim, me devotis apud Deum intercessionibus obtinuisse, ut suppressa quandoque tantæ adversitatis importunitate, pristina iterum prosperitatis jucunditate & plena gaudeas regiminis restitutione, si tamen agere perversè quieveris, & digna pœnitueris satisfactione. Tunc igitur quantocius Romam legatos dirigens, Martinum *f* summum apostolicæ Sedis principem, magnis & necessariis [stude] ampliare muneribus, supplex eum rogaturus, ut Anglicam scholam, in eadem urbe sitam, non deneget applicare libertati *g*, ut per hoc beneficium, gratiùs tibi præstetur inter incommoda subsidium.

A. ANONYMO.

f

g

mortemque suam instantem prædicit.

40 Ego verò, meæ tempore resolutionis instante, post modicum, viam universitatis ingrediar. Quæ tibi prædico, credere non differas: hæc enim mihi, Domino revelante, meque ad optatum littoris portum suâ gratiâ perducente, in proximo noveris adimpleri. Hac voce prophetica beatum Petrum imitatus est clamantem ac dicentem: Justum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei.

Ælfredus hac prophetiâ territus

41 Tunc Regis animus ad audita contremuit; oculisque madefactis, non voces, sed miserabiles mœroris singultus emittere cœpit, sicque duplici jam contritus contritione, tam ob amici destitutionem, quàm ob regni desolationem, alta & lacrymosa pro responsis edidit suspiria. Tandem flexis genibus, ut poterat, benedici postulavit; & suffultus optatis orationum ejus præsidiis, acceleravit implere quod jusserat.

E

Deum placare nititur,

42 Rex itaque Alvredus, juxta viri Dei præceptum atque consilium, pro sua regnique salute Romam nuntios delegavit muneribus onustos: sicque à summo Pontifice absque mora prosperè, quod quærebat, impetratum; sed & ipsa Pontificalis sublimitas vicaria beneficiorum largitione, regiæ dignitati digniora direxit donaria, quia juxta Sapientis sententiam, victurum est beneficium quod obviam venit. Ob memoriam quippe nostræ redemptionis de ligno salutiferæ Crucis *h* quamdam ei transmittendo portionem, cum aliis multis Sanctorum reliquiis; mordaces ab ejus animo curas expulit, & magna ex parte tenebras attenuavit perturbationis. Sed cum his aliquantisper, non tamen omnimodis suscitatus mente fuisset, semper tamen cum formidine præsagiorum certitudinem flebili præstolabatur solatio, donec eum post ruinam divina revocaret clementia per sancti Neoti suffragia.

h

& S. Neotus sacro Viatico munitus meritur,

43 Nominatissimus denique Dei miles & athleta Neotus, juxta veridicæ assertionis vaticinium, acri febrium cœpit fatigari molestia. Sed qui nullo tempore ab angelica fuerat destitutus consolatione, in hac frequentius ægritudinis angustia, divina pariter & angelica meruit dignatione visitari. Cumque certaminis hujus ultimo se sensisset agone coartari, inter vitæ mortisque confinia, suas attentius oviculas salutaribus instruebat disciplinis & ad cælestis gregis pascua, ut pastor egregius, invitabat, ut de illo verissimè dici possit, Quia cum dilexisset suos, qui erant cum eo, in finem utique dilexit eos, &, ut verè pacificus, heredibus suis pacis commendans patrimonium, pacem suam imitationem dominicam dedit eis, pacem reliquit eis, ac deinceps in angusto extremitatis articulo, sacrum dominici Corporis percipiendo viaticum, qui in semetipso coram Deo semper hostia viva fuit, hostiâ vivâ & vivificante in vitam vivificatur æternam. Sicque inter orationum & psalmodiarum dulcedinem, Angelis in sublimi plaudentibus, debitam humano generi resolutus in mortem, cælo gaudenter susceptus est.

F

cujus cadaver suavem odorem spirat,

44 Fama dudum celebris & congratulatoria, jam tunc facta flebilis & desolatoria, devotos circumquaque populos tantis excitavit exsequiis interesse.

A. ANONYMO. tereſſe. Affuerunt inter eos & multi qui variis oppreſſi morborum difficultatibus, priſtina gaviſi ſunt ſanitate, ſacram hujus funeris glebam devoto conſiderantes intuitu. In eadem autem eccleſia, quam idem Domini Confeſſor atque ſacerdos à primis conſtruxerat fundamentis, ſacrum ejus ac venerabile corpuſculum veneranter eſt humatum, & à dignis dignè reconditum.

ſepeliturque in eccleſia,

45 Præterea miræ ſuavitatis odor fragrantiſſimus inde reſpirans, non ſolùm eumdem locum, verùm etiam quæque loci confinia pleniſſimè reſperſit. Tantam etenim tamque delectabilem longè latéque totam aëris temperiem illa reddidit fragrantia, ut advenientes etiam remoti ſe ſubitò faterentur hujus renovari dulcedine, & ægroti quique ſanari: qui nimirum adhuc in corpore vivens, bonus odor fuerat omnibus in omni loco, jam defunctus, ſicut cinnamomum & balſamum aromatizat: qui vernando ſemper liliis incanduit caſtitatis, & omnium virtutum redoluit odoramentis; ecce, quaſi cella pigmentaria, ſuaviſſimum emittit odorem, & odor ejus, ut Libani.

B

quæ ob magnum populi concurſum fuit amplificata.

46 Porro terra ſepulturæ illius cum pia veneratione langueſcentibus tradita, multis medicinaliter noſcitur profuiſſe. Guſtata quippe pro quolibet invalitudinis genere, tam homines, quàm jumenta plenè convaleſcere faciebat. Sic enim multiplicata eſt Dei miſericordia, homines ſalvans atque jumenta, per admiranda ſancti Neoti merita. Verùm quia populis inibi gregatim confluentibus templum eos capere non poſſet præ multitudine; aliquanto tempore tranſacto, placuit indigenis & Fratribus, ibidem vota ſua Deo perſolventibus, ut ampliarentur ædificia. Unde factum eſt, prout res exigebat, ut ſanctiſſimum Confeſſoris corpuſculum de loco, in quo fuerat priùs reconditum, in aquilonari altaris parte honorificè atque devotè reponeretur. Tunc iterato nihilominus ſalutiferæ ſuavitatis odore nonnulli peroptata potiti ſunt ſoſpitate. Sed & mira & magnifica per abbatem Neotum & confeſſorem præcipuum ibidem uſque hodie divina operatur potentia ad ejuſdem gloriam atque venerationem, cui eſt laus interminabilis per æterna ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

C a *Hoc S. Petroci monaſterium in Cornubia, teſte Mabillonio, decem milliaribus à cella* S. Neoti *diſtabat.*

b *Inclytus ille rex Angliæ alibi vocatur Ælfredus vel Alfredus, cujus geſta conſcripſit Aſſerius ſynchronus, quæ ſeparatim antiquis characteribus Saxonicis impreſſa habemus, & quæ Camdenus inter ſuos ſcriptores Angliæ primo loco characteribus Latinis edidit.*

c *Forte ex hac aut ſimili phraſi quidam collegerunt*, S. Neotum *fuiſſe fratrem Ælfredi regis, cum tamen auctor tantummodo ſignificare velit, Ælfredum regem benignè*, ut fratrem (*id eſt acſi eſſet ejus frater*) *à ſancto Neoto exceptum fuiſſe: ſi enim nomen fratris hìc in ſtricta & propria ſignificatione adhibuiſſet, ineptè ſtatim ſubjungeret, quod* S. Neotus *non eſſet ab Ælfredo rege* alienus, vel ipſo genere inferior, ... ſed ex eodem ſanguine cretus. *Adde, quod ab Aſſerio, qui utrumque noverat*, beatiſſimus vir Neotus *Ælfredi* cognatus *appelletur.*

d *Ad hanc ſuperbam regiminis auſteritatem veroſimiliter ſpectant ea, quæ Aſſerius in Vita Ælfredi regis ad annum* 878 *ſic narrat:* Quam ſiquidem adverſitatem præfato regi illatam, non immerito ei eveniſſe credimus, quia in primo tempore regni ſui, cum adhuc juvenis erat, animoque juvenili detentus fuerat, homines ſui regni ſibique ſubjecti, qui ad eum venerant, & pro neceſſitatibus ſuis eum requiſierant, & qui depreſſi poteſtatibus erant, ſuum auxilium ac patrocinium implorabant: ille verò noluit eos audire, nec aliquod auxilium impendebat, ſed omnino eos nihili pendebat. Quod beatiſſimus vir Neotus adhuc vivens in carne, qui erat cognatus ſuus, intimo corde doluit, maximamque adverſitatem ob hoc ei venturam ſpiritu prophetico plenus prædixerat. D

e *Id eſt, ni fallor, quaſi tranſeundo obiter tetigerat.*

f *Sic ſecunda vice in apographo noſtro ſcribitur, quamvis ſit idem, qui ſupra Marinus dicitur. Mabillonius utrobique conſequenter Marinum expreſſit. Quidam tamen ſcriptores eum Martinum appellant. De tempore pontificatûs illius vide Commentarium prævium.*

g *Aſſerius in Vita Ælfredi regis apud Camdenum pag.* 12 *de hac ſchola Anglicæ libertate ſic meminit.* Eodem anno (*videlicet* 884, *quem ſupra diſertè exprimit*) beatæ memoriæ Marinus Papa univerſitatis viam migravit; qui ſcholam Saxonum in Roma morantium pro amore & deprecatione Ælfredi, Angulſaxonum regis ab omni tributo & talento telonio benignè liberavit. E

h *De hoc dono, quod Marinus Papa ad regem Ælfredum tranſmiſit, laudatus Aſſerius loco proximè citato ſic meminit:* Etiam multa dona prædicto regi illa vice tranſmiſit; inter quæ dedit etiam non parvam illius ſanctiſſimæ ac venerabiliſſimæ Crucis partem, in qua dominus noſter Jeſus Chriſtus pro univerſali hominum ſalute pependit.

CAPUT IV.

Prophetia Sancti completa, apparitio illius poſt mortem Ælfredo regi facta, relata ejus auxilio victoria de paganis, eorumque converſio ad fidem Chriſtianam. F

Cum barbari in Angliam irrumpentes

HIs itaque feliciter conſummatis & examuſſim oppoſitis, quæ vir Dei Neotus de ſe ipſo vaticinando prædixerat, jam ad Regem Alvredum ordo dirigendus eſt narrationis, ut prophetica ſententia pii Patris, ſicut in ſe, ſic in rege nihilo minus veriſſima eſſe comprobetur. Eo tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, octavo Idus Januarii, contigit quemdam immaniſſimæ crudelitatis tyrannum, Gittonem * *a* nomine, cum magno ac belligero claſſium apparatu Anglorum inſulam invaſiſſe; qui, ſicut gentium adhuc erat irretitus erroribus, & idolorum inhiabat ſpurcitiis, nulli parcens ſexui vel ætati, alios ferro trucidabat, alios fame ſuperabat, alios concremabat incendio, ac ſi cum furia infernali voce proclamaret terribili dicens: Bella manu letumque gero. Quid plura? Sævit amor ferri & ſcelerata inſania belli.

* *Mabil.* Gytronem

A *omnia vaſtarent,*

48 Terras nihilo minus urbes villaſque depopulans, aut ſuppreſſo quarumlibet aggere munitionum miro conamine ſolum ſolo coæquabat; aut armato milite complens, victorioſus ad alia properabat. Templa Deo dicata, ut membrum hoſtis antiqui, furibundus hoſtis ſolo tenus proſternebat: quæ autem concupiſcibilia ſibi ſuiſque videbantur, aut à prædonibus deferebantur, aut miſerabili tradebantur exterminio: ſicque circumquaque ſæviens, & ſuam omnimodis exercens tyrannidem, tam loca, quàm homines ſuo exſecrabili ſubjugabat imperio. Multi quoque remotiores tanta concuſſi formidine, ſibi fugiendo conſulentes, tranſmarinas in partes navali curſu tranſvehi nitebantur.

& Ælfredus multitudini eorum impar

49 Cumque vis tyrannica maxima ex parte jam prævaluiſſet in Anglia, & cuncta ſibi proſperarent, iter accelerans, occidentales Anglicos attentavit invadere. In illis etenim partibus didicerat à fugitivis ipſum regem hiemare. Ibat igitur velut alter Saulus furiâ invectus, dirumque toto pectore virus efflabat, & Chriſtianorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat. Rex autem Alvredus audiens barbaricam rabiem atque ſævitiam comminus irruiſſe, ſuorumque conſiderans diſpoſitionem, huc illucque cœpit animo fluctuare; tandem diſcretiori fretus arbitrio, ceſſit hoſtibus, ac ſolus & inermis fugæ eſt expoſitus ludibrio.

B

fugere cogerentur,

50 Cumque prorſus ignoraret, quo ſe verteret, quo eum fugæ neceſſitas impelleret; ut fortuna ducebat, quemdam ex inſperato locum ingreſſus eſt, magnis undique circumſeptum paludibus. Eſt autem locus ille in extremis Angliæ Britanniæ finibus, qui linguâ eorum Ethelingaia dicebatur, quod apud nos exprimitur Regalis inſula. Ibi Rex Alvredus, tamquam profugus & ſuis exſulatus ab oris, intercidens, pauperis ſubulci domunculam eſt ingreſſus, ſpemque ſuam de cetero Regum altiſſimo committens, qui pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat; aliquot diebus pauper & ignotus ibidem delituit.

omneſque calamitates juxta S. Neoti conſilium

51 Factum eſt autem in una ſabbati, ut ſubulcus more ſolito gregem ſolita duceret ad paſcua, ſolo rege cum ejuſdem uxore domi remanente. Porro mulier, ut depoſcebat neceſſitas, igne ſuppoſito panes ſartagini ad coquendum commiſerat, quos nonnulli liridas *b* appellant, quibus maritus

b

C ejus rediens & ipſa veſcerentur. Cumque more plebeio, ſimili ex neceſſitate, aliis aliquamdiu eſſet occupata negotiis; tandem ad ignem ſolicita recurrens, & panem ex altera parte combuſtum reperiens, protinus regem talibus aggreſſa eſt contumeliis: Quid hîc, homo, ſedens meditaris, & panes girare dedignaris? Quod eſt genus tuum, qui mores, quæ ignavia, quæ tibi de futuris fiducia? Quantæ nobilitatis te eſſe profiteris? Panes, quos negligis apparare, apparatos non differes manducare.

animo contrito exciperet,

52 Rex verò procaciter his & hujuſmodi laceſſitus improperiis nullum ex adverſo reddidit impatientiæ verbum: ſed potiùs manſuetudinis & patientiæ forti vallatus munimine, velut alter Job, in omnibus his non peccavit labiis ſuis, neque ſtultum quid contra judicium Dei locutus eſt. Sic nimirum humiliatus eſt ſub potenti manu Dei, ut juxta veridicum ſancti Neoti præſagium quandoque reſpirare liceret, & iterum exaltaretur in tempore divinæ viſitationis. Exinde mulieris expergefactus litigiis, coquendis panibus atque conſervandis de cetero curam adhibuit. Hujus igitur regis exemplo, qui ſtat, videat ne cadat ſuperbiendo: diſcat à philoſopho, diſcat quod cecidit, qui ſtabili non erat ille gradu.

A. ANONYMO. *ac deinde hoſtibus*

53 Cum verò rex præfatus aliquamdiu pauperis ac dejecti ſuppreſſus fuiſſet opprobrio, & pro regis palatio vili contentus tugurio, quadam die à quibuſdam fortè ſuorum, arrepto fugæ incommodo, huc illucque circumquaque diſperſis cognitus eſt. Unde tam regi quàm militibus pauliſper crevit animoſitas, qui priùs unum fugæ conſuluerant remedium. Per paucos ſiquidem dies, qualem potuerunt, belligeram conſtruxerunt munitionem. Sicque Rex Alvredus, receptis aliquantiſper viribus reſiſtendi, paucorum militum vallatus præſidio, bellum hoſtibus commovit ex adverſo; & quamquam numero eſſent pauciſſimi reſpectu barbaricæ multitudinis, nec in primo belli occurſu aut in prima die prævaluerint; minimè tamen hoſtibus terga verterunt, aut devicti ſuccubuerunt.

utcumque reſiſteret,

54 Spe ſiquidem ſuffulti victoriæ, ſicut eorum numerus paulatim augmentabatur, ſic magis ac magis in adverſarios accendebantur, & de bello rurſus parabantur ad bellum; ſicque modò victi, modò victores tempus pro caſu, & caſum pro tempore ſuſtinere didicerunt. Rex verò inter dextrum & lævum fortunæ latus, ſemper lætum præ-

E tendebat vultum, ut ſuos tali confortaret exemplo. Sed inter crebra intimi doloris ſuſpiria rem tacitus conſiderabat expectans ac deſiderans efficaciſſimum ſancti Neoti ſuffragium, & reſtitutionem regiminis ab eodem ſibi promiſſam.

S. Neotus apparens afflictum regem conſolatur,

55 Noctis igitur profunditate cum idem rex, totius expers quietis, curis vallaretur mordacibus; affuit dilectiſſimus Dei confeſſor Neotus, vultus & habitus nitore locum irradians. Ille verò erectis in Sanctum luminibus & immobiliter defixis, ut quis eſſet certiùs agnoſceret, talibus ab eo ſuſcitatus eſt alloquiis. Quid Rex, inquit, tot deprimeris anguſtiis? Cur unum oblitus neceſſarium, tot & tantis perturbationibus mente exagitaris? Securus eſto, quòd ſi bona egiſti, bona procul dubio recipies: ſi verò mala, jam judicium pertuliſti: neque enim Dominus judicabit bis in idipſum. Pone igitur modum triſtitiæ, ac de cetero deſiderata perfruere jucunditate. Ad hoc enim me miſit Dominus de ſuperna Sanctorum quiete, ut tua jam terminetur miſeria, ſi tamen juſtè vivendo meis acquieſcas conſiliis.

eique victoriam prædicit.

56 Si igitur continentiæ, pacis, pietatis & innocentiæ ſectator fueris, ac exemplo præcedentium patrum totius æmulator juſtitiæ, in ſolio regali poſt modicum reſtituêris. Et ne viſionem hanc arbitreris illuſoriam, ego ſum ille Neotus, Dei cultor & amicus, qui tuis exigentibus culpis, hos infortunii caſus tibi futuros præcinui: ſemper tamen tui memor incommodi, numquam Dominum pro te interpellare quievi. Dominus autem ad punctum in modico dereliquit te, ut in miſerationibus ſuis aſſumeret te. Non ſolùm enim de tyrannica rabie victorioſus triumphabis, ſed & ipſum tyrannum Chriſto Chriſtianum aſſignabis, univerſa arma ejus auferens, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuens. Septima hebdomada poſt dominicæ reſurrectionis triumphum, congregato divinitus Chriſtianorum exercitu, in eoïs partibus me prævio gaudebis & protectore, donec omnia quæ polliceor feliciter compleantur. His dictis, Sanctus diſparuit iterum receptus in gloria.

Ælfredus ſuoſque ad pugnam parat,

57 Cum verò diei nuntiaret principium, rex mente pariter & corpore ſurgens, & auditis fidem adhibuit, & gratias Deo ſanctoque Neoto referre non diſtulit. Tempus quippe carnalis in-

dixit

A. ANONYMO. dixit afflictionis, ut saltem in brevi salutaribus afflicti commerciis, priora tempora per fructum pœnitentiæ redimerent, putiores ad prælia processuri. Continuatis autem aliquamdiu bonorum operum exercitiis, cum illa exercitus portiuncula rex eoas secessit in partes, sicut sancti Neoti sanctis didicerat documentis. Ad locum itaque pervenientes, quem Elbrichtstan celebri novimus designatum vocabulo, quod Latinam vertitur in linguam, lapis Elbrichti; laxas inibi repressêrunt habenas.

aciem instruit 58 Cumque belligeris inniterentur instrumentis, ut regem illuc significaretur advenisse; altisonis lituorum clamoribus, buccinatum. Clangoribus recognitis, innumerabiles ad eos ipsa die confluxerunt. Nec solummodo fugiendo dispersos aut ubique latentes ibi credamus in modico convenisse; sed & ipsos, qui jam de vita desperati, colla tyranno subdiderant. His ita gestis, propter gratam armatorum multitudinem, juxta silvam salicis in gratam sese recipiunt planitiem: ubi per biduum commorantes, atque cultui vacantes armaturæ militaris, quibusdam aliis insperatum regis regressum significantibus, multos secum receperunt. Tertia verò die dispositа seriatim acie
B proximum anticipaverunt promontorium. Et quia dies desideratæ cælitus assignata victoriæ jam instabat, jam jamque divinitus appropinquabat, hinc hostium explorabant occursum, hinc promissum præstolabantur suffragium.

contra hostem procedit, 59 Factum est autem, ut rumor hujus eventus jam latissimè diffusus, profanas Gtronis attingeret aures, qui ubique serpentino gutture mortis sibilabat edictum. Tunc magis ac magis effrenatæ malitiæ spiritum exagitans, solam Christianorum anhelabat cædem atque cladem, & cruentas manus ad cruorem excitabat. Malus itaque malos hortabatur ad mala, & digna triumphantibus præmia promittebat: & licet belluino fremitu contra regem & ejus exercitum conaretur furibundus insurgere, illos tamen aspernabatur, & asserebat invalidos mortis exitio destinatos. Ecce alter Goliath * contra David veniens, carnes
** Mabil.* Golia ejus bestiis & avibus minatur exponere, & jam tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret. Cum itaque funestus idololatra sitibundo pectore vasa mortis fundere mortem præmonuisset, &
C adversus antea devictos crebris exhortationibus animasset ad pugnam; protinus juxta morem suum acies dispositæ, ad locum certaminis castra moventes.

& nova S. Neoti apparitione 60 Nox erat, & ecce Neotus angelica specie, nivea canitie, vestibus splendiferis & odoriferis regi Alvredo visibiliter *c* apparuit, belligera secum deferens arma. Rex quippe solicitus atque devotus, ut sibi promissum ejus desiderabat adventum atque præsidium, cui Sanctus talibus infit: Surgens tolle moras, ad palmam præparatus victoriæ. Cum enim huc procederes, tibi comes individuus commilitabam, & meo semper fovebaris consilio. Sicut enim in angustiis præmonitor, sic in itinere nihilo minus tuus exstiti ductor.

c

ejusque auxilii promissione animatus 61 Nunc igitur, ut viri fortes & ad bella doctissimi, & ut decet athletas Christi, succincti & armati cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum. Dominus enim fortis & potens, Dominus potens in prælio; qui dat salutem regibus, per me famulum suum optato vos ditabit tropæo cum salute. Ego ante vos ibo, & gloriosos atque superbos humiliabo: in conspectu meo cadent inimici vestri gladio, & stragem facere comminantes, magna strage corruent in ore gladii. Quibus auditis, Rex protinus adversos tendens in hostes, D solerter ordinatas promovit acies. Tunc omnem exhortatur exercitum viriliter agere, nefariam multitudinem non timere, pro se suaque patria fortiter dimicare, & de victoria jam tertiò sibi promissa non desperate.

cum barbaris confligit, 62 Mane autem facto, cum jam utrimque mutua visione phalanges sese conspicerent, clamor ingens ex utroque spiratus exercitu auras concussit æthereas. Postmodum autem præmissis hinc inde sagittis cum terrifico lancearum impulsu, ab utrisque concurritur, donec ad enses cominus perveniatur. Glorioſus verò servus Christi Neotus signifer & prævius regis antecedebat exercitum, hostiles ab ipso belli primordio comprimebat acies, & antè glorioſos conterendo reddebat inglorios: quem videns rex Alvredus, & agnoscens, brevi sermone conversus ad suos, in hæc prorumpit solamina: Commilitones, inquit, mei bellatores incliti, nonne videtis eum, qui nostros conterit hostes? Si nosse desideratis, ipse est proculdubio Neotus Christi miles invictissimus, per quem hodie præsto est in manibus nostris palma victoriæ. E

eosque in munimentum quoddam fugere compellit, 63 Dixit, & ecce viri validi validiores effecti, acriùs animantur ad pugnam. Tunc sanè quasi recenti bello resumptis viribus, in barbaros pariter irruunt: istos prosternendo sauciant, illos perimendo jugulant, & fundunt sanguinis undas; alios fugam arripientes magnis insequuntur clamoribus. Cumque dux alienigena suorum stragem vidisset, nec penitus resistere prævaluisset, alienatus est retrorsum: quod videns incredulæ multitudinis portio residua, declinando mortis interitum, nihilo minus pari consilio fugam consuluit. Rex verò, cui jam ad votum cælitus arridebat regalis hora triumphi, ad eam quam primò firmaverant arcem, eos ovanter insecutus est, obsidens eos in gyro forti munimine.

ita ut dux illorum, pactis induciis, fidem Christianam amplexus fuerit, 64 Denique pagani, viribus exhaustis & suppresso conamine, dextras regi suisque dederunt, supplicantes ut eis parceretur. Tunc spoponderunt sub juramento, ipsum principem suum victrici manui post modicum assignare, Christianæ militaturum militiæ, penitus abdicatis idololatriæ spurcitiis. Decursis igitur in pace trium hebdomadatum curriculis, Gitro tyrannus, belluina jam feritate depositа, regem adivit mansuetus, deposcens, ut per eum sacro renovari baptismate, ac divinæ legis cultor effici mereretur. Quem Rex Alvredus honorificè suscipiens, ad votum desideranter exaudivit, & de fonte levavit Catholicum, triginta primatibus suis idem gratiæ * *d* donum ** Mabil.* genere cum eo assecutis, præter alios, quorum numerus nequaquam nobis innotuit. Ecce per alterum quomodo Ananiam de lupo factus est agnus, & de Saulo mutatus est Paulus, & hæc mutatio dexteræ Excelsi. F *d*

quem Ælfredus de sacro fonte suscepit. 65 Cùm itaque Gitro, ritibus profanis funditus eliminatis, feliciter egressus fuisset in libertatem gloriæ filiorum Dei, cum nominatissimo rege patrino suo aliquamdiu moram faciens, his quæ ad vitam pertinent, summopere studuit informari. Denique magnis ab eodem rege ditatus muneribus, ei vice caritatis valedicens, suam cum suis recessit in patriam, laudans Deum trinum & unum.

Ælfredi regnum & mors, 66 Rex autem Alvredus in solio regni denuo sublimatus, sectando justitiam jejunavit à culpa, & reliquum vitæ suæ tempus sanctissimis venustavit commerciis. piè regens sub Rege piissimo, à quo piè regebatur. Si verò tempus regiminis ejus

A jus computando sciri desideratur, quatuor annorum septenis rexit Angliam & anno dimidio *e*; rexerat enim sex annis ante barbarorum invasionem; post restitutionem verò sceptrum regale viginti duobus annis insigniter obtinuit. Si jungas semis, summam quam quæris, habebis. Jamque Rex Alvredus ad patres suos feliciter appositus, de regno morientium ad regnum migravit sine fine mansurum.

atque auctoris epilogus.

67 O quàm pia recordatio! quàm attollenda laudatio! quàm pium est sancti Neoti præconium! Per eum rex in melius corrigitur, per eum in regno restituitur, per eum tyrannica rabies in mansuetudinem convertitur, cultus dæmonum evacuatur, & grex Catholicus augmentatur, ipso opitulante, qui prædestinatos misericorditer vocat, vocatos justificat, justificatos beatificat, & exaltat in gloria, in qua vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Asserius in Vita Ælfredi regis eumdem paganorum ducem vocat* Gothrum, *& paulo post* Godrum. *In chronico Saxonico ad annum Christi* 875 *&* 878 *Latina inflexione* Godrunus *appellatur, & utrobique insignis Ælfredi victoria ac Godruni conversio memorantur.*

B b *Mabillonii editio habet* lyridas; *sed tum unius tum alterius expressionis propriam significationem frustra quæsivi, etsi ex sensu satis appareat, quamdam panis aut frixæ farinæ speciem indicari.* A. ANONYMO.

c *Tomo* III *Martii nostri, ubi Vitam & miracula S. Cuthberti ad diem* 20 *ejusdem mensis dedimus, pagina* 127 *& sequente dicitur S. Cuthbertus regi Ælfredo apparuisse, ac victoriam prædixisse. An id utrique Sancto tribuendum sit, ignoro. Saltem Asserius, qui eo tempore floruit, diserte affirmat,* S. Neotum *Ælfredo regi imminentem paganorum irruptionem ac tandem subsecuturam eorum cladem pranuntiasse.*

d *Editio Mabillonii hìc habet* genere *pro* gratiæ. *Suspicor, in apographo ejus sic scriptum fuisse ignorantiâ amanuensis, qui forte antiquos codicis characteres non satis commodè legere poterat. Quidquid sit, sensus in ecgrapho nostro planior est.*

e *Quater septenus annorum numerus & annus dimidius, tantummodo viginti octo annos & dimidium constituunt, cum interim Asserius in fine Vitæ Ælfredianæ ita clarè scribat:* Anno Dominì DCCCC Ælfredus veridicus, vir in bello per omnia strenuissimus, rex occidentalium Saxonum nobilissimus, prudens vero & religiosus atque sapientissimus hoc anno, postquam regnasset XXIX annis & dimidium super totam Angliam præter illas partes, quæ subditæ erant Dacis, cum magno suorum dolore viam universitatis adiit, die VII Kalend. Novemb. anno regni sui XXIX & dimidio, anno vero ætatis suæ LI, indictione IV. E

DE S. HELENA VIDUA MARTYRE
SCODEVÆ IN SUECIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. P. B.

Sanctæ cultus apud Suecos & Zelandos; ejus Vita, & ætas.

SEC. XII.

C *Cultus probatur ex canonizatione anni* 1164,



Othia regni Suecorum notissima regio est; ac bifariàm divisa: nam quà mare Balthicum & orientem respicit, Gothia dicitur orientalis, sive Ostrogothia; quà occidentem verò ac Daniam, occidentalis & Westrogothia. In hac oppidulum est haud procul à Tida fluvio, quod olim Skodwe, Skedci, Skedri, Skedui, *appellatum invenitur; nunc autem* Scodeva, *vulgo* Skófde, *&* Scœude, *ab urbe Scarensi tertio fere lapide in ortum distans. Ex eo* S. Helenæ *nostræ quasi cognomentum adjicitur,* de Schedui, Scodevensis *&c.; sive quòd ibi nata sit, sive quòd ad ejus dominium locus pertinuerit, sive quod istic habuerit aliquando domicilium ac sepulcrum, sive denique ob causas hasce simul universas. Ibi quoque cultûs ejus primum fuit ac celeberrimum theatrum ab anno Christi* 1164, *quo* eam Alexander Papa tertius, Carolo, Suercheri filio, Suecorum & Gothorum rege, instante, ob sanctimoniam vitæ & miraculorum operationem, in Sanctorum numerum retulit, *ut habet Lectio tertia secundi Nocturni in ejus Officio, cum aliis Patronorum regni Sueciæ propriis ex vetustis ejusdem regni Breviariis deprompto, Romæ approbato, & hìc in officina Plantiniana non semel cum illis excuso. Quod idem de canonizatione ejus affirmat Joannes Magnus, archiepiscopus Upsalensis, cum in Historia sua Gothorum lib.* 19, *cap.* 7, *tum in Vitis pontificum Upsalensium lib.* 2, *ubi de Stephano primo; à quo eam, Alexandri Papæ præcepto, Sanctis ait adscriptam fuisse. Consonat* vetus Chronicum Ms. *apud Baronium in Annalibus eodem anno, numero, apud nos,* 52.

F *& Kalendariis, Martyrologiis, & Officio approbato; ubi Martyr appellatur,*

2 *In Martyrologiis & Kalendariis nec eodem die, nec modo eodem annuntiatur: Vitæ nostræ Ms. hic est titulus:* Incipit Passio S. Helenæ viduæ & martyris, quæ est Calendis Augusti. *Et* Calendis Augusti *eam occubuisse, ejusdem Vitæ textus affirmat num.* 7. *Florarium tamen nostrum Ms. die* XXX *Julii memoriam celebrat* Helenæ militissæ; *Grevenus eodem die:* In Suecia Helenæ militissæ; *cui adstipulatur in Martyrologio Germanico Canisius. Sumitur autem* militissa *pro matrona nobili, ac ditionis alicujus domina; ut ex Cangii Glossario discere est. Molanus eodem die* XXX *Julii tantùm scribit:* Item in Suecia, beatæ Helenæ. *Testatur interea Vastovius in Vite Aquilonia, ubi ejus Vitam describit ad annum Christi* 1160, *ab Alexandro PP. III statutam fuisse ei* diem anniversariam, quæ est ultima Julii; *fortè ne loco suo moveretur festum S. Petri ad Vincula, quo videtur Sancta finem fecisse vivendi. Certè Kalendarium SS. Patronorum regni Sueciæ, Officiis eorum propriis præfixum, die* XXXI *Julii notat festum* S. Helenæ viduæ & martyris Scodevensis: Duplex: *eumdem diem notatum fuisse in*

AUCTORE P. B.

antiquo Breviario Strengneſenſi, obſervat Scholiaſtes Vaſtovianus. Itaque & nos diem hanc ejus memoriæ conſecrandam elegimus, cum Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, ubi refertur : Schedui in Gothia, S. Helenæ viduæ & martyris. Martyriş *verò titulum hîc latiùs accipe : neque enim fidei cauſa illi necem videtur attuliſſe ; ſed iniqua criminatio. Potuit huic titulo anſam dediſſe ipſa canonizatio, utpote juxta Baronii Chronicum facta* ob vitam ſanctiſſimè ductam, mortemque violentam injuſtè acceptam, additis miraculis multiplicibus.

uti & in veteri Miſſa propria.

3 Martyr *etiam vocitatur in Miſſali votivali Suecico, circa finem ſeculi decimi quinti, aut etiam citiùs impreſſo, quod habemus ; quodque ejus, ut & aliorum Sueciæ Patronorum, Miſſam exhibet propriam fol.* 53. *Hujus inſcriptio eſt :* De S. Helena martyre & vidua : *Introitus :* Gaudeamus omnes in Domino, ſub honore *&c. Oratio :* Largire nobis, quæſumus, clementiſſime Deus, interceſſione B. Helenæ martyris tuæ, veniam omnium peccatorum ; ut * quos ejus concedis ſolenniis gloriari, da ejus precibus glorioſis cælitus ſublimari. Per *&c. (Eadem Oratio legitur in Officio ejus proprio, de quo ſuprà.)* B *Lectio ex Eccleſiaſtici cap.* 26 : Mulier ſenſata & tacita *&c. Graduale :* Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam ; & deducet te *&c. Verſus :* Audi, filia, & vide *&c. poſt Alleluia Verſiculus :* Helena, Veſgociæ decus & patrona, poſce nobis hodie gratiarum dona. *Euangelium :* Loquente Jeſu ad turbas, ecce, mater ejus & fratres foris ſtabant *&c. Offertorium :* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis *&c. ; uti & Communio. Secreta:* Quæſumus, omnipotens Deus, ut hæc hoſtia conſpectibus tuis oblata, precibus B. Helenæ martyris, tuæ majeſtati fiat accepta. Per Dominum. *Poſtcommunio :* Conſerva, Domine, populum tuum, de tua pietate ſperantem, & præſta, ut qui B. Helenæ martyris tuæ memoriam agimus, ejus meritis & precibus ab hoſtium incurſibus liberemur. Per Dominum.

Colitur etiam in Zelandia Daniæ ;

4 *Eſt & in Zelandia Danica locus, ſanctæ hujus* Helenæ *eccleſiâ, nomine, veneratione, fonte, miraculis tam illuſtris olim, cum ibi Catholica floreret religio ; ut ne nunc quidem in media Lutheraniſmi nocte, quæ pridem inſulam illam omnem involvit, ſplendoris antiqui veſtigia prorſus amiſerit. Adjacet Oceani littoribus versùs aquilonem, priſco adhuc nomine celebratus, quod* G *eſt* S. Helenæ fons, *vulgo* S. Lene Kild. *Meminit hujus Olaus Wormius, in Hafnienſi olim academia profeſſor medicinæ acatholicus, Monumentorum Danicorum lib.* 1, *cap.* 4 ; *aitque, fontem hunc diu ante* Helenæ *tempora exſtitiſſe, ſed Thiſæ (Thoronis uxori ab ethnicis inter deas relatæ) ſacrum : tum ſubdit :* Cui, abrogatâ idolomaniâ, S. Helenam præfecere Pontificii *(ſic nuncupat Romano-catholicos.)* Unde fons ipſe jam S. Helenæ vocatur. Quò etiamnum multi variis affectibus obnoxii confugiunt, ſanitatem ſibi pollicentes. *Hem, quàm jejuna oratio. Cur, obſecro, Pontificii poſt abrogatam idolomaniam illi fonti* S. Helenam *præfecere ? Quo tempore ? Qua occaſione ? Poterat hoc ſanè antiquitatum indagator ille ſolertiſſimus facilius, niſi fallor, eruderare, quàm antiquiſſima illa, quæ ſciri nihil intereſt, ſuperſtitionis paganæ monumenta. Lucis hîc forſan aliquid afferre poſſet Michaël O Wexionius, qui, ut annotavit Bollandus noſter, in Epitome deſcriptionis Sueciæ, excuſa anno* 1656, *lib.* 1, *cap.* 11 *de Weſtrogothia, meminit fontis (hujus ; an Gothenenſis in ipſa Weſtrogothia, de* D *quo infrà in annotatis litterâ* e ?) S. Helenæ *ſacello inſignis. Sed librum illum deinde fruſtra requiſivimus, utpote ab eo, cujus fuerat, alteri commodatum, nec poſtea reſtitutum. Cum ergo de hac re nihil nobis aliunde ſuppetat, præter ea, quæ anno* 1658 *ab Henrico Lindano noſtro, tum Hafniæ commorante, accepimus, non pigebit hæc ejus verbis adjicere. Sic habet in epiſtola, die* VI *Julii ad P. Bollandum data :*

ubi ad ejus fontem multa celebrantur miracula ;

5 Aliud eſt, quod concernit propriè D. V. Septem milliaribus hinc habetur (ut traditio fert) corpus & ſepultura S. Helenæ Suedicæ ; ad cujus ſepulcrum multa fiunt miracula : ſicut etiam ante triduum factum fuit in homine, qui totus miſer & miſerabilis eò vectus fuit ; &, hauſtâ ſolummodo aquâ, quæ ſcaturit ex monte, ubi ſepulcrum eſt, ita convaluit ; ut pedes Hafniam redierit. Quotannis in feſto S. Joannis Baptiſtæ multa millia Lutheranorum (quia alii non ſunt) eò confluunt devotionis ergo. *Tum in alia epiſtola eodem anno indidem data,* III *Auguſti :* De S. Helena hæc repono, prout intellexi ex hujatibus : bis in anno fit ſolennis proceſſio ad locum illum ; in pervigilio S. Joannis Baptiſtæ, & pridie * feſti S. Olai, XXX Julii : quibus temporibus dicitur recedere mare ad longiſſimum ſpatium, ut videatur ingens ſaxum, quod habet veſtigia (ut dicunt) totius corporis humani ; in quo ſaxo dicitur S. Helena decubuiſſe, & hæc veſtigia impreſſiſſe : reliquo tempore anni aqua marina ſtat ſupra illam petram ad altitudinem hominis. Item ſolis illis temporibus aqua fontana dicitur habere virtutem ſanandi... Medio milliario à fonte eſt pervetuſtum templum, quò populus item confluit, tamquam ad tumulum S. Helenæ; & duobus milliaribus à fonte eſt alterum templum & ſepulcrum S. Thyræ reginæ Daniæ ; quæ duo loca reges Daniæ conſervant & inſtaurant, tamquam ſancta. Intellexi tamen, fuiſſe templum S. Helenæ vicinum fonti in colle ; ubi peregrini ſolent etiamnum cum toto ſuo Lutheraniſmo humiles cruculas erigere, quando ſanitatem aliquam adipiſcuntur. Aliquando collis ille eſt plenus crucibus. Hæc modò. Plura, ubi videro locum & fontem. *Viderit illum poſtea, nec ne, haud equidem ſcio : nihil certè poſteriùs ab eo ſcriptum inveni.*

E

* *fortè poſtridie*

F

& duo per annum obſervantur ejus feſta.

6 *Ex his collige* I. *Horum omnium traditionem perantiquam eſſe oportere, & à Catholicis olim Zelandis nec temerè conceptam, neque levibus argumentis tranſmiſſam ad poſteros ; quandoquidem in his toto amplius ſeculo poſt ejuratam avorum religionem, hauſtamque, cui ex adverſo repugnat, Lutheri hæreſim, obſtrepentibus nequidquam quà voce quà ſcripto miniſtris ſuis, perſeveravit.* II. *In eodem loco fuiſſe aliquando, cum viveret,* S. Helenam *noſtram ; ſive illac Hieroſolymam adierit ; ſive iſtac inde ſit reverſa ; ſive alia demum quacumque ex cauſa (ſexcentæ enim eſſe potuerunt) ex vicina patria in Zelandiam Daniamve excurrerit. Fruſtra id negant novelli prædicantes, quia in ejus Vita non affirmetur : ſatis enim eſt, affirmari veteri communique indigenarum traditione, nec in Vita negari ; cum fateatur auctor Vitæ, pleraque ejus acta oblivione deleta fuiſſe, quando ipſe, ne omnia interirent, aliqua conſignavit.* III. *Fontis illius virtutem & crebra miracula,* S. Helenæ *meritis conſtanter adſcripta fuiſſe à Zelandis omnibus non modò orthodoxis, verùm etiam (ſi prædicantes excipias) Lutheranis, ſaltem uſque ad annum Chriſti* 1650, *quo Ericus Joan-*

A annis, *pastor Lutheranus in Græsted & Morum (pagi sunt haud procul à Fonte S.* Helenæ *) libellum vernaculum edidit Hafniæ De usu & abusu peregrinationis ad hunc fontem; idque eò præcipuè, ut insitam hanc à majoribus penitusque inhærentem de Sancta opinionem è popularium suorum & gregalium animis radicitus aliquando tandem evelleret.* IV. *In pervetusto illo templo notabiles olim conditas fuisse* S. Helenæ *reliquias, ratione quarum ibi sepulta quiescere Sancta dici credique cœperit phrasi apud Romano-Catholicos familiari, qua ibi Sanctorum corpora servari vulgò dicuntur, ubi pars eorum magna servatur. Has autem reliquias eò Scodevâ translatas putamus: nam cum ex dictis constet, non unam, ut alibi, fuisse apud Zelandos hujus Sanctæ celebritatem, sed geminam; alteram nempe in festo vel pervigilio S. Joannis Baptistæ mense Junio, alteram die* XXX *Julii; hanc facilè ex Martyrologiis suprà intelligimus ad celebrandam ejus depositionem esse institutam; at illam quò verisimiliùs referas, quàm ad aliquam reliquiarum translationem?*

B *Vitam ejus scripsit S. Brynolphus ep.,*

7 *Vitam* S. Helenæ *antiqua exhibent Sueciæ Breviaria, fere ut nunc legitur in approbato ejus Officio proprio; uti ex Vastovio colligimus, qui eam, quam dedit, ex Breviariis vetustis exscripsit, pauciſſimis fortè aliunde adjectis. Idem tamen fatetur, Vitam illam non esse primigeniam, cum ait:* Vitam ejus, & miracula conscripsit beatus Brynolphus, episcopus Scarensis, quam videre hactenus nequivimus. *Obiit S. Brynolphus ille anno Christi* 1317, *uti videre est in Actis die* VI *Februarii pag.* 925 *& sequente, ubi idem de illo asserit Michaël O Wexionius. Qui Vastovium annotationibus illustravit, suspicatur pag.* 58, *Historiam illam (ut Messenio appellatur) seu Vitam* S. Helenæ, *quam S. Brynolphus composuerit*, nihil diversam esse ab Hymno laudibus Helenæ dicato, cujus particula in Breviariis ecclesiarum patriæ supereſt, item in Officio Patronorum Suethiæ, Antverpiæ 1646 edito; integer autem supereſt in Mss. bibliothecæ Upsalensis num. 21 & 23; cui initium „ : Felix parens Wes„ gocia „. *Sed nullum scriptor ille profert suspicionis suæ fundamentum, nisi quod vox* historia *istiusmodi Hymnis apud Suecos non rarò tributa inveniatur, sitque adeo hujus ipsius Hymni in Ms.*

C *codice laudato hæc inscriptio:* Incipit Historia, sive hymnus *&c. Sed esto: appelletur* Historia, *aut etiam, si placet,* Vita S. Helenæ *Hymnus ille: unde illum suspicari possumus à S. Brynolpho compositum esse? Hoc enim quæritur; nec verbo vel unico probatur.*

quam nostram hanc esse probamus.

8 *Potiori jure Vitam* S. Helenæ, *quam hîc dabimus, S. Brynolpho censemus adscribendam; nisi aliam ullam exstitisse quis velit aut noverit Brynolphianâ priorem: neminem enim ante se de* S. Helenæ *gestis quidquam scripsisse, auctor noster apertè asserit in Prologo; deinde Suecum, imò Westrogothum se fuisse, non obscurè indicat ibidem, & num.* 3, *ac* 6; *præterea ostendit, opus hoc sese aggressum esse diu post tempora hujus Sanctæ, ut cujus opera jam oblivio sub silentio sepelisset, num.* 1; *denique stylus auctorem prodit in usu sacrarum Litterarum apprimè versatum: quæ omnia in S. Brynolphum ita quadrant; ut auctorem illum quasi digito demonstrent. Adde, quod hæc eadem sit Vita; ex qua in antiquis patriæ Breviariis Officii ejus Lectiones olim depromptæ fuerint; sicuti conferenti certum fiet: ut proinde, cum illud Officium componeretur, Vita illa vel sola exstiterit, vel optima sit judicata; quod iterum Brynolphum de-*

signat auctorem; tum quia non scitur alius ante Breviariorum editionem de illa scripsisse, tum quia summæ fuit apud suos auctoritatis ac fidei. Accepimus autem illam opera & manu Gamansii nostri ex Bodecensi, *ut ipse adnotavit*, cœnobii, Ordinis Regularium S. Augustini diœceseos Paderbornensis, Passionali pergameno Ms. insigni mensis Augusti, fol. CCLXI, pag. B. AUCTORE P. B.

9 *In Westrogothia natam fuisse hanc* Helenam *ac mortuam, cum auctor noster, tum Officium Sanctæ proprium, non semel indicant; & quidem* nobilibus parentibus. *Sed quibus? Incertum. Sunt, qui eam cum Helena Sueciæ regina & secunda Ingonis IV, anno circiter* 1128 *defuncti, conjuge, confuderint; sed prorsus imperitè, ut ostendit hoc loco Vastovii scholiastes, & utriusque, si vel obiter inspiciatur, Historia. Alii cum Vastovio patrem illi faciunt Guthormium, Sueciæ ducem; at neque hoc Messenio placet in Annotationibus citatis ad Vitem Aquiloniam pag.* 55. *Et sanè Guthormius ille floruit sub Carolo Sueciæ rege, cujus jussu profectus in Daniam, ei sponsam adduxit Valdemari I Danorum regis neptem, teste Saxone* D *Grammatico lib.* 14; *idque, juxta Pontanum Rerum Danicarum lib.* 6, *anno Christi* 1163; *cum* Helenæ *nostræ anno sequente veneratio publica ab Alexandro Pontifice Romano decreta fuerit. Enimvero nec adeo senem tum fuisse ducem illum apparet, ut filiam habuerit, quæ pridem ipsa ante obitum nepotes ex filia vel habuisset, vel habere saltem potuisset: nec eam continuò post obitum in Sanctorum album fuisse relatam. Quod si tamen ita esse quis velit, monumenta proferat, quibus faciat fidem, quæ hactenus producta non sunt.* *Sanctæ patria, parentes,*

10 *Sed neque satis definitum tempus, quo Sanctæ floruerit. Vastovius annum assignat Christi* 1160; *sed hujus chronologiæ nullam affert rationem. Eminentissimus Annalium conditor ad annum* 1164, *num.* 52, *citat* vetus Chronicum scriptum, *in quo idem annus* 1164 *mortis ejus & canonizationis statuitur. At Chronicum illud quàm sit vetus, & quousque pertingat, aut ubi collectum fuerit, non additur; cum inde tamen ejus auctoritas maximè pendeat. Joannes Messenius, in antiquitate Suecica exercitatus in paucis, juxta auctorem Annotationum in Vitem Aquiloniam loco citato, sic habet:* Initio duodecimi post Christum seculi conspicua vitæ sanctimoniâ floruit S. Helena, natione Vestrogotha. *Hoc sanè* F *melius congruit & cum tempore canonizationis; & cum Vita nostra num.* 1, *ubi* Helena *dicitur*, velut stella splendida & matutina, in principio fidei novellæ exorta: *nam nata videri debet circa tempora S. Sigfridi, à quo conversa est ad fidem Westrogothia: Obiit autem S. Sigfridus circa annum Christi* 1045; *uti diximus ad diem* XV *Februarii pag.* 847 *& sequentibus.* *ætas,*

EX MS.

VITA

Auctore, ut putamus, S. Brynolpho ep. Scarensi, ex codice Ms. cœnobii Bodecensis.

Incipit Passio sanctæ Helenæ viduæ & martyris, quæ est Calendis Augusti.

POstquam hyems infidelitatis transiit, imber persecutionum abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra *a*; inter quos beata Helena, velut nardus odorifera, prodiit, famâ bonorum operum redolens, & igne divini amoris flagrans. Hæc, velut stella splendida & matutina, in principio fidei novellæ exorta est, exemplis radians, signis coruscans, quorum plurima per negligentiam suppressa, ingratitudinis proles oblivio sub silentio sepelivit; quia styli non fuerunt officio signata *b*. Verùm ne sacrorum actuum ejus exempla sub modio silentii diutiùs lateant, aliqua de vita ejus inclyta & obitu glorioso, nec non de virtutum prodigiis, quibus, divina largiente clementia, claruit, humili stylo perstringimus; quatenus in laudem Dei audientium corda excitentur.

Auctoris prologus.

a

B

b

2 Hæc de nobilibus parentibus edita, ut Susanna quondam, in lege & in justificationibus Domini erudita est. Cum autem ad annorum nubilium attigisset habitudinem, secundùm morem terræ, viro *c* traditur; quem, ut Sara uxor Tobiæ, cum timore Dei suscipere consensit. Contulerat ei Deus fœcunditatem Liæ, sed Rachel decorem & venustatem; ut ipsa species corporis simulacrum esset mentis. Ipsa, velut Esther, omnium oculis gratiosa, generis sui nobilitatem morum honestate decoravit. Tandem cum, mortuo marito, ad iterandum thalamum ætas & opes vocarent, elegit magis spiritualibus nuptiis Deo copulari, quàm carnalibus subjici; quia cum lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt.

S. Helena nobilis vidua,

c

C

3 Igitur soluta vinculo maritali, laboriosam viduitatis aream terens, Judith exemplo, jejuniis & orationibus Domino serviebat. Ostium suum, ut sancti Job, viatori patuit; & velleribus ovium suarum calefactus est pauper. Insuper dilexit decorem domûs Dei; & zelus domûs Dei sic ei inerat, quod magnam partem ecclesiæ Skodwe *d*, ubi nunc corpus ejus sacrum requiescit, de stipendiis propriis fabricabat. Sanè & in villa, quæ vocatur Gótene *e*, tale vidit somnium, præsagium futurorum: videbatur illi, quod ecclesia illius loci, simul cum ipsa exsistente in ea, ad Skodwe transvolaret. Cujus somnii divina revelatione hanc dixit esse interpretationem, quod Gótene esset moritura; sed Skodwe esset sepelienda; sicut rei postmodum probavit eventus. Ceterùm cum porticus illa, quæ est inter turrim & ecclesiam Skodwe *f*, fabricaretur, quibusdam scisitantibus, ad quid interstitium illud fieret, ita respondit: Dabit Deus nobis aliquem Sanctum, cujus corpus & reliquiæ possunt hîc decenter collocari. Quæ de se, quasi de alio, dixisse perpenditur; quia in eodem loco post passionem suam ejus venerabile corpus positum est. Ex quibus manifestè dignoscitur, eam cum Debbora & Holda etiam prophetiæ spiritu claruisse.

virtutibus & prophetiæ dono clara,

d

e

f

D

4 Sed hostis antiquus considerans, oracula Sanctorum constrŭi; fana & delubra subverti, lucosque succidi, in quibus dudum insana infidelium multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat; cultui divino, quem per eam augeri vidit, invidit. Quam ob rem lucernam in domo Dei tam clarè lucentem, per iniquorum manus exstinguere moliebatur. Accidit igitur *g*, ut quidam nobilis filiam beatæ Helenæ matrimonio sibi copulatam, nimis exosam habens, frequenter verbis & verberibus lacesseret. Servi autem de familia contumelias, dominæ suæ injustè illatas, molestè ferentes, tetenderunt eidem domino insidias, ut eum occiderent. Propinqui igitur occisi pro nihilo duxerunt manus ultrices mittere in servos illos; & admissum crimen Famulæ Dei impingentes, ipsam conscium & machinatricem fusi sanguinis fuisse dixerunt. Ex tunc facti sunt ei hostes inexorabiles; & tribulationes multas & malas ab eis perpessa est.

ut injustæ iræ locum daret,

g

E

5 Sed quia plerumque hi, quos jam perfectos æstimant homines, in oculis summi Opificis aliquid imperfectionis habent (sicut sæpe imperiti homines necdum sculpta sigilla conspicimus; & jam quasi perfecta laudamus, quæ artifex considerat & limat; laudari jam audit; & tamen ea tundere meliorando non desinit;) ideo Dominus Famulam suam tunsionibus persecutionis & pressuris tribulationum perfectiorem fecit. Cœpit namque inde quotidianis incrementis in amore sui Conditoris succrescere, & ad gaudium & pacem cælestis patriæ anhelare. Verùm, quia tutius est ursæ sævienti, raptis catulis, occurrere, quàm viro confidenti in stultitia sua; & ut locum daret iræ; misit Deus in mentem suam, visumque est ei bonum pergere & visitare loca Sanctorum. Laborem ergo non abhorruit; sed femineæ cogitationi masculinum animum inserens, ad videndum Sepulcrum & locum passionis Domini, ut quondam glorioſa Constantini mater Helena, Hierosolymam petiit, causam suam divino commendans examini.

Hierosolymam proficiscitur;

6 Peragrata igitur regione illa & pluribus aliis locis, ubi Sanctorum reliquiæ in reverentia habebantur, cum in Domino confidens, & nullius occursum expaveſcens, ad propria reversa fuisset, hostes ejus, in malitia pertinaces & indurati, captabant in animam Justæ *h*, sanguini innocenti insidiantes. Ipsa autem bonitatis & pacis filia, innocentiæ alumna, sciens quod patientia opus perfectum habet, benefecit his, qui oderant eam, & oravit pro persequentibus & calumniantibus se; certissima de hoc, quod persecutores sui sibi coronam fabricarent in cælis. Porrò cum legitimè certasset, placuit Domino Agonistam tam strenuam de carcere carnis educere; &, ut glorioſiùs eam coronaret, iniquorum gladiis martyrio, quod apud nos eatenus rarum fuit *i*, occumbere permisit. Quadam enim die, dum pro indulgentiis iret ad consecrationem ecclesiæ Gótene, quidam de adversariis funesti in eam insiliérunt, & diris impressis vulneribus, satiato ense Justæ sanguine, velut ovem innocentem, spiritu superna petente, ipsam dimiserunt occisam *k*.

sed inde vix reversa, à propinquis occiditur;

F

h

i

k

7 Occubuit autem Calendis Augusti, de bello migrans ad pacem, quæ exsuperat omnem sensum. Fracto autem alabastro corporis sui, vis unguen-

Deo sanctitatem ejus mox attestante miraculis.

unguenti fragravit : nam poſt mortem ejus in multiplicandis miraculis divina potentia per ejus me-
*f. deſtitit rita non deſtituit *. Siquidem die paſſionis ejus poſt ſolis occaſum tranſeunte quodam cæco per viam, dum appropinquaret loco paſſionis ejus, puer, qui direxit greſſus ejus, vidit lumen quaſi candelæ ardentis in frutice : cumque ad juſſum cæci diligentius inveſtigaret, unde fulgor ille procederet, invenit in dumo digitum beatæ Helenæ abſciſſum, cum annulo, quem portaverat de Terra ſancta : quem præfatus cæcus tangens, cum manum ſanguine conſperſam ad oculos ſuos reduxiſſet, illico, deterſa caligine vetuſta, lu-
l men recepit *l*.

ANNOTATA.

a *Hîc ſe prodit auctor Weſtrogothum, aut ſaltem Suecum.*

b *Hinc collegimus ſuprà, neminem de* S. Helena *ſcripſiſſe ante hunc biographum.*

c *Quis fuerit vir ille, nihilo magis compertum*
B *eſt, quàm quis fuerit maritus ejus filiæ, de quo infrà.*

d *De* Skodwe *vide commentarium num.* 1.

e *Hoc loco ſic habet auctor Annotationum ad Vitem Aquiloniam Suecus & heterodoxus :* Goethene parœcia eſt ſeſqui altero lapide Scaris diſtans orientem versùs. Fons limpidiſſimus, hodieque manans, & locus, quo cædem commiſſam ferunt, magna quondam in veneratione habebantur ; ceu fidem faciunt Indulgentiales, uti audiunt, litteræ diverſorum epiſcoporum. Harum unas vidiſſe memini Laurentii epiſcopi Vexionenſis, datas anno 1462, quibus " quadra-
„ ginta dierum indulgentias pollicetur eis, qui
„ fontem S. Helenæ, ut & locum interemptio-
„ nis, in Gotthene viſitaverint „. *Diſtat vero* EX M*
Goethene *Scodevâ binis circiter milliaribus Weſtrogothicis cum dimidio : horum autem milliarium novem uni gradui reſpondent.*

f *Hæc loci tam ſingularis notitia ſcriptorem omnino arguit Weſtrogothum.*

g *In Officio proprio & apud Vaſtovium hæc ὕστερον πρότερον referuntur, ac ſi generi cædem anteceſſiſſet Hieroſolymitana* S. Helenæ *peregrinatio ; cum juxta ſcriptorem noſtrum cædes illa, & inde orta propinquorum adversùs innocuam Socrum odia, peregrinationis occaſio fuerint.*

h Captabant in animam juſtæ *phraſis eſt Davidica Pſ.* 93, *verſu* 21, *ſignificans idem quod ſubditur, nempe* ſanguini *ſeu vitæ* innocenti inſidiari.

i *Hîc etiam clariùs, quam alibi ſe Weſtrogothum oſtendit auctor : nam in Suecia univerſim ſumpta,* eatenus *rara non fuiſſe martyria, ex Vaſtovio colliges.*

k *Addit Vaſtovius :* Corpus ejus, qui in comitatu aderant familiares non ſine lacrymis domum revexerunt : atque tunc primùm animadverſum, digitum unum deeſſe : ſed illum diu latere non
E paſſus eſt ille, qui cuſtodit oſſa Sanctorum ſuorum. Miro ſplendore lumen è cælo affulgens, eum inter dumeta demonſtravit. Cujus miraculi famâ excitus è vicinia cæcus accurrit *&c. Hæc à noſtra narratione nonnihil diverſa ſunt.*

l *Mirum videri poteſt, quod hæc Hiſtoria nullo concludatur epilogo, tamquam ſi integra non eſſet. Nihil tamen ultra ſcripſiſſe auctorem noſtrum, ex eo conjicimus, quod neque in Breviariis neque apud Vaſtovium quidquam amplius de illa narretur, præter canonizationem, de qua monuimus in Commentario, & cujus notitia aliunde hauriri potuit.*

DE B. JOANNE COLUMBINO,

FUNDATORE ORDINIS JESUATORUM.

PROPE SENAS IN TUSCIA.

C G.C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Antiquus Beati cultus ex variis monumentis.

F

ANNO MCCCLXVII.

QUanta ſit in pervolvendis Sanctorum geſtis utilitas, quanta ad animos mutandos efficacitas, hac die nos docent duo egregii religioſorum Ordinum conditores, videlicet B. Joannes Columbinus & *S. Ignatius de Loyola, quos fortuita ſimilium hiſtoriarum lectio ad imitationem excitavit, & altè cordi impreſſa Sanctorum exempla ad eximiam vitæ ſanctitatem perduxerunt. Horum primus, de*

Sanctitas hujus Beati, qui pia lectione ad Deum converſus fuerat,

quo nobis hîc agendum eſt, pia hujuſmodi lectione ad bonam frugem converſus, tot deinde virtutibus tantâque ſanctimoniæ famâ claruit, ut paulo poſt ejus obitum communis populi conſenſus ſolitis Sanctorum honoribus ipſum afficeret, ac publica veneratione proſequeretur, ſicut per hujus commentarii & Actorum decurſum apparebit.

agnita eſt à Pio II Papa,

2. *Paulus Morigia in Hiſtoria Italica Jeſuatorum, Venetiis anno* 1604 *edita, lib.* 1 *cap.* 66 *pag.* 109 *& ſequente aſſerit,* Joannem Columbinum *à Pio II Papa ſolenniter catalogo Sanctorum inſeribendum fuiſſe, niſi mors brevi ſecuta bonam hujus Pontificis voluntatem impediviſſet. Hæc aſſertio confirmari poteſt ex ſingulari Pii II affectu erga* B. Joannem Columbinum, *cujus ſacras reliquias in parthenone SS. Abundii & Abundantii prope urbem Senenſem anno* 1464 *veneratus eſt, ut patet ex inſcriptione ibidem marmoreæ tabulæ inciſa, quam Joſephus Bonafede poſt Morigiam in Vita* B. Joannis Columbini *lib.* 2 *cap.* 22 *correctiùs exhibet hoc modo :* PIUS II. PONT. MAX. SENA ORIUNDUS, CUM EXPEDITIONEM IN TURCAS PRÆPARARET, CAL. MAII MCCCCLXIV HUJUS LOCI UTRAMQUE ECCLESIAM INGRESSUS, BEATISSIMIQUE JOANNIS COLUMBINI RELIQUIAS OSCULATUS, MONIALIUM ASTANTIUM VITAM VERBIS COMMENDAVIT AMPLISSIMIS, EISQUE IN VITA ET MORTIS ARTICULO PLENISSIMAM SUORUM PECCATORUM VENIAM ; OMNIBUS VERO ET SINGULIS HANC ECCLESIAM

AUCTORE G. C.

EODEM DIE, ET SANCTORUM ABUNDII ET ABUNDANTII FESTO VISITANTIBUS SEPTEM ANNORUM TOTIDEMQUE QUADRAGENARUM PERPETUO ELARGITUS EST INDULGENTIAM.

dum ſacras illius reliquias veneratus eſt,

3 *Hinc Joannes Baptiſta Roſſius noſter in Triumpho* B. Joannis Columbini *part.* 3 *cap.* 3 § 2 *de publico ejuſdem Beati cultu ſic ſcribit:* Interim dum bene mereri de humano genere, ut in terris cœperat, Columbinus pergit in cælo, vicem honoris ac venerationis rependere pergunt homines, quibus crebra in vita & poſt mortem miracula perſanctè colendum eſſe perſuaſerant. Neque apud animos popularium ac privatorum dumtaxat opinio iſtæc invaluerat, ſed magnatum etiam pectoribus inſederat, & quod optandum maximopere fuerat, ipſum ſummum Pontificem permovit, ut ſuo exemplo fidelium pietatem foveret firmaretque: quippe Pius ſecundus (verba promo ex marmorea tabula muro templi ſancti Abundii inſerta) Senâ oriundus, cum expeditiones in Turcas præpararet, Kalendis Maii MCCCCLXIV hujus loci utramque eccleſiam ingreſſus beatiſſimique Joannis Columbini reliquias oſculatus, monialium adſtantium vitam verbis commendavit ampliſſimis &c.

B

& maximè auxit

4 *Quantum porro honor* B. Joannis *incrementum ceperit ex hac Romani Pontificis pietate, idem Societatis noſtræ ſcriptor in opere proximè citato part.* 4 *cap.* 15 § 7 *exponit his verbis:* Haud equidem reor, tam ſublimem Columbini ſanctitatem & gloriam æquari ſtylo aut noſtro potuiſſe, aut elegantiori cultiorique poſſe: quæ tamen diximus, talem demonſtrant, cui debeantur templa & aræ, honorque Divorum, atque hunc meritò collatum illi à Pontificibus ceteriſque fidelibus impendi ſummopere gratulandum eſt. Initium actioni præſtabiliſſimæ ultro ab eo datum, à quo accipere reliqui non niſi precibus obnixis poſt accuratam diſcuſſionem conſuevere: nimirum Pius ſecundus Pontifex maximus haud abſque divino nutu pro tumulo Columbini flexo poplite orationem fundere non eſt veritus, & ſacras exuvias in eo conditas venerari.

ſuo exemplo honorem,

5 Imitatæ Paſtoris exemplum populorum turmæ illuc accurrere frequentes è finitimis pagis & caſtellis; tum crebreſcente miraculorum fama, è longinquis etiam civitatibus properare, nec niſi beneficiis aucti diſcedere, qui remedia corporis animique malis procurabant. Hinc appenſæ votivæ tabellæ, impetrationum teſtes, & aggerata anathemata, Divi patrocinio acceptæ opis monumenta. Porro pergente Deo gloriam ſui Famuli propagare, erigi aræ ſunt cœptæ, imagines radioſæ cudi, reliquiæ ad venerationem exponi, lampades accendi, dies ejus natalis quotannis celebrari, ſacris Eccleſiæ faſtis nomen ejus inſcribi, quæque alia exhiberi ſolita à noſtra mortalitate immortalibus, quos ex calculo Apoſtolico coli poſſe conſtat, ut ævo beato fruentes & cum Chriſto regnantes in cælorum regia.

C

ei ab immemorabili tempore exhiberi ſolitum.

6 Jam verò quis ſuccedentium Pontificum Urbano quinto, pro ſancto habenti Columbinum adhuc ſuperſtitem, non ſubſcripſiſſet? Quis Pii ſecundi pietatem oſſa ſacra venerantis non laudaſſet? Quis ſuffragiis numeroſis ceterorum Eccleſiæ Paſtorum non adhæſiſſet? Omnes profecto quotquot in ſede Vaticana imperantes videre ſecula poſt Urbanum, vel amavere Joannem, ut flagrantiſſimum Jeſu amatorem; vel ornavere encomiis, ut Eccleſiæ defenſorem; vel mirati ſunt, ut rerum magnarum atque adeo miraculorum patratorem. Quæ cauſa fuit propenſæ eorum in Jeſuatos voluntatis ac facilitatis in privilegiorum largitione, quibus munita ſodalitas tota ſuo ſe robore viribuſque tuetur, & ſplendore, ſi non multitudine, inter religioſas familias effulget.

D

Ex collecta,

7 *Supra laudatus Morigia in Hiſtoria Jeſuatorum lib.* 1 *cap.* 67 *pag.* 117 *& ſequente nobis exhibet commemorationem de* B. Joanne Columbino *fieri ſolitam hoc modo:* ANTIPHONA. Vale igitur Joannes glorioſe, noſtri ſemper faciens apud Deum memoriam, ut tua valeamus piiſſima interceſſione & in præſenti ab omnibus protegi periculis, & in futuro gaudia, quæ tu jam poſſides, adipiſci. ℣. Ora pro nobis beatiſſime Joannes Columbine. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ORATIO. Deus humilium celſitudo, qui beatiſſimum Joannem Columbinum, confeſſorem tuum dilectiſſimum, tantæ charitatis in te ardore inflammaſti, ut Jeſu nomen deſideratiſſimum Filii tui in ſuo vivido corde & ore ſemper habere meruerit: concede quæſumus, ut ejus meritis & precibus ita in tuo nomine & amore incendamur, ut mente & corde te unicè ſuper omnia diligamus & promiſſa humilibus præmia conſequamur. Per Dominum noſtrum &c.

E

epigrammate,

8 *Huic commemorationi ibidem ſubjungit ſequens epigramma:*

Iſte Columbinus mollem cum ducere vitam
Poſſet, & accepta nobilitate frui;
Poſthabuit tamen ille Deo tot commoda, noſtri
Fundator princeps Ordinis eſſe volens.
Quin etiam Chriſtum (hinc fuerit quam diſcite ſanctus)
Ulceribus putrem, dulce ſubivit onus.

Neſcio, quam antiquitatem hæc habeant, & utrum ea commemoratio in diœceſi Senenſi communis & publica fuerit, an verò in Ordine Jeſuatorum dumtaxat uſitata, & forſan ex privato alicujus erga Beatum affectu compoſita.

Martyrologio

9 *Itaque progrediamur ad certiora legitimi cultûs argumenta, quæ idem Morigia nobis ſuppeditat, dum in jam citata Hiſtoria lib.* 1 *cap.* 66 *pag.* 110 *affirmat, quod Gregorius XIII Papa nomen* B. Joannis Columbini *Martyrologio Romano inſeruerit, & quod Sixtus V Papa indulgentias plenarias conceſſerit omnibus & ſingulis fidelibus, qui feſta luce ejuſdem Beati Senenſem Jeſuatorum eccleſiam viſitaverint. Ibidem adjungit, feſtivitatem ipſius à civitate Senenſi, clauſis officinis, devotè quotannis celebrari, atque eo die ad honorem Beati à nobilibus Columbinæ familiæ poſteris multas eleemoſynas in pauperes erogari.*

F

Romano,

10 *Certè in Martyrologio Romano pridie Kalendas Auguſti hodiedum ita legimus:* Senis in Tuſcia, natalis beati Joannis Columbini, inſtitutoris Ordinis Jeſuatorum, ſanctitate ac miraculis clari. *His adde, quæ Roſſius noſter part.* 4 *cap.* 15 § 7 *ſic refert:* Denique noſtra ætate poſtremus honor Divo obtigit, haud poſtremus futurus ſecuturis, quando amplo Rituum congregationis hoc eſt Pauli quinti diplomate facta facultas eſt civitati ac diœceſi Senenſi divinum Officium de beato Columbino, ut de ceteris confeſſoribus mos eſt, recitandi, & ſpes haud inanis eſt, fore aliquando, ut per orbem terrarum, qua latè patet Dei Eccleſia, protendatur. *Verùm ea ſpes, quæ tunc Roſſo noſtro affulgebat, jam ferme evanuit, cum exſtinctus ſit Ordo Jeſuatorum, qui lapſu temporis hanc ampliorem Fundatoris ſui gloriam veroſimiliter impetraſſent.*

aliisque monumentis

11 *Poſt tam manifeſta legitimi cultus teſtimonia non arbitror, hîc accumulandas eſſe annuntiationes recentiorum Martyrologorum, inter quos Fer-*

A *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hanc diem ſatis accuratæ Actorum ſynopſi iſtam ſubdit annotationem :* Gregorius XIII illum in Martyrologio Romano deſcribendum cenſuit ; Paulus verò V Pontifex maximus eccleſiæ Senenſi & religioni Jeſuatorum (quæ abſque Sedis Apoſtolicæ permiſſu multò antè natalem ſui Patris celebrabat) conceſſit, ut hac die illum Officio eccleſiaſtico colant.

legitimus ejus cultus probatur.

12 *Dum Ferrarius hîc dicit, feſtivitatem* B. Joannis Columbini *ab Ordine Jeſuatico* abſque Sedis Apoſtolicæ permiſſu multò antè *celebratam fuiſſe, eum ita intelligo, ut tantummodo velit, expreſſam Sedis Apoſtolicæ permiſſionem defuiſſe: non enim dubito, quin more antiquo publica ſanctitatis fama, communis populi vox, tacitus Eccleſiæ conſenſus, & maximè Pii II Papæ exemplum Jeſuatos ad hoc faciendum impulerit. Quinimo* Joannem Columbinum *ante tempora Pii II Pontificis titulis & honoribus Divorum condecoratum fuiſſe, colligo ex Feo Belcaro, qui anno Chriſti* 1449 *Acta ipſius Italicè edidit, in quibus eum paſſim* B beatum *aut* ſanctum *appellat. Hæc ad immemorabilem & legitimum Beati noſtri cultum aſſerendum ſufficere exiſtimo. Nunc varios Actorum ſcriptores enumerabo, ut cognoſcatur illorum auctoritas, & facilius intelligantur ea, quæ deinceps dicturus ſum.*

§ II. Diverſi Actorum ſcriptores, eorumque auctoritas.

Vitam Beati obiter ſcripſerunt Chriſtophorus Ganus,

PRimi Jeſuati, *qui cum* B. Joanne Columbino *vixerant, magis ſoliciti fuerunt, ut humilia Magiſtri ſui veſtigia ſequerentur, quam ut præclara ipſius geſta litteris mandarent. Attamen Chriſtophorus Ganus, quem Bartholomæus Senenſis Cartuſianus in annotationibus ad Vitam B. Petri Petronii pag.* 185 *ſynchronum aut ſaltem ſupparem* B. Joanni Columbino *fuiſſe oſtendit, de converſione & moribus ejuſdem* Columbini *ſcripſit commentarium, de quo Feus Belcarus in prologo ſuo ad Italica iſtius Beati Acta ſic teſtatur :* Vidi Vitam ejuſdem ſancti Viri ſcriptam à D. Chriſtophoró Gano, optimo cive Senenſi, & extenſam ad quadraginta capitula, in quibus potius utilia documenta aſſignat, quam memoranda ejus facta exponit, cum in autographis beati Joannis epiſtolis & authenticis publicorum notariorum inſtru-
C mentis legerim multa magnæ ſanctitatis teſtimonia, quæ ille prætermiſit.

& B. Joannes Tauſſinianus,

14 *Temporis ordine hunc ſcriptorem proximè ſequi videtur B. Joannes Tauſſinianus, cujus Acta in opere noſtro ad diem* XXIV *Julii illuſtrata ſunt : is enim ex Ordine Jeſuatorum ad cathedram Ferrarienſem aſſumptus, teſte eodem Feo Belcaro, compoſuit quoddam opuſculum, in quo converſionem & mortem* B. Joannis Columbini *breviter narravit, ut congregationis ſuæ originem demonſtraret. Bartholomæus Cartuſianus Senenſis in laudatis annotationibus ad Vitam B. Petri Petronii, paginâ proximè citatâ, de hoc ſcripto ſic meminit :* Beatus Joannes Toſſignanus epiſcopus Ferrarienſis ejuſdem inſtituti ac diſciplinæ hiſtoriam confecit ſuaſu beati Nicolai Albergati Cartuſiani, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Bononienſis, quam deinde etiam pluribus hinc inde collectis atque ex epiſtolis vel maxime ejuſdem Columbini decerptis auxit locupletavitque Feus Belcarus Florentinus, boni vir nominis, & Hetruſcâ linguâ poëta non vulgaris, eamque Joanni, Coſmi Medicis filio, inſcripſit atque dicavit. *De Feo Belcaro, qui Acta* B. Joannis Columbini *circa medium ſeculi* XV *ex variis antiquis inſtrumentis collegit, mox plura indicabo.* AUCTORE G. C.

cujus poſteriorus lucubratio viſa eſt à Roſſo noſtro,

15 *Roſſus noſter vidit hanc B. Joannis Tauſſiniani vel Toſſignani lucubrationem, & de ea in ſupra memorato opere pag.* 2 *tale fert judicium :* Hujus autographum manu propria exaratum, in cimeliis monaſterii SS. Joannis & Pauli Romæ inter ſacra lipſana adſervatum, luſtrandum mihi à R. P. F. Aloyſio Renzolio Ordinis (*nempe Jeſuatici, qui tunc etiamnum ſubſiſtebat*) definitore commodatum fons videtur rivulorum, quos poſteriores ſcriptores in ſuorum librorum areolas deduxere ; niſi quod compendio reſtrinxit, quæ apud Morigiam latiùs diffuſa ſunt, quia non tam hiſtoriam texere, quam naſcentis congregationis exordia tradere ſe diſertè profitetur. At momentum in brevitate eſt, quod à ſancto laudatur Sanctus.

qui de aliis Actorum fragmentis

16 *Nihilominus hæc imperfecta veterum ſcriptorum monumenta curioſis poſteris aliquam lucem attulerunt, eorumque diligentiam acuerunt, ut undique alia eorumdem Actorum fragmenta colligerent, ſicut laudatus Roſſus ibidem pag.* 5 *& ſequente innuit his verbis :* Neque tamen culpæ vetuſtati dandum, quod ex uberrima ſegete factorum præcellentium libaſſe pauca contenta, temporum locorumque circumſtantias adnotaſſe prætermiſerit : etenim ſanctæ ſimplicitatis quam laboris amantior in ſcribendo, imitari beati Fundatoris exempla vitæ morumque maluit, quam ſolerti obſervatione in ephemerides eadem referre, incurioſa interim, quid optatura olim eſſet poſteritas ſingillatim noſſe, quæ per ætates conſequentes vulgare fama perrexiſſet. E

prudenter diſſerit.

17 Laudanda quidem paucorum diligentia, qui accepta à majoribus traditione minime dubia, monumentis utcumque adnotata in meliorem redigere ordinem ſtuduere ; ſed quæ prætermiſſa & longa temporum oblivione ſepulta ſunt, ut in lucem memoriamque revocentur, à nullius exſpectandum eſt induſtria ; quorum verò veſtigia remanſere aliqua, narrationis beneficio in clariorem explicationemque notitiam reduci queunt à ſagaci indagatore, qui certa ſecernat à probabilibus, & à neceſſariis contingentia diſtinguat, ut ſuis veritas expreſſa coloribus in publicum prodeat, paulo quidem comptior, ſed minimè fucata, & ſuis, quoad licuit, aucta numeris, non omnibus (quod fieri non potuit) abſoluta. *Hac clauſula Roſſus indicat modum, quem ipſemet in texenda* B. Joannis Columbini *Vita adhibuit, & de quo paulò pòſt fuſius agemus.* F

Feus Belcarus exaravit

18 *His duobus ſucceſſit Feus Belcarus, civis Florentinus, qui jure merito inter præcipuos Columbinianæ Vitæ ſcriptores recenſeri poteſt, eo quod diſperſa veterum auctorum monumenta collegerit, eaque ex proxima ſuæ ætatis traditione illuſtrarit, & ampliora* B. Joannis Columbini *Acta anno* 1449 *Italicè ediderit, qui annus in fine Actorum notatur. Ceterum qualis fuerit iſte Feus Belcarus erui poteſt ex Michaele Pocciantio, qui in Catalogo ſcriptorum Florentinorum apud nos pag.* 55 *hæc de illo habet :* Feus Belcharius, Hetruſco & prope divino carmine clariſſimus, ſanctiſſimis moribus vitaque integerrima præditus, edidit plures odas, inter quas præcipua exſtat illa omnibus admiranda, cujus exordium : DA CHE TU M' HAI, DIO, IL COR FERITO. Præterea Vita beati Columbini, Jeſuatorii Ordinis inſtitutoris. Humanis cèſſit die XVI Auguſti, anno Chriſtianæ Redemptionis MCCCCLXXXIV.

AUCTORE CCCCLXXXIV.

G. C. pio & ſimplici ſtylo eamdem Vitam Italicè,

19 *Certè ea, quæ Feus Belcarus de* B. Joanne Columbino *& illuſtribus Jeſuatis ſcripſit, ſinceram ſimplicitatem & magnam pietatem ſpirant, ita ut eminentiſſimus Baronius occaſione* B. Columbini *hac die in notis ad Martyrologium Romanum de hoc auctoris opuſculo rectè ita pronuntiaverit :* Hujus ac ſociorum res geſtæ ſcriptæ ſunt à Phæo Belchario, quæ typis excuſæ leguntur, magnamque redolent pietatem. *Utrum eminentiſſimus Cardinalis jam memoratos antiquiores Vitæ Columbinianæ ſcriptores non noverit, an verò Feum Belcarum, tamquam præcipuum Actorum illorum collectorem, ſolum nominare voluerit, ignoramus. Habemus duplex hujus opuſculi exemplar : unum Senis anno* 1541 *impreſſum eſt, & ſine ulla capitum aut paginarum diſtinctione decurrit ; alterum Romæ anno* 1558 *recuſum ac in capita & paginas diſtinctum eſt. Quapropter claritatis gratiâ poſteriorem hanc editionem citabo, ubi quid ex his Actis erit afferendum.*

B quam priùs ex ipſo Latinam reddere ſtatueramus ;

20 *Equidem primò decreveram geſta & miracula* B. Joannis Columbini *ex antiquo idiomate Italico Fei Belcari fideliter Latina reddere ; ſed omnibus maturè perpenſis, mentem mutavi, tum quod tetricus ac difficilis mihi eſſet iſte labor, tum quod videri poſſet inutilis, cum jam Roſſus noſter Acta ejuſdem Beati Latinè vulgaſſet, & narrationem ſuam ex Feo Belcaro & Morigia ut plurimum hauſiſſet. Itaque tantummodo me morabatur ab inſtituto noſtro aliena Roſſi methodus, qua longiores digreſſiones Actis interſerit, & Vitam in varias ac diſcrepantes partes dividit, ut utrobique* B. Joannem Columbinum *triumphantem inducat, & titulo libri ſui plenè ſatisfaciat ; at tandem vidi, has difficultates etiam utcumque ſuperari poſſe, ut poſtmodum monebo.*

ſed cum poſt hunc & Paulum Morigiam,

21 *Poſt hunc copioſè Acta & miracula* B. Joannis Columbini *illuſtravit Paulus Morigia Jeſuatus, de cujus opere jam laudatus Roſſus noſter pag.* 1 *ſic judicat :* Nemo unus eorum, qui B. Joannis Columbini Vitam conſcribere ſunt aggreſſi, feliciùs adlaboravit, quam R. P. F. Paulus Morigia Mediolanenſis, ſanguine & virtute clarus, ac librorum in lucem editorum famâ celebris. Quippe nulli contigit tam multa adjumenta ad operis abſolutionem nanciſci, quanta huic præter communia ſingulorum & publici juris omnium, domeſtica privataque tabularia ſuppeditavere : etenim univerſo Jeſuatorum Ordini, ſupremo cum imperio præſidi liberum commodumque fuit præcipui cujuſlibet cœnobii pluteos ſcrutari & reconditas in ipſis antiquas tabulas evolvere, quæque exarata Beati geſta complectuntur, hiſtoriæ inſerere, & reliquis ignota ac omiſſa à tenebris ignorationis vindicare.

C

copioſis documentis inſtructum,

22 Acceſſere probi ac religioſi viri ſingularis in ſuum Fundatorem ac Parentem pietas, honoris cultuſque illius propagandi ardor, totius familiæ, ſuæ curæ commiſſæ, juvandæ ac decorandæ cupiditas, quæ ſtimulos currenti addidere, ut porro pergeret alacriter & cuncta perveſtigaret monumenta, ne quid neſciret, quod reſciri ab humano genere dignum duceret. Quo in ſtudio atque contentione divini favoris opem experiri viſus eſt minimè vulgarem : ſiquidem ſinceritatem narrationis, quæ prima laus hiſtorici reputatur, familiaris ſibi ſimplicitatis candore ornatam, facilis planæque elocutionis ubertate ita temperavit, ut aſſenſum etiam à moroſo lectore extorqueat, & ſenſu devotæ oblectationis animum perfundat.

23 *Joſephus Bonafede, clericus Regularis ex congregatione Lucenſi Matris Dei, anno* 1642 *Romæ edidit opus Italicum, quod in quatuor libros diſtribuit : duobus prioribus geſta & miracula* B. Joannis Columbini *exponit ; tertio ſpiritualia ejuſdem Beati documenta & aliquas ipſius epiſtolas refert ; quarto denique virtutes illuſtrium quorumdam Jeſuatorum enarrat. In proœmio autem rationem reddit novæ ſuæ ſcriptionis, & ibidem in fine lectorem monet, ſe pias Beati exhortationes & nonnullas ipſius epiſtolas Romæ ex veteri bibliotheca Altempſiana manuſcripto fideliter deſumpſiſſe. Poſtmodum in appendice, quam Actis & miraculis ſubnectemus, & in Annotatis ad Acta tertius hic liber nobis uſui futurus eſt.* D aliumque biographum Italicum

24 *Denique Joannes Baptiſta Roſſi, Societatis noſtræ ſacerdos, Romæ anno* 1648 *typis Manelphi Manelphii ſubjecit librum, cui hic titulus præfigitur :* Triumphus divinæ gratiæ per B. Joannem Columbinum, ſeu triumphus B. Joannis Columbini Jeſuatorum fundatoris per divinam gratiam. *Quinquepartita iſtius libri diviſio huic titulo planè reſpondet : nam ipſemet pag.* 9 *talem ſingularum partium elenchum exhibet :* PRIMA PARS. Triumphus B. Joannis Columbini de tribus concupiſcentiis, quæ in mundo deplorantur à S. Joanne Euangeliſta. SECUNDA PARS. Triumphus beati Joannis Columbini de mundi amatoribus, hominibus, ac dæmonibus. TERTIA PARS. Triumphi beati Joannis Columbini gloria per dona cæleſtia & miracula. QUARTA PARS. Triumphi beati Joannis Columbini ornamentum per virtutes infuſas & actus heroïcos. QUINTA PARS. Triumphi beati Joannis Columbini pompa, comites adſcripti, ac ab ipſo edocti. Roſſius noſter Acta ejuſdem Beati Latinè ediderit, E

25 *Verùm hæc partitio, ut ſupra innui, non multum mihi placuit, tum quod hiſtoriæ filum crebris digreſſionibus interrumperet, tum quod ordinem rerum geſtarum contra morem noſtrum variis iſtis triumphorum claſſibus inverteret. At tandem arbitratus ſum, me hiſce incommodis inveniſſe remedium, ſi longiores digreſſiones omitterem, & alia extra ordinem poſita ad ſeriem hiſtoricam reducerem, ut punctis in textu Actorum ſignificabo, & ubi operæ pretium fuerit, in Annotatis obſervabo. Porro hic auctor res à Beato geſtas ampliſſimè ornatiſſiméque conſcripſit ; ſed elegantem ejus narrationem plurima menda typographica deturparunt, ita ut ea partim ex erratis in fine poſitis, partim ex conjectura corrigere coactus fuerim. Habes hîc ſufficientem Actorum edendorum rationem : nunc etiam audi, quibus ſubſidiis ad opus iſtud concinnandum ſcriptor ille inſtructus fuerit, ut ſcriptionis auctoritatem cognoſcas.* hunc auctorem, ſervatis ſervandis, tranſcribemus, F

26 *Imprimis Roſſus poſt enumeratos antiquos recentioreſque auctores, qui Vitam* B. Joannis Columbini *exararunt, aut ſaltem de rebus ab ipſo piè prodigioſéque geſtis meminerunt, pag.* 3 *hæc ſubdit :* Noſtræ inſuper curæ fuit de dubiis quibuſdam per litteras eos conſulere, à quibus ſperari poſſe lux aliqua videbatur : & quamvis reſponſa de paucis habuerimus, quæ non diſſimulabimus, plura tamen remanent vetuſtatis involuta tenebris, & tunc ſolummodo aperienda, cum dies Domini venerit, quæ luce ſua immenſa manifeſtabit abſcondita, & cortinam bonorum ac malorum diu latentium reducet. *Vides hîc candidam ſcriptoris ſimplicitatem ; at nunc etiam prudentem illius diligentiam animadverte.* tum quod varia antiqua monumenta viderit,

27 *In præfatione pag.* 6 *& ſequente piam ſcriptionis ſuæ cauſam & varia ejuſdem ſubſidia ſic exponit :* Ego ſanè amicorum ſuaſione & virorum tum quod tabularia Jeſuatorum

inter

A inter Jesuatos consularium rogatu haud illibenter ad honestissimi operis aggressionem adduci me passus sum, ut vitam inter mortales actam à Columbino, latinitate hactenus indonatam, Latinè scribam: attamen ea conditione fidem obstrinxi meam, ut & ipsi operam præstare ne gravarentur suam, & domestica tabularia atque archiva Ordinis, à Morigia evoluta, rursus revolverent, si forte reconditas in arculis membranas aut involucra scripturarum rimantibus daretur aliqua reperire, quibus historiæ novum decus accederet & ubertas ad veterem aliorum tritamque descriptionem amplificandam.

28 Horum pollicitatione fretus & ope adjutus non parum fortasse emolumenti alieno labori & commentariis adferam, tametsi alioqui non me pœniteret operæ, & pretium feciſſe putarem, si scholiis brevioribus & adnotatiunculis auctius volumen prodiret, ubi singulari animadversione digna videntur, & fructum doctrinæ morumve aliquem parere legenti poterunt. Præterquam quod Divi cessurum est gloriæ, si Latinæ orationis veluti alis evecta fama mirificæ sanctitatis per latè patentis orbis plagas volitet, & ultra Italiæ fines, B Italicè scriptæ definitos, egressa Viri cælitibus adscripti cultuque dignissimi omni nationi, quæ sub cælo est, virtutum ac miraculorum magnitudinem denuntiet, ac venerationem invehat. Quod præstare molienti ita priorum scriptorum paulo superiùs appellatorum testimonio hærere in animo est, ut tamen ad exprimendam propriis coloribus Heroïs divini imaginem digitum stylumque intendam, & sub triumphantis schemate contemplandum in asceticorum scenam inducam.

iterum discuti curaverit,

29 *Quamvis igitur scriptor ille, de triumpho Beati adornando solicitus, historicum narrationis suæ filum sæpius interruperit, & vulgatam Actorum seriem nonnihil immutaverit, tamen ex jam dictis patet, ipsum veneranda antiquitatis monumenta præ oculis habuisse, iisque fideliter inhæsisse, ut etiam ex Italicis Fei Belcari ac Morigiæ Actis deprehendi potest. Quod si alicubi in rerum substantia ab aliis historicis discrepet, lectorem in Annotatis aut alibi de ea discrepantia monere non gravabor. Nolui hîc inter biographos recensere Petrum Ribadeneiram nostrum, Sylvanum Razzium, aliosque, qui vitam* B. Joannis Columbini *ex aliis contraxerunt, aut de gestis ejus tantùm obiter meminerunt. Accipe tamen satis nitidam Vitæ Columbinianæ synopsin, donec ampliora Joannis Baptistæ Rossi Acta, eo modo, quo superius dixi, dispositæ post hunc Commentarium prævium recudamus.*

& in historiæ substantia vestigiis veterum fideliter inhæserit.

C

§ III. Elegans Beati elogium, seu Vitæ compendium ex Fastis Senensibus.

Fasti Senenses narrant,

Urbs Senensis in Hetruria multos habuit cives & alumnos eximia eorum sanctitate præditos, de quorum virtutibus & miraculis Academia Intronatorum Senis anno Christi 1669 *auctiores Fastos Latinè vulgavit. In his à pag.* 361 *inter alios venerabiles ac Sanctos* B. Joannes Columbinus *insigni ornatur elogio, quod huc transcribere visum est, tum quod singularia quædam contineat, tum quod ex prævia illius lectione clariorem lucem acceptura sint ea, quæ deinceps in hoc commentario dicentur. Sic autem sonat:* Clarum dicerem Jo-

annem, quod sanguis illustrium majorum serie deductus in ejus ortum confluxerit; nisi verò alieni splendoris minimè indigus, non animi modò luminibus, sed mira vultûs luce adeo radiasset, ut Senis domestico in cubiculo, & Aretii in publico peregrinantium hospitio, noctem diei invidendam reddiderit. At vide sis, unde homo terrenarum affectionum caligine diu involutus tantum repente cælestis fulgoris hauserit. AUCTORE G. C.

31 Indignanti aliquando Joanni, quod solito serius domestici prandium apparassent, Blasia uxor, Cerretanorum genere & propria virtute nobilis femina, librum insignia Sanctorum gesta continentem ad piè fallendum tempus obtulerat. Illum Columbinus, alia quàm pietatis lucra animo revolvens, cum in terram primo iræ impetu projecisset, acriùs uxori succensens; mox tumultuario illo æstu defervente, humo reverenter sustulit: sacri quippe voluminis despectus graviori quodam angore mentem solicitare jam cœperat. Cumque sublatum humo codicem cœpisset evolvere, divino consilio factum est, ut in historiam Mariæ Ægyptiacæ incideret, cujus celebre inter laudatas à longa pœnitentia feminas nomen est. *quomodo B. Joannes Columbinus mirabiliter,*

E

32 Et ecce in illius noxis sua Columbinus piacula sensim erubescere, seipsum ad illius lacrymas lacrymabilem cernere; & ubi sex annis supra quadraginta illam eluisse luctibus inter feras, quidquid inter homines peccaverat, seriò percepit, ipse quoque melior jam vere columba amariùs gemere, seque non tam extra urbes, quam extra mundum, per religiosam vivendi normam ad dies noctesque fletibus jungendas accendere. Stimulis itaque longè alterius famis, terrena omnia nauseantis, actus Joannes sui odium Deique amorem avidissimè cœpit appetere. *lectâ S. Mariæ Ægyptiacæ Vitâ,*

33 Hinc ubi irrevocabili voto se ad omnes carnis illecebras evitandas obstrinxit, vestium vilitate totiusque corporis squallore urbanas munditias ornatumque, cujus antea studiosior fuerat, egregiè vindicavit. Severissimis insuper jejuniis, statis precationibus somnum sæpius interpellantibus, inflictis acerbiùs flagris, aliisque corporis afflictationibus animum viresque impendebat: assidua interim Deo in suis egentibus ægrisque peramanter præstans obsequia, adeo ut uxor, quæ tamen ipsa illum olim provocaverat ad pietatem, eamdem quasi nimiam modò pertæsa, non dubitaret ex vulgari dicto subinde repetere, pluviam se cupiisse, non diluviem. Sed auream diluviem & pretiosam tempestatem planè imprudens criminabatur. *austeriorem vivendi rationem amplexus fueris,*

F

34 Certe imprudentiæ sese ipsa damnare non potuit, ubi sub specie elephantiaci mendiculi, quem è principis templi foribus, pro quibus jacebat, succollante Joanne, domum, ut refoveretur, asportatum exhorruerat, latere Christum aut aliquem è cælitibus deprehendit suavissimo ex odore, quo ille, è strato statim avolans, perfusum cubiculum reliquit. At Joannes labris diviniori etiam suavitate affectis, quam per mille oscula è carnibus ægri, medico suo egregiè salutaris, libaverat, Christum ex eo tempore unicè in ore privatis publicisque sermonibus habuit. Jesu præconia per confertas populo vias dulcius decantabat unà cum perfectioris vitæ adlectis sociis, qui ab auspicatissimo nomine Jesuati meruerunt audire. *socios severioris vitæ adsciverit,*

35 Et illum quidem dicere solitum ferunt, se perpetuam vivendo mortem ducere, quod Christum passim non resonarent hominum laudes, cordis Reparatorem suum amantissimum minimè *& magno Christi amore*

AUCTORE G. C.

redamantis gelidum frigus linguæ torpore per silentium accuſante. Quin ut optati nominis oblivionem calamo quoque ; quoad poſſet , expungeret , centum in epiſtolis , quæ ſuperfuerunt, licet perquam brevibus ferè omnibus , millies & quadringenties Chriſti nomen expreſſit. Auſus eſt, opinor , feliciter æmulari inclytum ac percelebrem magni Pauli amorem ſalutare nomen ſuis in epiſtolis ſæpiſſimè ingeminantem , ut videlicet prædulcem vocem , quæ licet aſſiduè repetita , non tamen poterat in labris naſcendo non emori , æternaret in chartis.

flagraverit ,

36 Atque hac ratione Joannes exhalabat utcumque , quem pectoris anguſtiis continere non poterat , divini æſtus ardorem , ipſo ſenſuum experimento adeo præfervidum , ut nonnumquam amicus ab illo expoſtulans , quî poſſet ſumma hieme penè nudus frigoris impetum ſuſtinere , ubi manum ita jubentis Columbini pectori admovit , flammantem vim diutius ibi ferre nequiverit. Tantos intra ſe ignes cohibens Viri caſtiſſimi niveum pectus dixeris ſpirantem Ætnam , niſi flammis illa infernis , hoc cæleſtibus æſtuaret.

B

quem adverſitatum tolerantiâ probavit.

37 Ceterùm amantium more Joannes Amori ſuo per adverſa probare ſe debuit : & probavit ſtrenuè , dum ne populum ultra commoveret ad novi generis vitam , urbe patria agroque exterminari conſtanti animo ſuſtinuit ; ac poſtmodum modeſtiſſimè tulit , apud ſummum ſacrorum Antiſtitem Urbanum , ejus nominis quintum , ſuæ ſuorumque innocentiæ detrahi , quaſi ſub falſæ pietatis ſpecie hæreticam revera pravitatem occultarent. Verùm & ſagax prudentia graviorum ex Purpuratis , & ipſa Pontificis mens cælitus illuſtrata , eorum vitæ integritatem non abſolvit modò, ſed inſolitis etiam laudibus honeſtavit, patrocinantibus præſertim mirum in modum ipſis infantibus , qui parentes ſuas , ut Jeſuatis beneface-rent , monuetunt , ſanè in juſtiſſima cauſa perſuadenda oratores minime infantes. Eorum verò, qui tam egregium civem Senis proſcripſerant , errorem ſtatim ab illius diſceſſu cælum per diros turbines ingeminataque fulmina , morboſque varios immiſſos tam validè corripuit , ut per publicos legatos à Joanne veniam ſimul ac reditum ſubmiſsè civitas univerſa popoſcerit.

C

Denique Beatus miraculis

38 At longè frequentiùs benignitatis quam fulminum luce admirabilis Columbini apud Deum potentia coruſcavit : gravi namque valetudine laborantes vel ſui contactu pallioli vel herbis , quas terra , miræ charitatis afflatu ad inſolitam beneficentiam provocata , repente dedit , priſtinæ ſanitati ſæpe reſtituit. Potuit quoque , ut integræ noctis decurſu ardens lucerna nihil plane alimenti abſumeret , efficere ; & veriſſimè oleum operamque non perdidit : quippe prodigio , luce ipſa , quam fovebat , clariori conſobrinam ſuam Catharinam ad ſeverioris vitæ rationem , quam diutius ſuadere inſtiterat , tandem permovit.

& diſcipulorum ſuorum obedientiâ inclytus

39 Illud verò planè mirandum : uni è ſociis divino admonitu præſcripſit , ut quod in familiari colloquio linguâ peccaverat , toto capite ignibus impoſito lueret. Obtemperavit ille , ipſa non judicis ſed parentis ſui ſeveritate animatus , & toto in flammas capite procubuit. At Joannis virtute igneas vires frænante , poſt certam moram revocatus , ne uno quidem crinium aduſto , vividior è rogo ſurrexit obedientiæ phœnix , ſed non poſt cineres , flammis interim linguarum vibrantium murmure Columbinæ potentiæ plaudentibus. His aliiſque miris illuſtriorem Joannes reddidit , quam per aſperrima quæque publici præſertim contemptus exercitamenta probatam à ſuis aſſeclis exigebat , obedientiæ virtutem : & iſta quidem utpote virtutum omnium fœcunda parens tam claris dotibus conſpicuos illos brevi reddidit , ut ad publicæ pietatis incitamentum multi eos populi certatim expoſcerent. D

piè moritur ,

40 Columbinus verò , expleto duodennio vitæ ſanctiſſimis exemplis actæ & Dei amori animarumque ſaluti continenter impenſæ , dum Senas Viterbio repetit , meliorem in patriam eſt avocatus. Terras reliquit anno à partu virginis MCCCLXVII , poſtquam ſacerdoti ſuprema in ipſum pietatis munera obeunti procul ab arbitris multa prædixit , & inter charos filiorum amplexus effuſis teneriùs lacrymis , inundantis cæleſtis lætitiæ fluenta confudit. Supremas voces , publici chirographi fide exceptas & ad poſteros tranſmiſſas , teſtes eſſe voluit eximiæ probitatis ſacrarum Senenſium virginum , à ſanctis Abundio & Abundantio dictarum , illas compellans nullis Ordinum Chriſtiani orbis omnium virginibus honeſtate ſecundas , & ſanctimoniâ veriſſimè conſpicuas. Magna nimiùm veſtra iſtæc hereditas fuit , feliciſſimæ virgines , tam præclarè laudari à laudatiſſimo Viro , & quidem in eo vitæ articulo , in quo , cum Judicis æterni tribunal inſtet , ſola veritas voces exprimit à moriente ! E

& honorificè ſepelitur

41 At vos ultra triumphaſtis , obtento locupletiori juris hereditarii theſauro , ſacris nimirum ipſis relictæ à columbino ſpiritu mortalitatis exuviis , per plurima deinde prodigia ſe ſuoſque ſimul illuſtrantibus. Sanè ſi viventi Joanni inſigne fuit in cæli transfugas mentes imperium , ubi dignius à morte quieſceret , quam iis in ædibus , à quibus illas longè proſcriptas cum gemitu fugere aliquot ante annos ipſe idem advertiſſe ſe dixerat? Hoc quoque teſtimonio non leviter firmans rite vulgatam famam , à melioribus geniis gratas cælo ædes olim fuiſſe conſtructas , quæ videlicet nequioribus non modo eſſent imperviæ , ſed formidandæ , ut jam Sena veritati Chriſtianæ hoc exhibeat Superum ædificium , in quo de fabuloſa antiquitate triumphet , Troiam ſuam diis architectantibus conditam jactante.

in cœnobio SS. Abundii & Abundantii , F

42 Tumulati tam nobili loco ſacri cadaveris venerationem diu auxit omnis prorſus labis expers integritas ; donec , imminente aliquando hoſtili exercitu , cum religioſæ illæ virgines intra urbem ſe recipere cogerentur , immiſſo (caſu an aſtu , incertum) in Divi ſepulcrum pluvio ſtillicidio, ſacri illi artus tabo ceſſere , ſi pedem excipias , qui hodieque intaminatus oſtenditur. Credas , hanc eſſe , qua præcipuè ſe Joannes terris oſtentat , inviolabilem gloriam , mundum & gloriam ipſam calcaſſe. *Quod elogii auctor ſupra num.* 35 *habet de ſæpius repetito in epiſtolis ejus Jeſu nomine , confirmari poteſt ex Feo Belcaro , qui in Vita Italica cap.* 57 *ita ſcribit :* In centum epiſtolis ejus, quas legi , & quarum major pars paucis verbis abſolvitur , inveni ſcriptum nomen Chriſti circiter millies quadringenties , exceptis vocabulis , quibus de eodem fit mentio.

quod ab angelis exſtructum fuiſſe fertur.

43 *Ad textum num.* 41 , *in quo auctor elogii innuit , iſtud monialium cœnobium ab angelis ædificatum fuiſſe , aſteriſco notantur ſequentia :* Anno DCCLVIII ſub Pipino rege , in parthenonem à SS. Abundio & Abundantio dictum eximiè benefico , Cælites in conſtruendum illius parietem operam impendiſſe feruntur. *Bartholomæus Cartuſianus Senenſis in Vita B. Petri Petroni cap.* 8 *prodigioſam ejuſdem parthenonis ædificationem obſcurè indicat. Nos hanc angelicam monaſterii Benedicti-*

nũ

A *ctini conſtructionem, de qua Mabillonius in Annalibus Ordinis ſui non meminit, penes fidem relatorum Senenſium relinquimus, & cum majoribus noſtris tomo* VII *Maii pag.* 211 optamus nobis ſuggeri, quidquid de illius monaſterii fundatione & Sanctorum ibi reliquiis, quæ nominis occaſionem dederint, haberi poterit. *Ceterum ea, quæ in hac Vitæ & miraculorum epitome breviter attinguntur, clariùs intelligentur ex longioribus Actis, quorum prætermiſſiones & controverſias jam examinabimus.*

§ IV. Aliqua in longioribus Actis omiſſa, & controverſa.

Ex Actis B. Petri Petroni colligimus,

B *IN Actis huic commentario ſubjungendis num.* 81 *legimus, B. Petrum Cartuſianum à Columbino noſtro conſultum fuiſſe circa perfectiorem vitæ methodum, quam electurus eſſet; ſed in iiſdem Actis noſtris altum eſt ſilentium de mutua inter illos familiaritate aliiſque intimæ amicitiæ argumentis, quæ eruimus ex ſuperiùs memorata B. Petri Petroni Cartuſiani Vita, quam ipſe* B. Joannes Columbinus *Italicè conſcripſit, & Bartholomæus Senenſis Cartuſianus Latinè interpolavit, ut Henſchenius noſter in commentario prævio ad ea Acta die* XXIX *Maii, tomo* VII *ejuſdem menſis pag.* 188 *notavit. Itaque hunc Actorum noſtrorum defectum ex Latina B. Petri Petroni Vita, quam laudatus Bartholomæus Senis anno* 1619 *unà cum annotationibus ſuis edidit, hìc ſupplere conabimur.*

tantam fuiſſe illi

45 *In ea Vita lib.* 2 *cap.* 8 *poſt longam exhortationem, qua B. Petrus* Joannem Columbinum *ad amplectendam paupertatem excitat, hæc referuntur:* Ergo tanti viri Columbinus captus ſanctimoniâ atque conſuetudine, eam rerum divinarum intelligentiam adeptus eſſe videbatur, eodem Petro duce & moderatore, ut ad cetera pietatis opera atque incommoda voluntaria, quæ ipſemet anteactæ vitæ luxui expiando ſponte ſuſceperat, hæc volens lubens adjecerit; nimirum ut in orandi meditandique exercitationem toto pectore incumberet: quæ ſane animi ſtudia ne in eo refrigeſcerent, ad Cartuſiam ventitare conſueverat frequenter, ubi apud Petrum unà cum aliis eximia pietate viris, non modo ſpiritales agere cœtus, &
C crebra cum eo de rebus divinis inſtituere colloquia, ſed etiam alios atque ſubinde alios, quos ad Chriſtianam pietatem propenſos nanciſcebatur, eódem adducere....

cum B. Joanne Columbino

46 Hunc vivendi curſum tenuit Columbinus ad obitum uſque Petri; quo rebus humanis exempto, tantum abfuit, ut de inita vitæ ratione quidquam remitteret, ut etiam ad aſperrima quæque Chriſti causâ ſubeunda recentem quamdam alacritatem in ſe momento diffundi ſenſerit. Quin dein poſtea, uti ſupra demonſtratum eſt & aliàs multo lucidiùs demonſtrabimus, ipſius beati viri viſis & recreabatur identidem & ad omnem ſanctitatem erudiebatur: quo per ea, ceu per monita quædam cæleſtia, perſpicuè conjiceret, Petrum in cælo ſuis etiam adeſſe cœptis, ſuique patrocinium & curam gerere beata circumveſtitum immortalitate.

familiaritatem & amicitiam,

47 Interea dum hiſce divinis adjutus præſidiis ad perfectionis culmen gradum accelerat Columbinus, Petrus ejus filius, plena nondum pubertate, haud porro [diu] ab ipſius Petri noſtri deceſſu excedit è vita, cujus orbitate eam op-

timus parens animi firmitatem oſtendit, ut doloris triſtitiæve nullum præ ſe tulerit indicium; quin etiam maximas Deo gratias egerit, quod per mortem cariſſimi nati illum ſibi obicem ſublatum aſpiceret, qui ſibi ad id tempus obſtiterat, quo minus ſe totum Deo dederit omnibus vitæ præſidiis exutum, prout fuerat ei in deſiderio. AUCTORE G. C.

ut B. Joannes præcipuas ipſius actiones obſervaverit;

48 *Quinimo tanta fuit* Joannis Columbini *noſtri cum B. Petro Petrono conſuetudo, ut præcipuas illius actiones obſervaverit, res ab eo piè prodigioſéque geſtas ſcripto poſteris reliquerit, & fuerit oculatus plurium miraculorum teſtis, ſicut multis exemplis probari poſſet. Sed retuliſſe ſufficiet pauca quædam, ad quorum unum Bartholomæus Senenſis lib.* 2 *Vitæ Petronianæ cap.* 10 *pag.* 90 *ſic præfatur:* Haud abſurdum viſum iri arbitror hiſce ſubnectere id, quod Columbinus noſter ſibi accidiſſe litteris mandavit, ſcilicet eo prorſus anno & menſe, quo Petrus noſter beatus rebus exceſſit humanis. Rem geſtam brevibus enarro.

& plura ejus miracula vidit.

49 *Deinde pagina ſequente rem ipſam ita narrat:* Cum magno, quodam die, tuberum deſiderio Petrus teneretur, ad Columbinum converſus; Hem Joannes, ait, affer mihi, obſecro te, paululum tuberum: acri enim illorum cupiditate rapior. Cui mox Columbinus: Scis pater, inquit, nuſquam locorum, Majo præſertim menſe, qui nunc agitur, tubera inveniri. Ad quæ mox Petrus, paternâ cæleſtis Numinis providentiâ fretus, Abi, inquit, in bonam rem. Inſequente verò luce iter cum capeſſeret Columbinus unà cum Joachimo Cartuſiam verſus, Petri inviſendi gratiâ propter pannariam ejuſdem Columbini tabernam ambo præteriere, ibique juvenem quemdam ejuſdem tabernæ adminiſtrum magnum cartaceum involucrum tuberum plenum manu tenentem offendunt: qui protinus id ipſum dono obtulit Columbino. Tum ille miraculo attonitus, gaudioque ſimul perfuſus, tubera ad Petrum mox perferenda accepit.

Ex eadem Vita patet, B. Joannem mercaturam exercuiſſe,

50 *Ex narratoine hujus miraculi ſimul clarè confirmatur,* B. Joannem Columbinum *mercaturam exercuiſſe, etſi quidam ex poſteris illam vitæ profeſſionem ſtudioſè diſſimulaverit, ut Bartholomæus Cartuſianus in annotationibus ad Vitam B. Petri Petroni pagg.* 187 *&* 188 *occaſione hujus hiſtoriæ conqueritur hoc modo:* Hìc animis adeſſe velim, qui decennio ferè elapſo operam navarunt, ut Vita beati Joannis Columbini, quam ut diximus, Chriſtophorus primùm Gani, deinde Feus Belcarus Florentinus poſteritatis litteris conſecrarunt, denuò typis excuderetur: quandoquidem, neſcio quo ducti ſpiritu, ab ea prorſus expungi delerique curarunt loca, quæ Columbinum, licet ingenua ſtirpe ſatum, exercuiſſe tamen mercaturam argentariamque feciſſe teſtantur. F

quod tamen aliqui ſilentio involvere,

51 Sed quàm longè à veritate aberraverint, diſcant, ſi non ab illis inconcuſſæ fidei auctoribus; certè ab ipſomet Columbino, qui de ſe ſcribens fatetur, ſe unà cum Joachimo juxta pannariam ſuam tabernam tranſiiſſe, dum Cartuſiam verſus iter arripuit, Petri noſtri inviſendi gratiâ. Sed quid opus eſt uti veterum ſcriptis, cum paſſim in urbe patria id ipſum infantuli bimuli decantant? Hoc dictum velim, non ut in mortuos inſurgam, in Julium Cæſarem Columbinum dico, cujus opera & ſtudio hæc eadem Joannis Columbini geſta proximè typis ſunt promulgata, ut Paulus Morigia teſtatur, ſed ut prudens cordatuſque lector intelligat, non modicam ex hiſce me demeſſuiſſe frugem ad veritatem hiſtoriæ noſtræ aſtruendam

AUCTORE G. C. pariter & illuſtrandam.

aut in dubium revocare voluerunt,

52 *Opinor, hîc notari Morigiam, qui in editione anni 1604 vocabula, certam mercaturæ profeſſionem indicantia, mutavit, & lib. 1 Hiſtoriæ Jeſuatorum cap. 2 ſic* Columbinum *uxori ſuæ reſpondentem inducit :* Mihi ſtatim redeundum eſt ad negotia, *Italicè* alle facende. *At Feus Belcarus in Italica ejuſdem Beati Vita cap. 2 ſcribit, quod* Joannes Columbinus *uxori ſuæ reſponderit, ſibi illicò redeundum eſſe* ad officinam *: nam pro æquivoco Morigiæ vocabulo* alle facende, *id eſt* ad negotia, *ipſe poſuit Italicè* al fundaco, *quæ vox tabernam vel mercium apothecam ſignificat, ut in Dictionario academiæ Cruſcanæ, aliiſque lexicis videri poteſt.*

quamvis ibidem eo tempore mercatura

53 *Suſpicor nobiles Columbinæ familiæ poſteros Morigiam induxiſſe, ut ſupprimeret antiquam* B. Joannis *mercaturam, tamquam nobilitati ſuæ repugnantem. At diſcere poterant, illam profeſſionem nobilitati non officere, ubi ex more patriæ exercetur, ut Andreas Tiraquellus in libro de Nobilitate cap. 33 num. 21 docet his verbis :* Verumtamen ita procedit, quod dicimus, mercaturam obeſſe nobilitati, niſi mos regionis, qui haud dubiè ſervandus eſt, aliud inducat, uti apud Venetos & Genuenſes nobiles quoque mercaturam exercent citra vituperium & nobilitatis detrimentum. *Idem cenſet Roſſus noſter, uti infra ex Actis num. 7 patebit.*

B

nobilitatem non excluderet.

54 *Certè Bartholomæus Cartuſianus illuſtrem* B. Joannis Columbini *nobilitatem non negat, etſi exercitam ab eo mercaturam tueatur, dum poſt longam B. Petri Petroni exhortationem de converſione illius lib. 2 cap. 8 pag. 78 refert ſequentia :* Quibus certè verbis atque adeo ardentibus ſententiis, ſtatim ut finem dicendi fecit beatus Pater, ita affici impellique Columbinus ſe ſenſit ad Euangelicam paupertatem amplexandam, ut novâ tum divini luminis copiâ illuſtratus non adeo cupidè atque ardenter pecuniarum lucris antea inhiaret, uti poſtea ex animo ea ipſa contempſerit. Namque deteſtatus, tamquam teterrimam animæ peſtem, pravam illam habendi cupiditatem, qua in quæſtu faciendo indies magis ac magis rapiebatur, cœpit paulatim avocare animum ab novis contrahendis commerciis, quæ vel NOBILIS MERCATOR negotiando tractabat, vel menſarius in occupanda permutandaque pecunia gerebat.

C

Ex quadam ejuſdem Vitæ narratione ernimus,

55 *Nunc ab hac digreſſione in viam revertamur, & prætermiſſa in Actis noſtris* B. Joannis *geſta recenſere pergamus cum Bartholomæo Senenſi, qui lib. 2 cap. 10 pag. 92 ſic proſequitur :* Audivimus modo Columbinum de ſe ſcribentem : audiamus & eumdem de filio ſuo Petro non minus mirum quam de ſe ipſo referentem, quando per idem fere tempus, quo Petrus noſter beatus vitam cum morte commutavit, rem contigiſſe ex eo cognoſcimus. Convenerant in Petri cubiculum ſimul aliquot è Patribus domus, ſimul & alii pietate nobiles viri ad beatum Virum audiendum de rebus cæleſtibus differentem ; cum repente orationi finem facturus ille ſubintulit dicens : Exſpectate, quæſo, paululum fratres : non longè enim aberit, quin ad nos veniat Joachimus unà cum puero Petro, Joannis Columbini filio, qui munuſcula quædam mihi, ut puta, amygdala, papavera atque unicum cepe deportat ; quin etiam ædibus noſtris jamjam propè adſtantibus, papaverum unum puer ipſe hoc articulo temporis mandit. Hæc ubi adſtantes audiunt, ſubridere illicò cœperunt.

56 Ceterùm vix hæc atque alia in eamdem rem Petrus dixit, cum extemplo affertur, ad cœnobii fores Joachimum & puerum Petrum adſtare : quos ut aſpiciunt monachi, diſcuntque puerum ſciſcitati papaver in itinere comediſſe, uti beatus Pater paulò antè prædixerat, ingenti admiratione protinus afficiuntur. Cumque mox Petri cubiculum eſſent ingreſſi, ad puerum converſus Petrus, obſervantiæ ergô poplitem ante eum flectentem ait : Concine, fili, cantiunculam illam, cui eſt initium O DIVA NOBILIS MAGDALENA : nam prius eam quam abſolvas, ad nos huc adventabit ſacerdos Marianus eccleſiæ apud Marmorariam plebanus. Nec verba beati Patris in ventum jacta : res enim ita prorſus evenit.

D

filium B. Joannis Columbini

57 *Hæc de filiolo* B. Joannis Columbini *commemorare volui, ut contra erroneam nonnullorum opinionem conſtaret, puerum illum ſupervixiſſe uſque ad annum 1361, quo B. Petrus Petronus obiit, ſicut Bartholomæus in ſuis annotationibus pag. 194 obſervat his verbis :* De puero Petro, beati Joannis Columbini filio, nihil eſt, quod adjiciam in præſentia : de eo quippe in Hiſtoria fuſius egimus pag. 79, 81, ad ſedandas quorumdam altercationes temerè aſſerentium, puerum ex humanis diſceſſiſſe paucis poſt menſibus, quam Columbinus parens ad Deum ſeſe convertit, hoc eſt anno MCCCLVI ; cum alioquin vitam vivere ad annum uſque MCCCLXI apud beatum Petrum noſtrum videmus.

uſque ad annum 1361 in vivis fuiſſe.

Beatus Joannes B. Petro Petrono familiariſſimus,

58 *Sunt in iiſdem Actis multa alia, quæ ad* B. Joannem Columbinum *ſpectant : nam laudatus eorum collector refert, Beatum noſtrum tanta neceſſitudine cum B. Petro Petrono conjunctum fuiſſe, ut arcana illius ſenſa intellexerit, varias ejus prædictiones obſervaverit, multa ipſius miracula viderit, ac ſemel cæleſti voluptate perfuſus fuerit ex fulgidiſſimis radiis, quos è corpore B. Petri emicantes cernebat. Ad hæc narrat, Columbinum morienti conſtanter adſtitiſſe, & ex paupere illius ſupellectile, quam ſacrarum reliquiarum loco retinuerat, fragrantiſſimum odorem percepiſſe. Denique oſtendit, B. Petrum Petronum ſæpius poſt mortem* B. Joanni *noſtro apparuiſſe, variaque conſilia ſpiritualia ei communicaſſe. At nos his fuſiùs deſcribendis ſuperſedemus, quia in iiſdem B. Petri Petroni Actis, quæ ad diem* XXIX *Maii operi noſtro inſeruimus, tomo* VII *ejuſdem menſis à pag. 189 legi poſſunt.*

dicitur tenera corporis habitudine & exigua ſtatura præditus fuiſſe,

59 *Feus Belcarus in Vita Italica cap. 57 tradit,* B. Joanni Columbino *fuiſſe nobilem ac tenera corporis habitudinem atque exiguam ſtaturam. Hinc etiam in proœmio ſui opuſculi illum comparat cum Joanne de Medicis, quem ibi ſic alloquitur :* Cum beatus Joannes opibus & conſanguineis abundaverit, inter præcipuos populares ſuos honoribus claruerit, magnas eleemoſynas erogaverit, & corporis ſtatura ac conſtitutione tibi ſimilis fuerit, ut clarè perſpicies, mihi viſum eſt maximè convenire, ut hunc exiguum meum laborem tibi conſecrarem.... Quod ſi ex ſimilitudine oriatur amor, ut vult Philoſophus, non dubito, quin beatum Joannem amaturus ſis, & ab eo multa beneficia recepturus : ipſe enim in conſpectu divino magnus eſt, & erga omnes ſuos clientes benignus. *Paulus Morigia in Hiſtoria Jeſuatorum lib. 1 cap. 64 eamdem corporis habitudinem ex Feo Belcaro, ut opinor, deſcripſit. Cum autem Roſſus noſter in longioribus Actis, quantum ſcio, de illa corporis conſtitutione expreſsè non meminerit, de ea lectorem hoc loco monendum exiſtimavi. Nunc verò de nativitate & ætate Beati noſtri dubiam quamdam ejuſdem Roſſi conjecturam exa-*

E

A *examinabo.*

& anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio obiiſſe,

60 *Jam ſæpe laudatus ille ſcriptor in Triumpho* B. Joannis Columbini *part.* 2 *cap.* 22 § 3 *poſt adornatum beato Triumphatori ſuo epitaphium, tempora vitæ ejus ſic computat:* Juſta porrò ſoluta ſunt die 11 Auguſti anno ſalutis MCCCLXVII, converſionis XII, ætatis, ex probabili calculo, LXIII: ſiquidem conſtans opinio apud agnatos hodieque manet, anno hoc climacterico obiiſſe, proinde natum ſub annum MCCCIV, & initium vitæ meliori dediſſe, cum LI ageret, die ſecunda Julii. *Non ſatis capio, quomodo hîc converſioni* B. Joannis *ſecundam diem Julii determinatè aſſignet, cum antea in Actis noſtris num.* 13 *converſionem illius ita narrare incipiat:* Annus fluebat quinquageſimus quintus ſupra milleſimum trecenteſimum à Chriſto nato, cum die quadam (quota menſis non expreſſere, quia ne menſis quidem meminiſſe cura fuit priſcis ſcriptoribus) rediens maturè è menſa argentaria Joannes oppidò famelicus voluiſſet epulari, protinus accumbere, ac prandere *&c. Unde igitur idem auctor eruit,* B. Joannem *initium vitæ meliori dediſſe, cum quin-*

B *quageſimum primum ætatis annum ageret* die ſecunda Julii, *quandoquidem priſci ſcriptores diem & menſem converſionis non expreſſerunt?*

quod poſterius tamen incertum eſt, cum de anno nativitatis non conſter.

61 *Quod autem de climacterico ætatis anno traditur, æquè incertum eſt: Roſſus enim in iiſdem Actis num.* 4 *jam faſſus fuerat ſequentia:* Cetera natalis dies ac menſis, quin imo & annus ipſe incertus eſt ac obſcurus; neque lux ulla è monumentis Columbinæ gentis aut religionis Jeſuatorum affulſit ſtudioſè ſcrutantibus, ut via illis inveniendis aperiretur, quæ ſubtiçere per hiſtoriæ jura non liceret. Collatis nihilominus inter ſe converſionis ad Deum & obitus annis, inferiùs memorandis, in proclivi conjectura eſt, circa trecenteſimum & aliquot annos ſupra milleſimum reparatæ ſalutis, partum fortunatiſſimum Joannis contigiſſe. *Quomodo itaque* ex probabili calculo *ſexageſimus tertius ætatis annus determinatur? Si circa natalem Beati annum nulla lux è monumentis Columbinæ gentis affulſerit, quo fundamento nititur conſtans apud agnatos opinio, illum anno climacterico obiiſſe? Tota ergo illa annorum, menſium ac dierum determinatio, quam Roſſus noſter proponit, ex incerta quadam familiæ Co-*

C *lumbinæ traditione dumtaxat oriri videtur.*

§ V. Miracula interceſſione Beati patrata.

Roſſus ex multis miraculis

JOannes Baptiſta *Roſſus in jam aliquoties memorato ſuo Triumpho part.* 3 *cap.* 1 § 1 *de miraculis, quæ interceſſione* B. Joannis Columbini *tum in vita tum poſt mortem contigere, poſt alia ſic diſſerit:* Initio quidem, ubi infidelitas expugnanda fuerat, & duræ cervices Judæorum frangendæ, multitudine ſignorum certatum eſt; illis porrò triumphatis; ubi fides ſub ſua jura redegit orbem terrarum, ceſſatum quidem à crebra miraculorum patratione, non ita tamen, ut ulla ætas à feliciſſima illa Apoſtolorum ſterilis decurrerit, ut ſingulas luſtranti facile cognitu fuerit. At fœcundam imprimis illam vidêre majores noſtri, quæ beatum Columbinum, & numeroſam ejus ſobolem Chriſto peperit & Eccleſiæ dedit: etenim non ille ſolus electus, qui faceret mirabilia in vita ſua & poſt mortem ſuam; ſed etiam pleroſque omnes diſcipulos habere meruit operationum mirificarum participes, quos habuit tole- AUCTORE G. G.
rantiæ paſſionum ſocios, hoc eſt rigidos corporum ſuorum caſtigatores, pauperes, humiles, mundo crucifixos & cælo affixos.

pauca ſeligit,

63 Nam quos tales invenit vel potiùs efficit gratia cæleſtis, illos etiam plurimum id generis ornamentis inſignit, & per illa ſuæ vim potentiæ demonſtrat eo conſilio, ut alatur fides, pietas nutriatur, religionis veritas roboretur. Eò ſpectavit, cum miraculis Columbino clarere largita eſt; quorum multa monumentis conſignata ad notitiam poſteritatis devenere, plura ſilentio ſuppreſſa latuere: & horum omnium numerus plurium acceſſione, quæ ad Divi aras contingunt indies, major eſt, quam ut voluminis parte comprehendi queant, aut pretium ſit operæ comprehendere. Satius namque fuerit ac ſatis, inſigniora aliquot & antiquiora libaſſe, quibus nobilitata Divi fama eſt, & aucta populorum adverſus ipſum veneratio. *Tunc ſubdit aliqua prodigia, à Joanne Columbino adhuc vivente patrata, quæ nos juxta ſeriem hiſtoricam, quantum fieri potuit, Actis illius inſeruimus.*

E

inter quæ refert, quomodo energumena,

64 *In eodem Triumpho part.* 3 *cap.* 2 § 1 *ſelegit nonnulla miracula, quæ poſt obitum Beati evenerunt, & ex iis aliqua breviter attingit, aliaque pauca commemorat hoc modo:* Haud procul à monaſterio ſancti Abundii deligere ſibi permiſſus erat dæmon improbus adoleſcentulæ probæ corpus pro temporaneo hoſpitio, & exercebat in eo partem odiorum, quibus in genus humanum concitatur. Divexabat miſellam inſanis modis, illudebat ad parentum ludibrium & plenam doloris contemptionem. Neque vis ulla vel modus nequitiæ ac malignitati comprimendæ ſuberat, ſi diſtorquere membra, ſi motibus violentis invertere, ſi ad parietes aut pavimenta allidere, ſi vociferationes & abſonos clamores ciere vellet.

tacto B. Joannis Columbini ſepulcro,

65 Uſuvenit aliquando, ut domò elapſam per aream propinquam currentem parentes inſectarentur, ut ſiſterent & à præcipitio tuerentur: illa verò celerior in vicinum templum dum ſe tentat injicere, pede prope valvas ſepulcrum Columbini calcat, & repente concidit exanimis. Aſſequi humi jacentem facile fuit inſequentibus, qui deliquium à malo inquilino indicatum ſuſpicati, fomentis juvare & omni ope ſubvenire languenti impigrè feſtinant. Atqui nullo jam vel non tali medicamine indiget. Jacet aliquamdiu extra ſe poſita; paulò pòſt velut è ſomno emergens erigit ſeſe in pedes, & iniquo obſeſſore liberam fatetur.

F

ſtatim liberata fuerit,

66 Mirantur vehementer parentes ac læti interrogant, undenam ſalus inſperata & pacata quies momento redierit, aut quomodo de diri tortoris tyrannide in libertatem ſit aſſerta. Reſpondit, modum quidem neque explicare poſſe neque capere; ceterùm advertiſſe ſtatim atque plantis humum ſepulcralem preſſerat, ablegatum à ſe impurum ſpiritum, neque dubitandum, quin occulta virtute ac imperio Divi, cujus ibi exuviæ condebantur. Hujus eventûs fama totam vicinitatem pervadens in urbem ipſam ſecunda admurmuratione penetravit, auxitque civium venerationem erga Joannem & corpus ejus, quod magno in pretio habere cœperunt.

ubi etiam aliæ dæmonis tyrannidi ereptæ ſunt.

67 Et hæc quidem, nulla implorata ope, nihilque de beneficio cogitans beneficium conſecuta eſt: duæ aliæ inſuper infeſtæ & peſſimè à ſtygiis habitæ geniis ad tumulum eumdem deductæ precibus & evocationibus calamitoſæ obſidionis immunes inde abſceſſere. Alteri cum ſacerdotis copia deeſſet, qui exorciſmis ageret, domina Pau-

AUCTORE G. C.

la, monialium præſes, opem ferre tentavit ſucceſſu proſpero. Primùm quidem ſuarum precibus commendavit, quas plurimùm valituras apud Deum ſperabat; tum fide armata per Chriſti virtutem & ejus Servi Columbini merita exire de corpore rebelles audacter imperat, & ſignum egreſſionis manifeſtum certumque edere. Cui perfidus cum abſono ululatu? Ecquod ſignum dari jubes? Ut lampada, inquit, pro venerabiliſſimo Sacramento collucentem motites. Nequaquam dignus ſum, reſpondet ſuperbus, ut illuc accedam; aſt non dubia abſceſſus veſtigia alicubi in monaſterio relinquam, & dicto citius evaſit, exceſſit, & inhalavit cellam vinariam ſpurciſſimus tam tetro ſulphuris fœtore nidoreque, ut per integras tres hebdomadas pedem illò inferre non liceret innoxiè.

68 *Aliud celebre miraculum ibidem part. 3 cap. 3 § 2 ſic narrat:* Monialium una ex iis, quæ ad externa miniſteria admittuntur, in aſceterio ſancti Abundii vehementi dolore dexteri pollicis cruciabatur. Defluxerat in illum humor acer ac malignus eâ copiâ, ut inflatione ac tumore deformatum miſerè exulceraret. Medicamenta varia adhibita arti potius pudorem quam ægræ ſubſidium afferebant; & eò tandem deventum, ut digiti præciſione, brachii & artuum reliquorum indemnitati conſulendum medicorum judicio ſtatueretur.

Monialis opem B. Joannis implorans

B

69 Noctem deſtinatæ lanienæ præviam inſomnem muliercula in oratione duxit, & beato Columbino, cujus opem tam multi apud ſepulcrum ejus experiebantur, ſuum pollicem intimo corde ac lacrymis commendare perſeveravit. Sub auroram interiore quodam impulſu percita continere ſe non valet, quin ulcere circumpoſitum malagma evolvat: & ecce tibi nullum jam tumoris aut tabis indicium, dolor omnis abeſt, ſanitas integra adeſt, ſolus unguis in ſummitate deſideratur, ut miraculum geminetur. Denuò ſe dat in preces, ſperatque eum, qui perfecta facit opera, imperfectum hoc per beati Columbini merita minimè relicturum. Uti ſperavit, ita evenit; reſtitutus unguis, & abſterſum, quidquid deforme in digito fuerat.

pollicem jam præcidendum

70 Mane jam claro chirurgus præſto eſt, novaculam, unguenta, tænias, & quidquid ad triſte miniſterium neceſſarium erat in promptu habens. Verùm occurrens ægra ſupervacaneum totum illum apparatum aſſerit, & dicto fidem conciliat oſtenſione digiti, in quo ne veſtigium quidem abacti ulceris remanſiſſe deprehenſum eſt. Cujus eventum miraculi totus ſororum chorus, atque adeo ſeculares ipſi curatores, ac medici teſtes oculati & præcones apud externos evulgarunt: quæ cauſa fuit, ut ex civitate plures ad cœnobium accurrerent, & piè curioſi oculis uſurparent, quod auribus perceperant.

ſubito ſanum conſervat.

C

71 Quod ſi ad templi parietes appendere anathemata, recuperatam ſanitatem teſtantia, curæ fuiſſet perſanatis, in tot forte cernerentur aſſimilata formas, quot morborum ſpecies in humana membra deſæviunt. Adjeciſſent inſuper votiva dona, integra corpuſcula faſciis involuta parentes ſteriles, qui nixi pro tumulo genibus tamdiu fœcunditatis beneficium petere inſtitêre, quoad ſpe pleni indidem abeuntes lætitiâ poſtmodum expetitæ prolis geſtire meruerunt. *Miracula, de quibus Roſſus hîc in fine generatim meminit, & quæ forte apud Feum Belcarum & Paulum Morigiam, alioſque auctores legerat, nos poſtmodum ex illis ſingillatim referemus.*

Roſſus quædam miracula generatim narrat,

72 *Præterea* B. Joannes Columbinus *clientibus ſuis plura alia contulit beneficia, quæ Roſſus noſter à ſe prætermiſſa fuiſſe indicat, dum part. 2 cap. 9 § 5 de Lucenſibus Jeſuatici Ordinis monialibus ita ſcribit:* Non eſt poſtrema devotarum Deo virginum laus, quod beati Columbini, quem fundatorem agnoſcunt, memoriam pia veneratione recolunt, virtutes imitari conantur, inſtitutum tuentur, cultum augere ſtudent, aras dicant, lampades appendunt, panegyricis feſtam ejuſdem diem ornari curant, reliquias, lipſanothecis pretioſis aſſervatas, adorandas exponunt: & cuncta grata eſſe Numini ac Divo, crebra teſtantur miracula, quibus imago ejus, & oleum in lampadibus ardens, & oſſis particula, & invocatio nominis nobilitatur indies.

D

& alia, quæ in Lucenſi urbe contigerunt,

73 Horum ego catalogum & prolixam narrationem à teſtibus oculatis accepi, ſi forte volumini inſerenda viderentur. Aſt ubi copiâ abundamus aliorum, quibus jus legitimum fidem fecit, & auctoritatem conciliavit, abſtinemus libentius manum & calamum ab illis tantiſper, dum pari quoque cenſura atque judicio animus ſcriptoribus addatur ad evulgandum. *Cum ea beneficia Lucenſia nondum hactenus edita invenerimus, nobis ſufficiet poſt Acta noſtra ex Feo Belcaro & Paulo Morigia Latinè exhibere illa miracula, quibus veneranda antiquitas, & legitima teſtimonia certam fidem conciliarunt.*

penitus omittit.

E

§ VI. Corpus Beati, diu incorruptum & integrum, tandem diſſolvitur, & pars capitis & oſſium olim furto ablata adhuc in diœceſi Ariminenſi invenitur.

Cum corpus B. Joannis propter crebra miracula

EX præcedente paragrapho & fine Actorum patet, propter manifeſta miracula, non diu poſt obitum B. Joannis Columbini *patrata, auctam eſſe fidelium venerationem erga ſacras illius reliquias, quarum honorificam elevationem, prodigioſam integritatem, ac denique procuratam ſtudioſè corruptionem Roſſus noſter part. 3 cap. 3 § 1 exponit his verbis:* Creſcente indies miraculorum numero, & populi ad ſepulcrum frequentia, venit in mentem ſanctimonialibus ſancti Abundii ſuarum eſſe partium, in locum honeſtiorem oſſa, uti rebantur, nuda, excarnea transferre, ac nobiliori conditorio reponere.

F

honorificentiore loco collocandum eſſet.

75 Exquiſiere piæ virgines conſilium à viris prudentibus, quorum inventus nullus eſt, qui non ſummopere probaret ac hortaretur ad opus quantocius aggrediendum. Deliberatione facta, ante omnia monendam Blaſiam olim conjugem ex æquo putavere, quæ incredibilem cepit animo voluptatem, & provinciam ſibi depopoſcit ſumptuum faciendorum ac ſingillatim arcæ ad lipſana ſacra recipienda fabricandæ. Exſtructa hæc eſt eleganti opere ac perpolito: in extimæ ſuperficiei medio placuit Chriſti domini ſalvatoris icona depingi, cui veluti famulantes adderentur ad latus dexterum beati Columbini altera, ad ſiniſtram ſancti Franciſci Seraphici altera.

incorruptum & integrum inventur,

76 Vulgata per Senas fama, indicta tranſlationis dies eſt; & convenere ex clero ſeculari ſacerdotes ac miniſtri perplures, qui linteati miniſterio ſacro aſſiſterent ac peragerent. Ut ventum ad tumulum eſt, exhumavere ſarcophagum, & herbas

A quidem ac flores, cum tumularetur, injectos telluris humiditas in limum putredinemque verterat; corpus autem iis obtectum prorsus integrum & incorruptum, ceu recentem amaranthum reperere, quomodo si paulo ante humatum fuisset, vel potius suavi somno soporatum : caro mollis ac tenera, color vividus, vultus renidenti affinis, ut luce meridiana clariùs pateret, pignus illud innocentiæ & vas honoris ab injuriis mortis divinitus assertum, quæ veterem noxam in mortuis etiam filiis Adam vindicare non cessat, & artus eorum depasta in tabem & pulverem convertit.

& sedulâ monialium curâ

77 Agnovere miraculum quotquot vitali illo jucundoque spectaculo oculos pascebant, & laudavere Deum excelsum, qui fecit illud, ac tandem ad interiorem templi partem, solis perviam monialibus, pretiosum thesaurum in arca nova clausum transtulere, ubi placidè quiescere & devotè coli à turba concurrente commodiùs potuit. Quod si aliquando bellorum tempore migrandum in urbem virginibus erat, & fugâ militari licentiæ extra bacchanti occurrere; tunc enimvero penitissima illas angebat cura ac solicitudo, tum sacræ totius supellectilis tuendæ, tum cæleste illud

B depositum secum absportandi, quod carius propriis habebant oculis, neque ut alienorum custodiæ crederent, adduci ulla ratione poterant.

inter bellicos tumultus solicitè conservatum est.

78 Quo factum est, ut vulgo passim dictitarent, consultius fore certam sedem intra mœnia in nobiliore aliquo templo designari, quam in agro relinqui, unde ferendum ac referendum haud absque incommodo & periculo ingruentes subinde calamitates cogerent : qui rumor cum ad aures sanctimonialium pervenisset, alioqui jam suspicione timoreque tactas, ne istæc etiam cupido primorum urbis agnatorum animos incesseret, secreta deliberatione constituêre concameratiunculam in abdita ecclesiæ parte parare, ibique clanculariâ transportatione sepositum à curiosâ exploratorum, quæ timebatur, inquisitione tutari.

donec simplex quidam custos,

79 Confectum summa cum taciturnitate negotium est, & per lustra circiter quaterna tenuit quies & de occultatione silentium : post quæ denuò reseratus (incertum qua occasione) loculus, ne leviter quidem violatum membrum ullum, sed integrum undecumque, uti receperat in suo complexu, spectantibus exhibuit. Neque cælari diu

C potuit divinæ in eo tutando corpore indulgentiæ continuatio; sed brevi multorum sermonibus per universam regionem illam celebrata & venerationem Divo & frequentiam ad ejus sepulcrum auxit usque adeo, ut tædium molestiamque peperit Joanni Ambrosii, sacellanum ibidem tunc agenti (hoc est interprete me) servitium externum aliquod ad sacellanum spectans exercenti : nam laïcus & citra levitici ordinis dignitatem, servitutem suam Domino in sancta simplicitate probabat, & à sacratioribus mysteriis abstinebat.

assidui concursus pertæsus illud stillicidio suppositum,

80 Hic igitur sive quotidiani concursus indies augescentis & quietem turbantis pertæsus, seu veritus, ne religiosæ cœnobii disciplinæ pedetentim officeretur, præposterè providus de industria dicitur aptasse loculum ad imbricati tecti rimam, unde pluvius imber crebra stillatione excavatis tabulis corporis tandem compagem solverit, & tabernaculum illud, gratiæ trophæum, morti ereptum, decore ac pulcritudine exuerit, & unà sitim illud videndi accurrentibus turbis exstinxerit: unicus dumtaxat pes illæsus mansit, qui ex reliqua massâ collectus argenteâ thecâ inter ejus templi reliquias repositus spirare dicitur odorem suavissimum in hodiernum usque diem, uti testantur quamplurimi, quibus religio & solamen est invisere, olfacere, venerari. AUCTORE G. C.

81 Maluissem scopulum hunc prætervehi, neque discipulum, Magistri sui amantissimum, vel culpæ vel inscitiæ insulso invento insimulari; sed non excusavere amici scriptores, qui facti infectique veritatem minimè fucatam tradidere, ne, quod in proclivi erat existimare, casui cadentis pluviæ, vel tempori etiam marmora destruenti, voluntariè procurata dissolutio adscriberetur. *Arbitror, à Rosso per amicos scriptores hîc indicari Belcarum & Morigiam, vel forte etiam antiquiores biographos, quos mihi videre non licuit. Saltem Feus Belcarus in Italica Beati Vita cap. 58 pag. 101, & Paulus Morigia in Historia Jesuatorum lib. 1 cap. 66 pag. 107 prodigiosam sacri corporis integritatem & voluntariè procuratam ejusdem corruptionem narrant.* *ut dissolvere-tur, sicut factum est.*

82 *At miror, Morigiam & alios recentiores Actorum scriptores non meminisse de notabilibus* B. Joannis Columbini *reliquiis, quæ anno Christi 1554 ad ecclesiam parochialem S. Laurentii de Gatteo translatæ sunt, ut mox ex Mss. instrumentis Italicis referemus. Jacet autem locus ille, vulgò* de Gatteo *dictus, in Romandiola inter fluvium Plusam, & torrentem Butrium non procul ab oppido Sabiniano, ut colligo ex geographicis Italiæ mappis, quas Joannes Antonius Maginus adornavit. Quomodo verò sacer ille thesaurus ad Gatteensem S. Laurentii ecclesiam pervenerit, jam breviter narrabimus ex Ms. Italico, quod majores nostri anno Christi 1636 acceperunt.* *Notabiles B. Joannis Columbini reliquiæ,*

E

83 *Cum Cosmus de Medicis, dux Florentiæ, anno 1554 bellum gereret contra Senenses, eorumque ditionem invaderet, contigit, ut inter alias ruinas ac depræda-tiones monasterium S. Abundii prope Senas militari licentia expilaretur. Militabat in illo Cosmi ducis exercitu Joannes Baptista Antonelli Gatteensis, qui simul apud nobilissimum Comitem Joannem Franciscum de Bagno secretarii munere fungebatur. Is curiositatis gratiâ ingressus ecclesiam memorati monasterii, illic reperit sacra lipsana, aut ab aliis militibus neglecta aut non observata (videlicet caput & os tibiæ* B. Joannis Columbini) *quæ statim secum ad hospitium suum asportavit. Mox populares suos Gatteenses monuit, ut fidum aliquem virum mitterent, cui traderet hunc sacrum thesaurum, quo patriam suam ditare cupiebat. Missus est ad ipsum quidam Matthæus Gatteensis, qui memoratas Beati reliquias ligneæ capsæ inclusas in patriam detulit, ubi in parochiali S. Laurentii ecclesia collocatæ fuerunt.* *post medium seculum XVI è monasterio S. Abundii asportatæ,*

F

ad Gatteensem S. Laurentii ecclesiam translatæ sunt,

84 *Post aliquot annos præfatus Joannes Baptista Antonelli scripsit patrueli suo Antonio Antonelli, conscientiam suam gravari à theologis Hispanis (in Hispania enim tunc versabatur) & se præsertim à confessario suo urgeri, ut reliquias illas furtim ablatas monasterio S. Abundii restitui curaret. Quare patruelem suum orabat, ut eas omni studio conaretur obtinere, & ad prædictum S. Abundii monasterium remitteret. At episcopi Ariminenses, quibus Gatteensis ecclesia subest, semper huic restitutioni obstiterunt, ne diœcesis sua tam pretiosis exuviis privaretur. Antonio istud obstaculum indicanti Joannes Baptista respondit, judicio eorumdem theologorum Hispanorum sacra illa lipsana clanculum auferri posse, atque ita restitui, quia furto sublata fuerant. Hinc eo furtivam istam restitutionem suadente, Antonius emit duas domos, ecclesiæ S. Laurentii vicinas, ut clam de nocte illas reliquias facilius auferret. Sed*

voluit

AUCTORE G. C. *voluit Deus hoc propoſitum ſucceſſu carere, ut Gatteenſis S. Laurentii eccleſia ſemper honoraretur tam inſigni theſauro, qui ibidem uſque ad præſentem diem honorificè conſervatur.*

85 *Hæc narratio confirmatur authentico teſtimonio, quod* Fabius Sergardi, legum doctor, nobilis Senenſis, protonotarius Apoſtolicus, & illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini D. Aſcanii Piccolomini de Aragona, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ archiepiſcopi Senenſis, in ſpiritualibus & temporalibus vicarius generalis *anno* 1635 *edidit, quodque ex idiomate Italico à nobis Latinè redditum ſic ſonat:* Omnibus præſentes litteras viſuris ſalutem in Domino. Nobiliſſimus marchio Nicolaus de Bagno apud præfatum illuſtriſſimum ac reverendiſſimum dominum archiepiſcopum Senenſem per litteras die XIV menſis elapſi inſtitit, ut examinaretur in monaſterio SS. Abundii & Abundantii, in quo corpus B. Joannis Columbini quieſcit, utrum ibi caput ejus & oſſa tibiarum inveniantur, quia hæ ſacri corporis partes exiſtere dicuntur in loco quodam, ad prædictum marchionem pertinente, atque occaſione belli Senenſis ex eo monaſterio à militibus ablata ad illum locum perveniſſe perhibentur.

ut confirmatur ex teſtimonio vicarii Senenſis,

B

86 Cum autem prædictus D. Marchio in id inquiri petierit, ut ſacræ illæ reliquiæ certiùs cognoſcantur & debito honore afficiantur, nos plenam & indubitatam fidem facimus, quod juſſu præfati illuſtriſſimi ac reverendiſſimi D. archiepiſcopi iverimus unà cum cancellario noſtro infraſcripto, & Ludovico Ugoni chirurgo Senenſi ad memoratum S. Abundii monaſterium, ibidemque eccleſiam ingreſſi coram D. Sergio Neri, dictarum monialium confeſſario, aliiſque teſtibus ad id ſpecialiter electis inſpexerimus capſam, in qua corpus B. Joannis Columbini conſervatur, & poſt attentam conſiderationem deprehenderimus, illic deeſſe caput, excepta inferiori maxilla. Etiam vidimus illic deſiderari duo oſſa tibiarum, & in libro quodam præfati monaſterii fol. 20 notatur, monialibus belli causâ ad urbem Senenſem confugientibus, caput glorioſiſſimi Joannis cum aliis quibuſdam reliquiis ablatum fuiſſe. Idem quoque aſſerunt reverendæ matres Virginia Placidi abbatiſſa, & Abundia Landi, quæ teſtantur, ſeſe ſemper audiviſſe, quod illæ reliquiæ in diœceſim Ariminenſem tranſlatæ fuerint. In quorum omnium fidem præſentes à cancellario noſtro ſcriptas majori ſigillo muniri curavimus, & ad majorem validitatem propria manu ſubſcripſimus. Actum in palatio archiepiſcopi Senenſis die XXII Decembris MDCXXXV.

qui eas partes in cœnobio S. Abundii deeſſe vidit,

C

Fabius Sergardi vicarius generalis.

Loco ✠ ſigilli Franciſcus Barcius notarius & cancellarius.

87 *Deinde ſequitur aliud authenticum inſtrumentum, quod ex Italico Latinè verſum ſic ſonat:* Die XXVI Februarii, anno MDCXXXVI ego Annibal Godenti chirurgus Gatteenſis facio fidem, me ab admodum R. D. Leonardo Fanantio, rectore eccleſiæ S. Laurentii Gatteenſis, requiſitum fuiſſe, ut viſitarem quaſdam reliquias, quæ dicuntur eſſe B. Joannis Columbini, fundatoris Jeſuatorum, & quæ in præfata S. Laurentii eccleſia requieſcunt, eaſque à me coram prædicto D. Rectore, nec non Franciſco Rinalducci, œconomo illuſtriſſimi D. Marchionis de Bagno, & Franciſco Fabri diligenter inſpectas fuiſſe. Omnibus autem attentè conſideratis, inveni, illic eſſe os tibiæ ſiniſtræ & caput, cui dumtaxat deeſt maxilla inferior ſimul cum mento. Quare requiſitus præſens inſtrumentum die & anno ſupradictis confeci, & ad majorem fidem ego Annibal ſupradictus manu propria ſubſcripſi.

quas chirurgus Gatteenſis in eccleſia S. Laurentii eſſe

D

88 *Huic inſtrumento ſubjungitur teſtimonium notarii publici, qui ita ſcribit:* In Dei nomine amen. Die XXVIII Februarii anno MDCXXXVI in Gatteo coram me notario & teſtibus infraſcriptis conſtitutus ſupradictus Annibal Godenti teſtatur & affirmat, præcedens inſtrumentum à ſe confectum & propria manu ſcriptum eſſe, illudque jure jurando ſuum eſſe agnoſcit, & omni meliori modo, quo poteſt, roborari teſtimonio meo rogavit. Actum in domo admodum R. D. Leonardi Fanantii rectoris parochialis eccleſiæ S. Laurentii de Gatteo intus dicti loci juxta ſua petita præſentibus ibidem ſupradicto D. Rectore, & Joanne Baptiſta Barono de Gatteo teſtibus ad prædicta adhibitis. Et ego Philippus Dichius notarius publicus dicti loci de prædictis rogatus fui, ſcripſi, & meo ſolito ſigno ſignavi, ut in margine requiſitus.

authentico inſtrumento & jurejurando teſtatur à

Loco ✠ ſigni.

E

Ex omnibus his inſtrumentis, inter ſe collatis, judico, nullo modo eſſe dubitandum, quin Gatteenſis S. Laurentii eccleſia veras Beati noſtri reliquias poſſideat.

89 *Carolus Bartholomæus Piazza in Sanctuario ſeu Menologio Romano ad diem* XXXI *Julii notat, partem cilicii & veſtis* B. Joannis Columbini *in monaſterio S. Marthæ prope collegium Romanum aſſervari. Suſpicor, ſimiles beati Viri exuvias aliis eccleſiis monaſteriiſque in Italia communicatas fuiſſe, quamvis certa earum notitia ad nos non pervenerit. Saltem non dubito, quin nonnullas ſacrorum oſſium particulas aliaſve beati Fundatoris ſui reliquias obtinuerint pleraque cœnobia Jeſuatorum ac Jeſuatarum, quorum inſtitutum, privilegia, aliaque ad illum Ordinem ſpectantia paragraphis ſequentibus exponam.*

ſed de aliis exuviarum diſtributione parum ſcimus.

§ VII. Jeſuatorum origo, nomenclatura, exercitia & veſtitus.

EX Actis infra dandis facilè intelligetur, quomodo plures exemplo B. Joannis Columbini *auſteram vivendi rationem amplexi fuerint, ſeſe diſciplinæ ipſius ſubdiderint, atque ita paulatim coaluerit pius diſcipulorum cœtus, qui poſtea in Ordinem ab Eccleſia probatum evaſit. Philippus Bonannius noſter in Catalogo Ordinum religioſorum part.* 1 *num.* 82 *nobis hiſtoricam hujus religioſæ congregationis ſynopſin ita exhibet:* Anno MCCCLIV in urbe Senenſi inchoatus eſt ordo, qui Jeſuatorum appellatus fuit, eo quod in eorum ore frequens eſſet dulce Jeſu nomen. Ejus auctor exſtitit B. Joannes Columbinus Senenſis, cujus mirabilis ad Deum converſio refertur eveniſſe ob lectionem Vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ, in quam caſu inciderat.

B. Joannes Columbinus ad Deum converſus

F

91 Hic itaque repente mutatus ſeſe bonis operibus exercuit: unde ejus exemplo quidam permoti ſe ei adjunxerunt, quos omnes Urbanus V quaſi novam Chriſti ſobolem benignè complexus multis privilegiis exornavit. Veſtitum & inſtituti approbationem adepti ſunt anno MCCCLXVII, quod deinde decem & octo Romani Pontifices confirmaſſe perhibentur. Militavit ſub D. Auguſtini regula; conſtitutiones tamen habuit ab uno eorum com-

inſtituit Ordinem,

A compositas, postea in episcopum electo. Dictus etiam fuit Ordo clericorum apostolicorum seu S. Hieronymi Jesuatorum, quia dictum Sanctum unanimi consensu sibi patronum delegerunt, ex decreto Alexandri VI, anno MCCCCLXXXXIX. At anno MDCLXVIII Clemens IX constitutione ROMANUS PONTIFEX justis de causis illos suppressit & abolevit.

de quo Antonius Corsettus,

92 De his scripsit Antonius Corsettus, qui in quæst. 4 dicit, tunicam albam & caputium quadratum pro habitu recepisse, quod à cervice ad humeros dejiciebatur, ab Urbano V, anno MCCCLXVII, & ab eorum protectore griseam chlamydem desuper deferendam collatam illis fuisse. Extra domum in primæva institutione loco caputii gestabant genus quoddam albi tegumenti manicæ similis, quo mundi contemptum demonstrabant. At Urbanus VIII constitutione ONEROSA indulsit facultatem gerendi caputium coloris pallii, abjecto albo, ab ipsis priùs super humeros gestari solito, atque eâ formâ, qua ceteri mendicantes utuntur. *Hæc epitome paulo enucleatius fusiusque explicanda est.*

B

Philippus Bonannius, Polydorus Vergilius,

93 *Imprimis Bonannius noster à vera chronologia aberrat, dum originem hujus Ordinis anno* 1354 *alligat: nam* B. Joannes Columbinus *anno* 1355 *dumtaxat ad meliorem vitam conversus est, ut Feus Belcarus in Vita Italica cap.* 2 *& Acta nostra num.* 13 *testantur. Neque minus hallucinatur Polydorus Vergilius lib.* 7 *de Inventoribus rerum cap.* 4 *in Argentoratensi editione anni* 1606, *ubi pag* 434 *hæc habet:* Quinto ejusdem Urbani anno, qui fuit salutis humanæ MCCCLXVIII Jesuatorum secta (*melius congregationem aut cœtum vocasset*) Senis orta est. *At Beatus noster anno* 1368 *jam ex hac vita migraverat. Præterea quintus Urbani Pontificis annus cum anno Christi* 1368 *non concordat, ut apud Raynaldum aliosque Chronologos passim videri potest. Nolo hîc refellere alios scriptores, qui in eumdem aut similem temporis errorem lapsi sunt.*

Marcus Antonius Coccius Sabellicus,

94 *Propius ad chronologicam Jesuatici Ordinis originem accessit Marcus Antonius Coccius Sabellicus, dum Enneade* 9 *Rapsodiæ historicæ lib.* 9 *tomo* 2 *editionis Basileensis pag.* 822 *de hac congregatione sic scribit:* Quinto hujus *Urbani* pontificatûs anno (sextus & sexagesimus fuit supra trecentesimum ac millesimum humanæ salutis) Jesuatorum devotio Senis orta est. Colligebantur ab initio domesticatim, simplici habitu amicti, multa innocentia & pietate viri, victum sibi labore & opera quæritantes. Hos Urbanus Pontifex ad se Romam (*Feus Belcarus & Acta nostra id Viterbii factum narrant*) vocatos de cæremonia & vitæ instituto appellavit; cognovit rem totam & probavit, deditque ut alba tunica uterentur, tegumento capitis albo cum lacinia quadrata à cervice ad humeros dejecta.

C

aliique scriptores meminerunt,

95 Cinguntur ad hæc scorteâ zonâ, nudos alioqui pedes ligneo socculo inferiore parte muniunt: datum inde est, ut canusinum pallium tunicæ superjectum ferrent, Apostolici ab initio clerici nuncupati. Hi neque sacris initiantur, neque celebrant Missarum solennia; tantum orationi vacant. Jesuati ab eo dicti, quod Jesu regis summi frequens sit nomen in illorum ore. Fuerunt tam piæ rei auctores (ut quidam scribunt) Joannes Columbinus & Franciscus Vincentius Senenses ambo in Beatorum numerum relati. Secutus inde Joannes Tussianensis & Antonius Senensis; hic Fulginei antistes, ille Ferrariæ, uterque sanctitate insigni. Jesuatorum conventus plerique numero in Italia. *An Franciscus Vincentius, qui hic in Beatorum numerum relatus dicitur, alicubi legitimum cultum obtineat, à Senensibus discere cupimus.*

AUCTORE G. C.

& ex quo Jacobus Philippus Bergomensis duos illustres præsules vidit.

96 *Cetcrùm de B. Joanne Taussiniano, episcopo Ferrariensi, cujus Acta ad diem* XXIV *Julii illustravimus, & de Antonio Bettino episcopo Fulginate, de cujus cultu etiam dubitamus, Jacobus Philippus Bergomensis, auctor synchronus, lib.* 14 *Supplementi Chronicorum in editione Parisiensi anni* 1535 *post similia de Jesuatorum initiis dicta fol.* 330 *verso hæc addit:* Nunc autem mirum in modum multiplicati, & per omnem Italiam mirabiliter diffusi, cum sint optimæ vitæ viri, magno in pretio ubique habentur, & quamvis solas orationes Dominicas pro canonicis horis sub silentio dicant, nec ullus ad sacros Ordines ullo modo promoveatur, nihilominus plurimi eruditissimi emerserunt, qui singulari eruditionis & sanctimoniæ privilegio claruerunt; ob quam gratiam à Pontificibus Romanis ad episcopatûs dignitates nonnulli sunt evecti, è quibus ego superioribus annis episcopum Ferrariensem, & alterum in Fulgino, ducatûs Spoleti urbe, vidi.

E

Rossus noster docet,

97 *Auctores hoc paragrapho laudati tradunt, discipulos* B. Joannis Columbini *appellatos fuisse Jesuatos, eo quod sanctissimum Jesu nomen crebrò pronuntiarent. Sed Acta nostra num.* 284 *mirabiliorem hujus appellationis originem assignant, eamque prodigiosæ infantium loquelæ tribuunt. Unde Rossus noster in suo Triumpho part.* 4 *cap.* 15 § 2 *de hac re ita disserit:* Ad hanc adeo frequentem sancti nominis compellationem fervidamque prædicationem referre nonnullis libuit originem splendidæ nomenclaturæ Jesuatorum, quæ audiri cœpit Viterbii, & indidem per orbem terrarum increbrescere.

unde nomen Jesuatorum ortum sit,

98 Aft altius habuit illa principium, uti superiùs ex veriore historicorum narratione monstravimus, cui repetendæ rursus insistere supervacaneum est. Inde tantummodo recolendum, non ab hominibus, sed à Deo, linguas infantium per angelos movente, inditam hæsisse imposterum Ordini, cum ceteræ aliunde impositæ desuetudine obsoleverint: etenim Apostolici clerici aliquando & Fratres sancti Hieronymi nominati fuere, quod solitudinis & pœnitentiæ amatores essent, quam doctor egregius inter amœna studiorum sacrorum adamatam à se haud semel testatur. *Deinde subnectit alia de eodem argumento, quæ hic brevitatis causâ prætermitto. Quod autem ad appellationem Fratrum S. Hieronymi spectat, de eo titulo constitutio Alexandri VI tom.* 1 *Bullarii a pag.* 398 *videri potest.*

F

de eorum exercitiis

99 *Præterea idem Rossus part.* 2 *Triumphi cap* 3 *primam nascentis istius congregationis formam & exercitia sic describit:* Et quia, uti superius monuimus, non eò spectabat Columbinus ut Ordinem religiosum institueret, qui ceterorum ab Ecclesia probatorum more regeretur; ideo per id tempus nullam sumpserat in vestitu formam aut tesseram delegerat, quæ religionis indicaret statum, aut professionem præferret: neque cœnobium aderat suis distinctum cellis, aut officinis dispositum; sed habitaculum præbebat paupertina domus, S. Abundii monasterio propinqua, quo post diurnos labores conveniebant, & pleramque noctem in oratione, pœnitentia, piis colloquiis exigebant, indeque die postera ad consuetas exercitationes eo alacriores redibant, quo uberiùs glisceuti in pectoribus flammæ pabulum quietus atque tranquillus vigiliarum illarum sopor ac sa-

AUCTORE G.C. por miniſtraverat. *Reliqua primorum Jeſuatorum exercitia & vilia eorum veſtimenta ex Actis poſt hunc Commentarium dandis facilè colligentur.*

veſtibus 100 *Laudatus Roſſus part.* 2 *cap.* 19 § 3 *de illorum veſtibus, quas Urbanus V Papa ad communem & religioſam formam reduxit, ita diſſerit:* Habitus igitur (ut in gratiam ejus originem quærentibus obiter advertatur) vel hoc nomine venerabilis eſt, quod à Chriſti vicario, pro ſancto in Vita & poſt mortem habito, præſcriptus & dono datus B. Columbino & ejus ſodalibus eſt: qualis videlicet eorum conditionem decebat, & cœtus naſcentis præſtantiam ex flore nobilitatis ac ſanctitatis collecti, & in eum numerum aſſurrecturi, cui nuditas illa paucorum parum congrua & minime decora videretur, ni indumenta ſtatui ac religioſæ profeſſioni conſentanea providerentur impoſterum.

ac cucullo diſſerit, 101 Talia fuere talaris veſtis nivei coloris, index interni candoris ac ſinceritatis, quam à corde geſtantium prodire decet exterius & verba geſtaque comitari & quodammodo conveſtire. Additur albus item cucullus, non ille ſimplex & brevis, qui collari veſtis attextus ad tegendum caput adduci reducique ſolet, ſed qui exomidem, laxitatem ſuam paulatim ſurſum arctantem terminat, & involvendo capiti pro arbitrio vel opportunitate deſervit; non tamen expanſa hæc geſtabatur, ut viatoribus & quibuſdam cœnobitis ſolet per brachia pectuſque demiſſa, ſed anguſtior & arctior à cervicibus per collum defluens modicè tegebat humeros, nec ad anticam partem ſe protendebat, qui modus caput operiendi in conſuetudinem inductus ad annum uſque MDCVI ſervatus eſt. *Ut autem hæc facilius intelligantur, exhibemus æri inciſam* B. Joannis Columbini *imaginem, qualem ex Italia accepimus, & cui claritatis causâ tantummodo cucullum ex alia ejuſdem Beati effigie addidimus.*



B. IOANNES COLUMBINUS SENENSIS.
P. B. Boultats ſculp.

Neſcio, utrum hæc ſit vera Beati noſtri effigies; at *ſaltem ex ea apparet, qualis fuerit Jeſuatici habitus forma, quæ uſque ad annum* 1606 *perſeveravit.* D

in quo capitis tegumento, 102 *Roſſus noſter ibidem ſic pergit:* Inde facta à Paulo quinto facultate ad ſacros Ordines certum numerum promovendi, & Officium divinum ex communi eccleſiaſtico ritu in choro celebrandi, viſum patribus eſt in comitiis generalibus xxx Martii conſtituere, uti impoſterum ſuper ſiniſtrum humerum geſtaretur album iſtud epomium, haud abſimile harmutiis, quæ canonici in chorum convenientes brachio vel ſiniſtro humero imponunt. *Hippolytus Helyotus in Hiſtoria Gallica Ordinum monaſticorum, religioſorum, & militarium tomo* 3 *pag.* 407 *Jeſuatum eo modo veſtitum, & cucullum ſuum ſiniſtro humero geſtantem repræſentat.*

conſenſu Urbani VIII Papæ 103 Tandem Urbano octavo conſentiente, *inquit ibidem Roſſus*, immutata ejus rei forma eſt, & in caputium verſa ejuſdem cum pallio coloris, qualia apud cucullatos religioſos in uſu ſunt; quod decere magis clericos ac ſacerdotes genus hoc indumenti videretur, quam priſcum illud ſingulare, quod antiquitas amabat in laïcis, forte in clericis non oſura, tum ob rationes alias, quæ adductæ in conſilium ac diligenter excuſſæ contrariis novitatem damnantibus præpotuere, tùm vero ob hanc maximè quod à vitæ privatæ & abjectarum exercitationum umbra in ſuggeſtorum & cathedrarum lucem prodituris veſtitus ille recens commodior & longè decentior videretur. E

aliqua mutatio facta eſt. 104 *Urbanus VIII Pontifex tomo* 4 *Bullarii pag.* 291 *Jeſuatis hanc cuculli mutationem poſt alia conceſſit his verbis:* De venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, eiſdem Fratribus (*Jeſuatis*) ut abjecto caputio albi coloris, quod ſuper humeros hactenus geſſerunt, aliud in capite coloris eorumdem pallio ſimilis atque ea forma, qua ceteri mendicantes utuntur, geſtare liberè & licitè valeant, apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac licentiam & facultatem impartimur. *Bonannius noſter in Catalogo Ordinum religioſorum ante caput ſeu numerum* LXXXII *exhibet imaginem Jeſuati, qui dextrâ librum, ſiniſtrâ ſportam geſtat. Quid ea ſigna ſibi velint, ignoro. Præterea non capio, quomodo capitis tegumentum, quod ibidem depingitur, dici poſſit cucullus aut caputium præditum* eâ formâ, qua ceteri mendicantes utuntur, *cum proximè accedat ad formam bireti ſeu pilei quadrati, quo clerici hodiedum utuntur.* F

§ VIII. Jeſuatici Ordinis progreſſus, regulæ, ſtatuta, conſuetudines & privilegia.

Primorum Jeſuatorum virtutes SUblatus *è vivis* B. Joannes Columbinus *multos reliquit virtutum ſuarum heredes, qui* conjunctis animis cœptum ſequi vitæ inſtitutum deliberavere, *ait Roſſus part.* 3 *Triumphi cap.* 4 § 2, ac priſtinos repetere labores, & exercitamenta pietatis inſtituere. Nulla quidem id temporis lege domeſtica conſtabat diſciplina; ſed caritas in cordibus omnium diffuſa, & ardentia Deo ſerviendi ac placendi vota, lex unica mores conſtituens, appetitionum motus refrænans, obedientiam, humilitatem, caſtimoniam pariens, & aurea inchoationis Ordinis domicilia, hoc eſt virtutum, omnium angelorum, atque adeo ſancti Spi-

A Spiritus habitacula efficiens, quæ deinceps latè per Italiam, juxta Joannis inter vivos vaticinantis prædictionem, propagata sunt. *Porro quam illustres beatus Fundator habuerit Ordinis sui propagatores, videri potest apud Feum Belcarum part. 2, Paulum Morigiam in Historia Jesuatorum lib. 2, & Joannem Baptistam Rossum part. 5, qui præcipuos* B. Joannis Columbini *discipulos, aliosque insignes Jesuatici Ordinis viros meritis laudibus extollunt.*

à variis laudantur,

106 *Nobis hîc sufficiet transcribere generale illorum elogium, concinnatum à beato Joanne Taussiniano, qui testis omni exceptione major apud Rossum nostrum part. 2 cap. 22 § 4 sodales suos Jesuatos ita hortatur:* Eja nunc fratres, brevi narratione illa perstinximus longa nostræ fraternitatis exordia. His saltem paucis, quantus fuerit in majoribus nostris mundi, & quæ mundi sunt, contemptus, odium sui, caritatis fervidæ zelus, amor supernorum, terrenorum despectio, eliminatio illecebrarum, pœnalium amplexatio, fuga

B honorum, concupiscentia improperiorum & ceterorum hujuscemodi, pervigili mente volventes, his tantis patrum exemplis à nostri corporis inertia salubriter excitati ad illa imitanda surgamus, ac suspicientes patrum culmina virtutum, erubescentes saltem ima nostri teporis, exsiliamus. De potestate tenebrarum eruti & in veræ lucis candorem translati per Jesum Christum redemptorem nostrum ipsius cruci & improperiis, pœnis ac doloribus superplenè firmiter innitamur, & ad illius exemplar dissipatos laxatosque conscientiæ mores componamus.

eorum institutum à Romanis Pontificibus approbatur,

107 *Deinde idem beatus scriptor de Ordinis sui approbatione ac privilegiis ibidem hæc addit:* Novissimè his omnibus & hoc unum superaddimus, quod cum beatissimæ memoriæ Urbanus V fuisset hac mortali vita defunctus, hæc ipsa pauperum fraternitas curiam adiens Romanam coram illius successore Gregorio XI se præsentem exhibuit; quibus ad oscula pedum admissis, vir quidam spectabilis & decurio ibidem assistens, Urbani prælibati quondam curialis, ad Apostolicum verba dirigens ait: Hi sunt, beatissime Pater, quos prædecessor vester Urbanus vestiri jussit. Ad cujus verba Pontifex respondens [ait:] Et ego confirmo. Rursus post illum ceteri Romani Pontifices Sedi Apostolicæ præsidentes huic eidem fra-

C ternitati beneficia ac privilegia nonnulla gratis indulgentes, propitios semper ac favorabiles se, operante Deo, præstiterunt. Ad laudem & gloriam redemptoris nostri Jesu Christi *&c.*

& Ordo paulatim accrescit,

108 *Quamvis primis* B. Joannis Columbini *discipulis nullæ leges domesticæ constitutæ essent, ut supra vidimus, tamen postea B. Joannes Taussinianus certas quasdam regulas Jesuatis præscripsit, ut discimus ex Joanne Baptista Rosso, quem hîc rursus tuò ducem sequimur, cum antiqua Jesuatorum monumenta diligenter lustraverit. Is igitur part. 4 Triumphi cap. 15 § 3 & sequentibus pios Jesuatici Ordinis sectatores laudat, ac de eorum instituto sic disserit:* Hæc eorum fortunatissima sors gloriæ quidem auctoris omnium bonorum Dei tandem cedit, qui largitus est gratiam & incrementum dedit; sed partem quoque ejus in suum familiarem Columbinum derivare placuit, qui plantavit vineam atque rigavit salubrium consiliorum & operationum undâ superstes, & functus pia apud Numen intercessione fovere perrexit ac promovere cultores illius, quos sui similes post se reliquit.

109 Horum exemplis & morum sanctitate per-

moti & sermonibus edocti plures; quos sequens ætas adolescenti dedit Ordini, recentibus seniorum vestigiis insistentes in eam coïere vitæ formam, quæ admirationi esset locorum indigenis, per quæ propagabantur domicilia, eosque non ut homines, sed ut angelos, sub humano schemate quid majus humanitate tegentes, suspiciebant ac venerabantur. Nimirum à seculi curis & tota ejus vanitate remotos unica urgebat cura, ut in lege Domini die ac nocte meditarentur, & quæ distinguebant contemplationem mentis à manuum actione tempora numquam ab attentione cælestium interpellarent: sicut enim nullum fermè ab eis otio tempus excipiebatur, ita nec meditationi finis imponebatur, ut de monachis Ægyptiacis Cassianus testatur: nam pariter exercentes corporis animæque virtutes, exterioris hominis stipendia cum emolumentis interioris exæquabant.

AUCTORE G. C. *qui piam vivendi normam sequi-tur,*

110 Lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili operum pondera, veluti quamdam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac pervagatio cordis innexa, intra monasterii claustra, velut in portu fidissimo contineretur; atque ita spirituali meditationi tantum & custodiæ cogitationum intenta, non modo ad consensum pravæ cujusque suggestionis pervigilem mentem corruere non sineret, verum etiam ab omni superflua otiosaque cogitatione custodiret; ut non facilè discerni posset, utrum propter meditationem spiritualem incessabiliter manuum opus exercerent, an propter operis dignitatem tam præclarum profectum spiritûs scientiæque lumen acquirerent &c. Cujus utriusque vitæ actuosæ & contemplativæ decus tuebatur pœnitentia, victus, vestitus, lecti vilitate & reliqua corporis afflictatione constans, diverberatione imprimis, quam dies nulla non geminatam videbat, ad recolendam imprimendamque cordibus memoriam Christi flagellorum & verberum, quæ universim indicasse par fuit, ut radicis sanctitatem & gloriam ex ramis juxta Apostoli ratiocinationem arguamus.

& observat disciplinam domesticam,

E

111 Ceterùm Jesuatorum sua tempestate viventium disciplina domestica gestaque singularia pluribus à Joanne de Tossignano tradita sunt in opusculo ea de re edito, quod mihi ut lustrasse contigit, videbar quemdam Basilium aut Hieronymum regulas monachis perscribentes legere, nisi quod ille non tam regulam præscripsit, quam consuetudinem vivendique modum. Equidem beatos prædicavi, qui sub tali vexillo, & vexillifero Triumphatore mererent, ac heredes illius spiritus essent, qui in pectora suorum athletarum transmissus incalescere perseveraret.

à beato Joanne Taussiniano præscriptam,

F

112 Quo spiritu per totum corpus diffuso regebatur Ordo Jesuaticus, & ita à suorum præsidum nutu ex communi confœderatione pendebat, ut tamen ab externo pastorum ecclesiasticorum imperio non esset immunis. Etenim grex ille pusillus & gens sancta ac regale sacerdotium inter secularium profana victimas humilitatis offerre Creatori gaudens, à sacris Ordinibus cum abstineret, opitulatione sacerdotum indigebat, à quibus & sacramenta administrarentur, & alia præstarentur officiorum obsequia, non aliunde quam à manibus chrismate inunctis sacrisque exspectanda.

ac fratribus laicis convenientem,

quibus deinde Pontifices Romani

113 Instruebat quidem cœnobium quodlibet sacellum domesticum orationi destinatum; sed neque erigebantur ad immolationem aræ, neque conditoria Eucharistica aderant ulla, neque supellex sacrario debita, nec aliud ornamentum simile dicatis Deo templis familiare: proinde fo-

AUCTORE G. C.

ras prodeundum & ſacri audiendi & ſynaxeos ſanctæ uſurpandæ [causâ.] Funera quin etiam ipſa extra domos efferenda, & myſtes advocandus, qui poſtremis myſteriis morituros ad illa præpararet; & quod à beato Joanne à Toſſignano diſſimulatum non eſt, ſi qua in re, puta jejunio, voto, aut ſimilibus opus diſpenſatione fuerat, ea ab externo ſuperiore petebatur. Quæ cuncta tametſi initio in ſociorum paucitate ſine perturbatione tolerarentur; temporis nihilominus progreſſione aucto numero, ea ſecum ferebant incommoda, quibus occurrendum Apoſtolicæ Sedi viſum eſt.

conceſſerunt varia privilegia,

114 Itaque ab Eugenio quarto promptè libenterque indultum, ut in privatis ipſorum ſacellis ſanctum Miſſæ ſacrificium fieret & venerabilis Hoſtia adſervaretur ad ſingulare ſolatium & fructum adorantium familiarum: tum ut libera idonei foret electio confeſſarii, nullâ prævià epiſcoporum licentiâ, quæque alia quieti & decori Ordinis conducibilia ac neceſſaria viderentur: & confirmavere auxereque privilegia Pontifices alii, haud pauciores vicenis, quos inter Julius II, ut ſolennium votorum formam Auguſtinianam in ſua poſt tirocinium inauguratione uſurparent; atque ut

B controverſiis omnis anſa præcideretur, Leo decimus nullum ſupremo Auguſtinianorum præſidi jus in Jeſuatos eſſe declaravit.

quæ partim in Bullario Romano edita ſunt, partim in archivis conſervantur.

115 Quorum cunctorum fidem faciunt diplomata ipſa vetuſtis recentibuſque conſignata membranis in archivis repoſita & plurimùm typis apud ſcriptores exarata ac publicæ lectioni expoſita: quæ ſingillatim recenſere illius forte cura fuerit, qui ad univerſam hiſtoriam Religionis ſcribendam aggrediatur, non noſtra, niſi digredi velimus, qui hæc carptim delibamus eò collimantes, ut in beati Fundatoris gloriam redundare oſtendamus, quidquid honoris ac beneficii in filios ejus tam multa tamque illuſtria Petri ſucceſſorum nomina contulere. *Varia hujus Ordinis privilegia apud Laërtium Cherubinum in Bullario legi poſſunt.*

Paulus V Papa Jeſuatis artem diſtillandi liquores prohibuit

116 *Jeſuati uſque ad annum Chriſti* 1606 *in laicali ſtatu permanſerunt, & ante id tempus varia officia ab hoc inſtituto ſuo non abhorrentia exercebant. Unde Bernardinus Scardeonius in Antiquitate Patavina lib.* 2 *claſſe* 6 *pag.* 113 *de Jeſuatis ſui temporis ita ſcribit:* Hi quidem in unum congregati ſub obedientiæ norma, ſicut puri & ſimplices laïci, tùm mendicando, tum in exſequiis defunctorum funalia deferendo, tum aquas

C medicinales ſtillando victum ſibi ſatis ſufficientem parant. *Propter hoc poſtremum diſtillationis exercitium in quibuſdam Italiæ partibus vulgo à plebe* gli padri dell' aqua vita *appellabantur. Sed quando Paulus V Pontifex conſtitutione* 16, *aliàs* 13, *aliquos ex illis ad ſacros Ordines promoveri permiſit, tunc ſimul tomo* 3 *Bullarii pag.* 196 § 10 *ſtatuit, ut* fratres ipſi, aliquo ſacro Ordine initiati, ſuæ dignitatis memores, exercitio diſtillationis aquarum nullo pacto vacent, neque earum venditionibus ſe immiſceant.

aut potius reſtrinxit,

117 *Laïcis verò idem Pontifex paragrapho ſequente præſcribit, ut* ceteri ejuſdem Ordinis regulares, qui ad Ordines promoti non fuerint, quibuſque id exercitium non adimitur, ejuſmodi aquas diſtillatas, quod hactenus fecerunt, mulieribus deinceps nullo prætextu vendere aut aliàs tradere debeant, neque venales habere ſeu exponere; ſed tantum eas ſeorſum ab aliis poſſint vendere aromatariis vel aliis particularibus perſonis. *Cum Paulus V in hac eadem conſtitutione anni* 1606 *numerum initiandorum ſacris Ordinibus ad centum reſtrinxiſſet, poſtea anno* 1611 *conceſſit, ut* non ſolummodo centum, verùm omnes prædictæ congregationis fratres, ad hoc aliàs idonei & capaces, ad eoſdem ſacros Ordines promoveri poſſent, *ſicut proximè citato Bullarii tomo pag.* 198 *refertur.* D

quando aliquos ex iis ad ſacros Ordines

118 *De hoc præcipuo Jeſuaticæ congregationis privilegio laudatus Roſſus part.* 4 *cap.* 15 § 5 *ſic meminit:* Verùm enimvero inter prima cenſendum, quod noſtra ætate collatum Ordini decus & ornamentum videmus, ut de obſcuro laïcorum ſtatu ad clericorum honeſtatem lucemque migraret, &, deſertis ignorationis tenebris, ad lumen ſcientiæ ſe transferret. Quippe Paulus quintus haud ignarus, longe utiliores Dei Eccleſiæ eſſe viros eruditos ac probos, quam qui umbraticis exteriorum laboribus ex inſtituto occupantur, viam aperuit ſacerdotio ad Jeſuatorum clauſtra inhianti, & ad ejus ingreſſum reſeratæ fores ſunt bonis muſis ac ſapientiæ, ne maneret illitteratum ac rude: ad quam munificentiæ indulgentiam non preces dumtaxat ſupplicationeſve prudentiſſimi Pontificis animum induxere, ſed momenta rationum, quæ tranſitum iſtiuſmodi ſalutarem Eccleſiæ, & religioni honorificum fore ſuaſere. E

& litterarum ſtudia promoveri permiſit,

119 *Deinde variis argumentis probat, ſcientiam ſanctitati non officere; quin imo contendit, pudicitiam aliaſque virtutes aſſiduo litterarum ſtudio roborari, ac tandem ita concludit:* Probanda ergo recentiorum ſapientum conſilia ſunt, quæ tantum decoris priſtinæ veterum Jeſuatorum humilitati adjecere, ut aſcenſum ad litteraturam, & Ordinum ſacrorum ſuſceptionem induxerint, & laïcis ſacerdotes, imperitis doctos ac eruditos ſuffecerint, quando juvenes ab officinis artium vernilium amotos, non diſtillarios aut textores agere, ſed ſacræ Scripturæ & theologiæ operam dare impoſterum deliberavere, & conſueta reliquis Ordinibus ſcientiarum curricula emetiri, quibus deinceps maturior ætas informata ex umbra privatæ exercitationis in ſolem prodiret honeſtiſſimorum munerum: pars enim ſuggeſtus in templis, pars cathedras in litterarum palæſtris conſcendunt; aliqui libris ſcribendis incumbunt; omnes propriæ proximique ſaluti pro cujuſque talenti à Deo accepti ratione ſeipſos impendunt: atque ita & præfecturæ nobilitatæ, & religioſa diſciplina confirmata, & ſingulorum officia functioneſque ex laborioſis & abjectis tranquilliores ſpecioſioreſque redditæ. F

cui mutationi quidam ſeniores Jeſuati antea obſtiterant.

120 *At Roſſus non diſſimulat, quoſdam Jeſuatos huic mutationi primùm obſtitiſſe, dum in parte & capite mox citatis* § 8 *circa finem hæc memorat:* Placida fruentem in hoc portu tranquillitate Columbini cymbam cœperunt rurſus leviores quidam domeſticarum turbellarum fluctus agitare, quas tamèn brevi leniter adſpirans aura prudentiæ & caritatis ſedare valuit. Alii ſiquidem quà vitæ laïcalis humilitatis pertæſi, quà ſacerdotii dignitate allecti, haud decere diutius Jeſuatos ab eo arceri dictitabant. Alii, præſertim ſeniores, veteri inſtituto hærendum omnino aſſerebant, utriſque validas pro ſua parte rationes afferentibus, eaſque prudentum ac ſanctorum hominum arbitrio ſubjicientibus, quorum conſiliis atque reſponſis ſopita contentio eſt, & quies ſodalitio reddita longum tenuit annorum curſum: ac ne rumpatur impoſterum, volubilis inconſtantiæ rota, Apoſtolicorum decretorum ſufflamine ſiſtenda fuit, & ſacerdotio puriſſima ambienti pectora aditus aperiendus: cujus ſaluberrimæ mutationis cauſas & commoda ſupra numerata rurſus ingerere ſupervaca-

A vacaneum eſſet. *Forte ſeniores illi timebant, ne ſacerdotalis honor, & ſcientia, quæ juxta Apoſtolum inflat, priſtinæ humilitati ac religioſæ ſimplicitati aliquod damnum inferrent.*

Roſſus exponit pios Jeſuatorum mores,

121 *Sed jam ſæpe laudatus Roſſus oſtendit, inanem hunc metum fuiſſe, quando veterem regularum obſervantiam poſt hæc viguiſſe aſſerit, & domeſticam Jeſuatorum diſciplinam ibidem § 6 ſic deſcribit:* Et occurſum periculis eſt arrogantiæ ac vanitatis, quæ interdum ex bona radice ſcientiarum infelicia germina pullulant; ac remedia adhibita ad caritatem, quæ ædificat, confovendam: quorum efficaciſſimum, Sacramentorum crebra eſt uſurpatio; Dominica nempe qualibet luce per annum totum numquam intermiſſa ab iis, qui ſacerdotio carent, & pluribus aliis feſtis vel Eccleſiæ communibus vel Ordinis propriis repetita. Congrua ſanè ad excelſum ſanctumque myſterium præparatio, vitæ inſtitutio eſt ac tenor actionum colendo Numini dicatarum: quippe omnes diei noctiſque horæ ita partitæ, ut orationi præcipuæ, actioni reliquæ deſignentur.

B *domeſticam diſciplinam,*

122 Mane & veſpere ad meditandum conveniunt. Bis in die conſcientiæ examinationi, uti rei interiori cultui opportunæ, ſedulò incumbunt. Canonicæ horæ ex Romano ritu ſtatis temporibus abſolvuntur; & hyeme quidem longùm ſolis ortum præveniunt; æſtate verò numquam ſubſequuntur. Verùm quam piè ac devotè iis præluditur! Ut poſtremum nolæ ſignum familiam ad oratorium convocavit, cuncti in genua provoluti quinquies Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem, & SALVE REGINA ſubmiſſè percurrunt, quibus ampla delictorum remiſſio à ſummis Pontificibus conceſſa eſt. Tum ferreis catenulis corpora cædunt, dum pſalmum quinquageſimum MISERERE & centeſimum vigeſimum nonum DE PROFUNDIS, & precationem pro defunctis pronuntiaverint: quod præludii genus eodem prorſus ordine ac tenore ſub veſperam inſtaurant, niſi quod matutinæ diverberationi Sanctorum litanias ſubnectunt, veſpertinæ verò beatiſſimæ Virginis.

conſuetas preces,

123 Hoc concentu verberum atque precum flebilium temperato excitatis animis, Matutinæ inchoantur horæ, iiſque abſolutis, prodit ſacerdos primum facturus ſacrum, cui ceteri interſunt & oratione perlitant. Quibus ſi Virginis preces horarias, ſi exercitium quotidianum, ſi Officium

C defunctorum & privatas pro cujuſque genio orandi formulas adjunxeris, pretioſior annorum portio converſationi cæleſti & neceſſitudini cum Deo tribuitur; reliqua litterarum ſtudiis & honeſtis occupationibus, ex obedientia aut caritate ſuſceptis, impenditur; modica quieti ac relaxationi reſervatur.

amorem erga Deiparam,

124 Nec omittenda inſignis erga beatam Virginem pietas & cultus, ad quem tironum imbuuntur animi, & veteranorum ſtudia ſponte propendent. Ad eam tuendam, præter ſingularia exercitamenta arbitrio ſingulorum relicta, ſabbatina lux hebdomadarum omnium delecta, qua litanica ejus invocatio paulo ſolennior, quam illa, de qua diximus, quotidiana inſtituitur. Nulla in Ordine univerſo domus eſt, quæ conſuetudine hac pioque ritu non gaudeat; nemo ex domeſticis, cui abeſſe ſtato tempore ab hac ſolemnitate piaculo affine non exiſtimet.

& bonam gubernationem Ordinis,

125 Ceterùm externa cuncta iis conſentanea honeſtatem ac religionem ſpirant. Veſtitum modeſtia ornat; victum temperantia miniſtrat, & crebris jejuniis pœnitentia moderatur. Paupertas communia cuncta vitæ uſuræ neceſſaria diſpenſat; nulli propriorum poſſeſſionem liberamve diſpoſitionem permittit. Silentium ſuas ſibi depoſcit horas. Paci & concordiæ nullum eſt circumſcriptum tempus. A legum regularumque cuſtodia eximitur nemo, quamvis mitiores iſtæ ſint, & citra culpæ reatum ſervari amantes: violatoribus pœnam, qui præſunt, irrogant; & præeſt omnibus unus, comitiorum ſuffragiis ſexennio quolibet electus, in quibus illi quaterni dantur aſſeſſores, quos definitores vocant, quòd penes illos negotia, ad Ordinem ſpectantia, definiendi ſit jus ac poteſtas; & horum cuilibet provinciæ unius regendæ cura demandatur, ita tamen, ut ſupremum ſit apud generalem præſidem imperium. Itaque totum regimen ita eſt ariſtocraticum, ut monarchico ſit affine, ac proinde optimum. AUCTORE G. C.

qui uſque in Galliam propagatus eſt.

126 *Hæc ſunt præcipua, quæ præſenti paragrapho exponenda ſuſceperam. Hippolytus Helyotus in Hiſtoria Ordinum monaſticorum religioſorum & militarium tomo 3 cap. 55 alia quædam Ordinis Jeſuatici ſtatuta & peculiares jejunandi conſuetudines commemorat, ubi etiam circa finem ejuſdem capitis citatos invenies Annales urbis Toloſanæ, in quibus narratur, quomodo quinque Jeſuati anno 1425 Toloſam venerint, ibidemque in parvis cellulis, certo ſpatio ab invicem diſtantibus, more Camaldulenſium habitaverint. Atque hæc unica eſt Jeſuatorum familia, quam extra Italiam habitaſſe novimus.* E

§ IX. Jeſuatorum inſtitutum diu fruſtra impugnatum, ac tandem Pontificia auctoritate exſtinctum.

Ordinem Jeſuatorum,

QUandoquidem *juxta Apoſtolum omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, eadem electorum ſors Jeſuatis obtigit: nam circa annum 1425 ſub Martino V Pontifice gravis tempeſtas Bononiæ in illos exorta eſt. Deferebantur Jeſuati ad tribunal epiſcopi Bononienſis, ut qui Regularium jura ſibi vindicarent, cum nec regulam haberent nec religionem ab Apoſtolica Sede approbatam. Viri graves & magnâ doctrinæ famâ inclyti partes accuſantium fovebant.* F *Sed B. Joannes Tauſſinianus argumenta adverſariorum ſolidè refutavit, & cauſam evicit, ut in ejus Vita tomo V Julii à pag. 805 fuſius dictum eſt.*

teſte Roſſo,

128 *De hac vexatione, ni fallor, agit Roſſus noſter part. 4 Triumphi cap. 15 § 8, dum ibidem poſt alia ſcribit, quod quidam homines male feriati cœperint* primùm canino dente rodere inſontem manſuetorum virorum cœtum, tamquam otioſum, & in nullo reipublicæ Chriſtianæ utilem; dein verò ſcriptis etiam criminari & ſuadere conati ſunt, penitus diſſolvendum, nec fovendum in Eccleſia monſtrum ex gente neque ſeculari aut laicali, neque religioſa aut clericali conflatum, & inuſitato reliquis congregationibus ritu novum vitæ genus, ſacris diſſonum canonibus, conſectans. Quas quidem injurias Chriſti diſcipuli patienter in ſilentio ac ſpe ſuſtinere gaudebant; ſed ſuſcitavit Dominus ſpiritum proborum ac ſapientum virorum, qui patrocinia ſuſciperent innocentiæ, & loquerentur acriter pro ſilentibus, & ſcriberent eruditè pro laudem merentibus.

129 Moleſtior videbatur quorumdam cœno-

AUCTORE G. C.

à variis oppugnatum

bitarum vexatio, quorum qui risu, qui seriò eadem objectabant, & illud imprimis, quod professione haud emissa, inter religiosos non essent accensendi; nec rursus clericis annumerandi, quod Ordinibus ex instituto carerent. Et ad hos sanè coarguendos satis superque fuerant & summorum Pontificum approbationes, & modus ipse vivendi Apostolico persimilis, & sanctitas illud profitentium, tam multis patentibusque indiciis declarata. Sed causæ patronum agere Deus voluit, qui Fundatorem dederat Ordinis, ut miraculis editis ora loquentium obstruerentur. *Hisce subjungit lepidum hujus rei exemplum, quod nos paulo inferius ex ipso referemus.*

Martinus V Papa

130 *Videtur interim Pontifex Romanus patrocinium Jesuatorum suscepisse, atque ea occasione anno* 1428 *edidisse constitutionem, quæ tomo* 1 *Bullarii pag.* 262 *legitur hoc tenore:* Martinus episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Piæ postulatio voluntatis, qua dilecti filii nonnulli pauperes Christi, Jesuati communiter nuncupati, voluntariam paupertatem ducentes, dediti studio piæ vitæ, in diversis Italiæ

B oratoriis, domibus, sive locis, mundanis abjectis illecebris, cum adoptione voluntariæ paupertatis virtutum Domino famulantur, non indignè meretur, ut Apostolica sedes eos, eorum domos, oratoria atque loca benignis favoribus confoveat & specialibus gratiis prosequatur, in iis præsertim, quæ animarum suarum statumque respiciunt & quietem.

videtur tueri,

131 Sane pro parte dictorum pauperum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsi cupientes suos in cælestibus thesauros collocare, & ut ex eorum laudabilibus actionibus ad bene rectéque vivendum traherent alios per exemplum, in diversis locis sive domibus, quæ pro eorum usu & habitatione perpetuis, piis Christi fidelium eleemosynis & suffragiis construxerunt, devotum sedulumque impendant Domino famulatum, ad quos plurimi ob eorum laudabilem vitam & opera virtuosa gerunt specialis devotionis affectum, tamen nonnumquam contingit, pauperes ipsos per inquisitores hæreticæ pravitatis in illis partibus pro tempore residentes, & deputatos ab eis sub diversis prætensis occasionibus fictisque coloribus indebitè molestari. Quare pro parte pauperum eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut ip-

C sorum paci & tranquillitati super iis paterna charitate consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

& in suam clientelam suscipere,

132 Nos igitur cupientes, ut dicti pauperes eò quietius & devotiùs in humilitatis spiritu, Altissimo famulentur, quò se noverint Sedis ejusdem uberiori gratia communitos, hujusmodi supplicationibus inclinati præfatos pauperes præsentes & posteros, eorumque oratoria, domos atque loca constructa & construenda, ubicumque fuerint constituta, cum personis, juribus, pertinentiis, nec non possessionibus, terris, rebus, & bonis suis, quæ in quibusvis locis in præsentiarum legitimè possident, & in posterum, dante Domino, similibus fidelium suffragiis, aut aliàs justis titulis poterunt adipisci, sub beati Petri ac ipsius Sedis, nec non Ordinariorum locorum, in quorum civitatibus & diœcesibus, domus, oratoria, atque loca prædicta consistunt, protectione usque ad ejusdem Sedis beneplacitum auctoritate Apostolica tenore præsentium suscipimus atque nostra. *Tunc consuetæ clausulæ sequuntur.*

& ipse Deus

133 *Quinimo placuit divinæ bonitati fideles suos servos tueri, & obtrectatores aut irrisores eorum confundere manifesto prodigio, quod Bernar-* R *dinus Scardeonius canonicus Patavinus lib.* 2 *Antiq. Patav. classe* 6, *noster Martinus Delrio lib.* 2 *Disquisit. magic. quæst.* 10 *in Moguntina anni* 1603 *editione tomo* 1 *pag.* 118, *ac denique Paulus Morigia in Historia Jesuatorum lib.* 2 *cap.* 51 *litteris mandarunt ac memoriæ posterorum reliquerunt. Sæpissimè laudatus laudandusque Rossus noster ex his tribus scriptoribus, quos in margine citat, elegantem ejusdem miraculi narrationem contexuit, quam ex ipso jam describemus.*

explosam ab aliis Jesuatorum obedientiam

134 *Igitur part.* 4 *Triumphi cap.* 15 § 8 *hanc prodigiosam historiam sic narrat:* Præses cœnobii Jesuatorum Patavii ad sancti Spiritus, Jacobinus nomine, vir apprime pius ac prudens, non neminem ex Augustiniana familia concionatorem, & id temporis monasterii moderatorem, caritatis fovendæ gratiâ ad prandendum secum invitaverat; ac post epulas religiosa liberalitate exhibitas jucundo sermone recreare studebat; quem tamen ille intempestiva contentione turbasset, ni prudentia invitatoris invento, non tam suo ingenio excogitato, quam cælitus immisso, litis præludio occurrisset. Quippe de argumento meriti obedientiæ plura magnificè effatus eò deflexit, ut Jesuatos illius expertes audacter assereret, quod E votum ipsorum solemnitate careret, sine qua, arbitro se, obedientiæ vocabulum inanis titulus sit censendum, non autem devotæ voluntatis sacrificium, quale religiosa professione immolatur, reputandum.

prodigioso eventu

135 Cui Jacobinus: Quandoquidem vetat Apostolus Christianos verbis contendere; si lubet, litem factis dirimamus, iisque veritatem pacificè ac sedatè investigemus. Jubeat tua paternitas discipulo suo specimen aliquod obedientiæ vestræ exhibere: & ego pariter jubebo meo, ut aliquod exhibeat nostræ; & qui parendo vicerit, [ei] palma detur. Perplacet, reponit ecclesiastes; sed decet, te modi amicabilis inventorem præire experimento, ac tuorum subditorum cuipiam imperitare, quod libuerit. Haud gravatè, inquit Jacobinus, morem gero, & ad sodalem conversus: Marce frater, huc ades, & actutùm è coquina quantum prunarum capere potes manuum volis, affer ad me: oppidò enim frigeo, & calefieri exopto.

defendit,

136 Ille nihil cunctatus, obediendi ardore factus metu potentior, ad focum advolat, palmis F ignitos carbones impositos præsentat magistro suo, & quomodo si molles rosas tractaret, innoxiè sustentare perseverat, donec adstantes aspectu prodigii oculos, quibus negare nequibant fidem, satiavere: & reportare jussus ad culinam vir obediens victoriam absque pugna locutus est: siquidem Augustiniani socius miraculo consternatus & pavore solicitus, ne quid simile moliri juberetur, mandata excusatione speciosa prævertens, Absit, inquit, reverende pater, ut Deum ausis istiusmodi tentemus. Ignem si adferri præceperis, in foculo deferam, manibus ut apprehendam, jubere desine. Risum ciere poterat anxia præoccupatio, si alta admiratione defixi animi ridere potuissent. Quo successu intellexit doctus concionator, huc quoque cadere sacrum elogium: Melior est obedientia, quam victimæ; si videlicet simplicitas, promptitudo, hilaritas illam comitentur, & non sola voti solennitas decore convestiat.

quo tamen invidia aliquorum non cessavit.

137 *Huc etiam pertinet horridum obedientiæ exemplum, quod infra in Actis num.* 265 *referetur; dum nempe quidam discipulus jussu* B. Jo-annis

annis Columbini *caput innoxiè ignitis carbonibus ſubjecit. His tamen omnibus non acquievit pertinax quorumdam invidia, qui Ordini Jeſuatorum contradicere non ceſſarunt. Id colligo ex Tractatu de triginta quæſtionibus in laudem religionis Jeſuatorum, cujus ſcriptor anno 1503 obiit, & de quo Roſſus inter auctores Triumpho ſuo præfixos pag. 3 ſic meminit:* Antonius Corſettus Siculus, juris utriuſque doctor, & in academia Patavina juris Pontificii primarius profeſſor, qui apologiam adverſus Ordinis Jeſuatorum impugnatores conſcripſit, in eaque varias quæſtiones ad fundationem eorumque ſtatum pertinentes inſeruit. Impreſſa hæc fuit Venetiis anno Domini MCCCCLXXXXV, die XXII Septembris, & aſſervatur in eodem monaſterio ſanctorum Joannis & Pauli Romæ apud Jeſuatos.

Clemens IX Papa anno 1668

138 *Inter has tempeſtates ſtetit Ordo Jeſuatorum inconcuſſus uſque ad annum Chriſti 1668, quo Clemens IX Papa illum exſtinxit conſtitutione trigeſima, quæ tomo VI Bullarii Romani pag. 299 & 300 ſic ſonat:* Clemens Papa IX ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex agri Dominici curæ more ſeduli patris familias jugiter invigilans, ad evellendas inde religioſorum Ordinum atque congregationum plantas, quæ deficiente primævo religioſitatis vigore atque ſpiritu, nullam ſeu valde modicam in Eccleſia Dei utilitatem præſtant, nonnumquam adducitur, ſicut publico ejuſdem Eccleſiæ bono conducibile in Domino arbitratur.

ſuppreſſit cum aliis congregationibus Ordinem Jeſuatorum,

139 Hac conſideratione aliiſque graviſſimis & rationabilibus cauſis nobis notis adducti, motu proprio ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine congregationes canonicorum ſancti Georgii in Algâ Venetiarum, ac fratrum Jeſuatorum ſancti Hieronymi, & fratrum ejuſdem ſancti Hieronymi de Fæſulis ſub regula ſancti Auguſtini unà cum omnibus earum reſpectivè dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, eſſentia ac denominatione, tenore præſentium perpetuò exſtinguimus, ſupprimimus & abolemus: ac univerſa earumdem congregationum ſic ſuppreſſarum reſpective bona mobilia & immobilia tam ſacra quam profana, conventus, collegia, monaſteria, domos, vineas, prædia, canones, reſponſiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum exiſtant, noſtræ & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni in uſus & opera pia per eos, quibus id à nobis & Sede præfata commiſſum fuerit, convertenda reſervamus.

& aſſignata ſuperſtitibus ſuſtentatione,

140 Præterea canonicis & fratribus dictarum congregationum ſuppreſſarum, qui nunc vivunt, & in iiſdem congregationibus reſpectivè profeſſionem emiſerunt, facultatem tranſeundi ad aliam quamcumque religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos repererint receptores, aut remanendi in ſeculo in habitu clerici ſecularis ſub jurisdictione & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum proviſione ipſorum ſingulis pro alimentis: clericis quidem in ſumma quadraginta ſcutorum monetæ Romanæ; laïcis verò ſeu converſis in ſumma viginti ſcutorum parium annis ſingulis, donec vixerint, ſeu aliunde ſufficienter eis proviſum fuerit, ſuper certis bonis aut redditibus congregationum ſuppreſſarum hujuſmodi reſpective per eoſdem Ordinarios aſſignanda tribuimus & impartimus.

141 Poſtremò ne eccleſiæ earumdem congregationum ſuppreſſarum debito deſtituantur ſervitio, ſed ſartæ tectæ cuſtodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus eccleſiæ ipſæ ſunt ſitæ, per præſentes committimus & mandamus, ut capellanos deputent cum competenti mercede, etiam ſuper re certa de bonis prædictis aſſignanda, per quos Miſſis & aliis oneribus ſatisfiat, ac ipſis eccleſiis debitus cultus & veneratio conſervetur: utque prædicti Ordinarii inventarium tam ſacræ quam profanæ ſupellectilis ad congregationes ſuppreſſas hujuſmodi reſpectivè ſpectantis accuratè conficiant ac provideant, ne à quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus poſſit, niſi & donec à nobis ſeu Sede prædicta aliter provideatur. *Deinde ſequuntur formulæ confirmativæ, aliæque clauſulæ in ſimilibus Pontificum Romanorum conſtitutionibus adhiberi ſolitæ.* AUCTORE G. C.

domos & eccleſias eorum aliis conceſſit,

illis interim privatim vivere juſſis,

142 *Ita exſtinctus eſt Ordo Jeſuatorum, & facultates eorum impenſæ ſunt in bellum Creticum, quod Veneti eo tempore contra Turcas gerebant; templa verò illorum & cœnobia ſacerdotibus ſecularibus & aliorum Ordinum religioſis conceſſa; ipſi autem Jeſuati pro arbitrio ſuo privatim habitarunt, ex quibus duo Ferrariæ uſque ad annum 1726 ſuperfuerunt, ut R. D. Joſephus Antenor Scalabrinus, baſilicæ S. Mariæ de Bucca apud Ferrariam rector, occaſione Actorum B. Joannis Tauſſiniani nobis ſignificavit his verbis:* Anno MDCCXXVI viam univerſæ carnis ingreſſi ſunt RR. DD. Georgius Poſati & Innocentius Caſa-nova J. U. D. Ferrarienſes, ætate longævi, olim in Ordine Jeſuatorum profeſſi, nullis aliis religionis ſublatæ in hac civitate relictis ſuperſtitibus.

de quorum ſtatu hæreticus quidam

143 *Rodolphus Hoſpinianus heterodoxus in opere ſuo de Monachis lib. 6 cap. 40 craſſam prodit ignorantiam: cum enim illic originem, veſtitum, & quaſdam conſuetudines Jeſuatorum ex aliis auctoribus retuliſſet, in fine capitis ita imperitè ſcribit:* De hoc Ordine (quod ſciam) noſtro ſeculo nihil conſtat; qui an paulatim defecerit, in dubio eſt. Affirmant tamen aliqui, Jeſuitas, qui Paulo III Pontifice emerſerunt, nomen ſuum ab his mutuatos eſſe, vel inſtauraſſe potius veterem Jeſuitarum Ordinem jam collapſum.

craſſam ſuam ignorantiam prodit.

144 *Sed ut huic ſtupido Catholicorum, ac præſertim monachorum calumniatori, alios errores liberaliter ignoſcam, an ſcire non poterat, Ordinem Jeſuatorum uſque ad ſuam ætatem ſuperfuiſſe? An ſaltem non noverat, Jeſuatos à Jeſuitis ſeu Societate Jeſu diſtingui, & utrumque Ordinem diverſis domibus, conſtitutionibus ac privilegiis ſimul in Eccleſia Romana floruiſſe? Sic nempe cæcutiunt hæretici, dum ſe temerè ſacris noſtris immiſcere volunt. At miſerum illud opus, quod Hoſpinianus ex variis ſcriptoribus vitiosè ac malignè contra Catholicos corraſit, commiſerationem potius quam refutationem meretur.*

§ X. Monialium Jeſuatarum inſtitutum adhuc perſeverans, Ordinis origo, leges, & præcipua primæ adjutricis geſta.

Bonannius monialium Jeſuatarum, quæ hactenus perſeverant,

COnſtitutione *Clementis IX ſuperiùs memorata non comprehendebantur moniales Jeſuatæ, quæ hactenus in quibuſdam Italiæ urbibus laudabiliter perſeverant, & de quarum origine, ac inſtituto Bonannius noſter in Catalogo Ordinum religio-*

AUCTORE G. C.

ligioſorum part. 2 cap. 67 ſummatim tradit ſequentia : Sanctimonialium Jeſuatarum Ordinem S. Joannes Columbinus inſtituit. Hic cum optaret ſub paupertatis vexillo femineas etiam cohortes cogere, Catharinæ conſobrinæ ſuæ ſtuduit ſuadere, ut paupertatem ſectaretur : cumque urgere exemplis & argumentis pergeret, Dei ſplendore penetrante in ejus cor, inopinato prodigio evicta in arbitrium hortatoris ſeſe promptiſſimè dedit, & propoſitum virginitatis & paupertatis evangelicæ firmavit. *Hæc eadem in Actis noſtris poſtmodum clarius fuſiuſque narrabuntur.*

tradit breviter originem

146 *Bonannius ibidem ſic proſequitur:* Ut principium ſpecioſo operi daretur, totum ſecularem habitum cum vili fuſcaque tunica commutavit, caput lineo velo contexit, pedes intectos reliquit, facultates in pauperes diſtribuit ; victum oſtiatim mendicabat, & tempus, quod prolixæ precationi ſupererat, Marthæ operibus impendebat. Ejus exemplo honeſtæ aliæ feminæ cum Catharina in novum coaluere cœtum, qui deinceps per Italiam propagatus eſt. Ceteris præivit Joanna Mareſcota, poſtea Petra à patre Petro appellata Petri, Franciſca, Joannis de Ambroſio ſoror, & Andrea, quæ Florentiæ monaſterium fundavit.

B

ac regulas,

147 Eas omnes Catharina domi ſuæ collegerat, ubi velut in palæſtra ad varias virtutes exercebantur. Rarus inde egreſſus, niſi quando exeundi occaſio, aut ſtipem petendi neceſſitas exire cogebat; ſermo rarus, jejunium fere perpetuum. Bis noctibus ſingulis, flagris membra cædebant ; ciliciorum uſus familiaris, lecti delicias in palearum culcitris collocabant. Demum, cœnobio exſtructo, anno MCCCLXVII in eo arctam clauſuram elegerunt. Dicuntur pauperes Jeſuatæ Viſitationis B. Virginis : vivunt ſub regula S. Auguſtini, & nomen Jeſu habent pro teſſera gentilitia. Veſtis, quam B. Joannes illis præſcripſit, alba tunica eſt & ſcapulare fuſci coloris, cui in ſacris actionibus cappa ejuſdem coloris ſuperimponitur.

& Roſſus fusè narrat, quomodo Catharina Columbina

148 *Verùm juverit ea plenius diſtinctiuſque cognoſcere ex noſtro Roſſo, qui præter illa, quæ inferius in Actis à num. 257 de prodigioſa Catharinæ Columbinæ converſione dicentur, primum ejuſdem ducis exemplum & reliquum religioſæ vitæ curſum part. 2 cap. 14 § 1 & 2 exornat hoc elogio :* Aſt Catharina propoſitum virginitatis, paupertatis inſuper euangelicæ ſocietate, Columbino ſuadente, firmavit, decoravitque : ut ab ea principium ſpecioſo operi daretur, incunctanter totus ſecularis habitus cum vili fuſcaque tunica commutatur ; caput lineo velo obnubitur ; pedes intecti relinquuntur ; facultates in pauperes diſtribuuntur, victus oſtiatim mendicatur ; tempus, quod prolixæ precationi ſupereſt, Marthæ operibus impenditur.

G

exemplo ſuo ad auſteram vivendi rationem

149 Et ecce tibi ſanctimonialium Jeſuatarum Ordinem in prima roſa efformatum : nam ejus odore tractæ honeſtæ aliæ feminæ currere poſt ſponſum virili fortitudine cum Catharina minimè hæſitantes in novum coaluere cœtum Deo virginum devotarum, qui deinceps per Italiam propagatus eſt. Præviſſe ſecuturis Joannæ Mareſcotæ contigit, quæ virginitatis lilium inter adoleſcentiæ ac nobilitatis roſeta vernans dicare Chriſto maluit, quam thori genialis poteſtati deliciiſve permittere : & ne incomitata incederet caſtimonia, advocata paupertas eſt, quæ victum veſtitumque ad formam, à Joanne Catharinæ præſcriptam, temperaret.

150 Ad nobile ſplendidumque par famularum Chriſti incredibili ſtudio imitationis advolavere Petra à patre Petro appellata Petri, Franciſca, Joannis de Ambroſio ſoror, Andrea, cui pro cognomine ſit, quod Florentiam ad fundationem monaſterii miſſa, ſumma cum opinione ſanctitatis ac prudentiæ illud adminiſtraverit. Numerum adauxit Simona Gallerana, Riſtori filia, inclytæ caritatis & humilitatis femina, cui Deus contulit tantam in converſatione gratiam, tantam in verbis efficacitatem donavit, ut perplures ad idem vitæ inſtitutum traxerit, dignaque ſit habita, quæ poſt Catharinæ exceſſum inchoato ſororum ſodalitio præficeretur. Idque cum ſit certum, vel Florentiâ, ubi admiſſam ſcribunt, Senas migraſſe, ex probabili aſſerendum, vel Senis ſemper vixiſſe, diemque obiiſſe, quod ab aliis haud ambiguè ſcripto traditum eſt.

D

excitaverit alias feminas,

151 Eas omnes Catharina domi ſuæ collegerat, ubi velut in ſpirituali palæſtra ad varias virtutes exercebantur. Rarus indidem egreſſus, niſi qua neceſſitas aut ſtipem corrogandi aut boni alicujus patrandi exire cogebat, eaque tum cautione, ut junioribus comites darentur ſeniores, & binæ ſemper incederent, vultu plurimùm obvelato : & erat compoſitio inceſſuſque adeo gravis, ut videretur doctrina morum, ſpecimen pietatis, forma virtutis. Exeuntes comitabatur modeſtia & precatio ; redeuntes eadem excipiebat ; & facta erat illa domus orationis, jejunii & mortificationis.

& eas domi ſuæ congregaverit,

E

ubi piis arduiſque exercitiis vacabant,

152 Sermo rarus, quem neceſſitas expoſceret, non loquendi cupiditas induceret, niſi qua opera manuum piâ aliquâ lectione ad cæleſtes cogitationes levabantur ; his enim orandi tempora dividebant, ſcientes ab Apoſtolo ſcriptum : Qui non laborat, non manducet. Jejunio ferme perpetuo paſcebantur, & illi certis anni temporibus navigii ſui vela tendebant. Bis noctibus ſingulis, flagris membra cædere à ſuo Magiſtro didicerant, ciliciorum uſum familiarem fecerant, lecti delicias in palearum modicis culcitris collocarant. Pax inter illas quaſi cordis & animæ unius, ni quatenus unaquæque deteriora inter vitæ officia & labores domeſticos eligere contendens humilitate, patientia, caritate cum ſororibus certabat.

in quibus ob eundis ipſa præcedebat.

153 Catharinæ porrò exemplum, ut ceterarum illuſtrius, ita & potentius ad fovendum augendumque fervorem, hortatione præſertim accedente, qua & cognitionis creſceret lumen & laſſitudinis periculo in tanta contentione occurreretur. Porro humilitatis fuit tantæ tamque ſubjectæ, quod in Læta prædicat Hieronymus, ut monaſteriorum princeps ac virginum mater, ancilla omnium putaretur, & ſuorum oblita, aliarum commodis deſerviret. Inculta veſtis, vilis cibus, neglectum caput, damnati ſeculi argumenta erant: orationis prolixitas, noctes inſomnes, ſaccus corpuſculum atterens amati cæli fructus, & pretium æternæ felicitati præmittebatur.

F

Ecſtaſes ejus.

154 Atque ut firmiùs novi ædificii fundamenta jacerentur, & ſolatium habituraæ poſteritati pararetur, placuit Deo totius conſolationis, ſigna dare de cælo ſurſum, quibus ſuæ famulæ ſanctitas innoteſceret deorſum, & auctoritas quàm maxima dictis geſtiſque conciliaretur. Nocte igitur ſolemniſſimâ, ad recolenda Chriſti natalitia inſtitutâ, dum orationi cum reliquis ſororibus inſiſteret, extra ſe rapta attolli cœpit in altum, ac duabus circiter ulnis à pavimento per horas binas hæſit immobilis, luce mirabili undique vallata, quoad rediens ad ſe, & ad ſuum locum, cor inſolito gaudio, vultum ſeraphico rubore perfuſum tota ſequenti die circumtulit : & audita à ſodalibus eſt tam profundè tamque dilucidè de myſterio Incar-

A Incarnationis ac Nativitatis Dominicæ profari, ut satis liqueret, de quo potasset fonte & unde hæc fluenta manarent.

devotio erga S. Catharinam martyrem

155 Adversus divam Catharinam virginem ac martyrem, utpote cognominem suam, singulari ferebatur affectu ac pietate, quam per omnes quidem anni dies cultu aliquo venerationeque ostendere & veluti tributo testari assueverat; sed potissimum anniversario ejus recurrente festo, ardentiùs pia studia instaurabat: in pervigilio præter panis & aquæ exiguum demensum, obsonium nullum degustare; noctem pleramque in contemplatione trahere, postridie mane ad sacram synaxim accedere, tota die ab omni prorsus cibo & potu abstinere; quamvis hoc illi jam familiare, ut quoties Angelico reficiebatur pane, ne micam quidem profani aut aliud sumeret edulii genus.

aliique divini favores,

156 Ergo una tali die à sumpta Eucharistia pelago divinitatis absorpta in modum statuæ constitit immobilis: tum pedetentim vi occulta Numinis sursum sublevatur, & à tertia diei hora ad vesperas usque suspendio beato, aëre detinetur, & radio illabente desuper toto illo spatio mirificè illustratur. Neque fas erat divina istæc patienti, vel se subducere ab aliarum aspectu, vel celare, quæ Spiritus, quando & ubi vult, spirans publicæ lucis esse volebat, quæ humilitas operta tenebris summopere voluisset; ideoque, cum frequenter inspectantibus atque stupentibus domesticis, contingerent, neque loqui neque loquentes de iis audire pudefacta sustinebat.

B

aut nonnullis dæmonum tentationibus

157 Quid faceret hîc superbiæ parens, ubi se vinci videret à femina, qui per feminam genus humanum perdiderat? Attentam ad nocturnas preces tenebrosus aggreditur, & sensus titillans insolitis stimulis voluptatis accendere conatur. Cogebatur ancilla Christi cogitare, quod nesciebat, & voluptatis admittere phantasmata, cujus experimenta non noverat. Irata itaque flagellum ferreis catenulis contextum arripit, septem de pœnitentia Psalmos recitare instat, & sævâ verberatione innoxia membra cædere non destitit, donec illos omnes percurrerit, ac ardorem copiosa cruoris effusione restinxerit. Tum nocturnus prædo prodere sese & vociferari: Vicisti me Catharina, vicisti. Cui ipsa: Non ego, sed Dominus meus Jesus Christus vicit te. Et noctem integram orando traduxit.

C

ac vexationibus temperantur.

158 Aliàs mysteria Dominicæ passionis piè admodum ac devotè animo recolentem invidus hostis turbare tentans, strepitus ingentes edere, horrendùm clamare, lucernam quin etiam orantis exstinguere. Agnoscit, ludibria hæc esse satanæ, ac imperterrita, fiduciâ in Deum rejectâ, signum sanctæ crucis pingit, & O tartarei, inquit, spiritus, in nomine Domini abite, abite hinc; Dominus salus mea & adjutor meus. Quem timebo vestrûm? Cessavere stridores, tumultus resedere, abiere importuni turbatores: ipsa quippe perseveravit orare, donec dies illuscesceret. Neque dissimulavit aperire sororibus, quæ gesta fuerant, cum de rumore præteritæ noctis, ab ipsis audito, sermo incidisset.

Denique piè mortua est,

159 Tenuit is vitæ cursus ac rigor annos duos ac viginti, post quos desiderium cordis sui, videndi scilicet consobrinum suum, cum Christo regnantem, tribuit ei Dominus, & ejus nutu à diva Catharina tutelari sua instantis horæ obitûs in ægritudine præmonita, ut si facta vox esset, Ecce Sponsus venit, lampades oleo plenas ornavit & accendit, obviam venturo processura. Sacro viatico & mysteriorum ultimorum usurpatione migraturam munivit animam, & cum properantis lectulum vallaret corona sociarum, ad perseverantiam in vitæ severioris instituto, ad caritatem, & ad amorem ac spem hortata tantisper quievit. Mox preces susurrare, quarum sonus in oris angustiis emoriens aures adstantium non attingeret; suspirare, ad cælum anhelare; post hæc apertis oculis & vultu exhilarato clarè pronuntiare: Domine dilexi decorem domus tuæ, &: O beata Catharina & pater Joannes protectores mei, ecce ad vos venio. Et inter sancta desideria piasque invocationes abivit, ac ad suum anima revolavit Auctorem, die XX Octobris anno MCCCLXXXVII. AUCTORE G. C.

(an titulo aut cultu beatæ gaudeat, dubitamus)

160 *Fasti Senenses eam titulo* beatæ *compellant; sed Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, aliique Martyrologi de illa non meminerunt. Unde suspicor, publicam venerationem huic Catharinæ non exhiberi, eamque die* XX *Octobris inter Prætermissos more nostro collocandam esse. Idcirco hac occasione volui præcipua ipsius gesta hîc transcribere, cum forte numquam alias in opere nostro de illis mentio sit facienda. Si tamen Senenses aliqua antiqui cultus indicia inveniant, dignentur nos tempestivè monere, ut Acta ejus die* XX *Octobris possint copiosiùs illustrari.*

F

& ferreâ catenâ ac cilicio cincta reperitur prima illa Jesuatarum dux,

161 *Denique Rossus ibidem narrationem suam sic concludit:* Postmodum corpus illud virgineum dum componunt sorores, lacrymis decorant, ac funeri præparant, en, hispido cilicio obvolutum pectus, & exsuccis lateribus ferrea catena adeo tenaciter adhærescens, ut ægre avelleretur. Inter hasce spinas vernabat lilium, & prima Jesuatarum planta, ex qua decerpti surculi ad roseta per Italiæ hortos serenda, & flores honoris ac honestatis colligendos: quippe domus illa, à Catharina in monasterii redacta formam, prima fuit sanctimonialium Jesuatarum, quæ deinceps legibus religiosæ disciplinæ constituta colonias suppeditavit aliis Italiæ civitatibus, in quibus hodieque floret Ordo sanctissimus sub beati Columbini vexillo merentium virginum Deo dicatarum.

cujus exemplo in urbe Lucensi

162 *Nobis hîc satis erit unicum primæ istius plantæ surculum assignasse ex eodem Rosso, qui part. 2 Triumphi cap. 9 § 5 de Lucensi Jesuatici Ordinis parthenone sic meminit:* Cum Bartholomæus Piccolomineus, quem Christo lucrifactum à Columbino, suo diximus loco *(ejus conversio infra in Actis singillatim refertur)* domum Jesuatis recèns erectam regeret, & externos vitæ sanctissimæ exemplo ac sermone plurimùm juvaret, ubi se dabat occasio, cum viris de virtute ac sanctitate Magistri sui, cum mulieribus de beata Catharina ejus consobrina, deque cœtu virginum ab illa Senis coacto mentionem facere, & commendare solitus, libenter ac sitienter audiebatur. Erant Dei famuli verba veluti flores, quorum odore illectæ primùm blandè ad imitationem percellebantur; aliàs ut sagittæ, quæ corda figentes ad generosam deliberationem stimulabant. E

aliquæ feminæ coaluere in novum cœtum ejusdem instituti,

163 Tandem cum obversantes animo cogitationes nonnullæ invicem contulissent, de amplectenda severiore disciplina more Senensium constitutum est, & inito de modo difficultates superandi consilio, superante magnanimitate sexum, ad opus aggressæ feliciter promovere & in collegium haud longè à divi Reguli templo, quod datum paulò antèa Jesuatis fuerat, coaluere. Ibi initium cursui euangelicæ perfectionis magno ardore à paucis datum, quem deinceps temporum calamitates, mutare cogentes aliquoties habitacula, retardare quidem, sed abrumpere nequaquam valuere, quoad post varias hac illac migra-

AUCTORE G.C.

tiones, piorum ope ac largitione ſtabilita ad S. Joſephi ſedes eſt, ad quam primævus diſciplinæ tenor poſtliminio revocatus ab inquilinis ſanctimonialibus ſuum decus hodieque tueri perſeverat, ut dici poſſit illa domus hortus concluſus, in quo lilia caſtimoniæ candicant, roſæ divini amoris purpuraſcunt, violæ pallent humilitatis, & cunctarum vernant virtutum flores.

quod earum poſteræ hactenus laudabiliter obſervant.

164 In ea ſuas partes orationi, contemplationi, pſalmodiæ, lectioni Magdalena deſignat; ſuas quoque actioni & manuum labori Martha definit; ac Jeſu Salvatori utraque operatur, ſive ad pedes ſedeat, verba illius audiens; ſive ſit ſolicita circa frequens miniſterium citra turbationem. Jeſus in earum corde, ut angeli norunt; Jeſus in ore ipſarum, ut manifeſtum eſt hominibus, quos illæ ſalutatione, à beato Columbino hereditate tranſmiſſa, impertiri ſolent, LAUDETUR JESUS CHRISTUS, qua & excipiunt ad ſe ventitantes, & dimittunt à ſe recedentes. *Nunc tantummodo ſupereſt, ut prælo ſubdamus ipſam* B. Joannis Columbini *Vitam, quam Roſſus noſter ex variis Jeſuatorum monumentis operosè collegit, ut ſupra § 2 monuimus. Huic ſubnectemus aliquot miracula poſt mortem ejuſdem Beati patrata, & à nobis ex Italico idiomate Latinè reddita, quæ ad poſthumam ejus gloriam ſpectant. Denique in appendice exhibebimus nonnulla epiſtolarum aut piarum exhortationum fragmenta, in quibus divinum infuſæ doctrinæ lumen & vehemens perfectæ ſanctitatis ardor ſcintillant.*

B

VITA

Auctore Joanne Baptiſta Roſſi Societatis Jeſu.

Excerpſimus ex editione Romana anni 1648, & ad ordinem hiſtoricum reduximus, reſciſſis longioribus digreſſionibus.

C

CAPUT I.

Beati Joannis patria, ſtirps, cognomen, parentes, prima ſtudia, conjugium, proles, negotia & munera ante converſionem adminiſtrata.

CIvium ſanctitas civitatum gloria eſt, ac magnificentia populorum, eâque cetera extra animum ſita bona vel illuſtrantur vel abſorbentur. Detur hoc Columbinæ familiæ, quod nobiliſſimæ civitatis illuſtre ſit germen, quod avorum nepotumque continuata propagine & claritudine ſplendeat *a*; majoris tamen felicitatis eſt acceptum à patria ſplendorem acceſſione tanti luminis intendiſſe, quantum ſanctitatis eximiæ radiis & ſui celebritate nominis B. Joannes Columbinus per orbem terrarum diffudit, ac patriæ nataliumque decora illuſtravit: quamvis enim Senenſis urbs, illa inclyta Etruriæ gemma, & flos Italiæ, multiplici jam ſanctorum hominum fœtu terris inclaruerat, novi tamen ſideris Columbini exortu hoc ſupra ornamenta priſtina addere meruit, ut fundatorum Ordinum religioſorum fœcunda parens audiat, & civium ſuorum coloniis ſupernæ civitatis beatiſſimas copias amplificet, decoretque. D

Beatus noſter Senis ex nobili ſtirpe,

a

2 Quo loci ſilentio prætereundum non eſt altum divinæ providentiæ conſilium, quod in Columbini cognominis impoſitione enituit, quando recens hoc aſtrum ad urbis ornamentum ſubſidiumque effulſit. Namque pro veterum more atque licentia mutavere haud ſemel majores domus iſtius ſua ſtemmata atque cognomina, ac tandem centum circiter ante annos, quam Joannes naſceretur, Jacobus, vulgo Minus appellatus, primus fuit, qui inſigne columbis quatuor, & aurea cruce in cærulea area rutilante conflatum erexit, & avitum Strozza-vaccæ cognomen in nitidius Columbini commutavit. *quæ avitum Strozzavaccæ cognomen*

3 Hoc dein retinere nepotibus libitum, & glorioſum domi foriſque facinorum egregiorum præſtantiâ reddere, quoad illi à novo fœtu cultus & honor humano ſuperior advenit, & ad poſteros venerabiliùs pervenit: quod enim olim inter quieta reipublicæ gubernacula prudentiæ ſapientiæque laude clarum circumſonabat, & inter turbidos armorum motus ſtrepituſque bellicæ fortitudinis titulos vexillis inſcriptos præferebat, ut decus à Joannis ſanctimonia eſt aſſecutum, cœpit inter aras ſolemneſque ritus ſacrorum perſonare, & à terrena in cæleſtem dignitatem immigravit. . . . . *in nitidius Columbini mutaverat,* E

4 Et quidem hactenus de patria, familia & cognomine dicta, ambigua non ſunt; ſed gravi ſcriptorum teſtimonio firmata. Ceterùm natalis dies ac menſis, quinimo & annus ipſe incertus eſt ac obſcurus: neque lux ulla è monumentis Columbinæ gentis aut religionis Jeſuatorum affulſit ſtudioſè ſcrutantibus, ut via illis inveniendis aperiretur, quæ ſubticere per hiſtoriæ jura non liceret. Collatis nihilominus inter ſe converſionis ad Deum & obitus annis, inferiùs memorandis, in proclivi conjectura eſt, circa trecenteſimum & aliquot annos ſupra milleſimum reparatæ ſalutis, partum fortunatiſſimum Joannis contigiſſe. . . *incerto anno, menſe ac die naſcitur* F

5 De pueritia pariter ac adoleſcentia Beati nihil ab antiquitate accepimus, quod hîc inſertum lectori traderetur. Parentes dumtaxat indicantur, quorum alter Petrus Columbini dictus; altera Angela, ſive ut vulgus vocitabat, Angelina, neque hæc expreſſo cognomine aut agnatione, appellabatur. Veriſimile eſt, teneros annos in ludis litterariis exegiſſe, quoad grammaticæ rudimentis imbutus tantum hauſiſſet litteraturæ, quantum ad privata familiæ & publica reipublicæ negotia adminiſtranda patriæ mos & ſeculi conditio poſtulabant. *patre Petro Columbino, & matre Angelina,*

6 Nempe id temporis Senarum urbs nullius principis vel dynaſtæ parebat imperio; ſed ſubjectis ipſa ſibi populis jura dabat, & ariſtocratiæ formam, monarchiam indignata, ſervabat. Ad illius præſcripta legeſque capeſſendas pedetentim juventutem ut informaret, ac idoneam magiſtratibus opportunè admoveret, exercendæ mercaturæ addicere è communi bono ac dignitate ducebat, tum quia modus is erat otio, vitiorum omnium fonti, declinando percommodus; tum quia acuendi ingenia induſtriamque in agendo maxima inde orta opportunitas, cos erat dexteritatis *à quibus addicitur mercaturæ,*

ac

A ac prudentiæ, in provectiori ætate ad ſenatum aſferendæ.

quæ ibi tunc temporis cum nobilitate non pugnabat.

7 Et ceteroqui occupatio illa toti nobilitati communis longè à ſordibus & illiberali quæſtu aberat, & erat honeſtior, quam ut natalium ſplendori officeret, obſcuraretve, etiam de extraneorum *b* ſapientum ſententia, quos hîc referre ſupervacaneum eſt. Hanc ergo palæſtram, à ſuis tritam coætaneis, Joannes ingreditur; dumque ſedulò in ea ſe exercet, ita mercium rationibus addiſcendis incumbit, ut ſpecimen indolis ingenuæ præbeat, & ſuo candore & ſinceritate decus ipſe negotiationi pariat.

b

Deinde duxit nobilem uxorem,

8 Interea temporis (quoto ætatis anno narratur à nemine) genitores, nepotum cupidine, nato nondum planè adulto, utpote unigenæ, ſponſam quæritare inſtituunt, & facilè inventam in illuſtri Cerretanorum domo matrimonio jungunt. Erat hæc Blaſia nomine, Joannis filia, ſpecie formoſa & virtute decora, quibus cum dos accederet opulenta, nulla fuit in contrahendo difficultas, nulla mora in nuptiis celebrandis. Proceſſere cuncta fauſtè ac proſperè, utpote inter ſponſos genere, divitiis, ætate, genio minimè diſpares, & parentum hinc inde tranſigentium placitis obſequentes.

B

ex quâ ſuſcepit duas proles, quæ in pueritia obierunt,

9 Auxit fœcunditas gaudia: namque ſuſcepta è conjugio proles gemina eſt; maſculus videlicet, cui Petri *c*, ac femina, cui Angelæ ad undas luſtrales, ob memoriam & obſequium avorum ità dictorum nomen impoſitum. Utrumque viſa eſt cælo eniti genitricis alvus, ſiquidem maris vix duodennis animula celeriter ad meliores rapta, ne malitiâ aliquando mutaretur, ſororcula, in D. Abundii parthenone cæleſti Sponſo dicata, ab ipſo tirocinio ad æternas Agni cæleſtis nuptias vocata eſt: qui filiorum immaturus obitus, ut non potuit non eſſe genitoribus acerbus, ita ipſi Joanni divinæ diſpoſitionis, ad ſuos fines cuncta dirigentis, ordine contigit ſalutaris. Nimirum numeroſæ prolis per Euangelium paulo pòſt gignendæ pater futurus, vinculis carnis & ſanguinis erat expediendus, & terrenorum curis, quas amor & educatio filiorum ſecum trahit, eximendus, qui mox mortales ad pœnitentiam & mundi contemptum prædicatione ac exemplo erat invitaturus.

C

& ad magiſtratum gerendum promovetur;

10 Attinebatur privatarum occupationum anguſtiis Joannis juventus, dum publicis ætas maturior admoveretur. Hac appetente, communibus patrum ſuffragiis in ſenatum adlectus eſt, ubi eximium ſenatoris optimi exemplar dare perſeverans, ita prudentiam ac vigilantiam ſuam collegis probavit, ut primùm majora quæque negotia illi credere, tum reipublicæ ducem (confalonerium *d* vulgò appellabant) haud ſemel creare minimè dubitaverint. Prima namque adminiſtratio feliciter obita invitamentum ad ſecundam erat, & hæc tertiæ viam parabat: quippe concurrebant ad has prompta nobilitatis placita & prona plebis approbatio, libentiſſimis animis ejus imperium regimenque admittentis, cujus providentiam aliàs ſæpe & caritatem adverſus cives ſingularem erat experta.

d

ſed dum ſimul mercaturam exercet,

11 Verùm, quæ eſt humanitatis noſtræ infelicitas, huic etiam fideri ſuæ maculæ adhæreſcebant; illæ potiſſimum, quibus fœdantur, qui volunt divites fieri, ideoque incidunt in tentationes & laqueos diaboli, ut Apoſtolus querebatur. Joannes ab adoleſcentia, lucro ex mercimonio faciendo deditus, dum juſto avidiùs inhiat, paulatim ſubrepente avaritia & præcordia obſidente, manus hinc laxat ad capiendum, quod alienum eſt; inde ſtringit ad retinendum, quod largiendum ex juſtitia aut æquitate fuerat: & quamquam ab aperta violentia injuriaque, inſita quædam animo ingenuitas abſterrebat, cavebatque diligenter, ne rapinæ ac uſuræ notam incurreret, aut ſuſpicionem gigneret; latentium tamen quæſtuum indago latere haud poterat domeſticos, ac exteros paulò curioſiores, vel tum maximè, cum propterea habendi cupido ad ſordidorum etiam capturam impellebat.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

nimis avidè lucro inhiat,

12 Nam frumenta vetera horreis occluſa cautè ſervare, donec anno decreſcente annonæ deficientis pretium augeſceret, ac tum divendere merces cum lucrum ex inopia majus obveniret. Quod ſi interea temporis corrumpi frumenta contingeret ac horrea putreſcere, carioſum in ruſticos atque alios egenos diribere ea lege, ut ſub novarum frugum collectione integrum ſanumque eâdem menſurâ redderetur. Cariùs ſuas merces vendere, viliùs alienas emere (quod commune mortalium deſiderium vel naturæ vitium etiam agnovit facetus mimus apud ſanctum Auguſtinum *e*) prudentiæ œconomicæ ducebat, &, quod erat iniquius, de ſumma creditoribus debita aliquid detrahere aut fas reputabat, aut ſi nefas, haudquaquam horrebat; & alia id genus audere, quæ neque collybiſtæ neque vulgares trapezitæ licere ſibi aut ingenuo civi arbitrantur *f*. . . .

e

E

f

ANNOTATA.

a *Morigia lib. 1 Hiſt. Jeſuat. cap. 1 ſtirpem illam ab ultima antiquitate repetit. Nos, qui genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix noſtra putamus, huic nobilitati examinandæ non inhæremus.*

b *Roſſus indicat hîc in margine Andream Tiraquellum, natione Gallum, cujus verba in Commentario prævio num. 53 citavimus.*

c *De hoc Petro, Columbini filio, in commentario prævio num. 55 & ſequentibus aliqua diximus.*

d *In quibuſdam lexicis Italicis promiſcuè ſcribitur* confaloniere *vel* gonfaloniere, *qua voce nonnumquam indicatur ille, qui in exercitu vexillum fert; ſed præter iſtud officium militare, eadem vox ſignificat dignitatem civilem, ut in Vocabulario Cruſcano videri poteſt, & hîc ex adjunctis ſufficienter patet.*

F

e *Auguſtinus lib. 13 de Trinitate cap. 3 lepidam hujus mimi hiſtoriam narrat his verbis:* Cujuſdam mimi facetiſſima prædicatur urbanitas; qui cum ſe promiſiſſet in theatro, quid in animo haberent & quid vellent omnes, aliis ludis eſſe dicturum, atque ad diem conſtitutam ingenti exſpectatione major multitudo confluëret, ſuſpenſis & ſilentibus omnibus, dixiſſe perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto leviſſimi ſcenici omnes tamen conſcientias invenerunt ſuas, eique vera ante oculos omnium conſtituta & tamen improviſa dicenti admirabili favore plauſerunt.

f *Sequentibus punctis indicare volui, hîc aliqua à me omiſſa eſſe, quæ nihil aut parum ad rem faciebant. Id autem ſemel ſignificaſſe ſufficiat, niſi aliqua peculiaris ratio lectorem ſimul de aliis rebus monendum ſuadeat.*

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

CAPUT II.

Mira & ſubita ejus converſio ad bonam frugem ex lectione Actorum S. Mariæ Ægyptiacæ.

ANnus fluebat quinquageſimus quintus ſupra milleſimum trecenteſimum à Chriſto nato *a*, cum die quadam (quota menſis non expreſſere, quia ne menſis quidem meminiſſe cura fuit priſcis ſcriptoribus) rediens maturè è menſa argentaria Joannes oppidò famelicus voluiſſet epulari, protinus accumbere, ac prandere. Aſt cibis nondum bene concoctis, quod horam conſuetam præveniſſet, ſubiratus mandat, quantocius apparari, urgetque famulam & uxorem, ac celeritatis imperioſiùs admonet, quam antea ſoleret: quæ tametſi juſſa impigrè exſequerentur, non tamen momento cuncta abſolvere feſtinantibus licebat, ſuum coctioni tempus, ſuum quoque condituræ dandum, ni ſemicrudas aut inconditas vellet inferri dapes. Ille quà latrante ſtomacho, ac viſcera rodente bile, quà ſolicitudine negotiorum ad intermiſſa ratiocinia revocante, morulæ impatiens excandeſcit irâ & aulam querimoniis ac maledictis complet.

Moram prandii ægre ferens,

a

B

14 Tum conjux proba ac prudens, lenitate veſaniæ viri oppoſita, ſuſtinere tantiſper obſecrat, & paucis, quæ intemperiem illam ſedarent, adjectis, codicem Sanctorum Vitas continentem objicit, blandéque rogat, lectitare tantiſper ne gravetur; ita modicum tempus falli jucundè poſſe & tædium levari. Verùm irritato palato nequaquam hæc arridebant, ideoque officio feminæ ſapientis abuſus, arreptum librum abjicit ac pavimento allidit; tum furenti affinis vociferari & eſſutire indigna viro bene morato & gravi. Ad quæ Blaſia, ne frigidæ inſperſione flamma ſuccreſceret, in ſilentio triſtis abſcedit, & ad epulas citò parandas anxia feſtinat.

oblatum librum ſpirituale abjicit;

C

15 Interea Joannes, iracundia reſidente, ad ſe redire, erratum agnoſcere, pudefieri, projectum librum in manus tollere, aperire, legere quod primum ſors argumentum obtulit: fuit iſtud S. Mariæ Ægyptiacæ *b* mirifica converſio, pœnitentia, ſanctitas, quæ fusè paginis illis narrabantur, & ſapidè in animum jam mitiorem influebant. Vixerat illa tam liberè tamque licenter aliquando, ut à ſcelerum granditate antonomaſticè peccatrix vocaretur, hoc eſt carnis propudium, mundi ſcandalum, erebi pabulum.

ſed facti pœnitens, eumque reſumens incidit in Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ,

16 Sed Deiparæ virginis ope miſericordiam à Domino conſecuta ex inquinatiſſimo lebete in cryſtallinam eâque puriorem phialam verſa eſt: ut enim cognovit, quam ſordida quamque deformis eſſet, exactæ turpiter vitæ ſordes expiatura in eremum ſeceſſit, ibique quadraginta quinque annorum ſpatio mortalibus omnibus inviſa delituit, jejunio, oratione, afflictatione, lacrymis labes antiquas abſterſit; & uſque adeo angelis ac angelorum Regi amabilem ſe præſtitit, ut ad eorum familiaritatem & alloquia ſit admiſſa, ac ad cæleſtes melodias audiendas frequenter rapta.

quam cum tanto guſtu legit,

17 Quæ & id generis mira dum percurrit oculis Joannes, cor delectatione afficitur, iram deponit omnem, indignationis tumultum in pias cogitationes convertit. Hîc ſiſtere tantiſper & mirari, tum lumina reddere paginæ, tamquam menſæ, fame alia ſtimulante, inſiſtens epulo ſalubriore mentem reficit, ac deſiderio imitationis accenditur, demum vitæ mutandæ conſilium init. Inter quæ paret conjux ſedula, & parata eſſe edulia menſamque inſtructam nuntiat, ac ad comedendum invitat. Cui Joannes: Et vos modicum ſuſtinete, ac vicem cunctationis rependite, dum hiſtoriam, quam legere ſum aggreſſus, abſolvero.

ut eam totam evolverit,

D

18 Et libenter, inquit illa, præſtolabimur; pergat porro ad libitum dominus meus, dum nos interim cibis, ne quid à mora diſpendii obveniat, providemus. Porro lætabatur pia femina, ſicut qui lætantur in meſſe, & tăcita ſecum dicebat: Unde huic tam repentina mutatio? Indeque ad propinquum conclave ſecedens procumbit in genua, & gratiis Deo creatori redditis, ſuppliciter orat, ut quod cœpit opus bonum ipſe perficiat, oculos cæcutientis aperiat, mentem à divitiarum cupiditate avellat, cor docile & promptum ad divina obſequia creare dignetur.

lætante interim & orante uxore,

E

19 Nec irritæ fuere preces; mutatus eſt in virum alium Joannes: illico enim in frigidum pectus deſuper illapſa ſcintilla lento quidem primùm calore ſerpere, ſed vivido tamen atque vivifico votum vitæ melioris excitare ac ſenſim deinceps in flammam migrare, quæ totam ſcoriam veteris hominis abſumpſit..... Atque ut ii, qui gravi ac diuturno afflicti morbo jacuere, non ſtatim, ut emerſerunt, currere vel ea præſtare valent, quæ ſanos & robuſtos artus depoſcunt; ſed pedetentim convaleſcunt, ac per virium experimenta, quid ſuſtinere, quid ferre recuſent feſſa membra, condiſcunt; ita Joannes haudquaquam ſtatim extrema tentavit, ad quæ deinceps opportunè devenit; ſed leniter atque per gradus declinare cœpit à malo, frænos avaritiæ injicere, & ab anxia acquirendi ſolicitudine conquieſcere; tum bonum facere, & pacem inquirere ac perſequi ex Vatis ſanctiſſimi monito: partem temporis, negotiationi detractam, precibus concedere, pauperum miſereri, egenos ſublevare, & paulo largiùs eleemoſynis juvare, templa inviſere, quæque alia id generis reſtitutæ ſalutis argumenta [præbere *c*:] quæ ut ſolidiùs firmarentur, diu noctuque Blaſia à Domino poſtulabat, & verò etiam, data occaſione vel quæſita, piis alloquiis & omni officiorum genere ſatagebat, ut in propoſito retineret.....

at inter legendum mores ſuos emendare decreverit,

c

F

20 Quis autem ambigat, initium [converſionis *d*] à pœnitentia ducendum, & quidem præmiſſa exomologeſi, etiam vitæ totius, ſi ſeriò peccata præterita flere & expiare lacrymis ac dolore velit, qui eorum fœditatem ac damna recognoſcit. Neque dubitandum reor, quin ad hanc tabulam è mediis mundi fluctibus emergens Joannes manum porrexerit, cum ad portum vitæ ſanctioris invectus priſtinæ jactationis & crebri ad ſyrtes incurſus diſpendia hoc ſalutis amuleto ſtuduit reſarcire. Sed ſiluere ſcriptores, forte quod rei compertæ, &, quam nemo non ſciret, meminiſſe ſupervacaneum exiſtimarent. Ceterùm quod ſolenne eſt iis, qui à via perditionis pedem retrahunt & ad Dominum reverturtur, ac toto cordis affectu adhærere ipſi concupiſcunt, ut animi ſordes ſalutari confeſſione abſtergant, ejuſque frequenti uſu puritatis adeptæ nitorem cuſtodiant; quis dicat, prætermiſſum ab eo, cui magnos inter Sanctos & religionum fundatores locum deſtinata divina fecerant, & eximiis pœnitentibus accenſuerant?....

quod propoſitum

d

21 Quod

A 21 Quod idem de ſacræ Synaxeos frequentia, *frequenti Sacramentorum uſu* cultu, veneratione judicium eſto: quamvis enim & hîc antiquitas hæſerit, & aruiſſe calamum ſit paſſa, ubi liquore aureo erat infundendus; cuique tamen promptum eſt credere, eum, qui conſuetudinem primo in Eccleſia inductam & tum obſoletam crebræ communionis fidelium erat innovaturus, ſuo præiſſe exemplo, & Euchariſtiæ myſteria obiiſſe frequentius, quam id ætatis homines populares conſueſcerent; ut panis vivifici ſumptione robur augeret animi & ſpiritûs primitias cæleſti pabulo refoveret. Hoc munitus præſidio impigrè fortiterque ad montem Dei Horeb, hoc eſt ad perfectionis faſtigium, ſcandere perſeverabat, ac ne retro reſpiceret aut regrederetur, omni vigilantia providebat.

22 Verùm quia maxima damnorum pars olim *ac avaritiæ ſuæ exſtirpatione* ab avaritia manaverat, in id potiſſimum incumbere, ut fibræ omnes præpoſteræ cupiditatis evellerentur, & injecta Chriſtianæ liberalitatis ſemina calore caritatis foverentur, ut undâ largæ erogationis irrigata fœcunditatem ferrent meritorum. Eapropter diligenter ipſe ſecum diſcutere, B an quemquam minus dando vel plus debito accipiendo læſiſſet, certus ſine cunctatione refundere, quidquid olim præter fas in arcas eſſet ingeſtum; quinimo & quadruplum, ſi oporteat, reddere. Vendere volenti nil de petito pretio detrahere, pluſculum etiam interdum addere, ut cariùs emeret; vice verſa emere à ſe roganti de legitimo pretio aliquid remittere & minoris vendere, quam communi æſtimatione merces cenſerentur.

23 Qua facilitate per ora civium evulgatâ, tan- *exſecutus eſt, mirantibus popularibus,* tus ad ipſum concurſus factus eſt, ut neſcias, pluresne venditores an emptores ad contrahendum cum Joanne properarent. Illud compertum, utrorumque coëmptam benevolentiam; reliquorum excitatam admirationem, dicentibus aliis: Nonne hic eſt, qui heri & nudius tertius ſuper teruntio rixabatur; qui nihil, etiam rogatus, erogabat, nec ab alienis manus omnino continebat? Quomodo ceciderunt de manibus ejus catenæ, & laxatæ ſunt ad largiendum etiam non petentibus, quæ paulo ante egenis ipſis ac ſtipem poſcentibus inexorabiliter erant obſtrictæ?

24 Et varia erant de hac profuſione judicia: *& de ea morum mutatione diversè judicantibus,* reductum ad meliorem frugem autumabant alii C conſilio amici cujuſpiam, qui propoſito hinc avaritiæ dedecore, inde liberalitatis pulcritudine, ſplendoreque decus familiæ conciliante, illius odium & iſtius amorem ingenerarit.... Aliis præſentem effuſionem cum præterita aviditate contendentibus, viſa eſt intempeſtiva prodigalitas imminuti cerebri deliramentum..... Inſederat animis ſapientiorum (qui plurimùm rari ſunt) quædam de Joanne divinatio, fore aliquando catalogo eorum adnumerandum, quorum facta preſſo veſtigio ſequeretur, ut altiſſima jaceret ſpiritalis ædificii fundamenta, quæ in celſum dignitatis & gloriæ apicem eſſent evaſura. Ceterùm ipſe toto animo Salvatori junctus ut objurgantium criminationes ſurda aure præteribat, ita laudantium præſenſiones egregius jam tum ſui contemptor inter ludicra reponebat.

25 Interim militiæ ſacræ initiatus, quæ ſum- *dum ipſe interea ad majorem perfectionem adſpirabat.* pſerat diſciplinæ ſanctioris exordia, indies promovens mediocribus non contentus ad ſumma contendebat; nec ab illicitis abſtinere magnum jam aliquid apud ſe reputabat, niſi perpeti abnegatione & appetitionum dominatu à licitis etiam temperaret. Volare dixiſſes, non currere, quia mortificationis alæ alteram orationis addere ſoli- AUCT. Jo. citus, divinorum contemplationi plures diei & no- AN. BAPT. ctis horas impendere, frequenter concionibus ſa- ROSSI. cris intereſſe, pios libros lectitare, xenodochia inviſere, ægris præſto eſſe, familiares ſibi fecerat vitæ recentis exercitationes; quibus obeundis ne tempus deficeret, vitare cœtus nobilium & civium converſationem, frequentiam populi declinare, negotiorum molem quà minuere quà partiri; & hac induſtria ſupererat ipſe tempori, & tempus redimebat æternitatis amator, ad quam gratia de avaritia honorificè jam triumphantem præparabat athletam ſuum, dum alios quoque ſævos hoſtes concupiſcentiam carnis & vitæ ſuperbiam debellaret.....

ANNOTATA.

a *Feus Belcarus cap. 2 Vitæ Italicæ, aliique biographi communi conſenſu exprimunt eumdem converſionis annum, ex quo Bonannium noſtrum in Commentario prævio num. 93 correximus.*

b *Hujus Sanctæ Acta Majores noſtri ad diem ſecundam Aprilis illuſtrarunt, tomo 1 iſtius menſis à pag. 67.* E

c *Hoc verbo uncis incluſo ſenſum complere debui, quod etiam ſubinde alibi faciendum fuit propter innumera typothetæ errata, ut in Commentario prævio num. 25 monui.*

d *Hoc vocabulum hic inſerui ex narratione antecedente, quam tamquam minus hiſtoricam, & potius rhetoricè exornatam omiſi.*

CAPUT III.

Conſentiente uxore, votum caſtitatis ab ipſo emiſſum, & alia pietatis exercitia obita.

GUſtaverat medullitus Columbinus & expertus erat, quam ſuavis eſt Dominus, & de hoc fonte limpidiſſimo potatus, non modo coſtam illam corpus ſuum adamantem non optabat, ſed angebatur animo, hinc recolente limoſas ciſternas conjugalis officii, dein ſonitum tubæ Apoſtolicæ obſtrepentis: Uxori vir debitum reddat. Quid inter anguſtias morte amariores agat, aut quid conſilii capiat, ubi conſilia Magiſtri virginei lilie proponunt ac porrigunt, & citra mandati violationem manu liberè apprehendere, niſi de alieno conſenſu non permittunt? *Beatus, guſtata divinæ conſolationis dulcedine,* F

27 Quæratne ſolutionem thori? At clamat *poſt varias difficultates ſibi ipſi propoſitas* Paulus: Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem; imo & Dominus edicto vetat: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Honorabile eſſe conjugium & thorum immaculatum; continentiam grandis eſſe virtutis & doni ſpecialis, quod licet ſibi divinitus obtigerit aſſequi, quid conjuge fiat nondum anu, neque ad cælibatum propenſa vel vocata? Turbatum iri pleramque cognationem, & urbem univerſam adverſus auſum inſolens detonituram, & veluti de violato naturæ jure, deque maritalis fidei fractione impensè conqueſturam.

28 In hoc fluctuantium cogitationum æſtu, ad *caſtitatem deinceps ſervare decernit,* conſuetum precum ſubſidium ardentem caſtimoniæ amatorem ſpes & fiducia in Deum propellit, quem dum piè ſolicitéque conſulit, & propitia-

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

re prolixa ſupplicatione inſtat, animari ſe ſentit & interiùs roborari ad opus arduum tentandum, & ſeparationis conſenſum ab uxore placidè ac amicè procurandum: hoc quippe accedente, haudquaquam dubitabat, admotum eſſe ad nodum ſolvendum cuneum, & cetera, quæ emerſura prævidebat, obſtacula Dei diſponentis ope & forti patientiâ ſuperanda.....

& uxorem ſuam

29 Itaque tandem apud ſe conſtituit rete jacere, & in abſtinentiæ conjugalis caſſes columbam inducere, ac obſervatâ horâ, quæ collocutioni ſeriæ videbatur opportunior, ita ferè haud illibenter audientem affatus eſt: Eſt mihi ſecretum, Blaſia, quod tibi ſoli & patri meæ conſcientiæ arbitro revelari per prudentiam licet. Non te latet ab eo tempore, quo nos domus eadem & thalamus idem junxit, quomodo converſatus ſim coram Deo & hominibus; in multa videlicet temporalium cura, ac propè nulla æternorum.

variis argumentis

30 Errabam per vias tortuoſas pereuntis ſeculi, honoribus ac divitiis inhians, quæ mergunt amatores in profundum ac ruinam; & perieram ſicut ovis à caulâ digreſſa ac à lupis malè tuta, ni
B Deus miſericors, qui te mihi thori conſortem dederat, dediſſet magiſtram ac ducem. Nunc eodem propitio, ad meliorem frugem reſipiſcere licuit, & exutus viſco cupiditatis, qua tenaciter hærebam terræ, ſalutis iter ingredior, ut videam, ſi quomodo comprehendam & bravium currentibus promiſſum accipiam: verùm graves pedicæ hactenus curſum meum remorantur, non alia niſi tua manu ſolvendæ, quam benignam experiri non deſpero, & impensè rogo.

ad eamdem virtutem hortatur,

31 Poteſtatem corporis mei, quam libens donavi, obſecro te uxor dilectiſſima, mihi redona, & vice verſâ, quam tu in me tranſtuleras, non gravatè à reſtituente accipito. Fies ex conjuge ſoror, & ego ex marito frater, & erimus duo, non ultrà in carne una, ſed unus ſpiritus in carne nulla, niſi forte in latere Salvatoris. Hoc in poſterum ſi annuis, erit lectulus noſter floridus: hæc ſtatio gratiſſima & umbraculum ab ardore ſanguinum. Neque magnopere timendum nobis ab hoſte domeſtico inquieti fomitis; quippe aſperſi ſanguine Agni pro nobis immolati, veluti calidiſſimo rore hyſſopi, omnem pituitam noxiæ voluptatis excoquemus, & exhibebimus membra noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

C *cujus conſenſu impetrato,*

32 Pugna, ſi quæ foret ineunda, brevis erit; victoria certa promittitur: præmium in cælis paratum eſt æternum cum iis, qui caſtimoniam ſervavere, vel virginitate illibatam, vel à conjugio aſſertam; qualem offerre Deo victimam gratiſſimam, ſi volumus, pari conſenſu poſſumus. Prole quamvis non abundemus, non tamen caremus & ſi nulla ſuperſtes eſſet, heres noſter Chriſtus erit, qui nos ſuos faciet coheredes in regno Patris. Interim vita noſtra incorrupta, vita erit angelica & abſtinentia noſtra gaudium angelorum *a*. Quæ dum loqueretur Joannes, commovebantur Blaſiæ viſcera, & in rorem ſuavium lacrymarum præcordia ſolvebantur; ſed aperiente Domino cor ipſius ut intenderet, quæ ſpiritus per os mariti fundebat eloquia decoris & pulchritudinis, promptiſſimis votis aſſenſit poſtulatis ejus, ac divortii facta facultate, ceſſit uterque juri, quod mutuo in Sacramento dederant corporum ſuorum, & ab argenteo matrimonii ſtatu in aureum cœlibatus migravere.

a

votum caſtitatis emittit,

33 Hìc Joannes gaudio liquidiſſimo delibutus, flexis illico in terram genibus, & mente ac oratione plena reverentiæ & amoris ad Deum converſa, in hanc penè formulam votum concepit: D Omnipotens & miſericors Deus, quandoquidem Blaſia (& præſens ipſa audiebat conſentiebatque) quam mihi in conjugem fideliſſimam matrimonio ac dilectione junxeras, obſequi mihi non eſt dedignata, & dominium corporis, quo ipſa potiebatur, roganti conceſſit, agnoſco hoc recens à tua clementia & amore munus, & in gratiarum actionem ego peccator indignus ac miſer homuncio, coram divina & immenſa majeſtate tua, caſtitatem, quoad vivam, ſervare propono, atque ut firmius propoſitum ſit, voto obſtringo. Dignare, ô benigniſſime Deus & pater vitæ meæ in odorem ſuavitatis holocauſtum meum admittere, ac explendi gratiam uberem largiri *b*. Quo ſenſu pietatis hæc à Joanne prolata ſint, qua teneritudine cordis à Blaſia audita, lachrymæ hinc inde fluentes indicare, plane verbis exprimere haudquaquam valuere..... *b*

& quamvis poſt hoc minores carnis ſtimulos pateretur,

34 Prima igitur benedictio impenſa Joanni poſt emiſſum caſtitatis votum largior ſolito divinæ gratiæ fuit infuſio, non modo animam ſanctificantis, quod primum munus ejus eſt, juſtis omnibus abſque diſcrimine conceſſum, ſed adeo in ſublime evehentis ut in ſpiritum carnis expertem mutaſſe videretur? Etenim qui fructus eſt peculiaris benevolentiæ paucis exhibitæ, hanc gratiæ affluentiam comitatum eſt ſpecioſum donum, quo vitiatæ in Adam naturæ fomes, intemperantiæ radix, ita repreſſus ac debilitatus eſt, ut nullas ulterius ſcintillas libidinis emiſerit, aut leniter inſurgentes illicò nullo negotio compreſſerit: atque ita ſuus tranquillitati mentis & conſcientiæ quieti locus ab omni contagione liber relictus, jucundum ac mundum in ſua puritate Spiritui ſancto habitaculum præbuit..... E

tamen diverſis afflictationibus

35 Neque tamen tam firmo vallatus præſidio tutum ſe putavit ab inſidiis & impugnationibus, quibus theſaurum eximium, in vaſis fictilibus abſconditum, ſuffurari conjurata orci militia molitur; ſed acerrimam diligentiam adhibuit, ut illæſum illibatumque tueretur. Eapropter initio quidem in jejuniis eam moderationem tenuit, quam vires ferre poſſent, & [quæ] violentiam conſtantiæ inimicam non inferret, ne labefactata ſtatim ſanitas inſuetis ſuccumberet oneribus, & ad priſtinas delicias redeundum eſſet. Verum rota fervoris currente, eò deventum eſt, ut corpori tantum indulgeretur eſcæ, quantum vix retinendo intra artus ſpiritui neceſſarium videretur. Lectum vel duri aſſeres vel nuda præbebat humus; ſomnus brevis ac parcus, ſed non minus ſuavis, quàm olim molles culcitræ & ſtrata ſerica conciliaſſent. Reliquas noctis pleraſque horas orationi & contemplationi dabat.... F

corpus ſuum domabat,

36 Diurnis operibus Sacri auditionem de mane præmittere quotidie conſueverat, & nullam dein partem à Chriſtiani hominis officiis vacuam abire permittere. Nunc noſocomia inviſere & ægris miniſtrare, aliàs inter ſe diſſidentes reconciliare, viduis ac pupillis adeſſe ac juvare; pios ſermones paſſim ſerere, ad morum emendationem hos invitare, illos in tribulatione conſolari, omnibus quà conſilio quà largitione benefacere, quod præſtantiſſimum duceret imitationis divinæ genus beficentiam in homines conditionis cujuſlibet exercere.

& abſtinentiæ conjugali paupertatem addere ſtatuebat.

37 Sed fructus iſtiuſmodi à voto caſtitatis colligenti adhuc excellentiorem viam oſtendit luminum Pater, quam Filius ejus unigenitus, magiſter noſtri generis factus, indicavit aſſerenti, ſervata à ſe mandata à juventute & aliquid tamen amplius

A plius deſideranti, quod faciendo vitam æternam poſſideret; quippe audivit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quod recogitans penſiculatè Joannes, minus ſibi & ſuæ conſcientiæ ſatisfactum iri aſſeverabat, donec relictis omnibus, quæ poſſidebat, nudus nudum ſequeretur Salvatorem, caſtitatis voto, quo ſe jam adſtinxerat, alterum adjungeret paupertatis, quo & ſpoliaretur habitis & habendi in poſterum facultatem abdicaret; quod quàm bellè illi ſucceſſerit, paulo poſt enarrabo...

ANNOTATA.

a *Opinor, hanc orationem hortatoriam etiam à Roſſo exornatam eſſe, & ab eo hic potius referri illa, quæ in ſimili caſu veroſimiliter dici potuerint, quam quæ re ipſa dicta fuerint, cum Belcarus & Morigia tam prolixam exhortationem non expreſſerint.*

b *Belcarus in Vita Italica cap. 3, & Morigia in Hiſtoria Jeſuatorum lib. 1 cap. 3 hanc votorum formulam etiam pancioribus verbis abſolvunt.*

B

CAPUT IV.

Electio ſocii, & ejuſdem ad ſimilem Apoſtolicæ vitæ normam inductio.

Beatus Joannes amicum ſuum

a

ARcta erat Columbino cum Franciſco Vincentio *a*, Mini vulgò dicto, neceſſitudo, & arcanorum cordis ſincera communicatio, qualis inter amicos, paucos veroſque dumtaxat reperitur. Hic igitur occurrit primus, in quem oculos & ſpem conjiceret, quod maximum ex ejus converſione emolumentum in populos emanaturum ſperaret. Nempe è primaria nobilitate Senenſi oriundus, numeroſa cognatione ac divitiis florebat præter cetera inſita bona judicii, prudentiæ ac in rebus agendis dexteritatis, quæ magnam ipſi apud cives auctoritatem pepererant. Conſulto ergo in primis obnixè humiliterque precibus Deo, ſtatuit recentem deliberationem inſtituendæ ad Apoſtolicam formam vitæ ſuæ candidè ipſi

C aperire, ac ad eamdem ut amicum quoque induceret, omni ope ſtudioque conari.

variis rationibus excitat

39 Quapropter repetebat illi identidem opportunè importunè, quæ valere exiſtimabat ad expugnandam mentis arcem, deſiderio curaque per terrena vagantis, & opes ac honores ſolicitudine anxia procurantis. Quid, quæſo te, dicere ſolebat, omnibus laboribus ac ſudoribus, quibus laboramus ſuper terram, quid, inquam, adepturos nos tandem arbitramur? Majorne eſſe poterit ſpes noſtra, quam ut cenſus augeantur, aut dignitatis & vitæ caducæ commoda ac deliciæ comparentur? Atqui hæc fragilia ſunt, & incerto fortunæ feruntur flatu, affluunt & dilabuntur, & interim dum poſſidentur, laquei ſunt curſum ad regna cælorum præpedientes; ſpinæ, quæ conſcientiam lacerant, & ream gehennæ faciunt, dum nimis avidè conquiruntur, aut nimis avarè cuſtodiuntur; quæ pericula & damna vix aliquando ab illis abſunt, & ſi abeſſent, vapor ſunt ad modicum parens, & tandem cum vita deſeruntur ac deſerunt.

40 Quantæ igitur prudentiæ fuerit Chriſti ſequi conſilia ad earum contemptum invitantis & clamantis: Omnis, qui non renuntiaverit cunctis, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus? Quantæ felicitatis viam regiam divinæ ſervitutis & perfectionis euangelicæ ingredi ac terere, Apoſtolos & eorum ſectatores imitari, mundo & toti vanitati ejus valedicere, pedem in æternitate figere, & alis paupertatis ſubnixos ad illam tendere? Hæc ſanè ritè perpenſa, ut tute advertere ex morum mutatione potuiſti, tantum apud me pondus habuere, ut exſequi, quæ ſuadeo, omnino conſtituerim, & ſpretis omnibus, quæ hactenus poſſideo, Salvatorem ſequi, crucem ejus humeris imponere, Sanctorum, qui cum Chriſto regnant, veſtigiis inhærere.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

ad contemnendas divitias,

41 Unum eſt quod ſummam votorum meorum explere in hac molitione queat, ſi quemadmodum fidelem me ac tui amatorem non frigidum per annos plures expertus es, ita mihi contingat per ætatem reliquam comitem habere te in iis, quæ ſalutis æternæ ſunt, & unà mecum ſuavi Chriſti jugo colla ſubdentem. Sat video, labor, paupertas, mortificatio, hominum judicia, terrere poſſunt, & manum ab aratro capiendo abducere; ſed fides futuram gloriam & coronam pœnis paratam terroribus opponit. Spes animos dat & promiſſionum certitudine roborat ad ardua quæque ſuperanda. Caritas quinetiam difficultates omnes imminuit, & dulci ſapore amara cuncta reſpergit. Et aderit noſtrùm medius Jeſus Chriſtus ille Dei filius ac Deus, non modo magiſter & amicus; ſed & frater ac mater futurus eorum, qui voluntatem faciunt æterni Patris; quanto magis illorum, qui vocem ejus audientes nihil aliud in hac peregrinatione quærunt, nil optant ardentiùs, quam quomodo ipſe ambulavit, & ipſi ambulare *b*?

eumque hortatur,

E

b

42 Hujus aurei mallei ictibus ſæpiuſculè Joannes amici aures verberabat & arcem pectoris petebat, & tamdiu haud gravatè audientem ſolicitare inſtitit, quoad in ſuam ſententiam inflexit atque pertraxit. Influebant voces illæ Euangelium ſonantes in Vincentii intima, & eliquabatur veritas ejus in cor non pravum & paulatim ſanandum: nam principio quidem calor tenuis leniter afficiens venas permeabat, tum verò, dum repeterentur ſuaſiones & dicta ſacra, ſenſim migrabat in æſtum affectus adhærendi Chriſto & præ ejus amore divitias & quidquid mundus pollicetur lutum computandi. Tandem ceſſit hortationibus & ſtatuit adjungere ſe Joanni, jam induto humilitate Chriſtianæ profeſſioni congrua, & forti domitori ſui corporis: nec ulla tarditate uſus ſuam ipſi deliberationem aperuit, ad quam ineundam plurimùm ſuaſiones crebræ, plus etiam ſupernum lumen ac interior vocatio valuere.....

ac tandem inducit,

F

ut auſteram vitam ſecum ducat,

43 Auctus igitur hoc ſodali Joannes, & novo animo, gratiis Deo impensè peractis, cœpit liberiùs Euangelium, quod geſtabat in pectore, propalam profiteri, & incluſæ flammæ erumpere geſtienti aditum aperire. Namque depoſitis veſtibus, quas hactenus ad ornatum ac elegantiam geſtaverat more nobilium, viliores induit plebeis uſuarias, pallium iis conſentaneum humeris imponit;.... nec ſic veſtitus in publicum civitatis prodire conſpectum, & in euangelico paupere novum Chriſti militem declarare erubuit. Pecuniam magnis antehac ſtudiis atque compendiis corraſam, & arcis inexorabilibus clauſam, largè in pauperes quà obvios quà perquiſitos diſtribuere, & ſi quos in triviis ægrotantes reperire contingeret, hos benignè colligere & in habitaculum

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

lum aliquod inferre, ac ſumptus providere, quibus conſumpta languoribus & inediâ membra foverentur.

in qua vivendi ratione

44 Monentibus amicis & veterem cantilenam occinentibus, cautiùs agendum, ne ad inopiam & mendicitatem reduceretur, reſpondebat liberè, nimiam cautionem genus eſſe infidelitatis, ſibi nil antiquius eſſe, quàm totâ ſubſtantiâ pauperibus erogatâ, ad ſummam egeſtatem redigi & mendicatò vivere, nec procraſtinaturum ſe, niſi per caritatis & juſtitiæ leges vetaretur, domeſticorum reſpectum in diribitione haberi præcipientes; in magna ponere felicitate mundi Dominum poſſeſſionem habere, & cum Propheta canere: Pars mea Dominus.

ambo conſtanter perſeverantes

45 Et erat aperta reſponſio tacitum ad imitationem invitamentum non omnino infructuoſum: quamquam enim præter Vincentium nemo, id quidem temporis, ipſius ſecutus eſt exemplum, hoc tamen aſſequebatur, ut moleſtis interpellatoribus os occluderet, & improbare deſinerent, quod antea calumniabantur; quinimo genus quoddam approbationis videbatur, quod ſe precibus

B ejus ac Socii commendarent: hic quippe conſtanter hærebat Columbino, eadem cum ipſo vivendi ratione utens, eleemoſynas largè profundens, in ſui abnegatione ſtrenuus, in mundi contemptu generoſus, in virtutum acquiſitione fervens, in divino ſervitio conſtans, ut jam tum in duobus, adhuc inter ſeculares agentibus, religioſorum perfectorum illuſtrior quædam forma ſplenderet, & civitatis univerſæ oculos & ora ad ſe converteret.

varia hominum judicia ſpernunt.

46 Et quamvis amborum pleraque affinitas factorum inſolentiâ percellebatur, dedecori ducens, bina ex ſuis familiis illuſtriora capita ad abjecta miniſteria gentilitiam nobilitatem demittere, ac domos profuſis largitionibus exhaurire, ipſi tamen nihil penſi hominum judicia habentes, eorum querimonias ac obtrectationes ſurda aure tranſibant, & corde in cælo fixi, non decedebant de gradu ſuo; ſed veſtigia magis ſolidabant in petra, quæ eſt Chriſtus, in quo conſiſtere progredi eſt, & ad metam in agone Chriſtiano certantium ſecundo curſu properare....

ANNOTATA.

C

a *Hujus Franciſci elogium habes in Faſtis Senenſibus ad diem* 15 *Auguſti. Cum verò ab auctoribus quibuſdam titulo* beati *ornetur, nos in Commentario prævio num.* 95 *de legitimo illius cultu inſtrui deſideravimus.*

b *Quamvis verba hujus exhortationis apud antiquiores Actorum ſcriptores non inveniantur, tamen in Vita B. Petri Petroni legimus illam Franciſci Vincentii converſionem factam eſſe, hortante Joanne Columbino, ubi lib.* 2 *cap.* 8 *narrantur ſequentia:* Ergo ſimulatque Columbinus maſcula ſe orbatum prole animadvertit, majorem Dei amorem animo concipiens, tum omnia negotiandi commercia dirimere, ac ſimul trajiciendæ ac permutandæ pecuniæ deponere ſtudia, prorſuſque abjicere; tum fluxa præſentis vitæ commoda penitus deſerere, atque humanas, quas poſſidebat, opes in pauperes dividere ſtatuit. Quam in ſententiam ingreſſo non mediocre attulit adjumentum Franciſcus Vincentius, Nicolai Vincentii germanus: qui Franciſcus dum tacita quadam admiratione Columbini vitam pariter ac mores in melius commutatos apud ſe reputat, in eam mentem intimo ſancti Spiritus inſtinctu ſe ſenſit impelli, ut ſocium ſe ad eum in nova ſpirituali militia inſtituenda adjungeret: quod & peregregiè præſtitit, eodem Columbino ad Chriſtianam laudem & decus illum adhortante. D

CAPUT V.

Morbus Beati, occulta fuga ad noſocomium, & vexatio ex parte uxoris ſuæ ob pauperem ac vilem vivendi modum.

B. Joannes febri laborans,

INter aſſiduos recentis vitæ labores jugemque corporis & animi mortificationem litantem pœnitentiæ Columbinum febris invadit, ac lecto affigit. Aſt promptus ad patiendum animus ingenti cum demiſſione & gaudio Dei donum flagellantis omnem filium, quem recipit, in ægritudine recognoſcens, parum ducit gratias illi ſolvere pro munere, ni morbum præterea ſtimulum ſibi faciat augendi dilectionem, eamque magnifica quapiam molitione declarandi. Morbi ergo moleſtias ac febriles ardores non æquo ſolùm tolerat animo, ſed veluti delicias æſtimat, atque ut graviores recurrant indies paroxiſmi, vehementer optat. E

ob nimiam domeſticorum de ſe curam,

48 Argumento minimè obſcuro rei haud ita creditu facilis eſt ingenioſum piumque furtum ſui ægrotantis factum domeſticis, quibus nihil tale cogitantibus clancularià fugâ ſe ſubducit & locum quærit, ubi deliteſcat, & incommoda egenis decumbentibus communia experiatur. Ergone, ſibi ipſi inclamabat, in molliſſimi cubilis complexu ſtertere pergis, & marceſcere in plumis otioſis non erubeſcis, delicate miles Ducis illius, qui non habuit, ubi caput ſuum reclinaret, neque ubi, niſi in duro crucis ſtipite, cubaret? Ergone exquiſitis epulis & ſorbitiunculis & ſcitamentis in tabem ac ſaniem mox abiturum corpus reficies, mentitus diſcipulum Magiſtri, qui felle & aceto potatus eſt? Et ſuſtinebis, Blaſiæ & familiaris ſervitii curas à tuis numquam otiari obſequiis ſervus nequam Domini, non habentis in ſua F tribulatione conſolantem ſe vel juvantem? Meliora Deus! Non decet ſub capite ſpinoſo membra vivere delicata, neque paupertatem ſui amatoris ſentire languores & egeſtatem, cui morienti amatæ comites adſtitere nuditas, ſitis extrema, omnis ſolatii & opis inopia.

clam fugit ad noſocomium

49 Surgam igitur & circuibo civitatem & quam intus non invenio, foris in ſuis habitaculis pauperatem quæram, ſi forte me excipiat tamquam unum de mendiculis ſuis, & admittat ad tenuem ac parcam menſam ſuam, divitum conviviis invidendam. Quas inter cogitationes & accenſa patiendi vota hora minus obſervabili (forte matutina) quando poſt vigilias noctis domeſtici omnes ſuaviùs ſomno ſoporantur, eripit ſe lecto ac tegete vice veſtium humeros involvens domo egreditur, ac ſenſim labante greſſu ad xenodochium, nullo comitante, proreptat, quod infimum inter alia urbis celebriora, & malignè inſtructum putabat, ut ſanctiùs paupertati operaretur. Hîc aditum obtinuere à rectoribus preces obnixæ, & lectulum in turba jacentium pauperculorum impetravere. Delituit inter hos biduum ceu de trivio quiſpiam, inſciis moderatoribus, cujas & quan-

A quantus vir esset, & nihilo honestiùs quam reliquos decumbentes tractantibus.

in quo per aliquot dies delituit,

50 Hoc ipse magnopere gaudebat, cautus adeo, ne aliquo se signo proderet, & delicias hasce suas, notitia alicunde oriente, perderet, & abire cogeretur. Sed brevis hæc lætitia fuit: cum enim paulo postquam pedem domo extulerat, Blasia ac Vincentius cubiculum ingressi, vacuum infirmo cubile conspicati sunt, pavore simul ac stupore perculsi cogitationibus variis agitantur, neque quid Joanne actum sit, divinare queunt; fugam tamen suspicantur hominis, qui lodicem abstulerat, & in cavernam quampiam se abdidisse conjectant, ut miseriùs ægrotet, & egestate conficiatur.

& frustra per urbem quæsitus,

51 Interrogant famulos, quærunt inter cognatos & amicos, adeunt xenodochia, neque angulum inexploratum omittunt, in quo latere fugitivum ex verosimili conjiciant. Sed ventos venantur; nusquam ægrotus paret. Tandem desperatione potius quam spe acti, nosocomiolum in sepositò urbis angulo positum intrant, singulos grabatos attentè lustrant, tacente interim Joanne, B & se tegente; sed frustra, quia eodem, quo se celabat, opertorio detectus est: curiosis quippe scrutatoribus objecta est forma colorque lodicis, quo se obvolverat, & agnita protinus à Blasia, cui tota domus supellex erat comperta, transfugam manifestavit.

tandem invenitur,

52 Eò accurrens unà cum Vincentio amicabili querela dolorem testata scisciatur, ecquid causæ sit, cur, relicta propria domo lectoque, ad extraneam casam confugerit, & in angustias alieni domicilii & annonæ conjecerit? Offensione aliqua occasionem dederit fugæ, an culpa domestica aut erratum domi displicuerit, quod transfugio castigandum censuerit? Videat perpendatque pro sua prudentia, deceatne virum senatorium inter plebis quisquilias jacere, & criminationibus vulgique dicteriis nobilitatem familiæ exponere.

ac paupertate incommodisque gaudens

53 Ad quæ Joannes: Quid turbamini, aut cur molesti estis mihi? Una dumtaxat causa huc me venire impulit; nimia videlicet indulgentia vestra curaque superflua in hoc misero tractando corpore, blando videlicet spiritûs hoste, pœnitentiæ fræno etiam in infirmitate domando. Optimè mihi in hoc lectulo est. Permittite, quæso vos, pauperculam hanc feminam ad me accedere: affert enim scutellam sapidi pulegii *a* ad obsonandam famem meam, cui nil simile in suavitate jusculà vestra habent. De reversione verò mea sperare desinite. . . . .

a

C

vix se domum reduci patitur.

54 Hìc instare Blasia & Vincentius precibus ac rationibus multis, ex decoro, ex æquo justoque depromptis, ædem illam hospitalem pro mendicabulis extremè laborantibus stare, contra jus fasque à nobili divite insideri, frustra ac insipienter obtendi paupertatis titulum, quæ Deo Superisque displiceat, risum hominibus moveat. . . . . Lacrymis insuper & obtestationibus ad argumenta adjunctis emollitum cor denique cessit, & quàm venerat decentiùs domum reductus est. Tenuit hæc febris aliquamdiu, & fessa jam membra jejunio & varia afflictatione quassavit; ast animus in cælum assurgens suum tuebatur vigorem. . . . Hoc unum dolebat, quod delicatè nimis haberetur: cetera in Deum semper intentus, divinis cogitationibus mentem pascebat; linguam verò, cum solus erat, in laudes Majestatis illius laxabat. Cum amici invisebant, effusam erga genus humanum caritatem & benevolentissimam providentiam prædicabat, ut æger corpore medicinam afferret aliquam malè habentium animis, solatium bene va-

lentibus; & nullus ex cubiculo decumbentis non melior, quàm cum ingrederetur, abiret. AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

Uxor B. Jeanni

55 Febrilem afflictionem excepit altera ab uxore Blasia vexatio, eò gravior, quò minus exspectata. Cui, obsecro, venisset in mentem, Blasiam, ceteroqui placidis moribus ingeniique pacati feminam, quæ in revocando ad bonam frugem Marito summo studio & omni contentione adlaboraverat, uti supra memoravi, inversa dei voluntate, viam perfectionis insistenti offendiculo fuisse; & velut unam de stultis mulieribus pessimo alloquio conatam esse ab incœptis revocare? Et fuit tentatio ista quà importunitate, quà pertinacia propè fatalis: namque octennium *b* exercuit Joannis patientiam; quo toto tempore partes agebant suas, nunc astutia lenocinio armata, nunc iracundia desultoria levitate coarguens, carpensque mores & vitæ institutum, cui se Joannes addixerat. *b*

objurgationibus,

56 Etenim aliquando ciborum, quibus vesci consueverat, & vestimentorum, quæ induerat, vilitatem indignata clamitabat: Quousque tandem sordida istæc & immunda perferam? An huc veni, nomen uxoris ferens, re autem ipsa infelix famula domini infelicioris; in squalore & luctu dies ductura? Qualis hæc sanctimoniæ species habitu rusticano in cœtu nobilitatis incedere ac inter affinium cuneos eremicolam repræsentare? Rem familiarem sus deque vertere, domesticorum curam omnem prorsus exuere, carnificem sui immoderata macerationè agere? . . . . Quamvis jurgia rationum momentis sedare pro loci ac temporis opportunitate nequaquam omittebat, plurimùm tamen audire se dissimulabat, & silentio solabatur dolorem suum. . . . . E

blanditiis,

57 Neque tamen despondit animum Blasia; sed ubi minus succedere conspexit aspera, animum adjecit ad mitia, & spem sibi à blandimentis fecit, quam irritam iracundia & expostulationes reddiderant. Ad lenocinia verborum confugit, quæ mellitum amorem & conjugalem dilectionem testarentur. Consilia dabantur inde profecta plena prudentiæ ac moderationis. Frænis fervorem immoderatum coërcendum, ne exorbitet à ratione & lege Dei; partem quidem noctis orationi concedi posse; sed suam etiam necessariæ ad vitam quieti deberi; laudabilia esse jejunia, quæ carnem affligant, non quæ opprimant & enecent; singularitatem in vestitu; quæ vulgi percellat oculos & admirationem aut risum moveat, periculo expositam esse superbiæ & reprehensioni hominum, & ansam maledicentiæ dare, ac idcirco neque Deo neque Cælitibus arridere; gratiora esse plura, quæ privatim ac secretò fiunt, quam quæ palam coram vulgo; laudari orationem, quæ fit in abscondito, clauso ostio, & eleemosynam à dextera porrectam, sinistrâ insciâ. F

precibus & lacrymis

58 Neque deerant preces; si quâ adhuc in pectore maritali reliqua esset affectionis erga miseram conjugem scintilla, remittat tantillum de intolerabili asperitate, quæ violentia cum sit, durationis foret brevis ac pœnitendæ. Per ego te, dilecte Joannes, quæcumque jura ac sacramenta nos conjunxere, precor obtestorque, ne ante oculos meos homicida tui meique esse velis. Quod si sancta consortia spiritûs nec vocabula nec officia jam tenent nuptiarum, cogit me tamen fides, qua dextras junximus, pietas, religio, cultus, quo Deum veneramur, rogare te, paulo mitiores induere cogitationes & remissiùs sævire in carnem tuam, quam dum dirè conficis, meam quoque conficis. Et pergebat obsecrare, ni singultus &

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

imber lacrymarum nutantia verba convolviſſent.

fruſtra perſuadere nititur,

59 At fortis Athleta Chriſti, tametſi natura humanus ac benignus, non plus hac blandiloquentia mollitur, quam ſi dura ſilex, vel ſtet Marpeſia cautes.... Ne tamen afflictæ adderet afflictionem taciturnitate, quæ deſpicientiam oleret, paucis reſpondit, quæ minuere dolorem poſſent, & ſalubriùs ſapere ignaram divinorum arcanorum docerent. Mirari ſe in primis vehementer, quod quæ tam ſolicita de ſua ſalute fuiſſet, quando ipſe illius oblitus per inanes ſpecies cupiditatum & mendaces inſanias errabat, nunc voti compos effecta triſtetur, queraturque lacrymabiliter, inveniſſe drachmam, quam perdiderat; & ad caulas Salvatoris rediiſſe ovem, quæ perierat: Euangelio refragari, quæ ſuadeat de tecto deſcendere & rurſus induere tunicam veterem, quam exuerat. Piam olim & clementem fuiſſe, quæ profunda caligine vitiorum demerſo manum benevolam porrexerat; verſam modò in crudelem, quæ in loco paſcuæ & ſerenitatis collocatum ingemiſcat, & ad ſenticeta redire ſuadeat.

B

ut auſteram & abjectam vitæ normam deſerat:

60 Cui illa: Abſit hoc à me, ut malâ ſuadeam, quæ bona ſemper optavi; ſed ut qui pluviam tempore ſiccitatis ad fœcunditatem optant, non eluvionem vellent ad ſubmerſionem ac ſteriliratem, ita ego arenti quondam veſtro pectori imbrem deſiderabam, quo irrigaretur devotio, non diluvium, quo ſuffocaretur ſanitas, ſubmergeretur urbanitas, ſepeliretur humanitas. Cui longè ſapientiùs Joannes: Crede mihi, Blaſia, totus mundus in maligno poſitus eſt & in tenebris jacet: ſomnia ſibi fingit in incerto divitiarum & umbras perſequitur in lubrico cupiditatum, & tamen tantopere diligitur, acſi ſummum in ipſo bonum ſit poſitum.... Beati, quos de ſomno torporis & ignorantiæ ſuſcitat Dominus, & viam veritatis edocet: beatiores, quos trahit ad Chriſtum, ut ambulent, ſicut & ipſe ambulavit. Et ego quidem fateor tibi ingenuè, ſoror mea, ex ea die, qua divinus ſol illuminavit tenebras meas & eduxit me de carcere infirmitatis, in qua jacens currebam ad mortem vinctus catenis avaritiæ, ut probè noſti, ita ſum inflammatus amore crucis & Chriſti crucifixi, ut dulcedo ac mel videantur mihi, quæ amara & horrida mundus reputat...

C

nam ipſe in arrepta perfectionis via fortiter pergens

61 Quod ſi ingratum ſit in auribus ſororis meæ hoc novum canticum & grave videatur jugum, quod mihi leve ac ſuave eſt, facile fuerit hac ſe moleſtiâ liberare: nimirum thori vinculum mutuo conſenſu ſolvimus, quid impedit, ut habitationis etiam diſſolvamus? Sic enim à cunctis mundanis retinaculis expediti firmiùs Deo hærebimus; tu quidem, ut mulierem honeſtam decet, domi orationi & bonis operibus intenta; ego verò foris per vicos & plateas nomen Jeſu Chriſti hominibus prædicando.

crebra uxoris jurgia patienter tolerat.

62 Hîc illa excandeſcens: Utinam, inquit, numquam abſona poſtulanti conſenſiſſem! Neque enim ignoro Apoſtoli præceptum, alligatum uxori ſolutionem quærere prohibentis, ut mihi jam videantur voces lupi ululantis, ſolutionem aliam & habitationis ſeparationem ulterius depoſcentis; quamquam divortio quolibet horribilius eſt continuò ſpectrum iſtud familiare hominis pannoſi ac ſordidati, quale vix eremus ferret ac deſerta ſemota paterentur, nedum lares nobilium & affinium frequentia, qui cum rubore audire coguntur, quæ ab aliis conſpecta non ſine riſu aut indignatione accipiuntur, probantur à nullo, ſtultitiæ damnantur à plurimis. Proinde ad mentem redeat deſertor meus, ſi quietem domeſticam amat, & nomen bonum, quod negligere per ſacra Oracula nefas eſt, apud externos ſalvum velit: quibus aliiſque in eumdem ſenſum ſimilibus reſponſis vapulabant ſæpiſſimè mitiſſimi Joannis aures, perratò habentis in ore redargutiones; & præcordia aculeis feriebantur cæcitatem & propè in petulantiam vergentem muliebrem audaciam c indolentis. Sed reſpexit Dominus & conſolatus eſt dolorem Servi ſui. D

ANNOTATA.

a Pulegium *vel* puleium *eſt herba florifera, quam nonnulli exiſtimant, nomen à pulicibus habere, quia* flos pulegii recentis incenſus pulices necat odore, *ut loquitur Plinius lib.* 20 *Hiſt. Natur. cap.* 14, *ubi etiam alias iſtius herbæ virtutes explicat. Cicero eadem voce metaphoricè uſus eſt, ut apud Calepinum videri poteſt.*

b *Iſtud octennium numerari poteſt ab anno Chriſti* 1355, *quo Joannes Columbinus ad Deum converſus eſt, donec beatus Vir liberam pro arbitrio ſuo vivendi poteſtatem ab uxore ſua obtinuit, & bona ſua omnino abdicavit, cujus abdicationis tempus in Vita B. Petri Petroni lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 82 *ſic indicatur:* Egregii Chriſti milites, omnes, quas habebant, facultates in ejuſdem Chriſti Domini gratiam partim in pauperes erogarunt, partim piis locis atque xenodochiis attribuerunt anno à partu Virginis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio. *Sic igitur illa vexatio ab anno* 1355 *uſque ad* 1363 *per octennium invictam B. Joannis patientiam exercere potuit.* E

c *Feus Belcarus cap.* 4 *non tam dura & aculeata dicteria iſti mulieri attribuit; ſed illi adſcribit leniora quædam argumenta, qualia hic num.* 57 *& ſequente retulimus, quibus ſub ſpecie prudentiæ Marito ſuo moderationem ſuadebat, & ingentem illius fervorem temperare conabatur. Facilè tamen crediderim, muliebrem iracundiam ſubinde in has exhortationes irrepſiſſe.*

CAPUT VI.

Mirificus orantis Beati ſplendor, benigna Chriſti ſuſceptio ſub forma leproſi, divina conſolatio, & tandem his miraculis emollita uxoris durities. F

Beatum cæleſti lumine in tenebris radiantem

OCeanus conſolationis Deus dicitur. Quis ſpei vela per ipſum pandit, & auras ſuaviter ſpirantes non expertus eſt? In ipſo ſperabat cor Joannis, cum intrarent aquæ uſque ad animam ſuam, & adjutus eſt; primò quidem per internæ conſolationis affluentiam, quæ afflictionis acerbitatem ſuperabat; tum per ſignorum admirabilitatem, qua omnis tandem caligo & amaritudo ab animo Blaſiæ deterſa eſt. Illorum hoc fuit primum. Nocte quadam intempeſta, quam de more Joannes inter preces vigilabat, tanto ſplendore ſenſit animam ſuam repleri, ut corpus etiam ipſum exteriùs radiaret, & cubiculum meridiano veluti ſole coruſcaret.

conſpicit quædam mulier,

64 Attinebatur per eos dies ea domo nobilis femina Alexia Bandinella, affinis Blaſiæ, utpote ma-

A marito Cerretano nupta, illuc invitata ad levandum agnatæ mœrorem, quem Joannis vita ac mores intulerant, uti memoratum eſt. Hæc inter nocturnas tenebras vidit parietes propinqui cubiculi, in quo manebat, luce clariſſima ſplendeſcere, nec aliunde illam, quam à candela vigilantis Joannis manare rata, nihil movit. Verùm cum in longum durare fulgorem adverteret, & majorem, quàm à candela emitti poſſet, haud ex vano putaret, quidnam illud eſſet inſolitum lumen, propiùs explorare non dubitavit.

quæ uxorem B. Joannis ad videndum illum ſplendorem advocat.

65 Lento igitur gradu illuc ingreſſa, Dei Servum humi defixum & undecumque radiis circumfuſum conſpicatur, ac obſtupefacta miraculo regreditur, conventâque Blaſiâ, viſum narrat, & ad videndum invitat. Morem hæc gerit, non tam videndi cupiditate, quam gratificandi voluntate cognatæ invitanti, ne immorata videretur. Accedit, procumbentem intuetur, radiis perſtringitur, hæret admirabunda, neque tamen verbulum effatur, aut ſignum dat placati animi ac errorem fatentis: tam craſſæ videlicet nebulæ inane
B pectoris feminei obduxerant, ut ne ſupernæ quidem lucis ſplendore diſpelli potuerint *a*.

a

Alio tempore idem Vir pauperem leproſum

66 Secutum eſt miraculum alterum adeo luculentum, ut vi ipſius expugnata pervicacia oblatrare ulteriùs deſierit, & in admirationem ac reverentiam diu exoſi Conjugis immigrarit. Ita res habuit. Ibant ſimul Joannes ac Franciſcus ad princeps urbis templum, ut Miſſæ ſacrificio intereſſent. Præ foribus, mendiculorum grege obſeſſis, unus quiſpiam jacebat ſeminudus, niſi quà leprâ à planta pedis uſque ad verticem capitis fœdè operiebatur. Conſtitit ad aſpectum miſerandum Columbinus, & ad comitem converſus: En, inquit, Franciſce mi, quantâ miſeriâ & cruciatu pauperculus iſte oppreſſus decumbit humi, & cum ſit tanta ejus neceſſitas ac dolor, omni tamen humana ope deſtituitur..... Quam opportunè factum, ſi in humeros ſublatum domum noſtram transferamus & commodùm curemus?

humeris ſuis domum defert, indignante ob id uxore,

67 Probavit conſilium Franciſcus, & operam quoque ſuam obtulit ad illud exſequendum. Tum Columbinus leproſum adit, placidè erectum humeris imponit, iiſque ſuccollantibus domum ſuam importat: inter eundum, modò dextram, modò ſiniſtram ori oſculandam admovet, &
C breve illud iter tam jucundè conficit, ut nullam penitus moleſtiam nauſeamve ſenſiſſe affirmaret, & affirmanti crederent, qui emicantem ex oculis vultuque toto amoris & hilaritatis flammam contemplabantur. Ut pedem intra liminare intulit, intuita Blaſia fœtens ſpectaculum vociferatur: Apage, apage tabem hanc & peſtem! Nimirum iſtud etiam deerat meæ calamitati infortunium, ut fœtore & ſanie tecta noſtra forderent, & in tabidorum receptacula verterentur. Aſt ego domicilium, & ſolum quin etiam vertam: abibo expulſa domo, & extrema tolerantiæ paſſa haud accuſabor impatientiæ aut proterviæ, quod ſaluti conſulam & incolumitati meæ, ac liberam veſtris miſerationibus habitationem relinquam.

quam blandis verbis

68 Cui blandè tranquilléque Columbinus: Amabo te, domina, ſuſtine modicum, parce iræ, parce furori; deſine adverſus hunc pauperculum & nos indignari. Hic pariter, uti nos, factura Dei eſt, & ſanguine pretioſo Filii ejus, uti nos, redemptus. Idcirco patere, te per Jeſu Chriſti amorem rogari, ne dedigneris tui lecti copiam facere, in quo miſellus tantiſper conquieſcat, dum ego neceſſaria ad eum refocillandum comparo. Alienum videlicet quærebat lectum, qui proprium abdicarat, & nudis aſſeribus incubare diu aſſueverat. Hîc enimvero ut temulenta bacchari & clamoribus vicinitatem complere, negare, obteſtari cælum & terram, numquam carcinomati illi ſui lecti copiam facturam. AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

ac pilis mollitis fruſtra placare conatur;

69 Cui Joannes: Ah mea Blaſia, recolamus delicta noſtra, quibus iram divinæ majeſtatis incurrimus; & minus grave, neque intolerandum videbitur, illorum debitas nobis pœnas hoc quantulocumque miſericordiæ pretio redimere. Sub hac larvæ deformitate patientis Chriſti ſpecies deliteſcit, qui ſibi factum iri aſſeveravit, quidquid uni tali in nomine ipſius fecerimus. Profecto ſi rurſus ipſemet Chriſtus Dominus de cælo deſcenderet, & talem noſtris ſe offerret aſpectibus, qualis fuit ab Eſaia multa ante ſecula prævisus, non habens ſpeciem neque decorem, lepra & vulneribus fœdatus & virorum noviſſimus, ſorti bonæ ac favori duceremus, hoſpitio & lecto excipere, fovere, recreare. Atqui faſſus ipſe eſt: Qui recipit unum ex iis, qualis hic eſt, quem intuemur, me recipit. In quo igitur ſe prodet fides noſtra, ſi averſemur in ſuo paupere Chriſtum, E aut qua ratione ſalva & incolumis erit caritas noſtra, ſi viſcera pietatis non oſtendamus in ipſum? Neque tamen feram verbis ſuis placavit, qui potuiſſet monſtra delinire. Tumet adhuc ira & furore, & proteſtatur, ſe impoſterum non tacturam neque acceſſuram ad cubile, quod ſanies illa deturpaſſet infeciſſetque.

quare nil curans ejus jurgia, leproſum abluit

70 Tum Joannes advertens, ſe ſurdæ canere: Eia, inquit, Vincenti, paremus quantocyus balneum, & ulcera ac ſordes hujuſce noſtri fratris abluamus. Quo parato, uterque manus ulceroſo admovent, purgant, exſtergunt, & inſolito caritatis affectu exoſculantur. Quin etiam (quod audire abſque ſtomachi nauſeantis indignatione aures vix ſuſtineant) tantis gaudiis in eo opere delibutus eſt Joannes, ut novum genus mortificationis excogitarit, quod Domino pro gratiarum actione penderet; craterem videlicet ex pelvis ejuſdem illuvie implevit, ac intrepidus exſorbere haud horruit, non ſecus quam ſi poculo apprimè ſuavi delectabiliter ſe proluereret.

ac molli lecto imponit,

71 Exinde abſterſum ac recreatum leproſum lecto Blaſiæ pro ſua libertate componit, utpote linteaminibus ac plumis molliori, quidquid illa ringens obganniret. Certè quidem de injuſtitia tamquam familiæ mater conqueri juſtè haud poterat, aut de uſurpatione ſui lecti, ſe invita, F maritum incuſare, penes quem manebat adhuc dominium de tota facultate integrum; & laudabiliter ſuo jure fuiſſe uſum mirificus declaravit eventus.....

dumque paululum abeſſe cogitur, curam illius commendat uxori,

72 Joannes aſſiduus decumbentis cuſtos providens, ne vel puncto temporis ſolus relinqueretur, Sacri audiendi causâ cum Franciſco domo egreſſurus Blaſiam rogat, dum poſt breve ſpatium redeat, curam illius gerat, ne forte quid graviùs per eam morulam patiatur. Aſt illa, bile adhuc fervens, inconditum quid ac ferum dentibus frangens terga vertit, & aliò declinat coquere rabiem ac dolorem ſuum. Ibi remotis arbitris paulatim quieſcere & meliores animo cogitationes admittere, ſuſpicere Viri inſignem caritatem ac ſui abnegationem, & cum ſua obſtinatione conferre: ni contumaciam exuat & viſcera miſericordiæ induat, timere, ne Dei iram in ſe provocet, dedecere bene moratam uxorem arroganter cum marito rixari, nefas Chriſtianæ feminæ pauperes averſari, immitem eſſe ſua ope indigentibus, & iis affinia, quæ à benigno Spiritu cordi feminco

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

leniendo immittebantur.

quæ cubiculum leprosi ingressura fragrantissimum odorem percipit.

73 Sic affecta recto gradu se confert ad cubiculum jacentis leprosi, & dum fores aperit adeo suavi inhalatur odore, ut similem à floridis hortis aut pretiosis nartheciis exspectandum nusquam in terris pro certo haberet. Et fuit inolitæ plagæ malagma istud opportunum, & quam sanare ad eam diem non valuerant exemplorum ac sermonum Columbini medicamina, cælestis fragrantia momento obduxit ac persanavit: quippe stupore hinc fixa, inde rubore repercussa, non est ausa in cubiculum se penetrare; sed retrograditur illicò, arbitrata quòd erat, sub illius schematis fœditate latere pulcherrimum aliquid ac divinum, quòd pro eximiæ benevolentiæ pignore Mariti sui misericordiæ cælitus esset objectum: quo illa compuncta stimulo & præteritæ proteriviæ conscientiâ, pudore suffusa laxat habenas lacrymis, ac de silice repentè mutatur in fontem.

Interea Maritus cum socio domum reversus

B

74 Interea temporis revertuntur à templo Joannes ac Franciscus, & dulciaria quædam ad sui infirmi solatium coëmpta secum ferunt: fit obviam ingredientibus Blasia fletu madens & icta dolore, quem dissimulare ægrè poterat. Sciscitatur Joannes causam gemituum, & eam esse casum aliquem sui ægroti forte suspicatus; Ecquî nostet, inquit, leprosus habet? Respondit illa: Ite & videte. Cumque super odorem, quem hauserat, paucula verba insusurrasset, in aliam divertit partem, ut securiùs plangat.

non invenit ægrum, qui disparuerat,

75 Illi, cupiditate videndi & ægrum dilectum consolandi, nuntio inexspectato halantis odoris aucta, confestim ipsum convenire properant, & fragrantiæ quidem in cubiculo relictæ suavitate admirabili perfunduntur; ast è cubili æger avolaverat, nec aspexere in eo aliud, quam linteamina, pulvillos, & totum instrumentum tam rite eleganterque compositum, quam si dominico obsequio sedula famulorum manus composuisset *b*. Porro illi agnovere cælestem dignationem, & magnitudinem beneficii à Christo in hospitalitate admittenda admirati, dejectis in terram genubus, in gratiarum actiones & laudes divinas se effudere; sed quo animorum sensu ac ardore, quis oratione explicet, aut mente comprehendat, nisi qui expertus est? .... Ac ne foras miraculi prodiret fama, indidemque honor aliquis in caput suum redundaret, severè Joannes Blasiæ præcipit, ne, se superstite, mortalium cuipiam verbulum de eo faceret: si secus faxit, noverit paveatque divinam vindictam, maritale præceptum violare ausæ præparatam.

b

C

& postmodum ex revelatione divina discit,

c

76 Duo alia beneficia hoc, quod narratum est, consecuta sunt, & utilitate paria & splendore haud inæqualia. Alterum est illustris Christi Domini apparitio *c*, & familiaris, ceu amici ad amicum, allocutio: quippe nocte insequente, dum secum specioſi eventus seriem volveret animo Columbinus, & vehementiâ amoris in Jesum Christum, sub leprosi similitudine lepidè amicéque sibi illudentem, raperetur, ecce, rursus improvisus hospes, non ut heri lepræ horrorem præferens, sed luce clara conspicuus visendum se sistit oranti, & blandissimè compellans: Gratias tibi, mi Joannes, acturus veni, quod hesterna die tuis humeris domum tuam intuleris, balneo laveris, cibo refeceris, lecto molli reclinaveris.

Christum sub hac leprosi forma latuisse,

77 Quia igitur me recepisti in terris & refovisti, recipiam & ego te in cælo, & cum electis meis pane angelorum pascam, & immortalitatis cibo refovebo. Interim fortis esto & constanter age, ut servus ac athleta meus, & tecum semper me futurum ne dubita. Quæ effatus apparere desiit oculis, & hæsit in corde firmiter ac suaviter: sed reliquisse libuit suæ præsentiæ vestigia, splendorem conclave totum mirificè collustrantem, & in pectore Joannis flammam cælestem liquidissimi gaudii, quale deguſtant beatæ mentes, quæ torrente voluptatis potantur in cælis.....

D

atque ita ab uxore sua, hoc prodigio victa, liberam facultatem obtinuit,

78 Alterum à memorata erga leprosum misericordia beneficium utrique conjugum commune fuit: Blasia siquidem insperati prodigii admiratione perculsa, & penitus evicta apertè novit, se hactenus Spiritui Domini, à quo Maritus impellebatur, restitisse, & pœnitentiâ ducta, omni indignatione deposita, non modò volens libensque reconciliata Viro est; sed insuper, quod illi pergratum fore non ignorabat, jura cuncta matrimonii, quæ apud se erant, in ejus rejecit arbitrium, liberamque potestatem fecit servandi castitatis votum, dispertiendi pauperibus, curandi infirmos domi forisve pro libito; denique per se licere, quidquid velit agere, qui Dei agatur Spiritu, & quæ sunt ei placita, facere sit edoctus: se verò tamquam unam de suis tractet ancillis; numquam posthac officii ac reverentiæ, domino ac fratri debitæ, immemorem futuram, dummodo amare pergat & ipse ut sororem, & Creatori summo precibus commendare non obliviscatur.

E

ut pro suo arbitrio pauperem ac duram vitam institueret.

79 Agnovit in spontaneæ cessionis optatissimo munere manum Domini Columbinus, & acceptavit illicò à cedente, ne facultas resiliendi maneret in posterum, & [ut] pactum mutuò initum irrevocabile amborum voluntates in arrepti propositi Deo serviendi soliditate firmaret. Addidit insuper ex intimo corde grates, & amoris plus quam conjugalis constantiam pollicitus est. Deum porro amandi indies magis novum stimulum interpretatus factam sibi à molestissima obligatione solutionem, vitæ vota ferventioris instaurat, & cum sacro Vate canit: Nunc cœpi; hactenus sibi visus parum profecisse, nisi monstrum avaritiæ pessumdaret, & paupertatis armis expugnaret, ac novam coronam triumpho præpararet.

ANNOTATA.

a *Dum Feus Belcarus cap. 4 hunc prodigiosum splendorem describit, nullum verbum facit, ex quo colligas, illum ab uxore B. Joannis etiam visum esse. Attamen probabile est, Alexiam istud prodigium postea indicasse Blasiæ, quæ forte narranti fidem non adhibuit, eo quod illam alio quodam lumine deceptam fuisse existimaret. Quidquid sit, difficulter mihi persuadeo, piam B. Joannis uxorem oculis suis non credidisse, & tam manifesto miraculo motam non fuisse. Itaque fides hujus circumstantiæ, de qua antiquior Belcarus planè tacet, & quam Morigia lib. 1 Hist. Jesuat. cap. 5 primò refert, sit penes primum illius relatorem, ex quo Rossus noster eamdem videtur accepisse.*

F

b *Simile quid contigit S. Leoni Papæ IX, ut in Actis ejus apud nos tomo 2 Aprilis pag. 664 refertur. Sigebertus Gemblacensis in Chronico suo ad annum* 1048 *de eodem Pontifice hæc breviter scribit:* Hic cum in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum fotum diligenter in lecto suo collocavit, quem cum referato ostio non inveniſſet, in paupere se Christum suscepisse obstupuit.

c *De hac Christi apparitione etiam non meminit Belcarus cap 5, ubi leprosi historiam & consecutam Blasiæ conversionem narrat. Non tamen propterea*

A *pterea eam negaverim, cum Paulus Morigia, cui magnam veterum monumentorum copiam videre licuit, hanc forte ex antiquis auctoribus tradat lib. 1 Hist. Jesuat. cap. 6, ex quo illam Rossus noster Latinè narrat.*

CAPUT VII.

Omnimoda bonorum suorum abdicatio, vehemens paupertatis amor, & prodigiosus honoris contemptus.

Joannes Columbinus unà cum socio

RUptis igitur conjugii vinculis omnibus, quæ Blasia libens antè laxaverat, amanter devoteque Domino decantare perseverans Davidicum illud usurpabat: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. Atque ut cetera quoque retinacula, absolutissimæ immolationi obstantia, removerentur,

B rerum humanarum cupiditatem exuisse haud satis esse duxit ad incipiendum, nisi præterea earum dominium ac possessionem abdicaret ad proficiendum: in qua abdicatione, judiciis & vulgi accusationibus ob singularitatem ac insolentiam exposita, ne quid inconsultè peccaretur, ad divinum lumen & opem maturè confugit. Collato namque cum Francisco consilio, in quo socium & imitatorem optabat, statutum in commune est, multa prece, jejunio, eleemosyna divino propitiando numini certo tempore impensè vacare, & virorum doctrina ac pietate præstantium sententias explorare. . . . . .

consulit B. Petrum Petronum, a

81 Inter istos nonnemo erat oraculi instar ab utroque habitus, cui fidem si haberent, in tuto pedem figere arbitrabantur, denegare, ut piaculum horrebant. Erat is D. Petrus Carthusianus *a*, patriâ Senensis, contemplationis divinorum dono & sanctimoniæ laude celebris: quem cum adiissent, & initæ vitæ rationem ac ineundæ deliberationem aperuissent, ut probaret ipse spiritus, an ex Deo essent, visus est responsionem à sancto Gregorio mutuasse, cujus doctrinam ab eodem, quo & ille, Magistro hauserat: Esse videlicet aliquos,

C qui inter seculi opulenta ex rebus possessis subsidia egentibus ministrant, oppressos defendunt, & ceteris caritatis muneribus obeundis intenti sunt; & ii sacrificia offerre dicuntur Creatori; alios, qui nihil sibi reservant, sed vitam sensum, linguam, facultates omnipotenti Deo immolant, & holocaustum faciunt, aut potiùs holocaustum fiunt, quale fuit Christi Domini, qui cum dives esset, egenus pro nobis factus est; quibus viâ regiâ paupertatis præeuntem sequi concessum est divinitus, hos securè ambulare & regnum cælorum assequi: perfectos Christi servos nihil præter Christum habere velle: hunc esse thesaurum & totas divitias Christum amare ac imitari *b*.

b

cujus consiliis acquiescit,

82 Quæ talia fantem pronis auribus & animis audiebant & assentiebant, & probabant dicta tamquam Domini ore prolata; ac ne in vacuum gratiam ejus recepisse viderentur, gratiis optimo consultori peractis, læti abivere, certi omnia relinquere, quæ possidebant, abnegare se ipsos, tollere crucem suam, & Christum sequi. Verùm non ignari, ab Apostolo tamquam infideli deteriorem coargui, qui suorum, maximè domesti-

corum, curam non habet, ne præproperè exse- AUCT. JO-
cutioni mandarent, quæ morâ aliquâ indigebant; AN. BAPT.
providêre imprimis, ne, quæ amborum puellis Rossi.
erant necessaria, educationi dignæ natalibus deessent, neve tutelæ ancipiti extra paternam curam relinquerentur.

& filiâ in monasterio S. Abundii collocatâ, c

83 Statim itaque occurrit animo domus sanctimonialium S. Abundii *c* Ordinis sancti Benedicti, regulari observantia & morum sanctitate magnæ apud Senenses existimationis, quam augebant id temporis aliquot eximiæ probitatis virgines, præsertim D. Paula Foresia, parthenopæi antistita, ut dignitate, ita & virtute ac merito nulli secunda id loci habita. Joannes igitur filiolam suam Angelinam, tertium decimum annum agentem, sponte ad religionem propensam sub cura matris istius educandam Domino consecravit. Cumque, uti moris est ad habitum admissis, mutandum esset virgunculæ nomen, Magdalenam vocari placuit, quod eximia pietate & amore Divam, pœnitentiæ speculum ac exemplar, pœnitens ipse Parens prosequeretur. Franciscus verò suam quinquennem in ejusdem matris sinum tutelamque rejecit, opportunè etiam, ut per ætatem liceret, monialium numero adscribendam. E

facultates suas tripartiam distribuit.

84 Tum bonorum secuta abdicatio, in hunc modum distributione peracta. Primus Joannes totam substantiam in tres partes divisit: una nosocomio Senensi majori addicta; altera in monasterii sancti Abundii jura translata; tertia sodalitio beatæ Virginis, quod pridem in eadem urbe à viris piis erectum fuerat, assignata. Et quia uxoris potissimam habendam rationem tam dotis hypotheca, quam lex sanguinis & naturæ dictabant, eâ conditione duobus postremis facta donatio, ut certa pecuniæ summa, & commeatus insuper Blasiæ quotannis penderetur, quantus ad liberalem sui & ancillæ sustentationem abundè sufficeret, idque ipsa liberè consentiente libenterque, neque plura petente aut optante. Francisco autem cœnobium Abundianum ex asse heredem scribere visum est ea pactione, ut in annos singulos sex puellis pauperibus, si totidem admitti postularent, locus habitusque religiosus gratis omnino concederetur. . . . .

ne teruncio quidem ad suum usum retento.

85 Quamvis neque mediocria neque vulgaria reputanda sint, quæ hactenus ediderat Joannes paupertatis exempla, quia tamen ad apicem summum contendenti nonnulla adhuc impedimenta remoram faciebant, ea ut amoveret, vivendi modum instituit, novum quidem ac arduum, sed primævo Apostolorum haud absimilem: nimirum de suo sibi ne teruncio quidem retento, vivere statuit alieno, eoque mendicato & ostiatim unà cum sodali Francisco corrogato, ut esset esca suavior, quam condiret egestas, mendicitas præpararet, paupertas inferret. F

Post hæc mendicato vivit.

86 Non deerant ex agnatis amicisque plures, qui post voluntariam illam, de qua diximus, abdicationem necessaria cuncta ad victum haud parcè suppeditassent; quinimo aliqui eorum insigniter pudefacti dedecus hoc familiæ, ut ipsis videbatur, ac molestiam quantovis pretio redemissent, si qua ratione à vilitate quæstus illius ad honestam mensam traducere valuissent. Sed irritus omnis conatus eorum fuit; siquidem in recenti schola altiùs docti sapere bini Christi discipuli, ne auribus quidem æquis eorum sensa ac suasiones admittebant, quorum judicia nimium quantum ab evangelicis consiliis discrepabant, ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ab ipsis extorqueri, qui jam seculi divitias & honores in mendi-

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

catione damnaſſent, ad cælum ac cæleſtia tota mentis aviditate & deſiderio anhelarent.

& modico cibo

87 Atque ut parum ſolicitudinis & nihil anxietatis afferebat cogitatio ſuggerens, quid manducarent aut biberent; ita non multum laboris ac diligentiæ in victu quærendo pendebatur: quippe parciſſimè ſumebatur ab iis; quibus edendi menſuram non vitæ conſervandæ neceſſitas, ſed pœnitentiæ ardor præſcribebat. Jejunium pro ludo habebatur, inedia pro refectione; cibus, panis fruſta, qualia mendicantibus dabantur; potus frigida de fonte hauſta; obſonia vix umquam ulla, nec niſi plebeia & modica indulgebantur, quæ eſuriem concitare magis poſſent, quam reſtinguere.

ac vili veſte contentus,

88 Neque victui diſſentaneum veſtitum eſſe paſſi ſunt: nam ſub prima converſionis initia Columbinus rudiori panno contentus formam veſtium retinuit id temporis communiorem: poſtmodum verò, remiſſo facultatibus & negotiis ſecularibus nuntio, brevi ſtrictaque lacerna indutus & vili palliolo humeris ſuperpoſito in publicum prodire haud erubuit nudo capite, tibiiſque omni viarum ac temporum injuriis expoſitis *d*, præter alias afflictationes, quibus corpus excruciabatur, ut vitium unà cum corpore conficeretur.

d

B

mirantibus civibus, fit indies corpore robuſtior,

89 Quale illud fuit ſpectaculum, quam mirandum, ſenatorium videre virum, in veſte olim ſplendida reipublicæ clavo aſſidentem, nobilium catervâ ſtipatum urbis plateas calcantem, frequenti ſalutatione & honore multitudinis circumventum, corpus ſuum delicatè cibis ac veſtimentis foventem; nunc excalceatum, ſeminudum, lacerum, mendicum triviis inſiſtere, compita obire civitatis, manum ad ſtipem & panis fruſta extendere. Vix ſuis oculis credebant cives ſtupore correpti, quî fieri poſſet, hominem vitium minimè robuſtarum, & quondam inter deliciarum roſas morbis obnoxium, nunc inter pœnitentiæ ſpinas & inopiæ dumeta hilaritate floridum, vegetum viribus, ac laboribus infractum. An quia lætitia impinguat oſſa, quæ triſtitiâ & curâ exſiccantur? An quia flamma quædam pectoris vitales ſpiritus refovebat, & ſcintillæ fidei & caritatis oculis emicantes ſerenitatem inferebant?

& ſtomacho validior

90 Vexabatur olim frequenter ſtomachi angoribus, cujus frigiditati debilitatique remedium à ciborum delectu quærendum erat. Ut fame ac inedia corpus caſtigari cœptum, abolita omnis infirmitas eſt, ventriculus roboratus, vires adauctæ: nimirum humorum ipſi infeſtorum exhauſtâ ſentinâ, morborum materia ſubtracta eſt, & calor naturâ inſitus ac per artus diffuſus ſuperflua noxiaque conſumpſit, indeque ſuus ſingulis vigor additus ac reſtitutus: quamquam in hoc altiorem naturæ viribus ac operatione cauſam oſtendunt indicia plura & minimè levia vel obſcura.

C

atque in ipſa hieme vix tectus æſtuat.

91 Illud imprimis, quod hieme ſæviente, quando nivibus ventiſque rigeſcit tellus & aër, ab amico in platea forte obvio interrogatus, ecquî penè nudus intolerabilem vim frigoris ſuſtineret, quam ceteri bene penulati ac tunicati vix ferre poſſent; reſpondit: Quæſo te, porrige dextram, eamque apprehenſam aperto pectori apprimit, ac ſciſcitatur: Num tibi algere videor? Nequaquam, inquit ille, ſtatimque retracta manu, ut ſi in prunas fuiſſet injecta, Papæ! Quid hoc prodigii eſt? Carnemne an ferrum candens tetigi? Stupetque æſtu non abſumi, quem prius mirabatur, gelu glacieque non rigeſcére.....

Egregius ſui contemptor

92 Columbinus, tota mortalitate ſuperior, manum mittit ad fortia ac inſolita, quæ videlicet ſpiritus intus operans facienda ſuggerit aut ferenda. Talia imprimis cenſenda aſperrima corporis caſtigatio, inſignis laborum & injuriarum perpeſſio, adverſorum generoſa tolerantia, ardor vehemens caritatis erga Deum, & homines, etiam inimicos ac infeſtos, quæque alia in Apoſtolicæ perfectionis viris admiramur. Latè patens eorum narrationis locus totum volumen eſt, quia nullus admirandis vacat eventibus: attamen huic binæ inſerendæ mortificationes, publicè obitæ, quia palmares ſunt, & rarò inter mortales, paucis exceptis, auditæ.

D

coquo ſervit,

93 Alteri occaſionem dedit honorum ac munerum recordatio, quæ principem gerenti in republica magiſtratum nobilitas plebſque certatim deferre conſueverat: ſimul enim indignatio quædam ſuborta cupiditaſque faſtum illum plauſumque novo vindictæ genere caſtigandi: atque ut ibidem ſumeretur, ubi peccatum fuerat, ſelectum palatium ſenatorium, ubi coronam ipſi novem conſules reliquuſque ſenatus facere conſueverant. Hoc igitur priſtinæ dominationis & gloriæ domicilium, veluti ſcenam eligit abjectiſſimæ ſervitutis ac humilitatis, commentone, an ab odio ſui, an à Dei amore, an ab utroque menti objecto? Archimagirum palatinum, famulorum operâ in coquinariis miniſteriis indigentem, multa prece ſolicitat, ac tandem conſenſum extorquet, ut ſe ab illis obeundis nequaquam arceat, admiſſionem pro beneficio habiturum, quod diligentia, aſſiduitate, labore compenſaturum pollicetur.

E

& vilia quæque miniſteria obit,

94 Voti primò compos factus pavimenta impigrè verrere, ligna comportare, lances purgare, patinas abluere, veru verſare, denique nihil omittere eorum, quæ mercenaria ejus officinæ ſervitia exſequi coguntur. Et quia totus ille ædium ambitus inaquoſus eſt, nec aquæ ductu aut puteo ullo gaudet, hanc quoque provinciam ſibi depoſcit nobilis bajulus, ut ex publico fonte plateæ maximæ lagenas impleat, & palam, populo inſpectante, in coquinam ad uſus omnes opportunos comportet. Inde etiam quæcumque ſunt exportanda ipſe exportat, & quæ itidem importanda importat, in lucro ponens, quidquid operæ vel laboris cum famulis reliquis partiendi obiret unus, idque tanta cum alacritate, quantam ne aulicus quidem aucupandæ principis gratiæ [causâ *e*], ad ejus exſequenda mandata gnavus licet ac celer, afferret.

e

F

nullam recipere volens pro labore ſuo mercedem;

95 Tenuit ſervitus hæc menſes binos, quo toto tempore adduci numquam potuit ullius hortatu vel prece, ut buccellam panis vel vini hauſtum ex palatii penu ſumeret; ſed mendicato vixit, adeoque parcè, ut ne rigidiori quidem jejunio definitum demenſum æquaret. Neque in ædibus illis magnificis dumtaxat ad vernilia iſtæc officia abjicere ſeſe in more habuit, verum & alibi, ubi ſe præventum honoribus aliquando meminerat, ceu luſtraretur demiſſione locus, qui, ſe quidem arbitro, ſuperbiæ typho fuerat inquinatus. Quod ſequitur lepiditate haud caret, horrori juncta.

quinimo ad vindicandam præteritam vanæ gloriolæ noxam

96 Moris erat Senenſi nobilitati phaleratis equis & bene comptis ſpecioſam ac jucundam pompam ſtatis diebus oſtentare populo, & varia urbis loca agminatim obire, idque tum maximè, cum feſta lux vacationem à negotiorum tractatione imperabat. Hac relaxatione & ſociabili equitatu delectatum ſe recordatus aliquando Columbinus, damnata per cordis compunctionem tota illa equeſtri vanitate, modum excogitavit, quo levem complacentiæ & gloriolæ noxam gravi pœna vindicaret. Conquirendo igitur ſe dat aſello, ac

ac eo invento, dominum illius sibi notum ac familiarem rogat, commodare ad modicum tempus ne gravetur.

asino insidens exponit se ludibrio suorum civium,

97 Obsequitur hic promptè; & Joannes, beluæ consenso dorso, rectà ad publicam plateam (quam vulgariter de Campo dicunt) progreditur, ac bellus agaso de nobili cive factus, inter confertam multitudinem inscendit; atque ut prolixior sit ac sapidior turbæ inspectantis risus, per totum forum haud semel quadrupedem Arcadicam *f* circumducit: nec dubium, quin majori cum voluptate irrisiones cachinnosque circumfusæ plebeculæ excipiat, quam olim equitando plausus ac salutationes honorificas exceperat; sed magis etiam oblectabant scommata ac lœdoria nonnullorum, præsertim mercatorum, quibus tamquam vile & insanum caput ac helleboro egens incessere volupe erat.

quorum irrisioni rependit salutaria monita,

98 Ipse porrò læto ac erecto animo, ac salutis illudentium cupido, conjectis in ipsorum vultus oculis, tamquam potestatem habens, Heus vos, inquit, irrideor ego quidem à vobis effusè, nec indignor; ast non minus ego vos irrideo: videlicet stultus reputor, quia Christum sequor. Ego vos insipientibus adnumero, quia sapitis, quæ mundi sunt, non quæ Jesu Christi. A qua parte nostrûm stet sapientia, judicium esto ejus, qui dixit: Nos stulti propter Christum. Aliàs familiaribus suis suetus erat dicere: Insanite, quantum potestis, Jesu Christi amore, & sapientes eritis. Est sobria insania contemptus mundanorum, & ebria sapientia cupiditas terrenorum. Non accedit ad divina, qui ab humanis non recedit. Expertus loquebatur: per fugam enim honorum ad unionem cum Deo conscenderat, & per opprobria & contemptiones hominum, tamquam per gradus, ad intimam cum Christo Jesu familiaritatem pervenerat: & hanc, non oratione dumtaxat & assidua contemplatione fovebat, sed etiam externæ exercitationis ardore, quà se dabat occasio, succendebat; sive levanda aliena necessitas erat, & opus aliquod misericordiæ præstandum, crucis amor præsens erat ad pœnam semper aliquam corpori infligendam.

& humilia obsequia,

99 Si famâ vel mœstiori nolarum sono obitus cujuspiam in urbe indicabatur, accurrere illico ad funestas ædes & promptè cadavera abluere, feretris componere, humeris ad sepulturam efferre, tristia denique cuncta ministeria implere, tamquam unus de pollinctorum & vespillonum grege, quos de plebis quisquiliis lucelli spes & quæstus vitæ traducendæ necessarius ad eam compellit: scopis etiam domos illas & vestibula ac præjacentes viarum partes mundare. Et quia frequenter usu veniebat, ut à notis ac amicis, ægre tantam abjectionem in viro nobili ferentibus, ab hac munerum vilitate precibus abstraheretur, demissè per Jesu Christi amorem obsecrabat, ne sibi emolumenta hæc inviderent, æterni regni pretia, & verè fructus caritatis.

quæ piis suspiriis miscet.

100 Inter quas occupationes manuumque labores micabant divini ardoris scintillæ, crebra videlicet suspiria, fervida cum Deo colloquia, à quibus ut abstineret, ne impetrare quidem à se ipso poterat; & audiebatur subinde ex ejus ore hoc intercalare: VIVAT SOLUS JESUS CHRISTUS IN CORDIBUS OMNIUM VIVENTIUM. In quo exercitationis genere ac luctationis adversus mundum ac seipsos biennio versati sunt Joannes & Franciscus, initio ducto ab ea die, qua mendicare palam occœpere.....

ANNOTATA.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

a *Is est B. Petrus Petronus, cujus Acta ad diem* XXIX *Maii, tomo* VII *istius mensis à pag.* 188 *illustravimus.*

b *Ista exhortatio multo longior est in Vita B. Petri Petroni, ut apud nos tomo* VII *Maii pag.* 208 *& sequente videri potest.*

c *Est cœnobium monialium non procul ab urbe Senensi dissitum, in quo B. Joannes Columbinus filiam suam collocavit, ut etiam in Vita B. Petri Petroni lib.* 2 *cap.* 8 *traditur his verbis:* Tali ergo commilitone (*is erat Franciscus Vincentius*) aucto Columbino nihil longius erat, quam [ut] virginem filiam, quæ tredecim annos nata reliqua illi fuerat, antiquissimo ac nobili sacratarum virginum gynæceo sanctorum Abundii & Abundantii, quod inclytus Italiæ rex Pipinus, Caroli magni filius, divinitus exstruendum curavit, vulgóque sanctam Bundam appellant, ipse traderet. *De cœlesti istius monasterii ædificatione, quæ hîc innuitur, in Commentario prævio num.* 43 *nonnulla diximus.*

d *Quomodo habitus ille postea mutatus sit, dictum est in Commentario prævio* § 7, *& iterum infra in Actis partim narrabitur.*

e *Hanc vocem hic iterum inserui, ut sensum perficerem.*

f *Satis apud eruditos notum est, unde oriatur hoc epitheton: nam regio Arcadiæ habet asinos procerissimos, qui ob corporis magnitudinem in proverbium abierunt, ut veteres testantur. Hinc* Arcadicum pecus *pro asino;* Arcadicum germen *de grandibus & ignavis dici solet.*

CAPUT VIII.

Fervens illius erga Christum amor, aliquot discipulorum delectus; & dura eorumdem probatio.

Vir beatus Christi amore flagrans

FLagrabat Columbini cor illius ardore ignis, quem Dominus Jesus venerat in terram mittere, nec jam intra pectoris exigui angustias contineri poterat; sed foras prodire gestiens, quà data porta, per artus omnes flammas jaciebat... Quocumque incessus aut statio fuerat, personabant viæ, compita, templa vocibus istis: VIVAT JESUS CHRISTUS vel LAUDETUR IN ÆTERNUM JESUS CHRISTUS; & iis consonabant opera, neque minus fervida, ac magis etiam frequentia: semper enim Dei gloriæ amplificandæ, & proximorum utilitati impensè dedutus, tempus omne quà precibus, quà sermonibus sacris, quà juvandis omni ope corporibus animisque tribuebat; atque in iis multa passim offerebantur gravia & perpessu aspera, quæ tamen ipse incredibili alacritate superabat; quin etiam superaddebat alia, quibus intensior pœna fieret, aut cruciatus diuturnior sponte susceptus.

concionibus publicis, ac privatis monitis

102 Potissimus autem fructus ex crebris sermonibus, publicè privatimque habitis, colligebatur: erant quippe ardentes & de iis semper argumentis, quæ ad permovendos animos plurimùm valerent, & condiebantur identidem acri reprehensionum sale, quo & stupor languentium pectorum

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

ctorum excuteretur, & dolor admiſſorum ſcelerum excitaretur. Multus erat in divinæ offenſæ gravitate exaggeranda, ac in atrocitate pœnarum ipſis debitarum explicanda numquam non deſudabat.

multos peccatores convertit,

103 Ceterùm omni ſtatui conditionique auditorum congruentia ad emendationem vitæ remedia aptè ſcitéque proponebat: de nobilibus tamen ſui ſimilibus, mercimoniorum lucris impensè deditis, præcipuum illi ſtudium curaque, ut ad divitiarum contemptum inducerentur; de earum vanitate, periculis & incommodis; de vitæ brevitate ad uſum tranſeuntium bonorum conceſſa, de felicitate æterna, de cæleſtis regni præmiis, opum contemptoribus paratis, tanta cum ſpiritûs vehementia diſſerebat, ut plerique perfectionis euangelicæ deſiderio ſuccenſi mundo ac facultatibus nuntium remitterent; multi, ſolutioris vitæ emendatâ licentiâ, ſe ſuaſque familias ad diſciplinæ Chriſtianæ normam componerent; plurimi à ſcelerum ſordibus ad frugem meliorem ac erratorum pœnitudinem revocarentur.

B

& quoſdam ad euangelicam perfectionem inducit,

104 Atque ita ſi non excidium (quis enim hoc in ampliſſima civitate ſperaſſet) certè frænum pervaganti nequitiæ injectum, & egeſta, quæ magna ex parte mores corruperat, colluvie, ex inculta ſordidaque in ſpecioſam ac nitidam migraſſe haud abſque ingenti lætitia mirata eſt. At illud quam gratum Superis, quamque Columbino jucundum accidit? In hac tanta meſſis ubertate pretioſus repertus eſt paucorum manipulus, cui totus ille vitæ horror & mundi contemptus adeo arriſit, ut amplecti etiam deliberarit, & omnibus, quæ habebat, relictis, Columbino duce ac inſtructore, Chriſtum ſequi, & ſub eodem crucis jugo ad cæleſtia regna cum ipſo feſtinare. In hoc, velut in aurora, ſolares radii naſcentis diei clarere cœperunt; quos inſecutus eſt ſol religioſi Ordinis, in Eccleſiæ cælo collucentis.

atque inter alios ex familia Piccolomineâ

105 Ex antiqua claraque Piccolomineorum familia, tamquam ex arbore fœcunda, ramorum aureorum prodire etiam tunc perſeverabant fructus ſplendidi magnarum animarum, quibus avita decora novis ornamentis augentur. Ex iis ſuperſtites plures eo tempore Sena numerabat colebatque, cum quibus nihil negotii inſtituto noſtro eſt, qui non gentis hiſtoriam, ſed virorum de ſua gente & cognatione ad nova nomina novoſque cognatos tranſitum deſcribimus.

C

Bartholomæum patrem a b c

106 Hi fuere primævæ germina vineæ, quam cæleſtis Agricola in agro ſuo plantare deſtinaverat, Bartholomæus *a* parens, Bindus *b* & Alphonſus *c*, proles ejus gemina, qui facem prætulere & exemplo præivere ceteris haud paucis, quibus potior fuit iſtorum imitatio, quam divitiarum & honorum invitamenta & commoda, quibus paterna domus affluebat, quæque à patria ſperare ſuadebant ſuperſtes in nepotibus virtus avorum ac merita in rempublicam; in ea ſiquidem Bartholomæus, præclaris jam perfunctus muneribus, maximam apud cives prudentiæ opinionem auctoritatemque collegerat, ac viam duobus filiis patefecerat, quos natura dotibus eximiis, educatio moribus optimis ad eadem inſtruxerat.

cum duobus filiis

107 Sed ille jaculis ardentium ſermonum Columbini ſalubriter vulneratus, ceſſit vocanti gratiæ, & relinquere terrena ſtatuit, quæ prius avidiſſima cogitatione lambebat; quam conſilii deliberationem duobus filiis longè cariſſimis cum aperuiſſet, haud alia opus habuit prolixiore ad eos alliciendos hortatione: commoti quippe ad inopinatum nuntium Bindus & Alphonſus, quacumque pater incederet, promptè ſe ſecuturos teſtati ſunt, neque ulla ratione paſſuros, ut ſolus ad tuta Chriſti vexilla ſe conferret, filios in procelloſis mundi fluctibus relinqueret, ſibi quoque animos eſſe evadendi, & crucem, quam ipſe tolleret, humeris imponendi; unam eamdemque non dubitet eſſe trium vocationem, quorum eſt una ſalutis voluntas à Domino; non tam temporis morâ, quam cauſæ bonitate probanda; conſilia non immatura reputanda, quæ cælitus immittuntur, & ad celerandum invitant; neſciri tarda molimina à Spiritus ſancti gratia; rogare proinde, ut qui parens eſt carne, parens eſſe dignetur & ſpiritu, & unà ſecum ſocios Columbino ſiſtat, Chriſto cum genitore regenerandos. D

inſtituto ſuo aggregat,

108 Quo reſponſo, eò jucundiore, quò minus ſperato, mirè lætus Bartholomæus, gratiis pro geminato beneficio Deo actis, pauciſque ad commendandam conſtantiam additis, utrumque ad Columbinum deducit, atque ut tria cælo devota capita in ſodalium ſuorum ac fratrum numerum recipere ne gravetur, obnixè precatur. Annuit is libenter ac divini memor conſilii, Vade, dixit, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: veni, & ſequere Chriſtum. E

qui poſt abdicatas facultates,

109 Morem Bartholomæus geſſit, & cunctas ſuas facultates in tres diſtribuit partes; prima in pauperes erogata; altera ceſſit in dotem egentium puellarum, quâ nuptui tradendarum, quâ monialibus pro cujuſque placito adſcribendarum; tertiam ut inter cognatos divideret, juſtis de cauſis viri prudentes conſuluere. Duobus filiis nihil relictum, quia Dominum pro hereditate elegerunt, cui ſe ſuaque omnia ſponte & animo volenti victimas in ara crucis obtulere: & perfectum eſt trium hoſtiarum holocauſtum in odorem ſuavitatis.

ac mutatum veſtitum,

110 Atque ut nulla appareret in habitu difformitas, quorum una erat Chriſtum induendi voluntas, ſecularia omnes tres veſtimenta depoſuere, iiſque tunicellam ac rude palliolum ſubſtituêre; capita verò, crura pedeſque intecta prorſus reliquere. Cibus exiguus ac vilis, nec niſi mendicando quæſius: lectus nuda humus: deliciæ pœnitentia, labor, precatio. Quotidie per urbis plateas viaſque patentes inclamare: VIVAT JESUS CHRISTUS; LAUDETUR IN ÆTERNUM JESUS CHRISTUS. F

mirante civitate, in arduo vitæ genere conſtanter perſeverarunt.

111 Quis fando explicet, qui fuerint civium ſenſus, quæ colloquia, quis ſtupor, ſive in patrem, paulo antè inter primarios honoratum, inciderent pannoſum, fœdum; ſive natos in ipſo juventæ flore, abjectâ totâ veſtium pompâ, ac ornatu, ſeminudos obire urbem, ſtipem rogare, pia vociferatione nomen Domini laudantes audirent? Neque fuit ardens hæc amoris flamma, ut quæ paleas fœnumve corripit, ac cito depaſcitur, dierum paucorum aut menſium; ſed auſpicatis initiis reſpondêre progreſſus exituſque fortunatiſſimi: quippe omnes tres *d* conſtantiam in inceptis tenuere, & vitam ſanctiſſimè traductam pari fine honeſtavere, adeo ut Beatorum appellatione ac honore dignos antiquitas exiſtimaverit *e*. . . . . *d*

e

Horum exemplo excitati

112 Eapropter habet Columbinus, quod ſibi gaudeat, ac Piccolomineis ſuis gratuletur, quos victores de tribus humani generis teterrimis hoſtibus in ſtadio euangelicæ perfectionis currere conſpexit; & aucta haud mediocriter lætitia eſt, quando & auctus eſt numerus aliorum acceſſione, quos eorum exemplum & odor ſanctimoniæ traxit ad idem inſtitutum vitæ, licet aſperrimum & ſen-

A senſui carnique nimiùm quàm repugnans. Præcipui inter hos appellantur Spinellus Boninſegnius *f*, qui vitæ auſteritate, dono orationis, humilitate, & virtutum reliquarum ſplendore natalium claritudinem illuſtravit: ſuper quo multa dixiſſe arbitrati ſunt, qui brevi elogio heredem ſanctitatis Columbini vocavere.

f

alii nonnulli

113 Non diu pòſt adjunxit ſe nobile Florentinorum, Senis tum verſantium, ternarium. Quibus ad quotidiana recentium athletarum facta dictaque attentis cæleſte lumen affulſit, & laudabilis imitationis cupiditatem ſuccendit, adeo ut eorum exemplo, ſpretis facultatibus, quas poſſidebant, & re familiari in pauperes diſtributa, naſcenti cœtui aggregati, in eamdem novæ militiæ aleam alacres deſcenderint. Horum nomina in libro vitæ deſcripta, & in beatorum Etruſcorum catalogo inſerta, ſunt Antonius *g* ex Ubaldinorum familia, à Mingello cognominatus, quod in ea regione municipiis & caſtris aliquot gens Ubaldina potiretur, & cum imperio regeret; Petrus Belfredellus *h*, & Romulus de Nobilibus *i*, qui omnes tres ſub Columbini diſciplina eos habuere progreſſus, ut metam ſanctitatis attigerint, atque ut ſancti, vivi functique paſſim ab omnibus crederentur.

g

i h

B

eidem inſtituto ſe adjungebant,

114 Hos ſubinde ſequebantur alii, quorum omnium hîc referre nomina longi & minimè neceſſarii laboris eſt. Illud certum, poſtremo vitæ biennio fermè ad ſeptuaginta cenſos, & longè plures cenſendos, ſi promiſcue ac ſine delectu ad ſe venientes admiſiſſet, vel admiſſos lenioribus probare experimentis æquum duxiſſet, quam ſeverum illud inſtitutum pateretur: quippe dicere ſolebat, ſatius eſſe ad maris turbidi ac tumentis aſpectum littus tenere, quam ab ipſa navigatione retrocedere, & rurſus ad continentem vitæ ſecularis præ tædio ac laſſitudine remeare. . . . .

quorum virtutem toleratis populi ludibriis,

115 Simplices ac ferventes ad populum ſermones comitabantur mortificationum publicarum inventa, quibus & tironum probabatur conſtantia, & occaſio dabatur multitudini ad ludicra ſpectacula confluendi, ut inter illa, feria diſceret, & laudis divinæ lituo auribus inſonante eorum percellerentur animi, quorum oculos ad intuendum curioſitas pertraxerat: quippe Columbinus candidatos ſuos, quò cariùs emerent pretioſam conſortii jam admiſſorum margaritam, jubebat nunc quidem aſellum inſcendere & obverſo ad beſtiæ caudam vultu, ac revincta frondentis olivæ ramis in modum coronæ fronte, deridiculo per urbem ductabat, & interim ipſe ceterique ponè ſequentes ſodales è palmis olearum pariter ramos præferentes contenta voce clamabant: VIVAT VIVAT JESUS CHRISTUS: LAUDETUR IN ÆTERNUM JESUS CHRISTUS.

C

& publicis mortificationibus

116 Aliàs nudatos veſtibus, niſi quà verecundia exui vetabat, circumire plateas & vicos imperabat, & maledictorum conviciorumque plauſtra à ſociis comitantibus in ipſos, velut in capita infamia & furcis digna, exonerari. Interdum etiam manibus poſt terga funibus adſtrictis & laqueo faucibus involutis, ut latro ad patibulum elidendus nonnemo ducebatur, & audiebantur interim flebiles ſodalium voces apprecantium turbas, ut pro miſero peccatore & mortalium ſceleſtiſſimo rogarent Dominum, & orationem Dominicam cum angelica ſalutatione recitarent, ut miſericordiam conſequeretur & ſalvus fieret.

aliiſque experimentis

117 Aſt panis hic durus non omnibus ſine diſcrimine dabatur; ſed validum ſtomachum ac virile robur ardentioris propoſiti ad novum & labo-

rioſum inſtitutum afferentibus. Debiliorum ratio habebatur, quam prudentiæ & caritatis lex præſcribebat. Nemo tamen abſque amara calicis potione initiabatur, & qui palato indignante ſorbere renuerat, degenerem ſe, & eo convictu indignum profitebatur. Hoc porrò ab experimento omnibus inchoandum, quod ferventioribus leve ac ſuave rudimentum, ceteris tolerabile ac promptè admittendum videbatur. AUCT. JOAN. BAPT ROSSI.

118 In aperto campo ſanctiſſimæ Virginis icon eminebat, ſculptane vel picta? in pariete vel columna? Pro illa ſiſtebatur candidatus, tiro mox evaſurus, & abjectis honeſtioribus veſtibus, detritis ac rudibus induebatur tunica & palliolo. Circumſtabant ſodales, oleaginis ramuſculis capita coronati, ex quibus bini devotum præibant hymnum; reliqui omnes conſonis vocibus chorum complebant, & ſimplici harmonia hilarique concentu tota vicinia perſonabat. Ita ſapiens architectus Columbinus primos lapides dedolabat, & ædificio paulò poſt erigendo præparabat. *beatus Magiſter probabat.*

ANNOTATA.

E

a *Præcipua Bartholomæi Piccolominei geſta tradit Paulus Morigia lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 27. Feus Belcarus in Vitis quorumdam Jeſuatorum cap. 29 etiam breviter de illo meminit.*

b *De Bindo Piccolomineo, Bartholomæi filio, fusè agit idem Morigia lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 28.*

c *Idem Morigia lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 29 narrat multa, quæ ab Alfonſo Piccolomineo, altero Bartholomæi filio, piè præclaréque geſta ſunt.*

d *Horum trium elogium ſimul habes in Faſtis Senenſibus ad diem* XV *Auguſti. Videri de iiſdem poteſt Roſſus noſter Part. 5 Triumphi cap. 6.*

e *Hoc ſi verum eſt, miror, quod Belcarus, Morigia, ac ipſe Roſſus hos inſignes viros non appellent* beatos. *Joſephus Bonafede in Italica B. Joannis Columbini Vita lib. 4 part. 1 cap. 1 ſub finem aſſerit, eos in quibuſdam Jeſuatorum monumentis titulo* beatorum *decorari; ſed certiora requirimus antiquæ venerationis teſtimonia, quæ Senenſes ad honorem ſuorum popularium nobis communicare dignabuntur, antequam in opere noſtro locum obtineant.*

f *Hic poſt beatum Fundatorem fuit ſecundus Ordinis Jeſuatici præſes generalis, cujus elogium ſuggerunt Faſti Senenſes ad diem* IV *Septembris. Morigia lib. 2 cap. 45, & Roſſus part. 5 cap. 5 egregias illius virtutes ac res geſtas exponunt.* F

g *Acta illius apud Morigiam lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 25, & Roſſum part. 5 cap. 8 referuntur.*

h *De hoc etiam conſuli poteſt Morigia lib. 2 cap. 20, & Roſſus part. 5 cap. 9.*

i *Hunc Morigia ſubinde titulo* beati *ornat, ac lib. 2 cap. 10 & aliquot ſequentibus inſignia illius geſta exponit, quæ Roſſus noſter part. 5 cap. 7 Latinè contraxit. Aliqui recentiores ſcriptores hunc & duos præcedentes* beatos *appellant; at hîc iterum certiora legitimi cultûs indicia petimus ab iis, quorum intereſt. Etſi autem Roſſus mox his addat, quod* omnes tres . . . , ut ſancti, vivi functique paſſim ab omnibus crederentur, *nihilominus diſtinctè ſcire cupimus, an poſt mortem, tamquam ſancti vel beati, alicubi publico cultu honorati fuerint.*

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

CAPUT IX.

Insignis duorum juvenum conversio, & constans eorum fervor.

a *Nobilis adolescens,*

NIcolai de Narduſa *a* Senenſis patritii filius (cur nomen æternâ dignum memoriâ non expreſſere veteres?) ætatis annorum viginti, juris prudentiæ laureâ decoratus, juventæ florem honoribus ſecularibus ereptum, ſpei parentum & amicorum exſpectationi ſubtractum, Chriſti ſervituti dedicavit: cum enim Columbini ſermonum frequens eſſet auditor & geſtorum aſſiduus ſpectator, affici ſe etiam atque etiam ad illa ſenſit; tum creſcente deſiderio ita permoveri, ut non quieverit, donec adſcriptus novæ militiæ ab ejus Duce fuerit, & iiſdem, quibus ille, armis adverſus mundum pugnaturus in arenam deſcenderit.

B

diſcipulis Columbini adſcribi deſiderans,

120 Aſt eodem, quo & aliis ante ipſum, pretio inauguratio fuit coëmenda: etenim rogatus de admiſſione Columbinus, ac in precibus & adoleſcentis indole Dei vocantis inſtinctum agnoſcens, reſpondit ſupplicanti: Si verè de noſtro cœtu eſſe deſideras, patere tibi veſtimenta detrahi, ac nudum ad Campi fontem deduci. Ad quod tonitru adoleſcens interritus reſpondit: Penes te ſit, Pater, mecum tamquam cum mortuo agere, atque ut cadaver tractare. En promptiſſimum me, & ad tua juſſa paratum. Quo reſponſo mirificè Pater delectatus, ſatis habuit voluntatem exploraſſe, & anſam meriti præbuiſſe poſtulanti.

conſueto experimento probatur,

121 Ceterùm ſuis indutum veſtibus ad Campi forum perduxit, ibique de genu beata Virgine adorata, ad fontem haud procul manantem proceſſere, ubi diſcalceatus primùm à ſociis Joannis mandato eſt; tum reductus ad ſacram imaginem, abjecto ſplendido ac eleganti, induitur obſcuro & obſoleto habitu, & cum ipſo Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, uti monet Apoſtolus. Inter hæc ſodalium pectora quam liquidis gaudiis perfunderentur, lacrymæ ubertim ora rigantes teſtabantur; aſt iis inſigniter præter omnes delibutus Columbinus, ſpiritûs indulſit alacritati, & uno

C

de ſociis, cui nomen Boccia, ad canendum invitato, in ſolenne ſuum carmen ora laxavit, cujus eſt initium; DILECTE JESU CHRISTE, QUI TE DILIGIT &c.

& magno pudore ſuffunditur,

122 Indidem ad templum princeps cum deduceretur, accurrebant ad ſpectaculum undique turbæ ſexus & conditionis omnis, & murmur erat inter illas varium, ridentibus aliis agminis ac pompæ ordinem, quibuſdam ſtupentibus, primariæ nobilitatis juvenem in oculis parentum & agnatorum, abrupto felicitatis humanæ curſu, illâ ſe miſeriâ, ut ipſi rebantur, prædamnaſſe. Ipſe porrò in toto illius itineris tractu ac populi concurſu, utvis mente in cælum erecta, tanto pudore ruboreque perfuſum ſe deinceps faſſus eſt, quantus cum mortis acerbitate collatus, tolerabilior illa videri poſſet.

cui Deus ſuavem conſolationem rependit,

123 Verùm, quæ Domini clementia eſt, ſecundùm magnitudinem doloris conſolatio lætificavit animam ejus: nocte namque inſequente tam copioſa roris cæleſtis dulcedo ejus pectori illapſa eſt, ut vix illi capiendæ mortalis infirmitas par crederetur. Neque ſomno locus erat reliquus, quia totam animam occupaverat divina dilectio, intimaque blandientis gratiæ fruitio. Et fuit hoc initium boni in poſterum permanſuri: nam ſublime contemplationis donum ſecum attulit, & eò provexit juvenem, ut reconditorum arcanorum apertæ revelationis participem effecerit.

D

tantamque gratiæ copiam infudit,

124 Porrò celſitudini huic inferior non erat ardor voluntatis, quo ferebatur in Deum, ac in homines propter Deum, eumque ut ſilentio celaret, ne impetrari quidem à ſe poſſe putabat; ſed frequenter in ipſis, per quas erat inceſſus, urbis viis intus æſtuans ad otioſam multitudinem clamare non verebatur: Ah miſeri peccatores, utinam ſaperetis & intelligeretis, quæ ego ſapio, ac intelligo! Quam cautè quam ſolicitè tempus hoc pro vobis felix redimeretis! Mihi credite audita à Chriſto narranti: Si pœnitentiam de peccatis egeritis, & cum fide nomen ſanctum Domini invocaveritis, non modo veniam conſequemini, ſed inſuper tantam gratiæ copiam, ut admirationem, eam perpendentibus ſit allatura.

E

ut quoſlibet ad Chriſtum inclamandum hortaretur,

125 Quinimo impetu fervoris abreptus & ipſum ſuum magiſtrum Joannem ac ſodales hortari non erubeſcebat, ut Jeſum Chriſtum inclamare pergerent; adeſſe tempus, in quo Deus per ipſos magnam miſericordiam peccatoribus ſit impenſurus; mandatum ſibi à Chriſto Jeſu, ut gentes ad pœnitentiam & ſcelerum confeſſionem invitent, & in memoriam nomen ſuum revocare non ceſſent; effectu comprobaturos, ſi paruerint, quam præclarè, quamque abundè ipſorum obedientiam divina bonitas ſit compenſatura.

& ab abbatiſſa S. Abundii rogatus,

126 Uſuvenit aliquando, ut unà cum Columbino ad D. Abundii cœnobium profectus, illius præſidi, notæ virtutis feminæ, candidè aperuerit, quod mortales omnes hactenus celaverat, per revelationem videlicet domini Jeſu didiciſſe, ſanctimonialium precibus ſuam converſionem adſcribendam, eaſque ſi ſummo Numini pro peccatoribus offerre perſeverent, haud irritas fore, utpote virginum, quæ divino ejus conſpectui eſſent acceptæ; multaque alia addebat, quæ attentè ac jucundè excipiebantur ab antiſtita, atdorem loquentis admirante, & ſibi ipſi in ſinu ſuo de fortunata Magiſtri ac diſcipuli ſorte plaudente,

F

ad miram ignominiam ſubeundam ſe pararet,

127 Interrogavit autem ipſum piè curioſa: Quandoquidem flagrare te Jeſu Chriſti amore ex tuo ſermone haud obſcurè intelligo, dic ſodes, quid pro illo auderes facereſve? Cui juvenis: Quidquid arduum aut aſperum in mundo eſt. Experire, & quidquid lubet impera. Tum illa: Deſcende in proximum hypogeum, & exſpolia te, nuduſque civitatem obambulans clama: VIVAT JESUS CHRISTUS. Dictum factum; confeſtim deſcendit, veſtes exuit, & Senas obedientiâ ſolâ tectus obibat, ni in ipſo limine occurrens Joannes, ipſa rogante, quæ mandatum finxerat, ultra progredi vetitum, induere ſe rurſus præcepiſſet.

ipſo Columbino fervorem diſcipuli admirante.

128 Obſtupuere uterque heroicam fortitudinem, & animi generoſitatem cum Iſaac promptitudine conferebant. Columbinus ſanè ſcribens aliquando Fratri Georgio de Prædicatorum familia, Volaterris id temporis eccleſiaſten agenti, ſuo perfamiliari: Hinc (ait) quæſo te, adverte, pater reverende, quam affluenter ſuæ miſericordiæ rivos benigniſſimus Deus in eos effundat, qui à viis ſeculi pravis & à peccatis per veram pœnitentiam reſipiſcunt, ut vel una die ad ſublimem perfectionis apicem evehantur, & donis cæleſtibus cumulentur.

129 Cla-

A *Alter juvenis B. Joannem irridens,*

129 Clara pariter ac illustris alterius juvenis conversio est, & narratâ forte mirabilior. Thomas Guelfaccius Senensis, tam vitiis obscurus, quam genere & sanguine clarus, ut gulæ ventrique indulserat, in more & stolida voluptate habebat, religiosos quidem omnes scommatis & aculeis pungere, & vulgi risui objicere; sed licentiùs Dei servos, Columbini assectas, dicteriis incessere, & illudendi materiam à vilitate habitûs quæritare. Cum verò die quadam ad D. Abundii cum aliquot suorum iter caperet Columbinus, non se continuit homo intemperans, quin ponè sequeretur, & jocis cachinnisque in ipsos polluta labra dissolveret.

subito ac miro modo

130 Dissimulabat audire ranæ coaxantis convitia, quoad perventum est ad salutiferi ligni signum, quod ad viæ latus humi defixum in sublime tollebatur. Id loci conversus ad Thomam Columbinus: Rogo te, inquit, per Christi amorem, gratificari mihi in modico ne dedigneris. Respondit, si commodè queat, gratificaturum. Flecte, obsecro, genu ante crucem istam, & orationem Dominicam & angelicam salutationem semel recita. Imo & bis recitare sum paratus, respondit Thomas; & illicò procumbens, promissum præstat.

B

ab eodem convertitur,

131 Flectit unà Columbinus, & propitiare subsannatori divinum Numen ardenter instat. Mira vis deprecationis justi! Repentè impetu magno cælitus immissa cogitatio pectus invadit Thomæ, & de somno mortis excitatum vitæ restituit. Fit de levi cachinnone serius discipulus Columbini; ad pedes ejus procidit, veniam suæ deprecatur vesaniæ, infimis precibus postulat in socium ac servum omnium recipi; obtestatur, se inde non nisi postulati compotem abscessurum. Quid plura? Probatio vocationis præstantia fuit conversionis; & experimento didicerat Columbinus, istiusmodi repentinas mutationes habere fausta principia & progressiones feliciores: divinissimus quippe Spiritus, earum auctor, sequestrum videtur agere pro admissione, & sponsorem constantiæ admissorum.

& in discipulorum numerum admittitur,

132 Igitur aggregata statim est pusillo gregi ovis perdita, atque ut momento exuit veterem hominem cum actibus suis, ita & exteriorem festinavit exuere, ac ut ceteri nobile indumentum cum neglecta vesticula commutavit. Et quia, qui minus exspectantur, eventus percellere vehementiùs animos solent, attonita civitas hæsit penè universa, & vix suis credebat oculis conspicientibus torosum juvenem è gynæceis & cupidinum castris ad cohortes austeritatis ac pudicitiæ demigrasse, & de petulante ganeone factum momento modestum, sobrium, continentem, veluti si diu intra religiosa claustra ad pietatem ac modestiam fuisset educatus.

C

qui salutaribus beati Magistri sui

133 Et erant quidem non pauci inter graviores Senenses, quibus suspicionem levitatis timoremque perseverantiæ injiceret deliberatio subitaria, nullâ præviâ consultatione inita; sed secùs sentiebat, beneque sperare tironem Columbinus volebat, & optimis consiliis ad ulteriora promovebat, Apostoli salutare monitum inculcans: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

exhortationibus ita confirmatus est,

134 Memento peccatorum, quæ adversus Deum, proximum, te ipsum admisisti; quam pronus ad sensûs voluptates, quam effrænis in loquendo, quam superbus & arrogans, quam gulosus ac vanus exstiteris. Nunc ergo peccata tua lacry-

mis ac pœnitentia redime: certâ bonum certamen, uti strenuus Christi miles, ut honoretur in tua victoria Deus; nec dubita, quin juxta tuæ fidei ac desiderii magnitudinem repleturus sit suis bonis animam tuam, quoniam dives est in misericordia. Confortare & estò robustus in potentia virtutis ejus: spera in eo, & ora eum, & ipse diriget gressus tuos.

ut quaslibet injurias

135 Quo salubertimæ exhortationis imbre novellum germen Columbinus rigabat; Deus autem incrementum dabat, & faciebat in virtutis agone proventum: nam Thomas apertis capite cruribusque incedebat, & præteritæ vitæ vulneribus excellentium actuum medicinam adhibebat patientiæ, præsertim in tolerandis iis, à quibus sensûs ac propriæ existimationis amor abhorrebant: hæc enim non modo, cum aliunde nihil cogitanti objiciebantur, æquanimiter ferre, sed etiam studiosè quærere & sponte venari, cautus ne sine pœna aliquando pars ulla temporis elaberetur. Inter quotidiana & seria exempla patiendi illud lepidum contigit, quod cum à Fratrum nonnemine, eleemosynis corrogandis præfecto, illuderetur, nil amariùs respondit; sed summa cum humilitate æquis auribus animoque jocos accipere se significavit, qui convitiis etiam atque contumeliis impeti ardenter optaret.

E

& aculeata hominum dicteria patienter toleraret.

136 Deturpabat aliquantulum caput Thomæ carneum tuberculum, in modum grandioris calli subnigri prominens, quod cum neque capillitio neque galero tegeretur, in oculos statim incurrebat. Laicus ergo insulsè facetus dicebat illi: Tantum jecinorum olim in stomachum ingesseras, ac devoraveras, ut in caput conscenderint, & hepaticum *c* reddiderint. Tum ipse irrisionum memor ac petulantiæ, quibus olim Dei famulos irritaverat: Nunc sanè, inquit, vestræ sunt partes loqui & garrire; meæ verò tacere, ac patienter audire ac silere. Utinam Christi imitator non fictus aliquando fiam, & frequenter exercear ac illudar, atque ita antiqua mea scurrilitas crebris aliorum irrisionibus castigetur. Qui mortificationis appetitus & mentis rigor nusquam in vitæ cursu elanguit, & morte sanctissimè obita solùm lentescere potuit.

c

ANNOTATA.

F

a *Belcarus cap. 9 hunc etiam vocat filium Nicolai de Nerdusa, Italicè* figliuolo di Niccolo di Nerdusa; *at Morigia lib. 1 Hist. Jesuat. cap. 11 huic patri aliud cognomen tribuit, & nobilem ejus stirpem sic ulterius Italicè explicat:* Un giorno venne al B. Giouanni un figliuolo di Nicolò di Neri di Via, che fu del sangue de Lottorenghi, signori del Belagaio.

b *Subita ac mira hujus conversio etiam à Feo Belcaro cap. 10 & Paulo Morigia lib. 1 cap. 12 in hunc fere modum refertur.*

c *Hepaticus à medicis dicitur, qui ex jecore laborat: nam* jecur *Latinè idem est quod Græcè* ἦπαρ, *qua voce Græca* hepar *Latini etiam promiscuè utuntur. Hinc clarè intelligitur aculeata istius irrisoris allusio ad jecinora quondam devorata & morbum hepaticum.*

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

CAPUT X.

Senenſe Fratrum Prædicatorum cœnobium operâ B. Joannis Columbini ad ſtrictiorem paupertatis & diſciplinæ obſervantiam reductum.

Duo nobiles Piſani

ADvenerat Senas par nobilium Piſanorum, à ſua republica legatorum. Hos cupido inceſſerat videndi alloquendique Columbinum, cujus fama virtutis ac ſanctitatis per Etruriam pridem increbuerat. Ventum in colloquium eſt eo fructu, ut opinionem ac reverentiam allocutores auxerint, quod præſtantius quid ac divinius præſentes viderint, quam alienis ſermonibus abſentes audiverant.

B

id prandium invitant B. Joannem,

138 Et quamquam non erant neſcii, ægre ſe ab illo impetraturos, ut ad convivium accederet & convivas ſua præſentia ac ſermone recrearet; nihilominus honeſtiſſimæ cupiditati ſpiritalem obtendentes utilitatem, quinimo & Chriſti Domini exemplum, invitari ſe ad Canæ nuptias patientis, ſcitè objicientes, tandem evicere, & pollicitationem ad condictam diem extorſerunt: quæ ubi illuxit, adducti ſunt ad hoſpitale palatium ipſe & ſodales bini, Franciſcus videlicet Vincentius, & Cecchus, fidicen egregius & muſicus, ſacras cantiones fidibus ſociare in paucis peritus. Excepti ſunt perhumaniter, & ſtatâ horâ menſæ accumbere rogati, præmiſſa benedictione, accubuere; ac depoſita tantiſper in hoſpitum gratiam ſeveritate, appoſitos cibos verborum ſapore ſuaviores reddebant. Inſecutus eſt prandium Cecchi concentus ac fidium ſono temperata harmonia, ſalubre gratumque convivantium pabulum, ad levandas in Deum mentes opportunum.

qui ea occaſione adit Senenſe Dominicanorum cœnobium

139 Poſt hæc de communi conſenſu itum eſt animi gratiâ ad fratrum Prædicatorum cœnobium, Camporegium vulgò appellatum, quo loci amœnitas ac religio invitabat. Et aliis quidem voluptas erat hortum & habitaculi cellas ac officinas luſtrare; aſt Columbino cum ſociis laudes Domini cantare, & voce hilari lyræque ſonitu modulato choro ſolari ſe, & ad amorem divinum inflammare. Hoc exciti domeſtici accurrere, delectari, mirari; & erant ii numero duodeni Dominici inſtituti ſectatores, magna pars bonis exculti diſciplinis, quà concionandi, quà prælegendi in ſcholis laude haud ignobiles.

C

ubi fervidis ac ſimplicibus verbis

140 Neque tamen eorum doctrinæ opinio & auctoritas Hominem Dei abſterruit, ne, fine modulis impoſito, initium ſermoni faceret, atque altiùs de ſumma veritate diſſereret, à qua, uti dicebat ipſe, irrigua ſolidæ lætitiæ vena depluit, ac inundat mentes de ipſa cogitantes, & linguas irrigat de ipſa ſermocinantes. Atque hæc eò referebantur, ut creata cuncta eſſe umbram dumtaxat veritatis & mendacio potius comparanda conſtaret, ac proinde vehementer decipi & vento vanitatis circumagi, qui affectionum ſuarum pedes in firmamento primæ veritatis minimè figunt: Quæ dum proferret ardore ac impetu, qui proprius ſanctorum concionatorum eſt, ſapientiâ ac eloquentiâ, quæ nobilis Idiotæ ingenium ſuperabant, accenſa ſunt religioſa audientium pectora amore divino, & intimæ compunctionis ſigna ſpiritis & gemitibus edidere.

D

doctum iſtius Ordinis theologum ita movet a

141 Eorum unus, Chriſtophorus Blaſius *a* nomine, quem inter primos domus adnumerabat, haud ex vano ſuſpirare ſe, aut perfunctoriè rem ſuam agere, facto patefecit: namque protinus Columbinum rogat, ut in ſuperiorem contignationem conſcendere ac ſuum ingredi cubiculum ne gravetur. Inibi tota ſupellectili explicata, Pater, inquit, per me meoſque præſides jus tibi factum pro tuo arbitratu de hac diſponere, ſive mavis pauperibus erogare, ſive ad alios uſus transferre: mihi in poſterum pro omnibus divitiis ſit illa ſumma veritas, ſuper qua dixiſti, cui hærere conſtitui, nihil penſi reliqua facturus, quæ vanitati ſubjecta ſunt & mera vanitas.

ut arctiorem paupertatem amplexus ſit,

142 Obſequitur Columbinus honeſtiſſimæ poſtulationi, & cellam ingreſſus non ſolùm quæ ornatui, ſed & quæ neceſſitati deſerviebant, ſpiritûs fervori, tamquam ſuperflua abjicere geſtienti, diripienda permittit. Itaque libri, panni linei ac lanei, ſedilia, vaſa, icones, & omnis alius apparatus inde egeſtus, & die poſtera in pauperes diſtributus; ſtraminis dumtaxat tantum relictum, quantum ad cubitandum ſatis erat, ne membra oſſaque pavimento illiderentur.

E

& abjecta munia obire non erubuerit,

143 Biduo inſequente, humeris impoſitâ manticâ, ut laicorum fratrum unus, oſtiatim mendicare non erubuit vir tota urbe notus & in honore habitus; idque non tam animo corrogandi ſtipem, quam ſeipſum deprimendi & ludibrio propalam Columbini imitatione exponendi: quæ etiam cauſa fuit, ut in agrum ſuburbanum, quem antonomaſticè Abbatiam *b* vulgus appellabat, exiret cum aſello, ibique ad domunculam fratris cujuſdam Petri fimo oneraret, ac in urbem reveheret: atque ut luculentiùs agaſonem ageret, corbem pariter cum eodem impletam in humeros ſuſtulit, & per confertam multitudinem, quò voluit, deportavit.

b

mirante tota urbe inſignem notiſſimi viri humilitatem.

144 Prodigio affine videtur, veteranum theologum, in religionis ſeptis nutritum, doctrina clarum, judicio maturum, Idiotæ ſecularis novis ſcitis imbuendum ſe tradere; neceſſariis ad honeſtum victum ſe ſpoliare; rigorem pœnitentiæ amplecti; ad abjectiſſima mortificationis munia deſcendere, quæ ne in tirocinio quidem ſui Ordinis decere ſtatûs conditionem olim fuiſſet arbitratus. Aſt in hoc quoque ſimilem ſuis Apoſtolis Columbinum Deus eſſe voluit, ut per ſtultitiam prædicationis ſapientes converteret, & eò erudiret, ut maximæ ducerent ſapientiæ, ſtultos Chriſti amore haberi ac irrideri.

F

Alii ejuſdem cœnobii fratres

145 Reliquis itidem ejuſdem monaſterii fratribus frugiferum fuiſſe habitum ſermonem haud ignorabat Columbinus, ideoque ut ſalubrium cogitationum diviñitus accenſæ ſcintillæ foverentur, maturavit eò redire unà cum Ambroſio ſocio, ut alloquio, quod libenter excipi advertebat, ceu crebro flamine, incendium excitaret. Fructus ſanè familiaritatis hujus fuit morum mutatio, & quædam ad priſtinam regulæ diſciplinam conformatio, ciliciorum uſus, & jejuniorum renovata conſuetudo, paupertas ſuo nitori reddita: quidam enim abdicavere ſe rebus ad vitam paulo mitiorem conceſſis, nec retinere illas ulterius in cubiculis ſuſtinuere; lacinioſas veſtes decurtare, follicantes adſtringere, ſolitudinem ac ſilentium amare, oratione ac mortificatione oblectari: quibus aliiſque ſimilibus viſa refloruiſſe antiqua illa Ordinis naſcentis ſanctitas, & virtutis primævæ ſplendor revixiſſe.

146 Porrò una vox omnium erat, plus lumi-

nis

A nis hauſtum in ſchola amoris, doctore ac magiſtro Columbino, quam è philoſophorum ac theologorum exedris antehac detritis; quinimo ſi præteritos dies menſeſque inibi inſumptos cum recentibus contenderent, illos caliginoſos ignorantiæ tenebris ſibi videri; iſtos ſerenos ac ſplendidos ſapientiæ fulgore, quem novum iſtud aſtrum affunderet, ab altiore ſole ſuperfuſum.

exemplum hujus theologi ſecuti ſunt,

147 Nonnemo autem ex hoc numero, plus æquo in ſuis oculis ſapiens, adeo non probabat exercitamenta iſtiuſmodi inſoliti fervoris ac pietatis, ut levitatis alia, abſurditatis aliqua damnaret, exiguæ palearum flammæ adſimilia eſſe dictitans, cujus brevis duratio eſt & lux impura. Verùm, ut de ſancto Thoma apoſtolo loquitur S. Gregorius, divina diſpenſatione geſtum eſt, ut dubitaret, & ejus dubitatione incredulitas ſanaretur ceterorum; ita divina permiſſione factum, ut vir gravis pretio æſtimanda flocci penderet, quo clarior gratiæ, ſub juga dominantis amoris indomita capita redigentis, [vis *c*] appareret, & pugna felicior, & victoria glorioſior.

atque inter eos vir gravis, qui inſolitum fervorem improbaverat,

c

C 148 Etenim Columbinum frequenter illuc ventitantem & verbis ſuis in propoſito vitæ ſanctioris firmantem cum audiret aliquando curioſiùs, perculſus eſt & ipſe ſagittis Potentis, ex ore Servi Domini emiſſis: libens ceſſit non tam eloquentiæ doctrinæve loquentis, quam virtuti ſpiritûs hinc linguam verſantis, inde cor aperientis ad intelligendum, haud eſſe nugamentis æquanda inſignium ſanctorum imitamenta, quæ ad apicem evangelicæ perfectionis & ad ſublimia regni cæleſtis præmia deducunt.

tandem piis B. Joannis monitis ceſſit;

149 Meruit igitur Senenſis civitas habere in ſuo gremio integrum cœtum inſignium cœnobitarum, veluti cuneum angelorum, operâ Columbini ab inveterata conſuetudine vitæ ſuavioris ad ſeverioris rigorem traductum; quod quam ſit operoſum ac mirandum, conſtare iis poteſt, qui norunt, quantæ ſit molis religioſos viros apprimè doctos, & diu molliori inſtituto aſſuetos ſecularis unius illiterati conſiliis ſapientiam ſuam ſubjicere, voluntates ſubmittere, à ſtrata commodorum roſis via ad aſperitatem paliuris circumſeptam deflectere, eamque terere, quoad, attrita carne, ſpiritus ad plenum in luce miſerationum Domini reſpiret in libertatem, quæ ſola facit jugum ſuave & onus leve.

quæ morum mutatio ſolet eſſe obtentu difficilis.

B

ANNOTATA.

a *Fruſtra hujus viri, qui pietate & doctrina inclytus fuiſſe videtur, diſtinctiorem memoriam apud plures ſcriptores Dominicanos quæſivi.*

b *Belcarus cap.* 32, *&* *Morigia lib.* 1 *cap.* 38 *hunc locum* abbatiam novam *appellant.*

c *Hîc iterum aliquid deerat. Quare ad perficiendum ſenſum* vis, efficacia *aut ſimilis vox interſerenda videbatur, quæ forte à typotheta omiſſa fuit.*

CAPUT XI.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

Indictum B. Joanni exſilium à magiſtratu Senenſi, divina ob id vindicta, ſubita injuſtæ expulſionis revocatio, & amica ad reditum invitatio.

TOtus mundus Chriſtiano homini exilium eſt, & totus mundus patria eſt: exulare ergo non poterat Columbinus: perſecutionem potuit pati & Senis pelli, ut fas eſſet gloriari cum Apoſtolo: Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; quia videlicet Deus cum ipſo & pro ipſo in tribulatione eſt; quod etiam declarare prodigio voluit, ut vindicem ſe oſtenderet injuriarum, quas ingrata patria in capita innoxia cæco tumultu inferre non eſt verita. Etenim cum alii ſuper alios recenti ſodalitio adſcribi indies contenderent, rumuſculi primum muſſitantis vulgi ſuborti ſunt, mox affinium indignationes & amicorum querelæ ægrè ferentium, ex intimo nobilitatis ſinu adoleſcentes ſpei optimæ ac viros publico regimini deſtinatos avelli, & in ſocietatem coaleſcere, quæ tota horrore miſeriaque conſtaret, ac ad inſanas vociferationes ſuos alumnos erudiret.

Propter nobilium aliquot juvenum converſionem Columbino,

E

151 Odia inde crevere perplurium velut in pernicioſa ac turbulenta reipublicæ membra, quæ innovandi libidine percita, pedetentim totum corpus afficerent, & ſi Deus non inhibeat, peſſumdarent. Cumque veterator ſtygius, in ſua damna adoleſcere novellam plantam peſſimè ferens, faces accenſis jam tum irâ præcordiis admoveret, ac linguas in maledicta pronas exacueret, crebro querimoniarum ſtridore magiſtratûs aures aſperatæ ſunt, & curæ ad remedium ſerpenti malo adhibendum converſæ.

tamquam reipublicæ perturbatori,

152 Dicta igitur conſultationi dies, & ſenatoribus duodenis *a*, qui tum reipublicæ præerant, indicta: facto inter ſe conventu, deliberatum in commune eſt, ſecurim ad radicem arboris admovendam, ac Joannem tamquam machinæ architectum cum Franciſco Vincentio, primario ſocio & adjutore, procul urbe in exilium amandandum: ſic enim, binis columnis labantibus, totum ædificium ruiturum, & ſuam civitati pacem ac tranquillitatem redituram; & ne qua interceſſio moram exſecutioni faceret, miſſus præcipiti legatione nuntius ad reos inſontes, neque in judicium vocatos, neque auditos, qui exceſſum ab urbe ac univerſo reipublicæ ſtatu, ſenatûs nomine imperioque indiceret, neque plus ſpatii ad abeundum concedi, quam quod ardens ante portam civitatis candela ſuâ duratione deſignaret: ſi ſecus faxint, læſæ majeſtatis crimen eſto, capitali pœna expiandum.

exſilium indicitur à ſenatu Senenſi, a

F

153 Audiſſe feralis ſententiæ fulmen ac itineri ſe accinxiſſe idem fuit peregrinis ſuper terram, in cælo ſemper animo verſantibus. Ictûs antidotum ex evangelica pyxide depromptum, excuſſo pulvere de pedibus ſuis, ibant gaudentes à conſpectu urbis, quoniam digni habiti ſunt pro juſtitia & Jeſu nomine contumeliam pati; viaticum pauperies miniſtrabat, baculum ſpes in Domino, comitatum gaudium in Spiritu ſancto, refrigerium in laſſitudine & viarum incommodis colloquia ſan-

cujus decreto Beatus ſtatim obtemperat;

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

cta; & recordatio pollicitationis Dominicæ : Beati eritis, cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint. Magnam itineris partem sibi vendicabat oratio, sua etiam hymnodiæ dabatur & piis cantiunculis, quibus Numen laudabant, ac seipsos solabantur; & erant hi supra binos expulsos, quinque & viginti alii, quibus antiquius fuerat cum amatis sociis solum vertere, quam in patria, iniqui judicii corruptelâ Superis infensa, consistere.

sed Deus injuriam Servo suo illatam

154 Neque verò falsi opinione sua fuere, vindictam, quam de cælo præsentiebant, pertimescentes : quippe indignatus contra malum facinus æquissimus judex, & innocentiæ protector Deus, cum obruere per semetipsum perque ministros angelos posset sceleris fontes, maluit uti elementorum obsequelâ, ut ægritudines inducerent, & tamquam muti carnifices clamores ac strages ederent in ultionem iniquorum : siquidem à discessu Columbini & comitum sol obduci tenebris, tonitribus cælum mugire, aër nimbis ac tempestatibus fremere, coruscare fulguribus, in aquarum globos mixtos grandine resolvi, ut seculum rediisse celebris cataclysmi diceres, & terram eluvionibus absorberi rursus formidares.

B

tam manifestis signis vindicavit,

155 Ast hæc terrorum ostenta, dolorum fuere initia : insecutæ quippe morborum cohortes corporibus incubuere plurimorum, & frequentes omnis civium conditionis obitus civitatem squalore ac mœrore complebant, ut nulla pars civitatis, nulla domus privata ploratu ac funereo lesso jam vacua remaneret : quæ serò licet & coacta teritaque cladibus sapere cœpit, atque iras cælestes in se intentas advertere, ac de illis avertendis seriò deliberare.

ut Senatus illum honorificè invitaverit ad reditum,

156 Ipsi igitur rectores, in quos, utpote malorum auctores, diræ ac exsecrationes populares devolvebantur, noxam fateri & incusare, pœnam temerariæ proscriptionis palam detestari, de revocatione honorifica in commune decernere. Vexatio dedit intellectum, & qui nigris calculis *b* publicam utilitatem obtenderant, suo damno experti sunt, periculosum horrendumque esse Christos Domini tangere, ac in immerentes sævire. Pœnitentiâ ergo ducti, selectis ex suo numero civibus, legationem adornant & mandant, ut quantocyus exules, Aretii Etruriæ commorantes, conveniant, senatûs nomine veniam injuriæ deprecentur, Senas reverti etiam atque etiam exorent, & ni abnuant, honorificè secum reducant.

b

C

quem ille tantisper differendum asserit,

157 Fecere imperata nuntii, & summa cum benignitate auditi à Columbino sunt; ut autem id temporis redirent, minime licere, dixit, per negotia magni ponderis, quæ suâ præsentiâ & operâ Aretii indigeant; deferant ipsimet interim dilectæ patriæ, quam eminus apprecatur à Domino, benedictionem, cominus à se non diu pòst afferendam; bene de divina misericordia sperent, contritis corde jam propitiata, & ultionis gladium in vagina reconditum ne addubitent.

& interim Senensibus tranquillitatem restituendam spondet.

158 Abivere legati, lætitia atque spe ex Viri Dei alloquio & pollicitatione pleni, & suo adventu bonoque nuntio civitatem, mœstitia ac dolore obrutam, mirificè exhilaravere, quæ postmodum aucta haud mediocriter est, quando veritatem prædictionis ac fructum à transmissa benedictione experta est : brevi namque aëri tranquillitas ac cælo serenitas rediit, & tota illa procella resedit, unde pernicies & civium interitus timebatur *c*; & fuit indulgentia istæc placati Numinis argumentum minimè obscurum, & singularis planè adversus Columbinum benevolentiæ, cujus precibus pulvis ille, quem de pedibus excusserat urbe egrediens, accusator futurus impietatis expellentium in communi mundi judicio, mutatâ scenâ, producendus sit tamquam testis actæ pœnitentiæ ac meritæ reconciliationis & veniæ. D

c

ANNOTATA.

a *Eo tempore urbs Senensis à duodecim senatoribus regebatur, tamquam libera respublica; sed postmodum Duci Etruriæ subjecta est, cujus dominium hactenus agnoscit.*

b *Latina hæc phrasis orta est ex antiquo more Græcorum, qui calculis olim sententias & suffragia colligebant, candidis absolutionem, nigris condemnationem significantibus. Unde calculum pro suffragio, sententia aut judicio usurpamus. Hinc etiam oriuntur illa proverbia :* album calculum addere, calculo mordere *& similia.*

c *Belcarus, qui cap. 19 hoc exsilium, divinam propter id vindictam, ac injusti decreti revocationem refert, de subsecuta statim aëris serenitate aliisque mutationibus non meminit. Rossus* E *igitur hæc verosimiliter scripserit juxta fidem Morigiæ, qui lib. 1 cap. 24 fortasse ex veteribus instrumentis similia narrat : licet enim Belcarus de illis sileat, omnino probabile est, misericordem Deum hac Senensium pœnitentia placatum fuisse, ac urbi pristinam tranquillitatem reddidisse.*

CAPUT XII.

Commoratio ejus in urbe Aretina, prodigiosa unius socii sanatio, & alia ibidem gesta.

Profectus Aretium B. Joannes,

QUæ cœpta est Jerosolymæ à sancti Stephani nece fidelium persecutio, ac per orbem dispersio, in occasionem cessit euangelicæ doctrinæ proseminandæ, & Christi nominis longè latéque propagandi. Nempe optimus Deus bonum novit ex malo elicere & adversus calumniatores non modo potentiâ, sed etiam clementiâ pugnare, sive retribuere illis bona pro malis velit, sive nequitiam eorum in aliorum utilitatem vertere constituat. Haud vacat per exempla vetera, quibus historia sacra abundat, longiùs vagari; in promptu est Aretinæ finitimarumque civitatum fructus sane uberrimus, quem ex ejectione illâ Senensi divina providentia colligendum impigris messoribus objecit. Namque Columbinus nactus id locorum campum, excipiendæ cælesti sementi peridoneum, instituit civium animos quà publicis quà privatis sermonibus excolere, inter quos nec dubitabat argenteam linguæ inflare tubam, ac proclamare liberiùs, VIVAT JESUS CHRISTUS, atque ad idem munus per varias urbis plateas & compita sodales dispertire. F

multos ibi peccatores convertit.

160 Obstupefacti novitate & inauditis antehac clamoribus regionis incolæ, excitari primum à vecordiæ somno, aperire oculos terrenorum caligine offusos, erigi ad æternorum cognitionem, ad vitæ melioris proposita concitari. Accurrebat ad Columbini conciones frequens turba, & contra inolitos vitiorum morbos medelam à perito Medico libens admittebat. Indictum bellum animorum hostibus, pravis consuetudinibus obviam itum, Sacramentorum usus diu intermissus in frequen-

A quentiam revocatus, amicitiæ reconciliatæ, reſtitutiones factæ, tota civitas renovata.

qui ad exhortationes illius undique confluebant.

161 Cumque per circumjecta oppida ac municipia fama rerum iſtarum præſtantiſſimarum dilaberetur, fiebant ad illum audiendum conſulendumque concurſus ingentes, & revertebantur ad domos ſuas percutientes pectora ſua: & erat una vox omnium, viſitaſſe Dominum plebem ſuam, & non tam Senis depulſum, quam miſſum illuc divinitus Columbinum, tamquam aſtrum ſuo fulgore tenebras errorum diſcutiens, ac ſalutem languentium multitudini afferens. Auxit opinionem ac reverentiam miraculi fama, quod neque celari à patratore potuit, nec à populo ignorari, neque hoc loco prætermitti debet.

Quidam diſcipulus B. Joannis ægrotans,

a

162 Vannus à Monticello *a* dictus, unus de Columbini aſſeclis, quos Senis reliquerat in hoſpitiolo haud longè à ſancti Abundii cœnobio diſtante, uti ſupra meminimus, in gravem incidit morbum, & jacere coactus, medicamentum nullum levandæ ægritudini idoneum reputabat, præter unicum dilecti ſui Patris aſpectum atque complexum. Et ſodales quidem omni caritate ac ſubſidio præſto erant; aſt animi angori, ex vehementi Columbinum videndi cupiditate orto, mederi ſolatium nullum obſequiumve poterat: nec diſſimulabat æger, quod animo coquebat deſiderium, aliorum judicio præpoſterum, ſuo voto peropportunum.

B

& coram Magiſtro ſuo mori aut convaleſcere deſideraus,

163 Ideo infimis inſtare precibus, ut quoquo modo Aretium ducatur aut trahatur: poſtremum hoc à fratribus amantiſſimis orare, ut ſpiritum, ſi ultima illa ægritudo ſit, in Patris ſui manibus emittat; aut ſi ſupervicturus eſt, ad ejus benedictionem convaleſcat. Quid hîc faciant ſocii? Indulgeantne vaſtæ ac importunæ poſtulationi? At longum ac arduum iter eſt, vectatio febrienti periculoſa; ad hanc pecuniâ opus eſſe, cujus vel ſolum nomen rigidis paupertatis cultoribus exoſum. Enimvero ingenioſa caritas modum invenit ſine curribus & jumentis placidè commodéque ægram ſarcinam tranſvehendi, & ſumptus alienos proprio labore redimendi.

à conſodalibus Aretium defertur,

164 Adornant ipſi lectulum, capulo funeribus educendis haud abſimilem, in eoque componunt Vannum, ac humeris impoſitum, qua ducit Aretium porta, efferre inſtituunt, laborioſo miniſterio alterni ſuccedunt, totum illud iter hilares bajuli emetiuntur, quoad urbem ingreſſi de Columbini hoſpitio cives obvios interrogant, à quibus edoctis illud quidem invenire fuit facile: aſt Columbinum ſtatim adire difficile: namque in templo adjuncto cum populo agebat, neque acceſſus ad ipſum à conſtipata turba permittebatur. Rogant interim in cubiculum ejus admitti, ibique præſtolantur, dum dimiſſa multitudine revertatur.

C

ubi Beatus impoſito palliolo mox eum ſanat.

165 Inter hæc rumuſculus de adventu ſociorum ad aures concionantis cum perveniſſet, renuntiari juſſit, ſuſtineant patienter ad breve tempus, abſoluta concione, mox affuturum. Indidem bonus Pater ad feſſos itineris & geſtationis advenas accurrit, ac poſt ſuaves amplexus & plena dilectionis oſcula attritum palliolum humeris detrahit, ac ſuper Vanni, in ſuo lectulo decumbentis, artus extendit. Mirum dictu! Eo contactu velut efficaciſſimo amuleto protinus depulſa febris, corpori priſtina incolumitas reddita, animus tanta hilaritate repletus, ut cubili ſe ſanus ejiciat, & in genua ad grates Deo, & ſuo Liberatori agendas illicò procumbat.....

166 Pervenerat ipſe cum ſociis pauculis Aretium pridie cineralis diei, qua ſolenne *jejunium* fideles inchoant. Divertens pro ſuo more ad noſocomium; minore, quam deceret, humanitate exceptus eſt à miniſtrorum nonnemine, conditionem hoſpitis ſibi ignotam ex habitûs vilitate metiente. Cœnaturo & menſæ jam accumbenti, licet oppidò feſſo, & itineris ac frigoris vexatione quaſſato, fruſtulum unicum bubulæ, aceto maceratæ, apponit, & quo tempore epulis ac hilariis populus univerſus indulget, paucis illis peregrinis, nectare dignis, & refectione vehementer indigis, inſulſæ dapis & inſalubris demenſum exiguum manus avara & inhumana diſpenſat. Qua inhoſpitalitatis indignitate conſpecta, ſociorum unus; Pater, inquit, caro iſta malè affectis ſtomacho noxia eſt. AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI. *Nil de cibo ſumendo ſolicitus.*

& tota nocte de rebus divinis diſſerens, ſocios famis immemores reddit,

167 Tum Columbinus, nil de eſca ſolicitus, de divini amoris excellentia & efficacitate dicere aggreſſus, verum ſolidumque animorum cibum ac delicias in eo ſitas eſſe commonſtrat: & quamquam rugiens venter non audit verba libenter, mens tamen convivarum ſermonis dulcedine à cogitatione eduliorum abſtracta, meliori convivio paſta eſt, & neceſſitatis edendi oblita, dapes ſapidiores à loquente porrectas guſtare perſeveravit, quoad ſol terras illuminans inſtare monuit ſurgendi horam, & ad ſacram ædem pergendi, ubi ex religioſo ritu frontes fidelium cineribus ad mortis memoriam refricandam inſperguntur....

E

ac aliàs luce è pectore ſuo orta cubiculum illuminat.

168 Aliàs in Aretina profectione ad noſocomium, fratrum Eremitarum cœnobio propinquum, divertens perbenignè receptus eſt. Cum verò de multa nocte fatigatus itineris labore, quietem capturus lectulum conſcenderet, diductâ manibus tunicâ, è pectore repente lux ingens irradiavit, quæ per totum dormitorium conclave fuſa, æquare ſolares radios videbatur. Expergefacta ibidem jacentium turba, oculos in hoſpitem recentem conjicit, unde illa prodibat, & mirabatur dicens, quod ſub humano ſchemate angelo hoſpitium præbuiſſent, cujus dignitati ac merito principum regumque aulæ ac domicilia eſſent imparia *b*.

b

ANNOTATA.

a *Suſpicor hunc B. Joannis diſcipulum ita cognominatum eſſe à patria ſua Monticellana, de qua poſtea ſermo recurret. Ceterùm ulteriorem hujus viri notitiam apud varios hiſtoriæ Jeſuaticæ ſcriptores hactenus non inveni.*

F

b *Præcedentia duo exempla, quæ à num. 166 narrari cœperunt, ex Roſſo noſtro part. 3 cap. 4 § 3, & part. 4 cap. 3 § 2 huc tranſtuli, quia ad profectionem Aretinam ſpectabant. Id etiam à me alibi factum eſt, cum Acta hujus Beati ad aliqualem ſeriem hiſtoricam reducere voluerim, ut in Commentario prævio, & in ipſo Vitæ titulo præmonui. Porro non arbitror, hanc narrationis tranſpoſitionem identidem ſcrupulosè indicandam eſſe, cum eam facilè quilibet inventurus ſit, qui hunc Roſſi librum pervolvere voluerit.*

CA-

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

CAPUT XIII.

Profectio Tifernum, mira quorumdam converſio, inimicorum reconciliatio, monialium ad ſtrictiorem paupertatem reductio, & crebra cum epiſcopo Tifernate converſatio.

Aretio proficiſcitur Tifernum,

QUàm libenter apud ſe retinerent Aretini eximium illum peregrinorum manipulum & collectorem Joannem, quem velùt angelum de cælo lapſum ſuſpiciebant, amabantque, patefactum dolore eſt ac lacrymis, quibus abeuntes proſecuti ſunt. Aſt aliò impellente Spiritu, non ſuſtinuit diutius ibi ſe detineri; ac porrò retinere conantibus Chriſti objiciebat reſponſum: Quia B & aliis civitatibus oportet me euangelizare regnum Dei. Aretio ergo relicto, & ſui apud illos deſiderio ac amore, rectâ cum ſociis Tifernum *a* iter aggreditur, inſequente ipſum fama mirabilium, quæ patraverat, & adventum ejus prævertente. Totum illud viæ ſpatium inter divinas laudes ac pias meditationes emenſum, & redditum memorabile inſigni vocatione, quam ſubnecto.

a

in quo itinere ruſticum,

170 Cum Tiferno propiùs abeſſent, opportunè incidêre in ruſticum aratorem, ducendis ſulcis intentum. Hîc tantiſper conſiſtit Columbinus, & defixis in illum luminibus ita affatur: Veni, ſequere me. Et ipſe confeſtim ſtiva bobuſque relictis ſecutus vocantem eſt..... Fuit admirandæ vocationi conſentaneus vitæ curſus & exitus; numquam hic reſpexit retro, numquam ſtivam repetiit, ſed per ſui Magiſtri imitationem & aſſiduam abnegationem ab eo agro ad altiſſimum contemplationis montem conſcendit, in quo & internis illuſtrationum radiis, & non raro externis angelorum viſitationibus fruebatur. Si augurium aliquod præferrent nomina, Sanctus luſtrales ad undas dictus illuſtris bubulcus eſt; ſin ſecus, auguſtum ipſe nomen reddidit, factus de bubulco ſanctus.

C

& tabellionem epiſcopi Tifernatis

171 Lætus inſperato & non multo labore quæſito lucro urbem Columbinus intrat, atque ad templum adorandi Numinis pro more ſuo contendit. Vadenti adjunxere ſe ex vulgo plures, quibus inviſus antehac advenarum habitus & numerus cupiditatem injecerat cognoſcendi, quodnam genus illud eſſet hominum, & quare illuc adventaſſent. Accurrere inſuper alii cives honeſti, eadem & ipſi curioſitate illecti, & inter hos Benedictus de Pace *b*, ætate grandævus, profeſſione tabellio curiæ epiſcopalis, qui dum in foro, vulgariter Tartarino nuncupato, oculos animumque novo illo paſcit aſpectu, reſpicitur & ipſe à Columbino, qui, defixo in vultum ejus obtutu, mixta convitio ſalutatione impertitum ita alloquitur: Inveterate dierum malorum, veni; valedic mundo, & Chriſtum ſequere.

b

mirabiliter in ſuum ſodalitium cooptat,

172 O prodigium! Vocantem ſtatim ſequitur, ignotis ſe aſſociat, templum maximum unà cum illis, tamquam de illis repente factus, ingreditur. Hîc ante venerabile Sacramentum in genua provoluti cum tantiſper oraſſent, Columbinus ſodales omnes ac præſertim iſtud par ultimum, vivum Apoſtolicæ vocationis ſimulacrum, ſupremæ ſiſtit Majeſtati, & velut hoſtias acceptabiles, voluntario ſacrificio ſe immolaturas, reverenter offert..... D

omnibus impedimentis, quæ tabellio ille obtendebat,

173 Benedictus, epiſcopi Tifernatis tabellio, quem à Joanne invitatum ad crucem Chriſti ferendam ſuperiùs retulimus, impedimenta palmaria obtendebat, quæ citra temeritatem acceptari haud licere conſilium perſuadebant. Podagra pedibus infeſta, cui fatalis eſſet eorum nuditas; pernicioſæ injuriæ frigoris & pluviarum; intolerabiles itinerum labores. Auris abſceſſus, jugi ſuppuratione ſcatens, tegumentis ac fomentis egens; totius corporis habitudo ægritudini adſimilis. Ætas provectior, & deliciis aſſueta quî vitæ rigorem feret, & durum illud pœnitentiæ inſtitutum patietur, cui vix pares giganteæ ſint vires? Piaculum eſſe tentare Deum, & miraculum ad hæc amolienda depoſcere.

ſpretis atque ſublatis.

174 Cui Columbinus: Nihil iſtorum te terreat; veni mecum, Chriſtum ſequere. Quid plura? Pertractus brevi invitamento, ſeculum & veſtes ſeculares exuit: nudus vocantem Columbinum ſequitur, ut Chriſtum aſſequatur. Nuditas ad pedum incolumitatem confert; pœnitentiæ E aſperitas ad vigorem virium; auris, vomicâ diffiatâ, ad audiendam vocem ſermonum Domini aptatur; totum corpus, de infirmitate convaleſcens, fit forte, & plures annos in laboribus, in vigiliis, in ærumnis conſumptos exitu fortunatiſſimo abſolvit *c*.... *c*

Obtentâ ab epiſcopo licentiâ prædicandi verbum Dei,

175 Tum [Joannes] ad ſacrorum antiſtitem D. Buccium *d* ſe confert, eique, quanta potuit demiſſione ſalutato, inſtituti ſui conſilia aperit, ut impetrata ab eo facultate, liberiùs in vinea illi commiſſa excolenda laborem ſuum ſuorumque impendat. Excepti ſunt perhumaniter à præſule, doctrina ac pietate conſpicuo, & honorificè imprimis Columbinus habitus, de quo mira ac inaudita pridem inaudierat.

d

miros animorum motus excitat,

176 Hac munitus gratia, in arenam deſcendere nihil cunctatus, omni contentione juvare cives aggreditur, & exordio à ſolenni ſuo claſſico ſumpto, VIVAT, VIVAT JESUS CHRISTUS; LAUDETUR JESUS CHRISTUS, tamquam buccinæ perſonantis clangore mirabiles in civium animis motus excitavit. Accedentibus dein privatis publiciſque concionibus, numquam fervoris incredibilis flammas non ſpirantibus, accendebantur ad pietatem corda, criminum occupata veterno, & à tenebris ignorantiæ ac deſidiæ torpore ad lumen juſtitiæ curamque ſalutis antehac neglectæ traducebantur. F

quoſdam egregios viros

177 Nec defuere, qui, contempta mediocritate, ad ſummum perfectionis euangelicæ culmen aſpirantes, ſubſtantias ſuas pauperibus; nomina vitaſque ſuas ſodalitio illi ut traderent, à Columbino precibus impetrarunt. Et appellavere ſcriptores vetuſti ex iis aliquot; puta Stephanum, doctum ac eruditum virum, & fortunæ bonis, quibus Chriſti paupertatem antehabuit, locupletem *e*. Hunc ſecutus Bartolus ſeu Bartoluccius de Sanctis, qui à ſeculi vanitate ad Chriſtum converſus, ejus amore adeo flagrabat, ut ad ſolam Nominis ſancti invocationem totus colliqueſceret, nec cohibere rationis imperio lacrymas, ac ſcintillas igneas, ex oculis vultuque erumpentes, ullatenus valeret. Quinimo tanto impetu rapi ſolitum, memoriæ proditum eſt, ut ſemel in D. Floridi templo concionis, quæ inibi habebatur, tempore, de medio populo ſe propipiens in ſubjectam plateam, ne tactis quidem gradibus anteliminaribus ſal- *e*

A saltasse conspectus sit. Nemo sic saltavit sobrius; sed bene, quem præclarus Domini calix inebriavit.

178 Successere innominati duo, Perusinus alter, quem Dei Famuli sermo de scelerum cœno erutum ac sordibus repurgatum, dignum sortis Sanctorum fecit. Alter sacerdos, qui pingui sacerdotio abdicato, pleno fiduciæ consilio instituendum se Columbino dedit, & mira vitæ asperitate ac orationis assiduitate ad eam pervenit sanctitatis celsitatem, ut ambiri à dignitate sacerdotali potuerit, qua indignum olim sua se fœditate reddiderat. Hoc verò, quod sequitur, ad insignem caritatis victoriam referendum est, armatum obstinatione peccatoris pectus perdomantis.

congregationi suæ adjungit,

179 Vir erat Tiferni diu in nequitia versatus, quem neque flagrans ardore concio flectere, neque solius cum solo collocutio mollire & ad saniora consilia trahere hactenus valuerant. Hunc expugnare solito ardentiùs aggressus Columbinus pleno amoris invitamento dixit: Mi frater, si resipiscere tandem non abnuis, & finem peccandi facis, cuncta, quæ huc usque sum consecutus à Domino merita, do tibi libens, & pro tua salute dico. Et qui præsens aderat Franciscus Vincentius subdidit: Et ego totam tuorum peccatorum sarcinam humeris meis impono, ac rationem eorum me redditurum justo Judici recipio. Probabit pactum & promissionem misericors Deus, si, deserta iniquitate, ad cor redieris: quo duplici ariete rupes illa saxea concussa cessit, & emollita in tantum est, ut rivos emiserit lacrymarum. . .

& obstinatum peccatorem ad pœnitentiam emollit.

B

180 Subnectam ex casu tragico jucundæ narrationis eventum, quæ fusior apud alios, strictim hîc attingenda est, ne prætermissa incuriosè, vel minoris æstimanda videatur. Duarum familiarum Senensium graves ac diuturnæ simultates, qua erant amplitudine ac nobilitate, pleramque affinitatem inimicitiis odiisque involverant, quibus evolvendis ac sopiendis diu multumque, sed frustra, plurium ex civitate principalium opera desudaverat.

Duas familias,

181 Factionis unius caput Larinus Tolomeus, etsi adversæ parti ob illatam patruo cædem implacabiliter infensus; tamen cum per hosce dies Tiferni attineretur, Columbini familiaritate & colloquio vehementer delectabatur, quem in illa, de qua memoravimus, expulsione, amicitiæ duxit ac fidelitatis abeuntem comitari, & præsto in omnibus esse, licet non petenti, & in Domino solùm confidenti. Quî fieri poterat, ut ab isto sole densæ discordiarum nebulæ non difflarentur?

diuturno ac implacabili odio dissidentes,

C

182 Audiebat de Christianæ caritatis officio debitoque differentem, & exemplis agentem Christi Domini & Sanctorum, qui pro suis interfectoribus, ut salvi fierent, tamquam pro benefactoribus rogavere: quibus permotus Larinus denique manus hortanti dedit, & offensarum acerbitate deposita, ingenii sui ad vindictam ardentis, & injuriæ, cujus inexorabilis hactenus fuerat condonatio, oblivisci deliberavit, atque ut pœnitudini præcluderetur aditus, exstare voluit legitimum reconciliationis testimonium, quæ facta coram episcopo est, ac in tabulas relata; Senas dein unà cum litteris humanissimis ad Piccolomineos cædis reos à Columbino transmissæ, incredibile dictu est, quam uberem lætitiæ segetem attulerint, non altercantibus modò familiis, sed & urbi universæ, cui quietæ esse ac serenæ per hanc intestinam rixarum tempestatem diu non licuerat. Nimirum etiam absens patriæ prodesse noverat, quæ præsenti obesse non dubitaverat.

inter se conciliat,

183 Ad intima pariter virginum sacrarum adyta flamma deforis excitata pervasit, & earum unum tam validè corripuit, ut in se converterit. Domus sanctimonialium Tiferni erat, de Sacco appellata; ubi cum reliqua disciplina collapsa, tum verò paupertatis rigor planè langverat; quòd provisio in communi prope nulla, & arbitrio ac facultati singularum victus vestitusque permitteretur. Earum educationi ac instituto teneram suam neptem crediderat Benedictus à Pace, suadente Columbino, ut expeditior euangelico cursui iter ageret, quocumque eundum animarum salus & gloria Domini postularet.

Auct. Joan. Bapt. Rossi.

& collapsam monialium quarumdam paupertatem

184 Hinc data occasio Columbino paulò crebrius cum monialibus agendi; & vertit felicitati familiaritas: nam totum illud tempus sermoni de rebus divinis pendebatur, eo potissimùm collimans, ut paupertas, cui fundamentum religionis innititur, postliminio revocaretur, & proprietas possessioque rerum pro libitu absumendarum, tamquam pestis, è claustris illis eliminaretur: atque ut duriora marium pectora repetitis hortationum ictibus inflecti se passa supra memoravimus, ita molliora feminarum Deo devotarum cordi se permisere, quo sermo frequens boni Hortatoris impellebat. Exemplo præivere saltem sex de primariis, quæ peculii quidquid apud se retinebant, in commune contulere, & regulæ, cui se addixerant, observationem propriis commodis antepositere. Has imitari ceteris grave non fuit: nec auditum deinceps est frigidum illud verbum, MEUM ac TUUM; sed omnia Jesu Christi, & hic earum divitiæ ac amor.

pristino vigori restituit.

E

185 Per id tempus haud erat infrequens antistiti Buccio cum Columbino conversatio, & sincerus inde mutuæ fructus consolationis: ille quippe doctrina ac pietate eximius virum miræ sanctitatis apud se æstimans, Joannem tenero ac paterno complectebatur affectu; ac proinde sodales ipsius, tamquam Dei servos non vulgares, filiorum habere loco religioni ducebat. Declarare id argumentis multis haud cessabat; sed hoc imprimis, quod eorum accenseri numero optabat vehementer, ratus, haud dedecere dignitatem suam, si salvis insignibus, & episcopalium functione munerum minimè præpedita, non modo proposito ac voluntate, sed etiam imitatione, quoad liceret, unus de cœtu illo haberetur & esset: quæ causa fuit, ut inter præsules, quos hic Ordo suppeditavit Ecclesiæ, numeretur, & quidem primus, qui suâ infulâ fugitantia coronarum capita congregationis decoravit.

Columbinus episcopo Tifernati, amico suo,

F

186 Vice versa Columbinus illum, tamquam Apostolorum successorem ac imitatorem, apprimè venerabatur; cumque multiplici eruditione clarum, & canonum sacrorum peritiâ oppidò instructum non nesciret, ab ipsius nutu directioneque in rebus agendis ita pendebat, ut negotium nullum momenti alicujus, ipso inconsulto, aggrederetur: quamvis enim potior ipsi esset in Deum fiducia, cujus suffragatione honesta consilia confoventur, ad promptam tamen opem hominis, Dei vices in terris fungentis, confugiendum, ab humilitate ac prudentia persuaderi sibi facilè sinebat, quod inde lux oriretur ad rerum tractationem perutilis, & auctoritas haberetur ad eas fulciendas necessaria.

quem propter eximiam sacrorum canonum peritiam

187 Eapropter cum ipsi venisset in mentem dubitare, utrum illud vitæ institutum, quod profiteri cum suis pergebat, nullo hactenus pontificio munitum diplomate, expediret legati Sedis apostolicæ, Viterbii tum degentis, approbatione firmari, aut in examen adduci, ut videretur, an

in negotiis congregationis suæ

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

in aliquo à canonum ecclesiasticorum norma discreparet, utrumque cum episcopo conferendum arbitratus, responsum accepit, quod ad discrepantiam canonum attinet, vereri desinat, omnemque solicitudinem deponat; siquidem nihil adversum est in tota illa actionum varietate, nihil in vitæ ratione, quod à rectitudine vel Pontificum decretis sit alienum, plura, quæ superiorem humanâ regulâ ductum impulsumque demonstrent, divino regimini permittenda.

sæpius consuluerat,

188 Insuper in præsentiarum supervacaneum videri sibi Apostolici diplomatis procurationem: pergat porro eidem, quam inivit, simplicitatis viæ insistere, quoad lux aliqua cælitus illabatur, quæ Domini voluntatem ostendat, nec dubitet, illi esse de rebus suis curam, quam subinde sit opportunè ostensurus. Nimirum noverat, magnæ prudentiæ ac experientiæ antistes, regulæ ac instituti approbationem rem esse gravissimam earum, quæ à Christi vicarii indulgentia exspectari solent, & periculo affine, ut vel tunc negaretur, vel in aliud tempus differretur, quo adulta jam congregatio suis consistens viribus seipsam probaret, B quod esset à Deo, &. facilè impetraretur à Pontifice, quod ægrè tunc à legato fuisset impetratum.

valedicit, & ad alia Tusciæ loca discedit.

189 Post hæc Spiritus Domini ad alias civitates & loca Etruriæ Columbinum vocabat, ideoque cum bona pace & episcopi benedictione Tiferno discessit, relictâ ibi memoriâ famâque suorum mirabilium, & amore ac desiderio sui in cordibus civium, uno ore fatentium, auream à prolixiore ejus mora civitatem reddendam, quam brevis illa commoratio culturaque argenteam reddidisset.

ANNOTATA.

a *Plura Italiæ oppida hoc nomine appellantur; at hîc agitur de Tiferno in Umbria sito ad fluvium Tiberim, quod idcirco distinctionis gratiâ nonnumquam* Tifernum Tiberinum *cognominatur, & per vulgarem appellationem Italicam* Città di Castello, *quia apud Belcarum & Morigiam ceteroſque scriptores Italos indicatur, satis ab aliis oppidis aut castris homonymis distinguitur.*

b *Feus Belcarus in Vitis Jesuatorum cap. 6,* C *Paulus Morigia lib. 2 Hist. Jesuat. cap. 6, Josephus Bonafede lib. 4 part. 1 cap. 9 præcipua hujus Benedicti gesta Italicè collegerunt.*

c *Præter auctores mox citatos Rossus parte 5 cap. 11 post alia felicem ejusdem Benedicti mortem Latinè describit.*

d *Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tom. 1 col. 1322 de hoc antistite sic scribit:* Butius seu Buosius (*ibidem in margine etiam* Buccius *notatur*) Janetti de Butiis, hodie de Benoriis, civis Tiphernas, ab Innocentio VI suæ patriæ adlectus episcopus est anno MCCCLIII..... Vixit autem Butius usque ad annum MCCCLXXIV, in quo ipso fato cessit. *Sed hæc conciliare non possum cum altero ejusdem præsulis epitaphio aut elogio, quod Morigia lib. 1 Hist. Jesuat. cap. 27 ita Latinè exhibet:* Beatus Butius Mediolanensis, ex illustri Albutiorum familiâ oriundus, Jesuatorumque pia ac humili religione, cæsarei Pontificiique juris egregiè peritus, ob miram ejus eruditionem, vitæ integritatem ac morum sanctimoniam Civitatis Castelli (*compositum est hoc oppidi nomen ex vulgari appellatione Italica* Città di Castello *pro voce antiqua Tiferni*) antistes creatus: *variis pro Sede Apostolica functus* legationibus, religiosè sanctèque obiit anno MCCCLXV. D *Quis hîc patriam, stirpem, & annum mortis cum præcedente Ughelli sententia facilè componet? Præterea hîc observo, quod Morigia ipsum satis liberaliter* beatum *appellet. Interim doceri cupio, an vir, ceteroquin pius, titulum* beati *mereatur.*

e *Morigia lib. 2 Hist. Jesuat. cap. 76 varias rationes allegat, ob quas de nonnullis illustribus sui Ordinis viris omnino tacere, aut nuda eorum nomina commemorare coactus fuerit. Nil igitur mirum, si nos de hoc & aliis quibusdam* B. Joannis *discipulis ulteriorem notitiam assignare non possimus.*

CAPUT XIV.

Magnus concionum fructus in variis Tusciæ locis, pietas Pisanorum à beato Joanne laudata, verbum Dei in aliis urbibus disseminatum, & nonnulli discipuli collecti.

Tiferno tenet iter

INsequitur oratio nostra peregrinantem Columbinum eo prorsus ordine, quo loca singula adnotavere prisci scriptores itinerum ipsius: horum enim diligentia posteriorum studiis commodavit, quod saltem appellare urbes & castella potuere, per quæ benefaciendo transiit, licet nihil deinde solicita, notare tempora, quibus benefacta respondêre. Tiferno igitur excedens Pisas *a* iter instituit non properanter, sed lentè ac populatim conficiendum, subindeque intermittendum, ubi cujuspiam pagi vel castelli per viam occursus ad jaciendam verbi divini sementem invitasset. *a*

Arcidossum, ubi præter alias conversiones b

191 Arcidossum *b*, haud ignobile inter Senarum montana oppidum, primum in oculos incurrit, ad quod divertere libuit, ac tantisper consistere, veluti in campo, frequenti habitatore culto, per quem concionum fervor excurreret, & fructum referret haud pœnitendum; & collectus hîc est ad votum: quippe incolæ audientes F de fœditate peccati, de inferorum suppliciis, de Christi in homines caritate ac beneficiis, deque similibus differentem, vulnera conscientiæ agnoscere, remedia quærere, Columbinum consulere, ad ejus præscriptum mores conformare.

unum ad evangelicam paupertatem amplectendam excitat;

192 Non diu apud ipsos commoratus est, sed quantum satis visum fuit ad excitandam gentem, & facibus divini amoris accendendam. Et pluribus quidem vitæ melioris desiderium injectum ac auxilium ad resipiscendum præstitum; verùm unius insigni conversione cumulata Columbini lætitia est, quæ si sola etiam fuisset, compensatum laborem suum existimasset: ille nimirum concionum ardore ita incaluit, ut opibus, quibus affluebat, contemptis, & doctrinæ, qua excellebat, Christi paupertatem & simplicitatem præhabuerit. Neque contentus sua obtulisse, seipsum quoque obtulit viventem victimam in ara crucis & dira vitæ asperitate, jejunio, humi-cubatione, ceteraque jugi afflictione deinceps mactari haud intermisit, meruitque Justus re vera esse, qui sub honesto nomine, à parentibus impositio, peccatorem diu celaverat.

193 Arcidossanis ea ratione ad pietatem commotis,

A motis, Piſas pergit contendere. Verùm hîc quo-
Inde, Cingoli ſalutatâ Deipárâ imagine, &c que aliquantulum à via deflectere placuit, ac Cingoli *c* celeberrimam beatæ Virginis imaginem devenerari. Eò ut perventum eſt, prævenit Columbinus communes ſociorum preces hortatione breviuſcula, qua imprimis monuit, impensè pro ſancti Abundii monialibus Deum orarent, ſolverentque pro ingentibus in ſe meritis exiguum hoc grati penſum animi haud ingratum Virgini futurum.

ſe Piſas confert, ubi cum ſociis xenodochio excluditur;

194 Ut oratum eſt, rectà ad urbem nobiliſſimam greſſus dirigunt, ac proſperè perveniunt. Hîc venerato de more in templo Numine, hoſpitium in noſocomiis rogant; aſt gens incognita & numeroſa rejiciuntur, ſive quia peregrinos tam multos domus, ægrotis occupata, non capiebat, ſive quia immitia præfectorum viſcera miſereri pauperum Chriſti neſciebant, neque humili poſtulatione flecti ſe patiebantur, ut laſſos reficerent, & miſericordiam egentibus impenderent: quævis demum cauſa repulſæ fuerit, tectis hoſpitalibus excluſi, gaudio haud mediocri gaviſi ſunt,
B quod merendi materiem paucorum inhoſpitalitas dederit, & divina providentia in humanitatem bene verterit.

ſed benignè excipitur

195 Etenim ut reſcitum per urbem de eorum adventu eſt, quos fama per Etruriam pervagata Piſas præiverat, à multis invitati, per aliquot honoratorum civium ædes diſpertiti, nulli magno adeò incommodo fuere, omnibus vitæ exemplo & colloquiis familiaribus de Deo deque divinis commodùm profuere: neque verò peregrinos frugi, & abſtinentiæ deditos tractare humaniter ac largè laudis eſſe ac meriti apud Deum tantùm exiſtimabant, ſed eleemoſynas inſuper erogabant eâ copiâ, ut veſtimenta, pecuniæ, & id generis donaria multa afferrentur; quæ tamen omnia rejiciebantur ab ipſis, ſolo victu eoque tenuiſſimo & detritis veſtibus contentis.

à piis civibus,

196 Argumentum hoc fuit non civilitatis modò, ad quam ſuos civitas educabat, ſed & pietatis & religionis, quæ Piſis ſedem poſuiſſe videbantur. Et ſanè delatum ad ipſum eſt, haud minus ducentis, matronas numerari, quæ ſacco & cilicio membra domare conſueſſent, ac proinde viros etiam ex nobilitate plures, illarum maritos aut affines, ſimulare ſeculares, & vitæ aſperitate religioſos æmulari: ideoque pronis auribus & animis peregrinorum verba excipiebantur, ſive ſeorſim à multitudine paucis funderentur, ſive palam per vias ac templa, quod frequenter fiebat, ad æternorum amorem excitarent.
C

& à ſuo olim confeſſario,

197 Contigit autem aliquando, ut ad inviſendum fratrum Prædicatorum templum à ſuis hoſpitatoribus deducerentur, cui cum imperio præerat pater, ætate ac religione venerandus, quo arbitro ſuæ conſcientiæ uſus olim fuerat Columbinus: is, multis editis humanitatis adverſus antiquum clientem ſignis, pro ea, qua pollebat, auctoritate, optimis monitis inſtruere inſtitit eò ſpectantibus, ut in arrepto ſemel propoſito firmaret, ne umquam in munere laudandi & prædicandi Chriſtum intepeſceret; attenderet etiam atque etiam ad internas Dei viſitationes ac ſolamina, ne deſidia aut humano reſpectu elabi ea ſineret, quoties immitterentur à Deo, in cujus manu ac arbitrio eſt illorum tempus ac modus: ſummæ eſſe ſtultitiæ, minoris ipſa æſtimare, quam valeant; valore autem mortalia cuncta excedere.

198 Addebat quin etiam ex D. Hieronymi ſenſu: Si ſeculi negotiatores, ut plerique veſtrûm eſtis experti, tanta ſuſtinent incommoda, ut ad incertas perituraſque divitias perveniant, & ſervent cum animarum diſcrimine, quæ multis periculis quæſierunt; quid Chriſti negotiatori faciendum eſt, qui venditis omnibus quærit pretioſiſſimum margaritum? qui totis ſubſtantiæ ſuæ opibus emit agrum, in quo theſaurum reperiat, à latronum furtis undequaque tutum? Ita bonus ille præſes igni pabulum flammiſque oleum infundere geſtiebat; & excipiebantur verba ſalutis ex ore prudentis non minore cum guſtu fructuque audientis, quam ardore proferentis.

AUCT. JOAN. BAPT ROSSI. *qui ipſum ad perfectionem magis magiſque exſtimulat.*

Columbinus in epiſtola ad moniales S. Abundii data

199 Digna inſeri huic loco eſt epiſtola, quam Piſis ſua manu exaratam monialibus ſancti Abundii Senas tranſmiſit Columbinus: " Matres in Je-
„ ſu Chriſto crucifixo dilectiſſimæ. Quam vehe-
„ menter optem videre vos & vobiſcum agere,
„ vix verbis explicem, quamvis hîc magnam co-
„ piam nacti fuerimus virorum ac mulierum, ex-
„ cellentium virtutibus ac ſanctis deſideriis flagran-
„ tium, ut merito ad eos viſendos trahere que-
„ ant etiam centum milliariis diſtantes, quibus
„ iſta ſint comperta.

E

eximiam Piſanorum pietatem laudat,

200 „ Certe quidem abſque pudore noſtram
„ cum iſtorum vita conferre haud valemus. Du-
„ centos hîc reperias, qui aſperrimis ciliciis car-
„ nem ſuam diſcruciant; unde nobis datur occa-
„ ſio gratias agendi Deo & ſanctiſſimo Salvatori
„ noſtro, qui plures, quàm putabamus, ami-
„ cos in ſeculo nequam ſibi devotos Piſis præſer-
„ tim ſervat, qui non curvant genua ante idola
„ peccatorum. Plures inſuper numerantur nobiles
„ feminæ, adeo ſe Chriſti amore abjicientes &
„ contemnentes, ut nudis pedibus & veſticulis
„ rudibus ac attritis indutæ incedere non erube-
„ ſcant, uti delicatulæ noſtræ ſpirituales Senen-
„ ſes, quæ ſimul omnes ne unicæ quidem Piſa-
„ næ æquarentur.

ſingularia divinæ protectionis erga ſe ſigna declarat,

201 „ Verùm per litteras ſatis declarare ne-
„ queo, quanta benigniſſimus Deus eorum gra-
„ tiâ præſtet, qui in ipſo confidunt. Equidem læ-
„ titiæ ſingularis materiam vobis objiciam, ſi de
„ ipſius paterna in nos cura dicere aggrediar,
„ quæ eouſque ſe protendit, ut ne minimum
„ quidem incommodum pati nos ſuſtinuerit: nam-
„ que toto iſto itineris tempore neque imber,
„ cum de cælo caderet, pallia noſtra vel leviter
„ madefecit; neque frigus, cum maximè vige-
„ ret, artus noſtros momordit, aut moleſtiam
„ intulit. O bone Jeſu, beati qui ſperant in te,
„ & tuæ fidunt providentiæ, ad illos liberaliter a-
„ lendos numquam non promptæ!

F

& in ea ſincerum humilitatis ſuæ argumentum præbet.

202 „ Fateor, mihi & Franciſco ſocio ali-
„ quantulum timoris injectum à dolore, quem
„ pedes utriuſque contraxerant, ut idcirco cum
„ trepidatione aliqua viæ me dederim; ſed vix u-
„ terque humum pede calcare cœpimus, & ſa-
„ nitatem ex bono Jeſu conſecuti ſumus. Qui fi-
„ duciam in Deo collocat, ab omni pœna ipſius
„ dono liberatur. Franciſci pedibus numquam me-
„ lius antehac fuit. Ego equidem ad præcavendas
„ ſpinarum punctiones pice plantas illiveram;
„ ſed meæ temeritatis pœnas dedi: nam com-
„ punctus & laceratus ab illis ſum, quia ego Jo-
„ annes in Chriſto non ſum confiſus, ideoque
„ conſtituimus ambo nihil prorſus poſthac præ-
„ ter unicum Jeſum Chriſtum in medio cordis
„ noſtri ferre nobiſcum, neque de noſtris com-
„ modis ſolicitari. Utinam hoc nobis vobiſque
„ atque omni hominum generi ab ipſo Chriſto be-
„ nedicto concedatur *d* „. Amabo te? mi lector,
ama in epiſtolio ludentem ſeriò ſimplicitatem, ca-
ritatis ardore junctam, ſcriptoremque nihil aliud,

d

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

nisi Jesum Christum crucifixum jam sapientem ac loquentem venerare.

Christum in aliis Italiæ urbibus prædicat,

203 Haud absimilis fuit reliqua per celebres Italiæ urbes peregrinatio, quas lustrare idem divinæ gloriæ propagandæ & Christi nomen prædicandi amor impulit: tota videlicet inter hymnos, cantiones sacras, & precationes consumpta, & quod mirere, ab injuriis sævientis hiemis illæsa. Vidêre peregrinantes in terris & excepere, ut angelos de cælo ad se dimissos, Luca, Florentia, Pistorium, in quibus omnibus jacta semina sunt verbi divini, & collectæ fruges uberes conversionum ad Deum, & mirificarum à pravitate ad honestatem morum mutationum, quas inter memorandæ in paucis binæ, quas Pistorienses admirati sunt: siquidem id loci Petrus & Paulinus *e*, agnitâ ad novam siderum ibi parentium lucem seculi vanitate, nuntium illi remittere, & Columbino hærere statuerunt, cujus exemplo excitati institutum sequi precibus obtinuere.

e e *Morigia lib. 2 Hist. Jesuat. cap. 46, & Bonafede lib. 4 part. 1 cap. 4 præcipua hujus Paulini Pistorienſis gesta commemorant.* D

Pistorii duos discipulos admittit,

204 In qua quidem auguratione magnitudo animi enituit, humana cuncta floccifacientis, & in progressione fervor spiritus invaluit, supra vulgarem probitatem utrumque evehentis; sed Paulini potissimùm quidam generosæ indolis vigor commendandus, qui adolescentiæ florem, domestica commoda, ac delicias, & omnes mundi jam tum blandientes spes tam ardenter Creatori sacravit, quàm constanter deinceps delicata membra inediâ ac omnigena afflictatione vexavit, mentem suavi orationis pabulo diu noctuque pavit, & excrevit in eam sanctitatis altitudinem, ut in Jesuatorum viridario inter cedros, hoc est virtutum illustrium nomina, inferiùs referenda, numeretur.

B

& apostolica hujusmodi itinera libenter obit.

205 Eapropter Columbinus tanta cum voluptate itinera hæc peragebat, ut fateretur, se declarandæ imparem; nisi forte satis superque declarasse quis existimet, cum diceret beatitudinis partem haud modicam per eos dies sibi communicatam à Domino: gaudio videlicet erant recuperata mirabiliter pedum sanitas, virium robur auctum; sed ante omnia eximiæ animorum conversiones, & prodigiorum in divina protectione declaranda operatio, quorum illud insigne, in litteris ad moniales supra memoratum, stimulos ad amandum laudandumque Deum acerrimos addidit, non secus ac olim Israëlitis, quibus undarum fluenta cessere, ut sicco vestigio per maris fluviique alveos pertransirent.....

C

ANNOTATA.

a *Est urbs Etruriæ ad Arnum fluvium sita, de qua plura vide apud geographos passim obvios: nam opus non est, celebres hujusmodi civitates hîc fusius describere.*

b Arcidossum *apud Joannem Antonium Maginum in mappa geographica territorii Senensis collocatur non procul à Monte Latrone inter Montem Cellum, & S. Florum.*

c Cingulum *est oppidum Piceni, quod fluvio Musoni adjacet, de cujus oppidi antiquitate aliisque ornamentis Horatius Aviccenna Urbinas varia edidit. Sed cum locus, de quo hîc agitur, à Feo Belcaro cap. 34, Paulo Morigia lib. 1 cap. 40 & Josepho Bonafede lib. 2 cap. 8 Italicè vocetur* castello di Cigoli, *nonnulla ratio est dubitandi, an hîc illud Piceni seu Marchiæ Anconitanæ oppidum indicetur.*

d *Josephus Bonafede lib. 3 cap. 18 pag. 295 hanc epistolam integram Italicè exhibet.*

CAPUT XV.

Horrida Beati pœnitentia, expetita illius instructio à Corsignanensibus, pervicax Monticellanorum duritia, obtenta tamen paucorum conversio, & ibidem subita ulcerosi viri sanatio.

Columbinus recordatus avaritiæ suæ, qua olim incolas Assi offenderat, a b F

ILlud primo occurrit aspectu licet horridum, memoratu nihilominus, quam imitatione, dignius. Ibat forte Columbinus Francisco Vincentio, Vanno, & alio tertio comitibus Monticellum *a*, celebre Senensis agri municipium; & transeundum ipsis Asso *b* erat, ubi latifundia & prædia avita olim possederat, quæ sancti Abundii monasterio donata supra retulimus. Eò ut pedem intulit, subiit animum recordatio pristinæ avaritiæ & scandali, quo per iniquam frumenti nundinationem incolas offenderat.

se ibidem fune trahi ac virgis publicè cædi

207 Ac repentino adversus piaculum odio exardescens, tunicam, quâ solâ tegebatur, exuit, capistro collum induit, & alteri sociorum mandat, ut apprehenso fune trahat perque omnes viculos raptet; alteri, ut paratis ad id scopis haud perfunctoriè, sed serio fustuario artus omnes concîdat, raptatore interim proclamante: En vobis usurarium avarum, depeculatorem sceleratum, qui vos inopia & fame opprimere ludum ducebat! En qui carioſum tineis granum vobis mutuo commodabat, confertâ dein mensurâ messis tempore repetebat! Iste est, qui tritici sextarium floreno divendebat! O crudelem, ô immisericordem pauperum & egentium inimicum! Cedite, fustigate, immaniter percutite nefarium, impium, furcæ ac mortis reum!

jubet à discipulis, F

208 Et parere bonos discipulos oportuit per jura omnia obtestanti, & pro imperio severè jubenti. Erat etiam cruciatus acerbior, quod retrorsum, dum vapulabat, incederet, & respirandi facultatem præpediret defatigatio absque dubio præfocatura, si carnificinam ad ejus placitum producere perseverabant. Inhorruit ad tetrum funestumque spectaculum multitudo populi; nec erat, qui præ ingenti stupore labra divideret; multi, qui præ doloris teneritudine lacrymis ora rigarent. Solus Joannes, absolutâ tragœdiâ, in laudatione suorum verberatorum eloquens, gratias comploratibus egit, & mercedem à remuneratore Deo apprecatus est....

quorum obedientia laudatur; & dura Beati mortificatio apparitione Christi compensatur.

209 Nescias, quo propendeat victoriæ laus ac meritum; pro reone, qui ut vindicem severum sui ageret, judicem egit immitem; an pro imperii executoribus stare sit censenda, qui imperare sibi ipsis valuere, ut carnificis obirent partes, ne contumaces ac refractarii viderentur.... Utrisque profecto grande præmium victrix utrimque gratia paraverat; sed Columbino insuper arrha consolationis ineffabilis concessa: nam nocte insequente, dum precibus insistit, à Christo Domino

A mino ſub ſpectabili forma inviſitur, & dulci detinetur alloquio, tanta tamque intima animi voluptate, quanta mortalitas perfundi nequit & vivere, niſi eadem, quæ præcordia liquefacit, deficientem ſpiritum intra artus contineat.

Cum Corſignano præproperè tranſiſſet, c

210 Aſſo relicto, Corſignanum *c* advenere, & illico per plateas nomen Domini Jeſu laudibus tollere, & clamore ad eum laudandum frequentem populum advocare. Fuit illac tranſitus tamquam fulguris coruſcantis & cito dilabentis: nam poſtridie ſummo mane diſcedere properarunt, vel non advertentibus, vel nequidquam remorari conantibus municipibus, ſublatum ex oculis nimis cito conquerentibus eum, qui præſentiæ ac ſermonis heſterni ſapore ſpem ingentem fecerat utilitatis, ex longiori mora in publicum manaturæ.

ab incolis iſtius loci revocatur,

211 De communi itaque conſilio nuntios remiſere, qui celeritate uſi, aliquot jam millium paſſibus diſtantem aſſecuti obnixè rogarent, ad ſe reverti ne gravaretur; & verò etiam, ut Viro pio religionem injicerent & redire cogerent, monuere, præterita nocte quieſcenti nonnemini objectum fuiſſe flumen profundum ac præceps, in quo innatarent complures mox abſorbendi, ni manibus Columbini ac ſodalium erepti, in littus educerentur.

B

quorum deſiderio ſatisfacit;

212 Quo audito, ſatius habuit cedere precibus, & obſequi poſtulantibus, quam fidem viſi expendere ac tergiverſari. Atque ne indulgentiæ uſquam pœniteret, effecerunt alacritas oppidanorum in reduce complectendo, aviditas in audiendo, promptitudo in exſequendo, quæ facienda, quæque omittenda ſuadebantur; atque ita impletum oſtenti inventive portentum: plures quippe è cœno vitiorum, dextera Columbini opitulante, emerſere, & in gratiam offenſi Numinis rediere.

ſed apud Monticellanos concionibus ſuis non proficiens,

213 Verùm ut non ſereni cuncti ac hilares fluunt dies, ſed turbidi pleruntque ac nubibus involuti naturæ curſu devehuntur; ita neque proſpera ſemper & ad vota ubique ſecunda euangelico Viatori itinera ſucceſſere. Monticelli ſanè propinqui Corſignano oppido, neque humaniter acceptus, neque libenter patienterve auditus eſt Præco divinus. Gens nimirum illo ævo agreſtior, & à genio regionis Etruſcæ degener, illiberalem ſe adverſus Dei famulos oſtendit, qui vel aſpectu ſolo habituque, ſpirante pietatem, conciliare benevolentiam poterant, & quos venerari ac benignè fovere oportebat, vexare ludibriis, conviciiſque proſcindere auſa eſt.

C

divinam vindictam illis prædicit,

214 Cui vecordiæ ac improbitati hinc tolerantiæ opponebatur ſcutum, inde ſermo Dei efficax, ſaxeis etiam cordibus molliendis idoneus, niſi aures ſatan obturaſſet. Quod reliquum erat deſperato morbo remedium unicum orationis admovebatur, qua interdiu noctuque ſuppliciter Deum rogabat Columbinus, ne populo duræ cervicis miſericordiæ ſuæ fontes occluderet. Verùm ſicut non celaverat Dominus Servum ſuum, quæ parata erant flagella, ſi diutius in ſceleribus obſtinarent, ita nec ipſe diſſimulavit aut diſtulit notam facere divinam indignationem, & minis impendentis excidii terrefacere, ſi redire ad cor ac ad pœnitentiam procraſtinarent.

quæ etiam poſtmodum ſecuta eſt.

215 Sed nequidquam intentata comminatio; fruſtra inculcatus judicii æterni terror, ut impleretur ſermo Domini, quem dixerat per Famulum ſuum: etenim non diu pòſt inter Florentinos ac Senenſes exorto bello, hoſtili direptioni traditum Monticellum, funeſtis calamitatibus auctoratum, temeritatis pœnas immanes luit, neque prius martialem furorem experiri deſiit, quam direptum penitus ac deletum funditus fuit.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

Nihilominus Monticelli duos convertit;

216 Neque tamen omnino ſterilis labor fuit, vel infœcundæ conciones; ſed quemadmodum Philippis in Macedonia, prædicante Paulo, aperuit Dominus cor Lydiæ purpurariæ, ut ex mulierum cuneo ſola converteretur ad fidem, ita concionante Columbino, aperti ſunt duorum Monticellenſium oculi, ut intelligerent, quanti momenti ſit ſalutis negotium, quod ſecum ferat præmiorum vel ſuppliciorum æternitatem; quam vana & fluxa ſint terrena cuncta; quam brevis mortalium vitæ curſus. Nuntio igitur ſeculo & fallacibus ejus bonis remiſſo, cæleſtibus animum addixere, & Columbino ſe imbuendos melioribus conſiliis tradidere.

quorum primus fuit Dominicus, d e

217 Alter eorum, Dominicus à Monticello *d* appellatus, juris civilis apprime callens, præfecturæ Petrioli *e* à duodecim ſenatorum Senenſium magiſtratu ſuffectus, ut eo perfunctus eſt, de uxoris Antoniæ conſenſu ſpiritali militiæ initiatus eſt, & ſtipendia ſub crucis vexillo fecit, orationis, auſteritatis, lacrymarum, quibus ſui Magiſtri vitam moreſque exprimeret, qui Chriſti domini in ſe expreſſerat, & ſpecimen domeſticum virtutum erat, ac potens diſcipulis ad perfectionem ſtimulus. Hic ille eſt, qui myſticæ theologiæ librum (fortè à ſancto Dionyſio conſcriptum *f*) ex Latino in Italicum, annuente Columbino, traduxit, ut ad altiſſimorum myſteriorum, affectionumque ſublimium intelligentiam vernaculâ linguâ viam aperiret rudioribus, quibus ignota Latinitas eſt: nam arcana illa, vernaculo donata idiomate, ſenſus ingerere valent pietatis, & notitiam, pro eorum captu, divinitatis.

E

f

alter Franciſcus, qui poſterior g

218 Alterum Franciſcum *g* nominavere, cujus converſionis incunabula divini amoris vis efficaciſſima fecit memoranda, nec non conſequens vitæ curſus, metaque præclaris intexta geſtis, argumenta fuere ſcriptoribus, mira de ipſo prædicandi: primas adeo ſcintillas Monticelli ſermo Joannis excuſſerat, quas in rogum excreviſſe idem ipſe in Monte Alcino *h* paulo poſt expertus fuit: illuc enim Columbinum videndi deſiderio profectus, ad domum flagellantium, uti vocabant, divertit, ut ibi commorantis conſuetudine frueretur.

h

F

deinde in Monte Alcino

219 Mos illis erat ſtatis noctibus in templo, hoſpitio attiguo, ſuos agere conventus, & partem precibus, partem flagellandis artubus tribuere. Placuit Franciſco illis intereſſe, & flagris ſe cum aliis cædere. Quot ictus inflicti corpori, totidem faces cor petere viſæ, quæ neque quieſcendi, neque ſilendi locum per eam noctem dedere, lætante vehementer ac mirante Joanne. Rigabat lacrymis ſtratum ingemiſcens, quod ſerò nimis Chriſtum ac ſeipſum noviſſet; quod omnia quæcumque hactenus egiſſet vanitas ac mendacium eſſent.

inſignia fervoris documenta dedit.

220 Sequentem verò noctem non modo inſomnem in oratione & canticis ſpiritualibus exegit; ſed tanto lætitiæ æſtu exſiliebat, ut à tripudio & ſaltatione non temperaret, & affinis deliranti videretur: cumque nihil remitteret poſteræ lucis adventu Veſuvius iſte viſcera depaſtus, feſtinanter Monticellum repetit, & prævalido clamore Jeſu nomen ingeminans per vicos diſcurrit, & quomodo ſi veſanus quiſquiam inverecundè baccharetur, ſanam inſaniebat inſaniam, & per amorem furebat. . . . .

Monticelli etiam ægrum,

221 Ex paucis, quæ Monticelli, ubi verſamur, contigere, gratia ſanitatis ægro conceſſa,

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

fidem etiam genti incredulæ apertam fecit. Hunc innominatum reliquere, quibus rei geſtæ narratio curæ fuit, non appellatio nominis. Jacebat ille gravi affectus ulcerum dolore, quem tametſi æquo ferret animo, non eatenus tamen, ut diſſimulare cruciatum valeret. Inviſit ad ipſum Columbinus, & dulci ſolabatur alloquio, ac ad patientiam petitis ex ſacris Libris ſententiis exemplisque hortabatur.

cujus ulcera linxerat, ſtatim dolore liberat,

222 Inter quæ reductis linteo ac induſio, corroſos plagis & ſanie madentes artus intuetur, & intima miſeratione perculſus, horrori ac nauſeæ præpotenti caritate, oſculari non dubitat & linguam per vulnera lingendo deducere, quæ ne manus quidem aliena tractare abſque ſtomacho ſuſtinebat. Tum bono jubet eſſe animo ac diſcedit; cumque ipſo abiere dolores, ac eorum vice quies ægroto reddita. Conſpiravere ſui odium & proximi amor ad victoriam Columbino dignam referendam: ſed gratia inſtruendo intenta triumpho utriſque vires & arma miniſtravit.

qui tamen non diu pòſt piè moritur.

B

223 Sub eos dies cum pullum gallinaceum, de menſa ſui hoſpitatoris allatum, ſoſpiti illi dono miſiſſet Joannes, renuntiare juſſit, totum illum cruciatûs ardorem deferbuiſſe; quamquam divinæ voluntatis fuit miraculum in ceſſatione pœnæ patefacere, ægrum vinculis mortalitatis ereptum ad ſe non multo poſt tempore vocare, & ejus patientiæ meritum ſignis, ut fama erat, oſtendere.

ANNOTATA.

a Monticellum *à Belcaro & Morigia vocatur Italice* Montichiello. *Suſpicor, idem eſſe oppidulum, quod apud Joannem Antonium Maginum in mappa geographica territorii Senenſis notatur hoc modo:* M. Chieli. *Hic autem locus non multum diſtat ab amne aut palude Clane & ibidem collocatur inter Cluſium & Corſinianum, de quo poſteriore oppido mox agemus.*

b Aſſum *à memoratis biographis Italis diſtinguitur cognomine* S. Joannis. *Iſte autem locus in jam laudata mappa geographica occurrit in itinere, quod Senis Monticellum inſtituitur, & proximè adjacet Petriolo, cujus ſitum ſtatim etiam aſſignabimus.*

C

c Corſignanum *vel* Corſinianum *eſt oppidum Tuſciæ in eodem territorio Senenſi, quod poſtea propter natales Pii II Pontificis* Pientia, *& vulgò Italicè* Pienza *appellatum eſt. Leander Albertus in Latina Italiæ deſcriptione pag. 89 ſic ſcribit:* Pientia civitas, à Pio II Pontifice maximo ſic dicta, civitaſque effecta propter memoriam ortus ſui: nam hîc patre Sylvio, qui per ſeditionem cum magna nobilitatis parte Senâ pulſus erat, in prædiis ſuis exſilium tolerante, naſci eum contigerat. Loco antea nomen fuit Corſinianum, cujus auctorem Corſilianum, Corſi filium, Volaterranus prodit.

d *Haud dubiè Dominicus iſte à patria ſua Monticellana ſic cognominatur. Ceterùm de geſtis illius alio loco nihil inveni. Exſtat tamen apud Joſephum Bonaſede lib. 3 cap. 24 Italica B. Joannis epiſtola, ad ipſum data, ex qua tum Magiſtri humilitas, tum diſcipuli virtus facilè colligitur.*

e *Quamvis in mappa geographica territorii Senenſis ſemel notetur* Petriuolo *medio fere itinere inter Senas & mare Etruſcum verſus meridiem, & aliud* M. Petriolo *trans Clanem paludem inter Cluſium & Peruſium, nihilominus propter majorem viciniam ſuſpicor, hîc indicari locum illum, qui in mappis geographicis vernaculè vocatur* Petroio, *& non procul abeſt à Monte Politiano ac Corſiniano, atque inter Aſſum & Monticellum notatur.* D

f *Neſcio, cur Roſſus hoc opuſculum S. Dionyſio attribuat, cum Feus Belcarus in Vita B. Joannis Columbini cap. 12 de iſto Dominico Monticellano ſic deſertè ſcribat:* Volgarizò à conſolatione di Giouanni, & de li compagni el libretto della miſtica theologia, el qual fu compoſto da un ſanto huomo dell' Ordine di Certoſini. *Id eſt:* Edidit Italicè ad conſolationem Joannis & ſociorum libellum myſticæ Theologiæ, qui fuit compoſitus à ſancto quodam viro ex Ordine Cartuſianorum. *Forte Belcarus his verbis ſignificare voluit, librum myſticæ theologiæ, qui S. Dionyſio Areopagitæ tribuitur, à quodam Cartuſiano ex Græco Latinè redditum, & deinde à Dominico Monticellano Italicè vulgatum fuiſſe. Hinc rectè Roſſus dubitationis notam addidit, dixitque, illum* myſticæ theologiæ librum FORTE à ſancto Dionyſio conſcriptum *eſſe: nam de genuino hujus libri auctore hactenus critici certant, ut apud Nicolaum le Nourry in Apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum tom. 1 à col. 169 videri poteſt.* E

g *Belcarus in Vitis illuſtrium Jeſuatorum cap. 3, Morigia lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 3, Roſſus in Triumpho part. 5 cap. 10 de inſignibus hujus Franciſci Monticellani virtutibus meminerunt.*

h Mons Alcinus, *qui ab aliis etiam* Mons Alcinòi, *& vernaculè* Montalcino *vel* Monte Alcino *appellatur, ſitus eſt in valle amnis Orciæ non procul à Monte Oliveti, & ab æde S. Quirici, ut Leander Albertus in Latina Italiæ deſcriptione pag. 85 notavit. Varii geographi aſſerunt, eumdem locum appellari* Montem Ilcinum. *Sed ex hoc duplici ejuſdem loci nomine occurrit mihi dubitatio, an forte non ſit facta diverſorum locorum confuſio: nam in mappa geographica Joannis Antonii Magini in territorio Senenſi collocatur* M. Alcino *ad locum jam indicatum. Deinde ibidem longè à Monte Alcino verſus Volaterras invenio collocatam* M. Ilcino. *An ea inter ſe differant, incolis indagandum relinquo.*

CAPUT XVI.

F

Uberes concionum fructus in Monte Alcino collecti, morbus omnium ſodalium B. Joannis Columbini, & repentina unius per ipſius preces ſanatio.

Columbinus in Monte Alcino exhortationibus ſuis ita profecit, a

SI in arido fructum trigeſimum dedit boni Seminatoris jacta ſementis, ſexageſimus ac centeſimus in viridi cur non ſperetur? E petroſa Monticelli venit Columbinus in Montis Alcini *a* terram bonam ac fœcundam, ibique poſt adoratum in templo Numen, & opem ejus imploratam cœpit illicò, neglectâ hoſpitii curâ, pro concione palam contra ſcelera declamare, & peccatores ad pœnitentiam conſueto ardore incitare, privatimque monitis ſalutaribus populum imbuere. Et tenuit contentio hæc piumque ſtudium dies quindenos, quibus feliciores numquam antehac nobili civi-

civitati abiere.

ut non tantùm multos ad peccatorum deteſtationem,

225 Plures flagitiorum ſuorum pudore ſuffuſi, illa deteſtari, pœnas à ſeipſis repetere, impendentem Dei iram frangere, bonis operibus malefacta compenſare. Difficile eſt ire per ſingulos, qui exiguo illo temporis ſpatio alii eſſe cœpere, quam antea fuerant: univerſim de omnibus conſtans erat opinio, mores mutaſſe malos & veterem laxitatem ad legis divinæ præſcripta cohibuiſſe. Duxit agmen Faccius, Beti *b* dictus, cui parum viſum fuerat præcepta divina ſervare, niſi etiam arctiorem conſiliorum euangelicorum viam ingrederetur, quam Columbinus terebat, & teri ab aliis poſſe, experimentum ſodalium demonſtrabat. Horum igitur adſcribi numero ubi precibus impetravit, dignum ſe eorum conſortio, morum mutatione & ſtudio virtutum præſtitit, & earum exercitatione angelicam æmulari puritatem conatus eſt.

b

& mundi contemptum, induxerit,

226 Auguſtinus etiam & Binda conjuges, potentiori conjugalis familiaritatis illicio attracti, domeſticos penates velut habitaculum religioſum ſibi fecere, in quo propenſiſſimè Numen colerent, orationi vacarent, pœnitentiæ ac miſericordiæ inceſſanter operarentur. Ita ultra popularem probitatis metam progreſſi, habitu ſeculari retento, totum abjecere ſeculum. Languidis conjugii voluptatibus ſucceſſere ſpiritales ſolidæ liquidæque, tanto cum amore erga Chriſtum conjunctæ, ut vel ad ſolam ejus appellationem uterque inardeſceret, & à ſuſpiriis non temperaret; imo nec exclamationibus, ad quas fervor ſpiritûs impellebat, eſſet cohibendis, ut dicere cum ſacro Vate poſſet: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

B

ſed etiam plures ad ardentem proximi

227 His decet adnumerare Barnabam (ſive cognomento Barnam vulgariter dictum) qui Chriſti amore ex divite pauper factus, ut alios etiam ad eum amandum traheret, pia uſus arte, varia cantionum modulatione aures deliniebat, ac per ea deinceps ſalubriori monitorum melodia in pectora quà deſidis turbæ, quà faſtidioſæ nobilitatis influebat.

ac Dei amorem evexerit.

228 Adde Jacopam, antiquis ſanctis mulieribus æquandam, & tanti à Columbino æſtimatam, ut omnibus ea tempeſtate ſibi notis præferret, ſi à virtutibus, præſertim humilitatis ac ſui abnegationis comparatio inſtituatur. Hujus cor fornacem dixiſſes, flammis caritatis perpetuò ardentem, oculos velut binos fontes lacrymarum rivis ſcatentes, verba & actiones ut feminæ à ſenſibus alienatæ & ad altiſſimam contemplationem evectæ: ſiquidem errore exitiali aliquando in iguem ardentem impingere, aliàs in aquarum fluenta prolabi, neque à profundis fovearum & rupium abruptis tutam eſſe, aut à continuis immunem offenſationibus, quod mente in cælum ferme ſemper abſtracta, nullâ corporis curâ tangeretur, neque damna præcavere ullatenus valeret, ſui prorſus oblita & vivens mortua.

C

Omnibus B. Joannis ſociis ægrotantibus

229 Verùm dum animis excolendis externorum dant operam Columbinus ac ſocii, & laboribus non parcunt, ſuccumbere tandem illis coguntur, non unus dumtaxat aut alter, ſed ad viginti id eſt omnes febri corripiuntur, Joanne excepto, cui ſervata cælitus eſt valetudo ad ceterorum ſubſidium ac ſolatium: præſto quippe fuit omnibus tanta cum ſedulitate ac amore, quantam ſibi polliceri ab optimo parente filii haud degeneres poterant, exigere ne à ſervitiis quidem impigris auſi fuiſſent.

230 Prodidit ſe civium caritas in præſenti neceſſitate ac inopia ſublevanda, & largis eleemoſynis erogandis, quibus abunde decumbentibus, & in ipſa etiam ægritudine paupertatem amantibus proviſum eſt. Franciſcus inſuper, de quo paulo ante memoravi, ut Monticelli de ſodalium infortunio fama vulgavit, nihil cunctatus, ipſos inviſere & commeatum ſecum deferre. Comitari ipſum uxori placuit, cui adjunctæ tres aliæ devotæ anus promptum attulere ad ſubveniendum infirmis animum, eumque muneribus prò facultate quæque ſua teſtatæ ſunt.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

munifica quorumdam caritas tam benignè ſuccurrit,

& novi ſodalis admiſſi obſequium

231 Adoleſcens præterea Monticellenſis videndi agendique cum Columbino cupidus, à Franciſco impetravit, ut unà ſecum ad Montem Alcinum comitem duceret; & ducebatur à ſpiritu non curioſitatis ſed pietatis, qui facilè contuendi deſiderium in propoſitum mutavit imitandi: ùt enim conveniſſe licuit, & audire verba vitæ æternæ proferentem, non abiit triſtis, ſicut ille quondam, qui doctrinæ Chriſti ad perfectionem invitantis divitias antehabuit; ſed lætus quidquid habebat abjecit, ut levis ac expeditus idem cum ſuo Magiſtro ſtadium emetiretur: namque pecuniæ ſaculum, Monticello ſecum allatum, veſteſque elegantes tribus illis feminis extradidit ea conditione, ut in pauperes diſtribuerent, & vili tunica ipſe contentus nihil deinceps præter crucem & fructus illius in tota vita quæſivit.

E

tam opportunum accidit, ut convaluerint,

232 Et fuere recentis ſodalis ſuppetiæ ſanè quam opportunæ Joanni, qui ſolus ægrè ſolvendis officiis infirmorum multitudini par erat, & accedente juvenis robuſti ac ferventis ope, plus valuit duorum opera fratrum, quam decem famulorum ſervitia, atque ita ſatisfactum ſingulis eſt, ut omnes convaluerint. Et licet commune fuerit gratiæ divinæ beneficium cunctis impenſa valetudo, ſingularis tamen in nonnemine videri voluit, qui miraculo ſanatus eſt.

Inter quos unus repentè precibus B. Joannis ſanatus eſt,

233 Joannes, cognomine Ambroſii, nobilis Senenſis, proximè morti aberat, & conclamatum jam de ipſius ſalute fuerat, ni pro ea contentis precibus interceſſorem indepta eſſet Columbinum, cui Dominus domitorque mortis benignus indulſit, & pro incolumitate mox morituri deprecantem exaudivit. Huic in lecto languenti aliquando dixit: Rogo te, mi Joannes, utrum ex iis duobus præſtabilius judicas, Deone & mihi, procul hominum conſortio ac turbis ſolitarius, ut vivam; an verò ut pergam Chriſti nomen mortalium animis inclamare, & eorum ſalutis procurationem privatæ quieti & jugi contemplationi anteponere?

F

cui pius Magiſter zelum animarum perſuadet,

234 Cui promptè Joannes: Abſit à te, pater, ſolitudinis cupido & otioſæ orationis deſiderium: longè præſtantius eſt, ubique gentium Domini Jeſu excelſum nomen altis vocibus extollere, quam in angulo domàtis aut eremi ſpelæo quopiam delitescere, & genus humanum tuo egens auxilio defraudare. Mihi ſanè morbo ipſo longè gravior eſt jacendi neceſſitas, & impotentia publicè parendi clamandique: VIVAT, VIVAT JESUS CHRISTUS. Quo reſponſo omnis illa dubitationis nubecula diſpulſa eſt, & ſtetit propoſitum in vocatione, ad quam vocatus erat, permanendi.

à quo ibidem alius diſcipulus poſt durum tirocinii rudimentum cœnui adſcribitur.

235 Poſtremus actor in Montis Alcini ſcena comparuit juvenis quidam, cui credita cuſtodia domunculæ arci adjunctæ ad obſervandos ingredi volentium aditus, ne liberè cunctis paterent. Hic precibus à Columbino contendere, ut inter ſuos cooptaret, tamdiu inſtitit, quoad eſt admiſſus; ſed experimento præmiſſo ad fervoris conſtantiam explorandam, juſſus eſt veſtimenta præter induſium deponere, collum lorcâ corrigiâ induere, trahi

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

trahi per urbem tamquam ſceleſtus, conviciis appeti, injuriis lacerari; quæ non æquo ſolùm ſed hilari animo candidatus cum tuliſſet, inter ſuaves amplexus ſociorum humeros ſuppoſuit cruci, voluntatem Columbini ductui atque regimini formandam commiſit.

ANNOTATA.

a *Situm hujus oppidi in Annotatis ad caput precedens littera* h *ſatis ſuſè aſſignavimus, & de duplici hujus loci nomine ſcrupulum noſtrum propoſuimus.*

b *Belcarus cap.* 13 *& Morigia lib.* 1 *cap.* 15 *hunc Italicè cognominant* di Betto. *Porro de iſtius diſcipuli geſtis plura non invenio, quod etiam de aliis hoc capite memorandis fateri cogor.*

CAPUT XVII.

Columbini abſentis apparitio alteri facta, cognitio rerum longè diſtantium, diſceſſus ex Monte Alcino, miracula in itinere patrata, adventus Aſcianum, & copioſa ſeminati ibidem verbi divini meſſis.

B PRophetici luminis virtus, quæ nullis temporum anguſtiis arctata, futura ceu præſentia conſpicit, locorum etiam tranſgreſſa limites, diſtantia ex propinquo intuetur. Columbino adfuit tum aliàs ſæpe, tum quando Franciſco Vincentio Senis commoranti abſens ipſe renuntiari curavit, quod Spiritu revelante didicerat. Ille nimirum haud contentus ſolitis aſperitatibus, ad corpus vexandum aſſidue aliquid addebat, quo contemptus augeretur hinc commodi, inde honoris & propriæ exiſtimationis; ideoque intonſos crines & impexos, barbam incultam ac ſilveſcentem, ungues prolixè deformes oſtentare, ut ſi agreſtis aut monticola quiſpiam è ſpelæis in lucem prodiret, urbium ſibilis, & cachinnis multitudinis excipiendus.

Socium prolixâ barbâ, impexis crinibus, & longis unguibus horridum

C 237 In qua teterrimi aſpectus deformitate nihil præter formoſam rectamque mentem probabat Columbinus, qui propterea in Monte Alcino degens viſendum ſe Franciſco dedit per noctem Senis quieſcenti, & reliqua vitæ aſperitate laudata, capillitii unguiumque longitudinis coarguit, ac protinus videri & audiri deſiit. Quod oſtentum tantam attulit animo voluptatem, ut ſomnum etiam abruperit, quem revocare haud curavit; ſed noctem reliquam inter divinas laudes exegit, & die illuceſcente, non eſt cunctatus cæſariem & ungues reſecare, & ſeſe humanæ formæ reſtituere.

Columbinus longè diſtans in ſomnis de ea deformitate tollenda monet,

238 Et quamquam mortalium nulli viſum aperuerit, aut cauſam reſectionis indicaverit, Columbinus tamen divinitus edoctus, ſcripto eadem die Senas epiſtolio ad amicum, ſalutem ex ſe dici Franciſco rogavit, ſimulque nuntiari, probabilem fuiſſe & Deo acceptam ſuam obedientiam. Ad quod nuntium facilè intellexit, unius & ejuſdem Spiritus ope favoreque factum, ut qui heſterna nocte monitorem egerat, poſtera luce ageret laudatorem, ut in utroque munere majorem

eumque monitioni ſuæ obſecutum eſſe abſens cognoſcit ac indicat.

homine oſtenderet Columbinum. D

239 Ut convaluere in Monte Alcino ab infirmitatibus ægroti ſodales, clam civibus ſe Columbinus cum illis ſubduxit, ne precum violentiâ diutius retineretur, & Aſcianum *a* verſus iter arripuit, non modò, quia homini probrorum avido grave nimis erat honoris ac effuſæ benevolentiæ pondus, quo in Monte Alcino à ſui admiratoribus premebatur, ſed quia exaltationis nominis Jeſu deſiderio mirificè flagranti diſpendium videbatur maximum mora longior, ubi jam ſatis ad ejus cultum amoremque incolarum animos impulerat; & ideo feſtinavit egredi, ut arentia finitimæ gentis arva ſalutari Euangelii imbre rigaret.

Ex Monte Alcino diſcedens Aſcianum, a

240 Jejuni ergo & nullo inſtructi viatico viæ ſe dant, qua inter pſallendum ac orandum magna ex parte confectâ, oppido propinquantes fatigati ac famelici ad obviam ruſtici caſam deflectunt, rogantque per Chriſti amorem, extremè cibo egentibus ſubvenire ne gravetur. Quibus villicus, antiquæ vir probitatis: Anguſta quidem mihi penus eſt ac paupertina domus, ſed quantulacumque ſiet, veſtra eſt.

& in itinere eſuriens

241 Tum Columbinus, O bone, inquit, ſi braſſicam nobis apparas, menſam adipalem apparaſſe putato. Cui hoſpes: Si centum aurei pro illa penderentur, non reperiretur tamen: nam Anechini cohors, quive milites alii, quâ fame quâ furore perciti, non herbas modo eſcales, ſed arbores etiam ipſas radicitus evulſere & circumjectos campos pariter abraſere. Inſtanti nihilominus rogare, ut ad hortum iret nacturus fortè, quod non ſperabat, morem gerit, ceteroquin certus, in tota illa vicinitate ne veſtigium quidem caulium remanſiſſe. Vix pedem in hortum immittit, & fructificantes in eo braſſicas conſpicatur, ac agnito prodigio ſtupens & gaudens promptè decerpit, repurgatas decoquit, conditaſque convivis apponit.

prodigioſo modo braſſicas E

242 Aſt nondum contentus Joannes, optare ſe inſuper pauculos porros ſignificat. Reponit ille, idem porris ac braſſicis infortunium accidiſſe; quæſiturum ſe tamen, ſi jubeat, minimè ancipitem, in illis inveniendis fortunatum juxta ac in iſtis fore; nec falſum eſſe eventus docuit: in hortum quippe rediens, recentes porros reperit; collectum faſciculum perpurgat, abluit, convivis offert, & ad fruendum cæleſtibus muneribus lætus hortatur. . . . .

ac porros ſibi ſociiſque impetrat.

F

243 Recreatis ergo mirifico cibo viribus, intravere Aſcianum peregrini, jam famâ noti, ac ſpiritu ferventes intonuere per plateas & compita nomen Domini, ſolemnique claſſico VIVAT JESUS CHRISTUS perſonante aëre, excitus ad conciones populus audiebat avidè de contemptu humanarum rerum, de pœnitentia, de regno cælorum verba facientes, & ſalubriter erudiebatur ad ſalutem.

Aſciani uberem prædicationis fructum colligit,

244 Teſtis uberrimæ meſſis, in amplo municipio collectæ, ſuperſtes manſit ipſius Columbini epiſtola, paucis quidem, ſed ponderoſiſſimis, verbis ad moniales S. Abundii inde perſcripta: „ Ille, inquit, „ qui precum veſtrarum ope ad„verſus me benevolum ſe oſtendit, tanto ardo„re Aſcianum ſuccendit, ut beatum ſe reputet, „ qui exclamare valet VIVAT CHRISTUS CRU„CIFIXUS, tantaque in eo mutatio, tanta cari„tas inſecuta eſt, ut admirationi ſit illam con„templantibus „.

(id ipſemet Beatus in epiſtola quadam indicat,

245 Et mox: „ Hîc omnes ad inſaniam uſque „ flagrant amore Chriſti, ut audire jam non de„lectentur aliud præter Chriſti nomen, & du-

& alii teſtes oculati confirmarunt)

plo

A „ plò magis eorum fides & caritas ſunt adauctæ „ &c *b*. Quæ ita ſe habere experimento compertum eſt à religioſis aliquot viris ex Franciſcana familia, qui cum aliis ſecularibus eò profecti vix oculis ſuis credebant, videntes gratiam divini Spiritus adeo affluenter in cordibus fidelium illorum diffuſam, ut priſcis naſcentis Eccleſiæ ſeculis non ex vano æquandam faterentur.

Ibidemque inſignem diſcipulum in ſuam congregationem admittit.

246 Unius imprimis memoria famaque ſanctitatis manavit ad poſteros : Hieronymus viro nomen, doctrinæ commendatione clarus, quam tamen vitæ Columbini ſimplicitati ſubmittere amavit : hujus namque ſe diſciplinæ committens vela perfectioni euangelicæ aſſequendæ pandit, ac per ſalſas paupertatis & pœnitentiæ undas navigationem tenens, pretioſas virtutum, contemplationis præſertim, merces in portum invexit, dignuſque habitus, cui poſt Columbini obitum clavus Ordinis totius crederetur *c*, quod innuiſſe ſit ſatis hoc loco, plura inferius de illo dicere paranti *d*.

ANNOTATA.

B

a Aſcianum *in territorio Senenſi jacet inter fluvios Arbiam & Umbronem juxta Montem S. Mariæ, ut in jam ſæpe dicta mappa geographica notatur. Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ pag. 89 ejus ſitum & vicina loca ſic paucis aſſignat :* Trans Arbiam ad Septemtrionem Mons apertus; dein itinere in Orientem, Umbrone tranſito, ejus in dextra Aſcianum, altiuſque Rapolanum, & ad Septemtrionem Mons Sanſovinus *&c.*

b *Integra epiſtola, ex qua hæc fragmenta recitantur, apud Joſephum Bonaſede lib. 3 cap. 17 à pag. 283 Italicè legitur.*

c *Iſte poſt mortem* B. Joannis Columbini *fuit primus Ordinis Jeſuatici Generalis, ut Belcarus in Vitis Jeſuatorum cap. 2, & Morigia lib. 2 cap. 2 affirmant, ubi etiam præcipua illius Acta referunt.*

d *Roſſus part. 5 Triumphi cap. 3 § 1 & ſequentibus de ipſo fuſius egit, ut hìc promiſit.*

CAPUT XVIII.

Reditus B. Columbini ad urbem Senenſem, priſtinus diſciplinæ ac paupertatis rigor apud moniales S. Abundii ab ipſo reſtitutus, conſobrina exhortatione ejus & miraculo ad ſeveram vivendi methodum adducta.

C

Beatus in patriam reverſus,

ORitur ſol & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ait Salomon. Et fulgidus ſol noſter Senis ortus ſemel mundo & iterum cælo, occidere viſus, cum in exilium pulſus, gyros ſuos abſolvit, cum varias Etruriæ oras peragrans, ſanctitatis & prædicationis luce colluſtravit ; ac tandem ad patriam ſuam portans manipulos ſuos cum exultatione revertitur ; quanto cum illius bono, etiam in præſens tempus monumenta poſteritati dicata teſtificantur, inter quæ poſtremum dignitate non eſt, quod proximè reditum conſecutum fuit : reſtitutus paupertatis decor ſancti Abundii cœnobio, & invecta, quæ illam comitantur, ornamenta virtutum.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI. *moniales S. Abundii ;*

248 Non erat quidem prolapſa diſciplina ejus; neque honeſtas à ſacris exulabat ſeptis ; aut famam probitatis apud externos licentia ulla obſcuraverat ; ſed, quæ eſt temporum calamitas & humanitatis noſtræ imbecillitas, paulatim ab inſtituti Benedictini, quod profitetur, rigore deflectens ad privata ſanctimonialium in victu veſtituque commoda, pecuniæ cuilibet ſuæ poſſeſſionem uſumque indulſerat. Ægrè habebat Columbinum iſtæc relaxatio, optimè gnarum ; quam tuta quamque expedita ſit ad perfectionem religioſam & ad cælum paupertatis via ; & cogitare ſeriò apud ſemetipſum inſtitit, ſi quo modo poſſet virginibus Deo ſibique caris deſiderium illius injicere, & ad abdicandam rerum ſuarum proprietatem inducere.

collato cum abbatiſſa conſilio, a

249 Præerat id temporis monaſterio D. Paula *a* inſigni ſupra vulgares feminas prudentia, & ingenio ad interiorem diſciplinam capeſſendam peridoneo. Quæ cauſa fuit, ut ipſi ſua ſenſa confidenter Columbinus aperire non dubitaret, & paupertatis, quam Chriſtus in terris ſacrarat, excellentiâ ſæpiuſculè inculcatâ, facilè in ſuam ſententiam pertraxit, ſuaſitque ſequeſtram cum monialibus agere, ubi rem ipſe prima fronte aſperam & ſuis obſeptam difficultatibus, tamquam ſuavem facilemque repræſentaſſet, ſi forte, quod ſperabat, abſque tumultu & mala cujuſpiam gratia revocari poſtliminio ſancta paupertas intra ſacratas ædes quoquo modo poſſet.

E

ad perfectam paupertatem hortatur,

250 Acceptâ à proba præſide conditione, arduum Columbinus opus aggreditur, & quà privatim cum ſingulis, quà publicè coram omnibus, cœpit de religioſæ paupertatis ſplendore meritoque diſputare, & petitis à Scriptura ſacra auctoritatibus, ac Sanctorum, præſertim Benedictinorum ; exemplis neceſſitatem ejus extollere fructuſque proponere, adeò attemperata piarum genio oratione, ut non modo dictis aſſentirentur ; ſed & detrectare conſilia piaculum arbitrarentur

eſque exactiorem iſtius virtutis obſervantiam perſuadet ;

251 Inclinatis ergo in optimam partem virginum voluntatibus, eò tandem adducta res eſt, ut cuncta, quæ ſingulæ apud ſe ſervabant, in communem cumulum conferrentur, & arbitrio diſpoſitionique antiſtitæ relinquerentur, quæ providè amanterque in poſterum neceſſitatibus omnium ſubveniret, & quietem reliquis tranquillitatemque curis vacuam ſua ſolicitudine pareret, quo ſuæ perfectioni & divino obſequio vacarent impenſiùs.

F

quo facto, dæmones ſuggere auditi ſunt,

252 Ad ſpecioſæ communitatis optatiſſimam formam domo tota compoſita, horruere erebi monſtra, & fragore ingenti edito, auditi ſunt ſtygii inquilini, veluti de ſede depulſi, præcipites abire, non ſecus ac debellati exercitûs reliquiæ à victoris conſpectu gladioque tumultuariâ fugâ ſe eripiunt. Ita referre ſolitus erat Ambroſius de ſodalibus unus, qui in proxima cœnobio domo pernoctans, ſtrepitum ſtridoremque fugitantium larvarum vigil inaudierat, & eapropter intimis lætitiis incedebat Columbinus, ex conjectura haud levi interpretatus, improbos habitatores cæleſtium cuſtodum vi atque imperio inde abactos, & jucundum deinceps habitaculum virginibus ac ipſorum regi Jeſu Chriſto fore, in quod gratiſſima paupertas virtutum chorum invexiſſet.

& quinque nobiles puellæ ſe conſecraverunt eidem monaſterio,

253 Sparſus illicò per urbem ſuaviſſimus præclari facinoris odor animos multorum ad loci venerationem permovit, & ſuadente Columbino, facilè adducebantur nobiles Senenſes, ut filias ſuas, quibus injecta cælitus mens pudicitiæ intra re-

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

religiosa clausura Domino consecrandæ, [offerrent &] nulli ceterorum sancti Abundii parthenonem posthaberent Quo in genere plenum jucunditate piumque spectaculum urbi exhibitum prima sacratioris hebdomadæ die, qua præcipuæ nobilitatis puellæ quinæ, frontes olearum frondibus redimitæ, ramos palmarum gestantes manibus, matribus matronisque aliis comitantibus, præeunte Columbino, eò deductæ fuere, & crinibus præsciss, inter musicos concentus Benedictino indutæ habitu, divino se mancipatui devovêre.

quod B. Joannes tenerrimo affectu diligebat,

254 Tanti faciebat loci istius sanctitatem morumque disciplinam Columbinus, ut nullum ex iis, quæ alit Italia virginum cœnobia, ipsi præferendum, & si verbo absit invidia, cunctis anteferendum putaret; ideoque haud infrequenter visitabat, non urbanitatis modò, sed & caritatis causâ, ut currentibus stimulos adderet, ac solatium afferret: & erat id officii genus cunctis gratissimum, sed D. Paulæ imprimis, quæ in familiæ administratione plus viri Dei consilio ac monitis, quam propriæ prudentiæ inniti veram prudentiam existimabat; quamquam ex diuturna cum
B ipsa familiaritate eam imbiberat de feminæ probitate judiciique præstantia opinionem, ut dignam duceret, cui magnam arcanorum partem crederet, ejusque sententiam in multis exploraret, in cujus corde præter Christi amorem (ut loquitur Hieronymus) qui est sapientia, castitas, patientia, justitia, ceteræque virtutes, nullus alius versaretur amor,

& cujus abbatissam magnopere æstimabat,

255 Atque ut olim Benedictum atque Scholasticam sol oriens inter divina colloquia reperit, quos occidens iisdem intentos reliquerat somni immemores & ad divina vigiles; ita Columbinus & Paula de Jesu Christi immensa in genus humanum caritate, de vitæ ac passionis ejus mysteriis colloquentes, integras aliquando noctes insomnes traduxere; & audivere discipuli ejus non semel ingenuè fatentem, avidissimè se ad ejus loci, tamquam paradisi cujuspiam, amœna inhiare, in quo sciret angelos, & eorum Imperatorem libenter diversari.

ut ipsemet verbis ac factis abunde indicavit.

256 Neque dissimulabat, præ affectûs suavitudine totum illud spatium, quo porta civitatis à monasterio sejungitur, inter suspiria & lacrymas solitum se conficere; exstantque amoris hujus ac æstimationis luculenta testimonia, filiolæ suæ oblatio, tertiæ bonorum partis largitio, sepulcri designatio, iisque similia, super quibus dixisse pauca libuit, plura superaddere deinceps oportebit. Sed instar omnium thesaurus epistolarum *b*, ad D. Paulam & sanctimoniales datarum, vivus ac perspicuus interpres est prævalidi amicitiæ vinculi, quo mutuò Dei amici in Christo adstringebantur. . . . .

Consobrinam suam,

257 Optanti Columbino sub paupertatis altissimæ vexillo femineas etiam cohortes cogere, venit in mentem cogitare de consobrina, quam vigor ætatis, vitæ innocentia, ac supra sexum judicii maturitas commendabant, & veluti primum lapidem jaciendo ædificio idoneam repræsentabant. Nomen illi Catharina, Thomæ patruelis filia, atque ut ex factorum serie conjectare licet, quod non prodidere scriptores, parente utroque orbata.

ab auctiori vitæ genere abhorrentem

258 A nuptiis illa quidem aversum gerebat animum; non tamen ad religiosum statum ullatenus propensum. Statuerat intra paternos lares virginem castam servare Christo, & procul à fluctibus exercitationum, quibus virginea cœnobia di-
D stinentur, privatim tempus suæ peregrinationis exigere, tam ab imperio alieno liberum, quàm orationi ac bonis operibus sponte addicendum: à quo vitæ proposito sæpe conabatur Columbinus ad meliora paupertatis consilia abducere; sed aërem verberabat, durus videbatur sermo, & frigidè imò & molestè excipiebatur, quoad Domino placuit aperire cor ejus, & supernis illapsibus aptare.

ad amplectendam evangelicam perfectionem

259 Ædes ab ipso & à Catharina habitatas intergerinus paries conjungebat, in quo de cognatorum consensu fenestra permittebatur ad confabulationes, & mutua consanguineorum obsequia opportuna. Huc sub primam noctis vigiliam accersitur à Joanne consobrina, & interrogatione excusationi affini scitcitatur, an meditatæ orationis sit intempestivus interpellator? Cui illa: Candidè fatebor, non de oratione jam, sed de quiete cogitabam, ad quam vespera ac tenebræ familiam invitant; & ecce lucernam, quam adornavi oleoque replevi, ut abundè suppetat cubitum petenti, & vigilare diutiùs non cogitanti.

variis argumentis & exemplis

260 Hîc promptum fuit Joanni parabolæ virginum prudentum meminisse, quæ sumpserunt oleum secum in lampadibus, & iis adaptare, quæ
E aptant suas lampades, hoc est virtutibus animas ornant, & contemptis temporalibus æterna quærunt, totam fiduciam in Domini providentia reponentes, qui cæli pascit volatilia & curam de omnibus habet. . . . . Cumque urgere exemplis & argumentis pergeret, addebat Dominus verbis gratiam & vim ardori, ut flecteretur cor audientis ad sapientiam, ac paulatim verbi vigore splendoreque in medullas penetrante, illuminaretur.

sæpe exhortatus fuerat, quæ tandem;

261 Et confectum feliciter negotium est, ubi prodigio inopinato excita ac penitus evicta, manus promptissimè dedit, & in arbitrium hortatoris tota concessit: cum enim hic ex vultu oculisque mutationem animi deprehenderet, & utiliter operam posuisse adverteret, voluit illam dimittere, & ad quiescendum amandavit: ac abibat illa quidem illibens, sed modestiæ parcendum rata paruit, ne molestiam mora longior diu locuto crearet.

viso miraculo

262 Ast pede vix retracto, per fenestrarum rimas illucescentem diem conspicit, & admirabunda: Jam dormiendi, ait, tempus non est; illuxit dies, & sol terras illustrat. Cui Joannes: Quî dies est? Lucernam tuam aspice: & oculis in eam conversis videt, oleo nihil imminuto tumentem, & tamen toto hoc colloquii tempore arsisse non dubitat, ac fidem, quæ oculis utrumque cernentibus negari non potuit, miraculo concedi oportuit. Hinc solis radii integram abiisse noctem demonstrant; inde olivum supernatans vim naturâ superiorem in sui conservatione testatur.

consilium hortatoris secutæ est.

263 Enimvero obstupet Catharina, neque satis capit, quod factum experitur: quî fieri possit, ut nocturnum illud plurium horarum spatium, tamquam momentum, absque tædio & lassitudine, imò summa cum voluptate exactum, vegetam & alacrem reliquerit, acsi quievisset perdiu sapidéque indormiisset. Tum mente in sublime erecta, haud obscurè Numinis ad se vocantis voluntatem agnoscit, factumque mirabile interpretatur ad Columbini dicta confirmanda, quibus idcirco ulterius refragari impium sit ac noxium, assentiri saluberrimum consilium & prudentia Sanctorum. Neque cunctata est hunc animi sui sensum deliberationemque Joanni aperire, ac paratam se ad omnia, quæ mandare libeat, offerre *c*. . . . . .

AN-

A

ANNOTATA.

a *Belcarus cap.* 30, *& Morigia lib.* 1 *cap.* 36 *dicunt, eam fuiſſe filiam D. Ghini Foreſi. Cetera ad eam ſpectantia hactenus fruſtra quæſivi.*

b *Joſephus Bonafede has epiſtolas ex bibliotheca Altempſiana Italicè edidit, ut in commentario prævio num.* 23 *monui.*

c *Reliqua hujus Catharinæ geſta, & piam illius mortem, quæ hîc Roſſus fuſius proſequitur, in Commentario prævio* § 10 *abundè retuli.*

CAPUT XIX.

Diverſa miracula, quæ in vita B. Joannis Columbini contigerunt.

B

Diſcipulum ob importunam garrulitatem

ORdior à prodigio non minus in ſpeciem horrido, quam eventu inopinato planè mirando. A diurno labore cum externis collegerat ſe ſuoſque Columbinus in domunculam, quam prò habitatione quæſitam ſupra retulimus, & quia hiems erat, & frigore malè tecta membra rigebant, calefaciebant ſe ad ignem; atque ut animis quoque ſuus calor non deeſſet, divinis colloquiis modicam illam indulgentiam ſapidiorem reddebant. Eorum nonnemo ſive contradicendi libidine ſive loquendi pruritu intempeſtivè argutulus cavillis, ſermonis ſuavitatem fructumque præpediebat.

caput ignibus imponere juſſum à læſione ſervat,

265 Id ægrè ferens bonus Pater, Ad quid, inquit, præpoſtera iſtæc acumina, niſi ut amica confabulatio altercationibus invo vatur? Næ tu noxæ haud levis reus es, & dignus, qui accenſis hiſce prunis os apprimere compellaris: & hanc ego tibi impono pœnam levitatis tuæ, quo ceteri tuo exemplo cautiores fiant. Protinus igitur inſanum caput carbonibus iſtis ardentibus ſubjicit, neque inde niſi juſſus dimoveto. Paruit repentè diſcipulus fatali mandato, ac cervices flammantibus lignis ſuppoſuit, & impavidus hæſit, quoad ſubducere Magiſter impetavit. Mirum dictu & creditu difficile, ni teſtes oculatos haberet quotquot foco adſtabant *a*, & ad horribile præcepti tonitru inhorruerant, ac ab horrore in ecſtaſim ſtuporemque, viſo miraculo, abierant *b*....

a

C

b

& alteri ægrotanti

c

266 Peragrante villas & caſtella Senenſis ditionis Joanne noſtro, unus ſociorum Terraneri *c* non ita procul ab urbe municipii in morbum incidit, cujus gravitate labefactatæ vires & ſtomachus ita debilitatus eſt, ut cibum quemlibet reſpueret, & verò etiam maximè averſaretur. Angebat miſericordis viſcera Patris ægritudo languentis filii, atque ut levamen afferret aliquod, rogabat obnixè & penè cogebat ingenuè aperire, ex omnibus, quæ menti objicerentur dapibus, aliquane palato arrideret, aut appetentiam irritaret? Cui infirmus, Acetarium, inquit, ex lactuca ſapidè comederem.

lactucam calitus obtinet.

267 Accurrit protinus ad hortum Columbinus; aſt lactucarum ne veſtigium quidem reperit, neque ſpes alicunde affulget ulla reperiundi, quod olera hujuſmodi in ſummis æſtatis æſtubus, quales tunc erant, paganorum nullus id loci coluerat, ſeveratve. Petendum ergo à cælo, quod terra negabat: & in genua dejectus lactucam à Patre miſericordiarum poſtulat, qui produxit omnem herbam virentem, & panem petentibus, non dat lapidem. Vix precationem inchoaverat, & criſpantem in ſolo lactucam conſpicit, demetit, oxiphabum parat, ægro apponit, quod jucundè manſum, præſentaneum fuit alexipharmacum, omnemque prorſus morbi malitiam diſpulit. Non unicus hîc orationis fructus: nam & lactucam ejus efficacitate terra germinavit, ægro ſanitatem impetravit.....

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

Cuidam metibundo ſanitatem

268 Ludovicum Mareſcotum *d* nobilem Senenſem febris atra adeo proſtraverat, ut deſperata ſaltis medicorum calculo à domeſticis comploraretur. Hunc, utpote familiarem, Columbinus inviſit, ſuetus etiam extraneis ignotiſque id genus officii non negare. Ut in ægri cubiculum pedem intulit, advertit defluxiſſe vires, & proximè vitæ ultimam adeſſe horam, neque falſos eſſe medicos, qui actum de ſalute pronuntiaverant. Nihilominus dum conſolatorem pio colloquio ipſe agere inſtat, & bene ſperare in Dei clementia ac Jeſu Chriſti meritis ſuadet, Equid (inquit Ludovicus) ſperem? Cum morte luctor, & vix jam loqui poſſum, & vivere ſperem?

E

& filium gignendum prædixit.

269 Atqui reſpondet Columbinus, ex conſolatore vates: Enimvero ſperare jubeo; haud moriere; convaleſces, quinimo opportunè gignendo filio reſervaris, quem bonus Dominus daturus tibi eſt. Quid plura? Qui inter ultimos anhelitus verſandæ linguæ jam non erat, reſpiravit, convaluit, uterum geſtantem conjugem vidit ac puellum fundere, cui Angeli nomen indere libuit, tamquam de cælo venienti ſoboli. Ivit per ora ac ſermones hominum tam parentis incolumitas, precibus impetrata Joannis, quam filii genitura vaticinio prædicta: & de utraque Ludovicus palam privatimque jucundam inferre commemorationem identidem conſueverat, tam beneficii accepti, quam benefactoris ſanctitatis prædicandæ gratiâ.

Quemdam graviter vulneratum,

e

f

270 Speciosior aliquanto fuit in funeſto caſu unius *e* à mortis foribus in vitam aſſertio. Ibat hic cum Joanne ad templum fratrum Minorum in oppido Columbaro *f*, Senis ſubjecto; & lapide ab edito tecto labente lethaliter in dextro tempore vulneratus eſt, cui remedium ſupereſſe nullum humanitus periti medici pronuntiabant. Confugit ad cæleſtis Medici opem Columbinus, & ſpe ſua non eſt fruſtratus: ſanato enim illico vulnere, licuit ægroto ſurgere, & reliquum iter cum ſuo benefactore abſolvere.

F

& alium dóloribus afflictum

271 Ibidem loci acutis diſcruciatum doloribus inviſens, verbis humaniſſimis ſolatur, & ſpe gaudiorum æternorum ad tolerandam momentaneam tribulationem hortatur: tum ſub diſceſſum bene precatus, certum de Dei clementia jubet eſſe. Neque in ventum abiere verba, abeunte ipſo: nam ſtatim vis dolorum remiſit, & paulò poſt convaluit æger, quod renuntiari Joanni per ſervum juſſit, miſſo etiam ad gratitudinem indicandam munere nihil quærenti aut volenti præter Dei honorem & proximorum bonum

ſanitati reſtituit,

272 Majori deinceps affectum ſe munere fatebatur agnoſcere, quando recurrente morbo inſolitâ illius moleſtias patientiâ ac animi æquitate tolerari tam ipſe quàm domeſtici mirati ſunt, qui præteritam moroſitatem cum præſenti manſuetudine contendentes, beneficium precibus Columbini adſcripſere, volente Deo per illas ſanare ægritudinem ſimul animi, & corporis à doloribus vexati, & incolumem ad mira facinora, quæ poſtmodum patrata ab eo ſunt, reſervare.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

273 Ab interioris affluentia luminis ejuſdem, quo mens Columbini perpetuò illuſtrata fulgebat, in exteriores interdum corporis artus radii effundebantur, qui non conſpici ſociorum oculis haud poterant: cum iis egreſſus ſemel in agrum, ut procul ab urbis ſtrepitu cæleſtia tranquillè meditari ac de eiſdem loqui liberiùs ac prolixius liceret, invitante prati florentis amœnitate & argumentum ſermonis ſuppeditante, de Creatoris bonitate ac ſapientia, vel in ipſis herbis floribuſque enitente, loqui inſtituit, & creſcente inter verba amoris flamma à ſenſibus abſtractus humi procubuit; & linguam movere deſiit.

ac coram ſociis præ divini amoris æſtu deliquium animi paſſus

274 Agnovere ſodales divinos illapſus & deliquium non abſimile languori, quo ſponſa caſtiſſima diffluere ſe teſtata, fulciri floribus ac malis ſtipari ad ſui deliquii ſolatium poſtulabat; & decerptis hinc inde floſculis humi dejectum undique operuere, ut ne minima quidem corporis pars pateret obtutui: tum certatim eoſdem auferre properantes, quod ſacrati eo attactu pro reliquiis haberentur, ut vultum diſcoopetuere, ſplendidus
B inſtar ſolis coruſcabat, & ejus fulgore acies perſtringebantur oculorum non ſuſtinentium intuitum figere, quoad paulatim remitteret, ac priſtinæ formæ colorique vultus reſtitueretur: quod tamen non ſtatim, ſed lentè ſucceſſit, hærente genis rubore flammeo & decorem afferente, qualis aliquando à peritis pictoribus expreſſus ſeraphicam faciem flammas vibrantem referebat *g*.

ingenti ſplendore coruſcat.

g

ANNOTATA.

a *Miror, quod Roſſus noſter part. 3 Triumphi cap. 1 § 2, ubi hoc miraculum narrat, non addiderit teſtimonium Vanni Monticellani, quem Feus Belcarus cap. 24 inter alios teſtes oculatos adducit, aſſeritque, illum plus quam quadraginta annos Columbino ſuperſtitem fuiſſe, & poſtea tum hoc miraculum, tum ſanitatem ſibi interceſſione* B. Joannis *Aretii ſtatim redditam ſæpius cum magna devotione commemoraſſe. Quod ſi Vannus plus quam quadraginta annos* B. Joanni *ſupervixerit, proximè ad ætatem Fei Belcari acceſſit, qui ante medium ſeculi decimi quinti Vitam* B. Joannis Columbini *conſcripſit. Unde magna eſt hujus ſcriptoris ſupparis auctoritas ad confirmandum hoc prodigium, quod alioqui vix fidem inveniret.*

C

b *Roſſus ibidem in ſequentibus, quæ hic omiſimus, accuratè examinat hoc factum, & ex eo tam præſidibus quam ſubditis utile ac prudens conſilium ſuggerit, quod ad hiſtoricam Actorum ſeriem non ſpectat.*

c *Iſtud municipium, quod Belcarus & Morigia vernaculè* Torranieri *appellant, in mappis geographicis & aliiſque coſmographis fruſtra quæſivi.*

d *Is à memoratis biographis Italicis cognominatur* Ludovico di Noddo de Maleſcotti.

e *Belcarus cap. 18 hujus nomen prodidit, eumque Joannem de Ambroſio diſertè nominat, quod hic miror omiſſum eſſe.*

f *Laudati biographi illud oppidum vocant Italicè* Columbaio; *ſed hujus loci ſitum etiam fruſtra indagavi.*

g *Miracula, hoc capite relata, ex diverſis Roſſianæ lucubrationis partibus aut paragraphis hic ſimul collegi, eo quod illis certum tempus vel locum aſſignare non poſſem. Alibi verò nonnulla ad locum aut ſeriem hiſtoricam reduxi, ut antea monui.*

D

CAPUT XX.

Diſceſſus B. Joannis ex urbe Senenſi Viterbium, ingenioſa adoleſcentis in illo itinere induſtria, ut Beati diſcipulus fieret, & alia memoratu digna, quæ Viterbii geſta ſunt.

SUb annum MCCCLXVII Urbanus quintus Avenione *a* movit, ac maritimo pergens itinere ſecunda navigatione in portum tandem Cornetanum *b* appulſus eſt. Quod ubi cognovit Columbinus, ratus, oblatam ſibi ſummum Pontificem demerendi occaſionem, & fulcimentum aliquod novellæ congregationi à ſuprema auctoritate conquirendi, æquum duxit conſilium ſociis, quorum intererat, communicare, & ex prudentiæ regulis diligenter diſcutere. His verò, rationibus hinc inde perpenſis, expedire viſum eſt obviam ire non modò, ut ſummo Præſuli pedum oſculatione debitam venerationem ac reverentiam exſolverent; ſed etiam ſui inſtituti, modique vivendi rationem redderent, tamquam Chriſti vicario, ad quem illam reſcire maximè pertinet, ut parvulam cymbam novelli cœtûs, inter humanorum judiciorum ſermonumque undas fluctuantem, roboris pontificii anchorâ firmaret, & approbatione à periculorum incurſionibus tutaretur.

Dum B. Joannes cum ſociis Romano Pontifici occurſurus,

a

b

E

276 Itaque ſpe gaudentes & in Domino confidentes iter aggrediuntur, quâ Senis Viterbium *c* tenditur, ac de more meditationum ac laudum divinarum canticis illud mollientes, lata camporum, ima vallium, ardua montium ſubinde ſonoro vocum jubilo complebant: VIVAT JESUS CHRISTUS; LAUDETUR JESUS CHRISTUS. Et fuit itineris illius exordium fortunatum ac celebre ingenioſo adoleſcentis unius invento, induſtriaque, ſilentio minimè prætermittenda.

Senis Viterbium proficiſcitur,

c

F

277 Blancus de Sanctis *d* (erat is ex Ancioliuæ *e* vallis ſuperioris Arni *f* municipio oriundus) à parentibus puer adhuc Senas tranſmiſſus, lanificæ arti addiſcendæ operam dabat, & ob diuturnam in urbe habitationem Senenſis paſſim audiebat, cum tamen in Florentinæ ditionis ora natales habuerit. Ingenua indoles animi, & pulchro in corpore virtus formoſior, carum æqualibus, acceptum majoribus, amabilem cunctis reddiderant; ſed Columbino inter paucos, cæleſtis gratiæ fructus in flore illo ætatis contemplanti: admittebatur ad familiaritatem & frequentia alloquia; non tamen ad convictum & habitum ejus, quamvis crebris ac importunis precibus expetitum, ſive quia tenera ætas ac delicata vitæ illius aſperitati impar videbatur, ſive quia dum propoſiti conſtantia dilatione probatur, mercis etiam pretium & æſtimatio augetur, plurimumque ad illam ſtabiliendam valet.

adoleſcens, qui in cœtum Columbini cooptari ſæpius fruſtra petierat,

d

c f

278 Aſt ubi preces minus ſucceſſerant, ad artem confugit. Qua diſcedendum eratdie, feſtinavit ipſe viatores nec cogitantes antecedere: cumque ad hoſpitium tribus ferme milliariis diſtans (meritoriumne an amici cujuſpiam?) perveniſſet, prandium apparari curavit, illis recreandis percommodum, hoc eſt modeſtè lautum ac liberale,

illos in itinere prævertit, & ad prandium humaniter invitat,

A rale, quale & offerri ab hoſpite haud avaro, & accipi à convivis religioſis ex æquo poterat. Hi ubi pertranſiere, à Blanco ſunt conſpecti vultu inter hilaritatem ac verecundiam roſeo; ſalvere inſperatò juſſi rogantur obnixè, buccellam panis in proximo diverſorio ſumere Dei amore dignentur; inibi paratum jentaculum, eo non diſpliciturum, quod ab hoſpita paupertate ſit inſtructum. Quem durum etiam & agreſtem non flexiſſet feſtiva urbanitas & juvenilis candor in blando invitamento enitens?

quo finito, petitionem ſuam inſtanter iterat,

279 Divertêre igitur, & plena officiorum gratulatione excepti poſt modicam quietem menſæ omnes accubuere, cui tanta cum alacritate cibos inferebat miniſtrabatque Blancus, quomodo ſi regi aut imperatori ſervitia præſtitiſſet. A prandio priuſquam iter repeteretur, dante animum ſpe & impulſum deſiderio, paret in illa convivarum corona Blancus, & in genua provolutus rigantibus ora lacrymis ſupplicationem inſtaurat, obteſaturque per Chriſti caritatem Columbinum, ultrà ne differat vota ſua antiqua & ardentia, uti norat; non antè ſe ſurrecturum, quam benigno amplexu in ſocium filiumque recipiatur.

B *& ſit voti compos.*

280 Commota ſunt viſcera Patris optimi, ut annueret petitioni tam fervidæ, & ſalutari ipſum nota vice oſculi proſecutus, fecit ex candidato novæ tironem militiæ, ex mercatore athletam Chriſti. Blancus verò viſus ſibi optata diu inauguratione beatus, lanæ ac lino ac omni quæſtui ſeculari valedicens, comes peregrinationis, quæ Viterbium, quæque in cælum deduxit, factus eſt, ut loco ſuo inferiùs referre meditor *g*.

g

Inde B. Joannes & ſocii

281 Ita recreatis cibo viribus corporis, ac animis ſpecioſa Blanci acceſſione exhilaratis, reliquum viæ ſpatium eodem, quo ſolebant, precum, colloquiorum piorum, cantionum ſpiritualium tenore peregerunt; & quia fama de ſanctitate Columbini per totam illam regionem increbuerat, quocumque incedebat, deſiderium ſui videndi & honorandi concitabat, ut neceſſe non eſſet ſtipem mendicare, ſiquidem non petentibus certatim eleemoſynæ ſuppeditabantur: quod cum paſſim in oppidis & caſtellis quacumque erat tranſitus, contingeret, Viterbii in primis magnifica videri voluit ſive liberalitas ſive miſericordia in Chriſti pauperes.

C *perveniunt Viterbium*

282 Eò etenim ingreſſum religioſum agmen, ubi Deum in ſummo templo adoratione coluit, ad forum maximum proceſſit, ibique concionem confertæ multitudini cum habuiſſet Columbinus, non erubuit humo pro menſa uti & propalam cum ſodalibus cibum ſumere, ac frugalitatis temperantiæque, miniſtra ſimplicitate, ſpecimen exhibere. Et quamquam non deerant, qui imperisè in domos ſuas ad comedendum invitarent & propè cogerent; veritus tamen, ne numeroſo ſodalitio hoſpitibus incommodaretur, publicam plateam privatis aulis & menſas adipales cibario pani ac frigidæ poſthabuit.

ubi à civibus benignè excipiuntur,

283 Atqui malè honeſtos cives habebat, advenas illos nobilitatis ſplendorem ſub indumentorum obſcuritate occulentes, ſanctitatem habitu moribuſque teſtantes, poſt itineris pedeſtris defatigationem aridi panis fruſtulis in publica luce jejunium frangere, & naturæ neceſſitati maligrè ſatisfacere, ideoque celeravêre haud pauci dapes multiplices ea promptitudine congerere, quæ profuſæ benevolentiæ declarandæ par eſſet, numero ac edentium neceſſitate ſuperior eſſet. Partem quippe gloriæ in largitione quiſque ponebat, & ardebant perplurium ſtudia in obſequiis præſtandis ac muneribus offerendis, ut ipſemet Columbinus litteris, ad D. Paulam ſæpius memoratam datis, teſtatum reliquit *h*.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI:

h

& ab infantibus mirabiliter Jeſuatæ appellantur.

284 Et auxit venerationem cæleſte prodigium, quod ſub ipſum ingreſſum in omnium oculis ad ſervorum ſuorum commendationem & decus oſtentare divinæ bonitati libuit: incedentibus enim agminatim per urbem, cum ad eos viſendos ſeſe effunderet populi multitudo, audiretque admirabunda VIVAT JESUS CHRISTUS; LAUDETUR JESUS CHRISTUS proclamantes, ecce tibi repentè tenellos infantes, amotis à mamillarum papillis tantiſper labellis clamitantes: En Jeſuatæ: Iſti ſunt Jeſuatæ: benefacite Jeſuatis, obſtupente turba, quæ circumfuſa aderat; & miraculum tum in ſalutatione à puellulis impertita, tum in nominis conformatione, quam per mutas linguas ab angelis articulatam ex vero exiſtimamus.... Quocumque modo infantes iſti eloquentes evaſerint præcones, eorum voces non balbutiendo, ſed diſtinctè loquendo Jeſuatis indidiſſe nomen ſi quis ambigat, inficietur ve, is profecto injurius antiquitati eſt, quæ celebris ab origine ſua miraculi traditione, ac monumentis certi, à venturis ætatibus fidem haud hæſitantem ſperaverat *i*.

E

i

Columbinus inviſit Viterbii abbatem Maſſilienſem;

285 Viſum eſt Joanni per eos dies, quibus Viterbii verſabatur, primates nonnullos inviſere, ut cum iis fructum aliquem, ſicut & cum popularibus, haberet. Adiit ergo Urbani nepotem, Maſſilienſem abbatem, id temporis ibi degentem; & exceptus amanter ab illo eſt, ac de rebus divinis loquens perbenignè auditus. Amavit in eo candorem animi ac Chriſtianam ſimplicitatem; ardorem autem caritatis ita ſuſpexit, ut Sancti nomen, illi vulgo inditum, deberi merito fateri non dubitaret.

à quo oblatam pecuniam accipere renuit:

286 Inter alia autem amoris & honoris ſignà, quæ commorantibus in urbe dederat, hoc inſuper decedentibus addidit; pecuniâ videlicet plenum ſacculum, neceſſarium, uti rebatur, itineris viaticum, quem tamen Columbinus, actis pro largitate gratiis, conſtanter repudiavit, ne ſubſidio illo ſummæ in divina providentiâ confidentiæ nævus obduceretur, aut quidquam de paupertatis exactiſſimæ nitore detraheretur: quæ abſtinentia opinioni Dei viri ſanctitatis confirmandæ augendæque plurimùm valuit.

F

deinde adit Comitem Nolanum,

287 Quod ſequitur, habet in re leviſſima momentum haud leve. Agebat Viterbii capitaneum, ut vulgariter vocabant, patrimonii, comes Nolanus, vir natalibus illuſtris, gratia & auctoritate apud principem ac populum potens. Hunc etiam convenire Columbinus conſtituerat eo conſilio, ut homini negotiis ſecularibus implicato aliquid euangelici ſalis ex colloquio affricaretur, & in memoriam, per terrena vagantem, æterna revocarentur.

qui ipſum ad cœnam invitat;

288 Succeſſit ex voto viſitatio: namque ut verborum ſaporem ejus guſtare cœpit comes, excitus appetitu ſuaviſſimæ familiaritatis, invitavit ad cœnandum ſecum, ac ne abnueret profanum convivium, ſua ſuorumque præſentia atque ſermone ſacrum reddi poſſe affirmavit. Neque diu ſe rogari paſſus eſt Joannes ſpiritu præſagiens, facilitatem hanc ſuam invitatori haud mediocriter profuturam.

ſed cum Comes lactucam comedere non auderet,

289 Condicta die venitur ad cœnam, quæ de more regionis æſtivo tempore à lactuca inchoabatur: hanc aſſeſſoribus ceteris deguſtantibus, ne aſpicere quidem niſi torto obtutu ſuſtinebat capitaneus; quod mirari ſimulans Joannes interrogat,

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

quid cauſæ ſit, cur ſapidiſſima dape & primæ menſæ deliciis abſtineat, atque ad guſtandum ſaltem modicè invitat. Cui ille, à quatuordecim, inquit, annis lactucam ne attigi quidem, quod frigiditatem herbæ non toleret ſtomachus meus, & ſi ingeratur, non niſi poſt longam noctis luctationem & cruciatum digeritur, ideoque ſopiri omnem cibi appetentiam, neque niſi moleſto jejunio ſuſcitari.

Joannes comeſtionem illius ipſi perſuadet, eamque nil nocituram aſſerit,

290 Tum Joannes: Ne vereatur dominus meus per Chriſti amorem buccam unam vel alteram comedere, & nihil obfuturam ſperet. Summam, reſpondit, tametſi certus vexationis, tota nocte quietem turbaturæ; & unicum folium in gratiam rogantis bene manſum deglutivit. Et ecce vaticinium in convivio: rurſus læto jubetur eſſe animo, ex eo momento omnem ventriculi debilitatem in vigorem abituram, & robur frigida quæque validè concocturum.

quam prædictionem veram fuiſſe eventus probavit.

291 Effati veritatem probavit eventus; incaleſcere interiora à ſumptione boli illius comes advertit; & vegetari uſque adeo impoſterum perſeveravêre, ut frigidiora cuncta, ac concoctione difficiliora impunè manderentur. Et gaudebat, Prælatis omnibus, atque ipſi etiam Urbano factum denarrare, qui mirabantur omnes, dicebantque, quemadmodum Chriſtus Dominus nuptias Canæ Galileæ mirabili aquæ converſione in vinum fauſtas reddiderat, ita cœnam illam comiti ſalutarem ac memorandam miraculo honeſtare voluiſſe, ut quo loco Columbinum apud ſe haberet, & quanti fieri eum vellet ab hominibus & curiæ Romanæ ſacris principibus innoteſceret.

B

ANNOTATA.

a *In hac urbe varii pontifices Romani per multos annos ſedem ſuam tenuerunt, ut apud obvios hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores legi poteſt.*

b Cornetum *vel* Cornuetum *oppidum Hetruriæ in provincia patrimonii S. Petri adjacet Martæ fluvio, qui verſus meridiem tribus aut quatuor milliaribus in mare Tyrrhenum ſe exonerat.*

c *Hæc eſt ſatis nota Italiæ civitas & provinciæ patrimonii caput in ditione Eccleſiæ, & quadraginta milliaribus Româ diſtat in occaſum æſtivum Scnas verſus.*

C d *Belcarus in Vitis illuſtrium Jeſuatorum cap. 7, Morigia lib. 2 Hiſt. Jeſuat. cap. 7, piam hujus Blanti vitam narrant.*

e *Hæc vallis ſita in dominio Florentino.*

f *Hic fluvius oritur ex Apennino monte, & deinde variis amnibus auctus, Florentiam bifariàm ſecat, & poſt longum curſum urbem Piſanam interlnit, ac tandem in mare Tyrrhenum ſe exonerat.*

g *Roſſius juxta hanc promiſſionem part. 5 cap. 15 plura de iſto Blanco tradit.*

h *Joſephus Bonafede lib. 3 cap. 18 à pag. 297 has* B. Joannis *litteras integras Italicè edidit.*

i *De hac ſtupenda nominis origine in Commentario prævio num. 98 nonnulla ex Roſſo diximus.*

D

CAPUT XXI.

Profectio B. Joannis Cornetum, receptio Urbani Papæ in portu Cornetano, diſceſſus Viterbium, congregatio illius à ſummo Pontifice approbata, & uniformis habitus omnibus ſociis præſcriptus.

Columbinus & ſocii Cornetum profecti

EXſpectabatur indies in Cornetano portu Urbanus, cujus appulſum prævertere Columbinus feſtinavit cum aliquot ſuæ diſciplinæ alumnis, præſertim Vincentio ceteris antiquiore, & longo rerum uſu ac experientia ad capienda dandaque conſilia aptiore. Quamquam autem civitas, apparatui ad ſummum Pontificem excipiendum intenta, haud ſatis habebat otii aut animi externos advenas cum honore ſuſcipiendi; ut tamen ad ſe profectos conſpexit viros, virtutum ac prodigiorum famâ ſupra mortales evectos, partem etiam ſuarum curarum ad eos amanter ſuſcipiendos ac liberaliter habendos derivavit.

E

inter alia operam ſuam impendunt exornandis iis,

293 Aſt ipſi paucis contenti omne ſtudium ad ſalutem animarum convertentes, ut aliàs ubique nomen Domini extollere, contra vitia declamare, cunctos ad pœnitentiam hortari, & quod ſupererat ab iis muneribus temporis, inſtruendis ornandiſque Pontificis & Cardinalium conclavibus, ac lectiſterniis componendis impigrè dabatur; & erat hæc ſedulitas haud ingrata ad id deſtinatis operis, qui proprio labore levabantur, ac alienum ſponte exhibitum nullo pretio redimebant; Fratribus etiam Minoribus S. Franciſci valde accepta, quorum cœnobium, utpote ſacrum & amplum, Chriſti Vicario congruum hoſpitium deſignaverat magiſtratus.

quæ parabantur ad honorandum adventum Pontificis,

294 Cumque pons ligneus ſubitario quidem, ſed eleganti opere materiam ſuperante, in littore exſtrueretur, quo commodior & honeſtior è mari eſſet exſcenſus, partem quoque diligentiæ in eam ſubſtructionem contulere, haud ſine ingenti mixta admirationi approbatione præfectorum non ignorantium, quales & quanti eſſent, qui ſe ad humilia iſtæc & laborioſa opera Dei amore demitterent. Rebus jam compoſitis, & adornato ponte, IV Junii *a* anni MCCCLXVII, Pontificia triremi propinquante portui, ſecedere turbæ jubentur, & liberum exſcendenti Pontifici ſpatium relinquere; Joanni & ſodalibus ſubſiſtere permiſſum eſt tamquam viris ſupra vulgares honorandis.

F

a

quem piis acclamationibus excipiunt,

295 Hi frontes ſertis oleaginis cingentes, & manibus ramos olivarum præferentes, non alia ratione feſtiviùs felicem adventum gratulari & plaudere ſe poſſe rati, quam ſi ſonora apprecatione ortum ex pietate gaudium indicarent, in genua procidentes unà omnes clamare perſeverabant: VIVAT JESUS CHRISTUS & VIVAT PAPA URBANUS VICARIUS CHRISTI.

& ad oſcula pedum aliaque benevolentiæ indicia admittuntur;

296 Propiùs inde accedentes ad pedum oſcula ſunt admiſſi, ipſo annuente Pontifice & vultus hilaritate adblandiente: & quamvis conferta gradus omnis ac ordinis nobilitas latera ejus ſtipans anguſtias

A guſtias undique faceret, nihilominus Chriſti pauperculis aditus à compreſſione liber procuratus eſt; quinimo binis eorum conceſſus honor, magnatum primoribus reſervatus, ut dexteris pendulæ umbellæ haſtilia ſuſtentarent, quæ Urbanum equo vectum, dum in urbem deduceretur, inumbrabat: quod honorificentiæ ſingularis pignus argumentum ſermonum fuit, qui per aulæ & urbis ora die illa volvebantur, & materies epiſtolarum, quæ de Pontificis adventu & pompæ magnificentia per varias Europæ partes ſcribebantur. . . . .

ſed cum in tanto nobilium concurſu

197 Porrò tantus fuit per hoſce dies legatorum ac Prælatorum concurſus, tanta ſummatum nobiliumque reliquorum frequentia Pontificis aures expetentium, ut eas commodare ſtatim Columbino non licuerit. Interim dum tempus opportunum aditui præſtolatur, viros primarios, quos cauſæ ſuæ patronos ac fautores vehementer optabat, convenire inſtitit, & de rebus ſuis, hoc eſt divinæ gloriæ propriis, reddere certiores. Primum omnium inviſit Cardinalem Avenionenſem, Urbani ipſius germanum fratrem, cui cum pridem de fama dumtaxat nota eſſet hominis ſanctitas, libentiſſimis oculis redeuntem aſpexit, & collaudato vitæ inſtituto, laboribuſque Chriſtianæ reipublicæ quàm frugiferis, ſuam opem & operam in juvanda congregatione perhumaniter pollicitus eſt.

B

commodè Pontificem alloqui non poſſent,

298 Eamdem experiri contigit humanitatem à domino Franciſco Bruno Florentino, cui inſignis ſapientia ac probitas apud ſummum Pontificem locum fecerat à ſecretis. Neque mediocrem conſolationem Joanni peperit tam prompta duorum capitum benignitas; & Cardinalem deinceps agno candido ſolitus erat comparare, cujus nota eſt inter animantes lenitas, & innoxia ſimplicitas Non licuit per temporis anguſtias & occupationum ac perſonarum, aulam obſidentium numerum, Columbino cum ſummo Pontifice commodè colloqui, & de negotiis ſuis agere. Aſt benè vertit difficultas hæc, quæ minor facilitate fuit & copia alloquiorum ac beneficiorum, quæ deinceps conſecuta perſequi parat oratio.

eum Corneto Viterbium diſcedentem comitantur,

C

299 Haud plus biduo Corneti moratus Urbanus, Viterbium iter inſtituit. Abeuntem cohors numeroſa nobilium cum aulica familia inſequitur, cui aſſociare ſe Joannes & ſodales minimè dedecere rati, famulorum inſtar à pedibus, equitantem Pontificem citato greſſu ſequi & à ſtapede utvis properanti nuſquam abeſſe. Et quamquam monebat identidem pius Paſtor, defatigationi curſuique parcerent, Franciſcus tamen Vincentius ceteris propinquior reſpondit: Pater ſancte, mihi ſane magno commodo & voluptati cedit, non è longinquo, ſed proximè Sanctitatem veſtram incedere, ut audire ſerviréque promptius liceat, imo & tangere: inter quæ verba in terram procidenti, & os admovere inſtanti ſacris pedibus, tantiſper reductis habenis, oſculari indulſit.

quo in itinere Papa unum ex illis accerſiri jubet,

300 Nec multo pòſt aquoſæ viæ lacunas ingreſſus arcere à latere nequidquam contendit extremas lacinias defluentium veſtimentorum dextera, ne inſperſione madefierent, elevantem. Et minimè fuiſſe inania iſtæc venerationis obſequia ad Urbani animum demerendum mox reddita merces declaravit: ut enim Toſcanellam deventum fuit (nobile oppidum eſt Corneto diſtans millibus paſſuum circiter duodenis) ante omnia accerſiri Vincentium mandat, qui confeſtim ad divi Franciſci cœnobium, Pontificio hoſpitio deſtinatum, ſe conferens, in intimum conclave deducitur & Pontifici ſiſtitur, cujus pedibus, ut reverentius libaret oſcula, depoſitum humeris palliolum diſtendit humi & genu premit, dum benedictione impertitur.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

quem examinavit circa novum vitæ genus ac inſtitutum,

301 Qua ſimplicitate ac demiſſione delectatus Urbanus, de vitæ genere plura ſciſcitatur, quale ſit inſtitutum recèns invectum, qui finis, ad quem collimet? Cur tam neglectus ac vilis habitus? & iis affinia; ad quæ ſingillatim reſpondit Franciſcus, ſed ſuccinctè ac nervoſè, & univerſim propoſitum in communi eſſe Chriſti Domini conſilia & exempla ſequi, crucis mortificationem in ſuis corporibus portare, Eccleſiæ & fidelibus prodeſſe, ac in omnibus à Chriſti in terris Vicarii nutu ac arbitrio pendere, cujus auctoritas norma diſciplinæ eſt, & legum forma beneplacitum ipſius.

in quo nihil improbavit

302 Non habuit, quod improbaret Pontifex, cui nihil viſum euangelicæ perfectioni non congruum, nihil à recta morum regula abſonum: & licet ardua multa ac difficilia videret aggreſſos, quæ ſuperare humanam imbecillitatem videri poterant, cuncta tamen ſervari ab iis poſſe, qui generoſum ad inſtitutum afferant animum, experimento conſtare multorum, qui per ſpinoſum callem, veluti roſis inſtratum, innoxiè jucundéque decurrunt.

E

præter habitum nimis vilem,

303 Unum dumtaxat minimè ſibi probari faſſus eſt, videlicet habitum nimiùm abjectum ac tenuem, quo neque caput neque pedes à crebris temporis injuriis & viarum offenſionibus defendantur, neque geſtantium conditioni ſatis congruat: quippe plerique omnes eorum nobilitate aut litteris clari, & in cœtum jam religioſum coacti, ex cujus decoro impoſterum minus ſit futurum, denudatis capitibus cruribuſque inter homines verſari; ſatius eſſe ac honeſtius, talares induere, & plantas, ſi delicatiores calcei videantur, calonibus ſaltem obmunire, quorum gravamen pœnitentiæ genus eſt, & ab incurſionibus ſæpe carnem cruentantibus tutamentum.

quem in magis decorum mutari voluit,

304 Ad quæ Franciſcus, accipere ſe effata tamquam oracula Chriſti per os Vicarii ſui loquentis; cuncta privata & publica ſuæ congregationis ſcitis ejus ſapientiſſimis ſubjici; nihil illi optabilius aut honorabilius contingere, quam quod illâ habitûs utatur formâ, quam ſummus Eccleſiæ Præſes deſignarit, nullius hominis ipſo inferioris ingenium confinxerit; gratias proinde ſociorum omnium nomine agere pro paterna cura ac providentia immortales; paratos eſſe procul dubio omnes lacernas in tunicas decentiores mutare, gallicis *b* pedes munire, & quidquid Sanctitati ſuæ viſum fuerit promptè exſequi. Et placuere verba Franciſci in conſpectu Principis, ut mala aurea in lectis argenteis.

F

b

cui Pontificis judicio planè cum ſociis acquievit B. Columbinus,

305 Hæc cum Columbino ac ſodalibus retuliſſet Franciſcus, lætati vehementer ſunt, & cum magna reverentia ſua placita Pontificiis conſiliis, ut ſi à Chriſto ipſo data fuiſſent, ſubmiſere. Cumque de neceſſariis ad pannum coëmendum ſumptibus cœpiſſent agere, & ſartam tectam in hac proviſione paupertatem vellent, renuntiare minimè ſperantibus Pontifex juſſit, omnem ſolicitudinem deponerent ipſi, quam ſibi reſervatam velit. Neque oblitus promiſſi eſt, quod paulo pòſt præſtitiſſe mox conſtabit.

qui hoc tempore imminentem ſibi mortem præſciviſſe,

306 Revocari huc poſſet mortis ſuæ prædictio, in qua divinæ revelationis lumen enituiſſe haud obſcurè viſum eſt. Verùm quia præſenſio ac præſagitio quædam dumtaxat prophetiæ adſimilis fortaſſe fuit, religio mihi eſt incerta pro certis aſſerere, & vaticinio dare, quod ut alienum ipſa rejiciat. Diſceſſerat Senis Columbinus obviam iturus

Urba-

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

Urbano quinto, è Gallia adventanti Cornetum, uti supra memoraſſe memini, & de via litteras Blaſiæ conjugi ſcripſit, quibus reſolutionis ſuæ tempus inſtare monuit, & quod faciem ſuam amplius non eſſet viſura, apertè ſignificavit.

aut ſaltem præſagiviſſe videtur

307 Et dicti veritatem mors in itinere conſecuta paulo pòſt comprobavit; quamquam neque horæ neque diei conſcium fuiſſe argumento eſt ingens cupiditas, ſæpius verbis declarata, S. Abundii dilectiſſimas ſorores rurſus viſendi, ac inter ipſarum preces ad Creatorem avolandi: ut idcirco liberum ſit arbitrari, eodem, quo Apoſtolus, ſpiritu vicinam ſibi mortem prævidiſſe ac prædixiſſe, quam labores, ærumnæ, ætas diris afflictationibus attrita minimè abeſſe longiùs ſuadebant. Quod ſi in cauſa dubia ſequi mavis partem ſententiamque, Divo magis honorificam, & hoc etiam vaticinatum eſſe contendas, habebis me potius collatæ laudis commendatorem, quam pertinacem mei placiti defenſorem *c*.

ANNOTATA.

B a *Feus Belcarus cap.* 39 *etiam aſſerit, Pontificem die* IV *Junii anno* 1367 *Cornetum appuliſſe. Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum* 1367 *num.* 4 *Belcarum citans diſertè dicit*, Urbanum Cornetum feriâ ſextâ, die Julii quarto appuliſſe. *Sed ſuſpicor, hunc eſſe errorem typothetæ, qui menſem* Julii *pro* Junii *poſuerit.*

b Gallicæ *ſignificant quoddam calceamenti genus, quod aliqui ita nominatum volunt, quia antiqui Galli eo utebantur. Utut eſt, voce iſta hîc indicantur lignei calcei, quos idem auctor ſuperiùs calones vocavit, & quorum forma æri inciſa in Commentario prævio num.* 101 *videri poteſt.*

c *Hanc imminentis mortis prædictionem ex Roſſi Triumpho part.* 3 *cap.* 4 § 4 *hîc inſerui, quia eam uxori ſuæ in hoc itinere per litteras indicavit, adeoque ad præſentem Actorum ſeriem pertinere videtur.*

CAPUT XXII.

Falſa B. Joannis ſociorumque accuſatio, innocentia illorum poſt examen comperta, eadem veſtium forma omnibus à Romano Pontifice data, pius vivendi modus probatus, & alia paterna benevolentiæ ſigna ipſis exhibita.

C

Columbinus & ſodales inſimulantur hæreſeos,

SUlcabat ſecundis ventis marinas undas Columbini cymbula, cum repentè coorta tempeſtate agitari cœpit, & ad ſcopulos allidi mordentium linguarum: ut enim animadverſum à nonnullis cœnobitarum primoribus, novos homines novo habitu in formam religioſi Ordinis aſſurgere, & gratioſos apud Urbanum ac fratrem ejus Cardinalem ceteroſque magnates præ veteribus indies fieri, inſuper opinione ſanctitatis apud multitudinem venerabiles reddi, ſive invidia velamen zeli obtendente, ſive officii ratione conſcientiam objiciente, magnopere primùm ſuſpicari, tum inſimulare hæreſis Fratricellorum *a*, non diu antè damnatæ, cum capite Hermanno *b*, quaſi clam adhuc foveretur in reliquiis à Joanne collectis, velut ignis cineribus hypocriſis obvolutus. D *b*

309 Et quæ calumniæ vis eſt, præſertim ſi accuſatorum gravitas fidem ſinceritatis faciat, denigrata initio eſt inſontium fama, cum benevolentia in ſuſpiciones & odia multorum deflexit: ita quibus antea conſuetudo & eorum familiaritas delectationi erat, moleſtiæ cœpit eſſe ac tædio; & quo quiſque honoratiorem ſe reputabat in aula, eò impenſiùs averſabatur devitabatque homines hæreſeos opinione laborantes: plebs quin etiam ad petulantiam proclivior non abſtinebat maledictis, & convitiis immerentes proſcindebat. *& apud multos fiunt ſuſpecti.*

310 Cardinalis ſanè Avenionenſis, qua erat prudentia ac judicio, minus vulgo, quam ſibi ipſi credens, in amando conſtantiam tuebatur, & criminationes inter mendacia à malevolentia livoreque profectas numerabat: cujus etiam ſententiæ eſſe Pontificem haud ignorabat, ideoque procul tribunalium tumultu rem ſilentio diſſimulari maluiſſet, veritus, ne, ſi viri idiotæ ac illitterati, quales in eo numero nequaquam deerant, interrogati à quæſitoribus de doctrina, abſurdum quidpiam effutirent, malitiæ ignoratio & ardor prædicandi populis Dei verbum temeritati tribueretur. *quam calumniam Cardinalis Avenionenſis ſilentio ſopire cupiebat;* E

311 Verùm aliter Pontifici viſum, ut videlicet per legitimos juris tramites cauſæ fieret diſquiſitio, ſive ut obtrectandi anſa calumniatoribus præcideretur, promptis diſſimulationem ad pravos ſenſus detorquere, & potentiæ Principis, non reorum innocentiæ, impunitatem adſcribere; ſive quia non ambigeret, ex hoc judiciorum nubilo claram lucem virorum proborum nomini famæque obventuram. Maſſilienſi igitur Cardinali, magno olim in Dominicana familia theologiæ profeſſori, cauſæ diſcuſſio committitur, ut formam ipſe tribunalis inſtituat, in quo ſeriò diligenterque veritas inveſtigetur, & liber permittatur accuſationi defenſionique excurſus *c*. *ſed Pontifex juſſit eos legitimè coram judice examinari,*

312 Ita poſtridie coram ipſo vocati parent inquiſitor & ſcriba publicus, quorum ille variis interrogationibus ſenſus eorum circa fidei dogmata tentat; iſte reſponſiones in commentarios refert: uterque reſpondentium promptitudinem ac doctrinæ candorem, à quibus minimè ſperabatur, ſatis admirari non poteſt. Nulla in dictis eorum perplexitas, nulla à ſacris canonum aut religionis Catholicæ dogmatis diſcrepantia; ſed ſingularis præterea ſcientiæ ſplendor enituit, qui micantem ſolem mentium illuſtratorem haud obſcurè proderet. *cui tam ſolidam ſinceramque fidei ſuæ rationem reddiderunt,* F

313 Eapropter Cardinalis judicio præfectus non modo apprimè Catholicos ac probos palam pronuntiare ſui muneris duxit; ſed & de ſella conſurgens lætus ivit in ipſorum amplexus, voluitque eadem die ac poſtera domi ſuæ habere convivas, & familiariſſimè cum ipſis agere, quos ſummo Numini & cæleſtibus familiares eſſe argumentis minimè ambiguis perſuaſum habebat: & tenuit hic benevolentiæ curſus ac ſignificatio totum id tempus, quo Viterbii attinebantur, neque abſentiâ deinceps interruptus eſt, cum demigrandum ad propria Viterbio utriſque fuit, vinculum amoris tuente & in locorum diſtantia animos copulante hinc eximia ſervorum Dei ſanctitate, probè nobilitati illi perſpecta, inde beneficiorum memoria, quæ plena manu in pauperum Chriſti ſinum Sedes prima & curia circumvallans ingeſſerat. *ut ipſe illos omnino innocentes declaraverit*

314 Ceterùm ut renuntiatum Pontifici à Cardinali eſt, quam honorificum tota illa quæſtio exitum ſit ſortita, incredibili ipſe & Cardinalis frater *& Pontifex iis veſtes liberaliter emi juſſerit,*

A ter cumulati sunt lætitia; atque ut facto aliquo opinionem de illis optimam declararent, illico pannus albus jussu pontificio coëmptus, quantus esset satis vestiendis, non iis modò, qui præsentes aderant, sed etiam absentibus cunctis ab ipso Columbino aggregatis, quorum ad septuaginta fermè numerus jam pervenerat, ut totidem prælongæ tunicæ cum ejusdem coloris cucullis, totidemque ad præcinctum corrigiæ pararentur: quæ liberalitas benedictione primi Ecclesiæ Præsulis afflata faustam fortunatamque habitus Jesuatici formam reddidit, utpote ab eo injunctam probatamque, cui suas vices Deus in terris dedit, ut nefas sit improbare, quæ probata illius sunt calculo, aut solvere, quæ illius nexa sunt vinculo.

ut B Joannes sociis absentibus in epistola indicat.

315 Verùm quia simplicis indumentum tunicæ mancum nimis videbatur & humile, Avenionensi Cardinali venit in mentem pallium vestibus superaddere, & consilio communicato cum Pontifice, confecta sunt paria quinque & triginta fusci coloris in leoninum vergentis epitogia, qualia deinde ad nostram quoque ætatem perduravere: & ex iis sua quoque pars ad fratres absentes

B transmissa cum epistola à Columbino in hunc sensum descripta: " Dilectissimi fratres, mitto vo„bis habitum, à summo Pontifice nostro cœtui de„signatum, ejus munificentiâ coëmptum, ejus „donatum manu & benedictione impertitum; „quicumque vestrûm propositum perseverandi to„to vitæ tempore retinet, vetere deposito, quem „à me recepit, novum induat: cui hic animus „non est, sed fluctuat hæretque dubius, indue„re ne attentet. Si secus faxit, & dissimulanter „agat, væ illi quicumque est, & iterum dico væ „illi „. &c.

Punita inconstantia quorumdam,

316 Et forte comminatio petebat eos, qui persecutionis procellâ abripi se passi fuerant ad seculi undas, naufragio miserè mergendos. Unius sanè memoratur exitus deplorandus, qui malo transfugii exemplo ad defectionem aliquot animosiores reddiderat. Sed cælestis ira impunitam temeritatem non reliquit: consecuta namque sunt facinora adeo mala ac deformia, ut carnificis laqueo fuerint castiganda: & conspexere Aretinorum oculi pendentem de patibulo Billiottum (uti vocabatur) cum aliis quatuordecim facinorosis, quibus in foro publico fauces elisæ fuerant: ut silentio interim involvantur ceterorum infortunia, qui turpiter ab inceptis defecerant.

C *qui pium cœtum deserebant tempore vexationum,*

317 Angebatur magnopere bonus Pater degenerum istorum lapsibus, qui in tempore tribulationis recedebant; sed in divinæ tandem providentiæ sinu quiescebat, cujus occulta juxtà & æqua semper fuere judicia, & non in hominum modò imbecillitate, sed & in angelorum casibus verenda. Atque ad rem præsentem spectare putabat vaticinium præteritum Neri Tifernatis, viri sanctimoniæ famâ apud suos noti, à quo dictum aliquando meminit, ab sui sodalibus profundum flumen transmittendum, & aquis afflictionum singulorum constantiam probandam, & qui fortis ac generosi essent pectoris, incolumes ripæ appulsuros; qui timidi ac languidi, in mediis undis naufragium facturos.

quarum unam rursus exortam Cardinalis Massilienſis exstinxit.

318 Accedebat alia vexatio ab externis quibusdam theologis haud mediocris in urbe auctoritatis, quibus libido erat nodum in scirpo quærere, & paupertatis, quam iniverant, rationem cavillis involvere ac impugnare. Verùm hæc quoque nubecula facilè discussa est, sapientiæ, qua Cardinalis Massilienſis eminebat, splendore: quippe magistris illis, qui litem moverant, ad se accitis proferre jussit argumenta, quibus ad eam intentandam movebantur; cumque levia solidiorum oppositione demonstrasset, silentium pro ea, qua pollebat, potestate indixit: tum ad secretarium Cardinalis Avenionensis aversus, Hos, inquit, Dei servos ad aras usque & mortem sum amaturus, & pro virili, ubi opus fuerit, defensurus. Et officiis dicta confirmavit, inter quæ illud non postremum, quod laudibus efferre intus & extra aulam non cessabat, vocabatque homines apostolicos & sanctos, quos Deus Ecclesiæ bono destinasset. . . . . AUCT. JO. AN. BAPT. ROSSI.

Ne ulla remaneret injustæ accusationis suspicio, Cardinales,

319 Ne ullum remaneret imposterum inustæ calumniæ vestigium, certarunt encomiis ac honoribus onerare Columbinum, qui deferre ipsos poterant, Urbanus & Cardinales Avenionensis & Massilienſis ante alios; atque ut quotidianis & privatis publica quoque accederent optimæ existimationis testimonia, Avenionensis die natalis Præcursoris Domini festa suasit, uti juxta religiosorum morem bini & bini ad sacellum Pontificale se conferrent, ac destinato loco interessent solemni sacro, ubi aspectu cæremoniarum commodùm fruerentur.

E *aliique viri primarii Columbinum & socios singulari honore afficiunt;*

320 Secundum has abire volentes apud se tenuit ac in palatium deductos unà secum prandere omnino coëgit, tantamque ex eâ consuetudine voluptatem cepit, ut paulo pòst minus devotè minusque jucundè celebratum iri sanctorum Petri & Pauli festum existimaverit, nisi rursus ad sacrificium à Pontifice litandum advocarentur, & eo absoluto, domi suæ convivio exciperentur. Hujus humanitatem æmulati alii viri primarii cum Joanne aut sociorum aliquo frequenter agere, honore prævenire, ipsorum se commendare precibus, quæque alia præstare officia, quæ frænum maledicentiæ obtrectatorum injicerent, popularibus argumento essent innocentiæ & incitamento amoris.

quin imo ipse summus Pontifex

321 Itaque liber & ab omni macula purus in suis incunabulis Ordo decorem suum posteris transmittebat; verùm ad illum tuendum satis prævidebat Columbinus, opus esse stabili forma aliqua præscriptoque vivendi ab Apostolica Sede probato confirmatoque. Eapropter & ipse per se & per Avenionensem Cardinalem solicitare Pontificem reverenter instituit, dignaretur maximi momenti negotio consilii & favoris sui benignitate præsto esse, ut quemadmodum vestiendi, ita & vivendi modus crederetur ortum à cælo habuisse, si auctoramentum à cæli Janitore simul haberet. F

novam ejus congregationem probat ac laudat,

322 Obsecutus est honestissimæ postulationi Pontifex, responsumque per eumdem Cardinalem Avenionensem ad votum redditum; & illud singulariter inter monita positum, ne gregatim deinceps per orbem discurrerent, quod multitudo in itineribus pluribus incommodis sit obnoxia, & confusione aliqua carere omnino nequeat: liberam ipsis facultatem fieri, sive intra mœnia complexumve civitatum ac oppidorum, sive foris in aperto domos erigendi, quibus certus pro ipsorum arbitrio commodoque sodalium alatur numerus, ut propriis legibus ac disciplinâ usus, ceterorum cœnobitarum more, feliciter adolescat, proximorum saluti Ecclesiæque splendori in millia crescat, & in gloriam Dei ac Salvatoris Jesu Christi prosperè perennet.

à quo cum juxta consilium episcopi Tifernatis

323 Quæ & similia cum ingenti gratiarum actione gaudioque acceptata sunt, & quæsitissimo studio posthac observata. Et quamvis in mentem venerit de privilegiis insuper agere, quæ impetrari ex facili à benevolo Pastore poterant, nihilominus

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

lominus abſtinendum à poſtulato, in præſentia prudentiores amicorum cenſuere, quos inter Butius Tifernatium epiſcopus *d* (ut meminiſſe ſuperius oportuit) repetitis epiſtolis ſignificavit, conſultius eſſe, ac modeſtiæ, quam profitebantur, congruentius, prærogativis in præſens carere, & virtutum copiâ abundare, quæ tutum eſſent ſodalitatis tum naſcentis præſidium, & adverſus externos impetus munimentum.

d

tunc nil ultra petendum judicavit Columbinus, obtentâ illius benedictione,

324 Placuit conſilium Columbino, qui tametſi in optatis haberet cum ſplendido patrono & ſincero amatore coràm animi ſui cogitata magni ponderis conferre, dilato tamen indies, quem præſtolabatur, adventu, & dein propter occupationes ejus penitus deſperato, ſtatuit Viterbio cum ſuis diſcedere: atque ut honeſtiùs abirent, induti veſtibus, quas nuper acceperant à Pontifice, agmine compoſito per publicas plateas ad pedes illius oſculandos proceſſere, à quo magna comitate admiſſi & fauſta benedictione impertiti, plura audiverunt, quibus pium inſtitutum dilaudatum, & perſeverantia in eo tuendo commendata fuit.

B

Cardinalibus aliisque ſuis benefactoribus valedicit, Senas reverſurus.

325 Juſſit inſuper abeuntibus pro viatico, & panno emendo pecuniam ſuppeditari, quam reſpuere nefas putavere, utpote à ſupremo Præſide Eccleſiæ donatam, cui titulum paupertatis objicere intempeſtiva in recuſatione excuſatio videri poterat. Salutatis poſthac Cardinalibus Avenionenſi ac Maſſilienſi, necnon prælatis aliis, quorum experti erant benevolentiam ac patrocinium, agminatim ſupplicantûm more nomen Domini benedicentes, iter per viam urbis præcipuam inſtituêre. Cum ad eos conſpiciendos copioſa populi turba ſe effunderet, & de diſceſſione dolorem plures lacrymis teſtarentur, ſalutem omnibus apprecati, viam, quæ Senas ducit, ingrediuntur.

ANNOTATA.

a *Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1317 *num.* 56 *de hac hæreſi ſic ſcribit:* Exeunte hoc anno, III Kalend. Januarias, damnavit Pontifex varias pſeudo-religioſorum ſeu Fraticellorum ſectas, quæ fucatæ pietatis lenocinio veram ſanctitatem labefactabant. *De variis Fraticellorum ſectis ac erroribus vide ibidem eumdem auctorem numeris ſequentibus.*

C b *Is juxta Pignam lib.* 3 *de Principibus Ateſtinis pag.* 232 *erat Armannus cognomento Pungilupus, de cujus hæreſi & punitione poſt mortem ibidem meminit. Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1301 *num,* 25 *de eodem hypocrita diu poſt mortem exhumato ſic ex alio narrat:* Tradit Bernardus, hoc anno Armanni, aliàs Hermanni, cujuſdam hæretici corpus, quod Sanctorum honoribus annis triginta ſupra unum Ferrariæ ab imperita plebecula cultum fuerat, ſacræ fidei cenſorum juſſu exhumatum ac publicæ combuſtum fuiſſe; ejuſque aram, quæ magnificè adornata erat, everſam & disjectam fuiſſe.

c *Hæc & alia ad hanc accuſationem ac diſcuſſionem pertinentia ipſe B. Joannes exponit in litteris ad abbatiſſam & moniales S. Abundii datis, quæ apud Joſephum Bonafede lib.* 3 *cap.* 18 *à pag.* 297 *Italicè legi poſſunt.*

d *De hoc Tiferni epiſcopo ſuperius egi, & hic ſphalma, ni fallor, typographicum correxi.*

CAPUT XXIII.

Reverſio B. Joannis Columbini ad urbem Senenſem, morbus in itinere, pia teſtatio ante ſumptionem ſacri Viatici, & poſtrema ad diſcipulos ſuos monita.

Beatus Viterbio Senas rediturus,

CUnctis, ob quæ Viterbium venerat, ex voto & ſupra votum feliciter tranſactis, Senas poſtliminio redire aggreſſus, ad meliorem patriam de medio itinere revocatur. Eâdem, qua Viterbio pedem extulerat, die XXII Julii anno MCCCLXVII ad lacum Vulſinium *a* pervenit, quò invitabat temporis ac loci ſanctitas; ſiquidem feſtum D. Magdalenæ celebrabant incolæ, cui dicatum templum ſuis adjunctum ædibus ſanctimoniales habebant; eòque libentiùs divertit, quò propenſiori ſtudio cultuque divam Pœnitentem, tamquam patronam præcipuam, proſequi diu longè aſſueverat, vel hoc nomine, quod propitiam erga illos potiſſimùm rebatur, qui de peccatorum cœno emergentes, ejus ſe clientelæ commendant: & pars idcirco ſolennitatis illius, quotannis repeti ſolitæ, eſſe cupiebat.

a

E

in itinere corripitur febri,

327 Ibidem inter divinam hymnodiam tentari febriculâ cœptus eſt, quæ diei reliquum ac totam ſequentem noctem tenuit, ac deinceps per ſua incrementa invaluit. Initum interim à ſodalibus ſedis mutandæ conſilium eſt, & Aquam pendentem *b*, haud longo intervallo diſſitam, quàm commodiſſimè lentiſſiméque tranſvehendi, ubi & aura ſalubrior, & medicorum medicaminumque copia uberior profutura incolumitati ſperabatur.

b

quæ dum paulatim creſcit,

328 Eò igitur à mœſtis ſodalibus deportatur; ab honeſto cive, Ambroſio Joannis dicto, hoſpitio recipitur, & ea diligentia curatur, quam ab amantiſſimis filiis erga patrem ſanctiſſimum exſpectari par erat. Verùm medicamentis omnibus & curæ quantumvis exactiſſimæ morbus præpotuit, & hactenus degravavit, ut ſpem ſalutis penitus nullam reliquerit, lætitiam exultantis de obitu animi minuere non potuerit.

F

ſacro Viatico muniendus

329 Nulla deficienti ſolicitudo corporis, mentis ad cæleſtia converſæ deſiderium ingens erat reſolutionis hora & migratio in æterna tabernacula, in quæ ut deduceretur à veniente Domino, paravit ſe ad occurrendum illi piaculari confeſſione & ſacri ſumptione Panis incredibili cum pietatis ſenſu obitis, quam factum inſolens reddidit memorandam: cum enim ſacerdos conſuetâ fidelibus pompâ myſteria veneranda ad decumbentem detuliſſet, & circumſtaret corona comitantium accenſa funalia manibus prætendens, precibuſque præmitti ſolitis intendens; en repentè ægrotus lecto ſe ejicit, ac in genua procidit.

diſcipulum, olim tabellionem, conficere jubet inſtrumentum.

330 Tum appenſo ad jugulum cingulo ſuppliciter expoſcit, tantulum ſibi ſpatii indulgeri, dum quædam dictentur, quibus poſtrema ſua voluntas veluti teſtamento declaretur; ſimul Benedictum à Pace Tifernatem, quem tabellionem in curia epiſcopi ſupra egiſſe diximus, obſecrat, ut dictata excipiat, tabuliſque conſignet, non ſecus

quam

A quam olim teſtamenta codicilloſve conficere & ſigillo munire conſueverat.

in quo coram augustissimo Eucharistiæ Sacramento

331 Morem geſſit probus diſcipulus Magiſtro inuſitata petenti, & teſtamentum exaravit, ut teſtator dictabat, cujus partem præcipuam hîc attexere operæ pretium viſum eſt, haud minus fructuoſam, quam jucundam lectori futuram: " In ,, nomine Domini Jeſu Chriſti crucifixi. Amen. ,, Anno à Chriſti nativitate MCCCLXVII, indictio- ,, ne quinta, Urbano quinto Eccleſiam guber- ,, nante, die XXVI Julii. Omnibus has tabulas in- ,, ſpecturis notum ſit, quod juſtus & venerabilis ,, vir Joannes Petri Columbini Senenſis, æger ,, quidem corpore, ſed mente ſanus, genibus ,, flexis alligato ad collum cingulo malefactorem ,, teſtante, ante auguſtiſſimum Sacramentum, ,, quod manu apprehenſum tenet ſacerdos, no- ,, mine Joannnes de Sclavo nuncupatus, rector ,, eccleſiæ S. Angeli de foro Aquæpendentis, ,, hæc, quæ à me hîc ſcribuntur, coram teſti- ,, bus effatus eſt.

profeſſionem orthodoxæ fidei emittit,

B 332 ,, Ego Joannes in conſpectu Domini no- ,, ſtri Jeſu Chriſti fateor, me ingratum fuiſſe be- ,, neficiis à Deo acceptis, peccatoremque eſſe o- ,, mnium peſſimum ac inferno dignum: nihilo- ,, minus magnam ipſius miſericordiam mente re- ,, colens, veniam & vitam æternam conſecuturum ,, me ſpero. Verum eſt, & in fidem veritatis pro- ,, fiteor, credere me in Patrem & Filium & Spi- ,, ritum ſanctum; & pro certo habeo, quidquid ,, Eccleſia ſancta Romana tenet, ac Urbanus ejus ,, Paſtor, Cardinales ipſius in Domino fratres, ,, ceterique prælati ejus.

auctoritatem eccleſiæ Romanæ agnoſcit,

333 ,, Teſtor pariter ex quo paupertatem pro- ,, fiteri cœpi, vitæ hoc inſtitutum elegiſſe ad ho- ,, norem Domini Jeſu Chriſti, exaltationem ſan- ,, ctæ matris Eccleſiæ, beatiſſimi Papæ Urbani ,, quinti, Cardinalium fratrum ejus, ceterorum ,, prælatorum ac paſtorum, quibus hactenus ob- ,, ſequentem me præſtiti & ad mortem uſque præ- ,, ſtiturus ſum, tamquam Domini vicem in ter- ,, ris gerentibus: hæc quippe via eſt, quæ ducit ,, ad vitam; & apud me certum eſt, omnes ab ,, ea deflectentes, & inficiantes, eorum defini- ,, tiones atque decreta à Deo per ſancti Spiritus ,, infuſionem manaſſe, ideoque violare ipſa au- ,, dentes, non eſſe inter fideles numerandos, nec ,, pro Catholicis habendos; neque dubitandum, ,, quin qui in hæc abſurda ſponte labuntur, mem- ,, bra ſint à Chriſto diviſa.

C *ſocios conſtantem ejusdem Eccleſiæ veneration em commendat,*

334 ,, Hanc ob cauſam ſi quid forte aliquando ,, peccatum à me ignoranter eſt, verbo factove ,, Paſtorum iſtorum voluntati repugnans, doleo ,, vehementer, & veniam ſuppliciter expoſco ac ,, pœnitentiam à te, optime Joannes Dei ſacer- ,, dos, tametſi nullius id generis culpæ voluntа- ,, riè admiſſæ mihi ſim conſcius. Præterea animam ,, & corpus meum in ſanctæ matris Eccleſiæ ac ,, paſtorum ejus ſinum conjicio, & hinc mihi ,, magna fiducia vitam æternam conſequendi; me- ,, is verò fratribus ac ſodalibus, tam præſentibus ,, quam abſentibus, commendatum pervelim, ,, ut ſicut hactenus fidem Eccleſiæ ac Paſtoribus ,, debitam ſervavere, ita poſthac firmiter ipſis ,, adhæreant: ſi enim ſe ab iis divelli paterentur, ,, haud dubium, quin à Chriſto divellerentur.

de denique moniales S. Abundii laudat.

335 ,, Poſtremò quia virtus invidiæ patet, ,, conſcientiæ duco ad illius defenſionem teſtifi- ,, cari & indubitanter aſſerere, ſanctimoniales ,, monaſterii ſancti Abundii, non longè ab urbe ,, Senenſi poſiti, in quo filiam meam pluresque ,, agnatarum virginum collocare gaviſus ſum, & ,, ubi ego meique ſocii frequenter ſunt verſati AUCT. JO- ,, non ſine fructu, quem ex earum documentis AN. BAPT. ,, exempliſque hauſimus: has, inquam, auſim ROSSI. ,, affirmare inter religioſas virgines optimas cen- ,, ſendas, verè Chriſtianiſſimas, puras & ſanctæ ,, matris Eccleſiæ amantes, honeſtiſſimas, ſi quæ ,, aliæ in mundo ſunt, pœnitentiæ deditas, ca- ,, ritati ſtudentes, liberales in eleemoſynis, ſpi- ,, ritu pauperrimas, nihil proprii apud ſe haben- ,, tes, quamvis communibus bonis affluant ,,.

Ægro, devote ſuſcepto Chriſti Corpore,

336 Quæ omnia clauſulis ex legum præſcripto in fine apponendis obſignata fuere, appellatis ſingillatim teſtibus, & ſigillo munitis tabulis, veluti ſi teſtamentum confectum eſſet *c*, in quo hereditas & legata partienda relinquantur. Inde oculis & animo ad ſanctiſſimam converſis Hoſtiam, ea reverentia, demiſſione, ardoreque ſuſcepit, quæ lacrymas, è tenero ſenſu pietatis fluentes, adſtantibus elicuit. Et morbi quidem gravitati convenire magis videbatur quies atque curatio in eodem loco; aſt vehemens reviſendi Chriſti famulas, ſibi dilectas ſancti Abundii moniales, & ſpiritum apud ipſas emittendi cupiditas impellebat ad iter, & quod impendens erat à motione periculum, ſociorum cura ac dexteritate averti poſſe facilè ſuadebat. E

ad alium pagum à ſociis transfertur,

337 Mane igitur XXVII diei Julii Aquapendente digreſſi ſocii pium Parentis ægroti pondus ad pagum, quem S. Salvatoris abbatiam *d* vulgo nominant, deferunt ac in domo Naldi de Vannis, antiqui ſui familiaris & hoſpitis illac tranſeuntium ſuorum deponunt. Comitabantur nobiles portitores indigenarum plures, qui quacumque tranſeundum erat, avidè confluebant, ut Viri Dei, famâ ſanctitatis ubique regionis illius noti, aſpectu fruerentur, & ope, ſi qua poſſent, infirmum juvarent.

ubi rurſus à ſuo diſcipulo legitimum confici jubet inſtrumentum,

338 In eo domicilio non potuit non experiri & hoſpitis benignitatem & miniſtrantium ſodalium caritatem; ſed intendens ſe febris & virium vigor remittens, mortem denuntiant eſſe vicinam, nec tam de monaſterio, quam de paradiſo cogitandum. Neque tamen illius oblivиſci penitus in morte potuit, quia corpus ſuum mandari ſepulturæ in eodem voluit. Rurſus igitur Benedictum à Pace accerſit, rogatque, ut jam perſcriptis ac obſignatis tabulis hæc inſuper adjungat, quibus conſtet, quonam in loco ſepulcrum ſibi vivens elegerit; ne liberum mortalium ulli ſit pro ſuo placito aliud deſignare. Scriptæ illæ ſunt, uti priores, quas recitavimus; ſervata examuſſim ſcribarum lege in temporis, loci, teſtium, notarii circumſtantiis enucleatè diſtinguendis, quæ in linguæ vernaculæ exemplaribus minutim exarantur *e*. F

e

in quo locum & modum ſepulturæ ſuæ præſcribit,

339 Aſt ſumma illarum eſt, primò quidem mentis ſuæ eſſe, ut humi cadaver condatur prope murum clauſtri monaſterii ſancti Abundii ad eam partem, qua patet egreſſus in aream ab horti illius porta, qui locus calcantium pedibus obvius, interpres voluntatis fuit hominis continuate cupientis humilitatem animi, triumphantis in funere corporis more pauperum tumulandi. Deinde mandavit emortui cadaver canabino integumento obvolutum, ligatis poſt tergum manibus, aſello impoſitum illuc deportari. Et ipſe quidem conſentanea primæ converſioni litatione operari ſui deſpicientiæ & mundi contemptui etiam in extremis optavit; attamen Deo placuit ſepulcrum ejus glorioſum reddere, cujus fuit in ſuo conſpectu mors pretioſa.

Socios adſtantes monet,

340 Etenim qui ſecutus erat in vita ſua Salvatorem agendo patiendoque pro illo dura & aſpe- ra,

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

ra, imitari non est oblitus in morte, cum salutaria monita suis fratribus relinquendo, tum appetente obitûs hora cælesti planè oratione circumstantes sodales de lectulo ita ferme alloquendo: "
„ Dilectissimi patres & fratres in Christo Jesu:
„ Non obscurè, opinor, Dei ad se vocantis vo-
„ luntatem advertitis, cui nos acquiescere æquum
„ est, tamquam vitæ ac mortis dominium haben-
„ ti, & cuncta summâ cum justitia ac sanctitate
„ disponenti.

ut post suam mbriem Francisco Vincentio obediant,

341 „ Nolite existimare, vaticinium vobis dictum; Percutiam pastorem & dispergentur o-
„ ves gregis: mihi etenim pastoris nomen aut mu-
„ nus non arrogo, qui nec alios novi regere &
„ corrigi ipse meteor, tametsi vos pro vestra hu-
„ militate ac modestia patienter me tolerastis: ac
„ ceteroqui solatio vobis oportet esse, quod plu-
„ res inter vos sunt, quos sufficere mihi vestro
„ cum emolumento potestis: & unum appellare
„ libet Franciscum Vincentium, quem ut anti-
„ quitate primum, ita & prudentia & amore pa-
„ trem & sapientia magistrum præstare posse quàm
„ idoneum existimo. Ipsi tamquam præceptori au-
„ scultate ducemque sequimini, à quo per vias
„ rectas virtutis & perfectionis deducemini.

B

errdtorum suorum veniam petit,

342 „ Quod ad me attinet, obsecro vos,
„ quotquot adestis, & per vos, qui sunt absen-
„ tes, rogo, filii suavissimi, ut per amorem
„ Domini Jesu errata mea mihi condonetis, si
„ quem asperiùs aliquando correxisse contigit,
„ aut leniùs, quam par erat, exceptum emenda-
„ re prætermisi, vir scilicet illitteratus ac idiota.
„ Si dicto factove quempiam offendi, aut aliter
„ peccavi, accusare me non pudet, & veniam
„ à vobis per Jesum Christum crucifixum humi-
„ liter deprecor, & deprecarer libentius ad pe-
„ des vestros provolutus, si per spiritus labentis
„ languorem erigi daretur & procumbere.

& illis mutuam caritatem, humilitatem,

343 „ Obsecro etiam vos quam vehementer
„ ex animo possum, ut diligatis invicem, quia
„ præceptum Domini est. Nemo appetat inter vos
„ major esse; quicumque major esse appetet,
„ minor erit, & qui se humiliaverit, exaltabitur.
„ Assiduè ante mentis vestræ oculos Jesu Christi
„ & Apostolorum ejus vita versetur, & ad hoc
„ diligenter incumbite, ut illam moribus ac imi-
„ tatione exprimatis: id enim facientes verè Je-
„ suatæ eritis. Omnis vestra operatio ad laudem
„ Jesu Christi dirigatur & nomen ejus non rece-
„ dat ab ore & corde vestro, etiam cum vos ex-
„ terior detinet occupatio. Oro præterea vos, ut
„ usque in finem perseveretis non deficientes:
„ qui enim perseveraverint, salvi fient. Estote
„ fortes Christi milites & generosi equites, &
„ ejus muniti gratiâ pugnate adversus tentationes
„ antiqui serpentis, mundi & carnis, certi quod
„ fidelis est, qui non patietur vos tentari suprà
„ id quod potestis „. &c.

C

aliaque virtutum exercitia inculcat.

344 Plura addidit ad hæc eadem inculcanda, ut firmius menti hærerent; qualia sunt doloris actus ex peccatorum memoria frequenter excitandi, recta intentio in opere quolibet procuranda, novissima hominum sæpius recolenda, Sacramenta sancta ritè obeunda, & in festis præsertim solemnioribus numquam intermittenda, & id generis alia, in quibus prolixè explicandis liquidò constat, animi vigorem corporis ægritudini imperasse, & Dei ac proximi amorem in virium defectione minimè defeciss.

345 Post habitum namque in communi sermonem, conversis in Franciscum oculis, sic ipsum alloquitur: " Mi dilectissime in Christo frater.
„ Non te latet, quamdiu & quam sincerè mutuâ
„ nos caritate foverimus, non ob sanguinis affi-
„ nitatem, quæ inter nos intercessit, sed ob so-
„ lum Jesu Christi amorem, qui nos conjunxit
„ in dilectione. Eapropter per ejusdem Jesu Chri-
„ sti crucifixi amorem majori, quo possum, ar-
„ dore precor, ut fratres ac filios nostros, quos
„ Deus in manus nostras tradidit, post obitum
„ meum commendatos habeas.

D

Deinde Francisco Vincentio

346 „ Bene nosti, quanta cum fiducia curæ
„ nostræ seipsos crediderint; nimirum arbitran-
„ tes, nos esse veros Dei servos ac fideles Christi
„ ministros, omnibus, quæ in mundo habebant
„ vel habere poterant, etiam parentibus ac pro-
„ pinquis, derelictis, proprias exuere voluntates, & arbitrio ac imperio nostro ea submitte-
„ re; ideoque devinxere nos ad se amandos, &
„ curam de ipsis non secus ac de nobis sedulò ha-
„ bendam. Neque dubium est, ante Dei tribu-
„ nal teneri nos rationem de illis reddere, cum
„ tempus judicii advenerit. Ego quidem viam u-
„ niversæ carnis ingredior; sed tibi vices delego
„ meas, ut sis illis tamquam bonus pater, & pa-
„ stor exemplo ac doctrina instruens, humanita-
„ te fovens, hortatione confortans, ut, divina
„ adspirante gratia, per adversa & prospera ad por-
„ tum salutis provehantur „.

E

congregationis suæ curam commendat;

qui ipsum rogat, ut brevi mortem sibi à Deo impetret.

347 Ad quæ Franciscus illacrymans, " O dul-
„ cis, inquit, & dilecte Pater, tua mellita ver-
„ ba sagittæ sunt ferientes cor meum; non qui-
„ dem quod gravatè suscipiam pauperum fratrum
„ & sodalium nostrorum curam: eos enim in ca-
„ ritate diligo, & servire maghopere exopto; sed
„ quia sine te & sine suavissima tua consuetudine
„ vita mihi morte acerbior est futura. Præterquam
„ quod non sim nescius, quam impares sint one-
„ ri huic vires meæ, & quam modicus fructus
„ ex meo regimine sit sperandus. Idcirco per eum,
„ quo me hactenus prosecutus es, amorem ob-
„ nixissimè à te, Pater, peto, ut qua polles apud
„ Jesum Christum gratia, impetres mihi ab eo
„ velocem de hoc seculo in æternum migratio-
„ nem „. Cumque supplicationes precibus aggeraret, id obtinuit, ut polliceretur moriturus suam apud Deum operam intercessionemque ad id, quod tantopere optabat, assequendum *f*.

f

Post hæc, quibusdam sacerdoti clam indicatis,

348 Tum Joanne Sclavo sacerdote seorsim ad se vocato, secedere tantisper adstantes rogat, ne audiantur, quæ aurium secreto committenda censet, & uni soli aperienda. Et conjectura fuit non ex vano, apertos sacerdoti esse futuros rerum eventus revelatione acceptos ea conditione, ut mortalium nulli, præterquam D. Patulæ, sancti Abundii abbatissæ, manifestaret. Ut cessatum ab alloquio privato fuit, ad lectum decumbentis redire circumstantes festinavere, & quamquam, defluente corpore, mors imminebat, tamen frigentibus artubus, ardor animæ fervebat in pectore, & repetere cum amatis filiis colloquia sacra cogebat.

F

coram Francisco aliisque sociis ultima monita repetit,

349 Et Francisco quidem singillatim superstitem familiolam rursus impensè commendare; reliquos verò ad patientiam ac ad amorem Dei & proximorum, ad perseverantiam hortari; denuò veniam erratorum suorum omnium efflagitare, cunctis, qui de congregatione sunt, eruntve, solemni sanctissimæ Trinitatis nota recitata bene precari. Inter hæc dolor, qui in filiorum præcordiis sæviebat, ora lacrymis, cubiculum suspiriis ac singultibus replebat; quæ causa fuit, ut iterum aridam jam ac languidam linguam in verba solveret, quibus placidissimè mœstos solaretur, & ad tolerandas vitæ præsentis molestias æternæ

spe

A ſpe & præmiis animaret.

inter quæ monjales S. Abundii iterùm laudat.

350 Et quia ubi cor eſt, eò ſæpe lingua recurrit, renovata monaſterii ſancti Abundii commendatione, laudavit ſanctimoniales effusè, non eò, ut familiaritatem cum ipſis nimiam contraherent; ſed ut præſto eſſent egentibus, inſervirent ſuam operam expoſcentibus; ceterùm rarò & graviter cum feminis etiam Deo ſacris verſandum hoc ultimo ſermone monuit. Tandem Franciſco ſuaſit, ut eumdem ſecum ſepulturæ eligeret

g locum *g*, ut quorum animas paupertatis ſpiritus & amor Chriſti copulaverat in vita, corpora nequaquam ſepararentur in morte: & pollicitatione à mœrente Franciſco præſtita, iteravit benedictionem, & loqui ac vivere deſiit inter mortales, victurus in æternum cum immortalibus.

ANNOTATA.

a Lacus Vulſinius *vel* Volſinius; *Italicè* il lago di Bolſena, *ſic dictus à propinquo oppido Vulſinio, jacetque in ditione Eccleſiæ & in ducatu Caſtrenſi non procul ab agro Urbevetano. Lacus iſte fermè eſt*

B *rotundus, & in circuitu viginti milliaria complectitur.*

b *Hæc urbs Hetruriæ, vulgò dicta* Acqua pendente, *ſita eſt ad Paliam fluvium in ditione Eccleſiæ & provincia Patrimonii; diſtatque ſex milliaribus à lacu Vulſinio. Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ pag.* 104 *de ejus nomine & ſitu hæc habet:* Deinceps in via, quæ Senâ Romam ducit, citra Paliam flumen Aquapendens occurrit, quod oppidum Volaterranus Aquulam à Ptolomæo deſignatam eſſe judicat, Plinii teſtimonio nitens, qui Aquaſeſes cognomine Taurenos (non tamen ut Volaterranus legit Aquuleſes) memorat.

c *Poſt præcedens teſtamentum, quod Feus Belcarus cap.* 45 *Italicè exhibet, ibidem ſequuntur clauſulæ conſuetæ & teſtes nominatim exprimuntur.*

d *Suſpicor, hunc locum in mappa geographica Joannis Antonii Magini deſignari, per nomen Italicum* Badia, *quod abbatiam ſignificat. Saltem pagus hujus nominis ibi notatur in via, qua à lacu Vulſinio vel Aquapendente Senas itur.*

e *Hoc inſtrumentum, cujus ſynopſin Roſſius hîc tradit, apud Feum Belcarum cap.* 47 *Italicè unà cum clauſulis & teſtibus integrum legitur.*

C f *Franciſcus Vincentius brevi poſt mortem B. Joannis obiit juxta deſiderium ſuum, ut Morigia lib.* 1 *Hiſt. Jeſuat. cap.* 62 *& ſequente, aliique biographi ſæpe laudati tradunt.*

g *Sepultus eſt in monaſterio S. Abundii circa tumulum beati ſui Magiſtri, ut Roſſus part.* 3 *cap.* 4 § 2 *refert.*

CAPUT XXIV.

Pius B. Joannis obitus, indicia ſanctitatis poſt mortem ſecuta, honorifica exſequiæ, & ſepultura in monaſterio S. Abundii.

Anno 1367, *die* 31 *Julii*

DIes trigeſima prima menſis Julii anno MCCCLXVII fuit ultima vitæ Columbini, & prima æternitatis, poſtremâ carituræ. Exercuerat ejus patientiam febris malignitas à feſta divæ Magdalenæ luce, uti narratum eſt, ad finem uſque menſis numquam intermittens; quod totum intervallum præparationi ad exitum de Ægypto miſeriarum ab ægro datum, numquam à multis annis ad illum imparato. Nulla illi de corpuſculo ſolicitudo, niſi forte ut etiam tum malè haberetur, tota curatio alienæ caritati relicta, quæ parca eſſe non poterat, ubi filiorum amantiſſimorum caritas abundabat. AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

extremis ſacramentis munitus, pie moritur,

352 Sacramentis reliquis jam munitus, ſacro oleo, quo roboratur ad luctam decretoriam animus, inungi voluit, ſemper ſibi præſens & integris ſenſibus, ceu cum bene valebat. Sacerdotem rogat, ut conſuetas Eccleſiæ preces, opportunum decedentibus ſubſidium, recitet, & Dominicæ paſſionis hiſtoriam percurrat: quæ dum præſtantur, procul omni ſtridore, qui mortalem metam ſolet antecedere, inter ſuaves anhelitus & aſpirationes, inter mellita nomina, JESU, MARIA, ad illa verba IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM placidiſſimè obdormivit in Domino.

quam mortem variis ſanctitatis ſignis ſubſequuntur.

353 Conſecuta ſunt ſigna ſalutis & divinitatis cujuſdam, ſerena faciei imago, color ſupra humanum nitidus vultu inhærens, labra blandè renidentia; tota oris ſpecies tamquam lætitiâ geſtientis animæ & ſuam gloriam gratulantis; mirifica inſuper fragrantia ab exuviis mortalitatis halans & cubiculum afflans; odor à veſtimentis & rebus aliis à vivente contactis emanans, & quod magis mirati domeſtici fuere; ipſe matellæ inſtillatus humor opobalſamis odoratior inventus poſt quindecim ab exceſſu dies *a*: facti ſeries narratur ab aliis; mihi ſatis eſt ſolis divini radium, in recrementi vilitate ſe prodentem, verecundè ſtrictimque advertiſſe, ut diſcat lector effuſam Dei benignitatem in ſuos amicos agnoſcere, ac mirari etiam in luto & cœno.

Mœſti ipſius ſodales

354 Ad illa tam manifeſta tamque conſpicua cæleſtium favorum ſigna conſternati mœrore ſocii, haud poterant non lætari; non tamen eatenus, ut omnem vim doloris abſtergerent, aut impetum valerent ſiſtere lacrymarum. Laxandæ iis omnino habenæ fuere, ac naturæ ſuum infortunium in mortuo Parente deploranti pro tempore indulgendum. Franciſcum ſanè planctus ac lamentatio miſerabilis penè exanimabat: nulla illi conſolatio, aut aliud doloris cor opprimentis levamen, quam in amplexus defuncti ruere, hærere vultui, manus ac pedes oſculari; & quaſi cum eo ſepeliri vellet, non poterat abſtrahi à dilecto ſuo, neque finem ponere gemitibus & exuberanti fletui ſuo. . . . . F

deliberant, an funus parandum ſit eo modo, quem Beatus præſcripſerat;

355 Ubi ſatis dolori & lacrymis datum eſt, cogitandum de funere fuit, & illicò dubitatum, an ad eam parandum formam, quam paulo antè viventi patiendi cupiditas & humilitatis amor abjectam deſpicabilemque delineaverant, & immutabilem teſtamentarii chirographi robore ipſe voluerat; an potius par eſſet cum eo educi decoro, quod homini claro genere, virtutibus clariori, ſanctitate ac miraculis clariſſimo debebatur.

ſed communi conſilio ſtatuunt, illud honorificè efferendum eſſe,

356 Collatis ergo inter ſe ſententiis, & aliorum etiam gravium virorum exploratis, in eo omnes conſenſere, laudandam quidem maximopere generoſi animi demiſſionem, continuare meditantis in cadavere triumphos, quos de ſeculi faſtu ac vanitate ſuperſtes egerat; ceterùm damnatum iri exſecutorum teſtamenti imprudentiam, ſi ſtellis & cælo dignum corpus, mundiſſimum ſancti Spiritus habitaculum, ligatis poſt terga manibus jumento impoſitum efferretur.

AUCT. JOAN. BAPT. ROSSI.

357 Honestius ergo initum consilium est, statutumque in commune, ut arca in feretri modum compingeretur ex tabulis, in eaque sacrum illud depositum conderetur, quod impositum ipsi humeris per vices partito onere, Psalmos alternis canentes, ad divi Abundii deportarent: cujus deliberationis vulgato rumore, accurrere confestim turmatim viri feminæque ætatis & conditionis omnis, oscula defuncti manibus admovere, ejus commemorare facta, ter sanctum prædicare. Abbas ipse S. Salvatoris & populi primores publico nomine cerea funalia ad honestandum funus donavere, quibus accensis, instituta pompa supplicationis ad sanctum Quiricum *b* milliaribus aliquot à sancto Salvatore dissitum tendit; indeque post modicam quietem Senas perventum, &, urbe intacta, ad monasterium sancti Abundii rectà processit agmen, quod effundentibus se ex circumjectis pagis villisque, qua transibatur, turbis immensum creverat.

atque ita sacrum corpus cum funebri pompa ad monasterium S. Abundii transferunt.

b

358 Præstolabantur avidè sanctimoniales adventum mortui, quem cariorem sua oculorum luce viventem habuerant; atque ut propius distanti licuit obviam procedere, qua putas pietate, qua affectûs teneritudine novum Hospitem auro mundique totius præhabitum divitiis excepere? Sanè ut pronior ad devotionem, & mollior ad dolorem ac lacrymas sexus est, iis effusè ora proluere & damna quæque sua nec non communia plorando percensere.

Dum moniales S. Abundii,

B

359 Antistita imprimis Paula fracto animo, interruptis crebro singultu verbis, plura super defuncto dicere, quæ prudens ante mortem silentio præsserat; & hoc unum præter alia lamentari, quod diu frustra optasset ardenter cum eo vel semel colloqui, quocum non levis arcana momenti fuerat collatura. Subibat animo amor ardens erga Deum & homines, pœnitentiæ rigor, benignitas, humilitas, mundi contemptus, & inaudita pluribus seculis divini nominis exaltandi cupiditas, & quæ à nullis exspectanda putabant, singularis in divi Abundii cœnobium benevolentia, cura, præsidium, quæ mors dira falce præciderat.

earumque abbatissa;

360 Inter quas complorationes pervagata per urbem fama turmas integras ad visendum colendumque corpus illud venerabile traxit; sed omnium celerrimè Blasiam conjugem antiquam suam *c*, quæ duodennium in sua viduitate, hoc est thori separatione, Domino deservierat. Quis hîc pari affectionibus stylo præcordiorum commotiones; quis viscerum contorsiones ad amantissimi olim Mariti conspectum; quis largos fletuum rivos fando vel scribendo explicet, etiamsi in fontem illam lacrymarum, vel, ut Niobem alteram, in lapidem vi doloris migrasse finxerit?

& ipsa B. Joannis uxor,

C

c

361 Amaverat initio suaviter, uti sponsum; fortiter deinde ex sponso fratrem in spiritu; religiosè demum, ut intimum Dei familiarem & cælitibus carum: ex qua trina amoris magnitudine in promptu est doloris mensuram sumere, & lacrymarum copiam ex conditione feminæ naturâ tenerioris, quæ vitæ partem inter conjugalia officia duxerat, partem non exiguam divinæ servituti, eo auctore ac hortatore, concesserat. Itaque tota area confusis undique ploratibus personabat, & erat nihilominus sensûs amaritudine dulcor quidam jucunditasque commixta, quam decor oris & venustas vultûs exanimis in gementium pectoribus pariebant.

sacrum cadaver summo dolore excipiunt,

362 Advenere interim ex urbe sacerdotes linteati ac cœnobitæ complures, ut ex Ecclesiæ ritu psalmodia, cantu, prece multiplici honorificè parentarent. Posthæc sodales, qui quadrageni tum aderant albis vestibus à Pontifice donatis induti, smaragdum illum cælestem arcâ ligneâ compositum efferentes, in fossa prope templi portam, ubi viventem sibi sepulcrum designasse diximus, recondunt, & humo contegunt multis insperfum floribus & odoratis herbarum ramis, non diu pòst gloriosè educendum *d*, & aureis argenteisque thecis inclusum in aris publico cultui exponendum.

D

sacerdotes & socii post solennes exsequias illud condunt sepulcro;

d

363 Hoc enim suæ voluntatis esse divinum Numen, prodigiis ad tumulum ostensis, declarare non est cunctatum, quorum narratio sequenti parti debita est *e*, ut triumphi gloriam de tribus hostibus penitus profligatis ac deletis non eosdem habuisse cum vita terminos innotescat; sed tum magis inclaruisse constet, quando defuncti vis & apud Deum potestas miris nobilitata incrementis supra mortalitatem ac supra mortem ipsam, mortisque invectores rebelles dæmones, se exseruit, ac per ipsos exsangues artus & ossa arida propagare miracula portò perrexit, quæ patrare per inhabitantem in ipsis spiritum diu antea sueverat.

ex quo postea honorificentiùs eductum est, & miraculis coruscat.

e

ANNOTATA.

E

a *Primum istud miraculum, quod hîc Rossus verbo attingit, Belcarus & Morigia fusiùs exponunt, ex quibus illud postea referemus.*

b *Locus ille situs est in Valle Orciæ inter Montem Alcinum & Corsinianum seu Pientiam, occurrit in itinere quo ex Abbatia, vernaculè* Badia, *Senas tenditur, ut in mappis geographicis observare licet.*

c *Blasia post mortem beati Mariti sui aliquot annis piè vixit, & anno* 1371 *condidit testamentum, quo sepulturam in monasterio S. Abundii elegit, ut apud Belcarum cap.* 58, *& Morigiam lib.* 1 *Hist. Jesuat. cap.* 66 *videri potest.*

d *Quamdiu corpus* B. Joannis *incorruptum manserit, & quomodo honorificè è tumulo eductum fuerit, in Commentario Prævio* § 6 *diximus.*

e *Miracula, quæ Rossus hîc alteri parti assignat, in commentario prævio* § 5 *dedimus, quibus jam alia ex Belcaro & Morigia subjungemus.*

MIRACULA,

F

QUÆ AB OBITU BEATI USQUE AD ANNUM MCCCCXXXV CONTIGERUNT,

Auctore Feo Belcaro.

Desumpta sunt ex Italicis ejusdem Beati Actis, Romæ anno 1558 *editis, & à nobis ex cap.* 58 *Latinè reddita.*

B. Joannes, cujus urina post mortem reperta.

PRimum signum, quod Deus post mortem B. Joannis Columbini ostendit, & quo sanctitatem Servi sui voluit manifestare, fuit fragrantissimus odor, qui remansit in eo cubiculo, in quo Beatus spiritum Creatori reddiderat. Domestici autem capere non poterant, unde odor ille proveniret, donec hera post quindecim dies aliquid quæ-

A quærens ſub lecto, in quo B. Joannes exſpiraverat, reperit matulam, qua æger Hoſpes uſus fuerat, & in qua relictum erat nonnihil urinæ, quam ſodales ejus præ nimio dolore foras ejicere obliti fuerant.

ſuavem odorem emittebat,

2 Cum verò memorata hera ſentiret, ſuavem illum odorem ex iſta urina oriri, magna cum lætitia ac devotione matulam accepit, & digniore loco collocavit, eamque domeſtici in pretio habere cœperunt. Interim divulgatâ hujus rei famâ, plures domum illam adierunt, ut de miraculo certiores fierent, & urinam claram atque ſuaviter olentem invenerunt. Elapſo ſex menſium ſpatio, inter alios eò advenit vana quædam puella, quæ faciem lenticulis deturpatam habebat. Hæc cogitabat, ſeſe ab hiſce maculis liberandam, ſi vultum ſuum hac urina tangeret. Itaque temerè in eam digitum intinxit; ſed quia miraculo ad ſuperbiam ac carnis vanitatem abuti volebat, urina illa ſtatim corrupta eſt, & omnem fragrantiam amiſit *a*.

a

B *liberat energumenam, quæ ſepulcrum ejus tetigerat,*

3 Non diu poſt obitum B. Joannis dæmon, neſcio qua occaſione, adoleſcentulam non procul à monaſterio S. Abundii degentem invaſerat, eamque diris modis cruciabat. Accidit aliquando, ut illa adoleſcentula parentes ſuos inſequentes fugiens ad prædictum monaſterium percurreret, ubi volens tranſire ſepulcrum B Joannis concidit exanimis, & ſtatim ab infeſto dæmone liberata eſt. Ipſa autem poſtmodum fatebatur, ſe meritis B. Joannis obtinuiſſe hanc repentinam liberationem, quæ ſtatim per urbem & agrum Senenſem latè promulgata eſt *b*.

b

quo miraculo motæ moniales reliquias illius digniore loco collocarunt.

4 Moniales, viſa hac prodigioſa adoleſcentulæ liberatione, reliquias B. Joannis ſolenniter è priori tumulo educere decreverunt, ut honorificentiore loco collocarentur. Quare accerſiti clerici ſarcophagum aperiunt, & herbas floreſque, quos ſocii ejus quondam ſupra cadaver ſparſerant, omnino corruptos inveniunt; at ſacrum corpus erat integrum ac ſine ulla corruptione, acſi tunc temporis primò ſepultum fuiſſet. Igitur pretioſus ille theſaurus in eccleſiam tranſlatus eſt & impoſitus pulcræ lipſanothecæ, quam uxor B. Joannis fieri juſſerat, & in qua effigiem dictorum beatorum pauperum Joannis & Franciſci *c* unà cum imagine Domini noſtri Jeſu Chriſti depingi curaverat. Id factum eſt ſeptemdecim menſibus poſt

c

C mortem Beati, & ab eo tempore magna populi multitudo ad opem illius implorandam confluebat.

Soror converſa, cui præcidendus erat pollex,

5 Prodigioſum B. Joannis auxilium etiam experta eſt quædam ſoror converſa ejuſdem monaſterii, quæ pollicem tam malè affectum habebat, ut judicio medicorum jam præcidendus eſſet, ne malum ad alia membra ſerperet. Verùm illa ad interceſſionem B. Joannis confugiens, non modò pollicem ſubito ſanatum invenit, ſed etiam unguem, qui deſiderabatur, mirabiliter recepit *d*. Moniales obſtupefactæ ſimul cum chirurgo, qui ad præcidendum pollicem venerat, Deum mirabilem in Sanctis ſuis laudaverunt. Deinde fama hujus ſtupendi beneficii ad urbem Senenſem delata eſt, ita ut plures ad cognoſcendum miraculum eò ſeſe contulerint. Hinc indies ad ſacras B. Joannis reliquias major populi concurſus fiebat *e*.

e

f

mulier à dæmone obſeſſa,

6 Tempore venerabilis Paulæ *f* abbatiſſæ mulier energumena, nomine Nutina, ad ſepulcrum B. Joannis deducta eſt, ut à dæmonio liberaretur. Prædicta abbatiſſa & moniales dæmonem multis orationibus ac verbis urgebant, ut miſeram mulierem deſereret. Denique Paula in nomine Jeſu Chriſti & per merita B. Joannis diabolo imperavit, ut è corpore iſtius mulieris exiret, & certum egreſſionis ſuæ ſignum daret. Sed cum dæmon reſpondiſſet, ſe aſſignatum exitûs ſui indicium dare non poſſe, abbatiſſa aliud ipſi liberum reliquit. Confeſtim itaque feminam deſeruit, & in ſignum diſceſſus ſui tanto ſulphuris fœtore cellam vinariam monaſterii replevit, ut moniales ſpatio trium hebdomadarum illam ingredi non potuerint *g*.

AUCT. FED BALCARO.

g

femina in angustiis constituta,

7 Quando lues anno milleſimo quadringenteſimo *h* graſſabatur, femina magnæ pietatis ac pœnitentiæ, uxor civis cujuſdam Senenſis, qui vocabatur Martinus Simonis, pauperibus peſte affectis dulciſſimum quoddam vinum tam largiter diſtribuebat, ut brevi tempore vas evacuaretur. Cum verò mulier vas vacuum videret, cœpit amarè plangere ac vehementer timere indignationem mariti, ut qui eſſet homo duræ converſationis & auſteris moribus præditus. In his anguſtiis conſtituta, devotè atque humiliter auxilium B. Columbini imploravit, & poſt fuſas preces ſtatim vas tam plenum reperit, ut ipſe Martinus tantam plenitudinem admiraretur.

h

B *& alii in variis neceſſitatibus opem Beati experiuntur.*

8 Cum Marcus Ciotti civis Senenſis liberis careret, commendavit ſe B. Joanni, & paulo poſt uxor ejus concepit, & ſtato tempore peperit filium, cui nomen Jacobi impoſitum eſt. Deinde alterum ex ea filium ſuſcepit, quem Renaldum nominari voluit.

Menſe Julio anni MCCCCXXXV deducta eſt ad monaſterium S. Abundii energumena, nomine Franciſca de Meo, & coram monialibus per interceſſionem B Joannis à tyrannide dæmonis liberata eſt.

Cecchus [filius *i*] Bonaventuræ Columbini, honoratus civis Senenſis, proles maſculas deſiderans, devotè B. Joannem invocavit, & promiſit filium proximè naſciturum, quantum ex parte ſua poſſet, Ordini Jeſuatico offerre. Voto facto, uxor ejus peperit maſculum, cui pater nomen Joannis Petri imponi voluit, & quem veſte Jeſuatica induit *k*.

ANNOTATA.

a *Morigia lib. 1 Hiſt. Jeſuat. cap. 65 aſſerit, illam puellæ temeritatem non manſiſſe impunitam: nam addit, illam multo deformiorem redditam eſſe, ſignis tactæ urinæ in digito ac facie hærentibus & fœtorem emittentibus, ita ut nuſquam publicè comparere auſa, neceſſitatem in virtutem converterit, ac ſeſe in cœnobio monialium abdidcrit. Cum Belcarus ea tacuerit, fidem hujus punitionis penes Morigiam relinquimus.*

b *Iſtud miraculum hîc nonnihil contraxi, quia in Commentario prævio § 5 à num. 64 fuſius ex Roſſo narratum eſt.*

c *Roſſus putat, hîc ſignificari effigiem* ſancti Franciſci ſeraphici, *ut in Commentario prævio num. 75 interpretatur. Sed propter adjuncta exiſtimo, Franciſcum Vincentium indicari, quem tamen propterea Beatis nondum adſcribimus, niſi de legitimo illius cultu ulterius edoceamur.*

d *Etiam iſtud miraculum hîc in compendium redegi, quia in Commentario prævio § 5 à num. 68 graphicè ac fusè deſcriptum eſt.*

e *Hîc ſequebatur narratio, qua exponitur, quomodo Joannes Ambroſii voluntariam ſacri corporis corruptionem procuraverit. Sed ne bis eadem inutiliter repetantur, lectorem remitto ad Commentarium prævium § 6, ubi eadem hiſtoria ex Roſſo noſtro narratur.*

f *Hæc eſt illa Paula abbatiſſa S. Abundii, quam*

B.

AUCT. FEO BELCARO.

B. Joannes *tanti faciebat, & de qua in ejus Actis ſæpe fit mentio.*

g *Illa energumenæ liberatio in Commentario prævio num.* 67 *etiam diſtinctius refertur.*

h *Miracula, quæ hîc ſequuntur, tanto majorem fidem merentur, quanto Feus Belcarus ad eorum ætatem propius accedit. At ex annis hîc notatis apparet, illum ſcriptorem quibuſdam ſupparem & ſynchronum fuiſſe, cum Vitam* B. Joannis Columbini *anno* 1449 *ediderit, ut etiam alibi diximus.*

i *Subintelligitur vox* filius, *ni fallor, quam hîc uncis incluſi: nam Italicè ita legitur:* Cecco di Bonaventura Columbini, honorato cittadino di Siena *&c.*

k *Moris eſt in Belgio noſtro, ut parentes nonnumquam filios ſuos in tenera ætate induant veſtibus iſtius Ordinis religioſi, cujus Sanctos invocarunt, & quorum interceſſioni eos acceptos referunt. Neſcio, an hic auctor ſimile quid ſignificare velit, dum Italicè ſic ſcribit:* Partorì uno fanciullo, al qual poſe nome Giouampiero, & veſtillo dell' habito de Jeſuati. *Attamen antecedentia ſignificant, quod pater illi filiolo poſtea habitum Jeſuatorum deſtinarit, eumque religioni Jeſuaticæ devoverit, quantum ex parte ſua poterat. An id re ipſa fecerit, an tantummodo facere decreverit, ex his ambiguis verbis colligere non poſſumus.*

ALIA MIRACULA,

QUÆ SECULO DECIMO SEXTO PATRATA SUNT,

Auctore Paulo Morigia.

Excerpſimus ex Italica Jeſuatorum Hiſtoria lib. I *cap.* 67, *& Latinè vertimus.*

Auctor quædam præfatus narrat, C

GLorioſus Deus in Sanctis ſuis non deſtitit ab obitu B. Joannis Columbini uſque ad præſens tempus beneficia conferre plurimis, qui hujus Beati opem implorarunt. Cum tamen ſingula illa diſtinctè & exactè non cognoſcantur, tantummodo hîc referentur aliqua, quæ juridicè à publicis notariis conſcripta & legitimis teſtibus authenticè probata ſunt, & idcirco indubitatam fidem faciunt.

Imprimis anno Domini MDXXXVII monialis cœnobii S. Abundii prope Senas, ubi corpus B. Joannis quieſcit, habebat in gutture tumorem, qui cum incidendus eſſet, verſabatur in præſenti mortis diſcrimine, quia magnum erat periculum, ne venæ in inciſione læderentur. At quandoquidem ſemper fuerat pia erga B. Joannem, magna cum fiducia & devotione ad patrocinium illius confugit, & ſtatim poſt factum votum ſanata eſt. Vocabatur autem Agnolina de Conti.

quomodo plures moniales a

10 Monialis ejuſdem cœnobii, nomine Baptiſta, quotannis eryſipelate *a* laborabat. Anno MDXLIX idem morbus eam acriùs invaſit, & tibiam ejus ita corrupit, ut medicus & chirurgus poſt adhibita nequidquam remedia judicarent, crus præcidendum eſſe, ne gangræna aſcendens ſupra genu reliquis membris communicaretur. Huic ægræ erat in eodem monaſterio germana ſoror, nomine Urſula, cui abbatiſſa durum medici & chirurgi judicium indicavit, eique ſimul ſuaſit, ut ſororem ſuam B. Joanni commendaret. Urſula, audito tam triſti nuntio, ad reliquias Beati properavit, & coram iis totam noctem tranſegit. Mane autem fatigata in choro levem ſomnum cepit, quo tempore ipſi B. Joannes apparuit in forma & habitu, quo depingi ſolet; nempe ſtatura mediocri, capite calvo, & veſte ſui Ordinis. Apprehendens autem manum ejus, jucundo vultu & blandis verbis ſic illam interrogavit: Filia, quid vis? Cur me tantopere inclamas? Cui illa humiliter reſpondit: Deſidero, ut ſoror mea ſanitatem recuperet. Repoſuit ille: Ne dubita, quin ſoror tua ſanitati reſtituenda ſit. His verbis animata ſeſe ad ſororem contulit, quæ ſtatim planè convaluit. Hæc ad gloriam Dei & B. Joannis ſcripto confirmavit Juditha Luti, quæ ægrotanti ſervivit, & omnia propriis oculis aſpexit. D

in cœnobio S. Abundii prope Senas E

11 Anno MDLI erat in eodem monaſterio Innocentia de Benaſſai, quæ à pueritia aliquo oculorum defectu laboraverat. At creſcente ætate, etiam creſcebat iſtud malum, ita ut vigeſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno prorſus cæca fieret. Cum fruſtra adhibuiſſet conſilia medicorum, tandem confugit ad opem B. Joannis, eique in ſua vigilia jejunium in pane & aqua, aliaque pietatis exercitia promiſit. Unde per gratiam Dei & interceſſionem B. Joannis perfectam videndi facultatem conſecuta eſt.

Carmelita dictarum monialium confeſſarius, nomine Antonius, habebat in pede ulcus tam fœdum, ut putreſceret, eumque magno tormento afficeret. Is vovit offerre B. Joanni picturam, in qua pes ille exprimeretur, & ſubito ulcus ſanatum eſt.

Soror converſa, nomine Maura, quæ etiamnum vivit, affirmat, linguam ſuam in gravi quodam morbo inſtar carbonis nigram factam eſſe, atque ita intumuiſſe, ut eam movere non poſſet. Cum huic malo remedium non inveniret, in clientelam B. Joannis ſe contulit, & confeſtim amiſſam valetudinem recepit.

diverſis morbis afflicta F

12 Anno MDLXIV ſoror Eleonora Baldi, quæ adhuc hodie in monaſterio S. Abundii degit, per annum integrum tanto renum dolore vexabatur, ut nec die nec nocte poſſet quieſcere. Tandem inſtinctu divino vovit ſacras B. Joannis reliquias nudis genibus venerari. Cœpit itaque à porta templi repere ad altare majus, ubi lipſanotheca conſervabatur, & ſacris reliquiis appropinquans, eas piè reverenterque oſculata eſt. At ecce ſubito tam perfectam ſanitatem obtinuit, ut numquam deinceps ullum cruciatum ſenſerit.

In eodem monaſterio eſt ſoror Juditha Luti, quæ aſſerit, ex vehementi quarumdam herbarum humore (nempe frondibus fici & perdicio *b* vaſa eluerat) manus & brachia ſua ita intumuiſſe, ut iis membris impoſterum uti non poſſet. Quinimo tumor ille paulatim degeneravit in ulcera, quæ immedicabilia cenſebantur, ita ut medici prænuntiarent, membra illa intra quinquaginta dies cancro inficienda eſſe. Quare illa ſeſe tutelæ B. Joannis tradidit, & extemplo in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituta eſt. *b*

Eadem Juditha affirmat, quod aliàs media nocte evigilans ſimul cum febri ſenſerit magnum tumorem in maxilla. Unde dubitans, an correpta eſſet morbo peſtilenti, & timens imminentem forte mortem, ſeſe ad templum contulit, & lipſanothecam B. Joannis aperuit, ex qua acceptum Beati cilicium applicuit tumori, qui ſtatim unà

cum

A cum febri mirabiliter diſparuit.

13 Teſtatur alia ſoror, dicta Caſſandra Nardi, ſe per octo annos graviſſimis doloribus afflictam fuiſſe, ita ut nec die nec nocte poſſet quietem capere. Poſtquam vario medicaminum genere incaſſùm uſa fuerat, tandem imploravit auxilium B. Joannis, & viva fide ac magna humilitate quotannis ſeptem Miſſas, aliaque nonnulla pietatis exercitia ei promiſit. Facta promiſſione, per gratiam Dei & merita B. Joannis memorati dolores ſtatim evanuerunt. *tum pro ſe,*

Altera monialis, nomine Virginia Placida, in acutis cruciatibus & præſenti mortis periculo vovit quotidianam B. Joannis commemorationem facere, & curare, ut in ejus feſtivitate quinque Miſſæ celebrarentur. Poſt emiſſum votum mox convaluit.

Soror Romana Carli per duos dies talem oculorum dolorem paſſa eſt, ut brevi omnem videndi facultatem amiſerit. Simulatque ſuæ ægritudinis curam B. Joanni commiſit, plenum viſum recepit. Alio tempore eadem monialis lecto decumbens ob vehementem febrim alioſque morbos, B invocato B. Joannis auxilio, ex omnibus iſtis incommodis erepta eſt. Præterea præfata Romana teſtatur, quod conſobrinam ſuam in duplici mortis periculo commendaverit B. Joanni, & bis ſanitatem illius impetraverit.

14 In prædicto monaſterio ſoror Victoria de Conti unum pedis digitum peſſimè affectum habebat, tantoſque in illo cruciatus ſentiebat, ut eum brevi reſcindendum exiſtimaret. Facta B. Joanni promiſſione, cœpit incedere, & omni dolore liberata eſt. *tum pro aliis,*

Similiter ſoror Abundantia Landi aſſeverat, patrem ſuum in gravi morbo ab omnibus medicis Senenſibus depoſitum, & in civitate jam pro mortuo habitum fuiſſe. Tunc illa, Deo inſpirante, ipſum devovit B. Joanni, qui repentè ei priſtinam ſanitatem reſtituit. Soror Lucretia Santi, bis in periculo mortis conſtituta, per interceſſionem B. Joannis ſtatim morbo erepta eſt.

Conſtantia de Pauolo ſoror converſa ejuſdem monaſterii fratrem ſuum, jam extrema unctione munitum, patrocinio B. Joannis commiſit, & ſine mora incolumitatem ei obtinuit. Eadem ſoror commendavit B. Joanni duas perſonas, in magnis anguſtiis conſtitutas, quæ potentem Beati opem expertæ ſunt. C

Magdalena Valentino ſoror converſa per duos menſes laborans febri, & nullum apud medicos morbo ſuo ſolatium inveniens, recurrit ad interceſſionem B. Joannis, & illicò febris abacta eſt.

15 Cum ſoror Bernardina de Galgano per quinquaginta octo dies pedem incognito medicis malo afflictum habuiſſet, commendavit ſe B. Joanni, & protinus ſanata eſt. Eadem aſſerit, religioſum quemdam, acerrimis doloribus vexatum, invocatione ejuſdem Beati mox ſanitatem recepiſſe. *ad interceſſionem B. Joannis Columbini confugerint,*

Abbatiſſa & vicaria ejuſdem monaſterii teſtantur, quod ſoror Agatha Semiglialo ob vehementem febrim lecto decubuerit, & poſt aliquot dies è naribus ejus proruperit ſanguis, qui nullâ medicorum induſtriâ ſiſti poterat. Tandem ægra in patrocinio B. Joannis ſpem collocavit, & à monialibus impetravit, ut ad templum deferretur, ubi apertâ lipſanothecâ (ô magnam hujus Beati coram Deo potentiam!) non ſine ſummo monialium ſtupore ille ſanguinis fluxus ceſſavit, poſtquam ſacras reliquias reverenter ac devotè exoſculata fuiſſet.

Soror Agnes Piccolomini tam inſolitâ anginâ laborabat, ut guttur ſuppuratum & omnino perforatum haberet, eique malo fruſtra remedium adhiberetur. Denique B. Joannes, cujus auxilium magna cum fiducia imploraverat, mirabiliter illi ſanitatem reſtituit. Unde illa impoſterum eidem Beato ſemper ſingularem grati animi affectum exhibuit. AUCT. P. MORIGIA.

16 Non eſt tacenda ſanatio Euſtochiæ Silveſtri, quæ tanto dentium dolore affligebatur, ut nec die nec nocte poſſet quieſcere, & interdum præ nimio cruciatu caput parieti allideret. Soror, quæ illi inſervìebat, vices ejus miſerata aliam monialem advocavit, ut ambæ afflictam deducerent ad templum, in quo ſacra B. Joannis oſſa conſervantur. Cum ibi omnes tres B. Joannem invocaſſent, poſtea lipſanothecam ejus aperuerunt, & magna cum reverentia ac fiducia abſciderunt particulam lintei, in quo pes Beati involutus erat, quam denti malè affecto applicuerunt. Deinde fuſis illic nonnullis precibus, ægra obdormivit, & poſtmodum evigilans ſeſe omni dolore liberam ſenſit. *& in variis doloribus*

17 Anno MDXCV Dorothea Cappacci, abbatiſſa dicti monaſterii, etiam vexabatur intolerabili dentium dolore, qui nullis remediis leniri poterat. Illa demum maxillam, ubi cruciatus erat intenſior, quibuſdam B. Joannis reliquiis tangi juſſit; & ſine mora dolor ille ità fugatus eſt, ut numquam poſtea redierit. *atque incommodis* E

Soror Abundantia Guglielmi habebat pedem inflatum, & per quinque menſes nullum invenerat huic noxio tumori remedium; quinimo malum quotidie creſcebat. Igitur in vigilia B. Joannis ſe portari curavit ante capſam, iſi qua ſacrum illius corpus quieſcit, ibidemque emiſſo voto, ſe perfectè ſanatam ſenſit, & ſola tam alacriter ad cellam rediit, acſi numquam ullo incommodo impedita fuiſſet.

18 Cum ſoror Beatrix Almerighi ex alto loco lapſa eſſet, pedem & tibiam ita læſit, ut medici de ipſius vita dubitarent. Quædam illius conſanguinea audiens tantum periculum, eam B. Joanni commendavit, & argenteam tibiam offerre promiſit, ſi diſcrimen evaderet. Facto voto, monialis prodigiosè convaluit, & cum gratiarum actione argenteam tibiam obtulit. *promptam ac prodigioſam illius opem*

Hippolita Conti oppreſſa maximo dolore, cui nullum remedium proderat, opem B. Joannis flagitavit, & penes ſe inveniens partem lintei, quod ſupra Beati corpus jacuerat, eâ locum malè affectum tetigit, & illico ſanitatem recuperavit. Eadem monialis affirmat, ſe nullum ab illo Beato petiiſſe beneficium, quod non impetraverit. F

19 Alia monialis commendavit B. Joanni feminam ſecularem, quæ in magno mortis periculo verſabatur, vovitque, ſe curaturam, ut imago Beati pingeretur, & pictura illa coram reliquiis ejus appenderetur. Poſt factum votum femina iſta mirabiliter ſanitatem obtinuit. *experta fuerint.*

Quædam ruſtica ſuum infantem, adhuc faſciis involutum, & graviſſima febri laborantem eidem Beato devovit, eique repentinam ſanitatem impetravit. Præterea memoratæ moniales teſtantur, ſe interceſſione B. Joannis varia alia beneficia conſecutas eſſe.

20 Non eſt hoc loco omittendum, quod anno MDXCIII Dominicus Afinaro, dives mercator Mantuanus, legendo Vitam & miracula B. Joannis ſingulari devotionis affectu erga hunc Beatum motus fuerit: nam in templo noſtro, quod exſtat in ſuburbio Portûs *c* Mantuani, fieri juſſit altare, in quo depicta eſt iſtius Beati effigies cum *Altare erectum eſt ad illius honorem in ſuburbio Mantuano,* c

AUCT. P. MORIGIA. quibusdam miraculis, quæ vivens patravit. Placuit autem Deo hîc propter merita Servi sui manifestare misericordiam suam, & usque in præsentem diem omnibus, qui ibi cum viva fide ac sincera pietate auxilium Beati implorant, desiderata beneficia conferre. Quare illic magnus est populi concursus, & devotio illa quotidie accrescit, ut ex pictis tabellis, cereis argenteisque donis, & aliis anathematibus ibi appensis apparet.

ubi etiam plura beneficia conferuntur,

21 Primò ibi opem B. Joannis expertus est magnificus D. Joannes Maria Lazura, qui lethali morbo oppressus intercessione istius Beati subitò sanitatem obtinuit.

Præterea illustrissimus D. Gonzaga *d*, episcopus Mantuanus, grave incommodum in pede tolerans, nequidquam adhibitâ medicorum industriâ, instinctu divino ad intercessionem B. Joannis confugit, & post emissum quoddam votum, sine ulla dilatione sanatus est. Quare gratias Deo & beato Benefactori relaturus venit ad illius altare, & ibi coram ejus imagine pedem argenteum obtulit, ac Priori conventûs eleemosynam erogavit. Deinde ad augendam populi devotionem concessit indulgentias quadraginta dierum omnibus fidelibus, qui istud altare visitaverint.

B

& miracula patrantur.

22 Adolescens quidam, nomine Joannes Baptista Torri, habitans in suburbio Portûs gravissimo morbo laborabat, & jam extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus cum morte luctabatur, ita ut medicorum judicio mors brevi secutura esset. Ea nocte, qua in agone versari videbatur, apparuit ei B. Joannes, & ab illo petiit indusium, quo tegebatur. Æger continuò cœpit clamare ac rogare, ut alterum ei indusium darent, eo quod suum vellet offerre B. Joanni, qui istud flagitaverat. Mater aliique præsentes putabant, eum delirare, & propterea illud indusium ipsi dare negligebant. Tunc paululum quiescens cœpit rursus novum indusium poscere, & eadem verba repetere. Adstantes itaque ut ei satisfacerent, ablato priori indusio, eum altero induerunt. Tunc æger illud B. Joanni offerri jussit, & eo ipso tempore sensit, se melius habere. Denique tertia die tam sanus è lecto surrexit, acsi numquam ægrotasset, & B. Joanni gratias acturus venit. Quotidie ibi ad altare dicti Beati nova beneficia conferuntur, & stupenda patrantur miracula, quæ jam authenticis litteris mandantur *e*.

C

ANNOTATA.

a *Vocatur Græcè* ἐρυσίπελας, *à qua voce Italicum ejusdem morbi nomen* resipola *& Gallicum* eresipele *deducuntur. Est autem tumor præter naturam in cute à sanguine & flava bile calidioribus, vel à sanguine fervente tenuique proveniens. Plura de hoc morbo videri possunt apud Gorræum in Definitionibus medicis à pag.* 157.

b *Hæc herba dicitur à quibusdam vocari* perdicium, *eo quod perdices ea libenter vescantur. Interdum etiam appellatur* herba urceolaris, *quia ad urceos purgandos maximè apta est; Græcè autem dicitur* ἐλξίνη. *Sæpe nuncupatur* herba muralis, *quia in muris seu parietibus crescit; Hinc quoque Galli, ni fallor, eamdem herbam nominant* parietaire. *Morigia autem hîc eam exprimit per vocem Italicam* vetriola.

c *Est castrum in suburbio Mantuæ, quod vernaculè vocatur* Porto, *& inter Septemtrionem & Occidentem ponte urbi jungitur, ut in geographica ducatus Mantuani descriptione notatur.*

d *Is est, ut opinor, Franciscus Gonzaga, qui ex Ordine Minorum ad episcopatum Mantuanum assumptus est, eumdemque ab anno* 1593 *usque ad* 1620 *diligentissimè administravit, ut videre licet apud Ughellum in Veneta editione Italiæ sacræ tom.* 1 *col.* 874 *& sequente.* D

e *Hæc miracula, quæ Morigia suo tempore authenticis instrumentis consignari asserit, ad notitiam nostram non pervenerunt.*

APPENDIX

De scriptis ac documentis B. Joannis Columbini.

Beatus scripsit Italice Vitam B. Petri Petroni,

INter *scripta* Joannis Columbini *primò occurrit Vita B. Petri Petroni, quam tomo* VII *Maii pag.* 188 *ei tribuimus ex fide Bartholomæi Senensis Cartusiani, qui de inventione ejusdem Vitæ in prologo ad lectorem sic præfatur:* Qui quidem libellus, quamvis admodum confusè incertoque ordine elucubratus fuerit, optima tamen fide atque integritate conscriptum, ac insuper patriâ felicis illius seculi linguâ exaratum legimus. . . . . Interea exoptatum codicem tanta cum voluptate legeram, vel potius avidissimè devoraram, ut inter varios animi mei motus id unum sanè nonnihil me momorderit interdum; nimirum quod proprii auctoris nomine in prima statim fronte careret. Cæterùm totam rerum gestarum seriem paulò acutius intuitus, novis repente perfundor gaudiis, simulatque Joannem Petri Columbini, virum sanctissimum, atque Nicolaum Vincentum, Francisci Vincenti germanum, totius historiæ nostræ auctores fuisse deprehendo. *Majores nostri ad diem* XXIX *Maii loco proximè citato doluerunt, hanc B. Petri Petroni Vitam à Bartholomæo Senensi interpolatam fuisse, & Italicum ipsius* B. Joannis Columbini *contextum nancisci frustra conati sunt, ut ibidem indicant.* E

multas epistolas

2 *Puriùs ad nos pervenerunt aliquæ ejusdem Beati epistolæ, quas Josephus Bonafede in Vita Italica* B. Joannis Columbini *lib.* 3 *ex bibliotheca Altempsiana fideliter & vernaculè edidit, ut ibidem in proœmio testatur. Feus Belcarus olim centum ex illis legerat, ut alia occasione in Commentario prævio num.* 42 *monui, quæ jam partim perierunt, aut forte alicubi cum blattis & tineis luctantur. Sed ex illis, quæ adhuc supersunt, facilè pius fervensque aliarum stylus colligitur: nam plenæ sunt sancto quodam ardore, qui animos lectorum accendit: doctrina autem earum pluris facienda est, eo quod non sit acquisita studio litterarum, quas beatus Idiota noster ignoravit, sed quodammodo divinitus infusa videatur.* F

& forte aliquot exhortationes.

3 *Restant etiam aliqua ipsius monita, quibus socios suos ad exercitium variarum virtutum ac perfectionem excitabat. Dubitare quis posset, utrum Beatus ea scripto tradiderit, an dumtaxat viva voce inculcaverit, quæ ab ejus sodalibus memoriæ impressa, & postmodum litteris consignata ad nos usque pervenerint: nam Feus Belcarus hujusmodi exhortationibus hanc aut similem præmittit formulam:* Joannes dilectissimis fratribus suis dicebat. *Attamen Rossus noster part.* 4 *Triumphi innuit, B. Joannem illas instructiones ad socios perscripsisse, easque vocat* epistolas, *quas Feus Belcarus* exhortationes *appellaverat. Quidquid sit de hac re, nos aliquot fragmenta istarum monitionum (voca epistolas aut exhortationes, prout lubet) ex Rosso*

A *Roſſo Latinè exhibebimus, ut intima piaque Beati noſtri ſenſa clariùs appareant, cum juxta ipſum Chriſtum ex abundantia cordis os loquatur. Etſi illa monita apud laudatum Joſephum Bonafede alio ordine diſponantur, tamen ſunt eadem; quæ Roſſus noſter Latinè reddidit. Quare ordinem à Roſſo ſervatum ſequemur, & materiam nimis longam in aliquot paragraphos dividemus.*

§ I. Senſa B. Joannis Columbini de fide, ſpe, & caritate erga Deum & proximum.

PRæter plurima vivæ ac incorruptæ fidei argumenta, quæ B. Joannes *tempore vitæ præbuit,* B. Joannes emiſſa fidei profeſſione, *jam moriturus perpetuum ejuſdem virtutis teſtimonium nomine ſuo exarari voluit in authenticis tabulis, quas ſupra cap. 23 Actorum à num. 331 integras retulimus. Non pigebit hîc repetere aliquod earum fragmentum, quod ad rem noſtram ſic ſonat:* Verum eſt & in fidem veritatis profiteor, credere me in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; & pro certo habeo, quidquid Eccleſia ſancta Romana tenet, ac Urbanus ejus paſtor, Cardinales ipſius in Domino fratres, ceterique prælati ejus, ... quibus hactenus obſequentem me præſtiti, & ad mortem uſque præſtiturus ſum, tamquam Domini vicem in terris gerentibus: hæc quippe via eſt, quæ ducit ad vitam; & apud me certum eſt, omnes ab eâ deflectentes, & inficiantes, eorum definitiones atque decreta à Deo per ſancti Spiritus infuſionem manaſſe, ideoque violare ipſa audentes, non eſſe inter fideles numerandos, nec pro Catholicis habendos; neque dubitandum, quin qui in hæc abſurda ſponte labuntur, membra ſint à Chriſto diviſa.

magnam reverentiam erga Eccleſiam Romanam oſtendit, *5 Utinam hæc Beati verba attentè expendant ii noſtrorum temporum ſcriptores, qui ſummi Pontificis auctoritatem diminuere & Romanæ Eccleſiæ poteſtatem reſtringere conantur! Unde Roſſus noſter part. 4 Triumphi cap. 1 ad hanc fidei profeſſionem notavit ſequentia:* Animadverſum à ſapientibus eſt, divino impulſu factum, ut fidem Catholicam Romanæ Eccleſiæ, & hanc rurſus fidei Catholicæ admiſceret, ut expanſæ per millena ſeculorum locorumque ſpatia, hoc quoque accederet divini teſtimonium Hominis, cui errorem ſubeſſe, uti temerarium eſſet aſſerere, ita & ſtultum ſuſpicari in tam manifeſta cæleſtium donorum copia & luminis affuſione, quo Deus humili ſuo Servo revelare dignatus eſt, quæ à ſapientibus & prudentibus hujus ſeculi abſcondit. *Hinc etiam* B. Joannes *ſodalibus ſuis reverentiam erga Romanam Eccleſiam & ſummos Pontifices tam impensè commendabat, ut in Actis ejus ibidem num. 334 legitur.*

C

& ſocios ſuos ad ſpem *6 Ex fructifera fidei radice oriebatur ſpes, ad quam beatus Magiſter diſcipulos ſuos excitabat his verbis:* Jeſus Chriſtus benedictus ſolus eſt, qui liberare nos poteſt à tot tantiſque bellorum incurſibus, quibus brevis vitæ noſtræ curſus expoſitus eſt. Hæc ſanè cum multa ſint & gravia, ſuccumberet omnino miſera noſtra fragilitas, niſi clementis & dulciſſimi Dei noſtri pietas ſubveniret: hujus ſubſidium non in magnis modò periculis, ſed etiam in minimis momento quolibet ita ad noſtrum regimen ac fulcimentum neceſſarium eſt, ut, eo ſubtracto, in omne infortunium prolapſuri ſimus.

EXIMA PRESSIS & fiduciam in Deo collocandam hortatur. 7 Eapropter ſi certi ſumus abſque ejus ope ſtare nos non poſſe, quin in ſcelera graviſſima ruamus, cur ſedulò non curabimus, ut ei continuò hæreamus, & ſpem noſtram in ea collocemus? Renovemur ſpiritu mentis noſtræ, fratres dilectiſſimi, & quamvis acri reprehenſioni ſimus obnoxii, quod jacturam temporis fecerimus, caveamus tamen, ne triſti cogitatione abſorbeamur, & in deſperationis gurgitem demergamur; ſed maxima potius cum fiducia ad noſtrum bonum Jeſum accurramus, & in ipſo ſperemus: nam procul dubio nos ſuo amplexu dignabitur, confirmabit, ſolidabitque; nec ſuo nos auxilio deſtitui patietur &c. *Joſephus Bonafede in Vita Columbiniana lib. 3 cap. 4 exhibet hanc monitionem integram, cujus majorem partem Roſſus parte 4 cap. 2 Latinè vertit; ex quo eam hîc dedimus.*

Eoſdem extollat 8 *Quamvis ex toto Actorum decurſu ſatis appareat, quanto divini amoris ardore* B. Joannes *æſtuaret, cum tamen ſermo ſit etiam cordis amantis index, audiamus beatum Virum de hoc amore ſic differentem:* Dilectiſſimi fratres, voſmetipſos Deo, cujus eſtis, non ex parte, ſed totos tradite, & à cunctis creatis cor avellite; quia tempus breve eſt, & in longum vita protrahi nequaquam poteſt. Beati, qui omni remoto impedimento, Chriſtum diligunt. Aliquid præter Deum amantis mens tenebris offunditur: ut enim oculis corporeis ſuperpoſita lumini officiunt, & viſum impediunt, ita quæ extra Deum amantur, animæ cum ipſo unionem ſolvunt, & lucem veritatis Jeſu Chriſti auferunt. Obſecro vos, novo rurſus amore accendamur in ardenti caritate Jeſu Chriſti, & nihil hactenus boni feciſſe nos arbitremur, & corde magnanimo ac generoſo, & flagranti deſiderio dilectionis Chriſti, plantarum imitatione, innovemur, & ad fructum multum ferendum præparemur.

E

ad amorem Dei, 9 Cogit nos inſtituti noſtri ratio ad divinum amorem ſancti deſiderii excitatione & ſerventis orationis ſtudio procurandum, & viva voce & virtutum omnium, caritatis præſertim perfectæ erga Deum ac proximum, & veræ humilitatis exercitatione augendum. Sciſcitemur à bono noſtro Jeſu, quænam ſint majora & gratiora ipſi præcepta; & reſpondebit: Diligite me ſuper omnia toto corde & totis viribus & animæ corporiſque potentiis, & proximum ſicut vos ipſos. Ecquid hoc ſermone ab ore vitæ æternæ prolato dulcius ac ſuaviùs? Heu me, ſi fideliſſimum ſocium Chriſtum diligeremus, fideliter etiam cum ipſo mori peroptaremus. Heu, heu, commoriamur ipſi, ſiquidem ipſe pro nobis mori dignatus eſt. Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amico ſuo. Si perfectè amemus, plus de offenſis Deo illatis, quam de noſtra damnatione dolebimus: namque magis ipſum quam nos amare tenemur. Semper Domini dona cum caritate, menſuræ neſcia, & cum amore inſaniam redolente ſuſcipite, cui ſanctæ paupertatis ſit adjuncta cupido, & mutua inter vos dilectio, & gaudium & jubilus, & concentus. Super omnia autem affectum terrenorum prorſus exuite, quia Chriſtus animam alieno, quam ſui vel propter ſe occupatam amore, ingredi dedignatur &c. *Hîc etiam pauca deſunt, quæ apud Joſephum Bonafede lib. 3 cap. 5 Italicè inveniuntur.*

F

quo ipſe flagrans cupiebat. 10 *Beatus noſter divino amore incenſus optabat, ut omnes de Deo colloquerentur, & ſocios ſuos ad ſpiritualia hujuſmodi colloquia inſtituenda exhortabatur, ut Joſephus Bonafede lib. 3 cap. 1 Italicè refert, & Roſſus noſter part. 4 cap. 3 § 3 La-*

EX IMPRESSIS.

Latinè interpretatur hoc modo : Hujus ego ſum ſententiæ, ut exiſtimem virtutes à ſuo ſtatu & decore collapſas eſſe, quia & de Deo ſermones defecere. Probè novi, veriſſimè vulgò dictum, Lingua loquitur, quod ſentit cor; atque adeò qui de mundo loquitur, quæ mundi ſunt, ſapit & frigeſcit; qui de Chriſto loquitur, huic Chriſtus ſapit, & incaleſcit. Eapropter ſi Chriſtum à vobis eſſe, & ſui vobis copiam facere concupiſcitis, inceſſanter eum in ore habetote, aut laudes ipſi concinite, aut quidpiam de ipſo legite, aut meditatione ac oratione memoriam ejus refricate. Nolo vos ignorare, fratres, non aliunde impendêre tentationem periculumve majus, quam quod à vecordia eſt ignaviaque Dei bona inæſtimabilia ſilentio premendi.

ut omnes de rebus ſpiritualibus

11 Suaviſſima de Jeſu Chriſto collocutio cibus eſt, ac animi vita; & quem illa delectat, non continget ab ipſo ſeparari, ſed ſemper ſecum Chriſtum habebit. Si totus conjuret in vos mundus, jubeatque prædicatione & laude Chriſti abſtinere, ac tacere, deridete ipſum, memores promiſſi: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Idcirco ſeriò vos monitos volo, ne ullo umquam tempore ſanctiſſimam hanc de Jeſu Chriſto loquendi artem memoriâ vobis excidere patiamini. Si ad religioſorum clauſtra vel hæc ſola de Deo loquendi conſuetudo rediret, ſimul cum illa fervor rediret ſpiritûs, & inde flammæ ad calefaciendum mundum prodirent. Quo frequentiores erunt de Deo ſermones, eo ſublimiores de eodem ſenſus experiemini.

B

& de Chriſto loquerentur.

12 Heus vos! Hora eſt jam de ſomno ſurgere; diu noctuque per compita per plateas benedictum Chriſti nomen inclamemus. Deſcendamus, ſi opus ſit, ad infernum uſque, ut ibi à nobis memoretur. Illic turmatim homines dejiciuntur, quia immemores illius & contemptores fuere. Tendamus eò nos clamantes ac repetentes: Vivat iterumque vivat ſanctiſſimum Jeſu nomen. Non laſſeſcant linguæ; nec ſatientur corda clamoribus: Vivat Chriſtus crucifixus; vivat Chriſtus; vivat Chriſtus crucifixus millies centies; vivat ſanctiſſimum nomen Jeſu in æternum; vivat Chriſtus per univerſum mundum in omnium hominum animis; Jeſu Chriſto ſemper ſit honor & benedictio & gloria, nobis autem confuſio faciei noſtræ. Obſecro vos, fratres, ut ſaltem millies die qualibet nominis Domini Jeſu Chriſti recordemini &c.

C

Inimicos, tamquam nobis utiles,

13 *Ab hoc ardenti erga Deum amore profluit ſincera inimicorum dilectio, quam Chriſtus nobis præcepit, & exemplo ſuo nos docuit. Quam altè illam cæleſtis Magiſtri doctrinam* B. Joannes Columbinus *animo ſuo inſculpſerit, patet ex ejus verbis, quæ apud Joſephum Bonafede lib. 3 cap. 6 Italicè, & Roſſum part. 4 cap. 5 § 2 Latinè ita leguntur :* O quanto proſequendi amore ſunt, qui nos affligunt! Quam amanter oſcula libanda manui, quæ nos percutit! Quam medullitus benedictione remetienda lingua, quæ blaſphemiis & convitiis nos inceſſit! Quantopere diligendi, qui nos perſequuntur! In nos dumtaxat odium exercendum, tamquam in hoſtes, quibus infeſtiores nullos patimur. Recolamus memoriâ ferventiſſimi ſervi Dei ſancti Franciſci effatum aſſerentis, valde amandos eos, quibus voluptati eſt in nos malevolentia & perſecutio: ſiquidem adjumento nobis ſunt, ut victoriam de domeſtico adverſario referamus, ut teterrimum tyrannum, quales noſmet ipſi & concupiſcentia noſtra ſumus adverſum nos, profligemus.

D

diligendos eſſe demonſtrat,

14 Heu me miſerum! Hæc etenim recta & compendioſa ad ſalutem via eſt, & ego miſer ab ea ſponte deflecto ad ſemitas erraticas & longas. Quid nobis prodeſt ſermo bonus, & ingens Dei ac virtutum notitia, ſi per viam hanc, quam nobis aperuit, ambulare detrectamus? Hæc una veritatum eſt, cui ſi verbo factove contradicam, vetat me conſcientia mea eloqui vel ſcribere. Utinam inter probos non computatet improbus peccator & reus: ſic enim minus Deo diſplicerem, cui placent boni. Heu mihi, quid faciam? Profecto moriar, niſi iter hoc dilectionis inimicorum ingrediar. Quapropter rogo vos, ſervi Dei, ut me orationibus veſtris juvetis, idque impetrare mihi ab eo ſtudeatis; primum quidem, ut ipſum candidè ac ſincerè, tum proximum meum diligam; me autem odio habeam, ut ita aliquo modo ſanctiſſimo amori ejus in me reſpondeam: ſiquidem tam multis magniſque nominibus ad hoc præſtandum teneor.

& docet, quomodo fratres

15 *Ex his facilè unuſquiſque colligit, dilectionem erga fratres ejuſdem profeſſionis & domeſticos fidei commendatam fuiſſe ab illo, qui inimicos propter Deum tantopere amari volebat. Lubet tamen audire ipſum* B. Joannem, *qui apud Roſſum part. 4 cap. 5 § 3 de caritate fraterna ſic diſſerit:* Amor & caritas, qua invicem diligimus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro de nobis ipſis. Quis ergo dicere audeat, amari à ſe abſentem proximum, ſi fratrem non amat lateri aſſidentem? Quod ſi vitium & defectum, ut impedimentum amoris, obtendas, vide, an eidem & tu obnoxius ſis, &, ſi viſu polles, longe pluribus ac majoribus deformem te perſpicies. Ideo, fratres cariſſimi, diligite invicem igneo ſancti Spiritus amore, & quilibet veſtrûm de patribus ac fratribus veſtris ea loquatur, quæ ad Dei gloriam & conſolationem ſpiritualem ipſorum conferant.

E

debeamus amare,

16 Nulli detrahamus, aut quemquam judicemus prætextu ullo; ſed potius de Dei offenſis crebrò doleamus. Compatiamur afflictis, cum flentibus defleamus. Confortemus puſillanimes, & pro noſtris proximis ſemper oremus. Si Chriſti diſcipuli eſſe cupimus, vota noſtra ſignis prodamus, quæ tandem hac una nota amoris mutui continentur termino catentis & modo. Complectamur invicem in Domino ſuaviter, ut Dei filios, amore videlicet numquam deficiente. Peto à vobis etiam atque etiam toto cordis affectu; amate vos mutuo, & pax atque concordia in vobis ſemper habitet; neque inveniatur inter vos quiſquam primatum ſuper alios appetens: qui enim voluerit major eſſe, erit minor; & qui plus ſe humiliaverit, exaltabitur.

F

iiſque obſequia præſtare.

17 Amate vos, ut bonos fratres, & ſi quis infirmetur, præſto illi eſtote omni caritate ac diligentia, illumque Chriſti loco habetote, qui dixit: Quodcumque uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Memoriâ retinete Chriſti præceptum de dilectione mutuò habenda: hanc nobis teſtamento reliquit; hanc noſtram voluit eſſe ſapientiam; hanc notam ſervorum & diſcipulorum fore dixit, ſi invicem diligamus. Igitur alter alterius onera portemus, & ſupportemus invicem in caritate. Non ſunt æqualis conditionis naturæ mortalium. Hæc Domini voluntas eſt, ut ſapiens ſimplicem ſuſtineat, & ut inferiores ſuperioribus reverenter obtemperent. Per Chriſti amorem cuncta iſta fiant. *Hæc eadem apud Joſephum Bonafede lib. 3 cap. 8 Italicè leguntur. Nunc ad ſimilem aliarum virtutum commendationem progredior.*

§ II.

A

§ II. Documenta ejuſdem Beati de ſublimi quodam orationis genere, de mortificatione, voluntaria paupertate, mundi contemptu, & patientia.

Beatus quidam explicat ſublime genus orationis,

Dominicus Monticellenſis, de quo ſuperiùs in Actis num. 217 *mentio facta eſt, inter alia conſuluerat* B. Joannem Columbinum *de ſublimi quodam orationis genere, quia illud non ſatis intelligebat, licet myſticæ theologiæ diu ſtuduiſſet, & multos libros aſceticos attentè pervolviſſet. Huic beatus Vir poſt humilem tenuitatis ac imperitiæ ſuæ excuſationem reſpondit in hunc modum:* Ad laudem & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis non tacebo, quod ab iis magnis donis (*ea omnia fusè memorantur in epiſtolâ Italicâ, quæ apud Joſephum Bonafede lib.* 3 *cap.* 24 *integra exſtat*) & à ſolerti exercitatione viæ unitivæ affectus quidam caritatis emanat, ac amoris penitus transformati in Deum, & Deo ebrii, & ex ipſo animæ centro exſurgit ſenſus, neſcio quis, puro liquidoque amore flagrans, omni mentis diſcurſu carens, & quod mirabilius eſt, abſque ulla Dei, aut Chriſti, aut vitæ æternæ cogitatione hærens: nullam rem cæleſtem, terrenamve, aut humanam, vel divinam contuens ex iis, quas antea perſpexerat, aut imaginatione perceperat.

B

ſeu contemplationis,

19 Sed ſolus affectus ab affectu magni amoris abſorptus, arctiſſimo vinculo illi adnectitur, ita ut in unum affectum commigrent; neque jam quæritur, quærive poteſt aliquid ſingulare; at eſt innatatio boni in bono & amoris volatus: neque in hoc amoris raptu quidquam videtur, aut ſentitur, aut petitur; ſed eſt immenſitas boni, & amoris complementum, & terminus, opinor, ſentiendi. Intrat iſtiuſmodi affectus & amor, & affectus amoris in abyſſum amoris ac divinas tenebras; divinas, inquam, quia ille divinitas ipſa eſt ac abyſſus; & tenebras voco, quia obſcuræ ad intelligendum ſunt, obſcuriores ad exprimendum. Hic aſcenſus & ſubmerſio in pelago divinitatis omnem conſiderationem & imaginationem rei cujuſlibet excludit, ſolus amor in amore operatur; crediderim fruitionem eſſe fruitionum. Nihilominus fateor, neſcire me verbis explicare, quæ mente peraguntur interius: hæc quippe grandium opera ſunt atque ferventium, & non pauperculi & frigidi, qualis ego ſum &c.

C

quam ipſe experimento videtur novisse,

20 *Ex hoc epiſtolæ fragmento, quod Roſſus part.* 4 *cap.* 6 *Latinè edidit, non temere conjicimus;* B. Joannem *divino altiſſimæ contemplationis dono præditum fuiſſe, etſi ex ſincera animi ſubmiſſione hîc ſeipſum, tamquam pauperculum & frigidum deſpiciat: nam hæc ipſa ſublimioris orationis explicatio redolet ſtylum Sanctorum, qui experientiâ didicerunt, quid ſit illa mentis ab omni creatura ſuſpenſio, ſubmerſio, innatatio, arctiſſima unio, affectuum commixtio, abyſſus, fruitio fruitionum, ſola amoris operatio, & alia hujuſmodi, quæ humana philoſophia non capit, ſacra theologia miratur, & pauci experiuntur. Certè laudatus Dominicus Monticellenſis in litteris reſponſoriis, quæ apud Joſephum Bonafede lib.* 3 *in prologo Italicè exſtant, ingenuè fatetur, ſe plus ex hac ſola* B. Joannis Columbini *epiſtola, quam ex diuturna aſceticorum librorum lectione didiciſſe.*

EX IMPRESSIS.

21 *Cum oratio ſine mortificatione juxta peritiſſimos ſpiritualis viæ duces illuſioni obnoxia ſit, voluit Beatus noſter orationi addere mortificationem, cujus virtutis dignitatem & meritum ſodalibus ſuis ita propoſuit:* Vera perveniendi ad Chriſtum via mortificatio eſt & opprobria. Chriſtus nos per viam opprobriorum, injuriarum, & mundi contemptum ad ſe vocat. Per hanc qui incedit, malè conſumptos annos & Dei offenſas amarè deflet, optatque vehementer vindictam de ſeipſo ſumere, omnibus pœnitentiæ modis aſſumptis, quæ uſurpari licitè queunt. Præterea humilitatis, patientiæ amator eſt, & ingenti caritate omnes amore Creatoris amplectitur; ſe ſolùm odio proſequitur, ſibi ſoli diſplicet. Convitia, contumelias, tormenta, perſecutiones ardenter optat, nec aliunde quam à cognitione divinæ bonitatis, & vilitatis propriæ cupiditas iſta promanat. Domini noſtri in Euangelio verba ſunt illa: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ideo oportet nos mundo toti & propriæ voluntati penitus emori, ſi fructum afferre Chriſti volumus; ſecus ſteriles & inutiles erimus.

& ſuis ſodalibus ſuadet, ut mortificationem

E

exerceant;

22 Doleamus, plangamus, & aſpetè in nos ſæviamus: quamvis enim reliquis culpis careamus, unica ingratitudo, & Dei contemptus & quædam velut abjectio millenis mortibus, ſi fieri poſſet, plectenda eſſet. Aperiamus tandem oculos & tempus amiſſum defleamus; cui redimendo ſola mortificatio & pœnitentia ſatis eſſe poſſunt. Brevi tamen hæc duratura eſt, quod velox ſit omnium noſtrûm ad mortem curſus. Vel memetipſum intuemini, duodecimum jam annum in hoc ſtadio currentem, & mihi tamen videtur totum hoc tempus, tamquam dies heſterna, quæ præteriit. Soliciti ſitis, dilectiſſimi, & lucris ſpiritualibus intendite; dum tempus habetis, bonum operemini, ne vos imparatos & pauperes mors improviſa deprehendat. *Eamdem exhortationem Joſephus Bonafede lib.* 3 *cap.* 12 *Italicè edidit.*

voluntariam paupertatem

23 *Mortificationi affinis eſt paupertas, cujus ſtudium ac amorem Beatus noſter ſociis ſuis ita ſuadet:* Sancta paupertas animam ſolicitudinibus & terrenis affectionibus exuit, ac rerum creatarum cupiditate liberat; quo fit, ut earum ſarcinâ expedita & amoris proprii vacua, ſtatim ac levi pulſu contingitur, ad Dei contemplationem pervolet, atque ad Chriſti paſſionis meditationem pertrahatur; quibus, veluti pabulis, alitur ac delectatur. Fratres mei, hæc Chriſti Domini voluntas eſt, ut paupertatis ardentes amatores ſitis, eamque toto cordis affectu amplectamini. Idcirco à rei cujuſlibet proprietate vos immunes ſervatote, eamque veluti venenum devitate: namque ſatan in hoc laborat, ut in minimis etiam dicere ſuadeat: Hoc MEUM EST.

F

avidè amplectantur,

24 Obſecro vos nulli hominum graves aut moleſtos eſſe petendo vel accipiendo: diſplicet enim Deo ac hominibus libertas hæc, & importuna ſolicitatio. Conſervate paupertatem ſanctam in ſua puritate ac nitore, neque ulla ex parte eam lædi vel labefactari patiamini: etenim fundamentum ipſa eſt, ſuper quo virtutum cunctarum ædificium erigitur ac innititur. Eadem fomes ac alimentum eſt, quo nutritur humilitas. Paupertas voluntaria Chriſti Domini meritis ſuis locupletat noſtram, atque hæc illius intuitu longè pluris gazis imperialibus æſtimanda eſt. Paupertas, paupertas, ſignificatum tuum haud plenè percipitur! Vivat paupertas in cordibus noſtris. *Hoc paupertatis elogium Italicè reperitur apud Joſephum Bo-*

EX IMPRESSIS.

nafede lib. 3 cap. 11, ex quo Roſſus haud dubiè part. 4 cap. 8 illud Latinè vertit.

& mundum

25 *Neque à mortificatione & paupertate multum differt contemptus mundi, ad quem idem beatus Magiſter, teſte Roſſo part. 4 cap. 9, diſcipulos ſuos ita exſtimulabat:* Rogo vos, fratres, ut quantum per vires licet, ſtrenuos mundi hoſtes ac adverſarios nos oſtendamus. Non ignoratis, Chriſtum pro mundo minimè oraſſe, quia illum odio habuit, & nunc uſque habet. Ideo ſi amari à Chriſto cupimus, mundum cum ſuis commodis ac honoribus averſemur. Cogitationes noſtræ puræ ſint, & ſermones ſancti ac ſuaves. Linguam noſtram cuſtodiamus ab omni verbo, quod vel anſam ſcandali, vel mali exempli umbram præ ſe ferat.

cum divitiis

26 Lacrymis fræna laxentur; & miſeriâ mundi deploretur, cujus adeo ingens cæcitas eſt ac ignorantia, ut, ſummo relicto bono; peſſimum amplectatur malum. Contemnamus humana & eorum ſectatores; ad cæleſtia verò ac ſublimia aſpiremus, & virtutibus ſanctis animum excolamus.

B Longe ſatius eſt dulciſſimi Jeſu amore fervere, in quo & per quem omne honeſtum ac jucundum abſque menſura & tempore reperitur, quam rerum fluxarum affectu detineri, quæ ſi amentur, pœnam ingerunt; ſi poſſideantur, poſſeſſorem poſſident, & timeri amant, timoris ipſæ neſciæ. Eapropter conſilium à me capite: Deo vos veſtraque omnia integrè tradite, & ipſum omnibus antehabete: tempus enim breve eſt & celerrimè præterit.

& honoribus contemnant,

27 O quam magnos labores honoris cupiditate ducti ſeculares ſubeunt, & Jeſu Domino minimè propinquant! Et quam nullo negotio veritas hæc attingi poteſt! Unum porro neceſſarium eſt, humana judicia ac honores nihili pendere. O quam pernicioſa gemina hæc peſtis eſt, quæ Deum à nobis aufert, & cumulum curarum advehit! Hanc procul à nobis arceamus, fratres mei, & ad priſcam ſimplicitatem ac nitorem redeamus. Mihi compertum experimento eſt, mundum univerſum tenebris exſecrabilibus proprii judicii ac exiſtimationis vani honoris obcæcatum graviter errare. Stultitiam ad libitum ſimulate amore Chriſti, & ſapientes eritis. Chriſtus Dominus ſalutarem inſaniam in honoribus ſpernendis & inani de vobis ipſis exiſtimatione exuenda doceat, quia quo longius ab iis recedimus, eò propius ad illum accedimus. C *Hæc eadem apud Joſephum Bonafede lib 3 cap. 14 Italicè exprimuntur.*

ac denique armis patientiæ

28 *Sed cum publica præcedentium virtutum profeſſio multis difficultatibus & adverſis expoſita ſit,* B. Joannes *ſocios ſuos clypeo patientiæ ita muniebat:* Fratres mei dilectiſſimi, quam humillimè patientiam ad omnes homines pro Chriſti habeamus amore, eamque in omni fortunæ advetſitate, & in qualibet infirmitate corporis, cunctiſque incommodis ac perſecutionibus integram ſervemus. Deus æquâ ſuâ providentiâ tribulationes & conſolationes animæ immittit, ut ex utriſque fructum ſalutis noſtræ habeat. Sagacem agricolam non minus Januarii gelu glacieſque exhilarant, quam Maii tepores & æſtus imminens: etenim ſub nivibus & pruinis grana macerantur ac ſegeti præparantur. Ita Dei ſervos ex æquo proſperitas & adverſitas gaudio afficiunt: hac quippe deprimitur ſpiritus, ea, ne ſuperbiâ efferatur, carni frænum injicitur, ac domatur; & utrumque cedit utilitati ad fructum ſpiritalem capiendum.

29 Ne terreamini tentationibus, quæ vera corona & vita animæ noſtræ ſunt: imo cum gaudio illas præſtolemur, & patienter ac fortiter feramus: ſicut enim igne probatur aurum, ita tribulationibus anima, ut appareat, an verè ex Deo ſit. Igitur lætemur, & fruitione quadam alamur in ſpiritu tribulationis, cujuſlibet pœnæ ac tentationis incurſu. Qui pugnare recuſat, jam ſe victum fatetur, & dat manus; at qui impavidè deſcendit in certamen, proximus eſt victoriæ. Idcirco paratos eſſe oportet ad pugnandum virili animo contra adverſarios. Induamus arma crucis Chriſti, memores invocare nomen ejus; & ita victores evademus, & Jeſus Chriſtus coronabit nos coronâ gloriæ in cælo. D

contra occurrentia adverſa;

& varias tribulationes

30 Decet nos tamquam leones generoſos gerere, & quælibet adverſantia propter Jeſu Chriſti crucifixi amorem ſuſtinere: ita enim affectis cuncta ardua videbuntur facilia. Nulla calamitas ſeparare nos debet à caritate Chriſti. Maledicta & injurias, verba factaque mordentia & contumelioſa benignè tranquilléque ferantur, atque ita beati eritis. Cum neceſſaria ſuppetunt, gratias Deo agite, & pro benefactoribus orate: cum verò premit inopia, patientiæ recordemini ac ſpei in Domino Jeſu Chriſto, qui præſto ſemper fuit fideliſſimis ſervis ſuis, & nobis ſubveniet indigentibus. In omni adverſitate, fide, patientia, ſpe in Deum vos ipſos tuemini. E

ſeſe tueantur.

31 Recolite, quam frequenter divina bonitas ſuis famulis ſubſidium attulit. Etiam cum iniquè traducuntur, & quid poteſtatibus ſuperioribus reſpondeant, ignorant, nonne promiſſum à Deo habent? Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Hanc ob cauſam patientiâ ac fiduciâ in Deum corda veſtra communite. Pro ipſo & ipſius honore, ac pro veſtra ſalute conſtanter certate, ut poſt brevis vitæ metam idem Dominus Jeſus Chriſtus participes ſuæ gloriæ vos efficiat. *Multa & magna continet brevis iſta exhortatio, quam Joſephus Bonafede lib. 3 cap. 13 vernaculo Beati idiomate expreſſit, & Roſſus part. 4 cap. 10 in linguam Latinam tranſtulit. Jam reliqua virtutum quarumdam elogia audiamus.*

§ III. Doctrina illius de humilitate, timore Domini, prudenti regimine, & ſtudio perfectionis. F

B. Joannes humilitatem

Poſt converſionem ſuam B. Joannes Columbinus *ab humilitate, tamquam fundamento, novum Euangelicæ perfectionis ædificium cœpit conſtruere, & per varios humilitatis gradus ad ſummum virtutum faſtigium impigrè conſcendit, ut in Actis ejus vidimus. Quanti autem faceret hanc virtutem, patebit ex ſequenti oratione, qua ſodales ſuos ad ſinceram animi ſubmiſſionem ita impellebat:* Si quæ virtutum ceterarum laus ac decor in nobis creſcit, multò magis creſcere humilitatem decet: ſiquidem pro gratiæ nobis infuſæ incremento obligatio erga Deum noſtra fit major, & ei ſolvendæ nos pauperculi ſumus impares. Ne pigeat vocari ſervos inutiles, uti revera ſumus: etenim & hoc gratiæ munus eſt, quod gratiam recipiamus. Ut lacrymis idcirco ac horrore dignum videatur, quod à ſecularibus hominibus judicandi ſimus deſidiæ nomine, quia longè plura in divino præſtarent obſequio, ſi vel dimidia gratiæ parte, qua donavit nos Deus, impertirentur.

laudibus extollit,

33 In ſola virtute & divinæ voluntatis exſecutione noſtra ſalus noſtrumque bonum poſitum eſt. Non qui ſubliminores de Deo ſenſus habet, carior illi

A illi est; sed qui virtutum actibus ipsum imitatur: cui enim plus donat, plus etiam ab eo exigit. Manifestum superbiæ indicium est, humilem gratiarum actionem pro acceptis beneficiis negligere: cavendum proinde ab illo diligenter est, & cum ingenti humilitate Christi in nos dona recolenda & grates agendæ. Eapropter, dilectissimi fratres, quantò majus lumen in nobis infundit Deus, eò dilucidiùs imbecillitatem miseriamque nostram ac bonitatem ejus agnoscemus, & actiones nostras longè inferiores debito, quo sumus obstricti, æstimabimus. Atque ut brevi proloquar, quo propius ad Deum per gratiam & virtutes sanctas accesserimus, eò magis mens nostra illuminabitur, & in nostra tenuitate ac abjectione intelligemus, ipsum esse omne bonum & robur nostrum, nos autem nihil præter vilitatem & debilitatem magnam.

& exemplo primorum Ecclesiæ præsulum

34 Incredibile dictu est, quantâ virtutum copiâ atque præstantiâ pollete adverterim Cardinales, magnates, plurèsque prælatos, quibuscum agendum mihi aliquando fuit; adeo ut præclara ipsorum facta rubori nobis confusionique esse queant, quòd majorem in sui status celsitate & opum abundantia modestiam ac demissionem præferunt,

B quam nos inopes superbi in imo conditionis nostræ, & perfectionis professione servemus. *Nescio, cur Rossus part. 4 cap. 11 hîc in medio discursu unam alteramve lineam omiserit, quæ apud Josephum Bonafede lib. 3 cap. 16 sic Italicè sequitur:* Noi gli atti, & essi i fatti. Per certo niuno giudichi, che troppo e dubbio è pericolo. *Hæc autem priora verba juxta Vocabularium Cruscanum, in qua vox Italica* atto *interdum actionem levem ac puerilem significat, sic paraphrastice interpretor:* Nos pauperes ostendimus levia humilitatis acta, & ii magnates edunt heroïca istius virtutis facta. *Aliter verò eadem verba hunc sensum habere possunt:* Nos humilitatem profitemur, & isti illam exercent. *Unde sequentem monitionem sic explico, quasi Beatus diceret: Cum itaque ex me audiatis, quod prælati illi in summo dignitatis fastigio humilitatem conservent, ex exteriori honoris & gloriæ splendore* certe nemo judicet, quia nimis ambiguum & periculosum est. *Si hîc à vera interpretatione aberremus, Itali nobis Belgis ignoscant. Sanè hæc explicatio cum dictis antecedentibus satis concordat.*

Socios suos ad eamdem excitat.

C 35 *Tunc beatus Magister discipulos suos ad eamdem virtutem sic pergit hortari:* Nostrûm quilibet minor esse & posthaberi ceteris studeat, atque ita major omnibus evadet. Id faciliùs assequetur, si temporis jacturam hactenus feciisse sibi persuadeat, statuatque moras rumpere, & bonis operibus insudare. Sed præcipuè curandum, ut mortales omnes nobis meliores, nos cunctis deteriores, reputemus. Veræ humilitatis, non fictæ aut fucatæ, signa dare ne erubescamus, atque ut à Domino sumus edocti, hæc universa bonitatis ipsius amore faciamus, ac servos nos inutiles fateamur. Non eget Deus operibus nostris; dives se ipso est, & à nulla creatura dependens: sed nos ipso undecumque indigemus, sine quo nec esse, nec vivere possumus. Ipse solus elegit nos, & ad suam admisit servitutem, non ullo nostro merito, sed insita sibi benignitate & clementia, ut in filios adoptaret, & ad æternam gloriam perduceret.

quibus proponit lapsum Salomonis,

36 *Non immerito quispiam mirabitur, quod* B. Joannes *noster, homo illiteratus ac simplex, arcana contemplationis mysteria litteris peritè explanaret, subtilia fidei dogmata sapienter discuteret, variarum virtutum naturam ac proprietates tam eruditè explicaret; sed in his tenebris facem ei præferebat timor Domini, qui est initium sapientiæ. Prætera comes humilitatis, de qua jam supra egimus, est idem timor Domini, quem beatus Pater filiis suis spiritualibus ita inculcabat:* Heu mihi misero! Timor & tremor occupant me cogitantem, quod si donorum cælestium largitio pignus esset æternæ vitæ, in quem mortalium melius, quam in Salomonem illius meritum cecidisset? Quippe Deo adeò placuit, eò vel maximè, quod sapientiam postulasset, ut eâ supra mensuram omnium, quos unquam terra aluerat, cumulatus fuerit. Templi sui sanctissimi ædificationem ipsi reservavit. Tanto scientiæ lumine perfusus est, quantum, & eò magis, quam scripta ab ipsò volumina manifestant, adeo ut mundana cuncta meram esse vanitatem planè perspexerit: & nihilominus ex sancti Augustini sententia inferorum pœnis addictus est.

EX IMPRESSIS.

quem ex sententia S. Augustini putat æternum periisse,

37 *Opinio de salute aut damnatione Salomonis tam inter antiquos quam recentiores scriptores maximè controversa est, ut videri potest apud obvios sacræ Scripturæ interpretes ac nominatim Salianum nostrum in Annalibus ecclesiasticis veteris Testamenti ad annum mundi 3058, tomo 3 à pag. 914.* E *Aliqui S. Augustinum numerant inter ambiguos & incertos hujus controversiæ auctores; sed Augustinus probabilius videtur docere, Salomonem à Deo reprobatum & damnatum esse, ut lib. 22 contra Faustum Manichæum cap. 81 & 88, aliisque locis indicat. Scio, duriora S. Augustini verba ab assertoribus contrariæ opinionis utcumque mitigari ac explicari. Verùm hæc sufficiunt, ut Beatus noster prudenter existimaverit; Salomonem* ex sancti Augustini sententia *pœnis inferorum addictum esse.*

atque ita ob aliena pericula

38 *Porrò* B. Joannes *utilem Domini timorem suis incutere sic pergit:* Quot alii præterea varia spiritualia consecuti sunt munera, quâ scientiæ vel prophetiæ, quâ virtutum & miraculorum operationis, quos tamen gehenna devoravit ac torquet? Nam in sola virtute & divinæ voluntatis impletione nostrum bonum & nostra salus sunt reposita. Videte, quam rigidum divinum sit judicium, & quantopere pertimescendum. Cogitate, voluisse Deum farinam à furfure discerni: neque tamen animum despondere par est; siquidem è paradisi culmine plures angelorum prolapsi sunt, & qui steterunt, sanctitate ceteris præcelluere. Nullum religiosum cœtum reperietis, in quo omnes constantiam ad finem usque servaverint, neque nostrum excipiendum à communi arbitror inconstantia. Sed væ illi, qui retro respiciet, & à nostra se societate divellet. Probare voluit Deus, qui veri sint servi sui, ne falsi ac degeneres suo tegantur pallio & delitescant. Ideò vos ipsi gaudete & confortamini in Domino, quod à parte servorum ejus steteritis, & non declinastis ad eos, qui, neglectâ Domini nostri Jesu Christi gratiâ, ad seculi miserias & peccatorum abominationes redierint, & quidem tanto cum infortunio ac dedecore, ut nullus pene sit, qui æquis illos oculis aspiciat.

F

illis utilem Domini timorem incutit.

39 Nos verò eorum damna cautos faciant, ut humilitatem ac prudentiam alienis lapsibus discamus. Misereamur illorum, Deum pro ipsis deprecantes, & timere nobis ipsis eorum exemplo discamus. Fortes & constantes simus, ne tentationibus succumbamus: qui enim luctati viriliter detrectat & terga vertit, victoriam & coronam sperare nequaquam potest. Et in hac luctatione nemo superatur, nisi qui sponte adversario cedit: hostis enim noster viribus non est superior nobis, divinâ gratiâ

EX IMPRESSIS.

roboratis. Semper igitur humiles, patientes ac timidi eſtote: ſic enim fiet, ut in bono perſeveretis, & agnoſcamini, ut veri diſcipuli, ac ſervi Jeſu Chriſti. Perſeverate in bono uſque ad finem: non enim qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit in Chriſto..... Ad alendum tuendumque Domini timorem, memoremini noviſſima noſtra, mortem, judicium divinum, inferni pœnas, & paradiſi gloriam. *Ubi hîc aliquot puncta notantur, Roſſus part. 4 cap. 12 nonnulla prætermiſit, quæ apud Joſephum Bonafede lib. 3 cap. 16 Italicè reperiuntur.*

Prudentiſſimas gubernandi regulas

40 *Quamvis ex Actis utrobique appareat*, B. Joannem Columbinum *juxta cognominis ſui etymologiam ſimplicitate columbæ prædutum fuiſſe, non tamen carebat prudentiâ ſerpentis, ſequens monitum Chriſti, qui apud Matthæum cap. 10 ℣ 16 apoſtolis ſuis dixit:* Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Certè Beatus noſter oſtendit, ſe ſimplicitati prudentiam adjunctam habuiſſe, quando apud Joſephum Bonafede lib. 3 cap. 15, & Roſſum part. 4 cap. 13 prudentiſſimas congregationis gubernandæ leges ſociis ſuis ita præſcripſit:* Majores qui in vobis ſunt, reprehendere opportunè minores ne negligant, &
B paterno cum affectu ipſos corrigant; minores verò benignè patienterque monita accipiant, & pœnas, ſi quando infligantur, ſuſtineant, imo vicem amoris ac reverentiæ infligentibus rependant, ac pro ipſis Deum orare impensè ſtudeant. Ita cuncti ſancti eritis, & ſapientes & mites, & dies cum maxima lætitia ducetis. Dominus pars hereditatis veſtræ ſit, ut & vos in ſuam partem computet Deus. Tempus operandi valde breve eſt; ſed meritum, operibus debitum, eſt immenſum. Et ſi longius illud eſſet, præſtat vitam virtutis hilaritate ſerenam ducere, quam aculeis & peccati ictibus mœſtam traducere.

præſcribit ſuperioribus,

41 Qui majores ſunt, & præſunt aliis, meminerint filiorum ſpiritualium ac ſubditorum, ſibi à Deo commiſſorum, curam gerere. Advertant, quanta cum fiducia ſe ſuaque omnia ipſis ſponte crediderint; & intelligant, ſui eſſe muneris patres agere & veros Dei ſervos, atque ita illis præeſſe imperio, ut proſint exemplo. Cogitemus abdicatam ab ipſis voluntatem propriam, atque ſponte moderatorum arbitrio ſubmiſſam: relictos parentes, amicos, & quidquid in mundo habebant, Je-
C ſu Chriſti amore, propter quem ſuperiori, vicem ejus gerenti, obtemperant, cui forte in ſeculo locum inter famulos non dediſſent. Eapropter ſoliciti de iis eſſe debent, ut de ſe ipſis & propriis filiis, imo filiis & ſervis Jeſu Chriſti, memores, rationem ſe de iis in magno Dei tribunali ſtrictè reddituros. Idcirco etiam atque etiam rogo ceteris præfectos, uti ſubditos commendatos habeant, ſtudeantque exhibere ſe illis tamquam patres, paſtores, magiſtros, fratres doctrina ac exemplo, ut divinæ gratiæ & ipſorum prudentiæ caritatiſque ope ritè gubernentur, ac ad perfectionem & optatum gloriæ finem dirigantur.

& omnes ad perfectionem exſtimulat,

42 *Denique beatus Vir apud Roſſum part. 4 cap. 13 circa finem iiſdem ſodalibus ſuis rectiſſimas perfectionis aſſequendæ regulas tradit hoc modo:* Vocavit nos Dominus, fratres mei, ad ſtatum perfectionis, non qualiſcumque, ſed majoris. Ideo tenemur perfectè pro viribus cuncta operari. Caveamus, ne tamquam mendaces & deceptores reprobemur. Lux noſtra luceat, & radios ac ſplendores emittat virtutum. Ad hoc connitamur, ut Pater noſter cæleſtis honoretur in nobis, atque ut bono exemplo noſtro mortales à peccatis & vitiis reſipiſcant, ac ad viam veritatis revertantur, & nobiſcum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum honore colant. Si hæc ſincerè & ex caritate præſtiterimus, in gaudio & Spiritus ſancti jubilo vivemus, & ſecura mors excipiet, quæ ad æternam vitam nos transferet. D

ipſiſque varia media

43 Expurgemus cum Apoſtolo vetus fermentum, ut ſimus nova conſperſio. Humiliemur Chriſto Domino, & revertamur ad ipſum magno cum fervore & caritate, conſcientias noſtras emundantes. Rumpamus catenas, quæ nos præpediunt, ne penitus Chriſto nos ipſos tradamus, & ad perfectionem properemus. Nos à nobis ipſis divellamus & Chriſto adhæreamus, qui tot tamque graves cruciatus pro nobis ſuſtinuit. Hactenus cæleſtibus donis & favoribus accipiendis vacavimus: jam hora eſt, ut ad fructum & debitas gratias reddendas evigilemus. Deceret, nos parvulos non eſſe lacte indigentes, & cibo ſolidiori idoneos, hoc eſt fortes ac ſtrenuos, & ad reſiſtendum validis venti cujuſlibet flatibus potentes.

ad illam obtinendam

44 Quæſo vos, cariſſimi, negligentiam ac deſidiam excutite, & veloces magno Dei muneri obviam ite. Tempus utiliter conſumite, & cavete, E
ne adverſarius otioſos vos inveniat, ſed ſemper in aliquo bono opere occupatos. Quodlibet externum negotium cogitatio aliqua ſancta comitetur, & cor elevet. Legite, aut legentes pios ac devotos libros audite. Orationi diu noctuque incumbite, dictum Salvatoris memoriâ recolentes, quod oportet ſemper orare & numquam deficere. In precibus tamen veſtris pluris facite mentis attentionem, quam vocis prolationem. Meditationes veſtræ circa juſtitiam & miſericordiam Dei verſentur, ut à vobis timeatur ac ametur. Cum intimo dolore peccatorum veſtrorum recordemini, ac frequenter confeſſioni ſubjicite, & coram Deo purè & candidè voſmetipſos accuſate, ac veniam humiliter poſtulate. Perpendite, quam ſit ingens noſtra miſeria ad cadendum, quanta Dei benignitas ad nos ſublevandos. Percurrite, quot quantaque à Deo beneficia, tum communia tum ſingularia perceperitis, & de omnibus ex corde gratias agite.

ſuggerit.

45 Super omnia menti hæreat ſanctiſſima Jeſu Chriſti vita & paſſio, quæ animum de ea devotè cogitantem illuminat ac roborat. Et breviter, pro noſtra qualibet ſpirituali ægritudine ſaluberrima medicina eſt. Martyrum præterea vitas ac tormenta conſiderate, quibus accendimur ad peccatorum odium, ad ſeculi contemptum, & ſenſûs voluptatum fugam; ac vice verſa ad virtutem, & patiendi pro Jeſu Chriſti amore cupiditatem inflammamur: ſiquidem per multas tribulationes in Dei regnum intrare oportet. Non ergo, cariſſimi mei, per aliam viam exiſtimate vos ad ſupernam patriam & ad culmen perfectionis perventuros, niſi per quam præivere Sancti, & ipſa ſanctitas Chriſtus Jeſus. F
Joſephus Bonafede hæc eadem documenta lib. 3 cap. 9 Italicè edidit. Beatus noſter etiam plura pia monita inſeruit litteris, quas monialibus S. Abundii aliiſque ſcripſit; ſed nobis hîc non vacat, ea omnia operoſè in Latinam linguam convertere, & hoc loco fuſius referre: nam ex jam datis fragmentis abundè colligitur, quanto ſanctitatis deſiderio animus B. Joannis *flagraverit. Ceterùm hæ integræ Beati epiſtolæ nationibus, idiomatis Italici ignaris, communicari merenter per interpretationem Latinam, quam hominibus minus occupatis, quàm nos ſimus, & utriuſque linguæ peritis relinquimus.*

DE

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO PATRI NOSTRO P. FRANCISCO RETZ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI XV

Longum ac proſperum regimen, æternam felicitatem.

QUonam caſu, ſeu quanam mea potiùs felicitate fieri dicam, ut primus gubernationis Tuæ annus, cujus octavus etiamnum proſperè ac feliciter admodùm labitur menſis, concurrat cum ſeptimo ac poſtremo noſtro menſis Julii Tomo de Actis Sanctorum, qui nunc in lucem prodit; quos inter die XXXI ejuſdem menſis publico cultu celebratos, tametſi S. Ignatius Loyola locum obtineat poſtremum, magnam tamen in dicto Tomo partem habet. Et verò duo ſunt, quæ meas haſce de optimo noſtro Parente lucubrationes, proprio quodam jure Tuo nomini inſcribi poſtulant. Quem enim, amabo, earum potiùs appellem patronum, quam Te, Ignatii ſucceſſorem, Ignatii virtutum imitatorem, heredem & exemplar, atque adeo utroque hoc titulo longè meritiſſimum, ut S. Ignatius, qui in earum decurſu totus ſpirat, vivit ac ſplendet, matura judicii Tui ac paterni favoris acceſſione ac ſuffragatione magis magiſque in dies ſingulos apud exteros quidem innoteſcat, apud noſtros autem illuſtretur, cum ampliſſimis apud hos & illos privati ac publici cultus venerationiſque erga Sanctum incrementis?

Ignatii ſucceſſorem dixi; eum videlicet, quem divina providentia egregiis naturæ ac gratiæ dotibus cumulatiſſimè exornatum, per multa ac varia Societatis officia inſtructum, probatum, honoratum, quaſi gradatim, ad ſupremam univerſæ Societatis gubernandæ præfecturam fortiter & ſuaviter jam pridem comparavit. Liceat interim mihi hoc loco, Pater admodùm Reverende, inoffenſâ animi Tui modeſtiâ, præteritæ vitæ aliquantiſper veſtigia relegere. Nam poſtquam Praga, celeberrima Bohemiæ Metropolis, anno MDCLXXIII die XIII Septembris Te mundo dederat; Societati autem Bruna anno MDCLXXXIX, die XV Octobris, abſolutis antè iis ſtudiis, quibus juvenilis ætas ad humanitatem informari ſolet; diſcendi ac docendi provinciam mira cum ingenii, tum ſedulitatis commendatione exornaſti: nam quanta cum ſubtilitatis celeritate, ac laboris contentione philoſophici ac theologici ſtadii curriculum emenſus ſis Olomucii, pluribus aliis in pulvere litterario longo poſt Te intervallo relictis, teſtis eſt Olomucenſis palæſtra, teſtis etiam Pragenſis; quarum illa quidem dum publicos laureæ doctoralis in philoſophica facultate honores Tibi detulit; hæc verò, dum eximiis etiam ſacræ theologiæ doctoris inſignibus Te condecoravit, quam honorifico Te utraque loco habuerit, quantum ſingularia doctrinæ Tuæ merita ac decora ſuſpexerit, non clam, ſed palam, ſed in publica orbis luce teſtatum eſſe voluit.

Et verò quod doctoris nomen cum docendi exercitatione egregiè conjunxeris, intricatis philoſophiæ placitis auditores imbuens, ac ſacris theologiæ ſtudiis informans ſumma cum approbatione, prætereo tacitus; uti & Latini oratoris munus; quando majora me vocant. Etenim ad expedienda Aſſiſtentiæ Germanicæ negotia deſignatus, Romamque evocatus, Subſtituti, quem dicimus, graviſſimum munus omnibus prudentiæ ſedulitatiſque partibus expleviſti; idque in octavum omnino annum; dein vaſtam ac numeroſam Bohemiæ provinciam gubernaſti; Pragenſe ad S. Clementem collegium rexiſti; factus ſimul Rector Magnificus Univerſitatis; ſecundùm item moderator provinciæ; inde Aſſiſtens Germaniæ; tum Societatis univerſæ Vicarius Generalis; Præpoſitus denique Generalis. Quæ cum ita ſint, quænam eſt, ſi non hæc perfecta rerum præclarè abs Te, Pater noſter, geſtarum gradatio eſt, quâ per tam multa ac varia, tam brevi tempore, & eâ quidem Tua ætate obita in Societate miniſteria, oculo in Te potiſſimum intento divina Providentia ad ſummum ejuſdem moderandæ magiſtratum Te ſenſim provexit; imo verò ſingulari prorſus provexit modo?

Etenim vix ad diuturnæ juxta ac laborioſiſſimæ gubernationis ſuæ mercedem (uti prorſus confidimus) numquam ſatis laudandus R. A. P. Michaël Angelus Tamburinus pridie Kalendas Martii anno MDCCXXX è vita diſceſſerat; cum, ecce, mox Roma omnium noſtrorum oculos atque animos in Te converſos vidit; Congregatio quippe ſecundùm inſtitutum noſtrum Nonis Martii Romæ habita, primo mox ſcrutinio; atque adeo ſingulari quadam animorum voluntatumque conſenſione, Te, Pater admodùm Reverende, Vicarium Generalem elegit; quæ quidem electio hoc habuit ſingulare, quod in Congregatione, in quâ ea contigit, fuerint Itali, Galli, Hiſpani; Germanus verò aut Bohemus nemo, præter Te ſolum Electum; ut vel hinc liquidiſſimè pateat, ſummis Te in amoribus fuiſſe apud nationes omnes, Teque Societatis regimini non tam datum quam natum; quodque ab illis Tibi delatum eſt ſuffragium, non tam delatum eſſe Tibi, quam meritis tot ac tantis debitum Tuis ac perſolutum, quibus unus inter alios omnes inſigniter excellebas.

Ceterùm quantopere delectus ille non à noſtris dumtaxat, quam latè diffuſa eſt Societas, ſed ab extraneis etiam præcipuæ auctoritatis viris probatus fuerit, nihil attinet exſequi pluribus. Quanta autem vigilantia, prudentia, dexteritate, quam indefeſſo atque aſſiduo labore ampliſſimum Vicarii Societatis munus cum Aſſiſtentis Germaniæ, ad quam provinciæ in Societate pertinent omnino decem, officio conjunxeris novem menſium ſpatio, ex eo imprimis intelligi poteſt, quod ex tot & tam variis terris congregata Societas, Te primo rurſum ſcrutinio ſuum Præpoſitum Generalem XV elegerit pridie Kalendas Decembris eodem anno MDCCXXX; idque tanta denuo animorum conſenſione, ut ſeptuaginta octo Electorum jurata & ſecreta ſuffragia in Te convenerint omnia, præter unum unicum, non computato Tuo. Qua re ſola non modò confirmantur inſignia planè Reverendæ admodùm Paternitatis Tuæ merita; ſed manifeſtiſſimæ calumniæ convincitur mendax fama, quæ primò ſparſit in Urbe Romana, deinde in alias etiam terras detulit, Societatem in deligendo Generali ſtudia in contraria & factiones eſſe diviſam. Finxiſſet improba etiam turbas fortaſſe in electionibus Patrum Aſſiſtentium, & aliorum, ſi id ad conflandam more ſuo invidiam Societati, tantopere retuliſſet.

At bene, quod hujus noſtræ Societatis auctor & dux Jeſus, qui Ignatio ac ſociis ejus Romæ ſe propitium fore promiſit olim in inſigni illa apparitione, quâ in agro Romano ſpectabilem ſeſe atque amabilem Sancto exhibuit; ſic etiam hoc tempore oculis reſpexerit propitiis PP. Electorum Cœtum, ita eorum animos dirigendo, ut ipſe electionis actus primo ſcrutinio non perfectus dumtaxat fuerit, ſed perfectus etiam dici debeat perfectiſſimo fere modo, quo res hujuſmodi perfici poſſit. Porrò electio Reverendæ admodùm Paternitatis Tuæ ſicut à ſinceris ac probè gnaris meritorum Tuorum æſtimatoribus exſpectata, ita ab Urbe tota, ita à ſummis & imis, ita ab ipſo etiam Chriſti in terris Vicario (cujus Sedem & annos bene fortunet Deus!) aſſenſu & Tibi & Societati univerſæ prorſus honorifico comprobata fuit; in regionibus verò exteris, regnis, Imperiis à ſupremis quoque Principibus non mediocri gratulatione, & Tui nominis commendatione excepta.

Atque hic quidem cum noſtrorum tum externorum fuit de Te ſenſus, Pater optime: quam verò contrà vilis, quam nullus de Te Tuus? Enimvero ut Te electum vidiſti, præclarum, quantum quidem in Te erat, primi Societatis noſtræ Præpoſiti Generalis exemplar imitatus, Congregationi generali graviſſimis verbis conteſtatus es: „Si „per Conſtitutiones noſtras liceret, Te delatam dignitatem ſine dubio detrectatu„rum: crucem quippe eſſe, quæ per omnem vitam ferenda ſit, & in qua morien„dum. Sed quoniam detrectare non poſſes, Te eam ſubiturum: flagitare verò Sa„crificia & preces Patrum, ut illam exemplo S. Andreæ (cujus feſtus tunc agebatur „dies) ad gloriam Dei perferres. Quod ſi impoſita Tibi Societatis adminiſtratio ali„quan-

„ quando non eſſet è divina gloria, & Societatis bono futura, ut Deus Opt. Max. „ breviſſimo eam tempore circumſcriberet „. Quis ad hanc Tuam, Pater amantiſſime, orationem, ſuaviſſimam utique ad devinciendos Tibi filiorum animos illecebram, fuerit ſenſus, quam dulces animorum motus, non facilè verbis explicem; &, me tacente, obortæ paſſim omnibus Patribus congregatis lacrymæ loquebantur.

Jam verò Congregationi generali, cui ex officio ſumma cum auctoritate præeras, quantum profueris, quantum admirabili Tua prudentia, quæ diuturna experientia ac longo rerum uſu collecta, &, ut ita loquar, excocta erat, eam juveris; quantum expeditiſſimo in rebus dubiis definiendis, implicatis ex tempore enodandis, conſilio & dexteritate ſublevaris; quàm egregiè exiſtimationem de Te antè conceptam ſuſtinueris, ſpem auxeris, exſpectationem ſuperaris; dicat pro me univerſus Patrum congregatorum Conventus, quem hîc teſtem appello. Habet ſua verba ſincerus animus, ſimulatus ſua; aliud obſervantiæ, aliud aſſentationis ingenium eſt; illud profectò ſine ulla adulationis ſpecie, ſine ullo erroris periculo apertè ac verè hîc pronuntio; ſi redintegranda fuiſſet electio, omnes omnino & ſingulos, ne uno quidem dempto, in Te conſpiraturos fuiſſe; imo etiam ſolius inſpirationis vi, nullo adhibito ſcrutinio, Te Generalem una omnes voce conclamaturos. Quæ quidem redeuntium in provincias Patrum communis paſſim vox.

Ecquis autem fando explicet, quam pathetica oratione ſub finem Comitiorum generalium Patres congregatos compellaveris; quanta exultantis animi ſignificatione extuleris omnium caritatem, cum debita in dicendis ſententiis libertate conjunctam toto Congregationis tempore; ut certè pudere debeat extraneos illos, qui neſcio quas diſſenſiones inter convocatos Patres fervêre, tum in ipſa urbe Roma ſparſerunt, tum in exteras etiam regiones pervulgarunt: quantâ benevolentiâ ſis pollicitus, Te, prout antea pro felici Patrum in Urbem adventu feceras, ita tunc pro ipſorum proſpero ſuas in provincias reditu, plura ſingulis hebdomadis Sacrificiorum millia, ex iis, quæ ad ſuam intentionem à Societate fiunt, Deo Opt. Max. oblaturum, donec de eorum reditu certior reddereris: quam propenſa denique voluntate approbaris votum Patrum, ex ſingulari animorum conjunctione profectum, ut, dum quis è prædictis Patribus ex hac vita diſcederet, omnes eo è numero ſuperſtites, præter ſolita Societatis ſuffragia, pro defuncto Sacrificium facerent peculiare. Quæ cum ita ſe habeant; nonne optimo jure inſcribendæ Tibi erant noſtræ, quæ nunc publicam lucem aſpiciunt, de geſtis S. Ignatii lucubrationes, tamquam meritiſſimo in moderando univerſæ, quam ipſe inſtituit rexitque, Societatis gubernaculo, ejuſdem ſancti noſtri Parentis ſucceſſori?

Longior ſim, Pater admodùm Reverende, & modeſtiâ Tuâ abutar, ſi virtutes Tuas reliquas ſingillatim conſecter, à S. Ignatii ſpiritu atque exemplo in Te quaſi transfuſas & hereditarias. Illas certè tum in Conſtitutionibus ſuis tradidit Vir ſanctus, *cum Perfectam Præpoſiti Generalis formam deſcriberet*, inquit Ribadeneira in Præfatione ad librum quintum Vitæ; tum in ſe expreſſit: *nam nihil minùs*, uti adjungit idem auctor, *quam de ſe cogitans, ſuis coloribus ſe mihi videtur pinxiſſe*; addo ego, Te, ſuum ſucceſſorem. Rem evincunt ſingulare aſſiduas inter & graves occupationes orationis ſtudium, ſincera illa & conſtans in divino cultu religio, arctiſſima cum Deo familiaritas, invicta manſuetudo, patientia, ſuavitas, fortitudo, conſtantia, animi magnitudo ac demiſſio, cura infirmorum; quæ quantum in S. Ignatio eluxerint, oſtendit Ribadeneira lib. 5 Vitæ; quantum autem in Te; pluribus haud proſequar, ne modum excedat oratio.

Unum tamen factum, in quo plures ſimul virtutes reluxerunt, ſilentio prætermittere non poſſum; è quo quamquam nunc pridem præterito, facilè erit cuilibet formare judicium de præſentibus virtutum Tuarum ornamentis, quibus tunc viſus es gratioſo planè modo proluſiſſe. Etenim dum ſub R. A. P. N. Michaële Angelo, de quo dicebam ſuperiùs, expediendorum Aſſiſtentiæ Germanicæ negotiorum munere functus, Româ ad Tuam redires provinciam, ut eidem præeſſes; ſcimus, quod Tecum duxeris fratrem quemdam rei temporalis adjutorem, membrorum uſu captum, pedum præſertim, qui contracti erant. Scimus ad hæc, Pater amantiſſime, Româ Viennam uſque (erat quippe frater ille è provincia Auſtriæ) iſti Te miſello inſerviviſſe adinſtar adjutoris infirmarii ſeu famuli potiùs, ad demiſſiſſima quæque caritatis obſequia officioſiſſimi; veſpere exuendo illum veſtibus, & componendo in lectulum; manè verò eum inde eximendo, veſtibus induendo, in currum ſuſtollendo.

Scimus, inquam, hæc omnia ex fido teſte; & verum Ignatii in illis ſpiritum veneramur, qui etiam tunc, quando Societatis univerſæ adminiſtrabat præfecturam, viliſſimorum circa infirmos miniſteriorum nihil à ſe alienum putavit; ex meo Commentario prævio § 80, num. 818. Cùm igitur his aliiſque Sancti virtutibus imitandis preſsè inſiſtas, Pater admodùm Reverende, nulli potiùs quam Tibi inſcribere potui Acta S. Ignatii illuſtrata, in quibus viva virtutum ejus exempla, facta, dicta, cogitata, totus denique Ignatius tamquam in limpidiſſimo ſpeculo relucent; quæ Acta, ſecun-

ſecundùm ea, quæ dixi, tam arcto juris vinculo Tibi ſunt debita, ut arctiore alteri mortalium omnium deberi non poſſint.

His itaque de cauſis omnino inducor, ut animo fixum habeam, ac planè confidam, humanitate ac benevolentia Tua ſingulari fretus, futurum, ut apud Te, tametſi tot tantiſque negotiis, curis, vigiliis, laboribus undequaque diſtentum, aditus tamen faciles inveniat quidquid hujus eſt operis in eruderandis, colligendis illuſtrandiſque Parentis noſtri ac Deceſſoris Tui geſtis atque exemplis, quibus veluti totidem gradibus ad ſummum abſolutiſſimæ perfectionis apicem aſcendit, ac parem tot virtutum meritis tam apud Cælites, quam apud mortales gloriæ coronam conſecutus eſt. Quod ſi vel res ipſæ, quas pertracto, vel rerum ordo, vel materiæ delectus, vel ſcribendi character ac ſtylus aliquid habeant, quod non ſatis elaboratum ingenio, digeſtum induſtriâ, politum ſit arte; hos tamen qualeſcumque meos conatus placido ac benigno vultu, quo tenuiora etiam quælibet obſequia æqui bonique conſulere ſoles, admittere ne graveris, tamquam perpetuum venerationis atque obſervantiæ in Te meæ pignus ac monumentum.

Faxit Deus, ut quoniam à Tua gubernatione, Reverende admodùm Pater noſter, adeo multa & magna cum Societati univerſæ, tum toti Eccleſiæ Dei, bona meritiſſimo jure ſperantur; omnium, qui Te anteceſſerunt, Generalium Præpoſitorum, maximè longævus Societati præſis; donec poſt longum ac felix ejuſdem regimen, omnium donorum cæleſtium affluentiâ cumulatiſſimus, ſerò ab ea diſcedas ad optatiſſimos ſancti Parentis noſtri complexus, ac ſocietatem cæleſtem, veréque beatam ac ſempiternam, ex S. Ignatii ſucceſſore ac imitatore, perpetuus in ea futurus ipſius contubernalis. Ita vovet cum demiſſiſſimo venerationis affectu Antverpiæ die XXXI Julii, ipſa S. P. N. Ignatii feſta luce, anno MDCCXXXI.

REVERENDE ADMODUM PATER NOSTER

Reverendę admodùm Paternitatis Tuæ

DEVOTISSIMUS SERVUS, AC OBSEQUENTISSIMUS FILIUS

JOANNES PINIUS.

A D

DE S. IGNATIO LOYOLA CONFESS.

FUNDATORE ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM SOCIETATIS JESU.

ROMÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§ I. Sancti nomen & cognomen, patria.

ANNO MDLVI.

B

S. Ignatii nomen

Reverendus pater Petrus Ribadeneira, inter eos omnes, qui in illustrandis sanctissimi Parentis ac Fundatoris nostri gestis, operam posuere, præcipuam laudem promeritus, Vitam ipsius incipit ab ejus nomine & cognomine. Ac nomen quidem constanti & pervulgata notione & usu nunc est Ignatius: *at tale non fuit semper: etenim illud Hispanis olim* Iñigo *dictum fuisse, liquet partim ex informationibus Complutensibus super vita ac moribus ejus, nec non ex sententia, ibidem paucis post ipsius conversionem annis pronuntiata; ubi nomen* Iñigo *constanter recurrit. Res illa contigit annis 1526 & 1527, in nostro Hispanico apographo signatis. Partim, inquam, inde, partim etiam nominis istius notio habetur apud prædictum Ribadeneiram in sua Vita Hispanica lib. 1, cap. 1, quæ Matriti anno 1594 typis edita est. Unde fit, ut planè inducar, ut credam, nomen illud* Iñigo *vulgare, primigenium, ac domesticum Sancto exstitisse, quo puer apud suos in paterna domo nuncupatus sit, quodque ei postmodum adolescentiæ & juventutis terminos prætergresso etiamnum adhæserit; ita tamen, ut lapsu temporis nomen* Ignatius *prævaluerit, tamquam aliis extra Hispaniam nationibus magis commune, magisque cognitum & usitatum: quodque Sanctus nunc fecit suum.*

C

à quodam ineptè impetitur

2 *Porro sancti Parentis nostri nomen tam diuturnis, totque & tam publicis monumentis consignatum, nec non totius orbis consensu exceptum, ausus est imprudens quidam scribillator arrodere atque in* Enneconem *recudere in opusculo* De religiosa S. Ignatii, sive S. Enneconis, fundatoris Societatis Jesu, per Patres Benedictinos institutione &c., *Venetiis edito anno 1641. Opusculum illud ante me habeo, idque jam pridem refutavit noster Joannes Rhò in libro, cui nomen est Achates: de quo opusculo alibi pluribus erit dicendum. Nunc ediserat nobis, amabo, egregius scilicet ille vindex Benedictinus, quodnam sancti nostri Fundatoris chirographum, quænam epistola, quodnam instrumentum aut documentum nomine* Enneconis, *& non potius* Ignatii, *vel* Iñigi, Inigi, *seu* Ynigi *notetur. Atque hæc quidem istius auctoris ineptia prima est, quam dictus Joannes Rhò ei inter alias plures imputat. Quasi verò* Ignatii *aut* Inigi *in* Enneconem *transformandi causa fuerit, quod abbas olim sanctissimus in Guipuzcoa vixerit, qui* Enneco *diceretur, plurimique in illo tractu, venerationis ergo,* Ennecones *appellentur. At de his atque aliis huc spectantibus memoratus Achates.*

tamquam non genuinum;

E

3 *Verum quidem est, exstitisse olim in Hispania quemdam Enneconem, Ordinis S. Benedicti, famâ sanctitatis celebrem, abbatem monasterii Onniensis, quod est in Navarra, non autem in Guipuzcoa, teste Mabillonio in Annalibus Benedictinis ad annum 1011. Actum fuit apud nos de isto Sancto die prima Junii pag. 107; sed quomodo probabis, quod à nostri Sancti parentibus nomen Enneconis ipsi inditum fuerit in baptismo? Probare hoc conatur prædicti opusculi auctor cap. 1 ita loquens:* Igitur cum tanta vicini populi devotio erga hunc Sanctum *Enneconem* fuerit, & solemne existat, ut quos Sanctos præcipuè colunt parentes, patronos eos suis adsciscant filiis, illisque eorum nomina imponant; .. propter hæc, inquam, facile est suspicari, pios Ignatii parentes .. ex pio erga hunc sanctum Enneconem, & patronum suum affectu, ad recolendam sanctissimam memoriam illius, ejusque tutelam filio procurandam, cognominem illi suum natum fecisse. *Deinde verò* Enneconem illum in infantia, in juventute, & tum demum Ignatium suorum sequacium confessione dictum, cum jam mundo innotuisset, quòd notius esset Ignatii nomen, ex scriptoribus eidem sancto Ignatio coætaneis, certo certius probavimus, *inquit, seu potius somniat. Quid enim?*

sed irrito conatu.

F

4 *Confecta res est: probabile est: igitur factum est. Quis contra mutire ausit? At* Ignatii *parentes Enneconem peculiari pietate coluisse, saltem probandum erat. Rursum cum* Ignatii *parentes numerosa prole stirpem propagaverint, si tanta in Enneconem illorum pietas, ut filium illi cognominem habere voluerint; cur natu minimo* Ignatio *id demum nominis imposuerunt? Atque hæc quidem regerit Rhous adversario suo, & nos cum illo. Ceterùm quia non est mihi animus cum operoso isto nugatore nugari, pluribus supersedeo, ac nomen* Enneconis *in Sancto nostro expungo, donec probetur sufficienter;* Ignatii, Iñigi *vel* Ynigi *admitto. Sunt, qui velint,* Ignatium *infantulum prænuntiasse nomen suum, antequam sacrum baptisma susciperet.*

Quod Sanctus nomen prænuntiarit suum, antequam susciperet baptismum,

5 *Noster Joannes Eusebius Nierembergius Vitæ Hispanicæ cap. 1 illud refert, citans P. Melchiorem de la Cerda, aliosque (sed eorum nomen non exprimit;) uti & quædam Mss. collegii Complutensis. His fundamentis fultus miraculum illud adoptat noster Aloysius Carnolius in Vita Italica, quam sub nomine D. Vigilii Nolarci edidit, cap. 2, pag. 7 editionis anni 1687, quâ utimur. Ex hoc auctore prodigium illud refert noster Franci-*

AUCTORE J. P.

Garcia Vitæ Hiſpanicæ lib. 1, cap. 1; ſed ita refert, ut indicet, ſe non ſatis convinci de veritate iſtius prodigii. Nec verò nos ſatis convincimur de re tanta; ſed deſideramus ea teſtimonia, quæ ſint accommodata ad factum adeo inſolitum & ſingulare comprobandum. Interea quamdiu illa non proferuntur, prodigium iſtud noſtro calculo approbare non poſſumus. Nec verò concipimus, quomodo fieri potuerit, ut res geſta adeo mirabilis, rara, ſplendida atque illuſtris, non fuerit pervulgata ac crebris uſurpata ſermonibus tam intra quam extra familiæ Loyolææ domeſticos parietes, ut de vicinis locis, magnaque Hiſpaniæ parte nihil dicamus. Neque porro in noſtram intelligentiam cadit, quod nihil de ea tradat Ribadeneira, nihil Maffeius, Orlandinus nihil, qui res minoris momenti à Sancto actas litteris mandare non neglexerunt.

non ſatis probatur.

6 *An factum hoc ignorarunt? Non eſt veroſimile; nam quoniam, quam latè fere patet Hiſpania, non poterat non in ore eſſe omni populo, non videtur credibile, nihil iſtiuſmodi ad dictorum auctorum aures vel manus perveniſſe. Joannes verò Nierembergius, qui illud refert, non valet pluris, quam auctores, quos citat. Cum autem citet Melchiorem Cerdam; quærere nobis liceat, unde Cerda prodigium tam mirum deprompſerit. Alii illi, de quibus ſupra, quique illud tradiderint, ne nominantur quidem: quo pacto itaque ſciemus, cujus ætatis, auctoritatis, notæ ac fidei cenſeri debeant? Quod etiam valet argumentum in Mſs. illis Complutenſibus ſupra memoratis. Itaque ſi quis vult hanc rem prodigioſam à nobis admitti tamquam veram, rogamus, ut proferat tabulam, teſtimonium, vel documentum ex auctore aliquo, teſtibus vel proceſſibus, ad Sancti honores ſacros promovendos formatis, quod ſit hujuſmodi, ut prudentem à nobis aſſenſum elicere valeat. Alioquin nihil fit.*

B

Diſcutitur aliud nomen, quod alicubi ipſi inditum legitur.

7 *In informationibus Mſs., quas habemus, in cauſa canonizationis ſancti Patris noſtri à P. Laurentio de Paulis, procuratore generali Societatis Jeſu, & à conſortio exhibitis, paullo poſt initium, præter nomen* Ignatius ſeu Innicus, *quo ibi Sanctus vocatur, adjicitur ipſi cognomentum* Lopez. *Alibi aliud occurrit: nam noſter Gabriel de Henao Antiquitatum Cantabriæ Hiſpanicè editarum lib. 3, cap. 35, pag. 356, ex ſententia Complutenſi, de qua ſuperius meminimus, profert iſtas voces* Iñigo Lopez de Recalde; *obſervans, in toto reliquo cauſæ contextu Sanctum dumtaxat* Inigum *appellari. Quidnam igitur ſibi vult cognomentum* Recalde? *Minor difficultas occurrit in cognomento patronymico* Lopez: *nam quod illud non ſit alienum à familia Loyolæ, patet ex* S. Ignatii *Majoribus* (*de quibus egerat idem auctor cap. 33;*) *ita tamen re ſe habente, ut ex his ullum aliquem neſcire ſe fateatur, qui matrimonium contraxerit cum conjuge Recaldina; aliud nihil ſibi in promptu eſſe ſignificans, quo ſe ex hac difficultate expediat, quam dicendo, quod, quia Sanctus utebatur ſolo nomine proprio, notarius ex ſuo cerebro cognomentum Recalde ei applicarit, auditum occaſione alicujus Guipuzcoani aut Biſcaini, qui conſanguinitatis gratiâ egerit cum Sancto Compluti. Sed hoc eſt nodum ſcindere, non ſolvere.*

C

Sanctus fuit Cantaber Guipuzcoanus, in domo Loyolæa natus;

8 *Guipuzcoa Cantabriæ provincia* S. Ignatio *patria fuit; natalis autem in patria locus, Loyolæ caſtrum. De patria conſtat diſertè ex auctoribus. In Vita autem breviore, quam ex Hiſpanico Ribadeneiræ exemplari Latinam fecit P. Gaſpar Quartemontius, cap. 23 locus natalis clariſſimè definitur his verbis:* P. Franciſcus Borgia... anno MDL Romam profectus eſt, ob id maximè, ut B. Ignatium videret.. Cumque primis ſacris operaretur (fecit autem id in domo Loyolæa) ſolum ejus cubiculi deoſculatus eſt, in quo B. Pater natus fuerat, pro ea reverentia, quâ in hunc Sanctum movebatur. *Non hoc clarum ſatis? Quando itaque in Relatione conſiſtoriali ſecreta coram Gregorio PP. XV à Franciſco Maria Cardinali à Monte, die XIX Januarii anno 1622 ſuper vita, ſanctitate, actis canonizationis, ac miraculis habita, dicitur* natus in oppido Aſpeithiæ; *intellige illud de Aſpeitienſi territorio, oppido Aſpeitiæ proximo: & verò Aſpeitia oppidum ac Loyolæ domus adeo in eodem territorio ſunt vicina, ut idem moraliter locus cenſeri poſſint. Hinc rectè dicit Bulla canonizationis:* Natus eſt B. Ignatius.. ad oppidum Aſpeithiæ. *Igitur Stephanus Garibaius in Compendio hiſtoriali Hiſpanico tom. 3, lib. 30, cap. 5 meritò erroris arguit eos, qui domum iſtam* Loëlam *nuncupantes, in provincia Alavæ eam eſſe ſitam memorant.*

D

non Alavenſis, aut Biſcainus;

9 *Alavenſis ergo non fuit Sanctus, nec preſſè loquendo Biſcainus, juxta Henaum Antiquitatum Cantabricarum lib. 3, cap. 33; ubi monet, nomen Biſcaiæ ad omnes provincias Cantabricas, prout à vulgo & à ſcriptoribus fieri obſervat, extendendum non eſſe. Hinc juxta Henaum non rectè ſcribit Bailletus in Vitâ* S. Ignatii, *quod natus fuerit* in Caſtro Loyolæ in Biſcaia: *neque P. Dominicus Bouhours in Vita Gallica ſancti Patris, ex mente Henai, ſatis rectè Cantabriæ partes diſcriminavit, quando dixit, eum eſſe natum* in iſta Biſcaiæ Hiſpanicæ parte, quæ ſeſe extendit verſus Pirenæos montes, quæ hodiedum gerit nomen Guipuzcoæ. *Verùm de Biſcaia latè ſumpta, ac de Biſcaia propria conſuli poteſt Geographia Baudrandi. Sanctus itaque ſecundùm dicta, Cantaber eſt Guipuzcoanus; non Alavenſis aut Biſcainus proprie loquendo; nec Azcoitienſis, nec ſtrictè Aſpeitienſis, ſed Loyolæa in domo, parvâ utrimque locorum diſtantiâ inter duo illa oppida relictâ, primùm ſpirare cœpit: quæ domus, Garibaio teſte, & ipſo patriâ Guipuzcoano, ſubjacet jurisdictioni Aſpeitienſis oppidi; & in ſpiritualibus, uti videre eſt apud Henaum, pertinet ad ejuſdem eccleſiam S. Sebaſtiani* de Soreaſu, *quam vocat: ubi Sanctus renatus in Chriſto ſit per baptiſmum. Dum anno 1721 Aſpeitiæ eſſem, baptiſterium mihi oſtenſum fuit, quod pro* Ignatiano *habetur.*

E

F

nec Aſcoitienſis; nec Pampilonenſis.

10 *Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpanorum ſcriptorum, qui poſt annum 1500 floruere, tom. 1, pag. 473 lapſum commiſit circa locum Sancti natalem, quando ita pronuntiavit:* S. Ignatius de Loyola Cantaber Guipuſcoanus, domo EX OPPIDO AZCOITIA. *Ineptia ſecunda Pſeudo-Conſtantini, ut vocatur, circa Sancti patriam, ubi ejus natalem locum magis implicat, caſtigatur in citato Achate à pag. 7. Carolus de Tapia in Tract. de religioſis rebus cap. 10, apud Henaum lib. 3, cap. 33 in citationibus ac notis, hallucinatur, dum ſcribit:* Ignatius Loyola.. in nobiliſſima Loyolæa URBE .. ortus. *Loyola enim caſtrum eſt; non urbs. Cæſar Egaſſius Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis tom 6, ad annum 1564, minùs rectè & propriè, quia nimis latè ac remotè,* nobilis Pampilonenſis *titulo eum compellat. Ecquis enim rectè quempiam Pariſinum vocet, quod loco diœceſi Pariſinæ ſubjecto natus eſt? Porro curioſa Domus Loyolanæ antiquæ, uti & collegii Societatis Jeſu; miraculorum item ac pu-*

A *publicæ venerationis deſcriptio datur poſt Sancti Vitas, in gloria ejus poſthuma.*

§ II. Locus nativitatis in Loyolæa domo; annus; parentes, fratres ac ſorores, ſeries genealogica.

Quidam volunt, S. Ignatium in ſtabulo natum fuiſſe;

IN *gloria poſthuma* S. Ignatii, *quam habes inferius poſt Vitas, cap.* 1, *num.* 4, *inter alia, quæ ibidem dicuntur de interiore Loyolæa domo, occurrunt iſta:* Subeuntibus ædes contra oſtium ſtatim occurrit ſacellum, quod olim ſtabulum fuiſſe, editumque in eo S. P. N. Ignatium, qualiſcumque traditio fert. *Nierembergius cap.* 1 *Vitæ ſcribit, hoc factum inter alia de Sancto mirabilia referri; ſed ſine teſte, ſine vade, qui vel id ipſe referat, vel referri ab alio, fidem faciat. Carnolius pro hac re corradit, quidquid poteſt: nimirum quod ſub Clemente VIII in conſpectu tantæ hominum multitudinis, quæ ad annum ſanctum* 1600 *ex magna orbis terrarum parte Romam confluebat, excuſa ſit in folio, & cum ſpeciali Superiorum facultate ſit ſparſa* S. Ignatii *imago, titulo Beati ac radiis inſignita: in qua inter præcipuas ipſius vitæ res, hic controverſa nativitatis hiſtoria exhibeatur primo loco: quem eadem etiam obtineat in Vita, figuris æneis Romæ in lucem data tempore beatificationis. Addit Cardinalem Ludoviſium in ſua Panegyri, quam dixit, quæque Bononiæ, Romæ, & alibi, uti refert, typis ſit vulgata. Fidem huic facto conciliare conatur Carnolius ex Nicolao Lancicio, qui Opuſculorum ſpiritualium tom.* 1, *opuſculo* 1, *cap.* 19, *num.* 255 *agit de imagine anno jubilæi* 1600 *jam dicto Romæ vulgata.*

ſed illud nobis non probatur.

12 *Exſtat in hac domo noſtra Profeſſa Antverpienſi, Vita* S. Ignatii, *quæ imaginibus varias ejuſdem res geſtas exprimit, & anno* 1609 *Romæ vulgata notatur. Inter alias verò imagines repræſentatur aliqua cum hac inſcriptione:* Mater Ignatium paritura, pro ſua in natalem Domini pietate, deferri ſe jubet ad ſtabulum, eumque poſt ſeptem filios poſtremum in ſtabulo parit anno ſa-

C lutis MCDXCI. *Garciæ lib.* 1, *cap.* 1, *uti & Henai illum ſecuti in citationibus ac notis lib.* 3, *cap.* 39 *verba non recito; quia cum ſint neoterici, per ſe rem ſtabilire aut evertere non poſſunt. Nobis verò videtur omnino factum illud in apocryphis ponendum.* 1. *Quia in antiquiſſimis Vitæ ſcriptoribus, aut documentis illud non invenimus.* 2. *Quia non ſatis intelligimus, quod annis demum circiter quinquaginta poſt Sancti obitum imago illud exprimens, ſit deſumpta ex tabulis aut inſtrumentis ſatis veris, ſolidis, ac fidelibus, quæ tamdiu latuerint Vitæ ſcriptores.* 3. *Quia pro cubiculo natali, non autem pro ſtabulo ſtat textus Ribadeneiræ à Quartemontio latinitate donatus, & à nobis citatus* § 1, *num.* 8, *ubi dicitur:* P. Franciſcus Borgia.. anno MDL.. ſolum ejus CUBICULI deoſculatus eſt, in quo B. Pater natus fuerat. *Audin'* ſolum cubiculi?

Annus natalis,

* *al.* IV

13 *Annum natalem innectit Ribadeneira, variis notis characteriſticis tempus veſtiens,* anno humanæ ſalutis MCDXCI, Innocentio octavo Pontifice Maximo, Frederico tertio * Cæſare auguſto, Ferdinando atque Iſabella Catholicis Hiſpaniarum regibus: *in quo anno Maffeius, Orlandinus,*

Relatio conſiſtorialis ſuprà, ac Bulla canonizationis conſpirant; ut mirum ſit, apud Garibaium ſignari annum 1495; *& magis mirum, illuſtriſſimum Henricum Spondanum in Continuatione Annalium Baronii, ad annum* 1521, *num.* 6 *ſcribere, quod ſanctus Pater noſter* tunc *fuerit* annorum ætatis viginti, *quando in oppugnatione arcis Pampelonenſis extremum Vitæ periculum adiit. Unde conſequens eſſet, ut annus ejus natalis incidiſſet in annum circiter* 1501: *quod cui venit in mentem hactenus vel ſomniare? Dies autem Sancto natalis quiſnam fuerit, diſcere cupimus.* AUCTORE J. P.

parentes.

14 *Parentes Sancto obtigere nobili imprimis genere inſignes, ex Ribadeneira, Maffeio, ac Orlandino. Et de familia quidem eorum,* notiſſima utraque, *inquit Bartolus,* generis claritate, antiquitate ac numero: Suam longo ab ævo ditionem utraque tenuit, primariis aucta præfecturis, bello ac litteris inſignes per totam avorum ſeriem plurimos cenſuit. *P. Michael de Arbieu, Societatis Jeſu, & Cantaber ipſe, & vir graviſſimus, teſte Joanne Rho in Achate, hæc ibi dicens inducitur pag.* 10: Gens ipſa longè nobiliſſima DE PARIENTES MAYORES, ut incolæ loquuntur, E ejuſque caput, cum regibus dicendum eſt ſacramentum, in eorumque verba jurandum, aliiſve caſibus, in quibus magnates moneri aut evocari ſolent, à regibus admonetur per litteras. Quo privilegio Loyolæa gens, & altera in Guipuzcoa tantummodo decoratur.

fratres ac ſorores.

15 S. Ignatii *parentibus filias fuiſſe quinque, filios verò octo, habemus ex Ribadeneira ac Maffeio. Cur ergo Henaus tribuit ei fratres ſex, dicitque, ſorores tres numerari, quas alii quatuor, imo etiam quinque fuiſſe memorent? Sed nos non videmus, quid cogat recedere ab auctoribus iſtis antiquis, adeo clarè ac diſtinctè rem illam enuntiantibus, ut apud alios non videatur quærenda. Porrò* Ignatius *vel omnium ſimul, vel fratrum ſaltem natu minimus fuit. Utimur disjunctione* vel; *quia æquivocè hîc loquuntur Ribadeneira ac Maffeius. Hic enim* quinque *ponens* filias, filios octo; quorum, *ait,* minimus natu fuit Ignatius. *Ille autem agens de ipſius matre, dicit, quod,* filias quinque genuerit, filios octo; ex quibus Ignatium poſtremum ... ehixa eſt. *Viden' æquivocationem in relativo* quorum *&* ex quibus? *Neque hæc tollitur in Vita à Ribadeneira Hiſpanicè conſcripta, ac Matriti edita anno* 1594: *quippe ibi ſic dicitur:* Tuvieron eſtos cavalleros cinco hijas, y ocho hijos; de los quales el poſtrero de todos, como otro David, fue nueſtro Iñigo. *Id eſt,* Habuerunt nobiles iſti quinque filias, & octo filios; è quibus omnium poſtremus, velut alter David, fuit noſter Ignatius. F

Series genealogica,

16 *Henaus lib.* 3, *cap.* 33 *ſeriem genealogicam familiæ Loyolææ recenſet, incipiens à domo Oñazia, & ab anno circiter* 1180; *quando invenire ſe dicit ejuſdem domus dominum Lope de Oñaz; cui ſucceſſiſſe aſſerit filium ipſius Garciam Lopez de Oñaz; huic verò Lope Garciam de Oñaz, filium ejus, qui duxerit uxorem Agnetem de Loyola, hujus antiquæ domus dominam; & ſic deſcendendo, ita catalogum ſuum genealogicum ordinat Henaus, ut tandem eum deducat ad Sancti noſtri parentes, Bertrandum Iañez de Oñaz & Loyola, & Marinam Saënz de Licona & Balda; & hunc quidem Joannis Perez de Loyola filium heredem fuiſſe, indidem habemus; illam verò filiam fuiſſe nobilis equitis & ſapientis conſiliarii Martini Garciæ de Licona, qui cauſâ uxoris, marchioniſſæ, ut vocant, de Balda,*

AUCTORE J. P. à seculo 12 deducta,

dominus esse cœperat domûs Baldæ.

17 *Apud Ribadeneiram in Vita Latina, & apud Maffeium vocatur* S. Ignatii *mater* Marina Sone; *in Vita autem breviore Ribadeneirâ, quam Latinè vertit Quartemontius, scribitur* Marina Sonez; *in Vita verò Hispanica Matritensi, anno* 1594 *à laudato Ribadeneira edita, vocatur* Maria Saez de Balda. *In Relatione consistoriali superiùs allegata scribitur* Maria Sanchez; *notante Garcia in Vita cap.* 1, *illud coincidere cum* Saez; *ac monente, eam* Marinam *non* Mariam *fuisse appellatam. Nescire porro se fatetur Henaus lib.* 3, *in citationibus ac notis ad cap.* 33, *quomodo apud P. Andream Lucam in Vitam Sancti pro* Licona *irrepserit* Lizana; *qui error etiam transiit ad Joannem Nadasium nostrum in Anno dierum memorabilium Societatis Jesu, die* XXXI *Julii, & ad Carnolium cap.* 2. *Sed Henaus loco mox producto citat scriptum anni* 1535, *die* XIX *Julii, cujus copiam authenticam penes se inveniri indicat, in quo* S. Ignatii *mater* Marina Saenz de Licona *vocatur à propria sua filia Magdalena Loyolæa; quo scripto standum videtur.*

B proponitur.

18 *Inter alia collegii nostri Loyolani monumenta servatur ibidem* genealogia Loyolanæ gentis, in qua videre sit affinitates cum nobilissimis Hispaniæ familiis contractas; sed præcipuè cum Borgia & Xaveria; *sicut discimus ex notitiis inde transmissis. De fratribus ac sororibus* S. Ignatii, *eorumque posteris, ab eadem Loyolæa arbore per varios successionis ramos propagatis, plurima operosè collegit Henaus cap.* 35 *&* 36. *Observa interim cum eodem auctore in citationibus ac notis ad libri* 3 *caput* 33, *contra Carolum de Tapia,* Ignatium *non fuisse domus Loyolæa dominum, sed fratrem ejus natu majorem. Varias quoque familiæ Loyolæa notitias congessit Garcia lib.* 1, *cap.* 1; *quos lector talia sciendi cupidus, consulere poterit, ne nos hujusmodi rebus, quæ propriè ad nostrum institutum non spectant, nimium inhærentes, molem sanè maximam rerum de* S. Ignatio *tractandarum sine necessitate augeamus.*

§. III. Educatio, vita militaris, propugnatio arcis Pampelonensis.

C

Educatio apud suos;

DE prima ipsius pueritia, *teste Maffeio,* id unum constat, haud ita severâ disciplinâ educatum à suis fuisse, atque ab ipsis incunabulis, ut in opulenta domo, profanos admodum hausisse spiritus. *Unde colligi datur, laxiore quidem ac neglectiore, quam par erat, vivendi modo Sanctum à suis educatum fuisse, sicut in domibus nobilium, ubi multæ præsertim sunt proles, usuvenire non raro assolet. Non est tamen, quod liberiorem ejus vivendi licentiam, quo florem ætatis consumpsit, antequam à Deo ad perfectius vitæ institutum vocatus fuit, imputes educationi, quam à parentibus hauserat secundùm Relationem consistorialem ac Bullam canonizationis anteà citatas; unde habemus quod sit* natus *non tantùm* ex .. Catholicis, *sed etiam ex* piis parentibus; qui simili pietate Filium educandum curarunt. *Pugnant hæc cum placito neoterici cujusdam Legendistæ Gallici, qui postquam satis crudè in Vita* S. Ignatii *sub initium pronuntiasset, quod* vixerit in omni morum depravatione (dans tous les dereglemens) *mox addit,* quam excitare in illo poterat prava educatio, quam à parentibus suis acceperat, & malæ consuetudines, quas in aula contraxerat *&c.* D

20 Ignatius *adolescentiam exegit Arevali, in diœcesi Abulensi, siquidem vera sunt, quæ ex aliorum relatione memorat Franciscus Sacchinus Historiæ Societatis Jesu parte* 5, *tomo* 1, *lib.* 8. *ad annum* 1588, *à numero* 116; *ubi sic scribit:* Haud frustra multi credidere, præcipuo B. Ignatii patrocinio factum, ut cum celebriora multò loca repudiasset Societas, Arevali sedem poneret. Narrabant enim, Ignatium ibi adolescentiam peregisse, à parente traditum Joanni Velascio, regum Catholicorum Ferdinandi & Elisabethæ quæstori, qui amicitiæ causâ, cum suis careret, unum liberorum, quem apud se educaret, à Beltramo Loiola poposcerat. *Dixi suprà,* siquidem vera sunt, quæ ex aliorum relatione memorat Sacchinus. *Nam primam pueritiam traduxit in paterna domo, ex Maffeio suprà citato: quâ* transactâ in curiam Ferdinandi regis à parentibus missus, *ex Ribadeneira; & quidem, auctore Maffeio,* litteris vixdum à limine salutatis; *ubi* cum in ephebis honorariis, *eodem referente,* E regi aliquamdiu ministrasset .. ad Antonium Manricum sese contulit, *& apud illum* rei militaris tirocinia posuit; *quam deinde usque ad annum ætatis trigesimum professus est. Quibus ita constitutis, non satis concipimus, quo pacto dici possit Arevali peregisse adolescentiam suam.* an Arevali?

21 *Quæ autem circa vitam militarem prætermisit Ribadeneira, supplentur ex Maffeio lib.* 1, *cap.* 1, *ubi de seculari ejus vanitate agens, affirmat, inter ipsius vitia, & cæcos errores, præclara quædam emicuisse bonæ ac religiosæ mentis indicia; nimirum reverentiam erga res sacras, horrorem ab omni verborum impietate, intactum ab avaritiæ sordibus & lucri cupiditate animum; id quod probatur ab exemplo expugnationis Najaræ; altitudinem animi in reconciliatione cum inimicis; summam in magnis arduisque negotiis dexteritatem, alacritati conjunctam; senilem denique quamdam in juvenili ista ætate maturitatem in agendo, ac tractandis hominum ingeniis. At verò, quoniam incidimus in eum sermonem, quo de vita ipsius in militia decursa lectorem pleniùs instruimus, occurrit hîc quæstio quædam non magni quidem momenti, at non omnino tamen negligenda. Hæc quænam sit, paucis accipe.* Vita militaris; F

22 *Quæres igitur, an & quo munere militari functus sit. Laurentius Surius in Commentario brevi rerum in orbe gestarum ab anno salutis* 1500, *usque ad annum* 1574, *inter illa, quæ scribit ad annum* 1540, *quo Societas Jesu approbata fuit, de* S. Ignatio *refert, quod* ob singularem prudentiam & animi fortitudinem, cum Galli arcem Pompeiopolitanam acerrimè oppugnarent, præfecti munus adeptus, strenuè se suosque defenderit. *Apud Genebrardum in Chronographia lib.* 4 *ad annum mundi* 5622 *dicitur* dux Hispanorum in arce Pompeiopolitana tunc obsessa à Gallis. *In Officio* S. Ignatii, *anno* 1647 *Mediolani edito, sic habetur:* Miles & dux Pompeiopolim fortissimè defendens, *&c. Andreas Lucas in Sancti Vita lib.* 1, *cap.* 2 *ex Hispanico Flandricè excusa Antverpiæ anno* 1654, *vult* Ignatium *à militibus, qui unà cum ipso in urbe Pompeiopolitana præsidiarii erant, obsessos se videntibus, communi suffragio electum fuisse ducem; citatque Surii locum, modò à nobis prolatum; quin imo subjungit, strenuum ducem suis metu exanimatis, ac de deditione loquentibus, novos addidisse animos,* in qua an ducis aut præfecti militum

A *mos, omneſque ad propugnandam arcem ſubſecutos cum fuiſſe. Noſter Jacobus Coret in Vita ejus, quam ſub quinto Apocalypſeos angelo adumbravit, cap. 2, ſectione 3, agminis ducem ipſum fuiſſe tradit. Noſter item Gabriel Daniel Hiſtoriæ Francicæ tom. 3, ad annum 1521* juvenem DUCEM *eum appellat. An itaque Sanctus, dum militiam ſecutus fuit, ducis officium geſſit? Militem quidem ipſum, propter inſignes, de quibus mox actum, dotes, ſummam de ſe concitaſſe exſpectationem ad præclara militiæ munia obeunda, extra controverſiam eſt; ſed quod revera cohortis alicujus militaris dux fuerit, velim mihi aliunde certioribus ex documentis probari; idque donec fiat, in animum induco meum, ipſum dumtaxat militem voluntarium ſeu honorarium fuiſſe. Surius certè rem non evincit; neque enim unde præfecturam illam hauſerit, ſcimus, quæ neque à Ribadeneira vel verbulo tangitur, neque ſatis cohæret cum verbis Maffeii. Et verò quis neget, melioris notæ documenta & potuiſſe & debuiſſe præludere hujus præfecturæ aſſertoribus, quam Surium, inferius non ſemel in aliis à nobis corrigendum?*

B *officium geſſerit, examinatur.*

23 *Proponamus & expendamus aliquantulum verba Maffeii lib. 1, cap. 2:* Najaræ dux, *inquit*, qui Navarræ ſummo cum imperio præerat .. in ulteriorem Hiſpaniam ad auxilia contrahenda profectus eſt, Ignatio, pauciſque præterea Pampelone cuſtodiæ causâ relictis. Ac ceteri quidem appropinquante Gallorum exercitu .. exterriti, & ſimul diffiſi oppidanorum animis, tempori cedere, & urbem relinquere omnino decreverant: Ignatius verò multis verbis homines ab eo conſilio revocare conatus, ubi ſe nihil proficere hortando perſpexit, ardentibus oculis deteſtatus ignaviam perfidiamque, ſpectantibus omnibus in arcem SOLUS introiit, paratus illam cum aliquot in eo præſidio relictis, omni ope tueri. *Jam verò, ſi tum temporis dux fuerit* Ignatius, *qualem eum vocant iſti auctores; eſtne credibile aut veroſimile, quod milites ſuos, quibus ipſe cum imperio tunc præeſſe debebat, reliquerit, &, ſpectantibus omnibus, dux militum ſine ullo milite, ducem ſuum comitante, in arcem* ſolus *introierit? Non arbitror. Nam ubi* Ignatii *imperia, ubi animi, ubi rerum anguſtiæ, ubi militiæ leges?* In arcem *itaque* ſolus introiit, *teſte Maffeio; non itaque omnibus militibus præſidiariis cum comitantibus, ut placuit ſcribere Andreæ Lucæ. Bouhourſius lib. 1 unum ei militem adjungit.*

C *Quod officium geſſerit, facilius aſſeritur, quam probatur.*

24 *Dicit quidem Coretus, quod ſolus cum ſuo agmine ſe receperit in arcem; ſed dicit id, quod eſt in quæſtione. Bartolus, quem citat ad marginem, lib. 1, num. 3 refert, quod* relicta urbe in arcem ſe receperit, *ſed nullum ei adjungit militum illuc comitantium agmen. Carolus de Tapia apud Henaum lib. 3, in citationibus ac notis ad caput 33, inter alia, quæ ibi refert de S.* Ignatio, *memorat iſta:* Hic cum à familiaribus eſſet ſereniſſimi Ferdinandi, regis Catholici, Pompeiopolim, Navarræ regni primariam urbem, ab eo miſſus, ut quadringentis præeſſet militibus, eam tamdiu à Francorum dura obſidione defendit, donec in crure vulneratus *&c. Sed miſeret me boni viri; quia in ſcenam producit regem Ferdinandum, qui ab anno 1516 jam obierat, & cui Carolus V ſucceſſerat. Ad hæc, quomodo iſta cohærent cum iis, quæ de tirocinio militiæ apud Antonium Manricum poſito, ex Maffeio ſuperiùs narravimus? Nec verò* Ignatius *præſidii, quod in arce urbis Pompeiopolitanæ erat, præfectus fuit, ut videre eſt in Actis, quæ P. Ludovicus Conſalvus excepit ex ore ipſiuſmet Sancti; & quæ poſtea dabo: nam ibi cap. 1, num. 1 de ſe dicit:* Tam multas apud præfectum (*arcis nimirum Pampelonicæ*) rationes protulit, ut *&c. Adi præterea eumdem Maffeium lib. 1, cap. 2. Accedit eò, quod Garibaius lib. 30, cap. 4 ſcribat, eum fuiſſe* profeſſum artem militarem: *quem & mox* militem animoſum & fortem *commemorat: cur verò nec ducem, nec militiæ præfectum, ſiquidem talis umquam exſtiterit? At de his ſatis.* AUCTORE J. P.

In obſidione Pampelonenſi quo die Ignatius vulneratus;

25 *Quamquam verò, quæ Sanctus in propugnatione Pampelonenſi fortiter ac gloriosè geſſit anno 1521, quo à Gallis obſeſſa atque intercepta fuit, ſatis pervulgata ſunt ex Ribadeneira ac Maffeio; ita tamen ea dixerunt, ut nonnulla indicta reliquerint. Diem imprimis, quo vulneratus in ea fuit* Ignatius, *incidiſſe in feriam alteram Pentecoſtes, quæ fuit* XIII *Kalendas Junii, certis auctoribus compertum eſſe ſcribit Orlandinus. Vita Italica, quam anno 1622 approbavit reverendus admodum Pater noſter Mutius Vitelleſchus, Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, eumdem annum, menſem ac diem ſignat. Et verò cum anno 1521 Paſcha inciderit in diem* XXXI *Martii, feria ſecunda Pentecoſtes inciderit in diem* XX *Maii, neceſſe eſt; atque adeo erravit Andreas Lucas, quantum ex verſione ejus Flandrica, quæ ad manum eſt, perſpicimus, quando* Ignatii *caſum & arcis deditionem narrans, rem contigiſſe refert* VIII *Junii, feriâ ſecundâ Pentecoſtes anni 1521. Apud Bartoli interpretem Janinum ſub iiſdem anni ac feſti characteribus perperam notatur dies* XIX *Maii, uti & apud Coretum cap. 2, ſectione 3. Apud Labbeum verò Chronologicæ hiſtoriæ parte 3, ad dictum annum Chriſti 1521 legitur:* In oppugnatione arcis urbis Pampelonenſis vulneratus eſt globo tormenti bellici Ignatius de Loyola, tum annorum viginti. *Sed ætas illa convincitur erroris ex anno ejus natali 1491. Diximus de tempore, quo res hæc geſta contigit; ſi quis adjuncta alia, à Ribadeneira prætermiſſa, quæ Pampelonenſem expeditionem tam ex parte Gallorum, quam ex parte Hiſpanorum præceſſere, cognoſcere deſiderat, adeat Maffeium, qui ea paucis perſtringit lib. 1, cap. 2, Andream Lucam lib. 1, cap. 2, Bartolum lib. 1, num. 3, Garciam lib. 1, cap. 2, Bouhourſium lib. 1.*

ſacellum ibidem, & inſcriptio F

26 *Reliquum eſt, ut ipſam quoque arcem Pompeiopolitanam inſpiciamus. Et arx quidem vetus, quam Sanctus propugnavit, poſtea eſſe deſiit eodem loco. Ne autem is, in quo illa ſtetit olim, maneret inglorius, conditum ibi eſt ſacellum in honorem* S. Ignatii, *perpetuum rei ibi geſtæ monumentum: in cujus pariete aureis litteris infra Jeſu nomen notatur inſcriptio: quam, dum ibi eſſem, exſcripſi die* V *Maii 1722, ac deinde cum alio collegii noſtri Pampelonenſis exemplo contuli. Ex iſto autem meo apographo ſat fuerit, hæc delibaſſe:* B. Ignatius de Loyola ... in hujus caſtri propugnatione, in utraque tibia vulnere accepto, cecidit moribundus: divinitus tamen confirmatus, dignos egit pœnitentiæ fructus, &, univerſo fere terrarum orbe reluctante, ſed favente numine, erexit religionem Societatis Jeſu, magno Eccleſiæ bono. ..

cum obſervationibus noſtris.

27 Excellentiſſimus princeps Joannes Cardona, Navarræ prorex, ejuſdem atque Guipuſcoæ capitaneus generalis *&c.* arcum hunc erigendum curavit. *Res geſta anno* pontificatûs Pauli V ſecundo, & regni Philippi III, Hiſpaniarum regis VIII, paſcente Pompeiopolitanam eccleſiam magnificentiſſimo, nobiliſſimo, atque illuſtriſſi-

AUCTORE J. P.

mo Antonio Vanegas de Figueroa. *Sedere cœpit Paulus V anno* 1605, *à die* XVII *Maii*; *Philippo II, anno* 1598, *die* XIII *Septembris è vivis erepto ſucceſſit Philippus III*; *ac proin, ſi ſubſiſtant notæ temporis, concurrent cum anno æræ Chriſtianæ* 1606. *Ceterùm ex titulo* vetus inſcriptio, *quo prænotatur illud monumentum, & quem ex pariete dicti ſacelli exſcripſimus, planè conficitur, non eſſe hanc primigeniam inſcriptionem, ſed ex alia antiquiore tranſcriptam fuiſſe. Ad hæc, clauſula illa* arcum hunc erigendum curavit, *ſuſpicionem nobis movet, illo arcis antiquæ loco, quo ceciderat* Ignatius, *erectum primò fuiſſe arcum, vel pyramidem, vel monumentum quodpiam, prædicta inſcriptione notatum: cui deinde lapſu temporis fortaſſe diruto vel dejecto, ſubſtitutum ſit ſacellum illud, quod modo ibi exſtat, antiqua ac prima inſcriptione tranſlata in ſacelli parietem, cui jam inſcripta eſt.*

§ IV. Lectio ſacra; Mons ſerratus; Sancti ibidem confeſſarius, ac mora; veſtitus; imago & inſcriptio.

B

Vita Chriſti, ab Ignatio lecta, fertur fuiſſe compoſita à Landulfo Cartuſiano.

Quomodo Sanctus graviſſimè vulneratus, ad paternam domum delatus, & miro modo priſtinæ ibidem valetudini ſit reſtitutus, intelliges ex Vitæ ſcriptoribus: è quibus etiam conſtat, lectionem ſacram Vitæ Chriſti ac Sanctorum, divino conſilio ipſi oblatam, primos melioris vitæ ignículos in animo ejus accendiſſe, adeo paulatim fortiter ac ſuaviter ardentes, ut totus in alium mutatus virum, militiæ profanæ nuntium remittere, atque ad ſacram tranſire, fixum habuerit. Librum porro de Vita Chriſti, quem legerit, vult Bartolus, fuiſſe Landolphi Cartuſiani: de quo in iſtius Ordinis Bibliotheca, auctore F. Theodoro Petreio, ejuſdem apud Ubios familiæ profeſſo, ſic dicitur: Ludolphus Saxo .. edidit .. magnæ utilitatis pietatiſque opera: in quibus comprimis eſt Vita Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam ex quatuor Euangeliſtarum textu conflavit, ac luciditſimis non minùs quam devotiſſimis commentariis explanavit. *Floruit circa annum Domini* 1330, *ſicut ibidem notatur. Et verò quia tam avidè hoc Ludolphi opus fuit exceptum, uti ex frequenti ejuſdem impreſſione liquet, de qua ibidem eſt mentio, facilè potuit contingere, ut Hiſpanicè redditum ad manus* S. Ignatii *pervenerit. An verò reipſa id factum ſit, viderit Bartolus, qui id aſſerit.*

C

Iter Navarretо in Montem ſerratum;

29 *Inter hæc* Ignatius *ſimul animo & corpore paulatim convaleſcens, & cæleſtibus ſtimulis acerrimè compunctus, at necdum ſatis per vires idoneus ad arripiendum iter, quo decreverat de cognatione ac paterna domo exire, domi ſeſe tantiſper continuit, ſanctis occupationibus cæleſtes inter favores piè indulgens; donec tandem ad ſacram, quam meditabatur, expeditionem ſatis utcumque jam comparatus, Martino Garcia germano fratre natu maximo fruſtra eum ab inſtituto abſterrere ſatagente, Navarretum contendit; ubi nummos* nonnullos .. in inſtaurationem imaginis cujuſdam beatiſſimæ Virginis, quæ malè erat compoſita, inſumpſit; *juxta Vitam ex ore ipſiuſmet Sancti exceptam, & poſt à nobis excudendam. Indeque profectus, ante omnia celeberrimam Virginis Matris, cujus tutelæ ſe totum commiſerat, & quam* D *jam tum ſingulari apparitione admodum ſibi propitiam ac beneficam ſenſerat, religionis causâ adem adire inſtitit, quæ in Monte ſerrato, magnò cum adventantium concurſu, incolebatur ab inſtituti Benedictini monachis. Situs autem eſt ille locus in Catalonia; de quo plura cognoſcere, operæ pretium videtur: id quod fiet ex epiſtola autographa noſtri R. P. Petri Cant, miſſionis navalis, prout ab alio eidem epiſtolæ adſcriptum lego, ſuperioris, ad R. P. Laurentium van Schoone, ſuum utique & noſtræ provinciæ Flandrobelgicæ tum temporis moderatorem data ex navi in portu Barcinonenſi* 11 *Auguſti anno* 1674; *è qua delibo ſequentia:*

cujus magnificentia,

30 Tandem pervenimus ad vota votorum, hoc eſt, ad illam Divam, ad cujus aram exſoluto voto, & appenſo gladio ſanctus Pater noſter concepit illum ſpiritum, cujus fœcunda proles eſt, quam mox peperit Societatem. Ad eamdem aram poſtridie ſacrum celebravimus ambo; quanto teneritudinis ſenſu, Deus novit. Integri voluminis opus foret, deſcribere majeſtatem Divæ, templi ac conventûs, qui monachorum eſt Ordinis S. Benedicti, amplitudinem & magnificentiam, ſacrarii theſauros immenſos, & verè regios, utpote à regibus variis collatos; ipſam etiam naturam ac ſitum montis. Pro brevitate epiſtolari ſolùm dicam, templum totum ab imo in altum inauratum eſſe perquam concinnè; ante Virginis aram diu noctuque inexſtinctâ flammâ perenniter collucere argenteas lampades majores minoreſque quinque ſupra ſeptuaginta; theſauros reconditos in ſacrario æquipollere millionibus aliquot, & multo majores eſſe iis, quos quondam Compoſtellæ vidi, qui tamen maximi ſunt, in ſanctuario divi Jacobi Apoſtoli. E

ſitus, ac natura loci deſcribitur.

31 Mons ipſe amœnitate ſua, celſitudine & figura mirabilis meritò poſſet naturæ miraculis accenſeri; cum totus ſit ex viva petra, totus tamen plantis fragrantis odoris, amœniſque arboribus ſemper vireſcit, non alia, quam arte naturæ. Cum adeo in ſublimi conventus poſitus ſit, ut nubes viſæ ſint velut ſcabellum pedum noſtrorum, & omnem ſubjectæ terræ conſpectum penitus nobis eriperent; mons tamen à pede conventûs aſſurgit in plurimas cuſpides, quarum unaquæque facilè ſuperat altiſſimam quamque Belgii turrim; ut à ſimilitudine ſerræ, Mons non immerito dicatur ſerratus. Illas ipſas ſerras ſeu cuſpides quoque conſcendimus, quod non audent omnes; quia ſubeundum eſt per anguſtiſſimos & præcipites gradus, qui in ipſa rupe exciſi ſunt: & quod mirabile nobis viſum eſt, cum cuſpides iſtæ ex inferiori loco videantur acutiſſimæ, ſupernè exſpatiantur in amœniſſimas planities, quas juſtis intervallis incolunt cum ſacellis & domibus ſuis quindecim ejuſdem Ordinis S. Benedicti eremicolæ. *Hactenus Cantius de iſto loco.* F

Quo ætatis anno ibi fuerit: quænam ibi fecerit,

32 *Ceterum quæ ibidem à noſtro Sancto geſta ſunt, dabunt Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 4, *antiquæ capitum diviſionis (quæ notatur etiam ad marginem noſtræ capitum partitionis novæ;) & Maffeius. Tempus novæ militiæ, quam ſuſpenſis ad Virginis aram profanis armis noctu excubans, ibi incepit, ab ipſis innectitur anno* 1522; *à quo ſi retrocedas ad annum ejus natalem* 1491, *conſequens eſt, ut quando in Monte ſerrato fuit, numeraverit annum ætatis circiter trigeſimum primum; non autem vigeſimum ſextum, quem Dieghus Payva Andradius Orthodoxarum explicationum lib.* 1, *& Surius ſuprà citatus mendosè notarunt;*

A *rant ; qui ultimus alterius item erroris convincitur , dum* annum integrum , & eo amplius , ex morbo decumbenti *attribuit Sancto : etenim cum in arce Pampelonensi prostratus fuerit die* XX *Maii, ex dictis num.* 25 , *anno* 1521 ; *cumque anno proximè sequenti* 1522 , *& nocte quidem illa tota , cui dies festus angelicæ salutationis ad* XXV *Martii illuxit , suspensis armis famosas in Monte serrato excubias instituerit ; ut videsis apud Ribadeneiram ac Maffeium ; consequens est , ut anno integro , nedum eo amplius , in paterna domo , aut extra illam ex morbo non decubuerit. Porro ne adeo nobilis ac novæ pervigilationis genus prorsus memorabile perpetuâ in ipso loco , ubi quondam contigerat , fruſtraretur memoriâ ; dictorum monachorum abbas eam posteris commendari voluit, affixâ ad latus altaris laminâ marmoreâ cum hac epigraphe , uti refert Bartolus lib.* 1 , *num.* 10 :

notata sunt in inscriptione.

33 Beatus Ignatius Loiola , hîc multa prece fletuque Deo se Virginique devovit. Hîc tamquam armis spiritualibus , sacco se muniens , pernoctavit. Hinc ad Societatem Jesu fundandam prodiit anno MDXXII. Frater Laurentius Nieto abbas dicavit anno MDCIII. *De sacello ibidem loci in ecclesia nova , in honorem* S. Ignatii *dedicato , nec non picturis , res à Sancto in Monte serrato gestas repræsentantibus , adornato agit Garcia lib.* 1 , *cap.* 5 ; *ubi & exponit , quo eventu factum sit , ut sacellum , quod alteri postea Sanctæ erat destinatum ,* S. Ignatii , *cujus fuerat antea , deinceps esse perrexerit. Ibidem etiam fit mentio antiquæ ac singularis fraternæ communicationis , quæ fuerit Societati Jesu cum ista domo. Sed alia , quæ Sanctus in Monte serrato gessit , nos modo vocant.*

Illius , quo ibidem à sacris confessionibus usus est Ignatius ,

34 Ibi , *inquit Ribadeneira ,* optimo confessario totius vitæ suæ crimina per triduum ex scripto confessus est. *Idem auctor in Compendio Vitæ à Quartemontio latinitate donatæ dicit , eum* natione Gallum *fuisse , nomine* Joannem Clanonem, virum sanctitatis laude præstantem ac celebrem. *Sed non una eademque viri hujus nomen exprimendi forma : nam apud Ribadeneiram in Vita Hispanica Matritensi anni* 1594 , *& apud Bartolum scribitur* Chanones ; *apud Argaizium paullo post citandum est* Xanonès ; *apud Garciam denique* Chacones. *At fortè non erit ingratum , viri obiter à Ribadeneira laudati virtutes ac merita paullo distinctiùs cognoscere. Accipe igitur elogium ejus , quod ex tabulario Monserratensis cœnobii depromptum , Bartolus lib.* 1 , *num.* 10 *recensèt:*

C Fuerat is , *inquit ,* Mirapicensis olim ecclesiæ vicarius , qui veneraturus Deiparam , cum se aliquando illuc contulisset , religiosis captus monachorum exemplis & innocentia , valedixerat sæculo ; abdicataque à se officii dignitate & facultatibus , monasticam vitam professus fuerat anno ætatis trigesimo altero : inde ad octavum & octogesimum , eodem quo primùm ardore , in eo ordine duravit. Valens aut ægrotus , juvenis aut senex decrepitus carnes attigit numquam , & ex diurno quotidie demenso , partim in pauperes tertiam divisit.

elogium.

35 Vestitus illi vilissimus , promissum ad genua sub veste cilicium ; noctes , demptis paucis ad quietem horis , precando pervigiles partim cum ceteris in choro , partim in cellulæ secreto. Morbis diuturnis & gravibus viri patientiam excoxit Deus , annis præsertim decrepitis , qui vel uni pro gravi morbo sunt : in iis dolores æquissimo semper animo excepit , semper Dei laude & gratiis rependit. Demissione verò sui & obedientia tam sublimi fuit , totque aliis eminens dotibus , ut ad instaurandam Ordinis disciplinam , multis per Hispaniam & Lusitaniam domibus exemplar auctorque fuerit. *Prosperè itaque ac feliciter , ita rem moderante divina providentia , accidit , ut* S. Ignatius *in hujusmodi conscientiæ suæ arbitrum inciderit ; cujus præstantissimi cœnobitæ laudes recensuisse paucis , haud nos pœnitet , non immemores utique , quam præclarè is tunc de sancto Patre nostro meritus fuerit ,* primus , *ut cum Quartemontio loquamur ,* in cujus veluti patris ac magistri sinum consilia sua intimasque animi cogitationes effunderet.

AUCTORE J. P.

In Monte serrato

36 *Quod exiguam temporis moram Sanctus ibi traxerit , indicio est modus narrandi ea , quæ isto loco gessit , apud Ribadeneiram , Maffeium atque Orlandinum. Vita ex ore Sancti conscripta à Ludovico Consalvo , num.* 18 Pridie , *ait ,* Annuntiationis beatissimæ Mariæ anno MDXXII noctu . . in genua ut procumberet ante altare beatissimæ Dei Genitricis profectus est , ac . . noctem omnem transegit. Adventante die , sumptâ sacrâ Eucharistiâ , abiit , ne agnosceretur. Ibat autem non recto itinere quod Barcinonem ducit , . . . sed E deflexo , quo in oppidum quoddam , quod Manresæ dicitur , delatus est , ubi moram facere statuebat *&c. Inter documenta nostri archivi Romani de* S. Ignatio *huc missa occurrit exemplum Ms., continens res quasdam , à P. Araozio dictas circa sanctum Patrem , quæ in ejus Vita desiderari dicuntur , & ab Araozii socio referri. In dicto itaque Ms. habemus , quod paullo postquam Sanctus pervenisset ad Montem serratum , secesserit in aliquam speluncam per istos montes quæsitam ; ubi & nonnulla ipsi delitescere volenti accidisse scribuntur. Sed illa non ausim probare ; quia jamjam dictis non consona. Ceterùm non potest commoratio Monserratensis ad minus coarctari spatium temporis , quam tridui ; cum triduum ibidem impenderit eluendis per generalem totius anteactæ vitæ confessionem maculis , prout ex biographis constat. Quot verò diebus ibidem loci substiterit , fatemur , nobis nihil in promptu esse , unde illud determinemus ; quidquid Garibaius scribat , quod novenam ibi fecerit. Ceterùm commorationis in Monte serrato tempus extendere ad triennium , quidnam est , si hoc non sit ; evertere puncta fixa chronologica earum rerum , quæ post hanc commorationem subsecutæ sunt ?*

F

brevissimo tempore manesit.

37 *Etenim cum post discessum è Monte serrato* annum unum plus minus Manresæ transegerit ; *teste Ribadeneira lib.* 1 ; *cap.* 10 ; *seu , uti habemus ex Maffeio lib.* 1 , *cap.* 11 , inter hæc anni fere spatium exegerit ; *cumque , sicut hic notat cap.* 12 , sub initium anni MDXXIII . . Minoressâ profectus venerit Barcinonem , ut in Italiam ex eo loco trajiceret ; *&* , *prout ille refert citato cap.* 18 , Romam . . ad diem Dominicum Palmarum anni MDXXIII venerit ; *ne dicam , quod* XIV die mensis Julii , anni Domini MDXXIII , *Hierosolymam versùs ,* Venetiis solverit , *ex Ribadeneira capite* 11 ; *annoque* 1524 *redux , Barcinone studia litterarum sit aggressus , ex cap.* 13 ; *consequens est , ut hæc omnia , annis suis circumscripta , componi nequeant cum illo triennio ; è quo subsidium accersitur , ad eripiendum* S. Ignatio *librum Exercitiorum , quem apud Minoressanos composuit , eumque alteri attribuendum. At somnia ista nobis exsufflanda erunt inferiùs , quando ex proprio instituto de ista re agemus , & librum istum vero suo Auctori vindicabimus , contra Argaizium in Historia Dominæ nostræ Monserratensis cap.* 46 , *num.* 9 , *aliosque , qui vel eum alteri*

AUCTORE J. P.

teri adſcripſerunt, vel de modo, quo compoſitus ille à ſancto Patre noſtro fuit, aliter ſenſerunt, quam par eſt.

Deſcribitur, quo uſus ibidem indumento fuerit Sanctus,

38 *De amictu viatorio, quem, priuſquam perveniſſet ad Montem ſerratum, ſibi comparavit, quo indutus excubias egit ibidem pernox ante aram Virginis Matris; quo inde diſceſſit, quo denique Minoreſſam ingreſſus eſt, graphicè tractant Ribadeneira lib. 1, cap. 3 & 4; ac Maffeius lib. 1, cap. 3, 4, & 5; quibus adde Orlandinum lib. 1, num. 18, cujus verba cur huc potiùs tranſcribam, quam duorum iſtorum, mox intelliges:* Se, *inquit*, habitu induit, quem prope Montem ſerratum nuper ex itinere comparaverat. Is erat talaris tunica è rudi ſacco, funis pro cingulo, calcei è ſparto, ſed alterum tantùm pedem ex veteri plaga imbecilliorem texit: alterum prorſus nudum; nudum item reliquit verticem: ſuſpendit ab latere cucurbitam in uſum aquæ, & viatorium baculum, peregrinorum geſtamen, manu prehendit. *Hoc in habitu eum ſacro illo pervigilio functum fuiſſe; in hoc Minoreſſam verſus diſceſſiſſe è Monte ſerrato; in hoc denique eum Minoreſſam ingreſſum comparuiſſe, ex num. 18 deſignato ac duobus proximè ſequentibus habetur. Argaizius loco citato vult, Orlandinum repugnare Ribadeneiræ in eo, quod duplicem tunicam Sancto det, Ribadeneira unicam ei dante. Probare id conatur ex his Orlandini verbis:* Indumentum Ignatii duplex amiculum fuit è craſſo panno, coloris cinerei ruffeſcentis, & ex eodem confectum pileolum.

B

contra nonnullorum ſomnia,

39 *Sed multis peccat Argaizius. Nam 1. Orlandini textum de indumento hîc controverſo, & unico jam dedimus. 2. Verba, quæ mox obtrudebat Argaizius, miſerè truncata ſunt ex Orlandini libro 1, num. 30; quæ ſi incorrupta & integra ex ipſo fonte tranſcripſit, facilè potuit videre, iki agi de indumento, quod ab hoc, de quo diſputamus, toto cælo diverſum fuiſſe, clamant rerum adjuncta. Etenim Orlandinus de Sancto Manresâ diſceſſuro agens,* Utebatur, *inquit*, jam valetudine certiore; ſed quia gravis languor reſederat ſtomachi, & hiems perfrigida ſæviebat, duplex amiculum è craſſo panno, coloris cinerei ruffeſcentis, amicorum impulſu corpori admovit, & ex eodem confectum pileolum capiti operimentum impoſuit. Tum Barcinonem diſceſſit. *De duplici Sancti indumento Vita Conſalviana num. 34 conſuli etiam poteſt. 3. Duplex illud indumentum ideo placet Argaizio, ut* S. Ignatium *transformet in Benedictinum ordinis inferioris. 4. Duos etiam in ſcenam produxit confeſſarios, Fornerum utique & Xanoneſium, quibus obediviſſe, poſtquam cum illis communicaverat, Sanctum credit, ſeu potiùs ſomniat, atque habitum aſſumpſiſſe, qui religioſi potiùs fuerit, quam peregrini: nullâ certè veritatis umbrâ. Nam tametſi plus ſatis hæc fabella ex dictis ſit confutata, placet tamen hiſce ſuperaddere coronidis loco ſequentia. Vita à P. Ludovico Conſalvo ex ore* S. Ignatii *excepta num. 16 ſic narrat:* Itaque telam emit ex ea, quâ ſacci conficiuntur, non admodum textam, & multis aculeis aſperam: ac ſtatim veſtem ſibi ex ea uſque ad pedes demiſſam fieri præcepit. *Et mox ibid. ſubdit Vita, calceos ex ſparto, quorum unum dumtaxat geſtavit, baculum peregrinorum inſigne, & cucurbitulam. Quænam hic ſpecies habitus religioſi, nedum Donati Benedictini?*

C

40 *Bucelinus in Menologio ſuo Benedictino ad diem* XXXI *Julii, commentitiam hanc ſancti Patris noſtri metamorphoſim, ita ante Argaizium deſcripſerat:* Chriſto militaturus novum hominem & habitum in monaſterio B. Matris Admirabilis Monſerratenſis apud noſtros aſſumpſit, ibique Oblatorum, quos Hiſpani Donatos vocant, religioſo ſchemate donatus *&c. Apage itaque pura puta hujuſmodi ſomnia; quibus ſi duo iſti auctores (ne tertium illis addam, Conſtantinum Cajetanum, ab Argaizio citatum) in animum induxerint ſuum, conciliare honorem ſacro indumento religioſorum Ordinis Benedictini; ſciant, neque ſanctum patriarcham Benedictum, neque Ordinem ejus rebus falſis condecorandos eſſe, veris aliunde laudibus ſpectatiſſimos.*

D

in donatum Benedictinum ridiculè & infundatè cum transformantium.

An profeſſus fuerit

41 *Ex ſimili fabularum figlina prodiit commentum illud, de quo agitur in Reſponſionibus P. Danielis Papebrochii ad reverendum admodum patrem Sebaſtianum à S. Paulo, parte 2, inter ea, quibus reſpondetur ad articulum 15, § 3, num. 25; ubi ex quodam auctore refertur,* nonnullos ſuſtinere, S. Ignatium vitæ ſuæ perfectionem & ſanctitatem hauſiſſe ex tertia Regula S. Franciſci, illiuſque habitum ſuſcepiſſe, profeſſionem emiſiſſe, & juxta illam aliquo tempore vixiſſe. *Sed hujuſmodi nugæ neglectu potius & commiſeratione, quam refutatione dignæ ſunt. Conſuli interim poſſunt ea, quæ ibidem à num. 26 reſpondentur. Ecce autem commentum illud non ita pridem denuo innovatur in libello Germanico, cui titulus:* Regula tertii Ordinis, Pœnitentium dicti, quem Seraphicus Patriarcha S. Franciſcus ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti compoſuit *&c.*, cum aliis ad hujus Ordinis notitiam ſpectantibus compilata per quemdam ex reformata provincia Auſtriaca pauperum Franciſcanorum. *Prodiit in lucem dictus libellus Viennæ apud Joannem Baptiſtam Schilgen, Univerſitatis typographum anno 1726; ſicut adſcriptum invenio fragmento, quod ex prædicto libro extractum eſt.*

E

tertiam regulam S. Franciſci.

42 *Sed cum fragmentum illud tametſi parvum, magnis tamen & craſſis falſitatibus ſcateat, nullam in hac re meretur fidem. Falſum quippe eſt primò, ex* S. Ignatii *ſcipione, aſpera veſte, ac fune, quo tunc erat præcinctus, ſequi, ut fuerit Tertiarius Ordinis S. Franciſci; nam ſicut inde, ſecundùm mox dicta de Donato Benedictino, habitum Benedictinum non extundes; ſic etiam non extundes indidem Tertiarium S. Franciſci. Falſum eſt ſecundò: In eccleſia Deiparæ Montis ſerrati ſacerdoti Franciſcano totius anteactæ vitæ noxas generali exomologeſi aperuiſſe: nam quis ibidem ipſi à ſacris confeſſionibus fuerit, ſuprà dixi. Falſum eſt tertiò, ſpecum Manreſanam petiiſſe; ubi ad normam primorum Tertiariorum veſtitus, iiſdem cohabitans aliquamdiu delituerit. Ubi fuerit Manreſæ, dabit Ribadeneira lib. 1, cap. 5 & 6. Falſum eſt quartò, quod factam ſubinde profeſſionem in manibus ſui confeſſarii Franciſcani depoſuerit. Falſum eſt quintò, quòd in eadem ſpecu Manreſana, ſervato Tertiarii pœnitentis habitu, admirabilem Exercitiorum ſpiritualium librum conſcripſerit. De profeſſione* S. Ignatii *dicetur alibi. De habitu mox actum. Quot quantæque in exiguo iſto fragmento conglomerantur falſitates, inter aniles nænias reponendæ! Quid verò* recens author ab ordinariis libr. cenſoribus approbatus Bruxellis. Item R. P. Engelbertus Pauck Ord. S. Franciſci Seraph. pariter à cenſoribus approbatus in tertia Vinea Seraph. f. 164, *qui ibidem citantur, ſuadere poſſunt in hac re, ſi conferantur cum tota retro antiquitate, cui ne quidem incidit de ea vel ſomniare?*

F

43 *Aliquid etiam in ſimili materia contigiſſe Man-*

A *Perſtringuntur quædam circa imaginem S. Ignatii, cum inſcriptione Manreſæ expoſitam.*

Manreſæ ; illud indicio eſt , quod P. Ignatius Pien, germanus meus frater, inter monumenta Romana ad me miſerit inſcriptionem Hiſpanicam , ſubjectam imagini S. Ignatii de Loyola *in monaſterio PP. Dominicanorum Manreſæ , à R. P. F. Bernardo Llanes , filio ac Priore iſtius conventus, die* III *Aprilis anno* 1649. *Prædictus Pater Ignatius Pinius ſubjungit* , habere *ſe* & Memoriale , quod Noſtri tum contra modum quo depingebatur in prædicta imagine S. Ignatius , tum contra inſcriptionem , obtulerunt Patri Vicario Dominicanorum : & Reſponſionem cujuſdam P. Dominicani ad dictum Memoriale : denique Noſtrorum Memoriale oblatum Inquiſitioni. *Ex Inſcriptione dicta habemus , quod* S. Ignatius *anno* 1522 *è Monte ſerrato Manreſam digreſſus ; ad conventum PP. Dominicanorum venerit ; quod ejuſdem conventûs Prior ipſum hoſpitio exceperit in quadam cella iſtius loci (qui tunc Prioratus dicebatur ;) in quo habitarit reliquo tempore , quo Manreſæ fuit ; quod in iſto conventu magnas res ſpirituales ſit operatus , & cæleſtibus deliciis gaviſus fuerit. Et paullo pòſt additur , quod multas habuerit illuminationes è cælo , & compoſuerit librum Exercitiorum ſpiritualium. Si autem* Ignatius , *quamdiu apud Manreſanos fuit , in iſto conventu fuit , prout vult inſcriptio iſta , cum alterius , quo Sanctus diverterit , loci non meminerit; Ergo Sanctus ad xenodochium ibidem primò non divertit ; ergo nihil in antro Manreſano egit earum rerum , quas ibidem egiſſe , affirmatur ; quæ ſunt falſa ; vide Ribadeneiram lib.* I , *cap.* 5 *&* 6 , *& ea quæ de antro Manreſano , ac de Exercitiis ſpiritualibus poſtea dicam. Hæc de inſcriptione. Quid verò in imagine* S. Ignatii *ibidem expoſita , noſtris diſplicuerit , non invenio ; neque novi , quænam poſtea conſecuta fuerint hanc controverſiam.*

§ V. Iter è Monte ſerrato Manreſam ; Sancti ſpelunca ; Exercitia ſpiritualia ibidem compoſita ; tempus commorationis.

C

Manreſa notitia.

INter hæc itaque è profano milite piiſſimum mutatus in peregrinum Ignatius , nondum certa luce , relicto monachis *Monſerratenſis cœnobii* jumento , pedes ipſe , obvoluto etiam tum faſciis altero crure claudicans , per ſummum laborem à Monte ſerrato diſceſſit , & è via militari paullo poſt deflexit primùm ad deſerta in vicino loca , deinde ad oppidum Barcinonenſis agri Minoreſſam (hodie Manreſam vulgus appellat ,) novem fere millibus paſſuum à Monte ſerrato , *inquit Maffeius lib.* I , *cap.* 5. *Locum illum quondam epiſcopalem fuiſſe , ad fluvium Cardoner* * *ſitum , qui paullo infrà in Rubricatum cadit , obſervat neotericus geographus Michaël Antonius Baudrand , ad vocem* Minoriſſa. *Porro urbeculam hanc eſſe in valle ſitam , ſcribebat Cantius , qui ſuprà. Eſſe autem Manreſam domorum quingentarum vel oppidulum vel pagum , habemus ex Bartolo lib.* I , *num.* II.

* *al.* Cardener

Expenitur quomodo S. Ignatius

45 *Ceterùm quæ paucis circa diſceſſum Sancti mox dedimus ex Maffeio , pleniùs deſcripta habemus in apographo Hiſpanico unà cum aliis mo-*

numentis Romanis huc miſſo , hoc titulo : Relatio & Hiſtoria temporis , quo moratus eſt noſter beatus Pater Ignatius Minoreſſæ & Barcinone , quam ſcriptam reliquit Joannes Sacriſta Paſchalis. *Ad marginem item Hiſpanicè ſequentia annotantur manu P. Pinii :* Iſtam Hiſtoriam temporis , quo N. B. P. Ignatius fuit in civitatibus Minoreſſana ac Barcinonenſi ; ex ſuo originali extractam Catalano, mittit noſtro Patri Generali Claudio Aquaviva P. Franciſcus Caſtel per P. Joſephum de Alderete MDCV. *Inde delibo hæc , quæ ſubdo :* Ego Joannes Sacriſta Paſchalis , *inquit* , fidem facio per virtutem hujus præſentis ſcripti ad perpetuam memoriam eorum , quæ audivi dicere matrem meam Agnetem Paſchalem , viduam ſecundi matrimonii , & P. Ignatium de Loyola , partim de rebus , quæ ſequuntur , ſpectantibus ad itinera, converſionem , & adventum ejus in civitatem Minoreſſanam ac Barcinonenſem ; partim de illis , quas vidi & tractavi egomet oculis meis ac manibus meis. Dum eſſem juvenis annorum quindecim , & ephebus eſſem archiepiſcopi , qui tunc erat Tarraconenſis , cum quodam avunculo meo, dictæ meæ matris Agnetis Paſchalis viduæ germano fratre , nomine Antonio Pujol , qui dicto archiepiſcopo erat à cæremoniis ſacris , & à confeſſionibus ; quia erat vir valde doctus , & magnorum meritorum ; morabatur tunc temporis mea mater Minoreſſæ ; *ob negotia , quæ ibi memorat hujus narrationis auctor.*

AUCTORE J. P.

E

46 Habebat illa tunc domum ſuam præcipuam & habitationem in hac civitate Barcinonenſi ; *curâ illius in abſentia ſua aliis commiſſâ.* Quæ dum ſabbato quodam viſitaſſet ſanctam domum Dominæ noſtræ Monſerratenſis (quò ſolebat ire ſabbatis pleriſque , quia tribus dumtaxat leucis Manreſâ diſtabat) & rediret domum ſuam à meridie *unà cum comitatu juvenum duorum, ac trium mulierum ibidem expreſſo* ; ad ſacellum Apoſtolorum, quod paullo inferiùs aberat à Domina noſtra , venit eis obviam juvenis quidam , vili veſte lanea * totus veſtitus , tamquam peregrinus , ſtaturâ quidem non admodum procerus , verùm candidus & rubicundus , & boni admodum vultus , & gravis , & ſuper omnia , modeſtiæ magnæ oculorum , quos vix ſolo levabat : veniebatque valde defeſſus , ac claudicans tibiâ dexterâ. Venit obviam , ut dixi , matri in ſacello Apoſtolorum ; quam rogabat , ſicubi circà eſſet xenodochium, quò recipere ſe poſſet. Illa verò honoratum ac bonum vultum ejus conſpicata , unà cum capite aliquantulum calvo , contemplabatur illum , movente eam præſentia ejus ad devotionem & pietatem : & ſic illi dixit , quod illud , quod magis ibi erat vicinum , tribus inde leucis diſtaret , ubi ipſæ habitarent , in civitate Minoreſſana : unde erat , & quò ibat. Quod ſi placeret comitari ſeſe ac ſequi , ibi ſeſe commodaturam ei ac lautè proſpecturam , modo , quo fieri poſſet , optimo,

relicto Serrato monte

* *in Hiſpanico eſt* gerga

F

47 Ipſe verò honoratis ac Chriſtianis verbis dictam oblationem ſibi gratam eſſe teſtificatus , decrevit eas ſequi , tardo incedentes greſſu , ob claudicationem ejus , ut comitari illas poſſet. Dumque offerrent ei aſinum , quem ſecum ducebant, ut ei inſideret , ex commiſeratione , qua erga eum ferebantur , numquam exorare eum potuere , ut deſineret ire pedes , aut jumentum conſcenderet vel ad unicum paſſum. Dumque omnes ſimul jam ſerò adventarent Minoreſſam , dictus P. Ignatius , & duo dicti juvenes alii , & dictæ tres mulieres , & mea mater ; illa , priuſquam intraret civitatem , eum præmiſit , ut intraret cum Hie-

Minoreſſam pervenerit :

AUCTORE J. P.

ronyma Cavera vidua & xenodochii S. Luciæ ejuſdem civitatis præfecta, mandans ei, ut de bono lecto ac cubiculo ipſi proſpiceret in dicto xenodochio, ejuſque curam gereret; in reliquis, quæ ad ejus victum ac lautitias ſpectarent, ſolicitè ſe ei proſpecturam è ſua domo, quot diebus neceſſe foret. Et ſic contigit, ut, domum redux dicta mea mater, eodem iſto veſpere miſerit ad xenodochium pro dicto P. Ignatio cœnam, quam pro ſemetipſa invenerat præparatam, gallinam, ſicut dicebat, & ſcutellam cum jure; quia ipſa erat aliquantulum malè affecta. Idem fecit duobus ſequentibus diebus, quibus is verſatus fuit in xenodochio, quinque videlicet: ubi ſemper jejunabat magno cum rigore. *Ne nimium excreſcat narratio; eam contraho.*

& quomodo indè ſit digreſſus.

48 *Subtexit varia de ejus virtutibus, vitæ aſperitate, procurata ei domo à ſua matre, ut tranquilliùs ac commodiùs rebus ſuis vacaret; de colloquiis ſpiritualibus, bonis operibus, quæ tam in hoſpitali erga infirmos, quam erga pauperes reliquos, in civitate exiſtentes exercebat: deinde refert invidorum ac malitioſorum contradictiones ac*

B *murmurationes adverſus ſancta hæc exercitia, & eorum auctorem, nec non ipſius ſequaces, ac ſingulatim Joannam Serram, in cujus domum ſe receperat; & ſuper omnia murmur fuiſſe narrat de ſua matre Agnete Paſchale, quæ tamquam iſtarum turbarum inventrix ac novitatum fautrix traducebatur, ob officia à ſe earum auctori præſtita: eoque rem proceſſiſſe, ut coacta fuerit Tarracone accerſere germanum ſuum fratrem Antonium Pujol, de quo ſuprà; quem cum feſtinatione, ſe comitante, ad civitatem Minoreſſanam veniſſe memorat: matremque ſuam, re ipſi expoſita, ab ipſo petiiſſe, ut illum ſecum duceret Barcinonem. Dictum factum: valedixit Minoreſſæ* Ignatius, *maximo ſui apud majorem ac meliorem civitatis partem relicto deſiderio: ac cum avunculo dicti Joannis Paſchalis Barcinonem venit. Hæc inde contraximus: quæ Barcinonem ſpectant, poſtea dabuntur, ubi, qua hoc Joannis teſtimonium valeàt auctoritate, dicetur; nunc Minoreſſam repetamus.*

ſpelunca S. Ignatii

49 *Franciſcus Vicens, ejuſdem civitatis civis, nec non philoſophiæ ac medicinæ doctor, Apologiam edidit, anno* 1664 *excuſam; quâ veritatem*

C *& unitatem ſanctæ ac prodigioſæ ſpeluncæ Minoreſſanæ egregiè defendit; quam ibidem Societas Jeſu pro vera atque unica habet ac poſſidet; in quam ejus glorioſus Fundator ac Patriarcha è Monte ſerrato digreſſus, & à divino Spiritu motus, ſeceſſit; quam denique rara ſua aſperitate, mirabili vita, cœli favoribus ibidem acceptis, & miraculis patratis, in verum ſanctuarium convertit. Atque hæc quidem ſummatim à laudato iſtius Apologiæ auctore præmiſſa, pleniùs deducuntur apud Vitæ Ignatianæ ſcriptores. Quia verò proximè ſæpius recurret iſta Apologia, magno utique ad illuſtrandam Sancti noſtri apud Minoreſſanos commorationem ſubſidio nobis futura, ideo brevem de hac notionem ſuggerendam putavimus.*

unica contra quoſdam religioſos

50 *Religioſi quidam patres Minoreſſani hanc controverſiam moverunt, dicendo coram teſtibus fide dignis, quod in ſuo conventu eſſet vera* S. Ignatii *ſpelunca; quodque non eſſet talis, quam habet Societas. Sed poſtea eos dictum mitigaſſe menſe Auguſto anni* 1664, *habemus ex citato Apologiæ auctore, miſſo ab illis ad Societatis collegium religioſo, qui renuntiaret, cogitaſſe eos numquam, aut dixiſſe, quod ſpelunca Societatis non eſſet vera, in qua Sanctus habitarit; ſed quod etiam habitarit in illa, quam ipſi haberent, prope eam,* D *quæ eſt Societatis. Et ſanè tam altè inſederat opinio iſta Patrum dictorum animis, ut ex ſua nova ſpelunca terram dederint pro infirmis, ad imitationem vel contrapoſitionem, ut loquitur auctor, illius, quæ donari ſolet, miraculis donum ſubſecutis, ex antiqua, quam civitas veneratur. Quibus autem verbis illa ſeſe oppoſuerit die* XX *Septembris dicti anni* 1664, *imaginariæ iſtius ſpeluncæ patronis, habet auctor num.* 9. *Quod verò ſanctæ ſpelunca, ad iſtum uſque diem in veneratione habita, ſit illa, quam* S. Ignatius *incoluit, à num.* 13 *probat ex juratis & oculatis teſtimoniis. A num.* 17 *profert juratos teſtes, illud audiviſſe ſe ab iis, qui rem viderunt, deponentes.*

51 *Poſtea idem argumentum probat à traditio-* aſſeritur: *ne, famaque publica cum authenticis ſcripturis; ne loquar de univerſali veneratione, à num.* 39; *& miraculis, à num.* 47. *Denique concludere ſe manifeſtè & evidenter cenſet, hanc & non aliam eſſe ſpeluncam veram & unicam* S. Ignatii, *quam noſtra Societas poſſidet; adjunctis deinde argumentis negativis, ut vocant, quæ ſufficiant ad con-* E *vincendum quemlibet hominem, modo ratione duci ſe ſinat, ex ſingularibus adjunctis, quæ huic cauſæ patrocinentur. Poſſeſſio itaque, ut nos dicta concludamus, ſtetit ſemper, ſtabitque pro Societate noſtra, unicam, ac veram Sancti ſpeluncam habente, cum excluſione alterius cujuſcumque; quam poſt elapſos tot annos fabricare demum anno* 1664 *non poterat bonorum iſtorum religioſorum novitas, omni probabilitatis fundamento deſtituta. Placet nunc, antequam ad alia pergamus, qualis fuerit illa ſpelunca, deſcribere. Loci itaque ſitum, naturam, formam, dimenſionem, & cetera id genus intellige ex Bartolo lib.* 1, *num.* 12:

qua deſcribitur.

52 *Sancto ſeceſſum* quærenti, facilè *is* occurrit paſſu fere ſexcenteſimo Manresâ diſtans, inſtituto valdè idoneus. Spelunca fuit ad infimum collem, viva in rupe excavata, tenebricoſa, nec multum ſepulcro diſſimilis, loco tamen peramœno ſita, & anguſta in valle, cui apud incolas Paradiſi valli [nomen] amœnitas fecit. Calamis inde octoginta Cardanerus rivus limpidiſſimis aquis fluit: è regione eſt via regia: hanc inter & ſpecum è ſaxo crux viſitur, è tribus una, ad quas Sancto mos fuit pias obire ſtationes. Palmos habet in longum ſpelunca duos & triginta; lata decem: alta, quà fornix multum attollitur, ſimiliter decem: depreſſior verò, prout interiùs magis in illam receditur. Qua parte Monſerratum F ſpectat, feneſtella patet, ex ſciſſura rupis commodè captata, ex qua proſpici templum poteſt, & Virgo Parens adorari. Ceterum undique nigra, & tenebris horrida, & incompoſita, & prominentibus ſurſum hinc inde ex caute cuſpidibus aſpera. Pauci hanc norant, adibat nemo; & hoc Ignatio opportunior viſa. Aperto igitur in illam per objecta ſpineta, & condenſa dumorum, anguſto aditu, ſuam fecit. *Vicenſus ſuperiùs memoratus narrat num.* 31, *illuſtriſſimos epiſcopos Raphaëlem de Rovirola Barcinonenſem, & Franciſcum Robuſter Vicenſem, judices remiſſoriales in proceſſibus canonizationis* S. Ignatii, *die* XVI *Septembris anni* 1606 *iſtam ſpeluncam oculis luſtraſſe; ac rem geſtam haberi in informatione ejuſdem anni* 1606, *fol.* 510; *quæ dicat inter alia, hanc ſpeluncam* diſtare à civitate quaſi 200 paſſus; *præterea* habere longitudinem 26 palmorum; *eſſe* latitudinis octo, & undecim altitudinis. *Cantius in litteris, de quibus ſuprà*, ad tertium circiter jactum lapidis *extra Manreſam collocat illud monumentum.*

53 *Va-*

AUCTORE J. P.

A *Ibi Exercitia ſpiritualia compoſuit.*

53 *Variæ rationes nobis perſuadent, in receſſu iſtius ſpelunca à Viro ſancto compoſitum fuiſſe librum Exercitiorum ſpiritualium, vel primam eorumdem deſignationem & ideam. Primò: Quia locus ille maximè ad hoc erat aptus, ſolitarius utique, ſtrepitu & interpellatoribus liber. 2. Quia apud laudatum Vicenſum num.* 13 *habemus, quod* in iſta ſpelunca ageret aſperam pœnitentiam: *quod* ſæpe admodum in illam ſecederet; *num.* 20: quod habitaverit in .. ſpelunca dicta.., quod flagro ſe cæderet in ſpelunca.., & quod Sanctus IN *dicta* SPELUNCA FACERET EXERCITIA. *Et citantur Informationes Barcinonenſes ac Minoreſſana. Dicebam ſuperiùs disjunctivè* vel primam eorumdem deſignationem *&c.*; *nam Exercitia illa non ſimul & ſemel compoſita ſunt. In antiquiſſima enim Vita, auctore Conſalvo, ex ore ſancti Patris excepta; ſub finem; rogatus Vir ſanctus;* quonam modo ea conſcripſiſſet; reſpondit, Exercitia non ſimul omnia fuiſſe compoſita, ſed ut quæque obſervarat ſibi profuiſſe, ita ſcripto annotaſſe, quòd exiſtimarat, aliis quoque poſſe eſſe utilia. Qualis eſt illa ratio examinandæ conſcientiæ, adhibitis lineis illis, & hujuſmodi alia. Electionum rationem particulatim aſſeruit elicuiſſe ſe ex illa ſpirituum varietate, quam ſenſit tum, cum in Loyola æger ex tibia decumberet. *At de Exercitiis* S. Ignatii *plurima mox dicenda ſuperſunt.*

B

Quamdiu Manreſæ moratus fuerit.

54 *Commorationem* S. Ignatii *apud Minoreſſanos extendendam ad unum circiter annum, conficitur ex Actis ex ore Sancti à Conſalvo exceptis num.* 29; *ubi hæc dicuntur:* Adhuc Manreſæ cum eſſet (fuit autem ibi anno ferme toto;) *&c. De hac commoratione etiam ex Ribadeneira & Maffeio conſtat. Hic lib.* 1, *cap.* 11, anni fere ſpatio, *ait*, exacto .. Hieroſolymam .. petere omnino conſtituit. *Et cap.* 12 ſub initium anni MDXXIII .. Minoreſſa profectum, veniſſe Barcinonem, *affirmat. Ribadeneira verò lib.* 1, *cap.* 10 *ſcribit:* Annum unum plus minus Manreſæ tranſegit. *In Vita autem breviore apud Quartemontium cap.* 4, annum penè Minoreſſæ commoratus *dicitur. Quod tempus aliquanto plus abbreviat Orlandinus lib.* 1, *num.* 31 *dicens, quod* Barcinonem diſceſſerit, .. Manreſam decimo fere poſtquam venerat menſe .. relinquens. *In Horis canonicis numero rotundo ibidem* per annum commoratus *narratur. Sequitur ex tot allatis teſtimoniis, ut audiendus non ſit Garibaius lib* 30, *cap.* 5, *dum* S. Ignatii *apud Minoreſſanos commorationem juſto parciùs reſtringit ad menſes ſeptem.*

C

§ VI. Exercitiorum liber à quo, ubi & quando ſcriptus? Hujus argumenti vindiciæ.

Yepezio, qui cenſet Exercitia à Sancto compoſita fuiſſe poſtquam ſtuduerat,

IN *parvo illo quidem, ſed nervoſo Exercitiorum ſpiritualium elogio, quod in Horis Sancti canonicis, poſtquam eſſet dictum de iis,* quæ *Sancto* Manreſæ patefecerat Dominus, *mox ita recitat Eccleſia:* Quo tempore homo litterarum planè rudis, admirabilem illum compoſuit Exercitiorum librum, Sedis Apoſtolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum; *ex illo, inquam, elogio conſtitue, quid ex communi Eccleſiæ ſenſu ſit tenendum circa tria iſta quæſita; nimirum à* S. Ignatio *Manreſæ degente, anno* 1522 *librum iſtum fuiſſe compoſitum. R. P. Antonius Yepes in Chronico generali Ordinis S. Benedicti Hiſpanicè edito, tom.* 4, *centuria* 5, *fol.* 236 *cenſet, Sanctum hujus libri haud dubiè conditorem fuiſſe, ſed hunc ab eo ordinatum tunc, quando erat Minoreſſæ, fatetur, ſibi certum non eſſe, imo potius ſe tenere contrarium, tamquam magis probabile. Etenim quia opus illud ſcatet multis auctoritatibus Scripturæ ſacræ ac doctrinæ Sanctorum; Viro iſtarum rerum atque ipſius quidem Latini ſermonis tunc imperito, illius confectionem abjudicat; propiùs ad verum accedere cenſens, quod emenſo Pariſiis ſtudiorum curriculo illud conſcripſerit, litteris utique & experientia tunc temporis inſtructus; adeo ut, dum Minoreſſæ perſonas ad ſe accedentes ſpiritualibus imbuit Exercitiis, id non contigerit juxta conjecturam Yepezii, quia tunc ſcripſit Exercitiorum librum, ſed quia tunc profecit Ciſneroſiano. Addit, id affirmare ſeſe non ex ſua ſolius conjectura, ſed vult id colligi ex generali Ordinis S. Benedicti traditione, quæ originem traxerit ex uſu loci ſacri Monſerratenſis.*

apponitur Ribadeneiræ; qui ad argumenta ejus E

56 *Ad hæc fatetur, patrem Ribadeneiram in contraria eſſe ſententia; ejuſque epiſtolam, à R. P. Franciſco Giron, collegii Salmanticenſis Societatis Jeſu Rectore ſecum communicatam profert à fol.* 237; *è qua delibo ſequentia Latinè ex Hiſpanico à me reddita. Duo Ribadeneiræ ſtatuenda videntur*, alterum, quod valde ſit probabile, beatum Patrem noſtrum Ignatium Minoreſſæ habuiſſe notitiam libri aut Exercitatorii patris fratris Garciæ de Ciſneros, atque in *melioris vitæ* initiis illo profeciſſe ad ſuam orationem ac meditationem; nec non à patre fratre Joanne Chanones inſtructum, ac nonnulla ex eo edoctum fuiſſe; Sanctumque etiam libro, quem poſtea compoſuit, Exercitiorum ſpiritualium nomen indidiſſe, deſumpto libri nomine è patris fratris Garciæ libro vel Exercitatorio. Alterum eſt, quod ſancti Patris liber à patris fratris Garciæ libro valde ſit diverſus: quia tametſi in uno atque altero materiâ tenus tractentur aliqua, quæ coincidunt; in modo tamen & forma tractandi valdè differunt, *Et poſtquam Ribadeneira enumeraſſet varia, quæ in libro Exercitiorum præcipuum admodùm tenent locum, & de quibus in iſto alio verbum occurrit nullum; ſtatuit*, dubium non eſſe, quin duo iſti libri differant, & ſecundus è primo non ſit deſumptus

reſpondet F

57 *Ad argumentum, quod promebat Yepeſius ex Sancti id temporis imperitia, reponit Ribadeneira*, quod, ut Deus doceat, & illuminet animam aliquam, ſtudiis aut latinitate opus non ſit. Atque id, quod Pater, *inquit*, noſter ſcripſit in libro Exercitiorum, non ideo ſcripſit, quia eò converterat ſtudium, aut in libris id dicerat; ſed quia ipſum Deus illud docuerat, idque erat in ſe ipſe expertus. Nam tametſi in illis principiis non ſciret, quidnam de ſe ſtatuiſſet Dominus; ſciebat tamen illud Deus, & paulatim eum diſponebat, ut fundatorem eum faceret Societatis, magnumque Eccleſiæ ſuæ Patriarcham; dabatque illi unum ex adminiculis, quo debebat jungere ac ſubigere eamdem ſuam Societatem; ejuſque filii tantum in Eccleſia facere fructum, quantum fecere per Exercitia. *Et mox ſuam ſententiam confirmans ex fructu, quem ubique ac tot modis Dominus noſter per illa operari dignatus eſt, rectè judicat, quod etiamſi ſanctus Pater noſter multum ſtuduiſſet, ſuaque ex aliis libris prompſiſſet Exercitia, fieri tamen, humano modo loquendo, haud potuiſſe, ut ex ideis in ſchola hauſtis, atque ex librorum etiam ſpiritualium ac piorum lectione erutis, ſequerentur mutationes vitæ, morum*

AUCTORE J. P.

rum reformationes, aliaque ſpiritûs emolumenta, qualia ex libro Exercitiorum ſancti Patris profluxere, ſi ſingulari cum favore Dominus ipſi ea non dediſſet ad iſtarum rerum exſecutionem.

ac probat, eadem à Sancto recenter converſo fuiſſe compoſita.

58 *Tum allegat verba Pauli PP. III, qui in Brevi, anno 1548 edito laudans & confirmans Exercitia, ſic loquitur :* Exercitia ſpiritualia ex ſacris Scripturis, & vitæ ſpiritualis experimentis elicita. *Item patris Polanci* (cujus, *inquit Ribadeneira*, eſt Præfatio Exercitiorum libri,) *hunc textum citat idem auctor :* Hæc documenta ac ſpiritualia Exercitia, quæ non tam à libris, quam ab unctione ſancti Spiritus, & ab interna experientia, & uſu tractandorum animorum edoctus noſter in Chriſto Pater &c. compoſuit. *Et tandem laudatus Ribadeneira ita rem concludit :* Atque is fuit communis ſenſus omnium antiquorum Patrum Societatis, qui tractavimus & converſati fuimus cum noſtro beato Patre ; nec umquam alterius fuit rei cogitatio vel ſuſpicio. *Epiſtolæ* Matriti XVIII Aprilis anno MDCVII *datæ ſubſcribitur* Petrus Ribadeneira. *Quibus ſolidè ſtabiliuntur ea, quæ jam pridem dixerat lib. 1 Vitæ cap. 8 :* Hoc

B eodem tempore, Exercitiorum ſpiritualium librum, quem appellant, ex accurata eorum, quæ ſibi contigerant, obſervatione conſcripſit ; *tum videlicet, quando apud Minoreſſanos degebat, prout ex antecedente ac conſequente memorati ſcriptoris textu liquet. Liber itaque ille à* S. Ignatio *Manreſæ anno 1522 conſcriptus eſt.*

Exercitia illa

59 *Atque hæc quidem ad commentationes illas ſacras* S. Ignatio *tamquam vero ac genuino earum auctori vindicandas ſufficere poterant tunc temporis. Fuit tamen inventus hypercriticus quidam, cui poſtmodùm antiquam illam cramben recoquere, & nova inde ineptiarum fercula obtrudere placuit. Rem ejuſque vindicias accipe ex Bartolo lib. 1 Vitæ num. 21 :* Diximus, *inquit*, S. Ignatium, ex paterna domo Monſerratum profectum, vitam omnem apud Joannem Chanones, monachum S. Benedicti, confeſſione ſacra expiaſſe, fuiſſe ab illo ſanctis conſiliis in ſuſcepta virtute inſtitutum ; addo, forſitan ad hoc & librum aliquem, ac, ſi lubet, hoc ipſum, quod commemoratur, Exercitatorium accepiſſe. Ex his neſcio quis, quodcumque huic nomen, libros ſcripſit duos : indicem hunc facit ,, : De religioſa S. I-
,, gnatii ſive S. Enneconis, fundatoris Societa-
,, tis Jeſu, per Patres Benedictinos inſtitutione;

C ,, deque libello Exercitiorum ejuſdem ab Exerci-
,, tatorio veri ſervi Dei, Garziæ Ciſneri, ab-
,, batis Benedictini magna ex parte deſumpto ,,.

contra ineptum quemdam hypercriticum

60 Ex quo patet, probare conatum, de Ciſneri libro S. Ignatium magna ex parte Exercitia ſua exſcripſiſſe ; proinde, ut planè ſequitur, non ſua ; niſi ſi alieni injuſtus occupator, vocari poſſeſſor legitimus debeat. Qui enim potuit divinorum rudis, inquit ille, de cultu intimæ virtutis tam exquiſitâ peritiâ & cohærenter adeo ſcribere? Unde porro illi in tractandis animis experientia, qui delituiſſet eatenus vel inter mendicos, & ægrotos in noſocomio ; vel in ſolitario cavo eremita ? Ex Ciſnero igitur librum illum deſcripſit. Hoc verò nec unum, nec tamen graviſſimum eorum, quibus S. Ignatii gloriam, ejuſque Ordinem is liber perſtringit ; ſed cum ab ſacra Indicis Congregatione notatus ſit, (*Romano utique fulmine ictus, ſicut conſtat ex ejuſdem Congregationis decreto, anno 1646 ; die* XVIII *Decembris Romæ edito*) unaque ex hominum oculis & memoria eraſus, nullam ſui deinceps meretur mentionem.

D

egregie tuetur Bartolus,

61 Ad Exercitia quod ſpectat, hoc ſolum dixero ; ſi quid valent, quæ antè retuli, evidentiſſimè ex iis oppoſitum confici, Ignatium ſcilicet ex Ciſnero Exercitia nec deſcripſiſſe neque compilaſſe. Nihil quidem veriùs, quam oportuiſſe illum aliunde id haurire, in quo ipſe nec ſatis verſatus, nec per ſe ſat eſſet eruditus. Unde verò, & quonam id modo ? Dicant ejus fidei teſtes, quam illuſtriſſimi Romanæ Rotæ Auditores nominis ſui pondere commendant : " Cum dicta,
,, inquiunt, Exercitia facta fuerint eo tempore,
,, quo dictus B. Pater erat idiota, & litterarum
,, ignarus ; utique cogimur fateri, dictam cogni-
,, tionem, & lumen ſupernaturaliter infuſa poti-
,, ùs, quam acquiſita fuiſſe ,,. Quæ vox de iis auctoritatibus deprompta, & ab iis auctoribus edita, quibus rei commiſſæ gravitas, veri neceſſitatem imponebat, apud quemlibet cordatum plus debet poſſe, quam ut velit certioribus confirmari.

atque Ignatii

62 Habemus tamen S. Ignatii intimè conſcios & familiares Jacobum Lainium, & Joannem Polancum, à quibus extra ambiguum nobis traditum eſt, S. Ignatio in Exercitiis componendis magiſtrum primarium præter Deum, fuiſſe neminem; documenta præterquam è cælo fuiſſe nulla. Nec deſunt vitæ ſanctiſſimæ homines, idem divinitus edocti, quos & longum referre, & mihi non neceſſarium, teſtimoniis nixo juridicis, dum ageretur de illo in Sanctorum album adſcribendo. Illud potiùs neceſſarium, meminiſſe, quod diſertè nobis conſignarunt, qui ex ipſomet audiverant ; ut novis ſubinde radiis illuminatior, de divinis plura cognoſcebat, ſic libro Exercitiorum novi ſemper aliquid addidiſſe, donec qualem habemus perficeret. Ex quibus egregiè, ambigentibus fit ſatis, quî potuerit tam abſolutum opuſculum prodire ab homine neque literato, nec regendis animis aſſueto ; quî verò etiam ejuſmodi cum eſſet, uti potuerit conciliorum & Patrum locis, & boni malique ſpiritus naturam ſtatis diſcernere regulis, quæ niſi ab apprime docto, & interioris hominis gubernatione jam longa trito præſtari nequeunt.

vindicat,

63 Manreſæ ſiquidem dum ſolus ageret, EX IIS QUÆ DIVINO MAGISTERIO DIDICERAT (quod coram Gregorio XV ex authentico relatu illuſtriſſimorum Romanæ Rotæ Auditorum, confeſſus Pontificii dixit Advocatus, de illa tractans Manreſana Sancti commoratione) ex iis, inquam, præcipuas, eo, quem expoſui ordine, deſcripſit F Exercitiorum partes ; quibus deinde veluti ſubſtructis inædificavit ſemper totis quinque & viginti annis, ad MDXLVIII, quo Pauli III auctoritate communita in lucem exierunt ; diuque jam interioris vitæ œconomiam uſu ipſo perdoctus, novas iis adjunxit regulas, quas Additiones vocavit ; & jam theologus varios ex conciliis & Patribus textus. Hinc eo Pontifex, quod paulo antè exſcripſi, *inquit*, diplomate, DOCUMENTA NOMINAVIT, SIVE EXERCITIA SPIRITUALIA EX SCRIPTURIS, ET VITÆ SPIRITUALIS EXPERIMENTIS ELICITA, ET IN ORDINEM AD PIE MOVENDOS FIDELIUM ANIMOS APTISSIMUM REDACTA : qualia videlicet tunc erant, cum à duce Franciſco Borgia ea acciperet ſupremo ſuffragio confirmanda : non autem qualia fuerant, cum Manreſæ primùm à Sancto fuerant conſcripta. Ergo Ignatius neque ab uno ſe Exercitia protulit ; ſed neque ab Ciſnero. Quod adeo liquet inter ſe utraque componenti, eſto materiæ aliquid commune habeant, ut arcem regiam liquet à palatio differre, licet portas & muros utraque habeant.

beant. *Quod ne gratis à ſe dictum quiſpiam exiſtimet, argumentum hoc probat Bartolus à partium libri utriuſque enumeratione, ſic proſequens:*

tamquam verò ac genuino

64 Ubi enim in Exercitatorio Ciſneri meditatio Fundamenti, de fine, in quem conditus homo eſt; quod eſt Exercitiorum S. Ignatii principium ad extricandum ab ſecularibus animum, ut ab initio in nullum eorum propendeat? Ubi de duobus Vexillis, ad afficiendos ad Chriſti vexillum animos? Ubi alia de tyranno & rege, ad præcipiendum belli utriuſque eventum, & præmia? Ubi ſtabilis vitæ Electio, totius pars maxima, in quam tendunt quæcumque præmiſſa ſunt? Ubi Modus orandi triplex? Ubi conſcientiæ Examen ſingulare... Ubi tot Additiones & Regulæ ad ſecernendos inter ſe ſpiritus; ad correctionem ſcrupulorum; ad ordinandam in poſterum vitam; ad ſentiendum cum Eccleſia Catholica; ad ſua in pauperes cum fructu eroganda? Eſtne horum quidquam in Exercitatorio Ciſneri? Eſtne reliquorum, quæ ſunt S. Ignatii Exercitiis propria, & reperi ad prolixitatem abſque tædio non poſſunt? Materiam tamen dumtaxat attigi: nam ſi modus, & partium inter ſe ſpectetur commiſſio, quæ S. Ignatii Exercitia in artem, quam antea deſcripſi, formamque concinnat; quæ vel umbra iſtorum in Ciſnero? quidve horum ſat vidit illius propugnator, ut apud Ciſnerum id inveſtigaret?

eorumdem auctori.

65 Eſt tamen hæc ſumma Exercitiorum; hæc germana illorum & tam propria ratio; ut eadem licet eorum materia, vel temere vel diverſo ab iis ordine digeſta, non Exercitia Ignatii, ſed alterius generis conflatura [ſit] librum, naturâ & efficientiâ ab iis diverſum. Et eſſe planè oportuit memorem, quem hujus tuendæ falſitatis prurigo inceſſit, ex varietate effectorum, quam tutò aſſeratur cauſarum diverſitas, & demonſtrare ab Exercitiis Ciſneri eas morum ubique commutationes profectas, quæ ab Exercitiis Ignatii tam arduæ tantoque numero factæ ſunt, ut propterea incantamentorum, & magiæ ſuſpicionem quibuſdam facerent.

§ VII. Argumenta alia, quibus Exercitiorum liber S. Ignatio tamquam vero ejuſdem auctori aſſeritur; expenſa recentioris cujuſdam ſcriptoris objecta.

Argumenta extrinſeca

A *Liis deinde argumentis extrinſecus aſſumptis ſpiritualem hunc ſacrarum commentationum theſaurum vindicare pergit Bartolus vero ſuo ac genuino auctori* Ignatio, *his verbis*: Cetera ſecluſo quovis argumento, ex cauſæ hujus viſceribus utrimque nato; ægrè admodum fit multis, iiſque graviſſimis, quod mendacio finxiſſe, vel ſtolidè creduli dicantur putaſſe, hoc eſſe Ignatii opus. Franciſcus Borgia, dux Gandiæ, tum religioſus, nunc Beatus, hoc Paulo III obtulit approbandum pro vero Ignatii partu; (quod ipſa quoque ſignificat Bulla;) ut quem pro ſuo Ignatius Franciſco tradiderat. Decepit igitur aut Pontificem Borgia, aut ipſe à Sancto deceptus eſt; at quali, & quam induſtrio in ſubducendis ab luce hominum, & deflectendis in alios rebus ſuis præclaris? ita ut jam prope confectas attexere alteri niteretur, ne quâ inde ad ſe gloria rediret. Familiæ ipſius, cujus fuerat parens, ne parens & fundator audiret; nomen eſſe voluit, quod nihil penitus de Ignatio ſonaret. Jam ſi de Ciſnero Exercitia non dicam integrè ſuffuratus; ſed, quantum ſufficiat, ad ea Ciſnero adſcribenda; illa ſcilicet ſibi adſcripſiſſet? Si verò non adſcripſit, quem tandem illorum cenſeri auctorem voluit, præter Deum, quo præceptore illa didicerat? *ACUTORE J. P.*

quibus dictus liber aſſeritur Sancto.

67 Sed nimium quantum Ignatii intererat; ne ab ſe is liber abjudicaretur, qui ſibi, quod omnium cupidiſſimè optabat, obtrectationes, probra, accuſationes veneficii & hæreſis; carcerem, catenas, & alia ſexcenta inſectationum cruciamenta lucri fecit, quæ illius cauſâ pertulit æquiſſimo animo; cum nihil magis in promptu eſſet, quam uno Ciſneri titulo ea redimere, cujus pridem opus ſine ſuſpicione legebatur. Verùm etſi tantus ſui contemptor Ignatius non fuiſſet, ut etiam propria libenter aliis vellet attribui; an & veri & æqui pariter contemptor? An ſui & generis immemor? Projecti ruboris hunc eſſe oportet, qui alienam lucubrationem ita venditat pro ſua, ut, eo adhuc etiam puero, auctoris jam nomine celebratam poſſit quivis è vulgo ei exprobare, rapto magis quàm furto uſurpatam. *Quodnam verò judicium formari debeat non tam de iis, quæ Sancto ſunt objecta, quam de illorum ſcriptore & auctore, concludit ex libri utriuſque diverſitate; ex Sancti virtute ac genio; ex fide teſtium in decernendis illi Sanctorum honoribus juratorum; ex illuſtriſſimis Rotæ Romanæ auditoribus; quorum is, qui Acta in gravem ac ſolidam cauſæ cognitionem Paulo V oblatam redegit, fuit Innocentius X, qui tempore Bartoli ſedebat; adde relationes conſiſtoriales coram Gregorio XV publicè & privatim habitas; manuſcriptos denique codices noſtræ Societatis.*

contra adverſarium publico congregationis Caſinenſis decreto exarmatum,

68 *Poſt has pro auctore genuino ſæpe laudati ac pluribus infrà laudandi Exercitiorum libelli à Bartolo productas vindicias, obſervare juvat*; eam ob rem, *prout pergit*, ſcriptoris, qui contra jus omne officii, nomen religioſi Caſſinenſis aſſumere auſus eſt, inverecundiam ſapiens illa & venerabilis congregatio non tulit; præter quod etiam magnam animadvertit injuriam fieri religioſæ familiæ, nihil tale commeritæ, ſed ſemper, ut eſt in poſterum, tum officiis obſequenti, tum ſpiritu filiæ, *edito ſuper hac re decreto ſolenni, quod ex apographo noſtri tabularii Romani huc miſſo à P. Ignatio Pinio, ſic ſonat:* Cum nobis relatum fuerit, libellum quemdam ſub nomine D. Conſtantini Cajetani, monachi Caſinenſis, & abbatis fuiſſe impreſſum, Societatis Jeſu exiſtimationi inſigniter præjudicialem; doluimus ſanè, prout par erat, vehementer hominis levitatem & audaciam (ſi quidem talis ſcriptionis eſt auctor, quod nobis difficillimè perſuaderi poteſt) ſummopere admirati. Ac ut religioſiſſimis Societatis patribus, qui tanti à nobis fiunt, quanti egregiam ipſorum virtutem ac doctrinam fieri æquum eſt, per nos ſatisfiat, & ceteris omnibus conſtet, inconſultis nobis ac planè inſciis prædictum librum prodiiſſe in lucem, per occaſionem noſtrorum comitiorum in unum congregati, iſtud ipſum publico edicto vulgare ac conteſtari ſtatuimus; addentes inſuper, præfatum P. D. Conſtantinum, quod extra congregationem noſtram multis abhinc annis Pontificia auctoritate degat, poteſtati noſtræ non ampliùs, quam alium quemvis alterius religioſi inſtituti profeſſorem, ſubjectum eſſe.

AUCTORE J. P.

Quare si quid ab eo in hoc genere peccatum est adhuc, vel in posterum (quod Deus avertat!) peccari contigerit, tum ipsos Societatis Jesu alumnos, tum alios quoscumque omnes enixè rogatos volumus, ut certò sibi persuadeant, communi totius Congregationis Casinensis sensui, & peculiari in Societatem Jesu observantiæ id omnino adversari ac repugnare. Datum Ravennæ in nostris generalibus comitiis die XXIII Aprilis MDCXLIV. D. Honoratus * à Ulateris * scriba Capituli. *Et appositum erat sigillum. Decretum illud etiam publici juris fecit Bartolus.*

* *Bartol.* Horatius * *non satis potuit legi.* *Bartolus* Volaterris.

69 *Alium verò quemdam, qui ineptissimum infamis hujus libelli auctorem incautè secutus fuerat, ejusdem instituti congregatio Lusitana publicis etiam tabulis corrigendum censuit. Rem intellige ex hoc decreto apud Bartolum:* Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana summo semper, ut par est, studio & reverentia doctissimam & religiosissimam Patrum Societatis Jesu familiam prosequuta sit; idque omnes Christianæ disciplinæ, nedum arctioris institituti sectatores deceat, ut charitate simul ambulantes, honore sese invicem præveniant; testamur nos infrà scripti prædictæ congregationis abbas generalis & definitores, ad hoc specialiter congregati, in libro inscripto, Historia Benedictina, vernaculo idiomate Lusitano nuper edito à nostro reverendo admodum patre magistro Leone à S. Thoma, congregationis nostræ Lusitanæ monacho, & in Conimbricensi academia primario theologiæ professore, nonnulla referri ex Constantino quodam Cajetano, nostræ item Casinensis congregationis monacho, quæ, ut prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi adversantia, sic minus probabilia, quam fides historiæ postulat, ab ipsa congregatione nostra Casinensi (quam ut parentem libenter veneramur) decreto publico indicata jam sunt.

uti & sequacem ejus, publicis etiam congregationis Lusitanæ

B

70 Quocirca, ea, ut sine fundamento à primo auctore vulgata aut excogitata, & minùs consideratè à secundo relata, certè à communi congregationis nostræ sensu aliena declaramus. In quorum fidem, testimonium hoc scribi jussimus, & nomina nostra subscripsimus, religiosos sacræ dictæ Societatis Patres enixè rogantes, ut de antiqua illa nostra in ipsos, quam hactenus experti sunt, observantia nihil detractum vel diminutum fuisse, vel etiam in posterum fore, sibi certò persuadeant. Datum in hoc nostro monasterio Tibanensi, die XXIX Octobris, anni MDCXLV. Magister F. Antonius Carneiro, abbas generalis S. Benedicti &c. *Ceterùm pro hac tam insigni optimæ erga Societatem nostram voluntatis testificatione, comitia nostra generalia octava, anno 1646 Romæ habita, suarum esse partium existimarunt, utrique jam laudatæ congregationi agere gratias, editis super hac re ad posterorum memoriam decretis decimo tertio, & vigesimo sexto, quæ habentur in novissima Instituti nostri editione, Pragæ excusa anno 1705, tom. 1, pag. 566, & 570.*

Ordinis Benedictini tabulis perstrictum.

C

71 *Jam verò quisnam post hæc satis patienter ferat, odiosam hanc & amarulentam de Exercitiis Ignatianis cramben iterum recoqui à recentiore quodam scribillatore; qui vel rerum omnium ignarus, vel non satis erga Societatem, ejusve Conditorem benignus, ut mitissimè dicam, mirabilem illum librum Sancto eripere conatur, & Cisneroſianum ei substituere. Verùm an auctor ille commiseratione potiùs quam refutatione dignus non sit, aliorum esto judicium. Gregorius enim Argaizius, Ordinis S. Benedicti chronographus, in Historia Dominæ nostræ Monserratensis anno 1677 linguâ Hispanicâ Matriti impressa, cap. 46 num. 9 inter alias ineptias, quas de S. Ignatio effutit, non infimum illi locum tribuit, quæ versatur circa Exercitia. Etenim ut taciti prætereamus, quæ de gestis ab eodem Sancto in Ordine S. Benedicti, uti vult, in medium profert, pluribus vicibus in subsidium advocat D. Constantinum Caietanum; quasi verò fidem facere possit auctor, cui tot publicæ ac solennes censuræ inustæ fuerant. Sed demus hoc ignorantiæ Argaizii potiùs, quam malevolentiæ, juxta legem charitatis, quæ non cogitat malum. Dispiciamus interim; quasnam ineptias porrigat Argaizius, malæ istius causæ malus patronus. Carolum de Tapia in* Commentariis in Authentica Ingressi, *quem citat*, cap. de sacrosanctis Eccles. in verbo Monasteria, cap. 10, num. 2 *de* S. Ignatio *ita inter alia scribentem producit:*

Argaizius ex isto sordido fonte, & alio nullius hîc fidei

D

72 In Serratum gloriosissimæ Deiparæque Mariæ montem dicatum abiit; ubi vili amictus habitu, TRIENNIO IN HEREMO PERMANSIT. *Auctor ille quæ de eremo ista somniat, adeo malè cohærent, ut pugnent cum tempore, cum loco, cum auctoritate scriptorum antiquiorum; majorem certè hic fidem meritorum, quam meritus sit Carolus de Tapia; qui in iis, quæ ex ipso apud Argaizium proferuntur, nullam certè meretur. Specimina jam dedimus. Non est itaque quod vel tantillum hîc deferamus Carolo de Tapia; cujus tamen verbis vult Argaizius multum fidei habendum, ut qui, prout addit, valde amicus fuerit P. Alfonso Salmeroni, & Jacobo Lainez, S. Ignatii sociis. Sed absit, ut rebus istis adeo frivolis duo isti viri imbuerint dictum Carolum; si verum sit, aliquem inter ipsos amicitiæ usum intercessisse. At Sanctus ex secessu Manresano sæpius rediit ad Montem serratum, ut cum viro illo, qui ibidem ei fuerat à sacris confessionibus, communicaret statum conscientiæ suæ. Hoc fac ita esse; an exinde consequitur, ut* S. Ignatius *Minoressæ non composuerit Exercitia, à Cisneroſianis distincta? At si legere dumtaxat gnarus & scribere, absque ullo latini sermonis usu, erat adeo doctus, uti vult Ribadeneira, ut librum Exercitiorum conscripserit; cur subibat Montem serratum? Alium enim non habebat confessarius ejus, quam Cisnerianum. Sed hoc argumentum Argaizii adeo enerve ac miserum est, ut responsum non mereatur.*

impugnat verum Exercitiorum auctorem;

E

73 *Ceterùm quam subleſtæ fidei sit bonus iste Argaizius, & cujus genii, abunde intelligi datur ex Nicolao Antonio, Bibliotheca Hispanæ veteris tom. 1, pag. 400, à num. 455. Consule item Acta nostra Sanctorum tom. III Aprilis, pag. 271, à num. 7; ac Responsiones Papebrochii parte 2, ad articulum 21 § 2. Quia verò per hujus paragraphi decursum frequens mentio incidit de Garcia Cisneros; si quis plura de eo cognoscere desiderat, adeat laudatum Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana auctorum, qui post annum 1500 scripsere, tomo 1, pag. 392; ubi breve viri elogium reperiet. Ex dictis abunde confutatur Arnoldus Wion, qui in Ligno Vitæ lib. 5, cap. 10 de isto Garcia agens, nec non de Exercitatorio vitæ spiritualis, ab eodem compositio,* maximè *ex illo tractatu* reverendi Societatis Jesu Patres, *inquit*, omnem suæ religionis perfectionem, meditandique modum sumpsere. *Hunc auctorem secutus Domnus Benedictus Haeftenus, monasterii Affligenienſis, Ordinis S. Benedicti præpositus, Disquisitionum monasticarum lib. 2, tract. 6, disquisitione 5 in eumdem errorem impegit.*

sed subleſtæ fidei accusatur:

F

§ VIII.

A

§ VIII. Exercitiorum idea; viri in illis tradendis exercitati; fructus in Societatem Jesu singillatim, atque in universam rempublicam Christianam generatim ex illis derivati, S. Ignatio etiamnum vivente.

Prater alios, qui dederunt Exercitiorum ideam;

NOster Franciscus Suarez, *tomo* 4 *De virtute & statu religionis, lib.* 9, *cap.* 6 *pluribus exponit artem seu methodum Exercitiorum* S. Ignatii; *id quod varii quoque scriptores Vitæ præstitere, nimirum Bartolus lib.* 1, *num.* 16, *Garcias lib.* 1, *cap.* 10; *ac Bouhourſius lib.* 1; *qui consuli poterunt ab iis, qui ideam Exercitiorum longa orationis serie delineatam videre desiderant. Paucula hæc apud Ribadeneiram lib.* 1, *cap.* 8; nam

B quod in hac spiritali propriæ cognitionis schola discimus, non solùm ad excolendum intellectum pertinet, sed ad inflammandam etiam voluntatem. Itaque non tam cognitione, quam actione perficitur; ac finem habet non ipsam scientiam, sed operationem; *hæc, inquam, paucula ibidem, uti & reliqua, quæ laudatus auctor hisce superaddit, non satis docent, in quo istorum Exercitiorum ratio consistat. P. Ignatius Diertins, vir præclarissimis in nostra Societate perfunctus officiis, & scriptis, quibus Exercitia spiritualia* S. Ignatii *explanavit, notissimus, hanc rem paucis complexus est in Historia Exercitiorum spiritualium, cujus partem primam Romæ anno* 1700 *typis vulgavit, dum lib.* 1, *num.* 6 *sic enuntiat:* Exposito .. fine, propter quem Deus hominem, ceteraque omnia condidit; huic veritati tamquam fundamento semper insistens, mox per viam, quam vocant, Purgativam, ducit ad cognoscendam fœditatem peccatorum, per quæ ab illo fine turpissimè deviamus.

Illud paucis præstitit P. Ignatius Diertins.

75 Deinde proposito exemplo Christi regis ac imperatoris, à vexillo diaboli retractos ad ejusdem optimi ac sapientissimi ducis vexillum sequendum, ejusque virtutes imitandas per viam illuminativam nos provocat: imo per meditationem

C de tribus hominum classibus, quodammodo impellit. Quæ omnia in hebdomade tertia, ob oculos posito Christo cum cruce præeunte, magis ac magis confirmantur. Ac denique in via unitiva, quæ complectitur hebdomadem quartam, ad desiderium gloriæ resurgentis Christi, ejusdemque purissimum amorem nos accendit. Cum his conjungit annotationes, additiones, præludia, colloquia, examina, modos eligendi, regulas de victu temperando, de discernendis spiritibus, de scrupulis, de sentiendo cum orthodoxa Ecclesia, & cetera; quæ si eo, quo præscribuntur, ordine adhibeantur; incredibilem quamdam vim habent, homines ad virtutem sinceram, & ad salutem sempiternam perducendi: ut dubitare fas non sit, quin opus hoc sit humano majus, & planè æternæ mentis inventum; cujus præstantia numquam satis percipitur, nisi usus ipse atque exercitatio accesserit. *Habet hic lector quamdam sacrarum* S. Ignatii *commentationum summam.*

76 *Porro non esse cujusvis, Exercitia sancti Patris nostri aliis ita tradere, ut non tantùm ea fructum producant trigesimum in aliis, in aliis sexagesimum; sed centesimum; id est uberrimâ omnium cœlestium donorum affluentiâ cumulatissimum, rectè observat Bartolus lib.* 1, *num.* 17: Illud tamen, *inquit*, pro comperto habetur, in Exercitiis cum fructu obeundis plurimùm posse periti ductoris industriam, nec esse cujusvis promiscuè id munus. Nam & sanctus Pater ex tam multis suo spiritu imbutis, & scientissimis rerum divinarum, tam paucos censuit ad Exercitia, suo ex ingenio menteque tradenda, ut, ubi quatuor nominarat, de aliis omnibus sileret. Primo loco fuit Petrus Faber, deinde Alfonsus Salmeron; tertius * Hieronymus Domenecchus; &, quoad primam hebdomadam Franciscus Strada. *Unde verò hujus difficultatis causa petitur? Ex eo utique,* quod, *sicut prosequitur Bartolus,* Exercitia medicina sint ægrotantium animorum; cumque sit horum ut temperatio diversa, sic intemperies; ita una æqualis & immutata curatio non potest singulis prodesse. Unde sapienter ac peritè Vir sanctus quasdam Additionum nomine præfixit regulas, partim exercenti animum, partim Exercitia tradenti.

AUCTORE J. P.

Multum refert, quo in Exercitiis directore utaris

* *supple ex Italico* Franciscus Villanova; &

E

77 *Jam verò quod insignes illæ ac mirabiles morum mutationes in multis hodie post obita Exercitia non sequantur, quæ primis hisce temporibus adeo affluenter copioséque se prodebant, primariam causam refert Bartolus ex schedis Joannis Mironi, viri in Societate gravissimi, his verbis expressam:* Quod Patris nostri Ignatii præscriptis nequaquam insistitur: bonum enim ex integra causa; & si Additiones aliquot vel Annotationes negligantur, boni jactura fit, quod erat integræ illarum observationi alligatum: imo si quid etiam immutetur in Exercitiis tradendis; jam non erunt Ignatii opus, sed diversi ab eo spiritus & inventi. Ita enim eæ additiones iis & illis meditationibus intimè inhærent huic & illi hebdomadæ; ut si aliter usurpentur, careant suo fructu; multo magis si interserantur meditationes alienæ, aut meditationi cuilibet additio quælibet appendatur. Estque peculiaris hic illarum & proprius regularum usus, qui potissimum varia Exercitiorum genera, modosque fecernit. *Ex quo intelligitur, tam eum qui Exercitia tradit, quam eum, qui illa accipit, in eam curam sedulo & obnixè incumbere totos debere, ut intra præscriptos à S. Patre nostro fines accuratè se contineant, minimas & nullius in speciem momenti regulas, additiones, notationes institutionesve studiosè observent; verbo ut complectar omnia, minutissimos etiam apices quoslibet suo non carere pretio existiment, ut securi sint, nihil se ex parte sua posuisse obstaculi, quo minus mensuram fructuum bonam, & confertam & coagitatam, & supereffluentem sacer Exercitiorum secessus effundat in sinum suum; talem denique, qualem in tot alios primis præsertim annis, & Ignatio adhuc vivente, effudit non minore abundantia quam utilitate. Sed nunc quot quantaque commoda invexerit in orbem terrarum, insignium istorum Exercitiorum usus, dispiciamus.*

F

& qua ratione ea obeas, ut centesimum fructum ferant.

78 *Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 8, de illorum usu, *ait*, atque utilitate dicamus; primò illis ipsis Societatis nostræ institutionem acceptam ferre debemus. Omnes enim ferme primos illos Patres, quos instituendæ Societatis adjutores & socios habuit Ignatius, per Exercitia ad perfectionis studium, mundique despicientiam excitavit. Qui postea consecuti sunt, & in Societatem jam stabilitam ingressi, viri vel doctrina, vel ingenio,

Ingenterrerit ea attulerunt fructus Societati Jesu,

vel

AUCTORE J. P.

vel nobilitate, vel aliis naturæ fortunæque ornamentis insignes, maxima ex parte Exercitiis hujusmodi, ad hoc vitæ genus amplectendum, adducti sunt. *Et in Examine Matritensi anni* 1595, *de quo inferius* § 92 *dicam plura, quodque juratus subivit, affirmat,* quod Deus illum docuerit, cum adhuc litteris operam non dedisset, dederitque ei medium Exercitiorum spiritualium, quo medio omnes suos primos socios lucratus est, multosque alios ex iis, qui illum postea secuti sunt; multos etiam, qui alios Ordines sunt ingressi; multos præterea seculares, qui vitam emendarunt. *Rem exemplis illustremus. Ac de primis quidem novem* S. Ignatii *sociis, è quibus Ordinem postea à se institutum formavit, consuli potest Historia Exercitiorum, quam modo citabam, lib.* 2, *à num.* 4. *Circa alios verò, qui illos deinde subsecuti sunt, placet obiter ex eadem Historia delibare exempla. Itaque designato libro num.* 16 *ponitur epistola* S. Ignatii *ad Emmanuelem Mionam, sacerdotem gravissimum, sibique quondam dum Compluti ageret, conscientiæ arbitrum, quâ impensissimè virum ad Exercitia cohortatus, eum tulit fructum, ut illum sibi adjunxerit. Num.* 19
B *occurrunt Jacobus & Stephanus de Eguia fratres, per Exercitia ad Societatem adducti. Ibidem num.* 20 *Jacobus Hosius, dum Exercitia inchoat, eadem quidem ut suspecta examinat; sed degustatis sacris hisce epulis ab* Ignatio *sibi propositis, tantum abfuit, ut in iis veneni quidquam deprehenderit; ut cælestium rerum desiderio flagrans, terrenis nuntium remiserit, & Sancto sese adjunxerit.*

Viros magnos

79 *De Francisco Strada quid dicam? Libro* 3, *num.* 4 *de illo habemus, quod vel uno* Ignatii *congressu colloquioque, dum militandi studio Neapolim peteret, ad militiam sacram derepente sit conversus; Sanctumque è Monte Casino redeuntem comitatus in Urbem, Exercitiis spiritualibus instructus sit, &, demortuo Hosio non impar, in locum ipsius* Ignatio, *vitæ & laborum particeps ac socius, accesserit. Huic adde ex dictæ Historiæ lib.* 4, *num.* 4 *Antonium Araozium Cantabrum, magno ingenio & animo juvenem; qui dum jam theologiæ doctor ex Hispania in Urbem accessisset, ut Sancto se, cui sanguine erat conjunctus, vitæ quoque instituto conjungeret; diebus aliquot in Exercitiorum usu positis, rerum caducarum inanitatem perspexit, atque ad propinqui sui familiam transiit. De Joanne Polanco, & Andrea Frusio agitur ibidem num.* 18; *de Marco Lainio, Jacobi fratre, num.* 19; *qui dum ex pia simplicitate*
G *diu multumque fuisset solicitus, ne frater sequendo* Ignatium *in hæresim incideret, ad Urbem accessit revisendi fratris studio, ejusque monitis atque consiliis piarum meditatione rerum ex* Ignatii *præscripto excultus, Societati nomen dedit, quam suspectam antea habuerat; de cujus felici morte & apparitione ibidem agitur. Proximus illi nobis se offert num.* 20 *Æmilianus Loyola, sancti Patris Ignatii ex fratre nepos; qui quamquam eo Romam diverterat consilio, ut aulæ potius quam Societati se daret, oborta tamen Exercitiorum postea luce, defæcatiore oculo rem inspexit, consilium mutavit, & Sancto se totum tradidit, factus ex nepote ejusdem filius.*

ad eam aggregando.

80 *Nec verò prætermittam Jacobum Mironem, felicissimos Parisiis ope istarum Exercitationum etiam successus nactum; nam ad illas admissus, Societati se addixit, tantâ cum sui tum rerum humanarum despicientiâ, ut & ætatem, & doctrinam, & parentum, quorum unicus erat filius, hereditatem postponenda sibi putaverit; maximam*

D *postea apud Lusitanos nominis existimationem consecutus; uti videre est libro citato, num.* 23. *Quod si inde ad numerum* 36 *pergamus, inveniemus ibi Nuntium Colonien sem à Fabro divinis rebus per usitatas commentationes institutum, ac deinde Societati aggregatum fuisse. Principem inter tam varios ac multos sacrorum istorum Exercitiorum partus locum non immerito sibi vendicat Petrus Canisius, patriâ Noviomagensis in Gueldria, Belgii provincia, magnus ille Germanorum difficillimis temporibus apostolus, hæreticorum malleus, rebusque pro Ecclesia Dei fortiter gestis ubique notissimus; de quo plura deducit assignata jam sæpius Historia eodem libro* 4, *num.* 37. *Roma vidit publicum egregiæ pœnitentiæ exemplum in Joanne Alphonso Victoria, natione Hispano. Is, Societate nondum inita, ab Exercitiorum recessu digressus, nova se vincendi cupiditate exarsit: nam in ipsis Bacchanalibus, cum personati homines vanis spectaculis implent omnia, ipse sacco indutus, &*
E *pœnitentis amictu per celeberrimas prodire vias cœpit, flagrisque in terga sævire adeo pertinaciter & inclementer, ut non prius diverberandi sui finem faceret, quam totus undique cruore redundans, ad ædem nostram longo circuitu perveniret. Quo primo edito tirocinio, Societati nomen & vitam dedit; ex lib.* 6, *num.* 16. *Verùm hîc vela contrahamus, ne longius, quàm par est, præsens instituti ratio nos abducat. Alia exempla dabit locis variis eadem Historia. Interim satis superque ex jam dictis manet superior explanatus Petri Ribadeneiræ locus, quantum videlicet & Societatis institutio, ejusdemque propagatio debeant Exercitiis sancti Patris nostri.*

Magna spiritûs commoda

81 Neque verò tantum, *inquit Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 8, hoc beneficium Religionis nostræ solummodo proprium est, sed etiam commune cum ceteris. Meditandi enim hujusmodi ratio cœnobia multa refersit. Multos religiosos viros labantes, in suscepto consilio confirmavit: solutos vagosque vinculis disciplinæ severioris adstrinxit. Non tamen religionum spatiis eorum fructus circumscribitur: omne enim hominum genus, statum, officium, ætatem, vitæque rationem comprehendunt *&c. Quæ ne quis hyperbolicè potiùs, quam verè pronuntiata existimet, en tibi nonnulla exempla, quibus illa confirmentur, ex laudati Diertinsii Historia. Ut primos itaque Exercitiorum fructus, & morum apud Minoressanos mutationem tacitus præteream, de qua re agit i-*
F *dem auctor lib.* 1, *num.* 7, *juvat in memoriam revocare, quæ is refert lib.* 4, *num.* 12 *de uno atque altero sacrarum virginum cœnobio, quibus incredibilis quidam religiosæ perfectionis ardor est injectus, in iisque revocata, quæ penè jam ceciderat, disciplina. Spiræ vicarius episcopi, nostris jam antea Exercitationibus institutus, tanto contra concubinas studio flagrabat, ut bello palam eis indicto, aut universas se spoponderit ejecturum, aut munus sunm citò depositurum, prout ibidem traditur num.* 26. *Et mox num.* 27 *occurrit Moguntiæ homo quidam, professione olim monachus; quem Faber eò profectus, usu exercitationeque rerum divinarum, ad purum & castum religionis cultum, ex hæresum labe ac corruptela traduxit. Ibidem laudatus Faber episcopos duos Exercitiis imbuit, juxta ea, quæ habes num.* 34. *De episcopo Augustano agitur num.* 49.

per eadem Exercitia

82 *Quid, quod Antonio Araozio & Jacobo Eguiæ in Hispaniam remissis, & Barcinonem delatis, tanta è vestigio se obtulerit messis, ut reliquum anni tempus in una illa civitate fovenda juvan-*

A *juvandaque consumptum sit ? Et verò proregis ac proreginæ, ducis Cardonæ, ejusque conjugis; episcopi, præfectique Neapolitani maris, & id genus aliorum principum benevolentiam, & egregiam voluntatem erga Societatem experti, vel nobilissimos viros ex strepitu rerum humanarum ad sacri Exercitiorum secessus otium sevocare ausi sunt. Quos inter cum esset etiam is, quem dicebam, præfectus; eumque, ut liberius cœlesti illi contemplationi vacaret, salutationibus utique amicorum, & curarum molestiis solutus, in aliud se transtulisset domicilium ab interventoribus vacuum; illud certè memorabile; quod istius domicilii se janitorem velle agere, ne quis talem virum tali munere occupatum interpellaret, ipse jactasse memoretur prorex Franciscus Borgia. Tanta denique erat competitorum pia Exercitatione imbuendorum frequentia, ut ne decem quidem institutores satis viderentur esse facturi, sicut te docebit eadem Historia loco citato, num. 28. De episcopo autem Placentino, ad mores dignitati suæ convenientiores per Exercitia potissimùm hebdomadæ primæ traducto, uti & de egregiis fructibus inde consecutis instruet te pluribus Diertinsius lib. 7, à num. 20.*

B

aliis Ecclesiæ Catholicæ locis

83 *Ad Italiam quod attinet; Franciscus Strada in literis ad SS. Ignatium & Franciscum Xaverium Hispanicè datis Brixiæ in hospitali incurabilium anno 1540, tertiâ Januarii vel Februarii narrat, se dedisse Exercitia quatuor Doctoribus præcipuis illius oppidi, & post illa quæsivisse ex ipsis, an parati essent ad mendicandum amore Christi in eodem oppido: illos verò magnanimiter respondisse, quod ad illud, & multo majora essent paratissimi. Itaque se, ut magis glorificetur Deus, institutæ processione, pauperem cum iisdem Doctoribus mendicasse toto oppido, acceptisque undique eleemosynis ingressum cum ipsis hospitale, & eleemosynas divisisse in pauperes. Tum subdit de Doctoribus:* Post tantam talemque mortificationem, quod creditis gaudium secum domum reportasse? Unus ex illis .. mecum loquens inquit: Tanta sum jucunditate repletus, tanta miri fervoris dulcedine sum perfusus, ut continere me non valeam, quin præ gaudii magnitudine exteriùs in vocem exultationis prorumpam: cutis, inquit, me non capit; in cellam propero, ut vehementiam spiritûs liceat evaporare. Quò cum perveniisset (ut postea ipse mihi retulit) maximum in fletum est resolutus, totusque pacatus effectus, experimentaliter recognovit, quid utilitatis sit se ipsum vincere, atque abnegare, juxta Salvatoris nostri sententiam. Dum vellem discedere, maritus sororis archipresbyteri .. se obtulit ad petendam eleemosynam cum aliis, seque id factutum bis in septimana .. Plus quam sexaginta mulieres .. mihi importunæ erant, ut sibi darem .. Exercitia; allegando, quod tam ipsæ etiam haberent animas, quam viri. *Hæc in fide monumentorum nostrorum Romanorum; ex quibus deprompta sunt.*

C

persönis facta recensentur.

84 *Polancus cum Pistorium venisset, Etruriæ urbem, præsulem loci eumdemque Cardinalem Robertum Puccium sanctis meditationibus instituit; rogantemque, ut de muneris sui cura sibi aliquid ederetur, & scriptis instruxit & verbis. Itaque jam sua sponte pius pastor incensus, acriores concepit ignes, & præter illorum temporum mores, ad prædicandum Dei verbum induxit animum ingenti gregis commodo, secunda populi admurmuratione; uti liquet ex lib. 5, num. 13 ubi res gesta innectitur anno 1546. At nunc Siciliam inspiciamus, quæ magnis Exercitiorum emolumentis non caruit. Nam Hieronymus Domeneccus Messa-*

næ per sacerdotem externum piis jam meditationibus institutum, compluribus prospexit; quos inter ipse quemdam baronis filium, cujus ferociam ne triremes quidem domare poterant, ope Exercitiorum ad mansuetudinem traduxit: vide ibidem num. 22 & 23. De variis in Sicilia feminarum collegiis, quæ hisce orationis Exercitiis ad pietatem incensa sunt; deque fluxis earum moribus coërcitis, multis locis, Agrigenti Panormique præsertim, mentio fit ibidem num. 3. Suam quoque in sacra hac Exercitiorum semente partem habuit Belgium nostrum: nam Strada primùm Lovaniensis academiæ cancellarium Ruardum Tapperum aggressus, virum sanè gravem ac doctum, eumdemque ad pietatem propensum, suis sermonibus impulit, ut in exercendo de more spiritu ternas quotidie horas ex suimmis ereptas occupationibus collocaret, *auctore Orlandino lib. 4, num. 39. Et mox num. 40.* Deinde, *inquit*, sacerdotem quemdam Cornelium Vishavæum, artium jam magistrum, & theologicis satis imbutum, sua jam sponte ad Societatem incumbentem, iisdem meditationibus propiùs ursit. *De Theodorico Hesio, totum se Fabro permittente, agitur ibid. num. 50.* E Inter ceteros, qui se Lovanii ad Societatis oràndi commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit Ludovicus Blosius abbas Lætiensis; *sicut dicitur lib. 13, num. 31; ubi etiam de ejus in Societatem studio. Porro quæ ad Exercitia à Blosio obita, ac Lætiensibus tradita spectant, invenies in ejus Vita apud nos ad VII Januarii, cap. 17, à num. 59.*

AUCTORE J. P.

§ IX. Exercitiorum liber impugnatus; examinari jussus à Sede Apostolica; deinde ab eadem approbatus ac laudatus; ejusdem libri vindiciæ.

Exercitia multis persecutionibus ejus agitata; F

A *primo penè tempore, quo sacer ille Exercitiorum spiritualium Hercules in lucem prodiit, adeo multa & gravia sustinuit, ut parum abfuerit, quin in ipsis, ut ita dicam, cunis suffocaretur, nisi Deus, qui eorum auctor fuerat primarius, protector etiam eorum dignatus fuisset esse singularis. Et verò quot quantæque adversùs librum illum concitatæ sunt persecutiones! Prima fuit Complutensis. Secunda, Salmanticensis prima. Tertia, Parisiensis. Quarta, Veneta. Quinta, Romana teterrima. Sexta, Parmensis & Placentina. Septima, Lusitana. Octava, Toletana prima. Nona, Salmanticensis secunda. Decima, Complutensis secunda. Undecima, Toletana secunda. Duodecima, Toletana tertia: quas hoc ordine recenset Diertinsius in Indice ad suam Historiam Exercitiorum, voce* Persecutio. *Qui antiquiores adire auctores desiderat, consulat Ribadeneiram lib. 1, cap. 14 & 15; lib. 2, cap. 2, & 14; lib. 4, cap. 4; Maffeium lib. 1, cap. 17; lib. 2, cap. 8; Orlandinum lib. 1, à num. 54; lib. 4, num. 17; lib. 5, num. 54; lib. 7, à num. 51; lib. 8, à num. 45, & à num. 55; lib. 11, à num. 57, lib. 13, num. 33.*

86 *Quousque autem intemperiei & amaritudinis conceptum adversùs Exercitia odium prorumpet, etiam tunc temporis, quando Sedis Apostoli-*

AUCTORE J. P.

etiam, postquam eadem approbasset Christi Vicarius,

licæ oraculo fuerant comprobata, audi ex nostris monumentis Romanis; in quibus sic notatur: Hic extat in archivio scriptum Fratris . . ex Ordine .. ad archiepiscopum Toletanum Joannem Siliceum, contra Exercitia jam approbata à Sede Apostolica. *Scripti illius principium mox subditur, atque sequens è litteris Apostolicis, quibus Paulus PP. III Exercitia approbat, producitur textus:* Cum filius Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, per Nos in alma Urbe nostra erectæ, & per Nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam Documenta sive Exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit; *sequitur notatio Hispanica, quâ dicitur, quod iste* Ignatius, *secundùm id, quod fama fert, notatus fuerit in Inquisitione tamquam hæreticus, ex Illuminatis unus; quod Romam profugerit, ut evaderet Inquisitionem & Inquisitores. Bene scio, ait benignus scilicet ille notationis auctor, quod Deus ex lapidibus possit facere filios Abrahæ, & quod de Saulo persecutore Ecclesiæ, fecerit vas electionis:* Et percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.

B

E quodam fratre proscinduntur amarulentis censuris,

87 *Deinde à furioso illo in subsidium suæ adversùs Exercitia, eorumque auctorem intemperiei advocatur ille textus:* Hæc Documenta ac spiritualia Exercitia, quæ non tam à libris quam ab unctione sancti Spiritus, & ab interna experientia & usu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater magister Ignatius de Loyola, Societatis nostræ institutor & Præpositus Generalis composuit, ab idiomate Hispano in Latinum duobus modis sunt versa. *Verba sunt præfatiunculæ, à quodam de Societate Jesu compositæ, quæ typis edita est ante Exercitia,* & Romæ VI Id. Augusti MDXLVIII *signata; postquam Pontifex ea laudasset, ut* pietate ac sanctitate plena: *ac proin auctor ille tunc rectè dixit, quæ de* unctione sancti Spiritus *dixit. Non tulit hoc Frater ille, de quo suprà: nam iste* Ignatius, *prout observat, fuit Hispanus, & tam leviter tinctus fuit in litteris, ut nec gnarus fuerit nec sufficiens ad scribenda ista Exercitia ac Documenta Latinè; sed vulgari & Hispanica lingua. Magis item notandum & expendendum monet circa ea, quæ dicuntur de experientia interna, & unctione Spiritus sancti &c.; illa sapere non parùm fontem eorum, quos Dexados vocat (& quos ego* Relictos *interpretor) & Illuminatorum: qui, relicta ac postposita revelatione, in libris se remittunt ac tradunt isti rei, quam Spiritus illis dicit in pectore,* & *tenent pro re infallibili, quod semper cum illis loquatur Spiritus Dei:* Quod tamen est contra illud: Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, an ex Deo sint.

C

nti & ipsa Jesu Societas.

88 *Virulento denique & felle tincto istius malè feriati ac falsi Fratris calamo novam furendi ansam præbuit sequens, quem bacchantis in morem impetiit, textus:* Præpositus Generalis Societatis Jesu &c.; quidam de Societate Jesu &c. *Certè, inquit Frater ille, iste titulus & cognomentum est* superbum & schismaticum, & non parùm injuriosum omni populo Christiano. *Et mox Latinè subdit:* Nam cum (Euangelio teste) non sint nec possint esse nisi duæ societates, altera Societas Jesu, altera societas diaboli; si isti, & tantùm isti, nominantur & sunt de Societate Jesu, superest, reliquos omnes & esse, & nominari de societate diaboli. *Hæc ille. Tum aggreditur ipsa Exercitia; quæ nonnullis locis arguit, & variis notat censuris, etiam* superstitionis, *imo* hæreseos. *Hoc totum scriptum, & singula in eo contenta, singulatim, validè, accuratèque refutasse Doctorem Torres scripto, anno 1554, die 2 Januarii dato; testatur P. Ignatius Pinius, qui hasce Fratris istius notas transcripsit Romæ, & huc misit, indicans, scriptum hoc annexum ibi exstare priori scripto; monensque, se neque objectiones Fratris . . , neque refutationes Doctoris Torres exhibere, partim quia pleraque objectiones istæ describendi laborem non merentur; partim quia, ubi speciem quamdam difficultatis habent, copiosè confutatæ leguntur apud Suarezium. Ejusdem Doctoris Torres Apologiam generalem Exercitiorum, eodem anno ac die subscriptam adversùs hunc aliosque illius temporis obtrectatores, paullo pòst exhibet dictus Pater, à se etiam Romæ transcriptam; de qua nos inferiùs. Exstat hîc etiam multo longior Apologia, inquit, patris Hieronymi Natalis tota autographa, quâ singula à Fratre supradicto objecta, graviter, prolixéque refutat. Hæc ille.* D

Observationes quædam circa istum furiosum,

89 *At observemus* 1. *Fratrem illum superiùs è textu Pontificis summi truncasse τὸ* dilectus: *nam* Cum, *inquit Paulus III,* dilectus filius Ignatius *&c. An id truncavit Frater ex scrupulo Pharisaico?* 2. *Quando cognomentum Societatis traducit tamquam* superbum *&* schismaticum; *vel sui oblitus, vel maximè temerarius fuit: nam initio verba textûs, in quo habetur illud cognomentum, citavit ut verba Pontificis, appellantis Societatem hoc nomine.* 3. *Quisquis Frater ille fuerit; planè redolet ingenium Fratris Melchioris Cani, qui quot quantaque moverit, ut pusillam Societatem pessimè traduceret, debuccinans ejusdem sectatores esse præcursores Antichristi, invenies apud Orlandinum lib.* 8, *num.* 46; *uti & varias criminationes, Societati ab isto Fratre impactas. Certè quæ Frater ille anonymus superiùs deblaterabat de duplici societate, multum habent affinitatis cum verbis Melchioris Cani lib.* 4 *de Locis Theologicis cap.* 2; *quæ dabimus inferiùs occasione eorum, qui nomen Societatis nostræ vel impugnarunt, vel improbarunt.* E

& libelli Exercitiorum approbationes

90 *Verumenimvero indignissimum est, ita fœdè Exercitia à Fratre isto anonymo notata esse, postquam à Sede Apostolica solenni diplomate antea fuerant examinata, laudata, & approbata. Etenim Franciscus Borgia, Dux Gandiæ curavit Pontificiam confirmationem libelli Exercitiorum, & indulgentiam noxarum, illa obituris; vide Orlandinum lib.* 6, *num.* 75, *ad annum* 1546; *donec post maturam examinationem anno* 1548, *à supplicatione Ducis secundo, die* XXXI *Julii prodiit diploma Pauli PP. III. Rei porro examen commissum fuerat Joanni Alvaro de Toleto Cardinali Burgensi, Ordinis Prædicatorum; Philippo Archinto, Pontificis in Urbe vicario, atque Ægidio Foscarario sacri Palatii Magistro, ex eodem Ordine Prædicatorum: quibus* dupliciter ex Hispanico idiomate Latinè liber conversus, inspiciendus est traditus: qui utrumque exemplar, ne voculâ quidem mutatâ, maximè commendarunt; *inquit Orlandinus lib.* 8, *num.* 1; *tametsi* ea versio, quam ediderat Andreas Frusius, non tam verba verbis, ut altera; sed fid liter sententiam reddens, usui aptior, ac prælo dignior visa est; *ibid. num.* 2. F

ex originali exemplo

91 *Consuluit P. Ignatius Pinius* Originale primæ translationis Latinæ Exercitiorum S. Ignatii, *& in fine legit approbationes sequentes, item originales:* Legimus omnia in volumine hoc digesta; nobisque valde placuerunt, & ad animarum salutem imprimis conducibilia sunt visa. I. Cardinalis Burgen. Non poterunt tam sancta Exercitia non

ma-

A maximum commodum præſtare cuilibet ſtudioſo; ideo obviis etiam ulnis amplectenda ſunt. F. Ægidius Foſcararius Magiſter ſacri Palatii. Concedimus ut opus hoc omni laude dignum & Chriſtianæ profeſſioni valde proficuum imprimatur. Ph. Vicarius.

Romæ tranſcriptas.

92 *Prædictus Pater poſt iſtum titulum :* Originale ſecundæ tranſlationis Latinæ, ex quo exemplaria excuſa prodierunt ; *ſubdit, ad calcem haberi approbationes originales, quas exſcribere ſe addit :* Legimus ſpiritualia hæc Exercitia, placentque nobis valde, & digna judicamus, quæ ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur & magni fiant. I. Cardinalis Burgen. Cum nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana religio ſine exercitiis & meditationibus aliquibus ſpiritualibus, in meditatione enim, inquit Vates, exardeſcit anima mea ; nullas arbitror magis opportunas iis, quæ procul dubio ex Scripturarum ſtudiis, & longo rerum uſu, natæ ſunt. F. Ægidius Foſcararius Magiſter ſacri Palatii. Concedimus ut opus hoc omni laude dignum & Chriſtianæ profeſſioni valde proficuum imprimatur. Ph. Vicarius. *Approbationes has, uti & ſuperiores, haberi in originali eodem ordine quo eas inde deſcripſit, idem Pinius teſtatur : qui ordo differt in impreſſis. Haſce approbationes ſubſecuta eſt Apoſtolica Pauli III, anno, ut dicebam, 1548, quæ incipit :* Paſtoralis officii, *& typis edita habetur in libello Exercitiorum, nec non apud Orlandinum eodem lib. 8, num. 1.*

B

Eum laudat impensè Sedes Apoſtolica ;

93 *Laudat ibi Chriſti Vicarius* Exercitia .. pietate & ſanctitate plena, & ad ædificationem, & ſpiritualem profectum fidelium valde utilia, & ſalubria .. Debitum etiam reſpectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipſo inſtituta Societas .. in Eccleſia Dei ubique gentium producere non ceſſant, & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immerito, *inquit Pontifex*, habentes .. documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & ſingula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præſentium, ex certa ſcientia noſtra approbamus, collaudamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus: hortantes plurimùm in Domino omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti Fideles ubilibet conſtitutos, ut tam piis documentis & Exercitiis uti, & illis inſtrui devotè velint : nec non concedentes, ut hujuſmodi documenta & ſpiritualia Exercitia imprimi .. liberè & licitè valeant *&c.*

C

alii defendunt :

94 *Doctor Vergara in ſua epiſtola ad S.* Ignatium *data, circa Exercitia ſpiritualia ita loquitur :* Dico, quod, dicere & affirmare, ea continere rem hæreticam, erroneam, ſcandaloſam, aut malè ſonantem, aut quemlibet alium errorem, qui non poſſit aut debeat attribui typographo, error ſit Lutheranorum : cum Vicarius Chriſti contrarium determinarit. *Et Doctor Cueſta in litteris item ad S.* Ignatium *directis circa Exercitia ſpiritualia*, Cenſeo, *ait*, doctrinam Catholicam, & ſanctam, & theologicam poſitam eſſe in iſto opere, & Exercitiis ; & illos, qui conformiter ad illa, quæ in libro habentur, operati fuerint, & ſe exercuerint, neceſſario debere haurire magnum progreſſum ſpiritualem. *Epiſtolæ illæ ambæ in manibus ſunt inter alia Romana monumenta, è quarum contextu Hiſpanico illa huc tranſtuli.* Litteræ P. Hieronymi Natalis, Societatis Jeſu in Hiſpaniis Commiſſarii Generalis ad P. Antonium Araoz, ejuſdem Societatis in Hiſpania Provincialem, contra eos externos, qui ibi revocabant in dubium Exercitia ſpiritualia, & Inſtitutum Societatis, datæ ſunt Cordubæ (*menſe*) Januarii MDLIV; *uti habet notatio Pinii monumentis noſtris Romanis inſerta. Ex his intelligitur, quanto molimine Exercitiorum ſpiritualium liber ſit propugnatus contra infenſiſſimos ejuſdem hoſtes, etiam tunc, quando à Sede Apoſtolica fuerat comprobatus. Quæ ut meliùs pateant, aliqua delibo ex Orlandino lib. 13, num. 33, ad annum 1553.*

AUCTORE J. P.

Bellum Exercitiis Toleti indictum, egregios pro eis vindices excitavit.

95 Hujus, *inquit*, exitu anni Toletana in urbe, latèque per regnum gravis adverſus divinum illum Exercitiorum libellum exoriri cœpit procella. Silicæi vetus offenſio, tamquam malè curatum ulcus ſub cicatrice vivebat. Melchior Canus Canarienſi abdicato epiſcopatu, cum apud Carolum ac Principem offendiſſet, ſuſpicionem in Araoſium velut ſibi obſtantem intendit. Horum & auctoritate nixus, & voluntatibus obſecundans (ut eſt creditum) Thomas Pedroccius bellum Exercitiis indixit .. multa ex eo libello quaſi temere effutita colligit : alia, quæ piæ aures Catholicæque reſpuerent : quædam etiam .. quæ perſpicuam continerent hæreſim, & digna eſſent cenſoriâ virgâ. Quæ omnia ſcripto comprehenſa, Silicæo, cujus erat è familia, & ſacris Quæſitoribus tradit ... Tanto igitur malo Araozius occurſurus .. Doctores magni nominis rogat, ſuam ut & ipſi de eo opuſculo ſententiam ſcripto edant, & ſuo chirographo ſubſignent. Quod præ ceteris Alfonſus Vergara Conchenſis canonicus, pietate ac doctrina inclytus, Doctorque Joannes Coſta, & Bartholomæus Torres, ambo deinde epiſcopi, ille Legionenſis, hic Canarienſis ; cujus etiam extant inſignia de ſanctiſſima Trinitate monumenta, luculenter fecere. Ac Torres quidem multa ſuper ea re edidit ſcripta, ex quibus juvat hîc ad doctrinam multiplicem unius partem adſcribere. *At de hac agetur § proximo.*

D

§ X. Aliæ Exercitiorum vindiciæ, elogia.

Doctor Bartholomæus Torres

IN promptu eſt laudati Doctoris Torres ſententia de Exercitiis, & Hiſpano Romani noſtri tabularii exemplo tranſcripta ab Ignatio Pinio. Verùm quia partem magnam Latinè vertit, & Hiſtoriæ Societatis noſtræ intexuit Orlandinus lib. 13, à num. 34 ; eam huc transferam, prout ibi exſtat : Teſtis eſt Deus .., quam ex voluntate mea ceciderit, ut de Societatis Jeſu Exercitiis ſententia mea poſtularetur. Cupio enim ſimpliciter & Chriſtianè, quid hac in re ſentiam, palam facere toti orbi terrarum. Ac primùm, ne quis exiſtimet ex privato me quopiam affectu loqui ; aio me hominem de Societate Jeſu non eſſe : quamquam ſi ſeriò eſſem virtutis cupidus, dudum in ea, vel in alia ſanctarum religionum verſarer. Aio deinde, quamvis doctorum è numero ipſe ſim indoctiſſimus, poſſe me tamen ſatis interrogationi propoſitæ reſpondere : cum & Societatem ab ejus exortu noverim, & pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum ejus diſciplinæ alumnis perfamiliariter egerim, diligenter obſervans, quò res Ordinis hujus evaderent, oculis aſſiduè ipſa in facta conjectis, quæ minimè patiuntur diuturnam fieri fallaciam. Aio præterea, ex qua die ſanctam hanc Societatem novi, nullum unquam erroremve, crimenve compertum in hominibus, qui quidem verè ex ea eſſent. Nam rerum imperiti, ubi de ſacerdote quopiam fortè rumor miràs commodus exiit, de Societate eum eſſe loquuntur.

E

AUCTORE J. P. *egregiâ apologiâ*

97 *His præmissis, de Exercitiis ita disserit :* Super hæc, nego quempiam verè ac perfectè Exercitiorum posse vim æstimare, nisi in iis se ipse exerceat. Etenim cum tota referantur ad inserendas virtutes in animis, & vitia extirpanda ; nemo est, qui possit virtutis percipere vim, gustumque sentire, nisi in ea priùs elaboret. Vidi ipsemet homines doctos, qui Exercitiorum res, cum tam claræ Catholicæque sint, ex Euangelio depromptæ, sanctisque doctoribus, intelligere non possent ; quas tamen, qui eas ad usum referunt, negotio nullo intelligunt. Nimirum aliud longè est, scire litteras, ac res percipere spiritûs, quæ præter litteras actionem, orationisque usum, ac virtutum postulant ceterarum. Me quidem profiteor Compluti ad eam formam exercitum, ac Deum testor, triginta annis, quibus versor in studiis sapientiæ, & permultis, quibus theologiam doceo, numquam ad meam utilitatem didicisse tantum, quantum me Exercitia diebus paucis docuerunt. Quod si cuiquam doctorum, cui sua placet scientia, mirum fortasse accidat ; experimentum appello : tentet idem, atque existimabit idem. Neque in obscuro est ratio, quod priora videlicet studia ad docendum, Exercitia verò ad agendum referebam : valdeque interest, scire, ut doceas ; ac scire, ut facias.

B

defendit

98 *Multiplices verò fructus, qui inde proveniunt, mox destribens*, Addo, *inquit*, cognitos mihi permultos, qui Exercitationes illas suscepere, multisque me meorum auditorum cum religiosis tum secularibus persuasisse, ut susciperent : nec tamen cognitum quempiam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palamque prædicaret, nihil omnino è mortalibus rebus se voluisse iis antelatum. Atque utinam, quanti est ille thesaurus, tanti æstimare nossemus ! Nam cum tanti sit momenti oratio ac meditatio, propter rationem ac viam, quæ commodissima ibi traditur ; multi per ea plus brevi consequuntur, quàm longo alit rempore ac labore, eo præsidio destituti. In summa, qui cupiat nosse, quid Exercitia sint, pronuntio aliud nihil esse, quam considerare attento & quieto animo capita fidei, legem ac præcepta Dei, ejus denique beneficia, vitam & mortem Christi : recognoscere anteactam vitam, statuere de futura : hostem verò gentis humanæ, cum videat ingentia eorum ad pietatem emolumenta, machinas admovere omnes, ut è rerum natura tollat. Verum vel inde apparet, negotium esse divinum, quod insectationibus proficit, quantóque acrius oppugnatur, tantò fortius convalescit.

C

libellum

99 *Deinde vindicem egregium se præstat laudatus Doctor, armis ex Sedis Apostolicæ auctoritate promptis.* Simulque pronuntio, *inquit*, Exercitia, quæque in iis continentur, universa & singula auctoritate Apostolica comprobata esse, adhortante insuper Pontifice Fideles, ut iis utantur : planéque indignum esse viro sapiente, affirmare Pontificem id comprobare, & ad id exhortari fideles, quod errores contineat. Nec dubito, quin, si homines Societatis, quibus pro Christi amore gratæ sunt ignominiæ, ad sacrum Quæsitorum concilium adversariorum deferrent nomina, in eos severè animadverteretur. Cetèrùm cum Sedes Apostolica Exercitia comprobarit, aio ac pronuntio, nemini fas esse, asserere in iis errores esse, neque id agere, ut emendentur. Verùm si quid fortè (quod tamen non est) difficile deprehenderetur, id modò curandum, ut declaretur. Omnia ergo, quæ in iis sunt, vera & Catholica sunt, & contrària iis, errores. Quæ verò objiciuntur, ut alio loco singillatim refutans ostendo, planè inania, multa etiam ridicula esse confirmo.

D

Exercitiorum ; pluribus aliis prætermissis, ista ex eodem Doctore delibat :

100 *Ita locutus ex Doctore Torres Orlandinus,* Illud, inquit, postquam nomen meum huic disputationi subscripseram, mihi succurrit. Qui se deprehendisse in Exercitiis errores dictitant, sine dubio diligentiam in iis expendendis adhibuere : at non minorem adhibuit Pontifex. At isti condemnant, Pontifex commendat. Respondeant ipsimet, utrius auctoritatem me deceat sequi. Hæc ratio meâ, inquit, sententiâ quemvis, qui modo sapiat, cohibere potest, ne posthac, nisi ad commendationem libelli hujus verbum audeat facere. *Ceterùm dissertatio ista in nostro apographo Hispanico notatur* secunda Januarii anno MDLIV. *Qui eam è nostro tabulario Romano transcripsit, & huc misit*, Exstat hîc, *inquit*, præcedentis scripti prolixa vindicatio, seu Responsio ad quamdam nonnullorum objectionem, ab eodem Doctore Torres data IV Martii, ejusdem anni. Summam accipe :

E

& objectionibus respondet.

101 Postquam proposuit hanc nonnullorum objectionem (*quæ ex Hispanico reddita, Latinè sic sonat*) " Dicunt aliqui, Papam non omne ,, illud, quod approbat & confirmat, etiamsi ,, sit circa mores Christianos, intendere id face- ,, re tamquam Papam, neque ut habeatur tam- ,, quam articulus fidei ,,. Respondet, se non dixisse, quod omnia & singula in Exercitiis contenta, sint ARTICULI FIDEI, seu PROPOSITIONES DE FIDE ; sed quod sint CATHOLICA, seu quod nihil in iis contineatur erroneum : quodque dicere contrarium (ut dixerunt nonnulli) sit maxima temeritas, & error, qui Lutheri doctrinam sapit. Subdit, quod intentio Pontificis colligi debeat ex ipsius verbis : ex verbis autem Pontificis pateat, quod omnia & singula in Exercitiis contenta approbarit & tamquam Pontifex, & ut Catholica : Cum dicat 1. OMNIA ET SINGULA IN EIS CONTENTA, AUCTORITATE PRÆDICTA APPROBAMUS, COLLAUDAMUS, AC PRÆSENTIS SCRIPTI PATROCINIO COMMUNIMUS. 2. Ex CERTA SCIENTIA. 3. Consultus fuerat, ut patet ex eadem Bulla, an Exercitia essent APPROBATIONE ET LAUDE DIGNA, adeoque Catholica. 4. Ea EXAMINARI FECIT à viris doctis, auctoritate, litteris, religione conspicuis ; quales fuerunt duo Patres Dominicani : & hac diligentia adhibita, Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta approbavit & collaudavit, ut Catholica. 5. Pontifex HORTATUR PLURIMUM OMNES CHRISTI FIDELES, UT TAM PIIS DOCUMENTIS ET EXERCITIIS UTI, ET IIS INSTRUI DEVOTE VELINT. Ex his ostendit quod Pontifex omnia approbarit & tamquam Pontifex, & ut Catholica. Concludit denique 1. Etsi Pontifex ea non approbasset ut Pontifex, sed ut Doctor privatus, temerarium fore, si quis contrarium diceret, sine evidentia, & certitudine maxima. 2. Cum Pontifex omnia & singula approbarit, ut Pontifex, & ut Catholica ,, ; Repeto, inquit, ,,quod dixi, omnia & singula in Exercitiis con- ,, tenta, esse Catholica ; & contrarium dicere, ,, esse errorem Lutheranorum ,,. Quam in rem plura adjungit. *Hæc ille ex Doctore Torres.*

F

Quid de Exercitiis senserit Mancius.

102 *Orlandinus, postquam dedisset textum ex Doctore Torres depromptum, & paullo antè à nobis prolatum, loco citato num.* 38, Vulgatis, *ait*, hisce aliorumque Doctorum scriptis, rumor

A mor paulatim vulgi omnis, conatuſque adverſariorum per ſe conſenuit. Plurimùm deinde profuit ad eam rem Mancii quoque ſententia, qui ſacro Prædicatorum ex Ordine vir magni nominis in Hiſpania, Complutique nobilis profeſſor divinæ ſapientiæ è principe ſella: idemque cum perſtudioſus familiæ noſtræ, tum ipſi Præſuli Toletano percarus erat. Cui cum Præſul ipſe legendum Exercitiorum volumen, expendendumque tradidiſſet; is eo accuratè perlecto per dies aliquot, libera voce reſpondit, nihil ſe in eo deprehendiſſe cenſoriâ notâ vel animadverſione dignum. Cumque alium ei codicem Præſul à Cano fugillatum impingeret, reſpondit Mancius, ne in eò quidem quidquam mali eſſe præter unam fugillationem Cani. Hunc in modum veritas patefacta, malevolorum technas atque mendacia ſua luce diſcuſſit; eademque ſe ipſa, cum vi ſua, tum Sedis Apoſtolicæ auctoritate defendit. *Ita aureus Exercitiorum libellus, tamquam aurum in fornace probatus & excoctus eſt, nullaque in eo inventa eſt vel umbra iniquitatis. Illius elogia, uſum in Societate, perſonas inſignes eiſdem excultas;*
B *& loca eorum uſui accommodata, uti & fructus dabit Gloria poſthuma* S. Ignatii *cap.* 2.

§ XI. Sancti Barcinone in Italiam, & inde in Terram ſanctam profectio; Barcinonem reverſi litterarum ſtudia, virtutes; prophetiæ.

In tranſitu Barcinonenſi

INitio anni MDXXIII Barcinonem versùs diſceſſit, ut navem conſcenderet; *prout notatur in Vita antiquiſſima auctore Ludovico Conſalvo, num.* 35. Barcinone *autem* egerat dies paulo plures quam viginti, priuſquam navim ingrederetur; *ex eadem Vita num.* 37. *Bartolus interim eventum ſingularem hunc memorat lib.* 1, *num.* 23: Mendicanti occurrit quærere ex nobili femina, cui Zepilliæ nomen (*Garcias* Rocaberti *eam vocat.*) Huic erat filius, qui relicta matre ac paterno lare, vagus propudioſæ obcalluerat mendicationi. Hæc Ignatium contuita, & ex ore ſtatuque honeſto non fruſtra conjiciens nobilius ali-
C quid reipſa tegere, quam quod ſtipem rogando præferebat, acerbo dolore abripi, & recurrente filii ſpecie, quem videre in Ignatio videbatur; peſſimis modis illum excipere, exprobrare illi ſceleroſam ignaviam, erronem profugum, nihili, & hujuſmodi honoris titulis decorare. Quam indignantis eleemoſynam, quavis alia cariùs gratulatus ſibi Ignatius tamdiu ſuſtinuit, quamdiu illi furere libuit.

tentatâ Sancti patientiâ,

104 Tum actis placidiſſimè gratiis, ſubdidit, bellè quæ diceret, in ſe omnia quadrare, nec ignaviorem nec pejorem ſe quemquam uſquam noſſe: quæ verba ex animi ſenſu, eo ſui pudore, dicere viſus eſt, ut ſi ex imo pectore rumperentur. Hoc tam inſperato demiſſoque reſponſo confuſa mulier, dictique pœnitens, intellexit, non eſſe Ignatium, qualem mente præcipiti finxerat; mutatoque in reverentiam contemptu, miſit, qui panes ad eum deferret, excuſaretque inconſulti doloris, & judicii culpam, quæ ſibi verba tam cruda expreſſiſſet. Narrabat autem hoc vulgo mulier præcipuo affectu pietatis, colebatque poſtea reducem ex Palæſtina Ignatium adeo propenſè, ut ſanctis ejus conſiliis plurimum uteretur. *Hæc ibi.*

AUCTORE J. P.

die 5 Caietam pervenit inde diſceſſit Romam, Venetias, Hieroſolymam:

105 Deinde ſolutis anchoris, die quinta Caietam non minùs periculoſa quam celeri navigatione delatus, Romam pedibus ire intendit: ac prima nocte divertit ad villam militibus refertam; quibus nefaria quædam ac turpia molientibus, tanto animi ardore, ac vociferatione ſe objecit, ut illi partim verborum pondere, partim conſtantiæ miraculo obſtupefacti, à flagitioſo conatu deſiterint, *auctore Maffeio lib.* 1, *cap.* 12. *Quam diu poſtea Romæ manſerit, quo die illuc pervenerit, tradit Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 10; *ubi etiam narrat, quot aſperitatibus & acerbitatibus ſteterit iter, quod Româ Venetias Sanctus habuit. Inde autem ſolvit versùs Terram ſanctam die* XIV *Julii, anno Domini* 1523; *pridie quidem Kalendas Septembres Joppem delatus; quarto autem die Septembris ſub meridiem in Sanctam civitatem ingreſſus; de quibus Ribadeneira cap.* 11; *apud quem etiam eſt narratio rerum, quæ ibi Sancto acciderunt.*

ubi ad inſpicienda loca ſacra

106 *Quod verò non minus piè curioſus, quam operosè accuratus locorum ſanctorum inſpector fuerit, liquet ex Vita Italica, juſſu reverendi admodum Patris noſtri Mutii Vitelleſchi, Societatis noſtræ Præpoſiti Generalis in lucem edita; in qua cap.* 5 *dicitur, ad memoriam conſervandam, atque in aliis excitandam piam affectionem, ſcripto explicaſſe quidquid in iſtis ſanctis locis obſervarat, miſiſſeque ad Agnetem Paſchalem;* (*de qua & jam dictum eſt, & dicetur alibi*) *tamque devotam fuiſſe ſcripturam, plenamque ſcintillis illius ſancti ignis, qui in corde ejus ardebat; ut quiſquis illam videret, æſtimaret, ab homine utique ſancto exaratam; ad hæc, tamquam talem à Paſchalibus aliquamdiu aſſervatam, & poſtea veluti theſaurum hereditarium filiorum* Ignatii, *patribus Societatis ab iſtius bonæ dominæ heredibus donatam fuiſſe. Hieroſolymis etiam ſecum attuliſſe pyxidem reliquiarum, & eas Barcinone tradidiſſe ſorori Antoniæ Stradæ, conventûs S. Hieronymi moniali ejuſdem civitatis, & hodiedum in illo aſſervari multa cum veneratione, Sancti charactere ſupraſcriptas, teſtatur Garcia lib.* 2, *cap.* 3.

arctum ei tempus fuit.

107 *Quid in cauſa fuerit, cur Sanctus, animo in auguſtiis illis Judææ ſedibus pedem figendi in Terram ſanctam profectus, hinc diſcedere coactus ſit, expediunt auctores. Cum verò Venetias redierit anno* 1524, *medio Januario, ſicut docet Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 5; *cumque in illo reditu ſolutis ex inſula Cypro anchoris, duos & eo amplius menſes impenderit, ex Vita Ribadeneiræ, quam damus, lib.* 1, *cap.* 12; *conſequens eſt, ut arctiſſimum* Ignatio *luſtrandi ſacratiſſima illa monumenta, fuerit tempus, ad ſex utique hebdomadas circiter reſtrictum. Et verò ita rem illam moderabatur divina providentia, quæ Servi ſui operâ alibi volebat uti ad majorem ſui nominis gloriam propagandam, & Romæ, non Hieroſolymis mirificè* Ignatio *decreverat eſſe propitius, ut ex ipſo mundi capite cæleſtis ille, qui Sanctum depaſcebat, ignis in orbem reliquum diffunderetur. Jam verò* Ignatius *commoratione Hieroſolymitana prohibitus, quænam animo agitarit, vide apud Ribadeneiram lib.* 1, *cap.* 13 *ac* 16; *nec non apud Maffeium lib.* 1, *cap.* 16: *ac Maffeius ita ibidem pergit:*

Litteris humanioribus

108 Et quidem quod ad litterarum ſtudia pertinet, cum nondum intelligeret, quàm illa ſibi totum hominem fere vindicent, ratus, poſſe interim ſe animis quoque adjuvandis vacare, Mi-

AUCTORE J. P.

noreſſam ad gregem illum ſuum reverti decreverat, ubi & ſparſa in hominum mentibus pietatis virtutiſque ſemina ad bonam frugem perducere, & Ciſtercienſis cujuſdam monachi, ſpectatæ ſanctitatis ac doctrinæ viri, tum conſuetudine perfrui, tum induſtriâ erudiri, magnopere cupiebat. Sed cum illum, contra quàm putarat, demortuum reperiſſet, Barcinonem ſibi ſtudiorum idoneam ſedem putavit fore, propter eam maximè cauſam, quod cum paupertatem perpetuò colere, nihilque ab domo ſua & cognatis accipere decreviſſet; in ea urbe multos habebat ſpirituali neceſſitudine ſibi conjunctos. *Atque ex his Maffeii verbis ſuppleri poteſt Ribadeneira lib. 1, cap. 13. Mirum eſt, ſpectatiſſimam hanc Sancti palæſtram ne nominari quidem à Surio in Commentario brevi: nam ad annum, 1540 ſic loquitur:* Itaque *Hieroſolymâ* in Hiſpaniam redit, & primò Complutum, poſt Salamanticam ſe confert, ibique litteris dat operam.

ſtuduit Barcinone annis duobus.

B 109 *Anno igitur reparatæ ſalutis 1524, ætatis ſuæ trigeſimo tertio, Homo ſanctus litteris humanioribus vacare cœpit, & jam perfecta ætatis vir inter pueros repueraſcere, ad promovendam Dei gloriam, & proximorum ſalutem. Duos ibidem impendit annos; inde anno 1526 ad Complutenſem academiam profectus. Adi Ribadeneiram. Ratio hæc temporis confirmatur ex Vita Conſalviana num. 57, in qua dicitur:* Annus agebatur XXIV ſupra MD, cum Barcinonem pervenit Quadrageſimæ tempore: fuit autem ibi annos duos. Quare ad MDXXVI Complutum venit. *Perperam ergo Joannes Sacriſta Paſchalis in ſua Relatione ſuperiùs citata dicit*, ſex annos continuos *ibi fuiſſe. Ceterùm ex eadem illa Relatione extraho nonnulla pro ſupplemento eorum, quæ de Barcinonenſibus Sancti geſtis refert Ribadeneira lib. 1, cap. 13.*

Suppletur Ribadeneira

110 *Narrat itaque dictus Joannes, ſuam matrem effeciſſe, ut habitum peregrini commutaret cum habitu è panno nigro honeſto inſtar clerici; quem geſtavit, quoad Barcinone permanſit; & quando inde diſceſſit Pariſios ad ſtudia. Erat in domo ejus, quando operam dabat Grammaticæ, & habebat ſemper ſuo patentem imperio bibliothecam, quæ ibidem erat, Antonii Pujol, avunculi ejus. Dormiebat ſemper, quoad Barcinone fuit, ac comedebat, inquit, in hac domo mea, ubi ego ſum in præſentia; quam diſtinctiſſimis notis idem Joannes ibi circumſcribit; ubi ipſum favoribus af-*

C *ficiebat, ac viſitabat pars melior civitatis propter magnam ſanctitatis ac caritatis famam, quam habebat. Et ſingulatim quidem, uti tradit, eleemoſynis ſuis illi favebant D. Stephana de Requeſens, filia comitis de Palamos, & uxor commendatoris majoris S. Jacobi D. Joannis de Requeſens, avia D. Menciæ de Requeſens & Zuniga, quæ fuit marchioniſſa de los Velez, ac quæ comitiſſa de Benavente hodiedum, ait, eſt; D. Iſabella de Bojados, D. Guiomar Gralla, & D. Iſabella de Joſa, & aliæ, quæ ex Barcinonenſibus erant præcipuæ: atque venerabantur eum tamquam apoſtolum, viſitabant, favoribus proſequebantur. Confitebatur de peccatis cuidam patri Ordinis S. Franciſci (qui habitabat in monaſterio Jeſu dicti Ordinis, quod eſt extra muros Barcinonenſes; ac vocabatur pater frater Jacobus de Alcantara,) magno religioſo ac ſervo Dei, qui matri, ait, meæ erat à confeſſionibus.*

circa ea, quæ Sanctus ibi fecit,

111 *Quo tempore fuit domi ejus, noctibus ſingulis millena ipſi referebat de Domino noſtro, contemptu mundi ac bonorum ejus, & æſtimatione verorum bonorum cæleſtium. Auctor ipſi erat, ut Sacramenta frequentaret, timeretque & amaret* D *legem Dei, ac voluntatem ſuæ matris. Dormiebat humi noctibus quaſi ſingulis, lecto abſtinens, ac majorem ejuſdem partem in oratione tranſigebat, poſitis ad ſuum lectum genibus. Et noctibus non paucis ipſum obſervabat, ac videbat cubiculum ſplendore plenum; ipſum verò in aëra ſublatum, flexis genibus plorantem, ſuſpirantem, ac dicentem: Deus meus, quàm infinitè bonus es: cum talis ſis, ut ſufferas eum, qui adeo malus eſt ac perverſus; qualis ego ſum. Addit inſuper Joannes Paſchalis, Sanctum ſibi prænuntiaſſe omnem ſuam vitam, nec non omnia, quæ ſibi in illa erant ſubeunda. Prædixit, voluntatem Domini noſtri eſſe, ut Joannes uxorem duceret; & ſic rem futuram: uxorem ipſum habiturum valdè Chriſtianam, filios item multos ac filias; ſimulque cum illis infinitos labores, ac bonorum jacturas, à Domino ipſi immittenda, pro magno ejus in eum affectu, ac pro remiſſione ac purgatione culparum ipſius.*

ac prædixit,

112 *Ad hæc, ad paupertatem eum redigendum; ſed id non eventurum, niſi pro gloria Dei,* E *& ſpirituali animæ progreſſu; omnia iſta verè accidiſſe illo modo, quo prædicta fuerant. Porro Relationem ſuam dictus Joannes juramento confirmat; quæ in apographo noſtro ſignatur Barcinone, atque in eâdem domo, in qua* S. Ignatius *fuit, die* IX *Martii anno 1582. Ceterùm Bartolus lib. 1, num. 30 dictum vaticinium magis diſtinctè exponit:* Ducturus es, *inquiebat Vir ſanctus*, virtutis egregiæ feminam uxorem . . Multi tibi ex ea naſcentur filii; ſed multæ cum iis pariter ærumnæ . . Eorum primus mutus unà & ſurdus in lucem venit. Alter annos jam natus viginti duos, amens effectus eſt. Tertius profligatè vivens repentina morte patris oculos fœdavit. Filiarum verò, cum eſſent quatuor, uni tantùm dari dos potuit. *Refert idem auctor lib. 1, cap. 27, iſtum Joannem ea, quæ in* Ignatio *obſervarat, ſuis deinde filiis narrare ſolitum, addidiſſe iſta:* Si ſcirent, quæ de Ignatio ipſemet viderat, futurum, ut numquam oſculis explerentur ſolo figendis, quod calcaſſet, ac parietibus, intra quos egiſſet. Quæ cum diceret, profusè flens ac dolens, tundenſque manu pectus, infelicem ac reum ſe aiebat, quod Viri ſancti conſuetudine neſciſſet proficere. *In litteris ad Joannis Paſchalis matrem* F *anno 1528 datis, de quibus agam infrà § 15 in initio, familiariter de illo Vir ſanctus etiam meminit:* A Joan me encomendad mucho, y dezidle, que à ſus padres ſiempre ſea obediente, guardando las fieſtas: que aſſi haziendo vivira mucho ſobre la tierra, y tambien ſobre el cielo. *Id eſt:* Joanni me admodum commenda, & dic ei, ut parentibus ſuis ſemper obediat, obſervando feſta; quod ſic faciendo, diu victurus ſit ſuper terram, atque etiam ſuprà in cælo. *Adſcribitur noſtro ecgrapho hujus epiſtolæ, quod ipſius originale P. Joanni Pogio Barcinone dederit ipſemet dictus Joannes.*

Quædam circa res Barcinonenſes quæſita & reſponſa.

113 *Inter alia à P. Nicolao Lancicio quæſita (de quibus infrà § 13 peculiaris datur notitia) ſic ſcribitur:* Optarem brevem deſcriptionem loci, vel plateæ, vel domûs, in cujus cubiculo B. Ignatius viſus fuerit à Paſquali ita à terris ſublimis. *Reſponſum P. Petri Ægidii, de quo agitur loco citato, ita habet:* Eſt vicus Barcinone, cui nomen idiomate Catalano DELS COTONERS; id eſt, eorum artificum, qui diſponunt, parantque goſſypium ad veſtitum, & humanum uſum. Ejus vici caput ſuperius terminatur magno & celebri

A lebri vico, cui nomen, DE LA BORIA, juxta plateam DEL OLI, id eſt, olei. Caput inferius terminatur alio vico, cui etiam nomen DELS COTONERS. Si tendas à præfato vico à dicto capite ſuperiori ad caput uſque inferius, mare versùs; ultima domus præfati vici ad lævam (quæ & in hoc vico, & in alio, quo terminatur, portam habet) hæc eſt domus Joannis Paſqualis. In ea eſt cubiculum ad caput fere ſcalæ in media parte domûs, quadratum fere viginti duorum palmorum; quantum ego nunc judicare poſſum. In iſto cubiculo fuere præfati raptus; fuere item in oratione aliquando elevationes à terra; & ſplendor faciei: ut Joannes Paſqual narrabat. *De quo nonnulla inſuper dabo in Gloria Sancti poſthuma cap. 2.*

§ XII. Monaſterium meliori frugi reddere ſatagens, peſſimè mulctatur; virtutes exercitæ; elogia; ſuſpenſo ſpatium pœnitentiæ miro prorſus modo impetratum.

B

Vita brevior Ribadeneiræ cap. 6 ita loquitur: Cum certum & exploratum haberet, petulantes quoſdam adoleſcentes liberiùs frequentare ſacras virgines cœnobii Angelorum è Dominicana familia, quod extra muros urbis (*Barcinonenſis*) ea tempeſtate ſitum erat; his perſuadere conatus eſt, ut ad vitandas occaſiones, illos aditu prohiberent, animumque ad veram pietatem, & religionem adjungerent. Cum verò procaces illi hujus conſilio ſibi januas occluſas eſſe cognoſcerent; primùm minas intentare, tum ex inſidiis occupatum Ignatium adeo gravi fuſtuario multare, ut æger inde decumbere cogeretur. Nec ſic tamen ejus animi fortitudo potuit ab incepto retardari: quin etiam lætabatur, quia dignus fuiſſet pro nomine Jeſu contumeliam pati. *Meminit de iſto facto Orlandinus lib. 1, num. 50: de quo etiam Vitæ auctores. Factum illud, ejuſque adjuncta ſatis amplè deſcribuntur in Relatione Joannis Paſchalis, de qua ſuperiùs; unde puncta quædam ſummatim excerpo, quæ hîc ſubdo; videlicet, quod adeo dirè fuerit mulctatus, ut mortui inſtar ſit relictus: quod ad ejus ſuſpiria accurrerint quidam molendinarii, illac tranſeuntes, qui eum jumento impoſitum perduxerint uſque ad portam S. Danielis, indeque eodem modo, lento admodum greſſu, ad ædes Paſchalis: quod lecto detentus fuerit diebus tribus ac quinquaginta, ac movere ſeſe haud potuerit: quod remedia ipſi fuerint adhibita; tantumque abfuerit, ut in iſta infirmitate, ac magnis corporis doloribus lictorem ſuum proderet; ut potius Dominum ſemper laudaret, & rogaret veniam pro malefactoribus.*

Monaſterium ad meliorem frugem reducere ſatagens,

C

115 *Quod reſcitum deinde certò fuerit, hoc contigiſſe juſſu cujuſdam mercatoris, cui nomen Ribera; quem maximè pœnituerit facti, dicentem, numquam ſe mandaſſe, ut eo uſque procederetur; ſed aliud non intendiſſe, quam* Ignatium *perterrefacere: quod caſus ille tota civitate percrebuerit; quia ipſe in ea æſtimabatur tamquam apoſtolus: quod pauperes quoque ſolicitos reddiderit: quod in iſta denique infirmitate P. Jacobus de Alcantara, confeſſarius ejus, deponere ipſum juſſerit ſaccum grandem & valde aſperum cannabinum, quem ſolebat geſtare; tametſi eſſet ipſe invitus: quem dictus Joannes affirmat, ſeſe accepiſſe atque aſſervaſſe tamquam reliquias; & tamquam talem aſſervare ſeſe uſque in hunc diem, addit, unà cum Crucifixo Chriſto, quem geſtabat in pectore, à die, quo ſe convertit, magnitudinis unius palmi cum dimidio; quem hodiedum, inquit, habeo ſine cruce: quia eam pro reliquiis dedi Patribus Societatis; ac millenas habebam res ejus alias; nimirum manticas, quibus utebatur ad ferendas & colligendas eleemoſynas pro pauperibus: litteras item propria ejus manu ſcriptas, nec non peregrinationem, quam Româ in Terram ſanctam inſtituit, manu quoque ipſius exaratam: verùm omnia tradidi lubens Patribus ſanctæ ipſius religionis ac Societatis: neque enim menſa eſt, lectus, later, aut aſſer in mea domo, quæ non ſint reliquiæ ejus; cum omnia attigerit, ſpatio annorum ſex (dicamus nos duorum) comedens ac dormiens in illa ſemper. Bartolus lib. 1, num. 28.* Id porro cilicium, *inquit*, ab Joanne Paſqualio aſſervatum, ſuiſque chirographo proprio inſtar optimi patrimonii traditum, multos Barcinone ægrotos ſanavit; ſed anno tandem MDCVI dux Montis-Leonis (Cataloniæ prorex, *uti additur in textu Italico*: Hector Pignatelli, *ex Garcia & Carnolio*) multis illud precibus emercatus, theſaurum domus ſuæ fecit...

miſerè excarnificatur,

116 Poſt dies tres & quinquaginta, cruciamentis ægrè, & vitæ diſcrimine defunctus, vixque greſſum regere jam valens, mox ad Angelorum parthenonem ſe trahit, confirmaturus nova cohortatione moniales in tenacitate concepti propoſiti; *Agnete Paſchale, quæ inſtar filii* Ignatium *diligebat, nequidquam ſeſe interponente.* Promerita eſt tam fortis & maſcula caritas, non ſolùm ut Deus in ſancti operis progreſſu caſus ſimiles prohiberet; verùm ut etiam cruenti facinoris auctorem præcipuum ad frugem converteret. Redeunti enim aliquando ex illo cœnobio, Ribera quidam mercator in genua procidit, faſſuſque crimen, cujus fuiſſet primarius artifex, magno animi dolore, ejus ab illo veniam petiit, ſanctè fideliterque juratus, exinde ſe vitam moreſque mutaturum. Quod, uti promiſerat, poſtea non fictè præſtitit. Hac verò ſe auſus nefarii pœnitentia ſtimulatum profeſſus eſt, non tàm atrocitate ſacrilegii barbari, quam Sancti virtute, cui tot inter Mauri crudelia verba, nec ullum impatientiæ ſpecimen excidiſſet, nec verbum aut indicium illius, à quo eſſet tam crudeliter cæſus, aut cujus mandato cædebatur. Præter hanc tamen Ignatii virtutem, minimè dubium, contuliſſe ad hoc plurimum eas preces, quas, pendentem in cruce Magiſtrum imitatus, pro infenſiſſimis hoſtibus fuderat.

ſceleris tamen auctore ad pœnitentiam poſt converſo.

D

E

F

Sancti patientia,

117 *Vita Italica num.* 106 *allegata Sancti patientiam commendat, dum loquitur cap. 7 in hanc ſententiam:* Fuere multi, qui ex conformatione vultus & corporis cognoſcentes eum natalibus valde diverſum ab illo, quem præferebat electa ab ipſo vitæ ratio, exprobrabant ipſi acribus verbis ac ruſticis modis inconcinnam adeo vivendi formam. *Addebant*, rectè conſpici, quod tamquam erro debuerit à ſuis eſſe profugus; cui adjungebant & minas aſperas, & turpes injurias. Sanctus fixo greſſu, & vultu ſereno commodum dabat illis fandi tempus, numquam eos interpellans. In fine humillimas illis agebat ſincero ex corde gratias, tamquam ſingulari titulo de ſe meritis. Et dum vice quadam, turpi ejuſdem tenoris reprehenſione fuiſſet exceptus ab aliquot juvenibus, qui

AUCTORE J. P.

qui in Paſchalium ædibus laborabant, earum domini, zelo armati, ulti ſe de illis ſunt, fixum habentes, prohibere illos domo. Ignatius adeo vehementer ſeſe apud Paſchales interpoſuit, ut juvenes non fuerint ejecti; dicens, ut, in quantum amabant ejus bonum, permitterent, ut juvenes tali modo ſecum agerent; quia multo pejus ſua mererentur peccata, Deus ex ſubmiſſa Servi ſui conſtantia prompſit conſuetum non fictæ patientiæ fructum, nimirum mutationem cordis eorum, qui ipſi inſultabant; quia major illorum hujuſmodi pars, primò admiratores, deinde imitatores ſanctitatis Ignatii evaſerunt.

loca ſacra potiſſimum ab eo frequentata,

118 *Quibus verò potiſſimùm locis Barcinone vacaret exercitiis pietatis, tradit Garcia lib. 2, cap. 4:* Quamvis enim, *inquit*, omnia civitatis templa frequentaret; potiſſimùm tamen illud, quod noſtræ Dominæ à Mari *dicitur*; ubi confitebatur, & communicabat ſingulis octo diebus, & ordinariè admodum audiebat Miſſam, Veſperas, & Completorium in eccleſia Cathedrali, & in ſacello S. Eulaliæ, pro ea, qua erga hanc ſanctam Virginem afficiebatur, devotione. *Jam verò quandoquidem Agnetis Paſchalis domus, ſecundùm dicta, una fuit ex præcipuis virtutum à* S. Ignatio *Barcinone exercitatarum palæſtra; non debemus admirari, eumdem hunc locum ſingularibus Dei erga Servum ſibi dilectum favoribus conſpicuum fuiſſe. Quæ ſuper hoc argumento ſuperiùs modò ſunt præmiſſa, confirmari poſſunt ex Poſitionibus à P. Laurentio de Paulis, procuratore generali Societatis Jeſu & conſortium, in cauſa canonizationis* S. Ignatii *productis; in quibus ſub titulo* Extaſes & raptus *ſic habetur:* Multoties Barchinonæ in domo Agnetis Paſqual viſus eſt in oratione raptus abſque uſu ſenſuum, ſolùm reſpirans, & aliquoties faciem miraculosè ſplendentem habens... Aliquoties etiam à terra in aëre elevatus uno cubito cum dimidio, hæc verba proferens: O Domine, ſi homines te cognoſcerent! *Ceterùm Vitæ Sancti apud Barcinonenſes ſpectatiſſimæ elogia profert Garciæ lib. 2, cap. 6 ex verbis illuſtriſſimi Barcinonenſis, ad Clementem VIII directis, nec non ex teſtimonio publico Barcinonenſi ad eumdem Pontificem miſſo. Jam dicendum de re prorſus mira, quam Barcinone Sanctus patravit.*

Res mira Barcinone in gratiam ſuſpenſi à Sancto patrata proponitur.

119 *Ribadeneira Vitæ brevioris cap. 6 hæc narrat:* Cum ex Angelorum cœnobio rediret Ignatius, hominem ad viam Lullianam impulſu dæmonis ex ædium ſuarum trabe laqueo ſuſpenſum audivit, eò celeriter advolavit, & pendentem ex infelici tigno reſtem abſcidit: ac tametſi de ejus morte nemo dubitaret: humi tamen abjectus pro hominis ſalute Deum orare ſupplex inſtitit, hominemque appellavit: & ecce ita reſtitutus eſt ſenſibus, ut peccata ſacerdoti confiteretur, [ac] actutum demum animam inferorum faucibus ereptam Deo redderet. *Hoc miraculum confirmatur ex verbis trium Romanæ Rotæ Auditorum apud Bartolum lib. 1, num. 29,* Cunctis ſtupentibus, & rei exitum exſpectantibus, Lyſanus ad vitam rediit. *Ad hæc, notandum etiam venit, hanc rem planè mirabilem atque inuſitatam non clam, aut coram uno alterove teſte patratam fuiſſe, ſed in publica urbis Barcinonenſis luce: nam in Poſitionibus paulo antè aſſignatis, titulo* Miracula, *tam ipſa res, quam rei adjuncta roborantur. Sic igitur ibidem lego:* Barchinonæ cum quidam Lyſſanus ob perditam in judicio cauſam præ deſperatione ſe ſuſpendiſſet, & ad hoc ſpectaculum videndum multi homines concurrerent; Ignatius, re audita, ad illam domum accedit, & Lyſſanum, funè præciſo, in lecto repoſitum ſine uſu ſenſuum, ac pro mortuo habitum invenit: & ſtatim genua flectens, orare Deum incipit, tantum vitæ ei tribuat, ut ad vitam rediens, de illo & aliis peccatis dolere poſſet, & confiteri. Quod cum faceret Ignatius, & nomen Jeſu ſuper corpus Lyſſani invocaret, cunctis ſtupentibus, & rei exitum exſpectantibus, Lyſſanus ad vitam rediit; & ſignis contritionis editis, paulò pòſt piè defunctus eſt, & de licentia epiſcopi, de dicta contritione informati, in loco ſacro ſepultus. *Rem geſtam etiam memorat Maffeius lib. 3, cap. 14, eamque concludens,* Cujus rei, *inquit*, fama totam urbem, fineſque illos magna cum omnium admiratione pervaſit; & ſuperſunt hodie, qui meminerint; à quibus egō, *inquit*, id ipſum Barcinone diligenter quæſivi.

§. XIII. An ſuſpenſus ille à morte ſit ſuſcitatus; ſocii Barcinone Sancto adjuncti; de quodam non aſſumpto prophetia.

Controverſia illa inter duos è Societate quæſita

VAria *jam pridem circa factum in illo ſuſpenſo, ope* S. Ignatii *mirabiliter ad pœnitentiam revocato, quæſita ac reſponſa ventilata fuere inter duos inſignes è noſtra Societate viros, videlicet P. Nicolaum Lancicium, virtute ac ſcriptis notiſſimum, nec non inter P. Petrum Ægidium ſeu Gil, egregio elogio honoratum in Bibliotheca Societatis. In manibus habeo apographum, unà cum aliis monumentis Romanis nuper huc miſſum; in duas tributum columnas, in quarum altera continentur* Quæſita P. Lancicii ex autographo deſcripta; *in altera verò* Reſponſa P. Petri Ægidii autographa, *id eſt, ex autographo pariter tranſcripta, &, quatenus præſens continent argumentum, manu P. Ignatii Pinii exarata. Quæſita ergo ibi ſic habent quarto loco:* Teſtimonia de ſuſpenſo, à B. Patre ad vitam, vel vitæ uſum revocato, unum habent incommodum: quòd ex iis intelligi non poteſt, mortuuſne ille Lyſſanus fuerit, vel tantùm ab uſu ſenſuum impeditus.. P. Maffeius, qui ante multos annos hoc ipſum Barcinone à multis audivit, dicit, ſe accepiſſe, illum ſuſpenſum verè pro mortuo tamquam mortuum fuiſſe habitum: ut etiam id bene probat Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ, tomi 1, l. 7, cap. 1, pag. 205, editi primò Romæ.

ac reſponſa

121 *Reſponſa P. Ægidii:* Fateor, quod hoc habeant incommodum. Sed nil ultra, quod certum ſit, ex verbis Paſqualis, vel ex teſtibus deprehendi potuit, niſi quod in proceſſu, & in meo teſtimonio habetur. Ego multoties à Paſquali, dum viveret, hoc petii: quia miraculum erat magnum. Numquam tamen ille, re maturè conſiderata, auſus fuit dicere, quod certiſſimè erat mortuus; ſed quod vel erat, vel reputabatur mortuus. Paſqual, quando hoc contigit ſe præſente, parvulus erat, natus tantùm XIII vel XIV annos. Nec poterat ita certò recordari. Quando P. Maffeius eundo in Luſitaniam, & inde redeundo in Italiam, venit Barcinonem, ego præſens aderam: ego eum duxi ad Paſqualem, & ejus domum. A Paſquali audivit P. Maffeius, vel ab iis, qui à Paſquali audiverant, qui fuerat præſens. Paſqual autem (mihi crede) rite interro-

gatus

A gatus id dicebat, quod ego & alii teſtes ſumus conteſtati.

122 *Quæſita P. Lancicii:* Et certè ſi fuerit vivus, non erat ratio, cur, recuperato ſenſuum uſu, non diutiùs vixiſſet. Cum enim difficilius ſit, naturaliter recipere uſum ſenſuum, quàm eo recuperato, eum continuare, ſicut & productio conſervatione eſt difficilior: mirum eſt, illum diu non vixiſſe: ſi quidem tam bene ſenſus recuperaverat, ut, quemadmodum P. Maffeius in Vita B. Ignatii teſtatur l. 3, c. 14, peccata ſacerdoti ad id vocato confiteri potuerit.

variis

Reſponſa P. Ægidii: Incertitudo miraculi, & eventus rei in cauſa eſt, ut V. R. hanc acutam proferat rationem. Sed (ſi augurari licet) tametſi eſſet vivus aut ſemivivus, voluit miſericors Deus precibus Ignatii, ut recuperaret uſum ſenſuum, ad effectum dolendi de peccatis, & confitendi, ſi fuit illi copia: & non ultrà. Adde etiam, quod ſuſpendio alterantur maximè ſanguis, & humores omnes. Potuit ergo (Domino ſic volente) contingere, ut fervor ille ſanguinis modico intervallo, ad uſum ſenſuum mitior redderetur:

B deinde verò paulatim excreſcens, affectu aliquo interiori, tandem hominem occideret. Certò dicebat Paſqual, quod Lyſſanus ille oſtenderat ſigna contritionis: propter quæ (habita informatione) fuit ſepultus in loco ſacro. An autem fuerit confeſſus; de hoc ille aliquantulùm dubitabat. Et ego ſæpiſſime interrogavi Paſqualem de hoc: & certè (mihi crede) quod Paſqual in hoc fuit varius. Quia cum eſſet tunc parvulus, non poterat adeo firmiter, jam ſenex fere octogenarius, de hoc, & aliis circumſtantiis in particulari, recordari, & narrare omnia, quæ tunc acciderant.

ventilata fuit.

123 *Quæſita P. Lancicii:* Si probabilius conſtare poſſet, Lyſſanum mortuum fuiſſe, vel pro tali potiùs Barcinone habitum; multum ponderis accederet ad negotium canonizationis promovendum.

Reſponſa P. Ægidii: Video, quod hoc miraculum reſurrectionis mortui, ſi plenè probaretur, multùm juvaret. Sed res tam antiqua, & de qua tunc, quando contigit, nulla facta fuit inquiſitio; nec vivente P. N. Ignatio fuit inveſtigata: nec ſtatim poſt ejus mortem perquiſita; ſed quinquaginta fere annis poſt Ignatii mortem: & octoginta fere annis, poſtquam miraculum contigit. Non eſt mirum, ſi tantæ rei nunc modica

C ſit notitia; modica recordatio. Si ſtatim poſt Ignatii P. N. mortem facti fuiſſent Proceſſus ad futuram rei memoriam, qui nunc facti ſunt; multi exſtitiſſent teſtes oculati, quorum teſtimonio lucidiores facti fuiſſent Proceſſus. Sed ad præteritum non eſt potentia. Dominus ita permiſit. Sit nomen Domini benedictum. *Hæc ibi. Et Quæſita quidem iſta pluribus aliis Quæſitis à Lancicio propoſitis immixta*, Romæ XXVIII Maii MDXCIX *ſignantur*; Reſponſa *verò ad illa*, habentur *ex fide prædicti P. Ignatii Pinii*, in ipſis marginibus epiſtolæ, quam à Lancicio ſcriptam tranſcribi in hunc finem juſſerat P. Petrus Ægidius, ut ipſe præfatur. Reſponſis ſubnectit Epiſtolam, majoris elucidationis gratiâ.

Quibus

124 *Et mox ſubſequuntur in dicto apographo noſtro* Excerpta ex epiſtola P. Petri Ægidii ad Nicolaum Lancicium: *in quibus habentur iſta:* Circa quartum de Lyſſano ſuſpenſo; advertat R. V. bene illa, quæ ego in meo teſtimonio refero, & ea, quæ narrat articulus de eodem miraculo in Proceſſu Barcinonenſi, per teſtes probatus: pariter ſingula, quæ ego ad verba epiſtolæ R. V. reſpondens, ſcribo. Hæc omnia, inquam, ſunt certiora & veriora, quæ de hoc miraculo ſciri poſſunt. Et ut meliùs cuncta percipiat, ſupponat R. V. hæc ſex, quæ nunc ſcribam: ex quibus intelliget, non poſſe ultra quicquam de hoc miraculo ſciri.

AUCTORE J. P.

1. Contigit hoc miraculum circa annum fere XXIII (*ſupra milleſimum quingenteſimum*) à Nativitate Domini; quando P. Ignatius Barcinone Grammaticæ operam dabat.

2. Ignatius eo tempore erat notus viris probatis, & mulieribus, non multis; ſed iis, quorum quarumve major erat cura rerum ſpiritualium; & paucis quibuſdam monialibus monaſterii S. Mariæ Angelorum, & S. Hieronymi: denique confeſſario ſuo, præceptori Ardevalo, & paucis condiſcipulis parvulis.

epiſtola

125 Tertiò, eodem momento, quo inventus fuit Lyſſanus funè ſuſpenſus, & extitit clamor virorum ac mulierum in eodem vico; revertebatur Ignatius à monaſterio Angelorum (quod tunc erat extra mœnia, nunc autem deſertum manet illud monaſterium, & moniales intra civitatis Barcinonenſis mœnia tranſlatæ ſunt;) & ingreſſus per portam civitatis, quæ vocatur porta S. Danielis, tranſibat per plateam Lullii (dictam lo pla den Lull) juxta vicum dictum de Belloc, in quo erat domus, ubi Lyſſanus fuerat inventus funè ſuſpenſus: Ignatius vidit hominum tumultum: aſcendit ubi Lyſſanus vel mortuus vel ſemivivus jacebat: Ignatius pro eo oravit, orabant alii, clamabat Ignatius &c: ſecutum fuit, quod ſcribitur, miraculum &c.

E

4. Sciat V. R., quod homines non vocarunt Ignatium, ut illud faceret miraculum: non rogarunt, ut faceret: quia fortè erat ignotus omnibus illis: ſed tantùm id, miſericordiâ motus, à Domino impetravit. Illi tamen, ut narrabat Paſqual, viderunt, quod poſt orationem, & clamores Ignatii revixit homo, & uſum ſenſuum modico intervallo temporis habuit. An eſſet omnino mortuus, homines rudes experimento non comprobaverant: imo acetum ad tempora ſeu pulſus capitis & brachiorum, & ad pectus applicabant: quod non feciſſent, ſi omnino mortuum certò ſciviſſent.

etiam ſuperaddita.

126 Quintò. Sciat etiam, quod homines illi non acclamabant, quod Ignatius illum ſuſcitaſſet, vel miraculum feciſſet; tametſi crederent id, vel conjecturam haberent de miraculo. Et conſequenter non fuit facta ulla tunc inquiſitio de miraculo patrato, nec probatio, nec informatio. Quare poſt paucos dies memoria ejus rei evanuit. Paſqual autem rem iſtam magnam ſemper corde retinuit; & verbo (ut ego dixi in meo teſtimonio) ſæpius mihi narravit. An autem fuerit miraculum veræ ſuſcitationis mortui, ſolus Dominus ſcit.

F

6. Ego exiſtimo, quod ſi beatæ memoriæ P. N. Ignatius fuiſſet certus, quod ipſe feciſſet tam magnum miraculum veræ ſuſcitationis veri mortui; exiſtimo, inquam, quod vel ipſe alicui in confeſſione, aut extra confeſſionem, ad divinam gloriam revelaſſet: vel Deus optimus maximus in bonum Eccleſiæ ordinaſſet, ut per alios teſtes omni exceptione majores tam magnum opus (quale eſt ſuſcitatio mortui) fuiſſet certiſſimè oſtenſum & publicatum. *Tum offert ſua obſequia ad relegenda quædam ex ſcriptis Lancicii.* Cum enim ego, *inquit*, in Proceſſibus factis in monaſterio Montis-Serrati, Minoreſſæ, Barcinone, fungens procuratorio munere ac nomine, omnes teſtes ſub-

AUCTORE J. P.

subministrarim, cuncta loca illa perlustrarim, omnia in processibus contenta multoties legerim; fortè aliquantulum juvabo, vel certè non nocebo &c., Panormi v Julii MDXCIX.

Nostra circa præsens factum conjectura.

127 *Atque hæc quidem tum temporis à Viro isto, rerum apprimè gnaro, ad propositas sibi à Lancicio difficultates responsa sunt. Verbulo observare nobis hîc liceat ista pauca. Quamquam ex dictis non sit aperta certitudo, auctoritas indubitata, ac fides clara ac manifesta, quod suspensus ille & verè antea mortuus, &* Ignatii *precibus ex verè mortuo factus sit verè vivus; tamen cum* de morte ejus nemo dubitaret, *ex Ribadeneira superiùs num.* 119; *cumque ex publicis testium depositionibus* ad vitam rediisse *dicatur ibidem; atque duo illa*, redire ad se, *vel* redire ad mentem, *&* redire ad vitam, *prorsus sint diversa; præbetur ratio probabilis, propendendi in illam sententiam, quod Lyssanus ille* Ignatii *precibus non ad vitæ dumtaxat usum, sed ad vitam ipsam sit revocatus, & verè ac propriè à morte revixerit. Nunc ad alia pergamus.*

B

Assumit sibi socios Ignatius; alium recusat,

128 Rerum, *quas Barcinone faciebat Sanctus,* admiratione permoti præ ceteris viri quatuor, *ex Maffeio lib.* 1, *cap.* 16, sese ad Ignatii ductum atque institutum aggregarunt (*de quibus num.* 162 *recurret mentio*) Callistus quidam, qui, auctore Ignatio, peregrinationem Hierosolymitanam nuper obierat; alterum Artiagam cognomento appellabant; tertius fuit è Gotholaniæ proregis familia, nomine Cazeres: ad quos ultimo loco Joannes adolescens natione Gallus accessit. *Mirum est, quod P. Joannes Rho in Interrogationibus apologeticis, ad Joannem Baptistam Castaldum clericum regularem, interrogatione* 10, *pag.* 166 *ex teste jurato scribit in hæc ejus verba:* Audivi sæpius, patrem Michaëlem Rhodis Societatis Jesu, patriâ Gironensem ex principatu Catalauniæ, virum religionis eximiæ, animarum zelo, & vitæ austeritate nobilem, de patre suo celeberrimo jurisconsulto narrantem, illum adhuc adolescentem, P. N. S. Ignatium, Barcinone Grammaticæ operam dantem familiariter agnovisse, illiusque virtutum exemplo atque adhortationibus ita ad virtutem exarsisse animo, ut eum sequi, ejusque socius fieri, ac virtutes imitari vehementissimè cuperet. Id quum Ignatio aperuisset, respondit ille: Tu non me sequeris; sed filius olim tuus religiosæ familiæ, quam ego, divina favente gratia, conditurus sum, nomen dabit.

C

cum insigni prophetia.

129 Hoc vaticinium editum est anno XVI vel XVII ante conditam Societatem; neque fefellit: quia Michaël Rhodis Societatem ingressus est, in eaque diutissimè vixit, ac senex admodum obiit magnarum virtutum famâ. Hinc colligitur, quanto ante conditam Societatem de illa condenda divinitus certior factus fuerit Ignatius. Hoc enim statim ab Hierotoŷmitana contigit peregrinatione. Ita confirmo, & mea manu scripsi ego Franciscus de Caspes, ejusdem Societatis sacerdos professus, LXX ætatis meæ anno, & religionis LV, in qua variis magistratibus functus sum, rectoris, præpositi, & totius provinciæ Aragoniæ procuratoris ad Urbem. Itáque juro per Deum Dominum nostrum, & sancta quatuor Euangelia, XIII Kal. Februarii MDCXLI. Franciscus de Caspes Societatis Jesu. *Bartolus lib.* 1, *num.* 30 *de prædicto Michaële hæc scribit:* Patri consilium detegens Societatis ineundæ, prædictum id illi ab Ignatio quondam, ex eo cognovit; jamque in opus procedere: quod summam utrique attulit voluptatem. Sed provinciali in excipiendo jurene agente cunctantiùs quam vel ætatis impatientia, vel incitatior pietas pateretur, aliò desideria convertit, & Cartusiam prehensavit, bisque diversis temporibus tentatam, bis quidem obtinuit, sed semper intercidit aliquid, quo, disturbata re, Societatem repetiit, in eamque admissus, fidem vaticinii duplicis ab Sancto editi integrè probavit. D

§ XIV. Res Complutenses ac Salmanticenses.

*Quo tempore Complutum venerit, * Hisp. quasi*

AD *annum* MDXXVI Complutum venit. Ibi egit annum * unum ac dimidiatum: quo tempore studium suum impendit in terminos & Summulas Soti, Alberti Physicam, & Magistrum sententiarum. Exercebatur etiam dandis Exercitiis spiritualibus *&c. Ita Vita sancti Patris, à P. Ludovico Consalvo ex ejus ore excepta, num.* 57. *Maffeius lib.* 1, *cap.* 16 *Sanctum affirmat* Complutum UNA cum sociis abiisse. *Ast ei refragatur Vita jamjam designata, num.* 56 *dicens:* Abscessit Peregrinus (*ita ibi vocatur* S. Ignatius) Complutum SOLUS; tametsi jam tum socios aliquot (ut opinor) haberet. *Idem Maffeius lib.* 1, *cap.* 17 *editionis Duacenæ anni* 1585, septimum, *ait,* non amplius mensem Compluti moratus *&c. Sed in operum ipsius editione, quæ prænotatur Venetiis excusa anno* 1589, *rectè correctus est error ille: nam ibi legitur,* sesquiannum circiter Compluti moratus; *quibus consonat novissima editio Patavina anni* 1727. E

& quibus studiis ibidem inter opera pia se occuparit:

131 Artium, ut appellant, curriculum iniit non admodum felici successu: quippe qui eadem illa præpropera festinatione incitatus, nullo pæne servato vel ordine, vel discrimine disciplinæ, multa & varia uno eodemque tempore aggressus est: & in logicis terminos, quos appellant, in physicis Albertum; in theologia, Magistrum sententiarum (qui maximè libri tum in Hispania terebantur,) evolvere, & plures quotidie in scholis audire cœpit interpretes. Quæ res in speciem utilis & compendiaria, vel maximo ei in id ipsum, quod properabat, impedimento fuit. Etenim, quod in rebus humanis fere fit, cum avidè sequeretur omnia, nihil propemodum assequebatur, & ipsa varietas ac multitudo rerum, tum intelligentiæ tenebras, tum verò memoriæ perturbationem & confusionem afferebat; *Maffeio teste, qui hæc literis prodidit lib.* 1, *cap.* 17. Ad hæc, *uti pergit*, illud etiam accedebat incommodi, quod in summa paupertate non solum ex emendicato vivebat ipse cum suis, verùm etiam aliorum inopiam ac difficultates, conquisitis undique eleemosŷnis, magno labore & corporis & animi sublevabat. Præterea, quod ejus cursum vel maximè retardavit in litteris, tanta cupiditate ardebat errantes animas ad bonam mentem atque ad legem euangelicam revocandi, ut se, quamvis alieno tum tempore, continere non posset, quo minus & in scholasticorum circulis de vera virtute ac pietate sermones injiceret, & in triviis pueros plebemque fidei Christianæ præceptionibus erudiret, & omnium ordinum homines passim ad cultum Dei, studiumque religionis, acri ac vehementi oratione incitaret. *De studiorum impedimentis, ac virtutum operumque misericordiæ tum corporalis tum spiritualis in proximo procuratione, consuli etiam potest Vita brevior Ribadeneiræ cap.* 6. F

132 *At*

A *quem Deus poſtea Sancto in aliis compenſavit.*

132 *At defectum hunc literarium, qui tunc in* Ignatio *Compluti fuit, Deus ipſi poſtea abunde compenſavit, ibidem formando varios viros doctrina ac virtute præſtantes, qui Societatem Jeſu illuſtrarunt. Nam ut mittam multos & inſignes theologos, quos variis temporibus celeberrima illa academia dedit Societati, ex ea prodierunt tres è primis Sancti in ſuo religioſo inſtituto fundando ſociis, nimirum Lainez, Salmeron & Bobadilla. Sex autem poſt ejuſdem fundationem annis, videlicet* 1546 *P. Franciſcus de Villanova, à* S. Ignatio *miſſus, initium dedit collegio Complutenſi. Ad hæc, in eo docuere Deza, Vaſquezii, Suarezii, Azores, Arrubales, Torres, aliique inſignes Doctores; & S. Franciſcus Borgia explanavit Scripturam ſacram, ſicut obſervat Garcia lib.* 2, *cap.* 9; *è quo iſta deprompſi. Sed nos ad* Ignatium *revertamur.*

Ratio vivendi,

133 Erat hæc itaque Ignatio Compluti ſtatio, victus mendicato; cui cum plura neceſſariis amici adderent, ea in pauperes tribuebat. Ad eos verò ferebat ipſemet, quos honeſtorum pudor natalium, aut morbus à mendicando abſterreret,

B *auctore Bartolo, lib.* 1, *cap.* 32 *rem exemplis elucidante:* Notavit, *inquit*, hæc ita factitantem Martinus Saëzius, inter Aſpeitiæ primarios opulentus. Complutum enim negotii causâ cum veniſſet, olim ſibi notum, nunc famâ celebrem videre Ignatium voluit. Præſtolatus ergo è ſchola exiturum, & probè agnovit, & tacitè ſubſecutus, vidit quamdam in caſam ſubeuntem; poſt paulumque ex ea redeuntem. Tunc & ipſe ingreſſus, jacentem ex morbo feminam invenit, omnium egenam. Hæc de illo rogata, qui ad ſe adiſſet, ſtudioſo, negavit noſſe; ſed ſanctum videri, ſibique ab eo quotidie & ſtipem neceſſariam deferri, & piis de Deo ſermonibus conſolationem adhiberi. Bene, inquit Saëzius, tu cras redeunti ſignifices velim, ſibi aut aliis ſi pecuniâ egebit, ſcire te hominem, qui ſit non gravatè collaturus. Illa, quod mandabatur, fecit: verùm Ignatius obſervari ſe videns; Ego hactenus, ſoror, tibi, ut potui, ſuccurri; ſuccurret deinceps aliâ viâ Deus, cui ego te plurimùm commendo. Quibus dictis abſceſſit, nec illò pedem poſtea intulit. *Factum hoc confirmatur ex Vitæ Italicæ alibi deſignatæ capite* 8.

C *ac miſericordiæ opera exercendi.*

134 *In exercendis autem miſericordiæ corporalis operibus Sancto egregiè ſuppetias tulit Jacobus Eguia, qui & tum Compluti erat, & poſtea ſuum Societati nomen dedit; de quo Orlandinus Hiſtoriæ Societatis lib.* 1, *num.* 54 *tradit iſta:* Cum præſens cujuſpiam calamitas urgeret, certum erat beato Patri perfugium. Et aliquando non ſuppetente pecunia, arcam aperuit, ut inde Ignatius è ſupellectili, quod videretur aſſumeret: qui, ut plurimùm diligebat Jacobum, intelligebatque, ſe non minùs ipſi, quam pauperibus benignè facturum, ſi liberaliter ſumeret; è ſtragulis, ornamentiſque lectorum, & aliis hujuſmodi veſtibus luculentum faſcem confectum humeris tollit, eumque & candelabra quædam, bajuli inſtar, per urbis vias aſportat. *At de Jacobo iſto aliàs plura.*

Informationes de illo; ac tragica alterius

135 *Quod verò graves difficultates contra* S. Ignatium *Compluti motæ fuerint, ſcitur è Vitis. Apographum autem Informationum ibidem ſuper Sancto ac ſociis ejus inſtitutarum, accepi Matriti degens anno* 1722 *à P. Joſepho Caſſani S. I. Cauſa porro illa ibi notatur cœpta Compluti die* XIX *Novembris anno* 1526; *quæ die* VI *Martii anni proximè ſequentis* 1527; *die item* X *Maii, ac rurſum die* XIV *ejuſdem menſis & anni reſumpta fuit, juxta illud ſcriptum; ex quo inſuper habemus, quod die* XVIII *Maii anni ſuprà dicti D. Vicarius viſitarit carcerem eccleſiaſticum, & comparere coram ſe juſſum* Ignatium *interrogarit; & quod die demum* 1 *Junii ejuſdem anni, citari coram ſe juſſo* Ignatio, *cauſam finierit: quo autem exitu, docet Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 14; *qui lib.* 5, *cap.* 11 *ſummatim refert tragicam hiſtoriam, quæ quia in Vita breviore cap.* 6 *plenius narratur, eam huc inde transferendam putavi.* Aliud beato Patri contigit in eadem urbe *Complutenſi* mirabile. A vicario dimiſſus è carcere, eodem, quo ceteri ſcholaſtici, genere veſtis uti jubebatur. Atque ad eam rem vicarius Joanni Lucenæ, homini charitatis officiis dedito, mandavit, uti ſtipem per compita cogeret. Cum verò huic rei intenti ambo civitatem obirent, frequens fortè populus luſum pilæ ſpectabat ante domum viri è primaria nobilitate, cujus nomen juſta de cauſa reticetur. Is hujuſmodi collectæ causâ cognitâ, converſis in Joannem Lucenam oculis, irâ commotus, Et quî, inquit, convenit, te eo loco virum huc te abjicere? Additditque indignans: Ardeam ego, ſi E hic, pro quo ſtipem corrogas, rogo dignus non ſit.

poſt illas hiſtoria, ipſi illuſtris.

136 Ea vox graviter eorum aures vulneravit, quibus beati Patris ſanctitas erat ſpectata & cognita. Eodem die peroptatus de Philippi II regis ortu nuntius venit: unde factum, ut Compluti totâque paſſim Hiſpaniâ triumphales ignes excitarentur. Dum ergo idem hic nobilis in turtim domûs ſuæ tormentario pulvere inſtructam, ad ignes artificioſos aſcenderet; ecce ibi temere illapsâ ſcintillâ, pulvereque correpto, horribili caſu cum turri peruſtus interiit. Id ubi Patri nuntiatum eſt, præ commiſeratione doloreque illacrymans, Hoc ipſum, inquit, hodierno die manè domum ejus me prætereunte, ſibi ipſe fuerat imprecatus: ego quidem certè id ei nequaquam optavi. Ejus eventi repentè totam urbem fama peragravit, fuitque in miraculis habitum ad illuſtrandam hujus Ignatii ſanctitatem.

Sancto fit obvius Franciſcus Borgia; alterius de eo elogium.

137 *Sed ſicut convitium illud, quod Sancto illatum erat, non manſit inultum; ſic captivitas non fuit ingloria: nam ut illud Bartoli num.* 33 *omittam:* Obvium ferunt, dum inter lictores ignominiosè in carcerem ducitur, habuiſſe Franciſcum Borgiam, Ducis Gandiæ filium, annorum ſeptemdecim juvenem, inter populi ſalutationes, & urbana officia, numeroſo famulitio ſtipatum; cujuſque hic caſus divinæ providentiæ quidam ludus, futura diu pòſt Ignatio gaudia jam tum meditantis ex eodem Romæ futuro Ignatii & Societatis libente captivo, eò quidem cumulatiora, quo unus poteſtatis, demiſſionis alter longinquiora recordaturus eſſet initia. *Ut, inquam, illud Bartoli omittam; Maffeio teſte*, Georgius quidem Naverius, inſignis ea tempeſtate Doctor, & magnâ apud Carolum cæſarem gratiâ, cum ad eum viſendum acceſſiſſet; animi magnitudinem, & dicendi vim admiratus, ut primùm ad ſuos domum revertit; Hodierna die vidi Paulum, inquit, in vinculis. *Ita Maffeius.*

F

Accuſatio de obſervatione ſabbatorum, ac nimia Euchariſtiæ frequentia.

138 *Et occaſione variarum quæſtionum, quibus primò* Ignatii *animum in omnes partes verſatum fuiſſe refert idem ſcriptor*, deinde, *ait*, quoniam regiis prohibiti edictis, tamen Hiſpaniâ fere totâ, ementito corporis habitu, cultuque Judæi multi verſantur, maleficum genus hominum, & valde Chriſtianis inimicum; ſciſcitatur ex eo vicarius, obſervetne ſabbata? Cui ille: Utique

AUCTORE J. P.

in honorem beatæ Mariæ Virginis, inquit: nam ceteroquin & Judaicos ritus ignoro, & verò Judæum patria mea fert nullum. *Porro inter accusationum capita, Sancto Compluti propositа vel imputata, secundùm Bartolum numerandus est usus admodum frequens Sacramentorum, ab* Ignatio *ibidem inductus. Id quod ita num.* 33 *exponit:* Sacrorum denique ille usus frequens, multis octavo quoque die adeuntibus sacram mensam (quod perinde tunc fuit, ut si nunc quotidie adiretur) novitatis insimulabatur, damnabaturque ab nonnullis apertè. Nam Alfonsus Sanchez ad S. Justi canonicus, idemque Doctor, palam aliquando Ignatio, ejusque sociis Eucharistiam negavit, injecto etiam scrupulo familiaritatis cum Deo nimiæ; sed mente mox in melius versa, eam illico præbuit: quam dum impertiret, delibutus est tam dulci pietatis sensu, ut ægrè tenuerit lacrymas, volueritque Ignatium habere secum ad prandium, & eum observaverit tamquam sanctum, præsertim ut audiit de rebus animæ differentem.

Notitiæ quædam circa res Parisienses.

139 *Res Salmanticenses traduntur à Ludovico Consalvo, Ribadeneira, & Maffeio; ut nihil nobis occurrat singulare, quod ipsis aliunde addi debeat. Actis à Sancto Lutetiæ Parisiorum præmittimus ista ex Maffeio lib.* 1, *cap.* 18: Quoniam ad iter adeo longinquum & anceps non idem erat sociis animus, atque etiam, ut maximè incolumes eò pervenissent, incertum erat, apud ignotas nationes quam copiam in studiis litterarum degendi essent habituri; communicato cum iis consilio, statuit Ignatius antecedere solus ipse Lutetiam; & siquidem res facultatem habitura videretur, ut eos ibidem alere posset, ipsos evocare per litteras; sin minùs; tota de re facere certiores: ut quamquam diversis locis, eadem tamen conjunctione animorum, emenso interim philosophiæ ac theologiæ curriculo, intermissam ad tempus consuetudinem, Deo volente, deinde repeterent. Rebus igitur ita compositis, quamquam è præcipua Salmanticensi nobilitate multis ægrè ferentibus, ac majorem in modum renitentibus, vigesimo circiter die, quàm è custodia exierat, in viam se dedit Ignatius, onustum libris asellum præ se agens, ac Barcinonem devenit: *ubi tametsi nullis amicorum deprecationibus rationibusve passus sit dimoveri sese à meditata profectione Parisina;* illud *tamen* recusare non potuit, quò minùs tum ad sumptus itineris, tum ad necessaria Parisiis comparanda, nummorum aliquid partim in numerato, partim in nominibus ab Elisabetha Rosella, & aliis quibusdam amicis acciperet.

B

C

§ XV. Adventus Lutetiam Parisiorum; calumnia occasione collegii ibidem Montis acuti Sancto impacta; exercitia pietatis, studia humaniora; hospitium.

S. Ignatius quando Parisios advenerit.

MEnse Februario ineunte anni MDXXVIII. Lutetiam Parisiorum sanus incolumisque pervenit, *ex Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 16 *in fine. Vita verò Consalviana num.* 73, plus minus, *ait,* ad Februarium eò pervenit anno, ut ipse (*sanctus Pater*) computat, XXVIII supra MD. *Post-*

D

quam P. Ignatius Pinius copiosam huc è Romano nostro tabulario miserat documentorum Ignatianorum messem; nonnullorum postea hisce monumentorum eódem spectantium accessionem fecit, quam idcirco spicilegii Romani nomine indicabo. In eo invenio ecgrapha quædam, quibus laudatus Pater prænotavit sua manu, ex libro archivii nostri manuscripto in folio, & quinque digitis crasso: cui titulus, S. IGNATII EPISTOLÆ. *In dicto itaque spicilegio exemplar unius epistolæ habetur, quam* S. Ignatius *Hispanicè scripsit Parisiis die* III *Martii anno* 1528, *suæ* in Christo Domino nostro sorori, *uti eam vocat,* Paschali; *cujus epistolæ originale, prout ecgrapho nostro adscribitur, exstat in collegio nostro Sassaritano in Sardinia: è qua epistola ad rem nostram hæc excerpo ac Latinè reddo:* Prospero tempore & integra salute meæ personæ: . perveni ad hanc civitatem Parisiensem DIE SECUNDA FEBRUARII, ubi studiis vaco, donec Dominus aliud de me statuat. *Ubi vides, distinctiùs, quam suprà, diem notari adventûs sancti Patris in urbem Parisiensem, ab ipsomet Sancto diserte signatam. Atque hæc de tempore.*

E

Frequentat ibi collegium Montis acuti.

141 *Nunc de loco, quem latinitatis gratiâ Lutetiæ frequentavit. Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 1 *sic habet:* Lutetiæ primùm in Montis acuti gymnasio se bonis latinitatis præceptoribus reformandum tradidit, in eoque studio biennium fere consumpsit. *Collegium hoc frequentavit, sed numquam incoluit: nam Maffeius lib.* 1, *cap.* 18 *ista scribit:* Igitur ad Montis acuti collegium itare quotidie, ibique inter procacium puerorum greges, matura jam ætate Vir, Grammaticæ rudimenta repetere non dedignatus est. *Hæc confirmantur è Vita Consalviana, quæ dicto num.* 73 *hæc narrat:* Parisiis habitavit cum Hispanis quibusdam, & prælectiones humanioris litteraturæ, quæ in collegio Montis acuti fiebant, audiebat. Quoniam enim festinanter fuerat ad altiora studia promotus, ad hæc inferiora rediit, cum perspexisset, plurimùm se fundamentis destitui. Itaque unà cum pueris studebat Parisiensi more.

unde nata quædam absurda fabula,

142 *Locus iste occasionem dedit commento cuidam valde absurdo. Rem explico. Bulæus in Historia Universitatis Parisiensis tom.* 6, *pag.* 948 *commenti auctorem describens,* Joannes Bolesius, *ait,* vulgo Bouleze, qui in fastis Rectoriis Carnotensis dicitur juratus anno MDLI, rectore Carpentario, cum tamen ille se presbyterum & civem Laudunensem dicat, cum Joanne Margoto baccalaureo theologo de primariatu collegii Montacutani contendit: nam absens cum Romam profectus fuisset, prior electus est XX Augusti anni MDLXXI. Margotus verò, absente Bolesio, triduo pòst electus; sed tandem lite diu agitata, victor evasit. Ait autem ille, se è collegio Longobardorum, ubi Hebraicæ linguæ elementa docebat, adscitum in gremium magistrorum pauperum, licet ne diem quidem unum cum discipulis pauperibus aliquando vixisset. Librum composuit de victoria corporis Christi MDLXVI obtenta in Beelzebud *, seque professorem litterarum Hebraïcarum profitetur, & pauperem perpetuum collegii Montis acuti.

F

**l.* Beelzebub *vel* Beelzebul

143 Huic libro præfixit epistolam ad Gregorium XIII, in qua Societatis Jesuiticæ originem collegio suo adscribit; *& è qua Bulæus rem narrat, nonnullis ex ipso ejus contextu propriis hunc in finem verbis depromptis. Sed ego ipsum absurdum contextum, è tabulario nostro Romano à P. Ignatio Pinio descriptum, huc transcribo. Ita ha-*

auctore Joanne Bolesio,

A *habet :* Lætor ſanè, ſacerdotes illos, qui nomine Societatis Jeſu appellantur, multum jam per univerſum fere orbem effeciſſe. Sed mihi moleſtum eſt, quod UNDE duxerint originem, & HOC EFFECERINT, homines lateat. Nam revera duxerunt ſuæ pietatis & doctrinæ originem in noſtra hujuſce collegii Montis acuti communitate pauperum, à bono Patre noſtro Standonk, ſive Standone reſtaurata. Ex QUA, ejus & STATUTORUM CAUSANTES AUSTERITATEM, ægrè ferenteſque, ut dicebant, fundatorum intentionem non ſervari, EGRESSI SUNT UNO DIE QUATUORDECIM, PRIMARIÆ PIETATIS ET DOCTRINÆ VIRI, STATUTA ET BULLAM NOSTRAM SECUM DEFERENTES; QUÆ IN VERAM PRAXIM DEDUCERENT. Certè miſerrimum eſt, ſubſtantiæ jacturam facere, & expectare ſubſiſtens accidens, aut velle finem conſequi, abſque tamen diſpoſito medio, & principio. Fundamentum intentio eſt, ut pietas reponatur : & deſtruitur medium & principium ad hunc finem ; id eſt, boni viri, & bonum temporale : ejiciuntur contrà ſtatuta, & fundatorum inſtitutionem omnibus modis retinendi probi doctique viri, qui & bonum temporale conſervent, corpus alant, & animum erudiant in pietatem, doctrinam, & virtutem. O judicium hominum !

B

in lucem protruſa :

144 Egreſſi ſunt itaque uno die quatuordecim. Et hinc nomen Societatis Jeſu triplici ratione acceperunt. Prima quidem ab etymologia ſacro ſancti nominis Jeſu, id eſt Salvatoris, qui finis eſt ſtatutorum noſtrorum ultimus, ſtatim in eorumdem ſtatutorum Prologo his verbis manifeſtè demonſtratus : Quatenus bonæ conſcientiæ teſtimonio, & probatâ per vitam literaturâ accincti fideles Dei ad ſalvandas paſſim pereuntes animas Deo cooperatores fiant. Altera verò ab eodem illo ſacroſancto nomine IHS cum armis paſſionis ſuperpoſito atrio inferioris noſtri ſacelli, ut etiam videtur in foribus interioribus domûs. Tertia autem quod ſecundùm ſtatuta, collegium ſit imitationis Chriſti. Nam ut clariſſimis verbis in Bulla videtur, primæ inſtitutionis numerus pauperum erudiendorum ad ſalvandas paſſim pereuntes animas, ſive ad animarum lucrum, eſt in numero ſanctorum Apoſtolorum, ac diſcipulorum Domini ſub benigniſſimo Salvatore, & ſua Virgine Matre, ſcilicet octoginta ſex, ut minimum : ejuſque feſtum eſt diviſio Apoſtolorum.

C

quaſi verò Societas

145 Horum autem quatuordecim pauperum à communitate deficientium & egredientium occaſione, D. Natalis Beda ſecundus Primarius, & reliqui pauperes communitatis, & ſuperiores ſcribentes experimento comperiſſe prædicta ſtatuta ob illorum nimiam auſteritatem tam in victu & vigilia nocturna, quam in variis corporalibus & ſpiritualibus occupationibus, in deſolationem dicti collegii ita cedere, ut hucuſque nullus, qui ipſum vivendi modum inchoaverit, in ipſo perſeverare potuerit : obtinuerint Breve pro immutandis noſtris ſtatutis, quandocumque ex trium diſcretorum conſilio expedierit, pro habendis viris perpetuis, qui perpetuo hujuſmodi pauperum congregationem ſeu collegium ad Dei honorem manuteneant. Licet etiam jam in Bulla haberetur. Sed res infecta remanſit : quòd prædictus Beda curaverit concremandum hæreticorum ſive Lutheranorum primum : unde tandem exul Chriſti obiit in Monte S. Michaëlis.

146 Quidquid itaque cognitionis Dei, & obedientiæ Tuæ Sanctitati in orbe novo & alibi paratum eſt à ſacerdotibus Societatis nominis IHS, revera principium ſumpſit inter pauperes tui pauperrimi collegii Montis-acuti .. Hoc noſtrum collegium in monte S. Genovefes ſitum, dicitur Montis acuti à fundatore D. Petro de Monte acuto epiſcopo Cardinali Laumdunenſi .. De cognomine itaque D. epiſcopi Cardinalis Laumdunenſis vocatur collegium pauperum Montis acuti. Unde egreſſi ſunt primi illorum, qui efficiunt Societatem nominis Jeſu. Profecto quantum Deus optimus maximus mihi dederit gratiæ, conabor & ipſe noſtra ſtatuta tam ſancta in veram praxim deduci &c. *Atque hæc quidem hactenus è Boleſii præfatione. Sed an inficetus ille fabulator dormiens ſomniat, quæ vigilans ſcribit ? Itane nugatur in re adeo ſeria, qualis eſt Societatis inſtitutum, cujus ſolus & unicus auctor eſt* Ignatius ? *Eóne inſolentiæ eum fuiſſe abreptum, ut in publico totius orbis conſpectu, & paucis quidem poſt obitum* S. Ignatii *annis ſecundum ea, quæ ex Bulæo diximus, audeat fucum facere, & ſummo Chriſti in terris Vicario obtrudere malè comptum falſitatum faſciculum. Ingentem enimvero vel confidentiam vel ignorantiam ! Sed malè feriato iſti aſpergamus modicum ſalis ex confutationis documento, quod ex laudato ſuperiùs deſcriptore huc tranſcribo :*

AUCTORE J P

ſumpſiſſet initium Ariſtis in Monte acuto.

E

147 Hactenus in confirmationem ſuæ opinionis nihil potuit afferre Boleſius, niſi quoddam ſcriptum anni MDX, in quo agitur de moderanda vitæ auſteritate inſtituta octo ante annis per D Standonem : ad quem finem inter alia proponitur, quod eo anno quatuordecim exierint è collegio. Sed nec tales fuiſſe, quales deſcribit Boleſius, nec eodem die ſimul abiiſſe, nec ad procurandam ſalutem animarum cum Bulla & ſtatutis exiiſſe dicuntur. Contra objicimus, primum noſtrum Inſtitutorem, quem approbat fuiſſe P. Ignatium, anno MDXXVIII Lutetiam veniſſe, id eſt XVIII annis poſt illud tempus. Illum & ſocios non ante annum MDXXXVI Lutetiâ diſceſſiſſe: idque probamus ex Hiſtoria Surii, Pavæ Apologia, Libro de origine religionum Pauli Mauricii Mediolanenſis, & ex Vita ipſius Patris noſtri, & Bullis, quibus anno MDXL Societas approbatur. Item nec ipſum, nec quemquam Sociorum ipſius in collegio Montis acuti umquam habitaſſe, ſive inter pauperes, ſive inter divites ; ſed in collegio S. Barbaræ curſum philoſophiæ ipſum P. N. audiviſſe, condiſcipulis & contubernalibus P. Fabro, & Franciſco Xavier, ad quos venerunt ex Hiſpania MDXXXII Jacobus Laynez, & Alphonſus Salmeron, ut & Simon Rodericus, & Nicolaus Bobadilla.

Confutatio iſtius fabulæ,

F

148 Vivere adhuc tres ex primis illis decem noſtris Patribus, Salmeronem, Rodrigues, & Bobadillam : quod fieri non poſſet, ſi jam anno MDX fuiſſent viri primariæ pietatis & literaturæ, ut ait Boleſius : quod contingere non potuit niſi vigeſimum quintum aut trigeſimum annum attigiſſent. *Hinc patet hujus confutationis antiquitas ; quæ non multis poſt ſomnia Boleſiana annis concinnata fuerit oportet, certè poſt annum* 1579 *non confecta : cum iſto anno Simon Rodericius obierit, ex Hiſtoria Societatis noſtræ, partis* 4, *lib.* 7, *num* 280. *Hac etiam ex confutatione convellitur petulans ſatyra, quam ex recocta Boleſianæ abſurditatis crambe adornavit auctor libri, qui inſcribitur Novus Iſmael, à pag.* 51. *Vide etiam, ad quales quiſquilias lectorem mittat Bulæus, quando tomo citato pag* 945 *expoſita Societatis origine, ſubdit pag.* 946 : Hic eſt ortus Jeſuitarum. Vide tamen infrà quæ de Joanne Boleſio dicimus. *At nunc ad alia.*

ſcripto non multis poſt annis confecto.

AUCTORE J. P. *Exercitia pietatis,*

149 *Iis, quæ ſuperiùs ex Maffeio dedimus de frequentatione collegii Montis acuti, ſubditur, quibus ſeſe Sanctus dederet exercitiis pietatis.* Simul etiam, *ait*, de ſtato precationis tempore, & vexatione corpuſculi, quo plus otii ac virium ſtudio ſupereſſet, multum imminuit; ſic tamen, ut illa præcipuè tria numquam omiſerit: primum, ut quotidie ſacrificio Miſſæ religioſè intereſſet: alterum, ut octavo quoque die poſt pœnitentiæ Sacramentum cæleſti pane ſeſe reficeret: extremum, ut bis quotidie ſua ejus diei dicta, facta, cogitata quam diligentiſſimè recognoſceret, conferenſque hodiernum cum heſterno die, hebdomadam cum hebdomada, menſemque cum menſe, ſuos in ſpiritu vel progreſſus vel regreſſus perquam accuratè exploraret atque perpenderet. Procurationem quoque alienæ ſalutis, & inſtitutam conſuetudinem agendi cum proximis, tantiſper, dum litteris, ac præſertim philoſophiæ vacaret, aliqua ex parte remiſit, numquam tamen omnino depoſuit.

B *tempus & locus ſtudiorum humaniorum.*

150 *Ceterùm in dicto gymnaſio Latinis vacando litteris* biennium fere conſumpſit, *ex Ribadeneira lib. 2, cap. 1. Maffeius lib. 1, cap. 19 tempus reſtringit ad* octodecim fere menſes. *Ribadeneira in Vita Hiſpanica anno 1594 Matriti edita, lib. 2, cap. 1, illud definit à principio Februarii anni* MDXXVIII, uſque ad renovationem ſtudiorum anni MDXXIX, quæ Pariſiis agitur die 1 Octobris, S. Remigio ſacra. *Pecuniâ à Sancto apud alium depoſitâ, ſed ab eo in proprios uſus inſumptâ,* factum eſt (*verba de Vita Conſalviana à num. 73*) ut tranſactâ Quadrageſimâ nihil ampliùs Peregrino eſſet reliquum.. Coactus igitur eſt ex mendicatione victum quærere, imo & domum, in qua erat, relinquere. Admiſſus deinde in xenodochium D. Jacobi ultra templum Innocentûm; *non ſine diſpendio ſtudiorum*, propterea quod longo intervallo aberat xenodochium à collegio, & erat præterea neceſſe, veſperi ante ſalutationem angelicam redire; alioqui non fuiſſet ingreſſus, nec manè ante lucem licebat egredi.

Notationes quædam circa hoſpitium,

151 *P. Dominicus Bouhourſius lib. 2 Vitæ S.* Ignatii *locum iſtum vocat* ſaint Jaques de l'hoſpital, *ubi Hiſpani fuerint admiſſi; à Carolo Magno, uti vult, primò fundatum pro peregrinis S. Jacobi, liberatâ ex Saracenorum dominatu Hiſpaniâ. Eumdem hoſpitio Sancti locum deſignat neotericus quidam Gallus Legendiſta in Vitis Sanctorum tom. 2, col. 468; ſed dicit, haberi è Maffeio, quod xenodochium illud, quò ſe recepit* Ignatius, *exſtiterit in ſuburbio Pariſino, Univerſitati vicinum, quodque hoſpitium S. Jacobi ſit dictum. Unde vult, valde veroſimiliter confici, Sanctum fuiſſe admiſſum non in S. Jacobi* de l'hoſpital, *in platea Dionyſiana; ſed in S. Jacobi* du Haut-pas, *in ſuburbio meridionali Pariſino: conſtare item, quod domus, ubi antiqua S. Jacobi hujus fuit eccleſia, tempore* S. Ignatii *xenodochium fuerit &c. Verùm reclamat ipſi textus Maffeii lib. 1, cap. 19, clarè edocentis, Sancti hoſpitium longè admodum ab Univerſitate ac ſcholis academicis remotum fuiſſe.*

C

in quod Sanctus ſe Pariſiis recepit.

152 Tertia pars (*urbis Pariſienſis*) jam inde, *inquit*, à Carolo Magno dicata Muſis, Univerſitas nominatur. In hac, præter ceteram incolarum turbam, ſcholaſtici maximè habitant, ac numerantur ibi collegia permulta libero aditu, cum ſuis unumquodque liberalium artium diſcipulis & Doctoribus, & præfecto collegii, quem primarium vocant. Igitur ex ea vicinitate in S. Jacobi hoſpitium, quod PROCUL INDE eſt in ſuburbio, extrema neceſſitate compulſus Ignatius, in TANTO LOCORUM INTERVALLO *&c. Brolius in Theatro antiquitatum Pariſienſium lib. 2, qui eſt de parte urbis, Univerſitas dicta, pag. 576 agit de xenodochio S. Jacobi* du Haut-pas, *deinde abbatia S. Maclovii; de collegio autem Montis acuti, ibidem pag. 671; de fundatione denique eccleſiæ & xenodochii S. Jacobi* Ad Peregrinos, *plateâ Dionyſianâ, lib. 3, qui eſt de civitate Pariſina, pag. 684; ſed nullam ibi iſtius loci fundationem invenio ante ſeculum* XIV. *Ceterùm xenodochium S. Jacobi ultra templum Innocentûm, ut ſuperiora concludam, curioſis urbis Pariſinæ incolis, quibus plus eſt otii atque opportunitatis ad hujuſmodi minutias, quam ſit mihi, propiùs inſpiciendas, determinandum relinquo.* D

§ XVI. Excurſus in Belgium; prophetia Antverpiæ edita; publica infamia Pariſiis in magnam Sancti laudem converſa; reductio hæreticorum; ſocii priores inconſtantes.

Ignatius, cui fruſtra quidam de mendicitate ſcrupulum moverat,

IGnatius *igitur rerum omnium inopiâ laborans, & ſpe eam ſublevandi dejectus, quia conſilium, quod eâ gratiâ ceperat, exſecutioni mandare non poterat, ut videre eſt in Vita*, ubi hæc non ſucceſſit, *teſte Ribadeneira*, aliam viam commodiorem inivit. Re Domino in oratione diligenter commendata, conſilium religioſi cujuſdam viri ſecutus, in Belgas annis ſingulis ire conſtituit, ut ab Hiſpanis mercatoribus, hominibus copioſis, qui in illa provincia negotiabantur, aliquid pecuniæ in ſumptus corrogaret, & paucorum dierum jacturâ, ſtudiorum omnium perturbationem redimeret. *Nec ſecus fecit, quam conſtituit: nam* primo & altero anno in Belgicam Galliam profectus eſt; tertio etiam in Angliam excurrit, *optimo cum ſucceſſu, quemadmodum ibidem teſtatur Vita.* Sed diſplicuit, *inquit Bartolus lib. 1, num. 36*, ea res Joanni Maderæ, qui erat Ignatii popularis, & Loyolæis dedecori credidit, quaſi opibus eſſent adeo acciſis, ut non poſſent; vel tam ſordidè parci, ut nollent conſanguineo adeſſe. Quare aliquando Ignatio religionem injicere vehementer ſategit manifeſtæ in ſuos injuriæ, quorum ita famam detereret, cujus ipſe dominus non eſſet; atque in hoc Joannes hærebat tam pertinax, ut ab eo errore nullis potuerit Ignatii rationibus abduci. Quæſtionem ergo præcipuis aliquot Sorbonæ Doctoribus examinandam ſcripto dedit, poſſetne vir nobilis, abdicato ob Chriſti amorem ſeculo, abſque ſuorum dedecore, paſſim eleemoſynas quærere? Quorum unum & conſentiens reſponſum, nullam ſcilicet in eo ſuſpicionem culpæ eſſe, Joanni exhibuit, haud quidem tam ſui defenſor, quam voluntariæ paupertatis, quæ nobilitata Chriſti amore & exemplo, ne regias quidem obſcuret familias. E F

Antverpiam ac Brugas contendit eleemoſynas conquiſiturus.

154 Ignatium *itaque in Pariſienſi academia neceſſariis ad proſequenda ſtudia præſidiis deſtitutum, Antverpiam & Brugas, florentiſſimas atque opulentiſſimas ea tempeſtate urbes, colligendæ ſti-*

A *ſtipîs gratiâ, excurriſſe, ſcriptorum teſtimoniis traditur; Orlandini imprimis, qui Antverpiæ eum fuiſſe memorat lib. 1, num. 66; Bartoli lib. 1, num. 37; Carnolii cap. 10; Garciæ lib. 2, cap. 11, qui urbi Antverpienſi Brugenſem addunt. Quid, quod iſte ad utramque Belgii noſtri civitatem jam dictam excurſus prorſus extra dubium ponitur ex ipſo Ribadeneira, qui in editione ſua ſecunda Vitæ ſancti Patris noſtri, Hiſpanico idiomate Matriti anno 1594 excuſæ apud Petrum Madrigal, lib. 2, cap. 1; pag. 51 diſertè utramque iſtam urbem nominat. Et Antverpiam eum veniſſe, iterum teſtatur in Vita breviore cap. 17. Hoſce Ribadeneiræ textus ſi vidiſſet auctor Prodromi Carmelitani R. P. F. Valentinus à S. Amando, aliter expreſſiſſet, imo dicamus rectiùs, ſuppreſſiſſet, quæ habet articulo 10, num. 143, pag. 126.*

Brugis benignè excipitur à Ludovico Vive, & alterius hoſpitio.

155 *Franciſcus Sacchinus in præfatione apologetica parti primæ Hiſtoriæ Societatis noſtræ præfixa agens de excurſionibus tempore Lutetianæ commorationis, inſtruit nos de aliquo facto ſingulari, quod* S. Ignatio *Brugis contigiſſe ſcribit his verbis:* B Brugas cum aliquando veniſſet, vocatus eſt ad convivium à Ludovico Vive, homine claræ eruditionis ac famæ. Poſtque convivium Vives de eo ſodalibus, ſanctum hominem eſſe dixit, & religioſum quempiam Ordinem haud dubiè conditurum. Quod aliqui mox auditorum ipſi Ignatio retulerunt, & ab Ignatio certa cauſa proditum, Joannes Polancus ſcriptum reliquit. *Ad hæc, in Ms. collegii noſtri Brugenſis, quod inſcribitur* Supplementa quædam ad hiſtoriam collegii Brugenſis, *inveni iſta:* S. Ignatius... Brugis à Conſalvo Aguilleres, mercatore Hiſpano (viro auctoritatis & zeli primario, templi utpote PP. Auguſtinianorum ibidem ab Iconoclaſtarum Belgicorum furore, defenſore & conſervatore egregio) hoſpitio exceptus eſt. Qui Chriſti pauperem perbenignè primùm fovit; dein ut amicum ſanctumque virum ſuſpexit, intimeque coluit.., adeoque ſanctus Conſalvi in Ignatium amor ſuccrevit, ut ipſe Pariſios aliquando, mercatu id exigente, profectus, ne amica Viri familiaritate privaretur, eodem menſibus aliquot cubiculo cum S. P. N. ſit uſus.

Antverpiæ edit inſignem prophetiam:

156 *Urbem hanc noſtram Antverpienſem ſplendidiſſima, dum ibi eſſet, Vir ſanctus decoravit prædictione, ſicut teſtatur Ribadeneira in Vita ſua breviore cap. 17. Rei ſeriem ex ipſo accipe:* C Cum Pariſiis, *ait*, veniſſet in Belgium, precariam pecuniam ſuſtentandæ vitæ gratiâ, ut diximus, quæſiturus, & à quibuſdam mercatoribus invitatus Antverpiæ cum iis epularetur; adoleſcens quidam inter eos aderat, modicum ſejunctus à ceteris, Petrus Quadratus nomine, Medinæ Campi natus; in quem conjectis oculis, juſſit eum propiùs accedere. Cum enim, aiebat, in poſterum optimè is eſſet de Societate Jeſu meriturus, par eſſe, ut amicitiam jam tum coirent, ſeque magnopere Deo ſciret obſtrictum, quod ſe ad conſtituendum olim Societati Jeſu collegium delegiſſet. Quod ut multis annis ante jacta Societatis fundamenta prædixit, ita re ipſa veram prædictionem fuiſſe, compertum eſt. Longo ſiquidem intervallo Petrus ille Quadratus, & domina Franciſca Manga *, conjux ejus, Medinæ Campi Societatis collegium ædificarunt. *Fidem Ribadeneiræ in hoc vaticinio vindicat noſter P. Julius Nigronius in Hiſtorica diſputatione poſthuma de ſancto Patre noſtro, & de B. Cajetano Thienæo, pag. 64. Porro de Petro Quadrato in Vita P. Jacobi Lainii ex Hiſpanico Ribadeneiræ à P. Andrea Schotto noſtro Latinè reddita, lib. 2, cap. 3 ſic dicitur:* Ille Antverpiæ Aduaticorum dum negotiaretur, emporio longè celeberrimo, Ignatium Loyolam Lutetiæ Pariſiorum ſtudiis operam dantem eleemoſynis benignè juverat. *Conſule item inferiùs paragraphum 34, num. 346.*

* *al.* Manſon

AUCTORE J. P.

ubi oſtenditur domus hoſpitii ejus.

157 *Accedit eò, quod apud Antverpienſes in platea Longa nova, vulgo* de Langhe nieuw ſtraet, è regione portæ lateralis, *quà Meridiem ſpectat, eccleſiæ collegiatæ S. Jacobi, oſtendatur domus, in qua Sanctus hoſpitatus olim fuiſſe traditur; traditionem hanc paſſim ibi receptiſſimam, ac communem civium perſuaſionem confirmante inſcriptione, quæ* S. Ignatii *imagini, in angulo frontiſpicii prædictæ domûs, publicæ venerationi expoſitæ ſubnotatur hoc modo:*

S. IGNATIO
S. I. F.
IN HAC DOMO
OLIM HOSPITATO
SAC.

Adde ex Imagine primi ſeculi Societatis noſtræ lib. 6, cap. 5, pag. 854: Sanctum Antverpiæ in Joannis Cuellar ædibus hoſpitatum, magno ambitu, piaque contentione à mercatorum primis ad cœnam vocari ſolitum, multi hodieque memorant, qui parentes ſuos ſæpe narrantes audiverunt. *Hanc verò domum fuiſſe eamdem cum illa, de qua paullo antè diximus, conficitur ex teſtimonio noſtri Joannis Bollandi, quod alias à nobis producetur § 34, num. 346, quos modò citabam. His ita de Sancti in Belgium excurſione expoſitis, nunc Lutetia Pariſiorum nos revocat.* E

Circa publicum virgarum ſupplicium, quod Sancto impendebat,

158 Reverſus primum è Flandria (*ſicut dicit Vita à Ludovico Conſalvo ex ore Sancti Patris excepta num. 77,*) cœpit conſuetudinibus & colloquiis ſpiritualibus impenſiùs intendere, eodemque ferme tempore tribus Exercitia tradebat, Peraltæ, baccalaureo Caſtro, qui habitabat Sorbonam, & cuidam Cantabro, qui in collegio D. Barbaræ commorabatur, Amatori nomine. Hi magnas in vita commutationes fecerunt, ac ſtatim, quidquid habebant, etiam libros in pauperes erogaverunt: ipſi verò emendicato vivere cœperant *&c. Et num. 78 ſequitur:* Rumores ingentes Pariſiis exorti ſunt adverſus Peregrinum (*id eſt*, Ignatium,) maximè inter Hiſpanos & à magiſtro noſtro de Govea; qui aiebat, eum ad inſaniam redegiſſe Amatorem, qui in ejus collegio manebat. Is ita ſtatuit, ac dixit, cum primùm in collegium B. Barbaræ veniret, eum publicè vapulaturum, quod Pariſienſes aulam dare dicunt, tamquam ſcholaſticorum ſeductorem. *Ribadeneira lib. 2, cap. 3 narrat, quomodo virgarum periculo ſit liberatus; ubi & cauſam recenſet, cur illud incurrerit: nimirum* ex ſuorum condiſcipulorum numero Ignatius multis perſuaſit, ut familiaritates voluptatum potiùs illecebrâ, quam conjunctione ſtudiorum atque virtutis conciliatas dirimerent; diebus feſtis, pietati ſedulò ac religioni vacarent, & confeſſionis atque Euchariſtiæ ſacramenta rite ſuſciperent. Quapropter accidebat, ut à conſtitutis litterarum ſcholis interdum per illos dies abeſſent. F

contra Bulæum

159 *Magnum enimvero crimen, Bulæe, quod Viro ſancto ita imputas pag. 945 dicens:* Cum diebus feſtis condiſcipulos à ſcholis & repetitionibus tunc fieri ſolitis, in eccleſiam ad cultum Dei raperet, & ita à ſtudendi officio, & obſervandis academiæ legibus diverteret *&c. Sed Bulæus non probat, 1. quod ſocios à ſuo officio avocarit.*

AUCTORE J. P.

carit. 2. *quòd eos à legum academicarum obſervatione diverterit. Cum verò neutrum probet ; neutrum præſumi debeat de Sancto noſtro jam tum perfectiſſimo , poterat Bulæus abſtinere illo frigido epiphonemate , quod his verbis* , Hoc igitur ſupplicium ut defugeret Ignatius , Goveam adiit , & prævenit , *mox ſubjungit* , probatâque innocentiâ , ſi non laudem meruit , quod contra regulas PECCASSET , ſaltem impunitatem conſecutus eſt. *Itane verò* ſaltem impunitatem , non laudem ? *At poterat Bulæus è Maffeio , & ex ipſo illo libri* 1 , *cap.* 20 , *è quo nonnulla refert , diſcere oppoſitum : nam* Govea .. , *ut ibi legere eſt* , Ignatium deduxit in aulam .. Ibi ſilentio indicto , repentè contra omnium exſpectationem de Ignatii LAUDIBUS orationem inſtituit , Viri fortitudinem , innocentiam , caritatem extollens: ſeipſum & ceteros , qui innoxio periculum ſtruxerant , vehementer accuſans .. , ad extremum obortis lacrymis ad Ignatii genua procidit , precatuſque delicti veniam , & apud ceteros illum in admirationem gratiamque reſtituit , & ipſe in omni deinceps vita Ignatium & ſocios præcipuo amore
B ſtudioque complexus eſt. *Hæc , inquam , ſi prædictum caput ad finem uſque perlegerit , ex Maffeio diſcere potuit Bulæus.*

& alium quemdam , nonnulla obſervantur.

160 *Recentior quidam ſciolus , Calviniana vel fortè nullius religionis , in ſuo Dictionario hiſtorico & critico Gallico , æternis tenebris devovendo , tom.* 2 , *pag.* 1846 *affert verba alicujus Calviniſtæ , quibus aſſeritur* , Ignatium *non modo petiiſſe à ſuo præceptore , ut virgis ſeſe exciperet , non ſecus atque alios diſcipulos , quando lectiones non diſceret ; verùm etiam virgis re ipſa fuiſſe exceptum ; eaque contigiſſe Pariſiis in collegio Montis-acuti , anno ætatis ejus trigeſimo ſeptimo. Quot & quanta in paucis verbis mendacia , adeo apertè abſurda , ut refutari non mereantur ! Ea non adoptat , ſed refutat potius vel ipſemet dictus Dictionarii auctor , quamquam tot alioqui ſordium rapſodiator.* Ad eum modum , *inquit Ribadeneira in Vita breviore cap.* 7 , periculo atque infamiâ liberatus Ignatius , integritas ejus cognita , magnaque ejus nominis exiſtimationi facta acceſſio. Quin etiam collegii præſes Jacobus Goveanus , natione Luſitanus , doctor & eruditus & ſanctus , eum tantâ deinceps benevolentiâ cunctoſque filios ejus complexus eſt , ut eo potiſſimùm auctore Joannes III , Luſitaniæ rex , è So-
C cietate Jeſu patres in Indiam miſerit , qui vaſtas illas & longinquas regiones peragrando , fideque imbuendis barbarorum animis , & ad Dei cultum adducendis , uberrimos fructus extulerunt. Tantum boni Deus eruit ex hac occaſione minima , dedecoris & ignominiæ pleniſſima. *De publica Viri ſancti ex hoc facto exiſtimatione , magiſtrique ejus , qui hujus tempeſtatis auctor fuerat , nec non primorum Univerſitatis præceptorum Moſcoſi , & Vallii erga eum animo ; agit Bartolus lib.* 1 , *num.* 40. Præ ceteris tamen , *uti addit* , Martialis quidam , theologiæ profeſſor , intima illi neceſſitudine adhæſit , & de magnis divinorum arcanis ab eo inſtitui ſolitus , facilè animum induxit , hæc illum cæleſti magiſterio didiciſſe , quæ nulla in terris pulpita ſonarent : atque eò proceſſit, ut ei priùs Doctoris theologi tradenda inſignia deferret , quàm curſum artium peregiſſet.

Sanctus de Catholica religione Pariſiis bene meritus.

161 *Rebus autem à Sancto Lutetiæ Pariſiorum præclarè geſtis apud Ribadeneiram lib.* 2 , *cap.* 1 , *& tribus proximè ſequentibus ; uti & lib.* 5 , *cap.* 2 *ac* 10 , *ſuperaddimus iſta ex Odorici Raynaldi Annalibus eccleſiaſticis tomo* 20 , *ad annum Chriſti* 1534 , *ubi ſic ſcribit :* Hoc porro anno Pari- D ſiis affigi cœpta ſunt noctu publica ſcripta adversùs Euchariſtiam ; ſed à Franciſco rege nefarii ejuſmodi conatus repreſſi ſunt , ut proximo anno dicetur. Dabat tum operam theologiæ in eadem urbe S. Ignatius Loyola , incenſuſque fidei tuendæ ſtudio , omnem diligentiam in revocandis in Eccleſiæ ſinum hæreſi contaminatis collocabat. *Et pauculis interjectis allegat hunc Maffei locum lib.* 1 , *cap.* 21 : Complures .. hæreticos , graſſante jam peſte Lutheriana , tempeſtivis diſputationibus monitiſque convictos , ad ſacra Quæſitorum tribunalia volentes adduxit , & cum ſancta Romana Eccleſia in gratiam ſecreta abjuratione reſtituit. *De egregiis ſanctiſſimi Parentis ad devinciendos ſibi hominum animos , atque ad meliorem frugem reducendos dotibus non tranſcribo , quæ commemorat Maffeius loco citato.*

Quidam ex ejus ſociis non perſeverarunt.

162 *Et verò rara ipſius natura ac gratiæ ſubſidia emicuere admodum in ſociis , quos ſibi Lutetiæ Pariſiorum adlegit : de quibus antequam agam ; inſpiciendam ſuggero de primis ſodalibus , antea ab ipſo aſſumptis (nimirum Calliſto , Artiaga , Cazere ac Joannico) Vitam Conſalvianam ſancti Patris num.* 58 , *ac* 80 ; *item Ribadeneiram lib.* 2 *cap.* 4 ; *Maffeium lib.* 1 , *cap.* 16 , *& lib.* 2 , *cap.* 1 , *& Orlandinum lib.* 1 , *num.* 52 ; *è quo ſubdo iſta :* Joannes .. adoleſcens .. , qui ut ætate junior , ita ſapientia ac mente provectior , ne poſt agnitam juſtitiam , cum explorato ſalutis diſcrimine retrorſum converteretur , in monachorum clauſtra ſe abdidit. *Bartolus verò lib.* 1 *num.* 38 *de Cazere hæc memorat :* Pro exploratore , *inquit* , captus vinctuſque in Anglia, deinde in Gallia , & in Caroli V caſtris , bis quidem ægrè laqueum evaſit , ſemel verò tam diris cruciatibus diſtortus , ut vitam exinde miſerrimam traxerit. *Hos itaque non elegerat Dominus,* Ignatio *ad condendam Societatis Jeſu fabricam adjutores ; uti nec tres alios , Caſtrum videlicet, Peraltam , & Amatorem Lutetiæ Pariſiorum ipſi adjunctos , de quibus ſic Orlandinus lib.* 1 , *num.* 67 : Tempori cedentes , quamdiu ſtudiis finem imponerent , perfectionis euangelicæ propoſitum diſtulere. Is fuit velut alter partus ſociorum Ignatii præmaturus , nec vitalis : nam tametſi vitam cuncti ladabiliter piéque peregerunt ; nemo tamen in ejus diſciplina ac ſocietate permanſit. F

§ XVII. Primi , è quibus coaluit Jeſu Societas ; elogia ; licentiæ ac magiſterii gradus in Artibus.

Primus è ſociis conſtantibus Ignatio ſocius

DE *ſociis agit Ribadeneira lib.* 2 , *cap.* 4 , *ſed ſatis parcè ac reſtrictè. Audiamus Maffeium lib.* 1 , *cap.* 21 : Jam verò , *inquit* , quòd ei vel in primis propoſitum initio fuerat , ut aliquos ingenio doctrinaque præſtantes ad ſuum inſtitutum ac vitæ rationem aggregaret ; in id ipſum per theologiæ maximè tempus incubuit; adjunxitque ſibi , Deo bene juvante, juvenes novem ex academia univerſa lectiſſimos. Quorum primus fuit Petrus Faber. *Elogium ejus habet Ribadeneira lib.* 3 , *cap.* 11. *Ingenium verò ipſius cum inſigni in philoſophicis eruditione conjunctum commendat Maffeius ; quo referente* , ad litteras à vita paſtorali traductus , tantùm ingenio induſtriaque

A que profecerat, ut eum in locis Ariſtotelis difficilioribus magiſter ipſe Penna conſuleret.

Petrus Faber;

164 *Hunc quomodo ſanctus Pater ſibi paulatim amicè demeruerit, in pietate ſedulò inſtruxerit, ac poſtea denique Exercitationibus ſpiritualibus fructuosè perpoliverit, vide in Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 4 *citatis*, adeo, *uti addit Maffeius*, propenſum ad pœnitentiam, tantoque animi ardore ſuccenſum, ut hieme ſumma, concretum glacie flumen Sequanam plauſtris impunè prementibus, in ſeparata Jacobæi vici domuncula propoſitas meditationes, & quidem inſidens nivi ſub dio peregerit, ſexque ipſos dies omni prorſus cibo potuque abſtinuerit, inediam longiùs utique protracturus, niſi eum; re animadverſa, conſultoque ſuppliciter Deo, vetuiſſet Ignatius. *Ita ille. Conſuli poſſunt, quæ habet elogium modo deſignatum, ac Bartolus lib.* 2, *cap.* 1. *Exſtat ejus Vita ex Latino P. Nicolai Orlandini in Italicum idioma converſa per Erminium Tacitum. Laudat Fabrum S. Franciſcus Saleſius part.* 2, *cap.* 16 *Introductionis ad vitam devotam.*

B *Secundus S. Franciſcus Xaverius;*

165 *Secundus* Ignatio *acceſſit ſocius S. Franciſcus Xaverius, quem vel nominaſſe ſit ſatis, toto utique terrarum orbe laboribus apoſtolicis, ac miraculis notiſſimum, & in Vita Ribadeneiriana variis locis memoratum. Is* etſi conſuetudine familiaris, *ſicut ibi dicitur lib.* 2, *cap.* 4, animo tamen in principio alienior fuit; ſed ipſe tandem vim ſpiritûs loquentis in Ignatio ſuſtinere minimè potuit. *Hæc ita exprimit Maffeius:* Ex eodem contubernio Franciſcus quoque Xaverius nobilis Cantaber (*Navarrum cum dictus auctor debuit dicere, tum Bulæus Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis tom.* 6, *pag.* 945) idemque non vulgari eruditione; quippe qui laurea magiſtrali donatus Lutetiæ, poſtmodum publicus Ariſtotelis interpres exſtiterit, quamquam principio ita non ſtudioſus Ignatii, ut ejus pietatem, ut fit, etiam procaciter irrideret; tamen Viri tum patientia, tum obſequiis adeo delinitus eſt, ut ad illius ductum arbitriumque ſeſe omnino contulerit.

quos ſecuti ſunt Jacobus Laynez,

166 *Xaverium porro ſecutus eſt Jacobus Laynez, ex Almazano, in regno Caſtellæ diœceſis Seguntinæ oppido. Vitam ejus edidit Ribadeneira. Breve eſt illud apud Bartolum lib.* 2, *num.* 3 *de viro elogium:* Hic ille eſt Jacobus Lainius, qui ſparſis Europâ & Africa clarus pro Eccleſia Dei laboribus; qui Pontificis theologus, ſynodi Tridentinæ præſens ſæpius admirationem promeritus;

C qui paratam ſibi à Paulo IV ſacram purpuram conſtanter averſatus, vitare non potuit, quin ab Societate defuncto Ignatio judicaretur ſimillimus, eique præficeretur Generalis: quodque inter tot laudes ſplendet auguſtiùs, par orbi regendo habitus, ei ſe oneri demiſſione ſui verecunda, fugaque ſubduxit: cum duodecim Cardinales in ſecreto conſeſſu de Pauli IV ſucceſſore, hoc ipſi tentarent imponere, raro in hiſtoriis exemplo vocandi hominem ad pontificatum, quem nec mitræ, nec purpuræ honor antea decoraſſet. *Vitam ejus, à Ribadeneira Hiſpanicè ſcriptam, noſter Andreas Schottus Latinitate donavit ac typis edidit.*

Alfonſus Salmeron. Simon Rodericus, Nicolaus Bobadilla.

167 Ignatio *ſocium quoque ſeſe adjunxit Alfonſus Salmeron, laboribus apoſtolicis, eruditione ac ſcriptis clariſſimus. Res ab eo geſtas, Vitæ Jacobi Lainii, quicum vixit conjunctiſſimè, communiaque multa habuit, adnexuit Ribadeneira; quam ex Hiſpanico Latinè vulgavit idem, qui ſuprà, Schottus.* Additi quoque Ignatio ſunt, *inquit Ribadeneira*, Simon Rodericus, & Nicolaus Bobadilla: *quorum hic* Palentinus, *apud Maffeium*, doctus juvenis, & philoſophiam publicè profeſſus in oppido Hiſpaniæ Pintia *dicitur; ille verò* præſtanti indole Luſitanus. *Plura de illis dabit Bartolus lib.* 1, *num.* 3. *Trium aliorum, qui poſtea illis Lutetiæ Pariſiorum acceſſere, ratio habebitur inferiùs. Super hoc itaque fundamento, cujus angularis lapis erat Chriſtus Jeſus, tenuibus utique ad ſubſecutam poſtea grandem adeo fabricam principiis, formari paulatim undique cœpit Societas Jeſu.* AUCTORE J. P.

Catalogus à Petavio repertus, ac Romam miſſus,

168 *Inter monumenta noſtra Romana invenio ſcriptum hoc titulo notatum:* Ex litteris P. Dionyſii Petavii ad Patrem Stephanum Charletum Pariſiis XXVIII Julii MDCXXXV; *quo ſcripto de gradibus Artium*, Ignatio *ac ſociis ejus collatis, edocemur. Ita memorat:* Cum nuper me celebraturus contuliſſem ad S. Genovefæ, incidi in quamdam chartam, in qua recenſebantur nomina magiſtrorum in Artibus tempore S. P. N. Ignatii, cum quatuor examinatoribus cujuſque licentiæ, atque in ea nomina plerorumque ex noſtris primis Patribus deſcripta inveni. Exiſtimavi, me rem non parum gratam R. P. N. Generali, & R. V facturum, ſi eorum catalogum ex autographo deſumptum mitterem: in quo notandum eſt, magiſtros in Artibus in quatuor claſſes nationum eſſe diſtinctos, ſcilicet Galliæ, Picardiæ, Northmaniæ, & Germaniæ. Sub natione Galliæ comprehenduntur Hiſpani, Navarrini, Luſitani &c. Ad marginem notatur collegium, in quo degebant. Appoſui præterea ordinem, quem quiſque in licentia tenebat. Ad hæc, ſciendum eſt, tunc temporis annum à Paſchate inchoari ſolitum; ita ut annus, qui ibi ſignatur (prout jam uſurpatur) pertineat ad annum proximè ſequentem. Exempli gratiâ: Simon Rodericus creatus eſt magiſter in Artibus anno MDXXXV, XIV Martii, die Martis; debet reputari pro anno MDXXXVI, in quo littera Dominicalis erat B. A., ita ut XIV Martii eſſet dies Martis: & ſic de aliis, ubi notatur dies cum feria, quod non ubique reperitur. Præterea invenitur bis PETRUS FABER, & neſcio quis amborum ſit noſter Pater. P. Broet vocatur DOMINUS, quia erat ſacerdos. E

ſignat gradum promotionis S. Ignatii,

169 Iſtud verbum LEXO. ſignificat collegium Lexovienſe, Liſieux; CAL., Calvienſe, Calvi; CENO., Cenomanenſe, le Mans. Hac charta valde gaviſus eſt dominus Cardinalis de la Rochefoucault: certè ego ſingulari quodam ſenſu lætitiæ perfuſus ſum, qui afficiet etiam, ut arbitror, R. V., ceteroſque Patres ac fratres noſtros, qui hunc catalogum legent. Atque etiam fortè iſtud non parvos admovebit ſtimulos R. V., ad procurandam, rogatu Domini Cardinalis, apud ſacram Congregationem Rituum, approbationem Officii S. Genovefæ: cum præſertim beneficio divino contigerit, ut in eccleſia iſtius magnæ Sanctæ, & in conſpectu reliquiarum ejus, atque intromittente uno ex ſuis religioſis, duo ex Sanctis noſtris Patribus, ceterique omnes gradum obtinuerint. *His prænotatis, ſubditur ibidem ſequens catalogus:*

ac primorum noſtrorum Patrum, ad licentiam in Artibus,

In natione Galliæ	erat ordine
170 Barb. Petrus Faber, anno Domini MDXXVII, die XII Martii ante Paſcha, erat feſtum B. Gregorii	79.
Barb. Franciſcus de Xabier die XV Martii MDXXIX	22.
Barb. Petrus Faber, eodem anno, & die	24.
Barb. Ignatius de Loyola XIII Martii anni Domini MDXXXII	30.

AUCTORE J. P.

Barb. Claudius Jayus die Sabbati VI Martii MDXXXIV 73.
Simon Rodericus XIV menſis Martii, quæ erat feria tertia ſecundæ hebdomadæ Quadrageſimæ MDXXXV 35.
Lexo. Joannes Codurius eodem anno & die 59.
Picardi. Cal. Dominus Paſchaſius Broet, eodem anno, quo duo priores 27.
Ceno. Martinus Olave XIII Martii MDXXXII 11.

ac magiſterium.

171 *Ex his inſtruimur circa gradum licentiæ, ut vocant*, Ignatii *ac ſociorum ipſius in Artibus. Quod verò attinet ad magiſterium Artium; de illo inter dicta monumenta Romana P. Ignatius Pinius iſta annotavit:* S. Ignatius & ſocii creati ſunt Artium magiſtri Pariſiis, juxta teſtimonia originalia Rectoris, & Univerſitatis Pariſienſis, omnibus ſingillatim data, quæ diligenter, *ait*, conſului. *Et mox pergit:*

Juxta originale teſtimonium datum MDXXXVI, III Octobris; quod cum hîc ſervatum ſemper fuerit inter aliorum S. Ignatii ſociorum teſtimonia, conſtat, noſtrum P. Fabrum creatum fuiſſe magiſtrum tempore hic deſignato; *videlicet:*
B Petrus Faber diœceſis Gebennenſis, MDXXXVI poſt Paſcha.

Juxta originale teſtimonium datum MDXXXIV, XIV Martii: Ignatius de Loyola MDXXXIV poſt Paſcha.

Juxta originale teſtimonium datum MDXXXVI, III Octob. Claudius Jaius MDXXXVI poſt Paſcha.

Juxta originale teſtimonium datum MDXXXVI, IV Septembris: Joannes Coduri MDXXXV ante Paſcha.

Juxta originale teſtimonium datum MDXXXVI, III Octobris: Alphonſus Salmeron MDXXXVI poſt Paſcha. Nicolaus Alphonſus de Bobadilla MDXXXVI poſt Paſcha.

Jacobus Laynez Artium magiſter creatus Compluti MDXXXII, XXVI Octobris, ut patet ex teſtimonio originali Rectoris & Univerſitatis Complutenſis.

Nonnulla aliunde confirmantur.

172 *Quædam ſuprà dicta confirmantur ex Bulæo, qui Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis tom. 6, pag. 946 ſcribit:* MDXXXIV.. Ignatius MAGISTRATUS eſt in Artibus.., biennio antè in iiſdem LICENTIATUS, nempe XIII Martii MDXXXII. *Pag.* 935: Franciſcus Xabiere, aliàs Xavier Cantaber (*dicendum erat* Navarrus) die XV Martii anno
C MDXXIX LICENTIATUS eſt in Artibus. *Ibidem ex Faſtis Rectoriis anni* 1536, *citat hæc verba:* D. Nicolaus Alphonſus de Bobadilla.. incepturus (*id eſt adepturus gradum magiſterii*) ſub M. Franciſco Xabiere. *Hic planum fit, Catalogum à Petavio miſſum agere de ſola* Licentia, *non de* Magiſterio *Artium: quod in Horis Sancti canonicis de Sociis ejus novem omnibus affirmatur.*

Teſtimonium de S. Ignatii magiſterio in Artibus.

173 *De ſancti Parentis noſtri magiſterio miſſum eſt ad nos ſequens teſtimonium, ex pergameneo exemplo, quod in noſtro tabulario Romano aſſervatur, deſcriptum in hæc verba:* Univerſis præſentes literas inſpecturis Rector & Univerſitas ſtudii Pariſienſis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Cum univerſi fidei Catholicæ cultores tam naturali æquitate, quam divinæ legis præcepto ſint aſtricti, ut fidele teſtimonium perhibeant veritati: multò magis convenit, ut viri eccleſiaſtici diverſarum ſcientiarum profeſſores, qui veritatem in omnibus ſcrutantur, & in ea alios inſtruunt, & informant, ut ſic nec amore nec favore, aut alia quacumque occaſione devient à rectitudine veritatis & rationis. Hinc eſt, quod nos in hac parte veritati teſtimonium perhibere cupientes, omnibus & ſingulis quorum D
intereſt, tenore præſentium notum facimus, quod dilectus noſter diſcretus vir magiſter Ignatius de Loyola, diœceſis Pampilonenſis, in Artibus magiſter, gradum magiſterii in præclara Artium Facultate Pariſiis, examinibus rigoroſis anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo quarto poſt Paſcha, ſecundùm prædictæ facultatis Artium ſtatuta & conſuetudines diligenter præhabitis, ſolemnitatibus in talibus aſſuetis laudabiliter & honorificè adeptus eſt. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum magnum præſentibus literis duximus apponendum. Datum Pariſiis in noſtra congregatione generali apud ſanctum Mathurinum ſolemniter celebrata anno Domini prædicto milleſimo quingenteſimo triceſimo quarto, die decima quarta menſis Martii. le Roux. *Monet tamen P. Ignatius Pinius, non omnino clarè ſe poſſe nomen legere ob implicatos literarum flexus. Appenſum eſt ſigillum magnum, impreſſum cerâ Hiſpanicæ rubræ & incluſum in ferro albo. In ſpicilegio Romanorum documentorum ab eodem P. Ignatio Pinio ad nos miſſo, fit mentio unius epiſtolæ noſtri S. Patris* ex libro archivii noſtri manuſcripto in folio, & quinque digitis craſſo, cui titulus S. IGNATII EPISTOLÆ; *quæ epiſtola dicitur ſcripta fuiſſe, quando ſtudebat Pariſiis; ejuſque originale totum autographum eſſe in domo probationis Calaritana in Sardinia. Ex hac itaque epiſtola, ad confirmationem eorum, quæ de tempore licentiæ* S. Ignatii *dicta ſunt, habemus, quod illam ſit adeptus in Quadrageſimæ anni* 1533, *quo Pariſiis ſcribit die* XIII *Junii: nam per illud,* me hize maeſtro, *quod eſt in textu, intellige licentiam, ex dictis.* E

§ XVIII. Studium theologicum Pariſiis; Vota in Monte Martyrum; commoratio Pariſienſis; diſceſſus in Hiſpaniam, teſtimonium.

Tempus ſtudiorum theologicorum Ignatii ac ſociorum F

S. Ignatius, Jacobus Laynez, Petrus Faber, Joannes Coduri, Alphonſus Salmeron, Claudius Jaius anno & medio ſtuduerunt theologiæ in Univerſitate Pariſienſi. Id patet ex teſtimonio originali Decani & magiſtrorum Facultatis theologicæ Pariſienſis, dato ſingillatim omnibus prænominatis, eodem anno & die, nempe MDXXXVI, XIV Octobris. Teſtimonium datum S. Ignatio exhibeo infra: cetera illi omnino ſimilia; *inquit P. Ignatius Pinius inter monumenta noſtra Romana. Teſtimonium autem illud ex pergameno tranſcriptum ita ſonat:* Univerſis præſentes literas inſpecturis Decanus, ſingulique magiſtri Facultatis theologiæ in venerabili, florentique, & fructifero ſtudio Pariſienſi, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Cum univerſi fidei Catholicæ cultores tam naturali æquitate, quam divinæ legis præcepto ſint aſtricti, ut fidele teſtimonium perhibeant veritati; multò magis convenit, ut magiſtri ſacræ theologiæ profeſſores, qui veritatem de divinis ſcrutantur, & in ea alios inſtruunt, & informant; ut ſic nec amore, vel favore, aut alia quacumque occaſione devient à rectitudine veritatis & rationis.

175 Cum igitur non ſolùm fama referente, ſed ipſius rei evidenti declaratione veraciter nobis

A bis conſtet, dilectum noſtrum, venerabilem, & diſcretum virum, magiſtrum Ignatium de Loyola, in Artibus magiſtrum, & in ſacra theologia ſtudentem eſſe: volentes, prout etiam nobis incumbit, in hac parte veritati teſtimonium perhibere; tenore præſentium notum facimus tam præſentibus quam futuris, quod præfatus magiſter Ignatius de Loyola per unum annum cum dimidio in eadem noſtra Facultate ſtuduit. In cujus rei teſtimonium ſigillum præfatæ noſtræ theologicæ Facultatis literis præſentibus duximus apponendum. Datum Pariſiis in noſtra congregatione generali apud ſanctum Mathurinum ſolemniter celebrata anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto, die verò decima quartâ menſis Octobris. Pourmer *adſcribitur*, quantum poſſum, *inquit Pinius*, legendo aſſequi. *Appenſum eſt ſigillum magnum impreſſum cerâ Hiſpanicæ rubræ, & incluſum in ferro albo.*

in Univerſitate Pariſienſi ex teſtimonio ejus:

176 *Atque hæc intelligenda ſunt de ſtudio theologico in Univerſitate Pariſienſi*; Ignatius *enim*, *ex Ribadeneira lib. 2, cap. 1*, ſpatio philoſophiæ emenſo, reliquum tempus, ad annum trigeſimum quintum exeuntem, ſacræ theologiæ tribuit. *Præceſſerat Ludovicus Conſalvus in Vita, ſic referens:* Jam tum curſum (*intellige Artium*) abſolverat, & annos aliquot in ſtudium theologicum inſumpſerat. *Maffeius lib. 1, cap. 19 hæc affirmat:* Poſt hæc (*poſt lauream nempe philoſophicam*) in cœnobii Dominicani gymnaſio ſacram theologiam aggreſſus eſt, ingenti ſanè labore & induſtria; cum præter ceteras lucubrationes, hiemé ſæviente, quotidie manè ante lucem ad ſcholas, quæ illâ circiter horâ ibi habebantur, accederet. Atque ex eo ſtudio tantum, Deo adjuvante, percepit, quod ſatis eſſet ad fidei doctrinæque ſuæ rationem, ſine ſuſpicione ulla novitatis, ex Patrum decretis atque auctoritate reddendam. *Hæc de ſtudiis.*

Ita tamen, ut latiùs aliunde extendi debeat exercitatio ipſorum theologica.

B

177 *De loco, tempore, perſonis ac natura votorum prope Pariſios emiſſorum, eorumque confirmatione ſeu renovatione, lectorem inſtruit Ribadeneira lib. 2, cap. 4; cui adde Orlandinum Hiſtoriæ Societatis lib. 1, à num. 90; ut Maffeium lib. 1, cap 21 non commemorem. P. Ignatius Pinius ex tabulario Romano deprompſit ac deſcripſit notitias in rem, de qua hic nobis eſt ſermo, ſingulares ex iis, quæ ſunt ab Oliverio Manareo* de P. Petro Fabro collectæ ex ipſius Diario ſeu Libro Meditationum; *cujus* exemplar attuli, *inquit*, ex Urbe, & reliqui novitiatui Tornacenſi, compactum in 4. *Ibi ergo notantur hæc verba:* P. Ribadeneira lib. 2, cap. 4 dicit, B. P. Noſtrum cum ſex ſociis in capella B. Virginis in Monte Martyrum obſtrinxiſſe ſe votis paupertatis ad condictum diem inſtituendæ, & peregrinationis Hieroſolymitanæ, obedientiæque præſtandæ Sedi Apoſtolicæ circa Miſſiones. Atqui traditione conſtanti tenuimus ſemper Pariſiis, quod vota caſtitatis & paupertatis ſuſcipiendæ, die ab ipſis deſignando ediderint ſimul in Monte Martyrum. Et hujus rei causâ ſolebant, qui Societati nomen dederant, per multos annos poſtea eò concedere, & confiteri ac communicare, votaque ſua privatim & ſecretò, ut moris tunc erat, renovare. Et huic quidem celebritati interfui ſemel atque iterum anno MDXLVIII & MDXLIX. Poſtea cum noſtri collecti eſſent in eadem domo & familia, videlicet in ædibus Claromontanis, incepimus domi in ſacello domeſtico vota ſimul renovare. *Hæc traditio nullam patitur difficultatem, veritati utique hiſtoricæ vulgò notiſſimæ conformis. Difficultas eſt in alia, quæ in iſta collectione ſequitur, traditione.*

Contra communem ſcriptorum ſententiam ſtatuit Manareus

C

178 Ad B. Virginem, quæ appellatur in Campis, in ſuburbiis S. Germani, vel certè S. Marcelli, ſolebamus devotionis ergo ſæpe concedere: quod traditione accepiſſemus, beatos Patres noſtros ibi feciſſe vota duo: nimirum peregrinationis Hieroſolymitanæ, & obedientiæ ſummo Pontifici præſtandæ tempore deſignando. Atque hoc videtur inſinuare P. Faber in ſuo Diario, ſic dicens: " Hoc eodem anno, die S. Mariæ in „ Auguſto, omnes, qui tunc in eadem eramus „ determinatione, & exercitati (præter M. Fran„ ciſcum, qui cum eſſet in eadem determinatione, „ nondum acceperat Exercitia) eodem die, in„ quam, ivimus omnes ad S. Mariam prope Lu„ tetiam, ut ibi quiſque votum faceret eundi Je„ ruſalem tempore ſtatuto, & poſt reditum in„ de, ponendi ſe ſub obedientia Pontificis Ro„ mani, incipiendique de aſſignato relinquere „ parentes & retia, prætet viaticum. Eramus au„ tem qui hac prima vice convenimus, Ignatius, „ M. Franciſcus, ego Faber, M. Bovadilla, M. „ Laynez, M. Salmeron, M. Simon. Jayus non„ dum venerat Lutetiam in eodem propoſito. M. „ Joannes verò & Paſchaſius nondum erant capti. „ Eodemque die, in duobus ſequentibus annis, „ ibamus omnes ad eundem locum ad confirman„ dum eam determinationem, ad quam invenie„ bamus toties multum augmenti ſpiritualis. E„ rant autem in iis annis nobiſcum jam M. Jayus, „ M. Joannes Coduri, & M. Paſchaſius; omnes „ hi, inquam, in ultimo anno nobiſcum erant „ Hæc ille. *Ita Manareus è Diario P. Fabri.*

AUCTORE J. P. *è Diario P. Fabri, quod citat,*

E

179 *Et mox proſequens idem Manareus*, Sola porro, *inquit*, ea traditio, & peculiaris, quæ habebatur hac de cauſa ad templum B. Virginis in Campis devotio, & frequentatio Noſtrorum multis pòſt annis, effecit, ut crediderim (quod multi alii) vota caſtitatis & paupertatis facta fuiſſe in Monte Martyrum in ſacello B. Virginis: reliqua verò vota duo ad S. Mariam in Campis fuiſſe facta. Et ſanè ordinariè alter locus Mons Martyrum appellatus . . , multò longius diſtat à civitate, quam alter. Sed mei Patris Nicolai Orlandini erit, nodum hunc diſſolvere. Videatur Diarium fol. 3. *P. Ignatius Pinius*, in alio exemplo, *inquit*, huic planè ſimili ab eodem Manareo ſubſcripto, hæc ponuntur ad calcem ſeu finem hoc modo; *&c.; ſed, quæ inde extrahit, non eſt neceſſe è fragmento huc miſſo tranſcribere. Sufficit enim hæc Pinii clauſula ibidem ſubdita; in qua ſic fatur:* Vides, utrumque exemplar inter ſe congruere, etiam in hac re, quoad ſubſtantiam: quamquam hæc res eadem in exemplari, quod hic ex adverſo, *ait*, totum deſcripſi, *ac quod nos modo dedimus*, dicatur clariùs & explicatiùs. *Ceterùm quæ hic Manareus ex traditione refert, ſimpliciter, abſolutè atque affirmatè ponuntur in Reſponſione ejus ad quædam poſtulata de B. P. Noſtri virtutibus & documentis, à Nicolao Lancicio Romæ theologiæ ſtudioſo, eidem P. Manareo propoſitis; uti videre eſt inferiùs § 86, parte 3: ubi ad trigeſimum quartum hæc dicuntur:* In altero illo templo (*B. Virginis, quæ à Campis nomen habet*) ediderant vota Hieroſolymitanæ peregrinationis, & obedientiæ præſtandæ Pontifici circa miſſiones.

S. Ignatii ac primorum patrum vota, duobus diverſis locis edita fuiſſe;

F

180 *Verùm quæ de duobus diverſis locis, quorum uno vota duo, altero autem alia duo edita ſequimur ſint, ſtatuit Manareus, nentiquam comprobamus*

ſed ipſum non

1. *Quia cum Ribadeneira & Orlandino probatiſſimæ*

AUCTORE J. P.

tissima notæ historicis pugnant. 2. Quia dissentiunt à Majorum nostrorum traditione, uti patet è communi Societatis sensu. 3. Quia hoc extundi non potest è verbis Fabri, sicut mox dicemus. 4. Quia è verbis Fabri potiùs suadetur oppositum. Etenim illa Fabri verba Ivimus omnes ad S. Mariam prope Lutetiam, *cur indicant S. Mariam* in Campis *potiùs, quàm* ædem B. Mariæ, quæ Mons Martyrum vulgo dicitur, *ex Ribadeneira loco citato? Imo verò cur non debeant intelligi de hoc loco, non autem de illo alio? Fac enim per illa denotari ædem sacram S. Mariæ, cui à Campis nomen; jam sequetur, ut votum paupertatis, præter alia duo, ibidem loci emissum sit: id quod nullus admiserit: neque enim, secundùm ea, quæ ex Fabri Diario proferebat Manareus, solummodo dicitur, illuc esse itum,* ut ibi quisque votum faceret eundi Hierosolymam tempore statuto, & post reditum inde, ponendi se sub obedientia Pontificis Romani; *verùm etiam* incipiendi die assignato relinquere parentes & retia, præter viaticum. *Ubi vides exprimi votum paupertatis: quod ex constanti tamen traditione semper tenuit Manareus, fuisse editum in Monte Martyrum, prout ex suprà dictis patet.*

B

181 *Sive verò traditio hîc controversa originem traxerit ex eo, quod, uti in citata Responsione Manareus refert,* cum *sanctus Pater* Parisiis semina jaceret futuræ Societatis, ut à Patribus fide dignis cognovi, *inquit*, diebus festis & dominicis solebat se conferre ad templum B. Virginis (quæ à Campis nomen habet) ... ut cum sociis orationi vacaret, & sacrosancto corpore Christi commodius se reficeret; *sive hinc, inquam, nata sit ista traditio, sive aliunde; illam enimvero Manarei tempore, neque multis post rem gestam annis, Parisiis fuisse credo: veruntamen à communiori sententia de primorum* S. Ignatii *sociorum votis uno in loco Monte Martyrum nuncupatis, discedendum non censeo. Extat porro hæc apud Bartolum inscriptio lib. 2, cap. 6:* D. O. M. Siste spectator, atque in hoc Martyrum sepulchro probati Ordinis cunas lege. Societas Jesu, quæ S. Ignatium Loyolam patrem agnoscit, Lutetiam matrem, anno salutis MDXXXIV, Augusti XV hîc nata est: cum Ignatius & socii votis sub sacram Synaxim religiosè conceptis, se Deo in perpetuum consecrarunt, ad majorem Dei gloriam. *Argaizius nec istorum votorum naturam, nec res Societatis sese intellexisse, satis superque ostendit, quando in Historia Dominæ nostræ Monserratensis cap. 46, num. 9 vult, in Monte Martyrum editam fuisse professionem ab* Ignatio *ac sociis ejus. Imo verò eò ineptiarum abit, ut asserere non vereatur, quod Jesuitæ in monasterio Montis Martyrum Præpositum Generalem elegerint* Ignatium. *Quo quid inconcinnius dici potest?*

In hac sententia. Inscriptio in Monte Martyrum: ineptia cujusdam monachi.

C

182 *Hisce addamus ex Responsione Manarei suprà citata:* Extra templum *sanctorum* Martyrum illorum in fodina quadam, ex qua saxa ad gypsum parandum eruuntur, audivi, *ait*, B. Patrem nostrum non semel pernoctasse in oratione. *Commoratio Parisiensis secundum dicta § 15 fuit inchoata mense Februario ineunte anni 1528, & secundùm dicenda paullo inferiùs, profectio inde contigit sub initium anni 1535: atque adeo commoratus ibi fuit sanctus Pater annis circiter septem completis; incompletis autem fortè octo; non verò decem: ac proin nequeo explicare illud,* fixit pedem per decem annos Lutetiæ; *quod notatur in apographo exemplo testimonii authentici scriptorum P. Laynez, Salmeron, & Polanci de S. Ignatio; quodque inter alia monumenta Romana è tabulario ibidem ad nos huc transmissum est. Et sic pariter non probo Surium in Commentario brevi rerum in orbe gestarum ad annum 1540 scribentem:* Decem annos litterarum illic studiis .. impendit.

Sancti in Monte Martyrum orationes: tempus commorationis Lutetiæ Parisiorum.

D

183 *De itinere sancti Patris Lutetiâ Parisiorum in Hispaniam, consuli potest Ribadeneira lib. 2, cap. 5, ac Maffeius lib. 2, cap. 1: qui* ne quid, *inquit*, è suo discessu res Parisienses caperent detrimenti, primùm commilitones ad perseverantiam ac fidem paucis adhortatus, Petrum Fabrum, & annis & vocatione antiquissimum illis præposuit; cui interim obtemperarent; quem parentis ducerent loco. *De ratione temporis occurrunt ista:* Anno MDXXXV Ignatius sociique ita res inter se componunt, ut ipse in patriam revertatur, *inquit Ribadeneira loco citato. In signando isto anno præcesserat Vita à Ludovico Consalvo scripta. Maffeius eidem anno rem innectit* per autumni tempus; *suffragante ei Orlandino lib. 1, num. 93, quando* vergente ad exitum *anno, quem diximus,* 1535 *discessum illum* E *defigit. Sed illis duobus Bartolus lib. 2, num. 23 opponit hæc:* Si exeunte MDXXXV profectio contigit, ut ex Polanci manuscripto edidere Maffeius & Orlandinus, liquet, Venetias non potuisse attingere ante finem anni proximè sequentis: nec enim brevius affecto vir corpore, vulgarique instructu potuit de media hieme milliaria septingenta confecisse, quantum Parisiis Aspeitia dissidet, nec totum trimestre egisse Aspeitiæ, nec inde in variis urbibus sociorum negotia expedîsse; ex Hispania demum in Italiam redîsse.

Ratio temporis,

184 Profectum quidem Parisiis certum est primis anni ejusdem mensibus: unde necesse sit, [in] Polanci stylum [sphalma irrepsisse]; claréque ex eo conficitur, quod interjecto inter Pentecosten & Ascensionem, dierum denario, anno MDXXXV agebat in patria Vir sanctus: quibus rectè consentit testimonium juratum Cartusianorum Vallis Christi, de officioso illuc Ignatii eo anno adventu, sociorum jam rebus compositis, ad invisendum ejus cœnobii monachum. Patet ergo, sub finem ejus anni non potuisse Parisiis abire; cujus mense Maio jam in patria versabatur, anno nondum ad medium provecto. Venetias autem præcipitante MDXXXV pervenisse, ex ejus litteris suo loco manifestum reddam. *Hæc Bartolus. Surius itaque suprà citatus reditui Sancti in Hispaniam perperam assignat annum salutis* 1536.

quo Sanctus Parisiis discessit in Hispaniam:

F

185 *Secundùm dicta igitur necesse est, ut post Sancti discessum Lutetiâ Parisiorum impetratum ipsi fuerit sequens testimonium, cujus apographum è pergameno descriptum habemus inter monumenta nostra Romana, in hæc verba:* Nos frater Thomas Laurentius, sacræ theologiæ professor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, generalis inquisitor hæreticæ pravitatis, & fidei orthodoxæ in regno Franciæ à sancta Sede Apostolica commissus & deputatus, notum facimus, & certificamus omnibus, quorum interest, aut intererit, quod præcessor noster frater Valentinus Li (*nomen addi, monet Pinius, sed sine erroris periculo divinare se illud non posse*) prædictæ facultatis theologiæ doctor, & generalis inquisitor fidei in toto regno Franciæ, quandoque inquisivit de vita, moribus & doctrina Ignatii de Loyola, & qui ei fuimus à secretis, numquam percepimus, quod invenerit in eo, nisi quod Catholicum & Christianum erat. Insuper novimus dictum de Loyola, & magistrum Petrum Fabrum,

dato postea de ipso ac sociis ejus honorifico testimonio.

&

A & nonnullos familiares ; quos vidimus Catholicè ſemper & virtuosè vivere : nec umquam deprehendimus , niſi quod decet viros Chriſtianos & optimos. Exercitia inſuper , quæ dat dictus de Loyola , quantum cognoſcere de illis potuimus, Catholica nobis videntur. Datum & actum Pariſiis apud monaſterium Fratrum Prædicatorum , ſub ſigillo noſtro , quo in talibus utimur , anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto, die viceſima tertia menſis Januarii , præſentibus ibidem diſcretis viris magiſtris Laurentio Daoſta, & Jacobo de Cacers clericis in Artibus magiſtris, & fratre Alphonſo de ſancto Emiliano Hiſpanis, Pariſiis commorantibus, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. *Subſcriptum nomen miris flexibus non potuit à Pinio extricari. Et additur :* De mandato præfati Domini inquiſitoris. *Appenſum eſt ſigillum in cera rubra Hiſpanica.*

§. XIX. Iter in patriam ; virtutum exempla , morum emendatio ; miracula , vaticinationes , ardor divini amoris, illuſtratum cubiculum.

B

Sanctus in patriam advectus

Quadam occaſione hujus itineris ſeſe nobis offerunt adjuncta , de quibus inter omnes , qui illud referunt , haud æqualis ubique eſt narrandi modus. Etenim ex Ribadeneira & Maffeio habemus , illud non pedibus , ſed vectatione inſtitutum fuiſſe à Sancto , qui erat utique ob corporis ægritudinem viribus imbecillus. Vita Italica , quæ notatur juſſu P. Mutii Vitell ſchi Præpoſiti Generalis noſtri edita , nudis pedibus , more conſueto, in Hiſpaniam profectum fuiſſe eum memorat cap. 12 , *& equo potiùs uſum , ut ſuas portaret pauperes manticas , quam ut equitaret. Franciſcus Lucas lib.* 3 , *cap.* 4 *eidem Vitæ ſuffragatur , dum dicit , totum illud iter nudis pedibus ab eo eſſe peractum. Et quamvis in utraque iſta Vita notetur ad marginem mentio proceſſûs , è quo , uti colligo , hæc notitia ſit deſumpta ; res tamen decidatur ex Vita Conſalviana num.* 87 *his verbis :* Poſt hæc, equum exiguum , quem ei ſocii emerant , ipſe conſcendit , atque in patriam terram

C proficiſci cœpit. *Ribadeneira in Vita Hiſpanica lib.* 2 , *cap.* 5 *hæc habet , quæ ex Hiſpanico ſic interpretor :* Diſceſſit noſter Ignatius .. in jumento .. , quod ſocii pro eo emerant ; quia magna ejus debilitas non dabat ipſi locum, pedibus eundi.

ſuorum devitat occurſus

187 *De ejus in patriam adventu Bartolus lib.* 2 , *num.* 23 *ſic ſcribit :* Hoc ille in patriam commeatu denique pervenit , avebatque clam in urbem ſubire , ut ſuorum partim vitaret occurſus; partim obſtituros , ne in pauperum domo ſibi hoſpitium legeret , ſed fruſtra : duabus enim ab Aſpeitia leucis , in eam domum , in quam diverterat , ſupervenit quidam Joannes de Equibar , Loyolæ perfamiliaris ; percunctatuſque , ut fit , ecquis intus externus ? accepit de paupere ſat malè ab omnibus inſtructo , niſi quod ore aliquid præferret , linguâ verò accentum illius regionis; non poſſe tamen probè in memoriam reduci , quis eſſet. Hîc rimis cubiculi , in quod ſeceſſerat , Joannes oculum admovet , tentaturus , an poſſet dignoſcere : & videt hominem de genibus precantem , ſibique ac Deo immerſum penitus, Redeunteque mox curioſius intuenti antiqui vultus veteri ſpecie , ambigere deſiit , quis eſſet.

AUCTORE J. P.

& Aſpeitianorum honorificos ;

188 Miſſa igitur omni ſalutatione , effuſo equo lætiſſimus Aſpeitiam advolat , & Loyolæ toparchas eo nuntio beat .. Paratur illico venturo ingreſſûs , ſupplicantium pompam clerici inſtruunt , germani & affines equeſtrem. Veriti attamen , quod erat nimis pronum , ne illo abſterritum honore fugarent priùs à patria , quàm eam attingeret , conſulto metu ſubſtitere , deſtinato interea ſacerdote (*cui nomen* Balthaſar de Arabaeſa , *ex Vita Italica , juſſu R. A. P. N. Mutii Vitelleſchi edita*) viro gravi , qui ſalutandi officio fungeretur , & ediceret , Loyolæ , ut ſemper , ita & nunc ſuæ impatienter exſpectari. Quod autem prudenter adverterent , illum aliquo metu honorifici occurſus flexurum è regia in deſertam viam per montes , ruinis & latrociniis infeſtos ; illac item armatos ſubmittunt famulos , qui ſimulato itinere comitarentur venientem. Et acutè futuro caverant. [Nam] fratrum obſequiis apud ſacerdotem Ignatius modeſtè declinatis , eodemque ad illos , ne ſibi comior obſtaret , confeſtim remiſſo , per montoſa ſolus non Loyolam ſed Aſpeitiam contendit , ut illic ſibi optatum hoſpitium in domo pauperum metaretur.

F

ſed in illos incidit ; non tamen illis indulget :

189 At enim honores , quos tantùm vitaverat , incurrit. Nam oppido propior videt obviam ſibi procedere ſupplicantium ordinem clericorum, & ingenti numero agnatos. *Verùm , ut rei eventum compendio contraham* , Ignatii *animus à præſtituto ſibi modeſtiæ propoſito dimoveri nequivit : nam , teſte Ribadeneira* , ut ad fratrem ſuum diverteret , adduci nulla ratione potuit , ſed in publica hoſpitalique domo diverſatus eſt , ſtipemque colligere oſtiatim cœpit , multum fratre repugnante. *Loco fratris , qui & in Vita Hiſpanica Ribadeneirâ , & in ejus Compendio apud Quartemontium etiam ponitur , Maffeius lib.* 2 , *cap.* 1 *ſubſtituit Bertramum* , Ignatii , *uti vult ex fratre nepotem :* Pyrenæo , *ait* , ſuperato Guipuzcoam provinciam attigit *Ignatius.* Loyolæ rerum potiebatur eo tempore , Garzia defuncto , Bertramus ſtirpis maximus. Is de Patrui adventu feſtinè præmonitus *&c. Ita legit editio Duacena anni* 1585 ; *ſed in alia , de qua diximus ſuprà num.* 130 , *id correctum eſt : nam ſic habet :* Pyrenæo ſuperato Guipuzcoam provinciam attigit. Ejus de adventu propinqui feſtinè præmoniti ab iis , qui Hominem ad Aquas Auguſtas , quam hodie Baionam appellant , in tranſitu agnorant *&c. Frater autem ille fuit Martinus Garzia , matrimonio junctus cum D. Magdalena de Araoz , facto contractu matrimoniali anno* 1498, *die* XI *Septembris. Condidit autem teſtamentum ſuum Novembris die* XIX , *quo è vita exceſſit , anno* 1538 , *ſecundùm ea , quæ leges apud Henaum in Antiquitatibus Cantabriæ lib.* 3 , *cap.* 33 *in fine , & in citationibus atque notis ad illud caput, num.* 27. *Ex his etiam emenda Carnolium cap.* 12 , *qui Maffeium ſecutus , in dicto Bertramo etiam hallucinatur.*

E

nam ad pauperum domum diverrit , & pauperrimè vivit.

190 *Viro itaque ſancto , ut ad priora nos referamus , in publicam pauperum domum digreſſo;* quod *conſanguineis ejus* reſtabat unum , *ſicut ſcribit Bartolus* , elegantem lectum , pareinque lecto menſæ commeatum eò mittunt. Sed nec eo lecto umquam decubuit : quamquam ſummo mane ad hoc illum quotidie frangeret , ut eo uſus videretur , cum niſi humi ſomnum non caperet. Quo tandem miniſtri deprehenſo , ſerici loco ex ſtratis ægrotorum vulgare ſubjiciunt , quod

AUCTORE J. P.

ipse deinceps adhibuit. De lauta verò, quæ mittebatur quotidie sportula, nihil umquam attigit; quin & sui postridie adventus, qui sabbati fuit, panem ostiatim cum palam mendicasset, eum morem trimestri, quo egit Aspeitiæ, perpetuum tenuit, si quid paullo commodius accepisset, pauperibus tribuens, quibuscum eadem utebatur mensa, sibi, quod erat vilissimum, seponens. Domum semel omnino coactus subiit. Post consumptas enim incassum preces, provoluta ipsius pedibus cognata, cum obtestaretur per quidquid Christo debebat patienti, ne id sibi negaret; demum cessit roganti, magis ut facto doceretur, quanti eum facere oporteret, per quem obsecrarat, quam ut ejus consolationi, vel paterna ex domo commoditati propriè aliquid indulgeret. Quare illuc sub vesperam ingressus, postero die, conscio nemine, nosocomium repetiit. *At Maffeius in paterna domo* aliquot moratum dies *Sanctum fuisse scribit.*

Alia à S. Ignatio apud suos populares

B

191 *De singularibus virtutum exemplis, moribus popularium in meliorem formam redactis, & optimis, quibus eos temperavit, institutis quid referam? Consulantur de hoc argumento Ribadeneiræ Vita, quam damus, & Maffeius; quia tamen hi ita illud tractant, ut aliunde accersi quædam possint, quibus accrescant rerum huc spectantium notitiæ; en tibi hæc pauca, quæ illis superaddo ex Bartolo lib. 2, num. 24:* Stomacho priùs jam cœpto restitui, quàm cælum natale hausisset, rediit unà prior asperitas, præcincta nudis carnibus catena, cilicium, flagella, jejunia, & chameunia valde frequens. *Et nonnullis interjectis*, Decem illos dies, *ait*, qui à Pentecoste Ascensionem dividunt, explicandis Decalogi præceptis singulos dicavit, eo quidem successu, quo priùs in eos, qui aderant, Spiritum sanctum accerseret, quam solemnis ejus, ad quem illos parabat, dies appeteret. Altero enim illorum dierum falsò vaneque jurandi consuetudinem abolevit; quæ longo abusu familiaris jam inoleverat. Sexto verò die aliquot meretrices ad pudorem reduxit, sed eo profligatæ vitæ horrore confixas, ut sibi non satisfacerent, nisi ejusdem dedecoris socias in viam retraherent. Ex iis tres relabendi metu, & desiderio luendarum utcumque ex parte aliqua pœnarum, quas erant commeritæ, pedites in longinqua peregrinatæ sunt. Alia, cum vires ad idem deerant, in nosocomio, ægrotarum ministerio vitam omnem dicavit.

C

præclarè gesta:

192 Opus quoque fuere Ignatii sodales augustissimi Sacramenti: nam illos instituit, & curæ pauperum præfecit, quos à victu quærendo pudor ingenuus absterreret. Quam in rem de suo summam attribuit bene grandem, cujus censum rectores illius oppidi ministrant, ex quo illius dispensator quibusque Dominicis stipem pauperibus dividit.. Fratris domui pium hoc onus imposuit, ut Dominicis diebus panes duodecim pauperibus totidem distribuerentur ad recolendam Apostolorum memoriam. Demum Aspeitiæ quæcumque optavit in Dei obsequium fieri, perfecit. Hac enim clausula totum sui examen, ejus oppidi testes collegere. *Eum denique sese apud populares suos comprobavit Vir sanctus*, ut totam brevi regionem, *sicut scribit Ribadeneira in Vita breviore apud Quartemontium cap.* 8, impleret & famâ rerum mirabilium, & pulcherrimarum amore virtutum. In iis enim sedibus Bastidum quemdam nomine, multis annis comitiali morbo laborantem curavit. Duas item feminas, unam quidem nobilem, quam exulcerati pulmones, tussis, macies phthisisque extenuabat; alteram, quam spatio quatuor annorum spiritus malignus afflarat: aliaque mirabilia permulta, prodigiorum loco habita, divina virtute perfecit. Quamobrem eum ut virum sanctum suspiciebant omnes, ejusque vestem religiosè attrectare conabantur. *Quod hîc cursim tangit auctor de illa dæmoniaca, paullo amplius deducit ibidem cap.* 18.

D

vaticinia,

193 Martinus Halartius, *inquit Bartolus loco citato*, vultu deformi & linguâ balbus, de catechismo dum respondet, risum nobilibus feminis aliquando movit. Ad quas Ignatius: Ridetis, inquit, simplicem puerum; nempe id solum, quod oculi nuntiant, de illo nostis. Sed hoc habetote, longè hunc animo formosiorem esse, quam ore deformem; & hanc ejus animi speciem nova semper pulcritudine decorandam: evasurum insignem Dei servum, bonoque ingenti animarum illustraturum præclaris laboribus patriam. Cui vaticinio egregiè res ipsa successit. Vitam egit in clero sanctam, & in studiosè promovenda suorum civium salute, quamdiu vixit, strenuè actuosam. Alterum octennem Franciscum Almarium mater Ignatio sistebat, postulans enixè, ut illi bene precaretur, poscereturque à Deo ad matris solatium & levamen, servari eum incolumem. Defixis in illum Ignatius tantisper oculis, tum ad matrem conversus: Bono animo sis; nam hic, inquit, puer & futurus est ævi longioris, & multorum pater liberorum. Quod sic ad amussim utrumque exactum est, ut quindecim parens filiorum, octogesimum ætatis annum attigerit.

E

divini ignis ardor in oratione,

194 *Tempore morbi ejus res accidit memoratu digna.* Preces Garziæ ipsius Germani, *uti est apud Bartolum loco citato*, & obtestantium agnatorum suasiones permolestæ nihilo plus ponderis habuere, ad eum Loyolam hac occasione ex nosocomio avellendum, quam cum venit Aspeitiam, habuissent. Quare pietatis, & amoris officio ut satisfacerent, illuc eum adibant, ut jacenti adessent. In iis Maria de Oriola, & Simona de Alzaga, ipsius sobrinæ, dum noctes aliquot excubant, spectatrices fuere rei admirandæ. Nam cum aliquando ad quietem aliquam recessuræ, accensam in omnem eventum candelam relinquerent, exstingui jussit, monens importunius obstantes, si quid contingeret, lumen sibi à Deo minimè defuturum. Exstinctâ igitur candelâ abeunt: ipse, cujus ad agendum cum Deo animus ex bene an secus habito corpore minimè pendebat, mentem applicat ad orandum: in quo dum horas aliquot traducit, igne illo beato divini amoris cœpit vehementius ardere, quem olim expertus fuerat.

F

cubiculum cælesti luce illustratum.

195 Utque aliàs non satis ejus flammæ compos, laxare pectus longis suspiriis, magnisque vocibus cogebatur; in hujusmodi aliquos tunc etiam clamores erupit. Ad eos extemplo cognatæ accurrere, cubiculum pandere, & cælesti, quo totum lucebat, splendore attonitæ stupere. Nec minor Ignatii cum pudore stupor; dum se ea in luce videt inopinatò deprehensum. Quare illas infimis precibus æterno de hac re silentio obstrinxit. *Ex Relatione consistoriali Cardinalis à Monte attexamus hactenus hîc dictis brevem illam coronidem:* In patriam rediit anno MDXXXV, ibique per tres menses in hospitali Magdalenæ ostiatim victum emendicans, & pauperibus inserviens, tempus sedulò traduxit.

§ XX.

A

§ XX. Colloquium Segobricæ de instituenda Societate Jesu; adventus Venetias.

Sanctum Patrem

QUa Ignatium *inter atque ejus fratrem, in discessu è terra patria, sint acta; quæ deinde loca, & qua de causa, inde digressus adierit, dabit Ribadeneira. Denique Valentiam pervenit: ubi* baccalaureum à Castro est allocutus jam Carthusianum, *ex Vita à Consalvo conscripta, num.* 90. *Bartolus lib.* 2, *num.* 25 *rem sic exponit:* Segorbem profectus, suum olim Parisiis magistrum, & amicissimum; illic verò tunc in Cartusia Vallis Christi professum, M. Joannem de Castro invisit, & pro veteri necessitudine, sua cum eo consilia de petenda Italia, inde Palæstina contulit, deque aut illic aut ubivis monstrare dignaretur Deus, stabiliendo Ordine, qui ex instituto

B salutem haud minùs alienam quàm propriam, virtutemque curaret. Ejus illi proposuit ideam, descriptis præcipuis ex illo partibus, quod eatenus rude impressum animo cælitus gerebat, exemplari. Illos præterea, quos operis socios legerat, nominavit, Xaverium, Fabrum, Lainium, ceteros probè illi ac pridem notos. Postremò de hac re quid ipse sentiret, confidenter quæsivit, ejusque precibus eam commendavit. Responsum distulit Joannes in diem posterum, noctemque cum Deo solidam super eo transegit.

cum Joanne de Castro Carthusiano egisse

197 Postridie manè totus lætitiâ gestiens, ut qui hoc esse Dei opus, Deo monstrante, percepisset, ad urgendum, quod cœperat, vehementer Ignatium animavit: addiditque, de prosperis in Dei gloriam illius successibùs ita sibi constare, ut non dubitaret, omissâ Cartusiâ, ubi tiro jam erat aliquot mensium, se illi socium adjungere. Sed, Absit, inquit Ignatius, & illum è contrario solitudinis sanctæ, ad quam vocatus fuerat, amore acriùs incensum, post pactam invicem mutuarum precum communionem perpetuam, reliquit. Hujus porro certam colloquii fidem, ejus Cartusiæ tum veteres tabulæ, tum ejus monachi virtute insignes fecerunt, qui de Castrii ore ista exceperant, ac trium denique ex iis patrum testificatio auctoritate publica juridicè

C firmata; ex cujus autographo, Januarii VIII anni MDCXLI subnotato, placet hîc aliqua ponere, quæ rei modum pressiùs indicant. *Ita ille.*

de instituenda à se Societate Jesu;

198 *Cetera rei hujus gesta documenta ac firmamenta describo ex Joannis Rhò Interrogationibus apologeticis ad Joannem Baptistam Castaldum, clericum regularem, interrogatione* 8, *à pag.* 129; *qui pag.* 128 *documentum ipsum, quod ex Hispaniis ad se transmissum esse affirmat, integerrimum exhibere se scribit. Sic igitur habet:* In Dei nomine. Amen. Notum sit universis, anno à Christo nato millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die octava mensis Januarii, apud regium Patrum Carthusianorum Vallis Christi conventum, situm intra generales terminos villæ, vulgo de Altura, diœcesis Segobricensis, regni Valentini, instante Patre Christophoro Perez, rectore collegii sancti Petri, Societatis Jesu, civitatis Segobricensis, per me Vincentium Paulum Ballester, auctoritatibus regia & Apostolica notarium publicum, ac dictæ civitatis Segobricæ incolam, testium informationem receptam fuisse hujusmodi tenore:

auctore J. P.

Die octava mensis Januarii, anno à Christo nato millesimo sexcentesimo quadragesimo primo Reverendus P. Dom Antonius Martinus de Altarriba, regii Patrum Carthusianorum Vallis Christi conventûs vicarius, annum agens quinquagesimum secundum, parum plus minusve, & professus dictæ domus annorum triginta duorum, testis datus, & productus pro parte & instantia Patris Christophori Perez, rectoris præfati collegii Societatis Jesu; ritu & more sacerdotali, manu dextera pectori applicata, testatus est Dominum Deum, ejusque sancta quatuor Euangelia, se dicturum veritatem eorum, quæ sciverit, & super quibus interrogatus fuerit ad eum articulum: Utrum videlicet S. Ignatius de Loyola, fundator & auctor clericorum Societatis Jesu, animum habuerit ingrediendi religionem Patrum Theatinorum, priusquam Societatem Jesu conderet?

probatur

199 Pleno ore testatus est R. Pater, se accepisse ab antiquissimis patribus Vallis Christi conventûs, & præcipuè à venerando Patre Dom Matthia Ferrez (hic sexaginta quinque annis Carthusiam in regio Vallis Christi conventu professus est, eâ sanctitatis & religionis gloriâ conspicuus, ut dignus fuerit, qui cum à S. Ludovico Beltran, tum à beato Nicolao Factor, tum etiam ab illustrissimo sanctæ memoriæ Domino Dom Joanne de Ribera patriarcha Antiocheno, & Valentinorum archiepiscopo, tamquam vir propè divinus haberetur; & Vallis Christi conventus non solum ejus cineres honorificentissimo loco ab aliis distincto veneratur; verùm ejus imaginem pietate & jussu illustrissimi D. D. Petri Gines de Casanova episcopi Segobricensis depictam, pientissimè colit) sanctum Ignatium anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, è civitate Valentiæ in regium Vallis Christi Carthusianorum conventum accessisse, ut suum videret dilectissimum præceptorem patrem Dom Joannem de Castro, cujus bonis artibus & litteris imbuendum Parisiis se totum devovit: & suum insuper aperiret animum de fundanda Societate Jesu antea conceptum. In ejus ad Deum precibus felicem tantæ rei exitum collocabat.

ex testimonio

200 Annuit Dom Joannes de Castro votis Ignatii: illo vespere, nocteque proxima Deum ardentissimè super hac una re precatus est. Sequenti die sic est Ignatium adlocutus: Ita, ô Ignati, tua de fundanda Societate Jesu arrident vota, ut, si lubet, Carthusiam deseram: novitius sum, nondum votis adstrictus, meam opem, operam, vires, consilium in te unum transferam, dummodo tantæ molis negotium felicem exitum consequatur. Ad quæ Ignatius: (Nequaquam reverende Pater, sta inceptis: tuis me precibus Deo commenda:) reversurus Valentiam, ut Romam proficisceretur ad condendam Societatem Jesu. Idem accepit dictus testis à Patre Dom Onuphrio Ripoll, religioso quinquaginta annorum professo, & Priore Vallis Christi conventûs, viro spectatæ virtutis. Qui dixerunt, se accepisse sæpissime à pluribus antiquissimis Patribus, & præcipuè à Patribus Dom Joanne Bellot, Priore eo tempore, quo S. Ignatius Carthusiam Vallis Christi appulit: & à Patre Dom Ababur, Dom Josepho Ferrer; & à Patre Dom Gual, & ab aliis.

authentico:

201 Hoc testatus est scire dictus testis, tum ob suprà memorata, tum ob communem traditionem inter Patres regii Vallis Christi conventûs; tum etiam, quia vidit, & legit hanc veritatem

E

F

AUCTORE J. P.

tatem in manuſcriptis reconditis in archivio dictæ Carthuſiæ. Et quia res ita ſe habet, & ob juramentum præſtitum. Generaliter autem fuit interrogatus dictus teſtis de odio, amore, timore, precibus, ſubornatione, minis, mala & bona voluntate, & aliis circumſtantiis ad præmiſſa neceſſariis, & ad omnia dixit, Non. Fr. Antonius Martinus de Altarriba, vicarius Carthuſiæ Vallis Chriſti.

202 *Ibidem pag.* 131 *ſubditur ſequens teſti-*
ac uno item, monium: Prædictis die & anno, reverendus Pater Dom Andreas Soler, religioſus antiquior dictæ Carthuſiæ profeſſus, ætatis ſexaginta octo annorum, profeſſionis quadraginta novem, teſtis datus & productus pro parte & inſtantia patris Chriſtophori Perez *&c.*, *ut ſuprà*, pleno ore teſtatus eſt reverendus Pater, ſe accepiſſe à Patre Dom Michaële Monllor ſuo magiſtro, annum agente nonageſimum; qui quaſdam litteras ſibi oſtendit, quas ut res ſacras colebat: erant namque Patris Dom Joannis de Caſtro, Carthuſiani Vallis Chriſti conventûs, viri ſpectatæ virtutis, qui eo tempore hoſpitabatur in Scalæ Dei Car-
B thuſia, eique dixit: Hæc eſt epiſtola ſanctiſſimi viri fratris noſtri, ſocii ſancti Ignatii.

203 Et tunc ſibi aperuit, ſanctum Ignatium
& altero acceſſiſſe hanc Carthuſiam Vallis Chriſti, ut videret præfatum Patrem D. Joannem de Caſtro, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, & ut conferret cum illo conceptum de condenda Societate Jeſu animum. Tunc S. Ignatius exſpectans Patrem D. Caſtro novitium veſpertinis horis adſtantem cum reliqua religioſorum familia, ſedit ad crucem cœmeterii conventûs. Et quia res ita ſe habet, & à communi Patrum traditione accepit, & ob ſacramentum præſtitum. Generaliter autem fuit interrogatus dictus teſtis de odio, amore, *&c. ut ſuprà.* Frater Andreas Soler, antiquior dictæ domus Vallis Chriſti.

204 Prædictis die & anno, reverendus Pater
Teſtimonio; Dom Nicolaus Bonet, regii Patrum Carthuſianorum Vallis Chriſti conventûs religioſus, annum agens ſexageſimum parum plus minuſve, profeſſione triginta ſeptem, teſtis datus & productus *&c. ut ſuprà*; pleno ore teſtatus eſt R. Pater, ſe accepiſſe ab antiquiſſimis patribus Vallis Chriſti conventûs, à profeſſione ultrà ſexagenariis, & præcipuè à Patre Dom Michaële
C Monllor, & à Patre Dom Joanne Bellot, & ab hoc præcipuè audiviſſe, ſanctum Ignatium acceſſiſſe ad dictum conventum Vallis Chriſti, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, ut conferret animum antea conceptum de fundanda Societate Jeſu, cum Patre D. Joanne de Caſtro Toletano, magiſtro quondam ſancti Ignatii in Univerſitate Pariſienſi: & cum eo contuliſſe animum condendæ Societatis Jeſu. Id ipſum teſtatur dictus teſtis, ſæpius audiviſſe à Patre D. Onufrio Ripoll, Priore, qui obiit in hac domo anno MDCXIV. Inſuper audiviſſe à dictis Patribus, ſanctum Ignatium numquam habuiſſe animum ingrediendi aliam religionem, nec Patrum Carthuſianorum. Hoc dicit ſic dictus teſtis tum ob ſupra memorata, tum ob communem traditionem inter patres Vallis Chriſti conventûs. Et quia res ita ſe habet, & ob vim juramenti præſtiti. Generaliter autem fuit interrogatus dictus teſtis de odio, amore *&c.* Et ad omnia dixit, Non. Fr. Nicolaus Bonet. *Ad plenam verò certamque omnium ac ſingulorum præmiſſorum fidem, ſubditur inſtrumentum publica auctoritate firmatum, quo tum de rebus, in teſtimoniis, quæ protulimus, contentis, tum de legalitate, ut vocant, notarii,* D *qui eiſdem ſubſcripſit, legitimè conſtet, uti videre eſt apud memoratum Joannem Rhò, pag.* 133.

205 *Ex dictis itaque ſequitur, ut pro re ter-* *ac proin ipſum Italiam*
ta atque explorata haberi debeat, Ignatium, *con-* *cogitaſſe, ut*
cepto jam Societatis Jeſu à ſe condendæ conſilio, *Societatem*
Italiam cogitaſſe. Id quod valde conſentaneum eſt *Jeſu conde-*
duobus vaticiniis, alteri quidem, quod prænun- *ret; quo per-*
tiavit Michaëli Rodeſio Barcinone, de quo dictum *venit anno*
§ 13, *à num.* 128. *Alteri autem, quod prædixit de* 1535.
Petro Quadrato Antverpiæ; prout habes § 16, *num.* 156. *Unde conficitur, ſanctum Patrem prænoviſſe, conditum iri à ſe Societatem Jeſu, antequam eam condiderit. Quænam porro ei evenerint, quando, relictâ Hiſpaniâ, primò Genuam, deinde Bononiam, Venetias demum pervenit, dabunt ſcriptores vitæ. Ac Venetias quidem anno Chriſti* 1535 *exeunte ipſum perveniſſe*, mihi, *ait Bartolus lib.* 2, *num.* 26, ex autographa ejus epiſtola conſtitit, Februarii XII anno MDXXXVI Venetiis data, qua Barcinonenſem archidiaconum de ſuo illuc appulſu monens, Seſquimenſem jam, ait, Venetiis ago; pergitque ſcribere E de theologiæ ſtudiis, quæ ibidem eſſet ad uſque vernum jejunium proximi anni continuaturus: & libris ſibi ad hæc utilibus, quos ad Roſellam poſtmodum remiſſurum ſe ait. Quod item aliis repetit litteris, indidem Novembri anno eodem datis. *Nos eò ſanctum Virum comitemur.*

§ XXI. S. Ignatius Venetiis à S. Caietano Thienæo non petiit admitti in Ordinem PP. Theatinorum.

Ribadeneira occaſionem præbet refutandi hanc fabellam;

Acta à Sancto Patre noſtro apud Venetos, in- *telliget lector è Vitæ ſcriptoribus, atque ex Orlandino ſub finem libri* 6. *Quæ autem Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 6 *de Joanne Petro Caraffa narrat, uti & de Ordine Theatinorum, occaſionem nobis ſuggerunt refutandi fabellam illam, adverſùs quam Franciſcus Sacchinus edidit Diſſertationem apologeticam, tomo* 1 *Hiſtoriæ Societatis Jeſu præfixam, & Julius Nigronius hiſtorica Diſputatione eam impugnavit in opuſculo poſthumo,* F *anno* 1630 *Coloniæ Agrippinæ edito, quo reverendi admodum Domini Joannis Baptiſtæ Caſtaldi, ejuſdem Ordinis presbyteri theologi, placita refutat. His deinde acceſſit Joannes Rhò, ſtrenuus inſuper Nigronii defenſor, directis ad eumdem Joannem Baptiſtam Caſtaldum Interrogationibus apologeticis, in quibus* S. Ignatii, *fundatoris noſtri, cum B. Caietano Thienæo colloquentis, atque ab eo Theatinorum Ordinem poſtulantis, rejicit fabulam.*

cujus proponitur quæſtio.

207 *Statum quæſtionis paucis accipe ex Fran-* *ciſco Sacchino, qui dictam Diſſertationem ſic incipit:* Joannes Baptiſta Caſtaldus, *inquit*, clericus regularis è venerabili Ordine, quem Theatinorum vocant, in beati Caietani Thienæi Vita, non multis abhinc annis prodidit, beatum Ignatium, Societatis noſtræ Parentem, anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, Venetiis dum ſocios Lutetiâ præſtolaretur, à beato Caietano, Theatinorum præcipuo conditore, inſtitiſſe, ut in illum ſe Ordinem reciperet. Sed Caietanum, poſtquam conſuluiſſet precibus Deum; ſine dubitatione reſpondiſſe, è majori Dei glo-

A glória fore, si novam ipse condidisset familiam actuosiorem, quæ totam se in auxilia proximorum impenderet. *Hæc itaque præsentis argumenti controversia.*

Sanctum non petiisse admitti in Ordinem PP. Theatinorum, suadetur ex silentio antiquitatis,

208 *Ego autèm sic existimo : factum hoc sanctis Caietano Thienæo atque* Ignatio *imputatum, nulla ratione verosimile, nedum credibile esse ; imo verò tot tantisque potiùs laborare difficultatibus, vel inter se, vel cum ipsa re, quæ obtruditur, neutiquam cohærentibus, ut ineptum & paradoxum omnino censeri debeat.* 1. *Quia hæc res nova est, & in Societate nostra ante tempora Castaldi inaudita. Argumentum hoc quamquam sit negativum, ut vocant, & in multis aliis controversiis non semper satis solidum ac firmum ; in hac tamen causa magnam firmitatem habet :* Nam initia Societatis, *uti rectè Sacchinus*, reliquæ Venetiis à beato Patre gestas socii ejus Lainius, & Simon Rodericius in Commentarios retulerunt ; nec pauca notavit Faber. Ad hæc, ipsemet beatus Pater biennio antequam migraret è vita, Patrum flagitatu adactus, meditatè & accuratè exposuit Ludovico Consalvio. Præterea qui familiariter cum beato Patre agebant, nullam prætermittebant occasionem aliquid expiscandi ex his, quæ sacro illo in pectore condebantur ; & quidquid ex ore sancti Patris excideret, studiosissimè colligebant, & litteris consignabant, & in familiari congressu, atque etiam in sermonibus publicis inter domesticas exhortationes per Societatem spargebant. Quod præter ceteros, tres viri religione simul & prudentia sine dubitatione maximi, is, quem dixi, Consalvius, Hieronymus Natalis, & Joannes Polancus diligentissimè præstiterunt, ut nihil de Petro Ribadeneira dicam.

B

nullam hujusmodi facti mentionem faciente,

209 Et tamen nulla usquam mentio invenitur objectæ Ignatio ejus cogitationis, nulla vocis Caietani, qui dixerit, præstabilius fore, & gloriosius Deo, si novam familiam condidisset. Quod certè non erat, cur beatus Pater silentio premeret ; cum id non tantum ad ejus laudem, quam ad excitandos & confirmandos socios pertineret. Hæc cum ita sint, rebus undique circumspectis, omnino certum mihi videtur, si, quod tradit Castaldus, reipsa accidisset, nequaquam futurum fuisse, sive ut Ignatius tam longo tempore totque occasionibus oblatis numquam expromeret ; sive ut, si is aliquando prompsisset, inter tot observantes nemo exciperet : adeo ut ne tenue quidem ejus vestigium cuncta in Societate sive in senum memoria, sive in membranis, minùs utique oblivios, resideret. Quæ ratio cum satis per se valida sit, rationibus tamen adjuncta, quas paulo, *ait*, ante ex ipsa re sumpsimus, nullum meâ quidem sententiâ dubitandi locum relinquit. *De rationibus ex ipsa re desumptis dicam paullo pòst ; nunc rei novitatem aliunde planam facio.*

C

ut novum inventum haberi debeat & ante Castaldi tempora inauditum,

210 *Julius Nigronius, præsentis facti controversiâ sub initium Historicæ suæ disputationis ex Castaldo propositâ, ad sua respiciens tempora, rei hujus novitatem valde miratur*, quod ne minimus quidem rumor, aut, ut meliùs dicam, *inquit*, ne tenuissimus quidem susurrus hujus petitionis sese insinuasset in aures meas, per tot annos, quibus in hoc Ordine vixi, ab anno trigesimo primo ejusdem per Apostolicam Sedem confirmati. Quo tempore curiosissimè pervestigavi, quâ legendis litterarum monumentis, quâ senioribus interrogandis, initia & progressiones meæ Religionis, tum ut satiarem animum meum avidum cognitionis hujusmodi rerum, tum ut in ascéticis elucubrandis, ne quid calamo excideret, quod non esset omnino certum, aut cujus ratio à me reddi non posset luculenter. *Cum itaque res hîc agitata adeo sit nova, & tum in Societate, tum in religiosissimo Ordine Theatinorum, uti mox patebit, ante Castaldi tempora sit inaudita, qua probabilitatis specie suadere nobis ipsius veritatem poterit Castaldus ?*

AUCTORE J. P.

& nulla traditione fultum.

211 *An ex traditione ? Sed eam Joannes Rhò Interrogatione quarta, Castaldo de isto argumento proposita à pag.* 41, *exsufflat, nulla utique antiquarum tabularum fide probatam, à nullo certo auctore ductam, nullo teste firmatam, qui se vel à Caietano, vel ab aliquo viro, omni exceptione majore, qui ab illo audisset, accepisse se dicat ; sed recentibus tantùm testimoniis fultam, quorum nullum ante annum undecimum aut duodecimum seculi decimi septimi, quo Castaldus Florentiæ Caietani gesta condebat, redditum esse, palam nullaque usus circuitione idem Rhous affirmat. Quam verò solidè, & quibus rationibus elumbem hanc, uti eam meritò nuncupat, traditionem impugnet, aliorum esto judicium, eorum præcipuè qui præjudicatis opinionibus non abripiuntur. Quid plura ? Longior sim si singula hujus argumenti membra vel per anatomen huc congeram ; quod laudatus auctor à citata pagina* 41, *ad usque* 76 *deduxit. En tamen paucula ex pluribus specimina. A pagina* 49 *profertur testimonium ab undecim juratis testibus patribus Societatis nostræ professis Neapoli signatum die* IV *Augusti, anni* 1640 ; *unde ista excerpo, quæ de uno ex antiquioribus & gravioribus Theatinis, qui Neapoli multis abhinc annis degit, ibidem deponuntur à dictis testibus juratis audita :*

E

Ineptia hæc convellitur è variis

212 Cum .. eùm ehixè rogaremus, *inquiunt*, ut amicè sinceréque nos doceret .., ecquod fundamentum in sua Religione haberet colloquium illud, quod pater Castaldus typis jam tertiò mandaverat ; videlicet S. Ignatium à beato Caietano illius habitum petiisse .. ; sincerè & amicè respondit, duo sibi esse certa ; alterum, P. Castaldum bono animo id feciisse .. ; alterum, se per omnes fere domos, quas sua Religio in Italia habet, excurrisse, in multis etiam diu commoratum fuisse, Venetiis præsertim ; nec tale quicquam de illo colloquio umquam inaudisse, nisi solùm Neapoli tunc temporis, cum P. Castaldus Vitam beati Caietani scriberet. Quare planè se obstupuisse, unde id in mentem dicto patri incidisset, & unde talis vox, numquam antea inter suos audita, repentè insurrexisset, præsertim cum res tanta neque ab episcopo Tuso, neque à patre Antonio Caracciolo, diligentissimis sui Ordinis, suarumque rerum scriptoribus, qui res longè minutiores typis mandarunt, memoriæ prodita fuerit. Additque præterea idem pater, sæpe Castaldum à se petiisse, ut testatum scripto relinqueret, se ab ingressu in religionem id audivisse, saltem ut tantæ rei memoria in eorum archivo seu tabulario servaretur ; seque constanter respondisse : non posse id tutâ conscientiâ facere, cum revera numquam, & nusquam id antea inaudisset ; cui responso P. Castaldum nequaquam acquievisse, sed potiùs ursisse, affirmasseque, id tutissimè fieri potuisse, cum & suo Ordini, & nostro valde honorifica esset talis revelatio & prædictio ; se tamen in incepto perstitisse, nec umquam tale quid aut verbo aut scripto testari voluisse. *Quid videtur tibi, lector, nonne bella hæc traditio ?*

F

testimoniis ;

213 *Contra eamdem maximè insuper facit aliud hoc pag.* 51 *testimonium :* Ego Flaminius Ma-

AUCTORE J. P. Magnatus, ſacerdos profeſſus Societatis Jeſu affirmo, etiam quatenùs opus eſt, cum juramento, paucis abhinc annis cum extra urbem unà cum NN., uno ex antiquiſſimis & graviſſimis patribus Theatinis .. ambularemus, interrogatum à me fuiſſe .., quonam tandem fundamento niteretur, quod pater Caſtaldus ſcripſerat in Vita B. Caietani Thienæi; ſanctum ſcilicet Ignatium Venetiis ab eodem Caietano popoſciſſe in ejus Religionem admitti; ipſum *ſibi* reſpondiſſe, nullum ſe hujus petitionis fundamentum ſcire; neque ſe in ſua Religione, in qua LX annos vixerat, quidquam hujuſmodi audiviſſe, antequam Caſtaldus Vitam B. Caietani conſcriberet. *Pater hic Theatinus ab eo, qui in ſuperiore teſtimonio producitur, diverſus eſt, uti ſub eadem jurisjurandi religione dictus Flaminius teſtatur pag. 52. Quiſnam itaque traditionem, hîc controverſam, non dicat eſſe umbratilem? A dictâ pagina 52 adducitur teſtimonium Marci Antonii Palumbi Aſcanii, ſacerdotis profeſſi Societatis noſtræ, etiam juramento firmatum; quod iſta patri Caſtaldo dixerit:* Veſtra paternitas quomodo ſcripſit, B. Ignatium popoſciſſe à B. Caietano Thienæo admitti in Ordinem, cum tamen nihil aliud fuerit, niſi quod B. Ignatius poſtulavit recipi in quoddam xenodochium, cujus curator erat pater unus Theatinus? Quomodo ergo veſtra paternitas æquivocavit, aſſerens petiſſe ingreſſum in Ordinem? Tunc dictus pater Caſtaldus familiari ſibi geſtu humeros movens, affirmavit, quod dixeram, & arridens, hæc ipſiſſima verba reſpondit: Nos nobis accipimus, quod pro nobis facit. Cui ego: Sed non cum falſitate, præſertim in ſcriptis tanto noſtro cum præjudicio.

B

214 *Ex fide epiſtolæ illuſtriſſimi Conſtantini, Veglanenſis epiſcopi, quam Rhous profert à pag. 55, circa congreſſum Venetum SS. Caietani & Ignatii, in quo hic Ordinem Theatinorum ab illo petierit, ſic reſpondiſſe deponitur illuſtriſſimus Paulus Areſius, qui profeſſione fuit Theatinus, ac deinde Derthonenſis epiſcopus; videlicet*, Falſam illam hiſtoriam eſſe, & P. Caſtaldum nimia facilitate lapſum in ſcribendo; eumque à P. Julio Nigrono fuiſſe bene convictum. *Et pauculis interjectis, addit idem illuſtriſſimus Conſtantinus:* Michaël Ghiſlerius, ejuſdem Religionis patrum Theatinorum .., ſe numquam illam *hiſtoriam* credidiſſe, mihi dixit; addiditque, ſine bono ac reali fundamento imprimi non debuiſſe. Ego verò credo, hunc eſſe graviorum ejuſdem Religionis patrum ſenſum, quod ex eo conjicio, quod cum æneis typis elegantiſſimis vita omnis B. Caietani edita fuerit, congreſſus iſte cum S. Ignatio reliquas inter figuras non ſpectatur; qui ut res maximè plauſibilis imprimi debuit. *Deinde mox Rhous ex ipſiuſmet Areſii epiſtola, ad ſe data, & propria quidem ipſius manu, hoc allegat fragmentum pag. 56:* Patrem Caſtaldum ex ſuo cerebro hiſtoriam hanc credere * voluiſſe, mihi perſuadere non poſſum: novi enim, ſemper bonum religioſum fuiſſe. Unde verò natus ſit hic ſermo, ego neſcio. *Quiſnam ergo credat, rem hanc veterum traditione pervulgatam fuiſſe, quam Areſius, vir tantæ auctoritatis ac ſapientiæ, diutiſſimæque apud Theatinos commorationis, prout obſervat Rhous pag. 57, ac præcipuum Ordinis Theatini decus, ignorare ſe profitetur?*

C

inter quæ Præſules

* an cudere?

215 *Spectatiſſimo huic præſuli adde alium Intemelienſem, ut novitiæ hujus traditionis vanitas palam eluceſcat; qui, ut pag. 57 teſtatur Rhous, antequam infulas indueret, Ordini Theatinorum fuit à ſecretis. Is igitur, ut ibidem ſcribitur, de hac Caſtaldi traditione interrogatus*, an umquam auditione perceperim, *ait*, ſanctum patrem Ignatium Loyolam petiſſe à beato Caietano admitti in religionem patrum Theatinorum, idque antequam ſuam conderet. Ad hæc ego, *inquit*, in veritate reſpondeo, me id ſæpius audiſſe; ſed cum eadem veritate dico, hujuſmodi ſermonem, quantum quidem ego ſciam, non aliud fundamentum habere, quàm auctoritatem patris D. Joannis Baptiſtæ Caſtaldi, qui id in Vita B. Caietani tradidit. Qua verò ratione hoc ille aſſerat, dicere .. ego neſcio. *Unde denuo invictiſſimè ſuadetur, prætenſam hanc traditionem ruinoſo prorſus fundamento, id eſt nullo ſuffultam eſſe.*

D

nomen etiam profitentur ſuum.

216 *Quid, quod ibidem pag. 58 reverendus admodum pater Angelus Scivorius, Ordinis Carmelitarum Januenſis ſacræ theologiæ magiſter & doctor, juratus fidem faciat, ſe* ſcire, Hiſtoriam ab .. Joanne Baptiſta Caſtaldo ſcriptam de S. Ignatio Societatis Jeſu fundatore, à B. Caietano Thienæo, uno ex quatuor fundatoribus PP. Theatinorum, eorum habitum petente Venetiis anno ſuperioris ſeculi XXXVI, haberi à gravioribus ejuſdem Ordinis Theatinorum pro falſa, & nulla veritate ſubnixa; eoſque exiſtimaſſe, ab eodem Caſtaldo nimis leviter proditam, quamvis bono animo, & quodam amore peculiari, quo in beatum ſuum parentem fertur, hoc ab illo factum non dubitarent. *Denique ibidem pag. 60*, Habeo, *inquit idem auctor*, litteras, ad me Florentiâ ſcriptas ab N. N., viro genere, litteris, atque eloquentia, & modeſtiſſimis uſque moribus totâ Italiâ clariſſimo, & longo olim (*O Caſtalde*) rerum veſtrarum apud vos uſu nobili: in quibus tuam hanc opinationem PHANTASTICAM CHIMÆRAM, ex veſtrorum ſenſu appellat. *Plura affert à pag. 67.*

E

Aliud teſtimonium.

217 *Interea quaſi nihil hactenus fuiſſet ſcriptum contra adeſpotam illam traditionem, ita ſe gerit P. Joſephus Silos in Hiſtoria Clericorum regularium Ordinis Theatini, anno 1650 Romæ typis excuſa: neque enim ſatis concipio, quomodo tom. 1, ad annum 1531, pag. 136 tam ſecurè, affirmatè, ac confidenter auſus fuerit declarare ſuam mentem circa imaginariam illam traditionem, præſertim poſtquam vidiſſet Hiſtoricam diſputationem Nigronii, quam pag. 138 citat, & jam typis editæ eſſent Interrogationes apologeticæ Rhoi.* Cum aliis è noſtratibus, *ait*, ſpectatis viris egiſſe familiariter Venetiis Ignatium, PRO COMPERTO habemus, præſertim cum Caietano Thienæo, quocum id accidit, quod noſtrorum hominum traditio ad poſteritatem tranſmiſit; *quam mox pluribus ibi exponit.*

F

Mirum eſt, hiſtoricum Ordinis PP. Theatinorum fabulam illam adoptaſſe:

cujus prima detegitur origo.

218 *At detegamus primam iſtius fabellæ originem ſaltem per conjecturam ex iis, quæ in hanc rem tradit Nigronius num. 59, ubi hæc ſtatuit:* Prudenter Sacchinus noſter, ſcripto Joannis Polanci munitus & adjutus, probabiliſſimâ conjecturâ pervenit ad fontem erroris, ratus eam opinionem exortam ex colloquiis cum Caraffa collatis familiariter, atque ex aliqua diſſenſione, quæ ſine odio interceſſit, ut inter amicos evenire docet S. Auguſtinus. Hujuſmodi potuit eſſe diſputatio de utriuſque Ordinis profectione *, ac de utroque conjungendo, quæ diu manſit, ut refert idem Sacchinus. Cujus dictum confirmare placet teſtimonio ſæpe memorati Ribadeneiræ, teſtis auriti; qui anno 1620 * ad me, *ait*, ſcripſit epiſtolam die XX Novembris datam: quam pau-

* an perfectione?

* forte 1602

A paucis antè menſibus Romam miſiſſe *ſe addit*, ut in archivo aſſervaretur, ob emergentes neceſſitates: *è qua Nigronius affert hæc verba, ex Italico Latinè reddita:* Menſe Aprili anni MDXLV P. Jacobus Laynez Venetiis Romam reverſus, me præſente, propoſuit B. P. noſtro Ignatio, nomine graviorum patrum Theatinorum, qui Venetiis morabantur, ut reciperet ipſorum Ordinem in Societatem, & ex duobus corporibus unum efficeret ad gloriam Dei &c. B. Pater, ubi rationes quaſdam attuliſſet, reſpondit, judicare ſe, majus Domini ſervitium eſſe, ut utraque religio perſeveraret in eo inſtituto, quod ille cuique dedit. *Et mox Nigronius hæc ſubdit:* Itaque cum Caſtaldus illud Beatorum colloquium non accepiſſet à fide dignis, qui interfuerint, vel proximi fuerint illis primis; ſed ex fama, quæ manavit ad poſteros incerto auctore, cauſa fuit illi falſæ opinionis. *Ita quidem Nigronius de fabellæ origine, quam præ manibus habemus. Niſi fortè petitio aliqua interceſſit, de qua paullo antè in*
B *teſtimonio Marci Antonii Palumbi Aſcanii, quâ ſanctus Pater rogarit admitti in xenodochium quoddam, cujus fuerit curator pater aliquis Theatinus. At ſive hoc fuerit, ſive colloquium mox allegatum; ſive utrumque ſimul, ſive neutrum; illud manet, plurima aliunde incommodare, quo minus hoc commentum nugarum futilium albo excludatur; quidquid illud* pro comperto *habeat Siloſius.*

§ XXII. Alia argumenta, quæ iſti fabellæ incommodant; Sedis Apoſtolicæ de ea judicium.

Pugnat hæc fabella cum Sancti vaticiniis, ac ſcopo;

QUamquam ſpuria hæc traditio tam multis ex natura ſua laborat incommodis; alia tamen tot tantaque contra eam militant argumenta, ut ne vel minimam quidem credibilitatis umbram præ ſe ferat, aut veritatis ſpeciem. Pugnat quippe hæc fabella primò cum prædictionibus ſanctiſſimi Parentis noſtri, quibus religioſam à ſe familiam condendam eſſe priùs edixit, quam illam condidit; ex dictis § 13, 16, ac 20: quibus adde dicenda § 34. Quid verò paradoxum magis, quam
C *revelationem à Deo accepiſſe Sanctum de novo abs ſe condendo Ordine, eamque patefeciſſe aliis; & alterius interea nihilominus Religionis petiiſſe inſtitutum? Pugnat 2. hæc fabella cum ſcopo, quem* S. Ignatius *jam pridem ſibi præfixerat, nec cohæret cum rebus, ab illo ea occaſione geſtis. Suadetur utrumque. Etenim quod formaverit Vir ſanctus jam inde ab initio ſuæ converſionis ex iis, quæ ſibi Manreſæ patefecerat Dominus, quamdam novæ Religionis ideam, ad novas militanti Eccleſiæ ſuppetias ferendas, intelligitur ex ſociis, quos triplici delectu ſibi adſcivit partim in Hiſpania, partim in Gallia, uti ex dictis ſit perſpicuum. Cur item jam grandis ipſe natu inter pueros repueraſcere, & ſtudere cœpit? Cur commilitones ſibi aggregavit, ſtudiis expolitos, nec non exercitationibus ſpiritualibus, peregrinationibus, victuque precario probatos? Quid verbis opus eſt? Lege, perlege ac relege ſanctiſſimi Conditoris noſtri veſtigia huc uſque omnia; memoriâ item repete ipſius jam in procinctu ſtantis ad iter Venetum cum Caſtrio Cartuſiano colloquium, ac prædictionem de condendo à ſe Ordine, tot ac tam ſolidis teſtimoniis firmatam, ex § 20; hæc, inquam, animo revol-*

ve, lector, & judica, an ulla veritatis ſpecie fiat veroſimile, Ignatium *adeo Venetiis fuiſſe verſatilem ac mutatum, ut omnia hæc abjecerit in gratiam Ordinis PP. Theatinorum; quos inter, ſi commento credimus, unus ipſe eſſe voluerit.* AUCTORE J. P.

220 *Pugnat 3. hæc fabella cum fide, Lutetiæ Pariſiorum ab* Ignatio *ſociis data, & ibidem ab eiſdem accepta. Ecquis enim prudens rerum æſtimator adeo ſit credulus, ſibi ut perſuaderi ſinat, hominem cordatum, atque in ſuſceptis conſiliis conſtantiſſimum, tanta levitate fluctuaſſe, ut ſuæ voluntatis ſanctiſſima placita, voti religione firmata, verſatili abreptus volubilitate, derepente abjecerit, ac ſocios præſtantiſſimos, amantiſſimos, & ſibi cariſſimos, inſalutatos, ac penè proditos, violata fide mutua, deſeruerit? Socios, inquam, illos, quos Lutetiæ Pariſiorum electos, in Chriſto Jeſu genuerat, tam ſolicitè educarat, tam peritè excoluerat, tam arctis beneficiorum ſpiritualium vinculis ſibi obſtrinxerat, tam ſacroſanctis votis Deo ſecum obligaverat; quos denique ad conditum diem Venetiis adeſſe juſſerat; eos ibidem, compoſitis antea nonnullorum inter eos in Hiſpania negotiis, exſpectaturus, poſt tot eorum labores in ſtudiis, poſt abdicatas facultates, & abruptas omnium dignitatum ac fortunarum ſpes? Enimverò hæc non cadunt in virum vel mediocriter conſtantem, nedum in ſanctum Parentem noſtrum propoſiti tenaciſſimum.* cum fide ſociis data, & ab eiſdem accepta Pariſiis: E

221 *Pugnat 4. hæc fabella cum rebus, quas Sanctus Venetiis tranſegit. Conſtat enim* Ignatium *eo ipſo tempore, quo Pariſienſes ſocios ibi exſpectabat, novis ibidem loci venandis ſedulò inſtitiſſe, Stephanumque & Jacobum Eguias, itemque Hoſium ſibi adjunxiſſe. I nunc, & perſuade mihi, quod veteres, ſibique apprime cognitos à præſtantiſſimis animi dotibus ac perſpectos dimiſerit, dum conquirit novos; quodque in alienam ſe abdere familiam moliretur, dum ſic amplificandæ ſtudebat ſuæ; ſicut rectè expendit Sacchinus.* Refugit hoc, *inquit*, cogitare ſana mens, & R. D. Caſtaldus in epiſtola, quâ narrationem ſuam defendit, non obſcurè fatetur, abſurdum eſſe; & ait, fortaſſe Ignatium unà cum ſociis ad Caietanum ſe conferre voluiſſe. *Sed illud aſſertum ab omni probabilitate longè alieniſſimum eſt; cumque ſundetur in adverbio conjecturali & eventûs incerti* fortaſſe; *pluribus illud hoc loco non refutabo, de quo conſuli poteſt Sacchinus in Diſſertatione ſuperius allegata, qui variis rationibus illud convellit.* cum rebus Venetiis geſtis: F

222 *Pugnat 5. hæc fabella cum Exercitationibus ſpiritualibus, à* S. Ignatio *compoſitis: de quo argumento ita diſſerit Sacchinus:* Ex illis, quantus quantus fuit, totus proceſſit Ignatius. Per eas convocavit ſocios, & Societatem inſtitutis & moribus temperavit. Eaſdem Societati, ut telum divinæ laudis acerrimum commendatas reliquit. Eas inter ſumma votorum cupiit Apoſtolica auctoritate comprobatas videre, & vidit. Per eas magnopere apud omnes, & apud præſtantiſſima quæque ingenia maximè profecit. Et hoc ipſo tempore, quo dicitur voluiſſe Theatinis adnumerari, per eaſdem & ſocios tres, quos ſuprà diximus, aggregavit ſibi, & aliis excolendis ſtudioſiſſimè inſiſtebat. *Tum Sacchinus mittit lectorem ad epiſtolam, hoc ipſo, quo de agitur, temporis tractu ad ſuum quendam confeſſarium ab* Ignatio *Venetiis circa illas ſcriptam; prout videre eſt Hiſtoriæ Societatis Jeſu lib. 1 in fine; unde liquet, quanto ſanctiſſimus earum Conditor illas in pretio habuerit.* Quæro igitur, *ait Sacchinus*, eas præceptiones earumque uſum ſecum invehere cogi- cum Exercitiis ſpiritualibus;

AUCTORE J. P.

tabat novum in Ordinem, an deserere & abdicare paratus erat? Enimvero ut deserere vellet, cadere nequit in cogitationem hominis sapientis.

223 Quid enim certius exploratiusque beato Patri, divinæ gloriæ studiosissimo venatori, quam illas esse efficacissimas tanti operis administras, & cælesti sibi lumine demonstratas? Neque alterum dici potest. Nam religiosi petitor Ordinis imprimis necesse est nequaquam sit addictus opinionibus & moribus suis. Quippe docendus, non docturus accedit. Aliter, suam perdet, alienam turbabit tranquillitatem. Nihil odiosius novatore, eoque adventitio. Atqui quocumque beatus Pater cum Exercitiis suis accederet, non discipulus, sed magister adiret. Uno verbo: ubicumque Ignatius cum illo esset libello, ibi Societas Jesu esset. Quod si certum atque perspicuum videtur, neque cum illis, neque sine illis Exercitationibus potuisse alienam suscipere disciplinam; consequens apertè est, de ea suscipienda numquam egisse. *De hoc argumento, quod Sacchinus, uti & Nigronius desumunt ab Exercitiis spiritualibus, agit Interrogatio 18 Rhoi pag. 313.*

à Sancto compositis:

B

224 *Pugnat 6. hæc fabella cum loco: dum per id tempus, quo illa fertur contigisse, ostenditur, nequaquam Venetiis Caietanum, sed Neapoli fuisse:* nam quod *Castaldus* in defensione respondet, fieri potuisse, *sicut est apud Sacchinum*, ut per idem tempus Venetias Caietanus excurrerit, tametsi aliquid est, tamen parum est, ubi pro certa narratur historia. Minimè enim tollit, quin tota narratio, nisi ruat, saltem nutet, ut instabili nixa fundamento. Nam sicut fieri potuit, ut iret; ita, ut non iret. Quin etiam de commoratione Neapolitana constat; de Veneta excursione non constat: solùm conjectura ducitur ex hoc facto, quod est in quæstione; quod est alioqui tale, ut ex eo ipsa profectio negari probabiliùs, quam affirmari queat. Nihil igitur illud factum profectionem adstruit, sed potiùs destruit. Nam ubi infirma imponuntur infirmis, utraque citiùs collabuntur. Mihi verò propiùs ad fidem in omnes partes videtur, iter nullum fuisse. Nam sancti viri, & in publicas utilitates magnopere occupati, longa itinera non sine magnis causis suscipiunt.

cum loco:

C

225 Magnæ porro causæ sunt magna negotia. Hæc autem Caietanus vel pro re Christiana publica, vel pro privata sui Ordinis suscepisset. Si primum; quî lateret? Nam magna negotia & publica, uti cum geruntur, ad multorum emanant notitiam; ita cum gesta sunt, ad posterorum perseverant memoriam. Alterum quî opus erat, cum propediem generalis conventus esset habendus Romæ? Quî etiam lateret, cum insigniorum virorum res, & multo magis religiosi Ordinis conditorum, non studiosè tantùm, sed & religiosè observentur, & asserventur. Itane fieri credibile est potuisse, ut vir sanctus, idemque sacræ parens familiæ ultro citroque nobilissimis ex urbibus longinqua peregrinatione commearit, & nulla usquam itûs, nulla reditûs vestigia exstent, nulla in privatis, nulla in publicis commentariis, sive epistolis (quas tamen multas intercedere talibus in usibus necesse est) argumenta supersint? *Ita Sacchinus non minore cum modestia, quam probabilitate.*

nam ostenditur, S. Caietanum Veneziis tunc non fuisse:

226 *Pugnat 7. hæc fabella cum animi fortitudine, quâ præditus fuit S.* Ignatius, *agere utique & pati fortia jam pridem edoctus; pugnat, inquam, si, quemadmodum habetur è Castaldo, sanctissimus Patriarcha noster metu difficultatum deterritus, à proposito sui Ordinis condendi destiterit. At nè hoc parum honorificè de S.* Ignatio *cogitatum ac pronuntiatum est, cujus magnitudo animi in primis laudibus ponitur! Siccine Vir ad dura quæque imperterritus, accusationibus, carceribus, vinculis, judiciis exagitatus; tot rebus adversis exercitus, tot incommodorum & obstaculorum victor, ac ne ad latum quidem unguem à destinatis recedens, perterrefactus dicatur illis difficultatibus, quæ apud prædictum Nigronium § 19 ex Castaldo proponuntur? Minimè gentium: nam* à paupere ac laboriosa vita, quam à principio suæ conversionis, in Dei gloriam & proximorum auxilium instituerat, numquam destitit, sed perseveravit: superatis omnibus, qui obstabant, obicibus, atque ex Formula Instituti, huic sanctæ Sedi oblata, solennibus votis rite nuncupatis confirmavit; *sicut dicit Cardinalis à Monte in Relatione facta Gregorio XV pro Sancti canonizatione, inter ea, quæ habet de ejus Fide.*

cum animi fortitudine, quâ fuit S. Ignatius:

D

227 *Pugnat 8. cum exquisitissima & oculatissima* S. Ignatii *circumspectione, quam in fundanda sua Societate adhibuit: nam quoniam altissimam perfectionem cum in ipso fine, tum in mediis sive instrumentis, ad ejusdem consecutionem accommodatissimis, sectatus fuit beatus noster Parens, sicut pluribus probatum reperitur apud Rhoum Interrogatione 17, quæ est de perfectione instituti Societatis, à pag. 297; non erat, cur quacumque aliorum objectâ sanctimoniâ, ab ea condenda Societate, quam animo conceperat, cujusvis alterius ineundæ familiæ causâ desisteret, Theatinorum præsertim, quæ ab ea, quam meditabatur* Ignatius, *tantopere discrepabat; prout lucescit ex Nigronio num. 64; ubi invitamenta, à Castaldo enumerata, quibus putavit sanctum Patrem allici potuisse ad Ordinem suum, probat viribus caruisse, ut constantissimum Virum de vitæ susceptæ atque initæ proposito graduque dimoverent.* Summa autem illa erat, *uti rectè Sacchinus*, quam conceptis votis ad Parisios explicarunt in Monte Martyrum, in proximorum adjumenta cunctis opibus incumbere: militare Christo: regnum ejus amplificare etiam inter barbaros, ac nominatim in Palæstina: summo Pontifici in hoc opus operam dicare suam, & ab ejus nutu pendere. Unde missiones, quas vocamus, unde quartum Professorum votum, & ipsa demum, prout ab aliis Ordinibus differt, Societas efflorescit.

pugnat denique cum oculatissima

E

F

228 Hæc igitur forma tot annos Ignatii menti cum inhæsisset, ex eaque vitam suam instituisset, ad eamdem socios conformasset, & votorum nexibus constrinxisset; denique ipsis quoque jam felicibus experimentis eamdem approbari videret; atque ex altera parte in iis S. Nicolai, *Theatinorum apud Venetos cœnobii*, patribus contraria videret omnia; siquidem in iis, ut Castaldus ait, solitudinis vigebat amor; quis credat, eam formam ita repente abolitam & commutatam, ut in aliam faciem tota transfiguraretur? ut, qui modo universum orbem terrarum excursionibus obeundis caritate complexus erat, angustis jam se septis includeret: &, qui expeditus præstò esse voluerat ad omnes Pontificum nutus, jam odeo, quod patribus iisdem semper antiquissimum fuit, mallet affigi. Non ita profectò est; sed adeo sensibus, imisque fixam, ut ita dicam, medullis Societatem gerebat, ut & ipsum nomen jam promptum haberet. Itaque anno proximo (1537) cum Venetiis digrederentur, inter omnes socios, Ignatio auctore, convenit, ut quærentibus, quod genus hominum essent, responderent, de Societate

ipsius circumspectione.

A cietate Jesu se esse. Quod nomen ita postea idem dilexit semper ac propugnavit, ut nemini Patrum veterum dubium fuerit, quin præstantiore illud, quam humano sensu legisset. Cum autem jam ante oblatum appropinquanti ad Urbem visum, ut modo diximus, illud placuisset, haud temerè conjicitur, quemadmodum totam Societatis fabricam, ita nomen ipsum è Manresanis luminibus deportatum. *Hæc ille. Sed hîc finis sit: quando ipsa Sedes Apostolica suam præsenti controversiæ interposuit auctoritatem.*

Quibus omnibus superadditur

229 *Facere itaque non possum, quin his coronidis loco attexam exemplum litterarum, inter alia nostra monumenta Romana huc missum.* Exstat hîc impressum, *ait P. Ignatius Pinius*, quod describo: *at nos ex Italico ejus apographo illud Latinè interpretamur. Titulus, qui præcedit, sic sonat Latinè:* Ecgraphum epistolæ, ab illustrissimo & reverendissimo domino Carolo Vizzano, sancti Officii Romani Assessore scripta ad Vicarium generalem Consentinum. *Illam verò sic reddo:* Admodum illustris, ac admodum reverende Domine mi observandissime. Multis abhinc

B mensibus comparuit libellus illîc impressus, cui titulus: Summarium vitæ ac miraculorum beati Caietani; quem sanctissimus Dominus noster, unà cum approbatione istorum meorum Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Generalium Inquisitorum, volebat prohiberi, ut qui contineret, contra sacræ Congregationis decreta, fabulam, quod S. Ignatius petierit admitti in congregationem Theatinorum. Sed quia Patres Theatini asseruerunt, publicatum id esse inadvertenter, & sese insciis, promptos se exhibuerunt ad folium illud tollendum: & revera consignarunt mihi exemplar libri, in quo illud erat mutatum, ut ostenderem id suæ Sanctitati: sicut feci. Placuit suæ Beatitudini injungere mihi, ut supprimeretur prohibitio, & ut liber hoc modo correctus currere permitteretur.

Judicium Sedis Apostolicæ de hac fabella;

230 Nunc intelligitur, illic vendi exempla suprà dicti libri impressi, in ea, qua priùs erant, forma. Sed sua Sanctitas scribere me jussit ad Vestram Dominationem, ut isti rei invigilet; neque librum currere permittat nisi correctum, supprimendo exemplaria, quæ invenerit, non esse hujusmodi: distinctéque instruat de omnibus, quæ in ista materia sibi occurrerint: nam quando malum processerit, liber hîc prohi-

C bebitur, ac punietur temeritas illius, qui ausus fuerit contraire decretis sacræ Congregationis. Laboret Vestra Dominatio debito cum zelo, ac prudentia. Et osculor manus ejus. XXI Octobris MDCLIX. Dominationis Vestræ admodum illustris, & admodum reverendæ addictissimus servus Carolus Vizzani. *Et epistola inscribitur*: Admodum illustri, & admodum reverendo Domino meo observandissimo, Domino Vicario Generali Consentino. *Sequitur denique hoc Latinum testimonium:* Extracta est præsens Copia à suo proprio Originali existenti in Actis curiæ archiepiscopalis Cosentinæ (*lege* Consentinæ:) cum quo facta collatione concordat &c. salvâ tamen meliori &c. Et in fidem &c. *Ac subscribitur* Didacus Abruzinus actuarius.

& ratio nostra, cur ea operosiùs hîc sit confutata.

231 *Quorsum, inquiet aliquis, hæc tam multis? Dicam. Primò, quia inconstantiæ ac levitatis, adde etiam erga socios suos infidelitatis, macula turpis inuritur* S. Ignatio. 2. *Quia stare non potest hæc fabella, quin corruant Sancti de condendo à se Ordine vaticinia.* 3. *Quia alioquin labefactatur fides ac sinceritas monumentorum ac Scriptorum Societatis nostræ. Quæ tria summo jure exigebant operosam confutationem.*

AUCTORE J. P.

§ XXIII. Tres socii prioribus adlecti; denarius primorum Patrum numerus; Fabri fructus Parisiis; ejus ac sociorum discessus Venetias, inde Romam; Sanctus cur Venetiis relictus.

Sub Petro Fabro tres alii socii Parisiis aggregati.

QUem vitæ modum, *absente* Ignatio, *Lutetiæ Parisiorum tenuerit primus ejus ibidem socius Petrus Faber, narrant Orlandinus lib.* 1, *num.* 100, *& Bartolus lib.* 2, *num.* 27. *Genuinum enimvero se ibidem probavit sanctissimi Parentis filium, apostolico, quem ab illo hauserat, spiritu incumbens in lucrum animarum. Sed fructus inter alios plures palmaris hic fuit, quod in primorum sociorum aggregatione partem quoque* E *habuerit. Etenim* ejus monitis & exemplis duo jam theologiæ magisterio nobiles, Joannes Codurius Allobrox, & Paschasius Broëtus Picardus, jam sacerdotio præditus, anno decurrentis seculi sexto ac trigesimo ad alios septem aggregavere sese. Nam Claudius Jaius Gebennensis theologus item ac sacerdos, quamquam certum tempus non planè constat, ante hos accesserat. *Ita Orlandinus lib.* 1, *num.* 101. *Bartolus eos* omnes theologiæ magisterio ornatos *fuisse, ac Claudium quidem Anecii prope Gebennam; Paschasium Bertamcurtii haud procul Ambiano; Joannem verò Ebreduni Delphinatûs metropoli natos affirmat. Quos tres si aliis septem superiùs enumeratis accenseas, habebis decem primos Societatis Patres.*

Numerus denarius primorum Patrum à quodam Calvinista arrosus.

233 *Misenus quidam Calvinista ineptè numerum hunc denarium arrodit apud Jacobum Gretserum in Apologeticis anno* 1599 *Ingolstadii excusis pro Vita sancti Patris nostri, à Ribadeneira edita; ubi lib.* 2, *cap.* 1, *pag.* 209 *Gretserus eum sic loquentem inducit:* Hic numerus olim vocatus Atlas, in quo etiam mysterium latet. *Et quodnam illud?* Sic enim, *sicut ibidem malè feriatus ille obgannit*, fulciunt Papatum Jesuitæ, F ut vertice supposito sidera fulsit Atlas. *Ita illepidè & insulsè heterodoxus ille calumniator. Meliùs ad hunc numerum alludit Florimundus Ræmundus Historiæ de ortu, progressu ac ruina hæreseon parte altera, lib.* 5, *cap.* 2, *pag.* 17 *editionis Colonienſis anni* 1614, *apud interpretem suum Latinum sic loquens:* Decem hi quasi ad Christianæ reipublicæ salutem conjuratione facta, artissimis sese vinculis mutuò obstrinxerunt, ut Lutheri, aliorumque hæreticorum sese opponerent furori. Ut verò Deus in numero, pondere, & mensura omnia disponit; sic denarius hic non sine causa mirabiles res ab hac Societate effectum iri, præsignificasse existimatur. Hic ille est numerus, quem arithmetici sine O rotundo jungere cum aliis aut concludere nequeunt; quo monemur, ut numerus hic nullum alium finem habet, quam rotundum illum orbiculum; sic res ab hac Societate gerendas iisdem, quibus terrarum orbis spatiis terminatum iri; huncque decumanum illum fore fluctum, qui Lutheri myoparonem obruturus, atque in profundum demersurus sit.

234 *Qua ratione novem primi socii* S. Ignatii

AUCTORE J. P.

Discessus Ignatii sociorum Venetias ;

Lutetiâ Parisiorum Venetias discesserint, cum ibidem ex condicto conventuri, à Ribadeneira & Maffeio memoriæ proditum est. Orlandinus lib. 1, *num.* 104, *& sequentibus*, Dum plerique ea, *inquit*, quæ Lutetiæ superarant ex bonis suis, in pauperes erogant, aliqui de sociis, diebus aliquot antè, Meldis exspectaturi, præcurrunt. Abest Parisiis id oppidum milliaria circiter quatuor & viginti. Ceteri autem discessere Lutetiâ decimo Kal. Decembris tanta animorum conspiratione atque alacritate, ut nec Xaverius theologicis ab studiis, quorum jam calcem spectabat, avelli se molestè ferret, nec Lainius gravissimi morbi reliquias, quo proximè laboraverat, pertimesceret. Quippe & ille theologiæ iter jam propè confectum, Christi causâ deserere, non minori sibi ducebat gloriæ, quam ad extremum usque persequi. Et hic nescius sui corpusculi misereri, quod afflictum & extenuatum consentaneis fovendum erat obsequiis, id quotidiana asperitate cilicii magis atterere toto illo itinere non dubitavit. Cumque ad Xaverium Pompeiopoli nuntius ex insperato venisset, eum Pompeiopolitanæ ecclesiæ creatum esse canonicum, risit ista vir sapiens, melioribus jam promissis delinitus à Deo, nec quidquam de cogitatæ peregrinationis ardore ac voluntate remisit.

B

magnis animarum fructibus à Fabro Lutetiæ relatis ,

235 *Nunc ex sequenti eventu & Fabri constantiam, & ingentes prorsus ab eo Lutetiæ Parisiorum relatos animarum fructus, intellige.* Faber etiam sui discessus consiliique gravem habuit dissuasorem, *teste laudato mox historico num.* 106, Doctorem pium & litterarum opinione nobilem, qui capitalem affirmabat ab eo suscipi fraudem, si Parisiis, ubi tam multis minimè dubiam salutis opem afferret, eò solum verteret, ubi in incerta aliorum salute suam operam collocaret. Ac ne temere videretur id ab se dici, producturum se pollicebatur ex gymnasio Parisiensi theologos omnes, suæ sententiæ gravissimos auctores. Verùm alia hominum, alia Dei cuncta regentis mens ac propositum fuit.

& quibusdam successibus per viam circa alios habitis, qui hîc notantur.

236 *De Simone Roderico à gravi morbo repentè liberato quid memorem ? Factum breviter audi ex Orlandino num.* 108 : Meldis, *ait*, ex antegressis sodalibus ingens quidam, & sanguine atratus humor Simonis in humeris extitit, adeo teter aspectu, ut horrorem incuteret sociis. Ille autem tota nocte ingemiscens, & fessos artus nuda in humo, quæ ei pro cubili erat, modo in hanc, modo in illam conversans partem, non magis angebatur ipso doloris morsu, quam metu curaque mœroris, ne cœptum iter cogeretur abrumpere. Sed Deus, qui eos Parisiis eduxerat, & suum per angelum deducebat, medicinam recenti morbo subitò fecit. Illucescente die, in ipso discessûs articulo, tumor ille, qui fœdum in ulcus videbatur erupturus, sua sponte resedit, ut ne vestigium vel curiosè intuentibus appareret. *Sed aliunde præterea prædicti Simonis constantia tentata scribitur ibidem num.* 12 ; *de dimicationibus verò Patrum cum hæreticis num.* 13 ; *de periculo, quod ductu, ut creditur, angeli, evasere, num.* 114 ; *de Xaverio denique mirabiliter sanato num.* 115 ; *quæ digito hîc commonstrasse sufficiat, ut brevitati consulatur in re, quæ propriè non est* S. Ignatii, *quamquam ad eum, omnium videlicet, de quibus sermo fuit, parentem reducatur.*

C

Quando Venetias pervenerint.

237 *Venetias itaque pervenere ad octavum diem Januarii, anni* 1537, *ex Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 7 ; *quos temporis characteres etiam notat idem auctor in Vita sua Hispanica, anni* 1594, *lib.* 2, *cap.* 7 ; *uti & in Vita breviore ex versione Quartemontii, ubi id dicitur contigisse*, ante diem VI Id. Januar. *Adde Orlandinum lib.* 2 *in initio, Bartolum lib.* 2, *num.* 31, *Andream Lucam lib.* 3, *cap.* 9, *ac Bouhoursium lib.* 2 ; *ut his ita positis à Ribadeneira præsertim & ab Orlandino diei notis, suffragari non ausim Maffeio, qui lib.* 2, *cap.* 3 ad tertium Idus Januarias *eos Venetias pervenisse scribit ; nec Vitæ Italicæ, jussu reverendi admodum patris nostri Generalis Mutii Vitelleschi in lucem editæ, quæ diei nonæ Januarii illud affigit. Vita Consalviana diem adventûs non signat. Inter monumenta nostra Romana exstat apographum hoc titulo prænotatum :* Exemplum testimonii authentici scriptorum P. Laynez, Salmeron, & Polanci, ut intelligatur, quid isti Patres senserint de P. N. Ignatio, & de aliquibus ejus miraculis : *in quo apographo lego ista :* Pervenimus Venetias VI die Januarii anni MDXXXVII. *Verùm tantilla temporis differentia morari nos haud debet. Alia interim prosequamur.*

D

E

Res ibidem ab illis gestas compellitur vel ipse satan laudare : quidam ex illis mirabiliter sanatus.

238 *Quæ Venetiis gesta sunt, intelliges ex auctoribus. Ribadeneiræ adde sequentia ex Orlandino lib.* 2, *num.* 2, *ubi hæc narrat :* Non poterat diutius in tanta humilitate delitescere virûm virtus, ut etiam satanas eam prodere Deo sit cogente compulsus. Inter feminas, quæ tum cibos parabant ægrotis, energumena erat. Hæc torvo oculorum obtutu, & conviciis verberans Patres, ministerii gratiâ culinam ingressos, versa ad eos, qui præsentes aderant, Vos, inquit, quod genus hominum istud sit, penitus ignoratis. Hi magni sunt viri, & multâ doctrinâ præditi. Qui ne huc aspirarent, valde equidem, sed frustra contendi. Paulo post, cum iterum unus è Patribus culinam intrans immensis feminæ vociferationibus exciperetur, blandè eam lenire ac permulcere cœpit. Illa verò corripuit gradum, & ut in ignem se injiceret comparabat ; sed ne cogitata perficeret, alia femina præsens inhibuit. Illa verò corpus à tergo totum conglomeravit in vertebram, ut suo semper hærens vestigio, subjectas propè flammas capite retorto contingeret. Eadem subito in suum erecta statum, vociferationibus terruit omnia. Patres autem tanto acriùs munera illa misericordiæ & humilitatis urgere, quanto ea molestiora satanæ, jucundiora Deo, & gratiora sensere. *Hactenus Orlandinus ; cui junge Maffeium loco citato hæc memorantem :* Quidam, *inquit*, è sociorum numero pauperem leprâ toto corpore coopertum, cum præfectus nosocomii non admitteret, in suum lectum accepit ipse : cumque manè surrexisset, cunctis ingemiscentibus eadem ipse quoque morbi fœditate correptus ; postridie non sine miraculo prorsus illæsus atque intactus apparuit.

F

Sociis Romam discedentibus, & edito per viam ab uno ex illis præclara victoriæ exemplo,

239 *Postquam vero magnam sui cum admirationem tum æstimationem trimestri circiter spatio apostolicis suis laboribus apud Venetos concitassent,* ad mediam Quadragesimam, *ut Ribadeneira ; vel, ut Maffeius*, appetente jam vere, *Romam discessere*, Ignatio *excepto, qui Venetiis remansit. Porro rationem itineris, & toleratas in ejusdem decursu gravissimas ærumnas disces paucis ex Ribadeneira & Maffeio. Hic inter alia recenset rem quamdam singularem, cujus nos commemorationem, quia ad commendationem præclaræ virtutis valet illa plurimùm, etiamsi habeat aliquid injucunditatis oratio, prætermittendam tamen hoc loco non arbitramur. Factum accipe :* Sanè Ravennæ, *inquit Maffeius*, quidam ex iis, cum hospitalis lectuli sordes, ac manantia tabe stragula

nau-

A nauſeabundus vitaſſet ; quæ prima deinde occaſio data eſt ſuimet puniendi, non prætermiſit. In pago neſcio quo phthiriaſi conſumptus è vita migraverat. Cum in eum pagum noſtri veniſſent, diſtributiſque cubilibus nullum jam ſupereſſet, niſi quod phthiriacum foverat ; pater ille amiſſam nuper palmam recuperare vehementer exoptans, nudus illico per ſummum animi ardorem eaſdem ſubiit lodices, ibique ſeſe identidem verſans, cum ingentes animalium greges eâ tota paviſſet nocte, ad ſudorem uſque defatigatus, non leves abs ſe prioris faſtidii ac deliciarum pœnas exegit.

Venetiis remanet ſanctus Pater : cujus rei

240 *Dicebam ſuperiùs*, S. Ignatium *Venetiis remanſiſſe ; qua verò de cauſa, non eodem ab omnibus modo traditur. Ribadeneira dum dicit :* Ignatius Venetiis de induſtria remanſit, *cauſam non explicat. Plus habet Maffeius :* Ipſe tum ad parta in Domino retinenda, tum ad expedienda, quæ ad navigationem pertinerent, ibidem interea ſubſtitit. *Orlandinus lib. 2, num. 3, aliam inſuper cauſam adjungit, his verbis :* Præſertim quod in Pontificia aula verſabatur Joannes Petrus Caraffa, in exitu ſuperioris anni (*nimirum* 1536)
B in Cardinalium numerum cooptatus, qui, ut dixi, Venetiis ei non faverat. *Quartam denique ſuperaddit cauſam ex parte Petri Ortizii, cæſarei apud Paulum III, Pontificem maximum, procuratoris ; quem tamen* Ignatii *ſocii ibidem nacti ſunt fautorem.*

cauſa inquiritur :

241 *P. Joſephus Silos in Hiſtoria Theatinorum tom. 1, à pag. 137 de hoc argumento agens, fatetur quidem, Caraffæ erga* Ignatium *benevolentiam Venetiis refrixiſſe, quod Sanctus à doctrina malè ibi audiret, falſis quorumdam criminationibus invidiam vocatus, quodque Præſul ille Theatinus, hæretici nominis implacabilis vindex, ſparſam hanc famam gravi ſupercilio exceperit ; ita tamen ut, cognitâ poſtmodum Viri ſanctimoniâ, laudati præſulis amor revixerit, cum erga Societatem, tum erga Conditorem ejus egregiè comprobatus ; ex Maffeio lib. 2, cap. 23, & Orlandino lib. 15, quos citat. Sed pluſculum aliquid reſedisſe in animo Caraffæ, quam memoratus hiſtoricus ſignificat, ex duobus mox citatis auctoribus noſtris habemus. Audiatur Maffeius :* Succeſſit, *inquit*, Marcello Paulus eo nomine quartus ; qui cum propter nonnullas interpoſitas offenſiones acerrimus noſtri Ordinis inimicus putaretur, hominum opinionem longè fefellit. *Orlandinus loco aſſignato, num. quarto duas nos offenſionis cauſas docet, ſic loquens :* Erat .. opinio Caraffam & olim offenſum, quod, cum is peroptaret, unum eumdemque ex hoc noſtro, ac Theatinorum conflari Ordinem, noluiſſet Ignatius ; ac nuper, quod, Ignatio eodem monente, in cauſa Neapolitani adoleſcentis, de quo ſuprà, *ait*, narravimus, acta ejus Pontifex Julius reſcidiſſet.
C

& oſtenditur partim ea fuiſſe,

242 *At mox citatus Theatini Ordinis hiſtoricus vult, Cardinalis Caraffæ erga Societatem affectum ex facto illo Neapolitani adoleſcentis imminutum non fuiſſe. Aliud factum de utroque Ordine in unum conflando, idem hiſtoricus negat. Ego in rationibus ejus diſcutiendis multum operæ non inſumam : nam ſive ob illam, ſive ob aliam rationem id contigerit ; non ſatis equidem aſſequor, quî ſine ulla ita ſcribere potuerit Maffeius noſter. Sacchinus item in ſua Diſſertatione apologetica, tomo 1 Hiſtoriæ Societatis noſtræ præfixa, ſic loquitur:* Ceterùm non familiarem modo uſum beato Patri cum Caraffa, ſed & aliquod diſſidium interceſſiſſe, item eſt planè teſtatum. De qua re Polancus hæc ad verbum in litteras miſit, *quæ ibidem ſic memorantur :* Hîc etiam inter alios cum D. Joanne Petro Caraffa familiariter egit aliquando, & de rebus quibuſdam, ad novum Ordinem illum pertinentibus, eum ex caritate prudenter admonuerat. *Et mox ſubditur :* Sed non admodum libenter quæ ſuggeſſit, audita fuerunt. Et quamvis nulli umquam Ignatius retulit, quæ illi cum prædicto Joanne Petro Caraffa accidiſſent ; facilè tamen ex ejus verbis intelligi poterat, non levis fuiſſe momenti, quidquid illud ſit, quod inter illos actum fuit. AUCTORE J. P

quod timor eſſet, ne Joannes Petrus Caraffa Romæ fuiſſet Ignatio adversus.

243 Et inde ortum habuit, quod nonnulli ſuſpicabantur, & dicebant, ipſum Joannem Petrum Caraffam poſtea Cardinalem Theatinum, ac eumdem Pontificem Paulum IV, non admodum erga Ignatium affectum fuiſſe ; quamvis illum ſemper, etiam dum Pontifex eſſet, magno honore proſequeretur. Hæc, *inquit*, Joannes Polancus, quo Ignatii res nemo interiùs novit, in Vita ejuſdem, quam ſcriptam reliquit, prodidit. *Ad hæc, cauſæ, ob quam Sanctum, ſociis jam Romam à ſe dimiſſis, ſolum Venetiis remanſiſſe, ex Orlandino diximus, firmamentum accedit ex teſtimonio Lainii apud Carnolium cap. 13, qui affirmat,* E *eum ſuapte manu memoriæ prodita reliquiſſe hæc verba, ex Italico à me hîc Latinè reddita ; nimirum* non erraſſe Ignatium ; & reipſa *Caraffam* ſe eis oppoſuiſſe. *Denique controverſia hæc diſertiſſimis verbis deciditur in Vita, à Ludovico Conſalvo ex ore ſancti Patris excepta ; ubi occurrunt hæc :* Omnes Romam ſunt profecti, ut à ſummo Pontifice benedictionem acciperent Hieroſolymam profecturi. Peregrinus tamen (*ita ibi vocatur Ignatius*) Romam non eſt profectus, PROPTER D. ORTIZ ET CARDINALEM THEATINUM. *Hoc confirmatur ex Ms. noſtri archivi Romani, cui præfigitur hic titulus :* Exemplum teſtimonii authentici ſcriptorum P. Laynez, Salmeron, *&c.* ; *in quo hæc lego :* Pervenimus Romam. Cum eſſemus Venetiis, de duabus perſonis, quæ nobis adverſari poterant, monuerunt: quarum una partim nobis adverſa fuit ; altera, quæ fuit Doctor Ortizius, divino actus impulſu, ſummâ benevolentiâ nos complexus eſt *&c.*

§ XXIV. Primi Patres gratiosè à Romano Pontifice admiſſi ; ſuſcipiendi Ordines ſacros, & eccleſiaſtica munia obeundi facultates. F

Primos patres gratiosè ſummus Pontifex admittit, & Apoſtolica benedictione ac favoribus donat

AD *libri 2 Ribadeneiræ caput 7, puncta duo, quæ ibi narrat, aliquantulum ſunt à nobis explananda. Alterum eſt erga ſocios ab* Ignatio *Romam miſſos gratioſa apud Pontificem benevolentia ; alterum beneficiorum ſpiritualium præſertim conceſſio, quibus eos ditatos à ſe dimiſit. Orlandinus lib. 2, num. 10 poſtquam egiſſet de doctrinæ ſpecimine, à noſtris ſuper menſam Pontificis dato, hæc ſubdit :* Sublatâ menſâ ad pedis oſculum devolvuntur : quos Pontifex paſſis brachiis, quaſi cunctos pariter amplexurus, Magnam, inquit, capio animo voluptatem, cum iſtam litterarum eruditionem cum tanta animi demiſſione contemplor. Si quid vobis opus fuerit, quod quidem ad me ſpectet, libens dabo. At illi, Benedictionem, inquiunt, beatiſſime Pater, poteſtatemque navigandi Hieroſolymam, ſupplices poſtulamus.

AUCTORE J. P.

lamus. Et hæc, inquit Pontifex, libens largior. Hierosolymam tamen vos non arbitror profecturos. Quæ sanè sunt à Pontifice dicta, vel quia Venetos non ignorabat arma contra Turcas parare (nam & is postea unà cum Cæsare, Venetisque contra eos fœdus iniit) vel cælesti aliquo instinctu, navigationis impedimenta præsensit.

cum facultate suscipiendi Ordines sacros,

245 Ubi licet Ignatii modestiam recognoscere. Namque ante Societatem conditam, nequid ipse videretur eminere, cum quid à Pontifice postularet, malebat sociorum alicujus, qui sibi & sociis aliquot peteret, quam suo nomine libellos supplices inscribi. Ita anno hujus seculi quadragesimo multa ecclesiastici juris beneficia Joanni Codurio & sociis decem data comperimus. Postulatio autem, de qua nunc agimus, ita concepta erat, ut unius Fabri nomen expressum esset. Is Domini sepulcrum, & alia hujusmodi ultra mare visendi religiosa loca, & ibidem ad tempus aliquod permanendi, & sacras reliquias, quicumque justè dare posset ac vellet, excipiendi asportandique potestatem singulari beneficio rogabat fieri sibi ac duodecim sociis suis, quos eadem pietas tenebat. Quem libellum pro Pontifice cuncta largito Antonius Puccius Cardinalis Sanctorum quatuor (*Coronatorum*) major Pœnitentiarius ritè signavit v Kal. Maii, & etiamnum in tabulario nostro habemus. Neque id tantum benignè Pontifex dedit; verùm etiam sociis nondum sacris initiatis, suscipiendi sacros Ordines potestatem quocumque ab episcopo, vel antistite fecit, tribus proximis diebus festis continenter.

B

ac dispensazione in ætate Salmeronis: uti constat ex instrumento,

246 *Addit rectè Bartolus, litteris hisce Salmeroni item datam esse facultatem, ut cum vigesimum tertium ætatis annum attigisset, sacerdotio initiaretur. Pro anno autem isto malè ponit Bouhoursius lib. 2 ingressum anni vigesimi Salmeronis: quia secundùm Vitam ejus ex Hispanico Ribadeneirâ Latinè factam ab Andrea Schotto*, natus est ante diem sextum Idus Septembris anni MDXV, *ac proin jam annum ætatis vigesimum secundum magna ex parte compleverat anno Christi* 1537, *quo facultates illæ sunt concessæ. Eas nunc ecce tibi, lector, transcribo è nostris apographis, Româ huc missis; in quibus notantur hæc, è membranaceo exemplo desumpta:*

quod hîc

247 Antonius miseratione divina tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis, dilectis in Christo Nicolao de Bovadilla, Didaco Laynes, Francisco Xabier, Alphonso Salmeron, Johanni Coduri, Simoni Roderici, & Michaëli Landinar, ac Ignatio de Loyola, clericis & scholaribus Palentin., Seguntin., Pampilonen., Toletan., Ebredunen., & Pampilonen. civitatum & diœceseon respectivè Artium & philosophiæ magistris salutem in Domino. Ut erga Sedem Apostolicam eò amplius crescant vestræ devotionis affectus, quò eam benigniorem inveneritis faciendo vobis gratiam specialem: Porrectis igitur nobis pro parte vestra supplicationibus, quantum cum Deo possumus, benignè annuentes, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali & expresso mandato, super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut à quocumque Catholico antistite, gratiam & communionem dictæ Sedis habente, extra Romanam Curiam in locis ab Urbe per quadraginta milliaria ad minus distantibus etiam in aliena diœcesi residente, clericali charactere, si nondum insigniti estis, insigniri, & ad omnes etiam sacros & presbyteratûs Ordines, & tu, Alfonse, cum primùm vigesimum tertium tuæ ætatis annum attigeris; vel ex nunc, si in eo constitutus existas, etiam ad dictum presbyteratûs Ordinem etiam extra tempora à jure statuta, tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus promoveri, & in eis postmodum etiam in altaris ministerio ministrare, vestrorum respectivè Ordinariorum licentiâ super his minimè requisitâ, liberè & licitè valeatis, vobis, & vestrûm cuilibet, & antistiti ordinanti tenore præsentium licentiam impartimur, ac tecum, Alfonse, super defectu ætatis, quem, ut asseritur, pateris .... * dispensamus.

C D

** vox ibi legi non potuit; an* nunc, *ut hic paullo infrà?*

248 Non obstantibus defectu ætatis hujusmodi, & Lugdunensis, Lateranensis, ac Viennensis conciliorum, & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, nec non statutis tam provincialibus quam synodalibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ v Kal. Maii, pontificatûs Domini Pauli Papæ III anno III. P. de Pamphi gratis. F. Sergardus. Phi. Ferrinus gratis. A. Lomellinus de consensu mandante Reverendissimo. *Appensum est sigillum impressum in cera Hispanica rubra, & inclusum in ferro albo. A tergo, quod est replicatum, habetur additum manu ipsius Cardinalis:* Gratis attentâ eorum doctrina & peregrinatione. A. Cardinalis. A. Lomellinus. Cordellas.

profertur.

E

Eo Venetiis exhibito S. Ignatius promovetur ad Ordines sacros,

249 *Hanc facultatem cum* S. Ignatius *exhibuisset Venetiis Vincentio Niguſano, episcopo Arbensi, ibidem ab eo promotus fuit ad quatuor minores Ordines die* x *Junii anno* 1537 *: ad subdiaconatum, die* XV *ejusdem mensis: ad diaconatum, die* XVII *: ad presbyteratum* XXIV, *titulo sufficientis scientiæ ac voluntariæ paupertatis, dispensante Hieronymo Verallo legato Apostolico, in cujus manibus* S. Ignatius *paupertatem voverat. De qua re exstat inter monumenta nostra Romana testimonium sequens, ex pergameneo originali transcriptum in hæc verba:* Vincentius Niguſanus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ episcopus Arbensis: Universis & singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus, quod dilectum nobis in Christo Ignatium de Loyola, in Artibus liberalibus magistrum, ac jam clericum diœcesis Pampilonen. id humiliter petentem, vigore ac dispensatione nonnullarum litterarum sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ: quarum quidem literarum tenor & continentia sequitur & est talis; videlicet: Antonius miseratione divina tituli sanctorum Quatuor Coronatorum *&c. Hic inseritur instrumentum facultatis, quod modo protulimus: & in quo vox illa post* pateris, *quæ ibi non poterat legi, hîc ita exprimitur*, quem, ut asseritur, pateris, NUNC dispensamus. *Et post illud instrumentum, ita pergit Niguſani testimonium:*

F

tam minores, quam majores; cujus rei profertur instrumentum:

250 Die Dominica, decima mensis Junii ad quatuor minores Ordines, & in die festo Sanctorum Viti ac Modesti, quod erat solemne generale in hac alma Venetiarum civitate, hoc est quinta decima die ejusdem mensis, ad subdiaconatûs; decima septima, quæ fuit dies Dominica, ad diaconatûs; vigesima quarta, hoc est in festo S. Joannis Baptistæ, ad presbyteratûs Ordines juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritè ac canonicè infrà Missarum solemnia Nobis in pontificalibus celebrantibus in capella nostra in domo solitæ habitationis nostræ in civitate Venetiarum duximus promovendum ac promovimus idoneum ac sufficientem repertum ad titulum sufficientis scientiæ ac voluntariæ paupertatis, sic dispensante reverendissimo Domino D. Hieronymo Verallo, sacri Palatii causarum Auditore, & in toto Venetiarum dominio

A nio cum potestate Cardinalis Legati de Latere, Legato Apostolico : in cujus manibus dictus Ignatius de Loyola paupertatem vovit perpetuam solemnitatibus, in similibus observari solitis, debitè observatis. In quorum omnium fidem ac testimonium præsentes literas fieri, ac per notarium infrascriptum, sigillique nostri appensione muniri fecimus. Datum Venetiis in capella habitationis nostræ, anno à Nativitate Domini MDXXXVII, die verò XXVII supradicti mensis Junii. *Et additur:* Presbyter Jacobus de Zambellis Venetus notarius, reverendissimi Domini Legati Apostolici, & dicti reverendi Domini Episcopi Arbensis mandato, subscripsi. *Appensum est sigillum, inclusum in ferro albo, & impressum in cera Hispanica rubra.*

quale etiam fuit datum Sancti sociis.

251. Extant hîc etiam, *inquit P. Ignatius Pinius in monumentis Romanis, quæ huc misit*, episcopi ejusdem testimonia originalia data Bobadillæ, Laynez, Salmeroni, Codurio. S. Franciscus Xaverius & Simon Rodericus haud dubiè secum sua testimonia detulerunt in Lusitaniam, dum illuc missi fuerunt. Testimonia data Bobadillæ, Laynez, Salmeroni, Codurio, sunt quoad B omnia omnino similia illi, quod datum fuit S. Ignatio : præterquam quod in testimonio dato Laynez addatur, hunc x Junii etiam insignitum fuisse charactere clericali. Idemque additur in testimonio dato Salmeroni : sed in hoc ultimo non fit mentio collati presbyteratus, fortassis errore secretarii tot simul testimonia scribentis. (Sane IV Novembris anni ejusdem jam fuisse presbyterum, mox patebit :) vel forsan quia XXIV Junii necdum attigerat annum ætatis XXIII. Petrus Faber, Claudius Jaius, Paschasius Broet diu jam antea erant sacerdotes. *Sic ibi. Et verò Salmeron anno 1537, die XXIV Junii, nondum attigerat annum ætatis vigesimum tertium, ex dictis paullo antè.*

Facultas ubivis celebrandi, Sacramenta ministrandi &c. ipsis conceditur :

252 *Subdo hisce facultatem ubivis celebrandi, Sacramenta ministrandi, prædicandi, sacras Litteras interpretandi, confessiones audiendi, in toto dominio Veneto, cum insigni laudum præconio.* Hanc, *scribit idem Pinius*, S. Ignatio, Fabro, Jaio, Laynez, Broeto, Bobadilla, Codurio concessit Hieronymus Verallus Legatus à Latere in dominio Veneto, anno MDXXXVII, V Julii. Extant hîc originalia instrumenta singulis data, quoad omnia ejusdem omnino tenoris cum Ignatiano ; *quod ex papyraceo, sed originali tamen exemplo transcriptum habetur inter monumenta nostra Romana, & sic sonat :* Hieronymus Verallus, sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, sanctissimi Domini nostri Papæ notarius, capellanus, & Prælatus domesticus, ac in toto Venetorum dominio cum potestate Cardinalis Legati de Latere, Legatus Apostolicus, dilecto nobis in Christo Ignatio de Loyola, presbytero Pampilonensis diœcesis, in Artibus magistro, salutem in Domino sempiternam. Dignum & conveniens arbitramur, ut Christi fidelium quorumlibet, illorum præsertim, quos sacrarum Litterarum peritia decorat, vitæque ac morum honestas laudabiliter recommendant, quantum nobis ex legationis nostræ, quâ meritis licet insufficientibus fungimur, officio permittitur, devotis petitionibus annuamus, illosque gratioso favore prosequamur.

cujus testimonium

253 Hinc est, quod nos volentes te ob præclara virtutum dona, ac sacrarum Litterarum peritiam, quibus te novimus insignitum, benevolo favore prosequi, ac sperantes, quod per tuæ diligentiæ studium te adeo fideliter & sollicitè geres, ut Christi fideles tuis prædicationibus assistentes, tuis monitis & exemplis in mandatorum Dei observantia firmiùs corroborabis, Apostolica auctoritate, qua fungimur, tibi, ut in quibuscumque ecclesiis & locis, monialium dumtaxat exceptis, ad id idoneis, legationi nostræ subditis, ubi benevolos inveneris receptores, Missas, & alia divina officia celebrare, ecclesiastica Sacramenta ministrare, ac euangelicam legem verbumque Dei, Christi populo prædicare, sacrasque Litteras publicè & privatè legere & interpretari, nec non omnium & singulorum utriusque sexus Christi fidelium, intra limites legationis nostræ hujusmodi degentium, ad te recurrentium confessiones audire, &, illis per te diligenter auditis, ipsos, & eorum quemlibet ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, in quibus patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, & alii locorum Ordinarii de jure vel consuetudine aut aliàs absolvere possunt, quoties opportunum fuerit, per te ipsum absolvere, & eis pro præmissis pœnitentiam salutarem injungere, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum Ordinariorum locorum licentiâ per te priùs requisitâ, licet non obtentâ, liberè & licitè valeas, tenore præsentium indulgemus ; E

hîc exhibetur.

254 Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Venetiis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo septimo, die quinta Julii, pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli, divina providentia Papæ III, anno tertio. Hieronymus Verallus Legatus. *Et apponitur sigillum in cera Hispanica rubra.* Visæ per me Hieronymum Ziliolum, juris utriusque doctorem, canonicum Vincentinum, & in episcopatu Vincentino vicarium substitutum, die sexta Septembris MDXXXVII. Gratis pro Deo. Christophorus Fournau. *Hæc ibi.* Idem eodem modo concessit Salmeroni MDXXXVII, IV Novembris. Erat ergo tunc presbyter, cum ut presbytero Legatus tunc dederit facultatem ubivis CELEBRANDI, CONFESSIONES AUDIENDI &c. Eadem haud dubiè concessit S. Francisco Xaverio, & Roderico : sed instrumenta hîc non extant, *inquit Pinius ; quæ illi secum detulerint in Lusitaniam : ut paullo antè de alio eorum testimonio dictum est.* F

AUCTORE J.P.

§ XXV. Declarata Sancti adversus criminationes innocentia ; primitiæ sacræ ubi & quando celebratæ.

Declarata apud Venetos

De calumniis adversùs sanctum Virum apud Venetos sparsis, ac declarata ipsius innocentia, tractant Vita à Ludovico Consalvo conscripta num. 93, nec non Ribadeneira lib. 2, cap. 6 sub finem. Sententiæ autem, quâ Ignatii integritas à Legato per judicem suum ordinarium patefacta est, apud nos, *ait Ribadeneira*, exemplum est. *Exhibeo illud è nostris tabularii Romani monumentis :* In Christi nomine. Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo trigesimo septimo, indictione X, die verò Sabbati,

AUCTORE J. P.

tertia decima menſis Octobris, pontificatûs autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli, divinâ providentiâ Papæ III, anno tertio. Nos Gaſpar de Dottis, decretorum doctor, canonicus Torcellanus, protonotarius Apoſtolicus, nec non reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Hieronymi Veralli, ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoris, ſanctiſſimi Domini noſtri notarii capellani, prælati domeſtici, & per totum Venetorum dominium cum poteſtate Legati Cardinalis de Latere, Legati, ejuſque Palatii cauſarum vicarius in ſpiritualibus generalis:

S. Ignatii innocentia,

256 Volentes & intendentes, dante Domino, decidere & fine debito terminare cauſam inquiſitionis ex officio factæ contra & adversùs quemdam presbyterum Ignatium de Loyola, occaſione quorumdam dictorum, datorum, & ex officio inquiſitorum: viſa igitur in primis inquiſitione noſtra ex officio, ut dicitur, contra ipſum P. Ignatium facta; viſa comparitione ipſius coram nobis ex officio noſtro voluntaria; viſo decreto noſtro de recipiendis teſtibus ſuper præmiſſis pro

B

informatione curiæ; viſo termino dato univerſis & ſingulis contra dictum P. Ignatium opponere, dicere, & deducere volentibus; viſis teſtium depoſitionibus, ac dictis pro parte curiæ receptorum; viſa oblatione in judicio facta ipſius P. Ignatii, ac obligatione de ſe præſentando toties quoties &c.; viſis defenſionibus ipſius P. Ignatii; viſa citatione ac termino dato univerſis & ſingulis contra dictum P. Ignatium aliquid deducere volentibus, & citatione facta pro hac die & hora ad audiendum ſententiam, & pronuntiationem noſtram, ac viſis omnibus & ſingulis videndis, & conſideratis, quæ merito conſideranda fuerunt, Chriſti nomine repetito, à quo omne judicium optimum, & ſpiritus judicantium ad veritatem propalandam impelluntur:

edito ſuper hac re publico teſtimonio;

257 Nos Gaſpar, doctor canonicus, protonotarius & vicarius ſupradictus, per ea quæ vidimus & diligenter inſpeximus, quæ noſtram movere, & cujuſcumque recti judicis mentem movere poſſunt, dicimus, declaramus, pronuntiamus, & diffinitivè ſententiamus in hunc, qui ſequitur, modum: videlicet, quia dicimus & pronuntiamus prænominatum Dominum P. Ignatium de Loyola à quibuſcumque omnibus & ſingulis dictis datis, ac nobis & officio noſtro ſuſurratis, tamquam frivolis, vanis & falſis fuiſſe & eſſe abſolvendum & liberandum, prout per præſentes abſolvimus, & liberamus, omnibus & ſingulis, de quibus in proceſſu, ſilentium imponendum, prout imponimus, declarando prædictum P. Ignatium fuiſſe & eſſe ſacerdotem bonæ & religioſæ

C

vitæ, ac ſanæ doctrinæ, nec non optimæ conditionis & famæ, qui in civitate Venetiarum uſque in hodiernum diem, doctrinam & bona exempla docuit: & ita dicimus, pronuntiamus, ſententiamus, abſolvimus, & declaramus omni meliori modo, quo poſſumus, atque debemus. Laus Deo.

quod hîc datur.

258 Lata, data, lecta & promulgata fuit ſupradicta diffinitiva ſententia per R. Dominum vicarium ſupradictum pro tribunali ſedentem, anno, indictione, menſe, die & pontificatu, quibus ſuprà, præſentibus Dominis Bartholomæo de Ceſis, & Julio Odoardi camerariis prædicti reverendiſſimi Domini Legati teſtibus vocatis & rogatis.

Ego Hieronymus Thadeus q. d. Petrutii, clericus Tranenſis diœceſis, publicus Apoſtolica & imperiali [auctoritate,] ac prædicti reverendiſſimi D. Legati, & reverendi Domini vicarii notarius: Quia ſupradictæ diffinitivæ ſententiæ, ac omnibus & ſingulis in ea contentis unà cum prænominatis teſtibus præſens fui ac ſcripſi, ideo in fidem præmiſſorum me manu propria ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum. *In margine habetur prædicti notarii ſignum, & in medio ſigni, ejuſdem ſubſcriptio H. T. Obſervat Pinius, ſententiam eſſe ſcriptam manu eadem, quâ hoc teſtimonium notarii. De hoc D. Vicario Gaſpare de Doctis, Doctо ſeu Doctio, Maffeius lib. 2, cap. 2 in fine, & ibidem cap. 8; Ribadeneira lib. 2, cap. 14; Orlandinus lib. 1, num. 121, & lib. 14, num. 23. De tempore, quod præparationi ad primitias ſacras inſumpſit* S. Ignatius, *hæc occurrunt.*

D

Locus ac tempus primitiarum;

259 Statuerat, *inquit Vita Conſalviana num. 96*, poſt acceptum ſacerdotii gradum, ad unum annum differre primi Sacrificii oblationem, ut interim ad id ſe compararet, rogaretque beatiſſimam Virginem, ut eum cum Filio ſuo poneret. *Conſonat in tempore Ribadeneira lib. 2, cap. 11, dicens:* Sacerdotio jam decoratus integrum anni ſpatium ad ſe præparandum animumque magis colligendum ſumpſit. *Ex iſtius auctoris Vita Hiſpanica Matritenſi anni 1594, lib. 2, cap. 11 habemus, Sanctum ſacris Ordinibus initiatum exſpectaſſe anno uno cum dimidio, antequam primitias celebraret: ubi paullo antè præmiſerat idem Vitæ ſcriptor, eum ſerius, quàm cogitarat, id feciſſe. Carnolius cap. 13 ex ipſiuſmet Sancti chirographo contigiſſe indicat primitias anno 1538; quibus etiam aſſignat locum, ſacellum nempe præſepii Chriſti, ad S. Mariam Majorem Romæ; ac menſem & diem definit, quando ponit Natalis Domini noctem cum die Mercurii concurrentem. Unde ſi retrocedas ad diem* XXIV *Junii anni 1537, quibus ſacerdos fuit conſecratus; jam lucet temporis intercapedo, de qua diſſerimus. Præceſſerat circa locum Maffeius lib. 2, cap. 4,* Romæ, *inquiens,* ſacrificandi fecit initium, ad ipſum præſepe & incunabula Chriſti Domini, quæ in æde ſacratiſſima B. Mariæ ad Nives religioſè coluntur. *Verùm hæc ſolidè aliunde corroborari poſſunt ex Ribadeneira.*

E

quæ ex reſponſis Ribadeneiræ

160 *Exſtat in tabulario noſtro Romano epiſtola Italica P. Nicolai Orlandini ad P. Petrum Ribadeneiram, continens quædam dubia circa Vitam* S. Ignatii *ab ipſo ſcriptam. Epiſtola mitti ſignificatur Româ die* XVIII *Decembris 1598; & Matrito die* XII *Martii 1599 à P. Ribadeneira ipſimet Orlandino remitti, Italis item reſponſionibus marginalibus propria manu adſcriptis. Ex dictæ epiſtolæ apographo Româ huc miſſo extraho ſequentia. Dicit, ait Orlandinus, V. R. lib. 2, cap. 11 (vide Vitam Hiſpanicam Matritenſem jamjam citatam) quod noſter Pater anno uno cum dimidio exſpectarit poſt ſuam ordinationem, antequam diceret Miſſam; dicendo illam anno 1538 in nocte Natalis ad ſanctum Præſepe: & cap. 7 ejuſdem libri oſtendit, dictam ordinationem factam fuiſſe die S. Joannis Baptiſtæ anni 1537: ita ut ſecundùm dicta Reverentiæ Veſtræ, cum debuerit noſter Pater impendere annum unum cum dimidio, ut ſe præpararet, exſpectarit uſque ad finem anni 1538. Reſpondet Ribadeneira:* Certiſſimum eſt, quod noſter Pater dixerit Romæ ſuam primam Miſſam nocte Natalis MDXXXVIII. *Intra annum 1538, inquit Orlandinus, acciderunt nonnulla, quæ clarè videntur demonſtrare, quod Pater noſter non exſpectarit tam diu; ſed quod dixerit primam Miſſam in Natali an-*

F

A *anni* 1537 ; *id eſt, menſibus ſex poſt ordinationem ſuam. Reſpondet Ribadeneira :* Natali MDXXXVII noſter Pater nondum venerat Romam. AUCTORE J. P.

ad Orlandini dubia ſibi propoſita

261 *Primum, ut pergit Orlandinus, eſt, quod mediâ Quadrageſimâ anni* 1538 *(ſicut V. R. affirmat cap.* 13 *) uniti ſint Patres Romæ, ut agerent de fundanda Societate, eamque in Religionem erigenda. Non verò eſſe credibile dicit Orlandinus, Patrem noſtrum aggreſſum eſſe rem hujuſmodi, niſi priùs per ſancta Sacrificia ſæpius conſuluiſſet Dominum, & inquiſiviſſet intelligere ſanctam ejus voluntatem. Reſpondet Ribadeneira :* Non erat neceſſarium, conſulere illum mediantibus Sacrificiis. *Inſtans Orlandinus, Tanto magis, inquit, quòd dicto cap.* 13 *V. R. hoc aſſignat, dicens :* Patres, ut in re adeo gravi certiores ſe redderent, communi omnes conſenſu ſe determinarunt, majore cum fervore orationi inſiſtere, & ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium offerre. *Nec veroſimile eſt, omnes alios id feciſſe, excepto noſtro Patre. Reſpondet Ribadeneira :* Omnes, id eſt, illi, qui

B jam celebraverant. *Secunda res, uti argumentatur Orlandinus, fuit, quod dicti Patres Romæ fuerint conjuncti, ut ſuprà, illo tempore, quo* Ignatius *fuerat in Monte Caſſino cum doctore Ortiz; & ſicut V. R. dicit cap.* 12, *quod ille* celebrando Miſſam, *vidiſſet animam Hozii ad cælum volare. Sequitur ergo, inquit, ut non exſpectarit toto anno* 1538 ; *ſed ut celebrarit, antequam congregati fuerint ad fundandam Societatem. Idque eò magis verum cenſet, quod in dicta congregatione non fit ulla Hozii mentio. Reſpondet Ribadeneira :* Ego non dico CELEBRANDO MISSAM ; ſed interpres Italus, non bene intelligens mea verba Latina & Hiſpanica. Latina ſunt, CUM REI SACRÆ DARET OPERAM ; Hiſpanica : Y deſpues eſtando en Miſſa : quæ ego deditâ opera ſcripſi, & verificantur in AUDIENDO MISSAM.

confirmantur.

262 *Opponit præterea Orlandinus, quod dicti patres Romam ingreſſi in Quadrageſima anni* 1538, *diſtributis inter ſe eccleſiis, prædicaverint, eccleſia Dominæ noſtræ Monſerratenſis ad Patrem* Ignatium *pertinente ; & ſecundùm id, quod affirmat, inquit, V. R. dicto cap.* 13, *magnum fecerint motum, atque antiquum renovarint uſum ſacræ communionis & confeſſionis. Unde non appareret credibile, hanc aliaſque iſtius momenti actiones fuiſſe peractas, & ſolum Patrem noſtrum à*

C *celebrando abſtinuiſſe toto iſto anno. Reſpondet Ribadeneira :* Non erat neceſſarium, dixiſſe Miſſam, ad prædicandum : ſufficiebat, eſſe jam ſacerdotem. Et P. Benedictus Palmius, & ego prædicavimus multis antè annis, quam eſſemus ordinati.

Aliæ ejuſdem confirmationes.

263 *His Ribadeneiræ litteris receptis, inſtitit Orlandinus, uti liquet ex difficultatibus propoſitis Patri Ribadeneiræ in litteris datis Romæ* III *Novembris anno* 1599. *Suffecerit dare Ribadeneiræ Reſponſa, Orlandini literis ab ipſo inſcripta ad marginem. Apographum à Pinio pro me tranſcriptum, & Româ acceptum ex Italico ſic interpretor :* Ego intravi in Societatem Septembri menſe, anni MDXL ; & ab illo tempore ſemper intellexi, N. B. Patrem dixiſſe ſuam primam Miſſam in Natali Domini anni MDXXXVIII. 2. Id quod ego ſcribo, fuit viſum & examinatum ab antiquioribus Patribus, & ab ipſo Patre Polanco ; & illud approbarunt. 3. Opinio communis eſt fundata in errore, qui natus eſt ex interprete Italico, qui malè traduxit id, quod ego ſcripſeram Latinè & Hiſpanicè. 4. Poſtquam primi Patres feciſſent votum Pariſiis eundi Hieroſolymam, & exſpectandi uno anno ad inveniendum tranſitum, ſicut ego dico L. 2. c. 4 ; & volentes exſpectare iſto anno, lib. 2, cap. 8 ; ac Venetias ingreſſi anno MDXXXVII, die VIII Januarii, lib. 2, cap. 7 ; neceſſariò ſequitur, ut iſto anno exſpectarint in dominio Veneto. 5. Credo, plus habebit fidei id, quod ego ſcribo, quam id, quod ſcribit P. Polancus. Quia ego plus adhibui diligentiæ, quam ille, in veritate rerum comprobanda : & annis ſex ante ipſum fui apud N. S. Patrem : dumque P. Polancus audiſſet, quod S. P. Noſter vidiſſet in Miſſa animam Hozii, credidit, id accidiſſe, quando Miſſam diceret. 6. Res illa non eſt negotium opinionis aut devotionis noſtræ, ſed facti. 7. Loquenti mihi cum P. Laynez de iſta dilatione N. B. Patris in dicenda prima Miſſa, dixit, quod Pater debuerit habere cauſam aliquam ſecretam, ad faciendum id, quod fecit. *Sed hæc plus quam ſatis : quibus ſolidè ſtant locus, menſis & annus primitiarum ſancti Parentis noſtri.*

Quibus denique ſuperadditur ipſiſmet Ignatii teſtimonium.

264 *Scripſeram hæc ; quando poſtea incidens in Spicilegium noſtrum Romanum, de quo dixi ſuperius* § 15, *inveni diem & annum ſacrarum primitiarum S. P. N., ab ipſomet ita diſertè determinatos, ut nulla amplius de his controverſia ſupereſſe poſſit. Etenim in ecgrapho fragmenti, cujus in dicto Spicilegio exemplar continetur, epiſtolæ Hiſpanicæ, quam ſanctus Pater ad Dominos Loyolæ, ſuos fratres, Martinum Garciam, & Beltranum dedit Româ die ſecunda Februarii anno* 1539, *hæc leguntur :* Die Nativitatis præterita in eccleſia Dominæ noſtræ Majoris, in ſacello, ubi eſt præſepe, in quo infans Jeſus poſitus fuit, .. dixi meam primam Miſſam. *Et ſubſcriptio ſic ſonat :* bonitatis indigus Ynigo. *Hinc collige, Patrem* Ignatium, *quando in Monte Caſſino vidit animam patris Hozii, non dixiſſe, ſed audiviſſe Miſſam : quia in Monte Caſſino fuit ante annum* 1539 ; *ſecundùm ea, quæ dicto noſtro exemplari adſcripta à P. Lancicio manu propria, teſte P. Ignatio Pinio, huc tranſtuli.*

§ XXVI. Famoſa apparitio S. Ignatio facta in agro Romano ; ingreſſus in Urbem ; tradita Exercitia. F

Apparitio hæc probatur è Vita à Consalvo ſcripta.

Apparitio hæc ita ex ſcriptoribus nota eſt, ut deſcribi hîc non debeat. Res geſta in Vita, à P. Ludovico Conſalvo ex Sancti ore accepta & ſcripta, ita num. 96 *refertur :* Cum verò quadam die aliquot antè paſſuum millibus, quàm Romam intraret, templum quoddam ingreſſus oraret, ita animum ſuum moveri mutarique ſenſit, tamque manifeſtè vidit, quod eum Deus Pater cum Chriſto Filio ſuo poneret, ut de eo dubitare non auderet, quin eum Deus Pater cum Filio ſuo poneret. *In margine noſtri apographi, quod huc miſit Pinius, & è quo nos iſta deſcripſimus, adſcripſit dictus Pinius iſta è proceſſu Matritenſi :* Viditque clariſſimè Deum Patrem, illum Chriſto Filio ſuo tradentem, ita ut non dubitaret, quin Deus illum cum ſuo Filio collocaſſet. *Auctor autem Vitæ, cujus modo verba proferebamus, mox ſubdit :* Ego, qui hæc ſcripſi, dixi Peregrino (*id eſt Ignatio*) cum mihi narraret hoc, alia quædam particulatim hac de re à Laynezio referri. Tum ille : Quidquid, inquit, hac de

AUCTORE J. P.

de re Laynezius dixerit, hoc verum fuerit: nam ego ita particulatim non memini (nempe ob visionum multitudinem locorumque diversitatem, *uti ad marginem rectè observat Pinius.*) Sed, addidit, cum illa narrarem, certò scio, me nihil nisi verum narrasse. Hæc ille de hac sua visione.

Ribadeneira, ac Lainio,

266 *Audiatur Ribadeneira in Vita nostra lib.* 2, *cap.* 11: Pater Jacobus Laines, *inquit*, cum esset Societatis nostræ Præpositus Generalis, & Romæ in conventu quodam omnium nostrûm (cui ego quoque interfui) verba faceret; in hunc ipsum modum narravit, quo à me perscripta sunt. Et ipse Ignatius dum viveret, de hac ipsa cælesti illustratione quædam interrogatus, Quærite, inquit, ex Jacobo Laine: cui, cum gesta res est, verè rem totam fideliterque narravi. *Addit insuper ista Ribadeneira:* Porro in Commentariolo quodam & Diario (in quod, dum Constitutiones scriberet, affectus in oratione suos, & spiritales quasi gustus Ignatius manu sua quotidie referebat) scriptum reperi: Talem (inquit) hodie affectum sensi, qualem cum æternus Pater me Filio suo commendavit. *P. Joannes Rhò in suo Achate pag.* 153, Ejus, *inquit*, quam ad socios Romanos anno MDLX habuit Laynius, concionis domesticæ particulam addamus ex codice illius concionum, quem in tabulario asservamus. *Ex cujus pag.* 11 *sic loquentem Laynium inducit:* Primum fundamentum hujus appellationis (*Societatis Jesu videlicet, de qua dicere ordiebatur*) illud, ut mihi videtur, Patri nostro fuit, quod nunc afferam:

B

cujus è concione, verba dantur.

267 Cum Romam Senensi via veniremus, & Pater multis spiritualibus motibus, præsertim in Eucharistia abundaret, magister Faber, & ego quotidie Sacrum faciebamus; ipse non faciebat, sed communicabat. Dixit ergo mihi impressa sibi à Deo hæc verba: EGO VOBIS ROMÆ PROPITIUS ERO: quorum cum intelligentiam nesciret Pater noster, dicebat: Ego nescio, quid nobis futurum sit. Forsan cruci Romæ affigemur. Iterum dixit, quod visus sibi esset videre Christum sublata in humeros cruce, & prope ipsum, æternum Patrem, qui illi diceret: Volo, ut hunc in servum tuum accipias. Itaque Jesus eum recipiebat, dicebatque: Volo, ut mihi servias. *Viden', quomodo Lainius, qui rem ex sancto Patre audierat, & ad quem ille de ea interrogatus, interrogantem remittebat, secundùm dicta ex Ribadeneira; viden', inquam, quomodo Lainius & rem ipsam, & rei adjuncta singillatim recenseat? Mentio de* Commentariolo & Diario *paulo ante facta ab eodem Ribadeneira, occasionem offert, nonnulla circa hunc locum notandi.*

C

E Diario item

268 *E tabulario nostro Romano huc misit P. Ignatius Pinius apographum, cui hunc titulum cum sequentibus notitiis prænotavit:* Ephemeris S. Ignatii, de qua Ribadeneira lib. 4, cap. 2 (*uti & loco suprà à nobis assignato*) & Ludovicus Gonzales in Actis S. Ignatii, ultimis lineis. Hanc cum inveniissem Italicè, describendam putavi. Postea præter spem inveni autographum Hispanicum, imo etiam interpretationem Latinam in ecgrapho Processus Compulsorialis Madritensis an. MDCVI: ubi dicitur: " Quando noster P. „ magister Ignatius scribebat Constitutiones, habuit multas & magnas visitationes Dei, & in „ oratione, Missa, & electionibus ponderabat „ & tractabat cum Domino singula puncta: inter quæ fuit unum, an ecclesiæ domorum Pro„ fessarum possent habere aliquem redditum pro„ sacristia vel fabrica; & super hoc solo puncto „ dixit 40 Missas, & annotavit in quodam qua- D
„ ternione sua propria manu, id quod Dominus „ sibi communicaverat. Cujus copia hæc est ex„ tracta ex suo originali, manu P. Didaci Xime„ nez. Petrus de Ribadeneyra cap. primo, num. 5„. *His inde citatis, sic Pinius pergit:* Ephemeris illa non tantum 40 dierum, sed multo longioris temporis annotata complectitur. *Hoc patet ex Italico exemplo, quod ante me habeo. P. Joannes Rhò suprà citatus, pag.* 151 *profert textum Hispanicum ex* S. Ignatii *adversariis: è quo ista delibo:* Veniendo en memoria quando el Padre me puso con [el] Hijo.

Sancti manu conscripto; ac Polanco;

269 *Hunc textum Latinè reddit Orlandinus, lib.* 10, *à num.* 59 *de Commentariis istis agens, ac eorum specimen præbens; & verba ista Hispanica ita vertit:* Quia recordabar ejus temporis, quo Pater me apud Filium collocavit. *Consonat dictum apographum nostrum Italicum, in quo ita lego:* Venendo in memoria, quando il Padre mi pose con il Figliolo. *Quæro jam, quid verba illa*, Recordabar ejus temporis, quo Pater me apud Filium collocavit, *significent, si non manifestè visum illud attingunt? Quonam enim alio tempore fuit* Ignatius *apud Filium à Patre collocatus, si tunc non fuerit? Jam verò Joannes Polancus, quantus in Societate vir! uti videre est ex ejusdem Societatis Historia*, in ea (*verba sunt Joannis Rhò pag.* 150) quam de Ignatii vita, & Societatis ortu atque incrementis Latinè summa fide ac diligentia Historiam composuit; quamque ego, *dicit Rhous*, anno superiore antequam Pisas venirem, Romano nostro in tabulario inspexi, cap. IV visum ipsum, & Christi Domini promissa diligentissimè prosequitur. *Polancum verò deceptum esse, vel, quod pejus est, decepisse, quis dicere præsumat sine certis testibus ac documentis, quibus dictum suum clarè ac solidè probet?* E

quibus accedunt

270 *Quid plura? Stant pro veritate præsentis facti oratio Aloysii Albritii ad Cardinales omnes anno nostro seculari à Pontifice laudata, ex Rhò pag.* 153; *tabula item Romani altaris, quam Pontifex de genu veneratus est, uti subdit idem auctor; gentium Christianarum diuturnus consensus, ac promissorum fides, pag.* 154. *Quibus adde Societatis traditionem, quæ, quia ante eam nata, deinde cum ea est adulta, confirmata ac propagata, tamdiu apud nos manet in possessione, donec gravissimis ac certis de causis ex ea deturbetur. Non deturbatur autem frivolis quibusvis sciolorum & hypercriticorum ratiunculis, aut dubitatiunculis non sufficienter fundatis. Qualis illa est, quod hujus apparitionis veritas nitatur solo & unico testimonio* S. Ignatii, *qui eam solus vidit, solus primùm retulit. Quid tum? An ideo falsa, aut suspecta? Hoc si dixeris; vide quantam ex hoc pseudo-principio fenestram aperias ad malignitates & cavillationes contra res Sanctorum, remotis arbitris gestas, & ex sola eorum narratione cognitas.* F

rationes aliæ.

271 *Neque dicas, visum, quo de agimus, in fabulis habendum, quia Romani judices illud non comprobarint: etenim hoc non est certum ad infirmanda hujusmodi facta firmamentum.* Cum enim, *sicut dicit Joannes Rhò à pag.* 149, non nisi ex videntis dicto haberi possint (quî enim aliter arcana hæc visa probantur?) illa omnia Romanæ Rotæ severitas à legitimis probationibus rejicere consuevit, ut sanctitatis jam testatæ ornamenta potiùs sint, quàm probationes. Satis igitur erit fidei, si testes viri sint omni exceptione majores, juratique: cujusmodi sunt primus Toleta-

A letanus, & ſecundus Romanus. *In Officio autem* S. Ignatii, *quod juſſu Eminentiſſimi Domini Cæſaris Cardinalis Montii, Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopi, Kalendario Ambroſiano additum, & Mediolani anno* 1647 *excuſum notatur, lectione tertia ſic habet:* Jeſum ſibi patrocinium illis verbis ſpondentem prope Urbem audivit: Ego vobis Romæ propitius ero. *Hæc de iſto facto dicenda habui; de loco autem, quo id contigit, nunc pauca accipe.*

Loci, in quo res contigit,

272 In templum deſertum & ſolum ingreſſus *&c., quæ habet Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 11; *unde intelligitur, quo loco res acciderit. Eſt mihi in manibus mappa topographica in æs inciſa Romæ, cum hoc ſuperne titulo:* Notitiæ ſacelli S. Ignatii in vico Stortæ, ubi habetur commodum celebrandi Miſſam. *Inferius repræſentatur in imagine factum famoſæ apparitionis: ad cujus latus apponitur inſcriptio marmori inciſa ſupra portam dicti ſacelli:*

D. O. M.
IN HOC SACELLO
DEUS PATER
S. IGNATIO ROMAM PETENTI
B AD SOCIETATEM JESU INSTITUENDAM
ANNO MDXXXVII
APPARUIT,
IPSUM EJUSQUE SOCIOS
CHRISTO FILIO CRUCEM BAJULANTI
BENIGNE COMMENDANS:
QUI SERENO VULTU IGNATIUM INTUENS
HIS VERBIS AFFATUS EST:
EGO VOBIS ROMÆ PROPITIUS ERO.
THYRSUS GONZALEZ
PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS,
SACELLO REFECTO, ET ORNATO,
SANCTO PARENTI
P.
ANNO MDCC.

deſcriptio.

273 *Subditur proſpectus ejuſdem ſacelli venientibus ab Urbe, ſecundùm exemplar Romanum, hìc curatum in æs incidi, prout in hoc ſchemate vides.*



Infrà proſpectum ſacelli exhibetur deſignatio viarum ab Urbe ad Stortam, triplici ad illam ex Urbe egreſſu; quorum unus ſit per portam Angelicam, alter per portam Caſtri, alter denique per portam Populi. Diſtat Storta ſex circiter milliaribus Italicis ab Urbe, id eſt duabus circiter leucis Belgicis, eamque reſpicit orientem inter ac meridiem ſibi obverſam: ab alia parte habet viam Florentinam, ſeu ſecundùm id, quod ſupra ex Lainio audivimus, Senenſem. Româ ad Stortam rectiùs atque adeo breviùs itur per portam Angelicam, ſecundùm dictam deſignationem.

274 *Ingreſſus in Urbem accidit quidem Octobri menſe anni* 1537, *ex Orlandino lib.* 2, *num.* 32; *ſed ſuperius* § 25 *num.* 248 *ex verbis Ribadeneiræ, die* Natali, *anno* MDXXXVII noſter Pater nondum venerat Romam. *Quo autem preſſè indiviſuo tempore eò venerit, malo diſcere, quam docere. Hoc conſtat, quod ibi fuerit tempore Quadrageſimæ, ſecundum ea quæ dicit Ribadeneira lib.* 2 *cap.* 13: *ubi ſic ſcribit:* Ad mediam Quadrageſimam anno MDXXXVIII Romam Patres omnes ad Ignatium conveniunt. *Adde:* Interim Ignatius, *narrante Maffeio lib.* 2, *cap.* 6, proximorum ſaluti de more operam navabat cum aliis artibus, tum vero ſpiritualibus præſertim Exercitationibus.. Quibus ille per eos dies, præter ceteram turbam, inſignes aliquot viros diligenter excoluit. In iis Gaſparem Contarenum Cardinalem, graviſſimum ſenatorem; eumdemque temporibus illis (quod ejus varia monumenta præclarè teſtantur) ingenii & doctrinæ facilè principem. Is Ignatii prudentiâ & conſuetudine uſque adeo captus eſt, tantumque ejus præceptis conſiliiſque profecit, ut qualem dudum optavetat animi regendi moderandique magiſtrum, denique ſe Dei beneficio nactum eſſe affirmaret. Idemque tradita ſibi Exercitia (quod exemplum apud heredes hodieque aſſervari perhibent) ſua ipſe manu perquam accuratè deſcripſit. *Agit etiam de hac re Orlandinus lib.* 2, *num.* 34. *Excoluit præterea ſanctus Pater commentationibus ſuis ſacris Petrum Ortizium, virum graviſſimum: de qua re Ribadeneira ac Maffeius; quibus adde Orlandinum, qui hanc narrat ad annum* 1538. *Verùm ſeceſſus Ortizii in Montem Caſſinum, quò ſe abdiderat, ut, remotis interpellatoribus, majore cum fructu ſub directione* Ignatii, *ſpiritualibus ejus Exercitiis vacaret; ſeceſſus, inquam, ille anſam dedit fabellæ in nonnullorum cerebello formatæ de Albanetana* S. Ignatii *inſtitutione; quam confutare jam aggredimur.*

AUCTORE J. P. *Sancti in Urbem ingreſſus, tradita Exercitia.*

E

§ XXVII. Albanetana apud monachos Benedictinos Sancti in condendis Societatis Jeſu Conſtitutionibus inſtitutio commentitia; primorum Patrum de conſtituenda Societate deliberationes.

F

Exercitia Ortizio in Monte Caſſino ab Ignatio tradita dedere occaſionem huic fabellæ;

Sanctiſſimi Parentis noſtri cum Petro Ortizio commentationibus ſacris excolendo ſeceſſus occaſionem dedit inani commento, quo nonnullis placuit aſſerere, quod Vir ſanctus à monachis Benedictinis inſtructus leges ibi Societatis noſtræ ſeu Conſtitutiones ex eorum regulis ſeu legibus condiderit. Domnus Benedictus Haeftenus Diſquiſitionum monaſticarum lib. 2, *tractatu* 6, *diſquiſitione* 5 *ſic ſcribit:* In Caſſinate monte Societatis ſuæ regulas conſcripſit, ibique, ut Antonius Scipio in Elogiis abbatum Caſſinenſium prodidit, tum libris, qui opus eſſent, tum unius alteriuſve monachi ſubſidio, à præſide inſtructus, ad Albanetam ſe contulit, locum in eodem Caſſinati ſaltu quingentos circiter paſſus à primario cœnobio disjunctum. *Præceſſerat Arnoldus Wion in Ligno vitæ lib.* 1, *cap.* 1 *hæc referens:* Ignatius Loiola.. ſuos, quos condere volebat, ita ex hujus (*intellige*

AUCTORE J. P.

Benedictinæ) regulæ institutis formavit (Casini enim positus, montem illum contemplationis aliquot mensibus habitavit; ibique velut alter Moyses & legislator secundas religiosarum legum tabulas primis non absimiles composuit) ut brevissimo intervallo *&c. Cujusdam etiam Benedictini scriptum, à se Romæ inventum ac transcriptum misit huc unà cum aliis documentis Romanis P. Ignatius Pinius, hoc titulo ei præfixo*: De S. Ignatio Loyola, Societatis Jesu Regulas apud Albanetam condente; *sed* assertum suum, *sicut idem Pater rectè observat*, ne probare quidem conatur auctor Benedictinus ille. *Quibus nugis suffragatur reverendus Pater Fr. Franciscus de Berganza, in Antiquitatibus Hispaniæ propugnatis part. 2, lib. 8, cap. 3, num. 31 scribens, quod Sanctus se receperit ad Prioratum S. Mariæ de Albaneta, passibus quingentis distantem à sua ædi matrice monastica; quodque ibidem sanctorum Patrum ac præcipuè S. Benedicti regulis instructus, suam composuerit regulam & Constitutiones.*

B quæ rejiciuntur ex variis argumentis,

276 *Miseret me savè bonorum istorum virorum credulitatis, quia video eos versari in errore tam crasso, ac in pura puta fabella operam ponere. Id quod assero, sic probo.* 1. *Quisnam ex scriptoribus, qui &* Ignatii *& Societatis res gestas accuratè ac penitus inspexerunt ac perscrutati sunt, factum illud vel primoribus digitis attigit? Dicit Vita Consalviana num.* 98: Româ abscessit aliquando Peregrinus (*id est Ignatius*) in Cassinum montem, ut doctori Ortiz traderet Exercitia: & quadraginta dies (*non aliquot menses, ut volebat Wion*) ibi egit. *Vide etiam Ribadeneiram lib.* 2, *cap.* 12. *Secundò. Factum illud convellitur manifestè ex Originali commentario, pro Historia Societatis Jesu misso ex provincia Lugdunensi anno* 1599, *qui ex fide P. Ignatii Pinii, atque ex ipsius transcriptione, inter alia documenta è Romano nostro tabulario desumpta, tradit hæc:* Initium faciet P. N. felicis recordationis Ignatius; de quo patris Annibalis à Codreto hæc verba sunt: Quo tempore scribebat Constitutiones R. Pater Ignatius, nullum vidi librum in ejus cubiculo totis septem mensibus, quibus ei inservivi, præter Missale diebus illis, quibus Sacrificium offerre volebat; sed per noctem se Deo commendans, manè, quæ Deus inspiraverat, ipse scribebat. Cum autem essent sereni dies, ut hoc quietiùs faceret, secedebat in hortum

C cujusdam Romani, quem ad hoc ipsum mutuò ab eo petierat; ibique positâ mensâ in medio horti, ac scriptorio & charta tantùm, scribebat quæ occurrebant. *An in his vel per umbram relucet Albanetica fabula?*

quæ hîc

277 *Tertiò. Quando sanctus Pater condebat Societatis Jesu Constitutiones, jam celebraverat suas primitias; sicut conficitur ex Ephemeride ejus citata paragrapho proximè antecedente, ubi de quadraginta ejus Missis &c. Idem sine ulla tergiversatione admitti debet è Vita* S. Ignatii, *quam Ludovico Consalvo dictavit ipsemet; in cujus fine præter Missas quadraginta occurrunt ista:* Ratio, quam observabat in condendis Constitutionibus, ea erat, ut QUOTIDIE MISSAM DICERET, & Deo proponeret seu offerret punctum, quod tractaret. *Atqui quamdiu* Ignatius *tradendis Ortizio spiritualibus Exercitiis vacabat in Montè Cassino, nondum tunc dixerat primam Missam: nam Orlandinus lib.* 2, *num.* 36 *secessum* Ignatii *in Montem Cassinum cum obitu Hozii connectens* (*id quod etiam faciunt Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 12, *& Maffeius lib.* 2, *cap.* 6) *sic ait:* Per id tempus, cum in hoc secessu Ortizio adesset Ignatius, Patavii baccalaureus Hozius .. brevi morbo solutus corpore, ad Deum abiit. *Hæc autem duo eventa innectit anno* 1538: *& aliunde in Menologio Ms. Societatis nostræ, in quo habetur elogium prædicti Hozii, ex Italico Flandricè redditum, ad diem* XIII *Martii lego:* Hoc circiter tempore (dies enim propriè incognita est) felix transitus P. Jacobi Hosii. *Obiit ergo Hozius anno* 1538, *die circiter ac mense prædictis, secundùm dicta.* Ignatius *verò celebravit suam primam Missam anno* 1538 *in Natali Domini, ex dictis* § 25. *Consequens itaque est, ut, quia necdum primitias celebraverat, quando in Monte Cassino erat cum Ortizio, ac Hozii animam tunc ibi videbat, Societatis leges seu Constitutiones ibidem tunc non condiderit. Imo verò Orlandinus eodem num.* 37 *testatur, quando obiit Hozius, nondum maturum tempus fuisse ad conficiendas Constitutiones; nam* elatus est, *inquit*, paulo antè, quam de Religione deliberari cœptum est. *Scripseritne* Ignatius *Religionis suæ Constitutiones, antequam de ea constituenda maturè deliberatum fuerat?*

D

E

contra eam

278 *Quartò. Instituti Societatis prima formula Pontifici proponitur & vivæ vocis oraculo comprobatur anno* 1539, *ex Orlandino lib.* 2, *num.* 57, 82 *&* 83; *vide insuper Ribadeneiram lib.* 2, *cap.* 17; *ac demum publicis sanctæ Sedis tabulis in religiosum Ordinem erigitur eadem Societas anno* 1540: *itaque, si Albanetanæ fabulæ assertoribus habemus fidem, jam tum anno* 1538 *debuisset juxta dicta, Societatem temperare legibus Fundator ejus, priusquam nata esset. Quis hoc credat?* 5. *Quæ Orlandinus ad annum* 1550 *fideliter, accuratè ac distinctè enucleat, graphicè notatis scriptionis, temporis, locorum, personarumque adjunctis circa modum, ordinem, totamque œconomiam, quam* Ignatius *in concipiendis, condendis, ac recensendis Constitutionibus tenuit; hæc sola sufficere deberent, ad dissipandos inanes illos institutionis Albanetanæ fumos.* 6. *His verò verbis, in proœmio, quo suas Constitutiones orditur sanctus Pater, contentis:* Quia Christi Domini nostri Vicarius ita statuit, .. necessarium esse arbitramur, Constitutiones conscribi; *nonne apertè indicat, scribere se Constitutiones jussu Vicarii Christi, atque adeo post approbatam anno* 1540 *à Vicario Christi solenni ritu Societatem, non autem anno* 1538?

F

asseruntur.

279 *Septimò. In Ephemeride* S. Ignatii *supra citata lego hæc:* Questo dì anco andando per la CITTA: *id est*, Hoc die etiam dum iret per Urbem. *Non erat ergo in Monte Cassino, sed Romæ, quando ista scribebat; scribebat autem ista, quando condebat Constitutiones, ex suprà dictis.* 8. *Institutum Ordinis Benedictini ac Societatis nimiùm differunt inter se, quam ut hoc ex illo derivatum dici queat. Hoc argumentum sic deducit P. Joannes Rhò pag.* 50: Benedictinis certa sedes, monasteriorum adoptio: nobis nusquam firmas sedes esse debere, statim initio Summarii Constitutionum cavetur. De illorum habitu accuratè in regula aut certè legibus: nullum nobis ex regula certum vestis genus. Illis non exiguæ in publica psalmodia opes: nobis odeum nullum. De prædicatione divini verbi tacent illorum leges: ea præcipuus nobis labor. Illis præscripta abstinentiæ formula: nobis uniuscujusque arbitrio permissa. De academiarum ratione nihil Benedictus: de his pluribus agit Ignatius. Nobis absolutissima placet monarchia: longè diversa monachis est for-

forma reipublicæ. Superiores illi in comitiis creant : nobis Præpositus Generalis imponit. *Plurima alia puncta, soli Societati propria, characteristica, ac substantialia, per quæ utpote ab aliis omnibus Ordinibus ipsa secernitur ; quidnam aliud clamant, quàm quod nec ex Benedictino, nec ex alterius Ordinis instituto Societatis Jesu Fundator prompserit suas Constitutiones ? Puncta autem illa dabuntur inferiùs* § 30 & 31. *Hæc mihi videntur plus quam sufficere pro confutatione hujus Albanetanæ ineptiæ, quæ quarto loco posita inter illas, quas Joannes Rhò in Achate ad D. Constantinum Cajetanum monachum Cassinatem, & S. Baronti abbatem direxit, ibidem ab eodem auctore refellitur à pag.* 23. *Scripsit igitur* S. Ignatius *suas Constitutiones Romæ in domo Professa ; non Albanetæ ; nam quando anno* 1538 *degebat in Monte Cassino, res illa erat tunc nimis præmatura; uti liquet ex gestis anno* 1539 ; *de quibus nunc dicam.*

Variæ ac seriæ primos inter patres habentur deliberationes,

280 *Vita Sancti apud Ribadeneiram lib.* 2, *cap.* 13 *narrat, quomodo patres omnes simul Romæ de Societate constituenda deliberarint. Quæ ibi habet dictus auctor, declaramus, confirmamus & illustramus è monumentis tabularii nostri Romani, à sæpius jam nominato rerum* Ignatianarum *ibidem eruderatore descriptis atque huc missis : inter quæ ponitur exemplum Latinum, cujus materiem intelliges ex hoc, qui eidem prænotatur, titulo :* Deliberatio & determinatio primorum patrum de constituendo inter se uno corpore seu societate ; ita ut, etiam postquam à summo Pontifice missi essent in varias mundi partes, nulla quantumcumque magna separatio locorum ipsos divideret: & de emittendo voto obediendi alicui è Societate &c. *Et subduntur hæc, ex narratione paulò longiore excerpta :* Proximè elapsâ Quadragesimâ, cum instaret tempus, in quo oporteret nos ab invicem dividi ac separari, quod etiam summis desideriis exspectabamus, ut citiùs ad præfixum & præcogitatum à nobis finem vehementerque desideratum perveniremus ; decrevimus per multos ante separationem dies inter nos convenire & tractare invicem de hac nostra vocatione ac vivendi formula. Quod cum pluries fecissemus, .. solicitique essemus ac vigilantes, ut aliquam viam plenè aptam inveniremus, per quam incedentes nos ipsos in holocaustum offerremus Deo nostro; in cujus laudem, honorem ac gloriam cederent omnia nostra ; tandem decrevimus, & concordi sententia statuimus, orationibus & Sacrificiis & meditationibus ferventius solito instare...

C

*separandine éssent, an congregati manerent in unum corpus ; * id est,* post occasum solis, *phrasi Italica.*

281 Cœpimus igitur humanos nostros conatus impendere, & proponere, inter nos aliquot dubia..., de quibus per diem cogitare, & meditari, & per orationes etiam investigare solebamus : & noctu * quisque id, quod rectius & expedientius judicaverat, in medio proponebat.. Prima nocte qua convenimus, propositum fuit hoc dubium, an expediret magis, postquam nos vitamque nostram Christo Domino nostro, & ejus vero ac legitimo Vicario in terris obtuleramus & dedicaveramus, ut ille de nobis disponat mittatque eò, ubi plus judicaverit nos posse fructificare, sive sint... *. Indi sive hæretici, sive alii quicumque, fideles vel infideles : an, inquam, magis expediret, nos ita esse inter nos devinctos & colligatos in uno corpore, ut nulla quantacumque magna corporum divisio nos separaret ; an fortè non ita expediret..

** deest in instrumento vox aliqua.*

282 Tandem diffinivimus partem affirmativam : Scilicet quod, postquam clementissimus ac pientissimus Dominus dignatus fuerat nos ita infirmos, & tam ex diversis regionibus & moribus natos, invicem unire & congregare, quod non deberemus Dei unionem & congregationem scindere ; sed potius indies confirmare & stabilire, reducendo nos ad unum corpus, ... ad majorem fructum animarum ; cum etiam virtus ipsa unita plus roboris & fortitudinis habeat ad quæcumque bona ardua prosequenda, quam si esset in plures partes dispersa. In his tamen omnibus, quæ dicta sunt & quæ dicentur, ita intelligi volumus, ut nihil penitùs ex proprio nostro spiritu & capite afferamus, sed solùm, quidquid id sit, quod Dominus inspiraverit, & Sedes Apostolica confirmaverit ac probaverit. AUCTORE J. P. *quod ultimum placuit.*

An emittendum esset votum obedientiæ,

283 Decisо & resoluto primo hoc dubio, perventum est ad aliud, ... an scilicet, postquam nos omnes emiseramus votum castitatis perpetuæ & votum paupertatis, in manibus reverendissimi Legati suæ Sanctitatis, cum ageremus Venetiis; an, inquam, expediret, emittere tertium, scilicet obediendi alicui ex nobis, ut sincerius & majori cum ... merito possemus per omnia implere voluntatem Domini Dei nostri... Ad hujus dubii solutionem cum multis diebus orationi instaremus ac rogitaremus, nihilque occurreret, quod impleret animos nostros, cœpimus inter nos agitare aliqua media ad meliùs solvendum dubium. Et primò. An non expediret, omnes nos ad eremum aliquam secedere, ibique manere per triginta vel quadraginta dies meditationibus, jejuniis & pœnitentiis vacantes ad hoc quod Dominus exaudiret desideria nostra .. An vero tres vel quatuor omnium nomine eò pergere deberent ad eumdem effectum .. Statuimus, quod omnes maneremus intra Urbem duabus præsertim de causis : prima, ne fieret rumor & scandalum in civitate & in populo, qui judicaret... nos vel fugam cepisse vel aliquid novi moliri, vel parum firmos esse & constantes.. Secunda, ne interim per absentiam jactura fieret fructûs, quem tunc magnum videbamus fieri in confessionibus, prædicationibus, & in aliis spiritualibus exercitiis, & adeo magnum, quam si fuissemus in numero quadruplo plures quam eramus, non poteramus omnibus, sicut nec modo, satisfacere. E

eò adhibitis animi præparationibus,

284 Secundum, de quo cœpimus agitare ad inveniendam viam solutionis, fuit proponere omnibus & omnium cuilibet tres sequentes animi præparationes. Prima est, quod unusquisque ita se præpararet, ita orationibus, Sacrificiis & meditationibus vacaret, ut niteretur in inveniendo gaudium & pacem in Spiritu sancto, circa obedientiam, quantum ex se est, laborans, habere voluntatem magis affectam ad obediendum, quàm ad præcipiendum, ubi par Dei gloria & suæ majestatis laus sequeretur. Secunda animi præparatio est, quod nullus ex sociis apud alterum sócium hac de re verba faceret, vel quæreret ab eo rationes, ut nulla alterius persuasione alius traheretur & flecteretur magis ad obediendum, quam ad non obediendum, vel contra ; sed unusquisque id solum quæreret, quod ex oratione & meditatione tamquam expedientius hausisset. Tertia, quod quilibet reputaret seipsum alienum ab hac nostra congregatione, & in quam numquam expectaret recipi, ut ex hac consideratione nullis prorsus affectibus feratur ad magis ita opinandum & judicandum, sed quasi alienus liberè proferat suam sententiam .., per quam credit majus Dei futurum servitium, & tutiorem societatis conservationem permansuram. F

285 His

AUCTORE J. P.

285 His præviis animi diſpoſitionibus ordinavimus, quod die ſequenti omnes præparati accederemus, dicturi quilibet ea omnia incommoda, quæ fieri poſſent contra obedientiam, omnes rationes, .. quas quiſque noſtrûm ſeparatim cogitando, meditando, orando invenerat. Et quilibet ordine ſuo proferebat. Exempli gratiâ dicebat unus. . Si volumus vivere ſub obedientia, cogemur fortè à ſummo Pontifice ſub alia regula jam facta & conſtituta vivere, quo fieret, ut, cùm non ita daretur opportunitas & locus operandi circa ſalutem animarum, cui unicæ rei poſt noſtri ipſorum curam intendimus, fruſtrarentur omnia deſideria noſtra, judicio noſtro, Domino Deo noſtro accepta... Alia verò die proximè ſequenti diſputabamus in contrarium, adducentes in medium omnia commoda & fructus ipſius obedientiæ, quos quiſque in oratione & meditatione hauſerat, & quilibet ſuo ordine proferebat meditata... Exempli gratiâ aliquis ita deducebat rem ad abſurdum... Si congregatio hæc noſtra abſque ſuavi obedientiæ jugo haberet curam rerum agibilium, nullus haberet curam exactam.. Item ſi hæc congregatio eſſet ſine obedientia, non diu poſſet permanere & perſeverare: quod tamen pugnat contra primam noſtram intentionem conſervandi perpetuò noſtram ſocietatem.

& variis rationibus

B

286 Cum ergo nulla re magis conſervetur congregatio aliqua quam obedientiâ, videtur nobis neceſſaria; maximè nobis, qui vovimus perpetuam paupertatem, & verſamur in aſſiduis & jugibus laboribus tam ſpiritualibus quam temporalibus, in quibus minus conſervatur ſocietas. Dicebat alius ſic: Obedientia parit virtutes heroicas, etiam continuas. Nam qui vivit verè ſub obedientia, eſt promptiſſimus ad exequendum quæcumque ſibi injungentur, ſive illa eſſent difficillima, ſive confuſiones & riſum & ſpectaculum mundo generantia ... Item nihil ita proſternit ſuperbiam omnem & arrogantiam, quam obedientia. Nam ſuperbia magni facit & ſequitur proprium judicium ac propriam voluntatem, nulli cedens, ambulans in magnis & mirabilibus ſuper ſe: contra verò per diametrum pugnat obedientia; ſemper enim ſequitur judicium alienum & voluntatem alterius, omnibus cedit, & humilitati, quæ eſt inimica ſuperbiæ, quam maximè ſociatur. Et quamvis nos ſummo Pontifici ac paſtòri donaverimus omnem obedientiam, tam univerſalem quam particularem: tamen circa particularia noſtra & contingentia, quæ ſunt innumera, non poterit, nec, ſi poſſet, deceret illum vacare.

propoſitis & expenſis

C

287 Poſtquam ergo multis diebus plurima hinc & inde agitavimus circa ſolutionem dubii, penſando & examinando rationes gravioris momenti & efficaciores, vacando exercitiis ſolitis meditationis, orationis, cogitationis; tandem, Domino præſtante auxilium, non per plurium vocum ſententias, ſed nullo prorſus diſſidente concluſimus, nobis expedientius eſſe & magis neceſſarium, præſtare obedientiam alicui ex noſtris, ut meliùs & exactiùs prima noſtra deſideria implendi per omnia divinam voluntatem exequi poſſimus, & ut tutiùs conſervetur ſocietas, & tandem ut negotiis occurrentibus particularibus, tam ſpiritualibus quam temporalibus, decenter provideri poſſit. Servato ſimiliter eodem ordine diſcutiendi & procedendi in reliquis omnibus, ſemper in utramque partem agendo, immorati ſumus in his & aliis per tres fere menſes, à medio Quadrageſimæ uſque ad feſtum Joannis Baptiſtæ inclusivè; quo die omnia ſuaviter & concordi animorum conſenſu terminata & finita ſunt, non ſine magnis vigiliis, orationibus & laboribus mentis & corporis præmiſſis, antequam hæc definiremus & deliberaremus. *In tergo adſcriptum eſſe notat Pinius manu* S. Ignatii: MDXXXIX en tres meſes el modo de ordenarſe la Compañia. *Id eſt:* MDXXXIX in tribus menſibus modus, quo ordinetur Societas.

concluſum eſt omnium ſuffragiis, præſtandam eſſe obedientiam alicui è Societate.

D

§ XXVIII. Variæ Patrum determinationes circa Societatem inſtituendam; facultas prædicandi ac confeſſiones excipiendi in Urbe, & ejus diſtrictu.

E

Determinationes primorum patrum ex authentiis inſtrumentis, circa votum obedientiæ in Societate,

Deliberationes paragrapho proximo datas hæ ſubſecutæ ſunt determinationes; quas manu ejuſdem P. Pinii, qui ſuperiora calamo exaravit, ex tabulario Romano tranſcriptas exhibeo: Ego N. ſubſcriptus fateor coram omnipotenti Deo, & beatiſſima virgine Maria, & univerſa curia cæleſti, quod, oratione ad Deum præmiſſa, & re maturè penſata, ſponte deliberavi tamquam meo judicio magis expediens ad Dei laudem & perpetuitatem Societatis, quod eſſet in ea obedientiæ votum: & deliberatè me obtuli, citra votum tamen & obligationem aliquam, ad eamdem Societatem intrandam, ſi à Papa Domino concedente confirmaretur: ad cujus deliberationis (quam ex Dei dono me habere recognoſco) memoriam nunc ad ſacratiſſimam communionem quamvis indigniſſimus cum eadem deliberatione accedo. Die Martis quindecima Aprilis MDXXXIX. R. Cacres. Johannes Coduri. Laynez. Salmeron. Bobadilla. Paſchaſius Brouet. Franciſcus. Petrus Faber. Ignatius. Simon Rodorici. Claudius Jaius. *Horum tranſcriptor P. Ignatius Pinius ſic notat:* Hæc formula eſt ſcripta manu Petri Fabri: ſubſcriptiones verò omnes ſunt autographæ. *Addit:* In novitiatu ad S. Andream, proximè domeſticum ſacellum S. Staniſlai, ubi mortuus eſt, legitur eadem deliberatio cum iiſdem ſubſcriptionibus, prout eam ibidem, *ait*, deſcripſi. *Quæ & in promptu mihi eſt. Ne quem autem feriat nomen* Cacres, *teſtatur P. Ignatius Pinius inter ea, quæ Spicilegio Romano inſeruit, in archivo inveniſſe ſe epiſtolam autographam* Cacres, *datam Pariſiis* XI *Februarii* 1541 *ad* P. Ignatium *Romam.*

F

ac ſummo Pontifici circa miſſiones;

289 *Ab eodem archivi noſtri Romani ſcrutatore communicatæ inde mecum ſunt* Determinationes Societatis MDXXXIX, IV Maii, ſcriptæ manu Petri Fabri, *& ab ipſo tranſcriptæ in hæc verba:* IHS Die quarta menſis Maii, quæ fuit ſanctæ Crucis feſtivitas, concluſa fuerunt ab omnibus, nemine diſcrepante, ea quæ ſequuntur, & ſequenti proxima die, quæ fuit Dominica, eadem confirmata. Quod quicumque congregationem dictam vel Societatem eſt ingreſſurus, teneatur facere votum obedientiæ expreſſum ſummo Pontifici, quò quidem ſe offerat iturum ad quaſcumque provincias vel regiones tam fidelium, quam infidelium &c. Hoc verò votum fiet ſummo Pontifici per manus Prælati Societatis, vel per manus totius Societatis, & non apud ipſummet Pontificem &c.

290 Quod

A 290 Quod docendi erunt pueri vel alii quicumque ipsa mandata. Quod assumendum sit determinatum tempus, quo possint tradi certo ordine & debito modo ipsa mandata ac rudimenta. Quod quadraginta dies assumi habeant in anno, in quibus diebus doceantur talia rudimenta. *Observat ad marginem apographi, quod misit, Pinius, addi hîc aliquas declarationes, ne sit locus scrupulis; item neminem hujus congregationis posse procurare apud Pontificem, ut aliquò mittatur &c.; prout habetur in formula oblata Paulo III. Observat tamen Bartolus lib. 2, num 45 sub finem,* ab Ignatio posita, communibus semper omnium votis probata esse, uno tantùm atque unà in re excepto Bobadilla, qui munus tradendi pueris Christianæ doctrinæ, voto numquam adstringi voluit, ceteris licet id expetentibus. Quare illi magis, quàm rationibus illius deferri placuit, nec Societatem ei officio strictiùs, quam ad alia obligari. Non vitavit tamen Bobadilla hac etiam in re, pertinaciæ notam quamdam; quod cum in grande incommodum videretur cessurum, si, quod alii censuissent, obstinato magis unius judicio, quam rationibus irritum fieret, decretum ab iis est, uno, contra omnium assensum, animum obfirmante, cassum fore ac nullum ejus suffragium. *Sed nos ad apographum nostrum redeamus.*

pueorum institutionem,

B

291 Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha concluſa ſunt, & ſequenti Dominica confirmata, nemine diſcrepante, Quod doceantur pueri per ſpatium unius horæ, non accipiendo tamen horam ſcrupulosè, ſed ſecundùm judicium probabile docentis. Quod, qui admittendi ſunt, debeant facere Exercitia ſpiritualia, aliaque experimenta Societatis &c. *Subdit Pinius, hæc ſcripta eſſe manu Fabri; addens in tergo præcedentium omnium determinationum à die* IV *Maii anni* 1539, *haberi manu* S. Ignatii, DETERMINATIONES SOCIETATIS: *è quibus, aliiſque ſit ab omnibus formula Inſtituti oblata Paulo III. Monet item, inter has eadem Fabri manu notari,* pridie Octavæ Corporis Chriſti fuiſſe determinatum, Quod erit unus Prælatus in tota Societate, qui eligetur in perpetuum, id eſt ad vitam, ſegun las exceptiones, que deſpues ſe determinaran; *id eſt,* ſecundùm exceptiones, quæ poſtea determinabuntur. *Sequitur determinatio alia* circa Conſtitutiones faciendas &c., ſtandum eſſe judicio

perpetuitatem Generalis,

C plurium è Societate in Italia commorantium, *hujus tenoris:* IHUS Ma. Cum, ut piè credimus, Deo optimo maximo diſponente contingat, nos in diverſas mundi regiones atque eas longinquas ſegregari, idque juſſu ſummi Pontificis, tótius Eccleſiæ principis; conſiderantibus nobis, qui in unum corpus conjuncti ſumus, multa poſſe ſuccedere, quæ pertinere poterunt ad totius Societatis commodum, videlicet circa Conſtitutiones faciendas, & alia quælibet:

292 Viſum fuit nobis omnibus, qui tunc Romæ fumus, quin hoc determinavimus, & ad hujus veritatis ſignum nomina noſtra manu noſtra ſubſcripſimus, hujuſmodi omnia debere relinqui judicio & ſententiæ plurium ſuffragiorum eorum (qui de noſtro corpore ſunt) in Italia commorantium, qui ab his, qui Romæ tunc erunt, convocari poterunt, aut ab eis per litteras eorum ſuffragia requiri: & ſic viſis plurium ſuffragiis eorum, ut diximus, qui tunc in Italia erunt, de ſupradictis ad totam Societatem noſtram pertinentibus poterunt determinare, ac ſi tota Societas eſſet præſens. Sic enim placuit, & viſum fuit

prærogativam pluralitatis ſuffragiorum;

omnibus in Domino quartâ Martii MDXL. Inigo, Joannes Coduri, Simon Rodorici, Alphonſus Salmeron, Franciſcus, Claudius Jaius. *Creſcit hujus inſtrumenti pretium ex iis, quæ illi adſcribit Pinius, dicens:* Hoc ſcriptum eſt exaratum manu Joannis Coduri: ſubſcriptiones omnes autographæ. In tergo adſcriptum eſt manu S. Ignatii: DETERMINATIO SOCIETATIS. *Creſcit item ex iis, quæ idem Pater mox ſubnectit:* Hæc eadem determinatio, Italico ſermone conſcripta, confirmata fuit Romæ XIV Maii MDXLI; hanc non deſcribo, ſed ſolas ſubſcriptiones autographas; *nimirum* Paſchaſius Broet, Laynez, Salmeron, Ignatius, Joannes Coduri, Claudius Jaius.

AUCTORA J. P.

293 *Hæc inſtrumenta excipit in noſtro apographo* ſchedula autographa Claudii Jaii, *pauculis his verbis expreſſa:* Quidquid reverendus Pater meus in Chriſto Dominus Ignatius de Loyola, & fratres mei, qui ſunt in Italia, determinaverint in pertinentibus ad Societatem, rata & firma habeo. In cujus rei teſtimonium nomen ſubſcribo XVIII Aprilis MDXLII. Claudius Jaius. *Ultimum denique in determinationibus locum obtinent in apographo noſtro Romano* determinationes variæ, *hoc documento comprehenſæ:* IHS Quartâ Martii MDXLI convenimus omnes in unum, hoc eſt, Dominus Ignatius, Dominus Claudius Jaius, Dominus Jacobus Laynez, Dominus Paſchaſius Broet, Dominus Alphonſus Salmeron, & ego Jo. Coduri, qui tunc de Societate eramus Romæ, nomine etiam abſentium, qui ſua vota nobis dederant; & determinavimus, ut duo ex nobis cogitarent circa negotia Societatis, .. & poſtea referrent Societati, quid eis viſum fuerit, ut, ſi placerent, approbarent, aut ſi aliud ſentirent melius, dicerent: idque ut breviùs noſtra fierent, & alii ab illis duobus magis interea poſſent vacare tum prædicationibus faciendis, tum in confeſſionibus, & aliis exercitiis ſpiritualibus. Et duo nominati ſunt, Dominus Ignatius, & ego Jo. Coduri: qui juxta voluntatem Societatis incepimus hodie decima Martii.

ad quam & ſe refert Jaius. Variæ aliæ determinationes

E

294 *Ex additione ac fidè P. Ignatii Pinii,* Hîc ſequitur relatio ipſorum de multis rebus, de Societatis paupertate, impedimentis à Societate excludentibus, Prælati officio ad vitam, experimentis noſtrorum, veſtitu, puerorum inſtitutione, habendis collegiis in univerſitatibus. Subjicitur approbatio horum omnium, ſubſcriptioneſque patrum omnium autographæ. Inigo, Paſchaſius Broet, Salmeron, Laynez, Claudius Jaius, Jo. Coduri. *Habemus ex dictis, unde ſuſpiciamus maturam in rebus gerendis prudentiam, pari cum* Ignatii, *nemini ſe exæquantis, nedum præferentis modeſtia, & mira ſociorum è diverſis nationibus oriundorum concordia conjunctam,* nemine diſcrepante, *ſecundùm ſuperiùs allegata. Quæ autem mox dicebantur de* prædicationibus, confeſſionibus *&c., declarantur ex litteris patentibus, antea gratioſè impetratis: uti planum fit ex hoc earum ecgrapho, monumentis noſtris Romanis inſerto:*

proferuntur.

F

295 V. Carafa, tituli S. M. in Tranſtiberina presbyter Cardinalis Neapolitanus, almæ Urbis Legatus. Dilectis in Chriſto filiis Petro Fabro, Laurentio Garſias, Didaco Lainez, Franciſco de Robier (*lege* Xavier) Nicolao de Bobadilla, Simoni Roderici, Ignatio de Loyola, Alphonſo de Salmeron, Claudio Jaio, Paſchaſio Broet, Joanni Coduri, presbyteris Gebennenſis, Giennenſis, Elnenſis, Seguntinæ, Pampilonenſis, Palentinæ, Vicenſis, & Toletanæ diœceſis reſpecti-

Datur inſtrumentum,

AUCTORE J. P.

ſpectivè, ſalutem in Domino ſempiternam. Scientiæ donum, devotionis ſinceritas, & religionis honeſtas, quibus vos accepimus inſignitos, promerentur, ut vos prærogativæ ſpecialis gratiâ proſequamur, & condignis annuamus favoribus. Cum itaque, ſicut nuper nobis exponi feciſtis, vos, qui in theologia per multum tempus operam dediſtis, cupiatis in officio prædicationis verbi Dei pluribus ſatisfacere:

quo Sancto ac ſociis ejus

296 Nos volentes vos & veſtrûm quemlibet, ut officium prædicationis prædictum ad animarum ſalutem & profectum liberiùs exercere poſſitis, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate, quâ in hac parte fungimur, vobis & cuilibet veſtrûm, ut, quoad vixeritis, ubique locorum, & in hac alma Urbe, & ejus diſtrictu, ubi ad hoc requiſiti fueritis, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus, aut ubi pro ſalute animarum Chriſti fidelium vos proficere poſſe ſperaveritis, verbum Dei, cujuſvis licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, prædicare, ac privilegiis, gratiis, facultatibus, indultis, & conceſſionibus, quibus prædicatores verbi Dei de jure vel conſuetudine, ſeu aliàs utuntur, potiuntur,
B & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, nec non utriuſque ſexûs Chriſti fidelium quorumcumque, vobis ſeu alteri veſtrûm confiteri volentium, diœcéſanorum locorum, ac particularium eccleſiarum quarumcumque rectorum aut quorumcumque aliorum licentiâ minimè requiſitâ, confeſſiones audire, & illis diligenter auditis, illos à quibuſcumque peccatis, criminibus & delictis, quibus Ordinarii locorum de jure vel conſuetudine aut aliàs quomodolibet abſolvere poſſunt, abſolvere, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere:

operandi in Urbe ejuſque diſtrictu

297 Ac eiſdem Chriſti fidelibus, ſine tamen parochialium eccleſiarum rectorum præjudicio, aut de illorum conſenſu, Euchariſtiæ & alia eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare liberè & licitè valeatis, & quilibet veſtrûm valeat, tenore præſentium de ſpeciali gratia facultatem concedimus & pariter indulgemus, diſtrictiùs inhibentes eiſdem ordinariis ac rectoribus, necnon quibuſvis aliis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo, ſi contrà fecerint, abſque aliqua declaratione incurrenda, ne vos aut quemlibet veſtrûm
C ſuper hujuſmodi verbi prædicationibus & aliis præmiſſis, contra præſentium tenorem per ſe vel alium ſeu alios, quovis quæſito colore, impedire, inquietare, ſeu perturbare præſumant.

facultas conceditur.

298 Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Apoſtolicis ac in provincialibus & ſynodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque In quorum fidem, robur & teſtimonium præſentes fieri litteras, & manu propria ſignatas ſigillo noſtro muniri fecimus. Datum Romæ in ædibus noſtris die III Maii MDXXXVIII. V. Cardinalis Neapolitanus Legatus. *Et apponitur ſigillum in cera rubra Hiſpanica, ac ſubſcribitur:* Jo. Paulus de Thiſis Auditor. Viſa.

D

§ XXIX. Romanæ inopiæ per Ignatium ſuccurrit Margarita Auſtriaca; hujus ad ipſum litteræ; acta Eminentiſſimi Contareni apud Pontificem pro Societate; labores patrum in Italia; Societas fertur per apparitionem promota.

Tempore famis ſubvenit Romæ Margarita Auſtriaca, Ignatii olim pœnitens:

Quæ memorat Ribadeneira lib. 2, cap. 15 de publicis caritatis officiis, quæ primi patres Romæ magna annonæ penuriâ laboranti præſtitere, paullo pluribus ita declaro ex Maffeio lib. 2, cap. 11: Multi præterea proceres in glorioſi operis perfectionem, Ignatio pecuniæ ſummam ultro detulere non levem. Qua in re Margaritæ Auſtriacæ, Caroli V filiæ, Octavio Farneſio nuptæ, Placentinorum & Parmenſium hodie duci, pietas ac beneficentia vel in primis enituit. Atque ejus pecuniæ, cum Ignatius intelligeret, ſe vel maximè eorum, qui contulerant, voluntate, partem aliquam in ſuas & ſuorum neceſſitates erogare poſſe; tamen tantâ fuit religione Vir, ut ne obolum quidem niſi in externorum pauperum commoda inſumpſerit, relatis in codicem accuratè nominibus, ut omnium prorſus ratio conſtaret. Atque in hunc maximè modum labor ad exactam uſque hiemem ſecunda civitatis admurmuratione perductus *&c. Famianus Strada de Bello Belgico decade* 1, *ad annum* 1559 *de Margarita hæc ſcribit:* Ad pietatem magno ſanè magiſtro uſa eſt Ignatio Loyola, Societatis Jeſu fundatore: apud quem expiare à noxis animum, idque crebriùs aliquanto, quam ea ferrent tempora, conſuevit. Ab illo auctore hauſit erga ſacroſanctam Euchariſtiam religionem utique ſingularem, ac planè Auſtriacam; *uti videre datur ex duobus ſpeciminibus, quæ ibi narrantur.*

cujus ad ipſum epiſtola hic datur.

300 *Invenio epiſtolam laudatæ Principis, monumentis noſtris Romanis adjunctam, quæ ex Italico ſic ſonat:* Reverende M. Ignati: Magno
F nobis ſolatio fuit epiſtola tua, quia certiores factæ ſumus de tua valetudine, & ex illa intelleximus, affectum, quo nos proſecutus fuiſti, adeo longâ abſentiâ diminutum non eſſe, neque tibi excidiſſe, in multis noſtris laboribus precari Deum benedictum pro nobis. Pro qua re infinitis tibi nominibus obſtringimur, ac precamur te, ut in orationibus tuis idem porro continuare velis. Et ſi hinc pro te vel Societate tua quidquam poſſumus, ſemper nos invenies promptiſſimas, ut in omnibus tibi gratificemur. Et ſic nos tibi offerimus. Deus Dominus noſter contentum te faciat. Parmâ die XVI Januarii MDLIV. Margarita Auſtriaca. *Inſcriptio eſt:* Reverendo M. Ignatio noſtro cariſſimo Romæ. *Sed redeamus ad anteriora tempora, & inſtitutionem Societatis.*

Acta apud Pontificem in favorem Societatis ab Eminentiſſimo Contareno, ex ejus litteris.

301 *Miſit huc monumentorum de ſancto Patre Romanorum collector ſæpius nominatus apographum litterarum originalium Cardinalis Contareni, ad* S. Ignatium, *quibus narrat, expoſitum ſummo Pontifici, & lectum à ſe Inſtitutum Societatis; approbatum à Pontifice & confirmatum; componendam propediem Bullam &c.; ex quibus confirman-*

A *firmantur & illuſtrantur ea, quæ dicit Ribadeneira lib. 2, cap. 17. Eas ex Italico ſic reddo Latinè :* Reverendo domino Ignatio. Heri per M. Antonium tuum Hiſpanum accepi extenſionem capitulorum ſimul cum una ſchedula reverendi magiſtri ſacri Palatii. Hodie fui cum Domino noſtro, & ultra petitionem ore prolatam, legi ſuæ Sanctitati omnia quinque capitula; quæ admodùm ſuæ Beatitudini faciunt ſatis, & ea beniginiſſimè approbavit ac confirmavit. Die Veneris veniemus Romam cum ſua Beatitudine, & dabitur in mandatis reverendiſſimo Ghinucio, ut fiat Breve aut Bulla. Commendo me orationibus tuis. Saluta M. Lactantium noſtrum. Bene vale in Domino. Tibure III Septembris MDXXXIX. Veſtri amantiſſimus G. Cardinalis Contarenus. *Inſcriptio eſt :* Reverendo domino Ignatio noſtro amantiſſimo. Romæ. *De mora, ſolenni & canonicæ hujus negotii confirmationi injecta, conſuli poteſt Ribadeneira loco citato : donec tandem anno* 1540, *die* V *Kalendas Octobres Societas Jeſu in religioſum Ordinem erecta eſt à Paulo PP.*

B *III, edita ſuper hac re Bulla ſolenni, quæ incipit :* Regimini militantis Eccleſiæ.

Teſtimonia, quomodo laborarint in vinea Domini Xaverius ac Bobadilla Bononiæ;

302 *Opportunitate eorum, quæ de primis Societatis patribus ibidem dicit Pontifex;* jam quam pluribus annis laudabiliter in vinea Domini ſe exercuerunt, verbum Dei prævia ſufficienti licentia publicè prædicando; *produco hæc teſtimonia ex tabulario noſtro Romano deſcripta. De S. Franciſco Xaverio ac Bobadilla extat hoc :* Auguſtinus Zannettus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Sebaſtenus, atque curiæ epiſcopalis Bononiæ in ſpiritualibus & temporalibus generalis vicarius & ſuffraganeus. Univerſis & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam. Vobis præſentium tenore indubitatam & ſinceram facimus fidem, in Dominoque atteſtamur, quod Franciſcus Xabier, & Nicolaus Bovadilla presbyteri, in hac noſtra civitate Bononiæ de licentia noſtra prædicarunt ſincerè & Chriſtianè, nec in aliquo cum Lutheri doctrina convenientes; imo eam ſummis viribus exſtirpantes: in quibus concionibus multum utilitatis attulerunt huic noſtræ civitati, & eorum vita & moribus, quos omnes probarunt, eam corroborarunt. Unde ab iſta civitate fugitivos receſſiſſe, falſum eſt, ſed ſuis negotiis, & ut alibi ſeminarent bonum ſemen, quod nobis reliquerunt.

C In quorum fidem [juſſimus] præſentes noſtras fieri, & per notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique curiæ epiſcopalis Bononiæ impreſſione manu noſtra propria ſubſcriptas communiri. Datum Bononiæ in epiſcopali palatio die XXVI Junii MDXXXVIII. Ita eſt. Auguſtinus, qui ſuprà, vicarius & ſuffraganeus Bononienſis, manu propria. *Et apponitur ſigillum, ac ſubſcribitur :* Bartholomæus Foſcararius, curiæ & cameræ epiſcopalis Bononienſis notarius, manu propria.

Codurius in civitate Velitrenſi,

303 *De Codurio ex eodem tabulario ſequens teſtimonium ex Italico interpretor:* Nos Hieronymus Aretinus, vicarius generalis reverendiſſimi Tranienſis, indubitatam fidem facimus, quomodo reverendus pater magiſter Joannes Codurius Ebredunenſis diœceſis venerit in civitatem Velitrenſem die natali S. Joannis Baptiſtæ, & ab illo die ad hodiernum uſque, quæ eſt XV Julii MDXXXIX prædicaverit verbum divinum cum gratiſſima audientia, non una tantùm aut duabus vicibus, ſed quotidie: ubi iſte populus teſtatur ſibi factum ſatis. Et proin diſcedit à nobis bona ac grata cum venia die ſupradicto. Atque hæc eſt mera veritas, & conſueto noſtro ſigillo munita. *Et appreſſum eſt ſigillum, & additur :* Nos Hieronymus manu propria ſcripſi & ſubſcripſi. AUCTORE J. P.

304 *De eodem Codurio indidem promptum eſt ac Tiburtina teſtimonium hoc, Tibure datum :* IHS. Pateat univerſis, quod dominus Joannes Coduri presbyter diœceſis Ebredunenſis, in Tibure manens nobiſcum, & ex noſtra licentia ibi prædicans doctrinam ſacram & Catholicam cùm bono ſpiritu, & exemplo, & verbo, operéque quam plurimos ad pœnitentiam revocavit, & à dominica prima Adventûs uſque ad tertiam, multorum confeſſiones audivit, nil pro his temporale petens, ſed quod gratis accepit, gratis dans, atque humiliter converſans inter nos, cum gratiarum actione, quod per noſtram paupertatem ſibi adminiſtrari potuit, frugaliter comedens, per vicos, eccleſias & plateas annuntians verbum Dei, latè, gratiosè & compendiosè pœnitentiam & emendationem peccatorum publicavit. Et cum de prædicatoribus nulla debeat oriri ſuſpicio, & eorum habeat eſſe Catholica ſecundùm veram fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ prædicatio, has

E dedimus in teſtimonium, ut qui in Domino laboravit, & in Domino confidens, à Domino adjutus, à nobis teſtimonium accipiat. Datum in palatio Domini noſtri epiſcopi XII Decembris anni MDXXXIX. Ludovicus de Collibus vicarius generalis Tiburtinus. *Et additur ſigillum; & in tergo ſcriptum haberi manu* S. Ignatii, *fidem facit noſtrum apographum*, teſtimonio del vicario de Tiburi cerca M. Joan; *id eſt*, teſtimonium vicarii Tiburtini circa M. Joannem.

Broet Senis,

305 *De Alphonſo Salmerone, & Paſchaſio Salmeron & Broet ſequitur ibidem hoc teſtimonium Originale Franciſci Coſcii, vicarii archiepiſcopi Senenſis Franciſci Bandinei de Piccolominibus :* Fidem, *inquit*, facimus indubitatam, quod dominus Alphonſus Salmeron cum ſocio ſuo domino Paſchaſio venerunt in hanc urbem Senenſem gratiâ prædicationis Euangelii Jeſu Chriſti, & cum venia & gratia noſtra obtinuerunt à nobis, poſſe oves noſtras ſuâ ipſorum doctrinâ paſcere: quod & fecerunt, comprobantes euangelicam veritatem non ſolùm ſanis Catholicis ſermonibus, verùm etiam vitâ & religione honeſtiſſima, & prorſùs non ſolùm abſque ulla quorumcumque hominum accuſatione, verùm etiam ſine minima ſuſpicione. Sed

F quia ad aures noſtras pervenit neſcio quid in eorum famam attentari; noſtras eſſe duximus partes, præbere teſtimonium, & veritati primùm, & iis qui bene & Chriſtianè nobiſcum ſunt converſati. In quorum teſtimonium has litteras fieri fecimus ſubſcriptas manu notarii publici & ſecretarii noſtræ curiæ archiepiſcopalis, & noſtri parvi ſigilli impreſſione munitas. Datum Senis in palatio archiepiſcopali die XXIX Junii MDXXXVIII. *Infrà habetur ſubſcriptio notarii, & ſecretarii, adjunctumque eſt ſigillum.*

Bobadilla & Jaius

306 *De Bobadilla & Jaio notatur in noſtro apographo è tabulario Romano, poſt dicta teſtimonia, hoc quod ſequitur; eſtque* vicarii generalis & adminiſtratoris epiſcopatûs Ferrarienſis teſtimonium authenticum de vita & doctrina bona Claudii Jaii, & Nicolai Bobadilla. *Sic verò illud habet :* Octavianus de Cattello de Bononia, juris utriuſque doctor, epiſcopus S. Leonis, ſuffraganeus & vicarius in ſpiritualibus generalis reverendiſſimi Domini D. Cardinalis de Salviatis, epiſcopi & legitimi adminiſtratoris epiſcopatûs Ferrariæ &c. Requiſiti pro parte venerabilium presbyterorum domini Nicolai Bobadillæ & Claudii

AUCTORE J. P.

Jaii, clericorum peregrinorum, tenore præsentium universis & singulis præsentes nostras inspecturis fidem facimus & attestamur, ac ad notitiam eorumdem deducimus, qualiter dicti ambo prænominati clerici per plures & plures menses moram traxerunt in civitate Ferrariæ divina celebrantes, & verbum Dei populo publicè prædicantes, & bonum exemplum dantes in ipsa civitate Ferrariæ.

Ferrariæ.

307 Ex qua cum bona gratia & licentia nostra, non suspensi, non excommunicati discesserunt, [sed] moti devotione ad alias partes recesserunt, prout per præsentes fidem indubitatam facimus, exhortantes omnes & singulos Christi fideles, ad quos declinare contigerit, ut eos verbo pariter & exemplo caritativè tractent. In quorum fidem præsentes fieri jussimus, solitaque sigilli nostri parvi fecimus impressione muniri. Datum Ferrariæ in palatio episcopali nostro, à nativitate Domini nostri Jesu Christi MDXXXVIII, Indictione XI, die XXVIII Junii, pontificatûs sanctissimi Domini nostri Papæ Pauli III anno IV. *Et apponitur sigillum in cera rubra Hispanica: & subnotatur* Benedictus de Silvestris, curiæ & cameræ episcopalis Ferrariæ secretarius de mandato. *At nunc resumatur oratio de Societate.*

B

Fertur Societatis institutio per apparitionem promota.

308 *Ejusdem approbationi canonicæ fuerunt interjecta non mediocres difficultates ac moræ, renitente potissimùm Bartholomæo Guidiccionio; de qua re scriptores: ita tamen, ut totus deinde mutatus, à nobis steterit; &* cum de multitudine religionum cohibenda, *ex relatione Maffei lib. 2, cap. 12*, idem quod antea omnino sentiret, huic tamen refragari se ultrà negaret posse, divino videlicet monitu, & occulta spiritûs operatione vehementer instinctus. *Ita ille. Apparitionem quamdam interveniſſe huic negotio memorat Ughellus tom. 1 Italiæ sacræ, col. 830 novissimæ editionis, de Bartholomæo Cardinali Guidiccionio, Lucensi episcopo, ista pronuntians: cujus rei fides sit penes auctorem:* Nuperos, *ait*, religionis Ordines supra veteres à sanctissimis viris institutos, aliquamdiu ex studio pietatis aversatus est; sed à S. Ignatio in somnis admonitus, ita studium vertit *&c.*

§ XXX. Societas opportuno tempore instituta; ejusdem finis, ac media.

C

Franciscus Suarez breviter ostendit,

Religionem hanc convenientissimo tempore fuisse institutam, adeo perspicuum est, ut multis probari non debeat. Paucis id deducit Suarezius cap. 4, num. 3 in hæc verba: Est autem meritò à multis sapientibus, ac prudentibus viris observatum, hoc eodem tempore natum fuisse in Germania Martinum Lutherum, anno scilicet MCDLXXXIII, octo nimirum annis ante Ignatium; & anno MDXXI publicum bellum contra Romanam Ecclesiam excitasse, innumeras hæreses disseminando; & præsertim eas, quæ libertatem carnis concedere, & subjectionem, ac obedientiam summi Pontificis destruere posse viderentur: quibus mediis innumeros habuit suæ blasphemiæ, & iniquitatis sectatores, & ministros. Hoc autem ipso tempore, quo videbatur fides in tot provinciis Catholicis, & Ecclesiæ subjectis labefactari, ac deficere; non sine magna Dei providentia cœpit aperiri ostium, ac via, quâ posset eadem vera fides, & Christi nomen ad innumeras gentium nationes deferri, in quibus antea auditum non fuerat. In India scilicet Orientali & Occidentali, & in multis regnis & insulis, quæ paullo ante prædicta tempora, pietate, diligentia & industria Catholicorum regum Hispaniæ, ac Lusitaniæ explorata sunt.

D

Societatem opportuno tempore institutam fuisse.

310 Hoc ergo eodem tempore excitavit Deus Ignatium, qui Societatem ad profectum animarum in vita, & doctrina Christiana, & ad fidei propagationem, ac defensionem (ut dicitur in Bullis Pontificiis, præsertim Gregorii XIII, QUANTO FRUCTUOSIUS) erigeret. Defensio enim fidei contra hæreticos fit propagatio inter gentiles, & paganos; profectus autem vitæ, inter ipsos fideles & Catholicos. Convenientissimè ergo instituta est ad hunc finem hæc Religio eo tempore, quo & defensio fidei erat Ecclesiæ maximè necessaria, & propagatio valde opportuna, & instauratio ac perfectio morum utilissima. *Ita Suarezius; quæ quasi summarium aliquod censeri possint ad libri 2 caput 18 apud Ribadeneiram; in quo diffusissimè agit de Dei optimi maximi consilio in instituenda Societate; atque ad caput 19, quod est de fidei Christianæ propagatione apud Indos. Inspici etiam potest Bartolus lib. 1, num. 2.*

E

Finis ipsius est salus propria & aliena ex Bullis Pontificum,

311 *Finem hujus Religionis esse, non solùm propriam, sed alienam perfectionem quærere, cum ex testimoniis Pontificum, tum ex nostris Constitutionibus luculentissimè constat. Etenim in prima Bulla Pauli III, ubi formula Instituti ei proposita, dicitur Societas ad hoc potissimùm instituta,* ut ad profectum animarum in vita, & doctrina Christiana, ad fidei propagationem *&c.* præcipuè intendat. *Et ex iis, quæ ibi dicuntur inferiùs, cuilibet è Societate incumbit, ut* curet primò Deum, deinde hujus sui Instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, semper ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi. *Eadem fere verba occurrunt in simili formula Julio III oblata, & primæ ejusdem Pontificis Bullæ inserta. Gregorius XIII in Constitutione:* Quanto fructuosiùs, *sic ait:* Sicut finis dictæ Societatis, fidei propagatio & defensio, animarumque in vita & doctrina Christiana progressus; ita etiam gratiæ ejus vocationis proprium est, diversa loca de Romani Pontificis, ac Præpositi Generalis ejusdem Societatis directione peragrare *&c. Et in altera Constitutione*, Ascendente Domino *habentur sequentia:* Cujus (*de Societate est sermo*) præcipuus finis Catholicæ est religionis defensio ac propagatio, animarumque in Christiana vita & doctrina profectus.

F

& Constitutionibus.

312 *Res eadem declaratur in Constitutionibus nostris. In Examine enim, quod iis omnibus, qui ad Societatem Jesu ingredi volunt, mox in principio proponitur, cap. 1, num. 2 sic statuitur:* Finis hujus Societatis est, non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cùm eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. *Et Constitutionum parte 1, cap. 2, num.* 8 nostrum Institutum . . ad *animas* juvandas, & disponendas ad ultimi sui finis de manû Dei creatoris nostri ac Domini, consecutionem, recta tendere *dicitur. Ac rursum ibidem parte 3, cap. 1, num. 9 de Societate sic refertur:* Quæ tota ad majorem Dei gloriam, ac universale bonum, & utilitatem animarum instituta est. *Denique in proœmio partis 4 ita habetur:* Cum scopus, ad quem Societas rectà tendit, sit suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem creatæ

A tæ fuerunt, juvare. *E quibus ſatis conſtat, finem Societatis Jeſu tum ex teſtimonio inſtituentis* Ignatii, *tum ex Pontificum, Inſtitutum ejus approbantium, aſſenſu, in eo ſitum eſſe, ut in propriam & proximi ſalutem incumbatur. Plura, quæ ad finem Societatis pertinent, congerit Suarezius cap. 2, à num. 3.*

Media curandi alienam ſalutem Societati peculiaria ſunt puerorum inſtitutio,

313 *Laudatus auctor cap. 3 tractat de mediis, quibus ad finem præſtitutum utitur Societas; ſive ea propriam immediatè ſociorum perfectionem ſpectent; ut videre eſt num. 3; ſive circa ſalutem proximi directè verſentur, vel ad illum proximè referantur, ſicut habes num. 10. Atque ut hunc quidem alienæ, ut diximus, ſalutis finem conſequatur, media quædam ſingularia, ac ſibi propria eò dirigit, proprioque ac ſingulari modo; quæ vel nondum ab ullo hactenus Ordine ſuſcepta ſunt, vel certè non tam perpetuo aſſiduitatis tenore pertractata, quanto & pertractavit ipſe ſanctiſſimus Parens noſter, & pertractari eadem à nobis voluit. Primum itaque ſit*, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutio; *ex formula Inſtituti, Paulo PP. III, ac Julio item III oblata & probata; ubi prædicta verba habentur. Ad parochos quidem iſta cura ſpectat; ſed illi ſalutare hoc ſimul & laborioſum munus tunc negligebant adeò, ut neceſſe fuerit eos graviter moneri atque excitari à concilio Tridentino; quod vide ſeſſione 5, cap. 2; & ſeſſione 24 de Reformatione cap. 4. Nullam tunc exſtitiſſe congregationem, quæ pueros ac rudes Chriſtianæ fidei rudimentis imbueret, vi propriæ inſtitutionis, obſervat Nigronius num. 13; eamque, quæ Romæ dicitur eſſe in Religionem erecta clericorum congregatio, muneris hujus apprimè ſtudioſa, viceſimo poſt Ordinem noſtrum conditum anno eſſe conſtitutam, tradit ex Rutilio Benzono, quem citat lib. 1 de Jubil. cap. 8.*

cum peculiari de hac re voto.

314 *Quid, quod in Societate hoc ſalutare munus adeo peculiare ac perpetuum ſit, ut ejuſdem profeſſi ac coadjutores ſpirituales promittant* peculiarem curam circa puerorum eruditionem; *uti liquet è Conſtitutionibus parte 5, cap. 3 & 4. Idque* ea de cauſa fit, ut ſancta hæc exercitatio, peculiari modo ſit commendata, & devotiùs curetur, propter ſingulare obſequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur, & quia faciliùs oblivioni tradi poterat, & in deſuetudinem abire, quàm alia magis ſpecioſa, cujuſmodi eſt prædicatio *&c.*; *ſicut eſt in Declaratione ad dictum caput 3. Atque hoc munus imponitur non tantum noſtris tironibus & ſcholaſticis, ac patribus tertiæ probationis; ſed iſta eruditio per dies quadraginta injungitur rectori, per ſe vel per alium obeunda, cum primùm rector renuntiatur, & profeſſis, atque coadjutoribus ſpiritualibus, poſt profeſſionis ac votorum emiſſionem, antequam annus elabatur. Vide Congregationis 2 decretum 58; & canonem 15. In profeſſione primorum Societatis patrum ſpeciale votum circa eruditionem puerorum, habes apud Ribadeneiram lib. 3, cap. 1.*

Secundum medium eſt defenſio ac propagatio fidei Catholicæ

315 *Secundum medium, quo in ſalutem proximi incumbit ex præſcripto ſibi fine Societas, quodque adeo ei eſt characteriſticum ac proprium, ut à nulla hactenus congregatione hoc modo ſuſceptum ſit*, fidei Catholicæ defenſio ac propagatio *eſt, ſecundùm ea, quæ proximè jam præmiſſa ſunt. Argumentum hoc ſic probat ac deducit Nigronius:* Noverat, *inquit*, beatus Pater, aliquos omnium fere Ordinum, ac potiſſimùm Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, aliorum Mendicantium religioſos viros, Dei zelo plenos, vel ſua ſponte vel Majorum imperio, vel Sedis Apoſtolicæ juſſu profectos ſeculis præteritis in provincias infidelium, ad Euangelium prædicandum, & nonnullos martyrium ſubiiſſe. Sciebat, in India atque in orbe novo, quo tempore Societatem hanc ſuam inſtruebat, ſalutem gentium illarum barbararum ab iiſdem procurari. Verùm non invenerat, ab Ordine ullo ſuſceptam hanc curam, ut finem præcipuum, ac proprium miniſterium per votum peculiare, quo quiſque ſe obſtringeret ad pergendum ſine excuſatione ac tergiverſatione quocumque ſummus Pontifex mitteret, ſive ad Turcas, ſive ad hæreticos, ſive in Indiam ad gentiles, quod nos facimus in noſtra ſolemni profeſſione. *Conſule formulam Inſtituti Paulo PP. III oblatam, & ab eodem approbatam, & Conſtitutiones parte 5, cap. 3, num. 3.*

AUCTORE J. P.

inter mortem ac tormenta:

316 *Quam verò impenſè id à Societatis patribus reipſa præteritis temporibus præſtitum fuerit, & præſentibus etiamnum præſtetur, nihil attinet me hìc dicere. Inter profuſiſſimas laudes, quibus hanc, qua de agimus, apoſtolicam Societatis ſpartam extollit Paiva Orthodoxarum explicationum lib. 1; breve eſt illud fol. 22 verſo:* Infinitum quidem eſſet numerando percenſere, quot hujus ſodalitatis viri in hoc docendi Euangelii, atque Indicos homines ab impietate avocandi munere, verberibus cæſi fuerint, quot vinculis obſtricti, quot in carceres miſerè contruſi, quot inediâ fere conſumpti, quot denique ob Chriſti nomen variis cruciatuum generibus interierint. Ut verò ceteros taceam, ſilentio ſanè præterire non poſſum Gonçali de Silveira Uſitani, viri cumprimis nobilis, mihique quondam chariſſimi, nunc verò martyris ſanctiſſimi mortem *&c.*

3 eſt eruditio juventutis:

317 *Tertius character Societati in procuranda aliena ſalute proprius ac peculiaris, modo utique ſingulari & peculiari ab ea ſuſceptus, eſt juventutis à primis propemodum elementis eruditio gratuita, cum probitate conjungenda. Proprius, inquam, & peculiaris hic Societatis character eſt: nam tametſi eo tempore, quo S.* Ignatius *de Societate ſtabilienda cogitabat, multi religioſi, uti obſervat Nigronius num. 15., in publicis Gymnaſiis philoſophiam, theologiam, & ſacram Scripturam explanabant; ecquis tamen Ordo ex peculiari ſuo inſtituto illam aſſumpſerat provinciam, ut in omnis generis puerorum à Grammatica, & verò etiam alicubi à primis rudimentis, eruditionem incumberet uſque ad ſacram theologiam, ſcholis unicuique apertis, & collegiis in hunc finem inſtitutis, in quibus abſtruſa & recondita ſcientiarum adita perluſtrarentur? Adiſis Nigronium numero mox citato: ubi præterea monet, quod, ſi quæ congregationes regulares in Italia pueros publicè doceant, quo tempore ipſe hæc ſcribebat, ſeptuageſimo poſt inſtitutam Societatem anno, non ſint tamen minus vera, quæ dixit; addens, quod id laboris publicè ſuſcipere memoriâ meâ, inquit, non multis ante annis illi inceperint.*

4 Exercitiorum ſpiritualium traditio:

318 *Quartus Societatis idiotiſmus ad finem in ſalute proximi à ſe intentum eſt Exercitiorum ſpiritualium traditio. Formula Paulo III ac Julio III oblata, nec non confirmatio Gregorii XIII eorum mentionem faciunt. Fuiſſe quidem ſemper in Eccleſia Dei ſpiritualia quædam Exercitia, conficitur ex tractatu proprio hujus argumenti, qui à Nigronio editus in Tractatibus aſceticis, ibidem ſextus numeratur, agitque de ſeceſſu ad meditandum atque Exercitiis ſpiritualibus, quæ*

AUCTORE J. P.

sunt in usu, ac ministeriis Societatis Jesu. At qui tamquam duces, directores ac magistri instituerent alios, ex professo, ut ita dicam, & modo ac methodo illa, quæ Societati est peculiaris, in secessu isto ab omnibus aliis negotiis vacuo, ac meditationum cursu ad artem redacto, vel nullos, uti opinor, reperias, vel certè, si qui umquam tales reperti fuerint, hoc eorum studium, quando Societas constituebatur, penè, si non planè, desierat. Spiritualium itaque horum Exercitiorum ministerium est unum ex mediis Societati propriis, & quibus ad finem ab ea intentum pervenitur. Quanti autem illud faciat Societas, disertissimè inculcatur Constitutionum parte 4, cap. 8, num. 5, per hæc verba: Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant: & dent operam omnes, ut & eorum reddere rationem, & in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratiâ ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint. *Et in septima parte, cap. 4, num. 8 jubemur proximum ad meliora promovere* etiam tradendis spiritualibus Exercitiis.

B

319 *Regula verò 41 Præpositi curare eum jubet*, ut nostri in spiritualibus Exercitiis tradendis accuratè exerceantur, postquam ea in se fuerint experti. *Regula item septima sacerdotum* Intelligant, *inquit*, sibi ratione peculiari incumbere, ut Exercitiorum spiritualium, quæ tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, usum valde familiarem habeant, quo & alios ad ea suscipienda adducere .. possint. *Regula denique eorum, qui in missionibus versantur, undecima, inter media spiritualia, quibus juxtà Institutum Societatis, & beneplacitum Superioris uti poterunt, recensetur* Exercitiorum spiritualium traditio. *Quantâ autem nostrorum curâ, quantâ externorum frequentiâ, morum immutatione, ac fructu ea obeantur, plurimaque alia, ad ministerium adeo Societati genuinum ac proprium illustrandum accommodata, peti possunt ex dictis suprà.*

quæ magni fit in Societate, & latè patet.

§ XXXI. Alia quædam media Societati propria; ejus vivendi modus; duæ proprietates ei cum aliis religiosis communes.

C

Medium 5 est visitatio carcerum & hospitalium:

Quinta Societatis, ad sui finis consecutionem, proprietas est, eorum, qui in carceribus, vel in hospitalibus inveniuntur, pia subventio & ministerium, *ex formula Instituti à Julio III probata. Curam hanc nullius fuisse Ordinis propriam ex vi regulæ, quo tempore sanctus Pater noster Societatem formabat; postea verò duas nobis in hoc ministerio congregationes auxilio venisse, observat Nigronius num. 16; alteram quidem in Hispania*, de Hospitalitate *nuncupatam, & à S. Joanne* de Deo *erectam; de quo Ordine, ejusque fundatore actum est apud nos ad diem* VIII *Martii, anniversariæ ejusdem Sancti memoriæ sacrum, tomo 1, à pag. 809; alteram verò in Italia Romæ exortam esse clericorum, qui Ministri infirmorum appellantur, sub Xysto V inchoatam; prout ibidem legere datur apud Nigronium. In Constitutionibus nostris parte 7, cap. 4, num. 9 præscribitur, ut nostri* incumbant infirmis juvandis, præcipuè in xenodochiis, eos invisendo, & aliquos, qui eis inserviant, mittendo..; sic etiam pauperes, ac in custodiis publicis detentos, quoad ejus fieri poterit, per se sublevando, &, ut alii sublevent, curando.

D

321 *Sextum denique medium Societati proprium, ab ejusque sanctissimo Fundatore in promovenda animarum salute eidem præscriptum, est missio ad prædicandum, confessiones audiendas, doctrinam Christianam tradendam, & alia opera pia instituenda, sine ulla temporalis mercedis compensatione, atque spe, per fidelium oppida & castella; in quibus esse solet major rerum spiritualium, quam in frequentibus urbibus penuria; prout est apud Nigronium num. 17; ubi animadvertit etiam, priscis seculis id usitatum fuisse, ex verbis Origenis, qui oculatus ævi sui affertur testis. Posterioribus quoque seculis illustres in salutari illo atque apostolico munere ibidem nominantur S. Vincentius, ac S. Bernardinus; ille quidem Prædicatorum, hic verò Minorum splendor; quos æmulatus cum in aliis actionibus, tum verò etiam in hac* S. Ignatius, *missiones per vicos & villas tamquam ad sui Instituti substantiam spectantes, amplexus fuit, sicut ibidem prosequitur citatus auctor; adeo quidem ut, quemadmodum ejus fert opinio, sint comprehensæ sub voto solenni obedientiæ summo Pontifici circa missiones juxta litteras Apostolicas. Et verò in Constitutione Julii III, facta de hoc voto mentione, post commemoratos Turcas, infideles, Indos, hæreticos, schismaticos, mox additur;* seu etiam ad quosvis fideles, mittendos censuerint, exequi teneamur.

sextum denique est missio ad prædicandum &c.

E

322 *Clemens PP. XI Societatis missiones favore spirituali prosequi dignatus est; uti liquet ex Bulla die* XXIII *Januarii anno* 1703 *edita; ad quam lectorem mitto. Porro hoc salutare munus excolendæ in apostolicis hisce missionibus vineæ Domini, diu post* S. Ignatii *vitam, proprium ac peculiare sibi fecit congregatio Missionis, à B. Vincentio à Paulo instituta, qui anno* 1660 *die* XXVII *Septembris cum odore sanctitatis mortuus est, & anno* 1729, *die* XIII *Augusti à Benedicto PP. XIII sacris Fastis adscriptus, edito beatificationis decreto. Agit de ista congregatione, ejusdemque fundatore R. P. Hippolytus Helyot in Historia Ordinum monasticorum, religiosorum ac militarium, nec non congregationum secularium tomo 8, cap.* 11; *ubi circa secundum congregationis finem scribit, quod octo per annum mensibus vacet campestribus missionibus. De aliis sacerdotibus missionariis, ut vocant, agitur in eodem tomo. Verùm ut ad nostram Societatem revertamur; sex ista media, quæ ab illa ad consecutionem sui finis adhibentur, sunt tamquam signa characteristica, quibus & ipsa dignoscatur, distinguaturque ab aliis Ordinibus religiosis, diversum à suo institutum professis. Hinc roborantur ea, quæ contra fabellam Albanetanam superiùs disputata sunt. Ecquis enim dubitet, an Constitutiones nostræ ex proprio ac peculiari* S. Ignatii *promptuario sint desumptæ, quas in multis, ut vidimus, substantialibus punctis prorsus Societati soli ita condidit peculiares, ut nulli alteri Ordini religioso sint propriæ.*

Media ista sunt signa characteristica Societatis Jesu.

F

323 *Quia verò* Finis hujus Societatis est, non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, *sicut suprà dictum est*, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere, *idque mediis adeo accommodatis ad hunc finem, & adeo Societati propriis; consequens est, ut Ordo noster ex vi sua institutionis mixtus sit ex vita activa & con-*

Laxusne an strictus in Societate vivendi modus:

A *contemplativa, prout videri poteſt apud Suarezium cap. 6; in quo autem gradu perfectionis noſtra religio ſit conſtituta, docet cap. 7; probatque eam ex vi ſui Inſtituti perfectiſſimam eſſe; cap. 8 invenies, convenienter in Societate cantûs & chori ordinarium uſum non eſſe; denique cap. 9 quærit, utrum Societas arctam ſimpliciter, an laxam regulam profiteatur; ac poſtquam varia præmiſiſſet tam de pœnitentiis atque afflictationibus corporis, ſecundùm modum in Societatis conſtitutionibus præſcriptum, quàm de ejuſdem vivendi ratione, quæ in exterioribus certas ob cauſas communis eſt, concludit, Societatis regulam valdè ſtrictam eſſe: quorum omnium breviſſimè memoriam hîc innovaſſe, ſufficiat, ne alioquin ſine neceſſitate nimis longè nos abducant. Conſuli etiam poteſt Joannes Rhò Interrogatione 17 inter apologeticas, in qua ſuam Inſtituto Societatis perfectionem vendicat.*

Societas eſt Ordo clericorum regularium,

B 324 *Societas Jeſu duas habet proprietates, ſibi cum aliis pluribus religioſis communes. Prima eſt, quod ſit Religio clericorum regularium ſeu presbyterorum. Sanctiſſimus Fundator noſter ſui Inſtituti formulam auctoritati ac judicio Sedis Apoſtolicæ deferens comprobandam, hac jam tum ſub notione, ſi quos fortè ſui Deus imitatores excitare dignaretur, Paulo PP. III eos indigitabat;* quorum quidem Religio, *ut loquitur Ribadeneira lib. 2, cap. 17,* clericorum regularium eſſet. *Tridentina quoque Synodus Ordinem noſtrum vocat* Religionem clericorum Societatis Jeſu. *Gregorius XIII anno 1573, in Approbatione & nova conceſſione facultatum, Horas canonicas extra chorum recitandi &c., loquitur de* Inſtituto clericorum regularium Societatis Jeſu, quod per .. prædeceſſores noſtros, *ait,* approbatum, & confirmatum fuit. *Plura dabit Franciſcus Suarez tom. 4 de Religione, tractatu 10, lib. 1, cap. 5: ubi probat, Societatem eſſe, & vocari Religionem clericorum, non ſolùm ratione habitûs, ſed etiam ratione proprii Inſtituti, & functionum ejus. Adde Julium Nigronium in Commentariis aſceticis ad regulas noſtras communes, in tituli Particula tertia, quæ eſt* Societatis Jeſu, *num. 43; Joannem Rhoum in Interrogationibus apologeticis ad Joannem Baptiſtam Caſtaldum, clericum regularem, inter quas eſt decima quarta de Societatis clericatu. Itaque ſicut noſtra Societas* Religionis clericorum regularium *nomen, ac rem nomine ſignificatam, ab initio à ſuo Fundatore ſibi indita retinuit; ita nuntium remiſit titulo honoris ſecularis, ex decreto congregationis ſecundæ noſtræ generalis, anno 1565 celebratæ, canone 85; tom. 1 Inſtituti, pag. 454 editionis novæ; ubi* Decretum eſt, ut nomen illud honorificum, id eſt Don, ubi eſt inſigne nobilitatis ſecularis, de Societate noſtra omnino tollatur.

& Ordo mendicans vi ſui Inſtituti;

325 *Secunda Societatis proprietas eſt, ſibi cum aliis religioſis communis, quod ſit Ordo mendicans. In litteris Apoſtolicis S. Pii V, Pontificis maximi, die VII Julii, anno 1571 datis, declaratur Societas ex Inſtituti ratione mendicans, aliiſque mendicantium Ordinibus connumeratur, & privilegiis æquatur. Sanctiſſimus itaque ille, ac de tota Eccleſia Dei, uti & de noſtra Societate optimè meritus Chriſti Vicarius, cumulatiſſimis primùm laudibus eam proſecutus, ſic ſcribit:* Quia ipſa Societas mendicans exiſtit (quippe quæ ex ejus Inſtituto, & Conſtitutionibus, Apoſtolica auctoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere nequit, ſed incertis eleemoſynis fideliumque largitionibus, & ſubventionibus vivit) *&c. Inſtitutum à Julio III confirmatum, tom. 1, pag. 19 ſic habet:* Voveant ſinguli & univerſi perpetuam paupertatem, ut non ſolùm privatim, ſed neque etiam communiter, poſſint profeſſi, vel ulla eorum domus aut eccleſia, ad aliquos proventus, reditus, poſſeſſiones, ſed nec ad ulla bona ſtabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad uſum proprium & habitationem, retinenda, jus aliquod civile acquirere, rebus ſibi ex caritate donatis ad neceſſarium vitæ uſum contenti.

AUCTORE J. P.

etiamſi collegia ex reditibus annuis alantur.

326 *Conſtitutiones autem parte 6, cap. 2, num. 2 ſic ſtatuunt:* In domibus vel eccleſiis, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, reditus nulli, ne ſacriſtiæ quidem aut fabricæ applicati, haberi poſſint: ſed neque ulla alia ratione; ita ut penes Societatem, eorum ſit ulla diſpenſatio. *Et quoniam objici poterant S. Pio V, domicilia Societatis, in quibus ſcholares ac novitii aluntur ex perpetuis proventibus; objectionem antevertens, & ambiguitatem tollens, motu proprio, certaque ſcientia ſanctiſſimus ille Chriſti Vicarius loco citato ſic rem definit, dicens,* Illam (*Societatem,*) & illius Præpoſitum, ac ſingulas perſonas Societatis hujuſmodi verè, & non fictè mendicantes E fuiſſe, eſſe, & fore; & inter aliorum fratrum & religioſorum mendicantium Ordines, alioſque fratres, & religioſos mendicantes; prout illos nos connumeramus, & connumerari debere *&c. Plura ſuggerit Julius Nigronius ſupra allegatus, num. 7. Vide etiam, quæ § 33 diximus occaſione epiſtolæ reſponſoriæ ſacræ Congregationis concilii Tridentini ad epiſcopum Inſulenſem, qui vocabat patres Societatis* opulentiſſimos, non mendicantes.

§ XXXII. Origo nominis Societatis Jeſu; ejuſdem impugnatio.

Origo iſtius nominis

P*Rima hujus nominis impoſitio contigit in conventu Vicentino primorum noſtrorum patrum, teſte Orlandino lib. 2, num. 25:* Venit, *inquit,* in mentem illud etiam in conventu referre, quid iis reſpondendum videretur, qui rogarent, quos ſe homines, & cujus diſciplinæ eſſe dicerent. Adhibitiſque ad eam deliberationem precibus accuratis, cum ſecum ipſi reputarent, neminem F inter ipſos dignitatem capitis obtinere, niſi eum, cujus ſe addixiſſent obſequiis, Chriſtum Jeſum, noſtræ ſalutis auctorem, omnes in eam haud dubiè, ut infra demonſtrabitur, auctore Ignatio, ivere ſententiam, ut quem ſibi ducem in hominum quærenda ſalute, ſuarumque actionum omnium ſtatuiſſent exemplar, ejus ſibi potiſſimùm nomen aſſumerent, & ab eo, qui vera eſſet hominum ſalus, hæc inſtituta ſodalitas, Jeſu Societas vocaretur. *Atque hæc quidem nomenclatio fuit, ut ita dicam, prodroma, illius ejuſdem denominationis, de qua poſtmodum inter patres quæſitum fuit Romæ,* & placuit omnibus, ut à militari vocabulo Societas Jeſu (ſuis enim cohortibus milites, quas vulgo ſocietates, ſeu compagnias appellant, ab ipſis fere ducibus nomen indunt) appellaretur; *ſicut idem hiſtoricus obſervat ibidem num. 62. Ribadeneira lib. 2, cap. 11 ubi expoſuiſſet celeberrimam illam Chriſti Jeſu in agro Romano exhibitam* S. Ignatio *apparitionem, de qua ſupra actum eſt,* tum præclaro illo viſo, *ait,* tum aliis divinis illuſtrationibus multis magniſque, ita Dominus Jeſus ejus in mente ſacratiſſimum

AUCTORE J. P.

tissimum suum nomen impressit, penitusque infixit, ut ejus ex nomine Societati nomen imponeret. *Et certè in Instituti formula Paulo III oblata, & litteris ejus Apostolicis, quibus Societatem approbat, inserta, mox in initio dicitur:* Quicumque in Societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus *&c.*

nostro Ordini impositi ostenditur,

328 *Maffeius lib. 2, cap. 5 visione illa narrata, subdit:* Atque id ipsum vel in primis fuit causæ, cur Ignatius confirmatæ postmodum Societati salutare potissimum Jesu nomen indiderit. *Addit loco mox citato Ribadeneira, sanctum Patrem* tam clara ac firma luce collustratum *fuisse, ac tam certò de divina circa illud voluntate ei constitisse*, ut ab hac mente se dimoveri numquam posse diceret. Quodque volentibus sociis, ac consentientibus fecit, id repugnantibus ac dissentientibus omnino fecisset, propter divini luminis claritatem. *Quibus adjungi potest testimonium Polanci apud Orlandinum num. 62 jam citato. Porro insignem illam, de qua mox dicebamus, apparitionem non exstitisse solam & unicam hujus impositi familiæ nostræ nominis causam, conficitur*

B *ex dictis. Maneat itaque, unam ex causis, & postremum impulsum fuisse. Et sic illud Maffei* vel IN PRIMIS fuit causæ, *intellige; cum Ribadeneira non solo* præclaro illo viso, *sed* aliis *etiam* divinis illustrationibus multis magnisque, *id contigisse affirmet. Unde ex apparitione illa desumi non potest argumentum contra vaticinium Antverpiæ à sancto Patre prænuntiatum multis antè annis Joanni Quadrato, de fundando à se collegio Societatis Jesu. Consule Disputationem historicam Nigronii de* S. Ignatio, *& S. Caietano Thienæo, ad* § 37 *Castaldi.*

& variæ afferuntur hujus rei rationes,

329 *Aliam præterea istius denominationis causam suggerit Ribadeneira in Vita breviore, cap.* 12: Cur Ordinem nomine Jesu insigniri voluerit, ea potissimùm ratio fuit, ne de suo nomine diceretur, neve ejus constituendi socius, & administrator fuisse videretur. *Plura congerit Nigronius in Commentariis asceticis ad regulas nostras communes, inter alia plurima operosissimè à se collecta de Societatis Jesu nomine à pag. 76, editionis tertiæ, anno 1617 Coloniæ Agrippinæ publicis typis vulgatæ. Quos autem motus ac sensus nomen illud excitare deberet in unoquoque sociorum, exponitur apud Orlandinum lib. 2, num. 63.*

C *Adde illa Ribadeneiræ apud Bartolum in fine libri 2, quæ ibidem dicitur Gandavo Romam ad amicum scribere:* Ego, accepta morte P. M. Ignatii, quantò nobis acerba, tantò illi beata, fractus defecissem, nisi sublatis ad eum oculis, & ad providam [Dei] manum, ex qua numquam non pendere voluit, magnum cepissem animo levamen, probè hoc edoctus, Societatem haudquaquam Ignatio, sed Jesu Christo præcipuè niti; qui suum hunc Servum delegerat ad hanc sui operis fabricam attollendam, & perficiendam. Quare huic alios atque alios, quos mittat, minimè defuturos; qui etsi fortassis Ignatii non erunt, sed sunt futuri ejusmodi, qui possint vices illius obire. Et consolatur me, quod F. Joannem Hurtadum, instante obitu, dixisse memini, Christum Ecclesiæ prope adhuc in cunis, firmamenta duo die eodem subduxisse, Petrum dico, & Paulum, ut intelligeret, se Christi potentiâ sustineri.

cum solatio eorum, qui in eo degunt.

330 *Et sane*, qui huc vocati fuerint, *ut laudati Ribadeneiræ in Vita lib. 2, cap. 11 verbis utar*, non se in Ignatii Ordinem aliquem adscriptos, sed in Societatem Filii Dei Jesu Christi Domini nostri vocatos agnoscant; sub illo summo imperatore mereant: ejus signa sequantur: crucem suam cupidè tollant: & in auctorem fidei, & consummatorem Jesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum illis atque persuasum sit, Ducem suum sibi præsto esse; illum non Ignatio solùm, & sociis, ut videmus hactenus fuisse, sed sibi quoque futurum semper propitium sperent. *Ex quibus Ribadeneiræ verbis Nigronius num. 26 colligit quinque rationes, quæ* Ignatium, *suorum utilitatis causâ, permoverunt, ut hoc nomen Ordini suo tribueret.* D

Nomen Societatis, quomodo intelligendum.

331 *Quidnam autem nomine* Societatis, *quæ est altera nomenclationis nostræ pars, intelligatur, legi potest apud Nigronium ubi suprà à num. 29; qui variis hujus vocis significationibus in medium productis, rectè scribit, sibi persuasissimum esse, è re militari ductâ metaphorâ, Ordini nostro nomen Societatis à sancto Fundatore inditum; quasi dicas cohortem, aut centuriam, legionemve, quæ ad pugnam cum hostibus spiritualibus conserendam conscripta sit, victoriæ de dæmone, carne, & mundo consequendæ cupida, & reportandæ animarum prædæ avidissima. Ordo itaque noster non est cœtus hominum, qui sint sodales Jesu, nisi hujusmodi sodales intelligas, qui sint tamquam milites, sub vexillo supremi Ducis ac Domini nostri Jesu Christi militantes, quem ipsi habeant pro tribuno atque ductore; secundùm dicta num. ro primo hujus paragraphi, ex Historia Societatis lib. 2, num. 62.* E

Fuit illud quidem sæpe impugnatum,

332 *Nunc de iis, qui vel illud nomen impugnarunt, vel improbarunt, dicendum restat. Melchior Canus lib. 4 de Locis theologicis cap. 2 de vocis* Ecclesiæ *notione agens, quam ab Apostolo 1 Corinth. 1, versu 9 docet vocari Societatem Jesu Christi, hæc addit:* Quæ sine dubio Societas cum Christi Ecclesia sit, qui titulum sibi illum arrogant, hi videant, an hæreticorum more penes se Ecclesiam existere mentiantur. *Brevis quidem sed acerba digressio; non magni tamen momenti, quia à Cano prolata, qui vir alioqui scientissimus, zelo contra Societatem arsit, non secundùm scientiam, sicut satis notum est. Deinde esto nomenclatio illa Ordinis nostri displicuerit Cano; at placuit sanctissimo ejusdem Fundatori, quam Vir ille modestissimus non sibi arrogaverat,* F *sed Apostolicæ Sedi obtulerat examinandam, & ejus suffragio probandam; placuit tot summis Pontificibus; placuit concilio œcumenico Tridentino: id quod cumulatissimè est satis ad reprimendam audaciam eorum omnium, qui adversùs Societatis nomen crista erexere. Inter quos etiam fuere magistri Sorbonici Parisienses, uti planum fit ex eorum decreto, quod apud Orlandinum ad annum 1555 num. 45 producitur, hoc initio:* Hæc nova Societas insolitam nominis Jesu appellationem peculiariter sibi vendicans *&c. Quæ quomodo noster Olavius refutarit, ibidem videre datur num. 47. Nomen ergo illud fuit quidem sæpe graviter impugnatum; sed expugnatum numquam, & adhæsit Societati semper; prout eidem adhæsurum semper, credebat sanctus Pater.*

sed secundùm ideam, quam de illo habebat S. Ignatius,

333 *De qua re juvat audire nostrum Andream de Cazorla, provinciæ Baticæ tum temporis antiquissimum, ætate propè octogenarium, officiis & prælaturis per quadraginta annos perfunctum &c.; qui in suo testimonio, die* XXIX *Januarii, anni* 1641, *Hispali in domo probationis nostræ dato, ita testatur in rem nostram:* Memoriâ item, imo

&

A & in ſcriptis habeo apud me, quod P. Didacus de Guzman, notæ ſanctitatis & nobilitatis vir (qui duobus annis cum SS. P. N. Ignatio familiariter egit, ut, ipſo mihi atteſtante, nullus præterierit dies, quo ejus ſuavi non perfrueretur alloquio) meo rogatu dictavit circa annum Domini MDXCII; nimirum, cum juſſu SS. P. noſtri Ignatii duo Patres Cardinalem nuncupatum de la Cueba, Parentis noſtri, noſtrarumque rerum amantiſſimum, ejus nomine inviſerent, Cardinalem eis inter loquendum dixiſſe, ſibi minimè probari, nomen Jeſu Societati noſtræ impoſitum, ne magnam apud alias Religiones invidiam excitaret.

ex teſtimonio hic appoſito,

334 Quam Cardinalis ſententiam cum relati patres, domum regreſſi, ſanctiſſimo Patri noſtro renuntiaſſent; in hæc tunc ſanctiſſimum Patrem prorupiſſe verba: SI NO SE DIJESSE COMPANIA DE JESUS (utar, *inquit teſtis*, eiſdem Hiſpanis vocibus, quas relatus pater Didacus de Guzman mihi roganti inſtillavit, & dictavit) SE PODRIA DEZIR CONGREGACION DE JESUS, O RELIGION DE JESUS, O ORDEN DE JESUS:
B MAS EL NOMBRE DE JESUS NO CREO QUE SE QUITARA: dando à entender claramente, que el nombre de Jeſus avia ſido dado del miſmo Jeſus.

expugnandum numquam.

335 Veritatem probavit eventus: nam cum ſæpe tentatum fuerit, maxime à Sixto V, Pontifice maximo, ut nomen Jeſu è noſtra Societate excluderetur, numquam id actum, perfectumque fuit: quin imo idem ſanctiſſimum Jeſu nomen ab ejus ſucceſſoribus ſtabilitum ſæpius confirmatumque fuit. *Ita ille apud Rhoum ſub finem Interrogationis* x *inter Apologeticas, in cujus fide cum ſupradictos teſtis characteres, tum ipſum ejuſdem teſtimonium, cui illi inſeruntur, huc tranſcribenda cenſuimus. Ne verò verba Hiſpanica moram injiciant lectori, iſtius linguæ imperito, ea ſic ſonant Latinè:* Si non diceretur Societas Jeſu, poſſet dici Congregatio Jeſu, vel Religio Jeſu, vel Ordo Jeſu: ſed nomen Jeſu non credo auferendum: clarè ſignificans, nomen Jeſu ab ipſomet Jeſu inditum fuiſſe.

§ XXXIII. Extrema ad abolendum è Societate hoc nomen tentata; audacia cujuſdam epiſcopi Romana auctoritate repreſſa; nominis ejuſdem commendatio ex re quadam mira; objectiones contra illud.

C *QUam verè extrema omnia tentata ſint à Sixto PP. V ad abolendum à Societate hoc ſacroſanctum nomen, exponit Sacchinus Hiſtoriæ Societatis parte* 5, *lib.* 10, *num.* 34, *& ſequentibus. Sed fruſtra: nam poſt decretum, Sixti V juſſu de abrogando antiquo nomine confectum à R. A. P. N. Claudio Aquaviva, atque illud ad ſummum Pontificem jam delatum; at (ſive id acciderit ex ipſius oblivione, ſive vi quadam majore) apud eum retentum ac numquam editum, ſubſecuta deinde haud multis poſt diebus ejuſdem Pontificis mors totum illud negotium intervertit, atque infectum reddidit; imo verò majus deinde*

Sixtus PP. 5 extrema tentavit ad mutandum hoc nomen; ſed Gregor. 14 illud confirmavit.

eidem nomini robur acceſſit ad temporis perpetuitatem. Nam à Gregorio XIV iterum Societati aſſertum fuit per ſolennem Conſtitutionem, die IV *Kal. Julii* 1591 *datam, quâ Societatis Inſtitutum, & ratio gubernandi confirmantur, quæque incipit:* Eccleſiæ Catholicæ; *ubi in rem noſtram ſtatuitur:* Nomen Societatis Jeſu, quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum eſſe. *Addi his poteſt Jacobi Ximenii, qui Societati à ſecretis fuit, affirmatio ex fiducia prophetiæ* S. Ignatii, *nomen Societatis numquam mutatum iri. De qua re pluribus agit idem Sacchinus loco citato, à num.* 48. AUCTORE J. P.

Epiſcopus Inſulenſis in Calabria

337 *Fuit tamen, etiam poſt adeo ſolennem Gregorii XIV Conſtitutionem, inventus quidam epiſcopus Inſulenſis in Calabria* (*nam Italicè* Iſola, *Latinè* Eſula, Inſula, Aſyla, urbs *eſt* regni Neapolitani in Calabria, *teſte Baudrand*) *qui epiſcopus in quadam epiſtola Societatis patres vocabat* patres Ignatianos, non Societatis Jeſu, & opulentiſſimos, non mendicantes &c.; *cujus audaciam coërcuit reſponſio S. Congregationis concilii Tridentini; quæ omnia diſco ex monumentis noſtris Romanis: quorum collector epiſtolæ reſponſoriæ ecgraphum pro me tranſcripſit, & ſic ſonat:* Reverende Domine uti frater. Cum nomen Societatis Jeſu, quo laudabilis hic Ordo naſcens à S. Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum eſſe decrevit * felicis recordationis Gregorius XIV in Conſtitutione, quæ incipit, Eccleſiæ Catholicæ: & SS. Tridentina ſynodus ejuſdem Religionem, ejuſque pium Inſtitutum ab eadem Sede approbatum hoc nomine appellare dedignata non fuerit; non ſine animi indignatione illuſtriſſimi Patres ejuſmodi concilii interpretes perlegerunt A. T. litteras, quibus nullâ aut Apoſtolicarum ſanctionum, aut ſacri hujus Tribunalis ratione habitâ, eamdem Religionem, quam Ignatianam dicit, non Societatis Jeſu, temerè deludere ac multis nominibus carpere, & inſectari non veretur. E

* *l.* decreverit

de iſto nomine non ſatis rectè ſentiens, coërcetur à S. Congregatione.

338 Quod quidem factum ampliſſimi Patres magnopere improbantes, tibi ſeriò injungunt, ut de cætero epiſcopalis dignitatis, & manſuetudinis memor, omnimodè abſtineas ab hujuſmodi oblocutionibus, atque obtrectationibus, ne ſi te iterum in id labi compererint, in neceſſitatem adducantur gravioribus pœnis iſtiuſmodi audaciam coërcendi. Deus A. T. ſervet incolumem. Romæ die XXV Januarii MDCXXV. *Et mox adduntur in apographo noſtro ſequentia:* Hæc epiſtola data fuit ab illuſtriſſimo D. Fagnano XV Maii, anni MDCXXV, & die XVII ejuſdem menſis & anni miſſa Neapolim ad R. P. Provincialem, ut eam epiſcopo tranſmitteret. Eſt autem deſcripta ab ea, quæ eſt in libro Memoriali ab anno MDCII, uſque ad &c. fol. 79. *Obſervandum tamen, quod liber hic in numero foliorum, abuſque centeſimo reſumat unum, duo, tria &c. ab initio. Et folium* 79 *citatum eſt numeri ſequentis poſt dictum centenarium; uti diſco ex iis, quæ Italicè ſubjunguntur libro mox deſignato.* F

Miro eventu

339 *Porro ipſi Salvatori Chriſto placuiſſe hanc nomenclationem, conjici poteſt ex re quadam mirabili, quam noſter Ludovicus de Ponte Ducis ſpiritualis tract.* 1, *cap.* 22 *teſtatur* eveniſſe cuidam homini Romæ, quem ſummus Pontifex Gregorius XIII hortabatur ingredi noſtram Societatem: qui cum repugnantiam ſentiret in ſe ad id faciendum, deſcendit ad templum S. Petri, [ac]

AUCTORE J. P.

nibus flexis ante SS. Sacramentum, magno fervore petiit manifestari sibi ipsius Christi Domini voluntatem. Et repentè exiit vox de tabernaculo, quæ illi: Esto de Societate nominis mei. Apparuit verò certò, fuisse Dei vocem, ex tribus admirandis effectibus, quos operata fuit. Primus fuit maximæ reverentiæ: quia projecit eum in terram magno timore & tremore, sicut in hujusmodi occasionibus evenire solet, ad eum modum, quo vox æterni Patris in monte Thabor projecit in terram tres Apostolos, qui eam audierunt.

videtur divinitus probari.

340 Secundus effectus fuit, quod ejus cor ita immutaverit, ut vehementer afficeretur ad id, quod antea horrebat; vincens videlicet cum suavitate repugnantiam omnem, ac difficultatem, quæ ipsum ab ingressu Religionis retardabant. Tertius fuit, quod infuderit illi repentè magnam nominis Jesu existimationem, idque tanta luce & claritate inæstimabilium divitiarum, quæ in eo nomine latent; ut quoties de ea loqueretur, in magnam admirationem raperet omnes, qui eum audiebant. *Facto isti, quod nullo citato teste refert prædictus auctor, robur accedit ex Nigronio num.* 47 *in fine, ubi habet, quod Joannes Oliva contubernalis suus, qui per Gallias aliquando transeuntem illum de facie novit, & allocutus est, sibi asseruerit, Hispanum fuisse, ac nomine Jacobum seu Didacum Sanchez. Nec verò quisquam inde inferat, Ordinem nostrum vocari debere* Societatem nominis Jesu: *de quo Nigronius eodem num.* 47.

B

Objectiones contra Societatem nostram ex ejus nomine formatæ.

341 *Nec est quod à nostri Ordinis osoribus, ejusdem nuncupatio accusetur superbiæ aut arrogantiæ; vide Nigronium num.* 43, *& Sacchinum loco citato num.* 38. *Nec ullam Ordo noster aliis in illa re facit injuriam; adeatur Nigronius num.* 45; *nec Christo; consulatur Sacchinus num.* 40. *De infrunitis nominis hujus obtrectatoribus hæreticis quid memorem? Hi sanè facto agmine, buccis concrepantibus, ut cum Nigronio num.* 39 *loquar, in circulis & concionibus; tum libellis famosis editis, sanguine Lycambeo scriptis, nomen hoc Societatis Jesu lacerare, atque obruere criminationibus sunt conati; quorum effrænata audacia à quibus fuerit repressa, mox subjungitur.*

Solvi debent in alia priore Societate, nostræ cognominе.

342 *Discant interim illi, si qui etiamnum supersint, quibus hoc nomen displicet, quod nos primi non simus, quibus illud inditum fuit; ac proin quod hæc appellatio non adeo sit* insolita, *qualis ex num. superiore* 332 *videbatur esse magistris Sorbonicis. Nam in Spicilegio Acheriano tom.* 3, *pag.* 806 *editionis novæ Epistolarum &c. profertur epistola Pii PP. II, data anno Christi* 1459, *ad Carolum Francorum Regem, in qua sic scribit:* Intelleximus, dilectum filium Guillermum de Torreta votum emisisse, SOCIETATEM sub vocabulo JESU NUNCUPATAM, ad Dei honorem, & infidelium oppugnationem noviter institutam ingrediendi, & in ea unà cum aliis pro defensione fidei Christianæ contra Turchos persistere velle, *&c. Cum verò res ista sit scripta annis octoginta & uno, antequam nomen Jesu Societati nostræ fuerit solenniter impositum; cdisserant, amabo, nobis adversarii nostri, an illa, quæ objiciuntur contra Societatem nostram in hac materia, non habuerint locum in illa priore Societate. Hæc verò, propter quæ, teste Sacchino num.* 34 *suprà citato, Sixtus V nomen nostrum mutatum vellet, sunt; quia* superbum *diceret* esse vocabulum, & injuriosum ceteris Religiosorum Ordinibus, ac fidelibus universis. Ad injuriam quoque ipsius Christi redire, cum sanctissimum ejus nomen, non vulgi modo passim, sed etiam in judiciis ac foris scribarum ac tabellionum ore profanum fieret. Onerosum denique esse piis, quos, ubi Societas ista nominaretur, interrumpere curas graves, & signa edere venerationis, caputque aperire oporteret. Quod enim id hominum genus esse, quos appellare, nisi detecto capite nefas esset? Hæc ferme permovebant Pontificem, cur novum vellet nomen assumi. *An hæc, inquam, non obtinuerint in priore illa* Societate Jesu? *An obtineant in nostra?*

C D

Alia quædam nomina adventitia.

343 *De nomine adventitio, vulgari & compendiario, quo* Jesuitæ *dicimur, inspici potest Nigronius à num.* 57, *& Suarezius num.* 5, *apud quem item num.* 4 *occurrit* Inniguistarum *vocabulum, à nomine* Ignatii *Hispanico* Innigo *derivatum. Theatinorum quoque nomen in nos transfusum, ex Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 6, *atque Orlandino lib.* 1, *num.* 122. *Denique vocati etiam sumus* presbyteri reformati, *teste eodem Orlandino lib.* 15, *num.* 50: *&* Apostoli *dicti in Lusitania, ut videre est apud eumdem historicum lib.* 3, *num.* 40. *Atque ut ad proprium ac primigenium Societatis Jesu nomen redeamus, noverit, altéque animo insculptum teneat necesse est quilibet ipsius alumnus, suum hoc esse munus, ut cujus glorioſum nomen gerit, Jesu actiones imitetur. Ceterùm de Societate nostra pro argumenti, quod tractamus, convenientia satis superque hæc dicta sint hactenus; ut pro ea adversùs ejusdem obtrectatores atque impugnatores apologeticam defensionem lector exspectare hoc loco non debeat, quæ & longioris esset operæ, & à nostro proposito aliena. Consuli interim de ista re possunt Bibliotheca scriptorum Societatis in Indice materiarum cap.* 18, *à pag.* 946; *ac nostri P. Alphonsi Huylenbroucq Vindicationes, adversùs famosos libellos &c., Gandavi anno* 1711, *nec non Vindicationes alteræ, ibidem anno* 1713 *editæ: uti & ejusdem auctoris Vindicationes adversùs Tubam alteram, quæ Bruxellis in lucem prodierunt anno* 1715. *Quædam verò, quæ conducunt ad dictæ Societatis commendationem, dabuntur in Gloria* S. Ignatii *posthuma.*

E

§ XXXIV. Societas Jesu à S. Ignatio, & ab aliis, ut fertur, præcognita, antequam condita; principalis ejusdem auctor, ac secundarius; primus item ejusdem Præpositus Generalis quorum suffragiis electus?

F

Societas Jesu suo Fundatori ante cognita, quam nata, ex testimonio Mutii Vitelleschi;

S*Anctum de religiosa familia sua condenda, diu antequam illam conderet, prænotionem habuisse, conficitur ex testimonio, quod in antecessum alia occasione protulimus* § 13. *Adde vaticinium Antverpiæ ab ipso prænuntiatum* § 16, *nec non colloquium Segobricense* § 20. *Quia verò hîc de Societate nostra tractamus, locus proprius se nobis offert prænotionem illam confirmandi. Eam vindicavit sancto Parenti nostro P. Joannes Rho Interrogatione* 10 *inter Apologeticas, à pag.* 145 *operosè in illa controversia versatus contra Joannem Baptistam Castaldum clericum regularem. Ego verò rem non extraham in longos sermones, sed*

A *ſed nonnulla dumtaxat ex ipſo libabo teſtimonia pro ejuſdem confirmatione. Itaque pag.* 161 *apud ipſum exſtat teſtimonium Mutii Vitelleſchi Præpoſiti Generalis noſtri, in hæc verba :* Ego Mutius Vitelleſchus Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, teſtor, etiam cum juramento, quatenus opus eſt, me LVII abhinc annis ab ingreſſu ſcilicet meo in Societatem, audiſſe à Majoribus & ſenioribus, S. Ignatium, Parentem noſtrum, antequam conderet Societatem, de ea inſtituenda divinas habuiſſe revelationes, ejuſque ideam ac formam inſtituti animo comprehendiſſe, meque, id veriſſimum eſſe, credere. In quorum fidem his manu propria ſubſcripſi, & ſigillo Societatis muniri juſſi. Romæ in noſtra domo Profeſſorum XII Kal. Decembris anno MDCXL. Mutius Vitelleſchus.

345 *Hoc teſtimonium ſequitur illud :* Ego Al-
Alvari Ariæ, varus Arias Societatis Jeſu Aſſiſtens Hiſpaniarum teſtor, etiam cum juramento, quatenus opus eſt, ab anno MDXCIII, quò in Societatem admiſſus ſum, audiſſe me ab antiquiſſimis patribus, qui æquales fuerant primorum patrum, & cum illis diu egerant, S. Ignatio olim revelatum fuiſſe, Societatem à ſe fundandam, ejuſque prima
B quædam lineamenta in Exercitiis ſpiritualibus duxiſſe, quod ego etiam credo eſſe veriſſimum. Hujus meæ auditionis, ac perſuaſionis teſtimonium hîc dare volui, ne hæc veritas umquam oblivione exoleſcat. Ideoque hæc mea manu ſcripſi, & obſignavi ſigillo officii mei. Romæ XII Kal. Decembris MDCXL. Alvarus Arias. *Iſti teſtimonio ſubditur hoc :* Ego Joannes Chamerota Societatis Jeſu profeſſus, & ſacræ theologiæ magiſter, annum nunc agens octogeſimum ſecundum, teſtor, etiam cum juramento, quatenus opus eſt, me in primis annis mei in Societatem ingreſſûs, hoc eſt, annis abhinc octo circiter & ſexaginta, à Majoribus noſtri Ordinis accepiſſe, ſancto Ignatio religionis noſtræ fundatori in ipſis converſionis ſuæ primordiis formam, ac typum noſtræ Societatis, quam fundaturus eſſet, divinitus fuiſſe monſtratum. De qua re mihi etiam nullum dubium eſt. In cujus rei fidem mea manu teſtimonium hoc ſcripſi, & ſubſcripſi Romæ die VIII Novembris MDCXL. Joannes Chamerota.

346 *Ex litteris P. Joannis Bollandi, ad P.*
Joannis Bollandi. *Philippum Alegambium datis Antverpiæ, menſe*
C *Decembri anno* 1640, *P. Joannes Rho pag.* 168 *profert ſequentia :* De Petro Quadrato, cui S. P. N. prædixit, fundaturum eum Societati collegium, ita omnes à ſenioribus ſemper audivimus, ut ſtolidum eum eſſe oporteat, qui de re tam conſtanti fama à Majoribus tradita dubitet. Eſt hîc inter nos P. Guilielmus Warighemius, qui circiter LVI aut LVII annis fuit in Societate, habitavitque Antverpiæ ſtatim poſt receptam de hæreticis urbem. Is ita ſe tunc recentiori fama audiſſe memorat. Monſtrantur in hac urbe ædes, in quibus hoſpitio exceptus eſt S. P. N. à D. Cuellar mercatore Hiſpano; cui tum cohabitabat Quadratus ille adhuc adoleſcens. *Præterea teſtatur Rhous pag.* 179, *vidiſſe ſe Romæ apud Alvarum Ariam Aſſiſtentem Hiſpaniarum, librum Hiſpanicè ſcriptum ante hos, inquit, annos quinquaginta quinque, in quo Ægidii Gonzalii, ad ſocios de Inſtituto Societatis ac legibus domeſticæ leguntur allocutiones : in quarum prima ad verbum legi hæc, Latinè à ſe ſumma fide reddita; & à publico ſcriba excerpi curata, teſtatur :* Finis noſter eſt, ſocios nos addere Jeſu in reductione animarum, & acquiſitione mundi : ut Pater Everardus in quodam ſermone dicit ſe audiviſſe, Patrem noſtrum Ignatium, & ſocios ejus dicentes, cum primùm illi objecta fuit meditatio regni terreſtris (*habetur in libello Exercitiorum hoc titulo*, de Regno Chriſti) impreſſas illi fuiſſe notiones de idea Societatis. *Nec plura huc congeram, quæ cumulatè ſuggerit dictus auctor in eadem interrogatione* 10; *cum hæc ſufficiant ad faciendam fidem de antiquiſſimâ apud nos traditione prænotitiæ à ſancto Patre Societatis, antequam eam conderet : quæ traditio obtinet tam diu, donec ſolidè convellatur.* AUCTORE J. P.

347 *Volunt nonnulli, aliorum vaticiniis Societatem prænuntiatam fuiſſe. Orlandinus lib.* 2, *num.* 56 *ad annum* 1538, Hoc, *inquit*, tempore multi ex externis cum Patrum vitas & inſtituta perpenderent, vehementer addubitarunt, an ii forſitan eſſent euangelici illi viri, de quibus tantò antè B. Vincentius Ferrerius divino inſtinctu prædixerat. Multa quippe videbantur ex eo prædicationis oraculo cum eorum vitis moribuſque congruere; *ſicut pluribus ibi proſequitur. Ribadeneira libro de Scriptoribus Societatis, in Petro Caniſio ita ſcribit :* Cùm nata nondum eſſet Societas, femina quædam, opinione ſanctitatis vulgo nobilis, matrem ejus admonuit, ut magna Petrum filium curâ educaret : quod brevi religio quædam clericorum inſtituenda foret, quæ eximias Dei Eccleſiæ utilitates eſſet allatura : in quam religionem filius ejus adſcriptus, vir apprimè inſignis haberetur. *Conſuli etiam poſſunt Orlandinus lib* 4, *num.* 34, *& Raderus in Vita Petri Caniſii lib.* 1, *cap.* 1. *Porro non conſectabor hîc plura, quibus apud alios ſcriptores Societas noſtra prænuntiata fuiſſe fertur : de quo argumento tractant P. Julius Nigronius in Commentariis aſceticis in Regulas noſtras communes, inter ea, quæ tituli particulâ tertiâ Societatis Jeſu dicit num.* 11; *P. Andreas Lucas in Vita* S. Ignatii *lib.* 4, *cap.* 7; *P. Euſebius Nierembergius in Vita cap.* 1; *Bartolus lib.* 2, *num.* 47. *Etenim cum tot ſuppetant aliunde ornamenta, quibus Sanctus in ſua Societate illuſtretur, & ſolidiora & certiora, quam illa ſint, quæ à prophetiis hujuſmodi deſumuntur, facilè illis ſuperſedeo.* *Fuit, ut volunt nonnulli, ab aliis prænuntiata.*

348 *Principalis Societatis auctor fuit Spiritus ſanctus; ſecundarius autem* S. Ignatius, *à Spiritu ſancto afflatus. P. Franciſcus Suarez de Religione tom.* 4, *tractatu* 10, *lib.* 1, *cap* 4, *num.* 4 *ſuadet partem primam hujus aſſertionis ex teſtimonio* S. Ignatii, *qui in principio ſuarum Conſtitutionum id profitetur; deinde eam probat ex auctoritate Pontificum, & pluribus aliis rationibus ſeu conjecturis, & effectibus. Pars ſecunda aſſertionis adeo omnibus nota & certa eſt, ut mirum planè ſit, alium pro* S. Ignatio *fundatorem Societatis ſumma cum ignorantia ſubſtitutum fuiſſe à Kemnitio, quem Didacus Payva Andradius Orthodoxarum explicationum lib.* 1, *fol.* 13 *ſic confutat :* Hæc ſunt, Kemnici, Societatis Jeſu initia, hæc illius prima origo : quam tu falsò à Joanne Petro Carapha, qui poſtea Cardinalis, & tandem anno MDLV Pontifex factus, Paulus IV dictus eſt, priuſquam ad faſtigium illud eveheretur, Venetiis primùm inſtitutam fuiſſe aſſeris. *Et quibuſdam interpoſitis de origine Ordinis Theatinorum, deinde fol.* 14 *ſic pergit :* Quorum ſanè vivendi genus, ut eſt Societate Jeſu antiquius, ita in vivendi ratione ab illa valde differt. Illi enim ſacrarum æternarumque rerum meditationi atque pſalmodiæ potiſſimùm vacant; iſti verò cum divinorum myſteriorum aſſidua contemplatione, docendæ plebis, Euangelii amplifican- *Principalis & ſecundarius ejuſdem auctor :*
E F

AUCTORE J. P.

di, Sacramenta administrandi, atque reliqua omnia Apostolica munera conjungunt.

in secundario designando error Kemnitii confutatur.

349 Illi nondum Italiæ finibus excesserunt, in qua magna cum laude versantur, & vitam degunt omnium judicio spectatissimam: isti verò ultimas jam orbis oras lustrarunt, atque Christum Jesum crucifixum universo fere generi humano annuntiarunt: usque adeo, ut nulla sit tam barbara & inculta gens, cui Societatis Jesu nomen non sit notissimum. Neque mihi, *inquit*, persuadere possum, alia te ratione fuisse inductum, ut Paulum IV Pontificem maximum Societatis Jesu auctorem fuisse diceres, quam ut tuis omnibus pro odio, quod in sanctissimos Romanos Pontifices conceperunt, atque exercent, fieret illa suspecta & invisa. Quæ quidem satis ostendunt, quæ sit vobis, Kemnici, fides habenda in his, quæ passim in magnum Romanæ Ecclesiæ dedecus, sanctissimorumque Pontificum ignominiam judicatis. *At nos res nostras prosequamur.*

Ribadeneira omnium suffragiis electum dicit Generalem S. Ignatium, B

350 *Ribadeneira libri sui tertii caput primum ita orditur:* Societate à Paulo III Pont. Max. confirmata, nihil patres prius habuerunt, quàm ut Præpositum crearent eum, qui universæ Societati præesset, cujusque spiritu ac prudentia omnia tum Romæ tum foris administrarentur. *Quo tunc in statu esset recentissimè nata Societas, quinam patres, quot & quando Romæ partim adfuerint, partim eò acciti sint, partim etiam inde abfuerint, & quas ob causas, docet Ribadeneira loco citato. Quando de præsentibus dicit,* suffragia sua cum absentium patrum suffragiis, quæ illi aut scripta reliquerant, aut postea miserant, conjungunt, *quæri potest de suffragio absentis Bobadillæ. Ribadeneira dum disertè affirmat ista,* Omnibus omnium tum præsentium tum absentium sententiis Ignatius Præpositus Generalis renuntiatur; *nonne videtur innuere, omnia omnium suffragia Romæ extitisse, & influxisse in electionem* S. Ignatii *ad regimen Societatis; sive suffragia absentium ibi fuerint relicta, antequam discederent, sive eò post discessum submissa? Et Ribadeneira meretur magnam fidem: nam ibidem ista præmiserat:* Quod ego, *inquiens,* ex exiguo illorum eram numero, qui Romæ tunc commorabantur in Societate, & ab Ignatii latere . . non discedebam, consequentes res, non quasi auditor, sed
C ut spectator & præsens ac certissimus testis deinceps narrabo.

etiam Bobadillæ, ut vult Maffeius;

351 *Ribadeneiræ asserenti de electione omnium suffragiis facta non modo suffragatur, sed clariùs aliquid superaddit Maffeius lib. 2, cap. 13 his verbis:* Patres, qui quidem in Italia erant, sub initium Quadragesimæ anni MDXLI convenere (*in Urbem*) omnes, uno dempto Bobadilla, quem in oppido Bisiniano tum maximè res gerentem, abduci rursus ab opere Pontifex noluit. Is ET CETERI, qui longiùs aberant, suum quisque in schedula suffragium ritè obsignatum, partim in discessu reliquerant Romæ, partim deinde misere inclusum epistolis. *Et mox subdit:* Septimo denique die legitimè extractis recitatisque suffragiis, Præpositus declaratur Ignatius, nemine præter ipsum Ignatium discrepante. *Ergo nullus non socius sive præsens sive absens* Ignatium *suffragio elegerat, ex relatione Maffei. Dicit enim* Is & ceteri; *item* omnes *&c.*

cui refragatur Orlandinus.

352 *Orlandinus lib. 3, num. 4 de Bobadilla sic narrat:* Cum ad Urbem nec ipse posset accedere, nec suum absens suffragium mitteret, patres de propinqua missione soliciti, quam Pontificia majestas urgebat, coacti sunt, nulla absentis ratione habita, Generalem Præpositum ex suo corpore constituere. *Quibus clarè indicat Orlandinus, Bobadillam in electione Præpositi Generalis suffragium nullum dedisse. Neque secundùm eumdem historicum dici potest, quod illud Romæ reliquerit Bobadilla ante discessum suum; præmiserat quippe paullo ante:* Ejus eligendi gratiâ Xaverius & Rodericus in Indiam profecturi sua reliquerant obsignata suffragia. Faber suum ex Germania per epistolam misit, idque sæpius, & semper idem, ne quod tantis locorum intervallis, aut quoquo modo interciperetur exemplar, aut seriùs ad Urbem perferretur. *Ubi vides, quàm hîc Orlandinus accuratè de trium istorum absentium suffragiis loquitur, tam superiùs perspicuè exclusisse suffragium Bobadillæ. Cum autem Ribadeneira referat res,* non quasi auditor, sed ut spectator & præsens, ac certissimus testis; *quisnam audeat ipsi imputare errorem in puncto hîc controverso?* D

sed non videtur Bobadillæ ullum suffragium misisse. E

353 *Habeo ante me exemplar Hispanicum cum aliis documentis Romanis è domûs nostræ Professæ archivo erutis, hoc titulo prænotatum, qui ex Hispanico sic sonat Latinè:* Forma, quam Societas habuit in sua oblatione & promissione, suo Creatori ac Domino facienda, est illa, quæ sequitur. *Quænam tunc illa occasione à patribus gesta sint, habentur ex Ribadeneira lib. 3, cap. 1. Videatur insuper Orlandinus lib. 3, num. 6 & sequentibus; ut aliunde illa huc transcribi non debeant. Illud verò huc spectat, quod ex dicto Hispanico sic interpretor:* Apertis omnium schedulis una post aliam, NEMINE DISCREPANTE, omnia suffragia convenere super Ignatio, dempto magistro Bobadilla, qui, quia erat Bisiniani, & quâ horâ profecturus erat Romam, fuit ipsi mandatum à Pontifice, ut diutius maneret in ista civitate, propter fructum, quem illic faciebat, NEMINI MISIT SUFFRAGIUM SUUM: & quia sua Sanctitas eos, qui erant Romæ, dispertiri volebat per diversas partes, coacti fuere res suas concludere sine Bobadilla, conformiter ad omnia suffragia omnium absentium, & omnium præsentium. *Hæc quoniam consentiunt cum Orlandino, primò circa suffragium à Bobadilla Romam non missum; secundò circa electionem sine Bobadilla à patribus conclusam; videtur mihi utrumque hoc tenendum, ac standum narratione Orlandini.*

F

Ribadeneira in speciem contrarius explicatur.

354 *Ribadeneiram in speciem contrarium explico. Quando de patribus, qui Romæ erant præsentes, dicit:* Suffragia sua cum absentium patrum suffragiis, quæ illi aut scripta reliquerant, aut postea miserant, conjungunt; *intellige nimirum cum suffragiis Petri Fabri, S. Francisci Xaverii, ac Simonis Roderici; quorum primus suum misit, secundus ac tertius suum Romæ reliquit, ex supradictis, ac dicendis paragrapho subsequente. Propositionem alteram* omnibus omnium tum præsentium tum absentium sententiis Ignatius Præpositus Generalis renuntiatur, *expono sic, ut extendatur ad illos omnes ac solos, qui suffragia pro* Ignatio *dedere: cum verò inter dantes, secundùm dicta, non fuerit Bobadilla, propositio ad illum non extenditur: adeo ut Sanctus verè omnia omnium electorum suffragia pro se habuerit, quamquam non habuerit illud Bobadillæ, qui ob rationes dictas aberat Româ, nec suffragium pro ullo misit, ac proin elector non fuit. Hæc de Ribadeneira. Ad Maffeium quod attinet; cum ex ejus verbis habeamus, & electorem exstitisse Bobadillam, & omnium electorum calculis declaratum esse Generalem* S. Ignatium, *nemine utique præter*

A *ter ipſum diſcrepante, ſequitur, ut ſententia ejus cum ſuperioribus conciliari non poſſit.*

§ XXXV. Suffragia patrum pro electione S. Ignatii in Præpoſitum Generalem; item declaratio duplex S. Franciſci Xaverii circa Societatis Jeſu Conſtitutiones, ex autographis eorum; quando illud munus Ignatius inierit.

Suffragium S. Ignatii, B OMnia ſuffragia ſunt tota autographa; omnia fuere clauſa, ut patet ex ſigilli veſtigiis adhuc adhærentibus; *ſicut P. Ignatius Pinius, qui eorum apographa huc miſit, propria manu notavit. Porro exhibeo illa ſuffragia eodem ordine, quo accepi. Latina autem ſunt; niſi aliud indicavero. Suffragium* S. Ignatii *ex Hiſpanico ſic verto:* IHS. Me ipſum excludendo, do ſuffragium meum in Domino noſtro, ut ſit Prælatus, illi, qui habebit plura ſuffragia, ut ſit. Dedi indeterminatè, boni conſulendo: ſi tamen Societati aliud videbitur, aut meliùs eſſe judicaverit, & ad majorem gloriam Dei Domini noſtri; paratus ſum illum deſignare. Actum Romæ v Aprilis MDXLI. Inigo. *Clauſum fuit hoc ſuffragium ſigillo nominis Jeſu, quod adhuc ei adhæret.*

Lainii, *Suffragium Lainii bis verbis conſtat:* IHES Maria. Ego Jacobus Laynez ſolo zelo gloriæ Domini Jeſu & ſalutis animæ ductus eligo Dominum Ignatium de Loyola in meum & Societatis Jeſu ſuperiorem. In cujus rei fidem nomen meum hîc ſubſcripſi quarta die Aprilis MDXLI. Laynez. *In tergo habetur Lainii manu* Laynez.

Salmeronis 356 *Suffragium Salmeronis his verbis, ſe & Ignatio digniſſimis, expreſſum eſt:* IHUS Maria. In nomine Jeſu Chriſti. Amen. Ego Alfonſus Salmeron, hujus ſocietatis indigniſſimus, præmiſſa ad Deum oratione, & re pro qualicumque meo judicio maturè penſata, eligo ac pronuntio pro meo ac totius congregationis Prælato ac ſuperiore, Dominum Ignatium de Loyola, qui juxta ſibi datam à Deo ſapientiam, ſicut nos omnes in Chriſto genuit, lacteque pavit parvulos, ita nunc in Chriſto grandiores ſolido obedientiæ cibo deducet ac diriget in paſcua pinguia & uberrima paradiſi, & ad fontem vitæ: ut cum gregem hunc puſillum Jeſu Chriſto paſtori magno reddiderit, veraciter nos dicamus, Et nos populus paſcuæ ejus, & oves manûs ejus. Ipſe verò gaudenter dicat: Domine, ex his, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Quod ipſe Jeſus paſtor bonus nobis dignetur concedere. Amen. Hæc eſt ſententia noſtra. Scriptum Romæ quarto die Aprilis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo. *Epigraphe autographa eſt* Salmeron.

C *Jaii, Broeti,* 357 *Suffragium Claudii Jaii hujus eſt tenoris:* Dominum Ignatium, quem Deus omnibus nobis jam multis annis dedit in patrem, judico & opto eligendum in Præpoſitum noſtræ Societatis nominis Jeſu. Et ita ego ejuſdem Societatis minimus, quantum ad me attinet, eum eligo, & illius regimini poſt Deum & Sanctos animam meam, & me totum committam libentiſſimè, & ex nunc committo. Claudius Jajus. *Epigraphe autographa eſt:* Claudio Jajo. AUCTORE J. P.

Suffragium Paſchaſii Broet omnium breviſſimum ſic habet: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Ego Paſchaſius Broet eligo in Prælatum, Dominum Ignatium de Loyola. *Epigraphe autographa eſt:* Paſchaſius.

Coduril; 358 *Suffragium Joannis Coduri latiùs ſe extendit, his terminis concluſum:* IHUS Maria. Cum contingat me ex mandato & obedientia ſummi Pontificis Chriſti in terris vicarii; quam quidem obedientiam libentiſſimè obeo, ac ſi ipſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter mihi idem mandaret atque injungeret: cum, inquam, mihi contingat ire in Hiberniam ob pia quædam negotia ad Dei gloriam & proximi, ut piè ſperatur, ſalutem ceſſura, patriaque illa non parum hinc diſtet; adeò ut difficile nonnumquam ſit poſt multos menſes literis ſe viſitare, conſultius me facturum exiſtimavi, poſt rem Deo commendatam, à me tamen & non ab aliis motus, ſicut qui regnat in cælis, teſtis eſt, ſi, antequam diſcederem, mea manu ſcriptum Societati ſignificarem E eum, qui poſt diploma noſtræ Societatis confectum, meo judicio eidem Societati noſtræ deberet præfici, & locum miniſterii tenere, cernens tantùm majorem Dei gloriam, & totius Societatis majus bonum; is eſt, cui teſtimonium reddo, quod eum Dei honoris zelatorem, ac ſalutis animarum ardentiſſimum ſemper cognovi, ac ideo etiam aliis debere præfici, quia omnium ſemper ſe fecit minimum, ac omnibus miniſtravit, honorandus pater dominus Ignatius de Loyola; poſt quem non minori virtute præditum cenſeo præferendum honorandum patrem dominum Petrum Fabri. Hæc eſt veritas coram Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto, nec aliud putarem dicendum, ſi hanc horam ultimam meæ vitæ eſſe certò ſcirem. In cujus veritatis ſignum hanc paginam mea manu ſubſcriptam & clauſam, aperiendam ſolùm poſt diploma Societatis confectum, Societati noſtræ, quæ hic Romæ remanet, reliqui ſcriptam quinta Martii MDXL. Joannes Coduri. *Epigraphe autographa eſt:* Joannes Coduri Societati poſt diploma confectum.

circa quod peſtremum nonnulla obſervantur. F 359 *Bartolus lib. 2, num. 48 obſervat, datum ac conſignatum ab ipſo ſuffragium fuiſſe tanto antè tempore, quod eſſet proximè à Pontifice nuntius in Hiberniam mittendus: id quod tamen poſtea non accidiſſe, addit. P. Ignatius Pinius apographo huic ad nos miſſo hæc in rem præſentem ita annotavit de Codurii profectione:* Non videtur tamen reipſa fuiſſe in Hibernia. Nihil certè hac de re inveni. Hoc conſtat, quod XXII Aprilis anni ſequentis MDXLI Romæ profeſſionem ediderit; imo quod IV Martii MDXLI, à Societate S. Ignatio datus fuerit adjutor: quodque ſit Romæ mortuus XXIX Auguſti MDXLI. Pontifex autem eodem anno MDXLI in Hiberniam miſit Salmeronem & Broetum. *Ita ille. Conſule pro his Ribadeneiram lib. 3, cap. 1 & 4; nec non dicta ſuperiùs § 28, ubi varias Societatis determinationes protulimus.*

S. Franc. Xaverii declaratio, 360 *Suffragio S. Franciſci Xaverii in eodem folio adjunctam eſſe declarationem aliam duplicem, totam item autographam, diſco ex apographis noſtris, è quibus declarationem primam ex Hiſpanico ſic effero:* Ego Franciſcus ſic dico, me, ſua Sanctitate modum noſtrum vivendi concedente, acquieſcere illis omnibus, quæ Societas ordinarit circa omnes noſtras Conſtitutiones, regulas, ac modum vivendi, illis Romæ congre-

AUCTORE J. P.

gatis, quos commodè potuerit convocare, & appellare. Et quandoquidem ſua Sanctitas multos è nobis ad diverſas mittit partes extra Italiam, & quia non poterunt omnes convenire: dico per hanc chartam, ac promitto, æqui bonique conſulere, quidquid illi ordinarint, qui conventui intereſſe potuerint, ſive ſint duo, ſive ſint tres, aut illi qui fuerint. Et ſic per hanc mea manu ſignatam dico ac promitto, me rata habiturum omnia illa, quæ ipſi fecerint. Scripta Romæ anno MDXL die XV Martii. Franciſcus.

ac ſuffragium;

361 *Suffragium S. Franciſci Xaverii ex Hiſpanico ita interpretor:* IHS. Ego Franciſcus etiam dico & affirmo, quod nullo modo ſuaſus ab homine judicem, illum, qui eligendus eſt in Prælatum noſtræ Societatis, cui omnes obedire debeamus, videri mihi æquum, ſecundùm id, quod dictat mea conſcientia, loquendo, ut ſit Prælatus, noſter antiquus ac verus pater Dominus Ignatius: qui quoniam nos junxit omnes non parvis cum laboribus; non ſine illis, nos ſciet melius conſervare, gubernare, ac promovere de bono in melius; quia penitiùs ille novit unumquemque noſtrûm. Et poſt mortem illius, loquendo ſecundùm id quod ſentit anima mea, veluti ſi ſuper hoc eſſet moriendum, dico eligendum patrem magiſtrum Petrum Fabrum. Et in iſta parte Deus eſt mihi teſtis, me non aliud dicere, quam ſentio. Et in hujus rei fidem, propria mea manu ſubſcribo. Actum Romæ anno MDXL, XV Martii. Franciſcus.

B

alia item ejuſdem declaratio.

362 *Declaratio altera, ex Hiſpanico Latinitate donata, indicat ſequentia:* Similiter poſtquam Societas fuerit congregata, ac Prælatum elegerit; ego Franciſcus promitto nunc pro tunc perpetuam obedientiam, paupertatem & caſtitatem. Et ſic, pater mi in Chriſto chariſſime Laynez, te rogo pro ſervitio Dei Domini noſtri, ut in mea abſentia tu pro me hanc meam voluntatem cum tribus votis religionis offeras Prælato, quem elegeritis. Quia ex nunc pro die qua creatus fuerit, promitto ea obſervare. In cujus rei fidem munio præſentem chartam manu mea propria ſignatam, Romæ ſcriptam anno MDXL, die XV Martii. Franciſcus. *Additur inſcriptio item autographa:* Eſta es la carta de Franciſco para los de la Compañia. *Id eſt:* Hæc eſt charta Franciſci pro his qui ſunt Societatis. *Interim ſi aliquot ſciolos aut invidos audiamus, S. Franciſcus Xaverius non fuit Societatis Jeſu. At pergamus.*

C

Suffragium Simonis Roderici,

363 *Suffragium Simonis Rodriguez hujus eſt formæ:* Ad laudem Dei, & virginis Matris. Viſum eſt mihi ſecundùm lumen, quod indignus indignè habeo, quod Ignatius ſit nobis ille, quem ex nobis debemus eligere in præſidentem & rectorem; & ſi ipſe aliquo caſu vel morte præveniente defuerit, loco ejus ſuccedat Petrus Faber: & quoniam hoc in mea conſcientia ſentio, volui vobis, fratres cordialiſſimi, fidem exhibere, nomen meum manu propria ſubſcribendo; aſſerendo etiam, me nec directè, nec indirectè per hominem ad hoc perſuaſum, ſed ſpontè & liberè, quod itidem credo vos facturos. Et cum hactenus inter nos nulla fuerit ambitio, ita ſpero futurum: & cum Dominus veſtra deſideria felicitaverit, recordamini, ô fratres chariſſimi, veſtrorum fratrum; ſurſum corda pro eis levate. Saluto vos omnes, fratres mei. Romæ quintâ Martii, qua die à Roma diſcedo, anno à nativitate Domini del mil e quinientos y quarenta, *id eſt* 1540. *Et ſubſcribitur:* Simaon * Rodriguez. *In tergo adſcriptum eſt manu Simonis:*

* *dialecto Luſitanica*

Non ſolvatur ante diem.

D

ac triplex Fabri exemplar.

364 *Suffragium Petri Fabri ex Hiſpanico ita huc transfero:* IHS. Circa primum Præpoſitum, cui præſtare teneamur votum obedientiæ, ego ſuffragium meum do Ignatio; & in ejus abſentia per mortem, id quod abſit, M. Franciſco Xaverio: ſimiliter me offerens jam nunc, ut obſtringam me, ad obediendum cuilibet qui præfuerit Societati, ac non ſolùm Præpoſito, ſed etiam quibuſlibet ordinationibus aut conſtitutionibus, quas facient illi, qui Romæ ſeſe jungent; omnes rogando pro ſervitio Dei noſtri, ut me habere velint in omnibus, quæ fient, tamquam membrum ſuum, & omnium laborum ſuorum participem. In cujus rei ſignum hîc pono nomen meum, manu mea firmatum anno Domini MDXL, in die S. Joannis Euangeliſtæ. Petrus Faber.

Aliud ejuſdem ſuffragii exemplar datum Spiræ ex Hiſpanico: IHS. Meum votum circa Præpoſitum eſt pro Ignatio, & in ejus abſentia per mortem, pro M. Franciſco de Xabier. Similiter cuilibet, quod fuerit ordinatum per Societatem in mea abſentia, me ſubmitto: & ad omnia mitto hîc nomen meum, tali conſenſu manu mea firmato. Datum Spiræ die XXIII Januarii MDXLI. Petrus Faber.

E

Tertium ejuſdem ex Hiſpanico ſuffragium: IHUS. Meum votum ac judicium circa primum Societatis Præpoſitum, eſt in Ignatio; & in ejus abſentia per mortem, ſuper M. Franciſco Xaverio. Similiter dico, quod quidquid fecerit illîc Societas circa res noſtras aut alias qualeſcumque, ad quas votum meum fuerit neceſſarium, totum id ego æqui bonique conſulturus ſim. Et hunc in finem mitto hîc meum nomen, manu mea firmatum die V Februarii MDXLI. Petrus Faber.

Quando S. Ignatius generalatum admiſerit.

365 *His ita ſitis, nihil erat reliquum, quam ut Pater ſanctiſſimus delatum ſibi gubernandæ Societatis munus admitteret; ſed quanto conatu illud voluerit excutere tamquam humeris ſuis impar, tradunt ſcriptores; donec illud tandem admiſit tertiâ Paſchæ feriâ* XIII *Kal. Maii, teſte Orlandino lib.* 3, *num.* 11. Præfuit beatus Pater Societati, *ex breviore Vita Ribadeneiræ cap.* 10, à decimo Kal. Maii MDXLI; *ſed ibi iſtius præfecturæ initium, quantum ego quidem aſſequor, deſumitur à ſancti Patris ac ſociorum ejus profeſſione religioſa, quæ dicto die peracta fuit, & quo veluti completus fuit ſupremus Sancti in Societate magiſtratus, ſociis utique vi voti religioſi ſolennis ad ipſi obediendum adſtrictus. Vide dicenda § proximè ſequente, num.* 368. *Priuſquam Vir ſanctus magiſtratum ſuum inivit, illo nempe tempore, quo ad ſuos reverſus à confeſſario, ultimam ejuſdem determinationem exſpectabat, interponitur apud Orlandinum loco citato, num.* 9 *miraculum: de quo vide Ribadeneiram lib.* 5, *cap.* 6.

F

§ XXXVI.

A

§ XXXVI. S. Ignatii & ſociorum tunc Romæ exſiſtentium profeſſio conſignata ſcripto; autographa abſentium; profeſſio patrum Romæ in manibus commiſſarii Benedictini non edita; quomodo Ignatius generalatum ſit auſpicatus; converſio hæretici; primi Societatis provinciales; inſtauratio Decretalis Innocentii III.

B

Exemplar profeſſionis Sancti ac ſociorum ejus.

Profeſſio Prælati eſt hæc: Ego ſubſcriptus promitto omnipotenti Deo, & ſummo Pontifici. Sequuntur reliqua de verbo ad verbum, prout ea ſcribit Ribadeneira lib. 3, cap. 1. Poſt τὸ Conſtitutiones, ſubditur: Actum Romæ die Veneris, XXII die Aprilis MDXLI, in ædibus S. Pauli extra muros. Ignatius de Loyola. *Ita apographa noſtra Romana: in quibus hæc notula adſcribitur ad nomen ſancti Patris:* Hæc ſubſcriptio eſt autographa.

Profeſſio ſubditorum ita ibidem exprimitur: Ego infraſcriptus promitto omnipotenti Deo, & ſummo Pontifici. Sequuntur reliqua de verbo ad verbum, prout ea ſcribit Ribadeneira lib. 3, cap. 1. Poſt τὸ juxta eamdem Bullam, ſubditur: Et Conſtitutiones. Actum Romæ die Veneris, vigeſima ſecunda die Aprilis MDXLI. In ædibus S. Pauli extra muros. Paſchaſius Broet, Claudius Jajus, Joannes Coduri, Jacobus Laynez, Alfonſus Salmeron. *Ad marginem dicti noſtri apographi notatur:* Hæ ſubſcriptiones ſunt omnes autographæ.

Inſtrumentum fidei circa electionem S. Ignatii in Præpoſitum Generalem,

C

367 *Sequitur ibidem documentum, P. Ignatii Pinii manu tranſcriptum, hoc titulo:* Fides electionis reverendi D. Ignatii de Loyola in Præpoſitum Societatis Jeſu. *Deinde narrantur hæc:* Congregatis capitulariter in eccleſia S. Pauli extra muros Urbis, loco ad infraſcripta ſpecialiter deputato, venerabilibus viris dominis Ignatio de Loyola, Claudio Jayo, Paſchaſio Broet, Jacobo Laynez, Joanne Coduri & Alphonſo Salmeron, presbyteris Pampilonenſis, Gebennenſis, Ebredunenſis, Palentinæ, & Toletanæ civitatum & diœceſeon reſpectivè, in Artibus magiſtris, facientibus & repræſentantibus totam Societatem Domini Jeſu, nuper per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem D. Paulum, divinâ providentiâ Papam tertium, ſub invocatione Societatis Jeſu erectam & inſtitutam, ſuo, ac vice & nomine procuratorio reſpectivè aliorum ſociorum, videlicet domini Petri Fabri, Nicolai Bovadillæ, & Franciſci Xavier, ac Simonis Roderici, ab hac urbe abſentium, Gebennenſis, Pampilonenſis, Seguntinæ, Viſenſis diœceſeon reſpectivè, ſociorum ejuſdem Societatis Jeſu, ſuper electione eorum Prælati ſeu Præpoſiti, authoritate Apoſtolica ſibi vigore litterarum Apoſtolicarum eiſdem ſociis & Societati unum ex eiſdem ſociis in doctrina & ſpiritu, prout eis placuerit, eligendi, conceſſarum faciendarum, concorditer & nemine eorum diſcrepante, invocato Spiritu ſancto, poſt celebrationem Miſſæ in eorum Præpoſitum & Prælatum ſupradictum reverendum dominum Ignatium de Loyola elegerunt, & in ejus manibus caſtitatis, paupertatis & obedientiæ perpetua vota ſolenniter & juxta formam vivendi in eiſdem litteris apoſtolicis, eidem Societati & ſociis conceſſis, ac Conſtitutionibus dictæ Societatis declaratis ſeu declarandis, contentam, videlicet ſpecialem obedientiam ſummo Pontifici circa miſſiones in litteris Apoſtolicis contentas, & circa eruditionem puerorum in rudimentis fidei, emiſerunt. Actum in eccleſia ſancti Pauli extra Urbem anno Domini MDXLI, die XXII Aprilis. *Teſtis ſynchronus, de quo infrà in annotatis ad lib. 3, cap. 6 Vitæ, ſic loquitur:*

AUCTORE J. P.

legitimè ſubſcriptum, & alicubi explicatum.

368 Ego Jo. Hieronymus Domenech, clericus Valentinus, ex ſcriptis ejuſdem Societatis ſecretarius extraxi, & in fidem me ſubſcripſi manu propria, & ſigillo præfatæ Societatis ſignavi. *Et apponitur impreſſum cerâ Hiſpanicâ ſigillum Societatis, nempe nomen Jeſu.* Poſt celebrationem Miſſæ *dicuntur elegiſſe* Ignatium, *& in ejus manibus vovisse in eccleſia S. Pauli anno* 1541, *die* XXII *Aprilis; non quòd antea ipſum non elegerant; id enim factum fuiſſe conſtat ex ſuffragii paragrapho præcedente allatis; ſed quod poſt conſummationem Sacrificii ſeu communionem* Ignatii *celebrantis, electionem antea factam, ratam habentes, confirmantes, imo publicam ac ſolennem reddentes, ipſi Ignatio* locum Dei tenenti, *& jam profeſſo voverunt. Atque hoc pacto duos auctores in ſpeciem ſibi contrarios conciliabis, nempè Orlandinum, paragrapho ſuperiore relatum, è quo diximus, quod* Ignatius *delatum ſibi gubernandæ Societatis munus admiſerit tertiâ Paſchæ feriâ* XIII *Kal. Maii; ac Ribadeneiram ibidem citatum, quando tradit, beatum Parentem noſtrum præfuiſſe Societati à decimo Kal. Maii* 1541, *ſecundùm ea, quæ ibi dicebam.*

E

De votis patrum abſentium.

369 *At redire nobis tantiſper liceat ad patrum vota, propter autographa abſentium, quorum extracta in manibus ſunt. S. Franciſci Xaverii jam dedimus* § 35, *num.* 362. *Simonis Roderici Latinum pia ad Chriſtum precatione dirigitur; at notis temporis ac loci caret. Autographum Petri Fabri partim Hiſpanicè, partim Latinè exaratum eſt. Formula ipſa votorum Latino idiomate exprimitur, & continet vota illa, quæ habentur in formula profeſſionis apud Ribadeneiram lib. 3, cap. 1. Rei vero geſtæ adjuncta efferuntur Hiſpanicè. Eam contigiſſe, indidem diſcimus, ſub Sacrum ejus,* Ratiſponæ in eccleſia Dominæ noſtræ ſacelli veteris, in altari majore, die IX Julii, quæ erat Octava Viſitationis Dominæ noſtræ Deiparæ, anno MDXLI; *de novo autem ab ipſo confirmatam, nec non chirographo ac nomine ejus munitam, die* X *ejuſdem menſis & anni; ac Romam eſſe miſſam.*

F

Exfufflatur commiſſarius, qui vota noſtrorum, ut quidam vult, accepit.

370 *Ædes porro dicta S. Pauli, in qua* Ignatius *cum ſuis ſolennem profeſſionem nuncupavit, erat monachorum Benedictinorum: quæ occaſione, ad novas nos denuo ineptias abducit pſeudo-Conſtantinus lib.* 1, *cap.* 3 *ſic ſcribens:* Res agenda erat Pontificis arbitrio, illius auctoritate corroboranda: & ſicuti non multos ante annos pontificio Brevi electus fuit commiſſarius epiſcopus Caſertanus, qui vota Theatinorum clericorum regularium in baſilica Principis Apoſtolorum auctoritate Apoſtolica ſuſciperet: ita pariter in Ignatii & ſociorum profeſſione opinandum: electum videlicet aliquem, qui vicaria Pontificis auctoritate, ea vota ſuſciperet, rataque eſſe juberet.

AUCTORE J. P.

beret. Quis autem fuerit, ſi conjecturis locus ſit, cum nomen ejus, imo quia nomen ejus nequaquam litteris prodiderunt Societatis ſcriptores, facilè crediderim, fuiſſe dominum Laurentium à Mantua, virum prudentiſſimum; qui eo tempore cœnobiarcha præerat illi baſilicæ. Neque enim facilè opinandum eſt, diſcretiſſimum Pontificem in eccleſia Benedictina, inſigni, nobili, exempta, ab alio, quam ab ejus abbate, eoque magni nominis Prælato, actum jurisdictionalem, ac ſolennem exerceri juſſiſſe. *Ita ille. Sed apage commentum, & dic, ſodes, expreſſiones illæ tuæ, egregie ſcilicet gloriæ Ordinis Benedictini vindex*, opinandum, ſi conjecturis locus, facilè crediderim, neque enim facilè opinandum: *expreſſiones, inquam, illæ tuæ, quæ in meris opinationibus & conjecturis imaginariis conſiſtunt, an quidquam procudent amplius, quam commiſſarium ex ineptiis imaginariis conflatum? Porro cum evanida tua hæc levitas jam pridem confutata ſit à P. Joanne Rhò in ineptia tertia, inter alias octo tibi ab eo imputata, ego multis ejuſdem confutationi non inhærebo. Et ſanè ad hoc ſufficere deberet inſtrumentum, paullo antè productum, quod ex ſcriptis Societatis ſecretarius Domenechus extraxiſſe ſe affirmat, ubi poſtquam* Ignatium *patres elegiſſent Præpoſitum Generalem, diſertè addit*, in ejus manibus *vota illos ſua emiſiſſe. Verùm aliò orationem transferamus, miſſis hiſce quiſquiliis.*

B

Generalatum quomodo auſpicatus Ignatius:

371 *Dicatur nunc de modo, quo ſupremum Societatis magiſtratum ſanctus Pater mox cœperit ornare.* Factus generalis Ordinis magiſter Ignatius, *ut legere eſt apud Ribadeneiram in Vita breviore cap.* 10, tale ſui muneris duxit exordium. Poſtridie ſurrexit bene manè de lecto, & à ſomno reliquos excitavit: nam aſſiduam ſuorum curam gerere, ſuarum partium exiſtimabat. *De miniſterio in culina, & expoſitione doctrinæ Chriſtianæ meminit Ribadeneira Vitæ majoris lib.* 3, *cap.* 2. Neque tamen interea, *ait Maffeius lib.* 2, *cap.* 13, gravioribus negotiis deerat, temporibus ita diſtributis, ut, quantum liceret, utrique muneri ſatisfaceret. *Plura ibi dictus auctor, quæ apud ipſum legi poſſunt; uti & de adoleſcente quodam, egregiis naturæ adjumentis, è ſeptemtrionali plaga Romam profecto, ac Lutherana tabe cum infecto ipſo, tum alios inficiendi mirè cupido. Quid*

C

fit? Juſſu magiſtratuum comprehenditur: qui cum & ipſi per ſe, & ſacræ theologiæ magiſtris adhibitis, illum ab opinionum inſania revocare fruſtra conati eſſent; ne quid intentatum relinquerent, ætatem & ingenium miſerati, priuſquam in eum lege ageretur, accerſito Ignatio rem totam exponunt: quoniam ipſorum neque adhortationes, neque minæ proficiant; habeat illum aliquamdiu apud ſe: videat etiam atque etiam, ut errantem oviculam ad Eccleſiæ caulas aliqua ratione traducat..

converſio hæretici,

372 Adoleſcens ab Ignatio ſociiſque amiciſſimè habitus, eorum dictis, factis, inſtitutis accuratè obſervandis paulatim affici atque immutari Dei beneficio eſt cœptus; .. ac demum perſeverantibus patrum officiis, & diligentiſſima curatione eò proceſſit res, ut, evulſis letalium dogmatum fibris, priorem pertinaciam gemebundus agnoſceret. Nec antè à ſalutari cœpto deſtitit, quàm voluntaria abjuratione deteſtatus errores, ingenti bonorum tum admiratione tum gaudio, cum Eccleſia ſancta in gratiam rediit. Is deinde, quærentibus viris gravibus, cur, qui antea tot machinis oppugnatus pervicaciſſimè reſtitiſſet, Ignatii denique & patrum hoſpitio, & conſuetudine vinci ſe paſſus eſſet; ſine cunctatione reſpondit, ſe illorum non tam diſputationibus argumentiſque .. quam ſpectatæ ſanctitati virtutique ceſſiſſe; quod ita apud ſe propè neceſſariò ſtatuiſſet, à tam incorruptis moribus, à tanta pace atque concordia, à tam bonis operibus rectam in Deum fidem abeſſe nullo modo poſſe. *Hæc ibi Maffeius.*

D

creatio primorum Societatis Provincialium:

373 *Quæ breviter de Societate per varias provincias propagata perſtringit Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 4 *in fine, ita declarat idem Maffeius lib.* 2, *cap.* 15: Itaque tam latè jam fuſa Societate, non modo collegiis domibuſve rectores præficere, ut antea, ſed etiam Provinciales præpoſitos, quos appellant, cum ampla poteſtate in ſingulas nationes deſcribere coactus Ignatius eſt. Ac primùm Luſitaniæ præpoſuit Simonem Rodericum, deinde Hiſpaniæ Antonium Araozium Cantabrum, Italiæ Jacobum Lainem, Indiæ Franciſcum Xaverium, Germaniæ Petrum Caniſium, Galliæ Paſchaſium Broëtium, aliiſque deinceps alios. Nam Urbanam provinciam, niſi ſi quando graviori valetudine premeretur, ad extremum uſque ipſe adminiſtravit. Interea de Societatis univerſæ progreſſu mirè ſolicitus, à ſingulis Provincialibus per litteras penſum exigere; unicuique mandare diligentiſſimè, quæ è re communi eſſent; Romæ verò præter domeſticæ diſciplinæ curam, de qua dictum eſt, ceteraſque functiones, multa & gravia, quæ ad incrementum ac defenſionem Catholicæ fidei pertinerent, partim cum ſummo Pontifice, Cardinalibus, legatiſque principum coram, partim etiam cum ipſis regibus atque principibus per epiſtolas & interpretes agere.

E

reſtauratio Decretalis Innocentii 3,

374 *Inter bona opera, quæ Vir ſanctus in Urbe curavit, & de quibus Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 9, *fuit* illud in primis, ut Decretalis Innocentii III, hominum vitæ maximè neceſſaria & ſalutaris, inſtauraretur. *Ita ibi Ribadeneira: cujus verba declaro ac confirmo ex documento ſequente, quod ex tabulario Romano accepit, atque ex Italico Latinum pro me fecit ſæpius ſuprà nominatus ejuſdem tabularii pro rebus* Ignatianis *inſpector. Inſtrumentum itaque illud continet informationem ab* Ignatio *datam, ad urgendam decretalem Innocentii III, latam in concilio Lateranenſi quarto, canone* 22, *anno* 1215, *in Capitulo* Cum infirmitas. *Quod inſtrumentum huc tranſcribo:* Reverendiſſime Domine Legate. Cùm multi innumerique infirmi abſque medicina ſpirituali ex hac vita migrent, vel malè admodum vel omnino non confeſſi, propterea quod tunc paſſim moneri ſolent infirmi, ut confiteantur, quando infirmitas magna cepit incrementa, nec jam niſi exiguam, vel nullam etiam ſpem vitæ relinquit; quo tempore fallit memoria, & debilitatur intellectus, ita ut confeſſio non breviter modò, ſed etiam malè fiat: ac ſæpe quidem, phreneſi aliove malo lethifero ingruente, penitus non fiat: ad quæ illud accedit inſuper, quod confeſſionis denuntiatio, tanti periculi tempore facta, timorem infirmis incutiendo, mortem accelerare nata ſit: quæ omnia evitari poſſent, ſi confiterentur initio infirmitatis: præterquam quod ea confeſſio non tantùm animas in tuto collocat; ſed etiam infirmis levamen affert, ad eorumque ſanitatem corpoream multùm conducit; cum infirmitas corporalis aliquando ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat: Vade, & noli ampliùs peccare, ne deteriùs aliquid tibi contingat:

F

data ad Legatum

375 Hinc reverendiſſima Dominatio veſtra, ut priùs in ſua diœceſi fecit, urgere deſiderat obſer-

A ſervationem Decretalis & capituli CUM INFIRMITAS CORPORALIS, de Pœnitentiis & Remiſſionibus, conditi ſub Innocentio III in concilio Lateranenſi : quamquam capituli obſervationem reverendiſſima veſtra Dominatio cupiat moderari: id eſt, ubi jubet priùs curari infirmi animum (ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur, ut ceſſante cauſâ, ceſſet effectus :) promulgare cupit, ut medicis quidem liceat prima atque altera viſitatione curare, quamvis non confeſſos ; tertiâ verò non admoveant manum, niſi priùs confiteantur ; ſive ut infra triduum confiteantur. Et non obſtante hac moderatione, medici nonnulli conati ſunt, quantum potuerunt, opus tam ſanctum diſturbare ; neque id hîc dumtaxat, ſed etiam litteris illuc miſſis (quamvis aliqui eamdem artem profitentes contrà ſentiant ;) dicendo eſſe contra charitatem, permittere, ut infirmus obſtinatus, confiteri nolens, moriatur, illum non curando. Quia, ſi curaretur & ſuperviveret, poſtea pœnitentiam agere ac ſalvari poſſet.

B

ad rei exſecutionem

376 Ad hoc reſpondent qui ſano ſenſu ſunt, legem omnem ferri ob bonum commune & univerſale, etſi privati alicujus detrimentum ſequatur : ut patet in præcepto obſervandi ſabbatum ; quo is, qui colligebat ligna, lapidari juſſus fuit ad bonum commune, atque univerſalem legis obſervationem. Atque in hunc modum de Dathan, Abiron, Anania, Saphira, aliiſque multis dici poſſet, quod, ſi ſupervixiſſent, pœnitentiam agere potuiſſent. Denique multi primæ notæ theologi & canoniſtæ, conſultatione ſimul habita, & re ſtudiosè expenſa, ſubſcripſere, quemadmodum illuſtriſſima D. V. videre poterit ex adjuncto hîc exemplo : cujus autographum in domo noſtra ſervatur unà cum ſigillo capituli generalis, habiti ad S. Auguſtini, ac ſubſcriptionibus omnium doctorum theologorum, & canoniſtarum, qui ſenſu conveniunt, licet mutando aliqua verba, ut ex approbationum ab ipſis datarum ecgraphis patebit. Sanctitas ſua, re cognita, multùm laudabit opus urgendi obſervationem Decretalis.

inſtructione ;

C

377 Verumtamen quoniam medici tantos hîc rumores cient, eſtque admodùm probabile, illos ob noſtra peccata, tantamque cæcitatem, omnia, quæ poterunt, moturos, ut operi tam ſancto impedimentum afferant : & quamvis promulgatum ſit atque exſecutioni mandatum, veriſimile eſt, non deſtituros clamitare, ut id diſturbare queant. Eapropter, ut illuſtriſſimam D. V. rectè informem, quantùm poſſum, adnecto hîc inſuper ſcriptum quoddam compoſitum : atque à canoniſtis approbatum, quo refutantur objecta, ac tota materia declaratur. *Ad vocem* conſultatione, *de qua paulo antè, hujus inſtrumenti deſcriptor* hanc conſultationem, ac multorum theologorum & canoniſtarum ſubſcriptiones autographas hîc, *inquit*, reperi.

& compoſito per Sanctum ſcripto, quo objectionibus occurrit.

378 *Extraxit etiam ex tabulario Romano* ſcriptum autographum S. Ignatii totum, primis curis compoſitum, *quo occurritur difficultatibus, quæ in hac materia objici poſſunt. Sic habet :* IHUS. Non eſt contra charitatem infirmo nolenti confiteri, negare medicamina, licet mortem incurrat. Primò. Leges & canonum ſanctiones potiùs & principaliùs contemplantur bonum commune & univerſale, quam privatum & particulare. Sed negare medicamina alicui infirmo nolenti confiteri, eſt quid particulare : ergo propter bonum commune, non eſt contra &c : quia pro uno qui noluerit confiteri, confitebuntur quaſi in infinitum. 2. Si hoc eſſet contra charitatem, ſequeretur, quod omnis juſtitia aboleretur. Sed hoc eſt maximum inconveniens : ergo. Probatur : nulla delicta liceret puniri, ut diſcurrendo probare * licet : ergo. Probatur. Primò judex non poſſet ſupplicio tradere hæreticum confiteri nolentem, & in ſua perfidia manentem (cum non confeſſus, poſt intimationem, jure poſſit & debeat interimi :) quia forſan eadem ratione, ſi vixiſſet, pœnituiſſet. Sed hoc eſt maximum inconveniens: ergo propter bonum commune non eſt contra &c. 3. Lex divina irreprehenſibilis eſt. Sed aliquos interimi tradit, qui forſan, ſi vixiſſent, pœnituiſſent, ut patet de Dathan & Abiron, de Anania & Saphira : ergo non eſt contra &c. Et de illo, qui colligebat ligna. 4. Canonis poſitio cum ſit à concilio generali ſanctè & legitimè ordinata, Spiritu ſancto auctore, & in medio concilii eſtante (*Hiſpaniciſmus eſt, pro* exiſtente) non poteſt aliquid contra charitatem determinare ſeu providere. Ergo ſolùm concilii auctoritas & paterna charitas eſt ſufficiens probatio, & per conſequens, non eſt contra &c : cum dicatur in decreto : Poſtquam fuerit infirmo de ſalute ſpirituali proviſum, ad corporalis medicinæ remedium procedatur. *Infrà habetur :* Summa Angelica, Antonina, Tabiena, Silveſtrina ; *ad latus verò*, ad quamcumque ægritudinem. *Appoſita etiam ſunt nomina quorumdam canoniſtarum. In tergo* S. Ignatius *ſcripſit :* Medicus.

AUCTORE J. P.

* τὸ probare *non habetur in autographo : fortè vult dicere*, ut diſcurrendo liquet.

Decretalem noviſſimè urſit concilium Romanum.

379 *Dictum eſt paullo antè* τὸ paterna charitas: *circa quod obſerva, canonem iſtum non modò non eſſe contra caritatem, ſed ex caritate paterna conditum : nempe ut ſic impellantur infirmi ad conſulendum ſuæ ſaluti ſempiternæ. Extremum eſt, ut hic addam, quod Decretalis Innocentii III noviſſimè fuerit inſtaurata ac imperata in concilio Romano, ſub Benedicto XIII anno 1725 habito, titulo 32, cap. 1 de Pœnitentiis & Remiſſionibus, hoc exordio :* Saluberrima quamvis alia Innocentii III Conſtitutione in concilio generali declaratum fuiſſe legatur &c. *Hac verò clauſula :* Nos igitur epiſcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipſam Innocentianam, & Conſtitutionem S. Pii V, quæ incipit SUPER GREGEM DOMINICUM, ſuper hoc etiam emanatam, invigilent omnimodè obſervari, impoſitâ contrà medicos excommunicationis pœnâ, ſibi reſervatâ, ſi tertiam poſt infirmi viſitationem, ab infirmi cura non abſtineant, infirmus dum uſque ipſe Pœnitentiæ non ſuſceperit Sacramentum, quod confeſſarius, relicta apud ægrotantem ſchedulâ, ejus manu ſubſcripta, teſtari teneatur. *Hæc ibi : è quibus laude digniſſimæ* S. Ignatii *in hoc argumento curæ pondus accedit commendationis.*

D

E

F

AUCTORE J. P.

§ XXXVII. Ordinis Cartuſiani cum Societate Jeſu Coloniæ inita familiaritas ab anno MDXLIII, aucta deinceps & propagata; ejuſdem Ordinis Lutetiæ Pariſiorum erga noſtros benevolentia.

Prior Cartuſiæ Colonienſis à Caniſio accenſus deſiderio videndi Fabrum,

HUnc, *quem præſenti paragrapho præfigo, titulum invenio in apographis è tabulario noſtro Romano nobiſcum communicatis. Quæ verò hîc dantur ad majorem declarationem Ribadeneiræ lib.* 3, *cap.* 12, *quod inſcribitur* Univerſi Ordinis Carthuſienſis erga Societatem charitas & benevolentia, *notat P. Ignatius Pinius, eſſe* excerpta ex Annalibus Carthuſiæ Colonienſis per R. P. Hermannum Crombach. *His prænotatis apographum noſtrum ſic memorat:* Anno MDXLIII P.
B Petrus Caniſius Coloniâ Moguntiam excurrit ad P. Petrum Fabrum. Ab eo ſacris commentationibus excultus, octavo Maii admiſſus ad Societatem, [ac]Coloniam remiſſus ad tirocinium inchoandum, reverendum P. Gerardum Hammontanum, Priorem Carthuſiæ Colonienſis, ſibi familiariſſimum accendit deſiderio videndi P. Fabri, & Exercitiorum obeundorum, qui ſuum gaudium cum Priore Trevirenſis Carthuſiæ his litteris communicavit, & ad amorem Societatis & Exercitiorum ſic impulit:

illud communicat cum Priore Trevirenſis Carthuſiæ,

381 Dulciſſima Jeſu vulnera ſalutis loco. Venerande in Chriſto perdilecte pater & amice. Inter luctuoſiſſimas noſtræ tempeſtatis procellas, quibus nunc undique concutitur Chriſtianitas, non uſque adeò Deus reliquit Eccleſiam ſuam, quin ſuſcitarit nobis viros aliquot apoſtolicos, quos ſpiritu ſuo implevit, & induit virtute ex alto, ut ex multorum doctorum teſtimonio didici; qui vero fervore errantes revocent, peccantes recreent, trahantque ad iter ſalutis; & ſequitur magnus fructus, operante inviſibili artifice in cordibus hominum, quorum verba ſunt ſcintillæ æris candentis, cordaque tangunt & incendunt. Sunt à ſanctiſſimo Domino noſtro Paulo III
C approbati, & ad diverſas nationes miſſi. Primus eorum vocatur Ignatius, & moratur Romæ, & in Italia aliqui; in Hiſpaniis, Galliis, & Portugallia ſunt alii colentes vineam Domini. Unus eorum doctor eſt in Ingolſtat, & unus moratur Moguntiæ ad Cardinalem, vir magnæ ſanctitatis: vocatur M. Petrus Faber, theologus Pariſienſis.

cum ſumma commendatione Exercitiorum ſpiritualium:

382 Dat hominibus, ſe illi offerentibus, bonæ voluntatis, Exercitia quædam ſpiritualia, quibus intra paucos dies conſequuntur veram cognitionem ſui, & peccatorum ſuorum, & gratiam lachrymarum, veram & animoſam converſionem à multis creatis ad Deum, profectum in virtutibus, & ſecretam familiaritatem, amorem & amicitiam Dei. Utinam per aliquam occaſionem liceret adire Moguntiam! Certè talem theſaurum deberet homo meritò quærere etiam apud Indos. Spero quod Dominus dabit mihi videre hominem Dei, ſingularem amicum ſuum, antequam moriar, ut ab eo dirigar ad interiorem hominis reformationem, & unionem cum Deo, ad quod ordinatio capituli nos monet. Hoc periculoſiſſimo tempore multi adhærent hæreſiarchis, vaſis perditionis, D organis diaboli iniquiſſimi: ideo libentiùs adhærere debemus amicis Dei, organis Spiritus ſancti; ut eò tutiùs defendamur à telis igneis, quæ dæmon jaculatur in corda hominum. Sed de hoc latiùs aliàs. Si fortè tetigerit Dominus cor P. V., ut ſuo amico Moguntiæ loquatur, videat P. V. in Chriſto. Raptim ultimo Maii anno MDXLIII. *Poſt has litteras, ita pergit apographum noſtrum:*

quæ P. Faber tradit Cartuſiæ Colonienſi, inſigni noſtros amicitia proſequenti;

383 Litteras alias idem Gerardus Prior ad P. Fabrum Moguntiam dedit, quibus eum Coloniam invitans, præparari ſe ait, ut veram ab ipſo & ſolidam recipiat inſtitutionem. Menſe Auguſto & Septembri P. Faber Coloniæ fuit, patres Carthuſianos S. Ignatii commentationibus exercuit; & librum Exercitiorum manu ſua deſcriptum ipſis reliquit. Uſus ad tempus hoſpitio in Carthuſia, ubi modo librorum mss. bibliotheca viſitur. Unde Lovanium profectus anno poſtero MDXLIV, Coloniam XXII Januarii rediit: ubi tunc ſocios in conductitia domo viventes Carthuſiani patres eleemoſynis ſuſtentarunt. Ibi ſic coaluit mutua familiaritas, P. Petro de Sardis (*imo verò Petro de Leydis, ſecundùm dicenda in Annotatis noſtris ad libri tertii caput* 12 *Ribadeneiræ, ex fide Theophili Raynaudi*) Generali Carthuſiæ majoris ſignificata, ut is in comitiis generalibus ejus anni, Societatem Jeſu meritorum Ordinis participem, eis tabulis S. Ignatio perſcriptis, reddiderit: F. Petrus humilis Prior majoris Carthuſiæ &c., ut apud Ribadeneyram lib. 3 cap. 12. E

cum Ordinis communicatione bonorum operum:

384 P. Faber lætus hoc nuntio communicationis bonorum operum, gratias patribus Carthuſianis egit, iiſdemque novem è Societate Coloniæ relictos ſocios commendavit; qui anno MDXLV cum juſſi à ſenatu Colonienſi noſtri eſſent ſeorſim habitare, duos ex iis hoſpitio receperunt & aluerunt, donec ea tempeſtas detonuiſſet. Apud eoſdem Lambertus Caſtrius, primus è Societate Jeſu Coloniæ decedens, funeratus eſt. Anno MDXLVI cum Gerardus Hammontanus Prior Carthuſiæ à P. Fabro preces flagitaſſet, is poſtremas ad eum paulò ante mortem Madrito dedit litteras, quibus eas ſuo, & ipſius etiam Franciſci Xaverii, cui ea de re ſcripſerat, nomine promittit. Sic enim initio earum ait:

pro qua Faber gratum animum oſtendit.

485 Nihil eſt, quod te oporteat timere, chariſſime pater, ne veſtri obliviſcar: pergite promereri in dies magis ac magis eum ſpiritum, qui interpellat pro vobis in amicis veſtris: ipſe enim eſt ſolicitus pro vobis, & me excitat aſſiduè ad veſtri memoriam: excitant quoque & illa beneficia, à vobis in me & meos collata, quæ & orant pro vobis. Inter quæ illud non minimum, quo perfecit, ut noſtra Societas particeps eſſet omnium benefactorum Ordinis veſtri. Hoc certè facit, ut omnes fratres noſtri tuæ ſalutis & iſtius conventûs veſtri ſingularem memoriam agant. Magiſter Franciſcus, qui eſt apud Indos, anno ſuperiore de hac re litteras à me habuit & admonitionem, ut tui & iſtius conventûs memoriam faciat ſemper. Ad ipſum nunc mittuntur decem ex noſtris Luſitanis, qui & ipſi norunt hoc beneficium tuum, & meum amorem erga fratres tuos & totam Germaniam. Per eos recipiet M. Franciſcus alteras meas litteras, in quibus leget veſtri mentionem, & eorum, qui nobis bene volunt Coloniæ; ut ſciat, ſe eſſe debitorem, & me adjuvet, ne ſim ingratus ego, cui tam gratis omnes bene volunt & bene faciunt &c. XII Martii anno MDXLVI. F

386 Continuata fuit annis inſequentibus beneſi-

A neficentia P. Gerardi Hammontani, præſertim anno MDLIII, quo vim magnam pecuniæ ad coëmendam domum Societati propriam, & anno MDLIV, quo florenis quingentis inopiam Colonienſium patrum ſublevavit, miſſis etiam Romam S. Ignatio centum coronatis opportuno tempore, cum ibidem noſtri egeſtate premerentur. Superant S. Ignatii litteræ gratiarum actrices, ejus benignitatis indices, hoc exemplo:

Patri Hammontano beneficentiam erga noſtros continuanti gratias agit S. Ignatius,

387 Summa gratia & æternus amor Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti paternitatem veſtram cum ſancta ſua congregatione continuis donorum ſpiritualium exornet & promoveat incrementis. Quamvis rara nobis cum paternitate veſtra fuerit his annis litterarum communicatio, crebra fuit orationum; ſicut & mutuæ charitatis affectum ipſo temporis decurſu augeri potiùs quam minui utrimque ſenſimus. Quod ex parte noſtra viva memoria veſtrûm, & indies magis propenſus in vos animus, & ex parte veſtra non ſolùm litteræ noſtrorum, qui continuis ſe beneficiis affici à paternitate veſtra ſcribunt, ſed & experientia ipſa veſtræ beneficentiæ, Romam uſque ad nos ſe extendentis, nos docet; de qua agimus gratias Deo bonorum omnium auctori, & paternitati veſtræ quam maximas.

datis ſuper hac re

B

388 Admodum enim opportunè neceſſitatibus hujus collegii liberalitas veſtra ſubvenit, & nobis mutuæ dilectionis vinculum tantæ charitatis veſtræ ſignificatio valdè ſtrinxit. Dignetur Dominus Jeſus, ſecundùm divitias ſummæ bonitatis ſuæ, hoc beneficium cum ceteris omnibus pro ſuis pauperibus rependere. Romæ valent fratres, qui in collegio & domo noſtra ſunt. Me Dominus adverſa valetudine ſex menſibus exercuit; ſed jam mediocriter valere incepi. Reliqua ex fratribus noſtris, ad quos fuſiùs ſcribuntur, paternitas veſtra intelliget. Omnes nos orationibus & Sacrificiis paternitatis veſtræ, & venerabilium fratrum ſuorum & noſtrorum, humiliter commendari cupimus. Vale in Domino Jeſu Chriſto, qui ſalus omnibus & vita eſt ſempiterna. Amen. Romæ XII Kal. Septembris anno MDLIV. Paternitatis veſtræ ſervus in Domino noſtro Jeſu Chriſto Ignatius L. *Hactenus epiſtola: cujus inſcriptio in dicto Spicilegio ita exprimitur:* Venerabili in Chriſto patri, ac nobis in eodem plurimùm obſervando, domino Priori Carthuſiæ Colonienſis &c. Coloniæ.

ad ipſum litteris:

C

389 *Reſponſio autem P. Prioris ad litteras* P. Ignatii *ex noſtro ecgrapho Spicilegii Romani ſic ſonat:* Bonum certamen certare per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, reverende & in brachiis caritatis mihi jugiter amplectende pater. Recepi literas R. P. V. Recuperatam utcumque ſanitatem intelligo: & quod eadem me indignum peccatorem in ſanctæ Societatis ſuæ precum & Sacrificiorum communione admittere dignata eſt; in quam me & fratres meos iterum atque iterum commendatos humiliter percupio. Ego veſtri numquam obliviſcar pro affectu, quem mihi Dominus jam diu per M. Petrum Fabri, ſanctæ memoriæ, erga vos dedit. Munuſculum, quod miſi, non eſt dignum gratiâ; utinam turbulenta tempora ſinerent me ſuccurrere juxta affectum! cum jam ſciam modum diſponendi ſatis ſecurum, & videam creſcentiam & perſeverantiam Societatis in bono inchoato.

quibus dictus pater

390 Ne tamen jam habitâ occaſione nihil faciam, mitto 500 florenos aureos, nec literas, nec gratitudinem requirens, ſed preces & ſilentium; quia non ignoro, clericos vivere ex eleemoſynis fidelium, & ſuperflua teneri ad dandum piis uſibus, ſicut ad mortem uſque intendo facere, Deo juvante, ad quietandum conſcientiam meam, quamdiu diſpenſatio mihi invito commendata eſt. Utinam poſſem Coloniæ videre collegium fratrum veſtrorum fundatum, antequam moriar! Multa dixi prælatis & rectoribus civitatis, ſed rectores ipſi reddunt ſe difficiles. .... Deus miſereatur omnium noſtrorum, qui & cuſtodiat V. P. cum ſua ſancta Societate diutiſſimè in divino opere ſuo, quod cœpiſtis, ad deſolatæ Eccleſiæ ſalutem. Ex cella noſtra XXVII Septembris anno MDLIV. *Subſcriptio ſic habet:* V. R. P. humile mancipium F. Gerardus ſervus Carthuſiæ in Colonia. *Inſcriptio autem ſic:* Reverendo in Chriſto patri D. Ignatio, Præpoſito Societatis nominis Jeſu, ſuo patri perchariſſimo. *Nunc reſumamus excerpta Crombachiana; de quibus ſuprà diximus:*

ita reſpondit.

AUCTORE J. P.

391 Anno MDLVI Carthuſia Colonienſis theologiam myſticam Henrici Harphii typis vulgavit, & S. Ignatio fundatori totique Societati eam inſcripſit, quam oſtendit oppoſitam à Deo tumidis ſectariorum ingeniis eſſe, vitæque ſanctitate pariter & doctrinâ toto terrarum orbe fructus innumeros Eccleſiæ parturire. Eadem hoc anno cum Joanne Groppero & Everardo Billichio multum contulit, ut à ſenatu Colonienſi Societati Jeſu gymnaſium Tricoronatum, ejectis ſectariis, traderetur: & anno MDLVII, cognito gymnaſii Societatis fructu, ducentis taleris ſuccurrit magiſtrorum egeſtati.

Alia Carthuſia Colonienſis erga Societatem

E

392 Anno MDLIX eadem Carthuſia Joanni Gebehardo à Mansfeld, Electori Colonienſi libros quoſdam Dionyſii Carthuſiani dedicans, ſic ei collegium Societatis Colonienſe commendavit: Ecce commodùm celſitudini tuæ copias auxiliares miſit Deus hominum certe pietate atque eruditione præſtantium, qui vocantur de Societate nominis Jeſu: novit eos tua celſitudo; ſiquidem fructus quos illi Coloniæ, ſociique eorum in Indiarum terris remotiſſimis, & regnis ampliſſimis, hactenus noſtro orbi incognitis, multis quoque Europæ locis incredibiles faciunt, adeo ſunt teſtati & illuſtres, ut qui in eis caliginem ſuo mendacio offundere velit, ipſum ſe potiùs dehoneſtet. Parum à clericis diſcrepant; ſed multùm diſcrepant profeſſione. Inſtitutum eorum huc maximè ſpectat, ut juventutem in ſcholis, & populum in concionibus publicis, privatiſque confeſſionibus, omneſque illos, qui ſe eorum diſciplinæ tradunt, in omni pietate quam optimè inſtituant.

propenſiſſimæ voluntatis argumenta.

F

393 Aluit hanc familiaritatem cum P. Gerardo Priore pater Caniſius abſens, crebris ad eum datis litteris, & quoties Coloniam excurrit, exhortationibus ſuis Carthuſiam Colonienſem excoluit, Laurentio Surio, condiſcipulo olim ſuo in Montano gymnaſio, amiciſſimus, qui ſuis in Commentariis hiſtoriarum temporis ſui etiam S. Xaverii & ſociorum res apud Indos geſtas fuſè proſecutus eſt. *Subdit Crombachius:* Hæc ex Annalibus meis Colonienſibus .. excerpſi; plura libenter, ſi prodeſſe poſſint, iſtiuſmodi ſubmiſſurus. Coloniæ XXII Junii anno MDCLXIV. Reverentiæ veſtræ ſervus in Chriſto Hermannus Crombach. *Annales porro iſti inter libros ab eo typis editos, quos memorat Bibliotheca Scriptorum Societatis noſtræ, non cenſentur; nec ſcio, ad quem hanc ſuam direxerit epiſtolam.*

Familiaritatem aluit cum ejuſdem Priore Caniſius:

394 *Sequitur in apographo noſtro hic titulus:* Autographum F. Gerardi Prioris Carthuſiæ Coloniæ.

è cujus Prioris autographo

AUCTORE J. P.

lonienſis. PRO MEMORIA. *Quod videtur eſſe literarum à laudato Priore ad aliquem è noſtris datarum fragmentum. Sic porro dicit :* Saluto humiliter reverendum Patrem D. Ignatium Præpoſitum Societatis nominis Jeſu, & omnes devotos fratres ejus, de quibus audiens ſanctam converſationem, & exempla virtutum, & fructum magnum animarum, quem in diverſis mundi partibus faciunt, vehementer gaudeo & congratulor, optans etiam meipſum totum tradere in ſimplici obedientia, in illorum miniſterium. Sed quia corporalis infirmitas, & vocatio mea hoc ſimpliciter vetant, ideo in ſpiritu conjungo me illis, præſertim in ſacratiſſimo Miſſarum officio quotidiano, obſecrans Deum indignis precibus meis, ut illos pro totius Eccleſiæ ſalute ubique à malis defendere, & immenſos animarum fructus uſque in finem per illos operari dignetur.

nonnulla huc tránſcribuntur.

395 Saluto ſingulariter noſtrum M. Petrum Caniſium, cui litteræ adjunctæ deſtinentur, ſi reverendo D. Præpoſito, primùm illis lectis, viſum fuerit, cui etiam humiliter ſupplico, ut Germaniæ miſereri, & ſuccurrere dignetur, mittendo Caniſium aut aliquos ex ſuis ſaltem ad Coloniam & Lovanium, quia Spiritus ſanctus adhuc operatur in multorum cordibus, maximè in inferiori Germania. Inſuper & omnes ſtatus imperii ſubmiſerunt ſe definitioni concilii, & incipiunt reſipiſcere, hæreſiarchis in peccato exſtinctis, & principibus eorum humiliatis. Omnia tamen committo Spiritui ſancto, quem oro, ut domino Ignatio voluntatem piam de hac re inſpirare dignetur. F. Gerardus inutilis Prior Carthuſienſium in Colonia. *In tergo inſcriptum eſt manu* S. Ignatii : Del Prior de la Cartuxa. *Id eſt :* Prioris Cartuſiæ.

B

Cartuſiæ Pariſinæ erga noſtros benevolentia.

396 *Porro patribus Cartuſianis Colonienſibus adde Pariſinos, de nobis etiam cumulatè meritos, teſte Orlandino lib.* 10, *num.* 109. Nondum, *ait*, Societas eccleſiaſtem, & qui ad populum verba faceret, Pariſiis habebat ; ſed tum adminiſtrandis divinis ritè myſteriis, tum piis ſermonibus conferendis, præcipuè verò demonſtrandis orandi meditandique viis, ſuam civitati operam ſtudiumque navabat. Et quamquam templo etiam ipſo carebat ; Sacramentorum tamen frequentem uſum modò in ſacello domeſtico, modò in eccleſia curiaque SS. Coſmæ & Damiani, interdum etiam apud patres Cartuſianos urgebat. Qui præcipua quadam animi propenſione templi ſui copiam poteſtatemque Societati faciebant : cujus laboribus etiam ipſi creſcebant, duobus circiter ac viginti, paucis menſibus, tironibus aucti.

C

§ XXXVIII. Sententiæ, quibus ſanctus Pater ac ſocii ejus à publica infamia liberantur, ad Ribadeneiræ libri III caput XIII.

Relatis actis hujus ſententiæ

PRodit hæc ſententia *ex archivo noſtro Romano, à P. Ignatio Pinio exſcripta, ac notis marginalibus ab ipſo illuſtrata. Voces verò, in quas notæ cadent, litteris majuſculis in textu exprimentur. Ille autem ſic memorat :* Reverendi patres domini domini FRANZINUS electus Marſichanus, almæ Urbis gubernator, & Philippus Archintus, epiſcopus Burgi ſancti ſepulcri, ejuſdem almæ Urbis, ejus diſtrictus vicarius, viſâ ſchedulâ ſeu memoriali, quod ipſe reverendus Dominus vicarius aſſerit propoſitum fuiſſe in Signatura ſanctiſſimi D. noſtri Papæ per reverendum D. epiſcopum CESENATENSEM, indeque vivæ vocis oraculo per Sanctitatem ſuam emanatam delegationem eidem vicario una cum præfato reverendo D. gubernatore, ut diligenter inquirant ſuper veritate diffamationum, per Mathiam de ſancto Caſſiano, magiſtro poſtarum, paſſim evulgatarum contra & adverſus domum & congregationem presbyterorum Societatis Jeſu, commorantium in eccleſia S. Mariæ della Strada de Urbe. Item qui viderunt relationem INTIMATIONIS factæ dicto Mathiæ, ut dicta de cauſa ederet ſive notificaret, ſi quid haberet pro verificatione dictarum diffamationum. Item qui viderunt COMPARITIONEM in actis factam PER .... aſſertum procuratorem dicti Mathiæ, per quam requirebat ſibi ſpecificari capita diffamationum, ad effectum, ut poſſet deliberare de reſponſione.

D

E

ac criminationibus, falsò contra Ignatium ac ſocios conflictis,

398 Item qui viderunt relationem ALTERIUS INTIMATIONIS, propterea factæ dicto Mathiæ de nonnullis capitibus ipſarum diffamationum ; & præſertim quod locus Religionis monialium S. Marthæ eſſet proſtibulum, ſeu, ut vulgo aſſerebat, ſeralium dictorum presbyterorum, nec non quod nonnulli ex dictis presbyteris à civitate Pariſienſi aufugerant inquiſiti de hæretica pravitate ; ſimiliter quod ex dictis presbyteris aliqui apud acta præfati domini gubernatoris non modo accuſati, ſed & convicti exiſterent de peſſimo crimine, & de aliis atrociſſimis criminibus, de quibus & proceſſum penes ſe habere jactavit, adverſùs quam intimationem nihil ampliùs dictum, deductum & allegatum fuit, ut ex ACTIS apparet ; & nihilominus præfatus dominus vicarius, ut aſſerit, ab inde citra, bis perſonaliter viſitavit dictum locum monialium S. Marthæ, mulieres ibi exiſtentes ſingulariter examinando, nec non, ut aſſerit, diligenter inquiſitionem fecit à ſe ipſo de vita, moribus & doctrina dictorum presbyterorum ; item præfati reverendi domini gubernator, & vicarius, qui noviſſimè viderunt relationem CITATIONIS noviſſimæ intimatæ dicto Mathiæ, ad videndum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis ordinationem & declarationem fieri pro exequendis mandatis præfati ſanctiſſimi Domini noſtri.

F

fertur teſtimonium pro innocentia eorum honorificum :

399 Omnibus diligenter viſis, & perſpectis, & conſideratis conſiderandis, Chriſti nomine invocato, dixerunt, ſanciverunt, declaraverunt, & pronuntiaverunt, dictas & quaſcumque alias diffamationes falsè, iniquè, dolosè, & maledicè evulgatas fuiſſe, ipſoſque presbyteros, eorumque congregationem eâ eſſe vitâ, morumque integritate, ac religione, tam ſinceræ, & catholicæ doctrinæ, tam uberes fructus jam inde à multis annis in agro dominico parere, eâ famæ celebritate, atque ſplendore apud omnes & fuiſſe, & eſſe, ut majores omnibus convitiis & maledictis ſemper exſtiterint & exiſtant ; nominatim illorum Præpoſitum, venerabilem virum, D. Ignatium de Loyola plurimùm in Domino commendantes. Itaque eorum bona opera, quæ eis in dies dat Chriſtus, ut in illis ambulent in ſervitium Dei altiſſimi, atque obedientiam Sedis Apoſtolicæ ac SS. Domini noſtri, facere ut illorum exiſtimatio, & fama cum ſumma potiùs laude augenda ſit, quam cujuſvis malignitate & detractione minuenda. Idcirco præfato Mathiæ ſilen-

A lentium impoſuerunt, & imponunt de prædictis, & quibuſvis aliis diffamationibus, ſub pœna amiſſionis ſui officii poſtarum, nec non confiſcationis omnium bonorum ſuorum, ipſo facto & jure incurrenda abſque alia ulteriori declaratione, reſervantes ſibi prædicti domini, domini gubernator, & vicarius declarationem condemnationis pœnarum, per prædictum Mathiam incurſarum ob hujuſmodi diffamationes, ac expenſarum in præſenti cauſa factarum. *Infra habetur:* Ita pronuntiamus Ph. vics.; *id eſt*, Philippus vicarius.

in cujus textum nonnulla notantur.

400 *Ad* τὸ Franzinus, *ſententiæ hujus deſcriptor*, In actis, quæ hîc habeo, *inquit*, vocatur FRANCISCUS MICHAELIS. Sed hæc acta non ſunt authentica. *Addo ego*, Franciſco Michaëlio *commiſſam rem dici apud Ribadeneiram lib.* 3, *cap.* 13. *Ad* τὸ Ceſenatenſem *dictus ſententiæ hujus ſubminiſtrator obſervat hæc:* Priùs ſupplicarat S. Ignatius ſanctiſſimo Domino. Hic rem diſtulit, donec convaleſceret ſuus vicarius. Ubi is convaluit, mox S. Ignatius iterum ſupplicavit per epiſcopum Ceſenatenſem, qui me-

B moriale obtulit, in qua Societatem vocavit SANCTAM. Patent hæc omnia ex ipſo memoriali, quod ante oculos, *inquit*, habeo. *Ad* τὸ intimationis, *quod mox ſubſequitur*, hanc, *ait*, intimationem habeo in manibus. In ea dicitur, quod ſanctiſſimus Dominus XIX Junii in plena Signatura, vivæ vocis oraculo delegarit D. vicarium, ut cum D. gubernatore inquirat veritatem diffamationum. Intimatio facta eſt XXX Junii MDXLVI. Intimationis relationem quoque habeo. *Sic ille. Ad* τὸ comparitionem *verò monet iſta:* Comparitio facta eſt III Julii MDXLVI. Requiſitionem in ea factam habeo, *inquit*. Per ... *ſic explanat:* Philippum Bencivene fuiſſe, habetur in actis: ſed in ſententia ponuntur punctula, omiſſo nomine. *Ad* τὸ alterius intimationis, *ſic eſt in notis:* Altera intimatio iſta facta eſt XIV Julii. *Sequitur in textu ſententiæ*, ut ex actis apparet. *Harum notarum auctor*, Acta illa, *ait*, etiam hîc video. Item citationem noviſſimam. Poſt hanc, lego in actis: " Eodem Mathia etiam non comparente „ neque per ſe, neque per aſſertum procurato- „ rem ſuum, fuit lata ſententia contra ipſum „ tenoris ſubſequentis, & ſubſcripta per reve- „ rendiſſimum dominum vicarium tantùm, cu-

C „ jus tenor eſt qui ſequitur „. *Addit notarum concinnator:* Hîc ſequitur ſententia, prout eam deſcripſi. *Nunc ſupereſt*

Exemplar alterius ſententiæ pro Ignatio contra maledicum.

401 *Sententia altera, de qua Ribadeneira loco citato, & quam idem Pater, qui illam ſuperiorem, pro me etiam ex tabulario Romano tranſcripſit:* Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes &c. ſententiamus &c., prædictum dominum Joannem de Torano, S. Joannis de Mercato regionis Campitelli rectorem monialium monaſterii Catechumenorum, de præmiſſis (*quæ ibi enumerarat*) confeſſum, & reſpectivè legitimè convictum, culpabilem & de jure punibilem repertum, à divinis perpetuò ſuſpendendum, omnibuſque ejus beneficiis & officiis privandum fore & eſſe, prout ſuſpendimus & privamus, ejuſque bona omnia confiſcanda ... fore & eſſe, prout confiſcamus .. Et mitiùs cum ipſo agentes, more judicis eccleſiaſtici, ad perpetuos carceres condemnandum & detrudendum fore & eſſe, prout condemnamus, & detrudi mandamus &c. Ita pronuntiamus. In. Cardinalis de Monte & protector. Simon Gugnettus notarius. *Hiſce manu item P. Pinii apponuntur iſta:* Acceptatio ſententiæ, & permutatio carceris in perpetuum exilium, habentur in actis apud eumdem notarium. *Et mox*, Prædicti Joannis de Torano inſolentem epiſtolam ad S. Ignatium datam, antequam ſua crimina patefacta forent, hîc habeo, *inquit idem Pater.* Item memoriale, *uti addit*, ab eodem inſcriptum ipſi Pontifici, quo Ignatium & ſocios hæreſeon revelatæque confeſſionis accuſabat, magnam ſimulans pietatem. AUCTORE J P.

Altera item ſententia,

402 *Nunc alium actum publicum pro ſancto Patre inſtitutum, & ex archivo Romano deſumptum, exhibeo, eſtque* ſententia Viceſgerentis pro S. Ignatio contra Franciſcum Ferrerium, *ſic ſonans:* Reverendus D. Petrus Rapondus, juris doctor, reverendi patris domini Philippi Archinti, epiſcopi Salutiarum, SS. Domini noſtri Pauli divinâ providentiâ Papæ tertii, in alma Urbe ejuſque diſtrictu vicarii generalis locumtenens & viceſgerens. Viſa petitione pro parte Domini Ignatii de Loyola, Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu, contra D. Franciſcum Ferrerium Barchinonenſem, reum conventum, de & ſuper quibuſdam verbis dictis & prolatis injuriosè ac iniquè per ipſum D. Franciſcum contra prædictum dominum Ignatium, visâque citatione, ad reſpondendum dictæ petitioni factâ, & viſa confeſſione ejuſdem D. Franciſci ſuper dicta petitione, unà cum acceptatione dictæ confeſſionis pro parte dicti D. Ignatii, & viſo termino, dicto Franciſco aſſignato ad docendum de ſatisfactione allegata, viſaque declaratione ejuſdem Franciſci, per quam dixit, ſe ſatisfeciſſe in hunc modum, qui ſequitur, videlicet:

E

quâ S. Ignatio injurius condemnatur ad petendam veniam.

403 Quia in eodem loco & coram eiſdem perſonis, ubi dixit verba injurioſa, de quibus in petitione, contra dictum dominum Ignatium, ibidem etiam dixit idem Franciſcus Ferrerius, quod de omnibus & ſingulis verbis injurioſis, quæ dixerat contra dictum D. Ignatium, mentitus eſt, & quod malè fecit, ſe dixiſſe prædicta verba; viſaque citatione ad audiendum ſententiam pro die hodierna, & viſis videndis, ac conſideratis conſiderandis, partibus ibidem reſpectivè præſentibus, pronuntiavit, declaravit, & ſententiavit, quod dictus D. Franciſcus Ferrerius, pro eo, quod, dum confeſſus fuit, ſe dixiſſe nonnulla verba injurioſa contra dictum dominum Ignatium, & quod de illis verbis injurioſis mentitus fuit, propterea dumtaxat teneatur eidem D. Ignatio pro pœnitentia ſalutari flexis genibus veniam petere. Et ita pronuntiavit, declaravit, & ſententiavit omni meliori modo, viâ juris & formâ, quibus potuit &c.

F

Hujus inſtrumenti fides publica auctoritate munita.

404 In quorum fidem præſentes fieri & per notarium infraſcriptum ſubſcribi mandavit. Datum Romæ in ædibus noſtris ſub anno à nativitate Domini MDXLVII, Indictione V, die verò ſecunda menſis Junii, pontificatûs prælibati ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Pauli divinâ providentiâ Papæ III anno XIII. Ita pronuntiavi ego Petrus Rapondus locumtenens.

Copia auſcultata cum originali ſubſcripto, ſub die ſecunda menſis Junii, concordat cum eodem originali; quod atteſtor. In cujus fidem hîc me ſubſcripſi, unà cum reverendi P. D. vicarii Urbis, & ejus curiæ ſigilli impreſſione, ad majorem corroborationem &c. Ita eſt. Joannes Bargamus, curiæ reverendi D. vicarii notarius act. In fidem.

AUCTORE J. P.

§ XXXIX. Dignitates eccleſiaſticæ hominibus Societatis ab Ignatio præcluſæ; regi Romanorum circa Caniſium utcumque factum ſatis; nonnulla circa Claudium Jaium, S. Franciſcum Borgiam, ac Lainium in hac materia.

Declinat dignitatem epiſcopalem Bobadilla,

QUam fortiter, & quam gravibus de cauſis in hac re ſeſe geſſerit ſanctus Pater noſter, dabit Ribadeneira lib. 3, cap. 15, ex factis, quæ ibi affert. Locum citatum confirmo ac declaro. Bobadilla in litteris S. Ignatio *inſcriptis, atque è tabulario noſtro Romano erutis, ex fide P. Ignatii Pinii, ſic habet:* Gratia & pax Chriſti Domini ſit ſemper nobiſcum. Amen. *Quod ſequitur, ex Hiſpanico Latinum facio:* Secretarius aliquis regis Romanorum venit ad hanc aulam, & mecum locutus eſt, ut acceptarem epiſcopatum quemdam Tergeſtinum: cui reſpondi, quod noſtra vocatio eſſet paupertatis „ & non magnificentiæ .. *Subditur in apographo noſtro Latinè:* Ex caſtris prope Ingolſtadium v Septembris MDXLVI.

B

406 *Ex libello* de Recuerdos (*quem Latinè poſſis dicere* Memorialem) *P. Polanci, & P. Petri Ribadeneiræ, pag.* 41 *proferuntur ex collectione noſtra Romana hæc, quæ ex Hiſpanico interpretor Latinè:* MDLII, heri mihi dixit Cardinalis ſanctæ Crucis, redux à Pontifice, horâ noctis mediâ; quod Dominus Jacobus Laſſo ſecum fuerit locutus, ut in primo conſiſtorio epiſcopatum Viennenſem pro M. Caniſio proponeret, dicendo, ut ſua Sanctitas ſine Societatis conſenſu, ex reverentia erga regem Romanorum, illum ei conferret; & quod Cardinalis narraverit ſuæ Sanctitati id, quod ſibi dixerat dominus Jacobus, quodque vellet mentem ejus intelligere, ne erraret; ac ſibi dixiſſe Papam: Id quod volebat dominus Jacobus, illud ipſum eſt; ſed ego id facere nolo, quia non convenit iſti Societati; & videtur mihi M. Ignatius habere rationem, non conſentiendi iſti negotio, atque eminus proſpicere id, quod poſſet accidere, aperiendo portam ambitioni: & bene admodum facit, quando eam non aperit .. Ex alia parte res eſt dura, non facere ſatis tantæ devotioni regis Romanorum, & tantæ neceſſitati, quæ eſt, perſonarum tali oneri aptarum &c. *In manibus inſuper habeo exemplar ex epiſtola autographa Italica P. Joannis Polanci, quæ notatur Romæ data* VI *Octobris* 1554, *tranſcriptum; cujus argumentum verſatur circa præſens negotium acceptandi à P. Caniſio epiſcopatus Viennenſis, & ea, quæ hunc in finem Romæ acta ſunt: at de his ſatis dixi ſuprà. Sed inter acceptionem ac repulſam iſtius epiſcopatus, medium quoddam interpoſitum eſt temperamentum.*

& Caniſius:

C

qui à Julio 3 creatur adminiſtrator epiſcopatûs Viennenſis,

407 *Quomodo enim Pontifex utcumque ſatisfecerit regi Romanorum, conſentiente* S. Ignatio, *patet ex Brevi, quo idem Pontifex (Julius nimirum III) P. Petrum Caniſium creat adminiſtratorem epiſcopatûs Viennenſis: quod monumentorum Ignatianorum Romæ pro nobis collector ſæpiſſime laudatus huc miſit* ex minuta originali (ſubſcripta à Cardinali Puteo, tunc Signaturæ gratiæ præfecto, & à S. Ignatio:) quæ hîc, *ait*, extat: *ut patet ex notis marginalibus, quas inferiùs adſcripſit. Breve ſic ſonat:* Dilecto filio Petro Caniſio, presbytero ex Societate Jeſu, magiſtro in theologia. Dilecte fili, ſalutem. Cupientes eccleſiæ Viennenſis, provinciæ Saltzeburgenſis, ad præſens certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ, perſonam ſecundùm cor noſtrum utilem & idoneam præficere, & ne interim eccleſia ipſa in ſpiritualibus, & temporalibus patiatur, opportunè providere: & attendentes, quod tu, ob tuam in Deum pietatem, & literarum ſcientiam, ac in ſpiritualibus providentiam, & temporalibus circumſpectionem, diverſaque alia virtutum dona, quibus perſonam tuam illarum largitor Altiſſimus multipliciter inſignivit, eccleſiam prædictam, illius durante vacatione, ſcies, voles, & poteris ſalubriter regere, & feliciter gubernare, ac eidem eccleſiæ in illius regimine, & adminiſtratione plurimum utilis & fructuoſus eſſe: D E

per Breve

408 Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, contemplatione etiam chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi, Romanorum & Ungariæ regis illuſtris, in imperatorem electi, quem hoc ſummopere cupere intelleximus; te, de quo ex præmiſſis plurimùm in Domino confidimus, ipſius eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtratorem ad annum, intra quem eidem eccleſiæ de idoneo & utili paſtore providebimus, Apoſtolica auctoritate conſtituimus, & deputamus, plenam, & liberam ejuſdem eccleſiæ curam & adminiſtrationem tibi in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, anno hujuſmodi durante, plenariè committendo.

Apoſtolicum,

409 Volumus autem, quod, adminiſtratione hujuſmodi durante, in dicta eccleſia, ac civitate, & diœceſi Viennenſi, ea, quæ jurisdictionis exiſtunt, per te ipſum, vel alium, aut alios, quos nomine tuo poſſis ſubſtituere, liberè exercere; quæ verò Ordinis fuerint, per Catholicum antiſtitem, gratiam & communionem dictæ Sedis habentem, exerceri facere, ac quæcumque beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, ad collationem, & proviſionem, præſentationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem, pro tempore exiſtentis epiſcopi Viennenſis pertinentia, conferre, & de illis providere, ac ad illa præſentare, & eligere, aliaſque de illis, nec non debitis & conſuetis menſæ epiſcopalis Viennenſis ſupportatis oneribus, de reſiduis illius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere liberè & licitè valeas in omnibus, ſicuti epiſcopi Viennenſes, qui pro tempore fuerunt, illa conferre, & de illis providere, ac ad illa præſentare, & eligere, aliaſque de illis, nec non menſæ prædictæ fructibus, redditibus, & proventibus diſponere potuerunt, ſeu etiam debuerunt: alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium dictæ menſæ penitus interdictâ. F

cujus exemplar

410 Quocirca diſcretioni tuæ, ut curam, & adminiſtrationem prædictas, ut præfertur, ſic ſolicitè geras, & fideliter proſequaris, quod eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; utque præter æterna retributionis præmia, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi

A sequi mereatis : nec non dilectis filiis, capitulo & vassallis ecclesiæ, ac clero, & populo civitatis, & diœcesis prædictarum per præsentes mandamus, ut capitulum tibi tamquam patri & pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas ; & clerus te benignè recipientes, & honorificè pertractantes, tua salubria monita, & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent : populus vero te devotè suscipientes, tuis monitis, & mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, & ipsi in te patrem benevolum invenisse gaudeatis : vassalli autem prædicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia, & jura tibi ab eis debita integrè exhibere procurent ; alioquin sententiam, sive pœnam, quam ritè tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

B 411 Rogamus quoque & hortamur attentè præ-
hic profertur. fatum Ferdinandum, & venerabilem fratrem archiepiscopum Saltzeburgensem, eidem archiepiscopo per Apostolica scripta mandantes, quatenus te, & præfatam ecclesiam ipsius archiepiscopi suffraganeam habentes pro nostra & dictæ Sedis reverentia propensiùs commendatos, in ampliandis & conservandis juribus vestris sic vos benigni favoris auxilia prosequantur, quod tu, eorum fultus præsidio, in commisso tibi ejusdem ecclesiæ regimine possis Deo propitio prosperari, ac Ferdinando regi adeò perennis vitæ præmium, & à nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque archiepiscopus proindè divinam misericordiam, ac nostram ac dictæ Sedis benedictionem & gratiam uberiùs valeant promereri. Datum Romæ apud S. Petrum die tertia Novembris MDLIV, anno quinto ". Attento consensu Præpositi Gene-
,, ralis, & quia rex supplicat, & minuta est in
,, forma, potest expediri. Ja. Cardinalis Pute-
,, us *,,. Expeditioni hujus brevis nomine meo & totius Societatis consentio *. Ignatius *. *Atque hæc quidem de Canisio hactenus.*

* *Hæc scripta sunt manu propria Cardinalis Putei.* * *Hæc scripsit P. Polancus secretar* * *Propria manu S. Ignatii.* *Nonnulla de Jaio, S. Francisco Borgia ac Lainio.*

C 412 *Quanto autem opere laborarit sanctus Pater in causa Claudii Jaii, exponit Ribadeneira loco citato : cui hæc addo :* Jaius ad primam suspicionem de offerendo sibi episcopatu Tergestino à rege Romanorum, mox Venetiis XIII Septembris MDXLVI scripsit ad S. Ignatium, *ex relatione P. Ignatii Pinii in nostris apographis Romanis, qui & epistolæ mox producit fragmentum, quod ex Italico sic verto :* Hactenus .. recusavi acceptare beneficium ecclesiasticum curatum ; ac minùs vellem illud in præsentia. Et quanto esset majus, tanto minùs acceptare vellem. Ego per Dei gratiam acquiesco mea vocatione in paupertate, tametsi non acquiescam memetipso, cognoscens, me peccare quotidie, & offendere Dominum meum : neque novi gubernare memetipsum : atque adeo non vellem acceptare gubernationem alienam ex obligatione. *Ita vir modestissimus.* Tum, *sicut adjungit Pinius*, à S. Ignatio petit preces, ac modum, quo id recusaturus est regi Romanorum. Et XXV Septembris MDXLVI regi Romanorum id recusavit pulcherrimâ epistolâ, cujus subscriptio est : Tuæ serenissimæ majestati humillimus servus ac minimus capellanus Claudius Jaius. Cum autem resciviset, regem instare apud Pontificem, ut id oneris ipse Jaio imponeret, pulcherrimâ epistolâ suasit & deprecatus est, ut urgere desisteret, X Decembris MDXLVI Tridenti. *Inscriptio ex Italico est :* Ve- AUCTORE J. P.
stræ sacræ majestatis minimus servus, & indignus capellanus Claudius Jaius, etiam nomine suorum sociorum. Postquam nempe Cardinalis Carpi, protector Societatis, id ipsum suasisset eidem regi literis datis Romæ IV Decembris MDXLVI, haud dubiè utrumque impellente S. Ignatio ; *uti observat monumentorum Ignatianorum Romæ pro nobis collector. His adde, quæ inter excerpta è libro Memoriali P. Ludovici Consalvi paginarum* 200 *in folio, pag.* 195, 196 *&c.*, *P. Ignatius Pinius contraxit, ac documentis nostris Romanis inscripsit, sic memorans :* Narrat, quantum S. Ignatius se opposuerit, ne Pontifex Claudio Jaio daret præceptum obedientiæ, ut admitteret episcopatum Tergestinum, urgente rege Romanorum : quodque, desistente tandem rege, S. Ignatius indixerit Missas, & TE DEUM LAUDAMUS, in gratiarum actionem.

Quænam inter S. Franciscum Borgiam, Julium PP. III, & Carolum V acta fuerint, expedit Ribadeneira loco suprà citato : circa quem E
juvat observasse, quod in manibus habeam exemplar epistolæ Hispanicæ, ex archivo nostro Romano depromptæ ; quâ S. Pater noster scribit S. Francisco Borgiæ de galero Cardinalitio, quem Julius PP. III volebat ipsi conferre rogatu Caroli V imperatoris ; exponens animi sui sensa circa istam dignitatem. Idem archivum nobis subministravit scriptum, quo P. Laynez declinavit acriter dignitatem Cardinalitiam, allegato inter alia judicio S. Ignatii, *signatum* XIX *Decembris* MDLV : *quo confirmantur illa, quæ habet Ribadeneira loco citato.*

§ XL. Gesta ab Ignatio in liberanda Societate à feminarum curâ.

Libellus supplex Societatis Pontifici oblatus,

QUæ *Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 14 *memorat, ab* Ignatio *circa præsentem materiam acta fuisse apud Pontificem maximum, declarantur ac confirmantur ex nostris apographis, è tabulario Romano promptis ; inter quæ est* S. Ignatii memoriale ad Pontificem, *à Pinio descriptum, notis hic illic adjectis. Habe textum :* Beatissime Pater. Devoti Sanctitatis vestræ oratores Præpositus & presbyteri Societatis Jesu in ecclesia S. Mariæ de Strata, in alma Urbe à Sanctitate vestra erectæ, institutæ, & approbatæ, non desinunt pro viribus & tenui ipsorum facultate, exercere se in quotidianis obsequiis Ecclesiæ Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & consequenter Sanctitatis vestræ, ejusdem in terris vicarii. F

ut ea eximatur à cura monialium. * *habetur tantùm pr.* s.

414 Cum autem presbyteri supradicti * à nonnullis magnis viris, præcipuè in partibus Hispaniarum, solicitentur ad suscipiendam curam monacharum & mulierum devotè Deo servire cupientium : ex nunc ipsi oratores animadvertentes, hoc unum esse magnum impedimentum cæteris officiis, in obsequium Dei sibi incumbentibus, ex ipso principali Sanctitatis vestræ instituto, & cum adhuc hæc cura exordiri incipiat, atque impediri posse videatur, & parvum impedimentum in principio possit deinceps majus fieri ; ad beatissimos Sanctitatis vestræ pedes humiliter recurrunt, supplicantes de gratia speciali, ut in eorum institutione ac Societatis confirmatione, quæ pro expressa habeatur de verbo ad verbum ac exprimi

AUCTORE J. P.

primi poſſit, dignetur declarare & decernere, magnum eſſe impedimentum cæteris officiis & obſequiis Dei ſibi incumbentibus ex ipſo Sanctitatis veſtræ principali inſtituto, curam aliquarum monialium vel ſororum, ſeu quarumcumque mulierum ſuſcipere, aut ipſarum votum aliquod vel obedientiam recipere: ipſoſque ad hujuſmodi curam mulierum ſuſcipiendam nullo modo teneri debere, nec eorum inſtituto & Societati expedire. Non obſtantibus &c.

De duabus regimini Societatis exemptis

415 *Sequitur in noſtro apographo clauſula quædam his terminis expreſſa, qui videntur additi eſſe ad ſignificandam majorem decreti vim, atque ad ſingularem ei firmitatem conciliandam. Quæ ibi per abbreviationem ſcribuntur, fortè eo exarari debent modo, quo illa uncinis incluſi. Clauſula itaque iſta ſic habet:* Et cum [abrogatione] &c., & decreto & prohibitione &c., & quod præſentes per Breve ſeu per litteras [contradictoriarum *vel* contradictorias] S. Væ. poſſint expediri. *In tergo hujus inſtrumenti haberi ſcriptas manu* S. Ignatii *illas voces Hiſpanicas*; Sobre mucheres profeſas, *id eſt*, ſuper mulieribus profeſſis; *diſco ex P. Ignatio Pinio. Quidnam verò ſanctus Pater noſter ſtatuerit circa Iſabellam Roſel ſeu Roſer, ex epiſtola ad eam data, & apud Ribadeneiram relata, perſpicuum eſt: cui ex Romanis noſtris apographis ſuperaddo exemplum Brevis, quo Pontifex Societatem liberavit curâ dictæ Iſabellæ Roſer, & Franciſcæ Cruilles. Sic ſonat:*

B

416 Nos Philippus Archintus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Salutiarum, ſanctiſſimi Domini in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Pauli divinâ providentiâ Papæ III, in alma Urbe vicarius in ſpiritualibus, atteſtamur, & fidem facimus, qualiter præfatus ſanctiſſimus D. noſter, expoſito ſibi pro parte dilecti filii ſui Ignatii de Loyola, Præpoſiti Societatis Jeſu, in alma Urbe per Sanctitatem ſuam canonicè inſtitutæ, dilectam ſibi in Chriſto filiam Iſabellam Roſer, mulierem Barchinonenſem, de commiſſione ſuæ Sanctitatis, in manibus dicti Ignatii, Præpoſiti Societatis præfatæ, obedientiam ipſi Ignatio tantùm, & votum caſtitatis ſimpliciter, votum verò paupertatis, ſatisfacto voluntati mariti ſui defuncti, de aliis bonis paupertatem, quam Prælatus ſuus ſibi injungeret ſive mandaret, tenêre & ſervare, ſeu aliàs forſan dicta tria vota

Exſtat Breve,

C

ſimpliciter abſque conditione aliqua in manibus Ignatii Præpoſiti hujuſmodi ſolemniter promiſiſſe & voviſſe:

quo Paulus 3

417 Ac dilectam etiam ſibi in Chriſto filiam Franciſcam Cruilles, ejuſdem Iſabellæ ſervitricem, obedientiam dicto Ignatio, & forſan pro tempore exiſtenti Præpoſito Societatis ejuſdem, atque caſtitatem, & paupertatem ſimpliciter in ejuſdem manibus ſolemniter voviſſe, dictumque Ignatium diverſis & quàm pluribus ſervitiis pro honore & gloria Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctitatis ſuæ ſervitio eſſe valde impeditum, & non expedire ſibi nec Societati, hujuſmodi mulieres ſub ejus cura habere.

Societatem ab earum cura, ipſas verò à votis ſolvit,

418 Et propterea ad ejuſdem Ignatii petitionem ac inſtantiam, Ignatium, & pro tempore exiſtentem Præpoſitum, & Societatem hujuſmodi, ab hujuſmodi onere & cura ipſarum Iſabellæ & Franciſcæ primùm; & deinde de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Iſabellam, & Franciſcam Cruilles præfatas ab ipſius Societatis, & illius, ac pro tempore exiſtentis Præpoſiti hujuſmodi obedientia, religione, cura, gubernio, & votis præfatis exemit penitus, & liberavit, ac vota per eos emiſſa in & ad hoc commutavit; videlicet, quòd earum cujuſlibet vita durante, Ordinario loci, in quo pro tempore eis eſſe placuerit, ſicuti quilibet alius Chriſtianus obedire, & caſtitatem perpetuò obſervare, & quæcumque bona, quæ ante profeſſionem præfatam habebant, & quæ nunc habent, & pro tempore habebunt, eiſdem Iſabellæ, & Franciſcæ Cruilles reſpectivè reſtituit, ac earum cuilibet, ut illa & alia pro tempore ſibi acquirere & retinere, illiſque uti, ac de illis tam in vita quàm mortis articulo ad cujuſlibet ipſarum libitum & omnimodas voluntates liberè diſponere & teſtari, vendere, donare, & alienare valeant in omnibus & per omnia, ac ſi nullum paupertatis votum emiſiſſent, conceſſit.

D

ac omnino liberas reddit,

419 Quodque de cetero dictæ mulieres omnibus & ſingulis indulgentiis, gratiis, facultatibus, & conceſſionibus, quibus ſi à dicta Societate exemptæ non eſſent, gauderent, gaudeant indulſit. Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, provincialibus, & ſynodalibus Conſtitutionibus & ordinationibus, nec non dictæ Societatis, & Ordinis, cujus forſan exiſtit, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, dictorumque votorum naturâ, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis ac eorum ſuperioribus etiam generaliter ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, irritantibuſque, & aliis decretis, conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis.

E

ſublata omni derogatione &c.

420 Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, mentio aut quævis alia expreſſio habenda, vel alia aliqua exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi, acſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro plenè & ſufficienter expreſſis habentur. Illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogavit, ceteriſque contrariis quibuſcumque. In quorum fidem literas noſtras hujuſmodi, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, de mandato ejuſdem Sanctiſſimi D. noſtri, ſuæ vivæ vocis oraculo nobis facto, fieri juſſimus. Datum Romæ &c. die tertiâ Novembris MDXLVI, anno XIII dicti ſanctiſſimi D. N. Pauli PP. III. *Porro, teſte P. Ignatio Pinio*, exemplum Brevis de Iſabella Roſer, & Franciſca Cruilles, eſt quædam minuta, exarata à P. Polanco, & locis quibuſdam limata alterius manu.

F

Alia quædam huc ſpectantia.

421 *Inter epiſtolas ſancti Patris noſtri, quarum ecgrapha plurima in promptu habemus, collecta à P. Claudio Joachimo Thoubeau S. J., habemus exemplar unum, quod datur ad monachas Ulviam & Bajadellam Hiſpanicè ſcriptum Romæ die* V *Aprilis anno* 1549: *ubi hæc habentur, in Latinum hîc converſa:* Auctoritas Vicarii Chriſti clauſit portam, ne admittatur ullum regimen, aut ſuperintendentia Religioſarum, ſupplicante id Societate in principio, quia judicabat, quod eſſet ad majus Dei Domini noſtri obſequium *&c. Bulla Pauli III, data anno* 1549, *in qua conceditur, ne curam monialium, ſeu Religioſarum quarumlibet perſonarum recipere teneamur &c.*, (*quam citat Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 14.) *exſtat in Inſtituto Societatis Jeſu impreſſo.*

A *preſſo. De Litteris Apoſtolicis anni* 1547, XIII *Kal. Junii, meminit ibid. Ribadeneira. Quidnam verò ſanctus Pater in hac materia à ſuis exegerit, liquet ex Conſtitutionibus parte* 6, *cap.* 3, *num.* 5; *ubi hæc præſcribit :* Cum homines . . hujus Societatis ſemper parati eſſe debeant ad diſcurrendum per quaſvis mundi partes, quò fuerint à ſummo Pontifice, vel à ſuis Superioribus miſſi; non debent curam animarum, neque item mulierum Religioſarum, vel aliarum quarumcumque ſuſcipere, ut ordinariè illarum confeſſiones audiant, vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet, ſemel unius monaſterii confeſſiones, ob ſpeciales cauſas, audire. *Congregationi quoque noſtræ ſeptimæ, relictis ſibi à ſancto ſuo Fundatore placitis inhærenti, placuit condere decretum* 56, *quo ſtatuit, curam mulierum, quæ certis inter ſe legibus unà vivunt, alienam eſſe ab inſtituto noſtro; ideoque ab illa Noſtris abſtinendum, & informandum, ſi res exigat, Pontificem. His, quæ cautè ac prudenter cum Societatis Fundator, tum ipſa Societas ſuis præſcripſit, præcluſa etiam fuit porta, ne*
B *ulla mulierum congregatio Societatis inſtitutum ſectaretur; quod, quam à mente ſancti Patris ac Societatis fuerit alienum, ex dictis collige. Et verò tamquam ſi è ſpecula diu antè is proſpexiſſet, emerſuram aliquando hujuſmodi ſectam, venit tempus, quo hæc cautela uſum ſingularem habuit : nam ſeculo decimo ſeptimo aliquantulum adulto exſtitit congregatio quædam ſub nomine Jeſuitiſſarum, auctoritate privata, citra ullam Sedis Apoſtolicæ approbationem, in nonnullis Italiæ & Ultramontanis partibus conflata : quam Urbanus PP. VIII ſuppreſſit, & extinxit, editis ſuper hac re literis Apoſtolicis, anno* 1631 *ſignatis, ac Bullario Romano inſertis tom.* 5. *Anteriora reviſamus.*

§ XLI. Sacri Cardinalium Collegii, ac deinde Julii Papæ III in Ignatium ac Societatem benevolentia; conventus patrum in Urbem; approbatio, & dignitas Conſtitutionum.

C

Cardinalium erga noſtros in annonæ difficultate benevolentia :

POſt hæc, *uti ſcribit Maffeius lib.* 2, *cap.* 19, Paulus III Pontifex maximus, ſenio curiſque confectus, è vita migravit, comitiaque novo creando Pontifici, in magna ſtudiorum ac voluntatum varietate in aliquot menſes extracta ſunt. Quo ipſo tempore, cum Urbs, ut in diuturno interregno, annonæ difficultate vehementiſſimè laboraret, noſtriſque numero in dies auctis, extrema fames adeſſe videretur; Ignatius cum aliorum, tum præcipuè ſacri Collegii Cardinalium eximiam in ſe ſuoſque benignitatem expertus eſt. Quippe in ſummis occupationibus Patres auguſtos pia noſtrorum hominum recordatio ſubiit : communique conſilio ad eorum inopiam ſublevandam non levis pecuniæ ſumma ex ipſo conclavi tranſmiſſa eſt, enixè in primis favente atque adjuvante Rodulpho Pio Carpenſi, quem Ignatius jam ante ſibi ſociiſque patronum ac protectorem, ut appellant, è ſummi Pontificis auctoritate delegerat.

423 Ac rebus diu multumque agitatis, Pon-

tifex denique declaratur Julius, eo nomine tertius, qui, quòd in ſynodo Tridentina Legatus, Fabrum, Lainem, & Salmeronem theologos Apoſtolicos familiariter noverat, multaque tum ex iis, tum ex aliis de Societatis inſtituto didicerat, Ignatio ſupplicanti multa in Societatis incrementum ac rem, admodum liberaliter tribuit. *Exſtat diploma ejus apud Ribadeneiram lib.* 3, *cap.* 21. *Circa textum Maffeii obiter obſerva; Fabrum deſtinatum quidem fuiſſe ad concilium Tridentinum, ſed, quo minùs eidem interfuerit, obſtitiſſe mortis interventum, ex Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 11, *& Orlandino lib.* 6, *num.* 19. *At fortè Faber excidit calamo Maffei pro Fato, qui unà cum Lainio ac Salmerone ſanctæ iſti ſynodo interfuit*, magnoque erat (*verba ſunt Orlandini loco citato*) apud omnes Tridenti loco. Conſulebatur in circulis de concilii rebus, & à præſulibus multùm adhibebatur. *At redeamus ad priora. Aliis erga* Ignatium *ac filios ejus propenſiſſimæ voluntatis teſtificationibus ſuam ſanctiſſimus Chriſti Vicarius benevolentiam comprobatam eſſe voluit. Nam, ſicut narrat Orlandinus ad annum* 1550, *lib.* 10, *à num.* 1, Indicto, ac propoſito toti Chriſtiano orbi jobelæo, quo grex cunctus ſuum ad Paſtorem, ut eſt in more poſitum, vocabatur, Ignatius Pontifici ſupplex fuit, ut Societatis hominibus, qui pro Eccleſiâ & animarum ſalute in locis disjunctiſſimis verſabantur in India, Braſilia, Congo denique, & propiore Africa, nec ſine magno rei Chriſtianæ damno ad Urbem conferre ſe poterant, promerendi jobelæi copiam poteſtatemque cum Chriſtianis earum regionum, atque neophytis faceret; ſimul & quid ejus merendi gratiâ faciendum præſcriberet, indicaret.

AUCTORE J. P. *Julii PP.* 3 *munificentia*

424 Pontifex blando oculo Ignatium intuitus, ut animi ſui ſignificaret affectum : Quod attinet, inquit, ad elargiendum ſociis veſtris abſentibus jobelæum, id libenter elargior, hac tamen cum parſimonia, &, ut ejus verbis utar, cum reſtrictione, ut omnem meam in hac re poteſtatem cum Societate veſtra communicatam velim; liceatque fratribus veſtris, tanto à nobis intervallo disjunctis, ex theſauris, & largiſſimis hujus anni condonationibus gaudere; ad eaſque promerendas, quidquid viſum fuerit, veſtro arbitratu præſcribere. Ignatius, plurimis actis gratiis, per eam occaſionem Pontifici maximo nonnulla ex iis, quæ de Indiis, & remotis illis partibus nuntiabantur, auditu læta, nec celſiſſimis illis auribus indigna commemoravit. Quæ cum Pontifex audiſſet, ſtudio divini flagrans honoris, lacrymas tenere præ gaudii voluptate non potuit, teſtatus, ea ſibi accidiſſe perjucunda. *Verùm non Indis dumtaxat, aliiſque nationibus ab Urbe remotiſſimis, ſed compluribus etiam, qui ab eadem Urbe propiùs aberant, laudatus Chriſti Vicarius jubilæi lucrum*, Ignatio *poſtulante, conceſſit; uti legere eſt ibidem num.* 3. *Quid, quod illud ſingulare beneficium alio non minore munere liberalis Pontifex cumularit, quando privilegia Societatis ſuſpendi noluit tempore jubilæi? de qua re ibidem num.* 4 *pluribus edoceri poteris.*

in communicandis cum Societate gratiis ſpiritualibus :

425 *Interim occaſione eorum, quæ de jubilæo dixi, & eorum item, quæ Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 5 *refert de Lainio ex Africa reverſo, poſt egregiam Chriſtianis militibus navatam operam in eo bello, quod duce Joanne Vega, Siciliæ proræge, adverſùs Chriſtiani nominis hoſtes geſtum eſt; profero ſequens inſtrumentum, ab Ignatio Pinio Romæ tranſcriptum, quo* S. Ignatius *impetravit in-*

inter quas eſt pro militantibus in Africa jubilæum.

AUCTORE J. P.

bilæum tunc militantibus in Africa contra infideles, & impetratum denuntiavit his litteris : Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu. Illustribus dominis, ac nobilibus, & strenuis viris, ducibus ac militibus, & omnibus demum Christianis, qui in Africa contra infideles bellum gerunt, Jesu Christi Domini protectionem, & auxilium, ac salutem in eodem sempiternam. Cum ex literis excellentissimi domini Joannis de Vega, proregis Siciliæ ac ducis generalis hujus sanctæ expeditionis admonitus, ipsius ac totius exercitûs nomine supplicassem sanctissimo domino nostro Julio, divinâ providentiâ Papæ tertio, ut thesaurum Jubilei, qui Romam venientibus, & aliquot ecclesias invisentibus aperitur, vobis, qui in bello pro Christi gloria ac fidei sanctæ exaltatione gerendo, cum infidelibus distinemini, aperiret; ejus sanctitas hilari animo de benignitate Apostolica omnibus vobis (qui tamen contriti ac confessi essetis) eam gratiam concessit: ut tanto alacriùs, animosiùs & fortiùs cum inimicis sanctæ crucis dimicetis,
B quanto effusiorem Dei altissimi & sponsæ ejus Ecclesiæ liberalitatem, & feliciorem belli eventum (sive viventibus victoria, sive alicui morienti beatitudo obtingat, impetrata omnium peccatorum remissione) cernetis. Ut ergo gratiam hanc impetratam significarem, hasce literas scribere, & Societatis nostræ sigillo obsignare visum in Domino fuit. Datum Romæ septimo Idus Julii MDL.

426 *Neque hîc stetit beneficentissimi erga sanctum Patriarcham nostrum ac cœtum ejus omnem Pontificis voluntas, sed* Ad hæc interiora, *ut cum Orlandino ibidem à num. 34 loquar*, & quæ animorum propria sunt, benignè Julius externa insuper, & quæ ad rem familiarem fortunasque pertinerent, adjunxit. Is ex Ecclesiæ bonis Salmanticensi collegio, Cardinali rogante Mendoza, aureos septingentos quotannis attribuit; quamvis ægrè aliàs adduci posset, ut de privatis ecclesiis detraheret aliquid, quod in alios usus & collegia converteret. Is Romano collegio, quod anno insequenti cœptum est, duce postulante Gandiæ, aureos item mille quingentos, in annos singulos assignavit. Is Cæsaraugustæ domicilium sacrarum virginum, à Joanne olim Consalvio, Aragonensis regni conservatore, excitatum,
C ab eodemque postea auctoritate Pontificis maximi dissolutum, nostris addixit. Is denique, cum ad eum supplex rediret Ignatius, ut ex interioribus Ecclesiæ thesauris aliquid more suo in animorum commodum postularet; Pontifex, cum annuisset petenti, Quid? inquit, nihilne in vitæ vestræ tutelam, & indigentiam corporum postulatis? Jussitque eum in posterum, acri interposito obedientiæ mandato, quoties professorum domus in egestate esset, toties ad se confidenter, & sine verecundia reverti: unumque de familiaribus suis præsentem monuit, ut id ipsum sibi ad memoriam subinde redigeret. Hæc præstantissimi optimique Pastoris erga Societatem mens, hic animus fuit. *Hactenus Societatis nostræ historiographus: & continuò sic pergit:*

Fortunis etiam temporalibus Sanctus ac Societas augetur.

427 Quo excitatus & animatus Ignatius, admonente præsertim tantæ sanctitatis & religionis anno, statuit professos patres, qui ab Urbe aberant, quod diu jam concupierat, convocare, ut cum eis de Societatis summa conferret, Constitutionesque abs se perscriptas & perpolitas, priusquam in lucem ederet, inspiciendas traderet, & Generalis Præpositi sese, ut deinde patuit,

Patribus in Urbem accitis

abdicaret munere. *De convocatione patrum, & tentata apud eos nequidquam generalatûs abdicatione, scribit Ribadeneira lib. 4, cap. 1; scribemus & nos paullo pòst. Ad patrum in Urbem conventum quod attinet*; ex variis provinciis *eum esse factum, habemus ex Ribadeneira; sed Orlandinus num. 47 illos determinat, quorum certa refert esse nomina, nimirum Araozium, Stradam, Oviedum, Mironem ex Hispania advectos cum Borgia: tum Lainium ex Sicilia revocatum: Romæ autem adfuisse Mionam, Frusium, Polancum, omnes vota quatuor professos, excepto Strada, qui Kal. Februarii anni 1551 jam appetentis illud præstitit, secundùm illa, quæ memorat ibidem historiographus noster. Ceterùm Constitutionum, earumque Conditoris dignitas & præstantia jure meritissimo à nobis exigunt, ut, quæ Ribadeneira breviter perstringit lib. 4, cap. 2, ea hoc loco à nobis suppleantur, atque explanentur.* D

428 *Rem audiamus ex Orlandino num. 48 & sequentibus :* Igitur iis, quos dixi, *inquit*, ad Urbem congregatis, Constitutiones suas Ignatius, primorum auctoritate rogatuque patrum, & tota urgente Societate perscriptas, in conventum retulit; copiamque cum universis, tum singulis eas inspiciendi perpendendique fecit, ut si quid mutandum, vel addendum, vel inducendum esset; id liberè ac fideliter indicarent. Nam cum tantum Societati Paulus Pontifex tribuisset, ut in his litteris, quibus Societatis instituta confirmat, eadem auctoritate Constitutiones & leges, quas ipsa conditas approbasset, eo ipso, nullo alio adhibito judice, comprobaret; Ignatius, qua erat prudentia & sanctitate præditus, ne quid in lucem daret, quod non omnium posset subire judicium; suo ipse judicio stare, & sua niti prudentia in iis edendis vulgandisque nullo modo voluit, sed eas ultro ac sponte aliorum animadversioni judicioque subjecit. Optabat enim tales ab se Constitutiones prodire, quæ congruerent universis, & à quibus nulla regionum, nationumque varietas, nulla morum naturarumque dissimilitudo posset excipi, haud ignarus, ubi tanta morum nationumque varietas foret, non omnia in omnes aptè cadere, nec omnia omnibus convenire; crebris autem exceptionibus legum leges ipsas infringi, & suum robur amittere, *&c.* E

examinandas offert Sanctus suas Constitutiones;

429 *Neque inter hos dumtaxat prudentiæ circumspectionisque limites se continuit sanctus Parens*; nec modo iis, *uti ibidem asseritur num. 50*, qui tum convenerant, verùm etiam aliis postea, qui abfuerant, eas tradidit expendendas, ne præcipuis quispiam desideraretur è patribus, cujus ille non exquireret in re tam gravi judicium. Lectæ sunt ab omnibus perlibenter, summoque studio, nec minore approbatione susceptæ. Sed beatus Pater iis adhuc expoliendis & corrigendis intentus, mutandisque nonnullis, quæ vel à patribus essent animadversa, vel dies progrediens admonuisset, non eas ante annum hujus seculi tertium & quinquagesimum promulgandas existimavit. *Quid tum postea?* Tum demum eas in Hispaniam, Lusitaniam, & alias aliquot provincias misit, non ut à suis illæ quidem, veluti jam perfectæ, & omnibus expletæ numeris acciperentur, sed, ut quales tandem essent ad actionem revocatæ, quamque aptæ moribus cujusque generis ac nationis, usus ipse quotidianus ostenderet, & quod tanto studio diuturnaque commentatione, tot deliberationibus ac Sacrificiis in eis decretum & constitutum esset, corroboraret. Ac ne tum quidem vim eas ullam, aut robur ullum ha-

quas etiam aliis absentibus tradit expendendas, F

habere, nisi ab universa Societate denuo recognitas probatasque voluit: id quod ejus post obitum, .. duodesexagesimo hujus seculi anno, cum ad Præpositi Generalis comitia convocata est Societas, fecit. Tum demum Præposito Lainio renuntiato, ex ejusdem Societatis decreto unum in locum congregatæ, rursus excussæ, in manibusque jactatæ, summa omnium consensione probatæ, & quasi quadam veneratione receptæ sunt. *Quin etiam, ut tanti momenti negotium esset suis undequaque censuræ partibus absolutissimum*, eadem per idem tempus Pontifex Paulus, hujus nominis quartus, ab quatuor Cardinalibus examinari jussas, & diu multumque discussas, tandem sa vas atque integras, quemadmodum acceperat, ne verbo quidem immutato, restituit.

summa in iis condendis accu ationeusus.

430 *Quid memorem, quanta cum præparatione ac moderatione animi, quam exquisita accurataque cum deliberatione, matura cum consultatione apud Deum, ac frequentissimo ad eum recursu, luminis accipiendi ergo, se gesserit sanctus Pater in Constitutionibus condendis? Quid multis moramur? Leonis magni, ad episcopum Flavianum adversus impiam & detestabilem Eutychetis hæresim scribentis exemplo, uti pluribus illud narratur apud Orlandinum num.* 54, Ignatius, cum scribendis Constitutionibus operam daret, priusquam de quaque re deliberaret, omninoque decerneret, id quod super eam orando deliberandoque commentatus esset, calamo exceptum atque exaratum imponebat altari, ubi quotidiana Sacrificia ritè factitabat (quemadmodum & nos, *sicut dicit Orlandinus, cujus verba refero*, à senioribus audivimus, & is, qui sacrificanti minister aderat, Joannes Paulus Borellus exposuit) ut scribenti deliberantique illucesceret Christus uberiùs, &, multiplicato lumine, de re quaque secundùm maximam Dei gloriam honoremque statueret. *Hæc ille. Vin' specimen aliquod, unde colligas, quam in rebus istis Vir sanctissimus esset sedulus & accuratus?* Quadraginta continuos dies Deo optimo maximo sacrificavit, & divinis precationibus solito se dedit ardentiùs, ob id unum, ut statueret, expediretne nostris Professarum domorum ecclesiis reditus aliquos esse, ad ipsarum ecclesiarum vel fabricationem, vel cultum & ornatum; *quæ sunt ipsa Ribadeneiræ verba lib.* 4, *cap.* 2; *& de qua re Orlandinus num.* 55. *Vide etiam, quæ superiùs* § 26 *de Ephemeride* S. Ignatii *diximus, plura mox de illa dicturi.*

§ XLII. Mirabiles Ignatii sensus in condendis Constitutionibus, harum confectio pluribus titulis veneranda; abdicatio generalatûs à Sancto pertentata; res Indicæ; collegium Germanicum.

Specimen affectionis S. Ignatii,

ORlandinus *sensus mirabiles sancti Parentis, illis diebus quadraginta habitos, scriptione prosecutus, num.* 59 *& sequentibus suggerit exemplar sensûs diei unici. Rem ex ipso intellige:* Ut piis, *inquit*, lectorum studiis satisfaciam; quos non dubito, quin aviditas ceperit eorum commentariorum specimen degustandi (quamquam perdifficile est conservare spiritum eorum Latinâ linguâ) interseram quam fidelissimè, quid altero & vigesimo die notarit Sabbato, inquit, quintum Sacrum de Trinitate. In precatione consueta, cùm initio non multum adesset, post dimidium sat multum præstò fuit pietatis jucunditatisque animæ, cum aliquo objectu & specie lucidæ claritatis. Dum altare componitur, occurrente menti Jesu, motus ad eum sequendum, cum penitus existimarem, quod ipse sit dux caputque Societatis; id esse omnium argumentum maximum, cur paupertas & nuditas summa esset assumenda: quamquam aliæ quoque rationes, quas in electionibus adhibueram, eódem spectabant. Atque hæc cogitatio commovebat me ad pietatem & lacrymas, atque etiam ad constantiam, ut, quamvis in Sacro hujus diei, vel in aliis non affluerent lacrymæ, videretur hic sensus fore satis tentationum & molestiarum tempore ad constantiam obtinendam. AUCTORE J. P.

quando condat Constitutiones;

432 Inter has cogitationes cum progrederer, & sacras vestes induerem, crescebat pius sensus, & videbatur hæc planè esse confirmatio decreti: quamvis aliæ consolationes abessent: & videbatur confirmatio esse quodammodo à sanctissima Trinitate (Hoc enim beatus Pater cupiebat, adesse sibi potissimùm ab augustissima Trinitate sensum aliquem, unde intelligeret, accepta illi esse, quæ ipse de paupertate decreverat) cum ita se communicaret Filius: quia recordabar ejus temporis, quo Pater me apud Filium collocavit. Post indutas sacras vestes, cum se mihi magis magisque nomen Jesu imprimeret, & ita ego essem corroboratus & confirmatus in omnem eventum; erumpebat nova vis lacrymarum atque singultuum. Sacrum jam ingresso multum comitabatur gratiæ, ac pii sensus, cum queta longaque lacrymatione. In processu varii adfuere motus in decreti confirmatione: cumque divinum Sacramentum sustinerem manibus, subiit internum colloquium, & commotio vehemens numquam Dominum deserendi, quidquid se objiceret, superfundente se nova dulcedine spiritûs, ac novis motibus. Permansitque sensus ille ingens cum impulsu ad lacrymas, etiam post Sacrum; totoque die, quoties subiret Jesu memoria, recurrebat menti devotio, & confirmatio.

433 *Hæc referuntur ab Orlandino, qui mox alind item subdit, cur hujus potissimùm diei sensus deseripserit, quamvis in aliis legi affirmet admirabiliora dona luminum cælestium atque suavitatum; ideo nimirum, quòd hic clarius explicatur, quid maximè ad perfectam paupertatem beatissimum Virum impulerit. Laudatus historiographus pium lectorem fraudare nolens alia sancti Patris eaque pulcherrima cogitatione, quam die quinto & trigesimo annotatam ab ipso fuisse scribit, eam sic narrat:* Venerat illi in mentem certo die finem Sacrificiis imponere, quæ super hac de paupertate deliberatione faciebat: deinde considerans, non ita definitè agendum cum Deo; Cùm me abjicerem, inquit, nec æquum existimarem præscribi à me certum tempus, sed ut me penitus omninoque subjicerem, & ibi desinerem, ubi placeret summæ bonitati se mihi indicare; subiit cogitatio; Quid si Deus me ipsa in gehenna collocaret? Hîc verò, inquit, duo mihi offerebantur: ex una parte cruciatus, quos eo loco perferrem: ex altera, maledicta in Deum, quæ audirem. In priore non poteram mihi dolorem repræsentare, neque iis cruciatibus commoveri: at-

datur.

AUCTORE J P.

atque ita videbatur mihi multò acerbius fore, in ſanctiſſimum Dei nomen audire blaſphemias.

Conſtitutiones ſummo in pretio habendæ,

434 *Hunc itaque in modum ſanctiſſimus Conſtitutionum noſtrarum Conditor erat affectus, quando earum confectioni vacabat.* Nullus, *inquit Orlandinus*, apud eum tum librorum apparatus, nullus codex præter Miſſarum volumen. Studium ejus precatio erat: bibliotheca, perennis cum divina mente congreſſus. Et quidem in ſuis Conſtitutionibus ea ſæpe tradit, ut non ab ipſo inventa, ſed à Deo videantur penè dictata. *Audiatur P. Petrus Ribadeneira in Examine juridico Matritenſi anni 1595, ita loquens ad interrogationem quintam:* Conſtitutiones . . conſcripſit ſpiritu cæleſti divinâque ſapientiâ valde imbutas, tanta verborum & ſententiarum gravitate, ut legentem in admirationem inducant, & P. magiſter Laynez diceret ipſi teſti, quod ſolus ille liber Conſtitutionum Patris Ignatii erat ſufficiens ad gubernandum & reformandum omnes Ordines regulares Eccleſiæ; cujus rei bonum teſtimonium erat reverentia, quâ quinque congregationes
B generales à tempore obitûs Patris Ignatii in Societate habitæ receperunt, & veneratæ ſunt Conſtitutiones eaſdem. *Sequitur apud Orlandinum quæſtio* S. Ignatii, *quâ ex Lainio ſciſcitatur, an Deus Religionum fundatoribus revelet graviſſima quæque ſui inſtituti puncta &c. Interrogationem illam pluribus ibi deductam, uti & reſponſionem Lainii, conſentiente ei in iſta re ſancto Patre, huc tranſcribere parcimus, mittentes lectorem ad Ribadeneiræ caput* 1, *libri* 5.

ob varias rationes,

435 *Huc ſpectat Sancti cum Ludovico Conſalvo noſtro colloquium, in quo*, cum multa & varia inter ſeſe de hujus vitæ rationibus inſtitutiſque conferrent (*utimur verbis Orlandini num.* 66) præſertim illa, cur Societas communem cum ceteris clericis, aut non admodum diſſimilem cultum corporis adhiberet; cur publicè in templis, choris alternantibus, ut ceteri Ordines, ipſa quoque non pſalleret; cur ad exploranda ac periclitanda ingenia moreſque tironum pedeſtria imperaret itinera, nullo adjuncto viatico, ſed prece humili corrogato; cur præter Profeſſorum tironumque domicilia, collegia inſuper, & ſtudiorum ſedes haberet; cum hæc, inquam, & alia hujuſmodi inter ſeſe communicarent, eorumque ſingillatim rationes Ignatius redderet; ad
C extremum, rationum omnium ſummam ad unum illum retulit Manreſæ ſeceſſum: in quo perſpicuas horum omnium & aliorum à Deo impreſſas & quaſi conſignatas in animo ſuo notiones & intelligentias acceperat.

quæ afferuntur.

436 *Hinc fit, ut omnia illa ſummam in nobis Conſtitutionum hujuſmodi æſtimationem venerationemque conciliare merito debeant, & animo altè inſculpere illud Orlandini, loco citato ſic concludentis:* His igitur teſtatas indiciis Conſtitutiones noſtras habemus; ut planè appareat, quid ſentiendum ſit de eo, ſi quis exiſtat, qui tot divinis ſignificationibus & admonitionibus editas leges, tot Sacrificiorum procurationibus, precationibus, lacrymis conſtitutas, tam diuturni temporis apparatu confectas, tot vigiliis elucubratas, tot graviſſimorum patrum judiciis, conſiliis, deliberationibus agitatas, tanto denique Societatis univerſæ conſenſu, approbatione, periclitatione, uſuque receptas, aut parvi pendat aut negligat. Pravis mentibus nihil umquam rectum, obliqua ſunt omnia, dum ad rectam normam regulamque ſe ipſæ non dirigunt. Conſtitutionum induat ſpiritum & ſanctitatem oportet, qui de earum dijudicare præſtantia & ſanctitate D velit. *Hactenus Orlandinus. Dicta quædam ſeu reſponſa ſancti Patris ad varias perſonas circa Conſtitutiones, in manibus habeo ex archivo Romano, ac libello*, Recuerdos *dicto, id eſt Memoriali, pag.* 97 *verſa, quam adſcribit P. Ignatius Pinius apographo à ſe huc miſſo.*

Scribit ad Laynem de abdicando generalatu:

437 *Ad majorem autem declarationem eorum, quæ acta ſunt tunc, quando ſanctiſſimus Fundator noſter nullum non, ut ita dicam, lapidem movit, ut delata ſibi Societatis gubernacula dimitteret; juvat rem intelligere ex ſequenti documento. Urſit quippe hanc rem epiſtolâ ad P. Laynez totâ autographâ & valde longâ, ſed ſui demiſſione plena; de qua P. Ignatius Pinius inter monumenta Romana. Viſum autem mihi eſt, ſequens ex illa Hiſpanicum fragmentum ita hîc convertere:* Acquieſcente Societate, aut media ejus parte, ego tibi do meum ſuffragium, ſi alicujus valoris fuerit, & offero tibi cum bona admodum voluntate, & multo cum gaudio animæ meæ, officium, quod ego habeo: & non ſolùm te eligo tamquam dignum; ſed, ſi aliud tibi viſum fuerit, offero me ad idem illud, ut eligam quem- E cumque, quem tu nominaveris, aut quem quilibet ex iis nominaverit; credens, quod, quando ſic fuerit ordinatum, futurum ſit omnino ad majus ſervitium, laudem, & gloriam Dei Domini noſtri, & ad majus ſolatium ſpirituale animæ meæ in divina ejus majeſtate: ſicut verum prorſus eſt, quod, loquendo abſolutè, ego deſiderem, me demiſſè gerendo, onus hoc abdicare. Et ſic in omnibus & per omnia deponens omne meum parvum judicium, ſemper habeo, atque habiturum me ſpero tamquam multò melius illud, quod tu ipſe, & Societas, aut illius pars, prout declaratum eſt, determinaverit. Quod ſic determinatum, per hanc mea manu ſcriptam, approbo ac confirmo. *Ita Vir humillimus.* Videtur, *inquit ſuprà memoratus Pinius*, tunc Laynez fuiſſe Bononiæ: quia in tergo adſcriptum eſt eadem manu S. Ignatii, pa, bo *, imo in involucro ha- * *non videtur*
betur alia manu: " Videtur hæc epiſtola ſcripta *eſſe aliud, quam* para
„ ad P. Laynez, cum eſſet Bononiæ in concilio *Bononia*
„ anno MDXLVII „. *Et obſervat dictus Pater*, concilium Tridentinum aliquanto tempore tranſlatum fuiſſe Bononiam, ubi celebrata fuit ſeſſio IX & X, anno MDXLVII. *Proin præluſit quaſi jam tum ſanctus Pater iis, quæ poſtea in hac materia geſſit.* F

quam rem deinde ſtrenuiſſimè urget; ſed fruſtra.

438 *Orlandinus lib.* 10, *ad an.* 1550 *num.* 67 *ſic in rem noſtram ſcribit:* Collatis igitur cum patribus beatus Pater Conſtitutionibus ſuis, plena ac libera mutandi, moderandi, addendi, quæ viſa eſſent, poteſtate facta; opportuniſſimum tempus ſenſit eſſe, ut, quod dudum apud ſe conſtituerat, per occaſionem univerſi conventus, partes ſuas alteri traderet, & antiqua illa ſua aviditate parendi, ſeſeque in ordinem redigendi, tum etiam tot ſuis & animi & corporis (ut affirmabat) imbecillitatibus incitatus, ſenecta inſuper accedente, quæ ſuo quaſi jure vacationem muneris poſtularet, à Societatis gubernaculis, quæ perinvitus acceperat, omnino recederet. Ac ne ſibi, ut olim, coràm agenti reclamaretur à patribus, per hanc epiſtolam conſilium ſuum diſertis verbis expoſuit; *quam dat Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 1; *& Orlandinus num.* 68. *Exemplum autographi Hiſpanici prædictæ epiſtolæ, inter alia monumenta Romana huc miſſæ à P. Ignatio Pinio, penes me habeo; quæ, ut is eidem annotat*, fuit clauſa ſigillo, ut patet ex ſigilli veſtigiis, & epiſtolæ transfixione. *Signatur autem* XXX

Ja-

A *Januarii, anni* 1551 *in apographo noſtro. Sed Patres hoc Viri modeſtiſſimi propoſitum maximè improbarunt.* Placuit tamen, *ſicut ſcribit Orlandinus num.* 70, in ejus gratiam ad ſuffragia rem vocare. Unus Andreas Oviedus, qua erat ſimplicitate candidiſſimæ mentis, concedi poſſe Patri, quod flagitaret, ſibi dixit videri; cauſamque aliis quærentibus, Quia, inquit, ipſe, qui ſanctus eſt, ita exiſtimat expedire. Sed ceterorum omnium, & ipſo ſtatim accedente Oviedo, quæ fuerat olim in renuntiando, eadem nunc fuit in eo retinendo conſenſio.

Vacat Sanctus rebus Indicis,

439 *Itaque* S. Ignatius *admiſſum ſemel Societatis regimen porro proſequi coactus, ſuo impensè muneri invigilavit, & publico animarum bono. Hinc auctor fuit exſtruendi catechumenorum domos in India, factum memorante Orlandino ad annum* 1550, *lib.* 10, *à num.* 119: Cocini, *ait*, Franciſcus Henricius, & Balthaſar Gagus ſedem habebant, magno & Luſitanorum commodo & ethnicorum: quorum cum multi vel ab ipſis militibus nulla inſtructi catecheſi conſignarentur, interdumque non ſatis conſentaneis decoriſque rationibus adducti, idque multorum fons eſſet malorum; auctor fuit per litteras B. P. Ignatius, ut catechumenis domicilia exſtruerentur, ubi diuturna deliberatione, tractandiſque Chriſtianis ritibus & diſcendis, ad ea myſteria paratiores venirent.

B

& collegio Germanico;

440 *Anno autem proximè ſequenti* 1551 *innectitur à Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 3 *Romani collegii exordium, uti & variorum aliorum per Italiam; ſicut videre ibidem licet cap.* 5. *Anno, qui hunc excepit,* 1552, *ſecundùm Ribadeneiram & Orlandinum, reſervatum fuit collegium Germanicum, à Julio PP. III Romæ tunc inſtitutum: cujus initia & inſtitutionis cauſas, & alia huc pertinentia deſcribit ibidem Ribadeneira cap.* 6. *Digniſſimum enimverò Joanne Cardinale Morono actore, Julio conditore, Gregorio XIII reſtauratore, ac* S. Ignatio *moderatore monumentum, in quo, tamquam in imagine, Germania cognoſcere debet ac venerari expreſſa vivis coloribus eorum erga ſe merita, ſtudia, vigilias, curas, & ſubſidia. Monumentis noſtris Romanis inſeritur apographum originalium litterarum Cardinalis Carpenſis, de facienda Bulla pro erectione collegii Germanici in Urbe, & aliis eò ſpectantibus. Datæ ſignantur* C *Viterbio, die* III *Auguſti* 1552. *Earum argumentum ſeu contextus Italica ſunt; ſubſcriptio Latina hæc:* Uti frater R. Cardinalis de Carpo. *Inſcriptio item Latina:* Reverendo in Chriſto Patri Domino Ignatio, Præpoſito Societatis Jeſu Romæ. *In dictis monumentis proximè ſubditur ecgraphum epiſtolæ originalis Cardinalis Moroni, quâ* cum *ſua* magna conſolatione intellexiſſe *ſe ſcribit ex* S. Ignatii *litteris*, bonum ordinem, ac progreſſum collegii Germanici, cum in ſtudiis, tum in religione *&c. Italica eſt, ac data Novariæ die* x *Martii* 1553. Dies ſanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum natalis, Petro Ribadeneira nuper è Sicilia regreſſo, in S. Euſtachii ad præſtantiſſimam Cardinalium præſulumque coronam, inſtituti rationes & laudes explicante, natalis collegio fuit, *teſte Orlandino lib.* 12, *num.* 8. *Paiva Orthodoxarum explicationum lib.* 1, *folio* 16 *verſo, neſcio cur hujus collegii exordia ad annum ſequentem differat, dicens; quod Sanctus* egregium *hoc* opus aggreſſus ſit anno MDLIII.

cujus datur elogium,

441 *Deinde ſic pergit & ſequens contexit elogium; quod eò profero lubentiùs, quia & ab externo & à ſynchrono auctore concinnatum eſt. Sic ita-* AUCTORE J. P.

que ſonat: Quoniam verò Germanos hoſce adoleſcentes erudiendi munus officioſiſſima Jeſu Societas, & ad communem Chriſtianæ reipublicæ utilitatem nata ſuſcepit, atque maxima cum laude & omnium gratulatione obit; fuit Ignatii operâ & providentiâ illorum collegium haud procul à Societatis Jeſu collegio Romæ conſtructum atque ædificatum; cui reverendiſſimus Moronius uſque adeo favet, ut non minorem ad illud ſuſtentandum & amplificandum, quam ad inſtituendum, opis adjumentique afferat. Quantum verò hæc res utilitatis Germanis afferat, ſatis conjici ex Kemnicio poteſt, qui tantopere ab ea ſibi ac ſuæ factioni timet, ut hac una de cauſa affirmet, Societatem Jeſu in Germaniæ Euangeliique perniciem fuiſſe potiſſimùm comparatam. Neque dubito, quin divino beneficio horumque adoleſcentium operâ & diligentiâ, Germania præreptam ſibi fidei lucem aliquando recuperet, atque patrum corda in filios Deus tandem, imperfectoſque ad ſcientiam juſtorum convertat.

& confutatur error Kemnitii.

442 *Deinde Kemnitii errorem arguens*, in eo *ipſum* maximè falli, ut ſolet, *affirmat*, quòd Germanos hoſce adoleſcentes non alia de cauſa in illud collegium convenire affirmat, quam ut in Societatis Jeſu Ordinem tandem cooptentur. Nam etſi illos alendi, ſuſtinendi, moderandi, inſtituendique curam, Societatis Jeſu viri gerant; non tamen ad eorum vitæ inſtitutum ſuſcipiendum aut impelluntur, aut ratione aliqua inducuntur. Nam cum ad hunc laborem ſuſcipiendum ſolùm ſalutis Germaniæ deſiderio fuerint incitati, nihil habent antiquius, quam illi quacumque ratione conſulere atque proſpicere. Quare, viri Germani, ſi aliquem adhuc grati animi ſenſum retinetis, ſi humanitatem, ſi antiquam veſtrorum morum ſuavitatem, ſi in reddendis officiis integritatem, ſi illam omnium ſermone prædicatam comitatem lenitatemque conſervatis; hi certè vobis debent eſſe in primis grati, hi quam maximè chari, qui cum nullam à vobis gratiam inire, aut ſibi à vobis referri cupiant, cum nulla beneficia ambiant, honoribuſve ullis augeri velint, ſolis calamitatibus veſtris commoti, charitate inducti, amore incitati, omnem operam, induſtriam, cogitationem in veſtram ſalutem conferunt: & qui ſibi oſtiatim victum frequenter quærunt, filiis veſtris omnium, quibus natura indiget, abundantiam, & copiam ſuppeditant, pietate imbuunt, religione informant, eruditione excolunt, ut & illis vos frui majori cum voluptate poſſitis, & ipſi vobis Euangelii clariſſimam lucem, flagitioſorum quorumdam hominum atrociſſimo ſcelere præreptam, aliquando reſtituant. *Hactenus Paiva.* F

§ XLIII. Litteræ illuſtrium perſonarum in Hiſpania, Italia, ac Gallia, ad S. Ignatium ſcriptæ circa collegia Societatis Jeſu.

Litteræ S. Thomæ à Villa-nova,

COllegium *Valentinum, tempore* S. Ignatii *in Hiſpaniis inſtitutum, illuſtratur à Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 10; *hic verò ex documentis ſequentibus, è tabulario noſtro Romano, P. Ignatio Pinio accurante, deſumptis. In illis eſt epiſtola originalis, à S. Thoma de Villa-nova, ex Au-*

AUCTORE J. P.

gustiniana familia, archiepiscopo Valentino ad S. Ignatium *datæ apographum: cujus contextum ex Hispanico sic interpretor:* In hac civitate Valentina fundatum est collegium istius sancti Ordinis ac Societatis Jesu, in quo residerunt rectores, primus magister Miron, ac postea reverendus Domenech, multo cum fructu, qui in hac civitate ac regno, eorum exemplo ac doctrina relatus fuit. Et quoniam ambos mutavit loco obedientia, gratissimum mihi accideret, videre, quo illud collegium proficeret, ferretque speratum ab eo fructum, ut unus ex supradictis patribus ad illud rediret. Quod si fieri non possit, suppeditetur ei alia insignis & religiosa persona, quæ eidem præsit. Vestra Paternitas reverendissima dispiciet id, quod est conveniens; ac prospiciat, prout viderit, ad bonum religionis & servitium Domini nostri magis expedire. Vitam Paternitatis vestræ in suo servitio custodiat ille ac conservet. Valentiâ IX Septembris MDLII. Vestræ reverendissimæ Paternitati deditissimus F. Thomas archiepiscopus Valentinus. *Inscriptio est:* Reverendissimo Patri Generali Societatis Jesu

B Romæ. *Ita sanctus ad Sanctum.*

444 *Hisce consonant ea, quæ de isto sanctissimo præsule scribit Orlandinus lib.* 15, *num.* 78: *magni æstimatoris Societatis Jesu;* Cum vivus, *ait*, ut antè significatum est, paternâ socios indulgentiâ complexus esset, adeo ut, si quem amoveri Valentiâ cerneret, amanter expostularet, sibi auxilia detrahi: moriturus, cum quamdam haberet in nominibus pecuniam (nam fere arcam aliam non habebat, quàm pauperum manus) ejus partem ampliorem collegio legavit. *Hæc ibi. Ceterùm quæ loco superiùs allegato memorat Ribadeneira de collegio Gandiæ à S. Francisco Borgia Societati erecto, placet aliquantulum declarare ex notitiis, quas accepi, promptas è tabulario nostro Romano.*

445 *Ante me est apographum epistolæ (quamquam non originalis) sereniſſimi Philippi principis Hispaniarum, postea regis eo nomine secundi, ad summum Pontificem commendatitia pro collegio Gandiæ & Societate. Hispanica est; data Valliſoleti die* XXII *mensis Aprilis* 1554; *subscripta:* Vestræ Sanctitatis humilis admodùm & devotus filius D. Philippus, Dei gratiâ princeps Hispaniarum & Siciliæ utriusque &c., qui vestros pedes ac manus osculatur. *Signatur* Princeps: *ac paullo inferius*, G. Perezius. *In citatis apographis nostris proxima huic est epistola alia ejusdem principis ad Cardinalem S Jacobi, & ad Cardinales sanctæ Crucis, de la Cueva, ac Moronum, de eodem argumento, eisdem loco, die, & anno notata, quibus præcedens. Imo verò, quod mireris, idem princeps collegium prædictum commendavit ipsimet* S. Ignatio, *uti patet ex ipsius litteris, quarum fragmentum inter eadem Romana apographa visitur, & ex Hispanico sic sonat:* Te rogo, & obnixè tibi committo, ut peculiarem dicti collegii curam geras, ejusdemque Religiosorum, ac rerum negotiorumque ad ipsos spectantium. Tantum utique inde reipublicæ in spiritualibus redundabit beneficium, & Deus Dominus noster hoc adeo gratum habebit, ut tibi sit retributurus curæ ac diligentiæ mercedem, quas in hoc negotio susceperis. Et mihi hoc gratissimum erit. *Data est loco, die, & anno, quibus duæ præcedentes. Signatur* P. Princeps. *Et paullo inferiùs habetur:* De mandato suæ celsitudinis; *ac subscribitur:* Gonsalvus Perez. *Inscriptio ex Hispanico Latinè reddita sic sonat:* Vener. ac devoto religioso Patri magistro Ygnatio, Generali Societatis Jesu. *Porro qui de rebus à Societate Jesu in Hispania gestis, ejusdemque collegiis plenius instrui desiderat, consulat Orlandinum lib.* 15, *num.* 65 *& sequentibus.* D

Littera item Philippi 2, tunc principis Hispaniarum,

C

446 *Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 10 *de variis agens collegiis, de Genuensi in Italia, P. Jacobi Lainii operâ collocato, perpaucis meminit. Extat apud me inter monumenta nostra Romana exemplar descriptum ex originali epistola reipublicæ Genuensis, quâ petit homines Societatis ad ponendum collegium. Italica est ac brevis, Genuæ data die* XIII *Aprilis* 1554. *Subscribitur à quatuor deputatis, & infrà à deputatorum cancellario. Inscribitur verbis Italicis, quæ sic sonant Latinè:* Admodum reverendo Domino Ignatio de Loyola, Præposito Generali Societatis Jesu. Romæ. *Ad propositum verò de collegio Ferrariensi, de quo etiam scribit idem Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 5, *facit originalis epistola Ducis Ferrariensis ex archivo nostro Romano transcripta; quâ significat, accidisse sibi gratum, quod octo è Societate missi fuerint Ferrariam, ad inchoandum collegium. Incipit Latinè sic:* Reverende in Christo amice charissime. E *Reliqua omnia sunt Italica, uti & subscriptio, ac inscriptio. Signatur Ferrariæ* XXV *Junii* 1551. *Subscriptio est:* Bonus amicus Dux Ferrariensis. *Inscriptio:* Nostro in Christo amico carissimo Ignatio de Loyola, Præposito Societatis Jesu. Romæ. *reip. Genuensis; ducis Ferrariensis;*

447 *Huc etiam spectat episcopi Tridentini epistola; ex originali à P. Ignatio Pinio Romæ transcripta; quâ is petit ibidem à se fundandum collegium. Exordium est:* Reverende in Christo Pater nobis dilecte. *Prosecutio Italica. Clausula hæc Latina:* Data in civitate nostra Tridentina die XIX Aprilis MDLII. *Subscriptio item:* Christophorus miseratione divina S. R. E. Cardinalis episcopus ac princeps Tridentinus & Brixinensis, &c. *Inscriptio hæc etiam Latina:* Reverendo in Christo Patri nobis sincerè dilecto Domino Magistro Ignatio de Loyola, Præposito congregationis sanctissimi nominis Jesu. Romæ. *Nunc videamus, quænam in Gallia circa hoc argumentum, etiamnum in vivis degente sancto Patre, peracta fuerint.* *episcopi Tridentini;*

448 *Quæ Ribadeneira lib* 4, *cap.* 11 *habet de episcopo Claromontano, domino Guilielmo à Prato, ac collegio, quod Billomi in sua diœcesi instituit, uti & de Parisino, supplemus ex duabus originalibus litteris, ab illustrissimo isto viro ad* S. Ignatium *scriptis, & ex Romano tabulario à laudato Ignatio Pinio Romæ transcriptis in hæc verba:* Jam multum effluxit temporis (reverende Pater) ex quo ad R. T. P. scripsi, quantum mihi esset in votis, quamdiuque laborassem, ut in oppido meæ diœcesis (quod Billomum incolæ vocant) Universitatem jam penè prorsus collapsam & intermortuam erigere ac instituere possem; huc usque meos conatus infeliciter cecidisse, graviter ferens, in eam verò spem adductus, ut Deus opt. max. immensa sua benignitate vanos illos & inutiles non sinat, si ad sui nominis gloriam & populi mei salutem esse noverit, & tuam alioqui mentem aspiraverit, ut nos fratrum aliquot tuorum eruditione & pietate juvare non dedigneris; quod quantum hactenus per bellorum injurias & tumultus difficile tibi fuerit, non ignoro. Rebus autem Christianis, divina permittente clementia, ad tranquilliorem aliquantò statum reductis; cuperem, ut tres aut quatuor è tuo sodalitio, literis & moribus bene institutos, huc ad me mittere dignetur R. P. T.; quos ut fra- *binæ insuper* F

tres

A tres ut amicos humaniter & piè ſuſcipiam, daboque operam, ne quid illis ferum earum deſit, quæ ad humanæ vitæ neceſſitatem, & ſpiritualis fructus proventum facere videbuntur. Pridem in eo oppido quaſdam ædes emptas curavi, quas veſtræ Societati lubens promptuſque devovebo, ceteraque faciam, quæ ex tuorum fratrum conſilio ad Dei opt. max. laudem, & veſtræ Societatis utilitatem eſſe intellexero.

illuſtriſſimi 449 Scias autem velim, per me non ſtetiſſe, quo minùs mea domus, quæ apud Lutetiam Pariſiorum eſt, veſtra jamjam veſtræque Societati nuncupata fuerit: ſed procraſtinatum eſt negotium, dum expecto, ut apud ſenatum Pariſienſem diplomata veſtra pontificia recipiantur. At cum videam longâ nos expectatione remoratos, & nondum conſtare, quid ſuper hac re ſtatuat ſenatus, decrevi meam illam domum vobis aſſignare, ubi primum Lutetiam repetiero. Interim precor Deum opt. max., ut te tuoſque ad ſuæ Eccleſiæ ædificationem incolumes ſervet, meque veſtris omnium orationibus vehementer & obnixè commendo. Ex caſtro noſtro de Beauregard pro-
B pe civitatem noſtram Claromontenſem, III Cal. Octobris MDLIII. R. T. P. frater humilis G. epiſcopus Claromontenſis. *Inſcriptio eſt:* Reverendo patri D. Ignatio de Loyola, Præpoſito Societatis Jeſu.

epiſcopi Claromontani 450 *Et ſic quidem habet alterum illuſtriſſimi Claromontani litterarum exemplar; alterum verò his terminis exprimitur:* Ex tuorum litteris (chariſſime Frater) ac præſertim domini Paſchaſii intellexiſſe exiſtimo, ut in hanc noſtram Arverniam dominum Robertum Clayſſonium abduxerim, virum ex tuo ſodalitio ut literarum peritiâ, ita ſanè morum integritate, & Chriſtianæ religionis pietate commendabilem; quem in urbe Billomenſi ad divinæ Scripturæ apud ſcholaſticos interpretationem, & ſacrarum concionum in templis provinciam deſtinavi. Dici autem vix poteſt, quanto non modò ſcholaſticorum, ſed omnium civium plauſu atque favore illic fuerit exceptus: adeo ut pleraſque alias meæ diœceſis urbes æmulatione ſancta pellexerit, ut eum ad ſe rapere & illinc evocare cupiant, multiſque & penè quotidianis apud me votis contendant, ut eis id per me liceat.

litteræ, 451 At vero ut inceptum & multis annis à me deſideratum opus prætermittere aut negligere, vi-
C deretur indecorum; ita omnino, & perfractè tam ſanctis eorum deſideriis nihil velle condonare, à pietate alienum videri poſſet. Unde quò pius amor ille magis ferveret, ad illas aliquot urbes eum miſi, ut in eis concione publica ſuæ tum eruditionis tum virtutis ſpecimen præberet. Quod tam feliciter ſucceſſit, ut eum omnes aviditſimè audierint, velut ex concionantis ore pendentes, idemque pene, quod divo Paulo Athenienſes, acclamaverint, Audiamus te de hoc iterum; quibuſdam ejus operam & conciones toto Adventu & feriis Nativitati Chriſti conſecratis, aliis ſuccedente quadrageſimâ, aliis alio, quod intercedit, tempore deſiderantibus. Sed non ſum paſſus, ut ab incepto opere deſiſteret: tantiſper enim permiſi, dum per aliquot dies ſchola Billomenſis ob caniculæ calores feriari ſolet.

ad S. Ignatium 452 Noſtra hæc regio, frater chariſſime, ... eſt populoſiſſima & euangelici verbi ſitientiſſima, ut dicere auſim, meſſem quidem eſſe multam, ſed operarios paucos, & ob id rogandum eſſe Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, vixque ullam aliam putarim eſſe in hoc noſtro regno provinciam, ubi majore cum fru- AUCTORE
ctu & ampliore ſpiritualium manipulorum cumu- J. P.
lo tui Ordinis fratres verſari poſſint. Acceſſerunt ad nos ex tuis duo, magiſter Hieronymus Baſſus, & magiſter Petrus Canalis, viri ſanè ob religionis zelum & ſingularem modeſtiam non parum ſuſpiciendi, ... Magiſtrum Hieronymum in civitatem meam Claromontenſem mittendum ſtatui, qui xenodochio & pauperum curæ ita incumbit, ut apud meos cives incredibilem ſibi gratiam conciliaverit, quotidiana concione pauperes languidos illic recreans, ubi non ſolum valetudinarios illos, & xenodochii domeſticos hoſpites, ſed magnam civium tam virorum quam mulierum turbam ſibi comparavit auditores..

data 453 Faceres autem operæ pretium, & noſtris ex Dei gratia conatibus magnum afferres ſubſidium, ſi ad nos ex tuis quatuor aut quinque mitteres, qui domino Roberto ſuas dextras & operas conjungerent, totiuſque gymnaſii negotium ad ſe reciperent, noſtratibus ſuo munere per temporis ſucceſſum defunctis. Id nempe molior, efficiamque, ſi Deus opt. maximus votis meis aſpiraverit, ut penes tuos integra ſit Billomenſis ſcholæ poteſtas & authoritas.. Demum farrari E tectam, reique familiaris reliquam ſupellectilem ſic apparatam curabo, ut pro hujuſmodi ſolicitudine à digniori ſuarum lectionum munere & piæ contemplationis exercitio non avocentur..

proferuntur 454 Quia verò gravis eſt apud vos annonæ caritas, ut audio, non judicavi hanc ad vos mittendam ſine xeniolo epiſtolam, etſi non dubito, iſthic plures eſſe, qui veſtram Societatem pro merito & dignitate magnificientes, veſtris occurrant, aut certè ſuccurrant neceſſitatibus, voſque juxta Pauli doctrinam ubique & in omnibus ita inſtitutos, ut ſciatis & ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati. Accipiet igitur veneranda Paternitas tua cum hac epiſtola centum aureos, ut aliqua ex parte noſtra abundantia veſtram inopiam (ſi qua eſt) ſuppleat, qui mercedem, & longe uberiorem à vobis uſuram, & eam quidem ſpiritualem repoſcimus, apud Deum veſtrarum orationum præſidium implorantes, quibus & reverendæ Paternitati tuæ me ex animo & obnixè commendo. Vale. Ex domo epiſcopali ... die v Februarii MDLV. Servus & frater Guillielmus ep. Claromontenſis. *Inſcriptio epiſtolæ eſt eadem, quæ præcedentis.* F

§ XLIV. Ferdinandi I ad S. Ignatium litteræ de collegio Viennenſi, componendo Catechiſmo, conſcientiæ ſuæ negotiis, conficiendo à viris Societatis compendio theologico pro Germania contra hæreſes.

Ferdinandus I S. Ignatii, & Societatis amantiſſimus, FErdinandus, *hujus nominis primus, Caroli V imperatoris germanus frater, primò Romanorum rex, ac deinde eidem in imperio ſucceſſor,* S. Ignatium, *ejuſque ſobolem non ſecus ac benigniſſimus pater ſemper complexus, plurimas dedit ad ipſum litteras, propenſiſſimi erga eum animi, ac piiſſimi erga orthodoxam religionem ſtudii teſtantes affectum. Quæ quia illuſtrant Riba-*
de-

AUCTORE J. P.

denciræ dicta lib. 4, cap. 5, & Sancto noſtro admodum ſunt honorificæ, in lucem illas proferendas cenſeo ex archivi Romani originalibus exemplaribus; unde eas, cum hoc, tum ſequenti paragrapho dandas, nobis procuravit P. Ignatius Pinius. Ac primo quidem loco in ecgraphis noſtris ponitur illa, in qua agitur de erigendo collegio Viennæ, ac de laude Jaii. Sic habet:

uti & fidei orthodoxæ conſervandæ,

456 Ferdinandus divinâ favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex ſemper auguſtus &c. Venerabilis, devote, nobis dilecte. Cum videamus hoc noſtro ſeculo, in quo diverſa prava dogmata, & magnæ undique hæreſes conſurrexerunt, ſummam, ſi umquam antea, neceſſitatem expoſtulare, ut opportunæ de intertenendis, alendis, & educandis doctis, piis & Catholicis viris rationes ineantur, qui non ſolùm ſanâ præſertim ſacrarum Literarum doctrinâ, ſed etiam bono vitæ & morum probitatis exemplo, juventutis inſtituendæ curam gerant: (Exiſtimamus enim hac viâ & ratione tum veteris orthodoxæ & Catholicæ fidei & religionis noſtræ
B Chriſtianæ pro ſalute hominum tuendæ & conſervandæ, tum rebus publicis pro illarum felici incremento bene rectéque regendis & gubernandis magnopere conſultum iri:)

collegium Viennæ erigere ſtatuerit,

457 Perſpiciamus autem collegia illa, quæ Societati Jeſu noviter erigi cœpta ſunt, magnum ea in re fructum afferre poſſe in locis & provinciis illis, in quibus erecta fuerint: Noſque ob id ſtatuerimus, huic Societati in civitate Vienna, archiducatus noſtri Auſtriæ metropoli, collegium primo quoque tempore erigere, inſtituereque, in quo unà cum Societatis fratribus etiam juvenes & adoleſcentes, qui ad literarum ſtudia aptiores videbuntur, alantur, & in ſacris literis erudiantur, ut illinc deinde, tamquam ex quodam virtutum ſeminario, aliqui in numerum fratrum ipſius ſocietatis, aliqui verò ad concionandi munus, item ad parochias aliaque eccleſiaſtica beneficia piè laudabiliterque ad ædificationem ſcilicet regenda, nec non ad alia munia in rebus publicis obeunda, pro uniuſcujuſque ingenii captu, habilitate, & animi inclinatione ſuſcipi & eligi poſſint;

duos à Societate priùs, ut eò mittantur, rogat.

458 Cenſeamus autem cum primis utile fore, quo hujuſmodi collegii inſtitutio eò rectiùs majorique cum fructu fiat atque procedat, ſi duos in hoc principio ejuſdem Societatis fratres adhibuerimus, qui interea temporis, dum ea, quæ ad hujuſmodi collegii erectionem & conſtructionem
C pertinent, curabuntur, in Univerſitate illa noſtra Viennenſi ſacrarum Literarum lectione & doctrina, ſtudioſorum animos præparent, incitent, & alliciant ad hujuſmodi ſtudia amplectenda; & præterea iis quoque, quibus conſtruendi hujus collegii curam demandabimus, conſilio ſuo præſto ſint, atque erectionem ipſam diligenter juvent & promoveant:

Jaius nominatim laudatur ac petitur.

459 Idcircò devotionem tuam perquam impensè hortamur & requirimus, velit pro ſua, quam in hac Societate Jeſu obtinet, authoritate curare atque efficere, ut honorabilis Claudius Jajus, ejuſdem Societatis profeſſor, qui ob ipſius præſtantem in ſacris Literis doctrinam, vitæque probitatem & modeſtiam, nobis jam pridem notus ac gratus & charus eſt, ac cum eo alius quiſpiam etiam ejuſdem Ordinis, qui Sanctiſſimo D. N., cui etiam hâc de re ſcripſimus, atque devotioni tuæ probabitur, ſeſe eam ob cauſam Viennam conferant, à nobis honeſtam & neceſſariam intertentionem, donec collegium erigatur, habiturі; ibique legendo & docendo, firmioris hujus D collegii ſtructuræ & inſtitutionis veluti fundamenta quædam jaciant atque conſtituant, ſicuti devotionem tuam pii hujus inſtituti noſtri juvandi & provehendi causâ perlibenter omnique ſtudio facturam eſſe, planè ſperamus; id quod erga eamdem devotionem tuam datâ occaſione benigniter recognoſcemus. Datum in noſtra & imperiali civitate Auguſta Vindelicorum die XI menſis Decembris anno Domini MDL, regnorum noſtrorum Romani XX, aliorum verò XXIV. Ferdinandus. Ad mandatum ſacræ regiæ majeſtatis proprium. Jordanus. I. Jonas D. Vicecancellarius. *Inſcriptio eſt:* Venerabili, devoto, nobis dilecto Ignatio de Loyola, Societatis Jeſu Præpoſito.

Epiſtolâ aliâ petit, Jaio ac ſocio in vinea Domini ac conficiendo Catechiſmo diſtentis

460 *Ejuſdem ad eumdem epiſtola de componendo Catechiſmo:* Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religioſe, devote, nobis dilecte. Poſtquam ante menſes aliquot, ut noſti, nos apud hanc noſtram academiam Viennenſem ad gloriam Dei omnipotentis, nec non pro augmento ſanctæ Catholicæ religionis noſtræ collegium fratrum Societatis Jeſu erexerimus, eidemque certos & ſufficientes redditus ſeu proventus annuos aſſignaverimus, quibus ſeſe fratres illi ſacris Literis incumbentes commodè alere & ſuſtentare poſſint; nunc autem nobis oſtenſum ſit, duos iſtos theologos, doctorem Claudium collegamque ſuum, quos tu nobis miſiſti, ſatis magnos iſtos labores, qui ipſis incumbunt tam publicè privatimque legendo, quàm ſummam quamdam Chriſtianæ doctrinæ, quæ in lucem edita, noſtræ ætatis hominibus cum magna utilitate proponi queat, componendo vix ferre poſſe: Idcirco magnopere cuperemus adhuc unum aut alterum ejuſmodi doctum & pium tuæ Societatis theologum in dictum collegium à nobis hic inſtitutum adſciſcere ſeu cooptare, qui jam dictis duobus viris, in colenda vinea Domini laborantibus, ſuam quoque piam operam & auxilium præſtarent. Et jam duos tales inſignes theologos ejuſdem Societatis tuæ & Germanicæ nationis in academia Ingolſtadienſi eſſe audivimus, quos tamen tu iſthic aliò transferre decreveris.

ſubmitti unum aut alterum operarium è Societate.

461 Licet autem nos hac in re illuſtriſſimo Alberto, comiti Palatino Rheni, ducis ſuperioris & inferioris Bavariæ filio, conſanguineo & principi noſtro chariſſimo, præjudicium aliquod inferre nollemus, prædictos duos viros ex ſuo gymnaſio in noſtrum hoc Viennenſe traducendo; tamen ſi tu ipſos iſthinc avocare, & in alium locum transferre omnino ſtatuiſſes, te benignè requirimus, quòd nobis eos concedere, nec aliò quàm in noſtrum hoc collegium Viennenſe tranſmittere velis. In quo ſanè facturus es rem non modò ad conſervationem ſtudii ſacrarum Literarum, ſanctæque Catholicæ & orthodoxæ religionis noſtræ propagationem, in primis appoſitam & convenientem, verùm etiam nobis valde gratam, & omni gratiâ regiâque noſtra benignitate erga te recognoſcendam. Datum in civitate noſtra Vienna die IV menſis Decembris, anno Domini MDLI, regnorum noſtrorum Romani XXI; aliorum verò XXV. Ferdinandus. Ad mandatum ſacræ regiæ majeſtatis proprium. M. Singkhmoſer. I. Jonas D. Vicecancellarius. *Inſcriptio eſt:* Honorabili, religioſo, devoto, nobis dilecto Magiſtro Ignatio de Loyola, Societatis nominis Jeſu Præpoſito generali. Romam.

462 *Ejuſdem ad eumdem de quibuſdam conſcientiæ ſuæ negotiis apud Pontificem tractandis.* Fer-

A *Mittit Sancto litteras credentiales apud sanctam Sedem :*

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religioſe, devote, nobis dilecte. Commiſeramus honorabili, religioſo, devoto, nobis dilecto, Petro Caniſio de Societate nominis Jeſu, ſacræ theologiæ doctori, perſcribenda ad te negotia quædam noſtra privata, quæ conſcientiam noſtram attingere videntur, ut de illis coram ad partem cum Sanctiſſimo D. N. ageres. Itaque non dubitamus te illa jam accepiſſe. Quoniam verò dictus Caniſius nobis nunc iterum ſignificavit, ſuo judicio non abs re futurum, quod literas etiam fidei (quas credentiales vocant) in perſonam tuam ad Sanctitatem ejus demus, illicò eaſdem expediri juſſimus, in hanc ſententiam, quam ex adjuncto illàrum exemplo cognoſces. Proinde cum Sanctitatem ejus in illis ipſis negotiis volueris alloqui, poteris hujuſmodi literas noſtras Sanctitati ejus reverenter reddere, ac poſtea tanto liberiùs & commodiùs illa cum Sanctitate ejus, ſecundùm voluntatem & deſiderium noſtrum, quod à dicto doctore Caniſio procul dubio abundè percepiſti, agere atque tractare : prout de te confidimus. Ita

B namque facies rem nobis gratiſſimam, benignitate noſtra regiâ erga te recognoſcendam. Datum in oppido Pardowicza die XXI menſis Septembris anno Domini MDLIV, regnorum noſtrorum, Romani XXIV ; aliorum verò XXVIII. Ferdinandus. Ad mandatum ſacræ regiæ Majeſtatis proprium. M. Singkhmoſer. I. Jonas D. Vicecancellarius. *Inſcriptio eſt :* Honorabili, religioſo, devoto, nobis dilecto magiſtro Ignatio de Loyola, fratrum Societatis nominis Jeſu Præpoſito Generali.

quæ hîc producuntur.

463 *Literæ, ut vocant, credentiales, ejuſdem Regis :* Beatiſſime &c. Commiſimus honorabili, religioſo, devoto, nobis dilecto magiſtro Ignatio de Loyola, Societatis nominis Jeſu Præpoſito Generali, ut nonnulla, quæ potiſſimùm ad ſerenandam conſcientiam noſtram ſpectant, Sanctitati veſtræ ſignificet, & impetrare ſtudeat juxta modum, quem Sanctitati veſtræ eſt declaraturus. Proinde Sanctitatem veſtram humiliter & impenſiſſimè rogamus, ut præfato magiſtro Ignatio, in his, quæ Sanctitati veſtræ nomine noſtro ſic expoſuerit, benignas aures præbere & plenam fidem adhibere dignetur, velitque ſe in iis erga nos paternè & benignè gerere, ita nimirum prout nobis de paterna & propenſiſſima Sanctitatis veſtræ erga nos

C voluntate pollicemur. Id quod erga eamdem Sanctitatem veſtram filiali noſtra obſervantia ſedulò promereri contendemus, cui ſtudia noſtra reverenter deferentes, nos obſequiosè commendamus. Datum in oppido Pardovicz XXI Septembris MDLIV.

Aliâ ad Sanctum epiſtolâ

464 *Epiſtola ejuſdem regis ad* S. Ignatium. *Petit fieri à viris Societatis Compendium theologicum pro Germania contra hæreſes.* Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religioſe, devote, nobis dilecte. Poſteaquam reipſa hactenus comperimus, hæreſes & reprobata multorum dogmata & opiniones, quæ hoc ſeculo per univerſam penè Chriſtianam rempublicam ſerpentes graſſantur, inde potiſſimùm in Germania increviſſe, animiſque hominum altiùs impreſſas eſſe, quòd falſi doctores & hæretici in id maximè intenderint, ut errores & dogmata ſua in brevia quædam capita & articulos redacta & comprehenſa, in vulgus ſpargerent, & hinc quoque eveniſſe, quòd, dormitantibus nonnumquam paſtoribus noſtris in Germania, non ſolùm multæ ejuſcemodi poſtillæ partim prolixæ, partim verò compendioſæ & ſuccinctæ, verùm etiam Catechiſmi, loci communes, & alia id genus breves libelli tam Germanicâ quàm Latinâ linguâ ab hæreticis conſcripti, cum magno Chriſtiani & orthodoxi gregis exitio in lucem prodierint, qui ſanè, quia propter brevitatem levi pretio comparari, & facilè memoriæ tradi potuerint, ideò etiam populo gratiores & plauſibiliores eſſe conſueverunt. AUCTORE J. P.

occurrit Ferdinandus veneno libellorum hæreticorum,

465 Cogitantibus itaque nobis, quibus potiſſimùm rationibus atque remediis tam periculoſæ contagioni occurri poſſet, alia equidem via commodior aut efficacior fore viſa non eſt, atque ſi paſtores & theologi noſtri orthodoxi eamdem quodammodo in evellendis eradicandiſque reprobatis opinionibus & hæreſibus artem adhibentes, quâ ſchiſmatici in ſpargendis illis uti videntur, compendium aliquod theologiæ compilarent, quod tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus inſtar regulæ & normæ eſſet, levique pretio ab omnibus coëmi poſſet. Inde namque noſtro judicio tum Catholici, tam clerici quàm laici, verum ſacrarum Literarum ac orthodoxæ religionis noſtræ ſenſum & intellectum haurire animoque altè infigere poterunt, tum illi etiam qui jam ſeducti ſunt, in viam rectam, & ad ſinum ſanctæ matris Romanæ Eccleſiæ reducentur. E

petens, ut componatur à doctoribus Societatis compendium theologicum,

466 Proinde deliberatum nobis erat, hanc compilationem nonnullis doctoribus, tui Ordinis fratribus in hac academia noſtra Viennenſi exiſtentibus, demandare & perficiendam imponere. Sed cognovimus, eos in vinea Domini tantâ ſedulitate aliàs prælegendo & docendo, tam in ſcholis quam in ſuggeſtu laborare, quòd tanto operi abſque diſpendio & diſcipulorum ſuorum & Chriſtiani gregis, vacare nequaquam poſſint. Quoniam autem nobis non eſt dubium, te iſtic Romæ abundare doctiſſimis Ordinis tui viris, quibus tam pium & neceſſarium opus rectè demandari poſſit, & quibus etiam plus temporis ad ſuſcipiendum perficiendumque illud ſuppetat, adeóque nobis perſuaſum eſt, te nobis hoc petentibus minimè denegaturum ; idcirco abs te clementer etiam atque etiam petimus, ut non tam noſtrâ causâ, quam etiam pro commodo & ſalute Chriſtianitatis, doctis aliquibus viris Ordinis tui, tecum Romæ exiſtentibus, tale compendium theologiæ edendum committas, idque abſolutum ad nos tranſmittas. F

typis excudendum ac publicandum.

467 Curabimus enim illud ſtatim hic typis excudi, & non modò in hac Viennenſi academia noſtra publicè legi ac doceri ; verùm etiam per regna & ceteras provincias noſtras publicari, doceri, &, quatenus, divina gratia largiente, efficere poterimus, diligenter obſervari ; præſertim verò operam dabimus, ut illo parochi, aliarumque eccleſiarum rectores in provinciis noſtris utantur. Ceterùm tu, & illi, qui hoc operis ſuſceperint, non modò nobis ipſis rem gratam facietis, verùm etiam de provinciis noſtris immò univerſa republica Chriſtiana optimè meriti eritis ; Deuſque optimus maximus, de cujus gloria hîc potiſſimum agitur, per immenſam bonitatem ſuam pro hoc, quicquid futurum eſt, laboris, condignam mercedem immarceſcibilem ſcilicet coronam in futuro ſeculo tibi & illis retribuet ; ac nos ipſi tanti beneficii memores erimus, illudque erga te & ſacram illam tuam Societatem gratia & liberalitate noſtra regiâ clementer recognoſcemus. Datum &c. in civitate noſtra Vienna die XV menſis Januarii, anni Domini MDLIV, regnorum noſtrotum, Romani XXIV, aliorum verò XXVIII, Ferdinandus. Ad mandatum ſacræ regiæ majeſtatis proprium. M. Singkhmoſer. I. Jonas D. Vice-

AUCTORE J. P. Vicecancellarius. *De dispensatione circa locum collegii Societatis Jesu Viennæ erecti, agitur paragrapho proximè sequente, occasione eadem, quâ de dispensatione pro Pragensi ibidem instrumentum exhibetur.*

§ XLV. Ferdinandi I epistolæ ad S. Ignatium, & gesta ad fundandum collegium Pragense.

PEtrus *Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 15 *sic fatur:* Pragæ (quæ urbs totius Bohemiæ regia est) Ferdinandus Romanorum rex, Viennensis collegii fructu permotus, collegium nostris constituit, ut Hussitas, Wicleffistas, & alios hæreticos, qui regnum Bohemiæ depopulantur, suis laboribus propulsarent. Ejus collegii fundamenta posuit Petrus Canisius. *Ita Ribadeneira; cujus verba declaro ac confirmo ex epistolis, laudati Ferdinandi ad sanctum Parentem super hoc argumento directis, aliisque documentis huic paragrapho insertis; quæ omnia, ex sæpe assignato Romano archivo nostro P. Ignatius Pinius sua manu transcripsit; exceptâ primâ epistolâ, quæ alterius calamo exarata est. Illa itaque epistola, agens de fundatione collegii Pragensis, pro quo rex Ferdinandus duodecim nostros, & inter hos petit professores duos theologiæ ut minimùm, tenoris est sequentis:*

Textus Ribadeneiræ de collegio Pragensi declaratur & confirmatur

B

469 Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte. Cum satis superque perspectum atque compertum habeamus, fratres Societatis tuæ in hac civitate nostra Viennensi, & aliis finitimis locis, verbo, & vitæ suæ exemplo subditis nostris honestè, rectè ac salubriter præfuisse, tam è suggestu populum verbum Dei docendo, quàm in scholis juventutem sedulò erudiendo plurimùm profeciisse; nec dubitandum sit, quin, Deo coadjuvante, etiam in futurum opera illorum in dies magis ac magis sit profutura; utpotè qui numquam otiari, sed dies noctesque in excolenda vinea Domini occupati esse videntur; nosque sanè tantam ipsorum diligentiam, tantumque profectum cernentes, atque reipsa experientes, sacrum istum Ordinem in aliis quoque regnis & provinciis nostris fovere & propagare animo proposuerimus, in magnam scilicet spem erecti, pios istos & Catholicos viros alibi etiam centuplum fructum in Domino producturos:

ex litteris Ferdinandi;

C

470 Itaque in primis nobis deliberatum est, in regni nostri Bohemiæ metropoli Praga quoddam etiam pro eis collegium instituere. Ne autem in ordinando ad hujusmodi collegium loco commodo ac necessariis proventibus annuis designandis frustra laboraremus, visum fuit, nos operæ pretium facturos, si tibi ante omnia hoc propositum nostrum benignè aperiremus, & intelligeremus, num in hunc usum nobis duodecim fratres, inter quos ad minimum duo sacræ theologiæ professores existant, mittere valeas. Nam si hoc abs te fieri posse cognoverimus, de habitatione quoque, seu loco collegii, & sustentatione fratrum, quamprimùm fieri posset, provisuri sumus; paratisque omnibus, duodecim illos fratres, deputato ipsis necessario viatico, vocabimus, & ipsos in prædicto loco, uti regem Christianum & pium decet, omni benignitate nostra regia complexuri sumus.

quibus petit duodecim homines Societatis eò mittendos.

471 Eaque propter à te clementer petimus, ut tua etiam ex parte hoc propositum nostrum, quod ad gloriam omnipotentis Dei, & multarum animarum salutem spectat, juves & promoveas, consentiendo nimirum & deputando petitos duodecim Societatis tuæ fratres, inter quos ad minimum duo sint, qui sacram theologiam profiteantur, ut hoc modo operâ & diligentiâ hujus sacri Ordinis, ex illo etiam regno nostro hæreses, cum quibus jam multos annos dictum regnum gravissimè conflictatur, evelli ac exterminari possint, & earum loco sana doctrina, orthodoxa nimirum & Catholica nostra religio, foveatur & propagetur, prout nobis de tua pietate planè pollicemur. Quàm primùm enim te hisce postulatis nostris satisfacere velle cognoverimus, nulla in nobis erit mora, quin locus ad habitationem illorum commodus, & impensæ annuæ pro eorum sustentatione præparentur. In eo autem facies rem Deo optimo maximo cumprimis acceptam, dicto verò regno nostro valdè salutarem, tuâque pietate vehementer dignam, & nobis denique majorem in modum gratam, omni gratiâ nostrâ regiâ erga te, & dictam sacram Societatem tuam, recognoscendam. Datum &c. in civitate nostra Vienna, die xx mensis Octobris, anno Domini MDLIV, regnorum nostrorum, Romani XXIV, aliorum verò XXVIII. Ferdinandus. Ad mandatum sacræ regiæ majestatis proprium. I. Jonas D. Vicecancellarius. M. Singkhmoser. *Inscriptio est:* Honorabili, religioso, devoto, nobis dilecto magistro Ignatio de Loyola, Societatis nominis Jesu Præposito Generali. Romam.

D

ad debellandas hæreses.

E

472 *Quantopere autem Princeps religiosissimus hanc rem habuerit cordi, liquet ex epistola ejusdem ad eumdem: in qua laudat Societatem: gaudet de nostris mittendis ad inchoandum collegium Pragense: addicit redditus sufficientes: benevolentiam & beneficentiam pollicetur. Quæ omnia intellige ex epistolæ ipsius contextu.* IHS. Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis religiose, devote, nobis dilecte. Gratissimæ fuerunt nobis literæ tuæ ex alma Urbe ad diem XXII præteriti mensis Novembris datæ, per quas ad nostras de XVI Octobris respondisti. Magnâ enim voluptate nos affecit, quòd pios & Catholicos istos viros, fratres Societatis tuæ sacri nominis Jesu indies multiplicari, spirituque & gratiâ divinâ magis ac magis crescentes, uberrimos ubique locorum in Christiano populo fructus edere audiamus: siquidem non exiguam spem concipimus, Deum opt. maximum, hunc Ordinem tuum laudatissimum & inculpatissimum delegisse, per quem in hisce postremis nostris seculis multum boni operari, suamque benignitatem orbi Christiano conferre velit. Ad hæc, haud vulgarem lætitiam nobis attulit, quòd postulata nostra de mittendis aliquot fratribus tuis in regnum nostrum Bohemiæ, eum, quem debuerunt, locum apud te habuerint; adeò quod, licet magnus numerus ad alia mundi loca nuper emandatus sit, teque modò non parùm exhaustum manere oporteat, intra annuum tamen temporis intervallum, petitos duodecim fratres, inter quos futuri sint duo sacræ theologiæ doctores, in dicti regni nostri metropolim Pragam, ubi nimirum pro salute fidelium subditorum nostrorum, collegium instituere proposuerimus, juxta voluntatem nostram missurus sis.

Quam rem maximè habuit cordi,

F

473 Eos itaque suo tempore expectabimus, ad cujus sanè collegii erectionem, & necessariam sustentationem, quantos & quales redditus, quæ-

A ve bona assignare & deputare decreverimus, fra-
assignatis eidem mediis pro commoda personarum sustentatione: tribus tuis honorabilibus religiosis, devotis, nobis dilectis, Nicolao de Lanoi, collegii Viennensis rectori, ac Petro Canisio, sacræ theologiæ doctoribus significavimus. Sunt autem talia, quod collegium commodè inde interteneri posse putemus. Si quid autem præterea in te & sacram Societatem tuam deinceps quoque benignitatis & favoris conferre poterimus, nullo tempore voluntatem & propensionem nostram ad id, tibi & illi deesse patiemur. Id quod tibi ad præmemoratas literas tuas benignè respondere voluimus. Datum in nostra & Imperii civitate Augusta Vindelicorum, die XXVIII mensis Febr. anno Domini MDLV, regnorum nostrorum, Romani XXV, aliorum verò XXIX. Ferdinandus. Ad mandatum sacræ regiæ majestatis proprium M. Singkhmoser. I. Jonas vicecancellarius. *Inscriptio similis præcedenti.*

474 *Alia ejusdem ad eumdem urget nostrorum*
de qua agit in alia epistola; *discessum Pragam, ac diligentiæ præmia pollicetur.* Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte. Ad ul-
B timam diem superioris mensis Februarii, cum intellexissemus benigna postulata nostra de mittendis in regnum nostrum Bohemiæ aliquot Societatis tuæ fratribus, eum, quem debuerunt, apud te locum habuisse, scripseramus tibi, nos jam significasse fratribus tuis honorabilibus, religiosis, devotis, nobis dilectis Nicolao de Lanoi, collegii Viennensis rectori, & Petro Canisio, sacræ theologiæ doctoribus, quod ex bonis & redditibus monasterii vacantis Ordinis Cælestinorum, erigendo Pragæ collegio vestræ Societatis, necessariam sustentationem assignare & deputare decreverimus.

475 Cùm itaque nuper Canisius in regno il-
urgens, ut duodecim illi ex nostris iter Pragense maturent. lo nostro Bohemiæ fuerit, & præsens rationem ac modum erigendi & sustentandi hujusmodi collegii viderit (sicuti haud dubiè ipse etiam per literas suas tibi declaraturus est,) nosque propterea cupiamus, fratres illos duodecim, quos eò deputasti vel deputaturus es, primo quoque tempore Pragam advenire: ideo iterum abs te benignè petimus, ut de mittendis illis eam curam habeas, quo etiam ante hyemis initium itineri sese committere queant. Nam quod ad viaticum venturis necessarium spectat, Agenti nostro in Urbe committimus, ne iisdem ex parte victûs deesse quicquam patiatur, ut eò commodiùs ac citiùs Viennam, & inde Pragam iter ingrediantur,
C sicuti D. Canisius ad te ea de re latiùs perscribet. Et quo citiùs illos missurus es, eo plus etiam lucri in grege Domini facturos speramus, Deusque opt. maximus hanc diligentiam tibi & illis cumulatissimè rependet, nos verò hoc ipsum erga te & dictum Ordinem seu Societatem tuam quoquo tempore benignè recognoscere admodùm propensi erimus. Datum in nostra & Imperii civitate Augusta Vindelicorum, die XXX mensis Julii, anno Domini MDLV, regnorum nostrorum, Romani XXV, aliorum verò XXIX. Ferdinandus. *Reliqua ut in epistola præcedente. Inscriptio ut suprà.*

476 *In alia epistola ad S.* Ignatium *data sig-*
Jubet in eorum favorem peti à Pontifice dispensationem; *nificat, se scripsisse Cardinalibus Morono & Augustano de impetranda duplici dispensatione Pontificia ad fundandum collegium Pragense, & stabiliendum Viennense: petit insuper, ut* S. Ignatius *expediat destinatos Pragam, & operam cum Cardinalibus det ad dispensationem impetrandam. Epistolam ipsam accipe:* Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. rex. Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte. Hoc proximè præterito triduo dedimus ad AUCTORE
te literas, clementer petentes, ut de mittendis J. P.
Pragam duodecim illis fratribus Societatis tuæ nominis Jesu, quos te missurum pollicitus es, eam curam haberes, quò etiam ante initium hyemis itineri sese committerent, ideoque te pro tua erga Nos observantia, & pietate, ac saluti fidelium populorum nostrorum consulendi studio, hoc diligenter curaturum esse, minimè ambigimus. Nunc autem scribimus reverendissimis in Christo patribus dominis Cardinalibus Morono, regnorum & provinciarum nostrarum protectori, atque Augustensi, ut nobis primo quoque tempore, &, si fieri queat, priusquam fratres illi venturi, itineri se committant, vel ad minimùm, ad tempus, quo illi discedent, à S. D. N. duplicem dispensationem obtinere studeant; unam, ut iidem Societatis tuæ fratres Pragam venturi commodum
E locum habeant, non sibi modò, sed etiam aliis, quos ex populo & juventute Pragensi piè instituere & juvare poterunt; qui locus est in monasterio sancti Clementis, Ordinis Prædicatorum, diœcesis & civitatis Pragensis; & propter rationes dictis reverendissimis Cardinalibus, in separato quodam & speciali scripto explicatas, petendum erit, quòd commutari valeat in aliud monasterium sanctæ Agnetis, Ordinis sanctæ Claræ, jam desolatum, ut ibidem vivant posthac fratres Ordinis Prædicatorum, è monasterio sancti Clementis emigrantes, & cedentes voluntariè venturis fratribus prædictæ tuæ Societatis.

477 Alteram verò dispensationem pro mona-
uti & alteram pro Viennens.bus. sterio divæ Virginis, Ordinis Carmelitarum, diœcesis & civitatis Viennensis, ut hoc ipsum integrè ac liberè quoque transeat in usum & jus perpetuum eorum, qui de Societate Jesu illic magno cum fructu inhabitant. Porrò Agenti nostro in Urbe commisimus, ut tecum etiam hac de re conferat, & dictis reverendissimis Cardinalibus negotium unà tecum commendet. Quapropter te denuò benignè requirimus, tum ut expeditionem fratrum, quos missurus es, maturare velis, tum etiam ut tuam quoque operam in obtinendis præmemoratis dispensationibus unà cum dictis reverendissimis dominis Cardinalibus nobis præstes, & rem tam apud dominationes eorum reverendissimas, quàm alias, ubicumque opportunum fuerit, omni studio & diligentiâ promoveas, facturus in eo opus pium ac salutare, & pro commodiore sustentatione sæpe dictæ Societatis tuæ fra-
F trum valde utile, nobisque maximopere gratum, benignè erga te & Ordinem tuum recognoscendum. Datum in nostra & Imperii civitate Augusta Vindelicorum die 2 Mensis Augusti, anno Domini MDLV, regnorum nostrorum, Romani XXV, aliorum verò XXIX. Ferdinandus. Ad mandatum *&c., & epistolæ inscriptio ut suprà.*

478 *Sequitur in documentis nostris Romanis* *Profertur instrumentum,*
scriptum separatum, de quo fit mentio in præcedente epistola, eâdem, quo illa, manu exaratum. Sic habet: In causa Dispensandi circa collegium Pragense Societati Jesu erigendum. Quoniam (ut satis constat,) inclytum Bohemiæ regnum tot abhinc annis gravi & pernicioso Hussitarum schismate laborat, & omnem sedem episcopalem habere desiit, jam diu ac multùm desideravit sacra regia Majestas, si qua ratione tam insignis provincia Imperii converti, & ad unionem Ecclesiæ sanctæ Romanæ reduci suis temporibus posset. Inter alia verò media ad hoc opportuna non postremum fore videbatur, si patres de Societate Jesu in Bohemiam introducti, tamquam in co-

AUCTORE J. P.

piosâ, incultâ & desertâ messe, ut fidi operarii exercerent sese, quemadmodum alibi passim ingenti cum fructu factitant, juventutem piè instituendo, errantes in viam revocando, Latinas & Græcas literas prælegendo, sacra profitendo, concionando, administrando Sacramenta, & id genus pietatis exercitiis aliis ad proximi ædificationem & Dei gloriam incumbendo. Idque tanto magis in Bohemia opus fuerit, quo gravior occurrit in toto illo regno penuria sacerdotum, & eorum, qui tum verbo tum exemplo velint ac possint prodesse communi populo.

quo petitur dicta dispensatio pro nostra habitatione Pragensi,

479 Verùm ut commodiùs in hoc regnum dicta Societas introducatur, placuit regiæ majestati ab ipso regni capite, Pragensi scilicet civitate, pium hoc opus auspicari, convocatis jam ex Urbe personis Societatis hujus duodecim, quæ statim accedentes, pro Instituti ac professionis suæ ratione, Pragæ sustententur atque foveantur. Sed cum locus his esset deligendus, qui non ipsis modò, sed etiam juventuti & populo commodus esset aditu; sanè post multam multorum deliberationem, locus convenientior non potuit reperiri ad erigendum hoc collegium, quam in monasterio sancti Clementis, quod est fratrum Prædicatorum, Ordinis beati Dominici. Quod quidem monasterium ut rectiùs cognoscatur; fratres huc usque perpaucos habet, & ex illis concionatorem aut lectorem neminem: deinde ruinam præ vetustate minatur in ædificiis, &, uti fratres ipsi præsentes fatentur, præ nimia egestate conservari ac reparari non posse videtur. Et rarissimè quidem à civibus invisitur, ut sanè fructûs in eo monasterio spiritualis perparum colligatur.

B

ac pro PP. Dominicanis aliò migraturus.

480 Visum est igitur piis ac zelosis viris ad majorem Dei gloriam & publicam Bohemiæ utilitatem promovendum expedire, ut hoc ipsum monasterium illorum usui, qui de Jesu Societate sunt, cederet & applicaretur. Et in eadem sententia sunt ipsi quoque fratres Prædicatores, qui cupiunt in hac parte suo loco & juri cedere, quòd certam spem concipiant, hujusmodi cessionem tum Pragæ, tum Bohemiæ in fide & religione valde profuturam. Ne tamen fratribus S. Dominici præjudicaretur, quæsitus & inventus est locus alterius monasterii, ipsisque dictis fratribus propositus: qui cùm videant locum in hoc secundo monasterio ampliorem & amæniorem & spatiosiorem esse, lubentiùs etiam eò se migraturos pollicentur; præsertim cùm sint meliora illic ædificia, cumque monasterium hoc jam annis abhinc aliquot desertum fuerit, postquam moniales sanctæ Claræ, Ordinis sancti Francisci, desierint inhabitare: cùm præterea periculum sit, nisi à Catholicis occupetur locus, fore ut in suum usum vertant & templum & locum Hussitæ. Igitur ad majorem Dei gloriam ac reip. utilitatem cupit & rogat S. R. Majestas, ut Sanctissimus Dominus noster circa mutationem horum duorum monasteriorum ex plenitudine Apostolicæ Sedis dispenset: ita scilicet, quòd fratres prædicti sancti Dominici emigrantes ex monasterio suo (sicut etiam ad hoc se paratos jam offerunt) cedere ac resignare * juri suo censeantur in gratiam patrum de Societate Jesu: salvo interim primò, quòd clenodia bona & proventus ejusdem monasterii penes fratres ipsos Dominicanos omnino, ut antea, maneant, ac deinde, quòd aliud monasterium jam vacans, utpote S. Claræ, liberè & integrè eisdem fratribus, post quam emigraverint, cedat semel & simul nunc & in perpetuum.

C

* *Melius dicitur* renuntiare

481 *Huic instrumento subtexitur sequens in apographis nostris Romanis, cui prænotatur hic titulus:* In causa dispensandi circa collegium fratrum Societatis nominis Jesu Viennæ erectum. *Textus est:* Ut insuper ex Sedis Apostolicæ dispensatione possint fratres ejusdem Societatis, qui jam Viennæ in Austria multo multorum cum fructu versantur, licitè & liberè retinere, & integrè posthac possidere monasterium beatæ Virginis Ordinis Carmelitani, Viennensis diœcesis & civitatis. Quod certè monasterium iisdem fratribus sereniſſimus rex assignavit, postquam seculares ibidem cum uxoribus habitare, ac sacrum locum profanare cœpissent, & cum pater Provincialis ejusdem Ordinis Carmelitarum sæpius ad hoc rogatus & requisitus à sereniſſimo rege nullos fratres eò mittere (tanta est penuria ejusmodi Religiosorum in tota Germania) & ad cultum divinum ibidem peragendum adesse curaret.

D

Dispensationis causa pro collegio Viennensi.

Alia Ferdinandi ad Ignatium litteræ circa discessum nostrorum Pragam &c.

482 *Alia ejusdem Romanorum regis ad S. Ignatium littera agunt de nostrorum ad urbem Pragensem discessu, per summum Pontificem dilato, ac retinendo interim in eorum absentia, Canisio &c. Exhibeo earum exemplum:* Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte. Accepimus literas tuas pridie Calendas præteriti mensis Octobris datas, & inde cognovimus, quas ob causas visum sit Sanctissimo Domino nostro, expeditionem duodecim illorum fratrum Societatis Jesu, quos ad instituendum collegium in regia nostra civitate Pragæ mittere promisisti sub finem futuri mensis Januarii, differri debere: de qua re cum etiam Sanctitas ejus nobis copiosè cum magna paternæ suæ erga nos benevolentiæ significatione scripserit, decet equidem nos Sanctitatis ejus voluntati morem gerere & acquiescere, prout Sanctitati ejus in adjunctis ipsimet rescribimus, abs te benignè petentes, quod ejusmodi literas nostras Sanctitati ejus reddere velis, quin etiam consilii Sanctitatis ejus de retinendo interim Pragæ, donec ceteri duodecim adveniant, doctore Canisio, non oblivisceмur. Quantum verò ad scholasticorum Bohemorum, quos præterito anno Romam, ut sub tua disciplina degerent, transmisimus, intertentionem attinet; jam dudum jussimus pecunias à consiliario & Agente nostro, reverendo ac nobili, fideli, nobis dilecto don Didaco Lasso, in sustentationem eorum mutuò acceptas persolvi, quorum in futurum quoque benignam curam & rationem non negligemus. Ceterùm quoad negotium hospitalium, & consensûs seu indulti Apostolici, quem per te à Sanctissimo D. N. requisivimus, per alias literas te propediem informabimus de omnibus, quæ te scire necesse est. Id quod tibi ad prædictas literas tuas benignè respondere voluimus, teque à nobis omnem benignitatem expectare jubemus. Datum in nostra civitate Vienna, die XXIX Novembris, anno MDLV, regnorum nostrorum, Romani XXV, aliorum verò XXIX. Ferdinandus. Ad mandatum *&c. nec non inscriptio, ut in præcedentibus litteris. Patentes, quibus Sanctus primos collegii Pragensis habitatores, Româ illuc à se submissos, munivit, dantur apud nostrum Georgium Crugerium in sacris Pulveribus Bohemiæ &c., part.* I *ad diem* XXV *Januarii; quo dictæ litteræ ibidem signantur, anno* 1556.

E

F

A

§ XLVI. Ex epistolis Alberti Bavariæ ducis ad S. Ignatium, elucidantur ac confirmantur res à nostris gestæ Ingolstadii, ac fundatum ab eodem duce collegium.

Scribit Albertus dux Bavariæ de creando Canisio

Res Ingolstadienses Societatis Jesu sub sereniss. Bavariæ ducibus Guilielmo & Alberto, egregiis orthodoxæ religionis cultoribus, exponit Ribadeneira lib. 3, cap. 15. Verùm quæ is ibi habet de Petro Canisio, Nicolao Gaudano, ac fundatione collegii, majorem accipient lucem è litteris, à laudato duce Alberto ad S. Ignatium datis, & à P. Ignatio Pinio transcriptis ex archivo nostro Romano. In iis autem, quæ inter alias primum in nostris apographis hic locum tenent, scribit de vicecancellariatu Ingolstadiensi in Canisium transferendo; erigendo collegio, ac novis suppetiis è Societate submittendis. En tibi ipsarum litterarum exemplar: Reverende pater, amice in Christo syncerè nobis dilecte. Vacantibus vicecancellariatu studii nostri universalis Ingoldstadiensis, ac canonicatu, & præbendâ ecclesiastica Eystettensi; quòd tam hoc officium, quàm dicti canonicatus & præbenda à primæva institutione ac fundatione ad doctores tantùm theologiæ spectent & pertineant, quemadmodum confirmationes desuper Sedis Apostolicæ, à Paulo quondam II Pontifice felicis record. emanatæ, volunt statuuntque: vestri Ordinis etiam dilecto nobis magistro Petro Canisio confratri, qui summa cum laude nec minori fructu sacras ibidem profitetur docetque Literas, utrumque offerri commisimus. Nam & plures & clarissimi nominis theologi, quique superioribus temporibus eo functi sunt, fructusque, redditus, & proventus eidem officio annexorum canonicatûs & præbendæ perceperunt. Nec existimavimus, quòd prædictus Petrus hoc officium, quod dignitatis tantùm nomen, nec laborum onera habet, aut emolumentorum specialium commoda percipit, non suscepturus foret: verùm excusationis suæ rationes attulit obedientiam ac paupertatem; quibus cum vobis & Ordini vestro ex voto addictus sit, non sibi licere significavit, absque vestro tamquam sui Superioris consensu, sæpe dictum officium suscipere.

B

C

Vicecancellario Ingolstadiensis academiæ,

484 Volumus igitur Dilectionem vestram scire, quod jam innotuisse vobis arbitramur, reverendum in Christo patrem & D. amicum nostrum, honorandum episcopum Eystettensem, ipsius Universitatis nostræ verum cancellarium existere: quandoquidem autem ob alia graviora negotia, apud Universitatem adesse non potest; habet qui vices suas apud eamdem gerat: hic vicecancellarius nuncupatur: nec aliud, quod agat, habet, quam in collatione graduum licentiæ, doctoratûs & magisterii, promovendi potestatem candidatis impertiatur, ac oratione convenienti scholares ad studia & morum decentiam adhortetur: ab aliis verò omnibus profanis negotiis Universitati in secularium administratione incumbentibus omnino liber & immunis est. Ceterùm, uti dignum est, eo habetur in honore, quo cancellarius ipse, cujus personam repræsentat. Cùm igitur nullus rectiùs episcopi vices gerat quàm ille, qui in eodem vitæ statu existit, ac religione, eruditione, prudentiâ, vitâ denique quam maximè par est; uti theologis istud officium hactenus semper commissum fuit, facilè à vobis nos impetrare posse persuasum habemus, ut Dilectio vestra tamquam Superior & Præpositus, penes quem omnis est authoritas hujusmodi concedendi, intuitu nostro consensum & assensum præbeat, quo præfatus magister Petrus Canisius sæpe dictum vicecancellariatum acceptet, eoque fungatur, & canonicatûs præbendæque supradictorum emolumenta percipere valeat: in quo nobis rem gratissimam, toti verò studio Ingoldstadiensi nostro exoptatam & desideratam facietis: Nosque, ut pro ea dignitate tam ipse Canisius quàm ipsius collegæ in omnibus necessariis honorificentiùs splendidiusque tractentur, efficiemus.

AUCTORE J. P.

erigendo Societati collegio, ac novis submittendis suppetiis.

485 Porrò cùm adhuc in ea simus deliberatione, quemadmodum vestri Ordinis collegium apud nos erigatur, uti aliquando ex nostris cum literis tum nuntiis Dilectio V. intellexit: ac ut ipsum institutum opus perficiatur quam primùm cupiamus: perneccsse est, ut ultra duos à vobis ad nos missos magistros, Petrum & Nicolaum, adhuc vestrâ operâ alios duos vel tres viros doctos, quibus præcipuè Ordo vester præcellit, conducamus. Nam certè, crescente discipulorum numero, immensis & continuis laboribus isti præsentes soli minimè sufficient: defatigati enim succumbent tandem. Quapropter iterum à Dilectione vestra petimus, ut nobis quàm primùm significet, quot & quales adhuc nobis cumprimis ad dictam Universitatem mittere valeat: eo enim intellecto, necessaria illis in viaticum ordinabimus, ne quid incommodi patiantur; sed honorificè, ut digni sunt, tractentur. Hoc vos pro pietate vestra erga afflictam rempubl. Christianam, ex cujus usu & utilitate hæc facimus, & nostro singulari erga Ordinem vestrum devotoque studio, nec non propensissimo animo, haud difficulter facturos, non ambigimus; ad omnia & universa commoda vestra quamcumque operam & benevolentiam nostram Dilectioni vestræ Ordinique sibi commisso offerentes pollicentesque. Datum ex civitate nostra Monacensi VIII Kal. Augusti anno MDLI. Albertus Dei gratiâ comes Palatinus Rheni, superioris & inferioris Bavariæ Dux &c. *Inscriptio:* Reverendo in Christo Patri, syncerè nobis dilecto, Ignatio Præposito Societatis Jesu Christi in Urbe, amico nostro, Romæ. *Hactenus dux Albertus.* Hæc epistola, *inquit P. Ignatius Pinius*, videtur originalis, ob adhærens sigillum; sed non autographa, ob differentiam characteris à certo charactere Ducis.

E

F

De constructione collegii Ingolstadiensis scribit,

486 *Alia ejusdem ad eumdem; quâ benevolentiam testatur, certiora scribit de collegio Ingolstadiensi, petit Canisium &c., sic habet:* Reverende Pater, sincerè nobis dilecte. Vestri Ordinis Societatis Jesu theologos omnes ab Ingoldstadiensi academia nostra avocatos, permolestè tulimus. Nam & doctrinâ & vitæ sinceritate non solùm lectorum munere inter scholares, sed & concionatorum ad populum, magno cum fructu feliciter functi sunt. Eapropter ipsos lubenter nostris gratiâ & favore complexi sumus, nec de nobis justa de causa conqueri in aliquo posse, persuasum habemus. Verùm quod collegii illius erigendi cura hactenus est intermissa, non nobis, qui paratissimi semper fuimus ad id præstandum, quod fidei & religionis Catholicæ, orthodoxæque Ecclesiæ, ac Jesu Christi opt. max. causam provehere

AUCTORE J. P.

valeat, est imputandum; sed præsenti turbatissimo afflictissimoque omnium rerum in Germania statui, de quo vos certiores factos, ac miserrimam calamitosissimamque istam sortem unà condolere, nihil dubitamus. Ne tamen istâ perpetuâ temporum injuriâ collegii theologici causa apud nos diutiùs suspendatur, jussimus apud dictam scholam nostram Ingoldstadianam fundum comparari, & novum extrui collegium, quod etiam annuis redditibus dotari curabimus, quemadmodum ea de re ad vos magister Petrus Canisius perscribet.

ac Canisium cum duobus aliis theologis petit.

487 Petimus igitur à vobis, uti & Sanctissimo D. N. ea de causa perscribimus, ut curetis tam dictum Canisium, quàm alios duos theologos etiam aliarum facultatum professores, ad nos mittere, qui obsequium suum & ministerium legendi & concionandi impendant. Quibus verò ad hoc conficiendum opus habueritis, vel quæ per nos fieri ulteriùs volueritis, cum secretario nostro Henrico, quem etiam ea de causa ad Urbem ablegavimus, conferetis: is mentem nostram fusiùs exponet. Reliquum est, quod vobis universa lubentissimè offerimus, quibus tam Ordini vestro uberrimus accedat fructus, quàm orthodoxa religio & libertas ecclesiastica, fere ex Germania profligatæ, aliquando restituantur. Monachii die xx mensis Maii, anno Domini MDLIV. Albertus dux Bavariæ &c. per manum propriam. *Inscriptio:* Reverendo in Christo Patri sincerè nobis dilecto, Ignatio Loyola Societatis Jesu in Urbe Præposito.

B

Rogat item nonnulla approbari circa dictum collegium,

488 *Idem ab eodem petit approbari quosdam articulos circa collegium Ingolstadiense, ac mitti theologos tempore in eis præscripto. En epistolam:* Reverende Pater, amice charissime. Quid per consiliarios nostros de collegio Societati vestræ in oppido nostro Ingoldstadio erigendo & inchoando, cum venerabili nobis dilecto magistro Petro Canisio, ejusdem Societatis theologo, hisce diebus tractaverimus, de his omnibus ac tota voluntate nostra ipse Canisius Paternitati tuæ latissimè significabit; ac ex articulis nonnullis, inter dictos nostros consiliarios & Canisium conscriptis & subsignatis super erectione hujusmodi, quos unà transmittet, copiosiùs cognosces. Cùm verò hoc opus non solùm ad Domini nostri, imò communem Germaniæ utilitatem spectet: nihil ambigimus, obsequium & ministerium, quod toties tuo & fratrum tuorum nomine obtulisti, jam, cum res postulet, libentissimè impensurum; ut, quod modò inchoatur, suum debitum sortiatur effectum. Cæterùm summo Pontifici Domino N. clementissimo hoc institutum nostrum pro gloria Dei ac salute animarum probatum iri speramus: quod & Paternitas tua nostro nomine, pro perpetuo charitatis & observantiæ erga nos affectu, suæ Sanctitati referet humillimèque commendabit. Cupimus igitur à Paternitate tua quanto citiùs de supradictorum articulorum approbatione confirmationeque certiores fieri: nam quæ in his ad nos spectant, grata rataque habemus ea omnia, quæ in ipsis continentur: patribusque Societatis præsentibus universa à nobis promissa paratissimi præstabimus, & libenter & sine mora.

C

ac submitti theologos.

489 Petimus etiam, ut mittantur theologi (si fieri potest) ad præscriptum in dictis articulis tempus: qui non solùm lectorum munere inter eruditos, sed & vel unus eorum concionatoris ad populum officio feliciter cum Dei gratia fungi possint: ita enim præsens sacrosanctæ religionis nostræ afflictissimus status, & populorum istorum, proh! dolor, miserrimè errantium salus postulant, exigunt, & efflagitant. Accelerate igitur pro vestris officio votoque oves perditas quærere, & ad gregem dominicum reducere; operarios bonos (qui in præsenti seculo pauciissimi sunt, & ubique locorum desiderantur) educare, atque in messem tam copiosam mittere. Ad hoc sanctum Deoque gratissimum opus vos pro nostris viribus, re & operâ benignissimè fovebimus & tuebimur: ac brevi futurum speramus, ut hoc vestrum apud nos collegium (si jam bona principia jaciantur) in immensum crescat, augeatur, splendideque à multis adhuc bonis viris dotetur. &c. Monachii XII Decembris MDLV. Albertus dux Bavariæ &c. p. m. * propriam. *Inscriptio fere ut superior.*

D

* i. e. per manum

490 *Alia ejusdem ad eumdem. Acquiescit Dux, ut collegium Ingolstadiense, ex voluntate* S. Ignatii, *sine pactis & obligationibus dotetur. Non est originalis. Excerpuntur præcipua:* Reverende Pater tam charissime quàm honorande. Redditæ sunt nobis literæ Paternitatis tuæ reverendæ, quibus ad petitiones nostras de collegio venerabili Societati vestræ in oppido nostro Ingoldstadio instituendo respondes. Fuerunt illæ nobis sanè gratissimæ .. Nihil autem planè in proposito nostro mutavimus de seminario bonorum ac fidelium ministrorum Catholicæ religionis in statu nostro parando. Quam ob rem cum Paternitati tuæ ita placeat, ac consuetudo & Constitutiones vestræ ferant, ut dotationem alicujus collegii cum pactis aut obligationibus non admittatis; sed quæ gratis accepistis, gratis omnino dare satagatis: in ea fumus sententia, ut sine utriusque nostrûm partis obligatione aut pactis, articuli tamen illi, de quibus convenimus, obligationis instar observentur. *Tum petit, ut* S. Ignatius *nostros mittat: se pro viatico ordinasse* 300 *coronatos aureos, mox Romæ numerandos.* Paternitatem tuam & venerabilem illam Societatem ex animo amplectimur & amamus. Datæ in civitate.. Monacensi, die v Maii MDLVI. Albertus dux Bavariæ &c. per manum propriam. *Quomodo optimo erga religionem Catholicam Principis studio Vir sanctus fecerit satis; quot & quosnam è suis Româ Ingolstadium dimiserit; quàm strenuè ibidem illi rem academicam promoverint; dabit Orlandinus lib.* 16, *num.* 23.

E

Respondet S. Ignatio, se acquiescere circa dotandum collegium Ingolst. sine obligationibus.

F

§ XLVII. Testimonia originalia, à S. Ignatio in Italia & Sicilia, in favorem Societatis obtenta, occasione decreti Sorbonici adversus eamdem Societatem lati.

Collecta à S. Ignatio adversus censuram Sorbonicam testimonia;

QUænam, occasione hujus decreti à nostris Lutetiæ Parisiorum tolerata, Romæ dicta, & ab Ignatio *ibidem statuta fuerint, intelliges ex Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 11: *quibus adde sequentia. Decretum illud fuit factum Kalendis Decembris anno* 1554; *nostris autem significatum anno sequente, teste Orlandino lib.* 14, *num.* 51. *Diligens ac sæpius jam nominatus tabularii nostri Romani inspector & eruderator observat, exstare ibi ad decretum illud per singula capita responsionem & defensionem Societatis, scriptam à Martino Olavio,*

A *lavio, anno* 1555, *& ab Orlandino excuſam lib.* 15, *num.* 46. *Fuit verò Martinus Olavius* in artibus & in ſacra theologia magiſter, vita, moribus & ſcientia multipliciter commendabilis, gradum magiſterii (*theologici*) anno Domini MDXLIII, VI Martii adeptus *in Facultate Pariſienſi; ex originali ejuſdem Facultatis teſtimonio, dato* 1544, *die* 2 *Maii poſt Paſcha, affirmat idem monumentorum Ignatianorum Romæ indagator ac collector; quod præ oculis ſe habere dicit, & ex quo verba hîc paullo antè Romanis litteris excuſa, in exemplo autem, quod ad nos miſit, ſubnotata, excerpſiſſe ſe addit: teſtimonia verò, quæ* S. Ignatii *juſſu petita, & ad ipſum perlata dicit Ribadeneira, ibi ſe reperire. En ipſa.*

492 *Ex Italia. Teſtimonium originale Inquiſitoris Ferrarienſis* XXI *Martii* 1555: Univerſis, *inquiſitoris Ferrarienſis,* has noſtras patentes literas inſpecturis, fidem facio ego magiſter Hieronymus Papinus Laudenſis, Ordinis Prædicatorum, inquiſitor Ferrariæ, ac in toto dominio illuſtriſſimi ducis Herculis ſecundi commiſſarius Apoſtolicus in cauſis fidei, reverendum D. Joannem Pelletarium Gallum, rectorem collegii nominis Jeſu, & confratres ſuB os, ita Chriſtianè, & modeſtè ac piè converſatos fuiſſe Ferrariæ, ut nec verbum malè ſonans contra eos à me fuerit auditum; in docendo etiam publicè humanas literas, & in multis aliis publicis negotiis, in quibus illuſtriſſimus Dux noſter eos exercuit, ita exemplariter & Chriſtianè ac prudenter ſe geſſerunt, ut adoleſcentibus hujus civitatis, & toti civitati, tam in literis quàm in moribus, non parum utilitatis attulerint. In quorum fidem has noſtras manu propria ſubſcriptas fieri juſſi, & ſigillo majore noſtri officii muniri mandavi. Datum Ferrariæ die XXI Martii MDLV. *Subſcribitur*, magiſter Hieronymus Papinus Laudenſis inquiſitor & commiſſarius, qui ſuprà, manu propriâ. *Et apponitur ſigillum majus ejuſdem inquiſitoris.*

493 *Teſtimonium originale Univerſitatis Ferrarienſis* XX *Aprilis* 1555: Antonius Muſa Braſ- *nec non Univerſitatis ibidem,* ſavolus, protomedicus Ferrarienſis, almique gymnaſii ejuſdem urbis reformator, eques auratus, & ſacri palatii Lateranenſis comes, Univerſitati Pariſienſi, & præſertim iis, qui ſacræ theologiæ præſunt, omnibuſque præſentes has literas lecturis, ſalutem. Cùm ſuperioribus diebus, celeberrimi Viri, interrogatus fuerim, quid ſentirem de doctrina illorum Religioſorum, moribus, pietate C ac religione, qui nominis Jeſu cognomen ſortiuntur (Nam ego, qui cum illis frequentem habui conſuetudinem, qui ſint, qui fuerint, quique mox futuri ſint, poſſum atteſtari;) hac de re admiratus, in hæc verba prorupi: Quid quæſo? Per omnes Chriſtianorum diverſas congregationes diverſoſque Ordines diſcurrens, numquam vidi, ab Apoſtolis incipiendo, magis commodam inſtitutionem, magis utilem, magiſque neceſſariam iſtâ, quâ pueri à primis unguiculis bonis artibus inſtituuntur, & optimis moribus conformantur, quod in ordinata civitate omnium optimum cenſendum eſt: nam optimè inſtituta juventus, denique in ſenium perducetur doctrinâ, moribus ac ſanctitate inſtitutiſſima.

494 Cùm ergo exoratus fuerim, ne dicam *ad hoc convocata nominatim,* efflagitatus, ut apud Præſtantias veſtras de iis teſtimonium afferrem; id efficere nolui, niſi priùs noſtrâ univerſitate convocatâ, quid de his unuſquiſque ſentiret, ſingulatim interrogarem. Itaque in D. Romani templo ex mandato illuſtriſſimi & excellentiſſimi Ducis noſtri concione facta, omnes quotquot fuerunt, (fuerunt autem qui ſequuntur) dominus magiſter Sigiſmundus Nigriſolus; dominus magiſter Vincentius Capilis; dominus magiſter Hippolytus Cavanus, dominus Magiſter Fabritius Sanſeverinus; dominus magiſter Hieronymus Auricalcus; dominus magiſter Antonius Maria Cananus; dominus magiſter Luca Ricardus; dominus magiſter Hippolytus Conſtabilis; dominus magiſter Fabius Anthimacus; dominus magiſter Franciſcus Bruſantinus; dominus magiſter Joannes Baptiſta Gyraldus; dominus magiſter Robertus Sacratus; dominus magiſter Cæſar Caprilis; dominus magiſter Marcus Antonius Florius; dominus magiſter Joannes Boſcus; dominus magiſter Dominicus Bondius; dominus magiſter Alexander Fantia; dominus magiſter Renatus Braſſavolus; dominus magiſter Philippus Conſtabilis; dominus magiſter Joannes Baptiſta Pinea; dominus magiſter Hieronymus Eldigenus; dominus magiſter Julius Ferrarius; dominus magiſter Hieronymus Braſſavolus: dominus magiſter Baldaſar Ricardus; dominus magiſter Æneas Caprilis: dominus magiſter Joannes Baptiſta Auricalcus; dominus magiſter Vincentius Madius; dominus magiſter Franciſcus de Argenta; dominus magiſter Petrus Canebatius; dominus magiſter Philippus Sazellus; dominus magiſter Joannes Bregantinus; dominus magiſter Joannes Melarienſis. AUCTORE J. P. E

495 Qui domini magiſtri omnes uno ore unoque animo, tamquam eodem divino afflati ſpiritu, in hæc verba prorupere: Schola Jeſu & Societas, ſicut & cæteræ aliæ debent (juxta Chriſti documentum,) ex operibus judicari; & omnes cenſuerunt nihil ab his fieri, quin ſit ob ſanctitatem admiratione dignum; nam imprimis liberales artes, & utramque linguam (Latinam dico & Græcam) gratis edocent, & talibus moribus cereos puerorum animos inſtituunt, ut nullus eorum ſit qui in puerili ætate ſenium contraxiſſe non videatur; deinde publicè concionantur, Euangeliumque omni creaturæ exponunt, Miſſarum ſolemnia celebrant, & nihil intactum prætermittunt, quod ad religionem attineat; nam & xenodochia frequentant, ægrotos ſolantes, ut in Dei nomine, quæ patiuntur, perferant, & ita in univerſa urbe ægrotos nomine Jeſu conſolantes, eos relinquunt probè ædificatos. *cum inſigni omnium convocatorum*

496 Quæ omnia oſtendunt ipſorum opera, *de Societatis elogio.* an ſint receptione, an expulſione digna. Itaque concludebant, ſi non eſſent in hac alma patria, undique eſſe conquirendos, & nullis parcendo impenſis, ad urbem rectè ordinatam eſſe convocandos. Ex eorum enim converſatione tot prodeunt bona, ut nihil meliùs inveniri poſſit. Hoc fuit de his viris noſtræ Univerſitatis judicium, quod ad illos mittimus, ut ad viros probos, qui judicent, an ſint ab urbibus expellendi, an potiùs quærendi ac recipiendi, &, ſi non adſint, ubique terrarum veſtigandi; nullos enim ad hæc uſque tempora invenimus, qui eſſent in urbibus magis utiles iſtis, & magis ad Chriſtianam pietatem ædificandam neceſſarii. Hæc ſunt quæ ad Excellentias veſtras noſtra Ferrarienſis Univerſitas ſcribere voluit. Valete omnes in Chriſto, & ut veſtri moris eſt, boni conſulite. Datum Ferrariæ in ædibus ſolitæ noſtræ reſidentiæ ſub noſtro magno & rotundo ſigillo, anno Domini MDLV, die verò XX menſis Aprilis &c. Jo. Baronius, de mandato. *Appendet ſigillum magnum & rotundum.* F

497 *Teſtimonium originale epiſcopi Mutinenſis*

AUCTORE J. P.

Teſtimonium epiſcopi Mutinenſis,

ſis XXIII *Aprilis* 1555: Altiſſimo Deo gratiſſimum eſſe cenſentes, ſi libenter teſtimonium perhibeamus veritati, inter cæteraque Chriſtianorum officia hoc præcipuum arbitrantes, ſi de re Chriſtiana benemerentibus benemeritiſque gratam jugiter mentem exhibeamus & opem. Ab hujuſmodi igitur ne diſcedamus officiis, univerſis ac ſingulis tam publicis quàm privatis perſonis, quocumque tempore præſentes has patentes inſpecturis, lecturis, & audituris, fidem in Domino ſinceram facimus pariter & atteſtamur, qualiter congregatio ſive Societas clericorum ſub titulo nominis Jeſu militantium (quam Societatem ſeu congregationem fel. recordationis Paulus ſummus Pontifex ejus nominis tertius inſtituit, approbavit & commendavit, ejuſque ſucceſſor Julius tertius pariter approbavit confirmavitque) & non ſolùm in civitate Mutinenſi, verùm & alibi in civitatibus Italiæ degentium, & habitûs & vitæ morumque honeſtate Chriſtianam præ ſe fert religionem, & pietatem, adeò ut quàm plurimi exemplis eorum pariter & documentis honeſtiſque ac Chriſtianis diſciplinis illecti, & attracti, nec non hujuſmodi veſtigiis inhærentes, quotidie magis ac magis ad virtutum proficiant incrementa. Neque talia ſcribimus, ut eos laudibus ullis proſequamur, cum id non ſit inſtituti noſtri; verùm ut potiùs quæ vidimus, & audivimus expertique ſumus, ac experimur, ad Dei laudem pariter & honorem pro rei veritate teſtificemur. Scriptum eſt enim, quod homo de bono cordis theſauro profert ea quæ bona ſunt, quoniam ex fructibus arbor ipſa cognoſcitur, & unuſquiſque tandem non hominum, ſed rerum judicandus eſt pondere. Et hæc paucula ſuper præmiſſa talium clericorum Societate (quam nos quoque meritò commendatam pariter & approbatam judicamus) prælibaſſe ſufficiat. In quorum fidem, robur, ac teſtimonium has præſentes fieri mandavimus, noſtrique ſigilli impreſſione muniri. Datum Mutinæ in epiſcopio noſtro, ſub die XXIII menſis Aprilis MDLV. Ægidius epiſcopus Mutinenſis. Hippolytus Salvius de mandato. *Impreſſum eſt ſigillum epiſcopi prædicti.*

B

Bononienſis,

498 *Teſtimonium originale epiſcopi Bononienſis,* V *Maii* 1555: Nos Joannes Campegius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Bononienſis, & princeps, univerſis & ſingulis hoc noſtrum teſtimonium viſuris, & lecturis, teſtamur, & fidem facimus pro eo tempore, quo experti ſumus ſacerdotes, qui vocantur Societatis Jeſu, & eorum collegium, quod ante annos duodecim in noſtra hac civitate conſtitutum & erectum fuit, eos inveniſſe bonis moribus, & ſanâ doctrinâ præditos, veræ & Catholicæ religionis profeſſores, & ſtudioſos. Verbum Dei publicè, utiliter, & piè annuntiant, & Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ exhibent, juvenes tum bonis moribus, tum literis Græcis, & Latinis imbuunt, & inſtituunt, xenodochia viſitant, pauperes ægrotantes ad patientiam, & pœnitentiam hortantur, & cæteris operibus miſericordiæ inſerviunt, ac nobis ita grati & chari ſunt, ut eorum operâ quotidie utamur, nedum in civitate, ſed etiam in tota hac noſtra diœceſi. Et in fidem hujus rei, teſtimonium hoc manu noſtra ſubſignavimus, & per ſecretarium noſtrum ſubſcribi fecimus, ſigilloque noſtro illud communiri juſſimus. Datum Bononiæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ tertio nonas Maii MDLV. Jo. Camp. eps. Bononien. Ludovicus Bartholus ſecret. *Communitum eſt appenſo ſigillo ejuſdem epiſcopi.*

C

499 *Teſtimonium originale archiepiſcopi Genuenſis vice-Legati Bononienſis &c.* XXXI *Maii* 1555: Nos Hieronymus Saulius miſeratione Divinâ archiepiſcopus Genuenſis, reverendiſſimi in Chriſto patris & illuſtriſſimi Domini D. Innocentii, eâdem miſeratione ſancti Honofrii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi Cardinalis de Monte, ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ & Sedis Apoſtolicæ in civitate Bononiæ ejuſque comitatu, diſtrictu ac diœceſi, in ſpiritualibus & temporalibus, in exarchatu verò Ravennæ, totaque provincia Romandiolæ, nec non civitatibus, Mutinenſi, Regienſi, Parmenſi, & Placentina, earumque diœceſibus in ſpiritualibus de Latere Legati, ac vicarii generalis vicelegatus. Univerſis & ſingulis hoc noſtrum teſtimonium viſuris, & lecturis fidem facimus & teſtamur, Nos vidiſſe, audiviſſe, & expertos fuiſſe, ſacerdotes qui vocantur Societatis Jeſu, ante annos duodecim in hac civitate verſatos fuiſſe, & ſanâ doctrinâ præditos, & veræ religionis ſectatores & ſtudioſos, verbum Dei publicè utiliter, & piè annuntiare, & pro viribus Sacramentorum, id eſt Confeſſionis, & Euchariſtiæ, adminiſtrationi vacare. Præterea quidem hujus civitatis juventutem, tum bonis moribus, tum literis Græcis, & Latinis imbuere inſtituereque, ut hac ratione pueritia puro pectore cum Chriſto ſcientiam imbibat. Ad hæc, ſcimus, eoſdem ſacerdotes xenodochia inviſere, pauperes ægrotantes ad patientiam, & pœnitentiam exhortari, illiſque aliis officiis conſulere ad ſalutem, & cæteris operibus miſericordiæ inſervire, ita ut & nobis, & civitati grati, & chari ſint; & denique in omnibus rebus ſuis inſtitutionem Apoſtolicam exprimere, & in Apoſtolica authoritate, & fide ſemper inhærere conari. Et in fidem hujus rei teſtimonium hoc manu noſtra ſubſignavimus, & per ſcribam noſtrum ſubſcribi fecimus, ſigilloque prædicti reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini Legati, quo in ſimilibus utimur, illud communiri juſſimus. Datum Bononiæ in palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ pridie Kal. Junias anno Domini MDLV. Hie: archiepiſcopus Genuæ. Vicelegat. Viſa. Barᵃ. regens. *Appenderque ſigillum.*

D

archiepiſcopi Genuenſis.

E

500 *Teſtimonium originale Vicarii Florentini & Inquiſitorum,* IV *Maii* 1555: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs ſancti. Amen. Cùm rerum ignoratio, malorum ferè omnium cauſa ſit, tum verò maximè nocumento eſt, cùm eſt earum rerum, quæ ad ſalutem animarum pertinent. Cùm ergo Societas Jeſu, quæ jam per aliquot annos in hac civitate Florentina plurimo cum ſpirituali fructu converſata eſt, magnam utilitatem ſaluti animarum afferat, boni exempli ædificationem præbeat, multumque Chriſtianæ reip. conferat: cum præterea ſciamus, hanc Societatem nequaquam adhuc per omnes civitates eſſe diffuſam, neque cognitam; operæ pretium fore judicavimus, teſtimonio noſtro cunctos fideles, literas præſentes inſpecturos, facere de ipſa Societate certiores. Nos itaque Antonius de Pretis de Conſilice, J. U. doctor, reverendiſſimi in Chriſto P. D. D. Antonii Altovitæ de Florentia archiep. Florentini vicarius & officialis in ſpiritualibus generalis, & in hac parte commiſſarius ſuper inquiſitione hæreticæ pravitatis in partibus iſtis à Sede Apoſtolica unà cum certis * noſtris collegis ſpecialiter deputatus, fidem facimus, Religioſos dictæ Societatis, homines eſſe ſine querela, piæ converſationis, multæ ædificationis, atque Chriſtianis moribus orna-

Vicarii & Inquiſitorum Florentiæ,

F

* *an.* ceteris ?

A ornatos, ac in veritate ambulantes; & qui ſuo exemplo ad imitationem Chriſti multos invitent. Ipſorum autem doctrinam & prædicationes fideles, catholicas, & valde ſalubres eſſe, & quibus plurimorum animæ in peccatis conſepultæ reſipiſcant. Plurimùm etiam proſunt fidelibus in Sacramentorum adminiſtratione, ac in aliis multis piis, & ſpiritualibus exercitiis, quibus diligenter vacare videntur. Epiſcopis etiam & ordinariis, in quorum civitatibus converſantur, adjumento ſunt, dum tam diligenter inſerviunt ſaluti fidelium.

ſumma cum Societatis laude.

501 Favet hæc Societas Religionibus omnibus ab Eccleſia ſancta probatis: denique pacis & concordiæ veræ inter omnes eſt ſtudioſa. Affirmamus inſuper, collegia & gymnaſia dictæ Societatis Jeſu, in quibus ipſi juvenes erudiunt pauperes diviteſque, idque gratis, ac ſolùm ex Chriſti amore; animarumque ſalutis, conducibilia eſſe, maximéque utilia ad rectè chriſtianéque juventutem literis & virtutibus informandam: viderique plurimos juvenes in hujuſmodi collegiis in meliores mores eſſe commutatos. Unde Deo gratias

B agimus plurimas, quòd hos ſervos ſuos ſuſcitaverit, qui in tot Eccleſiæ perturbationibus tam diligenter tamque ſincerè Dei honorem procurent, fidem tueantur, Eccleſiam augeant, & cunctorum ſaluti inſerviant. In quorum omnium fidem, præſentes fieri, & per notarium noſtrum publicum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique archiepiſcopalis curiæ Florentinæ (quo in talibus utimur) juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Florentiæ in archiepiſcopali palatio Florentino, anno dominicæ Incarnationis MDLV, Indictione XIII, die verò IV menſis Maii. Ita eſt: Antonius Prætus vicarius ut ſuprà manu propriâ.

Nos Alexander Strezia, præpoſitus Eccleſiæ Florentinæ, unus ex commiſſariis Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in dominio Florentino deputatus, etiam de prædictis fidem facio, & in fidem propria manu hæc ſubſcripſi, die & anno ſupradicto.

Iſidorus de Monte-Acuto Sanctæ Mariæ Novæ hoſpitalarius, unus ex commiſſariis Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in dominio Florentino deputatus, de prædictis fidem facio, & manu propriâ me ſubſcripſi die VI Maii MDLV. *Et apponitur ſigillum; nec non ſubſcriptio* Joannis Vannuccii notarii.

C *Varia alia teſtimonia deſignantur.*

502 *In manibus præterea verſantur apographa originalis teſtimonii Ducis Florentiæ Coſmi II, ejuſque conſiliariorum, quod ſignatur* XXIV *Maii* 1555; *item originalis teſtimonii Ducis & gubernatorum Reip. Genuenſis,* XXIV *Octobris* 1555, *ac Vicarii generalis Neapolitani, die* VII *Septembris anno eodem* 1555; *proregis Siciliæ Joannis de Vega, unà cum toto regii magiſtratus concilio, die* V *Octobris eodem anno* 1555; *Cardinalis archiepiſcopi Meſſanenſis, Joannis Andreæ Mercurii, tituli S. Cyriaci in Thermis, die* XI *Octobris, anno ſæpe dicto* 1555; *legalizatio autem juratorum nobilium Meſſanenſium ſignatur die* XII *ejuſdem menſis & anni. Sed ſuperiora illa hùc tranſcripſiſſe ſufficiat; unde intelligatur, quam parvi valoris fuerit decretum Sorbonicum adversùs Societatem, tot utique ac tam præclaris pro eadem alibi datis teſtimoniis enervatum.*

AUCTORE J. P.

§ XLVIII. Teſtimonia in laudem Societatis data in Hiſpania, Luſitania, Germania, ac Belgio, occaſione ejuſdem decreti Sorbonici; illius in Hiſpania prohibitio.

Favent Societati contra decretum Sorbonicum ſententia data Placentiæ;

IN monumentis noſtris Romanis Mss. notatur Cognitio ſecundùm formam juris habita Placentiæ XVI Maii, anno MDLV, & ſequentibus diebus; per vicarium generalem epiſcopi Placentini; ejuſque ſententia de Societate. *Notatur, inquam; ſeu deſignatur dumtaxat: nam non eſt ſimul hùc miſſus iſtius facti contextus; qui longus admodum eſt, continens utpote undecim folia integra, & multorum jurata teſtimonia contraria decreto Pariſienſi, & valde honorificâ Societati; ſicut in dictis Mss. dicitur. Et mox ibidem deſignantur* jurata teſtimonia multorum data Hiſpali MDLV, XXXI Maii, coram vicario generali archiepiſcopi Hiſpalenſis; *quæ duo continent folia, ac ſimillima ſint teſtimoniis Placentiæ factis; ſecundùm relationem, quæ huic facto adjungitur in ecgrapho noſtro. Teſtimonium autem Univerſitatis Valliſoletanæ, cujus exemplar ibidem habemus, dirigitur inter alios ad ipſum Sanctum, ac placitis decreti Sorbonici valde contrarium eſt, hæc nimirum enuntians; quæ ex eo excerpo:*

E

teſtimonium Univerſitatis Valliſoletanæ.

504 Joannes de Yſunça in decretis licentiatus, Univerſitatis Valliſoletanæ, Palentinæ diœceſis, rector, Cæſareæque majeſtatis cappellanus, ac ejuſdem cappellæ judex ordinarius locumtenens, reverendiſſimo & religioſiſſimo in Chriſto Patri Ignatio de Loyola, eorum, qui Societatis Jeſu crucifixi veri profeſſores exiſtunt, Generali Prælato, univerſiſque & ſingulis ejuſdem Societatis Prælatis, nec non quibuſvis aliis Chriſti fidelibus, præſentium tenorem inſpecturis, ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus... Notum facimus, & teſtimonio publico confirmamus, quod, ad hoc legitima ac ſufficienti per nos ex officio noſtro multorum teſtium præhabita informatione, comperimus, præfatos omnes, & eorum quoſlibet Societatis Chriſti Jeſu, qui in hoc oppido commorantur; & quos ex illis advenire etiam per tranſitum contigit, ſive Prælati & majores eorum ſint, ſive etiam ſubditi & minores fratres, & Societatis miniſtri; apud nos omnes magnâ reverentiâ & amore eſſe: quorum vitam & exemplum, tamquam ſpeculum totius bonitatis contemplamur..

F

Univerſitatis Valliſoletanæ.

505 Multis etiam, ut in viam ſalutis dirigerent greſſus ſuos, etſi mundo irretitis, fuerunt, & ſunt adjumento. *Et enumeratis piis Societatis erga proximum functionibus, ita pergit:* Neque item (quod ſciverimus, aut umquam ſit auditum) in præfata Societate admiſſus eſt, qui non bonis moribus, virtute præditus, & in cæteris requirendis probatus fuerit: facinoroſus aut inutilis, vel malæ famæ, nullus inter eos locum invenit. Scandalum in hoc oppido ullum nullus eorum dedit; neque inventus eſt in opere ſiniſtrò vel etiam in ſpecie mali .. Dignetur Deus veſtram reverendiſſimam Paternitatem, & omnes hujus divini nominis ſocios in ſuo ſancto ſervitio conſervare, &, per totum orbem, veſtrum In-

AUCTORE J. P.

ſtitutum augere : & voti veſtri compotes , nos omnes & univerſos Chriſti fideles ad meliora dirigatis , per eum , qui nos redemit , Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. In quorum teſtimonium, approbationem , commendationem , & certificationem præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtræ Univerſitatis communitas , manu notarii publici hujus ſtudii juſſimus communiri. Datum in noſtro collegio ſanctæ Crucis hujus oppidi Valliſoleti , Palentinæ diœceſis , anno Incarnationis domin.cæ MDLV , pridie Idus Julii .. præſentibus ibidem Dominis Joanne de Frechilla , & Joanne Diaz de Carabantes , ſacræ theologiæ magiſtris , teſtibus ad præmiſſa vocatis, atque rogatis. Licentiatus Joannes de Yſunça rector. *Infrà habetur ſubſcriptio notarii publici* Joannis Manuelis de la Nulla.

ac patrum conſcriptorum Gandienſium,

506 *Inſuper cenſuræ , à collegio Sorbonico Societati inuſtæ , opponitur originale teſtimonium Patrum conſcriptorum Gandienſium , die* XII *Auguſti , anno* 1555 *ad* S. Ignatium *directum : quod ex Romanis noſtris monumentis tranſcriptum eſt. Hæc inde delibo :* Reverendo admodùm Patri

B magiſtro Ignatio de Loyola , Præpoſito Generali Societatis Jeſu, Onofrius Ros juſtitia (*id eſt* judex ,) Vincentius Pereſius , Jacobus Fuſterius , & Franciſcus Sancius , reipublicæ Gandienſis patres conſcripti, ſalutem in Domino ſempiternam .. In hac noſtra , *inquiunt* , republica tuæ reverendæ Paternitatis beneficio & favore collegium fratrum tui Inſtituti & Ordinis à noſtro illuſtriſſimo duce Franciſco à Borgia ſub vocabulo divi Sebaſtiani erectum eſt ; ubi fratres ſub clauſtro Præpoſitique obedientia ita ſanctè , ſobriè , caſtè , piè , religioséque vivunt .. , ut omnibus ſint exemplo , plurimoſque in admirationem trahant. *Et poſt alia circa delectum eorum , qui in Societatem admittuntur , & in laudem operum , quæ Societas exercet &c. , ita concludunt :* Quamobrem quantum Deo primùm tuæ , deinde reverendæ Paternitati debeat hæc noſtra reſpublica pro his illi præſtitis beneficiis , non opis eſt noſtræ judicare , ſed nec recenſere. Quis æquam poterit referre gratiam ? Referat , qui potens eſt omnia in omnibus præſtare. Ceterùm , quod in nobis eſt , ne ingrati judicemur , hæc exequimur,

C innumeras licet impares tuæ reverendæ Paternitati agimus gratias , parati in poſterum , quantum valebimus , tibi obſequi. Vale. Gandiæ pridie Idus Auguſti , anno à Virginis partu LV ſupra MD. Honofrius Ros juſt. (*id eſt* judex , *ut ſuprà* ;) Vincentius Pereſius , Jacobus Fuſterius , Franciſcus Sancius. De mandato dictorum dominorum juſtitiæ & juratorum Gandiæ , Michaël Andreas notarius & ſcriba ipſorum dominorum. *A terga impreſſum eſt ſigillum. Inſcriptio eſt :* Admodùm reverendo Patri magiſtro Ignatio de Loyola , Præpoſito Generali Societatis Jeſu.

uti & varia inſtrumenta, ex Luſitania,

507 *E Luſitania exſtant illa in apographis noſtris Romanis ; nimirum epiſtola regis Luſitaniæ ad ſummum Pontificem data Ulyſſippone menſe Auguſto anni* 1555 *: è qua excerpo iſta ex Hiſpanico. Laudat utique noſtros à fructu magno ; quem feciſſe ac facere eos ſcribit Rex in ſuis regnis ac dominiis ; item à ſana doctrina , vitæ exemplo , delectu eorum , qui admittuntur. Ad hæc, iſtam à ſua Sanctitate gratiam petit , ut ita de Societate ſentiat , neque ſibi dumtaxat ſoli credat eſſe valde acceptam , ſed omni perſonarum ſtatui &c. Eiſdem apographis deſignatur altera ejuſdem Regis in commendationem Societatis epiſtola , affirmans contraria decreto Pariſienſis Facultatis , & data Ulyſſipone, menſe eodem Auguſto* 1555 *, ſermone Luſitanico. Originale item teſtimonium civitatis Ulyſſipponenſis , in commendationem Societatis datum ad* S. Ignatium XX *Auguſti* 1555 *: adde Originale Univerſitatis Conimbricenſis ampliſſimum , oppoſitum decreto Facultatis Pariſienſis , Kalendis Novembris* 1555. *Denique Inquiſitoris Eborenſis fratris Hieronymi ab Oleaſtro, Ordinis Prædicatorum ,* XXVIII *Auguſti* 1555 *autographum.* D

Germania

508 *Ex Germania tot ſunt pro Societate contra decretum Sorbonicum teſtimonia , quot ſunt Ferdinandi regis Romanorum , ac Alberti Bavariæ ducis ad* S. Ignatium *litteræ planè inſignes ; de quibus vide ſuperiora* § 44 *& ſequentibus. Hiſce tamen adde , quam invenire ſe affirmat P. Ignatius Pinius ,* epiſtolam Philippi Jacobi Witmanſtadii, academici Viennenſis , *editam typis Ingolſtadii anno* 1556 , de Societatis Jeſu initiis , progreſſu , rebuſque geſtis nonnullis ; *quam duorum eſſe foliorum , eâque quædam decreti Pariſienſis capita refelli , notat dictus Pater in monumentis Romanis , quæ collegit.* E

ac Belgio.

509 *E Belgio occurrit in citatis apographis teſtimonium , quod* Adrianus Cornelii de Brouwerſhaven , *rector Univerſitatis Lovanienſis , conceſſit die* 2 *Januarii anno* 1556. *Unde excerpo hæc :* Notum , *inquit* , facimus & præſentibus atteſtamur , quod pridem à ſereniſſima Domina Maria regina vidua Hungariæ ac Bohemiæ , ſacræ Cæſareæ Majeſtatis in Germania inferiore locum tenente , facultas ſacræ theologiæ antedictæ Univerſitatis requiſita , ut Bullas & privilegia Societatis Jeſu examinaret , & quid ſibi de illius Inſtituto videretur , referret ; eiſdem Bullis , [&] privilegiis maturè viſis , examinatis & diſcuſſis ; conſideratis quoque moribus & converſatione eorum, qui de dicta Societate hîc pluribus annis magno cum fructu & ædificatione Chriſti fidelium egerunt ; reſpondit eidem ſereniſſimæ reginæ , eorum inſtitutum pium & ſanctum fore , & nihil in eorum privilegiis , Bullis , moribus ac converſatione inveniri , quod toti Eccleſiæ , & in inferiori Germania non ſit expediens & utile. *Si quis hoc teſtimonium integrum legere deſiderat ; inveniet illud apud Orlandinum lib.* 10 *, num.* 105. *Decanus Lovanienſis in epiſtola , quam ad Cardinalem Polum Legatum ſcribit , & cujus exemplar in dictis apographis eſt , poſtquam laudaſſet noſtrorum mores ac labores ,* Facultas , *inquit ,* noſtra theologica apud Majeſtatem reginalem , viſitatis priùs eorum Inſtituto , privilegiis & Bullis Apoſtolicis , ex ejuſdem Majeſtatis mandato, ob eorum converſationem exemplarem ante multos annos teſtata eſt , & reſpondit interrogata ſuper hoc vitæ genere ab eadem , quod omnium mereretur favorem & patrocinium. Quare rogamus reverendiſſimam dominationem veſtram , ut eoſdem commendatos [habeat ,] piumque favorem impendere pergat. Dominus Jeſus eamdem incolumem ſervet Eccleſiæ ſponſæ ſuæ. *Infrà habetur :* Reverendiſſimo & illuſtriſſimo Domino Cardinali Polo Legato Apoſtolico : F

Inquiſitores Cæſaraugu-ſtani ſeveriſſima cenſurâ

510 *Ad hæc , quæ Ribadeneira loco ſuprà citato, occaſione pulchri ſcilicet illius decreti Sorbonici ſcribit :* Porro in Hiſpania , quod Sorbonenſe decretum contra ſacroſanctam Sedis Apoſtolicæ eſſet auctoritatem , à qua religio noſtra probata & confirmata eſt ; fidei quæſitores illud tamquam falſum , & quod pias aures offenderet , ſuo decreto legi prohibuerunt ; *ad hæc , inquam , illuſtranda maximè conducunt , quæ P. Ignatius Pi-*

A *Pinius Romæ exscripsit ex decreto Inquisitorum Cæsaraugustanorum, & sunt ista :* Nos Apostolici Inquisitores, contra hæreticam & apostaticam pravitatem, toto Aragoniæ regno, civitate & Ilerdensi episcopatu constituti . . . Cum nominis Jesu Societas fuerit à summis Pontificibus approbata, . . plerique tamen in hac civitate & in ditionis nostræ terminis, malo animo, alii ignorantiâ moti, malevolè disseminaverunt, quamdam extra Hispanias Universitatem adversùm Societatem prædictam, hæc sanxisse : quod nimirum esset in negotio fidei periculosa, pacis & ecclesiasticæ tranquillitatis perturbativa, & Religionum approbatarum eversiva, & pleraque alia, quibus prædictæ nominis Jesu Societati, Sedi Apostolicæ, & auctoritati detractum videtur. .

proscribunt decretum Sorbonicum.

511 Quæ omnia à nobis diligenter expensa, . . re cum doctissimis piisque hominibus communicatâ, censuimus omnibus & singulis nostræ ditionis hominibus sanctæ obedientiæ nomine esse præcipiendum, & majoris excommunicationis pœnâ, & quod suspecti, Apostolicæque Sedis detractores sint habendi, quicumque scripta habuerint ulla, quæ de hac re loquantur, si ad nos & sancti Officii ædes non comportarint. Tum qui intellexerint, in præsenti causâ liberiùs & tamquam malè sentientes de hujus Societatis approbatione locutos, volumus, ut sancto Officio significare, & infrà triduum à proclamatione edicti, detegere velint, nec posthac quis in hujusmodi negotiis obloquatur . . Prædicto etiam hoc edicto volumus severissimè fore puniendos, qui huic mandato nostro non paruerint . . . Datum Cæsaraugustæ in æde regia de la Aljaferia XIV die mensis Novembris MDLVI. Subscriptum à R. P. Inquisitore. Licentiatus Cerbantes de Gaeta. Ex mandato R. P. Joannes Thomas Prado sancti officii secretarius.

B

§ XLIX. Societas Belgica ; S. Ignatii in gubernanda Societate administer ; gratia apud Marcellum PP. II, ac Paulum IV.

C

Mittitur Ribadeneira in Belgium ad Philippum 2, ut admittatur ibi Societas :

S*Tatum nostræ Societatis apud Belgas, vivente etiamnum* S. Ignatio, *narrat Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 15 *his verbis :* Semper aliqui ex Societate Galliam Belgicam coluerunt, qui & Lovanii Adriano ab Adriano, & Coloniæ Agrippinæ, Leonardo Kesselio rectore, litterarum studia, ac pietatis exercebant officia, multique animos ad nostrum institutum applicabant, *&c.* Quod *verò* nulla Religio per illius provinciæ leges, absque regis concessu, novas in eo sedes obtinere potest, cum Philippo rege de Societate in ea regione constituenda, ut transigeret, *Petrus Ribadeneira eò missus ab Ignatio est. De qua re exstat epistola, quam sanctus Pater, audita Caroli V abdicatione, ad Philippum ejus filium, atque Hispanicarum ditionum successorem, dedit Romæ die* XXIII *Octobris* 1555, *Ribadeneiram cum hac mittens, ut Societas in Belgio admitteretur. Epistola illa ex Hispanico Latinè reddita profertur in Imagine primi seculi Societatis Jesu lib.* 6, *cap.* 1. *Quænam autem Antverpiæ circa Idus Martii anno* 1556 *Ribadeneira ad Philippum re-*

gem admissus, post redditas Ignatii *litteras, exposuerit, & quanto laboratum fuerit opere, ut Societas in Belgium reciperetur, scribit Orlandinus lib.* 16, *à num.* 28 ; *ubi & de Viglio Zuichemo, concilii præside, adversariorum causam strenuè agente.* AUCTORE J. P.

513 *Apud me est ecgraphum epistolæ originalis, à Ludovico Blosio ad P. Adrianum datæ Bruxellis ; quæ in nostris Romanis monumentis continetur, & sic ad rem nostram pronuntiat :* Pater mi Adriane, nos crastina die manè sumus hinc discessuri. Suscepit aula meas excusationes : benedictus Deus. Manebo itaque apud Lætienses. Mitto ad te exemplum epistolæ Gallicæ, quam hinc discedens, scripturus sum D. præsidi Viglio. Aliquis isthic poterit eam interpretari, ut intelligas, quæ scripsi. Bene vale in Domino, & ora pro nobis. Bruxellis hac Dominica Lætare. Commendamus nos etiam precibus patris Arnoldi. *Inscriptio est :* Venerando domino M. Adriano ab Antverpia, præposito scholasticorum Societatis Jesu. Lovanii. *Huic epistolæ adhærere exemplum alterius in eodem folio, nempe à Blosio scribendæ ad præsidem Viglium, observat P. Ignatius Pinius ; addens, hoc exemplum non esse scriptum manu Blosii : esse tamen ab ipso missum patri Adriano. Nonnulla ex eodem excerpo, cum illius etiam apographum præ manibus habeam.* *tui rei allaboravit Blosius,*

E

514 *Postquam præmisisset Blosius, magnam sibi jam pridem cum magistro Adriano, & cum aliis ex Societate, familiaritatem fuisse ; ad laudes Societatis delapsus, affirmat, plus esse quam manifestum, quod dicta Societas erecta sit ex Dei voluntate ; quodque quasi ultimus Ordo sit, quem Deus misit ad suam Ecclesiam pro salute multorum. Addit insuper, Deum per homines Societatis magna operari in Indiis, in Hispania, in Lusitania, Italia, & alibi. Nec prætermittit mentionem injicere de fructu ad oculum patente Lovanii, ac de privilegiis à Sede Apostolica Societati concessis, tamquam vocationi nostræ necessariis, tametsi magis amplis, quam illa, quæ in antiquis canonibus continentur, & religiosis aliis indulta sunt, non tamen Ecclesiæ contrariis, neque in ejusdem perturbationem vergentibus ; sed potiùs conducentibus ad spiritualem utilitatem, & salutem animarum. Ad hæc, duos Pontifices proximè sibi succedentes matura cum deliberatione comprobasse dictam Societatem commemorat, nec non principes Christianos quasi ubique locorum optimè erga eam esse affectos : rem esse à ratione alienam, cogitare, quod hujusmodi domini atque homines frugi, bono consilio utentes, in hac parte decepti fuerint. Quod si, ex mea, ait, voluntate, in hoc Belgio, prout alibi, haberet aliqua erecta collegia, spero, hoc admodum conducturum ad honorem Dei, & bonum animarum ; sed vereor, inquit, ut etiamnum simus digni accipere tale beneficium à Deo. Oblata verò occasione loquendi de hominibus Societatis coram imperatore, regina, vel in concilio, suadet, ne facilè ipsis sit contrarius &c. Hinc perspicuum est, quantopere venerabilis Ludovicus Blosius res Societatis in Belgio cordi habuerit apud Viglium præsidem.* *datis ad Viglium litteris in favorem Societatis ;*

F

515 *Quidquid verò, agente contra illum Ribadeneira, impetratum est in favorem Societatis, quibus inter mortales debeatur, invenies apud Orlandinum lib.* 16, *num.* 33. At verò inter Beatos, *inquit*, Ribadeneira Ignatio tribuebat. Cùm enim septem mensium dimicatione nihil penè esset promotum, difficultatesque in dies novæ aliæ super alias coorirentur, tertio post Igna- *cujus in Belgio admissio tribuitur Sancto : antea tamen circa collegium Bruxellense quædam facta.*

AUCTORE J. P.

tii obitum die transacta res est, tametsi litteræ paulo pòst Societati sunt datæ. *Ceterùm de Societate in Belgio aditu perangusto admissa ob adjectas conditiones, sed quæ postea à Philippo rege planè sublatæ sint, meminit Orlandinus ibidem. Oportet tamen, ut ante regnum Philippi II tentata quædam atque impetrata fuerint pro erectione collegii nostri Bruxellensis, apud Carolum V, secundùm ea, quæ inter apographa nostra Romana exstant in quodam fragmento epistolæ Hispanicæ, à regia majestate datæ Bruxellis die* VI *Aprilis anno* 1554; *quâ nostris indulget gratiam tantæ terræ ex vacuo spatio murorum, quanti valet summa quatuor mille scutorum semel; ut eâ inchoare possint collegium suum. Hæc de Societate Belgica. Nunc alia quædam extremis sancti Parentis nostri annis gesta prosequamur.*

P. Natalis S. Ignatio adjutor adlectus

516 *De P. Natale, qui in administranda Societate* S. Ignatio *adjutor adlectus est, Orlandinus ad annum* 1554, *num.* 17 *ita fatur:* Rediit ex Hispania Romam per autumnum Natalis plurimùm exoptatus, pauciscque pòst diebus in cuncta Societate administranda beato Patri subjunctus est. Cùm enim pariter cum Societatis incrementis, curæ ejus regendæ crescerent, atque Ignatius in assidua morbi conflictatione ægrè jam vitam, ac plerumque decumbens traheret; pro eo quanti intererat, quam diutissimè eum institutæ ab se familiæ quasi liberis parentem adesse superstitem; auctores illi fuere ii, quos ad consilia adhibebat, ut aliquem adsciscceret, in quem partem oneris declinaret. Is, re facilè comprobata, convocatis, quotquot Romæ degebant, de Societate sacerdotibus, uno alterove excepto tirone, rei gravitatem exposuit. Sacrificia in triduum ac preces edixit, insuper admonens, ut de idonea ei muneri persona invicem interrogando cognoscerent.

B

In administranda Societate.

517 Quibus rebus peractis, die Sanctorum omnium solenni rursus unum in locum coacti, communi consensu, vix uno desiderato suffragio, Natalem designant. Et ratam habuit lectionem Ignatius. Quam potestatem cum hi vicarii, alii commissarii generalis nomine afficerent, ipse Natalis ejus fuit sententiæ, ut nomine nullo insigniretur. Quod nihil esset magis necessarium Societati, quàm Præpositi Generalis auctoritatem summam & illibatam vigere. Nec sanè postea multum, ut ex narrationis cursu constabit, ejus operâ beatus Pater in Urbe usus est. *Ita Orlandinus.*

C

Marcellus PP. II maximâ erga S. Ignatium

518 *Anno Christi* 1555 *Julio PP. III è vita sublato, successit Marcellus Cervinus, ob brevissimum dierum aliquot regimen, Cathedræ S. Petri non tam datus, quam commodatus.* Ad hunc, *Maffeio narrante lib.* 2, *cap.* 22, Ignatius pro veteri familiaritate, cum adorandi & gratulandi causâ veniisset; arctè amplexus hominem Pontifex, & suaviissimè exosculatus, multa cum eo inambulans de fidei Christianæ propagatione, deque restituenda ecclesiastica disciplina seriò contulit; atque ob id ipsum nonnullos ab eo petiit viros, quos haberet apud se, consilii causâ. Ceterùm in primis dilexit Jacobum Lainem, & Martinum Olavium; quorum videlicet utriusque virtutem ac sapientiam optimè noverat. Nam de Francisco Xaverio, cujus fama, rebusque gestis valde permovebatur, jam antè exoraverat, ut illum omnino Romam ex India revocaret: quòd tanti viri videndi, ruendique in ejus amplexum, miro quodam desiderio teneretur.

519 Quin etiam nostros, quotquot ea tempestate Romæ versabantur, ad se in palatium adduci jusserat: quòd hasce copiolas recensere, & singulos coram quasi bonus imperator milites vellet inspicere. Denique multis de nostra Societate verbis ultro citroque habitis, Tu bellatores, inquit Pontifex, confice: nos utemur. Cum ab eo congressu, aliisque deinde colloquiis lætus admodum discessisset Ignatius, & optima spe Societatem implesset, brevi ea lætitia cunctis evanuit: siquidem Marcellus altero & vicesimo die, quàm Pontifex declaratus fuerat, febri extinctus, ingenti omnium luctu, Christianam rempublicam orbam ac debilitatam reliquit.

D

ac sobolem ejus affectus;

520 *Paulus IV, qui Marcello II successit, quomodo erga* Ignatium *ac Societatem fuerit affectus, breviter perstringit Maffeius cap.* 33; *quæ magis deducit Orlandinus lib.* 15, *à num.* 4. *Transcribo, quæ huc potissimùm pertinent.* Cum ad pedis osculum renuntiati Pontificis cum suis aliquot accessisset Ignatius, mirum, quam amanter ab eo, quamque honorificè sit exceptus. Eademque benignitate, honorisque significatione paucis pòst diebus Ignatium Pontifex accersitum, multa de suis, multa de regis Ferdinandi rebus colloquentem, non in genua provolutum, uti mos est (neque enim passus est umquam ab Ignatio se de genibus, ac ne aperto quidem capite compellari) sed secum per cubiculum inambulantem, multis inspectantibus & admirantibus audivit: supplici concessit omnia, & quidquid pro Ferdinando postulaverat, largè dedit. Quin etiam Cardinalis Joannes Michaël Saracenus, qui gratiâ plurimùm apud Paulum, & auctoritate valebat, quique ejus pontificatûs initio unus omnia gerere dicebatur, cum quædam & ipse à Pontifice postulasset, ejus postulata Paulus ad Ignatium remisit. Narrabatque Cardinalis Augustanus Otho Truchses, se ex ore Pontificis Ignatium admiratum, cum ea in sermone de eo diceret Societateque, ut, si sibi quippiam esset cum Pontifice transigendum, negaret se alium ad id conficiendum præter Ignatium, cujus tanta esset apud illum auctoritas, adhibiturum. *Atque hæc quidem hactenus de rebus à* S. Ignatio *in vita præclare gestis; nunc, quam pretiosa fuerit in conspectu Domini mors ipsius, expediam.*

uti & Paulus 4 *erga Sanctum.*

E

§ L. Sancti morbus, mors, ejusque adjuncta.

F

Sanctus tres præficit Societati; in vineam secedens, at deteriùs habens, ad suos redit.

PAulo ante obitum, *inquit P. Franciscus Sacchinus Historiæ Societatis nostræ part.* 2, *lib.* 1, *num.* 22, Ignatius Joannem Polancum, & Christophorum Madridium, qui propemodum tiro, necdum professorum ex ordine, sed magnæ vir auctoritatis erat; itemque Hieronymum Natalem, collatis inter se consiliis, in administranda Societate, cui rei vacare ipsum graves assiduæque morborum molestiæ non sinebant, suprema voluerat uti potestate. *Ad hæc, Sanctus noster supremis vitæ suæ diebus in vineam secessit; ex Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 16. *Sita erat in Urbe. Villam vocat Maffeius lib.* 2, *cap.* 23, quam, *inquit*, non longè ab æde S. Balbinæ, ad Thermas Antoninianas .. nuper exstruxerat; *& rebus quidem collegii in arcto positis (ut videre est apud Orlandinum lib.* 15, *num.* 6,) *ingenti in Deum fiduciâ nixus, ut esset recessus ægris & valetudinariis apricus ac liber, nec non studiosæ collegii juventuti locus relaxationis, sicut ibidem indicatur. Locus autem, ne quid optimi Parentis valetudini*

A *tudini officeret, inſpici juſſus à medico, ex narratione Orlandini lib. 16, num. 94. Ribadeneira*, Ibi *ipſum* cæli gravitate, caloribus maximis ſolito cœpiſſe habere deteriùs, *affirmat. Maffeius* Ibi, *ait*, vel tectorio novi operis malè acceptus, vel urgente jam ſenio, letalem in febrem incidit; ſic, ut cum ejus intima urerentur præcordia, nullus in facie pallor, nulla in toto corpore ſigna mortis exiſterent; tantùm inſolita quædam laſſitudo in membris ac motu apparebat. *Ex vinea domum reverſo ſancto Patre, quænam acciderint, referamus. Brevis eſt hîc adeo Ribadeneira, ut convenienter aliunde ſuppleri debeat.*

Ex epiſtola P. Joannis Polanci

522 *Aſſervo apographum epiſtolæ patris Joannis Polanci* (quo in omni genere vel ſcribendarum litterarum, vel negotiorum, novem annos fuerat uſus *ſanctus Pater, teſte Ribadeneira ibid.*) *de morte ejuſque adjunctis, inter alia monumenta Romana à P. Ignatio Pinio mecum communicata: quam ex Italico ita Latinam exhibeo:* Pax Chriſti &c. Hiſce ſignifico Reverentiæ veſtræ, noſtriſque omnibus, qui ei ſubſunt, fratribus, Deo placitum fuiſſe, benedictum Patrem noſtrum

B magiſtrum Ignatium ad ſe evocare die Veneris manè, Julii ultimo, in pervigilio S. Petri in Vinculis; iis, quæ illum tenebant in mortali carne ligatum, diſruptis, in libertatem electorum ejus aſſertum. Audivit tandem beati iſtius Servi ſui deſiderium; qui tametſi magna cum patientia & fortitudine perferret ſuam peregrinationem, ac labores ejus; multis tamen abhinc annis deſiderabat in cæleſti patria videre ac glorificare ſuum Creatorem ac Dominum: cujus divina providentia illum nobis reliquit hactenus, ut exemplo ejus, prudentiâ, auctoritate, atque orationibus, hoc minimæ noſtræ Societatis opus proveheretur in melius, ſicut per illum fuerat inchoatum. Et nunc, quando firmæ utcumque, uti apparet, erant ejus radices, ut planta iſta ejuſque fructus in tot orbis partibus incrementum caperent atque augmentum, ſuſtulit ipſum in cælum, ut tantò uberiorem gratiæ ipſius copiam nobis impetret, quanto cum ejuſdem & omnis boni abyſſo eſt conjunctior.

Narrantur

523 Quamquam autem fieri non poſſit, quin in hac domo & collegiis ſentiatur jactura amabilis præſentiæ tanti Patris, quo privamur; ſenſus tamen nihilominus doloris eſt expers; &

C pia quædam affectio ineſt lacrymis, atque orbitati, augmentum ſpei & ſpiritualis alacritatis. Nobis videtur, quantum quidem ad ipſum ſpectat, jam eſſe tempus, ut labores ejus adeo continui ad veram requiem, infirmitates ejus ad veram ſalutem, lacrymæ ejus atque continua tolerantia ad beatitudinem ac perpetuam felicitatem pervenirent. Quantum verò ad nos attinet, in animum inducimus, eum à nobis non eſſe amiſſum; ſed etiam numquam magis, quàm nunc, ſperamus, ipſum nobis auxilio futurum ardentiſſima ſua caritate, divinamque miſericordiam, interpellatione ejus, amplificaturam ſpiritum, numerum, ac fundatores noſtræ Societatis, pro communi bono Eccleſiæ ſuæ.

S. Ignatii

524 Et quia cupiet R. V. aliquanto diſtinctiùs intelligere dicti Patris noſtri, qui eſt in gloria, tranſitum; ſciat, admodùm ei facilem illum accidiſſe, & non duraſſe unâ horâ, poſtquam animadvertimus, eum è vita diſcedere. Habebamus domi multos ægrotos, & inter illos patrem magiſtrum Lainium, & dominum Joannem de Mendozza *, alioſque nonnullos graviter affectos. Patrem etiam noſtrum tentabat aliqua in-

*al. Mendoça

valetudo: quia quatuor aut quinque diebus laboraverat febriculâ; ſed dubitabatur, an eâ laboraret, nec ne: etiamſi ſe tunc, uti aliis vicibus, ſentiret eſſe valde debilem. Sic itaque die Mercurii me vocavit, monuitque, ut dicerem doctori Torres, ut ſui quoque, ſicut aliorum infirmorum, curam gereret; nam cum ægritudo ejus nihili fieret, magis attendebatur aliis, quàm ipſi. Et ſic is quidem fecit: atque alius magni nominis medicus, amicus noſter, dictus magiſter Alexander, etiam quotidie illum viſitabat. Die Jovis ſequente juſſit me advocari poſt horam vigeſimam, valetudinis curatore è cubiculo exire juſſo, ac mihi dixit, opportunum fore, ſi irem ad S. Petri, & curarem ſignificari ſuæ Sanctitati, quod ad extrema admodùm eſſet perductus, nec ſpes ſibi quaſi ſupereſſet ulla vitæ temporalis; quod demum ſuæ Sanctitati ſupplicaret, ut ſibi ac magiſtro Lainio, qui etiam periclitabatur, bene precaretur; quodque, ſi Deus Dominus noſter ſibi gratiam faceret, vocandi ſe ad cælum, ibi pro ſua Sanctitate oraturi eſſent, uti quotidie oraverant in terris.

AUCTORE J. P.

525 Reſpondi; Pater, medici non deprehendunt periculum in iſta Reverentiæ veſtiæ infirmitate: & ego, quod ad me attinet, ſpero fore, ut Deus nobis conſervet Reverentiam veſtram per annos aliquot ad obſequium ſuum. An tam ſe habet malè R. V. quam ille? Reſpondit mihi: Adeo, ut nihil ſuperſit, niſi ut animam exhalem: aut aliquid ſimile. Ego tamen, quam verè habebam, oſtendebam me habere ſpem longioris vitæ ejus; ſed officio iſto nie functurum: & rogavi, num ſatis eſſet, ire die Veneris ſequente: quia iſto veſpere viâ Genuenſi in Hiſpaniam litteras dabam, curſorque diſcedebat die Jovis. Reſpondit, Gratius mihi accideret, ſi hodie fieret potiùs, quam cras: aut quanto citiùs, tantò gratiùs. Sed age, prout tibi viſum fuerit: me tibi liberè permitto. Ego, ut poſſem dicere, quod medicorum judicio periclitaretur, ſiquidem illi ita ſentirent, iſtâ eâdem veſperâ rogavi præcipuum (erat is magiſter Alexander) ut mihi candidè diceret, ſi in periculo verſaretur Pater noſter; quia talia ad Papam deferre me juſſerat. Reſpondit: Hodie nihil poſſum dicere de ejus periculo; dicam cras.

morbus, E

F

526 Hæc cum ita eſſent, cumque ſe mihi commiſiſſet Pater, viſum mihi fuit, humano modo in hac re procedenti, exſpectare uſque ad diem Veneris ſequentem, ut medicorum judicium intelligerem: eâdemque iſtâ veſperâ diei Jovis, ad horam veſperæ primam, doctor Madridius & ego adſumus in cœna Patris noſtri, qui, more ſuo, cœnavit bene, & ſermonem nobiſcum contulit; adeo ut ego cubitum conceſſerim ſine ſuſpicione ulla periculi iſtius infirmitatis. Manè ad ortum ſolis invenimus Patrem noſtrum in extremis degentem: & mox properè me contuli ad S. Petri; & Pontifex magnam oſtendit doloris ſignificationem, beneque ei precatus eſt, ac quam poterat amantiſſimè. Et ſic ante ſecundam ab ortu ſolis horam, P. doctore Madridio, & magiſtro Andrea Fruſio ibidem præſentibus, animam ſuo Creatori reddidit placidiſſimè. Expendimus hujus ſancti Senis humilitatem; qui de ſuo certus tranſitu (ſecundùm id, quod pridie oſtenderat; neque enim recordor, quod viderim eum affirmare rem futuram, cum hujuſmodi certitudinis demonſtratione, qualis fuit iſta, & illa de providentiæ ſubſidiis Romæ affuturis, quæ nobis uno antè anno promiſit, ſicut poſtea eo-

ejuſdemque, ut & Sancti obitûs

AUCTORE J. P.

dem tempore res accidit) ita certus, inquam, de ſuo tranſitu, nec nos vocare voluit, ut nobis benediceret, neque aliud dare indicium: quæ in tali caſu aliqui Dei ſervi præſtare ſolent.

adjuncta.

527 Verùm ſicut ille adeo de ſe ſentiebat demiſſè, neque volebat, ut alio, quam Deo, fiducia Societatis fulciretur, communi more ex hoc mundo tranſivit. Et hanc fortè à Deo gratiam impetraverit, cujus ſolam gloriam habebat præ oculis, ut alia non apparerent in ejus morte ſigna; ſicut in vita fuit ei ſolenne, ſecreta Dei dona cooperire; nonnullis exceptis, quæ ædificationis gratiâ debebant manifeſtari. Simili modo divina ſapientia in ſervis ſuis nonnumquam demonſtrat miracula ſub ſenſum cadentia, ut illi, qui parum habent fidei aut capacitatis, eiſdem moveantur. Et nonnumquam miraculorum loco demonſtrat magnarum ac ſolidarum virtutum effectus, ac certa gratiæ ſuæ teſtimonia in bonum illorum, qui apertos habent oculos lumine fidei, & aliorum donorum ſpiritualium. Atque hoc ſecundo modo videtur uſa providentia

B ejus erga Societatis caput, ſicut eo utitur erga ejuſdem membra, per totum, quà patet, terrarum orbem oſtendens ex motu animorum, converſione, fructuque eorum ſpirituali, per adeo debilia in tot mundi partibus inſtrumenta, ſive illos qui intra, ſive illos qui extra Societatem ſunt, ſpectes; quod digitus Dei eſt hic.

Inſpectio & unctio corporis,

528 Sed redeundo ad propoſitum; poſtquam ex hoc mundo tranſiiſſet Pater noſter, ad conſervandum corpus, viſum eſt conveniens, ut inde eximerentur inteſtina, & utcumque illud balſamo condiretur. Et hæc etiam res magnæ ædificationi atque admirationi fuit: ejus namque ſtomachus ac venter vacuus ac reſtrictus: unde periti artis iſtius ſeculares inferebant magnas præteriti temporis abſtinentias, magnamque conſtantiam ac fortitudinem ejus; quòd in tanta debilitate ſe fatigabat tantopere, ac cum tam læto atque æquabili vultu. Inſpectum etiam fuit hepar, in quo tres inerant lapilli, ejuſdem teſtes abſtinentiæ, ex qua induratum fuit: confirmaturque id, quod bonus ſenex Jacobus Eguia (qui eſt in gloria) dicebat; Patrem utique noſtrum jam pridem per miraculum vivere: propterea quod non ſcio, quomodo tali cum jecore modo naturali vitam agere potuerit, niſi Deus Dominus noſter illum tunc Societati neceſſarium, corporeorum organorum defectum ſupplens, in vita

C conſervarit.

ſepultura ejuſdem ac veneratio publica:

529 Diſtulimus benedicti ejus corporis ſepulturam uſque ad Sabbatum poſt veſperam; multuſque piorum concurſus, ac pia eorum affectio fuere; tametſi in eodem, quo exſpiraſſet, manſerit loco: his manus ipſius oſculantibus, illis pedes, aliis corpus tangentibus cum patribus noſtris. Laboravimus in arcendis illis, quorum hi quidem volebant partem birreti alicujus, iſti è veſtibus; aut rapiebant ex ligulis adſtrictoriis, vel tegumentis capitis nocturnis, rebuſve ejus: quamquam nihil ex hiſce datum ipſis ſit, qui eas rogabant; neque, dum id ſciebamus, permiſſum. Quidam è pictoribus nonnullas pariter vultus ejus effigies formarunt. Quoad vixit, numquam hoc permiſit; etiamſi multi id petierint. In majore eccleſiæ noſtræ ſacello ad cornu Euangelii, parvum effodimus ſepulcrum: ubi depoſitum corpus in arca, poſtquam de more dictum eſſet Officium, ac magno coopertum lapide, qui auferri poterit, quando neceſſe fuerit. Ibique erit quaſi in depoſito; donec videatur, an aliud non conveniat.

D

Sacrificia ac preces noſtris indicta &c.

530 Doctor Olavius ivit, ut ſummo Pontifici mortem renuntiaret: & Sanctitas ſua affectum, quo Societatem proſecuta fuerat in omnibus, per quos tranſierat, gradibus teſtificans, ſe obtulit inſtar boni patris &c. Nonnulli è Cardinalibus præcipuis idem fecere, uti & alii amici varii, prolixè ſeſe offerentes Societati. Deo Domino noſtro ſit laus; quia ipſe eſt fortitudo noſtra & ſpes. Tribus diebus omnes ad aram fecimus pro Patre noſtro: tametſi nonnulli non minore religionis affectione moveri poterant, ut ſeſe commendarent ei, quàm ut eum commendarent Deo Domino noſtro. Fiat tamen ubique id quod eſt rationi congruum, cum circa triduanas Miſſas (quæ ut omnes ſint de Requiem, neceſſe non eſt) tum circa orationes fratrum noſtrorum, qui ſacerdotes non ſunt. Non invenimus capſam, nec armariolum ullum ſcriptorium clauſum, præter aliquas capſulas; quarum illæ, quibus utebatur, reculas nonnullas continebant ſibi accommodatas, & quaſdam coronas beatæ Virginis benedictas, ac cerea numiſmata, quæ vocantur Agnus Dei, ex iis, quæ ſolebant diſtribui. Duodecim reliquit provincias. Romæ... Servus in Jeſu Joannes de Polanco.

E

Obſervationes in dictam epiſtolam.

531 *Obſerva* 1. *Id quod ex Polanco diximus,* ac magiſtro Laynez bene precaretur; *Orlandinus lib.* 16, *num.* 96 *ſic habet*, Verum & alteri è patribus benedictionem atque indulgentiam refer. Quæ audiens Polanus, alterum quidem illum, quem Pater moriturum ſignificabat, Lainium ſuſpicabatur eſſe, qui propè depoſitus decumbebat; quamquam non Lainii, ſed Olavii mortem præſignificatam eventus oſtendit. *Et verò, ſicut notat Bartolus lib.* 4, *num.* 31, *quia Lainius eò erat redactus, ut biduo pòſt extremo viatico & oleo ſacro fuerit munitus; Polanus, qui epiſtolam ſcripſit die* VI *Auguſti, antequam infirmaretur Olavius, neutiquam dubitavit, quin Lainius fuerit ille alter, cujus nomen Sanctus non expreſſit. Addit Bartolus, quod ipſemet hoc adverterit Polanus, ſeſeque correxerit in tertio Hiſtoriarum, quas reliquit, tomo. Proin nihil Polanci epiſtola officit* S. Ignatii *prædictioni de futuro ſibi Lainio in gubernatione Societatis ſucceſſore. Vide Ribadeneiram lib.* 4, *cap.* 17. *Obſerva* 2. *Quamquam epiſtola Polanci excuſa ſit apud Bartolum loco ſuperiùs deſignato; illa tamen ibi non datur integra, ſed reſecta ſub finem aliqua ſui parte; nec primigenia datur phraſi, ſed mutato ſtylo. Nos verò eam hic totam producimus, & nova interpretatione donamus ſecundùm phraſim exemplaris illius, quod P. Ignatius Pinius è Romano archivo deſcribi curavit.*

F

Societas ob magna merita Duci Bavaro obſtricta,

532 *Huic epiſtolæ ecgraphum alterius, quæ miſſa fuit die* XIV *Auguſti anno* 1556 *ad Ducem Bavariæ, exemplum ſubjicio ex noſtro ſpicilegio Romano, his verbis expreſſum:* IHS. Illuſtriſſime Princeps, ac Domine in Chriſto obſervandiſſime. Gratia & amor Domini noſtri Jeſu Chriſti Veſtræ Excellentiæ animum, cum perpetuo donorum ſpiritualium incremento inhabitet, atque ornet, Amen. Memores ſingularis illius in Vam. Excellam. obſervantiæ, ac ſtudii Patris noſtri chariſſimi Magiſtri Ignatii, ſanctæ memoriæ, quodque tota hæc Societas noſtra, à multis annis ſingulari quodam affectu Te cum illuſtriſſima tua domo, ut patronum certiſſimum, non Ingoldſtadii ſolùm, ſed ubique gentium agnoſcat, non videremur ſatis feciſſe officio noſtro, ſi Veſtram Excell. certiorem non faceremus de ejuſdem Patris, ac primi

A mi noſtri Præpoſiti Generalis Societatis hujus Fundatoris, migratione, quem divina, ac ſumma Bonitas à præſenti vita ereptum, in aliam felicem æternamque, ab ipſo multum diuque deſideratam tranſtulit. Ferebat ille quidem corporis ſui continuam ægritudinem, magnâ animi fortitudine, atque conſtantiâ (quæ in eo ſingularis ſemper eluxit;) ſed à compluribus hinc annis æſtuabat ſancto deſiderio aſſiſtendi, & adhærendi Creatori ſuo, eumque in cæleſti illo regno perfectiùs laudandi. Sit nomen Domini Jeſu benedictum, qui talem nobis Patrem & dedit & abſtulit.

nuntiat ei obitum Sancti, atque electionem Vicarii,

533 Quamvis tamen privati ſimus tanti Viri corporali præſentia, in eam ſpem divina eadem Bonitas nos adducit, ut nobis Patris noſtri operam è cælo magis profuturam, quàm umquam in terris profuerit, ſperemus: ac proinde ab ipſius obitu, non ſolùm non deſpondemus animum, aut in ſpe progreſſûs noſtræ Societatis debiliores efficimur; verùm lætiores, alacrioreſque ſolito, ad ea omnia, quæ noſtrum Inſtitutum expoſcit, nos reddi experimur. In hac enim Patris noſtri commutatione cæleſtis vitæ pro terrena, eò copioſius majuſque auxilium ab eo expectamus, B quo is eſt gratiæ ſpiritualis, ac bonorum omnium fonti propinquior. Nec dubitamus, quod, qui in humanis agens, ſolitus erat tam crebro pro V. E. & univerſa Bavaria preces ad Deum effundere, id ſit in patria cæleſti & ardentiùs petiturus, & efficaciùs impetraturus. Dum ex univerſa Societate, (quæ per totum penè orbem, ubi Chriſti religio viget, ſparſa eſt, & in tredecim provincias diſtributa) illi conveniunt, penes quos auctoritas erit Præpoſitum Generalem eligendi, Vicarium elegimus eum, qui Italiæ Præpoſitus Provincialis erat.

ejuſque benevolentiæ ſe commendat.

534 Tam ipſe, licet ægrotet, quàm nos omnes V. E. obnixè oramus, ut eodem loco, quo priùs, nos habeat, ac ſibi perſuadeat, nos à Patre noſtro non degeneraturos, ſemperque, ut ille fuit, ad V. E. & ſuorum ſucceſſorum obſequium, & omnium ſuorum ſubditorum, paratiſſimos fore, quantum nobis per vitæ noſtræ rationem, viriumque noſtrarum imbecillitatem licebit, ad gloriam & honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus ſumma & infinita bonitas det omnibus gratiam, quâ ipſius voluntatem omnes intelligamus, & intellectæ ſemper obtemperemus. Romæ XIV Auguſti MDLVI. *Ejuſdem exempli epiſtolam ſcriptam fuiſſe ad Cardinalem Farneſium, & Cardinales alios, ſubditur in noſtro apographo.* C

Nonnulla ex prædictis punctis

535 *Tametſi verò ſuperior illa Polanci epiſtola circa ſancti Parentis obitum, & adjuncta ejus, ſuggerit fere quidquid in hoc genere deſideres; aliunde tamen res tunc geſtas confirmo ac declaro ex monumentis noſtris Romanis, inter quæ eſt apographum epiſtolæ Italicæ, quam P. Nicolaus Lancicius die* XVIII *Junii anno* 1599 *Romæ inſcripſit* Cariſſimo in Chriſto fratri Thomæ Cannicari, Societatis Jeſu; in Reggio, *id eſt, Rhegii Julii, urbe maritima in Calabria ulteriore, quantum ſuſpicor: quia epiſtolæ Lancicii inſcripta ſunt reſponſa Cannicari, hoc titulo, qui ex Italico Latinè ſic ſonat:* De quibuſdam rebus B. Ignatii reſponſio miſſa è Sicilia ab eo, qui fuit infirmarius beati Patris, dum obiit. *Quæſita illa Lancicii, nec non Cannicari reſponſa ſic ex Italico interpretor atque explano. Quærit Lancicius* 1°. Quando benedictus pater Ignatius fuit apertus poſt mortem, an inteſtina relicta fuerunt intus, an extracta foris, & alibi ſepulta? An ſic illi tres lapides, qui in hepatis vena reperti fuere. AUCTORE J. P. *Reſpondet Cannicarus:* Extracta & ſepulta ſunt in ſacello Dominæ noſtræ: de lapidibus nihil ſcio; *id eſt, prout ex propoſita quæſtione interpretor, de eorum ſepultura: alioqui de eorum veritate conſtat ex Polanci epiſtola; cui adde Maffeium lib.* 2 *cap. ultimo:* Realdus Columbus, *inquit*, egregius ea tempeſtate ſector, qui aperiendo interfuit, in hepatis vena, quæ Porta dicitur, lapides tres ſeſe inveniſſe teſtatur in ſuo de Anatomia libro. *Quærit Lancicius* 2°. An corpus ejus fuit conditum balſamo; & an multùm, an parum? *Reſpondet Cannicarus:* Fuit ſatis conditum balſamo.

per reſponſa ad epiſtolam Lancicii declarantur ac confirmantur.

536 *Quærit Lancicius* 3°: An fuit ſepultus cum planeta, & cujus erat coloris? *Reſpondet Cannicarus:* Cum planeta; ſed coloris non recordor. *Fuiſſe verò aurei coloris, ſeu mali aurei, conficitur ex dicendis infrà* § 107. *Quærit Lancicius* 4°: An per illud biduum, quo manſit inſepultus, habebat malum odorem? *Reſpondet Cannicarus:* Non habebat; ſed bonum. *Quærit Lancicius* 5°: An recordatur, à quo communionem acceperit, & quâ horâ: & an eam acceperit intra lectum, vel extra, flexis genibus: & an recordatur actionis alicujus, ab eo factæ; quæ non E exſtet in Ribadeneira? *Reſpondet Cannicarus:* Non recordor. *Communicaſſe Sanctum corpori Domini die* XXVIII *Julii, cum conſtat ex Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 16; *tum ſcribit Orlandinus lib.* 16, *num.* 96 *his verbis:* Tertio Kalend Sextiles, cùm biduo antè diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepiſſet, .. accerſit ſecreto Polancum, *jubens ſibi benedictionem à Pontifice poſtulari &c.; de quibus ſuprà ex epiſtola ejus. Quærit Lancicius* 6°: Quid factum eſt de veſtibus, & aliis rebus, quibus tunc utebatur? *Reſpondet Cannicarus:* Diviſa ſunt hic & illic pro devotione; *inter noſtros intelligo: nam externis id negatum, dicebat Polancus ſuprà num.* 529. *Hæc Cannicarus; reliqua dabit paragraphus ſequens.*

§ LI. Alia nonnulla circa Sancti obitum, & ejuſdem adjuncta ex antiquis documentis eruta.

F

Varia alia Lancicii quæſita de hora mortis.

Proſequimur quæſita & reſponſa; de quibus actum eſt paragrapho proximo. Lancicius quærit 7°: Quâ horâ mortuus eſt: quia dicunt nonnulli, eum non eſſe mortuum illâ horâ, quæ habetur in Vita? *Reſpondet Cannicarus:* Secundâ horâ poſt ortum ſolis. *Oblata ex hoc quæſito ac reſponſo opportunitate utar differendi de tempore, quo Sanctus ex hac vita diſceſſit. Audiatur Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 16: Migravit ad Dominum, *ait*, pridie Kalendas Auguſti MDLVI, horâ poſt ſolis ortum primâ . . . , ætatis ſuæ anno LXV, poſt converſionem verò ſuam XXXV. *Orlandinus lib.* 16, *num.* 99, *cum Maffeio lib.* 2, *cap. ultimo convenienter ad Ribadeneiram ſignat, mortem ſancti Viri accidiſſe horâ primâ ab ortu ſolis; ſed inſuper ex utroque habemus, feriâ ſextâ id factum; uti & ex Polanco in epiſtola ſuperiùs producta. Non ſcio, quomodo in Vitam brevem Ribadeneiræ à Quartemontio Latinè redditam pro feria ſexta irrepſerit feria ſecunda. Quæſtio autem hic præcipua eſt de hora mortis. Lucem ei ibidem affert Polancus, è quo diſcimus,* ANTE SECUNDAM ab ortu ſolis horam *id accidiſſe: atque adeo compietâ*

AUCTORE J. P.

pletâ horâ primâ, & inchoatâ vel incompletâ secundâ, quæ ex Polanci phrasi etiamnum currebat tunc, quando ſanctus Pater exſpirabat. Et ſic ſignari poterit cum Ribadeneira, Maffeio ac Orlandino hora prima poſt ortum: cum Cannicaro autem ſecunda hora poſt ortum ſolis. Dici quippe poteſt prima, donec audita ſit ſecunda: niſi frater Cannicarus forſan computarit ſecundam ab aurora ſeu luce; vel poſt tot annos non rectè meminerit, jam ſine dubio valde ſenex. Ad Lancicium revertamur.

ſacello, in quo Sanctus ſolebat celebrare, morbo, confeſſario &c.;

538 *Quærit is* 8°. An ſacellum, in quo ſolebat dicere Miſſam tempore, quo obiit, eſt illud, in quo nunc prandet Pater Generalis, ante ſuum cubiculum: & an ibi mortuus eſt P. Ignatius? *Reſpondet Cannicarus:* Non ſcirem dicere ad amuſſim: quia res omnis mutata eſt. *Sed nos inferiùs* § 107 *de cubiculis S. P. N. diſtinctè diſſeremus. Lancicius quærit* 9°. An multo tempore fuit ægrotus in Balbina, antequam domum venerit? *Reſpondet Cannicarus:* Non fuit, niſi duobus tribuſve diebus. *Quærit Lancicius decimò*: Quiſnam ei fuit à ſacris confeſſionibus ſub extremum
B vitæ? *Reſpondet Cannicarus:* P. Petrus Riera. *Lancicius quærit* 11. Quanto antè tempore mortuus fuit P. Jacobus Eguia, qui erat ei à ſacris confeſſionibus? *Reſpondet Cannicarus:* Non memini ad amuſſim. *Quærit Lancicius* 12. An concurrit populus ad cubiculum Patris Ignatii, quando erat mortuus, vel ad eccleſiam. Et quibus ſignis oſtendebant opinionem, quam de ejus habebant ſanctitate? *Reſpondet Cannicarus:* Fuit concurſus magnus: quia habebatur pro ſancto In cubiculo unum mancipium * Cardinalis S. Jacobi, effractis foribus, tetigit eum coronâ. *Quærit Lancicius* 13. An meminit miraculi ſtrumarum, à quibus liberata fuit puella iſta per veſtem Patris Ignatii? *Reſpondet Cannicarus:* Nihil ſcio. *Verùm de hac re atque aliis ad præſentem materiem ſpectantibus dicetur infra.*

* *in Ital. eſt* ſchiavo; *alibi* ſervo i. e. ſervus

item de prædictione mortis, benedictione Pontificis,

539 *Aſſervo aliam Italicam epiſtolam ejuſdem Joannis Thomæ Cannicari, ex Romano exemplari toto autographo tranſcripta: quàm is dedit in* Reggio, *id eſt, Rhegii Julii, ut ſuſpicor, ſecundùm dicta paragrapho antecedente num.* 535; *ſignatur autem die* XV *Aprilis anno* 1603, *ac dirigitur ad P. Ludovicum Maſelli, Aſſiſtentem Societatis, inſtruens eum de morte* S. Ignatii, *& adjunctis ejus, ac reſpondens ad ipſius interrogata. Unde delibo ſequentia ex Italico. Ad primam interrogationem:*
C An præviderit, aut prædixerit ſuam mortem eodem iſto tempore matutino, quo mortuus eſt? Audivi, *inquit*, quod miſerit P. Polancum ad ſuam Sanctitatem, ut peteret ejus benedictionem, quia debebat ipſe migrare ex hac vita; & audivi præterea, quod benedictionem, quam petebat, acceperit, antequam exſpiraret. *Quod de impertita à Chriſti Vicario benedictione audiſſe ſe teſtatur Cannicarus, probatur ex Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 16; *quamquam tempus non permiſerit, ut ille favor Sancto coram intimaretur. Dicit enim hoc claris verbis Orlandinus lib.* 16, *num.* 98: Ingreſſi .. ſocii exploratum, quemadmodum *Sanctus* haberet, .. inveniunt ſanctum Patrem jam animam quàm quietiſſimè exhalantem.. Polancus .. ad Pontificem evolat. Pontifex .. ingemuit, & largè, quod petebatur indulſit. At Ignatius interim, ſanctiſſimum Jeſu nomen ingeminans, placidiſſimè exſpiravit. *Orlandino adde Maffeium lib.* 2, *cap.* 23: Qui, *inquit*, ad Pontificem pridie, *nimirum* XXX *Julii*, ſub veſperam fuerat deſtinatus, quod nihil tale metueret, re in proximam lucem dilata, cum, quod volebat, ſtatim impetraſſet, libente Pontifice, & D verbis amiciſſimis Ignatium proſequente; graviter deinde ſemet accuſans, tempori non occurrit. *Ad interrogationem ſecundam:* Dicebant, *inquit Cannicarus*, medici, quod fuerit mortuus cum maligna febri: & ego ipſi ſerviens iſta nocte, ad uſque mediam ejuſdem partem, audivi ipſum agere ac ſermocinari, prout ſolebat magna ex parte ſuæ infirmitatis. Poſt mediam noctem videbatur mihi quieviſſe, non vocans me adeo frequenter, ſicut ſolebat; tametſi frequenter invocaret Dominum in ſuum adjutorium: Ay Dios; *id eſt, ah! Deus.*

viatico ſacro, & extrema unctione,

540 *Ad interrogationem tertiam dicit:* Non recordor, an acceperit ſanctiſſimum Sacramentum communionis in forma Viatici. Extremam unctionem non accepit. *Ad quartam:* Sacramentum Euchariſtiæ ſi non acceperit, eò, mihi perſuadeo, factum fuerit, quia proximè antea communicaverat, & quia ejus infirmitas non judicabatur adeo periculoſa, ut neceſſitas poſtularet, tale ei dari Sacramentum. Quòd ſpectat ad oleum ſacrum; exiguo temporis ſpatio antequam exſpiraſſet, dum adeſſent duo medici ſeculares, & E
tres è noſtra Societate etiam medici, qui opportunè advenerant, ut eum viſerent, non noverant, ipſum morti proximum eſſe. Invenerunt eum quidem, explorato arteriæ pulſu, valde debilem; atque ad reſtaurandas vires, habui ego in mandatis, ut igne coquerem edulium duobus ovis recentibus intritum. Dumque illud ad ignem apparando occuparer, doctor Madridius intrabat cubiculum beati Patris, eumque tangens, videbat, quod jamjam è vita eſſet tranſiturus; ac me accedens juſſit, ut, relictis ad ignem rebus, accerſerem P. Petrum Rieram, præfectum templi, ut ſtatim ad ſe veniret. Ego autem iſta imperata faciens omni cum feſtinatione, non inventō P. Riera, redii, ut reſponſum darem; ac comperi, beatum Patrem noſtrum exſpiraſſe, & intellexi, poſtquam exſpiraverat, P. Rieram iſta cum feſtinatione petitum fuiſſe, ut eum inungeret oleo ſancto. *Addit, ex hac quarta reſponſione apparere, quid reſpondeatur ad interrogationem quintam.*

& ultimo vitæ momento.

541 *Ad ſextam:* Dum ego, *ait*, comperiſſem, eum virâ functum, inveni præſentem doctorem Madridium, qui tæniolâ mentum ejus obligabat, ad retinendum os clauſum. Aderat etiam P. Turrianus cum aliis patribus, quorum nomina non recordor. *Ad ſeptimam, ſic reſpondet:* F
Poſtquam deprehendiſſent patres iſti, quod jamjam tranſiturus erat ex hac vita, non ſuperfuit ſpatium medii horæ quadrantis. Quo tempore, quia iveram advocatum patrem Rieram, præfectum templi, non interfui ejus morti: & ideo nihil poſſum dicere de iſto ultimo articulo. *Ad nonam hæc reſpondet:* Non ſcio, quidnam aliud fuerit locutus ultimo vitæ ſuæ articulo, niſi prout dixi in ſecunda interrogatione. *Ad decimam nihil occurrit tranſcribendum. Ad undecimam:* De ſanctitatis ejus ſenſu, qui ſuperfuit; Audivi, *inquit*, dici tam à noſtris, quam ab externis communiter: Mortuus eſt Sanctus, mortuus eſt Sanctus. Ad hæc, quidam ſervus Cardinalis S. Jacobi *&c. Conſule, quæ paullo antè dicta ſunt hoc paragrapho, & quæ dicentur proximè ſequenti. Ad duodecimam:* Concurſus populi ad noſtram eccleſiam, dum corpus eſſet domi, & pòſt in eccleſia, fuit maximus, ita ut illa eſſet plena ad portas uſque, atque etiam extra, populo magna communi conſenſu ſigna oſtendente opinionis, quam ha-

habebat de ejus ſanctitate &c. *Hæc minutiora quidem pluribus locis, ſed utcumque tamen curioſa, & æſtimatione non omnino indigna, quia à Sancti infirmario relata, ex dictis litteris producere viſum eſt.*

Denique quæritur, quomodo mortis præſcius unctionem non petierit,

542 *Inter monumenta Romana habeo Ribadeneiræ epiſtolam Hiſpanicam cum hac ejuſdem patris autographa inſcriptione:* Patri Bartholomæo Perez, Aſſiſtenti Societatis Jeſu. *Data fuit Matriti die* III *Auguſti, anno* 1605. *Quæſierat ex Ribadeneira Perezius, quomodo beatus Pater noſter* Ignatius, *ſciens ſe mori, non rogaverit extremam Unctionem; & ab eo petierat, dari ſibi iſtius rei rationem. Ribadeneira itaque expoſitâ infirmitatis ac mortis ſancti Patris hiſtoriâ, quæ & ex ipſo Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 16, *& ex Polanci epiſtola, quam jam dedimus, nota eſt, duo deducit; primum, apparere valde probabile, quod ſanctus Pater noſter ſciverit, aut habuerit revelationem mortis ſuæ: & ideo miſerit, qui peteret benedictionem à ſua Sanctitate, adeò determinatè & affirmatè; nam idem Sanctus ſummâ præditus erat prudentiâ, circumſpectus item, nec præceps inſuper in agendo cum ſummo Pontifice: quod eadem de cauſa confeſſus fuerit, & communicarit, armans ſeſe ſanctis Sacramentis pœnitentiæ & altaris, & faciens ex ſua parte quidquid facere poterat ſine oſtentatione revelationis, quam habebat.*

B

ac reſpondetur.

543 *Secundum, quod inde deducit, eſt, quod eadem illa de cauſa, videns medicos dicere, quod infirmitas non eſſet periculoſa, quodque aliquis ex iis eam flocci penderet, permiſerit res currere, ſicut medicis videbantur; quia alioqui vel dicere debebat, quod medici non ſcirent, quid dicerent; vel quod ipſe haberet revelationem rei, quæ debebat accidere. Id quod valde alienum erat ab ejus prudentia, & ab ejus humilitate, quam ſalvam conſervare non potuiſſet petendo viaticum aut extremam Unctionem in hiſce rerum adjunctis, & ſignificando, plus ſeſe ſcire de ſua infirmitate ac fine ejus, quàm medicos: ſicut poſtmodum patuit ex eventu. Atque hæc quidem verè ac conformiter admodùm ſanctitati, circumſpectioni ac prudentiæ ſancti Patris noſtri in caſu propoſito dici poſſe cenſet Ribadeneira: cum egerit, quidquid potuit, ut ſuæ obligationi ac devotioni faceret ſatis, ſine detrimento ſuæ humilitatis; & permiſerit, ut medici (quorum hoc erat officium) judicium ferrent de ſua infirmitate, & ut fieret id, quod illis videbatur. Conſuleſis Orlandinum lib.* 16, *num.* 100.

C

§ LII. Apparitio, miraculum, concurſus, ſepultura, novus in Societate vigor.

Sanctus eodem momento, quo obiit, matronæ cuidam apparet Bononiæ:

NEc verò Deus, *qui glorificantes ſe glorificat, diu diſtulit Famulum ſuum ſingularibus apud mortales, poſt ſanctiſſimam vitam, ſanctiſſimo item ex ea exitu concluſam, honoris ſignificationibus condecorare: teſtis enim eſt Bononia, ubi ſanctus Pater noſter matronæ cuidam in ipſo temporis articulo, quo è vita migrarat, ſpectabilem in gloria ſeſe exhibuit. Factum accipe ex Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 21: Eo temporis puncto, quo Romæ deceſſit è vita, Bononiæ ſplendeſcens, inclytuſque apparuit nobili matronæ viduæ, Margaretæ Delis nomine, & Societatis amantiſſimæ. Atque illa ſine cunctatione viſum narravit P. Franciſco Palmæ, rectori collegii, cujus ad aurem ſolebat animi noxas eluere: mortuumque indicavit Ignatium, ac ſe vidiſſe confirmavit, adeoque nativis eum coloribus depinxit, acſi eum antea cognoviſſet, quem revera viderat numquam. Porro cum eum patrem adiit, quamvis illico rei fidem non fecit: tamen ubi diei & horæ nuntius allatus eſt, quo die & hora vitam hanc meliore commutavit, vera dixiſſe, compertum eſt. AUCTORE J. P.

puellam poſtridie à ſtrumis ſanat

545 *Proximo poſt Sancti mortem die Romæ ſequens miraculum contigit, quod loco mox citato narratur:* Anno MDLVI Kal. Auguſti ei parentatum eſt frequentiſſimo populo, qui ad eum videndum & venerandum confluxerat. Affuit inter ceteros Bernardina quædam religioſa mulier, & magnopere pietati dedita. Hæc filiam habuit, annos decem & quatuor natam, gravi periculoſaque ſtruma laborantem. Quamvis autem magnam partem facultatum ſuarum in adhibendas curationes abſumpſiſſet, non modo tamen inanes impenſas fecerat, ſed etiam morbus in dies ingraveſcebat. Eam illo ipſo die mater ad templum Societatis adduxit, ut corpus beati Patris contingeret. Sperabat enim ejus precibus à Deo filiæ reſtitutum iri valetudinem, quam à medicorum ope exſpectare non poterat. Sed tanta populi frequentia convenerat, ut, quidquid agerent mater & filia, viæ tamen per confertam turbam faciendæ modum invenire non poſſent, & ad corpus jam loculo incluſum accedere. E

per reliquias ſuas.

546 Cum viderent igitur ſe operam luſiſſe, ac vehementer dolerent; conatæ ſunt ſaltem aliquid reliquiarum beati Patris impetrare: quod acceptum magna fide, magnaque pietate filiæ collo, ſtrumiſque atque ulceribus, quæ jam penè in cancrum eruperant, mater admovit. Ecce tibi res ſanè mirabilis: nam Dei miſericordia, meritiſque Ignatii, filia priſtinam valetudinem momento temporis conſecuta eſt, omnibus rei novitate attonitis, magnoque velut teſtimonio ſanctitatis ejus, quod etiam mortuus morbos ab iis depelleret, qui ejus fidem religiosè & ſupplicitèr implorabant.

Idem miraculum refertur

547 *Apud me eſt interpretatio Latina narrationis Italicæ, cujus titulus manu patris Polanci ſcriptus, ſic habet:* Hoc fecit P. Cornelius Viſchaven bonæ memoriæ: *quæ narratio exarata eſt manu patris Petrarcæ, ejuſdem patri Polanci ſocii: ſicut P. Ignatius Pinius teſtatur in dictæ interpretationis inſtrumento, quod Româ huc miſit. Agitur in eo de dicto jamjam miraculo ſtrumarum: & quia quædam docet ipſamet puellæ ſanatæ mater, quæ ſuprà non dicuntur, illud produco: Sic ſonat:* Dilectis ac reverendis patribus meis in Chriſto Jeſu. Ut gratiam quamdam, à Deo per Patris Ignatii merita acceptam, non diutius occultam teneam, hac illam narratione referam. Filiarum mearum aliqua annos nata 14, triennio antè laborarat malo quodam in gutture. Commiſimus illam magiſtro Jacobo Peruſino, cum audiremus, primum eſſe illum Romæ medicum: curavitque ipſam multis remediis; ſed nullo modo eam juvabat, mihi dicens, malum eſſe incurabile, & cenſens ſtrumas eſſe. Hinc id malè me habuit, quia audiebam, malum iſtud ſanari non poſſe, niſi à rege Galliæ. Illam à medico jam dicto ad alios traduximus: ſed nihil eam adjuverunt. Venit deinde domum noſtram Hebræus quidam, ſe illam ſanaturum inquiens. Adhibuit illi quoſdam pulveres, quibus mali iſtius radicem volebat tollere: ingenſque ipſi tormentum afferens, pluribus eam diebus ſua ſub curatione detinuit; P

AUCTORE J. P.

nec quidquam illi auxilii tulit. Postea, relicto Judæo, curandam dedi magistro Joanni Struncano, medico Pauli IV Pontificis, magno affectam ulcere. Is eam curavit anno cum dimidio: nec tamen remedium attulit, dicens mihi, illam liberare, quod magnum foret.

ex narratione matris istius puellæ,

548 Cùm die quodam interessem concioni reverendi patris Benedicti, intellexi, ex hac vita migrasse Patrem Ignatium. Magnam animi pietatem sensi, quòd, si una sacratarum ipsius manuum tetigisset hujus filiæ meæ guttur, Deo juvante, illam sanasset. Itaque ante prandium locuta sum cum patre Cornelio, hanc ab eo gratiam flagitans, ut una manuum Patris Ignatii illi guttur tangeret. Reverendus pater mihi dixit, ut reverterer à prandio cum filia; illam vel à me, vel ab aliis adjuvandam. Cum ergo corpus in templum veniisset, fratres omnes Societatis circum illud sederunt, Officii recitandi causâ: mihique transire volenti ajebant expectarem, dum absolutum foret Officium. Eo autem absoluto, ipsum ad sepulchrum detulerunt. Ac pater Cornelius unus erat ex iis, qui corpus ad sepulchrum usque portabant. Ego autem cum filia transire volens,

B non potui præ multitudine hominum, qui aderant. Tum verò ingentem inde dolorem hausi, videns me juvari non posse, nec à patre Cornelio, nec ab aliis, quos sollicitabam: ac proinde conquerebar de patre Cornelio, quòd me fefelliisset, meque ad ipsum contuli. Id mihi crimini da, inquiebat reverendus pater, ego aliud tibi consilium dabo: mihique dicebat, ut ad sepulchrum irem: cum enim non potuissemus corpus tangere, neque id negligentiâ nostra, satis proinde fore fidem. Ad sepulchrum ito, & Deus per merita Patris nostri te exaudiet, toties quoties: atque hæc fiducia tibi sufficiet: bonitas enim ac sanctitas reverendi Patris nostri (dixi id sæpius patri Guidoni aliisque multis, & nunc tibi dico) non satis est nota multis secularibus, nec etiam multis nostrorum, licet ipsi familiaribus, qui cum illo egerunt & conversati sunt. Quam ob rem te exhortor, ito, facito quod tibi confidenter dico: id tibi dico ex animo per sancti illius Patris merita.

eni illud contigit.

549 Itaque credens verbis patris Cornelii, ivi fusura preces, quàm optime possem, Deum per benedicti Patris illius merita obsecrans, ut filia mea sanaretur. Cumque filia mea ibi adstaret prope altare, animi deliquium passa est: non

C valentem diutius stare deduxi illam in domum cujusdam cognatæ meæ, quæ erat in proximo: & templum repetens, allocuta sum patrem Guidonem, ob rem supradictam de patre Cornelio conquerens. Reverendus pater ex me quæsivit, quid mihi dixisset pater Cornelius: quod idem ipse confirmavit. At ego his dictis non omnino acquiescens, petii à P. Guidone frusta aliqua vestium Patris Ignatii, quia tribus adhuc quatuorve diebus pus distillabat: atque ita obtinui frustum panni rubri, qui vestem interiùs insitus munierat. Hoc ego magnâ pietate alligavi gutturi filiæ triduo: ac primo, quo gutturi annexueram, die per gratiam Domini, perque benedicti Patris illius merita, pus stillare desiit: atque ita penitus eam deseruit malum. Et hoc ipso tempore, qui eam sanatam videt, non censet possibile, ut sanata sit. Post menses novem interroganti mihi patrem Cornelium, an medicum hunc ultimum, à quo sanata erat, indicare possem iis, qui à me scisciatati erant, quomodo esset sanata; respondit pater Cornelius; id potes, & meritò debes, nec abscondere gratiam tibi præstitam, & opus D Domini Dei nostri. Itaque illis respondeo id, quod mihi contigit, ad laudem & gloriam Dei. Ego Bernardina Romana, conjux Andreæ di Neruci Pisani. *Sic illa. Porro genuinus hujus narrationis character confirmatur ex styli simplicitate muliebri, quæ magis emicat in exemplari Italico; uti observat prædictus Ignatius Pinius. Nunc rebus Sancti obitum consecutis adjungimus istas ex Orlandino lib. 16, num. 133:*

magnus Romæ ad corpus ejus concursus:

550 Romæ, ut primùm vulgata beati Patris migratio est, vulgo ferentibus sanctum Virum mortuum, concursus repentè ingens est factus in templum domumque professorum. Inter ceteros Cardinalis S. Jacobi mancipium impetu foras perrupit cubiculi, ubi jacebat Beati corpus, ut illud rosario contingeret. *Vide dicta num. 538. Et quoniam istius loci, qui Sancti inhabitatione venerabilis est, mentio hic incidit, illum ex Orlandino describere visum est.* Est id cubiculum humile atque angustum, & simpliciter laboratum, longum undetriginta, latum quatuordecim, altum decem palmis. In eo successores Præpositi usque ad annum alterum post millesimum sexcentesimum habitarunt. Eo tempore cum in ædium E partem ab Odoardo Cardinali Farnesio, quasi hereditariam gentis Farnesiæ in Ordinem nostrum benignitatem perpetuante, exstructum Præpositus Generalis Claudius Aquaviva migrasset, religiosum haberi est cœptum: idque ipsum ad memoriam ac solatium posterorum, quod ibi egisset, finissetque vitam beatus Pater, & post eum omnes ad id temporis Generales vixissent, & primus habitus esset generalis conventus. Cum domus nova exædificaretur, quamquam non sine incommodo fiebat, placuit Patribus cum tribus adjunctis cubiculis integrum conservare. *Sed de cubiculo isto ejusque veneratione, inferiùs alio loco redibit sermo.*

sepultura corporis, inscriptio, honores funebres;

551 *Ribadeneira apud Quartemontium cap. 11 de loco sepulturæ ita nos edocet:* Ejus corpus in templo nostro S. Mariæ de Strata ad dexteram aræ summæ Kal. Aug. (tertiâ ante noctem horâ, *sicut notat Orlandinus loco citato*) humili sepulcro mandatum est. Anno verò MDLXIX arâ loco motâ, primùm in adversam ejusdem ædis partem translatum. Inde rursùs anno MDLXXXVII, XIII Kal. Decemb., qui dies S. Pontiani consecratus est, in ædem sumptuosam professæ domus, ab Alexandro Farnesio Cardinali nuper exstructam. Tumulo conditum fuit ad altaris dexteram in arca F plumbea, planumque saxum impositum, muro verò nigrum politumque marmor insertum, & hæc incisa inscriptio; *quæ exhibebitur inferiùs ex documentis Romanis; ubi de prima Sancti sepulturæ & translationibus agetur. Ceterùm funebres honores non Romæ dumtaxat, sed in aliis quoque provinciis, ne vel ipsis quidem inde exclusis Indiis,* Ignatio *sunt impensi; quemadmodum discimus ex Maffeio Historiarum Indicarum lib. 16 sub finem; ubi hæc memorat:* Huic, *inquit*, cum aliis in provinciis.., tum in India præsertim, solemni ritu, & exquisitis cæremoniis parentatum est. Tametsi minimè deerant, qui tam illustri sanctitate Viri patrocinium implorandum potiùs, quam fundendas pro eo preces, haud absurdè affirmarent.

novus in Societatem diffusus vigor,

552 *Porro ex sanctissima* Ignatii *morte ingens novæ vitæ, cum in ejus filios singulatim, tum in ipsam universè Societatem influxit vigor, quasi ex vegeto capite in totum corpus, & singula corporis membra diffusus; secundùm ea, quæ mox dicam.*

Ipsius

A *Ipſius quippe Sancti* mortui, vel verè potiùs viventis patrocinium filii ejus omnes ſenſerunt: nam ejus obitu ſuaviſſimus quidam in univerſa Societate, *ut loquitur Ribadeneira*, doloris ſenſus eſt conſecutus, lacrymæ cum lætitia, deſiderium ſpei plenum, vigor ſpiritûs paſſim excitatus: ſic ut omnes ubique laborandi pro Chriſto, patiendique gravia & difficilia, novo quodam deſiderio ardere viderentur. *Maffeius paullo antè citatus*, Certè, *ait*, ab illius exceſſu (uti optimum Patrem in cælo ſuorum cœptis adeſſe conjiceres) per omnes fundatæ ab eo Societatis ordines, recens quædam ad pios labores alacritas, novus mentium ardor vigorque diffuſus: & Indicus ager, culturæ & ſationibus uberiore quam antea proventu reſpondit. Annis quippe proximis quatuor, Goæ dumtaxat, præter incertam ſummam eorum, qui à Franciſcanis & Dominicanis abluti ſunt, baptizati ab Societate Jeſu mille primùm & octoginta; mox mille nongenti ſexdecim; dein tria millia ducenti ſexaginta: demum incremento notabili duodecim millia ſeptingenti quadraginta duo. *Hæc ibi Maffeius.*

B *deprecatore, uti creditur, Ignatio.* 553 *Cui ſi adjungas Orlandinum lib. 16, num. 135, habebis unde Dei beneficentiam prædices, erga Societatem, exempto è vivis ejuſdem Fundatore, adeo profuſè liberalem.* Multis (*verba ſunt Orlandini*) in collegiis animadvertêre ſtatim largiùs in ſumma inopia ſuppeditata à populis vitæ ſubſidia, & adverſantium inſectationes vel exſtinctas, vel valde mitigatas. Quæ omnia, quamquam fidem faciebant, Ignatium ad ſanctum Dei montem aſcendiſſe, coramque ſanctiſſima Trinitate quaſi ſublatis manibus, ſuorum adjuvare conatus uberiùs, quam cum ipſe quoque hîc ſtaret in acie, incitabantque, ut publicis obſervantiæ documentis pietatem erga eum animi ſui explicarent; tamen præſides ac rectores modeſtiæ cauſâ nihil permittebant. *De Societatis in Belgium admiſſione diu multumque, ſed fruſtra, tentata, at tertiò tandem poſt ſanctiſſimi Parentis obitum die tranſacta, quid ſentiret Ribadeneira, iſtius cauſæ actor, intelliges ex dictis paragrapho 49, num. 515.*

§ LIII. S. Franciſci Xaverii & aliorum è Societate Jeſu concepta de S. Ignatio æſtimatio.

C *S. Franciſci Xaverii in S. Ignatium veneratio* *JAm verò ſanctum Fundatorem noſtrum ſumma apud filios ſuos in æſtimatione fuiſſe, argumento ſunt illa, quæ narrat Ribadeneira lib. 4, cap. 17; ubi inter alia egregiæ erga illum venerationis argumenta, inſignem habet partem magnus Indiarum Apoſtolus & Thaumaturgus S. Franciſcus Xaverius; de cujus erga ſuum ſanctum Patrem obſervantia planè ſingulari, quam ibi tradit Ribadeneira, confirmari poteris ex iis, quæ addo. Inter epiſtolas ejus novas, à Poſſino Lutetiæ Pariſiorum, anno 1661 editas, non vulgaria exſtant hujus rei ſpecimina: nam in epiſtola prima, pridie Kalendas Aprilis anno 1540 Bononiâ ſic ad eum ſcribit:* Planè decrevi dare operam, ut & ego, & quæcumque umquam ubivis terrarum mecum erit noſtræ Societatis pars, tibi ac Societati Romanæ nuntiorum atque officiorum commercio jungamur: ſicque ad vos cuncta noſtra minutè ac diſtinctè referamus, ut filiolæ ſolent, dum matribus rationem reddunt.

Julii Tomus VII.

555 *Et epiſtola 17, quam ſuo* in Chriſto ſancto Patri Ignatio Romam *ſcribit Cocino* IV *Kal. Februarii anno* 1552, *ſic intimos animi pie ac reverenter erga* Ignatium *affecti, ſinus pandit:* Veriſſime Pater mi, accepi modo Malacæ, huc appellens è Japonia, litteras tuæ ſanctæ Caritatis, quæ quoniam de vita ac valetudine tam cari ac venerabilis mihi capitis, quod optabam, docuerunt, ſcit Deus dominus noſter quanta meum animum voluptate compleverint. Multas equidem in iis jucundè legi, ſuavitatem ſpirantes tuam, pietatemque ſententias; quas & identidem fructu animi mei percipio, retracto mente verſans, & quodammodo reguſto: præſertim aurea illa extrema verba, quibus velut caritatis quodammodo ſigillo epiſtolam obſignaſti: Totus tuus, adeo ut nullo umquam tempore obliviſci tui poſſim. Ignatius. Quæ ego ut illic cum dulciſſimis lacrymis legi, ita & flens hîc deſcribo, revocans ſuaviſſimam memoriam temporis elapſi, & illius ſinceri ac ſancti amoris, quo me ſemper amplexus, nunc quoque proſequeris: prætereaque reputans, me ex tot illis atque ingentibus laboribus, periculiſque Japoniæ, à Deo, tuis potiſſimùm precibus inflexo, votiſque in me paternis obſecundante, fuiſſe liberatum. *AUCTORE J. P. oſtenditur* E

556 *Et nonnullis interpoſitis, ita denuo pergit Franciſcus:* Adjungit deinde tua ſancta Caritas, ingenti deſiderio teneri te, videndi me adhuc ſemel ante finem hujus vitæ. Novit, qui mei pectoris intima pervidet, Dominus noſter, quàm vehementem quamque dulcem impreſſionem teneri affectus animo penitus meo inſinuaverit hæc ita blanda ſignificatio præſtantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem ſæpiſſime) injuſſæ mihi lacrymæ oculos complent: nec poſſunt teneri, quin ſuaviter erumpant ad ſolam illam mihi jucundiſſimam ſpeciem, quæ obverſatur cogitanti, fieri poſſe, ut te iterum amplectar. Quod etſi video difficillimum, tamen nihil eſt, quod ſancta obedientia efficere nequeat. Per ſtudium, quo ardenti flagras obſequendi ac gratificandi Deo domino noſtro, unam à te peto gratiam, quam, ſi præſens adeſſem, poſitis humi ante tuos ſanctos pedes genibus ſupplex rogarem *&c. Ita ſuo ſancto Parenti verè genuinus ac ſanctus filius; ſanctum eum vocans in unica illa epiſtola planè duodecies. In epiſtola denique nona libri 2 inter eas, quæ ex Latina Horatii Turſellini verſione editæ ſunt, ita ſcripſerat Cocini* XIX *Kal. Februarii* 1549: Te ego, Pater animæ meæ, ſummèque mihi venerande, poſitis humi genibus (ſic enim hanc tibi epiſtolam ſcribo) tamquam ſi præſentem intuerer, ſuppliciter oro, ne Deum pro me in ſanctis Sacrificiis tuis ac precibus obſecrare deſiſtas. *ex litteris ad ipſum datis.* F

557 *Domeſticis interim noſtrorum in laudem ſancti Patris teſtimoniis, quæ legere datur apud Ribadeneiram, accenſere viſum eſt ſequentia, ex Orlandino lib. 16, num. 123:* Andreas, *inquit*, Fruſius, quem Ignatius, aliique noti ob innocentiam vitæ, ſingularemque ſapientiam angelo ſimillimum judicabant, ſolebat dicere, cæleſtem Chriſti gratiam in Ignatio quaſi ingenitam ac naturalem videri. Adeo conſtanter, ubique ac ſemper, adeoque facilè modum virtutemque ſervabat. *Fruſio additur ibidem* Fulvius Androſius, doctrinæ, prudentiæ ac pietatis egregiæ, cognita Meldulæ beati Patris migratione, cum ſemel, quamquam reluctante conſcientia, pro ejus anima, ut ſolet, Sacrum funebre feciſſet; iterum *Alia à noſtris in laudem ſancti Patris*

AUCTORE J. P. idem facturus, cum accessisset ad altare: Imperare, inquit (sic enim scribit) mihi non potui, quin Sacrum facerem de nomine Jesu: nec in meis privatis precibus videor mihi aliud posse exprimere, quam hæc verba: Pater Ignati, ora pro nobis: & planè multis in rebus videor mihi ejus patrocinium expertus.

testimonia 558 *Postremo huic loco reservavimus aliud factum, quamquam dignitate ac merito inter præcipua hujusmodi computari posse videatur, quod Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 12 *ad posteros transmisit:* Sacerdos, *ait*, quidam Societatis maturus, & ætate gravis, ei à confessionibus aliquando fuerat, natione Navarrus, nomine Jacobus Eguia, vir tantæ virtutis & innocentiæ laude cumulatus, ut beatus Pater diceret: Cum ad cœtum Beatorum in cælis aggregati fuerimus, P. Jacobus in tantam excelsitatem adscendet, ut eum nos locorum intervallo disjuncti videre vix possimus. Atque hic senex virtutes & integritatem beati Patris graviter extollere solebat, ut qui ejus animi candorem, intimosque sensus exploratos haberet & cognitos. Erat hæc Patri adeo gravis & odiosa laudatio, ut eum interposito obedientiæ nomine jusserit ejusmodi sermonibus abstinere. Sed hic immemor edicti, cum in pristinam subinde consuetudinem relaberetur, destitit etiam ipse ejus in aure peccata deponere.

proferuntur: 559 Hic idem senex illud crebro usurpabat. Utinam me Deus P. Ignatio vel paucis diebus superstitem esse vellet, ad ea patefacienda, quæ de ipso cognovi! Sed Deo, cujus in potestate sunt omnia, longè aliter visum est. Nam hic ante B. Ignatium triduo decessit: quod ipsum, ut creditum fuit, precibus impetravit Ignatius. *Porro de hoc Jacobo Eguia, ejusque laudibus, nec non de præsenti historia consuli etiam potest Orlandinus lib.* 16, *num.* 91, *dicens, eum obiisse* XVII *Kalendas Julias; qui tamen dies incidere non potuit in triduum illud, morti* S. Ignatii *prævium. Et verò prædixisse fertur sanctus Pater, illum ante se moriturum, secundùm ea, quæ ibidem legere est. Ad extremum, maxima & inusitata eum de* Ignatio *retulisse oportet virtutum specimina: nam* prorsus in stuporem homines adducebat, significans, quid esset evulgaturus, si vel unam horam Ignatio superfuisset; *sicut memorat ibidem Orlandinus.*

C quibus adde litteras autographas Mavarei. 560 *Litteræ originales & totæ autographæ P. Oliverii Manarei, datæ Bruxellis die* XXV *Februarii anno* 1600, *ad Lancicium, quantum colligitur ex indice, qui illis adjunctus reperitur Romæ, & in cujus fronte inscriptum est*; Al F. Lancicio, *id est*, Fratri Lancicio, *sicut testatur P. Ignatius Pinius, earum transcriptor; litteræ, inquam, illæ sic referunt:* Quod pro Viro sancto passim habitus sit à nostris, argumento mihi est, quod nonnullos intelligerem viros sapientes & spirituales fuisse Deum rogare solitos per merita ejusdem R. P. N. 2. Quod plerique satagerent habere aliquid de ipsius vestibus vel aliis rebus, quibus utebatur, pro reliquiis, licet adhuc viveret . . 3. Omnes ob sanctitatis opinionem ipsum valdè etiam absentem venerabamur, timebamus, amabamus, colebamus, ut præ reverentia non auderemus ad eum accedere; non quia erat Generalis, sed maximè quia sanctus omnium nostrûm opinione erat.

D

§ LIV. De S. Ignatii sanctitate quid senserit P. Petrus Ribadeneira.

Suspexit Ribadeneira Ignatium tam quam valdè sanctum;

P. *Petrus Ribadeneira, vita ac morum* S. Ignatii *intimus inspector ac fidelissimus testis, in examine juridico Matritensi, quod anno* 1595 *ibidem habitum est, interposito jurejurando fidem facere jussus, quid sentiret de* S. Ignatii *sanctimonia, ad capita omnino decem testificationis super ea sua argumentum extraxit. Rem intellige ex apographo dicti examinis, quod è tabulario Romano promptum ad nos misit sæpissime nominatus monumentorum Ignatianorum ibidem eruderator. Ribadeneira itaque ibi sic deponit:* Ad quintam interrogationem dixit, se habere, semperque habuisse P. Ignatium virum sanctum, & valdè sanctum, ac Dei amicum. Rationes verò & fundamenta, propter quæ illum habet pro tali, sunt quæ sequuntur.

E *primò, quia nullam unquam in eo notavit culpam:*

Primùm, eò quod toto eo tempore, quo cum Patre ipso adeò intimè & familiariter egerit, ut suprà dictum est, non recordatur ipse testis vidisse se umquam in illo, nec audivisse quidpiam ex ejus ore, quod judicio ipsius testis non solùm [non] esset peccatum mortale, sed [nec] etiam veniale; non quod ipse testis credat, non peccasse venialiter P. Ignatium: bene etenim novit, non esse justum, qui non peccet: & quod septies in die cadit justus: sed eò, quod verba Patris ejusque actiones erant adeò moderatæ & circumspectæ, ut, cum ipse testis illas audiebat & videbat, non posset judicare, esse in illis peccatum; quia numquam ab eo audivit verba otiosa, aut murmurationes, vel injurias, etiam dum filios suos reprehenderet; nec vidit illum iratum, aut aliquâ animi perturbatione motum præter eam, quâ ipse, adhibitâ consideratione, & perpensione, uti volebat, dum reprehenderet, ita ut motus ille rationem sequeretur, non autem præiret.

secundò: quia vidit in eo actiones heroicas, ac singulares virtutes:

562 Secundò, eò quod viderit in ipso Ignatio operationes multas virtutum heroicarum ac singularis sanctitatis, præcipuè verò circa orationis assiduitatem, teneritudinem, devotionem, & lacrymarum copiam, ac dominium, quod circa lacrymas habebat: zelum item ardentissimum gloriæ Dei ac salutis animarum, profundam humilitatem, suique & mundi contemptum, patientiam, alacritatem; in laboribus verò ac persecutionibus admirabilem fortitudinem & constantiam, & singularem prudentiam, & suprà humanam, quâ in rebus omnibus spiritualibus & temporalibus utebatur, perpetuâ quadam animi & vultûs tranquillitate in rebus omnibus sive prosperis sive adversis; quod si aliqua vultûs mutatio intercederet, ea erat, cùm majorem solito lætitiam ostenderet, si quando magna aliqua & repentina tribulatio oriretur: circa reliquas denique virtutes, quæ de eo referuntur lib. v hujus Historiæ.

F

tertiò, quia fundavit Societatem Jesu; & Exercitiis spiritualibus profuit variis:

563 Tertiò, eò quod illum Dominus elegerit Patrem & fundatorem unius Religionis, qualis est Societas, eique dederit gratiam eam plantandi, irrigandi, propagandi, eamque per totum orbem dilatandi, atque ex ea, tempore suo, tam uberes, suavesque fructus colligendi. Credendum enim est, nec aliter esse posse videtur, quod Deus Dominus noster, qui illum ad opus tam magnum elegit, eas etiam gratias & talenta

ci

A ei dederit, quibus ad id pro dignitate præſtandum, opus erat, ut ſolitus eſt facere cum aliis, quorum operâ uti vult: dat enim eis gratiam neceſſariam ad id munus obeundum, ad quod eos elegit. Quod quidem eſt adhuc admirabilius, ſi conſiderentur circumſtantiæ, quæ in hoc adeo mirabili opere concurrunt. Cujuſmodi ſunt ipſius P. Ignatii vitæ mutatio à tanta vanitate & luxu, ad tantum ſui contemptum tamque rigoroſam pœnitentiam. Quod Deus illum docuerit, cum adhuc litteris operam non dediſſet, dederitque ei medium Exercitiorum ſpiritualium *&c.* : *quæ dedi ſuperiùs* § 8, *num.* 78.

ſocios ſibi adjunxerit, ideam Societatis à Deo acceperit.

564 Quod perſuaſerit ſuis primis ſociis, qui omnes fuerunt Hiſpani, & Galli, ut omni humanâ ſpe amputatâ eum ſequerentur; quo tempore tot tamque atrocia bella inter Franciam & Hiſpaniam gerebantur, ſimulque cohabitarent, intimâ pace & amore plus quam fratrum inter eos ſervato. Quod Deus ei dederit ideam quamdam & formam Societatis, adeo in ſubſtantialibus conformem aliis Religionibus; in rebus verò aliis adeò diverſam, & ab illis differentem, ut appareret, juxta horum temporum exigentiam: cujuſmodi eſt quartum votum, quod profeſſi emittunt, obedientiæ ſummo Pontifici in miſſionibus præſtandæ, & ad reſiſtendum hæreticis, qui authoritatem Sedis Apoſtolicæ impugnant. Similiter & dilatio profeſſionis emittendæ &c. Cujuſmodi etiam ſunt Conſtitutiones, quas idem Pater Ignatius conſcripſit ſpiritu cæleſti, divinâque ſapientiâ valde imbutas *&c.*; *quæ habes ſuperiùs* § 42, *num.* 434.

B

Quartò propter revelationes, ac cæleſtes favores.

565 Quartò, propter multas & magnas revelationes, viſitationes & ſupernaturales favores, quos P. Ignatius à Deo accepit, quorum nonnulli referuntur primo libro cap. VII; & libro V, cap. I, & XI ejus Hiſtoriæ: & alii quam plurimi poſſunt conſpici in quaternionibus, quos propria manu ſcripſit, quo tempore Conſtitutiones conſcribebat, fueruntque inventi poſt ipſius obitum.

Quintò, propter miracula ſpiritualia.

Quintò, propter fructum admirandum, qui ex hac idea & Inſtituto ſubſecutus eſt per totum orbem, tam in morum reformatione inter Catholicos, quam in gentilium & hæreticorum converſione, ut notum eſt, quâ in re tot ſunt patrata miracula ſpiritualia, quot ſunt perſonæ, quæ ab

C hæreſi & infidelitate ad fidem Catholicam; à prava vivendi ratione ad bonam frugem ſunt converſæ. Quæ quidem mirabilia eò magis æſtimari debent, quam corporalia, quantum intereſt inter bonum, quod per illa Deus mentibus communicat, & bonum, quod corpora recipiunt per miracula alia temporalia juxta doctrinam Sanctorum.

Sextò, propter miracula temporalia.

566 Sextò. Propter miracula temporalia, quæ Dominus operatus eſt per interceſſionem Patris Ignatii, dum viveret, & poſt ejus obitum, quorum nonnulla referuntur in Vita ſua, & de quibus in iis, quæ dicta ſunt ad quartam interrogationem, mentio facta eſt. Propter multa denique alia, quæ in diverſis regionibus contigerunt, nempe Romæ, Patavii, Barchinone, Compluti, Toleti, Burgis, & in patria ipſius Patris Ignatii, prout videri poterit per informationes de illis, ad quas ipſe teſtis ſe refert.

Septimò, propter odium diaboli adverſùs Ignatium.

567 Septimò. Propter ingens odium, quo dæmon ſemper P. Ignatium perſequebatur, & perſecutiones, quas continenter contra ipſum movebat, quod advertit pater magiſter Laynez, idque aliquoties huic teſti dixit: & quod interdum, dum ſocii ſimul eſſent, abſente Patre Ignatio, in ſumma pace & quiete, cum ad illos rediret, continuò exoriebatur eis procella aliqua & tempeſtas à dæmone propter odium, quo dictum P. Ignatium perſequebatur. Dixit præterea idem P. Laynez huic teſti, quod, cum eſſet Patavii, vidiſſet pauperem quemdam militem energumenum, *&c. Vide Ribadeneiram lib. 5, cap. 6 ſub finem. Sequitur in apographo noſtro de juvene Matthæo, à dæmone obſeſſo; de quo conſule Ribadeneiram loco citato.* Idem fere in ſubſtantia dixit alius dæmon in civitate Drepana in Sicilia, cum primùm P. Ignatius obiit, coram prorege Joanne Vega, & nonnullis aliis, inter quos erat pater Hieronymus Domenechus, Societatis provincialis in eo regno, vir ſanctus; qui hoc ipſum in Urbem ſcripſit. *Factum refert Ribadeneira loco mox aſſignato; & dæmoni hîc haberi fidem poſſe, apud ipſum ibidem invenies.*

AUCTORE J. P.

Octavò, propter multas graveſque perſecutiones

568 Octavò. Propter multas, eaſque graviſſimas perſecutiones, quas propter hoc dæmonis odium, & Domini voluntatem paſſus eſt P. Ignatius per totam vitam, adhuc etiam antequam Societatem fundaret, Compluti, Salmanticæ, Pariſiis, Venetiis, Romæ: & poſtquam illam fundavit, in ſe ipſo, & ſuis filiis per totum orbem; ac propter patientiam, fortitudinem, tranquillitatem & alacritatem, quibus hujuſmodi omnes perſecutiones vicit adeò illuſtri victoria, ut notum eſt, ut ſit valdè certum ſignum gratiæ ſingularis, qua illum Dominus probavit, confortavit, victoriamque de inimicis ſuis dedit.

E

Nonò, propter aliorum de ſanctitate Ignatii judicium.

569 Nonò. Propterea quod ipſe teſtis viderit multos, magnoſque Dei ſervos, viroſque graviſſimos reputaſſe ipſum P. Ignatium ſanctum, de quibus refertur in ejus vitæ Hiſtoria cap. XVII lib. IV; ad quos ſe refert; & eſſe certum, ſi nonnulli ex patribus Societatis, quorum ſinguli per ſe videbantur magni ſancti (quales fuêre patres Petrus Faber, Jacobus Laynez, Franciſcus Xaverius, Franciſcus Borgia, & alii,) conferantur cum P. Ignatio, pumiliones videri in comparatione alicujus gigantis; id quod ipſimet agnoſcebant, & ut talem magnâ veneratione reverebantur.

Decimò, propter ea, quæ operatus eſt

570 Decimò. Propter quædam, quæ Deus, mediante P. Ignatio, operatus eſt in ipſius teſtis perſona, quæ hac occaſione teſtis ipſe refert, teſtaturque, ſe planè ac fideliter relaturum, quemadmodum acta ſunt, ad Dei gloriam; qui ea operatus eſt, & P. Ignatii ſanctitatis teſtificationem; cujus interceſſione patrata ſunt, & ad propriam ipſius teſtis confuſionem. Dixit igitur, quod, cum ipſe eſſet puer, in occaſione quadam repentinè eum apprehendit terror & horror adeò magnus, ut interdiu non auderet tranſire ab uno cubiculo domûs Societatis in aliud, niſi aliquis illum comitaretur; noctu verò, etiamſi comitem haberet, non audebat tranſire. Qua quidem turbatione per multos dies laboravit, donec quadam die P. Ignatium comitaretur, domum redeuntem ex eccleſia divi Pauli Romæ, eique rationem ejus afflictionis redderet; qui quidem duobus verbis, quæ ipſi teſti dixit, turbationem illam omnino depulit, acſi manu ipſa eamdem extraxiſſet.

F

in perſonâ

571 Aſſerit præterea, quod, cùm anno MDXLIII ipſe teſtis eſſet valdè vexatus graviſſima quadam tentatione, animo obſtinato non permanendi in Societate, ac rebelli contra ipſum P. Ignatium, volentem, ut ipſe teſtis ſe aliquot dies colligeret, ut ſe Deo commendaret; quod ipſe te-

AUCTORE J. P.

testis facere renuebat : quadam nocte mensis Augusti locutus est illi Pater, & duobus verbis, quæ illi dixit, cum esset valdè obstinatus & rebellis, ita eum mutavit, ut inceperit clamare alta voce, & dicere ; Ego id præstabo, Pater, ego faciam : *vehementi utique impulsu actus, & vi, humana majore : secundùm ea, quæ ibidem dicuntur.*

ipsissimet Ribadeneiræ,

572 Eodem anno MDXLIII dicit, se initio mensis Septembris confessum generaliter fuisse P. Ignatio, absque intentione perseverandi in Societate : nondum enim vota illius ediderat. Cum primum autem confessionem absolvisset, dixit ei Pater Ignatius hæc sola verba, scilicet : Rogo te, Petre, ne sis ingratus ei, qui tot te donis & gratiis cumulavit, quot Deus tibi præstitit. Eodem temporis momento, quo Pater illa verba protulit, ceciderunt ex animo tenebræ illæ, quæ eum obfuscaverant ; statuitque apud se, ut in Societate maneret & perseveraret, tanta promptitudine, & animi firmitate, ut in his quinquaginta duobus annis ab eo tempore elapsis nullam habuerit tentationem, aut cogitationem contra vocationem, quæ ei molestiam intulerit. Hæc autem quæ refert, quæque ipse expertus est in animo suo, consideratis illius affectibus, motibus & mutationibus, judicat fuisse effectus singularis gratiæ Dei, quam P. Ignatius habebat : siquidem tam paucis verbis tam magnos effectus perficiebat, cordaque mutabat, ac serena reddebat, & perpetuâ liberabat molestiâ, quam patiebantur, ut habetur in ejus Vita lib. v, cap. vi.

B

qui hæc testatur.

573 Asserit præterea, P. Ignatium anno MDLV misisse ipsum testem ex Urbe in Flandriam, ut Philippo regi Catholico supplicaret, ut potestatem faceret Societatis collegia in statibus illis fundandi : cumque septem menses in ea re frustra insumpsisset, & modica affulgeret spes id impetrandi propter multos & magnos adversarios, quos res illa patiebatur, accidit, ut P. Ignatius ultimo die mensis Julii anno MDLVI ex hac vita migraret, ac rex quam primùm concederet, quod petebatur, privilegiumque die III mensis Augusti proximè subsequentis ejusdem anni : habuitque pro certo ipse testis aliique multi, qui id resciverunt, Patrem Ignatium, cum primùm ex hac vita migrasset, id à Domino in cælis obtinuisse, quod humanis mediis impetrari non poterat : *quo confirmantur dicta* § 49, *num.* 515. Ad sextam *verò* interrogationem *(quâ quæritur,* An noverit, quænam fuerit opinio de ipso Patre Ignatio apud viros graves, & Dei servos) *inter aliâ quæ respondet Ribadeneira*, In specie meminit, se audivisse à Doctore Peralta, canonico Toletano, viro multarum literarum & notæ virtutis, qui Parisiis fuerat discipulus in spiritualibus ipsius P. Ignatii, quod P. Ignatius propter ea solùm, quæ ille in ipso viderat, poterat canonizari. *Et inferius, in iis, quæ deponit Ribadeneira*, Ad ultimam interrogationem de publica voce & fama, dixit . . , quod cum conscripturus esset P. Ignatii Vitam, ea fuit major difficultas, quam sensit, quod intelligeret, se non habiturum aut inventurum verba, quibus bene explicare posset, quæ animo conceperat de dicti Patris sanctitate. Conceptus autem ipsi longè adhuc distabant ab eo, quod ipse Pater erat in se. *Ita sentiebat Ribadeneira : nunc externos audiamus.*

C

D

§ LV. Viri illustres externi, meritorum S. Ignatii præcones.

Honorifica de S. Ignatio testimonia summorum Pontificum,

EXternos *sancti Patris præcones dabit Ribadeneira lib.* 4 *Vitæ, cap.* 17 : *qui hoc argumentum postea amplificavit in Vita breviore, à Quartemontio Latinitate donata : è cujus capite* 23 *hæc desumo :* Paulus III Pontifex maximus, qui primus Societatem confirmavit, de hujus consilio multa magni momenti decrevit. Inter cetera sacrum Inquisitorum collegium Romæ constituit, in illudque quatuor ex ordine Patrum purpuratorum cooptavit, auctoritate prudentiaque præcellentes, qui in illo tribunali judiciis quæstionum fidei præsiderent. Julius III P. Petrum Canisium Viennensem episcopum facere, vel Ferdinando rege Romanorum multùm flagitante, numquam voluit, quia id minimè probaretur Ignatio. *Vide dicta paragrapho* 39, *num.* 406. *Quanti eum faceret, liquet item ex paragrapho* 41. *De Paulo PP. IV dixi paragrapho* 49, *num.* 520 ; *de Marcello autem PP. II, ibid. num.* 518 ; *qui, quam familiariter simul ac reverenter* S. Ignatio *uteretur, quando erat Cardinalis; quantumque ei deferret vel in gravissimis Synodi Tridentinæ, ac Christianæ reipublicæ rebus, constat ex laudati Cardinalis epistola, quam ex nostris Romanis documentis ex Italico sic reddo :* Reverende magister Ignati. Mirabere fortassis, quod magistrum Jacobum Laynez hîc detinuerim diutius, quam tu & ille voluissetis. Feci omnia in bonum finem, & ob causam, quæ spectet ad publicam utilitatem : quia cum tradiderim illi provinciam, colligendi hæreticorum errores, tam circa Sacramenta, quam reliqua omnia, quæ damnanda sunt in concilio ex parte dogmatum ; cumque id sit opus longum, ac diuturni temporis ; visum mihi non fuit, illum dimittere, antequam illud vel perduxisset ad finem, vel ad illum terminum, ut alius finem ei imponere posset. Quæ res cum aliquanto plus temporis requirat, peto abs te, ut æqui bonique consulas illam securitatem, quam ego accipio à magistro Jacobo & abs te. Nihilominus tamen, quando volueris, ut opus relinquatur imperfectum, primo tuo monitu fiet, quidquid scripseris. Deus te conservet in sua gratia. Tridenti v Februarii MDXLVII. Vester M. Cardinalis sanctæ Crucis. *Hæc ille.*

E

F

ac illustrium personarum

575 *Nunc regrediamur ad Ribadeneiram.* Gregorius, *ait*, XIII in diplomatis, anno MDLXXXII, & MDLXXXIII scriptis ad stabiliendum & defendendum Institutum Societatis, disertè dicit, Spiritum sanctum injecisse mentem Ignatio ad constituendam Societatem, eique Instituti formam tradidisse. Hoc etiam adjungit, universam rempublicam Christianam refici & recreari per filios ipsius Societatis. Denique tam Gregorius, quam qui Gregorium antecesserunt Pius IV, & Pius V, labores Societatis tantis efferunt laudibus, & fructus, quos Deus inde collegit, colligitque in dies, ut modestia eos hoc loco suadeat prætermitti. Sed hi tamen fructus divina virtute ab Ignatio tamquam à radice prodiere. *Addamus his tot illustrium personarum ad Sanctum litteras ; de quibus paragrapho* 43, 44, 45 *&* 46, *veluti totidem meritorum ipsius præcones. Nunc denuo subsequamur Ribadeneiram.*

576 P. Ludovicus Granatensis . . de hoc verba fa-

A faciens, admiratione ſe obſtupefactum dicit, intuentem vitam, heroicas & admirabiles virtutes hujuſce novi ſpeculi virtutum, & prudentiæ, quod Deus hoc noſtro tempore pro ſalute infinitorum hominum miſit. Hæc enim ſunt ejus verba. Idem pariter alii multi ſapientes ac prudentes ſentiunt: idem plurimi variarum nationum auctores, qui ſuum hac de re teſtimonium ſcripſerunt, ac de eo, ut de Sancto, mentionem inferunt. In hoc numero eſt P. Laurentius Surius, natione Germanus, qui hujus vitæ ſummam attigit. In eodem Joannes Molanus Belga, qui beatiſſimum nominat. In eodem Genebrardus Gallus, qui à Deo contra Lutherum miſſum affirmat. Denique doctor Sanderus Anglus, qui hominem divinum vocat, & auctore atque impulſore Deo feciſſe, quod fecit. Thomas Bozius propter vitæ ſanctitatem, illuſtriſſimum appellat. Paulus Morgi, (*lege* Morigia) Ordinis Geſtanorum (*lege* Jeſuatorum,) Angelus item de Paz Minorum, Mambrinus Roſa, omnes Itali ſcriptores, honorificè de hujus beati Patris vita prædicant. Idem litteris mandarunt Gonſales Igleſus, magiſter Alfonſus Villega, & Stephanus Garibai, noſtri temporis Hiſpani ſcriptores, eumque benedictum vocant, beatum & ſanctum. Doctor Jacobus Paiva Luſitanus, qui pro doctore theologo regis ſui, concilio Tridentino interfuit, illuſtrem nominat, exemplar ſanctitatis, admirabilem virum mortalibus ſingulari beneficio datum. *Hæc Ribadeneira. De S. Philippo Nerio aliquid dicam paragrapho proximo.*

Ludovici Granatenſis, Surii, Molani &c.

B

577 *In omnium præterea manibus verſantur, quæ in lucem edidit Orlandinus. Et libro quidem* 16, *num.* 124 *profertur epiſtola Clericorum regularium, vulgo Barnabitarum, in obitu ſancti Patris, Mediolano ab eis Romam data Kal. Septembris anno* 1556. *Epiſtolæ iſtius ecgraphum pro me Romæ deſcripſit P. Ignatius Pinius: è quo delibo ſequentia in laudem* S. Ignatii *his verbis expreſſa:* Sed neque etiam omnino à nobis receſſit: vivit apud omnes, quocumque ſe per totum orbem nomen Chriſti protendit, dulcis & grata ſancti Viri memoria: qui tantum de Chriſtiana republica meritus eſt; quo magiſtro & duce Chriſti fides, religio, doctrinaque adeo propagata ſunt, ut ipſos quoque antipodes penetraverit; apud quos multa millia hominum ad fidem converſa *&c. Et paulo poſt dicitur:* Pes claudo, oculus fuit cæco, pauperibus ſolamen, & miſeris omnibus præſidium .... Nos in tanto funere ſacram Deo Hoſtiam in altari non ceſſamus offerre: ſpargant alii tumulo purpureos flores; hæc ſacerdotum ſunt lilia, magiſque vernantia & Deo amabilia myſteria, pro ſancta illa anima, licet jam beatæ vitæ gaudio, ut credimus, perfruente. *Hæc ibi.* Has litteras, *inquit memoratus Pater*, cum accepiſſet R. P. Laynez XIV Septembris, poſtridie reſponſorias dedit, humanitate religioſa plenas.

Laudatur Sanctus in epiſtola Barnabitarum;

C

578 *Apud Orlandinum ibid. à num.* 125 *eſt ſumma epiſtolæ, à Ludovico Strada, viro, uti addit, egregiè docto ac pio, è familia S. Bernardi, ad ſocios noſtros Septimancenſes Hiſpanicè ſcripta, ac longo poſt tempore Italicè converſa, nec non Romæ in lucem edita, prout habetur ex iis, quæ ibidem dicit Orlandinus. In manibus habeo Italicum aliud ejuſdem epiſtolæ exemplar anno* 1605 *Neapoli excuſum: & quoniam ea notatur ſcripta* XII *Februrii* 1557, *ex antiquitate pretium illi accedit.* Joannes III Luſitaniæ rex, *prout Orlandinus ibid. teſtatur num.* 129, tum ſæpe quantum Ignatio tribueret, declaravit, tum aliquando, cum demortuo Julio III ſummo Pontifice, egregiè facturos Cardinales dixiſſe fertur, ſi Pontificem crearent Ignatium.

ac Ludovici Strada;

AUCTORE J. P.

579 *Otho Truchſes, Cardinalis Auguſtanus, libro citato, num.* 131 *præter alia, quæ Herbipoli ſcripſiſſe notatur; quomodo fuerit erga Sanctum affectus, non obſcurè indicavit, quando* ſanctiſſimi noſtri Patris *nomine eum nuncupat. At num.* 132 *Bartholomæi à Cueva Cardinalis litteræ proferuntur; in quibus non ſecus atquè in jactura erepti ſibi amantiſſimi patris filius* recordationis optimæ ſancti Patris noſtri Ignatii *meminit. Et mox* ſingulari amico & parente orbatum *ſe affirmat. Adde his breve illud:* Profecto, *inquit*, Chriſtiana reſpublica unum præſtantiſſimorum capitum, quæ habebat, amiſit. *Ludovicus Cardinalis Ludoviſius in Panegyrico ſacro, in metropolitana Bononiæ eccleſia habito in dedicatione ſacelli* S. Ignatii, *latinitate donato, ac typis Plantinianis anno* 1631 *edito, pag.* 40, *poſtquam à numero thaumaturgorum eum non eſſe ſegregandum dixerat, mox*, At ego, *inquit*, miraculorum omnium maximum fuiſſe miraculum Ignatium ipſum crediderim. *At finis non ſit, ſi operoſiùs colligere voluerimus alia in laudem ſancti Patris elogia. Interim qui plura deſiderat, adeat noſtrum Chriſtophorum Gomez in Elogiis Societatis, ſive ejuſdem Propugnaculo, Pontificum, conciliorum, Cardinalium, antiſtitum; nec non imperatorum, regum, principum &c. teſtimoniis conſtructum. Theophilus quoque Raynaudus noſter in opuſculo, quod inſcribitur* S. Ignatius Loyola anima mundi, *puncto* 11 *honores Sancti collegit.*

Cardinalibus Auguſtano, à Cueva, ac Ludoviſio

D E

580 *Atque hæc quamquam ita ſunt, tamen* Unum genus, *inquit Ribadeneira apud Quartemontium loco ſupra allegato*, infeſtum adverſumque eſt eorum, qui ad hoſtes Eccleſiæ defecerunt; qui in id unum incumbunt, ut de ejus fama detrahant, ſcribant etiam libros, in quibus & ejus vitam, & univerſum ejus Ordinem criminentur. In hoc numero eſt Calvinianæ ſectæ colluvione notatiſſimus Simon Lithus Miſenus, qui quinque libros edidit contra alios quinque, quos de B. Ignatii vita in vulgus emiſimus. Qui meâ ſententiâ non minùs valent ad arguendam hujus ſanctitatem, quam præclara de ejus virtute tot ac tantorum virorum teſtimonia, quos diximus. Sicut enim magnæ laudis eſt à bonis laudari; ſic non minoris, ab improbis vituperari. *Miſeni iſtius male feriati audaciam egregiè repreſſit noſter Jacobus Gretſerus libris item quinque apologeticis pro Vita* S. Ignatii, *quam Ribadeneira edidit, conſcriptis. Valeat interim hîc contra hunc, atque alios impudentes ejuſdem furfuris & infrunitos, illud S. Hieronymi in epiſtola* 80 *ſignata in editione nova operum ejus tom.* 4, *col.* 644, *ad S. Auguſtinum:* Macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt; &, quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant. *Verùm non eſt, quod hujuſmodi calumniatores nos morentur.*

quidquid obſtrepant hæretici.

F

581 *Quanto verius & æſtimabilius eſt elogium, quo Chriſti in terris Vicarius Urbanus VIII ſanctum Patrem noſtrum proſequitur in Bulla canonizationis ejus, in qua hæc leguntur:* Vir verè, quem præelegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus ſanctiſſimum nomen coram gentibus, & populis, & infideles ad veræ fidei

Elogium S. Ignatii in Bulla canonizationis ejus.

AUCTORE J. P.

fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, ſuique in terris Vicarii auctoritatem defenderent.

§ LVI. Quanto in pretio fuerit S. Ignatius apud Cardinales Gaſparem de Quiroga, Franciſcum Mariam Tauruſium &c.

Cardinalis de Quiroga inter homines cum fama ſanctitatis mortuos

Nominatus identidem in hujus Commentarii decurſu, archivii noſtri Romani ad notitias Ignatianas inde eruderandas inſpector, mecum inde communicavit ſequens teſtimonium, quod ex originali Hiſpanico, à ſe ibidem poſtea reperto, correxiſſe ſe affirmat. Sic verò habet: Gaſpar de Quiroga, divina miſeratione presbyter Cardinalis S. R. E. tituli S. Balbinæ, archiepiſcopus Toletanus, primas Hiſpaniarum, major cancellarius Caſtellæ, inquiſitor generalis Apoſtolicus adversùs hæreticam pravitatem & apoſtaſiam in regnis & ditionibus ſuæ majeſtatis, ejuſque conſiliarius ſtatûs & præſes concilii Italici &c. Omnibus & ſingulis has literas noſtras lecturis ſalutem in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Cùm ad divinam gloriam & honorem ſervorum ipſius, ac ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ ædificationem, & cunctorum Chriſti fidelium exemplum magnopere pertineat, ut agnoſcantur, æſtimenturque perſonæ præcipuâ virtute, raraque & excellenti ſanctitate florentes, quas idem Dominus in hunc mundum mittit, ut exemplari vita ſua alios excitent & accendant:

ponit S. Ignatium,

583 Cumque inter præcipuos ejus famulos, quos bonitati ipſius placuit noſtro hoc calamitoſo tempore dare Eccleſiæ ſuæ, quæ nunc tam crudeliter vexatur & oppugnatur ab hoſtibus ſuis infidelibus ac hæreticis, fuerit B. Pater Ignatius de Loyola, fundator ac parens venerabilis Societatis Jeſu, qui ſanctæ vitæ ſuæ exemplo, ſalutari doctrinâ, atque inſtitutione, propagatione & gubernatione ejuſdem ſuæ Religionis, quæ adeo brevi tempore per totum orbem diffuſa eſt, maximos fructus edidit, tum in hæreticis reprimendis, tum in adducendis ad Euangelii lumen
C gentilibus, tum etiam Catholicorum moribus reformandis; ſicut omnibus eſt perſpicuum:

apprime ſibi cognitum

584 Idcirco, cum nos prædictum B. Patrem Ignatium noverimus, & illius familiaritate uſi fuerimus, negotiaque non pauca cum eodem Romæ tractaverimus (quod inter alia beneficia nobis à Deo collata, ut ſingulare referimus:) ac propterea ſancta illius vita, moreſque fuerint nobis cogniti; ut in hoc ſuo Servo divina bonitas magis glorificetur, his noſtris literis declaramus, verum eſſe, nos eum cognoviſſe, perſæpe cum eo tractaſſe, & cum eodem devoto Patre Ignatio de Loyola fuiſſe arcto amicitiæ vinculo conjunctos, nec umquam nos vidiſſe in eo, aut ab ore illius aliquid audiviſſe, quod ſanctitatem & gravitatem viri perfecti, ſanctique dedeceret:

& variis virtutibus inſignem.

585 Imo potiùs eumdem ſemper ut virum verè humilem habuimus, mitem, patientem, charitate, zeloque divinæ gloriæ, & ſalutis animarum præditum, mundi contemptorem, prudentem, magnanimum, atque inter omnes blandorum & aſperorum, proſperorum atque adverſorum temporum mutationes, ſemper illum vidimus & obſervavimus (non ſine magna admiratione) eodem vultu, gravique lætitia, & religioſa gravitate; ita ut in compoſitione vultûs facilè ſpectandam ſe præberet æquabilitas & pax animi. Denique talis à nobis cognitus, atque habitus eſt, qualem eſſe conveniebat illum, quem Deus ad tantum opus elegerat, quantum fuit inſtitutio, propagatio, & fructus ſanctæ ſuæ Religionis. Itaque piè credimus, benedictam illius animam cælo eſſe receptam, ac frui Deo, & temporalium ac ſalubrium ſuorum laborum præmio ſempiterno. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, & à noſtro ſecretario regiſtratas dedimus Matriti die ſexta Julii MDXCIII. G. Cardinalis archiepiſcopus Toletanus. *Et ſubditur:* Mandato illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Domini Magiſter Hieronymus Paulus. *A tergo impreſſum eſt ejuſdem Cardinalis archiepiſcopi ſigillum magnum in cera Hiſpanica rubra.* Regiſtratum L. 7, fo. 353. Hieron. Paulus. *Ex producta epiſtola confirmantur & illuſtrantur dicta Ribadeneira de iſto præſule lib. 4, cap. 17; & declarantur, quæ de eodem refert in Vita parva cap. 23.*

D

E

Teſtimonium Cardinalis Tauruſii, qui morienti adfuit:

586 *Eminentiſſimi Franciſci Mariæ Tauruſii epiſtola de S. Ignatii virtutibus habetur apud Bartolum lib. 4, num. 35: quæ etiam è tabulario Romano ad me unà cum aliis documentis Ignatianis miſſa eſt hoc titulo:* Copia primæ atteſtationis illuſtriſſimi Cardinalis Tauruſii exhibita die XIV Feb. MDCVI. Jacobus Gianeus notarius publicus. *Ex noſtro autem exemplo deſumo iſta:* Franciſcus Maria Tauruſius, S. R. E. tit. S. Bartholomæi in Inſula presbyter Cardinalis, ex Apoſtolica diſpenſatione archiepiſcopus Senenſis, omnibus & ſingulis *&c.* Beatus vir Ignatius Loyola, Societatis Jeſu fundator, firmiora quidem ſuæ gloriæ teſtimonia habere non poteſt, quàm quæ per ejus Inſtituti ſectatores, vera hujus ſeculi lumina, omni virtutum ac diſciplinarum genere præditos, Deus ipſe evidenter exhibet. *Id quod probat ex fidei Catholicæ propagatione, hæreticorum converſione, ac reformatione Chriſtianorum morum, Deo duce, ac* Ignatio *æterni regni vexilla præferente, animoſque ac vires, nec non armorum præſidia ſuppeditante. Et deinde ſic proſequitur:* Nos profecto, quibus præcipuo Dei munere illum in hoc ergaſtulo carnis adhuc degentem noviſſe, ejuſque animam ab ipſo ſolutam hinc migrantem
F in æterna tabernacula, ut certò credimus illico recipiendam, cum in illiuſmet cubiculo tunc adeſſemus, precibus votiſque comitari datum fuit, adeo ſemper ejus nomen, eminentemque ſanctitatem venerati ſumus *&c.* Datum Romæ pridie Kal. Septembris MDC. Ego Franciſcus Maria Cardinalis, & archiepiſcopus Senenſis affirmo. Joannes Tanius ſecretarius.

item Cardinalis Otho Truchſes, & alii Ignatium maximi faciebant.

587 *Duobus hiſce purpuratis Patribus accedat Otho Truchſes, paragrapho 54 memoratus; de quo litteræ Manarei, ſuperius § 51 ſub finem citatæ ita docent:* Quod ad externos attinet; vidi, *ait*, Cardinalem Othonem Truchſes venientem, dum viveret, ad ipſius ſacellum domeſticum, ut oraret vel celebraret, arbitratus Viri ſanctimoniam aliquid virtutis in locum conferre: poſt ejus mortem vidi Cardinalem Hoſium ſimiliter venientem, ut ibidem celebraret, ob Viri ſancti memoriam, qui ibi orare, & celebrare ſoleret. Audivi alios pleroſque de eo loquentes, ut de Viro ſancto, inter alios dominum Virgilium Creſcentium, D. Philippum Nerium, præfectum Oratorii S. Hieronymi, & alios, quorum

A tum mihi nomina exciderunt. *Ad rò* præfectum, *notat dictus P. Ignatius Pinius, S. Philippum Nerium mortuum esse in Oratorio S. Mariæ in Vallicella*; aliud *insuper Romæ esse* Oratorium (*in quo priùs habitarat S. Philippus*) *quod vocatur* S. Hieronymi: *quia templum habet dedicatum S. Hieronymo. Hujus, inquit*, præfectum *distinguit Manareus à S. Philippo.*

588 *Occasione autem modò oblata ex eo, quod dicebatur de S. Philippo Nerio, produco singulare aliquod dictum ex documento, quod inter alia laudatus P. Ignatius Spicilegio suo Romano inseruit. Ex Italico ita illud reddo:* P. Gabriel Venustus, Societatis Jesu professus, bonus admodùm Religiosus, plurium collegiorum rector, ac demum in collegio Romano rerum spiritualium præfectus, facilè bis mihi narravit, quod, dum in seminario Romano esset alicujus cubiculi præfectus, iviſſetque cum patre nostro Rubino ad ecclesiam novam, ad videndam quamdam picturam recenter admodùm expositam, occurrerit sibi S. Philippus, ac quæsierit, quales essent. Responderunt ei; Societatis Jesu. Subjunxit Beatus: Estis filii magni Patris: ego ipsi obstringor; magister Ignatius me docuit facere orationem mentalem. Hoc totum est, quod mihi narravit P. Venustus: id quod me ex ipso audivisse, fidem facio his manu mea scriptis. Famianus Strada. *Supradictus notitiarum Ignatianarum collector circa ecclesiam novam hæc observat:* Sic vocatur templum ædificatum à S. Philippo Nerio, ubi antea erat templum S. Mariæ in Vallicella. Vide Acta Sanctorum tomo VI Maii, pag. 547; & pag. 593 additiunculam. S. Philippum Nerium loco templi S. Mariæ in Vallicella exstruxisse ecclesiam novam, testatur Petrus Jacobus Baccius in Vita ejusdem Sancti, Italicè edita Veronæ MDCXXIV, lib. I, cap. 13.

inter quos S. Philippus Nerius.

B

§ LVII. Vultûs ac corporis conformatio, vestitus, afflicta valetudo; effigies, scripta.

C

Externa corporis habitudo,

Qui ad conscribenda S. Ignatii *gesta animum adjunxere, illud curarunt impensè, ut oris, vultûsque habitudinem, atque externam corporis conformationem ac staturam genuinis, quoad possent, lineamentis repræsentarent. Ribadeneira imprimis hanc rem agit lib. 4, cap. 18, in Vita breviore pro suo ibidem instituto paucioribus eam verbis expediens. Brevis etiam est in hoc argumento Maffeius lib. 3, cap. 15; quo Vitæ sancti Patris coronidem imponit. Quantum verò ad staturam corporis attinet; dictus Ribadeneira libro ac capite citatis sic scribit:* Staturâ fuit modica vel potiùs brevi. *Apud Quartemontium in Vita breviore hæc traduntur:* Fuit mediocri statura. *Ne autem quæ hîc de* mediocri, *illic de* modica *vel potiùs* brevi *dicuntur statura, dubiam vel obscuram pro certa ac perspicua repræsentent; ad manum est mensura staturæ Sancti nostri, unà cum Spicilegii Romani notitiis à P. Ignatio Pinio mecum communicata, in hæc verba:* Hoc filum sericum totum, expansum exactè in directum, sed non tensum, æquat altitudinem arundinis, quæ hîc servatur in sacrario sacellorum domesticorum, olim conclavium S. Ignatii, tamquam mensura altitudinis ejusdem Sancti. *Porro linea illa, quam hujus impressæ paginæ intercolumnio præter morem insertam vides, sextam dicti fili serici partem adæquat; quâ sexies multiplicatâ, facile erit cuilibet, in cognitionem venire altitudinis corporis totius.*

AUCTORE J. P.

590 Grato & pleno dignitatis aspectu, *ut cum Maffeio lib. 3, cap. 15 loquar, Virum sanctum fuisse accepimus; addente Bartolo lib. 4, num. 32, scribere Eleutherium Pontanum, Sancto diu notum, quod solâ suâ præsentiâ circumstantes ad gravitatem & modestiam componeret; quodque nonnulli, delicti alicujus sibi conscii, non sustinerent illius præsentiam, nec auderent vultum contueri; ut nihil dicam de vivacissimis & acutè penetrantibus oculis, temperie indolis ardentissima, sed virtutis imperio ita edomita, & ab omni ardoris demonstratione aliena, ut pituitosam potiùs censerent medici. Dicamus id quod res est: ita ille omnes naturæ motiones noverat obedientes reddere rationi, ut ex omni indolis contemperatione, & ex nulla constare videretur: cui utpote affectio imperabat nulla, obtemperabant omnes.*

vultûs majestas.

591 *Nonnulla, quæsitis Lancicianis ac responsionibus Velatianis, de quibus mox num. 596, immixta circa habitudinem externam ac vestes sancti Parentis, huc pertinent; ubi ad secundum:* An erat valde canus: & cujusmodi pilos habebat plures, nigrosne an canos? *Respondet Velatus:* Erat cana barba hîc & illic, & non universè. *Ad tertium:* Quando exibat foras, an gestabat pallium, an vestem, quâ nunc utuntur scholares Romæ, factam more Gallico? *Respondet Velatus:* Quando prodibat foras, gestabat pallium. *Ad decimum quartum:* Cum in quadam epistola Reverentiæ vestræ legerim, quod, dum aliqua vice P. Ignatius è palatio reveheretur mulâ, rediret per plateam Transtiberinam; vellem scire, an hoc faceret sæpe, & an ex humilitate, ne videretur ab hominibus, an, ut fugeret populum? *Respondet Velatus:* Hoc faciebat, quando debebat agere cum Pontifice: utque minùs videretur, vehebatur mulâ. *Quando, inquam, debebat agere cum Pontifice:* Subintellige, *uti rectè hîc observat P. Ignatius Pinius*, & quando Papa commorabatur in palatio Vaticano ad S. Petrum: nam palatium ad S. Marcum, erat vicinum domui nostræ. Ceterùm palatium Vaticanum distat mediâ horâ à domo nostra; & plurimi juvenes Religiosi, non mediâ horâ inde distantes, illuc vehuntur rhedâ. Quid nî ergo mulâ Ignatius senex?

Alia quædam his superaddita de egressu è domo,

E

F

592 *Quæsita ejusdem patris Lancicii, quæ is proposuit P. Ribadeneiræ in litteris originalibus, Romæ die* XXVI *Junii anno* 1597 *Matritum datis; atque laudati P. Ribadeneiræ Responsa, in earumdem litterarum margine adscripta: quæ utraque Latinè exarata sunt ex tabulario Romano, descriptore P. Ignatio Pinio; documenta, inquam, illa circa vestitum* S. Ignatii, *ad quæsitum undecimum:* Quomodo vestitus *fuerit*, id est, quid aliud præter sotanam, portaverit: qualem subuculam vel pectorale habuerit, & cujus coloris; *hæc habent:* Subuculam lineam gestavit, & thoracem nunc simplum, nunc duplum pro ratione temporis. Sed quia stomacho frequenter ac vehementer laborabat, pellibus & aliis pannis fovebat stomachum, quem ex nimio frigore imbecillum esse medici falsò suspicabantur: sed post triginta tres annos (*morbi seu doloris, videtur subintelligendum*) tandem cognitum est, calorem esse morbi causam, non frigus. Itaque pelles & cætera operimenta, ad calefaciendum stomachum adhibita, rejecit; ac meliùs habuit. *Orlandinus lib. 16, num. 93.* Non eam ætas, *inquit*, mo-

vestitu, & afflicta habitualiter valetudine;

AUCTORE J. P.

dò gravis, diuturnæ ærumnæ, severissima disciplina, sed etiam perversa assidui languoris curatio attriverat; quam triginta fere annis necessitati contrariam fuisse adhibitam, nuper erat compertum, fovendo stomacho intentis medicis, cum refrigerare jecur deberent.

ita quidem, ut in Horis canonicis

593 *Nec verò morbus unus valetudinem Sancti extenuavit; uti lucet è medici ad tuendam illam præscripto, quod inter schedas Româ acceptas habeo ante me, & unde pauca extraho ex Hispanico versa:* Vestra Paternitas est aliquantum subjecta catarrho, ac timeri potest, ne sit subjecta magis in posterum, per ætatem & occupationes interiores. Neque res est parvi momenti, ab ista infirmitate se præservare; *sicut ibidem probat. Tum explicat catarrhi causas, ut ab his sibi caveat, ac remedia Ex dictis patet, magnam in infirmo corpore animam fuisse sancto Patri. Quousque autem attenuatæ valetudinis ejus status pervenerit, facile videbit, qui considerarit, debilitatis corporeæ causâ dispensatum cum Sancto fuisse à Sede Apostolica in recitatione Officii canonici: cujus rei en tibi instrumentum ex nostro tabulario Romano, & ex ipso autographo exemplo descriptum;*

B Fidem facio ego Franciscus Vannutius Romanus, sanctissimi D. N. Pauli Papæ tertii eleemosynarius, ac basilicæ beatæ Mariæ in Fonte olei, Transtyberinæ regionis, canonicus, quod accepto per præfatum SS. Dominum nostrum Papam, quod venerabiles Ignatius de Loyola, & Didacus de Eguia, presbyteri Hispani ambo diœcesis Pampilonensis, propter varios pro Christo exantlatos labores, Ignatius videlicet corporis & præcipuè stomachi; Didacus verò etiam oculorum, adeo graves & assiduos dolores & ægritudines incurrerunt, ut difficulter & cum magno temporis dispendio Horas canonicas è libro legere possint;

à Sede Apostolica dispensatum cum eo fuerit.

594 Eisdem Ignatio & Didaco, quod ipsi easdem Horas canonicas, ac divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum, secundùm morem & consuetudinem Romanæ Ecclesiæ etiam noviter introductum, etiam anteponendo & postponendo dicere & recitare, seu illas & illud omnino prætermittere, ac minimè dicere & recitare, & loco earumdem Horarum ac divini Officii hujusmodi, nisi eorum corporalis aut spiritualis fragilitas ac debilitas id impediat, vel sicut in Domino salubriùs conspexerint expedire (super quo eorum conscientiam oneravit) alias orationes,

C quæ è libro repeti non habeant, dicere ac recitare, seu confessiones audire, vel Christi fideles exhortari, vel alia aliqua opera sibi & eisdem fidelibus fructuosiora & salubriora facere, absque conscientiæ scrupulo liberè ac licitè possint & valeant, vivæ vocis oraculo mihi facto indulsit, sibique ad id licentiam & facultatem Apostolica authoritate concessit. In quorum fidem præsentibus de ipsius Sanctissimi Domini nostri mandato subscripsi, & illas solito sigillo memoratæ basilicæ muniri feci. Datum Romæ in domibus solitæ residentiæ anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi MDXXXIX, die verò secunda mensis Januarii, pontificatûs prædicti Sanctissimi anno quinto. Idem Franciscus Vannutius manu propria subscripsi, & sigillavi. *In tergo adscriptum esse* S. Ignatii *manu*, licentia de Iñigo para el Officio canonico (*id est*, licentia Ignatii ad Officium canonicum,) *annotat hujus instrumenti transcriptor; de quo alibi sæpius.*

595 *Frustra laboraverit aliquis, ut nanciscatur alicubi imaginem Sancti pictam aut fictam adeo artificiosè ac feliciter, ut eum perfectè, & ad vivum, quod aiunt, referat; teste Ribadeneira loco suprà citato: ubi & causam addit, suumque judicium, quænam ex omnibus, quæ circumferuntur, proximè ad veram accedat. Bartolus eam assignat,* quam Alexander Crivellus Mediolanensis, qui pòst sacrâ purpurâ est ornatus, furtivâ pictoris operâ ex eo duci jussit, secum interim familiariter colloquente, planéque piæ fraudis ignaro. *Addit,* Romæ *nos habere* opus Jacobini Conti, pictoris excellentis, ex vultu quidem mortui exceptam, sed ex viventis perfectam imagine, quam tenebat is pictor animo impressam, quod esset solitus apud eum peccata deponere, eumque sæpius videre. Habetur hæc omnium maxime germana, quod & sit ultima, & doctæ manus penicillo expressa. *Hæc ibi.*

D *Nulla est effigies, quæ Sanctum perfectè referat:*

quænam præ aliis magis ad similitudinem accedat,

596 *Maffeius lib. 3, cap. 15,* Effigies, *inquit,* circumfertur illius, non admodùm ad vivum, ut familiares affirmant; siquidem ex mortui demum facie, gypso imaginem expressere plastæ; quoniam ipse, dum viveret, quamquam multorum precibus fatigatus, neque pingi, neque fingi se passus est. *In nostro ecgrapho Romano, quod continet* Quæsita P. Lancicii ex literis autographis, datis Romæ VIII Aprilis MDXCVIII ad P. Joannem Baptistam Velati, Mediolanum: *nec non* Responsa Patris Joannis Bapt. Velati, ipsius manu scripta in margine literarum P. Lancicii; *in quo ecgrapho ad hoc quæsitum primum Lancicii:* Quænam imago sit similior B. P. Ignatio: & an illa ex gypso, post ejus mortem facta, &, sicut dicitur, depicta à vestra Reverentia, sit verior omnibus, quæ circumferuntur coloribus depictæ: *Respondet P. Joannes Baptista:* Hæc quæ ex gypso, præ omnibus: & ex coloratis illa, quam habet in cubiculo noster Pater Generalis.

E

tamquam magis genuina.

597 *Cetera de hac imagine inter positiones & articulos, actore P. Laurentio de Paulis, procuratore generali Societatis Jesu, & consortio, in causa canonizationis sancti Patris nostri propositos, titulo* De opinione sanctitatis, *dicitur,* Quod post mortem S. Ignatii, antequam ejus corpus sepeliretur, pictores, qui tunc erant in Urbe, effigiem seu imaginem, vulgo nuncupatam ritratto, quæ est in domo professa Romana ejusdem Societatis, & apud prædictum reverendum Patrem Generalem ejusdem Societatis (*mentio facta fuerat antè de Claudio Aquaviva*) asservatur, fecerunt, & sumpserunt. Ex illa imagine seu ritratto permultæ aliæ imagines ad instantiam principum virorum, & nobilium, ac aliorum depictæ fuerunt. *Ad imaginis supradictæ prototypon efformatam suspicamur illam, quam R. A. P. N. Claudius Aquaviva transmisit ad R. P. Oliverium Manareum, de qua nunc agemus.*


F

Quænam hic detur.

598 *In catalogo reliquiarum & documentorum, quæ servantur in cubiculo R. P. Rectoris collegii Societatis Jesu Lovanii, manu R. P. Bernardi vanden Haute, qui tum temporis isti collegio præerat, humanissimè ad nostrum usum scripto, notantur sequentia:* Effigies S. P. Ignatii, in cujus dorso scriptum est *sermone nostro vernaculo, quem ita in Latinum convertimus:* Hæc imaguncula anno MDCXII à reverendo Patre Claudio Aquaviva missa est reverendo Patri Oliverio Manareo, rogando ejus judicium, an hæc rectè referret nostrum beatum Patrem Ignatium. Ad quod respondit, numquam se vidisse, quæ meliùs referret, quàm illa. Quod tunc ejusdem patris Oliverii socius attestor Jacobus vanden Steen. *Et mox sequitur in dicto catalogo:* Effigiem hanc dictus P. Oliverius dono dedit isti fratri Jacobo, qui mortuus est Lovanii, & ipsius elogium habetur in Historia collegii Lovanienſis ad annum

MDCLI

A MDCLI in fine. *Conſule dicenda inferiùs ex ejuſdem P. Oliverii teſtimonio : ubi curioſa quædam de hoc argumento tradit. Ceterùm imaginem hanc penicillo pictam, ſcalpro in æs incidi curavimus, ad prototypi ſui imitationem ; adjecto ea occaſione ornatu, qui Sancti effigiem ambit ; prout in ectypo, quod hîc repræſentatur, videre eſt. Eccum illud.*



P. B. Bouttats, ſcul. Ant.

Imago Ignatii relucet in libello Exercitiorum.

C 599 *At facilior eſt jactura, quod veros oris totiuſque vultus ſancti Patris ductus, ac ſpirantes eorumdem characteres ad vivam perfectamque imitationem ars pictoria perducere haud potuit ; poſtquam ſimillimam prototypo ſuam ipſemet nobis quodammodo depinxit imaginem in ſcriptis ſuis, in quibus non ſecus atque in pictura quadam ſingulares ejus naturæ ac gratiæ dotes, &, ut verbo dicam, totus* Ignatius *relucet. Orlandinus lib.* 16, *num.* 101, Exercitia, *ait*, ſpiritualia & Conſtitutiones ab eo relictas, qui Ignatium æſtimare vult, norit. Illa ſunt Ignatii forma : hæc imago. Ex illis, in his expreſſa ejus eſt virtus : in utriſque deſcriptæ ſunt viæ ac ſignata veſtigia, per quæ ad celſiſſimum perfectionis culmen aſcendit. *De Exercitiorum ſpiritualium libro plurima dixi ſuperiùs paragrapho* 5 *& ſequentibus. Illum ſanctus Pater Hiſpanicè quidem compoſuit, ſed P. Andreas Fruſius latinitate donavit ; prout habemus ex Bibliotheca ſcriptorum Societatis Jeſu pag.* 1 ; *qui anno* 1556, *eodem quo* S. Ignatius *è vivis abiit, diem clauſit extremum vitæ ac rectoratûs collegii Germanici ; vide Orlandinum lib.* 16, *à num.* 89, *apud quem num.* 90 *viri elogium reperies.*

§ LVIII. Alia quædam S. Ignatii ſcripta.

AUCTORE J. P.

SCripſit etiam, *inquit Ribadeneira modò aſſignatus*, librum Conſtitutionum, decem in partes diſtributum, in quo leges dat Societati, & abſolutiſſimam gubernationis formam præſcribit, tanto ſpiritu, tanta ſententiarum gravitate, verborum pondere, ordine, comprehenſione, ut non humana doctrina, ſed divinitus infuſa videatur. *Librum hunc ex Hiſpanico ſancti Patris Latinum fecit Joannes Polancus ; ut videſis in citata Bibliotheca : ubi ipſæ etiam Conſtitutionum Declarationes* S. Ignatio, *tamquam vero earum auctori, aſſeruntur, contra nonnullos, qui illas à Jacobo Lainio conditas fuiſſe exiſtimarunt, ſecundùm ea, quæ ibidem dicuntur. Quamquam verò nos jam in anteceſſum plurima dixerimus in laudem Conſtitutionum, earumque confectionem ſancto Patri vindicaverimus, liceat tamen nobis ex eadem Bibliotheca pag.* 2 *hæc illis ſuperaddere ad pleniorem iſtius libri laudem.* *Relucet item in Conſtitutionibus*

F

601 Eum certè cum Paulus IV Pontifex maximus, cui jam diu non omnino probari videbatur, recognoſcendum, judicandumque dediſſet duobus Cardinalibus Tranenſi, & Reumano, adjunctis deinde etiam Alexandrino & Moniliano : qui omnes viri fuerunt ſapientiſſimi, diverſorum Ordinum, è Dominicanis, Franciſcanis, & Clericis regularibus ; &, quod caput eſt, præoccupati calumniis eorum, qui intimè nota habere omnia exiſtimandi erant, prorſus tamen illibatus eſt redditus. Enimverò admiratione dignum eſt, ea ſanctum Patriarcham concepiſſe, atque in his Conſtitutionibus Ordini ſuo præſcripſiſſe, quæ, quòd ab aliorum Ordinum norma recederent, parum firma, & ſinceræ theologiæ conſentanea nonnullis viris graviſſimis ſunt viſa, atque eo nomine diu multumque oppugnata ; ſed Apoſtolicâ tandem ſententiâ rata firmataque ſunt, & adverſantia placita cenſuræ ſubjecta. Ut non temerè ſcripſerit è recentioribus quiſpiam, S. Ignatium inter doctores eximios meritò propter hos libros numerandum, utpote qui theodidactus illos conſcripſerit, tam profundâ probatâque doctrinâ refertos, ut omnia & ſingula in eo contenta, ſint Apoſtolico judicio ceu pia ſanctaque declarata. Certè tres Pontifices ſummi, nempe Gregorius XIII, Gregorius XIV, & Paulus V, poſt iteratum toties Conſtitutionum examen, eas omnes, ac ſi ad verbum ſingulæ Bullis ſuis inſertæ fuiſſent, confirmarunt & approbarunt. *rigidè examinatis, & Apoſtolico judicio comprobatis.*

F

602 *Nunc Catalogum Ribadeneiræ reviſamus:* Scripſit præterea, *ait*, epiſtolam de religioſa obedientia, ad Luſitaniæ ſocios, ac filios, tam perfectam, & omnibus expletam numeris, ut omnium præceptionum inſtar ſit, quæ de obedientia traduntur. *Eam dedit* Româ *ſanctus Vir* VII Kal. Aprilis MDLIII. *Idem auctor in Vita* S. Ignatii *lib.* 5, *cap.* 4 admirabilem *ac* divinam *illam vocat. Quam verò egregiè carum ac pretioſum habuerit aureum hoc monumentum S. Franciſcus Borgia, palam profiteri voluit in ſua epiſtola, quæ eſt De mediis conſervandi ſpiritum Societatis, unde illa excerpimus num.* 9 : Quod ad virtutem obedientiæ pertinet (ad quam Societas omnia refert, tamquam ad ſcopum, & vexillum, quæque ejus eſt turris præcipua) etſi nonnulla fortaſſe dicenda erant ; tamen quia B. P. *Item in epiſtola de religioſa obedientia,*

AUCTORE J. P.

noſter epiſtolam de ea ſcripſit, non utilem modò, ſed omni dignam admiratione; quippe cui nec quicquam addi poſſit, nec detrahi; ad eam vos remitto, cum hac una voce Euangelii: Hoc fac & vives. Hoc enim in Domino nobis polliceri poſſumus fore, ut, ſi quæ in illa continentur, præſtiterimus, perfectæ obedientiæ filii nominemur, & ſimus.

à ſpurio quodam Societatis filio oppugnata.

603 *Quæ tametſi ita ſe habeant, inventus tamen fuit aliquando ſpurius quidam ſancti Patris & Societatis filius, nomine Julianus Vincentius, eò intemperiei abreptus, ut planè ſtulto ac temerario conatu hanc ſanctiſſimam epiſtolam publicè impugnare auſus fuerit, & propoſitiones ex ea excerptas ad Pontificem deferre, addita maligna interpretatione, tamquam iis non modò falſa, verùm etiam hæretica dogmata ſancirentur. De maleſuado hoc criminatore, turbiſque exinde ortis ſcribitur in Hiſtoria Societatis Jeſu, partis 5 tom. 1, lib. 8, ad annum 1588; ubi num. 8 hæc habes:* Summa hæc erat. Ex obedientia cæca, quâ jubentur inferiores Superiorum mandatis ſimpliciter, ac ſine inquiſitione tamquam voci Domini, ipſummet in imperante Chriſtum conſiderantes, obtemperare, ſtultam per calumniam volebat effici, obtemperandum eſſe, etiamſi errores & crimina imponerentur; aut certè Societatis præſidibus auctoritatem tribui, quæ in ſummo tantùm Pontifice eſt, ut quidquid ii decernant, præcipiantve, errare non poſſint. *De rebus porro hanc ſcenam conſecutis, ejuſdemque cataſtrophe, nec non de Juliani Vincentii prolapſione, conjectione in carcerem, ac morte ibi obita, agit citata Hiſtoria.*

Aliæ Sancti epiſtolæ; regulæ modeſtiæ:

604 *Aliam epiſtolam ſancti Patris, ad noſtros Conimbricæ degentes; quæ notatur data* ad Patres & Fratres Societatis Jeſu, qui ſunt in Hiſpania, De perfectione religioſa, *habemus inter Epiſtolas Præpoſitorum Generalium. De Regulis modeſtiæ quid memorem? Enimvero earum confectio quanti conſtiterit ſancto noſtro Fundatori, liquet ex Ribadeneira lib. 5, cap. 1, ubi, quam ex ore ipſiuſmet Sancti audierat, rem narrat. Notatu ad hæc digniſſimus eſt mirabilis ille eventus, qui contigit in earum promulgatione, & ad noſtros habita circa earum obſervationem exhortatione; uti habemus ibidem ex eodem auctore. Conſuli inſuper poteſt Orlandinus ad annum 1554 Hiſtoriæ Societatis lib. 14, à num. 8.*

C

liber de SS. Trinitate, aliaque epiſtolæ

605 *Apud Ribadeneiram ac Maffeium lib. 1, cap. 7, liber occurrit de ſanctiſſima Trinitate: de quo Orlandinus lib. 1, num. 27 etiam meminit. Breve eſt illud in Bibliotheca ſcriptorum noſtræ Societatis pag. 2.:* Scripſit . . inſignem de ſanctiſſima Trinitate tractatum in ipſo primo melioris vitæ tirocinio, rudis litterarum: quem quis nobis inviderit, aut cujus vitio interciderit, non habeo dicere. *Nec exiguæ fuit operæ: nam Ribadeneira in parva Vita apud Quartemontium cap. 16 dicit, quod* libellum de hac materia octoginta fere paginarum ſcribere ſit aggreſſus. *Epiſtola ad Emmanuelem Mionam, quâ commendantur Exercitia ſpiritualia, exſtat apud Orlandinum lib. 2, num. 132. Ad Ferdinandum regem Romanorum, ne honores in Societatem invehat; ibid. lib. 6, num. 34. Ad Iſabellam Roſel ſeu Roſer, circa abdicationem dirigendæ ipſius conſcientiæ &c., apud Ribadeneiram lib. 3, cap. 14. Ad religioſum quemdam Societati inimiciſſimum, quâ ei optat, ut charitate flagret, apud eumdem lib. 5, cap. 2. Ad Patres Romæ congregatos, de ſummo Societatis magiſtratu abdicando; ibidem ſub initium libri 4. His adde aliam ad Franciſcum Borgiam de ingreſſu in Societatem Jeſu, apud Franciſcum Garciam lib. 4, cap. 15. Maffeius lib. 3, cap. 10 producit partem epiſtolæ, datæ ad Præpoſitum provinciæ Luſitaniæ, è qua liquet, quod Sanctus præfectis inferioribus minimè malignè ſuum cuique jus ac poteſtatem impertire conſueſceret &c.* D

inter quas eſt una ad Æthiopiæ regem.

606 *Alia inſuper exſtat Viri ſancti epiſtola, Claudio Æthiopiæ regi inſcripta; in qua, occaſione patriarchæ, quem unà cum aliis ſociis ad eum mittit, de unitate Eccleſiæ Catholicæ, primatu Petri, ejuſque ſucceſſorum, ſuper omnes & ſingulas omnium terrarum eccleſias eminente. Hanc* VII *Kalendas Martias anno* 1555 *ſignatam exhibent Maffeius Hiſtoriarum Indicarum lib. 16, & Orlandinus lib. 15, num. 105: cujus utinam documenta altè animo inſculpant filii iniquitatis horum temporum, qui ſanctionibus Apoſtolicis obſtinatè ac pervicaciter bellum movere non deſinunt!*

§ LIX. Chronicon breve, ab anno MDXXI, uſque ad MDXLIII; ulteriùs deinde continuatum uſque ad Sancti obitum. E

Chronicon illud

INter noſtra Romana documenta, quorum adeo frequens in præſentis Commentarii decurſu repetitur memoria, hoc Chronicon inveni; in quo uti nobis procurando delectum, ita etiam in eodem tranſcribendo manum, notuliſque alicubi illuſtrando induſtriam commodavit indagator tabularii noſtri Romani, ex antecedentibus notiſſimus. Subſerviet illud ad compendioſam cum rerum ab Ignatio, *ejuſque ſobole in iſta temporum intercapedine geſtarum ideam, tum ad annorum, quibus illigari illæ debeant, ordinem; nonnullo utrobique ſubſidio pro Sancti Vita, noſtroque, qui hactenus eam illuſtravit, Commentario; uti planum fiet ex iſtius Chronici exemplo, quod ſubjungo. Annos, qui in eo vacant ſupple ex Orlandino, vel ex Rho interrogatione* 13 *inter Apologeticas.*

Anno MDXXI. P. Ignatius ætatis ſuæ anno XXVI (*imo trigeſimo*) in propugnatione arcis Pampelonicæ, uno crure confracto, in altero graviter læſus eſt. Ex quibus vulneribus cum decumberet, piorum librorum lectione ita permotus eſt, ut, ſeculi pompis & profanâ militiâ relictâ, Deo militare conſtitueret. F

MDXXII. Feſto Annuntiationis beatæ Virginis in Monte ſerrato, poſt generalem totius vitæ confeſſionem, & Domini corporis perceptionem, peregrini habitum ſumpſit. Inde Manreſam profectus, graviſſimis pœnitentiæ operibus & ſpiritualibus exercitiis anno ferme toto vacavit.

MDXXIII. Hieroſolymam proficiſcitur: ubi ſepulcrum Dominicum, paſſionis locum, montem Oliveti, & alia loca ſancta religioſiſſimè inviſit.

MDXXIV. Revertitur medio Januarii, atque ubi Venetias appuliſſet, inde Barcinonem contendit. Ibi biennio literis operam dedit.

MDXXVI. Complutum venit, ut philoſophiæ ſtudiis incumbat. Ibi aliquoties à vicario archiepiſcopi Toletani moleſtatus, tandem carceri traditur. Ad XLII dies detentus, nullo comperto crimine, dimittitur, probatâ ſcilicet ejus vitâ & doctrinâ. Compluti vixit ad ſeſquianni ſpatium.

MDXXVII. Salmanticam abit ſub finem hujus anni:

A anni: ſed poſt x aut xii dies quàm veniſſet, in vincula conjectus eſt; &, xxii diebus in carcere tranſactis, dimiſſus eſt cum eodem teſtimonio.

MDXXVIII, MDXXIX, MDXXX, MDXXXI, MDXXXII, MDXXXIII, MDXXXIV, MDXXXV. Lutetiam venit ſtudiorum causâ anno MDXXVIII circa menſem Februarium. Ibi verò non ſine magnis moleſtiis & perſecutionibus primò grammaticæ de integro, tum philoſophiæ, ac demum theologiæ ſtudio ſedulam operam navavit: conquiſitis per Exercitia ſpiritualia ſuis primis ſociis.

MDXXXV. Lutetiâ diſcedit; valetudinis recuperandæ causâ in patriam, ex medicorum & ſociorum conſilio & hortatione, profecturus.

MDXXXVI. (*imo* 1535) Poſt conciones & alia pia opera, quæ in patria exercuerat, Venetias iter inſtituit.

ad annum uſque 608 MDXXXVII. Novem ſocii Venetias veniunt ſub hujus anni initium: inde Romam profecti. Româ rurſus Venetias redeunt, ut Hieroſolymam navigent. Verùm cum navigandi opportunitatem non haberent, ad vicinas civitates

B ſe receperunt, ubi magno cum animarum fructu verſati ſunt, expectantes interim anno integro, ſi qua ſe navigandi offerret occaſio.

MDXXXVIII. Romam abeunt, ut ſe ſuamque operam Pontifici offerant. Illic inter non pauca raræ pietatis opera, obtrectationes malevolorum hominum non evadunt, & moleſtias, quibus exercerentur.

MDXXXIX. In variis pietatis officiis, concionibus, prælectionibus, partim Romæ, partim in aliis provinciis, ad quas à Pontifice ablegabantur, ſeſe exercuerunt.

MDXL. Quinto Cal. Octobris prima facta eſt Inſtituti Societatis approbatio à Paulo III, Pontifice maximo: ad quam faciendam non priùs adduci potuit, quàm illud Guidiccionius Cardinalis (qui præcipuus fuit adverſarius multitudinis Religionum) probaſſet. Hic initio omnino recuſavit: paulatim tamen ita Deo opt. max. animum & voluntatem ejus inflectente propter multitudinem precum & Sacrificiorum, quæ in eum finem fiebant, libentiſſimè non approbavit tantùm, ſed ſummis etiam laudibus evexit. Noluit tamen Pontifex, ut profeſſorum numerus ſexageſimum excederet.

C MDXLI. Eligitur P. Ignatius in Generalem Præpoſitum, bis terve in eum concurrentibus ſuffragiis. Eodem anno omnes (*id eſt tam Præpoſitus, quam ſubditi*) profeſſionem ediderunt.

1543 pertextum, 609 MDXLIII. Exædificata eſt prima domus Societatis Romæ. Eodem anno ſecunda facta eſt ab eodem Paulo III Societatis approbatio pridie Idus Martii, permiſitque, ut, quotquot vellent, in Societatis corpus & profeſſorum numerum adſciſcerentur (*dicamus clariùs:* ut, quotquot vellet, Generalis adſciſceret.) Ex eo tempore magnum incrementum cepit Societas, & longè latéque eſt propagata.

Hîc deſinere Chronicon, ſeu ſcriptum prædictum, affirmat ſuprà laudatus Romani archivii indagator: additam tamen illi eſſe continuationem ab anno 1546, *hoc titulo:* Pars Chronici Societatis; *quem ſcriptum eſſe manu patris Natalis, ejuſque etiam manu hanc partem eſſe limatam aſſerit; ſeſeque excerpere præcipua; quæ ſubdo:*

MDXLVI. Bullæ Coadjutorum expeditio. Miſſi Tridentum Laynez, Salmeron, & Claudius. Advocatus Romam Faber, ut Tridentum iret, moritur primâ Auguſti. Exercitia P. Franciſci (Borgiæ) & vota. Inchoata tribulatio Mathiæ. Miſſus Bononiam Domenechus, in Siciliam Jacobus l' Hoſtius: animadverſa obedientiæ diſtrictio, præſertim intellectûs. *De qua inferiùs* § 69; *quæ hîc, ſecundùm illic dicenda, videtur poni per anticipationem.* AUCTORE J. P.

MDXLVII. P. Polancus ſecretarius Societatis. Conſtitutiones incipit ſeriò componere P. Ignatius. Magna occupatio in tribulatione Mathiæ. (*vide ſuprà* § 38.) Conjuncta eſt tribulatio Barberani. Laboratum eſt, ne acciperetur epiſcopatus Tergeſtinus. Juvit P. Ignatius, ut Inquiſitio conſtitueretur in Portugallia, & Romæ expediretur.

Proſperè ceſſerunt tribulationes Mathiæ, Barberani, atque epiſcopatûs.

Liberata Societas à cura monialium. Vivæ vocis oraculum per Durantum pro Exercitiis.

Romæ prohibuit P. Ignatius publicas mortificationes, quarum auctor erat P. Jacobus Eguia cum Ferronio, qui fuerat ſecretarius, antequam veniret Polancus. Ad Societatem recipit Pater doctorem Torrium, ac mittit in Hiſpaniam.

Hic prima diviſio provinciarum.

In Portugallia M. Simon provincialis: in reliqua Hiſpania P. Araoſius. E

MDXLVIII. Profeſſio P. Franciſci (Borgiæ) primâ Februarii. Excitata tribulatio Salmanticæ noſtris per Canum: hæc per conciones Stradii ſopita. Dant ſuffragium qui erant in Italia profeſſi Patri Ignatio pro Conſtitutionibus. Magna cognitio Societatis & exiſtimatio in concilio Tridentino per noſtros. Confirmata autoritate Apoſtolicâ Exercitia latinitati data, ac typis excuduntur.

MDXLIX. Miſſi noſtri in inſulam Ormuſiam in ſinu Perſico ſitam. P. Antonius Criminalis pro fide interficitur ab infidelibus in India. Omnibus his & ſeqq. annis in India magnus fit fructus, ſigna etiam per ſanitates, deſtructio idolorum, accipiuntur ad Societatem multi &c. P. Laynez miſſus eſt in Siciliam à Cardinali Farneſio ad monaſterii cujuſdam reformationem. Miſſus eſt Romam è Sicilia pater Caniſius, inde Bononiam ad concilium, poſtea in Germaniam.

continuatur 610 MDL. Convocantur à P. Ignatio profeſſi, qui commodè poterant venire. Venerunt Romam P. Franciſcus (Borgia) in habitu adhuc ducis, cum ſua familia, etiamſi eſſet ex diſpenſatione Pontificis profeſſus, cum eoque P. Araoz, P. Oviedus &c. (Ad initium ſequentis anni venit F Romam magiſter Simon.) Romæ erant cum P. Ignatio, P. Laynez, P. Salmeron, P. Miona, P. Fruſius, P. Polancus. Alii præterea patres convenerunt. Ceſſit P. Ignatius officio ſuo, datis literis ſua manu ſcriptis ad patres præſentes. Interceſſerunt conſtantiſſimè omnes, præter P. Andream Ovetenſem, qui magna ſimplicitate animi dixit, ſibi videri aptum non eſſe, ad munus Generalis gerendum, Patrem Ignatium. Nam Sanctus, inquit, homo dixit ſe non eſſe aptum: id eſt credendum.

P. Ignatius iiſdem patribus oſtendit Conſtitutiones à ſe ſcriptas, ut notarent, ſi quid videretur. It Magiſter Laynez ad bellum Aphrodiſianum cum Joanne Vega, & egregiè obit Societatis miniſteria: redit Romam expugnato Aphrodiſio. Archiepiſcopus Toletanus Siliceus perſequitur Societatem in ſua diœceſi, ac publicis edictis interdicit, ne ſuſcipiantur noſtri. M. Franciſcus (Xaverius) navigavit in Japoniam (*anno* 1549;) ubi primi per ipſum facti ſunt homines Chriſtiani. Sex eccleſiis fundatis &c. rediit poſt triennium in Indiam.

MDLI. Diſceſſit P. Franciſcus (Borgia) cum

AUCTORE J. P.

suis Româ, relictis pecuniis ad fundationem collegii Romani, quod hoc anno est inchoatum, apertæ scholæ Latinæ linguæ, Græcæ, & Hebraicæ. P. Franciscus cultum secularem exuit, fit sacerdos, & secedit in Cantabriam, concionatur, emendicat, magnâ omnium ædificatione & fructu: facit principium collegii Ognatensis. Genuam missus M. Laynez. Inchoatum collegium Neapolitanum per M. Salmeronem & M. Oviedum. Ingolstadii docent magnâ celebritate P. Salmeron, P. Canisius, & P. Goudanus. Accusatio magistri Joannis de Mercato, & actio adversùs illum. M. Laynez fit Provincialis Italiæ.

usque ad annum

611 MDLII. Collegium Germanicum Romæ habet initium, agente Cardinali Morono, jubente Julio tertio. Navigat M. Franciscus in Chinam: quò antequam ingrederetur, in proxima insula moritur, ac perseveravit ejus corpus incorruptum. P. Ignatius ad officium Generalis Præpositi illum dicebatur evocasse. Viennæ Austriæ moritur Jaius, vir &c. Ne P. Franciscus (Borgia) crearetur Cardinalis, curavit ipse, & P. Ignatius. Fuit enim in eo discrimine, quia designatus à Carolo V fuerat. Condemnatur Joannes de Mercato miro judicio, in magnum favorem Societatis.

B

MDLIV. Divisit P. Natalis Hispaniam speciali commissione P. Ignatii, in quatuor provincias, Portugalliam, Castellam, Bæticam, & Aragoniam. Excitantur in Hispania adversarii contra Exercitia. Deferunt ad Inquisitores; res tamen evanescit. P. Paschasius Provincialis Galliæ primus. P. Joannes Nunnius, qui fuerat magno cum fructu versatus Tituani in Africa, designatur patriarcha Æthiopiæ, P. Oviedus & P. Carnerius episcopi, cum decem (*novem Ribadeneiræ lib* 4 *cap.* 13) aliis comitibus. Contendit Rex Romanorum apud Julium III, ut Canisius creetur Viennensis episcopus: contranitente P. Ignatio, ac P. Canisio: tandem persuasus Rex desistit. Decretum Facultatis theologiæ Parisiensis contra Societatem primâ die Decembris.

MDLV. Mittitur P. Ribadeneira in aulam Philippi regis Catholici, ubi fuit annum ferè; transegit de licentia fundandi collegia in Flandria *. Concionatus Lovanii Latinè cum omnium admiratione & fructu, quali celebritate aliquot annis antea fuerat ibi concionatus Strada. Renuntiantur à Julio III episcopi P. Nunnius, P. Oviedus, P. Carnerius absentes, pleno Cardinalium consensu, ac magna ædificatione, quòd Societas recipiat tantùm episcopatus, ubi solum est opus bonum, non etiam honor vel proventus. Mittitur à summo Pontifice magister Salmeron in Poloniam: cum Nuntio Apostolico episcopo Veronensi redit. Fit Provincialis Germaniæ pater Canisius.

* *id est*, Belgio, *significatione Romanâ.*

C

612 MDLVI. Navigat in Indiam patriarcha Æthiopiæ, & episcopus Oviedus (præcesserat anno superiore Carnerius.) Migrat ad Dominum Pater noster Ignatius ultimo die Julii; post cujus obitum observatum est, alacritatem spiritûs esse in omnibus nostris passim excitatam, post paululum stuporis cujusdam ac doloris ad primum nuntium. *Hactenus Chronicon illud: circa quod, ad annum* 1550 *P. Ignatius Pinius observat ista:* Etsi convocatio & adventus multorum contigerit hoc anno; litteræ tamen ad præsentes datæ sunt xxx Januarii MDLI (ut patet, ex autographo, hîc, *ait*, adscripto;) idque habetur in hac ipsa parte Chronici ad annum MDLI: sed deletum est: credo, quia per anticipationem dictum fuerat ad hunc annum MDL. *De hujus epistolæ autographo, Româ ad nos misso, dixi suprà paragrapho* 42, *num.* 438.

1556, quo Sanctus obiit.

D

§ LX. De S. Ignatii virtutibus; ac primò de oratione.

Virtutes Sancti sub uno aspectu positæ melius elucescunt.

Ribadeneira lib. 5 *colligit Sancti virtutes, sub uno, ut ita dicam, conspectu exhibitas.* Quamquam enim, *inquit in sua ad dictum librum Præfatione*, in iis, quæ de Ignatio explicata à nobis sunt, omnium virtutum illius eminent insignia, & probatissimi integerrimique animi lumen elucet: interdum tamen ipsa rectè facta aliarum rerum narratione obscurantur; & ut maximè appareant, implicata tamen cum aliis & conjuncta, minùs delectant & permovent, & agendi verissimam rationem docent, quàm cum seorsum spectantur, neque pondere solùm, sed numero etiam lectorem excitant. *Placet auctoris consilium. Sed quando subdit:* Neque tamen omnia persequar, quæ mihi comperta sunt, sed pauca quædam ex multis excerpam, quæ vel illustriora, vel ad exemplum commodiora videbuntur; *locum nobis reliquit ulterioris ad præsens argumentum supplementi. Ac primò quidem dicatur de oratione.*

E

Solidam in suis requirebat devotionem non extraordinariam:

614 *Lib.* 5 *cap.* 1 *Vitæ Hispanicæ Matritensis, anno* 1594 *excusæ, addit hæc Ribadeneira; quæ ex Hispanico ita reddimus Latinè:* Desiderabat admodum & satagebat, ut nostri omnem curam & studium ponerent in continuo exercitio devotionis, & familiaritatis cum Deo, præcisa omni curiositate, desiderio, & æstimatione visionum, raptuum, excessuum mentis, ac revelationum, quæ sæpe decipiunt & inquietant corda levia & debilia. Quando Dominus illas largitur, cum timore, humilitate, gratiarum actione, & prudentia acceptandæ sunt, desiderandæ numquam, aut appetendæ: imo potiùs de consilio Sanctorum, atque magistrorum spiritualium, semper, quantum in nobis situm est, fugiendæ, & tamquam suspectæ habendæ: curandumque est, ut in anima nostra radicentur solidæ virtutes, quæ illam condecorant, illustrant & adornant, acceptamque eam reddunt in oculis Dei. Et sic numquam non Pater loquebatur de isto continuo virtutum studio, nec non de oratione ac mortificatione: & rarò faciebat mentionem de visione, revelatione, aut re hujusmodi.

F

tametsi ipse singularibus prærogativis esset ornatus.

615 Id quod majorem illis movet admirationem, qui considerant, quam illustratus ac visitatus à Domino fuerit sanctus iste Pater, ex quo illi cœpit servire, usque ad vitæ suæ terminum: & quas habuerit visiones ac revelationes &c. Et nihilominus rarò audivimus, quod in sermone, imo vel in ore ejus esset revelatio, visio aut res generis ejusdem; sed erat humilitas, charitas, patientia, sui contemptus, zelus gloriæ Dei, labor pro bono animarum, oratio, mortificatio, aliæque istiusmodi virtutes. *Volebat ergo Vir sanctus orationem solidam, & magnarum rerum effectricem.*

Ad celebrandam Missam diligenter se comparat;

616 *Spiritus orationis admodum elucebat in* Ignatio, *quando Missam celebrabat.* Eum libellum (*de ephemeride seu diario Sancti sermo est, de quo nos alibi*) qui attentiùs legat, *inquit Maffeius lib.* 3, *cap.* 1, clarè perspiciat, quâ præparatione, quo spiritu ad Sacramentum altaris accedere consueverit. *Inter Quæsita, quæ Nicolaus Lancicius proposuit patri Ribadeneiræ, de quibus suprà num.* 592, *quartum sic habet:* Quamdiu Sacrum

A crum illius durabat, & quamdiu se ad illud dicendum præparabat, & quamdiu post Sacrum gratias agebat: & an in Sacro dicendo suspiria, vel aliquod peculiare devotionis signum in eo præ cæteris apparebat. *Respondet Ribadeneira:* Præparatio ad Missam magna semper erat. Durabat ferme per horam, cum privatim celebrabat: cum in publico, ad audientes se accommodabat. Gratiæ post Missam fere erant in cubiculo clauso. Suspiria rara; lacrymæ copiosæ erant. *Noster P. Carolus Linek in Imagine absolutissimæ virtutis, veraque sanctimoniæ verbis & exemplis* S. P. Ignatii *expressa, lucique publicæ atque imitationi proposita, & Pragæ anno* 1717 *typis excusa, parte* 1, *cap.* 7, *ex P. Consalvi Diario, quod citat*, Erat, *inquit*, illi in more positum, quotidie antea, quam rei divinæ faciendæ daret operam, seriem contextumque verborum omnium in Missarum libro perlegere; idque eò faciebat, ut, si quam impressoris mendam reperisset, pridie corrigeret, ne in sacerrimo illo cum Deo B colloquio, vel hunc etiam qualemcumque errorem committeret.

tempore Missæ æstuat igne cæleſti, visâ supra caput ejus flammâ

617 *Et paullo pòst subdit Linekus:* Tot tantisque tunc ardoribus æstuare solitus *erat*, ut, cum toto vultu, totoque corpore flammas funderet, exuisse hominem, & Seraphinum induisse videretur. Unde & supra caput ejus, dum sacram Hostiam offerret Deo, ingens emicare flamma conspecta est, Nicolao Lanoio locupletissimo teste, qui perlitationis tempore, cum adesset, capiti celebrantis Ignatii flammam insidere oculis suismet vidit; ut in archivis manu scriptis, alibique refertur *&c. Bartolus lib.* 4, *num.* 27 *factum sic narrat:* Aderat facienti [ad aram] die quadam Nicolaus Lanoius, & erectis fortè in eum oculis, post solemne Memento Deo dictum, videt insidentem capiti ejus flammam, & periculi specie territus, ad exstinguendam illam currit; sed advertens, Sanctum abalienatum à sensibus, & dulcibus lacrymis placidè diffluentem, damni ex ea nihil pati, rem esse divinam credidit. *Hæc ibi; quæ confirmantur ex Spicilegio nostro Romano, ubi P. Jacobus de Guzman S. J., qui cum sancto Patre nostro Romæ fuit, ex auditu rem testatur. Mentio fit de Jacobo Guſmano apud Orlandinum lib.* 12, *num.* 47, *ad annum* 1552: *de Nicolao autem Lanoio apud eumdem historicum, & apud Sacchinum Historiæ Societatis parte* 2. *Vide eorum indices.* C

Quanta cum intensione animi,

618 *Quam verò intenderet animum in peragendo augustissimo illo Sacrificio, quisnam explicet?* Certè anno MDL, *sicut testatur Ribadeneira lib.* 5, *cap.* 1, quòd ipso Christi Domini nostri die natali, duo Sacra continenter fecisset, in extremum vitæ discrimen adductus est. *Noster Nicolaus Lancicius Opusculorum spiritualium tom.* 2, *opusculo* 18, *cap.* 9, Quin imo, *inquit*, observarunt domestici, etiam dum robustus esset, & sanus, eum sæpe incidisse in morbum, post Sacrum. Non rarò verò ita ad ipsum sacrum altare languebat, ut ab eo alienis manibus ad cubiculum asportari debuerit, suis pedibus, præ divinis languoribus, subsistere non valens. Tam magnis in quotidiano Sacro (quod quotidie sub vesperam in Missali ordinabat, & accuratè perlegebat totum) consolationibus perfundebatur, ut redundante in corpus divinarum voluptatum magnitudine, liberè respirare, & proloqui omnino verbum ac pronuntiare non posset; quoad tanta illa divinæ dulcedinis copia libertasque remitteret. Interdumque fiebat, ut preces inter & Sacrificia tantis ardoribus æstuaret, ut omnes partes corporis exardescerent, facies instar purpuræ ruberet, venæque omnes manifesta cordis palpitatione micarent, interdum verò etiam pilus capitis inhorresceret. *Ita Lancicius: præter quem consuli insuper potest Bartolus lib.* 4, *num.* 27. *Ad hæc, schedis è nostro archivo Romano transcriptis intexitur* Epistola originalis P. Joannis Ausonii Galli, quâ Sebastiano Diacetti S. I. narrat, quæ exceperat de P. N. Ignatio ab ore P. Hannibalis Codretti, unius ex antiquissimis Societatis patribus, & familiaris S. Ignatio; *quæ signatur* Avenione XIII Julii MDXCVIII. *In hac paucis ad rem sic habetur:* Ob raptus & ecstases, fere numquam celebrabat in publico: quin imo dicit bonus pater Hannibal, ex contentione nimia, quâ celebrabat, sæpe incidisse in febrim B. P. N. Ignatium. AUCTORE J. P.

quam perfecta cum pronuntiatione celebraret.

619 *Diligentissimam quoque operam ponebat Vir sanctus in eo, ut verba omnia & singula, syllabas singulas, singulas litteras & apices clarè ac distinctè, sine ulla syncope, luxatione, deproperatione aut præcipitatione pronuntiaret; ex Diario Consalvi apud Linekum num.* 7: *ubi ista leguntur:* Proferebat autem verba Missæ omnia, exserta admodum voce, adeoque sonora, ut etiam extra sacelli fores bellè perciperetur. Pronuntiabat lentè, atque custoditè singula, omni festinatione longè posita, indignanter ferre solitus, si quem adverteret in litatione sacra, precibusve horariis, aut quibuslibet aliis ejusmodi functionibus, verba ex properato dicere, celeriusque illa edere, quàm ii consuessent, qui virum quempiam dignitate conspicuum alloquerentur. *Vide de Sacro dicenda inferiùs paragraphi* 86 *parte* 1, *ad septimum quæsitum, ex testimonio P. Oliverii Manarei ad Nicolai Lancicii postulata respondentis. Nec verò minor* S. Ignatio *cura fuit fovendæ pietatis post peractam functionem liturgicam, quam fuerat in illa peragenda.* E

quam diutur. næ posſea vacaret actioni gratiarum.

620 Duas *enim* post Sacrum horas quotidie transfigens, pascebatur illa, quam dixit Augustinus saginam veritatis, saginam lucis immortalis sapientiæ, *ex Bartolo.* Quo tempore, *sicut addit*, ad illum nemini patebat aditus, nisi negotii gravitas moram omnem responsi negaret: tunc enim intrabat Ludovicus Gonzales, qui sub eo domui præerat, ut rem illi commissam exponeret. Quod cum ei evenerit sæpius, debet hoc ejus, quod refero, pro indubitato testimonium haberi. Memini, ait, quoties ad illum, quod crebrò cogebat necessitas, cum illo acturus adii, vultu offendisse tam splendido, ut defixus licet in re, quam tractandam ferebam, ad ejus conspectum mei jam immemor stuperem. Nec enim erat illius species, qualem haud rarò piorum quorumdam, dum orarent, notaveram; sed inusitatum spirabat quiddam, planéque divinum. *His coronidis loco adjungamus cum Bartolo:* Itaque Lainius, qui ob illam cum Deo necessitudinem tam arctam assimilabat Moysi Ignatium, similitudinem augere potuit splendoris hujus præstantiâ, qui EX CONSORTIO DOMINI, in ejus facie effulgebat. *De cælestium deliciarum abundantia tempore Sacri plura mox sequentur.* F

AUCTORE J. P.

§ LXI. Donum lacrymarum ac deliciæ cæleſtes præſertim ex affectu erga ſanctiſſimam Trinitatem.

Lacrymæ Ignatii in Miſſa, & cantu eccleſiaſtico.

T*Ametſi lib. 5, cap. 1 Ribadeneira locis potiſſimùm duobus agat de dono lacrymarum ſancti Patris noſtri; non pauca tamen in hoc argumento indicta reliquit, quæ idcirco aliunde ſuppleo. Maffeius lib. 3, cap. 1 hæc ſcribit:* Cum initio ſacerdotii, in medio Lateranenſi templo, Chriſti natalitia celebraret ad aram, ſacris Apoſtolorum Petri, Pauli, & Andreæ reliquiis inclytam, tanta eſt repentè ſpiritûs dulcedine delibutus, ut inter divinam rem peragendam lacrymas tenere nulla umquam ratione potuerit. Quo tam inſolito ſpectaculo commotus è circumfuſa multitudine quidam, ac rem longè ſecus interpretatus, Franciſco deinde Stratæ, Ignatii adminiſtro, in aurem inſuſurrans: Facinoroſum nempe virum, inquit, ſacerdotem iſtum tuum, & omnibus flagitiis coopertum, qui conſcientiæ ſtimulis agitatus, crimina ſua toto penè Sacro defleverit! *Joannes Rhous in Variis virtutum hiſtoriis lib. 3, cap. 12,* Nobis, *ait*, narravit Jacobus Crucius, vir ætate ac ſapientia venerabilis, quum mirum in modum ſacris modulis atque eccleſiaſtico cantu caperetur *ſanctus Pater*; dum veſpertinæ preces de more, ſimplici, ſed ſuavi harmonia decantarentur à noſtris; in veteris domus angulum, ex quo apertâ feneſtrâ proſpectus erat in eccleſiam, ſe conjicere conſueverat Ignatius: ibique tacito cum gemitu divinis laudibus in lacrymas ſolvebatur, adeo dulces, ut eas ipſa beatitudo non reſpuat, ut cantus atque muſicæ alumnas, hoc eſt, ſereno maximè cælo editas margaritas.

Donum lacrymarum

622 *Bartolus lib. 4, num. 29 puncta aliqua delibans ex commentario ſeu diario, in quod ſua ſenſa ſpiritualia referebat ſanctus Pater (Vide quæ dixi § 26) teſtatiſſimum facit ejus ſingulare lacrymarum donum, quibus adde plures alias delicias ſacras. Rem ex Sancti verbis, prout ea exſtant in originali Hiſpanico, tranſtuliſſe ſeſe affirmat. Quæ hic ergo Italicè, interpres ejus Latinè ſic effert:* Hujuſce diei lacrymæ viſæ ſunt mihi præteritis multùm diſſimiles: ita lento affluxu aderant, interiores, dulces, abſque magno ſtrepitu & motione: tam verò altè ab intimo, ut non ſuppetat, quo illud explicem Totum verò me ad Dei amorem commovebant interior exteriorque affatus, cujus mihi conceſſi divinitus tanta interior erat harmonia, ut eam non poſſim exponere Die inſequenti, ut antè proximo, ubertim lacrymæ in Sacro, & ſub Sacrum, & cum his ejuſdem interioris affatus uſusfructus, qui ſermonem, & concentum cæli, ſimilitudine referebat, creſcente mihi cum lacrymis ſenſu pietatis & affectu; cum me uti divino cognoſcendi, & intelligendi modo animadverterem. Poſtridie quoque magna copia lacrymarum, interiorque affatus mirabilis.

aliaſque

623 Virgini ſupplicans, ut mihi apud Filium, & Patrem adeſſet; pòſt verò Filio, ut [ſimul cum Matre] me ſua apud Patrem divinum commendatione dignaretur; ſenſi me attolli in conſpectum Patris, capillos arrigi, commoveri univerſum corpus ingenti ardore: quem conſecutæ lacrymæ cum ſenſu pietatis vehementiſſimo. In ipſo precandi aditu cum multa ubertate & proſuſione lacrymarum, cum intenſiſſima pietate, & crebra intelligentia, perceptioneque SS. Trinitatis, harum & ſimilium perceptionum atque notitiæ tam erat frequens & tanta jucunditas, ut me ad eam explicandam memoria ingeniumque deficiat. Tantam expertus ſum cognitionem congreſſuum, guſtuum divinorum exuberantiam cum perpetuitate lacrymarum, & vocis deliquio, ut Deum & Dominum quoties nominarem, viderentur mihi animi penetralia ſubire cum obſequio & admirabili humilitatis reverentia; ut videatur inexplicabilis.

delicias

624 Poſt orationem, novi motus interiores, iique inſoliti, ſingultus & lacrymæ: totus in amore Jeſu; verbis votiſque præoptando cum illo mori, quam cum ullo alio vivere. Dum paratur altare, & occurrit animo Jeſus, ſentiebam me angi ad ſequendum illum; reputabamque intra me rationem ſummæ paupertatis eligendæ, hanc eſſe humana qualibet majorem: quod Jeſus Societatis eſſet caput. Cum rediret in mentem, Patrem me Filio ſuo conſignaſſe, hoc conſilio, ut imprimeretur mihi tam altè Jeſu nomen, & tantopere confirmaretur, ſuccurrebat nova lacrymarum & ſingultuum copia. Colloquenti mihi cum divina majeſtate obortus eſt fletus ingens, amorque tantus, ut viderer mihi ſupra omnem modum cum ejus amore conjungi, nec tam excellenti eatenus, rara, & amoris tam lucidi dulciſque gratiâ potitum. Poſtea etiam in ſacello novæ lacrymæ, novique ſenſus pietatis in SS. Triadem ſemper deſinentis.

cæleſtes

625 Ad altare autem ſacris veſtibus induto affluxus lacrymarum major, ſingultuum, & intentiſſimi amoris. Omnia erga SS. Trinitatem. Rem verò ſacram facienti tantus divinorum ſenſus, tot lacrymæ; ut pergens ambigerem, an eſſem, pergentibus lacrymis, jacturam oculi facturus: adeo ex fletu immodico dolebat. Ad ea verba, PLACEAT TIBI SANCTA TRINITAS, occupatus ſum immenſo amore, & exundatione ardentium lacrymarum, & hæc aliæque de cælo gratiæ tendebant omnes in SS. Triadem, à qua deducebar, & in ejus amorem trahebar. Re divina peracta, jam ſacris exuto & otanti haud procul ab altari, novi ſingultus & lacrymæ, omnes ex amore Trinitatis; eratque illius amoris tanta ſuavitas, ut non poſſem inde abſcedere. Reliquo etiam exin die domi, & per Urbem redibant amoris impetus vehementes, motioneſque ad lacrymas, repetitâ memoriâ beatiſſimæ Trinitatis.

teſtata reliquit Sanctus

626 Colloquens cum Spiritu ſancto, ut Sacrum de illo facerem, cum iiſdem lacrymis, & ſenſu pietatis, videbar illum videre ac ſentire in claritate expreſſâ, & flammæ igneæ colore, modo inſolito. Dum inſtruitur altare, ac poſtea, & ſacris ornatum, & ſacrificantem, cum magnis interiùs motibus, & ardentibus lacrymis, & ſingultibus, vox ſæpe defecit: tum inſignis auditus & conſpectus Dominæ noſtræ apud Patrem mihi multùm propitiæ. Ita ut in orationibus ad Patrem, inde ad Filium, & in conſecratione non poſſem non audire ac cernere, cum ſit ipſa pars, aut janua ejus tanti favoris, quo intus fruebar (nempe illa monſtrante, in Filii carne ſuam quoque ineſſe) cum tam multiplici intelligentia, ut ſcribi non poſſit. Precationis conſuetæ initio ad finem, magnos ſenſus percepi, & multum lucidos pietatis. Extra domum, in templo, & celebrans

vidi

A vidi cæleſtem patriam, aut ejus Dominum Perſonarum trium intelligentiâ, & in Patre ſecundam, & tertiam.

in quodam diario

627 Suſcepta luce quadam, & corroboratus, dum intrarem ſacellum precaturus, ſenſi, aut vidi potiùs virtute ſupernaturali SS. Trinitatem, & Jeſum objectum mihi tamquam interceſſorem apud ipſam, ut mentem meam hoc viſo dignaretur. Cujus rei auditu ac viſu obortus mihi eſt ingens fletus, magnaque amoris plenitudo. Sacram rem faciens multis cum lacrymis, piiſque ſenſibus, uno præſertim loco, eadem quæ priùs SS. Triadis ſpecies mihi objecta eſt, ſemper cum acceſſione amoris erga divinam majeſtatem. In Sacro, ad illud TE IGITUR, ſenſi vidique non obſcurè, ſed clara in luce, imo valde clara, eſſe ipſum, ſive eſſentiam divinam, in ſpeciem ſolis, aut paullo ſuprà quàm nobis ſol comparet; ex qua eſſentia videbatur exire, & deduci Pater. Itaque dicenti: TE IGITUR CLEMENTISSIME PATER; objiciebatur priùs eſſentia divina quam Pater, & in hac mihi objecta ſpecie,

B aſpectuque eſſentiæ SS. Trinitatis, abſque diſtinctione Perſonarum, vehementi ſenſu erga rem, quæ mihi repræſentabatur, affectus ſum, cum ingenti motu, & profuſiſſimis lacrymis, amoreque versùs eſſe divinum SS. Trinitatis vehementiſſimo. Sacro inde peracto, dum oro ad altare, idem ſe mihi divinum eſſe, ſeu viſum idem, quod priùs, ſe mihi objecit, in modum ſphæræ, & modo quodam ita Perſonas tres ſicut primam cernebam, iſtoque aſpectu ac ſenſu novis potiebar affectibus, & lacrymis.

à ſe conſcripto:

628 Etiam in ſacello, implente animum affectu magno erga SS. Trinitatem, cum magno amoris cumulo, & vehementibus lacrymis, non vidi, ut aliis retrò diebus, diſtinctas Perſonas; ſed velut in lucida claritate unam eſſentiam, quæ tota me in ſui amorem rapiebat. Sacrum inchoans, non poteram præ immenſo affectu pietatis proferre: IN NOMINE PATRIS &c. Totum exinde Sacrum [fuit] cum ſummo affectu, profuſiſſimis lacrymis, & amore, qui totus in SS. Trinitatem ferebatur. Idem pariter aliquando erga Jeſum ſenſi, velut ejus in umbra & ductu eſſem; haud ulla tamen propterea imminutione unitatis cum Dei majeſtate, ſed magno potiùs ejus incremento. Magnos hauſi ſenſus pietatis, dum ad ſacri-

C ficandum me pararem, animo reputans, ad hoc opus fore, ut eſſem angelo ſimilis: nec defuere ſuaves lacrymæ. Inde aliquoties vidi, nunc quidem Patris eſſentiam; primùm eſſentiam, tum Patrem; pietatis affectu, prius eſſentiam tum Patrem ſpectante: nunc verò alia ratione, ac ſine diſtinctione hujuſmodi.

in quod referebat

629 In Sacro ſæpe ſæpius ſubſiſtens, cum varia multaque notitia SS. Trinitatis, quæ tanto lumine mentem pervadebat, ut poſſe non crederem diuturno ſtudio tantum ſcientiæ mihi accedere. Alias in oratione, cum magno ſenſu pietatis, & ardenti caritate, guſtuque divinorum, ad hoc ex parte, ut me quodammodo attolleret, tendente; poſtea in Sacro lacrymæ quàm antè fuſiores, interdum voce intercluſa, tot ac talibus interim de SS. Trinitate perceptis, ut quod præterea de illâ caperem, nihil videretur ſupereſſe. In hoc Sacro cognovi, ſenſi, & vidi, Dominus ſcit, me de Patre loquentem, & agnoſcentem, Perſonam eſſe SS. Trinitatis, illius amore hoc enixius affici, quod ineſſent illi ſpeciatim aliæ Perſonæ; idque experiebar etiam in oratione ad Filium, & Spiritum ſanctum; eorum

ſingulis perfruens, eiſque me devovens; & trium illorum eſſe me geſtiens. Tanta mihi res videbatur, ut finem non facerem confundendi mei. Quis tu? Et quid promeritus? Et unde hoc tibi? AUCTORE J. P.

ſpiritualia ſua ſenſa:

630 Sacris operans cum ſingulari pietate, lacrymis, & ardore, oppreſſo nonnumquam etiam ſermone, dum Patri ſupplicarem, videbatur Jeſus preces illi meas offerre, illaſque adjuvare; eo ſenſu ac viſu, qui non poteſt exponi. Stanti mihi ad focum redibat iterum in oculos Jeſus; poſt etiam in Urbe ac per vicos eunti redeuntique à Cardinali Carpenſi, lociſque aliis, ſpectabilis aderat, [&] multis lacrymis, multiſque animi motibus affluebam. Quo tempore Jeſum audiens ac videns, tanto amore incendebar, ut fore umquam tam potens aliquid non putarem, quod me poſſet ab eo ſejungere. *His* Ignatii *animus depaſcebatur ſacris divini amoris illecebris. Adeo ubere dulcium lacrymarum ſupereffluebat fonte.*

Incommodum ex frequentibus lacrymis ab Ignatio contractum.

631 *Et ſanè adeo frequens & copioſum pii fletus profluvium confirmatur ex incommodo, quod Vir ſanctus inde contraxit; de qua re Ribadeneira ad quæſitum octavum Nicolai Lancicii, quod hic ipſi inter alia quæſita propoſuerat in litteris Romæ die* XXVI *Junii anno* 1597 *Matritum datis; de qua, inquam, re Ribadeneira ſic ibi loquitur:* Breviarium nullum habuit, quia præ lacrymis recitare preces non poterat: & propterea ab hac obligatione à ſummo Pontifice liberatus fuit, ut in ejus Vita dicitur. *Videtur etiam fama alicubi vel ſaltem ſermo fuiſſe, quod tanta deplueret ex oculis ejus lacrymarum copia, ut eas receptaculo aliquo exceperit. Quippe P. Joannes Auſonius in ſua epiſtola, de qua ſuperiùs paragrapho* 60 *num.* 618, *hæc ſcribit:* Primò, *inquit*, de ſcutellis; certum eſt dari ſolitas; an verò ad accipiendas lacrymas, nihil habet certi: id potiùs petendum fuiſſet à Joanne Paulo ſocio P. N. Ignatii, qui ſuperiore anno obiit in domo profeſſa. *Si autem de re illa conſtaret, mira certè eſſet; atque affinitatem haberet cum iis, quæ apud nos tomo* VI *Julii, die* XXVIII *ejuſdem menſis, pag.* 621 *narrantur de S. Irene hegumena.*

Ex dictis liquet, Sanctum tenerrimè affectum fuiſſe erga SS. Trinitatem.

632 *Ceterùm è fragmento diarii ſuperioris conficitur, tenerrimo pietatis ſenſu erga ſanctiſſimam Trinitatem affectum fuiſſe S.* Ignatium: *idque confirmatur ex titulis, qui adeo ſæpe variis aliis locis in dicto diario repetuntur, ſacratiſſimi iſtius nominis memoriâ notati: circa quod argumentum vide quæ de prorſus ſingulari erga hoc myſterium ſancti Viri affectione, quando degebat Minoreſſæ, memoriæ prodidit Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 7.

§. LXII. Externa inter orandum reverentia; animi collectio; nonnulla piæ affectionis puncta.

Externam in orando reverentiam præfert S. Ignatius

QUod *externum cultum ac reverentiam, Deo debita pluris faceret* Ignatius, *quam ſingulares illas in fletu ac lacrymis à cæleſti Hoſpite immiſſis viſitationes, teſtatum reliquit in quadam charta apud Ribadeneiram in Vita Matritenſi ſuperiùs deſignata, lib.* 5, *cap.* 1 *in fine, ubi Virum ſanctum hæc loquentem inducit, quæ ex Hiſpanico ſic ſonant:* Temporibus iſtis omnibus ante Miſſam, in illa, & poſt illam, erat in me cogitatio, quæ interiora animæ meæ penetrabat,

AUCTORE J. P.

quanta cum reverentia & cultu externo, ad Missam me conferens, deberem nominare Deum Dominum nostrum, non autem quærere lacrymas; sed externum illum cultum, ac reverentiam. *Et affirmat continuò Ribadeneira, eum* addere, quod, quia attendebat isti externo cultui, lacrymas repelleret sibi suborientes; pluriſque æstimaret illam gratiam & notitiam, quàm alias omnes præteritas.

lacrymis, ac visitationibus cælestibus.

634 Et alio, *inquit Ribadeneira*, loco dicit, petiisse se à Deo, ut externum sibi cultum, reverentiam, & humilitatem daret; & visitationes ac lacrymas non daret, si par divinæ suæ majestatis fuisset gloria: ut gratiis ejus & visitationibus gauderet, secluso prorsùs omni proprio commodo; & postea visitationes omnes spirituales, quæ sibi accidebant, illum externum cultum sibi repræsentasse, non solùm quando nominabat tres Personas divinas, aut earum recordabatur; verùm, ut veneraretur altare, & omnia alia, quæ ad sanctum Missæ Sacrificium pertinebant: *ad hæc,* illum judicasse, quod malum esset, priùs animadvertere illas visitationes, quàm externum cultum illum & reverentiam. Alio *denique* loco, *uti refert Ribadeneira*, addit, quod illa humilitas, reverentia, & externus cultus non deberet esse timoris, sed amoris: quod ita sæpe Deo diceret: Da mihi humilitatem & reverentiam, quæ amet: quodque, dum ista proferret verba, novas & mirabiles visitationes præberet sibi Dominus.

B

Eam & exercebat ipse, & requirebat in suis.

635 *Exterior autem illa corporis compositio confirmatur ex opere Joannis Rho, quod Variarum virtutum historiæ inscribitur: ubi lib.* 3, *cap.* 7, *inter res nostras, num.* 1, *de* S. Ignatio *hæc narrat:* Constituta Societate consuevisse illum abstruso in angulo, incredibili quadam compositione membrorum omnium, vultuque pietatem spirante, vespertinis laudibus interesse, memini me audire de Jacobo Crucio, qui puer Ignatium viderat, & morum sanctimoniâ captus, Societatem ab eo impetraverat; in qua ad annum usque XXXVIII hujus seculi decimi septimi, & nonagesimum secundum vixit ætatis. *Hæc ille. Quid, quod religiosum illud decorum tempore orationis sanctus Pater adeo impensè habuerit cordi, in florente suorum subditorum ætate,* ut inter antiquas Ministri regulas à se conscriptas, unam posuerit de visitandis quotidie fratribus, Sacrum audientibus; vel in templo orantibus, ut videret, an fulcro alicui genua flectentes, incumberent, indignam ratus hanc in oratione corporis indulgentiam; *ex Nicolao Lancicio Opusculorum spiritualium tom.* 1, *opusculo* 2, *cap.* 3, *num.* 70.

C

Collectio animi per diem &c.,

636 *Porro externum illud decorum, ab interna animi moderatione profectum, ejusque custos, argumento est, quanta in eo vigeret collectio, quam continua cum Deo conjunctio, quam severa cum animi facultatibus lex, ne ultra præscriptos sibi ab* Ignatio *fines vel tantillum evagarentur. Audi Maffeium lib.* 3, *cap.* 1: Nostris hominibus cupiebat esse familiarissimum, ut in singulis creatis rebus, quoad ejus fieri posset, Creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem agnoscerent. Eosdem monebat, ut contra quotidianas dæmonum insidias, ne circumventi repentè in fraudem inducerentur, vel instructo, quod aiunt, agmine semper incederent, vel certè dissipatis in varias curas & negotia viribus animi tamquam receptui canerent statis horis diei, & in semet ipsi descenderent, suaque omnia dicta, facta, cogitata, coram Deo quam diligentissimè reputarent, adhibito etiam monitore, si opus esset, vel memoriæ, vel etiam notitiæ causâ *&c.* Sanè ipse, quamquam se habebat semper in potestate, & ex divi Bernardi præcepto, non se rebus tradere, sed commodare consueverat; tamen, quâ erat diligentiâ, in singulas horas ultro inquirebat in se; idque, propter diuturnam exercitationem, nullo negotio: magisque ac magis in spiritu proficere nitebatur, diem cum die . . , hebdomadam cum hebdomada conferens . . Neque id solùm, sed etiam statis quotidie temporibus, erepto ex summis occupationibus otio, contemplationi vacabat.

D

ac vespertina?

637 *Declinans in vesperum dies solennis quodammodo & sacer videbatur ipsi esse peculiari titulo. Nam in Originali Commentario pro Historia Societatis Jesu misso ex provincia Lugdunensi anno* 1599, *& collectioni nostræ Romanæ inserto, sic narratur:* Circa horam vesperarum solebat se in cubiculum quotidie recipere, ibique per horam aut amplius Deo & sibi vacare. Quod si aliquis tunc externus vellet eum de re alicujus momenti convenire; non patiebatur pulsari fores cubiculi sui, sed mandatum erat custodi, ut januam, quæ in duas partes à summo ad imum divisa erat, uno impulsu aperiret, & diceret, quid vellet.

E

custodia sui?

638 *Adde quod assiduus ac pervigil esset facultatum animæ & corporis custos. Audiatur denuo de hac re Maffeius:* Neque verò ad beatos hosce congressus, tantummodo sub orationis horam componebat ille sese, verùm in perpetua quadam erat vigilia contra omnes rerum mortalium illecebras, & otiosam mentis evagationem .. Accuratè animum ab omni labe tuebatur .. Intenta erat custodia sensuum; quotidiana cujuslibet omissionis confessio; jugis recordatio beneficiorum Dei; in aliorum factis dictisque interpretandis nulla temeritas. Denique summâ observabat curâ quidquid ad Christi gratiam vel tuendam vel augendam, quoquo modo pertinere intelligeret. *His potissimum fundamentis suffultum assurgebat, stabatque magnum hoc & excellens* S. Ignatii *orationis ædificium. Agebat multa & cum multis, ita tamen, ut, quæ à devotionis statu atque divino servitio nimium avocarent, diligenter sibi declinanda præscriberet. Exemplo sit illud Maffeii:* Peregrinis hominibus, conditionem ipso interprete (quod multum apud principes auctoritate valeret,) in aula quærentibus, negabat sibi, nisi cum summi Regis aula rem esse: ad eam si aditum optarent, daturum se operam, quantum labore ac precibus assequi posset, ut essent in intimis Regis amicis ac familiaribus. Quo responso vulgato, minùs multi jam in eo genere molestiam illi exhibebant.

F

singularia piæ affectionis puncta;

639 *En tibi nunc singularia quædam piæ affectionis puncta:* Septem etiam Urbis templa, *ait Maffeius*, & religione, & Pontificum indulgentiis celeberrima, certis anni temporibus diligenter & castè visebat pedes, & quidem per hiemem lacernatus, haud sine mantelo: nec ulla corporis lassitudine aut ceteros exemplo suo destitui, aut se tantorum bonorum communione privari patiebatur. Piacularia verò grana, quæ dicuntur, & cereas Agni cælestis effigies, pictasque Sanctorum icunculas, & alia id genus, quæ ab impiis irridentur, ita studiosè tuebatur, & cara habebat, ut in ejus scrinio, post mortem nihil fere aliud apparuerit. *Quoniam verò adeo impensè curas locabat omnes in promovenda Dei gloria, publico Ecclesiæ bono, ac salute animarum; neque eum latebat, quanto ad hoc esset adjumento potestas ecclesiastica atque civilis,* Pro Ecclesia Catholi-

A tholica, ac nominatim pro Christianis regibus atque principibus quotidie ardenter orabat: pro summo verò Pontifice numquam sine uberrimis lacrymis, *sicut refert Maffeius. Certè in Constitutionibus nostris parte 7, cap. 4, num. 3 hæc leguntur:* Juvatur etiam proximus sanctis desideriis, & orationibus in Dei conspectu pro universa Ecclesia, ac pro iis præsertim, qui majoris sunt momenti, ad ejus universale bonum, effusis. *In declaratione autem ad dictum caput dicitur:* Cujusmodi sunt principes ecclesiastici, & seculares, & alii, qui multum prodesse, vel obesse bono animarum, & divino obsequio possent.

Inter quæ libellus

640 *Aureus etiam De imitatione Christi libellus Sancto nostro in deliciis erat. Et verò hunc cum ad nutriendam pietatem, tùm ad sedandas animi perturbationes, adeo orationi inimicas, maximè esse accommodatum, quis ignoret?* Venit hic libellus, *inquit Bartolus lib. 4, num. 12*, in manus Ignatii, pœnitentis adhuc Manresæ novitii; qui sic ejus prima dulcedine captus est, ut numquam postea carere illo potuerit; librorum pio-

B rum perdicem vocare [eum] solitus, (*Vide infrà paragraphi 86 partem secundam, responso decimo sexto*) totum virtutis absolutæ, vitali ex succo, spirituque concretum. Indè caput quotidie ordinatim legebat; sed tractu lento, interjecta passim meditatione, ductoque sensim cælesti pabulo, terræ in morem, guttas omnes tenuis pluviæ avidè combibentis: per diem verò, quà fors ferret, aperiebat illum identidem, relegebatque, quod primum occurrisset.

De imitatione Christi.

641 Et verò semper occurrebat, quod in rem præsentem faceret, sive doloris levamentum, seu robur animi fatiscentis, sive tentati consilium: eratque hic ipsi perpetuus consolator, consiliarius, & comes. Quos verò in Christo multùm diligeret, eos hoc libello velut singulari pignore donabat; ituruque Cassinum cum procuratore Caroli V Ortizio, Exercitia spiritûs illic obituro, totidem secum ex iis libris tulit, quot erant in cœnobio monachi; deditque singulos singulis, digna planè haud minùs accipientibus, quam dante grati animi honoraria demonstratione. *Hinc amplificantur ea, quæ de isto libello refert Ribadeneira lib. 1, cap. 13. Georgius Mayr in epistola ad R. A. P. N. Claudium Aquaviva, quam dicto libello Græcè à se reddito præfixit*, Probe, *ait*, novimus, B. Ignatium Loiolam .. non solùm magnificè de eo sensisse, sed quotidiano usu lectioneque familiarissimum eum sibi; filiis verò suis .. commendatissimum reddidisse *&c. Verum inter alia plura eaque singularia sancti Fundatoris puncta, ad quæ pia ejus animi affectio sese extendebat, peculiarem aliquem locum meritò sibi poscunt tria alia, quæ prioribus subnecto.*

C

§ LXIII. Pia erga SS. Eucharistiam, Jesum mediatorem, ejusque Virginem Matrem, ac S. Ignatium martyrem affectio.

NEc vulgaris erat S. Ignatii *religio, quâ latentem sub speciebus Eucharisticis Deum hominem prosequebatur. Et sanè, qui poterat esse memor eximii istius favoris, quo* clarè vidit augusto illo atque tremendo Sacramento Dominum Jesum Christum, verum Deum atque hominem verissimè contineri, *ex Ribadeneira lib. 1, cap. 7, & non inflammari tenerrimo, quoad vixit, erga sacrosanctum hoc mysterium mentis ardore, ac perpetua reverentia? Vin' specimen?* Conclave, *ut est apud Bartolum lib. 4, num. 28*, fenestellâ jussit aperiri, quâ in aram majorem, & augustissimum Sacramentum pateret prospectus; unde velut alius Daniel ex cubiculi secreto, & procul arbitris, illuc intentos haberet oculos, ubi totus animo habitabat. *Quod si memoriâ repetamus mirabilia illa, quibus Servum suum inter sacratissima altaris arcana prævenit Dominus, ex dictis paragrapho 61; si oculos præterea convertamus ad pium apparatum, seu ad sacrum potiùs horrorem, quo se* Ignatius *ad illa accingebat, uti habes paragrapho 60 & 62; nonne concludemus, sanctum Patrem de divino isto epulo magnificentissimè sensisse? Accedit eò usus illius sumendi frequentior in Ecclesiam ipsius operâ introductus: nam* Sacramentorum frequentiam ab ipso incrementum accepisse, *Ecclesia legit de ipso in Horis canonicis.*

AUCTORE J. P. *Sanctus erga Eucharistiam valde affectus; cujus etiam frequentiam auxit.*

E

Quid suaserit S. Francisco Borgiæ an orationem Animæ Christi composuerit.

643 *In manibus est apographum litterarum S.* Ignatii, *quas ad Magdalenam sororem suam scripsit de communione menstrua. De usu Eucharistiæ, quem tenebat S. Franciscus Borgia etiamnum secularis, agitur apud Ribadeneiram in Vita S. Francisci Borgiæ Hispanicè edita lib. 1, cap. 10; auctor nempe ipsi erat S.* Ignatius, *ut diebus octonis singulis, ad hoc sacrum epulum accederet. Tenerrimos erga illud affectus spirat notissima illa oratio:* Anima Christi sanctifica me *&c., sancto nostro Parenti admodum familiaris. An ab eo composita? Negatur hoc apud Latinum Bartoli interpretem lib. 4, num. 26:* S. Ignatio attributa, opinor, *ait*, quod eam non rarò includit meditationum suarum colloquiis: ex quo etiam natum putem, ut in requirendo illius auctore minùs diligentes, suis libris eam vulgaverint velut proprium sancti Viri partum. At ea, cujuscumque tandem, non est planè S. Ignatii: legi enim illam in libro Lugduni anno MCDXCIX typis impresso, cum esset tum octennis Ignatius: addebaturque recitaturis præscripto tempore, indulgentia pœnarum: at Bonifacius etsi sit ejus nominis postremus, seculo integro Ignatium præcessit. *Hæc ibi.*

F

Initio conversionis Christi gesta litteris expressit, ac sequi studuit.

644 *Jam de Jesu mediatore.* Scribebat *à primo conversionis tempore,* pulcherrima quæque ac maximè insignia Christi, beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum tum verba tum facta, & in librum perpolitum atque elegantem memoriæ causâ quam optimis litterarum notis referebat. Et quidem aureis litteris Christi, puniceis beatæ Virginis, variis coloribus reliquorum Sanctorum exempla, *ex Ribadeneira lib. 1, cap. 2. Et verò quæ de Christo manu pinxit, moribus & exemplis expressit in se, in aliis autem exprimi voluit. Hæc ita esse, argumento sunt Exercitia ejus spiritualia, atque alia, quæ subjicio. Quid enim meditationes de Regno Christi, de duobus Vexillis, de tribus Gradibus humilitatis, ut alias omittam? Quid loca sancta Hierosolymis perlustrata, & sacras inter amoris erga Jesum illecebras ibidem gesta, quæ narrat Ribadeneira lib. 1, cap. 11? Quid exordia litterarum? Quid Societati inditum nomen Jesu? Quid singulare quoddam sacrarum imaginum studium, quæ Christi Domini vultum aut facta referrent, apud Linekum lib. 1, cap. 3? Quid Crucifixi imago, quam suprà pectus gestabat, teste Carnolio cap. 22? Nonne sa-*

AUCTORE J. P.

tis hæc comprobant, ſanctum Patrem eximio quodam erga Jeſum Salvatorem affectu exarſiſſe? Huc accedunt tam frequentiſſimæ in Conſtitutionibus noſtris expreſſiones ejuſdem nominis, quam ſigillum ex ære, quo uſus eſt S. Ignatius, *venerando Jeſu nomine inſignitum, & ex documentis Romanis incidi hic curatum in æs; quod, ecce, tibi repræſento.*



B *Teſtatur P. Ignatius Pinius, hoc ſigillo eſſe ſigillatas electiones noſtrorum Generalium, incipiendo à R. P. Jacobo Laynez; hoc eodem S. Franciſcum Borgiam obſignaviſſe patentes commendatitias patris Araoz, quæ ſic inchoantur ex Hiſpanico tranſlatæ:* IHS. Franciſcus de Borgia Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, Provincialibus, Præpoſitis & Rectoribus, ac reliquis religioſis Societatis Jeſu in Hiſpania, ſalutem & vitam in Domino ſempiternam. Jam ſcitis, cum ſit notorium, quam fiduciam atque exiſtimationem de patre doctore Araoz Societatis noſtræ habuerit noſter Pater Ignatius ſanctæ memoriæ *&c. In fine habetur:* Acta Matriti XVI Novembris MDLXXI. Franciſcus. *Venerabile itaque hoc ſignaculum adhibebat foris* Ignatius; *intus verò frequentes admodum Jeſu mediatoris apparitiones ipſi exhibitæ, quam multa quamque profunda intimo ejus cordi divini nominis hujus ſignacula impreſſere! De illis apparitionibus adi Ribadeneiram lib.* 1, *cap.* 10, *&* *cap.* 11; *lib.* 2, *cap.* 11; *adde ea, quæ mox hic ſequentur ex occaſione Virginis Deiparæ, quam poſt ejus Filium* Ignatius *unicè dilexit.*

645 *Fuit enimvero tenerrima utrimque, hinc*
Multa quoque *inter auguſtiſſimam cæli Reginam, inde inter* Ignatium *amoris viciſſitudo; & hujus quidem erga illam pietas planè ſingularis; illius verò erga*
C *eum materna prorſus ſolicitudo emicuit. De Virginis apparitione ſcribit Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 2; *de cogitata à Sancto defenſione virginitatis ejus, cap.* 3: *ubi & de voto caſtitatis: de pervigilatione nocturna coram Deiparæ imagine ante feſtam Annuntiationis ejus lucem, cap.* 4; *de viſione ipſius, cap.* 7; *de jactis Societatis fundamentis ad ædem Mariæ in Monte Martyrum, die Aſſumptioni ejus ſacro lib.* 2, *cap.* 4; *de diurna nocturnaque apud Dei Matrem obſecratione ante Sancti primitias, ibid. cap.* 11; *de earum celebratione in æde ſacra B. Mariæ ad Nives in natali Domini, paragrapho* 25 *hujus mei Commentarii; de emiſſa in ſacello Deiparæ ſolenni profeſſione, inſertis ejuſdem formulæ iſtis vocibus:* Promitto.. coram Virgine Matre, *apud Ribadeneiram lib.* 3, *cap.* 1. *De conſuetudine precatoriam Virginis Coronam nocturno tempore in lecto retinendi, piæ occupationis gratiâ, Bartolus lib.* 4, *num.* 27. *E quibus conficitur hinc quidem* Ignatii *erga beatiſſimam Virginem Matrem amor; inde verò ejuſdem erga illum favor.*

646 *P. Ludovicus de Palma in Praxi & bre-*
& magna *vi declaratione viæ ſpiritualis &c. ex Hiſpanico Latinè reddita, à pag.* 281 *ſic ſcribit:* Sanctus D Pater noſter à ſanctiſſima Virgine, ab ipſo ſuæ converſionis initio, multis fuit beneficiis affectus; eo quod ſe illi videndam præbuerit, animarit, ac eum confirmarit in caſtitatis ſuæ propoſito. Hinc ille viciſſim, in grati animi ſignum, ante ejus altare & imaginem in Monte Serrato veſtes ſuas ſeculares cum ſacco commutavit: totam coram eadem ejus imagine noctem inſomnem ducendo; gladium & pugionem, quibus primis ſuæ vanitatis annis uſus fuerat, anathéma perpetuum devotionis ſuæ erga Virginem, ſuſpendendo. Ab his initiis devotio hæc erga ſacratiſſimam hanc Virginem ita in eo aucta eſt, ut nihil umquam aut grave aut leve aggredi ſolitus eſſet, cujus à Virgine, ejuſque patrocinio promotionem non exſpectaret, nihilque à Deo poſtularet, niſi per hujus interceſſionem: & ipſa viciſſim Virgo eum perpetuis beneficiis auxit, & ſuis apparitionibus dignata eſt; ut ex quaternione quodam videre licet, quem ipſe manu ſua ſcriptum reliquit: in quo illuſtrationes, quibus quotidie fruebatur inter ſcribendum Conſtitutiones, annotavit. E

Specimina 647 *Et quod de Corona Deiparæ paullo ante obiter retuli, ita amplifico ex eodem auctore pag.* 294: Certum eſt, quod, licet ſanctus Pater noſter in Societatis initiis liberum cuique reliquerit horam orationis matutinam vel mentali vel vocali orationi impendere; Horas tamen tum beatæ Virginis eâ horâ ſtudioſis noſtris, & fratribus noſtris coadjutoribus, qui legere neſciunt, Roſarium ejuſdem præſcripſit, ſeriò commendans, ut, qui Roſarium legunt, bene in eorum myſteriorum meditatione inſtruantur, quo illud majori cum devotione & fructu percurrant. *S. P. N. Conſtitutionum parte* 4, *cap.* 4, *num.* 3 *ſic dicit:* Præter Sacramenta confeſſionis ac communionis (ad quæ octavo quoque die accedendum erit) & præter Miſſam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando beatiſſimæ Virginis Officio. *Et ibidem num.* 4: Aliqui (cujuſmodi eſſe poſſent coadjutores illi, qui legere non didicerunt) præter Miſſam, horam etiam unam recitando Roſario vel Coronæ beatæ Mariæ virginis.. impendent. *Et in declaratione ad idem caput hæc præſcribit:* Quod ad Coronam vel Roſarium attinet, doceantur, quomodo cogitare vel meditari myſteria, quæ in eo continentur, poſſint; quo majori cum attentione & devotione ſe in eo exercere valeant. F

præbuit Vir 648 *Arctiſſimam in Manreſano receſſu & com-* *ſanctus,* *poſitione libri Exercitiorum ſpiritualium, Mariam inter & ſanctum Patrem officiorum voluntatumque communicationem, quid attinet commemorare? Noverat utique* Ignatius *magnam illam optimæ Matris erga calamitoſos benignitatem ſumma cum poteſtate conjunctam. Hinc in tertio Exercitio hebdomadæ primæ, quod eſt de peccatis,* Colloquium, *ait,* primum fit ad Dominam noſtram, Chriſti Matrem, flagitando interceſſionem ejus apud Filium, & gratiæ impetrationem nobis tripliciter neceſſariæ. Primò, ut internam criminum noſtrorum cognitionem, ac deteſtationem fentiamus. Secundò, ut operum noſtrorum agnoſcentes, abhorrenteſque ordinem perverſum, correcto eo, noſmetipſos, ſecundùm Deum, rectè ordinemus. Tertiò, ut perſpecta & damnata mundi pravitate, à rebus mundanis ac vanis nos recipiamus. His expletis ſemel recitetur, Ave Maria. *Et quarta die hebdomadæ ſecundæ, in meditatione de duobus Vexillis iterum recurrendum præſcribit ad miſericordiæ Matrem, dicens:* Colloqui-

A lóquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim & manere sub vexillo ejus &c. *Ita piè affectus erat sanctus Pater* Ignatius *erga Virginem Mariam.*

Deiparam Virginem quanti faceret:

649 *P. Ignatius Diertins, insignis Exercitiorum sancti Patris nostri explanator, in rem hanc ista observat in explanatione ad dictum exercitium tertium, editionis Antverpiensis anni 1696 pag. 75:* Quod verò S. P. N. tam studiosè in hoc, & in pluribus deinde colloquiis, doceat nos implorare patrocinium beatæ Virginis; quod toties in meditationibus memoriam ejusdem suscitet; quod in tertia hebdomada ejus dolores, in quarta ejus gaudia proponat contemplanda; quod in tribus orandi modis, ad virtutes ejus imitandas invitet, eamdemque salutandi & invocandi formulas menti revolvendas objiciat; quod denique tot modis cultum venerationemque Matris Dei promoveat; non mirabitur ille, qui legerit B. Ignatium, postquam in Monte Serrato, ante aram beatæ Virginis suspensis armis noctem excubans, sacræ militiæ tirocinium posuisset; inde plenum zelo pro honore ejusdem Virginis Matris,
B seceſſiſſe Manresam; in quo seceſſu per annum commoratus, hunc admirabilem Exercitiorum librum composuit.

qua occasione hic agitur

650 *Insigne etiam* Ignatii *erga Virginem Matrem, & hujus in illum amoris reciproci argumentum præbet* imago Deiparæ penicillo expressa (*verbis utor Bartoliani interpretis lib. 2, num. 21*) quam post fundatam quoque Societatem retinebat; sed eâ tandem carere sustinuit, ut P. Araosium affinem, ab se ægerrimè discedentem, utcumque solaretur: nam ut erat ejus eximia comitas, abeuntis mœrorem non ferens, protractam de sinu imaginem perinde illi dedit, ut si cordis dimidium donaret; vetuitque ulli omnino eam dare; addens, ex quo vestem mutasset, secum ab se perpetuo circumlatam, & sexcentis animi, & corporis casibus cultûs ejus mercedem cumulatissimam multiplici auxilio expertum. Nec alio egebat stimulo Araosii pietas: sed ei tam grato munere diu potiri non licuit: illo enim in Hispaniam reditu, dum negotii causâ Loyolâ transit, Maria (*lege* Marina) sancti Viri ex fratre filia, illam sibi mutuò saltem expetiit, regredienti pòst illac Araosio redditura. Sed neque is umquam postea rediit, nec illa se teneri promisso credidit.

C 651 Verùm annos jam agens octoginta, cavensque, ne pretiosum pignus post se fortè aliquibus cederet, à quibus minus honorificè haberetur, Syracusano (*debuit dici* Cæsarauguſtano) Societatis collegio illud dedit. Spectatur in pictura illa Virgo dolore pectus & ense confixa: augent pretium colores, vetustate & gestatione tamdiu benefica pallentes atque evanidi. *Ceterùm imaginis istius ectypum inter res nostras hîc inveni, quod* juxta exemplar Romæ incisum *notatur, hac ei subjecta inscriptione:* S. MARIA A CORDE, illi simillima, quæ in Cæsarauguſtano Societatis Jesu collegio asservatur, quam S. P. Ignatius, ejusdem Societatis Fundator, à primo suæ conversionis die, usque ad senium, in pectore semper gestabat ad COR, per illam se à Deo ubique miris modis adjutum testatus.

de imagine Cæsarauguſtana, quæ olim fuerat Ignatii:

Plura huc addit Henao Antiquitatum Cantabriæ lib. 3 in citationibus ac notis ad cap. 35, ubi refert, Marinam illam anno 1595 scripsisse litteras ad doctorem Paschalem Mondura, ecclesiæ metropolitanæ Cæsarauguſtanæ canonicum, simulque ad eum misisse imaginem, de qua hîc agimus; ut illâ se recrearet, ac deinde eam traderet patribus collegii Cæsarauguſtani. Paruit Paschalis, traditionem executioni mandando: quâ intellectâ Petrus Ribadeneira scripsisse affirmatur ad P. Jacobum de Morales, qui tunc præerat dicto collegio, ut illam imaginem Matritum ad se dirigeret venerationis gratiâ. Annuit collegii rector: Ribadeneira verò postquam devotioni suæ fecisset satis, imaginem remisit ad nostros Cæsarauguſtanos: ubi splendidè adornata, & in hierotheca sacrarii collegii asservata, sed in magnis festivitatibus collocata in medio altaris S. P. N. Ignatii, *publicæ veneration exponitur, summa cum fidelium religione, ex citato auctore. Exhibeo tibi nunc, lector, dictæ imaginis ectypon, ari hîc incidi curatum, ad imitationem exemplaris, quod est apud nos.*



qui singulari affectu coluit sanctum sibi synonymum

652 *Vir sanctus Martyrem sanctum sibi synonymum affectu singulari prosecutus est. In epistola quippe ipsius tota autographa, quam dedit ad ducem Gandiæ S. Franciscum Borgiam anno, prout eidem adscribitur,* 1546, *ex testimonio P. Ignatii Pinii, hæc leguntur Hispanicè, quæ Latinè ita effero:* Quantum attinet ad præteritam Dominationis vestræ invaletudinem, aliâ epistolâ scripsi, me simul intellexisse infirmitatem cum recuperata salute: ex quo nullam dolendi, sed gaudendi potiùs, ut mihi videbatur, materiem inveni, credens, id non fore sine aliquo fructus spiritualis incremento. Nunc dum video, quod visitatio hujusmodi ac lucrum cœperit glorioſi S. Ignatii die, lætitiam multo majorem in Domino nostro mihi affert; atque etiam, dum persuasum habeo in Dominationis vestræ devotione auctum iſi nomen adeo beati Sancti, cui ego afficior, aut, ut minùs, affici desidero singulari admodùm reverentia & devotione in Domino nostro. *Ceterùm piè suspicari licet, ex singulari Patris erga hunc Sanctum veneratione, aliquid etiam communicatum fuisse affectionis piæ S. Francisco Borgiæ, ad quem scribit: nam ipsius professio religiosa, cujus exemplar ante me habeo inter apographa nostra Romana, signatur* Gandiæ hoc die S. Igna-

F

AUCTORE J. P.

tii primo Februarii MDXLVIII ; *conſentiente Chronico , quod dedi paragrapho* 59 ; *quem actum heroicum alligaſſe huic diei ſuſpicor iſtum piiſſimum Ducem ex quadam religioſa erga hunc Sanctum voluntate , qui tunc colebatur. Pro iſto autem anno alibi notatur annus* 1547 ; *uti videre eſt inferiùs in annotatis ad Vitæ ſancti Patris noſtri caput* 11 , *lib.* 3.

§ LXIV. Charitas erga proximum , gratus erga bene meritos animus.

Ribadeneiræ locus de charitate erga proximum

Ib. 5 , *cap.* 2 *expedit Ribadeneira hoc argumentum. Adjungo ſequentia pro ipſius ſupplemento. Enimvero ſacrum hunc erga proximos ignem nonne tantus , quantus erat , ſpirabat* Ignatius ? *Præter deſignatum modo Ribadeneiram volve reliquum Vitæ contextum : & quot , quantaſque hujus charitatis notas ibidem deprehendes ? Facta colligit Nicolaus Lancicius Opuſculorum ſpiritualium tomo* 2 , *opuſculo* 18 , *cap.* 11 ; *progreſſiones ad juvandos proximos Orlandinus lib.* 16 , *num.* 115. *De charitate , cujus hîc rationem habemus , exſtat apud Maffeium libri tertii caput* 4 ; *ibidem verò cap.* 11 *in rem noſtram hæc ſcribit :*

B

ſuppletur ex Maffeio , è quo diſcimus mirum Ignatii artificium,

Miræ , *inquit* , fuit ſolertiæ in ſolicitandis mortalibus , & à diaboli ſervitute ad Chriſti Domini obſequium traducendis : ac quibus artibus dæmon ad animarum perniciem utitur , eaſdem ipſe (quoad liceret ac fas eſſet) ad hominum ſalutem ac beneficium transferebat. Voluntates ac naturas eorum , quibuſcum ageret , feſtinè odorari; ambitioſis ſplendida , avaris utilia , voluptuoſis jucunda proponere , & ſuo , quod aiunt , hamo vel eſca quemque piſcari. Jam in congreſſu, maximè principum , id obſervabat in primis , ut ſermonis initia illis daret , extrema reſervaret ſibi ; cavebatque , ne de rebus etiam divinis ineptè vel ad tatietatem ac faſtidium ageret. Triſtem verò & horridam ſapientiam (utique poſtquam in lucem hominum prodiit) ſemper vitavit : cumque philoſophiæ nomen ipſum intelligeret , etiamſi modeſtè tractetur , tamen ſatis odioſum eſſe per ſe ; nihil in habitu ſuo , vel in genere vitæ , rarum aut notabile conſpici voluit , ac ſemper ſeſe , quibus rebus honeſtè ac religiosè potuit , ad communem conſuetudinem accommodavit , neque commiſit , ut , quod ipſe non faceret ; id in aliis reprehendere putaretur : prorſus ut ejus mores prima fronte vel eminus intuenti unus aliquis è populo videretur eſſe : verùm quo propiùs illum inſpiceres , quo diutius ac familiarius uterere ; eo magis præſtantiam virtuteſque Viri , tamquam odorem ex affrictu ſentires.

C

quo omni hominum generi ſeſe accommodabat.

655 Atque id ipſum eſt cauſæ , cur noſtris nullam in veſtitu ornatuve Religionis injunxerit notam ; ſed quo faciliùs in hominum cœtus & conſuetudinem irreperent , ac tempeſtivis colloquiis unumquemque adjuvarent ; ubicumque gentium verſarentur , quam modeſtiſſimo ejus gentis habitu juſſit incedere , neque ullum dare ſignum animi , à ſenſu communi vel ab humanitate abhorrentis. Idem valde vituperabat moderatores animarum eos , qui vel una eademque via , ac ferme quam ipſi tenuiſſent , ceteros etiam ad ſtudium virtutis conarentur adducere ; vel dumtaxat , ſi quis ad pietatem eſſet ſua ſponte propenſus, formandum regendumque ſuſciperent : ſed ipſe nimirum vel feros & barbaros homines non dubitabat aggredi , ſic , ut à ſingulis , quod dabatur, acciperet : & quos ad conſilia Chriſti provehere non poſſet , certè ad præcepta ſenſim allicere nitebatur. *Ex quibus rarum in paucis ſancti Viri induſtriam agendi cum proximo diſcimus , ſeu potiùs ſolam ac veram artem venandarum animarum. Ad hæc* , Diſpiciebat in primis , *ſicut ſcribit idem auctor* , quod ingenium , qua ratione tractandum eſſet , iiſdemque ſæpe morbis , pro varietate naturæ , non diverſas modo , ſed etiam contrarias inter ſe medicinas adhibere conſueverat. Quod ſi quem , omnia expertus , tamen è cœno peccatorum extrahere nequiviſſet ; non ideo contrahebat animum , vel ſe angori dabat , quaſi oleum & operam perdidiſſet ; ſed conſcientiæ & officii fructu contentus , acquieſcebat in alto providentiæ divinæ conſilio. D

Amor proximi probatur ex ejus zelo animarum.

656 *Ex ardentiſſimo hoc ſalutis animarum ſtudio proficiſcebantur* voces ignitæ , quas ſuorum ſubdebat pectoribus , cum miſſos ad prædam animarum , in diſceſſu ſalutans , Ite , inquiebat , omnia incendite , & inflammate ; *uti habet Bartoli interpres lib.* 4 , *num.* 14 ; *& num.* 15 *recenſet præſidia juvandarum animarum , ab eo Societati præſcripta. Urbanus PP. VIII in Bulla canonizationis* , Aſſiduum , *ait* , obſequium , quod pauperibus & ægrotis exhibuit in hoſpitalibus ; & eleemoſynarum diſtributio , quas à piis perſonis ſuo ipſius ſtudio corrogabat ; maxima etiam cura , & ſtudium , quod jam inde à principio ſuæ converſionis in eo poſuit , ut rudes & pueri doctrinam Chriſtianam perdiſcerent ; & detentorum in carcere viſitatio ac ſublevatio , quam inſtituit , & exercuit accuratè ; nec non per univerſum terrarum orbem miſſiones , quas fecit ; & domus , eccleſiæ & collegia , quæ erexit , & in dicta Urbe , præter ſcholas grammaticæ , & humaniorum litterarum , quas gratis aperuit ; collegium Germanicum , ac orphanorum , & catechumenorum domus , & S. Marthæ , ac S. Catharinæ monaſteria , aliaque loca pia , quæ excitari curavit ; & diſſidentium reconciliatio ; ſalubria conſilia data ; & ſpiritualia Exercitia ab eo compoſita ; Sacramentorum frequentationes procuratæ ; injuriarum denique remiſſio , & pro inimicis oratio , quam ardenter amaret proximum propter Deum , planè demonſtrant. E F

Gratus Ignatii animus

657 *Aliud , quod Ribadeneira libro* 5 , *cap.* 2 *virtutibus* Ignatii *accenſet , poſitum eſt in acceptorum beneficiorum recordatione , ac eorum remuneratione. Quæ laudatus auctor ibi ſummatim attingit, pluribus ulteriùs deduci poſſunt. Et quandoquidem gratus animus duobus maximè in rebus cernitur , quarum una ſit poſita in habendis gratiis ; altera in referendis ; hæ duæ grati animi dotes quemadmodum in* S. Ignatio *eluxerint, videamus. Maffeius lib.* 3 , *cap.* 4 *id ita expreſſit :* Homines vel de ſe ipſo privatim , vel de Societate communiter benè meritos , diligentiſſimè coluit ; nullumque in eos neque vivos , neque mortuos grati ac memoris animi officium prætermiſit. Quippe non modò pro ipſorum ſalute Dominum per ſe ſuoſque precabatur aſſiduè ; ſed etiam , dum viverent , ſæpe domum veniebat ſalutandi causâ, eoſdemque adeuntes ad ſe , quamquam alieno tempore , accipiebat in primis hilariter , deque Societatis progreſſu , ac rebus præſertim Indicis, quarum ipſa longinquitas habet delectationem , pergebat amiciſſimè facere certiores : atque etiam ,

A iam, cum opus esset, quibus rebus poterat, benignè adjuvabat. *Hæc ille generatim; quibus singillatim hæc subjungit:*

erga bene de se meritos

658 Hieronymo quidem Arzio, Hispano doctori (quicum erat ei magna necessitudo) non modò graviter ægrotanti frequens adfuit ipsemet, sed etiam fidelibus famulis destituto, probos & industrios è Societate viros ministrandi gratiâ submisit. *Nec verò segnem fuisse* Ignatium *in omnibus grati officii partibus generosè ac munificè adimplendis, conficitur ex alio exemplo, quod ibidem ita narratur:* Andreas Lipomanus patritius Venetus, quem Trinitatis Priorem appellabant, vir non pietate minùs, quàm genere nobilis, collegio nostrorum hominum constituendo Patavii, opimum sacerdotium ejusdem urbis addixerat, dimidia tantùm parte vectigalium sibi, quoad viveret, reservata. At verò Ignatius, ne se vinci pateretur officio, patentibus litteris eum ultro perpetuum sacerdotii administratorem declaravit; neque è vectigalibus attigit quidpiam,

B nisi quod ab ipso Priore quotannis ad paucos è nostris alendos per eleemosynam præberetur. Quin etiam ejus fratris filio pensionem decrevit annuam aureorum ad quadringentos: quam tamen bonus ille Prior nequaquam admisit. Ac ceteros item, quorum beneficiis provocatus esset, eximio quodam studio & observantia prosecutus est.

variis

659 *Bartolus lib.* 4, *num.* 8, Joanni, *ait*, Pasqualio, apud quem fuerat aliquamdiu hospes, quid gratiarum rependerit olim, initio diximus; quàm benignè sua jam cælo donati aspectabili præsentia illum dignatus sit, confirmaritque fidem, ab se, adhuc in terris posito, illi datam; fore scilicet illum sine dubio salvum. De Crucifixi etiam effigie, suarum eatenus comite ac solatio ærumnarum, quam ei reliquit, grati animi carum pignus. Cavellio item pio clerico, qui sibi Manresæ ægrotanti victum deferebat, quod unum habuit reliquum, Preces horarias Deiparæ tradidit: exilia fateor, sed ab nihil præterea habente valde grati affectus monumenta. Isabellam Rosellam, quæ illum de radiis circum ex ore micantibus Barcinone sanctum agnoverat, & multa juverat liberaliter, consueverat matrem compellare, eidemque Romæ post Societatem constitutam, à confessionibus diu fuit. De Cardinali Gasparo Contareno, tamquam inter primarios summè in se benefico, quoties [sermo] incideret,

C loquebatur, quod ejus potenti advocatione, Societatis confirmationem à Pontifice impetrasset.

documentis

660 *Clericos regulares S. Pauli & Barnabæ Mediolanenses quid memorem? Enimvero* præcipuo amore ac studio *illos* complectebatur, postquam ii Emmanuelem Mionam, dum Parisiis Romam venit, ægrotum in collegio suo caritate summa curaverant. Hujus officii memoriam semper beatus Pater recentissimam conservavit: consuetudine inde & officiorum vicissitudine aucta, non aliter veneranda illa domus observare Ignatium, ad eumdem confugere, quam ad communem parentem: neque aliter ipse eos atque filios ac fratres carissimos ducere, &, ubi facultas daretur, ornare atque tueri: quod egregiè nuper in quadam eorum difficultate præstiterat; *prout habemus ex Orlandino lib.* 12, *num.* 13, *ad annum* 1552.

comprobatur:

661 Scribens verò, *ait Bartolus loco superiùs citato*, ad Regem, & Cardinalem Lusitaniæ, Societatem rem ipsorum vocabat, permittebatque illam eorum providentiæ, quod eam suis in ditionibus regiâ planè munificentiâ diffudissent, Duci Ferrariæ, Cardinali à sancta Cruce, proregi Siciliæ Joanni de Vega, & Cartusianis patribus, à quibus Societas fovebatur magna significatione caritatis, obligatas æternùm gratias semper professus est, ac ubi alia deessent, suis ac suorum ad Deum precibus contendit partem nominum utcumque exsolvere, quibus se norat iis obnoxium. *Ita ille. Porro immortalia laudatissimi istius Regis in Societatem merita quam altè animo insculpta tenuerit, egregio monumento constare voluit. Historiæ Societatis continuator Franciscus Sacchinus parte* 2, *lib.* 1, *num.* 121 *ad annum* 1557, *pium, ut ita dicam, certamen Regem eum inter &* Ignatium, *hinc quidem referendæ, inde autem conferendæ gratiæ, describit occasione mortis, quam tunc obiit memoratus Lusitaniæ rex Joannes III.* Eo sublato, *inquit*, magnum res Christiana columen amisit, magnum Societas nostra: quam necdum, ut ita dixerim, natam, hoc est, ante Pontificiam approbationem complexus, ita perpetuò suis in regnis, in Europa, Africa, & ultimis Asiæ & Indiarum oris regiâ munificentiâ, paternaque benignitate, E ita in ceteris Christianorum terris commendatione auctoritateque fovit, defendit, provexit, ut non magis benefici principis, quam indulgentissimi patris loco esse in omne tempus posteritati nostræ debeat.

inter quæ datur epistola,

652 Id adeo ex judicio mandatoque vetusto beati Ignatii, quod propterea subjungam, intelligi potest: Præpositis provincialibus, rectoribus collegiorum, & præpositis domorum Societatis Jesu, ubicumque terrarum ac gentium sint, salutem in Domino nostro sempiternam. Quamquam Deo procreatori, ac Domino nostro, ut fonti perenni, & capiti omnium bonorum, si quid tale est in minima nostra Societate, gloria & laus debetur; tamen erga cooperatores, & præcipuos administros divinæ ejus providentiæ, æquum est, nos pro virium nostrarum imbecillitate iis uti officiis, quæ grati animi sancta jura postulant, ad gloriam divinæ ejus majestatis. Quamobrem considerantibus nobis, quantum inter omnes Christianos principes sereniſſimo Regi Lusitaniæ cuncta nostra Societas debeat, cujus favore, & admodum liberali auxilio fundari cœpta est, totque in partes propagata, magno cum proventu divini obsequii, & spirituali adjutorio animarum; visum est in Domino excitare vos per obedientiam ad id, ad quod certum habeo com- F plures vestrûm suamet sponte per caritatem moveri.

quâ regem Lusitaniæ suorum precibus commendat.

663 Igitur omnes, quicumque præestis, quique sub obedientia vestra degunt, tum sacerdotes in Sacrificiis, tum ceteri in precationibus suis quotidie, & nominatim de Rege eodem, simulque de regina, & liberis eorum coram Deo memineritis. Siquidem quidquid gratiæ summa bonitas iis largietur, in regna ipsorum redibit: in quibus præcipuo quodam modo optandum est nobis, ut laudetur & glorificetur sanctissimum ejus nomen. Atque hoc pacto nos parte aliqua defungemur officii, quod plurimum debemus: reliquum verò explebit is, qui nostras omnes infirmitates supplet. Cui placeat opem vobis impertiri, ut sentiamus semper ejus sanctissimam voluntatem, & integrè exequamur. Romæ XIV Junii, anno salutis MDLIII.

AUCTORE J. P.

§ LXV. Alia quædam erga bene meritos officia ; manſuetudo , & amor pacis.

Gratus animus erga ducem Ferrariæ,

ERga Ferrariæ Ducem, *quomodo fuerit affectus* Ignatius, *intelliges ex Orlandino lib. 7, num. 35 : ubi conſultus à Jaio, quemadmodum ſe cum illo Duce gereret*, Reſpondit, *inquit hiſtoricus*, beatus Pater, cupere ſe cum Societate univerſa tali Duci, qui laicos inter principes Societati naſcenti ſtudiosè faviſſet, toto animo deſervire ; amplectendamque perlibenter oblatam occaſionem ad conteſtandam debitam gratamque memoriam. Quod autem ad agendi ſpectaret modum atque formam ; ſeu de Deo habenda eſſet oratio, ſeu lex explicanda divina, ſeu alia quævis munera piè gerenda, unum & idem putaret eſſe reſponſum, totus videlicet ut ex Duce penderet. Æquum enim eſſe, ut cum is eſſet à Chriſti Vicario Ducis uſibus commodiſque conceſſus, ſineret ſanè ab ipſo Duce ſe regi, & quamdiu Ferrariæ apud illum eſſet, eum ſibi Superioris & Præpoſiti loco duceret, quoties vel Dei cauſa, vel ipſius Ducis bonum civiumque requireret. Quod ſi permitteretur à Duce poteſtas, tum quibuſcumque poſſet officiis pro Societatis diſciplina moribuſque vacaret. *Ita ibi.*

B

S Franciſcum Xaverium, Natalem, Turrianum, Lainium, ac Codacium :

665 Nec diſſimiliter, *uti à Bartolo lib. 4, num. 8 refertur*, erga eos ſe geſſit de Societate, qui eam aliquo ſingulari beneficio decoraſſent. Ad Xaverium quidem ſcripſit, non poſſe illius ullo umquam tempore non eſſe memorem, quod viro ſancto, & incredibili amore erga illum affecto, maximi præmii loco fuit. Hieronymo Natali mandavit, ut Michaëlem Turrianum velut oculi ſui pupillam cuſtodiret, cui ſe fatebatur ingenti obligatione gratiæ teneri : Lainio verò, quam cuivis alteri Societatem plus debere aiebat, nominabatque illum Societatis ſummam rem, totamque fauſtitatem. Sed fuit ejus in Petrum Codacium grati animi ſignificatio inſignis, & inuſitata. Is primus ex Italis Societatem amplexus eſt, cujus deſiderio magna Pontificis, cui erat percarus, & aulæ faventis magna obſequia valere juſſerat. Societate inita, ſic eam amavit, tamque ſolicitas & induſtrias operas in ea Romæ ſuſtentanda tam ſtrenuè admovit, ut fundationem etiam ſtabiliret, quæ tunc quidem ſat eſſet domui profeſſæ, vocareturque Societas religio patris Petri.

C

cui poſtremo, tamquam fundatori plurimum detulit Sanctus.

666 Die ergo ſacris ritibus ſolemni, expleto prandio, aſſurgit Petro Ignatius, & aperto capite prolixè gratiam teſtatur, quam illi tum ipſe, tum tota deberet Societas tamquam fundatori : oblatâque illi candelâ cereâ, ſe ipſum unà, & Sacrorum, precumque ingentem numerum obtulit ; ſub quæ multo cum fletu Petrus, acceptum (quando id Ignatius jubebat) cereum, ſtatim pòſt reddidit, addens vel hoc uno, quod eſſet admiſſus in Societatem, mancipatuſque divino obſequio, ſe tanto ac tam multiplici nomine obſtringi, ut nullis officiis partem ejus ullam aſſequi valeret. *Sed his officiorum erga virum adeo bene meritum teſtificationibus non acquievit* Ignatius ; *verùm qui vivum adeo coluerat impensè, mortuum etiam ſuâ apud Deum atque homines memoriâ fruſtrari noluit. Nam ut Orlandinus teſtatur lib. 9, num. 9 :* Mortuo ipſi conceſſit præter conſueta ſuffragia, ut etiam ſepulcro honorifica cum inſcriptione lapis imponeretur. Tanta erat ſancti Patris in referenda gratia non externis modò, verùm etiam domeſticis, ſibique ſubjectis nobilitas animi.

D

Grati animi officium erga fundatores ac bene meritos

667 *Ut verò hæc virtus tranſiret ad filios ejus, atque in univerſa, quoad ſtaret, Societate perſeveraret, Conſtitutionum part. 4, cap. 1 hæc præſcribuntur :* Primùm in quovis noſtræ Societatis collegio, perpetuò, ſingulis hebdomadibus Miſſa ſemel pro ejus fundatore, & benefactoribus vivis & mortuis celebretur. 2o. Initio item cujuſque menſis omnes ſacerdotes, qui in collegio fuerint, pro eiſdem ſemel offerre idem Sacrificium perpetuò debeant. Singulis inſuper annis eo die, quo collegii cujuſque poſſeſſio Societati tradita eſt, cum ſolemnitate Miſſa pro fundatore & benefactoribus celebretur : & id temporis in eodem collegio quicumque ſacerdotes adfuerint, eòdem ſua referent Sacrificia. 3o. Eodem die candela cerea fundatori offeratur, aut uni ex ſuis, qui ipſi ſit cognatione proximè conjunctus, aut illi demum, quem ipſe fundator deſignaverit : in qua candela armorum fundatoris, aut devotionis inſignia exſtent. Illâ verò teſtabitur Societas, quam fundatori in Domino debet, gratitudinem.

E

de Societate,

668 Quartò. Cum primùm Societas in collegii alicujus poſſeſſionem venerit, Præpoſitus Generalis curet indici per univerſam Societatem, ut quilibet ſacerdos ter Sacrum faciat pro ſuperſtite fundatore ipſius collegii, ac benefactoribus. Rurſus, cum ex hac vita illi exceſſerint, curabit idem Præpoſitus Generalis, ubi primùm reſciverit, ut per totam Societatem ſinguli ſacerdotes ter Sacrum pro animabus illorum faciant. Quoties autem dictum eſt, Miſſas eſſe à ſacerdotibus celebrandas, ceteri omnes, qui in collegiis degunt, ac ſacerdotes non ſunt, ad eamdem illam intentionem orare debent ; quandoquidem, ejuſdem gratitudinis nomine, utrique obligantur in Domino. *Pro ſingulis verò Sacris, quæ annuntiantur ſacerdotibus, indicuntur illis, qui ſacerdotes non ſunt, ſingulæ coronæ, ſeu tertia Roſarii Mariani pars.* 5o. Fundatores præterea ac benefactores collegiorum participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quæ tum in ipſis collegiis, tum in reliqua Societate Dei gratiâ fiunt. 6o. In univerſum autem, tum fundatoribus, tum etiam ipſorum neceſſariis, & quoad vivunt, & poſtquam obierint, peculiariter ſeſe devinctam eſſe Societas ex charitate cognoſcat, ut omni officio illos proſequatur : quod à nobis præſtari, juxta minimam hanc noſtram profeſſionem, ad divinam gloriam poſſit.

F

colligitur ex elencho Miſſarum, quæ pro ipſis fiunt.

669 *Quibus quid requiras ampliùs, ut de munifica & generoſa Sancti ac filiorum ejus pro acceptis beneficiis gratiarum actione conſtare liquidiſſimè poſſit ? Quæ quia ex tam profuſa Sacrificiorum ac precum collectione & extenſione componitur, non obſcurè declarat, quid & quantum Societas illis debeat, ac velit reddere, à quibus benefacta accepit. Et adeo quidem hæc Sacrificiorum ac precum collectio nonnumquam augetur pro ratione meritorum, ut pro uno Henrico IV, Galliarum rege, ſexcenta millia Hoſtiarum à Societate fuerint immolata, teſte P. Joanne Rho in Variis virtutum hiſtoriis lib. 4, cap. 8 ; ubi addit,* Illud minimè diſſimulandum, quamquam in illa tanta gentium omnium luce fiat, quod in Urbe quotannis Gregorii XIII revocandæ memoriæ inſtitutum eſt, ut res ejus præclarè geſtæ in magna tum Cardinalium, tum minorum antiſtitum, ac frequentiſſima eruditorum hominum panegyri ab oratore laudentur, id vel ab invidis illuſtrem, &

A nostræ commendationis pleniſſimam confeſſionem veritatis non ſemel extorſit, audiente me, *inquit*; apud nos optimè collocari benefacta, quorum memoria æternis grati animi tabulis conſignata injuriam non timeat vetuſtatis. *Hiſce ſupplentur dicta Ribadeneiræ circa fundatores lib. 3 ſub finem.*

S. Ignatius poſt mortem etiam gratus.

670 *Quid, quod ſanctus Pater, præter illa, quæ cum ipſe, tum ex ejus ſpiritu Societas univerſa præbuit tam inſignia memoris animi monumenta, quando ipſe jam mortalibus ereptus erat, gratæ tamen voluntatis officium non prætermiſit? Nam in Vita venerabilis ſervi Dei P. Julii Mancinelli noſtri, ex Italico in Latinum converſa, lib. 3, cap. 10 iſta narrantur:* Aliàs ſemel illi aſpectabilis fuit Sanctus Calendis Auguſti anno MDCX, & ipſi ſignificavit nonnulla in bonum principis de Stigliano, qui identidem bene merebatur de Societate, & tunc ſolenniſſimum feſtinabat apparatum in noſtro Neapolitano templo, die feſtivam ſancti Fundatoris lucem præcedente. Pater Julius dedit ad intelligendum, quantum opus eſſet illi principi, per patrem Negronem familiarem ipſius, & per patrem congregationis nobilium præſidem: cui congregationi ſubinde ille princeps ſolebat intereſſe. Nec multum temporis interceſſit, cum illa revelatio vera fuit, & opere completa. *Factum aliud diſce ex Compendio Vitæ S. Ignatii, anno 1681 Viennæ Auſtriæ edito; ubi cap. 11 ſequentia narrantur:* In Hibernia

B

** id eſt gubernatori*

cum alicubi Religioſi nonnulli, Magiſtratui * ſupplices fuiſſent, ut Societatem ex affluxu populi inviſam, urbe ſua ejiceret, iſque memoriali dilacerato ſocios de gratia Dei, & civium amore tutos eſſe juſſiſſet, amabili vultu apparens Ignatius, gratias egit de ſuſcepto ſociorum patrocinio, & in diſceſſu, converſo vultu unum allocutus, inquiebat: Amodo jam ſequêre me.

Manſuetudo ejus oſtenditur ex facto epiſcopi Cameracenſis,

671 *Quæ de pace ac fuga litium narrat Ribadeneira lib. 5, cap. 2, declaro ex Orlandino lib. 14, à num. 49, ubi ſic ſcribit:* Cameracenſis præſul prius illud, *quo noſtris, ne advocarent concionem, interdixerat*, nullâ prorſus oblatâ à Patribus causâ, renovavit edictum; & Societatis homines tota ſua diœceſi, quæ cum Tornaco conjuncta erat, prædicatione divini verbi, & ſacrorum adminiſtratione prohibuit.. At Ignatius nihil difficultatibus his commotus . . , ſatis habuit commendatitias à Cardinale Carpenſi litteras mitti ad Apoſtolicum nuntium agentem cum imperatore Bruxellis. Interimque ſuos (uti ſemper in ejuſmodi caaſis ſolebat) admonet, quàm modeſtiſſimè ſeſe gerant, neu quid aſperiùs in epiſcopum, unde magis irritetur, efficiant, neque ſua jura contra ejus edicta per Apoſtolicas litteras, quod eis proclive erat, prolata defendant. *Paruere noſtri; nam* ex Ignatii præſcripto, *ſicut refert idem hiſtoricus*, ſubmiſſione & manſuetudine utendum rati, ſe tenuere Tornaci, nec in Cameracenſem diœceſim egreſſi ſunt *&c. Maluit itaque Parens noſter videri & eſſe manſuetus eccleſiaſticæ poteſtatis cultor, quam acer ac rigidus ſui juris exactor.*

C

decreto Sorbonico, ac puero ineptè petulanti,

672 *Decretum verò Sorbonicum adverſus Societatem, de quo egi paragrapho* 47 *& paragrapho* 48, *breve illud quidem, ſed acerbum, & valde nobis infeſtum, quam animo manſueto ac ſedato acceperit, & à ſuis accipi voluerit; intelliges ex Ribadeneira lib.* 4, *cap.* 11. *Quid, quod* ab omni faſtu & moribus imperioſis (*teſte Maffeio lib.* 3, *cap.* 5) vehementer abhorruit. Veſtigium in eo contumaciæ cerneres nullum: &, quod difficillimum eſt, lenitatem ita cum gravitate miſcebat, ut neque facilitas de auctoritate, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret. *Ità ille. Ac paulo poſt ſubdit præclarum hoc Ignatianæ manſuetudinis exemplum:* Venetiis Patavium pedibus cum iter haberet, domeſticâ, eâque admodum attritâ lacernâ ob inopiam indutus, Jacobo Laine comite, pecuarius quidam puer, qui à via non longè armenta paſcebat, conſpectis eminus peregrinis, ad eos repentè propiùs advolat, habitûſque fortaſſe novitate permotus, defixis procaciter in Ignatium oculis, cachinnos tollere, eidemque licentiùs cœpit illudere. Cumque Ignatius vultu placido ſubſtitiſſet: converſus ad eum comes: Quin, ait, acceleras gradum, Pater, teque iſtius pueri petulantiæ ſubtrahis? Immo verò, inquit ille, cur puerum oblata ſibi præter ſpem hac tanta oblectatione fraudemus? Itaque conſultò etiam diutius hæſit in iiſdem veſtigiis, ac ſe curioſiùs intuendum, ridendumque affatim protervo adoleſcentulo præbuit; plus nimirum ex hoc qualicumque ſui contemptu ac ludibrio hauriens voluptatis, quam alii ex vulgi plauſu fauſtaque acclamatione percipiunt. Atque hunc manſuetudinis tenorem diligenter in omni vita ſervavit.

AUCTORE J. P.

E

atque aliis quibuſdam factis.

673 *Mellitæ huic ſancti Patris manſuetudini conformia ſunt alia quædam facta. Illud imprimis, quod refert Maffeius lib.* 3, *cap.* 9: Cum Martinus Olavius, qui collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti vir ingenio doctrinaque, theſes aliquot de more propoſuiſſet, in quibus erat caput de immaculato, ut appellant, conceptu beatæ Virginis; licet ea de re Ignatius pro ſua egregia in Deum & Virginem pietate minimè dubitaret; tamen ne Fratres Dominicani, qui ad diſputationem invitabantur, id ægrè ferrent, ſeque nominatim provocari putarent; eam theſem, quamquam ingemiſcente Olavio, induci tollique omnino imperavit. *Et ſanè quid niſi pacem ac manſuetudinem ſpiravit* Ignatius, *quando jam memoratum* Martinum Olavium, *referente Bartolo lib.* 3 *num.* 48, redire ad theſes noluit, ab religioſis quibuſdam in conventu totius Ordinis poſitas: quod ex iis aliquas ſic exagitaſſet, ut reſponſionem propugnanti omnem eriperet. Quippe illi ſplendor non placuit, quo obſcurarentur alii; nec emendam unius gloriam malevolentiâ multorum: qui, ut nimis proclive, offuſum pudorem interpretaturi erant injuriam. *Utrumque hoc noſtri Patris factum in Olavio, confirmatur ex iis, quæ in apographis noſtri archivii Romani narrantur inter* Dichos y echos *&c.*; *id eſt, inter* Dicta & facta *&c., à patribus quibuſdam obſervata in S.* Ignatio. *De pace inter diſcordes à Sancto procurata agitur inferiùs* § 85.

F

§ LXVI. Alia manſuetudinis Ignatianæ ſpecimina; amor Dei.

Exemplum miræ manſuetudinis

NEc verò vulgarem egregiæ ſancti Viri manſuetudini ſplendorem conciliat factum illud, *quod breviter perſtringit Ribadeneira lib.* 5, *cap.* 2; *ſed quod Maffeius pluribus exponit lib.* 3, *cap.* 9. *Ex hujus itaque plena rei narratione ſuppleo illius parcitatem.* Admirabilem, *ait*, facilitatem vel potiùs animi altitudinem Romæ oſtendit Pater in acerbiſſimis vicini cujuſdam injuriis per-

AUCTORE J. P.

perferendis. Namque is, ut noſtros in proximam ſibi domum, quæ Petri Codatii fuerat, immigraſſe cognovit; cum Ignatium ſocioſque, ut alii multi, ſine cauſa peſſimè odiſſet; una re valde lætatus eſt, quod vendendi ſuas ædes, quippe noſtris valde opportunas, & conficiendæ pecuniæ præclaram ſibi occaſionem oblatam putaret. Ergo ut peregrinum ad conditiones quamlibet iniquas cogeret, variis artibus patientiam hominis exercere conſtituit. Ac primùm in atrii cujuſdam interjacentis, quod finibus noſtris contineri conſtabat, poſſeſſionem impudenter invaſit. Neque tamen Ignatius eam rem judicio perſecutus eſt. In id atrium deinde pavones & alia demiſit altilia, quæ obverſis in eam partem cubiculis noſtris moleſtiſſimo clangore diu noctuque perſtreperent. Nequaquam expoſtulavit Ignatius.

in moleſtiſſimo quodam vicino ſufferendo;

675 Eidem triclinii parietes in eam partem luminis causâ perforare volenti, per ſummam contumeliam reſtitit ille. Nihilominus quievit Pater, atque ob id ipſum cæco aliquot annos triclinio eſt uſus. Cum hæc maximè ageret vicinus, ultro Ignatium ac ſocios tota Urbe inſtitit criminari, bipedumque nequiſſimos & cupidiſſimos dicere, qui in alieno ſolo, non contenti malè parta ingenti pecunia, domibuſque per falſam religionem occupatis, poſſeſſiones in dies continuare, ſeque ipſum patriis ædibus penè per vim exturbare contenderent. Quæ res cum delatæ ad Ignatium eſſent, non modò ſedato animo tulit, ut cetera, ſed etiam ex eo die Dominum deprecari pro adverſario cœpit ardentiùs. Denique cum ille diuturna importunitate noſtros ad quamlibet iniquum pretium perduxiſſet, & piorum ſubſidiis domus tandem eſſet coëmpta; ita ex ea migravit, ut, quaſi mox æquanda ſolo eſſet, ſic omnia inde ferramenta, fores, feneſtrarum obices, atque adeo elaborati lapidis, quidquid potuit, ſecum aſportaverit. Neque tamen graviùs ea de re queſtus Ignatius eſt: neque tali homini, aut ulli omnino mortalium ullo umquam nomine litem intendit.

B

quæ alibi etiam ſe prodidit, & in Bulla canonizationis laudatur;

676 *Nec verò ſanctus Pater pro ſua manſuetudine ac pace probavit impenſum noſtri Adriani ab Adriano ſtudium, aggregandi Societati tirones cum turbis; de qua re Orlandinus lib. 11, num. 46. Ceterùm affectus omnes cum manſuetudine & pace interna externaque pugnantes ita exactè ad lenitatis regulas attemperarat*, ut ab omni commotione animi, motuque turbulento vacuus videretur. Eratque id conſecutus, ut cum calidus naturâ, corporiſque conſtitutione biliosus eſſet; propter ſummam tamen lenitatem, quam in omni ſermone, vitæque conſuetudine adhibebat, frigidus ipſis medicis lentuſque videretur; *ex teſtimonio Ribadeneiræ lib. 5, càp. 5. Illud autem manſuetudini Ignatianæ admodùm eſt conſentaneum, quod in catalogo Miſſarum & orationum, quæ noſtris præſcribuntur, eorum numero, pro quibus juxta Conſtitutiones haberi debeat frequens oratio, accenſeantur* male affecti erga noſtram Societatem. *Quæ de manſuetudine ſancti Patris diximus hactenus, concludamus ea verbis è Bulla canonizationis ipſius erutis: in qua cum aliæ ejus virtutes, tum* patientia *illius* admirabilis, & manſuetudo ex multis, & ingentibus laboribus, ex opprobriis, confuſionibus, & perſecutionibus, libenter & alacriter pro Dei amore perpeſſis, ex gratiarum actione in maledicentes relata, & beneficiis in injuriantes collatis apparent. *De manſuetudine & charitate erga proximum hæc ſatis: nunc de charitate erga Deum.*

C

677 Deum autem ipſum, *ſicut ibidem paulò ante dicitur*, quantopere diligeret, patet ex illa ſumma cura & diligentia, qua ſtuduit propter Deum proximo in ſpiritualibus, & temporalibus ſemper benefacere; & ex maxima vigilantia, qua curavit cor ſuum mundum cuſtodire. A ſua enim converſione nullum in eo deprehenſum eſt dictum, factumve, quod cenſeri poſſet, eſſe peccatum mortale. Omnes ſuas cogitationes, verba, & opera in Deum tamquam in finem referebat, & ad Deum, & Dei gloriam & honorem deſtinabat: atque hæc verba, videlicet AD MAJOREM DEI GLORIAM, uti ſymbolum in ore ſemper habebat. *Symbolum verò ſeu lemma illud quam eſſet ſancto Patri familiare & frequens, facilè perſpicitur ex ejus ſcriptis, in quibus illud identidem recurrit; adeo quidem, ut in compendio Vitæ Viennenſi notetur, quot vicibus axioma illud Ignatianum, ſeu aliud eidem æquivalens in iiſdem repetatur. Nam ſecundum ea, quæ ibi dicuntur*, Ad majorem Dei gloriam, Ad majus Dei obſequium, *centies & octogies & octies in Conſtitutionibus; vicies ac ſepties in Examine; centies ac decies & ſepties in Regulis; quadragies ac quater in Declarationibus repetitur. Adeo ex abundantia cordis majore Dei gloria & obſequio pleniſſimi, loquebantur* Ignatii *ſcripta. Hiſce conſonat illud Eccleſiæ in Horis canonicis:* Ad Domini ſui amplexum, cujus majorem gloriam in ore ſemper habuerat, ſemper in omnibus quæſierat, emigravit. *Ceterùm Sancti charitas erga Deum erat perfectiſſima; ſicut conſtat ex ſequenti caſu, quem ex Vita Hiſpanica Matritenſi anni 1594, lib. 5, cap. 2, his verbis huc transfero:*

D

uti & amor ejus erga Deum.

Caſus planè ſingularis,

678 Die quodam menſis Julii, anni MDXLI, dum pater magiſter Lainius eſſet cum noſtro Patre Ignatio; & Andreas Oviedus (qui tunc erat frater, & poſtmodum patriarcha in Æthiopia obiit) & ego, *inquit Ribadeneira*, præſentes adeſſemus, occaſione certi cujuſdam ſermonis, Pater noſter dixit patri Lainio: Dic mihi, magiſter Laini, quidnam videris tibi facturus, ſi Deus Dominus noſter iſtum tibi caſum proponeret, ac tibi diceret: Tu ſi vis ſtatim mori, ego te ex hujus corporis carcere extraham, & gloriâ te donabo æternâ. Verùm ſi etiamnum vivere volueris; non reddo te ſecurum, quid de te futurum ſit, ſed, an in virtute ſis perſeveraturus, relinqueris incertus. Si vixeris, ac perſeveraveris in virtute, dabo tibi præmium; ſin à bono defeceris, qualem te invenero, talem te judicabo. Hoc ſi Dominus noſter tibi diceret, & intelligeres, poſſe te, ad tempus aliquod in hac vita manentem, magnum aliquod & ſingulare obſequium præſtare divinæ ejus majeſtati; quidnam eligeres, quidnam reſponderes? *Et mox pater Lainius ita reſpondens inducitur ibidem:* Ego, Pater, confiteor Reverentiæ veſtræ, quod eligerem ſtatim diſcedere, ut Deo fruerer, ſalutem meam in tuto collocarem, meque periculis liberarem in re tanti momenti.

E

F

quo amor benevolus Sancti erga Deum maximè commendatur.

679 *Cui ſanctus Pater noſter:* Ego certè non ita facerem: ſed, ſi judicarem, poſſe me, manendo etiamnum in hac vita, ſingulare aliquod obſequium præſtare Domino noſtro, ſupplicarem illi, ut me in illa relinqueret, donec illud ipſi obſequium præſtitiſſem; oculoſque in ipſum converterem, non in me, nulla periculi mei, aut meæ ſecuritatis habita ratione. *Et rationem ſancti Patris mox ſubdit Ribadeneira: Nam quis rex aut princeps in mundo eſt, qui ſi favorem aliquem ſuo offerat famulo cuidam, & famulus no-*

li

A *lit ſtatim frui iſto favore, ut majus aliquod obſequium ei poſſit facere; quis rex, aut princeps non obſtrictum ſe putet, ut conſervet, imo etiam augeat tali ſervo iſtum favorem, cum pro Domini ſui amore, & pro majore ipſius obſequio, ſeſe illo privarit? Quod ſi hoc faciunt homines, beneficiorum immemores & ingrati, quid nobis ſperandum eſt à Deo, qui adeo ſuâ nos gratiâ prævenit, eamque conſervat & amplificat; ac per quem ſumus, quidquid ſumus: quomodo timere poſſimus, ne nos deſerat, ac labi permittat; quia nos beatitudinem noſtram diſtulimus, & prætermiſimus Deo frui propter Deum? Cogitent id alii; ego, inquiebat* Ignatius, *nolo id cogitare de tam bono Deo. & de tam grato ac ſupremo rege. Magnum hoc & mirabile Ignatianæ erga Deum charitatis argumentum; de quo Ribadeneira etiam agit in Vita breviore cap. 13; & Horæ canonicæ compendioſiſſimè illud perſtringunt.*

Alia ejus erga Deum amoris indicia cum aliunde,

B 680 *Inſignem præterea* Ignatii, *puro amore Deum propter ſe amantis, actum invenies inter ea, quæ ſuperius paragrapho 42, num. 433 protuli ex Orlandino, occaſione gehennæ, de qua ibi eſt ſermo.* Neque ſolùm eatenus Dominum amabat, *uti ſcribit Maffeius lib. 3, cap. 3,* ut præ illo reliqua omnia nihili duceret, quæ virtutis hujuſce præcipua eſt pars; verùm inerat in amore voluptas mira: prorſus ut quantiſlibet preſſus curis ac moleſtiis fatigatus, in unius Dei recordatione, & quaſi amplexu, per ſummam delectationem acquieſceret. *Amorem inſuper Dei erga nos inculcat, atque ad redamandum nos provocat* contemplatio, *quæ inſcribitur,* ad amorem ſpiritualem in nobis excitandum, *habeturque in quarta ſeptimana Exercitiorum ſancti Patris noſtri: ubi revocatis in memoriam beneficiis creationis ac redemptionis, doniſque item particularibus ſeu privatis, ac benigniſſimi Domini erga hominem meritis intimo cum affectu perpenſis &c., ſubditur piiſſimus hic, ut ita dicam, enthuſiaſmus:* Suſcipe Domine univerſam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis: nec aliud quidquam ultra poſco.

tum ex conſideratione Mediatoris noſtri, ac peccati gravitate.

C 681 *Excitando atque alendo ſancti Patris igni maximum ſuppeditabat pabulum conſideratio Mediatoris Dei & hominum. Audiatur Maffeius loco citato:* Chriſtum verò Dominum ac liberatorem videndi ſicuti eſt, tanta flagrabat cupiditate, ut eam ipſam ob rem ſolvi corporis vinculis vehementiùs in dies optaret. Itaque ſi quando graviorem incidiſſet in morbum, concepta migrandi ſpe, abſtrahebatur illico à ſenſibus non ſine magno valetudinis detrimento. Quocirca mentem à cæleſtibus rebus interim avocare etiam atque etiam jubebatur à medicis: & quoniam acerbiſſima Chriſti mors pro ſalute humani generis obita Ignatio ſemper obverſabatur; viciſſim ille pro Chriſto per ſummos cruciatus quotidie cupiebat emori millies. *Ea denique, quæ inter tantam negotiorum molem Vir jam grandævus ac Præpoſitus Generalis egit, ut perditas mulierculas ad frugem reduceret, omnis operæ ac vigilantiæ pretium ducens, ſi cujuſlibet iſtarum, unius dumtaxat noctis impediret flagitia & injurias in Deum; de qua re Ribadeneira agit lib. 3, cap. 9; ea, inquam, nonne planè demonſtrant ſingulares* Ignatii *erga Deum amoris flammas, cum offenſæ ejus tantopere ipſum urerent?*

AUCTORE J. P.

§. LXVII. Humilitas S. Ignatii; ac data circa eam documenta.

Quam demiſſè de ſe ſenſerit

MIrum ſane eſt, *inquit Ribadeneira lib. 5, cap. 3,* quam ardenter ac cupidè Ignatius humilitatem, ab ipſo ſuæ converſionis initio, tamquam virtutum omnium matrem ac fundamentum complexus ſit; *id quod ibidem pluribus deducitur: quibus nos iſta addimus. In ſpiritualibus Exercitiis, quantillus eſſet in oculis ſuis, perſpicuè oſtendit. Nam in ſecundo exercitio, quod eſt meditatio de peccatis, ita habet:* Tertium eſt, conſiderare me ipſum, quiſnam, aut qualis ſim, additis exemplis, quæ me in majorem mei contemptum trahant: ut ſi me reputem, quàntulus ſim, ad hominum omnium cœtum comparatus. Quid deinde ſit multitudo univerſa mortalium, ſi cum angelis Beatiſque omnibus conferatur. Poſt hæc attendendum eſt, quid rei ſit tandem, quidquid eſt creatum, præ ipſo Deo creatore. Jam quid homuncio ego unus eſſe poſſum? Demum inſpiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atque corporis fœditatem: ac me, tamquam ulcus ſive apoſtema eſſe ducam, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit.

E

Vir ſanctus;

683 Quartum eſt, cogitare quid ſit Deus, quem ita offendi, collectis comparatiſque perfectionibus, attributis Deo ut propriis, cum oppoſitis meis vitiis atque defectibus: ſummam ſcilicet ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem & juſtitiam, cum extrema mea infirmitate, ignorantia, malitia, & iniquitate conferendo. Quintum, in exclamationem prorumpere, ex commotione affectûs vehementi, admirando valde, quomodo creaturæ omnes (diſcurſu facto per ſingulas) me ſuſtinuerint tam diu, & huc uſque vivum ſervaverint. Quomodo angeli, divinæ juſtitiæ gladium ferentes, æquo me animo tulerint, cuſtodierint, ſuiſque etiam juverint ſuffragiis. Quomodo pro me interceſſerint Sancti. Quomodo cælum, ſol, luna, & alia ſidera, elementa, cunctaque animantium genera, & terræ germina, debitæ vindictæ loco, mihi ſervierint. Quo denique modo non abſorbuerit me dehiſcens tellus, & mille infernos reſerans, in quibus perpetuas pœnas daturus eſſem.

F

liquet ex libello Exercitiorum ſpiritualium,

684 *In ſecunda autem prædictorum Exercitiorum ſpiritualium hebdomade proponit* S. Ignatius *tres modos humilitatis, in quibus gradatim aſcendendo, ad ſummum iſtius virtutis apicem nos ducit:* Primus, *ait,* humilitatis modus hic eſt, ad ſalutem neceſſarius, ut me penitus ſubdam divinæ legi obſervandæ, utque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ diſcrimine objecto, tranſgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus majoris eſt perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem, æque ſim propenſus, ubi æqualis eſt divinæ laudis & ſalutis meæ occaſio. Utque nulla vel humanæ quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſita, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantùm, decernam admittere. Tertius eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, ut priores duos jam adeptus; etiamſi, nullo ſuperaddito, laus Dei par foret; ad majorem tamen imita-

AUCTORE J. P.

mitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quam opes, honores, & sapientiæ æstimationem.

ex Bulla canonizationis,

685 *Quod tertium hunc absolutissimæ humilitatis gradum sanctus Pater noster fecerit suum, suadetur ex variis speciminibus, quæ præbuit Id quod probatur ex Bulla canonizationis ab enumeratione partium*; *ubi* profundæ etiam humilitatis non obscura dedisse *narratur* indicia, dum se ad novæ vitæ genus accingens, noluit suum audire germanum, sibi familiæ nobilitatem, opes, & in militia strenuitatem, ac futuram inde gloriam repræsentantem: sed statim atque ex morbo, & vulnere convaluit, seculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causâ rediens, cum se à quodam jam cognitum esse animadvertisset, timens honorem, quem & germanum, & incolas Aspeithiæ sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, à quo cognitus fuerat, viâ rectâ Aspeithiam proficisci; sed per montes, & semitas obliquas solus illuc accessit,
B & nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissimè commutavit: nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur. Denique non solùm vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregia magnanimitate contempsit. Renuntiatus enim Præpositus Generalis Societatis, tamdiu id muneris subire recusavit, quoad ejus confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit. Et post receptum munus, ut eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo; primùm quidem in coquinæ ministeriis aliquot versatus est dies: tum docere aggressus est pueros, & rudes doctrinam Christianam. *Hæc ibi.*

nec non ex Joanne Rhò.

686 *Joannes Rhò in Variis virtutum historiis lib.* 7, *cap.* 10. Dignitatibus, *inquit*, adtum in Societatem obstruxisse summa quadam contentione, ac, ne semel constituta labefactari possent, voti religione firmasse; summum in ea republica, cujus ipse conditor esset, magistratum alieno jussu invitum suscepisse, ac vix summa sociorum contentione, ne se abdicaret, absterritum; pauperum greges amasse, atque inter illos versatum libentiùs; ab adolescentibus moneri sustinuisse; vilia domi obiisse ministeria; foris pueros Christianis elementis summo jam magistratu fungentem imbuisse; se deterrimum omnium mortalium, quod Dei dona plura corrumperet, quibus alii ad summum eniterentur decus, sæpiùs esse professum; optasse, ut post mortem abjiceretur in simetum, nullo sepulturæ honore; impetrasse à Deo, ut Jacobus Eguia, arcanorum animi conscius, ne admiranda vulgaret, quod se facturum superstitem pollicitus fuerat, præmoreretur; cognitam divinitus supremæ necessitatis horam, ne qua inde gloriola existeret, constantissimè dissimulasse; hæc, *inquit*, omnia, nullum fuisse humilitatis genus, in quo non excellens ejus sese virtus exercuerit, manifestè comprobarunt, ut si homini alius à majore Dei gloria quærendus esset scopus, humilitas, viciniſſimus scilicet, sit reponendus. *Ex his constat, quam sedulò omnia moverit Sanctus, ut sub obscura humilitatis umbra lateret; quantum autem laborarit, ut hanc virtutem in suis filiis promoveret, docebunt sequentia.*

C

687 *Id conficitur ex Societatis nostræ Instituto. Nam in Examine generali cap.* 4, *num.* 8 *sic dicitur:* Ad majorem in spiritu profectum, & præcipuè ad majorem submissionem & humilitatem propriam, interrogetur, an contentus sit futurus, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & observatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. *Sed insignis planè est locus ibidem num.* 44: Præterea diligenter animadvertant oportet, qui examinantur . . , quantopere juvet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur, & admittere, & concupiscere totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amavit, & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt & quærunt magnâ cum diligentiâ, honores, famam, magni nominis existimationem in terra; sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt; indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reverentia: adeo ut si sine offensione ulla divinæ majestatis, & absque E
proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & injurias pati, ac stulti haberi & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione:) eò quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem, ac Dominum nostrum Jesum Christum; ejusque vestibus & insignibus indui *&c.* Igitur interrogentur an hujusmodi desideria tam salutaria, & ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa, in se sentiant.

suis commendatissimam esse voluerit.

688 *Et ibidem num.* 45: Quod si quis propter humanam nostram debilitatem ac miseriam, in se hujusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret; interrogetur, an certè desiderium in se sentiat, hujusmodi desideria sentiendi. Si affirmando responderit, optare se nimirum hujusmodi tam sancta desideria animo concipere; quò melius ad eorum effectum perveniatur, interrogetur, an decreverit, paratusque sit hujusmodi injurias, illusiones, & opprobria in Christi insignibus inclusa, & alia quævis, quæ ei inferrentur, sive per quemvis ex domo, vel Societate (in qua obedire, & humiliari .. exoptat) sive extra eam per quemvis viventium, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo, admittere, & patienter cum Dei gratia ferre. *Ex quibus manifestissimè patet, quantopere cordi fuerit S.* Ignatio, *ut Societatis homines in profundissima animi demissione excellerent.*

F

Hanc ille ad mortem usque comitem habuit.

689 *Summis itaque hac virtus sanctissimo nostro Parenti in amoribus fuit; de qua consule Ribadeneiram lib.* 1, *cap.* 5, *cap.* 9, *cap.* 12 *ac* 13; *lib.* 2, *cap.* 3; *lib.* 3, *cap.* 1, *cap.* 2 *ac* 15; *lib.* 4, *cap.* 1; *ubi exempla reperies. Et verò subscriptio epistolæ* S. Ignatii *autographæ, cujus inter monumenta nostra è Romano archivo eruta apographum habemus, quamque ad archidiaconum Caçador dedit Venetiis anno* 1536, XII *Februarii Barcinonem; subscriptio, inquam, illa* (*etiam alibi notata*) De bondad povre Inigo, *id est*, egens bonitate Ignatius, *nonne indicat, Sanctum, coram Deo & hominibus verè magnum, sibi uni viluisse? Consonat illud, quod inter* Dicta & acta *&c.* S. Ignatii, *quæ citabam superiùs, testatum de ipso fecerit Polancus, quod soleret dicere, se non posse sibi persuadere, quod in alio magis quam in se, duo hæc conjuncta essent; ex sua parte, committere tot peccata; ex parte autem Dei tot facere sibi beneficia. Hanc virtutem in extrema etiam vitæ clausula individuam sibi comitem habuit.* Vir, *ait*,

A *ait Ribadeneira lib. 4, cap. 16*, verè humilis, qui cum obitum ſuum præſciret; neque vicarium generalem creare, neque filios ſuos accerſere, neque monere, neque hortari voluit, neque benedicere: ut illi ſpes omnes ſuas in Deo conſtitutas haberent; ab illo penderent: ipſum nihil fuiſſe, nihil eſſe arbitrarentur. *Et ibidem cap. 18 ſcribitur*; Nullam nos habere imaginem, quæ ipſum ad vivum referat: quod non oblivione tamen aut incuria factum eſt. Sed cum Ignatius neque pictam neque fictam imaginem ſuam pati poſſet, neque quippiam, quod vanitatem haberet, aut vanitatis umbram, ut hoc fieri permitteret, qui ab ipſo petere, auderet, ex omnibus noſtris inventus eſt nemo.

Inter apographa noſtra Romanà eſt manuſcriptum, ex eo ſumptum, cui P. Natalis manu propria inſcripſit hunc titulum: Patris Petri Ribadeneira de Actis P. N. Ignatii. *Ibi itaque in rem noſtram ſic narratur*: Cum in electione Julii III quinque ſuffragia ad pontificatum Pater noſter habuiſſet, & à me interrogaretur, verumne eſſet an non? Obmutuit Pater, & pro reſponſione ſilentium dedit. *Accedit eò, quod, ſicut habet Bartoli interpres lib. 4, num. 2*, Sæpe auditus eſt dicere, gradum ad excelſa & ardua molienti, nihil eſſe antiquius debere, quam ut ad infima deſcendat: nam ſummæ virtutis apicem ab imo aſſurgere, nec poſſe altioribus ſpatiis attolli, quam quibus ſe ad ima depreſſerit. *His adde Sancti dictum Franciſco Coſtero etiamnum tironi; quod videſis infrà paragrapho 69. Quia verò Vir ſanctus tam parvus erat in oculis ſuis, dum viveret; non eſt, cur miremur, quod Deus, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, eum jam vitâ functum, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis humilitatis magiſtrum dederit. Factum narratur apud nos tomo VI Maii, à pag. 136.*

§ LXVIII. S. Ignatii obedientiæ exempla ac documenta.

Suppletur Ribadeneira circa obedientiam Sancti.

C *Quamquam Petrus Ribadeneira lib. 5. Vitæ cap. 4 non ſegni opera corraſit plurimas notitias, quibus conficitur, quanto in pretio virtus hæc habita fuerit à ſancto noſtro Fundatore; campum tamen apertum nobis reliquit idem Vitæ ſcriptor, ulteriùs excurrendi, & ſanctiſſimi Parentis veſtigia relegendi. Nam ut illa huc non congeram, quæ notavit Ribadeneira variis Vitæ locis, & quibus S. Ignatius conſcientiæ ſuæ arbitris, ac Superioribus morigerum ſe in paucis probavit: nimirum Minoreſſæ, lib. 1, cap. 6; Barcinone cap. 10; Hieroſolymis cap. 11; Compluti cap. 14; Salmanticæ cap. 15; prope Pariſios in Monte Martyrum, lib. 2, cap. 4, ac Romæ, lib. 3, cap. 1; ut illa, inquam, huc non congeram; aliunde quædam hiſce ſuperaddam partim exempla, partim documenta.*

Medico paret imperito,

691 *Maffeius lib. 3, cap. 7 exemplum ſequens narrat*: Medico, *inquit*, quoties ægrotaret, ita ſe dicto audientem præbebat, ut ejus monita pro oraculis duceret, ac quodammodo prudentiam penitus exuiſſe, & omnem ſuæ ſalutis curam & ſolicitudinem in eumdem projeciſſe videretur. Cum ſtomacho graviſſimè laboraret aliquando, ex nimio videlicet hepatis calore, ut ſuprà diximus; adhibitus medicus, quo domus eo tempore utebatur, adoleſcente, nec peritiſſimo; frigidæ corporis conſtitutioni cauſam illico tribuit. Nec mora: quidquid excogitare potuit ad corpus & præcordia calefacienda, præſcripſit. Ac primùm feneſtras, foreſque cubiculi, ne quid afflaret auræ, obſerari diligentiſſimè juſſit: deinde languentem multa ſub veſte continere ſeſe: poſtremò quam calidiſſimo cibatu, & exiguo mero, ſed quam auſteriſſimo refici. Quæ omnia Ignatius licet ſibi, non levibus argumentis, minimè accommodata ſentiret, ac medicum ipſum nec litteratiſſimum, neque exercitatiſſimum ſciret eſſe; tamen, ne cum extremo quidem vitæ periculo, contra ejus edicta nihil unquam effatus eſt. AUCTORE J. P.

ea præſcribenti,

692 Æſtas erat ſumma: calores, ut in Urbe, maximi: ingenti ſtromatum pondere premebatur Ignatius, manabat è membris omnibus tanta ſudoris copia, ut culcitræ ac veſtes maderent; ac nihilominus ex præcepto ſe intra calida fomenta cohibebat ægrotus. Ardebat ſiti; nihil omnino poſcebat: diſcruciabatur doloribus acerbiſſimis; nullam edebat vocem: linquebatur animo interdum; neque tamen ſignificabat. Denique perverſa curatione eò adductus eſt, ut cum ultimum ſibi diſcrimen adeſſe intelligeret, Societatis adminiſtratione patribus delegata, aditu cubiculi domeſticos prohiberet omnes, uno excepto valetudinarii curatore. Atque id demum exſtitit ſignum, deſperata jam valetudine, ſe ad vitæ exitum comparantis. Itaque patres in re tam ſubitâ conſilio habito, cum non deeſſent, qui medici præſertim junioris placita reprehenderent; Alexandrum Petronium, ætate provecta virum, & medicæ artis laude præſtantem, extemplo acciri jubent. E

quæ acerbiſſimos dolores ac vitæ periculum ſibi crearent.

693 Is ut inſpexit Ignatium, genuſque & ordinem adhibitæ medicinæ cognovit; per ſummam indignationem vociferatur, hominem calore necatum eſſe; pandi confeſtim feneſtras & oſtia; levari ſtragulis lectum; frigidæ hauſtus affatim dari æſtuanti imperat. Quæ res prioris medici inſcitiam planè coarguit; ſiquidem refrigerato hepate, ventriculi tormina quievere: & obedientiæ meritis Pater auctus, priſtinam inſuper valetudinem brevi recepit. *Vides, ut Vir obedientiſſimus ſalutem corporis ac vitam ipſam poſtponat promptæ iſti voluntati, quâ totus & integer, quando ſic ferebat uſus, ex medici etiam imperiti arbitrio pendebat. Quid, quod virtutes illas, quas, dum valebat, in deliciis habebat, ſolâ obedientiæ regulâ, quando erat affecta valetudine, metiebatur?* F

Carnes comedit in hebdomada ſancta, ut medico morem gerat.

694 *Exemplo ſit narratio Maffei loco citato*: Rurſus, *ait*, cum jejunia cineralia, ſeu Quadrageſimam, quamvis affecto corpuſculo, perſeveranter nihilominus obſervaſſet; ipſâ denique feriâ quartâ ſanctioris hebdomadæ, febri correptus eſt: nec dubitavit idem Alexander, quin totum id ex imbecillitate nimia proveniret. Quocirca pulli gallinacei eſum ad veſperam illi præſcripſit, abiitque admodum incertus animi, utrum Ignatius tali tempore juſſa facturus eſſet. Redit deinde poſtridie, quæritque ſolicitus, num ſe refecerit pullo. Cùm annuiſſet Ignatius: Fatebor, inquit Alexander, ingenuè id quod res eſt. Complures non cuſtoditâ ſolemni abſtinentiâ, nihilominus hoc triduo in morbum incidere: quibus ego cum accerſitus carnium cibatum indixerim, vix ægréque ab iis impetravi, ut obtemperarent; propterea quod per hos dies carnibus veſci, nimis grave piaculum ducerent. Tu contrà, peracto jam penè curriculo, ad ipſas metas meo monitu non recuſaſti deſiſtere. Hoc ego,

AUCTORE J. P.

Pater, ſatis mirari non poſſum. Ad ea Ignatius ſerena fronte, quæ animi tranquillitatem indicaret: Atqui obediendum eſt, inquit. Nec plura in eam ſententiam effatus eſt. Quo reſponſo mirificè delectatus Alexander, & ſanctitatem Viri magis magiſque ſuſpiciens, totam rei geſtæ ſeriem ipſemet mihi deinde narravit.

Subitis & improviſis caſibus probabat obediendiam ſuorum.

695 *Verùm qui ſe totum componebat ad omnes obedientiæ nutus; alios quoque eo effingebat, quæſitis ad hunc finem ſubitis, improviſis & intempeſtivis probationibus, quibus eos accuratè & artificioſè explorabat. Facta audi ex Maffeio ibidem:* Sacerdos quidam, edito jam ſigno, paratus ad Sacrificium, & calicem tenens, cum è veſtiario pedem efferret, per nuntium ab Ignatio, qui totam rem è propinquo obſervabat, repentè jubetur, ſacro depoſito ornatu, pallium ſumere prodeundi causâ. Paruit ille ſine tergiverſatione, ac palliatus Patri confeſtim apparuit. Tum Ignatius quærit ex homine; ſitne ægrè paſſus, in procinctu jam ad immolandum, ſubitò ſe juberi ſacra deponere veſtimenta, remque divinam omittere? Cùm ille, ſe ne tantulum quidem eſſe commotum affirmaret. Atqui me ſcito, inquit Ignatius, non quo te in præſentia opus habeam; ſed periclitandi tui obſequii gratiâ, id feciſſe de induſtria. Et ſic habeto; plus te Sacrificio deferendo eſſe meritum, quàm ſi id ipſum, ut deſtinaveras, illico peregiſſes. Nam etſi altaris myſterium tanti apud Deum eſt, quanti profecto eſt; tamen, ut ſcriptum legimus, Melior eſt obedientia, quam victimæ. *Hoc obedientiæ experimentum confirmatur ex ſcripto P. Joannis Baptiſtæ Viola, quod P. Ignatio Pinio videtur autographum; ad me tranſmiſſo inter Spicilegium Romanum. De P. Viola agit Orlandinus.*

B

Cervicoſos non ferebat; pugnantia & intempeſtiva injungebat probationis causâ;

696 *Neque ſileri patiemur aliud exemplum, quo quemdam è ſuis mirum in modum exercuit Vir ſanctus, quodque proximè ſequitur apud eumdem biographum:* Quemdam etiam, cum maximè confeſſionem nobilis cujuſdam exciperet, conſultò vocari ad ſe juſſit. Cùm ille ſe, peracto myſterio, mox affuturum dixiſſet; accerſit eum denuo. At ipſe nihilominus confitentis rogatu hæſit paululùm; ac venienti demum Ignatius: Itane verò? Iterum, inquit, evocandus es? Et gravioribus verbis accepit hominem; non quo illius tum quidem operâ egeret; ſed obſervantiam & agilitatem experiri voluerat ... Hiſce ergo artibus & hujuſmodi, ſubinde alumnos exercere conſuevit, ut ad quamlibet præfecti vocem aut ſignificationem parati, vel inchoatum apicem in ſcribendo relinquerent; ſeque expeditos, ubi ubi opus eſſet, illico ſiſterent. *Plura alia exempla in promptu ſunt. Huc ſubſerviunt, quæ recenſet Bartolus lib. 3, num. 26.*

C

697 Lex illi fuit fixa atque immobilis, cervicoſos non ferre, quibuſcumque ii dotibus, aut nominibus pollerent; & ejuſmodi non rarò turmatim dimiſit, paratus, vel collegia integra penitus exhaurire atque omittere, quàm in iis talium quempiam tolerare. Quare Gandiam ad noſtros ſcholares, nonnihil in hanc partem viſos deflectere, ardentes dedit, longaſque literas de obſequentia, quâ vellet iis ipſos ſubjici, per quos à Deo regerentur, omniaque hac clauſula ſanxit: Cui deſit animus ad eam, quam ſcribo, parendi regulam expeditus, ſive illorum, qui iſtic ſunt, ſeu qui ſunt ad eos acceſſuri, ne dempto quidem eorum rectore; de alia ſanè ineunda via vitaque cogitet: neminem enim capit Societas, quin poſſit ac velit ad eam formari obediendi normam, quam his literis deſcripſi. Fingendis verò uſu ipſo ad illam noſtris injungebat interdum otioſa, intempeſtiva, pugnantia; ut concionari, & procuratorem domûs eodem tempore agere; philoſophiam ſimul cum grammatica profiteri; coquum ipſum ad theologiam docendam morigerum habere animum; ad mutandam culinâ ſcholam theologum. *Jam verò ſicut accuratus erat obedientiæ conſervandæ cuſtos; ſic etiam, ſeverus erat læſæ vindex. Audiamus ibidem Bartolum:* Sacerdoti ardentiùs urgenti peregrinationem, quam ſic efflictim deperibat, negavit, & flagellationes aliquot indixit, haud quidem petitionem culpæ damnans, ſed ejus affectum, quàm obedientiæ, majorem. D

leviſſimas contra hanc virtutem caſtigabat tranſgreſſiones;

698 Huic illa reſpondet ſat quoque inſolita, quam Emerio de Bonis vixdum penè tironi impoſuit, mulcta. Degebat è regione noſtri templi mulier famæ haud ſatis honeſtæ; cui quotidianum erat, domûs purgamenta ad templi fores projicere. Indignitatem rei aliquamdiu paſſus Ignatius, demum Emerio injunxit; qui, ut principio nonnulli, adhuc indifferens ad domeſtica, & literaria, æditui munere fungebatur; injunxit, inquam, vicinam rogaret, aptiore loco ſordes deponere. Verùm Emerius, ſingulari modeſtia juvenis, verecundatus cum ea loqui; quod juſſus fuerat, per alium id ſignificavit. Quod ubi reſcivit Ignatius, pudoris gratiam probavit; obedientiam, etſi leviſſimè præſtrictam ultus eſt. Emerium voluit ſex menſes cum tintinnabulo ad collum triclinio adeſſe, & quotidie has voces altè repetere: Volo & nolo non habitant in hac domo. *Ejuſdem præterea generis ſunt, quæ referre pergit ibidem memoratus auctor:* Jam ſi quis ſibi ad genua veniam petens aut pœnitentiam, mox ut innuiſſet, non ſtatim aſſurgeret; illum ſitu eodem abſens hærentem ſinebat, ut moneretur demiſſioni illi deeſſe meritum, quæ ad obedientiam reſtitaret. Sic adjutori laico, ut ſederet, cum nutu indicaſſet, dum ipſe interim colloqueretur cum viro nobili; & ex obſervantia utriuſque ſtare nihilominus adjutor pergeret; juſſit ſcabello capiti ſibi impoſito tamdiu perſtare, dum ſat longum cum nobili, quod inchoaverat, negotium peregiſſet. E

idque ſatis ſeverè.

699 *Quid memorem illud, quod habet Originalis commentarius pro Hiſtoria Societatis Jeſu ex provincia Lugdunenſi miſſus anno 1599, inter verba P. Hannibalis Codretti:* Quadam nocte reprehendit acriter ſacerdotem quemdam, quem illo ipſo die viderat incedentem per domum cum pileo nocturno: cumque pater ille paulo ſuperbiùs reſpondiſſet, ſe meliùs talia noſſe, quam ipſum Patrem; videns ipſe Ignatius, illis verbis non parum lædi obedientiam, juſſit, ut ſtatim emitteretur domo, tametſi nox profunda eſſet (*id eſt veſpera.*) Ille verò in domum fratris, quem Romæ habebat, abiit, & Ordinem Franciſcanorum ingreſſus eſt. *Refert Linekus, quem ſuprà citabam, parte 3, cap. 41 ex Conſalvi Diario Ms., quod ſanctus Pater* Provinciæ Siciliæ præfectum, quod ea, quæ præceperat, non eſſet exſecutus, juſſerit in virtute ſanctæ obedientiæ .. quavis hebdomada ſemel jejunare, ſolo pane & vino (ſeu meneſtrâ, *id eſt juſculo*) contentum eſſe, totieſque flagellis ſe cædere, pſalmi quinquageſimi curriculo definito: nec ab eo ſui afflictandi ſtudio abſiſtere, quoad ipſe Pater ſanctus de rei antehac imperatæ expletis numeris omnibus certior redderetur. *Hujus etiam loci videtur eſſe exemplum aliud apud Orlandinum lib. 7, num. 31:*

Sil-

A Silveſter quippe Landinus, ſacerdos ille quidem ſatis probus ac navus; ſed in adverſa valetudine fractior, ac ſtomachoſior, juſſus ab Ignatio per-diligenter antè curari, ſimul ac valetudinem recuperavit, quòd ſuo minus profuiſſet exemplo, remittitur in patriam, non omnino ille quidem ac verè de Societate dimiſſus, tametſi vehemens ejus rei ſuſpicio conſcium ſuæ mollitudinis ac moroſitatis animum perculit: ſed conſultò ac prudenter eſt ab Ignatio, ut ſui corrigendi locum daret, relictus ambiguus atque ſuſpenſus... *Sed* omnino merebatur *vita Apoſtolica, de qua ibidem ſcribit memoratus hiſtoricus*, veniam admiſſæ culpæ inter tædia cruciantis morbi; neve eum dimitteret è ſuo grege Societas, qui Societatis ſpiritum non dimiſerat; *ſed* optatiſſimas accipit litteras ab Ignatio, ſe in ſociorum numero retineri.

§ LXIX. Alia obedientiæ ſpecimina ac documenta.

B

Volebat Ignatius negotia maximi momenti ab Araozio,

C*Eterùm* tam deliberata perfectæ obedientiæ ab ſuis exactio (*uti eſt apud Bartolum loco citato*) ſic illos privatim rei cujuſcumque affectu nudaverat, ut inceptis etiam ad Dei gloriam tentos ingentibus, ſi ad ſe revocaret, mox iis abſiſterent; & juſſi munus aut ſedem mutare, falcem continuo à meſſe animarum, quamvis uberrima, ejus ad vocem perinde amoverent, ut ſi Dei vocem, non hominis, audiſſent. In his Antonius Araozius Barcinone fructu incomparabili laborans, vix ab Ignatio per litteras monitus, inde quantocyus interiora Hiſpaniæ peteret, illico paruit, nihilque aut ſibi meriti, aut illi populo utilitatum maximarum, aut ſummæ gloriæ ipſi Deo, ſuo illo diſceſſu periturum cauſatus, in hæc verba reſpondit: Quod mandas, aliò commeem Septembri ineunte, paratus ſum & non ſum turbatus. Cum bono Deo, æterno meo & optimo Domino, non modò integrè, ſed valde alacriter obſequar, ſecurus planè, ac certus, tuam & Chriſti ipſius redemptoris mei unam eſſe vocem, quam oves illius audiunt. Tametſi quoſcumque is nuntius pervaſit, plurimùm conquerantur, tantum hinc bonorum, quæ fieri cœperant, auferri. Et fiebant ſanè: tantum enim quod agam, ſuggerunt, ut, ſi me velim omnibus commodare, compellar mihi ipſi deeſſe. Quare partes mihi noctium decerpo, quibus, quod interdiu non potui, meo animo impendam. Confeſſionibus audiendis, & quidem haud rarò de omni vita; tradendis Exercitiis ſpiritûs, conciliandis inter primarios diſcordiis gravibus, ita abſorbeor interdum, vix ut etiam liceat rem ſacram facere. Quod ideo refero, ut te animæ meæ commiſeratio capiat.

& à S. Franciſco Xaverio obedientiæ poſtponi.

701 *Sed in hoc obediendi genere quem ſibi parem inveniat S. Franciſcus Xaverius? Ubi quid miremur potiùs, an* Ignatium *imperantem, an promptam Xaverii imperatis ejus obſequendi voluntatem? Et tamen quis ignorat, qui Xaverium non ignorat, quanti referret, magnum Indiarum Apoſtolum bene cœpta proſequi & animarum lucra urgere ad Dei gloriam, ac illuminandos eos, qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant? Quomodo autem affectus fuerit ad minimos* Ignatii *nutus in re illa graviſſima, & negotio tanti momenti, non obſcurè indicavit in ſua epiſtola ad* S. Ignatium; *de qua conſule ſuperiùs hunc Commentarium prævium,* § 53: *nam* etſi video, *inquit,* difficillimum (*ut nimirum alter alterum iterum in hac vita amplecteretur;*) tamen, *uti mox addit,* nihil eſt, quod ſancta obedientia efficere nequeat. *Et apud Horatium Turſellinum lib.* 2, *ep.* 4 *ſic ad* S. Ignatium *ſcribit:* Deus mihi conſcius eſt, quantopere in hac quoque Vita te videre expetam, Pater chariſſime, ut tecum multis de rebus communicem, quæ tuam operam ac remedium deſiderant: nulla enim locorum ſpatia obſtant obedientiæ.

AUCTORE J. P.

Et apud eumdem auctorem lib. 4, *ep.* 6 *ita eidem ſancto Patri ſuo ſcribit:* Deus nos in cæleſtium felicitate, & (ſi ex ejus gloria futurum eſt) in hac vita conjungat. Id enim ſi mihi imperetur, obedientiæ vi effici nullo negotio poteſt. *Tales obedientiæ ſpiritus hauſit, tales conſervavit ac fovit S. Franciſcus Xaverius; tales denique expreſſit anno* 1552, *quo iſta poſtrema ſcribebat, vitæ utique ſuæ ultimo.* Ac niſi hæc vota (*ſicut obſervat pater Daniel Bartolus loco ſæpiùs hîc jam deſignato*) mors occupaſſet, haberent hoc poſteri mirabilis obedientiæ exemplum; ſuumque Xaverium Ignatius, milliarium octodecim millibus reducem, paterno ſinu excepiſſet, tanto parendi documento; & Japonenſis ac Sinenſis imperii Chriſto adjungendi ſpe omiſſa, quam partâ clariorem. Evocarat enim ad ſe Xaverium etiam obedientiæ præcepto Ignatius; ut erat cum cariſſimis nonnumquam ſolitus, vel ad incrementum meriti, vel ad prævertendas interceſſiones: & meditabatur, Societatis gubernatione in illum depoſita, formare illum ſibi ſucceſſorem; ſed mandati graviſſimi adventum obitus antevertit. *Hæc de exemplis obedientiæ: nunc de documentis.*

E

Proferuntur

702 *Præcipua quædam documenta, quibus ad virtutem obedientiæ erudiebat ſuos, & ad omnem ejuſdem excellentiam ſplendoremque conformabat ſanctus noſter Fundator, habemus ex Ribadeneira lib.* 5, *cap.* 4. *Præcipua, inquam; quibus hæc ſuperaddo. Interpres Bartoli lib.* 4, *pag.* 380 *illud narrat:* Franciſcus Coſterus adhuc tiro, & admodum juvenis, erat in riſum effuſior, quod novitiis fere uſuvenit. Offendit hunc aliquando Vir ſanctus, & quidem ſecum ſeorſum ridentem Vocato, Franciſce, inquit, audio, te perpetuò ridere. Ad hæc ille demittere oculos, & modeſtè acerbum aliquid exſpectare. At ego, infert Sanctus, ridere, fili mi, te volo, eſſeque in Domino hilarem: nullam habet religioſus mœrendi cauſam; multas verò gaudendi. Proin iterum hortor, animo ſis ſemper alacri & læto; ac futurus es profectò, ſi humilis & obediens fueris. Hoc autem eò dico, quod in te videor non vulgare ingenium cernere, doteſque magnis olim gerendis non impares: quæ tibi ſi fortè non credentur, niſi piè humilis fueris, amarè dolenterque accipies. Victum quoque ac cælum Romanum minùs tibi propitium adverto: & voles fortaſſis in Belgium mitti; ego verò te in Siciliam deſtino. Jam ſi tibi certa vel munera vel loca deſignaris, fiet non rarò, ut alia omnia de te obedientia ſtatuat: ex quo tibi mœrorem, & moleſtiam creari neceſſariò oportebit. Quare ut ſemper ſis lætus, & hilaris; eſto humilis ſemper, ac ſemper obediens.

F

varia documenta,

703 *Porro aurea illa ſancti Patris epiſtola de virtute obedientiæ, quanta unctione cæleſti ac divino ſpiritu inſtructa eſt?* Et ſane, *ſicut lib.* 3, *cap.* 7 *à Maffeio uſurpatum eſt*, cum in Societate noſtra virtutem hanc ceteris omnibus anteferret; tum nihil huic laudi tam contrarium dicebat eſſe,

AUCTORE J. P.

se, quam in Superiorum jussis, & consilio examinando moram, vel potiùs arrogantiam: negabatque, obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo Superiori non cum voluntate judicium quoque submitteret: id enim demum esse Deo gratissimum holocaustum, cum omnes animi vires, ac præsertim intelligentia & mens, quæ summum in homine obtinent locum, in obsequium Christi coguntur. Qui verò inviti ac dissentientes, actu exteriore dumtaxat, jussa Præpositorum exsequerentur, hos inter vilissima mancipia, vel pecudes potiùs numerandos aiebat. *P. Nicolaus Lancicius tom.* 1, *opusculo spirituali* 2, *num.* 172 *docens, à nostris domo egressuris non induendum esse pallium, nisi post acceptam à Superiore exeundi facultatem*; Cum hoc, *inquit*, quidam fecisset coram S. P. Ignatio, jussit eum abire, & pallium deponere, & demum redire ad petendam sine pallio licentiam.

quibus Vir sanctus

B

704 *Verùm nobilissima sua circa hanc virtutem sensa Vir sanctissimus vivis ac perennaturis characteribus alibi etiam expressit. Nam Constitutionum parte* 3, *cap.* 1, *num.* 23 *dicitur*, Expedire in primis ad profectum, & valde necessarium esse, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant, Superiorem (quicumque ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscentes, & interna reverentia & amore eum prosequentes. Nec solùm in exsecutione externa eorum, quæ injungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, sine excusationibus, & obmurmurationibus obediant, licet difficilia, & secundùm sensualitatem repugnantia jubeat, verùm etiam conentur interius resignationem, & veram abnegationem proprii judicii & voluntatis habere: voluntatem ac judicium suum cum eo, quod Superior vult & sentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes, propositâ sibi voluntate, ac judicio Superioris pro regula suæ voluntatis ac judicii; quo exactiùs conformentur primæ ac summæ regulæ omnis bonæ voluntatis & judicii, quæ est æterna bonitas & sapientia. *Et parte* 6, *cap.* 1, *num.* 1 *præscribitur illa virtus non* solùm in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis; licet nihil aliud, quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso præcepto videretur. *Et paullo pòst vult sanctus Pater*, ut sancta obedientia tum in exsecutione, tum in voluntate, tum in intellectu sit in nobis semper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, spirituali gaudio & perseverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo; omnia justa esse nobis persuadendo; omnem sententiam ac judicium nostrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando, & id quidem in omnibus, quæ à Superiore disponuntur, ubi definiri non possit (quemadmodum dictum est) aliquod peccati genus intercedere.

C

subditos suos

705 *A proposito nostro non erit alienum, si ex Bartoli interprete lib.* 4, *pag.* 384 *nunc desumamus* Ignatii *effatum illud*: Oportere *videlicet*, esse hominem interiorem, pluriscque ducere compressionem privati arbitrii, quàm vitam mortuo restitutam. Tanti verò apud illum fuit virtus interior, &, quæ lucent exterius ac splendent, adeo timuit, ut morem spontaneæ afflictationis, palam extra ordinem susceptæ, subinde suis abrumperet; tum ut meminissent præstare victimis obedientiam; tum ne adhuc infirmi inde inaniter se efferrent. *Tum ibi subtexitur de Hispano quodam è nostris adjutore narratio; quam ex originali Commentario, pro Historia Societatis Jesu missso ex provincia Lugdunensi, verbis patris Hannibalis Codretti, hìc subjicio*: Erat illo tempore Romæ coadjutor quidam nomine Jacobus, natione Hispanus, mortificationi valde addictus, qui litteras, quæ Romam mittebantur, colligebat, & ad Patrem ipsum afferebat. Is aliquando familiariter cum quodam loquens dixit, se ea, quæ carnis sunt, non magis sentire, quam sentiat murus; sed in eo sibi esse difficultatem maximam, propriam voluntatem vincere, & voluntati Superioris subjicere. Ideo Pater, hoc non ignorans, illius voluntatem, quibus poterat modis, occasione oblata, refringebat: & cum jejunasset quodam anno Quadragesimam integram in pane & aqua; Pater ipse, die Veneris sancta, cum jam Jacobus lecto decubuisset, essetque adhuc jejunus, jussit illi parari pisces, ipsumque comedere: quod & fecit.

D

ad perfectam obedientiam erudiebat;

706 *Quibus attexamus documentum sequens, quod apud Bartoli interpretem exstat pag.* 385: Qui religiosi Ordinis homines ad procurationem divini obsequii adhibent cum detrimento communis illorum regulæ, arborem perdunt, ut fructum decerpant. Quæ fuit ratio cur Duci Ferrariæ, quamquam Societatis peramanti, valdeque in eam benefico, non potuerit assentiri; cum unum ex patribus optaret principi filio præceptorem, sed extra collegium in aula victurum. Illos item, qui collegia regebant, vetuit sese præsulibus commodare, si ab collegiis eorum longinquitas videretur disciplinæ domesticæ aliquid obfutura. Et hac potissimùm de causa Quæsitorum sacrorum officium defugit, quod Societati deferebatur in Lusitania, damni scilicet timore, quod Societati nimis pronum erat ingruere; si ea susciperet munera, quorum administri ab jure obedientiæ, jure eximio immùnes fierent, & ab rectorum imperio soluti.

É

cujus hìc producuntur

707 *Quandoquidem verò tota obedientiæ vis potissimùm cernitur in indifferentia voluntatis, ac abnegatione proprii judicii, in obsequium istius virtutis; monumenta nostra Romana suggerunt instrumentum aliquod, è quo perspicuum fit, quales in hac re suos sanctus Pater esse voluerit; hoc argumento, quod ex Italico sic verto*: Hæc sunt capita rerum, quas noster Pater in Jesu Christo M. Ignatius proposuit domesticis omnibus die XXVII Februarii MDXLVIII, concedendo unicuique terminum trium quatuorve aut quinque dierum, ut se colligeret, & Deo se commendaret, iisque consideratis, se determinaret ac scriberet, quomodo se in eisdem dispositum inveniat: cum judicet dictus Pater noster in Jesu Christo, quod non sit aptus ad hujus Societatis institutum, siquis se non accommodaverit in omnibus rebus sequentibus, prout vera obedientia requirit. *Res hasce ex Italico ita refero*: Prima. An se inveniat indifferentem, ut eat in Siciliam, dum id mandatum est, aut ut non eat; illam partem magis approbans, quæ à Superiore sibi fuerit imposita, cujus gubernationi sese subjecit loco Jesu Christi. Secunda. Casu quo eundum sit, an se inveniat indifferentem, ad acceptandum quodlibet munus, quod sibi fuerit impositum; quale esset, si litteratus eat, ut serviat in rebus ac ministeriis corporalibus: illitteratus autem, ut doceat theologiam, aut Græca, aut facultatem aliam, quam non intelligat; & an hac in re sibi videatur expedire, quod per obedientiam sibi foret impositum. Item missus ad docendum, an sit dispositus, ad acceptandam quamlibet è lectionibus quatuor, id est, theologiæ scholasticæ aut positivæ, philosophiæ,

F

A phiæ, aut litterarum humaniorum.

708 Tertia. Missus, ut sit scholasticus, an sit dispositus, ut acquiescat studio quolibet facultatis sibi indicatæ; cujusmodi sunt grammatica, aut philosophia, aut theologia; & quolibet lectore, sibi designato. Itidem iturus ut ministret, an se promptum inventurus sit ad culinam, & quodlibet aliud ministerium. Quarta. An sit dispositus curare præterea, ut quidquid sibi ostensum fuerit, illud reputet magis conducere, submittendo sanctæ obedientiæ jugo non executionem dumtaxat, sed etiam judicium proprium ac voluntatem; illud sibi convenientius reputando, illo acquiescendo, seque consolando, quod Superior ejus judicabit magis expedire ad particulare & universale bonum; demonstrandoque, sibi esse fiduciam, fore, ut divina providentia ipsum regat ac gubernet per suum Superiorem.

quædam puncta de indifferentia

709 *In tergo habetur:* De obedientia, puncta Patris Ignatii super profectione in Siciliam MDXLVIII. Romæ. *Interiùs autem infra ipsa puncta, Latinè habetur:* Sum paratus, omnia supradicta cum Dei gratia libenter exequi, affirmando, negando indifferenter omnes partes, prout
B tua Paternitas judicaverit & voluerit. Iterumque mea vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ tibi Superiori meo offero. Servus & filius tuus in Christo Jacobus Speg publicanus. *Id est*, peccator. *De Sicilia Societatem complexa, in quam Jacobus l' Hostius nostrum nomen primus invexit, tractat Ribadeneira lib. 3, cap. 19. In Chronico brevi, quod superiùs exhibitum est § 59, hujus* districtionis *obedientiæ præsertim intellectûs, fit mentio ad annum 1546; videtur, per anticipationem; quia hoc anno l' Hostius missus est in Siciliam, teste Orlandino lib. 6, num. 10. Ceterùm ne puncta illa cuiquam mira aut exotica videantur, observandum est, quod, tametsi Vir sanctus exigeret tantam in illis obedientiam, ipse tamen prudentia præditus singulari, in imperando haberet maximam rationem talentorum uniuscujusque. Nam in* Dichos y echos, *id est, in* Dictis & actis *ejus, hæc estatur Ludovicus Consalvus inter ea, quæ habet* circa gubernationem, *num. 35, & quæ Latinitate dono:* Pater noster quadam vice dixit hæc verba: Ego valde desidero in omnibus generalem quamdam indifferentiam &c. Et sic, præsupposita obedientia & abnegatione ex parte
C subditi, expertus sum bonum admodùm successum, sequendo propensiones. *Et ibidem num. 36 sanctus Pater* Admodùm laudat eos, qui numquam aliquò propendent, nisi ad obediendum. *Sic ibi.*

ex parte subditi.

710 Multùm graviter ferebat, cum ei excusationes afferrentur pro erratis defendendis: simplicem autem confessionem multùm amabat. *Verba sunt Originalis commentarii Lugdunensis; de quo suprà dixi num. 276: & mox res illa exemplo ibidem illustratur:* P. Jacobo l' Hostio, qui primus è Societate Siciliam intravit .., mandaverat, ut singulis hebdomadis ad se scriberet, quid ageret. Quod ille diligenter observavit, reservans litteras in diem, quo mitti possent. Quadam autem die cum multas simul ab eo accepisset Pater, incidit tandem in unam, quæ hoc habebat: Reverende admodùm Pater; ego hac hebdomada nihil feci. Tum ridens Pater, iis, qui aderant, testatus est, se ex ea una plus voluptatis in Domino accepisse, quam ex aliis, quibus res gestæ continebantur.

Odit excusationes in erratis, candorem amat.

§ LXX. Sancti erga Christi Vicarium, præsules ecclesiasticos, ac principes seculares observantia.

AUCTORE J. P.

S*Anctissimus noster Patriarcha animi sui sensa ad propositum præsens, disertis terminis in Constitutionum parte 10, num. 11 exposuit, quando sic scripsit:* Ad eumdem finem faciet, generatim curare, ut amor & charitas omnium etiam externorum erga Societatem conservetur; sed eorum præsertim, quorum voluntas bene aut malè in nos affecta, multum habet momenti, ut aditus ad divinum obsequium, & animarum auxilium aperiatur vel præcludatur. *Nec verò acquiescit solâ externâ erga eos observantiâ; sed internum quoque à suis requirit erga illos cultum, ista mox subjiciens:* In ipsa verò Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem altetutram factionis, quæ esset fortassis inter principes E vel dominos Christianos: sed sit potiùs quidam universalis amor, qui partes omnes (licet sibi invicem contrariæ sint) in Domino nostro amplectatur. *Et in suis ad dictum locum Declarationibus explicatiùs mentem suam aperiens,* In primis, *ait,* conservetur benevolentia Sedis Apostolicæ, cui peculiariter inservire debet Societas: deinde principum secularium, & magnatum, ac primariæ auctoritatis hominum: quorum favor aut alienatio animi multum facit, ut ostium divino servitio, & bono animarum aperiatur, vel præcludatur. Sic itidem cum aliqui malè affecti esse intelligerentur, præcipuè si homines sint non vulgaris auctoritatis, orandum est pro eis, utendumque rationibus, ut in amicitiam redeant, vel certè adversarii non sint; idque non timore contradictionum, vel quod asperiùs quidquam inde nobis posset accidere; sed ut per hujusmodi hominum benevolentiam, magis in rebus omnibus Dei obsequium & gloria crescat. *Ita ibi.*

Observantiam illam scripto

712 *Quod verò scripsit* S. Ignatius, *id exemplo docuit: nam Sedi Apostolicæ imprimis quantum observantiæ detulerit; illud vel unicum satis evincit, quod præcipuo quodam ac solenni admodum sacramento & juravit ipse, & suos sequaces Societatis Jesu professos omnes in Romani Pontificis imperata jurare voluit circa missiones. De imperatis autem à Christi in terris Vicario, quam modo mirabili, & humanæ prudentiæ omnino contrario sentiret, habes apud Ribadeneiram lib. 5, cap. 4 sub finem. Ad hæc, magnam in loquendo cautelam adhibebat;* præsertim verò in factis virorum principum, *sicut videre est apud P. Bartolum lib. 4, num. 11;* de quibus quisque judicandi, garriendique jus sibi arrogat: nihil umquam damnabat, qualemcumque tenerent gubernandi modum, publici etiam sermonis insimulatione: ac ne illa quidem attingebat, quæ possent ab iis commodè fieri, futuraque essent ingenti bono, si fierent: ne videretur eorum aut prudentiam carpere, qui ea non cernerent; aut æquitatem, qui probè perspecta non agerent.

atque exemplo

F

713 Ex Pontificibus quatuor, sub quorum imperio fuit, unum palàm fama lacerabat tum severitatis nimiæ, tum aliis de causis. E contrario ipse investigare curiosè, quidquid ejus in laudem faceret: conquerentibus apud se extraneis illa op-

docuit;

AUCTORE J. P.

ponere : domi autem vetare , ne quiſquam de illis querelas fereret , quamvis non ambiguè teneretur malè in Societatem animatus. Quare patri cuidam Româ in Belgium eunti magnopere indixit , de rebus illius , & animo in Societatem ne quid niſi bonam in partem efferret : objicientique , haud ſatis ſibi expeditas pro illo excuſationes : Ergo , inquit , de illo nec verbum facito ; de Marcello ſis loquere , qui & Cardinalis , & dein Pontifex Societatem affectu dignatus eſt æternâ digno memoriâ. *Adde , quod omnia ad conſervandam aut fovendam Societatem adminicula metiri viderctur ſolâ obſervantiâ erga Sedem Petri : nam ex libro Memoriali P. Ludovici Conſalvi paginarum* 200 *in folio , pag.* 114, *monumentis noſtris Romanis tranſcripſit P. Ignatius Pinius ſequentia , quæ ex Luſitanico ſic transfero:* Protector , quem tunc habebamus , erat Cardinalis de Carpi , magnæ virtutis , & egregiè devotus atque amicus Societati. Dicebat tamen ſæpius Pater noſter , quod hoc Societati non eſſet neceſſarium , nec deberet habere alium protectorem , niſi ipſum Papam. *Neque nos latet , quam ſeverè animadverteret , ſi cui in hoc genere aliquid incautè excidiſſet. Exemplum dat Bartolus , lib.* 3 , *num.* 45 *hæc referens :*

B

puniens defectus in hac materia :

714 Dicebat Romæ ad populum Hieronymus Ottellius, quærendarum animarum aviditate flagrans , & in iis ad Chriſtum reducendis non minùs induſtrius : quem , ut [in] Siciliam mitteretur , ereptum ſibi ſic Roma doluit , ut Ignatio ad aram facienti , ad illud , Mea maxima culpa , ſuccIamaret à tergo vetula : Tunde , tundeſis , Pater Ignati , & culpam agnoſce , qui Romam viro ſancto , & ſummè utili orbaſti. Hunc pro concione , ardore ſolito adverſùs effrenem peccandi licentiam abreptum , eò impetus tulit , ut diceret , quando illam neque Dei amor , nec metus æterni ſupplicii ſiſteret , intentandas eſſe à Pontifice pœnas ; ab eo, ex loco ſancto abigendos flagello ſceleratos. Sub concionem à S. Ignatio advocatus , interrogatuſque , quot eſſent in orbe Pontifices ; cum reſpondiſſet , unum , qui Romæ eſſet : Audes ergo , ſubinfert Vir ſanctus, nominatim non deſignare ſolùm privatos è pulpito , ſed ipſum Pontificem ; neque id tantùm ; ſed iis etiam gubernandi dictare regulas , quaſi ipſis plus ſapias : aut ſi plus ſapias , & plura videas , de iis è pulpito illos commonefacere liceat ?

C

ut patet in Ottellio ,

715 Abi nunc , & te collige , ut coram Deo recogites , quid commeritus ſis : & hoc ante noctem huc ad me referas. Triſtis admodum , & ſuprà quam [dici] poſſit conturbatus , receſſit Ottellius , ac ſuum errorem ſubtili diu examinatione perſcrutatus , ad pedes Ignatio procidens, chartam ei tradit , quâ partem eorum deſcripſerat , quæ ſibi ob culpam deberi ſtatuiſſet ; nempe aliquot dies publica per Urbem verberatione ſe ipſe cæderet ; nudis pedibus peregrinaretur Hieruſalem ; annos aliquot jejunans pane ſolo & aqua tranſigeret : & quod his adjiciendum pœnis Superiori videretur. Verùm Ignatius hac dependendi tam ampla voluntate vel ſupra debitum ei imputata , in aliorum eruditionem , certum ei tantùm præſcripſit numerum flagellorum , quæ privatim eſſet obiturus.

ac Laynio.

716 *Enimvero Vir ſanctus ne vel minimum in hac materia bolum decoquere poterat , qui ſolam dumtaxat linguæ liberioris ſpeciem redoleret : nam Linekus parte* 4 , *cap.* 3 , *citans Ribadeneiram in Ms. Hiſpanico,* Patrem Laynium , *inquit* , carum ſibi præ aliis , cum in templo S. Pauli Romæ, ad Hiſpanos dicens , quædam de ſimonia intuliſſet, quamvis ea non poſſent reprehendi , quòd eſſent certa , atque pervagata ; nihilominus , quòd à quibuſdam perperam accipi poſſent , tamquam conſultationes Pontificiæ non ſatis ex æquo inſtituerentur , revertentem domum objurgavit , non abſque pœnarum gravium comminatione , quod linguæ non ſatis cuſtoditæ fuiſſet , Curiamque Romanam maledicorum dicacitati , certè iniquioribus judiciis objeciſſet. *Hactenus ille :* quamvis , *uti addit* , res hæc ad id periculi adducta non eſſet. *Nunc autem quis ſatis fando explicet, quam Vir circumſpectiſſimus nihil putaret negligendum , ſi quæ magnatum ſuborta eſſet offenſio , ut ea optimo , quam fieri poſſet , modo , ac primo quoque tempore tolleretur ?* D

Subortas ergà magnates offenſiones tollit ;

717 *Factum narramus ex Orlandino lib.* 8 , *à num.* 35 : Cum libellus vulgaretur de Catholicæ fidei doctrina , ac ritibus , quos Germania tantiſper , dum Concilium res ſtatueret , ſequeretur: unde nomen libello factum eſt INTERIM : in eoque permitterentur aliqua , pacis gratiâ , quæ nec ſatis congruere Catholicis moribus viderentur , nec Cæſaris poſſent auctoritate conſtitui ; Bobadilla talis concordiæ generi & dictis pariter & ſcriptis ſeſe conſtanter oppoſuit : eóque eſt adverſando & contradicendo progreſſus , ut , quamvis eſſet in curia principum pleriſque percarus , à miniſtris tamen imperatoriis , qui concordiam illam confici , priuſquam in Belgium Cæſar recederet , cupiebant , juſſus ſit ipſius Cæſaris nomine è Germania faceſſere. Quod ille ſanè numeravit in lucris , cum pro ſe cauſa ſtaret , & gloriosum ſibi duceret , magis Deo placere , quam hominibus. Ergo inſtructus equo , itineriſque ſubſidiis , & bona ipſius exiſtimatione apud Sedem Apoſtolicam , cui concordia illa probari non poterat , non parùm aucta , remittitur in Italiam. Verùm B. P. Ignatius amandatione illa cognita , necdum ſatis liquidò causâ compertâ , itemque veritus , ne juſtum in repugnando modum Bobadilla tranſiluiſſet ; revertentem ad Urbem non continuò recipiendum ſuas putavit in ædes : ſed ita in ejus ſeſe reditu ſuſtentavit , ut nec Pontificiis, nec Cæſarianis ulla præberetur ad reprehendendum anſa ; nec ceteris de Societate operariis uſquam locorum ad res gerendas aditus redderetur anguſtior. *Sunt & alia , quæ ad rem noſtram faciunt.* E F

præſcribit moderatum uſum privilegiorum ; archiepiſcopo Toletano

718 *Sanctus Pater parte* 10 *Conſtitutionum num.* 12 , Juverit , *inquit* , moderatus & prudens uſus gratiarum per Sedem Apoſtolicam conceſſarum : ſolius auxilii animarum fine ſinceriſſimè nobis propoſito. *Quamvis enim ea eſſent ampliſſima , plurimumque in Societatis noſtræ tutelam adverſùs hoſtes noſtros valerent , maximâ utique Chriſti apud mortales vicariorum Romanorum Pontificum auctoritate ſuffulta ; loco tamen è Conſtitutionibus jam producto non obſcurè indicavit , voluiſſe ſe , ea in uſum defenſionemque noſtram tunc proferri , quando majus Dei obſequium , proximique ſalus ac rerum exigentia id poſtularent. De noſtris à Joanne Siliceo , archiepiſcopo Toletano vexatis , agit Ribadeneira lib.* 4 , *cap.* 4 , *nec non Orlandinus lib.* 11 , *à num.* 57. *Negotio autem iſto inter dictum præſulem ac Societatem , in favorem noſtrum Sedis Apoſtolicæ auctoritate compoſito , qua ratione ſeſe geſſit ſanctus Pater ?* Litteras (*verbis utimur Orlandini ibidem à num.* 61) officii plenas ad archiepiſcopum dedit , partim ſtudium religionis excuſans in eo , quod jam feciſſet ; partim factum ejus noviſſimum in beneficii

A ficii parte numerans : & ut illum arctiore vinculo colligaret, duo illi detulit sanè grata, atque in primis optanda.

nostris infenso, quantum detulerit.

719 Alterum, ne quem in posterum Societas eo reciperet invito : alterum, ne eodem non approbante, maximèque consentiente, suis privilegiis atque immunitatibus uteretur . . Aiebat enim, privilegiorum præsidia tum demum in animorum causa perutiliter adhiberi, cùm ad eos ita juvandos voluntas proximi pastoris accederet: cumque ea de causa ab Apostolica Sede privilegia tribuantur, ut eò facilius animis consulatur; nisi ex eorum usu hæc ad animos derivetur utilitas; imo potiùs retardetur, quò pastores non consentiant, satius esse ea omnino non adhibere, quàm contra eorum nutum adhibendis, sua spe ac labore frustrari. *Hujus loci est modestia, quam* S. Ignatius *adhibendam præscripsit nostris in causa præsulis Cameracensis ; de qua superiùs § 65, num. 671. Imo verò ipsis quoque episcoporum vicariis integram apud suos* Ignatius *volebat conservari auctoritatem.*

B *Episcoporum vicariis suam quoque auctoritatem onstare voluit.*

720 *Apud Orlandinum enim lib. 10, num. 74, inter alia, quæ ibi referuntur, vicarius antistitis Tiburtini ex P. Michaele Navarro* quæsierat, quo tandem jure, quave auctoritate ad populum verba faceret, & Ecclesiæ Sacramenta homo peregrinus administraret. Perlatæ sunt confestim ab Urbe litteræ, quæ fidem facerent, Societati ubique licere per Sedis Apostolicæ jura beneficiumque, suas ritè partes & functiones obire. Ita & vicario, & episcopo silentium impositum. *Cur autem Tiburtinus ille Præsul acrem se nostris adversarium per suum vicarium Tibure præbuerit, narrat idem historicus ; sed tamen mox num. 75 ibidem subdit ista ; unde* Ignatii *in hoc casu erga dictum vicarium observantiam intelligas :* Quamquam Ignatii reprehensionem Navarrus, quòd vicarium sibi molestum acriùs aliquanto cohibuerat, non effugit. Volebat enim suos omnes beatus Pater, etiam tum, cum pro Societate causa staret, non modo adversus episcopos, verùm etiam erga vicarios, summissè modestéque se gerere.

§ LXXI. Amor voluntariæ paupertatis.

C

Arctam servat paupertatem

V*Irtutem hanc obiter admodùm tangit Ribadeneira lib. 5, cap. 3, dicens :* Paupertatem, matrem nostram vocabat ; ignominiosumque affirmabat esse atque indignum, si religiosi homines aut pecuniosi essent, aut haberentur. *Haud nos tamen fugit, alia à dicto scriptore in antecessum præmissa fuisse circa illam virtutem. Et verò* quo paupertatem prosecutus est affectu Ignatius, *inquit P. Daniel Bartolus lib. 4, num. 7;* eodem jucundè fructus illius legere gestiit : ex quo enim cruci Christo confixus est, præter Christum sibi nihil reliquum fecit. Exinde illi nosocomia, vel apertum cælum, pro diversorio ; pro veste, vilis & aspera cannabis ; deterrimum quodque corrogatæ stipis, pro diurno victu ; oblatas repudiare pecunias ; ingestas per vim amicorum porum benevolam, vel erogare in egenos, vel in fortuitum abjicere occupantem. *Ita ille.*

ante conditam

722 *Verùm hæc singulatim eruamus ex Ribadeneira. Lib. 1, cap. 3* Vestitum, *ait*, emit, quem Hierosolymam proficiscens gestare decreverat, talarem videlicet ex cannabina tela aspera, & a-

culeata in modum facci tunicam ; pro militari balteo funem *&c. Cap. 5 :* Manresam ubi pervenit, in xenodochio mendicorum hominum pedem primò fixit *&c. Cap. 10:* De projicienda, *quam Hierosolymam navigaturus, acceperat*, pecunia secum ipse cogitans, decrevit tandem in obvios pauperes & mendicos illam conferre : quod quidem cumulatè perfecit. *Ibidem :* Venetiis dum moraretur, vetere suo instituto stipem cogebat: in platea D. Marci noctes agebat *&c. Cap. 14 :* In *Complutensi* oppido ad hospitalem pauperum domum divertit, ostiatim ex more panem in victum mendicat. AUCTORE J. P.

723 *Libro autem 2, cap. 1 agitur de eleemosynis in Belgio corrogatis. Cap. 4:* Voto se obstrinxerunt *Ignatius ac socii ejus*, rebus omnibus, excepto viatico, ad condictam diem renuntiandi, procurandæ proximorum salutis, Hierosolymam navigandi *&c. Cap. 5 :* In patriam . . venit. Ut verò ad fratrem suum diverteret, adduci nulla ratione potuit ; sed in publica hospitalique domo diversatus est, stipemque colligere ostiatim cœpit, multùm fratre repugnante. *Inde verò discessurus*, cum pedibus, & absque ulla prorsus pecunia ire vellet, alia Ignatio cum fratre contentio renovatur *&c. Et capite citato : negotiis* cum *sociorum* parentibus ita transactis, ut ne obolum quidem ab illis, ultrò etiam pecuniam liberaliter offerentibus, acciperet *&c. Cap. 8 :* Ignatius sociique *duo* extra oppidum Vicetiam, ædiculam humilem ac ruinosam reperiunt *&c.* In hac domicilium suum collocant, palearum aliquantulâ copiâ comportatâ humum ad cubandum sternunt. Bis quotidie oppidum ad victum quæritandum ingrediuntur, quem tenuissimum referebant : vix enim panis, quantum ad vitam tolerandam satis esset, habebant *&c. Atque hæc quidem omnia nonnè luculentissimè comprobant arctissimam* Ignatii *paupertatem, antequam Societatem instituisset ? Quid verò postea ?* *Societatem.*

Factus ejusdem Præpositus, exemplar fuit summæ paupertatis.

724 Post hæc autem factus Societatis Parens, *sicut scribit Bartolus lib. 4, num. 7,* eique Præpositus, sic paupertatem adamavit, nemo ut esset domi pauperior. Sacræ paginæ, & sacrorum ad rem divinam codex, cum libello De Christi imitatione, tota ejus fuere supellex libraria. Totus cubiculi apparatus idem illi, quem quondam Elizæo Sunamitis instruxit, lectus, & mensa, & sella, & candelabrum. Mensa, quamvis fere illi accumberent, qui aut Romam peregre advenissent, aut aliquis ex primis patribus, ita erat præparca, ut ei nihil posset detrahi, quin detraheretur necessario victui. Itaque lepidè aliquando Bobadilla, partem sibi paratam decerpens cibi crassioris appositi, quódque tunc deteriùs valeret, facilè nocituri ; subridens addidit, modicum veneni non nocere. Tantulam scilicet eam notans, ut si foret vel toxicum, impunè edi posset. Dispensatorem & ministrum quandoque severiùs habuit, quod recentem uvam sibi intulissent, quando in triclinio ceteris non apposuerant. Sed huic ejus paupertati generosum quiddam & nobile inerat ; quod posset etiam in locupletibus laudari singulare : quantumvis enim accisa re esset, ac propè nulla, litem cuiquam ob temporarias rationes numquam movit, suoque jure maluit cedere, quàm ob sibi detracta iniquiorem animum testari. Ex quo præter decus Christianæ magnificentiæ, duplex lucrum aiebat proficisci: alterum caritatis, cui par auri pondus nullum esset : alterum divinæ liberalitatis, de suo abunde supplentis, quod vidit ultro suâ causâ contemni.

AUCTORE J. P. *Confirmantur nonnulla ex dictis, per responsa Joannis Baptistæ Velati ad quæstiones à Lancicio sibi propositas: nam inde habemus, adeo pauperem Viro sancto supellectilem fuisse, ut nec mensa ejus cooperta esset, ac sedes ejus, quibus in cubiculo utebatur, constarent ex simplici ligno. Et ad quæsitum 7 ejusdem Lancicii, inter alia Ribadeneiræ ab ipso proposita, sic respondetur:* Lectus pauper fuit & communis, & ad ejus imbecillitatem accommodatus. *Ex iis verò, quæ ex epistola autographa P. Horatii Arnaldi ad P. Danielem Bartolum, Savonæ die* XXIII *Septembris anno* 1650 *Romam data, huc misit sæpe laudatus tabularii nostri Romani eruderator, discimus, quod* S. Ignatius *non soleret gestare vestes novas, sed veteres valde nitidas. Pergamus iterum cum Bartolo ad res temporales:*

Parvi facit pecuniam; uti ex factis quibusdam conficitur.

725 Multo cavebat diligentiùs, ne inter se nostri de similibus jurgarentur: cumque duo rectores de sui quisque collegii rationibus diffiderent, nec finem facerent altercandi; repentino invento collegiorum curam jussit invicem mutare. Ita pulchrè utrumque sedavit. *Hæc Bartolus.*

B *Quibus quid prohibet addere, quanto cum spiritu paupertatis, Vir sanctus se gesserit Romæ in publica annonæ penuria, pecuniam omnem expendendo in sublevationem externorum pauperum; nulla ejusdem parte in proprium aut sociorum commodum erogata; quamquam non ignoraret, se vel maxima eorum, qui contulerant, voluntate id facere posse; secundùm ea, quæ jam sunt dicta* § 29. Nec erat solùm alieni munificus, *sicut refert ibidem Bartolus*, quod jure suum facere potuisset: verùm & de tenuitate domestica alienæ penuriæ perlibenter necessaria suggerebat. Indicarat illum Cardinalis valde opulentus nobili cuidam admodum egenti, ut aliquid ab eo subsidii posceret. Huic, quòd non suppeteret aliud, quidquid domi pecuniæ repertum, prolixè largitus est; dolens apud eum humaniter, quod non esset is dives, quem sibi finxerat Cardinalis, dum eum maluerat ad se destinare, quàm ejus inopiam suo facilè sumptu consolari. Cavebat ad hæc multâ industriâ, ne pauperes sublevans, eorum verecundiam oneraret. Quare ad inopiam redactis, præsertim si forent nobili genere; & prole gravatis, cui essent impares quotidiani artificii quæstus, reculas aliquas elaborandas dabat, & largam labori reponebat mercedem; ut quod erat opus piæ caritatis, pretium operæ crederetur.

C *Consuli possunt, quæ inferiùs referuntur in responsis P. Oliverii Manarei ad postulata Nicolai Lancicii, parte* 3, *ad vigesimum nonum.*

Paupertas spiritûs Exercitiis spiritualibus S Ignatii consona:

726 *Vide jam, amabo, quam aptè & concinne hæc cohæreant voluntariæ paupertatis exempla cum documento sancti Patris, meditationi de Regno Christi, quæ est prima hebdomadæ secundæ Exercitiorum spiritualium, inserto: cujus summa est:* En, ô Rex supreme, ac Domine universorum, tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ, & ope, me tibi penitus offero . ., attestans, hunc esse animum meum . ., ut (dummodo in maiorem laudis tuæ, & obsequii mei proventum cedat, quàm possim proximè te sequar & imiter in ferendis injuriis *&c.*, cum vera tum spiritûs, tum etiam rerum paupertate *&c. Ita erat comparatus* S. Ignatius. *Sanè* voluntariam paupertatem (quam ille Religionis murum appellabat,) ad extremum usque constantissimè coluit, *sicut scribit Maffeius lib.* 3, *cap.* 8. Nec modo ipse, *eodem memorante*, proprium habuit nihil, sed nec alios quidem, quamvis genere nobiles, ac deliciis olim assuetos, quidquam habere permisit. Quin etiam quemquam è professa domo apud Germanicum, Romanumve collegium, nisi admodum rarò, & justa de causa, prohibuit vesci: quo nimirum, si opus esset, jurare veriùs posset, nihil omnino ad ipsam domum ex collegiorum fructibus perveniisse. Pauperem autem spiritu eum sibi denique aiebat videri, qui erga ea, quibus uteretur, sic esset affectus animo, ut instar statuæ cujusdam videretur esse, quæ nullo pacto resistit, recusatve, quo minùs omni quamvis pretioso amictu & ornatu confestim exuatur. D

cujus alia quædam specimina

727 *Insigne paupertatis specimen dedit* S. P. Ignatius *apud Orlandinum lib.* 6, *num.* 6. *Rem ex ipso accipe.* Rogatus à Lusitanis, ut de fructibus Ecclesiæ quibusdam collegio decernendis in Urbe transigeret; hanc ipse curam ad Lusitani regis procuratorem rejiciendam putavit, quòd diceret, magis consentaneum suis hominibus esse, divina & æterna, quam humana & caduca tractare. *En tibi aliud specimen, quod ibidem mox sequitur:* Quædam verò, quoniam Societatis moribus minùs congruere visa sunt, ea ne per externos quidem confici tractarive passus est. Nam cum ejus perstudiosus Ortizius optimum sacerdotium ad alenda nostrorum Compluti studia, liberaliter obtulisset, modò unus aliquis è professis per Apostolicæ Sedis auctoritatem animarum procurationi præesset; Ignatius in summa rei nummariæ caritate id à Pontifice peti vetuit; actisque tantæ pietati gratiis, rescripsit ad Ortizium, non opes quærendas esse professis, sed fide omni præstandam votæ Deo paupertatis inopiam. *Duobus hisce speciminibus hoc adjungimus tertium ex eodem historico lib.* 3, *num.* 49:

E

producuntur.

628 *Alfonso Salmeroni, ac Paschasio Broeto, cum perampla potestate nuntiis Apostolicis à summo Pontifice in Hiberniam missis, varia, antequam discederent, monita ab* Ignatio *fuere data. Inter alia verò, dum ipsi ad iter se comparabant,* Quod ad rem nummariam pertinet, nolebat eam ab ipsorum manu contingi; ne eam quidem, quam mulctæ nomine pro dispensationibus imperassent: sed pecuniam omnem quacumque ratione collectam per alios potiùs pauperibus dividendam atque tractandam: ut jurejurando affirmare possent, si usus esset, se ex ea muneris procuratione, ne assem quidem aut obolum attigisse. F

§ LXXII. Qualis paupertas Societati Jesu à suo Conditore præscripta; animi ejus magnitudo.

Ex Constitutionibus

DOmus Professorum reditus nullos habere possunt (ne ad ædificationem quidem templi, aut cultum ejus, ac ornatum) nec possessiones ullas privatim vel in communi: nec jus petendi ullas perpetuas eleemosynas, sed quotidianis vivunt; *ex Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 22, *paucis his perfectissimæ paupertatis nostræ summam complexo. Collegiorum verò ac domorum probationis alia est ratio; sicut idem auctor mox ibidem indicat. De his porro consuli potest Institutum nostrum: è quo nonnulla huc derivabo adversùs rerum nostrarum obtrectatores; qui quia paupertatem Societatis vel non intelligunt vel intelligere nolunt, malè*

A *malè eam traducunt. At brevitatis causâ, ſumma quædam hujus argumenti capita legemus. Conſtitutionum parte* 3, *cap.* 1, *num.* 25 *præſcribitur,* Diligant omnes paupertatem, ut matrem, & juxta menſuram ſanctæ diſcretionis, ſuis temporibus ejus effectus aliquos experiantur.

Societatis Jeſu

730 *Ibidem parte* 10, *num.* 5 Paupertas velut propugnaculum eſt religionibus *&c. Parte* 6, *cap* 2 *num.* 1: Paupertas, ut murus religionis firmus diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt. *Et mox:* Quicumque in *Societate* profeſſionem emiſerint, ſe ad innovationem Conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem pertinent, nihil facturos promittant: niſi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis reſtringendam judicarent. *Voti iſtius formulam dabo infra. Et ibidem num.* 2: In domibus vel eccleſiis, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, reditus nulli, ne ſacriſtiæ quidem aut fabricæ applicati, haberi poſſunt. *Num.* 3: Profeſſi vivant ex eleemoſynis in domibus *&c. Porro eorum domus nullum habent jus ad ullam*

B *rem ſtabilem, præter habitationem; ſed tantùm ad res mobiles: ſi verò quid ſtabile iis relinquatur; debet quam primùm vendi, juxta ea, quæ ibi habentur num.* 5, *& in Declaratione ejus. Adde ex cap.* 10 *partis* 4, *quod* Profeſſa Societas .. quidquam privatæ utilitatis ex reditibus quærere, vel in ſuum uſum convertere non poſſit.

probatur paupertas ejus.

731 *Parte* 6, *cap.* 2, *num.* 7: Omnes qui ſub obedientia ſunt Societatis, meminerint, ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel confeſſiones, vel lectiones, vel viſitationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta noſtrum Inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur. *Num.* 10: Parati ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia vel neceſſitas id exiget. Et ſit unus vel plures ad eleemoſynas petendas, quibus perſonæ Societatis ſuſtententur, deſtinati: quas eleemoſynas ſimpliciter amore Domini noſtri petent. *Num.* 11: Quiſque iis, quæ de communi data fuerint ad uſum ſuum neceſſarium aut convenientem, reſecatis ſuperfluis, ſit contentus. *Num.* 12. Quo meliùs paupertatis puritas, & quies illa, quam ſecum affert, conſervetur; non ſolùm particulares profeſſi, vel co-

C adjutores formati hæreditariæ ſucceſſionis non erunt capaces; verùm nec domus, nec eccleſiæ, nec collegia eorum ratione. *Parte* 3, *cap.* 1, *num.* 7: Doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debeant. *Et num.* 8: Mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis, quæ domi ſunt, minimè poſſunt; niſi Superior conſcius conſenſum præſtiterit. *In Examine autem generali cap.* 4, *num.* 26 *cuilibet Societatem ingreſſuro proponi voluit ejus Fundator:* Sui victûs, potûs, veſtitûs, & lecti rationem, ſi Societatem ſequi velit, ſibi perſuadeat fore, ut pauperibus accommodatam; quodque, quæ viliſſima erunt ex iis, quæ domi ſunt, ei tribuentur.

Severitas ejus circa domos profeſſas:

732 *Ceterùm adeo ſeverè ac religiosè fuit cautum, ne domus profeſſorum illa ſubſidia admitterent à collegiis, quæ ſtipis nomine vulgo ab aliis admittunt, quantumlibet gravi arctarentur inopia; ut ea de re quotannis ſub Chriſti natalem ex ſingulari Lainii Societatis Præpoſiti decreto, collegiorum rectores, teſte Bartolo lib.* 4, *num.* 7, *hoc olim juſjurandum darent:* Teſtem invoco cum omni reverentia Deum, qui æterna veritas eſt, quod ex bonis temporalibus collegii, nihil ad utilitatem profeſſorum, vel domorum eorum, converſum eſt, contra Societatis Conſtitutiones; quæ id prohibent: quod quidem mihi innotuerit. *Hæc ibi.* Præluxerat huic Ignatius, cum ingens ceræ pondus, Romam domui profeſſæ à Panormitani collegii patribus dono miſſum, adjudicavit Romano collegio: ex quo ſi vel foret in ſolatium ægroti petenda vini laguncula; ne id quidem fieri paſſus eſt, niſi alterum tantum refundendo; aiens, inter collegia & domos intercedere magnum chaos; *prout indidem habemus.*

AUCTORE J. P.

votum, eam non relaxandi:

733 *Ceterùm paupertatis perpetuitati perfectioique ſapienter proſpexit ſanctiſſimus noſter Patriarcha, quando peculiari voto profeſſorum, tamquam validiſſimo, ne lapſu temporis labefactaretur, muro eam communire voluit. Voti iſtius ſumma eſt:* Promitto Deo omnipotenti .., numquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum, ut, quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus Societatis, immutentur: niſi quando ex cauſa juſta rerum exigentium videretur paupertas reſtringenda magis.

E

reſponſa Manarei ad quæſita Leſſii

734 *Quam autem reſtricta, ſevera, ac perfecta, dum viveret* S. P. N. Ignatius, *& proximis poſt eum temporibus, paupertatis fuerit obſervatio, docebunt illa, quæ ſunt apud Linckum ſuprà citatum, part.* 3, *cap.* 37: *qui ad P. Leonardi Leſſii quæſita, quæ per litteras P. Oliverio Manareo propoſuerat, hujus reſponſa, redditâ ad illum anno* 1603, *prout addit, die* XXVII *Novembris epiſtolâ, typis edidit: è quibus iſta excerpo:* Erat olim regula à S. P. N. tradita, ut nemo affigeret vel revelleret imaginem, imo nec clavum quidem in cubiculo ſuo, inſcio Superiore. In cujus locum etſi modo generales ſubſtitutæ ſunt regulæ XXVI Summarii, & nona Communium, atque aliæ, quæ cavent, ne de re, quæ domi eſt, diſpenſet ſubditus, aut etiam ſibi uſurpet ſine facultate Superiorum; tamen eorum interpretatio quoad praxim, ab illa antiqua petenda videtur. Et tempore ſancti Patris noſtri erat caſus reſervatus ſecus facere. Quamvis partim occaſione regularum, quæ à variis Patribus Generalibus recognitæ, partim etiam occaſione ſcrupulorum, reſervatio illa ſublata ſit.

in materia paupertatis.

735 *Inter cetera item, quæ ibidem referuntur, Leſſius* ſubjecit percontationem aliam, quâ ſciſcitabatur: Quis ſenſus eſſet, vel fuiſſet de iis, F qui poma, pyra, ceraſa, uvas in horto vel cella penuaria ſublegiſſent, inque ſuos uſus liberè vertiſſent? Reſpondit, hoc vitium tam fuiſſe Patri ſancto exoſum, ut illius potiſſimùm causâ ſtatuerit, ut labes confeſſione deterſuri, ante peccata omnia palàm facerent, ſi quid abſtuliſſent ſine venia, ſi quid dediſſent. Quæ res traducta ad poſteros in morem deinceps venerit, atque etiamnum vigeat. Porro legenti pomum, pyrum, ficum, vel fructum quemlibet, caducum etiam, de terra auferenti, ſtatam fuiſſe flagellationem publicam tempore ſancti Patris, nulla ſpe remiſſionis. Nec multò diverſius judicium, ſi quis florem carpſiſſet: ſubditque Oliverius, perperam agere eos moderatores, qui in rectoræ officio remiſſiùs hæc talia animadvertunt: quod ex his tametſi puſillis ac modicis, non levia poſſint pericula exiſtere, abuſuſque irrepere grandes, qui Societatem ſi non perditum eant, certè in anguſtias, calamitateſque haud vulgares conjiciant, atque compellant. *Hæc ibi, & plura alia.*

736 *Animi magnitudo, ſecundùm ea, quæ Ribadeneira habet libro* 5, *cap.* 9, *quatuor maxi-*

AUCTORE J. P.

Magnitudo animi S. Ignatii elucet in tolerantia ærumnarum,

me rebus continetur : nimirum primò conſtanti dolorum ærumnarumque tolerantia ; deinde firmiſſima in Deum ſpe , cum pecuniarum deſpicientia ; tertiò , firmitate quadam ſingulari in rebus arduis ſuſcipiendis ; conſtantia denique propoſiti tenace in iis , quæ ſemel ſunt ſuſcepta , gnaviter retinendis, urgendis fortiter, & conſtanter ad exitum perducendis. Singula , quantum in S. Ignatio *eluxerint , diſpiciamus. Ac primò quidem quantâ fuerit dolorum ærumnarumque tolerantiâ , præter ea , quæ loco citato colligit Ribadeneira , Eccleſia in Horis canonicis ſummatim ea legenda præſcribens,* Mirum eſt, *ait,* quas ubique locorum ærumnas ac ludibria devoraverit , aſperrima quæque, & vincula , & verbera penè ad mortem uſque perpeſſus : quibus tamen longè plura pro Domini ſui gloria ſemper expetebat.

ac plurimorum laborum;

737 *Cardinalis Ludovicus Ludoviſius in ſacro ſuo Panegyrico rem hanc , uti & rei cauſam exponit :* Percuſſus ille fuit ab hominibus , infernique hoſtibus , adeoque in mortis vitæque confinio derelictus , ejectus ab urbibus , catenis oneratus , compedibus obſtrictus , horridiſque carceribus incluſus , eam ſolùm ob culpam , quod omni conatu multos revocaret à culpa , vocaret ad Deum. *Quæ ne ornatè potiùs quam verè ab illo dici quis exiſtimet ; vitam ejus omnem à primis ſacratioris militiæ rudimentis ad uſque obitum ſi percurramus , quot , quanta , quam illuſtria inveniemus Ignatianæ patientiæ laborumque veſtigia , quæ is poſteritati obſervanda & legenda reliquit ? Teſtis eſt Minoreſſa , ubi ſcrupulis patientia ejus mirum in modum fuit probata ; ex Ribadeneira lib.* 1 , *cap.* 6. *Teſtis Italia ; nam eò versùs navigans , magna fœdaque tempeſtate jactatur , ibid. cap.* 10 ; *ubi & de gravibus ac permoleſtis incommodis , quæ in itinere Romano paſſus eſt ; ac quando Româ Venetias fuit profectus.*

B

Hieroſolymis verò imperatur ipſi importunus & intempeſtivus diſceſſus ex locis ſanctis , non avidè minùs ab eo deſideratis , quam piè ſalutatis ; cap. 11. *Inde redux in Italiam , ac Ferrariâ deinde Genuam profectus , à militibus Hiſpanis indigniſſima ſuſtinuit , cap.* 12. *Jam verò quam fuit opus magnâ patientiâ perfectæ ætatis Viro , prima grammatices rudimenta inter pueros devorare , atque adeo inter illos quodammodo repuerascere , cap.* 13 ; *Compluti in carcerem conjici , cap.* 14 ; *Salmanticæ comprehendi , cap.* 15 ; *Barcinone diriſſimè excarnificari ob monaſterium ad frugem reductum , ex dictis in hoc noſtro commentario paragrapho* 12 ? *Teſtis & ſpectatrix patientiæ Ignatianæ exſtitit Gallia : etenim Lutetiæ Pariſiorum ob caritatis officia in invidiam vocatur , ex Vita lib.* 2 , *cap.* 2 ; *quin imo ad ipſam quoque mortem ibidem quæritur , lib.* 5 , *cap.* 2 : *ubi & infami virgarum ſupplicio proximus fuit , lib.* 2, *cap.* 3. *Teſtis denique iterum Italia: Venetiis quippe accuſatur , cap.* 6 : *magna Romæ tempeſtas ſuborta cap.* 14 ; *ibidem denique benefaciens malefactis mulctatur , lib.* 3 , *cap.* 13. *Ex his Ribadeneiram ex Ribadeneira ſupple circa res adverſas à noſtro Sancto patientiſſimè toleratas.*

C

§ LXXIII. Alia magnitudinis animi ejus ſpecimina.

CEterùm res adverſas quanto haberet in pretio , cum dictis tum factis egregiè comprobavit , ut qui lætaretur de procellis contra Societatem ſine ejus culpa concitatis. Etenim dum litteræ de turbis Toletanis ipſi eſſent redditæ , abſit ut à priſtino ſedatiſſimæ mentis ſtatu vel tantillùm deflexerit ; verùm Re cognita , *teſte Orlandino lib.* 11 , *num.* 60 , hilari ſtatim fronte explicataque dixit , quod iis litteris nuntiaretur , id in lætis numerandum videri ; tempeſtatemque illam contra Societatem ſine Societatis culpa Toleti coortam , ſignificationem quamdam eſſe futuri in ea urbe proventus : eo enim uberiores lætioreſque terræ ſolum fruges effundere , quo major eſſet hibernæ tempeſtatis antegreſſa triſtitia : Societatemque in iis ſemper locis fuiſſe fœcundiorem , ubi magis vulgò depreſſa , majoribuſque jactata injuriis , & agitata fuiſſet. *Contrà verò ſanctus Pater res lætas atque ſecundas eo loco habuit , ut ab iis ſibi timendum indicaret. Nam , ſicut idem Orlandinus lib.* 14 , *num.* 9 *narrat ,* Cum Ludovico Conſalvio B. Ignatius familiariùs aliquando colloquens , quoniam læti undique nuntii de ſecundis Societatis rebus ac progreſſionibus afferebantur , magno ſe in metu eſſe dixit , ne non ſtrenuè ſatis Deo Societas famularetur alicubi. Uſu quippe didicerat , quod à ſanctis Patribus ſcriptum eſt , perpetuæ felicitati non ſatis fidendum; & tum metuendum eſſe maximè , cum ad voluntatem fluunt omnia.

D

Gaudet Sanctus in rebus adverſis ,

E

dolet in proſperis.

739 *Quid , quod* nullam S. Ignatius (*uti eſt apud Bartolum lib.* 2 , *num.* 18) tranquillitate ipſa tempeſtatem Societati timebat ſæviorem , nullum genus adverſariorum periculoſius , quam adverſariis carere. *Nec verò ita clam ſenſit ; ſed externis ſignis prodidit , ſecundùm iſta , quæ ſtatim apud eumdem auctorem ſequuntur :* Notatus verò aliquando præter illam ſuam ut animi , ſic oris ſerenitatem perpetuam , vultu triſtior eſſe , & ſuſpirioſus ; cauſam indicavit , quod in provincia quadam , Societatis rebus ab aula & populo adſpiraret flatus ſecundior , & cujus alii propioribus attenti , gratulabundi Deo gratias agebant; ipſe alta ex animi ſpecula cernens longinquiùs , eventus timebat ambiguos , aiebatque , ſe multum ſuſpicari , ne eſſet illic parum felix divini obſequii curſus. *Quò etiam pertinet illud , quod apud Janinum inter ſancti Viri effata ponitur lib.* 4 *pag.* 378 : Si tibi Deus uberem præbebit tolerantiæ ſegetem ; argumentum id erit magnæ ſanctitatis , in quam te cupit attollere : ac ſi voles ab eo fieri valde ſanctus , multam ab eo roga perpeſſionum materiam. Nam divini amoris luculenta flamma haud alio ſurgit , quam ex ligno crucis ardentior , quo Chriſtus uſus eſt ad ſacrificium infinitæ ſuæ caritatis. Aiebat enim ex floribus, & deliciis hominum quidquid poteſt mellis exſugi , nihil eſſe ad ſuavitatem , quam Chriſti fel, & acetum affundit , hoc eſt amara , & aſpera , quæ Chriſti amore cum Chriſto perferuntur. *Denique coronidis loco hiſce addamus illud Ribadeneiræ ex dictis paragrapho* 54 , *num.* 562 , *ubi de perpetua Sancti æquabilitate agens ,* Quod ſi aliqua , *inquit ,* vultûs mutatio , intercederet , ea erat , cum majorem ſolitò lætitiam oſtenderet , ſi quando magna aliqua & repentina tribulatio oriretur. *His de Sancti tolerantia notatis , ſequitur , ut ſuum quoque auctarium tribuamus ejus illuſtrandæ fiduciæ.*

F

740 Dominus , *prout loquitur Bulla canonizationis ,* maxima ſpe *eum* communivit ; ut ſatis ſuperque ejus reſtantur actiones. *Prater illas autem , quas Ribadeneira conſignat lib.* 5 , *cap.* 9; *conſuli inſuper poteſt Vita lib.* 1 , *cap.* 10 ; *lib.* 4, *cap.* 6. *Enimvero in hac ſirmiſſima in Deum ſpe*

Summa in Deum fiducia :

pe-

A *pecuniæque deſpicientia, altitudo animi ejus multùm excelluit; planè utique certi, non timendum eſſe, ne, qui volucres cæli paſcit, & agri lilia ſplendidiſſimo veſtit ornatu; idem ſuis operariis in Eccleſiæ vinea nullo ſtipendio laborantibus, neceſſaria ad exigendam vitam alimenta deeſſe patiatur. Exemplo ſit collegium Romanum, de cujus inſtitutione agit Ribadeneira libro* 4, *capite* 3; *ubi quamquam* vehementer multiplicatus eſt noſtrorum numerus, *ut cum Ribadeneira loquar, eos tamen* divina benignitas in magna etiam annonæ caritate, ſuprà hominum fidem, ſed non ſuprà fiduciam ac ſpem Ignatii, hactenus, *inquit*, ſuſtentavit. *Certè fiduciæ hujus, quæ divini ſecura præſidii totam ſe projecit in paternæ ejus providentiæ ſinum, monumentum illuſtre in dicti collegii fundatione poſuit ſanctus Pater*; Re carens (*verba ſunt interpretis Bartoliani lib.* 4, *num.* 23) grandi ære obſtrictus; calamitate temporum à ſpe ſubſidii excluſus; commeatu cibario domi nullo, multos tamen illic in Societatem admittebat, quorum propterea creſcebat quotidie præter modum ſumptus. Sic enim fieri addecet, inquit ille, ſatisfaciens patri cuidam, à quo ſatis capi non poterat, quâ prudentiâ iſtæc gererentur. Sic, inquit, adverſis fluctibus ventiſque navigandum, tantoque in Deo ſpes confidentiùs firmanda, quanto deſperanda videntur omnia.

B

de providentia ejus

741 Huic verò illius inuſitatæ exſpectationi reſpondebant ii ſemper exitus, ut domi numquam inopia creſceret, quin ſuppetiæ augerentur. Unde admiranti percunctantique Bobadillæ, unde tot alend s ſufficeret ſociis; piarum ipſi largitionum catalogum texuit, quas à diverſis accepiſſet. Verùm Bobadillæ, ſummam illorum computanti ne mediam quidem partem ſumptuum æquare, Itane, reſpondit Ignatius, ergo nos à Deo nulla in re pendere? Nec niſi piarum largitionum fiduciâ Deo confidere? In Dei manibus illa invenio, quæ non invenio in manibus hominum: adeoque ſi nihil hi dederint; accepturus ſum à Deo omnia. *Magnam etiam admirationem de eximia ejus ac rara in Deum fiducia movent, quæ ibidem ſubnectuntur:* Ut autem impenſis divinæ liberalitatis ei collegio initium dederat, ita illud iiſdem promovit. Erant in eo patres duodetriginta: rectorem illorum Manareum accerſit Ignatius; jubet totidem patribus ibidem cubicula, ſupellectilem, & victum parari, & quantum centum ſociis ſat eſſet. Ad hoc erant Polanco, fabricæ præfecto, nummi aurei quinque; haud quidem reſidui, ſed quod non eſſent legitimi ponderis: operi nihilo ſecius accingit ſeſe, illius ærario confiſus, cujus gloriæ ſerviebat; ope quidem illius tam prodiga, ut brevi tum ædes, tum alium omnem ad habitandum apparatum, hoſpitibus novis duobus & ſeptuaginta inſtruxerit. *Quid interea ſanctus Pater?*

C

quam ſecuriſſima habet ſenja,

742 Probavit, *uti ſubditur ibidem*, Ignatius omnia præter granarium, lectis & menſulis in aulam quidem multorum capacem transformatum, ſed nudis ſub tegulis, nulloque tabulato: verſuſque ad rectorem: Certè pauperum more vult, inquit, Deus ſuos habitare; at non uſque adeo miſerè, ut videris velle. Deerant fortaſſis Deo pecuniæ, ad imponendum iſtic è tabulis lacunar, ut eos propemodum ſub dio agere oporteret? Atque id quam primùm imponi mandavit. Utque omnes hi ſumptus fuerant Dei nominibus adſcripti, ſic ſunt ab eo quantocyus perſoluti: ut eſſet minimè dubium, quæ nomina in Dei obſequium Ignatius faceret, ea ſibimet Deum imputare. Verumenimvero dum centum, quos dixi, collegium incolunt, tanta Romæ annonæ caritas, ad bellum accedens, rei cibariæ & pecuniarum invexit anguſtias, ut etiam valde locupletes ſuam non ſine incommodo tueri dignitatem poſſent; tantum aberat, ut poſſent opitulari egentibus, quin imo familiarium numerum Cardinales ipſi minuerent. Ergo Ignatium, penes quos erat collegii adminiſtratio, ſuper hoc adeunt. Videbatur enim quibuſdam nimium arrogans, eam tunc multitudinem alendam retinere, cui, dempta ſtipe, nihil prorſus ſupereſſet. At enim ab iis, ut ſuadebatur, aliò mittendis alienum adeo viderunt; ut tunc etiam pro iis meditaretur emptionem quinquaginta millibus nummorum. Nec ſua illum Dei fiducia in ſuppeditandis tam amplæ familiæ neceſſariis fefellit. AUCTORE J. P.

quem rebus in arctis

743 Nam ne obolo quidem ſuis avariùs adfuit, quam ſi ea annonæ communis difficultas ad eos minimè pertineret. Quod Ludovicus Gonzales admirans, cum miraculo attribueret; Itane, miraculo, ait; foret potiùs mirum, ſi aliter fieret. Certò miraculum fuerit, ſi deſit Deus ſua ope confiſis; nequaquam verò, ſi iis ſuccurrerit. Necdum tu hactenus advertiſti, quo plures nobis adjuncti ſunt, eo nobis annonam copioſiùs auctam eſſe. Attendamus tantùm divinis obſequiis, Deus, quæ nobis opportuna fuerint, providebit Ego planè, ſi opus facto ſit, quam fidenter hos centum admiſi, tam facilè alios ad mille admiſerim: perinde ſiquidem Deo eſt mille, ut centum, aut denos alere. Re autem vera Deum illi ſuæ familiæ peculiari ſuo ſumptu neceſſaria commoda curaſſe, manifeſto non ſemel indicio patuit. Contigit quandoque ſignum dari ad menſam, cum nec fruſtum panis domi ſuppeteret, punctoque temporis eodem largam ſtipem ſubmitti, quæ tanto numero abundè ſat eſſet. Aliàs vinum, panis omnia cum deeſſent, repentè omnia adfuere. E

miro modo

744 *Facta autem, quibus mirum in modum divina providentia noſtris ſubvenit, lege apud Ribadeneiram lib.* 5, *cap.* 9; *atque apud Maffeium lib.* 3, *cap.* 9. *Quibus annumerari illud poteſt ex Orlandino lib.* 15, *num.* 6: *Dei* è theſauris beatus Pater tamquam ſuis, ſuæque domi conditis, auſus eſt in Urbe villam à fundamentis exſtruere (*de qua ſuperiùs* § 50.) Et abſolutum vix erat opus, ſuis omnibus expletum numeris; cum die ipſo, quo pretium operis operæ poſcebant, largè mittitur à beneficis, unde ſua merces fabris ac ſtructoribus reddi poſſet. *Hiſce ex citato paulò antè Maffeio illud divinæ erga ſuos providentiæ argumentum ſubdimus:* F

Societas ſibi propitium ſentit.

745 Quodam die ſub veſperam, cum domi panes, vinum, ligna penitus defeciſſent; poſtridie manè, præter omnium exſpectationem, à nobili matrona vehes lignis onuſta ſubmittitur. Ea ligna dum in cella vinaria, ut fit, condit janitor; januam domûs, in Capitolium eo tempore obverſam, patentem reliquit imprudens. Recordatus deinde, cum ad occludendum accurriſſet, repentè modios aliquot frumenti, & vini cados in ipſo veſtibulo reperit: neque, adhibitâ quantavis diligentiâ, umquam reſcire potuit, quis ea dona miſiſſet. *Placet hunc paragraphum iiſdem, quibus Maffeius ſui libri tertii caput nonum abſolvit, verbis concludere:* Hæc igitur, & alia ejuſmodi ſubinde accidebant, quæ politico ſupercilio rem æſtimanti frivola cuipiam fortaſſe videantur: ſed certè & paternam in famulos Dei providentiam ſatis declarant, & Ignatii ſecuritatem

AUCTORE J. P.

tem atque fiduciam ab omni ſtultitiæ vel temeritatis infamia vindicant. *Atque hæc quidem ſunt magnitudinis animi Ignatiani argumenta. En reliqua.*

§ LXXIV. Dantur reliqua, ex conſtantia in rebus magnis. Æquabilitas animi; victoria quâ homo ſe ipſum vincit.

Tenax Ignatius propoſiti fuit;

ERat autem ut in rebus arduis ſuſcipiendis ſtrenuus, ita in ſuſceptis retinendis conſtantiſſimus, animique firmitate ſingulari. *Quæ duo à Ribadeneira lib. 5, cap. 9 relata, hîc pluſculum à nobis declaranda ſunt. In tot tantiſque difficultatibus pro impetranda Ordinis ſui apud Sedem Apoſtolicam confirmatione, animo forti & erecto ſtetit* Ignatius. *Vide Ribadeneiram lib. 2, cap. 17. Nominis eidem ſuæ religioſæ familiæ ſanctè à ſe impoſiti tenaciſſimum ſe præbuit; ex Bartolo lib.* B *2, cap. 50; Orlandino lib. 2, num. 62. Diximus de hoc nomine ſuperiùs § 32 & 33. Illo utique Vir ſanctus erat intimè imbutus axiomate, quod inter alia ipſius effata memorat Bartoli interpres lib. 4, pag. 376:* Qui multum homines metuit, grande aliquid pro Deo numquam conficiet. Nihil enim ſuſcipi pro Deo magnum poteſt, quin ſuſcipienti magnos metus & vexationes continuò homines concitent, omniaque tumultu impleant. *Collegio Germanico vix erecto, & jam tum propter annonæ caritatem, ac bellicos tumultus occaſum minitante, quam ſtrenuè Pater perſtiterit; dabit Ribadeneira lib. 4, cap. 6.*

id quod liquet ex ſuperatis difficultatibus;

747 *Ad hæc,* Suſcepta negotia, *inquit Maffeius lib. 3, cap. 9,* in finem uſque perſeveranter urgebat: neque verò quos ſibi ſocios expeditionum aſſumpſerat, torpere patiebatur. *Quibus de maſculo* Ignatii *animo generatim pronuntiatis, ſingulatim ſubdit iſta:* Ubi neceſſarium iter, vel quid aliud gravioris momenti deſtinaſſet in diem certam, præſertim ſi poſtularet occaſio, nulla vi tempeſtatis, aut alia quavis difficultate deterrebatur, quo minùs ad conſtitutum tempus cogitata perficeret. In adeundis principibus viris, quod ille neceſſariò & ſæpe faciebat, cunctas aulæ moleſtias, & indignitatem, & aulicorum contumaciam deliciaſque vorabat alacritate mirabili. Acciditque aliquando, ut aditu excluſus, commodam admiſſionem horas ipſas quatuordecim jejunus obſederit. Si quid, re bene perſpecta, conſiliariis etiam adhibitis, decreviſſet; haud ita facilè ſe ab eo deduci patiebatur. *Exemplum proponitur ſequens:* Ad eccleſiaſticam diſciplinam pro ſua parte adjuvandam ſtatuerat, ne quis ex aliis Ordinibus transfuga, quamvis eruditione, aut eloquentia, aut alia qualibet laude clarus, in Societatem admitteretur. Obtulere ſe multi; nec prece, nec gratia umquam adductus eſt, ut quemquam reciperet.

C

non admittendis iis, qui ex aliis Ordinibus peterent Societatem;

748 *Et verò adeo erat tenax propoſiti, adjungendi ſibi ſocios, in ſuſcepto ſemel à ſe inſtituto conſtantes; ut vel leviſſimam non ferret hac in re vo-lubilitatis notam. Etenim* Si quis per noſtrorum, *uti pergit Maffeius,* imprudentiam irrepſerat, qui vel diem unum in alienis caſtris fuiſſet, contrà nitentibus interdum advenæ propinquis, amiciſque gratioſis; remittebat ad priſtina ſigna, vel ſi minùs pareret, certè è Societate pellebat: ne ceteri nimirum Ordines de nobis conqueri poſſent, aut Societas quaſi quoddam perfugium deſertoribus eſſe putaretur. *Contrà autem, ſibi qui conſtarent, atque in propoſito perſiſterent, eos magni faciebat Vir ſanctus. Audi Maffeium ibidem ſic proſequentem:* Neque minorem animi fortitudinem præſtitit in iis tuendis, quos, probato ipſorum ſpiritu & vocatione, in Societatem adſcripſiſſet. Quorum conſtantia cum à parentibus (ut fit) per ampliſſimos etiam viros acerrimè interdum oppugnaretur, Ignatius, ubi opus fuit, coram ſummo ipſo Pontifice, ſuorum cauſam contra opes & gratiam, divino fretus auxilio, ſine ulla dubitatione metuve, non ſolùm defendit, ſed etiam obtinuit. (*Vide Orlandinum lib. 14, num. 12.*) Itaque principes etiam viros Julius III Pontifex maximus feſtivè admonebat, ne cum Ignatio contenderent; utique ni vellent è certamine victi diſcedere. D

congregationibus Societati non uniendis; dando gratis, quod gratis acceperat;

749 *Maximè etiam ſibi conſtitit in nulla congregatione Societati unienda. Declaratur id ex binis ipſius exemplaribus epiſtolarum, quæ ante me habeo, ex archivo Romano tranſcripta; quorum unum quidem ſignatur Romæ* XV *Martii* 1547; *aliud verò ibidem die 2 Novembris* 1552. *Intergo prioris, teſte P. Ignatio Pinio, qui ambo tranſcripſit, habentur iſta antiquo charactere, quæ ex Italico ſic verto:* Patris Ignatii fratri Franciſco da Medde reſponſoria Perufium verſùs ſuper unione ſacerdotum Lombardiæ. *Et infra:* Sic conſervetur. *Ac paulò infra:* Oſtendit, quod ſacerdotes Sommaſchi Lombardiæ in animo habuerint, unire ſeſe cum Societate. *Poſterius autem exemplar notatur ad Vice-legatum Bononienſem à* S. Ignatio *miſſum fuiſſe, ac modeſtè ab* eo recuſari *petitam unionem quorumdam ſacerdotum cum Societate noſtra. Fuerunt & alii, qui antea fruſtra id tentaverant, teſte Ribadeneira, qui inter* Dichos y echos, *id eſt,* Dicta & geſta noſtri Patris *&c., deponit iſta ex Hiſpanico à me verſa:* Anno MDXLV patres Theatini voluerunt ſe unire cum Societate, & facere unum corpus: & ſic illud propoſuere, ac petiere per patrem magiſtrum Laynez; ſed Pater noſter hoc non approbavit; uti nec illud, ut unio iſta fieret cum Barnabitis Mediolanenſibus, qui eam petierunt anno MDLI, aſſumpto Domini Sauli archiepiſcopi Genuenſis patrocinio. E

F

Nullis inſuper rei nummariæ commodis aut incommodis adduci potuit, ut vel ad latum quidem unguem deflecteret à firmiſſimo illo ſui animi decreto, dandi per ſuos gratis, quod gratis acceperant. Audiatur iterum Maffeius: Cum lege caviſſet, *inquit,* ne quis è noſtris vel exſequiarum, vel Sacrificii, vel cujuſpiam omnino miniſterii nomine, pecuniam, aut eleemoſynam ullam acciperet, nedum cogeret, eam ipſe legem diligenter ſanctéque in omni vita ſervavit; neque commiſit umquam, ut fidem ſuam in rebus præſertim ſacris temere obligaret; vel (quod vitandum eſt maximè) ſpecie pietatis quæſtum facere videretur. Quo in genere illud inſigne memorant. Graviter ægrotabat ætate jam devexa.. Hieronymus Arzius. Ad hunc, viſendi causâ (fuit enim in colendis amicitiis diligentiſſimus) cum veniſſet Ignatius, hominemque benigno & ſpirituali alloquio recreare conatus eſſet; ille de futura vita ſolicitus, aureos ducentos ad piacularia Sacra pro ſe facienda ſudario involutos inſtitit Ignatio obtrudere. Quos cùm obfirmato animo rejeciſſet Pater; quòd diceret, ſe alieno periculo doctum ab hujuſmodi conventis jam pridem abſtinere, neque plus oneris velle ſuſcipere, quàm quantum

A tum præſtare cum fide poſſet ; admiratus ille ſanctimoniam & integritatem Viri, eam ipſam ſummam paullò pòſt ad eumdem ſine ulla conditione tranſmiſit. Tum Ignatius ſponte complures Hoſtias ad expianda amici peccata decrevit : neque in officii & caritatis certamine vinci ſe ab laico paſſus eſt.

negotiis ad Dei gloriam ad exitum perducendis ;

750 *Præter hæc, aliud Sanctus egregiæ in ſuſceptis Dei causâ negotiis ad exitum perducendis conſtantiæ ſpecimen exhibuit.* Die quodam, *uti memoratur apud Bartolum lib. 4, num. 19*, Alvitum, Neapolitanæ ditionis pagum profecturus [erat ; ſed] eum diem tanta vis imbrium intercepit, ut rogaretur à Polanco, valetudinis ejus ſolicito, commodiorem exſpectare. At is : Anni ſunt triginta, ex quo caſus nullius interventu quidquam omiſi vel diſtuli, quod in Dei obſequium ſuſcepiſſem : [neglectiſque] ventis, & imbribus, Polanco comite, itineri ſe dedit. *Nec piget huic exemplo aliud adjungere ex apographis noſtris Romanis : in quibus inter excerpta è libro*

B *Memoriali P. Ludovici Conſalvi paginarum 200 in folio, dicitur pag. 12 Cardinalis de Carpi, ut ſancti Viri conſtantiam exprimeret, eâ frequenter quaſi paræmiâ uſus :* Fixit clavum. *Nunc dic, amabo, quid intentatum reliquit, ut eccleſiaſticas dignitates à Societate proſcriberet, fruſtra contrarium optantibus Ferdinando rege, & Carolo V imperatore ? Enimvero Vir ſanctus intendit nervos omnes, ut hoc negotium diſturbaret ; nec acquievit porro, donec id, quod cœperat, ad finem perduxiſſet. Rem deſcribit Ribadeneira lib. 3, cap. 15.*

Magnitudo illa animi laudatur in Bulla canonizationis.

751 *Quæ cum ita ſint ; ſanè hæc maſcula in* Ignatio *magnitudo animi è rerum, quas ſuperiùs indicabam, aggregatione conflata, meruit breve hoc elogium in Bulla canonizationis :* Animi præclara magnitudo ex pœnitentiis, obſequio erga ægrotos, ex operibus charitatis, à quibus propter labores & difficultates, irriſiones, injurias & contumelias non receſſit ; ſed in illis conſtanter uſque ad optatum finem perſeveravit. *Ceterùm hanc virtutem, quæ Deo freta nihili ducebat omnia præ Deo, ac propter Deum, quàm ſingulari apud mortales tutela compenſarit Dominus ; liquet ex Bartolo, qui lib. 4, cap. 24 conglomeratam ex Sancti geſtis anacephalæoſin texit.*

C *Mira in Sancto mentis æquabilitas,*

752 *Redeamus nunc ad Ribadeneiram : qui lib. 5, capite quinto, cui titulum præponit* De mortificatis affectibus, *occaſione iſtorum verborum eidem capiti inſertorum*, Eumdem tenorem ſemper tenuit in rebus gerendis, & perpetuitatem in omni vita, *apertum nobis ulterioris in hunc locum commentationis campum reliquit. Ac illud quidem imprimis à Lanio & Fruſio uſurpatum fuiſſe, diſcimus ex Bartolo lib. 4, num. 9, quos dixiſſe refert*, In eo motus ingenitos, mutatâ naturâ, gratiæ famulari, idque non tam jubente voluntate, quam ſponte ac genio naturæ. *Erat itaque* S. Ignatius *ſemper idem, ſemper ſuus æque ac ſuorum* ; in nulla *utique* rerum diſſimilitudine ac varietate, varius ipſe, ſuique diſſimilis, *ut verbis Ribadeneiræ utar. Accedit eò, quod nihil cogeret molles ad Virum aditus, aut commoda fandi tempora captare. Nam* Quidam ex patribus, *referente ibidem Bartolo*, videns laſſum ex palatio, poſt exſpectatum diu fruſtra ad Pontificem aditum, rediiſſe ; negotium diſtulit, quod erat cum eo tractaturus. Moræ hujus cauſam poſtridie apud illum excuſantis urbanitatem rejecit tam acriter, ut ſcribat is pater, ſe per octiduum non auſum in eum aſpicere, nedum illum affari.

AUCTORE J. P.

753 *Æquabilis quoque ſerenitas mentis exteriùs ſeſe in illo prodebat. Nam* animo haud ſecus & vultu, *ſicut ibidem mox ſequitur*, in quo ſe tota mens & pingit, & movet, imperturbatus, & numquam non idem : ita ut ab ſuis diceretur, os Beati præferre, nimirum ubique ac perpetuò ſerenum. Quare illum expleri tuendo non poterat Gaſpar de Quiroga, Toletanus archiepiſcopus, qui Romæ cum illo identidem egerat. *Hic verò placidiſſimus animi ſtatus, cujus index erat vultus, quàm nullo caſu ſubito utque improviſo eventu facilè perturbaretur, fidem faciunt, quæ indidem ſubdimus :* Quiddam inſpecturus, quod noſtro in rure ad S. Balbinæ ædificabatur, fallente veſtigio, ſummis è ſcalis præceps ruit ; tantoque id impetu, ut P. Jacobus Guzmanus, qui ei ſocius aderat, actum de illo putaverit, utpote adverſo pariete labentis cerebrum contrituro. Ac evidenti quidem miraculo inhibitus eſt impetus ruentis, cum eſſet proximè caput alliſurus ; ſed is magnitudine repentini periculi nec colorem, nec ſitum animi mutavit, ac ne reſpexit E quidem, quod fere aſſolet, unde prorumpet ; ſed ita frigidè abivit, ut ſi ſcalis quàm commodiſſimè deſcendiſſet. *Res geſta confirmatur ex autographo P. Jacobi Guſmani (de quo ſuprà num. 617 dixi) teſtimonio, cujus apographum Spicilegio Romano inſertum P. Ignatius Pinius Româ ad me direxit.*

qui externè etiam ſe prodebat ;

ad repentinos caſus imperterrita.

754 *Huc ſpectant tum mœratiſſimum* Ignatii *dictum ad quemdam ex noſtris, auriculam ejus incautè trajecta acu perforantem ; ex Ribadeneira lib. 5, cap. 9 : tum placidiſſimum item reſponſum ad repentinum & intempeſtivum nuntium circa ſummas rei domeſticæ anguſtias ; ibidem. Adde aliud mentis pacatiſſimæ ſpecimen ex Bartolo lib. 4, num. 9 :* Cum anno MDLV turbante Roma ob motus Neapoli ſurgentes, gubernatorem Urbis cum omni apparitura Paulus IV domum noſtram miſit, ſcrutaturum armorum copiam, cujus illic abſconſæ malevoli ſuſpectos nos Pontifici fecerant : inſpectores *Vir ſanctus* fronte aperta, & hilari accepit ; juſſitque à patre, qui ſibi ab ſecretis erat, per omnes angulos circumduci ; viderent, quærerent, explorarent ad imas ab ſummis ædibus, quantum libuiſſet. Ubi cum nec umbram armorum reperiſſent ; idem, qui antè, F ſerenus & alacer, honoris gratiâ illos ad januam deduxit, quaſi apud ſe urbani aditus officioſo munere perfunctos. *Denique potuiſſetne res acerbior* Ignatio *obnuntiari, quàm interitus Societatis, tot tantiſque nominibus adeo intimè ſibi dilectæ ? Et tamen ſi vel adeo durus ipſi caſus accidiſſet ſine ſua culpa ; quàm penè ſupra fidem æquabili & mirabili animi præparatione exſtiterit ad hunc placidè & tranquillè ferendum, quarta horæ parte in oratione, & ſui collectione poſita ; diſcimus ex Ribadeneira lib. 5, cap. 1.*

Victor ſui erat ;

755 *Itaque Cardinalis à Monte in Relatione facta in conſiſtorio ſecreto coram S. D. N. Gregorio PP. XV meritò dixit :* Quoniam commotionum ſuarum & perturbationum . . dominatum obtinuit perfectiſſimum, dici jure poteſt fortior expugnatore urbium, teſte Salomone in Proverb. cap. XVI. *Quantus autem dominatus ille fuerit, conſtat ex mortificatione beatiſſimi Patris abſoluta in omni genere ; de qua re Orlandinus lib 16, num. 107. Enimvero* in familiari etiam ſermone nihil inculcabat ſæpius, & urgebat, ut illud : Vince te ipſum ; *teſte Bartolo lib. 4, num. 12.* Quod, *ſicut addit*, ex ejus diſciplina ſumptum

AUCTORE J. P.

ptum Xaverius tam altè imbiberat, ut noſtris inter Indos nihil æquè repeteret, ut hoc idem : Vince te ipſum .. Cumque toties Vir tantus unum fere id verbum recoqueret .., rogatus quandoque eſt, cur idem ſemper iteraret : Quia, inquit, hoc ego didici ab optimo Patre noſtro Ignatio. Et verè didicerat, non tam audienda, meditandaque illius victoriæ neceſſitate, & pretio, quam agendo, ſecumque pugnando, ductore Ignatio, uſuque egregio quotidianæ victoriæ ad palmam ſanctitatis, quam tandem adeptus eſt, currendo. *Redeamus ad* S. Ignatium.

& tales cupiebat eſſe

756 *Enimvero virtuti huic præ oratione palmam dabat : neque enim* exiſtimabat ſanctiorem, *uti ibidem ſcribitur*, qui patientiùs oraret, ſed qui debellaſſet ſe ipſum potentiùs, ſenſuumque & animi ſeditioſos motus generoſiùs calcaſſet : id quoque non ratò aſſerens, longo ſibi uſu exploratum ; inter centum, qui ſanctimoniæ medullam in perpetuandis orationibus quærerent, repertum iri vix novem aut decem, quos non privati nævus judicii, obſtinatique in ſuam ſententiam & intractabilis ingenii non inficeret ſcabies, nulli regulæ ceſſura ; ut qui ſe putent jura & regulam aliis dicere. Ex oppoſito verò pluris æſtimabat actum heroicum ſubactæ fortiter naturæ, & opinionem ſui magnam contemptu maſculo proterentis ; quàm piorum ſuſpiriorum lenes auras, & multarum horarum fletus dulciſſimos. *Aliud etiam ibidem fertur dediſſe documentum.* Sæpenumero *enim* timere ſe dixit, ne aliâ viâ putaremus eundum ad ſanctimoniam, quam quæ Societatis eſt propria, poneremuſque in precum aſſiduitate, quod eſt in domandis affectibus collocandum.

B

homines Societatis.

757 Natali autem ad producenda precandi ſpatia toties nitenti, prolixa quidem meditatione opus eſſe reſpondit, ad obtinendam ſui ipſius dominationem, ac de illa cum Deo ſecumque ſedulò tractandum : ceterùm eam qui ſemel adeptus ſit ; intra horæ quadrantem procliviùs Deo inhæſurum & arctiùs, quam multis horis quemlibet alium affectus parum edomiti. Aſſurgendi enim ad Deum, eique inhærendi impedimentum gravius nullum eſt, quam eſſe ſuimet tenacem, ſibique inhærere ; quò ſurſum conantem animam nihil infeſtiùs & miſerabiliùs deprimit.

C

Ludovicum Conſalvum quid memorem, in quodam inſigni Dei ſervo precandi ſtudium mirificè laudantem, *ſicut narratur loco citato ? Quippe ſanctus Vir* vincendi domandique ſui ſtudium in eo laudavit. *Quid verò judicii tulit de duobus adjutoribus laicis ?* Alterum placida, miti, & imperturbata naturæ potiùs indole quam virtutis, poſtpoſuit alteri violento, præcipiti ; efferarique in verba & motus impatientiæ proclivi, verùm hos auſus & impetus animoſo conatu ſæpius elidenti, reſorbentique verba jam linguam urentia. Huic enim, Macte animi, frater, inquiebat, expugna te ipſum fortiter, & duplo meritis auctior evades, quam illi, & illi, quibus lentum ac lene ingenium nihil faceſſit negotii.

D

§ LXXV. Alia de victoria ſui documenta ; examen particulare ; afflictatio corporis, caſtitas, modeſtia, ſermo.

Ex aliis exemplis ac documentis liquet,

ALium item adjutorem nactus, *inquit modò citatus Bartolus*, ſubducentem ſeſe ab cœtu reliquorum, quod bili arderet ignea facilé- que irritabili ; Erras, ait, mi frater ; nec fugâ hic hoſtis, ſed pugnâ vincitur ; nec ſanat iracundiam ſolitudo, ſed diſſimulat & tegit : plus Deo daturus es, pluſque accepturus, aſperitatem ingenitam vel interdum vel crebriùs frangendo, domeſticæ conſuetudinis occaſione bene uſus, quam ſi annum totum ſpeluncâ conditus, & mutus lateres. Tandem quos nôrat virtutis purgandæ egregiè avidos, eos ad ſui victoriam præcipuo ſtudio promovebat. In quibus fuit, qui ſe ad templa ſeptem indulgentiæ gratiâ invitanti, lepidè excuſarit ; ſe domi non ſemel in die plenam indulgentiam conſequi. *Hæc ibi. Quæ rectè conſentiunt cum iis, quæ Bartoli interpres lib.* 4, *à pag.* 380 *notat inter alia* Ignatii *effata :* Quibus eſt refractaria & vehemens indoles, ac modi neſcia, ne idcirco virtutem deſperent, tamquam ſuprà vires & ambitus poſitam ; ſed ingentes ad domandam naturam ſpiritus aſſumant, ſciantque vel unam ejuſmodi ſui victoriam præſtare plurimis aliorum facinoribus præclaris, obſequentis & imperturbati ingenii beneficio editis, nitente in oppoſitum nemine.

E

quanti eſſet apud Sanctum, ſe ipſum vincere :

759 *Quod verò* Ignatius ejuſmodi homines, frangendi ſui ſeriò cupidos, quamquam turbulenter interdum erumperent ; ferebat tamen patientiùs, quam alios quoſdam mitiores, minuſve culpandos, *ibidem, nonnullis interjectis, aſſeritur ac probatur hoc exemplo :* Sacerdotes duos communi ex cauſa ejectionem commeritos cum reprehenderet, alter impatientiam verbis liberioribus effudit ; vultum alter in ſinum turbidus demiſit, & petitione veniæ omiſſa, contemptum, quem ſilentio premebat, indiciis prætulit. Sanctus exploratum amborum genium probè callens, retento, qui magis reus videbatur, ſecundum hunc ſeculo reddidit. *Adde aliud Sancti dictum ibidem pag.* 384 ; Oportere *videlicet*, eſſe hominem interiorem ; pluriſque ducere compreſſionem privati arbitrii, quam vitam mortuo reſtitutam. *Et verò quod ad hujuſmodi victoriam reportandam, præcipuum libri Exercitiorum ſuorum ſpiritualium ſcopum direxerit, apprimè elucet ex eorum titulo iſto :* Exercitia quædam ſpiritualia, per quæ homo dirigitur, ut vincere ſe ipſum poſſit, & vitæ ſuæ rationem, determinatione à noxiis affectibus libera, inſtituere.

F

quò maximè conducit examen particulare.

760 *Efficaciſſimum autem, ut homo ſeipſum vincat, remedium eſt examen particulare ; ita vocatum, quòd in impugnando vitio aliquo ſingulari tamdiu occupatur, donec illud penitus expugnarit. Quia verò vis omnis tanto in hoſtes ſingulos erumpit lentior, quanto in plures diviſa effunditur, pugna tametſi ſit continua, rarò tamen integra hanc ſequitur victoria : unde fit, ut præter communem contra omnes pugnam, ſingulare ſeorſim cum uno aliquo certamen ineatur cautiùs. Ceterùm ulteriorem utiliſſimæ iſtius induſtriæ ideam ac leges tradit ac docet ſanctus Parens noſter*

A ſter in ſuis Exercitiis ſpiritualibus ; & Bartolus lib. 4, num. 25 ; apud quem invenies ad præſens propoſitum memorari iſta : Ignatius importunam ſuam ridendi conſuetudinem peculiari examine impugnans ; quoties riſiſſet, totidem ſibi catenâ ferreâ inflictis plagis noctu exſolvebat. Quin & interdiu mox, ut erraſſe ſe viderat, ſublatis ſtatim ad Deum oculis, vel admota pectori, quaſi aliud agens, manu, veniam tacitè precabatur : ac Manreſæ dum egit, ut numerum lapſuum teneret, quos per examen ſerotinum animadvertiſſet, nodis illos ſignabat, fune, quo præcingebatur, implicitis. *De riſu verberibus depulſo agit etiam Ribadeneira lib. 5, cap. 10. Diſco è monumentis noſtris Romanis, in libello chartaceo conſcripto à P. Leonello Gagliardi Romæ anno 1560, haberi iſta ſub titulo*, Quædam de B. P. Ignatio, *quæ ex Italico ſic interpretor :* Solebat noſter Pater, ut aliquod cujuſpiam vitium emendaret, dicere illi, ut ſæpius in die ſuper tali vitio faceret examen, & indicaret alicui ad hoc deputato, quo modo feciſſet ante cœnam vel ſomnum

B *Afflictationes corporis, & abſtinentia :* 761 *Multus fuit Vir ſanctiſſimus in voluntariis corporis afflictationibus Minoreſſæ præſertim ; ex Ribadeneira lib. 1, cap. 5, & Orlandino lib. 1, num. 20 ; item lib. 16, num. 104 ; ac Bartolo lib. 1, num. 12. Summam Sancti Patris abſtinentiam & ſobrietatem liquidò comprobant illa, quæ ſuperiùs dicta ſunt § 50, num. 528 ; rem confirmante Maffeio lib. 3, cap. 12 :* Cibi potûſque, *ait*, fuit adeo parcus, ut guſtatum funditus perdidiſſe videretur, niſi ſi quando pauculis veſceretur caſtaneis, quibus patrio more puer olim aſſueverat : nulli umquam ferculo quamvis famelicus ac jejunus arriſit : nullum edulii vel condimenti genus cuiquam indixit ; nihil umquam inter edendum eſt queſtus, licet per adjutorum inſcitiam incuriamve cibaria malè cocta conditaque, vinum etiam fugiens ac acidum præberetur. Nihil denique ſibi propriè apponi umquam eſt paſſus : & graviter adminiſtrum aliquando puniit, quod uvæ racemum uni ſibi præter ceteros attuliſſet. Quæ ſanè peritus rerum æſtimator haud ita levia duxerit, ſi Hominis vel ætatem ipſam, cui multa dantur ; vel infirmitatem valetudinis plura imperantem ; vel denique ſummam inter ſuos poteſtatem & licentiam, ut ita dicam, ſuo arbitratu vivendi, conſideret.

C *caſtitas, quam cum Societatis Parens in filiis ſuis,* 762 *Afflictationes corporis, ac victûs frugalitas maximè conducunt ad conſervandam caſtitatem : quam* Dei beneficio, *ſicut ſcribit idem auctor lib. 3, cap. 8*, tantam adeptus eſt, ut ex quo die ſeſe in beatæ Virginis fidem ac patrocinium contulit voto, nullam .. deinde, quamvis præfervidus naturâ, carnis tyrannidem ſenſerit. *De hac ejus virtute agit Ribadeneira lib. 1, cap. 3.* Porro in Societate, *ſubdit ibidem Maffeius*, nobiliſſimam hanc virtutem tanto ſtudio cuſtodiri volebat, ut nihil omnino neque in dictis, neque in factis laſcivum aut petulans appareret : ac, quoad fieri poſſet, noſtri cæleſtem vitam in terris agerent, ab omni corporis contagione ſejuncti. *Id quod Conſtitutionum part. 6, cap. 1, num. 1 ſic expreſſerat ſanctus Pater :* Quæ ad votum caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum conſtet, quam ſit perfectè obſervanda : nempe enitendo angelicam puritatem imitari & corporis & mentis noſtræ munditiâ. *Maffeius loco citato*, Quin etiam, *inquit*, in ſchola Terentium explicari (ni perpurgatus eſſet) quamquam optimum latinitatis auctorem, & Romanæ comœdiæ principem, vetuit nominatim ; quòd eum videlicet parum verecundum ac parum pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectione puerorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam prodeſſet ingeniis. *Imo fuit, cum ne expurgatum quidem in ſcholis noſtris prælegi voluit. Rem probo, & ita huc ex Hiſpanico transfero ex* Dichos y echos, *id eſt*, Dictis & actis *&c.*, *alibi memoratis ; in quibus ſub titulo* circa gubernationem *num. 94 Ribadeneira ſequentia narrat :* Pater Andreas Fruſius emendavit Terentium, purgando illum ab eo, quod poterat offendere, & mutando in amorem conjugalem id, quod de inhoneſto dicitur ; ut ſic in ſcholis noſtris ſecurè legi poſſet. Sed noſtro Patri viſum eſt, ut nullo modo legeretur : cum materia ſit talis, ut quocumque tractetur modo, non poſſit non nocere juventuti. AUCTORE J. P.

763 *Compendium Viennenſe Vitæ* S. Ignatii *pag. 58*, P. Antonium Ruiz, *inquit*, cum Deipara præſens recreavit in Hiſpania : in India periculoſè decumbentem cum Chriſto inviſens, reprehendit, quod pedis partem ad modeſtiæ regulas decenter non operiret. *In Vita à Carnolio edita cap. 27 pro hac re citatur* Doct. Jo. Franc. Xarque in Vita impreſſa. *In dicto Compendio ibidem ex Polanco*, modò altiſſimo : *ex Lainio autem*, perfectiſſimam, quæ dari poteſt, *gratiam caſtitatis obtinuiſſe narratur ſanctus Pater ; &* vivaces à natura oculos numquam fixiſſe in ſexum alterum, toties in rebus animæ ad Ignatium affluentem. *Linekus pag. 120 ex P. Conſalvi diario refert iſta :* Fratrem quemdam, in rei domeſticæ adminiſtratione novennio decenniove cum laude ceteroquin virtutis diligentiæque verſatum, Societate propulit, quod ægroti cujuſdam è noſtris cum pedes ablueret, manum paullo quam genua exibant, protuliſſet ulteriùs ; quamquam mali ſuſpicione, illa vacaret tractatio. *tum ipſa Societas maximè requirit ;* E

764 *Quam verò cautè ac religiosè Societas noſtra, caſtimoniæ Ignatianæ heres, muniverit filios ſuos, quando occaſio ſeſe offert agendi cum alio ſexu ; conficitur ex regulis ſacerdotum ; nam decima quinta vult, ut* mulierum confeſſiones non audiantur, niſi ad crates, etiamſi ſint puellulæ. *Decima ſexta præſcribit, ut* in audiendis confeſſionibus feminarum præſertim, ſeveros potiùs ſe, quam familiares exhibeant. *Decima ſeptima cavet, ut* eos, qui crebriùs confitentur, maximè feminas, breviter expediant .. Extra confeſſionem verò, ſi oportebit eas alloqui, id fiat in loco patenti ; nec longum ſermonem miſceant, & oculos modeſtè demiſſos habeant. *Ex decimæ octavæ præſcripto*, ſocius .., quamdiu cum feminis ſacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, ſed non, quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit *&c. Huc ſpectat edictum illud ſancti Patris ; ne quis ex ſuis feminas quaſvis viſeret ſine comite, qui & ſpectator ſemper adeſſet, teſte Orlandino lib. 14, num. 7* ; Utque doceret, *ait*, quantum apud ſe ea lex haberet ponderis, & cuſtodiam exemplo ſanciret ; cum unum è ſacerdotibus domeſticis hominem ſenem, & antiquæ bonitatis, contrà feciſſe cognoſſet, ſed per bonam ſimplicitatem, ut prorſus culpâ vacaret : tamen ad cæterorum commonitionem octo ſacerdotes unum convenire juſſit in locum, in eorumque medio reum flagello ſe cædere, quoad ſinguli ex iis ſingulos è Pſalmis Davidicis pronuntiarent : quorum primus Pſalmus eſſet quinquageſimus. *Orlandinus lib. 5, inter alia, quæ ſcribit de rebus geſtis Araozii & Fabri in Caſtella, piiſque eorum laboribus Valliſoleti, ubi tunc erat* *nihil ferentes,* F

AUCTORE J. P.

regni ſedes, ſuggerit iſta à num. 62 : Quibuſdam *patres* inſtar erant miraculi, quod cum omni genere ſexuque promiſcuo tam verſarentur innoxii. Nec dubitavit in media curia Melchior Canus bellè jocari, patres Societatis Jeſu herbam quamdam ſecum ſolitos circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis : eoque velut antidoto tutò poſſe inter feminarum verſari greges, & confitentibus puellis aurem ſalva integritate præbere. *Herba nempe illa erat timor Domini ; uti ex Araozii reſponſo habes num. 63, ubi præſentis facti narratio pertexitur.*

quod angelicæ huic virtuti adverſetur.

765 *Tanta verò eſt in Societate angelicæ virtutis obſervatio, ut regula 34 inter Communes prohibeat, ne quis* alium etiam joco tangat, præterquam in ſignum caritatis amplexando, cum quis aut abit, aut redit peregre. *juvat diſcere ex Joanne Rho in Variis virtutum hiſtoriis lib. 7, cap. 3, inter noſtra num. 1, regulæ iſtius originem ſanctique Patris noſtri rigidiſſimam in hac materia accurationem :* Ipſum, *inquit*, adeo in hoc toto genere ſeverum fuiſſe, narrabat nobis virtutis non minùs quam ætatis antiquiſſimæ nonagenarius ſenex Jacobus Crucius, pro Italiæ provinciis Generali Aſſiſtens, ut ſe, quem puerum à pædagogo feſtis diebus adductum, poſt Sacrum ad manus oſcula conſueviſſet admittere, atque humaniter appellare, ſcitulè aliquando comptum, aſſutâ lineo colari purpureâ fimbriâ, quaſi non vidiſſet, ſecura fronte præterierit, pædagogum interrogans, ubinam Jacobulus eſſet ? Quibus ex verbis cum offenſionem conjectaſſent ; ſeque paullò pòſt nullo jam ornatu exquiſitiùs cultum Patri ſtitiſſet ; graviter ſibi arriſiſſe, ac manum conſueto de more dediſſe poſtulanti.

766 Quin ſaluberrimam illam ab amico etiam contactu abſtinendi legem, ea maximè occaſione latam accepimus, quod ſeniorum aliquis eidem Crucio undenni puero formæ perelegantis atque ingenii promptiſſimi verticem manu contigiſſet, capillumque, ut moris eſt, demulſiſſe audiverat Ignatius : veritusque, ne in exemplum minimè profuturum ea olim traheretur licentia, ne id fas eſſet, lata lege ſancivit. *Accedit eò, quod*, ne otium, *laſciviæ nutrimentum, &* malorum omnium origo, quoad ejus fieri poſſit, domi noſtræ locum habeat, *vetet Conſtitutionum parte 3, cap. 1, num. 6. Et ibid. num. 4 vult, ut* omnes diligentiſſimè curent portas ſenſuum ſuorum (oculorum præcipuè, aurium & linguæ) ab omni inordinatione cuſtodire : *quæ cuſtodia magnum eſt ad angelicam caſtitatis virtutem acquirendam conſervandamque adjumentum ; uti & externum illud decorum in ſtatu, in inceſſu, in verbis, in tota corporis compoſitione ; quæ in ſancto Patre apprimè enituit.*

Rara in paucis modeſtia S. Ignatii,

767 *Carnolius cap. 27 graviſſimas perſonas cum juramento in proceſſibus depoſuiſſe refert, ſeſe ab impuris tentationibus, ſolo* Ignatii *conſpecto vultu, ſæpiùs liberatas fuiſſe. Solo loquendi & comedendi modo* S. P. N. Ignatius *multos ad Societatem traxit ; ſicut habemus apud Nicolaum Lancicium tom. 1, opuſculo 3, num. 285 ; ex diario ejus, quod ſcripſit P. Ludovicus Conſalvus, teſtis oculatus. Habuit* modeſtiam divinam, *ex verbis ac juramento familiaris ejus Joannis Antonii Viperani epiſcopi Juvenacenſis ; apud eumdem Lancicium, citato proceſſu Mutinenſi. Huc ſpectat* illa ſerenitas, quam ſemper in vultu præferebat, *ex Relatione conſiſtoriali ſecreta coram Gregorio PP. XV.* Ignatium adeo fuiſſe compoſitum, ut nec manum, nec oculum, membrumve aliud ſine cauſa & ratione moveret, *exſtat apud Carnolium dicto cap. 17 ex Summario proceſſuum fol. 206. Rhous in Variis virtutum hiſtoriis lib. 7, cap. 4, inter noſtra num. 1,* Nemo, *inquit*, ſacrorum legiſlatorum, modeſtiæ leges compoſuit, præter unum Ignatium, eaſque non humanâ proviſas prudentiâ, quamquam & hujus pleniſſimæ ſunt ; ſed divino nutu editas ; cui obſervando longa plurium dierum fuit, & ardens oratio. *Adde* lacrymas *ex Ribadeneira lib. 5, cap. 1, nec non mirum eventum in earum promulgatione, & explanatione facta per Lainium juſſu ſancti Patris.* Dicebat autem *tunc* Lainius, *teſte Bartolo lib. 4, num. 10,* in illud Jacobi Apoſtoli: Ecce nunc qui dicitis hodie aut cras ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus *&c.* ; tractabatque de parvis non parvi faciendis ; ubi parva illa, magnorum ſunt lucrorum præſidia.

cujus & variis leges

768 *Oculos ſuorum volebat Sanctus eſſe quam caſtigatiſſimos ; ſecundùm regulam tertiam modeſtiæ, quæ præſcribit :* Oculos demiſſos ut plurimùm teneant *&c. Oliverio autem Manareo quam longum uſum examinis particularis præſcripſerit, ob defixum in ſe obtutum, quòd præſagiret Manareus, à ſe vix ampliùs in terris eum reviſum iri ; diſces inferiùs paragraphi 86 parte 1, ex ipſiuſmet Manarei reſponſione ad poſtulatum ſecundum Lancicii : qui tom. 2 opuſculo ſpirituali 12, pag. 182 :* Solebat, *inquit, de ſancto Patre loquens*, ex quodam loco noſtros aſpicere tranſeuntes, & ſi quem deprehendiſſet non debitâ modeſtiâ procedentem, puniri jubebat. *Enimverò præter hæc*, munditias in victu cultuque dilexit ; ſed faciles, & nequaquam exquiſitas, cujuſmodi & viatorem & Chriſti famulum decent, *ex Maffeio lib. 3, cap. 12. Lancicius tom. 1, opuſculo 2, num. 258 affert* S. Ignatii *monitum, quod dedit cuidam è noſtris*, quem cum vidiſſet domo exiturum, ad portam Romani collegii acceſſiſſe, pallium complicatum in uno humero geſtantem ; redire juſſit ad cubiculum, ibique illud expanſum induere, & ſic inde prodire ; juxta præſcriptum regulæ vetantis quemquam prodire in publicum non decenter veſtitum. Hoc, *addit*, P. Eleutherius Pontanus S. Ignatii diſcipulus, teſtis oculatus, narravit P. Joanni Deckerio ; is P. Martino Santino, & hic mihi, *inquit.*

ſuis præſcribit.

769 *Præmiſerat ibid. num. 250 :* Domo progrediens palliatus, ita prodibat, ut ne quidem digiti manuum ejus ab occurrentibus poſſent videri, antequam oporteret dextram manum exerere, ad honorandum aliquem capitis apertione *&c. Veſtium porro munditiem ac compoſitionem religioſe modeſtam præſcribit regulâ 8 modeſtiæ. De externa munditie plura dabuntur paragraphi 86, parte 2, in Manarei reſponſione 17 ad poſtulata Niccolai Lancicii. Quantum verò illæ, de quibus diximus, regulæ modeſtiæ robur haberent ad externam proximi ædificationem, illud argumento eſt :* Quod ubicumque, *ait Bartolus lib. 4, num. 10,* noſtrorum aliquis prodiret, ex uno inceſſu, habituque totius oris & corporis agnoſcebatur [eſſe] ex Societate ; &, quod ait ſcriptor illius temporis, ex illa unius collecta modeſtia, intuentium animis omnes alii recurſabant. Quibus autem in legem tranſierat, ut noſtra omnia in deterius caperent, ſimulatam dicebant probitatem, & hypocriſim nominabant. Ad quæ, Faxit Deus, inquit Ignatius, huic noſtræ hypocriſi quotidie aliquid accedat : notanſque Salmeronem,

A rönem, qui cum Bobadilla tunc præsens aderat: Ego, *ait*, in Societate præter hos duos, hypocritam & simulatorem agnosco neminem: joco nempe serio innuens, plus illos virtutis habere, quam proferre; posseque hoc nomine haberi hypocritas, quod meliores essent, quam videri vellent. *Hæc damus in fide illius, è quo accepimus. Quibus accedit robur ex dicto illo brevi, quod P. Ignatius Pinius è libro Memoriali P. Ludovici Consalvi pag. 13 excerpsit:* Cum nonnemo nostrorum diceret, hominum Societatis modestiam hypocrisin à quibusdam Romæ censeri: gratum sibi fore respondit Ignatius, si ex iis hypocritis plures Societas haberet.

Quem in objurgatione modum tenuerit:

770 *Eximias linguæ dotes, & sermonis efficaciam narrat Ribadeneira lib. 5, cap. 6. Ex Bartolo lib. 3, num. 36 supple ea, quæ circa objurgationes à Sancto adhibitas refert Ribadeneira.* Quos tamen, *inquit Bartolus*, robusto pectore, & virtute mascula solidos probarat, habebatque propterea percaros, etiam exilibus de nævis castigare verbis durioribus consuerat. Inter quos præcipuè Hieronymum Natalem, & Joannem Polancum fuisse video, raræ utrumque bonitatis, ipsique unicè dilectos: in quo hæc ab tali homine, qualem ipsum sciebant, labeculatum vituperatio, virtutis pabulum iis suppeditabat, quos norat profectus heroici avidos, & capaces. *Rem probo ex schedis nostris Romanis, fidem facientibus, in archivo exstare librum inscriptum* Vitæ defunctorum; *atque in Vita patris Natalis, scripta ab eo, qui prædicto Patri, collegia Societatis Jesu visitanti, socius fuit, haberi, quæ huc Latinè transfero:* Pater noster Ignatius probavit P. Natalem, qui erat minister domus professæ: nam pro minimo defectu omni, qui domi occurrebat, eum vocabat, & insignes illi dabat reprehensiones, & tales, ut mihi diceret, quod pater Natalis quadam vice tantum non tremisceret, quando comparebat coram Patre Ignatio: qui tamen omnem energiam & efficaciam, quam adhibebat in eo reprehendendo, modo tam mirabili cum pace cordis sui adeo integra componebat, ut ipsemet P. Natalis mihi dixerit, quod, dum nonnumquam bonam ei dabat reprehensionem perambulando cubiculum, videbatur mundus in ipsum corruere, quando P. Ignatius spatiando patrem Natalem versùs, repetebat defectum illum, de quo tractabatur. Nihilominus advertebat, quod, ubi obverteret ipsi tergum, iret ridens. Atque ille erat modus agendi Patris nostri Ignatii cum subditis, quos sciebat esse solidæ virtutis. Et è contrario suaviter admodùm ac placidè tractabat debiles & imperfectos, permulcens eos, & laudans illud, quod habebant bonum. Sicut etiam P Ludovicus Consalvus in suo diario aliquarum actionum Patris Ignatii dicit, quod Natalem ac Polancum tractaret absque ullo respectu, imo duriter & cum severis reprehensionibus

B

C

efficacia sermonis &c.

771 *Ad illa, quæ eodem cap. 6 scribit Ribadeneira de efficacia sermonis, accerse ex ipsius libri 4 capite 7 breve illud, quod à Francisco Borgia testatur sibi esse dictum:* Loquebatur tamquam potestatem habens; *item quæ dicta sunt superiùs ex Ribadeneira § 54, à num. 570. Assueverat quoque sanctus Fundator noster piis colloquiis:* quem cum vulgus, ut fit, inter fabulandum peculiaribus notis vellet describere; illum, aiebat, qui semper in cælum suspicit, semper in ore Deum habet; *teste R. A. P. N. Vincentio Caraffa, in epistola de mediis conservandi primævum Societatis spiritum: quem qui urserit Sanctus, jam dabo.* AUCTORE J. P.

§ LXXVI. Severitas in vindicanda religiosa disciplina.

Duos coadjutores desides plectit severè;

Ribadeneira lib. 5, cap. 7 ostendit, quomodo Vir sanctus severitatem cum benignitate temperarit; quæ videlicet sunt dotes duæ Superioribus potissimùm propriæ. Supplebimus hic primò Ribadeneiram in iis, quæ circa sanctam ac justam Sancti severitatem alibi invenimus; deinde de ipsius benignitate dicemus. Severus imprimis erat vindex violatæ religiosæ disciplinæ. Etenim Bartolus lib. 3, num. 46, Laicos, *ait*, adjutores duos notavit aliquando novis rebus narrandis otium fallere. Accersitos jussit acervum fortuitorum lapidum in domûs area jacentem, in supremam ædium transferre partem, quasi ad præsens opus tunc necessarium: & quoties illos eumdem ludum ludere deprehendit, toties eosdem lapides sursum deorsum transferre imperavit; dum tandem perciperent, non esse illam necessitatem operis, sed desidiæ castigationem, sibique, quibus occuparentur utiliter, ipsimet requirerent. *Caro autem stabat sua illis petulantia, si qui præter decorum se gessissent.* Alii duo, *sicut ibidem mox sequitur*, inter ministeria culinæ immodestè jocando, aquam mutuò in ora jactaverant. Indignitatem joci longa suimet verberatione imprimis eluerunt: damnati sunt ad sumendum aliquot diebus in stabulo cibum, ad jactandam invicem, inspectantibus ceteris, uti fecerant, aquam, sed sordidam; ad audiendam, quâ excepti sunt publicè, acerbissimam objurgationem. Iis denique, si vellent, abire permissum. Nam si post decem, inquit, aut duodecim annos in Societate jam positos, tam indecora nondum posuerunt; quis neget, illos de Religioso, præter exteriorem cultum, nihil tenere.

D

mitiùs alium, quia servaverat pomum;

733 *Erat Sancto in promptu pœna non una pro ratione defectuum.* Mitiùs *enim* habuit, *ut subditur loco citato*, Laurentium Tristanum, structorem lapidarium, egregium sui domitorem, precationi addictissimum, adeoque silentii tenacem, ut de illo Ignatius diceret, plures ab eo poni lapides, quam verba. Huic interiorem domûs porticum sternenti, sinu excidit pomum, quod ad sitim mulcendam datum servaverat. Id animadversum ab Ignatio præsente suspicatus, erubuit scilicet, seque aliò obvertens, pomum à tergo, quasi id minùs cerneret, omisit. At Sanctus baculo, quo semper, dum vixit, crus ægrum sustinuit, tacens & velut aliud cogitans, in pomo ludebat, revolvebatque illi ob oculos; quos frater quoties præ pudore avertit, toties Vir sanctus, pomum illi baculo in conspectum revolvit: dum hac ejus sat longa verecundia contentus abscessit, ne verbo quidem testatus, rem displicuisse. Junioris magistri, qui Venetiis docebat, inconsulta verba longè diversâ appendens trutinâ, docuit pariter, lanci priùs fuisse quam linguæ committenda: quod enim iis apud aliquem imprudentiùs offendisset, peregrinatum missus est pedes, & mendicans solido trimestri.

E

F

gravissimè quemdam valetudinarii curatorem ob jocos liberiores: alios item mulctat.

774 *Vel tenuissimos angelicæ verecundiæ apices à suis accuratè exigebat. Idque liquet ex hoc facto, ibidem his verbis relato:* Sed fratrem valetudinarii curatorem, ceteroqui bonum, & erga ægrotos caritate ac patientia insignem, mandavit quantocyus dimitti, quod præterquam ferret ex-

AUCTORE J. P.

quisitissimæ honestatis & verecundiæ ratio, jocatus esset liberiùs: abeundumque illi erat, nisi patres, quotquot domi tunc erant, intercessores accessissent, ejusque integritatem morum, puritatemque præcipuam uno consensu ac testimonio confirmassent. Amandatus est tamen extra Italiam, habitu seculari, ultra leucas trecentas, pedes, nullo nisi corrogandæ stipis viatico.

Dimissionem similiter comminatus est Joanni Baptistæ Borellio, quo tamen usus diu fuerat vitæ privatæ administro; quòd ex seriniolo Viri sancti piacularem globulum furtim sublegisset paulo venustiorem, substituto in ejus locum minùs eleganti, quem ipse à Sancto habuerat. Fratris causam adjuvit, quod is tale tunc primùm peccasset, & ultro rem fassus; acerrima correptus reprehensione, lacrymas dedisset.

Sed non potuit ille olim mihi narratus (*Vide libri 3 numerum 20*) Soldevilleus precibus ullis aut lacrymis ejectionem ab se defendere, quâ propter spiritûs peregrinitatem damnatus fuerat. Quamquam autem deinde post diuturnum admissi dolorem, & minimè dubia emendati ingenii
B argumenta, Societatem iterum impetrarit; verùm haud priùs domi exceptus est, quam totos quinque menses in abjectissimis muneribus nosocomio operam dedisset.

Sanctus non erat in inferendis pœnis præceps.

775 *Nec verò in hujusmodi pœnis Sanctum plus æquo levem aut præcipitem fuisse, intelligitur ex his, quæ apud eumdem auctorem referuntur:* Hoc item moris Ignatio fuit, ut domo quandoque ad tempus expelleret, vel eos domi pro hospitibus teneret, quorum adhuc esset emendatio obscura, & dignus fuerat eâ pœnâ lapsus. Ita Cornelium Vishavæum, quo die Romam è Belgio venerat, recepto viatorio scipione, misit per Urbem mendicatum, quoad tantum pecuniæ collegisset, quanto opus erat ad exemptionem quamdam, quam se Romana in curia obtenturum inconsideratè sponderat. Sacerdotem quoque alium Belgam, *sicut ibidem prosequitur Bartolus*, ad se ex Gallia idcirco transmissum, ut sua de regni cujusdam exitio visa explicaret, quæ sibi persuaserat divinitus objecta; haud alio domum, quam extranei nomine rituque admisit, donec somnia illa sex doctissimis patribus inspicienda commisisset, explorandumque, num esset paratus illorum judi-
C cio tam ea damnare, quam pro bonis habere. Ac feliciter quidem vir bonus sibi consuluit: erat enim de cetero pius & satis cordatus, sensitque cum illis sibi esse illusum falsa specie vaticiniorum, & illa pro nugis habuit. Haud tamen impunè suam illam tulit pertinaciam priorem, quâ suis Superioribus in Gallia se durum præbuerat. In nosocomio Romæ ægrotis ministravit, nec inde totis sex mensibus pedem umquam tulit: tum domi cum adjutoribus laicis quotidiana officia obivit aliquamdiu: ubique verò ita se omnibus probavit, ut collegii rector demum in Galliam redierit.

Hisce additur exemplum alicujus è Societate profugi,

776 *Quid præterea?* Felicitate, *ait*, haud multùm absimili fugam infelicem clausit Antonius Monizius, nobilis Lusitanus. Hunc post magnam, quam principio movebat, præclaræ virtutis exspectationem, cepit tædium quoddam ejus vitæ, quam sibi eatenus experiebatur perjucundam. Accessit mox tædio animi ab ea æqualis alienatio, &, quod consequens est, negligentia disciplinæ, & conditionis alterius cupido, in qua illi aut Deus, aut mundus saperet: ac tandem deliberata mens, è statione discedendi. Pungebatur quidem holocausti rapinâ, quod de se Deo obtulerat, & sacrilegii exterrebatur facino-
D re: tamdiu tamen secum perrexit perplexari, ut conscientiam mordentem ad suum arbitrium finxerit; decernens videlicet vitæ genus sectari, esto probum & sanctum, sed juris sui, nullique subjectum. Illud enim, de suo ne se ipsum quidem retinere, nec esse vel gressus promovendi dominum vel movendi, tabes ei quædam videbatur, & lenta mors. Optavit igitur peregrini vitam perpetuò ducere; à qua nolens vi ulla verbisque dimoveri, ex Conimbricensi collegio aufugit, quò ad Petrum Fabrum missus Valentiâ fuerat, si quà posset, curandus. Prima ejus peregrinatio ad S. Jacobi in Gallæciam fuit, quam pedes, & solus exegit: si tamen solus; cui jam comes, at sera objurgatrix admissi pœnitudo. Secutus est nihilominus suum iter Monserratum versus; ubi jam impar conscientiæ flagellanti, tristitiæ ac perpessionibus itineris frigidissimi, egentissimique, sed miseratione potissimùm beatissimæ Virginis adjutus, Romæ suos errores sistere decrevit, projectusque ad pedes Ignatii, bonum reposcere, quod, nisi perditum, nescisset suo pretio æstimare.
E *sed post severas pœnitentias ab Ignatio in gratiam admissi.*

777 Sic desertione Parentis, pannosâ inopiâ & ærumnis Prodigo similis, ejus quoque in voces erumpens, Surgam, inquit, & ibo ad Patrem meum: Romamque iter arripuit. Quod piè animo conceptum morbus altiùs defixit, quo Avenione in nosocomio bimestri conflictatus, tantùm non priùs vivendi, quam peregrinandi finem fecit. Verùm utcumque restitutus, corpus ægrè trahens invalidum, Romam tandem pervenit. Illic non ausus in conspectum Ignatii se dare, nisi petitione veniæ mitigatum; ex Lusitanorum pauperum hospitali domo, quò se receperat, dedit ad eum litteras doloris & lacrymarum plenas, quibus ad misericordiam inflexus educendum curavit Ignatius in alias ædes, ut illic pergeret infamis fugæ sacrilegium expiare, priusquam coram compareret. At is interea moræ illius piaculo minimè contentus, nudus zonâ tenus in publicum erupit, crudè in seipsum flagellis sæviens, & luce palam Deo ac Societati ultroneum culpæ supplicium dependens: de quo ad juvenis affinem, principem feminam, scripsit Ignatius, stationum sacrarum quas obivit vias, multo sanguine notasse. Eratque illam iteraturus sibi pœnam, nisi ab
F eodem fuisset inhibitus: à quo brevi postea vocatus, ea teneritate benevolentiæ exceptus est, ut, qui se pudore & lacrymis confusus, ad ejus pedes jactaverat, præ interiori gaudio temperare à fletu non posset, visus sibi quodammodo renasci, & novam denuo vitam inchoare. Certè quidem hinc cœpit tanta religiosi laboris, & sanctimoniæ strenuitate agere, ut præsagire animo videretur, breve sibi spatium ad metam superesse: nam aliquanto pòst lenta febri affectus, cruciatu longo contabuit.

Punit præsidein subditis; Lainium severè commonet:

778 *Advertit citatus scriptor, subditorum lapsus in iis, qui præerant, subinde ab* Ignatio *punitos esse, si vel eos ipsimet cautè non anteverterent, vel compertos non punirent.* Duos, *ait*, adjutores cum fortè obvios habuisset minùs composito & modesto incessu, vivaci admodùm reprehensione jussit Ministri incogitantiam perstringi, in duobus jungendis, quorum neuter posset incitamento modestiæ vel exemplo comiti suo esse. *Addit* Sebastianum Romæum, collegii rectorem, cum templa septem indulgentiæ causâ adituros passus esset aliquid panis & vini secum in prandium deferre: nec probavit excusationem moris ab eo minimè inducti; culpam enim fuisse respon-

A ſpondit, quod non ſuſtuliſſet jam inductum: cum pejus erretur, quoties in uſum longiorem error fortuitus tranſire ſinitur.

Quid, quod ſumma cum libertate viros etiam primarios ac ſibi cariſſimos officii ſui moneret ſanctus Pater; ſicut patet in Lainio apud Orlandinum lib. 12, num. 21, & apud Bartolum lib. 3, num. 45: Provincialis munere, *ait iſte biographus*, in Italia fungebatur, & optimum quemque evocari Romam ab Ignatio cernens, ut cui pluris ſemper communes Societatis rationes, quam privatæ eſſent, paullo iniquiùs accepit, unam domum profeſſam tot collegiorum ſpoliatione diteſcere, deditque ad illum hac de re literas, quibus id quidem apud illum, ſed tamen reverenter dolebat. His cum nihil egiſſet, alteras addidit: quibus Ignatius nihil æquè expetens quam domandi ad majorum nutus judicii monumenta Societati relinquere, ſeriam reddidit, & valde cordatam epiſtolam; caveret, dum partes Superioris boni implere nititur, ne ſubjecti probi partibus deeſſet; motûs ejus radicem ſcrutaretur,
B quo niſi intra judicium proprium non ſinebatur quieſcere; videret ex mero divini obſequii ſtudio, an ex cujuſpiam philautiæ tacito alveo duceretur, &, ubi reum ſe deprehendiſſet, quâ pœnâ ſe putaret plectendum, ad ſe perſcriberet. *Quanta verò cum ſubmiſſione, ſuique ad abjectiones atque aſperitates oblatione, Sancto is reſponderit, ibidem legi poteſt.*

779 *Et nonnullis poſtea interjectis*, Accedebat, *teſte eodem auctore*, æqualis erga omnes vigor: nec erat, qui ejus peculiaris benevolentiæ ſecurus, quidquam ſibi vel minimum licere crederet adverſus communem diſciplinam, aut fore impunè errorem tametſi perlevem. Caros quidem in paucis habuit Martinum Olavium, Petrum Ribadeneiram, Ludovicum Gonzales: quòd tamen epiſcopos è Societate duos in Æthiopiam deſtinatos dum extra Urbem deducerent, incautè iſſent ulteriùs, quam horæ brevitas ferebat, ut ante noctem domi ſe ſiſterent; præter jejunium, quod illis imperavit, Ludovicum excepit tam acri objurgatione, ut etiam diceret: Quid obſtet neſcio, quo minùs tam procul te amittam, ut me numquam præterea videas: quo prorſus nihil ei poterat minari acerbiùs; à quo, patre cariùs amabatur. Et hoc tamen ex parte ipſi inflixit: ipſâ
C enim horâ, quæ tunc erat jam noctis altera, recipere ſeſe in collegium juſſit: ex quo domum ab eo non eſt revocatus, niſi diebus aliquot exactis.

cum aliis ſibi etiam egregiè caris non diſſimulat,

780 *De P. Jacobo Eguia memini ſuperiùs paragrapho 53, num. 558; qui* erumpebat identidem (*teſte Bartolo loco citato*) exclamans, ſanctum eſſe Ignatium, & Sancto majorem, aliaque ultra modum communem tam grandia, ut agi extra ſe ſimplicitate magis, quàm admiratione videretur. Nec defuit, qui offenderetur, hæc audiens. *Rei conſcius ſanctus Pater, non modò peccata, ſicut ibi indicatum eſt, in ejus aure deponere deſiit; ſed voluit*, ſe ipſe flagellis, *uti narrat Bartolus*, per triduum tamdiu ſub veſperam cæderet, dum tres quot diebus recitarentur pſalmi, intermonente ſingulis aliquo, meminiſſet deinceps eſſe in verbis conſideratior, nec offenſionis præbere anſam infirmioribus, qui eam facilè etiam non datam arriperent. *En tibi nunc pauca alterius generis exempla, quibus oſtenditur, Sanctum interdum, quas imponebat pœnas, accommodaſſe non eluendæ ſolùm culpæ, ſed erudiendo illius reo. Prædictus auctor hæc ibidem recenſet:*

inter quos Sancti confeſſarius, rigidè caſtigatus, quod virtutem ejus proderet.

781 Sic enim cuidam, magiſterium animorum antè penè aggreſſo, quam probè diſcipulum egiſſet, ex quo damni multum in eos redierat, quos ſuſceperat dirigendos; huic, inquam, publicas indixit verberationes, ſed alis duabus ſurſum verſus ad humeros ligatis, ponè quopiam inclamante, ne vellet implumis ad volatum eniti. Alium verò, cujus verſa ſus déque, mixtimque perſperſa in cubiculo ſupellex, conſarcinare totam in ſaccum juſſit, libros, lanea, linea, ſcripta, denique omnia confusè, nulloque ordine congeri; & circumferre tota domo ſaccum, culpam incompoſitæ negligentiæ ſubinde repetendo. Sed lepidum illud, quo puerulum caſtigavit, domi à patre recèns ex Judæis Chriſtiano nobis commendatum. Iraſcens aliquando puer, carcinoma ſeu cancrum, neſcio cui, fuerat imprecatus. Ejus vocis horrorem ut ei injiceret, cancrum emi curavit Ignatius ex grandioribus, vocatóque puero, Scin' tu, ait, quid hoc animantis ſit? Is cancer, quem imprecatus es? Nunc videſis illum atque experire. Juſſiſque reduci in tergum manibus, collo cancrum appendi fecit. Quem ut vidit puer pectori adrepentem, & diſtentis E chelarum volſellis minantem; velut illico lacerandus ejulare, flere, ſpondere, ſi umquam poſtea. Sic aliquamdiu detentus, ſolutus tandem eſt, colloque detracta beſtia. Is verò multo pòſt ex S. Dominici Ordine, ac demum epiſcopus Forolivienſis, narrabat ſæpius jucundè id factum, Ignatium laudans, qui mulctâ ætati, culpæque tam congruâ ſic illum penitus imprecandi morem à ſe abſtuliſſet, ut numquam poſtea in buccam veniret. *Hæc ille.*

AUCTORE J. P.

Alia quædam exempla ad inſtructionem eorum, qui déliquerant, accommodata.

§ LXXVII. Alia vindicatæ religioſæ diſciplinæ exempla; fuga novitatum; modus puniendi defectus, ac delatoribus credendi.

M*Affeius lib. 3, cap. 6 nonnulla notavit circa ſancti Patris in cuſtodienda diſciplina ſeveritatem: narrat enim de illo, quod*, dum aliquem increparet aſperiùs, tanta erat vis, ponduſque verborum, ut contra ne hiſcere quidem auderet quiſquam. Idque, *ait*, præſertim in cauſa viri cujuſdam inſignis apparuit. Qui cum turbulentior eſſet, quam ut eum diutius ferri oporteret; cumque ejus animum Ignatius blandis monitis præceptiſque nequidquam ſanare tentaſſet; ad extremum oratione converſa, divinam teſtatus juſtitiam, ac cæleſtis iræ minas intentans, tantum ardorem ſpiritûs præ ſe tulit, ipſi ut parietes tectaque non dubio motu nutare & concuti viderentur. Quo terrore perculſi, qui aderant, illico procumbentes, Dei pacem precibus ac votis expoſcere. Ipſe verò qui accuſabatur, exanimis ad pedes Ignatii ſeſe confeſtim abjecit, ac ſupplex confuſa voce, culpæ veniam petiit, ſeque poſthac in officio fore pollicitus eſt. *Atque hoc, ut vidimus, factum in viro quodam inſigni locum habuit: ad tales quippe* Ignatii *ſeveritas ſe potiſſimùm extendebat, ex fide Maffei, qui ſic pergit:* Continebat autem in diſciplina cum ceteros omnes, tum eos maximè, qui vel inſigni eruditione, vel generis nobilitate præſtarent: quippe quorum dicta factave ad exemplum in omnes partes valeant plurimùm.

Vi ac pondere verborum repreſſa audacia cujuſdam inſignis viri; F

783 Spe-

AUCTORE J. P.

nostros arcet à publicis spectaculis; plectit dissolutionem:

783 Spectaculis publicis, quamvis alioqui licitis, vel etiam sacris, adesse nostros non ita facilè permittebat. Quod si qui, facta potestate, se ad ea conferrent, omnes etiam atque etiam jubebat, sine ullo arrogantiæ vel levitatis indicio modestiam ac submissionem tenere, cedere omnibus, & infimum semper locum (nisi aliter à circumstantibus cogerentur) eligere. *Et verò austerum se probavit vindicem adversùs legum decori transgressores, ex asserto Maffei ibidem:* Cum è Romano, *ait*, ab se nuper instituto collegio adolescentes quosdam solutiùs in publico ambulantes vidisset, castigandos curavit palam, hortandosque gravi oratione, ut, quem haberent insitum animis pudorem ac verecundiam, cum externo item corporis habitu præ se ferrent: &, quoniam, Apostolo teste, spectaculo facti essent omnibus, caverent etiam atque etiam, ne supervacanea locutione, curioso oculorum obtutu, aliove incondito gestu, motuve corporis quemquam offenderent; præsertim cum eo de genere toto, multa cum precatione, lacrymisque conscripta pulcherrima ipse præcepta paulò antè edidisset.

B

odit res novas

784 *Ad hæc*, Nihil novi moris in Societatem induci, se inscio, est passus; principiisque vigilanter & acriter obstitit, quippe qui exempli vim nosset, & rerum incrementa fallentia; *apud Maffeium loco allegato: Exempla accipe ex Bartolo lib. 3, num. 47:* Martinum Olavium, collegii tunc Romani primarium, Ribadeneiram, & alios severè arguit, quod rure dum nostri feriarentur ab literis, ludum excogitassent quemdam novum, mali nempe aurati in orbem jactandi, ea lege, ut, cui excideret, salutationem Deiparæ statim de genibus recitaret. *Constans sancti Fundatoris ab introducendis novis abalienatio etiam obtinuit in rebus alioqui piis & sanctis.* Abstinentiam illam, *subdit idem scriptor*, à consueta cœna, quam diebus Veneris tenemus, volebant nonnulli legitimo mutari jejunio: id quamvis exile, attamen rejecit. Andream Galvanellum Venetiis rectorem audivit allocutionem ad suos profestis diebus per horam; festis verò per duas habere. Iis licet multi proficerent, censuit quibusque hebdomadis unam sufficere. Eumdem multavit Olavium, quod supra mensam librum intulisset, probum quidem, & quem legi exinde non abnuit; sed tunc nondum usu nostro probatum..

C

etiamsi bonas; & qua de causa.

785 Bonæ mentis ardor, sed nimius, Hieronymo Natali pluris stetit: nam post inspectam illius mandato Hispaniam; semel & iterum vehementiùs quam decebat, evincere ex illo conatus est, ut produceretur tempus, quod nostris, dum student, ad orandum præscribit regula. Hunc tam inquieto calentem fervore animum & increpavit acerrimè, & magnam regendæ Societatis partem, aliquanto priùs in eum depositam, ei abrogavit. *Inter* Dichos y echos *&c, id est*, Dicta & acta P. N. Ignatii, *sub titulo* Circa gubernationem, *ex relatione Ribadeneiræ num.* 18 *notantur ista:* In collegio Romano quadam vice voluere Superiores abrogare horam recreationis vespertinæ in Quadragesima, ac diebus jejunii, sentientes, quod, cum non haberetur cœna, non esset opus recreatione. Hoc ego dixi Patri nostro; qui haberi jussit recreationem ordinariam; dixitque, non haberi dumtaxat recreationem, ut non noceret studium, statim post cœnam; verùm etiam ut fratres agerent inter se, sermones conferrent, noscerent & amarent: id esse quod accenderet & foveret caritatem. *Enimverò rectè in rem nostram observat Bartolus loco citato, sic scribens:* Intellexit Vir sanctus, non alios esse Ordinis dissipandi aditus proniores, quam si alicunde incipias. Quantum enim tibi arridet illa mutatio; duplo tantum aliæ aliis placebunt, videbunturque necessariæ. Sic illam veluti annulatim Instituti catenam dissolvi, necesse fuerit, quæ nisi nexu constare non potest, cum nisi ex mutua partium ratione & habitudine non coaluerit. In quo nihil mirum, privatos sæpius cæcutire, ut quibus deest is oculus, quem in fundatoribus Ordinum sol sapientiæ accendit. Adde, quod perperam omnino humanis regulis loco cedere jubentur divinæ, per fundatores divinitus traditæ. *Vide P. Oliverii Manarei responsum 21 ad postulata Lancicii, paragrapho 86, parte secunda hujus commentarii.*

D

Quem in quotidianis noxis puniendis modum teneret.

786 In puniendo autem, *teste Maffeio suprà*, id sequebatur in primis, ut noxæ responderet animadversio, & in suo quisque vitio plecteretur: supervacanea verba silentio; ignaviam labore; honoris cupiditatem ignominiâ lueret. Ac ferme animadversionum Ignatii genus erat illud: circulum humi describere, ex quo noxii ne injussu excederent: colloquiis certorum hominum nominatim interdicere: verberationes ad præfinitum temporis spatium injungere, & alia ejusmodi. Noxas autem leviores & quotidianas intelligo, cujusmodi in homines etiam studiosos perfectionis cadunt: nam graviores Ignatius minimè toleraret. Solebat etiam sontibus ad humilem mensam in triclinio accumbentibus objurgatorem inducere, infimæ plerumque conditionis hominem, sed ingeniosum & acrem: qui cunctis audientibus, vitia reorum increparet, exprobraretque religionis annos, & negligentiam: idemque ceteros carptim nec opinantes repentè perstringeret; nimirum edomandæ superbiæ causâ, mentisque è pigritiæ veterno excitandæ. Sed qui deliquerant, priusquam ex consuetudine punirentur, quam leniſſimè operam dabat, ut suam ipsi culpam agnoscerent, atque ultro sibimet mulctam irrogarent: quæ tamen si gravior videretur, confessione contentus, ita moderabatur, ut multum sæpe de acerbitate minueret. *Ita ille. Pœnæ, quas quotidianis defectibus adhibebat, quales essent, docet etiam Originalis commentarius Lugdunensis, de quo alibi: ibi enim inter verba P. Hannibalis Codretti, hæc memorantur:* Pœnitentiæ, quas ob errores imponebat, ut plurimum erant preces ante Sacramentum, aliquando duarum vel trium horarum, nonnumquam etiam indefinitè, donec ipse revocaret hominem: & ideo solebat adjungere: Ora Deum, ut ego recorder. Circulus quoque, quo includebatur is qui erraverat, ad certum tempus, vel indefinitum, donec revocaretur. Licebat autem in circulo vel stare, vel sedere, si satis amplus esset. Circumscribebat autem circulum alter ex iis, qui Patri inserviebant, aut primus, qui occurrisset.

E

F

Delatoribus defectuum alienorum

787 *Quamvis autem optimus Pater ita esset in castigando severus, non erat tamen plus æquo credulus delatoribus defectuum alienorum; ut proin non parva acerbitatis pars in irrogandis pœnis inde mitigaretur. Nam P. Daniel Bartolus lib. 3, num. 40 ex Ludovico Consalvo refert*, ne Polanco quidem facilè credidisse, sinistri aliquid de aliis referenti: licet pari vir virtute ac judicio foret.. Verùm quia tam potest gubernationi obesse, si nulla penitus excipiatur delatio, quam si quælibet indiscriminatim undevis admittatur, jubebat

A bebat frequenter Ignatius, qui ad se aliquid de aliorum erroribus deferrent, quæ scitu & remedio egere crederent, scripto dare: tunc verò, maximè, si vehementiùs narrando commotiorem animum præferrent, & recti studio ultra modum flagrantem.. De absentibus verò proculque agentibus, quos locorum longinquitas, & ignoratio eorum, quæ de se scriberentur, à depulsione arcebat accusationum, multò judicabat morosiùs, præsertim si essent pœnâ aliquâ corrigendi. Et fuit cum Româ in Corsicam sacerdotem è nostris, cautum in paucis & sagacem transmisit, ut, dissimulatâ personâ, quasi aliud agens, certò indagaret, quæ patri cuipiam, mira illic ad Dei gloriam patranti, à mentientibus Catholicum nomen hæreticis objiciebantur.

non erat credulus.

788 *Confirmantur ac declarantur illa ex Maffeio lib 3, cap. 10, ubi, ex loco S. Bernardi ad Eugenium, injectâ de facilitate credulitatis memoriâ, sic scribit:* Ab hoc igitur scopulo, sicut à ceteris, magnopere Ignatius declinabat: quippe satis ad omnem animadversionem ipsa varietate suorum temporum eruditus. Ac delatoribus ita unam aurem præbere consueverat, ut semper alteram reo reservaret absenti. Quin etiam accusatoris ipsius, inter dicendum, gestus, oculos, vultusque omnes attentè observabat, crebrisque ac minutis interrogationibus, veritatis eliciendæ gratiâ fatigabat hominem. Totam deinde rem, si opus esset, per se, & per idoneos viros omnibus vestigiis indagabat leniter, ac sine tumultu; cavebatque non modò, ne quemquam damnaret indictâ causâ; verùm etiam, ut ne quid omnino præjudicati ad causæ cognitionem afferret. Illud etiam, in rebus præsertim gravioribus, observabat interdum, ut accusatorem juberet sua manu scribere, quæ deferret: primùm, quod hominum naturam pronam esse ad maledicendum intelligeret, & stylum quàm linguam longè facilius contineri: tum etiam, ut si quod mendacium, ut fit, tempore procedente, exstitisset, id, ipso delatoris chirographo teneri & coargui posset. Atque hoc temperamento fiebat; ut neque, si quid graviùs accidisset, ignoraret Ignatius; neque innocentes per calumniam aut per factionem circumveniri vel opprimi sineret.

B

C

§ LXXVIII. Severitas in immorigeris, ineptis & in malo obstinatis è Societate dimittendis.

Mens immota

L*iberalis erat Parens noster sanctissimus, & inexorabilis in hujusmodi furfuris hominibus è Societate ad seculum remittendis. Ribadeneira lib. 3, cap. 22 inter alia plurima, quibus Societatis nostræ institutum & formam describit, de potestate ac causis dimittendi nostros agit. Item videri possunt Constitutiones nostræ part. 2, cap. 1 & 2. Nostræ itaque dumtaxat hîc sunt partes, exemplis historicis aliunde erutis supplere ea, quæ Ribadeneira circa magnam optimi Parentis severitatem in dimittendis è Societate perniciosis, breviter scribit lib. 5 cap. 7. Bartolus lib. 3, num.* 19. Nonnullis, *ait*, quandoque intercedentibus expulsioni alicujus, quam ipse decrevisset, Et hunc, aiebat Sanctus, pro quo satagitis, adscripturi eratis in Societatem, si vobis, qualis est, constitisset? Sinite igitur dimissus abeat: ob hoc enim admissi probantur, ut perspiciantur: ob hoc perspici debent, ut si malæ frugis comperti fuerint, amandentur. Et vobis, addebat, per me cura sit admittendi; dimittendi curam mihi permittite. Externis verò interdum visentibus, domo tota comiter circumductis, in egressu ad januam; Et hæc nobis, dicebat, carcer est, atque hujus beneficio nec domi carcerem habemus, nec quos carcere claudamus.

AUCTORE J. P.

in dimittendis

790 *Mens porro erat Sancto immota, & contra omnem nobilitatis aut doctrinæ externum splendorem obfirmata, ubi de dimissione agebatur.* Sic Theotonii, *uti ibidem habes*, unà se ac Societatem inquietissima indole absolvit. Et erat hic Ducis Bragantiæ filius, & magno patruo Emmanuele, Lusitaniæ rege venerandus. Sic [in] Ducis Bivonæ consobrino, eodemque affine Joanni de Vega Siciliæ proregi, Viri sancti amico in paucis, summéque in illum beneficio; nec Ribadeneira (cui se cum lacrymis quamlibet ad pœnam paratus juvenis commendarat) suadens & supplicans evincere potuit, quo minùs illum dimitteret. Sic inter alios (de quibus paulò post) eruditos viros Christophorum Lainium abjecit, Jacobi Lainii sibi carissimi germanum: cui cum saltem pecuniæ aliquid rogaret idem Ribadeneira, quod & victu Romæ, & in Hispaniam careret viatico: Mihi verò, Petre, si totum Peruvium auro fluat, ne obolo quidem, inquit, iis succurrero, quos religiosis Ordinibus sua ipsorum culpa extruserit. *Hoc postremum factum confirmatur ex* Dichos y echos *&c. sub titulo* De prudentia & gubernatione spirituali *num. 4; ubi à Ribadeneira dictum sancti Patris innectitur anno 1553.*

E

è Societate ineptis.

791 *Et mox dimittendi causæ ibidem num. 20 apud Bartolum ostenduntur ex constanti usu Societatis potiùs, quam ex secunda parte Constitutionum eas transcribendo.* Ignatius *certè cum angelicam in Societate castitatem requireret, ne vel per umbram quidem suspicionis, ejusdem candorem obfuscari sustinuit, sicut indicat idem Vitæ scriptor, rem exemplo confirmans:* Quare nescio quem, *inquit*, licet Duci Bivonæ, quem jam memoravi, gratissimum, cum aliis octo amovit ab Societate: de quibus, qui Sancto ab secretis tunc fuit, hæc ad memoriam notarat: Cùm hoc anno, inquit, quidam in collegio parum honestè se gessisset simul cum aliis octo, qui vel minimum culpæ habere videbantur, à P. Ignatio de Societate expulsus est, ac in Siciliam remissus: quamvis inter hos essent aliqui valde nobiles, & in Latinis egregiè versati. *Huic generi ibidem subduntur duræ cervicis ingenia, & judicii pertinacis; qui, quo loco apud Sanctum fuerint, docebit sequens narratio ejusdem auctoris:* Cujusmodi fuit quidam ex Bætica Franciscus Marinus, multarum homo litterarum, magnisque agendis antè in seculo versatus.

F

Id patuit in quodam Francisco Marino,

792 Hic in officio ministri, quo in domo professa Romæ fungebatur, tam se obfirmatum in suis sensibus præbuit, ut quacumque animum obstinasset, inde vix ulla imperii, nedum rationis & precum auctoritate moveretur. Ineptum jubendo Ignatius censuit, qui flecti non nôrat ad parendum. Ministerio amotum tentavit Exercitiis spiritualibus in molliorem temperationem recoquere: & magnis promissis optati spem Ignatio dabat. Verùm hæc pietas marmoris fuit ad Austrum sudor, visusque foris totus liquescere, nihilo intus, quam antea, facilior evasit. Quod bellè Hieronymus Natalis initio viderat, aiens,

AUCTORE J. P.

vereri se, ne is Exercitia infamaret, hoc est, fructu solemni fraudaret conversionis exspectatæ. Ministerio redditus, ad duritiem pristinam mox redit: cujus rei multa jam de nocte certior factus Ignatius, mittit qui lecto excitent decumbentem: jubet, absque illa quoque mora, quam ad matutinum crepusculum rogabat, discedere, simul ut exemplo terreret similes, reque ipsa doceret, quod sæpius dixerat, se cum cervicoso ne noctem quidem unam eodem sub tecto moraturum.

& in Antonio Marino, ac in alio emotæ mentis.

793 Affinis huic genio fuit Marinus alter, Antonius nomine, Parisiensis doctor, genere Hispanus, qui primus in collegio Romano philosophiam est professus. Hic nonnulla in Societate improbabat, quod ea nimirum salivam suam non saperent: nec dissimulanter, quod perperam sentiret, effutiebat palam. Hominem Ignatius advocat: monet, non decere, ab Aristotele Euangelio præscribi, nec philosophiam haberi pro sanctimoniæ arbitra: nihilque omittit, quo illum ab errore abducat; sed ita suarum tenacem imaginum, suisque defixum in sensibus nactus est, ut cuncta incassum reciderint. Quare illum confestim à nobis amandavit. Ejus autem discessu, cum ex penuria magistrorum magnis angustiis cursus arctaretur (decem enim vix tandem professorum successione confectus est) non tenuit se P. Gonzales, quin ejus viri apud Ignatium deprecaretur jacturam ac doleret. Cui subridens, Age itaque, ait, eumque ad mentem reducito. Quod fuit perinde, ut sanationem illius desperare; & certè hujusmodi frangi magis possunt, quam flecti, & corrigi. Quod in alio quodam theologiæ studioso, natione Germano patuit, quem dæmon novo delirii genere sic dementaverat, ut se nulli jactaret subjacere, nullius imperiis esse obnoxium; sed suo unius ex arbitrio pendere, quòd esset S. Pauli spiritu præditus. Cui stultitiæ ex ejus cerebro revellendæ, qui domi erant theologi, foris alii, ipseque Ignatius cum frustra laborassent, nec valeret induci ad obtemperandum, fuit denique expellendus.

B

Non ferebat sanctus Pater pietatem peregrinam,

794 *Præter hos, nullo etiam modo tolerabat* Ignatius *peregrinæ atque exoticæ pietatis sectatores. Res patet ex hoc facto:* Erat in Romano collegio Soldevilla sacerdos theologus Catalanus, *sicut perhibet idem, quem sæpius designabamus, auctor.* Abjectâ is orandi formâ, Societatis usu tritâ, novas excogitaverat quasdam imaginosi capitis contentione fabrefactas; quibus nullæ magis illusioni viam pandunt. Earum item magister effectus, secretis coitionibus noctu in sacellum cum iis, quos sibi adjunxerat, multas horas, torquendo violentis meditationibus cerebro, conterebat. Inde aliquorum ex ejus sequacibus tentari defluereque valetudo: inde unus etiam in iis eximius intabescere: inde anxius causæ Rector, insolentis genii, quem in ore quorumdam legebat, venas solicitè rimari. Quo factum, ut tandem condicti nocturni deprehenderet nidum, eosque in illo arte proba incautos occuparet. Re ad Ignatium delata, errorem omnium in eorum auctorem refudit, & diuturna sui flagellatione in utroque collegii domusque triclinio multatum expulit; docturum hinc palam, si luberet, quod, nisi clam, docere metuerat, utpote conscius arrogati sibi præter imperitiam suam magisterii. *Hæc ibi.*

C

& solitudinem à more Societatis abhorrentem,

795 *Verùm alia indidem huc transcribamus.* Nec multum abfuit, quin jure eodem cum duobus aliis ageretur ceteroqui præstantissimis, Andrea Oviedo (qui pòst esse promeritus est Æthiopiæ patriarcha) & Francisco Onophrio, quos contemplandi dulcedo ita illexerat, ut vellent quidem permanere in Societate, sed vitam desertis in locis agere: de quo ejusmodi ad Ignatium literas dedere, quibus facti magis approbari petebant rationes, quam faciendi facultatem. Sed viri cum essent virtutis solidæ, nollentque periculo Societatis amittendæ, obedientiæ obstare, totos se illi permisere. At is graviter objurgatos, minatusque condignam auctoribus schismatum scissionem, Francisco Borgiæ fortibus litteris mandavit in viam reducere; sed ubi detersis oculis viderunt Deo minimè placere, quæ Dei vices agentibus displicerent, ultro ipsi in viam nullo ejus labore redière.

D

nec censuram, quâ unus carpebat alterius concionandi modum.

796 *Multo minus tolerabat defectus, mala principia alteri ingeneraturos.* Concionatus fuerat, *referente eodem scriptore*, Argentario in foro Hieronymus Natalis, partim abjiciendi sui, partim auditoris juvandi studio. Francisco Zapatæ nobili Toletano vile id sapuit, viroque honesto indecorum. Itaque domi, ut casus tulisset, dicta dicere in Natalem, vellicare, seplasiarium * prædicatorem vocitare. Vix ad Ignatium res venit, idque de nocte jam media, consiliario nemine, imo nec conscio, jubet reum è somno vestes arripere: quod erroris quidem tunc sui conscium, sed serò effecit: licet enim flens omnia sponderet, omniaque deferret, numquam Ignatium cœpto deflectere valuit. Ergo S. Francisci Ordinem complexus, in eo magna doctrinæ laude pietatisque vixit; nec propterea umquam ab amore & observantia in Societatem, & Ignatium destitit. *His de accurata in expurgando ab ineptis Ordine suo sancti Patris severitate expositis, juvat ex Bartolo subnectere famosum Guilielmum Postellum.*

* *In Italico* ciarlatano, *id est*, histrio

E

Famosum Guilielmum Postellum,

797 Hic, *inquit*, in mathesi, & philosophicis, re medica, & theologicis erat eximiè versatus; Latinè præterea, Græcè, Hebraicè, Syriacè quoque, Chaldaicè, linguisque aliis adeo instructus (nam & quasdam earum edidit regulas) ut jactaret, se absque interprete percursaturum facilè ex Gallia in Sinas, seque ab interjectis tot populis, suâ cujusque linguâ capiendum. Et verò fama est, totum orbem lustrasse ad cognoscendos omnium gentium mores, formamque imperii, & sacrorum ritus. Apud Franciscum I Galliarum regem in pretio fuit, & apud Margaritam Navarræ reginam, multosque Cardinales. Parisiis verò cum doceret, portentosi ingenii ac memoriæ ostento fuit. Hic ergo ingens, quo mirè ardebat, Societatis desiderium voto sanxit, & Romæ die quodam, septem, ut solet, visens ecclesias, in ara cujusque principe, suo id votum firmavit chirographo, adstrinxitque diserta, quâ teneri se volebat, hac lege, obtemperandi scilicet ad nutum Ignatio, seu cuivis alteri, qui sibi Dei vice præesset. Inter nostros adscriptus, aliquando specimen dederat futuræ virtutis egregium: cum repentè atque improvisò propheta novus cœpit futurorum vaticinia edere, ex Rabbinorum deliriis, & indiciis siderum, iisque tamquam oraculis summa fide adhæsit. Damnabant illa pro puerilibus & vanis Lainius, Salmeron, [atque] alii ad illum ab Ignatio submissi, mathematicis & linguis cultissimi, viri graves. Revincebantur eventis planè contrariis, & falsi coarguebantur. Errori tamen mordicus affixus induci non poterat, ut se ab stolidis artibus abstineret.

F

adhibita nequidquam omni curatione,

798 Longum sit dicere, curatione quam multiplici Vir sanctus sanare id caput nisus sit. Quæ cum omnes incassum reciderent, Pontificis vicario committit hominem, insolenti malo remedium

A dium insolens experturus: ut, quâ pollebat prudentiâ vir solers, tum auctoritate, tum doctissimorum, quos Romæ habebat, judicio illum sua somnia dedoceret: vel, sic orrigi non valebat, vagus sanè, ut antè, cursare pergeret; domum quidem nostram pedem denuo non inferret. Expressit quà per se vicarius, quà rationibus, & justis eruditorum explosionibus, quibus manifesto sui ludibrio deceptus monstrabatur, ut fateretur, se errare, scriptoque erroris & vanitatis condemnaret, quidquid eatenus ariolatus esset; sanctè præterea sponderet, numquam se ingenium aut stylum commodaturum arti tam noxiæ, aut vaticiniis edendis mentem adjecturum. Munitus hoc manus propriæ solemni syngrapho, & vicarii commendatione, quâ totus alter asserebatur fore, ad Ignatium remittitur, excipiturque haud minùs humaniter quam cautè. Subductis enim præter theologiam S. Thomæ codicibus aliis, ad ministeria domestica adhibetur, vetaturque tantisper rem sacram facere. Quæ omnia visus est æquo animo ferre, dæmone induciis brevibus cu-
B riositatem ejus differente, ut in eam ad primos insultus, retardatione factus ardentior, homo, si quis alius usquam, levissimus, relaberetur periculosiùs, ac si occasio favisset, alios interim sua illa non tantùm divinandi pice, sed, quam dehinc prodidit, sceleratiori, malè de fide sentiendi, pessimè inquinaret.

è Societate ejicit S. Ignatius,

799 Suum tamen hosti maligno consilium non processit. Suspectus enim semper Ignatio Postellus, mox ut compertus est, ejurata nugarum pericula repetere, statim à nobis ejectus est, cunctisque domi severè indictum, ejus colloquio non modò abstinerent, sed & occurrentis salutatione, ut qui doctrinæ parum sanæ, in præceps tendere videretur. Nec purpuratæ intercessioni fas sibi putavit Ignatius cedere, iteratam illi restitutionem postulanti. Quare apud Cardinalem quemdam aliquamdiu moratus, multisque & grandibus futurorum promissis illi adulatus, mutata repentè velificatione, concionabundus Marchiam obivit, &, deferente se jam bono spiritu, in errores lapsus gravissimos, & offensionis in populum magnæ, palam tandem magister hæresewn evasit. Inde cum aufugisset Venetias, arctissimam iniit cum femina quadam necessitudinem, elaboratoque ex suis deliriis ejus horoscopo, qui se Deo
C afflatum somniabat ventura proloqui, in eam à dæmone amentiam actus est, ut illam feminam ariolaretur feminarum perinde futuram redemptricem, ut Christus virorum exstitisset; idque novo quodam, quem commentabatur, Messiæ adventu. Sed in hac mira illius exspectatione, Venetiis Romam in compedes datus est, duroque illic & longo carcere maceratus.

tragicè in vita exercitum.

800 Tunc sui jam memor, eóque demum respiciens, unde se illuc privati adoratrix judicii superbia egerat, fugâ supplicium imminens eludere voluit. Fenestrâ itaque dum se dimittere conatur, præceps toto corpore alliditur, & brachium frangit: cujus dolore extortis clamoribus deprehensus, forti catena in carcere vincitur: ubi multis annis, artium suarum nimis certò fallaciam didicit, quæ sibi tam tristes & miserabiles successus non aperuisset. Tandem ejus absolutâ jam causâ, vel, ut alii scribunt, per fugam elusâ, Basileam secessit, subinde in Galliam, illic imminuti capitis, divinando, docendo, hæretici famam sustinuit; ac demum centenario grandior, damnatis, ut fertur, erroribus, Catholicus obiit. *Dimissionem Postelli brevissimè perstrin-*

git Orlandinus lib. 5, num. 3; cujus tragœdiam multis deduxit Bouhoursius in Vita S. Ignatii lib. 4, sub initium.

AUCTORE J.P.

Salmeronis, & aliorum duorum è Societate de eo judicium.

801 *Judicium de Postelli spiritu &c. scriptum manu Salmeronis, ab eoque & duobus aliis subscriptum, atque à Romanorum documentorum collectore Ignatio Pinio transcriptum, & ad nos missum, sic sonat ex Italico:* Jesus. Nos tres hîc subscripti simul congregati, quantum potuimus judicare tam è scriptis quam è verbis domini Postelli, censemus, quod, tametsi fortè voluntas ejus sit bona, nihilominus spiritus ejus ac prophetiæ nobis videantur illusiones manifestæ dæmonis, & phantasiæ merè humanæ sine ullo fundamento, aptæque ad decipiendos multos curiosos, ac magnum damnum & scandalum inferendum in Ecclesiam Domini Dei. Atque hoc confitemur omni cum puritate & sinceritate cordis, desiderantes, ut remotus ipse foret ac separatus ab hujusmodi rebus, quæ nec sibi, nec alteri prodesse possunt. Et quia ita rem se habere judicamus, ponimus hîc nomina nostra. Hodie Dominica
E post Pascha, decimâ Maii MDXLV. Alphonsus Salmeron, Jacobus l' Hostius, Elpidius Ugolettus.

§ LXXIX. Alia quædam in expurganda ab ineptis Societate exempla; benignitas erga eos qui inde dimitti vellent.

Die unico Pentecostes decem dimittit Romæ è Societate:

BArtolum, *ad alia severitatis Ignatianæ exempla in expurganda à malo fermento Societate procedentem, subsequamur.* Ex his verò paucis, *inquit*, quos ab Ignatio dimissos recensui, ne quis dimittendi colligat parcitatem, die ipso sacro Pentecostes, ex collegio Romano duodecim domum suam remisit. Utque omnibus planum esset, non minore nostro compendio improbos à nobis ejici, quam probos servari, alacritatem prætulit eo die, solito majorem. Quo virilis & rectæ caritatis sensu imbutus B. Borgia, tria sibi ex nostris læta dicebat accidere: cum ingrederentur in Societatem, in eaque obirent: & verò
F etiam cum ex ea expulsi abscederent. Quod ut rebus ipsis Ignatius edidit, sic prorsus voluit ab iis, qui præerant, in exemplum duci. Cùm enim resciisset, in Lusitania turbulentos esse ac refractarios obedientiæ nonnullos, Provincialis imprudentem in iis diu ferendis caritatem acriter reprehendit: ac tum illi tum reliquis per Societatem Superioribus præcepti religione imperavit, quoscumque inquietos, rebelles, & immorigeros invenissent, quantæcumque ii notæ forent, constanter dimitterent.

Kesselius quomodo se gesserit in dimittendis:

803 Quare Leonardus Clesselius [*imo* Kesselius,] Coloniæ rector, imperatis insistens, partem collegii, quod sociorum quindecim tunc erat, mediam ejecit. *Linekus parte 3, cap. 50, pag. 516 ex Ribadeneira in Ms. Hispanico*, ex quindecim *istis* sociis, *refert* octo jussos abscedere; *causam addens*, quod se obedientiæ nutui, persuasione cujusdam Gerardi Olandi, accommodare noluissent. *Nunc cum Bartolo pergamus:* Verùm austerioris facti conscientiâ quadam ictus, ut gestum fuerat, ad Ignatium scripsit, veniam rogans, si, perlectis ejus pœnæ causis, transiliis-

AUCTORE J. P.

se lineas videretur. At is, veniæ loco (ubi culpæ nihil erat) non laudavit modo Kesselium; sed illos etiam, qui superstites erant, si essent prioribus similes, mandavit expellere, solumque in collegio manere. Aliàs etiam ab se die uno decem simul amisit, atque in iis unum, qui, præter quàm modestia fineret, per jocum alterius caput talitro * perstrinxisset. *Atque ita procedendum censuit cum suis Vir oculatissimus, & conservandæ Societatis studiosissimus, probè gnarus, idem obtinere in corpore morali, quod in corpore physico; cui ad conservandam sanitatem, sectio venæ sæpe non tantùm conveniens, sed etiam maximè necessaria est. Multa tamen sunt, quæ hoc remedium mitigant, illudque non esse nimis odiosum suadent. Audiatur Bartolus:*

* *In Italico* capezzone

quem modum in iis teneat Societas juxta mentem Fundatoris.

804 *Nam* eo, *inquit*, haudquaquam Societas utitur, nisi post lentas & serias non Rectorum modò, si res ferat, consultationes; sed Præpositi, & Assistentium. Si qua verò ex parte non dicam instaurari, sed tueri se debet, & corroborare Societas, in hac profectò id debet potissimùm sui totius integritate, quæ tanti est, conservanda, matura partium corruptarum amputatione, priusquam ex iis vitium trahat, quod sanum est. *Et inducit sanctum Patrem nostrum Provinciali cuidam ita scribentem:* Quanto præstabiliùs foret, abscissione membri gangrænâ correpti, corpus reliquum in tuto ponere! Scripsisse memini, à P. Kesselio novem simul aut decem Coloniæ expulsos, ac paullo pòst totidem; meque jure id factum, quod essent commeriti, laudasse. Si foret malo ferrum citiùs admotum, unius forsitan aut duorum jactura ceteros conservasset. *Et num.* 21 *apud citatum auctorem invenies, eumdem Xaverii cum* Ignatio; *& num.* 22, *eumdem quoque Simonis Roderici cum utroque hoc Sancto, in Societate ab indignis expurganda, sensum fuisse.*

B

Mitissimum se præbet Sanctus

805 *De modo dimittendi, agunt Constitutiones nostræ part.* 2, *cap.* 3. *Hìc nobis erit satis, referre, quem modum in dimittendis iis, qui dimissionem peterent, tenuerit sanctus Patriarcha noster. Linekus mox allegatus, cap.* 51, *pag.* 517 *agens de modo Sancti, quem in manumittendis desertoribus usurpabat, dicit,* Satis exploratum esse, nihil eo fuisse mitius, nihil moderatius, opportunius nihil; præsertim, cum qui missionem poscerent, in lethalem hanc fraudem, veteratoris nequissimi dolo, arteque essent delati. *Rem ex Ribadeneira in Ms. Hispanico, sic probat:* Nam, *inquit*, præter eas preces, quas pro illis Pater optimus fundebat, volebat & socios, domi qui essent, Deum comprecari, votaque facere, ut eorum auxilio, mente divinitus resiperent monitâ, atque ad meliorem sese frugem conferrent. *Et mox ita prosequitur Linekus:* Destinabat insuper collocutores certos, qui divina cum iis miscerent colloquia, monitisque salutaribus ad meliora sumenda consilia adducerent. . .

C

erga eos, qui rogabant dimitti è Societate;

** an quinos?*

806 Nec omittebat ipse accedere, affari blandè, rogare humaniter, atque amicè, cur desertionem cogitarent: differrent tantisper, & cum tantopere voluntate ipsi sua, in Societate perstitissent, indultumque id eis esset orantibus; nunc saltem in vicem gratiæ, per dies quaternos aut quindenos *, usum nobis darent præsentiæ suæ, nulla obtemperandi lege alia, nisi quam ipsi sibi libera sua sponte dedissent. Sic ille in tentatorum animos influebat, quo eos in divino contineret obsequio. *Subdit:* Quod si nec sic quidem negotium procederet; aiunt, convocare solitum domesticos pleroſque, aut omnes, coram ut scisciteretur perplexos, quanam ex causa vellent Societati nuntium remittere? Quam cum dixissent, jussisse sodalium quemque de hoc animi proposito ferre sententiam; ostendere rationum inanitatem, mentisque obcæcationem, quâ se in interitum darent. Quod cum graphicè, nervoséque pro se quisque facerent, id sæpiusculè consecutos esse, ut pleni verecundia, obsiti lacrymis, ad omnium sese pedes abjicerent, culpam detestarentur suam, summisque in gratiis permansionem efflagitarent: *ex Ribadeneira in Ms. Hispanico.*

D

nihil intentatum relinquens

807 *Enimvero* nulla æquè re, *sicut refert Bartolus lib.* 3, *num.* 44, se effudit paternus Ignatii animus, ut occupandis præsenti remedio suorum periculis, quos religiosæ perseverantiæ desperatione aut tædio dæmon in Ægyptum prolectabat. In iis fuit, *inquit*, quem ut impetraret, triduo apud Deum lacrymis, precibus, afflictationibus institit, omni planè cibo se abstinens. Alium noctis silentio, multarum horarum iterata impugnatione, denique expugnavit consolando, terrendo, rationibus, [eâ,] quâ valebat, efficaciâ, configendo, [ut] ille in voces & fletus præ metu, & pravi consili ideteſtatione prorumperet. Ita quoque prolixa concertatione obfirmatam mollivit unius duritiem, ut, quàm impotenter paullo antè dimitti voluerat, tam supplex ad pedes se illi abjiceret, rogans & flagitans retineri, pœnam quamlibet paratus subire suæ illius titubationis. At Sanctus arctè illum complexus, Sit, inquit, hæc ejus pœnæ pars, ne te umquam deinceps Deo servire pœniteat; alteram ejus partem, quam commeritus es, exsolvam ipsemet, cum ad me stomachi dolores redierint.

E

in variis præscribendis remediis,

808 Inter hæc, pro ea, qua pollebat, perspicacitate, ad detegendas motuum radices, si desertionis impulsum conjiceret scelere aliquo incitari, tacitâ conscientiâ malè presso; morbi focum aggressus, exstimulabat illos ad confessionem culparum fidelem & candidam, gnarus, periculi malignitate perpurgata, desituros lethales illius paroxysmos. Ad eam verò confessionem obeundam, si videbantur difficilè inflecti; arte utebatur, quam sibi olim expertus fuerat felicem. Explicabat iis vitam, perditè, ut aiebat, in seculo actam: quidquid umquam illic graviùs peccasset, veraci quidem velut Christo præsenti, narratione referebat; sed cum eo dolore, iisque lacrymis, ut emollirentur infelices, & edomaretur eorum cæcus pudor. Quos ad sinceram confessionem jam dociles, nullâ interpositâ morâ jubebat expiari: adeo ut etiam aliquando de media nocte confessarium domesticum excitaret, ad hujusmodi aliquem audiendum. Nec sua illum fallebat conjectura: mox enim ad se à confessario redibant supplices, veniamque poscebant volubilitatis, Deo exinde ac Societati fidi & stabiles futuri. Harum porro curationum occultam vim quamdam ex ipso aliæ ducebant, ad infringendas voluntates mirabilem; alias patrabat major humanâ sagacitas excogitandis remediis ad sanationes morborum repentinas, cum sanationis expertes crederentur.

F

quibus ex parte ipsius accedebat mansuetudo ac patientia.

809 *Quibus remediis accedebat ex parte medentis, pharmacum alterius generis, longanimis nempe mansuetudo ac patientia in tolerandis defectibus; uti patuit in Ribadeneira; de quo apud Bartolum citatum scribitur*, Suasisse multos, ut dimitteretur ab Societate, quod nimis absurdum putarent, in cœtu virorum gravium ac pietate præstantium, puerilitates devorari, in quas identidem

A tidem erumpebat. Magno nisu urgebant dæmones, ut desertione præcipiti dimissionem præverteret, quam ei Ignatius negabat. Nec validiore ad eam machina impellere juvenem potuere, quam indignati animi aversione quadam, ab Ignatio adeo abhorrente, ut non dicam cum eo, more, quo priùs, domestico agere refugeret; sed ne oculis quidem eum sustineret. Frustra huic bona verba, frontis alacritas, & affabilitas blandientis, quâ propè adhuc pueri placantur. Dissimulavit tamen, patientissimè bonus Pater, quasi nihil horum adverteret; nec alteram ei propterea aut agendi speciem, aut oris umquam exhibuit. *Sed victus fuit Ribadeneiræ animus: id autem quomodo acciderit, indidem ego non transcribo: cum ipsiusmet Ribadeneiræ testimonium dederim paragrapho 54, num. 571, & sequente.*

Tironem quemdam remedio sui exempli

810 *Mirum etiam est, & huic affine apud citatum Bartolum* Ignatii *in vacillantis tironis jactatione stabilienda exemplum:* Erat is, *ait*, Balduinus de Angelo, qui Societatem anno MDLI vix ingressus, retro mox cœpit respectare. Retrahebat hominem pellax nescio quæ erga filium fratris teneritas. Ubique is animo, ubique oculis recursabat, velut barbariem exprobrans, quod, cum patris loco sibi esse deberet, esset tamen ab eo crudeliter destitutus. Ita suum illum in Societatem ingressum cogitans impietatis apud Deum & homines reum, in procinctu erat, ut regrederetur; actumque jam erat, nisi plus prò illo Ignatius, quam contra illum dæmon potuisset. Lucratus illum est primùm supplicibus apud Deum votis, simplici deinde narratiuncula, quæ totum negotium peregit. Vocat enim nihil minùs opinantem: jubet comiter, sibi assideat; & quasi cum eo fabulari aggressus, Ego, inquit, Deo me olim cum traderem, essemque, ut nunc es, in Dei obsequio novus, appetitus sum insultu dæmonis permolesto; at quam ridiculè, te quæso, adverte, quamque mirabili commeatu doctus sim à Deo vincere.

in societate retinet.

811 Recitabam quotidie ex libello psalmos B. Virginis. Inter icones libello adpictas, erat, in qua cognatam ad vivum expressam videbar cernere. Quoties igitur in eam picturam incidissem, toties animus examen fundebat innumerabile profanarum cogitationum, & stolidæ erga propinquos & affines teneritudinis. Hac ut absolverer C importunitate, jam constitueram ab eo genere pietatis erga Virginem abstinere, malebamque mali vitare periculum, quam boni aliquid lucrari. Verùm deinde callidiùs consulens animadverti, plus nimio gaudii me hosti daturum, si, eo nitente, tam sancti operis merito abstitissem. Impugnabat me puerili jaculo, & Marte puerili; & ipse clypeo ictus, ejus ludendos putavi. Chartâ iconem obduxi glutinatâ, unaque hac arte, & eam oculis, &, quam ingerebat, cognatæ speciem animo subduxi. Quibus dictis surrexit, & mœstum tironem magna, ut in talibus semper, benevolentiæ significatione complexus, & humanissimè consolatus, ex cubiculo remisit. Quo verò animo, quàm supra necessarium mutato, testantur verba jurejurando ipsius affirmat a. Protinus, inquit, totus cœpi in lacrymas fluere, iisque piorum sensuum, & cælestis affectus voluptatibus perfundi, ut quidquid amoris in consanguineos antè contuleram, in Deum converterem: nec fratris filium postea nisi velut ignotum & extraneum cogitavi. *Ex his conficitur, severitatem cum benignitate ab optimo nostro Parente contemperatam fuisse, id quod est nostrum in libri 5 caput 7 Ribadeneiræ, supplementum.*

AUCTORE J. P.

§. LXXX. Solicitudo paterna in curandis subditorum corporis & animi morbis; reverens eorum erga Sanctum affectus; alia ipsius erga illos intimi amoris argumenta.

Curabat Vir sanctus, ut darentur infirmis ea,

P*Athetica omnino sunt, quæ de egregia Parentis nostri optimi erga suos commiseratione describit Ribanencira lib. 5, cap. 8, quod ita inchoat:* Ad eamdem benignitatem pertinet sympathia illa & misericordia, quam ex morbis suorum capiebat. *Factis deinde rem illam confirmat; sed satis breviter. Ideo aliunde, quoad in nobis erit, huic argumento suppetias accersemus.* Voluit, *inquit Bartolus lib. 3, cap. 42*, in die moneri sæpius, qui haberent *ægroti:* quidquid à medicis quantumlibet minimum iis præscriberetur, ab curatoribus valetudinis exegit, an esset ad unguem plenéque servatum: nec impunè iis esse passus est, si quid neglectiùs curassent. Inter alia Minister domûs, & valetudinarii custos obliti cum essent, medicum ægroto per tempus accersere; utrumque de media nocte jussit medicum quærere, nec domum nisi cum medico redire: quem cum horæ importunitate prohiberentur invenire, coacti sunt, quod noctis superat, in nosocomio subsistere. *His autem, quæ de domestica supellectile vendi jussa, dum pecunia ad sumptus non suppeteret, scribit Ribadeneira, adjunge illud ex Maffeio lib. 3, cap. 4:* Sanè, *inquit*, cum ex laicis adjutoribus quidam æva conflictaretur febri, ad eumque refocillandum delicatiori cibo opus esset; quidquid nummulorum domi erat, denarios tres, eam unam in rem insumi jussit. Ac resistenti paulisper obsonatori, nihilque præterea pecuniæ ad ceteros alendos superesse dicenti, Atqui nos quidem, inquit ille, valemus: arido pane contenti esse poterimus. Atque ita languenti coëmptum obsonium est. F

quæ à medico ipsis erant præscripta.

813 *Originalis commentarius provinciæ Lugdunensis &c., de quo alibi, hæc scribit inter alia, quæ ex verbis P. Hannibalis Codretti refert:* Post cœnam & recreationem, quam habebat cum iis, qui cum eo cœnaverant, dimissis illis, vocabat eos ex domesticis, cum quibus negotiaturus * erat, ut Ministrum, & infirmarium. *Et nonnullis interjectis, sic dicitur:* Cum infirmarius negligentior fuisset in procurandis quibusdam pro infirmo; idque nocte cum interrogans, utrum omnia facta essent, quæ medicus jusserat, intellexisset: jussit illum statim, acceptis duobus sociis & face, quærere id quod medicus præscripserat, nec reverti domum, nisi afferret. Erant autem coria quædam delicatiora, quæ ad refricandos renes ægroti abhibebantur: quæ facilè inventa & adhibita fuerunt.

** id est, negotia peraturus*

In plurium ægrotorum copia non paritur duos tirones aliò dimitti.

814 *Ex Romano nostro ecgrapho, quod inscribitur* Dichos y echos *&c., id est* Dicta & acta nostri Patris Ignatii, *sub titulo* De gubernatione & cura novitiorum, *inter alia, quæ Ludovicus Consalvus dixisse, ibidem fertur, extraho ista:* Duo novitii primæ probationis Guilielmus Gallus, &

AUCTORE J. P.

Alfonſus Hiſpanus in morbum inciderunt. Dum domus eſſet onerata plus ſeptuaginta perſonis, videbatur aliquibus, fortè expedire, ut, quoniam necdum intrarant communem noſtram habitationem, diſcederent ad hoſpitale, valetudinis curandæ gratiâ. At Pater noſter ordinavit, ut medici ac remedia domi ipſis darentur. Neque enim par eſſe, ut illos, qui, relicto ſeculo, pro Dei amore ad nos veniunt, ita deſeramus in ſua neceſſitate. Hiſpanus paulo antè in hoſpitali curatus erat; Gallus ſervire ei tentaverat, nec voluerant ipſum admittere propter annonæ caritatem. Pater iſtius facti conſcius erat; neuter ex illis literas norat; & nihilominus ordinabat, ut domi curarentur. *Hæc ibi; quæ ex Hiſpanico à me converſa ſunt. Adiri etiam poteſt Bartolus lib. 3, cap. 42: ubi hæc narrantur:* Cuidam etiam atra bile ex morbi inſolentia conſternato juſſit interdum adeſſe novitios, qui muſicè nôrant, eumque piis cantibus recreare. *Tradit etiam Maffeius loco mox aſſignato:* Ipſos decumbentes inviſebat ſubinde ipſemet, confirmans unumquemque verbis planè divinis atque cæleſtibus, dabatque operam, ut omni depoſita ſolicitudine, Superioribus eſſe curæ ſe ſuamque ſalutem ſine ulla dubitatione ſentirent.

B

Antevertit morborum pericula,

815 *Diceres, adeo tenerum benigniſſimi Parentis erga filios infirmos affectum fuiſſe, ut unà cum iis infirmari videretur. Hinc ſolicitus ille erga eos amor, non in curandis tantùm morbis, ſed in eorum etiam antevertendo periculo. P. Nicolaus Lancicius tom. 2, opuſculo 12, cap. 8, num. 72 hæc narrat:* Cum quemdam novitium vidiſſet ſolito pallidiorem, ſtatim advocato præſcripſit remedium ſomni longioris, & ſic eum curavit. *Et ibidem num. 73,* De S. P. N. Ignatio, *ait,* ſcribit ejus Miniſter P. Ludovicus Conſalvus, ante initium Quadrageſimæ ſolitum ipſum S. P. noſtrum, advocato domum medico, ſingulos noſtros advocare, & examinare, an poſſet jejunare, vel deberet, expendendo uniuſcujuſque vires, & indiſpoſitiones; & urgendo, ut medicus vetaret jejunia iis, quos viſcera ejus materna videbant, non poſſe jejunare, vel ægrè admodum. Nec committebat ejus rei curam Miniſtro, non fidens ei, quia habebatur pro minùs miſericorde, quam eſſet ſanctus Pater; uti ipſemet hoc ipſum de ſe ſcribit in diario ſancti Patris geſtorum. Quæ conſuetudo etiam nunc, *inquit,* Romæ durat.

C

ac præcavet valetudini contraria:

816 *Solicitus erat in præcavendis valetudini ſuorum contrariis.* Afflictationes corporis, præſertim ſi languerent, intermittendas, certè ea moderatione adhibendas eſſe cenſebat, ut ne valetudinem oblæderent, eamque in diſcrimen adducerent; *referente Lineko pag. 222, ex P. Conſalvo. Quin imò* Cùm reſciſſet, in Sicilia permiſſum novitiis aliiſque junioribus quibuſdam per omnes magni jejunii ferias, eâ victûs parſimoniâ, quâ ceteros, vivere; acrem præſidibus reprehenſionem ſcribendam, tranſmittendamque curavit; *prout ibidem legitur ex patris Conſalvi diario. Quibus ibidem ex Ribadeneiræ Ms. Hiſpanico ſubduntur hæc:* Patrem verò Petrum Ribadeneiram anno MDXLV medici cum jejunare vetuiſſent; iſque ſancto Patri oppoſuiſſet, metuere ſe, ne ex laxitate jejunii, ſociorum quidam offenderentur: repoſuit Vir ſanctus: Ecquis ea re offendatur, & non potiùs Deo gratias reddat, quod non in eadem tecum neceſſitate verſetur? Alias verò (anno nimirum MDXLVI) quòd conſimile quiddam ad ejus aures perlatum eſſet, affirmatiſſimè aſſeruit, ſe eum è Societate ejecturum, cui indulgentia tam æqua offenſionem attuliſſet: quod olim Toleti in cœnaculo lectum, avidiſque domeſticorum auribus exceptum eſſe, Ribadeneira teſtatur.

D

afflictam fovet:

817 *Paternam Sancti curam commendat exemplum patris Ottellii, quando eum morbus invaſerat; de quo Linekus pag. 227 ſic ſcribit:* Orator is ſacer erat in profeſſorum domo Romana. Ergo cum vexationibus corporis longiùs proceſſiſſet, eò corpuſculum redegit, ut periculum eſſet, ne inutile ad munia Societatis redderetur. Pater ſanctus eum ſibi magno opere percurandum ſumpſit. [Voluit] in primis ab omni librorum lectionet abſtinere ſe trium hebdomadarum ſpatio: orandi item ſtudium tantiſper poneret; ſomno indulgeret largiùs, eamdem ſecum menſam, eodem victu victurus, frequentaret, prodiretque in campos frequentiùs. Hæc cum omnia integrè expleſſet, ita hominem reſtituit, ut in antiquum valetudinis locum, floremque revocatus, plurimis deinceps annis in præcipuis Italiæ & Siciliæ urbibus ad populum præclarè dixerit, magnumque ſibi nomen facundi atque etiam utilis ac fructuoſi oratoris confecerit. *Ita ille, citans Ribadeneiram in Ms.*

E

abjectiſſimis miniſteriis juvat;

818 Illud verò quantum, quod cubilia repurgare, ægrorum lectos ac ſtragula excutere, vindicareque à ſordibus: nec modo adjuvare, ſed & ſervum, & tamquam vernam agere, atque in omne venire ſubſidium, non rarò conſpectus ſit? Ita luculentiſſimis verbis, oculatus ipſe teſtis Ribadeneira in monumentis ſuis libratiis; *ex fide ejuſdem ſcriptoris, cujus iterum Linekus Ms. Hiſpanicum aſſignat:* Ego ipſus (inquit) ego vidi eum mundantem lectos infirmorum à cimicibus, eoſque necantem, ne infeſti eſſe pergerent ægrientibus, miſeriſque corporibus vexationem afferrent. *Non exigua quoque in ſancto Patre erat convaleſcentium cura.* Peculiari lege Miniſtro præſcripſerat, ne cuiquam ex revaleſcentibus quidquam oneris injungeret, præ quàm hujus rei gnarus ipſe efficeretur. Volebat itidem, tametſi valetudinario jam egreſſi eſſent, cibi illis per manus non quaſvis, ſed ejus, qui præerat, miniſtrarentur, manerentque ſub medici poteſtate, non minùs quam antea, dum, malis omnibus penitus excluſis, plena eos valetudo, viriumque integritas complecteretur; *uti habet Linekus pag. 235 ex P. Conſalvi Diario.*

F

abſentium etiam valetudini paternè conſulit.

819 *Paterna erga infirmos etiam abſentes* S. Ignatii *cura ſe prodit in epiſtola Italica ab ipſo ſubſcripta, & Romæ in ſacello noſtro domeſtico appenſa, in quo olim habitavit ac mortuus eſt ſanctus Pater: qui locus, dum ædificata deinde fuit domus iſta à Cardinale Farneſio, ſervatus eſt, ut fuerat. Epiſtolam monumentis noſtris Romanis inſertam ex Italico ita interpretor:* Summa gratia & amor æternus Chriſti Domini noſtri ſit ſemper in auxilium & favorem noſtrum. E veſtris, Reate die XXVII, & Spoleto die XXIX Aprilis datis intelleximus, progreſſum veſtræ peregrinationis, & invaletudinem magiſtri Polanci, & doctoris Loarte: & conſiderantes, ſi non adhiberetur diſcretio aliqua, habere poſſe pejùs; viſum nobis eſt, ut, ſi vos omnes quatuor aut nonnulli ex vobis, dum haſce accipietis, Laureti ſitis, veſtra valetudine id ferente, ſtatim redeatis Romam; & onero veſtram conſcientiam, ut veniendum vobis ſit, adhibita omni commoditate neceſſaria, ſive equites ſitis omnes, ſive equites partim, partim pedites; ego id relinquo diſcretioni veſtræ. At-

A Atque ut de omnibus neceſſariis proſpectum vobis ſit, ſcribo ad Dominum gubernatorem, vobis ut proſpiciat, & reditus veſter rectà dirigatur Romam, aliò non eundo, aut hærendo in aliis locis: quia jam incipiunt ingruere calores. Et me orationibus veſtris commendans, non dicam aliud, niſi quod precer Deum Dominum noſtrum, ut vobis omnibus det gratiam cognoſcendi & exſequendi ſuam ſanctiſſimam voluntatem. Romæ die IV Maii MDLV. Si aliqui è quatuor antea fortaſſe diſceſſerint, illi, qui ibidem remanſerint, aliis ſignificabunt illud, quod hîc ſcribitur &c. Veſter in Domino noſtro Ignatius. *Ex Spicilegio noſtro Romano obſervemus* 1°, *hanc quidem epiſtolam ecgraphamesſe, ſed manu* S. Ignatii *ſubſcriptam.* 2°, *Eam Lauretum dirigi* ad Joannem Polancum, Ludovicum Gonzalez, Gaſparem Loarte, & Jacobum de Guzman, Societatis Jeſu.

820 *Cum autem tot & tam ſingularibus tenerrimi erga ſuos animi officiis amantiſſimum ſeſe patrem comprobarit* Ignatius, *dubitare quiſnam poſſit, an eum ſibi apud ſuos amorem, ac reverentiam conciliarit, ut tamquam omnium delicium, cordibus eorum ac ſenſibus infixus adhæreret? Audiatur Ribadeneira, cujus verba ex Ms. Hiſpanico in Latinum converſa profert Linekus part.* 3, *cap.* 10, *& ſic habent:* Tam amoroſus igitur omnibus cum eſſet Pater noſter filiis ſuis; illi viciſſim ſe oſtendebant filios obedientes, & dabant illi corda ſua, ut diſponeret de illis, & de omnibus rebus ſine contradictione & repugnantia. Nam vi hujus amoris erat non ſolùm pater, ſed etiam ſervus ſubditorum. Ille curam habebat ipſorum, & ipſi non cogitabant de ſe, & laborabant ad defatigationem ſine reſpectu propriæ ſanitatis, quia ſciebant, Patrem habere magnam curam ſanitatis eorum. Et quando indigebant aliquo levamine in aliqua neceſſitate, ſciebant, ſe illud valde abundanter recepturos. Et ita erat quædam ſancta contentio inter Patrem & ejus filios, ut illi vellent aſſumere majores labores, quam vires ferrent. Et hac ratione cum religioſa æmulatione verebantur Patrem, & ei obediebant. Et Pater tractabat filios amore ſolicito, & dulciſſimo, qui verbis explicari non poteſt. *De reverentia, quo eum ſui proſequebantur, breve eſt illud apud Maffeium lib.* 3, *cap.* 6: Jacobus Laynes, qui proximus ab illo Societatis gubernacula tenuit, ceterique patres, quamvis humaniſſimè cum illis Ignatius ageret, tamen eximiam Viri virtutem ita reverebantur, ut bene moratos vel parenti liberos, vel magiſtro diſcipulos, adſtare diceres.

Summus in filiis erga optimum Parentem amor, ac reverentia.

B C

821 *Neque amantiſſimi Parentis noſtri caritas in ſolis curandis ægrotis ſuorum corporibus ſiſtebat, ſed in curandis eorum animis partes agebat ſuas. Specimina hæc dantur apud Bartolum lib.* 3, *num.* 43: Scimus, Bobadilla unus ex novem ipſius ſociis, repulſam cujuſmodi ab eo tulerit. Petebat anguſtum cubiculum ampliori mutare, & commodiori; id quia ceteris viam quamdam ſternebat ad eludenda paupertatis incommoda, ſignificari illi juſſit Ignatius, quin imo ejus cubiculi, quod ſibi dicebat anguſtius, in partem unam ſecederet, locumque duobus relinqueret, quos illi quam primùm contubernales dare decreviſſet. Libenter facturum Bobadilla reſpondit, & religioſè dicto ſtetit. Quibus tamen virtutis nondum eſſet ſupellex valde ampla, repulſam ità condiebat, ut negatis potiùs, quam ſi forent conceſſa, gauderent: tantum aberat, ex ea ut amaritiæ aliquid referrent. Nempe ſicca non erat,

Morbos animi

magiſque ad poteſtatis ſpecimen, quàm ad neceſſitatem injuncti muneris comparata, qualem incauti perperam uſurpant... Sicui vidiſſet literarum ſtudia obeſſe, quòd ſe inde efferret jactantiùs, vel novarum chimeris opinionum adhæreret; quamlibet ſublimi ac ſubtili foret ingenio, eum amovebat, addens, non eſſe ad ſcientias natum, ad quem appoſitæ non eſſent ſcientiæ.. Quibuſdam incompoſiti oris & habitus tradebat ad interpretandum modeſtiæ regulas, ab ſe ſcriptas; jubebatque de illis cohortationes domeſticas habere, quibus alios docendo, ſe ipſos docerent, iiſdemque argumentis ad earum obſervationem, eâdem operâ ſe & illos moverent. AUCTORE J. P.

822 Cui verò ex vita ſeculari inveteraſſet aliquid extraneum ab religione, monitorem ponebat caritate prudentem, qui eum obſervaret, & quidquid in eo notaſſet, quotidie ſcripto ei fideliter traderet, cujus tamquam ſpeculi conſulto illud emendaret. Quamquam hic uſus valde fructuoſus mutuæ admonitionis, communis tunc inter noſtros fuit: certa enim lege id invaluerat, ut Veneris diebus omnes convenirent, recogniturі errores ſuos, qui ab deſignatis monitoribus quatuor palam narrabantur: & quidem in collegio Romano cenſuræ hujus initium à Martino Olavio ducebatur, viro apud omnes eximio. Nonnulli verò Ignatio ſub ſerum quotidie indicabant, quoties in eo lapſi eſſent, quod, eo authore, ſibi debellandum ſuſceperant; iſque dies coràm diebus componens, quantum proceſſiſſent, vel contrà, iis objiciebat, quo utrimque animos ſumerent, vel ad promovendum, vel ad denuo inchoandum. Quandoque etiam graviore aliquo munere perfunctum ad cenſuram publicam vocabat, priuſquam aliud ei committeret. Tradit enim Hieronymus Natalis, ſe poſt depoſitum rectoris officium, patrum quadraginta permiſſum examini, &, quâ uſus in ſuos fuerat, minùs conſideratam duritiem, & acerbitatem, acriter ab Ignatio reprehenſam. *ſanat:* E

823 *Præter hæc, quæ Vir ſanctus ſubditis ſuis corpore & animo curandis præſtabat; erant alia bene multa, quibus intimum erga eos amorem probabat. Etenim* nonnulli ex primis patribus, *quod tradit Bartolus lib.* 3, *num.* 41, diu experti ſcripſere, totum.. fuiſſe ex caritate & amore concretum; occurſantibus noſtris eam explicuiſſe frontem, ea verba dixiſſe, ut excipere illos intra pectoris ſinum videretur; patrem filiis, quam Ignatium ſuis, cariorem umquam fuiſſe neminem; neminem in Societate jam tum latè diffuſa exſtitiſſe, præter unum (mihi prorſus ignotum) qui non totis viſceribus afficeretur erga illum; neminem, quin ſibi quidlibet tolerabilius duceret, quam longè ab eo disjungi. Nec iſta in noſtros paterni amoris teſtificatio ad præſentes ſolùm, & domi agentes pertinebat, ſed æquè ad longè diſſitos, & uno complexu filiorum cuique parem affectum dividebat. De iis ejus ſermo patrem ſpirabat amantiſſimum; illorum ærumnis, inopia, laborum molestiis, vexationibus vexabatur; commendabat illos Deo aſſiduis precibus, & multa profuſione lacrymarum: ſolabatur etiam quandoque benevolis, & paræneticis litteris; quibus nullum iis jucundius poterat perpeſſionum præmium venire. *& aliis bene multis paternum erga ſuos*

824 *Et mox id confirmat exemplis:* Sic anno, *inquit*, MDLV noſtrorum in Gallia nonnullos, inſectatione clericorum acerrima laborantes ſolatus eſt, tantumque iis addidit animorum, ut mori præoptarint, quam ſtatione abſcedere, in qua pro- *amorem probat.*

AUCTORE J. P.

proximorum ſaluti militabant. Dedit quoque ad Salmeronem conſolatorias, ex nimia fatigatione Patavii ægrotum: quibus majorem in modum recreatus, ut primùm potuit, reſponſum hoc reddidit: Ex R. V. litteris perſpexi, quo animi ſenſu ex hac mea ægrotatione affecta ſit. Agnoſco reipſa paterni pectoris amorem & viſcera, quibus altè inſcriptos nos gerit; certóque mihi hoc perſuadeo, ejus potiſſimùm impetratu factum, quod neque medici, neque horum pharmaca confeciſſent. Addat gratiæ huic Deus, in pauperes ſuos ſemper beneficus, ut tanto amori non parcè reſpondeam, quo Ra. Va. noſtrûm omnium verus Pater, conſolatur nos omnes, & ſublevat.

§ LXXXI. Alia, quæ Ignatii in regendo ſuavitatem commendant.

B *Verùm alia plura inerant ſancto Patri excitandi ſuorum erga ſe tenerrimi amoris irritamenta.* Paucis ut cum Ludovico à Camara exequar; nihil omittebat eorum, quibus poſſet domeſticos (ſibique ſocietate conjunctos) hilares reddere, ac conſervare, ad maxima quæque pro Dei obſequio exantlanda. Maternum ejus cor omnem amovebat non tantùm actum, ſed vel umbram novercalis affectus, vel animi alienioris. Quæ cauſa fuit, ut, cum poſt alios atque alios Romano collegio præfectos, in quodam ex iis patre, viſcerum maternorum jucunditatem reperiſſet; eum juſſerit ea ratione regere collegium, ne, quamdiu ille viveret, ab ejus regimine dimitteretur; ratus, ſe demortuo, non facilè futurum alium, qui ejus charitatem æquaret, *ex Ludovici Conſalvi à Camara diario apud Linekum pag.* 213.

Sicut Sanctus unicè ſatagebat de ſuis bene mereri,

826 *Inde ibidem ſequentes referuntur ejuſdem argumenti dotes pag.* 207: Omnes cavebat occaſiones, ne cuiquam parti videretur addictior, neve in amore ſingulari quemquam habere putaretur.. Et hæc cauſa erat, quod ſpecioſas quaſdam functiones, cumque honore publico conjunctas, nemini ipſe imponeret, ſed conſultoribus ſuis permitteret, delectum ipſi ut facerent, eoſque nominarent, quos huic, vel illi muneri aptiores fore arbitrarentur. Non tamen idcirco, quod ſuarum erat partium, omittebat, dirigendo exponendoque graphicè, quænam ad hujuſmodi provinciam rectè adminiſtrandam dotes animi depoſcerentur. Atque ita fiebat, ut, divino ſeſe lumine infundente, numquam non eligerent eum, quem ille animo tamquam digniſſimum deſignaſſet. *In electione Præpoſiti Generalis nulli ex ſuis determinatè dedit ſuffragium; ſed illi, in cujus electionem major ſuffragiorum numerus concurriſſet, ex dictis ſuperiùs* § 35. *Vide etiam Maffeium lib.* 3, *cap.* 10.

ſic cavebat, ne erga aliquem præ alio determinatè afficeretur.

C

827 *Quoniam vero omnis ab ejus regimine aberat faſtus; quid miri eſt, ſi vel inde, etiamſi defuiſſent plura alia, amabilem ſeſe reddidiſſet Superiorem? Et verò* non tamquam Prælatum fratribus, ſed tamquam miniſtrum & famulum ſe præbebat, *prout affirmat Orlandinus lib.* 3, *num.* 3, *agens de modo, quo S.* Ignatius *Societatem regeret eo tempore, quo necdum ejuſdem Præpoſitus electus eſſet. Quid verò deinde in hoc genere præſtiterit, dum jam ſummâ rerum in Societate potiebatur, intellige ex laudato auctore lib.* 16, *num.* 118: Quin etiam, *ait*, ſuavitati perpetuitatique obedientiæ, ac perfectæ rerum agendarum adminiſtrationi proſpiciens, abſtinebat omnino præceptis; ſi alia poſſet ratione id, quod volebat, conſequi. Non itaque obſervabat ſolùm, quid cujuſque æquum & conveniens viribus & ingenio foret: verùm etiam, ſive quidpiam decreturus, ſive pœnam impoſiturus, ita rem ſimplici quidem ſermone, ſed ſcitè, poſitiſque ſub oculos rationibus exequebatur, ut, qui audiebant, in ejus ſententiam non ducerentur, ſed venirent, imo præire viderentur, non ſequi. *Hæc Orlandinus; ubi etiam agit de prudentia ſancti Patris in demandandis negotiis.*

Agendi modus ſine faſtu,

D

828 *Ad hæc accedit, quod optimus Pater abhorreret ab illo vitio, quo dicta ſubditorum factave in malam partem accipere, ac ſecus, quam par eſt, interpretari ſolent nonnulli Superiores: unde fit, ut eorum, quibus præſunt, animi ab iis abalienentur.* Ignatius *itaque optimè de ſuis exiſtimabat.* De iis enim agebat, *ex narratione Bartoli lib.* 3, *num.* 40, tamquam hominibus aut metam virtutis eximiæ aſſecutis, aut incitatò ad eam tendentibus.. Quam opinionem de ſuis præclaram fovebat caritas, à ſuſpicacitate aliena, nec aurem credulam delationibus adverſis commodans. *Et verò omnia, quantum poterat, ſanctum Virum rectè interpretatum fuiſſe, ex eo conficitur, quòd ex Ludovici Conſalvi diario Linekus pag.* 203 *ſcribat*, natum *inde* fuiſſe proverbium, ut interpretationes Ignatii, tamquam optimæ, Interpretationes Patris vocarentur. *Dulce inſuper obedientiæ jugum reddebat Sanctus, quòd ſuos, rebus bene geſtis ad ſe reduces, paterno animo exciperet. Rem declaro.*

& non ſuſpicax,

E

latitiæ ſenſus, gratificandi ſtudium in ſuorum rectè factis,

829 Cùm peracto munere domum reverterentur, abſtineri haud potuit Ignatius, quin ſe obvium ederet, lætiſque adventantem oculis exciperet, prævenire ſermonem ſolitus, hilariterque quærere: Bene veneris, quomodo res, feliciterne, & ex animi ſententia tibi accidit? Quibus & gratulabatur, ſi res bene eveniſſet; ſin minùs, ſolabatur, novoſque ad peragenda ſtrenuè jam cœpta, urgendaque, ſociis ſtimulos ſufficiebat. *Ita exſtat apud Linekum pag.* 210, *ex Conſalvi diario*; compertumque, *uti ſubdit Linekus*, exemplis non paucis eſt, ingentem lætitiæ ſenſum præferre ſolitum, quoties vel loqueretur de rebus domeſticorum, vel loquentes audiret; adeo ut literas geſtorum indices noſtrorum, iterum iterumque legendas curaret; quo tamquam ſemen bonum altiùs in animos deſcenderent, frugemque ei uberiorem redderent. *Nec prætereri debet* gratificandi ſtudium, ſi quid à quopiam rectè laudabiliterque geſtum eſſet: tum enimvero geſtire gaudio, accedere, probare factum, memorare, ceteriſque in exemplum proponere, gratum ſuum animum oſtendere, minimaſque quaſque occaſiones captare exhilarandi, beneque de iis merendi: nihil demum non agere, quo gratum ſuum animum beneficiis, obſequiis, & quoquo poſſet officiorum genere, teſtatum relinqueret: *prout è dicto diario narrat Linckus pag.* 211.

F

cura paterna circa res neceſſarias,

830 *Nec levem Societatis Moderatori conciliabat benignitatem, quòd ſuis proſpiceret adeo accuratè de omnibus neceſſariis. Rem confirmo ex Bartolo lib.* 3, *num.* 42: Ubicumque ſpes affulgeret, poſſe illis humanâ diligentiâ ſuccurri, nihil omittebat, quo illis adeſſet: eamque ob cauſam, ſanus ægrotuſve quis foret, nolebat quemquam ſibi ullo modo eſſe ſolicitum, & ſive tuendæ, ſive refocillandæ valetudini, aliunde quam à ſe ſubſidia quærere, quæ profuſiſſima accuratione

A tione omnibus ſuggerebat; haudquaquam exſpectans, dum ea peterentur; ſed petendi pudorem proviſione, ac liberalitate antevertens. Ne quâ verò mente excideret, adnotabat ea diligenter: obſervatuſque eſt, cum ad diſcutiendam negotiorum turbam, quibus Præpoſiti officium premitur, aliis alia crederet: quod ſuorum neceſſitatibus deeſſet, hoc ſolum peculiariter animo tenuiſſe, priorque ultro miniſtris, ut providerent, in memoriam revocaſſe. Nemo itineri ſe dabat, quin pridie, quam domo exiret, illi ſe ſiſteret: ubi coràm minutim perluſtrabat, ecquid ei deeſſet recularum, quæ viatori pauperi cõducunt. Nemo diſcrimen incurrebat, quin præſens vel abſens ſolicitâ operâ opitularetur laboranti. *Quidnam autem ſanctus Pater fecerit pro P. Joanne Guttano, à prædonibus Turcis capto, & in Africam abducto, quantaque cum ſedulitâte in ipſius redemptionem intenderit, ibidem refertur: de qua re videri etiam poteſt Orlandinus lib. 14, num. 18.*

B 831 *Quamvis verò eſſet Vir ſanctus* tenuiſſimi *et victum,* victus *ex Ribadeneira lib. 4, cap. 18; optabat tamen, ut ſui juniores ſapido prandio reſtaurarent vires corporis ad obſequia Dei. Apud Linekum quippe habemus pag. 220,* Quoties videret quempiam juvenum jucundo guſtatu edulia ſumentem, viſum geſtire gaudio Ignatium. Quam etiam ob cauſam cum Benedictum Palmium, adoleſcentem pinguiculum, cupidè edentem aſpectaviſſet; vocatum ad ſe magna hilaritudinis ſignificatione excepiſſe, atque ne in ruborem daretur, commendaviſſe porro ut pergeret, ſecuturiſque divinis obſequiis atque laboribus vires pararet. *Hæc ille, citans P. Conſalvum in diario.*

fiducia de ſuorum capacitate

832 *Mirificè etiam* S. Ignatius *ſibi devinciebat ſubditorum animos ingenti illâ fiduciâ, quam de ipſis habere ſeſe oſtendebat in rebus agendis; quo fiebat, ut neque in eorum officia importunè ſe ingereret, neque datæ ad rerum exſecutionem poteſtatis limites nimis reſtrictè coarctaret. Audiatur Maffeius lib. 3, cap. 10:* Ad officia vel negotia, quæ per ſe obire non poſſet, cum viris principibus tranſigenda, viros eligebat rerum uſu ac dicendi copiâ præditos, atque iis ita vel ſcripto vel verbis mandata dabat, ut liberum iis omnino relinqueret, cum in rem præſentem veniſſent, ſine ullo ipſius reſpectu, omnia ex re, & ex tempore moderari. Idemque ſub veſperam ad ſe redeunti cuipiam ex iis, cum rei geſtæ rationem ab eo repoſceret, primum omnium, Satin' (aiebat) ex animi tui ſententia? Quæ liberalitas hominis & ipſi cauſæ multum proderat, & ſuorum illi mirè devinciebat animos, & eoſdem ad exſequenda negotia perquam alacres promptoſque reddebat.

C

atque ampla in rebus pertractandis poteſtas.

833 *Res elucet in exemplo, quod ſubdit:* Anno poſt Chriſtum natum MDLIII cum ad res in Luſitania componendas Michaëlem Turrianum legaret, haud ita pridem in Societatem admiſſum; licet ei varias præceptiones ac monita ediderit conſignata litteris; tamen cum probè noſſet fidem ac prudentiam viri, non modò permiſit, ut, cum in provinciam perveniſſet, ſuo arbitratu conſilia rebus aptaret; ſed etiam permulta ei dedit folia pura, ſuo munita chirographo, quibus ille, prout opus eſſet, quidquid videretur, inſcriberet, ac deinde obſignatas epiſtolas, cuicumque expediret, ipſius nomine redderet. Atque hanc conſuetudinem laxè cum procuratoribus ac nuntiis agendi, ſemper magno cum emolumento retinuit. *Hæc ibi. Legi etiam merentur, quæ inferiùs paragraphi 86 parte 3, reſponſione 22, ſibi contigiſſe refert P. Oliverius Manareus.*

AUCTORE J P

834 *Neque mos ille Sancti obtinebat dumtaxat in rebus gravioribus, verùm etiam in quotidianis.* Quin etiam (*ita pergit Maffeius*) præfectis inferioribus minimè malignè ſuum cuique jus ac poteſtatem impertire conſueverat, cavebatque diligenter, ne, quæ per eos agenda forent, uſurparet ipſe, vel ea re quidquam omnino apud ſubjectos de illorum auctoritate vel exiſtimatione minueret. Verumtamen iis ita laxabat habenas, ut eaſdem adduceret, quoties vellet, nec non in eorum inſtituta, moreſque & adminiſtrandi genus diſſimulanter inquireret. Exſtat epiſtola ipſius ad Præpoſitum provinciæ Luſitaniæ, in hanc ſententiam ſcripta: *cujus ibidem partem hanc inſerit:*

Quam verò minimè involaret in officia præfectorum inferiorum,

835 Neque verò Provincialis aut Generalis Præpoſiti officium eſt, inquit, minuta quæque ac temporaria præſertim in adminiſtrando ſectari; ſed cum ad perſonæ dignitatem honeſtius, tum ad tranquillitatem animi tutius eſt, ea præfectis inferioribus delegare, & rei confectæ rationem ab eis deinde repetere. Equidem in meo fungendo munere id ipſum ſequor, atque hujuſce conſilii majorem in dies fructum capio: quippe cum & labore & ſolicitudine levari me magnopere ſentiam. Ac tibi quoque valde ſum auctor, ut curas & cogitationes tuas defigas in commodis & ſalute potiſſimùm univerſæ provinciæ: & in rebus quidem ſingulis ordinandis ac diſponendis, cum opus eſt, & ipſe verſere, & hominum tuo judicio peritorum ſententiam exquiras. Ceterùm ab iiſdem rebus per te curandis tranſigendiſque ut plurimum abſtineas, ſed inſtar excelſi cujuſdam motoris, orbes tibi ſubjunctos æquabiliter, & cum gravitate ciere pergas: à quibus deinde, ut à proximis cauſis, propria cujuſque effecta proveniant.

conſtat ex epiſtola ejus;

E

836 Quod ſi feceris, & plura, & magis tuo muneri convenientia ſine tumultu ac trepidatione confeceris. Præterea illud eſt in hac ratione commodi, quod, ſi quid in agendo peccetur, ejus peccati præſtat in tuis adminiſtris, quàm in te reſidere culpam: ac multò magis decet, quidquid ipſi deliquerint, corrigi abs te, quam ſi tu erraveris (quod perfacile eſt ſingula curioſiùs perſequenti,) te ab inferioribus emendari. Quod reliquum eſt, nobis Dominus Jeſus Chriſtus, ad ipſius voluntatem & clarè intelligendam, & ritè exſequendam, pro ſua benignitate lumen ac vires impertiat. Romæ XI Kal. Januarias MDLII. *Hactenus Sanctus apud Maffeium, varias ibidem congerentem rationes ad præſens argumentum.*

cujus fragmentum producitur.

F

Ampla poteſtas S. Franciſco Borgiæ ab Ignatio data;

837 *Amplam verò illam poteſtatem, quam* S. Ignatius *faciebat ſuis in rerum procuratione adminiſtris, placet oſtendere ex litteris patentibus, quibus P. Franciſcum Borgiam facit Commiſſarium generalem in Hiſpaniis & Indiis. Earum exemplar ex archivo noſtro Romano à P. Ignatio Pinio exaratum, huc tranſcribo:* Ignatius de Loyola, Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, chariſſimo in Chriſto fratri noſtro Do. Franciſco Borja, commiſſario in regnis Hiſpaniarum & Indiarum ejuſdem Societatis, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum diu multumque probatæ nobis & perſpectæ vitæ tuæ integritati, doctrinæ, & in rebus gerendis prudentiæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ac ceteris ipſius in te donis, plurimùm confidamus; cumque in quatuor noſtris provinciis Hiſpaniarum, & aliis Indiarum, ſereniſſimo Portugalliæ Regi & etiam Cæſareæ majeſtati ſubditarum, multa

AUCTORE J. P.

ta ſint circa perſonas, loca, reſque alias Societatis noſtræ ſive admiſſas, ſive admittendas. quæ præſentiâ alicujus, qui noſtra authoritate plena fungatur, indigeant; viſum eſt nobis expedire ad Dei gloriam, & bonam noſtri officii adminiſtrationem, & ſpiritualem prædictarum provinciarum profectum, ut tibi hoc oneris committeremus.

ſicut patet ex litteris patentibus.

838 Nos igitur omnia à te geſta & ordinata poſtquam à doctore Hieronymo Natali, tunc commiſſario noſtro in dictis regnis, auctoritatem accepiſti, approbando, confirmando, rata & grata nobis eſſe declarando, te in commiſſarium generalem, tum in quatuor provinciis dictis, Aragoniæ, Caſtellæ, Portugalliæ, & Bæticæ, ſive Vandaliæ; tum etiam in Indiarum regionibus ad jurisdictionem prædictorum regnorum pertinentibus, cum omni noſtra authoritate, ad perſonas, domos, & collegia admiſſa gubernanda & nova etiam admittenda, & ad alia omnia, quam per Sedis Apoſtolicæ conceſſionem communicare poſſumus, conſtituentes, ut tibi omnes, qui ſub noſtra obedientia ſunt in prædictis provinciis,
B perinde ut nobis, obediant, & tu, ut in Domino convenire ſenties, in rebus omnibus, quæ ad noſtrum officium pertinent, liberè auctoritate noſtra procedas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti committimus, injungimus & ordinamus: & ut ipſa æterna Sapientia te in omnibus illuſtrare & regere dignetur, precamur. Datum Romæ in ædibus Societatis Jeſu Idibus Novembris MDLV. Ignatius. *Ex hactenus dictis conſequens eſt, quam fortiter ac ſuaviter rexerit ſanctus Pater.*

§. LXXXII. Qualem ſe præbuerit ſanctus Pater erga novitios.

Rem maximi momenti cenſebat, quinam in Societatem admitterentur:

PRæcipua quadam, *inquit Maffeius lib. 3, cap. 10*, fuit obſervatione in hominibus ad Societatem adſcribendis. Quam ille rem tanti momenti ducebat eſſe, ut, cum alioquin è cuſtodia corporis evolare quam primùm optaret, hanc unam ob cauſam in aliquot annos propagari ſibi vitæ ſpatia cuperet, quoad nimirum tirocinii formula ac diſciplina ad Societatis uſum & inſtitutum probè conſtituta foret. *In noſtro inſtrumento Hiſpanico* Dichos y echos *&c., inter alia, quæ ſub titulo eorum, quæ ſpectant perſonam* S. Ignatii *narrantur, P. Polancus num. 23 hæc refert:* Dicebat, ſi aliquid deberet ſeſe inducere ad deſiderandam vitam (tametſi in hac re ſeſe non determinabat) illud eſſe, ut foret difficilis in hominibus ad Societatem admittendis. *Dotes porrò ſequentes in illis requirebat, ex narratione Maffei ibidem:* Tirones autem ille non à naturali quadam bonitate vel potiùs tarditate; ſed à vigore magis ingenii, & rerum gerendarum adjumentis, legebat; negabatque, qui ad populi negotia factus non eſſet, eumdem eſſe ad miniſteria Societatis idoneum. Quod ſi quis bardum quempiam eo nomine obtruderet, quòd ipſum utique è ſeculi naufragio diceret evaſurum; nihilominus recuſabat Ignatius, neminem affirmans è Societate Jeſu dicendum eſſe, qui ad ſuam unius, non etiam ad aliorum ſalutem, & acriter & ſcienter poſſet incumbere. *Et ſanè ipſemet Sanctus ſuum circa admittendos ad probationem diſertè ſenſum exprimit prima parte Conſtitutionum, cap. 1, num. 3*, Refert, *inquiens*, plurimùm ad divinum ſervitium, convenientem haberi delectum
C eorum, qui admittuntur, & diligentiam adhiberi, ut intelligatur, quæ eorum ſint dotes & vocatio. D

volebat mundo mortuos, ac ſoli Chriſto viventes,

840 *Quænam verò dotes in illis requirantur, habes loco citato, cap. 2. De horrore ab iis omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur; atque affectu erga ea, quæ mundi Salvator in pretio habuit, exoptando ei* aſſimilari, ac imitari aliquo modo creatorem ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque veſtibus & inſignibus indui *&c., agitur in Examine generali cap. 4, num. 44. Et ibidem præſcribitur, ut* interrogentur, an hujuſmodi deſideria tam ſalutaria, & ad perfectionem animarum ſuarum tam fructuoſa, in ſe ſentiant. *Moxque num. 45 ſic dicitur:* Quod ſi quis propter humanam noſtram debilitatem ac miſeriam, in ſe hujuſmodi tam inflammata in Domino deſideria non ſentiret; interrogetur, an certè deſiderium in ſe ſentiat, hujuſmodi deſideria ſentiendi *&c. Enimverò ſi Societatis homines exigamus ad illam amuſſim, quam, ſicuti legere eſt apud Bartolum lib. 3, num. 17, ſignarat P. Hieronymus Natalis, fronti Conſtitutionum, eodem Bartolo referente, diu præfixam; vide, quantam ſui abnegationem, ac rerum caducarum contemptum, vel ſerium ſaltem & efficax iſtarum virtutum deſiderium, afferre ad Societatem par ſit ejuſdem tirones, quorum animis utique altè inſculpenda eſt amuſſis illa, de qua dicebam, his verbis expreſſa:* E

eoque indutos.

841 Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipſe crucifixus ſit, vitæ noſtræ ratio nos eſſe poſtulat. Homines, inquam, novos, qui ſuis ſe affectibus exuerint, ut Chriſtum induerent; ſibi mortuos, ut juſtitiæ viverent. Qui ut divus Paulus ait, In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, ſe Dei miniſtros exhibeant, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; per proſpera denique & adverſa magnis itineribus ad cæleſtem patriam & ipſi contendant, & alios etiam, quacumque poſſunt ope, ſtudioque compellant, maximam Dei gloriam ſemper intuentes. *Hæc ibi.*

Plurimis experimentis probat,

842 Quos autem ad probationem admiſerat, *inquit Maffeius de ſancto Patre, loco citato*, eorum ſpiritum dabat operam, ut quam plurimis experimentis cognoſceret penitus; neque illos F tantùm ad ſuavem quemdam ſenſum pietatis (quo imperiti omnia metiuntur;) ſed ad veras ac ſolidas virtutes erudiebat.., ac præſertim ut ad nullius rei quamvis ceteroqui amabilis amorem tamquam ad ſcopulum adhæreſcerent; ſed ab omni alia cupiditate, vel etiam propenſione, ſoluti ac liberi, ex uno tantùm Superiorum nutu ac voluntate penderent, neque aſſueſcerent abditos eorum ſenſus exquirere, vel imperia ſciſcitari; vel quem, quibuſve de cauſis iidem aut ſupra ceteros tollerent, aut etiam infra, ſuo arbitratu deprimerent: ſed illis omne judicium & conſilium à Superis datum; ſibi ſimplicitatis & obſequii gloriam eſſe relictam putarent; eſſentque proinde ad omnia quamvis ardua, & abſurda, & ſubita paratiſſimi. *Præter hæc, Bartolus lib. 3, num. 18 è quadam ſancti Patris epiſtola profert varias alias exercitationes, quibus novellas illas plantas excolebat. Quibus ex citato auctore adjungo iſta:* Jubebat & tirocinium aggreſſos, eodem, quo venerant, veſtium cultu tamdiu incedere, dum uſu laceræ fruſtatim deciderent. Sic arcis olim

A lim Neapolitanæ ducem novitium; ſic affinem ſuum Araozium, & iis ſimiles heteromallo, ut erant, auroque ſplendidos, in coqui famulatu, in circumferenda oſtiatim per Urbem ad ſtipem mantica; in abluendis ante noſtras ædes lancibus, præteruntium omnium conſpicuos oculis, totum biennium tenuit .. Quod magno profectus ſui compendio tirones ipſi optimè advertebant. Inter quos Gonzalus Sylveria (Monomotapæ [in regno] poſtea profuſo ſanguine Chriſtum, quem prædicaverat, glorioſè profeſſus) ſuas illas de ſeculo veſtes quoties exueret, Me miſerum, aiebat exprobrans, quem ſibi homines alium eſſe fingunt, cum ne veſtem quidem hactenus mutarim. *Ex his intelligitur, quanti fuerit Fundatori ſanctiſſimo cura tironum exercendorum : de qua ſcribit etiam Orlandinus lib. 7 num. 2 & ſequentibus; qui lib. 5, num. 1 ad annum 1545 iſta præmiſerat :*

& cum delectu candidatos in Societatem admittit,

843 Cautè omnia circumſpectans Ignatius, ſtatuit apud animum ſuum, duo ſibi antiquiſſima ſemper fore; alterum, ne quempiam ſine magno delectu Societate reciperet : alterum, ne quis in eam jam receptus, ad animarum antè cauſas adhiberetur, quàm multa & magna ſuæ documenta virtutis atque prudentiæ domi foriſque dediſſet. Uſu quippe quotidiano reddebatur beatus Pater in tractanda Societate ſolertior, & œcumenico jam inſtante concilio facilè poterat admoneri, laborandum ſuæ eſſe familiæ de tuenda opinione jam parta, ſi & concilii Patribus ſua vellet inſtituta probari, & cunctæ ſimul Eccleſiæ, qualis hæc Societas eſſet, quibuſque imbuta moribus, declarari. Hiſce animi decretis ac legibus ita parebat, ut cum multis ex partibus dynaſtarum, ac præſulum poſtulationibus urgeretur, ſuorum potiùs paucitatem excuſaret, quàm ut in aliquod diſcrimen Societatis nomen, ſi temere annuiſſet, offerret.

cordi habens, non quot, ſed quales in eamdem aggregaret,

844 Cumque ex omni ætate complures Societatis ineundæ gratiâ concurrerent; is ita cujuſque naturam atque indolem, vires ac propenſiones explorabat; ita vitam omnem ac mores excutiebat, adhibito non domeſticorum modò, verùm etiam externorum notorumque teſtimonio, ut neminem non ad id natum, ac propè factum, in ſuum cœtum numerumque conſcriberet. Malebat quippe, quod crebris ſolebat uſurpare ſermonibus, Societatem virtute præſtare, quam numero : & re magis ipſa, quam nomine cultuque diſtingui. Et quamquam ſtudio ad eos maximè ferebatur, quorum jam cernebat haud exiguos in doctrina proceſſus; tamen ad inſtantia Eccleſiæ tempora, non tam eos, qui doctrinâ, quam qui rerum uſu valerent, & in communi hominum cœtu, gradu aliquo dignitatis excellerent, exigebat : quòd horum brevi in Societatem ſuus fructus extaret, & auctoritas ipſa jam parta plurimi momenti eſſet, ſive ad graviora gerenda negotia, ſive ad agendum pro dignitate cum proximis viriſque principibus. Quamquam id genus hominum beatus Pater eò periclitabatur attentiùs, quò notabilior eorum in utramque partem expectabatur eventus : qui ſi voto expectationique minimè reſponderent, non dubitabat eos, humanis judiciis ſermonibuſque neglectis, de ſuo cœtu dimittere.

ita tamen ut benignitatem erga illos cum accuratione jungeret :

845 *Verùm ſicut fortiter & ſuaviter præerat* Ignatius *Societati, ſic mira dexteritate paternam benignitatem cum exacta diſciplinæ ratione contemperans, novella hæc germina excolebat exercebatque.* Mitem ſe fere, *ut eſt apud Bartolum lib. 3, num. 38*, atque affabilem iis exhibebat Ignatius, illoſque miſerans, non aliud ab iis exigebat, quam quod repræſentare tunc poterant, dum id quamvis exile, fructus non vulgares virtutis egregiè ſpondere videretur. *Res ibidem exponitur in exemplo :* Admiſſus fuerat in tirocinium ad domeſtica opera juvenis, cui erat ſatis copioſa & commoda res. Chriſti effigiem de cruce pendentis, & extantis in baſi Deiparæ, ſecum is tulerat, magni utramque pretii, & quâ mirificè afficiebatur tum propter excellentiam operis, tum ob ſenſum privatæ pietatis. Hanc penes ſe haberet, indulſit Vir ſanctus, nec ullo indicio innuit, vel id parum decere religioſam paupertatem, vel aliquando ab eo auferendam. Crevit adoleſcentis virtus etiam ſupra veteranos, valido præſertim ſuimet domitu & contemptione. Quod ubi advertit Ignatius, Bene eſt, ait; jam, quando integrè non modò ab ſeculo eſt liber, verùm etiam à ſe ipſo, poteſt Chriſti effigies, quam mente nunc gerit, illius è manibus detrahi. Factumque ita eſt, juvene ultro etiam cedente abſque ullo prorſus difficultatis ſenſu.

AUCTORE J. P.

uti & patientiam :

846 *Aſt aliud paternæ patientiæ exemplum ibidem datur in hac verba :* Mirabilior patientia Viri ſancti fuit levitatibus perferendis Petri Ribadeneiræ admodum juvenis, cujus tunc vivacior indoles, ægrè virtutum interioribus ſtudiis animum applicabat, nec pati poterat tenacem tot regularum diſciplinam. Quare Ignatio ſuadebant patres, eum dimitteret. At is, ſagaci præſagio de ſoli natura, proventus divinans magnos & nobiles; magiſque adoleſcentulum ætatis, quam animi vitio errare; ſemper illi patrocinatus eſt, interea tolerans & pueriles ejus emendans papulas; adeo ut illum aut inflictis offenſum pœnis, aut vitæ genus tam triſte pertæſum, urgentemque identidem dimitti, ſolerti ſemper amabilitate reſtituerit in gradu, & ſuſtinuerit tamdiu, quoad transformaſſet in virum denique, à quo Societas .. decus ingens accepit.

homines inſignes honorificè compellat :

847 Homines pariter nobilitate aut litteris inſignes, ſed ab ſeculo novos haudquaquam promiſcuè habebat; ſed honorificè compellans, ne excellentiæ quidem, dominationis, doctoris, & iſtiuſmodi, quibus inſueverant, parcebat titulis, donec poſſent jam illos ſpernere, vel puderet, honore tam diſpari inter pares ab eo affici, rogarentque, iis deinceps omiſſis, communi jure ac modo haberi. Verumenimvero ubi jam altis niti radicibus vidiſſet, ac tutam ſibi virtutis arduæ ab iis extundendæ præbere materiam, nullos æquè acriter experiebatur. *Quibus autem de cauſis id faceret, invenies apud dictum auctorem :* Horum unus fuit, *cujus ibidem exemplum proponitur*, Gaſpar Loartius, Hiſpaniâ totâ theologus celebris, à M. Joanne Avila viro ſancto, cum aliquot aliis ad Ignatium tranſmiſſus; qui, ubi jam parem ferendo malleo perſpexit, Ludovico Gonzales Miniſtro domûs poliendum commiſit : dato negotio, tundendo, ſcalpendo, pungendo ne parceret, ſed experimenti progreſſum ſimul obſervaret. Ipſe interea velut horum ignorans, miris modis tironem omni benevolentia recreabat : quod erat illi cum iis uſitatum, quorum tentabat conſtantiam, ne undequaque preſſi moleſtiùs, perſeverantiam deſperarent .. Porro ars iſta duplex exercendi alternis atque conſolandi, feliciter adeo in Loartio ceſſit, ut interrogatus aliquando à Miniſtro, de Ignatio quid ſentiret; Fontem ſibi, ait, videri oleo profluum, hoc eſt, melleum totum ac ſuavem. De me verò, intulit Miniſter, quid tibi viſum eſt? Tu, inquit, tran-

AUCTORE J. P.

quillè admodum aſperitatem ſignificans, fons mihi vidêre aceto profluus. Quæ viri reſponſio valde exhilaravit Ignatium: qui tamen exinde Miniſtrum juſſit mitiùs cum illo agere.

multa etiam tironibus indulget,

848 *Ceterum, ut reliqua perſequamur, ſatagebat optimus Pater*, ne cuiquam etiam novitiorum juſta triſtitiæ, gemituumque cauſa præberetur, *ex Conſalvi diario apud Linekum pag.* 248. *Curabat etiam*, ne quid inſtinctu cujuſquam tirones præſertim junioreſque perciperent, quod animi tranquillitati obturbaret, inſtitutiſque noſtris ac moribus adverſaretur; *ſicut pag.* 249 *ex Ribadeneirâ Ms. refert idem auctor. Indulgebat autem eis interpolationes quaſdam ac remiſſiones animi.* Non igitur ſinebat eos gravari, ac ne ſeptis domeſticis ita attineri concluſos, quin ſæpiuſculè horti viridaria adirent, atque inambulando commoverent ſeſe, inſtaurarentque: dummodo ſilentii legem ſartam tectamque (cum domi id fieret) ſervarent, modeſtiamque, quæ deceret tirones, colerent; *ex Conſalvi diario apud citatum ſcriptorem pag.* 258; *ubi inſuper addit hæc:*

B *eorum deſiderio obſequitur:*

849 Non rarò etiam juvenilibus eorum deſideriis velificatus, ut ea ratione aſperitates ſi quæ religioſæ diſciplinæ ineſſent, eas tamquam condimento quodam leniret, guſtatuque gratiores efficeret. Editum id, *inquit*, in novitio diſcipulo, qui in horto domeſtico ficus ſublegerat, gulæque ſuæ furtim dicaverat. Nam cum ab Ignatio accitus, eoque de opere rogatus, candidè atque apertè confeſſus fuiſſet, ſe illius eſcæ dulcedine illectum delicias eas ſibi perperam paraviſſe; Bene, inquit, habet, Ignatius: quia ex rei veritate elocutus es omnia, ficus bene multas tibi dabo: vocatoque obſonatore, jubet eum ad forum concedere, corbiculumque plenum ficuum emere, [ac] deferre novitio, quibus ad ſatietatem, ſi vellet, veſceretur. *Ita ille ibidem ex Conſalvi diario.*

vult eos obedientes; non tamen induci ad vota devotionis &c.

850 *Volebat* Ignatius, *tirones ut eſſent in obedientia præſtantes, & ad omnia prompti.* Monebat ſiquidem domum ingreſſuros, *ex fide Bartoli lib.* 3, *num.* 39, ipſo in limine, velut confinio religionis & ſeculi, non fore illic perpetuam & quietam iis ſedem, niſi pede conjunctim utroque, voluntate nimirum & judicio, limen tranſilirent, expediti ad omnes illorum nutus, quoſcumque illis Deus præficeret. *Ex epiſtola P. Horatii Arnaldi ad P. Danielem Bartolum, de qua mox dicam, huc delibo circa juniores noſtros iſta, ex Italico:* P. Lælius Biſciolus mihi narravit; quod, dum unà cum aliis ipſe eſſet juvenis Romæ ſub S. Ignatio, quoties illi Pater manè veniebat obviam, ex ſe quæreret, an ſumpſiſſet jentaculum: ſi negaret, mox illum mittebat ad patrem Miniſtrum, ut illud ſumeret. Sed maximè requirebat in junioribus promptam in omnibus ſine replica obedientiam. *Factum ſancti Patris, ſacerdotem quemdam ex noſtris acriter corripientis, quod cum novitio de rebus ab inſtituto noſtro alienis loqueretur &c., narrat Ribadeneira lib.* 5, *cap.* 10. *Quamquam verò laudabilis apud nos ſit fervor, quo tirones in ipſo tirocinio, petita & accepta à Superiore facultate, vota Deo nuncupant, quæ devotionis vocantur; non probabat tamen ſanctus Pater, ante expletos duos tirocinii annos, quempiam eò induci. Id conficitur ex apographo noſtro Romano, quod inſcribitur* Dichos y echos *&c., ſub titulo* De gubernatione & cura novitiorum; *unde, referente Ludovico Conſalvo, num.* 12, *transfero huc ex Hiſpanico iſta:* Elapſo Januario, quando pater Natalis loquebatur cum Patre noſtro ſuper emiſſione votorum; dixit Pater, numquam ſibi placuiſſe, duos ante annos inducere novitios, ut ea emitterent. *His adde aliud, quod ex ejuſdem Conſalvi relatione, num.* 4 *habemus:* Solet noſter Pater eſſe valdè rigidus, ut tirones non loquantur cum externis, maximè cum conſanguineis & amicis. D

Eorum Toni.

851 *Quò referendi ſint communes novitiorum Toni, quos vocant, diſcimus ex epiſtola P. Horatii Arnaldi, ad P. Danielem Bartolum data Savonæ* XXIII *Septembris* 1650, *& documentis noſtris Romanis inſerta; unde iſta ex Italico huc transfero:* Auctor Tonorum; qui declamantur à novitiis, ut diſcant dicere ad concionem, eſt P. Joannes Baptiſta Velati (*de quo memini ſuprà num.* 596.) Ipſe mihi id dixit. Hic cùm pictor eſſet, ingreſſus erat Societatem, & munus obibat coadjutoris. Hoc inſuper erat ei ſingulare, ut delectaretur audiendis concionibus. Januis clauſis aſcendebat cathedram in templo, & concionabatur. Quadam vice S. Ignatius è feneſtella ipſum audivit, & adeo ei placuit, ut ſtudiis ipſum admoverit, & evaſerit concionator in primis Italiæ pulpitis, atque ediderit multa pulchra documenta, omni ſtatui accommodata. Quando erat auditus à Sancto, tunc declamabat eoſdem ipſos Tonos, quibus nunc utuntur novitii. E

§ LXXXIII. Induſtria in formandis Societatis Jeſu præſidibus; frequens communicatio litterarum.

Induſtriam Sancti in formandis Superioribus prædicat S. Franciſcus Xaverius.

S*Anctus Franciſcus Xaverius Cocino* IV *Kal. Februarii anno* 1552 *inter alia, quæ ad* S. Ignatium *ſcribit, iſta memorat apud Petrum Poſſinum epiſtola* 17: Unam à te peto gratiam, quam, ſi præſens adeſſem, poſitis humi ante tuos ſanctos pedes genibus ſupplex rogarem; ea autem eſt, ut huc mittas virum aliquem tuæ ſanctæ Caritati penitus perſpectum, & planè probatum, rectorem præficiendum collegio Goano. Nam homine, quem tu elegeris, quemque manu, ut ſic dicam, iſta tua idoneum formaveris, vehementer eget id collegium. *Et eodem anno* V *Idus Aprilis Goâ ſic ſcribit:* Oro te atque obſecro per Jeſum, ut aliquem abs te ipſo delectum, hujus collegii *Goani* rectorem conſtituas. Ut enim is non abundet doctrinarum ſcientiâ; tamen quiſquis erit tuo judicio delectus, profectò talis erit, qualem hæc domus requirit. Patres quippe ac fratres, qui hiſce in locis verſantur, mirandum in modum expetunt ab Urbe moderatorem ejuſmodi, qui tecum diu ac multum fuerit. *Ita Indiarum Apoſtolus de excellenti induſtria* S. Ignatii *in efformandis ad omnes bonæ gubernationis leges Superioribus ſcribit apud Turſellinum lib.* 4, *epiſtolâ* 6. F

Quaſnam in iis dotes requireret Ignatius,

853 *Quibus verò dotibus commendari debeat, qui collegiis præeſt, expreſſit ipſemet ſanctus Pater Conſtitutionum parte* 4, *cap.* 10, *num.* 4, *nimirum* magni ſit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, & in obedientia præcipuè ac humilitate probatus: qui donum etiam diſcretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis verſatus, in ſpiritualibus exercitatus ſit. Qui ſeveritatem ſuo tempore & loco cum benignitate

A gnitate miſcere noverit &c. *Magno utique virtutum comitatu opus eſt ad hoc munus* ; nempe domitos habere animi ſui motus , *ex Bartolo lib.* 3 , *num.* 49 , qui fructus eſt reportatæ aſſiduò de ſe victoriæ ; experimentum ſui diuturnum præbuiſſe in obſervatione regularum etiam minimarum ; in cauſa & obſequio Dei fortem eſſe ; paternum animum fovere , & eſſe ad obtemperandum ſemper expeditum. His auctos dotibus elaborabat Ignatius in Superiores , ac principio quidem periclitabatur illos in rebus impeditis ; neve uſum regendi ſuorum damno ſerius diſcerent, docebat illum nihil minùs advertentes.

& quomodo eos exerceret : ineptos ab officio amovens.

854 Accerſebat non rarò ad quotidianam conſultationem , quæ ultra horam nec proferebatur, nec deliberabat , niſi de uno tantùm ex iis , quæ tunc occurriſſent , negotio : commendabat illis ſi quos haberet difficiles , & in religioſo propoſito nutantes : tractanda illis committebat peculiaria nonnulla , viamque monſtrabat , ea feliciter extricandi , integram illis interea permittens exſecutionis libertatem , non quaſi rei ab ſe demandatæ , ſed propriæ , & cujus ipſi auctores eſſent ; ſic enim ingenium ſubtiliùs acui , induſtriamque pertinaciùs operi inſtare. Confectis autem quæ præſtari ab iis optaverat , revocare illos ad calculum ; quærere , ecquid ipſi ſibi feciſſent ſatis ; laudare prudentiam , ubi commodè exiſſet: ubi verò minùs , indicare , quanam potuiſſet fortunatiùs exire. Sic paulatim iis & oculos , & animos dabat , ad res ſuis auſpiciis gerendas , aquilæ in morem , pullos extra nidum experiundis alis , propiore gyro provocantis. Poſtquam autem ſatis perſpexerat , poſſe tutò ſe illis confidere ; tunc tandem gubernaculis admotos per ſeſe illos volebat rem agere : ac ſi quando ambigui quid juberet , quid auctor eſſet , requirerent , reſponſum ex eo aliud non ferebant , niſi ut ſuo officio fungerentur .. Tandem quos præeſſe aliis juſſerat , ſi communi obeſſent diſciplinæ , ſeu naturæ vitio , ſeu virtutis imbecillitate , loco illos conſtanter movebat , ut duos ex illis novem primis inſtituti ſociis amovit , Neapoli alterum , alterum in Luſitania ; quod etſi vitæ mentiſque optimæ viri eſſent , parum tamen ſecundos eventus haberent in interiori ſuorum gubernatione. *Conſule Orlandinum lib.* 12 , *num.* 23 , *&* 55.

C *Capacitatem præſidum metiebatur eorum meritis ;*

855 *Jam verò in deligendis ad gubernandum præſidibus non metiebatur ſola ætate, in religioſo inſtituto tranſacta, capacitatem eorum ; ſed in eo juniores etiam promovebat , quando gerendæ rei capacitas ſupplebat ætatem.* Sic , *referente Lineko pag.* 556 , patrem Michaëlem Torres vix uno poſt novitiatum anno exacto , ad viſitationem cujuſdam provinciæ cum viſitatoris auctoritate ablegavit. *Ita ille ex Conſalvi diario , quod citat. Exemplo etiam ſit P. Quintinus Charlat ; de quo vide patrem Mathiam Tannerum in Societate Europæa; pag.* 53 , *col.* 2. *A ſancto Patre* copiâ .. Societatis *ei* factâ anno MDLII ; .. cum Quintini virtus uſu confirmata ſatis ſe efferret , anno vertente illum collegio Romano rectorem præfecit. *Occurrit ibidem pag.* 56 , *col.* 1 *P. Bernardus Oliverius* ; *cujus* indolem .. rebus quibuſvis gerendis Ignatius illico agnovit idoneam ; ideoque ſacris initiatum ordinibus , paucos poſt tirocinii menſes Romanæ domus Miniſtrum eſſe juſſit , ut eum per ſe ipſe in vita religioſa probaret , inque modico illo magiſtratu monitis opportunis imbueret ad ampliores gubernandi gradus.

856 *Et nonnullis interjectis , indidem habemus , quod* eum .. votis jam Societati adſtrictum, Romani rectorem collegii haud longo intervallo , anno ſcilicet MDLIII renuntiarit. *His adde ex pag.* 65 , *col.* 1 , *P. Franciſcum de Villa nova : qui fuit* juſſus ab Ignatio necdum ſacerdos , imo neque humaniores ſcholas adhuc emenſus , ſociis in collegio rectoris titulo præeſſe. *P. Leonem Enriquez quid memorem? qui , ſicut narratur ibidem pag.* 221 , *col.* 1 , facta ab ſummo Pontifice poteſtate , initiatus eſt *ſacerdotio* , anno ætatis XXIII ; ſtatimque .. numeroſiſſimi collegii *Conimbricenſis* confeſſarium egit, & ſpiritûs præfectum .. Contigit inter hæc anno MDLIII Conſtitutiones Societatis per univerſam Societatem obſervandas publicari , quibus in morem adducendis cum ſingulari cura S. Ignatius maximè idoneos Superiores ubique conſtitueret , Conimbricenſi collegio rectorem dedit Leonem.

AUCTORI J. P. *non ſola ætate ,*

857 *Nec* S. Ignatius , *dum ad munus gubernandi legeret ac formaret ſuos , patriam conſiderabat , ſed merita. Numquid enim* S. Ignatio jubente , cunctis probantibus , rector primus Romano collegio Gallus imponebatur , Hiſpanus Pariſienſi , Peruſino Belga , Patavino Gallus ; *uti habemus ex epiſtola* 2 *reverendi admodùm patris noſtri Goſwini Nickel Præpoſiti Generalis ? At de his ſatis. De mira Sancti in regendo prudentia ſcribit Bartolus lib.* 3 , *num.* 35 ; *de dexteritate , quâ accommodabat ſe ſingulis ; ibidem num.* 37 ; *de caritatis vinculo , & concordia inter* Ignatii *ſubditos, ibid. num.* 27 *&* 28.

nec etiam patriâ.

E

Creberrimas in Superioribus urget litteras ;

858 *Tametſi verò Vir ſanctus adeo multum deferret auctoritati Superiorum , ut videre eſt ſuprà paragrapho* 81 , *à num.* 832 , *volebat tamen impenſe , de ſtatu rerum ac ſucceſſu ex eorum literis accuratè ac frequenter certior fieri. Teſtes ſunt , ex fide monumentorum noſtrorum Romanorum* , S. Ignatii *literæ encyclicæ , ipſius manu ſubſcriptæ , quibus Societatis noſtræ Superioribus omnibus præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, ut per ſe, vel per alios ad ipſum ſcribant : qui ſunt in Italia vel Sicilia , ſingulis hebdomadis : qui in Germania , Flandria , Gallia , Hiſpania , ac Portugallia ; ſingulis menſibus : qui in India , ſingulis annis. Excipit Superiores domuum, quæ duorum numerum non excedunt. Datæ notantur hæ litteræ Idibus Januarii* 1550. *Inter dicta monumenta , è noſtro tabulario Romano eruta , datur notitia quædam* S. Ignatii *litterarum ad P. Petrum Fabrum & alios datarum* X *Decembris* 1542 ; *quibus rogat, ut , dum ad ipſum ſcribunt , non miſceant res alias cum rebus facientibus ad ædificationem , circa conciones , adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ , Exercitia , & alia ſpiritualia : ſed hæc ſcribant ſeparatim , ut oſtendi poſſint ad conſolationem & exemplum fratrum & aliorum : ſcribant ſingulis* XV *diebus: reſponſurum ſe ſingulis menſibus.*

F

propoſito eis ſuo exemplo.

859 *In iiſdem porro litteris ſcribit ſanctus Pater incitamenta quædam , ad acuendam diligentiam ; uti conficitur ex iis , quæ notavit documentorum Ignatianorum Romæ pro me collector , Latinè in hanc ſententiam à me reddita :* Ego , *inquit Vir ſanctus* , enitor , ut bis ſcribam præcipuas litteras , quòd rem contineant alicujus momenti , & multas etiamnum ſchedulas. Et haſce ipſas bis ſcripſi mea manu. Quantò magis ſimiliter debet facere quilibet è Societate ? Eorum namque eſt dumtaxat , ad unum ſcribere ; ac meum eſt , ſcribere ad vos omnes. Et poſſum dicere ex vero , iſta altera nocte nos iniviſſe rationem , quod litteræ , quas nunc mittimus quaquaverſum , numero accederent ad ducentas & quinquaginta. Et ſiqui ſint occupati in Societate ; ego perſuaſum habeo , quod , ſi non ſim multùm ,

AUCTORE J. P.

non sim tamen minùs occupatus quam ullus, & cum minore valetudine corporis. *Hinc non est mirum, tot supercresse in archivo nostro Romano* S. Ignatii *litteras, partim totas ipsius manu exaratas; partim pluribus locis manu ipsius limatas. Videri etiam de dicto argumento potest Bartolus lib.* 4, *num.* 11 *in fine. Et verò quanta fuerit patrum nostrorum Româ absentium cum suo Præposito Generali Romæ litterarum communicatio; evincitur ex indiculo earum chronologico, quem Româ ad me direxit dictus P. Ignatius Pinius, prænonens, quod ibidem sit tomus in folio, crassus tres digitos, continens epistolas pleraſque autographas nostrorum patrum ad* S. Ignatium, *ab anno* 1540, *usque ad mortem sancti Patris; quarum est dictus chronologicus indiculus ille, quem huc misit.*

860 *Quid, quod teste Orlandino lib.* 7, *num.* 12, beatus Pater ad gloriam Dei latiùs celebrandam, ad confirmandam inter se compagem corporis universi, conglutinandosque in dies magis universorum animos, simulque excitandos sancta æmulatione, & exacuendos in publicæ procuratione salutis, excogitavit, ut quarto quoque mense de rebus, quas ubique gererent, mutuis sese litteris cuncta Societas admoneret. Qui mos diu saluberrimè viguit; donec Societate ipsa crescente, semestres, deinde etiam annuæ litteræ datæ sunt. *Vide secundæ Congregationis generalis post electionem Præpositi Generalis, decretum* 37.

Mutuum etiam in Societate litterarum commercium desiderat.

B

§ LXXXIV. Apophthegmata quædam ascetica S. Ignatii.

Specimina quædam circa spiritualium rerum peritiam

Unc inspicienda se offerunt, quæ exhibet Ribadeneira lib. 5, *cap.* 10, *de rerum spiritualium prudentia sanctissimi Parentis; quæ tametsi satis amplè ab ipso deducta sunt; adjungi tamen his possunt nonnulla. Inter* S. Ignatii *effata Bartoli interpres lib.* 4, *pag.* 377 *sic habet:* Qui avet ex Deo cognoscere, quid ab se velit Deus, sive in optando vitæ instituto, sive in ceteris, quæ animum spectant; omni se primùm affectu privato, ac propensione necesse est exuat. Dehinc totum Deo se credat penitus, æqualiter animo paratus ad omnia, quæcumque Deus innuerit. Post hæc, ne sibi venturas de cælo epistolas somniet, quibus sua Deus mandata exponat, sed ex oraculis æternæ & euangelicæ veritatis utrimque æstimet, quid agendum vel omittendum sit: quæ consecutura ex utroque prospiciet, ad finem referens, in quem à Deo est conditus. Sub quæ si adhuc hæsitarit perplexus, & dubius: ex morte demum, & supremo post illam judicio, decretoriè statuat amplecti, quod vellet maximè in eo æternitatis pavendo aditu fecisse.

C

nobis dantur ex variis Sancti effatis,

862 *Pag.* 378: Non ideo supersedendum accessu *Eucharistiæ*, quod sensus molliores divinorum non experiantur: foret enim perinde, ut qui velit inediâ perire, quod pane mellito caret, & grati soporis insana cupidine vitam destruere. *Et paulò post ibidem:* Divini amoris luculenta flamma haud alio surgit, quam ex ligno crucis ardentior, quo Christus usus est ad sacrificium infinitæ suæ caritatis. Ajebat item, ex floribus & deliciis hominum quidquid potest mellis exsugi, nihil esse ad suavitatem, quam Christi fel & acetum affundit; hoc est, amara, & aspera, quæ Christi amore cum Christo perferuntur. *Pag.* 382: Impugnaturus hominem dæmon, primùm circumspicit, qua parte debilior, & qua negligentior: eò machinas admovet; illac impressionem facit. Quò verò natura suopte pondere inclinat, illò ruinam impellit, & cum ea in nos ipsos conjurat animi nostri perturbatione; cui permissum à nobis nostri arbitrium notarit. Utitur etiam præsenti animi comparatione, ut in extrema nos rapiat: nam cujus viderit conscientiam laxiorem, id aget, ut fiat licentior: è contrario si piè timidam, & anguſtiorem; adstringet hunc meticulosiùs; ut ille ex levibus in capitalia devolvatur; hic officiorum minutiis scrupulosiùs pendendis, discruciet sese, & perplexa mentis inquietudine ad insaniam agitatus, denique desperet.

D

quæ hoc loco

863 *Aliæ ejus nocendi artes ita ibidem deteguntur:* Nullum ei tempus ad invadendum commodiùs nocturno, maximè subitò cum evigilamus, ratione adhuc semisomni, & hostis secura solitudo ad hæc, & nullus præter nos consiliarius. Nihil enim dæmon nisi occultis molitionibus magnopere promovet, iisque palam factis confusus vix pugnam sustinet. Advertendum quoque, labendi metum ab eo nobis interdum eximi, ut securiores in lapsum protrudat; monstrosa interdum terriculamenta pavidis objici, quò diffidentiâ virium animis fracti, abjiciamus spem omnem repugnandi, & penè victori manus demus. Tunc verò, ut solent feminæ cum maritis rixantes ignavis & timidis, efferatur insolentiùs & insanit.

E

in istius rei

864 *Pag.* 387 *ponuntur ista:* In cœtu sanctorum hominum nequit sceleratus diu consistere, tum quòd sibi vim infert perpetuam arte coacta simulandi, se esse, quod non est; tum quòd hunc Deus non diu sustinet. Fuit Romæ frater, ex quo frugis non bonæ indicia prodibant. Expostuit illa Manareus Ignatio, quærens, essetne sacrâ Eucharistiâ arcendus, ne abuteretur illâ sacrilegè. Minimè verò, inquit Ignatius; ne ad hoc usque procedatur, rem Deo permittito; hac ipsa via reum is deteget. Et detexit planè, fuitque illi divina Hostia, quod Judæ panis à Christo acceptus. Paulo enim pòst personam deposuit, ejectusque est è Societate.

confirmatio-nem

865 *Pag.* 389 *hæc notantur:* De .. Antonio Majoricensi eremita quod prædixerat Ignatius, evenit: Romam enim peregrinatus est anno MDXLVI, suisque cum Ignatio prolixè pertractatis, illum miratus est; haud tamen pariter ab eo probatus, quod pondus in se susceptisset asperitatis tantæ, cui perferendæ numquam esset futurus. Igitur Natali interroganti, ecquid [sibi] de illo denique visum esset? Respondit, non abiturum triennium, quin solitudini, & voluntariis pœnis valediceret eremita. Cujus responsi prudentiam ratam fecit illa mutatio, ratione illi & experientia præmonstrata, quibus uti tunc in rebus divinis pro certa regula poterat. *Fragmentum ex epistola* S. Ignatii *ad magnificum dominum Petrum Contarenum Patricium Venetum, quod Romæ pro me transcripsit sæpe nominatus rerum Ignatianarum ibidem indagator, à præsenti nostro instituto non videtur alienum. Sic habet:* Hactenus Dei benignitate semper bene valemus. Experimur in dies magis ac magis, verum illud; Nihil habentes & omnia possidentes: omnia dico, quæ Dominus se adjecturum repromisit quærentibus primùm regnum Dei, & ejus justitiam: anne aliquid deesse poterit iis, qui solùm quærunt justitiam regni, & ipsum regnum? Eos dico, qui non sunt divisi; eos dico, qui utrumque oculorum intendunt ad cælestia. Hoc nobis concedat ille ipse,

F

A pſe, qui cum dives omnium rerum eſſet, ſe omnibus ſpoliavit propter noſtram inſtructionem: qui cum in gloria tantæ potentiæ eſſet, & ſapientiæ, & tantæ bonitatis; ſe tamen ſubjecit hominis infirmiſſimi poteſtati, judicio, & voluntati. Sed hæc ſatis, ad eos maximè, quos etiam Chriſtus detinere poteſt in alio gradu. Ad te enim magis propriè ſpectat, conſiderare, ut, ſi quæ habeas, à nullis habearis, à nullis poſſidearis temporalibus, omnia regeras in eum, à quo omnia habes. Qui enim non poteſt circa illud unum, quod eſt neceſſarium, totus occupari, proximum eſt, ut ea plurima, circa quæ verſatur & ſollicitus eſt, ordinata ſint bene &c.

colliguntur. 866 *P. Hadrianus Lyræus S. I. edidit Apophthegmata ſacra* S. Ignatii, *ſive cæleſtis prudentiæ Aphoriſmos, tribus commentariis ad efformandos mores illuſtratos: ubi ex iis, quæ habet lib.* 1 *ad quintum, pro quo Maffeium, Orlandinum, Ribadeneiram citat, apophthegma*, Plus aiebat plerumque latere periculi in minutis peccatis contemnendis, quam in maximis, *dictus*

B *ſcriptor pag.* 54 *oſtendit, quantam* S. Ignatius *curam geſſerit minimorum. Meritò itaque maximum in minimis fuiſſe illum dixeris, ſive ejus dicta, ſive facta expenderis. Lib.* 2, *pag.* 186 *profert hoc apophthegma:* Amore naturalis ſcientiæ exſtinctum ibat ſpiritum ſuum non nemo: cum à decennio vitâ functus Ignatius, ſe homini viſendum præbuit, dicens: Minus de ſcientia; plus de virtute: ſive minus litterarum, & plus ſpiritûs. *Ex Bartolo lib.* 5, *num.* 8; *ubi res pluribus narratur. Lyræus ibidem ex R. A. P. N. Goſwini Nickel epiſtola prima ad univerſam Societatem*, Fortiter & hoc dixiſſe fertur, *inquit*, Societatis operarios altero tantùm pede terræ inſiſtere, altero ad iter ſuſcipiendum ſublevato eſſe debere.

Laudatus Lyræus ſub initium ſui libri, in anteloquio, *ut vocat, quædam* S. Ignatii *profert, prout è vetuſtis Mss. codicibus ea nactum ſe affirmat*, dicta ſanè præclara, *inquit*, ac ſingularia documenta, longè digniſſima, quæ omnium aſcetarum auribus inſonent, atque oculis obverſentur. Quapropter & ſtatim à principio his metris, doctiore manu fuerunt illigata:

Hæc documenta ſuis Ignatius edit alumnis,
Ut methodo parva, commoda magna ferant.
C Nulli, vel minimo, quamvis ratione, repugnes:
Cedere te potiùs, quam ſuperare juvet.
Obſequium ſtudeas præſtare per omnia cæcum:
Judicium que libens ſubjice cuique tuum.
Non vitia aſpicias aliena, & viſa recondas:
Sed propria inviſas, atque patere velis.
Quidquid agas, dicas, mediteris, proſpice primùm,
Proximo an expediat, complaceatque Deo.
Sit ſua ſpiritui libertas ſemper, & illam
Nec perſona potens, cauſa vel ulla gravet.
Nec facili jungas tibi conſuetudine cunctos,
Spiritus & ratio quemlibet ante probent.
Exerce aſſiduo pia (mente & corpore) facta:
Sis populo demens; ſic ſapis ipſe Deo.
Fac matutino, verſpertinoque revolvas
Hæc ſtudio, & lectum dum petis, adde preces.

De auctore horum diſtichorum, quæ libello Exercitiorum olim præfigi ſolita erant, ut patet ex variis exemplaribus in Urbe impreſſis, *uti loquitur Lyræus, ibidem agitur ex Manareo: de quo vide dicenda inferiùs* § 86, *part.* 1, *num.* 886.

867 *Subdo ex apographis Romanis* B. P. N. viaticum, quinque puncta memorabilia exituris continens, ex manuſcripto R. P. Petri Caniſii. AUCTORE J. P. *Puncta 5 pro exituris.*

1. Recordare, frater, te miſſum à Chriſto peregrinum, ac illius procuratorem; factorem vocant. 2. Vide ut curam tui ipſius geras, teque cuſtodias, velut in periculis & hoſtibus verſans. 3. Peculiariter tuos refræna ſenſus, & in primis oculos continens. 4. Unum idemque tempus tibi conſerva, & æquabilis eſto in proſperis & adverſis; in lætis ac triſtibus liber à conturbationibus. 5. Mentem otioſam eſſe non ſine; ſed erige ad altiora, cum progrederis vel tractas negotia; præſertim in menſa & colloquiis quietem, ſpiritum & pondus adhibe, ut nec deſit rectè agendi intentio, nec providentia. *His Sancti dictis non addo facta ſeu vitam quotidianam ac domeſticam; quæ exſtat apud Maffeium libri* 3 *capite* 12.

§ LXXXV. Nonnulla Sancti placita circa ſcholaſticos, magiſtros litterarum humaniorum, E ac Præpoſitum Societatis Generalem; donum pacis procurandæ; ſtudium erigendorum in Germania ſeminariorum, ac propagandæ Hieroſolymis Societatis Jeſu.

Quæſitis ſcholaſtici cujuſdam

H*Abeo quoddam ſcriptum Hiſpanicum, hoc prænotatum titulo:* Apographum aliquorum quæſitorum, quæ Pater quidam Luſitanus Societatis propoſuit noſtro Patri Ignatio, ac reſponſionum ejus, extractum ex originali, quod dicti patris (*illius nempe, qui propoſuit*) manu ſcriptum eſt, ac manu P. Polanci correctum. *Scriptum hoc ex tabulario Romano tranſcripſit identidem citatus Ignatianarum ibidem notitiarum pro me eruderator, monens, eſſe ſatis longum, conſtare punctis ſedecim; atque excerpere ſe aliqua puncta cum reſponſionibus. Verſantur autem circa res, de quibus aliquis Societatis ſcholaſticus deſiderabat fieri certior, ſecundùm id, quod videbatur Patri noſtro; ſicut habemus ex verbis, iſti documento prænotatis: cujus ego, miſſis aliis punctis, ſextum ac ſeptimum dumtaxat delibo, ac Latinè interpretor. Quæſitum ſextum:* Quibus in rebus ſeſe potiſſimùm exercitabit, meditando ea, quæ magis faciant ad propoſitum noſtræ vocationis? F

reſpondet 869 *Reſponſio:* Quia ſcholaſtici, attento ſtudiorum fine, non poſſunt longas inſtituere meditationes; præter exercitia virtutum, quæ ſunt, quotidiana Miſſæ auditio, hora una orationis, & examina conſcientiæ, confeſſio ac communio diebus octonis ſingulis; exercitare ſe poſſunt in quærenda Domini noſtri in rebus omnibus præſentia, videlicet in converſando cum aliquo, in eundo, videndo, guſtando, audiendo, intelligendo, & in omnibus, quæ fecerimus: cum verum ſit, quod divina ejus majeſtas in rebus omnibus ſit per præſentiam, potentiam & eſſentiam. Atque hic meditandi modus, qui Deum Dominum noſtrum invenit in rebus omnibus, eſt facilior illo, qui nos elevat ad res divinas magis abſtractas, cum labore nos ſiſtendo illis præſentes:

AUCTORE J. P.

tes : & proferet bonum illud exercitium, nos diſponendo, magnas Domini viſitationes, tametſi brevi oratione contentas. Præter hoc, exercitare ſe poteſt in offerendis Deo Domino noſtro ſæpiùs ſtudiis ſuis, eorumque laboribus ; animum advertens, quod ob amorem ejus illos acceptemus, poſtpoſito guſtu noſtro ; ut in re aliqua majeſtati ejus ſerviamus, eos adjuvando, pro quorum vita mortem obiit. Et circa duo iſta exercitia poſſemus nos examinare.

S. Ignatius.

870 Hiſce exercitiis adjungi poteſt exercitium concionandi in collegiis : nam quoniam una ex præcipuis poſt bonam vitam dotibus, quæ proximum juvant (ad quod potiſſimùm ordinatur Societas) eſt illa, quæ in concionando poſita eſt ; reverendo Patri noſtro non exiguus videbatur fructus referendus, ſi ſcholaſtici ſeſe exercitarent in concionando, atque concionarentur diebus Dominicis ſuper illo, quod vellent, argumento, & ſi exercitii gratiâ, ne jacturam inferrent ſtudiis, qualibet veſpera duo vel tres in cœna dicerent illam Tonorum formam, quam edocti fuiſſent : ac
B principio illam uſui eſſe poſſe, quâ utimur Romæ ; quo fiat, ut per iſtius evolutionem, faciliùs aſſumatur alia, atque ex illa promatur vel augeatur, ſecundùm conſuetudinem regionis. Magni ſunt hujus bonæ exercitationis progreſſus. *Quæſitum ſeptimum :* An in ſuis confeſſionibus deſcendet ad imperfectiones valde ſingulares : vel an majores dicet, ut confeſſio ſit brevis ? *Reſponſio :* Ut ne quis in hac re decipiatur ; obſervare poteſt, qua ex parte inimicus ipſum impugnet, & quò deducere eum velit, ut Deum Dominum noſtrum offendat. Quod ſi facilia ipſi reddiderit peccata mortalia, operam det, ut expendat vel minutiſſimas imperfectiones, ac de illis ſeſe accuſet in confeſſione. *Sin verò deduci ſeſe ſenſerit ad quamdam* perplexitatem, faciendo peccatum, ubi non eſt ; de minutiis haud confitebitur ; ſed de peccatis dumtaxat venialibus, & quidem de illis, quæ ſunt majora. Quod ſi jam per Domini gratiam conſecutus ſit pacem cum Domino noſtro, breviter confiteatur de peccatis ſuis, non deſcendendo ad minima ; at confundendo ſe de illis in præſentia divina ; ac conſiderando, objectum, cui repugnant peccata venialia, eſſe infinitum ; ſed per ſummam Dei Domini noſtri bonitatem condonari aquâ benedictâ,
C percuſſione pectoris cum diſplicentia &c. *De ſcholaſticis tractant noſtræ Conſtitutiones part.* 4, *cap.* 3 *& ſeqq.*

Quanti fecerit munus juventutem inſtituendi litteris humanioribus.

871 *Ribadeneira lib.* 3, *cap.* 24 *oſtendens, collegia cur habeat Societas ad inſtituendam juventutem, graviter & copioſè multiplices deſcribit fructus, qui ex hoc ſalutari labore in omnem quaquaverſum rempublicam Chriſtianam diffunduntur. Quæ ſi quis politioris è Societate litteraturæ profeſſor attentè pervolvat, nè ille magnos inde ſibi ſtimulos ſubdi ſentiet, tam ut utiliſſimam atque homine Societatis digniſſimam hanc ſpartam magni faciat, quàm ut ſtudioſè illam exornet ! Enimverò ſanctus Pater noſter ſummo eam loco habuit. Etenim ut nihil dicam de Conſtitutionibus noſtris part.* 4, *cap.* 7 ; *audiatur Orlandinus lib.* 6, *num.* 77 ; *ubi occaſione noſtrorum Valentiæ*, Eorum, *ait*, qui ſe litteris perpolirent humanitatis, orationes & carmen ad ſe mittenda curabat. *Ita ille. Quorſum verò ? ut ne videlicet frigus aut veternus obreperet eorum animis ad rem tantam comparandis. Quin imo eò uſque* S. Ignatii *in hac, qua de agimus, materia proceſſit vigilantia, ut, quamvis graviſſima negotiorum univerſæ Societatis mole gravaretur, voluerit tamen alicunde hebdomadis etiam ſingulis de ſcholarum ſucceſſu ab earum magiſtris edoceri, teſte Orlandino lib.* 9, *à num.* 19, *ubi inter res Meſſanenſes ita in rem noſtram ſcribit :* Inter hæc, reſpondebant opinioni hominum, magiſtrorum collegii perſpectæ litteræ, docendique ratio. Atque ut non modò excultæ jam humanitate diſciplinis gravioribus juventuti, quod anno antecedenti fieri cœptum eſt ; verùm etiam frequentiſſimæ pueritiæ, Latinæque linguæ rudibus conſuleretur uberiùs, tributa eſt in ſcholas quinque omnis grammaticæ diſciplina : quarum doctores atque magiſtros, ut ſuperiorum etiam claſſium, quo incitarentur ardentiùs, oportuit ex Ignatii præſcripto ſingulos ſingulis ad eum hebdomadis de rebus ſuis accuratè perſcribere. *Hinc accuratam Viri ſancti erga labores litterarios, quibus juvenilis ætas informari ad humanitatem ſolet, induſtriam metire. Quod ſi quis ea, quæ de egregiis in Societate viris diu in hujus exercitatione paleſtræ verſatis, illuſtrata exemplis videre deſiderat, conſulat Bibliothecæ Scriptorum Societatis noſtræ indicem materiarum cap.* 19, § 19. *P. Franciſcus Sacchinus edidit Protrepticon ad magiſtros ſcholarum inferiorum Societatis Jeſu, & Paranefim ad coſdem. Denique Linekus varia ad præſens argumentum corradit part.* 4, *cap.* 14 *& ſeqq.* D E

A Societate requirit curam circa Generalem, & vult à ſuis juvari,

872 *Vir ſanctus nonnulla etiam notavit, quæ à Societate circa Præpoſitum Generalem obſervari voluit ; ſicut lego in ſchedula, monumentis noſtris Romanis inſerta, cui ſequens præmittitur titulus, qui ex Hiſpanico, uti & ipſius ſchedulæ contextus, ſic ſonant :* Totum manu noſtri Patris. De providentia, auctoritate, & cura, quas Societas habere debet circa Præpoſitum Generalem. Societas, aut perſonæ per eam deputatæ habebunt debitam providentiam, omni cum amore & charitate, de rebus externis, convenientibus aut neceſſariis Præpoſito Generali, ita ut illa judicet, proſpiciat ac determinet circa ejus victum, veſtitum, ſomnum, & modum procedendi, plenam ad illud habens auctoritatem. Id quod non parùm juvare poteſt in ſpiritu duabus de cauſis. Prima eſt. Quando Præpoſitus eſt talis ; qualis ſperatur ; magno ipſi erit ſolatio ac gaudio ſpirituali, quod rerum hujuſmodi curam non habeat, quærens ac deſiderans loco Chriſti Domini noſtri
F obedire in illis Societati. Secunda. Omnes Societatis ſubditi, hunc rerum ordinem ſcientes, nullam habebunt occaſionem ad aliud quidpiam, quàm ad ædificationem in omnibus. Id quod admodùm convenit ad majorem unionem capitis cum membris ſuis. *Ita ſtatuebat ſanctus Pater circa res externas, quæ ſpectabant ad Præpoſiti noſtræ Societatis perſonam. Vide, ſi lubet, Conſtitutiones noſtras part.* 9, *cap.* 4. *His præterea è prædicta ſchedula adde nonnulla, ad perſonam* S. Ignatii *attinentia ; quibus juvari ac provehi à Societate in rebus externis atque internis deſiderat ; & quæ* manu noſtri Patris, *ſicut iis prænotatur, ſunt ſcripta. Ea ex Hiſpanico ſic effero :* Quilibet die aliquo cogitans, orans ac celebrans, dicat mihi, vel ſcribat id, quod ſibi videtur ad gloriam divinam circa res interiores, quantum ad me, & quantum ad proximum : de exteriobus, quantum ad me, & ad proximum ; de cura domûs, ac foris &c. *Et ſubſcribuntur hæc nomina :* Laynez, Salmeron, Codacius, Domenechus, Elpidius &c.

873 *Exhibui ſuperiùs* § 65 *ſanctum Patrem pacis amantem ; nunc verò eum hîc repræſento medium*

AUCTORE J. P.

Procurata inter Pontificem,

A *dium inter discordes pacificatorem : quæ dos insignis suum quoque locum inter Sancti virtutes meretur. Orlandinus lib. 5, num. 27 inter ea, quæ ibidem ad annum 1545 narrat, hæc habet :* Quamquam sese naviter domi cum sociis in omni pii muneris varietate versabat, foris tamen non deerant persæpe onera curæque pergrandes, sive quas principum virorum fides, sive quas communis ultro caritas commendabat. Qualis illa, quâ pacem studuit concordiamque inter Joannem Lusitaniæ regem, Romanumque Pontificem conciliare. Ardua sanè res, & implicata satis : in qua diu multumque sudandum beato Viro fuit, graviter exacerbatis utrimque animis Michaëlis Silvii, Viseensis episcopi, ejusdemque Cardinalis causâ : ut mirâ Deus providentiâ tamquam in ejus difficultates temporis pacificatorem præparans, tantam & apud Pontificem, & apud regem Ignatio auctoritatem fecisse videretur.

ac regem Lusitaniæ ab Ignatio pax, uti & inter alios diffidentes.

874 Is pro eo, quantum & causæ gravitas postulabat, ac se suamque familiam utrique debere Principi intelligebat, forti animo provinciam hanc partesque suscepit : &, piis precationibus Societati imperatis, post diuturnam contentionem, singulari Dei beneficio exitum pacis, qui satis utrique parti faceret, invenit, suæque industriæ ac laboris fructum, & multò magis in Deum fiduciæ constantiæque tulit, impetratis etiam à Pontifice, quæ Rex sacro Quæsitorum tribunali postulabat. Nec minus sanè feliciter ab Hispaniarum principe Philippo commissa sibi pietatis negotia apud Pontificem explicavit. *Sanctus etiam Pater die 2 Septembris anno 1545 testatur, se auctore ac præsente, dominum Portocarrerum reconciliatum esse domino Bustamantio. Testimonii programma est maximam partem autographum* S. Ignatii; *cujus apographum habeo ex archivo nostro Romano depromptum ; uti & alterius epistolæ, quæ ibidem tota autographa est* S. Ignatii, *& quæ continet procurationem pacis inter dominum Franciscum Laso, & nobilem quemdam Hungarum. Huc pertinet composita à Sancto discordia inter Ascanium Columnam, & Joannam Aragoniam conjuges : de qua re Orlandinus lib. 12, num. 11, ad an. 1552 sic narrat :* Vergebat jam ad occasum annus, cum exeundum sibi tantisper ex Urbe putavit Ignatius, dum Ascanium Columnam,

C & Joannam Aragoniam conjuges, animis pariter & habitatione distractos, pro ea, qua apud utrumque auctoritate valebat, pristinam in gratiam conciliaret. Exiit æger & valetudinarius beatus Pater, fœdoque imbribus cælo, cum Joanne Polanco, fratribusque duobus. Adeo eum animorum salus & pericula stimulabant. Atque ut initium conciliandæ pacis ab uxore facilius duceret, ad eam se contulit in oppidum, quod Alvitium appellant, in Neapolitani regni finibus. Ubi vix triduo commoratus, cum facilem quoque vir sese præberet, rem penè omnem ex sententia transegit.

Erecta per Germaniam seminaria ex consilio ejusdem Sancti.

875 *Multum quoque consilio suo, quod Jaio suggessit de erigendis seminariis, profuit Germaniæ populis, & statui apud eos clericali. Nam, Orlandino libro 5, à num. 31 referente,* Prudentes Germaniæ pastores, animadversa ubique luporum fraude atque rabie, qui in vestimentis ovium, Domini caulis totis faucibus imminebant, intenderunt vigilias suas ad custodiam sibi crediti gregis, optimo Jaii usi consilio. Qui eis magnopere auctor fuit, ut, quoniam theologicæ litteræ vulgò sordebant, cum sacerdotium ipsum, propter quod illæ addiscuntur, jaceret, eoque doctores, & curiones, & concionatores Catholici deficerent ; in sua quisque episcopus diœcesi collegia è lectissimis adolescentibus institueret, tenuiorum videlicet Catholicorum liberis, qui divinas litteras, ad evertenda nova opinionum commenta, scholarum more perdiscerent, & in pastores custodesque Christianæ plebis succrescerent. Hoc consilium decedenti ex Urbe Jaio peropportunè suggessit Ignatius ; quod episcopis illis usque adeo probatum est, ut ad id suscipiendum & adhibendum paratissimo animo Salisburgenses, Aistetenses, & Augustanus præsertim antistites inventi sint. *Itaque Sanctus inter tot propria & domestica familiæ suæ negotia, sic suarum satagebat rerum, ut alienarum, quibus Ecclesiæ bono aliquid accederet commodi, curam etiam cordi haberet.*

Datum Ignatio jus ad collegium Colon. in Cypro, & Hierosolymis erigendum :

876 *Familiæ suæ per rempublicam Christianam propagandæ perstudiosum exstitisse* S. Ignatium, *abunde constat :* Conabatur *enim* Dei gratiam non negligere, sed eos ipsos, quos habebat, in ea loca dispergere ac distribuere, in quibus .. uberiores fructus sperabantur ; *ex Ribadeneira lib. 3 cap. 10. Et sanè bono ac sedulo Viri sancti conatui mirificè adspirasse Dominum, conficitur ex tot collegiis, vivente etiamnum sancto Patre, erectis; de quibus agit dictus auctor : cui adjunge documenta nostra Romana, quæ inscribuntur* Dichos y echos *&c. Nam inter illa, quæ ex relatione Ribadeneiræ,* Circa *Sancti* gubernationem *ibidem memorantur num. 98, habemus, quod anno 1554 Petrus de Zarate acceperit Bullam quamdam Julii PP. III in favorem rerum Hierosolymitanarum; ubi inter alia fuerit aliqua clausula, erigendi tria Societatis collegia ; unum Hierosolymis ; alterum in Cypro ; alterum denique Constantinopoli. Habeo in promptu ecgraphum epistolæ Hispanicæ, manu* S. Ignatii *subscriptæ, & è tabulario Romano à P. Ignatio Pinio transcriptæ, quæ signatur* IX *Junii 1556, & cujus epigraphe inscribitur* Domino Petro de Zarate, sanctissimi Sepulcri Christi Domini nostri equiti, Bruxellis in aula suæ Majestatis. *Cum autem hæc epistola sit transfixa, & supersint vestigia sigilli ; patet, hanc ipsam missam fuisse ; uti observat mox nominatus Pater. Ceterùm inde planum fit, quod sanctus Pater noluerit renuntiare juri illi, quod à Julio PP. III acquisierat, erigendi Hierosolymis collegium ; quam* F *tamen renuntiationem desiderabant fieri coram notario nonnulli Religiosi.*

cujus ultimi juri renuntiare renuit.

877 *At respondet sanctus Pater, esse quamdam personam, quæ post suam mortem relinquit reditus ducatorum quingentorum pro collegio Societatis Jesu ibidem loci ; non credere se, quod ullus cum ratione desideraturus sit, ut illud jus deferatur, aut illi nuntius remittatur. Jus verò aliud, quod dant Bullæ Julii III viâ confraternitatis sancti Sepulcri, numquam sese procurasse, aut de eo tractasse ; neque etiam post expeditas ac publicatas Bullas unquam se dicto domino promisisse affirmat, quod ad istos tractus missurus esset collegium &c.* Ad hæc, nescius, *ait,* quidnam aliquando Deus Dominus noster sit effecturus per inutilia hujus minimæ Societatis instrumenta ; rationi ac Spiritui Dei Domini nostri consentaneum non videtur, admittendo in ista Terra sancta collegio portam occludere ; &, etiamsi ego reipsa renuntiarem, non videtur, id validum fore, neque ligaturum deinceps Societatem ; atque adeo mihi non videor posse, salvâ conscientiâ, instituere renuntiationem hujusmodi : tametsi videam, modicè admodùm res esse dispositas, ut, tempore

AUCTORE J. P.

pore vitæ meæ, collegium ad illas partes sit mittendum. Et facilius est, numquam mittere tale collegium; quam promissione se obstringere, illud non admittendi. *Viden' stabilem* S. Ignatii, *quantum in se erat, propagandæ Hierosolymis Societatis voluntatem?*

§ LXXXVI. Virtutes S. Ignatii, ac documenta ascetica, testimonio P. Oliverii Manarei confirmata.

Præmittuntur nonnullæ notitiæ

Anno 1727, *die* XXI *Novembris venerunt ad meas manus varia, eaque non parvi pretii, de S. P. N.* Ignatio *documenta, ex instrumentis collegii nostri Lovanienſis transcribi curata, ac deinde mecum communicata à P. Ignatio Pinio, tunc ibidem loci sacræ theologiæ professore. Inter alia, prout adscriptum invenio in eorum apographo,* Servatur in cubiculo R. P. Rectoris Societatis Jesu Lovanii scriptum autographum R. P. Oliverii Manarei, tenoris sequentis: Responsio ad quædam postulata de B. P. Nostri Ignatii virtutibus & documentis, à Nicolao Lancicio Romæ theologiæ studioso. *Magnum omnino ac celebre nomen in nostra Societate sibi fecit venerabilis servus Dei P. Nicolaus Lancicius, cujus Vitam auctiorem typis vulgavit noster Bohuslaus Balbinus, Pragæ editam anno* 1690. *De libris ab eo vulgatis agitur in Bibliotheca Scriptorum nostrorum.*

circa auctorem

879 *Cum autem dictus venerabilis Pater anno* 1601 *Romæ consecratus sit sacerdos, ex dicta Vita lib.* 1, *cap.* 7; *consequens est, ut Manarеus ad ipsius postulata responderit seculo* XVI *ad finem vergente. Cæterùm Oliverii Manarei clarissimum quoque in Societate nomen est; cujus elogium contexuit P. Josephus Juvencius lib.* 25 *partis quintæ, Historiæ Societatis nostræ, pag.* 882. *Breve est illud, quod inde delibo:* Orbata est anno MDCXIV provincia Belgica insigni viro P. Oliverio Manareo, primo & nonagesimo anno, quàm natus; sexagesimo quarto, quam Societati addictus fuerat. *Admissum in Societatem fuisse à S. P. N.;* C *nec ita multo pòst collegio Romano, ac deinde Lauretano, quod constituit, præpositum fuisse; ad hæc, commissarii, Assistentis, Vicarii Societatis generalis, ac Austriæ, Germaniæ, & Belgii visitatoris munere perfunctum; ibidem invenies; &, quod ad virtutes spectat, pia animi tranquillitate atque opis divinæ fiduciâ præditum fuisse. Juvat hisce attexere sequens testimonium, ab illustrissimo Antverpiensi Guilielmo à Bergis de eo datum, ex apographo instrumenti, quod, uti eidem prænotatur apographo, exstat in cubiculo R. P. Rectoris Societatis Jesu Lovanii, estque* Testificatio R. P. Oliverii Manarei de B. P. N. Ignatii sanctimonia *&c.; juvat, inquam, hisce attexere sequens testimonium, quod dicto instrumento subnectitur, his verbis expressum:*

ipsum,

880 Ego infrascriptus Guilielmus episcopus Antverpiensis attestor, novisse me Romæ ab anno MDLXXV reverendum patrem Oliverium Manart, Assistentem reverendi patris Everardi Mercuriani, quarti Generalis Societatis Jesu, & postmodùm visitatorem & Provincialem in Belgio, habitumque semper pro viro pio, bono, prudenti, qui in Ecclesia Dei hisce in partibus verbo & exemplo maximum præstitit, & adhuc præ- D
stat, fructum; ideoque meritò ipsi fidem adhibendam. In cujus rei evidens testimonium præsentibus nomen meum manu propriâ subscripsi, & sigillo meo easdem communivi. Antverpiæ sub anno à nativitate Domini MDXCVIII, IV Id. Aprilis. Guilielmus episcopus Antverpiensis.

ejusque instrumentum, quod hic datur.

881 *Quamquam verò quæ Manareus ad Lancicii postulata respondit,* majori ex parte pater Ribadeneira attigit; non tamen tam explicatè omnia; *prout indicat in clausula responsionis suæ; ut cum inde, tum quòd narret non pauca in propria persona; tum denique quòd ejus tota narratio sit sincera ac genuina, & necdum alicubi, quantum scimus, prælo subdita, non sine merito in lucem hîc proditura videatur. Porro hæc P. Manarei responsa in Urbem missa sunt: nam ex fide P. Ignatii Pinii, sicut eorum apographo subtexuit,* In cubiculo R. P Rectoris collegii Lovanienſis Societatis Jesu servatur scriptum ejusdem P. Oliverii Manarei, hoc titulo: Notæ in puncta præcedentia in Urbem missa. *Quæ uncinis [ ] inclusa cernes, addita quidem erant ad marginem exemplaris, illa puncta continentis; sed eodem charactere, juxta ea, quæ in ecgrapho nostro notavit paullo antè memoratus Pinius. Quia verò instrumentum nobis est justo longius, quam ut unico paragrapho decurratur; ideo illud dispescuimus in tres partes: quarum en tibi, lector,* E

Pars Prima.

Manarei responsa ad Lancicii quæsita de famosa apparitione, examine particulari;

PEtis, frater chariſſime, quædam de B. P. nostro: ad quæ paucis respondebo, ut memoria præteritorum subministrabit.

Primum. Ubi, & in quo sacello Christus apparens B. P. nostro, se propitium illi fore, promisit? Respondeo, me latêre. Illud solum commemorari olim audivi, fuisse oratorium seu sacellum non procul à via publica positum, inter Bononiam & Florentiam: nam ex via ad illud deflexerat, ob vicinitatem ac loci opportunitatem, ad orandum. *At vide, quæ dixi suprà* § 26.

Secundum. Quod attinet ad examen particulare, ab ipso mihi impositum; res ita se habuit. Cùm ex Urbe Lauretum profecturus, & primùm colonias ducturus, ad B. P. nostrum adiissem cum sociis, præsente patre Joanne Polanco se- F
cretario, ut benedictionem ipsius peteremus; ipsum fixiùs in vultu & oculis sum intuitus, præsagiens, me vix illum ampliùs revisurum in terris. Hanc immoderationem meam sapientissimus medicus sanare volens, hanc medicinam applicuit, non ipso loco: quia (ut benignus erat, nolens, opinor, me coram aliis acriori, sicuti merebar, admonitione confundere) retinuit tantisper apud se patrem Polancum, dum ab eo recessissemus. Cùm verò ad portam domûs extremam ferè pervenissemus, en, pater Polancus jubet me subsistere tantisper, dum mandatum Patris exponeret. Medicina ergo hæc fuit: Quia (inquit pater Polancus,) Pater noster animadvertit in hoc ultimo congressu, quod nimis fixè oculos in ipsius vultum conjectos tenuisti, quod argumentum est arrogantiæ; pro pœnitentia mandat, ut quotidie saltem semel in examine conscientiæ consideres, an in alicujus, cui reverentiam debeas, vultu oculos tuos diutiùs fixeris inter loquendum, & ut post examen recites orationem dominicam cum angelica; & quoties denique ad eum scribes (scribere autem debebam

ex

A ex præſcripto regulæ ſingulis hebdomadibus) referas, an perſolveris pœnitentiam, vel non. Hæc autem pœnitentia extracta eſt in decimum quintum menſem: quo evoluto, ſignificavit B. Pater, ut deinceps abſtinerem.

humilitate, 883 Tertium. De humilitate ejus hæc habeo, præter ea, quæ patris Ribadeneiræ hiſtoria continet. Annotatione digna mihi ſemper viſa ſunt 1°. Quod me novitium, & mei ſimiles admittebat imò invitabat perbenignè ad colloquium, & ad aſſidendum ad latus, modò in horto, modo alibi, ut uſus veniebat. 2°. Quod, dum ægrotarem, non gravatus ſit me inviſere, & amanter paternéque ſolari, offerens pyxidem mannâ refertam, dicens: En, Oliveri, manna, quod jamjam accepi à proregina Siciliæ. Illud ipſum tibi dono, ut recreeris, & eo utaris ex medici præſcripto. 3°. Quod, dum interdum ad ſuam menſam privatam me vocaret, nec dedignaretur cibum, quod & aliis facere ſolebat, ſubminiſtrare fuſcinulâ, ac pomum vel pyrum à ſe concinnè decorticatum porrigere. 4°. Quod audiremus ſæ-
B pe ipſum de ſe inter loquendum, valde humiliter ac demiſſè interſerere epitheton humilitatis, V. G. miſera anima mea, me peccatorem, me pauperem, ſeu pauperem animam meam. 5°. Quod de Societate loquens vel ſcribens, ſimili moderatione uteretur: Hæc minima Societas, de hac minima Societate noſtra &c. 6°. Quod illam vel non laudabat, vel valde parcè & ſobriè id faciebat. 7°. Quod, ut cubiculum habebat humile, ita ſupellectilem habuerit ſemper modicam, & ipſam ſemper tenuem. 8°. Quod virtutes ſuas ſtudioſè occultabat, & ſua arcana, devotiones, & exercitationes ſpirituales non manifeſtabat, nec ſciri volebat.

Exemplum eſto, quòd P. Didacus de Guia, venerandus & ſanctus ſenex, non ſemel nobis dixerit: O ſi poſſem dicere de magiſtro Ignatio, quæ ſcio! O ſi os non eſſet mihi clauſum, quanta & quàm magna vobis dicerem! Pater enim illi mandaverat in virtute ſanctæ obedientiæ, ne de rebus ſuis ſecretioribus quidquam diceret, quamdiu viveret; erat enim, vel paulò ante fuerat, ejus confeſſarius: mortuus autem ipſe eſt ante ipſum B. Patrem. 9°. Licet valetudinarius eſſet & debilis; cùm poſſet paulò commodiùs in
C collegio habere, voluit tamen ex eleemoſynis in domo profeſſa ſemper victitare.

prophetiis, 884 Quartum. Prophetias ab ipſo pronuntiari numquam audivi, nec pronuntiatas aliàs ſcio quàm, quod P. noſter Laynez piæ memoriæ & alii referebant, videlicet patrem Simonem Rodriguez non moriturum, licet graviſſimo morbo decumberet, eâ infirmitate; quod prædixit P. Fabro itineris comiti, dum Baſſanum, ægrotantem viſurus, iter faceret; quod & P. Ribadeneira habet. Item de collegio Pariſienſi audivi illum, dum in Urbe eſſem, dixiſſe (non enim audeo affirmare, quod ex ipſomet audiverim) collegium Pariſienſe poſt Romanum (quod erat tunc pauperrimum) & Conimbricenſe, tunc bene fundatum, futurum in Societate præcipuum. Collegium porrò Romanum poſtea domum habuit propriam, cùm tunc non haberet niſi conductitiam; proventum autem ſolùm habebat 500 coronatorum, quos pater noſter Franciſcus à Borgia ſub ingreſſum dederat: ſed ob grave æs alienum, cenſus ille vendi debuerat ad minuendum debita: jam autem ita eſt illi proſpectum, ut firma ſpe eſſe debeamus, eventurum de Pariſienſi, quod prædixit. Dixit denique P. Balduino ab Angelo, cùm mitteretur ad initia collegii Neapolitani, quod perſecutiones quidem graves in collegio illo ſuſtineret: ſed ſecuturam paulò pòſt tranquillitatem, & futurum illud collegium in Italia valde commodum, & ob fructum ſpiritualem celebre. [Audivi præterea, niſi me fallat memoria, à B. Ludovico Gonſale, quod, cum graviter ægrotum tempore Julii tertii inviſerent aliquot ſeniores, lamentarenturque, quod ſi Deus illum auferret, ſicut ipſe exoptabat, Societatem tanto Patre orbatam in ſuis adhuc quaſi initiis, verſaturam in magno periculo, ne concideret: audivi, inquam, B. Patrem, ut benignum parentem, ut eos conſolaretur, & erigeret eorum animos, dixiſſe: Primi, ut ſpero, boni fuerunt; ſecundi erunt in Societate meliores; tertii his religioſæ diſciplinæ retentiores [*lege* retinentiores:] quod confido eventurum: quoniam luce clarius eſt, Societatem multo meliùs eſſe modò conſtitutam, quàm umquam fuerit (non B. Patris & ſubſequentium Generalium vitio; nam quidquid boni habemus, à Deo per ipſum habemus;) ſed quia tunc nec perſonæ ſufficiebant, nec novitiatus erat bene conſtitutus, E nec media ſuppetebant, nec regulæ denique erant recognitæ, & in ea obſervatione, ut nunc ſunt.]

apparitionibus, 885 Quintum. An apparuerit poſt mortem vel in vita, non memini me audiviſſe; niſi quod ex quodam ſacerdote domeſtico ſacellano Dominæ Johannæ Caietanæ audivi, quòd tempore congregationis quartæ, ſub tempus electionis Generalis, viderat ille B. P. noſtrum, apparentem ſibi cum altero quodam, aſſignaſſe, P. Claudium Aquaviva velle ſe habere ſucceſſorem: & hoc ipſum, ſi rectè recolo, indicavit etiam fratri noſtro Ludovico Jappi. Alias circumſtantias non teneo. Meliùs ille poterit referre, ſicuti & de quadam matrona Florentina, quæ tum dicebatur ſimilem habuiſſe apperitionem.

Sextum. De P. Ludovico Gonſalez, quòd dixerit, B. P. noſtrum ab ipſo fuiſſe viſum in oratione, ſeu ipſi apparuiſſe, non memini me audiſſe; ſicuti non audivi, apparuiſſe patri Cornelio Viſchaven.

Miſſæ Sacrificio, ac præfatiunculæ libelli Exercitiorum; 886 Septimum. Quod ad Sacrum ejus attinet; videor obſervaſſe, quod paulò ampliùs, quàm horam, ordinariè duraret; quoniam crebræ mentis elevationes & lacrymæ eum impediebant: quæ cauſa erat, ut rariùs celebraret, præſertim in F publico. Accedebat impedimentum debilitatis non minimum: hinc per multos menſes fui ſolitus fere quotidie coram ipſo celebrare in ſacello privato. Ipſe tamen valdè diligenter cavebat, ne Societatis ſacerdotes excederent mediam horam; &, quamdiu fui in Urbe, ſemper vidi ædituum, vel eum, qui Miſſæ miniſtrabat, clepſydram habere juxta altare poſitam, ut notaret & deferret eos, qui vel nimiùm excederent, vel nimis breves eſſent.

Quod attinet ad præfatiunculam, quæ præponitur libello Exercitiorum, cujus eſt initium (Hæc documenta &c. *Vide dicta ſuperiùs num.* 866) compoſitam fuiſſe audivi à P. Andrea Fruſio: alii etiam dicunt à P. Fulvio Cardulo; ſed recognitam à P. Joanne Polanco. Exercitia porrò ipſa vidi impreſſa vivente B. P. noſtro; & hodie exſtat in hac provincia exemplum in Urbe impreſſum anno MDXLVIII: & P. Joannes Polancus in compendio rerum Societatis uſque ad annum MDL refert, Exercitia, precatore duce de Gandia Don Franciſco à Borgia, fuiſſe à Paulo III approbata, & cum licentia ordinaria impreſſa. In examine porrò à Prælatis quibuſdam facto de ipſis Ex-

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

ercitiis, mandato ejuſdem Pontificis, ne ſyllaba quidem fuit mutata vel ſublata. Examinatores autem fuere Magiſter ſacri Palatii, Dominus Vicecancellarius, Cardinalis item de Burgos.

effigie S. Ignatii,

887 Octavum. De effigie B. Patris noſtri: nullam adhuc vidi, quæ verè illum referat; nullam tamen vidi meliùs repræſentantem, quàm eam quæ nuper hic recognita eſt à nobis quinque, qui B. Patrem olim vidimus: patribus, inquam, Franciſco Coſtero, Balduino ab Angelo, Eleutherio Pontano, Henrico Sommalio, & à me.

Quod attinet ad illam, quæ in eo cœnaculo eſt appenſa, in quo Pater noſter prandere ſolet; illa nullo ferè pacto illum repræſentat. Statua verò illa facta ex gypſo, quæ ſolebat interdum exponi in collegio Romano, tempore renovationis votorum, de qua R. V. mentionem facit, multum accedit ad B. Patris noſtri vultum. Cùm die quodam poſt prandium verſarer horâ quietis pomeridianæ cum P. noſtro Everardo Mercuriano & Aſſiſtentibus, aliiſque aliquot ſeniоribus; Fr. noſter Ludovicus Jappi exploraturus,
B ſi fortè memoriam reinerem vultûs Patris noſtri; cùm illam ipſam adaptaſſet ſtatuam in cubiculo janitoris, ut adinſtar patris alicujus quieſcentis ſuper lectulo videretur amicta veſte talari, & cum pileo quadrato; de induſtria me evocavit, dicens, nobilem quemdam me expectare prope portam. Deſcendi, ut hominem convenirem. Ludovicus autem ait, jacêre eum in cubiculo janitoris ob debilitatem. Ingredior, & ex ipſo limine ſtatuam conſpicatus; Ah (aio) Pater Ignatius, Pater Ignatius! Qua inclamatione & admiratione argumentum fecerunt & conjecturam, quod maximè omnium effigies illa congrueret.

Sed, ut dixit mihi, tempore congregationis ultimæ, venerandus dominus Philippus Nerius piæ memoriæ, præfectus Oratorii, quia vultus B. Patris illius ſupernaturali quodam ſplendore erat aſperſus, nulla prorſus effigies effingi poteſt arte pictoriâ, quæ verè illum repræſentet. Et hæc quidem ad poſtulata. [Pater Mutius Vitelleſchi erat mihi ſocius, quando viſitavi dominum Philippum Nerium: & ſcripſit ad me, ſe optimè meminiſſe eorum, quæ tum dixit beatus ille vir Philippus.]

C

Pars Secunda.

VEnio modò ad ſextum epiſtolæ veſtræ caput, hoc eſt, ad ejus documenta & exempla, quæ nobis reliquit.

Reſponſa Manarei de S. Ignatii efficacia ſermonis,

888 Nonum. Admirandus erat in ſermone: nam ille gravis erat, non incitatus, non præceps, non inanis; ſed ſolidus & efficax, ac viri denique verè ſancti. Non audiebatur quidquam illi excidere caſu & ex improviſo; ſed os illud beatum ſemper ſeria & præmeditata proferebat. Proinde ab ipſo nemo recedebat, niſi bene conſolatus, inſtructus ſalutari conſilio, & contentus, ſive obtineret, quod intendebat, ſive non; quia beato Viro mira inerat dicendi gratia.

nitore in ſcriptis,

889 Decimum. Neque minùs decori & nitoris in ſermonibus ſcriptis ſervabat, præſertim quando ad viros graves ſcribebat. Atque idem decorum à filiis ſervari deſiderabat, & exigebat. Memini me vidiſſe epiſtolam ad quemdam, quâ ob litteras ad ipſum ſcriptas gravi admonitione illum feriebat, quòd lituris & vitiis maculatas miſiſſet. Ego (inquit) hac nocte expedio circiter triginta epiſtolas, quarum nulla eſt, quam ſemel & iterum non recognoverim; quas autem manu D meâ ſcripſi, & ſcribere ſoleo ad viros graves, & quibus deferre debeo, bis aliquando ac etiam ter reſcribo, ne lituris aut vitiis eas aſpergam, vel inconcinnè incongruenterque aliquid inferam. Harum litterarum exemplum vidi in quodam libello P. Franciſci Palmii, bonæ memoriæ in collegio Bononienſi, in quo libello aliquot litteræ B. Patris noſtri exſtabant.

indifferentia erga placita Superiorum,

890 Undecimum. Reſignationem animi & indifferentiam ut ipſe habebat adversùs Deum, ita in hominibus Societatis ſimilem exoptabat erga Superiores; quod intellexi ex variis, & ex uno facto meo cognovi poſtea P. Sebaſtiani Romæi relatione; placuiſſe nimirum beato Patri. Cùm me vocaſſet ad ſe anno MDLIII, & mihi proponeret tria loca, ad quorum aliquem deſignabat me mittere; optaret autem (ut ajebat) ſe priùs cognoſcere propenſionem meam, moneretque proinde, ut liberè efferrem, quid, & quò me impelli ſentirem: ego verò cùm nullam prorſus haberem inclinationem niſi ad parendum, cum aliquoties animaſſet, ut exprimerem, vel aliquod E ſaltem darem indicium propenſionis, quam ſentirem; ego autem ſemper reſponderem, quod non poſſem reverâ aliud dicere, quàm verè me non poſſe aliud in me animadvertere, aut ſentire, quàm me paratum eſſe ad omnem locum & ad omnem obedientiam, etiamſi mihi moriendum foret; ipſe me benignè dimiſit, & alicui poſtea indicavit, placuiſſe illi in me hanc indifferentiam & reſignationem, ſicut idem P. Romæus retulit mihi aliquot pòſt annis ex aliqua occaſione. Libenter tamen ſequebatur ſanctus Pater, ſalva reſignatione & obedientia, ſubditorum propenſionem, & gaudebat, quando ea ſe conformabat cum ſua: dicebat etenim, quod ea ratione gubernatio perſonarum meliùs caderet, eſſetque omnium ſuaviſſima.

refrænanda ira,

891 Duodecimum. Cùm initio adminiſtrationis collegii Romani ſentirem in me reviviſcere paſſionem iræ veterem, quam ſubditus & non Superior vix umquam ſenſeram, & extinctam, quæ tantùm erat conſopita, ducebam, afferret autem illa mihi novam ex non expectata inordinatione moleſtiam; recurri ad B. Patrem pro conſilio & auxilio. Ipſe animavit me ad pugnam, dicens, iram moderatam eſſe ad bene gubernandum valde utilem, ſi ratione ac Dei timore temperetur: proinde tantùm curarem illam frænare F ac reprimere, ut non erumperet foras: de cætero non eſſem multùm ſolicitus.

cavenda omni mentis perturbatione; item de recurſu ad Deum,

892 Decimum tertium. Audivi non ſemel Beatam illam animam dixiſſe, exoptare ſe, ut homines Societatis ita comparati eſſent, ut adinſtar angelorum ſe totos, & qua poſſent charitate ac ſtudio, impenderent curandæ ſaluti & profectui proximorum, & ut nihilominùs ſervarent ſe omnino immobiles ac conſtantes, nullam ob rem incidentem turbando ſe ipſos: ſicuti angeli, in quos nulla cadit paſſio aut perturbatio, licet nihil omittant, quod poſſint & debeant ad auxilium & profectum noſtrum ſpiritualem; ſerenitatem tamen ſummam in ſe ſervant ſemper, videntes faciem Patris cæleſtis, ſemperque eo perfruentes abſque ulla ſui inordinatione ſeu perturbatione.

893 Decimum quartum. Dicebat, nihil nobis eſſe agendum alicujus momenti; quin priùs per peculiarem recurſum ad Deum, & ſaltem brevem mentis elevationem, à Deo conſilium imploraremus, ſicuti à Patre optimo & ſapientiſſimo, collocando in eo totam noſtram fiduciam.

Quo

A Quo facto, & audito, quid in nobis locutus sit Dominus, faciendum, quod docemur.

conversatione cum externis,

894 Decimum quintum. Cùm quidam de nostris, cujus nomen mihi excidit, quereretur apud ipsum, quod ab externis, qui eum crebrò vocabant ad portam, impediretur à conjunctione interiore cum Deo, ac multùm distraheretur animo; respondit: Qui ad te pro auxilio seu consolatione spirituali accedunt, magnâ eos charitate excipe; sed præmitte semper, postquam vocatus es, vel inter eundum, orationem aliquam jaculatoriam, rogans Deum, ut animam illam per se dignetur juvare; atque deinceps omnes cogitationes & sermones tuos eò confer, ut accedentem juves in spiritu; & non distrahêris inutiliter, sed proficies magis. Quod si te non ita conjunctum cum Deo senseris, ut antè, & ut in quiete, ne sis propterea anxius; quia distractio illa non erit tibi detrimento, quæ propter Dei gloriam suscipitur. Sin accedant, ut referant nova, vel ut colloquantur de rebus non utilibus; prudenter ingere illis sermonem de morte, de peccati enormitate, de Dei offensione, de judicio,

B de examine conscientiæ, & confessione &c.; & quotiescumque ad te revertentur, de talibus age: qui juvari volent, redibunt ad te ut proficiant: si nolent juvari, sinent te in pace, nec redibunt ampliùs aut molesti erunt.

lectione librorum spiritualium;

895 Decimum sextum. Volebat, ut nos omnes frequenter lectitaremus libros spirituales; sed cum affectu & devotione, tum ad accendendum affectum, & devotionem promovendam, tum ut prompti evaderemus ad promendos sermones spirituales potiùs, quàm ad doctrinam vel fundendam vel ostentandam: & exemplo nos quidem suo docebat. Nam in cubiculo suo secretiori ordinariè super mensam alios libros non habebat, quàm novum Testamentum & Thomam de Kempis; quem solebat appellare perdicem librorum spiritualium.

munditie externa, silentio, clausura.

896 Decimum septimum. Commendata habebat valde, & commendata esse filiis, præsertim Superioribus, volebat tria, quæ ad disciplinam externam & ad decorum religiosum, valde pertinent; nimirum munditiem domûs universæ ac vestium, silentium, & denique clausuram: quæ indicia esse dicebat in domo Religiosa, quòd in ea vigeret bona disciplina. Munditiei porrò tam

C studiosus erat, ut non rarò visitaret ipsemet cubicula, considerans, an lectuli essent concinnè strati; libri super mensam bene compositi, cubiculum bene versum: neque patiebatur quidquam apparere, quod non esset debito loco repositum, ut vittam nocturnam ponè cervical, ut non appareret; scopas non alibi quàm sub lectica seu lecti fulcro, vel in angulo aliquo obscuro; candelabrum, calceos, ut non apparerent, nisi curiosiùs inspicientibus. Silentium ità colebat, ut, extra horam quietis seu recreationis post cibum sumptum, non pateretur colloquia haberi. Strepitum vocis sive sermonem altiorem si exaudiebat, aut strepitum majorem æquo, vehementiùs ambulantis vel de gradibus descendentis; statim aperto ostio vocabat delinquentem, & officii monebat. Hinc frequens erat pœnitentia à Ministro injuncta, quod non usi essemus voce bassa seu depressa, aut quod immoderatiùs per ambulacra ambulassemus aut januas cubiculorum clausissemus. Quòd attinet ad clausuram; non ferebat, ut porta maneret vel ad minimum tempus aperta, quando non erat necessarium; neque patiebatur claves ex ostio serave pendere.

897 Decimum octavum. Ad bene conversandum cum proximis, dicebat, utendum esse arte discreta ac religiosa; ut scilicet initio accommodaremus sermones & actiones ad ipsorum ingenium, vel ad ea, quæ tractant, quando ad eos accedimus: ac tandem perduceremus eos ad rem nobis propositam; id est, ad bonum animæ & salutis ipsorum. AUCTORE J. P.

Quibus accedunt ars discreta agendi cum proximo;

cura disciplina;

898 Decimum nonum. Magnam curam habebat bonæ disciplinæ; & ordinis constantis officiorum. Eam ob causam, quamvis occupatissimus alioqui esset, & valetudine malè affectâ, volebat tamen Ministrum domûs quotidie ad se referre quidquid eo die alicujus momenti accidisset, & in diem sequentem mandata accipere. Proinde œconomia & disciplina pulchro semper ordine procedebat; & ejus exemplo usus & regula ubique obtinuit, ut Ministrum Rector quotidie accersat ad se.

subordinatio;

899 Vigesimum. Magni faciebat valdè subordinationem. Exemplo sit: cùm semel ex officio Rectoris præsens fratres nostros studiosos ad portam disponerem ac combinarem, ut debito ordine E & serie irent de more ad concionem, quæ habebatur in domo professa; quidam pater fretus suâ prudentiâ & autoritate, & B. Patris erga se benevolentiâ (cùm fortè adesset) mandavit uni ex studiosis nostris, ut, antequam egrederetur, iret purgatum calceos suos. Ego dissimulans, mandavi absque mora, ut omnes procederent. Ille, quia viderat me audisse monitionem suam fratri factam, retulit Patri rem, ut acciderat. Sanctus autem Vir paternè illum docuit, habendam fuisse rationem subordinationis, & debuisse sinere eum, qui præerat collegio, liberè præstare officium suum.

rerum novarum fuga;

900 Vigesimum primum. Non ferebat etiam quidquam de novo induci in usum, quamvis bonum esset, absque suo, vel ejus, qui præerat, consensu. Hunc respectum videlicet habendum censebat erga Superiorem. P. Martinus Olavius, vir gravis, pius, & prudens, & doctissimus, virque illi charissimus, licet superintendens esset collegii, quia præter morem mandaverat, ut lectio Breviarii Romani (quod à Cardinale sanctæ Crucis, autoritate Apostolicâ, fuerat confectum, & quo Societas ordinariè utebatur) legeretur ad mensam, quia ut plurimùm continebat historiam de Sancto occurrente, reprehensus est ab eo, F & reprehendi curavit publicè inter cœnandum, misso, ad hoc officium illi præstandum, quodam fratre ex domo professa, cui nomen erat Antonius Rion, qui acer & lepidus erat in dandis publicis reprehensionibus.

etiamsi bona essent, si eas non probet Superior.

901 Hæc porrò reprehensio non tantùm profuit ad disciplinam meliùs servandam, sed nos omnes, qui aderamus, valde ædificavit in Domino insignis humilitas ac tranquilitas P. Olavii, viri talis. Non improbabat autem B. P. noster rem ipsam, quia eam voluit retineri & continuari; continuataque fuit lectio tertia ejus lectionis, donec reformatum Martyrologium illi successit: sed reprehendebat sanctus Pater, quod res bona non fuisset bene & debito ordine facta. Similiter P. Antonius Soldevilla secreta quædam conventicula invexerat in collegium, in quibus illi, qui in eis versabantur, variis mortificationum generibus exercebantur noctu, postquam omnes incubuerant. Ego cùm id subodoratus essem, finxi me affici ad hujusmodi exercitationem, ac desiderare, interesse conventui: gavisi sunt collegæ illi, quod à sua parte Rectorem haberent, sperantes

AUCTORE J. P.

tes, quod hac occasione & ejus exemplo uberior staret exercitationis fructus. Interfui, exploravi singula; atque ut penitius omnia cernerem, me cum ipsis exercui. Die insequenti rem detuli ad Patrem nostrum. Ipse jussit illum patrem facere disciplinam publicam, & confestim misit eum Neapolim: nam quidam de eo sodalitio Petrus Silvius theologiæ studiosus, magnæ spei adolescens, inciderat in phrenesim, ob nimis assiduam rerum cælestium meditationem, ut credebatur; & parùm abfuit, quin multi similiter læderentur; sed dissipatione sodalitii omnes moniti sunt, ut, Superiore vel patre spirituali non conscio, nihil aggrederentur aut inducerent novi.

Pars Tertia.

Valebat Sanctus mirâ erga subditos prudentiâ,

B

VIgesimum secundum. Noverat uti cum subditis magnâ moderatione, ac mirâ prudentiâ addebat illis animum, ubi oportebat. Quando me misit Lauretum, ut collegium ducerem, & præessem; daret autem ipse mihi tantùm instructiones, quibus cognoscerem, quomodo me gerere deberem cum domino gubernatore loci, & canonicis, aliisque externis; petii quas regulas servarem; nam (aio) collegii Romani regulæ collegio illi non convenient, nisi perpaucæ, ob loci sancti & concursûs peregrinorum circumstantias. Similiter quæ sunt domûs professæ, vix etiam servari poterunt. Ad hæc respondit: Oliveri, facias, sicut tu vidisti, & ut unctio docebit te. Accommoda regulas loco, ut poteris. Petii de personis, quas adjungebat, quas in quæ officia distribuerem. Iterum paucis verbis respondit: Para, Oliveri, vestes secundùm pannum, quem habes; sed quomodo egeris & distribueris, doce.

volens eos agere discretè ac sine scrupulis.

903 Vigesimum tertium. Accidit autem semel, ut aliquid contra mandatum ipsius litteris acceptum facerem. Significavi porrò, me ita feciſſe, quòd illum proposuissem mihi præsentem ob oculos, & visus mihi fuissem audire ipsum dicentem: Fac, sicut tu mente concepisti: nam & ego, si coràm essem, ut sic faceres, mandarem. Ipse verò rem ità est interpretatus, ut rescriberet, me ex ipsius voluntate feciſſe: Homo dat, inquit, officium; sed Dei est dare discretionem. Volo, ut de cætero absque scrupulo agas, ut judicabis ex rerum circumstantiis esse faciendum, non obstantibus regulis & ordinationibus.

C

Habebat cordi ædificationem,

904 Vigesimum quartum. Habuit semper magnam rationem ædificationis. Hinc cùm eundum mihi esset Lauretum, in officium rectoratûs mihi succedens P. Sebastianus Romæus, illi valde charus ob virtutem & prudentiam, misit mecum ad septem ecclesias aliquot patres cum lagena vini & pane ad refocillandum vires, si opus esset. Id rescisens B. Pater, postquam Lauretum abivissem, dedit pœnitentiam omnibus, qui peregrinati fuerant, quod res, aiebat, esset mali exempli ac minimè conveniens Societatis Religiosis. Addebat, quòd argumentum id esset devotionis tenuioris, cùm omnes peregrini bellè valeremus; mandavitque, ut de cetero nihil hujusmodi admitteretur.

905 Vigesimum quintum. Hunc spiritum dicebat, se desiderare in hominibus Societatis (sicuti revera illi maximè proprium erat) ut non haberent minus devotionis in quibusvis operibus charitatis, & officiis, quàm in oratione & meditatione; quandoquidem nihil facere omnino nos deceret, nisi pro amore & servitio Dei, & ad ejus gloriam & honorem.

D

veram devotionem in officiis charitatis, rectam intentionem, perfectam obedientiam,

Vigesimum sextum. Quamvis (inquiebat) oblectare nos soleant omnia, quæ sentimus nos facere ad Dei gloriam & honorem; juvat tamen, ut impensiùs etiam delectemur, quando ea nobis ab obedientia imperantur; quia tunc certi sumus, quod ea rectissimè tendant ad Dei honorem & servitium.

Vigesimum septimum. De obedientia crebrò inculcabat, quod ea, quæ ex sola voluntate profluit, non sit perfecta, nisi adjunctam habeat judicii submissionem ac conformitatem; adeò ut, qui in Societate non conformat judicium suum cum judicio Superioris, altero tantùm pede sit in Societate, & hinc valde pronus ad casum.

paupertatem,

906 Vigesimum octavum. Paupertatem adeò colebat in domo professa, ut, cùm ægroti nonnulli de eadem domo opus haberent quodam genere vini, quod in collegio habebamus, non passus fuerit eam domum à nobis amphoram unam accipere, nisi tantumdem de suo redderet, quod aliquoties sum expertus. Metiebatur porrò perfectionem paupertatis in vestitu, non ex panni vilitate, sed ex duratione & mediocri bonitate. Propterea passus est, me Rectore, ut pannus Romanensis, quo uno tunc utebamur magno dispendio valetudinis & rei (quia attritus nulli usui serviebat; integer verò tam gravis erat, ut nos conficeret) cum alio mutaretur: consensit, inquam, ut ex Flandria pannus nomine ultrafinus, qui mediocris est & durabilis, & attritus utilis ad resarciendum, peteretur; quod factum est, & deinceps mercator, quo utebamur, ipso & simili suam officinam instruxit.

E

charitatem erga indigos,

907 Vigesimum nonum. Charitas fuit illi insignis, & cum insigni prudentia conjuncta: licet etenim ex eleemosynis victitaret cum tota familia, rescisens tamen aliquando, personas honesto loco natas in Urbe magnâ premi rei familiaris inopiâ, nec audere præ pudore eleemosynam petere; ut necessitati & pudori Vir sapientissimus consuleret, ipsis committebat aliquid officii, ut ejus occasione, tamquam laboris & industriæ mercedem, eleemosynam bonam acciperent: sic enim eleemosynam, mercedis pallio convestitam, minore verecundiâ ab ipso accipiebant. Novi duos vel tres, quibus similiter opitulatus est, & quemdam eorum accepisse non semel quinquagenos aureos.

F

magnam in Deum fiduciam rebus in arctis,

908 Trigesimum. Fiduciam in Deum habuit permagnam: propterea ubi usuveniebat, nihil prætermittebat, quod necessarium judicabat, licet impensæ forent magnæ & facultates pertenues. Rem declaro exemplo. Jusserat Pater sanctus, cùm in collegio duodetriginta essemus, ut pararentur cubicula & supellex omnis generis ad augendum numerum collegialium usque ad centesimum, cùm nulla esset vel domi vel in collegio pecunia, præter quinque coronatos, & illos non legitimi ponderis, quos P. Joannes Polancus, cui commissa erat cura pecuniaria, pro collegio & fabrica asservabat. Hos mihi dare voluit, asserens, se nihil præterea penitus habere domi repositum. Ego cernens multa exstrui domi in collegio, [&] ad S. Balbinam, quæ vinea est collegii, puduit me eos accipere. Dedimus uterque operam, ut obsequeremur; ille colligendo pecuniam; ego ex mutuo parandæ supellectili, ac sustentando collegio. Venit interea B. Pater visurus, quomodo collegium venturis fratribus esset accommodatum. Vidit in eo paratum magnum cubicu-

A biculum, fulcris lectorum, ac sedilibus mensisque instructum: omnia ut perpendit, conversus ad patrem Polancum, dixit: Hem! magister Polance; ergo hic fratres nostri collocabuntur? Ergo exponentur injuriis hiemis instantis? Ubi est tabulatum? Degent fratres immediatè sub tegulis & tecto?

cum felici successu

909 Atqui, respondit P. Polancus, non est, reverende Pater, pecunia; neque ampliùs mutuò invenimus. Fiat, respondit, Polance, tabulatum, nec sine fratres hîc dormiant: Deus providebit famulis suis. Erat autem domus conductitia; voluit tamen fieri. Paruit P. Polancus, quia urgebat Patris verbum, & experientia sæpè docuerat, nihil ipsum temere mandare. Et, ecce, altero die, cùm pater Polancus concederet ad amicos & trapezitas, ut pecunias mutuò vel ad interesse acciperet; quidam archidiaconus Hispanus ex Navarra, Mondragon nomine, mihi probè notus, occurrit, rogans patrem Polancum, ut quingentos aureos acciperet, restituendos paulatim quando egeret. Item quidam procurator Ordinis D. Hieronymi Lusitanus multò majorem summam attulit, similiter depositò, restituendam paulatim; sed ut liceret eâ uti. Hæ autem summæ pecuniæ non ita diu postea piorum eleemosynis restitutæ sunt; & persolutum, precibus & meritis, ut putavimus, B. Patris, omne æs alienum, & succursum omni necessitati præsenti.

B

ac subsidio.

910 Trigesimum primum. Sub idem tempus P. Guido Roiletius, collegii Germanici (cujus P. noster promotor vel potiùs author fuerat) rector, cum premeretur ære alieno gravi, ad Patrem accessit opem imploraturus: huic enim collegio, corrasis hinc indè eleemosynis, B. Pater prospiciebat; licet domus professa, quæ eleemosynis vivit, valde numerosa esset, & collegium magno etiam ære pressum. Instabat autem tum dies natalis Domini. Beatus igitur Pater noster audiens Roiletium ex angustia cordis causam suam dicentem, subridens interrogavit: Habebuntne, magister Guido, alumni Germanici aliquid recreationis diebus natalitiis? Oh Pater, inquit, vix panem habebunt; nam pistor nihil ampliùs vult subministrare. Bono (ait) esto animo: Deus aderit. Eme interim alumnis aliquot hædos, & aliquid præterea in recreationem adolescentum, & sine Deum agere. Erectum & consolatum dimisit à se virum. Et, ecce, postridie Julius tertius misit Patri nostro quingentos aureos, quos distribuit in collegium Romanum & Germanicum.

C

Vir erat magni consilii, ac sedulus in utroque examine conscientiæ:

911 Trigesimum secundum. Prudentiâ & consilio valebat plurimùm, mirabanturque passim omnes ejus promptitudinem & solertiam in dandis consiliis ad omnia, quæ illi proponebantur, aut quæ in deliberationem veniebant, de rebus licet difficillimis quæstio esset.

Trigesimum tertium. Audivi sæpe, & nominatim ex P. nostro Laynez intellexi, ipsum valde fuisse sedulum circa examen conscientiæ, etiam particulare, ac contulisse diligenter examen cum examine, tempus cum tempore, hebdomadam cum hebdomada; tam videlicet studiosus erat sui profectûs spiritualis. Semper ferè erat in Deum intentus, licet aliud agere interdum videretur. Vidi illum persæpe ambulantem in horto, & inter ambulandum gressum figere aliquamdiu, & in cælum oculos attollere meditabundum. Addebat P. Laynez, sæpe etiam in die ipsum lacrymari fuisse solitum, & habuisse tam liberum dominium in partem animæ inferiorem, ut vix motus naturales sentiret.

AUCTORE J. P. frequens in adeundo templo D. Virginis à Campis Parisiis.

912 Trigesimum quartum. Cùm Parisiis semina jaceret futuræ Societatis, ut à Patribus fide dignis cognovi, diebus festis & dominicis solebat se conferre ad templum B. Virginis (quæ à Campis nomen habet) in suburbiis sancti Germani, locum abstractum & solitarium, sed devotum & olim celebrem, ut cum sociis orationi vacaret, & sacrosancto corpore Christi commodiùs se reficeret. Hæc traditio tam constans mansit inter nostros, qui Lutetiæ agebant, ut sæpe locum visitaremus in memoriam Patris nostri & sociorum, & ut spiritum hauriremus in loco, in quo beati illi Patres spiritûs primitias acceperant. Conferebant se nihilominus etiam nostri interdum ad Montem Martyrum, ubi divus Dionysius cum sociis capite truncatus fuerat pro Christi testimonio. (*At de loco palæstræ istius sancti Martyris, dispici aliàs poterit ad diem* IX *Octobris.*) In eo templo vota castitatis & paupertatis Pater noster cum sociis Deo nuncupaverat, & hæc subinde renovabant. In altero illo templo ediderant vota Hierosolymitanæ peregrinationis, & obedientiæ præstandæ Pontifici circa missiones. Extra templum SS. Martyrum illorum, in fodina quadam, ex qua saxa ad gypsum parandum eruuntur, audivi, B. P. nostrum non semel pernoctasse in oratione. *Quæ de loco votorum Hierosolymitanæ peregrinationis, & obedientiæ Pontifici præstandæ circa missiones hîc affirmat Manareus, expendi superiùs* § 18.

E

Superiores vult esse impensè solicitos,

913 Trigesimum quintum. Libenter habebat, ut Superiores locales essent importuni in eis, quæ judicabant, locis, quibus præerant, bene constituendis; esse necessaria vel valde utilia; V. G. impetendis pluribus personis, vel magis sufficientibus: quia eam importunitatem tribuebat necessariæ providentiæ & solicitudini eorum, qui præerant. Excusantibus se per verecundiam ac reverentiam, quod importuniùs agerent, animum subministrabat, dicens, non esse timendum: quòd ea instantia indicaret Superiorem attendere officio suo; solebatque vocare tales, angelos locorum, ut angelum Tiburtinum, angelum Senensem &c., quòd adinstar angelorum instarent pro auxilio.

res divinas obiri accuratè; nostrosque alìò mittendos, ad iter instructos.

914 Trigesimum sextum. Volebat ea, quæ in rebus præcipuè divinis gerebantur, concinnè & accuratè geri: E. C. cùm Officia hebdomadæ sanctæ in templo nostro celebrarentur, volebat, retento more nostro, optimè celebrari: proindè, antequam inchoarentur, advocabat ad se eos, qui operam eis dare debebant, & semel atque iterum audiebat, omnia diligenter considerando, ut corrigeret, siquid non satis aptè geri videret.

F

Trigesimum septimum. Quando nostros aliquò missurus erat, volebat, ut ad iter instructi cum galeris, scipionibus, palliolis sibi se sisterent pridie, ut cerneret, an aliquid iis deesset: quod sæpe fieri vidi.

Hæc, chariſſime frater, à te invitatus, ex scrinio memoriæ deprompsi, quæ olim vel audivi vel notavi de B. Patris nostri virtutibus & documentis; quæ etsi majori ex parte pater Ribadeneira attigit, non tamen tam explicatè omnia. Velim boni ea consulas, & condones negligentiæ meæ innumera alia, quæ potuissem ac debuissem notare, quæ jam memoriâ penitus exciderunt: & sancti Viri meritis tribuo, ac tuis precibus, quod hæc pauca memoria subministrarit. Deus te servet incolumem, ac mei in precibus memorem. Oliverius Manareus.

Atque hæc quidem hactenus de Parentis nostri virtutibus & documentis, quæ olim vel audivi vel notavi, Oliverius Manareus.

AUCTORE J. P.

virtutibus ac documentis : è quibus conficitur eximia ejus ſanctitas : quamquam, teſte P. Joanne Auſonio in noſtro apographo epiſtolæ, num. 618 citatæ, his verbis clauſit ſermonem P. Hannibal *(de quo ibidem :)* In P. Ignatio maxima ſanctitas fuit diſſimulatio ſanctitatis. *At nunc à gratuis, quæ Virum faciebant Deo gratiſſimum, ad gratias gratis datas, quas appellant, progrediamur.*

§ LXXXVII. Spiritus propheticus ; notitia arcanorum.

Spiritu prophetico

S*Piritu prophetico Patriarcham noſtrum à Deo donatum fuiſſe, multis argumentis probatur.* 10. *Societas ab ipſo præcognita, antequam condita ; ex* § 34. 20. *Antverpiæ prædixit, collegium Societatis Jeſu à Petro Quadrato fundandum Medinæ Campi, ex iis, quæ* § 16 *dixi.* 30. *Prædictionum ſeriem Ribadeneira lib.* 5, *cap.* 11 *contexit.* 40. *Varia prænuntiavit Joanni Paſchali ; ex breviore Ribadeneiræ Vita apud Quartemontium cap.* 17; B *item ex Orlandino lib.* 1, *num.* 32, *atque ex hoc Commentario noſtro prævio* § 11, *ut Maffeium lib.* 3, *cap.* 14 *non commemorem.* 50. Agnetis, *quæ dicti Paſchalis mater fuit*, mortem Barcinone ſanctiſſimè obitam, Romæ Dei monitu præſenſit Ignatius ; ut litteræ Antonii Araozii, qui morienti viduæ affuerat, nihil ei ſuper illa re novi poſtmodum attulerint, *ex fide Maffei loco citato. Videri etiam poteſt Ribadeneira cap.* 17 *apud Quartemontium.* 60. *Simonem Rodericum è morbo gravi evaſurum eſſe prædixit ; ex P. Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 9, *Vitaque ejus breviore cap.* 17, *& Maffeio mox deſignato.* 70. *Michaëli Rodeſio prædixit filium &c., uti & condendam inſuper à ſe familiam religioſam. Hunc noſtrum Commentarium* § 13 *conſule.* 80. *Duo quoque vaticinia edidit in patria ſua : de quibus dixi* § 19. *De morte & anima Hoſii agit Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 12 ; *de Codurii autem ex hac vita diſceſſu præſcito, lib.* 3, *cap.* 1, *& Maffeius lib.* 3, *cap.* 14.

ac perſpicientia cordium præditus fuit S. Ignatius. C

916 *Nonò. Cognoſcit, Deo revelante, unius è ſociis ſuis in ſuſcepto vitæ propoſito fluctuationem ; vide Ribadeneiram lib.* 2, *cap.* 9, *& Vitam breviorem ejus cap.* 17 ; *nec non Maffeium, loco ſuperiùs indicato.* 10. *Futurum prænuntiavit ſibi Romæ propitium Jeſum, ex famoſa apparitione, de qua ſuperiùs* § 26. 110. *Perſpicientiâ cordium valuit : etenim* Quidam, *ut loquitur Maffeius loco citato*, haud ita pridem in Societate verſatus, cum ex impoſito ſibi munere tantâ moleſtiâ afficeretur, ut ſomnum capere vix poſſet ; ac de repetendo ſeculo cogitaret ; Ignatius rem divinitus odoratus, adoleſcentem nocte intempeſta è lectulo vocari ad ſe juſſit, alioqui fratrum neceſſitatibus mitum in modum parcere ſolitus. Is cùm animo valde perturbato veniſſet ; fictâ perſonâ quæſivit ex eodem Ignatius, ſi quis hac vel illa tentatione ſolicitaretur, quidnam ei conſilii daturus eſſet ? Ac per eam ſermocinationem omnes illi obſtupeſcenti ſenſim ejus animi receſſus ac latebras patefecit ſimul, & perturbationes admirabili dexteritate ſedavit : eodemque caritatis officio erga alios quoque multos pari perſpicacitate perfunctus eſt : qui cum ſuos morbos propter inſcitiam aperire non poſſent, ultro iis ipſemet antè medicinam, & genus ægritudinis, & cauſas detegebat.

917 *Duodecimò. Mortuo Fabro prædixit, alterum ipſius loco Fabrum à Deo dandum Societati, qui ejus res multò magis augeret & illuſtraret. Prædictioni reſpondit eventus in Franciſco Borgia. Adi Ribadeneiram, lib.* 3, *cap.* 11 ; *ubi res exſtat.* 130. Vir quidam pecunioſus, *ait Maffeius ſuprà*, templi noſtri miſeratus anguſtias, ædem nobis ædificare voluit laxiorem. Sed cum is deſcriptionem quamdam ſuam ſequeretur ; cum dignitate quidem illam & elegantia ; verumtamen ad Religionis noſtræ uſus parum idoneam ; Ignatius piam viri voluntatem utique accepit, egitque, ut debuit, gratias : rem verò ipſam animo fidenti rejecit : quod ſibi compertum eſſe diceret, non defuturum olim, qui templum noſtris muneribus accommodatum exſtrueret. Quarum duarum præſenſionum alteram Gregorii XIII Pontificis ſummi, ſumma, ut dictum eſt, pietas atque benignitas ; alteram Alexandri Farneſii Cardinalis ampliſſimi eximia religio, & regia planè magnificentia comprobavit. *Ita ille.* 140. *Reſponſio admodum affirmata ad litteras Lainii circa difficultates in collegii Patavini fundatione occurrentes, ſuadet Sanctum boni eventus præſcium fuiſſe. Vide Ribadeneiram lib.* 3, *cap.* 6 ; *ac Maffeium* E *ſæpius nunc allegatum.* 150. Petrus erat Ferrus Patavinus *(utimur verbis Orlandini lib.* 6, *num.* 9) admodum pius, &, ſi cultum ſpectes externum, unus aliquis de populo : ſi vitam, Religioſus.

arcanarum

918 Hunc peſtilens febris, quæ tertium jam & ſexageſimum tenebat diem, ad extrema perduxerat. Nec in humanis artibus ſpes erat ulla. Acceſſit de more, ut eum viſeret, & confirmaret, Ignatius, omnique aſſeveratione prædixit, brevi eum à Dei Matre ſanandum. Nocte inſequente, cùm totis ſenſibus vigilaret ægrotus, gravis ſe matrona, & ad aſpectum decora, ſpectandam præbuit, candido amictu, nobilique virginum ſtipata choro : quæ cum ex eo quæſiſſet, cuperetne convaleſcere, ſanitatique reſtitui ; & ille protinus annuiſſet ; expreſſam in papyro ſui oris effigiem ſimilem ejus, quæ ad Cryptæ Ferratæ, nono ab Urbe lapide, piè colitur, ægro dedit, eamque juſſit admoveri præcordiis Qua ille ad pectus admota, ſomno eſt conſopitus. Dein ex intervallo excitatus, liberum ſe ab omni morbo & vacuum ſenſit, haud dubius acceptæ ſalutis, & relegatæ febris ; ſed inventæ penes ipſum icuneulæ nulla mentio. Nimirum ſic in ejus animo ſui ſpeciem aſpectus ille Dei Matris impreſſerat, ut effigie non egeret externa. Poſtridie reverſus Ignatius, hilari præter ſolitum ore quaſi novi non ignarus eventi, Petrum, quî valeat, rogat. Cui cùm ille, Rectè, reſpondiſſet; ſubjecit Ignatius : Nonne ego dixi fore, ut Dei Genitrix te ſanaret ? Hoc ex ipſo Petro, jurejurando interpoſito, poſtea compertum : qui prædictionem illam ortam ex ſancti Patris precibus, quas ille Virginis ante genua pro ſua ſalute fuderat, intellexit. 160. *In Hiſtoria Societatis noſtræ parte* 5, *lib.* 9, *num.* 46, *ad annum* 1589 *hæc habentur :* F

ab ipſo

919 Joannes Milanus deceſſit, rerum domeſticarum jam dudum ab anno MDXLIX adjutor : cui de perſeverantia aliquando ſua ſolicito in Dei famulatu, beatus Ignatius dixiſſe fertur : Eſto ſecurus ; nam ſi ego in Societate perſeverabo, tu quoque perſeverabis. 170. *P. Petrus Ribadeneira in Vita breviore apud Quartemontium cap.* 17 *tradit iſta :* Doctor Arrouira Barcinonenſis, vir honoratus, & nobilis, qui poſtea apud Philippum II Hiſpaniarum regem pro ſua republica, legatio-

A gatione functus, B. Patre familiariter, ut mihi, *ait*, dixit, usus est. Hic cum ab Ara cæli veniret, obviam Patri factus est cum litteris, à Domino Francisco Borgia, duce Gandiæ, ad se missis, qui tum regnum Catalauniæ pro rege gubernabat, uxore etiam tum incolumi. Cum de hisce litteris inter se agerent; Noris, inquit Pater, harum litterarum auctorem Romam olim venturum, ut Societati præponatur. Quæ quidem res tum demum est perfecta, cum, uxore defuncta, nostræ Societatis institutum professus, posteaquam multos annos generalis per Hispaniam commissarius fuisset, tertius ei regendæ magister præpositus est anno MDLXV, postridie Kal. Jul., quo die Visitationis Mariæ virginis beatæ commemoratio celebratur. 180. Affirmat idem Michaël Arrouira, *inquit Ribadeneira capite designato*, se tum, cum esset admodum adolescens, & incertus de genere vitæ, matrimonio tandem statuisse conjungi.

præcognitarum, B 920 Sed antequam Patri consilium aperuisset, quod sermonibus differri nolebat, eum præoccupavit Pater: &, Cogitas, inquit, uxorem. O quantos suscipies gemitus! Quantis exercebere laboribus! Quæ prædictio profectò verissima fuit: &, sicut ille mihi privatim narravit, ita, præsente episcopo Barcinonensi, testimonio juratus asseruit. 190. Uti P. Laynem sibi in administratione successurum prædixerat, ita ipse, eo mortuo, ad gubernacula regendæ Societatis accessit; *prout Ribadeneira ibidem testatur.* 20. Patres, *sicuti addit*, Hieronymum Natalem, & Ludovicum Gonsalem de Camara, navigaturos in Hispaniam, jussit in navem Genuæ sine mora conscendere, asseruitque, secundis ventis usuros: quod & contigit, licet hiems esset, maritimos cursus assueta præcludere. *De hac navigatione Orlandinus lib. 16, num. 38 etiam meminit.* 210. *Refert Franciscus Garcia lib. 6, cap. 2, quod quidam Religiosi in Hispania invitarint* S. Ignatium *ad sumendum in suo conventu cibum; ubi enuntiârit, duos ibi existere, quibus erat fixum, habitum religiosum deponere, & fugere è monasterio;*

longa ex plurimis factis 921 *Sed pœnitentiâ ductos, positis humi genibus, veniam eos petiisse coram omnibus, & Superiori tradidisse instrumenta, ad fugam præparata.* 220. *Ibidem etiam refert, Ribadeneiræ, duos in una infirmitate relapsus passo, tertium à* C *Sancto prædictum fuisse.* 230. *Prænuntiavit etiam, Deum angustiis collegii Romani providentissimè consulturum, teste Ribadeneira libro 5, cap. 9: Orlandinum lib. 15, num. 6 etiam consule.* 240. *Tempore magnæ inopiæ prædixit, collegium Germanicum feliciorem posteà ad statum emersurum; sicut habemus ex Ribadeneira lib. 4, cap. 6; Orlandino lib. 12, num. 10 ei suffragante.* 250. *Quid circa collegium Romanum, Parisiense, Neapolitanum, atque homines Societatis, P. Oliverius Manareus retulerit de sancto Patre, dictum est paragraphi 86 parte 1, responso quarto.* 260. *Apographum nostrum Originalis commentarii Lugdunensis (Vide superiùs num. 637) iis, quæ narrat ex P. Hannibale Codretto, nonnulla subjungens, quæ ex ore P. Edmundi Augerii Leonardus Patornæus novitius excepit circa sanctum Patrem anno 1588, hæc narrat:* Memorabat idem P. Edmundus, prædixisse eum, sub Paulo IV probandam esse Societatem, & ab ipsomet summo Pontifice exercendam: ad quem cum P. Laynez Vicarius Generalis iviſſet, humanissimè fuit exceptus; cum quo etiam familiarissimè egit in intimo Pontificio cubiculo. Quare reversus P. Laynez jussit, ut gratias Deo nostri agerent, quòd à summo Pontifice, præter spem, tam benevolè esset auditus. Cœperunt & nostri dubitare de prophetia Patris Ignatii: sed eam tamen exitus comprobavit. Cum enim post aliquot dies esset sæpius ad Pontificem reversus P. Laynez, nec admissus; tandem ubi operâ unius Cardinalis adire datum esset, statim irato vultu Pontifex verbis animum abalienatum significantibus ipsum excepit. Cumque genibus advolutus audiri peteret P. Laynez; respondit Pontifex: Dic. Cumque dixisset; hoc tantùm retulit: Declarabimus. Postea verò viva voce declaravit, ut Præpositus Generalis esset tantùm ad triennium; utque in domo professa haberetur chorus. AUCTORE J. P.

922 *Verus igitur* Ignatius *fuit vates. Sed regimen illud triennale abrogavit Pius PP. IV, uti constat ex decreto ejus de perpetuitate Præpositi Generalis Societatis nostræ, quod signatur die* XXII *Junii anno* 1561, *& cujus ecgraphum asservo, ex Romano nostro tabulario ad me missum à sæpissime jam laudato Ignatianorum documentorum Romæ collectore, qui ex Ms. P. Natalis, appositio ei anno* 1558, *Spicilegio Romano circa chorum inserit ista:* Urgebat Pauli IV edictum, ut haberemus chorum. Itaque primùm assuevimus cantui privatim. Dein instituimus canere in choro Horas omnes canonicas Theatinicè, ut jusserat Paulus, id est, absque modulatione ecclesiastica, continenti & uno tono vocis, tantùm ut ultima syllaba quasi contraheretur. Et hic est chorus habitus in domo (professa;) non in collegio. *At ne longiùs abeam; circa utramque superiorem Pontificis declarationem consulesis Sacchinum Historiæ Societatis nostræ part. 2, lib. 2, num. 55 & seqq. De choro, post dicti Pontificis mortem intermisso, agitur ibidem lib. 3, num. 30: quid tamen posteà sit factum sub S. Pio V, tradit idem historicus part. 3, lib. 4, num. 144 ad annum* 1568. *At redeamus ad spiritum Sancti propheticum.* 270. *Quod denique extremum obitus sui diem non ignorarit, habemus ex Vita Ribadeneiræ lib. 4, cap. 16; & ex breviore ejus apud Quartemontium cap. 11. Vide præterea, quæ circa hanc materiam exstant apud Ribadeneiram lib. 4, cap. 11; & apud Bartolum lib. 5, sub initium Spiritui prophetico, è tot jam capitibus stabilito, adjunxit singularis quidam Dei favor ornamentum externum, quo cælestis apud homines in terris Sancti conversatio etiam cælitus illustraretur.* *congeries contexitur.* E F

§ LXXXVIII. Vultus cælesti luce illustratus; apparitio; mirum in dæmones imperium.

Vultum ejus NEque verò (*verba sunt Vitæ brevioris cap.* 17) hujus B. Patris anima tantùm cælesti luce, de qua diximus, illustrabatur; verùm etiam aliquid ex ejus lucis plenitudine sic redundabat in corpus, ut etiam nonnulli os ejus luce refulgere, & ex eo radios emitti sæpe conspexerint. Hoc se vidisse Barcinone, confirmavit Elisabetha Rosella, cùm Pater, ut suprà meminimus, in gradibus altaris sederet inter puerorum greges. Hoc item Joannes Paschalis, filius Agnetis Paschalis; qui diu Patrem in eadem urbe Barcinonensi domi suæ benignè fovit. Idem Loyolæ multi notarunt, cum eò Lutetiâ redîsset,

AUCTORE J. P.

& ad hoſpitalem domum divertiſſet. Denique & Romæ. Beatus enim Philippus Nerius, ſpectatæ vir ſanctitatis, auctor Oratorii venerabilium ſacerdotum B. Mariæ Vallicellæ, qui urbi Romæ incredibiliter profuit, & quem probè novi, B. P. Ignatio conjunctiſſimus erat; ad ejus conſilium in dubiis rebus confugere ſolitus: cujus &, cum angeretur animo, vel ſolo recreabatur aſpectu. Is ergo dictitabat, B. Ignatii caput quaſi cæleſtibus quibuſdam radiis coruſcare ſolitum, ac totum eſſe luminoſum.

cæleſti luce

924 *Bulla canonizationis S. Patris ita rem exprimit*: Excellentem . . Famuli ſui ſanctitatem comprobari voluit etiam Altiſſimus ſupernaturali ſplendore vultûs, quem, dum viveret, aliquando viderunt B. Philippus Nerius, & quondam Oliverius Manareus Flander, ejuſdem Societatis Religioſus. *Habeo ante me apographum exemplar, quod hunc præfert titulum:* Teſtificatio R. P. Oliverii Manarei de B. P. N. Ignatii ſanctimonia, à procuratore generali poſtulata MDXCVIII in Urbem miſſa, antequam pro canonizatione proceſſus fieret. *Exemplar porro illud accepi à P. Ignatio Pinio; cui idem Pater adſcripſit, illud exſtare in cubiculo R. P. Rectoris noſtræ Societatis Lovanii. Sic itaque in illo dictus R. P. Oliverius deponit:* Teſtor, *inquit*, ego infraſcriptus in conſpectu Domini, me ſanctum illum Virum probè noviſſe, ſæpeque cum ipſo tractaſſe de rebus tam privatis, quàm collegii Romani, cui me præfecerat, atque ab ipſius congreſſu revertiſſe ſemper ſingulari ſpiritûs dulcedine perfuſum, & ad ipſius obſervantiam, amoremque, tum ob ſermonis ſuavitatem, gravitatemque, tum ob devotos pietatis, quos jaciebat igniculos, vehementer incenſum. In vultu admirabar hilaritatem & gratiam quamdam penè divinam, ſplendore quodam cæleſti illuſtratam, quæ ita me rapiebat *&c.*

F

illuſtratum fuiſſe,

925 *Et paucis interjectis, poſtquam ſubdidiſſet, ſplendorem hunc, qui ex facie ſancti Viri emicabat, non à ſe dumtaxat conſideratum fuiſſe, ſed etiam à multis aliis cum domi, tum foris, atque imprimis à Philippo Nerio, Oratorii parente; ſic pergens*, Quem, *inquit*, cum anno MDXCIII poſt multorum annorum intervallum reviſerem, & de B. P. noſtri imagine ſermo incidiſſet; Putaſne, inquit, Oliveri, effigiem, quæ apud vos eſt, beatum illum Virum verè referre? Non, inquam, domine Philippe; ſed quia Vir ſanctus, ut humilis erat, numquam, quoad vixit, ſe pingi eſt paſſus; fecit poſt mortem Societas, quod potuit, ut ipſum aliqua imagine in ſolatium poſteritatis repræſentaret. Sic cenſeo, ait ille: nam ejus vultus ſupernaturali quodam ſplendore ſic erat aſperſus, ut, etſi aliqua ejus ſpecies effingi queat, nulla tamen ars poſſit penicillo vultum eum ſplendore affectum, qualis erat, ad vivum exprimere.

C

variis teſtimoniis ſtabilitur.

926 *Et mox alio eventu eamdem vultûs illuſtrationem Manareus confirmans*, Adhuc, *inquit*, cùm anno MDLXXX in Urbe viſitarem quemdam Prælatum ex morbo decumbentem, inveni aliquot Prælatos, qui officii causâ illi aderant. Intererat etiam dominus Alexander Petronius, celebris medicus. Hic, cum de patre Ignatio ſermo incidiſſet, ad me converſus, dixit: Scio, Oliveri, de Patre Ignatio, quod fortè numquam audiviſti: vix etiam alius de veſtro Ordine; quia numquam ad hoc antè cogitationes meas niſi ex occaſione converti. *Sic fatus Manareus, rem geſtam narrat ex ore dicti Petronii; quam concludit his verbis:* Pater . , Maffeius meo ſuaſu in hiſtoriam Vitæ ipſius retulit, licet ſtrictiùs quàm rei gravitas poſtularet. *De illa etiam agit Ribadeneira in Vita breviore cap.* 17. *Sed videtur operæ pretium eſſe, ipſum Petronii de re iſta in lucem proferre teſtimonium ex ejuſdem exemplo, prout ex archivo noſtro Romano illud tranſcribi curavit, atque huc miſit P. Ignatius Pinius. Ecce tibi illud:*

D

De vultu Sancti lucido

927 In Dei nomine. Amen. Anno à nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, indictione decima quarta, pontificatûſque ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Sixti, divina providentia Papæ V anno ſecundo; die vero xx Novembris coram me notario publico, teſtibuſque infraſcriptis ad hæc ſpecialiter vocatis & rogatis, perſonaliter conſtitutus magnificus dominus Alexander Petronius, civis Romanus regionis Pineæ, artium & medicinæ doctor, ad petitionem & inſtantiam, ut aſſeruit RR. PP. clericorum venerabilis Societatis Jeſu, intuitu veritatis, & ut illa ſemper eluceſcat ad perpetuam rei memoriam, jurejurando, quod tactis ſacroſanctis Dei Scripturis, in manibus meis præſtitit, teſtatus eſt & declaravit, quod tempore pontificatûs felicis recordationis Pauli Papæ IV, cum ipſe habitaret in quadam domo, ſita Romæ ad plateam templi S. Salvatoris de Lauro, ad eum ægrotum R. P. Ignatius de Loyola, ſacerdos & fundator Societatis Jeſu, cum quo amicitiam contraxerat, aliquando viciſſim viſendi causâ adiit, quamquam non opportuno tunc tempore, tamen pro familiaritate à domeſticis introductus, clauſis feneſtris ipſum in lecto quieſcentem invenit, & ex tenebris arbitratus, ipſum dominum Alexandrum dormire, ſuſpenſo gradu tacitus accedens, pulvino ſenſim aſſedit, cumque ipſum ſomno conſopitum vidiſſet, receſſit.

E

juratum datur teſtimonium.

928 Ac nihilominus ipſe dominus Alexander ex ſomno excitatus, & repentè dominam Felicitatem uxorem vocitans, Quis novus hic ſplendor, quæ tanta, inquit, lux cubiculum replet? At illa ſimpliciter, id quod erat, feneſtras clauſas eſſe, & tantummodo P. Ignatium introiviſſe, reſpondet. Qua viſitatione ipſe dominus Alexander mirum in modum gaviſus fuit, & paulò pòſt omnino convaluit, & non dubio judicio Viri ſanctitatem interpretatus, ab illo die P. Ignatium tamquam mortali homine celſiorem magis magiſque ſuſpexit; & ita, medio juramento, ut ſuprà, teſtatus eſt omni meliori modo. Super quibus omnibus & ſingulis rogavit me notarium, ut publicum & publica conficerem inſtrumentum & inſtrumenta, ſubſtantiâ veritatis non mutatâ. Actum Romæ in domo ſolitæ habitationis dicti domini Alexandri regionis Pineæ, præſentibus ibidem, audientibus & intelligentibus, Franciſco Nicolao Groſſi de Mondovi, & Benedicto Paramento Mediolanenſi, teſtibus ad prædicta omnia & ſingula vocatis, adhibitis, atque rogatis, Apoſtolicus idem Sebaſtianus Crotius notarius rogatus ſubſcripſit. Et ego Sebaſtianus Crotius Romanus, publicus Dei gratia, Apoſtolica auctoritate notarius, quia de omnibus & ſingulis, aliena manu, ut ſuprà, fideliter ſcriptis, rogatus fui, ideo præſens inſtrumentum ſubſcripſi & publicavi, ſignoque meo ſolito ſignavi, in præmiſſorum fidem & teſtimonium rogatus &c. *Hactenus Petronius in ſuo jurato teſtimonio, publica fide firmato.*

F

929 *Inter Sancti apparitiones, inſignis imprimis eſt illa, quæ, ipſo etiamnum inter mortales vivente, contigit, in Ribadeneiræ Vita breviore his à Quar-*

A *Sanctus vivens apparet Coloniæ P. Leonardo Kesselio.*

Quartemontio cap. 16 terminis descripta : P. Leonardus Kesselius, natione Belga, vir in Societate nostra senex, & sanctus fuit, & omnium judicio talis. Eum ipse Coloniæ novi, ubi prima collegii nostri fundamenta jecit; quod deinde summa laude, & sanctitatis gloria multis annis administravit. Hunc ergo magnum quoddam & inusitatum desiderium cùm teneret videndi, potiundique colloquio B. P. Ignatii, litteras ad eum dedit, quibus petebat, ut sibi Coloniâ Romam pedibus ire liceret, plus trecentis milliariis Gallicis inde distantem; tantummodo ut in ejus aspectum, sanctissimosque sermones veniret. Respondit B. Pater, ejus præsentiam Coloniæ, propter aliorum utilitatem, necessariam esse; propterea ne de statione decederet; Deum fortasse via magis facili & expedita sui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniæ vigilanti apparuit vivus adhuc & spirans beatus Ignatius, cum eoque satis longo sermone disseruit. Pòst autem, visione subtracta, hominem mirum in modum exultantem gaudio reliquit, quod ei rem tam expetitam consequi tam admirabiliter contigisset. *De apparitionibus post Sancti obitum, dicetur postea inter miracula.*

B

Imperium in dæmones, cum aliunde,

930 Maxima pollebat potestate & auctoritate in dæmones; in quem etiam ingens odium conceperant, ut hostem infestissimum eum insectantes; quod & palam profitebantur, *inquit Ribadeneira apud Quartemontium cap. 18 : ubi odium illud ex factis probatur. Itaque rectè Ecclesia in Horis canonicis :* In dæmones mirum exercuit imperium. *Ribadeneira lib. 5, cap. 6 agit de hac materia. Quamquam autem de dæmoniaca dictum est obiter in hoc commentario § 19; rem tamen hìc deducimus ex Vita breviore apud Quartemontium cap. 18 :* Cum Aspeitiæ moraretur in hospitali domo, mulier quartum jam annum spiritu nequam agitata, ad eum propter famam sanctitatis ejus adducta est, ut sacris exorcismis eam adigeret, proque ejus salute Deum obsecraret. Ille se sacerdotii non esse decoratum insignibus, magna animi demissione respondit, nec existere tanta in Deum sua merita; suppliciter tamen pro ea rogaturum. Ut fidem suam liberavit, mulier ab infesta dæmonis jactatione dimissa, omnique molestia liberata est. *Relatio consistorialis habita coram Gregorio XV, ex processibus inter miracula Sancti etiamnum viventis recenset,* Quod

C Eleutherium Pontanum, *per* duos annos, & eo ampliùs, gravissimis quibusdam à diabolo tentationibus oppugnatum, suo aspectu, & sermone penitus ab illis liberaverit.

tum ex quadam

931 *Testatissimum præterea est factum fugatorum ope sancti Patris, etiamnum viventis, è nostra domo Lauretana dæmonum, qui illam infestabant; quæ res tametsi narretur in Vita breviore Ribadeneiræ apud Quartemontium loco citato, Maffeium lib. 3, cap. 14, ac Bartolum lib. 5, num. 16; eam tamen malo hîc ponere ex authentica testificatione ipsiusmet patris Oliverii Manarei, qui isti domui tunc rector præerat. Res itaque gesta in Spicilegio nostro Romano ita distinctè ac graphicè ipsius verbis narratur :* Primus testis Flandriæ R. P. Oliverius Manareus, presbyter Societatis Jesu, annorum LXXXVI incirca, examinatus in processu remissoriali Flandriæ fol. XI : qui super LIII articulo, fol. XVIII, dicit fol. XXIX: Interrogatus, an ipse viderit Laureti visibiliter aliqua de illis spectris, quæ dicuntur articulo XII hujus capitis apparuisse, & collegium Societatis ibidem afflixisse, ac ludibrio vexasse; deposuit:

Ut malignus ille spiritus multos cernebat Laureti à peccatis, laboribus & studio Societatis ad meliorem vitæ rationem revocari, ita contra collegium exarsit vehementiùs, & ferociùs, & multis modis vexavit. AUCTORE J. P.

infestatione eorum,

932 In primis novitio cuidam Belgæ, conditione sartori, cujus nomen excidit, qui exercebatur, in loco sejuncto ab aliis, spiritualibus Exercitiis, in forma viri Æthiopis, vestitu viridi repentè apparuit (sicut idem novitius retulit Deponenti, tunc Rectori dicti collegii, circa annum MDLV) ac multis sermonibus ipsum conatus ad inconstantiam & desertionem permovere, proponendo carnis voluptates, quas habere poterat in hac mortali vita; contra verò incommoda, quæ in Societate passurus esset totâ vitâ, si degeret inter viros melancholicos & scrupulosos; Præstat, aiebat, juventutis florem hunc honestis recreationibus voluptatibusque oblectes potiùs, quàm ut te jejuniis, tristitiâque perpetuâ conficias. Sed nihil hostis nocuit, Deo opem militi suo ferente. Tunc nefarius ille spiritus non sustinens signum crucis, quod faciebat, & pii adolescentis piam increpationem: Non vis, inquit, sequi consilium? Hoc ergo tuum sit in solatium. Quod dicens, insufflavit in vultum ejus fumum fœtidum, qui cubiculum & aulam anteriorem ad secundum usque diem tetro odore infecerit, quem fœtorem notabiliter sensit Deponens cum multis aliis. E

prorsus mira,

933 Alteri item novitio cuidam, ex Sardinia oriundo, in forma & specie divi Pauli Apostoli [apparuit] exhortans illum ad legendum pro Cicerone & Gentilium libris, Epistolas suas, spiritu Dei, & doctrinâ divinâ plenas: erat enim ille novitius grammaticæ studiosus. Et cum nimiùm esset abundans in sensu suo, non manifestavit hanc tentationem patri suo spirituali; sed sibi fidens, aurem præbuit maligno spiritui obsequentem, ac, posito Cicerone, lectioni divi Pauli se tradidit, indicibilem ex ea capiens voluptatem, ac tanto majorem, quanto longiùs abibat à sanctæ obedientiæ directione. Tandem instillavit ei hanc in corde suggestionem, quòd, qui priùs in domo paterna (erat ille Sardus) pane atro ac cibis vilibus alebatur, nunc carnibus vervecinis ac delicatioribus interdum cibis vesceretur; qui humo in nuda cubabat, nunc culcitrâ & bonis tegminibus uteretur; qui vix vilem lacernam habebat, bonam nunc togam interiorem & exteriorem haberet: atque hinc concluſit, Deo se gratius obsequium præstaturum, si vitam eremiticam amplecteretur. F

in collegio

934 Tunc, cogitabat, licebit vesci radicibus, humi cubare, jejunare, orare, quando, & quamdiu voles, quod, Religiosus dum existis, per Ordinis regulas tibi non licet, sed Superiorum directionem in omnibus sequi, & retinere debes. Et hanc quidem tentationem posteriorem, pariter & priorem Superiori demum aperuit; verùm tardiùs & non antequam prostratus esset; proinde manifestatio illi parùm profuit: nam die sequenti summo manè, cum casu porta pateret, omnibus domesticis orationi matutinæ vacantibus, discessit, positis vestibus nigris melioribus, ac vili veste domesticâ solùm assumptâ. Ita nimirum diabolus illum fascinaverat, ut Missam audiens, dum sacra Hostia à sacerdote adoranda attolleba-

AUCTORE J. P.

tandem agnito poſtea, defuncto beato Patre, malo ſuo, Romam venit, & ſupplex factus P. Jacobo Laynez tunc Generali, clementer admiſſus & receptus eſt, ac ſacriſtiæ adhibitus, ut Sacris inſerviret: ſed & iſthinc vafer ſpiritus ſuis illuſionibus eum expulit.

Societatis Jeſu

935 Nec uni tamen vel alteri antiquus ſerpens illudere ſategit; ſed, cum cubiculum unum remotius præcipuè infeſtaret, ſuſque deque, ut apparebat, omnem ſupellectilem confundendo & evertendo; cum nihil tamen ſuo loco motum inveniretur. Sed nonnullis etiam fratribus orantibus, ſcabellum, cui innitebantur, pulſare; nonnumquam ſupra caput ex tabulato adinſtar felis dormiturientis ſuſurrare audiebatur. Semel dum pranderetur, cuidam adoleſcenti, XXIII circiter annorum, Anglo latus dextrum tam vehementer percuſſit, ut exclamaverit & retrorſum ferè totus pallidus inflexuſque ceciderit. Denique pleriſque dum in lectulis incubuiſſent, repens ſuper tegminibus lectuli per totum ferè corpus, inſtar
B catelli moleſtus fuit; unde multùm fratres perterrebantur; ſed dabant operam teſtis & ſeniores tres vel quatuor, ut boni fratres non clamarent, ſed rem ſecretò tenerent, ne malum ad aures canonicorum & civium veniret, ac collegium à dæmonibus vexari ſpargeretur. Propterea ſolebat teſtis in ambulacro ante cubicula inambulare aliquot horas noctis intempeſtæ, ut, ſiquis vexaretur, intelligeret, vel teſtem vel alterum patrem ſeniorem adeſſe ad opem ferendam.

Lauretano,

936 Dabantur ei Agnus Dei, cerei conſecrati, reliquiæ ſanctæ, exorciſmi adhibebantur, per totam domum fiebant Sacra, orationes ad Deum & ad beatam ſemper Virginem Mariam, ut opitulari dignaretur; monebant fratres, ut in beata Virgine Maria confiderent, præciperentque maligno ſpiritui in virtute Dei & ſanctæ obedientiæ, ut, ſi quid vellet, adiret Rectorem, ſe ſubditos quieſcere ſineret. Accidit autem non ſemel, ut nequam ille ſpiritus, in virtute Dei & ſanctæ obedientiæ ad Rectorem miſſus, ad cubiculum Rectoris veniret, & fores pulſaret; ſed fuit moleſtior, cùm ex febri gravi teſtis decumberet, & ſomnus receſſiſſet penitus per multos dies & noctes ab oculis teſtis; tandem ſemel cum nonni-
C hil dormituriret, importunè pulſat fores cubiculi media nocte; monet teſtis, ut aperiat, exiſtimans aliquem ex fratribus eſſe; ſed pulſat iterum atque iterum; tum Deponens conjecturans, quod erat, hoc eſt, eſſe dæmonem, Aperi, ait, in nomine Domini, & exerce, quam habes à Deo in me, poteſtatem. Tum ille magno fragore & ſtrepitu januam cubiculi & feneſtras, quæ è regione erant, aperuit tam vehementer, ut fractas putaverit. Deponens graviter tunc ægrotus pulſavit parietem, & ſacerdotem vicinum vocavit ad ſe, ut oſtium & feneſtras clauderet.

authentico Manarei, qui eidem præerat,

937 Alio die cum, ut teſtis quieſceret, & periculum faceret, an conciliare ſomnum poſſet [ac] cum in cubiculum aliud inferius ſe contuliſſet, ſpiritus irruit, infirmario & ipſo teſte audientibus, & per totum caminum perrepentem percipientibus; cum jam Deponens meliuſculè haberet, & in ambulacro mediâ nocte eſſet, & conſideret, percipit auribus in extrema parte collegii ſive palatii canonicorum, quaſi terræ motum, & tectum ea parte concuti; tunc ſurgit, & ambulat pauliſper; & ecce ſtrepitus ille versùs illum fertur; ipſe initio exhorreſcit; ſed, reſumpto continuò animo, ac muniens ſe ſigno crucis, tendit versùs refectorium, ubi fragor ille & motus eſſe apparebat, ut cerneret, quid eſſet. Ac- D
cedit ad ipſum ſenſim magis ac magis ſtrepitus, & tandem prodiit canis immanis niger, oculis horribilibus & inflammatis, & adversùs ipſum teſtem rectà tendit; iterum ſe munit ſigno crucis, & conſiſtit. Tum ille ad latus ipſius dextrum percurrens, non tamen eum tangens, ter, ſi rectè recolit, adlatrabat latratu forti, ſed depreſſo, quemadmodum ſi eam vocem ex vaſe aliquo ediditſet, ſinit eum abire, neque ampliùs vidit quidquam.

aliorumque teſtimoniis roborata, probatur.

938 Cernens malum non ceſſare, neque ſufficere aſperſiones aquæ benedictæ, exorciſmos, & ſacras preces, ſcripſit teſtis Ro. Prri. Ignatio, ut antè fecerat; ſed ille teſtem remiſerat ad Sacra & pietatis memorata officia. Significavit autem, ſe ea omnia præſtitiſſe ex ritu ſanctæ Eccleſiæ, ut mandaverat, & nihilominus malum augeſcere; ipſum teſtem valde vereri, ne res foras erumperet, & ab adverſariis multa contra Societatem ſpargerentur. Tum beatus Vir alias literas dedit, quibus hortabatur fratres ad patientiam, & ut ſpem in Deo collocarent: ſe pro eis E
oraturum, ſeque confidere, ipſos fratres Dei bonitate brevi liberandos. Acceptis lectiſque literis S. Patris, convocatis patribus & fratribus, eas continuò legit, juſſitque, ut bene ſperarent omnes de tanti Patris precibus & meritis. Neque porrò vana fides ſpeſque extitit, nam lectis literis, è veſtigio malum illud totum à Domino ſublatum eſt, neque ſpectra maleficiaque contra collegiales deinceps potuerunt: nec viſa nec audita ſunt ampliùs. Accidit autem illud anno MDLV. *His in noſtro apographo ſubjunguntur alii, qui hunc lectis Sancti literis effectum attribuunt: nimirum:* Primus teſtis Toleti P. Petrus Ribadeneira Societatis Jeſu annorum LXXX examinatus in proceſſu remiſſoriali Toletano, qui juxta XV interrogatum *, & in 8 ratione fol. CLXXXVII dicit: *&c.* Et tertius teſtis Curiæ R. P. Benedictus Pereyra Valentinus, Societatis Jeſu profeſſus, annorum LXX, examinatus in proceſſu Curiæ fol. XX, qui ſuper LIII articulo, & XII illius miraculo fol. XXXIII dicit: *&c.* Et XL teſtis Curiæ R.P. Bartholomæus Riccius, presbyter Societatis Jeſu, annorum LXVIII, examinatus in proceſſu Curiæ fol. LXXIX *&c.* F

* *vel* inſtrumentum:

§ LXXXIX. Miracula à Viro ſancto patrata fuiſſe, Ribadeneira non negavit.

Datur

Quamquam Societatis Jeſu Fundator illo fuerit loco apud Eminentiſſimum Cardinalem Ludovicum Ludoviſium, ut eum à numero thaumaturgorum non eſſe ſegregandum dixerit; imo verò miraculorum omnium maximum fuiſſe miraculum Ignatium ipſum crediderit; *ex dictis ſuprà § 55, num. 579; atque aliunde conſtet, Sanctum, per eum, qui facit mirabilia magna ſolus, feciſſe miracula; quæritur tamen hic, quid de iis ſenſerit Ribadeneira. Dico ergo, Ribadeneiram negaſſe numquam, patrata à Sancto miracula fuiſſe. Dictum ſic probo. Chriſtianum Simonem Lithum Miſenum, hæreticum Calvinianum, probè depexuit P. Jacobus Gretſerus variis libris apologeticis adversùs iteratas iſtius blateronis calumnias, quibus Vitam ſancti Patris à P. Petro Ribadeneira vulgatam impetiit, in lucem editis. Et in Apologia quidem ſecunda, anno* 1601 *Ingolſtadii ex-*

A *excusâ, lib. 5, cap. 4, occâsione miraculorum S.* Ignatii, *de quibus refutationem omisisse Gretserum ille calumniator objecerat, uti habemus è loco citato; occâsione, inquam, illa regerit ei catalogum miraculorum*, Quæ, *ait*, ad effigiem ejusdem sancti Patris nuper addita, & tam scripturâ, quam picturâ expressa sunt. *Nec verò illa longè quæsita; sed, uti P. Julius Nigronius in historica Disputatione de SS.* Ignatio *& Caietano, in responsione ad Castaldum* § 16, *num. 58 notat*, ex ipsa Ribadeneiræ Vita, *nec non* ex tabula æneis typis depicta, operâ ejusdem Petri Ribadeneiræ. *Refero ea verbis laudati Gretseri, ab illis utique hîc legenda, qui vel dictam Apologiam, vel historicam illam Disputationem non habent in promptu. Audiatur itaque P. Gretserus.* 1. Graviter ægrotanti sanctus Petrus apparens sanitatem reddit. 11. Septem diebus in perpetua ecstasi persistit. Sæpe inter orandum à sensibus abstrahitur.

miraculorum novem supra viginti;

940 111. Maximarum rerum scientia momento penè temporis divinitus ei infunditur. IV. Aliquoties à terra sublimis miro splendore radiat. Matre cum puero Jesu adveniente, castitatis dono ornatur. V. Senator Venetus cælesti jussu admonitus, in publico cubantem noctu conquirit, & in domum suam adducit. VI. Quemdam, qui se præ desperatione suspenderat, ad dolendum de peccatis suscitat. VII. Mulierem arido à multis annis brachio, ipsius abluentem pannos sanat; ab altera dæmonum spectra fugat. VIII. Morbo caduco à multis annis laborantem suo contactu sanat. IX. Diuturnam à femina tabem precibus abigit. X. Moribundos à morte revocat. XI. Multos energumenos à dæmonibus; ægros ab incurabilibus morbis liberat. XII. Dum febri quotidiana laborans sæpe in campo concionatur, ejus verba ultra trecentos passus distinctè audiuntur. XIII. Multa futura prædicit; multa occulta & absentia divinitus cognoscit. XIV. Obscurum ejus ægrotantis cubiculum divinus splendor illustrat. XV. A Deo Patre cum sociis commendatum Jesus in tutelam recipit. XVI. Animam B. Hosii luce clarissima circumfusam, cælum intrantem videt. XVII. Judæum obstinato animo Christiana sacra respuentem tribus tantùm verbis repentè convertit.

à Sancto factorum, synopsis ex Ribadeneira.

941 XVIII. In SS. Eucharistia Jesum aliquoties videt: cælestes Sanctorum choros intuetur. XIX. Ejus facies divino lumine splendens sæpe à diversis cernitur. XX. Cælestes sæpenumero voces sacrificans audit. Multa de SS. Trinitatis mysterio, Deo revelante, cognoscit. XXI. Orans, sacrificans, iter faciens, gravibus de rebus differens, Christum ac B. Virginem sæpissime videt. XXII. Dæmonem ad se tentandum venientem frequenter baculo per contemptum abigit. XXIII. Suæ splendore faciei graviter ægrotantem sanat, & cubiculum obscurum illustrat. XXIV. Dæmones sæpe Laureti apparentes, post multa remedia frustra ab aliis suscepta, per epistolam fugat. XXV. Quidam incendium illi per injuriam imprecatus, subito ipse incendio extinguitur. Duorum mortem ei intentantium unus repentè obrigescit; alter divina voce terretur. XXVI. Multis se post mortem sæpe ostendit, eodemque, quo obiit, temporis momento, magnâ collucens gloriâ apparet. XXVII. Corpus illius effossum multis luminibus fulget. Cælestis harmoniæ concentus sæpe audiuntur. XXVIII. Multas in partu à vitæ discrimine; multos à pestilentia, & gravibus morbis, tentationibusque eripit. XXIX. Dæmoniacos liberat. Cæcis visum, surdis auditum, moribundis salutem reddit. *Hæc ibi Gretserus.*

AUCTORE J. P.

Unde conficiatur, falsum esse;

942 *Consequens ergo est, ut is inania sibi fingat somnia, qui adstruere audet, Petrum Ribadeneiram negasse, quod miracula fecerit sanctus Pater. Itane verò, an hæc & in publicam orbis lucem protulerit, & tamen eum miracula fecisse, Ribadeneira negarit, uti vult Joannes Baptista Castaldus? At ipsius in hac re falsam opinionem, dixeram penè inane commentum, rectè refutat Julius Nigronius in Disputatione historica modò citata, num. 57 ita differens:* Ut igitur cognoscatur, .. non negatam Ignatio ab Ribadeneira miraculorum effectionem; neve hæc opinio Castaldi (criminationem nullo modo dicam) quem in legendo Ribadeneira oculus fefelliſſe videtur, hæreat in lectoribus ipsius epistolæ; illos hortor, ut attentè legant caput ultimum primæ Vitæ (*anno 1572 editæ:*) ac primùm illa verba pag. 208: " Sed dicat aliquis: „ Si hæc vera sunt, ut profectò sunt, quid cau„ sæ est, quamobrem illius sanctitas minùs est „ testata miraculis, &, ut multorum Sanctorum, „ vita signis declarata, virtutùmque operationi„ bus est insignita „? His auctor loquitur per prosopopœiam, & sub aliena persona, non ex propria sententia id scisciatur. Deinde considerandæ sunt illæ duæ voces, MINUS TESTATA; quæ non negant omnia miracula, sed multitudinem miraculorum.

quod juxta ipsum auctorem S. Ignatius miracula non fecerit:

943 Tum interrogatio est de signis, quæ grandia illa miracula designant, quæ faciebant Apostoli, dicta quoque prodigia; cujusmodi erant excitationes mortuorum, sanationes repentinæ cæcorum & claudorum, toto spectante populo, quibus vulgus existimat contineri mensuram sanctitatis. Paulò post, pag. 209 hæc habet: " Mi„ hi verò tantum abest, ut ad vitam Ignatii illu„ strandam, miracula deesse videantur, ut mul„ ta, eaque præstantissima judicem in media lu„ ce versari „. His dictis, recenset, quæ sibi miracula videantur, non imperitæ plebis, sed prudentum judicio. Non longè à fine capitis cursim recenset miracula, etiam ad vulgi opinionem, narrata in historiæ decursu. " Itaque, inquit, quæ „ narrata à nobis supra sunt, quamquam sine „ miraculo fieri multa non potuerunt, ut tot die„ rum jejunatio, viribus nihil omnino destitutis: „ octo dierum raptus, & à sensibus destitutio: „ tot tantæque rerum divinarum illustrationes; „ P. Simonis periculosè laborantis sanatio, & „ sanitatis futuræ prædictio: dæmonis expulsio „ naturæ viam modumque exsuperans „, &c. Subjicit quoque sanitates multis patribus restitutas, multasque prædictiones rerum futurarum, quas fuisse veras probavit eventus. Eadem omnino verba scripta leguntur in secunda editione anni 1586 pag. mihi 335, 337, 344: in qua sanitates & prædictiones, quòd eas suis locis narrasset, in compendium redegit, [ne] de integro cum lectoris molestia repeteret. Nec dubito, si totum caput legisset Castaldus, quin aliter de miraculorum effectione sensisset atque scripsisset. *Hæc Nigronius de Ribadeneiræ sententia circa* S. P. Ignatii *miracula. Absit itaque ut Ribadeneiræ quis imputet illam falsitatem, quasi dixerit, nulla à* S. Ignatio *miracula esse patrata; quandoquidem duplex miraculorum genus clarè ac disertè ei attribuit.*

quæ opinio convellitur ex ipsomet Ribadeneira

944 *Quid pluribus opus est? Audiatur iterum Ribadeneira in Vita breviore apud Quartemontium cap.* 18, *ubi modi, quem in narrandis Sancti nostri miraculis observavit, rationem reddens, ita fatur:* Quia, *ait*, postremo quinti

AUCTORE J. P. libri capite de miraculis breviter egimus, quasi nulla feciſſet, aut ad demonſtrandam ejus ſanctitatem neceſſaria non eſſent; ſtatui nunc ea paullo fuſiùs exponere, non omnia quidem (res enim nimis in longum excurreret) ſed partem dumtaxat eorum, quæ Deus efficere per Servum ſuum dignatus eſt. Quamvis enim cùm anno MDLXXII primùm Vitam ejus Latinè ſcriberem, alia nonnulla miracula ab eo facta noviſſem; tamen adeo mihi certa & explorata non erant, ut in vulgus edenda, mihi perſuaderem. Poſtea verò quæſtionibus de ejus in Divos relatione publicè habitis, gravibus & idoneis teſtibus fuerunt comprobata. Enimvero Deus, ut Servum ſuum extollat in terris, tam frequentibus eum in dies miraculis dignatur, ut mearum partium eſſe ducam, litteris hîc mandare nonnulla *&c. Quæ vel umbra in hoc Ribadeneiræ textu, quæ miraculorum effectionem Sancto abjudicet? Imo verò quam perſpicua potiùs notitiæ lux oſtendit, miracula nonnulla præluxiſſe Ribadeneiræ, & jam tum ei cognita fuiſſe, cum primùm Vitam ejus Latinè ſcriberet?*

B *adverſus obtrectatorem;* 945 *Interea tamen neotericus quidam ſciolus ac ſordium convaſator, in ſuo Dictionario hiſtorico & critico, tamquam ex tripode pronuntiat, Ribadeneiram agnoviſſe bona fide, quod ſanctus ſuus* Ignatius *non habuerit donum miraculorum &c.. Quidquid ſit, inquit ejuſdem Dictionarii malè feriatus rapſodiator, retractavit ſe in novo libro &c. Ita os illud impudens: cui erat parum, miracula ſancti Patris convellere; niſi etiam in ſuis ad hunc locum notis peſtiferum impietatis & blaſphemiæ toxicum propinaſſet lectoribus, ſuam evomendo bilem adverſùs hunc Sanctum, tamquam in erronem, emotæ mentis hominem, inſenſatum, & phanatiſmo perditum. Ita loqui ſolent crucis Chriſti ac Sanctorum hoſtes; quorum idolum propria opinio eſt, & quibus nulla eſt religio præter fanaticum enthuſiaſmum, quo in ſacratiſſima quæque monumenta impiè debacchantur. At nos Ribadeneiræ fidem adverſus obtrectatores hujuſmodi vindicemus.*

ac ſtabilitur fides Ribadeneiræ 946 *In Examine Matritenſi ejuſdem patris Ribadeneiræ de vita & miraculis* S. Ignatii, *anno 1595 habito, atque unà cum aliis documentis Romanis ad me miſſo; inter alia in eodem à ſe quæſita, & interpoſita juramenti religione à ſe reſponſa, ad Interrogatorium quartum*, An res miraculoſæ, quæ de prædicto Patre Ignatio in .. libro Vitæ ejus narrantur, ſint adeo certæ & comprobatæ, quemadmodum ſonant: vel an ſint relatæ cum aliqua exaggeratione, & amplificatione, ita ut ſint minoris certitudinis & veritatis. *Ad Interrogatorium, inquam, quartum P. Ribadeneira ſic reſpondit*, Quod, quamvis omnia contenta in dicto libro Vitæ, quam ipſe teſtis ſcripſit, Patris Ignatii, continent judicio ipſius teſtis eam veritatem & approbationem, quam in proximè præcedenti interrogatione declaravit; judicat nihilominus, res miraculoſas & ſupernaturales, quæ in dicto libro narrantur, habere minorem dubitationem, & magnam certitudinem veritatis; eò quod eas acceperit ipſe teſtis à perſonis omni fide dignis, easque ſcripſerit adhibita omni ſimplicitate & ſinceritate: in quem finem ipſe teſtis vult declarare, quemadmodum ex iis nonnullas acceperit.

ex variis, 947 In primo libro Vitæ Patris Ignatii cap. 6 dicitur, quod, cum ipſe Pater eſſet Manreſæ ſcrupulis vexatus, permanſit abſque cibo & potu ab uno die Dominico uſque ad ſubſequentem diem Dominicum, petens à Domino noſtro, ut ipſum liberaret à terribili illa tempeſtate, quam patiebatur, & quod eodem ipſo tempore ſe flagellis ter quotidie verberaret, ſeptemque horas in oratione perageret, aliaſque aſperitates ſuſciperet; nec tamen ei vires corporales debilitarentur. Quæ omnia cum ſuis circumſtantiis bene perſpecta, videntur ipſi teſti miraculoſa. Narravit autem ea ipſemet P. Ignatius patri Ludovico Gonzalez de Camara, cum per annum, antequam ipſe P. Ignatius obiret, precibus Societatis inductus, eidem patri Ludovico narraret, quæ ipſi P. Ignatio contigerant; idque ad noſtrum exemplum. Et ipſe teſtis aſſerit, ſe habere ſcripta, quæ tunc fuerunt conſcripta, quibus veritas hæc comprobatur. D

qua depoſuit 948 Quod ipſemet Pater Ignatius fuerit in extaſi per octo dies in eodem oppido Manreſæ, ut habetur in primo libro ejus Vitæ cap. 7, dixerat ipſi teſti Romæ anno MDXLIV Iſabella Roſel, domina quædam Barchinonenſis valde Chriſtiana & devota, quæ quidem adjuvit & ſuſtentavit Patrem Ignatium, quo tempore ſtudiis Barchinone vacabat: ac deinde venit in Urbem, ut illum videret, eſſetque ſub illius obedientia. Quod cum aſſequi non potuiſſet, Barchinonem rediit, factaque eſt ſanctimonialis, & in monaſterio ſanctè obiit. Hæc domina narravit ipſi teſti id, quod ſcripſit de hujuſmodi raptu & extaſi octo dierum. Narravit autem eo modo, quo ibi ſcribitur, ſubjungens, quod ii ipſi, qui Manreſæ ipſi Patri etiam noctu adfuerant, quamdiu in illo raptu manſerat, eidem dominæ eodem modo eadem retulerunt. E

in Examine Matritenſi anni 1595. 949 Similiter cum ipſe teſtis anno MDLXXIV ex Urbe rediret in Hiſpaniam, & Barchinonem tranſiret, invenit in ea civitate hominem quemdam, nomine Joannem Paſqualem, ſenem & valde bonum Chriſtianum, & ut talem habitum in illa civitate univerſa; quem, eò quod eſſet ex oppido Manreſæ, & filius cujuſdam Agnetis Paſqualis, quæ fuit mulier valde pia, & Patri Ignatio devota, quem domi ſuæ Manreſæ exceperat, & curam ejus geſſerat; interrogavit, an recordaretur, quod dictus Pater Ignatius fuiſſet Manreſæ per octo dies raptus, & tamquam mortuus: qui reſpondit: Imo optimè recordor: eram ego tunc natus ſexdecim vel decem & ſeptem annos: & inveni illum eo modo, cucurrique ad matrem meam, dixique illi: Magiſter obiit, ſanctus ille. F

§ XC. Reliquæ pro miraculis S. Ignatii à Ribadeneira aſſertis vindiciæ.

Miracula à Ribadeneira relata, IN *eodem juridico Examine Matritenſi ſic proſequitur Ribadeneira:* Quod Pater æternus, ejuſque dilectus Filius crucem bajulans apparuit Patri Ignatio in ipſo urbis Romæ ingreſſu, naravit nobis Pater magiſter Laynez patribus & fratribus, qui tunc Romæ eramus, & in exhortatione quadam, cum nobis explicaret examen generale Patris Ignatii, noſtrumque inſtitutum: cui exhortationi ego interfui: idque audivi eodem modo, quo ſcripſi. Ipſe etiam met Pater Ignatius interrogatus, dum viveret, de nonnullis circumſtantiis, quæ in hac admirabili viſione intervenerant, remiſit reſponſum ad præfatum patrem Laynez; cui dicebat, ſe id narraſſe, dum geſtum fuit, eodem modo, quo geſtum erat. Et idem Pater Ignatius mentionem facit hujus viſionis in ſcripto quodam, quod poſt ipſius obitum inventum

A tum est propria ejus manu conscriptum : cujus exemplum ex ipso autographo descriptum habet ipse testis.

951 Quod sanum reddiderit suis precibus patrem Simonem Rodriguez, ejus socium, cum ad mortem usque infirmaretur Bassani, fueritque illi certò significatum, quod Pater Simon non moreretur ex ea infirmitate, dixit hic testis, patrem Laynez sibi id narrasse. Id quod ipse pater Laynez refert scripto quodam de anno MDXLVII Bononiâ ad magistrum Polancum, manu patris magistri Salmeronis conscripto, & ipsius patris Laynez manu subscripto : ipsumque autographum habet ipsemet testis, qui asserit, ipsum patrem Simonem agnovisse, prædicasse, & narrasse multis hoc beneficium, quod à Domino acceperat, mediante Patre Ignatio, prout refert in nono capitulo secundi libri.

952 Quod sanum eodem modo reddiderit Stephanum Baroëlum, qui Societatem ingressus fuerat mense Julio anni MDXLI, & post dies paucos in morbum inciderat, & ad ultimum usque spiritum decumbebat ; aperit ipse testis, se scire, eo quòd, cùm Pater Ignatius sacrosanctum Missæ Sacrificium celebraturus ad S. Petri in Monte aureo pergeret, Deumque deprecaturus pro dicti Stephani Baroëli infirmi incolumitate, ipsum Patrem Ignatium comitatus fuerit, ejusque Missæ celebrationi ministraverit. Qui quidem Pater Ignatius Missæ Sacro peracto, redditisque de more gratiis, dixit ipsi testi : Non morietur hac vice Stephanus. Quod ita evenit : fuitque publica vox domi, quod Patris Ignatii precibus continuò melius habuerit infirmus ; prout refertur in quinto libro cap. XI ejus Vitæ. Pater etiam Laynez in scripto illo dato Bononiæ mentionem hujus rei facit tamquam miraculosæ : atque ipsemet Stephanus id agnovit : vixitque multos annos sacerdos in Societate, obiitque ante annos paucos.

953 Quod viderit cælum ingredi animam baccalaurei Hozes, qui Patavii obiit, cum Pater Ignatius longissimè distaret in regno Neapolitano, ipsemet Pater Ignatius id narravit Patri Ludovico Gonzales de Camara, & Pater Laynez hujus rei meminit in eo scripto, quod Bononiâ misit ad P. Polancum.

Quod similiter viderit animam patris Joannis Codurii, qui primus è suis sociis Romæ obiit anno MDXLI, XXIX Augusti, S. Joanni Decollato sacro, & quemadmodem substiterit ad Pontem Sixti, cum pro eo Missam celebraturus ad S. Petri in Monte aureo pergeret, pater Joannes Baptista Viola, qui Patrem ipsum Ignatium tunc comitabatur, id narravit ipsi testi eodem modo, quo illud scripsit lib. 3, cap. 1 ejus historiæ. Narravit autem Genuæ anno MDLXX.

954 Cum pater magister Laynez Venetiis ageret de negotio capiendæ possessionis prioratûs della Madalena, quem bonæ memoriæ Paulus PP. III collegio Societatis Patavino annexuerat ; inveniretque maximam contradictionem, diffidens, quod posset vincere magnas difficultates, quæ se offerebant ; scripsit ad Patrem Ignatium, negotium illud nullum habere remedium aliud, quam à Deo : ad quod impetrandum, ut sua Reverentia celebraret unum Sacrum : quod Pater Ignatius præstitit ; scripsitque ad patrem Laynez : Celebravi Sacrum Missæ, quemadmodum petiisti : ne sis sollicitus de negotio isto, & habeas illud pro expedito. Octavo pòst die, ex quo litteræ illæ fuerunt conscriptæ, fuit negotium concluſum tanta uniformitate senatus Veneti, ut in admirationem venerint viri experti in illa republica, prout refertur cap. 6, lib. 3 ejus historiæ. Id quod ipse testis novit ex relatione sibi facta per ipsummet patrem Laynez, quem ipse testis comitatus est per dies aliquot, dum Venetiis negotium hoc ageret.

955 Quod sanum reddiderit Pater Ignatius illum dæmoniacum, qui erat in domo Societatis, & vocabatur Matthæus, qui posteà Ordinem Camaldulensem fuit ingressus, asserit ipse testis, se scire, eo quòd cognoverit dictum Matthæum antè & postquam à dæmone vexaretur. Et dum vexabatur, vidit illum & audivit loquentem, habebatque ejus curam, ac novit, quod Pater Ignatius illum in suum cubiculum advocaverit, ostiumque clauserit : unde idem Matthæus incolumis fuit egressus, ut refertur lib. 5 historiæ cap. 6. *Quæ cum ita sint ; quanam veri specie affirmari potest, Ribadeneiram, Societatis nostræ Auctori vim miraculorum effectricem à Deo communicatam abjudicasse ?*

956 *Enimvero illa confirmatur* 1°. *Ex Relatione in causa canonizationis* S. Ignatii *coram Gregorio PP. XV ; ut videre est inferiùs paragraphi* 101 *parte tertia.* 2°. *Ex Bartolo lib.* 4, *num.* 40, *è cujus editione anni* 1650 *disco, illustrissimum dominum Nicolaum Zambeccarium, Advocatum, uti appellant, consistorialem, coram dicto Pontifice, in publico consistorio finem imposuisse libello supplici pro canonizatione, dicendo, miracula in actis referri supra ducenta. Prater morem hìc citavi illam, quæ est in promptu, Bartoli editionem ; quia apud Latinum ejus interpretem inter verba alia prædicti D. Zambeccarii, quæ profert in fine libri* 4, *ea non invenio.* 3°. *Ex centum miraculis, à S.* Ignatio *quà vivo quà mortuo patratis, & libro* 5 *apud Bartolum editis.* 4°. *Ex nostra omnis generis miraculorum (adde etiam beneficiorum) collectione, quæ in Gloria Sancti posthuma producetur ex Ribadeneira in Vita breviore, aliisque monumentis, tam typo editis, quam manu scriptis, & ad hæc usque tempora deductis. Atque hæc sunt plus quam satis ad vindicandam miraculorum, quâ Deus suum Famulum cum vivum tum mortuum honorare dignatus est, efficientiam.*

§ XCI. Vita prima ex ore S. Ignatii excepta & scripta à P. Ludovico Consalvo à Camara S. I. ; Perpinianus Vitam ejusdem Sancti conscribere meditatus ; Didacus Paiva Andradius quid & quando scripserit.

PRimos inter *Actorum* S. Ignatii *scriptores nomen egregiè commendavit suum P. Ludovicus Consalvus ; sive, prout in Historia Societatis ad annum* 1545, *num.* 45 *vocatur*, Ludovicus Consalvius à Camara ; *quo anno nostræ Societati adlectus fuisse, ibidem scribitur*, prætoris *utique* Materiæ insulæ filius, vir claro loco natus, nec ingenio minùs, doctrinæque varietate nobilis, Græcis Hebraicisque litteris eruditus ; ut qui Parisiis præstantissimis doctoribus operam dederat. *Hic porro Ludovicus gesta sanctissimi Parentis nostri*

AUCTORE J. P.

quâ nitantur auctoritate,

ipsemet Ribadeneira

in Examine Matritensi

juridicè

edisserit.

E

Vis effectrix miraculorum aliunde confirmatur.

F

Quis P. Ludovicus Consalvus fuerit.

AUCTORE J. P.

ſtri ex animo ejus elicuit, atque ex ore itidem ejus ſcribendo excepit, & ultimo quidem vitæ ejus biennio. Quod, quo modo contigerit, diſces ex præfatione in iſta Acta, quæ eſt patris Natalis, viri in Societate notiſſimi, è tabulario Romano ejuſdem Societatis tranſcribi curata, hucque miſſa à P. Ignatio Pinio; qui apographo noſtro adſcribit, præfationem illam limatam eſſe ſecundis curis ab ipſo Natali, manu propria; ſibi, inquit, nota ex aliis ipſius ſcriptis Quæ præfatio cum alium habeat auctorem, quam habeant ipſa Acta, quibus ea præfigitur; videtur non importunus hìc offerri locus, eam producendi. Sic ergo ſonat: Audieram ego, & alii patres, à Patre noſtro Ignatio, tria ipſum expetiſſe à Deo conſequi beneficia, antequam ex hac vita diſcederet. Primum, ut Societatis Inſtitutum à Sede Apoſtolica confirmaretur. Secundum, ut ſimiliter Exercitia ſpiritualia. Tertium, ut conſcriberet Conſtitutiones.

P. Natalis

958 Id cum ego meminiſſem, & viderem, eum eſſe conſecutum omnia; verebar, ne è nobis ad meliorem vitam vocaretur. Cum autem ſcirem, ſolitos eſſe ſanctos patres, inſtituti alicujus

B monaſtici autores, poſteris, vice teſtamenti, ea monita dare, quibus ad virtutis perfectionem juvari poſſe confiderent: tempus obſervabam, quo poſſem commodè idem à P. Ignatio poſtulare. Contigit anno MDLI, cum ſimul eſſemus, ut diceret P. Ignatius: Nunc ego altior cælo eram; paſſus (opinor) mentis aliquam extaſim, vel raptum, ut frequenter ſolebat. Venerabundus ſciſcitor: Quid iſtuc rei eſt, Pater? Ille ad alia divertere ſermonem. Illud igitur ego opportunum tempus exiſtimans, peto à Patre atque obſecro, ut nobis vellet exponere, quemadmodum ab initio ſuæ converſionis illum Dominus gubernaſſet, ut nobis illa expoſitio eſſe poſſet loco teſtamenti, & paternæ inſtitutionis. Nam cum ſis (inquam) tria illa conſecutus, Pater, quæ ante obitum tuum videre deſideraſti, veremur, ne ad cælum ſis evocandus.

à ſancto Patre tandem impetravit,

959 Excuſabat Pater ſuas occupationes; non poſſe eò animum ſe, vel tempus applicare. Et tamen, Celebrate (inquit) tres Miſſas de hac re, Polancus, Pontius, & tu: & ex oratione ad me referte, quid cenſeatis. Idem (inquam) Pater, cenſebimus, quod nunc. Addidit ſuaviſſimè:

C Agite, quod dico. Celebravimus: retulimus idem: pollicitus eſt, ſe facturum. Anno ſequenti cum rurſum ex Sicilia rediiſſem mittendus in Hiſpaniam; interrogavi Patrem, ſi quid egiſſet. Nihil, inquit. Rediens ex Hiſpania anno MDLIV, rurſum rogo. Non attigerat. Ibi verò, neſcio quo ductus animo, conſtanter certè dixi Patri: Sunt ferme quatuor anni, quibus obſecro non meo ſolùm, ſed aliorum patrum nomine, ut nobis explices, Pater, quemadmodum Dominus te inſtituerit ab initio tuæ converſionis: id confidere nos, fore nobis & Societati utile in primis. Verùm cum videam, te illud non præſtare, hoc audeo confirmare; ſi id facias, quod tantopere deſideramus, eo beneficio nos uſuros ſtudioſè: ſi non facias, propterea non futuros animo debiliori, ſed tam confidenti in Domino, quam ſi omnia ſcripſiſſes.

ut res ſuas geſtas dictaret;

960 Nihil reſpondit Pater, ſed (eodem, ut opinor, die) advocato ad ſe patre Ludovico Gonzalez, incipit ipſi narrare, quæ ille pater, ut eſt excellenti memoria, poſtea ſcribebat. Ea ſunt Acta P. Ignatii, quæ circumferuntur. Fuit autem P. Ludovicus in prima congregatione generali elector, & in eadem electus Aſſiſtens Præpoſiti Generalis Patris Laynez. Fuit poſtea inſti- D tutor in litteris, & Chriſtianis moribus regis Portugalliæ Sebaſtiani, inſigni religione & virtute pater. Scripſit P. Gonzalez partim Hiſpanicè, partim Ital cè, ut aderant præſto amanuenſes. Vertit Latinè P. Annibal de Codretto, doctus admodum & pius pater. Uterque adhuc vivit, & auctor & interpres. *Ita P. Natalis: cujus dictis nos iſta addimus.*

quas Conſalvus excepit; Codretius Latinè reddidit;

961 *Et memoratus quidem auctor Ludovicus Conſalvus obiit anno 1575, ex Hiſtoria Societatis noſtræ part. 4, lib. 3, à num. 183: ubi datur ejus elogium. Quæ autem in illo huc ſpectant, ſunt iſta:* Percarus olim vixit ſancto Parenti Societatis Ignatio: & ſub eo aliquamdiu Romanæ profeſſorum domui miniſter præfuit, diligens ejus virtutum obſervator idem & imitator: ex cujus etiam ore multa de ejus vita excepta in commentarios retulit. *Res iſta confirmatur ex apographis noſtris Romanis, quæ notantur excerpta è libro Memoriali dicti patris Ludovici Conſalvi, paginarum 200 in folio; in cujus præfatione dicit, ſe à Septembri* MDLIV, *quo à* S. Ignatio *factus eſt miniſter domus profeſſæ Romanæ, uſque ad* XXIII *Octobris* MDLV, *ejus dicta, facta, exempla annotaſſe. Quod verò id non fecerit perfunctoriè, illud argumento eſt, quod Joannes III, Luſitaniæ rex,* Ludovico Gonſali (qui Joanni principi, filio ſuo, à confeſſionibus fuerat) in Urbem proficiſcenti mandat, ut omnia Ignatii dicta, factaque curiosè obſervet, & ad ſe diligenter perſcribat *&c., ex Ribadeneira lib. 4, cap. 17.* P. Annibal Codretius .. vir fuit in omni politioris literaturæ genere, tribuſque linguis, Latina, Græca, & Hebraica, atque in morum cumprimis facilitate pariter, & gravitate admirandus; *ſicut inter plures alias ejus laudes dicitur in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu, anno 1599, uti ibidem notatur, mortui. Celeberrimum verò fuit in Societate P. Hieronymi Natalis nomen, ex Ordinis noſtri Hiſtoria; in cujus parte 4, lib. 8, num. 24 ſcribitur è vita exceſſiſſe anno 1580, & egregiè laudatur num. 25 & ſequentibus. Pontii, qui in dicta præfatione occurrit, cognomento Gogordani, geſta deſcribunt Orlandinus & Sacchinus in Hiſtoria Societatis.*

Ribadeneira autem ante oculos habuit.

962 *Jam verò quod Ludovici Conſalvi ſcripta, ſuper quibus dictus P. Natalis ſuam præfationem condidit, præ oculis habuerit Ribadeneira, neque habuerit ſegniter, illa utpote ſecutus; liquet ex ejus præfatione Vitæ Ignatianæ prævia ad fratres Societatis Jeſu, ubi magno cum candore,* Deinde ea dicemus, *inquit,* quæ aſſidua multorum annorum flagitatione victus, & omnium fere patrum contentione, ipſemet Pater de vita à ſe antè acta, P. Ludovico Gonzali aperuit: idque eo anno, qui ejus mortem anteceſſit, meditatò, magnoque conſilio fecit .. Quæ ille accuratè diligenterque ex Ignatii ore excepit, & totidem ferme verbis perſcripſit. Eaque omnia, quemadmodum tunc quidem ſcripta ſunt, apud me habeo. *Ceterùm ipſum Conſalvi exemplum* partim Hiſpanicè, partim Italicè, ut aderant præſto, *juxta dicta,* amanuenſes *exaratum, patuit P. Ignatio Pinio, qui de eo ſic teſtatur:* Scriptum hoc originale præ manibus habeo. Illi præfixus eſt manu P. Natalis hic titulus: Acta P. Ignatii, ut primùm ſcripſit P. Ludovicus Gonzales, excipiens ex ore ipſius Patris. *Ad hæc, in primigenio iſto exemplari diligenter verſatus idem Pinius, bene multas inde notas prompſit pro Latina ejus interpretatione: ſicut videbitur ſuo loco.*

963 *Ve-*

A *Recenſentur variæ rationes,*

963 *Verùm laudatus mox Pater miſit huc etiam præfationem ipſius auctoris P. Ludovici Conſalvi, quam Actis præfixam reperiſſe ſe ſcribit in quodam exemplari Hiſpanico; unde ipſam, Hiſpanicè conſcriptam, indeque tranſcriptam accepi, latinitate donavi, Actiſque Conſalvianis ex verſione Codretti Latinè reddita præfixi, ac prælo ſubjeci unà cum ipſis Actis. Ceterùm de hac re paucis, lector benigne, te monitum volo. Præfationis auctor idem, qui Actorum, Conſalvus, eximias ſcriptæ à ſe, Sancto dictante, Vitæ dotes commendat ex variis ejuſdem notitiis, quas & in ſua eadem præfatione commemorat ipſemet, & nobis obſervandas relinquit. 1°. Magnus in dicta Vita eſt ſcribendi candor, nec minor narrandi ſinceritas. 2°. Accuratè expreſſa notatio temporis, quo ſcribere cœpit auctor, & quo deſiit. Cœpit utique à menſe Septembri anno 1553; anno autem 1554 ſcriptio intermiſſa; reſumpta, die IX Martii anno 1555, & poſtea alio menſe, anno eodem; quo demum ad finem vergente, ipſa quoque finem habuit; medio utique anno cum uno circiter men-*

B *ſe, antequam Pater ſanctus vivere deſiit, abſoluta. 3°. Res narratæ, ac narrandi modus ſumma cum fide ſunt expreſſa, ex verbis auctoris Conſalvi num. 3 in præfatione citatis. 4°. Vita illa poteſt ac debet accipi tamquam ultima optimi Parentis noſtri voluntas, amoris pignus ac teſtamentum. 5°. Non vulgarè ipſa ſibi pretium facit, quia prima; quia authentica; quia ab ipſo Sancto dictata.*

ob quas Vita Conſalviana typis detur.

964 *Quæ cum ita ſint, erunt, ni fallor, non pauci, qui mecum ſentiant, Vitam illam, tot titulis venerabilem, è tenebris, in quibus delituerat hactenus, in lucem proferri meritò debere: non ideo, quòd res multas contineat, quas non habeat Ribadeneira, cum ejus ipſa ſit aliquousque compendium: ſed quia altera alteram juvat, Conſalviana nimirum Ribadenerianam confirmando; hæc verò illuſtrando illam, & pluribus notitiis amplificando, ac locupletando documentis. Ad hæc, Conſalviana ſubſervit, ad roboranda quædam dicta ſuperiùs in noſtro Commentario prævio: ubi ejuſdem rationem habuimus. Ceterùm hoc titulo prænotatur:* Acta quædam R. Patris noſtri Ignatii de Loyola, primarii ſecundùm Deum inſtitutoris Societatis Jeſu. *Apographo noſtro hæc adſcribit P. Ignatius Pinius:* Hoc exemplar Latinum Actorum recognovit P. Natalis, & quædam ſcriptionis vitia in eo correxit manu propria. *At verò ſi quis vel malevolus vel imperitus Viro ſancto,*

C *cetera modeſtiſſimo ac ſuarum rerum cuſtodi maximè taciturno, labeculam affricet vanitatis, quaſi verò exorari tandem ſeſe ſit paſſus, ut ſui animi arcana ex intimis cordis penetralibus producta cum bene multis magniſque laudibus, ad ſe inde profecturis, panderet; expendat is, quæ de iſto argumento Ribadeneira inſerit prologo ſuo ad fratres Societatis Jeſu; ubi habebit affatim, cur illud factum æqui bonique conſulat ac laudet. Accedit eò, quod dictata ſub finem vitæ ſimplici illa ac brevi narratione, pro reliquis conſulendum monuerit non P. Jacobum Eguiam, qui intimè eum norat è ſacris confeſſionibus; ſed P. Hieronymum Natalem, cui per temporum intervalla aliquantulùm aperuerat animum; perſuadere utique, ſicuti credere par eſt, hoc facto conatus, nihil occultare ſe; omniaque reduci ad id, quod & ibi dixerat ipſe, ac dicere poterat Natalis. Atque illud eſt, quod dicitur, humilitatem tegere ſub humilitate, vel ipſa nimirum circa fugam humilitatis, apud alios exiſtimatione vitata; prout obſervat Bouhourſius*

lib. 6 Vitæ.

965 *In Hiſtoriæ Societatis noſtræ parte 2, lib. 2, num. 163, ad annum 1558 ponitur alius, qui Vitam ſancti Conditoris noſtri litteris mandare cogitaverit. Citemus verba:* Petrus Perpinianus in admirationem cunctos rapiebat cum cæteris eloquentiæ partibus, tum actionis præcipuè dignitate *&c.* Qui utinam, quod & ipſe hoc tempore meditabatur, & Michaël Turrianus auctor erat, B. Ignatii vitam & Societatis hiſtoriam conſcripſiſſet!

AUCTORE J. P. *Petrus Perpinianus in animo habuit ſcribere Vitam S. Ignatii.*

966 *De* S. Ignatio *ac Societate noſtra optimè fuit meritus Didacus Paiva Andradius Luſitanus, quem ſuperiùs in Commentario hoc citavi; & qui inter Orthodoxarum explicationum libros decem, quos publici juris fecit, primum inſcripſit De origine Societatis Jeſu, ac Martini Kemnitii, qui ejuſdem Societatis inſtitutum impudentibus calumniis exagitarat, audaciam retudit; cui etiam libro Ignatianæ vitæ ſeriem intexuit. De ejuſdem ſcriptoris antiquitate ſtatue ex eo, quod fol. 11 editionis Venetæ anni 1592, quâ utor, referat,* Ex *Sancti primis filiis ac commilitonibus hodie* quatuor adhuc vivunt ſuperſtites, Jacobus ſcilicet Laines, hujus ſanctiſſimæ Societatis Præpoſitus Generalis digniſſimus, atque de Dei Eccleſia, bonorum omnium judicio, optimè meritus; Alphonſus Salmeronius, Simon Rodericus, & Nicolaus Bouadilha. *Cum autem è vita exceſſerit Lainius anno 1565; ſequitur, ut poſt hunc annum illa non ſcripſerit Paiva; proinde antiquiſſimis, qui* Ignatii *geſta literis prodidere, auctoribus accenſendus. Plura dabit de eo Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana Scriptorum, qui poſt annum 1500 claruere, tom. 1, pag. 235. Gulielmum Eyſengrenium, falſum videlicet in eo, quod laudatum auctorem crediderit fuiſſe Societatis Jeſu, corrigit Bibliotheca Scriptorum noſtræ Societatis pag. 177; cujus ille quidem amicus fuit & propugnator, non vero alumnus; uti ibidem invenies.*

Antiquiſſimis auctoribus annumerandus Didacus Paiva.

§ XCII. Vita à P. Petro Ribadeneira ſcripta.

Ribadeneiræ characteres cum ex ipſiuſmet teſtimonio,

H *Ujus Vitæ auctor in Catalogo Scriptorum Societatis, quem vulgavit, pag. 225 editionis ſecundæ anni 1613, ita de ſe fatur:* Petrus Ribadeneira, natione Hiſpanus, patriâ Toletanus, omnium totius Societatis Jeſu minimus atque indigniſſimus filius, anno ſalutis MDXL, die XVIII menſis Septembris, ad Societatem noſtram tunc naſcentem, & nondum à Sede Apoſtolica confirmatam, Romæ ſingulari Dei beneficio puer adductus ſum, & à B. P. N. Ignatio admiſſus, & multis ac magnis perfunctus laboribus, ſcripſi hactenus de Vita B. P. N. Ignatii, Societatis auctoris, tum Latinè tum Hiſpanicè libros v. Alteram item ejuſdem B. P. Vitam breviorem, ſed multis ac novis miraculis illuſtratam *&c. Ita vir modeſtus de ſe parcè, plura P. Joſephus Juvencius Hiſtoriæ Societatis Jeſu lib. 25, part. 5, § 11; ubi de eo ad annum Chriſti* MDCXI, *quo obiit, hæc memorat:* Cum puer operam litteris daret, floreretque inter ſuos æquales nobilitate generis & ingenii gloriâ, contigit, ut Cardinalis Alexander Farneſius ad Carolum V à Paulo III miſſus, Toletum accederet. Adoleſcentis eximia delectatus indole, Romam rediens, eum ſibi comitem adſcivit. Ibi cum Ribadeneira præter So-

E

F

AUCTORE J. P.

cietatis domum iret, introgressus videndi studio, incidit in S. Ignatium: cujus sermone ac primo congressu mirificè captus, statuit ei se totum ac Societati, quæ nono pòst die confirmanda per summum Pontificem erat, dedere. Nec dubitavit Ignatius, divina collustratus luce, complecti juvenem & suis addere. Spem beati Patris non fefellit: ac perceptis summa celeritate philosophorum ac theologorum placitis, præcipuam ad dicendum indolem, cum pari ad agendum prudentia conjunctam ostendit.

tum ex scriptoribus, elogia ejus.

968 Quamobrem ad gravissima negotia gerenda primùm à S. Ignatio, deinde à Lainio & Borgia, successoribus Ignatii, adhibitus, collocandæ in Belgio Societati perutilem navavit operam: Tusciæ ac Siciliæ provincias gubernavit: eamdem Siciliam ac postea Insubriam, hanc visitatoris, illam commissarii appellatione ornatus, inspexit. Bis officio Assistentis functus, primùm Italiæ, deinde Hispaniæ: bis generali congregationi interfuit .. Historiam Hispanæ Societatis scribere parantem mors intercepit anno ætatis octogesimo quinto, x Cal. Octob. Madriti. *Omnium autem*

B *sancti Parentis nostri filiorum, qui supererant, antiquissimus fuit, ex Vita brevioris Ignatianæ, interprete Quartemontio, anno* 1612 *Ipris Flandrorum impressæ, præfatione ad lectorem. Viri elogium ex ejus humilitate, pietate, ratione gubernandi, & scribendi, apud citatum Juvencium contexitur. Summam erga* S. Ignatium, *diu ac penitus à se introspectum, venerationem in terris non nisi cum morte deposuit. Etenim* oratus à patribus, qui morientis lectum circumstabant, ut consolari mœrentes, ac pia precatione prosequi ne gravaretur; digitum in effigiem S. Ignatii, quia vox defecerat, intendens, innuit postulandum ab eo, quod quærebant; *prout legere est loco citato. Porro his adde Bibliothecam Scriptorum Societatis Jesu, ubi inter alia sic scribitur:* Funus ejus multi proceres, multi Religiosi celebrârunt, & manibus ejus oscula, reverentiæ causâ fixerunt. Tanta certè fuit virtutis ejus existimatio, ut Fr. Franciscus Tamaius, vir gravissimus ex familia S. Francisci de Paula, sacræ Inquisitionis qualificator, de illo, quod olim de S. Bonaventura S. Thomas, usurparet, Sinamus Sanctum laborare pro Sancto; cum scilicet approC baret, quam postremò Ribadeneira conscripsit, Narrationem gestorum in negotio canonizationis S. Ignatii, usque ad ejus beatificationem: *è quo libello dabo plurima* § 97, *num.* 1014, *ac deinceps.* Anno *autem* MDCXXXIII caput ejus inventum est, *sicut memorat Bibliotheca citata*, tam integrum, atque sincerum, ac si tùm primum obiisset; ut, qui eum, dum in vivis erat, cognoverant, jam etiam ex vultu agnoscerent: ea propter decentiorem in locum sublatum est. Ambrosius Machon, archiepiscopus Calaritanus, in Appendice defensionis sanctitatis B. Luciferi, vocat Petrum Ribadeneiram sanctitate conspicuum.

Assignantur fontes

969 *Ceterùm omnibus egregii biographi dotibus Ribadeneira admodùm excelluit. Fuit enim rerum, quas scripsit, scientissimus; documentorum, unde scriberet, instructissimus; veritatis tenacissimus in materia & forma scribendi; in rerum autem delectu, si quis alius, accuratus; quibus omnibus magnum superaddit auctoritatis pondus, integritas vitæ planè singularis.* Quoniam, *ait in egregia illa sua ad Vitam Ignatianam, quam edimus, præfatione*, historiæ prima lex veritas est, hoc in primis profiteor, me nihil inexploratum scripturum; sed res mihi notas, certas, testatasque literis proditurum. Ea enim in medio afferemus, quæ D nos ipsi aut in Ignatio vidimus, aut ex ipso aliquando audivimus. Si quidem tanta erga me Pater misericordiarum benignitate usus est, ut me puerum, ac vix quatuordecim annos natum, nullo meo merito (nondum Societate nostra à Paulo III Pont. Max. confirmata) ad cognitionem Ignatii, atque ad eam familiaritatem adduceret, ut ab ejus latere non discederem; sed domi, foris, omnibus in rebus illi præsto essem, ejusque dicta, facta, vultum, motus observarem .. Propter hanc igitur diuturnam consuetudinem & familiaritatem, non solùm exteriora & aperta cum multis, verùm etiam interiora, & recondita quædam Ignatii cum paucis, ex ipso sæpè cognovimus.

è quibus suam Vitam hausit Ribadeneira.

870 *Præter propriam, eamque adeo singularem vitæ ac morum* S. Ignatii *perspicientiam, alium mox Ribadeneira assignat fontem, quo usus est, nimirum Ludovicum Consalvum. Alium denique ibidem indicans fontem,* Postremo, *ait*, ea etiam narrabimus, quæ à R. P. Jacobo Layne, Societatis nostræ Præposito Generali, vel sermone, vel scripto accepimus: qui propter arctissimam conjunctionem, & summam cum Ignatio E societatem in perferendis pro Christo & ejus Ecclesia immensis propè laboribus, ipsis illis primis initiis, cum esset tempore ex sociis fere primus ex decem, amore omnium carissimus filius, multa vidit, multa notavit, eaque in quotidiano sermone, optanti mihi sæpe narravit. Ex iis igitur fontibus hæc nostra manarunt. *De rerum delectu ibidem sic testatur:* Quæ verò incertis, *inquit*, auctoribus, aut non satis locupletibus dici poterant, ea ne scribenda quidem putavimus. Est enim persuasum nobis, cùm in omni re mentiri turpe esse, tum verò in Sanctorum Vita referenda turpissimum. Nam neque Deus, ad gloriam suam illustrandam, mendaciis nostris indiget: neque primam & summam veritatem falsis narrationibus & commentitiis honorare velle, fas est. *Ex dictis perspicuum est, historicum nostrum, insignibus instructum documentorum atque animi præsidiis, ad scribendum accessisse.*

Auctoritas ejusdem scriptoris

971 *Verùm hæc illustrare ac confirmare placet ex dicti Patris Examine, anno* 1595 *Matriti juridicè instituto, præsertim quia ibi rem testatur interposita juramenti religione. Ibi ergo ponitur* Interrogatorium patris Gasparis de Pedrosa, procuratoris generalis Societatis Jesu in hac curia, ad examinandum patrem Petrum de Ribadeneyra, ejusdem Societatis, circa vitam, virtutes, & sanctitatem Patris Ignatii de Loyola, ejusdem Societatis fundatoris, *in varia distributum puncta; è quibus promo illa, quæ hunc spectant.* Imo In primis, An cognoverit præfatum Patrem Ignatium: quamdiu & quibus de rebus cum eo egerit? 2°. Item an sit ipsemet testis, qui librum Vitæ Patris Ignatii Latinè & Hispanicè sub nomine patris Petri de Ribadeneyra editum conscripserit? 3°. An quæ in eo libro continentur de vita & moribus dicti Patris Ignatii, sint vera, & quibus rationibus adducitur, ut vera esse credat ..?

confirmatur ex actis in Examine Matritensi;

972 In oppido Madridii (*verba damus Examinis*) die XXXI Julii MDXCV, coram illustrissimo & reverendissimo Domino D. Camillo Caëtano patriarcha Alexandrino, Nuntio suæ Sanctitatis in his regnis, & in præsentia notarii infrascripti, pater Gaspar de Pedrosa, procurator generalis Societatis Jesu, produxit in testem ad comprobationem eorum, quæ in suprapositis interrogationibus continentur, patrem Petrum de Ribadeneyra præ-

A prædictæ Societatis, à quo ſua Dominatio illuſtriſſima jusjurandum excepit in forma juris; quod, cum ille rectè ac plenè protuliſſet, manu ad pectus, ut ſacerdotem decet, appoſita promiſit, ſe verum dicturum circa ea, quæ noſſet, & de quibus interrogaretur. Et ſua Dominatio illuſtriſſima mandavit, ut D. Doctor Paulus Beni, ejus Auditor, in præſentia mei, ejus infraſcripti notarii, excipiat examen ac depoſitionem prædicti patris Petri de Ribadeneyra: ſicque providit & mandavit præſentibus teſtibus Ferdinando de Monte mayor, & Alvaro Prieto, ſuæ Dominationis illuſtriſſimæ familiaribus, in præſentia mei Franciſci de Luna notarii: & poſt præmiſſa, in eodem oppido Madridii, die v Auguſti MDXCV, coram prædicto D. Doctore Paulo Beni, Auditore ſupradicti illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini Patriarchæ ac Nuntii, comparuit præſens dictus P. Petrus de Ribadeneyra, habitator collegii Societatis, hujus prædicti oppidi: & cum eſſet interrogatus ſub debito juramenti per eum præſtiti, ut ſupra dictum eſt, dixit & declaravit coram prædicto D. Auditore, quæ ſequuntur:

B *in quo interrogatus de S. Ignatio,*

973 Ad primam interrogationem dixit, ſe cognoviſſe Patrem Ignatium, fundatorem Societatis Jeſu, & cum eo egiſſe valde familiariter per aliquot annos. Cùm enim ipſe teſtis decimum quartum ætatis ſuæ annum ageret inexpletum, eſſetque in urbe Roma, Dominus noſter dignatus fuit, ut ipſe ingrederetur domum & ſocietatem ipſiuſmet Patris Ignatii, anno Domini MDXL, die XVIII Septembris, ac denique ſupervixit ipſe Pater Ignatius XVI fere annos: è quibus ipſe teſtis egit cum eo diverſis temporibus per octo fere annos valdè intimè: quippe qui in illius cubiculo dormiebat, in eoque illi inſerviebat, in Miſſæ Sacrificio celebrando adjuvabat, & in ſcribendo: ipſum comitabatur, cum domo egrederetur: iter etiam quoddam cum illo peregit: tractavit multa, & gravia negotia cum ipſo, dum teſtis ipſe jam eſſet vir: & cum eſſet adhuc juvenis, vidit illum ſimilia tractantem. Anno denique MDLV fuit ab eodem Patre Ignatio miſſus in Flandriam ad Regem Catholicum D. Philippum ob negotia gravia, & ad exponendas iis, qui de Societate erant, in dominiis illis, Conſtitutiones, quas ipſe Pater Ignatius conſcripſerat ad rectam Societatis gubernationem.

C *ac Vita à ſe ſcripta,*

974 Ad ſecundam interrogationem dixit, ſe conſcripſiſſe librum Vitæ Patris Ignatii, editum ſub nomine P. Petri de Ribadeneyra, Latinè & Hiſpanicè: quem conſcripſit mandato Patris Franciſci Borgia Generalis Societatis, qui ipſi teſti id injunxit, judicans ipſum habere notitiam neceſſariam ad illam conſcribendam. (*De hac ſcribendi provincia, à S. Franciſco Borgia ei impoſita, agit etiam in ſua, de qua ſuperiùs, præfatione.*) Ad tertiam interrogationem dixit, nihil eſſe in prædicto libro Vitæ P. Ignatii, quam ipſe teſtis conſcripſit, quod noverit eſſe falſum: ſaltem non recordatur, ſe ſcripſiſſe falſum quidpiam, ſciens, quod eſſet falſum: imo credit, ac pro certo habet, omnia à ſe in præfato libro relata, moraliter loquendo, eſſe vera: proptereaque adhibuit magnam diligentiam ac curam in cuſtodienda integra veritate, & in conſcribendis iis, quæ vidit, & audivit ab ipſomet Patre Ignatio: vel quæ ipſe de ſe narravit, vel alii viri graves de illo. 2o. Credit etiam veritatem hujus ſuæ hiſtoriæ: quia antequam imprimeretur, fuit recognita & examinata mandato P. Franciſci Borgia, Generalis Præpoſiti, per viros Societatis graviſſimos, quorum nonnulli valde familiares fuerant ipſi Patri Ignatio.

AUCTORE J. P.

975 Tertiò. Eo quod, cum liber ille editus fuerit viventibus adhuc multis patribus, & antiquioribus, & magis intimis Patris noſtri Ignatii, ac inter eos tribus ex primis ejus decem ſociis, neſcit quempiam illorum quidpiam falſi notaſſe eorum, quæ in dicto libro continentur. 4o. Quia, cum liber hic Neapoli Latinè editus fuerit, lectus ad menſam omnium patrum congregationis generalis, quæ Romæ anno MDLXXIII habita fuit, Pater Everardus Mercurianus, qui in ea electus fuit Præpoſitus Generalis, mandavit patri Jacobo Ximenez (qui adhuc vivit, fuitque procurator generalis, & ſecretarius Societatis Romæ) ut nomine ipſius patris Everardi quæreret à ſingulis patribus congregationis prædictæ, quidnam ipſis videretur de libro illo, & an aliquid eſſet emendandum: quoniam ipſe teſtis deſiderans, ut liber ederetur correctus, emendatis defectibus, ſi qui erant, per viros graves, quales erant in congregatione illa, petivit à prædicto Patre Generali, ut ita fieret.

fide dignorum patrum calculo

E

976 Cùm autem ipſe pater Ximenez feciſſet, quod Pater Generalis illi mandaverat, nullus omnino pater ex congregatis fuit, qui de hac hiſtoriæ veritate dubitaret, nec difficultatem ullam in re alicujus momenti moveret; ut videri poteſt ex ſcripto, & cenſura, quam tunc manu propria adhibuit præfatus pater Ximenez: quod ſcriptum ipſe pater Ribadeneyra teſtis apud ſe habet. Eſt autem advertendum, quod inter patres illos congregatos erant multi, qui diu, & valde familiariter egerant cum Patre Ignatio, V. G. pater Salmeron, & P. Nicolaus Bobadilla, qui fuerunt ex decem primis Patris Ignatii ſociis, nec non pater Hieronymus Domenech, Joannes de Polanco, qui fuit ſecretarius, & tamquam pedes & manus Patris Ignatii per novem annos; Hieronymus Natalis, qui fuit ejus commiſſarius, & vicarius generalis; doctor Chriſtophorus de Madrid, qui fuit Aſſiſtens Societatis, cum eſſet pater Generalis pater Jacobus Laynez, ac ipſemet pater Everardus Generalis; qui omnes jam vitâ functi ſunt. Pater etiam Benedictus Palmius, & pater Oliverius Manareus, qui adhuc ſuperſunt; ſuntque viri ſatis graves, & noti. *Quæ cum ita ſe habeant; quænam, amabo, Vita fide digna eſt, atque in pretio habenda, ſi hæc non eſt? Ad majus tamen jam dictis addendum pondus, ſubdo ſequentia.*

approbata;

977 *Miſit ad me Româ P. Ignatius Pinius apographum hoc titulo:* P. Petri Ribadeneiræ capita quædam de miraculis bonæ memoriæ Patris N. Ignatii; *ubi hæc in rem noſtram Ribadeneira affirmat:* Quæ à me de P. N. virtutibus & ſanctiſſima vita deſcripta ſunt, quoniam evulgata ſunt viventibus adhuc multis graviſſimis atque probatiſſimis patribus Societatis, qui cum Ignatio familiariſſimè vixerunt, Salmerone, Bobadilla, Simone, Polanco, Natali, Strada, Araoz, Ludovico Gonzalez, doctore Torres, P. Madridio, aliiſque multis; & ii omnes librum meum de Ignatii vita legerunt, & probarunt, quæ in ea referuntur: non tamquam unius authoris teſtimonium accipienda ſunt, ſed quaſi commune totius Societatis noſtræ judicium, & multorum omni exceptione majorum teſtium corroboratio. Quod item dicendum eſt de aliis multis ex Societate, qui Patris noſtri conſuetudine uſi ſunt, & vera eſſe, quæ in libello de ejus vita continentur, ſuo teſtimonio confirmaverunt &c.

nec non ex communi quaſi totius Societatis judicio vulgata,

AUCTORE J. P. plenam fidem facere debet.

978 *P. Joannes Rhò in ſuo Achate, ineptiâ quadrâ, ſuo adverſario rectè imputata, teſtatur, ſe habere Nicolai Lancicii chirographum ritè obſignatum, ab eo, dum Societatem Lithuaniæ moderaretur, cum juramento editum anno, uti indidem habemus,* 1638. VII *Idus Octobris: è quo inſtrumento dictus Rhò producit ſequentia:* Porro ſciendum eſt, R. P. Petrum Ribadeneiram expreſſo juramento confirmaſſe omnia prorſus, quæ ſcripſit in tribus Vitis S. Ignatii: quarum prima edita eſt Neapoli in octavo, MDLXXII, ex typographia Joſephi Cacichii, ſubſcripta à Duſimo vicario generali, & Joanne Franciſco Lombardo. Secunda copioſior multò, edita eſt ab eodem, anno MDLXXXVI, impreſſa Madriti apud viduam Alphonſi Egomezii *, & poſtea pluribus in locis recuſa, & variis linguis reddita.

* *an* Gomeſii?

Tertia Hiſpanicè in folio edita eſt ab eodem, anno MDCIV, impreſſa Madriti per Ludovicum Sanchel (*imo* Sanchez); & iterum anno MDCVI recuſa, & poſtea reddita Latinè ex Hiſpanico, & diſtributa in capita à Gaſpare Quartemontio, cum
B Græca interpretatione è regione appicta, & impreſſa Auguſtæ Vindelicorum anno MDCXVI; quæ deinde poſita eſt XXXI Julii in poſteriore editione Vitarum Sanctorum Laurentii Surii, impreſſarum Coloniæ anno MDCXVIII, ſumptibus Joannis Kieps, & Hermanni Millii. Præſtitit autem Ribadeneira ſuum juramentum confirmativum rerum in Vita S. Ignatii ſcriptarum, juridicè examinatus primùm anno MDXCV auctoritate Camilli Caietani patriarchæ Alexandrini, Nuntii Apoſtolici apud regem Hiſpaniarum: deinde anno MDCVI in Octobri jam octogenarius, auctoritate Apoſtolica examinatus in proceſſu canonizationis S. Ignatii, coram Bernardo de Sandoval & Rojas, S. R. E. Cardinali; & archiepiſcopo Toletano, & coram Melchiore de Soria, epiſcopo Troiano, commiſſario Apoſtolico deſignato auctoritate Sedis Apoſtolicæ, deſignatis auctoritate Sedis Apoſtolicæ per Paulum quintum, à ſacræ Romanæ Rotæ Auditoribus. *Occaſione Vitarum, de quibus actum, adde* 1°. *Quod Vitam Latinè à ſe editam, Ribadeneira Hiſpanicè dein verterit & auxerit; uti infrà num.* 985 *dicam.* 2°. *Anno* 1585 *occupabatur ſcribenda Vitâ Latinâ alterâ; ex Vita, quam edimus, lib.* 4. *cap.* 18 *in fine.*

C Obſervatio brevi de auctoris iſtius ſtylo.

979 *Ut de auctoris ſtylo breviter quædam hiſce ſuperaddamus; Joſephus Juvencius, peritiſſimus terſæ atque emunctæ latinitatis auctor & judex, loco citato ſic ſtatuit:* Sanè in ejus ſcriptis lucet nativus quidam candor, & eloquens abſque pigmentis & fuco ſimplicitas, aureo nota ævo, ignota fere noſtro: cujus hoc inter cetera vitium eſt, ut ii ſcriptores vigeant, qui vel oſtendunt aliena vitia, vel virtutes tegunt; ſermone juxtà & ſilentio flagitioſi. *Ita Juvencius. At reliquum nunc eſt, ut obſervationes quaſdam in Vitam à Ribadeneira vulgatam proponamus atque expendamus.*

§ XCIII. Notæ in Vitam à Ribadeneira vulgatam; ejuſdem vindiciæ; res geſtæ Sancti à Maffeio & Orlandino editæ.

IN apographis noſtris documentorum collegii Societatis Jeſu Lovanienſis, de rebus ſanctiſſimi Patrentis noſtri, à P. Ignatio Pinio mecum communicatis, invenio, ibidem in cubiculo R. P. Rectoris ſervari ſequens R. P. Oliverii Manarei autographum: Notæ in libros de Vita B. P. N. Ignatii, à P. Petro Ribadeneira conſcriptos; *hoc exordio:* A pleriſque tempore congregationis tertiæ, nominatim à P. Petro Caniſio notabatur, quod nimis multa hiſtoriæ interſerta eſſent, à Vita B. P. N. Ignatii ſuſcepta, aliena. Item non probabatur, quod tam multorum collegiorum initia, & progreſſus deſcriberentur *&c. Et mox*, in Latina porro editione, *inquit*, poſtrema anni MDLXXXVII, & in Hiſpanica anni MDXCV multò plura ſunt adjecta, quæ videntur commodiùs inſeri poſſe; aliqua quidem hiſtoriæ communi Societatis; alia verò alicui apologiæ vel operi, quo Societatis inſtitutum explicetur. *Idem verò Manareus, in libri* 2 *caput* 18 *ſcribens,* Quæ toto hoc, *ait,* capite afferuntur de divina intentione & conſilio, nimis magnam & prolixam habent digreſſionem, & ea videntur magis pertinere ad hiſtoriam communem Societatis, quàm ad peculiarem B. P. N. Fortè hoc loco convenientiùs poneretur ſummarium eorumdem, quod in fine libri IV attexitur. Similiter quæ cap. XIX ejuſdem libri ponuntur, magis ſpectare videntur ad eamdem Societatis hiſtoriam: neque dubito, auctorem fuiſſe ea ad eum uſum aſſervaturum, ſi conſcribendam cogitaſſet. D P. Oliverius Manareus E

981 *Et eidem obſervationi inhæret, quando paullò pòſt circa caput* 21 *ejuſdem libri hæc monet:* Continet bullam Julii III cum ſua explicatione. Hanc putarem potiùs reponendam in hiſtoria generali Societatis, vel in aliquo opere, quo res Societatis explicentur. Habuit tamen hic labor boni patris Ribadeneiræ magnam his præteritis annis utilitatem: ſed magis oblectaret, & afficeret ſimplex & brevis de Vita & actionibus B. P. N. narratio. Idem judicium faciendum puto de Conſtitutione Gregoriana, & de toto cap. XXIV lib. ejuſdem. *Idem cenſet circa ea, quæ libri* 4 *cap* 7 *de Xaverio dicuntur:* Rejici poſſent, *inquit*, ad ipſius hiſtoriam, retento hîc brevi ſummario. Cap. XIV tota hiſtoria Cæſarauguſtana magis congrueret hiſtoriæ Societatis, paucis hîc retentis *Has notas, uti & plures alias ibidem adjectas ſic concludit Manareus:* Hæc habui, chariſſime frater, quæ, ut tibi obſequerer, collegi ex Vita conſcripta à P. Ribadeneira, digna meo judicio conſideratione ... Ora, quæſo, pro me. Bruxellis XXIV Februarii MDC. Oliverius Manareus. nonnulla in Ribadeneiriana Vita carpit, F

982 *Chariſſimus ille frater fuit Nicolaus Lancicius:* nam, *uti in noſtro apographo adſcripſit P. Ignatius Pinius*, immediatè adjunctum eſt Reſponſioni ad Lancicium miſſæ; *quam dedi ſuperiùs* § 86. *Res hæc certiùs confirmatur ex litteris originalibus, & totis autographis P. Oliverii Manarei, Bruxellis* XXV *Februarii anno eodem* 1600 *datis, quas ut tales ex tabulario Romano Societatis noſtræ ſua manu tranſcripſit, & ad me miſit idem P. Ignatius Pinius. In illis igitur litteris*, Notavi, *inquit Manareus*, quædam (*de Vita ſancti Patris noſtri à Ribadeneira conſcripta ſermo eſt*) quæ index adjunctus complectitur: *de quo idem P. Pinius, ad dictæ epiſtolæ calcem ita me docet:* INDICEM, de quo initio meminit Manareus, huic epiſtolæ hîc adjunctum reperio: *additque, eumdem eſſe, quem Lovanii pro me deſcribendum curaverat: exemplum autem Romanum non eſſe ſcriptum ipſa manu Manarei, ſed tantùm ab illo ſubſcriptum; in cujus indicis fronte inſcriptum ſit:* Al F. Lancicio; *atque ad-* observationibus ſuper ea re ad Lancicium directis;

A *eo index iſte, ſeu notarum elenchus à Manareo ad Lancicium fuit miſſus. Nunc ad notas illas; modò ex Manarei placitis propoſitas, reſpondeo ipſis Petri Ribadeneiræ verbis in prologo ad fratres Societatis Jeſu; ubi ita ſcribit:*

ad quas reſpondetur ex ipſo Ribadeneira:

983 De inſtituto autem noſtro, & omni ſcribendi ratione, paucis accipite. Ego cum initio propoſuiſſem, Ignatii tantummodo Vitam conſcribere, & præclara illius exempla hominum memoriæ commendare: poſteà tamen animo plus etiam aliquanto ſuſcepi. Nam quod viderem ab optimis viris, noſtrique amantiſſimis deſiderari, & Societatis noſtræ ortûs atque progreſſûs cognitionem requiri; illud etiam attingere decrevi, breviterque explicare, Societatem quàm longè Ignatius latéque propagaverit, nonnullaque complecti eorum, quæ in univerſa Societate, dum ille viveret, ſcriptione digna mihi viſa ſunt. Quæ quidem quoniam illo vel duce geſta, vel defenſore propulſata, vel moderatore conſtituta ſunt, implicata mihi cum ejus vita, connexaque ita videbantur, ut ſejungi commodè ſecernique non poſſent. Neque mihi tamen hoc propoſitum eſt, omnia ut perſequar: ſed ut pauca quædam deligam, quæ vel illuſtriora ſunt, vel Societatis quaſi curſum declarant, & quæ, niſi nunc recenti memoria literis conſignata ſint, oblivione forſitan obruantur. De eorum patrum vita, qui primi Ignatii filii, ac ſocii fuerunt, & vivo Ignatio mortui ſunt; de nonnullis præterea, qui pro Chriſti fide amplificanda, ſanguinem profuderunt, ſingulatim mentionem faciemus: de illis, quia nos genuerunt in Chriſto; de his, quia mortem naturæ debitam, pro Chriſto potiſſimùm reddiderunt. De iis, qui adhuc vivunt, parcè loquemur; de mortuis paulo pleniùs.

B

daturque congeries rationum, cur ita ſcripſerit Vitam S. Ignatii;

984 *Æqui ergo bonique conſulamus, quod Ribadeneira ſic ſcripſerit.* 1°. *Quia ſuggeſſit Ordini recenter nato armamentarium ad juſtam ac neceſſariam ſui defenſionem adverſus impugnatores.* 2°. *Quia ſic Ordinis notitiam longè latéque propagavit, dando ſingularem de illo ideam.* 3°. *Quia rebus iſtis Vitæ admixtis, quæ eidem adeſſe vel abeſſe poterant, manebat Vita eadem in ſubſtantia.* 4°. *Quia tametſi* magis oblectaret, & afficeret ſimplex & brevis de vita & actionibus B. P. N. narratio, *uti ſuprà dicebat Manareus; laborem tamen P. Ribadeneiræ etiam laudat, ut qui habuerit* magnam his præteritis, *uti dicebat*, annis utilitatem. 5°. *Quia Ribadeneiræ laborem laudibus ſummis proſequitur P. Ludovicus Granatenſis, vir toto orbe celeberrimus, occaſione Vitæ Hiſpanicæ* S. Ignatii, *quam poſt primam Latinam Ribadeneira edidit. Ex epiſtola itaque Hiſpanica anno* 1584 *ad illum à Ludovico Granatenſi data, & dictæ Vitæ præfixa, hæc ſic reddo:* In noſtra lingua non vidi huc uſque librum ſcriptum majore cum prudentia, majore eloquentia, majore ſpiritûs teſtificatione ac doctrinæ in hiſtoria, nec non majore cum temperamento in laudando ſuo inſtituto, ſine præjudicio omnium Ordinum (imo potiùs magna omnium, & inſtitutorum ipſorum cum laude;) nec magis diſcretas ac concludentes rationes ad defendendos & approbandos ſuos, ex omnibus, qui in ſimilibus vel diſſimilibus materiis ſcripti ſunt.

C

quam laudat Ludovicus Granatenſis.

985 *Et ex alterius epiſtolæ fragmento, quod ibidem ſequitur, ab eodem Ludovico ad Ribadeneiram Hiſpano idiomate ſcriptæ, hæc verto Latinè:* Nihil in ſcriptura eſt, quod mihi diſpliceat; ſed omnia me ædificant, atque animum explent: vellemque ex una parte, ne memoriâ excideret; & ex alia, ut ea prorſus deleret oblivio; ut ſæpe eumdem librum legerem illo cum guſtu, quem habui prima, quâ eum legi, vice. *Tanti fecit vir ille Vitam ſancti Patris à Ribadeneira ſcriptam. Quod autem Vitam priùs à ſe Latinè editam in Hiſpanicum converterit, & auxerit, diſcimus ex ejus dedicatione, ſeu epiſtola proſphonetica ad Cardinalem & archiepiſcopum Toletanum Gaſparem de Quiroga, quæ ponitur ante ſæpe dictam Vitam, & ſignatur Matriti data anno* 1583.

AUCTORE J. P.

Illa à maledico impetita; ſed à Gretſero defenſa.

986 *Vita ſanctiſſimi noſtri Parentis, quam Ribadeneira concinnavit, maledicorum calumniis impetita fuit. Præter illa, quæ ſuperiùs in initio paragraphi* 89 *dicebam de Chriſtiano Litho; P. Jacobus Gretſerus libris quinque apologeticis; anno Domini* 1599 *editis, eam defendit contra ejuſdem rabulæ calumnias; qui anno* 1604 *fuit tertiò libris quinque ab eodem auctore* dedolatus, *pro defenſione ſancti Fundatoris noſtri. Alios ejuſdem furfuris infrunitos gerrones non moramur, quorum ſordes colligere, & ineptias caſtigare non eſt noſtri fori, ſed illorum, qui apologias ſcribunt.*

E

Vitam Sancti etiam conſcripſit Maffeius: cui adde Orlandinum.

987 *Ribadeneiræ in hac ſparta ſucceſſit P. Joannes Petrus Maffeius, quam à R. A. P. N. Everardo Mercuriano, quarto noſtræ Societatis Præpoſito Generali, ſibi delatam, non minore orationis nitore, quam rerum fide exſequutur: ſed illo, antequam auctor in vulgus edidiſſet ſuas lucubrationes, è vivis erepto, eas P. Claudio Aquaviva, Præpoſito Generali, dedicavit Romæ Kal. Januariis anno* 1585; *ſicut habemus è præfatione, ab eodem ſcriptore iſti Vitæ præmiſſa; quæ quidem Vita tametſi brevis, ſubſidium tamen meo Commentario attulit non pœnitendum. Addixit ſe Societati Jeſu Maffeius anno* 1565; *& in ea obiit anno* 1603; *uti ſcribitur in Bibliotheca Societatis noſtræ. P. Nicolaus Orlandinus Hiſtoriæ Societatis parti primæ intexens illa, quæ ſub generalatu* S. Ignatii *geſta ſunt, plurima ſparſim ipſius facta per dictæ Hiſtoriæ decurſum intermiſcet: quanta verò cum auctoritate ac fide, ſive ſcriptoris religionem, prudentiam, & accurationem conſideres, ſive monumentorum auxilia, quibus uſus eſt; docebit præfatio P. Franciſci Sacchini, patribus fratribuſque Societatis Jeſu inſcripta.*

F

§ XCIV. Vitæ ab aliis vulgatæ; monumenta noſtra Romana Mss.

Datur notitia Vitæ à Bidermanno & Bombino editæ,

P. *Jacobus Bidermannus res à ſancto Parente geſtas è compendio Hiſpanico Ribadeneiræ Monachii edidit anno* 1612; *deinde verò, ſecundùm ea, quæ tradit Bibliotheca Scriptorum Societatis, Dilingæ editione quinta auctiùs in tres libros diſtinctos, anno* 1621; *ac, nova recenſione facta, Romæ* 1634: *eamque ultimam typis Plantinianis anno* 1635 *recuſam fuiſſe, colligo cum ex approbationibus anno* 1633 *Romæ datis, eidemque appoſitis, tum ex præfatione ad lectorem, eodem anno* 1633 *Romæ ſignata: in qua auctor* pretium ejus operæ, *inquit*, fuiſſe, viſus eſt lector judicare, cui in paucis annis libellus hic debuit plus ſexies recudi. Interea loci, cùm Ignatio decernendi honores publici eſſent, inſtitit Romana Curia vitam ejus omnem recognoſcere: quam & gravi ejus judicio comprobatam tabulis

AUCTORE J. P.

bulis demum publicis consignavit. Quæ tabulæ, quo majus habere pondus ad omnes debent, eò plùs fidei mea se narratio speravit inventuram, si cum iisdem & ipsa congruere monstraretur. Ea propter negotium dedere præsides, ut conferrem. Ubi contuli, tanta continuò hujus cum illis concordia apparuit, ut pleraque mea narratio, ex ipsis tabulis deprompta fuisse, neque, præter styli methodique discrimen, ulla re alia differre videretur. *Curæ etiam fuit auctori*, ut, *præter Sancti virtutes*, nova quædam ejus miracula memoraret, quæ, quod non dudum evenere, Actis illis tabulisque inferri nequierant. Ceterùm nec ipsa mihi, *inquit*, ex vulgi rumoribus hausta, sed omnino talia, quæ legitima auctoritate recensa firmataque, suspicioni locum non relinquant. *Paulus Bombinus Sancti Vitam Italicè, suppresso nomine, publici juris fecit anno* 1615; *ex Bibliotheca Scriptorum Societatis nostræ.*

atque alterius à Bidermanno citatæ;

B

989 *Ceterùm iis, quæ de Sancti Vita recognita, & tabulis publicis consignata dicebat mox Bidermannus, designari censeo Vitam illam ac miracula sancti* Ignatii, *ex authenticis, uti præfert libri titulus, desumpta processibus, Relationibus Rotæ, ac Rituum congregatione, pro ejus canonizatione habitis, quæ Italicè in lucem data ibidem ponitur jussu R. A. P. N. Mutii Vitelleschi, Societatis nostræ Præpositi Generalis. Contigisse vero id sub ipsum tempus, quo solennes Calitum honores Sancto decreti sunt, patet ex approbationibus, Romæ* x *Martii anno* 1622 *signatis, nec non editioni ejus tertiæ, quam ante me habeo, & quæ Neapoli anno* 1627 *prodiit, adjunctis.*

nti & Gloriæ S. Ignatii.

990 Gloriam S. Ignatii Societatis Jesu fundatoris *anno* 1622 *in lucem datam fuisse à P. Nicolao Lancicio, refertur in Bibliotheca scriptorum nostrorum; additurque ibidem, opus hoc Joanni Eusebio Nierembergio materiam suggessisse & modum, simili titulo cum multa accessione scribendi Vitam* S. Ignatii *Hispanicè. Ceterùm inter Opuscula spiritualia, à Lancicio duobus tomis edita, illud, quod est decimum octavum tomi secundi, inscribitur* Gloria S. Ignatii: *ubi præter Vitæ compendium & miracula, Sancti gloriam deducit ex S. Francisco Xaverio, S. Teresia, S. Philippo Nerio, ac S. Carolo Borromæo.*

C

Vitæ PP. Andreæ Lucæ,

991 *P. Andreas Lucas de Arcones anno* 1633 *edidit Hispanicè Vitam S. P. N.* Ignatii *locupletatam; sicut in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu videre datur: quam noster P. Franciscus de Smit in linguam Flandrobelgicam transtulit, anno* 1654 *Antverpiæ vulgatam; & quæ apud me est. In præfatione ad lectorem* § 2, *Vitæ scriptor recenset auctores, qui de Sancto scripserunt, & è quibus historia istius Vitæ deprompta fuit; sed præcipuum auctorem, è quo maximè singularia historiæ suæ facta extraxisse se significat, juridicos affirmat esse processus & informationes, quæ ad Sancti canonizationem habita fuerunt, & quæ ibidem commemorantur.*

Eusebii Nierembergii, Danielis Bartoli,

992 *Vitam sancti Patriarchæ nostri literis etiam prodidit P. Joannes Eusebius Nieremberg; quem Joannes Rhò in suo Achate defendit contra Pseudo-Constantinum, uti eum vocat, à pag.* 196. *Exemplum Vitæ, quod habemus, anno* 1631 *Cæsaraugustæ editum est. P. Daniel Bartolus de Vita & instituto* S. Ignatii *libros quinque egregiè elaboravit, Romæ anno* 1650 *typis cusos; auctos verò, ac recusos ibidem anno* 1659, *P. Ludovicus Janinus latinitate donavit, anno* 1665 *Lugduni impressos.* Hoc tamen haud mihi assumam, *inquit auctor in præfatione*, ut veteribus de illo testimoniis interseram aliquid minoris auctoritatis ac ponderis; nempe omnia ex primis hausturus fontibus, ex quibus habuimus, quæcumque à primis Societatis initiis in lucem data sunt; ab recentioribus verò nihil. Ex primis dixi & antiquissimis, Petri Fabri, Jacobi Lainii, Simonis Rodericii, Petri Ribadeneiræ, Joannis Polanci, Ludovici Gonzales, Hieronymi Natalis, Oliverii Manarei, Jacobi Mironis, Edmundi Augerii, Hannibalis Codretti, Jacobi Gusmani, & ejusmodi virorum, tantorum ac talium manuscriptis, qui vitam cum illo aliquamdiu egerunt; ex litteris item in multa spissaque volumina compactis; ex iisdemque auctoritatibus, quæ ab quinque & septuaginta supra sexcentos juratæ sunt testibus, cùm de illo est actum in sacra diptycha referendo. *Enimvero Bartolus, diligentissimus rerum Ignatianarum scrutator & eruderator, singulari titulo inter recentiores scriptores de nostro Parente meritus est. Sed erunt, uti suspicor, qui majorem in ipsius Latino interprete scribendi perspicuitatem desiderent. Illius versioni, quâ usus sum, hîc illic nonnulla intra uncinos* [ ] *contenta interserui. Sed demus veniam* senili venæ, *de qua meminit in voto, ad* S. Ignatium *directo, ac Vitæ à se versæ prævio.*

D

E

Bouhourſii, Carnolii &c. in hoc argumento lucubrationes.

993 *P. Dominicus Bouhours anno* 1679 *Vitam sancti Parentis linguâ Gallicâ concinnavit, ac Galliarum reginæ dedicavit; usus, uti affirmat in sua præfatione, Ribadeneira, Maffeio, Bartolo, Actis canonizationis* S. Ignatii, *ac Bullis omnibus ad ejus institutum spectantibus. Addit, variis in locis se recurrisse ad Historiam Societatis, ab Orlandino scriptam, nec non ad historiam provinciæ Lusitaniæ, à Balthassare Tellez compositam Lusitanicè: è libro item Virorum illustrium, quem Eusebius Nierembergius in lucem edidit, novas aliquas notitias hausisse sese affirmat: neque inutilia sibi fuisse ipsa quoque varia Vitæ Sancti compendia fatetur. Eodem etiam anno* S. Ignatii *gesta Gallicè vulgavit P. Jacobus Coret, sub titulo Quinti angeli Apocalypseos.*

Quid dicam de P. Aloysio Carnolio, qui gesta S. Ignatii *Italicè legenda publicavit sub nomine Vigilii Nolarci? In promptu habeo editionem ejus, anno* 1680 *Venetiis editam: uti & posteriorem, quæ est quarta, & anno* 1687 *ibidem prodiit. Ex editione Veneta anni* 1680 *collectum est Compendium Vitæ* S. Ignatii, *anno* 1681 *Viennæ Austriæ excusum.*

F

P. Franciscus Garcia anno 1685 *Vitam Hispanicam typis commisit ex Ribadeneira, sicut in suo prologo refert, Maffeio, Orlandino, Andrea Luca, Eusebio (Nierembergium intelligo) ac Bartolo; nec non è chartis Mss. Lainii, Salmeronis, Polanci, Ribadeneiræ ac Ludovici Consalvi: è punctis item, quæ Sanctus notavit circa favores à Domino sibi concessos; denique è processibus ad ipsius canonizationem formatis, quas chartas originales, & authenticas, uti eas vocat, inveniisse se testatur in archivo collegii Imperialis Societatis Jesu Matriti, ac penes se fuisse. Prætereo notum legendistam, qui Actorum Ignatianorum syllogen operi suo Gallico de Vitis Sanctorum, ad diem hujus mensis* XXXI *inseruit, è Ribadeneira, Maffeio, ac Bouhoursio collectam. Novissimè verò P. Carolus Linck anno* 1717 *Imaginem virtutis ac sanctimoniæ sancti Patris exhibuit; de qua re etiam dixi* § 60, *num.* 616. *Liber inscribitur R. A. P. N. Michaëli Angelo Tamburino, piæ memoriæ, ac dividitur in quatuor partes. Prima docet, qualem se in Dei ac Sanctorum ejus cultu exhibuerit* S. Ignatius: *secunda, qualem*

A *lem erga ſe : tertia, qualem erga ſuos : quarta, qualem erga externos.*

994 *Locus ſeſe hîc offert ſuggerendi brevem notitiam de monumentis Romanis, toties citatis, ac dein porrò citandis. Eorum ſedulus ac laboriosus eruderator in decurſu hujus Commentarii prævii identidem nominatur. Indefeſſam Viri operam, ac mirificam diligentiam, ex ſingulari ſanctum Parentem noſtrum apud mortales illuſtrandi deſiderio ſuſceptam, meritis laudibus proſequi ſuperſedeo. Unde verò illa documenta deprompta ſint, ſcribit in litteris, Româ ad me datis die* IV *Martii, anni proximè elapſi* 1730, *in hæc verba :* Quæ ad Ram. Vam. de S. P. N. Ignatio monumenta miſi, omnia tranſcripſi ipſe, vel tranſcribi juſſi meo in cubiculo, ex archivo ſeu tabulario domus hujus profeſſæ Romanæ, ſeu potiùs Societatis apud PP. Secretarium & archiviſtam. Quæ ſpectant ad ſepulturam & tranſlationes corporis, accepi ex archivo patris procuratoris generalis. Tranſcripta cum inſtrumentis contuli non tantùm diligenter, ſed ſcrupulosè. Poſtquam dubia mea de quibuſdam verbis, ac ipſis litteris ſeu apicibus in margine adſcripta legeris ; intelliges, quantum tuæ ſecuritati ſtuduerim. Sicubi errarim, homo fui, minùs accuratus non fui. Novi hypercriticam moroſitatem noſtrorum temporum. *Hactenus ille. De Spicilegio Romano, ejuſdem collectoris operâ ad me poſtea ſubmiſſo, memini ſuperiùs in hoc Commentario, paragrapho* 15 *in principio.*

Datur notitia de documentis noſtris Romanis.

B

§ XCV. Prima ſepultura, & tranſlationes corporis S. Ignatii.

Documenta huic inſtituto accommodata debemus P. Ignatio Pinio, qui ea collegit Romæ ex archivo Patris procuratoris generalis Societatis Jeſu, ſecundùm ea, quæ jamjam dicta ſunt. Cum autem neceſſe non habeamus, plura præfari, notitias ſuper argumento, quod præ manibus habemus, è manuſcriptæ collectionis, atque ipſius collectoris verbis, hîc illic eidem ab ipſo intermixtis, nunc ſubnectimus ; monito tamen priùs lectore, citari à dicto collectore editionem primam Bartoli Italicam.

C

Prima ſepultura anno MDLVI, 1 Auguſti.

ROtulus Remiſſoriæ in cauſa canonizationis B. Ignatii, ſic habet ". Poſtera die, quæ fuit prima Auguſti, exequiæ ab ejus filiis, tunc Romæ degentibus, magna doloris & pietatis ſignificatione, ſub veſperas, in eccleſia B. Mariæ de Strada ejuſdem domûs profeſſæ, cum maximo populi concurſu, ſunt celebratæ. Quibus completis, ejus corpus, incluſum in quadam arca lignea, per eoſdem filios fuit depoſitum in quodam ſeparato ſepulcro, noviter in capella majori ejuſdem eccleſiæ à cornu Euangelii in terra ad hoc conſtructo, donec deliberarent, an in celebriori loco poſtea reponendum eſſet. Huic ſepulcro magnum lapidem, quandocumque amovendum, impoſuerunt ,,.

Tempus, exſequiæ, depoſitio, concurſus, veneratio

996 In Proceſſu Romano legitur : " D. Alexander de Cancellariis, annorum LXXI, dicit (dicta Italicè ita ſonant Latinè :) P. Ignatius obiit Romæ in domo, quæ erat ad S. Mariam de Strada ; eumque ſcio obiiſſe anno MDLVI, ac recordor, quod eo die, quo itur ad S. Petrum in Vinculis, jam erat mortuus ; eumque vidi mortuum, & efferri ad ſepulcrum ,,. Hic autem dies eſt 1 Auguſti.

in prima corporis ſepultura.

AUCTORE J. P.

Idem teſtis in eodem Proceſſu : " Et quando ſepulcro fuit impoſitus, ingenti eſt honore affectus : interfuere quippe omnes urbis Romæ familiæ religioſæ, ac tantus illuc hominum concurſus fuit, ut eſſet ſtupori. Multi quoque in templo concurſabant, ad oſculandas ei manus ; tantaque nobilium feminarum, aliorumque confluebat multitudo, ut templum non niſi ad horam primam noctis claudi potuerit. Sepultus autem fuit in eodem templo, quod dicebatur ſanctæ Mariæ de Strada, ad latus Euangelii, altaris majoris ,,. Conſonant Ribadeneira l. 4. c. 16, & Bartoli lib. 4, § 38, pag. 620.

Prima tranſlatio anno MDLXVIII, XXXI Julii.

E

Tranſlatio hæc cur, à quo, & quomodo facta ſit.

ROtulus Remiſſoriæ in cauſa canonizationis B. Ignatii hæc teſtatur : " Corpus dicti P. Ignatii manſit in dicto ſepulcro uſque ad annum MDLXVIII, quo anno, die XXXI Julii, propter templi novi fundamenta facienda, reverenter tranſlatum fuit ab A. R. P. Franciſco Borgia, tunc Præpoſito Generali, & aliis filiis ejuſdem P. Ignatii, ad aliam templi partem, ex qua poſtea facta eſt ſacriſtia, quâ nunc ipſi filii utuntur in dicta domo profeſſa ,,.

In Proceſſu Romano habetur : " P. Franciſcus Gomez, Religioſus Societatis Jeſu, dixit, ſe non cognoviſſe P. Ignatium de Loyola ; tamen, ipſum transferendo ex una ſepultura ad aliam, in anno ſexageſimo ſeptimo, vel ſexageſimo octavo, parum plùs vel minùs, in civitate Roma, vidit illius corpus ipſe teſtis : quæ tranſlatio fuit facta valde de nocte : vidit ipſe teſtis, quod illi omnes, qui præſentes erant, illud venerabantur, deoſculando ejus veſtimenta, & procurando accipere ex illis veſtimentis, & corpore, aliquas reliquias, donec advenit præceptum, quod illa reſtituerent. ,,

Alius teſtis in eodem Proceſſu : " Corpus P. Ignatii manſit in dicto ſepulcro uſque ad annum MDLXVIII, quo anno, die XXXI Julii, propter templi novi fundamenta facienda, reverenter tranſlatum fuit ab A. R. P. Franciſco Borgia, tunc Præpoſito Generali, ad aliam templi partem, ex qua poſtea facta eſt Sacriſtia ,,. Idem teſtatur P. Chriſtophorus Clavius qui huic tranſlationi interfuit (verba illius dabo ad tranſlationem ſecundam :) & P. Bartoli de vita S. Ignatii lib. 4, § 39, pag. 620.

F

Secunda tranſlatio anno MDLXXXVII, die XIX Novembris.

ROtulus Remiſſoriæ in cauſa canonizationis B. Ignatii, hæc habet : " Et poſtmodum, perfectâ fabricâ templi nominis Jeſu, prope ſupradictam eccleſiam ſanctæ Mariæ, & dictam domum profeſſam, per illuſtriſſimum & reverendiſſimum D. Alexandrum Cardinalem Farneſium eidem Societati magnificè conſtructi, A. R. P. Claudius Aquaviva, Præpoſitus Generalis, & alii filii ejuſdem Patris Ignatii, ac procuratores omnium ferè provinciarum Societatis, qui tunc ad con-

Tranſlatio 2 ſub Claudio Aquaviva,

AUCTORE J. P.

congregationem dictorum procuratorum ad Urbem, venerant, die XIX menſis Novembris anni MDLXXXVII; ſupradictum corpus à dicta ſacriſtia in dictum templum piè & reverenter tranſtulerunt, illudque in arca plumbea, prope altare majus à cornu Euangelii, in terra poſuerunt, ubi hodie magno populi concurſu piè colitur.

ſuperpoſito corpori epitaphio.

Supra quod marmoreum lapidem nigrum collocarunt, in quo tale epitaphium legitur:

D. O. M.
IGNATIO SOCIETATIS JESU FUNDATORI.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO ÆTATIS SUÆ SEXAGESIMO
QUINTO:
CONFIRMATI A SEDE APOSTOLICA
ORDINIS DECIMO SEXTO:
SALUTIS HUMANÆ MDLVI.
PRIDIE KAL. AUGUSTI.
EJUS IN CHRISTO FILII, PARENTI
OPTIMO POSUERUNT.

B

P. Clavii de hac tranſlatione teſtimonium; uti & alterius de planeta ſuper corpus reperta,

999 In Proceſſu P. Chriſtophorus Clavius ſic fatur (verba Italica reddo Latinè:) " Dum templum ædificabatur novum, corpus tranſlatum fuit in ſacrarium; è quo fuit poſtremò tranſlatum prope altare majus, ad cornu Euangelii, ubi eſt hoc tempore: & iſtis tranſlationibus ego interfui ,,.

Epiſtola P. Joſephi da Fano S. I., ſcripta Florentiâ Romam ad P. Hieronymum Bencium S. I., XXI Martii MDXCVIII, ex Italico autographo à me Latinè reddita: ,, Reverende in Chriſto pater. Pax Chriſti &c. Ut ad Ræ. Væ. literas reſpondeam: de planeta illa vetuſta & fere conſumpta, quam pater Baltaſar Sebatini menſibus elapſis invenit in domo profeſſa, quadam in arcula, in qua ego ſcripta quædam noſtra repoſueram; Ra. Va. ſignificabit R. P. N. Generali, quod, ut nunc recordor, dum Româ diſcederem, dictam planetam ſervarim in theca intra eamdem arculam; illamque putabam à me etiamnum relictam in ſacrario: Atque hiſce literis fidem Ræ. Væ. facio, quod eo tempore, quo benedicti Patris noſtri Ignatii corpus detegebatur coram noſtro P. Generali, & Aſſiſtentibus, aliiſque; ego, ut præfectus templi, acceperim prædictam planetam, quæ ſupra corpus ipſius erat. Hæc autem planeta, licet longo tempore fuiſſet ſub terra in capſa lignea, &, quantum audivi, corpus illud à Tiberi, qui ſemel ſupra illud exundaverat, paſſum fuiſſet; illa tamen fuerat conſervata eo modo, quo illam vidi.

C

nec non calceis Sancti: uti & oſſibus ac cineribus arcæ impoſitis,

1000 Memini etiam, quòd inſuper conſervarim calceos, qui valde boni erant: quos videor dediſſe, cum Patris vice-Præpoſiti facultate, patri Franciſco Rodriguez, vel patri Alphonſo Sanchez, qui cupiebat illos in Hiſpaniam mittere. Addo item, ſi non ab re eſt, quod magno meo cum ſolatio guſtuque ſpirituali adjutor ego fuerim in accipiendis oſſibus iſtis & cineribus benedicti P. N. Ignatii, ut imponerentur arcæ plumbeæ: nec tunc fœtorem ſenſi ullum, nec quidquam ſum averſatus, etſi naturâ, in videndis corporibus hominum mortuis, horrore quodam afficiar.

ac tranſlatis cum ſupplicatione privata.

1001 Dumque corpus benedicti P. N. Ignatii tranſlatum fuit prope altare majus, tempore congregationis PP. procuratorum, accerſiti etiam fuerunt omnes alii noſtri Romæ exiſtentes, factaque fuit ſupplicatio intra templum, januis clauſis; & ad me ſpectabat facere Officium: cumque hærerem dubius, an in fine pſalmorum dicendum mihi eſſet REQUIEM ÆTERNAM, an GLORIA PATRI; etſi monitus fuerim à nemine, dixi tono altiori GLORIA PATRI &c., omneſque mihi ſimiliter reſponderunt tono altiori, & alacriore: ac poſtmodùm mihi dixere patres, quod, ſi recitaſſem REQUIEM ÆTERNAM, nemo mihi fuiſſet reſponſurus. Atque hoc eſt, quod pro reſponſione mihi occurrit &c. ,,

D

Tranſlatio hæc aliis teſtimoniis confirmata.

1002 Liber manuſcriptus noſtri Antonii Preſutti, qui ſervatur in archivio domûs profeſſæ Societatis Jeſu Romæ, hæc habet Italicè: " Anno MDLXXXVII, die XIX Novembris, S. Pontiano Papæ & martyri ſacrâ, corpus S. Ignatii tranſlatum fuit ſolemniſſimè in templum novum ac ſumptuoſum domûs profeſſæ, quod ædificari juſſerat Alexander Cardinalis Farneſius. Fuit collocatum intra arcam plumbeam in ſepulcro ad dexteram altaris majoris; ſepulcro impoſitus lapis planus, & in pariete marmor nigrum ſplendens, cui inſculpta eſt hæc inſcriptio: D. O. M. IGNATIO SOCIETATIS JESU FUNDATORI, &c., ut dictum eſt ſuprà. Porrò Antonius Preſuttus ingreſſus fuerat Societatem Romæ anno MDLXXXIII: ibique habitavit in collegio Romano annis plurimis (imò, ut puto, toto reliquo Vitæ tempore:) ibi mortuus eſt, ut conſtat ex catalogis collegii Romani: ut non dubitem, quin hanc tranſlationem viderit. Hanc tranſlationem teſtatur etiam Mutius Vitelleſcus, Generalis Societatis Jeſu, ut patebit ad tranſlationem quartam.

E

P. Bartoli de vita S. Ignatii lib. 4, § 39, pag. 621: " Abſolutâ fabricâ novi templi nominis Jeſu, opere magnificentiæ regiæ Cardinalis Alexandri Farneſii, P. Claudius Aquaviva Generalis, præſentibus omnium provinciarum procuratoribus, aliiſque patribus Romæ degentibus, XIX Novembris MDLXXXVII, in illam ſacrum corpus tranſtulit, collocavitque in ſacello majore, ad dexterum latus altaris: ac ei ſuperimpoſitus fuit lapis cum brevi hac inſcriptione: IGNATIO SOCIETATIS JESU FUNDATORI. In ſecunda hac tranſlatione res etiam contigit admirabilis: nimirum, quod, dum beata illa oſſa eſſent in ſacrario, prope quod accepta fuerant, concurrentibus illuc multis patribus ad ea videnda ac veneranda, eorum nonnullis apparuerint omnino conſperſa ſtellis magnitudinis aurei Veneti * valde ſplendentibus ac vividis. ,,

* zecchino. *Eſt paulò major ducato Hungarico.*

F

Tranſlatio tertia anno MDCXXII, die XXVIII Februarii.

Tranſlatio 3 ſub Mutio Vitelleſco,

LIber, in quo notata ſunt nomina ſepultorum in templo domûs profeſſæ Societatis Jeſu Romæ, ab anno MDLXXVIII, habet Italicè, quæ redo Latinè: " XXVIII Februarii MDCXXII corpus N. S. P. Ignatii ab altari majore, ubi ad cornu Euangelii erat in capſa plumbea, fuit tranſlatum, & impoſitum capſæ marmoreæ ſculptæ: (cineres autem reliqui, quos dicta capſa continere non poterat, capſulæ cypreſſinæ:) atque collocatum fuit ſub altari, in cruce templi ad dexteram altaris majoris ſito, in ſacello Sabellorum, præſente R. P. N. Mutio Vitelleſco Generali, PP. Aſſiſtentibus, P. Secretario, & cæteris PP. ac fratribus domûs. ,,

qui cum PP. Aſſiſtentibus S. I., ſacrum corpus portavit.

1003 Liber qui Italicè inſcribitur, Inventarium omnium rerum ſacrarii domûs profeſſæ Societatis Jeſu Romæ, factum à P. Joſepho da Fano, præfecto templi anno MDCIV, hæc habet, quæ Latinè verto: " Die XXVIII Februarii MDCXXII, facta eſt tranſlatio corporis S. P. N. Ignatii è ſuo ſe-

A sepulcro, sito apud altare majus ad cornu Euangelii, ubi erat in capsa plumbea, comitantibus omnibus nostris patribus & fratribus in supplicatione nocturna cum intorticiis & candelis. P. N. Generalis Mutius Vitelleſcus, & PP. Assistentes gestarunt sacrum ipsius corpus impositum capsæ è marmore candido, varii coloris marmoribus inter se artificiosè mixtis distincto: illudque collocarunt sub altari, quod est in cruce templi prope sacellum beatissimæ Virginis; capsâ plumbo liquefacto clausâ, ut aperiri non possit. Et quia sacri cineres dictâ capsâ marmoreâ contineri non poterant, residuum eorumdem cinerum fuit impositum capsulæ cypressinæ, atque hæc juxta supradictam capsam marmoream collocata fuit. „

Alia de illa translatione testimonia.

1004 Liber manuscriptus nostri Antonii Presutti, qui servatur in archivio domûs professæ Societatis Jesu Romæ, habet Italicè, quæ ita sonant Latinè: " Die XXVIII Februarii, anni MDCXXII translatum fuit corpus S. Ignatii ex loco depositionis, qui erat ad dexteram altaris majoris. Fuit portatum ad conclavia P. Generalis: deinde noctu delatum cum supplicatione ad sacellum
B suum, quod situm est ad dexteram crucis templi „. Antonius Presutti tunc habitabat in collegio Romano, in quo & mortuus est MDCXXIX, XXV Martii: patent hæc ex illius temporis catalogis collegii Romani. Nec dubium esse potest, quin supplicationis in hac translatione factæ, si non pars, saltem spectator fuerit. Totius Societatis Jesu testimonium vide ad quintam translationem. Sed & ipse Pater Mutius Vitelleſcus Generalis tum translationem hanc tertiam, tum deinde quartam anno MDCXXXVII, à se factam fuisse, testatur verbis jamjam citandis.

Translatio quarta anno MDCXXXVII, XXIII Julii.

Ex testimonio hujus translationis confirmantur 1 sepultura, & translatio 2 & 3.

TEstimonium P. Mutii Vitelleſci, quo etiam confirmantur hactenus dicta de prima sepultura, & translatione secunda ac tertia: " Mutius Vitelleſcus Societatis Jesu Præpositus Generalis. Corpus S. P. N. Ignatii Societatis Jesu Fundatoris, quod ab excessu beatissimæ ejus animæ pridie Kal. Augusti MDLVI in vetere templo sanctæ Mariæ de Strata annnis XXXI jacuerat: indeque MDLXXXVII ad novam nominis Jesu ædem à
C Præposito tum Generali Claudio Aquaviva, præcessore nostro, translatum, in dextero latere aræ maximæ annis XXXV quieverat: annis deinde XV sub ara ad dexterum templi brachium S. Ignatio dedicata latuerat, in eamdem à nobis, tanto honore atque lætitiâ indignis, transportatum anno Societati universæ faustissimo MDCXXII, pridie Kal. Martias, XII ante dies quàm is à Gregorio XV Pontifice maximo rite inter Cælites adscriberetur: Nos denique MDCXXXVII æneâ præclari operis arculâ inclusum; & sub ara eadem, sed æneo item metallo magnificentiùs fabrefactâ, atque undique aspectui perviâ, ut ipsis quoque oculis sacrosanctum ejus depositum adorari posset, humillimo obsequio, & in complexu Societatis universæ X Kal. Augusti collocavimus: suppliciter flagitantes ab ipso beatissimo Parente nostro, ut qui pietatis suæ curam omni populo Dei ubique prætendit (quod de Principe Apostolorum Petro dixit olim Romæ S. Gregorius) tantò magis nobis alumnis suis opem suam dignanter impendat, apud quos in sacro dormitionis thoro eâdem, quâ præsedit, carne requiescit. In quorum fidem hoc totius rei monumentum nostra manu subscriptum, & sigillo nostro obsignatum posteris in partem felicitatis tantæ venturis posuimus anno salutis MDCXXXVII, X Kal. Augusti Romæ. Mutius Vitelleſcus. Vincentius Guinisius secretarius. Testimonium huic geminum inclusum est ipsi arculæ æneæ unà cum corpore S. Ignatii. „ AUCTORE J. P.

Aliud superadditur testimonium de transpositione corporis &c.

1005 Liber qui inscribitur: Inventarium omnium rerum sacrarii domûs professæ Societatis Jesu Romæ, hæc addit Italicè, quæ Latinè transfero: " Die XXIII Julii MDCXXXVII corpus S. P. N. Ignatii è capsâ marmorea transpositum fuit in capsam æneam inauratam, factam sumptibus dominæ Franciscæ Giattini, extructumque est æneum altare delineatum à D. Petro di Cortona eâque occasione altare dicti Sancti, & S. Francisci Xaverii consecratum fuit ab illustrissimo D. Joanne Baptista Altieri Vicesgerente; ac functioni prædictæ interfuere P. N. Generalis Mutius Vitelleſcus, omnesque patres domus professæ & collegii. „ Vide etiam testimonium totius Societatis, mox exhibendum. E

Quinta translatio anno MDCXCV die XXIX Augusti.

Totius Societatis de hac 5 translatione testimonium 1

TOtius Societatis Jesu testimonium extat in Sacello S. Ignatii ad latus Euangelii marmori insculptum:

S. IGNATIO DE LOYOLA,
ANNO MDLVI E VIVIS SUBLATO,
A GREGORIO XV PONT. MAX.
ANNO MDCXXII SANCTORUM FASTIS
ADSCRIPTO,
FUNDATORI SUO,
PRIMO PRÆPOSITO GENERALI, PATRI
OPTIMO,
POST TRANSLATUM EODEM ANNO
AD HANC ARAM
CONDITUMQUE DEINDE ÆNEA IN ARCA SACRUM CORPUS,
SACELLUM MUNIFICENTIA
SPLENDIDE EXCITATUM,
AD PERENNIS OBSEQUII MONUMENTUM
SOCIETAS JESU D. D. D. AN. MDCXCV. F

cujus translationis adjuncta manu P. procuratoris generalis S. I.

1006 P. Petrus Franciscus Orta (tunc procurator generalis Societatis Jesu, in domo professa Romana ejusdem Societatis, primo libro Miscellaneorum fol. 123, sua manu scripsit Italicè, quæ sic sonant Latinè: " Die XXIX Augusti MDCXCV. Hodie, die lunæ, horâ XIX cum dimidia, translata fuit urna, in qua est corpus S. P. N., ad altare majus, sub dicti altaris mensam, ut novi sacelli ædificationi initium dari posset. Ad faciendam hanc translationem, facultas habita fuit ab illustrissimo Domino Vicesgerente, per decretum datum VIII Augusti. In translatione fuit facta supplicatio. Præcedebant fratres cum pallio & cereis accensis: deinde scholastici cum superpelliceo & cereis accensis: postea sacerdotes, pariter cum superpelliceo & cereis accensis. Cantabatur; LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES, &, ISTE CONFESSOR.

distinctè & accuratè describuntur.

1007 In supplicatione ferebatur urna. Ut ferretur, bene fuerat illigata funibus, coopertis holoserico Damasceno coloris rubri: quatuor erant vectes ingentes transversùm, & tres in longitudinem. Ferebatur à decem fratribus, & à patribus decem superpelliceo indutis. Pondus ma-

AUCTORE J. P.

jus fratres ſuſtentabant humeris : ſacerdotes juvabant ad ſuſtentandam arcam manibus. Sacerdotes qui juvabant, erant P. Generalis, PP. Aſſiſtentes Franciæ & Luſitaniæ, P. procurator generalis, P. vice-Præpoſitus, P. Rector novitiatûs, P. Rector collegii Germanici, aliique tres patres. Poſt urnam veniebat P. Philippus Grimaldi præfectus templi cum ſuperpelliceo & ſtola, qui, repoſitâ urnâ, recitavit orationem. Adfuerunt pauci quidam nobiles, & alii. ,,

Tranſlatio ſexta anno MDCXCIX die VII Octobris.

Quæ in hac ſexta & ultima tranſlatione ſint geſta ex relatione dicti procuratoris generalis

B

IDem P. Petrus Franciſcus Orta, procurator tunc generalis Societatis Jeſu, & in domo profeſſa Romana habitans, in primo libro Miſcellaneorum fol. 188 ſua manu ſcripſit Italicè, quæ do Latine: " VII Octobris MDCXCIX die Mercurii. Cùm proximo ſabbato ſacellum novum S. P. N Ignatii ſit aperiendum die S. Franciſco Borgiæ ſacra; hodie hora XX cum dimidia fuit tranſlata urna ænea inaurata cum reliquiis S Patris in ea contentis, ab altari majore ad novum ſacellum in honorem Sancti extructum. Supplicatio inchoata fuit à ſacrario, eundo ad altare majus. Primi incedebant fratres cum pallio, deinde ſcholaſtici cum toga ſibi propria *, tum ſacerdotes chlamydati. Succedebant ſacerdotes XII cum ſuperpelliceis & intorticiis accenſis : poſtea decem patres, qui juvare debebant in ferenda urna, id eſt, quinque patres Aſſiſtentes, P. Secretarius, P. procurator generalis, P. Provincialis, P. vice-Præpoſitus, & P. Rector collegii Romani : ſubſequebatur P. Generalis cum pluviali albo, tum Eminentiſſimus Cardinalis Colloredo, qui functioni intereſſe voluit. Poſtquam pervenerunt ad aram majorem, ubi jam diſpoſita erat urna cum duobus vectibus in longitudinem, quatuor verò in latitudinem, ſerico rubro veſtitis, P. Noſter intonuit, ISTE CONFESSOR, proceſſitque ſupplicatio.

* *Italicè veſtone.*

graphicè memorantur.

1009 Pondus urnæ gravius ſuſtentavere fratres, patres ſuprà dicti cum ſuperpelliceo, & ſine intorticio ad ſuſtentandum juvabant. Eminentiſſimus Cardinalis Colloredo voluit & ipſe dextrum humerum uni è vectibus longioribus ſupponere. Factus eſt circuitus per templum, atque urna deinde ad altare novum eſt delata. Collocata fuit urna in plano ſupremo dicti altaris infra ejuſdem menſam, & finitus cantus hymni TE DEUM: poſt quem Pater noſter dixit orationem de Sancto, atque ita functio abſoluta fuit. Facta eſt autem functio portis templi clauſis : quo effici non potuit, quin ingens adfuerit numerus nobilium. Urnam multi cinxere convictores & alumni ſeminarii Romani cum facibus accenſis Eminentiſſimus Cardinalis Colloredo, fuſis ad altare precibus, diſceſſit, comitantibus obſequii causâ P. noſtro Generali aliiſque patribus.

C

D

§ XCVI. Breves in tranſlationem ſecundam ac tertiam obſervationes pro identitate, ſtabili poſſeſſione, ac perpetua præſentia corporis S. Ignatii Romæ. Corpus venerabilis ſervi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini in ſepulcrum Sancti delatum.

Corpus Sancti, ſi quid à Tiberi fuit paſſum, parum id fuerit :

E

IDem, *qui ſuperiorum tranſlationum collector, harum quoque obſervationum auctor eſt P. Ignatius Pinius : è cujus autographo hæc tranſcribo, quæ notavit ad dicta circa tranſlationem ſecundam ac tertiam :* P. Joſephus da Fano ibi dicit : " Licet, quantum audivi, corpus illud à Tiberi, qui ſemel ſupra illud exundaverat, paſſum fuiſſet, tamen ,, &c. Si, quod audivit, verum eſt : hæc exundatio vel fuit ea, quæ contigit anno MDLVII, die XIV Septembris, vel quæ anno MDLXXII, die XXXI Decembris. Philippus Maria Bonini in ſuo Tevere incatenato, libro I, cap VIII, Tiberis exundationes enumerans, eam, quæ contigit anno MDLVII, XIV Septembris, ad ſanctam Mariam ſupra Minervam die XV extitiſſe palmorum XIV, probat ex lapide ad illam altitudinem ibidem elevato in fronte templi, cum hac inſcriptione : M. D LVII. DIE XV SEPTEMBRIS.

Huc Tyber advenit, Paulus dum quartus in anno
Terno ejus Rector maximus orbis erat.

De ea, quæ anno MDLXXII, die ultimo Decembris contigit, notat, S. Pium V tunc Pontificem dediſſe archiepiſcopo cuidam agnum Dei cereum, & injunxiſſe, ut injiceret in Tiberim, quo loco maximè intumeſcebat : eo facto, fluvium ſtatim detumuiſſe, & ſuo ſe alveo continuiſſe. Si ab alterutra harum exundationum paſſum fuerit corpus S. Ignatii, non multum videtur fuiſſe paſſum, cum eſſet ſepultum in terra, ſub pavimento templi lapideo, loculo incluſum.

F

ab aliis verò Tiberis inundationibus nihil omnino paſſum fuit.

1011 Nihil verò paſſum fuiſſe ab exundationibus, quæ duas jam dictas aut præceſſerunt, aut ſubſecutæ ſunt, demonſtratur facilè. Nam exundationem anni MDLVII, apud Boninum citatum, proximè præceſſit illa, quæ accidit anno MDXXX, die VIII Octobris, Clemente VII Pontifice. At S. Ignatius vixit uſque ad annum MDLVI. Exundationem anni MDLXXII proximè ſecuta eſt, apud Boninum ibidem, illa quæ contigit anno MDLXXXIX, die X Novembris ſub Sixto V; Sed biennio antè, nempe MDLXXXVII, corpus impoſitum fuerat arcæ plumbeæ. Anno autem MDCXXII ex arca plumbea tranſpoſitum fuit in marmoream, plumbo liquefacto clauſam, & collocatum ſub altari. Anno MDCXXXVII ex eadem arca plumbea poſitum fuit in æneam, & rurſus ſub altari collocatum. In hac arca ænea ſemper deinde mànſit; in hac tranſlatum fuit anno MDCXCV, & relatum anno MDCXCIX ad ſacellum eidem Sancto magnificè extructum. Arca autem illa ænea optimè undique clauſa conſpicitur : ita ut, licet ſupra corpus eâ incluſum exundaret Tiberis, nihil pati corpus ab eo poſſet. Sed de his fortaſſe plùs ſatis.

Nec verò eſt, quod aliquem moveat Hiſtoriæ Socie-

A *cietatis noſtræ parte* 3, *lib.* 4, *num.* 143 *Sacchini locus de aquis Tiberis :* Nam attentè conſideratis Sacchini verbis, comperi, *ait P. Ignatius Pinius in Spicilegio Romano*, non fuiſſe propriè exundationem, ſed tantùm fluxum ſubterraneum, qui pervenire non potuit, uſque ad corpus S. Ignatii, etſi tunc extitiſſet in ea parte templi, in qua jacta erant fundamenta : id quod eſt improbabile ; cum conſtet, fuiſſe aliò tranſlatum AD FACIENDA fundamenta templi novi, adeoque antequam illa fieri inciperent ex ea parte, in qua ſepultum fuerat. Nec refert, quod primus lapis fundamentorum poſitus fuerit XXVI JUNII, & corpus S. Ignatii tantùm ſit ablatum XXXI JULII. Nam tanti templi fundamenta longum tempus exigunt ; nec uno tempore UNDIQUE fuiſſe inchoata ; ſed ex ea parte, qua erat ſepultum corpus S. Ignatii, non inchoata fuiſſe, antequam illud inde eſſet ablatum, ex dictis patet. Vide inſtrumenta, quæ primò tranſmiſi : *ſub quorum finem hæc addit :*

B *Corpus Cardinalis Bellarmini in ſepulcrum S. Ignatii tranſlatum.*

1012 Notanda ad tranſlationem tertiam anno MDCXXII. Cum corpus S. P. Ignatii anno MDCXXII, die XXVIII Februarii, è ſepulcro in dextero latere, ſeu ad cornu Euangelii aræ maximæ, tranſlatum fuiſſet ſub aram ſancto Ignatio dedicatam : in dictum S. Ignatii ſepulcrum eodem anno MDCXXII, die XVII Septembris illatum fuit corpus Cardinalis Bellarmini, qui anno præcedente eo die defunctus fuerat, & in ſepulcro communi ſepultus. Teſtatur id liber, in quo notata ſunt nomina ſepultorum in templo domus profeſſæ Romanæ, ab anno MDLXXVIII: item Fuligattus in Vita Bellarmini lib. 7 cap. 4 ; Alegambe & Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum, verbo Robertus Bellarminus. Porro ſepulcrum iſtud, priùs S. Ignatii deinde Bellarmini, eſt proximè parietem templi in ipſa terra ſub pavimento : tegitur lapide grandiori : in pariete erectum marmor lævigatum ac ſplendens, cui inſculpta legitur hæc Inſcriptio :

ROBERTO
CARD. BELLARMINO
POLITIANO E SOC. JESU,
MARCELLI. II. P. M.
SORORIS FILIO,
ODOARDUS
C CARD. FARNESIUS
SUI ERGA VIRUM, QUEM
PATRIS LOCO SEMPER COLUIT,
AMORIS NUMQUAM MORITURI
MONUMENTUM POS.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO SAL. MDCXXI,
ÆT. SUÆ LXXIX.

Huius monumenti ornatus, qui ſupra & circum dictam inſcriptionem ſpectatur, additus fuit ab eodem Cardinale Odoardo. " Anno Domini MDCXXIII, inquit noſter Antonius Preſutti, qui tunc habitabat in collegio Romano, in ſuo libro Italico, qui ſervatur in archivio domus profeſſæ, Cardinalis Odoardus Farneſius erigi juſſit pulcherrimum monumentum ad dexteram altaris majoris, tribus ſtatuis ſpectabile : unâ Cardinalis Bellarmini, alterâ repræſentante Eccleſiam, tertiâ repræſentaute Sapientiam. „ Statuæ repræſentanti Eccleſiam ſuperimpoſita legitur hæc inſcriptio : Dilexi decorem domus tuæ. Pſal. XXV. Statuæ repræſentanti Sapientiam ; hæc : Superborum colla virtute calcavi. Eccl. XXIV.

AUCTORE J. P.

§ XCVII. Acta pro canonizatione S. Ignatii ſub Clemente PP. VIII ; cultus publicus Romæ inchoatus.

Poſt varios collectos proceſſus, Societas decernit petere canonizationem.

VIx Patriarcha noſter è vivis exceſſerat, quin mox cogitatum fuerit de inſtituendo quodam apparatu, ut ſterneretur ipſi paulatim via ad publicum in Eccleſia cultum : nam inter collectanea noſtra Romana invenio notari hunc titulum : Proceſſus varii collecti ab anno MDLVI, uſque ad MDLXIX. *Item hunc, quo ejuſdem rei continuatio indicatur :* Proceſſus varii collecti ab anno LXXXVII, uſque ad XCVIII inclusivè. *Hunc denique, quo longiùs in hoc negotio ducimur :* Proceſſus varii collecti ab anno MDXCIX, uſque ad MDC inclusivè. *In indice autem rerum contentarum in variis proceſſibus ; Româ etiam huc miſſo, diſcimus, quam multi in cauſa Ignatiana ac varii proceſſus fuerint formati, quando ibidem norantur proceſſus Montis ſerrati, Minoreſſanus, Barcinonenſis duplex, Complutenſis & Toloſanus, Aſpeithienſis, Italicus, Belgicus, Burgenſis, duplex Majoricenſis. Aliorum habetur mentio in Relatione facta Paulo PP. V ; de qua inferiùs § 99. Interea temporis quamquam Societas noſtra univerſa maximè haberet in votis, ut Fundatori ſuo honores ſacri à Sede Apoſtolica decernerentur, primùm tamen collatis impensè omnium ſtudiis ſeriò illud negotium & obnixè tractari cœpit in quinta congregatione generali, quæ eſt protracta à die* III *Novembris* 1593, *ad* XVIII *Januarii* 1594, *quando ibidem* propoſitum fuit plurium & provinciarum & particularium nomine, ut ſanctæ memoriæ Ignatii, Societatis noſtræ Fundatoris, canonizatio à ſancta Sede Apoſtolica petatur. Congregatio verò decrevit *&c. Sicut habetur ex decreto ejus 71 : cujus decreti dies & annus diſtinctè notantur in mox citata Relatione, in qua lego iſta fol. 2 :* Societas Jeſu Romæ ad ſua negotia peragenda generaliter congregata die XIII Januarii MDXCIV inter alia decrevit, ut à Sede Apoſtolica illius (*de S. Ignatio agitur*) canonizatio peteretur.

E

F *Suffragantibus principibus, aliiſque perſonis, dignitate & auctoritate fulgentibus,*

1014 *Rem hanc debito modo ac forma per proceſſus inſtructam cordi habuere Eccleſiæ principes ſeculares, perſonæ item eccleſiaſticæ ac civiles, dignitate atque auctoritate inſignes, in illud maximè ſtudium incumbentes, ut ſuis commendationibus, votis ac precibus faciles ad Sedis Apoſtolicæ tribunal aditus huic cauſæ patefacerent. Rem audiamus ex Petri Ribadeneiræ Narratione geſtorum in negotio canonizationis* S. Ignatii, *uſque ad ejus beatificationem : cujus Gallica verſio ex idiomate Hiſpanico, auctore noſtro P. Antonio de Balinghem, Tornaci anno* 1610 *edita, in manibus meis eſt ; è qua poſthac bene multa delibabo, in compendium contracta. Philippus itaque rex Catholicus, hujus nominis ſecundus, audito priùs ſuo ſuper hac re Concilio, eam impenſiſſimè promovit & urſit. Literas ejus ad Romanum Pontificem datas die* VI *Auguſti anno* 1594, *habes ibidem à pag.* 9. *Quod ſcripſerit etiam ad Cardinales Aldobrandinum, Deçam, Avilam, & Guevaram, dicitur pag.* 11. *Aliæ ejuſdem regis ad ſanctiſſimum Patrem die* XIX *Julii* 1597, *exſtant à pag.* 123 ; *ad Oratorem autem ejus Romæ ducem Sueſſenſem à pag.* 13, *eodem die & anno datæ. Subditur pag.*

AUCTORE J. P.

15 *exemplar litterarum, quas imperatrix Maria ad Christi Vicarium direxit die* VIII *Augusti eodem anno* 1597. *Litteris hisce regis Catholici atque imperatricis, sororis ejus, Clementi PP. VIII ab ipsius Oratore redditis, unà etiam ab illo in manus sanctissimi Domini traditus fuit libellus supplex Philippi II, imperatricis, ac Societatis Jesu, qui ibidem producitur à pag.* 17.

negotium illud promovetur.

1015 *Nec verò irritæ fuerunt preces: nam Sanctitas sua remisit hoc negotium ad congregationem Rituum; cui ex parte Societatis exhibitum fuit compendium, ac dein alia prolixior narratio virtutum ac miraculorum sancti Patris nostri, nec non inquisitionum in Hispania formatarum jussu illustrissimi ac reverendissimi Domini Patriarchæ Camilli Caetani. Omnibus itaque visis, examinatis, ac re ista diligenter agitata, decrevit Congregatio, quod sua Sanctitas posset expedire remissoriales, & mandare, ut fierent inquisitiones necessariæ ad canonizationem; secundùm ea, quæ in citata Narratione referuntur à pag.* 23. *Nec verò dumtaxat rex Catholicus, & imperatrix, ejus soror, sæpè scripsisse dicuntur pag.* 24 *ad suam Sanctitatem, ut hoc negotium expediret; sed litteris quoque eam interpellarunt imperator Rudolphus, rex Christianissimus Henricus IV, Sigismundus rex Poloniæ, aliique pii principes Christiani; præsertim domûs Austriacæ, ac Bavaræ; regna Castellæ, Aragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, & eorum proreges ac gubernatores; item provincia Biscaina (seu potius Cantabrica,) in qua Sanctus natales auras hauserat; ecclesia insuper Toletana, Hispalensis, Granatensis, & earum archiepiscopi; quibus accedunt episcopi Cordubensis, Segoviensis, Vallisoletanus ac Guadiciensis. Quid, quod concilium Tarraconense anno* 1602 *urgentissimè institerit apud eumdem Christi Vicarium Clementem VIII, pro felici istius negotii successu; uti patet ex ejusdem concilii litteris, veneratione erga Sanctum plenis, ac dicto mox anno ad Clementem datis, quas habes ibid. à pag.* 26. *Hactenus itaque indecisa causa beatificationis pendebat in Romano tribunali; sed divina providentia præter exspectationem facto quodam planè singulari eam promovit.*

Ex litteris oculati testis C

1016 *Anno quippe* 1599, *die* XXXI *Julii Romæ apud nostros miro modo inchoatus est Sancti cultus: de qua re Orlandinus lib.* 16, *num.* 136; *Bartolus lib.* 4 *Vitæ* S. Ignatii, *num.* 40, *ac Josephus Juvencius Historiæ Societatis Jesu lib.* 15, *part.* 5, *num.* 43. *Cum autem apud me habeam fragmentum epistolæ patris Alphonsi Agazzari, tunc vice-Præpositi domûs professæ Romanæ, ac testis oculati, quod pro me ibidem excerpsit ac transcripsit P. Ignatius Pinius; cumque singularia circa illud factum nos doceat adjuncta, quæ apud citatos auctores non invenio, facere non possum, quin illud ex Italico hîc reddam. Sic ergo sonat:* Cardinalis Baronius rectà perrexit ad sepulcrum nostri beati Patris, & Cardinalis Bellarminus eum est secutus, atque ambo, flexis ibi genibus, satis diu orationi vacarunt; dumque assurgerent, Cardinalis Baronius sese prostravit humi, ac pavimentum sepulturæ osculatus est, atque exhibitâ postea sanctissimo Sacramento reverentiâ repetierunt (Professorum) domum: eratque frequens populus in templo .. Nonnulli exemplum hoc secuti immediatè pòst ivere, ut hoc idem facerent: & ab externis flores sepulcro insperſi fuere ... Quando aderat tempus exhortationis .., & jam ex aula eramus egressuri, Cardinalis Baronius, sublatis ad imaginem Patris Ignatii oculis, obtutum in ea fixit, dicens, futurum bene, si sepulcro ejus superimponeretur; variisque probabat exemplis, id non esse inconcinnum. Atque ad me conversus, dixit: Pater vice-Præpositi debes aliquam à me inire gratiam: idque fiet, si jubeas confici meis sumptibus pulcrum limbum inauratum, qui obeat picturam istam, ac deinde eam exponi in templo supra sepulturam S. Ignatii. Mone me: nam ego volo sumptus ferre. D

narratur,

1017 Tunc subjunxit Cardinalis Bellarminus; suarum hoc esse partium: se pro expensis solutu-rum. Dixit Baronius: Ego id volo facere. Et sic procedimus ad templum, atque initium impositum est exhortationi, quæ per horam bene magnam duravit, pulcraque admodum fuit, & nostri beati Patris Ignatii laudibus plena, assumpto hoc themate: Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, & ad portas paradisi coronavit eum .. Finita exhortatione, preces breviter peractæ sunt; deinde Cardinales se contulerunt ad sepulturam, & ibi denuo flexerunt genua: ac Cardinalis Baronius iterum inclinavit se ad osculandos istos lateres. Postea ubi E assurrexissent, dixit Cardinalis Baronius, mirari se valde, quod illud sepulcrum esset adeo spoliatum, omnique sanctitatis ornamento privatum. Responsum ei fuit, varia præterito tempore anathemata oblata fuisse pro favoribus, ad intercessionem Patris Ignatii obtentis; sed nostrum Patrem Generalem numquam voluisse permittere, ut appenderentur sepulcro. Quæsivit ex me Cardinalis, ubinam illa anathemata essent depositа. Respondi, nonnulla asservari in sacello Sanctorum sub ara majore. Injunxit mihi, ut statim ea juberem afferri: quin imo & ipsemet perrexit ad Sanctos, ut ea auferret. Cum autem illa manu teneret, dixit: Ego ipse volo ea appendere sepulcro. Et dic Patri Generali, quod id fecerim ego: certum enim mihi est, acquiescet.

quomodo Cardinalis Baronius

1018 Jussitque afferri scalas, ut ea sublimè appenderet. Et sic factum. Postea dixit, valde sibi consentaneum videri, ut ibi adesset imago Patris Ignatii; atque eadem auctoritate mandavit, ut illa, quæ erat in aula, deorsum deferretur, fixum habens, inde non abscedere, donec propriis manibus eam ibi posuisset; limbos postea confectum iri ... Id, quod non minorem admirationem, quàm consolationem attulit patribus nostris omnibus ac fratribus, fuit, videre illum bonum senem, indumentis pontificalibus vestitum (induti quippe erant superpelliceo *, pallio *, & epomide *) conscendere scalas usque ad fastigium, imaginem Patris Ignatii secum ferentem. Et quantumvis ego viribus omnibus hoc impedire conatus sim, dubitans, an non esset lapsurus, aut infortunium sibi illaturus; ipse tamen fervore illo concitatus, omnino voluit ascendere, donec propriis ipse manibus picturam istam limbo sepulcri superimposuerit, interrogans nos, qui deorsum tenendis scalis eramus occupati, an pictura esset recta, an non; & an esset in medio. Mox ubi descenderat, ego dixisse mihi videor, dubitare me, an illud placiturum esset Patri Generali. Ipse verò iterum reposuit: Dic Patri, quod id fecerim ego meis manibus: & insuper dicam Papæ id, quod ego hodie hîc feci. Et institutis denuo precibus, oculos in cælum sustulit magno cum suspirio; ac deinde inclinavit se, ut osculum daret sepulcro. Erectus in pedes atque ad omnes patres ac fratres conversus, dixit illis: Anno sequente volo moneri octo antè die- F

* *Ital.* rocchetto
* *Ital.* mantello
* *Ital.* mozzetta.

bus;

A bus : & ego hîc ante ſepulcrum ſternam tapetem, ac volo, ut agamus feſtum ſolenne ac publicum, apertis valvis. Dumque tranſiret, affectu paterno, voce, ac capite ſalutabat, ſibique congratulabatur cum omnibus ...

inceperit cultum publicum Romæ,

1019 In aula voluit Cardinalis Baronius, ut P. Vaſquez minutatim referret, quo modo contigiſſet ſuum miraculum. Cumque dixiſſet Cardinalis Bellarminus, illud fieri potuiſſe per cauſam naturalem; Baronius, re audita, iterum iterumque ac ſæpius dixit, manifeſtum eſſe miraculum. Hac occaſione ei multa referebantur, quæ contigerant Romæ & alibi. Deinde diſceſſerunt. Promiſit autem Cardinalis Baronius, venturum ſe poſtridie mane (*erat verò tunc dies Dominica*,) ut ſacram Synaxim porrigeret fratribus noſtris. Simul atque templum fuit apertum poſt exhortationem, famâ jam tum ditatâ, concurrit frequens populus : ac plurimi rectâ iverunt ad ſepulcrum, ut orarent, & lapidibus iſtis oſcula figerent. Iſto tempore matutino ad ortum ſolis domina ducissa Sueſſenſis miſit tria candelabra argentea, altitu-

B dine proceritatem hominis æquantia ; nulloque aut ſacriſtis aut ulli alteri facto verbo, ad ſepulcrum Patris Ignatii apponi ea juſſit, unâ cum triplici magna face eiſdem ſuperimpoſita & accenſa.. Totoque die hodierno concurſus exſtitit ſtationis inſtar, ad illud ſanctum corpus.

quem auxit ducissa Sueſſenſis,

1020 Ad horam undecimam Cardinalis comparuit ; & mox orandi causâ ad templum ſe contulit ; ubi unâ quaſi horâ permanſit. Poſtea incepit Miſſam ; quâ finita, Cardinalis manu ſua ſacras epulas diſtribuit quadringentis circiter perſonis : & ego, multo cum ſolatio meo, tenebam patenam, dum Cardinalis Euchariſtiam porrigeret, qui concioni etiam intereſſe volebat : ſed dum viderem illum defeſſum & ſudore perfuſum, auctor ei fui, ut ibidem non permaneret. Uxor Oratoris Hiſpani ubi maturè ad ſepulcrum acceſſiſſet, precandi causâ, adductis etiam omnibus ſuis liberis ac femineo comitatu, ut communicarent corpori Domini è manu Cardinalis, patri Baſtidæ dixit (conquerens quod tanta cum feſtinatione de improviſo celebrata fuiſſet iſto anno felix memoria tranſitûs beati Patris Ignatii,) velle ſe ſolam anno ſequente ſepulcrum illud tali modo ornare, ut ne vel ipſe quidem Pater Generalis

C illud recognoſceret ; ac velle ſe nunc incipere flores conficere, aliaque texere hunc in finem ornamenta ad compenſandam negligentiam hujus anni ...

atque ingens confluxus populi,

1021 Videtur benedictus Deus hoc anno ſingulatem excitaſſe devotionem erga hunc ſanctum Servum ſuum, quæ mihi indicium ſuggerit, quod rem aliquam ſingularem etiam deſideret atque extraordinariam ; ſicut ſingularis [&] inexſpectata contra voluntatem multorum, & præter voluntatem omnium, contigit tota iſta rei ſeries, quam ſuprà narravi Ræ. Væ. At manifeſtè perſpicitur, Deum ita voluiſſe. Et ſi noſter Pater Generalis ipſemet cum patribus Aſſiſtentibus, & ſimul Vª. Rª., quæ optimas ob rationes contrarium concluſerunt, adfuiſſent hîc præſentes, non potuiſſent nec voluiſſent reſiſtere ſupradictis .. Hoc tempore matutino, ubi dictum eſſet Cardinali Baronio, illa candelabra ac faces miſſa fuiſſe à ducissa Sueſſenſi, reſpondit : Non ita eſt ; ſed Deus ea miſit ad honorandum Servum ſuum. Dum Cardinalis diſtribuebat Chriſti corpus, id quod accidit immediatè ante concionem, totum templum erat plenum populo : è quo multi ibant, etiam tempore concionis, ad ſepulcrum, ut ibidem orationem inſtituerent, atque oſcula darent. Hîc mihi defuit ſcriptor, ſed non materia &c. *Hæc ſunt, quæ ex patris Agazzari literis huc tranſtuli. P. Franciſcus Garcia in Vita* S. Ignatii *lib.* 4, *cap.* 18, *ex literis P. Bartholomæi Perez Aſſiſtentis provinciarum Hiſpaniæ, ad P. Petrum Ribadeneiram die* 2 *Auguſti* 1599 *datis, etiam deſcribit factum Bellarmini & Baronii. Orlandinus lib.* 16 *in fine*, Illud animadverſum eſt, *inquit*, clarum divinæ voluntatis indicium, quod, cum Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis è Tuſculano ſcripſiſſet, vetuiſſetque certas ob cauſas quidquam in hoc genere attentari ; cùm tantâ diligentia Generalis Præpoſiti litteræ reddi ſoleant, illæ partim oblivione unius è Romani collegii fratribus, partim ſocordiâ mulionis, qui juſſus ad domum profeſſorum relinquere, in Tuſculanum rètulit, numquam ad Alfonſum Agazarium domus profeſſæ præſidem, ad quem mittebantur, perlatæ ſunt. Quas ſi recepiſſet in tempore, totam rem haud dubiè diſturbaſſet. *Hæc ille.*

AUCTORE J. P.

rent ita diſponente Deo, ut cultus non fuerit diſturbatus.

1022 *Nec prætermiſerim, producere excerptum quoddam ex literis Italicis P. Bernardini Roſignoli, datis Romæ* 2 *Auguſti* 1599, *ſecundùm noſtra apographa Romana, inter quæ invenio ſequentia, è quibus diſcimus, divinam providentiam ſingulari quodam modo invigilaſſe negotio beatificationis* S. Ignatii. *Audi verba:* Videmus *in eo* agere Deum viâ extraordinariâ : cujus rei argumentum eſt, præter caſum P. Vaſchel (*lege* Vaſquez, *ex num.* 1019) caſus alius Auditoris cujuſdam Eminentiſſimi Cardinalis, qui offenſus hac vocula JURE DEBET, contra ſcribere aggreſſus eſt : ac repentè ſentire cœpit dolorem capitis, qui iiſdem ſemper, quibus ſcriptum, gradibus crevit : adeo ut, dum ſcriptum Cardinali ſuo offerret, præ doloris intolerabilis magnitudine linqui animo videretur. Domum reverſus, ad lectum ſe recepit, cum alvi profluvio. Tùm verò Auditor bonus errorem ſuum agnovit, compunctuſque, ac ſancto ſe Patri commendans, meliùs habere incepit : reliquias quæri juſſit, & modo rectè valet. Jam nunc Cardinali ſuo ſemel atque iterum dici juſſit contrarium illius, quod ſcripſerat.

E

Juvencius loco ſuprà citato poſtquam egiſſet de facto ſuperiore Baronii, ſubjungit : Nec iis contentus, eodem die ſub veſperam populum è ſuperiore loco alloquens in æde ſacra Oratorii, ſermonem intulit de Ignatio, & ad ejus venerationem omnes cohortatus eſt : demum in ſacra Rituum congregatione, quæ triduo poſt, nempe III Nonas ſextil. anno MDXCIX habebatur, palam quid egiſſet prædicavit, ſuumque factum veteribus exemplis & recentibus confirmavit. *Tantum autem abfuit, ut hoc Baronii factum à Cardinalibus fuerit improbatum ; ut potius auctoritas tanti Viri moverit purpuratos Patres, conditumque fuerit protinus decretum, eodem auctore hæc referente, in iſta verba :* Sacrorum Rituum congregationem, cum juſtas poſtulationes non ſemel à Societate propoſitas, perlectis conſideratiſque ejus rationibus, inter quas multa numerabantur miracula, & præclara fama ſanctitatis Ignatii proponebatur, conſideraſſet : itemque adeo ſanctæ & ab tot Pontificibus approbatæ Religionis, quæ per totum terrarum orbem tanto eum fructu, doctrinæ euangelicæ ſemen, atque etiam proprium ſanguinem ſpargens, univerſæ Eccleſiæ doctrinâ & exemplis magnas affert utilitates, fuiſſe eum fundatorem animadverteret : nec non magnatum ac principum & populorum, maximeque ipſius cunctæ Societatis reſpiceret preces ; cenſuiſſe,

F

AUCTORE J. P.

si Pontifici videretur, pontificio in Hispania Nuntio, unique archiepiscopo, & tribus quatuorve episcopis earum terrarum, ubi natus esset ætatemque egisset Ignatius, dandum negotium, idemque illustrissimo Romæ Vicario permittendum, ut generatim de vita, sanctitate, famaque miraculorum ejus cognoscerent: quo deinde referretur ad Pontificem, & causa canonizationis inchoaretur. *Hæc ibi. Sed pergamus ad annos sequentes.*

Gesta à Cardinale Baronio anno 1600.

1023 *P. Ignatius Pinius inter alia, quæ in Spicilegio Romano huc transmisit, infrascripta se testatur invenisse in archivo nostro, illa videlicet, quæ Cardinalis Baronius dixit in exhortatione, quam habuit in templo nostro, tempore orationis horarum quadraginta antecineralium,* hoc, *uti indidem habetur,* anno MDC. *Italica, quæ ante me habeo, continent quamdam cultûs, anno 1599 à Baronio inchoati innovationem; sic ea interpretor:* Quando hunc video apparatum, & tantum hisce diebus concursum, sentio in me excitari magnum affectum laudandi Deum; quoniam mihi apparet, quod, sicut templa idolis dedicata antiquitus cum sacris Christianorum cæremoniis solebant consecrari vero Deo, ita tempus bacchanalium, quod dedicatum esse solebat dæmoni, nunc harum quadraginta horarum devotione consecretur Domino Deo nostro. Magna ratio laudandi ac benedicendi Deum. Ad hoc conducit admodùm zelus horum patrum Societatis, qui inventionum spiritualium divites ita procurant salutem animarum: concurrit pietas & adjumentum horum dominorum congregationis: juvat elegantia hujus ornatus, hæc lumina, hæc pompa; sed horum omnium radix est sub terra; eam non videmus. Videmus frondes horum ornamentorum; videmus fructum, qui est animarum salus; videmus ramos, qui sunt congregatio; videmus truncum, qui est hæc sancta Societas: verumenimvero radix abscondita est sub terra. Et quænam est hæc radix, si non beatus Pater Ignatius, qui opportunè admodùm hîc sub terra sepultus est? &c. *Obiter hîc indicare liceat, quod solennes quadraginta horarum preces, quæ ultimo bacchanalium triduo quotannis instituuntur in ecclesiis Societatis Jesu, auctorem habeant* S. Ignatium, *teste Bouhourso lib. 5 Vitæ; qua autem occasione, ibidem invenies. Quænam verò alibi ad beatificationis progressum actitata sint, dabit Ribadeneiræ Narratio suprà allegata. Nam à pag. 46 profertur epistola regis Catholici Philippi III ad Clementem VIII; alia ejusdem regis ad Ducem Suessensem, suum Romæ Oratorem, data die 111 Maii 1602 occurrit à pag. 48; alia rursum ejusdem regis ad eumdem* XXVII *Augusti anno 1603, à pag. 50; quam ibidem à pag. 52 subsequitur alia ejusdem monarchæ ad Ducem Scalonensem, suum tunc Romæ loco Ducis Suessensis Oratorem, die* XXIV *Maii anno* 1604.

B

C

§ XCVIII. Beatificatio promota atque obtenta sub Paulo PP. V; Decretum sacræ congregationis Rituum.

Clementem VIII Martio mense anni 1605 mortuum excepit Leo XI: cui non obstitit brevissima pontificatûs duratio, quin promiserit (*ex fide prædictæ Narrationis pag.* 58,) *dare epistolam remissorialem pro canonizatione* S. Ignatii; *sed morte præventus nihil eò contulit, secundùm ea quæ ibidem referuntur, præter bonam voluntatem. Huic successit Paulus V mense Maio ejusdem anni* 1605; *cui divina providentia felices hasce partes reservabat. Nam à Societate instructus fuit idem sanctissimus Christi Vicarius de statu istius negotii, nec non de conatibus ad ejus successum adhibitis, supplicatumque ipsi fuit, ut juberet expediri litteras compulsoriales, ac remissoriales ad faciendas inquisitiones ac diligentiam necessariam in hac causa. Annuit sua Sanctitas: & ideo denominavit ac deputavit ejusdem causæ judices, dominos Alexandrum Ludovisium, Alfonsum Mançanedum de Quiñones, & Joannem Baptistam Pamphilium, Rotæ Auditores; qui suas remissoriales miserunt ad DD. archiepiscopos, episcopos, ac prælatos locorum, in quibus instituendæ erant inquisitiones pro dicta canonizatione; secundùm dictam Narrationem pag.* 59.

D *Paulus 5 judices hujus causæ designat:*

Expediuntur in Hispaniam litteræ remissoriales,

1025 *Remissoriales porro fuere numero sex pro provinciis Hispaniæ, nimirum pro provincia Toletana denominatus fuit Eminentissimus dominus Bernardus de Rojas & Sandoval, Cardinalis & archiepiscopus Toletanus; cui adjunctus fuit episcopus Segoviensis; quamquam postea, ut id fieret commodiùs, substitutus ei fuerit D. Melchior Soria, episcopus Troianus. In regno Valentiæ D. Joannes de Ribera patriarcha Antiochenus, & archiepiscopus Valentinus: cui adjunctus episcopus Chinerbiensis, Ordinis S. Francisci. In provincia Castellæ D. Alfonsus Manrique, archiepiscopus Burgensis; cui adjunctus D. Alfonsus Henriquez episcopus Sidoniensis, & Religiosus Ordinis beatæ Mariæ Virginis de Mercede. In eadem provincia D. Antonius Vanegas episcopus Pampilonensis; cui adjunctus idem episcopus Sidoniensis. In principatu Cataloniæ episcopus Barcinonensis, & episcopus Vicensis. In insula Majoricensi, quæ spectat ad provinciam Aragoniæ, D. Alfonsus Laso, antea archiepiscopus Calaritanus in Sardinia, tum verò episcopus Majoricensis; cui adjunctus fuit ille, qui primaria dignitate istius ecclesiæ præfulgebat; de quibus citatum opusculum à pag. 60; è quo hæc prompsi. Epistola remissorialis ad archiepiscopum Toletanum sequitur ibid. à pag. 61; & signatur anno* 1606, XXVII *Maii.*

E

& aperiuntur ibidem suis quæque præsulibus

F

1026 *Remissorialis aperta fuit primò illa, quæ dirigebatur ad episcopos Barcinonensem & Vicensem, quia prior aliis advenit, oblata die* X *Aprilis anni* 1606, *dominis illis pro tribunali sedentibus in ecclesia collegiata S. Annæ, quæ est canonicorum regularium Barcinonensium, benè admodum ornata, ac plena personarum, quæ præ ceteris magis fulgebant, tam ecclesiasticarum, quam secularium totius urbis; in qua eodem die inchoata fuerat congregatio provincialis provinciæ Aragoniæ Societatis nostræ; & patres ejusdem omnes huic actui admodùm solenni interfuere; secundùm ea, quæ ibi narrantur à pag.* 80. *Rebus Barcinone peractis, prædicti præsules se contulerunt Manresam, ut & ibidem, & in Monte serrato gesta inquirerent; pag.* 81. *Quænam gesta fuerint Matriti, ubi tunc habitabat Petrus Ribadeneira, hujus Narrationis auctor, die* IV *Septembris anno* 1606, *habes ibid. pag.* 82; *de actis die 2 Octobris ejusdem anni, circa remissorialem apud patriarcham atque archiepiscopum Valentinum, agitur à pag.* 83; *qui deinde Gandiam profectus causæ* S. Ignatii *sese impendit; reque peracta, Dominicâ quartâ post Pascha anni* 1607 *ibidem ad concionem dixit*

A *dixit in laudem Sancti ac Societatis ; in ſacello item, in quo beati Patris imago erat ; per dies novem fecit ad aram ; quorum poſtremo magnæ populi multitudini ſacram communionem impertiit manu ſua ; beatoque Viro crucem pretioſam obtulit, quo uſus fuerat tempore Sacri.*

cum ſolennitate. 1027 *Longior ſim, ſi ſingillatim memorem res geſtas ab archiepiſcopo Burgenſi, die* XXVII *Octobris anni* 1606. *Quænam cum ab urbe Pampilonenſi* XX *Decembris eodem anno* 1606, *tum à præſidiario milite arcis, quæ* Ignatio *melioris vitæ occaſionem dederat, ſub Navarræ prorege domino Joanne de Cardona in negotio remiſſorialis, D. Antonio Vanegas epiſcopo Pampilonenſi, atque Sidonienſi præſuli oblatæ, peracta fuerint, ibidem invenies à pag.* 88 ; *quænam verò Majoricæ, pag.* 90. *Idem auctor ibidem incipit referre ea, quæ ſubſecuta ſunt poſt octo illas inquiſitiones ſeu proceſſus, nimirum Barcinonenſem, Manreſanum, Matritenſem, Valentinum, Gandienſem, Burgenſem, Pampilonenſem, ac Majoricenſem clauſos, ac Præſulum, qui ea confecerant, ſigillo mu-*

B *nitos, approbatos ac Romam miſſos, ſacroque tribunali trium Auditorum Rotæ, judicum delegatorum in hac cauſa per Paulum V, præſentatos unà cum proceſſu Romæ formato, aliiſque aliunde ex Italia & Belgio miſſis, quò remiſſoriales directæ fuerant ; ac deinde ſubjungit, exactum admodùm omnium illarum inquiſitionum ac proceſſuum ſumma cum accuratione confectum fuiſſe Romæ compendium, quod dictis Rotæ Auditoribus in manus conſignatum fuerit ad faciliorem ac certiorem veritatis hujus cauſæ indagationem. Ceterum quod ſub Clemente VIII præſtiterant ſuis litteris reges Hiſpaniæ, uti ſuprà dixi ; idem ſub Paulo V præſtare viſum eſt Philippo III : cujus ad iſtum ſummum Pontificem litteræ dantur in Narratione à pag.* 92, *expeditæ die* VII *Martii* 1609. *Præceſſerat Margarita Hiſpaniæ regina die* XVI *Februarii* 1609, *à pag.* 94 ; *dicti autem regis ad ſuum Romæ legatum marchionem de Aitona, die* VII *Maii eodem anno* 1609, *à pag.* 96.

Societas interim obtinet beatificationem : 1028 *Videns autem, ſecundùm ea, quæ ſequuntur à pag.* 98, *Societas Jeſu, ſancti Fundatoris ſui canonizationem tam citò non obtentum iri, quam ei erat in votis, propter extraordinariam diligentiam, quam ſancta Sedes Apoſtolica in*

C *negotio tanti momenti adhibet ; & quia in eo procedit, ſervatis certis temporibus, ſecundùm morem ſuum & ſtylum, tanto cum pondere ac maturitate, ut nihil ſuprà ; videns, inquam, hæc ita ſe habere Societas, decrevit ſupplicare ſuæ Sanctitati, placeret ei mandare, ut, quod ſpectat ad canonizationem, acceleraretur ; utque interim appellatione Beatorum beatum noſtrum Parentem* Ignatium *honorare non gravaretur, ac permittere toti, quaquaverſum ſe per orbem terrarum extendit, Societati, recitare Officium & Miſſam in honorem ejus. Votis reſpondit felix ſucceſſus eo modo & ordine, qui in ſequenti inſtrumento ex originali de hac re decreto ſacræ congregationis Rituum, manu P. Ignatii Pinii tranſcripto, continentur his terminis :*

cujus decretum 1029 Dominicus epiſcopus Oſtienſis, ſacri Collegii Decanus, S. R. E. Cardinalis Pinellus, congregationis ſacrorum Rituum præpoſitus. Univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis, lecturis, & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ob excellentiam, & ſanctitatem vitæ bonæ memoriæ Ignatii de Loyola, fundatoris Societatis Jeſu, quæ non ſine maxima totius reip. Chriſtianæ utilitate, & incremento per univerſum orbem diffuſa, & dilatata eſt, atque ob miracu- AUCTORE J. P.
lorum coruſcationem, quæ omnipotens & miſericors Deus præter conſuetum naturæ uſum, ejuſdem Ignatii meritis & interceſſione, tam dum viveret, quàm poſt ejus felicem in Domino obdormitionem operari dignatus eſt, & quotidie in dies adhuc operari non dedignatur, omnes pene reges & principes Catholici, ac nonnulla metropolitanarum & cathedralium eccleſiarum capitula, & multæ civitates, atque ejuſdem Societatis Jeſu univerſus Ordo, iteratis precibus, & per literas, & in voce, ac in ſcriptis Sanctiſſimo D. N. Papæ Paulo V humiliter ſupplicaverint, & apud illuſtriſſimos & reverendiſſimos dominos Cardinales præpoſitos in ſacra Rituum congregatione ſæpe ſæpius inſtiterint, ut ad conſervandam, & augendam populorum devotionem, quæ maximè, & ubique in toto orbe terrarum diffuſa eſt, erga ipſum bonæ memoriæ Ignatium de Loyola ob innumeras ejus meritis receptas à Deo gratias, cum jam proceſſus de puritate fidei, morum excellentia, ſanctitate vitæ, & miraculorum coruſcatione, ejuſdem bonæ me- E
moriæ Ignatii, auctoritate Apoſtolica confecti eſſent, & in eadem ſacra congregatione præſentati, ad Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ augmentum, Sanctitas ſua dignaretur committere, & ordinare procedi ad ulteriora in canonizatione dictæ bonæ memoriæ Ignatii de Loyola, & interim donec effectualiter ad prædictam canonizationem deveniatur, & dictus Ignatius in numerum Sanctorum referatur, Beatus nuncupari poſſit, & debeat ; atque de eo, veluti de Beato, Miſſa, atque Officium recitari valeat ſicut de uno confeſſore non pontifice, tam in Urbe, ubi ejus corpus ſepultum eſt, quam ubique à patribus, clericis, & Religioſis ipſius congregationis Societatis Jeſu, quam ipſe Ignatius vivens inſtituit, & fundavit :

ex ipſo originali exemplo 1030 Et cum idem Sanctiſſimus D. N literas, proceſſus, & ſcripturas omnes prædictas ad eamdem ſacram Rituum congregationem remiſerit, ut maturè omnibus examinatis, quid de inſtantiis, & petitionibus prædictis ſacra Rituum congregatio ſentiret, Sanctitati ſuæ referret : Tandem eadem ſacra Rituum congregatio, viſo compendio, ſive ſummario geſtorum vitæ, & miraculorum ipſius Ignatii, per manus ſingulorum DD. Cardinalium ejuſdem congregationis tranſmiſſo, & auditâ relatione illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. Cardinalis Pamphilii, cui particulariter hoc negotium diligenter videndum, & examinandum ab eadem ſacra congregatione commiſſum fuerat, in plena congregatione facta in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, in qua unà nobiſcum interfuerunt illuſtriſſimi & reverendiſſimi DD. Antonius Maria epiſcopus Prænestinus Gallus, Franciſcus Maria tituli ſanctæ Mariæ in Ara cæli de Monte, Robertus tituli ſanctæ Mariæ in Via Bellarminus, Hieronymus tituli S. Blaſii de Annulo Pamphilius, Joannes Garzias tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum Millinus, Joannes Baptiſta tituli S. Sixti Lenus presbyteri ; Andreas tituli S. Angeli in foro piſcium Perettus, Joannes Baptiſta S. Mariæ in Coſmedin Detus, & Aloyſius S. Agathæ Capponus diaconi S. R. E. Cardinales, congregationis ſacrorum Rituum præpoſiti, maturéque diſcuſſis & examinatis omnibus diſcutiendis & examinandis, omnes ſupradicti illuſtriſſimi & reverendiſſimi DD. Cardinales cenſuerunt, & declaraverunt (ſi Sanctiſſimo D. N. ita placuerit,) ut ipſe bonæ memoriæ

AUCTORE J. P.

riæ Ignatius de Loyola, fundator Societatis Jesu, in posterum Beatus nuncupari possit, & valeat, deque ipso, tamquam de Beato Officium, & Missa, sicut de uno confessore non Pontifice ab omnibus presbyteris, clericis, & Religiosis dictæ Societatis Jesu, in eorum ecclesiis & locis tantùm, liberè & licitè in die ejus felicis obdormitionis in Domino pridie Kalendas Augusti recitari possit & valeat, & in Urbe dictâ die in ecclesia Societatis Jesu tantùm; ubi ejus venerabile corpus requiescit, omnes sacerdotes tam regulares cujuscumque Ordinis, quàm seculares pro eorum devotione de eodem Missam celebrare possint & valeant.

hic producitur.

1031 Et idem Sanctissimus D. N. Paulus Papa quintus, audita de præmissis omnibus relatione, Sanctitati suæ à nobis facta, sententiam congregationis approbavit, & laudavit, ac indulsit & concessit, ut dictus Ignatius de Loyola in posterum Beatus nuncupari possit & valeat, & de eo in omnibus ecclesiis, & locis Societatis Jesu ab ipsis presbyteris, & clericis ejusdem Societatis tantùm, Officium & Missa de communi unius confessoris non pontificis, liberè & licitè in die ejus felicis obdormitionis in Domino pridie Kalendas Augusti recitari, & celebrari possit & valeat, & in Urbe dicta die in ecclesia Societatis Jesu tantùm, ubi dicti beati Ignatii corpus requiescit, omnes presbyteri tam seculares, quam regulares Missam in honorem ipsius beati Ignatii, pro eorum devotione celebrare liberè & licitè possint & valeant, concessit & indulsit.

B

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium, præsentes per infrascriptum ejusdem congregationis secretarium fieri jussimus, & manu nostrâ propriâ subscripsimus, nostrique soliti sigilli impressione muniri fecimus. Romæ die XXVII Julii, anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo nono, pontificatûs verò prælibati Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papæ quinti anno quinto. Ego Dominicus episcopus Ostiensis Cardinalis Pinellus. *Et apponitur sigillum ejusdem Cardinalis, uti & hæc subscriptio:* J. P. Mucantius secretarius congregationis.

C

§ XCIX. Publica Urbis & orbis lætitia in dicta beatificatione; eadem cælitus prodigiis comprobata; Breve Pauli PP. V, quo beati Officium ac Missa extenditur ad totam Societatem; gesta sub laudato Pontifice pro canonizatione.

Signa lætitiæ ob beatificationem Ignatii

PUblicam orbis Catholici lætitiam ob collatos Viro tam cumulatè de se merito honores sacros, exprimit P. Josephus Juvencius Historiæ Societatis Jesu lib. 15, part. 5 § 7; ubi sic fatur: Ea felix appellatio, tot regum ac principum, tot populorum expetita votis, cum primùm Pauli V summi Pontificis oraculo edita est; tunc, veluti ruptis aggeribus, effudit se mortalium publica pietas erga Hominem saluti publicæ natum, & omnibus lætitiæ argumentis, omnibus monumentis gloriæ, beatum nomen prosequi urbes, regna, provinciæ certaverunt. Roma, princeps urbium, ceteris præluxit. Exemplum secuta Neapolis, quidquid pompæ ac celebritatis excogitari potuit exprompsit. Prorex, urbanæ cohortes, nobilium turmæ, religiosi Ordines, civium innumerabilis multitudo templa Societatis impleverunt. Sub vesperam arsit tota civitas innocuis ignibus, qui additi fenestris domorum, sparsi per compita, in pegmatis theatrisque collocati, varia spectacula dedere gratulanti populo, & somnos ac noctem procul expulerunt. Suas partes postridie pelagus obiit, concurrentesque frontibus inimicis amicas rates, & ficta ludentis in æquore placido Martis pericula exhibuit. Siluerunt tetricæ lites ac triste forum diebus multis: auditæ tantùm sunt plaudentes in lyceo Musæ, & litterariis muneribus publica gaudia certatim ornare gestientes. Auxit lætitiam confluens è vicinis oppidis pagisque turba, cum donariis & anathematis, quæ passim aris ac tholis appensa, præclaram de B. Ignatio populi existimationem, & memores acceptorum ab eo beneficiorum animos testabantur.

D

E

per Europam egregiè diffusa:

1033 Par in aliis Europæ urbibus lætitiæ significatio, par pompa. Ignatii vita, virtutes, res præclarè gestæ hic aulæis intextæ, illic productæ in scenam; alibi symbolis ingeniosis adumbratæ; in æs ac marmor incisæ, in vexillis auro & ostro micantibus depictæ patuerunt. Longum sit referre arcus triumphales erectos, obeliscos, machinas exoticis figuris ornatas, trophæa, pyramides; festos abeuntium in omnes formas varietate mira ignium ludos; illustres pietatis, ingenii, doctrinæque partus editos in Lusitania, Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Polonia; nullum ut elementum, nullus hominum ordo, nulla pars orbis vel remotissima, in communi gaudio cessaverit. India, Sina, Japonia, Peruvia, Mexicum, Philippinæ, obsequii sui tarditatem (nam diploma Pontificium nisi anno sequente, illuc delatum non est) magnificentiâ spectaculorum & splendore compensare studuerunt, ac nativas opes, aurum, uniones, gemmas, in eo colendo bene collocatas putaverunt, à cujus filiis & alumnis cælestis regni gazas & spem beatæ immortalitatis acceperant. *Verùm ea inter solos homines non stetit lætitia:*

F

miraculis comprobante cælo

1034 Mortalium *enim* studia, *teste Juvencio mox designato*, cælum comprobavit prodigiis inusitatis, & quæ sparsa fuerant præteritis annis miracula, in hunc veluti collecta fluxerunt. Fabri compluribus in locis dum extemporales machinas incautiùs properant, è tabulatis sublimibus aut scalis prolapsi, Ignatio, cujus gloriæ serviebant, quasi manum supponente, non incolumes modò, sed valentiores ad opus redierunt. Adolescens Neapolitanus alimenta factitiis ignibus parabat: manum improvisa flamma fœdè violavit: admoto B. Patris chirographo sanam recepit. Matrona Neapolitana mortuam, ut putabat obstetrix, prolem eniti non poterat. Vir prolis & conjugis periculo mæstus opem divinam, Ignatio sequestro & interprete, suppliciter exposcit, mæror ac defatigatio somnum attulit: in eo videre visus est Ignatium Deo supplicantem pro puero, ne æternùm periret. Simul auribus insonat vagitus puerilis. Surgit, infantem, salva conjuge, prorupisse cernit. Sacro confestim lavacro tinctus, mortalem uno die clausit vitam, idcirco exoratam, ut immortalem ac sempiternam viveret.

1035 Donaverdæ cum jam restituta religio pristinum

A *mortalium in hac re conatus.*

ſtinum decus recuperaſſet, matrona prægnans, comitiali morbo repentè correpta eſt. Obſtetrices vocatæ & matrem & fœtum deſperaverant. Curritur ad noſtros: mulier interim moritur. Maritus datas à patribus S. Ignatii reliquias uxoris è collo ſuſpendit: infans manum ex utero profert ac baptizatur. Oeniponte, femina intempeſtivos ejicere ſolebat fœtus: votum concipit, ſi virilem edat maturo partu ſobolem, fore, ut Ignatii nomen illi ponat: edidit; impoſuit. Tarracone, Nanceii, Avenione, Valentiæ, Ilerdæ, Majoricæ, Madriti, Limæ, ad Ignatii nomen & ſacros cineres, morbi, febres, vulnera diffugerunt. Multis reſtituta oculorum, aurium, vocis, pedum uſura. Potoſinus civis toto jam quadriennio pedibus niti non poterat, neque greſſum vel unum moliri, niſi gemino bacillo ſuſtentatus: Is audita tripudiantis populi, & Ignatium ſalutantis beatum alacritate: Egone, inquit, ſuſpirans, unus hîc jacebo conſtrictus, exultante civitate! Sentit media in voce firmari pedes, unum ſcipionem projicit, mox alterum; denique in collegium, ut noſtros miraculi faceret certiores, advolavit. *Hæc ibi. De reliquis, quæ ſubduntur, videbitur in Gloria Sancti poſthuma.*

B

Producitur Pauli V Breve beatificationis,

1036 *At nunc Roma nos revocat, amplificando deinceps novi Beati cultui intenta: nam in promptu habeo Pauli V Breve beatificationis* S. Ignatii, *ex originali Romano tranſumptum, quo Officium ejus ac Miſſa extenditur ad totam Societatem. Signatur die* III *Decembris anno* 1609, *& ſic habet:* Paulus PP. V. Ad perpetuam rei memoriam. In ſede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, & Apoſtolica auctoritate indulgemus, prout in Domino conſpicimus expedire. Sanè dilectorum filiorum Claudii Aquavivæ, Præpoſiti Generalis, ac omnium Religioſorum Societatis Jeſu nomine nobis nuper expoſitum fuit, quod bonæ memoriæ Ignatius de Loyola, prædictæ Societatis Jeſu Fundator, multis & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit, & ideo magna eſt erga ejus nomen & memoriam Chriſti fidelium devotio.

C

quo ad ſupplicationem Societatis, Catholicorum principum &c.

1037 Quapropter non ſolùm univerſa Societas prædicta, ſed etiam omnes ferè cariſſimi in Chriſto filii noſtri reges, & dilecti filii nobiles viri principes Catholici, nec non nonnulla metropolitanarum, & cathedralium eccleſiarum capitula, multarumque civitatum communitates, & homines nobis iteratis precibus humiliter ſupplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honorem, quem dicto Ignatio, ob ejus excellentia merita aliquando divina adſpirante gratia habitum iri ſperant, ab Apoſtolica ſede impetrent, eumdem Ignatium Beatum vocari, ac de eodem Officium, & Miſſam, tam in Urbe, ubi ejus corpus ſepultum eſſe aſſeritur, quàm ubique à presbyteris, clericis, & aliis Religioſis ipſius Societatis, tamquam de uno confeſſore non pontifice recitari poſſet.

cultum Beati publicum in Officio & Miſſa extendit ad totam Societatem:

1038 Quare nos, re priùs per venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandavimus, maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bonæ memoriæ Ignatius de Loyola, prædictæ Societatis Fundator, impoſterum Beatus nuncupari, deque ipſo tamquam de Beato in omnibus eccleſiis, & locis ejuſdem Societatis Jeſu ab ipſis presbyteris, & clericis dictæ Societatis tantùm, Officium & Miſſa de communi unius confeſſoris non pontificis, in die ejus obdormitionis in Domino, die ultima Julii recitari, & celebrari poſſit, & valeat; & præterea in eadem Urbe, dicta die, in Eccleſia Societatis Jeſu tantùm, ubi dicti beati Ignatii corpus, ut præfertur, requieſcere aſſeritur, omnes presbyteri tam ſeculares, quàm regulares Miſſam in honorem ipſius beati Ignatii pro eorum devotione celebrare lib. rè & licitè poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus.

AUCTORS J. P.

non obſtantibus &c.

1039 Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Societatis, & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis manu alicujus notarii publici vel ſecretarii ipſius Societatis ſubſcriptis, ac perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam ejuſdem Societatis ſigillo munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III Decembris MDCIX, pontificatus noſtri anno quinto. S. Cobellutius. *A tergo eſt ſigillum in cera Hiſpanica rubra.*

B

Datur notitia variarum rerum,

1040 *Ac ſic quidem ſe habebat ad hunc uſque annum veneratio publica Parentis noſtri; quænam verò poſt dictum annum* 1609, *ad promovendam ejus canonizationem, geſta ſint, nunc exponam. Apographa noſtra Romana, à ſæpe laudato collectore ad me directa, ſuppeditant exemplum Ms. hoc titulo prænotatum:* Propoſitiones firmatæ ſuper canonizatione B. P. Ignatii per Rotæ Auditores. *Apponitur verò dies hebdomadæ ac menſis, nec non annus, quibus ſingulæ propoſitionum claſſes ab iſtis Dominis probatæ ſunt. Extenditur tempus à die* XXIX *Octobris* 1611, *uſque ad* 2 *Januarii, anni* 1615, *quem ibi noviſſimum notatum lego. Unde conſequens eſt, ut poſt ſolennem Beati appellationem, Officiumque ac Miſſam de eodem Societati indulta, perrexerit ipſa non ſegniter allaborare promovendæ ſolenni ipſius canonizationi. Jam verò, quid præterea in favorem hujus cauſæ à Curia Romana præſtitum fuerit, diſco è noſtro codice manu exarato; qui inſcribitur:* Relatio Franciſci Sacrati, archiepiſcopi Damaſceni, Alphonſi Manzanedi de Quiñones, Jo. Baptiſtæ Pamphilii, Rotæ Auditorum, facta Sanctiſſimo D. N. Paulo Papæ V, ſuper vita & miraculis B. P. Ignatii, Societatis Jeſu Fundatoris, ſuper illius canonizatione formatis, extracta. *Circa quam Relationem, ex iis, quæ ibi ſunt fol.* 3 *verſo, ac fol.* 4, *obſerva* 1°. *Alexandro Ludoviſio, (qui ſuperiùs primo inter Rotæ Auditores loco nominabatur) ad eccleſiam Bononienſem aſſumpto, poſtea ſubrogatum fuiſſe Franciſcum Sacratum, archiepiſcopum Damaſcenum.* 2°. *Authenticam iſtam Relationem eſſe Romæ, & in fine ſubſcribi à tribus prædictis illius auctoribus; ex ſchedis Romanis, à P. Pinio miſſis.*

F

quæ ad maturandam Beati canonizationem

1041 *Nunc puncta quædam ex dicta Relatione extraho, ad qualemqualem rerum in ea geſtarum cognitionem. Præmiſſis itaque iis, quæ ad maturam hujus cauſæ inſtructionem præceſſerant, ſuæ Sanctitati relationem facturi Auditores Rotæ prædicti, eam perſpicuitatis causâ dividunt in tres partes. Ac in prima quidem agitur de validita-*

AUCTORE J. P.

te & legalitate, uti appellant, proceſſuum, auctoritate Apoſtolica factorum; ac ſingulatim, de proceſſibus remiſſorialibus Mutinenſi, Majoricenſi, Burgenſi, Valentino, Barcinonenſi, Pampilonenſi, Toletano, Juvenacenſi, compulſoriali Matritenſi; ac de proceſſu Romano per eos facto. In ſecunda parte dicitur de ſanctitate & excellentia vitæ, eximiis fidei, ſpei, charitatis, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis & temperantiæ operibus, nec non aliis argumentis ac communi famâ probatæ; inter quæ loco poſtremo adducitur honor ille publicus, qui per litteras Apoſtolicas beatificationis die III *Decembris anno* 1609 *indultus fuit. Pars tertia eſt de miraculis ſelectis, ac judicio probatis, numero decem. Poſt ea prædicti Auditores Rotæ, ſuæ Relationi finem imponentes*, Ex quibus omnibus, *inquiunt*, concluſimus, cauſam iſtam eſſe in ſtatu, ut poſſit Sanctitas Veſtra, quotieſcumque ſibi placuerit, ſolemniter Beatum iſtum canonizare, & inter Sanctos referre in forma Eccleſiæ conſueta.

B *Romæ ſunt acta.*

1042 *Hic fuit cauſa canonizationis, qua de agimus, ſtatus ad diem* VII *Martii, anni* 1617, *quibus dicta Relatio innectitur; prout habemus è dicendis numero proximo, nec non è paragraphi* 101 *parte* 2, *num.* 1080. *In Documentorum autem, quæ exhibere oportuit, enumeratione Italica, avographis noſtris Romanis ab eorum collectore inſerta, notantur, ſuis ſecundùm ſtylum Curiæ, terminis expreſſa*, Originalia informativa cum multis aliis ſcripturis. Originalia informativa Gandiæ; originalia remiſſorialia Bruxellenſia, Florentina, & Mutinenſia; Majoricenſe, Barcinonenſe, Valentinum, Gandienſe, Toletanum, Burgenſe, Pampilonenſe, Juvenacenſe; Molshemicum, originale compulſoriale Matritenſe. *Subduntur illa Latinè:* Broliardus, *uti vocatur*, omnium actorum, cum ſua copia; Rotulus remiſſorialis in pergameno, Relatio DD. Auditorum pro ſummo Pontifice. Habuit ſummus Pontifex VII Martii MDCXVII. Regeſtum Cauſæ. Pars I. Regeſtum Cauſæ. Pars II. *Hæc ibi. Quibus adde duos faſces litterarum à principibus ad ſummum Pontificem, & ad congregationem, poſt beatificationem datarum. Item duos faſciculos litterarum ex Hiſpania ſuper validitate proceſſuum; ſecundùm dictum noſtrum apographum.* Broliardus (*Italicè brogliardo*) *hîc eſt regeſtum ſeu tabulæ publicæ geſtorum in cauſa canonizationis.*

C

§ C. Litteræ Ludovici XIII, Francorum regis, pro Beati canonizatione; Gregorii XV ad illas reſponſoriæ.

Poſt varias in cauſa canonizationis aliorum ſupplicationes,

IN documentis noſtris Romanis notantur iſta, ex ſcripto Italico excerpta: Rex Chriſtianiſſimus cum promotionem canonizationis B. Ignatii ſuſcepiſſet, ex eo tempore beatum Patrem accepit in patronum & tutelarem, maximè ad regnum ſuum ab hæreſi perpurgandum. Cumque pro canonizatione B. Ignatii jam exaraſſet literas ad Paulum V; audita ejus morte, alias miſit propria manu ſcriptas, ad ejus ſucceſſorem Gregorium XV; *quæ ex Gallico Latinè reddita ſic ſonant:*

1043 Beatiſſime Pater. Quandoquidem rerum agendarum primordia à nulla re feliciùs capiuntur, quàm ab ea actione, quæ in divinam gloriam tendit: ſuæ, opinor, Sanctitati erit gratiſſimum, ut in hoc ſuæ adminiſtrationis Eccleſiæ ingreſſu, prima, quæ fit à me, petitio, ſit illius operis, quod non minùs paternam ſuam pietatem illuſtret, quàm intimum devotionis ſenſum augeat, quem Deus animo meo inſpirare dignatur. Prima mea inſtitutio tum rerum fidei, tum etiam bonorum morum, à patribus Societatis Jeſu manavit: ipſi hactenus ſummo meo bono, & conſolatione arcana meæ conſcientiæ gubernarunt; cupioque etiam perficere, ut omnis illorum Ordo benevolentiæ meæ fructus, effectuſque ſentiat. Quare cùm didiciſſem, proceſſum canonizationis B. Ignatii, qui dux & auctor eſt illorum Societatis, jam eſſe perfectum, nec reſtare aliud ad tanti operis abſolutionem, quàm voluntatem ſuæ Sanctitatis, ſupplicandum ipſi putavi, quod equidem omni animi affectu, & deſiderio facio, ut velit publico ipſum teſtimonio declarare, & referre in Sanctorum numerum, quos ſancta mater Eccleſia ſolenni honore proſequitur.

D *Ludovicus* 13 *rex Gallia optimè erga Societatem affectus.*

1044 Qui favor, quæve gratiæ evenire mihi poſſint, quantumvis multæ, atque magnæ; minimè tamen æquare ſimul poterunt illam animi conſolationem, quam hæc una res mihi allatura eſt; quæ præter eas benedictiones, quas me confido percepturum, omnem ſuam gubernationem magna & eximia felicitate complebit. Divinâ providentiâ, quæ afflat hominum voluntates, animique motus regit, permittente factum eſt, ut hactenus hunc ſenſum devotionis ab aliquot annis altè in animo meo impreſſum, non declararem, cum etiam ſuæ Sanctitati reſervaret tam celebrem actionem, mihi verò eam felicitatem, ut poſſem ejuſmodi petitionem ipſi offerre, quam primogenito Eccleſiæ filio dignam judicabit. Hic titulus laudis & gloriæ non minùs piè in animo meo inſculptus, quam juſtè olim poſſeſſus à majoribus meis, cum acres mihi ſtimulos addit ad Catholicæ religionis amplificationem, atque extinctionem hæreſeos, tum eò me incendit vehementiùs ad prædictam canonizationem petendam, quòd certa ſpe mihi polliceor hujus Beati interceſſionem, atque apud Deum gratiam, præſidium mihi fore potentiſſimum, atque adjumentum ad ea præſtanda, quorum cauſâ ipſe à Deo miſſus in hunc orbem fuit, & in quibus hic religioſus Ordo cum tanta omnium utilitate elaborat.

ſummi beneficii loco habet ac petit, E

F *ut Ignatius inter Sanctos referatur.*

1045 Meum regnum hoc divinitus conſecutum eſt bonum, & illuſtrem benedictionem, quod tantus hic Servus Dei ad Pariſienſem urbem meam venerit, ad eruditionem capeſſendam; quod eodem in loco pios ſibi commilitones adjunxerit; quod in templo Montis Martyrum [Galliæ Apoſtolo religioſè conſecrato] fundamenta Societatis ſuæ initiaque poſuerit. Magna ſpes me tenet fore, ut novæ benedictiones, & à Deo ſingularia dona mihi obveniant, ſi ſua Sanctitas hoc det & concedat, ut ad meum poſtulatum in numerum Sanctorum quamprimùm referatur. Quod ut primum eſt, quod ipſi deferendum putavi, ſic oro ipſam, & obteſtor, ut eumdem locum obtineat in iis ſanctis & laudatis actionibus, quæ à ſua Pontificia gubernatione expectantur: quam gubernationem ſummo omnium Creatori Deo caram & acceptam eſſe precor, ad ipſius honorem & gloriam, ad ædificationem Eccleſiæ, & ad totius Chriſtiani nominis bonum, & propagationem. Pariſiis 24 Februarii MDXXI. Ludovicus. *Notat P. Ignatius Pinius, ea, quæ ſupra uncinis incluſa ſunt, non exſtare in ſuo exemplo Gallico: deinde pro die* 24, *in Gallico haberi* 14.

1046 *Hactenus pathetica regis Chriſtianiſſimi litte-*

Quid responderit summus Pontifex.

A *litteræ ; quas Gallicè edidit P. Dominicus Bouhourſius ad calcem ſuæ Vitæ Ignatianæ. Subdit P. Ignatius Pinius , regis litteris adjunctas fuiſſe ad eumdem Sanctiſſimum epiſtolas Cardinalium de la Rochefoucault , & de Retz ; reſpondiſſe Pontificem litteris datis Romæ* XXII *Martii* 1621 *(quarum hîc , ait , exemplar exſtat ;) & laudaſſe inſignem regis pietatem , ac deſiderium cultûs divini amplificandi : ſed cum canonizatio Sanctorum inter actiones Pontificum Romanorum ſemper præcipuum quemdam locum habuerit , in qua proceſſerint prout Spiritus ſanctus ipſos deduxit , non poſſe ſe de ea ſtatuere ſine ſumma conſideratione. Ceterùm gratiſſimum ſibi fore , ſi poſſit regi ſatisfacere : & ſperare ſe , fore , ut Deus id ſuggerat , quod & ad divinam gloriam , & regiæ pietatis ſolatium conducat. Deinde cum regis Orator ſingulis audientiis ſuæ Sanctitati memoriam revocaret regiæ petitionis & gratiæ , quam rex ſummam duceret ; Pontifex , re maturè interim expensâ ac Domino commendatâ ,* XXX *Aprilis Oratori edixit, velle ſe , ut ad canonizationem procederetur , idque ſuo nomine regi ſignificaret. Poſtea inſtitit Orator , ut quantocius negotium de more remitteretur ad congregationem Rituum , & in eam adſcriberetur illuſtriſſimus Cardinalis Sacrati , qui rem eam tractarat , cum eſſet Rotæ Auditor : atrumque annuit Pontifex ; ut patet ex geminis litteris Cardinalis Ludoviſii ,* XII *Maii* 1521 *datis , alteris ad Oratorem Galliæ , alteris ad P. Generalem Societatis Jeſu. Ita per Dei gratiam cœptum eſt* XXIX *Maii tractari de re tota in prædicta congregatione. Sic ille.*

Viro nobili , regis Galliæ nomine canonizationem petenti ,

1047 *Epiſtolam præterea dederat die* XXVI *Februarii anno* 1621 *ad Gregorium XV dominus de Modene , quâ regis Galliæ nomine petit canonizationem* B. Ignatii. *Italica eſt , & varias proponit rationes , quæ ad hoc moveant regem prædictum. Reſponſoria Gregorii XV ad præcedentem ex ecgrapho tranſcripta in meis manibus verſatur , apographis Romanis inſerta , hujus tenoris :* Dilecto filio , nobili viro , domino de Modene Gregorius PP. XV. Dilecte fili, nobilis vir , ſalutem &c. Legimus jam dudum perlibenter literas nobilitatis tuæ , quibus cauſas diſertè enumerabas , quæ Chriſtianiſſimi regis animum impellunt ad petendos B. Ignatio Loyolæ cæleſtes honores. Sanè non mediocrem nobis lætitiæ occaſionem obtuliſti : in iis enim graphicè expreſſum regium animum aſpeximus , qui ſe temerè S. Ludovici regna poſſidere exiſtimaret , niſi ejus quoque pietatem imitaretur. Revera maximo non ſolùm Galliæ , ſed totius Europæ bono regnaturum ſpes eſt adoleſcentem , quem tam anxia Catholicæ religionis amplificandæ cura ſolicitat. Nos quidem qui tantæ virtuti divinitus adjungi felicitatem exoptamus , ejus quoque voluntati ſemper gratificaturi libentiſſimè ſumus ; tum ipſa Societas Jeſu , quæ Chriſtianæ reipublicæ fines in novos uſque orbes propagavit , digna eſt , ut tanti regis ſuffragatio & potens & gratioſa apud Nos ea in cauſa habeatur.

Idem Sanctiſſimus reſpondet.

1048 Sed enimverò non ignorat nobilitas tua, homines ſanctitate præcipuos , quos virtus cælo intuliſſe creditur , aris templiſque non priùs colendos eſſe , quam re diutius penſitata , & Spiritu ſancto dictante ad id decernendum Pontifices maximi impellamur : tanta enim in re divino imperio , non humanæ auctoritati obſequi debemus , qui vicariam Deo operam in Apoſtolicæ dignitatis faſtigio præſtamus. Quod igitur in nobis eſt , ſuppliciter demiſſéque ipſum orabimus, ut ſuam nobis ſententiam patefaciat , atque id nos decernere ſuadeat , quod ſit & Catholicæ religioni ſalutare , & Chriſtianiſſimæ etiam majeſtati gratiſſimum. Nobilitatem verò tuam , quæ tanto ſtudio Sanctorum virorum gloriæ ſuffragatur , ſuis quoque laudibus proſequimur , ſperantes , auctoritatem , quâ apud tantum regem flores , virtutibus tutiſſimum perfugium , & certiſſimum veræ pietatis præſidium in Gallia fore. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die XXV Septembris MDCXXI , pontificatus noſtri anno I &c.

AUCTORE J. P.

§ CI. Relatio facta Gregorio PP. XV ſuper vita , ſanctitate , actis canonizationis , ac miraculis S. Ignatii.

Pars prima , quæ eſt de virtutibus.

B

C

E

F

A *Dhuc hæc ita erant ; cum tandem eò devenit* B. Ignatii, *ſolennibus Sanctorum faſtis per Sedis Apoſtolicæ oraculum annumerandi, negotium, ut nunc dicendum ſuperſit de Relatione iſtius cauſæ; quæ typis edita , hoc titulo prænotatur :* Relatio facta in conſiſtorio ſecreto coram S. D. N. Gregorio Papa XV., à Franciſco Maria epiſcopo Portuenſi S. R. E. Card. à Monte , die XIX Januarii MDCXXII , ſuper vita , ſanctitate , actis canonizationis , & miraculis beati Ignatii, Fundatoris Societatis Jeſu. *Textus autem dictæ Relationis his verbis exprimitur :*

Præmiſſo prælogo

1050 Beatiſſime Pater. Cum inimicus homo ſuperiori ſeculo in agro Eccleſiæ benè ſubacto , & præparato ſuperſeminaſſet zizania , & in Germania blaſphema Lutheri lingua , & in Anglia inaudita Henrici ſævitia omnem religionis , & perfectioris vitæ poſſeſſionem , omnemque obſervantiam erga Chriſti Vicarium ſubducere , atque extinguere conaretur : ineffabilis Dei bonitas , & miſericordia , quæ præteritis ſeculis contra ſubnaſcentes hæreſiarchas deſtinavit Athanaſium , Baſilium , Nazianzenum , Cyrillum , Hieronymum , Auguſtinum , Bernardum , Franciſcum , Dominicum , cæteroſque ſanctitate viros illuſtres ; ſupremis hiſce temporibus excitavit ſpiritum Ignatii Loyolæ , qui ex medio honorum curſu , atque à ſeculari , terrenaque militia admirabili quadam ratione vocatus , ita ſe divino imperio regendum , formandumque permiſit , ut tandem nova Religione hujus ſanctæ Sedis auctoritate fundata, quæ gentilibus convertendis , hæreticis ad fidei veritatem revocandis , Romani Pontificis poteſtati tuendæ , ex inſtituto ſe totam impendit ; vitam admirabili ſanctitate traductam pio in Domino concluſerit exitu , multiſque poſt obitum ipſum ſit miraculis illuſtratus.

de cauſæ præſentis diviſione ,

1051 De hoc Viro , Sanctitatis Veſtræ juſſu coram ampliſſimo Senatu verba facturus , totiuſque cauſæ ſtatum , ejuſdem inſtitutæ canonizationis merita , & ſacræ congregationis Rituum ſententiam relaturus ; tria mihi breviter explicanda propoſui. Primò , hujus Servi Dei vitam actioneſque ſanctitate præſtabiles , & excellentes. Secundò , res in hac cauſa geſtas. Tertiò , miracula à Deo per ejus interceſſionem exhibita : ut ſi priora duo Sanctitas veſtra approbatione digna judicaverit , & poſtremam partem recenſendam decreverit , rogatis de more ſingulorum reveren-

AUCTORE J. P.

dissimorum Dominorum meorum sententiis, id, quod ad Dei gloriam & Catholicæ fidei propagationem magis expedire judicabit, statuere ex animi sententia possit.

narrantur Sancti natales, vita secularis, conversio.

1052 Natus est, Beatissime Pater, Ignatius Loyola in ea Hispaniæ regione, quæ ad Pyrenæum pertinet, in oppido Aspeythiæ Pampilonensis diœcesis anno MCDXCI, ex Bertramo Loyola, & Maria Sanchez nobilibus, Catholicis, & piis parentibus, qui simili pietate filium educandum curarunt. Adolescens factus, cum esset eximia & animi & corporis indole, missus fuit in Ferdinandi regis Catholici curiam: ubi cum inter honorarios pueros aliquamdiu mansisset, ad Antonium Manricum Najarentinum ducem, prorege Navarræ, Pampilonæ in urbe illius regni nobili ac principe agentem, sese contulit, ac rei militari operam dare cœpit. Cumque ab exercitu Gallorum urbs illa obsideretur, ipsi Ignatio, qui inter ceteros milites se receperat in arcem, eamque defendendam susceperat, ante alios dimicanti, lapis ex muro vi bombardæ excussus læ-
B vam læsit tibiam, dexteram verò adeo confregit, ut semivivus corruerit. Quorum vulnerum acerbam, gravem, & diuturnam curationem adeo patienter tulit, ut in omnium domesticorum admiratione esset. Cum autem Dei beneficio aliquantulum doloribus levari cœpisset, ac periculum evasisset mortis, lecto affixus, fallendi temporis causâ, jussit sibi dari aliquem librum ex profanis, quos legere consueverat: qui cum domi reperti non essent, duo ei libri Hispanicè scripti traditi sunt, quorum alter Christi Domini, alter Sanctorum vitam continebat. Eorum lectione tam ardenter incensus fuit, ut decreverit in posterum vitam commutare, Christi, Sanctorumque vestigia sequi, & Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, fideles in spiritu promoveret, infideles verò ad Euangelium adduceret.

excessus è paterna domo; gesta in Monte serrato, ac Manresa;

1053 Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes; res omnes fluxas, & caducas, repugnante Martino Garzia ejus germano, reliquit; & Christo deinceps militaturus ad monasterium Montis serrati perrexit; ibique generali confessione peracta, gladio & pugione in templo ejusdem monasterii suspensis, tunica talari aspera indutus, fune præcinctus, capite nudo, baculum manu
C tenens, totam eam noctem, cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit, pervigil ante aram sanctissimæ Virginis, modò stans, modò genuflexus; & peccatorum præteritorum veniam petens, divino cultui sese consecravit. Inde Minorissam, oppidum vicinum petiit, atque ad hospitale sanctæ Luciæ divertit; ibique, & in quodam specu ad littus fluvii per campum Minorissanum decurrentis faciens dignos fructus pœnitentiæ, pauperem atque asperam vitam transegit inter egentes & sordidos homines, quibus etiam humillimis inserviebat obsequiis.

Romæ, Hierosolymis, in Hispania, Parisiis, & in patria.

1054 Cum igitur eo loco aliquamdiu se in hac pœnitentiæ, virtutumque palæstra exercuisset, inde Romam nobilis peregrinus venit anno MDXXIII, ubi ipso Paschatis die ab Adriano Pontifice sexto, Sanctitatis Vestræ jam decessore, Apostolica benedictione susceptâ, Venetias primùm, deinde Hierosolymam contendit. Cumque post perlustrata loca sacra, ibi permanere, & animarum saluti operam navare vetitus fuisset, rediit in Hispaniam: ubi, quò melius in spiritu proximis posset utilitatem afferre, triginta jam natus annos, primò Barcinone grammaticæ, deinde Compluti philosophiæ, ac theologiæ per annum & dimidium studuit: tum demum Parisiis omnia illa studia repetiit, ex eleemosynis victitans, & officia charitatis, humilitatis, ac pœnitentiæ non intermittens. Parisiis socios ejusdem propositi collegit; atque unà cum ipsis hujusmodi votum nuncupavit, ut, absolutis studiis, & rebus contemptis omnibus, Hierosolymam peterent, ibique se animarum saluti traderent totos: quod si per annum navigandi se non offerret occasio, vel Hierosolymis permanere prohiberentur, illo voto jam absoluti, Romam irent, & suam ipsorum operam summo Pontifici ad auxilium spirituale proximi deferrent. Verùm, cum ex studiorum laboribus & vigiliis gravem stomachi morbum Parisiis contraxisset, jussu medicorum, & ex sociorum consilio in patriam rediit anno MDXXXV, ibique per tres menses in hospitali Magdalenæ ostiatim victum emendicans, & pauperibus inserviens, tempus sedulo traduxit. D

Sacerdotio initiatur; vota, opera summo Pontifici oblata, Societas instituta &c.

1055 Quo transacto, cum convaluisset, Venetias, quò socii ex composito venire debebant, etiam ipse profectus, in ea urbe ad sacerdotium promoveri voluit; & paupertatis castitatisque in manibus Veralli archiepiscopi Rossanensis, nuntii Apostolici, qui deinde Cardinalis fuit, votum emisit. Sed elapso jam anno inter eos condicto, & navigatione in Palæstinam, propter pacem inter Turcas ac Venetos per id tempus sublatam, intercluså, Romam cum sociis venit initio anni MDXXXVII: ubi à Quirino Garzonio, Romano cive, in quadam ejusdem Garzonii villa sub monte Pincio receptus hospitio, suam operam summo Pontifici ad proximi salutem obtulit paratissimam. Hic mendicando, & piè ac laudabiliter vivendo, Societatem Jesu ad fidei defensionem, propagationemque, atque ad fructum animarum instituit, hujusque sanctæ Sedis auctoritate confirmandam curavit. Quamquam verò in ea Societate tria vota solemnia fecit; ad illa tamen, quæ cum aliis Religionibus communia sunt, quartum adjunxit, quo peculiarem polliceretur obedientiam summo Pontifici in missionibus absque viatico, etiam ad Turcas, obeundis, atque in doctrina Christiana pueris tradenda. Exinde Constitutiones ejusdem Societatis condidit: ac postea Præpositus Generalis electus, eam summa cum F prudentiæ, probitatisque laude moderatus est: ac demum post multos labores à summo Pontifice Apostolica benedictione cum plenaria suorum peccatorum indulgentia susceptâ, Jesum appellans, Romæ piè obdormivit in Domino pridie Kalendas Augusti MDLVI. E

Laudatur Sanctus à fide,

1056 Hunc virum, quem prælegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus & populis, & rebelles hæreticos ad unitatem fidei revocarent, suique in terris Vicarii auctoritatem defenderent, Spiritus sanctus omnium virtutum genere decoravit, ut benè animadverterunt RR. PP. sacri Palatii vestri Apostolici causarum Auditores delegati, in eorum Relatione; quam ipsa Rituum sacra congregatio jam amplexa comprobavit. Decoravit illum, ut à capite primùm exordiar, magnitudine & excellentia Fidei. Nam cum in iis libris, quos suprà commemoravimus, legisset magnalia, quæ fecit Deus cum Sanctis illis, credidit eadem secum esse facturum, si eorum Sanctorum ipse vestigiis insisteret. Ideo relictis omnibus secutus est Jesum. Cernitur item hujus Viri fides excellens ex magna, quam in Deo collocaverat, confidentia: hac enim instructus, humiliter

A liter ac patienter pertulit labores multos, ſuperavitque maximas difficultates, & res adverſas, quæ illi acciderunt in eorum executione, quæ pro Dei gloria, & ſalute animarum aggreſſus eſt.

plurimis argumentis probata.

1057 Sunt præterea ejuſdem fidei argumenta permulta, quæ ſummatim recenſebo. A paupere ac laborioſa vita, quam à principio ſuæ converſionis, in Dei gloriam & proximorum auxilium inſtituerat, numquam deſtitit; ſed perſeveravit, ſuperatis omnibus, qui obſtabant, obicibus, atque ex formula inſtituti huic ſanctæ Sedi oblata, ſolemnibus votis rite nuncupatis confirmavit. Fidei ſacroſanctæ myſteria tanta cum firmitudine credebat, ut dicere ſoleret: tametſi non extarent Scripturæ monumenta, quibus edocemur; ſe tamen ſtatuiſſe, ac velle pro illa mori ex iis ſolùm, quæ ſibi Dominus noſter impertitus erat, & patefecerat Minoriſſæ. Magno ſtudio ac diligentia hæreticorum, ſchiſmaticorum, Maurorum ac Judæorum converſioni navavit operam: Indis, barbaris, aliiſque nationibus, quæ penitus Deum non noverant, per

B Franciſcum Xaverium, & alios ſuos ſocios, juſſu Romani Pontificis eò miſſos, fidem & Euangelium annuntiavit: ſanam & Catholicam doctrinam ſemper docuit & retinuit. Novas opiniones haud umquam admiſit, & in theologia ſcholaſtica doctrinam Doctoris Angelici ſecutus eſt.

Spes,

1058 Perfecta rerum temporalium, à quibus ſe penitus abdicavit, contemptio, aſpera pœnitentiæ opera, quæ fecit, magna de ſe ipſo diffidentia in omnibus rebus ſuis, animi egregia magnitudo, quâ res miras, arduaſque pro Dei gloria & animarum ſalute auſus, aggreſſus, & proſecutus eſt: lætitia & jucunditas, quam percipiebat ex laboribus, incommodis, ignominiis & perſecutionibus, quas pro Chriſto & juſtitia patiebatur: ſuaviſſima mortis meditatio, in qua verſabatur aſſiduè, ſatis ſuperque teſtantur, qua ſpe hominem illum ornaſſet & communîſſet Spiritus ſanctus.

charitas ejus

1059 Quàm ardenter diligeret proximum propter Deum, hæc planè demonſtrant. Aſſiduum obſequium, quod pauperibus & ægrotis exhibuit in hoſpitalibus, iis inſerviens magna cum humilitate & charitate, omnibus in rebus quantumvis abjectis; eorumdemque non modò corpora curans, verùm etiam ulcera lingens &

C plagas. Eleemoſynarum diſtributio, quas à piis hominibus ſuo ipſe ſtudio corrogabat. Quotidie quippe & ſui & pauperum causâ oſtiatim mendicabat; eleemoſynaſque collectas pauperibus hoſpitalis, in quo degebat, & aliis egenis hominibus ejus civitatis, in qua morabatur, ſic erogabat, ut majorem partem ac meliorem tribueret pauperibus, etiam cum lacrymis ex pietate manantibus; minorem autem, pejoremque ſibi retineret: etenim eleemoſynam dare, cum ipſe indigeas maximè, ſummum eſt ſignum amoris, & erga proximum miſericordiæ. Charitas eximia, quam erga ægrotos, alioſque civitatis calamitoſos homines exhibebat, eos nimirum inviſens, adjuvans, conſolans, cum adverſa valetudine, aliove miſeriæ genere laborarent. Maxima cura, & ſtudium, quod jam inde à principio ſuæ converſionis in eo poſuit, ut rudes & pueri doctrinam Chriſtianam perdiſcerent. Magnus animarum, quo tenebatur, zelus: nullum enim earum causâ laborem, nullas incommoditates, nullas vigilias, aut corporis dolores afflictationeſque recuſabat. Nominatim verò hic zelus, & ſalutis alienæ procurandæ ſtudium fecit, ut ad eos juvandos, qui dura ſervitute Hieroſolymis premebantur, in Palæſtinam peregrè perrexerit, & poſt abſoluta Pariſiis ſtudia, profectionem illam voverit, ſeque cum ſociis ſuis illuc iturum eſſe pollicitus ſit. AUCTORE J. P.

erga proximum.

1060 Eorum, qui detinentur in carcere, viſitatio, ſublevatioque, quam inſtituit, & exercuit accuratè: diſſidentium reconciliatio, quam impensè procuravit: ſalubria, quæ proximis conſilia dedit, ac ſpiritualia Exercitia ab eo compoſita, atque in librum relata: aliæ demum induſtriæ, quibus omnes, quos potuit, verbo & exemplo ſuæ vitæ ad pœnitentiam, & viam ſalutis pertrahere contendit. Quin ut melius in ſpiritu proximum juvare poſſet, natus jam annos triginta litteras didicit, & in eumdem finem ſocios ejuſdem propoſiti collegit, unaque cum illis votum Pariſiis emiſit, & ſuam operam ſummo Pontifici obtulit, ut ſuprà dictum eſt. Huc pertinet, quod in patria inſtitutionem confraternitatis ſanctiſſimi Sacramenti mirabiliter adjuvit, curavitque, ut in meridie daretur ſignum ære campano; quo exaudito omnes Deum orarent pro iis, E qui vel mortifero tenerentur peccato, vel igne purgatorio cruciarentur, utque ludus aboleretur alearum; & vita, moreſque incolarum ad Chriſtianæ diſciplinæ normam reformarentur. Huc etiam pertinet, quod, ob eamdem cauſam, ipſam Jeſu Societatem inſtituit, & per univerſum terrarum orbem miſſionibus, domorum, collegiorum, & eccleſiarum erectionibus, conſtructionibuſque latiſſimè propagavit: quod hîc Romæ præter ſcholas grammaticæ & humanarum litterarum, quas gratis aperuit, collegium Germanorum, orphanorum, & catechumenorum domos, ſanctæ Marthæ, ac divæ Catharinæ monaſteria, aliaque pia loca (de quibus in dicta Relatione Auditorum Rotæ relatum eſt) excitari curavit.

quæ ex multis capitibus jhs detur.

1061 Quod Sacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſedulò adminiſtravit, atque ad illa omnes hortatus eſt, ac tum eorumdem Sacramentorum, cum etiam Miſſarum, concionum, & ſacrarum in templis lectionum frequentiam introduxit. Declarat denique hunc amorem in proximum, injuriarum remiſſio, & oratio pro inimicis. Graviter enim flagellatus Barcinone, ac penè ad mortem uſque deductus, dum defendit acerrimè gloriam Dei, procuratque proximorum ſalutem, non modò nihil eſt conqueſtus, ſed Deo gratias egit, percuſſoribus pepercit, & do- F minicum præceptum adimplens pro illis oravit. Tantumque exinde crevit in eo charitas, ut, recuperata ſanitate, non dubitaverit ad idem opus charitatis redire, & vitam ſuam pro fratribus ponere, nihil proficientibus diſſuaſionibus domeſticorum, quibus ita reſpondebat: Quid mihi optabilius, quam mori pro Chriſto, & ſalute proximi mei? qui profecto eſt altiſſimus gradus charitatis ſecundùm ſanctum Bonaventuram.

Amore maximo in Deum fuit,

1062 Deum autem ipſum quantopere diligeret, patet ex ſumma illa cura & diligentia, quâ ſtuduit propter Deum proximo in ſpiritualibus ac temporalibus ſemper benefacere; & ex maxima vigilantia, qua curavit cor ſuum mundum cuſtodire: à ſua enim converſione nullum in eo deprehenſum eſt dictum factumve, quod cenſeri poſſet eſſe peccatum mortale. Sæpius quolibet die maxima diſquiſitione conſcientiam ſuam examinabat, non ſolùm de gravibus culpis, ſed etiam de erratis in quotidiana meditatione; quod eſt efficax ſignum roboratæ jam Charitatis. Neque verò tantummodo cuſtodivit cor ſuum ab iis,

AUCTORE J. P.

quæ ſunt contra dilectionem, ſed etiam à ſe ipſo amorem omnium rerum, quæ Deus non ſunt, prorſus abjecit, atque in eumdem tranſtulit Deum, omnemque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus eſt. Patet etiam ex rerum divinarum meditatione, qua utebatur aſſidua: & pia quadam precatione, quam in Exercitiorum libello poſuit, & ſæpe adhibebat, cum ſe ad divinum amorem excitabat. Precationis hujus initium eſt, SUSCIPE DOMINE UNIVERSAM LIBERTATEM MEAM, &c. Hanc in Deum charitatem adeò puram in ſuo corde aluit, retinuitque; ut etiam ſui ipſius amorem à ſe prorſus amandarit. Dixit enim aliquando, ſe, ſi optio daretur, velle potiùs vivere cum incertitudine beatitudinis, & interim ſervire Deo, quàm cum certitudine tunc obire; & judicare ſibi magis durum, & pœnale futurum, audire blaſphemias in Domini nomen, quàm pœnas inferni pati, ſi umquam ad inferos detruderetur à Deo.

divinæ gloriæ deſiderio totus ardens.

1063 In quo amoris argumento Martyrum ac multorum renovavit exempla Sanctorum, qui ſui penitus obliti, de divina gloria tantummodo laborabant. Tanto denique erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo, & illius obtemperare voluntati: itaque illi ſe totum committebat, illum omnino ſequi decreverat, etiamſi toto cælo, terraque privaretur. Omnes ſuas cogitationes, verba, opera, in Deum tamquam in finem referebat; ad Deum, ac Dei gloriam, honoremque deſtinabat: atque hoc veluti ſymbolum, AD MAJOREM DEI GLORIAM, in ore ſemper habebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium ſpirituale, quo hic Dei Servus planè repletus ac refectus erat, illa ſerenitas, quam ſemper in vultu præſeferebat; illa pax interior animi, & illa poteſtas ac ditio, quam in ſuos motus & perturbationes obtinebat. Verè quippe ait Propheta: Pax multa diligentibus legem tuam.

Alia ejus virtutes, nempe prudentia;

1064 Prudentia in eo fuit rara admodùm & excellens. In negotiis enim ad Dei honorem peragendis, priùs quidem omnia Deo commendabat, deinde ſolerti habita conſultatione, rationibuſque ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem conſequendum adhibebat præſidia: adeoque contingentia mala facilè declinabat.

juſtitia ex pœnitentia,

1065 Ejus erga Deum & homines juſtitiam ſatis commendant charitas in proximum ſupra jam expoſita, & pœnitentia, quâ ſe confecit in Monte ſerrato, Minoriſſæ & Barcinone. Quibus in locis cilicio veſtitus, & catena ſeu cingulo ferreo ad nudam carnem præcinctus, humi & ſuper aſſeribus dormiens, cum calceis abſque ſoleis, vel cum calceis perforatis, ſæpe etiam nudis pedibus incedens, flagellis præterea ferreis, & aliis ſe pœnitentiæ ſuppliciis afflictans, hominumque conſuetudinem fugiens, aſperam quidem, ſed meditationibus rerum cæleſtium vitam egit ſuaviſſimam: his enim voluntariis pœnis offenſo jam Deo ſatisfacere ſe putabat.

religione in Deum, obſervatione votorum, grato erga bene meritos animo.

1066 Commendat etiam ejus juſtitiam ſpiritûs devotio & religio, quâ Deo reddidit debitum cultum & honorem. Nam præter ea, quæ dicta jam ſunt de ejus in Deum charitate; abundantiâ lacrymarum præditus, & orationi maximè deditus fuit; cui à tempore ſuæ converſionis vacavit aſſiduè; ſacrificium Miſſæ, & divina Officia audivit quotidie, & poſtquam ſacerdos eſt factus (dum per valetudinem ei licuit) quotidie Miſſam celebravit, divinumque recitavit Officium; ſacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, dum laicus eſſet, frequentavit, eccleſias & pia loca, Palæſtinæ præſertim & Hieroſolymæ, peregrini habitu, nudiſque pedibus luſtravit, corrogata ſtipe victitans, & cibis emendicatis. Eccleſiarum munditiem & reſtitutionem, ſacrarumque reliquiarum venerationem ſedulò procuravit; erga B. Virginem Mariam, angelos, & Sanctos omnes inſigni devotione ac pietate affectus fuit; vota paupertatis, caſtitatis & obedientiæ perpetuæ per eum in Societate emiſſa perfectè Deo reddidit. Commendant denique ejus juſtitiam gratitudo, quam erga ſuos & Societatis benefactores ſemper oſtendit; & pura veritas, quæ ex ejus ore ſine ulla fallacia, fuco, fictione, aut obſcuritate procedebat: commendat puritas & ſimplicitas cordis, quâ omnia bonam in partem ſemper accipiebat.

Animi magnitudine excelluit,

1067 Animi magnitudo in eo fuit præclara: quia in novæ vitæ aggreſſione gravibus mali dæmonis tentationibus oppugnatus reſtitit imperterritus, & eas forti animo ſuperavit. A pœnitentia, ab obſequio erga ægrotos, à ſtudiis literarum, ab operibus charitatis, quæ cœperat, non receſſit propter morbos inde contractos; aut propter labores, quos ſubire; aut propter difficultates, quas vincere oportuit; nec propter irriſiones, injurias & contumelias ſibi illatas; ſed in illis conſtanter uſque ad optatum finem perſeveravit. Et quoniam commotionum ſuarum & perturbationum, ut diximus, dominatum obtinuit perfectiſſimum, dici jure poteſt fortior expugnatore urbium, teſte Salomone in Proverb. cap. 16.

uti & patientiâ,

1068 Admirabilem ejus patientiam, & manſuetudinem demonſtrant multi & ingentes labores, quos libenter, alacriterque pro Dei gloria & honore pertulit: demonſtrant irriſiones, opprobria, confuſiones, injuriæ & perſecutiones, quas magna cum tolerantia, & manſuetudine ad Dei retinendum obſequium perpeſſus eſt: demonſtrat lætitia, quâ fruebatur, cum aliquid adversùs ſuam ipſius perſonam & honorem inferri cernebat: demonſtrat ipſa gratiarum actio, quam referebat in maledicentes & contumelioſos: declarant opera pia & beneficia, quæ in illos conferebat; à quibus fuiſſet injuriis appetitus: quæ omnia copioſo ſermone in ſupradicta Relatione Auditorum Rotæ continentur.

jejunio,

1069 Jejunium adeo coluit, ut eo tempore, quo fuit Minoriſſæ, & Barcinone, per totam jejunans hebdomadam, diebus exceptis Dominicis, ſolo pane veſceretur, & aquam biberet. Propter continuatas orationes, & abſtinentias, ſemel in capella de Villadordis, & iterum in ſupradicto ſpecu debilis, macilentus, ac fere ſine viribus inventus eſt. Tanta demum erat ejus abſtinentia, & pœnitentia, ut ex debilitate incideret in gravem morbum: ex quo ſanè etiam obiiſſet, niſi quædam mulier Barcinonenſis illius ſuſcepiſſet curam: quam tamen ipſe multa cum difficultate demum admittebat, his verbis: Sinite me pati hæc levia, ut ſalvetur anima mea.

caſtitate,

1070 Caſtitatis fuit adeò diligens cuſtos in ſe & in aliis; ut in Conſtitutionibus Societatis dixerit, illam eſſe ſuis tam perfectè ſervandam, ut eniti debeant corporis mentiſque munditiâ angelicam puritatem imitari.

profunda humilitate,

1071 Ejus profundæ humilitatis hæc non obſcura indicia recenſentur. Dum ſe ad novæ vitæ genus accingebat, noluit ſuum audire germanum, ſibi

A sibi familiæ nobilitatem, opes, ipsius Servi Dei in militia strenuitatem, & futuram inde gloriam repræsentantem; sed statim atque ex morbo, & vulnere convaluit, seculo nuntium remisit. In patriam valetudinis causâ rediens, cum se à quodam cognitum jam esse animadvertisset, timens honorem, quem & germanum, & incolas Aspeythiæ sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, à quo cognitus fuerat, viâ rectâ Aspeythiam proficisci; sed per montes & semitas obliquas solus illuc accessit; & nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissimè commutavit: nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur. Nobilitatem familiæ, quantum poterat, occultabat; colloquium & consuetudinem illorum, à quibus agnosci posset, evitabat. Quod si aliquando alicubi agnosceretur ab aliquo, ad illum locum ampliùs non redibat.

suique contemptu,

1072 Neque verò vanam solùm mundi gloriam, sed etiam seipsum egregia magnanimitate contempsit. A primo enim die suæ spiritualis militiæ, vili atque abjecta veste indutus, in hospi-
B talibus cum pauperibus ac mendicis habitavit; mendicans ac vivens cum ipsis, eademque mensa, potu, & lecto utens, illis demum inserviens, ut suprà de ejus charitate in proximum est declaratum. Eamdem inanem gloriam, & mundanas laudes non solùm fugiebat, sed, si aliquid aliquando contra suum honorem fieri animadverteret, id ipsi arridebat maximè, ut dictum fuit suprà, dum de ejus patientia ageretur. Societatem Jesu, quam instituit, inter omnes alias Religiones minimam haberi, & dici voluit: & cum illius Præpositus Generalis fuisset ipse renuntiatus, id muneris subire tamdiu recusavit, quoad ejus ei confessarius, ut demandatum reciperet officium, imperavit. Sed elapso decennio persistens in eadem humilitate, illo se magistratu abdicare summopere studuit, affirmans, se non habere dotes ad illum administrandum idoneas. Post illud munus receptum, ut eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortabatur verbo, firmaret etiam exemplo, primum quidem in coquinæ ministeriis aliquot versatus est dies; tum docere aggressus est pueros, & rudes doctrinam Christianam, juxta eas, quas condiderat, leges & Con-
C stitutiones.

atque occultatione virtutum.

1073 Virtutes suas, & visiones, quas habebat, cælestes, diligenter occultabat; semperque inter loquendum admiscebat aliqua verba, quæ indicia essent humilitatis: qualia fuerunt illa, Miserum me: miseram animam meam. Quin solitus erat dicere, se, si aliquid esset petiturus à Deo in hora mortis suæ, id nominatim esse petiturum, ut sepeliri se permitteret in fimo, quoniam fimus esset; addebatque sæpissime, se omnium domesticorum, præterquam sui ipsius, vel exemplo, vel consuetudine ædificari; & in quadam epistola scripsit, se nullo cum homine vel sceleratissimo de rebus agere spiritualibus, quin commodum ab eo reciperet aliquod.

Sanctitas Ignatii testibus 675,

1074 Hæc sunt, Pater Beatissime, quæ de vita, & virtutibus servi Dei Ignatii deposuerunt sexcenti & septuaginta quinque testes, in processibus hujus canonizationis ritè & rectè examinati; & quorum causâ iidem Auditores Rotæ judicarunt, etiam congregatione Rituum subscribente, satis esse probatam hujus Hominis sanctitatem. Quibus tamen rebus tum illi, tum etiam nos ad majorem comprobationem censuimus esse adjungendam magnam rerum spiritualium cognitionem, quam hic Dei Servus habuit in peragendis, componendis-que suis Exercitiis spiritualibus, quæ sunt apprimè salubria, pietate, ac sanctitate plena, atque ad spiritualem profectum maximè utilia, ut ex sententia Inquisitoris Urbis, & sacri Palatii Magistri testatur Julius Papa Tertius, S. Væ. prædecessor, in litteris confirmationis eorum Exercitiorum.

nec non variis aliis argumentis stabilita.

1075 Accedit fulgor ille supernaturalis, qui in ejus facie relucebat, dum viveret; quem viderunt B. Philippus Nerius, & P. Oliverius Manareus: accedit ejus electio, quâ eum Dominus segregavit à ceteris, ut esset auctor & parens hujus Societatis: accedit felix ejusdem obitus suprà jam expositus, & immediatus populi concursus ad ejus corpus: accedunt celebres exequiæ, honorabilis sepultura, veneratio, & continuata frequentia, non solùm ad ejus sepulcrum, sed etiam ad cubiculum, in quo ægrotus ad melioris vitæ rationem vocatus divinitus est, & ad specum, atque ad alia loca, in quibus pœnitentiam egit: accedit præclarum & uniforme testimonium, quod de sanctitate ejus vitæ dederunt in suis historiis & libris magni viri, & scriptores nobiles, qui in supradicta relatione ordine recen-
E sentur, & numero: accedit celebris fama sanctitatis, & virtutum hujus Servi Dei ab iisdem testibus, quos suprà diximus, comprobata: quæ cum duraverit usque ad mortem, immo etiam in morte, & post mortem magis aucta fuerit, & ubique locorum magnopere augeatur, ad canonizationem peragendam conducit plurimùm: accedit denique beatificatio ejusdem Servi Dei superioribus annis ab hac sancta Sede concessa cum Officio & Missa de communi unius confessoris non pontificis.

Atque hæc de vita, actionibus, & excellentia Servi Dei Ignatii dicenda fuerunt. Nunc de actis canonizationis breviter explicandum erit.

Pars II. De actis canonizationis.

Acta canonizationis

CUm fama sanctitatis, & miraculorum servi Dei Ignatii in diversis mundi partibus in dies increbresceret; P. Gaspar Petrosa, hujus Societatis in regnis Hispaniarum procurator, conscius decreti facti ab universa Societate de canoni-
F zatione petenda, die XIX Julii MDXCV, ne memoria hujusmodi gestorum temporis injuriâ deleretur, petiit, & obtinuit à Camillo Caëtano, patriarcha Alexandrino, Clementis VIII, Sanctitatis Vestræ prædecessoris, & hujus Sedis apud Regem Hispaniarum nuntio, ut testes ad perpetuam rei memoriam examinarentur, utque ad eos examinandos varii in diversis illorum regnorum partibus darentur judices. Qui nominatim in oppidis Aspeythiæ & Ascoythiæ, Pampilonensis diœcesis, in quibus hic Dei Servus natus, & educatus fuerat, decreti, datique sunt hi: Dominicus Martinez de Assurdui, collegiatæ ecclesiæ S. Michaëlis de Ognate, & Didacus Morus de Alva, canonicus similis ecclesiæ de Victoria, & eorum quilibet. In urbe autem & diœcesi Barcinonensi, episcopus Barcinonensis, sive ejus Officialis: & in civitate ac diœcesi Vicensi, illius episcopus, seu ejus Officialis. Hi Judices tres processus super vitæ sanctitate, ac miraculis hujus Servi Dei instituerunt, illosque subscriptos, clausos, & obsignatos dicto Nuntio miserunt: qui eos recepit, aperuit, vidit, illorumque exempla authentica eidem patri Gaspari petenti concessit.

1077 Hæc exempla P. Præpositus Generalis dictæ

AUCTORE J. P.

dictæ Societatis eidem Clementi detulit unà cum literis Philippi II claræ memoriæ, & Philippi tertii Catholicorum regum, imperatricis, reginæ Hiſpaniarum, multorumque epiſcoporum, ac populorum; adjecto præterea ſupplici libello ipſius Societatis oratricis, quo petebat, ut ad habendos, faciendoſque majores in dicta canonizatione progreſſus, literæ remiſſoriales, & compulſoriales concederentur. Ac placuit quidem eidem Clementi per peculiare reſcriptum cauſam hanc dictæ congregationi Rituum examinandam committere: quæ, viſis dictis proceſſibus, cenſuit ſatisfaciendum eſſe dictæ petitioni, ſi ita eidem Clementi placuiſſet: ſed ille morte interceptus nihil in ea re conſtituere potuit.

ſub Clemente 8,

1078 Promoto autem ad regimen univerſalis Eccleſiæ Paulo fel. rec. Papa quinto, Stis. Væ. item prædeceſſore, cum preces ejuſdem Societatis & ſupradictorum principum, quibus etiam Henrici IV Galliæ regis Chriſtianiſſimi poſtulatum acceſſit; apud ipſum non modò perſeverarent, verùm etiam augerentur: cumque fama eadem ſanctitatis, & miraculorum continuatio majora quotidie caperet incrementa; placuit eidem Paulo tribus Rotæ Auditoribus, videlicet Sti. Væ., dum Rotæ Auditoris officio fungeretur, Ildefonſo Manzanedo, & Joanni Baptiſtæ Pamphilio in mandatis dare, ut cauſam hujuſmodi in ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur, reaſſumentes, conjunctimque procedentes, acta omnia, & probationes expenderent, aliaſque, ſi opus eſſet, per ſe, vel per alios de novo reciperent, & ſuper his ſuum ipſorum judicium interponerent: ut, ſi ex eo conſtaret, inquiſitiones, probationes, ac proceſſus hujuſmodi legitimè eſſe factos, cauſamque ſufficienter eſſe inſtructam; ea Sanctiſſimus exequi poſſet, quæ ſanctorum Patrum dogmata, & ſacrorum canonum poſtulant inſtituta. Auditores ſuprà commemorati, viſis & diligenter diſcuſſis proceſſibus coram eis exhibitis, cenſuerunt, cum illis debere conjungi proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiendos; & propterea concedendas eſſe, quemadmodum conceſſæ ſunt, eidem Societati litteras remiſſoriales, ſuis articulis, & interrogatoriis à ſe formatis inſtructas, ad nonnullos archiepiſcopos, & epiſcopos ab ipſis ſublegatos, in diverſis mundi partibus conſtituros, ac etiam litteras compulſoriales generales ad extrahenda jura. Interim autem ipſi ſuper eiſdem articulis in hac Curia multos ſanè teſtes examinarunt.

ac Paulo 5,

B

C

1079 Archiepiſcopi, & epiſcopi ſubdelegati cum teſtes diligenter, ſicut acceperant in mandatis, examinaſſent, jura extraxiſſent, & juridicos proceſſus confeciſſent; Romam eos ad dictos Rotæ Auditores tranſmiſerunt: qui cum eos aperuiſſent, juſſu ejuſdem Pauli prædeceſſoris miſerunt ad hanc congregationem, ut cum ipſa vidiſſet, & perpendiſſet ea, quæ in re videnda, & perpendenda judicaret, ſuper petitam beatificationem, ſuam ſententiam diceret: quam quidem poſtea dixit.

ſummatim

1080 Denique cum preces dictæ Societatis, & ſupplicationes ſupradictorum, aliorumque præterea principum, & prælatorum, & populorum ſuper dicta canonizatione apud eumdem prædeceſſorem fierent quotidie auctiores; ei placuit de novo mandare eiſdem Rotæ Auditoribus, ut probationes, & proceſſus jam confectos viderent, & expenderent: teſtes examinatos, ſi ita judicarent, repeterent, & alios de novo ſuper fama ſanctitatis, & ſuper miraculis; ac in ſpecie ſuper omnium, quæ diximus, veritate inducendos, quoad opus eſſet; & ad cautelam, in Curia & extra, per ſe ipſos, & alios examinarent; & id quod ipſis videretur, de more referrent. Prædicti verò Manzanedus, & Pamphilius, ac Franciſcus Sacratus, archiepiſcopus Damaſcenus, in locum Stis. Væ., ad eccleſiam Bononienſem aſſumptæ, ſubrogatus (quem Stas. Va. ob nota merita Cardinalem creavit) examinatis priùs per ſe ipſos in hac Curia, & per alios judices ab eis ſubdelegatos extra Curiam, aliis teſtibus ſuper præmiſſis; & extractis ex archivio dictæ Societatis nonnullis juribus, ad dictam cauſam conducentibus, in pluribus congregationibus inter eos habitis; dictos proceſſus viderunt, & examinarunt, & cum illos juridicè, & legitimè confectos, probationeſque ritè ac rectè peractas, & ſanctitatem, ac miracula ſatis ſuperque probata cognoviſſent, & cauſam juxta canonicas ſanctiones ita inſtructam eſſe judicaſſent, ut tutò poſſet ad ulteriora procedi: die VII Martii MDCXVII eidem Paulo prædeceſſori, eorum Relationem tribus capitibus diſtinctam fecerunt, & in ſcriptis etiam obtulerunt.

recenſentur;

D

1081 Interveniente verò obitu ejuſdem Pauli, prædeceſſoris Væ. S., & aſſumpta S. Va. ad ſummum Apoſtolatûs apicem, venere litteræ Ludovici XIII Galliæ regis Chriſtianiſſimi, inſtantiſſimè ſupplicantis, & à S. Va. devotiſſimè poſtulantis, ut dignaretur ulteriùs procedere ad ejuſdem Servi Dei canonizationem, & eam quamprimùm ad effectum perduceret: cujus poſtulato ſæpius iterato benignè annuens S. V. ſupradictam Relationem ſuperioribus menſibus ad dictam congregationem diſcutiendam remiſit. Mox etiam utriuſque Bavariæ dux Maximilianus, ac paulò poſt Ferdinandus, Romanorum rex, in Imperatorem electus, ſummis votis, maximiſque precibus idem flagitarunt: eorumque poſtulationes Sanctitas item Veſtra paternè ſuſcepit.

deinde alia; ſub Gregorio 15 facta.

E

Nos verò, Beatiſſime Pater, accepta dicta Relatione, & S. Væ. voluntate percepta, habitis ſuper dicta Relatione pluribus ſeſſionibus, in quibus dictorum Auditorum concluſiones accuratè, ac diligenter examinavimus, unanimi conſenſu cenſuimus, omnes ſupradictos proceſſus fuiſſe & eſſe validos, legitimos & legales.

Rurſus cenſuimus, probationes in illis proceſſibus comprehenſas ſuper ſanctitate, excellentia fidei, & præclaris miraculis ſervi Dei Ignatii, fuiſſe legitimas & ſufficientes. Quæ ſi Sanctitas Veſtra ea eſſe ſtatuat, ut ad canonizationem ſufficere videantur; quæ ſuperſunt tertio loco dicenda de miraculis, ſummatim & breviſſimè perſequar.

F

Pars III. De miraculis.

Miracula à Sancto vivente patrata.

IN proceſſibus in hac cauſa factis aliqua miracula meritis Servi Dei Ignatii adhuc viventis recenſentur.

Quod Lyſſano, qui ob perditam litem laqueo ſe ſuſpenderat, & mortuus ab omnibus judicabatur, tantum vitæ ſpatium ſuis precibus à Deo impetraverit, ut ad vitam rediens, tum de illo peccato, tum de aliis dolere potuerit, & eadem confiteri.

Quod quemdam nomine Baſtidam, à multis jam annis morbo caduco laborantem, ſuis precibus, & benedictione repentè ſanaverit.

Quod Joanni Baptiſtæ coco manum uſtulatam, & prorſus ad manualia opera inutilem, ſuis precibus integram & ſanam ſequenti die reſtituerit.

Quod Eleutherium Pontanum per duos annos, & eo amplius graviſſimis quibuſdam à diabolo ten-

A tentationibus oppugnatum, ſuo aſpectu, & ſermone penitus ab illis liberaverit.

Quod collegium Lauretanum ab apparitionibus nocturnis, & frequentibus dæmonis infeſtationibus, ſuis precibus & epiſtola reddiderit liberum.

Quod cubiculum Alexandri Petronii medici infirmi in lecto decumbentis obſcurum, & ob clauſas penitus feneſtras tenebroſum, ſupernaturali ſplendore ſuæ faciei illuſtrârit; & quædam alia ſimiliter admirabilia præſtiterit.

Miracula poſt obitum in fracto coxendice,

1083 Quibus conſultò omiſſis, illuſtriora tantùm edita poſt felicem ejus tranſitum (quæ potiſſimùm in canonizatione exiguntur) ab Auditoribus Rotæ primò, & deinde à ſacra Rituum congregatione ſelecta, & comprobata, brevitate, quanta maxima potero, recenſebo.

I. Iſabella Rebelles Barcinonenſis ſanctimonialis in monaſterio ſanctæ Eliſabeth, ejus regulæ, quæ ab Obſervantia nomen accepit, annos nata ferè LXVII, dum aliquid operis in alto loco molitur anno MDCI; repentè tam gravi caſu ad terram collapſa eſt, ut totum os coxendicis, ſeu femoris, quod maximum eſt in humano corpore, B confractum fuerit. Vocati medicus & chirurgus omnia medicamenta, quæ illorum ars poſtulabat, ſummâ diligentiâ per quadraginta dies, & eò amplius adhibuerunt; ſed eventu planè irrito: quia dolor & febris, quæ ex dicta confractione ſupervenerant, non ceſſabant; & coxendix, totaque tibia adhuc tumens & immobilis erat, immò alia graviora ſymptomata acceſſerant, nempe vehementes, & penè lethales anxietates: denique valetudo eò devenerat, ut ægrota apud omnes eſſet citra ullam ſpem ſalutis, quæ ſaltem naturalibus remediis parari poſſet, & eadem die moritura crederetur. Humanis adeo deſtituta præſidiis ad divina confugit remedia: nec fruſtrà: nam pia cum religione efflagitata, impetrataque reliquia ſervi Dei Ignatii, ad ejus conſpectum recreata, illam ſuper coxendicem, ubi erat os confractum, ſublatis faſciis, medicamentiſque, & recitata Dominica, atque Angelica precatione, & dicto Servo Dei invocato, devotè applicuit; ſtatimque ſanata eſt: coxendicem ac tibiam priùs tumentem, atque immobilem, expeditè, ac ſine dolore movere cœpit; & veſtes petiit, ut iis induta ſurgeret, & ambularet. Quod ei moniales haud permiſerunt, ratæ (licet falsò) ipſam C eſſe nimis imbecillem propter eam infirmitatem. Sed die proximè conſecuta veſtes accepit, ſurrexit, & liberè, perfectéque ambulavit ſine ullo dolore & tumore; coxendicem ac tibiam ſurſum, & quaquaverſus jactavit, contorſitque; & in poſterum, etiam in lunationibus & temporum mutationibus ſic ambulare perrexit.

periculoſa febri,

1084 II. Quod in Joanne Leyda Majoricenſi, pannorum paratore, annum ætatis agente trigeſimum primum, editum eſt miraculum, eximium ſanè videtur, & memorandum. Is anno MDCV, in valde acutam, & periculoſam febrem incidit: augebat periculum maxima ſtomachi nauſea, ſic prorſus, ut juſculi ſorbitiunculas, omnemque omnino reſpueret cibum. Poſt diem à morbo duodecimum, vel tertium decimum, tam malè habuit, ut medicus dixerit, illum eſſe valde periculoſum, niſi illâ horâ ejus vena aperiretur: Joannes tamen, cum ſerò eſſet, venam ſibi incidi illo die non eſt paſſus: interim ſe Deo per merita famuli Dei Ignatii impensè commendabat; id quod etiam faciebat Anna ejus uxor. Nec eorum ſpes vana fuit. Nocte ſequenti ſomno exſuſcitatus, magno ſplendore circumfuſum totum cubiculum vidit, & uxorem inclamans; Nonne, inquit, vides, me à B. Ignatio eſſe ſanatum? Negavit quidquam ſe videre uxor: & virum hallucinari arbitrata, illum è lecto ſurgere volentem prohibuit: ſed illuceſcente die Joannes ſanus, & valens è lecto ſine alicujus auxilio ſurrexit, veſtibus ſe induit, domumque egreſſus, templum Societatis expeditè adiit: & in gratiarum actionem, rite animo per confeſſionem expiato, Miſſæ ſacrificio interfuit, religiosè, ac piè ſacrâ ſe Communione refecit; poſtea domum rediit, ſemperque benè ſe habuit. AUCTORE J. P.

letali vulnere ſanitati reſtitutis.

1085 III. Aliud miraculum haud minus inſigne interceſſione Servi Dei factum reſplenduit in perſonâ Hieronymi Honuphrii Etruſchi, pueri decennis, incolæ oppidi Gandiæ, Valentinæ diœceſis. Is cum anno MDCI, lethale in ſupercilio prope tempora vulnus accepiſſet, propter quod totius oculi tumor, & vehemens febris acceſſerant; parentes ejus Petrum Manarem chirurgum ad curam ejus pueri vocarunt, qui per menſem integrum medicamenta ex artis præſcripto adhibuit; ſed omnia eventu irrito. Etenim vulnus non E ſolùm non ſolidabatur, ſed adeo latum & profundum erat, ut inſerendum eſſet linamentum digitale; tantaque ſanie & putredine fluebat, ut chirurgus ipſe ſatis miraretur, certóque crederet, os aliquod intus eſſe confractum. Quoniam autem inſpectio & apertio vulneris, quæ omnino neceſſaria judicabantur, ipſi Petro plena periculi videbatur; ut ſuæ conſcientiæ & exiſtimationi conſuleret, die Lunæ veſperi, poſt adhibita ſolita medicamenta, juſſit vocari, & manè proximo conſecuturo adeſſe Joannem Baptiſtam Cuevas, alterum chirurgum, ut ambo communicatis conſiliis, illi vulneri in pejus quotidie fuenti medicinam pararent. Convenerunt horâ ſtatutâ coram infirmo: & facta per dictum Petrum relatione curationis adhibitæ, remotis faſciis, quibus vulnus erat opertum, & obligatum, præter omnem expectationem, meritis Servi Dei, cui mater pueri, voto jam facto, illum commendaverat, vulnus illud penitus obductum, clauſum & ſolidatum invenerunt: quod interceſſioni Servi Dei uterque parens, & ipſi chirurgi tribuerunt, patiterque Deum mirabilem in Sanctis ſuis prædicârunt.

Hydropiſis,

1086 IV. Miraculum præterea, quod eodem anno contigit in Magdalena Talavera, idem oppidum incolente, juſtam etiam habet admirationem. Hæc cum per tres annos gravibus laboraſſet obſtructionibus, quæ illam jam effecerant hydropiſim, quam confirmatam appellant, ejuſque ventrem adeo tumentem & inflatum reddiderant, F ut ſe de loco ad locum movere non poſſet, niſi permoleſtè; nec ulli prorſus operi faciendo eſſet idonea: videns remedia à duobus medicis adhibita ſibi nihil profuiſſe, ſeque ab ipſis medicis pro inſanabili jam eſſe relictam, ad divina ſubſidia perfugium habuit: ac ſub initium menſis Aprilis votum Deo fecit, promiſitque, ſe, ſi per interceſſionem ſervi Dei Ignatii priſtinam valetudinem recuperaret, quotidie ſemel orationem Dominicam, atque Angelicam ſalutationem recitaturam. Voto nuncupato, eximio pietatis ſenſu, imaginem Servi Dei ventri maximè tumenti, atque inflato admovet; ſtatimque meliùs ſe habuit, depulſuſque eſt morbus obſtructionis, & hydropiſis; ita prorſus, ut & intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, & ſemper benè ſe habuerit uſque ad annum MDCVI: quo tempore ex morbo pleuritidis mortua eſt.

AUCTORE J. P.

1087 V. Valetudo etiam Ferdinandi Pretel de Mendoza, meritis Servi Dei comparata, valde ejus ſanctitatem illuſtrat. Is cum die XXIX Septembris MDCIII in febrim incidiſſet tertianam, quæ mox in duplicem, deinde in peſtilentem unà cum quodam mentis ſtupore, & extraordinariis horroribus, ex humorum abundantia, & virium naturalium defectu accidentibus, degeneraverat, multis purgationibus incaſſum adhibitis, vis morbi adeo aucta erat, ut à medicis deſtitutus in ſupremo jam mortis diſcrimine verſaretur. Interim tamen ipſe ritè confeſſus, & Communione inſtructus, ſacrum Oleum, quo eſt perunctus, efflagitavit. Quibus ita perfectis, die tertia Decembris manibus tenens imaginem Servi Dei, quam è collo penſilem geſtabat, ad eum clamavit, & ex toto corde ad ſalutem obtinendam ſe illi commendavit: extemplo convaleſcere cœpit, morboque liberatus eſt; & die XIII ejuſdem menſis ſanus in ſumma hyemis vi montes per frigidos equitans, Valentiam, quæ itinere novem dierum Valliſoleto diſtat, profectus eſt.

febris peſtilens,

B

1088 VI. In Anna Barzellona in eodem oppido habitante, valde perſpicuum effulſit aliquando miraculum. Erat hæc ferè ſexagenaria; totoque jam biennii ſpatio, & eo ampliùs, morbo paralyſis tam graviter vexata fuerat, ut immobilis eſſet ad omne opus laboris, & gradus aſcendere, aut ex iiſdem deſcendere non poſſet, niſi ſcipionibus innixa: quorum tamen beneficio potiùs reptabat, & ſui corporis membra ſecum trahebat, quam incederet. Cum ita ſe haberet, & admota medicamenta nihil profeciſſent; ecce tibi novus apoplexiæ in altero latere morbus accedit: propter quem omnino impotens atque immobilis effecta, in lecto decubuit, in quo ſe commovere non poterat. Et quoniam ex acerrimis doloribus nullam neque nocturnæ, neque diurnæ quietis partem per octo dies capere potuerat; valde debilis atque imbecillis effecta jam fuerat. Humanis itaque remediis ſe omnino deſtitutam intelligens, atque ad divinam opem receptum eſſe quærendum cernens; ad capellam Servi Dei, in eccleſia collegii ſupradictæ Societatis poſitam, auxilio Margaritæ ſororis ſuæ, & adminiculis ſcipionum adjuta, intra ſpatium duarum horarum acceſſit, ibique ardenter effundens preces, vo-

paralyſis,

C

to ſe adſtrinxit, & pollicita eſt, ſi per Servi Dei merita optatam recuperaret ſanitatem, unam ſe novemdialem in illius honorem facturam eſſe; curaturamque præterea, ut ſemel Miſſæ ſacrificium offerretur; ſeque, præeunte Confeſſione, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpturam; cereamque imaginem in accepti beneficii monumentum, in eodem ſacello ſuſpenſuram. Voto ſic nuncupato, illicò melius habere ſe cœpit: genu, quod prorſus erat immobile, ſtatim flectit, inſtitutam orationem abſolvit: ſingulari quodam voluptatis ſenſu perfuſa ſurgit, & domum lætabunda regreditur gradu expedito; totoque illo die ac nocte inſequenti, inchoata valetudo ita eſt aucta, ut jam illuceſcente manè, ſana omnino ad collegium accurrerit expeditiſſimè, gratias Deo & illius ſervo Ignatio redditura.

1089 VII. Joannæ quoque Claræ, & Nogueræ viduæ Majoricenſi, annos natæ LVI circiter, cæcitate laboranti, videndi facultatem reddidit Servus Dei. Hæc toto biennio gravi morbo oculorum laboraverat, & in fine primi anni viſum alterius oculi omnino ac prorſus amiſerat: altero verò perparum videbat. Cum adhibita medicamenta nullum ei fructum attuliſſent; immò potiùs in deteriorem eam conjeciſſent ſtatum; ſic, inquam, ut alterius oculi viſu privata jam eſſet, humanis diffiſa præſidiis, ad divina ſe convertit. Cum ergo primùm ipſa per ſe ter Dominicam, Angelicamque recitaſſet orationem, & eaſdem deinde à fratre, domeſticiſque ſuis flexo genu recitari juſſiſſet, fruſtulum oſſis, & quamdam ſubſcriptionem Servi Dei ſuper oculos imponi ſibi voluit. Quod ubi factum eſt, ceſſavit ſtatim dolor oculorum, cœpitque videre. Tum recitatis iterum ter iiſdem precationibus, & oculis rurſus impoſitis reliquiis, meliùs vidit; omnique oculorum vitio, ac cæcitate prorſus eſt liberata.

cæcitas,

D

1090 VIII. Bartholomæus Conteſti, civis Majoricenſis chirurgus, annum agens LXII, haud minùs in hujus imploratione Servi Dei beneficium eſt expertus. Is adeò acerbis, & diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut præ nimio dolore ſæpè ad terram allideretur. Acceſſit in oculorum altero tam gravis ophthalmiæ morbus, id eſt inflammatio oculorum, ut alterum etiam per quemdam quaſi conſenſum divexaret, & efficeret, ut ne tenuiſſimum quidem lucis radium perferre, aut quidquam edere, aut aliquantulum quieſcere poſſet; ob idque in tenebroſo cubiculo conditus, inde non egrediebatur. Quod ſi aliquid cibi demum ſumere cogebatur, alienæ id miniſterio manus ſumendum erat. Humana remedia fuerunt adhibita plurima & multiplicia; ſed omnia incaſſum, morbo ſemper in deterius ruente. Eò denique deventum eſt, ut Bartholomæus ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, futurum, ut ſi viveret quidam paſtor chirurgus, ſibi oculum erui, & radicitus extirpari juſſurus eſſet. In hoc ſtatu poſitus, auditis miraculis multis, quæ Servi Dei interceſſione fiebant, magna ſpe concepta, & erga illum eximia religione incenſus, anno MDXCVII juſſit ad ſe afferri illius ſubſcriptionem, eodemque temporis puncto, quo fuit ea reliquia ad illum delata, benè ſe habuit; capitis & oculorum ceſſavit dolor, viſum recuperavit & lucis ſplendorem, quem antea adeò averſabatur, ſine ulla offenſione ſuſtinuit. Surrexit demum è lecto, & cibum petens comedit, quievitque magno cum voluptatis ſenſu. Atque ut intelligeretur tam ſubitam curationem divinæ virtuti, atque interceſſioni Servi Dei tribuendam eſſe, bis terve ſacrâ reliquiâ è cubiculo ejuſdem ægroti exportatâ, illico dolor antè ſublatus rediit; eâdemque in cubiculum reductâ, illico morbus diſceſſit. Quo facto admonitus Bartholomæus, ſacram reliquiam apud ſe retinuit. Atque ita intra tres vel quatuor dies ita perfectè ſanatus eſt, quaſi numquam ægrotaſſet.

acerbi ac diuturni capitis dolores,

E

F

1091 IX. Non multo pòſt in eadem urbe, in perſona Columnæ Cortei, & Vich, aliud interceſſione Servi Dei perſimile miraculum accidit: quæ capitis dolore adeo vexabatur, ut neque die, neque noctu quieſceret. Supervenit per duos, vel tres menſes in uno oculorum tantus cruciatus, ut nec palpebram attollere, nec lumen videre poſſet. Denique cæca prorſus evaſit. Quin erat adeo vehemens dolor, ut nonnullis noctibus ipſemet oculus è capite ſibi exiiſſe videretur, & propterea vocaret maritum, ut oculum ſuo loco reponeret. Cum in humanis remediis, quorum plurima fuerunt adhibita, nullam amplius poneret ſpem, morbo ſemper incrementa capiente; anno MDXCIX, certior facta eſt de miraculo jam facto per interceſſionem, & reliquiam Servi Dei in perſona ejuſdem Bartholomæi Conteſti, qui ſimili morbo laboraverat. Quo audito, miſit qui cam

dolor capitis cum cæcitate,

A eam reliquiam ad ſe deferrent: quâ allatâ, & ſuper oculos (prævia Servi Dei invocatione ac precatione) impoſitâ, palpebra, quæ priùs per chirurgos aperiri non poterat, confeſtim ultrò ac per ſe cœpit aperiri: ceſſavit dolor: lucis ſplendorem pertulit: atque intra tres dies paulatim viſum omnino recuperavit, & perfectè convaluit.

tumor ac durities mammillæ ſoſpitantur.

1092 X. Poſtremo loco Relationem concludit ſpectabile miraculum, interceſſione Servi Dei editum in perſona D. Joannæ de Aragona, & Pignatellæ, ducisſæ Terranovæ, viduæ relictæ D. Caroli de Aragona, ducis Caſtri Vetrani in regno Siciliæ, annos agentis xxxv. Hæc dum eſſet Neapoli apud Hectorem ducem Montis leonis ejus germanum anno MDXCIX, quatuor jam menſes vehementiſſimo dolore cruciabatur, ex tumore & duritie alterius mammillæ, in parte ſuperiori. Remedia adhibita fuerunt à medicis, & chirurgis præſtantiſſimis dictæ civitatis quamplurima, ſed nullo cum fructu. Dolore igitur magis magiſque creſcente, ægrota eò demum redacta eſt, ut neque pedes, neque brachia movere poſſet, quin ſibi viſcera transfigi quodammodo viderentur. Cum ergo ad opem ſervi Dei Ignatii confugere decreviſſet, petiit, impetravitque illius imaginem ab Hieronyma Columna ejus matre: quam religiosè venerata, impenſiùs ſe illi commendat. Manè facta ſunt hæc: veſperi ejuſdem diei ipſa Joanna ſana ſine tumore, ſine duritie, & ſine ullo doloris ſenſu reperta eſt.

B

Concluſio hujus Relationis.

1093 Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ ex legitimis actis hujus cauſæ dicenda fuerunt de vita, & moribus ſervi Dei Ignatii, deque miraculis illius interceſſione jam factis. Quibus copioſiùs in multis congregationibus perpenſis, atque diſcuſſis, Cardinales congregationis ſacrorum Rituum in eam ſententiam unanimes venerunt, & ita decreverunt: poſſe Sanctitatem Veſtram (ſi ei placuerit) ad ulteriora procedere, & canonizationem ſervi Dei Ignatii, Fundatoris Societatis Jeſu, juxta ſacros Romanæ Eccleſiæ ritus perficere, & ſolemniter celebrare, & ipſum Ignatium inter Sanctos referre.

§. CII. S. Iſidoro proximus in canonizatione S. Ignatius; elogium ejus; dies iſtius ſolennitatis; ſententiæ Cardinalium circa eam prolatæ.

C

Secundo loco B. Ignatius canonizandus ob varias rationes.

S*Æpe nominatus documentorum noſtrorum Romanorum compilator, ſcriptum ibi ſe reperiſſe affirmat Italicum, ſic ſonans Latinè:* Rationes aliquot, cur beato Ignatio non ſit præferenda canonizatio niſi beati Iſidori. Traditæ fuere Cardinali Farneſio, & Cardinali Sourdis, ut eas exhiberent ſuæ Sanctitati. 1o. Rex Chriſtianiſſimus à Sanctitate ſua obtinuit, ut beatus Ignatius canonizaretur primus poſt beatum Iſidorum; atque id expectavit hactenus ſua majeſtas. Itaque, ſi jam ſecus fieret, neſcitur, quomodo id acciperet. 2o. Hæc Sanctitatis ſuæ voluntas & promiſſio facta regi Chriſtianiſſimo, totum per orbem vulgata eſt, eamque executioni mandandam omnes expectant: ita ut, ſi fiat mutatio, admirationis cauſam ſit præbitura. Et præterquam quod afflictura ſit omnes beato Ignatio devotos, non vacabit periculo exiſtimationis illius Beati aliqua ex parte imminuendæ. 3o. Beatus Ignatius eſt beatâ Tereſiâ antiquior tempore: antiquior ipſius Religio: expeditio remiſſoriarum in ordine ad canonizationem antiquior: antiquior inſuper beatificatio: denique expeditio proceſſuum in Rota ac Ritibus antiquior eſt. Non videtur ergo poſtponendus in canonizatione. 4o. Res jam tamdiu antè ſtabilitæ mutari modò nequeunt, niſi ad tempus notabile differatur canonizatio beati Iſidori: hinc autem fiet, ut multo diutius differatur canonizatio beati Ignatii non ſine iis incommodis, quæ quiſque facilè perſpicit: propterea quod jam facti ſint apparatus &c. *Ex dictis quarto loco, videtur actum fuiſſe, ut S. Tereſia præferretur omnibus.*

AUCTORE J. P.

Tria habita conſiſtoria;

1095 *Idem, qui ſuprà, notitiarum Romanarum de S.* Ignatio *collector iſta ex alio ſcripto Italico deprompta tranſcribit:* Sanctitas ſua variorum principum precibus & propria devotione mota, accedente judicio congregationis ſacrorum Rituum, decrevit inter Sanctos referre quinque Beatos ſimul, hoc ordine: B. Iſidorum ad preces regis Catholici, quia jam tum à felicis recordationis Paulo V id publicatum erat, & quia vixerat abhinc annis quingentis: B. Ignatium Societatis Jeſu Fundatorem, B. Xaverium, Indiarum & Japoniæ apoſtolum, ob devotionem ſuam peculiarem: B. Tereſiam, & B. Philippum fundatorem Oratorii. Ac propterea de more tria indixit conſiſtoria. Primum ſecretum EE. DD. Cardinalium, qui conſenſu maximo dixêre pergendum. Alterum publicum, quale dari ſolet principibus; in quo canonizatio B. Iſidori petebatur à rege Hiſpaniæ, B. Ignatii ab Imperatore, rege Galliæ, rege Hiſpaniæ, eccleſiis Hiſpaniæ, aliiſque principibus: B. Xaverii ab Indiis & patribus Societatis: reſponſumque nomine ſuæ Sanctitatis in commendationem Beatorum, utque fierent preces ad Deum pro re tam ardua. Tertium ſemipublicum omnium EE. DD. Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, protonotariorum, qui Romæ erant, quod ferè totum reſolvebatur in laudes Societatis, à B. Ignatio fundatæ. Alia tria habita fuêre pro B. Tereſia, & B. Philippo, de quibus hîc non agitur. In tertio conſiſtorio ſtabilitum fuit, canonizationem celebrandam XII Martii, feſto S. Gregorii, ſabbato Ad ſitientes. *Profero ſequentia ſuper hac re documenta, è Romano Societatis Jeſu tabulario etiam eruta, & à ſæpe citato P. Ignatio Pinio huc tranſmiſſa.*

E

F

decernitur ejus canonizatio;

1096 Romæ apud ſanctum Petrum die Mercurii XVI Februarii MDCXXII fuit conſiſtorium ſemipublicum, in quo ſanctiſſimus dominus noſter Gregorius XV interfuit cum RR. DD. S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, qui poſt ſubſellia prædictorum RR. DD. Cardinalium ſedebant. Fuerunt inſuper protonotarii de numero, & Rotæ Auditores. Adfuit quoque fiſci procurator, & R. D. Ciampolus, ſuæ Sanctitatis ſecretarius, unà cum cubiculi magiſtro & pincerna, ceteris dimiſſis. Et idem Sanctiſſimus mitrâ aureâ, & pluviali rubro ornatus, ſedit in ſimplici conſueta ſede conſiſtoriali, à Cardinalibus diaconis, & protonotariis, cruce præeunte, deductus; & gravi ac pia oratione egit de canonizationibus Sanctorum, & inſimul Eccleſiæ authoritatem demonſtravit; & beatorum Iſidori agricolæ, Ignatii Loyolæ, Fundatoris Societatis Jeſu, ac Franciſci Xaverii ejuſdem Societatis, de quibus nunc erat agendum, vitas, mores ac miracula enarravit, juſſitque, ut ſententiæ dicerentur.

AUCTORE J. P

Unde RR. DD. Cardinales ordine ; primùm de canonizandis prædictis Beatis protulerunt vota; quibus dicentibus, patriarchæ, archiepiſcopi, & epiſcopi, omneſque reliqui detecto capite ſtabant. Deinde iidem patriarchæ, archiepiſcopi, & epiſcopi dixerunt, approbaruntque. Poſtremò idem affirmarunt ſacri Palatii Auditores. Quibus peractis, procurator fiſci petiit, ut ſua Sanctitas mandaret protonotariis acta hæc omnia ut adnotarent, ſervarentque de more. Interim autem eadem ſua Sanctitas, poſtquam cenſuit hujuſmodi Beatos in Sanctorum numerum eſſe referendos die XII Martii proximè futuri, hortata eſt omnes, ut jejuniis, eleemoſynis, & orationibus pro divinâ ſancti Spiritus gratiâ ſupplicarent. *Hæc ubi præmiſſa, ſubjungitur ibidem*, BB. Ignatii ac Xaverii laudatio die XXVII Januarii MDCXXII. *Verùm, his prætermiſſis, pergo ad Gregorii PP. XV propoſitionem ac rogationem ſententiarum de canonizatione* B. Ignatii, *nec non Cardinalium, aliorumque antiſtitum circa illam ſuffragia ; ſecundùm noſtra ecgrapha è tabulario Romano deſumpta ; in quibus dictus Pontifex de* B. Ignatio *ſic fatur :*

B *Laudatur is à Pontifice, ac rogatur ab illo ſententia Cardinalium.*

1097 Meritò ab hac ſancta Apoſtolica Sede honores ei debentur, qui pro ea defendenda, ac propugnanda, ſe, familiamque ſuam ſanctiſſimè devovit. Intelligitis, opinor, fratres dilectiſſimi, de quo loquamur. Nobis profectò videtur accommodari poſſe B. Ignatio illud præconium, quod de Joſue Scriptura commemorat : Fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum, expugnare inſurgentes hoſtes (Eccleſiaſtici XLVI,) ut conſequeretur hereditatem Iſrael. Nam & igne charitatis in Deum exarſit Ignatius, & ignem illum in eos, qui prædeſtinati ſunt à Deo, indeſinenter immiſit ; & hoſtes eodem ipſo tempore adverſùs electos Dei inſurgentes, ſacrâ militiâ conſcriptâ, & contrariis armis inſtructâ, expugnare cœpit, & quotidie Deo duce, magno Eccleſiæ bono, expugnat : ut propterea ſicut ille beatæ patriæ hereditatem conſecutus eſt meritis ſuis, ita definitione noſtra id declarari, æquum eſſe judicemus. Perſuadet hoc nobis ejus vita per virtutes admirabiles, & generi humano ſalutares perpetuò tradueta, & miraculis, antè ac poſt mortem editis, divinitus illuſtrata. Gratum tamen nobis erit, ſi quod vos, fratres, ſuper hac re ſentitis, in præſentia referatis.

C *Suffragia Cardinalis à Monte,*

1098 *Suffragia S. R. E. Cardinalium, in ſupradictis noſtris contenta Romanis ecgraphis, ſunt hæc :* Franciſci Mariæ Cardinalis à Monte : Ignatius Loyola ab humana ad cæleſtem militiam à Deo vocatus, præter innumeras ejus virtutum laudes, laboreſque immenſos, pro divini nominis gloria ſuſceptos, ad optatumque finem perductos, Catholicam fidem, ac religionem, quam humani generis hoſtis hæreſes ſuſcitando labefactare tentabat, Societatem ampliſſimam omnique virtutum genere florentem, ac ornatam inſtituendo, Deo juvante, erexit, & mirandum in modum amplificavit. Unde ex tot tamque ſtrenuis Catholicæ Eccleſiæ militibus ad totum Chriſtianum orbem innumera Catholicæ fidei adjumenta, & ornamenta accedere, & in dies accreſcere conſpiciuntur. Jure igitur merito tamquam lucernam in cunctorum hominum conſpectu ardentem, per Sanctitatem Veſtram in Sanctorum numerum cooptari poſſe cenſeo.

Cardinalis Bandini.

Cardinalis Bandini : Magna ac mira ſunt, quæ geſſit Ignatius, dum viveret ; ſed multa etiam alia, & fortaſſe majora quotidie gerere dicendus eſt. Nam quotquot cæleſtis doctrinæ ſemina ubique terrarum Societas ab ipſo inſtituta ſpargit ; quot ethnicos aut hæreticos ab erroribus avocat, quot gymnaſia ad ſapientiam promovendam alit, Ignatio ſunt accepta ferenda, non tantùm quia hæc docuit, ſed quia vivens etiam opere complevit. Qui igitur non ſolùm præteritis, ſed futuris etiam in dies illuſtrioribus clareſcit meritis, dignus ſanè eſt, ut ad majorem Dei gloriam, ut verbis Ignatii utar, quæ ſemper in ore habebat, in album Sanctorum, ſi Sanctitati Veſtræ videbitur, referatur. D

Cardinalis Peretti,

Cardinalis Peretti : Cum admirabile Ignatii Loyolæ in Sedem Apoſtolicam ſtudium extiterit, jure optimo Sancti appellationem ab ea vindicare ſibi videtur. Etenim compluribus editis egregiæ probitatis exemplis, eam demum Societatem inſtituit, quæ hujus ſanctæ Sedis obſequiis, perpetuis ſeſe votis obſtringeret.

Cardinalis Gimnaſii,

1099 Cardinalis Gimnaſii : Beato Ignatio lux maxima fuit à Deo : nam omiſſis, quæ de ejus vita laudabili, & miraculis probata dicuntur, in fundatione Societatis ei magis lucere viſa eſt, cum ex ipſa tot doctores eximii, martyres, confeſſores oriantur, per quos fides Chriſti in univerſum mundum prædicatur, verum lumen, quod ex luce lucet. Hæc mihi ſola ratio ſufficiens videtur, ut Deo carus Servus judicetur. E

Cardinalis Millini,

Cardinalis Millini : Beatiſſime Pater. Beatus Ignatius Loyola non eis tantùm virtutibus, quæ ad vitam rectè inſtituendam ac fugienda vitia pertinent, prædicandus eſt ; verùm etiam uti magnæ illius Societatis author, quæ in univerſo mundo fidei Catholicæ propagatrix, Martyrum fœcunda mater, & virtutum omnium ſpeculum, & exemplar jure poteſt appellari ; ſuaviſſimâ ſanctitatis fragrantiâ, & miraculorum ſplendore replevit orbem terrarum. Juſtum itaque judico, & expedire Eccleſiæ Dei exiſtimo, ut à Sanctitate Veſtra inter Sanctos referatur.

Cardinalis Madrutii,

Cardinalis Madrutii : Admiror ſanctitatem vitæ beati Ignatii Urbi & orbi probatiſſimam, ejuſque eximiam fidem, ob quam puto meruiſſe eligi Fundatorem tantæ Religionis, ad propagationem ejuſdem fidei ex animo incumbentis, ad cujus etiam fidei decus, in Sanctorum numerum videtur adſcribendus.

Cardinalis Lantes,

Cardinalis Lantes : Beatiſſime Pater. Cum ea, quæ de beati Ignatii vita, admirabili exemplo tradueta, tam in ſecreto, quam in publico conſiſtorio in medium allata ſunt, veris probationibus innitantur, zelus, & ſalutis alienæ ſtudium, qua laude in primis beatus Ignatius floruit, poſtulare mihi videntur, ut eum Sanctitas Veſtra ex illorum numero eſſe decernat, quos Chriſtiana pietas quotidianis honoribus veneratur. Quem enim tamquam ducem Marcellus II ad Catholicam fidem tuendam conficere bellatores juſſit, ut iis poſtea ipſe, aliique ſummi Pontifices uterentur, eumdem aliquando decet, ſublato ſanctitatis vexillo, in Eccleſiæ militantis caſtris, & in confertiſſimo nationum omnium theatro triumphare. F

Cardinalis Borgiæ,

Cardinalis Borgiæ : Cum Ignatius à Loyola eximiis ſuis virtutibus, ac Religione Societatis ad fidei propagationem, ac Catholicæ Eccleſiæ defenſionem inſtitutâ, maximum eidem Eccleſiæ attulerit præſidium, & ornamentum ; æquiſſimum eſt, ut Sanctitas Veſtra, vicarius Chriſti, eos Ignatio decernat honores, quibus viri inſignes de eadem Chriſti ſponſa optimè meriti decorantur.

Cardinalis Ubaldini,

1100 Cardinalis Ubaldini : Quotquot ſunt ubique terrarum Societatis Jeſu in hanc ſanctam Sedem, & Catholicam religionem egregia merita ;

A ta ; tot profectò habemus beati Ignatii Loyolæ miracula, tot argumenta ſanctitatis : quam ritè, legitiméque probatam, dum Chriſtianus orbis agnoſcit univerſus, Gallia præſertim ipſa jam dudum in preces effuſa, tantam Hiſpani viri virtutem admirata, atque opem experta, meritò S. Va. Eccleſiæ triumphanti illum debet adſcribere, qui militanti tot bellatorum millia tam feliciter adſcripſit.

Cardinalis Sabelli. Cardinalis Sabelli : Beatum Ignatium, magnum fructuoſiſſimæ in Chriſtiana republica Societatis Fundatorem, religioſiſſimum cultorem hujus ſanctæ Sedis, cui ſe ſuoſque ſolemni voto perpetuis obedientiæ vinculis mancipavit, clarum ob res geſtas celſiores manu mortali, qui eccleſiaſtici agri vineam aſperis, ſibi tamen ſuaviſſimis laboribus coluit, glorioſis ſudoribus irrigavit, atque à pullulantibus hæreticorum ſpinis pro viribus expurgatam, heroicis virtutum exemplis, & ſanctiſſimis inſtitutionibus fœcundavit, quique, cum induiſſet Jeſum Chriſtum, ejuſque nomen cordi altiùs inſculptum geſtaret, ac totum undique Jeſum factis, dictiſque ſpiraret, ejuſdem etiam ſa-

B cratiſſimi nominis charactere egregiam, quam inſtituit familiam, voluit eſſe condecoratam, juſſitque ipſius filios non minus Jeſu dare, quàm ab eo nomen accipere, ut eſſent hoc etiam nomine Domino noſtro Jeſu mutuis nexibus obligati; hunc, inquam, terrena ſorte longè majorem, digniſſimum cenſeo, cui à Sanctitate Veſtra cæleſtes tandem honores decernantur, ut ita in dies magis magiſque militanti Eccleſiæ cæleſtium bellatorum auxiliaris numerus augeatur.

Cardinalis Bentivoli, Cardinalis Bentivoli : Beatiſſime Pater. Cum ex Ignatiana familia tot excellentes viri in omni virtutum genere apud univerſas Chriſtiani orbis nationes prodierint, dubitandum non erat, quin earumdem omnium virtutum ſingulare quoddam exemplum ſuis alumnis perpetuò imitandum, ipſe Parens tantæ familiæ beatus Ignatius Loyola in ſe ipſo præbuiſſet. Id quod cum abundè pateat ex iis, quæ relata ſunt de illius vita, & miraculis, idcircò præclarè actum iri cum univerſa Chriſtiana republica, & præcipuè cum hac ſancta Sede Apoſtolica exiſtimaverim, ſi Beatitudo Veſtra nunc eum in ordinem Sanctorum cooptare decreverit. Nec dubito, quin præſertim rex Chri-

C ſtianiſſimus, qui ſummis precibus hoc à Veſtra Beatitudine efflagitavit, ſummas etiam gratias illi de hoc, tamquam accepto beneficio, quamprimùm redditurus ſit.

Cardinalis Sfortiæ, Cardinalis Sfortiæ: Ignatius Societatis Jeſu Fundator, de Chriſti Eccleſiâ univerſa, & iſta ſancta Sede tum ſuis, tum ſuorum in Chriſto filiorum laboribus ita benè meritus eſt, ut nihil aptiùs fieri poſſe cenſeam, quàm publicum illi cultum exhiberi.

§ CIII. Reliqua purpuratorum Patrum ſuper B. Ignatii canonizatione ſuffragia.

Cardinalis Barberini, CArdinalis Barberini : Eat inficias nemo, Dei munere nobis eſſe datum beatum Ignatium tempore, quo contra debacchantes hæreſes, & in hujus ſanctæ Sedis perduelles propugnaculum excitaret, ex quo non ipſe ſolùm, ſed ejus inſtituti viri religioſi jugiter, & fortiter dimicarent. Ejus nomen apud omnes populos celebre ob ea, quæ mirabiliter ſupra vires humanas patravit, & vitam ſanctiſſimè peractam : dignus habitus eſt in Auditorio ſacri Palatii, & per patres à ſacris Ritibus, ut ei radiato capite Sanctorum cultus deferatur ; quorum deliberationi meritò Veſtræ Sanctitatis accedet authoritas. Fuerunt orbi Chriſtiano ſuſcepti ab eo pro fide Catholicâ labores maximè ſalutares; erunt additi honores non minùs glorioſi.

AUCTORE J. P.

Cardinalis Aldobrandini. Cardinalis Aldobrandini : Ex quo beatus Ignatius Loyola vocatus ab aula & ſeculari militia, Deo imperatori nomen dedit, inſignis in Eccleſiâ religioſi Ordinis dux ipſe fuit, & in eodem tam piè ſanctéque ad exitum uſque militavit, ut vivens virtutum operibus, & multis poſt obitum miraculis, Deo authore, Sanctitatis famam comprobaverit. Itaque cenſeo, poſſe Sanctitatem Veſtram in Sanctorum numero illum collocare.

Cardinalis Eſtenſis, Cardinalis Eſtenſis : Vitæ innocentia, miræ prolis partus, & miracula beati Ignatii merentur, ut Sanctitas Veſtra illum addat numero Sanctorum.

Cardinalis Philonardi, 1102 Cardinalis Philonardi : Undique reſplendent certæ & indubitatæ probationes, beati Ignatii de Loyola, celeberrimæ Societatis Jeſu primi inſtitutoris, inſignem ſanctitatem, pietatem, & illuſtre cunctis ordinibus virtutum ſplendeſcentium exemplum, ejuſque miracula tam in vita, quàm poſt mortem, ritè rectéque probantes. Ultra illas, in actis hujus canonizationis legitimè & ordine redactas, aliæ etiam extant probationes, & teſtes luce meridiana clariores. Teſtis eſt inſignis ab ipſo Beato inſtituta Religio, ſanctiſſimis legibus exornata, & per univerſum orbem longè latéque cum divini cultûs augmento diffuſa ; quæ ſicut ſol, ſplendore ſuo, etiam qui lucem oderunt, velint nolint, ſemper colluſtrat. Teſtes ſunt non tantùm fideles, ſed etiam infideles, qui hujus Beati operâ, ut errantes oves ad Catholicæ Eccleſiæ regionem ſunt revocati. Non obſcura ſunt teſtimonia, tot inſignia ab hoc Beato fundata cœnobia, erecta collegia, ædificata ſeminaria, & ampla ad cultum divinum munificentiſſimè conſtructa templa ; teſtis denique locupletiſſimus non ſolùm Urbs hæc, in quâ Deus per hunc Servum tot miracula operari dignatus eſt, & ubi glorioſiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli, ei propitium fore Deum ipſum, eidem

E Beato promiſerunt, & ubi ejus corpus requieſcit ; ſed orbis univerſus ; & præclariſſimè teſtatur etiam orbis novus, in quo nomen Domini, operâ hujus Beati, & per ejus filios illius gentibus allatum eſt. Unde ex his omnibus juſtiſſimè cenſeo, Sanctitatem Veſtram debere devenire ad canonizationem hujus Beati, & omnium venerationi illum exponere, & ab omnibus debere honorari, quem honorat Deus in cælo, ad conſolationem fidelium illam expoſcentium, ad confuſionem hæreticorum, ad gloriam & honorem ipſius Dei.

Cardinalis Veralli, 1102 Cardinalis Veralli: Cum multa ſint, quæ per proceſſus juridicè fabricatos, & per ſacram Rituum congregationem approbata fuerunt, miracula de beato Ignatio Loyola, Societatis Jeſu Fundatore, ut in confeſſum Cælitum adſcribatur : humilitas tamen & charitas meo judicio multis à Deo miraculis illuſtrata, eum Virum cælo digniſſimum reddiderunt. Sanè qui ædificium tantæ celſitudinis extollere debebat, meritò de fundamento cogitavit humilitatis, per quam, quò magis ſe ſuaſque virtutes occultabat, eò manifeſtiorem illum reddebat Deus. Nam Alexander Petronius

AUCTORE J. P. vir fide dignus, dum in lecto decumbebat infirmus in obscuro ac tenebroso cubiculo, vidit Ignatium divinis splendoribus tota facie coruscantem. Huic humilitati tantam charitatem adjunxit, ut inter perpetuos labores ac molestias dicere cum Apostolo posset: Quis separabit nos à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an pericula, an persecutio, an gladius? Vestrum est nunc, Beatissime Pater, efficere, ut, qui se humiliavit, exaltetur, & qui tot labores ex charitate susceptit, ut mundo Deum propitiorem redderet, supremis hisce canonizationis honoribus compensetur.

Cardinalis Camporei, Cardinalis Camporei: Beatissime Pater. Quod Ignatius Loyola à terrena ad sacram militiam fuerit evocatus, quod vitam admirabili sanctitate traduxerit, quod innumeros penè hæreticos ad fidei veritatem revocaverit, maximum quidem Dei in eum dilectionis argumentum est: verùm quod fundatam exiguis principiis amplissimam Societatem tam brevi in remotissimas quasque provincias propagaverit, easque Christianæ fidei lumine illustraverit, non absque speciali cælestis gratiæ favore,
B & insignis cujusdam cum divinitate communionis merito eveniſſe censendum est. Triumphantium igitur Sanctorum honoribus illum ornandum esse existimo.

Cardinalis Valerii, 1104 Cardinalis Valerii: Beatissime Pater. Cùm processus & acta super sanctitate & miraculis servi Dei Ignatii Loyolæ jam fuerint Sanctitatis Vestræ prudentiâ diligenter indagata, primùm in sacra Rota, ac deindè in congregatione sacrorum Rituum, cui ego quoque interfui, ibique patrum unanimi consensu decretum emanaverit, dignissimum esse, qui (si Sanctitati Vestræ placuerit) solemni ritu Sanctorum numero adscribatur: reliquum est, ut, quod ego aliàs censui, nunc etiam sine ulla hæsitatione censeam, beatum scilicet Ignatium, Societatis Jesu Fundatorem, de republicâ Christianâ, & de hâc sancta Sede optimè meritum, pro Ecclesiæ Dei splendore, regum, nationum, populorumque insigni admodum devotione, posse hodiernâ die in sanctorum Confessorum ordinem solemniter referri.

Cardinalis Lenii, Cardinalis Lenii: Quantâ virtutum excellentiâ, & morum sanctitate beatus Ignatius vitam duxerit, testatum planè fuit: superest jam, ut à Sanctitate Vestra in Sanctorum numerum nomine &
C cultu cooptetur.

Cardinalis Rivarolæ, Cardinalis Rivarolæ: Inter eximiam charitatem in proximum, Beatissime Pater, & assiduum orandi studium fulget in beato Ignatio zelus propagandæ religionis, quæ nostris temporibus tot clarissimorum in Christo filiorum sanctimoniâ coruscat. Hunc divinis honoribus dignum esse censeo.

Cardinalis de Trejo, Cardinalis de Trejo: Ignatium à Loyola, Societatis parentem, uberrimos in agro Domini virtutum omnium tulisse fructus, & sacra Rituum congregatio, & experientia quotidiana testatur. Cum autem arboris cujusque præstantia juxta Salvatoris nostri sententiam, cognoscatur ex fructibus, non possunt hujusmodi eximiæ sanctitatis fructus nisi sancta ex arbore manasse: ac propterea dignum esse judico prædictum Ignatium, ut à Sanctitate Vestra Sanctorum numero adscribatur.

Cardinalis Sacrati, 1105 Cardinalis Sacrati: Beatissime Pater. Si homines qui privatis virtutibus ornati sibi ac Deo vacarunt, cælestibus honoribus digni ab hac sancta Sede habiti sunt; quanto magis hoc tribuendum videtur iis, qui præter privatas virtutes, in communem aliorum utilitatem intenti, mortales sanè quàm plurimos ad Dei cultum famulatumque traduxerunt? Hujusmodi fuisse beatum Ignatium, D
de quo verba fecit Sanctitas Vestra, ostendunt ex una quidem parte heroicæ illius virtutes atque miracula, quibus eum divina bonitas vivum mortuumque decoravit; ex altera verò ejusdem vitæ consilium, quam ab ipso conversionis initio totam in Dei gloriam mortaliumque salutem Homo hominum bono natus perpetuò direxit, institutâ propterea piorum doctorumque virorum Societate, eaque per universum terrarum orbem celeritate incredibili propagatâ; quâ insurgentibus adversùs Dei Ecclesiam hæreticis obstiti, eosque profligari, idolorum fana, ac dæmonum cultum everti, corruptos Christianorum mores corrigi, opportuno sanè subsidio, quotidie videmus. Quare beatum Ignatium in Sanctorum numerum meritò referendum esse censeo.

Cardinalis Gozzadini, Cardinalis Gozzadini: Cum Beatus Ignatius pro defendenda, & propaganda Sedis Apostolicæ authoritate se, suamque familiam summo Pontifici devoverit, & ante Deum magnas virtutes operatus fuerit, & de omni corde suo laudaverit Dominum, & in vita, & post mortem multis claruerit miraculis, ut ex processibus super ejus E
canonizatione factis constat; meritò debentur ei publici honores, & inter Sanctos connumerandus videtur.

Cardinalis Pignatelli, Cardinalis Pignatelli: Igne charitatis non fictæ mirificè exarsit, Pater Beatissime, Pater Ignatius, quod & Ignatii nomen indicat, & ejus vitæ actiones omnes testantur. Consilium Sanctitatis Vestræ, illum computandi inter filios & Sanctos Dei, probandum & laudandum censeo.

Cardinalis Gherardi, Cardinalis Gherardi: Deus noster, Beatissime Pater, qui, ut ignis consumens est, ignem misurus in mundum venerat, Ignatium Ecclesiæ suæ dedit. Nam si cuncta, quæ ignis invaserit, vertuntur in ignem; profecto Societas Ignatii non alia ratione dicta fuit Societas Jesu, nisi quod Jesus Ignatium in se verterat. Hujus pia & docta soboles pietate Catholicos fovet, doctrinâ urit hæreticos. Hæc est ignea columna, quæ, ubi Luthero Catholicæ veritatis sol occidit, tunc primùm apparuit, mox in Indico deserto præluxit. Hujus parens Ignatius, si miracula spectemus, fulget; si virtutes, cum extingui visus est, rectà in orbem suum, id est, in cælum evolavit. Hoc ipsum ego veluti divinum oraculum asserendæ Ignatii Sanctitati accipiens, eum inter Sanctos à F
Sanctitate Vestra meritò referendum esse censeo.

Cardinalis Sourdis, 1106 Cardinalis Sourdis: Vir sapiens profert de thesauro suo nova & vetera: thesauri enim Ecclesiæ sunt Sancti, quorum merita velut in gazophylacio multis profutura reservantur. Ignatius non sibi soli natus, sed, ut aliis prodesset, Societatem suam minimam vocavit; sed maximam numero, & virtute eventus demonstravit. Qui licet natus in Hispania; Societas tamen ejus ortum habuit Lutetiæ, ubi literis operam dedit, sociosque sibi ascivit, ipseque in monte martyrii sancti Dionysii unctus est oleo lætitiæ, spiritumque adoptionis filiorum Dei accepit, præcinctusque est virtute ad bellum. Justo igitur titulo primogenitus vester Ludovicus rex Christianissimus specialem se protectorem Societatis ubique terrarum ostendit, Ignatiumque sibi ac regnis in cælis patronum jungere cupit, ac instantissimè postulat à Sanctitate Vestra, ut anno à sua conversione centesimo Sancti nuncupationem oraculo sacro Sanctitatis tuæ fortiatur, quem Hispania mundo dedit, Gallia Ecclesiæ, Roma cælo.

Cardinalis Ludovisii: Quos sanctitatis titulos beato

A beatò Ignatio Loyolæ ſupplices Regum literæ, aſſiduæ populorum preces, ac totius ferè Chriſtianæ reipublicæ vota jam diu poſtulant, ei tribuendos eſſe quamprimùm exiſtimo, Beatiſſime Pater, ob Apoſtolici imperii fines propagatos, ob Societatem Jeſu inſtitutam, divini cultûs incremento & hæreticæ impietatis oppreſſione celeberrimam, ob vitæ ſanctimoniam utrique terrarum orbi ſalutarem.

Cardinalis Ludoviſii.

§ CIV. Suffragia archiepiſcoporum, & epiſcoporum; Gregorii XV reſponſio, decretum, & ſententia.

QUæ in hoc titulo deſignamus, ſequenti ordine ac forma in ſæpe dictis noſtris Romanis documentis exſtant. Ac primò occurrunt ſuffragia archiepiſcoporum & epiſcoporum.

B Archiepiſcopi Rhodienſis: Equidem Ignatium Loyolam, Beatiſſime Pater, jam pridem inter Sanctos referendum eſſe cenſeo, & exopto: hoc pro pietate in ipſum mea, & in Societatem Jeſu, cujus ipſe Fundator eſt, obſervantia; illud pro meritis, & miraculis. Nam ipſum hæreſum expugnatorem, idololatriæ deſtructorem, iſtius auguſtiſſimæ Petri Sedis propugnatorem, heroëm Chriſti laudatiſſimum Urbs & orbis agnoſcit.

Archiep. Rhodienſis,

Epiſcopi Bellicaſtrenſis: Ferax grataque Deo Ignatii proles, Beatiſſime Pater, ardentem tanti Patris in Chriſtum amorem, mundi contemptum, vitæque ſanctitatem miraculis comprobatam, clarè demonſtrat. Quare Sanctitatis Veſtræ partes eſſe exiſtimo, illum ad aras fidelibus venerandum proponere, ut tamquam lucidiſſima virtutum fax ex edito loco mortalibus viam perfectionis oſtendat.

epiſcopi Bellicaſtrenſis,

Jacobi epiſcopi Vercellenſis: Hic debet & gloriam habere cum Chriſto, qui mala toleravit propter Chriſtum, quique optavit pro aliena ſalute anathema eſſe à Deo, apud quem nullum tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.

epiſcopi Vercellenſis,

D. Franciſci Muttini epiſcopi Brugnatenſis: Beati Ignatii converſio, Beatiſſime Pater, à Principis Apoſtolorum apparitione ſingulariter exordium cepit; argumentum videlicet Apoſtolici inſtituti, à tanto Patriarcha poſteà profecturi: proinde cum illum ſibi Apoſtolus delegerit ſuæ authoritatis amplificatorem, æquum eſt ab eadem Apoſtolica Sede, cum ipſo & illum habere ſedem in cælo, declarari.

Brugnatenſis,

C

D. Sebaſtiani Buthillerii epiſcopi Aduренſis: Jure etiam optimo Ludovicum XIII, regem Chriſtianiſſimum, Eccleſiæ primogenitum, interceſſorem nactus eſt beatus Ignatius, qui univerſum terrarum orbem virtutum ſplendore, perennibuſque ſuis ac ſuorum, pro reipublicæ Chriſtianæ ſalute excubantium laboribus, & vigiliis debitorem ſibi fecit.

Aduренſis,

1108 D. Lucæ Alemannni olim epiſcopi Volaterrani: Ignatium, quem potiùs Ignitum dicerem ob eximiam, quâ exarſit, charitatem in Deum & proximum, Societas Jeſu patrem, & fundatorem agnoſcit. Huic Societati quantum debeat reſpublica Chriſtiana, nemo eſt qui neſciat: æquè nota eſt omnibus hujus viri ſanctitas, nec non rerum omnium terrenarum contemptus, ſed præcipuè ſui ipſius abnegatio; quare digniſſimum cenſeo, qui inter Sanctos referatur, dummodò placitum accedat Sanctitatis Veſtræ.

Volaterrani,

D. Bovii epiſcopi Balneoregienſis: Beatum Ignatium Loyolam vitæ innocentiâ, & miraculis præſtantem, dum nobiliſſimam Societatem ab illo fundatam inſpicio, magno Patriarchæ Jacob non abſimilem dicere audeo, quando in beato Ignatio munus illi ſimile videtur impletum, quod fuerat Jacob à Domino promiſſum, ut ſcilicet illius ſemen ſuper ſtellas cæli, & maris arenam excreſceret: tot enim doctores, tot Martyres magna illius Societas peperit, parituque in dies, ut perpetuum videatur eſſe beati Fundatoris miraculum. Illum itaque Sanctis à Sanctitate Veſtra cenſeo connumerandum.

AUCTORE J. P. *Balneoregienſis,*

1109 D. Octavii epiſcopi Cabellionenſis: Et beato Ignatio canonizationis honorem deberi exiſtimo: ſiquidem ejus vitæ innocentia, pietas, puritas ac inſignes aliæ virtutes, quibus elucet, nec non mira ejus geſta ſanctitatem indicantia non immeritò id expoſcunt, maximè verò, quia fuit lux mundi, lux, inquam, fulgens nunc in cælis, fulgens & in terris. Fulſit dum vixit, cùm ſplendore vultûs ſui obſcurum, & tenebroſum cubiculum refulſit. Effulſit immo exarſit charitatis i- E gne Ignatius, ampliùs effulget, & fulgebit perpetuò in ejus prole; cùm parens is fuerit clariſſimæ Societatis, quâ euangelicam lucem, atque Dei cultum in dies magis adauget. Quare & illum augendum honoribus, & tamquam emicans ſydus, ſeu lampadem ardentem, & lucernem in ſublimi Eccleſiæ candelabro, ut luceat omnibus, conſtituendum, ac proinde in Sanctorum catalogo (ſi Sanctitati Veſtræ placitum erit) adſcribendum arbitror.

Cabellionenſis,

Fratris Joannis Vincentii Spinulæ, epiſcopi Tagaſtenſis, & ſacriſtæ Sanctiſſimi Domini Noſtri: Non eſt quod pluribus laudabilem beati Ignatii vitæ normam recenſere contendam. Si etenim opimus ille uvæ racemus Hebræis argumentum extitit, ut ejuſdem vitem aſſeruerint in terra promiſſionis propaginatam; ita & ego tantam ſentiens ex hoc illuſtriſſimæ Societatis Jeſu racemo gratiarum divinarumque virtutum dulcedinem ubique diffuſam, ejuſdem racemi vitem jure ac merito cæleſtem & myſticam, promiſſam terræ beatitudinem arbitror attigiſſe, & Sanctorum cœtui adſcribi debere.

Tagaſtenſis;

Sanctiſſimi Domini Noſtri Gregorii XV reſponſio, decretum & ſententia ibidem etiam dantur. Et reſponſio quidem ſic habet: Audivimus, quid vos, fratres dilectiſſimi, veſtris ſuffragiis ſentiatis; nec dubitamus, quin vobis hujuſmodi mentem injecerit Deus, cui gratias agimus immortales, quòd tam liberaliter illos remuneretur, qui ei omnibus viribus deſerviunt. Itaque ut vos ſenſiſtis, & nos quoque ſentimus; ac propterea implorata divina ope, diem duodecimum menſis Martii, qui dies divo Gregorio ſacer eſt, huic negotio, quod omnium maximum eſt, decernimus. Vos interim, fratres, iteratis precibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque ſupplicibus votis Deum orate, ut nobis propitius ac miſericors adſit, ne aliquid contra ejus honorem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ proponamus.

Reſponſio, decretum, & ſententia Gregorii PP. 15.

F

Decretum autem Sanctiſſimi his verbis conſtat: Bene habet, fratres dilectiſſimi. Unanimis iſte conſenſus veſter magno cumulavit nos gaudio, confirmavitque in ſuſcepta ſententia de hoc Beatorum pari definita divi Gregorii die in Sanctorum numerum referendo. Quare agite nobiſcum gratias pro eo, quod hactenus geſtum eſt, immortali Deo, qui tribuit Sanctis ſuis per nos in terris aliquid ejus honoris, quem illis longè majo-

rem

AUCTORE J. P.

rem ac perenniorem largitur in cælo ; ac simul vestris precibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque supplicationibus, cæli fores assiduè pulsate, ut Deus ac Dominus noster in eo, quod supereſt, voluntatem suam nobis aperiat, atque Ecclesiæ suæ sanctæ, quod optimum est, clementer ostendat.

Sententia verò ejusdem Sanctissimi Domini hoc tenore verborum pronuntiata est : Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ religionis augmentum, authoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostrâ, de fratrum nostrorum consilio, decernimus & definimus, bonæ memoriæ Isidorum agricolam de Matrito, Ignatium Loyolam, Societatis Jesu Fundatorem, Franciscum Xaverium, Teresiam à Jesu de Avila, Carmelitarum discalceatorum fundatricem, & Philippum Nerium, congregationis Oratorii de Urbe Fundatorem, Sanctos esse, & Sanctorum catalogo adscribendos, ipsosque & quemlibet eorum, catalogo hujusmodi adscribimus, statuentes,
B ut ab universali Ecclesia anno quolibet, in die felicis transitus eorum, festum ipsorum, & Officium, scilicet Isidori, Ignatii, Francisci, & Philippi, sicut pro uno confessore non pontifice, & Teresiæ, sicut pro una virgine non martyre, devotè & solemniter celebretur.

Insuper eadem authoritate omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis eodem die festo ad sepulturas eorumdem devotè accesserint, unum annum & quadraginta dies, accedentibus verò annis singulis infra octavas dicti festi ad sepulturas, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Juridica istorum actorum fides,

IIII *His subditur juridica istorum actorum fides:* Fidem facimus & attestamur, qualiter Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XV, die Mercurii XVI mensis Februarii MDCXXII in consistorio semipublico, habito in palatio Apostolico sancti Petri in aula Apostolorum ante sacellum suæ Sanctitatis, habito priùs brevi sermone ad illustrissimos, & reverendissimos dominos Cardinales, patriarchas, archiepiscopos, & episcopos super instituta canonizatione beatorum Isidori, agricolæ de Matrito, & Ignatii Loyolæ, Fundatoris Societatis Jesu, & Francisci Xaverii è dictâ Societate, & requisitis super ea suffragiis illustrissimorum, & reverendissimorum
C dominorum Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum, illisque ad favorem canonizationis receptis, communi omnium consensu decrevit dictos beatos Isidorum, Ignatium, & Franciscum, Deo adjuvante, in numerum Sanctorum referre die XII mensis Martii, qui divo Gregorio sacer est. In quorum fidem præsentem subscripsisimus, & sigillo nostro munivimus. Datum Romæ hoc die XVIII Februarii MDCXXII. Stephanus Saulius protonotarius Apostolicus, deputatus & rogatus &c. *Et infrà apponitur* Locus ✠ sigilli.

Solennitatis ornatus,

IIII2 *Ex narrationibus Italicis apparatûs & solemnitatis notanda hæc P. Ignatius Pinius suggerit.* 1°. Cardinalem Farnesium aliosque dixisse, numquam in actione hujusmodi, templum S. Petri æquè pulchrè exornatum fuisse. 2°. Die canonizationis domus professa Societatis Jesu Romæ eleemosynam panis candidi elargita est ingenti multitudini pauperum, qui ex tota Urbe confluxerant. Die Martis, id est XV Martii, celebrata fuit solennitas in templo domus professæ Romæ : quæ illa hebdomada bis eleemosynam dedit pauperibus omnibus. 3°. Sabbato, id est die Octava ca- D
nonizationis, manè ad templum domûs professæ venit collegium Germanicum, comitante collegio Anglicano, ut ex manibus R. A. P. N. Generalis acciperet vexillum suum, agnoscendo S. Ignatium ut suum Fundatorem : à prandio novitiatus ad S. Andreæ, ut suum quoque vexillum acciperet ; comitabantur pauperes plus tria millia, quibus omnibus data fuit eleemosyna.

ac Gregorii de Societate existimatio.

IIII3 *Coronidis loco hisce, quæ de canonizatione Sancti in medium produxi, attexo ex nostris monumentis Romanis hæc verba, quæ Gregorius XV in Brevi, quo Carolo à Lotharingia episcopo Virdunensi concessit facultatem renuntiandi episcopali dignitati, dicit ; suntque sequentia :* Quod felix igitur faustumque sit tibi & universæ Ecclesiæ. Ito cum bona nostra venia, quò cupis, & da nomen in istam militiam Societatis Jesu, cujus tam insignia trophæa extant hæresum profligatarum, nec minùs augusta monumenta defensæ & exaltatæ fidei Christianæ. Sanè nos erga istum Ordinem quo affectu essemus, magnificè nuper declaravimus orbi universo per celebrem canoni-
E zationem duorum ex ea sanctissimorum hominum Ignatii & Francisci Xaverii, quorum heroica facinora in utroque mundo imperio Christi subjugando mirabiles successus habuerunt. In istis castris clypeo fidei munitus & gladio armatus charitatis, majorem, tu fili, fortitudinem ostendes eâ, quam principes illustrissimæ tuæ familiæ famosissimis expeditionibus probarunt &c. Romæ XXII Aprilis MDCXXII.

§ CV. Indulgentiæ, Collecta pro Missa Pontificia, Bulla canonizationis ; propagatio cultûs in Hispania ; eadem alibi petita.

Indulgentia ; Collecta Pontificia ;

G *Regorius XV, die* XI *Martii anno* 1622 *concessit indulgentias plenarias die, quo à nobis celebraretur festum canonizationis beatorum* Ignatii *& Francisci Xaverii ; ex fide documentorum Româ acceptorum ; ubi Bullam authenticam haberi, testatur P. Ignatius Pinius ; qui etiam Collectam pro Missa Pontificia* SS. Ignatii *& Francisci hanc fuisse affirmat orationem ; quam quotidie recitari per totam Societatem post Litanias omnium Sanctorum, addit sibi constare.* ORATIO. Deus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris : concede propitius, ut qui beatorum tuorum Ignatii, & Francisci glorioſa merita colimus, eorum pia patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, &c. SECRETA. Adsint, Domine Deus, oblationibus nostris sanctorum tuorum Ignatii & Francisci benigna suffragia : ut sacrosancta mysteria, in quibus omnis sanctitatis fontem constituisti, nos quoque in veritate sanctificent. Per Dominum nostrum, &c. POSTCOMMUNIO. Laudis Hostia Domine, quam pro sanctis tuis Ignatio, & Francisco gratias agentes obtulimus, ad perpetuam nos majestatis tuæ laudationem eorum intercessione perducat. Per Dominum nostrum &c. *Idem Gregorius PP. XV indulgentiam plenariam perpetuam concessit pro ecclesiis Societatis Jesu in eorum festo. Bulla (onjus*

A *jus ex originali apographum habeo inter documenta Romana*) *ſignatur die* VIII *Junii* 1622, *& inter litteras Apoſtolicas, noſtro Inſtituto adjectas, inſerta eſt pag.* 24 *editionis Antverpienſis anni* 1665.

à cujus ſucceſſore expedita fuit Bulla canonizationis.

1115 *In prædictis documentis Romanis aſſignatur Urbani VIII Bulla originalis canonizationis* S. Ignatii *&c., data anno* 1623, VIII *Idus Auguſti, cum ſubſcriptionibus ejuſdem Pontificis & Cardinalium. Exemplum habeo, Romæ impreſſum typis reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, anno* 1626. *Exſtat etiam hæc Bulla inter Litteras Apoſtolicas, in favorem Societatis latas, & Antverpiæ editas anno* 1635, *à pag.* 319. *Item apud Cherubinum in Bullario tom.* 4 *editionis Romanæ anni* 1632, *à pag.* 191. *Porro fuit illa ab Urbano PP. VIII, Gregorii XV ſucceſſore expedita; quia ab ipſo Gregorio, obitu ei ſuperveniente, non fuerat confecta. Vide dictam Bullam* § 48. *Quæ de geſtis pro canonizatione; de Sancti item vita, virtutibus ac miraculis in illa memorantur; cog-*

B *noſces ex Relatione conſiſtoriali, quam dedi* § 101.

Propagatio cultûs

1116 *Nunc expedienda ſunt ea, quæ poſtmodùm per varia temporum intervalla circa extenſionem venerationis publicæ* S. Ignatii *contigere, in illis Romani archivi Societatis noſtræ aſſervata documentis, è quibus res Ignatianus ibi egregiè illuſtravit eorum collector. Accipe ergo inſtrumenta, ipſius manu indidem partim citata, partim tranſcripta. Inter illa igitur nominatur* originale decretum illuſtriſſimi ac reverendiſſimi patriarchæ & archiepiſcopi Hiſpalenſis, Didaci de Guzman, XXVIII Junii MDCXXVIII, ut feſtum S. Ignatii celebretur ritu duplici, cum oratione propria: Deus qui glorificantes. In primo nocturno lectiones: Laudemus viros glorioſos. In Miſſa etiam ſecreta, & poſtcommunio propria: Adſint Domine Deus. Laudis hoſtia, domine.

Originale decretum Eminentiſſimi domini Auguſtini Spinulæ, S. R. E. Cardinalis, titulo SS. Coſmæ & Damiani, archiepiſcopi Granatenſis, XXVII Julii MDCXXVIII, ut idem feſtum celebretur ritu duplici, cum tribus orationibus propriis, ut ſuprà. *Et mox deſignatur*

Decretum illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini epiſcopi Conchenſis Henrici Pimentel, XXVI Julii MDCXXVIII, ut idem feſtum celebretur ritu

C duplici, cum Oratione: Deus qui glorificantes. Lection. primi nocturni: Laudemus viros glorioſos. In Miſſa tres orationes propriæ, ut ſuprà. Die XXX ponitur in Martyrologio ad Primam: Romæ natalis beati Ignatii, Hiſpani Cantabri, presbyteri & confeſſoris, Societatis Jeſu Fundatoris, qui, terrenâ militiâ relictâ, ad cæleſtem quamdam militiam inſtituendam mirabiliter vocatus, zelo animarum flagrans, maximis laboribus curiſque perfunctus, ac ſui inſtituti ſociis, Apoſtolicâ benedictione acceptâ, in univerſum orbem ad majorem Dei gloriam miſſis, tandem multis editis miraculis, Jeſum appellans, in eo obdormivit.

in Hiſpania.

1117 Illuſtriſſimi ac reverendiſſimi D. Martini Terrer, archiepiſcopi Cæſarauguſtani, decretum de eodem feſto celebrando ritu duplice, cum tribus orationibus propriis, ut ſuprà. Decretum datum eſt XIV Julii MDCXXXI. Nota. Archiepiſcopi Hiſpalenſis, Granatenſis, Cæſarauguſtanus dicunt in illis decretis, omnia feſta Sanctorum Hiſpaniæ celebrari ritu duplici. *Sed quamquam id, quantum ad* Ignatium *attinet, pio erga eum ſtudio ſit factum; non permiſſum tamen*

esse, in ſacris hujuſmodi ritibus prævenire decreta Sedis Apoſtolicæ, Roma aſſeruit: nam anno MDCXLI, XI Maii declaravit S. congregatio Rituum, id non licere. Verba declarationis ſunt: Octavianus Ragius protonotarius &c. Noveritis, infraſcripta die, pro parte & ad inſtantiam reverendi cleri regni Aragoniæ principalis .. exhibitum fuiſſe decretum ſacræ congregationis Rituum, tenoris ſequentis, videlicet: Eminentiſſimi & reverendiſſimi DD. in eccleſia Cæſarauguſtana ex decreto reverendiſſimi Domini tunc archiepiſcopi, ab anno MDCXXXI recitatur Officium S. Ignatii, Fundatoris Societatis Jeſu, ſub ritu duplici, ad cujus exemplum idem fit in omnibus eccleſiis regni Aragoniæ. Sed quia videtur contra declarationes hujus ſacræ congregationis per Sanctiſſimum Dominum N. approbatas, & in principio Breviarii appoſitas, ſupplicatur declarari, an liceat, & liceret prædictum Officium S. Ignatii ſub ritu duplici recitari. Pro clero regni Aragonum. Sacra Rituum congregatio reſpondit, non licuiſſe, nec licere ullo ritu in caſu propoſito recitari Officium S. Ignatii. Die XI Maii MDCXLI. E Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Pius, Julius Cincius ſecretarius. Tum prædictus protonotarius urget prædicti reſponſi executionem. Datum Romæ anno MDCXLI, die XXV Maii &c.

AUCTORE J. P.

Eadem petitur Oeniponti & Avenione.

1118 *Ad Germaniam pertinent epiſtolæ duæ: Altera* Leopoldi archiducis data Oeniponti XI Septembris MDCXXVIII, quâ à Pontifice petit S. Ignatium Calendario inſeri cum Officio proprio. *Altera* epiſtola originalis ſereniſſimæ Claudiæ, data Oeniponti MDCXLIV, ad Eminentiſſimum Cardinalem Roſſetti, quâ flagitat Officium S. Ignatii.

E Gallia deſignatur originalis libellus ſupplex Præpoſiti & canonicorum inſignis eccleſiæ collegiatæ & parochialis S. Deſiderii Avenione, quo Pontifici exponunt, quod ex fundatione ab epiſcopo approbata, teneantur ſingulis annis celebrare ſolemniter Officia SS. Ignatii & Franciſci Xaverii: ea verò Officia celebrari in dicta eccleſia iiſdem ritibus ac cæremoniis, quoad exteriorem pompam, quibus celebratur Paſcha, Penteceſte &c: tamen ſub ritu ſemiduplici juxta rubricas. Id autem videri inconveniens. Supplicant ergo pro ritu duplici utriuſque Officii. Adſunt ſubſcriptiones Præpoſiti & canonicorum, ſed annus deeſt.

§ CVI. Officia Sancti propria. F

Decretum de Officio Sancti in Kalendarium ac Breviarium referendo.

Maximum veneratio publica S. Ignatii *cepit incrementum ex iis, quæ annis* 1644, 1646, *&* 1667 *circa cultum ipſius eccleſiaſticum Romæ peracta ſunt. Quænam verò ea ſint, docent inſtrumenta, quæ citat identidem à nobis memoratus archivi noſtri Romani ſcrutator: è cujus chirographo ea huc tranſcribimus, nimirum* originale decretum, ut Officium S. Ignatii in Kalendario & Breviario Romano apponatur XXXI Julii, ſub ritu ſemiduplici de præcepto; *his verbis tranſcriptum:* Supplicationibus presbyterorum Societatis Jeſu, Sedi Apoſtolicæ à pluribus annis, etiam per ſupremos reipublicæ Chriſtianæ principes, humiliter porrectis, de Officio S. Ignatii confeſſoris, Fundatoris ejuſdem Societatis, in Kalendario, & Breviario Romano, prædicta auctoritate apponendo, à Sanctiſſimo D. N. Innocentio Papa X ad examen ſacræ Rituum congregationis remiſſis, die XXIX Octobris MDCXLIV, referente Eminentiſſimo & reverendiſſimo do-

AUCTORE J. P.

mino Aloysio, tituli S. Laurentii in Lucina Priore presbyterorum, S. R. E. Cardinale Capponio nuncupato, censuit (si sanctissimo D. N. placuerit) Officium prædictum de communi confessoris non pontificis, præter lectiones secundi Nocturni, & orationem propriàs à se approbandas, in Kalendario, & Breviario Romano sub ritu semiduplici esse apponendum, ab omnibus Christi fidelibus deinceps, qui ad Horas canonicas tenentur, die XXXI Julii, juxta ejusdem Breviarii rubricas, ex præcepto recitandum. Quam sacræ congregationis sententiam sibi relatam, Sanctitas sua laudavit, & approbavit, & sic, ut præponitur, fieri mandavit. P. Episcopus Portuensis Card. Crescentius. C. Paulutius S. congregationis Rituum secretarius.

Lectiones 2 Nocturni, oratio propria,

1120 *Ad annum* 1646 *pertinet* originale Officium cum lectionibus secundi Nocturni & oratione propriis *Decreti ecgraphum sic sonat:* Societatis Jesu. Cum sacra Rituum congregatio die XXIX Octobris MDCXLIV per decretum à Sanctissimo approbatum mandaverit, Officium sancti Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu, in Kalendario,
B & Breviario Romano de communi confessoris non pontificis præter orationem, & lectiones proprias secundi Nocturni, à se approbandas antequam Breviario inserantur, sub ritu semiduplici esse apponendum, & ab omnibus Christi fidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, die XXX (*imo* XXXI) Julii juxta ejusdem Breviarii rubricas ex præcepto recitandum; ideo revisas, & maturè examinatas infrascriptas lectiones secundi Nocturni, & orationem in die festi sancti Ignatii juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani respectivè, ut suprà recitandas, Eminentissimi patres, sacræ Rituum congregationi præpositi approbarunt, & imprimi posse, nec non inseri in Breviario Romano concesserunt. Die XXI Aprilis MDCXLVI.

prout fuerunt Romæ anno 1646 excusæ.

1121 *Ex fide illius, qui hæc transcripsit, subdo ista observanda.* Lectiones primi Nocturni, ex Scriptura occurrente. Hic sequuntur lectiones secundi Nocturni, & oratio, prout & fuerunt excusæ Romæ MDCXLVI, & etiamnum habentur in Breviario. In lectione tamen V manuscripta habetur: EUMQUE Paulus tertius primò recepit. Paulò post: ad prædicandum Indis Euangelium S. XAVERIO (omisso, Francisco.) Lectione VI: Sanctus Philippus (omisso Nerius,) aliique conspexere. In exemplari excuso MDCXLVI Romæ, typis reverendæ Cameræ Apostolicæ, omnia hæc habentur, ut nunc in Breviario. De tertii Nocturni lectionibus nihil habetur in Ms. originali: adeoque erant tunc de communi confessoris non pont. In exemplari impresso MDCXLVI, habetur: In tertio Noct. Euangelium: Sint lumbi vestri præcincti: Homilia S. Gregorii Papæ de communi conf. non pontif. Missa, Os justi: prima oratio, ut suprà. Secreta, & postcomm. de communi. Post lectiones & orationem proprias, sequuntur in originali hæ subscriptiones: A. Cardinalis Capponius. M. Gallius sac. Rit. congregationis secretarius.

C

Officium ecclesiæ Mediolanensis circa orationes, antiphonas,

1122 *Veniamus ad annum* 1647. *Officium Mediolanense de* S. Ignatio, *tunc typis Mediolani editum, horum documentorum collector cum facultate extraxit ex archivo Romano, ubi erat duplicatum, atque huc misit. Sequentis est tenoris:* Officium sancti Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu, confessoris sacerdotis, in diem 11 Augusti translatum, non solemne; jussu Eminentissimi & reverendissimi D. D. Cæsaris Cardinalis Montii, S. Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopi, Kalendario Ambrosiano recens additum. Omnia de communi unius conf. sac. præter sequentia. ORATIO PRIMA. Deus, qui B. Ignatium confessorem, gloriæ tuæ propagatorem eximium Societatis Jesu Fundatorem effecisti; concede propitius, ut, eo intercedente, cælestis gloriæ tuæ participes esse mereamur. Per Dominum nostrum, &c. ORATIO SECUNDA. Deus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede, ut qui B. Ignatii confessoris tui glorioſa merita colimus, ejus pia apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum &c. ANTIPHONA AD CANTIC. MAGNIF. ET BENEDICT. Quicumque glorificabit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. PSALLENDA. Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, & gloria in secula seculorum. Gloria. Regi autem. D

ac lectionem 3

1123 LECTIO III Ignatius Loyola Cantaber, nobilissimis parentibus natus, pueritiam in domo paterna, adolescentiam in aula Ferdinandi Catholici regis transegit: mox miles, & dux Pompeiopolim fortissimè defendens, murali pila, excussoque ab ea lapide graviter læditur. Dum cu- E ratur, lectis Sanctorum Vitis, apparente sibi primo S. Petro, deinde beata Virgine, tremente cubiculo ad meliora convertitur. Minoressæ, post expiatam in Monte serrato conscientiam, sacco indutus, catena cinctus, humi cubans, lacrymis, jejuniis, flagellis, vigiliis propè enectus asperrimum sanctimoniæ deposuit tirocinium. Tanta inter hæc cælestium voluptatum abundantia, ut eam commorationem, suam primitivam exinde vocaret Ecclesiam. Ibi homo litterarum rudis, divina illustratione, librum scripsit Exercitiorum. Ibi delinearionem Societatis Jesu cælitus accepit, eamque post difficillimam Hierosolymitanam peregrinationem, & laboriosa litterarum studia Parisiis inceptam, Romæ condidit, probante Paulo III, qui visâ Instituti formulâ, Digitum Dei ibi esse pronuntiavit.

propriam.

1124 Socios quaquaversum ad prædicandum dimisit, interque reliquos Franciscum Xaverium, novum Indiarum apostolum, in Orientem. Scholas ubique gentium ad Christianæ juventutis eruditionem gratis aperuit; frequentem Sacramentorum usum revocavit in mores. Romæ plura publica domicilia fundavit. Superos sæpius vidit. Jesum sibi patrocinium illis verbis spondentem prope Urbem audivit: Ego vobis Romæ propitius ero. Miraculis multis vivens; pluribus, ac majoribus claruit post mortem; cujus diem prænovit, & Apostolica benedictione munitus, Jesum invocans in cælum migravit; centum amplius Societatis domibus, & omnigenarum virtutum exemplis magnis, atque admirabilibus relictis, pridie Kalen. Augusti anni millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti, quintum ipse supra sexagesimum agens. Paulus V Beatorum albo adscripsit, Gregorius XV Sanctorum honoribus coli jussit, Innocentius X Romano addidit Kalendario. F

Indulgentiæ & Officium in collegio Rom. translata.

1125 *Habetur etiam in nostris monumentis Romanis* originalis translatio indulgentiæ, & recitatio Officii S. Ignatii pro collegio Romano: *de quibus hæc notantur:* Reperitur in Registro R. P. D. Bernardini Roccii, olim sacræ Rituum congregationis secretarii, die XIII Julii MDCLII decretum tenoris infrapositi, videlicet: Romana Cum PP. Societatis Jesu ecclesiæ S. Ignatii collegii Romani de Urbe obtinuerint à Sanctissimo D. N. translationem indulgentiæ concessæ per felicis re-

cor-

A cordationis Gregorium XV, in die festo ipsius Sancti ad Dominicam immediatè sequentem; supplicarunt sacræ Rituum congregationi, quatenus dignaretur sibi etiam impartiri licentiam recitandi ipsa die Dominica Officium ejusdem sancti Fundatoris Societatis, & titularis ecclesiæ, sub ritu duplici. Et eadem sacra congregatio benignè concedi posse censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Quod decretum tunc licet sub fel. rec. Innocentio X, non expeditum, deinde Sanctissimus D. N. Alexander divinâ providentiâ Papa septimus approbavit, & expediri mandavit. Die XVII Mensis Junii MDCLV. Carolus episcopus Ostien. Card. Medices. Pancus. Maria Phœbeus sac. Rit. congregationis secretarius. *Pergamus ulteriùs.*

Festum S. Ignatii sub ritu duplici.

1126 Originale mandatum Clementis IX, de festo S. Ignatii celebrando sub ritu duplici *his terminis transcripsit harum rerum collector:* Urbis & orbis. Sanctissimus Dominus Noster Clemens nonus, ut cultum S. Ignatii, Societatis Jesu Fundatoris, de universali Ecclesia adeò bene

B merentis, ubique terrarum augeret, mandavit, ut ejus festum, quod sub ritu semiduplici ad hanc usque diem celebratum est, sub duplici celebretur. Ideoque præcipit, ut omnes tam seculares, quàm regulares cujuscumque sexûs, qui ad Horas canonicas tenentur, eas in posterum sub prædicto ritu recitent, & sub eodem, Romano Calendario apponatur. Hac die XXVII Septembris MDCLXVII. M. episcopus Portuensis Cardinalis Ginettus. Bernardus Casalius sac. Rit. congregationis secret. *Juxta hoc mandatum, fuit factum decretum* XI *Octobris ejusdem anni; nam in apographis nostris Romæ collectis affirmatur, ibidem exstare* Clementis IX decretum de Officio S. Ignatii sub ritu duplici ubique in perpetuum recitando, datum XI Octobris MDCLXVII. *Huc spectat sequens P. Ignatii Pinii observatio:* R. A. P. N. Generalis Joannes Paulus Oliva in literis encyclicis ad nostros datis XV Octob. MDCLXVII, postquam collatum hoc à Clemente IX in nos beneficium narrasset, subjecit: Auxit beneficium, conferendi modus, quo non ad preces nostras (quamvis supplicem libellum de eo obtulissem;) sed ob eximia merita sancti Patris de Ecclesia Dei, & ob singularem venerationem, quâ sua Sanctitas ipsum colit, voluit hanc gratiam expediri.

C

§ CVII. Indultum peculiare circa recitationem Officii S. Ignatii; ejus olim conclavia, nunc sacella domestica Romæ; & sacra ibidem ipsius lipsana.

Privilegium circa recitationem Officii S. Ignatii, Assistentiæ Hispaniæ,

CLemens PP. X, *R. A. P. Præposito Societatis Jesu id petente, circa Officii sancti Patris nostri recitationem, singulari Assistentiam Hispaniæ indulto dignatus est: de qua re hoc extat decretum typis editum:* Societatis Jesu. Sanctissimus D. N. Clemens X, humiliter supplicante R. P. Joanne Paulo Oliva, Præposito Generali Societatis Jesu, benignè concessit, ut provinciæ ejusdem Societatis, ad Hispaniæ Assistentiam pertinentes, singulæque earumdem provinciarum, & Assistentiæ personæ, semel in hebdomada, die non impedita festo duplici aut semiduplici, Missam, & Officium de sancto Ignatio, Societatis Fundatore, & parente celebrare, & recitare licitè, & liberè valeant sub ritu semiduplici, exceptis tamen Adventu, & Quadragesima. Die V Januarii MDCLXXIII. F. M. episc. Portuensis Card. Brancatius. Bernardinus Casalius sac. Rit. congr. secr.

Auctore J. P.

Germaniæ concessum.

1128 *Idem Sanctissimus Dominus prædictum favorem postea extendit ad Assistentiam Germaniæ, prout ex hoc impresso decreto constat:* Germaniæ Societatis Jesu. Cum aliàs die V Januarii MDCLXXIII Sanctissimus Dominus Noster Clemens decimus indulserit, ut provinciæ Societatis Jesu ad Hispaniæ Assistentiam pertinentes, singulæque earum provinciarum, & Assistentiæ personæ semel in hebdomada, die non impedita festo duplici, aut semiduplici, Missam, & Officium de sancto Ignatio, Societatis Jesu Fundatore, & parente celebrare, & recitare licitè, & liberè valeant sub ritu semiduplici, exceptis tamen Adventu, & Quadragesima: Nunc verò eadem Sanctitas sua, supplicante procuratore generali præfatæ Societatis, prædictam gratiam benignè extendendo concessit, ut etiam provinciæ Societatis Jesu, ad Germaniæ Assistentiam pertinentes, singulæque earum provinciarum, & Assistentiæ personæ, Officium & Missam de dicto Sancto, ut suprà, recitare, & celebrare possint, & valeant. Hac die XXIX Januarii MDCLXXVI. V. Cardinalis Carpineus. Bernardinus Casalius sac. Rit. congr. sect.

E

Conclavia Sancti, nunc sacella indulgentiis ditata.

1129 *Ad sacella domestica, olim conclavia* S. Ignatii, *quod attinet, uti & ad sacra ipsius lipsana; do, quæ de iis accepi Româ à P. Ignatio Pinio:* S. Ignatius tria ibi habuit parva conclavia. Hæc, dum deinde diu post ipsius mortem ædificata fuit domus professa nova, fuêre servata, novæ fabricæ inclusa. Fuerunt etiam, nescio quando, mutata in sacella. In duobus illorum sacellorum est altare: tertium, est sacrarium. Ipsæ januæ sunt eædem, quas S. Ignatius aperiebat & claudebat, ut januis illis inscriptum legitur. Innocentius XI die IX Aprilis MDCLXXXVI, concessit „ Indulgentiam plenariam omnibus & singulis presbyteris, qui sacrosanctum Missæ sacrificium in Circumcisionis Domini N J. C., SS. Ignatii Societatis Jesu Fundatoris, & Francisci Xaverii, ac S. Francisci Borgiæ, nec non Assumptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, in aliqua ex capellis in domo professa dictæ Societatis de Urbe existentibus, quæ olim cubicula ejusdem S. Ignatii fuerunt, & in quibus Missa de Sedis Apostolicæ licentia celebrari potest, devotè celebraverint, & ibi pro Christianorum principum &c.„ Item " Omnibus Christi fidelibus, viris dumtaxat, verè pœnitentibus & confessis, qui sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in una ex dictis capellis, & in prædictis festis diebus sumpserint, & ibi, ut suprà, oraverint „. Verba sunt Pontificis, quæ descripsi ex Brevi. Benedictus XIII anno MDCCXXVII festo S. Josephi, quo ibi Sacrum fecit, elargitus est Indulgentiam perpetuam septem annorum, & totidem quarantenarum cuilibet facienti Sacrum vel communicanti in his sacellis: ut patet ex tabella Italica ad sacellorum ingressum appensa.

F

Sacra ibidem ipsius lipsana,

1130 In quarto conclavi his sacellis proximo, inter multas Sanctorum reliquias, in primis omnium Societatis Jesu Sanctorum ac Beatorum, etiam trium Martyrum Japonensium, servatur dens S. Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu: pars non parva de veste sacerdotali, quâ indutus S. Ignatius sacrificabat, & tumulatus est. Vide epistolam P. Josephi da Fano, suprà ad translatio-

AUCTORE J. P.

nem ſecundam. Coloris eſt aurei (ſeu mali aurei ,) nec hactenus corrupta , imò ſplendet quaſi nova. Item pars major thoracis , ſanguine verberationum conſperſi , quo ſe ſanctus Ignatius induebat , ne cruentæ guttæ in ſubucula cernerentur. Coloris eſt ſubnigri.

concurſus, & inſcriptiones.

1131 Conclavia ſeu ſacella iſta S Ignatii celebrantur frequenti concurſu ibi celebrantium. Die autem feſto S. Ignatii concurſus eſt populi Romani frequentiſſimus & perpetuus. In tabella Latina , ad ſacellorum ingreſſum appenſa , habetur inter alia :

S. Franciſcus Borgia hic deceſſit.

S. Franciſcus Saleſius hîc orabat frequens.

In uno ex ſacellis , olim conclavibus S. Ignatii, prope feneſtram extat pictura, quæ exhibet S. Ignatium ſacrificantem , flammulis capiti imminentibus, & ei apparentes tres Perſonas SS. Trinitatis. Picturæ hæc addita eſt inſcriptio , ad latus proximum feneſtræ :

Hîc S. Ignatius rem Divinam faciebat ,
SS. Trinitatis Perſonis ei
B ſæpenumero apparentibus.

Inter prædictam picturam & altare , ſeu ad latus picturæ , quod à feneſtra recedit , legitur hæc inſcriptio :

Hoc in loco ſecundum Sacrum
celebravit S. Carolus
Card. Borromeus.

In fundo altaris , ſeu contra parietem , qui altari perpendicularis eſt , habetur pictura exhibens Deiparam , cum puero Jeſu , & S. Joanne Baptiſta. Picturæ ſubjicitur hæc epigraphe :

Hic ante hanc ipſam
Deiparæ Virg. effigiem S. Ignatius
& ſacrificabat & orabat.

In altero ex prædictis ſacellis , olim conclavibus , S. Ignatii , extant ſequentes inſcriptiones:

Hic S Ignatius Soc. Conſtitutiones
conſcribens , videt Deiparam , eas
cælitus approbantem.

Hîc S. Ignatio Conſtitutiones Societatis
ſcribenti ſæpius divinæ Perſonæ
apparent , eumque miris
luminibus illuſtrant.

Hîc S. Ignatio oranti Spiritus ſanctus
ſpecie ignis ut olim Apoſtolis
apparuit

C Hîc quieti ſe dabat S. Ignatius : ubi etiam
P. Jacobus Lainez II Gen. Societatis
Feliciter expiravit.

§ CVIII. Cranium S. Ignatii in ſacrario domûs profeſſæ Societatis Jeſu Romæ ; an & quid apud PP. Camaldulenſes prope Tuſculum in Latio ?

Cranium S. Ignatii

P. *Ignatius Pinius in Spicilegio Romano* , Habemus , *inquit* , hîc in ſacrario cranium S. P. Ignatii in theca cylindrica argentea , circumligata vittis ſericis rubris , ſigillatis ſex locis ſigillo Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu. Thecæ huic argenteæ inſculpta eſt hæc inſcriptio litteris majuſculis ; *quæ ex Italico originali à me Latinè reddita ſic ſonat :* In hoc vaſe eſt TOTUM CRANIUM capitis (*In Italico eſt* TUTTA LA COCCIA della teſta) B. P. Ignatii , ibi poſitum ab admodùm reverendo Patre Claudio Aquaviva , Præpoſito Generali Societatis Jeſu , XXX Julii MDCX. *Et mox pergens idem ſpicilegus* , Hanc thecam ego , *inquit* , tractavi manibus , ex eaque exſcripſi prædictam inſcriptionem. Exponitur publicæ venerationi feſto Circumciſionis , omnibus feſtis Sanctorum & Beatorum Societatis &c. , in buſto argenteo. D

aſſervatur Romæ apud noſtros in domo profeſſa.

1133 *Veritatem porro hujus ſacri depoſiti confirmat ex libro manuſcripto Italico , cui titulus:* Inventarium omnium rerum ſacrarii domus profeſſæ Societatis Jeſu Romæ , factum à P. Joſepho da Fano , præfecto (*ſubintellige* templi ,) MDCIV. *Annis autem ſequentibus eidem inſtrumento addita fuiſſe ea , quæ ſacræ iſti ſupellectili acceſſerunt , habeo ex dicto collectore , ibidem notari ea affirmante , quæ ex ſermone Italico in Latinum converto :* MDCX die XXX Julii CAPUT N. B. Patris Ignatii poſitum in argento : Fecit (*id eſt, argenteum buſtum fieri juſſit*) domina Hortenſia Borgheſe , quod valet ſcutis DCC. *Ex his ſua huic ſacro depoſito ſtat veritas* ; *&* totius *quidem* cranii *ſancti Patris apud noſtros patres domus Profeſſæ Romanæ exiſtentia probatur. Quod ſi ita eſt , quidnam jam erit reliquum PP. eremitis Camaldulenſibus Tuſculanis in Latio ? Rem expendamus.* E

Proferuntur

1134 *Dicto ſpicilegii collectori operam navavit R. P. Joannes Baptiſta Toſi , Rector collegii Tuſculani S.I. , per quem petiiſſe ſe ſcribit nomine noſtro idem P. ſpicilegus* 1°. *ecgraphum teſtimonii authentici de reliquiis* S. P. Ignatii , *quas habent RR. PP. Camaldulenſes Tuſculani.* 2°. *An iſtæ reliquiæ ſint in primo ſtatu ; vel è contrario , an paſſæ ſint ab incendio , ut fert fama. Prædictus R. P. Rector , unà cum literis , datis Tuſculi* XVII *Decembris* 1729 , *Romam miſit ſequens ſcriptum , exaratum alia manu , nempe alicujus R. Patris Camaldulenſis , niſi multum fallor, inquit idem , qui ſuprà , ſpicilegii collector , quod ex Italico ſic ſonat :* Notitiæ cranii S. Ignatii Loyolæ , quod conſervatur in templo S. Romualdi patrum Camaldulenſium. Anno MDCVII eremo PP. Camaldulenſium in ſilva Tuſculana à Pontifice Paulo V fabricari cœpta , ipſius cognata , Franciſci Burgheſii , Papæ fratris, uxor , domina Hortenſia à ſancta Cruce , ædificavit intra eccleſiam patrum pulcherrimum quoddam ſacellum , plurimis Sanctorum reliquiis illud adornans ; quas F inter etiam ibi fuit cranium S. Ignatii , patribus Jeſuitis in hujuſce permutationem accipientibus caput S. Ignatii martyris , epiſcopi Antiochiæ. Quod ſacellum fuit ædificatum anno MDCXIII , ibique poſitæ reliquiæ ſupradictæ. Anno ſequente MDCXII (*imo* 1614 *ex Bulla Pontificis inferiùs danda*) fuit expedita Bulla de non extrahendis dictis ſanctis reliquiis , cum conſuetis pœnis &c.

notitiæ variæ

1135 At ſummo noſtro cum infortunio anno MDCXLVII , menſe Aprili , horâ Matutini , inventa fuere ſupradictum ſacellum & gazophylacium reliquiarum ardere tota & conflagrare , ita ut ne reſciri quidem potuerit modus, quo id contigerit , & origo tam magni incendii. Fragmenta, & oſſa , quæ ſupermanſerunt , poſita fuere ſubter altare ejuſdem ſacelli. Verùm digitus S. Antonii abbatis , & exigua quædam particula oſſis cranii S. Ignatii Loyolæ fuerunt reſervata , & impoſita duobus parvis hierothecis argenteis , paulò majoris altitudinis quam unius palmi , conſervanturque in ſupradictorum PP. Camaldulenſium ſacrario. Porro anno MDCCIII in viſitatione gene-

A nerali Tuſculana, ab illuſtriſſimo domino de Aſte, epiſcopo Hydruntino, atque Apoſtolico viſitatore inſtituta, fuerunt viſitatæ ſupradictæ reliquiæ; cum omnibus aliis in ſacrario exiſtentibus; & repertis teſtimoniis earum authenticis, denuo confirmatæ, ac publicæ venerationi expoſitæ fuerunt: ſicut etiam fert uſus in feſtis primæ claſſis, quando celebrat Superior. Sed aliarum reliquiarum, quarum intercidit ac periit authentica, approbatio facta non fuit, quæ ſuſpenſæ fuere. Hoc contigit die XIII Maii MDCCIII. *Ad hæc, à prædicto viſitatore Apoſtolico relictas fuiſſe ſuper tabella reliquiarum à ſe ſubſcriptarum, haſce voces, quas Latinè ſic reddo,* Reliquiæ S. Ignatii Loyolæ, conſiſtentes in una particula cranii ejuſdem Sancti, *teſtatur laudatus collegii Tuſculani Rector in litteris, die* XVII *Decembris* 1729 *ad R. P. Horatium Olivieri, S. I. Italiæ Aſſiſtentem datis; addens, obſervaſſe ſe lipſanum illud valde ſpectabile referre colorem cineris; idque ſignum eſſe evidens, quod ex igne illud ſit reliquum.*

B *circa partem ejusdem cranii;* 1136 *His non acquievit P. Ignatius Pinius; ſed poſtea iterum petiit per dictum R. P. Rectorem collegii Tuſculani* 1°. *Quis ſcripſiſſet notitias, ab ipſo miſſas.* 2°. *egraphum teſtimonii authentici, quod dicebatur fuiſſe* inventum anno MDCCIII: *ad hæc quæſita, accepiſſe ſe literas binas; alteras R. P. Rectoris; alteras domni Pauli eremitæ Camaldulenſis; quem etiam ſcripſiſſe notitias ſuperiùs datas, ex characteris identitate affirmat. Ceterùm ex literis dicti domni eremitæ, die* XXVII *Januarii* 1730 *è Camaldulo Tuſculano datis extraho hæc. Significat itaque, ſe in Ms. quodam inventario ſupellectilis ſacræ, quæ in eorum ſacriſtia aſſervatur, inveniſſe notam & catalogum omnium ſanctarum reliquiarum eccleſiæ iſtius; atque inter illas, etiam haſce* S. Ignatii, *cum ipſiſſima hac inſcriptione, quæ ex Italico Latinè dicit:* Una reliquia valde magna B. Ignatii Loyolæ *Sed quia, inquit, in viſitatione Apoſtolica, hic facta* XXIII *Maii* 1703 *ab illuſtriſſimo de Aſte, non fuit manifeſtata hujuſmodi notitia anno* 1616 *ſcripta, fortè quia non lecta ab ullo ex patribus ibidem commorantibus tempore ſupradictæ viſitationis Apoſtolicæ; ideo neceſſarium fuit, inſtructionem petere à quodam ſene octogenario eremita Camaldulenſi Tuſculano, P. Simone Maceratenſi, profeſſo Montis coronæ anno* 1644, *ſimul atque conflagraverat ſacrarium reliquiarum: qui teſtatus eſt, in combuſto iſto ſacrario exſtitiſſe digitum S. Antonii abbatis, hanc* S. Ignatii, *& multas alias, ab incendio ſuperſtites & exemptas. An porro teſtimonium iſtius patris juridicè factum fuerit ac via notariali, fatetur ſe neſcire; ſed credit, fuiſſe ſimplicem quamdam fidem oretenus factam, ſclusâ aliâ formâ. Atque hæc quidem ex ſatis recenti teſtificatione prædicti domni Pauli.*

quod fertur aſſervari 1137 *Aliam die* III *Junii* 1700 *ſignatam olim Româ huc miſit noſter R. P. Ignatius Diertins S. I. Aſſiſtens Germaniæ; in qua Fr. Cerbonius Bononienſis, eremita Camaldulenſis Montis coronæ, fidem facit, ſe, dum ſacræ eremi Tuſculanæ eſſet Prior anno* 1672, *viſitaſſe ſacrarium dictæ ſacræ eremi, & in ſpecie, ſacrarum reliquiarum, imo etiam ſacrorum cinerum reliquiarum combuſtarum in ſacello aut ſacrario dominæ Hortenſiæ à ſancta Cruce; qui cineres conſervabantur in quibuſdam vaſis vitreis, in dicto ſacrario exiſtentibus; hos inter cineres fuiſſe aliquas partes fragmentorum reliquiarum, quæ combuſtæ non erant in dicto incendio memorati ſacelli & hierogazophylacii; eas reliquiarum partes fuiſſe involutas chartis, ad-*

ſcripto nomine Sancti iſtius, cujus erant reliquiæ: atque inter alias ibi à ſe repertas fuiſſe ex cranio glorioſi patriarchæ S. Ignatii, *& unum digitum S. Antonii abbatis: eas, quia erant reliquiæ adeo inſignes, curaviſſe ſe, ligari in cryſtallo, & penes ſe habuiſſe; ſeque, ſuperveniente poſtea ſcrupulo propter excommunicationem papalem Pauli PP. V, conſignaſſe illas reverendo admodum patri Benedicto Maceratenſi viſitatori; deinde eas in argento ligatas fuiſſe; & aſſervari unà cum aliis reliquiis authenticis in ſacriſtia dictæ eremi Tuſculanæ.* AUCTORE J. P.

1138 *Ex papalis autem excommunicationis apographo illa extraho:* Paulus V ad futuram rei memoriam. Cum, ſicut nuper exponi nobis fecit dilecta in Chriſto filia, nobilis mulier, Hortenſia à S. Cruce, dilecti filii nobilis viri Franciſci Burgheſii, noſtri ſecundùm carnem germani fratris, conjux, ipſa pio devotionis affectu adducta, in eccleſia eremi S Romualdi Camaldulenſis Ordinis, Tuſculanæ diœces., unam capellam in honorem S. Crucis ſuis ſumptibus extrui, & ornari, ac in ea complures Sanctorum & Sanctarum reliquias collocari, ac decenter ſervari curaverit: Nos, ne ſacræ reliquiæ hujuſmodi progreſſu temporis inde amoveri, & extrahi contingat, providere volentes, ſupplicationibus, ejuſdem Hortenſiæ nomine, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſq; am quavis auctoritate fungens, reliquias prædictas aut aliquam earum partem quovis prætextu aut quæſito colore, cauſa, ratione aut occaſione è dicta capella extrahere aut aſportare, vel, ut extrahantur aut aſportentur, permittere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ incurrendâ pœnâ audeat ſeu præſumat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium interdicimus & prohibemus. Non obſtantibus *&c.* Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX Februarii MDCXIV, pontificatus noſtri anno nono. S. Cobellutius. *inter alia ſacra lipſana*

1139 *Exſtat à tergo hujus prædicti apographi ſequens teſtimonium, de ejuſdem apographi veritate:* Nos infraſcripti teſtamur, quod deſcripſerimus prædictum Breve, in tabula marmorea inſcriptum, & collocatum in ingreſſu dictæ capellæ S. Crucis. Item teſtamur, nos vidiſſe inventarium ſeu catalogum reliquiarum, quæ in prædicta capella conſervantur, ſcriptum in pergameno, atque inter cetera nomina contineri hæc verba: DE CAPITE PARS NOTABILIS SCILICET CRANIUM S. IGNATII FUNDATORIS SOCIETATIS JESU; die III Junii MDCC. Ignatius Diertins, Aſſiſtens Germaniæ Societatis Jeſu. Jacobus de la Fontaine, Societatis Jeſu presbyter. Philippus Amyot d'Inville, Societatis Jeſu presbyter. *apud PP. Camaldulenſes prope Tuſculum.*

C F

1140 *Falſa imprimis ſunt, quæ de prima origine cranii hujus ad PP. Camaldulenſes prope Tuſculum delati dicebantur ſuperiùs num.* 1134. *Nam laudatus ſpicilegus ſic ſcribit:* Habemus hic in ſacrario domûs profeſſæ, ex parte CAPUT S. IGNATII MARTYRIS, EPISCOPI ANTIOCHENI, illudque publicæ venerationi exponimus I Februarii, cum Officio & Miſſa ritu duplici: ſed id non accepimus circa annum MDCVII, nec pro cranio S. Ignatii de Loyola, nec à domina Hortenſia ſanctæ Crucis, aut alio Romæ: verùm jam ab anno MDXCVIII, aut paulò pòſt, ſine ulla commutatione cum aliis reliquiis, à domina Maria Manriquez de Pernſtain, vidua domini Wratiſlai de Pernſtain, cancellarii Bohemiæ; quæ illud anno MDLXXII, XIV Junii per maritum ſuum obtinuerat ab archiepiſcopo Pragenſi, & abbate Olſecenſi; ac VIII Aprilis MDXCVIII tradi- *Falſa eſt prima origo, quâ dicitur cranium eò eſſe dslatum.*

AUCTORE J. P.

dit patri Melchiori Trivinio, rectori collegii Pragenſis, ut illud R. A. Patri noſtro conſignari curaret pro eccleſia domûs profeſſæ noſtræ Romanæ. Probantur hæc ex teſtimoniis archiepiſcopi Pragenſis, & epiſcopi Cremonenſis, Pragæ datis. Excerpo paucula :

Nos Antonius .. archiepiſcopus Pragenſis .. Notum facimus .. univerſis, nos cum R. patre D. Balthazaro abbate Oſſecenſe diligenter revidiſſe Sanctorum reliquias à prima fundatione ejus monaſterii ibidem continuè in maxima veneratione habitas, .. & ex illis ad devotam inſtantiam illuſtris & magnifici domini D. Wratiſlai à Pernſtain, S. C. majeſtatis camerarii, & regni Boëmiæ ſupremi cancellarii &c, quâ nos nomine illuſtris dominæ D. Mariæ Manricæ &c. dilectiſſimæ conthoralis ſuæ requiſivit, dono dediſſe & obtuliſſe imaginem capitis laminæ deauratæ, in qua S. Ignatii, Antiochenæ eccleſiæ poſt divum Petrum Apoſtolum, tertii epiſcopi & martyris .. capitis fruſtum .. incluſum eſt. . . In cujus feſtivitate hæ ſanctæ Reliquiæ ſemper ad altare majus in monaſterio Oſſecenſe expoſitæ fuerunt .. Datum Pragæ .. die XIV menſis Junii anno à Chriſto nato MDLXXII.

Cæſar Specianus .. epiſcopus Cremonenſis .. ac S. D. N. Clementis PP. VIII ad S. Cæſaream majeſtatem .. Nuntius .. Noveritis, quod hodie illuſtriſſima domina D. Maria Manriquez de Perneſtain, relicta vidua quondam illuſtriſſimi domini Wratiſlai de Perneſtain .. , medio juramento, tactis ſacris Scripturis præſtito, retulerit, ſe dono dediſſe reverendo in Chriſto patri Melchiori Trivinio, Societatis Jeſu presbytero, & collegii Pragenſis ejuſdem Societatis rectori, caput ſancti Ignatii in argento conditum, ad hoc, ut illud reverendiſſimo Patri dictæ Societatis Generali, pro eccleſia domûs profeſſæ ejuſdem Societatis de Urbe .. conſignari curaret, idemque caput illud ipſum eſſe, quod nos non ita pridem .. in ejuſdem illuſtriſſimæ dominæ capella .. viſitavimus, & poſt diligentem deſuper factam inquiſitionem approbavimus. Quod ut ita eſſe ubique conſtet, & ab omnibus Chriſti fidelibus dictum ſanctum caput in debita veneratione & honore habeatur, &c. Datum Pragæ .. die VIII menſis Aprilis MDXCVIII &c. *Hæc ſpicilegium : è quibus planè ſequitur, ut cranium* S. Ignatii *fundatoris noſtri, aut ejuſdem cranii pars viâ permutationis ad PP. Camaldulenſes prope Tuſculum non pervenerit.*

Alia quædam circa illud ſacrum pignus expenduntur.

1141 *Aliud fundamentum pro iſtius apud ipſos lipſani poſſeſſione, eſt inſcriptio illuſtriſſimi viſitatoris Apoſtolici, de qua dicebam ; ſed* miror, *inquit dicti Spicilegii auctor*, quod teſtimonium authenticum de reliquiis S. P. Ignatii, quod aſſeritur inventum MDCCIII, non fuerit communicatum ; cum illud diſertè flagitarim. *Præſenti autem controverſiæ patrocinari non poteſt decretum Pauli PP. V, ſuprà allatum ; quia nullus in eo determinatè Sanctus exprimitur. Ad hæc, lipſanum illud ſacrum nunc vocatur* cranium ; *nunc* una reliquia valde magna B. Ignatii Loyolæ ; *nunc* ex cranio ; *ſicut ex dictis patet ; nunc* de capite pars notabilis ſcilicet cranium S. Ignatii, Fundatoris Societatis Jeſu ; *prout ibidem videre eſt ; at quo pacto intelligi poteſt, quod* cranium *noſtri Sancti totum, vel maxima ejuſdem* cranii *pars, vel ſaltem pars notabilis ante incendium ſacrarii Camaldulenſis prope Tuſculum aut poſt illud, apud iſtos PP. Camaldulenſes umquam fuerit ; cum illud* cranium totum *exſtiterit apud nos Romæ, probè ſigillatum, & jam tum ab anno* 1610, *à R. A. P. N. Claudio Aquaviva, Præpoſito Generali Societatis Jeſu, vaſi impoſitum ; hodieque ibidem exſtet, uti dixi ſuprà, ex teſtimonio illius, qui thecam tractavit manibus &c ; atque adeo quomodo ſubſiſtunt ; quæ occaſione hujus pignoris ſacri apud Camaldulenſes, ut volunt, Tuſculanos, de eorum ſacrarii incendio, quod contigerit anno* 1647, *ſuperiùs dicebantur ?*

quod tamen relinquitur in ſua poſſeſſione.

1142 *Quæ tametſi ſint hujuſmodi, ut ſuſpicionem mihi moveant, an depoſitum illud ſacrum, quod apud prædictos patres ſub nomine* S. Ignatii Loyolæ *publicæ venerationi exponitur, ac pro tali habetur, fortè non ſit cujuſdam alterius Sancti ; quia tamen aliâ viâ, quàm eâ, quæ ſuperiùs rejecta eſt, pars aliqua, vel iſtius* cranii, *vel alterius oſſis* S. P. N. Ignatii *illuc fortaſſis alicunde pervenire potuit ; per me non ſtabit, quo minùs pium illud pignus, quod bona fide poſſidere ſe cenſent iſti religioſi patres, poſſidere pergant, ac piæ aliorum venerationi colendum porrigere, eo utique ſemper religionis fructu ; ut Deus in* S. Ignatio *noſtro ibidem loci ſingulari quadam ac ſtabili mentis affectione honoretur.*

§ CIX. Alia ſacra lipſana Romæ ; in Hiſpania, Gallia ; Coloniæ Agrippinæ.

Aliæ Sancti in Urbe reliquiæ,

PRiuſquam, *relictâ Româ, ſacras alibi luſtremus reliquias* S. Ignatii, *paucula circa Romanas reſidua præmitto. P. Daniel Papebrochius in ſua Mora, uti eam vocat, Romana Ms., inter ea, quæ ſub finem anni* 1660 *notavit circa noſtrum tirocinium ibidem ad S. Andreæ, meminit de duobus quadratis reliquiariis*, in quorum uno S. P. N. Ignatii diſciplina erat, noſtris Belgicis ſimillima, ſed manubrio grandiori : in altera, ſcripta ejus manu epiſtola, & induſii fruſtum. *Ceterum vix quidquam ampliùs Romæ jam ſupereſſe è Viri ſancti veſtibus, aliò utique jam dudum venerationis ergo tranſmiſſis, conſtat è teſtimonio noſtri Joannis Baptiſtæ Vanner apud Rhò in ineptia ſeptima num.* 26 ; *ubi Idibus Januarii anno* 1643 *Romæ fidem facit, ſe* veſtes omnes, quæ ex illis, quibus olim uſus fuit S. P. N. Ignatius, ad nos, *ait*, pervenerunt, in hac domo profeſſa Romana ab uſque anno XCVI ſuperioris ſeculi, ſæpius vidiſſe, ac tractaſſe : ab iſtis verò proximis XX, habuiſſe ſub *ſua* cuſtodia .. Jam verò vix ex illis quidquam domi ſupereſſe *addit* ; cum aliò venerationis gratiâ, ut Sancti reliquiæ, aſportatæ fuerint. Dimidia tantùm caſula, unuſque mihi ſuperfuit lineus thorax ; *de cujus notione & uſu ſupra dixi num.* 1130 *in fine.*

item in Hiſpania,

1144 *Litteras patentes* S. Ignatii, *quibus P. Franciſcum Borgiam facit commiſſarium generalem in Hiſpaniis & Induis, produxi ſuperiùs* § 81, *num.* 837 *ex earum apographo ; in quo inſuper notatur, quod earum originale à noſtro R. A. Patre Generali datum fuerit P. Petro Hieronymo Cordova Romæ menſe Martio* 1666, *ut illud offerretur domino marchioni de Alcanizes, & Oropeſa, heredi domus Loyolanæ. Epiſtolæ verò* S. Ignatii *ad P. Natalem commiſſarium in Hiſpania & Luſitania, Romæ* VII *Januarii* 1554 *ſignatæ, originale exemplar à Patre noſtro Joanne Paulo Oliva datum fuit prædicto P. Petro Hieronymo Cordova, provinciæ Caſtellanæ præſidi, die* XXIX *Decembris* 1665 ; *ex fide monumentorum noſtrorum Ro-*

A *Romanorum.*

1145 *Sed ſingularem prorſus honorem apud Hiſpanos meritò ſibi vendicat* S. Ignatii *digitus, qui Loyolæ aſſervatur: de quo plura referam poſt Vitam Sancti à Ribadeneira editam, in Gloria ipſius poſthuma ex loco natali. De ſpelunca Manreſana, aliiſque locis in iſtius nominis oppido aut prope illud,* S. Ignatii *causâ in veneratione habitis, conſule Gloriam ipſius poſthumam ex commoratione Manreſana. Superiùs* § 63 *à num.* 650 *dictum fuit de imagine Deiparæ Virginis, quæ à* S. Ignatio *donata P. Araozio, poſtea tranſiit ad patres noſtros Cæſarauguſtanos. Apud Bartolum lib.* 1, *num.* 28 *occaſione rerum à Sancto Barcinone geſtarum agitur de ejus cilicio, quod multos, prout additur, agrotos ibidem ſanavit.*

Loyolæ præſertim; tuti & alibi:

1146 *Noſter P. Balduinus Willot in epiſtola ad P. Heribertum Roſweydum, quam dabat Montibus die* XXIII *Aprilis anno* 1623, Audiviſtiſne, *inquit*, R P. Generalem noſtrum miſiſſe Regi Franciæ digitum S. Ignatii; qui Toloſæ templum Societati ædificat, & S. Ignatio dedicatum voluit? *Accepi Româ ex archivo Societatis, apographum originalis approbationis reliquiarum quarumdam* S. Ignatii, *factam Augi* (*vulgo Eu*) *in Normannia, unà cum narratione celebritatis, quâ ibidem fuerunt delatæ ad templum Societatis Jeſu, die* XXX *Junii* 1626. *Ex inſtrumento hac ſuper re confecto, hæc contraho: Nicolaus Loci S. Stephani* (*Gallice* de la Place de ſainct Eſtienne) *abbatiæ Dominæ noſtræ Augenſis abbas, Ordinis S. Auguſtini, diœceſis Rotomagenſis, à conſiliis & eleemoſynis reginæ matri regis, vicarius generalis illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Franciſci, archiepiſcopi Rotomagenſis, Normanniæ primatis, exponit, quomodo à Rectore aliiſque patribus collegii Augenſis ſibi fuerit exhibitum, quod antea deputaſſent P. Chriſtophorum le Jeau procuratorem, ut à prædicto epiſcopo peteret approbationem reliquiarum* S. Ignatii, *Fundatoris Societatis Jeſu, quas reverendiſſimus P. Mutius Vitelleſcus, Generalis ejuſdem Societatis, miſerat celſiſſimæ principi dominæ Catharinæ de Cleves, duci Guiſiæ viduæ, Comiti Augenſi, & quas ipſa conſignarat reverendo patri Pelletier, abbati abbatiæ Fulcardimontenſis* (*Gallicè* de Foucarmont,) *ut exiguo poſt tempore illas deferret ad templum, quod novum ædificari juſſerat collegio Augenſi: ne quis deinde in dubium revocare poſſet tranſlationem dictarum reliquiarum; eaque ut publica veneratione affici poſſent.*

In Gallia

B

C

1147 *Quod archiepiſcopus Rotomagenſis rei totius cognitionem ſibi commiſerit, uti & reliquiarum approbationem, ut excipiantur eo honore ac reverentia, quæ tanti Sancti memoriæ debentur. Itaque ſe hodie* XXX *Julii* 1626 *convocaſſe clerum quatuor parœciarum, & PP. Capucinos ad templum prædictæ abbatiæ divæ Virginis Augenſis: in quam cum etiam patres Societatis Jeſu in corpore, quod vocant, veniſſent induti ſuperpelliceis & deducti à P. Rectore, qui geſtabat vexillum S. Ignatii & S. Franciſci Xaverii, unà cum toto gymnaſio ſuo, horâ circiter nonâ vel decimâ matutinâ, ſe cum canonicis Regularibus ejuſdem abbatiæ univerſoque clero, ex eodem templo proceſſionaliter obviam iviſſe dictis reliquiis, uſque ad medium ſuburbii de Mathomeſnil iſtius urbis Augenſis; ubi dictas reliquias decoro, quem ibi exponit, cum apparatu ac comitatu, uti & hierothecæ cryſtallinæ, cui erant incluſæ, ornatu depoſitas, ac decorè tectas, deinde verò à Natale Cointerel, Loci-Dei* (*Gallicè* Lieudieu,) *abbatia abbate, Ordinis Ciſtercienſis, detectas fuiſſe ſignificat, fruſtum nempe oſſis, quod videtur eſſe ex parte extrema lateris; ad confirmandam hujus ſacri pignoris veritatem, datum ſibi fuiſſe reſcriptum dicti patris Generalis, die* XVIII *Decembris* 1625 *Romæ ſignatum, ſimul cum litteris ab ipſo Italicè exaratis ad dictam dominam Duciſſam, & die* XXIX *Novembris anni* 1625 *prædicti notatis: quibus publicè, alta voce, ac verbatim per decanum Augenſem legi juſſis ac lectis, teſtatur, ſe dictas reliquias accepiſſe è manu dicti domini abbatis Loci-Dei, & excitaſſe populum, ut honorem ac reverentiam illis deferret, ſecundùm conſuetudinem & uſum matris noſtræ ſanctæ Eccleſiæ; ſeque, poſtquam eas cum omni clero ac populo veneratus eſſet, ac ſuis manibus illas teneret, incepiſſe cantare hymnum* Te Deum, *& eodem ordine, quo venerant, ad dictam urbem rediiſſe, dictaſque reliquias detuliſſe ad templum noſtri collegii, de quo ſuprà, atque depoſuiſſe in manibus dicti P. Rectoris, ac permiſiſſe, ut exponerentur publicæ veneration, ut veriſſimæ* S. Ignatii Loyolæ *reliquiæ.*

ſolenni cum approbatione.

1148 *De theſauro ſacro patrum Societatis Jeſu Coloniæ agens Ægidius Gelenius in libro ſuo de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine, lib.* 3, *ſyntagmate* 46, § 3, *num.* 11, *Fundatoris noſtri reliquias hoc ordine recenſet:* Prima, eaque nobiliſſima eſt TOGA ſancti Viri integra, ſi unam demas manicam, quæ cum primùm allata eſt, pietatis & venerationis gratiâ inter ſocios diviſa eſt; ſi item demas limbum interiorem, qui collum proximè ambivit, quem ſereniſſimus Wilhelmus Bavariæ dux .. impetravit, cum in antiquo collegio anno ... diverſaretur Coloniæ; tantus exinde collegii benefactor, ut in numerum fundatorum venire poſſit. Porro de toga prædicta Coloniam allata ſupereſt teſtimonium manu b. m P. Leonardi Keſſelii, primi rectoris collegii Colonienſis, exaratum hiſce verbis: Anno MDLIII in Novembri R. in Chriſto P. Bernardus Oliverius attulit nobis Româ tunicam P. Ignatii de Loyola ſanctæ memoriæ, primi Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu, & ejuſdem Societatis Fundatoris. Una abſciſſa eſt manica ex quorumdam patrum devotione, & diviſa in multas partes die SS. Martyrum Fabiani & Sebaſtiani anni MDLXVI. Leonardus Keſſelius ,,.

Variæ etiam ſunt

E

F

1149 Eadem toga nuper argenteæ exquiſitæ artis ciſtæ ſericoque rubenti incluſa eſt, quæ religiosè in ara S. Ignatii ſervatur. Reliqua de Sancto eodem lipſana ſunt pars interulæ cum cineribus, capſulæ gemmis exornatæ incluſa. Obex cubiculi, & particula ex plumbea ciſta, in qua S. corpus quievit. Hæc R. P. Joannes Zieglerus Româ rediens Coloniam attulit. Sed rurſum nobiliſſimæ reliquiæ S. ſunt quaterna chirographa S. Ignatii, quorum bina incluſa thecis inauratis continuò per urbem circumferuntur ad parturientes feminas, quarum in ea neceſſitate, tam frequens eſt patronus, ut dies XXXI Julii penè in feſtum Ignatio ſacrum abierit tacito uſu eorum, qui beneficii in ſe collati memoriam non depoſuerunt. [illegible] reliquiarum, videlicet S. Ignatii, quædam ſtatuæ argenteæ includuntur.

Coloniæ Agrippinæ;

circa quas nonnulla obſervantur.

1150 *Obſerva.* 1°. *In Mss., quæ ad nos de* S. Ignatio *Coloniâ fuere miſſa, argui falſitatis id, quod referebat ſuprà Gelenius de abſciſſa una manica: ſed durum eſt, Gelenio imputare falſitatem in re, quam adeo perſpicuo, diſerto ac gravi teſtimonio roborat.* 2°. *Ad quatuor autographa, de quibus ſuprà Gelenius, quod attinet; invenio in cita-*

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

citatis Mss., idem docere historiam & annuas litteras collegii; at non nisi duo anno 1729 reperta esse. 30. Ibidem affirmatur, PP. Cartusianos Colonienses integrum exemplar litterarum sancti Patris nostri habere.

§ CX. Sacra lipsana in Germania, ac Belgio.

Pileolus Monachii, uti & Augustæ Vindelicorum,


M*Onachii apud FF. Minores asservatur pileolus* S. Ignatii; *prout constat è testimonio inde huc misso, quod sic sonat:* In conventu Fratrum Minorum, Ordinis S. Francisci Reform. Monachii Bavariæ conservatur capitegium sancti Ignatii de Loyola, Fundatoris inclytæ Societatis Jesu, quod, uti traditio archivalis dictæ provinciæ FF. Minorum exhibet, à SS. D. N. Paulo V, summo Pontifice, illustrissimo domino Julio Cæsari Grivellio, baroni de Gudo, sereniſſimi Ducis Guilielmi, uti & postea sereniſſimi Electoris Maximiliani camerario, ac præfecto in Tölz, donatum fuit, dum dictus dominus baro legationem apud Sedem Apostolicam, à sereniſſima domo Bavarica sibi commissa, fungebatur: qui postea circa annum MDCXXIV, quo conventus FF. Minorum Tölzii erigebatur, prædictum capitegium iisdem Fratribus dono dedit; unde Monachium translatum, ibique in magna veneratione adhuc, usque ad hodiernum diem, innumeris ægrotis, præsertim infantibus, catalepsi seu phrenesi laborantibus, imò etiam adultis, dolore capitis affectis, devotè applicatur cum ingenti fructu, ita quidem, ut ferè semper, præsertim circa infantes phreneticos, experientia habeatur, quod post applicationem hujus sanctuarii, vel statim, vel paulò pòst ab infirmitate curentur, aut suavi & leni morte ad meliorem vitam transcribantur. *P. Papebrochius noster in suo Itinere Romano Ms., supellectili templi nostri Augustani quadratum accenset pileolum, quo usus fuit* S. Ignatius. *Nunc in Belgium perveniamus.*

B

In collegio S. J. Lovaniensi est chirographum; indusium item, cum testimonio

C

1152 *Lovanii apud nostros, in cubiculo R. P. Rectoris servatur indusium seu interula linea* S. Ignatii, *secundùm ea, quæ lego in apographis documentorum collegii Lovaniensis, à P. Ignatio Pinio anno* 1727 *mecum communicatis: quæ etiam testantur, ibidem servari literas patentes, manu propria à* S. Ignatio *subscriptas Romæ Idibus Januarii anno* 1550. *En tibi istius chirographi ectypon æri incisum.*



De interula illa linea & literis patentibus (de quibus disertè meminit Historia Ms. collegii Lovaniensis Societatis Jesu jam ab anno 1556, *ibi folio verso:) exstat ibidem in membrana testimonium R. P. Olverii Manarei, per Belgicam visitatoris, datum Lovanii* XVIII *Novembris* 1602. *Sic habet:* Oliverius Manareus, Societatis Jesu per Belgicam visitator, omnibus has visuris, lecturis pariter, & audituris salutem in Domino. Cum certitudo rerum sacrarum multum habeat momenti ad augendam erga eas fidelium venerationem, ac devotionem; cumque lapsu temporum obscurari pleraque omnia & dubia reddi videamus, quæ priùs erant clarissima atque certissima; visum est, certa aliqua testificatione efficere, ut opportuno remedio uno eodemque & oblivioni occurratur, & devotionis affectui consulatur. D

patris Oliverii Manarei:

1153 Quare cum compertum nobis sit, in Lovanienſi Societatis nostræ collegio asservari lineam interulam B. P. N. Ignatii de Loyola, Societatis nostræ post Deum primi parentis, quam bonæ memoriæ R. P. Bernardus Oliverius, primus hujus Belgicæ provinciæ designatus Provincialis præpositus, in Belgium Româ veniens secum observantiæ & venerationis ergò olim attulerat, & in qua Deo devotæ personæ filo byssino rubro ipsius B. P. nostri nomen acu pinxerant: operæ pretium putavi ad futuram apud posteros rei memoriam, & ad devotionis augmentum, hisce litteris publicam ejus rei fidem facere, & E attestari, hanc esse interulam illam, quam, quod B. P. N. Ignatium eâ usum sciret, supradictus R. P. Bernardus Oliverius, venerationis studio secum Româ discedens in Belgicam transtulit.

quo fidem facit de utriusque rei veritate.

1154 Harum item tenore attestamur, litteras illas patentes, quæ in eodem collegio asservantur, datas Romæ Idibus Januarii MDL, signatas IGNATIUS, esse ab eodem R. P. nostro manu propriâ subscriptas .. In harum rerum fidem hisce manu nostra subscripsimus ... Datum Lovanii XVIII Novembris anno MDCII. Infra habetur: Oliverius Manareus, qui supra, testor, me novisse memoratum patrem Bernardum Oliverium, rectorem collegii Romani, tempore B. Patris nostri Ignatii, illique fuisse ob virtutem valde carum, ut illi meritò sit credendum de supradicta interula. Cætera testor nomine proprio.

Reliquiæ, quæ ibidem in templo coluntur, primo fuere Gandavi,

1155 *Lovanii in templo Societatis Jesu colitur pars ossis* S. Ignatii, *ejusque cineres: de quibus hæc testimonia authentica servari in cubiculo R. P. Rectoris ibidem, lego in apographis suprà citatis. Ex illis autem excerpo sequentia:* Ego infrascriptus Societatis Jesu sacerdos in fide sacerdotis affirmo & testor, à P. Jacobo Rassenghiem, F Societatis ejusdem sacerdote, fuisse religiosè asservatum aliquod reliquiarium; cujus forma & magnitudo hîc in margine expressa est.. Insuper audivisse me, dictum patrem Jacobum de Rassenghiem affirmantem, quod suprà descriptum reliquiarium accepisset à suo nepote, excellentissimo principe de Mammines, affirmante, sibi illud Romæ pro singulari munere datum fuisse à P. Generali Societatis Jesu Mutio Vitellesco. In quorum fidem hisce subscripsi manu mea Gandavi XXVIII Decembris MDCLXII. Melchior van Delft.

ab illustrissimo Antv.

1156 *Sequitur ibidem testimonium Rectoris collegii Societatis Jesu Gandensis, in quo fidem fa-*, *se* accepisse suprà memoratum reliquiarium, elictum à P. Jacobo de Rassenghiem supradicto, cum XXVII Dec. MDCLXII moreretur in dicto nostro collegio Gandensi, & P. Melchiorem van Delft in manibus, *ait*, meis verbaliter deposuisse eadem, quæ suprà scripto testatus est. Actum in collegio Gandensi, & signatum manu nostra, & officii nostri sigillo munitum die XXVIII Dec. MDCLXII. *Et subscribitur:* G. Hesius, *quantum assequi licet ex nomine, non satis clarè expresso; & colligitur ex sequentibus. Facie ver-*

sa

A *ſa habetur teſtimonium illuſtriſſimi Antverpienſis, quo approbat reliquias*, datum Antverpiæ .. die XXVII Sept. MDCLXIII. Fr. Ambroſius epiſc. Antverp.

deinde ab illuſtriſſimo Mechlinienſi approbatæ, & ab uno è noſtris templo Lovanienſi datæ.

1157 *Hæc ita confirmat & extendit illuſtriſſimus Mechlinienſis :* Cum à P. Guilielmo Heſio, Soc. Jeſu presbytero, exhibitæ eſſent quædam reliquiæ S. P. Ignatii, Fundatoris dictæ Societatis .. & inſuper eſſent nobis oſtenſa teſtimonia ſufficientia & ſignata, atque etiam literæ .. epiſcopi Antverpienſis dictarum reliquiarum approbativæ ... Nos quoque .. eaſdem S. Ignatii reliquias, ut in diœceſi etiam noſtra ad venerationem publicam exponi poſſint, tenore præſentium approbamus & confirmamus. Et inſuper ad majorem Dei per S. Ignatium gloriam, & fidelium devotionem promovendam, omnibus, qui feſto S. Ignatii die, & omnibus per octavam, dictas ejus reliquias ibi, ubi expoſitæ erunt, piè venerati fuerint, quoties id fecerint, XL dierum indulgentiam gratiosè in Domino elargimur. Datum Mechliniæ .. die VI Octobris MDCLXIII. Andreas archiep. Mechlinienſis. *Haſce denique reliquias* cum prona facultate R. P. Franciſci de Cleyn, provinciæ Flandrobelgicæ Societatis Jeſu Præpoſiti Provincialis *applicat* templo novo collegii Societatis Jeſu Lovanii, ibidem exponendas ad cultum publicum & perpetuum, nec aliò ſine mandato Præpoſiti Provincialis pro tempore exiſtentis, ad rerum exigentiam transferendum; *& ſubſcribitur* Julii die XXIII MDCLXIV Guilielmus Heſius S. I.


Reliquiæ Bruxellas ex Hiſpania,

1158 *Bruxellas delatam fuiſſe ex Hiſpania partem ſacci, quo indutus ſanctus Pater pœnitentiam agebat, liquet ex authentico teſtimonio noſtri collegii Bruxellenſis; in quo inter alia, à me inde deſumpta, infraſcriptus Societatis Jeſu ſacerdos ſic loquitur :* Aſſero atque affirmo R. P. Petrum de Ribadeneyra, Societatis Jeſu ſacerdotem, mihi Matriti in Hiſpania (dum peractis iſthic negotiis, in Belgium iter pararem menſe Septembri MDXCV) dediſſe partem ſacci, quo B. P. N. Ignatius de Loyola .. indutus, pœnitentiam agebat: qui, recedente prædicto R. P. N. ex Hiſpania, Barcinone relictus, atque ſterquilinio mulorum injectus, ibique multo tempore neglectus jacens, tantum abfuit, ut computreſceret, ut etiam integer permanſerit. Unde tandem erutus, atque à ſordibus elutus, & ex arbore ſiccandus ſuſpenſus, & in partes deinde conſciſſus, variiſque fuit diſtributus. Ex ea autem parte, quæ prædicto P. de Ribadeneyra data fuit, idem pater recedenti mihi .. chariſſimi pignoris partem .. dono dedit: quam ego mecum in Belgium deferens, collegio Societatis Jeſu Bruxellæ dedi. Et quoniam prædicta omnia ita ex ore prædicti patris Ribadeneyra accepi, atque in rei veritate ita ſe habent, in prædictorum omnium & ſingulorum fidem ita ſe habentium, præſens hoc teſtimonium manu propria ſcripſi & ſubſignavi .. Datum Bruxellæ x Februarii MDCIV. Jacobus de Zeelandre.

& ex Urbe delatæ : quas inter reliquum candelæ,

1159 *Aliud præterea ſacrum depoſitum Bruxellas Româ detulit ſpectatæ celebritatis pater è Societate noſtra. Rem intellige ex authentico noſtri collegii Bruxellenſis teſtimonio, quod, quia breve eſt, totum huc tranſcribo :* Franciſcus Coſterus, Societatis Jeſu presbyter & doctor theologus, omnibus has viſuris ſeu lecturis ſalutem in Domino. Cum nulla re alia poſteritati meliùs conſulatur, quam ut rerum geſtarum, & ut actæ in veritate ſunt, teſtimonia relinquantur; Hinc eſt, quod pro vero, certo atque indubitato aſſero, me anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, Româ Coloniam, inde Bruxellam detuliſſe, ibique domui ſeu reſidentiæ Societatis dediſſe reliquum candelulæ omnium gratiarum, quâ B. P. N. Ignatius de Loyola moriens animam Deo reddidit. Quod ut poſteritati conſtet, haſce manu aliena fideliter ſcriptas, in fidem & teſtimonium præmiſſorum, propria manu ſubſcripſi & ſubſignavi, atque ſigillo Societatis noſtræ conſueto muniri curavi. Datum Bruxellæ XXVII Maii, anni MDCI. Franciſcus Coſterus Societatis Jeſu ſacerdos. *Reliquum porrò illud dictæ candelulæ in veneratione ibidem permanſit apud noſtros, ad ſolatium utique eorum, quibus è vitâ migrare ibidem loci contingeret, incluſum candelabro, media ſui parte vitreo ac pellucido, ut extrinſecus venerabile hoc mnemòſynon videri queat. Quid plura ? Rem ipſam exhibeo ſcalpro expreſſam, ſecundùm delineationem inde huc miſſam, quæ tamen ad minorem formam contracta eſt hoc, quo cernis modo :*

AUCTORE J. P.



¶ Reliquum candelæ om. gratiarum, qua B. P. N. IGNATIVS DE LOYOLA, moriens, animam DEO reddidit. ¶ quam P. Franciſcus Coſterus, Roma Coloniâ attulit, Anno 1565.

cujus uſus & deſcriptio.

1160 *Porrò de candelabri ornatu atque uſu hæc accepi :* Candelabrum ipſum quoad ſupremam & infimam partem eſt ex argento deaurato: media pars eſt ex cryſtallo, cui reliquum candelæ impoſitum eſt. Candela verò filo aureo obducta, affixa eſt panno ſerico albi & rubri coloris auro intertexto, ac variis ornato margaritis. Ex adverſa parte candelæ, eidem panno ſerico appoſita eſt hæc inſcriptio in pergameno : RELIQUUM CANDELÆ &c. Infima pars candelæ colore viridi obducta eſt. Hoc candelabrum aſſervatur in infirmaria collegii Bruxellenſis : illi imponitur cereus benedictus, ſi quis periculosè ægrotet, atque ita candelabrum à ſacerdote adminiſtrante Sacramentum extremæ Unctionis traditur in

AUCTORE J. P.

manum infirmi, qui illud manu tenet, si quidem per vires possit. Idem fit, quando in extremo agone agit animam.

De domo Professa Antverpiensi, collegio Ruramundensi,

1161 *Domus nostra professa Antverpiensis, sacrarum reliquiarum dives, tres habet de sancto Patre nostro particulas, legitimè approbatas ac publicæ venerationi expositas; uti patet ex instrumento, die* XXVI *Augusti* 1684 *subsignato à R. P. Ludovico de Camargo, ejusdem domus professæ præposito. De sacris lipsanis* S. Ignatii *apud PP. nostros Ruramundæ habeo testimonium, die* XXX *Decembris, anno* 1653 *notatum, quo Ordinarius eas approbat.*

ac provincia Gallobelgica.

1162 *In provincia nostra Gallobelgica exstant hæc sacra lipsana, teste Rayssio in Gazophylacio Belgico; nimirum Duaci in majore templo* Manuale, *uti scribit pag.* 480, S. Ignatii sigillum, unà cum parte vestis ipsius in argentea tabula vitro recluſum, parturientibus mulieribus remedium præstantissimum, variisque hoc in periculo miraculis illustre. *Insulis verò esse refert pag.* 492 *per elegantem, magnam atque ex argento affabrè elaboratam effigiem; qui* tam præclarus ornatus capillos, aliasque ex ossibus ejusdem Sancti reliquias continet. *At sistamus hîc, & nostro simul Commentario Vitæ Ignatianæ prævio metam ponamus. En tibi nunc igitur, lector benigne, Sancti*

ACTA

ANTIQUISSIMA,

A P. Ludovico Consalvo S. I. ex ore Sancti excepta: & à P. Hannibale Codretto, ejusdem S. I., in Latinum conversa a.

a

b

PRÆFATIO b SCRIPTORIS.

Hujus Vitæ scriptor præfatur,

C JEsus Maria. Anno MDLIII, die quodam Veneris manè, IV Augusti, pridie Dominæ nostræ Ad nives, dum Pater esset in horto juxta domum vel cubiculum, quod dicitur Ducis, cœpi ego reddere illi rationem aliquorum negotiorum singularium animæ meæ, interque alia dixi ei de vana gloria. Pater hoc mihi dabat pro medela, ut sæpius in Deum referrem omnia mea, enitendo sedulò, ut quidquid in me invenirem boni, id illi offerrem, agnoscens hoc esse ipsius, dansque ipsi de eo gratias. Atque ista in re ita mecum loquebatur, ut multum mihi præberet solatii, adeò ut à lacrymis temperare non possem. Et sic mihi narravit Pater, quomodo per biennium cum isto vitio fuisset conflictatus; ita quidem, ut, quando navem conscendeba: Barcinone Hierosolymam versùs, dicere non auderet ulli, se Hierosolymam cogitare. Atque ita in quibusdam aliis rebus singularibus istiusmodi. Et addebat insuper, quantum pacis circa hanc rem postea sensisset in anima sua. Unâ alterâve dehinc horâ ivimus ad mensam; dumque magister Polancus & ego essemus occupati comedendo cum illo, dixit Pater noster, quod magister Natalis, aliique Societatis sæpiùs petierint à se rei quidpiam, & quod numquam aliquid circa illud determinarit; sed quod, postquam fuisset locutus mecum, & in cubiculo sese collegisset suo, adeò piè fuerit affectus ac propensus, ad illud exsequendum (eo loquebatur modo, qui ostenderet, Deum magnam sibi dedisse in hoc efficiendo claritatem) ut prorsus se eò determinarit (Res erat in eo sita, ut declararet, quidquid in anima sua fuisset transactum hactenus:) fixumque habuerit, eum futurum me, cui res illas esset revelaturus. D

quomodo sanctus Pater statuerit suas actiones patefacere,

2 Erat tum temporis Pater admodum infirmus, nec consuetus umquam unum sibi vitæ diem polliceri: sed potiùs, quando dicebat aliquis: Ego faciam illud intra dies quindecim, aut intra dies octo; Pater quasi attonitus semper dicebat: Quomodo; & cogitas vivere tamdiu? Nihilominus ista vice dixit, sperare se, fore ut viveret tres aut quatuor menses, ad rem absolvendam. Altero die sciscitanti mihi ab eo, quandonam vellet, ut inciperemus; respondit, ut memoriam sibi refricarem diebus singulis (quot verò diebus, non recordor:) donec ad hoc nactus esset opportunitatem: quam cum non haberet partim propter occupationes; in eo fuit, ut illam in memoriam sibi revocarem diebus Dominicis singulis. Et sic mense Septembri proximo (quo die, non recordor) Pater me vocavit, ac cœpit mihi dicere totam suam vitam, liberiorem etiam vivendi licentiam in juventute, clarè & distinctè, cum adjunctis omnibus, quæ rem circumstant: ac postea me vocavit eodem mense tribus aut quatuor vicibus, & historiam perduxit usque ad commorationem Mantesanam per dies aliquot; uti spectatur scriptum diverso charactere. E

& re vera diversis vicibus accurate

3 In modo narrandi, quem servat Pater, idem obtinet, quod omnibus solet in rebus: qui est adeo clarus, ut quidquid est præteritum, fistere homini præsens videatur: atque adeo non erat necesse, aliquid ipsum interrogare: nam quidquid intererat resciri, meminerat Pater dicere. Veni ego statim immediatè, ut scriberem, non præmonito Patre, primò per puncta manu mea, & posteà diffusiùs, prout scriptum exstat. Laboravi, nullam ut ponerem vocem, præter illas, quas audivi à Patre. Et quantum quidem ad res attinet; in quo vereor, ne sim lapsus, illud est, quod, ne à Patris deviarem vocibus, haud potuerim benè explicare vim nonnullarum ex illis. Et sic hæc scripsi, sicut suprà dictum est, usque in Septembri MDLIII. Et dehinc, donec venit P. Natalis die XVIII Octobris anni MDLIV, Pater semper se excusavit propter aliquas infirmitates, ac diversa negotia, quæ occurrebant, mihi dicens: Ubi absolutum fuerit tale negotium, redde me memorem: quo absoluto, memorem eum reddidi. Et dicebat ille: Nunc sumus in alio isto: ubi absolutum fuerit, memorem me redde. F

sibi eas dictaverit,

4 Verùm ubi venisset P. Natalis, valde lætus ob rem inchoatam, ut Patri essem importunus, mihi mandavit, dicens mihi sæpius, quod nulla in re plus boni possem præstare Societati, quàm illud faciendo; quodque hoc esset verè fundare Societatem. Et sic ipsemet sæpè locutus est cum Patre. Dixit mihi Pater, ut memorem se redderem, ubi absolutum esset negotium fundationis collegii *c*. Quod postquam esset absolutum, & expeditum negotium Preste-Joannis *d*, ac discessisset cursor; incipimus prosequi historiam die nona Martii anno MDLV. Mox cœpit periclitari de vita Julius PP., & vigesimâ tertiâ obiit. Pater autem rem perrexit differre, donec novus succes-

c

d

A ceſſiſſet Papa : qui ſicut ſtatim etiam in morbum incidit, & è vita diſceſſit, rem extraxit Pater uſque ad creationem Pauli Papæ ; quæ, ingruentibus magnis caloribus, & occupationibus multis, progreſſum non habuit, uſque ad diem XXI Septembris, quando cœptum eſt agi de me in Hiſpaniam mittendo. Idcirco valdè urſi Patrem, ut compleret id, quod mihi promiſerat. Atque ita illud nunc indixit ad XXII Septembris manè, in turri Rubra. Ego autem, dicto Sacro, adivi eum, petiturus, num eſſet tempus.

ex ore ejus illas ſcribenti, ac finem imponenti anno 1555.

5 Reſpondit mihi, ut irem, ſe exſpectaturus in turri Rubra, ut, quando ibidem adeſſet, adeſſem & ego. Intellexi, diu mihi illic exſpectandum eſſe ; dumque in porticu quadam me detinerem cum aliquo fratre, negotii quidpiam à me percunctante, venit Pater, & reprehendit me, quia obedientiam prætergreſſus, illic non exſpectaveram : & nihil voluit facere iſto die. Deinde valdè apud ipſum inſtamus .. Et ita rediit ad turrim Rubram, dictabatque ambulando, uti ſemper dictarat. Ego, ut vultum ejus intuerer, paululùm ſemper appropinquabam, dicente mihi Patre, Obſerva regulam : & dum ego aliqua vice id negligens accederem, atque in idem bis aut tertiò eſſem relapſus, dixit hoc mihi, & abiit. Et tandem poſtea venit, ut in eadem turri facetet finem dictandi id, quod ſcriptum eſt. Sed quandoquidem ego jam diu ſtabam in procinctu itineris (dies quippe diſceſſui prævius, fuit poſtremus, quo Pater mecum locutus eſt de iſta materia) non potui omnia ad longum ſcribere Romæ. Et quia non habebam Genuæ amanuenſem Hiſpanum, dictavi Italicè id, quod mecum Româ afferebam per puncta ſcriptum, ejuſque ſcriptioni finem impoſui menſe Decembri anni MDLV Genuæ.

B

ANNOTATA.

a *De hiſce Actis, eorumque auctore, & interprete, dixi ſuprà in Commentario prævio § 91.*

b *Quæ ſpectant ad hanc præfationem, à me verſam ex Hiſpanico ; dabit ibidem Commentarius num. 963.*

c *Intelligo hæc de collegio Romano. Ad menſem & annum, qui ſuperiùs notantur, conformiter Orlandinus lib. 15, num. 2. ad an. 1555 hæc refert :* Decimo Kal. Aprilis moritur Julius anno pontificatus ſui quinto : quanto cum Societatis incommodo, quam alieno tempore, ſenſit ſociorum in Urbe collegium ; cui annuum vectigal aſſignarat : ſed teſtimonium publici diplomatis nondum dederat.

C

d *Hiſpanicè* de el Preſte, *al.* Preſte-Juan ; *id eſt, Presbyter Joannes, ſeu Preſte Jannes. Vide Ribadeneiram lib. 4, cap. 13. Apud Orlandinum lib. 15, num. 105 ad marginem* Pretejannem *invenies, quo nomine ibid. num. 104 in fine deſignatur Claudius rex Æthiopiæ, ad quem ſcribit* S. Ignatius VII *Kal. Martias anno 1555 ; ac proin conſentit ratio temporis cum noſtro hoc textu. Lexicon autem univerſale anno 1677 Baſileæ excuſum, ad vocem* Pretioſi Johannis ſeu presbyteri Johannis *affirmat, imperium ejus ubi fuerit, non ſatis conſtare ; doctioribus tamen in Aſia fuiſſe, versùs Tartariam ; ab aliis malè Abaſſinorum imperatorem Presbyterum Joannem vocatum ; eo autem tempore, quo Luſitani Indiam detegebant, per Europam increbuiſſe Presbyteri Joannis nomen, quo tamen ipſe eſſet loco, ignoratum : inde accidiſſe, ut, cum Petrus Coillanus audiviſſet, in Æthiopia eſſe imperatorem Chriſtianum potentiſſimum, crediderit, ipſum eſſe, qui Presbyter Joannes diceretur ; ab eoque primo Abaſſinorum imperatorem ſic appellari cœpiſſe ; errore dein in omnes ſparſo.*

A. LUDOVICO CONSALVO.

CAPUT I.

Vita militaris, vulnus in propugnatione Pampelonenſi, ſanatio ; lectio ſacra, apparitio ; donum caſtitatis, deſiderium itineris Hieroſolymitani ac vitæ perfectioris.

Ignatius militarem vitam profeſſus, a b

AD *a* annum uſque vigeſimum ſextum *b* * fuit hujus mundi vanitatibus deditus ; præciputè verò armorum exercitio delectabatur, magno & inani deſiderio ductus honoris comparandi. Itaque cum in arce eſſet Pampelonica, quam Galli oppugnabant, unuſque eſſet omnium conſenſus, ut ſe dederent ea conditione, ut incolumes abire ſinerentur (verè enim ſe tueri non poterant) *c* tam multas apud præfectum rationes protulit, ut nihilominus illi perſuaſerit, contrà quàm omnes alii nobiles ſentirent, arcem ab hoſtibus * eſſe defendendam. Tantum verò illi erat animi, ut ipſe ſuo ſenſu atque animoſitate cæteris nobilibus animos adferret. Ubi dies advenit, quâ pugna expectabatur futura, uni nobilium, cum quo ſæpe armis contenderat *d*, confeſſionem criminum fecit, ac ille viciſſim ipſi *e*. Perſtitit autem conſtantiſſimè depugnans, etiam poſt dirutos muros, quoadusque ictu bombardæ unà illi tibia omnis confracta eſt.

* *in originali additur :* de ſu edad : i. e. ſuæ ætatis.

È

c

* ab hoſtibus *non eſt in Hiſpanico.*

d

e

graviſſimè vulneratur in propugnatione Pampelonenſi,

2 Et quoniam inter utramque tibiam globus perlatus eſt, altera quoque tibiarum vulnus graviſſimum accepit. Quo factum, ut, illo cadente, cæteri quoque, qui in arce erant, ſe Gallis dederent. Qui ubi arce potiti ſunt, benè atque humaniter eum habuerunt tractaruntque. Et poſt XII vel XV dies Pampelonæ exactos [eodem in habitaculo, quod antè habuerat, cum tamen ab optimis Francici exercitûs medicis curaretur eo toto tempore * ,] in Loyolæ domum intra lecticam delatus eſt *. Ibi cum eſſet ac peſſimè haberet, vocati multis ex locis medici chirurgique cenſuerunt, tibiam rurſus eſſe disjungendam, ut, quæ malè coaluerant oſſa, ſuis locis reponerentur, afferentes ob id, quòd malè poſita fuiſſent primùm, aut quòd in itinere disjuncta eſſent, extra loca eſſe, & ita curari non poſſe. Itaque hanc excarnificationem rurſus in corpore ſuo fieri paſſus eſt, in qua, ſicut in aliis omnibus, quas antè ſuſtinuerat vel poſtea eſt perpeſſus, nullum umquam verbum protulit, vel ſignum aliud doloris edidit, quam quod pugnos vehementer conſtringebat.

F

* *Hæc non habentur in Hiſpanico.*

* *Hiſpanicè :* lo llevaron. *i. e.* Eum detulerunt.

valetudine in deterius vergente, ſed dein in melius habente.

3 Interim valetudo illi ſemper in deteriora abibat, nec cibum ſumere poterat, reliquaque aderant ſymptomata, quæ ſecuturam mortem indicare ſolent. Et cum ad divi Joannis feſtum diem ventum eſſet, quia de ejus ſalute pauca ſpes medicis erat, conſilium illi datum eſt, ut delicta confiteretur. Acceptis igitur Sacramentis pridie diei, qui beatis Apoſtolis Petro & Paulo ſacer eſt, ad veſperam dixere medici ; ſi uſque ad medium noctis nihil illi meliùs eveniret, poſſe illum pro mortuo haberi. Solebat autem erga B.

A. Ludovico Consalvo.

Petrum devoto esse animo ; atque ita Dei clementiâ factum est, ut illa ipsa media nocte meliùs habere inciperet, tantaque fierent convalescentiæ incrementa, ut aliquot pòst diebus judicatum sit, eum extra omne mortis esse periculum.

Ad tollendam tibiæ deformitatem,

4 Cum verò jam solidari ossa atque compingi alia aliis inciperent, os unum, sub genu relictum, alterum superabat; quo fiebat, ut brevior esset tibia, & os velut in tumulum exurgens, locum aspectu fœdum redderet. Quod ipse non ferens, cùm in seculo manere animo destinaret, quæsivit ex chirurgis, possetne os illud excidi. Illi quidem posse dixerunt, sed dolores fore graviores, quam omnes alii * præcessissent, propterea quod jam sana illic essent omnia, & spatio opus foret, ut excideretur. Statuit nihilominus martyrium illud, quo suæ voluntati satisfaceret, subire: tametsi admirante & obstupescente majore natu fratre, atque asserente, numquam sibi tantum fore animi, ut eum dolorem experiri vellet; quem tamen æger sustinuit consuetâ sibi patientiâ.

* *ex Hispanico supple*, qui.

B *sustinet acerbissimam carnificinam; lectione se occupans*

5 Carne abscissa atque osse, quod supereminebat, adhibita sunt remedia, ne tibia ita brevis relinqueretur. Adhibitæ ad id unctiones & machinæ, quibus continuè multorum dierum assiduo gravique dolore protendebatur tibia. Sed ei tandem Dominus salutem contulit, itáque incolumis evasit; ut ad cætera validus, id tantùm malè haberet, quod non facilè in tibiam insisteret: qua ex re decumbere in lecto cogebatur. Et cum esset inanium librorum mendaciumque lectioni deditissimus *, qui sunt de egregiis illustrium virorum gestis inscripti; ubi se incolumem sensit, nonnullos ex iis fallendi temporis gratiâ sibi dari poposcit. At in ea domo nullus ejus generis liber inventus est: quare illi is datus fuit, cui Vita Christi est titulus, & alter, qui Flos Sanctorum inscribitur, atque hi patriâ linguâ *.

* *ex Hispanico*: Secularium falsorumque librorum lectioni admodùm deditus.

* *Hispanicè*: de la vida de los Santos en Romance.

6 Horum igitur lectione frequenti affectum sibi nonnullum comparavit *f* erga res eas, quæ illic scriptæ habebantur. Nonnumquam etiam ab horum lectione animum ad eas res cogitandas transferebat, quas superiori tempore legerat; nonnumquam ad inania illa animi sensa, quæ antè cogitare erat solitus, multaque hujusmodi, prout illi sese obtulissent *g*. Ex his una erat cogitatio, quæ præ cæteris ita ejus cor occuparat, ut statim in eam velut immersus & absorptus, duas, tres, quatuorque horas, quod nec ipse perciperet, illâ detinerétur. Ea verò erat, quidnam potissimùm in obsequium illustris feminæ acturus esset, qua ratione ad eam urbem, in qua ipsa erat, proficisci posset, quibus verbis alloqueretur eam, quos jocos & sales * adhiberet, quod specimen bellicæ exercitationis in ejus gratiam ederet. Ita autem vi hujus cogitationis rapiebatur, ut ne id quidem videret, quantum res illa, quam consequi optabat, supra ipsius vires esset, cum quidem illustris admodum & præcipuæ nobilitatis esset mulier *h*.

dum convalesceret,

f

g

C

* *Hispanicè*: los motes

h

& fructum ex ea referens,

7 Aderat interim divina misericordia, quæ ex lectione recenti his cogitationibus alias subjiciebat. Cum enim Vitam Christi Domini nostri ac Sanctorum legeret, tum apud se cogitabat, secumque ita colligebat: Quid si ego hoc agerem, quod fecit B. Franciscus? Quid si hoc, quod B. Dominicus? Atque ita multa animo tractabat, semperque sibi ipsi res difficiles ac graves proponebat: quod dum faceret, facilitatem ad eas consequendas sentire ipse in se sibi videbatur, nullâ aliâ ratione sibi propositâ, quam quod ipse apud se ita colligeret: S. Dominicus hoc fecit, faciam igitur & ego: fecit hoc B. Franciscus, faciam igitur & ego. Perstabant autem hæ cogitationes satis diu, ac deinde, rebus aliis interpositis, inania illa & secularia succedebant, quæ & ipsa longo temporis spatio protrahebantur. Diu ista cogitationum successio illum detinuit; & hæc de Deo, illa de seculo animum ejus eo usque occupabat, donec ipse præ lassitudine abjiceret, animumque ad alia converteret.

D

nec non instructionem

8 Sed in his cogitationibus hoc discrimen erat, quod, cùm secularibus intenderet, magna voluptate capiebatur; at ubi fessus destitisset, mœstum se atque atidum sentiebat: cum verò de profectione Hierosolymitica, deque herbis tantùm comedendis, aliisque hujusmodi rigoribus sectandis, quibus usos viros sanctos animadvertebat, cogitaret; non tunc solùm cùm ea animo versabat, voluptatem animo capiebat, sed ubi etiam depositisset, lætum se inveniebat. Ipse tamen discrimen hoc nec animadvertebat, nec æstimabat: donec apertis quodam die mentis ejus oculis, mirari cœpit discrimen hoc, ipsâ rei experientiâ intelligens, ex uno cogitationum genere sibi mœstitiam, ex altero lætitiam relinqui. Atque hæc prima fuit ratiocinatio, quam de rebus divinis colligebat.

E

ad discernendos diversos spiritus.

9 Pòst autem cum in spiritualia Exercitia fuisset ingressus, hinc primùm illustrari cœpit ad intelligendum, quod de spirituum diversitate suos docuit. Hunc in modum cum spiritus diversos, quibus agitabatur, Dei unum, alterum dæmonis, paulatim agnovisset, nec modicum lumen spirituale ex illa piorum librorum lectione sibi comparasset; cœpit magis seriò de vita antè à se acta cogitare, atque illud etiam perpendere, quantùm pœnitentiæ indigeret, ut contracta per eam crimina expiaret. Qua quidem in cogitatione, pia illa desideria de imitandis sanctis viris sese illi offerebant, nulla majore ratiocinatione, quam quod sibi, divina adjuvante gratiâ, promitteret, id, quod illi fecissent, se quoque facturum. Sed nihil ampliùs, statim ubi convaluisset, agere optabat, quàm Hierosolymam proficisci, flagellationibus ac jejuniis tam multis adhibitis, quam multa in tam magno animo & Spiritu Dei accenso pœnitentiæ desiderium imperaret *i*.

i

Sanctioris vitæ desideria confirmat visio cum dono castitatis.

F

10 His desideriis cogitationes illæ inanes paulatim imminuebantur, & oblivioni tradebantur. Quæ quidem desideria non mediocriter confirmata fuerunt hujusmodi visione. Nocte quadam vigilans, manifestè vidit imaginem beatissimæ Matris Dei cum sancto puero Jesu, cujus aspectu notabili spatio consolationem recepit abundantissimam, tantumque vitæ anteactæ fastidium eum cepit, præcipuè verò earum rerum quæ ad carnis libidinem pertinent *, ut excessisse ex animo ejus species omnes, quas conceperat, ipse sibi sentire videretur. Ab ea verò hora usque ad illud tempus Augusti anni MDLV, quo hæc scripta sunt, ne minimum umquam quidem consensum libidini adhibuit. Ex quo existimari potest, rem illam divinitus contigisse, tametsi id ipse affirmare non audebat, nec quidquam aliud dicere, quàm confirmare, quod dictum est. Sed ejus frater, cæterique omnes, qui in domo erant, facilè agnoverunt ex iis, quæ extrinsecus apparebant, quanta in animo mutatio contigisset.

* *Hispanicè tantùm habetur*: de colas de carne. *i. e.* Res carnales.

Fructuosè lecta describit,

11 Interim ipse de nulla re solicitus, lectionem continuabat, & quæ animo sanctè proposuerat, assiduè conservabat. Quod verò tempus domesticorum consuetudini dabat, id totum in res divinas

A vinas impendebat. Qua in re illorum animos non parùm adjuvabat. Horum librorum lectione cum plurimùm delectaretur, venit illi in mentem, ut nonnulla ex iis excerperet, & veluti in compendium exscriberet, quæ in vita Christi & Sanctorum magis essent præcipua. Itaque magna cum diligentia (jam enim paulatim è lecto surgere incipiebat) librum scribere aggressus est, in quo trecenta erant folia in quartum complicata. Verba Christi in eo scripta erant colore rubro, beatæ autem Virginis cæruleo; charta ipsa diligenter perpolita, ductis etiam ad regulam lineis; characteres optimi: norat enim literas perbellè depingere. Dum hunc librum conficeret, partim scribendo, partim orando tempus consumebat. Nulla verò illi major tunc erat consolatio, quàm in cælum & stellas intueri, id quod sæpe ac diu faciebat, propterea quod ex eo magnum quemdam in se conatum, ut Deo serviret, sentiebat. Sæpe animi propositum recolebat, optans
B jam esse sanus omnino, ut iter ingrederetur.

Hierosolymam ire constituit, ac perfectiorem vitam meditatur.

12 Cumque agitaret animo, quidnam facturus esset reversus ab Hierosolymis, ut in pœnitentia vitam semper ageret; occurrebat illi ea cogitatio, ut Carthusiam Hispalensem ingrederetur, nihil indicans, quis esset, ut minoris eum facerent, ibique nihil umquam nisi herbas comederet. Sed, recurrente pœnitentiarum memoriâ, quas per mundum proficiscens subire desiderabat, desiderium refrænabat intrandæ Carthusiæ, metuens, ne conceptum adversum se odium exercere non posset. Servo tamen cuidam domestico Burgos proficiscenti mandavit, ut de Carthusianorum instituto & regula inquireret. Quod de eo relatum est, placuit: sed animum non multùm adhibuit, tum ob eam rationem, quæ ante dicta est; tum quòd totus erat in profectione, quæ brevi erat futura, cum de illo altero non nisi post reditum agendum esset. Itaque cum non nihil jam virium recuperasset, visum illi est, tempus esse abeundi; & ad fratrem, Domine (inquit) Dux Najaræ, ut nôsti, non ignorat, me convaluisse: bonum erit, ut eum adeam. (Erat tum Dux in oppido Navaretæ.) At frater, qui suspicabatur, & alii nonnulli ex domesticis, magnam aliquam mutationem illum moliri, primùm eum in unum quoddam, deinde in alterum cubicu-
C lum ducit, & gravissimè contestans atque adjurans rogat, ne se eat perditum; sed videat, quantum de eo spei homines conceperint, quamque se illustrem rebus gerendis possit reddere, multaque hujusmodi alia; quæ omnia eò spectabant, ut à pio illum instituto avocaret. Quibus ita respondit, ut nihil à vero discedens (de hoc enim magna illi jam tum erat religio,) sese à fratre extricarit.

ANNOTATA.

a *Hujus Vitæ auctor scripsit partim Italicè, partim Hispanicè, prout amanuenses aderant; cum ex Commentario prævio § 91, num. 960; tum ex ipsiusmet auctoris verbis in fine præfationis ad hanc Vitam; cujus incipit originale Hispanicè; uti monet P. Ignatius Pinius, cujus sunt, quas vides, notationes ex collatione textus Latini cum originali Hispanico & Italico factæ; quibus ego addidi interpretationem Latinam.*

b *Annum hunc ætatis* S. Ignatii *ne connectas cum oppugnatione Pampelonensi, cum ea acciderit anno* 1521; *ille verò natus sit anno* 1491: *sed locum hunc ita interpretemur, quasi dicat sanctus Pater; se usque ad annum ætatis 26 vanitatibus mundi in otio vacasse; quibus deinde accesserit negotium exercitationum vitæ militaris usque ad obsidionem Pampelonensem.* A. Ludovico Consalvo.

c *In Hispanico est:* Salvas las vidas, por ver claramente que no se podian defender. *Latinè:* Salvis vitis, quia videbant clarè, quod se non possent defendere.

d *Hispanicè:* Con uno de aquellos sus compañeros en las armas. *Id est*, cum uno istorum suorum commilitonum.

e *Has quatuor voces non esse in Hispanico, observat P. Ignatius Pinius. Utilis autem est talis confessio, etsi non sacramentalis, ob insignem actum humilitatis, qui in eadem exercetur.*

f *Hispanicè:* Algun tiempo todo se aficionava. *Id est:* Aliquo tempore totus fuit affectus.

g *Hispanicè:* Y de muchas cosas vanas que se le ofrecian, una tenia. *Id est:* Et ex multis rebus vanis, quæ ei se offerebant, habebat unam.

h *Hispanicè:* Non era condesa, ni duquesa, mas era su estado mas alto que ninguno destas. *Id est:* Non erat comitissa, nec ducissa; sed erat ejus status sublimior, quam ullus earum. E

i *Hispanicè:* Quantas un animo generoso encendido de Dios suele desear hazer. *Id est:* Quantas animus generosus à Deo incensus desiderare solet facere.

CAPUT II.

Discessus è patria; gesta in Monte serrato, ac Manresa.

ABiit igitur mulæ insidens, atque ab eo die, quo à patrio solo digressus est, corpus semper singulis noctibus flagellavit. Alter ejus frater comitari eum voluit Onatam usque; cui in itinere persuasit, ut vigiliam unam haberet * ad beatissimæ Virginis ædem, quæ ab Arancuz nomen habet. In eadem ipse nocte illa cum orasset, ut novas ad iter vires sibi compararet, Onatæ fratre relicto in sororis, quam tum invisebat, domo, Navarretam profectus est. Et cum in memoriam illi venisset, paucos ei nummos * in domo Ducis deberi; visum est illi, eos exigere; quod & fecit, scriptâ ad thesaurarium schedulâ: jussit autem in quosdam illos distribui, erga quos obligatione quadam se obstrictum sentiebat: nonnullos tamen in instaurationem a imaginis cujusdam beatissimæ Virginis, quæ malè erat composita, insumpsit. Post hæc, dimissis duobus famulis, quos secum habebat, solus mulâ vectus Navarretâ abscessit ad Montem serratum, [qui est mons in citeriori Hispania, in ea regione, quæ hoc tempore dicitur Catalonia *.]

Discedens à patria

* *Hispanicè:* que quisiessen tenerse, *i. e.* ut vellent haberse.

* *Hispanicè:* ducados. F

a

14 In hoc itinere quæ res illi contigit, commodum erit recensere, ut intelligatur, quemadmodum Deus animam hanc dirigeret, cæcam adhuc, licet magnis desideriis inflammatam Deo serviendi in iis quæ nosset. Quamobrem magnas pœnitentias apud se statuebat, non tam jam satisfaciendi causâ pro suis criminibus inductus, quam ut Deo gratificaretur. Imò verò, ait, etsi à peccatis anteactis vehementer abhorreret, tamen tam vivax fuisse desiderium, res magnas pro Christo agendi, ut, licet non judicaret peccata sua sibi esse dimissa, tamen in iis pœnitentiis, quas subire proponebat apud se, non multùm illorum

* *Hæc non habentur in Hispanico.*

optima concipit desideria, Deo serviendi, ac placendi:

A. Ludovico Consalvo.

recordaretur. In eo tantùm erat ejus cogitatio, cum meminiſſet pœnitentiæ alicujus, quâ ſe viri ſancti affeciſſent, ut eamdem ipſe atque etiam majorem ſibi ſumeret. Atque in hoc erat tota ejus conſolatio, nulla ratione habita interioris alicujus rei; cum necdum ſciret, quid humilitas eſſet, aut charitas, aut patientia, aut diſcretio, quæ his virtutibus modum ſtatuit; ſed illud unum videret, ut grandia hujuſmodi geſta exteriùs ederet, quia ea viri ſancti edidiſſent in Dei gloriam, nullâ aliâ adductus particulari circumſtantiâ.

qui caſum quemdam ejus perplexum * *Hiſpanicè additur*: Cavallero.

15 Igitur dum iter ſuum proſequitur, Saracenus quidam * eum ſequitur, qui mulo inſidebat. Cumque unà loquendo pergerent, inciderunt in ſermonem de beatiſſima Virgine: & Saracenus quidem bene ſibi videri dixit, Virginem ſine hominis opere concepiſſe; quod verò à partu virgo perſtitiſſet, id ſe non poſſe credere: à qua quidem opinione nullis rationibus, quas illi plurimas Peregrinus protulit, abduci potuit. Interim Morus *b* tantâ velocitate præceſſit, ut eum jam non videret Peregrinus. Qui animadvertens, quod actum erat, moveri mæſtitiâ quâdam animum ſenſit, quod ſuo munere non ſibi videretur functus, ſimul & indignatione adversùs illum, cum judicaret, id malè à ſe eſſe factum, ut Saracenum de beatiſſima Virgine talia dicere permiſiſſet, ac proinde debere ſe honoris ſui * cauſâ reverti. Itaque deſideriis ſeſe agi ſentiebat, ut Morum quæreret, & pugionum ictibus confoderet *c*, propter ea, quæ in beatiſſimam Virginem dixerat.

b

B

* *clarius diceretur*: Deiparæ

c

bono ſucceſſu benignè terminavit.

16 Cumque hujuſmodi cogitationum pugna diutiùs eum habuiſſet, tandem dubius remanſit, nec definire potuit, quid ei ex obligatione faciendum eſſet. Saracenus, qui eum præceſſerat, iturum ſe dixerat in quemdam locum, non multùm à regia ſejunctum. Feſſus igitur illa examinatione, cum, quid certi ſtatueret, non inveniret, decrevit mulæ habenas permittere; cumque ad bivium ventum eſſet, ſi ad locum, ubi Saracenus erat, mula diverteret, illum quæreret & pugione confoderet *: ſi viâ regiâ illa incederet, illum miſſum faceret. Cumque ita feciſſet, ut decreverat, accidit Dei clementiâ, ut, etiamſi locus paulò amplius quam xxx aut xl paſſibus à regio itinere abeſſet, &, quæ ad illum via ducebat, lata admodùm & facilis; mula tamen, eâ dimiſſâ, regium iter ſequeretur. Ubi in pagum quemdam magnum delatus eſt, antequam ad Montem ſerratum perveniret, placuit ibi veſtem emere, quam Hieroſolymam proficiſcens eſſet geſtaturus. Itaque telam emit ex ea, quâ ſacci conficiuntur, non admodùm textam, & multis aculeis aſperam, ac ſtatim veſtem ſibi ex ea uſque ad pedes demiſſam fieri præcipit. Emit etiam calceos ſparto contextos; ſed ex iis nonniſi alterum tulit, atque hunc non cæremoniæ gratiâ, ſed propterea quod alteram ex tibiis colligatam geſtabat faſciâ & malè affectam, ita ut ſingulis noctibus, tametſi mulâ ferretur, ea intumeſceret. Quamobrem pedem hunc calceo indui, viſum ei eſt oportere. Baculum etiam peregrinorum inſigne, quem bordonem vocant, ſibi comparavit, & cucurbitulam *d*; quæ omnia mulæ impoſuit ſellæ alligata.

* *Hiſpanicè*: y le daria de puñaladas

C

d

Acta in Monte ſerrato; * *Hiſpanicè*: Amadis *e*

17 Hoc modo iter proſequitur in Montem ſerratum, animo, quod ſemper ſolebat, res magnas verſans, quas amore Dei eſſet acturus. Et cum mentem rebus iis refertam haberet, quæ ab Amadeo * de Gaula *e* conſcriptæ, & ab ejus generis ſcriptoribus, nonnullæ illis ſimiles ei occurrebant. Itaque ſtatuit, ad arma ſua (ut inter milites dicitur) vigilias agere * tota nocte una neque ſedens neque jacens, ſed viciſſim ſtans, & flexus genua, ante altare Dominæ noſtræ Montis ſerrati, ubi veſtimenta ſua deponere ſtatuerat, & Chriſti arma induere. Ex hoc loco abſcedens ea cogitat, quæ ſemper, nimirum quæ apud animum ſuum propoſita habebat. Cùm ad Montem ſerratum pervenit, fuſa oratione acceptoque confeſſarii *f* conſenſu, confeſſionem criminum edidit generalem, idque ſcripto; quæ ad tres dies producta eſt. Convenit illi cum confeſſario, ut mulam abduci juberet *g*, enſis verò & pugio in templo ad altare beatiſſimæ Matris Dei collocarentur. Fuit verò hic, cui primo omnium hominum animi ſui propoſitum aperuit; nulli enim confeſſario ante id tempus patefecerat.

D

* velar ſus armas

f

g

18 Pridie Annuntiationis beatiſſimæ Mariæ anno MDXXII noctu, quam ſecretiſſimè potuit, mendicum quemdam adiit, ſeque ſuis exuens veſtibus, eas illi donavit; ipſe verò optato illo ſuo veſtimento ſe induit, & in genua ut procumberet ante altare beatiſſimæ Dei Genitricis, profectus eſt, ac modò ſic, modò rectus, baculum ſuum manu geſtans, noctem omnem tranſegit. Adventante die, ſumptâ ſacrâ Euchariſtiâ, abiit, ne agnoſceretur. Ibat autem non recto itinere, quod Barcinonem ducit, in quo multi ei occurriſſent, qui eum cognoviſſent & honore affeciſſent; ſed deflexo, quo in oppidum quoddam, quod Manreſa dicitur, delatus eſt, ubi moram facere ſtatuebat dies aliquot in hoſpitali, & nonnulla etiam annotare in libro illo ſuo, quem magna cum cuſtodia & conſolatione ſecum ferebat. Cum jam à Monte ſerrato unâ leucâ abeſſet, vir quidam eum aſſecutus eſt, qui magna celeritate eum ſequebatur, & eum percontatus eſt, dediſſetne veſtimenta quædam pauperi cuidam, ſicut pauper ipſe affirmabat. Cui reſpondit, dediſſe ſe; tum verò illi ex mendici commiſeratione lacrymæ oculis obortæ ſunt, quòd eum vexari cognovit, propterea quod furto habuiſſe veſtimenta illa putaretur. Licet autem hominum æſtimationem maximè fugeret, facere tamen non potuit, ut diu Manreſæ eſſet, quin magna de illo prædicarentur, naſcente fama ex eo, quod in Monte ſerrato actum erat, atque ita augeſcente, ut plura jam dicerent, quam res haberet, reliquiſſe eum tam magnos redditus, & hujuſmodi alia.

unde, traditis mendico veſtibus, Manreſam ſe confert.

E

F

19 Manreſæ quotidie eleemoſynis conquiſitis victitabat, carne abſtinebat, nec vinum bibebat, tametſi dediſſent. Dominicis diebus non jejunabat: ſi pauxillum vini dabatur, bibebat. Et quoniam circa cæſariem fuerat admodùm curioſus, quæ eo tempore geſtabatur, & illi erat non deformis; ſtatuit ita naturæ ſuæ permittere, ut neque pecteret, neque incideret, neque re ulla, vel die vel nocte operiret. Eamdem ob cauſam nec pedum ungues, nec manuum præſcindebat: nam & in his nimis curioſè egerat. Cum in hoc hoſpitali ageret, contigit ſæpe, ut clara luce rem quamdam in aëre juxta ſe cerneret, ex qua, quoniam erat pulcherrima, magnam animo capiebat voluptatem & conſolationem. Non facilè ſpeciem diſcernebat, ut ſciret, quidnam eſſet, aut ex quo conſtaret; ſed nonnihil ſerpentis ſpeciem præ ſe ferre illi videbatur, quaſi oculis (licet oculi non eſſent) reſplendens. Plurimùm hujus rei aſpectu oblectabatur, & quo ſæpius, eo majori conſolatione aſpiciebat; quæ cum ex ejus oculis evaneſceret, ægrè ferebat.

ubi pauperem & auſteram vitam agit; & diabolicam tentationem.

20 Ad

A *detegit ac contemnit.*

20 Ad hoc usque tempus semper in eodem ferme statu interno perstiterat, magna quadam æqualitate lætitiæ, sine ulla cognitione rerum spiritualium internarum. Quo tempore visio illa durabat (durabat autem dies non paucos) vel paulò antè quam inciperet, vehemens illum cogitatio invasit & vexavit, obversante ob oculos mentis, difficultate ejus vitæ, quam instituerat, quasi id sibi audiret dici intrinsecus: Quî fieri poterit, ut hoc genus vitæ per LXX annos, quibus victurus es, perferas? Quod ille ab hoste profectum intelligens, interna quoque hac responsione repulit: Potesne, ô miser, unius horæ vitam polliceri? Hoc modo victa tentatio est, & ipse se quietum sensit. Atque hæc prima fuit tentatio post id, quod antè dictum est. Contigit autem hoc, cum in ecclesiam ingrederetur, in qua quotidie Missæ majoris sacrificio intererat, & Vesperis & Completorio: quibus in rebus magnam capiebat consolationem. Ex more habebat, ut in audienda Missa, passionis historiam legeret, perdurante semper in ejus animo illa sua æqualitate.

B *Ariditatibus exercetur,*

21 Sed post eam tentationem, quam modo retulimus, magnas in animo varietates experiri cœpit, & modò ita gustu omni destitui, ut neque in recitandis precibus, neque in audiendo Sacro, neque in alia oratione quidquam suavitatis perciperet; modò verò prorsus contrà, atque ita repentè multum affici, ut ablata illi omnis mœstitia desolatioque videretur, tamquam si quis chlamydem ab humeris alicui auferret. Quæ cum animadvertit, mirari cœpit has varietates, quas antè expertus non fuerat, & dicere apud se: Quænam hæc vita est nova, quam nunc ingredimur? Hoc tempore consuetudine utebatur aliquarum spiritualium personarum, quæ fidem illi habebant, & libenter cum illo versabantur, propterea quod, etsi rerum spiritualium minùs esset peritus, ejus tamen sermo fervorem maximum præ se ferebat, & desiderium progrediendi in via Dei. Erat Manresæ mulier quædam ætate grandis, & jam multo tempore obsequio Dei addicta, multisque in locis Hispaniæ hoc nomine cognita, ut etiam rex Catholicus eam semel evocasset, ut quædam sua consilia ei communia faceret. Mulier hæc agens quadam die cum novo Christi Milite, dixit ei: O utinam Dominus meus Jesus Christus tibi velit apparere die aliqua! Cui ille, attonitus ejus

C dicto, rem eam ita crasso modo accipiens, Et quomodo (inquit) appareret Christus mihi? Numquam autem ab incepto more desistebat confitendi communicandique singulis Dominicis diebus.

ac scrupulis.

22 Qua in re laboris plurimum sustinuit, scrupulorum anxietate vexatus. Nam etsi ex scripto satisque diligenter in Monte serrato generalem Confessionem fecisset, tamen quædam sibi videbatur nonnumquam non confessus, quod quidem non mediocriter illum affligebat. Licet enim illud confiteretur, numquam tamen ex eo animus ejus quiescebat. Hinc cœpit viros spirituales quærere, à quibus remedium acciperet; sed nihil tamen proficiebat. Tandem doctor quidam spiritui deditus, qui ibi in maximo templo concionabatur, eum in Confessione admonuit, ut scriberet, quidquid meminisse posset. Quod ita fecit. Ac ubi confessus esset, recurrebant scrupuli, & quædam in dies minutiora. Hoc modo vehementer angebatur, non ignorans, scrupulos illos plurimùm sibi nocere, & utile fore, si eos abjicere posset: verùm hoc consequi non poterat. Nonnumquam veniebat in mentem, utile fore, si mandatum à confessario * acciperet in nomine Domini Jesu, ne quid confiteretur rerum præteritarum; atque hoc optabat à confessario sibi juberi; sed ipse dicere confessario non audebat.

A. Ludovico Consalvo.

** Hic in originali incipit character alius, Hispanicò tamen sermone.*

ANNOTATA.

a *Hispanicè:* Para que se concertasse y ornasse muy bien. *i. e.* ut bene admodùm instauraretur & ornaretur.

b *P. Natalis, uti observat Pinius, sæpe pro* Motus *posuit* Saracenus: *hic & iterum infrà, inquit, vel non advertit, vel neglexit. Addo ego,* ô Morus *hîc esse Hispaniciſmum pro* Maurus.

c *Hispanicè tantùm habetur:* Y darle de puñaladas. *i. e.* Et pugionum ictus ei dare.

d *Hispanicum tantùm habet:* Comprando un bordon y una calabacita. *Latinè:* Emendo baculum peregrinatorium, & cucurbitulam.

e *Liber ille unus est ex historicis fabulosis, ad oblectandum, & cum lepore ac salibus detinendum lectorem inventis;* *Hispanicè* libros de cavalleria, *Gallicè* Romans. *Dictionarium Gallicum Trevultianum ad vocem* Roman *observat, historiam Amadisii de Gaule voluminibus viginti quatuor compositam fuisse.* E

f *Confessarii istius notitiam dat Commentarius prævius § 4, num. 34.*

g *Hispanicè:* Que mandasse recoger la mula: *quod significat, illum mulam donasse confessario, seu monasterio.*

CAPUT III.

Scrupuli; cælestes favores; iter Barcinonense.

Continuis scrupulorum angustiis

AT confessarius, illo etiam nihil dicente, ei præcepit, ut nihil confiteretur ex præteritis rebus, nisi quod occurreret admodùm clarum & manifestum. Verùm quoniam illa omnia habebat pro manifestis, nihil illum hoc mandato juvit. Atque ita semper in angustia erat. Eo tempore habitabat in cellula, quam illi in suo monasterio patres Dominicani commodaverant, & institutum sibi morem orandi septem horas per diem flexis genibus prosequebatur, surgens assiduè ad mediam noctem; nec flagellationes intermittebat, quas ter in dies singulos sibi infligebat magno cum rigore, nec alia exercitia: sed nihil horum, scrupulos depellebat, licet multis anteactis jam mensibus eum affligebant. Quadam verò die cum esset valde ab his afflictus, orationi se dedidit; in cujus fervore accensus clamare ad Deum cœpit magnis vocibus: Succurre, Domine, mihi, quia nullum in hominibus remedium, neque in ulla creatura invenio: quod si me putarem invenire posse, nullus labor mihi magnus esset. Ostende tu, Domine, ubi inventurus sim: ego vero, etiamsi catulum sequi oporteret, ut ab eo remedium accipiam, non recuso id facere. F

ad extrema adductus,

24 Cum his cogitationibus agitaretur, tentabatur sæpe graviter magno cum impetu, ut magno ex foramine, quod in cellula erat, sese dejiceret. Nec aberat foramen ab eo loco, ubi preces fundebat. Sed cum videret, esse peccatum, se ipsum occidere, rursus clamabat: Domine, non faciam, quod te offendat. His & illis verbis

A. Ludovico Consalvo.

bis sæpius repetendis, venit illi in mentem historia viri cujusdam sancti; qui, ut nescio quid à Deo impetraret, quod vehementer optabat, dies multos sine cibo egit, quoadusque id est consequutus. Cumque in hac cogitatione diutiùs fuisset, statuit tandem idem facere, neque comesturum se, neque bibiturum, apud se asserens, donec ei Deus prospexisset, aut se prorsus morti vicinum conspiceret: nam si se ad id vitæ extremum redactum vidisset, ut, nisi comederet, esset moriturus, tum statuebat panem petere & comedere.

à Deo tandem his liberatur;

25 Hoc die Dominico factum est post Communionem, neque totâ hebdomadâ quidquam in os immisit; non intermissis interim pœnitentiæ officiis consuetis, ut divina Officia adiret, ut suis horis genibus flexis oraret, ut mediâ nocte surgeret &c. At ubi dies Dominicus insequens advenit, quo erat illi pro suo more Confessio facienda; cum omnia, quæ ageret, etiam minutissima solitus esset suo confessario aperire, illud etiam indicavit, quod eâ septimanâ nihil comedisset. Quare confessarius eum infringere illud jejunium præcepit. Ipse verò etsi vires sibi sufficere adhuc sentiret, tamen paruit confessario, eoque die & sequenti liberum se à scrupulis sensit; die verò tertio, qui Martis erat, cum ad oratio-

B

* *Hispanicè:* estando en oracion, *i. e.* cum in oratione esset

nem staret*, venit illi in mentem peccatorum, atque ità, unum tamquam ex altero nasceretur, à peccato in peccatum elapsi temporis ejus cogitatio trahebatur, judicans, ea rursus sibi esse confitenda. Post has autem cogitationes tædium quoddam illum cepit vitæ, quam agebat, non sine impulsu, ut eam dimitteret. Hæc cum ita essent, placuit Deo, ut tamquam è somno excitatus, ex illis malis emergeret. Cum enim nonnihil jam experientiæ sibi comparasset ad diversitatem spirituum dignoscendam; ex iis lectionibus, quas à Deo acceperat; animadvertere incepit, quibus mediis ille spiritus eum invasisset: atque ita cum

* *Hispanicè:* claridad

magna alacritate* decrevit, nihil se umquam ex anteactis in Confessione dicturum. Sic deinceps liber à scrupulis post eum diem fuit, pro certo habens, Dominum nostrum pro sua misericordia eum liberare voluisse.

quocum assiduè erat conjunctus.

26 Præter horas septem, quas in preces impendebat, adjuvandis etiam animabus occupabatur nonnullorum, qui eum adibant. Quidquid erat reliquum diei, cogitationibus de Deo tribuebat ex iis, quæ die illo vel legisset vel meditatus fuisset. Sed cum se lecto committebat, sæpe illi illustrationes permagnæ, & spirituales consolationes ingentes immittebantur, ut multum ejus temporis, quod somno destinaverat, quod longum non erat, eriperent. Hac de re cum ipse aliquando cogitaret, perpendit, sibi tantum temporis esse constitutum, ut cum Deo ageret, & præter id, totum etiam diem reliquum; ac proinde dubitare cœpit, essentne illustrationes illæ à bono Spiritu; tandemque statuit apud se, satius esse, illis rejectis constitutum tempus somno tribuere: quod & fecit.

C

Modus agendi circa abstinentiam à carnibus, & familiaritas cum Deo:

27 Rursus cum in eo firmiter persisteret, ut carne abstineret, neque ullo modo mutandum id sibi cogitaret; contigit die quadam manè postquam surrexisset, carnem ei præsentem fieri ad esum aptam*, quasi eam corporis oculis cerneret (cum quidem nullum prorsus carnis desiderium in eo præcessisset:) simul etiam voluntatis magnum quemdam assensum in se experiri ac sentire, ut postea carne vesceretur. Licet autem propositi sui prioris memor esset, tamen in eo du-

* *Hispanicè:* se le represento delante carne para come

bitare non poterat, quin sibi comedendam esse carnem definiret. Cum hoc confessario retulisset, admonuit, ut videret, essetne hæc tentatio: at ille expendens*, quod contigerat, dubitare de eo nihil poterat. Eo tempore ita Deus cum illo agebat, atque cum puero discalceato, cum eum erudit. Sive autem ob ejus ruditatem (ut ipse loquitur*) crassumque ingenium ita sentiret*, sive quod alium non haberet, à quo doceretur, sive ob stabilem voluntatem serviendi Deo, quam Deus ipse ei immiserat; [quæ quidem sine ampliore luce esse non poterat, ut in divino obsequio progrederetur*:] clarè tamen judicabat, semperque judicavit, ita Deum secum egisse [ob meliorem finem*;] immo verò si hac in re dubitaret, existimaret, divinam se majestatem offendere. Ejus autem, quod dicitur, nonnulla confirmatio ex iis quinque capitibus, quæ subjiciemus, sumi potest.

D

* *Hispanicè:* el confesor le dezia que mirase por ventura si era aquello tentacion: mas el examinando lo bien

* *Parenthesi inclusa, non sunt in Hispanico.*

28 Primùm enim magnâ devotione afficiebatur erga sanctissimam Trinitatem, & diebus singulis ad tres Personas distinctè preces fundebat: eumque etiam ad sanctissimam Trinitatem fundere; objiciebatur ejus animo, quomodo quadruplices preces ad Trinitatem dirigeret. Verùm hæc cogitatio parùm aut omnino nihil illi negotii facessebat. Quadam verò die cum in gradibus ejusdem monasterii preces Horarias beatissimæ Virginis recitaret, cœpit ejus intellectus elevari, quasi sanctissimam Trinitatem triplicis plectri seu pulsatilis clavicordii tabellæ specie* cerneret, atque hoc cum tam multis lacrymis ac suspiriis, ut sibi ipse ab his temperare non posset. Cumque eo die supplicationem comitaretur, quæ ab eo templo prodibat, numquam cohibere se à lacrymis potuit usque ad prandium, neque à prandio aliud loqui poterat quàm de sanctissima Trinitate, idque multis adhibitis collationibus seu similitudinibus, multumque diversis, magno etiam cum gaudio & consolatione. Ex quo illi in totam vitam ea relicta est impressio, ut cum ad sanctissimam Trinitatem orationem faceret, magnam sentiret devotionem.

* *Hispanicè:* en figura de tres teclas

Visiones circa mundi creationem, Eucharistiam, & Christi humanitatem.

29 Alio tempore objectus est ejus menti magna cum spiritûs alacritate modus, quo mundum Deus condidit. Sibi autem videre videbatur rem quamdam albam, ex qua nonnulli radii egrediebantur, & ex qua Deus lumen emittebat. Ipse tamen neque hæc satis explicare poterat, neque meminisse earum illustrationum, quas tum in ejus animum Deus imprimebat.

E

F

Adhuc Manresæ cum esset (fuit autem ibi anno fermè toto;) ibique etiam postquam consolationes à Deo cœpit percipere, & fructum perspexit, quem adjuvandis aliorum animis proferebat, ab externis* illis rigoribus destitit, quibus antè utebatur; jamque ungues præcidebat & crines. Sed ibi adhuc cum esset in templo ejusdem monasterii, & Sacro interesset, vidit quadam die internis oculis, dum corpus Domini elevaretur, quosdam tamquam radios albos ex alto demissos. Quamquam autem non posset tam longo intervallo temporis hoc meminisse* & explicare; tamen id quod clarè vidit, illud est, quemadmodum in eo sanctissimo Sacramento erat Dominus noster Jesus Christus.

* *Hispanicè:* extremos

* *Hispanicè tantùm est:* bien explicar. *i. e* bene explicare

Sæpe & diu videbat oculis internis Christi humanitatem, cum orationi vacaret: figura autem, quam sibi cernere videbatur, erat tamquam corpus album, neque magnum neque parvum; sed non cernebat membrorum distinctionem. Hoc vidit Manresæ pluries; ac, si vicies aut quadragies dice-

A dicerет, non auderet affirmare, ſe mentiri. Semel * vidit, cum eſſet Hieroſolymis, rurſus etiam cum circa Patavium ambularet. Beatiſſimam etiam Virginem Mariam vidit eâdem formâ ſine ulla membrorum diſtinctione. His viſis haud mediocriter tum confirmatus eſt *, ut ſæpe etiam id cogitaret, quod etſi nulla Scriptura myſteria illa fidei doceret, tamen ipſe, ob ea ipſa, quæ viderat, ſtatueret, ſibi pro his eſſe morиendum.

* *Hiſpanicè*: otra vez lo à viſto. *i. e.* alia vice id vidit.

* *Hiſpanicè additur*: y le dieron tanta confirmacion ſiempre de la fe

30 Ibat die quadam pro ſua devotione in eccleſiam (credo divi Pauli titulo nuncupatam) quæ paulò ampliùs quàm mille paſſibus à Manreſa diſtat. Eſt autem via, quæ eò ducit, fluvio vicina. Cumque ita incederet ſuis devotionibus intentus, conſedit vultu ad flumen converſo, quod profundè ferebatur. Interea dum illic ſederet, mentis ejus oculi aperti ſunt, non ita, ut viſionem aliquam videret, ſed ut multa intelligeret cognoſceretque ſpiritualia, ſicut quæ ad fidei myſteria literarumque peritiam pertinent; atque hoc tanta cum illuſtratione, ut ab eo * res omnes novæ viderentur. Neque clarè tradi ſingula, quæ tum intellexit, poſſunt, tametſi plurima fuerint, ſed illud tantùm, quod magna quadam claritate mens ejus fuit illuſtrata, atque eo modo, ut, ſi omnia auxilia, quæ toto vitæ ſuæ curriculo ad ſexageſimum ſecundum annum & ampliùs à Deo accepit, in unum colligantur, & quæcumque ſcivit, non videatur ex illis omnibus tantum eſſe conſequutus, quantum uno illo tempore.

* *ex Hiſpanico illi*

B

31 Hinc fuit ejus intellectus adeò illuſtratus, atque ſi alius factus fuiſſet homo, aliumque eſſet intellectum ſortitus. Hæc res cum ſatis diu duraſſet, ante crucem, quæ ibi erat, genua flexit ad gratias agendas. Ibi ſe ei obtulit viſum illud, quod ſæpe apparuerat, ſed numquam cognoverat, quid eſſet: illud dico, quod ſuprà dictum eſt, pulchetrimum & multis tamquam oculis reſplendens, quod ſe ejus oculis objicere ſolebat. Sed ante crucem facilè perſpexit, rem eam non ita ſpecioſo colore eſſe ac ſolebat: claréque admodùm cognovit, magno cum aſſenſu voluntatis, illum eſſe dæmonem. Itaque poſtea, quantumcumque magno tempore ſæpius ei appareret, ſemper tamen baculo, quem geſtare manu erat ſolitus, à ſe abigebat.

Et rerum ſpiritualium notitiâ prævenitur.

32 Manreſæ cum decumberet ex febri graviſſima, ut mors inſtare videretur, ipſeque manifeſtè judicaret, animam ſtatim emigraturam; ſubiit animum ejus cogitatio, quod juſtus eſſet. In qua tantùm laborabat, ut nihil aliud, quam illi repugnaret, poſitis ſibi ob oculos peccatis propriis: ſed ne ſic quidem ſuperare cogitationem poterat; quæ quidem multò illum affligebat magis, quam ipſa febris, propter conatum, quem ad ſuperandum adhibebat. Et cum jam leviùs nonnihil de febre habuiſſet, & ab extremo illo vitæ termino aliquantùm abſceſſiſſet, vociferari cœpit ad nobiles quaſdam matronas, quæ inviſendi ejus gratiâ eò venerant, ut pro eo amore, quo Deum diligerent, cum alios in mortis articulo eum poſitum cernerent, magnis vocibus clamarent: O peccator, &, Memento eorum, quibus Deum offendiſti.

Ægèr contra vanam gloriam ſe armat,

C

33 Alio tempore cum in Italiam Valentiâ navigaret, vi tempeſtatis clavus confractus eſt, eóque res devenit, ut ejus aliorumque judicio mortem evadere naturaliter non poſſent. Tunc igitur ſe ipſum * diſcutiens ac præparans morte venturæ, non poterat timore ullo ſuorum criminum affici vel condemnationis: ſed interim magna confuſione ac dolore tenebatur, quòd exiſtimaret, ſe non benè uſum eſſe donis iis & gratiis, quas ei Dominus communicaverat. Rurſus alio tempore anno MDL graviſſimâ ægritudine laboravit, quam & ipſe, & multi alii ultimam illi fore judicabant. Tunc autem, cum de morte cogitabat, tanta conſolatione ſpirituali afficiebatur in eo, quod eſſet moriturus, ut totus in lacrymis liquefieret. Atque hoc illi ita continuum factum eſt, ut ſæpe à mortis cogitatione animum avocaret, ne tantum ejus conſolationis ſentiret.

quam & in naufragio repellit

* *Hiſpanicè additur*, bien

A. Ludovico Coriano SALVO.

34 Adveniente * hyeme incidit in vehementem ægritudinem; à qua ut curaretur, euin civitas in domum * ejus poſuit, qui pater erat cujuſdam Ferreræ, qui poſtea in Balthaſaris Fariæ famulatum venit: ubi ſummâ curâ atque diligentiâ curatus eſt. Et quoniam multæ jam nobiles & primariæ matronæ devotione erga eum erant affectæ, vigilàtum circa eum nocte veniebant. Ubi convaluit, vires tamen ejus imbecilles admodùm, & gravis illi dolor ſtomachi relictus eſt. Itaque tum ob hanc cauſam, tum ob frigus hibernum, quod erat maximum, egerunt apud illum, ut veſtes indueret & calceos, atque caput operiret. Accepit ergo exiguas duas veſtes coactus, coloris cæſii, ex panno admodùm craſſo, & ejuſdem coloris quaſi ſemipileum. Optaverat autem jam pridem eo tempore de rebus tractare ſpiritualibus, & aliquos nancíſci, qui earum eſſent capaces. Tempus interim adventabat, quo ipſe Hieroſolymitanam profectionem aggredi inſtituerat.

Poſt morbum craſſiore indumento veſtitur;

* *Hic eſt character tertius in originali, lingua Hiſpanica.*

* *melius*, domo

E

35 Igitur initio anni MDXXIII Barcinonem verſus diſceſſit, ut navem conſcenderet. Etſi autem aliqui ſe illi offerrent comites; non admiſit tamen, ſed ſolus proficiſci voluit, propterea quod plurimum in eo ponebat, ut ſolum Deum pro refugio haberet. Quo factum eſt, ut nonnullis, qui vehementiùs inſtarent (neque enim linguam Italicam aut Latinam noverat,) ut ſocium quemdam ſibi aſſumeret, prolatis commodis, quæ inde percipere poſſet, eoque multum collaudato; ipſe reſponderit, tametſi filius aut frater eſſet ducis Cardonæ, ſe tamen eum comitem non habiturum, propterea quod tres virtutes habere cuperet; fidem, charitatem, ac ſpem: quod ſi ſocium duceret, cum fame laboraret, auxilium ab eo expectaret, & ſi cadere eum contingeret, operam ſuam ei conferret ad ſurgendum; atque his rationibus de eo confideret, & erga illum afficeretur: ſe verò fiduciam hanc & ſpem & affectionem in uno Deo reponere velle. Hoc verò, quod ita dicebat, animo quoque ſentiebat. Eam ob cauſam non modò ſolus navim conſcendere optabat, ſed etiam ſine ullo viatico. Cumque de vectura agere cœpiſſet, obtinuit à navarcho, ut gratis veheretur, quandoquidem nummi ei non erant; ſed ea lege, ut nautici panis, quem bis-coctum vocant, tantum in navim inferret, quantum ipſe in navigando poſſet inſumere in ſui alimoniam; ſecus autem ſe nullo modo eum admiſſurum.

Diſcedit Barcinonem, in Italiam navigaturus nullo admiſſo ſocio, aut viatico:

F

36 Cum igitur de eo pane quærendo agere vellet, magnis ſcrupulis agitari cœpit: Hæccine illa ſpes eſt ac fides in Deum, quâ tibi non defuturum eum certò tenebas? atque hoc tantâ vi ac efficaciâ, ut vehementer illum vexarent. Tandem incertus, quid ageret (utrimque enim rationes videbat probabiles) rem in confeſſarii judicio ſtatuit relinquere. Cui quidem primùm aperuit quanto profectionis deſiderio teneretur, & ejus ſequendi, quod in majorem Dei gloriam foret: deinde cauſas oſtendit, quibus ipſe in dubitationem veniſſet, an viaticum eſſet ſecum delaturus.

ex judicio tamen confeſſarii panes admittit, nummos reliquos à ſe abdicans.

A. Ludovico Consalvo.

Confessarii judicium fuit, ut peteret, quod erat necessarium, idque secum navi imponeret. Igitur cum id à nobili quadam femina peteret, rogavit illa, quò esset profecturus. Substitit ille nonnihil hæsitans, an ei aperiret, neque ampliùs tandem ei dicere ausus est, quam in Italiam & Romam velle venire. Cui illa admirans ac velut attonita, Romam? (inquit:) atqui ii, qui eò se conferunt, nescio quales redeunt. Significabat autem his verbis mulier, Româ paulò meliores redire, quòd fere eò proficiscerentur, non propter pietatem ac devotionem. Mulieri ne detegeret profectionem suam in Urbem sanctam Hierusalem, in causa fuit inanis gloriæ metus, quo vehementer affligebatur, ut ne locum quidem, quo ortus esset, neque familiam auderet indicare. Pane accepto, navem conscendit. Sed cum adhuc illi supereſſent nummi quinque vel sex (quos blancas *a* Hispani appellant) ex iis, quos ostiatim mendicando acceperat, quo modo ipse victitare solebat; eos juxta navis stationem reliquit scamno superpositos.

a

B

Magno fertur erga personas spirituales affectu.

37 Barcinone egerat dies paulò plures quam viginti, priusquam navim ingrederetur. Quo tempore, sicut ei moris erat, spiritales personas omnes investigabat, tametsi in eremitoriis longè ab urbe morarentur, ut cum illis ageret. Sed neque illic, neque Manresæ, quamdiu ibi fuit, quemquam offendere potuit, qui tantùm eum promoveret, quantum optabat. Una mulier visa est illi penitus in rerum spiritualium arcana ingressa, quæ ipsi dixerat, rogare se, ut Christus Jesus illi appareret. Itaque postquam Barcinone abscessit, anxietatem illam deposuit quærendi spirituales personas.

ANNOTATA.

a *Monetæ minutioris argenteæ, vel ære & argento mixtæ est species, teste Cangio in Glossario.*

CAPUT IV.

Adventus Romam, Venetias, Hierosolymam; atque ad loca sacra.

C

Vehementi vento celeriter Caietam devectus succurrit periclitanti aliquarum pudicitiæ:
a
b

INter navigandum vento usi sunt vehementi à puppi, quo factum est, ut intra dies quinque & noctes, Barcinone Caietam *a* applicarent, quamvis non sine magno omnium metu ob gravem tempestatem. Regionem illam omnem pestis timor obtinebat: nihilominus tamen ipse, ubi è navi descendit, Romam versùs pergere cœpit. Addiderunt se illi comites ex iis, qui in navi eadem fuerant, mater unà cum filia, quam ducebat mater monachi habitu *b*, & quidam adolescens; nam & hi mendicando victum quæritabant, qua ex causa ipsum sunt secuti. Ubi in pagum quemdam venêre, multos maximum ignem circumstantes offenderunt; qui cibum eis dederunt, & plurimum vini, invitantes ipsos studiosè, ut facilè appareret, illis id sese facere, ut eos calefacerent. Post hæc ita eos sejunxerunt: matrem cum filia in superiore cellula constituerunt; peregrinum & adolescentem in stabulo. Media nocte sensit ipse, in superiore domûs parte clamores edi maximos. Cumque surrexisset, ut inspiceret, quidnam id rei esset; invenit in atrio matrem cum filia, utramque lugentem & querentem, quod vim illis inferre quidam voluissent. Ex hac re tantus illum invasit impetus, ut vociferari inciperet: Hoccine ferendum est? aliaque hujusmodi querimonias, quas tantâ efficaciâ proferebat, ut omnes obstupescerent; neque ullus tamen fuit, qui ei nocere ausus sit. Puer * jam aufugerat, tres ii unâ iter eâ horâ, etsi nox esset, ingressi sunt.

D

* *Clarius*, adolescens *impetrat introitum civitatis: deinde Romam ingreditur:*

39 Juxta erat civitas: ad quam cum pervenissent, clausam offenderunt. Itaque noctem illam in templo quodam egerunt aquis permadente; ac ne manè quidem ingressus in civitatem illis permissus est. Extrà autem nihil eleemosynæ reperiebant, tametsi ad pagum quemdam profecti fuissent, qui haud longè inde abesse videbatur. Ibi Peregrinus substitit, ultrà progredi præ debilitate non valens. Mater & filia Romam petiêre. Eo die magna hominum multitudo ex civitate simul egressa est: & certior factus Peregrinus, Dominam urbis * in his * adventare, obviam ei factus aperit, ex sola debilitate malè se habere; itaque rogare se, ut in urbem ingredi permitteretur, quo remedium quærere liceat. Hoc verò illa facilè concessit. Ipse verò mendicare aggressus, sat multos quadrantes seu quatrinos conquisivit: ex quibus recreatis viribus, iter suum post dies duos prosequutus est, & Romam pervenit ad diem Dominicam Palmarum.

* *Hispanicè*: de la tierra. *i. e. territorii.*
* In his *non est in Hispanico.*

E

40 Ibi qui eum alloquebantur, scientes ei nummos non esse ad Hierosolymitanam profectionem suscipiendam, cœperunt hanc ei dissuadere, multis rationibus confirmantes, fieri non posse, ut sine pecuniis eò navigaret. At ipse magna quadam certitudine apud animum suum tenebatur, ut dubitare non posset, quin modum esset rationemque inventurus, quâ illuc proficisceretur. Itaque octavo * à festo Resurrectionis die *c*, acceptâ ab Adriano VI benedictione, Româ discessit Venetias versùs. Habebat interim sex septemve aureos nummos, quos ei dederant, ut haberet, unde nautæ persolveret Venetiis Hierusalem usque; ipse verò acceperat victus nonnihil metu, quem ei incusserant, non posse eum secus eò pervenire. At die tertio, quo Româ exiisset, cœpit agnoscere, id ex diffidentia profectum fuisse, doluitque, quod accepisset, & cogitabat num eos esset dimissurus. Tandem tamen decrevit, largiter impendere in eos, qui se obtulissent, qui ut plurimùm mendici erant. Atque id ita fecit, ut cum Venetias venisset, nihil ampliùs quam paucos quatrinos *d* haberet, qui in eam noctem ei fuerunt necessarii.

unde pergit Venetias, ut aliis frustra dissuadentibus, tendat Hierosolymam.

* *ex Hispanico adde*, vel nono

c

F

d

41 In hoc itinere Venetias usque propter custodias, quæ pestilentiæ metu positæ erant, semper in porticibus excubabat: & semel contigit, ut surgenti manè occurrens homo in fugam se daret magno cum terrore, ob id nimirum, quod perquam pallidum eum & valde exanguem vidisset. Hunc in modum iter prosequens Chiozam *e* pervenit cum nonnullis, qui se in socios adjunxerant. Ibi didicit, ingressum in Venetias non fore concedendum. Itaque socii Patavium pergunt, ut indè chirographum acciperent, quo se valere testarentur, nec peste esse infectos. Abiit & ipse cum illis: sed quoniam celeriter admodùm incedebant, sequi eos non poterat, desertus ab iis sub noctem in campo quodam amplissimo: in quo Christus ei apparuit eâ formâ, quâ, ut diximus antea, solitus erat, plurimumque eum corroboravit & confirmavit. Hac consolatione animatus, postridie manè, nullo confecto chirographo

In itinere Veneto recreatur visione, & urbem intrat;

e

(quod

A (quod ſocii feciſſe creduntur) ad portas Patavinas pervenit, & ingreſſus eſt, nihil interim cuſtodiis interrogantibus; quod idem & in exeundo ei contigit. Quam rem plurimùm admirati ſunt ſocii, qui chirographum acceperant, ut Venetias ingredi poſſent, quod nec accipere ipſe curavit.

ubi pauperem

42 Cum Venetias ventum eſſet, acceſſere cuſtodes in naviculam, & ſciſcitati ſingulos, quotquot in ipſa erant, ſoli ipſi nihil prorſus dixerunt. Venetiis victum emendicabat, & dormiebat in platea * divi Marci; neque umquam domum legati imperatoris adire voluit; neque peculiarem aliquam diligentiam adhibebat quærendis nummis, quibus Hieroſolymam navigaret; & tamen certiſſimum apud ſe habebat, Deum illi modum exhibiturum, quo illuc perveniret. Quare ita confirmabatur, ut nullis rationibus, quaſcumque objicerent, induci in dubitationem poſſet. Quadam die incidit in hominem Hiſpanum divitem, qui ex eo interrogabat, quò proficiſci vellet; & agnita ejus intentione, duxit

B illum in domum ſuam ad prandendum, ubi & dies aliquot eum habuit, dum diſceſſus pararetur. Is mos erat Peregrino jam inde à Manreſa, ut menſæ cum aliis aſſidens numquam loqueretur, niſi reſpondendi gratiâ breviter; ſed audiebat, quæ dicerentur, & nonnulla ſubnotabat, quorum occaſione, ſumpto jam cibo, de Deo loqueretur.

** Hiſpanicè: en la plaza*

** Hiſpanicè: pelegrina*

& optimi exempli vitam ducens, morbo non avocatur ab itinere Hieroſolymitano.

43 Qua ex re vir ille probus & univerſa ejus domus ita erga eum erant affecti, ut retinere voluerint & cogere, ut apud ſe maneret: idemque ille vir, qui ei hoſpitium præbebat, ingreſſum ei ad Venetiarum Ducem dederit. Quem ut Dux vidit, juſſit in eam navem admitti, quâ prætores præfectique in Cyprum erant vehendi. Multi eo anno Venetias ſe contulerant peregrini, ut Hieroſolymam proficiſcerentur: ſed major pars retroceſſerat ob recentem Rhodi *f* caſum, quæ à Turcis fuerat occupata. Supererant tamen in pe-

f

** Hiſpanicè:* regrinorum * navi numero XIII (hæc autem prior ſolvebat:) octo verò aut novem prætoriam navim expectabant. Et cum tempus adveniſſet, ut ea ſolveret, ecce febris graviſſima Peregrinum invaſit, à qua, cum eum dies aliquot malè habuiſſet, liberatus eſt. Navis eo die erat ſoluturа, quo medicamentum ſumpſerat, & rogantibus domeſticis, utrum poſſet navem ingredi, medicus reſpondit, poſſe quidem, ſed ita, ſi ibi

C ſepeliri vellet. Ipſe nihilominus ingreſſus eſt, & ea die diſceſſit, tantumque evomuit, ut leviùs illum habuerit; omninoque convaleſcere cœpit. In ea navi quædam turpia committebantur, quæ ipſe magna ſeveritate reprehendebat.

Periclitatus quia reprehendebat vitia, nec non apparitionibus per viam reſtreatus,

44 Hiſpani, qui in eadem navi erant, eum admonebant, ne id faceret, propterea quod agerent reliqui de eo relinquendo in inſula quadam: ſed ventus ita flavit, ut brevi Cyprum pervenirent; ubi ea navi relicta, ad alium portum, quem Salinas vocant, leucas decem inde diſtantem profecti ſunt. Ingreſſus in navem peregrinorum, nihilo magis viatici quidquam intulit, quam quod in alteram, ſpem nimirum, quam in Deum conceperat. Toto illo tempore ſæpe ei apparuit Dominus, magnamque conſolationem conatumque adferebat. Videbatur autem ſibi videre rem quamdam rotundam, tamquam ex auro, & magnam, quæ ſe illi præſentem faceret. Inde venerunt Sapham *g*, & cùm aſinis inſidentes (ut moris eſt) Hieroſolymam versùs pergerent, duobus ab urbe paſſuum millibus, Hiſpanus quidam, vir, ut videbatur, nobilis, nomine Didacus Nu-

g

gnes *, magna cum devotione dixit ad peregrinos omnes: quandoquidem paulò pòſt eo venturi erant, unde ſancta Civitas proſpici poſſet, pium fore ac bonum, ut ſinguli ſuas præpararent conſcientias, & ſilentio incederent.

A. Ludovico Conſalvo.

** Hiſpanicè: Manes ſanctam Civitatem intrat*

45 Ea res cum omnibus probata fuiſſet, ſinguli ſe collegerunt, & paulò antequam in eum locum veniſſent, unde Civitas conſpicitur, ex aſinis deſcendetunt, propterea quod monachos cum cruce ſe expectantes aſpexerunt. Conſpecta Civitate, magna conſolatione Peregrinus affectus eſt, &, prout alii dixerunt, communis fuit omnibus hilaritas quædam, quæ non videbatur carnalis *. Eamdem quoque devotionem ſenſit ſemper in locis ſanctis inviſendis. Firmiter autem conſtituerat, ut Hieroſolymis remaneret, ut loca illa ſancta ſemper inviſeret, & animabus prodeſſet; atque hanc ob cauſam literas ad Guardianum habebat, quibus ei commendabatur. Quas cum redderet, ſui quoque animi inſtitutum illi aperuit, quod ibi pro animi ſui devotione remanſurus eſſet. Cauſam autem alteram non indicavit, ob adjuvandas animas: hanc enim nemini aperiebat; illam autem alteram ſæpe patefecerat. Guardianus reſpondit, non videre ſe, quî fieri poſſet, ut remaneret: domum enim tantâ inopiâ laborare, ut ne ſuos quidem alere poſſet; ideoque animatum ſe eſſe *, nonnullos in Occidentem cum peregrinis mittere. Peregrinus ſe nolle aliud dixit, quàm ut confeſſionem ejus auditet, cum eam factutus accederet. Hoc modo fieri poſſe Guardianus aſſeruit: ſed expectaret Provincialis adventum (Credo autem, hunc ſupremum hujus Ordinis illis in regionibus fuiſſe) & tamen apud Bethlehem erat.

** ex Hiſpanico: naturalis,*

** Hiſpanicè, que eſtava determinado*

ſed prohibitus in ea

46 Hac pollicitatione id * quaſi ſecutus Peregrinus cœpit literas Barcinonem conſcribere ad ſpirituales perſonas. Jam unas ſcripſerat, & alteras ſcribebat; cum pridie, quam diſcedendum eſſet, accerſitum eum veniunt, Provincialis (jam enim redierat) & Guardiani nomine. Tunc Provincialis benignè eum alloquutus explicat, audiſſe ſe de ejus inſtituto pio, quo manere in locis illis ſanctis decreverat, deque ea re diligenter cogitaſſe: multos enim eodem deſiderio raptos, alios mortem obiiſſe, alios captos fuiſſe; ſuæ Religioni deinde obligationem relinqui, captivos redimendi: quamobrem ad iter ſe pararet, poſtridie cum peregrinis ſuſcipiendum. Ad

F hæc Peregrinus reſpondit, hoc propoſitum ſibi eſſe firmiſſimum, nec putare ſe ulla ex cauſa dimiſſurum, quin exequeretur; illudque modeſtè inſinuavit, tametſi Provinciali minimè videretur, ſi tamen ejus præceptum peccato eum non obſtringeret, ſe non prætermiſſurum metu aliquo, quin animi propoſitum ſequeretur. Provincialis authoritatem ſibi eſſe dixit à Sede Apoſtolica, ut amandaret retineretve, quos amandandos & retinendos exiſtimaret, utque etiam excommunicaret, qui parêre nollent, quando ab ipſo amandarentur; ſe verò ea de re ita cenſere, quod remanere eum non expediret.

** Id non habetur in Hiſpanico,*

longam moram traherè; loca quædam ſacra viſitat ſine duce:

47 Cumque Pontificia diplomata ei oſtendere vellet, quibus excommunicandi authoritas continebatur; dixit, nihil eſſe opus; ſe enim eis credere, & quando ipſis ita videbatur, eamque authoritatem habebant, eis pariturum. Poſt hæc eò reverſus, ubi ante erat, magno captus eſt deſiderio, ut Oliveti montem iterum inviſeret priuſquam diſcederet, quandoquidem non ferebat Dei voluntas, ut in ſanctis illis locis commoraretur. In eo monte petra quædam eſt, è qua Dominus

A. Ludovico Consalvo.

noſter in cælos aſcendit, in qua ejus veſtigia nunc etiam cernuntur impreſſa: atque hoc erat, quod iterum videre cupiebat. Itaque nemine admonito, neque ullo accepto duce (eſt autem res periculi plena, ſi quem Turca aliquis tamquam dux non comitetur) ſeipſum clàm aliis ſubtrahens, ſolus montem Oliveti petit, & cum ei nollent ingreſſum cuſtodes permittere, cultellum eis ex calamario protulit ac dedit. Facta autem oratione, magna cum conſolatione, animum ſubit deſiderium eundi in Bethphage; ubi cum eſſet, rurſus ei occurrit, non ſatis ſe diſpexiſſe in Oliveti monte, qua in parte eſſet pes dexter, & qua ſiniſter. Reverſus igitur eò, forfices, ut credo, quas gerebat, cuſtodibus dedit, ut ſe ingredi permitterent.

& ideo monachorum operâ reducitur.

48 Poſteaquam in monaſterio reſcitum eſt, illum ita abiiſſe ſine duce, diligentiam adhibuerunt monachi in eo quærendo. Deſcendens igitur ex Oliveti monte, incidit in Chriſtianum, unum ex iis, qui à cingulo nuncupantur, qui in monaſterio miniſtrabat. Hic vehementer irati hominis vultum præ ſe ferens, ingenti baculo, quaſi percuſſurus, ei minabatur, & ad eum accedens brachio firmiter apprehendit. Se verò ipſe duci facilè permittebat: ſed nihilominus bonus ille vir ſemel correptum numquam dimiſit; à quo interea dum duceretur ita comprehenſus, magnam in eo itinere conſolationem à Domino accepit, cum quidem ſibi aſpicere videretur Chriſtum ſemper ſupra ſe incedentem. Atque hoc continuatè perduravit magna cum abundantia, donec ad monaſterium rediit.

B

ANNOTATA.

a *Urbs eſt regni Neapolitani in provincia Terræ laboris.*

b *In Hiſpanico eſt:* en habitos de muchacho: *i. e.* in veſtimentis juvenis.

c *Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 10 *ponit*, octavo pòſt Dominicæ Reſurrectionis die abeuntem *&c. Præmiſerat*, *Romam veniſſe ad diem Dominicum Palmarum; quò ſi illud* octavo pòſt *referas*, *videatur Sanctus ibidem tantùm manſiſſe uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis: ſed* pòſt *refer ad diem Paſchæ; adeo ut Sanctus non diſceſſerit in ipſo feſto, ſed octavo poſt illud die*, vel (*ut ex Hiſpanico ſuprà in margine notatur*) nono: *dicit enim Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 4: Romæ cum ad dies quindecim ſubſiſteret *&c.*, *poſt Dominicam Palmarum, quâ ibidem dixerat, ipſum Romam perveniſſe.*

C

d *Italicè* quattrini; *eſtque parva moneta valoris ſexageſimæ partis Lyræ*; *vide Vocabularium academiæ Cruſcanæ.*

e *Vocatur Foſſa Clodia apud Ribadeneiram lib.* 1, *cap.* 10.

f *Capta quippe eſt iſta inſula anno* 1522, *die Natali Domini.*

g *Hiſpanicè eſt* Jafa, *teſte P. Ignatio Pinio*, *quam putat eſſe* Joppen. *Iſtius patris opinio confirmatur ex Baudrando tomo* 2 *parte altera*, *in qua nova nomina locorum veteribus præponuntur: nam ibi occurrit* Jaffo vel Jaffa, Joppe, urbs exciſa Terræ ſanctæ. *De qua videri poſſunt plura apud Franciſcum Quareſmium in Terræ ſanctæ elucidatione tom.* 2, *lib.* 4, *peregrinatione* 1, *cap.* 1: *modus autem, quo peregrini excipiuntur in Sancta civitate, & iterum ex ea dimittuntur ad propria, traditur peregrinatione ſecunda, cap.* 1.

D

CAPUT V.

Adventus in Apuliam, Venetias, Ferrariam, ac Genuam; captus pro ſpeculatore, contemnitur tamquam demens; ſtudia Barcinone ac Compluti.

Miro modo ſervatur navis, quæ Sanctum vehebat, à tempeſtate:

POſtridie ejus diei inde abierunt, & Cyprum perlati peregrini, in diverſas naves diſperſi ſunt. Erant in eo portu naves tres aut quatuor, quibus Venetias iter erat; una Turcarum, altera admodùm exigua, tertia dives admodùm & firma opulenti hominis Veneti. Hujus navarchum rogaverunt nonnulli ex peregrinis, ut Peregrinum veheret: at ille ubi reſcivit nummos ei non eſſe, noluit; tametſi illum multis rogantibus, ac Peregrinum collaudantibus: quibus & reſpondit, ut, ſi ſanctus eſſet Peregrinus, ita transfretaret, ſicut B. Jacobus, aut quid ſimile. A navarcho minoris facilè iidem impetrarunt, quod volebant. Die quadam manè ſolverunt favente vento: ſed ad veſperum ſuperveniens tempeſtas naves in diverſa diſtraxit: & magna illa eidem inſulæ Cypro alliſa periit; quæ Turcarum erat, & ipſa cum vectoribus omnibus periit. Exigua verò illa, etſi diu cum tempeſtate luctata eſt, tamen Apuliæ quoddam littus appulit. Erat id tempus hyemis, ingentia frigora, & nives decidebant; neque aliud veſtium habebat Peregrinus, quam femoralia ad genua uſque ex craſſa quadam tela, & calceos, tibiis interim prorſus nudis; præterea thoracem ex nigra tela apertum, & ad humeros multis ſectionibus proſciſſum, & veſtem perexiguam pili modici.

E

qui anno 1524 *Venetias appulit; indeque profectus, Ferrariæ nummos ſuos diſtribuit pauperibus.*

50 Dimidiato Januario anno MDXXIV Venetias pervenit: partem alteram ejus menſis, & totum Novembrem & Decembrem in navi egerat à Cypro. Venetiis unum ex his offendit, qui eum in domos ſuas receperant, priuſquam Hieroſolymam proficiſceretur. Is ei XV vel XVI Julios *a* nummos in eleemoſynam largitus eſt, & nonnihil panni, quod ipſe complicatum ſtomacho impoſuit, ob frigoris, quod tum vigebat, vehementiam. Peregrinus poſteaquam didicit, Dei eſſe voluntatem, ut Hieroſolymis non remaneret, rediens ſemper apud ſe cogitabat, quid agendum. Tandem ea illi ſententia probabatur magis, magiſque eò ferebatur, ut aliquamdiu literis operam daret, quò animabus poſſet opem ferre; eamque ob cauſam Barcinonem ire ſtatuebat. Itaque Venetiis Genuam rurſus profectus eſt: & cum eſſet Ferrariæ, oraretque in maximo templo, eleemoſynam ab eo mendicus petit; cui marchetum, quod quinque aut ſex quadrantes valet, porrexit; rurſum alter poſt illum, cui nummulum dedit nonnihil ampliùs valentem: poſt hos ſuccedit tertius, & cum nihil jam ampliùs minutioris monetæ, ſed Julios tantùm nummos haberet, dat unum ex his. Mendici ut eum viderunt eleemoſynas ita largientem, nihil aliud quàm confluebant; atque hoc modo, quidquid habuit nummorum, impendit. Tandem multis unà adventantibus eamdem ob cauſam, reſpondit ipſe, ut ſibi ignoſcerent, jam enim ſibi nihil eſſe reliquum.

a

F

51 Ita Ferrariâ diſcedit, Genuam petiturus. Oc-

In via Genuensi pro ſpeculatore capitur,

A Occurrerunt in eo itinere milites nonnulli Hiſpani, qui ea nocte humanè eum tractârunt; nec parùm ſunt admirati, quòd eâ viâ iter ageret; quoniam neceſſe erat, ut per media utrorumque caſtra, Gallorum & Imperialium, tranſiret: rogaruntque, ut omiſſâ regiâ viâ, aliam ſequeretur tutiorem, quam ipſi indicabant. Non ſecutus illorum conſilium rectâ profitiſcitur, & in oppidum incidit mœnibus cinctum. Ibi eum cuſtodes correptum, tamquam ſpeculatorem in domunculam haud longè à porta injiciunt; &, ut moris eſt in hujuſmodi ſuſpicionibus, ſciſcitari ex eo pleraque cœperunt. Ille ad ſingula, quæ rogaretur, nihil ſe eorum noſſe reſpondit. Quare illi veſtibus exutum & calceis, omni ex parte ſcrutati ſunt, ſi quas fortè literas ferret. At ubi nihil ex eo reſciverunt, ad præfectum militum ducunt; neque impetrare potuit, ut veſte ſua tegeretur, ſed thorace tantùm & femoralibus.

& affectato ſtupidè agendi modo,

52 Cum in hunc modum pergeret, ei ſeſe obtulit capti & ducti Chriſti recordatio *, tametſi ea non fuit viſio ſicut cæteræ. Ductus autem eſt per vias tres ejus oppidi, eaſque magnas, abſque ulla mæſtitia, immò cum gaudio & conſolatione. Mos erat Peregrino, quemcumque alloqueretur, per VOS id facere, nullo addito nomine vel dominationis vel reverentiæ, devotè concipiens hac ſimplicitate uſos Apoſtolos ac Chriſtum ipſum. Interea igitur dum ita per vias illas duceretur, venit illi in mentem bonum fore, ut omiſſa ea conſuetudine, dominationis vocabulo præfectum tunc honoraret; neque id ſine aliquo metu ſuppliciorum, quibus afficere eum poſſent. Verùm ubi agnovit, eſſe tentationem; Quandoquidem (inquit) ita eſt, ego neque dominationis eum appellabo nomine, neque ante eum honoris gratiâ flectam genu, neque pileolum è capite auferam.

* *Hiſpanicè*: repreſentacion, *i.e.* repræſentatio

B

ad præfectum ducitur, & pro demente habetur.

53 Ventum cum eſt in præfecti palatium, paulìſper in aula demiſſiori dimittitur; tum paulò pòſt eum præfectus alloquitur: ipſe nullo civilitatis genere exhibito, pauca quædam verba reſpondit, ſatis longo etiam intervallo diſtincta. Ex his præfectus pro demente eum habuit, & ad eos, qui adduxerant, Hic vir (inquit) eſt expers ſenſûs; date ei, quod ſuum eſt, & foras eum ejicite. Egredienti è palatio occurrit Hiſpanus quidam; qui, ita ut erat, duxit eum domum ſuam, & jentaculum ei dedit, & quidquid in eam noctem illi erat neceſſarium. Manè iter proſequens uſque ad veſperum, conſpectus eſt à duobus militibus à turri quadam, & captus ductuſque eſt ad ducem militum Gallum. Hic inter cætera rogat, unde ſit: Peregrino verò reſpondente, ſe eſſe è provincia Guipuſcoa; & Ego, inquit Dux, non longè inde ſum; ſtatimque juſſit illum deduci, & cœnam ei apponi, ac benè tractari. Alia quædam minoris momenti in eo itinere illi evenerunt. Tandem ubi Genuam pervenit, agnitus eſt à Cantabro quodam nomine Portundo, qui aliàs eum erat alloquutus, cum eſſet in familia regis Catholici. Hujus operâ in navem admiſſus eſt, quæ Barcinonem petebat; in qua parùm abfuit, quin ab Andrea Doria *b*, tum Francorum partes ſequente, caperetur; navim enim perſequutus eſt.

C

b

Studia Barcinone, c

* *Hiſp.* comunicò ſu inclinacion de ſtudiar

54 Barcinone contulit inſtitutum animi * cum Iſabella Roſella *c* matrona primaria & in primis pia, & cum Ardebalo quodam grammatico ludi magiſtro: uterque probavit vehementer; & hic gratis ſe eum docturum, illa miniſtraturam omnia vitæ ſubſidia promiſit. Erat Manreſæ monachus (opinor è S. Bernardi familia) ſpiritualis admodùm: cum hoc optabat Peregrinus commorari; quò ſpiritu magis proficeret, & animabus prodeſſet. Itaque accepit oblatam conditionem, ſi modò Manreſæ non inveniret, quod ſperabat. Eò deinde profectus, monachum offendit mortem obiiſſe. Quare Barcinonem reverſus cœpit in literas diligenter incumbere; ſed ejus propoſito multum illud obſtabat, quòd, cum lectiones memoriæ mandare conaretur (id quod in grammaticis principiis neceſſarium eſt) novæ illi intellectiones rerum ſpiritualium novique guſtus infundebantur; atque hoc ita abunde, ut capere memoriâ nihil poſſet, neque illud à ſe rejicere, tametſi plurimùm reluctaretur.

A. Lvdovico Consalvo.

eorum profectum dæmon impediente per alias ſpecies.

55 Cum igitur ſæpe apud ſe cogitaret: Egò cum ad orandum me compono, & Miſſæ interſum, tam efficaces non experior intellectiones; agnovit paulatim, genus id eſſe tentationis. Itaque, oratione facta, rogat doctorem ſuum, ut pauca verba ex ſe audiat in templo beatiſſimæ Mariæ à Mari nuncupato, quod ab ipſius doctoris domo non longè aberat; & poſtquam conſediſſet, fideliter aperit, quidquid ipſe animo experiretur, & quam parum eo uſque eam ob cauſam profeciſſet. Verum, inquit, polliceor, me non defuturum ſcholæ tuæ, quin hoſce duos annos te audiam, ſi modò Barcinone panem & aquam invenire poſſim, quibus alar. Hac profeſſione magna cum efficacia emiſſâ, numquam deinceps eam tentationem expertus eſt. Dolor è ſtomacho, qui eum Manreſæ corripuerat, & cujus causâ calceos induerat, jam deſierat, & jam inde ex eo tempore, quo Hieroſolymam digreſſus fuerat, benè ex ſtomacho habuerat. Itaque cum Barcinone operam literis daret, deſiderium illum cepit redeundi ad anteactas pœnitentias. Facto igitur in ſoleis calceorum foramine, in dies magis magiſque eos frangebat, donec jam nihil ſupereſſet aliud, quam operimentum ſuperius.

E

Explorat per alium, quantum profeciſſet, & Complutum cogitat:

56 Poſt exactos in literarum ſtudio annos duos, quibus aiebant plurimùm profeciſſe, magiſter ejus idoneum eum dicebat, ut philoſophiæ ſtudia (Artes vulgò vocant) aggrederetur, eaque de cauſa, ut Complutum peteret, hortabatur. At ipſe profectus ſui experimentum priùs à doctore quodam theologo ſumi voluit. Qui cum idem conſilium dediſſet, abſceſſit Peregrinus Complutum ſolus, tametſi jam tum ſocios aliquot (ut opinor) haberet. Compluti cœpit mendicare, & eleemoſynis victitare: ac poſt x vel xii dies, quam hoc vitæ genus fuerat ſequutus, presbyter quidam, & cum eo nonnulli, conſpecto eo, quòd eleemoſynam peteret, ludibrio eum habere & contumeliis afficere cœperunt, quæ in eos conjici ſolent, qui cum ſani ſunt, mendicant tamen. Hæc cum audiret qui novo hoſpitali * præerat, ejus, ut videbatur miſertus, ad ſe vocatum ducit in noſodochium *, ibique ei & cellam, & quidquid præterea opus habebat, præbuit.

F

* *Hiſp. additur*: de la taraçana

* *Hiſp.* hoſpital

57 Annus agebatur vigeſimus quartus ſupra MD, cum Barcinonem pervenit Quadrageſimæ tempore. Fuit * autem ibi annos duos. Quare ad MDxxvi Complutum venit: ibi egit * annum unum ac dimidiatum, quo tempore ſtudium ſuum impendit in terminos & Summulas Soti, Alberti Phyſicam, & Magiſtrum ſententiarum. Exercebatur etiam dandis Exercitiis ſpiritualibus, & docendâ doctrinâ Chriſtianâ. Ex quibus rebus profectus colligebatur ad Dei gloriam; ſiquidem plerique in magnam rerum ſpiritualium cognitionem & guſtum perducti ſunt: alii tamen tentationibus va-

quò pervenit anno 1526, cum fructu.

* *Hiſp.* eſtudiò

* *Hiſp.* quaſi

A. Ludovico Consalvo.

riis tenebantur, qualis illa, qui sibi flagella infligere non poterat, quasi ab aliquo manus ejus retinerentur. Ex his aliisque hujusmodi rebus rumores in populo creabantur; sed præcipuè ex concursu hominum frequentissimo eò convenientium, ubi Christianam institutionem tradebat. Ubi primùm Complutum adiit, consuetudo illi intercessit cum Didaco Guya * *d*, qui in fratris typographi domo commorabatur, neque ei quidquam eorum deerat, quæ sunt ad vitam necessaria. Itaque eleemosynam in alendos pauperes etiam conferebat, & habebat domi tres peregrinos socios *. Quadam die venit ad eum Peregrinus petens eleemosynam, ut necessitatibus nonnullorum prospiceret. Didacus sibi nummos non esse affirmat; scrinium tamen aperit, ex quo lecti ornamenta varii coloris, candelabra, & alia nonnulla ejus generis acciperet: quæ omnia linteo complicata Peregrinus humeris suis imposuit, & pauperibus opem laturus abscessit.

* *Hisp.* don Diego de Guia

d

* *Hisp.* los tres compañeros del Pelegrino.

B

Rumores ibidem contra Sanctum concitantur ob vestitum:

* *Ex Hisp.* Peregrinum

e

f

58 Compluti, sicut dixeram, magni rumores excitati fuerant ex iis, quæ ibi fiebant, toto oppido aliis alia dicentibus, ut Toletum quoque ad Inquisitores res perveniret. Qui cum venissent Complutum, hospes eorum peregrinorum * admonuit, quod ipse sociique ejus ab eis sagati *e*, & (ut opinor) Illuminati *f* vocarentur, quodque carnificinam de ipsis facturi essent. Et inquisitione statim habita in eorum vitam, cum illam unam ob causam Complutum venissent, ne accersitis quidem illis Toletum redierunt, re tota relicta Vicario Figueroa, qui nunc cum Imperatore agit. Is post aliquot dies vocatis ad se dixit, inquisitum esse in vitam ipsorum, & causam omnem esse perscriptam ab Inquisitoribus, sed nullum errorem neque in doctrina, neque in vitæ ratione esse inventum: quare posse illos agere, quæ priùs, citra impedimentum: sed cum Religiosi non essent, sibi non benè videri, quod uno omnes habitu uterentur, satiusque fore, atque se illis præcipere, ut Peregrinus & Artiaga nigris vestibus, Calistus & Caceres leonatis uterentur, Joannicus Gallus adolescens, ita, ut erat, remaneret.

qui jubetur etiam esse tectis pedibus.

* *Ex Hisp.* quæ jubebantur

C

59 Peregrinus se, quæ videbantur *, facturos respondet: Verùm interim, inquit, nescio quid fructûs adferant hæ inquisitiones, cum cuidam ante aliquot dies sacerdos quidam Sacramentum porrigere noluerit, quia octavo quoque die communicabat, & mihi quoque dabat gravatè & difficulter. Nos id scire vellemus, ullamne hæresim in nobis deprehenderit. Non, inquit Figueroa; nam si deprehendissent, vos combussissent. Et te (inquit Peregrinus) comburerent, si hæreseos convincereris. Tinguntur vestes, ut eis præceptum fuerat. Hinc ad xv vel xx dies jubet Figueroa Peregrinum non nudis ingredi pedibus: ipse verò calceamenta induit: ut erat in hujusmodi rebus facilè obsequens, cum ei præciperentur. Quarto pòst mense rursum in eos inquisitionem idem Figueroa exercet, ac præter consuetas causas, credo inde occasione sumptâ, quod mulier quædam conditionis non contemnendæ & viro nupta, singulari devotione erga Peregrinum tenebatur, & diluculò operta (ut fit Compluti) in Hospitale veniebat, eoque ingressa, operimento sublato, ad Peregrinum ibat. Sed ne tum quidem quidquam repertum est, nec accersitus Peregrinus, re expensâ, neque illi quidquam dictum.

D

ANNOTATA.

a *Nummus est argenteus in Italia notissimus, æquivalens decimæ parti unius scuti Romani.*

b *Fuit is celeberrimus sæculo 16 archithalassus; de quo plura auctores.*

c *Maffeius lib. 1 Vitæ* S. Ignatii, *cap. 16, & Orlandinus lib. 1, num. 33, & lib. 5, num. 14 ita etiam illud exprimunt; uti & brevior Vita apud Quartemontium cap. 4. Sed inter monumenta nostra Romana exstat apographum epistolæ* S. Ignatii *autographæ, ad archidiaconum Caçador, Venetiis 1536, die* XII *Februarii Barcinonem datæ; ad cujus marginem notat P. Ignatius Pinius, bis à* S. Ignatio *scribi* Roser, *non* Rosel. *Garcia lib. 2, cap. 1 Vitæ scribit* Roses.

d *Is Compluti fuit perfugium* S. Ignatio *ad levandas miserorum calamitates, ex nostro Commentario prævio § 14, num. 134. Ex Orlandino autem lib. 2, num. 97 primus quasi rector collegiorum, præficitur sociis Parisiensibus; lib. 16, num. 91 sunt ejus elogium ac mors. Sancto Patri à confessionibus fuisse, ibi invenies: vide etiam dicta in Commentario prævio § 53, num. 558.*

E

e *Voluit dicere, uti opinor, interpres* incantati, fascinati, *aut quid simile.*

f *Detectam fuisse in Hispania anno 1623, ac præcipuè in diœcesibus Hispalensi & Guaditana, sectam Illuminatorum (Hispanicè* los Alumbrados) *habemus ex Annalium Baronianorum Continuatione per Henricum Spondanum, ad dictum annum, num. 7: quorum sordes ibidem describit.*

CAPUT VI.

Carceres Compluti ac Salmanticæ.

In carcerem amandatur

* *Hisp.* hospital

F

QUatuor rursus mensibus elapsis, cum jam in domuncula extra nosodochium * habitabat, die quadam ad januam ejus apparitor adstat, & eum vocans, Veni (inquit) mecum; & conjecto eo in carcerem, jussit indè non egredi, donec aliud juberetur. Erat tum tempus æstatis; & quoniam laxiore utebatur carcere, plerique ad eum conveniebant, quibus æquè, ac si liber esset, Christianas institutiones explicabat, & tradebat Exercitia. Patroni operâ aut procuratoris numquam uti voluit, etsi se offerrent non pauci. Meminit verò singillatim dominæ Teresæ à Cardenis, quæ quemdam misit ad eum invisendum, sæpéque illi obtulit, educturam se eum indè: at ipse nihil horum admisit, illud etiam * dicens: Cujus amore huc ingressus sum; is inde me educet, si ei visum fuerit. Decem & septem jam dies egerat in carcere, cum necdum sciret, qua de causa eò fuisset conjectus; neque quidquam ex eo scisciti erant. Tum autem venit Figueroa in carcerem, multaque ex eo quæsivit, & in his illud etiam, juberetne sabbatum custodiri, ludens *.

* *Hisp.* siempre, *i. e.* semper

* *Hoc non est in Hisp.*

nullius culpæ reus:

61 Præterea, an non nosset mulieres duas, matrem & filiam. Has dixit nosse. Tum ille instans; nec de discessu illarum quidquam noras, priusquam abirent? Non, inquit Peregrinus, per jusjurandum illud sanctum, cui me obstrinxi. Tum Vicarius manu in humeros ejus conjectâ, tamquam gauderet; Atqui ista, inquit, est causa, cur huc conjectus es. Inter eos qui plerumquo

A que Peregrinum ſectabantur, erant mater & filia, vidua utraque: filia verò juvenis admodùm & formoſa. Hæ in rebus ſpiritualibus magnos progreſſus fecerant; præcipuè filia; ita ut, etiamſi loco nobili eſſent ortæ, tamen pedeſtres iviſſent ad inviſendum Veronicam, quæ eſt in urbe Jaën *a*, ac neſcio, an etiam victum emendicando, & ſolæ: ex qua re magnus rumor Compluti ortus eſt. Doctor Giruellus *b*, qui earum quamdam curam gerebat, putavit, à Peregrino ad id fuiſſe inductas, ob idque claudi eum carcere curaverat. Vinctus ut audivit, quæ à Vicario dicta fuerant, inquit ad eum: Viſne de hac re loquar paulò latiùs? Loquere, inquit ille. Tum vinctus; Sæpe (inquit) hæ mulieres inſtiterunt apud me, quod proficiſci vellent per orbem univerſum, miniſtrare pauperibus modò in his, modò in illis noſodochiis *. Ego verò ſemper hoc illis diſſuaſi, propterea quod cernerem filiam ea ætate, & formoſam; aſſerens, ſi inviſendorum pauperum deſiderio tenerentur, poſſe id Compluti præſtare, & comitari ſanctum Sacramentum. Figueroa his

B ita ultrò citróque jactatis, unà cum notario abiit, ſcriptum deferens, quidquid actum fuerat.

62 Segobiæ *c* tum agebat Caliſtus ſocius Peregrini: qui accepto, quod vinctus eſſet, tametſi recèns ex gravi infirmitate convaluerat, ſtatim venit ad eum, unáque cum eo, carcere ſe incluſit. At ipſe monuit, ſatius eſſe, ut Vicarium adiret; qui benignè eum excepit, ac præmonuit, miſſurum ſe eum in carcerem, propterea quod neceſſe eſſet vinctum * eſſe, donec mulieres illæ redirent, quo dijudicaretur, an conformia dicerent cum iis, quæ diceret Peregrinus. Dies aliquot Caliſtus in carcere fuit: ſed cernens Peregrinus, detrimento id fieri ejus valetudinis (necdum enim omnino convaluerat) operâ doctoris cujuſdam ſibi amiciſſimi eum educi curavit. Ab eo die, quo in carcerem conjectus Peregrinus, ad eum uſque, quo eductus eſt, numerati ſunt dies XLII. Quibus tranſactis, cum jam mulieres illæ rediiſſent, notarius carcerem adiit, ut ſententiam *d* ei legeret, quâ liber abire permittebatur, & jubebantur iiſdem veſtibus indui, quibus & reliqui ſcholaſtici uterentur, & prohibebantur loqui de rebus fidei ante quatuor abhinc annos, cum ampliorem operam ſtudiis navaſſent, quandoquidem literarum parùm eſſent periti. Re autem vera, Peregrinus ſociis quidem erat peritior; verùm id non admodum fundatè *: quod & ipſe ante omnia dicere ſolitus erat, antequam examinaretur.

C 63 Auditâ hâc ſententiâ, ſubſtitit nonnihil Peregrinus, hæſitans, quid acturus eſſet, quoniam videbantur illi viam præcludere ad adjuvandas animas, idque non aliâ prolatâ cauſâ, quam quòd non ampliùs ſtuduiſſet literis. Tandem ſtatuit ad Fonſecam Toletanum archiepiſcopum proficiſci, remque omnem ejus judicio aut arbitrio committere. Diſceſſit Compluto, & archiepiſcopum Valliſoleti reperit. Re autem fideliter illi narrata, dixit, tametſi in ejus ditione jam non eſſet, neque jam ſententiæ illi ſubjaceret, tamen ea de re acturum ſe, quod ipſe ſtatueret. Archiepiſcopus benignè eum excepit, & cùm intellexiſſet, Salmanticam eum velle proficiſci, dixit, ſibi illic eſſe amicos & collegium, oblatiſque ei omnibus officiis, inter exeundum quatuor ei coronatos aureos dari juſſit.

64 Cùm Salmanticam veniſſet, & in templo oraret, agnovit eum mulier quædam devota (jam enim quatuor ſocii multò antè illic manere cœpe-

rant) & de nomine eum rogavit, ac eò duxit, ubi ſocii habitabant. Compluti cum lata eſt illi ſententia, ut ſcholaſticorum veſtibus induerentur, reſpondit Peregrinus: Tamen * juſſiſtis, ut veſtes tingeremus, ita fecimus: verùm quod non * jubetis, præſtare non poſſumus; quia nobis non eſt unde emamus. Ob id Vicarius veſtes illis comparavit & pileos, cæteraque ſcholaſticorum more. His induti veſtibus Compluto diſceſſerunt. Salmanticæ confeſſionem faciebat monacho Dominicano in collegio S. Stephani *, & poſt x vel XII dies, quam veniſſent, dixit ad eum confeſſarius: Vellent hujus monaſterii monachi te alloqui. At ille, In nomine Domini, inquit. Rurſum confeſſarius: Bonum fuerit, in die Dominico huc pranſum venias; ſed illud te moneo, ex te eos multa quæſituros. Dominico igitur die venit unà cum Caliſto: & poſtquam pranſi ſunt, is, qui cæteris præerat, abſente Priore, confeſſario & altero, ut puto, monacho aſſumpto, Peregrinum in ſacellum quoddam ducit, & commemorans affabiliter, quam bona eſſent, quæ de ejus vita & moribus audiſſet, ut qui Apoſtolorum more circuiret, dixit ſibi gratum fore, de hiſce rebus ſingulatim magis ac particulatim audire. Ac primùm rogat, in quo ſtudii genere operam dediſſet. Peregrinus eum ſe eſſe dixit, qui inter ſocios eſſet doctiſſimus *, ſimul etiam manifeſtè aperuit, quam parum ſtuduiſſet, & quam infirmo fundamento.

65 Quid igitur eſt, quod concionamini, inquit monachus. Nos, inquit Peregrinus, non concionamur; ſed familiariter tantùm loquimur cum aliquibus de rebus divinis; quemadmodum, ſumpto prandio, cum iis, qui nos vocant. Et de quibus (inquit ille) divinis rebus? hoc enim eſt, quod ſcire vellemus. Modò, inquit Peregrinus, unam, modò alteram virtutem commendamus, aut vitium hoc aut illud vituperamus. Tunc monachus: Vos docti non eſtis, & loquimini tamen de virtutibus & vitiis. Atqui de his nemo loqui poteſt, niſi aut doctrinâ inſtructus, aut Spiritu ſancto. Vos à doctrina non habetis: ſequitur igitur, ut à Spiritu ſancto. Atque hoc eſt de Spiritu ſancto, quod ſcire vellemus. Hîc Peregrinus nonnihil ſubſtitit, cum rationem illam colligendi non admodùm probaret: & poſt aliquantulum ſilentium dixit, nihil eſſe opus de his plura loquerentur. Tum urgens monachus:

F Et nunc, inquit, cum tam multi errores Eraſmi & aliorum prodierunt, qui mundo impoſuêre, non vis ea, quæ dicitis, patefacere?

66 Cui Peregrinus: Ego, pater, nihil ampliùs, quam quod dixi, ſum dicturus, niſi coram Majoribus meis, qui me obligare poſſunt, ut id faciam. Ante hæc rogarat monachus, cur Caliſtus eo habitu incederet: geſtabat enim ſagum breve, grandem galerum in capite, in manu baculum, ocreatus ad medias tibias; & quoniam procerus erat ſtaturâ, eo videbatur deformior. Peregrinus exponit, quemadmodum Compluti vincti fuerant, & juſſum illis fuerat, ut ſcholaſticorum more induerentur, ſocius autem ille per æſtivum tempus veſtem ſuam pauperi cuidam presbyterò dederat. Hic monachus, velut ſubmurmurans & indicans, id ſibi non placere, Charitas (inquit) à ſe ipſo incipit. Sed ut redeamus ad rei ſuſceptæ narrationem, cernens monachus, nihil ſe aliud à Peregrino audire poſſe, quam quod dixerat; Igitur, inquit, hîc maneas: nam facilè efficiemus, ut dicas omnia. Ita monachi omnes cum quadam feſtinatione diſce-

Aunt

a

b

d

* *Hiſp.* hoſpitales

c *quo tandem poſt dies* 42 *liberatur.*

* *Hiſp. tantùm eſt* ut in illo maneret *Peregrinus*

* *Hiſp.* porque à la verdad el Peregrino era el que ſabia mas, y ellos eran con poco fundamento.

Auditâ ſententiâ, quæ vetabat ſtudium juvandi animas, diſcedit Valliſoletum;

inde Salmanticam; ibique interrogatus

A. LUDOVICO CONSALVO.

* *Hiſp.* quando

* *Hiſp.* agora *i. e.* jam, nunc

* *Hiſp.* Juan

E

* *Hiſp.* que mas ha ſtudiado *i. e.* qui plus ſtuduit *de doctrina*

atque habitu ſui ſocii

A. Ludovico Consalvo.

dunt: ipso interim quærente, an vellent eum in sacello manere, an alibi. In sacello, inquit Proprior; & clausis omnibus januis monasterii, egerunt de his rebus (ut videtur) cum judicibus. Interim tres dies ambo, Peregrinus & ejus socius, in monasterio egerunt, priusquam quidquam illis judicum nomine diceretur, cibum cum monachis in refectorio sumentes, ac ferè semper eorum cella monachis erat referta, qui eos invisebant: quibus Peregrinus de iis, quæ solitus erat, semper loquebatur. Ex quo inter monachos orta quædam quasi divisio, multis ostendentibus, bene se erga illos esse affectos.

Carceri cum eo mancipatur ac catenâ; & uterque examinatur.

67 Post tres dies advenit notarius, eosque in carcerem duxit. Non fuerunt autem in inferiorem carcerem cum criminosis conjecti; sed in superius quoddam habitaculum; ubi plurimæ erant sordes tum ob vetustatem, tum quod illud non incoleretur. Vincti sunt autem eâdem catenâ ambo, altero uterque pede: longa erat catena x vel xii palmos, religata ad asserem media in cella constitutum. Quod si alteri ad agendum aliquid secedendum erat, necesse erat comitari & alterum.

B Noctem eam egerunt pervigiles. Die verò sequenti, ubi inter cives rescitum est, eos esse vinctos, missum est, ubi dormirent, cæteraque necessaria abundè ministrata. Venientibus autem plerisque, ut eos inviserent, Peregrinus more suo de divinis rebus sermones habebat. Baccalaureus Frias utrumque seorsum examinavit; cui Peregrinus chartas suas omnes tradidit (erant autem in his conscripta Exercitia,) ut expenderet, num illic omnia rectè haberent: & cum rogasset, num socios alios haberent, & ubi essent, ipsique indicassent; misit qui Cacerem & Artiagam socios in carcerem adducerent, Joannicum autem relinquerent, qui postea monachus factus est. Hos duos non suprà cum duobus sociis, sed infrà cum vulgo nexorum collocarunt. Peregrinus ne hîc quidem patronum adhibere voluit, neque procuratorem.

Sanctus deinde judicibus quatuor circa varia quæsita respondet,

68 Et aliquot pòst diebus vocatus est in conspectum quatuor judicum, trium doctorum, & baccalaurei Frias; ii enim omnes Exercitia inspexerant. Rogarunt autem multa ex eo, non solùm de Exercitiis, sed etiam de theologia, ut de Trinitate, de sanctissimo Sacramento, quonam modo eos articulos intelligeret. Ipse ante omnia protestatus est *, deinde jussus à judicibus, ita de his dixit, ut non haberent, quod responderent. Baccalaureus Frias, qui se cætetis acriorem ostenderat, in his rebus nonnihil etiam rogavit, quod ad jus Pontificium seu Canonicum pertinebat. Cogebatur ad omnia respondere: ipse tamen præfabatur semper, nescire se, quid ea de re Doctores dicerent. Jussus deinde est, ut primum mandatum Decalogi explanaret, sicut solitus erat: quod ubi agressus est, tam multa dixit, tamque diu eos detinuit, de primo præcepto agens, ut voluntatem ademerit, quidquam præterea rogandi. Antea dum loquerentur de Exercitiis, plurimùm in eo institerunt, quod est in eorum initio, quando nimirum cogitatio est peccatum mortale aut quando veniale; propterea quod, cum non esset doctrinâ imbutus, de ea quæstione definiebat. At ipse: Verumne sit an secus, vos ipsi videritis; quod si verum non est, condemnate. Tandem ipsi, re nullâ damnatâ, abierunt.

C * *Ex Hisp.* more suo præfatus est,

69 Inter eos qui cum alloquuturi ad carcerem veniebant, venit aliquando Franciscus à Mendoza *e*, qui nunc Cardinalis est Burgensis *f*. Venit autem cum baccalaureo Frias: & roganti familia-

e f

riter, ut haberet, & num molestè carcerem ferret; Respondebo, inquit, quod hodie nobili feminæ respondi, quæ verba quædam commiserationem testantia proferebat, eò quod vinctum me cerneret; Hoc ipso (inquam) doces, te non desiderare vincula pro amore Jesu Christi; cum tibi tantum malum carcer videatur. Atqui hoc ego confirmo, non tam multas esse in tota Salmantica compedes, manicasve, & catenas, quin ego plures pro Dei amore desiderem. Contigit eo tempore, ut nexi omnes è carcere effugerent: & duo illi, & socii, qui cum iis erant, manè soli januis apertis in carcere inventi sunt. Quæ res frequenti civium rumore magna cum ædificatione in civitate audita est, datumque ob id illis est universum palatium, quod juxta erat, ut pro carcere haberent.

D *& ostendit, magno se teneri desiderio vinculorum plurium.*

Fertur in eum sententia, & innocens declaratur: quia tamen videbat,

70 Post xxii dies, quam capti fuerant, vocati sunt, ut sententiam audirent, quæ de ipsis ferenda erat. Fuit autem hujusmodi: nullum in eorum vita neque doctrina errorem esse deprehensum: itaque posse eos ea facere, quæ priùs solebant, in tradenda Christiana doctrina, & colloquiis de divinis rebus habendis: hac tamen lege, ut, quoad annos quatuor ampliùs in literarum studium impendissent, numquam definirent, quidquam esse mortale vel veniale peccatum. Lecta hac sententia, judices magnam præ se tulerunt benevolentiam, ut qui vellent eam admitti. Peregrinus facturum quidem se, quæ eâ continebantur, respondit; eam tamen non acceptare, quandoquidem, nulla re damnata, os ei præcluderetur, ne in eo, quod posset, proximos juvaret. Quamquam autem D. Frias plurimùm instaret, qui benevolum erga eos affectum præ se ferebat; nihil tamen ampliùs dixit Peregrinus, quam se facturum, quod jubebatur, quamdiu in Salmantica jurisdictione esset. Educti statim sunt de carcere, ubi hæc transacta fuerunt. Ipse verò, re Deo commendata, cogitare cœpit, quid esset acturus: difficile enim ei videbatur, ut Salmanticæ maneret, cum ad proximos adjuvandos iter sibi ea ratione præclusum æstimaret, sublata facultate definiendi, quidnam veniale, quid mortale esset peccatum.

E

eâ sibi præludi aditum ad juvandas animas, Parisios cogitat,

71 Quare statuit Lutetiam Parisiorum adire studiorum gratiâ. Cum Peregrinus Barcinone deliberaret, an esset literis operam daturus, & quamdiu; omnis ejus cogitatio erat, utrum, postquam studuisset literis, Religionem aliquam ingrederetur, an hoc modo per orbem vagaretur *. Et cum in mentem veniebat de subeunda Religione, statim subibat desiderium, ut in aliquam intraret, quæ dissolutior esset, & minùs institutum suum servans: sic enim existimabat, ut ampliùs pateretur, & sperabat fieri posse, ut ejus instituti reliquos adjuvaret, dante Deo non modicam fiduciam, quod, quidquid in eum injuriarum & contumeliæ auderent, ipse facilè ferret. Quo tempore Salmanticæ agebat, non deerant eadem desideria juvandarum animarum, & studendi in eum finem, & nonnullos ejusdem propositi congregandi, & eos retinendi conservandique, quos jam habebat.

F * *Hisp.* andaria.

re cum sociis communicata.

72 Cum itaque Lutetiam proficisci statuisset, convenit ei cum iis, quos jam collegerat, ut eum ipsi illic, ubi erant, expectarent; se verò abiturum, ut videret, si quem modum inveniret, ut vacare ipsi literis possent. Non pauci, atque hi præcipuæ authoritatis, institerunt, ne discederet; sed hoc consequi nullo modo potuerunt: immo verò decimo quinto aut vigesimo die, quam-

do

A de carcere exîſſet, ſolus diſceſſit; libris aliquot aſello impoſitis. Poſtquam Barcinonem venit, plerique omnes profectionem illi in Galliam diſſuadebant, propter ingentia bella, quæ tum gerebantur. Tum quidam multa crudelitatis exempla ei referebant, ac inter cætera, Hiſpanos à Gallis verubus transfigi. Sed nulla umquam ex his timoris ratio ejus animum occupavit.

ANNOTATA.

a *Latinè dicitur* Giennium, *eſtque Baticæ in Hiſpania urbs.*

b Cirolius *vocatur à Maffeio lib.* 1, *cap.* 17.

c Segoviam *invenio duplicem; alteram quidem, quæ oppidum eſt in Hiſpania Batica; alteram in Caſtella veteri urbem. Hanc, non illam hîc cenſeo intelligendam ex narrationis adjunctis.*

d *De iſta ſententia memini ſuperiùs in Commentario prævio* § 14, *num.* 135.

e *Is poſtea in eadem urbe Salmanticenſi bene mereri de* S. Ignatio *ac noſtra Societate voluit,* B *collegium ibidem ædificando; ſed cur rem non perfecerit, vide Ribadeneiram lib.* 3, *cap.* 16: *è quo etiam habes lib.* 4, *cap.* 4, *quantum ille fideret hominibus Societatis. Plura de eo invenies apud Alphonſum Ciaconium in Hiſtoriis Pontificum Romanorum & Cardinalium tom.* 3, *à columna* 690.

f *Ex archidiacono enim Toletano primum epiſcopus Caurienſis, deinde Cardinalis fuit. Rexit etiam epiſcopus Burgenſem, & archiepiſcopus Valentinam eccleſias. Hæc & plura apud Ciaconium loco mox citato.*

CAPUT VII.

Studia Lutetiæ Pariſiorum, & alia ibidem geſta.

Pariſiis repetit ſtudia humaniora in collegio Montis acuti:

ITaque Lutetiam abiit pedes ac ſolus, & plùs minùs ad Februarium eò pervenit, anno, ut ipſe computat, vigeſimo octavo ſupra milleſimum quingenteſimum. Cum eſſet ipſo in carcere Compluti, natus eſt princeps Hiſpaniarum: ex quo indicio poſſunt omnes anni etiam præteriti ſupputari. Pariſiis habitavit cum Hiſpanis quibuſdam, C & prælectiones humanioris literaturæ, quæ in collegio Montis acuti fiebant, audiebat. Quoniam enim feſtinanter fuerat ad altiora ſtudia promotus, ad hæc inferiora rediit, cum perſpexiſſet, plurimum ſe fundamentis deſtitui. Itaque unà cum pueris ſtudebat Pariſienſi more. Cum primùm Lutetiam venit, mercator ei XXV nummos coronatos aureos numeravit ob chirographum Barcinone miſſum. Hos cuidam Hiſpano, ex iis, cum quibus habitabat, cuſtodiendos dedit: ille verò paulò pòſt in ſuum uſum illos inſumpſit, neque, unde redderet, habebat. Quo factum eſt, ut, tranſactâ Quadrageſimâ, nihil ampliùs Peregrino eſſet reliquum, tum ob id, quod diximus, tum quod ipſe, ſi quid erat reliquum, expenderat. Coactus igitur eſt ex mendicatione victum quærere, imò & domum, in qua erat, relinquere.

a ſed inde ob furtum ſibi factum, ad incommodam habitationem

74 Admiſſus deinde in xenodochium D. Jacobi *a* ultra templum Innocentûm. Quæ res ejus ſtudia non parùm impediebat, propterea quod longo intervallo aberat xenodochium à collegio; & erat præterea neceſſe, veſperi ante ſalutatio-

nem angelicam redire, alioqui non fuiſſet ingreſſus; nec manè ante lucem licebat egredi. Quare lectionibus ſuis vacare & adeſſe commodè non poterat. Erat & alterum impedimentum, petendas eſſe eleemoſynas, quibus aleretur. Jam quintus ferme annus agebatur, cum dolorem ſtomachi nullum ſenſiſſet, atque ità cœpit pœnitentiis gravioribus ac abſtinentiis ſeſe affligere. Poſt aliquantum temporis hac vitæ ratione exactum, ut in hoſpitali habitaret & victum emendicaret, animadvertens, quod parùm in literarum ſtudio proficeret, cogitare cœpit, quid ageret: & certiens, nonnullos eſſe, qui in collegiis ſervirent prælectoribus; & tamen iis tempus ad ſtudendum ſuppetere, ſtatuit quærere aliquem, cui eadem ratione famularetur. *A. Ludovico Consalvo.*

75 Conſiderabat autem apud ſe ac proponebat in hunc modum, idque non ſine conſolatione: Fingam animo (aiebat ipſe ſibi) magiſtrum eſſe Chriſtum, & ſcholaſticorum unum Petri, alterum Joannis, cæteraque Apoſtolorum nomina aliis imponam. Tum ſi quidquam mihi magiſter præceperit, putabo Chriſtum præcipere; cum aliis juſſerit, exiſtimabo B. Petrum jubere. Magnam adhibuit diligentiam, ut herum inveniret, deque E ea re etiam Caſtro baccalaureo, & monacho cuidam Carthuſiano, qui multos noverat magiſtros, atque aliis loquutus eſt: neque umquam fieri potuit, ut inveniret. *& inopiam reliquit;*

76 Tandem omni remedio deſtitutus, ab Hiſpano quodam monacho admonitus eſt, ſatius fore, ut quotannis in Flandriam proficiſceretur, & duorum menſium diſpendio alimentum anni totius compararet. Hoc conſilium, cum Deo rem commendaſſet, probavit; & eo uſus adferebat quotannis è Flandria, unde utcumque viveret. Semel quoque in Britanniam *, quæ Anglia eſt, tranſiit, pluſque inde eleemoſynæ detulit, quam annis ſuperioribus attuliſſet. *in Flandriam & Angliam excurrit ſubſidii causâ.* * *Hiſp. tantùm habetur:* à Inglaterra

77 Reverſus primùm è Flandria cœpit conſuetudinibus & colloquiis ſpiritualibus impenſiùs intendere, eodemque ferme tempore tribus Exercitia tradebat, Peraltæ, baccalaureo Caſtro, qui habitabat Sorbonam, & cuidam Cantabro, qui in collegio D. Barbaræ commorabatur, Amatori nomine. Hi magnas in vita mutationes fecerunt, ac ſtatim, quidquid habebant, etiam libros, in pauperes erogaverunt: ipſi verò è mendicato vivere cœperant & habitare in hoſpitali B. Jacobi, F ubi Peregrinus antè habitaverat, & unde fuerat egreſſus ob eas, quas diximus, cauſas. Magnos in Univerſitate Pariſienſi hæc res ſtrepitus excitavit, propterea quod priores illi duo viri erant maximè celebres: quos ſtatim Hiſpani alii oppugnare aggreſſi ſunt; & cum perſuadere nullis rationibus potuiſſent, ut ad Univerſitatem redirent, multi manu armata xenodochium adierunt, indeque eos eduxerunt, vel extraxerunt potiùs. *Tribus Lutetiæ Pariſiorum ſtudioſis per Exercitia valde mutatis,*

78 Adductis illis in Univerſitatem, convenit inter utroſque, ut hi ſtudiorum ſuorum curſum abſolverent, tum demum, quod animo ſtatuiſſent, proſequerentur. Baccalaureus à Caſtro poſtea in Hiſpaniam profectus eſt, & apud Burgenſes concionatus aliquamdiu, pòſt Valentiæ Carthuſianorum inſtituto ſe addixit. Peralta iter ingreſſus Hieroſolymam pedes & peregrini modo, hoc habitu captus eſt in Italia à duce quodam militum ejus cognato, qui rationem invenit, quâ ad Pontificem ſummum, eum perduxit, obtinuitque, ut ei præciperet in Hiſpaniam redire. Hæc verò non ita ſtatim facta ſunt; ſed aliquot pòſt annis. Rumores ingentes Pariſiis exorti ſunt ad- *in invidiam & infamiæ periculum vocatur.*

A. Ludovico Consalvo.

versùs Peregrinum, maximè inter Hiſpanos, & à magiſtro noſtro de Govea, qui aiebat, eum ad inſaniam redegiſſe Amatorem, qui in ejus collegio manebat. Is ita ſtatuit ac dixit, cum primùm in collegium B. Barbaræ veniret, eum publicè vapulaturum, quod Pariſienſes Aulam dare dicunt, tamquam ſcholaſticorum ſeductorem.

Damnum ſibi ab alio injuſtè illatum benefacto compenſat;

79 Is qui ejus nummos conſumpſerat Hiſpanus, neque perſolverat, iter in Hiſpaniam aggreſſus eſt; & cum Rotomagi navim expectat, interea incidit in ægritudinem: quod cum Peregrinus reſciſſet, ejus inviſendi & adjuvandi deſiderio captus eſt, ſperans etiam hac animorum conjunctione eò illum deducere, ut, relicto mundo, totum ſe Dei obſequio dicaret. Quod quidem * ut conſequeretur optabat, & illas leucas, quibus Rotomagum Lutetiâ diſtat, pedeſtri itinere conficere abſque ullo cibo & potu, & nudis pedibus. Cumque ob id oraret, magno ſe timore corripi ſentiebat, donec in D. Dominici templum ingrediens, ſtatuit eo modo proficiſci. Jam abſceſſerat metus ille, quo verebatur, ne id eſſet Deum tentare: cum, ecce, poſtridie manè inter ſurgendum tantus eum metus apprehendit, ut ne indui quidem veſtibus ſibi videretur poſſe. In eo conflictu domo atque adeo ex Urbe egreditur ante lucis ortum, metu perdurante ad tres uſque leucas à Lutetia. In quo loco pagus eſt, quem Argentail *b* incolæ vocant, ubi & veſtis Domini noſtri haberi dicitur. Poſtquam inde digreſſus eſt magno cum labore ſpirituali, & in editiorem locum pervenit, cœpit metus ille dilabi, & magna quædam conſolatio ejus animum occupavit, conatuſque ſpiritualis, tanta cum lætitia, ut clamare cœperit per agros illos & cum Deo loqui. Quievit ea nocte cùm mendico quodam in hoſpitali, confectis eo die XIV leucis; perendie tugurio ſtramineo ad noctem exceptus eſt; tertio die Rotomagum pervenit pedes, ut dictum eſt, nullo cibo nulloque potu ſumpto quemadmodum ſtatuerat. Conſolationem ægroto & auxilium attulit, ut navi imponeretur, quæ in Hiſpaniam navigatura erat, eique literas ad ſocios, qui Salmanticæ erant, dedit, Caliſtum, Caceres, & Artiagam.

B

b

** Hìc incipit character quartus, linguâ Italicâ.*

& narrat, quem exitum habuerint primi ſui ſocii.

C

c

80 Atque ut de his ſociis, quis eorum exitus fuerit, ſemel dicamus: cum eſſet Peregrinus Lutetiæ, ſæpe ad eos literas dabat, ſicut convenerat inter ipſos, quibus ſignificabat, quàm parùm ſpei foret reliquum, ut poſſet eos Lutetiam evocare ſtudiorum gratiâ. Egit tamen per literas apud D. Leonoram de Maſcareñas *c*, ut Caliſto literis ad Luſitanorum regem opem ferret, ut burſam unam acciperet (burſam vocant certum ſubſidium in annos ſingulos *:) ex iis quas rex ipſe Luſitanus nonnullis Pariſiis conſtituerat. D. Leonora Caliſto mulam dedit & nummos, ut in aulam Luſitani regis ſe conferret; & eò quidem profectus eſt, ſed Lutetiam non venit, imò verò in Hiſpaniam reverſus abiit in Indiam Imperatoris cum ſpirituali quadam femina: deinde in Hiſpaniam rediens, iterum Indiam petiit, unde & dives rediit poſtea in Hiſpaniam; quæ res admirationi fuit Salmanticæ omnibus qui antè eum noverant. Caceres, Segobiâ repetitâ, quod erat illi patrium ſolum, eo modo vitam agere cœpit, ut prioris propoſiti [& vitæ *] oblitus eſſe videretur. Artiaga primùm factus eſt Commendator: dein cum jam eſſet Romæ Societas, datus eſt ei epiſcopatus in India. Scripſit hic bis quidem ad Peregrinum, ut eum epiſcopatum alicui è Societate daret. Verùm ubi ei reſponſum eſt, id non eſſe faciendum, abiit in Indiam Imperatoris, factus epiſcopus, ibique raro admodum eventu mortuus eſt. Accidit enim, eo ægrotante, ut, conjectis ad refrigerandum in aquam duobus aquæ vaſculis *, altero ejus, quam ei medicus imperaverat; altero aquæ, veneno, quod Soliimannum vocant, infectæ; is, qui ei potum porrigebat, errore lapſus, venenatam potionem afferret, quâ hauſtâ, vivendi finem fecit *d*.

D

** Parentheſi contenta non habentur in originali.*

** Ex originali, duabus aquæ lagenis*

d

Conſulit famæ ſuæ;

e

81 Reverſus Peregrinus Lutetiam, multos illic rumores de ſe offendit ob baccalaureum à Caſtro, & Peraltam, ſeque ab Inquiſitore *e* fuiſſe accerſitum didicit. Neque verò dubius expectare voluit; ſed Inquiſitorem adiens, cui nomen magiſter noſter Ori, è familia Dominicana; Audivi, inquit, me à te quæſitum fuiſſe: adſum igitur, ad quodcumque volueris paratus. Interim eum rogavit, ut, quidquid eſſet facturus, brevi abſolveret; nam ſtatuiſſe ſe ad D. Remigii feſtum, quod inſtabat, curſum Artium ingredi: quare optare ſe, ut ante illud tempus omnia tranſigerentur, quæ ſecum eſſent agenda, quo tum ſuis ſtudiis commodiùs poſſet intendere. Inquiſitor verum quidem eſſe dixit, quod de eo quædam ei relata fuiſſent: cæterùm abire eum liberum permiſit, neque deinceps accerſivit.

E

ac ſtudia philoſophica aggreditur, contrahens conſuetudinem cum Fabro & Xaverio.

82 Ad D. Remigii feſtum, quæ prima dies eſt Octobris, curſum auſpicatus eſt, præceptore M. Joanne Pegna, eo animo, ut, quos habebat ejus propoſiti, Deo ut ſervire vellent, eos foveret ac conſervaret: alios tamen non quæreret adjungendos, quo faciliùs in ſtudia poſſet operam ſuam impendere. Poſteaquam cœpit philoſophicis lectionibus intereſſe, iiſdem cœpit laborare tentationibus, quibus cum Barcinone daret operam grammaticis: quotieſque audiebat magiſtrum prælegentem, tam multis interturbabatur ſpiritualibus rebus, ut audire attentè non poſſet. Animadvertens igitur, parùm ſe ſtudendo promovere, præceptorem adiens pollicetur, ſe ei auditorem fore toto curſu, dum panis & aqua quærenti non deeſſet, quibus ali poſſit. Hac pollicitatione facta, devotiones illæ intempeſtivæ omnes abſceſſerunt, ipſeque ſtudia ſua quietè proſequutus eſt. Eo tempore conſuetudo illi erat cum M. Petro Fabro & M. Franciſco Xavier, quos deinde ad Dei obſequium adduxit, traditis utrique Exercitiis. Quo tempore in curſu erat, eum ut antè, non perſequebantur. Quare doctor Fragus quadam ei die mirari ſe dixit, quod ita quietum illum ſinerent, nec quiſquam eſſet moleſtus. Cui ipſe: Hoc, inquit, ideo fit, quia de rebus divinis cum nemine loquor. Verùm, abſoluto curſu, redibimus ad conſuetum morem.

F

Apprehenſionem ex tactu peſtiferi ſubortam vincit;

83 Interea dum hi loquerentur, monachus D. Fragum adiit, rogans, ut ſuam illi operam accommodaret in domo invenienda: in qua enim erat, multos mortuos eſſe, ac ſe putare ex peſte id ita eveniſſe; tum enim graſſari peſtis Pariſiis incipiebat. Doctor Fragus ac Peregrinus domum illam inviſere voluerunt, adducta muliere, quæ dignoſcendi ejus morbi admodùm erat perita. Hæc verò domum ingreſſa aſſerit verè peſtem eſſe. Peregrinus quoque in domum intrare voluit, & inventum illic jacentem ægrum ubi conſolatus eſt atque animavit nonnihil, admota etiam manu ad ægri plagam, ſolus abſceſſit. Tum illi manus dolere cœpit, ipſeque peſte correptus ſibi videbatur; eratque ea apprehenſio tam vehemens, ut vincere & abjicere non poſſet: donec magno impetu digitis in os immiſſis ac diu revolutis, Si tu (inquit) peſtem habes in manu, ha-

** Non habetur in originali.*

habebis & in ore. Hoc facto, ſimul eum imaginatio illa reliquit, & dolor, quem antè in manu ſenſerat, ceſſavit.

ſed ab aliis ideo vitatur: baccalaureatum ſuſcipit: morbum contrahit;

84 Sed in Barbaranum collegium, ubi tum habitabat, fugientibus eum cunctis, non eſt permiſſus ingredi, cum ſciſſent in illam domum peſte infectam eum fuiſſe ingreſſum: quare dies aliquot extra collegium coactus eſt commorari. Motis eſt Pariſiis iis, qui philoſophicis ſtudiis incumbunt, ut baccalaureatum accepturi, petram, ut vocant, tertio jam anno accipiant: quod qui valde pauperes ſunt, facere non poſſunt, propterea quòd coronatum * unum aureum in id impendi neceſſe eſt. Dubitante igitur Peregrino vehementer, an & ipſe eſſet accepturus, rem arbitrio permiſit præceptoris. Qui cum ei conſilium dediſſet, ut acciperet; accepit quidem, ſed non ſine obmurmuratione quorumdam, præcipuè * Hiſpani cujuſdam, qui illud factum ſubnotavit. Quo tempore Pariſiis erat, jam peſſimè habebat ex ſtomacho, & vigeſimo quinto * quoque die dolor ſtomachi graviſſimus ad horam unam eum occupabat, qui & febrem adferebat. Quadam verò die dolor is ſtomachi ad XVI vel XVII horas illum tenuit. Jam tum curſum * abſolverat, & annos aliquot in ſtudium theologicum inſumpſerat, ſocioſque congregarat.

* *Italicè*: un ſcudo

* *Ex Italico*, ſaltem

* *In originali eſt*, 15

* *ex orig. adde*, Artium

ſolum patrium repetit, diſpoſitis antea rebus circa profectionem Hieroſolymitanam.

85 Creſcente autem in dies morbo, & nullis remediis (tametſi multa adhiberentur) juvantibus, ſolùm id medici dixerunt remedii ſupereſſe, ut ſolum ſibi patrium repeteret; nativo illo aëre juvari poſſe, non re aliâ. Idem & ſocii ſuadebant, vehementer etiam inſtantes, ut id faceret. Inſtitutum per id tempus jam illis erat omnibus, quid acturi eſſent, nempe ut Venetias primùm, deinde Hieroſolymam peterent, ubi vitæ omne tempus in juvandas animas impenderent: quod ſi Hieroſolymis manere non ſinerentur, tum Romam redirent, ſeque ſummo Pontifici, Chriſti vicario, offerrent, ut ipſorum operâ ita uteretur, ſicut ad Dei gloriam animarumque commodum fore arbitraretur. Illud etiam inter ipſos convenerat, ut annum unum naves Venetiis expectarent, quibus Hieroſolymam peterent: quod ſi eo anno nullæ forent, ſoluti eſſent eo voto adeundæ Hieroſolymæ, & ad ſummum Pontificem ſe conferrent. Paruit tandem Peregrinus ſociorum conſilio, ut etiam ſociorum Hiſpanorum negotia, quæ in Hiſpania habebant tranſigenda, ipſe poſſet conficere. Convenit igitur inter eos, ut recuperatâ valetudine, ipſe ad peragenda eorum negotia ſe conferret, deinde Venetias rediret, ibique eos expectaret.

C

Antequam Pariſiis diſcedit, Exercitia ejus ſpiritualia approbantur.

86 Diſceſſit ipſe Lutetiâ anno XXXV; ſocii verò inde diſceſſuri erant XXXVII, die Converſionis B. Pauli (ita enim ex pacto inter eos conſtitutum fuerat;) ſed bellorum causâ prævenire illud tempus coacti ſunt, & menſe Novembri anno XXXVI Lutetiâ migrare. In ipſo profectionis procinctu Peregrinus, audito, quod ad Inquiſitorem eſſet nomen ejus delatum, & videns, ſe ab Inquiſitore non advocari; eum ipſe adiit, &, quod audierat, enarravit: addens etiam, ſibi ſocios eſſe, ſe in procinctu eſſe, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, rogare eum, ut ſententiam ferret. Inquiſitor accuſatum eum quidem fatetur fuiſſe, ſed in ea accuſatione nihil ſe cernere, quod alicujus eſſet momenti; tantùm velle ſe ſcripta ejus inſpicere (hæc erant Exercitia:) quæ cum vidiſſet, probavit plurimùm, ac Peregrinum oravit, ut exemplar ei daret, quod & fecit. Interim inſtat Peregrinus, ut cauſa ad finem perducatur, & ſententia feratur. Quod cum inquiſitor detrectaret, notarium ipſe cum teſtibus in ejus domum adducit, A. LUDOVICO CONSALVO; deque his omnibus teſtimonium ſcripto accepit *f*.

f

ANNOTATA.

a *Diſſerui de ſitu iſtius xenodochii in Comm. prævi.* § 15; *quem vide à num.* 150.

b *Imo* Argenteuil, *Latinè Argentolium*, *quod* Jeſu Chriſti D. N. veſte inconſutili celebre *dicitur apud Baudrandum.*

c *De hac femina clariſſima*, & *de* Ignatio *optimè merita videri poteſt Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 14; *lib.* 4, *cap.* 16; *lib.* 5, *cap.* 1.

d *Conſuli poſſunt, quæ de primis ſancti Patris ſociis dixi in Commentario num.* 162.

e Quamquam enim, *inquit Bouhourſius in Vita Gallica S.* Ignatii *lib.* 2, inquiſitionis tribunal numquam in Gallia fuerit ſtabilitum eo modo, quo eſt in Hiſpania, & in Italia; apud nos *tamen, ait*, plurimorum annorum ſpatio fuere Inquiſitores à Papa delegati, ad puritatem fidei ibidem conſervandam, populoſque continendos in obedientia Eccleſiæ *&c.* E

f *Commentarius noſter prævius num* 185 *exhibet teſtimonium fratris Thomæ Laurentii &c., generalis Inquiſitoris, anno* 1536 *ſignatum Pariſiis, de probitate & doctrina* S. Ignatii; *cui teſtimonio interſeritur aliud alterius item generalis Inquiſitoris in regno Franciæ.*

CAPUT VIII.

Adventus in patriam, virtutes ibi exercitæ; iter in ulteriorem Hiſpaniam; deinde in Italiam; famoſa ibidem apparitio, ac geſta.

It patriam ubi pervenit, divertit ad hoſpitale; F

POſt hæc equum exiguum, quem ei ſocii emerant, ipſe conſcendit, atque in patriam terram proficiſci cœpit, jamque in via multò habere meliùs. Ubi in provinciam Guipuſcoæ, patriam ſcilicet ſuam *a*, venit; omiſſo communi itinere, viam fecit per montes, quod iter minùs frequens eſt. Progreſſus in ea nonnihil, vidit armatos homines duos contra ſe tendentes (& malè alioquin locus ille audit ſicariorum nomine) qui ipſum prætergreſſi aliquantulùm, ac deinde converſi, illum feſtinanter ſequebantur. Et timuit quidem nonnihil; ſed tamen illos compellans, didicit, eos eſſe fratris ſui famulos, illi obviam ab eo miſſos. Bajonâ *b* enim (urbs eſt in Gallia) admonitus frater ejus fuerat, eum venire, ut credibile eſt: nam & illic Peregrinus à nonnullis fuerat agnitus. Et illi duo præceſſerunt. Ipſe autem iter proſequens inceptum, paulò antequam in oppidum ingrederetur, in presbyteros incidit obviàm illi venientes: qui vehementer inſtiterunt, ut in fratris domum eum deducerent, quòd tamen efficere non potuerunt. Abiit igitur in hoſpitalem domum publicam, & horâ deinde opportunâ per oppidum *c* eleemoſynam quæſivit.

a

b

c

& apud ſuos populares magnos fructus facit, tollendo abuſus,

88 In hoſpitale multi ejus inviſendi gratiâ veniebant, cum quibus de divinis rebus colloquens, non exiguum Dei gratiâ fructum collegit. Cum primùm venit, ſtatuit doctrinam Chriſtianam quotidie

A. Ludovico Consalvo.

tidie pueros docere : cui obſtabat frater, aſſerens, neminem venturum ; at ille, Mihi, inquit, ſatis eſt unus. Sed ubi docendi initium fecit, multi aſſiduè confluebant, ipſe ejus frater conveniebat. Præter hoc Dominicis etiam diebus & feſtis conciones habebat ad populum magno cum fructu, accedentibus etiam à multis paſſuum millibus ad eum audiendum. Dedit quoque operam, ut abuſus quidam tollerentur, ac Dei gratiâ effectum eſt, ut aliquibus proſpiceretur. Nam ludum (ut exempli gratiâ hoc dicamus) obtinuit ſuis adhortationibus ut prætor vetaret, idque cum executione. Correxit & vitium quoddam ingens ex patria ortum conſuetudine. Moris erat in regione, ut puellæ ſemper aperto capite ſint, nec velentur, donec nubant : ſed ſacerdotum *, aliorumque concubinæ, æquè * acſi uxores eſſent, fidem ſervant. Quare hæ quoque caput obvelabant : adeoque res publicè & citra pudorem fiebat, ut non vererentur concubinæ ipſæ palàm dicere ac confiteri, hujus vel illius causâ caput operuiſſe, vulgóque pro talibus haberentur & agnoſcerentur.

* *Ex orig.* ſed multæ ſunt
* *orig* : quæ illis,

B

89 Ex qua perverſa conſuetudine mala pleraque * oriebantur. Peregrinus igitur perſuaſit gubernatori, ut legem ferret, quâ feminæ publicè plecterentur, quæcumque alicujus nomine caput velarent, niſi ejus uxores eſſent. Hoc modo aboleri cœpit abuſus hujuſmodi. Curavit etiam & effecit, ut pauperibus publicè & ordinariè proſpiceretur, utque ter interdiu, ſicut Romæ fit, ad ſalutationem angelicam ſignum campanæ pulſu daretur, populuſque oraret, manè nimirum, meridie, ac veſperi. Etſi autem initio benè haberet, incidit tamen poſtea in ægritudinem valde gravem. Ex qua poſtquam convaluit, ſtatuit ſibi eſſe abeundum, ut ſuſcepta ſociorum negotia conficeret. Statuerat autem pedes ac ſine nummis proficiſci : quam rem, ut ſibi pudori futuram, frater ægerrimè ferebat. Itaquè hoc illi condonandum putavit tandem ſub veſperum, ut ad fines uſque provinciæ veheretur, fratre & cognatis aliis comitatus.

& uſus bonos inducendo.
* *In orig.* multa. *In toto hoc inſtrumento interpres poſuit* pleraque *pro* multa.

90 At ubi provinciam egreſſus eſt, ex equo deſcendit, nilloque accepto viatico Pampelonem *e* petiit, inde Almazanum *f*, patris Laynez patriam, inde Siguenſam, & Toletum, ac deinde Toleto Valentiam. His verò omnibus locis unde ſocii orti ſunt, nihil accipere unquam ab eorum cognatis parentibuſve voluit, etſi offerrent plurima, &, ut acciperet, vehementer rogarent. Valentiæ baccalaureum à Caſtro eſt alloquutus *g* jam Carthuſianum. Cum verò navim conſcenſurus eſſet Valentiæ, ut Genuam navigaret, diſſuadebant ii, qui ei bene volebant, aſſerentes, Barbaroſſam *h* in mari eſſe cum multis triremibus. Sed tametſi pleraque illi dicerent, quæ metum poſſent meritò incutere, numquam tamen eò adduxerunt, ut dubitaret.

Iter per Hiſpaniam, navigatio Genuam verſus,
e
f
C
g
h

91 Ingreſſus igitur navim quamdam magnam, in eam tempeſtatem incidit, de qua antè facta eſt mentio, cum eum dictum eſt ter in mortis periculum veniſſe. Et in eo itinere multa paſſus eſt; maximè verò in eo, quod nunc referam. Cum à via die quadam aberraſſet, iter ſequebatur, quod erat fluvio proximum. Et via quidem ſublimis erat, fluvius autem multò inferior, dejectus demiſſuſque ferebatur : & quantò magis progrediebatur, tantò iter in anguſtum magis tendebat ; eóque ventum eſt, ut neque progredi, neque retrocedere poſſet. Itaque cœpit manibus pedibuſque incedere, magnoque cum metu ſic diu inceſſit, propterea quod, quoties movebatur, in flumen caſurus ſibi videbatur. Atque hic maximus fuit omnium laborum corporalium, quos umquam expertus eſt. Evaſit tamen tandem ; & ecce Bononiam intraturus è ponticulo labitur, ſicque aqua & luto madidus infectuſque, riſum ſpectantibus, qui erant non pauci, exhibuit.

tempeſtas, aberratio in Italia ſummo cum vitæ diſcrimine.

D

92 Bononiæ ab ingreſſu ad egreſſum eleemoſynam quærens, etſi urbem totam percurriſſet, ne quadrantem quidem accepit. Aliquamdiu æger Bononiæ decubuit. Inde Venetias profectus eſt eodem ſemper modo. Ibi tum tradendis Exercitiis, aliiſque ſpiritualibus conſuetudinibus vacabat. Præcipui quibus tradidit, fuere Petrus Contarenus, Gaſpar à Doctis, Rozes * Hiſpanus, & Hiſpanus alter Hozes, cui magna erat cum Peregrino conſuetudo, & cum Epiſcopo Cettino *: & tametſi affici ſe ſentiebat ad Exercitia, tamen id non exequebatur. Tandem ſuſcipere ſtatuit, & poſt tertium aut quartum diem, quam cœperat, mentem ſuam Peregrino aperuit, veritum ſe, ne in Exercitiis tradendis pravâ aliquâ doctrinâ eum imbueret ; ita enim erat à quodam perſuaſus, ut ſibi caveret : eaque de cauſa libros quoſdam ſecum attuliſſe, quorum remedio uteretur, ſi fortè ei vellet imponere. Hic in Exercitiis plurimùm profecit, ac tandem vitæ rationem ſequutus eſt, quam Peregrinus inſtituerat, primuſque etiam hic fuit, qui mortuus eſt.

Bononiæ ægrotat : Venetiis Exercitia tradit :
* *In orig.* Rocas.
* *in Proceſſu Madritenſi habetur :* Septenſi

E

93 Venetiis quoque alia in Peregrinum mota eſt perſecutio, pleriſque aſſerentibus, ſtatuam ejus ſeu imaginem igne fuiſſe crematam in Hiſpania, & apud Pariſios. Eò verò res proceſſit, ut in judicium venerit : ſed cauſam obtinuit Peregrinus, latáque eſt in ejus favorem ſententia. Venetias novem ſocii veneruut initio anni MDXXXVII, & in urbe diſtributi ſunt in varia xenodochia, ut ægrotis inſervirent. Poſt duos aut tres menſes, omnes Romam ſunt profecti, ut à ſummo Pontifice benedictionem acciperent Hieroſolymam profecturi. Peregrinus tamen Romam non eſt profectus, propter D. Ortiz & Cardinalem Theatinum *i* recèns creatum. Socii Româ redeuntes chirographa attulerunt ducentorum vel trecentorum nummorum aureorum * coronatorum, qui in eleemoſynam eis dati fuerant ob inſtitutam * Hieroſolymitanam profectionem. Ipſi verò non niſi per chirographa accipere voluerunt ; & cum navigare Hieroſolymam non potuiſſent, illis, qui dederant, reddiderunt. Eodem autem modo Venetias redierunt, quo Romam fuerant profecti, pedites nimirum & mendicando, in tres diſtributi partes, ut ſemper eſſent diverſarum nationum. Qui non erant presbyteri, Venetiis promoti fuerunt ad ſacerdotium, acceptâ facultate à Nuntio, qui tum erat Venetiis ; qui etiam poſtea vocatus eſt Cardinalis Verallus. Promoti ſunt ſub titulo paupertatis, & editis votis paupertatis & caſtitatis.

perſecutionem parvitur, ſocios Romam mittit ; ſacerdotium Venetiis.
i
* *Ital. tantùm dicitur :* ſcudi
* *Ex orig.* ad inſtituendam
F

94 Eo anno non tranſibant naves in Orientem ob ruptum fœdus inter Venetos & Turcas. Itaque cum viderent, ſpem tranſitûs differri, diſperſi ſunt in varia loca ditionis Venetæ eo animo, ut annum unum, ſicut antè propoſuerant, expectarent ; quo tranſacto, niſi navigandi poteſtas fieret, Romam redirent. Peregrino fortè Vicentia obtigit, comites ejus fuerunt Faber & Laynez. Ibi domum quamdam offenderunt extra civitatem, in qua neque porta erat, neque feneſtræ ullæ. In ea habitabant ; dormiebant autem ſuper modico ſtramine, quod ipſimet attulerant. Duo è tribus quotidie bis urbem intrabant ad quæren-

Intercluſo itinere in Orientem, dividuntur Sanctus ac ſocii in varia ditionis Venetæ loca.

A rendas eleemoſynas, manè ac veſperi; tamque parùm adferebant, ut vix alendis illis ſufficeret: Cibus erat ordinarius parùm panis cocti, ſi modò habuiſſent; quem is coquebat, quem domi remanere contingeret. Hoc modo quadraginta dies tranſegerunt, nulli alii rei intendentes quam orationi.

Conciones, viſitationes cæleſtes, prænotio de ſocio ſanitati reſtituendo.

95 Poſt dies quadraginta venit magiſter Joannes Coduri; & quatuor hi ſtatuerunt initium facere concionandi, eodemque die & horâ eâdem in plateis diverſis omnes concionari cœperunt, edito priùs clamore ingenti, & pileo manu agitato, ut populum advocarent. Hæ conciones, frequentes rumores in civitate excitavetunt, ac multos cives ad devotionem induxerunt: jamque ipſis victui neceſſaria copioſiùs miniſtrabantur. Dum eſſet Vicentiæ, multæ illi ſpirituales viſiones oſtenſæ ſunt, multæque & quaſi ordinariæ conſolationes immiſſæ: præcipuè verò Venetiis, cum ad ſuſcipiendum presbyterii munus, Miſſamque celebrandam ſeſe præpararet. Et in illis omnibus profectionibus magnas accepit viſitationes ſupra naturam ex iis, quas accipere erat ſolitus, cum eſſet Manteſæ. Cum adhuc eſſet Venetiis, didicit, unum è ſociis Baſſani ad mortem ex ægritudine laborare, ipſe etiam tum febre occupatus: & tamen iter ingreſſus eſt, adeoque celeriter incedebat, ut Faber, ejus ſocius, eum ſequi non poſſet. In illa autem profectione certitudinem à Deo accepit, & Fabro indicavit, quod ſocius ex ægritudine non eſſet moriturus. Ut Baſſanum venerunt, plurimum conſolationis æger accepit, & non multò poſt æger convaluit. Poſt hæc Vicentiam omnes reverſi ſunt, ibique decem ſimul aliquamdiu ſunt immorati, circumeuntibus nonnullis vicina oppida ad eleemoſynam conquirendam.

Famoſa apparitione recreatur in agro Romano:

96 Revoluto anno, cum nulla ratio iniri poſſet navigandi Hieroſolymam, Romam iter inſtituunt, etiam Peregrinus. Nam ii duo de quibus nonnihil dubitabat, benevolos ſe erga ſocios oſtenderant primùm, cum eò fuerant profecti. Romam petierunt in tres quatuorve partes diſtributi. Peregrino comes Faber & Laynez: & in hoc itinere ſingulares Dei viſitationes expertus eſt. Statuerat autem, poſt acceptum ſacerdotii gradum,

k ad unum annum differre primi Sacrificii *k* oblationem, ut interim ad id ſe compararet, rogaretque beatiſſimam Virginem, ut eum cum filio

C ſuo poneret *. Cum verò quadam die, aliquot antè paſſuum millibus quam Romam intraret, templum quoddam ingreſſus oraret, ita animum ſuum moveri mutarique ſenſit, tamque manifeſtè vidit, quod eum Deus Pater cum Chriſto Filio ſuo poneret, ut de eo dubitare non auderet, quin eum Deus Pater cum Filio ſuo poneret.

** In proceſſu Matritenſi:* collocare dignaretur.

** Hic incipit character alius, ſermone Italico.*

Ego *, qui hæc ſcripſi, dixi Peregrino, cum mihi narraret hoc, alia quædam particulatim hac de re à Laynezio referri. Tum ille: Quidquid, inquit *, hac de re Laynezius dixerit, hoc verum fuerit; nam ego ita particulatim non memini: ſed (addidit:) Cum illa narrarem, certò ſcio, me nihil niſi verum narraſſe. Hæc ille de hac ſua viſione; quæ mihi aliis quoque de rebus nonnullis dixit, fidem à ſe narratorum ad Laynezium referens *l*.

** ex orig.* quidquid dicit Laynezius, verum eſt:

l

prædicit adverſa Romæ eventura:

97 Sed licet ſingularis illa viſitatio fuerit; tamen ubi Romam adventarent, dixit ſocio, videre ſe feneſtras clauſas; ſignificans, multa eos illic adverſa habituros. Dixit etiam; Neceſſe eſt, ut cautè admodum agamus, neque conſuetudines ineamus cum mulieribus, niſi eſſent admodùm illuſtres. Huc pertinet, quòd Romæ magiſter Franciſcus confeſſionem feminæ excipiebat, eamque nonnumquam inviſebat, ut eam de rebus ſpiritualibus inſtitueret; quæ deinde inventa eſt gravida: placuit tamen Deo, ut ſceleris author deprehenderetur. Idem accidit Joanni Coduri, cujus ſpiritualis filia cum viro quodam fuerit deprehenſa.

A. Ludovico Conſalvo.

in Monte Caſſino tradit Exercitia, uti & Romæ; perſecutiones; operâ pia:

98 Româ abſceſſit aliquando Peregrinus in Caſſinum montem, ut doctori Ortiz traderet Exercitia, & quadraginta dies ibi egit *m*. Quo tempore vidit quâdam die baccalaureum Hozes intrantem in cælum; qua in viſione multas effudit lacrymas, & magna ſpiritûs conſolatione fuit affectus. Hoc verò adeò clarè intuitus eſt, ut, ſi contrarium diceret, mendacium ſibi dicere videretur. A Caſſino monte adduxit ſecum Franciſcum à Strada. Reverſus Romam, adjuvandis animabus operas dabat, cum adhuc in vinea *n* habitarent: & diverſis eodem tempore Exercitia tradebat, quorum unus ad Sixti pontem, alter ad D. Mariæ Majoris habitabat. Cœperunt deinde illos perſequi. Primus omnium Michaël moleſtus fuit, & malè de Peregrino prædicabat; E qui eum ante gubernatorem in jus vocat, ejuſdem Michaëlis unâ epiſtolâ priùs oſtenſâ gubernatori, quâ plurimùm Peregrinum commendabat. Michaëlem gubernator examinat; idque effectum eſt tandem, ut Michaëlem Româ exulem denuntiaret. Poſt hunc Mindarra & Barrera ſecuti ſunt, aſſerentes Peregrinum & ſocios ex Hiſpania, Lutetia, Venetiis fugatos fuiſſe; tandem tamen, gubernatore Legatoque præſentibus (erat enim tum Romæ Legatus) uterque confeſſus eſt, nihil ſe habere, quod de illis malè poſſent loqui, neque quod ad doctrinam ſpectaret, neque quod vitam. Legatus præcipit, litem hanc ſilentio ſupprimi. Peregrinus obſtat, aſſerens velle ſe, ut latâ ſententiâ de re tota definiatur. Non placuit hoc Legato atque gubernatori, ac ne iis quidem, qui ante Peregrino faverant. Aliquot poſt menſibus Pontifex Romam rediit; quem, cum eſſet Tuſculi, adiit, prolatiſque ei rationibus aliquot, effecit, ut compos fieret ejus, quod petebat. Itaque præcipit Papa ſententiam ferri, quæ in favorem Peregrini & ſociorum lata eſt. Romæ Peregrini & ſociorum operâ, facta ſunt opera quædam pia, ut Catechumenorum, S. Marthæ, & Orphanorum. Cætera magiſter Na- F talis *o* narrare poterit.

Narrat quædam Sanctus circa ſua Exercitia, unionem cum Deo,

99 Ego poſt hæc narrata, rogavi Peregrinum de Exercitiis, & Conſtitutionibus, ut intelligerem, quonam modo conſcripſiſſet. Reſpondit, Exercitia non ſimul omnia fuiſſe compoſita, ſed ut quæque obſervarat, ſibi profuiſſe, ita ſcripto annotaſſe, quod exiſtimarat, aliis quoque poſſe eſſe utilia: qualis eſt illa ratio examinandæ conſcientiæ, adhibitis lineis illis, & hujuſmodi alia. Electionum rationem particulatim aſſeruit, elicuiſſe ſe ex illa ſpirituum varietate, quam ſenſit tum, cum in Loyola æger ex tibia decumberet. De Conſtitutionibus dixit, ſe veſperi reſponſurum. Eodem die antequam cænaret, me accerſit. Eo tunc erat aſpectu, qui ſatis præ ſe ferret, hominem magis collectum intra ſe, quam ordinario more. Adhibuit autem proteſtationem quamdam, cujus ſumma in eo ferme erat, ut oſtenderet, qua intentione & ſimplicitate iſta narraſſet, aſſerens, certò ſe ſcire, nihil ampliùs commemorare, quam res haberet: & quod ſæpe Dominum offenderat, poſtquam ei ſervire cœperat; numquam tamen in peccatum mortale conſenſe-

A. LUDOVICO CONSALVO.

rat, imò ſemper ei devotio accreverat, hoc eſt, facilitas Deum inveniendi, quam tunc etiam haberet plus quam in omni vita ſua; & quotieſcumque, & quacumque horâ vellet, poſſet Deum invenire, multaſque tunc etiam acciperet viſiones, illas præſertim de quibus antè dictum eſt, de videndo Chriſto tamquam ſole, quodque hoc ei ſæpe contingeret, cum de rebus magni momenti loqueretur; & ea res in confirmationem illum induceret.

viſiones, dum conderet Conſtitutiones,

100 Cumque etiam ſacrificium Miſſæ celebraret, ſæpe viſiones ei contingerent; valde quoque frequenter, cum Conſtitutiones conderet *p*. Atque hoc ſe poſſe tunc affirmare dicebat faciliùs, propterea quod ſcribebat quotidie, quæ in animo ejus fierent, & tunc ſcripta inveniebat. Itaque faſciculum mihi oſtendit ſatis grandem ex ſcripturis colligatum, quarum mihi bonam partem legit. Major pars viſiones erant, quas in confirmationem nonnullarum ex Conſtitutionibus viderat. His aliquando Deum Patrem, nonnumquam tres Perſonas Trinitatis, aliquando beatiſſimam Mariam, modò intercedentem, modò confirmantem cernebat. Particulatim de duabus dixit, in quarum determinatione quadraginta dies *q* conſumpſit, & quidem quotidie celebrans Miſſæ oblationem, idque quotidie cum largis lacrymis. Agebatur autem in iis de eo, an templum redditus eſſet habiturum, & an Societas uti * illis poſſet.

P

B

q

** Ex orig.* ſe iis juvare

ac rationem in iis condendis à ſe ſervatam.

101 Ratio, quam obſervabat in condendis Conſtitutionibus, ea erat, ut quotidie Miſſam diceret, & Deo proponeret ſeu offerret punctum quod tractaret, atque in id oraret: ſemper *r* autem & Miſſa & oratio cum lacrymis fiebant. Optabam ego chartas illas omnes Conſtitutionum legere: eumque rogavi, ut eas tantiſper mihi permitteret habendas: ipſe verò noluit.

r

ANNOTATA.

a *De Sancti patria Commentarium prævium vide* § 1, *à num.* 8; *ubi & de ratione temporis hujus itineris ibidem* § 18, *à num.* 183; *de adventu autem* § 19 *num.* 187.

b *Notiſſima Galliæ in Aquitania urbs eſt, in Cantabriæ confiniis ſita.*

c *Videlicet Aſpeitiæ: de qua Commentarius.* D

e *Urbs Hiſpaniæ notiſſima, regni Navarræ caput, ac ſedes regia; de cujus arcis propugnatione dixi in Commentario* § 3.

f *Oppidum eſt Hiſpaniæ in Caſtella veteri juxta fluvium Durium, Soriam inter & Seguntiam. Ceterùm nomina locorum, quæ in textu ſuperiore ſequuntur, obvia ſunt ex mappis geographicis.*

g *Et de inſtituenda quidem Societate Jeſu; ſecundùm dicta in Commentario* § 20.

h *Indicatur Barbaroſſa II Cheredin; fratris in Algeriæ regno ſucceſſor, apud ſcriptores notiſſimus.*

i *Vocatur Joannes Petrus Caraffa; Theatinus dictus à Theatino epiſcopatu; qui deinde creatus Pontifex, dictus eſt Paulus IV. Vide Ribadeneiram lib.* 2 *cap.* 6.

k *Noſter Commentarius* § 25, *à num.* 259 *docet, ubi & quando ſanctus Vir ſuas primitias ſacras celebraverit; quamdiu item ad has ſeſe præparaverit.*

l *In Commentario noſtro prævio paragrapho* 26 *veritas hujus apparitionis confirmatur, ejuſque locus elucidatur.* E

m *Seceſſus ille occaſionem dedit fabuloſæ ſancti Patris apud monachos Benedictinos Albanetanæ inſtitutioni, in Commentario prævio confutatæ* § 27.

n *Per vineam, quæ hîc tangitur, intelligo vineam Quirini Garzonii; de qua Ribadeneira lib.* 2, *cap.* 13; *quæ fuit prima Patrum noſtrorum Romæ ſedes; vide Orlandinum lib.* 2, *num.* 41.

o *De iſto patre, ejuſque præfatione in hæc Acta Conſalviana, lectorem inſtruet Comm. prævius* § 91.

p *Conſtitutiones itaque non compoſuit S. P. N. in ſeceſſu Albanetano ſub directione monachorum Ordinis S. Benedicti, ſecundùm dicta in Comm. præv.* § 27; *tunc quippe nondum erat ſacerdos, ex* § 25.

q *Mirabilium* S. Ignatii *affectionum, dum condebat Conſtitutiones tempore iſtorum quadraginta dierum, ſpecimen dedi in Comm. prævio* § 42.

r SEMPER, *ex obſervatione P. Ignatii Pinii,* moraliter loquendo: nam in Ephemeride ipſius S. Ignatii manu ſcripta, quandoque habetur SINE LACRYMIS. *Ceterùm de dono lacrymarum ac deliciis cæleſtibus ex Sancti Diario ſeu Ephemeride, dicitur in noſtro Commentario* § 61. F

C

A

VITA ALTERA,

A. PETRO RIBADENEIRA.

Auctore R. P. Petro Ribadeneira, S. Ignatii ſynchrono ac familiari conſcripta:

Ex editionibus Plantiniana anni MDLXXXVII, *& Colonienſi anni* MDCII *hîc recuſa.*

PROLOGUS AUCTORIS AD LECTOREM.

B

CAndido Lectori Petrus Ribadeneira ſalutem in Chriſto. Libellum hunc de vita Ignatii Loiolæ, Societatis noſtræ parentis, ante annos quindecim, juſſu patris noſtri Franciſci Borgiæ, Præpoſiti tunc Generalis, Latinè conſcripſi. In eo ſcribendo tria mihi potiſſimùm ſervanda propoſui. Primum, ne quid dubii affirmarem pro certo, ne quid incerti pro explorato. Alterum, ne copiâ rerum, quæ in tam feraci argumento, multæ, magnæ, & variæ ſe offerebant, lectorem onerarem: ſed potiùs habito delectu, ex tot, tantiſque virtutum exemplis, quædam illuſtriora tantùm excerperem, & vel ad permovendos animos ad pietatem, vel ad Societatis noſtræ quaſi curſum explicandum, aptiora. Tertium fuit, ne inani ſtyli affectatione res propoſitas amplificarem, & hederam (quod aiunt) quaſi vino minùs vendibili ſuſpenderem. Hæc in libelli hujus confectione tunc ſecutus ſum: aſſecutuſne ſim, neſcio. Ex hoc certè meo conſilio factum eſt, ut nonnulla prætermitterem, quæ incerta mihi, certa aliis videbantur: quædam etiam ſilentio præterirem, quod ſimilitudinem & cognationem quamdam habere videbantur cum aliis, quæ à me narrabantur in hiſtoria. Denique dum brevis eſſe laboro, & orationis copiam fugio, in obſcuritatem fortaſſe incidi: & res quaſdam dum verbis ornare nolo, breviter perſtrinxi, & attigi potiùs, quàm explicavi.

Exponit auctor quænam, in hujus libri confectione obſervaverit;

C

2 Quocirca, cum P. N. Claudii Aquavivæ juſſu, ac voluntate libellum hunc recognoſcere, & typis rurſum mandare vellem, multa mihi neceſſariò addenda judicavi. Primùm nova quædam, quæ poſt libellum excuſum, graviſſimi viri, & Ignatio valde familiares, & ante Societatem conditam intimi neceſſarii, quaſi teſtes oculati de ipſo Ignatio nobis retulerunt. Tum alia, quæ dubia antea mihi erant, & diligenti poſtea inquiſitione inveſtigata, certa eſſe comperi. Deinde etiam nonnulla dicta, factaque Ignatii adjeci, quæ ad ſanctiſſimæ vitæ pertinent diſciplinam, & ad præſtantem alios gubernandi prudentiam. Ut Societatis videlicet filii (quos potiſſimùm meus hic labor ſpectat) in hoc veluti ſpeculum intueantur: & optimi atque ſapientiſſimi magiſtri, & parentis ſui expreſſum habeant, quod imitentur, ante oculos poſitum omnium virtutum exemplum. Multa tamen reliqui & preſſi, ne prolixus fortè & moleſtus eſſem. Atque hunc Latinum librum recudendi, augendique laborem eo libentius ſuſcepi, quod hæc eadem Hiſpanicè etiam pridem ſcripſi, atque in vulgus emiſi, & in noſtrorum hominum manibus ſunt, & (quæ Dei benignitas eſt) cum fructu, ut audio, voluptateque leguntur: ex quo Latinè etiam ſcribenda videbantur, & cum reliquis aliarum nationum patribus communicanda, quæ ad omnes pertinent: quo eorum latius pateat utilitas.

quænam item in ejuſdem recognitione,

E

3 Sunt enim multa (ni fallor) in hoc libello, quæ non ſolùm ad virtutem, ſuique profectum noſtros, ſed etiam ad alios prudenter inſtituendos, magnopere juvare poſſint. Nam profectò Ignatius noſter cum ceterarum omnium virtutum, tum verò ſpiritalis ac divinæ prudentiæ laude maximè excelluit, eaque non magis in Conſtitutionibus, regulis, decretis, reſponſis, quàm in factis illius eminet. Præterea, cur hunc laborem ſubirem, illa etiam cauſa fuit, quod viderem, præclaros nonnullos noſtra tempeſtate ſcriptores multa de Ignatio noſtro, & Hiſpanicè, & Latinè memoriæ prodidiſſe, erudite quidem atque eleganter; ſed quæ ingenium autorum ac pietatem magis indicent, quam incredibile noſtrorum deſiderium expleant, & incenſam res omnes Ignatii audiendi ſitim reſtinguant. Cujus ego Viri hiſtoriam, quoniam à puero ſanctiſſimæ ipſius vitæ ſpectator atque admirator fui, pleniorem ac majori rerum fide ſcribere potero, illumque ſuis coloribus exprimere. Hæc te, candide lector, in hac noſtra recognitione admonitum volui: tu pro tuo candore, boni conſule, & vale in Chriſto.

dans rationem ſui in eo vulgando inſtituti.

PROLOGUS AUCTORIS AD FRATRES S. J.

F

CAriſſimis in Chriſto fratribus Societatis Jeſu, Petrus Ribadeneira ſalutem. Vitam Ignatii Loiolæ, noſtræ Societatis autoris, omniumque noſtrûm parentis optimi, ſcribere inſtituo. Magna certè provincia, tantum excellentium virtutum ſplendorem verbis non obſcurare, & parem rebus ſcriptionem afferre! Sed in hoc tamen onere ferendo, multa me ſanè conſolantur. Primum, quòd illud ego non mea ſponte ſuſcepi: ſed illius voluntate adductus, cujus apud me autoritas eſt, ſicut debet eſſe, graviſſima. Nam R. P. Franciſcus Borgia, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, hoc mihi onus impoſuit: cujus ego vocem, Chriſti vocem putare, ejuſque nutus intueri, ſumma religione, atque obſervantia debeo. Deinde, quòd ad Deum, qui mirabilis in Sanctis ſuis eſt, & fons atque origo ſanctitatis omnis, ex hoc meo labore laudis aliquid perventurum confido.

Præfatur auctor nonnulla;

5 Ille eſt enim, qui religioſa omnia inſtituta

ſtu-

A. PETRO RIBADENEIRA. *quæ in aſſumpto ſcribenda*

ſtabilivit: & viam arctam, & portam anguſtam eſſe ad beatitudinem docuit: & ne labore, aut perveniendi difficultate deterriti, animos deſponderemus, ipſemet, qui & oſtium, & via eſt, dux etiam noſter eſſe dignatus eſt: & ſuo exemplo, tum compendiariam, & rectam, tum verò facilem viam, atque expeditam nobis efficere. Ille admirabili providentia omnibus propemodum ſeculis, atque ætatibus, divinos quoſdam viros, quaſi cæleſtes faces, in terras mittit: ut ſingulari euangelicæ diſciplinæ, & Chriſtianæ perfectionis ardore flagrantes, ignem illum, quem mittere ipſe in terram venit, exſuſcitent, & inflammatis vocibus atque exemplis, extingui non ſinant. Ille Ignatium donavit nobis. Quare de Ignatio quæ à nobis dicentur, à Deo profecta, in Deum omnia referantur: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Quod Sancti ipſi agnoſcunt, & teſtantur, cùm ante illius thronum coronas ſuas capitibus detractas reverenter deponunt.

B *Vitæ Ignatianæ onere*

6 Huc accedit cum aliorum, quos permultos eſſe intelligo, tum verò omnium veſtrûm, fratres, incenſum quoddam hæc audiendi legendique ſtudium: cui ego quidem tam honeſto præſertim ac pio ſatisfacere pro mea parte vehementer cupio. Quis enim cum extremis iis, calamitoſiſſimiſque temporibus, hanc Societatem Dei Opt. Max. beneficio conſtitutam, & tam longè latéque diſſeminatam, atque breviſſimo tempore, toto propemodum terrarum orbo propagatam intelligat, non jure ejus ortum, initia, progreſſiones requirat? Atque hæc quidem ratio, fratres, cum ceteris nobis communis eſt: illa præcipua, ut quem ducem ſequimur, ejus quoque virtutem imitemur. Ut enim illuſtrium familiarum alumni, ſuos quique duces ſibi ante oculos ponunt, ut ad eorum normam, vitam omnem ſuam, & actiones dirigant: ſic nos Ignatium, ducem nobis divinitus datum, & ſacræ militiæ noſtræ anteſignanum, & principem proponere nobis debemus: & eminentem illius omnium virtutum formam, moribus ſi minùs exprimere, certe, quoad poſſumus, adumbrare. Erit etiam fortaſſe noſter hic vobis non ſolùm utilis, ſed etiam non injucundus labor. Nam qui alicujus veſtigia perſequi cupiunt, vitæ quoque illius explicatione delectantur: & cum voluptate audimus, quæ cum fructu imitamur.

C

ſolatio ſibi ſint.

7 Quid illa, quæ extremo loco à me poſita, non extrema apud me debet eſſe, grati videlicet animi pietas, & jucunda quædam ejus Viri recordatio, qui me in Chriſto genuit, aluit, educavit: cujus ego piis lacrymis ac precibus meam vitam & ſalutem acceptam ferre planè debeo? Quamobrem illius vitæ memoriam, jam propè ſenescentem, eo etiam ab oblivione hominum vindicare conabor: ut, quoniam patem beneficii gratiam referre nequeo, referam certè, quantam maximam poſſum. Erit igitur meus hic ſcribendi labor, Deo, ut ſpero, non ingratus: Ignatio ipſi debitus: vobis, fratres, forſitan fructuoſus: alienis minime, ut opinor, moleſtus: mihi quidem, etſi propter corporis imbecillitatem gravis, propter officium tamen pietatis jucundus: quem ſpero equidem hac tantarum rerum compenſatione leviorem futurum.

8 Et quoniam hiſtoriæ prima lex veritas eſt, hoc in primis profiteor, me nihil inexplorati ſcripturum: ſed res mihi notas, certas, teſtataſque literis proditurum. Ea enim in medium afferemus, quæ nos ipſi aut in Ignatio vidimus, aut ex ipſo aliquando audivimus. Siquidem tanta erga me Pater miſericordiarum benignitate uſus eſt, ut me puerum, ac vix quatuordecim annos natum, nullo meo merito (nondum Societate noſtra à Paulo III Pont. Max. confirmata) ad cognitionem Ignatii, atque ad eam familiaritatem adduceret, ut ab ejus latere non diſcederem; ſed domi, foris, omnibus in rebus illi præſto eſſem, ejuſque dicta, facta, vultum, motus obſervarem, magno certè cum animi fructu, magna cum admiratione. Quæ quidem tanto in me quotidie magis augebatur, quanto & Ignatii virtus in ſingulos dies magis enitebat, & mihi ejus ſplendorem, ætate progrediente, perſpicere magis licebat. Propter hanc igitur diuturnam conſuetudinem & familiaritatem, non ſolùm exteriora & aperta cum multis, verùm etiam interiora & recondita quædam Ignatii cum paucis ex ipſo ſæpe cognovimus.

D *Deinde præter ea, quæ ipſemet vidit, vel ex eo audivit,*

9 Deinde ea dicemus, quæ aſſidua multorum annorum flagitatione victus, & omnium ferè patrum contentione, ipſemet Pater, de vita à ſe antè acta, P. Ludovico Gonzali *a* aperuit: idque eo anno, qui ejus mortem anteceſſit, meditatò, magnoque conſilio fecit. Nam ex quo noſtra primùm Societas eſt inſtituta, & clariſſimi omnium virtutum radii, quibus Deus animam ſervi ſui Ignatii colluſtraverat, erumpere, atque ſplendere cœperunt: magno deſiderio omnes ejus filii affecti ſumus, ea cognoſcendi, quæ ad vitam Patris noſtri moreſque pertinebant. Quibus videlicet eum rationibus Deus evocaſſet, quibus initiis, mediis, profectibus purgaſſet, illuminaſſet, perfeciſſet. Æquum enim, & rationi conſentaneum videbatur, eos, qui ſpiritualis hujus ædificii lapides eſſent, ſcire atque omnino intelligere, quibus fundamentis hoc ipſum ædificium niteretur: & ejus potiſſimum Patris veſtigiis inſiſtere, quem cæleſtis doctrinæ magiſtrum, atque hujus vitæ ducem à Deo accepiſſent.

varios aſſignat fruſtes, E *a*

10 Neque verò fieri poterat, ut probè imitaremur, quæ plenè nobis cognita non eſſent. Quamobrem, ſummâ diligentiâ res omnes Ignatii inveſtigavimus, & ex eo ipſo præteritæ vitæ rationes tantopere audire cupivimus, poſtulavimus, efflagitavimus: ipſe verò continuis precibus, & ardenti noſtrorum ſtudio ceſſit tandem, & ſe vinci paſſus eſt. Neque enim quæ ſervis ſuis Deus confert beneficia, ipſis ſolis confert, ſed ad multorum etiam utilitatem: & quamvis illi ipſi, qui accipiunt, occultent ſæpe quæ accipiunt, & ſilentii & humilitatis velo tegant: Deus tamen illos interdum movet, & ad proferendum impellit. Ex quo cum beatus Franciſcus ſacra ſtigmata, quibus mirabiliter fuerat inſignitus, occultare primum quidem vellet, poſtea tamen dubitare cœpit, eane prodere, Deo gratius futurum eſſet. Quod cum in conſultationem ſanctus Pater adduxiſſet, & ex ſociis ſuis quæſiviſſet, num illuſtrationem quamdam, quam à Deo acceperat, patefacere deberet, an diſſimulare, ac ſilentio premere; quidam ex ſociis reſpondit, quod & D. Bonaventura iis verbis memoriæ proditum eſt: Frater, non ſolùm propter te, ſed etiam propter alios, ſcias tibi oſtendi aliquando ſacramenta divina: timendum propterea jure videtur, ne ſi, quod pluribus profuturum accepiſti, celaveris, pro talento abſcondito reprehenſibilis judiceris.

è quibus

F

11 Hæc igitur cauſa fuit, cur permulti ſanctiſſimi viri ea promerent, & in hominum utilitatem

ſuam

A tem proferrent, quæ occultè, in ſecreto cordis, atque intimis animi ſenſibus à Deo acceperant. Immo vero plurimi hæc ipſa conſcripſerunt, & liquidas puriſſimaſque animi voluptates, ſpiritûs ſuavitates, divina planè, & quæ omnem ſenſum exſuperant, ſolatia, quibus benigniſſimus Dominus eos excitabat, ſuſtentabat, inebriabat, & in ſe (ut ita dicam) transformabat, literis etiam conſignârunt. Quæ omnia in tenebris certè jacerent, niſi illi ipſi in lucem protuliſſent: & niſi Deus, qui tam liberalis erga illos fuit, ſumma etiam in nos benignitate, Sanctos ſuos permoviſſet, ut, quæ in tenebris acceperant, in lumine dicerent, & quæ in aure audiiſſent, prædicarent ſuper tecta. Quamobrem hanc Ignatio etiam noſtro mentem injecit, auctorque fuit, ut de ſe ipſe ea narraret Ludovico Gonſalvo, quæ ille accuratè diligenterque ex Ignatii ore excepit, & totidem ferme verbis perſcripſit. Eaque omnia, quemadmodum tunc quidem ſcripta ſunt, apud me habeo.

B *quàm de Ignatio contexit,*

12 Poſtremo ea etiam narrabimus, quæ à R. P. Jacobo Layne, Societatis noſtræ Præpoſito Generali, vel ſermone, vel ſcripto accepimus: qui propter arctiſſimam conjunctionem, & ſummam cum Ignatio ſocietatem, in perferendis pro Chriſto & ejus Eccleſia immenſis propè laboribus, ipſis illis primis initiis, cum eſſet tempore ex ſociis ferè primus ex decem, amore omnium cariſſimus filius, multa vidit, multa notavit, eaque in quotidiano ſermone optanti mihi ſæpe narravit. Ex iis igitur fontibus hæc noſtra manârunt.

hiſtoriam hauſit ſecluſis rebus incertis aut fabuloſis.

13 Quæ verò incertis auctoribus, aut non ſatis locupletibus dici poterant, ea ne ſcribenda quidem putavimus. Eſt enim perſuaſum nobis, cum in omni re mentiri turpe eſſe, tum verò, in Sanctorum vita referenda turpiſſimum. Nam neque Deus, ad gloriam ſuam illuſtrandam, mendaciis noſtris indiget: neque primam & ſummam veritatem, falſis narrationibus & commentitiis honorare velle fas eſt. Atque hoc etiam ſpe aggredior majore ad ſcribendum, quia non de antiquiſſimi alicujus viri ſanctitate mihi agendum eſt, in quo veritati quidquam affingere liceat, nemine propter vetuſtatem jam refellente: ſed hæc iis cognoſcenda proferimus, quorum permulti conjunctiſſimè cum eo ipſo, de quo loquimur, familiariſſiméque vixerunt: ut ſummum virum iis, qui illum non viderunt, eorum quibus ille notiſſimus fuit, vivorum & præſentium teſtimonio commendemus.

C *atque omni ſcribendi ratione*

14 De inſtituto autem noſtro & omni ſcribendi ratione, paucis accipite. Ego cum initio propoſuiſſem, Ignatii tantummodo vitam conſcribere, & præclara illius exempla hominum memoriæ commendare, poſtea tamen animo plus etiam aliquanto ſuſcepi. Nam quod viderem, ab optimis viris noſtrique amantiſſimis deſiderari, & Societatis noſtræ ortûs atque progreſſûs cognitionem requiri, illud etiam attingere decrevi, breviterque explicare, Societatem quam longè Ignatius, latéque propagaverit, nonnullaque complecti eorum, quæ in univerſa Societate, dum ille viveret, ſcriptione digna mihi viſa ſunt. Quæ quidem, quoniam illo vel duce geſta, vel defenſore propulſata, vel moderatore conſtituta ſunt, implicata mihi cum ejus vita, connexaque ita videbantur, ut ſejungi commodè, ſecernique non poſſent. Neque mihi tamen hoc propoſitum eſt, omnia ut perſequar: ſed ut pauca quædam deligam, quæ vel illuſtriora ſunt, vel Societatis quaſi curſum declarant: & quæ, niſi nunc recenti memoria, literis conſignata ſint, oblivione forſitan obruantur.

A. PETRO RIBADENEIRA, lectores inſtruit,

15 De eorum patrum vita, qui primi Ignatii filii, ac ſocii fuerunt, & vivo Ignatio mortui ſunt; de nonnullis præterea, qui pro Chriſti fide amplificanda, ſanguinem profuderunt, ſingulatim mentionem faciemus: de illis, quia nos genuerunt in Chriſto: de his, quia mortem naturæ debitam, pro Chriſto potiſſimùm reddiderunt. De iis, qui adhuc vivunt parcè loquemur, de mortuis paulò pleniùs. Ante mortem, ait Sapiens, ne laudaveris hominem quemquam: quaſi dicat, lauda poſt vitam, magnifica poſt conſummationem. Reliquum eſt, fratres, ut Deum precemur, noſtris ut cœptis adſpiret, & hos libros quinque, quaſi minuta quinque, piè à nobis ad Eccleſiæ ſanctæ ædificationem, in ejus gazophylacium oblata, benignè ad gloriam ſuam, atque ad hominum ſalutem utilitatemque ſuſcipiat.

ac fratrum precibus ſe commendat:

16 Vos verò, fratres, pro fraterna & mutua caritate noſtra, vehementer obſecro, ut à Deo impetretis, ut mihi tribuat ſummum hoc beneficium, ut Ignatii morum ſanctitatem aliqua ſaltem ex parte poſſim imitari. Cujus quidem ſi in ſe deprimendo conſtantia; in caſtigando ſeveritas; in periculis fortitudo; in turbulentis rebus tranquillitas; in lætis moderatio; in omnibus pax & gaudium in Spiritu ſancto: ſi denique lectiſſimus virtutum eidem omnium comitatus aſſiduè nobis ante oculos verſabitur, rectiſſimam habebimus regulam atque certiſſimam, ad quam non ſolùm mores noſtros, vitamque conformare, ſed etiam verum germanumque noſtræ vocationis ſpiritum examinare poſſimus: cujus ſolida effigies, & expreſſa in illius vita planè conſpicitur.

ANNOTATA.

a *Iſtam Vitam huic præmiſi ſuperiùs; de cujus pretio agit Commentarius noſter prævius § 91.*

ANTIQUA VITÆ APUD RIBADENEIRAM PARTITIO.

Præfatio ad lectorem.
Præfatio ad Religioſos Societatis Jeſu.
Vitæ Ignatii Loiolæ LIBER PRIMUS. F
Ortus Ignatii, & vita, antequam à ſeculi vanitate converteretur. Caput primum.
Qua ratione à ſeculi vanitate ad Deum converſus ſit. Caput II.
Ex patria in Montem ſerratum proficiſcitur. Caput III.
In Serrato monte veſtitum mutat. Caput IV.
De vita ab eo Manreſæ inſtituta. Caput V.
Scrupulis angitur, & probatur à Deo. Caput VI.
Poſt tentationes illuſtratur. Caput VII.
De Exercitiorum ſpiritalium libro. Caput VIII.
In gravem morbum incidit. Caput IX.
Navigat Hieroſolymam. Caput X.
Hieroſolymis loca ſancta perluſtrat. Caput XI.
Revertitur in Hiſpaniam. Caput XII.
Studia litterarum aggreditur. Caput XIII.
Compluti in carcerem conjicitur & abſolvitur. Caput XIV.
Salmanticæ rurſus comprehenditur, & liberatur. Caput XV.
In Pariſienſem academiam ſtudiorum causâ contendit. Caput XVI.
Vitæ Ignatii Loiolæ LIBER SECUNDUS.

A. PETRO RIBADENEIRA.

Studiorum illius labor & fructus. Caput primum.
Ex caritatis officiis in invidiam vocatur. Caput II.
Virgarum periculo liberatur. Caput III.
Quos ſocios ſibi aſciverit. Caput IV.
Lutetiâ in Hiſpaniam, inde in Italiam diſcedit. Caput V.
Venetiis accuſatur & innocens declaratur. Caput VI.
Socii Lutetiâ in Italiam ad Ignatium veniunt. Caput VII.
In Veneta ditione paſſim operantur. Caput VIII.
Æger Ignatius adventu ſuo Simonem curat ægrotum. Caput IX.
Academias Italiæ inter ſe diſtribuunt & adeunt. Caput X.
Ignatio Dominus Jeſus apparet : & unde Societatis nomen inditum ſit. Caput XI.
Urbem ingreditur : in Caſinate monte animam ſocii cælum intrantem videt. Caput XII.
Romæ ſimul omnes de Societate conſtituenda deliberant. Caput XIII.
Magna Romæ in noſtros tempeſtas exoritur & B ſedatur. Caput XIV.
Ignatius ſociique partim in Urbe, partim foris Eccleſiæ navant operam. Caput XV.
Magiſter Franciſcus Xavier & magiſter Simon in Indiam deſtinantur. Caput XVI.
Societas à Paulo III Pontifice maximo confirmatur. Caput XVII.
Dei in Societate inſtituenda conſilium exquiritur. Caput XVIII.
De fidei Chriſtianæ apud Indos propagatione. Caput XIX.

Vitæ Ignatii Loiolæ LIBER TERTIUS.

Ignatius Præpoſitus Generalis eligitur. Caput primum.
Ignatii generalatûs initia. Caput II.
Franciſcus Xavier in Indiam proficiſcitur ; Simon in Luſitania remanet. Caput III.
Alfonſus Salmeron & Paſchaſius Broëtus in Hiberniam legantur. Caput IV.
De collegiis Conimbricenſi & Goënſi, ac Romana domo. Caput V.
Patavinum collegium. Caput VI.
Confirmatur denuo à Pontifice maximo Societas, & augendi numeri fit poteſtas. Caput VII.
Collegium Complutenſe. Caput VIII.
C Ignatius in Urbe pietatis opera inſtituenda curat. Caput IX.
Variis locis collegia inſtituuntur. Caput X.
De morte Petri Fabri. Caput XI.
Univerſi Ordinis Cartuſienſis erga Societatem caritas & benevolentia. Caput XII.
Ignatius benefaciens malefacta recipit. Caput XIII.
Ignatius Societatem feminarum curâ liberat. Caput XIV.
Ne ad eccleſiaſticos honores aditus noſtris hominibus pateat, Ignatius ſumma vi apud Pontificem nititur. Caput XV.
Varia collegia. Caput XVI.
Magiſtri generalis Ordinis Prædicatorum de Societate publicum teſtimonium. Caput XVII.
In varias Africæ regiones penetrant noſtri. Caput XVIII.
Sicilia Societatem complectitur. Caput XIX.
Noſtri in Braſiliam navigant, & pro Chriſto Antonius Criminalis occiditur. Caput XX.
A Julio III Pontifice maximo Societas confirmatur. Caput XXI.
Societatis Jeſu inſtitutum & forma deſcribitur. Caput XXII.
Nova Gregorii XIII conſtitutio, & inſtituti Societatis Jeſu confirmatio. Caput XXIII. D
Collegia cur habeat Societas ad inſtituendam juventutem. Caput XXIV.

Vitæ Ignatii Loiolæ LIBER QUARTUS.

Abdicare ſe generalatu conantem Ignatium, ſocii prohibent. Caput primum.
Conſtitutiones ab Ignatio præſcribuntur. Caput II.
Romani collegii inſtitutio. Caput III.
Collegia aliquot in Hiſpania noſtri inſtituunt : ab archiepiſcopo Toletano vexantur. Caput IV.
Provincialis in Italia declaratur Laines : Viennæ moritur Jaius. Capit V.
Collegii Germanici inſtituendi initium & cauſæ. Caput VI.
Franciſci Xavier obitus. Caput VII.
Corſica luſtratur à noſtris. Caput VIII.
In Exercitia ſpiritalia inquiritur. In Hiſpania diſtribuuntur provinciæ. Caput IX.
Varia collegia. Caput X.
Sorbonenſis collegii in Societatem decretum. Caput XI.
Petrus Correa & Joannes Soſa à barbaris trucidantur. Caput XII. E
Joannes Nugnes Æthiopiæ patriarcha creatur, & in Indiam mittitur. Caput XIII.
Cæſarauguſtæ ſeditione ab adverſariis concitata, noſtri urbe cedunt : mox honorificè revocantur. Caput XIV.
In Belgas noſtris patefit aditus. Variis collegiis Societas augetur. Caput XV.
Ignatius obdormit in Domino. Caput XVI.
De Ignatio viri graviſſimi quid ſenſerint. Caput XVII.
De ſtatura corporis ejus. Caput XVIII.

Vitæ Ignatii Loiolæ LIBER QUINTUS.

Præfatio.
De orationis gratia & familiaritate cum Deo. Caput primum.
De caritate illius erga proximos. Caput II.
De humilitate. Caput III.
De obedientia quid ſenſerit. Caput IV.
De mortificatis affectibus. Caput V.
De modeſtia atque efficacia ſermonis. Caput VI.
Severitatem quo modo cum benignitate temperaverit. Caput VII.
De commiſeratione. Caput VIII.
De magnitudine animi. Caput IX. F
De rerum ſpiritalium prudentia. Caput X.
De prudentia rerum gerendarum. Caput XI.
De vigilantia & ſolicitudine. Caput XII.
De miraculis per eum factis. Caput XIII.

Atque hæc quidem eſt antiqua Vita à Ribadeneira edita partitio : nova verò noſtra ſic ſe habet :

CAPUT I.

Natales S. Ignatii ; vita in ſeculo acta ; ad meliorem converſio.

IGnatius *a* Loiola, Societatis Jeſu auctor atque inſtitutor, nobili loco *b* natus eſt, in ea Hiſpaniæ atque Cantabriæ parte, quæ Guipuzcoa, vel *c* Provincia vulgo dicitur, anno humanæ ſalutis MCDXCI *d*, Innocentio VIII Pont. Max., Frederico III Cæſare auguſto, Ferdinando atque Iſabella, Catholicis Hiſpaniarum Regibus. Patrem *e* habuit Beltranum Loiolæ dominum, Loioleæ familiæ perantiquæ atque illuſtris caput. Matrem verò Marinam Sonem æquè nobilem feminam,

LIBER I. CAPUT I. *Sancti parentes, fratres, ac ſorores, educatio*
a b c d e

A minam, quæ filias quinque genuit, filios octo: ex quibus *f* Ignatium postremum felici partu enixa est. Qui puerili ætate transacta, in curiam Ferdinandi regis à parentibus missus est. Adolescentiam *g* autem ingressus, & bellica gloria, & fratrum æmulatione commotus, in eo multum operæ ponebat, ut rei militaris *h* laude esset illustris.

18 Anno igitur Domini MDXXI, cum Pompeiopolitanam arcem Galli oppugnarent *i* vehementiùs, (est autem Pompeiopolis civitas regni Navarræ caput) ipsique duces, re desperata, deditionem cogitarent; ejus potissimùm operâ factum est, ut res differretur, & acriùs resisteretur ab Hispanis. Sed cum omnes ad oppugnationem machinas Galli admovissent, & tormentis continenter mœnia verberarent, ænea pila bombardæ in eam muri partem, quâ Ignatius propugnabat, impacta crus ejus dextrum penitus confregit, atque comminuit: sinistrum verò lapis de muro vi globi labefactato excussus, graviter vulneravit. Ignatio prostrato, reliqui omnes, qui illius virtute nitebantur, spe defensionis abjecta, deditionem Gallis fecerunt, à quibus captus Ignatius & in castra deductus, humaniter acceptus est, atque à medicis diligenter curatus.

19 Post aliquot dies liberaliter etiam ad suos dimissus, lecticariorum humeris in patriam revectus est. Ibi cum vulnus, dextri præsertim cruris, in dies ingravesceret, accersiti sunt denuò medici & chirurgi, qui tibiam rursus esse disjungendam censuerunt: ut quæ ossa, sive aliorum medicorum incuriâ, minus aptè coagmentata, sive itineris agitatione luxata fuerant, suis locis restituta coalescerent. Quam excarnificationem ita pertulit, ut neque ingemisceret, neque vultum mutaret, neque ullum infirmioris animi signum ederet: quod & antea & postea semper in reliquis corporis cruciamentis, quæ passus est, fortiter præstitit. Invalescebat interim morbus quotidie magis, eoque jam processerat, ut ab extremo vitæ periculo non multùm abesse videretur.

20 Itaque admonitus, peccatorum suorum confessionem fecit, Sacramentorumque armis se præmunivit pridie illius diei, qui beatissimis Apostolis Petro & Paulo sacer est. Cum igitur res jam ad summum vitæ discrimen adducta esset, mortemque imminere judicarent medici, si ad mediam usque noctem nihil melius eveniret: eâ ipsa horâ vis morbi remitti apertè cœpit: quod non absque divinæ providentiæ consilio, divo Petro deprecatore, factum credimus, quem præcipua quadam Ignatius religione semper coluerat, quemque adesse, sanitatemque adferre, sibi videre visus est *k*. Depulso mortis periculo, ossa solidari jam cœperant, & arctiùs constringi: duo tamen supererant incommoda; alterum efficiebat os sub genu relictum, quod extra prominebat fœdiùs, alterum tibiæ contractæ brevitas, quæ & rectè illum incedere & pedibus firmiter consistere prohibebat.

21 Quibus incommodis ut mederetur, cum elegantiæ esset habitûsque corporis studiosissimus, atque institutum militaris vitæ cursum prosequi statuisset; ex medicis primùm quæsivit, possetne os illud, quod deformiter eminebat, excidi. Posse quidem affirmârunt, sed gravissimo tamen dolore, & omnium, quos in curatione toleraset, maximo. Verùm ille nihilominus, ut suæ voluntati satisfaceret, & (quod me audiente narravit) ut habiles atque elegantes urbanas ocreas gestare posset, secari os jussit; neque à proposito abduci potuit, ligarique se omnino vetuit, eademque constantis animi firmitate cruciatum illum pertulit, quâ superiores vicerat. Atque hoc remedio deformitas ossis sublata est. Tibiæ contractio aliquantulùm curata est, cum aliis medicamentis, tum machinis quibusdam, quibus magno multorum dierum dolore, continenter ejus brevitas protendebatur, neque tamen usque adeò produci potuit, quin alterâ brevior aliquanto relinqueretur.

In propugnatione Pampelonensi se strenuè gerens, ac graviter læsus; *i*

ad suos dimittitur; & post gravem curationis carnificinam,

in extremum vitæ discrimen adductus, convalescit;

nova tormenta sustinens, ut elegantiæ corporis consulat.

A. Petro Ribadeneira.

CAPUT II.

E lectione sacra ad vitæ mutationem movetur;

22 Interea cum in lecto jacere cogeretur, esset que in profanis libris legendis multum temporis collocare solitus, aliquem ejusmodi librum sibi ad manum dari jussit, ut ejus lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus, domi ejusmodi esse libros; duos Hispanicâ linguâ scriptos accepit, ne prorsus otiosus esset; quorum alter Christi Salvatoris nostri *l*; alter Sanctorum vitas continebat. Atque horum quidem librorum lectione, sensim ejus animus immutari, & imitandi, quæ legebat, studio quodam affici videbatur. Sed quoniam anteactæ vitæ consuetudo corroborata erat, inanium rursus cogitationum concursu obruebantur, ne coalescerent illa tum primùm excepta pietatis semina. Aderat tamen militi suo divina misericordia, & consopitam virtutem excitabat interdum, ludicrisque & fallacibus cogitationibus veras solidasque cogitationes ex recenti lectione rursus objiciebat. Quibus commotus ejus animus ad Christi & Sanctorum imitationem tam vehementer accendebatur, ut nullis difficultatibus (quæ multæ occurrebant) ab eo proposito deterreretur.

l

& contrariarum cogitationum vicissitudine distrahitur:

23 In hac contrariarum cogitationum vicissitudine, distrahebatur in varias sententias, & anciпiti deliberandi cura huc atque illuc impellebatur: cùm mundus apud se retinere Ignatium conaretur, Christus verò ad se illum vocaret, & traheret. Erat tamen illud in hac cogitationum varietate discrimen, quòd fluxæ illæ & vanæ principia habebant læta, exitus amaros. Nam præsentes cum aderant, suaviter quidem sensibus blandiebantur, sed recedentes, quasi aculeo quodam infixo, mentem aridam & sibimet displicentem relinquebant. At verò illæ cogitationes de Deo, de Hierosolymitana profectione, de vitæ asperitate sectanda, de virtutis dignitate complectenda, non solùm dum aderant, jucunditatis plenissimæ erant; verùm etiam abeuntes præclara relinquebant suæ lucis & suavitatis impressa vestigia. In quod discrimen à se multis quidem diebus præteritum & incognitum, quodam die divinitus illustratus, animum intendere cœpit, & tum demum intelligere, quantum inter utrasque cogitationes interesset. Quam comparationem cogitationum cum cogitationibus, & spiritûs cum spiritu contentionem, primam omnium ratiocinationem fuisse perhibebat earum, quas plurimas postea de divinis rebus Ignatius habuit.

P

unae spirituum dignoscendorum discerniculum in eo profluxit.

24 Ex qua, usu deinceps uberiore spiritualium rerum aucta, omnium, quas in Exercitiis tradidit, de spirituum diversitate, præceptionum rivuli profluxerunt. Etenim animadvertit primùm duos esse spiritus, Dei & mundi, non solùm diversos, sed penitus etiam inter se pugnantes; tum diligenter observavit utriusque spiritus proprietates. Qua ex observatione, divino munere & lux consecuta in ratione est ad ejusmodi spiritus discernendos ac dijudicandos *m*, & vis quædam in voluntate excellens ad ea, quæ mundus suggerit, constanter repudianda; ea verò appetenda & suscipienda, quæ Dei spiritus propo-

m

A. PETRO RIBADENEIRA.

nit ac ſuadet. Quæ principia in omnem poſtea vitam diligentiſſimè ſervavit. In hunc igitur modum ab oculis depulſa caligine, cum proceſſus aliquos jam effeciſſet, & aſſidua piorum librorum lectione diuturnaque conſideratione divinarum rerum, quas animo conceperat, ſe adverſùs omnes diaboli impetus obfirmaſſet; cœpit ſeriò & graviter mutandæ vitæ cogitationem ſuſcipere, in mentem revocare peccatorum ſuorum maculas, ac ſecum expendere, quibus illas ſuppliciis deleret. Quod cum pia cogitatione verſaret, & ſancta illa æmulandi Chriſtum, & ſanctos viros deſideria animo recurrerent, ad omnes difficultates perrumpendas ſatis ea ſe cogitatione munitum eſſe exiſtimabat: in Deo omnia potero: dat velle, dabit & perficere.

Vitam commutare certus,

25 Cum igitur vitam commutare deliberatum ipſi jam eſſet atque conſtitutum, de nocte (ut ſolebat) ſurrexit è cubili ad orationem aliquando, anxia illa atque ancipiti deliberandi cura liberatus, ut ſeſe perpetuum Deo atque ſuaviſſimum ſacrificium offerret. Dum autem ante imaginem immaculatæ virginis Mariæ in genua procumbit, & ferventes atque humili fiducia mixtas preces benigniſſimo atque dulciſſimo Filio per puriſſimam Matrem offert, ſeque ſpondet, vanitatis caſtris contemptis, in ejus poteſtate fore, ejus ſigna fortiter atque perſeveranter ſequuturum, ſub illo imperatore omnino meriturum: ecce tibi, terræ motu derepentè facto, domus tota contremiſcit, fragor ingens exauditur, cubiculum, ubi Ignatius erat, à fundamentis concutitur. Itaque, quemadmodum locus, in quo Apoſtoli orabant, divinitus contremuit; & carcer, ubi Paulus & Silas vincti de nocte in oratione vigilabant, terræ motu concuſſus eſt, eoque ſigno declaravit Dominus & ſervorum ſuorum virtutem, & orationis efficacitatem: ſic nunc, Ignatio orante, & cubiculo contremiſcente, voluit fortaſſe idem Dominus oſtendere Ignatii preces ſibi gratas, & ad impetrandum efficaces; vel certè, quod in aliis hiſtoriis Sanctorum legimus, dæmon jam victus ab Ignatio atque ſuperatus aufugit, & frendens ac fremens non obſcura diritatis atque indignationis ſuæ dedit ſigna.

ac piis deſideriis inflammatus, viſu cæleſti roboratur,

26 Hæc geſta ſunt. Certi tamen ab Ignatio nihil aliud conſtitutum eſt, niſi ut Hieroſolymam, ubi convaluiſſet, proficiſceretur, ſeque priùs flagellis, jejuniis & id genus aſperitatibus generoſa quadam indignatione conficeret. Atque his deſideriis tam incenſis cogitationes illæ ſordidæ & inanes paulatim refrigeſcebant. Sed hæc illius deſideria excitata jam & confirmata, multo quàm anteà inflammavit ardentiùs præclara quædam atque admirabilis viſio. Nam vigilanti nocte quadam Ignatio, clariſſima beatiſſimæ virginis Mariæ, unà cum ſancto puero Jeſu ſpecies objecta eſt: qua aliquamdiu permanente mirificè recreatus eſt, & divina quadam voluptate perfuſus. Unde tantum eum præteritæ vitæ tædium cepit, maximéque earum rerum, quæ cum obſcœna delectatione conjunctæ ſunt, ut omnium impudicarum rerum imagines ex animo ejus effluere omnino viderentur. Et ſanè veram fuiſſe viſionem ac fructuoſam, res ipſa comprobavit, cum ab ea hora ad extremum uſque ſpiritum, caſtitatis integritatem divino beneficio conſervaverit.

rebus cæleſtibus ac Sanctorum geſtis vacat.

27 Hæc meditantem, & res maximas animo molientem, frater ejus, reliquique domeſtici, ſui factum eſſe diſſimilem, non magno negotio deprehenderunt. Quamvis enim animi ſui ſenſum nulli detegeret, vultus tamen ſatis, illo tacente, loquebatur: cum præſertim accederet jugis precatio, frequenſque lectio, non jam ſermones ludicri cum familiaribus, ſed de divinis rebus, pietatis gravitatiſque plena colloquia, multa & diligens ſcriptio. Scribebat enim pulcherrima quæque ac maximè inſignia Chriſti, beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum, tum verba, tum facta, & in librum perpolitum, atque elegantem, memoriæ causâ, quàm optimis litterarum notis referebat; & quidem aureis litteris Chriſti, puniceis beatæ Virginis, variis coloribus reliquorum Sanctorum exempla. Sed quamquam ex hiſce occupationibus magnam ipſe voluptatem caperet, illa tamen erat maxima, quam ex fixo cæli ſtellarumque omnium percipiebat aſpectu, quod quidem & ſæpè, & diu faciebat, quòd ſe vehementer accendi ad Deo ſerviendum, cæleſtium orbium contemplatione ſentiret: quod non eo ſolùm tempore, ſed in omni poſtea vita ſervavit. Audivimus enim ſæpè illum, extrema etiam ſenectute, cum in cælum, quà liber circumſpectus erat, oculos ſuſtuliſſet, eoſque aliquantiſper fixos habuiſſet, obortis præ lætitia lacrymis, dicentem: Heu quam ſordet terra, cum cælum aſpicio! Hoc eodem tempore in piis exercitationibus, quas diximus, verſanti, & animum ad majora paranti, illa etiam cogitatio ſubiit, quidnam Hieroſolymis rediens, potiſſimùm facturus eſſet. Exquirebat enim optimum vitæ ſtatum, in quo totum ſe, omnibus rebus poſthabitis, collocaret, & ſumma parſimonia, atque auſteritate victûs maceraret.

ANNOTATA.

a *Circa Sancti nomen nonnulla dabit Commentarius noſter prævius ad hanc Vitam* § 1; *ubi actum de inepto quodam hujus nominis in* Enneconem *tranſformatore, qui vult, illud Sancto noſtro accidiſſe ex abbate ſynonymo Benedictino; ſed non probat: nam præter ea, quæ ibi diximus, obſerva, nomen* Enneconis *diu ante iſtum abbatem ſynonymum, fuiſſe notum in regno Navarræ; cum Stephanus de Garibay in Compendio hiſtoriali Hiſpaniæ tom.* 3, *lib.* 22, *cap.* 1 *afferat Latinam donationem, quam facit rex* Enneco Xemenones, *quæ notatur æra octingenteſimâ octuageſimâ, id eſt, anno æræ vulgaris* 842; *abbas verò iſte Enneco floruerit dumtaxat ſeculo* XI, *ſecundùm dicta apud nos die* 1 *Junii, in Commentario ejus prævio, qui ibidem datur à pag.* 107.

b *Quæ natales ſpectant, ſuggerit Commentarius huic Vitæ prævius* § 2.

c *Perſuaſum habeo, legendum eſſe,* quæ Guipuzcoa provincia vulgo dicitur, *conformiter ad Vitam Ribadeneiræ Hiſpanicam Matritenſem anni* 1594; *quæ lib.* 1, *cap.* 1 *ſic habet:* Que ſe llama la provincia de Guipuzcoa.

d *De anno natali, & erroribus contra eum commiſſis, conſuli poteſt Commentarius* § 2, *num.* 13.

e *Parentes, fratres, ſorores, ac ſeriem genealogicam familiæ Loyolanæ præmiſimus ibidem num.* 14, *& ſeqq.*

f *An ex filiis tantùm, an verò ex prolibus omnibus* Ignatius *fuit poſtremus? At vide ibidem num.* 15.

g *An adoleſcentiam Arevali tranſegit? Conſule ibid. num.* 20.

h *Vitam Sancti militarem expendit Commentarius noſter* § 3; *ubi etiam diſſeritur, an aliquod publicum in ea munus geſſerit.*

i *Ob-*

A i *Obsidio Pampelonensis accipit majorem lucem ex dictis ibidem num.* 25.

k *Maffeius lib.* 1, *cap.* 2; Per quietem, *inquit*, videre sibi visus est eumdem Apostolum, optatam sibi valetudinem divinitus afferentem. *Orlandinus lib.* 1, *num.* 10, Apostolus ipse ex accepto vulnere graviter ægrotanti, per quietem mederi visus est *&c. Ribadeneira in Vita parva apud Quartemontium cap.* 1, Apostolorum Princeps cælitus ad eum missus, EIQUE VISUS EST (*in Hispanico Ribadeneiræ textu est*, le apareció; *id est*, ei apparuit;) quasi opitulaturus eumque curaturus. *Inter alias verò apparitiones, quibus sanctus Pater noster spectabilem se præbuit venerabili servo Dei P. Julio Mancinelli S. J., uti videre est in ejus Vita lib.* 3, *cap.* 10, *una refertur, diei* XXVIII *Junii anni* 1602 *innexa, in qua Sanctus noster* illi præcepit, haberet semper in veneratione diem illum, memoriâ suæ conversionis candidum; eum & ipse sibi infirmo Apostolorum Princeps sanctus apparuit Petrus.

l *Vita Christi, quam legit* Ignatius, *à quo scripta feratur, habes in Commentario* § 4.

B m *Regulas de discernendis spiritibus tradit S. Pater in Exercitiis spiritualibus.*

CAPUT II.

Profectio in Montem serratum; ibidem gesta; vita Manresa instituta; scrupuli.

CAP. III. SAnitate utcumque recuperata, specie quidem ducis Najaræ invisendi (quocum magna erat Loioleæ familiæ, vetusque conjunctio;) sed revera, ut egrederetur de domo & cognatione sua, profectionem parat Ignatius. Quem Martinus Garsia, frater natu maximus & familiæ caput, rem odoratus, sevocatum in interius cubiculum rogat & obtestatur, ne se suosque omnes perditum eat; etiam atque etiam cogitet, quàm directum ad gloriam iter sit ingressus, quas res gesserit, qua spe & animi & ingenii sit. Omnia, inquit, in te magna sunt: ingenium, judicium, animus, nobilitas, gratia principum, civium benevolentia, rei militatis usus, prudentia: ad hæc florens ac firma ætas, magna exspectatio omnium: C siccine tot spes, tam solidas, tam florentes evertes? omnium exspectationem falles? familiam nostram tot ornamentis, quæ tibi cœptam viam insistenti sunt proposita, spoliabis? Etsi ego ætate, tu tamen auctoritate major es. Vide, quæso, ne quid in te admittas, quod non solùm speratum nobis, nostræque familiæ decus adimat, sed etiam ignominiæ notas inurat.

Fratre natu maximo frustra eum à proposito revocare satagente;

29 Ad hæc Ignatius breviter: se sui majorumque suorum esse memorem; daturum operam, ne ab illis degenerâsse, aut familiæ suæ splendorem obscurâsse videatur. Quibus verbis non tam placavit animum fratris, quàm illum ab se excussit, atque itineri se dedit. In hoc igitur itinere, quod ab beatæ Virginis ædem in Monte serrato *a* fecit, duobus ab se famulis dimissis, singulis se noctibus verberibus graviter afficiebat: quod quidem ab eo die, qui initium profectionis fuit, semper in itinere servavit. Et ut intelligamus, quibus Deus quasi gradibus in milite suo rerum divinarum cognitionem, animique virtutem auxerit, hoc ille tempore, minimè sanè investiga-

paternam domum deserens, ac magnas corporis afflictationes mente agitans,

a

bat; quid caritas; quid humilitas, quid patientia, quid sui contemptio, quæ cujusque virtutis vis & natura esset, quibus finibus temperantiæ modum circumscriberet, quid ratio, quid spiritalis prudentia postularet: sed id complexus, quod optimum tunc videbatur, & præsenti statui maximè congruebat, totus in eo erat, ut res maximas, & maximè arduas, quæ positæ sunt in corporis afflictatione, perficeret: idque hac ratione ductus decernebat, quod ad hanc normam sancti viri (quos sibi ad imitandum proposuerat) se conformâssent. Nam jam tum ita Deus regebat Ignatium, ut id semper spectaret, id quæreret, quod ad maximam Dei gloriam fore judicaret, idque antiquissimum semper habuit. Illa tamen accessio jam facta erat, ut in iis corporis acerbitatibus consectandis, non tam peccatorum suorum, quàm Deo placendi rationem duceret. Itaque detestabatur ille quidem præteritæ vitæ crimina; in iis tamen pœnis, quas ad illa diluenda sponte subibat, tam erat accensus, & Deo gratificandi studio quodam inflammatus, ut illas cum E suscipiceret, non tam peccata quam Dei honorem atque gloriam sibi poneret ante oculos.

A. PETRO RIBADENEIRA.

30 Pergentem cœpto itinere Ignatium, & rectà Montem serratum versus progredientem, Sacenus quidam, sive Maurus assecutus est. (Erant per id tempus in Hispania Tarraconensi adhuc aliqui ex antiquis ejus gentis reliquiis.) Cum unà irent, incidit (ut fit) illis sermo de virginitate beatæ virginis Mariæ, quam cum in conceptu Filii concederet Maurus, à partu negaret, ad eamque rem naturales rationes aliquot adferret, neque ad veritatem flecti posset ab Ignatio, celeriter præcessit, solumque Ignatium reliquit, hærentem diu, multumque dubitantem, utrum ab se pietas Christiana exigeret, ut Maurum consequeretur & pugione confoderet, quòd de beatissima & immaculata Virgine coram se ignominiosè locutus fuisset. Homo quippe militaris, & fallaci veri honoris imitatione olim delusus, dedecori sibi esse ducebat, si quid à religionis Christianæ inimico, se audiente, de inviolata sacrosanctæ Virginis integritate impunè detraheretur.

petit Montem serratum; in cujus itinere

31 Quæ quidem cogitatio in speciem pia, diu multumque rudem tunc Christi militem torsit, in eamque deliberationem tandem induxit, ut ubi ad bivium (unde è via publica ad oppidum vicinum Maurus declinârat,) constitisset, habenas mulæ, quâ vehebatur, permitteret, &, si ad locum, ubi Maurus erat, diverteret, quæsitum illum atque inventum interficeret; sin rectà pergeret, omitteret. Atque ita divinâ providentiâ factum est, ut jumentum, lata facilique via prætermissa, suum iter sequeretur. Ut omnes intelligant, quibus initiis quibusque progressibus Deus militem suum ad extrema perduceret. Nam, ut ait D. Augustinus, animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Unde & Moyses interficiens Ægyptium, adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat.

subortum Sancto casum perplexum divina providentia moderatur.

F

32 Cum igitur non longè à Monte serrato abesset, in pagum quemdam pervenit, ubi eum vestitum emit, quem Hierosolymam proficiscens gestare decreverat, talarem videlicet, ex cannabina tela aspera & aculeata, in modum sacci tunicam, pro militari balteo funem, calceos ex sparto contextos, baculum peregrinantis insigne,

Vestitum peregrinantium sibi comparat, ac votum castitatis edit.

A. PETRO RIBADENEIRA.

& ad aquæ uſum cucurbitulam. Quoniam verò carnis ſuæ imbecillitatem extimeſcens, ſibi ipſe diffidebat (quamvis & divino viſo erectior, & Deo placendi ſtudio, multo jam eſſet confirmatior) ſpes ſuas in beatiſſimæ Virginis patrocinio defigens, caſtitatis voto in hoc itinere ſeſe obſtrinxit, eamque perpetuam Chriſto, & caſtiſſimæ atque puriſſimæ ejus Matri, fervens ſpiritu conſecravit: cujus beneficio eam prorſus integram (ut paulò antè dictum eſt) ſemper obtinuit. Tantum & devotionis ardor, & pium ipſius Virginis patrocinium apud Deum valet.

CAP. IV. *Inſtituit confeſſionem generalem, veſtes dat pauperi,* *b*

33 Ut venit in ſerratum Montem (is locus Dei Genitrici dicatus itinere unius diei Barcinone diſtat, eſtque peregregio Benedictinæ familiæ cœnobio & religionis causâ eò confluentium concurſu maximè celebris:) ibi optimo confeſſario *b* totius vitæ ſuæ crimina per triduum ex ſcripto confeſſus eſt, illique homini omnium primo animi ſui propoſitum aperuit; jumentum reliquit, gladium pugionemque, quibus mundo meruerat, ante aram beatiſſimæ Matris Dei appendi juſſit. Pridie verò ejus diei, qui hominibus, Verbo Dei incarnato, ſalutis initium attulit, anni MDXXII, noctis tenebris tectus, quàm occultiſſimè potuit, ad mendicum quemdam pannoſumque hominem adit: ſuas veſtes ſibi detractas illi dono dat: ipſe verò optato illo ſuo veſtimento induitur, & ad ſacram divinæ Matris aram conſiſtit.

B

excubias agit coram Diva Monſerratenſi;

34 Cum autem in profanis libris legiſſet ritum, quo novi milites olim inaugurabantur, ut ejus ritus imaginem quamdam ſpiritualiter in ſe repræſentaret, novis contra diabolum armis accinctus, partim ſtans, partim in genua procumbens, totam noctem illam coram ſacratiſſimæ Dei Genitricis imagine, inſomnem duxit, ſe illi commendans, ſua flagitia deflens, meliora animo concipiens, ac, ne à quopiam agnoſci poſſet, manè ante lucem (non quidem recto itinere, quod Barcinonem ducit, ſed deflexo,) in oppidum Minoreſſam, quæ hodie Manreſa dicitur, & à Monte ſerrato novem paſſuum millibus diſtat, feſtinus divertit *c*, vili tegumento *d* ex tela (ut diximus) tectus, baculo armatus, fune præcinctus, nudo capite & pede altero. Nam alterum quòd ex recenti vulnere infirmum haberet adhuc, & crus faſciis convolutum ſingulis noctibus intumeſceret, calceo adverſùs cæli ſolique injuriam muniendum ſibi exiſtimavit.

c *d*

C

indeque diſcedit, traditis mendico ſuis ſecularibus veſtibus.

35 Vix à Monte ſerrato tria paſſuum millia proceſſerat, cum illum inuſitato gaudio expletum, & novi habitus lætitiâ geſtientem homo quidam curriculo conſecutus, percontari cœpit, dediſſetne dono veſtes ſuas egeno cuidam, quem hoc ipſum affirmantem prætor in vincula conjeciſſet, furto ab eo ſublatas arbitratus. His auditis, Ignatius vultum vocemque mutavit, & lacrymas etiam profudit, illud apud ſe etiam atque etiam cogitans, ne potuiſſe quidem ſe ſine damno alterius & injuria benefacere. Ex quo periculo ut immerentem hominem eriperet, veſtes ſe dediſſe confeſſus eſt: neque tamen quiſnam, unde, cujas eſſet, interrogatus, aliud reſpondit: cum hæc ad miſeri hominis liberationem nihil pertinerent.

CAP. V. *Manreſæ divertit ad xenodochium;* *e*

36 Manreſam *e* ubi pervenit, in xenodochio mendicorum hominum pedem primò fixit, ibi ſeſe ad ſtrenuè ſecum, & cum diabolo decertandum comparavit: nihilque prius habuit, quàm ut genus ſuum, præteritæque vitæ rationem occultaret, & omnibus ignotus deliteſceret. Veſtitus is erat, quem ſuprà diximus: ſed quòd in capillo curando comendoque, & reliquo corpore exornando curioſior in ſeculo fuerat, ut nimium cultum diligenti neglectu compenſaret, cæſariem, quam pro illius ſeculi more elegantem habebat, ſolutam & impexam reliquit: caput diu noctuque ſemper nudum habuit: ungues & barbam excreſcere per incuriam ſivit: ter ſe præterea diebus ſingulis acriter verberabat, ſeptem horas in oratione, fixis humi genibus ponebat: idque magno ſtudio & ardenti. Miſſæ ſacrificio, Veſperarumque & Completorii precationibus intererat, ex eaque re magnam capiebat animo voluptatem. D

ubi abjectè & auſtere vivit,

37 Cogebat quòtidie ſtipem, aqua & pane vitam tolerabat, carnibus vinoque ſemper abſtinens, omnibus diebus, præterquam Dominico, jejunans, humi cubitans, noctis maximam partem vigilans, ſingulis diebus Dominicis peccata ſua confeſſione eluens, & ſacræ Synaxis præſidio ſeſe confirmans: tam impensè corpus ſuum in ſervitutem redigens, ut quidquid oblectationem ullam corpori poſſet adferre, ſtudiosè refugeret. Quocirca cum eſſet maximis viribus, & corporis firmitate præſtans, brevi vigor omnis ejus emarcuit, & hac vitæ acerbitate non mediocriter debilitatus eſt. His rebus fiebat, ut hominum animos in ſe converteret & alliceret, qui plurimi cum ad eum venirent, in illiuſque ſe familiaritatem inſinuare cuperent, multò etiam magis ejus ſermonibus inflammabantur. Nam etſi rerum adhuc erat ſpiritalium rudis, & parùm in virtutum exercitatione verſatus: iis tamen erat facibus divini amoris incenſus, ut facilè, quod intus continebat, ſe foras efferret. E

cum aliorum ædificatione ac fructu.

38 Itaque ejus ardens de divinis rebus ſermo, ac vehemens ad virtutem cohortatio, cum ſanctæ vitæ exemplo conjuncta, animos hominum & Deo conciliare, & ſibi ipſi benevolentiâ devincire, atque etiam admiratione ſuſpendere, Spiritu ſancto juvante, facilè poterat. Cum eò præſertim accederet pervulgata jam ejus nobilitatis opinio, quæ rumoribus aucta, ſupra veritatem etiam (ut mos eſt) multorum ſermone celebrabatur. Permanârat enim rumore nuntio, quod in ſerrato Monte, remotis arbitris, Ignatius fecerat, & quamvis ipſe lucernam ſub modio abſconderet, Dominus tamen eam ſuper candelabrum ponebat, ut luceret omnibus. F

CAP. VI. *Diabolo eum tentanti*

39 In hanc palæſtram noſter miles ingreſſus, quatuor jam menſes pugnando traxerat, calliditatem dæmonis, quicum pugnam inierat, cogitationeſque prorſus ignorans. Tenebat enim eumdem tenorem vitæ, & in æquabili conſcientiæ tranquillitate perſtabat. Nondum tentationum aculeos exeruerat ſatanas, nondum terrores, minaſque ſuas tironi Chriſti intentaverat: nondum depulſis tenebris, rurſus conſolationis lumen redierat, nondum denique commutationes rerum, & ſpiritalis hominis afflicti & læti, jacentis & exultantis viciſſitudines converſioneſque perſpexerat; cum illum die quodam, ſitu ſqualoreque confectum, & in xenodochio verſantem aggreſſus eſt: Et quid tu in his ſordibus, inquit, in hoc pædore jaces? quid vilibus veſtibus, & obſoletis ſordidatus incedis? & quid cum abjectis hominibus ſedens, generis tui nobilitatem obſcuras?

fortiter reſiſtit;

40 Sed Ignatius confeſtim ſe mendicis ſocium propiorem adjunxit, & familiariùs etiam verſari inter eos cœpit, atque hoc ejus facto diabolus repulſus eſt. Alio item die, cum feſſus valde eſſet,

A set, illam etiam cogitationem permoleſtam paſſus eſt. Quî (inquit) fieri poteſt, ut duram hanc & feram agreſtium hominum vitam ſeptuaginta annos, ad quos victurus es, perferas? Cui ille: Numquid tu mihi unius horæ ſpatium certum præſtabis? vitæ enim momenta non in tua, ſed in Domini ſunt poteſtate: & LXX anni laborum ac pœnitentiæ quid ſunt cum æternitate collati? Atque his duobus tantùm telis apertè intentatis, per univerſam vitam appetitus ejus animus eſt, ut à cœpto vivendi curſu pedem referret. Quod, cum ejus omnis vita laborum, periculorum, moleſtiarum, vexationum pleniſſima fuerit, (ut ex iis, quæ fecit paſſuſque eſt, facilè apparet;) perſpicuum eſt divinæ erga Ignatium benignitatis argumentum, quâ illum Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis.

variis quoque ſpiritibus agitatur;

41 Illud tamen novi, ab hac tentatione, ejus animo accidit, quod magnas interdum permutationes contrarioſque quaſi ſpirituum impulſus ſentire cœpit. Nam oranti aliquando illi, & in

B piis exercitationibus religiosè verſanti, exareſcebat repentè nonnumquam animus, & in eas angustias incidebat, ut ſe explicare vix poſſet: ſibique diſplicceret, & divini ſpiritus ſuavitatem minimè ſentiret. Rurſus tanta, tam copioſa divinæ conſolationis vis affluebat, ut in ejus luce, præcedentis mæſtitiæ caligo ne appareret quidem. Quod ille diſcrimen varietatemque attendens, admirabundus & rei novitate perculſus, Quid hoc, inquit, rei? quam nos viam ingredimur? quod militiæ genus arripimus?

ac ſcrupulis conſcientiæ tortus,

42 Sed interim ita ſcrupulorum ſtimulis pungi, & peccatorum ſuorum conſcientiâ torqueri cœpit, ut lacrymans dies cum noctibus jungeret, ſemper anxius ſemperque ſollicitus. Etſi enim quàm accuratiſſimè omnia præteritæ vitæ crimina fuerat confeſſus: illa tamen ſemper cura exſtimulabatur, Num hoc confeſſus ſum? num illud bene explicavi? num ſatis apertè quæ ad rem pertinebant adjeci? num aliquid vel affinxi vel omiſi? quibus quidem aculeis adeò vexabatur, ut nuſquam acquieſceret, nullis orationibus, vigiliis, jejuniis, flagellis denique levaretur: ſed mœrore proſtratus, & quadam acerbiſſimi doloris carnificina exanimatus & confectus jaceret. Ad ſacratiſſimam Euchariſtiam de more, quaſi

C ad ſacram anchoram confugiebat: ſed cum ori jam admoveretur panis vivificus, ſcrupulorum vi & ſubito quaſi ventorum concurſu abreptus, ſurgebat, & lacrymis ſe gemitibuſque penitus dabat, & ad Dominum clamabat: Domine vim patior, reſponde pro me: &, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Occurrebat quidem unum illi remedium, idque præſentiſſimum, ſi ſpiritalis pater, cui conſcientiam ſuam & internos animi motus omnino aperiebat, tranquillo ſe pacatoque animo eſſe juberet, & Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine mandaret, ne exactæ vitæ peccata ampliùs confiteretur. Sed tamen, ne à ſe profecta medicina ſanitatem non faceret, ſed dolorem augeret, ſpiritali hoc patri dicere non audebat.

in extremas conjicitur angustias,

43 Cum igitur aliquamdiu hanc mentis vexationem pertuliſſet, quodam die tam graviter dolenterque ab iis ſcrupulorum tormentis eſt habitus, ut, omni ſolatio deſtitutus, ſe totum orationi traderet, & fidei fervore ſuccenſus, clara magnaque etiam voce clamaret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Domine, vim patior, reſponde pro me: ſuccurre Domine, ſubveni Domine, emitte manum tuam de alto Domine, miſericordia mea, refugium meum, liberator meus: protector meus, in te ſpero, quia nullam ab hominibus, nullam à creata ulla natura pacem aut requiem invenio. Attende, & fac: illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum: oſtende mihi viam, in qua ambulem, quia Deus meus es tu. Quod ſi vel catulum præceptorem mihi, & perturbatæ mentis pacificatorem dederis, ego verò non recuſo: libenter illum ducem, illum vitæ magiſtrum, te auctore, ſequar. A. PETRO RIBADENEIRA.

cum ſuggeſtione deſperationis, ac ſumma auſteritate:

44 Inter hæc rurſus vehementiſſima hominem cogitatio invadebat, ut ex cellula, ubi erat (nam ex hoſpitali pauperum domo in Dominicanorum *f* cœnobium emigrarat) ſeſe præcipitem daret. Sed ille: Non faciam, non te offendam Domine: quia tu es Deus meus, fortitudo mea: quare me repulisti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus? In has voces erumpenti, & præ dolore gementi venit in mentem cujuſdam ſancti viri, qui, ut neſcio quid à Deo impetraret, tam diu cibo abſtinuit, donec illud conſequeretur. Ad cujus imitationem, ſtatuit non prius cibum ullum aut potum capere (niſi fortè mors illi immineret) quàm optatam mentis tranquillitatem inveniret. Quocirca ſeptem integros dies ita jejunus fuit, nihil ut omnino guſtaret, cum tamen interea, vel de quotidiana precatione (cui ſeptenas flexis genibus horas vacabat) vel de verberationibus, quas ternas in dies ſingulos uſurpabat, vel de aliis uſitatis inſtituti ipſius officiis nihil idcirco remitteret. Et cum ſe viribus adhuc integris, minimèque debilitatum videret, & progredi longiùs vellet, prohibitus à confeſſario eſt ac vehementer deterritus, juſſuſque cibum capere, cum die Dominico ſuo more illi peccata ſua, & quid etiam feciſſet, indicâſſet.

ſed ab eo tandem morbo liberatur.

45 Paruit confeſſario, neganti abſolutionem ſe daturum, nî cibum ſumeret, & hortanti, ut peccata ſua, de Dei benignitate confiſus, ab illo ſibi remiſſa piè crederet, ne repugnare Deo velle videretur, eoque ſe die & proximo liberum ſenſit: tertio verò pòſt die oppugnatus iterum eſt, ſed oppugnationis finis fuit, ut disjectis tenebris, quas rebus clariſſimis diabolus obducere conabatur, & reddita divina luce, quaſi apertis oculis, è ſomno excitatus, magna animi claritate conſtantiaque ante actæ vitæ memoriam oblivione obtuere, & obducta peccatorum vulnera ampliùs in confeſſione non refricare decerneret: tantamque mentis tranquillitatem & ſpirituum diſcretionem, atque ſcrupuloſarum mentium curandarum gratiam à Deo eſt conſecutus, ut nemo ferè hac ægritudine affectus, ſanitatem *g* ab Ignatio non inveniret. Neque enim ſibi ſolùm probabatur, ſed nobis etiam erudiebatur Ignatius. Probat enim Deus cum omnes milites ſuos, tum eos maxime, qui reliquorum duces futuri ſunt: humiles & probatos conſolatur, ut poſſint & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.

E F *g*

ANNOTATA.

a *Iter ſancti Patris in Montem ſerratum, locique deſcriptionem &c. habes in Commentario* § 4, *num.* 29, *& ſeqq.*

b *Notitia major iſtius confeſſarii occurrit in Commentario à num.* 34.

c *Brevi tempore* Ignatius *ibi eſt moratus, ex Commentario num.* 36.

d *Indumenti, contra nonnullorum ſomnia, ra-*

tio

A. PETRO RIBADENEIRA.

tio habetur in Commentario num. 38 & ſeqq.

e *Manreſæ notio eſt in Commentario § 5, num. 44; & modus acceſſûs ac diſceſſûs Viri ſancti. Vide ibid. num. 45 & ſeqq.*

f *Non itaque varia, quæ Sanctus fecit Minoreſſæ, omnia apud PP. Dominicanos fecit; uti innuere videtur inſcriptio; de qua Commentarius § 4, num. 43.*

g *De ſcrupulis dignoſcendis nonnulla notavit Sanctus in libello Exercitiorum.*

CAPUT III.

Divinæ illuſtrationes; Exercitiorum ſpiritualium liber; gravis morbus.

B CAP. VII.

Mirè afficitur erga SS. Trinitatem;

CUm igitur Dei miſericordiâ ex tentationum angustiis emerſiſſet, & tamen idcirco de ſumma animi contentione ad virtutum omnium veram in ſe imaginem exprimendam nihil omnino remitteret: placuit remuneratori bonorum omnium Deo, ſervum ſuum divinis conſolationibus mulcere, & mentem illius cæleſtium myſteriorum cognitionibus illuſtrare, ut ſecundùm multitudinem dolorum, quos in corde ſuo pertulerat, conſolationes Domini lætificarent animam ejus. Ergo quamvis jam inde à principio tractaret Deus Ignatium (ut ipſe dicere ſolitus eſt) præceptoris more, tenerum pueri animum informantis: poſt prima tamen tentationum rudimenta pleniùs illum erudivit. Ex quo cum magna erga tres ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonas devotione *a* teneretur, ſingulisque ſuas preces, ſtataſque quotidie perſolveret, die quadam in ſcalarum gradibus templi Dominicanorum conſiſtens & horarias B. Virgini preces recitans, cœpit ita in Deum intellectu ferri, quaſi ſanctiſſimam Trinitatem ſpecie quadam viſibili id ſignificante exteriùs, quod interiùs percipiebat, cerneret, ea divinæ conſolationis magnitudine & copia, ut ſibi à ſuſpiriis, fletuque etiam inter ipſas publicas ſupplicationes, quas deinde proſequutus eſt, ad prandium uſque temperare nequiverit, aut verò à prandio aliud omnino vel cogitare vel loqui, quam de ſanctiſſima Trinitate, tantâ tamque variâ rationum, ſimilitudinum atque exemplorum copiâ, ut admirationi omnibus audientibus eſſet.

a

C

de qua vel tum librum conſcripſit.

47 Quæ res ita in ejus mente hoc ineffabile myſterium inſcripſit, ac veluti impreſſit, ut illo ipſo tempore, homo legendi ſcribendique tantùm ſciens, de eo librum ſcribere ſit aggreſſus, & ad totam vitam inſculptæ illius veritatis veſtigia extarent. Semper enim cum ad ſanctiſſimam Trinitatem orationem funderet, (quod frequenter & diu faciebat) eximiam divinæ conſolationis ſuavitatem percipiebat, & aliquando quidem ſingularem quamdam in Deum Patrem, totius divinitatis fontem; & reliquarum Perſonarum originem, atque principium, devotionem ſenſit: deinceps etiam in Filium: poſtremò in Spiritum ſanctum, ſingillatim ſe ſingulis Perſonis commendans & tradens & ſimul ex omnibus, quaſi ex uno atque eodem gratiarum omnium pleniſſimo fonte, virtutes omnes abundanter hauriens.

48 Alio item tempore, magna cum ſpiritûs alacritate modus ejus menti objectus eſt, quo mundum Deus condidit: quem longo poſt intervallo, cum hæc eadem ipſemet Pater narraret; ſe non ſatis affirmabat explicare poſſe. In templo etiam ejuſdem monaſterii, cum rei divinæ venerabundus intereſſet, & corpus Domini adorandum populo proponeretur, mentis oculis quodam die clarè vidit auguſto illo atque tremendo Sacramento Dominum Jeſum Chriſtum, verum Deum atque hominem veriſſimè contineri. Sæpiſſimè orationi intentus & diu quidem Chriſti Redemptoris noſtri humanitatem interiore animi vidit obtutu, & aliquando beatiſſimam etiam Virginem Mariam: neque id Manreſæ tantùm, ſed poſt etiam Hieroſolymis, & non longè ab urbe Patavio, & aliàs ſæpè. Quibus quidem viſis, ita in fide ac ſpiritu confirmatus & cæleſti lumine completus eſt, ut ſæpè hæc ſecum reputans, illud etiam ſtatueret, ſi aut ſacrarum litterarum monumentis conſignata myſteria fidei non eſſent, aut certè ſi ſacra Scriptura (quod fieri non poteſt) intercidiſſet, ſibi tamen ita eſſe certa penituſque infixa, ut ex illis tantùm, quæ viderat, non dubitaret, & rectè ea intelligere & aliis tradere, & pro illorum defenſione etiam mortem oppetere.

D *Objicitur ei modus creationis mundi, viſio humanitatis Chriſti, ac Deiparæ,*

E *nec non alia quædam mentis illuſtratio inſignis.*

49 Egreſſus die quodam Manreſâ ad templum, quod ab oppido mille paſſibus abeſt, divinarum rerum contemplatione ſuſpenſus, paululum conſedit in via, quam fluvius præterlabitur, faciemque convertit ad flumen: oi mentis ei oculi aperti atque illuminati ſunt, non ita quidem, ut ſpeciem aliquam aut in ſenſus cadentem imaginem videret, ſed ut permulta, tum quæ ad fidei myſteria pertinent, tum quæ ad ſcientiarum cognitionem, optimè intelligeret; tanta tamque clara luce, ut ab eo res ipſæ novo quodam lumine cernerentur. [Porrò hæc mentis illuſtratio uſque adeo copioſa fuit atque excellens, ut ipſemet Ignatius negaret, reliquas omnes illuminationes atque divina adjumenta, quæ per totam vitam ad annum LXII ætatis ſuæ à Deo acceperat, in unum coacervata, cum hac una poſſe conferri: ſeque quidquid aliàs vel ſtudio, vel labore, vel ſupernaturali lumine didiciſſet, minus eſſe, quam quantum tunc quidem accepit *b*.] Quæ res cum fixum hominem hærentemque diu tenuiſſet, ad crucem, quæ juxta erat, genu flexo procubuit, ut Deo Opt. Max. pro hoc tanto beneficio gratias ageret.

b

F *Illuſionem quamdam diabolicam internoſcit.*

50 Ante verò quàm hujuſmodi viſis illuminaretur, cum in hoſpitali domo adhuc ageret, & aliàs frequenter, ſeſe illi clara luce pulchra quædam ſpecies objecerat, quam non ſatis diſcernere poterat, aut quid eſſet, ex quo eſſet, ex quove conſtaret, internoſcere: niſi quod ſerpentis nonnullam formam præ ſe ferre videbatur, multis quaſi oculis reſplendens, cujus præſentis quantum aſpectu recreari videbatur, tantumdem ex diſceſſu doloris ac mæſtitiæ ſentiebat. Hoc igitur viſum ſæpiſſimè ipſi ante oculos verſatum, numquam tamen cognitum, illi ſe ad crucem iſtam jacenti rurſus objecit: ſed divino jam lumine plenus & ante crucem procumbens, facilè perſpexit, rem illam non ea eſſe pulchritudine atque ſplendore, quo ſe illi antea offerebat, apertéque cognovit, illum eſſe dæmonem. Ex quo, longo etiam poſt tempore ſæpius illi apparuit, non in via tantummodò, ſed Lutetiæ etiam Pariſiorum & Romæ, non jam luce coruſcus, ſed aſpectu deformis, & abjectus, ita ut baculo, quem geſtare manu ſolitus erat, facilè illum ab ſe abigeret.

51 Porrò Manreſæ cum adhuc verſaretur, iis, quas

Extasim habet per octidu-um.

A quas diximus, occupationibus tam ardenter deditus, accidit, ut die quodam Sabbati, sub horam Completorii, à sensibus sic destitueretur, ut à piis quibusdam viris & mulieribus repertus, pro mortuo haberetur; & nisi cordis tenuem palpitationem quidam deprehendissent, sepulturæ procul dubiò mandavissent. Mansit autem in hac extasi *c* sive abstractione à sensibus, ad alterum usque diem sabbati sequentis hebdomadæ: quo die, horâ Completorii quasi è somno excitatus, multis, qui eum observabant, præsentibus, oculos aperuit, sacratissimum Jesu nomen ingeminans. Atque hujus quidem rei qui testes fuerunt, iidem illi auctores sunt: nam ipse Ignatius hoc tam insigne Domini beneficium mirificè occultavit, & (quod ego quidem sciam) aperuit nemini.

c

Ribadeneira docet imperitos, cur ita Deus egerit cum sancto Patre.

52 Incredibilia cuipiam fortasse hæc videbuntur, & supra ordinem rationis atque cursum, in eo potissimum viro, qui tiro & rudis omnino miles Christi adhuc erat, qui vix nomen dederat, vix militari sacramento se obstrinxerat, vix ab hostium castris ad Christi domini nostri signa transfugerat. Sed ut hæc magna profectò, præclara, admirabilia Dei dona esse in confesso apud omnes sapientes est! ita incredibilia videri non debent, nisi iis fortè, qui dona Spiritus sancti, & inæstimabiles benignitatis divinæ thesauros, ne per somnium quidem audiverunt: qui neque lumen cæli viderunt umquam, neque divinarum illustrationum participes facti sunt: qui nullam umquam voluptatem liquidam & solidam animorum esse putant: sed omnes voluptates corporis sensu definiunt, easque undequaque conquirunt & captant, & novas semper veteribus addunt, turpissimas illas quidem, & honestati contrarias, & homine ipso indignas. Qui hac quidem in re audiendi non sunt. Animalis homo (inquit Apostolus) non percipit ea, quæ Dei sunt, neque enim potest: cæcus enim de coloribus non judicat.

B

In illustrationibus tamen fallacia sunt cavenda.

53 Alii sunt tamen viri eruditi, & in monumentis Sanctorum versati, qui sciunt hujusmodi illustrationes Dei, extraordinarias quidem esse; sed concedi tamen solitas nonnumquam iis, qui eximio & præcipuo quodam jure à Deo eliguntur & tractantur. In quibus magna in primis cautio adhibenda est, ne fallamur. Aliqui enim sunt, qui falsa persuasione decepti, existimant, Dei esse dona, quæ satanæ transfigurantis se in angelum lucis præstigiæ sunt. Alii, quorum animus est mobilis, & facilis levitate, vel occulta superbia cordis, vel atra bili, vel capitis imbecillitate obscuratus, putant se ea videre atque audire, quæ revera neque audiunt, neque vident. Quæ quamvis ita sint, tamen negare non possumus, in Dei Ecclesia veras esse atque divinas revelationes, quibus amicos suos & familiares aliquando Deus benignè suaviterque permulcet.

C

Ostendit auctor, Ignatium

54 Quod si in illorum servorum numero, cum quibus Deus se ita communicat, & pleniori manu tanta bona largitur, Ignatius fuit, nemini sanè mirum videri debet. Nam quamquam tiro, multùm tamen jam tunc virtute processerat, & erat ab ipsomet Deo electus, ut innumerabilium filiorum pater, & sacræ hujus militiæ antesignanus & princeps esset, ut exercitum ductaret, acies instrueret, & signa cum humani generis hoste strenuè fortiterque conferret. Quod absque dubio præstabilius est, majusque Dei donum, quàm rerum abditarum intelligentias accipere. Certè quidem si attentè consideremus, quis fuerit Ignatius, & quid effecerit, facilè intelligemus, illum neque viribus naturæ, neque propriæ industriæ artibus rem tantam aggredi ac perficere potuisse; sed cælesti quodam ac peculiari Dei dono indiguisse; ut, quod videmus, opus efficeret. Nam quî fieri potest, ut homo militaris, illitteratus, vanitatis vile mancipium, delectum haberet, milites conscriberet, Societatem cogeret, Religionem hanc instituëret, & brevissimo tempore per universum terrarum orbem propagaret, ac summâ prudentiâ regeret, & adversariorum impetus propulsaret, tantosque fructus ad Dei gloriam, suis ex laboribus colligeret, nisi Deus ipse suo illum ornâsset spiritu, prudentia instruxisset, virtute armasset?

A. PETRO RIBADENEIRA.

veris ac mirtis modis

55 Quam ideam, quodve exemplar habuit propositum, ex quo hujus Societatis exemplum duceret? Quo in libro legit illius regulas, constitutiones *d*, documenta? Unde speciem formamque Societatis accepit: quæ quidem ut in iis, quæ Religionem continent, una eademque cum reliquis Religionibus est, ita ab illis disjuncta atque distincta in multis, quæ nostris temporibus congruentia, & præsenti Ecclesiæ statui, sunt necessaria? Accepit nimirum ab eo, qui hæc solus dare potuit, qui ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, vocatque ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt; qui ad subjiciendam & prosternendam seculi hujus vanitatem, duodecim piscatores elegit, ut patefacta Euangelii luce, tenebræ errorum, vitiorumque omnium, ab animis hominum depulsæ, penitus evanescerent.

d

E

à Deo præventum atque illustratum fuisse.

56 Hac enim ratione, se rerum omnium Dominum verissimè ostendit, & ut rebus omnibus vim suam largitur atque naturam, ita nomen cuique atque pretium imponit, ut tanti quæque res sit, quanti eam Deus æstimat. Neque enim Deus, principibus hujus seculi est similis, qui ministros quidem eligunt, sed bonos ministros efficere non possunt: ipse verò eligit ministros novi Testamenti, & sua electione idoneos facit, & ad omnia, quæ vult, habiles atque instructos. Quapropter cum effectus divinæ virtutis, & tam multas [res, &] admirabiles videamus in Ignatio, eæque apertæ, expositæ, oculisque omnium ita subjectæ sint, ut negari non possint (nisi ab eo, qui neget solem meridie lucere) & majora Ignatio dare cogamur: demus etiam illi hæc, quæ minoris sunt, intelligamusque, omnes illos perfectæ vitæ radios, ex hac divinarum illustrationum luce, & quasi ex copiosissimo cælestis gratiæ fonte, tot rivulos profluxisse. Quas quidem illustrationes partim narravimus, partim deinceps narraturi sumus.

F

CAP. VIII.

Exercitia ejus spiritualia in Societatem Jesu alioſque Religiosos mirificè influxere;

57 Hoc eodem tempore, Exercitiorum spiritalium librum (quem appellant) ex accurata eorum, quæ sibi contigerant, observatione conscripsit *e*. Quorum Exercitiorum usus, quantum adjumenti *f* Christianæ reip. in omnem partem attulerit, satis constat. Nam ut pauca ex multis de illorum usu, atque utilitate dicamus, primò illis ipsis Societatis nostræ institutionem acceptam ferre debemus. Omnes enim fermè primos illos patres *g*, quos instituendæ Societatis adjutores, & socios habuit Ignatius, per Exercitia ad perfectionis studium, mundique despicientiam excitavit. Qui postea consecuti sunt, & in Societatem jam stabilitam ingressi, viri vel doctrina, vel ingenio, vel nobilitate, vel aliis naturæ fortunæque ornamentis insignes, maxima ex parte Exercitiis hujusmodi, ad hoc vitæ genus complectendum adducti sunt. Neque verò tantum hoc beneficium Religionis nostræ solummodo propri-

e f

g

A. PETRO RIBADENEIRA.

um est: sed etiam commune cum ceteris. Meditandi enim hujusmodi ratio cœnobia multa refersit: multos Religiosos viros labantes, in susceptο vitæ consilio confirmavit: solutos, vagosque vinculis disciplinæ severioris adstrinxit.

imo verò in omne hominum genus;

58 Non tamen Religionum spatiis eorum fructus circumscribitur: omne enim hominum genus, statum, officium, ætatem, vitæque rationem comprehendunt. Nam & viri cum Ecclesiæ, tum seculi principes, & infimi homines; docti, indocti; mariti, cœlibes; juvenes ætate, ac senes; Deo jam dicati, & omnino liberi; in hanc Exercitiorum meditationem ingressi, multum vel in perditæ vitæ emendatione vel in bonæ incremento progressionis fecerunt. Et quod dignum magis admiratione est, multi viri eruditione florentes, & sapientiâ omnium consensione principes; post tot doctrinæ suæ laudes, docendo ac disceptando partas, discipuli Ignatii facti sunt: & ab ea, quæ inflat, scientia, ad salutarem sapientiam cælestemque traducti. Nam quod in hac spiritali propriæ cognitionis schola discimus, non

B

solùm ad excolendum intellectum pertinet, sed ad inflammandam etiam voluntatem: itaque non tam cognitione, quàm actione perficitur: ac finem habet, non ipsam scientiam, sed operationem. Ex quo, hæc cognitio non subtiles, & argutos, atque acres disputatores efficit; sed fortes, efficaces, atque ardentes effectores: eosque vehementer permovet, atque ad bone beatéque vivendum impellit. Hæc enim cælestis est sapientia, quæ ædificat, ungit, inflammat: illa alia sæpenumero inflat, exsiccat, hominem ventosum reddit, atque inanem.

illis potissimùm utilia,

59 Sed cum eorum utilitas quàm latissimè pateat, tum in iis solet elucere potissimùm, qui de vitæ genere deligendo consultant, idque constituere ex divina voluntate cupiunt; ne (quod plerisque contingit) certo aliquo cursu vivendi implicentur, priusquàm quid rectissimum sibique maximè conducibile sit, judicare potuerint. Neque enim omnia omnibus conveniunt: neque idem vitæ genus in omnes quadrat, sed alia aliis congruunt, atque apta sunt magis. Quid autem cuique magis expediat, ille solus novit, qui nos immeritos in gloriam suam creavit, & sanguine suo, immortali & sempiterna beatitudine dignos effecit. Quamobrem vitæ genus cuique sincerè, con-

C

sideratè, attentéque eligendum est, magnisque & assiduis precibus Dominus est invocandus, ut auctore illo ac duce, illud genus vivendi quisque eligat, quod optimum sit cuique atque aptissimum. Nunc autem secus fit. Plerique enim mortales, vel libidine quadam obcæcati, vel utilitatis specie decepti, vel parentum, amicorumve exemplo inducti, vel aliis denique rationibus minùs idoneis impulsi, ætate imbecilla, cum neque vis animi, neque consilium adhuc viget, præcipitanter ac temerè sese projiciunt, genereque vitæ eo implicantur, cujus statim eos sera capit pœnitentia: erroris enim sui pœnas, per totam vitam, incredibilibus quidem, sed inutilibus lacrymis pendunt. Et meritò quidem. Nam cum reliqua negotia diligentissimè inquirant, discutiant, & in utramque partem dispiciant, & conferant: summum sui ipsorum negotium *h*, quod in vitæ genere eligendo positum, & negotiorum omnium est maximum, supinè atque oscitanter tractant, imprudenterque; &, ut sors aut libido tulit, cursum quemdam vivendi arripiunt, quem neque tenere jucundè, neque deserere honestè possunt. Quod certè non eveniret, si in genere vitæ eligendo Dei voluntatem ante oculos propositam haberent, finem suum ultimum spectarent, eóque consilia dirigerent, unde omnis certa, rectaque pendet deliberatio. Denique si rerum naturam non perverterent, sed sequerentur potiùs, fine ut fine utentes, mediis tamquam iis, quæ ad finem referuntur.

h

D

qui deliberant de eligendo vitæ statu.

60 Ad quod quidem Dei in primis gratia nobis opus est, quam oratione, meditatione, solitudine etiam, & à reliquis negotiis vacatione facilius consequemur. Animus enim liber, & ab alienis curis vacuus, vacabit sibi liberiùs, dabitque operam, ut, si quid insidet affectûs, quod sincerum de rebus judicium possit corrumpere, id totum rescindat, & amputet, præsterque se dignum Deo, quo præeunte & prælucente menti nostræ, nihil erit non rectum, utile nobis atque salutare: sine Deo autem omnia nostra consilia cæca, præpostera, & perversa sint necesse est. Quæ cum ita sint, non tamen idcirco defuerunt adversarii *i*, qui hanc rem tum ratione,

i

E

tum perpetuâ experientiâ comprobatam elevare conati sint. Sed in nihilum eorum conatus reciderunt, simul atque Apostolica Sedes, post diligentem investigationem, Exercitiis seriò examinatis, adversariis sese opposuit, & sua auctoritate eorum usum non modò permisit, verùm etiam collaudavit, ac suasit. Quod ex literis Apostolicis *k* Pauli tertii Pontificis Maximi constat, quas anno MDXLVIII scribi jussit, quibus communitus Exercitiorum liber, postea typis excusus, in lucem editus est.

k

CAP. IX.

Gravi morbo Sanctus corripitur;

61 Cum in ea vitæ ratione, quam suprà diximus, versaretur, accedebat illi sæpissimè, ubi se noctu quieti dederat, ut illustrationes permagnæ, & spirituales consolationes mirificæ quædam ejus animo immitterentur. Quæ cum de exiguo, & somno destinato tempore multum eriperent, & noctes hominem cogerent ferè insomnes traducere, diligentiùs id animadvertens, dubitare apud se cœpit, quo ex fonte caderent. Rebus omnibus prudenter discussis, statuit tandem rejectis illis, satius omnino esse, constitutum tempus somno tribuere. Ex magnis tamen laboribus, & perpetua animi contentione in morbum gravem incidit. Ægrotanti suppeditabat omnia perliberaliter Manresæ magistratus, & matronæ honestissimæ officiosè ministrabant. Usque adeò verò vis

F

morbi invaluit, ut mors instare ipsi videretur. Paranti se ad mortem ea cogitatio subiit, se justum esse; cui cum summa vi repugnare conaretur, peccata præteritæ vitæ in memoriam usque revocans, & nihil tamen proficeret, cruciabatur miris modis, sic ut vim morbi intimis visceribus grassantem, levem præ ea molestia duceret, quam ex conatu ad resistendum adhibito sentiebat.

sed aliquantulùm sibi restitutus; relabitur ob asperitates.

62 Cum meliusculè paulò habuisset, & ab extremo illo vitæ periculo nonnihil recessisse videretur, vociferari palàm cœpit, & nonnullos, qui officii gratiâ eò venerant, compellare, contestarique, ut cum se rursus in extremis laborantem cernerent, magnis vocibus clamarent: O miser peccator, ô infelix, etiam atque etiam cogita, quibus te sceleribus obstrinxeris, quibus vitiis Dei in te iram provocaveris. Ubi aliquantulùm convaluit, statim ad consuetas pœnitentias & eamdem vitæ asperitatem rediit, in morbumque de integro incidit: quod & tertiò fecit, cum indefesso studio, & obfirmato animo seipsum pervincere, & labores viribus majores repetere, perferreque adniteretur. Sed tamen experientiâ doctus, & stomachi gravissimo eoque frequenti

do-

A dolore exagitatus, & rigidi cæli hiemali aſperitate commotus, piorum hominum conſiliis obtemperare coactus eſt, & ex panno admodùm craſſo, coloris cæſii exiguas duas veſtes, & quaſi ſemipileum ejuſdem panni, ad ſe contegendum, accipere.

ANNOTATA.

a *Sanctum quam tenerrimè ſub extremos vitæ annos affectum fuiſſe erga SS. Trinitatem, habes in Commentario* § 61.

b *Hæc, quia uncinis* [ ] *incluſa, ſuſpicor ab auctore addita hîc fuiſſe poſt primam Vitæ editionem.*

c Ecſtaſis *illa confirmatur ex Commentario noſtro* § 89, *num.* 948 *& ſequente: adde Proceſſum Minoreſſanum, ubi* De raptu multorum dierum pag. 6, artic. 6: pag. 12 ad 6 um, *teſte noſtro Indice Ms. rerum contentarum in variis Proceſſibus, unà cum aliis monumentis Româ huc miſſo.*

B d *Et tamen Conſtitutiones ſuas à monachis Benedictinis accepiſſe* S. Ignatium, *quidam volunt; ſed in Commentario noſtro refutantur* § 27.

e *Scriptori ſuo librum Exercitiorum vindicat Commentarius* § 6 *ac* 7.

f *Fructus Exercitiorum tempore vitæ* S. Ignatii, *elucidat Commentarius* § 8. *Quæ huc ſpectant, ac poſt Sancti mortem contigere, dabit Gloria ejus poſthuma.*

g *Locus hic amplificatur in Commentario num.* 78. *At circa novem primorum Sancti ſociorum Exercitia, ex documentis Romanis hæc addo, quæ notantur excerpta è libro Memoriali P. Ludovici Conſalvi, paginarum* 200 *in folio, pag.* 157, *ex Hiſpanico à me reddita, & à dicto P. Conſalvo ex ore ſancti Patris audita*: Omnes primi patres fecerunt Exercitia accuratè & reſtrictè; & is, qui minus abſtinentiæ fecit, triduum traduxit ſine ullo cibi aut potus uſu, excepto Simone, qui, quia non intermittebat ſua ſtudia, & non erat bona admodùm valetudine, non reliquit do-
C mum ſuam, nec quidquam ex his extremis exſequebatur; præter illud, quod Pater traderet ipſi meditationes &c. Faber Exercitia peregit in ſuburbio S. Jacobi, in quadam domo ad manum ſiniſtram, quo tempore plauſtra premebant impunè fluvium Sequanam, quia erat congelatus. *Reliqua dabit Orlandinus lib.* 1, *num.* 81.

h *Hoc quanti meritò fecerit P. Leonardus Leſſius, non obſcurè indicavit, quando edidit Diſputationem de ſtatu vitæ deligendo; & Religionis ingreſſu, quæſtionibus* 12 *comprehenſam.*

i *Irritos contra librum Exercitiorum conatus, ejuſdemque vindicias & elogia dat Commentarius* § 9 & 10.

k *Adiſis Commentarium continuò citatum.*

CAPUT IV.

Iter Hieroſolymitanum; perluſtratio locorum ſanctorum; reditus in Hiſpaniam; ſtudia litterarum Barcinone.

CAP. X. ANnum unum plus minùs Manreſæ tranſegit, in ea quam diximus vitæ aſperitate,

quo elapſo, tempus interim appetebat, quo profectionem Hieroſolymitanam aggredi ſtatuerat. Ergo Barcinonem *a* verſùs Manresâ diſceſſit, & quidem ſolus; ſic enim peregrinari decreverat. Quamvis enim eſſent, qui ſe illi ultrò comites offerrent, quique illum hortarentur, ac urgerent vehementiùs, ut aliquem vel Latinè, vel Italicè ſcientem, quaſi viæ ducem, ac ſermonis interpretem, ſibi adſciſceret: nullum tamen admiſit, ea maximè ratione adductus, quod ſpes omnes ſuas in Deo poſitas habere cuperet. Quod ſi viæ ſocium ſecum haberet, verebatur ne præſtans illa in Deum fiducia, in ſocium derivata, minueretur. Neque verò ſociorum auxilium excludebat tantùm, ſed etiam ſollicitam viatici omnis curam: ne quid eſſe videretur, quod ſpem ſuam infringeret, & animum ad cæleſtia properantem in ſuo curſu redderet tardiorem. Erat Barcinone myoparo, erat & navis oneraria in Italiam parata; voluit igitur in myoparonem conſcendere, quia breviorem fore trajectum ſperabat: ſed quo minùs id faceret, hæc cauſa fuit:

A. PETRO RIBADENEIRA. *S. Ignatius ſolâ Dei providentiâ nixus meditatur iter Hieroſol.* a

E

64 Primaria quædam atque honeſtiſſima matrona Iſabella Roſella *b*, in templo quodam *c* eruditum virum de ſuperiore loco ad populum verba facientem, attentè aliquando audiebat. Quæ oculos in reliquam concionem fortè intendens, Ignatium in ipſis altaris gradibus cum pueris conſidentem aſpexit: eumque, rei novitate, & hominis aſpectu commota, attentiùs cœpit intueri. Vidit enim (ſicut ipſamet Romæ mihi narravit) caput Ignatii circumquaque fulgêre, & clariſſimos quaſi radios emittere, ſeque interiùs admoneri, ac veluti ſtimulis quibuſdam urgeri vehementiùs, hominem ut accerſeret, atque alloqueretur. Diſſimulavit tunc quidem Iſabella, pro loco & tempore; ſed concione expedita, ſimul atque domum rediit, viro ſuo æquè atque ipſa nobili, ſed cæco, rem, quæ ſibi in templo evenîſſet, totam narravit; rogavitque maritum, ut hominem è veſtigio conquiri juberet, & ad ſe adduci.

matrona verò quædam Barcinone vultum ejus radiatum conſpicata, b c

F

65 Adductus Ignatius apud illos pranſus eſt: remotâ menſâ, de Deo, de virtutibus, de beata vita ſermonem inſtituit; omneſque, qui aſtabant, mirabiliter ad pietatem inflammavit. Ex Ignatio tunc reſcitum eſt, ipſum commodam in Italiam navigandi tempeſtatem præſtolari. Quò etiam epiſcopus, ſanguine cum nobiliſſimo illo viro conjunctus, navigabat. Itaque ſanctitatis Ignatii admiratione capti, ipſum rogant, cum epiſcopo uti navem conſcendat, myoparonem relinquat, in quem libellos etiam conjecerat. Quod ita factum eſt. Porrò in ipſo Barcinonis conſpectu, myoparo naufragio periit, fluctibuſque hauſtus eſt. A navis autem navarcho, ea lege admiſſus eſt, ſi panis nautici, quantum ſibi ad victum ea in navigatione opus eſſet, in navim inferret: aliter admitti poſſe negabat. Cœpit igitur de pane illo quærendo Ignatius agere; ſed cùm hoc ejus propoſito repugnare videretur, ſimul graviter angi cœpit, & ſecum: Hæccine eſt illa tam ſtabilis, tam ſecura fiducia, nihil à Deo tibi defuturum? Numquid ille panem non poterit dare, & parare menſam peregrino ſuo?

benignè eum excipit, & de navi ipſe proſpicit;

66 Ex quibus ſpinoſis cogitationibus cum exire ipſe per ſe non poſſet, ad confeſſarium, ut in ejuſmodi ſolebat rebus, cauſſas defert in utramque partem dubitandi: quanto, quam incenſo perfectionis ardeat deſiderio, exponit, idque pro viribus, quod Deo gratiſſimum ſit, amplectendi;

ea lege in illam admiſſus, ut victum conferat.

A. PETRO RIBADENEIRA.

di: illi deindè rem totam permittit, ejuſque judicium ſecutus, panes in navim impoſuit. Sed cum pauculi oboli ex iis, quos oſtiatim emendicârat, ipſi navim aſcenſuro ſupereſſent, illos in publico juxta navium ſtationem reliquit, ne quid amplius viatici, quàm quod neceſſarium omnino videbatur, ſecum ferret. Tantum in eo inerat perfectionis ſtudium, & tam incenſus paupertatis amor. Hoc tempore inanis gloriæ aculeis plurimùm exſtimulabatur, ſic ut neque patriam neque genus ſuum retegere auderet; multo verò minùs, quò iter ſuum dirigeret, ne fortè bona hominum de ſe opinione intumeſceret.

Multa paſſus Romam pervenit; ac Pontifex bene ei precatur: *d*

67 Sed redeo ad navigationem in Iraliam, qua navigatione, magna fœdaque tempeſtate jactatus, quinque dierum ſpatio Barcinone Caietam *d* applicuit. Gravis ille, & peſtilens annus Italiæ fuit. Sæviebat enim multis locis peſtilentia: quapropter ſumma cautio adhibebatur à cuſtodibus oppidorum, ne quis advena admitteretur. Ex quo Romam proficiſcens, multa in itinere paſſus eſt gravia & permoleſta. Nam oppidorum ingreſſu ſæpe arcebatur; & ita erat fame, macieque debilitatus, ut ſubſiſteret aliquando, & longiùs progredi præ corporis imbecillitate non poſſet. Romam tamen ad diem Dominicum Palmarum anni MDXXIII venit, ſacra urbis loca piè obivit: benedictionemque ſummi Pontificis Adriani ſexti reverenter accepit.

B

pecuniam pro viatico datam abjicit:

68 Cùm autem plurimi illum à profectionis Hieroſolymitanæ conſilio deterrerent; fierique poſſe negarent, ut abſque pecunia eò perveniret, neque tamen infractum ejus animum, & in Deo defixum, longa periculorum enumeratione à ſententia dimovere potuiſſent, ſex ſeptemve aureis coronatis octavo pòſt Dominicæ reſurrectionis die *e* abeuntem donaverunt, quos Ignatius, eorum, quæ audierat, metu victus, accepit, ut nautis ſolvendo eſſet. Sed paulò pòſt, cum à diffidentia, & humano timore id profectum agnoſceret, & conſcientiâ morderetur, non quaſi culpa eſſet pecuniam accipere, ſed quaſi deſiderio id ſuo repugnaret, & de propoſito, perfectiſſimam paupertatem omnibus in rebus ſequendi, remittere aliquid videretur, ſe incuſans & damnans, & de projicienda pecunia ſecum ipſe cogitans, decrevit tandem in obvios pauperes & mendicos illam conferre; quod quidem cumulatè perfecit.

e

C

in itinere Româ Venetias versùs multa aſpera patitur;

69 In hoc itinere, quod Româ Venetias habuit, multa aſpera & acerba pertulit. Propter graſſantis enim peſtis metum, vel in porticibus excubare, vel pernoctare ſub dio cogebatur. Et viatores exſanguem illum, ac luridum intuiti, ſummaque macie confectum, ſe in fugam aliquando dabant. Alii verò, qui ſe in via illi ſocios adjunxerant, lentiùs præ virium tenuitate ambulantem ſub noctem deſeruerunt. Sed qui dixit: Non te deſeram, neque derelinquam, ille deſertum inviſit Ignatium, abjectum ſuſcepit, & complexus eſt. Namque obtulit ſe illi nocte, poſtquam relictus eſt, proxima, Chriſtus in latiſſimo quodam campo, à Foſſa Clodia *f* pergenti Patavium: plurimúmque aſpectu ſuo recreavit ejus animum: & ad graviora perferenda roboravit, & ita ejus iter direxit, ut Patavinæ urbis cuſtodiæ ingredientem egredientemve illum nihil omnino remorarentur, aut interpellarent, & aditum Venetias perfacilem haberet. Publicis quippe exploratoribus omnia excutientibus, intactus ipſe ſolus prætermiſſus eſt: cum tamen deſertores illi ſocii laboris multum ſubierint, ut liberum in eam urbem ingreſſum invenirent.

f

D

70 Legatum Caroli V Imperatoris, ac Hiſpaniarum regis convenire numquam voluit. De pecunia, quâ Hieroſolymam navigaret, minimè laborabat, certiſſima ſpe nixus, Deum expeditam ſibi navigationem daturum, ut ſanctorum locorum conſpectu aliquando frueretur. Atque cum multi multa contrà adferrent, & peregrinorum bona pars, recenti miſerabilique Rhodi expugnatione exterrita, retroceſſiſſet; ejus tamen ſenſibus inſitum erat, etiamſi una tantùm navicula eò curſum dirigeret, ſe illo anno Hieroſolymam perventurum. *pergit tamen Deo confiſus:*

cujus monitu à ſenatore benignè habetur; & ab Hiſpano navem impetrat;

71 Venetiis dum moraretur, vetere ſuo inſtituto ſtipem cogebat: in platea divi Marci noctes agebat. Sed ex ſenatorio ordine quidam *g* noctu domi ſuæ cum eſſet, excitari ſe repentè hujuſmodi vocibus ſenſit: Tune, inquit, ut mollibus veſtitus domi tuæ ſis; ſervus meus ſeminudus in porticu jaceat? tu in lecto pretioſo molliter dormias; ille dura cubet humo? Quibus ſtimulis concitatus ſenator, ſurgit confeſtim, foras proruit, per incerta vagatur, humi cubantem offendit Ignatium, domum ea nocte perducit, & liberaliter tractat. Deinde ne in honore haberetur, ab eo Ignatius diſceſſit, & ad hominem Hiſpanum, ejus rogatu, divertit. Ducem Venetiarum Andream Gritum Hiſpanicè allocutus, facilè impetravit, ut in prætoria navi, quâ ejus inſulæ præfectus tranſmittebat, in Cyprum uſque gratuitò tranſportaretur. Prætoria porrò navis idoneam navigandi tempeſtatem expectabat, cum altera, quâ peregrini vehebantur, è portu priùs ſolviſſet.

g

E

quam conſcendit gravi cum valetudinis periculo.

72 Operientem navim, & conſcendere parantem, graviſſima ſubitò febris illum corripuit: & cum dies aliquot afflixiſſet, tandem diſceſſit: ſed illud incommodè cecidit, ut ſolvendi tempus in eum diem incurreret, quo pharmacum à medico præſcriptum ſumpſerat, qui eo quidem die citra magnum vitæ diſcrimen Ignatium navim poſſe aſcendere negabat. Sed ille ſapientioris, divinique medici conſilio ductus, eo ipſo die, hauſto conſcendit. Atque ita accidit, ut cum multum maris jactatione evomuiſſet, magnam is dies principio morbi levationem, deinde etiam ſanitatem integram adferret. Cum autem quorumdam flagitia graviter ferret, & magna ſpiritus & orationis libertate acriùs inſectaretur: neque ab aliis vectoribus aliquod ei exitium timentibus, reprimi ullo modo poſſet: conſilium ceperunt nautæ, ut illum in inſula quadam deſerta & vaſta exponerent. Sed cum navis ad deſtinatum locum penè eſſet appulſa, ſubito vehementique vento repulſi, perpetrare meditatum facinus nequivere. Itaque brevi Cyprum attigit: nactuſque peregrinorum navim, in eam tranſcendit: nihilo plus viatici ſecum inferens, quàm in priorem intulerat, veriſſimam nimirum ſpem in Deum: qui ſæpè Ignatio toto navigationis tempore ſeſe oſtendit, illumque incredibili conſolatione permulſit, ac ſuſtentavit, & in portum à ſe toties tam vehementer optatum tandem invexit.

F

CAP. XI.

Sanctam attingit civitatem, cum deſiderio ibi manendi; *h*

73 Decima quarta die menſis Julii, anni Domini MDXXIII (ſicut in commentariolo quodam, ejus ipſius manu ſcripto, invenio) Venetiis ſolvit. Quod hujus menſis reliquum erat, & totum menſem Auguſti in navigatione conſumpſit. Itaque pridie Kal. Septembris Joppem *h* navis appulſa eſt. Quarto verò die Septembris ſub meridiem in Sanctam civitatem ingreſſus eſt. Nam vel ex hac tam diligenti dierum obſervatione, & curioſa

A ſa annotatione temporis facilè conjici poteſt, quanta Ignatii jam tum eſſet in Deum pietas, quanta in conſiliis factiſque omnibus meditatio. Hieroſolymam igitur cùm primùm venit, admirabilem in ipſo Sanctæ civitatis aſpectu conſolationem percepit, quam conſtantem, quamdiu in ea urbe fuit, perpetuamque ſemper habuit. Deliberatum erat Ignatio Hieroſolymis remanere, & ſacris locis, qui ex impreſſis Chriſti Domini noſtri veſtigiis miram redolent pietatem, religioſè colendis viſendiſque reliquum vitæ traducere, proximoque ſalutiprofuavirili deſervire. Cujus propoſiti alteram de manſione partem (nam alteram de ſalute animarum curanda, nulli hominum apertebat) divi Franciſci Hieroſolymitani cœnobii præfecto indicavit, & in eam rem commendatitias litteras, quas adferebat, reddidit: ac ne ipſis inopia fortè laborantibus oneri eſſet, nihil ſe aliud velle dixit, quàm ut ſuorum peccatorum confeſſionem audirent.

B *ſed inde migrare jubetur:* 74 A quo bene ſperare juſſus eſt, re tamen in adventum miniſtri Provincialis rejecta. Qui cum paulò pòſt rediiſſet, hortatus eſt Ignatium, in Italiam ut reverteretur, ne pio quidem, ſed præcipiti conſilio deceptus, in ea mortis vel ſervitutis pericula incideret, in quæ permulti alii, ſimili pietatis ſpecie adducti, incurriſſent. Sed cum Ignatii animus periculorum magnitudine ab incœpto deterreri haud poſſet, ſeque (niſi conſcientia fortè, aut religione aliqua impediretur,) in ſententia permanſurum, omnino præ ſe ferret; Provincialis miniſter ab Apoſtolica ſede poteſtatem ſe habere dixit, amandandi aut retinendi, quos amandandos aut retinendos exiſtimaret: ſacris præterea interdicendi eis, qui ſibi non obtemperarent. Diſcederet proinde bono ac libenti animo, quandoquidem facilè poterat in animum inducere, Dei hanc eſſe voluntatem, quam ipſe loci, rerumque naturæ gnarus, amicè, fraternéque declarabat; ne tradita ſibi poteſtate contra voluntatem ſuam uti cogeretur. Quibus verbis fidem habuit, conſiliumque Dei, aliò ipſum vocantis, ſecutus, ſe dicto audientem fore dixit.

ante reditum loca quædam ſancta curiosè perluſtrat. C 75 Cum de reditu cogitaret, magno reviſendi montem Oliveti deſiderio incenſus (in cujus lapide quodam Chriſti ſalvatoris noſtri aſcendentis in cælum, pedum veſtigia cernuntur impreſſa) clanculùm ſe à ſociis ſubduxit, ſoluſque, nullo duce, nullo comite, nullo Turca cuſtode (quæ res periculoſiſſima eſt) in montem advolavit. Et cum ei aliud nihil ſuppeteret, gladiolum ſcriptorium, ut admitteretur, cuſtodi pro mercede dedit: atque eximiâ lætitiâ perfuſus, in Bethphage properavit: ſed ſtatim in Oliveti montem recurrit, ut qua in parte pedis dextri veſtigium, qua ſiniſtri eſſet, diligentiùs animadverteret, forficeſque ex theca detractas, ut rurſus admitteretur, cuſtodi dedit. Sed redeuntem gaudioque maximè exultantem Chriſtianus quidam, à Franciſcanis ad eum perquirendum miſſus, Ignatium invaſit, multa minitans, ac truci vultu frendens, quòd ſe in tantum diſcrimen objeciſſet, brachioque apprehenſo ad cœnobium uſque pertraxit. Ipſe verò facilè duci ſe paſſus eſt, magnamque in eo itinere, atque ſingularem à Domino conſolationem accepit, cùm ita correptus brachio, & impulſus, Chriſtum, ſemper ſupra ſe aſtantem, atque incedentem, & in cœnobium uſque ſibi veluti præeuntem aſpiceret.

CAP. XII. 76 Poſteaquam intellexit, divinam non eſſe voluntatem, ut Hieroſolymis remaneret, ad reditum ſe accinxit, quo in reditu nonnulla illi memoratu digna acciderunt. Erat hiemis maxima, rigidum, ac hivoſum cælum, neque ille veſtimenti plus habebat, quàm femoralia ex craſſa quadam tela ad genua uſque demiſſa, & thoracem ex nigra tela, multis à tergo locis inciſum, perexiguam veſtem, eamque attritam & vilem. In inſula Cypro tres naves repetit, quarum prima Turcarum erat, altera locupletis potentiſque hominis Veneti ingens ac valida, & adverſùs maris, ventorumque impetus ſatis, ut videbatur, armata atque inſtructa: in quam, ut Ignatium admitteret, cùm peregrini rogarent navarchum, hominemque collaudarent: Si Sanctus eſt, inquit ille, navi non indiget, ſuper undas feratur. Itaque in tertiam conſcendit, parvam, & juncturis malè coagmentatam. Eodem die, ſecundo vento tres ſimul è portu ſolverunt: ſed exorta graviſſima tempeſtate, navis ea, quæ Turcas vehebat, ùnà cum vectoribus periit. Veneta ſcopulo illiſa, naufragium, ſalvis hominibus, fecit. Exigua illa & minimè ſtabilis, in qua Ignatius erat, ægrè quidem, ſed tamen portum quemdam Apuliæ tenuit.

A. PETRO RIBADENEIRA. Mira quædam in ejus reditu.

E 77 Inde Venetias ſalva pervenit, duobus, & eo ampliùs menſibus in ea navigatione conſumptis. In ea urbe nonnihil recreatur. Quindecim ſexdecimve nummos argenteos hoſpitis cujuſdam ſui liberalitate, & ad fovendum ſtomachum frigoris vi debilitatum, panni aliquantulum accipit: inde Hiſpaniam versùs diſcedit. Ferrariæ dum orat in templo, ab illo (ut fit) etiam mendicus quidam eleëmoſynam petiit: Ignatius benignè dat: ejus, qui acceperat, admonitu, reliqui egeni, qui pro templi foribus aſtabant, certatim ad Ignatium confluunt: quibus ille quotquot habuit nummos, ad unum elargitur: atque è templo exiens (mendicis omnibus magnis illum vocibus ſanctum inclamantibus) mendicare ipſe è veſtigio incipit panem, quo eo ipſo die veſceretur. Ferrariâ Genuam profectus eſt: ſed cum bello atroci inter Hiſpaniarum Galliarumque reges Gallia Ciſalpina omnis arderet, admonitus eſt, ut de via deflecteret, ne à militibus exceptus pœnas acerbiſſimas daret, quas multi antea dederant. Ipſe verò qui Dominum habebat ducem, firma in eum fiduciâ ſeptus, ite perrexit.

Venetiis Ferrariam profectus; indè Genuam petit:

F 78 Aliquantulùm progreſſus, in militum Hiſpanorum poteſtatem venit. Qui exploratorem ex habitu & ſpecie rati, primo quidem verbis hominem mulcent: deinde diligenter excutiunt, omneſque partes corporis petulantiùs etiam perſcrutantur. Cum eorum nihil, quæ ſuſpicabantur, inveniſſent, veſte ſpoliatum ad præfectum adducunt. Atque ante id tempus quidem, ut ruſticanus & agreſtis haberetur, omnes, quos alloquebatur viros etiam principes, inurbanè erat ſolitus, & contra communem aliorum morem compellare. Sed dum ducitur ad præfectum, nova quadam formidine correptus, dubitare cœpit. num expediret, ſuam illam conſuetudinem intermittere, & alium loquendi urbaniorem modum, & communi uſui propiorem uſurpare, ac ducem illum alloqui, quam aliós ſolebat, honorificentiùs; ne ille fortè contemptum ſe putans, acerba in ipſum ſupplicia conſtitueret.

quo in itinere indignè tractatur à militibus;

ex modo agendi ab eorum duce pro ſtulto habitus.

79 Hanc tamen cogitationem ab humano metu profectam intelligens, ita repulit, ut eam ipſam ob cauſam, nullum planè honorem duci habere decerneret: quod & fecit. Namque ex illo dux, cujas ſit, quærit? Ille verò tacet: unde veniat? ſilet: nomen ſciſcitatur: nihil reſpondet: denique ad interrogationes varias multi-

A. PETRO RIBADENEIRA.

pliceſque fixis in terram oculis, animo in cælum, tacitus perſeverat, ad unam illam; Eſne explorator? tantùm inquit, Non ſum: ne juſtam injuriæ cauſam dediſſe videretur. Tunc dux irâ percitus, milites graviſſimis verbis corripere, ſtultitiam accuſare, quod inſanum hominem ad ſe adduxiſſent, & ſimul præcipere, ut eum amoveant, & abire permittant. Hic milites ducis increpatione irritati, pugnis hominem & calcibus tundunt, variiſque contumeliis indignum in modum afficiunt. Narrabat ipſemet poſtea mirabilem quamdam ſe id temporis conſolationem accepiſſe, cum ejus ignominiæ veniret in mentem, quâ Chriſtus redemptor noſter ab Herode, & ab ejus militibus affectus eſt. Poſt hanc deriſionem, & per ora hominum traductionem, non defuit militi ſuo Deus. Nam Hiſpanus quidam communi humanitate ductus, jejunum adhuc fatigatumque Ignatium, ac peſſimè acceptum refecit. Qui poſtridie iter ſuum proſequens, à Gallis ſpeculatoribus ex turri excubias agentibus, captus iterum eſt, ad ducemque perductus: à quo perhumaniter acceptus ac dimiſſus eſt: Genuamque pervenit: & inde opera Roderici Portundi, hominis Cantabri, Hiſpanicarum triremium præfecti, ſibi quondam in Catholici regis Ferdinandi curia noti, in navim aſcendit; & Barcinonem non abſque periculo renavigavit.

B

CAP. XIII. *Barcinone incipit litterarum ſtudia anno ætatis 33;*

80 In Hiſpaniam eo conſilio rediit, ut operam ſtudiis litterarum daret, ad eamque rem Barcinonem *i* commodam ſedem ſibi & maximè opportunam delegerat. Nam ſacris Hieroſolymæ locis excluſus, ſeſe in omnes partes verſare cœpit, & quid ageret, potiſſimùm quærere, quod Deo eſſet quam gratiſſimum. Cum omnia ſecum diligentiùs reputaſſet, denique ſtatuit, quo proximis ejus opera utilior eſſet, ad ſpiritus divini unctionem, litterarum quoque cognitionem adjungere. Quamobrem cum femina quadam *k* primaria, & de ipſo optimè merita, & cum ludimagiſtro quodam, nomine Ardebalo, viro probo, & ad omnem pietatem propenſo, ſuum hoc conſilium communicavit: quo utrique probato, altera ſumptus, operam ſuam alter, & induſtriam eſt pollicitus. Cœpit igitur anno noſtræ ſalutis MDXXIV grandis jam natu (annum enim agebat XXXIII) ſtudia non ætati, ſed ſpiritui ſuo convenientia exercere, primaque grammatices rudimenta devorare.

i

k

C

quorum fructum miro modo dæmon conatur impedire, ſed fruſtra.

81 Sed cum neque exilium, ſpinoſarumque rerum ſubtilitas, neque inuſitati ſtudii labor ullâ ejus animum moleſtiâ afficeret: perturbabat tamen illuſtrationum, quas inter ea ipſa ſtudia percipiebat, tum magnitudo, tum crebritas. Nam cum nominum, & verborum memoriæ mandare inflexiones vellet, tanto ſplendore animus illuſtrabatur ad res divinas intelligendas, ut novi ediſcere nihil poſſet: & ſi quid antea eſſet memoriæ traditum, id totum facilè efflueret. Neque omni ſtudio, animique contentione poterat aut arcere appropinquantes, aut ingreſſas hujuſmodi cogitationes abigere. Cujus rei novitate perculſus, Quid hoc, inquit, rei? Cum oramus, cum confitemur, & ſuperſubſtantialem panem accipimus, cum vigilamus, cum nos verberibus cædimus, cum ſpiritalia omnia ac divina munera obimus, neque tam frequentes, neque tam magnæ, neque tam vehementes ſe nobis illuſtrationes offerunt: cum puerilia agimus, & de Deo propter Deum non cogitamus, tum ſpecioſæ noſtræ menti imagines, & cæleſtes illuſtrationes occurrunt. Agnoſco, agnoſco importuniſſimi hoſtis calliditatem: agnoſco veteratoris dolos, & aſtutiam. Cujus conatibus ut occurreret, & conſilium diaboli ſe à ſtudiis malitioſè avocantis eluderet, præceptorem ſuum, in templum, cui ſanctæ Mariæ à Mari cognomen eſt, ut veniat, rogat. Illi dæmonis tentamenta narrat: ſuam in duos proximos annos aſſiduitatem pollicetur, ſe à lectionibus non abfuturum (panis modo ſibi & aqua ad victum ſuppetat) fidem ſuam obſtringit. Et ſimul ſeſe ad pedes abjicit, ab eo etiam atque etiam petit, ut ſe pro puero habeat, verberibus graviter accipiat, ſicubi minùs attentum, aut diligentem eſſe deprehenderit. Atque hac tam vehementi ejus animi contentione, diaboli fraus repulſa eſt, & pax tum illi divinitus reddita.

D

Lectione Eraſmi Roterodami abſtinet, utitur Thoma à Kempis.

82 In hac ſtudiorum palæſtra verſanti, pii quidam, ac docti viri conſilium dederunt, ut Eraſmi Roterodami, qui eo tempore bonus latinitatis auctor habebatur, libellum De milite Chriſtiano legeret, ut ſermonis ſcilicet elegantiam cum pietate conjungeret. Cujus conſilii confeſſarius etiam ad reliquos auctor acceſſit. Quod cum Ignatius ſimpliciter feciſſet, obſervavit, illius libelli lectione refrigeſcere in ſe ſpiritum Dei, & devotionis ſenſim ardorem reſtingui. Qua re animadverſa, librum de manibus omnino abjecit, & ita eſt averſatus, ut nec ipſe ampliùs legerit illius auctoris libros, & paſſim in Societate noſtra legi vetuerit. Thomæ de Kempis De imitatione Chriſti libello *k* plurimùm tum utebatur, illiuſque lectionem valde ſemper probavit, atque ita illius libri ſpiritum & doctrinam hauſit, tam avidè arripuit, tam perfectè in ſe expreſſit, ut (multorum judicio) Ignatii vita ſolida quædam, eminens, ac viva eſſet imago eorum præceptorum omnium, quæ aureo illo libello continentur.

E

k

Aliorum judicio ad philoſophiam pergit.

83 Barcinonem poſtquam revertit, valentiori ſtomacho fuit, quam Manreſæ fuerat: quocirca acriores pœnitentias, propter ſtomachi imbecillitatem, ac itineris difficultates intermiſſas, repetere ſtatuit: cœpitque calceorum ſoleas perforare, & paulatim magis magiſque diſcindere; ſic, ut ineunte hieme diſſolutis jam ac fractis ſoleis, plantis omnino nudis, pedibus ſupernè tantùm tectis, ad vitandam oſtentationem, incederet. Barcinone duos annos operam Ardebalo diligenter dedit; tantumque in Latinæ linguæ cognitione profecerat, ut præceptori aptus jam ad graviora ſtudia videretur. Cujus judicio cum alii nonnulli eruditi viri aſſentirentur, illumque omnes ad philoſophiæ ſtudium capeſſendum hortarentur: ipſe tamen, qui ad reliquas diſciplinas optima jacere latinitatis fundamenta cupiebat, non priùs illorum conſilio paruit, quam doctor quidam, præſtanſque theologus, cognito quantum in litteris profeciſſet, ceterorum ſententiam probavit, & ut commodiùs philoſophiæ ſtudiis vacaret, ad Complutenſem academiam ut proficiſceretur, ſuaſit, quod & fecit anno Domini MDXXVI.

F

ANNOTATA.

a *Barcinonenſi in tranſitu tentata fuit Sancti patientia, ex Commentario* § 11.

b *De expreſſione hujus nominis conſule annotata noſtra ad cap.* 5 *Vitæ Conſalvianæ lit.* c.

c *Garſias loco mox citato illud* S. Juſti *vocat.*

d *De hoc loco agitur in annotatis ad Vitæ à Conſalvo conſcriptæ caput* 4 *lit.* a

e *Ibidem lit.* c *expoſui hunc locum.*

f *Vocatur ibidem lit.* e Chioza.

g *No-*

g *Nomen ei fuit* Marcus Antonius Treviſanus, *ex Bartolo lib.* 1, *num.* 23.

h *Nonnulla in dictis annotatis præmiſi lit.* g.

i *Studia, habitationem, res geſtas, ac prædictas Barcinone, illuſtrat Commentarius* § 11. *Suſpenſo autem tempus pœnitentiæ impetratum miro modo, an miraculoſo,* § 13.

k *Nimirum* Eliſabetha Roſella, *ex Vita breviore Ribadeneiræ cap.* 6; *ſeu* Roſer. *Vide ſuprà lit.* b.

l *Libellum hunc quanti fecerit ſanctus Pater, intelligitur ex Commentario* § 62.

CAPUT V.

Acta Compluti & Salmanticæ; profectio Pariſios.

a CAP. XIV. Complutum a ingredienti Martinus Olavius b puer occurrit, eleemoſynamque primus omnium eſt impartitus, is qui longo poſt tempore, ætate jam confirmata, excellenti doctrina, magnaque auctoritate præſtans, Societatem noſtram eſt ingreſſus. In eo oppido ad hoſpitalem pauperum domum divertit, oſtiatim ex more panem in victum mendicat. Id dum aliquando facit, à ſacerdote quodam irridetur: ab aliis etiam otioſis hominibus præteriens contumeliis afficitur. Sed novi Altozanæ noſodochii moderator id graviter ferens, Ignatium ad ſe vocatum, in noſodochium ſuum perduxit. Ibi commodiore loco habitus, animum cùm ad Logices, ac philoſophiæ ſtudium contulit, tum verò ad pietatem religiosè colendam, & proximorum ſalutem ſtudiosè procurandam. Nam & egenos, fameque preſſos, conquiſitis undique eleemoſynis alere, & Exercitationibus ſpiritualibus c ad pietatem informare multos, & Chriſtianæ doctrinæ rudimenta populo rudi explicare aggreſſus eſt tanto tamque inſigni fructu, ut univerſa illa civitas commota poſt ejus ingreſſum videretur. Quam rem humani generis hoſtis non ferens, conceptum in ipſum odium decrevit effundere.

Compluti eleemoſynis ac piis operibus vacat:

85 Erant id temporis Ignatio ſocii tres, qui hominis vitâ permoti, ſeſe illi ejus vitæ ſectatores adjunxerant, eodem panno veſtiti; quibus quidam Gallus adoleſcens comes acceſſerat. Quos propterea à panni ſimilitudine enſayalados d vulgo Hiſpanico vocabulo appellabant. Itaque tum horum ſocietate, tum hominum ad audiendum Ignatium concurſu, tum verò conſecuta eximia utilitate excitati multi, multa, ut fit, pro ſua quiſque opinione loquebantur, variaque, & ſupra veritatem etiam aucta in utramque partem ſpargebantur in vulgus. Rem ad Inquiſitores fidei Toletum rumor pertulit: rei novitate commoti, ut naſcenti malo (ſi quod eſſet) occurrant, Complutum veniunt: quid doceat, quid agat Ignatius, quemadmodum vivat, diligentiſſimè inquirunt. Cum autem omnia ex ordine, tum illius verba, tum facta rectæ fidei, pietatique conſentanea reperiſſent, ne appellato quidem illo, rem integram archiepiſcopi vicario, qui tum Joannes Figueroa e erat, relinquunt, ipſi Toletum revertuntur. Interjectis aliquot diebus, vicarius Ignatio, ſociiſque ad ſe vocatis dixit, inquiſitum eſſe diligenter in eorum vitam atque mores, totamque inquiſitionem, & cauſam accuratè eſſe perſcriptam: nullum tamen errorem in doctrina, nullum in vitæ ratione vitium inveniri. Quocirca poſſe illos pro ſuo arbitrio agere, citraque impedimentum ullum in proximorum ſalutem incumbere. Illud tamen ſibi haud placere, quòd uno omnes veſtitu, cum Religioſi non eſſent, uterentur: ſatius fore, idque ſe velle, atque etiam præcipere, ut ſocii duo nigris veſtibus, duo alii rufis induerentur, Gallus adoleſcens ſuum habitum retineret. Ignatius, facturos ſe, quæ jubebantur, reſpondit: quod & fecerunt. Poſt paucos item dies vicarius Ignatium nudis pedibus vetat incedere: ipſe verò calceamenta induit, ut erat in hujuſmodi rebus, cum præciperentur, facilè obſequens.

inquiritur in ejus ac ſociorum vitam:

A. Petro Ribadeneira.

injoni in carcerem ducitur:

86 Aliquot menſes effluxerant, cum demùm in ejus vitam inquiritur: ſed poſt magnam inquiſitionem, tum etiam intactus relinquitur. Neque tamen idcirco quieto eſſe illi in poſterum licuit. Etenim in eorum numero, qui multum in pietate Ignatii conſiliis profecerant, duæ feminæ f erant viduæ, mater & filia, nobiles & honeſtæ, filia etiam ætate florens, & forma. Quæ pio quidem, ſed non ſecundùm ſcientiam deſiderio permotæ, primùm quidem Ignatio improbante, poſtea verò etiam neſciente, ſolæ ſuis pedibus, & in ſpeciem mendicæ, longam peregrinationem religionis causâ ſuſceperant. Quæ res Ignatio magnam immeritò conflavit invidiam. Nam ad eum jam extra xenodochium habitantem, ac nihil tale ſuſpicantem apparitor vicarii venit; facilè ſequentem, in carcerem ducit. Æſtivum tempus tunc erat, carcereque liberiori utebatur: quocirca frequentes ad eum auditores confluebant, quibus Chriſtianas ipſe inſtitutiones enucleabat, ſpiritaleſque Exercitationes nihilo quam antea remiſſiùs tradebat. Illuſtribus nonnullis viris atque feminis (in iis Tereſæ de Cardenas, genere & pietate præſtanti, & Leonoræ Maſcareniæ, Philippi Hiſpaniarum principis poſteà moderatrici) ſua ad illum liberandum ſtudia profitentibus remiſit, neque illorum auctoritatem interponi, neque ullum omninò patronum aut advocatum adeſſe ſibi apud judicem paſſus eſt. Nam cum nullius ſibi conſcius eſſet culpæ, defenſionem neceſſariam non putabat, & ſimul optabat multa pro Chriſto ſubire incommoda, & ab eccleſiaſticis magiſtratibus dirigi, quibus obedientem ſemper ſe, ac facilem præbuit. Unus ex ſociis Segoviæ id temporis erat, nondum planè ex gravi morbo confirmatus. Qui cum in vincula conjectum Ignatium accepiſſet, properè Complutum venit: in eumdem ſe carcerem ultrò includit: Ignatii monitu, vicario ſe ſiſtit: illius juſſu in carcerem reducitur. Sed paulò poſt Ignatii curâ eximitur, de imbecilla illius valetudine magis, quàm de ſua incolumitate ſolliciti.

interrogatus reſpondet; ac ſententiam audit:

87 Septimum decimum jam diem in carcere Ignatius agebat, cum nihil ipſe vel ſciret, vel conjecturâ aſſequi poſſet, quam ob rem eſſet in cuſtodiam à judicibus traditus. Tunc Figueroa in carcerem ad eum venit, multa de homine ſciſcitatur, inter alia, eáſne, quas dixi, matrem, ac filiam nôſſet? Annuit Ignatius. Tum vicarius: Ecquid illis profectionis auctor, aut conſcius, antequam abirent, fuiſti? Nihil certè minùs: immò hoc tibi affirmo, percurſationes ejuſmodi in univerſum illis diſſuaſiſſe me, ne filia ea ætate ac forma in cujuſquam petulantiam incurreret. Poſſe illas intra domeſticos parietes, non minùs pietati vacare, quàm foris, & quidem tutiùs, ac liberiùs. Cui judex arridens, Atqui iſtæc ipſa, inquit, eſt cauſa, cur comprehenſus ſis.

Duo

A. PETRO RIBADENEIRA.

Duo & quadraginta dies abierant ab eo die, quo in carcerem primùm missus est: tum reversis jam mulieribus, & interrogatis, publicus vicarii scriba Ignatium convenit: judicis sententiam legit. Eâ sententiâ tria continebantur. Primùm, Ignatium, sociosque prorsus integros, atque innocentes videri. Alterum, ut idem habitus illis, qui reliquis scholasticis, idemque vestitus esset. Postremum, ut, quoniam essent in sacris litteris rudes (quod consultò ipsemet non obscurè præ se ferebat Ignatius) ne ad populum de sacrosanctis Christianæ religionis arcanis, ad quatuor proximos annos, loquantur, quibus quidem cognitionem rerum majorem sibi paravissent.

88 Eâ sententiâ auditâ, respondit judici de ea parte, quæ ad vestitum pertinebat, Ignatius: Cum nos jussistis vestes nostras inficere, non gravatè obtemperavimus: quia facilè erat eidem panno alium colorem inducere: nunc verò, cum pretiosum habitum, & minimè egenis conveni-entem imperatis, obedire non possumus: neque enim id præstare in nostra est potestate. Itaque judex vestes illis, pileos, ceteraque scholasticorum more emi à se jussit. Sed Ignatius post sententiam nonnihil hæsitavit, quòd cursum suum impediri, aditumque sibi ad salutem proximorum intercludi cerneret. Itaque statuit ad Toletanum archiepiscopum Alfonsum Fonsecam, Pintiæ *h* commorantem, se conferre; ejusque judicio stare: ad quem eum in modum, quem diximus, indutus cum sociis discessit. Illum benignè exceptum archiepiscopus fovit, & sua sponte ad Salmanticensem academiam propensum viatico juvit, suamque & suorum operam atque omne genus officii humanissimè detulit.

quæ quia Sanctum impediebat in salute animarum, diò cogitat.

g

B

h

CAP. XV. *Salmanticæ in cœnobio FF. Prædicatorum multis interrogatur:*

89 Salmanticæ cœpit (ut consueverat) populi animos ad Christi imitationem acuere. Ex more sæpius confitebatur pio cuidam, & religioso ex Dominicana familia viro, qui in doctissimo illo divi Stephani conventu commorabatur. Haud ita multò post quam Salmanticam venit, confessarius Ignatio significat, sui cœnobii fratres, magno ipsum alloquendi audiendique desiderio teneri. Cum se præsto esse respondisset, ad prandium in diem Dominicum invitat, simulque ut sese præmuniret, præmonet; velle illos multa de ipso sciscitari, multa cognoscere. Ad conditum diem Ignatius cum socio venit; pransi, in sacellum ipsi, confessarius, fratres præterea duo conveniunt, quorum alter cœnobium pro Priore gubernabat. Is blandè Ignatium intuitus, ac benevolè, Gaudeo, inquit, cum tam multa de tua virtute ac moribus passim prædicari audio, teque eum esse, qui non tibi solùm, sed aliorum etiam saluti servias, & Apostolicum in morem circumiens, populos doceas. Neque hoc præcipuum mihi, sed commune etiam cum reliquis nostris gaudium est. Quod quo solidiùs gaudeamus, cupimus his de rebus sigillatim aliqua ex te sanè audire, imprimisque in quo studii genere evigilaveris, quibus in litteris versatus sis.

C

ad quæ respondet,

90 Cum simpliciter candidéque id, quod erat, Ignatius respondisset; Quid est ergo, inquit, quod tam tenui doctrina præditi, ac primis vix litteris imbuti, concionamini? Nos verò, Ignatius inquit, non concionamur, sed interdum, cum res fert, de divinis rebus familiariter loquimur. Et ille, De quibusnam, inquit, divinis rebus? hoc enim est, quod maximè scire avemus. Tunc Ignatius: Nos aliquando, pater, de virtutis dignitate, ac turpitudine vitiorum loquimur: eos, qui nos audiunt, ad virtutes hortamur, à vitiis abducimus. Vos, Prioris vicarius inquit, indocti estis, ut vos ipsi profitemini; de virtutibus tamen, & vitiis sermonem habetis: atqui de his quidem verba rectè facere nemo sanè potest, nisi aut doctrinâ labore partâ, aut divinitus infusâ: id vobis doctrina non præstat: Spiritus ergo sanctus. Atque hoc est de Spiritu sancto, quod scire cupimus. Hic aliquantisper Ignatius hæsit, novo illo genere argumentandi commotus.

D

rationem reddens sui modi agendi i

91 Post aliquantulum verò silentium, cum se collegissent, Sit, inquit, satis: nihil enim est opus, ut ultra progrediamur. Cum verbo de Spiritu sancto vicarius premeret, & vehementer ad respondendum, Ignatium urgeret, elicere ab ipso illud tantùm potuit: Ego, pater, nihil quidem amplius dicam, nisi id fortè jubeant, qui superiores sint, & mecum agere suo jure possint. Cum tot mundum, vicarius inquit, errores infestent, tot novæ pestes quotidie existant; quæ doceas, explicare non vis? Atqui facilè efficiemus, omnia ut dicas. Hic, inquit, manetote. Remanent Ignatius & socius in sacello. Illi festinanter abeunt. Omnes cœnobii fores occludi jubent, in cubiculum homines abducunt: tres ipsos dies eos retinent in cœnobio: qui quidem dies Ignatio fuere lætissimi. Cum monachis cibum unà capiebant: ubi Ignatius erat, eò multi ex ipsis ad illum audiendum ventitabant: cubiculum ferè semper erat auditoribus refertum, quibus ipse audacter, palamque de divinis rebus ex more loquebatur, multisque suum institutum, ac docendi rationem probabat. Quocirca dissensio quodammodo inter illos facta est, cum alii probarent, alii verò improbarent ejus doctrinam.

E

deinde à vicario episcopi in carcerem detruditur, & interrogatur:

92 Interea Religiosi patres, temporum calamitatibus admoniti, & Ignatii de divinis rebus loquendi vi ac libertate, hominum ad eum concursu, rumore denique ipso (qui aliquid veritati semper affingit) commoti, ne quid fortè mali subesset, rem deferunt ad episcopi vicarium. Vicarii apparitor post triduum in cœnobium venit: Ignatium, sociumque comprehendit: in carcerem contrudit, non quidem in inferiorem cum facinorosis hominibus, sed in superiorem quemdam à communi habitatione sejunctum, malè materiatum, pervetustum, repletum sordibus, fœtore tetrum, atque eâdem catenâ duodecim, tredecimve palmorum longitudine, altero utrumque pede colligat, atque ita constringit, ut alter alteri semper adesse cogeretur. In hunc modum noctem illam pervigiles, orantesque traducunt. Postridie, ubi resciturn est, eos in custodia esse, lectorum stragula, cibos, reliqua vitæ necessaria abundè suppeditârunt pii viri, quorum magnus numerus, audiendi causâ, ad Ignatium concurrebat. Ille verò morem suum illum retinebat virtutes ornandi, accusandi vitia, excitandi omnes ad humanarum rerum despicientiam. Baccalaureus quidam Frias, episcopi vicarius, ad eos in carcerem venit: utrumque separatim interrogat: illi Ignatius scripta sua, hoc est, Exercitationum spiritalium librum *i* ad examinandum tradit: duos (præter eum, qui secum erat) socios sibi esse monet: locum, ubi sint, indicat.

F

i

postea adducitur ad quatuor judices; qui examinant libellum Exercitiorum &c.

93 Socii illi, vicarii jussu, in inferiorem carcerem detruduntur, ubi reliquæ custodiæ asservabantur, quò ab Ignatio, parietibus disjuncti essent. In hac item jactatione, & oblata sibi tempestate, nullum innocentiæ suæ defensorem adhibuit. Præterierant aliquot jam dies, cum ad judices quatuor, viros eruditos, & graves, Ignatius adducitur. In iis tres doctores fuerunt, Isido-

A fidorus, Paravigna, Frias; quartus is, qui eſt à me nominatus baccalaureus Frias, quem pro epiſcopo fuiſſe jàm diximus. Hi omnes traditum Exercitationum librum legerant, & curioſiùs etiam expenderant. Productum ad ſe Ignatium multa rogant, multa non modò de libro illo, ſed de abſtruſis, reconditiſque theologiæ quæſtionibus, de inexplicabilibus ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, atque Euchariſtiæ myſteriis, & id genus alia percontantur. Ad quæ Ignatius (ſe ineruditum modeſtè præfatus) tam doctè graviterque reſpondit, ut magis admirationi eſſet, quàm reprehenſioni locus.

Prohibent ad tempus, ab eo doceri diſcrimen inter peccatum mortale ac veniale.

94 Deinde epiſcopi vicarius quæſtionem ex jure canonico enodandam Ignatio propoſuit: quam ille (cum ſe priùs ignorare Doctorum de ea re ſententias dixiſſet) ita diſſolvit, ut ſcopum ipſum attingeret. Denique juſſus eſt, primùm Decalogi præceptum, ut populis ſolebat, exponere. Ille verò tam multa, tam exquiſita in eam rem diſſeruit, ut omnem illi ultra interrogandi cupiditatem abjicerent. Unum erat, quod judices non

B ſatis probare videbantur: quod initio ferè Exercitationum ſpiritalium poſitum, eam doctrinam continet, quâ docemur, cogitationem, quæ peccatum veniale ſit, ab ea cogitatione, quæ ſit mortifera, verè ſecernere. Id vitio propterea vertebant Ignatio, non quod falſum eſſet, ſed quod, cum minus eſſet doctrinâ excultus, ea conſtitueret, quæ diſcerni abſque magna doctrina non poſſunt. Ad quod Ignatius tantùm: Verane ſint an falſa, quæ ſcripſi, veſtri judicii eſt (ego enim meum non interpono:) ſi vera ſunt, probate; ſi falſa, rejicite. Illi tamen nullo modo improbare auſi ſunt.

Ignatius carcerem & fert lubenter, & graviora pati deſiderat: k

95 Multi, ut ſuprà diximus, ad Ignatium, viſendi audiendique gratiâ, conveniebant; ex quorum numero Franciſcus Mendoſius *k* (is qui Burgenſis Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis poſtea exceſſit è vita) vicem illius dolens, ab eo familiariter aliquando quæſivit, dolenterne ferret carcerem illum, ac vincula. Cui Ignatius: An tantum malum tibi videtur carcer eſſe? At verò non tam multæ Salmanticæ compedes ſunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Chriſto cupiam. Atque etiam ſacratæ quædam feminæ, ſanctitatis Ignatii opinione commotæ, & privatis ejus colloquiis ad pietatem aliquando incenſæ, ad ipſum in carcere incluſum epiſtolam ſcripſerunt; in qua

C & ejus injurias dolebant, & eos, qui Ignatium in periculum illud diſcrimenque conjecerant, graviter accuſabant: ad quas Ignatius reſcripſit, oppidò ſe mirari, illas, quibus crucis Chriſti myſterium notum ac pertractatum eſſe oportebat, immenſos gloriæ theſauros in cruce incluſos penitus ignorare: ſe quidem gaudio exultare, & majora & graviora propter Dominum ſuum patiendi, perferendique cupiditate vehementer ardere. Idque graviſſimis verbis atque ardentibus ſcripſit, prorſus ut illas & puderet ſui, & Ignatium imitandi patiendique propter Chriſtum inflammatum quoddam deſiderium inceſſeret. Dum in cuſtodia Ignatii ſocii tenerentur, accidit, ut reliqui vincti, præterquam illi, aperto carcere fugâ omnes evaderent. Itaque ſocii poſtero die manè ſoli patentibus foribus reperti ſunt. Idque tum apud judices, tum apud populum, multum admirationis habuit: quocirca è carcere emiſſi ſunt, & in amplam domum traducti.

96 Secundo & viceſimo die, ex quo capti fuerant; accerſiti ſunt à judicibus, ut ſententiam, quæ in eos ferebatur, audirent. Hujus ſententiæ ſumma erat, vitam atque doctrinam Ignatii, ſociorumque integram, nullaque omnino labe aſperſam videri: liberum illis eſſe, pro ſua conſuetudine, populum docere, deque omnibus rebus divinis colloqui: illud unum caverent, ne, quid mortale peccatum, quid veniale eſſet, definirent, niſi quatuor adhuc annos in litterarum ſtudio poſuiſſent. Quam ſententiam tamdiu ſervaturum ſe dixit Ignatius, quamdiu in illorum juriſdictione, ac poteſtate eſſet. Neque enim eſſe æquum, ut, nullo vitio in vita deprehenſo, nullo errore in doctrina, januam ſibi ad animarum utilitatem obſtruerent, ac loquendi liberè facultatem eriperent: ſe ſui juris eſſe, ſuæque vitæ rationibus conſulturum.

A. PETRO RIBADENEIRA. ſententia de Sancti integritate; tunc tamèn definire prohibitus peccatum mortale ac veniale.

97 Ex quo primùm Ignatius animum ad ſtudia contulit, magna deliberatione ſollicitari cœpit, utrumne, decurſo ſtudiorum curriculo, Religionem aliquam ingredi, an liber atque expeditus ad ſalutem animarum vagari; alioſque ſibi ejuſdem propoſiti ſocios deberet adjungere. Quæ ſanè conſultatio valdè ejus animum ſollicitum habuit. Quod ſi religio complectenda eſſet, ea demum ſequenda videbatur, quæ labefactata eſſet, ac planè diſſoluta; in qua videlicet multa pati; multa ab hominibus, ſeveriorem diſciplinam recuſantibus, perferre cogeretur. Sed in hac deliberatione multò in eam partem ejus animus erat propenſior, ut ſocios cogeret; quo liberiùs pleniuſque omnes ſuas curas commodis proximorum conſecraret. Quæ ſententia, quia melior, vicit. Itaque hunc animum etiam tunc habuit, cum ferreâ illâ catenâ devinctus erat; ex quâ ſimul atque expeditus fuit, Salmanticæque tantum impedimentum objici ſuis conſiliis vidit, aliò ſibi emigrandum exiſtimavit. Quod & fecit, multis optimis atque clariſſimis viris repugnantibus, moleſtéque ejus diſceſſum ferentibus.

CAP. XVI. Diſcedit Salmanticâ Barcinonem,

98 Re igitur cum ſociis communicatâ, & compoſita, ſolus aſellum libris onuſtum agens, in viam ſe Barcinonem verſùs dedit, ut Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum gratiâ ſeſe conferret. Barcinonem ubi pervenit, omnes ejus neceſſarii ac familiares, cognito ejus animo, vehementer profectionem illi Pariſienſem diſſuaſerunt. Erat ſumma hiems, bellum inter Hiſpanos Galloſque ingens & ſævum, iter infeſtum ac periculoſum, multa crudelitatis exempla, eaque recèns, ac hoſtiliter à militibus in viatores exprompta proferebantur. Hæc omnia tamen conſtantem Ignatii animum, ac divino concitatum impulſu, retardare non potuerunt. Quapropter viæ ſe commiſit, Deoque duce, ità pedibus iter illud confecit, ut menſe Februario ineunte *l*, anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi octavi, Lutetiam Pariſiorum ſanus incolumiſque pervenerit.

indeque Lutetiam Pariſiorum.

ANNOTATA.

a *Res Complutenſes illuſtrat Commentarius prævius* § 14.

b *De eo agit Orlandinus locis variis in Indice ad Hiſtoriam Societatis aſſignatis.*

c *Prima adverſus Exercitiorum ſpiritualium librum perſecutio fuit Complutenſis, ex Commentario* § 9, *num.* 85.

d *In Vita breviore* los del ſayal: *Latinè apud Quartemontium cap.* 6, tunicatorum ſocietas.

e *Recurrit infrà cum quibuſdam adjunctis, num.* 160.

f *Bartolus lib.* 1, *num.* 33 *eas nominat.*

g *Cauſæ Complutenſis exordium, progreſſus ac*

A. PETRO RIBADENEIRA.

finis indicatur in Commentario § 14, *num.* 135.

h *Id est* Vallisoleti.

i *Libri hujus persecutio secunda, fuit Salmanticensis prima, ex Commentario* § 9, *num.* 85.

k *De* Francisco Mendoza *videri potest auctor hujus Vitæ lib.* 3, *cap.* 16, *ac lib.* 4, *cap.* 4; *plura de eo dantur apud Alphonsum Ciaconium in Vitis Pontificum & Cardinalium tom.* 3, *à col.* 690.

l *Die utique secunda istius mensis, ex epistola* S. Ignatii *in Commentario* § 15, *num.* 140.

CAPUT VI.

Studia Lutetiæ Parisiorum, officia caritatis in invidiam vocata.

LIBER II. CAP. I.

Rerum temporalium angustiis retardato studiorum progressu,

B

INgressus Lutetiam Ignatius, cogitationes suas eò potissimùm contulit, ut rationem aliquam inveniret, quò eorum, quæ ad vitam necessaria sunt, curâ liberatus, in studiis ingenuarum artium sedulò versaretur. Quæ res secus longè accidit: magnam enim in illa studiorum tractatione molestiam & difficultatem sustinuit. Principio, quamdam pecuniæ summam dono sibi ex Hispania missam, accepit, eamque contubernali cuidam suo servandam tradidit: in usus ille suos commodumque convertit: solvendo posteà non fuit; itaque Ignatio periit, qui in eas angustias adductus est, ut in hospitalem divi Jacobi *a* domum divertere, & ostiatim quæritare victum quotidie cogeretur. Quod tametsi usitatum ipsi erat, & per se jucundum: multum tamen impedimenti studiorum progressibus adferebat. Jam illud permolestum, quod à gymnasio, ubi discebat, tam procul aberat. Nam cum explicationes à præceptoribus hieme ante lucem haberentur, in noctem producerentur vespertinæ, ipse cum sole domo exire (ut xenodochii leges servaret,) cum sole redire cogebatur. Cum igitur inchoata studia minimè sibi ex sententia procederent, magnoque labore exiguum fructum caperet, eam tandem rationem excogitavit, ut herum sibi aliquem quæreret, eruditum in primis virum, cui ipse deserviret, ut quod à domesticis ministeriis daretur temporis, id totum in litterarum meditatione consumeret. Quem si invenisset, statuerat illum Christi loco habere, in condiscipulis verò Apostolos ipsos cernere, & Christum ipsum sibi, sanctissimumque discipulorum illius cœtum pia cogitatione repræsentare. Quæ ejus cælestis veluti pictura quædam & conformatio in communi vitæ consuetudine, & religiosa fratrum inter se communicatione, magnopere à Patre nostro commendabatur, utpotè quæ ad retinendam in Superiores observantiam, fraternam erga pares caritatem, valeret plurimùm. Herum magnâ diligentiâ multorum conquisitum, invenire non potuit.

a

C

100 Quare ubi hæc non successit, aliam viam commodiorem inivit. Re Domino in oratione diligenter commendata, consilium religiosi cujusdam viri sequutus, in Belgas *b* annis singulis ire constituit, ut ab Hispanis mercatoribus, hominibus copiosis, qui in illa provincia negotiabantur, aliquid pecuniæ in sumptus corrogaret, & paucorum dierum jacturâ, studiorum omnium perturbationem redimeret. Hac via, tantum quotannis mercatorum liberalitate pecuniæ referebat, quantum ad vitam sufficeret frugaliter sustentandam. Primò & altero anno in Belgicam Galliam profectus est, tertio etiam in Angliam excurrit. Post triennium verò, eundi ac redeundi curâ liberatus est. Nam mercatores ipsi suapte sponte pecuniam mittebant Ignatio in annos singulos, quæ ad eam addita, quæ ex Hispania submini-strabatur, neque tenuis omnino erat, neque usque adeò angusta, ut ad illum parcè modicéque viventem, atque ad alterum etiam socium alendum non sufficeret. Atque hunc in modum Ignatius vitam tolerabat.

conquirit eleemosynas in Belgio.

b

D

Diaboli fraudibus, ac morbis impeditur studiorum successus.

101 Sed non inopiæ solùm incommodis illius affecta studia sunt, alia etiam extiterunt impedimenta. Nam diabolus, qui sibi ab Ignatio timebat vehementer, incitatum illius in litterarum studia cursum avertere moliebatur. Quamobrem philosophiæ curriculum ingredienti, eadem illi impedimenta ex cogitationum spiritalium importuna copia intulit, quæ Barcinone objecerat in rudimentis grammatices versanti. Sed fallaces illas imagines facilè depulit, & callidi hostis impetum, eadem ratione, qua superiorem illum, refutavit ac fregit. Morbis etiam sub studiorum finem, gravissimè est conflictatus. Nam etsi initio aliquanto melius illi à stomacho fuit; postea tamen voluntaria corporis vexatio, & pœnæ (quas aliquâ ex parte vel remissas auxit, vel interdum etiam intermissas Lutetiæ revocavit) studiorum labor, animi gravis ac perpetua contentio, cælum ipsum Parisiense ipsi insalubre & adversum, ita Ignatium afflixerunt, ut quò perditæ valetudini parceret, studiorum cursum intermittere cogeretur. Atque his tamen tot incommodis oppressus, tantùm in litteris profecit, ut fructus minimè pœnitendus videretur.

E

Repetit studia latinitatis, & lauream magistralem in philosophia obtinet;

c

102 In Hispania, quorumdam consilio inductus, & animas citiùs juvandi desiderio quodam incitatus, minùs explicatas studiorum suorum rationes habuit. Nam & Logicæ, philosophiæ, theologiæque studia uno tempore complexus est: quæ præpropera festinatio magnam illi moram intulit. Quapropter ut tarditate cursum corrigeret, Lutetiæ primùm in montis Acuti *c* gymnasio, se bonis latinitatis præceptoribus reformandum tradidit, in eoque studio biennium ferè consumpsit: deinde satis jam Latinâ linguâ promptus, philosophiæ cursum anno MDXXIX est ingressus; quem feliciter sanè confecit. Quare lauream magistralem *d* est adeptus, cum severè de ejus scientia periculum esset factum, lapideo (ut vulgò vocant) examine, quod omnium in illa academia solet esse gravissimum. Id, magistro suo auctore, non ad futilem ostentationem Ignatius, sed ad eruditionis testimonium fieri permisit: cum animo versaret, multa ob inopiam doctrinæ Compluti & Salmanticæ ad proximorum salutem sibi objecta fuisse impedimenta.

F

d

studet theologiæ; doctus ex suis incommodis

e

103 Spatio philosophiæ emenso, reliquum tempus, ad annum trigesimum quintum exeuntem, sacræ theologiæ *e* tribuit; parque suscepto labori fructus, Dei benignitate, respondit. Illud sanè quoniam res admonet, silentio non præteribo; ex his tot tantisque difficultatibus, quibus Ignatii studia implicata fuere, eam curam natam esse, quam de nobis providus pater suscipiebat. Pressus est magnâ ipse inopiâ: at verò cupiebat, diligenterque curabat, ut dum in studiis litterarum versarentur, ita nostris ad usus vitæ necessarios esset provisum, ut absque ulla victus quærendi sollicitudine viverent. Aiebat enim, in summa mendicitate, sapientiæ studium haud facilè posse consistere, atque animi cultum anxia illa

illâ curâ alendi corporis impediri. Ex quo his noſtram Societatem inſtitutis temperavit, ut collegiis noſtris communiter habere ea bona liceret, quæ paupertati nullo detrimento, ſcientiæ comparandæ magno eſſent adjumento. Vexatus eſt ille cæleſtium rerum haud opportunis imaginibus. Ne verò iſtiuſmodi rebus ab exercitiis avocarentur litterariis, voluit, ſtudiorum tempore & meditationes, & ipſas proximum juvandi occupationes noſtris eſſe moderatas.

ſuccurrere incommodis

104 Debilitârunt eum morbi, & idcirco filiorum ſuorum valetudini diligentiſſimè, dum vixit, per ſe conſuluit, &, ut idem ſemper fieret, eſſentque ſcholaſticorum noſtrorum conatus ex intermiſſione diuturni, in conſtitutionibus providit. Perturbatè initio diſciplinas multas uno tempore complexus eſt. Quod ne nobis eveniret, ſapienter cavit, ut noſtrorum ſtudia nihil haberent aut præpoſterum, aut mutilum & conciſum; ſed rectè omnia, atque ordine fierent: in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, didicit
B eis, qui tentantur, auxiliari. Itaque hac ipſa de re loquens Ignatius, percupere ſe dicebat aliquem ex ſtudioſorum numero nanciſci, qui tot tantiſque difficultatibus, incommodiſque conſtrictus, atque ipſe, fuiſſet, tanta contentione, parem annorum numerum in ſtudiis litterarum poſuiſſet. Et meritò quidem id dicebat, ipſe enim ſtuduit magna in primis paupertate preſſus, eaque voluntaria, atque ſpontanea omnino, & nullo modo ab obedientia profecta; tum multis morbis, diuturniſque confectus; deinde neque honores neque dignitates ſpectans, neque ullum omnino præmium humanum, quod attrahere homines ſolet, atque ad labores perferendos animare; nulla præterea voluptatis, quam ex ſtudiis caperet, invitatus illecebrâ, quæ magnum invitamentum mortalibus eſt laborum.

ſuorum filiorum,

105 Imò verò & ſuapte natura, & propter ætatem jam maturam, & ad diſciplinas addiſcendas minùs idoneam, & propter deguſtatam ſpiritûs ſuavitatem, à ſtudiis litterarum abhorrebat. Habuit denique toto ſtudiorum tempore occupationes multas, perſecutiones permoleſtas, magnas atque innumerabiles curas, quæ ſtudiorum illius curſum vel impedirent, vel retardarent. Et tamen tot rebus adverſis, tantis implicatus moleſtiis, duodecim annos litteris navavit operam aſſiduè atque ſtrenuè, ſeipſum frangens, divinæ voluntati per o-
C mnia obſequens, ſuamque ſubjiciens. Atque ut id faceret contentiùs, omnia, quæ impedimento ipſi eſſe poterant, ſtudioſè ſummovebat. Quocirca Lutetiæ inter Ignatium philoſophiæ curſum ingreſſum, Fabrumque convenerat, ut ipſo ſtudendi tempore de rebus ſpiritalibus ne loquerentur, propterea quod in ejuſmodi rerum colloquium ſi fortè incidiſſent, ita Ignatius divini amoris quaſi æſtu quodam atque impetu abripiebatur, ut cetera oblitus, longiùs ſermocinando proveheretur, tempuſque conſumeret, atque id totum de ſtudendi ratione atque utilitate detraheretur. Eadem de cauſa, ab Exercitationibus ſpiritalibus tradendis, aliiſque piis occupationibus hoc ipſo philoſophici ſtudii tempore abſtinuit, ne alienis diſtractus negotiis, remiſſior in ſtudendi propoſito, atque ſegnior eſſet.

factus eorum exemplum.

106 Quo tempore cum magna tranquillitate uteretur, nemine ipſum tunc perſequente, quidam ipſius familiaris ad Ignatium: Nonne (inquit) vides, quanta rerum viciſſitudo, quanta voluntatum commutatio facta ſit? Qui te paulò antea deprimebant, exſtinctumque cupiebant, ii nunc extollunt, & laudibus in cælum ferunt; quid hoc rei eſt? Ad quem Ignatius: Ex iſtis (ait) vinculis ſine me expediam, exſpecta dum curſum philoſophiæ conficiam, & tunc cauſam hujus tranquillitatis intelliges. Me enim tacente, tacent; quieſcente, quieſcunt: ubi me commoveo, invidiæ continuò tempeſtas exoritur, ejuſque quaſi fluctibus exagitor. Evenit, quod eventurum prædixit, & decurſo philoſophiæ ſpatio, ubi ſeſe ad homines juvandos tranſtulit, & contentiùs agere cœpit, odii & invidiæ aculei, qui excuſſi videbantur, denuo in ipſum emiſſi ſunt, ſicut paulò pòſt explicabo. Quæ dicta ſint, ut robur Ignatii, & animi in ſtudiis contentio magis eluceat.

A. PETRO RIBADENEIRA.

CAP. II.

Quia proximos ad perfectiorem viam promovet,

107 Studiorum tempore, non ſtudiis ſolùm dabat operam, ſed etiam commovendis vitæ exemplo ſcholaſticorum animis, & conſilio moniſque ad Chriſtum adducendis. Nam & antequam ad philoſophiæ ſtudium aggrederetur, nonnullos honeſtos juvenes, ingenio & doctrina præſtantes, ita inflammavit, ut continuò rebus omnibus ſe abdicarent. In ipſo autem philoſophiæ curſu, ab hac (ut diximus) juvandi alios occupatione, quaſi minùs propria & ſtudiis apta, ferè abſtinebat. Curſu verò peracto, optimos quoſque, & ad cultum cæleſtis doctrinæ appoſitiſſimos adoleſcentes ita ad hanc perfectionis diſciplinam incitavit, ut in ejus ex Lutetia diſceſſu, pluri-
E mi ejus familiares, rebus omnibus nuntium remitterent, & in ſacræ Religionis portum ſeſe conferrent. Nempe uſque eò divini amoris ardore incenſus erat Ignatii animus, ut quocumque accederet, quo ipſe ardebat igne, hominum mentes facilè accenderet. Semper tamen virtutis illius comes erat invidia.

turbæ in illum concitantur.

108 Ex quo magnæ Lutetiæ tempeſtates in illum ſunt concitatæ. Nam cum Ignatii operâ Hiſpani quidam eam morum vitæque mutationem feciſſent, ut omnia bona ſua pauperibus largirentur, ſtipem ipſi oſtiatim rogarent, &, ſuis domibus relictis, in divi Jacobi hoſpitali domo diverſarentur; ejus rei fama ſenſim ſpargi primùm cœpta eſt: deinde hominum ſermonibus ita percrebuit, ut omnem academiam Pariſienſem pervaderet, & variis in utramque partem opinionibus oppleret. Hiſpani quidem certè nonnulli, homines nobiles, & cum hiſce Ignatii jam tum diſci-
F pulis amicitia neceſſitudineque conjuncti, hoc factum illorum moleſtiſſimè tulerunt. Quamobrem ad eos celeriter veniunt; homines, domum ſuam ut redeant, hortantur; contendunt precibus, urgent minis, omnia miſcent; perſuadere tamen non poſſunt. Tum verò irâ perciti, armati multi, homines vi abſtrahunt; in eam oppidi partem, in qua academia eſt, pertrahunt; id tandem extorquent, ſuis ut ſtudiis finem imponant, animo ſuo deinceps obſequantur.

Siſtit ſe ultro Inquiſitori generali;

109 Cum autem ejuſmodi conſiliorum auctor Ignatius haberetur, in ſumma offenſione apud multos erat. In iis Petrus Ortizius, eruditionis laude florens, rei novitate fortaſſe permotus eſt, ut ejus doctrinam, de qua tam multa in utramque partem jactari audiebat, examinandam, interiuſque etiam perſpiciendam curaret. Itaque accuſatus eſt apud fidei Inquiſitorem Ignatius. Quod ſimulatque ille intellexit, nullâ morâ interpoſitâ, ultrò ipſi judici ſe ſiſtit. Is tum erat eruditus quidam graviſque doctor, Matthæus Ori, ex Dominicana familia theologus. Huic Ignatius, quid audierit, narrat; ſe, ſive verum id ſit, ſive quid ipſe aliud velit, præſto eſſe, ut ſui ratio-

A. PETRO RIBADENEIRA.

nem reddat. Judex tranquillo animo hominem esse jubet; ejus quidem nomen ad se delatum; nihil tamen sibi videri cur timeat. Aliàs item cum, studiis jam confectis, iter illi instaret in Hispaniam necessarium, renuntiatum est Ignatio, inquisitum criminosè in ejus vitam esse, rem ad fidei Inquisitorem delatam. Quod ille audiens, nihil sibi cunctandum ratus, judicem ipsum convenit: illud etiam atque etiam orat, causam uti cognoscat, proque veritate sententiam ferat. Se quidem non esse jam solum, sed habere socios, de quorum fama, atque existimatione laboret: non esse integrum sibi, rem tantam negligere, & proficiscentem in Hispaniam, falsos inanesque rumores de se dissipatos relinquere.

qui Exercitia ejus spiritualia approbat.

110 Negat judex, crimen ullum in accusatione esse, quod Ignatio sit extimescendum; vana quædam, atque inania, hominum vel errore vel improbitate jactata, contineri ait, quæ, quòd falsa ipsemet intelligeret, se ne Ignatium quidem appellasse: cupere tamen se Exercitationum spiritalium ejus librum legere. Quem cum legisset, ita probavit, ut ejus describendi peteret sibi fieri potestatem. De causa tamen judicanda, cum aut procrastinare Ignatio, aut dissimulare videretur, ne veritas mendacii tenebris demersa jaceret, publicum scribam ad judicem adduxit: testes vocari jubet: postulat suæ innocentiæ testimonium. Quod judex veritati dedit: in tabulas scriba retulit: Ignatius scriptum accepit, ut contra falsi criminis infamiam, si quando opus esset, hac videlicet testificatione uteretur. Auctores habeo ex nostra Societate idoneos atque graves, qui Ignatii factum quoddam referunt, ad rem, qua de agimus, maximè pertinens; quod quidem ego, tametsi in alia libelli hujus editione præterii, propterea quòd Ignatius ipse in narratione de vitâ suâ illud prætermisit, tamen scribendum nunc putavi. Est enim Ignatii moribus consonum, ejusque animi fortitudini, atque prudentiæ valde consentaneum.

B

Sanctus Parisiis absens ac temere suspectus, suam famam tuetur.

111 Narrant igitur ii patres, eo ipso tempore, quo Ignatius nudis pedibus, jejunus, tanto charitatis ardore incensus, Rotomagum *f* profectus est, ut eum hominem, qui pecuniâ ipsum fraudaverat, jacentem in lecto erigeret, atque afflictum recrearet (quemadmodum libro v dicam) apud fidei Quæsitorem tunc accusatum, falsosque rumores per totam academiam Parisiensem dissipatos, multumque de illius bona existimatione apud imperitos fuisse detractum. Alii enim ipsum ex conscientia fugisse affirmabant; alii vanam illam hominis sanctitatis speciem atque ostentationem erupisse tandem, & in nihilum recidisse, nimiaque omnia atque extrema tum suspiciosa esse, tum periculosa: alii alia pro suo quisque sensu atque affectu loquebantur. Ea amicus quidam ad Ignatium scripsit, & ipsum de omnibus, quæ vulgò jactabantur, peramanter certiorem fecit. Accepit amici litteras Ignatius Rotomagi, in platea fortè consistens, atque è vestigio, publico scriba coram testibus accito, litteras, quas à tabellario acceperat, ostendit, docetque hominem, simul atque eas legisset, neque in hospitium reversum, neque cum ullo mortalium locutum, se se in viam dare, & Lutetiam Parisiorum regredi statuisse. Atque hujusce rei testimonium à scriba petit, quo ipso, & testibus prosequentibus, Rotomago egressus est. Lutetiam ingressus, nihil prius habuit, quam rectà ad fidei Inquisitorem pergere: illi fideliter simpliciterque exponit, quid Rotomagi amicorum litteris cognovisset, quid ad falsam illam depellendam suspicionem fecisset; seque (ait) totum in ejus potestate fore. D

f

C

ANNOTATA.

a *De domo hac Commentarius* § 15, *à num.* 150.

b *In Commentario* § 16 *dictum est de adventu Sancti Antverpiam, ac vaticinio ibidem ab ipso edito &c. Ad illa quæ de hospitio ipsius Brugis, retuli; addi potest, quod ibidem etiamnum ostendatur domus, ad quam Sanctus, ut fama fert, digressus sit.*

c *Hujus loci occasione natam quamdam calumniam, Sancto ejusque sociis indignissimam; ejusque confutationem habes in Commentario* § 15, *num* 142 *& seqq.*

d *Testimonium magisterii in Artibus dat Commentarius* § 17, *num.* 173; *de Licentia verò ejus ibidem. Vide etiam numerum* 168 *& seqq.*

e *Commentarium consule* § 18, *num.* 174, *& seqq.*

f *Urbs est Galliæ notissima (vulgò* Rouen,*) ac Normanniæ primaria.* E

CAPUT VII.

Liberatio à publica virgarum infamia; socii Sancto adjuncti; reditus in Hispaniam.

CAP. III. *Ignatius condiscipulos ad pietatem inducens*

EX suorum condiscipulorum numero Ignatius multis persuasit, ut familiaritates, voluptatum potiùs illecebrâ, quam conjunctione studiorum atque virtutis conciliatas, dirimerent; diebus festis pietati sedulò ac religioni vacarent, & confessionis atque Eucharistiæ sacramenta ritè susciperent. Quapropter accidebat, ut à constitutis litterarum scholis interdum per illos dies abessent *a*. Quod Ignatii præceptor molestè ferens, & discipulos dilabi, se deseri, aliter quam par erat, interpretatus, Ignatium monuit, sua ut curaret, aliena relinqueret, discipulos suos in nullam fraudem deduceret, nisi sibi fraudi esse, ac vim suam experiri vellet. Ignatius verò, ne tertiò quidem admonitus, à proposito desistit. Magister igitur, cum Jacobo Goveano (qui gymnasio præsidebat) re communicata, minas illius nomine jactare cœpit, ac verberum terrorem intentare: sed nihil minis Ignatius commotus est. Quare Goveano moderatori magister, unum Ignatium esse dicit, qui inani nescio qua simulatione sanctitatis, optimum illius gymnasii statum ac disciplinam pervertat: se non semel atque iterum commonuisse hominem, minas precibus miscuisse; usque adeo tamen adversùs omnia obduruisse, ut neque illius, neque suam auctoritatem veritus, tantillum de pertinaci sententia decederet. a F

infami virgarum supplicio addicitur; b

113 His dictis, irritatum jam tum Goveanum propter Hispanum quemdam, Amatorem *b* nomine, qui, suo gymnasio relicto, nudus nudum Christum fuerat, auctore Ignatio, secutus, & sua sponte satis incensum, ardentiùs etiam Ignatii magister inflammavit, ut de illo, quasi de communis otii perturbatore, pœnas sumere decerneret. Jubet igitur, ubi primùm Ignatius venerit, observari gymnasii fores, signum dari, hominem corripi, virgas expediri. Quæ res cum emanâsset, & ad amicorum Ignatii aures esset perlata, admonitus

A nitus ab illis est, sibi ut caveret. Ipse verò expletus gaudio, præclaram occasionem de se triumphandi prætermittendam non putavit. In illud ipsum gymnasium, ubi cruciatus sibi, atque ignominia parabatur, pedes convertit. Hic caro Ignatii metu exalbescere, trepidare, detrectare imperium. Sed ille, Itane adversùs stimulum calces? Ego te, inquit, asine, litteras docebo: & simul properè gymnasium ingreditur.

cujus quàm-quam ex sui contemptu esset avidus,

114 Occluduntur januæ, ad verberandum signum datur, virgis præceptores armantur, in cœnationem discipuli omnes conveniunt. Tum verò duæ res inter se quidem contrariæ, eódem tamen spectantes, agitare Ignatii animum cœperunt, & varias in partes distrahere. Nam Dei caritas, summum pro Christo patiendi ferendique ignominiam desiderium, in eam partem illum impellebat, ut sese verberibus, & paratæ infamiæ ultrò objiceret. Ex altera porrò parte, proximorum amor urgebat, & inclinatum jam animum suo pondere illa revocabant: Quid illis fiet, qui nunc primùm Dei viam sunt ingressi? Quam multi ab

B instituta vita desciscent? Illorumne ego jacturam in meo lucro ponam? Quam turpe præterea est atque nomine Christiano indignum, Christianum hominem in Christianorum conventu virgis cædi, quod Christum sequatur, quod alios ad Christum adducat? Haud ita; sed Dei amor Dei amorem vincat, quo victus ille, vincat, atque exardescat magis: mea utilitas fratrum utilitati cedat: desiderio nunc quidem adversa patiendi, & voluntate; re, ubi sine detrimento alicujus fiat, Deo serviamus.

pro gloria tamen Dei illud à se amoliuntur.

115 Hæc secum; & simul ad Goveanum moderatorem in cubiculo adhuc commorantem adit: facti sui consilium exponit: sibi quidem, nihil accidere in vita posse jucundius, quam verbera pro Christo experiri, qui carcerem etiam & vincula expertus esset: se tamen pusillorum imbecillitati timere; illorum, non sui rationem ducere. Quid multa? Prehensa manu Goveanus *c*, ad cœnationem Ignatium adducit, hîc repentè se, omnibus inspectantibus, illi ad pedes abjicit: lacrymis veniam petit: se nimis credulum; illum virum sanctum clamat, qui non intentati cruciatûs terrore, sed Dei tantùm honore tangatur. Hoc facto, & improbi perculsi atque afflicti, &

C probi erecti, & ad virtutem ardentiùs inflammati sunt: & Ignatii verborum vis, & animi robur magis enituit, & omnes didicerunt, quam opportunè liberet Dominus sperantes in se *d*. Quanta autem ex intentato hoc supplicio emolumenta in Dei Ecclesiam redundârint, alio loco hujus historiæ dicam.

c

d

CAP. IV. *Primis Ignatii sociis aliò delapsis,*

116 Cum primùm ad studia litterarum animum adjecit, eò semper inclinavit Ignatius, ut aliquos commilitones, consiliorumque suorum socios sibi aggregaret. Ex quo jam inde ab eo tempore, quo in Hispania tam variè est graviterque exagitatus, comites illos habuit, qui se in illius societatem dederant. Quæ tamen recens conglutinata, Ignatii disjunctione & ab Hispania discessu facilè divulsa est. Nam cum Ignatius Lutetiæ tot angustiis premeretur, eos de rerum suarum statu certiores fecit, ex quo facilè intelligerent, quam exigua spes Lutetiæ ipsos alendi ostenderetur. Quamobrem alius aliò dilapsi sunt. Cum igitur ad philosophiæ studia Lutetiæ animum Ignatius appulit, Petrus Faber, Franciscusque Xavier, in collegio divæ Barbaræ, non modò studiorum, verùm etiam ejusdem cubiculi socii erant, cursumque philosophiæ jam ferè peregerant. In iisdem contubernium, vitæque societatem admissis Ignatius est; qui juvenes illos, indole ac doctrina excellentes, devincire paulatim sibi officiis cœpit.

A. PETRO RIBADENEIRA.

adjungit sibi Petrum Fabrum spiritualibus Exercitiis exultum;

117 Fabrum in primis sibi maximè obstrinxit, cujus operâ in auditis lectionibus repetendis multùm utebatur. Ex quo factus est ejus in Aristotelica atque naturali doctrina discipulus: in spirituali ac divina magister: brevique hominem ita vitæ admiratione permovit, ut sua studia cum Ignatii studiis, voluntatem cum voluntate conjungeret. Neque tamen subitò in illo demerendo, vim omnem suam Ignatius profudit: sed paulatim, pedetentimque progressus est. Namque illum docuit, primùm conscientiam suam quotidie examinare: tum totius vitæ crimina generali confessione eluere: deinde, octavo quoque die, sacratissimam Eucharistiam percipere. Denique cum quatuor jam annos in hac vivendi ratione consumpsisset, ejusque rei maturitas esse videretur, magno Deo serviendi desiderio flagrantem Fabrum, Exercitationibus spiritalibus *e* perpolivit. Qui tantum ex illis fructûs cepit, ut tum demum se respirâsse, atque ex magna anteactæ vitæ jactatione, conquievisse diceret. Ante exercitationes enim illas, ipsemet Faber scribit, nullam sibi securitatem fuisse. Quibus adductus, ad Ignatium sese totum contulit.

e

B

Franciscum Xavierium, Lainium, Salmeronem, Rodericum, Bobadillam, voto se obstringentes;

118 Franciscus Xavier, etsi consuetudine familiaris, animo tamen in principio alienior fuit; sed ipse tandem vim spiritus loquentis in Ignatio sustinere minimè potuit. Jacobus Laines adolescens, confecto philosophiæ cursu, Lutetiam ex Complutensi academia, cum Alfonso Salmerone, item adolescentulo, venerat; tum studendi, tum etiam Ignatii inquirendi videndique causâ. Quem vitæ integritate ac parsimonia plurimùm jam tum Compluti, hominum sermone celebrari audierat: in eumque ipsum primum omnium Lutetiæ incidit, estque illi haud multò pòst familiaritate adjunctus; & eodem tempore, quo Petrus Faber, unà etiam cum Salmerone, Exercitationibus spiritalibus eruditus. Atque in hunc modum additi etiam Ignatio sunt Simon Rodericus, & Nicolaus Bobadilla. Qui omnes numero septem, confecto Philosophiæ cursu laureaque magistrali *f* insigniti, anno MDXXXIV, die Assumptioni beatæ Mariæ Virginis sacro, ad ædem beatæ Mariæ, quæ Mons Martyrum vulgo dicitur, & ab urbe Lutetia non procul abest, unà omnes convenerunt. Ibi ritè, confessione facta, atque sacra Synaxi percepta, voto se obstrinxerunt rebus omnibus (excepto viatico) ad condictam diem renuntiandi, procurandæ proximorum salutis, Hierosolymam navigandi; idque præstituto tempore, atque ea conditione, ut si intra præscriptum anni tempus eò navigare, aut in sacris locis postea vivere non liceret, Romam reverterentur: Romano, summoque Pontifici sese ad pedes abjicerent, ut ad suum arbitrium, ipsis in salutem animarum uteretur *g*. Atque hoc votum duobus sequentibus annis, eadem ipsa die, cæremonia, & loco confirmârunt.

f

F

g

quibus adde alios tres, ejusdem propositi socios.

119 Sed tum quidem tres alii, Claudius Jaius, Joannes Codurius, Paschasius Broetus *h*, ejusdem propositi socii, ad septem *i* jam primos accesserant. Ex quibus quidem rebus à nostris patribus tunc gestis, quartum votum solemne, quod professi nostri edunt, de obedientia Pontifici Max. in missionibus præstanda, & renovatio item votorum simplicium, quæ à nostris ante professionem usurpatur, ortum habuerunt. Interea, ne collectus spiritus paulatim dilaberetur, illos sic Igna-

h i

A. PETRO RIBADENEIRA.

tius inſtruxerat & communierat, ut eorum ſtudia neque concideren, neque langueſcerent, oratione in primis meditationeque rerum divinarum, crebra peccatorum confeſſione, atque ſacratiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti corporis ſumptione, tractatione ipſa litterarum, quæ quoniam ſacræ erant, & in Deum jam tum referebantur, magnum pietati etiam adjumentum adferebant; ardenti ſe Deo conſecrandi deſiderio, paupertatis voto jam edito, & in annos ſingulos renovato, frequenti ac penè quotidiano congreſſu, concordiſſimæ vitæ conſuetudine, rerumque omnium, atque animorum communicatione. Solebant etiam, veteri Sanctorum more, alii apud alios cœnitare, & ſpiritalibus colloquiis ſeſe ad ſeculi contemptum, rerumque divinarum ſtudium incitare. Quibus rebus factum eſt, ut toto illo tempore, quo Lutetiæ, ut inſtituta ſtudia abſolverent, remanſerunt, non modò nulla de illorum ardenti voluntate deceſſio, verùm etiam magna in dies acceſſio fieret.

CAP. V. *Rebus cum ſociis compoſitis,*

120 Interim Ignatius graviſſimis ſtomachi doloribus conficiebatur: quare cum rebus omnibus tentatis, nullum morbo remedium inveniret, medicorum conſilio, ſociorumque cohortatione, in Hiſpaniam eſt redire *k* coactus, atque experiri, num loci mutatio, nativique ſoli ſalubritas, vel ſanitatem poſſet, vel morbi certè levationem aliquam adferre. Quod Ignatius eò libentiùs fecit, quod ex ſociis nonnulli ea negotia habebant in Hiſpania, quæ ſi ipſe expediviſſet, magnâ illos curâ ac moleſtiâ liberâſſet. Itaque anno MDXXXV Ignatius ſociique res ita inter ſe componunt, ut ipſe in patriam revertatur, ex morbo confirmatus, ſociorum negotia diligenter agat; Venetias tum proficiſcatur: ſocii verò, uſque ad diem octavum ante Kalendas Februarias MDXXXVII Lutetiæ in ſtudio literarum ſint, eoque ipſo die Venetias verſùs decedant, ut ſeſe cum Ignatio conjungant.

B

k

redit in Hiſpaniam; pueris apud ſuos tradit doctrinam Chriſtianam, l

121 Ignatius igitur, jumento propter ſummam illius imbecillitatem à ſociis coëmpto, iter in Hiſpaniam ingreditur: in patriamque firmior paulò, quàm Lutetiâ diſceſſerat, venit; ubi obviam illi ſacerdotes omnes proceſſerunt. Ut verò ad fratrem *l* ſuum diverteret, adduci nulla ratione potuit; ſed in publica hoſpitalique domo diverſatus eſt, ſtipemque colligere oſtiatim cœpit (multùm fratre repugnante) & Chriſtianæ fidei rudimenta pueros docere. A cujus quidem explicatione frater natu major ut Ignatium averteret, futuram auditorum paucitatem obtendit. Sed Ignatius, vel unum modò puerum ſibi inſtar omnium fore, dixit: nihilque vel voluntatem fratris, vel prudentiam veritus, eam ipſam inſtitutionem fidei tradere aggreſſus eſt, ad quam deinde frater etiam ipſe ventitabat, magnaque hominum copia confluebat.

C

ad concionem dicit cum egregio ſui contemptu,

122 Ad conciones verò, quas ſingulis diebus Dominicis, feriiſque nonnullis, magno audientium fructu ad populum habebat, tantus ex longinquis illius provinciæ locis fiebat concurſus, ut præ multitudine, ipſe in agris concionari, & auditores arbores complere cogerentur. In prima autem concione, quam Azpeitiæ habuit, magna totius nobilitatis ac populi multitudine audiente, dixiſſe fertur Ignatius quiddam, quod hic ſubjiciam, tum, ut quanto ſtudio, & ſuæ mortificationi atque contemptui, & alienæ famæ, atque exiſtimationi conſuleret; tum verò ut intelligamus, quantum inter Dei vias & ſeculi interſit, & quam diverſum atque omnino contrarium iter ſequantur illi, qui Deo duce atque auctore vivunt, ab aliis, qui carni & ſanguini ſerviunt, & per omne genus flagitii volutantur. Quod videre etiam eſt in beatiſſimi patris Auguſtini Confeſſionum libro, in quo amariſſimè deflet adoleſcentiæ ſuæ errata; & pro magno atque graviſſimo ſcelere enumerat, quod puer fecit; huic exemplo ſimile, quod Ignatius de ſe narravit, ſuntque Sanctorum hiſtoriæ ſimilibus exemplis paſſim refertæ.

D

cujuſdam culpæ palam ſe accuſans;

123 Dixit itaque Ignatius in concione, ſe quidem in patriam rediiſſe, cum alias ob cauſas, tum verò potiſſimùm, ut, quos populos depravatis moribus olim graviter adoleſcens offenderat, aliqua melioris vitæ commutatione, ſi poſſet, ædificaret, & præteritæ vitæ maculas lacrymis tergeret, culpaſque contractas, benefactis palàm expiaret, quò pœnitentiæ ſuæ iidem teſtes eſſent, qui ſolutæ atque profligatæ vitæ antea fuiſſent. Præcipuè verò ſe diu multumque in magno dolore atque mœrore fuiſſe aiebat, & acerbiſſimis conſcientiæ ſtimulis exagitatum, quòd adoleſcens unà cum aliis adoleſcentibus in hortum cujuſdam civis ſimul intrâſſet, & fructuum aliquantulam copiam furtim abſtuliſſet, magno domini damno. Qui quòd furti auctorem neſciret, falſa ſuſpicione deceptus, hominem quemdam in cuſtodiam tradi curâſſet, ac pecuniæ certâ ſummâ mulctari: itaque nullâ ſuâ culpâ, nullo merito, & fama & bonis illum miſerum ſpoliatum fuiſſe. Ego, inquit, ſum reus: ille innocens eſt; ego deliqui, ego erravi; ille pœnas haud debitas luit: hominemque ipſum, qui in concione fortè aderat, proprio nomine appellans, etiam atque etiam rogat, ſibi uti ignoſcat. Se quidem publicè voluiſſe bonæ illius exiſtimationi (ut par erat) ſatisfacere: & ut jacturam bonorum, quam ſuâ causâ fecerat, etiam reſarciret, &, quantum poſſet, compenſaret, habere ſe dixit poſſeſſiones duas, quas illi dono, omnibus audientibus, dedit.

E

& aliorum ibidem abuſus tollens.

124 Quibus quidem operibus, & vitæ exemplo, prudentiaque tantum apud illos homines profecit, ut errores multos corrigeret; vitia, quæ in ſacerdotum etiam mores irrepſerant, & longa jam conſuetudine honeſtatis nomen obſederant, emendare non deſtitit: multaque conſtituit, quæ ad hominum mores conformandos, pietatemque augendam pertinerent. In his ſeveræ leges fuerunt ejus operâ latæ à magiſtratibus, de alea, de concubinatu ſacerdotum. Nam cum patrio more virgines, quoad viro traderentur, capite aperto eſſent, peſſimo exemplo multæ, cum apud clericos turpiter viverent, perinde caput obnubebant, ac ſi legitimo eis matrimonio junctæ fuiſſent: quibus fidem, quaſi maritis, præſtabant. Quod nefarium inſtitutum ac ſacrilegum, funditus tollendum curavit: & ut egenis, mendiciſque hominibus ſumptus ad vitam tolerandam ſuppeditaretur, providit: atque etiam ut ter in die, mane, meridie, veſperi, populus ad orandum, campanæ pulſu admoneretur, Deoque maximè pro illis ſupplicaretur, qui mortifero aliquo peccato obſtricti tenerentur. Quibus rebus, aliiſque id genus conſtitutis, relevatus morbo, quo in patria etiam impeditus eſt, ad negotia ſociorum gerenda deceſſit.

F

Ad varia tendit Hiſpaniæ loca; inde in Italiam navigat,

125 Sed cum pedibus, & abſque ulla prorſus pecunia ire vellet, alia Ignatio cum fratre contentio renovatur. Ille enim, qui ſibi eſſe ignominiæ duxerat, fratrem ſuum ad pauperes potiùs, quàm ad ſe divertiſſe, abjectum deſpectumque ſumma ſui contemptione, mendicato etiam in oculis ſuis vixiſſe, ut huic dedecori mederetur, &

A & obſcurati honoris (ut minùs prudentibus rerum æſtimatoribus videri poterat) damnum reſarciret; illud vehementiſſimè pugnábat, ut eques, ac bene nummatus, comitatuſque diſcederet. Quem ut leniret Ignatius, quo minùs ſe proficiſcentem frater reliquique neceſſarii proſequerentur, haud multum laboravit. Cum digreſſi comites eſſent, fineſque illius provinciæ ipſe exceſſiſſet, equum reliquit, pedibus, pecuniaque vacuus, Pompeiopolim primùm venit: tum Almazanum *m*, Seguntum, Toletum peragravit, ut negotia ſibi data ab ſociis ageret. Quibus cum illorum parentibus ita tranſactis, ut ne obolum quidem ab illis, ultrò etiam pecuniam liberaliter offerentibus, acciperet; denique Valentiam *n* venit. Ibi amicis contradicentibus atque diſſuadentibus navigationem (quod Ænobarbus, nobilis Turcarum archipyrata, valida claſſe Tyrrhenum mare tum fortè obſidere diceretur) nihil periculi magnitudine commotus, navim conſcendit. Ea navigatio gravis fuit ac periculoſa: malo enim navis disjecto, multiſque armamentis vi tempeſtatis vel amiſſis vel labefactatis, ſpei nihil eſſe ad ſalutem videbatur: ex quo ad mortem ſe omnes parant.

B 126 Ex quibus Ignatius ſe diligenter excutiens, animumque ſuum pertentans atque explorans, timere nullo modo poterat. Pungebatur tamen acri doloris morſu, quod non ſatis divinis donis hactenus reſpondiſſet: quod tot beneficiis tam plena manu à Deo in ſe collatis, minùs ſtrenuè gnaviterque uſus eſſet, vel in ſuam, vel in proximorum utilitatem. Perfunctus eo periculo, placatiſque fluctibus, Genuam venit; inde Bononiam maximo graviſſimoque vitæ diſcrimine. Cum enim ſolus per Alpium radices iter faceret, à via aberravit, in eaſque anguſtias aliquando incidit, ut edito præruptoque loco, amne depreſſo, rapidiſſimoque ſubterlabente, neque progredi, neque regredi poſſet, cum, quacumque ſe verteret, mirandæ altitudinis præcipitium, atque horribilis imminentis caſus formido ubique occurreret. Sed bene longum viæ ſpatium manibus, pedibuſque reptans confecit, & Dei miſericordiâ tandem evaſit. In ipſo Bononiæ urbis ingreſſu, ex ponticulo ligneo in foſſam cecidit, ex qua cum cœno oblitus, ſordibuſque fœdatus emerſiſſet, riſum ſpectantibus movit: atque ita urbem ingreſſus, totamque obambulans, eleemoſynam petens, qui teruncium aut panis fruſtulum ſibi daret, invenit neminem. Quod in tam opulenta, tamque celebri ac benigna civitate permirum eſt: ſed probat ſuos interdum Dominus. Illic tamen morbum contraxit, quem paulò poſt depulit, ſeque eo, quo venerat modo, Venetias contulit. Ibi venturos ſocios, ut inter ipſos convenerat, opperitur.

ac ſummo cum periculo Bononiam venit.

ANNOTATA

a *Hæc expendit Commentarius contra Bulæum, qui Sanctum contra leges ſcholaſticas peccaſſe vult, uti videre eſt ibidem § 16, num. 159.*

b De Amatore, *atque aliis duobus, quibus tunc Vir ſanctus Exercitia tradidit, agit Commentarius ibid. num. 158; uti & de ſupplicio, quod hîc narratur.*

c Goveanus *magnâ deinde S.* Ignatium *ac filios ejus benevolentiâ proſecutus fuit; ex Commentario num. 160.*

d *Virgis re vera exceptum fuiſſe Sanctum, heretodoxus quidam tradit; ſed de hac, & aliis in præſenti argumento falſitatibus convenitur in Commentario num. 160.* A. PETRO RIBADENEIRA.

e *Fabri & ſociorum in Exercitiis obeundis rigorem pete ex annotatis ad cap. 3 lit. g.*

f *Licentiam ac magiſterium eorum in Artibus confirmat ac determinat Commentarius; quem vide § 17, à num. 168.*

g *Quæ ſpectant ad hæc vota, explanavi in Commentario; ubi etiam de uno, an duobus eorum locis diſſerui § 18, à num. 177.*

h *De tribus hiſce ſociis meminit Commentarius § 23, num. 232.*

i *Denarium primorum patrum numerum ineptè arrodit quidam heterodoxus; ibidem num. 233; ſed melior ad dictum numerum alluſio ibidem datur.*

k *Reditum illum, Sancti in patriam adventum, ibidem præclarè ab eo geſta, ac vaticinia ſuggerit Commentarius § 19.*

l Frater natu maximus familiæ princeps *vocatur apud Quartemontium cap. 8; fuit itaque germanus frater S.* Ignatii; *non autem fratris ex ſorore nepos; nec Bertramus, ſed Martinus Garzia, ex Commentario § 19, num. 189; ubi alia nonnulla notantur.* E

m *Videri poſſunt de his locis notata ad caput 8 Vitæ Conſalvianæ lit. e; f.*

n *De colloquio circa inſtituendam Societatem habito in ditione Valentina, agit Commentarius § 20.*

CAPUT VIII.

Accuſationes Venetiis; adventus ſociorum; labores in Veneta ditione.

CAP. VI. *Venetiis in ſalutem proximi incumbit;*

NEque tamen hoc tempore otioſus Ignatius fuit: nam ſolita vigilantia & caritate in ſalutem proximorum incumbebat. Quapropter nonnullos ad Chriſti Domini noſtri ſequenda conſilia permovit. In hoc numero ponuntur fratres germani duo, Jacobus *a*, Stephanuſque Guia, homines honeſti, ætateque provecti, qui Hieroſolymis redeuntes, in Ignatium, cujus familiares Compluti fuerant, Venetiis inciderunt, & ſanctiſſimè in Societate poſtea mortui ſunt. In his etiam numeratur quidam Hozius Hiſpanus, vir eruditus ac probus, qui multum quidem Ignatii virtute atque doctrina capiebatur; haud tamen audebat totum ſe illi penituſque committere, quod multa de eo audiviſſet, vel malitiosè ab improbis conficta, vel imprudenter ab imperitis credita. Sed hæſitantem hominem Ignatius denique perpulit, ut ad Exercitationes ſpirituales faciendas ſe inclinaret, dubitanter quidem primò ac timidè, poſtea verò ultrò etiam ac fidenter. Nam cum initio, ne quid ſibi ab Ignatio veneni inſtillaretur, multos ſecum libros in cubiculo comportaviſſet, ad quorum normam, dictorum illius veritatem exigeret; & ſi quid erroris eſſet infuſum, hac veluti præſenti medicina ſanaret: poſtea tamen Societatem cum illo, animumque conjunxit, & ad reliquos ſocios adnumeratus eſt. a F

128 Venetiis etiam cum Joanne Petro Caraffa, qui poſteâ Paulus IV Pontifex maximus appellatus eſt, conſuetudinem *b* habuit. Qui, epiſcopatu Theatino relicto, ad Caietanum *c* Vicentinum, Bonifacium Pedemontanum, & Paulum Romanum, *cum Cardinale Theatino conſuetudinem contrahit;* b c

A. PETRO RIBADENEIRA.

num, homines nobiles ac pios, se socium adjunxerat. A quibus originem eorum hominum Ordo traxit, qui Theatini vulgo dicti sunt: quod Theatinus (ut diximus) episcopus, illius vitæ institutum complexus esset. A quibus, vulgi errore, falsa Theatinorum in nos est appellatio, cognomenque transfusum. Nam cum Ordo uterque, noster & illorum, clericorum Regularium sint, eodemque fermè tempore nati, neque habitu valdè dissimiles; populus rudis externa specie deceptus, alienum nomen nostris imposuit, Romæ primùm; unde in alias deinde urbes influxit, & in remotas etiam provincias penetravit.

nobiles Venetos ad virtutem juvat, ac falsò accusatur.

129 Aliquos etiam nobiles Veneros, patriosque viros Exercitationibus spiritalibus excoluit, & multùm consilio ad virtutem persequendam juvit. Sed quidam vel malevolentiâ suffusi, vel falsa persuasione decepti, sparserunt, fugitivum illum esse, in Hispania non semel vinctum in custodia fuisse: igni traditâ combustâque ipsius statuâ, profugisse: ne Parisiis quidem licuisse homini vivere: ex qua etiam urbe fugiens, suæ saluti consuluisset. Demum eò processum est, ut res in judicium sit adducta: diligenterque in ejus vitam atque mores inquisitum. Et quoniam mendacio res tota nitebatur, facilè concidit. Nam Ignatius non jam suæ, verùm sociorum famæ prospiciens, ne indefensa veritas opprimeretur, ab Hieronymo Verallo, qui apud Venetos Legati summi Pontificis numere fungebatur, ut rem totam diligenter pervestigatam & cognitam suâ sententiâ declararet, omni studio contendit, atque impetravit. Sententiæ autem, qua Ignatii integritas à Legato per judicem suum ordinarium patefacta est, apud nos extat exemplar *d*.

CAP. VII. *Sociorum, Parisiis Venetias proficiscentium,*

130 Dum Ignatius Venetiis socios præstolatur, grave bellum in Gallia subitò exarsit. Namque Carolus V Romanorum imperator, magno exercitu, per Insubrum fines Galliam invasit. Quamobrem nostri, qui profectioni suæ eum diem, qui dies Conversioni divi Pauli est consecratus, anni MDXXXVII constituerant, bellico tumultu eum prævenire sunt coacti, & decima quinta die mensis Novembris MDXXXVI Lutetiâ excedere. Iter *e* autem in hunc ferè modum instituerunt. Omnes scriptorum suorum quisque sarcinulâ onusti, vestitu vili abjectoque, pedibus iter faciebant. Qui sacerdotes erant (erant autem tres, Petrus Faber, Claudius Jaius, Paschasius Broetus) rem divinam quotidie faciebant: sex reliqui adversùs graves longæ molestæque viæ difficultates, panis cælestis virtute sese communiebant. Ingredientibus diversorium, egredientibusque orationis prima erat cura. In ipsa via orationi meditatio, meditationi sermo de divinis rebus succedebat: cibus frugalis, sobriusque. In rebus decernendis, plurium sententiis stabatur, idque summâ concordiâ.

itineris ratio, atque adventus.

131 Quotidianas pluvias per Galliam pertulerunt, hiemalem asperitatem per Germaniam. Læti tamen, atque alacres insuetum durumque laborem obibant: & Deo duce, multis (quod in tam longis itineribus advenis præsertim, ignotis, atque egenis hominibus usu ferè venire solet) maximisque periculis liberati sunt. Porrò, eo ipso die, quo Lutetiâ exierunt, nonnulli habitum, incessum, numerum nostrorum patrum admirantes, de rustico quodam, qui prætereuntes illos curiosiùs fortè intuebatur, familiariter quæsierunt, quinam illi homines essent? & ille, nescio quo afflatu, Gallicè; Aliquam, inquit, provinciam reformaturi discedunt. Venetias ad octavum *f* diem Januarii, anni MDXXXVII pervenerunt, ubi cum Ignatio ipsos (ut inter se convenerat) exspectante, & cum alio sacerdote, quem ad Ignatium sese adjunxisse jam diximus, peralacriter se conjunxerunt.

Laborant in xenodochiis; Xaverius insigniter de se triumphat:

132 Et quoniam Romam eundi, benedictionemque ad profectionem Hierosolymitanam à Pontifice maximo petendi, nondum tempus maturum videbatur, interea rebus omnibus intermissis, quinque ex illis, xenodochium divorum Joannis & Pauli, in xenodochium quod vocant Incurabilium, totidem, ad pauperum ægrotantium curam, concedunt. Ubi dum singulari caritate ac diligentia, vilissima quæque munera obeunt, dum afflictos recreant, quibuscumque possunt rebus, magnam probitatis ac religionis existimationem adepti sunt. Sed cum reliquorum omnium, tum verò magistri Francisci Xavier incensa caritas, & plena sui, perfectaque victoria maximè tum quidem enituit; qui non contentus ea sedulò præstare, quæ sordidissima erant, ut horrorem, quem sentiebat, perfectiùs vinceret, saniosa etiam ulcera interdum lingebat. Tale illius principium: nec progressus dissimilis, aut finis fuit. Ab illis tum patribus, probationum Societatis fundamenta jaciebantur.

proficiscuntur Romam miserè;

133 Ad mediam Quadragesimam Romam proficiscuntur *g*: Ignatius tamen Venetiis de industria remansit *h*. Profectionis autem is modus erat. Terni simul ibant; sacerdos unus, Laici duo; Galli, Hispanique semper mixti. Sacerdotes Missam faciebant quotidie, alii communicabant. Jejunabant (quòd Quadragesimæ tempus esset) diebus singulis; idque tantùm in cibum sumebant, quod ex eleemosyna suppeditabatur; quæ usque adeo tenuis erat, ut non rarò panis tantùm cibus, aqua illis potus esset. Quapropter multis magnisque laboribus ac molestiis perfuncti in hoc itinere patres nostri sunt: acciditque, ut die quodam Dominico, cum frustulum tantùm panis manè sumpsissent, nudis pedibus, maximis & perpetuis imbribus, octo & viginti passuum millia conficerent, tantâ aquarum inundantium copiâ, ut interdum etiam tantùm pectore extarent. Pergebant tamen alacres, summaque lætitia animi gestientes, Davidis Psalmos cantillabant. Atque etiam magister Joannes Codurius, qui pedes habebat scabie aspersos, eo ipso die sanatus est.

sed favente ibidem ipsis Deo, ab Ortizio,

134 Multa patres eo itinere divinæ erga se providentiæ argumenta senserunt; & tam solidis atque eximiis voluptatibus à Deo affecti sunt, ut laborum magnitudinem exæquarent, vel etiam vincerent. Romæ tum erat doctor Petrus Ortizius à Carolo Cæsare in Urbem missus, ut Catharinæ Angliæ reginæ, imperatoris amitæ, adversùs Henricum VIII, qui, illa legitima vivente uxore, aliam duxerat *i*; apud summum Pontificem matrimonii violati causam ageret. Hic contra opinionem *k* illorum, divino actus impulsu, patres urbem ingressos, summâ benevolentiâ complexus est, ad summumque Pontificem adduxit.

& à Pontifice benignè habentur. Venetias reversi fiunt sacerdotes.

135 Nostrorum aspectu plurimùm Pontifex exhilaratus est *l*, voluitque, ut ea ipsa die, qua ad se primùm adierant, coram se de proposita quæstione theologica disputarent. Præterea ad sexaginta nummos aureos in viaticum illorum contulit: suamque benedictionem, ac Hierosolymam abeundi facultatem benignissimè est impertitus. Illis etiam, qui sacris initiati non erant, nomine & titulo paupertatis voluntariæ, & sufficientis litteraturæ, liberaliter facta est, sacros Ordines suscipiendi potestas *m*: alii etiam, Hispa-

ni

A ni præſertim, pro ſua quiſque facultate, pecuniam in ſumptus itineris ſuppeditârunt. Itaque ſumma coacta decem ſupra ducentos ducatorum: quæ pecunia ſine vecturæ periculo, Venetiis à mercatoribus eſt curata. Neque enim noſtri, quouſque in navim aſcenderent, quidquam illius attingere voluerunt: ſed mendici omnino & vacui, quoque modo venerant, Venetias ad ſua illa xenodochia reverſi ſunt. Paulò poſt ad pedes Hieronymi Veralli, Roſſanenſis tum archiepiſcopi, Sedis Apoſtolicæ apud Venetos Legati, poſtea verò etiam S. R. E. Cardinalis, paupertatis, caſtitatiſque votis piè ſuſceptis, ſacris ſunt initiati, ſacerdotiique dignitatem ipſo die divi Joannis Baptiſtæ, Ignatius *n*, & reliqui ſex *o*, ab epiſcopo Arbenſi ſunt conſecuti. Quo quidem die in ipſa conſecratione, permagnam, atque adeo ſingularem tum epiſcopus, tum ipſi, animi ſenſerunt jucunditatem.

n o

CAP. VIII. *A navigatione Hieroſolymitana excluſi,*

B

136 Dum ſe patres ad navigationem parant, navigandi ſpes omnis ſublata eſt. Nam cum eo ipſo tempore, Veneti contra Turcarum tyrannum, cum ſummo Pontifice & Carolo Cæſare conſpirâſſent, ſtrato claſſibus mari, Hieroſolymitana peregrinorum navigatio conquieverat. Quod quidem multis antè annis numquam acciderat: neque ex illo tempore uſque ad annum Domini MDLXX poſtea accidit. Deus enim, qui omnia ſapientiſſimè moderatur ac regit, aliquid majus, atque amplius quàm quod noſtri patres molièbantur, ipſis neque cogitantibus, neque ſcientibus, cogitabat. Quocirca admirabili planè ac divina providentia inſtitutum Hieroſolymam noſtrorum curſum interrupit, alióque deflexit. Ergo noſtri, poſtquam navigandi eo anno nihil ſpei oſtendi vident, ad præſtandam voti religionem, & fidem ſuam liberandam, integrum annum nihilominùs exſpectare conſtituunt: ſed ut liberiore animo, & ab aliis occupationibus vacuo, ad ſacra Miſſæ peragenda ſe compararent, aliò ſibi ſecedendum exiſtimârunt.

In variis ditionis Venetæ locis operantur:

C

137 Quamobrem Ignatius, Faber, Laines, Vicetiam; Franciſcus Xavier, & Salmeron in Montem Celeſium: Joannes Codurius, & Hozius (quem noſtris jam adnumeratum diximus) Tarviſium: Claudius Jaius, & Simon Baſſanum: Paſchaſius, & Bobadilla Veronam concedunt. In ditione Venetorum omnes verſantur, neque ex illorum finibus uſquam excedunt. Ignatius igitur ſociique extra oppidum Vicetiam, ædiculam *p* humilem ac ruinoſam reperiunt, ſoribus revulſis, feneſtris ſublatis, ventis circumflantibus perviam. In hac domicilium ſuum collocant; palearum aliquantulâ copiâ comportatâ humum ad cubandum ſternunt. Bis quotidie oppidum, ad victum quæritandum, ingrediuntur, quem tenuiſſimum referebant: vix enim panis, quantum ad vitam tolerandam ſatis eſſet, habebant; cui ſi olei, aut butyri paululum acceſſiſſet (quod tamen ratiſſimum erat) id verò in deliciis numerabant. Ex tribus unus domi remanebat, ad panem durum mucidumque aquâ macerandum ac percoquendum. Is ferè Ignatius erat, qui ex oculis, propter maximam profluentium lacrymarum vim, graviſſimè tum laborabat. Quod ab eleemoſyna procuranda dabatur temporis, id totum orationi meditationique divinarum rerum tribuebatur.

p

Vicetiæ concionantur.

138 In hac vitæ ratione quadraginta dies poſuerunt: quibus exactis, Joannes Codurius ad illos Vicetiam venit: communi tum conſilio ad concionandum aggredi ſtatuunt. Eodem igitur die, eademque hora in quatuor diverſis urbis plateis clara primùm magnaque voce clamare incipiunt: homines pileis manu oſtenſis ac circumactis convocant, & ad concionem audiendam invitant. Congregata tum populi multitudine, verba faciunt de vitiorum fœditate, de virtutis pulchritudine, de mundi contemptu, de divini in nos amoris magnitudine, de reliquis rebus, quæ ad peccati ſervitutem declinandam, ad bonam beatamque vitam perſequendam conducunt. Sermo illorum indiſertus quidem erat atque impolitus, &, quod Italici ſermonis rudes tum eſſent, ex plurimarum linguarum commixtione conflatus; at pius & eruditus, & quaſi malleus conterens petras. Quare ex inconditis quidem verbis magna tamen morum emendatio eſt conſequuta.

A. PETRO RIBADENEIRA.

ANNOTATA.

a *De eo annotata ad Vitæ Conſalvianæ caput 5 lit.* d.

b *Inde videtur nata fabella, quod ſanctus Pater petierit admitti in Ordinem Theatinorum; ex dictis in Commentario* § 21, *num.* 218.

c *Quod à S. Cajetano Thieneo Theatinis accenſeri petierit ſanctus Pater, multis refutatur eodem* § 21, *&* 22. E

d *Illud exhibet Commentarius* § 25, *num.* 255.

e *Diſceſſus ſociorum* S. Ignatii, *ac vià habita fuit ratio in Commentario* § 23, *num.* 234, *&* 236.

f *Circa diem, quo Venetias pervenerint, quædam ſuppeditat Commentarius ibid. num.* 237.

g *Profectionis iſtius tempore victoria ſui ab uno è ſociis edita, occurrit in Commentario num.* 239.

h *Cur ibi remanſerit, diſcutit Commentarius num.* 240 *& ſeqq.*

i *Annam videlicet Boleniam; cujus & infames nuptiæ, & tragicus exitus apud hiſtoricos obvia ſunt.*

k *Opinio illa fundamento non caruit; ex Commentario num.* 243.

l *De gratioſa patrum apud Pontificem admiſſione te inſtruet Commentarius* § 24.

m *Poteſtatis hujus, uti & diſpenſationis in ætate Salmeronis inſtrumentum exhibetur in Commentario à num.* 247. F

n *Facti hujus teſtimonium circa* S. Ignatium *dat Commentarius; quem vide à num.* 249.

o *De ſex iſtorum teſtimoniis adiri poteſt Commentarius num.* 251.

p In agri ſuburbani deſerto, ſemiruto, ventiſque pervio tuguriolo quadraginta diebus morati: quo in loco patres è Capucinorum familia ſibi poſtea domum ædificarunt; *ex Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 8. *Ex Carnolio autem cap.* 13 *habemus, locum hunc fuiſſe partem antiqui monaſterii patrum congregationis S. Hieronymi Feſulenſium &c., ac patres Capucinos in veneratione habere cubiculum quoddam,* S. Ignatii *dictum, per traditionem, è veteri Ms. confirmatam, quod Sanctus ibi habitaverit: ubi & iſti legantur verſus:*

Hunc venerare locum: fuit hîc Ignatius hoſpes:
Sanctus, qui toto grandior orbe fuit

A. PETRO RIBADENEIRA.

CAPUT IX.

Socius à S. Ignatio curatus; luſtrata academia; apparitio Domini Jeſu; ingreſſus in Urbem; mora Sancti in Monte Caſino.

CAP. IX. *S. Ignatius miro modo Simonem Rodericum ſanat Baſſani;*

DUm in his operibus verſatur Ignatius, atque omnibus animi corporiſque viribus in Dei gloriam ſuique ludibrium incumbit, Vicetiæ, fractus laboribus in febrim incidit. Pater item Laines morbo tentatus eſt: eodemque ipſo tempore Simon etiam Rodericus Baſſani (quod oppidum à Vicetia itinere ferè unius diei abeſt) graviter affectus erat. Cum autem Simonis morbus ingraveſceret, letaliſque videretur; ea de
B re nuntium Ignatius accepit, atque è veſtigio, & quidem eo ipſo tempore febre laborans (Laine ægrotante in pauperum xenodochio relicto) pedibus ſe itineri unà cum Petro Fabro Baſſanum verſùs dedit eo ardore animi, ea pedum celeritate, ut Faber antecedentem Ignatium & longo intervallo præeuntem aſſequi vix poſſet. Cum aliquantulùm proceſſiſſent, è via paululùm Ignatius deflectit, preces Deo pro Simonis ſalute fundit, certior à Deo fit de futura hominis ſanitate. Ex oratione porrò ſurgens Fabro dicit: Non eſt, Petre, quod nunc quidem de Simonis incolumitate tam anxiè laboremus: neque enim hic morbus, qui illum graviter vexat, etiam exſtinguet. Ad Simonem cum veniſſet, in lecto jacentem ægritudiniſque vi penè conſumptum, hominem amplexus: Nihil eſt, inquit, Simon, quod timeas, ſanabere: atque ita convaluit. Et hoc quidem Ignatii factum Petrus Faber illius itineris comes, ubi Vicetiam rediit, Patri Laini, Laines mihi ita narravit, quemadmodum à me expoſitum eſt. Pater autem Simon quamdiu vixit, & agnovit, & prædicavit hoc beneficium.

C
ubi Antonius eremita degebat:
a

140. Baſſani erat Antonius quidam, natione Italus, qui in edito colle extra oppidum, ubi templum quoddam ſancti Viti eſt, & jucundiſſimus amœnam vallem fluminis Meduaci *a* irriganti proſpectus, ſolitariam vitam colebat. Erat autem Antonius vir ſenex & grandævus, priſcæ ſeveritatis, illitteratus quidem, ſed candidus & inſigni ſanctitatis opinione, qui moribus & etiam ipſo aſpectu magnum illum Antonium nobis aut Hilarionem aliquem referebat. Novi ego ipſe poſtea hominem. Hic Antonius cum Ignatium nihil eximium præ ſe ferentem haud magnifaceret, imo verò in corde ſuo imperfectum duceret, orationi aliquando impensè deditus, ipſum per ſpeciem, Domino demonſtrante, virum excelſum atque admirabilem eſſe cognovit, & ad multorum ſalutem de cælo demiſſum: cœpitque illum pudere ſui, ſeque ac ſuum judicium graviter reprehendere, ſicut ipſemet poſtea faſſus eſt.

quem, ut quidam è ſociis Ignatii non ſectetur, mirifico caſu contingit.

141 Antonii igitur vitæ admiratione captus quidam ex patribus decem, Baſſani cum eſſet & unà Ignatius, fluctuare cœpit & addubitare, foretne Deo gratius ac ſibi utilius, inceptum vitæ curſum perſequi, an ad Antonium ſeſe transferre, & contemplationi vacantem, cæleſtem vitam & ab ſtrepitu hominum curiſque vacuam traducere. Quarum cogitationum aculeis cum diutiùs pungeretur, domo egreſſus aliquando, ad Anto- D
nium ire conſtituit, ut cum illo videlicet conſilia communicaret. Progredienti, vir quidam terrifico aſpectu, vultu minaci armatus occurrit, diſtricto gladio in via conſiſtens. Hominis aſpectu perculſus pater reſiſtit primùm; deinde ut ſe collegit, ire perrexit; ſed ille minitabundus & ferox impetum facit, &, ut erat gladio vaginâ educto, ipſum inſequitur. In pedes ſe noſter quantùm potuit, conjecit, & pavens fugâ ſuæ ſaluti cœpit conſulere. Fugientem illum armatus homo aliquamdiu perſequutus eſt, videntibus incolis & mirantibus noſtrum fugientem ac trepidantem; inſequentem alterum non videntibus. Tandem rei novitate anxius, metu exanimatus, diuturno curſu & fatigatione anhelans, domum, ubi Ignatius erat, feſtinus irrumpit. Ad quem ſtatim Ignatius, Itane N. *b*, inquit, vacillas? Modicæ *b*
fidei, quare dubitaſti? Quæ divinæ voluntatis ſignificatio omnem dubitationem patri ſuſtulit & obfuſam animo caliginem diſpulit. Hoc ipſe qui vidit, qui paſſus eſt, ſibi eveniſſe narravit. E

CAP. X. *Varias in academias ſe dividunt;*

142 Poſt leves illos noſtrorum patrum excurſus, Vicetiam omnes ad Ignatium convenerunt: quæ civitas magnopere illius, ſociorumque vitâ & doctrinâ fuerat permota. Quocirca in qua civitate tres pane tantùm & aqua vitam initio vix tolerabant, & à vicinis pagis victum mendicare cogebantur, ea demum undecim in unum congregatis omnia neceſſaria abunde ſuppeditavit. Fecerant novi ſacerdotes primum Sacrum, præter unum Ignatium. In hoc conventu, ubi Hieroſolymam navigandi ſpem extrahi longiùs vident, illuſtres aliquot ac celebres Italiæ academias & ſtudioſorum hominum maximè refertas, obire conſtituunt; ſi quem fortè Deus ex tot ingenioſis adoleſcentibus, quibus illæ abundant, excitare & ad idem vitæ inſtitutum dignaretur adducere. Hieme igitur ineunte, provincias ita ſortiti ſunt, ut Ignatius, Faber ac Laines primarii ſocii, Romam ipſam adeant: Salmeron & Paſchaſius Senas: Franciſcus Xavier & Bobadilla Bononiam proficiſcantur: Claudio Jaio ac Simoni Ferraria; Patavium Joanni Codurio & Hozio obtigit.

ſalutique proprie ac proximi vacant;

143 Qua in provincia præter eam curam, quæ cuique maxima & propria erat, animum ſuum perpurgandi atque ex illo non ſolùm amputandi cupiditatum ramos, ſed etiam radicum fibras evellendi; connitebantur, quantum poterant, ut proximorum etiam ſalutem cum ſua ſalute conjungerent, & omnibus illos modis ad divinarum rerum ſtudium accenderent. Adminiſtrandi porrò provinciam hæc ratio erat. Alternis hebdomadis utrique ſocio in alterum poteſtas erat: oſtiatim victum emendicabant: in publicis plateis concionabantur. Ante concionem, qui parebat, ſcamnum ex officina aliqua commodatum pro ſuggeſtu concionaturi ſocii pedibus ſubjiciebat: voce pileoque ad verbum Dei audiendum, populum evocabat. In concione nihil petebatur: nihil pòſt à circumfuſa multitudine accipiebatur, ne ultrò quidem oblatum. Si quem nacti eſſent cæleſtis doctrinæ cupidiorem, eum verò libentiſſimè privatim informabant, &, ut res dabatur, etiam perpoliebant. F

exercendo apoſtolicos labores.

144 Multorum confeſſiones audiebant: pueris rudibuſque hominibus tradebant Chriſtianæ fidei inſtitutiones: ægrotis afflictiſque pauperibus in xenodochiis decumbentibus (ubi per majores occupationes licebat) ſedulò miniſtrabant. Denique nihil prætermittebant, quod ad augendam Chriſti gloriam faceret, & bene de hominibus me-

A merendum. Quibus rebus Christi bonus odor ubique fuerunt, multique singularem ex illorum consuetudine fructum perceperunt. Atque ex tenui illo, exiguoque principio, Societatis nostræ & nomen innotuit & fama percrebuit, & fructus propagatus per Italiam atque amplificatus est. Illud non omittam : Patavii nostri in carcerem ab episcopi Vicario conjecti sunt cateniſque constricti. In quo quidem carcere, noctem unam tam lætè hilaréque traduxerunt, ut Hozius erumpentem præ gestientis animi lætitia risum tenere vix posset. Postridie vero re perspecta meliùs & cognita, ab eodem judice liberati sunt, & deinceps semper filiorum loco habiti. Et hæc quidem socii reliqui. Jam ad ea, quæ in sua profectione & provinciæ administratione Ignatius fecit, transeamus.

CAP. XI. *Quando sanctus Vir se præparabat ad primitias, cælitus illustrabatur ;*

145 Sacerdotio igitur jam decoratus, integrum *c* anni spatium ad se præparandum, animumque magis colligendum sumpsit, ut augustissimum Jesu Christi Domini nostri corpus, vivam veramque pro peccatis nostris hostiam, puriùs Deo Patri, primùm offerret in odorem suavitatis. Quo tempore, toto pectore in divinarum rerum commentationem incumbebat, & beatissimam Virginem Deique Matrem diu noctuque obsecrabat, ut ipsum apud Filium suum in gratia poneret : & quæ cæli esset janua & singularis Dei hominumque conciliatrix, ipsa sibi aditum ad Filium aperiret, ut à Filio agnitus, Filium ipse agnosceret, & inveniret. Itaque toto hoc tempore mirabiles illustrationes habuit, Venetiis, Vicetiæ, aliis in urbibus, in via : ut restitutus sibi in eum statum videretur, quem Manresæ habuisset, ubi supra modum (ut diximus) illustratus est. Etenim Lutetiæ, studiorum tempore neque tam insignes, neque tam multas de divinis rebus notiones accepit. Porrò in toto itinere, quod ad provinciam suam obeundam, unà cum Fabro, Laineque Romam versùs instituerat, singulariter à Deo & illuminabatur, & confirmabatur, quotidieque, sociis Sacra facientibus, corpore Dominico reficiebatur, mirificaſque, & planè cæleſtes animi voluptates percipiebat.

recreatus etiam famosa visione in agro Romano:

146 Accidit autem, cum ad Urbem appropinquarent, ut in templum desertum & solum ingressus oraret ardentiùs. Ibi mutatum prorsus cor ejus est ; oculique mentis clarissima luce collustrati ita sunt, ut perspicuè videret, quomodo Deus pater Deo Filio crucem gestanti Ignatium sociosque peramanter commendabat, in ejusque dexteram invictam, & patrocinium tradebat. Quos cum benignissimus Jesus in se recepisset, blando, placidoque vultu, ut erat cum cruce, ad Ignatium conversus, Ego (inquit) vobis Romæ propitius ero. Qua quidem admirabili divinaque visione *d* mirum in modum recreatus Ignatius & confirmatus est ; Fabroque post orationem, & Laini, Quid nobis, inquit, Romæ futurum sit, planè ignoro : in crucemne Deus nos, an in rotam agi velit : hoc tamen mihi compertum est atque exploratum, quicumque nos exitus maneat, Jesum Christum nobis fore propitium. Remque totam, quam viderat, sociis patefecit, ut & animum illis & stimulos adderet. Quo etiam factum est, ut, cum postea de Societate instituenda, inter Ignatium sociosque constaret, nomen tamen quæreretur, quo insignita & notata à Christi Vicario confirmaretur ; Ignatius à reliquis sociis impetraverit, ut sibi integrum esset, ad arbitrium suum, Societati quod vellet, nomen imponere. Quod omnibus probantibus & libentissimis fecit.

147 Et tum præclaro illo viso, tum aliis divinis illustrationibus multis magnisque ita Dominus Jesus ejus in mente sacratissimum suum nomen impressit penitusque infixit, ut ejus ex nomine Societati nomen imponeret, tam clara ac firma luce collustratus, & usque eo pro certo habens, id Deum velle, ut ab hac mente se dimoveri numquam posse diceret. Quodque volentibus sociis, ac consentientibus fecit, id repugnantibus ac dissentientibus omnino fecisset, propter divini luminis claritatem. Itaque Societatem Jesu appellari *e* voluit ; ut, qui huc vocati fuerint, non se in Ignatii Ordinem aliquem adscriptos, sed in Societatem Filii Dei Jesu Christi Domini nostri vocatos agnoscant : sub illo summo imperatore mereant, ejus signa sequantur, crucem suam cupidè tollant, & in auctorem fidei & consummatorem Jesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum illis atque persuasum sit, ducem suum sibi præsto esse : illum non Ignatio solùm & sociis, ut videmus hactenus fuisse, sed sibi quoque futurum semper propitium sperent, siquidem se veros Societatis filios exhibeant, & patrum suorum imitatores.

A. PETRO RIBADENEIRA. *unde nomen Societati Jesu indidit :*

e

E

cujus visionis veritas corroboratur ;

148 Quæ de admirabili hoc viso, & suavissima atque amabili promissione hactenus dixi, quâ Christus redemptor noster pollicitus est Ignatio, se illi Romæ fore propitium, pater Jacobus Laines, cùm esset Societatis nostræ Præpositus Generalis, & Romæ in conventu quodam omnium nostrûm (cui ego quoque interfui) verba faceret, in hunc ipsum modum narravit, quo à me perscripta sunt. Et ipse Ignatius dum viveret, de hac ipsa cælesti illustratione quædam interrogatus, Quærite (inquit) ex Jacobo Laine ; cui cum gesta res est, verè rem totam fideliterque narravi. Porrò in Commentariolo *f*, quodam & Diario (in quod, dum constitutiones scriberet, affectus in oratione suos & spiritales quasi gustus Ignatius manu sua quotidie referebat) scriptum reperi, Talem (inquit) hodie affectum sensi, qualem cum æternus Pater me Filio suo commendavit. Atque hæc quidem de clarissima atque divina illustratione sigillatim explicare volui, & veluti digito fontes, unde hausta sunt, ostendere, propterea quod eximia sit, & ad spe erigendos filios Ignatii atque robotandos maximè accommodata. Possem equidem in similibus beneficiis, quæ Deus in Ignatium contulit, ut eum eruditet & cælestium rerum splendore illustraret, quæ mea hæc historia complectitur, hoc idem præstare, & quos auctores habeam, nominatim referre ; sed, ne longior sim, facere prætermitto.

f

F

CAP. XII. *Fabri, Lainii, atque Ignatii in Urbe occupationes.*

149 Romam ingressus, omnia collustrare animo attentè cœpit, omnia circumspicere : in primisque ad omnes diaboli impetus sustinendos sese comparare. Prospexit enim, magnam sibi suisque impendêre tempestatem. Quapropter sociis aliquando, Clausos omnes, inquit, aditus video : magna quædam periculosi temporis procella nobis parata est ; sed Jesu nitimur ; ille nobis propitius erit. Paulò pòst, exploratâ sociorum Ignatii doctrinâ, jussi à summo Pontifice sunt publicè sacras Litteras profiteri. In Sapientiæ igitur gymnasio Faber reconditos multipliceſque Scripturæ sacræ sensus enucleabat : Laines ejus theologiæ quæstiones explicabat, quæ via ac ratione plus utitur : uterque eruditè & graviter suo munere fungebatur. Ignatii commovendi homines, & ad cæleſtia rapiendi cura erat.

150 Quocirca D. Ortizium (cujus suprà men-

A PETRO RIBADENEIRA.

tionem fecimus,) virum graviſſimum eruditiſſimumque magno conſilio aggreſſus eſt. Quem à ſe olim alienum, poſtea minùs abhorrentem, ita ſibi devinxit & conſuetudine obligavit, ut homo id ætatis, maximaque exiſtimatione negotium publicum gerens, erudiri ſe ab Ignatio cuperet, Exercitationumque ſpiritalium doctrinam, iis rebus omnibus antiquiorem duceret: quibus ſe omnino expoliendum dedere, ad Ignatii arbitrium conſtituit. Sed ut liberior eſſet, magiſque ab interpellatoribus vacuus, Româ in montem Caſinatem, locum in primis divi Benedicti vita & ſepultura nobilitatum, & ipſa loci religione ac ſolitudine ad divinam contemplationem maximè appoſitum, aliquantiſper ſecedendum *g* ſibi exiſtimavit; ibi per quadraginta dies ab Ignatio eruditus eſt, eoſque progreſſus fecit in cæleſti doctrina, veraque cognitione ſui, ut novam quamdam theologiam, & ſibi hactenus inauditam, ſe profiteretur didiciſſe, eamque longè anteferre ei eruditioni, quam ſummo tot annorum ſtudio ſibi peperiſſet. Permultum quippe dicebat intereſſe, commentari, ut alios doceas; & meditari, ut ipſe facias: quod illud mentem illuminet; hoc etiam voluntatem inflammet. Quapropter magnum ab Ignatio beneficium ſe accepiſſe ſemper judicavit, & præ ſe etiam tulit: & ut gratiam referret, ſummus poſtea Societatis & amicus & defenſor fuit.

Quo tempore in monte Caſino Ortizium Ignatius umbuit Exercitiis,

g

B

151 Dum in monte Caſinate Ignatius eſt, Hozius (cui Patavium unà cum Joanne Codurio provinciam obtigiſſe diximus) exceſſit è vita, conſummatuſque in brevi, explevit tempora multa *h*. Qui cum vivus, pigellus eſſet ac deformis, tantum decoris ejus mortui ori, ſplendoriſque additum eſt, ut animum Codurius ſatiare illius non poſſet aſpectu, nullum intuendi illum, finem faceret, magnâ animi lætitiâ lacrymarumque abundantiâ. Hujus mortem multò antè Ignatii animus divinabat, qui etiam in monte Caſinate, ubi divus Benedictus vidit Germani Capuani epiſcopi animam in ſphæra ignea ab angelis in cælum ferri, ipſe & animam illius clariſſima luce circumfuſam, in cælumque penetrantem vidit, & animam Hozii eſſe cognovit. Deinde etiam cum rei ſacræ daret operam *i*, & in generali confeſſione (quæ ante Miſſam præmittitur) ad illa verba perveniſſet, ET OMNIBUS SANCTIS, magnum Sanctorum numerum fulgentem gloriâ, ante oculos poſitum vidit; inter quos & Hozius aderat, ſplendidiore, quam reliqui, habitu, gloriâque multo illuſtriore, non quod ſanctior ille ceteris, aut beatior eſſet: ſed quod Deus gloriam hominis, per inſigniorem hanc formam, compertam Ignatio (ut ipſemet referebat,) teſtatamque eſſe voluiſſet. Qua ex re, tantâ animi lætitiâ completus ejus animus eſt, ut per multos dies ſuaviſſimum ex recordatione fletum reprimere non poſſet.

videt ſocii animam cælum intrantem.

h

C

i

ANNOTATA.

a Meduacus *vel* Medoacus *duplex eſt, major utique ac minor. De utroque diſſerit Leander Albertus inter ea, quæ habet in Marchia Tarviſina, pag.* 730, *editionis Colonienſis Latinæ anni* 1566.

b *Simonem Rodericum fuiſſe, vel ejus ſocium Baſſani (qui fuit Faius ex cap.* 8) *ſuſpicio eſt apud Bartolum lib.* 2, *num.* 34; *Bouhourſius autem lib.* 2 *ſub finem determinat ſolum Rodericum.*

c *Imo integrum annum cum dimidio, ſecundum Commentarium* § 25, *num.* 259 *& ſeqq.*

d *Eam confirmat atque illuſtrat Commentarius* § 26.

e *De hac re dixi ibid.* § 32.

f *De eo Commentarius* § 26, *à num.* 267.

g *Receſſus ille occaſionem dedit commento, de quo in notis ad caput* 8 *Vitæ Conſalvianæ lit.* m.

h *Laudatur ab Orlandino lib.* 2, *num.* 36. *De obitu mentio fit in Commentario* § 27, *num.* 277.

i *Videlicet* audiendo Miſſam, *non* celebrando, *cum tunc nondum eſſet ſacerdos ſanctus Pater; ſecundum Commentarium* § 25, *num.* 261.

D

CAPUT X.

Deliberatio de conſtituenda Societate; magna Romæ tempeſtas; Ignatii ac ſociorum tum intra tum extra eam labores; S. Franciſcus Xaverius ac Simon Rodericus in Indias deſtinati.

E

CAP. XIII. *Ex Patrum concionibus Romæ inducta Sacramentorum frequentia.*

COmmotis populis, apud quos vixerant, & civitatibus ad pietatem incitatis, ad mediam Quadrageſimam anno MDXXXVIII, Romam patres omnes ad Ignatium conveniunt: in domum vineamque Quirini Garzonii, pii viri, quæ non procul à ſanctiſſimæ Trinitatis Minimorum cœnobio ſita *a* eſt, divertunt: ibi magna egeſtate, pane in diem quæſito, vivunt: concionari deinde incipiunt: Ignatius Hiſpanicè in templo beatæ Mariæ Montis ſerrati dicato; Faber in divi Laurentii in Damaſo; Laines in Salvatoris ad Laurum; Salmeron in divæ Luciæ; Claudius in divi Lodovici; Simon in divi Angeli ad forum Piſcarium; Bobadilla in divi Celſi. His concionibus effectum eſt, ut populus longo intervallo ad confeſſionis atque Euchariſtiæ Sacramenta piè frequentanda *b* moveretur. Ex quo priſca illa, & ſanctiſſima ſæpiùs peccata confitendi & communicandi conſuetudo, tot jam ſeculis intermiſſa, tum primùm in Urbe revocari cœpta eſt.

a

F

b

Deliberant de conſtituenda Societate,

153 Præterea Hieroſolymitanæ profectionis ſpe dejecti, pecuniæ eam ſummam, quam in viaticum acceperant, ei, à quo acceperant, integram reſtituunt. Et cum diſceſſus, ſummi Pontificis juſſu, varias in partes nonnullis inſtaret, de Societate etiam coëunda inter ſe, vitaque in poſterum conſtituenda deliberant: decernuntque imprimis omnium conſenſu, in orationes, meditationes, ac Sacrificia ſolito ferventiùs incumbere, & gratiam ab illo recta & ſancta ſtatuendi efflagitare, qui nulli denegat ſpiritum bonum petenti, ſed dat omnibus affluenter, nulli imperans. Interdiu proximorum ſaluti impigrè navabant operam; noctu orationi & conſultationi vacabant.

habita priùs

c

154 Prima igitur conſultationis *c* nocte, quæſitum eſt, num, cùm digreſſi à ſe invicem eſſent, & in varias diſiunctasque regiones à ſummo Pontifice miſſi, ita inter ſe devincti, & mutua caritate colligati, in uno corpore eſſe deberent, ut alii aliorum curam gererent, & nulla quantalibet corporum ſejunctio, neque mutuæ curæ, neque

A que ſollicitudinis, nedum amoris ſejunctionem efficeret. Communi omnium conſenſu decretum eſt, agnoſcendum eſſe Dei beneficium, qui homines ex tam diverſis provinciis, moribus, ingeniis, conditionibus in unum corpus, ſummamque animorum conſenſionem conſpirare voluiſſet: neque ejus conjunctionem mirabiliter conſentientem, disjungendam eſſe, aut unitatem diſcindendam, cujus virtus robuſtior ſemper eſt ad capeſſenda ardua & perſequenda, & adverſa omnia ſuſtinenda & propulſanda. Secundo loco propoſitum eſt, an paupertatis & caſtitatis perpetuæ votis, coram Sedis Apoſtolicæ Legato, à ſe Venetiis jam tum nuncupatis, expediret, tertium obedientiæ perpetuæ addere; & aliquem eligere, qui totius Societatis caput eſſet & parens. In hoc nodo expediendo diu multumque laboratum eſt. Denique nonnulla ſunt illis excogitata & ſuſcepta ad faciliorem propoſitæ difficultatis explicationem.

de rebus agendis

155 Primum fuit, ut nihil de ſumma orandi Dominum precandique contentione remitterent: ſed in hoc unum toto pectore incumberent, ut B gaudium & pacem in Spiritu ſancto invenirent in obedientia, &, quantum in ſe eſſet, voluntatem haberent ad parendum, quam ad imperandum propenſiorem. Alterum, ne inter ſe hac de re colloquerentur, ne quis conſilio fortaſſe cujuſquam aut perſuaſione, in alterutram partem penderet. Tertium, ut cogitatione ſe quiſque ab hac congregatione ſevocaret, & quaſi alienum omnino hominem duceret, ut affectibus, qui incorruptè de rebus judicare non ſinunt, ſepoſitis, ſincera omnis deliberatio eſſet. Ad extremum, multis rationibus, quas enumerare longum eſſet, maximèque ut pro ſuo modulo ſimiles eſſent capiti Chriſto, qui, ne obedientiam perderet, perdidit vitam, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, & eam virtutem retinerent, quæ præcipua in ſtatu Religionis, ac maxima eſt: ſequerenturque omnino Spiritus ſancti afflatum, ad perfectionem ipſos, & omnibus numeris abſolutam ſui victoriam excitantem: omnes una mente, uno ore decreverunt, retinendam in primis in Societate obedientiam *d* eſſe: & aliquem eligendum, qui univerſæ So- C cietati præpoſitus eſſet, cui omnes judicia, voluntateſque ſuas ſubmitterent.

d

conſultatione matura.

156 Hac eadem ratione alia multa ſunt per tres menſes ſummo ſtudio à patribus conſtituta, & maxima animorum conſenſione definita: cujuſmodi ſunt, quæ ſequuntur. Quicumque profitebuntur, votum expreſſum obedientiæ nuncupent, quo ſeſe, ad quaſcumque provincias fidelium infideliumve mittantur *e*, paratos ſummo Pontifici offerant. De miſſione autem nihil vel per ſe, vel per alium, cum eodem Pontifice agant. Pueros rudimenta fidei Chriſtianæ doceant *f*. Qui in Societatem adſcribi voluerint, Exercitationibus ſpiritalibus, peregrinatione, xenodochiis probentur. Præpoſitus Generalis perpetuus *g* eſto. In conſiliis, ac deliberationibus, major ſententiarum *h* pars eſto ſuperior: & alia id genus nonnulla. Ex quibus extitit formula Inſtituti Societatis ea, quam poſtea ſibi propoſitam ſummus Pontifex comprobavit.

e

f

g

h

CAP. XIV. *Calumnias infames contra ſe ſparſas*

157 Dum à patribus hæc geruntur, gravis illa, & multo antè ab Ignatio proviſa, tempeſtas exorta eſt. Nam cum frater quidam, Auguſtinus Pedemontanus, ex Auguſtiniana familia in Urbe concionaretur, & Lutheranæ doctrinæ venenum occultè populo infunderet, agnitus à noſtris patribus, publicis concionibus refutatus eſt. Cujus amici quidam Hiſpani (quos nominare *i* non eſt neceſſe) opibus atque auctoritate confiſi, pro Auguſtiniano viciſſim, accuſationem adversùs Ignatium ſocioſque ſuſcipiunt; miniſtro ad eam rem adhibito, Michaële *k* quodam Hiſpano, in quem Lutetiæ multa Ignatii, magnaque merita extiterant. Ergò iniquiſſimos rumores, cum de reliquis ſociis, tum verò de Ignatio maximè diſſipant: in Hiſpania illum, Lutetiæ Pariſiorum, denique Venetiis damnatum hæreſeos fuiſſe: facinoroſum & perditum omninò hominem eſſe, qui divina, & humana omnia jura pervertat: in Exercitationes *l* præterea ſpiritales, in ſocios ipſos crimina multa conjiciunt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

i

k

Vir ſanctus juridicè diluit vult:

158 Atque iis fluctibus animosè fortiterque Ignatius reſtitit, & judicio rem perſequutus eſt, ac veritatem illuſtrandam patefaciendamque curavit. Cum enim ipſum Societatis jugulum peti animadverteret, & id agi à communi omnium ſalutis hoſte, ut appropinquantem jam, & propè maturum Religionis noſtræ partum aut præfocaret, aut infamiâ aliquâ pollueret; omni contentione contra ejus conatum ſibi enitendum putavit. Itaque retectis dolis, Michaël ille à judice damnatus, in exilium que miſſus eſt: alii verò accuſatores, auctoritate principes, primùm multum de accuſatione remittere, tum etiam trepidare, poſtremo accuſationem in laudem vertere; idque coram Cardinale Neapolitano, ſummi Pontificis tum Legato, & coram Urbis gubernatore. Qui ſatis illorum confeſſione factum eſſe veritati judicantes, controverſiam ſilentio dirimi voluerunt. Quod quidem ſociis, amiciſque probantibus, ſolus Ignatius minùs probavit; ne quid ex oppreſſa veritate dedecoris aliquando in Societatem erumperet. Nempe refrigerato judicio, reique geſtæ memoria ſeneſcente, cum de accuſatione conſtaret, de abſolutione taceretur, facilè ſuſpicaturos homines, datum hoc gratiæ, atque hominum ſtudiis, pro Ignatio ſociiſque certantium, ut veritas lateret in tenebris, & ſilentio tegeretur.

E

nec abſtinet ab incepto; ſed rem apud Pontificem urget:

159 Quæ cauſa fuit, ut nullius auctoritate neque potentia permotus, ne ſociorum quidem voluntate, aut amicorum conſilio, ne minimùm quidem de ſua ſententia dimoveri ſe Ignatius pateretur; ſed in eo hæreret, & maximè inſiſteret, ut in judicium res adducta, judicum ſententiâ omnino declararetur: vir ſibi ipſi inglorius, Chriſto autem fratribuſque honoratiſſimus. Qui quamdiu de ſe tantùm agebatur, nullius patrocinio uti ad ſui defenſionem voluit: ubi Dei gloriam, aliorumque ſalutem in fraudem adduci vidit, omnes & mentis & corporis nervos intendit, ut, depulſa caligine, lumen ſe veritatis oſtenderet. Quocirca, cum judices à ſententia ferenda alienos animadverteret, ad ipſum Pontificem Maximum Ignatius Tuſculum adit: rem ordine Latino ſermone exponit: quoties in vinculis, quoties in cuſtodia fuerit, & quibus de cauſis, candidè integréque aperit: quantum divinis rebus impedimentum injiceretur, oſtendit, ſi ea res ſilentio ſopita contemptaque jaceret: rationes, quibus adductus rei exitum cupiat, breviter enumerat. Quas cum Pontifex probâſſet, judici mandat, uti rem maturet, & pro veritate ſententiam pronuntiet: quod & fecit.

F

in judicibus ad hanc cauſam deputatis mira elucet Dei providentia.

160 In hoc autem judicio illud divinitus cecidit, quod, qui in Hiſpania, Lutetiæ, Venetiis vitæ Ignatii judices fuerant, ii uno eodemque tempore ex iis ipſis locis, alius alia de cauſa in

A. PETRO RIBADENEIRA.

Urbem convenerant, & producti teſtes, omnes præclarùm illius virtutis atque innocentiæ teſtimonium dederunt. Venerat enim ex Hiſpania Joannes Figueroa, is qui Compluti vicarius generalis archiepiſcopi Toletani, Ignatium in carcerem conjecerat, &, ejus integritate cognita, liberârat: qui ad ampliſſimum dignitatis gradum poſtea evectus, regii conſilii præſes in Hiſpania anno MDLXV mortuus eſt. Venerat ex Gallia D. Matthæus Ori *m*, ex Dominicana, ut diximus, familia theologus, apud quem fidei Inquiſitorem Ignatius Lutetiæ accuſatus eſt. Venerat D. Gaſpar de Doctis, cujus judicio fuerat Venetiis abſolutus Ignatius, & adversùs calumniatores defenſus, cum is ea in urbe Hieronymi Veralli, Legati ſummi Pontificis, judex ordinarius eſſet: ii fuerunt virtutis Ignatii teſtes. Exemplum autem ſententiæ, quâ Ignatius ſociique ſunt abſoluti, quoniam alias ante id tempus latas complectitur, ad verbum addendum exiſtimavimus.

m

B *Furidicâ ſententiâ Sanctus cum ſociis n*

161 B. Converſivus, electus Britovorienſis, Vicecamerarius almæ Urbis, ejuſque diſtrictûs generalis gubernator *n*. Univerſis, & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Cum reipub. Chriſtianæ multùm interſit, ut eos, qui in agro dominico, vitæ exemplo & doctrina plurimos ædificant in ſalutem; & item illos, qui è converſo potiùs ſuperſeminare videntur * zizania, publicè notos eſſe: & nonnulli rumores ſparſi eſſent, & delationes ad nos factæ de dogmatibus & converſatione vitæ, & ſpiritalibus Exercitiis, quæ aliis conferunt, venerabilium virorum dominorum Ignatii de Loiola, & ſociorum, videlicet Petri Fabri, Claudii Jaii, Paſchaſii Broet, Didaci Laines, Franciſci Xavier, Alfonſi Salmeronis, Simonis Roderici, Joannis Codurii, & Nicolai de Bobadilla, magiſtrorum Pariſienſium, presbyterorum ſecularium, Pampilonenſis, Gebennenſis, Seguntinenſis, Toletanenſis, Vicenſis, Ebredunenſis, & Palentinenſis, reſpectivè diœceſis. Quæ quidem eorum dogmata, & Exercitia à quibuſdam dicebantur erronea, ſuperſtitioſa, & à Chriſtiana doctrina nonnihil abhorrentia.

conantur

n

Innocens

C

162 Nos pro officii noſtri debito ac ſpeciali etiam mandato ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, circa hæc diligenter animadvertentes, quæ viſa ſunt ad pleniorem cauſæ cognitionem opportuna, inquiſivimus, ſi fortè, de quibus prædicti culpabantur, vera eſſe deprehenderemus. Quocirca examinatis primùm quibuſdam oblocutoribus contra ipſos; & conſideratis partim publicis teſtimoniis, partim ſententiis de Hiſpania, Pariſiis, Venetiis, Vicetia, Bononia, Ferraria & Senis, quæ in prædictorum venerabilium virorum D. Ignatii, & ſociorum favorem, adversùs eorum criminatores prolatæ fuerunt, & ad hæc examinatis judicialiter nonnullis teſtibus, & moribus, & doctrina, & dignitate omni exceptione majoribus: tandem omnem murmurationem & oblocutionem, & rumores contra eos ſparſos, nulla veritate ſubnixos fuiſſe, comperimus.

declaratur ſ

163 Quamobrem noſtrarum eſſe partium judicavimus, pronuntiare, & declarare, ſicut pronuntiamus, & declaramus, prædictum Dominum Ignatium, & ſocios, ex prædictis delationibus & ſuſurris, non ſolùm nullam infamiæ notam, ſive de jure, ſive de facto incurriſſe; verùm potiùs, majorem vitæ atque doctrinæ ſanæ claritatem retuliſſe: cum certè videremus *, adverſarios vana & penitus à veritate alienа objeciſſe: & contrà, optimos Viros optimum pro illis exhibuiſſe teſtimonium. Hanc igitur ſententiam & pronuntiationem noſtram, ut publicum eis teſtimonium ſit contra omnes adverſarios veritatis, & in ſerenationem omnium, quicumque ſiniſtram illam de eis ſuſpicionem, prætextu talium delatorum & criminatorum, conceperint, faciendam duximus: monentes inſuper & exhortantes in Domino, ac rogantes univerſos & ſingulos fideles, ut dictos venerabiles viros, dominum Ignatium & ſocios habeant & teneant pro talibus, quos nos eſſe comperimus, & Catholicis, omni prorſus ſuſcipione ceſſante. Ita tamen, quatenus in eodem vitæ & doctrinæ tenore, Deo adjuvante (quod ſperamus) permanſerint. Datum Romæ, in ædibus noſtris, die decimo octavo [Novembris] *o* milleſimi quingenteſimi trigeſimi octavi. B. Gubernator, qui ſuprà. Rutilius Furius ſecretarius *p*.

viderimus

D

o

p

accuſatores verò miſerè vitam claudunt.

E *q*

164 Porro Auguſtinus ille Pedemontanus, qui hujus omnis accuſationis fons & origo fuit, poſitâ larvâ, apertè publicéque Lutheranus poſtea factus eſt *q*. Accuſatorum autem is fuit exitus, ut noſtris tacentibus, & pro ipſis orantibus, illorum ſe & vita proderet, & doctrina: quæ uſque adeò tetra fuit ac deteſtabilis, ut alterius ſtatua Romæ exuſta ſit, cum ſe ipſe fugâ ab incendio eripuiſſet: alter perpetuo carceri propter hæreſim addictus, qui tamen ſub vitæ finem reſipuit, & ſuam vitam, erroreſque damnans, Romæ ita mortuus eſt, ut extremum hominis ſpiritum quidam *r* ex noſtris patribus exciperet.

r

CAP. XV. *Tempeſtas illa conciliavit ſociis auctoritatem etiam extra Romam;*

165 Falſæ accuſationis procellam magna tranquillitas eſt conſecuta: & quæ à diabolo ad obſcurandam veritatem fuerant comparata, ea (ut omnibus in rebus, quæ quidem divino patrocinio nituntur, fieri ſolet) ad illam magis illuſtrandam valuerunt. Quamobrem ſummi viri multi à Pontifice Maximo nonnullos ex noſtris petunt, alios aliò: eos Pontifex libenter concedit. Miſſi igitur ſunt, magiſter Paſchaſius Senas, ut virginum ſacratarum quoddam cœnobium reformaret: quod & præſtitit & vitæ integritate, manſuetudine, & inſigni Chriſtianæ ſimplicitatis candore, multorum in Deum excitavit ſtudia. Brixiam magiſter Claudius Jaius, qui morum ſuavitate, omnique genere virtutis, illius civitatis animos ſibi obligavit, Chriſtoque conjunxit. Cum Ennio Philonardo Verulano, Cardinale ſancti Angeli, Parmam, Placentiamque magiſter Petrus Faber, & magiſter Jacobus Laines; qui in iis urbibus permagnos ex ſuis laboribus fructus collegerunt, & non paucos tum viros, tum egregiæ indolis adoleſcentes ad Societatem adjunxerunt. In Calabriam verò profectus eſt magiſter Nicolaus Bobadilla, ubi populos quoſdam rudes atque agreſtes plurimùm ad pietatem excoluit.

F

Romæ verò magnum nomen tempore caritatis.

166 Neque verò ii, qui Romæ remanſerant, otioſi fuerunt: nam cum frumenti caritas in urbe tanta eſſet, ut multi aut fame interirent, aut viribus conſumpti in plateis paſſim jacerent: patres, ut huic malo, quoad ejus fieri poſſet, mederentur, pecuniam undique corrogare, panem conquirere, herbas in pulmentum concidere, mendicorum hominum quantam maximam poterant turbam cogere, domum perducere, pedes abluere, inediâ confectos cibo reficere, ulceroſos curare, rudes docere, nullum denique officium prætermittere, quod tum ad corporis, tum ad animi curationem pertineret: accidit que aliquando, ut tota domus ita compleretur, ut conquiſitos, & mediis ex plateis abreptos

A tos egenos homines vix caperet, cum trecenti quadringentive, in ſtrato humi fœno jacerent. Quæ res, magna populum admiratione affecit; & ad ſimile ſtudium, aliorum pietatem excitavit. Multi enim viri clariſſimi, & in his nonnulli Cardinales, hoc exemplo permoti, ſtrenuè operam navârunt, ne annonæ inopiâ pauperes opprimerentur. Itaque tria millia egenorum hominum variis in locis alebant. Ad noſtros præterea nonnulli, iique præclari tum adoleſcentes, tum viri adjuncti ſunt.

CAP. XVI. *Operariis pro vineâ Indica*

167 Lutetiæ Pariſiorum doctorem quemdam theologum, Jacobum Goveanum nomine, fuiſſe diximus eum, qui collegii divæ Barbaræ moderator, injuſta indignatione commotus, virgarum ſupplicium in Ignatium primò conſtituit; veritate deinde, hominiſque innocentia placatus, paratum ſupplicium in honorem ac reverentiam vertit. Is erat vir pius & gravis, & cum Ignatio, benevolentiâ ex errore illo partâ, conjunctiſſimus. Qui magno Dei gloriæ deſiderio affectus & Ignatii ſociorumque æquè incenſam voluntatem, & ſenſus in hominum ſalutem conſentientes exploratos habens, ſcripſit ad Ignatium, magnum o-
B ſtium in Orientis India apertum eſſe; latiſſimum ipſi ſociiſque patere campum, ſi qui fortè regiones illas petere vellent: cupere ſe ſcire, quid ſentiat; quo animo ipſe, quo ſocii ſint. Ad hæc Ignatius, ſe ſuoſque in Pontificis Maximi poteſtate eſſe: illius ſe imperium, illius nutum intueri: quóvis terrarum à Chriſti Vicario mittantur, non detrectaturos imperium.

à Joanne 3 Luſitaniæ rege petitis,

168 Hac reſponſione ab Ignatio Goveanus accepta, Joannem III, Luſitaniæ regem ſuum, tota de re certiorem facit. Rex non tam imperii propagandi, quam Chriſtiani nominis amplificandi, & Indorum ſalutis percupidus, Petro Maſcareniæ, ſuo apud ſummum Pontificem Oratori mandat, de hac re uti cum Ignatio agat: illius ad Goveanum, Goveani ad ſe epiſtolas mittat: à ſummo Pontifice, ſi non plures, ſex minimùm impetret: denique det operam, ut, quo rem conficiat, neque labori neque ſumptui parcat. Functus eſt Orator officio ſuo diligenter: Ignatium alloquitur: regis litteras oſtendit. Porrò ab Ignatio illud accipit, ſe ſuoſque haud ſui juris eſſe: ſummi eſſe Pontificis imperare: ſuum, ſociorumque parêre: duos quidem impetrare, non fore,
C ut ſibi videbatur, laborioſum; plures autem, perdifficile. Cum autem regis legatus inſtaret, & vehementiùs Ignatium urgeret, ut ex decem ſociis, ſex ut minimùm, ex regis voluntate eam provinciam acciperent, Ignatius ſereno placidoque vultu, iis ferè verbis reſpondit: Si ex decem, ad unam provinciam ſex auferas, quid, Jeſu bone, reliquo terrarum orbi relinques?

ac duobus à Pontifice illuc iré juſſis,

169 In ſumma, rogatus Pontifex, jubet, ut ex patribus duo, ad arbitrium Ignatii, proficiſcantur in Indiam: electique ſunt ad hanc provinciam magiſter Simon Rodericus, & magiſter Nicolaus Bobadilla. Simon quartana tum febri laborabat, navique in Luſitaniam vectus eſt. Ex Calabria Nicolaus in Urbem accerſitus eſt, qui egeſtate aſſiduiſque laboribus confectus, ex crure præterea graviter laborans, eo ipſo tempore venit, quo Petrus Orator diſceſſum in Luſitaniam parabat. Qui cum neque profectionis tempus differre, neque ſine altero ex noſtris comite omnino abire vellet, & magiſter Bobadilla morbo impeditus conſequi Legatum non poſſet: felici ſorte magiſter Franciſcus Xavier in ejus locum hac ratione ſuffectus eſt. Jacebat Ignatius ægrotus, & Franciſco ad ſe vocato, Non te, inquit, Franciſce, clam eſt, duobus ex nobis proficiſcendum, ſummi Pontificis juſſu, in Indiam eſſe! Bobadillæ autem huic muneri deſtinato, in præſenti per morbum ire non licere, neque Oratori, propter feſtinationem exſpectare. Tuum hoc, Franciſce, munus; tua hæc provincia eſt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

mirâ Dei providentiâ uni eorum ab Ignatio ſubſtituitur Xavierius.

170 Tum ille peralacriter, Ecce ego præſto ſum. Itaque poſtridie cum Oratore diſceſſit: cum ad ſalutandos amicos, complectendos fratres, vilem tunicam reſarciendam, paucularum horarum tempus habuiſſet. Atque eo animo, eoque vultu diſceſſit, ut jam tum Dei providentiam ſapientiſſimè ſuaviſſiméque omnia diſponentis, & Franciſcum ad tam glorioſos labores vocantis, conjicere facilè poſſes. Atque eo tempore Ignatius, Societate nondum conſtitutâ, tametſi patentis tenebat locum, ut qui filios illos in Chriſto genuerat; non tamen Præpoſitus erat, ut Dei nomine jubere poſſet. Ex quo virtus obedientiæ & caritatis ardor in Franciſco magis enituit. Illud addam, quod de patre magiſtro Jacobo Laine aliquoties audivi. Multo antea, dum iter per
E Italiam peregrinantes facerent Jacobus & Franciſcus, fiebat non rarò, ut Franciſcus ex ſomno expergefactus Jacobum excitaret, & diceret: Quam ſum, Deus bone, defatigatus! Scis, quid mihi, frater, in quiete acciderit? Somniabam, me Indum, Æthiopemve humeris ſuſtuliſſe, & aliquamdiu geſtaſſe, ſed uſque adeo gravem, ut ſuo me pondere penè opprimeret: itaque feſſus valde ſum. Huic affine eſt, quod à magiſtro Hieronymo Domeneco accepi, qui magnam cum Franciſco Bononiæ conſuetudinem habuit. Is affirmabat, Franciſcum jam ab eo tempore, de rebus Indicis, deque illarum gentium ad fidem converſione, libentiſſimè loqui ſolitum eſſe: quaſi hanc ſibi provinciam aliquando obventuram, animus præſagiret, ejuſque rei incenſam præ ſe tuliſſe cupiditatem.

ANNOTATA.

a Haud ita procul ab æde ſanctiſſimæ Trinitatis in Clivo, qui mons Pincius nominatur; *ait Orlandinus lib. 2, num. 41. Cardinalis Dominicus de Cupis, hujus Quirini Garzonii anniſu, mirè Societati fuit reconciliatus; uti habes ibid. num. 49; & apud Ribadeneiram lib. 5, cap. 6.*

b Sacramentorum frequentia ab ipſo incrementum accepit; *ex Officio ejus eccleſiaſtico.*

c *Quæ huc ſpectant, dat Commentarius* § 27, *num.* 280 *& ſeqq.*

d *De voto obedientiæ Commentarius* § 28, *num.* 288.

e *Determinationes circa miſſiones illas ſunt loco mox citato, num.* 289.

f *De eruditione illa puerorum ac rudium tractatur ibidem num.* 290; *uti & de Exercitiis ſpiritualibus admittendorum in Societatem &c.*

g *Ibidem num.* 291 *profertur documentum de perpetuitate Præpoſiti Generalis.*

h *De prærogativa pluralitatis ſuffragiorum ibid.* 292.

i *Nomina eorum* Petrus de Caſtilla, Mudarra, & Barreria neſcio quis, *ait Orlandinus lib. 2, num.* 47; *ubi hanc hiſtoriam narrat.*

k *Hunc ſycophantam pluribus depingit Orlandinus lib.* 1, *num.* 86; *& lib.* 2, *num.* 47.

l *Quinta hæc eſt, eaque teterrima perſecutio adversùs Exercitia; ex Commentario* § 9.

m *Laudatur in Bibliotheca Scriptorum Ordinis*

A. PETRO RIBADENEIRA.

FF. Prædicatorum tom. 2, *pag.* 162.

n *Sententiam hanc P. Ignatius Pinius contulit Romæ cum originali, monens,* B *significare* Benedictus, *quod nomen expressum habeatur in involucro originalis. Pro* Conversivus *legit* Conversinus; *pro* Britovoriensis *scribit* Britonoriensis; *addens,* Britonorium *seu* Britinorium *esse episcopalem civitatem in Romandiola. Addo ego de dicti loci præsulibus agi apud Ughellum Italiæ sacræ tom.* 2, *à col.* 630. *Porro lectiones, quas ad marginem sententiæ appositas vides, accepi à laudato collatore.*

o *Mensis ille suppeditatur ex mox dicto collatore; qui exstat etiam apud Orlandinum lib.* 2, *num.* 52, *ac Bartolum lib.* 2, *num.* 43.

p *De exemplis hujus sententiæ aliò missis meminit mox citatus Orlandinus.* Sunt hîc (*Romæ*) *ait P. Ignatius Pinius*, quinque exempla, omnia originalia, data eodem die, subscripta ab eodem gubernatore, ejusque secretario, & munita sigillo. *Videri etiam possunt ea, quæ ad S.* Ignatium *scribit Indiarum Apostolus in epistola* 2
B *apud Possinum, Ulyssipone data* v *Non. Julii* 1540.

q *De his, uti & de exitu accusatorum agit Orlandinus lib.* 2, *num.* 53.

r P. Avegnialeda, *ex Carnolio cap.* 14.

s *Quos inter fuit Margarita Austriaca; cujus ad Sanctum epistola datur in Commentario* § 29, *num.* 299.

CAPUT XI.

Confirmata à Paulo PP. III Societas; mirum Dei in eadem constituenda consilium.

CAP. XVII. *Sanctus impetrat à Pontifice Societatis instituti laudem,*

SEd quoniam suos, & sociorum labores atque consilia pro salute proximorum suscepta, ita demum & Deo grata & proximis utilia fore sperabat Ignatius, si ea summus Pontifex sua auctoritate atque judicio comprobasset; Paulo III Pont. Max. per Gasparum Contarenum *a* Cardinalem, propositum suum & sociorum significavit: se suosque, ipsius Pontificis successorumque obedientiæ se penitus totosque devovisse: labores omnes suos proximorum saluti, curasque consecrasse: optare se, ac summis votis expetere, ut, quibus ipsi à Deo agrum Domini colendi desideriis accensi essent, ea unà cum ipsorum vita ne exstinguerentur; sed in aliorum exemplum adolescerent, si quos fortè Deus sui imitatores excitare dignaretur. Quorum quidem Religio, Clericorum Regularium esset; institutum verò, ut summo Pontifici ad nutum præstò forent, & omninò ad eam normam vitam suam dirigerent, quæ multò ante meditata, & à se esset constituta. Quod quidem Pontifex tertio Septembris Tibure *b* libenter audivit, atque laudavit anno millesimo quingentesimo trigesimo nono.

a

C

b

deinde, frustra in initio sè opponentibus tribus Cardinalibus, *c*

172 Postea verò Ignatio ejusmodi instituti confirmationem scriptam postulante, negotium à Pontifice Maximo tribus Cardinalibus datum est. Qui, ne res conficeretur, magnopere pugnabant: præcipuè verò Bartholomæus Guidiccionius *c* Cardinalis, vir pius quidem atque eruditus; sed qui tantam Religionum multitudinem, quanta nunc quidem in Dei Ecclesia cernitur, minùs probaret: conciliorum Lateranensis ac Lugdunensis decretis fortasse permotus, quibus nimirum novarum Religionum multiplicatio prohibetur: aut certè propter quarumdam lapsam fluxamque disciplinam, quam in pristinum statum revocandam censebat potiùs, quam novas Religiones instituendas: atque de ea re librum dicitur scripsisse. Quapropter cum id sentiret, acriter nostris restitit, & Societatis confirmationi unus omnium acerrimè repugnavit, aliique nonnulli conatus cum illo suos conjunxerunt; ut, quo res exagitata esset vehementiùs, & magis lentè probata, eo testatior, atque illustrior Dei voluntas existeret, per Vicarium suum, hoc institutum confirmantis. Namque victa omnis invidia est, & intercessio omnis sublata Ignatii continuis ad Deum lacrymis precibusque: qui etiam aliquot Missarum millia per se & suos Deo offerre constituit, ad felicem tantæ rei exitum impetrandum.

D

sed in Ignatii favorem mutatis,

173 Ex quo cum reliquorum Cardinalium, tum verò Guidiccionii cor ita immutatum est, ut adjutor ex adversario repentè existeret; & ille novarum Religionum tam acer paulò ante insectator, Societatis fine percepto, summopere ejus institutum laudaret. Sic enim animo commotus est, ut aliquando etiam diceret: Novas religiones non probo: hanc tamen non probare non audeo. Sic enim interiùs afficior, eos motus animi divinitus sentio *d*, ut quo me humana ratio non ducit, eò voluntas inclinet; & affectu quodammodo invitus complectar, quæ argumentis antea repudiabam. Ergo ille ipse Societatis institutum Pontifici commendavit. Pontifex cum formula *e* quadam comprehensum perlegisset, vehementer probavit, & Pontificio afflatu Spiritum Dei hîc esse dixit, seque non tenues fructus sperare, neque exiguas ex tam exiguo tenuique principio utilitates in Dei Ecclesiam perventuras.

E

d

e

obtinet ejusdem confirmationem, cum aliqua ad tempus restrictione.

174 Confirmata est igitur Societas anno MDXL, v Kalend. Octobris: definitè tamen & cautè: iis enim tunc finibus professorum nostrorum numerus circumscriptus est, ut sexaginta non excederet. Quod divinitus etiam factum esse credimus, ut media primis, extrema mediis congruerent. Nam hæc Societas nondum nata, in auctore suo Ignatio, primùm probata est in Hispania; deinde jam edita in lucem, in Italia Galliaque graviter oppugnata, ante hanc summi Pontificis confirmationem: qui, ut pedetentim progrederetur, & ipsa sua confirmatione Societatem etiam magis probaret, certum numerum adjecit. Ex quo hæc ejus confirmatio, ad annum MDXLIII probatio quædam fuit: quo quidem anno, ubi Domino cooperante, & sermonem nostrorum virtute sua confirmante, successus is fuit, qui sperabatur; ab eodem Pontifice numeri illa definitio sublata est. Deinde verò ab anno MDXLIII ad annum MDL vegetior facta est ac robustior, & à Julio III, aliisque Pontificibus confirmata, & multis magnisque privilegiis aucta, & vehementiùs stabilita, ut suo loco dicam.

F

CAP. XVIII. *Providentia Dei in condenda Societate Jesu elucet*

175 Et quoniam huc perventum est, & de institutione Societatis atque confirmatione egimus, non erit (ut arbitror) abs re, si, quod Dei fuerit, in hac ipsa Societatis confirmatione consilium, pro modulo nostro investigemus. Ille enim Ignatium Ecclesiæ suæ labanti, singulari quadam providentia, auxilio misit, ut & se, & filios suos murum pro domo Dei insultantium hostium furori objiceret. Atque ut hoc Dei Opt. Max. propositum magis eluceat, necessarium est, quo in statu Ecclesia sancta fuerit, quo tempore Ignatius vixit, diligenter consideremus. Ex hoc enim

A enim melius intelligemus, quanta fuerit hujus auxilii necessitas: ex necessitate etiam Dei consilium magis apparebit. Qui quidem quasi pater quidam familias vigilantissimus, numquam non operarios conducit in vineam suam; sed tunc maximè, cum illa magis inculta videtur, atque deserta. Et tamquam rex regum, & dominus dominantium omnium potentissimus atque sapientissimus, regnum Ecclesiæ suæ amplissimum munire non cessat: & sacras Religiones in eo, veluti munitissima quædam propugnacula collocare, atque fortissimorum militum præsidiis cingere, & armis, commeatu, tebusque ad defensionem necessariis instruere: ne vitiorum, hæresum atque errorum monstra hostiliter irrumpant, bellumque virtuti atque veritati impunè indicant, & de sanctissima religione nostra triumphare videantur.

176 Nihil temerè facit Deus, nihil fortuitò. *ex ejusdem fine,* Nam si folium arboris absque illius nutu non cadit; si omnes capillos capitis nostri habet numeratos; & suâ ipsius providentiâ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; quanto magis in Religionum & sacrorum
B Ordinum institutionibus (quæ longè nobiliora nimirum atque excellentiora ipsius opera sunt) hanc suam admirabilem providentiam Deus prodere, atque illustriùs debet proferre? Et ut certius aliquid colligere, & minùs dubiis conjecturis Dei consilium assequi possimus; ponamus ante oculos finem, cujus gratiâ Societas est instituta; qui quidem is est, quem præsens Catholicæ Ecclesiæ tempus requirebat.

177 Est igitur Societas Jesu, ut in confirma- *qui versatur in defendenda & amplificanda orthodoxa fide:* tionis Apostolicæ litteris continetur, ad defensionem ac propagationem fidei potissimùm instituta. Fides ab hæreticis defenditur, apud ethnicos propagatur. Videamus ergo, quid opus nostris temporibus fuit, vel fidem Catholicam ab hæreticorum oppugnatione defendere, vel eam inter gentes amplificare: ex iis enim duobus capitibus, divinæ providentiæ consilium fortasse licebit conjicere. Nam hoc ipso tempore, quo Ignatius lucem hanc hausit, innumerabiles, easque atrocissimas calamitates Dei Ecclesia ab infidelibus, atque ab hæreticis perpessa est, vehementerque debilitata, atque diminuta. Et tamen (quæ Dei in sponsam suam benignitas est) ad reparandas has tantas ruinas, & damna resarcienda, quæ patitur in Europa, novum Dominus mundum, atque hactenus incognitum mirabiliter patefecit,
C in quo se latiùs funderet lumen fidei, & innumeras atque latissimas provincias peragraret. Mitto nunc quas strages ediderit, quas Christianorum provincias Ottomannicum imperium ab anno fermè MCCC, quo cœpit, usque ad annum Domini MCDXCI, quo Ignatius in lucem editus est, occupaverit, quas nationes subegerit, quæ regna subjugaverit; in quibus scilicet, vel exstincta, vel certè majorem in modum afflicta & labefactata est Christi religio, & spurca tetraque Mahometis secta inducta.

178 Ex quo primùm certè Ignatius lucis hu- *cujus ruinæ, illi præsertim, quæ per Lutherum est invecta, oppositit Deus Ignatium;* jus usuram accepit, religionis nostræ lumen magna ex parte obscuratum est in inferiori Pannonia, occiso ejus rege Ludovico *f*: in Dalmatia item, & Illyrico. Amisimus Rhodum *g*, fidei propugnaculum, atque hostium terrorem, Chion insulam *h*, Cypri *i* regnum, Coronem *k*, Methonem *l*, Neapolim *m*, Malvasiam *n*, Naupactum *o*, Guletam *p*, Tripolim *q*, Bugiam *r*, aliaque plurima loca munitissima, à Christianis olim expugnata, ut in illis Christi fides efflorescceret. Quid di-

f g h i k l m n o p q r

cam de hæresewn, atque errorum portentis, quæ nostro infelici seculo extiterunt? Quot provincias everterunt; quot regna afflixerunt; quot Catholicorum respublicas devastârunt; quas calamitates non importârunt; quibus malis universam Ecclesiam non affecerunt, vexârunt, perdiderunt? Anno humanæ salutis MCDLXXXIII natus est in Saxonia, superioris Germaniæ provincia, humani generis pernicies, ac certissima pestis Martinus Lutherus. Anno verò MDXVII in condonationes peccatorum, ac remissiones à Romano Pontifice concessas, impiè debacchari cœpit. Furiis autem illum agitantibus, anno MDXXI palam Catholicæ Ecclesiæ per summum scelus bellum indixit. Quo ipso anno Deus in Pompeiopolitana arce Ignatium vulneravit, ut sanaret, & ex vanitatis vili mancipio ducem fortem efficeret; & Luthero tamquam aerem Ecclesiæ suæ propugnatorem opponeret. Hoc divinæ bonitatis proprium est. Hæc est certissima ratio divini consilii. Numquam Ecclesiam suam deserit Deus; sed ubi maximè oppugnatur, fortissimos excitat defensores. *A. Petro Ribadeneira.*

E

uti alios alias temporibus eosdem excitaverit

179 Sic Simoni Mago Simonem Petrum Apostolorum principem, Atio Athanasium, Nestorio Cyrillum, Joviniano, Vigilantio, Elvidio Hieronymum, Mani & Pelagio Augustinum, aliis hæresiarchis, atque fidei hostibus, alios clarissimos defensores opponit. Ex quo prudenter est ab ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus animadversum, quo die Pelagius in Anglia natus est, ut tenebras errorum mundo offunderet: eodem ipso die, Ecclesiæ lumen Augustinum in Africa emicuisse, ut impii ac nefarii hominis caliginem depelleret, & universam Ecclesiam luce sua collustraret. Quo tempore Albigenses, aliique perversæ doctrinæ magistri, importuniùs Ecclesiæ pacem turbabant, & succrescentes spinæ vitiorum semen à cœlesti satore sparsum malignè suffocabant, duo illa mundi lumina atque ornamenta, Dominicus & Franciscus quasi de cælo lapsi sunt, ut per se, & per filios suos hæreticorum frænarent impetum, errorum radices evellerent, vitia tollerent, mores componerent, denique universum terrarum orbem admirabili vita atque doctrina illuminarent, atque ad Dei amorem accenderent: quemadmodum à sanctissimis illis patribus factum fuisse legimus, & ab optimis eorum filiis quotidie fieri videmus. Religiones eæ, quæ Militares vocantur, iis temporibus constitutæ sunt, quibus sancta Ecclesia armis infidelium mirum in modum divexata, atque oppressa, virtute etiam Christianorum militum erat defendenda & vindicanda in libertatem. F

Id quod obtinet potissimùm in Societate circa Lutherum;

180 Quod item de reliquis est sacris Religionibus intelligendum, & de ea potissimùm, qua de agimus, Jesu Societate. Nam cum Martinus Lutherus monachus, unà cum suæ Religionis habitu pudorem etiam ac Dei timorem exuisset, & sacrilegas atque incestas nuptias cum virgine Deo sacrata impudentissimè celebrâsset, signum in Ecclesiam Catholicam sustulit, bellum Christi Vicario indixit, milites conscripsit, denique omnes gentes diris clamoribus & horrendis blasphemiis ad arma concitavit. Sequuti Lutherum è vestigio sunt homines profani, perditi, seipsos amantes, superbi, elati, & rerum novarum cupidi. In iis, magno numero poëtæ leves, oratores garruli, grammatici fuerunt arrogantes, qui versibus cantilenis, rhythmis, comœdiis, declamationibus, & magistrum suum Lutherum miris laudibus extulerunt; & in traditiones, cæremonias, dignitates ecclesiasticas atrocissimè invecti sunt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

ejusque asseclas corruptissimos,

181 Magnus deinde grex sese Luthero adjunxit sacerdotum monachorumque : qui, quòd infirmis oculis clarissimam Religionum, in quibus vivebant, lucem ferre non possent, ut licentiùs libidini fræna laxarent, & in turpissimarum voluptatum cœno volutarentur, ipsarum Religionum claustra reliquerunt. Et ne dubitari posset, quid eos ad tantam insaniam impelleret, quasi clibanus igne succensus æstuârunt ; & tamquam equi admissarii ad voluptatem incitati, ad Lutheri orationem adhinnierunt, uxores duxerunt ; mulierculas deceptas, & virgines etiam Deo dicatas per summum scelus constuprârunt : & quidem tam impudenter, tam sceleste, ut in nuptiis cujusdam illorum, Missam etiam composuerint (si sacratissimæ rei nomen, in tam immanem quadrare potest insaniam) execrationibus & blasphemiis refertissimam, in qua incestos & fœdifragos, atque impuros sacerdotes collaudant, sanctos vocant, à Deo illuminatos prædicant, quod, excusso continentiæ jugo, uxorum adhærerent amplexibus ; & ceteros, ut idem faciant, adhortantur. Nempe hæretici, cum vita factisque sunt detestabiles, tum verò ipsa peccandi licentia incredibili, atque impudicitia longè etiam detestabiliores.

B

apostatas,

182 Isti itaque nefarii atque perditissimi apostatæ cœperunt libertatem prædicare, ut homines peccati servos efficerent : annuntiare voce Christum crucifixum, re autem vera Antichristum : denique persuadere fidelibus, ut pœnitentiam, crucem, veram Christi imitationem abjicerent, & per omne flagitii ac turpitudinis genus agerentur præcipites. Erat hoc ipso tempore iis vitiis contaminatus, iis morbis confectus mundus, ac tam incurabilibus saucius vulneribus, ut multi hanc doctrinam facilè admitterent, & venenum haurirent suaviter, & tamquam medicamentum salutare aliis etiam propinarent. Fuerunt in iis è fæce reipub. sutores, cerdones, tinctores, lanii, homines facinorosi, & vulgò infames, & publicè damnati, & ignominiæ notis inusti, qui novi hujus euangelii, novi magistri atque concionatores extiterunt. Quos enim alios hujusmodi doctrina haberet doctores ?

ac mulierum impudentium greges ;

C

183 Imo verò eò progressa est quarumdam mulierculariarum garrularum atque impudentium audacia, ut abstersâ illâ, quæ illis innata & propria est feminarum, verecundiâ, & neglecto Apostoli Pauli præcepto, mulierem domi suæ in silentio discere jubentis, & in Ecclesia loqui prohibentis, in suggestum ascenderent, verbum Dei explicarent, in concione de sacra Scriptura disserrent, doctissimos theologos ad certamen provocarent, assertiones aniles, & theses, seu potiùs deliramenta quædam publicè defendenda proponerent : ut verum sit illud D. Hieronymi : Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri : sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant : scribimus indocti doctique poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducti supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur : alii discunt (proh pudor !) à feminis, quod viros doceant ; & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imo audaciâ edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Hæc ille.

184 Cœpit contagione serpere hoc venenum, & diffundere se quotidie latiùs Babylonicum hoc incendium, ac vires acquirere magnorum quorumdam principum studiis : qui quidem, vel propter ambitionem atque improbam cupiditatem, & ex bonis ecclesiasticis magnum, quem sperabant, quæstum ; vel ad alendas atque sustentandas, quas cum aliis gerebant, inimicitias : vel aliis turbidioribus animi motibus obcæcati, perditorum concionatorum insanias suâ potentiâ atque benevolentiâ auxerunt : iisque colore ac prætextu quodam religionis, ad suas ipsorum libidines faciliùs consequendas, per summum scelus abusi sunt. Et quoniam Deus mala nostra graviter punire decreverat, aliis malis majoribus & magis perniciosis nos involvi permisit, & omnium penè maximo, quod [est] hæresis. Itaque & cruenta extiterunt hoc ipso tempore inter Christianos principes bella, quæ hæresum atque errorum sunt faces, & altùm dormientibus pastoribus, & mutis canibus, rapaces lupi tantam stragem (quantam proh dolor videmus !) in Christi ovile ediderunt, consequutæque sunt innumerabiles atque gravissimæ calamitates ex novo hoc euangelio, quæ universam Christianam rempub. acerbissimè afflixerunt, atque deformârunt ; ex quibus nonnullas referam : omnes enim percensere, esset infinitum.

D

malo perversis principum cupiditatibus aucto,

E

185 Principio, omnes penè errores, atque pestilentes hæreses, quæ ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio hactenus extiterunt, jam diu sepultas ab inferis revocârunt : vix enim ex omnium præteritorum seculorum memoria, ulla fuit vel opinio tam absurda, vel blasphemia tam impia, vel doctrina tam perniciosa, vel dogma tam insanum, quod infelicissimo nostro tempore non revixerit, & à Luthero ejusque discipulis ab orco excitatum non sit. In sanctissimam Trinitatem, in Christi Domini nostri divinitatem, in Spiritus sancti personam, in beatissimam Matrem, atque immaculatam virginem Mariam, in purissimas angelorum mentes, in Sanctos, in animas, quæ purgatorii igne expiantur, impuro ore perbacchati sunt, in ipso denique inferno, quod mentirentur ac blasphemarent, invenerunt. Nullum est in Dei Ecclesia Sacramentum, quod non pervertant : nulla sacra cæremonia, quam non irrideant : nulla Apostolica traditio, quam non convellant : nulla divinæ Scripturæ pars, quam vel non excludant, vel ineptis ac perniciosis translationibus, annotationibus, interpretationibus non depravent & corrumpant.

& resuscitatis veterum hæresum atque impietatum monstris ;

F

spretis conciliis, patribus ac Romano Pontifice,

186 Quid dicam de sacrosanctis conciliis, Spiritu sancto auctore atque inspiratore celebratis ? Quid de sanctissimorum Pontificum decretis, publicè à Luthero igne consumptis ? Quid de doctissimorum atque beatissimorum patrum monumentis, qui cælestis vitæ exemplo, atque admirabili doctrina universam Dei Ecclesiam illuminârunt, & ad Christi servatoris nostri imitationem inflammârunt : quæ tamquam antidota & medicamenta salutaria, & eorum venenatis erroribus omnino contraria, impostores isti mutilant, lacerant, depravant ? Mitto quæ dicunt & faciunt, contra summam Romani Pontificis, Christi in terris vicarii, ac Petri successoris potestatem. Nam veluti latrones ac deterrimi parricidæ, leges ac magistratus odio prosequuntur : sic omnes semper hæretici Romanum Pontificem judicem pavent, ac perhorrescunt. In summa, nihil est tam sanctum, quod non profanent : nihil tam firmum, quod non labefactare conentur : nihil tam certum, tam fixum, tam omnium seculorum, nationum, patrum consensione in Ecclesia Catholica

A lica receptum atque ſtabilitum, quod in dubium non vocent, quod non infirment, quod non convellant.

atque hæreſi per varia ſectarum capita propagata:

187 Et quoniam veritas una ſemper eſt, falſitates multæ ſunt, & ſibi adverſantes atque contrariæ: tot ex Luthero quaſi ex Lernæa Hydra capita extiterunt, tot ſectæ atque hæreſes prodierunt, ut eas enumerare omnes, ſit perdifficile. Nam vel ex una Anabaptiſtarum ſecta, 12 aliæ ſectæ emerſerunt, tam inter ſe pugnantes, ut quibus in urbibus illæ aliæque ſimiles peſtes graſſantur, vix domum invenias, ubi quod matitus credit, credat uxor; & quod paterfamilias amplectitur, filius ac famulus ſequantur; & quidem tantâ inconſtantiâ, ut in ea ſolùm ſint conſtantiſſimi, euripo omnique vento mutabiliores. Gerunt præterea inter ſe graviſſimas inimicitias, & plus quam Vatiniano odio ſe invicem proſequuntur: in eò tantùm conveniunt, ut Catholicis omnibus bellum inferant, ut Chriſti Eccleſiam junctis viribus pertinaciter oppugnent, & tamquam Samſonis vulpes, ſegetes Catholicorum

B incendant.

cujus luctuoſiſſimæ tragœdiæ ſcena

188 Neque verò ſatis iis fuit, pernicioſos errores excitaviſſe, & pluſquam Cimmerias offudiſſe tenebras mortalibus, eorumque animas peſtilenti doctrina perdidiſſe; ſed in corpora etiam graſſati immaniter ſunt, & infinitis penè Catholicis vitam hanc mortalem violenter eripuerunt, quòd æternam auferre non potuiſſent. Sanctiſſimi epiſcopi, monachi religioſiſſimi, ſacerdotes ſacroſancti, virgines honeſtiſſimæ, atque etiam Deo dicatæ, pueri innocentes, ſenes ætate & canitie venerandi ab iis mactati ſunt: & quidem tam atrociter, tam truculenter ac dirè, ut nova atque exquiſita tormenta excogitarent, & omnium tyrannorum, de quibus fortiſſimi atque beatiſſimi martyres olim triumphârunt, ſævitiam etiam atque immanitatem vincerent. Legat, qui volet, noſtrorum temporum hiſtorias, quas innumerabilibus reperiet refertas inauditæ crudelitatis exemplis. Quot virgines caſtiſſimæ, quibus ab hæreticis vis eſt illata, quòd fidem Catholicam nollent ejurare, mammillis deinde intra arcarum vel torculorum feras compreſſis, miſerrima lentaque morte perierunt! Quot ſacrarum familiarum viri & ſacerdotes hæreticorum truculentam barbariem experti ſunt! Alii vivi in terram defoſſi, alii de turribus præcipites dejecti, alii excoriati: alii

C elixi, aut vivi aſſi; alii cranio clavis transfixi; alii in os injecto pulvere tormentario, atque incenſo combuſti, atque in minutiſſima fruſtra diſcerpti. Quoties ex Catholicorum adhuc ſpirantium ventribus diſciſſis, atque inter ipſa gementium piorum viſcera injecto hordeo, equis ipſis inſolens pabulum horreſcentibus, cibus eſt propoſitus?

vivis coloribus

189 Quoties mulierum prægnantium & viventium ureri fecit, eorumque ob oculos palpitantes fœtus extracti, ſaxis illiſi, aut in ignem injecti, aut verubus alligati, lento igne toſti ſunt? Quis credat uſque adeo hæreticos furiis agitari, omniſque ſenſus, atque humanitatis expertes, ut ſacerdotibus, Deique inviolatis miniſtris, nares atque aures præciderint, eiſque ſuorum equorum fræna ornârint; & quaſi in publica geſtârint lætitia, magna pompa, feritate, triumpho? Quis religioſiſſimis atque ſanctiſſimis ſenibus pudenda membra amputâſſe, coxiſſe, in os ingeſſiſſe, manducare eos incredibili impuritate atque violentia coëgiſſe? Hæc tamen & alia iis pejora, à Calviniſtis in Gallia, noſtra ætate perpetrata ſunt. Quod ſi hæc perditorum hominum feritas atque inſania in homines tantùm ſæviret, noſtro tantùm ſanguine ſuam inſatiabilem rabiem exſaturaret; graviter quidem, ſed minus tamen eſſet dolendum. Sed, proh nefas! Deo, Divis, ſacris omnibus bellum infert, cælum terræ miſcet, & gigantum more pugnat cum Deo. Templa, in Divorum honorem Deo dicata, profana fecerunt: calices, vaſa, veſtes ſacras, baptiſmi aquam, ſacræ Unctionis oleum, ſanctorum virorum oſſa polluerunt, violârunt, diſſipârunt. Quis poſſit narratione complecti, aut enumerando percenſere templa incenſa, & ſolo æquata; monaſteria virorum & feminarum direpta atque everſa; ſacrarum rerum omnium inſtrumenta proculcata, atque per ſummam ignominiam irriſa, beatiſſimorum virorum atque in cælo cum Deo jam regnantium reliquias disjectas & conculcatas?

A. PETRO RIBADENEIRA.

190 Quo furore ac rabie SS. epiſcoporum corpora Irenæi, Hilarii, Martini, Aniani, Thomæ Cantuarienſis, Bonaventuræ, & aliorum exuſſerunt, in cineres redegerunt, in flumen præcipitârunt, Divorum imagines demoliti ſunt, cruces etiam, & Chriſti in cruce pendentis ſimulacrum flammis tradiderunt? Sed quod omnem impietatem infinitis partibus ſuperat, & vel dæmon ipſe cogitare perhorreſceret, illud eſt, quod auguſtiſſimam atque divinam Hoſtiam, in qua veriſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus continetur (ô immenſa bonitas, ô clementia, & patientia Dei infinita!) ſæpenumero indigniſſimè tractârunt. Quis eſt tam ſtupidus, qui hic non excitetur; tam à ratione atque humanitate alienus, qui hæc non ſentiat; quis, qui vel ſcintillam habet fidei, cujus ad hæc mens, non ſtupeat, lingua hæreat, ſenſus non deficiat? Neque verò exiſtimare debemus, idcirco Deum hæc pati, & ad graviſſimas injurias ſuas diſſimulare & connivere, quòd in ſceleſtiſſimos atque flagitioſiſſimos homines animadvertere non poſſit:

repræſentatur:

E

Deo ob exceſſum bonitatis ſacrilegos hîc non puniente:

191 Non eſt hic, non eſt defectus potentiæ, ſed bonitatis exceſſus: non habet Deus manus ad vindictam invalidas, ſed ad ignoſcendum facilès: probat fidem noſtram, dat infinitæ clementiæ ſuæ certa argumenta, exſpectat ut corrigat; præſtolatur peccatores, ut ſanet; ut vel pœnitentiâ emendentur, vel pertinaciâ & obſtinati animi pervicaciâ tardiùs quidem, ſed graviùs puniantur. Solet enim Deus tarditatem, ſupplicii gravitate compenſare. Hic enim, quem tam impiè ac

F nefariè ab hæreticis noſtri temporis accipi atque tractari videmus, ille idem eſt Dominus, qui Ozam percuſſit & occidit, quòd incautè ac minùs reverenter arcam Teſtamenti tetigiſſet, quæ tamen figura tantùm erat divini hujus Sacramenti. Ille eſt, qui quinquaginta Bethſamitarum millia interfecit, quòd eamdem arcam curioſiùs aſpexiſſent. Ille eſt, qui omnibus ſeculis atque ætatibus, & noſtris etiam temporibus, clariſſimis miraculis, in omnibus penè orbis terrarum provinciis atque regionibus veriſſimam corporis ſui præſentiam, & divinitatis tremendam majeſtatem ſæpenumero teſtatus eſt. Ille eſt, qui Judæos, qui minùs pios Chriſtianos juſtiſſimis graviſſimiſque pœnis non ſemel affecit, quòd ſe indignè atque irreverenter in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento tractâſſent. Et quod in illos præſtitit, præſtare utique poſſet in hæreticos, qui Judæos perfidiâ, & tepidos Chriſtianos impietate vincunt. Sed tamen diſſimulat Deus & patienter agit, propter eas, quas diximus, cauſas, & propter alias nobis occultas, immenſæ verò illius ſapientiæ notiſſimas.

A. PETRO RIBADENEIRA.

ANNOTATA.

a *Res ejus geſtas dat Ciaconius tom.* 3, *à col.* 578.

b *Urbs eſt Latii in Italia.*

c *Facta & ſcripta ejus memorantur apud Ciaconium tom.* 3, *à col.* 670.

d *Apparitionem interveniſſe vult Ughellus; de qua Commentarius* § 29, *num.* 308.

e *Formula Inſtituti inſerta eſt litteris Apoſtolicis Pauli III, ac Julii III; de qua Commentarius* § 28, *num.* 291.

f *De Ludovico, Hungariæ rege, agunt Annal. eccl. Raynaldi tom.* 20; *ubi ad annum* 1526, *à num.* 63 *de miſera ejus clade ac morte.*

g *Tempus habes ſuprà in annotatis ad caput* 4 *Actorum antiquiſſimorum lit.* f.

h *In Aſia ac mari Ægeo & Icario.*

i *In Aſia ac mari Mediterraneo.*

k *Urbs eſt Peloponneſi in Meſſenia.*

B l *Ibidem ſita eſt* Methone:

m *Per hanc* Neapolim *intelligo urbem Peloponneſi maritimam ad ſinum Argolicum, vulgò* Napoli di Romania.

n *Urbs eſt maritima Peloponneſi, ad dicti ſinus initia.*

o *Italis* Lepanto, *in ſinu Corinthiaco, Turcarum clade memorabilis.*

p *Gallis* la Goulette; *arx eſt inter mare Mediterraneum & lacum Tunetanum.*

q *Notiſſima urbs eſt Africæ in ora Mediterranei maris.*

r *In regno Algeriano.*

s *De Ordinibus monaſticis, religioſis ac militaribus exſtat Hiſtoria P. Hippolyti Helyot.*

CAPUT XII.

Alia, in Societate inſtituenda divinæ providentiæ argumenta.

C *Omnia ſus deque verſa per hæreticos in Germania,*

ET quamquam iis, quæ retulimus, reliqua minora ſunt, quid dicam tamen de furtis, latrociniis, prædationibus, rapinis, incendiis, cladibus, quibus per ſummam injuriam atque tyrannidem ſatanæ miniſtri infinitam hominum multitudinem divexarunt? Quid loquar de conjurationibus, rebellionibus, tumultibus, diſſenſionibus, perturbationibus, civium diſcordiis, quæ ſimulatque hæreſum peſtis exorta eſt, pacatiſſimas provincias, & florentiſſima regna pervagatæ ſunt? In Germania, Luthero auctore atque impulſore, ruſtici contra dominos ſuos arma ceperunt; tantaque eſt contentione pugnatum, ut ruſticorum centum millia occiſione ſint occiſa; tantæ ſtrages factæ, ut in ſola provincia Franconia ſupra 200 caſtella, & Religioſorum hominum monaſteria funditus ſint everſa. Helvetiorum Cantones (quos vocant) Catholici, pro avita religione, parva manu cum Cantonibus hæreticis, collatis ſignis dimicârunt, eoſque & numero & militum virtute fretos, tribus prœliis fuderunt, ac profligârunt, & Zuinglium, eorum magiſtrum atque erroris ducem concremârunt. Magna pars ſtatuum Imperii à Carolo V imperatore defecit, delectum habuit, milites conſcripſit, exercitum innumerabilem conflavit, ut illum opprimeret, & de univerſa Germania deturbaret: D ſed vera religio, cujus cauſa agebatur, Deo duce atque auctore, glorioſam de potentiſſimis hoſtibus victoriam reportavit.

193 Quid reſidui eſt in omni calamitate, quod *ac Gallia,* florens quondam Franciæ regnum perpeſſum non ſit? Quam diuturna & cruenta bella ſæpè geſta; quantum ſanguinis eſt effuſum, quoties inter Catholicos & hæreticos, & quanta contentione eſt decertatum, victoria ſemper ad veram religionem inclinante? Quoties homines perditiſſimi ac nefarii in reges Franciæ Franciſcum II, Carolum IX, Henricum III conſpirârunt, ut patriæ parentes trucidarent, nobiliſſimum atque potentiſſimum regnum vaſtarent, Catholicam religionem delerent? Quod niſi Deus piorum atque integerrimorum hominum (qui in Gallia adhuc ſunt innumerabiles) vota, preces, lacrymas reſpiciens, impiorum hoſtium conſilia retexiſſet, conatus repreſſiſſet, impetus retardaſſet; actum eſſet de regno illo Chriſtianiſſimo: in quo tanta fuit, & tam aperta atque nefaria Hugonotorum rebellatio, ut ſint, qui ad ſempiternam eorum ignominiam litteris prodiderint, eos Ludovicum Borbonium Condæum regem coronaſſe, monetamque auream illum impreſſiſſe, in qua hæc erat inſcriptio: Ludovicus XIII, Dei gratiâ Francorum rex, primus Chriſtianus. Quæ inſcriptio arrogantiſſima eſt, & in omnes Chriſtianiſſimos Franciæ reges injurioſa. E

194 Neque iis contenti, ut nihil ad ſummam improbitatem deeſſet, oratores etiam ſuos Byzantium miſerunt ad Turcarum imperatorem, ut teterrimum illum Chriſtiani nominis hoſtem, ad movenda arma in Galliam, Hiſpaniam, Germaniam ſollicitarent, & auxilia ſua pollicerentur, & ſpem rei bene gerendæ oſtenderent, inteſtinis diſcordiis, atque tumultibus, illis in regnis, ipſorum operâ excitatis: ut hac ratione potentiſſimorum regnorum ſtatum perturbarent, & Catholicam religionem, ſi poſſent, exſtinguerent. Sed ea eſt cordatorum hominum de iſtiuſmodi monſtris exiſtimatio, ut vel ipſe Turca eorum legationem audire contempſerit, quòd diceret, Hugonotos tam eſſe abjectos atque deſpicatos, ut indignum ſit, ſupremum orbis terræ imperatorem cum eis ullâ vel amicitiâ jungi, vel fœdere, qui in Deum impii, in regem ſuum rebelles, perfidioſi in reliquos ſint. *implorata etiam ad hoc Turcarum ope:* F

195 Denique communis pacis, atque tranquillitatis perturbatores in Catholicam etiam atque probatiſſimam feminam Mariam Angliæ reginam conſpirârunt, & in ducem præterea Allobrogum Philibertum, quòd ex Valle Engronia hæreticos exſtirpaſſet, ne illorum malum per ditiones ſuas latiùs ſerperet: & in alios permultos principes moliti ſunt inſidias, ut illos de medio tollerent. In quorum numero eſt Scotiæ rex, quem occidere hæretici conati ſunt: reginam verò ejus matrem ceperunt, & conjecerunt in cuſtodiam, quòd Catholica eſſet, eamque Angliæ reginæ Eliſabethæ, ipſius odio flagranti, in poteſtatem tradiderunt. Quæ Eliſabetha cum femina ſit, Anglicanæ Eccleſiæ univerſæ ſupremum ac ſpiritale caput ſe dici & haberi vult: & ſerendis diſcordiis, auxiliis ferendis, ſumptibus ſubminiſtrandis, callidè & aſtutè bellum adverſùs alios reges alit, auget, inflammat: in Catholicos verò ſui regni tam implacabili immanitate, atque feritate ſævit, ut omnis barbaria ab ea ſuperata videatur. *item in Anglia,*

196 Quis ignorat, quo in luctu jaceat, quan-

to

A *Germania inferiore,*

to in mœrore ſit, quibus & quam diuturnis calamitatibus ſit oppreſſa, florens quondam & feliciſſima Germaniæ inferioris provincia? quæ tam graves & acerbæ ſunt, ut ad regna etiam alia longè poſita pervadant, quæ exſanguia, exinanita, exhauſta ſunt, populorum victu, vectigalium nervis, ærarii ſanguine, rebus omnibus in bellum pro tuenda religione conſumptis. Quantum eſt humani ſanguinis, ex quo primùm Lutherus claſſicum cecinit, religionis ergò per omnes Chriſtianorum provincias effuſum? Quot depopulationes agrorum, direptiones urbium, oppidorum everſiones, templorum incendia, cœnobiorum ſpoliationes, populorum ſtrages, clades provinciarum, regnorum excidia ſunt conſecuta? In ipſo undecim annorum ſpatio, apud gravem ſcriptorem legi, in Gallia & Flandria, quingenta, & eo amplius hominum millia in bello cæſa. Apud alterum verò uno tantummodo anno, qui fuit ſalutis noſtræ MDLXVII, in ſola Gallia ſupra 600 monaſteria incenſa atque everſa, & quinque ſacerdotum, miniſtrorumque Dei millia, à ſanguinariis iſtis novi euangelii concionatoribus,

B per ſummam crudelitatem fuiſſe mactata.

varliſque Septemtrionalibus provinciis

197 Silentio prætereo permultas alias provincias gravi hæreticorum motu conquaſſatas atque afflictas. Non dicam quas regiones infecerint, quibus in regnis Catholicam religionem vel deleverint, vel labefactaverint hæ furiæ atque peſtes. Neque commemorabo ſuperiorem, atque inferiorem Pannoniam, Bohemiam, Poloniam, Lituaniam, Daciam, Sueciam, Norvegiam, Hiberniam, aliaſque innumerabiles ad Septemtrionem provincias miſerabiliter profligatas, atque convulſas, ne modum excedat oratio. Unum tantum rei geſtæ exemplum referam, quo meliùs, quæ dicta hactenus ſunt, intelligantur. Monaſterium civitas eſt, provinciæ Weſtfaliæ metropolis nobiliſſima: ex ea hæretici Anabaptiſtæ, ſacerdotes omnes monachos, equites honeſtiſſimos, atque prudentiſſimos quoſque cives Catholicos ſibi adverſantes violenter ejecerunt, domos diripuerunt, bona compilârunt. Tum ſutorem quemdam, hominem ſcilicet deſpicatiſſimum atque contemptum, regem creant, diadema cum ea pompa, atque ſolennitate omni, quæ in verorum regum coronatione adhiberi ſolet, capiti illius imponunt. Hic rex juſtitiæ ſuper terram ap-

C pellatur: uxores plurimas ducit: ex iis unam præcipuam, quaſi reginam ceteris honoratiorem eligit, cum qua concionari, & officio ſacerdotis fungi aggreditur: duodetriginta inſanos, atque fanaticos concionatores, & tamquam apoſtolos (ſic enim nominabat) varias in regiones ad diſſeminandum impurum ſuum euangelium mittit.

truculentè afflictis,

198 Quid multa? finis hujus fabulæ tragicus fuit ac luctuoſus. Rex enim uxorem ſuam in medio foro ſecuri percuti juſſit, quòd muliebriter defleret ac lamentaretur miſerias atque calamitates, quas civitas illa à Catholicorum exercitu eam obſidentium patiebatur. Ipſe autem Rex, capta civitate, atrociſſimis tormentis priùs dilaniatus, extremo tandem ſupplicio, impietatis atque dementiæ ſuæ pœnas juſtiſſimas dedit. Satiſne multa mala ſunt hæc? Nonne fructus novi euangelii uberes ſunt atque copioſi? Non tamen hic finis eſt. Nam præter alia infinita damna, quæ exitioſa iſta prodigia in orbem terrarum invexerunt, illud certè haud minimum eſt, quod ipſam naturam corruperunt, & laudabiles atque probatiſſimos quarumdam nationum mores ita perverterunt, atque in pejus commutarunt, ut multi, qui antea honeſti erant, temperati, ac penè frigidi, ex iſtorum doctrina flagitioſiſſimi atque profligatiſſimi ſint, & quibuſdam libidinis facibus inflammati. Qui fidelitate, ac modeſtia olim præſtabant, infideles nunc ſunt, & in fraudem ſemper intenti. Qui virtute atque animi fortitudine, cum hoſte manum conſerere, pedem conferre, & fortiſſimè pugnando vel occumbere, vel vincere ſoliti erant, jam hoſti terga vertere, fugere, &, abjectis armis, trepidare didicerunt. Ubi doctrinæ ſtudium ac ſapientiæ floruit, nunc ſumma litterarum eſt ignoratio. Neque mirum ſanè; ſemper enim veram religionem, quaſi comites quædam, potentia & ſapientia ſequuntur: ſublatâ autem illâ, quæ domina & gubernatrix eſt; hæ quaſi ancillæ dominam ſuam abeuntem proſequuntur.

A. PETRO RIBADENEIRA.

claſſicum præſertim inſonante Luthero.

199 Ut igitur me ipſe colligam, & orationem meam contraham: hi ſunt ex infinito penè numero aliquot fructus, qui ex hæreticorum doctrina, quaſi ex radice pullulârunt: mala enim arbor fructus bonos non facit; & ex turbido atque peſtilenti fonte, ſalubris atque dulcis aqua non fluit. Hæreticorum enim ſpiritus, licentiæ, blaſphemiæ, maledicentiæ, tyrannidis, crudelitatis, ſuperbiæ ſpiritus eſt. Eſt enim ſatanæ ſpiritus, à quo inſtigantur, impelluntur, exagitantur. Spiritus verò Lutheri ceteris tetrior fuit, atque deteſtabilior, omniumque præteritorum hæreticorum improbitatem atque impietatem longè ſuperat. Quod ut manifeſtum fiat, & ſole lucidiùs conſtet, ipſemet Lutherus non dubitavit ſcribere, ſibi diabolum de facie notum eſſe: de nocte ſæpè apparuiſſe, cum eo modios ſalis comediſſe, atque etiam diſputaſſe, & ſophiſticas, atque in ſpeciem probabiles rationes, atque argumenta de eo audiviſſe, cum contra alia vera & ſolida & antiqua ſanctiſſimæ noſtræ fidei dogmata; tum verò maximè contra veritatem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ejuſque cultum atque venerationem. Ut perſpicuè nimirum & certò intelligamus, diſcipulorum Lutheri in auguſtiſſimum atque omnium excellentiſſimum Sacramentum, quas ſuprà attigimus, injurias & contumelias, quaſi rivulos ex Lutheri fonte fluxiſſe.

Adde Calvinum, & Hugonotos; Hiſpania regno

200 Quamquam ſi, quod res eſt, proferre volumus, peſtilentem hunc Lutheri ſpiritum, Calviniſtarum, atque Hugonotorum ſpiritus, impietate, violentia, truculentia, & omni immanitate ſuperat: & non ſolùm in Catholicos, veramque religionem, ſed in univerſas ipſas provincias, & reſpublicas, regna, in omne denique hominum genus, pernicioſiſſimus & calamitoſiſſimus eſt, dicique verè poteſt orbis terrarum incendium. Atque hæc tanta, quæ aliæ nationes hæreſeωn labe infectæ experiuntur mala, & pacis, atque integræ religionis bona, quibus Hiſpania per Dei gratiam fruitur, vehementer nos excitare atque commovere debent, ut & magni faciamus hoc tantum Dei beneficium, & gratias pro eo maximas illi atque immortales agamus. Utrumque facient libentiùs, atque expeditiùs, quicumque ex Hiſpania in alias provincias egreſſi, eas regiones obierunt ac perluſtrârunt, quas effrænatus hæreticorum furor depopulatur & affligit. Poterunt ii minori ſanè negotio hæreſum infinita mala pro rei atrocitate expendere, eaque cum pace noſtra, & publici ſtatus tranquillitate conferre. Debemus etiam conniti, quantum poſſumus, & dare operam, ut vitia noſtra corrigamus, ne ſingulare donum fidei noſtris peccatis perdamus, quod aliæ nationes ſuis peccatis perdiderunt: &

E

F

A PETRO RIBADENEIRA.

dies noctesque Deum nostris placare atque fatigare precibus, ut Philippum regem Catholicum incolumem felicissimumque quam diutissimè tueatur: qui pro sua avita atque eximia pietate, summa prudentia, incredibili vigilantia, maxima inter omnes, qui umquam fuerunt, reges potentia, se murum pro domo Dei opponit, & Catholicam fidem defendit.

mirificè servato ab hæretica peste:

201 Quod quidem præstat non solùm armis invictis, & consiliis salutaribus, sed etiam iis sacrorum patrum excubiis, qui fidei Catholicæ senatui præsunt, & in perenni quadam vigilia sedentes, hæreticorum furorem ab nostris cervicibus, & certissimam pestem ab Hispaniæ finibus avertunt. Quod quidem sanctissimæ fidei tribunal, ad conservationem atque defensionem ipsius fidei, Deus Opt. Max. admirabili providentia, in Castellæ ac Legionis regnis instituit anno ab ortu Domini MCDLXXXI: in Aragonia verò, Valentia, Catalonia, anno MCDLXXXIII, quo ipso anno Martinus Lutherus in lucem editus est. Ut vel ex hac ipsa tam opportuni temporis conjunctione, Dei consilium fiat manifestum, fidei tri-
B bunal, hostibus fidei antidotum veneno providentissimè opponentis. Nam tametsi cum primùm hoc fidei sanctissimæ concilium est institutum, existimabant homines futurorum insciі atque improvidi, propterea solùm institui, ut per illud Hispania Judæorum atque Saracenorum spurcis superstitionibus repurgaretur: Deus tamen, qui immutabili præscientia sua, præterita, præsentia, futura, ab omni æternitate æqualiter complectitur, profligatissimos atque pestilentissimos nostris temporibus hæreticos exorituros prospiciens, sanctissimæ fidei senatum in Hispania constituit ad arcendas ab ea etiam hæreticorum futuras calamitates.

cui divina providentia

202 Sed hæc obiter dicta sint; nos ad propositum revertamur: & causas divini consilii in Societatis institutione atque confirmatione inquiramus. Quo igitur tempore Martinus Lutherus quasi furia quædam exitialis, cum sceleratorum atque perditorum manu ex orco emersit, ut Catholicæ Ecclesiæ statum labefactaret atque convelleret, & tertiam stellarum partem, ceu draco quidam cadens de cælo, in ruinam secum traheret: eodem ipso tempore Deus, qui Ecclesiæ suæ curam vel maximam habet, alterum Virum excitavit Luthero dissimilem, penitusque contrarium, Ecclesiæ defensorem, acerrimum hæreticorum hostem, Christi imperii amplificatorem.
C Quod verò Luthero ejusque filiis decretum erat, cum reliqua omnia divina & humana jura pervertere, tum maximè in sacras Religiones impetum facere, & apostolicos viros sanctissimè in eis viventes evertere, si posset, atque exstinguere: ut illis quasi pastoribus atque canibus è medio sublatis, ipse tamquam lupus sanguinolentus ac ferus, oves Christi raperet impuniùs atque dispergeret; incredibili Dei providentia factum est, ut nova hæc Societas ad defensionem ipsius fidei potissimùm institueretur.

oppositi Societatem Jesu, ad defensionem fidei.

203 Hujus Ordinis institutum est, alios reliquarum Religionum fortissimos duces ac milites, strenuè pro fide & Christi gloria dimicantes juvare, & laborantibus opem atque auxilium ferre. Ubi verò aliorum præsidia desunt, milites suos armatos mittere: qui hostem longiùs progredi non sinant, furiosum ejus impetum frangant, & prædam ex cruentis faucibus eripiant. Hoc præstat Societas iis in regionibus atque provinciis potissimùm, quæ hæreticorum armis & astu periculosiùs infestantur: in quibus videli- D cet, quòd Religiosi alii, qui eas vitâ & doctrinâ illustrabant, vel omnino defecerint, vel pauci admodum (& ii quidem prostrati, debilitati & confecti) reliqui sint, necessariò Societas hanc provinciam cepit, ut tantas Ecclesiæ ruinas pro sua tenuitate resarciret, & hæreticos hostiliter irrumpentes comprimeret, ne exultare in mendacio, & imprudentibus atque simplicibus triumphum agere de veritate atque religione videantur. Porrò qua ratione hoc Societas præstet, & quo fructu, in nonnullis hujus historiæ libris summatim legere deinceps licebit *a*. *a*

ANNOTATA.

a *Auctoribus, qui citantur in aliis ad hoc caput editionibus, adde Florimondum Rœmondum; qui in Historia de ortu, progressu ac ruina hæreseon sui seculi, tragicas earum scenas patheticè exhibet.*

CAPUT XIII. E

Orthodoxa fides apud Indos propagata.

CAP. XIX. *Mirabilis Dei providentia*

ET hæc quidem ad coërcendos atque frænandos hæreticos pertinent, & ad sanctissimæ nostræ fidei conservationem. Jam quæ ad ejusmet fidei propagationem atque amplificationem attinent (quæ sanè non est minùs vel necessaria, vel admirabilis) hoc capite, si placet, persequamur. In quam quidem propagationem si oculos intendas, magna te admiratio capiet, infinitam sapientiam Dei, atque providentiam hac in re perspicientem: magna rursus grati animi pietas, inexhaustos illius misericordiæ thesauros considerantem. Nam mihi quidem certè pro miraculo est novi orbis patefactio ab nostris hominibus inventi; idemque dubio procul judicabit, qui attentè apud se expenderit primùm, quot secula fluxerint, ex quo primùm contrahendarum rerum usus esse cœpit inter gentes, commerciumque ex navigandi facilitate, & commeandi in alias provincias opportunitate: deinde quam curiosè clarissimi olim reges, atque potentissimi, provincias atque regio- F nes occultas indagaverint, easque suo imperio subjiciendas curaverint: tum quam incenso studio, atque exquisita diligentia viri litteratissimi, & cosmographi præstantissimi, in eam curam incubuerint, ut orbis terrarum omnes partes percenserent, dividerent, distinguerent, nobisque depictas atque expressas ante oculos ponerent. Postremò mortalium insatiabilem auri & argenti cupiditatem, atque opum immensam sitim, quâ inflammatus, Impiger extremos currit mercator ad Indos Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:

in detegendo novo orbe; de quo varia apud antiquos:

205 Hæc, inquam, si quis rectè apud se atqu diligenter consideret, admirabitur profectò ar- num Dei consilium, qui rem tantam tamdiu c- cultavit, & nostro seculo provincias innu- era- biles, regna potentissima, resp. nobilissimas, maria immensa, regiones inauditas, oras terrarum latissimas, orbem denique quodammodo alterum nobis patefecit, plenissimum, refertissimum auri, argenti, gemmarum, aromatum, odoramentorum, rerum omnium incredibili copia cumulatissimum. Tanta enim est rerum ad nos ex novis re-

A regionibus advectarum vis, varietas, pulchritudo, ſalubritas, pretium, ut omnium fidem excedat. Atque magis admirabitur, ſi quis veſtigia novi orbis, & quaſi indicia quædam apud veteres ſcriptores legat. Nam & in Platone ſub Atlantis nomine, aliqua (licet obſcura) illius fit mentio: & apertè apud tragicum Senecam, illis verſibus: Venient annis ſecula ſeris, Quibus Oceanus vincula rerum Laxet, & ingens pateat tellus; Typhiſque novos detegat orbes, Nec ſit terris ultima Thule. Quibus quaſi ſpiritu poëtico afflatus futura pronuntiâſſe, quibuſdam viſus eſt. Et Carthaginenſes incognitarum regionum notitiam aliquam habuerunt, & inſulam quamdam remotam, deſertam, fertilem invenerunt: & Phocenſes Gadium incolæ, ex freto Herculeo egreſſi, vento Euro ſecundiſſimè navigantes, ad novas terras appulſi ſunt; quemadmodum ab Ariſtotele memoriæ proditum eſt. Et Strabo ex Heraclide Pontico narrat, Eudoxium quemdam ex Gadibus in Indiam navigantem, in Æthiopiam perveniſſe. Neque deſunt, qui ſcribant, in India,
B quæ ad Occidentem eſt, Auguſti Cæſaris effigiem in auri venis repertam, & Romam, ad comprobandam rei veritatem, ſummo Pontifici miſſam fuiſſe.

At Deus fidei orthodoxæ jacturam in eo reparavit.

206 Sed hæc atque alia ejuſdem generis argumenta, levia atque incerta ſunt. Illud certiſſimum, Deum (cujus judicia ſunt occulta, cujus conſilia nulla ratione poſſunt inveſtigari:) hoc tantum miraculum noſtris temporibus reſervâſſe. Tum quod Chriſtiani imperii fines Turcarum potentia, atque tyrannis impendio quotidie magis contrahebat: tum quod hæreticorum furor Catholicam religionem magis ac magis indies devaſtabat: tum quòd hoc maximum beneficium Hiſpaniæ proprium voluit eſſe, ut ex ea videlicet primi illi explorandi novas provincias auctores prodirent: & invictis potentiſſimorum atque feliciſſimorum Caſtellæ ac Portugalliæ regum armis, novus hic orbis nobis innoteſceret, & Chriſti jugum domitus ſubiret.

Navigationis in Indiam orientalem

207 Qui navigationem in Indiam, quæ Orientem ſolem ſpectat, primus tentavit Henricus *a*, Joannis primi, Portugalliæ regis, filius fuiſſe dicitur. Qui vir cum eruditus eſſet, & motus cæli, & planetarum curſus, & geographiæ ſcientiâ præſtans, totum ſe rerum naturalium ſtudio dedit, & multam in exquirendis atque inveſtigandis
C naturæ arcanis operam poſuit. Qua ex indagatione paulatim ſenſimque in eam opinionem adductus eſt, ut ex Luſitania in Indiam navigari poſſe crederet. Ad faciendum ejus rei periculum, naves ornatiſſimas ſuis ſumptibus miſit, & homines peritos, qui Africæ oras explorârunt, maris Atlantici inſulas nonnullas incognitas repererunt, fidem Chriſti annuntiârunt indigenis. Denique Henrici operâ & induſtriâ Madera *b* inſula, & aliquot aliæ notæ noſtris hominibus eſſe cœperunt: multique populi ad oras ejus maris in Occidentali Æthiopia degentes, Chriſtiana religione exculti ſunt. Hoc autem præclarum incœptum, & tanti principis excellentiâ digniſſimum (in quo ad mortem uſque perſeveravit, & vitam Henricus omnem conſumpſit,) Joannes poſtea II, Emmanuel, & Joannes III *c*, Luſitaniæ reges feliciſſimè proſequuti ſunt: & claſſes ſuas fortiſſimis plenas militibus, rebuſque omnibus ad navigandum inſtructas, in Braſiliam *d*, Angolam, Congum, Monomotapam, Guineam, Æthiopiam *e*, Sinum Perſicum, Dio, Calicut, Goam, Malacam, Sinas, Japonem *f*, aliaſque remotiſſimas provincias, ingenti auſu ac felicitate miſerunt. Quæ quidem oceani immenſitatem novis atque inuſitatis navigationibus tranſmiſerunt: ad gentes immanes, & barbaras penetrârunt, eaſque vel conſuetudine ac benevolentia ad amicitiam allexerunt, vel virtute & armis ſubegerunt, maxima Dei benignitate.

A. Petro Ribadeneira.

origo ac progreſſus;

208 Nam Luſitanos Deus ità roboravit, atque cæleſti gratia protexit & communivit, ut ipſi ſæpenumero parvâ manu innumerabiles barbarorum copias funderent: & prædicationi Euangelii obſtructam atque intercluſam ferro ac virtute viam aperirent, & populos incultos & cæcos ad Euangelii ſplendorem adducerent. Itaque magno, inuſitato, atque inaudito miraculo, domi noſtræ Japonios generis nobilitate imprimis illuſtres juvenes vidimus, qui ſacri baptiſmatis loti fonte, & Chriſtianis ſacris initiati, patrias ſedes, amicorum familiaritates, parentum conſuetudinem, & civium ſuorum, quibuſcum ſanguine ac neceſſitudine ſunt conjuncti, benevolentiam Chriſti amori poſthabentes, ex Japone in Hiſpaniam uſque, anno ſalutis noſtræ MDLXXXIV E
navigârunt, immenſis perfuncti laboribus atque periculis. Hi enim ſequuti Societatis Jeſu patres, à quibus ad fidem & omnem probitatem ab infantia ſunt educati, Romam ipſam, quaſi ad noſtræ religionis arcem profecti ſunt, ut ſummum in ea Pontificem, Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, coram agnoſcerent, colerent, venerarentur; eique ſuo, & Bungi, & Arimæ, & Fiungi regum conſanguineorum ſuorum nomine, quaſi primitiæ Japoneſium Chriſtianorum (qui ſanè ſunt innumerabiles ab Ignatii diſcipulis ad fidem converſi) debitæ obedientiæ munus offerrent.

ac gentes ad fidem atque ad Chriſti Vicarium adductæ.

209 Quos Gregorius XIII, Pontifex Max. prudentiſſimus, admirabili benevolentia complexus, omnique humanitatis atque pietatis officio, ingenti totius Urbis congratulatione proſequutus eſt. Exiſtimavit enim ſanctiſſimus Paſtor, ad magnam Dei gloriam, atque adeo ad ſuam pertinere (neque id injuriâ) ſe Pontifice, Chriſtianum imperium, non aliis quam orbis terrarum finibus, circumſcriptum: & ad novas & incognitas nationes, & ex omnium hominum memoria hactenus inauditas, ſic diffuſum ac propagatum, ut per immenſos marium atque terrarum tractus, oves illæ, quæ non erant in hoc ovili, paſtorem ſuum quærerent, vocem ejus audirent, & F
in illo omnium paſtorum principem adorarent, fieretque unum ovile & unus paſtor. Hæc ad Orientis ſolis pertinent Indiam.

In Indiam occidentalem conquiſitam;

210 Ad occaſum verò Ferdinandus atque Eliſabetha, Caſtellæ reges clariſſimi, Chriſtophoro Columbo Ligure duce, claſſes ſuas ad conquirendas, ſuoque imperio ſubjiciendas novas provincias miſerunt. Et Carolus V Cæſar auguſtus, eorum ex filia nepos, & Philippus Caroli filius, præclara majorum cœpta vehementiùs auxerunt: & uſque adeo Hiſpanici imperii fines propagârunt, ut terra nuper reperta, & magna ex parte invictis Caſtellanorum armis perdomita (ſi per oram maritimam, ſinuoſos anfractus circumlegatur) novem mille leucas colligat, ut à nonnullis peritis ſcriptoribus litteris traditum eſt. Et tamen circuitus orbis, atque ambitus ſeptem millia tantùm, & quingentas leucas continet, ſi Ptolomæo credimus; ſi Alphragano, etiam pauciores; ſi Fernelio, paulò plures. Neoterici verò aſtrorum curioſi inveſtigatores, & navigandi peritiſſimi, 6360 leucas tantummodò numerant, cuilibet cæli gradui 53 paſſuum millibus in terra attributis, hoc eſt

A. PETRO RIBADENEIRA.

18 fermè leucis, ſi quælibet leuca communis Caſtellana, tria paſſuum millia comprehendat. Acciditque noſtro ſeculo alterum miraculum, novum item planè atque inauditum, quodque nihil minùs habeat vel admirationis, vel ſtuporis, quam quod paulò antea de legatione Japonica diximus. Navis enim è claſſe Caſtellæ regum, Joanne Sebaſtiano Cano Cantabro gubernatore, univerſum orbis terrarum ambitum circumlegit, & incolumis Hiſpalim (unde ſolverat) reverſa, meritò ſanè Victoria appellata eſt.

abominationibus corruptiſſimam

211 Ut Dei Opt. Max. maximum in nos beneficium agnoſcas, qui quidem, ut tanti boni auctor effectorque fuit, ſic in ipſum laus omnis, atque excellentiſſimi operis gloria, eſt omnino referenda. Ipſe enim rem maturavit, opportunitatem invenit, Catholicos reges permovit, ut profligato jam, ſeu potius confecto diuturno, gravi, periculoſo bello Granatenſi *g*, & ſervitutis ignominioſæ & acerbiſſimæ (quam DCCC fermè annos *h* Hiſpanæ nationes pertulerant) jugo depulſo, & Chriſtiani nominis dignitate in priſtinum ſplendorem quaſi poſtliminiò reſtituta, aliis bellicis curis expediti, rem tantam animo conciperent, ſpe aggrederentur, ſumma felicitate conficerent. Adde, quod ad patefaciendum novum hunc orbem, atque armis ſubigendum, eos adminiſtros adhibuit Deus, quorum ſive paucitatem, ſive animi virtutes, atque fortunæ ornamenta conſideres, intelliges profecto, non humanis viribus, ſed ſummi atque ſapientiſſimi moderatoris voluntate, tot tantaſque provincias ad Hiſpanum imperium aggregatas. Quod multo etiam magis eminet, atque extat illuſtriùs ex ipſo curſu, atque ex uberrimo atque copioſiſſimo fructu, quem ad mortalium ſalutem Deus ipſe immortalis collegit.

g

h

B

divinæ providentia

212 Quis enim poſſet enumerando percenſere nationes multitudine innumerabiles, locis infinitas, immanitate barbaras, impietate idololatras, naturâ cæcas, vitiis omnibus corruptiſſimas, ab omni humanitatis ſenſu tam abhorrentes, ut innocentes mactarent filios, & quaſi pretioſas victimas diis ſuis offerrent: denique quæ dæmonem ipſum pro Deo colerent, cum illo

C

ſæpè familiariter loquerentur, ad ejus arbitrium viverent: ita eſſe ab errore ad veritatem; ab umbra mortis ad vitæ lucem; à miſerrima ſervitute, ad glorioſam animorum libertatem revocatas, ut Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum, redemptorem agnoſcerent, feritatem exuerent, idola comminuerent, templa diabolo dicata vel everterent, vel in veri Dei cultum converterent, & vitam dignam homine, dignam fide, dignam Chriſtiano pectore vivere inciperent? Quæ tamen omnia noſtro ſeculo Catholicorum regum operâ divinitus effecta ſunt.

crucis trophæum

213 Hoc igitur tempore tam opportuno, tam neceſſario, admirabili ac planè divino conſilio, Deus noſtrum elegit Ignatium, ut crucis trophæum in disjunctiſſimas terras atque provincias inferret, & gentes infinitas, agreſtes, ac barbaras, depulſis ignorantiæ, atque infidelitatis tenebris, Euangelii clariſſima luce, per filios ſuos colluſtraret: ut Lutheri, falſi prophetæ, ac veri impoſtoris diſcipuli, dentibus ſuis frendeant & tabeſcant, quod, quando ipſi apud nos tam furioſè debacchantur, & divina atque humana jura omnia violant, fana diripiunt, monaſteria incendunt, cruces Chriſti demoliuntur, Sacramenta evertunt, à beatiſſimo Romano Pontifice ſe ſegregant, ac deficiunt: eodem ipſo tempore in aliis longè plurimis atque maximis regionibus, D nova templa vero Deo ædificantur, crucis vexillum in omnium populorum ſalutem extollitur, ſacroſancta virent Sacramenta, Pontifex Romanus Chriſti Vicarius agnoſcitur, & adoratur, denique hæc ipſa Catholica religio, quam ipſi tantopere exſtinctam cupiunt, ab ortu ſolis ad occaſum, ab Aquilone ad mare prædicatur, viget, effloreſcit. Et Deus ipſe, qui in Europa tam multas, tamque acerbas ab hæreticis continenter perfert contumelias atque opprobria, in novo orbe, hoc ipſo tempore multa, magna, teſtata, admirabilia opera perfecit. Conſtatque ad præſentiam Chriſti Domini noſtri corporis in templis collocati, dæmones obmutuiſſe, aufugiſſe, neque deinceps apparuiſſe, aut cum idololatris (ut ſolebant) fuiſſe locutos: plurimoſque mortales variis atque inſanabilibus morbis oppreſſos, ſanctiſſimæ crucis contactu, aquæ ſacræ aſperſione, piacularibus granis admotis, ab omni ægritudine liberatos.

per Ignatium invehit, poſtquam alios antea miſiſſet.

214 Alios, quòd irreverenter minúſque honeſtè in eccleſia, ubi Euchariſtia erat, ſe geſſiſſent, multis incommodis, iiſque graviſſimis à E Deo fuiſſe affectos: multaque alia litteris conſignata ſunt, quæ Deus effecit, tum ut hæreticos noſtri temporis (ſi ullam adhuc habent partem ſenſûs,) ad ſaniorem mentem revocaret, tum ut gentes cæcas ad veri luminis cognitionem adduceret. Ea, quod infinita penè ſint, neque hujus narrationis propria, ſilentio prætermitto: ex utriuſque Indiæ hiſtoriis *i* petat licebit, ſi *i* quis ejuſmodi rerum uberiorem cognitionem deſiderat. Quamquam autem Deus Opt. Max. alias fortiſſimorum militum copias, ad præclariſſimam hanc Indorum expeditionem antea miſit, & in eam ſanctiſſimi multi viri aliorum Ordinum, omnibus viribus, totoque pectore incumbunt; tamen tam latè patet hic campus, tam ſpatioſa, deſerta, inculta vinea hæc eſt, tam horrida aſpectu, feris frementibus plena, vitiorum monſtris efferata, ut pluribus adhuc cultoribus indigeat. Adde, quod militibus aut obſeſſis, aut acriter præliantibus, nova auxilia magnos animos addunt, magno ſæpè adjumento ſunt. Quæ quidem de India ad Occidentem, quæ Caſtellæ regibus paret, potiſſimùm dicta ſint: in qua magna ſcilicet ſacrorum hominum vis eſt, eas regiones excolentium. F

Auctor commemorat

215 Nam in Orientali India minor eſt operariorum copia, tum quòd Luſitanorum navigatio longior eſt ac periculoſior: tum quòd bellum cum multis, variis, potentiſſimis regibus continenter gerendum ſit, anceps, dubium, ac innumeris plenum difficultatibus: tum quòd ea de cauſa Luſitaniæ reges à mari remota, atque terræ intima loca imperio ſuo nondum ſubjecerint, nec tot ſacrorum hominum conventus conſtituerint, quod ad innumerabiles populos à tenebris infidelitatis ad fidei lumen traducendos, ſunt neceſſarii. Quamobrem in Braſilia, inſulis Molucis *k*, Japone, aliiſque latiſſimis atque remotiſſimis Orientis regionibus, nulli fermè ex aliis regionibus homines ſunt, qui propagandæ fidei Chriſtianæ provinciam, & animarum procurationem ſuſceperint, præterquam Ignatii filii. Quem quidem Ignatium, admirabili providentia Deus (ut diximus) peropportuno tempore elegit, atque Eccleſiæ ſuæ acrem defenſorem conſtituit. Neque poterit ſanè quiſquam de divino conſilio dubitare, qui Societatis ab ipſo Ignatio per univerſum terrarum orbem diſſeminatæ fructus atque *k*

utili-

A utilitates prudenter expenderit: quique ardens quoddam atque incensum, vitam pro Christo profundendi & sanguinem, nostrorum desiderium perspexerit: & vel assiduas, ut in longinquas & barbaras nationes mittantur, preces; vel alacrem, cum sponte à præpositis mittuntur, obdientiam; quò mortem pro fidei amplificatione oppetendi præclaram occasionem nanciscantur. Non enim satis habent, vitâ & doctrinâ aut furentibus hæreticis sese objicere, aut mortificationem D. N. Jesu Christi semper in corpore suo circumferre; ut infideles salutem ac vitam consequantur: sed cum intelligant, nullum magnificentius atque illustrius ab hominibus Euangelio tribui posse testimonium, quam si pro illius veritate sanguinem ipsum profundant, omni ratione faciendum sibi putant; ut pro illo vitam potissimùm reddant, qui vitam suam pro nobis omnibus in cruce obtulit Patri.

varios è Societate viros,

216 Septuaginta septem patres ac fratres nostri (quod ego quidem sciam) ab hæreticis & gentilibus pro Christi fide interempti sunt ad annum usque MDLXXXV, quo hæc scribimus. Ex

B iis XXIV, variis in locis, ac temporibus ab infidelibus, vel Mahumetanis, vel gentilibus, exquisitis tormentorum generibus occisi sunt. Quo-

l rum dux ac princeps pater Antonius Criminalis *l* fuit, qui à Badegis, ad Cauri promontorium orans, & in genua procumbens, oculis ac manibus sublatis in cælum, telis transfixus est anno salutis nostræ MDXLIX. Quo eodem anno & loco pater Alfonsus Mendez capite cæsus, martyrii gloriam est assequutus. In Brasilia provincia

m Petrus Correa, & Joannes Sosa *m*, nostræ Societatis fratres, anno MDLIV à Caribæis, hominibus feris ac barbaris, sagittis orantes confixi ac perempti sunt. Eodem ipso anno, alius ex nostris patribus in orientis solis India, primùm quidem semiustus, postea etiam veneno sublatus

n est. Apud Molucas verò insulas, anno Domini MDLVIII à Mahumetanis P. Alfonsus à Castro *n* tractus, raptatus per aspera loca, ac præcipitatus

o est. Quid dicam de patre Gonsalvo Sylveira *o*, viro cum genere, tum sanctitate nobilissimo? Qui

C cum Monomotapæ regem ad Christi fidem convertisset, illius prævaricantis jussu, & perversorum hominum consiliis inducti, Domini nostri Jesu Christi in cruce pendentis effigiem manibus tenens, fune in collum ejus injecto tractus, & crudelissimo mortis genere (quam ipsemet prædixerat) necatus est anno MDLXI. P. Franciscus

p Lopes, & alii duo fratres nostri *p* Cochino Goam iter habentes, à Mauris, Christiani nominis inimicissimis, intercepti, telis transverberati perierunt anno Domini MDLXVII *q*.

q

qui in variis Indiæ locis pro vera fide sunt perempti.

217 In ea occiduæ Indiæ parte, quæ Florida nuncupatur, tres patres, Societatis Jesu filii, Petrus Martines, Baptista Segura, Ludovicus Quiros, ac sex alii fratres ad prædicandum Christi fidem in eas oras profecti, à sanguinariis illis hominibus trucidati sunt. Atque omnium novissimi anno MDLXXXIII, in Salsettana *r* regione,

r quæ à Goa civitate atque insula freto tantùm disjuncta est, quinque alii eamdem martyrii palmam sunt adepti. In quorum numero fuit P. Rodolphus Aquaviva, ducis Atrii, Claudii Aquavivæ, Societatis nostræ Præpositi Generalis fratris filius, & Cardinalis Aquavivæ germanus frater.

218 Alii LIII hæreticorum odio & crudelitate felices evaserunt, & summam erga se divini amoris benevolentiam experti sunt: nam unus & quinquaginta; quod ad Catholicam, Apostolicam, atque Romanam fidem gentibus nuntiandam navigarent; capti ab hæreticis; atque dirè interfecti sunt. Horum omnium antesignatus P. Ignatius Azebedo fuit; vir non tam majorum sanguine, quam suo pro Christo fuso clarissimus. Qui cum in provinciam Brasiliam navigaret, ut in ea præpositi Provincialis, & præconis euangelici munere fungeretur; à pyratis Gallis Calvinistis, duce Jacobo Soria, captus, odio sanctissimæ fidei Catholicæ ipse atque alii XXXVIII Societatis filii, ejusdem propositi socii & pietatis comites, non uno mortis genere; sed uno tamen spiritu omnes absumpti sunt anno MDLXX. Quos pari fide; constantia & felicitate, insequenti anno imitati sunt XII alii, qui, P. Petro Diaz duce, cum eamdem navigationem & causam suscepissent, à Joanne Claudio Hugonoto Gallo, extremo supplicio affecti sunt. Nec sanè defuerunt fortissimi milites, qui quod Catholicam fidem mordicus tenerent, acriter defenderent, sapienter docerent; ab ipsis hæreticis, quos sanare cupiebant, mirum in modum priùs excruciati, atque immanissimis E tormentis dilacerati, beatissimo exitu gloriosam de perfidia victoriam reportârunt. Ejusmodi fuerunt clarissimi Christi martyres Edmundus Campianus; & Thomas Cottamus Angli, Societatis Jesu illustrissimi filii, qui anno MDLXXXI, & MDLXXXII pro Apostolica atque Romana fide, ab Elisabetha Angliæ regina atrociter mactati sunt.

A. Petro Ribadeneira. Quibus adde alios ab Hugonottis absumptos; & ab Anglia regina.

Benedictus Deus, qui martyrii laurea Societatem,

219 Quamobrem, quis non admiretur consilium Dei? Quis non suspiciat illius providentiam? Quis immensam erga mortales caritatem non redamet, infinitam benignitatem gratissimi animi pietate non colat, laudibus efferat, obsequiis veneretur; qui minimæ huic Societati & martyrum præsidia dedit, & ornamenta? Nimirum ut hoc etiam argumento intelligamus, familiam Ignatii, familiam Dei esse: non secus atque reliquos sacrorum hominum cœtus, quos in Catholica Ecclesia alii sanctissimi patriarchæ divinitus instituerunt ac fundârunt. Qui quidem religiosi cœtus viris abundant perfectissimis, qui omnibus tormentis corpora sua objecerunt, læti denique atque alacres, se dilaniari atque occidi pro Christi nomine passi sunt: neque hoc præteritis tantummodo seculis, sed etiam nostro. F Testes sunt strenui Christi athletæ Cartusiani, qui propterea quod unum ecclesiæ Catholicæ, ac supremum caput Vicarium Christi esse defenderent, ab Henrico octavo Angliæ rege raptati, suspensi, exenterati, membratim dissecti, elixi, in stipitem ad ignominiam (quæ vera ipsis gloria fuit) sempiternam sublati sunt.

non secus atque alios Ordines decoravit!

220 Testes sunt itiam multi alii sanctissimorum Dominici, Francisci & aliorum beatorum virorum filii, qui eamdem coronam nostra ætate sunt adepti in Gallia furore hæreticorum, qui novi sunt Nerones, Domitiani, Maximini. Benedictus igitur Deus, & glorioſus in secula, qui munitissima Religionum propugnacula in Ecclesia sua excitavit: atque ejusmodi militum in eis præsidia constituit, qui acerrimè dimicantes occumbunt: & de impietate, vitæ innocentia; de hæresi, fide integritate; de morte, cervicibus datis; denique de teterrimis hostibus, fuso pro Euangelio ac veritate sanguine, amplissimè atque honestissimè triumphant! Neque enim fieri potest, quin iis ducibus, ac fortissimis militibus, sancta Ecclesia omnes contra se perfidia atque feritate instructas acies (quod semper hactenus fecit) profliget ac dissipet, atque hostes suos audaciâ elatos retun-

A. PETRO RIBADENEIRA.

dat, & tumore inflatos comprimat: & vel obfirmatos, & in pravitate ſua pertinaces deſpiciat, vel humiles, ſuumque errorem agnoſcentes, benignè ſuſcipiat.

ANNOTATA.

a *De eo Maffeius Hiſtoriarum Indicarum lib.* 1, *à fol.* 3 *editionis Venetæ anni* 1589.

b *Oceani Atlantici inſula.*

c *De eo infrà lib.* 2, *cap.* 16; *lib.* 3, *cap.* 5; *lib.* 4, *cap.* 17.

d *Maffeius ſuprà citatus de ea tractat lib.* 2, *fol.* 26; *de Braſilorum autem crudelitate lib.* 15, *fol.* 254.

e *Regiones ſunt Africæ; de quibus geographi; de Henrico autem Alfonſi regis Congi filio, in Luſitaniam, indeque Romam miſſo religionis ergò, ſcribit Maffeius lib.* 5, *fol.* 82. *De Guinea agit lib.* 1, *fol.* 4.

B f *Aſiæ loca ſunt; circa quæ, præter geographos, de Dio videri poteſt Maffeius lib.* 4, *fol.* 59; *de Malaca &c. lib.* 1, *fol.* 14; *de regno Sinarum lib.* 6 *ab initio; de Japonia lib.* 12, *à fol.* 205.

g *Mariana De rebus Hiſpaniæ lib.* 25, *cap.* 1 *& ſeqq. bellum illud memoriæ prodidit, ſub Ferdinando & Iſabella per annos decem extractum. Breve eſt illud ſub finem dicti libri*: Obita à regibus atque luſtrata urbe Granata, Mauri ſub Chriſtianum imperium Superis auctoribus, auſpicatò, in æternum, ea in Hiſpaniæ parte conceſſerunt, ſalutis anno MCDXCII, octavo Idus Januarii, qui dies Veneris fuit *&c. Et ſic Maurico in Hiſpania jugo finis impoſitus.*

h *Cœpit illud jugum ineunte ſeculo* VIII; *annus diſcutitur in Tractatu de Liturgia Mozarabica, qui tomo* VI *menſis Julii præfigitur, cap.* 4, § 1, *à num.* 169.

i *Conſuli poſſunt Maffeius locis variis, & Mariana lib.* 26, *cap.* 3; *cap.* 17 *& ſeqq.*

k *Sunt inſulæ Aſiæ in oceano Indico: de quibus Turſellinus Vitæ S. Franciſci Xaverii lib.* 3, *cap.* 1.

C l *Plura de eo inferiùs lib.* 3, *cap.* 20. *P. Philippus Alegambe in Mortibus illuſtribus &c., geſta ac eadem deſcribit; quem vide à pag.* 5.

m *Adi infrà libri* 4 *caput* 12; *& Alegambium modò citatum, à pag.* 12.

n *Exhibetur apud Alegambium pag.* 18.

o *Al.* Conſalvus Silveria: *de quo Alegambius à pag* 22; *Paiva Orthodoxarum explicationum lib.* 1, *à fol.* 22 *verſo.*

p *Horum ac ſequentium è S. I. vita ac mors eſt apud Alegambium: cujus vide indicem nominum.*

q *Annum* 1568 *ſignat idem ſcriptor.*

r *Ea deſcribitur ab Alegambio pag.* 116.

D

CAPUT XIV.

Electio Ignatii in Præpoſitum Generalem; ipſius ac patrum profeſſio; Sancti regimen; S. Franciſci Xaverii in Indiam, & aliorum aliò profectio.

LIBER III. CAP. I. *expoſito Societatis ſtatu,*

SOcietate à Paulo III, Pont. Max. confirmata, nihil patres priùs habuerunt, quam ut Præpoſitum crearent eum, qui univerſæ Societati præeſſet, cujuſque ſpiritu ac prudentiâ omnia, tum Romæ, tum foris adminiſtrarentur. Societatis autem ſtatus ejuſmodi tum fermè erat: Franciſcus Xavier, & Simon Rodericus in Luſitania, Petrus Faber ad conventum imperialem Vormacienſem cum D. Ortizio profectus, in Germania; Jacobus Lainez Parmæ erat; Brixiæ Claudius Jaius; Senis Paſchaſius; in Calabria Nicolaus Bobadilla; ipſe Ignatius, Salmeron, & Joannes Codurius Romæ remanſerant. Lutetiæ præterea juvenes aliquot, qui animum ad Societatem appulerant, jam tum in litterarum ſtudiis verſabantur, Româ ab Ignatio hanc ipſam ob cauſam miſſi. In ipſa verò Urbe, duodecim ferè ad patres acceſſerant; habitabamuſque arctè ſanè, & peranguſtè, exadverſum veteris templi in conducta domo, malè materiata, & ruinoſa, quæ ad novi templi ædificationem ſublata eſt. Et quòd ego ex exiguo illorum eram numero, qui Romæ tunc commorabantur in Societate, & ab Ignatii latere (ut dixi) non diſcedebam, conſequentes res non quaſi auditor; ſed ut ſpectator, & præſens, ac certiſſimus teſtis deinceps narrabo. Hoc igitur rerum ſtatu, evocati ſunt Romam, qui ex decem patribus in Italia erant: omneſque ſub Quadrageſimam anni MDXLI venerunt, præter unum Nicolaum Bobadillam, quem Biſiniani *a* fructuosè laborantem, ſummi Pontificis imperium retinuit. Diutius autem res differri non potuit, quòd idem Pontifex paulò poſt, aliquot alios ex patribus varias in provincias dimittere ſtatuiſſet. Per Quadrageſimæ ergo tempus Ignatius, Lainez, Salmeron, Claudius, Paſchaſius, & Codurius, ad Præpoſiti Generalis electionem conveniunt: rebus agitatis, ſtatuunt, ut triduum in oratione ponant, ſilentium hac de re inter ſe ſervent, tum ſuum quiſque ſuffragium manu ſua ſcriptum *b* adferat, quo ſenſus cujuſque, ac voluntas declaretur. Poſt triduum rurſus coëunt: ſuffragia ſua cum abſentium patrum ſuffragiis, quæ illi aut ſcripta reliquerant, aut poſtea miſerant, conjungunt: poſt tertium item diem, omnibus omnium *c* tum præſentium, tum abſentium ſententiis Ignatius Præpoſitus Generalis renuntiatur.

E F

a

b

c

222 Hic ille, cum ad parendum magis, quam ad imperandum, ſe ex animo paratum oſtendiſſet, ad ſocios, Ego fratres, inquit, neque hoc munere dignus ſum; neque verè idoneus, qui alios regam: nam, qui me ipſe regere neſcio, alios quomodo regam? Quod ego verè ſinceréque coram Deo ac Domino noſtro dum conſidero; dum præteritæ vitæ meæ perverſos habitus, & præſentis peccata, & miſerias multas diligenter

refert auctor, Sanctum eſſe electum Præpoſitum Generalem

A ter mecum ipse reputo ; facere non possum, ut, quod vos mihi onus imponitis, in me recipiam. Quare id vos, quæso, boni consulite, & de integro, per tres aliós quatuorve dies, rem totam Deo commendate ardentiùs, ut divino illius afflatu ac impulsu, in patrem eum potissimùm ex omnibus eligamus, qui optimè omnium Societatem sit universam gubernaturus. Patres principiò quidem Ignatio adversantur ; sed acquiescere tandem coacti, tempus ad denuò deliberandum sumunt. Quatriduo interposito, rursus conveniunt ; sed eadem animorum consensione Ignatius Præpositus Generalis eligitur. Tum ille, ne aut omnibus unus obsisteret, aut, quod sibi non satis conveniens judicabat, munus susciperet ; Ego, inquit, meo confessario rem totam permitto : ego illi totius vitæ meæ crimina aperiam : illi animi mei morbos, corporisque ægritudines exponam : quibus auditis, si ille tamen Christi Domini nostri nomine, vel mandaverit mihi, vel consilium dederit, ut tantum onus subeam, tunc denique obtemperabo.

B *frustrà refragantem.* 223 Hic reliqui obstrepere, ac reclamare ; & satis esse exploratam Dei voluntatem, dicere ; Ignatiumque urgere, ne diutius humilitatis objectu rem producat, ne Deo repugnare videatur. Cum autem de sententia ille dimoveri non posset, tandem, ut id fiat, quod volebat, inviti decernunt. In cœnobio D. Petri, quod in Monte aureo fratrum Minorum est, triduum omnino fuit, in hanc rem unam toto pectore incumbens. Et quidem nondum condita Societate, ejusdem cœ-
d nobii F. Theodosio *d*, viro sanctitate ac prudentia singulari, confessus est. Post confessionem igitur, ipso lætissimæ Resurrectionis Jesu Christi die, confessarium Ignatius, quid videatur, rogat : ille, videri sibi ait, Ignatium Spiritui sancto resistere. Tum Ignatius hominem obsecrat, attentiùs uti rem totam expendat, & Deo commendet, ac tum demum ad reliquos socios, quid sentiat, referat. Fecit ille, quod rogabatur. Patribus refert, sibi videri omnino, ut Ignatius Societatis gubernationem accipiat : ille, maxima
e omnium gratulatione, se facturum dicit *e*.

Edit solennem professionem, C 224 Sextam feriam à Pascha, proximam ad x Kalend. Maii constituunt, quo die & septem Urbis insigniora templa, & illorum stationes obeant, & in divi Pauli, à turba vacuo & peropportuno loco, singuli professionem suam emittant : quod & factum in hunc modum est. Ad
f divi Pauli *f* cum perveniissent, & peccata sua confessi invicem breviter essent : Ignatius in sa-
g cello beatæ Mariæ *g* (in quo sacratissimum Jesu Christi corpus tum asservabatur) rem sacram facit : cum ad perceptionem Dominici corporis ventum est, altera illud manu in patena tenens,
h altera professionis formulam *h*, ad suos conversus, vota sua iis verbis clara voce pronuntiavit : Ego Ignatius de Loiola promitto omnipotenti Deo, & summo Pontifici, ejus in terris Vicario, coram ejus virgine Matre, & tota cælesti curia, ac in præsentia Societatis, perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, juxta formam vivendi in Bulla Societatis Domini nostri Jesu, & in ejus Constitutionibus declaratis, seu declarandis contentam. Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones in Bulla contentas. Rursus promitto, me curaturum, ut pueri erudiantur in rudimentis fidei, juxta eamdem Bullam, & Constitutiones.

225 Percepto ab Ignatio Domini nostri Jesu Christi corpore & sanguine, quinque patres alii ante sumptionem Dominici corporis, nullo ordine antiquitatis servato, professionem suam emiserunt, cujus formula sic habet : Ego N. promitto omnipotenti Deo, coram ejus virgine Matre, & tota cælesti curia, ac in præsentia Societatis, & tibi, reverende Pater, locum Dei tenenti, perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam, juxta formam vivendi in Bulla Societatis Domini Jesu, & in ejus Constitutionibus declaratis seu declarandis contentam. Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones in Bulla contentas. Rursus promitto, me obedirurum circa eruditionem puerorum in rudimentis fidei juxta eamdem Bullam. Re divina confecta, sacrisque illius templi locis pie sanctéque obitis, ad aram maximam, sub qua beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum principum ossa condita sunt, patres consistunt : ibi mutuò sese, amanterque complectuntur : animos suos magis devinciunt : & summa devotione, ac pietatis ardore, profluentibus lacrymis Deo Opt. Max. gratias agunt, quod, quæ ipse inchoâsset, dignatus esset perficere : quodque diem illum videre ipsis licuisset, quo se holocaustum in odorem suavitatis admittere, & ex tot provinciis collectos homines in unum corpus coalescere voluisset. B

A. PETRO RIBADENEIRA. *uti & patres alii quinque :*

226 Potrò magister Joannes Codurius eo die singularem quamdam atque eximiam devotionem sensit ; & usque adeo vehementem Dei consolationem, ut illam, quo minùs efferveseeret, & foras erumperet, nulla ratione cohibere posset. Itaque illum per vias ambulantem audiebamus ; magnis vocibus complentem cælum, & ad Dominum sic clamantem, ut præ affectûs magnitudine dirumpi omnino videretur : quasi se ex custodia hac brevi educendum, animo præsagiret. Nam hoc ipso anno, qui primus ex decem post Ignatium professionem emiserat, primus omnium ad IV Kalend. Septembris decessit è vita. Hic pater in Provincia, oppido Sein, ipso natali die D. Joannis Baptistæ natus, ipso mortis ejus die, eademque ætate qua ille, mortuus est ; cum ipso quoque B. Joannis natali die, sacerdotii dignitatem adeptus fuisset. Vir fuit in audiendis confessionibus apprimè exercitatus, tractandisque proximorum animis ; & ad pietatem promovendis efficax, prudentiaque singulari : ex qua re magnam apud summos viros auctoritatem erat consequutus. Ejus mortui anima cælum intrare cuidam precanti conspecta est, clarissima gloriæ circumfusa luce, angelorumque permixta choris, quod Ignatius ad Fabrum scripsit. Quâ verò horâ mortuus est, ipsemet Ignatius, qui ad D. Petri Montorii pro illo sacrificaturus pergebat, in ponte Xysti, repentè quasi horrore quodam perfusus restitit, & ad comitem suum Baptistam Violæum *k*, qui adhuc vivit, conversis, Joannes (inquit) Codurius jam vitâ excessit.

è quibus Codurius primus beatè obiit, Ignatio, qui aberat, mortis ejus conscio. è

F *k*

227 Præpositi Generalis munere susceptο, ea Ignatius cœpit graviter constituere, quæ tum ad universæ Societatis administrationem, tum etiam ad domesticam disciplinam pertinerent. Atque ut quo altiùs ascenderat, eo se gereret submissiùs, exemploque suo omnes ad veræ humilitatis studium provocaret ; culinam statim est ingressus : in eaque permultos dies, & coquum agere, & alia vilia ministeria domestica obire cœpit, tam accuratè ac seriò, ut quasi novitius aliquis, sui tantùm profectus causâ facere videretur. Et quoniam per occupationes (quæ multæ quotidie & magnæ illi occurrebant) liberè atque integrè e-

Miscet suæ præfecturæ negotia cum officiis culinæ & expositione doctrinæ Christianæ.

A. PETRO RIBADENEIRA.

jusmodi officiis vacare non poterat : ita tempora dividebat, ut & negotiis gravioribus adesset, & culinæ tamen non deesset. Deinde Christianæ doctrinæ rudimenta tradere exorsus est, & pueros instituere, quod in templo nostro, per sex & quadraginta dies continenter fecit : plurimique ad eum audiendum veniebant quotidie, neque tam pueri quam viri, & feminæ, indocti, doctique. Et cum pia potiùs quam docta diceret, & impolitis atque impropriis verbis uteretur : illa tamen rudia, & inculta verba fortia erant, ac robusta, audientiumque animos movebant non ad inanem plausum, atque admirationem ; sed ad fletum, & vitiorum detestationem salutarem.

è qua summus fructus,

228 Itaque cum finem dicendi fecisset Ignatius, permulti se ad sacerdotum pedes gemebundi advolvebant, ita commutati animis, doloreque commoti, ut præ lacrymis & singultibus vix possent peccata sua confiteri. Quod P. Laines, qui tum confessionibus audiendis operam dabat, mihi sæpe affirmavit. Neque mihi tamen hoc novum aut admirabile videtur, cum ea, quæ tum vidi, memoriâ repeto. Namque memini, eâ energiâ Ignatium, atque spiritûs fervore verba facere solitum, ut flagrare caritate ipse, & ardentes divini amoris faces quodammodo jaculari videretur : ut etiam, illo tacente, vultus ipse, & totius oris inflammatio incendere facilè auditores posset, eorumque animos quocumque vellet, impellere.

loquente per eum spiritu Dei.

229 Atque ut Dei in illo loquentis virtus, simulque Ignatii humilitas, suique contemptus magis eluceat, illud non prætermittam. Hoc ego tempore puer eram, repetebamque postridie, quæ pridie Ignatius docuisset. Cum autem [timerem,] *l* ne præclaræ sententiæ, & ad mores hominum pietate confirmandos maximè utiles [nimis] contortæ ferrentur, obscurarenturque verborum improprietate, Ignatium monui, ut curam aliquam in expolienda oratione poneret. Et ille, qua erat humilitate, & incredibili modestia præditus, blandè ac suaviter, Bene (inquit) mones ; observa (amabo) diligenter me dicentem ; & quidquid vitiosum videbitur, notato, ut me corrigas. Feci postridie, Ignatius quod jusserat ; calamo notare cœpi linguæ Italicæ errata. Porrò tam multa occurrebant, ut non partem aliquam, sed totam orationem Hispanismis perpurgandam judicarem. Itaque emendatione desperata, annotare desii, &, quid accidisset, ad Ignatium retuli. Tum ille, qua solebat vultus hilaritate, Quid (inquit,) Petre, faciemus Deo ? Quasi diceret ; Nemo potest aliquid accipere, nisi ei datum fuerit desuper: ego autem à bonorum omnium largitore, non plus, quam quod vides, accepi : conferam tamen in ejus laudem hoc quidquid est ; quod, ut Deo redderem, ab ipso accepi. Itaque sermo ejus & prædicatio ejus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis. Neque enim regnum Dei in sermone est, sed in virtute.

CAP. III. *S. Franciscus Xaverius in Indiam tendit, Rodericus in Lusitania manet : m*

230 Hoc eodem anno MDXLI, VII Aprilis, magister Franciscus Xavier ex portu Ulyssipponensi in prætoria navi, quâ Martinus Alfonsus Sosa prætor vehebatur, feliciter in Indiam *m* solvit. Magister autem Simon in Lusitania remansit : remanendi autem causa ejusmodi fuit. Dum idoneam in Indiam navigandi tempestatem ambo exspectant, ne otiosi interim essent, pro sua consuetudine, homines ad veræ pietatis studium excitare incipiunt, & in his præcipuam Lusitaniæ nobilitatem : & vitæ exemplo, piisque monitis plurimùm profecerunt. Qua de causa ex aulicis viri nobilissimi regem ipsum docent, quanta in hominibus virtus ac prudentia sit : monentque secum cogitet, num in Lusitania utiliores ejusmodi homines, quam in India futuri sint. Quod nostri subodorati, ad Ignatium scribunt, quid præsentiant : vereri se, ne regis auctoritate, contra summi Pontificis mandata, in Lusitania diutiùs hærere cogantur. Ignatius cum id egisset, ut Pontifex rem totam intelligeret, eamque Pontifex regi liberam reliquisset, eos per epistolas certiores facit, rem totam à Pontifice in regem rejectam esse : itaque regi per omnia obtemperent : nulla prioris mandati religione moveantur. Sibi tamen (si rex fortè scire velit, quid ipse sentiat) videri, ut Franciscus in Indiam proficiscatur : Simon in Lusitania remaneat : quod utique consilium rex probavit. Hæc sunt disseminatæ in Lusitania, & remotissimis Indiæ regionibus, nostræ Societatis exordia.

CAP. IV. *Salmeron & Broetus in Hiberniam mittuntur ;*

231 Hoc item anno, magister Alfonsus Salmeron, & magister Paschasius Broerus, cum perampla potestate, Nuntii Apostolici *n* à summo Pontifice in Hiberniam missi sunt. Qua potestate castè, prudenterque usi sunt, suoque munere functi diligenter : rudes illos, & incultos populos regis Angliæ potentia, & vicinitate labantes, in vera religione retinere studuerunt : fidei Christianæ dogmata imperitis explicârunt : pecuniam neque exegerunt umquam, neque sponte oblatam acceperunt : si quid mulctæ nomine imperâssent, id totum egenis tribuebatur, ipsi nihil penitus attingebant. Atque hac sobrietate vitæ, & moderatione in ea provincia aliquamdiu versati, in Galliam redierunt, quod aditum veritati clausum, & insidias à perditis quibusdam hominibus sibi fieri comperissent, qui eorum vitam pretio Anglis mercatoribus addixerant, ut eos Henrici VIII Angliæ regis traderent potestati, cujus ipsi, dum eò navigarent, manus divinitus effugerant.

sed inde revocantur : Faber in Hispaniam tendit.

232 Certior factus de periculo summus Pontifex jusserat quidem, ut illi se in Scotiam *o* transferrent, cum eadem potestate : sed cum illa provincia pessimè adversùs Sedem Apostolicam jam tum affecta esset, animique nobilium ab illius reverentia abalienati, inopportunum tempus ratus Pontifex, homines ad se revocavit. Itaque Lutetiâ iter in Italiam suis ipsi pedibus, tenuique pecunia, Apostolici Nuntii sunt ingressi. Et cum bellum in Hispaniam Gallia instrueret, quasi speculatores Lugduni intercepti, in vincula conjiciuntur : à Cardinalibus Turnonensi *p* deinde, & Gaddio *q* agniti, educuntur, & viatico equisque benignè donati, Romam ad Ignatium remittuntur. Interea Faber cum D. Ortizio in Hispaniam hoc ipso anno MDXLI est profectus : in cujus locum Nicolaus Bobadilla, professione edita, in Germaniam, Pont. Max. jussu missus est. Et ut ex iis, quæ diximus, perspici potest, ex quo à summo Pontifice confirmata nostra Societas est, vix anno vertente, in Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Indiam, atque Hiberniam disseminatam illam videre licet.

ANNOTATA.

a *Calabriæ civitate ; de qua Leander Albertus pag.* 340 *editionis Latinæ Colonienſis anni* 1566. *Habeo Breve Pii IV, quo Bobadilla eò missus est, Cardinale Bembo rogante aliquem è Societate.*

b *Sus-*

b *Suffragia ex eorum autographis dedi in Commentario* § 35.

c *Adi Commentarium* § 34, *à num.* 350, *ubi id expenditur.*

d *Ita is etiam vocatur ab Orlandino lib.* 3, *num.* 8; *ſed in Vita Hiſpanica Matritenſi anni* 1594, *lib.* 3 *cap.* 1, *& apud Quartemontium cap.* 9, Theophilus. *An fortè fuit binominis?*

e *Notulam dat Commentarius num.* 365 *de die admiſſi generalatus.*

f *Hujus adis ſacræ Benedictinæ occaſione, quidam conflavit commiſſarium, qui exceperit patrum vota; ſed refellitur in Commentario* § 36, *num.* 370; *& ex inſcriptione mox danda.*

g Hoc ſacellum beatæ Mariæ (*inquit P. Ignatius Pinius,*) ſitum erat inter altare majus & confeſſionem S. Pauli; non rectâ lineâ, ſed obliquè verſùs latus Euangelii altaris majoris, ante duas columnas ex ſerie illarum, quæ ad altare majus parallelæ ſunt. Locus hîc paſſim notus eſt, & advenis oſtenditur. In hoc ſacello erat pictura beatæ Mariæ, Jeſum parvulum brachio geſtantis. Eidem ſacellò verſùs latus epiſtolæ altaris majoris, reſpondebat aliud ſacellum, in quo erat Chriſti è cruce pendentis ſculpta effigies, quæ ad S. Birgittam locuta fertur. Neutrum ex his ſacellis extat hoc tempore: ſed ædificatis retrorſum, ex utroque latere altaris majoris, duobus ſacellis novis pulchrioribus, prædicta Chriſti effigies, & pictura beatæ Mariæ tranſlatæ ſunt ad illud, quod eſt ad latus Euangelij, & in illo ſacello religiosè ſervantur; non in ipſo altari, vel pariete, ut ſemper videri poſſint; ſed in ſacelli fundo valvis clauſo, quæ valvæ aperiuntur, ut illa Chriſti effigies & pictura B. Mariæ, ſtatis temporibus publicè oſtendantur ad venerationem. Infra valvas porta eſt; quam ingreſſus, ſpectavi & deveneratus ſum prædictam Chriſti effigiem ac picturam. Antequam ingrederer hanc portam, in ſacelli pariete poſt altare ad cornu epiſtolæ vidi marmor ſatis venuſtum; cui ſupernè inſculptum eſt caput S. Ignatii: infrà verò hæc verba inſculpta leguntur grandiuſculis litteris:

D. O. M.

IN HAC SACROSANCTA BASILICA ET ANTE HANC BEATISSIMÆ VIRGINIS ICONEM S. IGNATIUS LOYOLA, SOCIETATIS JESU INSTITUTOR, SOLEMNIA PROFESSORUM SOCIETATIS VOTA EDIDIT, ET EADEM A SOCIIS RITE NUNCUPATA EXCEPIT ANNO DOMINI MDXLI, X KAL. MAII. ABBAS ET MONACHI BENEDICTINI S. PAULI CONGREGATIONIS CASINENSIS POSTERIS MONIMENTUM PP.

h *Ex autographis ſubſcriptionibus eodem* § 36 *tranſcribit Commentarius formulas profeſſionis patrum.*

i *Ribadeneira apud Quartemontium cap.* 9; Anno, *inquit*, MDXLI, X Kal. Maii urbis Romæ celebriora templa & ſtationes adivit (*Sanctus*) patribus comitatus, ac tribus fratribus; è quibus unus eram; atque in æde B. Pauli rem divinam fecit. *Deinde agit de votis ſub eam factis; magnam itaque fidem meritus.*

k *Orlandinus lib.* 3, *num.* 20 *ſcribit* Viola.

l Timerem *ſubſtitui in textu pro* dubitarem; *favente Vita Hiſpanica Matritenſi anni* 1594, *in qua legitur* temiendo.

m *Cum poteſtate Nuntii Apoſtolici; quæ etiam Roderico data fuerat; ex documentis noſtris Romanis.*

n *Apographum litterarum Apoſtolicarum Pauli PP. III de hac re exemplum exſtat inter dicta mox documenta; & ſignatur* anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, quinto Nonas Julii. *A. PETRO RIBADENEIRA.*

o *Litterarum Pauli PP. III ad illos in regnum Scotiæ appulſos exgraphum, quod habeo, notatur* die XXVII Martii MDXLII.

p *Non* Turonenſi, *prout erat in textu. Geſta ejus dat Ciaconius tom.* 3, *col.* 506 *& ſeqq.*

q *De quo ibidem col.* 480.

CAPUT XV.

Varia Societatis collegia; ejuſdem amplior à Sede Apoſtolica confirmatio.

CAP. V. *Ad collegium Conimbricenſe mittuntur noſtri.*

HOc rerum ſtatu, Joannes III, Luſitaniæ rex, ut Indorum ſaluti conſuleret, miſſo ad Indos Franciſco Xavier, alios ex noſtris, qua ratione in annos ſingulos poſſet mittere, cogitavit, collegiumque noſtræ Societati decrevit omnium primus inſtituere, quod illius propagandæ in Luſitania quaſi ſeminarium eſſet. Quare ad celebrem Conimbricenſem academiam à ſe fundatam, noſtrum quoque collegium adjecit: cujus collegii propagatio, & ſoboles, origo reliquorum in Luſitania collegiorum eſt. Ad quod quidem conſtituendum, Ignatius ex noſtris, qui & Romæ erant, & Lutetiæ, in Luſitaniam adoleſcentes aliquot, viroſque probatiſſimos, anno MDXLI & MDXLII ad Simonem miſit. Mittebantur autem noſtri id temporis ab Ignatio (ut obiter hoc quoque dicamus) in remotiſſimas etiam terras, in hunc ferè modum.

Quinam in miſſionibus obſervaretur modus, narratur.

234 Pedibus ſuis peregrinabantur, non uno omnes habitu, ſed ſemper vili: mendicato vivebant: in hoſpitali pauperum domo, ubi ejus erat copia, dormiebant. Si quando vel victus ex eleemoſyna deeſſet, vel lectus, tenui aliqua pecuniola ſe ſuſtentabant, in eum ipſum finem reſervata. In plateis pro loco & tempore concionabantur: hortabantur quoſcumque nacti erant, ad deteſtationem vitiorum, ad confeſſionem, orationemque, & veræ pietatis cultum: egredientes hoſpitium armabat oratio: ingredientes excipiebat. Diebus Dominicis, qui ſacerdotes non erant, aut ſæpius etiam, confitebantur & communicabant: inter ipſos ſumma pax, ſumma concordia; &, quod mirabilius eſt, in magnis laboribus magna alacritas, animuſque ſemper lætus, & præ laborandi pro Chriſto, patiendique deſiderio, ne de ipſis quidem longiſſimi itineris moleſtiis aut periculis cogitans. Imbecillus qui maximè in ambulando erat, antecedebat alios, ut, quod ille poterat, ad id ſe valentiores accommodarent. Et quoniam nulla tunc collegia in via occurrebant, nullus certus locus (ignota adhuc Societate) quò noſtri, ſi quid in via acciderat, ſeſe reciperent; illud etiam præcipiebatur ab Ignatio, & ſervabatur diligenter, ut ſi quis fortè morbo aliquo impeditus, perſequi iter non poſſet, pro morbi conditione, ad breve quidem tempus, reliqui omnes conſiſterent: ſin diuturnior fore videretur, unus certè remaneret, qui ad ægrotum ſublevandum videretur aptiſſimus. Hunc in modum illis initiis noſtri Româ mittebantur ab Ignatio & Lutetiam, & in Hiſpaniam: hoc modo in Luſitaniam uſque profecti ſunt, qui collegii Conimbricenſis fundamenta jecerunt: qui

A. PETRO RIBADENEIRA.

benignè à rege accepti, dum Conimbricæ res futuro collegio parantur, Ulyſſippone aliquamdiu commorati, domus ſancti Antonii initium etiam fecerunt.

Collegium Goanum:

235 Sed etiam in India, ſimulatque Franciſci Xavier virtus & prudentia tractari ab hominibus illis, & agnoſci cœpta eſt, uberes protulit ex ſe fructus, ut ſuo loco dicam. Anno enim ſtatim MDXLII Goæ, quæ civitas regia eſt, & Indicarum omnium, quæ Luſitano regi parent, metropolis, collegium quod ad alendos gentilium filios ad Chriſti fidem converſos, atque educandos, Luſitanorum liberalitate jam tum fuerat informatum, noſtris datum eſt: ut eorum ipſorum puerorum ad pietatem informandorum curam ſuſciperent, & venientes ſuos ex Luſitania fratres exciperent, & accolas Societatem ingredi volentes probarent: eſſetque collegium illud Chriſtianæ fidei hoſtibus quaſi propugnaculum quoddam oppoſitum. Multum ex humili ducta principio duo hæc collegia, Conimbricenſe & Goënſe creverunt. Nam ad ducentos Conimbricenſe ex noſtris continet: Goënſe ad CXX; & in utroque diſciplinæ omnes ingenuæ, quæ quidem à theologo non ſint alienæ, explicantur: & quidquid apud Indos à noſtris geſtum eſt; quidquid apud Japonios, Sinas, Perſas, Æthiopes, & alias innumerabiles nationes, veri Dei ignoratione cæcas effectum; ex his duobus collegiis profectum eſt maximè. Ex quo intelligimus, collegiorum, quæ in univerſa Societate conſtituta hactenus ſunt, primum omnium tenere locum Conimbricenſe, regis Luſitaniæ munificentiâ jam tum informatum, poſtea verò etiam perfectum.

domus Romana, reliquæ Societatis parens, templo inſigni ornatur:

236 Collegiorum dico; nam Romana domus reliquæ Societatis parens eſt: ex qua, ut matrice quadam civitate, Ignatii operâ & conſilio, coloniæ deductæ in diverſas terras, & propagatæ ſunt. Quæ quidem domus Romana cum ipſa Societate nata eſt: ſiquidem exeunte anno MDXL templum beatæ Mariæ (ut vocant) de Strata, Petri Codacii *a* induſtria & beneficio nobis additum eſt. Hoc autem templum humile tunc fuit ac perexiguum; ſed cum confluentes ad verbum Dei populos propter ejus anguſtias non caperet, multis poſtea additamentis auctum eſt, atque diverſis temporibus varias in formas commutatum: donec anno MDLXVIII Alexander Farneſius Cardinalis, Pauli III, ſapientiſſimi Pontificis, nepos, ac S. R. E. Vicecancellarius, princeps excellenti auctoritate, eximiaque prudentia, qui Societatem noſtram ab ipſo ejus exordio ſingulari patrocinio complexus eſt, ut bene mereretur de ſuis civibus, atque adeo de univerſa Eccleſia Dei, & avi ſui Pontificis Max. maximum in Ordinem noſtrum beneficium immortalitati conſecraret, & præſtantem ſuam in nos beneficentiam teſtatam relinqueret, templum *b* amplum, magnificum, pulcherrimum, à fundamentis excitare conſtituit, regio ſumptu, opere præclaro, ſtructura mirabili, in quo mortuus conderetur. Et quidem meritò, ut quoniam Farneſiorum familia, Societatis noſtræ conſtituendæ princeps fuit; ipſe, qui ejuſdem familiæ decus ac lumen eſt, in eo templo, atque in ea profeſſorum domo, quæ ipſius Societatis caput ac parens eſt, principem locum obtineat.

templum ac domus S. Andreæ:

237 Anno verò MDXLIII templum ſancti Andreæ peropportunum ac propinquum, opera ac ſtudio Philippi Archinti *c*, Salutiarum epiſcopi, ac ſummi Pontificis, tunc in alma Urbe vicarii, & de univerſa Societate optimè meriti, ipſius Pontificis ſummi decreto adjunctum eſt. Nam Philippus juſſu Pontificis Maximi cum obiret Urbis omnes eccleſias, ac luſtraret, ut earum ſarta tecta tuerentur, & ea, quæ ad cultum earum, atque ornatum pertinerent, in D. Andreæ templum incidit, curam quidem animarum habens, ſed à paſtore ſuo deſertum, & feminæ cuſtodiæ commiſſum. Cujus rei indignitate permotus Pontifex, ejuſdem Philippi monitu, illud noſtris decrevit adjungere, qui in vicino beatæ Mariæ templo, omni pietatis officio Romanum populum ad benè beatéque vivendum excitabant. Paucis pòſt diebus, huic Pontificis decreto reclamatum à multis eſt. Sed Archintus, vir prudens, atque acris animi magnique, eorum conatibus vehementer reſtitit, & veriſſimis graviſſimiſque rationibus perſuaſit Pontifici, ratum uti ſuum decretum haberet, noſtriſque in tradita jam poſſeſſione permanere liceret. Itaque hoc ipſo in templo D. Andreæ domus, quam incolimus, anno MDXLIII ædificari cœpta eſt *d*. Porrò animarum cura utriuſque templi, S. Mariæ de Strata, & S. Andreæ, ne impedimento noſtris eſſet, auctoritate Pontificis cum redditibus in eccleſiam S. Marci vicinam ac percelebrem tranſlata eſt.

CAP. VI. *Collegii Patavini exordia*

238 Per idem tempus, Repub. Veneta poſtulante, anno MDXLII miſſus à ſummo Pontifice Venetias eſt P. Jacobus Laines, ut pietatis quædam opera promoveret: qui cum ſtrenuè ſuo fungeretur munere, in Andream Lipomanum, eccleſiæ ſanctiſſimæ Trinitatis Priorem, virum patritium ac religioſum incidit, ad eumque ipſius rogatu divertit. Qui domeſtica conſuetudine, mores Jacobi ingeniumque perſpiciens, & Societatis noſtræ inſtitutum intelligens, ita permotus eſt, ut de extruendo Patavino collegio, ſtatim cum Jacobo ageret. Habebat enim Patavii etiam prioratum divæ Magdalenæ, Ordinis hoſpitalis ſanctæ Mariæ Teutonicorum, olim in expeditione Chriſtianorum contra Turcas à Germanis conſtitutum; quem in collegii Societatis inſtitutionem conferre decrevit: & dum res à ſummo Pontifice impetratur, aliquot ex noſtris alere, ut non ſolùm futuri beneficii ſpe, ſed præſentis etiam utilitate frueretur. Itaque Româ miſſi Patavium ab Ignatio ſunt anno MDXLIII, qui cum Joanne Polanco, & Andrea Fruſio, jam tum in Patavina academia ſtudiis litterarum operam dantibus, ſeſe conjungerent, & collegii fundamenta ponerent.

ac difficultates circa illud Lainii induſtriâ remota,

239 Anno deinde MDXLVI impetratus à Paulo III, Pontifice Maximo prioratus eſt, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate, collegii uſibus in perpetuum conſecratus. Sed anno MDXLVIII, noſtris, ut in poſſeſſionem mitterentur, à ſenatu Veneto petentibus, quidam, ſanguine Priori Andreæ maximè conjunctus *e*, vehementer obſtabat: & ut erat ſenatoria dignitate, & opibus inter ſuos præſtans, facilè Jacobo Laini, & Alfonſo Salmeroni rem curantibus, adverſis, ignotiſque hominibus & pauperibus negotium exhibebat. Accidit etiam, ut aliquando in ſenatum ingreſſi, ut ſuæ poſtulationis rationem exponerent, penè exſibilarentur: quòd illo patrum conſeſſu, homines ſpecie habituque contemnendi, indigni viderentur. Sed ſilentio tandem impetrato, cauſaque ab Jacobo perorata, magna omnium conſurrectio facta eſt, & perhonorifica compellatio: cum in homine prudentiam, & dicendi vim, modeſtiamque admirarentur. Sed cum difficultates perrumpere noſtri non poſſent, neque adverſarii potentiſſimi conſiliis obſiſtere, ad Ignatium Laines ſcripſit, quo loco res eſſet; petiitque, ut ad illam conficiendam, felicemque exitum à Domino impetrandum, ſacra-

A sacratissimum Missæ sacrificium offerre Deo dignaretur.

240 Fecit Ignatius, quod rogabatur, ipso die natali beatæ Mariæ; Jacoboque rescripsit: Feci *f* quod rogâsti: esto bono animo, nec te hæc res sollicitum habeat, sed confectam puta. Nec fefellit eventus. Octavo post Sacrificium die, frequens senatus ea de re habitus est, & omnibus omnium ferè sententiis possessio nostris adjudicata. Permirus autem illius reipub. peritis videbatur, & mutatus, tantus frequentissimi senatus, pro peregrinis adversùs civem consensus. Atque ut ejusmodi eventus Deo, non hominibus tribueretur; quo die relatum ad senatum de hac re est, probatissimi senatores, qui nostras partes agebant, eo die in senatum non venerunt: ne quid homines sibi de divina laude decerperent, & nos non hominibus, sed Deo viti discceremus: qui etiam salutaria effecit, quæ in perniciem ab adversariis parabantur. Nam cum jactata de nobis, qui in collegio Patavino eramus, multa ab adversariis essent, ut nos in periculi suspicionem adducerent, B senatûs decreto in nostram vitam inquisitum diligenter est: eaque ab [iis,] quibus mandatum erat, inventa & scripta sunt ad senatum, quæ nos suspicione liberarent, & Societatem nostram probitatis testimonio commendarent.

ex prædictione S. Ignatii, miris modis.

f

241 Eodem anno MDXLII in Galliam Belgicam nostri, non tam sua voluntate quam necessitate quadam sunt ingressi: nam cum bellum inter Carolum V imperatorem, & Franciscum Galliarum regem repentè exarsisset, Hispani omnes, Flandricque, qui in Gallia versabantur, Galliâ excedere jussi sunt: quo tempore, quindecim sexdecimve de Societate, partim Itali, partim Hispani, Lutetiæ Parisiorum litteris dabamus operam. Ex quibus, ut regio edicto satisfieret, Italis Lutetiæ remanentibus, Hispani in Belgicam, amicam provinciam, duce Hieronymo Domeneco *g*, ac moderatore, profecti, & studia litterarum in Lovanienſi academia sumus prosequuti. Ibi verò tantùm exemplo à nostris, & Francisci Stradæ Latinis concionibus effectum est, ut multi studiosi egregiique adolescentes, & viri doctrina atque auctoritate nobiles, nostrum institutum avidè arriperent: quos magister Petrus Faber ab Hispania reversus, ex superiore Germania in inferiorem descendens, suis consiliis postea confirmavit. Et C hoc quidem propagatæ in provincia Belgica Societatis semen & origo est *h*.

Qua occasione nostri in Belgicam sint ingressi.

g

h

CAP. VII. *Confirmatur denuo Societas, & tollitur restrictio admittendorum:*

242 Animadvertens igitur Ignatius, non modò præclaros adolescentes ad Societatem animum adjicere, verùm etiam viros graves atque eruditos, collegiaque, in quibus alerentur, instituì, magnum fructum à suis edi: neque tamen sibi per summi Pontificis decretum licere, omnes, qui à Deo vocarentur, in Societatem, professione edita cooptare; à Christi Vicario contendit, ut Societatem ipsam denuò confirmare dignaretur, dilatareque contractum illum ac brevem numerum, quem in prima Societatis approbatione, nostris admittendis circumscripserat. Quod utique Pontifex (sicut dictum est) anno MDXLIII pridie Idus Martias, magna voluntate fecit: cum patres nostros, vitâ, doctrinâque suâ, uberes Ecclesiæ Christi fructus tulisse intelligeret, uberiores etiam laturos speraret. Ex quo tempore, magnum Societas nostra incrementum cepit. Interea, cum semen illud, quod Petrus Faber ac Jacobus Laines in Parmensi solo sparserant, feliciter adolesceret, multique essent sacerdotes, illorum studio discipuli, socii voluntate, qui, quod illi plantârant, ipsi rigarent atque excolerent, & Parmæ magna pietatis accessio quotidie fieret: inimicus homo per concionatorem quemdam hæreticum zizania superseminare conatus est: qui multa impia, atque hæretica ex suggesto jactavit: & sacerdotes illos, quorum vitam, doctrinamque obstare sibi intelligebat, falsi criminis invidiâ onerare aggressus est. A. PETRO RIBADENEIRA.

243 Itaque gravis in illos (quamvis prorsus innoxios) quos Contemplantes vocabant, tempestas coorta est, quæ in nostrum etiam nomen erupit. Nam etsi illi benevolentiâ tantùm nostri erant, & imitatione magis, quam professione: in nos tamen quasi in auctores, conferebatur culpa, aut nobiscum certè communicabatur. Ignatius igitur curavit in primis, ut summus Pontifex, quod Parmæ gestum erat, intelligeret. Qua re permotus (ut par erat) graviter Pontifex, & aliis contagionibus malorum admonitus, quæ in nonnullis Italiæ civitatibus serpere quotidie magis nuntiabantur; ex universo Cardinalium collegio sex omnino delegit, qui summa cum potestate in hæreticos inquirerent, & in perenni quadam vigilia adversùs ecclesiæ hostes essent. Quod præclarum inventum, non Urbi solùm, sed Italiæ etiam universæ extitit salutare. Illud etiam acriter pugnavit Ignatius, ut, quæ in sacerdotes illos conficiebantur, ea judicio excuterentur, ac proferrentur in lucem, ne qua ex silentio infamiæ nota illorum vitæ, nostroque nomini inureretur: quod, multis repugnantibus atque obnitentibus, tandem vicit. Ergo illi, sententiâ pronuntiatâ à Ludovico Milanesio, protonotario Apostolico, ac Vicelegato, omni criminis suspicione liberati sunt. E

frustràque in suspicionem errores vocatur.

244 Ex eorum numero, quos Româ ab Ignatio, anno MDXLI ad Conimbricense collegium constituendum missos fuisse diximus, Franciscus Villanova fuit. Qui cum ex longi itineris laboribus incommoda utetetur valetudine, medicorum consilio, & patrum nostrorum voluntate, ut cælum mutaret, Complutum venit. Ubi utcumque ex morbo confirmatus, sedem Ignatii jussu fixit; & homo natu grandis, ad grammatices studium aggressus, verborum inflexiones atque nominum meditari cœpit, & puerilia rudimenta studiosè devorare. Quo in labore duos annos posuit, summâ inopiâ & tolerantiâ, rerumque humanarum contemptione; sed pari vel hominum admiratione, vel fructu. Nam homo litterarum rudis, conditione humilis, ignotus nomine, doctissimos gravissimosque viros, in nobilissima academia consuetudine ita sibi devinxit, ut spiritum hominis, prudentiamque admirati, ad illum de rebus suis referrent; illum sibi magistrum exercendæ pietatis adscisceret, illum ducem sequerentur; plusque illi auctoritatis apud bonos adderet virtutis opinio, quam inopia adimeret doctrinæ. CAP. VIII. *Collegii Complutensis exordia* F

245 Adjuncti sunt paulò post tres alii, quorum exemplo commoti scholastici nonnulli, ad nostræ institutum Societatis, animum applicuerunt. Qui quidem molestiis perfuncti sunt multis, & rei novitate, & falsi criminis suspicione commotis. Qua suspicione nostri, cognita veritate, publico M. Velæ, academiæ rectoris, testimonio liberati sunt; resque cum aliorum benignitate, tum verò doctoris Vergaræ in primis, canonici Conchensis, studio ac beneficentia eò progressa est, ut commodum numerosumque collegium Compluti habeamus. Ex quo longum sanè esset enumerare, quot vel maximis ingeniis adolescentes, præstantique scientiæ ac virtutis spe, vel viri sapien- *ac progressus.*

tiæ

A. PETRO RIBADENEIRA.

tiæ prudentiæque laude clari, Societatem noſtram ſint ingreſſi: ut mihi quidem Complutenſe collegium, principium conſtituendæ propagandæque in Hiſpaniarum provinciis Societatis, & quaſi ſeminarium præcipuum fuiſſe videatur *i*.

ANNOTATA.

a *De ejus erga Societatem meritis, , ac grato erga ipſum Ignatii animo agit Comm.* § 65.

b *De eo, ac primo ejus lapide meminit Sacchinus part.* 3, *lib.* 4, *num.* 142 *&* 142. *Vide etiam Ciaconium tom.* 3, *col.* 560.

c *Meminit de eo Ughellus Italiæ ſacræ tom.* 1, *col.* * 142.

d *Sacchinus paullo antè citatus ſcribit de ædificationis progreſſu, ad an.* 1568, *num.* 140.

e *Erat quippe ejus frater, ex mox dicendis.*

f *In archivo noſtro Romano eſt epiſtola* S. Ignatii *tota autographa ad Lainium Venetiis commorantem Hiſpanicè ſcripta; è cujus apographo hæc verto:* Ego hoc die Dominæ noſtræ natali celebravi, Miſſam applicans magnifico domino Joanni, ut .. recenter naſceretur in ſpiritu, divina majeſtate juſtum ac rectum ei dante judicium in
B eo, quod prætendere videtur: illud quippe non obtinens, ſicut ego ſine dubitatione mihi perſuadeo, & in cælo & in terra non parum perdet. Id quod cum mihi dolet in quolibet, prout debet, proximo, tum multò magis, quia eſt frater domini noſtri Prioris *&c.*

g *Vir in Societate notiſſimus; ad quam acceſſit Parmæ non ſine difficultate, ex Orlandino lib.* 2, *num.* 77. *Româ accepi apographum* teſtimonium Vicarii generalis Parmenſis, quod D. Joannes Hieronymus Domenec, canonicus Valentinenſis, ſua ſponte, nec deceptus adhæſerit Petro Fabro, & Jacobo Laynez. *Signatur:* Datum Parmæ in epiſcopali palatio, die XXVII menſis Januarii MDXL. Marcellus Vicarius. Ch⁹. de Turre notarius. *Inter alia autem, quæ laudatus vir obivit, munia, præfuit provinciæ Siculæ anno* 1553; *ex Orlandino lib.* 13, *num.* 19.

h *Res noſtras Lovanienſes memorat Orlandinus lib.* 4, *num.* 37 *& ſeqq. Videri etiam poteſt lib.* 3, *num.* 75.

i *Idem auctor de iſtius collegii exordio ſcribit ad an.* 1543, *lib.* 4, *num.* 54. *Viros in illo inſignes laudavi in Commentario* § 14, *num.* 132.

C

CAPUT XVI.

Pia Romæ opera; varia collegia; obitus P. Petri Fabri.

CAP. IX.

Sanctus urget Decretalem Innocentii 3,

SEd non modò domeſticarum rerum & univerſæ Societatis ſollicitudinem gerebat Ignatius; verùm etiam curæ & cogitationis ſuæ, quam poterat, partem, in externorum utilitates derivabat. Quamobrem multa, quæ conſuetudine inoleverant vitia, abolenda; multa in Urbe inſtituenda curavit, quæ cum hominum eſſent ſalute conjuncta: illud in primis, ut Decretalis Innocentii III, hominum vitæ maximè neceſſaria & ſalutaris, in-
a ſtauraretur *a*: quâ nimirum cavetur, ne medici corpori curando manum priùs admoveant, quam ægrotantis anima confeſſione curata ſit: mitigata tamen illius decreti ſeveritate, eâque moderatione adhibita, ut uno atque altero die medicus ægris adeſſe poſſit; tertio verò nullo modo, niſi D priùs confeſſi ſint. Quod quidem decretum ſanctiſſimus Pius quintus, ſui pontificatus initio, ſeverioribus etiam legibus in perpetuum ſanxit.

Judæorum ſaluti

247 Præterea cum in Urbe tanta Judæorum eſſet turba, nullus tamen locus erat, quò ſe reciperent ii, ſi qui fortè, quod ſuper cor eorum adhuc poſitum eſt, Dei miſericordiâ ſublato velamine, ad Chriſti lucem ſeſe converterent; nulli doctores certi, qui illos ad Eccleſiæ gremium venientes erudirent, nulli reditus ad ſublevandam eorum inopiam conſtituti. Ergo ne tantus periret fructus, eos ex noſtris anguſtiis, domi noſtræ aliquot annos ſuſtentare, erudire, & in certo genere vitæ collocare non dubitavit Ignatius: multique ex Judæis vel caritate noſtrorum allecti, vel exemplo ſuorum commoti, ad Chriſtum converſi ſunt: in quorum numero etiam fuerunt Judæorum primarii, qui ad Chriſtianam fidem amplificandam, momenti plurimum attulerunt. Vehementer enim revincebant Judæos, oſtendentes per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum. Verùm ne hæc utilitas exigui temporis eſſet, in eam rem diligentiam ſuam navavit Ignatius, ut locus in Ur- E
be conſtitueretur, qui Catechumenis recipiendis eſſet, ſuſtentandiſque accommodatus: quod magnis laboribus tandem perfecit.

impensè conſulit;

248 Et quò mollior illis ad Chriſtum via eſſet, à Paulo III Pont. Max. impetravit, ne quid ſuarum rerum amitterent, neve detrimento Chriſti fides iis eſſet, qui Chriſtum ſalvatorem agnoſcerent: imò verò Judæorum liberis, ad Chriſtum contra parentum voluntatem venientibus, bona ipſorum omnia integra omnino eſſent: & quæ ab illis uſuris fuiſſent parta, quorum juſti domini ignorarentur, atque idcirco per manus Eccleſiæ eſſent in pios uſus convertenda, Judæis ipſis ad ſanctiſſimam religionem converſis, in ſuſcepti baptiſmatis gratiam tribuerentur. Ad quæ illud etiam deinceps à Julio III, ac Paulo IV præclarè additum eſt, ut ſingulæ Italiæ Judæorum ſynagogæ certam pecuniæ ſummam ad eos alendos, qui ex Judaica perfidia evadunt, huic Catechumenorum domui quotannis impendant: multaque alia ad illos vel invitandos, vel in Chriſti fide retinendos, ſapientiſſimè conſtituta ſunt. Ex quo magnus aditus apertus eſt ad illius gentis ſalutem, multique ſe ex reliquiis & fæce illa Iſraël ad Chriſtum adjunxerunt.

F

uti & mulierum impudicarum

249 Ad hæc, magna Romæ mulierculârum earum viſebatur multitudo, quæ ex proſtituta pudicitia quæſtum faciebant (major enim per id tempus, morum in Urbe licentia, quæ ſanctiſſimorum Pontificum vigilantiâ, ſeveris poſtea legibus compreſſa eſt) & Urbs ipſa meretriciis ſordibus obſoleſcebat: erantque iſtiuſmodi mulierculârum nonnullæ, quæ divino inſtinctu cupe-rent aliquando ſe ex impura illa flagitiorum voragine in portum ſalutis recipere. Ad quas alendas, divæ Magdalenæ (Converſarum vulgò appellant) cœnobium eſt inſtitutum. Sed ea tamen lege venientes admittuntur, ſi perpetuæ ſe religioni conſecrent, & illius limen eo animo ingrediantur, ut ex illo pedem nuſquam efferre conſtituant. Quo minus latè patent ejus cœnobii fructus: nam permultæ ex iis nuptæ ſunt, quæ hoc perfugio excluduntur; quibus tamen locus aliquis dandus eſt, quò ſe recipiant, dum maritis reconciliantur, ut à vitæ honeſtate, quam petunt, abſit periculum.

emendationi;

250 Porrò aliæ emergere quidem ex fæcibus illis vellent; ſed non continuò ſe diuturnæ pœniten-

A hitentiæ dedere: neque ſi ut peſſima fugiant paratæ ſunt, ſectari idcirco optima concupiſcunt: quibus receptum ad tempus dari cœnobii illius leges non ſinunt. Ignatius igitur, ut omnium ſaluti conſuleret, & ne qua eſſet, quæ victus quærendi difficultatem ſuæ turpitudini prætexeret, locum peropportunum inſtituendum curavit, quod omnium eſſet commune perfugium. Cum igitur hoc ſuum laudabile & præſtantis operis conſilium principibus multis viris, ac feminis communicâſſet, quorum auctoritate ac benignitate conficeretur; operam ſuam illi quidem ſunt facultateſque pollitici, ſi quis inveniretur, qui ejus rei perficiendæ princeps & auctor eſſe vellet. Volebat enim quiſque glorioſi operis comitem ſe potiùs aliorum præbere, quam ducem. Sed cum hac recuſatione diem ex die duci videret Ignatius, & pium opus impediri; ut omnem diabolo eximendi tempus occaſionem præcideret, hanc rationem excogitavit.

In cœnobio S. Marthæ:

B 251 Ex area quadam noſtra, quæ Romæ ante templum noſtrum eſt, Petrus Codacius, domus noſtræ procurator, eo ipſo tempore effodiendos curaverat ingentes lapides ex antiquæ Urbis ruinis. Tum Ignatius Codacio ait: Vendito lapides, Petre, ſummamque ex eis centum aureorum mihi conficito. Fecit ille, in magna noſtrorum inopia, quod fuerat juſſus. Hanc pecuniam Ignatius primus omnium, in opus eximium contulit. Si nemo eſt (inquit,) qui anteire velit, me ducem ſequatur. Subſecuti ſunt reliqui: & ita in æde divæ Marthæ opus eximium inchoatum eſt, & perfectum; ſodalitaſque inſtituta, cui à Gratia beatæ Mariæ nomen eſt inditum. In hoc autem divæ Marthæ cœnobium, mulierculas à turpi quæſtu abductas ipſemet ſæpenumero, ne perirent, vel in matronæ alicujus honeſtæ domum, inſtituendas ad virtutis ſtudium, id ætatis vir, & Generalis Præpoſitus deducebat. Quo in genere, Leonoræ Oſoriæ (ea Joannis Vegæ Cæſarei apud Pontificem legati erat uxor) pietas atque benignitas in primis enituit. Cum autem Ignatio objiceretur, in curandis hujuſmodi mulierculis malè operam poni, quippe quæ in vitiis jam occalluiſſent, faciléque reverterentur ad vomitum: Minimè ſanè, inquit Ignatius: ſed ſi omnibus meæ vitæ curis atque laboribus id poſſim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam præterire illarum aliqua velit; omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo tam exiguo tempore Deus ac Dominus noſter non offendatur, etiamſi ſciam, illam ſtatim ad ingenium redituram.

C

pro orphanis ac puellis periclitantibus etiam ſolicitius.

252 Orphanorum etiam ſolitudini ut conſuleretur, multum laboravit: itaque ejus etiam operâ, duæ habitationes in Urbe ſunt conſtitutæ, in quibus pueri & puellæ parentum orbati præſidio, ac vitæ commodis deſtituti, à periculis eripiuntur ætatis, & ab inopiæ moleſtiis, & ſeparatum moribus, doctrina, artibus inſtituuntur. Illud etiam excogitavit, in lubrico verſanti virginum pudicitiæ qua ratione ſuccurreret: ne videlicet puellaris caſtitas, aut matrum turpitudine incuriave defloreſceret, aut paupertate. Quamobrem præclarum, omnique laude dignum cœnobium conſtructum eſt S. Catharinæ, ut vulgò vocant, De Funariis; in quod, tamquam in aſylum arcemque transferuntur adoleſcentulæ, quæ in periculo pudicitiæ verſantur. Et hæc quidem Ignatius Romæ, & alia id genus nonnulla, ad proximorum ſalutem effecit.

253 In iis autem operibus conſtituendis hanc ſervabat rationem. Conſilium ſuum cum certis hominibus, gravibus, prudentibus, & ad omnem caritatem propenſis, communicabat; è quibus Jacobus Creſcentius, nobilis Romanus, intimus Ignatii amicus, & ad omnem pietatem ſemper propenſus: Franciſcus item Vanutius, Pontificis ſummi eleemoſynarius: Laurentius Caſtellus, aliique nonnulli præſtabant; quibus conſiliariis Ignatius, adjutoribuſque uſus eſt. Rebus inter ipſos agitatis, compoſitiſque, opus ipſum primariis viris, locupletibus, benignis proponebatur, quorum opibus, atque auctoritate niteretur: in primiſque aliquis S. R. E. Cardinalis deligebatur, qui ad patrocinium ejus operis ſuſcipiendum, videretur aptiſſimus. Conſtituta deinde ſodalitate, ſancitis legibus, totius gubernationis ordine, rationeque præſcripta; cum jam ſuam operam minùs eſſe neceſſariam intelligeret, vigiliam ſuam aliis tradebat Ignatius, ſeque ſenſim ad alia æquè utilia inchoanda convertebat. Neque enim otioſa eſſe illius caritas poterat, ſed ſemper novum aliquid meditabatur, hominibus ſalutare.

A. PETRO RIBADENEIRA. Exponitur modus, quem Sanctus adhibebat.

E

CAP. X.

Collegium Valentinum, Vallisoletanum;

254 Dum hæc Romæ Ignatius ageret, totus in Dei gloriam intentus, Deus ejus gerebat curam, & res Societatis propagabat, movebatque hominum animos, noſtrorum patrum integritate, ac caritatis ſtudio excitatos, ut eos aut expeterent benevolè, aut accerſitos ſtudioſè retinerent, & apud ſe certis in ſedibus collocarent. Et quamvis omnibus, qui petebant, ſatisfieri, in tanta noſtrorum paucitate non poterat; conabatur tamen Ignatius Dei gratiam non negligere; ſed eos ipſos, quos habebat, in ea loca diſpergere ac diſtribuere, in quibus vel propter ipſorum locorum opportunitatem ac naturam, vel propter civium ingenium, & in noſtros benevolentiam, uberiores fructus ſperabantur. Cum igitur Hieronymus Domenecus, civis Valentinus, non ſolùm ſe (quod multo antea fecerat) ſed ſua omnia etiam Societati conſecrare, & collegium ex ſuis redditibus Valentiæ inchoare ſtatuiſſet; Ignatius illius civitatis amplitudinem & nobilitatem, ac gymnaſii celebritatem ſecum reputans, & vicinorum oppidorum ac pagorum copiam, ad quos excurſiones facere noſtri poſſent, & apud illos utiliter aliquando verſari, Jacobum Mironem (qui Lutetiâ Pariſiorum anno MDXLI Conimbricam venerat, & ejus civitatis collegio aliquamdiu præfuerat,) alioſque nonnullos anno MDXLIV Valentiam deſtinavit, ut Valentini collegii ponerent fundamenta. Quod illi quidem fideliter præſtiterunt. Anno verò MDXLV diplomate à ſummo Pontifice impetrato, certis reditibus conſtitutum eſt collegium illud, quod & copioſo optimorum juvenum in Societatem ingredientium proventu, & ipſorum civium fructu, hactenus Dei benignitate ſemper floruit.

F

ac Gandienſe.

255 Eodem tempore Petrus Faber, & Antonius Araoz, in comitatu Mariæ, Joannis III, Luſitaniæ regis, filiæ (quæ Philippo Hiſpaniarum principi nupſerat) regis juſſu, ex Luſitania in Caſtellam profecti ſunt: & Pinciæ commorantes, ejus collegii prima fundamenta jecerunt. Quod initio quidem tenue ac peranguſtum, ita poſtea amplificatum eſt, ut propter ejus oppidi magnitudinem ac frequentiam, & eos, qui percipiuntur fructus, ad collegium domus etiam profeſſorum addita ſit. Sed etiam in oppido Gandiæ, Valentiæ vicino, ſoli amœnitate præſtanti, hoc ipſo tempore collegium nobis inchoatum eſt: quod ejus oppidi dux D. Franciſcus Borgia, eximia Societatis opinione, ac benevolentiâ incita-

A. PETRO RIBADENEIRA.

tus, à fundamentis erexit, & idoneo loco, & ad populi commoditatem, & domesticam nostrorum quietem ac relaxationem peropportuno, perpetuis fructibus stabilivit, temploque exornavit: missique sunt Româ ab Ignatio anno MDXLV ex nostris quinque, qui cum aliis in Hispania se conjungerent, & primi Gandiense collegium habitarent.

CAP. XI. *P. Petri Fabri natales, educatio*

256 Gandiensis collegii suasor in primis, atque adjutor extitit magister Petrus Faber, qui Romæ anno MDXLVI Kalend. Augusti, quo die beati Petri Apostolorum principis Vincula celebrantur, ex hac vita migravit ad Dominum. Vir planè admirabilis, qui in Allobrogibus, pago Vilareto diœcesis Gebennensis, anno MDVI humili loco natus est, parentibus quidem agricolis, sed piis; quorum ille vestigiis insistens, tanta jam inde ab ineunte ætate religionis indicia præbuit, ut singulariter à Deo electus esse videretur. Nam & septimo ætatis anno eximios quosdam ad pietatem sensit instinctus, & duodecimo, conservandæ castitatis præclaro quodam incensus studio, ejusdem votum in agro emisit, & tam ar-
B denti in sapientiæ studium incitatus est desiderio, ut contra voluntatem suam pater, à pastoritia illum cura, pecorisque custodia, ad litterarum ludum traducere cogeretur. Quo in ludo, optimæ indolis, excellentisque ingenii specimen edidit: grammaticisque mediocriter eruditus, Lutetiam Parisiorum, undevigesimum annum agens, profectus est.

progressus in philosophia, accessus ad Ignatium, expeditiones;

257 Ibi post philosophiæ curriculum feliciter emensum, magistrali laurea insignitus, cum magnis scrupulorum stimulis conficeretur, & vel in desertum locum se abdere, radicibusque victitare, vel alia æquè gravia, ad eum depellendum angorem, sibi proponeret; neque tamen ulla in re ejus animus acquiesceret; in Ignatium incidit (quemadmodum diximus) à quo liberatus omnino, & ad ejus vitæ cursum, quem postea soeii omnes sunt ingressi, primus adductus est. Confectis studiis, in Italiam dux reliquorum venit. Româ deinde Parmam primùm, tum in Germaniam à summo Pontifice missus est, postea etiam cum D. Ortizio in Hispaniam; haud ita multo pòst revocatus iterum est in Germaniam. Qua in provincia insigni doctrina, vitæ gravitate, atque
C prudentia, Catholicorum principum animos mirificè sibi obligavit. Pergratus ille fuit Alberto Cardinali Maguntino *b*, apud quem diutius habitavit, Psalmosque Davidicos in schola theologica Maguntiæ est interpretatus: gratus Othoni Cardinali Augustano *c*, episcopo tunc Spirensi, multisque magnatibus, principibusque Catholicis.

b

c

hæreticorum confutationes, P. Petri Canisii lucrum.

258 Hæreticorum furorem vehementer repressit, ac cum illorum antesignanis & magistris, in primisque cum Bucero, sæpenumero est congressus, tam acriter ac fortiter, ut (nisi illi obduruissent) fidem, quam ipse profitebatur, facilè illis probare potuisset. Admirabilem pro hæresiarchis, totaque Germania orandi spiritum à Domino acceperat, sentiebatque, ac verò apertè etiam prædicabat, Catholicam religionem suæ integritati, atque pristino splendori tum demum restituendam, cum quorumdam bonorum sanguine,
d Dei ira primùm esset placata. Ex Germanis *d*, Petrum Canisium, hominis famâ excitatum, atque ipsum videndi desiderio Maguntiam Coloniâ profectum, Christo lucrifecit, Societatique primùm
e adjunxit *e*. Hospitem suum Maguntinum, Cartusianum effecit. Coloniæ multas sæpè conciones Latinas habuit, non solùm in sacrorum hominum conventibus, sed etiam in tota academia; easque D
mira & gravi pietate conditas. In templo verò D. Ursulæ, locum sacrum (quem verissimè Auream cameram vocant) beatissimarum Virginum ossibus atque reliquiis refertissimum, ac cæleste quemdam odorem spirantem, humi abjectus diu multumque venerabatur. Ubi inter sacrificandum, sicut aliàs sæpe, illustres divinis de rebus cognitiones accepit.

Contemnit calumnias & maledicta pro gloria Dei, magna in veneratione habitus.

259 Infracto semper pectore perversorum hominum calumnias, furiosorum minas, obstrepentium maledicta contempsit: denique nostræ Societatis bonum odorem ubique sparsit: eique in nobilissimam illam & religiosissimam olim provinciam, viam aperuit, in qua ipse seminavit cum lacrymis, quæ posteri cum exultatione meterent. Ejus exemplo permoti monachi Cartusiani, in publico conventu, universam nostram Societatem, omnium bonorum operum, meritorumque suorum fecere participem *f*. In Belgica deinceps provincia, Lusitania, Castella, Hispania tota, omnibus, quibuscum vixit, venerationi fuit. Po- *f*
strèmò dum ex Hispania, ut Tridentino concilio adsit, à Pontifice Maximo accersitus, anni E
tempore gravissimo Urbem ingreditur, celeriter in morbum incidit, brevique extinctus est *g*. *g*
Sed ejus jacturam Jacobus Laines, atque Alfonsus Salmeron resarcierunt, in eodem concilio *h* *h*
Pontificis Max. nomine jam tum commorantes.

Aliæ ejus dotes ex epistola,

260 Fuit Faber omnino vir maximè pius, eruditus, spirituum discretione excellens, sanitatum dono ornatus, orandi meditandique assiduitate præstans *i*: tantæ verò abstinentiæ, ut a- *i*
liquando sex totos dies *k* cibi potusque nihil sum- *k*
pserit. Obedientiæ in primis cultor & tenax, sui contemptor egregius, Dei gloriæ, hominumque salutis cupidissimus: familiari, quotidianoque sermone ad permovendos animos in primis efficax: gravitate morum, & suavitate quadam solida venerabilis. Divinis illustrationibus mirificè abundabat. Id tum ex libello quodam liquet, quem quasi commentarium de ejusmodi rebus scripsit: tum ex iis litteris, quas ex Germania anno MDXLII Venetias ad P. Jacobum Lainem eodem spiritu, & caritate & consuetudine sibi conjunctissimum, quasi ad alterum se, fraternè misit. Quarum litterarum particulam, in qua de se loquitur, ut plenius hoc intelligatur, adscribendam duximus: Utinam (inquit) tibi, frater ca- F
rissime, explicare possem, quæ & quanta bona, ex quo abs te Placentiâ digressus sum, usque ad hunc diem, & animam meam intraverint, & in ea permanserint; quæ cognoverim, quæ senserim in iis, quæ ad Deum, quæque ad sacratissimam ejus Matrem pertinent, & ad beatissimos tum angelos, tum animas, quæ vel in cælo, vel in purgatorio sunt. Interiora verò mea quid referam; elevationes & depressiones meas, introitus in me, & exitus ex me; quomodo didicerim mundare corpus, & animam, & spiritum; purificare cor meum, &, rejectis impedimentis, præparare, ut divinarum gratiarum liquores recipiat, retineat, conservet: petendo ad omnia hæc diversa dona, quærendo, pulsando?

quam dedit ad P. Lainium, memorantur.

261 De iis verò, quæ ad proximum spectant, non minus multa possent dici, in quibus Dominus Deus modos mihi & vias dedit, veritates ostendit & vitas, ut illum cognoscam, illi de bonis congaudeam, de malis compatiar in Christo, illum amem, illum feram, illum patiar, & illi compatiar, pro illo gratias & agam, & petam, & veniam ac remissionem quæram, & excusatio-

nes

A nes inveniam, & coram Deo, & Sanctis ejus bona de illo, ac pro illo loquar. In ſumma, Jacobe, frater cariſſime, numquam ego, non dicam factis aut verbis exſequi; ſed neque cogitatione poſſim comprehendere, quæ beneficia in me Deus meus contulit, & conferre paratus eſt, meas contritiones alligans, ſanans omnes meas infirmitates, delens meas iniquitates: ipſi gloria. Amen: ipſi laus, ipſi honor, & benedictio ab omni creatura. Ego quidem dico, Amen: ſed & tu etiam (obſecro) de hoc fratre tuo illum laudato, illi benedicito, quod ego de univerſa Societate, & de miſericordia Domini tam abundanti, hactenus ſuper illam effuſa, facere quotidie non deſiſto. Hæc ille.

Ipſius ex morte jacturæ reſarcienda prædicitur ab Ignatio per Franc. Borgiam.

262 Cum verò ex noſtris nonnulli tanti patris obitu mærerent, cujus vita plurimum Societati contuliſſe, plura adhuc conferre poſſe videretur, ad illos Ignatius: Nihil eſt, inquit, quod doleamus: ſarciet enim hanc nobis jacturam Dominus, alterumque pro hoc Societati Fabrum dabit, qui ejus res multò etiam magis & augeat, & illuſtret. Quod quidem ità certè factum eſt. B Nam dux Gandiæ D. Franciſcus Borgia, collegium noſtris Gandiæ exædificaſſe non contentus, ſe ipſum lapidem vivum Chriſto, in ſpiritalis ædificii ſtructuram, offerre conſtituit. Itaque ad Ignatium ſcripſit, ſtatuiſſe nuntium ſe mundo remittere, & nudum Chriſtum, nudum in Societate ſequi: profeſſionemque *l* poſt mortem Fabri primus omnium emiſit *m*: ut ei ſuffectus, ejuſque locum ſubiiſſe omnino videretur. Quantum verò incrementi, inſigni ſanctitate non minùs quam nobilitate, hujus viri exemplo & curâ res Societatis acceperint, nemo eſt qui ignoret: cum tot ejus operâ collegia conſtituta, tot adoleſcentes eximia indole, tot matura gravitate ſenes, tot viros vel ſanguine, vel doctrina clariſſimos, ejus exemplo commotos, in Societate videamus. Et hæc quidem antequam Præpoſitus eſſet Generalis.

l

m

ANNOTATA.

a *Obnixè id curavit Sanctus, ex Commentario* § 36, *à num.* 374.

b *De Alberto Brandeburgenſi, primùm Magdeburgenſi, deindè Moguntino archiep., Ciaconius tom.* 3, *col.* 413.

C c *Summo Societatis æſtimatori: uti videſis ibidem à col.* 693.

d *Inferioribus nempè, ſeu Belgis; qualis fuit Caniſius, Neomagi natus.*

e *Anno* 1543; *ſecundùm Commentarium* § 37.

f *De hâc re pluribus capite proximè ſequente.*

g *Concilio itaque Tridentino haud interfuit. Vide Commentarium* § 41, *num.* 423.

h *Monita illis à Sancto data, quando eò ſe primùm contulere, anno* 1545, *habeo inter documenta noſtra Romana: in quibus ſcribitur, ea haberi in libro* de Recuerdos, *ſeu* Memoriali *P. Polanci ac P. Ribadeneiræ pag.* 104 *& ſeqq. At videſis Orlandinum lib.* 5, *à num.* 23.

i *Excelluit in tradendis Exercitiis ſpiritualibus. Vide Commentarium* § 8 *num.* 76.

k *Hoc confirmatur ex Orlandino citato ſuprà in annotat. ad cap.* 3, *lit.* g.

l *Apographum profeſſionis ex archivo noſtro Romano, P. Ignatius Pinius huc miſit, quæ* exſcripta, *inquit*, manu patris Polanci: ipſa autem profeſſio authentica eſt exarata cifris, & ſic miſſa S. Ignatio ſoli: nempe ne poſſet innoteſcere aliis;

cum S. Franciſcus Borgia necdum mutâſſet veſtes, nec negotia familiæ expediiſſet. A. PETRO RIBADENEIRA.

m *Die S. Ignatii mart. primâ Febr. anno* 1548, *ſecundùm apographum Romanum, de quo jamjam dixi: ſed in noſtri ſancti Patris Vita Matritenſi anni* 1594, *lib.* 3, *cap.* 11; *nec non in Vita S. Franciſci Borgiæ, ibidem loci, eodem anno atque auctore edita lib.* 1, *cap.* 17 *ſignatur annus* 1547.

CAPUT XVII.

PP. Carthuſiani mirificè erga Societatem affecti; malefacta pro benefactis S. Ignatio repenſa; Societas a cura feminarum liberata; aditus ad honores eccleſiaſticos præcluſus.

E

CAP. XII. *Affectus PP. Carthuſianorum erga Societatem;*

ET quoniam de præclaro Ordinis Carthuſienſis erga Societatem ſtudio atque benevolentia mentionem fecimus, non erit abs re, ſigillatim ea referre, quæ ad ſanctiſſimi Ordinis de Societate exiſtimationem, atque teſtimonium pertinent. Nam qui hæc leget, intelliget profectò, quam ſuavem probitatis, ac ſanctimoniæ odorem, noſtri patres ab ipſo Societatis initio ubique ſparſerint, quantamque ſui admirationem excitaverint: & eorum filii dabunt operam, ut optimorum parentum veſtigiis inſiſtant: & univerſa Societas gratiſſimam ſe exhibere conabitur religioſis patribus Carthuſienſibus, à quibus ſe tot caritatis atque fraternitatis vinculis obſtrictam videt, eoſque pro ſua tenuitate, quam ſimillimo munere remunerari. Tanta igitur P. Petri Fabri erat morum gravitas, & vitæ integritas, ut omnes ad ſui admirationem alliceret: ex quo Colonienſes patres Carthuſianos *a* ita cepit, ut ſponte ſua cum reverendiſſimo P. Petro de Sardis *b*, magnæ Carthuſiæ ſupremo, Generalique Priore agerent, & in publico conventu, qui anno Domini MDXLIV habitus eſt, curarent, ut Ordo Carthuſianus cum univerſa Societate ſanctiſſimam quamdam amicitiam contrahere, noſque in partem bonorum ſuorum omnium, & quaſi hereditatis admitteret. Quod quidem factum eſt ſumma animorum conſenſione, & maximâ patrum illorum benevolentiâ, ſicut ex iis litteris, quas hic ſubjiciam, manifeſtum fiet:

a

b

F

liquet ex litteris eorum publicis.

264 Frater Petrus, humilis prior majoris Carthuſiæ, ceterique definitores capituli generalis, Ordinis Carthuſienſis, reverendo in Chriſto Patri, ac devotis viris dominis Ignatio Præpoſito, ſuiſque fratribus novæ Societatis nominis Jeſu, ubilibet locorum conſtitutis, ſalutem, quam præparavit Deus diligentibus ſe. Auditâ famâ odoriferâ, fratres in Domino dilectiſſimi, de veſtra exemplari converſatione, ſalutari doctrina, & voluntaria paupertate, ceteriſque virtutibus, quibus in tenebris noſtri deplorandi ſeculi refulgentes, perhibemini homines in via perditionis errantes ad arctam viam ſalutis revocare, vacillantes ſtabilire, ſtanteſque ad proficiendum in virtutibus ſtimulare, & magnum in Domino Eccleſiæ Catholicæ fructum afferre: gaviſi ſumus in Domino, gratias illi agentes, quòd in tanta deſolatæ Eccleſiæ ſuæ calamitate, quâ premimur, excitare di-

A. PETRO RIBADENEIRA.

gnatus est, & mittere novos operarios in vineam suam, recordatus misericordiæ suæ. In quo quidem sancto opere, cupientes vobis pro nostro modulo cooperari, fraternitatem vestram obsecramus, per caritatem ejus, qui pro nobis non dubitavit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: sed in sancto proposito perseverantes, in omnibus exhibeatis vos, sicut Dei ministros, in multa patientia, non deficientes inter labores, pericula & persecutiones, quæ omnibus piè vivere volentibus occurrere solent: tempore enim suo metetis non deficientes. Et nos, fratres, si quid poterimus apud Dominum, divinis Sacrificiis, orationibus, abstinentiis, ceterisque piis exercitiis, quorum omnium vobis & successoribus vestris, in vita pariter & post mortem, singularem concedimus participationem, vestris pijs conatibus libenter cooperabimur in Domino, postulantes, ut nos vicissim in orationum & bonorum participatione commendatos suscipere digneмini. Datis Cartusiæ sub sigillo nostro, anno Domini MDXLIV feria V post Dominicam Cantate. Sedente nostro capitulo generali. SIGILLETUR. Pater Prior Cartusiæ.

B

CAP. XIII. *Muliere impudico cuidam subducta, turpiter traducitur Ignatius; sed frustra.*

265 Firmata hunc in modum Societate, magnæ & turbulentæ procellæ ad eam labefactandam sunt excitatæ. Romæ quidam uxorem marito eripuerat: hanc Ignatius à consuetudine illius in D. Marthæ nuper institutam domum transferendam curavit. Hoc factum ille, quòd mulierem miserè deperiret, ægerrimè tulit: & ut erat vir *c* acer ac ferox, & in ipsum sanctæ Marthæ cœnobium furere nocturnis lapidationibus cœpit, & in nostros iniquis criminationibus debacchari: multaque in vulgus spargere, quæ non solùm falsa essent, sed dictu etiam turpissima. Eóque processit (gratia fortassè, quâ valebat plurimùm, & auctoritate fretus,) ut Ignatii nomen publicè insectaretur, & laceraret: & ea nostris per se, & suos coram objiceret, quæ honestè audiri non possent. Famosos præterea libellos confecit, & vulgò jactavit, quibus multa nefaria, & impura, multa impia, & scelerata continebantur: ut nostris vix in publicum prodire, vix cum hominibus de ipsorum salute agere liceret: ita aut conviciis ab improbissimo quoque, aut maledictis excipiebantur. Neque imperitorum modò pervaserat animos hæc infamia, sed virorum etiam principum, & ipsius Pontificis Maximi aures oppleverat. Cui quidem infamiæ ut obviam iret Ignatius, eamque patientia & dissimulatione gliscentem diutius corroborari non sineret, à summo Pontifice impetravit, ut res tota optimis, integerrimisque judicibus mandaretur, & nominatim de his criminationibus quæreretur, quæ ab illo maledicè essent in nostros jactatæ. Commissa res est Francisco Michaëlio almæ Urbis gubernatori, & Philippo Archinto, ejusdem Urbis Vicario. Illi diligentissimè inquirunt, ac perscrutantur omnia: denique sententiam anno Domini MDXLVI ad III Iduum Augusti pronuntiant; nostros non solùm infamiâ liberant, sed laudibus etiam ornant; calumniatori illi silentium indicunt, pœnis propositis ejus petulantiam coërcent; in hominem gravius non animadvertunt, & quidem Ignatio ipso deprecatore. Ille tamen Ignatii, nostrique nominis olim exagitator, ubi cæcus ille insani amoris ardor refrixit, & morbus curatus est, palinodiam cecinit: medicum amare cœpit, quem oderat, & beneficiis eos afficere, quos contumeliis affecerat, tam officiosè ac prolixè, ut præteritam culpam præsenti benevolentiâ redemisse videatur.

C

266 Non minor, atque haud scio, an [non] sævior procella, ex Catechumenorum exstructa domo in Ignatium nostrosque commota est. Illam libido peperit, hanc ambitio, quæ præceps æque, ac demens est. Nam sacerdos *d* quidam illius loci curam gerens, quòd sibi adversarium existimaret Ignatium, vel in illa certè cura administranda, ejus consilia videret suis præferri; invidiæ stimulis incitatus, ita exarsit, ut falsis illum odiosisque criminationibus in invidiam vocare, nostrosque infamiæ labe aspergere conaretur. Nam & hæresis calumniam, & auditarum confessionum sacratissima jura violata, & alia, quæ honestè dici non possunt, non est verecundatus objicere: & Ignatium ipsum vivum flammis cremandum jactare. Sed quia divini amoris ille flammis ardebat, languentem hunc miseri hominis impetum, & debilitatum, ne repellendum quidem putavit: sed in silentio, & spe pro illo Deum precari constituit, qui quidem servis suis tacentibus, pro ipsis pugnare solet. Quare hanc injuriam esse ultam non est passus: à Judicibus enim damnatus est, & à divinis perpetuò suspensus, beneficiisque omnibus privatus & officiis, carceri *e* in perpetuum addictus, propter crimina: quæ artificio quodam simulationis aliquamdiu tecta, dies tandem patefecit.

D *Alia procella criminationis depulsa à Societate:* *d*

E *e*

267 Eodem fermè tempore tentata Societas alia ratione est. Nam feminæ nonnullæ, pietatis retinendæ studio, & perfectionis desiderio flagrantes, à summo Pontifice impetrârunt, sibi ut liceret sub obedientia nostræ Societatis vivere, & votis se Religionis obligare; idque deinceps fecerunt. In harum numero erat Isabella Rosella; quæ cum esset matrona honestissima, & optimè de Ignatio merita, ejus visendi desiderio ex Hispania usque Romam venerat: &, ceteris rebus pro nihilo habitis, illius prudentiæ se regendam tradere omnino decreverat. Cujus animo Ignatius vehementer alioquin gratificari cupiens, non potuit tamen hac in re non omni ratione resistere: cum perspiceret, pium quidem esse illius desiderium, sed nobis perincommodum & valde ab instituto Societatis alienum. Quam ejus sententiam, à certa ratione profectam, ipsa deinde experientia comprobavit. Mirum enim est, trium muliercularum gubernatio, quantum illi molestiæ, & occupationis, paucis diebus attulerit.

CAP. XIV. *quam Sanctus liberat curâ feminarum;*

F *interpellata in hunc finem Pontificis auctoritate,* *f*

268 Ergo Pontificem Maximum docet *f*, quanto ea res impedimento Societati sit futura: orat, obsecratque Pontificem, ut se præsenti molestia, Societatem metu perpetuo liberet: neque permittat nostros homines, aliis in rebus magnis, utilibus, necessariis occupatos, hac mulierum curâ minùs necessariâ implicari. Quod utique Pontifex, rationes Ignatii probans, Societati dedit; litterasque Apostolicas scribi jussit, quibus nostri in perpetuum ab onere monialium eximuntur, & quarumcumque mulierum cura sub obedientia nostrorum in communi, vel aliàs vivere volentium, anno MDXLVII, XIII Kalend. Junii. Quo non contentus Ignatius, ut locum hunc maximè periculosum communiret, omnesque aditus obstrueret, illud etiam anno MDXLIX, ab eodem Paulo III impetravit, ne curam monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum recipere teneamur per litteras Apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas: nisi de indulto illo, & Ordine nostro expressam facientes mentionem. Totidem enim verba Pontificii diplomatis *g* sunt: sapienterque etiam in Constitutionibus Societatem ab ea feminarum cura removit Ignatius, honesta

g

A neſta illa quidem, ſed noſtris occupationibus adverſa, minúſque ab aliis deſerta. Ut verò ſe ab hoc onere ſuaviùs eximeret; ad Iſabellam Roſellam, cui multis ejus beneficiis devinctus erat Ignatius, epiſtolam ſcripſit Hiſpanicè, quam totidem verbis referam:

ac datis de ea re litteris

269 Venerabili (inquit) D. Iſabellæ Roſellæ, matri ac ſorori in Chriſto Domino noſtro. Cum verè atque ex animo cupiam ſtudio tuo ad majorem Dei gloriam obſequi, teque in obedientia mea permanentem, ad ſalutem animæ tuæ perfectionemque dirigere: qua tamen ratione id faciam, haud equidem invenio. Nam & vires me deficiunt, continuis morbis affectum, & tempus, multis magniſque occupationibus diſtrictum atque implicatum, quas rejicere aut prætermittere, cum mei officii propriæ ſint, haud ſanè poſſum, citra meæ ſalutis diſpendium, ejuſque ſervitutis, quam Chriſto Domino, ejuſque Vicario debeo. Illa præterea ratio exſtimulat conſcientiam meam ac vehementer urget, quòd video,
B & verè atque ex animo coram Domino judico, peculiarem hanc feminarum curam ac præcipuam, quæ votis nuncupatis ſub obedientia noſtrorum vivant, huic minimæ Societati nullo modo convenire. Quod, & cauſas quamobrem ita ſentio, Beatiſſimo Romano Pontifici, aliquot ante menſibus explicavi.

ad feminam optimè de ſe meritam.

270 Quocirca, ad majorem Dei gloriam fore judico (quando mihi per obedientiam licet) hanc provinciam deponere, quam ejuſdem obedientiæ præcepto ſuſceperam. Te igitur non pro ſpiritali filia ſub obedientia mea viventem deinceps habebo, ſed tamquam bonam piamque matrem, qualem te mihi ſemper præſtitiſti, omni officio ac pietate colam, ad majorem Dei ac Domini noſtri gloriam. Quam unam intuens atque ſpectans, & ſempiternæ ejus bonitatis laudem & cultum uberiorem tantummodò antè oculos propoſitum habens, quantum poſſum & debeo, hanc curam depono (ſalvâ ſemper obedientiâ) teque committo ac prorſus relinquo prudentiſſimo judicio, obedientiæ, ac voluntati Sanctiſſimi D. N. Papæ, orans interim Dominum, ut anima tua in ipſo Deo totius conſolationis, & veræ pacis auctore, pacem habeat, & divinæ dulcedinis abundantiâ ad majorem ejus gloriam perfruatur. Romæ Kalend. Octobr. MDXLVI. Hæc ille *h*.

h

C Qui etiam Ferrariæ, ut noſtri curam ſacrarum ſororum ejus monaſterii, quod mater Ducis fundaverat, ad tempus ſuſciperent, ipſi Duci obnixè poſtulanti negavit. Et Pinciæ quemdam ex noſtris, qui lacrymis feminarum penè coactus, & obedientia victus, perſimilem curam acceperat, ubi reſcivit Ignatius, deponere juſſit.

CAP. XV. *In amovendo epiſcopatu Tergeſtino*

271 Iis ſedatis tempeſtatibus, alia graviſſima in Societatem commota eſt: eò periculoſior, quo occultior, & blandior, & minùs vulgo formidabilis. Nam Ferdinandus Romanorum rex, ut hæreticorum peſtem magis quotidie ſuas in provincias influentem reprimeret, probatiſſimos quoſque viros atque doctiſſimos conquirebat, qui paſtores eccleſiis deſtitutis præponerentur. Ex quo
i magiſtro Claudio Jaio *i*, de cujus integritate, atque doctrina magnam habebat opinionem, Tergeſtinæ eccleſiæ epiſcopatum detulit. Quem cum ille conſtanter repudiaſſet, ad ſummum Pontificem de illius ſtatu eccleſiæ, & impendente (ni celeriter obſiſteretur) à lupis irruentibus vaſtitate, diligentiſſimè ſcripſit: & ſimul addidit, voluiſſe quidem ſe Claudium Jaium paſtorem ei eccleſiæ præficere, propter hominis inſignem probitatem, cum pari eruditione conjunctam; verùm illum obſtinato animo recuſaſſe: petiitque à Pontifice ſumma contentione, ut Claudium pro imperio cogeret epiſcopatum ſuſcipere, cui ipſe perſuadere ſua auctoritate non potuiſſet. Regis voluntatem complexus eſt Pontifex, Claudiumque ſummo S. R. E. Cardinalium conſenſu epiſcopum creare conſtituit. *A. PETRO RIBADENEIRA.*

à P. Claudio Jaio,

272 Id ubi cognovit Ignatius, confeſtim omnes nervos intendere decrevit, quo minùs id fieret. Itaque aliis rebus fruſtra tentatis, ipſum Pontificem Maximum fidenter alloquitur: quamobrem Claudium, epiſcopum fieri non expediat, rationes multas exponit: ſupplex rogat Pontificem, & obteſtatur, ut, qui omnium paſtor eſt, omnibus conſulat, & aliorum vulnera, ſine aliorum vulneribus curare ſtudeat. Vereri ſe, ait, ne conatus Societatis, & labores uſque ad id tempus per Chriſti miſericordiam ejus Eccleſiæ haud infructuoſi, ad nihilum recidant: & radicibus paupertatis atque abjectionis, quibus nitebantur, exareſcentibus, inutiles atque inanes fiant. Magnam impendere ruinam ipſi Societati, magnum eſſe periculum, ne, quod caritas & humilitas coagmentârunt, cupiditas ambitioque diſſolvant: & nonnulli, qui nomen ſuum in Societate Chriſto dederunt, ut rerum humanarum vinculis expediti, paupertatis, ſuique contemptûs quaſi gradibus quibuſdam faciliùs ad cælum aſcenderent, pedem referant, & ab incœpto deſiſtant. Contrà multi honorum, quos in aliis cernant, ſpecie deluſi, ſpeque adipiſcendi ſimiles dignitates commoti, cupiant animum ad Societatem adjungere: quibus nimirum, non contemptus vanitatis, ſed vanitas ipſa ſuadeat ingreſſum. E

ſanctus Pater

273 Timendum præterea eſſe, ne hic epiſcopatus non uno Claudio Jaio; ſed multis Societatem privet, ejuſque ſtatum labefactet, atque convellat: ſecuturos enim alios, & facturos exemplo, quod ſine exemplo non feciſſent. Neque idcirco (inquit) hæc diſputo, ut aut honores ipſos improbem, aut Religioſos permultos, qui honoribus piè ſanctéque, & magna cum Eccleſiæ utilitate funguntur: ſed illud contendo, Pater Beatiſſime, aliam eſſe ceterarum Religionum conditionem, ac noſtræ. Illas diuturnitate jam, longoque uſu corroboratas, cuilibet oneri ferendo eſſe: noſtram naſcentem adhuc, & infirmam, graviori pondere oppreſſum iri: illas in militantis F Eccleſiæ exercitu, quaſi ſtatarias cohortes, & certos ordines ducere, & proprio loco, ſtabilique poſſe conſiſtere: noſtros homines quaſi velites, ad ſubita belli miniſteria promptos, huc illucque diſcurrere atque ob id ipſum, ab omni ejuſmodi munere vacuos, liberoſque eſſe oportere. Quis enim dubitat, quin, ſi non tam ipſius Societatis utilitatem, quæ tamen ab Eccleſiæ utilitate ſejuncta non eſt, ſed aliorum ſalutem ſpectare velimus, uberiores perceptura ſit fructus Chriſti Eccleſia ex noſtris non epiſcopis, quam epiſcopis? Nam qui epiſcopus eſt, etſi majorem auctoritatem habet ac poteſtatem, certis tamen locorum finibus continetur, & ſuis eſt tantùm paſcendis ovibus addictus.

obnixè laborâvit

274 Fieri autem poteſt, ac ſæpè fit, ut à ſuis non recipiatur; neque tamen aliò ſe transferre, neque alias oves curare poſſit. Si verò liber ſit, & nulla certa adminiſtratione impeditus, illum in una civitate cum perſequentur, fugiet in aliam, & mundi univerſi incola, omnibus ſe epiſcopis miniſtrum, omnibus populis præbebit ſervum. Adde Societatis exiſtimationem & famam,

A. PETRO RIBADENEIRA.

quæ in hac causa agitur. Nam ut alios permoveas, & ad virtutem impellas, permagni refert, quam opinionem, quibus persuadere velis, de te habeant: ut exploratum illis nimirum sit, te non ipsorum bona, sed ipsos quærere; non opes, non honores, non titulos concupiscere; sed Christi dumtaxat gloriam, & ipsorum salutem omni studio & labore conquirere: quod homines ægrè adduci poterunt de nobis ut credant, si ipsis nostræ Societatis, ac fervoris initiis, dignitatis insignibus nos videant ornatos. Neque verò id adscribent obedientiæ, & caritati, sed ambitioni potiùs, & cupiditati: deponentque opinionem eam, quam de nobis conceptam habent, quæque in primis ad proximorum salutem, Christi operariis est necessaria. Ea autem jactura tanta est, ut unius episcopatus fructu compensari non possit.

apud Pontificem, apud Deum, ac regem Ferdinandum.

B

275 Iis rationibus, aliisque permultis Pontificem Ignatius permovere conatus est, uti Claudium privatum vivere sineret. A quo tamen illud tantùm in præsentia obtinuit, res ut Deo amplius commendaretur, se attentiùs deliberaturum. Ignatius igitur, & Sacrificia omnium patrum, qui Romæ tum erant, Deo quotidie offerri jussit; & assiduas fratrum preces, ut imminens discrimen à Societate depelleret: & ipse lacrymis, orationibusque se penitus dedit: & huc illuc dies noctesque cursans, Cardinalium omnium penè domos obivit, eosque docuit, quantum inesset in hac re periculi. Itaque tantùm preces ejus & lacrymæ apud Deum valuerunt, tantùm apud homines prudens sollicitudo potuit & industria, ut res, quæ certa omnino & constituta videbatur, longiùs proferretur, dareturque ipsi tempus scribendi ad regem Ferdinandum. Qui rationibus Ignatii edoctus, cum sine magno Societatis incommodo, quod volebat, fieri non posse animadverteret, ut erat optimus ac religiosissimus princeps, nostrique amantissimus, passus non est, nostro nos malo aliis bono esse. Quamobrem Oratori suo mandat, eâ causâ uti desistat: atque hunc in modum periculum tunc evasimus.

Quid in hac materia Sanctus egerit

C

276 Deinceps etiam cum episcopatus & cardinalatus nostris hominibus deferrentur, semper restitit Ignatius, & omnibus viribus contrà pugnavit. Nam anno salutis nostræ MDLI Julius III Pont. Max. Caroli Cæsaris rogatu, Franciscum Borgiam (qui Christi paupertatem seculi divitiis præferens, nostram Religionem nuper fuerat ingressus) in S. R. E. Cardinalium senatum statuit cooptare. Quod ubi pro certo Ignatius audivit, incertus ipse de Domini voluntate, animi dubius & anxius, rem totam explorare, ac precibus pervestigare constituit. Mandat igitur omnia omnium domesticorum Sacrificia, precesque in eum finem triduo ipso referri. Ipse verò ceteris curis abdicatis, in cubiculum se abdit, in hanc unam rem summa animi contentione incumbit, habenas piis lacrymis laxat, & incensis desideriis, atque inflammatis affectibus, diu noctuque Deum suppliciter orat, obsecratque uti voluntatis suæ ipsi lumen ostendat; quo illustratus vel de hoc negotio nihil laboret, vel certè, quantum in se est, det operam, ne transigatur.

circa Franc. Borgiam;

277 Primo igitur die ita dubius fuit atque anceps, ut neutram in partem potiùs propenderet: proximo, eam in partem inclinavit, ut rem, quoad ejus fieri posset, impediret. Tertio verò tanta luce divinitus completus est, ut clarissimè atque manifestissimè intelligeret, ex Dei voluntate, nihil sibi prætermittendum esse, ut rem totam disturbaret, atque excluderet. Quod & fecit, & Pontifici Julio persuasit, ut amplissimam illam Cardinalatûs dignitatem Francisco quidem volenti offerret, sed vim recusanti non afferret. Sic enim futurum, ut Carolo imperatori honesta petenti satisfaceret, & tamen Franciscum in suscepto proposito perseverantem non perturbaret, atque afligeret. Dixitque mihi ipsemet Ignatius, tanto se fuisse tunc cælesti splendore perfusum, tanta firmitate roboratum, ut nullius potentiâ abduci potuisset ab illo rem deliberatam & jam propemodum confectam disjiciendi consilio.

D

Petrum Canisium,

278 Anno item MDLIII Ferdinandus Romanorum rex, Petrum Canisium, virum modestiæ atque sapientiæ laude in nostra Societate præstantem, acremque fidei Catholicæ adversùs hæreticos defensorem, optavit creari episcopum Viennensem. Videbat enim, cum in ipsa civitate Vienna, tum per universam Austriam hæreseon pestem impunè grassari: & pastore sanctissimo atque vigilante opus esse, qui à Christi grege luporum passim sævientium rabiem arceret. Cum igitur à Pontifice Julio III hoc rex Ferdinandus summis precibus contenderet, Pontifex rem totam ad Ignatium rejecit, ut, si ille probaret, quod rex petebat, id ipse concederet. Negavit Ignatius, id ex usu atque commodo Societatis fieri posse. Adhibitæ sunt omnes machinæ ad expugnandum illius animum, sed frustra: mansit enim semper in sententia, nec se ab illa ullis rationibus deduci passus est.

E

ac Jacobum Laynium, & posteros Societatis.

279 Denique anno MDLV, Octobris mense ineunte, gravissimis auctoribus intellexit Ignatius, Paulum IV, Pont. Max., statutum habere atque deliberatum, Jacobum Lainem ad purpuratorum Patrum numerum omnino aggregare. Qua de re cum sermonem haberemus, dixit tunc Ignatius mihi: Nisi Deus obstet, & suo consilio & paterna providentia rem impediat, brevi Jacobus erit Cardinalis. Sed si hoc quidem fiat, ita certè fiet, ut omnes intelligant, quam gravatè atque repugnanter Societas nostra ejusmodi honores atque dignitates accipiat. Exemplum autem Ignatii omnes, qui illum postea consequuti sunt, Præpositi Generales diligenter imitati sunt, dederuntque operam, ne qua ad ambitionem fenestra Societati aperiretur. Quin etiam illud impetravit à summo Pontifice & in Constitutionibus suis diligenter cavit Ignatius, ne cui dignitatem ullam extra Societatem liceat admittere, sine Præpositi Generalis facultate. Quam ille quidem numquam dabit, nisi summi Pontificis obedientiæ jure compulsus; ejusque rei professi nostri voto quodam peculiari se obstringunt. Et quoniam ad conservandam Societatem res, qua de agimus, magni ponderis est, & nonnulli fortasse in ea erunt sententia, ut existiment, gratius Deo futurum, & sanctæ ejus Ecclesiæ fructuosius, si Societas nostra (ubi confirmata fuerit ac robusta) episcopatus aut dignitates admittat, quam si in sancta humilitate (ut hactenus fecit) & humili paupertate vivat: addam etiam alia, quæ ad uberiorem hujusce rei explicationem pertinent.

Suborta inter Cardinalem Cervinum & P. Olavium

280 Marcellus Cervinus, S. R. E. Cardinalis, titulo sanctæ Crucis, is qui postea Pontifex Maximus creatus, Marcellus II appellatus, brevi bonis omnibus lugentibus Ecclesiæ Christi ereptus est: is, inquam, vir vitæ gravitate, eximiaque prudentia excellens, hac ipsa de re cum D. Olavio (de quo in hoc libello mentionem fecimus) aliquando agens, disputansque, num commodè faceret Societas nostra, atque è republica Chri-

A Christiana, ecclesiasticas dignitates atque episcopatus rejiciens, multas in contrariam partem rationes afferebat. Sentiebat enim Cardinalis, Societatem nostram, si sanctos episcopos Ecclesiæ Dei suppeditaret, tanto utiliorem rem facturam, quam nunc facit, dum egregios confessarios, concionatores, ac doctores illi subministrat; quanto episcopus simplici sacerdoti potestate atque auctoritate præstat & antecellit.

de hoc argumento disputatione, res deciditur sola auctoritate S. Ignatii;

281 Cum autem Olavius Cardinalis rationes refelleret, ac verissimè doceret, nulla re Societatem nostram sanctæ Ecclesiæ tam posse prodesse, quam si in incorrupta sui instituti integritate atque abjectione se quam diutissimè conservet (sic enim diuturniùs, securiùs, atque efficaciùs suam operam illi navare poterit;) Cardinalis nihilominus tamen in sua sententia persisteret; subjecit Olavius: Non rationibus tantùm, illustrissime Domine, tecum agam, sed etiam auctoritate. Magister quippe Societatis nostræ ac parens Ignatius, utilius hoc judicat, & maximè probat: nec solùm nostrâ referre putat, sed multò etiam magis Ecclesiæ Dei. Tunc Cardinalis, Nunc cedo, inquit, Olavi, & manus do: plus enim apud me, in hac quidem causa, momenti habet Ignatii auctoritas, quam omnes rationes: idque ipsâ ratio manifestè docet. Probabile enim est, Ignatium, qui Societatem vestram tam opportuno tempore, & Dei Ecclesiæ necessario divinitus instituit, felicissimè propagavit, prudentissimè hactenus gubernavit; ejus, qui illum unum ad tam eximium opus elegit, voluntatem Dei potiùs habere compertam, quam nos, qui sæpè hallucinamur, & media in luce non videmus. Quis enim, qui Ignatium ad fundandam Religionem vestram, amplificandam, atque administrandam, tantâ à Domino gratiâ atque spiritu donatum videat, non etiam intelligat, illum ipsum cælesti lumine collustratum, certissimam rationem accepisse, in qua nimirum Deus velit, ut se ad ejus obsequium Societas vestra exerceat & perpetuò conservet? Quapropter vestris quidem potissimùm in rebus unus Ignatius omnium mihi rationum instar est.

B

qui omnem ambitionis suspicionem à Societate amovet.

282 Ipse verò Ignatius quo tempore primùm Urbem ingressus est, Aguilaris marchionem, Oratorem tunc Caroli Cæsaris apud Rom. Pont. tum officii gratiâ convenit, tum ut sui instituti rationem redderet. Cum autem mutuò colloquerentur, significavit in sermone marchio atque innuit, Ignatium multis in suspicionem occultæ ambitionis venisse, quasi splendida sanctitatis specie tenebras oculis intuentium offunderet, & ad honores insidiosè obreperet, captaretque paupertatis simulatæ atque humilitatis quasi escâ aliquam dignitatem. Tum Ignatius nihil omnino verbo respondit, sed facto. Confestim enim eadem vultûs gravitate caput aperit; signo crucis se munit; se nullam extra Societatem dignitatem, ne oblatam quidem, admissurum, voto se obstringit, nisi à Christi Vicario ita compellatur, ut tergiversari, repudiareque illam sibi citra peccatum non liceat. Atque hoc facto expurgavit tunc suspicionem atque dimovit. Aliàs item hoc idem coram Cardinale quodam eadem suspicione laborante fecit, ut falsitati aditus omnes obstrueret, & tam certo gravique testimonio, eorum hominum, qui ex se alios ferme metiuntur, fallacis suspicionis calumniam depelleret.

C

ANNOTATA.

A. PETRO RIBADENEIRA.

a *Egi de illis in Commentario* § 37; *litteras* S. Ignatii *gratiarum actorias ibidem protuli num.* 387. *De PP. Cartusianis Parisinis memini num.* 396.

b *Imo verò* Petro de Leydis; *ex fide Theophili Raynaudi in libro, quem inscribit* Trinitas Patriarcharum, *anno* 1647 *Lugduni edito; ubi occasione decreti, de quo hîc Vita, pag.* 605, Præfigitur; *inquit*, decreto nomen Petri Præfecti Generalis Cartusiæ; tunc, anno scilicet MDXLIV, sedentis ad clavum, absque prænomine (*dicerem* cognomine.) Hoc Ribadeneyra lib. 3 Vitæ S. Ignatii cap. 12, & Orlandinus tom. 1 Histor. Societatis (*lib.* 4, *num.* 106) accipiunt de Petro Sarda; sed perperam. Nam Petrus Sarda electus est in Generalem anno MDLIII, tanto post decreti confectionem. Qui verò eo anno MDXLIV præerat Cartusiæ, erat Petrus de Leydis; qui promotus in Generalem MDXL, excessit è Vita anno MDXLV. Itaque is ipse est, cui decretum est adscribendum.

D

c *Nominatur in sententia, quam dedi in Commentario cum notis* § 38.

d *Nomen exprimit sententia contrà eum lata, quam dedi ibid. num.* 401.

e *Carcer ille mutatus in perpetuum exsilium; ex Comm. ibidem.*

f *Datus ad eum memoriali; quod habes in Comm.* § 40, *à num.* 413.

g *Exstat in Instituto impresso.*

h *Secutum deinde Breve, quod profert Comm. à num.* 416.

i *His, quæ hîc de Jaio, & mox de aliis narrantur, adde dicta in Comm.* § 39.

CAPUT XVIII.

Varia Societatis collegia; ejusdem elogium à Magistro Generali Ordinis FF. Prædicatorum datum; nostri Africam, Siciliam ac Brasiliam ingressi.

F

Cap. XV. Crescente in Hispania Societate, sanctus Pater dividit ibi provincias.

His Societas difficultatibus operâ Ignatii, & laboribus expedita, feliciter in dies procedebat, & numero & fructu, & novis semper collegiis augebatur. Nam præter collegium Barcinonense, quod à piis quibusdam viris propter D. Araoz, aliquamdiu in ea urbe commorantem, fuit inchoatum; præter Bononiense, quod anno MDXLVI initium accepit; Cæsaraugustam nostri anno MDXLVII accersiti sunt à primariis quibusdam viris, in primisque à Joanne Gonzales, regni Aragoniæ conservatore. Illi verò, quæ pietatis opera Societas suo ex instituto administrare solet, in iis se exercere, & civitatem opibus, nobilitate, & auctoritate præstantem, ad omnem virtutem commovere instituerunt, multaque, ut suo loco dicam, passi sunt. Quamobrem Ignatius, ut crescentem suam familiam communicatâ cum aliis curâ meliùs gubernaret, & Societatem in ordinem certum paulatim redigeret, collegia in Hi-

spania

A. PETRO RIBADENEIRA.

ſpania partiri, provinciaſque deſignare conſtituit & magiſtrum Simonem, quem à principio noſtris omnibus in Luſitania præfecerat, eo in regno Provincialem præpoſitum eſſe voluit: in reliqua Hiſpania D. Antonium Araoz.

Initia collegii Salmanticenſis,

284 Qua in Provincia, hoc ipſo penè tempore, collegium Salmanticæ eſt inchoatum, quod tenue quidem principium habuit (ut reliqua ferè,) ſed progreſſus felices. Nam Franciſcus Mendoza, epiſcopus tunc Corienſis, ac S. R. E. Cardinalis, Ignatii vitâ, & noſtrorum hominum fructu commotus, in academia illa collegium nobis ædificare conſtituit: quod etſi variis occupationibus impeditus diſtulit primùm, deinde etiam morte interceptus non perfecit, ejus tamen voluntatem tunc complexus Ignatius, D. Michaëlem Torrenſem, paulò antè in Hiſpaniam miſſum, cum duobus ſociis Salmanticam anno MDXLVIII ire juſſit. Ubi in peranguſta domo, eaque conducta habitare primùm cœpit, & civium atque ſcholaſticorum juvenum animos ad pietatem tum factis,

B tum verbis excitare. Tam multa autem à principio, ea in civitate de nobis jactata, per viros etiam doctrina ac Religionis profeſſione inſignes, publicè ac privatim, in ſermonibus, & in concionibus diſſeminata ſunt, ut noſtrum nomen ſuſpectum vulgò eſſet, & inviſum: & non modò infimi homines, qui aliorum ferè opinione ducuntur; ſed viri etiam, vel nobilitate vel litteris, & rerum uſu atque auctoritate præſtantes à noſtrorum hominum conſuetudine abhorrerent, & perſpicua etiam atque honeſta in ſuſpicionem vocarent.

cum perſecutione;

285 Sed eorum, qui eo tempore adverſati noa bis ſunt, dux omnium fuit & princeps, vir quidam a tum Religionis profeſſione, tum ſapientiæ laude clarus, epiſcopatuſque depoſiti admiratione venerabilis. Qui ut ſe canem acrem, ac vigilantem Dominico præberet gregi, adlatrare eos cœpit, quos lupos arbitrabatur, noſtrumque inſtitutum graviter infectari: cujus auctoritatem multi, ac judicium ſequebantur. Verùm, procedente tempore, emerſit veritas, omniſque falſus rumor celeriter (ut ſolet) defluxit, & noſtrorum patrum vita, atque operibus, & Franciſci Stradæ maximè concionibus, obloquendi omnis licentia compreſſa eſt: atque ita exagitatione illa Societatis cognitio crevit, ut noſtri, qui intacti

C ſi fuiſſent & quieti, diu fortè in tenebris latuiſſent; exagitati, in cognitionem hominum brevi venerint, & magnopere civitatem illam commoverint. Nam præter eos, qui noſtrorum opera & conſilio ſacrarum Religionum inſtituta, in nobiliſſima academia ſecuti ſunt (quorum magnus eſt numerus) huic collegio potiſſimùm, & Complutenſi propagationem noſtræ Societatis in Hiſpania acceptam ferre debemus.

CAP. XVII. *ſed Generalis Ordinis Prædicatorum, Societatem laudat*

286 Sed illud minimè prætereundum videtur, quod occaſione hujus collegii factum eſt. Nam cum vir graviſſimus atque doctiſſimus Franciſcus Romæus, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, ex ſua familia in Eccleſia Chriſti ſanctitate, doctrina, numero, fructuque clariſſima, eſſe aliquot intellexiſſet, qui Salmanticæ noſtri inſtituti ignoratione, homines publicè hortarentur, ut ſuſpectam haberent novitatem, ac noſtros vitarent; eos ut errore liberaret, omneſque qui ad ejus obedientiam pertinebant, cautiores redderet: patentes litteras Ignatio dedit, quibus ſi opus eſſet, uteretur: in quibus & Societatem præclarè ſua auctoritate commendat, & ſuis, ut eam complectantur, noſtroſque commilitonum loco habeant, graviſſimè præcipit. Quarum litte- D rarum exemplum, ut magis pateat, quantum optimi viri memoriæ debeamus, & ſanctiſſimæ ejus Religioni, idque perſolvere ſtudeamus, hoc loco duximus adſcribendum:

publicis hiſce litteris

287 Univerſis in Chriſto venerabilibus patribus, & fratribus Ordinis Prædicatorum, ubique terrarum conſtitutis, frater Franciſcus Romæus è Caſtillone, ſacræ theologiæ profeſſor, ac totius dicti Ordinis humilis Generalis Magiſter, & ſervus, ſalutem, & Spiritus ſancti conſolationem. Pateat vobis, qualiter hoc calamitoſo tempore, quo religio Chriſtiana hæreticorum telis impetitur, malorumque Chriſtianorum perverſis moribus labefactatur, novus Ordo presbyterorum regularium ſub titulo nominis Jeſu de Urbe, quaſi præſidiaria manus, Dei benignitate ſubmiſſus eſt: quem ob ingentes fructus, quos lectionibus, & concionibus publicis, privatorum adhortationibus, confeſſionum audientiâ, ceteriſque ſacris exercitiis, ac ſanctorum morum exemplis in Eccleſia facit, ſanctiſſimus in Chriſto pater, & dominus F noſter Paulus Papa III approbavit, & confirmavit. Quod ideo vobis ſignificatum voluimus, ne hujus inſtituti novitate ſeductus quiſpiam veſtrûm, commilitones ſuos ad eumdem ſcopum tendentes, & à Deo ſibi ſuppetias miſſos, per errorem fortaſſis oppugnet, eorumque detrahat inſtitutis, quorum fructibus gratulari, & pios actus æmulari debuerat. Credimus quidem, vos omnes, utpote cæleſti ſponſo dilectos & amicos, varietati, quâ ſponſa illius amicitur, non detracturos; ſed eam potiùs caritate, quæ congaudet veritati, complexuros & exoſculaturos.

ad ſuos datis, cum præcepto obedientiæ.

288 Attamen ne officio noſtro deſimus, omneſque [ut] motus præveniamus, vobis omnibus, & ſingulis præfatis fratribus præſentium tenore mandamus, & auctoritate noſtri officii in virtute Spiritus ſancti & ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis arbitrio noſtro taxandis, præcipimus, ne dicto Ordini per Apoſtolicam Sedem approbato, & confirmato, aut ejus inſtitutis ullo modo detrahere, aut de eo obloqui audeatis, tam in publicis lectionibus, ſermonibus, & congreſſibus, quam in privatis veſtris colloquiis; quin potiùs eum, [ac] presbyteros ejus, tamquam veſtros commilitones, juvare, & contra impugnantes protegere, & tueri ſtudeatis. In quorum E fidem & robur, has fieri, & noſtri officii ſigillo muniri juſſimus. Datum Romæ decimâ Decembris anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Frater Franciſcus Romæus, Magiſter Ordinis Prædicatorum, aſſumptionis noſtræ anno III &c.

Decretum ferunt Minoritæ in favorem Societatis.

289 Hactenus ille, cujus in Societatem animi propenſionem ac benevolentiam decimo ſeptimo pòſt anno, univerſus divi Franciſci Minorum Ordo de Obſervantia, Eccleſiæ & ipſe lumen, ac ornamentum, inſigni caritate imitatus eſt, cum in generali conventu Valliſoleti anno MDLXV habito, inter alia præclara decreta, hoc quoque de nobis adjecit: Præterea, cum Ordo noſter fratrum Minorum exiſtat, atque in humilitate præcipua & caritate fundatus, noverint fratres omnes ubique terrarum diſperſi, Religioſos cujuſvis Religionis cum omni humilitate & humanitate tractare, tum maximè eos, qui de Societate Jeſu fuerint, quos diligere & honorare debent, eoſque ad actus litterarios, ad Sanctorum noſtrorum celebrationem, alioſque publicos actus, ad quos Religioſi convenire ſolent, cum caritate invitare, & ſuſcipere, nec eis quiſquam no-

A noſtrûm publicè vel occultè audeat detrahere.

CAP. XVIII. *Duo è Societate in Africa,*

290 Hoc præterea anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, noſtri in interioris, atque exterioris Africæ oras penetrârunt. Nam ex Luſitania in Mauritaniam ad Chriſtianos captivos redimendos, miſſi ſunt P. Joannes Nugnetius, is qui Æthiopiæ patriarcha poſtea Goæ mortuus

b eſt, & P. Ludovicus Gonzalez à Camara *b*; qui in commiſſo ſibi munere egregiam operam poſuerunt magnâ ſuâ patientiâ & vigilantiâ, nec minori miſerorum hominum ſalute. Multos enim labantes in fide confirmârunt, lapſos revocârunt, afflictos ac mærentes conſolati ſunt; viros, feminas, pueros, puellas conquiſito pretio à crudeli ſervitute redemerunt; ſuoque officio diligenter perfuncti, in Luſitaniam reverterunt.

quatuor in Congo,

291 In Congum verò, extremæ occidentalis Æthiopiæ regnum, quatuor ex noſtris navigârunt. Nam cum Emanuel, Luſitaniæ rex, Chriſti nomen amplificari cuperet, homines certos atque ad eam rem idoneos miſit, qui Euangelii lumen in ma-

B ritimas Africæ regiones inferrent. Quod quidem multis in locis factum eſt, & cæleſtis doctrinæ ſemen in Congi etiam ſolo ſparſum. Illud tamen poſtea cultorum vel perverſitate, vel inopia exaruit; donec à Joanne III, Luſitaniæ rege, Emmanuelis pietate atque hereditate filio, anno MDXLVIII, eò noſtri miſſi ſunt, ut oppreſſum illud fidei ſemen (ſi quid adhuc ſupereſſet) excitarent, & deſerta atque inculta excolerent: quod illi quidem initio feliciter præſtiterunt. Rex enim ipſe Congi baptiſma ſuſcepit, & plurimi alii ejus exemplum ſecuti ſunt. Poſtea verò cum illorum mores noſtri ad fidem exigerent, ipſi autem fidem ad libidinem ſuam detorquerent, & barbarus rex vitam Chriſtiano homine indignam non ſolùm ipſe profiteretur, ſed alios eodem etiam vel exemplo invitaret vel imperio cogeret, noſtri, ne porcis margaritas projicerent, à quibus diſrumperentur, & poſt cognitionem retrorſum converſis, ab eo, quod illis traditum erat, ſancto mandato, poſteriora prioribus deteriora fierent, aliò ſe tranſtulerunt. Multi enim, ut ait Paulus, bonam conſcientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt.

alii in Angola.

292 Nec meliorem ſanè exitum habuit noſtrorum in Angolam profectio. Nam cum Angolæ rex in magno ſe Chriſtianæ fidei deſiderio eſſe

C oſtendiſſet, ejus precibus adductus rex Luſitaniæ, aliquot ad illum ex noſtris mittendos curavit: quibus Oratorem ſuum cum magnis ad ipſum regem muneribus adjunxit, quò benigniùs reciperentur. Qui ſanè ut à barbaro rege ſuſcepti quidem primo humaniter ſunt, poſtea verò miſſis à rege Luſitano muneribus, pecuniâque conſumptâ, in carcerem conjecti, ubi cum regio legato, magno ſuæ patientiæ fructu, multos annos aſſervati ſunt. Itaque quamvis noſtri ex hac miſſione homines illos barbaros ad humanitatem, & Chriſtianam manſuetudinem non traduxerint, patientiæ tamen & fortitudinis ſuæ fructum vel maximum perceperunt: & pro Chriſto adverſa multa patiendo, moriendique deſiderio merita ſua cumulârunt

CAP. XIX. *Siciliæ Societatem complexæ*

293 Eodem etiam tempore Sicilia inſula Societatem noſtram amplexa eſt, in quam Jacobus l'Hoſtius Flander, vir ſingularis modeſtiæ, ac doctrinæ, noſtrum nomen primus invexit. Hic Agrigentum ut mitteretur, Rodolphus Pius Carpenſis *c*, S. R. E. Cardinalis, noſtræque Societatis protector, atque Agrigentinus epiſcopus ab Ignatio impetravit. Subſecutus illum eſt Hieronymus Domenecus, quem anno MDXLVII Joan-

c

nes Vega, Sicilienſis regni prorex, ex Urbe ab eodem Ignatio ſecum adduxit, ut ejus opera, & conſilio in piarum rerum adminiſtratione uteretur: quod quidem largè, prolixéque admodum fecit. Nam parum fore arbitratus, oppida mœnibus ac præſidio cingere, itinera ſublatis latrociniis aperire, ſecuritatem in illo regno, ac fidem conſtituere: quos gubernabat, eorum animos virtute, ac pietate impleri voluit, & à divini nominis propagatione auſpicari: ut ſuperiora illa hoc ſtabili fundamento conſtituta, ſplendidiora multo eſſent, atque firmiora. Et quoniam Romæ magnam habuerat cum Ignatio conſuetudinem, & noſtrorum mores perſpexerat, atque inſtitutum, eam ad rem illos delegit, quos ſuo propoſito congruentes, ſibique uſui fore arbitrabatur. A. PETRO RIBADENEIRA.

294 Atque ut fructus eſſet diuturnior, Meſ- *collegium Meſſanenſe,*

E ſanenſem magiſtratum ſua auctoritate permovit, noſtros ut expeteret, atque acceſſeret, &, fundato collegio, in domicilio certo apud ſe collocaret. Illa verò civitas & nobilis & opulenta & ſacrarum Religionum in primis cultrix, graviſſimi, atque ſapientiſſimi principis judicium ſecuta, diligere eos cœpit, quos nondum viderat, cupere, quos illius teſtimonio utiles ſibi futuros ſperabat. Itaque anno MDXLVIII ſummi Pontificis imperio, & Ignatii voluntate, ad quos & prorex Vega de hac ipſa re, & Meſſanenſis civitas ſcripſerat, profecti ſunt Meſſanam magiſter Hieronymus Natalis Hiſpanus, Andreas Fruſius Gallus, Petrus Caniſius Germanus *d*, Benedictus *d* Palmius Italus, aliique nonnulli ex variis item nationibus mixti, ut novum collegium conſtituerent, & optimarum artium ludum aperirent. Quod in opportuno civitatis loco, æde D. Nicolai, domo Magiſtratûs benignitate commodè inſtructa, feliciter ſanè præſtiterunt. Auctus poſtea noſtrorum numerus eſt, primaque in Societate probationis domus Meſſanæ inſtituta.

Panormitanum; Venetum ac Tiburtinum.

295 Sed & Panormitana civitas, ejuſdem Vegæ conſilio atque auctoritate, & Meſſanenſis collegii fructu incitata, cum ſua amplitudine, ſoli fertilitate, hominum ſplendore ac frequentia, reliquas Siciliæ urbes vincat, paſſa non eſt, ſe in pietatis ſtudio ab ulla ſuperari. Quamobrem à Paulo III, Pontifice Max., & ab Ignatio per litteras petit, ut ad ſuam juventutem litteris ac moribus inſtituendam, & civium animos pietate imbuendos, ex noſtris aliquos eò mittant. Ignatius ergo anno MDXLIX duodecim Panormum miſit, è quibus erant Nicolaus Lanoius Flander, Paulus Achilles Italus, & alii lecti viri itidem diverſarum nationum. Eis mandat, ut cum Jacobo Laine (qui in ea provincia ipſius Ignatii gerebat vices, & Alexandri Farneſii Cardinalis & archiepiſcopi Montis regalis rogatu, in ejus diœceſi, ad componendas inveteratas quorumdam eccleſiaſticorum diſcordias, viſitatoris munere fungebatur,) & cum Hieronymo Domeneco ſeſe conjungant, & Panormitani collegii fundamenta ponant: quod & factum eſt magno hominum concurſu, magnâ civium benevolentiâ. Porro hæc duo collegia, Mamertinum, ac Panormitanum, annuis certiſque fructibus Caroli quinti imperatoris benignitate, & ipſarum civitatum liberalitate fundata ſunt. Reliqua præterea, quæ in Sicilia habemus collegia, ab his duobus exordium ac progreſſum acceperunt. Sed ille maximus atque uberrimus fructus eſt, qui ex iis duobus collegiis in univerſum Siciliæ regnum pervenit, quod Joannes Vega multa eorum patrum, qui in hiſce collegiis verſaban-

F

A. PETRO RIBADENEIRA.

tur, vel consilio vel ministerio instituit, multa perfecit, quæ ad veræ pietatis cultum augendum, ac hominum salutem pertinebant. Eodem anno MDXLIX Venetias nostri asciti, & ab Andrea Lipomano, qui Patavinum collegium fundaverat, in certis sedibus collocati sunt. Tiburtinum etiam collegium ortum hoc tempore habuit à nostris eò profectis, ut ipsam civitatem pacarent, & cum alia vicina civitate graviter dissidentem reconciliarent.

Res à nostris gestæ in Germania,

296 In Germania præterea cœperunt nostri majori cum utilitate versari. Nam Guilielmus Bavariæ dux clarissimus, avitæque, & Catholicæ religionis in Germania præsidium, & ornamentum, nostros accersivit, ut Ingolstadii sacras Litteras profiterentur. Missique ad Ducem sunt ab Ignatio Alfonsus Salmeron, Petrus Canisius, Claudius Jaius, qui in illa academia aliquot annis antea docuerat, & magna fuerat cum laude versatus. Hos patres Guilielmus dux peramanter complexus est, ac supremo suo cancellario, Leonardo Eckio, viro nostri cupidissimo, studiosè commen-
B davit. Itaque Alfonsus divi Pauli Epistolas, Claudius Psalmos Davidis explicare aggressus est, Canisius Magistrum Sententiarum, unusquisque eruditè & graviter, magnaque hominum admiratione suo fungebatur munere. Quo ex tempore academia illa revirescere ac celebrior esse cœpit, & theologiæ studia, quæ hæreticorum impetu convulsa atque prostrata jacebant, excitata sunt. Vicini episcopi spe erecti, Catholici animati, furor hæreticorum compressus, multa passim in Dei laudem effecta. Quibus Guilielmus commotus, collegium Societati ædificare constituit; sed morte interceptus, quod præclarè cogitaverat, non perfecit. Et Alberto filio pietate, prudentia, animi magnitudine sui quam simillimo, rem integram reliquit. Qui optimi patris vestigiis insistens, Catholicæ religioni acerrimum sese in Germania propugnatorem semper præbuit. Et quamvis sui principatus initio gravissimis districtus negotiis, in longum collegii fundationem distulit (ex quo Alfonsus Salmeron in Italiam rediit, Claudius
C Viennam profectus est, Canisius cum Nicolao Gaudano Ingolstadii ad tempus remansit;) postea *e* tamen, ita hanc moram diligentiâ, & præclarâ beneficentiâ compensavit, ut non solùm Ingolstadii nostros, sed etiam Monachii apud se habere voluerit, & in domicilio certo collocaverit.

e

CAP. XX. *& in Brasilia.*

297 Dum hæc in Europa geruntur, in Brasiliam provinciam vastissimam, & cæli quidem salubritate lætissimam, sed Anthropophagorum feritate horribilem, & omnis humanitatis expertem, anno MDXLIX regis Lusitani voluntate, nostri primùm navigârunt. Ubi in hunc usque diem, magna cum patientiæ & caritatis laude atque indigenarum utilitate perseverant. Multi enim variis monstrosissimisque idolorum figmentis superstitionibusque abjectis, unius Dei, verique lumen aspexerunt: multi cum infidelitate, immanitatem etiam, & crudelem illam devorandi homines naturam exuerunt, & ad mansuetudinem, atque humanitatem traducti sunt. Uxorum verò multitudinem sacratissimis euangelici connubii legibus astrinxerunt, & impuras nuptias vagamque libidinem Christiana honestate commutârunt.

P. Antonius Criminalis

298 Hoc item anno MDXLIX P. Antonius Criminalis Parmensis, in India à fidei hostibus occisus est. Qui honestis parentibus ortus, in ipso adolescentiæ flore se Deo sacravit, & Societatem est ingressus, missusque anno MDXLII Româ ab Ignatio in Lusitaniam, omnibus, quibus- D
cum vixit, raræ modestiæ, ac singularis probitatis exemplo fuit. In Indiam deinde ad gentium illarum salutem, inter primos mittitur: cognitaque ejus virtute ac prudentia ab ipso Francisco Xavier in eo tractu collocatur, qui olim Cori, nunc Comorini promontorium appellatur, reliquisque nostris præficitur. Ubi propter continua vicinorum regum bella, propter idololatrarum sacerdotum infestum odium, & victûs cultûsque inopiam, incommoda multa pertulit, & in illustranda Christi gloria, ac propaganda maximos labores tulit. Cum igitur in Menancor regis provincia versaretur, & quos Christo per fidem genuerat, Catholicæ doctrinæ lacte nutriret, magnæ militum copiæ Bisnagæ regis, ad illam provinciam devastandam, & Christi in ea fidem exstinguendam, hostiliter sunt ingressæ. Quarum repentino adventu nuntiato, Antonius ubi eo ipso die sacrificaverat, in templum primò confugit, ut Deo oves suas commendaret: tum ad littus egressus, in Lusitanorum naves, quæ in statione erant, Chri- E
stianas feminas, parvulosque earum filios compulit (in quas tamen ipse, ut ceteris omissis conscenderet, seque periculo eriperet, nullis precibus adduci à Lusitanis antea potuerat.)

pro fide Catholica in India occisus.

299 Dum igitur sui oblitus Christianorum saluti consulit, reditu ad naves intercluso, adventantibus Badeghis hostibus (sic enim appellantur) atque irruentibus, obviam procedit intrepidus, flexis genibus, expansis manibus, oculis in cælum fixis mortem exspectans, & se ceu bonus pastor, offerens Deo pro ovibus suis. Ita repertus, à prima & secunda hostium acie intactus relinquitur, à tertia verò sarissis hastisque transfigitur, &, capite abscisso, spoliati corpus in arce suspenditur. Fuit vir sui contemptor, divini honoris studio flagrans, obedientiæ in primis cultor, orationis assiduitate ac virtute præstans, cui ipse Franciscus Xavier probatissimæ vitæ testimonium dabat, ejusque similes optabat esse omnes, qui in Indiam ex nostris mitterentur. Ego verò, qui anno MDXLII Lutetiam Româ proficiscens, bonam itineris partem cum illo confeci, frequenterque adjutus ab eo, & sublevatus sum, F
singularem in Antonio virtutem agnovi, & sæpenumero caritatem illius, ac pietatis studium mecum ipse sum admiratus: ut mirum non sit, ex tali principio talem exitum extitisse.

ANNOTATA.

a *Melchior Canus; de quo Commentarius* § 9, *num.* 89.

b *Illustratur in Commentario* § 91.

c *Ejus gesta dat Ciaconius tom.* 3, *à col.* 619.

d *Vide annnotata ad cap.* 16, *lit.* d.

e *Ea, quæ hîc dicuntur, elucidat Commentarius* § 46.

CAPUT XIX.

Societas à Julio PP. III confirmata, Instituti idea.

CAP. XXI. *a*

INterim mortuo Paulo III *a*, Pontifice Max., qui primus Societatem sua auctoritate confirmârat, multisque privilegiis (quæ commemorare

A rare longum esset) ac magnis ornârat, Julius III succedit anno MDL, à quo Ignatius postulavit, ut ratum haberet, quod Paulus fecerat, cujus ipse successor esset, nostrumque Institutum stabiliret, & quædam etiam, quæ in eo videri poterant obscuriora, apertiùs explanaret. Quod utique Pontifex, cum è re publica Christiana esse intelligeret, libentissimo animo fecit, pontificiumque diploma scribi jussit, quo approbatio ejusmodi, confirmatioque continetur. Quod ego diploma, quoniam Pauli III confirmationem, & multa ejus privilegia Societati concessa breviter perstringit, & pleniùs quam alia, ipsius Institutum, distinctiúsque comprehendit, subjicere hoc loco opportunum judicavi. Sic igitur habet:

Julii PP. 3 diploma, quo confirmat Societatem;

profertur; præmissâ summâ litterarum Pauli 3

301 Julius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officii, cui nos, licet immeritos, prætulit divina Majestas, ut fideles quoslibet, præsertim Religiosos, in via mandatorum Domini, ad illius honorem & gloriam, & proximorum spiritualem profectum deambulantes, paternis confoveamus affectibus: ut fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propitia, æternæ salutis præmium ferventiùs exquirant, & in eorum pio proposito confoveantur. Dudum siquidem per felicis recordationis Paulum Papam tertium, prædecessorem nostrum, accepto, quod dilecti filii Ignatius de Loiola, & Petrus Faber, ac Jacobus Laines, nec non Claudius Jaius, & Paschasius Broet, ac Franciscus Xavier, nec non Alfonsus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Joannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, presbyteri Pampilonen., Gebennen., Seguntin., Toletan., Visen., Ebredunen. & Palentin. civitatum, & diœc. respectivè, in Artibus magistri, in universitate Parisien. graduati, & in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu sancto afflati, jam dudum è diversis mundi regionibus decedentes, in unum convenerant, & exemplaris ac Religiosæ vitæ socii effecti, abdicatis hujus seculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Jesu Christi, atque suo, & successorum suorum Romanorum Pontificum servitio dedicaverant, & jam pluribus annis verbum Dei prædicando, & fideles privatim ad pias meditationes, beneque ac beatè vivendum excitando, hospitalibus inserviendo, pueros & alios rudes salubria dogmata ad Christiani hominis institutionem necessaria docendo, ac denique omnia caritatis officia, quæ ad animarum ædificationem pertinebant, ubique terrarum, ubi peregrinati fuerant, quisque juxta traditam sibi ab ipso Spiritu sancto gratiam, multa cum laude obeundo, laudabiliter in vinea Domini se exercuerant, eorum Institutum, sub quadam vivendi formula ab ipsis edita, euangelicæ veritati, & sanctorum patrum sanctionibus conformi, ut vinculum caritatis & unio in ipsis quidem sociis, & aliis, qui prædictum vellent Institutum sequi, conservarentur, approbavit, & confirmavit, & benedixit; ipsosque socios (quorum numerum non ultra sexaginta esse tunc voluit) sub sua, & Apostolicæ Sedis protectione suscepit, illisque condendi Constitutiones, & statuta quæcunque ad ipsius sic institutæ & confirmatæ Societatis confirmationem, & felicem progressum, licentiam concessit per quasdam.

B

C

de Instituto Societatis;

302 Cumque postmodùm progressu temporis, Spiritu sancto cooperante, ex Societate prædicta spiritualem animarum fructum crescere, & multos, qui Institutum prædictum sequi vellent, in Parisiensi, & aliis generalium studiorum Univer-

sitatibus, studere intellexisset idem prædecessor, Ignatii & aliorum sociorum prædictorum piam vitam & doctrinam attendendo, eidem Societati, ut quoscumque alios idoneos, & juxta suas Constitutiones probatos, liberè admittere possent, concessit. Et nihilominus, ut coadjutores, tam presbyteros, qui in spiritualibus, quam laicos, qui in temporalibus, & domesticis officiis eos adjuvarent (qui quidem coadjutores peractis probationibus, juxta Constitutiones Societatis hujusmodi requisitis, ad majorem devotionem suam, & meritum, etiam tria vota, paupertatis videlicet, castitatis, & obedientiæ possent emittere; non solemnia; sed quibus, pro eo tempore, quo Præpositus Generalis Societatis prædictæ eis, in ministerio spirituali, vel temporali, utendum judicaret, astringerentur: quique omnium bonorum operum, quæ in dicta Societate fierent, ac meritorum omnium participes fierent, perinde ut qui solemnem professionem in eadem Societate emisissent,) possent assumere, & alias gratias ac privilegia ad fovendam, & adjuvandam in iis, quæ ad Dei honorem, & animarum salutem pertinebant, Societatem prædictam, de benignitate Apostolica concessit.

A. PETRO RIBADENEIRA.

E

atque oblata copiosiore Instituti formula. Ejusdem vota ac finis!

303 Ut autem prædicta omnia, prius ab eodem prædecessore concessa, magis confirmentur, & simul omnia, quæ ad Institutum Societatis prædictæ pertinent, eisdem in litteris aliarum summam continentibus comprehendantur: & ut aliqua obscuriùs dicta, & quæ scrupulum ac dubitationem possent injicere, per nos exactiùs explicentur: nobis fuit humiliter supplicatum, ut formulam, quâ prædictæ Societatis Institutum exactiùs & distinctiùs, quam antea, edocente experientia ac usu rerum expressum, eodem tamen spiritu comprehenditur, confirmare dignaremur, cujus tenor sequitur, & est talis: Quicumque in Societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ ipsius sponsæ, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario servire, post solemne perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimùm institutæ, ut ad fidei defensionem, & propagationem, & profectum animarum in vita & doctrina Christiana, per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia Exercitia, puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis, ac ceteris Sacramentis administrandis, spiritualem consolationem præcipuè intendat: & nihilominus ad dissidentium reconciliationem, & eorum, qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem & ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda gratis omnino, & nullo, pro suo in prædictis omnibus labore, stipendio accepto, se utilem exhibeat: curetque primò Deum, deinde hujus sui Instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi, unusquisque tamen secundùm gratiam sibi à Spiritu sancto subministratam, & vocationis suæ proprium gradum.

F

officiorum distributio, confectio ac declaratio Constitutionum:

304 Ideoque, ne quis fortè zelo utatur, sed non secundùm scientiam, proprii cujusque gradus judicium, & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis, seu Prælati, per nos quocunque tempore eligendi,

A. PETRO RIBADENEIRA.

vel eorum, quos ipſe ſibi ea cum auctoritate ſubſtituerit, ut congruus ordo ſervetur, in omni bene inſtituta communitate neceſſarius. Qui quidem Præpoſitus, de conſilio conſociorum Conſtitutiones ad conſtructionem hujus propoſiti nobis finis conducentes condendi, majorum ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi jus habente, & quæ dubia eſſe poterunt in noſtro Inſtituto hac formula comprehenſo, declarandi auctoritatem habeat. Conſilium verò neceſſariò convocandum ad condendas, vel immutandas Conſtitutiones, & alia graviora, ut alienare vel diſſolvere domos, ac collegia ſemel erecta, intelligatur eſſe major pars totius profeſſæ Societatis (juxta Conſtitutionum noſtrarum declarationem) quæ ſine magno incommodo poteſt à Præpoſito Generali convocari. In aliis, quæ non ita magni momenti ſunt, idem Præpoſitus adjutus, quatenus ipſe opportunum judicabit, fratrum ſuorum conſilio, per ſeipſum ordinandi, & jubendi, quæ ad Dei gloriam & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, jus totum habeat, prout in Conſtitutionibus eiſdem explicabitur.

B

votum ſpeciale obediendi ſummo Pontifici

305 Quicumque autem in hac Societate profeſſionem emiſerint, non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus intelligant, ſed, quoad vixerint, memores ſint, Societatem hanc univerſam, & ſingulos, qui in ea profitentur, ſub ſanctiſſimi Domini noſtri Pauli Papæ tertii, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum ejus fideli obedientia Deo militare. Et quamvis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus, ac firmiter teneamus, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tamquam capiti, ac Jeſu Chriſti Vicario ſubeſſe: ob devotionem tamen majorem, ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & majorem voluntatum noſtrarum abnegationem, & certiorem ſancti Spiritus directionem, ſummopere conducere judicavimus, ſingulos nos, & quicumque eamdem in poſterum profeſſionem emiſerint, ultra illud commune trium votorum vinculum ſpeciali ad hoc voto adſtringi, ut quidquid modernus, & alii Romani Pontifices, pro tempore exiſtentes juſſerint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque provincias nos mittere voluerint, ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit (ſive nos ad Turcas, ſive ad quoſcumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant; ſive ad quoſcumque hæreticos, ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſvis fideles, mittendos cenſuerint) exſequi teneamur.

C

circa miſſiones, quæ procurandæ non ſunt.

306 Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, antequam huic oneri humeros ſupponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta conſilium Dominicum poſſint conſummare, hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, ſe laturos ſperent: & poſtquam, Domino inſpirante, huic Jeſu Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum aut provinciarum hujuſmodi ambitio vel detrectatio; intelligant ſinguli, ſibi per ſe, vel alium, de hujuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice non eſſe curandum, ſe omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici tamquam ejus Vicario, & Societatis Præpoſito dimittendam: cui quidem (ſicut ceteris) de ſui ipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice curandum erit.

D

Obedientia præſtanda Præpoſito Generali; ejuſdem electio, poteſtas, gubernatio:

307 Voveant etiam ſinguli, ſe in omnibus, quæ ad regulæ hujus noſtræ obſervationem faciunt, Societatis Præpoſito (qui ad hoc munus quam fieri poſſit idoneus, ad plura vota, prout in Conſtitutionibus declarabitur, eligetur) obedientes fore. Ille autem omnem eam auctoritatem & poteſtatem habeat ſupra Societatem, quæ ad bonam ejuſdem Societatis adminiſtrationem, correctionem, & gubernationem utilis erit. Jubeat autem ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo, & à Societate finis congnoverit eſſe opportuna, & in prælatione ſua benignitatis, ac manſuetudinis, caritatiſque Chriſti, Petri, Paulique formulæ ſemper ſit memor: & tam ipſe, quam conſilium prædictum ad normam hanc aſſiduè ſpectent. Singuli verò ſubditorum, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter numquam ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, non ſolùm Præpoſito in omnibus ad Inſtitutum Societatis pertinentibus parere ſemper teneantur; ſed in illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, &, quantum decet, venerentur.

E

Votum paupertatis circa domos profeſſas.

308 Cum autem experti fuerimus jucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam, ab omni avaritiæ contagione quam remotiſſimam, & euangelicæ paupertati quam ſimillimam; cumque ſciamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſervis ſuis regnum Dei ſolùm inquirentibus, neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum: ſic voveant ſinguli & univerſi perpetuam paupertatem, ut non ſolùm privatim, ſed neque etiam communiter poſſint profeſſi, vel ulla eorum domus, aut eccleſiæ ad aliquos proventus, reditus, poſſeſſiones, ſed nec ad ulla bona ſtabilia (præter ea, quæ opportuna erunt ad uſum proprium, & habitationem) retinenda, jus aliquod civile acquirere, rebus ſibi ex caritate donatis ad neceſſarium vitæ uſum contenti.

De collegiorum reditibus, ac gubernatione:

309 Quia tamen domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipſius, & non ad ſcholaſtica ſtudia exercenda deſtinandæ erunt: cum valde opportunum fore alioqui videatur, ut ex juvenibus ad pietatem propenſis, & ad litterarum ſtudia tractanda idoneis, operarii eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis noſtræ, etiam profeſſæ, velut quoddam ſeminarium exiſtant: poſſit profeſſa Societas ad ſtudiorum commoditatem, ſcholarium habere collegia, ubicumque ad ea conſtruenda & dotanda, ex devotione aliqui movebuntur: quæ ſimul atque conſtructa & dotata fuerint (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apoſtolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apoſtolica erigi ſupplicamus, ſeu pro erectis haberi: quæ collegia poſſint habere reditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones, uſibus & neceſſitatibus ſtudentium applicandas, retenta penes Præpoſitum, vel Societatem omnimoda gubernatione, ſeu ſuperintendentiâ ſuper dicta collegia, & prædictos ſtudentes, quod ad rectorum ſeu gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, & circa ſtudentium inſtructionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem, victûs, veſtitûſque, & aliarum rerum neceſſariarum eis miniſtrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, ut neque ſtudentes dictis bonis abuti, neque Societas profeſſa in proprios uſus convertere poſſit, ſed ſtudentium neceſſitati ſubvenire.

F

A *de ſcholaſticis, recitatione Officii divini, modo vivendi, ac coadjutoribus.*

310 Qui quidem ſtudentes, ingenii, & morum indole tales eſſe debebunt, ut meritò ſperetur, poſt abſoluta ſtudia ad Societatis functiones idoneos fore: & ſic demum poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint. Socii autem omnes cum presbyteri eſſe debeant, ad dicendum Officium ſecundùm communem eccleſiæ ritum; ſed privatim, & non communiter, vel in choro teneantur: & in iis, quæ ad victum, & veſtitum, & cetera exteriora pertinent, honeſtorum ſacerdotum communem & approbatum uſum ſequentur: ut quod inde pro cujuſque neceſſitate, vel ſpiritualis profectus deſiderio ſubtractum fuerit, ex devotione, & non ex obligatione, rationabile obſequium corporis Deo, prout expediet, offeratur. Hæc ſunt, quæ ſub præfati Domini noſtri Pauli, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtra profeſſione, typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus, ut ſummatim informaremus tum illos, qui nos de noſtro vitæ Inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos (Deo volente) imitatores unquam habebimus hujus vitæ: quam cum multas magnaſque habere annexas difficultates, fuerimus experti, opportunum judicavimus, etiam ſtatuere; ne quis ad profeſſionem in hac Societate emittendam, niſi diuturnis & diligentiſſimis probationibus (prout in Conſtitutionibus declarabitur) ejus vita & doctrina explorata fuerit, recipiatur: quia revera, hoc Inſtitutum omnino humiles, & prudentes in Chriſto, & in Chriſtianæ vitæ puritate ac litteris conſpicuos exigit. Immò & ii, qui in coadjutores tam in ſpiritualibus, quam in corporalibus, & in ſcholares admittentur, quorum utrique poſt ſufficientes probationes, & tempus in Conſtitutionibus expreſſum, vota ſua, ad devotionem, & meritum majus, non quidem ſolemnia (præter aliquos, qui de licentia Præpoſiti Generalis, propter ipſorum devotionem, & perſonarum qualitatem, tria vota hujuſmodi ſolemnia facere poterunt) ſed quibus teneantur, quamdiu Præpoſitus Generalis in Societate eos retinendos eſſe cenſuerit, emittere debeant, prout in Conſtitutionibus latiùs explicabitur, non niſi diligenter examinati, & idonei reperti, ad eumdem finem Societatis, admittantur ad hanc Jeſu Chriſti militiam, qui tenuibus cœptis noſtris favere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus & honor in ſecula. Amen.

B

C

Approbatur & confirmatur Societatis Inſtitutum, ac privilegia.

311 Quapropter conſiderantes, nihil, quod pium ſanctumque non ſit, in dicta Societate, ejuſque laudabilibus Inſtitutis, ac exemplari Ignatii, & aliorum ſociorum prædictorum vita & moribus reperiri, eaque omnia ad ſuorum, & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, & fidei exaltationem tendere, ſocios ac illorum coadjutores prædictos, & ipſius Societatis ſcholares à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & à pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, illoſque ſub noſtra, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipientes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, erectionem, & inſtitutionem Societatis, ac extenſionem numeri illius ſociorum, ac receptionis, & admiſſionis coadjutorum, ac omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, & condendi, & alterandi ſtatuta, & ordinationes, ac alia quævis indulta eiſdem, Societati, & illius Præpoſito, per prædeceſſorem noſtrum, & Sedem hujuſmodi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſa, & confirmata, ac deſuper confectas tam ſub plumbo, quam in forma Brevis litteras, & in eis contenta, ac deinde ſecuta quæcumque, perpetuò approbamus, & confirmamus, ac eis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui intervenerint, in eiſdem; eaque omnia & ſingula perpetuæ & inconcuſſæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere; & ſic per quoſcumque judices & commiſſarios quavis auctoritate fungentes (ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate) judicari, interpretari, atque decidi debere, nec non quidquid ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, & declaramus.

A. PETRO RIBADENEIRA.

E *Judices, qui aſſiſtant.*

312 Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus, & aliis perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios, præfatis Præpoſito, & Societati in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ſingulas prædictas, & præſentes litteras plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari: non permittentes quemquam contra illarum tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia (appellatione poſtpoſita) compeſcendo, ac cenſuras prædictas, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis.

Non obſtantibus &c.

313 Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, & ſingulis, quæ in litteris prædictis idem prædeceſſor noſter voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuſceptionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei auſu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, duodecimo Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno primo. F. de Mendoza. Fed. Cardinalis Cæſius.

F

ANNOTATA.

a *Anno* 1549, *die* 10 *Novembris.*

A. PETRO RIBADENEIRA.

CAPUT XX.

Plenior Instituti ac formæ Societatis Jesu descriptio.

CAP. XXII. *Auctor nonnulla præfatus*

EX Pontificio hoc diplomate manifestum esse arbitror, quis sit hujus Societatis finis, quod Institutum. Sed quoniam breviter illud potiùs attingitur, quam explicatur; credo equidem nonnullorum sitim esse incensam, & ex his, quæ de hoc Instituto intellexerunt, reliqua intelligendi cupiditate inflammatam. Quorum ego pio desiderio pro mea parte obsequi conabor: & quæ summatim perstricta sunt, ea enucleatiùs paulò, atque uberiùs explicare. Etenim pertinet hoc quoque ad Ignatii (cujus vitam scribimus) laudem, intelligere homines, quibus hanc Societatem temperaverit Institutis.

B *proponit finem ac media Societatis,*

315 Societas ergo Jesu, hoc nomine *a* à summis Pontificibus insignita, Religio Clericorum & est & appellatur à concilio Tridentino *b*. Ejus vita neque in sola contemplatione, neque in sola actione, sed in utraque simul posita est: Finis *c* quò spectat, & quò actiones omnes suas refert, suæ est, & alienæ salutis ac perfectionis cura. Hanc perfectionem, quæ maximè caritate constat, in rebus omnibus propositam habet: ad ejus normam, & suos & externos dirigit. Reliqua, quæ finis causâ quæruntur *d*, huic fini consentiunt: omnia enim ferè pietatis officia, quæ huc conferunt, diligenter exequitur. Nam assiduè concionatur, pueros rudesque rectè credendi regulâ instituit, virtutes operandi, fugiendi vitia, præceptis erudit: orandi cum voce, tum mente certam rationem docet: ad pium frequentemque Sacramentorum usum hortatur: ægrotos invisit & consolatur: morientes in angore positos confirmat: vinctos in custodia, paupères in xenodochio, miseros ubique & calamitosos sublevare studet: odia exstingui, & sublatis dissidiis, inimicorum animos benevolentiâ conglutinari: denique cuncta pietatis opera instituit, augeri, conservari. Quæ quidem omnia domibus ac collegiis nostris communia sunt.

a Finis
b refert
c nis cura.
d liqua

C *quibus superaddit ea, quæ collegiis propria sunt.*

316 Collegiorum verò (in quibus quidem nostri docent) illa sunt propria: litterarum studia exercere sedulò, & disciplinas omnes, quæ quidem homini theologo necessariæ sunt, pro cujusque collegii facultate diligenter explicare: jungere cum pietate doctrinam: formare adolescentiæ mores, & mollem ætatem ac lubricam ad omnem virtutem fingere. Hæc non apud Catholicos tantùm, atque integros populos conatur efficere, sed multo etiam libentius apud barbaros, & hæreticos: tum quod sunt ab omni ope deserti ac destituti; tum verò quod hæc Societas, quemadmodum in Pontificio diplomate dicitur, ad defensionem ac propagationem fidei est potissimùm instituta. Ex quibus ipsius Societatis perfectio atque præstantia, reliquarumque Religionum, quæ idem habent Institutum, facilè elucet. Religionis enim excellentia atque perfectio ex perfectione finis dependet: estque illa Religio perfectior, quæ perfectiorem finem, & ea, quæ finis gratiâ sumuntur, aptiora habet, & ad finem consequendum magis accommodata.

317 In iis muneribus, quæ diximus, ad proximorum salutem Societas ita se exercet, ut omnia gratis omnino exequatur, nihilque pro confessionibus audiendis, concionibus, lectionibus, Missis, reliquisque suis functionibus accipiat. Neque tamen ignorat, dignum quidem esse operarium mercede sua, æquumque, ut, qui altario servit, de altario vivat, & propterea sacrarum Religionum filiis, eleemosynas hoc nomine debitas à populo esse: sed hoc tempore, quo sacerdotes quidam malè propter cupiditatem audiunt, & Sacramentorum administratio ab hæreticis nundinatio appellatur & quæstus; ut amputet occasionem eorum, qui volunt occasionem, aliorum consuetudine laudata, ipsa Paulum in hac parte imitatur, atque Euangelium sine sumptu ponit, & ne ejus gloria evacuetur, gratis tribuit, quod gratis accepit.

D *Societas gratis dat, quod gratis accepit; & cur?*

318 Ex eadem item causa factum est, ut in victu atque vestitu communem quamdam vivendi rationem sequatur: parcam quidem & sobriam, moderatam tamen, & quæ vitæ sustentandæ sufficiat. Itaque habitum quidem peculiarem nullum habet, sed communem cum sacerdotibus earum regionum, in quibus vivit: in quo tamen & honestatis, & paupertatis ratio maximè eluceat. Quod quidem factum est, tum quod hæc Societas clericorum est Religio (ut diximus) non monachorum: tum verò quod hæreticis atque aliis hominibus perditis, & suo & temporum vitio valde ab habitu monachali abhorrentibus (ad quos potissimùm in rectam viam revocandos est instituta) plus se prodesse posse hac ratione arbitratur. Et asperiores in victu atque vestitu leges, corporisque castigationes ordinarias suis hominibus nullas imponit, ad quas ratione sui instituti æquè omnes adstringantur: quò ad ipsam venientium omni hominum generi, naturæ, valetudini, ætati, communis quædam, & æquabilis vivendi ratio proposita sit, quam suscipere & tenere omnes possint. Atque ob eam etiam causam, quod plures habet ac majores difficultates hoc Institutum, illiusque sunt onera interna graviora, quam in speciem videntur. Non tamen asperitates ejusmodi aspernatur, aut abjicit, quas in aliis Religionibus suspicit, & sanctissimè institutas videt: sed ubi necessitas poscit, aut utilitas, eas Præpositi vel suscipiendas præscribunt, vel, ut suscipiantur, probant. Quod tam studiosè sæpè fit ac ferventer, ut per Dei gratiam fræno potiùs hac in re nostri, quam calcaribus indigeant.

Cur item in victu ac vestitu communem sequatur vivendi rationem;

E

319 Iis tantisque occupationibus propriis hæc Societas distenta, chorum, ubi Horæ canonicæ decantentur, ordinariè non habet. Neque enim ad constituendam Religionem, chorus requiritur necessariò. Possunt enim Religiones institui ad varios fines, & ad varia misericordiæ & pietatis opera exercenda: quibus qui sedulò studeant, etiamsi à choro vacent, quam alii, qui choro distringuntur, Religiosi nihilo minùs sint. Itaque ordo divi Dominici principio chorum videtur non habuisse, cum, impetrata sui Ordinis confirmatione, in varias provincias atque orbis terrarum partes, ad prædicandum Domini nostri Jesu Christi Euangelium, omnes suos discipulos à sanctissimo hoc Patriarcha missos esse legamus. Quo tempore cum pauci essent, & dispersi, & docendis populis vehementer occupati, verisimile est, chorum frequentare non potuisse. Neque tamen dicemus, Ordinem illum sanctissimum, Religionem tunc propterea non fuisse, quando maximè ejus Religio floruit, & vita & doctrina, & miraculis Dei Ecclesiam tantopere illustravit. D. etiam Gregorius in concilio Romano severè sanxit, ne diaconi, quos ad prædicationis officium, &

ac chorum non habeat,

elec

A eleemosynarum studium vacare congruebat, cantores eligantur. Quod videlicet (ut gravissimi sancti patres interpretantur) nobilius sit, homines verbo & doctrina, quam cantu in Deum excitare.

320 Quamobrem quorum est docere populum, *verum nempe suarum* ac doctrina pascere, & ad cælestia inflammare, ii cantibus insistere non debent, ne, dum illis occupantur, ab utilioribus abstrahantur. Neque si canon ille jam obsolevit, minùs tamen verum est, quod in canone continetur, nec minorem vim habet illa ratio: Qui præstantioribus, & magis necessariis distringuntur, eos & choro, & minùs necessariis officiis vacuos liberosque esse oportere. Itaque videmus, initio nascentis Ecclesiæ, Apostolos curam viduas alendi in septem Diaconos rejecisse, ne à verbi Dei prædicatione, quæ gravior ac magis necessaria erat, sancta quidem illa, sed minùs necessaria occupatione implicati, ullo modo retardarentur. Non est (inquiunt) bonum, relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quocirca in reliquis Religionibus
B (iis etiam, quæ ex Instituto chorum habent) publici professores, scholastici, concionatores, & quotidiana domesticorum, vel graviorum munerum administratione occupati, liberiorem à choro vacationem habent, ut à choro scilicet expediti, munus suum quisque pro dignitate tueatur. Quod eò etiam magis ei Religioni licebit, quæ chorum non habet ex Instituto.

321 In hac autem Societate, qui aut scholasti- *satagens,* cus, aut publicus professor, aut concionator, aut confessarius, aut coadjutor temporalis non sit, aut denique majoribus ministeriis suo ex Instituto non vacet, reperies profectò neminem. Ex quo cum multæ aliæ ecclesiæ, ac Religiones, divinis laudibus publicè celebrandis, sanctissimè suo ex Instituto consecratæ sint, è quibus petere quivis possit hoc ad excitandum animum, & pietate inflammandum adjumentum, & utrumque hæc Societas complecti nequeat, in eam partem, quæ minùs culta ab aliis, & magis necessaria, variaque & multiplex est, incumbendum sibi omni ratione putat.
C In qua tractanda atque excolenda, ut intenta semper sit, ac nihil remittat, cetera, quæ per se honesta quidem sunt & præclara, sed hoc ejus Instituto aliena, necessariò prætermittit, aliisque concedit: imitaturque in hac etiam parte Paulum Apostolum, qui de se dicit: Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare. Non quod præclarum non sit, & ad salutem necessarium, baptizare (si quidem Baptismus janua Sacramentorum omnium est, & necessarius ad salutem) sed quod multi essent alii, qui baptizandi officio fungi possent: pauci verò qui prædicatoris euangelici personam pro dignitate sustinerent. Multiformis est gratia Dei, & varia atque innumera Spiritus sancti dona. Neque in bello minùs utiles sunt exploratores, qui hostium consilia investigant, quam milites, qui manum cum hoste conserunt: neque minùs prosunt, qui cuniculis actis oppositas munitiones disjiciunt, quam qui in illas jam eversas impetum faciunt.

322 Æqua etiam pars est descendentis ad præ- *quæ suo instituto conveniunt.* lium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividunt: paremque prophetandi gratiam à Deo acceperunt Eldad & Medad, duo ex septuaginta senibus, quos elegit Moyses, tametsi remanserunt in castris, quam sexaginta octo alii, qui stabant ante tabernaculum: ut is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet: sed omnes laudent omnium Dominum, qui dona sua distribuit prout vult. Existimatque Societas, se, tot laboribus atque operis fructuosè in animarum salutem occupatam, precibus etiam ac Missis, quas jugiter facit, etiamsi chorum non habeat, plenè populo satisfacere, & acceptas ab eo eleemosynas pro sua tenuitate retribuere. A. PETRO RIBADENEIRA.

323 Et quoniam ad ea, quæ commemoravimus *Admittendorum dotes, genera, tirones.* munera rectè atque ex ordine præstanda, magna in primis virtus, doctrina haud mediocris est necessaria, commoditas præterea naturæ, & ad agendum cum hominibus dexteritas, bonaque apud ipsos homines existimatio; neque facinorosos hæc Societas admittit, neque jure ipso, sivè canonico sive civili infames, neque eos, quos inconstantes in sua vocatione, & leves aut inutiles omnino sibi, atque ineptos futuros putat. Nullum verò qui alterius cujusvis religionis habitum susceperit (cupit enim, ut in qua vocatione quisque vocatus est, in ea permaneat: & ut reliqui sacrorum hominum conventus numero, fructu, &, quæ in Christo Jesu sit, gloriâ floreant) eos tantùm recipit, quos à Deo intelligit ad suum E Institutum vocatos. Horum quatuor sunt genera. Primum doctorum hominum est, qui divino Spiritu tacti, quam adepti sunt eruditionem ac scientiæ laudem, Deo consecrare cupiunt, & in hac Societate ad spiritalem aliorum utilitatem conferre. Alterum est eorum, qui cum vitæ inculpatæ & sufficientis doctrinæ sint, ut professos ipsos in spiritualibus rebus adjuvent, in Societatem admittuntur. Tertium genus constat iis adolescentibus, quos bona spe animi & ingenii præditos admittit, eam doctrinam ut addiscant & comparent, quæ ad alios juvandos est necessaria. Postremum eos homines continet, qui Marthæ sorte contenti, domestica ministeria curant (ut alii iis expediti, spiritalia liberiùs exerceant) quos propterea coadjutores temporales vocat. Hi omnes, quicumque admittuntur, duos annos in novitiatu sunt, intra quos votum nullum ex Instituto edere coguntur, sed se ipsi ac Religionem probant.

324 Hoc autem probationis tempus, quod *quod in Societate* productius, quam in reliquis Religionibus, ac F prolixius est, magnam affert utilitatem iis, qui probantur, & ipsi etiam Societati. Nam cum in subsidium humanæ fragilitatis, spatium probationis sit institutum, ut Innocentii tertii verbis utar, & non solùm in favorem conversi, sed etiam monasterii à sanctis patribus indultum, ut & ille hujus asperitates, & hoc mores illius valeat experiri: hoc biennii spatio, nostri novitii diligentiùs rem totam expendunt, ac lentiùs Institutum probant, versantes diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri (ne impetu quodam animi potiùs quam ratione, aut Dei spiritu impulsi, onus tollant, quod ferre non possint:) & Societas vicissim illos etiam probat, & intus, & in cute noscere studet: ne hominibus sese inutilibus oneret, eosque minùs probatos admittat, quos paulò post dimitti necesse sit. Estque omnino & rationi consentaneum, & sanctorum patrum doctrinæ conveniens, & ab ipsa etiam antiqua consuetudine non alienum (quæ varia olim, & multiplex in Ecclesia Dei fuit) ut eo diutiùs atque attentiùs Religionis Institutum quisque perpendat, antequam illud aggrediatur, & capiat, quo gravius ipsum & præclarius est: & ut Religio etiam eò magis perspectos habeat, atque exploratos illos, qui veniunt ad se, quo ejus Institutum arduum magis atque excellentius est. Quamobrem duorum annorum spatium, ad probandos novitios suos, se-

A. PETRO RIBADENEIRA.

Sedes Apoſtolica Societati dedit.

325 Quo toto tempore, omnibus in rebus proprii Inſtituti accuratè probantur, & orandi, tum voce tum mente aſſiduo uſu exercentur, variiſque rationibus, quæ pertinent ad exſtirpandas pravas animi cupiditates, & mortificanda membra, quæ ſunt ſuper terram, ut quidem ait Apoſtolus, & humilitatis officiis ſurſum deorſum verſantur. Probationis enim tempore, præfecti atque novitiorum magiſtri, eorum vocationem diligenter explorant & dijudicant: &, ut illi ipſi eam intelligant, & confirment, magnopere laborant: in ſingulorum ingenium ac facultates ſtudioſè inquirunt: quas cum habent compertas, in ſuo quemque loco & gradu conſtituunt, nihil ſupra vires præſcribunt, ſed illas potiùs ſublevant, & gratiæ Dei & naturæ ſerviunt. Porrò cum multa iis tradunt, quæ ad confirmandos eorum animos pertinent, & ad regulam Inſtituti proprii, normamque revocandos, tum verò quatuor illa, quæ ex Ignatii diſciplina atque exemplo, quaſi dogmata præcipua, & præceptorum reliquorum tamquam fontes ſunt. Primum eſt, ut Deum in rebus omnibus invenire ſtudeant. Alterum, illud unum propoſitum habeant, ut omnia ad majorem Dei gloriam fiant. Tertium, obedientiam mordicus teneant, ſummamque in ea colenda religionem conſtituant. Poſtremum eſt, ut aliud nihil ex hoc mundo quærant, quam quod quæſivit Chriſtus, ut ſicut ille venit animas ſalvas facere, pro iis pati, ac mortem oppetere, ita ipſi animas Chriſto lucrifacere, omni ratione nitantur: pro eis labori ſe, ac morti alacres etiam objiciant: opprobria & contumelias, ſi inferantur, non ſolùm æquo, ſed etiam libenti atque hilari animo propter Chriſtum excipiant; ſi non inferantur, cupidè appetant, nullam tamen dantes ipſi cauſam vel occaſionem maledicti. Quod ſi quis conſiliis Præpoſitorum, ac monitis, aut Societatis Inſtitutis, vel pertinaciter repugnat, vel non ſatis ſe accommodat, à Societate dimittitur. Illud enim antiquiſſimum huic Societati eſt, ut quo puram ſe ac ſinceram tueatur, quidquid vitioſum ac corruptum eſt, præcidat, neque quemquam retineat, quem ex Inſtituto retinere non debet.

gravibus de cauſis durat duobus annis.

B

ANNOTATA.

C

a *De eo multa Commentarius* § 32 & 33; *quem tu conſule.*

b *Verba ſeſſ.* 25 *de Regularibus cap.* 16 *jam tranſcripſeram: ſed omitto, quia obvia.*

c *Finem Societatis exponit Commentarius* § 30, *num.* 311.

d *Media ibidem invenies à num.* 313.

CAPUT XXI.

Ejuſdem deſcriptionis proſecutio.

Ratio votorum, ac dimiſſionis à Societate:

BIennio igitur expleto, primi generis illi, quos commemoravimus, ab eruditione ſatis inſtructi, ſi ad doctrinam, virtutem quoque ac probitatem adjecerint, & ſe Societati probaverint, poſſunt profeſſionem emittere: ſi probata ſatis eorum virtus non videatur, ampliùs exploratur. Sed tunc quidem illi ipſi, & ii etiam, qui ſecundo genere continentur, ac ſpirituales coadjutores vocantur: ſcholaſtici præterea, ac temporales coadjutores, votis ſe perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ poſt novitiatum obſtringunt. Quæ quidem vota ſimplicia, non ſolemnia ſunt: quibus nimirum ita aſtringuntur, ut liberum tamen Societati ante profeſſionem ſit, quos non probat dimittere, ac dimiſſos ab omni votorum obligatione abſolvere. Quocirca in hujuſmodi votis, pollicitatio quædam eſt, voluntaria & libera, ac ſimplex offerentis promiſſio, quâ, qui vovet, quantum in ſe eſt, in perpetuum ſe tradit Religioni. Qui quidem, re tota per biennium (ut diximus) explorata & perſpecta, teneri ſponte vult, & vivere ac mori hac conditione in Societate: quod certè ante ingreſſum cum liber ſit, ſuique juris ac dominus, re minùs explorata utique facere potuiſſet. Societatis verò tametſi nulla eſt obligatio peculiaris ac propria, quæ quidem ab votis illorum pendeat; illa tamen maxima eſt atque firmiſſima, quam Conſtitutiones ipſius Societatis, ac leges imponunt: quæ nimirum ſanctè vetant, temerè quemquam, aut inconſideratè dimitti, aut propter morbum, quem Societati ſerviens contraxit, aut propter cauſas, quæ ſanari aliter poſſunt.

D

E

cujus dantur demiſſionis cauſæ, cautela, benevolentia,

327 Dimittendi autem cauſæ præcipuæ (ut uno verbo dicam) ad duas rediguntur: cum aut illi ipſi, qui dimittitur, aut Societati expedit hominem dimitti: tunc enim illum retineri, contrarium eſſet caritati, cui omnia ſervire debent. Et quidem cum neceſſariò dimittitur, tam conſideratè, tam cautè, tam benevolè ac dolenter faciendum eſſe Conſtitutiones jubent, ut nihil ad ſummam moderationem, religioſamque prudentiam prætermiſſum eſſe videatur. Atque ut hoc quam conſideratiſſimè fiat, ſolus Præpoſitus Generalis poteſtatem habet, eos ab Societate dimittendi, qui hujuſmodi votis poſt biennium obligati ſunt. Quocirca non eſt in eorum, qui regunt, poteſtate, quemquam pro ſuo arbitratu à Societate dimittere, ſed præſcripto ac lege vivitur: & ſi qua in re moderatos ſe illi præbent, ac benignos, in hac (ut par eſt) quam maximè. Nam præterquam quod Chriſtiana caritas hanc moderationem poſtulat, Societatis ipſius rationes vehementer exigunt, atque adeò flagitant, ne inconſultè aut facilè, eruditi jam, & magnis ejus multorum annorum laboribus & ſumptibus exculti ac perpoliti homines dimittantur, quos lentè, magnoque judicio, rudes atque impolitos admiſit. Inconſultum enim eſſet, in ſerendo ſtrenuè laborare, metendi maturam frugem, percipiendique fructus tempus negligere. Sed cum Societatis excellens finis ſit, ac proinde innumeris plenus difficultatibus, probatos viros, atque exercitatos omnino deſiderat, ut ſine offenſione obtineatur. Quæ cauſa eſt, neminem ut cenſeat ad profeſſionem admittendum, cujus virtus ac doctrina multis experimentis ac diuturnis perſpecta antea non ſit: ne videlicet ſui, onus ſupra vires tollant, eoque opprimantur, atque exitio iis ſint, quibus ſaluti eſſe debuerant. At dum probantur, dum inſtituuntur, ne vagi omnino ſint, & liberi, votorum hujuſmodi (ut diximus) religione vinciuntur, & pedetentim, gradatimque ab imis aſcendunt ad ſumma.

F

æquitas, utilitas,

328 Eſt igitur hæc ratio nova quidem, ſed in hac parte novo Inſtituto conveniens, ſcholaſticis ſalutaris, Societati neceſſaria, perutilis Eccleſiæ Dei. Nam ſcholaſtici votorum merito ac fructu gaudent; & firmiores in ſua vocatione, iis obligati

A gati redduntur. Et Societas votis ejusmodi veluti obsidibus acceptis ; minùs de eorum voluntate constantiaque dubitabit ; neque metuet , ne populus oleum , ipsa verò operam perdat ; & utrique beneficium apud eos ponant , qui ipsorum benignitate atque opera bonas artes adepti , ubi referendæ gratiæ tempus advenerit , ad seculum redituri sint. Quod profectò si fieret , iniquum esset , neque minùs injustum , quam si quis bonis ecclesiasticis locupletatus ; & Christi patrimonio dives , stivam manu teneris , post tergum respiceret , statumque ecclesiasticum deserens , negotiis rursus hujus seculi se implicaret. Quod ne quando fieri possit , sacris canonibus cautum est , ut siquis ad regimen ecclesiæ parochialis assumptus , ad sacerdotium intra annum propter studium non promoveatur , subdiaconatum tamen suscipiat , votoque se astringat. Quod utique votum , quasi fidejussor quidam est Ecclesiæ Dei , ejus , qui voto se obstringit ; futuræ constantiæ , ne , quemadmodum Pontifex ait , sicut à multis ; de
B Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dignoscitur ; à statu retrocedere valeat clericali. Ecclesia verò Christi magno eorum apostatarum numero hac ratione liberatur , qui è Societate egressi , suis votis obligati perpetuò existerent , neque aliam vivendi rationem suscipere tutò possent : sicuti aliarum Religionum apostatis accidere , ipsa experientia docet.

329 Neque verò ei ulla fit injuria , qui dimit- *sine ulla*
titur , quandoquidem volens , ac sciens hanc legem subiit , cum admissus est ; ac liber omnino , suique juris relinquitur , cum dimittitur ; & meliori conditione plerumque egreditur , quam ingressus est. Neque dimittitur , nisi propter ipsius , aut propter universæ Societatis bonum : cujus (quoniam multorum commune bonum est) major sanè ratio , quam cujuscumque boni privati habenda est. Ut enim majus bonum minori bono præponitur ; ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. Quod si Religiones omnes possunt , & solent professos etiam suos , qui insanabiles videntur , & curationem non admittunt , è cœtu suo pellere ; cum tamen sic ejecti , professionem suam , quoad possunt , præstare teneantur ; nulli sanè mirum videri debet , si Societas eos ab se di-
C mittit , qui professionem nullam suscepernnt , sed vota tantùm simplicia ediderunt , quorum , cum dimittuntur , vinculis exsoluti , liberam , quocumque velint , abeundi habent potestatem.

330 Neque verò si is , qui Societatem ingre- *cujuspiam in-*
ditur , ipsi Societati sese committit & credit , sperans , se nullo umquam tempore ab illa dimittendum , nisi magna quadam ratione ; par est , ut Societas illi ipsi ita confidat , ut nullam illius perseverantiæ atque stabilitatis exigat cautionem. Non enim partes pares sunt. Neque tamen si rectè perpendas , minor aut infirmior est cautio (ut paulò antè diximus) quam filiis suis præstat Societas ex Instituto , ea , quam ab illis accipit ex voto. Et iis quidem utilitatibus novum hoc Institutum firmatur. Neque tamen ita novum est , ut non multa ejus vestigia in seminariis antiquis clericorum habeamus , quemadmodum in nonnullis Toletanis conciliis , aliisque videre est , quæ huc adducere , & alias rationes afferre , nimis longum esset , & à nostro instituto alienum , minimèque necessarium. Nam quod caput est , cum universum Societatis Institutum , tum verò potissimùm hæc ejus pars , multorum summorum Pontificum judicio atque institutione , & sacrosancta œcumenici Tridentinique concilii auctoritate comprobatur.

331 Ut ergo ad quatuor illa hominum genera , *A. PETRO RIBADENEIRA. De quatuor in Societate Religiosorum classibus agitur ;*
quæ in Societatem admittuntur , revertamur ; primi illi , qui eruditione sunt conspicui , ad professionem quatuor votorum admittuntur : secundi , in coadjutorum spiritualium formatorum gradum , per tria illa vota similiter publica , sed simplicia ; in Superioris manibus emissa , adsciscuntur : eodemque modo , qui ad domestica munia obeunda sunt admissi , certum suum temporalium coadjutorum formatorum gradum & ipsi consequuntur : utrique autem formati coadjutores , nullius postea hereditariæ successionis sunt capaces , ut in Constitutione Gregorii XIII (quam paulo post subjiciam) videre est. Spirituales coadjutores , quasi subsidiarii milites adjuvant professos & sublevant , & ad omnes excursiones parati sunt. Temporales verò coadjutores , reliquos domesticarum rerum cutâ levant. Scholastici litteras discunt , & cum spiritu , quem in novitiatu hauserunt , doctrinam conjungunt , totoque studiorum tempore , ita litterarum disciplinis vacant , ut pietatem teneant , suique mortificationem non
E omittant : immo verò in multis se professorum & coadjutorum spiritualium muneribus exercent (pro facultate cujusque & ingenio) ut consuetudine bene agendi paratiores sint ; & tamquam exercitatiores , ad illorum ministeria suo tempore obeunda.

332 Hoc in collegiis fit : habet enim Societas *uti & de domibus ac collegiis ,*
domos & collegia , quæ ita distinguuntur. Domus aut probationis sunt , in quibus eo , quo diximus modo , ad Religionis disciplinam conformantur novitii : aut professorum : in quibus scilicet , qui novitiatûs , ac studiorum laboribus perfuncti sunt , confessionibus , prædicationibus , aliisque pietatis ministeriis , ad proximorum utilitatem se exercent. Collegia scholasticorum sunt : in iis , quamvis nonnulla professorum usurpentur munia , propria tamen illorum sunt , quæcumque pertinent ad discendas vel docendas eas disciplinas , quæ ad professorum ministeria rectè obeunda sunt necessariæ. Domus professorum reditus nullos habere possunt (ne ad ædificationem quidem templi ; aut cultum ejus , ac ornatum ,) nec possessiones ullas , privatim vel in communi : nec jus petendi ullas perpetuas eleëmosynas , sed quotidianis vivunt.

333 Domibus probationis & collegiis bona in *& eorum bonis.*
commune habere licet , ut & novitii oneri ne sint
F populis , antequam usui esse incipiant , & scholastici victum quærendi sollicitudine expediti , liberiùs in rerum cognitionem incumbant. Ejusmodi autem reditus , vel à civitatibus publicè constituuntur , vel privatim à primariis viris ac copiosis , qui facultates suas rectè se collocare hac ratione putant , & præclarè de hominibus mereri , ut XXIV capite dicam. Collegiorum bona professa Societas administrat : ex quibus tamen ad ipsam nulla pervenire potest utilitas , sed in victu scholasticorum , & vestitu penitus consumuntur. Ita fit , ut quorum est fructus , ii subsint imperio , neque bonis abutendi habeant facultatem : qui præsunt , ex suis laboribus utilitatem nullam propriam percipiant , sed eam in certos usus fratrum suorum , præstitutosque convertant. Scholastici studiis confectis ad incudem rursus revocantur , ac veluti excoquuntur , ut in professorum , aut spiritualium coadjutorum formatorum adsciscantur numerum.

334 At verò professis magna est in primis au- *Pars præcipua Societatis sunt professi :*
ctoritas , & jus Societatem gubernandi. Ex illis , Assistentes , Provinciales , Commissarii , Visitatores creantur , & Præpositus ipse Generalis. Ex

A. PETRO RIBADENEIRA.

quo etiam convenit, ut ſpectatæ virtutis ac eruditionis laude, rerumque uſu præſtent, cum omnibus tamen æqualiter (ut faciunt) vivant, & humilitate ac modeſtia exæquent, quæ poterant videri inæqualia. Edunt autem profeſſi ſolemnia vota tria, ceterarum Religionum more, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ (iis enim tribus votis, vis Religionis & natura continetur) adduntquartum peculiare, ac proprium Societatis, de obedientia ad miſſiones Romano Pontifici fideliter præſtanda. Quod quidem his temporibus luctuoſis ac perditis, quibus ſacroſanctæ Sedis auctoritas ab hæreticis acerrimè impugnatur, divinum planè inventum fuit. Nam præter alias utilitates, quas continet multas & magnas, quæ in ipſa Inſtituti formula tanguntur, certè arctiùs adſtringit, quod hæretici laxare ſtudent.

qui etiam emittunt vota quædam ſimplicia.

335 Sed ut non ſolùm in præſens optimè Societas gubernetur, verùm etiam in poſterum, & cupiditati atque ambitioni, Religioſi ſtatus certiſſimis peſtibus, quantum in ipſa eſt, occurratur; alia vota ſimplicia profeſſi emittunt, promittuntque, ſe non conſenſuros, ut Conſtitutiones de paupertate, quæ nunc eſt in Societate, immutentur, niſi fortè ut magis illam contrahant & arctent, nullam in Societate dignitatem, neque apertè neque occultè quæſituros: ſi quem verò ambiiſſe ſciverint, fideliter produturos: extra Societatem verò, nullam admiſſuros dignitatem, niſi ejus, qui præcipere poſſit, obedientiâ compellantur.

B

Ratio Societatis in iis,

336 Gubernationis porrò forma & ratio hæc eſt. Univerſæ Societati cum ſumma poteſtate præeſt Præpoſitus unus Generalis. Is Præpoſitorum Provincialium ſuffragio adlegitur, & duorum præterea profeſſorum, qui in congregatione provinciali electi, unà cum Provinciali ex ſingulis provinciis ad generalem conventum veniunt; perpetuuſque eſt, ac maximam inter omnes habet auctoritatem. Ipſe ex cognitione rerum omnium & perſonarum Societatis, quam habet permagnam, rectores collegiorum, domorum præpoſitos conſtituit: Provinciales, Viſitatores, ac Commiſſarios creat. Quæ ratio commodiſſima eſt, & ad pacem, modeſtiam, humilitatemque conſervandam aptiſſima: tollit enim ac reſcindit perturbationes animorum, diſſenſiones, invidias, odia, quæ Prælatorum electiones ferè conſequuntur eas, quæ ex multorum pendent judicio ac voluntate. Præpoſitus item Generalis per ſe, vel per ſuos Provinciales, collegia moderatur: facultates à Sede Apoſtolica Societati datas, & privilegia ſuis diſpenſat, eorum uſum adſtringit, relaxat, concedit, revocat: admittendi in Societatem, atque ab ea dimittendi, in profeſſorum numerum cooptandi, conventus generales (quibus ipſe præeſt) indicendi, ac peragendi, pleniſſimam poteſtatem habet: denique ad ejus arbitrium judiciumque, ſumma omnium rerum, conſiliorumque redit.

C

quæ ad ejus Præpoſitum Generalem ſpectant;

337 Qua poteſtate ne ille fortè abutatur, præter eam curam, quæ in optimo Generali Præpoſito eligendo, atque ad id munus aptiſſimo adhibetur (quæ ſumma eſt, parique religione ſervatur) quorum ſuffragio Præpoſitus Generalis creatur, ab eiſdem quatuor ſpectantiſſimi patres eliguntur, qui Aſſiſtentes appellantur, ſuntque Præpoſito Generali à conſilio. Illi victum ejus ac veſtitum moderantur *a*, labores definiunt, de eratis in humilitate admonent: ad eamque rem Admonitor (ſic enim vocatur) ab ipſa Societate eſt conſtitutus. Si quid graviùs accidat, ſi acerbus ille plus æquo ac violentus, ſi bonorum collegiorum profuſus aut præpoſterus diſtributor fortaſſe ſit, ſi doctrinâ depravatus, vel moribus (homines enim ſumus) congregationem generalem (quæ, quoniam univerſam Societatem repræſentat, ipſo etiam Præpoſito Generali ſuperior eſt) indicendi penes Aſſiſtentes jus eſt, in qua veritas earum rerum, & pondus examinatur, & pro modo culpæ, pœna imponitur. Privari enim generalatu Præpoſitus generalis poteſt, ſi res exigat, & gravioribus etiam ſuppliciis affici.

D

a

338 Ex quo Societatis gubernatio, cum proximè ad monarchiam accedat, multum etiam habet ariſtocratiæ. Vitato enim, quod vitioſum eſſe poteſt, id quod in utroque genere eſt optimum, Societas ſumpſit. Nam unum eſſe in gubernatione principem, præclarum quidem eſt, & ad conſervationem firmum: ſed ſi ille ſit moderatus & ſapiens: verumtamen periculoſum eſt, ne honore elatus, libidinem ſuam, non rationem ſequatur, &, quod traditum eſt ad ſalutem, in perniciem multorum convertat. Et ut hoc quidem abſit, utque maximè ſapiens ſit, omnia certè ſcire unus non poteſt, ac propterea Ibi ſalus populi, ubi conſilia multa. Quod enim quiſque præ aliis ſcit, id in commune confert. At verò illud ſubeſt in multitudine periculi, ne quot capita, tot ſint ſententiæ, & illud unum, quo maximè hominum conventus ac conſociatio continetur, diſtractum in varia diſſolvatur. Quæ pericula in utroque genere ut vitaret, & unitatem hæc Societas à monarchia accepit, & ab optimatibus conſilium, & ita utrumque temperavit, ut Præpoſitus Generalis & præſit omnibus, & ipſe quodammodo ſubſit, ejuſque Aſſiſtentes, conſiliarii non judices ſint.

uti & ad modum gubernationis, quæ ex duabus eſt mixta.

E

339 Hæc eſt Inſtituti Societatis hujus ſpecies quædam, ac gubernationis forma, quam Ignatius expreſſit, ac nobis reliquit. Quæ quidem, ut ex ſuperioribus liquet, quamquam multa cum reliquis Religionibus conjuncta atque communia, nonnulla tamen propria habet ac ſingularia. Nam cum hæc Societas Religio ſit, ea habeat neceſſe eſt, quæ ceteræ habent Religiones, & quæ ita propria Religionis ſunt, ut ab ea divelli, diſtrahique non poſſint. Ea autem ſunt vota tria, paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, in quibus vis ac natura Religionis poſita eſt, &, quæ ſi abſint, Religio eſſe, dicive non poſſit. Sed cum etiam Religio clericorum ſit (quemadmodum Tridentina ſynodus teſtatur) à Religionibus omnibus monaſticis differat oportet in iis quidem, quibus illæ à clero diſtant, diſſidentque. Et quamvis Religiones omnes eòdem ſpectent, & ad perfectionem Euangelicam tamquam in unum eumdemque finem ultimum referantur; unaquæque tamen finem ſuum præcipuum ac peculiarem habet, quem reſpicit ac ſequitur. Qui finis cum alius alibi ſit, etiam ea, quæ ad finem illum diriguntur, diverſa, diverſis in Religionibus ſint, neceſſe eſt. Pendent enim ex extremo media; & ex fine, ea quæ finis gratiâ quæruntur. Neque ulla Religio reperiri poteſt, quæ tantam habeat cum ulla alia Religione ſimilitudinem & affinitatem, ut non multa etiam habeat diſſimilia, & propria. Nam ſi nihil omnino inter utramque interſit, non duæ ſimiles, ſed una, eademque ſit Religio. Habet præterea Religio quælibet ſua privilegia, & juris communis diſpenſationes, quas Chriſti in terris Vicarius, quaſi ipſius juris communis auctor, interpres, ac diſpenſator ſua auctoritate facit, ad utilitatem atque ornamentum Eccleſiæ ſanctæ. Quæ quidem admirabili hac varietate circumamicta eſt,

Sua cuique religioni ſunt propria, ac Societati.

F

&

A & tamquam caſtra Dei, habet plurimas atque invictas armatorum militum acies, in commune quidem fortiſſimè dimicantium; ſed non eiſdem omnes, ſed ſingulas aptis, ſuis, propriiſque armis utentium. Quæ quidem armorum genera tam inter ſe differunt, quàm milites, qui armis utuntur. Denique Deus, qui ſapientiſſimè omnia gubernat, ad morbi naturam, medicinam accommodat, & pro temporum varietate, ad Eccleſiam ſuam vel excolendam, vel illuſtrandam varias Religiones præfinitis à ſe ætatibus mittit.

ANNOTATA.

a *Præſcriptum ſancti P. N. dat Comment.* § 85, *num.* 872.

CAPUT XXII.

Inſtitutum Societatis Jeſu à Gregorio PP. XIII confirmatur.

B CAP. XXIII. *Auctor de Conſtitutione Gregor.* 13 *pro Societate, nonnulla præfatus,*

CUm hæc ſcripſiſſem, & publicare ac prælo mandare vellem, nova Conſtitutio felicis recordationis Gregorii XIII in manus meas venit: in qua cum univerſum Societatis Inſtitutum declarat, omniaque ejus privilegia, conſtitutiones, atque ſtatuta approbat, & denuo confirmat: tum verò præcipua quædam ex iis, quæ à me in proximo capite explicata ſunt, ita definit & ſtatuit, ut rem totam, qua de agimus, maximè illuſtret. Atque etiam excommunicationis latæ ſententiæ anathemate eos conſtringit, qui iis contraria dixerint, docuerintve; & temerariam quorumdam frænat audaciam, qui de hoc Inſtituto, & de aliis Apoſtolicis ejuſdem Gregorii litteris, illud ſimiliter confirmantibus, detrahere auſi ſunt: omneſque illorum aſſertiones huic Conſtitutioni repugnantes, falſas & temerarias eſſe pronuntiat. Nam cum hæc Religio, Jeſu Societas ſit, effugere certè calumnias non poteſt, quas quidem ipſe Dominus Jeſus, & omnes aliæ Religiones, quæ Societates item Jeſu, ac vera membra ſunt, nuſquam non pertulerunt. Id quod ſacri Ordines divi Dominici, ac divi Franciſci abundè teſtantur, qui graviſſimè initio ab improbis exagitati ſunt, atque omnibus machinis pertinaciter oppugnati: ſed Deus, qui & inſtitutor ſanctarum Religionum, & propugnator eſt, Vicarios ſuos,
C Pontifices Maximos divinitus permovit, ut illarum protectionem atque defenſionem ſuſciperent, & clariſſimos atque ſanctiſſimos Doctores Thomam Aquinatem, & Bonaventuram, eo ipſo tempore providentiſſimè illis auxilio miſit, ut hoſtium conatus retardarent, calumnias obtererent, audaciam frangerent atque contunderent, & doctrinæ cæleſtis ſplendore, offuſam animis caliginem diſcuterent. Sed ut hæc omnia lector magis etiam perſpiciat, partem ipſius Sanctiſſimi Domini noſtri Conſtitutionis hic ſubjiciendam exiſtimavi:

illam producit: in qua laudatur Societas

341 Gregorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Aſcendente Domino & Salvatore noſtro in naviculam, ecce motus magnus factus eſt in mari; ipſe autem à diſcipulis rogatus, ventis imperavit, & facta eſt tranquillitas, quam nos in Petri navicula collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino aſſiduis precibus poſtulantes, noſtram interea operam & laborem in frangendis procelloſis fluctibus impendere non deſiſtimus; cumque tanti laboris ſocios, & validos remiges divina nobis providentia præparaverit, eorum opera in ſuperandis ſævientis pelagi tempeſtatibus nos maximè ſublevat; qui pro communi fluctuantium animarum ſalute propria commoda nihili penduntur, ſeque ad omnia diſcrimina exponunt. In quo cum aliarum Religionum ſtudia, tum Societatis Jeſu aſſiduus pro Chriſto labor, nec non uſque ad finem perſeverantia, promptam ſe oſtendit; cumque prolem Catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula pro univerſali Eccleſiâ ſubeunda paratam procreaverit, aliam atque aliam à prima non degenerem, præſtante gratia Dei, quotidie ſubſtituit, ut nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altiùs provecti, ſemper præſto ſint; quos in rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios adſciſcamus: eos autem, ut firmiorem nobis opem ad prædicta navare poſſint, ab omni non modo injuria, ſed etiam calumnia ſtudemus intactos conſervare. *A. Petro Ribadeneira.*

342 Quod ut à nobis efficiatur, ipſius Inſtituta tamquam fundamenta ejus præſidii, quod Catholicæ Religioni impendunt, immota atque inconcuſſa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apoſtolica auctoritate tueri, quorum felic. recor. Paulus III, & Julius B etiam III Conſtitutiones, & laudabile dictæ Societatis Inſtitutum confirmârunt; Pauluſque idem eam ipſam ab omni quorumcumque Ordinariorum jurisdictione exemit: quo Inſtituto per Paulum IV examinato, & à ſynodo Tridentina commendato, Pius V item prædeceſſor noſter, Societatem ipſam Ordinem eſſe mendicantem declaravit. Quæ omnia non immeritò ab eis ſunt conceſſa ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ divinitus elargita, cujus præcipuus finis Catholicæ eſt religionis defenſio ac propagatio, animarumque in Chriſtiana vita & doctrina profectus. Gratiæ quoque ejus vocationis eſt proprium, diverſa orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, ſeu Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi ſalvandarum ſuâ operâ animarum copioſior proventus ad Dei gloriam ſperetur. Ad quem finem Spiritus ſanctus bo. me. Ignatii Loiolæ, Societatis ipſius Inſtitutoris, ejuſque ſociorum excitator, media quoque prædicationum ac cujuſcumque miniſterii verbi Dei doctrinæque Chriſtianæ, & ſpiritualium Exercitiorum, aliorum item caritatis operum, & Sacramentorum adminiſtrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, horumque frequentioris uſus accommodavit. *à fine ac mediis,* F

343 Ad quæ ſufficienter & pro dignitate præſtanda, difficultates ſuperandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religioſi in hujuſmodi diſcurſionibus & miniſteriis exponuntur, neceſſe eſt, ut ipſi talia obituri, magno virtutis & devotionis præſidio muniantur, quod illis gratia in primis omnipotentis Dei, ſimulque educatio ipſa, longa item in Societate probatio, nec non regularum & Conſtitutionum obſervantia præſtare noſcuntur. Quibus Conſtitutionibus, ut tanta ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur, ſtatutum eſt, ut novitii in Societate biennio probentur; quo expleto, ſi ipſi perſeverare voluerint, & Societati fuerit ab eis ſatisfactum (quoniam Societas ipſa non ſolis novitiis, & profeſſis, ut reliqui regulares Ordines, conſtat) tria ſubſtantialia vota ſimplicia (niſi quis interdum ad profeſſionem, vel gradum coadjutorum formatorum admittendus videretur) paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, in eadem Societate ex Apoſtolico indulto, ac juxta vivendi formulam, in eiſdem Conſtitutionibus expreſſam, emittunt, ac *nec non à longa probatione, ante vota:*

A. PETRO RIBADENEIRA.

secundùm illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est, ulteriorem aliquem illius gradum, prout Præposito videbitur Generali.

quibus emissis, aliquem è pluribus in Societate gradum obtinent.

344 Quibus votis emissis, novitii esse desinunt, & in Societatis corpus, qui litteris operam dederint vel daturi sunt, ut scholares approbati: alii verò ut coadjutores temporales nondum formati cooptantur, ac quantum est ex parte ipsorum, perpetuò; ex parte verò Societatis, juxtà Apostolica indulta, & Constitutiones prædictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conservationem maximè esse necessarium, idque ab illius exordio provisum, & pòst experimento comprobatum est: idque initio ingressûs illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis (si quos dimittere oporteat) multo est commodior, ut liberi potiùs, quàm votis obligati dimittantur, aliisque justis & rationabilibus de causis. Coadjutores temporales non formati, qui non ad studia litterarum, sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquot annos, quibus Generali Præposito, & Societati satisfecerint, per tria item paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota, licet publica, & in manibus Superioris emissa, non tamen solemnia: sed tum ex Constitutionum præscripto, tum ex voventis & admittentis intentione simplicia existunt, in coadjutorum temporalium formatorum gradum admittuntur. Scholares verò, studiis in Societate absolutis, antequam professi, vel coadjutores spirituales formati fiant, non solùm tertium adhuc ulterioris probationis annum, in devotionis & humilitatis exercitiis impendunt, ut si qua fortasse in re, harum virtutum fervor per litterarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem ardentioremque divini auxilii invocationem recalescat; sed etiam in verbi Dei sacrarum & scholasticarum lectionum, pœnitentiæque & Eucharistiæ Sacramentorum Societatis ministeriis tamdiu probantur, quamdiu Præposito Generali videtur, nec antequam ipsi Præposito sint planè perspecti, eique in omnibus satisfecerint, ad hujusmodi gradus promoventur.

De Professis quatuor ac trium votorum, & coadjutoribus spiritualibus.

345 Qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos juxta Constitutiones easdem, & Apostolica decreta & indulta viros omnino humiles ac prudentes in Christo, & in vitæ puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque sacerdotes, & in ministeriis hujusmodi priùs diu multumque versatos, vocatio hæc requirit, utpote quos ardua maneant ministeria. Quo fit, ut non omnes ad eamdem professionem idonei esse, nec tales sine longa exercitatione atque experimento fieri, aut etiam cognosci possint. Quapropter Societatis corpus in sua membra & gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum, ut præter eos, quos Præpositus Generalis ad professionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, & nonnullos, quos interdum ad professionem trium admittere potest, reliqui etiam sacerdotes, quorum vita & doctrina in Societate diu probata esset, ac Præposito Generali perspecta, & de ipsius licentia in coadjutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia, in superioris manibus emissa admitterentur. Quibus emissis, tam hi qui spirituales, quam qui temporales coadjutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, suntque omnis hereditariæ successionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Constitutiones eadem habere possunt. Nec propter emissa hujusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicuti nec in professorum bonis, domus ulla aut ecclesia vel collegium dictæ Societatis succedere potest.

Votum quartum solenne, & alia simplicia professorum recensentur.

346 Qui verò quatuor votorum professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum similiter solemne addunt specialis Summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ ob certiorem Spiritus sancti in missionibus ipsis directionem, ac majorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicæ obedientiam, majoremque devotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem. Post emissam verò professionem sive quatuor, sive trium votorum, professi ad paupertatis, quæ regularis Instituti murus est & propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia simplicia vota emittunt: quibus promittunt, se numquam quacumque ratione acturos vel consensuros, ut, quæ in Constitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt, immutentur, nisi quando ex justa rerum exigentium causa paupertas magis restringenda videretur: neque prætensuros, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem intra vel extra Societatem eligantur: nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coácti obedientiâ ejus, qui id ipsis possit sub pœna peccati præcipere. Item Societati vel ejus Præposito manifestaturos, si quem sciant aliquid hujusmodi moliri.

De votis item simplicibus aliorum, earumque obligatione ac pœnis;

347 Porrò non solùm professi, & coadjutores formati, sed ex aliis, quicumque absoluto probationis biennio, prædicta tria substantialia vota etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia à Societate discedant, etiamsi prætextu melioris frugis, & transitus ad alium quemcumque Ordinem (Cartusiensium dumtaxat excepto) id faciant, apostasiæ & excommunicationis ex Apostolicæ Sedis decreto pœnas incurrunt, à quibus non nisi à Summo Pontifice, vel à Generali Præposito absolvi possunt. Iniquè enim cum Societate ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum religionis Catholicæ & hujus Sedis detrimento privaretur, præsertim cum Societatis Constitutiones, & privilegia, quæ supradicta continent, in separata, antequam ad novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturiùs consideranda tradantur. Biennio novitiatûs completo, & emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi & obediendi ratio: debent enim omnes in omnibus obedire, & in communi vivere, non secus alii, atque ipsi professi & coadjutores formati, idque in domibus quidem probationum & collegiis ex reditibus; in domibus verò professorum, quæ nullos omnino reditus habere possunt, ex eleemosynis tantùm. Et licet, qui ad gradus professorum, & coadjutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum jus atque dominium tum alias ob justas causas, tum etiam, ut majorem Societas habeat libertatem, illos, si opus fuerit, cum minori offensione dimittendi, ad tempus Generalis Præpositi judicio præscribendum valeant retinere, ut in pauperes tandem seu alios pios usus pro ipsorum devotione distribuant juxta euangelicum consilium ac promissionem, quam initio novitiatûs faciunt; interim tamen, quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria, & sine Superioris facultate uti

A uti poſſunt.

348 Et quamvis ii omnes, qui poſt biennium novitiatûs dicta tria vota ſimplicia, ut præfertur, emiſerint, ac in corpus Societatis cooptati, illiuſque meritorum, & privilegiorum non ſecus atque ipſi profeſſi participes effecti, quique quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, ſi ipſe Præpoſitus Generalis id prædictæ Societatis Inſtituto congruere judicaverit, & in perpetuum Dei ſervitio votis ſimplicibus conſecrati, ac ſua ſorte, prout laudabile Societatis Inſtitutum exigit, contenti, verè, & propriè Religioſi exiſtant; &, ſi à Societate deficiant, excommunicationis & aliis apoſtatarum pœnis ſint ſubjecti: tamen cum non ita pridem intellexiſſemus, nonnullorum animos, qui pii alioqui & utiles operarii exiſtebant, ſollicitari interdum & affligi, quaſi non eſſent Religioſi, eò quòd non eſſent profeſſi: nec etiam deeſſe, qui Religionis prætextu, transfigurante ſe in angelum lucis ſatana, non ſolùm ea occaſione inquieti exiſterent; ſed etiam aliorum pacem & vocationem diſturbare, eoſque in fraudem & B defectionem deducere conarentur; unde fructuoſa hæc Religio graviſſima potuiſſet accipere detrimenta: idcirco cum divina providentia pro temporum neceſſitate, varia & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſia ſua produxerit, noviſque ſubinde in ea naſcentibus morbis nova remedia; noviſque emergentibus hoſtium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit; & cuique illorum, juxta cujuſlibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, propria inſignia, ac opportuna ad finem, quem intendit, media ſuggeſſerit, & nunc maximè (ut feliciſſimi toto orbe ſucceſſus teſtantur) mirificos in agro dominico fructus prædicto Societatis Jeſu inſtituto proferat, quæ Societas (quemadmodum & alia naſcentium regularium Ordinum exordia) à ſpiritu contradictionis impugnatur: cumque ipſi Ordines Romanorum Pontificum propterea Conſtitutionibus circummuniri conſueverint: cujus rei ſanctorum Dominici & Franciſci præclariſſimi Ordines exempla abundè ſuppeditârunt:

quæ qui emiſerint,

349 Ita nos, licet aliàs Inſtitutum prædictum, privilegia & Conſtitutiones ipſius Societatis confirmaverimus & declaraverimus, motu proprio: ſtatuentes eos, qui biennio novitiatûs peracto, C tria vota tametſi ſimplicia emiſerunt, eſſe verè, & propriè Religioſos; cum præcepto, nequis hæc in dubium revocare audeat, ac cum irritante, & aliis decretis, prout in noſtris ſuper hoc confectis litteris plenius continetur: Quia tamen non defuit temeraria quorumdam audacia, qui poſt declarationem, decretum, præceptum, & interdictum noſtrum hujuſmodi non ſolùm multa ex prædictis, & fortaſſe alia ad Societatis Inſtitutum, ac vivendi formam ſpectantia labefactare, ſed & ipſa Apoſtolica decreta, ac præcepta, publicè & ex cathedra, auſu temerario impugnare, mentemque noſtram perversè interpretari non erubeſcunt; diſputantes, & prædicta in dubium revocantes; omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis, ac ſtatutis metientes, Societatis Inſtitutum, peculiares Conſtitutiones, ac vim votorum ſimplicium illius, à Sede Apoſtolica, in eadem Societatis Religione probata admiſſorum, penitus ignorantes, ac nonnulla jure antiquo, quæ poſt illud ſucceſſu temporum hujus Sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegiis, ſancita, & roborata eſſe dignoſcuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur.

verè ac propriè

350 Hæc Pontifex; & infrà: Nos univerſalis Eccleſiæ utilitati, quam ex inviolato & inconcuſſo dictæ Societatis Inſtituto, & Religioſæ ſobolis educatione ſentimus, & majorem in dies ſperamus, proſpicientes, & præterea ejuſdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento conſulere volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine laudabile ipſius Societatis Inſtitutum, & quæ illud concernunt, præmiſſa omnia, & ſingula, prædictaque illius ac quæcumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis prædeceſſoribus noſtris, & à nobis etiam per communicationem conceſſa; Conſtitutiones quoque, ac ſtatuta, & decreta qualiacumque, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes juris & facti defectus, ſi qui intervenerint in prædictis Conſtitutionibus & ſtatutis. Ad hæc, dictam Societatem firmo Sedis hujus præſidio communire volentes, hac noſtra perpetua Conſtitutione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine E ſimilibus ſtatuimus atque decernimus, tria vota hujuſmodi, etſi ſimplicia, ex hujus Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tamquam in Religione approbata, per Sedem eamdem admiſſa fuiſſe, & eſſe; ac per nos admitti, nec in illis à quoquam præter nos, & Sedem hujuſmodi diſpenſari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimiſſionem à Societate ceſſare poſſe, & non modò eos, qui in coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium, ſive temporalium gradus & miniſteria, ut præfertur, admittuntur; ſed & ſcholares ipſos ac ſupradictos alios omnes, & quoſcumque, qui in ipſam Societatem admiſſi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia prædicta; tametſi ſimplicia, emiſerint, aut emittent in futurum, verè & propriè Religioſos fuiſſe, & eſſe, ac fore, & ubique ſemper & ab omnibus cenſeri & nominari debere, non ſecus atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum profeſſos, ſuiſque Præpoſitis in omnibus & per omnia obedire, & huic Sedi immediatè ſubjectos, & à quorumvis Ordinariorum, & delegatorum, ſeu aliorum judicum jurisdictione omninò exemptos, prout nos etiam F vigore præſentium eximimus.

A Petro Ribadeneira.

ſunt Religioſi:

351 Denique ut omnium Societatis privilegiorum juxta Generalis Præpoſiti diſpoſitionem ſunt participes, ita quoque excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & aliis apoſtatarum pœnis, ſiqui à Societate deficiant, ſubjacere, ac tamquam veros apoſtatas puniri poſſe, nec à quoquam, niſi per nos, & Sedem prædictam, aut Generalem Præpoſitum ab eiſdem pœnis abſolvi, nec ante hujuſmodi abſolutionem, & à Societate dimiſſionem, matrimonium contrahere, quin imò eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujuſmodi nullos, & irritos eſſe, prout irritos facimus, & annullamus: & (ut contradicentium audacia coërceatur,) præmiſſas omnes & quaſvis alias illis ſimiles aſſertiones contra dictæ Societatis Inſtitutum, vel quomodolibet in illius præjudicium pronuntiatas, aut ſcriptas, falſas omnino & temerarias eſſe, & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis officia, & beneficia ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipſo abſque

qui verò à Societate defecerint, apoſtatæ; pœnis contra Inſtituti impugnatores &c. decretis,

A. PETRO RIBADENEIRA.

alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris reservamus, ne quis, cujuscumque status, gradus, & præeminentiæ existat, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam præsentes, aut quemvis earum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeant; districtiùs inhibentes, ne quis sive extra sive intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis, aut inferiorum Præpositorum licentia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia ulla super præmissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam injicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquo modo; nec glossas, aut interpretationes sive impressas, seu scriptas ad id pertinentes, legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat: si quid verò dubii de eisdem oriri contigerit, ad Sedem prædictam, vel ad
B Generalem Præpositum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur.

quæ ab omnibus executioni mandanda præscribuntur:

352 Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque judices & Commissarios etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, nec non irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: mandantes universis & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & ceteris ecclesiarum & locorum etiam Regularium Prælatis per universum orbem constitutis, ut præsentes litteras in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus, diœcesibus & jurisdictionibus ab omnibus inviolatè observari, quin etiam Præpositum ac personas Societatis hujusmodi defendant, eosque præmissis omnibus & singulis pacificè frui faciant, & gaudere, non permittentes ipsos per quoscumque quomodolibet molestari, contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia juris & facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

non obstantibus &c.

C 353 Non obstantibus recol. mem. Bonifacii Papæ VIII, quæ incipit, QUOD VOTUM, & aliis Apostolicis constitutionibus, ac etiam aliorum Ordinum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis quibuscumque hujusmodi Ordinibus, Universitatibus, locis vel personis per quoscumque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, præservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo & forma in illis expressis derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad D hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Constitutio hæc cum némine communicatur: transumptorum fides.

354 Præsentis autem Constitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm volumus, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu secretarii dictæ Societatis, vel notarii publici subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in judicio, & extra illud, quæ litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel E ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, decretorum, statuti, præcepti, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIV, octavo Kalend. Junii, anno Pontificatus nostri tertio decimo. M. Card. S. Stephani. Cæsar Glorierius. A. de Alexiis. Registrata apud Cæsarem secretarium.

CAPUT XXIII.

De collegiis, quæ habet Societas Jesu, ad instituendam juventutem.

F

CAP. XXIV. *Societas habet ista collegia,*

INter alia munia & ministeria, in quibus ad Dei obsequium, Ecclesiæque sanctæ utilitatem, hæc Societas, auctore Ignatio, atque institutore, se exercet, unum (ut diximus) idque in primis utile collegiorum est, in quibus ad pietatem atque ad doctrinam adolescentes conformantur. Quod docendi munus sunt nonnulli, & quidem viri graves ac prudentes, qui ex ea parte, quæ pueros attingit, & prima grammatices continet rudimenta, tamquam novum, & à Religiosa gravitate alienum, minùs probant, causasque petunt, quamobrem Ignatius collegia instituit, & ludum litterarium pueris aperiri jussit, suosque ea occupatione distineri, quæ laboriosa ac permolesta est, & abjecta in speciem videtur, & non satis propria Religionis. Horum ego quæstioni, Deo adjutore, respondebo, rationesque aperiam, quibus id, quod fit, rectè ac sapienter fieri intelligatur. Sunt igitur collegia nostra ipsius Societatis quasi seminaria, in quibus scilicet nostri scholastici, postquam in virtutis studio, ac domandis pravis animi affectionibus, biennium novitii posuerunt, ad pietatem litteras etiam adjungunt, ut pro mensura gratiæ sibi à Domino traditæ, utiles esse ejus Ecclesiæ aliquando possint,

A sint. Sed ejusmodi collegia ita sunt Societatis seminaria (ut diximus,) ut in eis nostri interdum litteras non doceant alios; sed ipsi addiscant. Plerumque tamen ita instituuntur, ut nostri scientias omnes profiteantur ac doceant; theologo quidem necessarias, & à primis grammatices principiis, tamquam ab incunabulis incipientes; ad summum sacræ theologiæ fastigium, auditores suos gradatim sensimque perducant. Non tamen omnia hæc collegia æqualia & paria sunt, neque in omnibus omnes; sed in quibusdam omnes, in omnibus quædam, in aliis aliæ facultates ac disciplinæ explicantur. In omnibus tamen aut in plerisque omnium, pueri grammaticorum præceptis ac primis litteris instituuntur. Et hanc quidem partem tamquam puerilem, & gravitati Religiosæ ac tranquillitati haud satis congruentem; nonnulli reprehendunt.

ut deploratus Ecclesiæ status restauretur bona educatione juventutis:

356 Multæ sunt igitur causæ, eæque gravissimæ, quæ Ignatium ad constituendum hujusmodi scholas impulerunt; sed illa vel maxima, quæ ex propria vocatione, ac præsenti Ecclesiæ statu pendet. Nam videmus (neque sine ingenti animi dolore) quam sit calamitosa; & perdita nostrorum temporum conditio: quanta brevi tempore rerum omnium sit facta conversio: quanta ruina, pernicies, ac bonorum omnium strages sit secuta. Maximam enim orbis terratum partem, aut infideles occupant, aut hæretici; & quæ nobis reliqua pars est, in qua quidem, doctrina sincera atque Catholica adhuc vigeat (quæ est sanè perexigua) ea tamen moribus est inquinatissima, vitiisque usque eò contaminata, ut timendum sit, ne corrupti ac perditi mores viam (ut solent) erroribus etiam atque hæresibus aperiant: & hoc quantulumcumque est, quod nobis restat in Europa, eodem labefactatum motu concidat. Multi, inquit Apostolus, repellentes bonam conscientiam, naufragaverunt circa fidem. Et alibi: Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt à fide. Perversa igitur vita perversam doctrinam parit. Cor enim à vitiis occupatum, & virtuti inimicum, eam doctrinam quærit semper ac sequitur; non quæ vera, sed quæ blanda ac suavis sit; & quæ jucunda præbeat, injucunda rejiciat: & voluntas per se cæca, & perturbationum tenebris cæcata magis lumen veritatis obscurat, aciemque intellectûs
C perstringit, ac habetat, & secum impetu quodam rapit mentem, faciléque persuadet, eam ut doctrinam & fidem abjiciat, quæ tamquam parens quædam, custosque virtutis, ut bonorum conscientiæ blanditur semper, sic malorum sceleribus graviter adversatur. Obstandum igitur principiis est, & arbor in radice sananda. Quod quo commodiùs fiat, danda est opera, ut exstinctis vitiis, radicitusque evulsis, virtutum omnium fructus efflorescant. Ut autem hoc assequamur, nihil facilius, præstantius, divinius, recta & accurata puerorum institutione reperiemus: ut videlicet cum lacte nutricis virtutem sugant, Dei timorem imbibant, eosque mores ab incunabulis discant, quibus robusta ætate victuri, & rempublicam administraturi sunt.

quæ quanti sit æstimanda

357 Hoc spectaverunt, hoc sibi proposuerunt omnibus seculis, nationibus, regnis, quicumque de optima republica leges scripserunt. Hæc ferme est summa præceptorum omnium. Huc referuntur, in hoc consumuntur dicta, facta, scripta penè omnia, quæcumque apud auctores omnes, virosque sapientissimos legimus, ad constituendam præclaram quamdam civilis gubernationis formam. Nam ut qui inseritur surculus calescat, & quæ plantatur arbor radices agat, tenella sit oportet: citiùs enim frangas quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. Adeò (inquit ille) à teneris assuescere, multum est. Et quidam alius: Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. Et illud Philosophi: Non parum differt à juventute, sic vel sic assuefieri, sed multum. Quem imitatus poëta quidam ait: Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu Moribus instituas. Et paulò antè: Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat, Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti. Maxima debetur puero reverentia, si quid Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos, Sed peccaturo obsistat tibi filius infans. Sed longe illustriùs atque sapientiùs hoc idem Spiritus sanctus per Salomonem testatur: Proverbium est, inquit, Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam dum senuerit, non recedet ab ea. Et Salomone antiquior dixit Job: Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ. Plato quidem nihil sibi videri scribit, in quo magis sit elaborandum, quam ut filii à teneris (ut ita dicam) unguiculis rectè instituantur. E

ad bonum commune;

358 Et beatus Augustinus majorem etiam curam adhibendam esse præcipit in educatione, quam ita procreatione liberorum. Magis (inquit) cogita, quomodo nutrias, qui nati sunt, quam ut nascantur: non enim jam felicitas est, habere filios, sed bonos habere. Et idem ille ipse Plato in libris, quos de Republica & de Legibus conscripsit, nihil accuratiùs præcipit, quam optimam ac diligentem puerorum institutionem, ex qua una salus pendet reipublicæ: atque optimis legibus scriptis, optimos magistratus præfert, quasi legibus inanimatis leges animatas. Nam lex scripta, si magistratum nullum habeat, qui ad obtemperandum legi cives pro suo jure cogat, etiamsi vel maximè salutaris ac præclara sit, tamen lex mortua; jaceatque necesse est: optimus autem magistratus, tametsi lege scripta careat, ipse tamen sit lex. Quantum igitur quæ vitâ prædita sunt non viventibus, & animata inanimatis præstant, tantum optimus reipublicæ gubernator, quasi lex viva, legi in æs inciſæ antecellit, quæ per se quidem mortua est. Addit Plato, magistratus optimos haud posse fieri, nisi cives viri sint optimi, F
ex quibus magistratus creantur: viros porrò numquam fore tales, nisi adolescentes, puerique tales sint. Ex pueris enim viri existunt, qui rempublicam, iis fermè moribus atque opinionibus gerunt, quibus à puero imbuti sunt. Hinc fit, ut nisi rectam puerorum educationem in republica sapienter administranda, quasi fundamentum jeceris, quidquid ædificii superstruxeris, corruat necesse sit.

variorum scriptorum

359 Platonem secutus Plutarchus, philosophus prudentissimus, atque Trajani principis quondam præceptor, aureum libellum De liberorum educatione scripsit, in quo rem totam accuratissimè persequitur. Cujus hæc ipsa verba sunt: Sicut infantium membra, simul ac nati sunt, formari, componique debent, ut recta miniméque obliqua fiant; ita puerorum mores principio, aptè concinnéque fingere convenit. Illa namque novella ætas, ad fingendum facilis & tenera est, & ipsorum animis, dum molles adhuc extant, disciplinæ meliùs instillantur; difficiliùs autem, quæ dura sunt, molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum

A. PETRO RIBADENEIRA.

A. PETRO RIBADENEIRA.

dum puerilis animus est, insculpuntur. Aptissimè igitur divinus ille Plato nutrices admonuisse videtur, ut ne frivolas ac turpes pueris fabellas mandent, ne illorum animos ex initio, stultitia & corruptis imbuant moribus. Pulchrè igitur Phocylides poëta monuit: Dum tener est gnatus, generosos instrue mores. Hæc ille, & paulò pòst: Maximum omnium (inquit) longéque primarium dicturus accedo. Inquirendi filiis præceptores, quorum vita nullis obnoxia criminibus, irreprehensi mores, & optimum experimentum. Honestatis enim fontem simul ac radicem esse liquet, legitimam consequi disciplinam. At veluti coloni sepes arbusculis circumponunt; ita & æquissimi præceptores consona pueris instituta, & admonitiones inserunt, unde rectissima morum genera pullulent. Nunc verò respuendi, stomachandique nonnulli sunt genitores, qui priusquam ullam ex præceptoribus experientiam sumpserunt, hominibus aliquandò improbis, imperitisque ac ignorationis insignis, liberos commendant. Hæc Plutarchus.

B *testimoniis,*

360 Docet præterea, nihil esse in rebus humanis, quod tanti æstimandum sit; neque opes, copias, genus, gloriam, honores, formam, sanitatem, robur, ceteraque, quæ in bonis numerantur, ulla ratione esse cum exquisita liberorum educatione comparanda: eos verò paterna appellatione indignos, qui plus studii atque temporis ponunt in comparandis pecuniis, quam in filiis, quibus pecunias relinquunt, ad virtutem effingendis. Neque hoc aliud esse ait, quam magnam calceorum sedulitatem habere, pedem verò ipsum parvi pendere: esse autem perridiculum atque absurdum, liberos, si læva manu cibos capiant, objurgare, & graviter reprehendere; distortis verò atque pravis si moribus sint, patienter ferre. Eamdem cum Plutarcho sententiam habet B. Chrysostomus iis verbis: Magnum habemus pretiosumque depositum, filios; ingenti illos servemus cura; atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nunc contrà penitus facimus. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasonem, atque mulionem, procuratoremque ac dispensatorem, qui nobis magnâ benevolentiâ afficiatur, inquirimus: ceterùm quod nobis cariissimum omnium est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuidam viro permittamus, qui ipsius tueri ac conservare pudicitiam possit. Et certè nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis gratus atque carus esse debet: quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illæ gratiâ comparantur: quod profectò absurdissimum atque stolidissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cetera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil iis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Hactenus Chrysostomus.

C *exemplis,*

361 Xenophon quidem philosophus, & historicus excellens, docet Cyrum Persarum legibus educatum, qui forum habebant in partes quatuor distributum, quarum una erat puerorum, altera puberum, tertia virorum, qui perfectam ætatem jam agunt, quarta verò eorum, qui sunt emeriti. Et præerant cuique harum partium, duodecim principes. Hi verò, inquit, pueris præsunt, qui selecti ex senioribus, eos videantur reddituri quam optimos. Et leges, studia atque eas exercitationes puerorum diligentissimè persequitur, quæ absque admiratione legi non possunt. Idem ille ipse Xenophon alibi tradit, Lycurgum pro servis pædagogis, quos privatim pueris suis quisque præficit; virum præesse illis voluisse ex eorum numero, qui rempublicam gerunt; qui quoniam pueros moderaretur, Pædonomus appellabatur. Deinde ejus officium atque instituta commemorat. Atque hoc quidem Lacedæmoniorum institutum Aristoteles vehementer laudat; docetque ejus, qui civitatem legibus constituere velit, primam ac maximam curam esse oportere in erudienda juventute; quâ sublatâ, pereat respublica necesse est: negatque, ubi pueri educantur, pictas tabulas; in quibus aliquid insit turpitudinis, aut imagines nudas deorum collocandas, aut comœdias lascivas, illis præsentibus, exhibendas. Et merito sanè. Multi enim ad perpetuas inferorum tenebras damnantur, quorum pessima vita ex mala educatione ortum habuit, atque ex parentum incuria: quibus præstandum certè est, quidquid in re tanti momenti per imprudentiam, aut socordiam deliquerunt. E

inductionibus

362 Philippus Macedonum rex, nato Alexandro filio, epistolam scripsit ad hunc ipsum Aristotelem, qui sapientiæ laude, ea tempestate florebat; in qua minùs se gaudere ait, quod regni heredem suscepisset, quam quod eo tempore suscepisset, quo tantus vivebat philosophus, cujus curæ Alexander rectè committi posset: rogatque vehementer Aristotelem, ut filium formandum, atque in omni genere virtutis atque officii erudiendum suscipiat. Neque enim tanti est regem esse, quam sapientem ac præstantem regem esse. Poëta quidam Græcus: Beatus (inquit) est, qui beatus est in liberis instituendis; significans cetera, quæ in humanis bona existimantur, non tanti esse momenti ad veram felicitatem. Romanæ eloquentiæ parentis illa verba sunt: Nullum munus reipublicæ afferri majus, meliusve posse, quam si doceamus atque erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnibus opibus refrænanda atque coërcenda sit. Et Quintilianus, ut perfectum & omnibus suis numeris absolutum oratorem fingat, ab ipsis incunabulis præcepta tradere aggreditur, & magnam curam adhiberi vult in ipsa nutrice deligenda; cujus etiam mores & verba diligenter spectari jubet. Hieronymus, ea sanctitate atque auctoritate vir, inter maximas occupationes atque gravissimas, quibus distringebatur assiduè, puellam instituendi curam suscepit: itaque ad Gaudentium epistolam optimis refertam præceptis scripsit de Pacatulæ infantulæ educatione: & alteram ad Lætam de institutione filiæ, quâ carptim breviterque perstringit, quidquid de hoc argumento uspiam est: & multa minuta, & penè puerilia gravissimè persequitur, quæ absque admiratione legi non possunt propter summam, quam maximus vir in minimis rebus exigit, curam. In hac igitur epistola ita ait: Magister probæ ætatis & vitæ atque eruditionis est eligendus; nec puto erubescet vir doctus, id facere in propinqua vel nobili virgine, quod Aristoteles fecit in Philippi filio, ut ipse librariorum vilitate initia traderet litterarum. E

ex profana & sacra antiquitate depromptis

363 Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Ipse elementorum sonus, & prima institutio præceptorum, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Et post paululum: Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia

A Ista quis in priſtinum candorem revocet ? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum, potentiſſimum regem, orbiſque domitorem, & in moribus, in inceſſu, Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus parvulus fuit infectus. Et infra : Legi quondam in ſcholis puer, Ægrè reprehendas, quod ſinis conſueſcere. Hæc Hieronymus. Cùm Sancta quædam femina vehementiùs oraret Dominum, ut Eccleſiam ſuam deformatam & obſitam reformaret, ac priſtino ſplendori reſtitueret ; quæſitum ex ea eſt, quanam ratione, ex malo quodam corrupto penitus & putrido, poſſent mala & ad aſpectum pulchra, & ad guſtum ſuavia procreari ? Audivitque tandem, id nullâ aliâ ratione fieri poſſe, niſi corrupti mali incorrupta & integra adhuc ſemina, terræ molli ac ſubactæ mandarentur, ex quibus malus naſceretur, quæ ex ſe optima & ſuaviſſima mala proferret. Neque ſecus eſſe faciendum in Eccleſiæ reparatione : itaque ut ea, quæ vel aruerunt, vel infecta ſunt, revireſcant, in
B ſemine eſſe excitanda, atque ſananda. An ſine cauſa factum putamus, ut ea Virgo, quæ Dei Patris ſponſa, Filii mater, atque Spiritus ſancti templum futura erat, triennis Dei templo præſentaretur ? Aut Joannes Baptiſta præcurſor, vox, tuba Domini noſtri, à prima ætate ſe in deſertum abderet uſque ad diem oſtenſionis ſuæ ? Aut alii Sancti permulti, qui vitæ exemplo prælucere aliis, atque anteire debebant in Dei Eccleſia, à puero expreſſæ præbere inciperent ſanctitatis documenta ? Quorum ex numero ſunt Nicolaus & Hildefonſus, ſanctiſſimi epiſcopi : Benedictus, & Dominicus, clariſſimarum Religionum inſtitutores : Thomas Aquinas ſacræ theologiæ decus : Ludovicus Franciæ rex, regum ſpecimen, & alii non pauci : qui ſuo exemplo nos docent, quantum habeat ad virtutem ponderis, ſancta ac diligens à teneris educatio.

oſtenditur. 364 Prudentiſſimè D. Baſilius animadvertit, D. Paulum, cum laudare vellet Timotheum diſcipulum, ad alias laudes hanc etiam adjeciſſe, quod
C ab infantia ſacras Litteras nôſſet. Hærent enim tenaciùs (ut D. Thomas ſcriptum reliquit) & perfectiùs conſervantur, quæ ex illa ætate memoriæ commendantur. Quæ item cauſa fuit, ut ſanctiſſimi Apoſtoli (quemadmodum à D. Dionyſio Areopagita præclarè traditum eſt) inſtituerint, ut infantes baptiſmi aquâ tingerentur, & cæleſtis gratiæ ſplendorem reciperent : ut puri videlicet, ſancti, & omnis erroris fœditatiſque expertes, ad obedientiam veri ſummique Dei ab ipſo matris utero educarentur, pietatemque cum lacte nutricis ſugerent, & renati in Chriſto, nihil aliud ſaperent ac diſcerent, quam Chriſtum, quem ſimul atque editi in lucem, ac ſuſcepti fuiſſent, per Baptiſmi ſacramentum induiſſent. Crudeliſſimi imperatores, qui Chriſti Eccleſiam omni diritate atque immanitate divexarunt, ut religionem noſtram funditus delerent, atque ex animis hominum fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, veramque pietatem radicitus revellerent, eam rationem inierunt, ut molles puerorum animos perverterent, & Chriſti odio imbuerent. Nam Maximinus imperator, tyrannorum omnium terrimus, cum omnibus tormentorum ac mortis generibus nihil adversùs Chriſti fidem profeciſſet, aſtu & calliditate perficere cogitavit, quæ violentia & crudelitate efficere fruſtra tentaverat. Librum enim conſcribi juſſit (ut ab Euſebio Cæſarienſi litteris proditum eſt) cui Acta Pilati titulus fuit, infinita mendacia, & deteſtabiles in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum contumelias continentem : præcepitque, ut præceptores omnes, ac puerorum magiſtri, diſcipulis illum ſuis explicarent, & ipſi diſcipuli memoriter addiſcerent : ut videlicet pueri impietatem à prima infantia combiberent, & depravati Chriſti odio, & ſenſim peſtifera opinione infecti, Chriſtianos homines per totam vitam deteſtarentur ; quos execrabiles, ac peſtilentes eſſe, à teneris didiciſſent. *A. PETRO RIBADENEIRA.*

365 Hoc nefarium impietatis exemplum ſecuti ſunt noſtra tempeſtate hæretici Lutherani in Germania, & Hugonoti in Gallia, ut errores ſuos longè latéque diſſeminarent, & in hominum animis infigerent. Multa enim & ſoluta oratione, & aſtricta numeris, ab oratoribus poëtiſque eruditis illis quidem, ſed impiis, contra ſummum Pontificem, atque eccleſiaſticos homines, & recepta Eccleſiæ dogmata, eleganter, facetè, falſéque conſcripta in vulgus emiſerunt, quæ in ſcholis pueri ediſcerent, ut dulciter venenum
E hauirent, & in totam vitam ſervarent, quæ ineunte ætate credenda, & ſervanda in animum induxiſſent. Almiralius certè Colinius (quem perduellionis, & divinæ atque humanæ majeſtatis læſæ reum, & omnibus probris notatum, Carolus nonus Franciæ rex interfici juſſit,) ut in Galliam hæreſes inveheret, ac certiſſimam peſtem in regnum florentiſſimum inferret, multis in civitatibus illius regni atque oppidis, puellarum magiſtras, ac puerorum magiſtros ſui ſimillimos conſtituit, hoc eſt, hæreticos & peſtilentes, ut illorum animos corrumperent, & cereos, & in omnem partem ſequaces fingerent ad impietatem. Qua in re tantum (ut audio) curæ, ſtudiique ponebat, inſtigante, & oleum camino addente generis humani hoſte, ut vix credibile videatur. Quod ſi ſatanæ miniſtri, ad noſtram perniciem ita invigilant ; quid cauſæ eſt, quo minùs Dei miniſtri pro ſua virili connitantur, omneſque induſtriæ atque ingenii nervos ad ſalutem multorum intendant ? *In corruptelam juventutis conſpirant hæretici ;*

366 Hoc idem ſibi propoſuerunt, atque ſpectaverunt ſanctiſſimi patres noſtri, qui in conciliis multis, præclara & ſalutaria de inſtitutione
F puerorum decreta ediderunt. Nam & magiſtros moribus atque eruditione ſpectatos ſcholis præfici jubent, qui juventutem inſtituant ; & ſtipendia eis conſtitui ; & quod docere debeant, præſcribunt : quamque viam tenere, ut diſcipuli ſanctiſſimæ fidei noſtræ inſtructi rudimentis, ad expreſſam virtutis effigiem, & certiſſimam bene viverndi regulam conformentur. Et in cathedralibus eccleſiis Scholaſtici nomen & dignitas eſt inſtituta, ut honore atque utilitate invitatus (quæ fermè homines ſequuntur) non deeſſet, qui in hoc maximè utili atque neceſſario docendi munere ſe exerceret. In canonibus, qui ſextæ ſynodi nomine (quæ ſexta eſt univerſalis, & tertia Conſtantinopolitana) in quibuſdam exemplaribus circumferuntur, præcipitur, ut clerici ſcholas aperiant, & filios fidelium admittant, & cum caritate doceant, nihilque pro ſuo labore vel petant, vel accipiant, niſi ſi quid fortè parentes ipſi ſua ſponte offerant : memores illorum Danielis verborum, Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Eccleſiæ patres in puerorum*

367 Denique huc ſpectant ſeminaria, quæ novisſimè concilium Tridentinum in cathedralibus eccleſiis inſtitui jubet, in quibus, qui clerici futuri ſunt, Eccleſiæque Dei miniſtri, ad religio- *ac miniſtrorum ſacrorum inſtructionem.*

A. PETRO RIBADENEIRA.

gionem ac Dei cultum omnemque pietatem à pueris instituantur, iisque moribus & disciplinis ornentur, quæ sacerdotes, verosque Dei ministros decent. Et quod tantopere referat in re omnium utilissima maximam diligentiam adhiberi, quales esse debeant in seminarium admittendi, quas artes discere, ac totam gubernationis formam diligentissimè sacrosancta synodus præscribit. Accedit eódem, Religionum sacrarum omnium exemplum, quæ ad novitios suos probandos formandosque tempus, & locum, & modum designant: quod nimirum intelligant, vix fieri posse, ut ex malo novitio bonus professus exiitat. Quemadmodum ex dissoluto ac perdito adolescente, honestus sacerdos & gravis, aut utilis reipub. civis, sapiensque gubernator vix ullus evadet. Est enim rara avis in terris, nigroque simillima cygno. Nam quæ seminaverit homo in adolescentia sua, eadem metet in senectute.

B

Hinc juventutis institutionem tanti facit Societas: cui præluxerat antiquitas,

368 Ut ad propositum igitur revertamur, hæc causa est, quamobrem Societas nostra, hoc pueros docendi, instituendique munus suscepit. Quod quidem neque novum, neque Religione indignum, neque vile abjectumve dici debet; sed perantiquum, & in sanctissimis sacrorum Ordinum institutis usitatum, & laudabile in primis, atque honorificum. Nam ipso nascentis Ecclesiæ exordio, eximii atque excellentes vitâ & doctrinâ viri deligebantur, ut catechesim, & fidei nostræ rudimenta populis traderent: & Alexandriæ (auctore Eusebio Cæsariensi) schola ea de causa instituta est, cui præfuerunt Pantænus, præclarus philosophus, & Clemens Alexandrinus, vir eruditissimus, Origenis præceptor; & ipsemet Origenes Clementi successit, & socium sibi ad eam rem ascivit Heraclam, virum sapientissimum. Et Protogenes vir sanctitate & miraculis clarissimus, ludum aperuit scribendi, pueroque, hac quasi esca, ad Christi cognitionem atque amorem pellexit, ut auctor est Theodoretus, semperque hoc etiam grammaticam docendi munus, in laudatissimis Ecclesiæ Dei officiis habitum est. Quod ut perspicuum magis fiat, referam quod D. Basilius, monachorum in Oriente lux, institutor & pater, de hac re tradit. Is igitur quærit, numquid conveniat, ut inter fratres magister sit

C

puerorum secularium? Cui quæstioni ita respondet: Cum Apostolus dixerit: Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina & correptione Domini, si qui eos adducunt, hac mente adducunt, & qui suscipiunt, tales sunt, qui plenissimè confidant, posse se, qui sibi adducantur, in disciplina & correptione Domini educare: servetur quod præceptum est à Domino, qui dixit: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Remoto autem hujusmodi proposito ac spe, hoc neque Deo gratum, neque ex decoro aut utilitate nostra esse existimo. Hæc ille.

mi & ecclesiæ ac cœnobia,

369 Atque hoc quod divus scribit Basilius, usu postea receptum est. Nam & in ecclesiis, & cœnobiis gymnasia litteraria habebantur, ut ex sextæ synodi universalis canonibus, qui (ut diximus) circumferuntur, manifestum est: quo facultas datur laicis, ad scholas in templis monasteriisque constitutas ventitandi. Et idem ipse Basilius, non solùm pueros, sed puellas etiam admittendas, & separatim instituendas docet, & ritu ceræ earum animos confestim ab ipso initio omni rerum bonarum fingi exercitatione. Quod præclarum inventum imitatus est D. Benedictus, monachorum & ipse in Occidente parens, qui pueros in cœnobiis educabat, informabatque ad pietatem (in eum fermè modum quo Societas nostra quibusdam in collegiis separatim nunc facit.) Sic Placidum & Maurum puerulos à Benedicto receptos legimus, & in omni genere virtutum excultos atque perfectos. Quæ consuetudo diu postea tenuit. Nam D. Gregorius, Anglos pueros magnâ diligentiâ conquiri jubebat, & in sui Ordinis cœnobiis ali atque educari. Et D. Thomas Aquinas longo pòst tempore, in Cassinensi monasterio à puero institutus est. Neque verò pueros fingebant monachi sancti Benedicti ad omnem tantummodo virtutis laudem; sed etiam disciplinis, & omni scientiarum genere instruebant. Nam & in Germania, & in Gallia, & in Anglia, magna cum laude docuerunt; auctore & principe hujus instituti venerabili Beda, qui ante annos DCCC in Anglia docuit, & scholæ præfuit: in cujus locum postea successit Albinus, Caroli magni præceptor, & in locum Albini, Rabanus, abbas Fuldensis, qui postea etiam archiepiscopus fuit Maguntinus. Et monachi sancti Benedicti, collegia (quemadmodum nunc nos habemus) habuerunt, in quibus docebant scilicet, quæ nunc nos docemus, ut videre est apud Joannem Trithemium, monachum & abbatem ejusdem Ordinis, qui rem totam diligentissimè persequitur. Atque ea re tantopere floruit Ordo D. Benedicti, & sanctissimis doctissimisque viris abundavit, quorum doctrina universam Ecclesiam illustravit, inflammavit vita.

D

E

huic muneri fructosè intenta.

370 F. Joannes Vercellensis, qui Ordinis Dominicani sextus fuit magister Generalis, in conventu quodam totius Ordinis statuit, ut Religiosi fratres ex sua familia ubique designarentur, qui pueros instituerent, ac docerent, confessiones eorum audirent: quod etiam in conventu generali, anno MCCLI Mettis habito, antea decretum fuerat, atque librum & statuta quædam Ordo ille sanctissimus conscripsit ad eam rem pertinentia, ex qua mirificus percipiebatur fructus, ei omnino similis, quem nunc in Societate videmus. Ticini etiam publicum gymnasium in conventu S. Augustini collocatum est, à cujus Ordinis viris disciplinæ omnes tradebantur: ut quidam ejusdem Ordinis monachus scriptum reliquit. Et in Belgio usque adhuc nonnullos sacrorum hominum conventus videmus, in quibus viget scholarum puerilium disciplina. Quæ cum ita sint, quis rem antiquissimam novam existimabit, aut à Religionis usu discrepantem, quam ii viri, qui Religiones nobis pepererunt, suo exemplo confirmârunt? An feliciora fortè sunt nostra tempora, quam in quibus illi vixerunt? An hoc pueros docendi munus minùs est nunc necessarium, quam olim fuit? Nihil minùs. An conjunctius fortasse ac congruentius professioni monachi est, qui plangentis habet officium, non docentis, quam ejus Societatis instituto, quam Deus calamitosissimis hisce temporibus labenti Ecclesiæ suæ auxilio misit, & ad hoc opus mirabiliter vocavit?

F

CAPUT XXIV.

Reliqua ejusdem argumenti commoda expenduntur.

ITaque videmus cum ex reliquis Societatis ministeriis multa & magna in Dei Ecclesiam emolu-

A molumenta redundare, tum ex ſcholarum noſtrarum uſu, plurima & maxima. Nam ut omittam diſcipulorum noſtrorum in litteris progreſſus haud ſanè pœnitendos : & de eo tantùm loquar, quod omnium eſt maximum : hac certè docendi ratione in octo provinciis, quas in regnis hæreſi contaminatis Societas noſtra habet, Francicas nimirum duas, Aquitanicam, Belgicam, Rhenanam, Suevicam, Auſtriacam, Polonicam ; incredibiles commoditates & fructus eſt conſecuta : ſiquidem eorum, qui in Catholica adhuc fide perſeverant filii, lacte veræ Apoſtolicæque doctrinæ à noſtris nutriti, & ipſi veritatem fidei retinuerunt, & parentes ſuos, ne ab ea diſcederent, ſuo exemplo, & ingenito amore confirmarunt : & innumerabiles hæreticorum filii hac eadem ratione, & per filios parentes ab errore revocati ſunt. In aliis verò provinciis integris atque ſinceris, magna in primis puerilium emendatio morum conſecuta eſt. Sunt enim pueri, quam antea, domi tractabiliores, parentibus obſequentes magis, modeſti erga æquales, B erga majores natu reverentes, Dei cognitione imbuti, timore ſolliciti, amore incenſi. Civitas fuit, quæ cum pueros haberet intractabiles ac contumaces, ad illorum frænandam audaciam & licentiam coërcendam, multis rebus fruſtra tentatis, Societatis demum collegium inſtituit, idque felici ſucceſſu. Nam blandam noſtrorum magiſtrorum pueri ſequentes manum, & Chriſtianæ diſciplinæ præceptis inſtructi, magna cives ſuos admiratione affecerunt, & præclaro exemplo docuerunt, quantum valeat à teneris unguiculis ad virtutem, Deique timorem conſuescere.

Ex ſcholarum uſu

372 Sed alium etiam fructum Dei Eccleſia ex noſtris collegiis percepit. Habet enim multos, bonos, doctos, graves miniſtros, in noſtris ſcholis educatos, atque ab ineunte ætate eccleſiaſticis officiis inſtructos, & ad omnem propenſos pietatem. Et ipſi ſacrarum Religionum conventus utilitates maximas ex noſtris ſcholis ceperunt. Ex quibus permulti diſcipuli noſtri, carnis abdicatis illecebris, mundique omni vanitate rejecta, ad ſanctiſſimas Religiones, quaſi in portum confugerunt, tanto euangelicæ perfectionis deſiderio atque amore inflammati, ſic in orandi, ſuique vincendi ſtudio exercitati, ut novitiorum magiſtri, ad illos ſua ſponte incitatos atque currentes confirmandos, fræno potiùs, quam calcaribus indigeant. Neque tamen adhuc perſpicitur, quam latè pateant harum ſcholarum fructus; efferent ſe aliquando, & per omnes partes brevi ſe latiùs fundent, ac tunc demum intelligent homines, quid boni iis in ſcholis lateat, cùm hæc ſemina adoleverint : & ſanctiſſimos epiſcopos Eccleſiæ Dei, optimos atque ſapientiſſimos gubernatores Chriſtianæ reipublicæ ſuppeditabunt.

multa in Eccleſiam redundant commoda.

373 Dicat aliquis ; Unde iſte tantus & tam eximius ex ſcholis veſtræ Societatis fructus ? Nonne aliis etiam in ſcholis præceptores ſunt modeſti, probi, eruditi, vigilantes, & ſtrenuè ſuo fungentes munere ? Sunt ſanè permulti ; non inficior ; ſed tamen egregii hujus atque uberioris fructus, quem ſcholæ Societatis præ ceteris afferunt, multæ ſunt cauſæ. Quarum prima eſt ac præcipua, Dei voluntas, quæ, ut Societatem ad hoc opus elegit, ita gratiâ ſuâ illam proſequitur, ut munus, quod ejus inductu ſuſcepit, laudabiliter expleat. Deinde etiam alia ſunt, quæ huc conducunt. Nam ut diſcipuli in virtute proficiant,

Cur autem id potiſſimùm contingat

ea adhibentur à noſtris, quibus virtus ipſa generatur, conſervatur, augeſcit. Ea ſunt, matutina oratio, ad petendum à Deo gratiam, ne in peccatum labare : oratio etiam veſpertina, diligenſque commemoratio eorum, quæ eo die cogitaveris, dixeris, feceris ; ut culpas, quas admiſeris, dolore ac fletu diluas : quotidiana, attenta, ac devota Miſſæ auditio : frequens atque humilis peccatorum confeſſio apud ſacerdotem : &, ſi per ætatem liceat, & magna ſuadeat devotio, & confeſſarii etiam conſilium accedat, reverens Domini noſtri Jeſu Chriſti corporis & pia ſuſceptio : rudimentorum Chriſtianæ fidei traditio atque explicatio, quibus ad bene beateque vivendum pueri animentur atque accendantur. Magna præterea cura adhibetur, cum omnibus puerorum vitiis inveſtigandis, cognoſcendis, emendandis ; tum verò iis præcipuè, quæ illi ætati inſita & ingenita quodammodo ſunt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

374 Ad quæ evellenda atque extirpanda, ſyndici, quaſi communis boni defenſores ac patroni creantur, decurioneſque curioſi, pueris in decurias diſtributis, præficiuntur : qui mores E ſingulorum diligenter obſervent ; &, ſi quid perperam à quoquam dictum, factumve ſit, deferant ad præceptores. Adde honoris gradus, quibus qui virtute modeſtiaque magis excellunt, ceteris anteferuntur, & tamquam in medio ponuntur in exemplum. Sodalitates præterea conſtituuntur, in quas admittitur atque cooptatur nemo, niſi ſtudioſus atque probatus, idque magno delectu. Iis autem cum congregantur, virtutum omnium proponuntur exempla, mutuóque ſe juvant, & ad omnem probitatis laudem impellunt. Suntque ſua ſingulis diſtributa munia, onera, officia, quibus obeundis implicantur : & in hac exercitatione, tamquam in umbra meditantur quodammodo ea, quæ ætate jam confirmata, poſtea in repub. præſtaturi ſunt.

in gymnaſiis noſtris

375 Illud præterea cavetur diligentiſſimè, ne quem librum diſcipuli legant, quantumvis eruditum atque elegantem, qui illibatam puerorum caſtitatem, atque animorum integritatem poſſit corrumpere *a* : ex lectione enim levium & turpium amorum turpificatus animus, earum rerum, F quas legit, ſenſim affectu tingitur, & libidine tandem incenſus, ea incipit appetere, quæ antea neſciebat. Quamobrem ſanctiſſimi quique atque graviſſimi viri, libellos omnes de amoribus, de levitate, atque corruptione morum, tamquam inimicos virtuti, & perniciem, peſtemque adoleſcentiæ deteſtantur, & à rebuſpublicis bene conſtitutis arcent, eorumque uſu pueris interdicunt. Serpit enim venenum contagione, & blandè epotum vi ſua enecat hominem. Quod cum Societas noſtra animadverteret, videretque nonnullorum auctorum libros, ad fingendam poliendamque linguam propter ſummam elegantiam eſſe aptiſſimos, propter laſciviam autem cum elegantia conjunctam moribus eſſe perniciosos; dedit operam, fecitque prudentiſſimè, ut libros illos caſtigaret ; & amputatis iis, quæ moribus pernicioſa videbantur, ea retineret, quæ linguam acuere atque expolire poſſent. Hiſce igitur rationibus, maximè verò optimo vitæ exemplo, quod præceptores noſtri, tamquam Deo penitus dicati homines, ipſis præbere ſtudent, puerorum finguntur animi, & ad ſanctiſſimam diſciplinam conformantur. Et hæc quidem ad mores formandos.

cum circa mores,

a

376 Ad eruditionem verò augendam, non deſunt alia etiam adjumenta doctrinæ. Ex quo plus noſtris in ſcholis videmus brevi tempore pueros pro-

tum circa eruditionem,

A. PETRO RIBADENEIRA.

proficere, majoresque in litteris progressus facere, quam longo tempore in aliis; idque accidere tum propter modum, quo utuntur, tum propter magistrorum assiduitatem ac vigilantiam. Nam alibi, unus fermè magister multos ordines ducit; & discipulis infimis, mediocribus, summis, suam operam simul impendit, quibus singulis satisfacere vix potest. At verò in Societate distinctos habemus discipulos, & in suas classes ordinesque divisos, singulisque classibus singuli præceptores præficiuntur. Nam tametsi non omnia collegia sint æqualia, sed in nonnullis plures, in aliis pauciores sunt præceptores; in quibusdam majores scientiæ traduntur, in aliis minores tantùm: in aliis omnes disciplinæ, in nonnullis aliquæ explicantur, pro cujusque collegii institutione & copia, ut dictum est: tamen omnia fermè collegia tres minimùm habent grammatices præceptores ad erudiendam juventutem, alia etiam quinque, alia verò plures. Et quoniam hæc cura laboriosa pro Christi tantùm amore suscipitur, in illumque omnia nostrorum studia in instituendis pueris, laboresque referuntur: multa excogitantur, multæque exercitationes adhibentur, ad illorum animos magis etiam excitandos, disputationes videlicet assiduæ, contentiones ingeniorum variæ, præmia iis proposita, qui ceteris præstant, & ingenii atque industriæ laude antecellunt. Hæ enim prærogativæ & virtutis quasi testimonia, magnopere commovent scholasticorum animos, & vel dormientes excitant, vel excitatos & sua sponte currentes incitant magis, atque impellunt.

variæ assignantur rationes:

377 Nam ut pœna & ignominia, quasi fræno quodam à malo coërcent; ita honos, lausque ad decus virtutis, & gloriam mirabiliter accendunt: verissiméque ait Cicero: Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriâ, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Et poëta quidam: Laudataque virtus Crescit, & immensum gloria calcar habet. Et Quintilianus noster, exercitatissimus ac peritissimus pueros erudiendi magister, magnam vim ad acuendum alendumque juventutem hæc honoraria (ut ita dicamus) præmia habere docet. Pueri enim non ratione (quæ illi ætati infirma adhuc est atque imbecilla) sed affectibus plerumque feruntur. Et ambitio ipsa, atque immoderatus honoris appetitus quamvis in vitio sit, in virtutem tamen interdum ducit: multaque facinorosa & fœda evitantur, quod illis sit turpitudo conjuncta; multa præclarè fiunt, quod honori atque laudi futura sint. Atque hæ quidem potissimæ sunt causæ, & magistrorum inprimis cura, studium, opera, quamobrem tantus ex nostris scholis, quantum videmus, fructus colligitur. Nam quod præceptores nostri molestiis multis carent, & negotiis, sollicitudinibusque familiæ alendæ, quibus irretiti sunt alii, ipsi liberi sunt, plus temporis in hac puerorum institutione ponunt, & in illam seculi vinculis expediti, toto (ut dicitur) pectore incumbunt.

Deo pios hosce labores sospitante,

378 Prosequitur autem Dominus gratiâ suâ nostrorum conatus pro ipsius gloria susceptos: & qui dedit velle, dat & perficere. Ipse enim fons est, ex quo omne datum optimum, ac donum perfectum derivatur: cui maximè, imò soli, fructus omnis, qui ex scholis nostris proficiscitur, tamquam bonorum omnium auctori, tribuendus est. Qui etiam pro sua benignitate gravissimos patres, & in Societate nostra peregregios ita permovit, & rei magnitudine atque utilitate incendit aliquando, ut in hac pueros docendi, instituendique palæstra, se diu exercerent, & operam suam atque industriam optimè hac una in re positam esse existimarent. Quos imitati sunt alii etiam patres graves, ingenioси, eruditi, & ad quævis majora munera habiles, qui cum hoc docendi genus degustâssent, rem non vulgi trutinâ, sed prudentium staterâ ponderantes, elegerunt, petiverunt, impetraverunt à Superioribus, magnique beneficii loco duxerunt, in hac exercitatione vitam omnem traducere, & in ea consenescere, quod videlicet sperarent, uberiores ex ea fructus se posse colligere ad Dei gloriam, quam ex quovis alio Societatis ministerio, quamvis præstanti, specioso, præclaro.

pro cujus amore suscipiuntur secundùm vivæ

379 Magnam nimirum vim amor Dei habet, in omnes partes versat agitque animum ejus, quem verè fortiterque possidet: & ita luce sua complet, atque iis facibus incendit, ut omnia tamquam stercora arbitretur, ut Christum lucrifaciat: & quidquid in mundo nobis blanditur, quidquid usquam est vel auctoritatis, vel honoris, & gloriæ, id totum pro nihilo ducat, ut vel minima re Deo placere, & ejus nomen amplificare possit. Docet hoc suo nos exemplo B. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, quo doctore D. Hieronymus sacras Litteras didicisse gloriatur: qui cum Apostata Julianus omnium philosophorum, oratorum, atque poëtarum lectione Christianis interdixisset, ne eloquentia, verborumque elegantia nostris deesset, animum ad scribendum versus omnis generis appulit, comœdiasque ac tragœdias de rebus honestissimis, & ad mores rectè instituendos aptissimas edididit, tanta gravitate, ornatu, atque elegantia, ut Christiani pueri nihil ampliùs desiderarent, neque profanos auctores requirerent. Atque hoc idem sit etiam illustrius Gregorii magni summi Pontificis, & sanctissimi Doctoris exemplo, de quo Joannes Diaconus memoriæ prodidit, illum ad instaurandum cantum ecclesiasticum, & animos hominum ex cantu ad pietatem magis excitandum, ædes duas Romæ ædificasse, ad D. Petrum alteram, alteram ad D. Joannem Lateranensem; in quibus puerorum cœtus cantabant. Intererat autem canentibus ipse summus Pontifex, ac veluti præsidebat, flagellumque manu tenens, errantes pueros corrigebat; magna auctoritate atque gravitate. Addit autem Joannes Diaconus, suo adhuc tempore extitisse domum illam ad D. Joannem, quam Gregorius ædificârat, & in ea lectulum ostendi solitum, in quo beatissimus Pontifex cantillans jacebat, flagellum item & Antiphonarum librum, quibus utebatur.

sanctorum virorum exempla,

380 Quem igitur non summopere commoveat hoc tam rarum atque inauditum divini amoris exemplum? Quem non admiratione afficiat? Quæ enim vel gravitas, vel personæ dignitas, Pontificis maximi majestati æqualis? Ubinam vel occupationes plures, quam in summo pontificatu; vel negotia graviora? Omnia tamen Dei amor vincebat. An minùs fortasse reipublicæ interest, pueros bonis moribus, ac litteris imbui, quam modulis institui? An Deo gratiores sunt concentus musici, quam animi moderati, pietateque flagrantes: & suavior vocum modulatio, quam laudabilium morum harmonia? Haud ita. Major enim & melior actionum, quam sonorum concentus est. Per caritatem quippe, vitæque sanctitatem homo vivum Dei templum efficitur: musicâ verò Deus in visibili templo laudatur. Neque minorem sanè adfert admirationem, quod beatus Hieronymus in epistola illa (cujus suprà mentio-

A tionem fecimus) ad Lætam de filiæ educatione ſcribit. Nam hortans Lætam, ut filiam Paulam Româ Bethlehem uſque ad Euſtochium amitam, & Paulam aviam mittat, à quibus ab infantia ad ſanctitatem omneque genus virtutis educaretur; tandem hæc verba ſubjecit: Ipſe ſi Paulam miſeris; & magiſtrum, & nutritium ſpondeo, geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi philoſopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam, regnis cæleſtibus inſerendam. Hactenus ille.

381 Quid hoc exemplo admirábilius? Quid *nobis relicta.* fortius? Quid ſanctius? Nam ſi divus Hieronymus univerſæ lumen atque ornamentum eccleſiæ, ad quem tamquam ad oraculum, ex omnibus fermè orbis terrarum partibus, doctores, epiſcopi, ipſi denique ſummi Pontifices quæſtiones ſuas explicandas deferebant, infantulæ ſe magiſtrum & nutritium pollicetur; ſi ſumma ſua gravitate, ætate, auctoritate, ſapientia indignum B non ducit, infantulam geſtare humeris, & balbutientia verba formare, immò verò utiliùs & & glorioſiùs operam ſuam ſe poſiturum arbitratur in puellulæ educatione, quàm poſuit Ariſtoteles in Alexandri Macedonum regis inſtitutione: quis erit tam rerum rudis atque imperitus, qui hominibus Religioſis, & Deo in perpetuum conſecratis indignum putet, eos pueros erudire, qui concionatores, canonici, parochi, epiſcopi, rerumpublicarum gubernatores futuri ſunt? Quandoquidem certiſſimum eſt; hæc omnia officiorum munera obituros aliquando, qui nunc pueri ſcholas frequentant, eoſque in ſenectute tales ſe exhibituros, quales fuerint in adoleſcentia. Sed ut finem dicendi faciam, hæ ſunt potiſſimùm cauſæ, quamobrem Societas noſtra ludum aperit, & collegia inſtituit.

In collegiis gratis docetur; eaque ſunt fundata,

382 In iis autem collegiis nullum omnino à diſcipulis ſtipendium accipiunt præceptores, ſed gratis & abſque ulla mercede docent: quod in reliquis etiam Societatis fit miniſteriis, quemadmodum dictum eſt. Vivunt autem non ex quotidianis eleemoſynis (hoc enim proprium eſt domorum profeſſarum;) ſed ex reditibus. Nam ut ſcholaſtici uni ſapientiæ ſtudio diligentiùs navent operam, & præceptores in puerorum eruditionem ſtrenuè incumbant, aliis moleſtiis ſint expediti neceſſe eſt, maximéque earum conquirendarum rerum ſollicitudine, ſine quibus vita tranſigi non poteſt; ne à victu videlicet, ac veſtitu pendeant, & in ſui alendi curas diſtracti, à docendi curſu, & laborioſa contentione retardentur. Friget enim ſapientiæ ſtudium in ſumma mendicitate, & minor alios inſtituendi cura, majori vivendi curâ plerumque obruitur. Reditus porrò hujuſmodi collegiorum fundatores conſtituunt, aliique homines liberales ac benefici, qui rectè ſuas facultates collocare ſe putant, iis Dei miniſtris alendis, qui ejus gloriam amplificaturi, & pro ſua virili, in rem maximè utilem labores ſuos collaturi ſunt. Et meritò quidem. Omnes enim eleemoſynæ noſtræ Deum ſpectare debent, ejuſque majorem gloriam intueri: major autem Dei gloria in animarum, quam in corporum ſalute videtur poſita. Ex quo eleemoſynæ eæ, quæ ad eos Dei miniſtros procreandos, ſuſtentandoſque referuntur, qui ſe totos proximorum utilitatibus ex inſtituto dedicârunt, & ſalutem animarum procurant, gratiores Deo procul dubio ſunt iis, quibus corporum tantùm neceſſitati, atque indigentiæ ſubvenitur.

A. PETRO RIBADENEIRA.

383 Pertinet etiam ad omnes fructus hic, univerſamque rempublicam complectitur; & idcircò privatis commodis eſt præferendus: præſertim cum ſolidior ac certior ſit. Præcidunturque enim (ut diximus) morborum radices hac puerorum inſtitutione, & mala, antequam eveniant, præcaventur: idque nunc quidem propter noſtrorum temporum calamitates; ſi umquam aliàs, ſummopere certè eſt neceſſarium. Quod cum viri multi præſtanti prudentia, copiis, opibuſque abundantes, & Dei gloriæ cupidi ſapienter animadverterent, ad collegia Societati exædificanda, ſtabiliendaque animum adjecerunt. *pecuniâ functoſe à bene meritis hue collocatâ;*

quos inter egregiè emicat Gregor. PP. 13, Sixto V P. 5 eum imitato. *b*

384 Collegium Romanum *b*, quod primum locum non tempore, ſed dignitate atque utilitate inter univerſæ noſtræ Societatis collegia obtinet, beatiſſimus Romanus Pontifex Gregorius XIII, ſumma benevolentia, atque liberalitate fundavit. Atque alterum in Japonenſi inſula à nobis remotiſſima inchoavit. Tanto enim Catholicæ religionis conſervandæ atque amplificandæ ſtudio incenſus ſanctiſſimus hic Pontifex fuit, ut in omnibus pènè provinciis hæreſi contaminatis; ſeminaria paſſim ædificaverit; ad retinendam vel reſtituendam fidei Catholicæ integritatem. Et ut illam etiam longè latéque propagaret, & in regiones diſjunctiſſimas diffunderet, idem præſtitit in Japone, ad alendos atque inſtituendos Japonios adoleſcentes, ad Chriſti fidem nuper converſos. Societati præterea noſtræ collegium inſtituit, ut noſtri operarii, qui ad meſſem illam copioſiſſimam & jam maturam & albeſcentem demetendam proficiſcuntur, ſine ſumptu illorum, apud quos ponunt Euangelium, vivant; & alios Japonios in Societatem ingreſſos habeant ſucceſſores. Quod quidem præclarum incœptum S. D. N. Xyſtus quintus benigniſſimè proſecutus eſt, & Gregorii (cui ipſe ſucceſſit) beneficentiam ſua liberalitate cumulavit, & perpetuis reditibus ſtabilivit; Japonioſque Oratores (de quibus ſuprà mentionem fecimus) ampliſſimis muneribus atque honoribus auxit & ornavit; eoſque Sedis Apoſtolicæ & tantæ Urbis religionis, majeſtatis, magnificentiæ admiratione affectos, lætos in patriam alacreſque dimiſit.

E

F

Plurimorum collegiorum, eorumque qui ea fundârunt;

385 Lauretanum item collegium atque Avenionenſe duo alii Pontifices Maximi inſtituerunt. Panormitanum verò Carolus V imperator: Viennenſe, Pragenſe, atque Oenipontanum ejus Germanus frater Ferdinandus item imperator: Conimbricenſe, Goënſe, Ulyſſipponenſe, Eborenſe, & in inſulis Madera & Tercera (quas vocant) in India etiam, Japone, Braſilia, Joannes tertius, Sebaſtianus, & Henricus Luſitaniæ reges, multa alia non minori pietate quam magnificentia Societati collegia fundârunt. Stephanus Battorius, Poloniæ rex, Claudiopolitanum in Tranſylvania collegium, Rigenſe in Livonia, Poloſcenſe in Moſcoviæ finibus noſtris erexit; Halenſe Magdalena Ferdinandi imperatoris filia; Græcenſe Carolus archidux Auſtriæ, ejus frater; Ingolſtadienſe, & Monachienſe, Bavariæ dux Albertus; Cambetii (quæ civitas Allobrogum caput eſt) & Taurini (quæ ſedes eſt principibus Pedemontanis) Philibertus princeps & Sabaudiæ dux; Florentiæ verò, ac Ferrariæ, & Mantuæ, & Parmæ, & Nivernii, & Guiſii, & Arci Duces, ſuis in ditionibus collegia conſtituerunt, aliique permulti principes ſeculares idem præſtiterunt.

386 Et ut ad eccleſiaſticos veniamus, Alexander Farneſius, S. R. E. Cardinalis, Monteregali in Sici- *cum principum eccleſiaſticorum,*

A. PETRO RIBADENEIRA.

Sicilia ; Otho Truchſes Cardinalis , epiſcopus Auguſtanus , Dilingæ in Germania ; Cardinalis Turnonenſis , Turnoni in Gallia ; Card. Carolus Lotharingus , Ponte Moſſoni in Lotharingia ; Card. Oſius , Bransbergæ in Polonia ; Mediolani Carolus Borromæus , Card. & archiepiſcopus Mediolanenſis ; Fulvius Corneus Card. Peruſiæ , & noviſſimè Gaſpar Quiroga Card. & archiepiſcopus Toletanus , Toleti , ac Talabricæ ; Moguntiæ verò , & Treveris , illarum civitatum archiepiſcopi , qui iidem ſacri Imperii ſunt Electores , collegia noſtris ædificârunt. Et in Hiſpania Petrus Guerrerius , archiepiſcopus Granatenſis , Granatæ : & Franciſcus Blancus archiepiſcopus Compoſtellanus , Compoſtellæ : & item Malacæ , ubi priùs fuerat epiſcopus : Murcianum item, Placentinum, Legionenſe , illarum civitatum fundârunt epiſcopi. Omitto reliquos brevitatis cauſâ.

tum ſecularium catalogus texitur a

387 Quin civitates nonnullæ publicè ſuis ipſæ ſumptibus in commune collegia fundârunt , qualia pleraque ſunt , quæ habemus in Sicilia. Neque pauca vel exilia ſunt , quæ à privatis quidem B hominibus , ſed familiæ ſplendore , opibus ac pietate nobiliſſimis fundata habemus collegia. Ejuſmodi eſt collegium Complutenſe , quod D. Maria Mendoſia , Mondejaris Marchionis filia , pietate etiam ac religione , quam ſanguine illuſtrior , inſigni Societatis noſtræ , & Complutenſis academiæ beneficio fundavit. Barcinonenſe item , quod perpetuis reditibus firmavit D. Matia Manrique de Lara , Najaræ ducis filia , tum generis nobilitate , tum eximiæ virtutis , atque integerrimæ vitæ exemplo clariſſima. Collegium etiam Villagarziæ , quod D. Magdalena Ulloa , Ludovici Quixadæ , viri belli paciſque artibus ſpectatiſſimi , ejus oppidi domini conjunx , præſtanti liberalitate à fundamentis ædificavit. Neque verò hoc uno collegio ſatis ſuæ pietati ſe feciſſe arbitrata , alterum etiam in Urbe Ovetenſi adjecit : ut ipſa facultates ſuas (quas habet copioſas) in Dei gloria amplificanda conſumeret , & ex Ovetenſi illo collegio , doctrinæ Chriſtianæ ſplendor ſe latiùs funderet , & ad aſpera atque inculta illius regionis loca penetraret. In hoc C etiam numero ponitur collegium Villaretanum à Joanne Pacheco , viro egregia in Deum religione excellentique prudentia , erectum atque ædificatum. Aliique permulti ſunt collegiorum noſtrorum fundatores , ex pietate & præclaro de re Chriſtiana bene merendi ſtudio nobiles : ſed non omnia ſigillatim perſequenda ſunt , ne nimiùm creſcat oratio.

erga quos ſe gratiſſimam

388 Porrò autem quamvis collegiorum fundatores à Deo potiſſimùm ſuæ benignitatis ac beneficentiæ præmia exſpectent , Societas tamen quibuſcumque poteſt rebus oſtendit , quam gratum habeat hoc , quod à fundatoribus accepit , beneficium. Itaque illis gratificari , obſequi , atque ſatisfacere ſtudet quam maximè poteſt , & accepti beneficii memoriam in perpetuum conſervare. Illos meritorum omnium ſuorum participes facit , plurimas Miſſas hebdomadibus , menſibus , atque annis ſingulis , pro ipſis conſtituit. Quo verò tempore collegii poſſeſſio traditur , tria per univerſam Societatem , quam longè latéque diffuſa eſt , ſinguli ſacerdotes Miſſarum ſacrificia pro Fundatore offerunt Deo ; tria item ſimul atque illum è vita exceſſiſſe cognitum eſt : quo ipſo tempore , qui ſacerdotes non ſunt , precationes certas ſtataſque perſolvunt , ac Deum pro illo deprecantur. Aliaque *c* ſunt præſcripta diligenter (& magna , ut par eſt , religione ſervantur) ad memoriam accepti beneficii declarandam , & gra- D ti animi pietatem.

exhibet Societas.

389 Quamobrem omnes , qui in hac Societate verſantur , fundatoribus deprecatores apud Deum ſunt. Quorum preces , quod Deo in perpetuum ſint conſecrati , probæque vitæ ac famæ , veriſimile eſt plus promereri apud Deum , magiſque eſſe ad impetrandum efficaces , quam aliorum , qui ejuſmodi non ſunt. Adde , quod Societas ab aliis eſt Miſſarum obligationibus libera , utpote quæ eleëmoſynas nullas accipit ad Miſſas celebrandas : atque ideo fit , ut ſolutior ſit & ditior quodammodo , atque locupletior , pluráque in bonis habens , quæ in fundatorum , atque hominum de ſe bene meritorum uſum conferre poſſit. Multa ergo eis tribuit , propterea quod multa ſe eis debere agnoſcit , & multa habet , unde referat gratiam. Quod quamquam ita eſt , optimè ſcit tamen , fundatores ſuos non eâ maximè cauſâ moveri ad fundanda collegia , quod gratam ſe illis atque accepti beneficii memorem Societas præbeat : ſed quod planè intelligunt , accuratam E puerorum inſtitutionem apprimè eſſe neceſſariam , magnoſque ex ea fructus in Dei Eccleſiam redundare. Et idcirco hunc docendi laborem acceptum eſſe Deo Optimo Maximo , à quo ipſi integram ſuæ benignitatis , plenamque mercedem exſpectant.

ANNOTATA.

a *Curam Sancti in hac re , dabit Commentarius* § 75 , *num.* 762.

b *Circa collegia ac fundatores , vide indices Hiſtoriæ S. I.*

c *Conſule Commentarium* § 65 , *num.* 667.

CAPUT XXV.

Voluntas deponendi regimen Societatis ; ejuſdem Conſtitutiones ; collegium Romanum , & alia quædam in Hiſpania ; noſtri ab archiepiſcopo Toletano ibidem vexati ; provincialatus Lainii ; mors Jaii.

F

LIBER IV. CAP. I.

Ignatius vult deponere Societatis regimen , datà in hunc finem

a

b

COnfirmata igitur à Julio III. , Pontifice Maximo rurſum Societate , & ipſo rerum ſucceſſu firmiùs ſtabilita , anno MDL primarios omnes patres , qui commodo Societatis venire poterant , Romam Ignatius ex variis provinciis ad ſe convocavit *a* : quibus in unum congregatis , epiſtolam *b* manu ſua Hiſpanicè ſcriptam , in hæc verba miſit: Cariſſimis in Domino fratribus Societatis Jeſu , ſalutem. Quod mihi de officii mei ratione , ſine perturbatione ulla interiori aut exteriori ſæpenumero conſideranti viſum eſt , id ſcribam : aperiamque coram Creatore , ac Domino meo , qui me judicaturus eſt , quod ad majorem laudem ipſius , & gloriam futurum intelligo. Equidem me ipſe circumſpiciens , ob peccata mea multa nimis , imperfectiones multas , atque animi & corporis ægritudines , ſæpiſſime judicavi , & verè atque ex animo judico , me infinitis partibus

A tibus abesse ab eo gradu, qui ad sustinendum hoc regendæ Societatis munus, ejus mihi voluntate impositum, est necessarius. Quocirca maximopere desidero, & à vobis quæso, ut tota re diligenter expensa, à vobis eligatur alius, qui meliùs quam ego, vel minùs certè malè hoc munus gerat, & universam Societatem administret. Neque verò ut meliori hæc provincia deferatur, tantùm peto; verùm etiam, ut pari, & æquali.

ad patres epistolâ:

391 Quod quidem ut ritè atque ex ordine fiat; ego in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unius Dei, ac creatoris mei, depono Generalatum simpliciter & absolutè, meque abdico hoc officio, & privo; petoque, & omnibus animæ meæ viribus obsecro professos omnes, quosque professi sibi adjungere ad hanc deliberationem volent, ut hoc meum tam justum desiderium admittant, & piæ oblationi suffragentur. Quod si, quorum est judicium ferre de hac mea postulatione, minimè inter se consentient, per caritatem, & reverentiam Christi Jesu illos ipsos rogo, atque oro, ut precibus seriò incumbant, Deoque hanc rem accuratissimè commendent, ut in omni-

B bus, & per omnia sanctissima ejus voluntas fiat, idque omninò, quod ad ejus gloriam, & communem animarum salutem, ac Societatis bonum magis pertinebit. Illud etiam quæso, ut meam hanc petitionem, atque obsecrationem, optimam in partem accipiant.

sed hi ipsius voluntati refragantur: morbus ejus ac cæli desiderium.

392 Perlecta hac epistola, patres, qui convenerant, omnes uno ore laudare factum Ignatii, ac voluntatem: admirari ejus humilitatem, qui cum maximè in gubernatione excellat, se tamen minimè idoneum ad gubernandum judicet. Negant tamen se, quod postulat, salvâ conscientiâ, posse facere; neque ipso vivo, Præpositum alium Generalem experiri, idque Ignatio renuntiari jubent, ipsum esse Societatis Parentem, ipsum magistrum omnium, ac ducem, atque à Deo electum, ut hujus spiritalis ædificii quasi sapiens architectus fundamentum poneret, super quod ipsi, reliquique ejus filii, tamquam vivi lapides superædificati ipso summo angulari lapide Christo Jesu, crescant in templum sanctum in Domino. Nullo modo ipsis esse committendum, ut hujus tanti beneficii aut ignari reperiantur, aut ingrati *c*. Eodem tempore gravissimum in mor-

c

C bum incidit, & cum se expeditum iri ex hujus mortalitatis vinculis speraret, sic afficiebatur animo, ut præ lætitia fluentes ubertim lacrymas cohibere non posset, cogereturque & suorum precibus, & medicorum severa admonitione animum aliò transferre, & minùs diu de suo desiderio, ac spe, minúsque sæpe cogitare.

CAP. II. *Scribit Constitutiones,*

393 Ignatius ergo spe illa dejectus, onus, quod sustinebat, deponendi, & novo morbo liberatus, quod Deum velle intelligebat, ad Societatem gubernandam, & inchoata perficienda, se totum convertit, in primisque ut certis illam vinciret legibus, iisdem patribus Constitutiones *d* à se conscriptas ostendit, ac discutiendas tradidit: quas ipse compulsus est precibus totius Societatis perscribere. Extat Commentarius *e* ejus ipsius manu

d

e

scriptus, in arcula quadam post ejus mortem repertus, in quem, dum Constitutiones scriberet, assidua Dei beneficia illustrationesque eas, quibus à Deo perfundebatur, & memoriæ, & deliberationis causâ, quasi in ephemeridem referebat. Quo ex scripto planè perspicitur Ignatii virtus, & divinæ erga illum largitatis plenitudo, ponduſque ipsarum Constitutionum, & auctoritas. Omittam reliqua: de una paupertate dicam. Quadraginta continuos dies Deo Opt. Max. sacrificavit & divinis precationibus solito se dedit ardentiùs, ob id unum, ut statueret, exp direthe nostris professarum domorum ecclesiis reditus aliquos esse, ad ipsarum ecclesiarum vel fabricationem, vel cultum & ornatum. Et ut ego quidem existimo, ut superiora illa, quæ dixi, illustriora fierent; & divina dona, quæ Ignatius humilitatis studio intra se occultabat, in lucem exirent, & foras ad nostram utilitatem proferrentur; Deus ipse afflatu illum suo, instinctuque incitavit, ut quid illis quadraginta diebus in matutina oratione, quid in præparatione ad Missæ sacrificium, quid in ipso sacrificio, quid pòst, sibi accidisset, breviter planéque conscriberet. A. PETRO RIBADENEIRA.

quanta cum sedulitate, præparatione animi, ac sensu pietatis.

394 In eo videre est, illi quanta fuerit sui examinandi, & conscientiæ perscrutandæ cura, quam incensa & accurata oratio, quanta lacrymarum, & continua penè effusio: quam sæpè consolationis magnitudo redundaret etiam in corpus, & vox, intercluso spiritu hæreret, ac fari non posset: & totius corporis venæ, sensibilitet (ut ita dicam) commoverentur. Illic cernitur, quam E assiduis ejus mens, atque eximiis de sanctissima Trinitate illustrationibus impleretur, de divina essentia, de processione, de proprietate divinarum Personarum, & operatione; deque sacratissimo illo mysterio, tum occultis intelligentiis, tum externis doceretur imaginibus. Neque verò breves illæ erant, aut fugaces, sed prolixæ interdum, ac diuturnæ, & quæ in cubiculo, in mensa, domi, foris illum comitarentur, & suæ magnitudinis æstu quodam absorberent. Singula persequi non est necessarium; hoc attingendum fuit, ut intelligamus, quo loco Constitutiones nostras habere, qua veneratione suscipere, quo studio curaque observare debeamus. Quamquam Ignatius, quâ erat animi modestiâ præditus, post tot cognitiones supernaturales, & divinæ voluntatis testimonia, sibi non sumpsit, ut Constitutiones firmæ essent ac ratæ, donec universa Societas suo eas judicio comprobaret. Quod quidem Romæ anno MDLVIII, ipso mortuo, factum est in publico universalique Societatis conventu: in quo Constitutiones omnes, ut fuerant ab ipso conscriptæ, magna veneratione susceptæ sunt, & summa omnium patrum consensione ac voluntate confirmatæ.

F

CAP. III. *Collegii Romani primordia,*

395 Ex eorum numero, quos hoc anno ab Ignatio evocatos, Romam venisse diximus Franciscus Borgia dux Gandiæ fuit, qui quidem Societatis tertius fuit Præpositus Generalis. Is cum intelligeret, quantas commoditates collegium Societatis in ea Urbe, quæ caput orbis terrarum est, esset allaturum: minimèque decere existimaret, eam, quæ Societatem prima omnium complexa est, & ex qua universa Societas gubernatur, eo fructu carere, quem multæ aliæ civitates ex nostrorum opera atque eruditione perciperent, Ignatii hortatu atque consilio collegium Romæ instituendum curavit: cujus initium factum est anno Domini MDLI, XVIII Februarii, ad radices Capitolii, peranguſtis ædibus. Quo tempore fuerunt in collegio quatuordecim, quibus præerat Rector P. Joannes Pelletarius Gallus: ad hunc enim fere numerum alendum, pecuniam tunc Franciscus suppeditaverat. Deinde mense Septembri, duplicato penè numero, in ampliorem domum nostri commigrârunt. Et tunc quidem tres tantùm linguas, Hebraicam, Græcam, Latinam, atque rhetoricam, nostri præceptores suis auditoribus explicabant, non sine magna ludimagistrorum

Ur-

A. PETRO RIBADENEIRA.

Urbis offenſione, & ea indignatione, ut diſcipulorum ſuorum ſtipati catervâ, in ſcholas noſtras aliquando irrumperent, & noſtris præceptoribus docentibus obſtreperent, atque intemperantiùs inſultarent: donec anno MDLII, XXVIII Octobris, in æde D. Euſtachii, maximâ Cardinalium, epiſcoporum, eruditiſſimorumque virorum, atque ſtudioſorum frequentiâ, orationes habitæ à noſtris ac diſputationes ſunt, quibus illorum inſolentia compreſſa eſt.

progreſſus,

396 Multo verò magis cum anno MDLIII à noſtris theſes propoſitæ publicè ſunt, non ſolùm de rhetorica, & tribus linguis, ut fieri ſuperioribus annis conſueverat; ſed etiam de univerſa philoſophia, ac theologia. Quæ quidem diſciplinæ tum primùm in hoc collegio tradi cœperunt: cui tum præerat D. Martinus Olavius, vir excellentis doctrinæ, atque integritatis opinione nobilis, qui multùm per id tempus collegium Romanum illuſtravit. Crevit hoc anno noſtrorum numerus ad ſexaginta: ſequenti verò ad centum; quos cum domus capere commodè non poſſet; in latiores ædes anno MDLVI immigrârunt. In iis

B

per annos fermè quatuor habitârunt, donec anno MDLX Pii IV *f* Pont. Max. auctoritate & hortatu, nobiliſſima atque integerrima fœmina Victoria Tolfia, Pauli IV Pont. Max. ſororis filia; nec exſpectantibus nobis, nec opinantibus, ſedem tamen collegio certam in Urbe quærentibus, locum commodum, amplum, ſalubrem, ac maximè celebrem præſtanti liberalitate donavit. Quem, nihil minùs quàm de nobis cogitans, in pium uſum, ex viri Camilli Urſini, Guardiæ marchionis, teſtamento paraverat, multiſque ædibus Pauli IV Pont. Max. imperio, ac poteſtate conjunctis, in inſulam omnino redegerat: in quibus & ipſius Victoriæ domus eſt, & ea, quam ipſe Paulus IV emit, & multis annis, Cardinalis cum eſſet, habitavit.

f

incrementa,

297 Hoc in loco vehementer multiplicatus eſt noſtrorum numerus: fuit enim nonnumquam ducentorum & viginti, iſque conflatus ex omnibus penè Chriſtiani orbis provinciis. Eodem enim tempore, ex ſexdecim, aut eo ampliùs diverſiſſimis nationibus fratres noſtri in hoc collegio ſæpè reperiuntur, linguis quidem inter ſe, ac ſermone diſtincti, ſed ſummâ concordiâ animorum, fraternoque amore ſociati. Quos divina benignitas in magna etiam annonæ caritate, ſupra hominum

C

fidem, ſed non ſupra fiduciam ac ſpem Ignatii, hactenus ſuſtentavit. Ab hoc autem collegio reliqua fluxerunt, quæ in Italia, Germania, Bohemia, Polonia, Flandria, Gallia conſtructa collegia ſunt. Quæ cauſa fuit, ut Ignatius (cujus cogitationes omnes & vigiliæ in hominum ſalute conſumebantur) tantopere de hoc collegio laboraret: cujus utilitates non ad unam aliquam civitatem, ſed ad multas nobiliſſimaſque provincias, ad nationes etiam hæreſeos erroribus depravatas, maximè pertinere judicaret.

ædificium ac reditus.

g

398 Quod quidem cum re ipſa beatiſſimus Pontifex Gregorius XIII *g* expertus eſſet, videretque latiſſimè patere collegii Romani fructus, & ad ſeminarium Romanum, & ad Germanicum, & Anglicanum, aliaque collegia diverſarum nationum à ſe ædificata corroboranda atque augenda eſſe neceſſarios; opus & paſtore vigilantiſſimo, & principe liberaliſſimo dignum aggreſſus eſt, collegiumque Romanum fundare, amplificare, atque ſtabilire conſtituit, magnifico in primis atque ſumptuoſo ædificio, & reditibus magnis atque perpetuis: ut in eo ex omnibus nationibus magnus noſtrorum ſcholaſticorum alatur numerus, ad propagandam Catholicam religionem, & reliqua ſeminaria tuenda & conſervanda. Atque ut hoc ejus ſapientiſſimum in fundando Romano collegio conſilium magis eluceret, ſub primo fundamenti lapide hæc verba incîdi juſſit: GREGORIUS PONT. MAX. COLLEGIUM SOCIETATIS JESU, OMNIUM NATIONUM SEMINARIUM, PRO SUA IN CHRISTIANAM RELIGIONEM ET ORDINEM ILLUM PIETATE, A FUNDAMENTIS EXTRUXIT ET DOTAVIT ANNO SALUTIS MILLESIMO QUINGENTESIMO OCTUAGESIMO SECUNDO, PONTIFICATUS SUI DECIMO, ROMÆ.

D

CAP. IV. *Collegium Ognatenſe in Hiſpania, Burgenſe, Methymnenſe.*

399 Jactis Romani collegii fundamentis, diſceſſit Franciſcus Borgia ex Urbe, atque in Hiſpaniam rediit: ibi ditionem ſuam filio natu maximo cedit: ſecularem cultum exuit: in Cantabriam, remotam Hiſpaniæ partem, ſe recipit: ſacris initiatus concionatur: oſtiatim mendicat, magna hominum admiratione. Ejus rei fama atque exemplo commoti nobiliſſimi quidam viri, ad illum veniunt, & ſe ad noſtram Societatem adjungunt. Ognatenſe præterea collegium ab eodem patre habitari cœpit, cui Petrus Araoz poſſeſſiones quaſdam ſuas, & fructus antea legaverat. Burgenſe eodem item tempore eſt inchoatum: nam cum Franciſcus Mendoza Cardinalis, creatus ejus civitatis epiſcopus, ad diœceſim ſuam perluſtrandam, & verbum ſalutis ovibus miniſtrandum, duos ex noſtris ab Ignatio impetrâſſet: illi, impoſito ſibi munere expleto, præclaram collegii inſtituendi occaſionem dederunt, quod Franciſcus Strada multùm deinde ſuis concionibus illuſtravit. Methymnenſi etiam collegio Rodericus Duegnas, vir copioſus, & pius initium attulit qui Petri Fabri, & Antonii Araoz familiari ſermone permotus, ad ſuam, & ad publicam ejus civitatis utilitatem, aliquot ex noſtris expetivit. Auxit verò civium ſtudium, noſtrorum præſentia, & in plateis habitæ conciones. Itaque anno MDLI noſtri ad conſtituendum collegium Methymnam primùm miſſi ſunt: quod poſtea Petrus Quadratus *h*, ejuſque uxor Franciſca Manſon, opibus ac religione præſtantes, exædificarunt, & certis reditibus ſtabilierunt.

E

h

Gravis in Hiſpania ab archiep. Toletano excitata tempeſtas.

400 Sed ut lætis adverſa ſuccederent, & Societas numquam non exerceretur utiliter, ſub idem tempus gravis in Hiſpania, ab archiepiſcopo Toletano Joanne Siliceo procella in noſtros eſt excitata. Hic aliter quam res eſt, de Societatis Inſtituto ſentiens, ſacerdotes omnes, qui Exercitationibus ſpiritalibus eruditi à noſtris erant, confeſſiones audire Toleti vetuit: Compluti verò, ubi ſolùm in ejus diœceſi tunc commorabantur, publicis edictis populum à noſtris Sacramenta percipere prohibuit: qui ſecus facerent, his ſacris interdixit. Neque ut ſententiam mutaret, adduci priùs potuit, quam archiepiſcopi factum contra ſummi Pontificis auctoritatem (de cujus voluntate diplomatis ipſis Pontificiis conſtabat) eſſe judicans regium concilium, noſtrum nobis Inſtitutum voluit liberum eſſe. Et Pontifex ipſe maximus Julius III, certior de re factus ab Ignatio, graviter ad archiepiſcopum ſcripſit, mirari ſe, & moleſtè ferre, quod ſuſceptam, & probatam à Sede Apoſtolica Societatem, minùs ipſe probaret, & in omnibus penè Chriſtiani orbis provinciis magna cum utilitate verſantem, meritóque proinde ab optimo quoque expetitam, ſolus ipſe repudiaret, ac rejiceret. Quibus litteris, & regio edicto factum eſt, ut archiepiſcopus decreta ſua revocaret, noſtriſque ſuam facultatem inte-

A integram esse permitteret.

Ignatii de ea prædictio.

401 Cum primùm autem hanc ab archiepiscopo Toletano in Societatem commotam tempestatem Ignatius audivit, blando ac tranquillissimo, ut solebat semper, vultu, mihi dixit: In magnæ felicitatis parte hæc nobis adversitas est numeranda, cum nullâ nostrâ culpâ contracta sit. Est enim evidens argumentum, quod Dominus noster magnos fructus faciet Toleti per Societatem. Nam illud compertum est, ibi nostros uberiores fructus atque suaviores attulisse, ubi graviora passi sunt. Atque etiam illud adjecit: Archiepiscopus senex est, Societas juvenis; itaque naturaliter plus vivet Societas, quam archiepiscopus. Porrò quam vera fuerint Ignatii verba, quæ Toleti postea consecuta sunt, atque in præsens fiunt, facilè ostendunt. Idque ab ipsa statim archiepiscopi Silicei morte manifestè cognitum est. Nam cum, illo mortuo, nostri Toletum accersiti primùm sunt, & ad habitandum certum in nobilissima atque ampliſſima civitate domicilium ingressi: in his ædibus habitaverunt, quas archiepiscopus ipse Siliceus exædificaverat in clericorum usum, & instruxerat. Notatumque est à multis, & animadversum, omnes magni illius archiepiscopi adversùs Societatem conatus, eò demum recidisse, ut domum illis ædificâsse videretur, quos bono fortasse zelo, sed non secundùm scientiam, suis ipsorum domibus cupiebat ejectos.

B

Cap. V. Variis in Italia collegiis præficitur provincialis P. Lainius.

402 Et hæc quidem in Hispania. In Italia verò eodem anno MDLI collegium Florentinum, Leonoræ ducis benignitate, initium habuit. Neapolitanum item, ac Ferrariense. Et ad Neapolitanum quidem collocandum ac stabiliendum, magnum adjumentum attulit magister Alfonsus Salmeron, ob eam ipsam rem ab Ignatio Neapolim missus. Ferrariense verò inchoavit Hercules II *i*, Ferrariæ dux, qui & Nicolao Bobadilla, & Claudio Jaio familiariter usus fuerat, nascentemque foverat Societatem: ad quem Paschasius Broet, constituendi collegii causâ, ab Ignatio tunc missus est. Quibus quidem collegiis, reliquisque per Italiam factis, præfecit Ignatius, & Præpositum Provincialem constituit magistrum Jacobum Lainem, qui sub annum MDL exeuntem redierat ex Africa: ubi Christianis militibus egregiam navavit operam in eo bello, quod duce Joanne Vega Siciliæ prorege, adversùs Christiani nominis hostes, expugnato Aphrodisio, feliciter gestum est. Ad cujus capti jam oppidi defensionem, animandos milites, qui in præsidio erant, & in pietate juvandos, profectus Hieronymus Natalis, evasit ex naufragio divinitus, socio navigationis Isidoro Sbrando in fluctibus exstincto, anno MDLI.

C

Claudium Viennam accersitus, ibidem moritur, k

403 Sed etiam in Germania, eodem tempore Societas crevit. Nam Ferdinandus *k* Romanorum Rex, ut Viennensis academiæ studia instauraret, & hæreticorum passim grassantium furorem compesceret, Claudium Jaium ad se accersivit, & aliquot theologiæ professores ab Ignatio postulavit: qui Viennam eodem anno MDLI profecti, apud Dominicanos sunt in sepositа monasterii parte diversati: postea verò, ne Religiosis patribus impedimento essent, in Carmelitarum cœnobium relictum, ac ruinosum, præfectis ejus Ordinis libentissimis, commigrârunt. In hoc Collegio anno MDLII, VI Augusti, ipso dominicæ Transfigurationis die, P. Claudius Jaius, Ignatii socius unus ex primis decem, natione Allobrox excessit è vita: vir de Christiana religione optimè meritus, quam in Italia, Bavaria, Suevia, Austria, Germania tota, magnis suis laboribus amplificare non destitit.

404 In comitiis potissimùm Augustanis peregregiam Catholicæ religioni atque Societati navavit operam, tanta hominum approbatione, ut præteritorum laborum pro Germaniæ salute susceptorum fructus haud pœnitendos collegisse videretur. Nomen, originem, progressum Societatis & Institutum sit explicavit, & Germanorum animis infixit, ut auctoritatem nostris & fidem conciliaverit. Invitatus est à Saxoniæ ducis Oratoribus, ut in Saxoniam sese conferret, ac de religione cum eorum magistris disceptaret; sed à Ferdinando Romanorum rege ad collegium Viennæ constituendum (ut diximus) evocatus, profectionem illam distulit. Fuit vir mitissimo præditus ingenio, & naturæ jucunditate quadam, religiosa gravitate condita: paupertatis amore insignis; orandi assiduitate excellens, temporis parcus, & tenax; animi modestia atque humilitate eximius. Tergestinum episcopatum tam gravitet firmiterque repudiavit, ut multos dies in continuo penè luctu jaceret, quod illum effugere se posse diffideret: sed illo metu liberatus, ad pristinam rediit jucunditatem.

A. Petro Ribadeneira, magna cum nominis sui commendatione.

E

ANNOTATA.

a *De conventu patrum in Urbem, agit Commentarius* § 41 *num.* 427.

b *Præter hanc epistolam, dedit aliam ad P. Lainium; de qua Commentarius* § 42, *num.* 437.

c *Factum singulare P. Andreæ Oviedi narratur ibid. num.* 438.

d *Mirabiles* Ignatii *sensus in illis condendis dedi in Commentario ibid. num.* 431 *& seqq.*; *earumque pretium ibid. num.* 434 *& seqq.*

e *De eo meminit Commentarius noster* § 26, *num.* 268.

f *De ejus erga Societatem benevolentia, collegii Romani laudibus, certaque ei attributa sede, agit Sacchinus lib.* 4.

g *Paterna ejus erga nos merita disces ex Historia Societatis.*

h *Et quidem ex prædictione Sancti, de qua Commentarius* § 16, *num.* 156.

i *Ducis Ferrariensis litterarum memini in Commentario* § 43, *num.* 446.

k *Hujus religiosissimi Principis litteras protuli in Commentario* § 44.

F

CAPUT XXVI.

Collegium Germanicum; obitus & elogium S. Francisci Xaverii.

Cap. VI. Collegii Germanici a

NEque verò de Germaniæ salute in Germania solùm nostri laborabant, sed etiam in Italia: quorum operâ collegium Germanicum *a* à Julio tertio, Pont. Max., Romæ eodem anno MDLII institutum est. Quod utique collegium etsi Societatis nostræ proprium non est, tamen quòd à Societate gubernatur, ac pendet multiplex ejus utilitas; ea ex parte in nostris numero. Ejus initium ejusmodi fuit. Erat Ignatius cum ad curandas pro virili parte omnes vitiosas Christianæ reipublicæ partes intentus, tum verò ad eam, quæ maximè laborabat, Germaniæ provinciam. Illi igitur de medicina cogitanti, Joannes Moronus

A. PETRO RIBADENEIRA.

S. R. E. Cardinalis, vir prudentiæ laude excellens, hanc unam propoſuit, quam cognitis atque exploratis Germanicis rebus ex legatione Apoſtolica, quâ functus in Germania fuerat, magnam vim habituram ſperabat: auctorque in primis fuit Germanici collegii in Urbe conſtituendi. Etenim animadvertit, quod inſcitiâ quorumdam ſacerdotum in Germania & vitâ non ſatis probatâ perditum & profligatum fuerat, doctorum ac paſtorum erudita probitate reſtituendum: eſſe autem percommodum, doctores ac paſtores Germanorum Germanos eſſe: ſic enim fore, ut ejuſdem nationis legibus, moribus, natura inter ſe atque amore devincti, faciliùs in eorum animos influant, & maternâ linguâ inſtructi, vim majorem ad perſuadendum habeant.

406 Ejuſmodi porrò magiſtrorum ea in provincia inopiam ſummam eſſe, eamque fieri quotidie majorem, iis, qui ſuperſunt, paulatim deficientibus: hæreticorum verò magnum eſſe numerum, & nova ſemper prole copioſiorem. Ex quo conſilium ſalubrius excogitari nullum potuit, quam ſeminarium inſtitui, quo, antequam omnino exareſceret, ſtirps ipſa excitaretur in ſemine: & præclari juvenes, ingenii ac virtutis ſpe commendati, ab ea ætate, quæ flexibilis eſt, moribus, litteris, atque inſtitutis Catholicis ad omnem pietatem informarentur. Hoc ſeminarium in Germania ſanè fieri vix poterat: nam ut maximè integrum locum, atque incorruptum eligas, inter venenatos tamen hæreticorum morſus, facilis contagio eſſet: neque uſpiam à callidis hoſtibus ſatis tuta adoleſcentia. Extra Germaniam verò, neque locus ad eam rem aptior, neque academia commodior, neque civitas, quam Romana, opportunior eſſe potuit: in qua nimirum doctrinæ Catholicæ integritas, loci ipſius ſanctitas, hominum in Urbem confluentium multitudo, ac devotio, religionis avitæ atque Apoſtolicæ reverentia, benefica ſummorum Pontificum, ac prolixa liberalitas, procreare in ipſis adoleſcentibus pietatem, atque alere, & à fraude hæreticorum facilè poſſunt avertere.

inſtitutum;

B

407 Hæc maximè fuit ratio inſtituendi Germanici collegii, initia primùm, ut diximus, à Cardinale Morono, cum Ignatio deinde, aliiſque graviſſimis viris communicata, à Julio III, Pont. Max., ac univerſo Cardinalium ſenatu ſuſcepta, & confirmata. Atque ut certo res ac ſtabili fundamento niteretur, in victum illorum & cultum ſummus Pontifex pecuniam de ſuo promiſſam quotannis benignè perſolvit: ejuſque exemplum Cardinales omnes, pro ſua quiſque facultate, cupidè ſunt ſecuti. Quo ipſi Germani adoleſcentes rerum ad vitam neceſſariarum moleſtiâ liberati, de pietate tantummodò, ac doctrina cogitarent. Data igitur Ignatio cura eſt, juvenes ex omnibus Germaniæ partibus ad eam rem evocandi, moderandique. Quam ille provinciam, tum rei magnitudine, tum Pontificis Max. permotus imperio, libentiſſimè ſuſcepit. Spectatos viros collegio præpoſuit, optimis illud legibus temperavit; & ut Germani idoneos haberent in noſtro collegio Romano præceptores, magnâ curâ perfecit. Illud nequaquam ſuſcepit, ut rationes pecuniarias noſtri attingerent; aut iis, quæ ad ſumptus pertinent, vel exigendis vel diſtribuendis implicarentur.

confirmatio, & diſciplina:

C

408 Mortuo tamen Julio III, in eo bello, quod ad Urbem poſtea geſtum eſt, cum videret Ignatius, propter annonæ caritatem, bellicoſque tumultus collegium Germanicum periclitari; ne præclarum opus ac neceſſarium omnino diſſolveretur, partem ipſorum juvenum id volentium in varia Societatis collegia dimiſit, in quibus, dum nimbus ille tranſiret, commodiùs alerentur: partem Romæ retinuit, & conquiſitis pecuniis magno ſuo labore ſuſtentavit, ſuamque obligavit fidem; quam pulchrè Dominus liberavit, debitis ad nummum poſtea perſolutis.

quod afflictis temporibus Ignatius ſuſtentavit,

D

409 Quo ipſo tantæ inopiæ tempore palam dixit Ignatius, quod alias ſæpè dixerat, diem illum aliquando futurum, cum Germanicum collegium, non modò nullis rei familiaris premeretur anguſtiis, ſed etiam abundaret rebus neceſſariis, atque affluereret. Et cum Otho Truchſes, S. R. E. Cardinalis, epiſcopus Auguſtanus, acerrimus Catholicæ fidei propugnator, atque eximius Germanici collegii patronus, principio ſubvereri videretur difficultates, quæ in illo conſtituendo multæ & magnæ aliæ ex aliis ſubinde naſcebantur, ipſum bono animo eſſe Ignatius juſſit, & in Deo bene ſperare. Addiditque, ſi provinciam Cardinalis recuſaret, ſe illam Dei benignitate confiſum, magna animi alacritate ſuſcepturum, depoſitumque ab aliis onus ſubiturum. Neque Ignatium fefellit ſpes. Deus enim, ut impulſor præclariſſimi operis atque auctor fuit, ſic adjutor ejuſdem, fautorque eſſe non deſtitit. Nam Gregorium XIII, Pont. Max. ſapientiſſimum, afflatu ſuo, inſtinctuque divino permovit, ut collapſum penè collegium Germanicum erigeret, augeret, & in domo certâ magnis proventibus atque perpetuis ſtabiliret, & de nobiliſſima atque ampliſſima Germanica natione bene mereretur; & omnes animi nervos contenderet, & Catholicam religionem ea in provincia vel conſervaret, vel reſtitueret, quam alii Gregorii ſanctiſſimi Pontifices luce Euangelica illuſtrâſſent, amplificâſſent, & muneribus ampliſſimis Imperii ornatam, longè aliis orbis terrarum provinciis prætuliſſent.

meliora de eò vaticinans.

E

410 Eodem anno P. Franciſcus Xavier, profectus ex India ad illuſtrandos Euangelii ſplendore Sinarum populos, in ipſo primo aditu illius provinciæ deceſſit è vita. Hic Pater natione Hiſpanus, in extremis Navarræ Vaſconum finibus, qui Gallos attingunt, nobili loco natus eſt, liberaliterque à parentibus educatus. Poſt primæ ætatis incunabula atque doctrinæ, ſtudiorum cauſâ Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, tantumque in eruditione profecit, ut Ariſtotelicam philoſophiam publicè profiteretur. Quo tempore in Ignatium iiſdem ſtudiis vacantem incidit: & ad utiliorem philoſophiam traductus, voluntatem ſuam cum illo ſocietatemque conjunxit. In Italiam poſtea cum reliquis ſociis venit & multis laboribus, in mendicitate ac peregrinatione pro hominum inſtitutione, ac ſalute mira patientia & caritate ſuſceptis, anno MDXL in Luſitaniam ab Ignatio, ut in Indiam navigaret, quo ſuprà diximus modo, miſſus eſt. Quo in itinere, cum non procul à patria tranſiret, ejuſque conſanguinei, atque neceſſarii, minimè devii eſſent, ut eos ſalutandi gratiâ paululùm de via declinaret, adduci non potuit. Ex Luſitania, in qua ſe illis populis valde probaverat, ſeptimo (ut diximus) Aprilis, anni MDXLI, in navim Martini Alfonſi Soſæ prætoris, cum duobus ſociis, Paulo Italo, & Franciſco Manſilla Luſitano conſcendit. Qua in navigatione & longa & periculoſa ita ſe geſſit, ut ægris operam ſuam, ſanis doctrinam impertiret, noſtris navigationis normam relinqueret, omnibus denique admirationi atque exemplo eſſet. In Mozambico (quod Praſium promontorium olim nomen habuit) ſex menſes claſſiariis multis, nautiſque

CAP. VII. *S. Franciſci Xaverii natales, ſtudia, labores;*

F

A tisque ægrotantibus operam suam diligenter dedit.

gesta Goæ;

411 Melindam, Saracenorum oppidum, ac Melindensis regni caput, prætervectus, & Zocotoram (quam veteres Dioscuriadam appellârunt) sterilem insulam Christianorum & asperam, atque in eis suæ virtutis relinquens impressa vestigia, tandem VI Maii MDXLII Goam appulit atque in pauperum hospitalem domum primùm divertit, in qua egenorum animis, corporibusque curandis tempus traducebat. Manè hominum ad se venientium confessiones audiebat, pomeridianis horis eorum, qui in vinculis & carcere erant: tum pueros Christianis institutionibus imbuebat. Dominicis diebus elephantiasi etiam, fœdoque & tetro morbo laborantes extra urbem positos invisebat, & eorum dolorem sua caritate mitigabat.

In ora Piscatia, & alibi.

412 Quibus rebus universa Goënsi civitate commota, in eum Indiæ tractum, qui Piscaria vulgo à margaritarum piscatu, vel Commorini promontorium appellatur, deinceps contendit. Ibi magnam hominum vim ab infidelitatis tenebris ad Christi lucem convertit, & lacte integræ

B doctrinæ nutrivit, &, à quibus in posterum etiam alerentur, præceptores reliquit, constitutis in eo tractu ecclesiis supra quadraginta. In Macasar deinde profectus, duos reges, & ingentem cum eis populi multitudinem, ad Christi fidem perduxit. In urbe Malaca in primis nobili, deinceps aliquamdiu fuit, sui omnino similis; ex qua in Molucas insulas delatus, in ipso Moluco oppido innumeros penè infantes baptizavit; reliquos ita docuit, ut feminæ, mares, pueri, senes, divinæ legis præcepta passim cantitarent: & piscator in mari, colonus in agro, Christianæ fidei decantarent rudimenta. Ipse verò, præter occupationes, quibus interdiu assiduis distringebatur, ac perpetuis, de nocte tintinnabulo populum vicatim excitabat, & voce monebat, ut animis, quæ in purgatorio expiantur, suis opem precibus ferrent. Posthac septem in Amboino pagos Christianorum nomine potiùs, quam re, circumlustravit, & ad veræ pietatis formam instituit.

In insula Mori,

413 Cum autem intellexisset, in insula Mori, Moluco proxima, magnam indigenarum copiam esse, quorum majores olim Christi baptisma susc-

C cepissent, &, mortuis iis, à quibus fuerant initiati sacris mysteriis, deserti ab omnibus remansissent, atque ex eo tempore propter truculentam ipsorum hominum barbariem, & certum vitæ periculum, ad illos accedere ausum fuisse neminem; eò Franciscus ire constituit: tum ut eorum, tum ut suæ saluti consuleret. Namque judicabat, magnam esse illorum spiritalem, atque adeo extremam necessitatem, cui ipse subvenire atque opitulari deberet, etiamsi vita ei esset in ea re ponenda. Illud enim meditabatur attentiùs Domini verbum: Qui amat animam suam, perdet eam; & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quem Euangelii locum legentibus apertum videri, experientibus affirmabat obscurum. Est autem insula illa aspera, horrida, rebus ad vitam necessariis planè destituta; fremitu, & horribili fragore remugiens; maximis terræ motibus, iisque penè quotidianis contremiscens. Indigenarum porrò non mores hominum, sed monstra quædam ferarum immanium, quibus nimirum nullus ludus jucundior est, quam cædes hominum, & trucidatio. Si alienis nequeunt mortem inferre, non mariti uxoribus parcunt, non parentes filiis, non filii parentibus: eosque ipsos senio jam confectos filii interficiunt, eisque ve-

scuntur, & in eum usum sibi vicissim accommodant.

A. PETRO RIBADENEIRA.

vitæ pro salute animarum prodigus, mira facit.

414 Cum autem plurimi ejus amici in apertum ipsum judicarent se conjicere vitæ discrimen, & propterea precibus illum, & lacrymis retinere conarentur, in ejusque vita multorum salutem repositam esse dicerent: ille tamen, qui summum in Deo præsidium suæ vitæ constitutum arbitrabatur, & sua morte multorum vitæ prodesse optabat, ab instituto cursu revocari non potuit. Varia antidoti genera, quibus si opus esset, uterentur, amicis eisdem offerentibus (nam etiam venenis homines illi utuntur) ne quid de excellenti illa sua in Deum spe amitteret, eadem animi virtute remisit. Eò profectus insulam peragravit, incolas, vel feras potiùs belluas invisit, Christi fide collustravit, doctrinâ mansuefecit, admirabili securitate mentis, & tranquillitate. Sciebat enim, se Deo esse curæ, apud quem omnes capilli capitis nostri numerati sunt. Qua de causa illam non insulam Mori (ut vulgò) sed insulam Spei appellandam esse dicebat: in qua tam copiosas à Deo, eximiasque consolationes accepit, ut maximos corporis labores non solùm mitigarent, verùm etiam exhaurirent: negabatque, hominem in ea insula vivere posse diutius, quin consolatoriis lacrymis oculos amitteret.

E

Gentilis quidam conscientiæ stimulis punctus;

415 Dum in iis versatur insulis, Japonius quidam, Anger nomine, illum ut quæreret, Malacam venit. Hic vir prudens atque honestus, magnis pungebatur conscientiæ stimulis ex recordatione peccatorum, quæ admiserat in juventute. Rebus multis tentatis ad eam depellendam molestiam, Bonziis (sic enim sapientes & sacerdotes suos appellant) consultis, cum nusquam acquiesceret, Lusitanorum quorumdam monitu, quibuscum rem communicaverat, ut Franciscum quæreret, in Indiam venit. Ea enim erat de Francisco Lusitanorum existimatio, ut, quod ille non perficeret, à nullo alio mortalium fieri posse crederent. Et Anger quidem ipse, etsi gentilis, & à veri Dei cognitione cultuque alienus, tamen fidem Lusitanis habuit, & tanto scrupulum illum & conscientiæ cruciatum depellendi desiderio incensus est, ut illum neque longæ navigationis labores ac pericula, neque alienæ & contrariæ fidei professio, neque ignotissimi hominis perquirendi difficultas à suscepto consilio retardarent. Quod cum mecum ipse attentè considero, magnâ sanè verecundiâ afficior. Perpendo enim, quod homo cæcus & infidelis fecit, ut salutem animæ suæ consequeretur; & multorum Christianorum in re omnium maxima, maximam deploro negligentiam. Neque minor me capit admiratio, cogitantem Dei providentiæ ac prædestinationis occulta consilia: qui ad illuminandas splendore fidei gentes illas innumerabiles, & Japonem universam illustrandam, Japonio homine itidem cæco administro usus est.

F

longo itinere ad Xaverium confugit, & fit Catholicus:

416 Itaque Anger Malacam appulit, ut à Francisco, tamquam à sapientissimo ac cælesti medico, animæ suæ obtineret medicinam. Franciscum ad Molucas insulas profectum audit: itaque in Japonem revertitur. Appropinquantem illum, & patriam spectantem tempestas subitò exorta Malacam refert: ibi Franciscum ex Molucis redeuntem offendit: fit Christianus in Goënsi collegio, & Paulus appellatur. A quo maximè, & Christiano jam, & in nostram Societatem admisso, & viro peracuto, ac prudenti, & Japonensium sectarum perito, didicit Franciscus, Japonenses insulas multas numero esse: eam verò, quæ principem te-

A. PETRO RIBADENEIRA.

net locum, sua magnitudine ac celebritate in primis nobilem, & hominum ipsorum ingeniis, cultu, doctrina, sectarum diversitate, sacerdotum frequentia, atque varietate præstantem. Japonios verè usque adeo dociles esse, & rationi obsequentes, ut facilè eam religionem sequantur, quam neque à ratione abhorrentem videant, neque ab ejus, qui illam profitetur, moribus discrepantem.

cujus sub comitatu vir sanctus pergit in Japoniam:

417 Quæ cum sermonibus Lusitanorum, & amicorum valde congruerent, in Japonem navigare constituit: & Paulo ipso, duobusque etiam Japoniis ejus famulis Christianis, ac nonnullis præterea sociis comitatus, eò penetravit, superatis magnis & navigationis periculis, & gentilium insidiis. Insulâ magna parte peragratâ, Meaco urbe maxima atque amplissima adita, hominibus plus minus MD Cangoximæ, Bungi, Amangutii conversis ad Christi fidem, sociis ad novellas plantas excolendas, regendasque ecclesias ab se jam constitutas relictis, in Indiam revertitur; inde nova auxilia in Japonem nostris mittit. Ipse verò, quod intellexisset, Japonios omnem disciplinam ac religionem à Sinis (quorum est latissima provincia) quondam esse mutuatos, & instituta vivendi accepisse: tum ut ipsis Sinis Euangelium afferret, tum ut illa quasi arce expugnata, victisque ipsis ducibus atque errorum magistris, faciliùs Japonii sub Christi jugum mitterentur, in ipsam Sinam proficiscitur, nullo ex nostris socio, duobus tantùm pueris Sinis comitantibus. Cum in insulam Sancianum, Sinæ proximam, pervenisset, & aditus in Sinam sibi haudquaquam pateret, per Sinarum leges (quibus cavetur, nequis peregrinus eò ingrediatur: neve quis Sina advenam inferat, aut admittat: qui secus fecerit, vel neci deditur, vel servituti addicitur) ipse tamen piper, quod ex eleemosyna acceperat, & aureis coronatis trecentis æstimabatur, Sinæ cuidam se daturum est pollicitus, si ille in oppidum Cantonem, quod Sinarum primum occurrit, de nocte ipsum quam occultissimè inferret, atque in aliqua urbis platea collocaret. Atque illum hæc parantem remunerari Dominus voluit, voluntatem ejus metiens, rem integram aliis ex Societate, qui postea eò sunt ingressi, servans.

B

C

inde verò Sinam cogitat; in cujus vicino ingressu obit.

418 Nam pridie Kalend. Decembris in navi cum adhuc esset, morbo oppressus, intra cubiculum obseratum, cibi omnis expers, totum diem se continuit, suspiriis crebrò ductis identidem repetens: Fili David, miserere mei, tam clara voce, ut à nautis etiam, vectoribusque exaudiretur. Postridie, brevi se ex hac vita migraturum significans, in præaltam rupem, & asperam se deportari jussit: ubi ad mediam noctem sequentis diei familiariter cum Deo loquens, ac suavissimè, de hujus mortalitatis ergastulo feliciter evolavit ad Dominum 2 Decemb. MDLII. Et hæc quidem de ejus obitu sic ad Ignatium ex India tunc scripta sunt. Ii tamen, qui morienti adfuerunt, & vita functum humârunt, Franciscum ad XII Kalend. Decemb. in morbum incidisse, postea narraverunt, & in insulæ portusque Sanciani humili quadam atque straminea casa sanctissimam (ut diximus) animam efflasse 2 Decembris. Neque mirum in tanta terrarum ac nationum diversitate, initio quædam minùs fuisse comperta.

Vita ejus

419 Fuit vir admirabilis, neque Christianis tantùm, sed ipsis etiam gentibus venerabilis: virgo prorsus, & impollutus: humilitatis studiosissimus, quam cum omnibus in rebus retineret, mirificè tamen occultabat: victus, cultusque tenuissimi: amictu utebatur vili, victum ostiatim mendicabat. Si quid ipsi ab amicis mitteretur, in egenorum usus conferebat quàm poterat occultissimè. Semel in die capiebat cibum, carnibus rarò vescebatur, vinum vix bibebat, nisi fortè apud amicos invitatus: tunc enim appositis epulis nullo delectu utebatur. Insigni erga proximos [erat] caritate, quibus ut subveniret, ac præsto esset, nullis parcebat laboribus: in facinorosis hominibus ad meliorem frugem revocandis, dexteritate singulari. Si quem aut flagitioso amore irretitum esse intelligeret, aut perditum, artificio quodam mirifico, in ejus se insinuabat familiaritatem: deinde consuetudine jam implicato, ultro se etiam ad prandium offerebat: cum intimus esset, concubinas illi detrahebat, & pellices. Quod si plures haberet, & unà simul omnes non posset; ita tractabat hominem, ut gradatim, sensimque omnes abjiceret: acciditque aliquando, ut octo cuidam concubinas ademerit.

D

verè apostolica elogium;

420 Admirabilis prudentiâ, ac sermonis jucunditate: in adversis infractus omnino, ac robustus: in divina providentia semper defixus, cujus fiducia, & alieno tempore navigabat, & vitam suam magnis objiciebat periculis, à quibus sæpenumero ereptus est. Ter naufragium fecit, duos aliquando, tresve dies jactatus undis, in tabula servatus est: diu postea in silvis abditus, manus se insequentium barbarorum, & crudelitatem vitavit: aliàs arbore tectus, in eaque pernoctans, mortem à gentilibus sibi paratam evasit. In summis sæpè molestiis Deum precabatur, ut dura semper duris succederent, neque sibi labores umquam minueret, sed potiùs augeret. Orationis spiritu excellens, in qua totas frequenter ponebat noctes, easque coram sanctissimo Domini nostri Jesu Christi corpore, cum poterat, vel coram imagine Crucifixi insomnes traducebat. Si naturæ imbecillitate opprimeretur, sæpe vel saxum capiti, vel cervical durum subjiciebat, atque ita humi cubans, levem capiebat somnum, & brevem, quem frequenter tamen interrumpebat gemitu. Consolationibus divinis mirificè abundabat. Solum cum se putabat esse, manu pectori admota, sublatis in cælum oculis ad Deum sæpe clamabat: Satis est Domine, satis est.

heroicarum item virtutum,

421 In Japone verò suis pedibus iter faciens ita accipiebatur interdum, ut vepribus se induceret, in lapides offenderet, pedes laceraret, sine dolore, sine sensu: tanta erat divini æstus magnitudo. Orantem illum diabolus graviter aliquando verberavit: sed non idcirco orationem intermisit. Obedientiæ studiosissimus fuit: cui virtuti negabat ullam terrarum longitudinem obstare, ullam maris immensitatem. Erga episcopos, & sacra aliqua dignitate ornatos homines reverentissimus: eosque colendos omni officii atque obsequii genere docebat. Addam illud: qui Christi fidem in ipsa insula Japone primus suscepit, Japonius quidam fuit ex oppido Cangoxima, qui non solùm in Baptismo nomen Christo dedit, sed in nostra etiam Societate, cujus se votis devinxit & novo miraculo, homo Japonius, Christianus, ac Religiosus, à Francisco Xavier missus ad Ignatium, Romam venit anno MDLIV, eo videlicet consilio, ut Romanæ Ecclesiæ perspecta majestate, & cognitis Christianorum institutis, in patriam reverteretur, & suis civibus à se visa renuntiaret. Cum Bernardo ergo (sic enim vocabatur) magna mihi Romæ consuetudo fuit: cujus ego exemplis ad virtutem inflammabar, quippe qui primitivos illos Christianos vitâ suâ mihi re-

F

repræſentaret. Narrabat is mihi de Franciſco tria. Primum, ſeptem ſe menſes cum illo unà in eodem cubiculo fuiſſe, & in levi, perexiguoque ſomno, quem Franciſcus capiebat, gemitus ſæpè illius, & voces, Jeſu nomen ſubinde uſurpantis, audiviſſe: atque de ipſo Franciſco nonnumquam quæſiviſſe, quid ſuſpiraret tam crebrò, quid gemeret? Illumque ſibi reſpondiſſe, nihil ſe ſcire, nihil omnino ſentire. Alterum, in magna diſceptatione cum Bonziis, & gravi altercatione, multis quæſtionibus, iiſque diverſiſſimis à multis ipſi Franciſco propoſitis, frequentiſſimè (cum ipſe quoque Bernardus adeſſet) ita illum omnibus una reſponſione ſatisfeciſſe, ut omnibus omnes dubitationes ſcrupuloſque eximeret: idque multo etiam evidentiùs atque illuſtriùs, quàm ſi ſingulatim cuique reſpondiſſet.

nec non miraculorum ac prophetiæ donum,

422 Tertium, permultos variis morbis oppreſſos, ſuis oculis ſe vidiſſe, qui ad Franciſcum deportati, confeſtim ab illo vel crucis ſigno, vel aquæ factæ aſperſione ſanabantur. Quapropter Japoniis illum, quaſi aliquem de cælo lapſum, ac ſupra hominem aiebat viſum. Neque mirum: multis enim claruit miraculis & in vita, & poſt mortem, quibus in hodiernum uſque diem illuſtratur. Morbos omnis generis ab humanis corporibus depulit: energumenos liberavit, illuminavit cæcos, mortuos denique vitæ reſtituit. Prophetiæ dono maximè excelluit: multa occulta patefecit, plurima longè poſita vidit, eaque populis accidiſſe nuntiavit, quæ, repetitis atque enumeratis diebus, compertum eſt in eum ipſum diem incidiſſe, quo fuerant ab ipſo procul poſito, divinitus cognita, atque aliis declarata.

& mira incorrupti corporis integritas recenſentur.

423 Ejus mortui corpus integrum, ac ſolidum, domeſticis, ſacriſque veſtibus, quibus utebatur, obvolutum, à Luſitanis mercatoribus, qui morienti adfuerant, calce contectum, & humi conditum eſt, ut exeſa vi calcis oſſa, in Indiam deportarent. Sic enim ille piorum ſuffragia ſpectans, & piè de reſurrectione cogitans fieri juſſerat. Poſt tres menſes ſarcophago effoſſo, veſtes integræ omnino reperiuntur: corpus ſolidum prorſus, atque incorruptum, naturali colore, ac vivido, humida carne, ac ſuccoſa: nihil tetri odoris, aut fœdi. Rei miraculo permoti mercatores, corpus, ut erat, in navim imponunt: Malacam, magnis periculis liberati, inuſitata celeritate perveniunt: ibi duodecim alios item menſes aſſervatur, eadem prorſus integritate. Goam deinde perlatum, omnium ordinum, & totius civitatis concurſu in noſtri collegii templo collocatur, & conditur. Magnaque eſt univerſi populi erga illum veneratio, magna de ſanctitate ejus opinio. Miracula illius, & in vita, & poſt mortem edita enumerare, nimis longum eſſet, & ab noſtro inſtituto alienum. Neque enim huic narrationi propoſitum eſt, ut quæ in India per Franciſcum geſta ſunt, ea omnia perſequar: ſunt enim multa, magna, teſtata, & quæ juſto volumine explicari, non peranguſtè coarctari debent. Typis excuſus prodiit libellus de ejus vita, & de rebus Japonenſibus; ſed brevis, & qui magis commentarius ſit, quam plena hiſtoria, quæ ampla ſanè erit, ſi totam Franciſci vitam complectatur, & ea, quæ multis & graviſſimis teſtibus comprobata, & in publicas tabulas, juſſu Joannis III, Luſitaniæ regis, relata ſunt, diligenter perſequatur. Quædam tamen breviter fuerunt noſtro more perſtringenda *b*.

ANNOTATA.

A. Petro Ribadeneira.

a *De collegio Germanico Commentarius* § 42 *à num.* 440.

b *Acta & miracula ſpectant ad diem* 111 *Decembris.*

CAPUT XXVII.

Luſtrata à noſtris Corſica; Exercitia ſpiritualia ad fidei Quæſitores delata; collegia ac diſtributa in Hiſpania provincia; varia collegia; collegii Sorbonenſis contra Societatem decretum.

Cap. VIII. Rogatu reip. Genuenſis duo è noſtris in Corſicam miſſi:

MUtinæ collegium *a* per idem tempus inchoatum eſt: Peruſiæ item, rectore Everardo Mercuriano *b*, viro gravi ac prudenti, qui anno Domini MDXLVIII & philoſophicis & theologicis diſciplinis eruditus, & politioribus litteris excultus, & in tractandis jam tum hominum animis laudabiliter verſatus, Lutetiæ Pariſiorum Societatem noſtram ingreſſus eſt. In Peruſina autem civitate Jacobus Laines fuerat paulò antè concionatus, qui, republica Genuenſi poſtulante, Genuam deinceps profectus eſt, vehementerque civitatem illam commovit, & omni genere doctrinæ atque virtutis, ad pietatis ſtudium excitavit. Quæ cauſa fuit, ut eadem reſp. à ſummo Pontifice magnis precibus peteret, ut ex noſtris aliquot in Corſicam *c* mitteret, qui populos illos incultos ac rudes, multiſque propterea vitiis contaminatos obirent, ac docerent. Miſſi ſunt duo cum magna ſummi Pontificis poteſtate, quâ ad multorum ſalutem uſi ſunt, ea abſtinentia, atque integritate vitæ, ut homines cum multùm verbo, plus tamen exemplo moverent. Multùm illi in peragranda inſula laborârunt, in controverſiis componendis, vitiis tollendis (quæ innumera in conjugium illorum, ac nuptias irrepſerant) reficiendis ædibus ſacris, atque ornandis: commonendis ſacerdotibus, & ad tuendum ſacerdotale munus cohortandis, audiendis peccatorum confeſſionibus: in concionibus denique, & omni pietatis officio, multum ſtudii operæque poſuerunt.

a
b
c

quorum fructus per calumnias retardatus eſt.

425 Sed hunc illorum curſum diabolus impedire conatus eſt. Nam anno proximo MDLIII Religioſi quidam, & ſacerdotes (quibus fortè ſeverior diſciplina odioſa erat) multa contra illos tum falſa, tum acerba Romam pertulerunt, ac diſſiparunt, & iniquis criminationibus Cardinalium ac principum aures compleverunt. Quibus ut occurreret Ignatius, Sebaſtianum Romæum in Corſicam miſit, à quo brevi multa præclara teſtimonia, atque graviſſima ſunt allata: quæ gubernator Corſicæ reliquique magiſtratus, ac civitates veritati innocentiæque noſtrorum libentiſſimè tribuerunt: eaque Romam ad Pontificem Max., viroſque clariſſimos ſcripſerunt, quæ propter ſummam laudem, audire noſtri non poſſent ſine verecundia.

Cap. IX.

426 In Hiſpania eodem anno MDLIII & probabatur Societas, & augebatur. Nam Exercitio-

A. PETRO RIBADENEIRA.

Exercitia ſpiritualia patiuntur in Hiſpania:

d rum ſpiritalium *d* ratio (quorum uſus florebat in Hiſpania, & uberrimos Chriſti Eccleſiæ fructus adferebat) eodem tempore graviter agitata eſt: & à bonis illis quidem viris, ſed rerum noſtrarum rudibus, multa contra libellum illum ſcripta ac notata ſunt, & ad fidei Inquiſitores delata. Sed veritas tandem omnes tenebras diſpulit, & cum ſuis ſe viribus defendit, tum verò ſacroſanctæ Sedis auctoritate, adverſariorum impetus facilè propulſavit, ac fregit. Itaque ſuum curſum Societas tenuit. Namque Eborenſe collegium ab Hentico Cardinale, Emmanuelis Luſitaniæ regis filio, & Joannis regis ſanguine, & pietate germano fratre, propter eximiam ejus religionem, & in Societatem benevolentiam, eodem tempore eſt inchoatum: & ita deinceps amplificatum, & nova academia & certis reditibus ornatum ac perfectum, ut permagno auditorum numero, ac frequentia diſciplinæ in eo omnes tradantur. In Conimbricenſi verò, ad novitios probè inſtituendos, & ad normam Societatis erudiendos, domus probationis eſt inſtituta. Ulyſſippone etiam, & profeſſorum domus inſtituta, & collegium, ſuperiore anno informatum, novis lectionibus locupletatum eſt. Abulenſe præterea collegium eodem anno MDLIII initium habuit.

B

collegia ibid. erecta,

427 Iis adde Cordubenſe: cui quidem P. Antonii à Corduba introitus in Societatem principium dedit. Is enim Laurentii Figueroæ, comitis Feriæ & Plieghi marchionis filius, poſtquam noſtrum inſtitutum complexus eſt, nihil habuit antiquius, quàm res noſtras, quibus ignotæ erant, notas efficere: & per ſuos, copiis & clientelis facilè principes, Cordubæ Societatem collocare. Ad eam rem cum Magiſtratu tranſigendum, Franciſcus Villanona cum ſocio, Cordubam profectus eſt. Qua in urbe erat opibus, atque auctoritate præſtans D. Joannes à Corduba, Cordubenſis eccleſiæ decanus, & in noſtros tunc quidem non optimè affectus. Hic ubi noſtros Cordubam veniſſe audit, indagandi, explorandique cupiditate perquiſitos, domum ad ſe invitat, cogit, hoſpitio excipit: curioſè atque aſſiduè, furtim etiam obſervat, excutit diligenter: admiratione vitæ noſtrorum ſe ipſe colligit: conſuetudine illorum, ac ſermonibus capitur: veritate comperta, amare eos incipit, quos odiſſe antea videbatur.

C Intra paucos dies, ædes in quibus ipſe habitabat, amplas in primis & magnificas noſtris donat: multam præterea veſtem pretioſam, vaſa aurea, atque argentea ad Dei cultum non pauca; annuos fructus ad victum cultumque conſtituit tam ſtudioſè & ardenter, ut ſe neque dormire, neque vigilare poſſe diceret, neque aliud, quam de collegio noſtro cogitare. Itaque quod dixi, brevi effecit, magnamque apud omnes ea voluntatis erga nos, & vitæ ipſius mutatio admirationem habuit. Neque enim ille, quo eſſet antea in nos animo tulerat obſcurè; neque ignorari poterat, quod faciebat, propter hominis dignitatem.

provinciarumque diſtributio.

428 Atque ad hæc quidem conficienda non parum contulit magiſter Hieronymus Natalis, quem Ignatius hoc ipſo anno commiſſarium generalem in Hiſpaniam miſit, ut noſtris Conſtitutiones à ſe perſcriptas promulgaret, ordinem collegiorum atque diſciplinam inſpiceret, eaque quo gubernarentur commodiùs, in plures quam antea provincias diſtribueret: quod & fecit; & Caſtellæ Antonium Araoz, Bæticæ Michaëlem Torrenſem, Aragoniæ Franciſcum Stradam, Luſitaniæ Jacobum Mironem (ut fuerat juſſus) Provinciales conſtituit *e*. Omnibus verò præfecit, & commiſſarium generalem in univerſa Hiſpania inſtituit *f* P. Franciſcum Borgiam; cujus erat apud omnes magna in primis auctoritas.

e

D

f

CAP. X.

Collegium Hiſpalenſe, Granatenſe, Conchenſe;

429 Hunc in modum res in Hiſpania compoſitæ mirificum progreſſum habuerunt. Nam Cordubenſis collegii exemplo fructuque invitati Hiſpalenſes multi cives, noſtros expetiverunt. Itaque inſequenti anno MDLIV Hiſpalenſe collegium P. Franciſci Borgiæ eam in urbem adventu & concionibus eſt informatum.

Granatenſe præterea inſtitutum eſt, ad quod ſtabiliendum multum juvit Petrus Guerrerius, ejus urbis archiepiſcopus, qui in concilio Tridentino, ex Jacobi Lainis & Alfonſi Salmeronis ſermonibus noſtrum inſtitutum probavetat, & patrum illorum vita atque eruditione commotus, noſtris omnino favebat: inſtituti verò jam collegii amplificator idem ſemper dum vixit, ac denique fundator fuit. Placentinus etiam epiſcopus D. Gutterius Carvajalius, Tridenti eorumdem patrum conſuetudine, in reliquam Societatem bene animatus rediit in Hiſpaniam, & Placentiæ collegium à fundamentis præclarè magnificéque conſtruxit, & annuis proventibus confirmavit.

E

In hac ſerie atque ordine pono Conchenſe collegium, quod hoc item anno, Franciſci Villanovæ conſilio, Petrus de Puteo, Conchenſis canonicus, ad valetudinem noſtrorum, qui Compluti commorabantur, æſtivis caloribus tuendam, tunc quidem inchoavit, poſtea verò auxit, ac perfecit Petrus Marchina Conchenſis & ipſe canonicus; Ignatii, dum viveret, poſtea verò univerſæ etiam Societatis amiciſſimus. Propter eorum verò multitudinem, qui eo tempore nomina Societati dabant in Hiſpania ut ad noſtrum inſtitutum aptius formarentur, Bartholomæo Buſtamantio moderatore, novitiorum domus Simancæ eſt conſtituta.

In Italia verò Genuenſe, Lauretanum: Societas in Sicilia.

430 In Italia porrò Genuenſe collegium P. Jacobi Lainis operâ collocatum eſt: in quod cum aliorum civium, tum verò maximè Pauli Doriæ, inſignis extant liberalitatis officia, & benevolentiæ.

Lauretanum verò, Rodulphi Pii Carpenſis Cardinalis, & Lauretanæ domus protectoris conſilio conditum eſt. Qui quidem ad conſervandum cultum ſacratiſſimi loci, & fovendam peregrinorum eò confluentium pietatem, ratus ſuis laboribus aliquid noſtros poſſe conferre, impetratos ab Ignatio aliquot primùm Lauretum miſit: quorum fructus, ubi nihilo ſpe minor fuit, poſtea collegium noſtris Pontifex Max. Apoſtolica auctoritate confirmavit.

F

Sed etiam in Sicilia per idem tempus Societas erevit. Nam & Syracuſani collegii poſita ſunt fundamenta à Suero Vega, Joannis Vegæ proregis filio, ejus urbis gubernatore & in oppido Montis regii ſumptibus Alexandri Farneſii Cardinalis, ejus urbis archiepiſcopi, coëmptis domibus, novoque templo ædificato, domicilium noſtris conſtitutum. Et Sicilia ipſa, creato Hieronymo Domeneco Provinciali, in provinciæ formam redacta.

CAP. XI.

Societas duobus in Gallia collegiis donata

431 Hæc in Italia, Hiſpaniaque. In Gallia verò eodem anno MDLIV Societas noſtra certas ſedes habere cœpit. Nam quamvis ab ipſo primo ejus exordio, aliqui ex noſtris ſemper fuerint, qui in academia Lutetiana operam ſtudiis litterarum darent: privatim tamen illi, & nullo certo loco, nullo ſuo collegio ea in urbe commorabantur. Donec D. Guilielmus à Prato, Claromontanus epiſcopus, qui noſtrum Tridenti inſtitutum cognôrat, & patribus Jacobo Laine, Alfonſo Salme-

merone, Claudio Jaio familiariter uſus fuerat, collegia nobis duo ædificare conſtituit: alterum in ſua diœceſi Bigliomi, Lutetiæ alterum *g*, quod & fecit. Ad quæ collegia, & res noſtras in Gallia gubernandas, magiſtrum Paſchaſium Broetum Provincialem præpoſitum Ignatius fecit. Sed noſtris à rege petentibus, Societatem ut admitteret, ejuſque filios regni jure donaret; res ad Pariſienſem ſenatum rejecta eſt. Senatus (quod ea res ad religionem ſpectaret) Facultati theologicæ mandat, Inſtitutum noſtrum ut examinet, Pontificia diplomata diligenter inſpiciat: denique quid videatur, ad ipſum referat.

tion admittitur; ſed edito contrà eam à Sorbona decreto

432 Erat id temporis inter doctores theologos, quidam auctoritate princeps, noſtris offenſus, quod adoleſcentem quemdam ſanguine ſibi conjunctum, ipſo repugnante, in Societatem recepiſſent. Erant alii religioſi doctores, qui ſuis rationibus ducti, minùs noſtræ cauſæ fávebant: nonnulli, qui de re tota nihil laborabant: multi, qui popularibus opinionibus, ac pervulgatis contra Societatem rumoribus occupati, acriter noſtræ Religioni, propter religionem ipſam adverſabantur. Ii ergo judices conveniunt, conſultant inter ſe, decretum illud demum ſcribunt, quo theologiæ Facultas, quid de Societatis Inſtituto ſentiat, apertè declarat: ei decreto omnino perſimile, quod eadem theologiæ Facultas, in Religionem B. Dominici, ipſo ejus principio traditur ſcripſiſſe. Eſt enim ſeverum, & grave, ac peracerbum, & quod à legentibus, ejuſque ſententias cum re ipſa conferentibus, omnino incognita atque inexplorata veritate, factum eſſe judicetur *h*.

magni fluctus excitantur:

433 Quo decreto facto, magnis fluctibus Lutetiæ, & turbulentis jactati ſunt noſtri: nam recenti negotio, à ſcholaſticis in gymnaſiis, à monachis in concionibus, à populo in circulis concidebantur; à ſenatu in curia, ab ipſo denique epiſcopo, magnas in templis moleſtias perferebant. Quo Romam allato, optimi quique atque doctiſſimi Societatis patres, in ea erant ſententia, ut decreto reſpondendum dicerent, ne qui fortè veritatis ignari, inſignis Facultatis auctoritate, & graviſſimo de nobis præjudicio commoti, à veritate alienas opiniones acciperent. Neque verò eſſe timendum, ne Facultas, veritatis hanc defenſionem & juſtam, & neceſſariam, non optimam in partem acciperet. Nam quæ ejus eſt modeſtia, ac veritatis amor, ſi rem, uti eſt, cognitam haberet, antiquaret certè ſuum illud ipſa decretum, atque induceret: quod non odio, ſed veri ignoratione feciſſet.

quibus ſcribentibus,

434 Verùm patribus ita ſentientibus, æquiſſimo animo Ignatius, & vultu, ut ſolebat, hilari, Pacem, inquit, meam do vobis: Pacem, ait Dominus, relinquo vobis. Neque ſcribendum eſt, inquit, quidquam, neque faciendum, ex quo vel odium, vel acerbitatis aliquid naſcatur. Neque verò vos theologiæ Facultatis conturbet auctoritas, quæ quamquam magna eſt, illa tamen nihil valebit contra veritatem: quæ premitur quidem ſæpè, ſed numquam opprimitur. Aliud minúſque periculoſum, ſi opus ſit (quod equidem non ſpero) huic vulneri medicamentum adhibebimus. Ergo noſtris mandat, ut ab omnibus principibus, epiſcopis, magiſtratibus, rebuſpublicis, academiis, civitatibus, apud quas verſabantur, vitæ ſuæ teſtimonium petant: teſtimonia perſcripta, & obſignata ad ſe mitti curent, ut ea, ſi opus ſit, Pariſienſi decreto objiciat, & paucorum hominum ſententiis, judicium orbis terrarum & approbationem opponat.

A. PETRO RIBADENEIRA.

prudenter ac ſedatè ſe gerit Ignatius.

435 Fit quod Ignatius imperavit: ex omnibus ferè provinciis, in quibus noſtra Societas eſt, omnium penè magiſtratuum litteræ brevi ad ipſum perferuntur, omnes ſui judicii, firmum, grave, præclarum noſtris teſtimonium dant. Iis teſtimoniis Ignatius tamen non utitur, quod videret, decretum ipſum concidiſſe ſua ſponte, atque ita evanuiſſe intra paucos dies, ut ejus vix nomen extaret. Falſitas enim cadit ipſa per ſe. Porrò in Hiſpania, quod Sorbonenſe decretum contra ſacroſanctam Sedis Apoſtolicæ eſſet auctoritatem, à qua Religio noſtra probata & confirmata eſt, fidei Quæſitores illud tamquam falſum, & quod pias aures offenderet, ſuo decreto legi prohibuerunt *i*. Atque illud etiam conſecutum eſt, ut cum ante decretum Societas noſtra nullum collegium haberet in Gallia, poſt decretum, intra annum, duo habuerit.

ANNOTATA.

a *De hoc & aliis ſequentibus collegiis Orlandinus; cujus indicem vide.*

b *Quarto deinde Præpoſito Generali.*

c *Quæ huc pertinent, dabit Orlandinus lib. 13, à num. 12.*

d *Eorum impugnationes ac vindiciæ ſunt in Commentario* § 9 & 10.

e *Epiſtolæ Sancti ſuper ea re ad P. Natalem, in Hiſpania ac Luſitania Commiſſarium datæ, apographum habeo. Signatur Romæ ſeptimâ Januarii* 1554.

f *Litteras patentes produxi in Comm.* § 81.

g Fundavit autem tria; Pariſienſe, Billiomenſe, Mauriacenſe; & ſic quidem duo in ſua diœceſi, *inquit Manareus in ſuis ad hanc Vitam notis; de quibus dixi in Comment.* § 93. *Litteras iſtius Illuſtriſſimi ad* S. Ignatium *ibid. dedi* § 43.

h *Plura Commentarius* § 47 & 48.

i *Quæ ex eo excerpſi, habes ibidem* § 48, *num.* 510.

CAPUT XXVIII.

Duo è Societate Euangelii præcones à barbaris interempti; alter Æthiopia patriarcha creatus; ſeditio Cæſarauguſtana in laudem Societatis converſa; varia collegia.

CAP. XII. *Petrus Correa,*

QUo tempore Societas iis modis exercebatur in Gallia, eodem, pro Chriſto ſanguinem in Braſilia fundebat. Nam Petrus Correa, & Joannes Soſa *a* Luſitani, Societatis filii, ad Euangelium Ibiragiaris populis prædicandum profecti, à Carigis, feris hominibus ac barbaris, ſagittis transfixi, & genibus flexis orantes, interfecti ſunt. Erat Petrus vir nobilis, & fortis, qui in Braſilia, antequam Societatem eſſet ingreſſus, Chriſtiani nominis amplificandi ſtudio quodam incitatus, ut à Chriſtianis vim barbarorum averteret, barbaris ipſis, quæ poterat, damna inferebat; Societati deinde noſtræ, in Braſilia omni-

A. PETRO RIBADENEIRA.

mnium se primus adjunxit: & ut præteritæ vitæ culpas redimeret, & illatum illis populis damnum, quoad posset, resarciret, vitam suam Brasiliorum saluti, laboresque dicavit. Itaque annos quinque, quos postea vixit, eximia humilitate, obedientia, perfectionisque desiderio, prudenter in ipsorum utilitate, strenuéque consumpsit: multumque & vitæ exemplo, & Brasilicæ linguæ cognitione, & rerum usu profecit: quoad exeunte anno MDLIV, quo suprà diximus modo, necatus est.

ac Joannes Sosa à barbaris trucidantur.

437 Alter Joannes Sosa & ipse inter primos, qui nostrorum ea in provincia institutum secuti sunt, simplex, & rectus, excellentique pœnitentiæ, humilitatis, & caritatis virtute præditus, à foco, & culina, in qua fratribus ministrabat, ad tam glorioſum exitum assumptus est. Res autem nostræ ita sunt apud populos illos amplificatæ, ut in pagis oppidisque Salvatoris, sancti Vincentii, Paratiningæ, Portus securi, Spiritus sancti, Illeos, Pernambuci, & aliis nonnullis domicilia habeamus: ad quæ constituenda, & nostros moderandos, Emmanuelem Nobregam Ignatius præpositum Provincialem creavit *b*.

B

b

CAP. XIII. *Joannes Nugnes*

438 Fiebant hæc in Brasilia, cum Joannes Nugnes patriarcha Æthiopiæ designatur. Ejus rei ratio fuit hujusmodi. Sunt Æthiopes inter Christianos veteres in primis, qui partim à beato Matthæo Apostolo, partim ab Eunucho Candacis reginæ Æthiopum, à Philippo baptizato, Christi fidem acceperunt. Sed Moysis legem vel primi illi retinuerunt, vel abjectam repetiverunt eorum posteri, & Christianæ fidei sinceritatem Judaicis cæremoniis inquinârunt. Nam & baptizantur, & circumciduntur, & Judaïsmum cum Christiana religione ita confundunt, ut cum utrique esse velint, neque Christiani, neque Judæi planè sint. Et à Patriarcha Alexandrino, variis neotericorum Græcorum erroribus infecto, credendi regulam petunt.

quibus de causis

C

c

439 Propter longinquitatem porrò terrarum, & interfusas barbarorum nationes, jam pridem nullo commercio cum nostris hominibus, aut communicatione jungebantur: donec Lusitani navigatione in Æthiopiam delati, ad regem (Preste Jannem *c* vocant) pervenerunt, eumque consuetudine, & præclaris rebus gestis ita demeruerunt, ut aditum in Æthiopiam suis aperirent, & commercii locum darent. Quibus rebus permotus David, Æthiopiæ rex, Emmanuelis Lusitaniæ regis (qui clarissimis victoriis Christianam religionem ad Orientem magnopere amplificavit) amicitiam appetit: ad Clementem VII, Pont. Max., per Lusitanos homines scribit, agnoscere se Romanum Episcopum universalis Ecclesiæ pastorem: optare idcirco atque omnibus precibus ab ipso petere, ut, qui omnium magister est, eos in Æthiopiam doctores mittat, à quibus ipsi ad rectam sinceræ fidei normam instituantur. Regem ipsum Lusitaniæ rogat, ut suam auctoritatem apud Pontificem interponat.

creatus sit Æthiopiæ patriarcha.

440 Acta res est à Lusitano rege diligenter sanè; sed perturbatione temporum impedita, & ad Julium III usque protracta. Qui rei magnitudine adductus, & Joannis tertii Lusitaniæ regis, qui patri Emmanueli non magis in regno, quam in amplificandæ religionis studio jam successerat, precibus, Joannem Nugnem Lusitanum (eum, quem superioribus annis in Mauritania Christianis captivis redimendis operam navâsse diximus) Æthiopiæ patriarcham cum summa potestate constituit: Andream Oviedum Castellanum, Melchioremque Carnerium Lusitanum, episcopos creat, & patriarchæ adjutores, & successores adjungit. Quos honores Societas postquam humiliter modestéque repudiavit, accipere demum coacta: & quidem magna ipsius Societatis commendatione, quod, amplissimis honoribus repudiatis, eos tamen diceret Pontifex Societatem accipere, qui præter labores pro Christo, capitisque pericula, nihil haberent splendoris aut fructus, quo allicere ad se homines possent: patriarchæ, & sociis episcopis, novem alios comites Ignatius addidit, Italos, Flandros, Lusitanos, Castellanos. Quos omnes Joannes idem optimus rex perbenignè complexus, cum aliis muneribus, tum vestibus sacris, iisque omnibus, quæ ad pontificium cultum, & cæremonias pertinent, regio sumptu donatos, cum magna classe in Indiam misit, ut inde ad Claudium regem, Davidis jam mortui successorem, in Æthiopiam trajicerent.

D

E

CAP. XIV. *Tempestas*

441 Sub idem tempus, Cæsarauguſtæ gravis in nostros tempestas concitatur. Eam, quod omnium, quibus ad hunc diem Societas defuncta est, maximam judico; exitu verò etiam lætissimam, paulò latiùs explicabo. In urbe enim Hispaniæ nobilissima, atque ampliſſima, cognita jam multis, & probata Societate, per viros professione Religiosos gesta res est. Cæsarauguſtæ igitur ædes amici quidam suo & civitatis etiam ære nostris emerunt, ad collegium Societati constituendum. Magnus eò concursus fieri cœpit civium, qui ex consuetudine nostrorum egregium fructum percipere videbantur. Permolestum hoc accidit monachis Augustinianis (qui per id tempus laxiùs vivebant, nunc verò observantiores sui instituti sunt) tametsi eorum cœnobium à domo illa nostra longiùs abesset. Curio item D. Magdalenæ graviter admodùm tulit, nostros suæ parœciæ esse vicinos. Archiepiscopus autem Cæsarauguſtanus, vir professione religionis, genere, auctoritate clarissimus, minùs nobis propitius existimabatur: cujus potestate, quam habebat ampliſſimam, suo ad omnia arbitratu ejus vicarius utebatur. Qui quidem propter curionem (quem diximus) D. Magdalenæ, quocum non solùm amicitiâ, sed sanguine etiam esse conjunctus vulgò credebatur, à nobis erat alienior.

F

gravissimâ

442 Ergo Augustiniani illi patres nostros illa in civitate esse graviter dolent. Vicarius doloris socius adjungitur. Aliquorum Ordinum viri Religiosi sollicitati cum illis sese conjungunt: denique communi consilio contra nostros conspirant: causa honesta quæritur: optima visa est sacelli institutio, quæ in parte quadam ædium parabatur à nostris, ut eo videlicet uterentur tantisper, dum novum illis templum Deus ædificaret. Hoc sacellum adversarii institui posse negant, quod intra certos fines (cannas vocant) illud contineri dicerent, & ipsorum privilegiis à Sede Apostolica impetratis nostros excludi. Re diligenter investigata, compertum est sacello nihil obstare. Nam & nostra privilegia posteriùs impetrata illorum privilegiis derogabant: & revera longiùs domus nostra distabat, quam ut limitibus illis ac finibus comprehenderetur. Itaque ratione ubi nequeunt, de possessione nostros vi & potestate deturbare contendunt. Nostri archiepiscopum adeunt, oratorium aperiendi facultatem petunt, privilegia Apostolica, quibus id fieri liceat, ostendunt, sacellum ornant atque instruunt, proregem ac primam nobilitatem invitant.

443 Paratis omnibus, in ipso sacrosanctum my-

A myſtetium peragendi articulo, Auguſtinianus quidam monachus, Auguſtinianorum conſervator, quod contra privilegium ſuorum eſſet, ne in ſacello Sacrum faciant, noſtris interdicit. Viris piis, Deum timentibus, prudentibus, litteratis, ea de re conſultis, viſum eſt, & prohibitionem ejuſmodi eſſe inanem ac nullam, & multis aliis de cauſis haud pertimeſcendam. Cum ergo noſtri in incœpto perſeverarent, archiepiſcopi vicarius edictum proponi, & noſtris valvis affigi jubet, quo omnibus curionibus ac illius civitatis vicariis mandat, ne ſuos noſtro in ſacello Miſſam, aut divina Officia audire permittant, excommunicationis pœnam in rebelles atque inobedientes ferant. In ſumma, eò demum progreſſa res eſt, ut noſtris diras omnes atque execrationes publicè imprecarentur: in numero impiorum ac ſceleratorum eos haberent: ab iis omnes decederent: aditum eorum, ſermonemque defugerent. Nam & Sacrificiis populo interdictum eſt, ſi quis aditu noſtris aut congreſſione jungeretur: & homines nobiliſſimi atque ampliſſimi, quod vicarii decreto non ſtetiſſent, ejecti de templis, atque exturbati ſunt. Quibus quidem in templis omnibus fere concionatores noſtrorum nomen dilacerârunt: archiepiſcopus ſua poteſtate damnavit: omnes omnium Ordinum conventus, ſacerdotum item cœtus, publicè anathematizârunt eo ritu, atque iis cæremoniis, quæ in hujuſmodi rebus adhiberi ſolent graviſſimæ. Interdictum etiam publicatum eſt, quod tam diu vim obtineret, quamdiu noſtri in illa eſſent civitate.

Cæſaraugustæ

B

contra Societatem

444 Quibus rebus fiebat, ut vulgus noſtros quaſi piacula quædam diffugeret, atque exterminatos ex ſua civitate cuperet, quos tot diris execrationibus videbat notatos. Præſertim cum adverſarii invidiæ flammam ventilarent, & rudibus atque imperitis religionem objicerent, ſi quis fortè ſermone noſtros, & communi ſalutatione non indignos exiſtimaret adhuc. Denique deteſtationem noſtrorum proſcribunt, publicè in cippis, ac urbis triviis proponunt: expingunt noſtros ea ſpecie, atque habitu, agnoſci ut facilè poſſent. Error quo omnis abſit, ipſorum nomina adſcribunt: cacodæmones horribili forma ipſos raptantes adpingunt, flammas ſubjiciunt, probroſas appellationes addunt, plura etiam affingunt, quam fieri ſolent in perditiſſimos eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptores. Immo verò longiùs provecta eſt impudens ac cæca quorumdam temeritas, atque eò uſque prolapſa, ut Petrum Auguſtinum, Oſcenſem epiſcopum, virum nobilitate atque virtute eximium, civem Cæſarauguſtanum, eodem habitu, atque forma expingerent, quod noſtrorum eſſet conſervator. Noſtri domi ſe continere, pueri catervatim irruere, januam, tecta & feneſtras ſaxis impetere; omnia clamoribus replere. Si quem verò domo exire gravis aliqua cauſa compuliſſet, illum quaſi monſtrum aliquod inviſum inſequebatur puerorum turba inſultantium.

C

concitatæ

445 Et hæc quidem vulgò: quæ tamen hominibus prudentibus, & ſuo momento res æſtimantibus, gravia videbantur, & Chriſtianis moribus indigna. Intelligebant enim, ex nullo ſuo peccato conflatam eſſe noſtris invidiam: neque tamen aut contra archiepiſcopi niti auctoritatem audebant, aut furenti ſe multitudini objicere, aut Religioſos viros ſui officii admonere, & concitatæ ſeditionis coarguere. Erat enim tumultus ſeditioſæ plebis, & imperiti vulgi clamoribus concitatus, non cordatorum virorum ac nobilium in noſtros conſpiratio, aut in Societatis noſtræ perniciem conſenſus. Nam nobiliſſimi quique viri atque graviſſimi à nobis ſtabant. Quamobrem, cum ad ædes noſtras magna manu perditi homines aliquando catervatim irruerent, rumorque increbuiſſet, noſtros in diſcrimine verſari, iſque ad multos nobiles atque egregios cives, qui pilæ palmariæ luſum vel exercebant, vel ſpectabant, eſſet perlatus, repentè illi, ludo relicto, nonnulli etiam ſeminudi, ut erant, domum noſtram armati convolârunt, ut noſtros & ab injuria defenderent, ac periculo eriperent, & auctoritate, atque armis etiam, ſi opus eſſet, imperitæ plebis clamores atque impetum ſedarent, vimque operarum, vi depellerent.

A. Petro Ribadeneira.

D

funeſtam quidem

446 Ergo cum armatam noſtri in ſe civitatem viderent; & in contentionem, atque diſcrimen adduci; connivere archiepiſcopum, ardere ejus vicarium, monachos inſtare; vulgus urgere, turbari omnia, ac miſceri; neque Pontificia auctoritate, quam Sedis Apoſtolicæ Legatus, neque regiam, quam ſeverè interpoſuerat ſereniſſima Joanna Caroli V filia, Hiſpaniarum gubernatrix, neque ulla ratione tantam tempeſtatem ſedari, aut mitigari potuiſſe: quod divum Gregorium Nazianzenum Conſtantinopoli, minori cauſa feciſſe legimus, in tanta rerum perturbatione facere ipſi ſtatuerunt: & ea urbe decedere, quam nullâ quidem ſuâ culpâ, ſed propter ſe tamen videbant turbatam. Ergo in ſenatum veniunt: eum unus ſuo & ſociorum nomine alloquitur: docet noſtros civium rogatu, & patrum ſuorum juſſu Cæſaraugustam veniſſe: in ea tot annos ita eſſe verſatos, ut, quantum in ipſis fuerit, offenderint neminem: pro Societatis inſtituto curaſſe ſe, ne pietatis ullum officium ab ipſis, aut obſequium deſideratetur. Negligenter quidem, & minùs ſtrenuè ſe laborâſſe (quod & agnoſcerent, & dolerent;) ſed bona certè fide, ac voluntate, magnoque ſalutis illorum deſiderio. Quoniam verò neque omnium una mens ſit, neque idem de rebus judicium, hoc ſuum ſtudium probare ſe multis non potuiſſe, quorum operâ tanti motus ſint concitati: rem eum in locum veniſſe, quem vident: ſibi neſas eſſe, id committere, ut propter ſe diſcordia, aut perturbatio ulla in civitate ſit.

E

F

habuit ſed nam:

447 Non eſt, inquit, diſſenſionis Deus, ſed pacis. Si propter nos orta eſt tempeſtas, tollite nos, & mittite in mare. Quod in nobis eſt, pacem cum omnibus habere volumus, pacem inquirimus, pacem perſequimur: quam ubicumque gentium, Deo duce, nos conſecuturos, & facultatem pro Chriſto laborandi, nobis non defuturam ſperamus. En ædium veſtrarum claves, urbe hac cedimus, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans, caritatem impediat, & per illam inquinentur multi: loci enim perexigua jactura eſt, permagna caritatis: quam ne amittamus, libenter civitatem amittimus. Neque tamen (niſi noſtra nos fallit opinio) veſtram omnium in nos benevolentiam amittemus: quam tam benignam, tam paratam experti ſæpè ſumus, eamque & agnoſcimus, & gratâ memoriâ conſervabimus. Et quoniam ad remunerandum, nobis nihil aliud ſuppetit, Deum aſſiduè precabimur, ut cujus in nos caritatis ipſe auctor fuit, ejus vobis fructum quam cumulatiſſimè retribuat. Nobis ſtat abire. A vobis, qui publicam perſonam geritis, etiam atque etiam petimus, ut quæ noſtrâ culpâ contracta ſunt in veſtra ſalute procuranda, nobis ignoſcatis: conſilium noſtrum probetis, ac perſua-

A. PETRO RIBADENEIRA.

suasum habeatis, mutare nos solum, non voluntatem. Quæ quidem, ubi placatis fluctibus licebit uti (quod brevi futurum in eo confidimus, qui post tempestatem tranquillum facit) nihilo minùs quam hactenus fuit, vestris commodis obsequens erit.

exitum tamen

448 Ad hæc Magistratus, sibi & perturbationem civitatis molestam esse, & nostrorum voluntatem gratam: palam esse, quorum operâ plebs tumultuetur, nostros velle sui similes esse: ut quorum mansio civitati plurimum utilitatis attulerit, eorum ex urbe discessus, non minùs admirationis adferat. Conservaturos se hujus beneficii memoriam, & haud ita multo pòst testificaturos, quod fuerit ipsorum de nostris judicium. Dimisso senatu, domum nostram senatores aliquot veniunt, nostram paupertatem adspiciunt: quæ de abundantia nostrorum, ac deliciis acceperant, eorum falsitatem re comprobant: quidam etiam, quod auditis fidem habuissent, suæ facilitatis, erroriscque veniam lacrymis petunt: supellectilem scribunt, proficiscentes nostros prosequuntur, pecuniam offerunt, gratias nostri agunt, & repudiant. In oppidum Pedrolam, quod in ducis Villæ formosæ ditione est, se recipiunt. Porrò Jona præcipitato de navi, stetit mare à fervore suo. Hoc enim facto, nonnihil adversarii mitigantur, multum de contentione remittunt, amici Societatis animos sumunt; qui nostros vexandi vel auctores fuerant, vel ministri, cum pœnæ metu, tum verò conscientiæ angore cruciantur, quod intelligerent, se longiùs progressos, quam æquitatis & religionis ratio patiebatur. Ad summam (quoniam posteriora consilia, ut est in proverbio, sapientiora sunt) archiepiscopus sita ipse decreta refigit, & mutat: quam nostri habeant à Sede Apostolica facultatem, in templis promulgari jubet. Per certum hominem nostri evocantur: venientibus Magistratus vult obviam procedere. Quod cum appropinquantibus renuntiatum esset, viros quosdam pernobiles, suique amantissimos (per quos res agebatur) nostri multis, & supplicibus verbis rogant, obsecrantque, ne se tanto pudore afficiant, & præterita ex ignominia gaudium quod ceperint, præsentis honoris dolore commutent.

Societati honorificentissimum;

449 Ubi ne tertiò quidem recusantes, quidquam proficiunt (quòd illi publicas contumelias, publico honoris testimonio obliterandas dicerent) obedientiæ jure compulsi ad urbem accedunt. Fiunt eis obviam ad portam omnes Magistratus, senatus, & ex præcipua nobilitate viri clarissimi, magna hominum vis, ipse denique archiepiscopi vicarius. Eos in mulas paratas cogunt ascendere: cives facilè primi latus eorum cingunt: celeberrimâ atque frequentissimâ viâ domum deducunt, in qua à prorege, fideique Inquisitore exspectabantur. A Petro Augustino Oscensi episcopo (quem & Augustinum à Castello, virum gravem, doctum ac prudentem, in iis rebus præcipuos Societas propugnatores habuit) Missæ sacrificio pontificali ritu peracto, summâ bonorum lætitiâ, suis sedibus postliminio restituuntur. Hic tempestatis Cæsaraugustanæ finis: quo ex tempore, magnum hoc collegium incrementum accepit, & tam propensum totius civitatis studium, & erga se benevolentiam semper deinceps expertum est, ut crebritate ac magnitudine beneficiorum, nobilissimi cives testari velle viderentur, non suâ culpâ, sed vulgi, fluctus illos tunc fuisse excitatos. Consecuta porrò tranquillitas votis Ignatii atque verbis respondit. Nam simul atque procellosum illum in nos turbinem commotum audivit, gaudio exultavit: & singulari quadam cum lætitia significavit, tanto uberiores atque suaviores fructus Cæsaraugustæ Societatem nostram producturam, quanto per patientiam & malorum tolerantiam, altiores egisset radices.

CAP. XV. *quæ variis quoque dein collegiis aucta est.*

450 Reditus nostrorum in Cæsaraugustanam urbem, eam in Hispania de nobis suspicionem compressit, quam exitus moverat. Itaque à tempestate & procella illa, & quidem tam turbulenta, non solùm imminuta non est de Societate bonorum opinio, verùm etiam aucta, & confirmata: ex quo collegia nonnulla per id tempus constituta sunt. Murciæ in primis D. Stephani Almeidæ, ejus urbis, novæque Carthaginis episcopi: in Monte regio (quod oppidum est in Gallæcia) ejus ipsius oppidi Comitis beneficentiâ: Ocaniæ Ludovici Calataiudii benignitate: in oppido præterea Montilla institutum collegium est ab optima atque clarissima Catharina Fernandez à Corduba, Plieghi marchione, quæ tantâ benevolentiâ Societatem complexa est, ut ejus tuendæ atque ornandæ proprias partes sibi desumpsisse videretur. Itaque præter hoc collegium, quod suis sumptibus ædificavit, & Cordubense, quod ejus opera atque auctoritate inchoatum est, in oppido etiam Marchenæ integerrima femina D. Maria à Toleto, ejus filia, Arci dux, matrem imitata, præclarum nobis collegium constituit.

ANNOTATA.

a *Videsis Alegambium supra citatum à pag.* 11.
b *De eo Orlandinus lib.* 9, *num.* 85.
c *De eo dixi suprà in annotatis ad Prafationem Actorum antiquissimorum lit.* d.

CAPUT XXIX.

Societas in variis provinciis propagata; S. Ignatii obitus.

Societas in Belgio,

IN Belgica verò provincia, Germaniaque, crescebat Societas, & fundebat se quotidie latiùs. Nam jam inde ab illo nostro discessu Parisiensi, de quo suprà commemoravimus, semper aliqui ex Societate Galliam Belgicam coluerunt: qui & Lovanii Adriano ab Adriano, & Coloniæ Agrippinæ, Leonardo Kesselio rectore, litterarum studia, ac pietatis exercebant officia, multique animos ad nostrorum institutum applicabant. Civibus verò Tornacensibus per Bernardum Oliverium, & Quintinum Karlat *a* nota esse Societas cœpit: multique vel nostris se adjungere, vel nostros apud se habere cupiebant, non sine magno hæreticorum dolore, quorum venenum multis locis jam tum sparsum, longiùs in dies progrediebatur. Quod Ignatius animadvertens, Petrum Ribadeneiram eò misit, ut Constitutiones nostris communicaret; &, quòd nulla Religio per illius provinciæ leges, absque regis concessu, novas in ea sedes obtinere potest, cum Philippo rege de Societate in ea regione constituenda transigeret *b*. Ille verò, multis licet repugnantibus, Societatis approbationem à rege, & collegia ædificandi potestatem impetravit, clarissimi principis Gomezii Figueroæ, Feriæ ducis studio atque auctoritate. Qua facultate expeditior no-

A noſtris patuit via, impedimentis, quæ objiciebantur, ſublatis. Ei provinciæ Ignatius Bernardum Oliverium Provincialem præfecit: qui tamen morte interceptus, munus illud ſuum ſuſtinere non potuit.

in Germania ſuperiore, Italia item ac Sicilia propagatur.

452 Et hæc quidem in Germania inferiori: in ſuperiori verò propagata Societas eſt. Nam hoc ipſo tempore, Pontificis Maximi imperio, in Poloniam magiſter Alfonſus Salmeron Societatis nomen primus invexit; & Ingolſtadienſe *c* collegium auctius factum eſt; & Pragæ *d* (quæ urbs totius Bohemiæ regia eſt) Ferdinandus Romanorum rex, Viennenſis collegii fructu permotus, collegium noſtris conſtituit, ut Huſſitas, Wicleffiſtas, & alios hæreticos, qui regnum Bohemiæ depopulantur, ſuis laboribus propulſarent, & Societatis exercitiis, ad Catholicæ fidei veritatem converterent. Ejus collegii fundamenta poſuit Petrus Caniſius, quem Ignatius in Germania præpoſitum Provincialem inſtituit. Porrò in Italia Se-

c

d

B nis collegium inchoatum eſt, Franciſci Mendozæ Cardinalis operâ: cujus rogatu, Ignatius quatuor ex noſtris in eam urbem miſit, ut civitatem luctu & mærore confectam conſolarentur, & belli ruinis proſtratam, piis laboribus recrearent. Vibonæ etiam (quod oppidum eſt in Sicilia) Iſabella Vega, Joannis Vegæ proregis filia, Vibonenſis dux, præclarum nobis ædificavit collegium, & certis fundis ſtabilivit. Germanus etiam ejus frater Ferdinandus Vega, Catanam (quam civitatem pro patre gubernabat) noſtros accerſivit: eoſque patris auctoritate, & benignitate civium, in certo domicilio collocavit. Tanta enim fuit patris Vegæ, & filiorum ejus pietas, & in Societatem benevolentia, ut inter ſe de ea augenda certarent.

CAP. XVI. *Sanctus cæli gaudiis delibutus, mortiſque prænuntiis,*

453 Hic erat Societatis ſtatus, cùm Ignatius annis gravis, morbis ſæpè vexatus, perturbatione temporum, & novis Eccleſiæ calamitatibus mærens, evolandi ad Chriſtum deſiderio languens, petere à Domino vehementiùs cœpit, ut educeret de cuſtodia animam ſuam, ad confitendum nomini ejus. Nam etſi corporis infirmitatem, animi robore ſuſtentabat, & magnâ patientiâ, conſtantiâque, peregrinationis ſuæ moleſtias perferebat: tam incenſo tamen Deum vi-

C dendi, & eo fruendi tenebatur deſiderio, ut de ſua migratione (ut ſuprà demonſtravimus) non poſſet præ gaudio, ſine lacrymis cogitare. Cum autem in Urbe caſtra eſſent, & propter bellum, quod gerebatur inter Paulum IV, Pont. Max., & Hiſpaniarum regem Philippum, armorum ſtrepitus exaudirentur, & tumultu ac trepidatione plena eſſent omnia; in vineam ſeceſſit paulo remotiorem, ubi abſque interpellatione, tantum malum liberiùs deſleret. Ibi cæli gravitate, caloribus maximis, ſolito cœpit habere deteriùs: cognovitque, velocem fore tabernaculi ſui depoſitionem. Paucis certè antè menſibus ad Leonoram Maſcareniam ipſemet Ignatius epiſtolam ſcripſit, in qua illud erat: Hæc eſt poſtrema epiſtola, quam ad te ſcribam: rogabo Dominum pro te in cælo brevi (ut ſpero) ardentiùs. Ex vinea domum revertitur, quo ipſo tempore multi ex noſtris ægrotabant graviter.

petita benedictione ſummi Pontificis,

454 Ignatius igitur, cum nudiuſtertius ſacratiſſimum Chriſti corpus antea ſuſcepiſſet, ac nihil ineſſe periculi ſuſpicarentur medici, III Kalend. Auguſti, horâ à meridie tertiâ, Joanni Polanco, (quo in omni genere vel ſcribendarum litterarum, vel negotiorum, novem annos fuerat uſus) ad ſe vocato, ac nihil minùs ſuſpicanti, ſolus ſoli, maxima animi tranquillitate, inſtare ex hac vita ait ſuæ migrationis diem. Ei mandat, uti Pontificem Max. conveniat: benedictionem ab ipſo, & peccatorum indulgentiam petat, quâ confirmatior ex hac vita, lætiorque diſcedat: ſe, ſi, ut ſperat, Domini miſericordiâ in montem ſanctum ejus venerit, non commiſſurum, ut eam curam Deum pro Pontifice deprecandi intermittat, quam in carne poſitus, & de ſe ipſo ſollicitus, diligenter ſanctéque coluerit. Benedictionem ſuam libentiſſimè impertitus eſt Pontifex cum magna amoris ac doloris ſignificatione. Sed quod neque morbus gravis videbatur, neque ullum acciti medici nuntiabant vitæ periculum; ipſe autem Pater de ſua conſuetudine nihil immutaverat, & familiariter de negotio quodam conficiendo, ea ipſa nocte cum noſtris egerat (quamquam Ignatii verba ipſos habebant ſollicitos,) ut conſultiùs tamen aliquid facerent, poſterum diem patres exſpectare conſtituunt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

præter ſuorum exſpectationem obdormit in Domino.

455 Qui ubi illuxit, ſuaviſſimè illum animam agentem offendunt: accurrunt, juſculum porrigunt; negat, ſumendi tempus eſſe, & manibus junctis, oculis in cælum defixis, Jeſum corde, Jeſum ore implorans, placido vultu ſanctiſſimè migravit ad Dominum pridie Kalendas Auguſti MDLVI, horâ poſt ſolis ortum primâ *e*: vir verè humilis; qui cum obitum ſuum præſciret, neque Vicarium Generalem creare, neque filios ſuos accerſere, neque monere, neque hortari voluit, neque benedicere: ut illi ſpes omnes ſuas in Deo conſtitutas haberent, ab illo penderent, ipſum nihil fuiſſe, nihil eſſe arbitrarentur. Quod quamvis pugnare videatur cum quorumdam aliarum Religionum Fundatorum factis, qui ſub mortem filios ſuos ad ſe vocârunt, & ad omne genus virtutis cohortati ſunt; haud tamen pugnat cum Spiritu divino, qui illos ad ejuſmodi exempla edenda permovit. Diverſa ergo ac diſſimilia Sanctorum geſta, non adverſa atque contraria inter ſe ſunt. Deus enim, qui illos inſtinctu ſuo incitavit, ut caritatis ſuæ affectum erga filios ſuos demonſtrarent, idem afflatu etiam ſuo Ignatium impulit, ut humilitatis ſtudio paternum affectum ſilentio premeret: ut in illis magis caritas, in

E

e

F Ignatio humilitas magis eluceret.

Suo illos patrocinio corroborat Vir Eccleſiæ utiliſſimus.

456 Cujus tamen mortui, vel verè potius viventis, patrocinium filii ejus omnes ſenſerunt. Nam ejus ex obitu, ſuaviſſimus quidam in univerſa Societate doloris ſenſus eſt conſecutus, lacrymæ cum lætitia, deſiderium ſpei plenum, vigor ſpiritûs paſſim excitatus: ſic ut omnes ubique laborandi pro Chriſto, patiendique gravia & difficilia novo quodam deſiderio ardere viderentur. Vir etiam (quod facilè judicari poſſit) Dei munere ac providentia, iis temporibus datus Eccleſiæ, ad reſiſtendum conatibus hæreticorum. Itaque eo ipſo tempore, quo Luthetus per ſummum ſcelus ab Sedis Apoſtolicæ obedientia deſcivit, & funeſtum Catholicæ Eccleſiæ bellum indixit; Dominus noſter (ut ſuprà demonſtratum eſt) fortiſſimum hunc ducem excitavit, atque nefariis ejus conatibus oppoſuit, ut exercitum per univerſum orbem terrarum conſcriberet, atque eos milites cogeret, qui novo ac ſalutari voto ſummi Pontificis obedientiæ ſe obſtringerent, & vitâ atque doctrinâ Lutheranorum impetus propulſarent. Nam illi quidem pœnitentiam oppugnant, Sanctorum invocationem è medio tollunt, ſacroſancta Eccleſiæ Sacramenta ſubvertunt, delent imagines Sanctorum, reliquias illorum & beatiſſima oſſa diſjiciunt ac perſequuntur, evertunt

templa, indulgentias peccatorum irrident, fidelium animas, quæ igne purgatorio expiantur, piorum suffragiis privant; denique quasi furiæ quædam cælum terræ miscent, &, quantum in eis est, justitiam, pacem, Christianam omnem religionem exstinctam cupiunt.

A. Petro Ribadeneira.

457 Ignatius verò ejusque filii iis omnino contraria, dictis, factis perseveranter docent: hortanturque omnes ad dignos pœnitentiæ fructus, ad orationem, ac rerum divinarum jugem meditationem, ad pium frequentemque Sacramentorum usum, ad honorem Sanctorum imaginibus, ac reliquiis habendum, & tum se ipsos, tum alios juvandos condonationibus peccatorum ac indulgentiis, quæ ex locupletissimo meritorum Jesu Christi D. N. & Sanctorum thesauro in Ecclesia recondito, per ejus Vicarium dispensantur. Denique omnia ejus consilia & studia, vel ad conservandam, vel ad revocandam per se & suos fidei Catholicæ sinceritatem spectasse, compertum est. Ejus corpus Kalend. Augusti, in templo nostro, ad dexteram aræ maximæ, humili tumulo conditum est *f*. Mortuus est ætatis suæ anno LXV; post conversionem verò suam XXXV. Quod omne tempus in summa paupertate traduxit; in pœnitentiis, peregrinatione, studiis litterarum, persecutionibus, carcere, vinculis, laboribus maximis, quos pro Christi amore, & animi excellenti virtute suscepit, & admirabili constantia pervicit: Societatis verò à Sede Apostolica confirmatæ anno XVI, quam toto propemodùm terrarum orbe propagatam vidit. Duodecim provincias constitutas reliquit, Lusitaniæ, Castellæ, Bæticæ, Aragoniæ, Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Germaniæ tum superioris, tum inferioris, Galliæ, Brasiliæ, & Indiæ, quæ ad Orientem est: in iis nostrorum vel collegia, vel domicilia ferè centum.

Elogium ejus ac sepultura.

B

f

ANNOTATA.

a *Ita etiam hoc nomen scribit Orlandinus lib. 13, num. 2; sed more, uti suspicor Italorum; quibus* cha *est* Ka. *Certè in nostro Ms. Romano* Dichos y echos *scribitur* Charlat; *Ceterùm de illo viro Commentarius meminit § 83, num. 855.*

C b *Acta pro Societate Belgica habes ibid § 49.*

c *Res nostræ Ingolstadienses illustrantur ibidem § 48.*

d *Gesta circa hoc collegium, dat Comm. § 45.*

e *De morbo Sancti ac morte &c. instruet te Comm. § 50, & 51.*

f *De sepultura ibid. § 52, num. 551.*

CAPUT XXX.

Gravissimorum virorum de S. Ignatio judicia; habitudo corporis.

CAP. XVII. *Magnificus de S. Ignatio sensus probatur ex dictis ac factis*

QUo tempore Ignatius sanctissimè migravit è vita, Jacobus Laines æger Romæ sic erat, ut de ejus vita medici diffiderent. Mortuo igitur Ignatio, ingressi sunt Jacobi cubiculum ex primis patribus aliqui, ut illum invisérent, & Ignatii obitum celarent, ne ex eo videlicet graviori aliqua mœstitia amantissimus filius afficeretur. Ex vultu tamen (qui index est animi) facilè Jacobus conjecit, quod Patres illi occultabant. Itaque ad eos conversus: Estne mortuus (inquit) sanctus Pater; estne mortuus? Ubi mortuum audivit, sublatis illico manibus, oculos in cælum conjecit, & se Ignatio ardentissimè commendavit. Et simul: Te, Pater æterne (inquit) supplex ego, humilis atque abjectus homuncio, oro atque obsecro, ut qui nobis Ignatium servum tuum, patrem, magistrum ac ducem dedisti, & minimæ hujus Societatis fidelem ministrum atque institutorem, quique hodie purissimam illius animam ex miseræ carnis ergastulo misericorditer collegisti, ejus precibus me quoque ex vinculis hujus mortalitatis eripias, ut indignus filius sanctissimum Patrem sequar, & cum illo unà (ut spero) te fruar in perpetuum. Sed res secus longè accidit. Nam statim meliusculè habuit, & redditus est sanitati: quam Ignatius illi à Deo impetrâsse creditus est, ut pro ipso Societatem gubernaret. Quod multo antè ipse Ignatius Jacobo futurum prædixerat. D

459 Nec mirum sanè, Jacobum Lainem in eo articulo temporis, Ignatio se ita commendâsse, de cujus adhuc vivi sanctitate tam præclaram habebat existimationem. Memini enim, cùm de principiis, propagatione, & fructu nostræ Religionis, deque Dei benignitate, qui tam liberaliter Societatem ornâsset, auxisset, ab innumerabilibus & maximis periculis defendisset, familiariter loqueremur, sæpissime Jacobum mihi dicere solitum: Quid mirum, Petre? Complacuit sibi Dominus in anima servi sui Ignatii. Quod scilicet aiebat, significans nimirum, copiosam hanc gratiam à Domino propter Ignatium in filios ejus derivari. Idem pater Jacobus, quo tempore ad concilium Tridentinum à Paulo tertio, Pontifice Maximo, primum missus est, vehementer optavit, & cum nonnullis gravissimis viris, & auctoritate ac dignitate clarissimis egit, ut Ignatius ad concilium mitteretur: non ut cum hæreticis disputaret, aut controversas de religione quæstiones differeret: sed (ut mihi ipsemet pater Jacobus dicebat) ut concilium ipsum precibus apud Deum, & eximiâ apud homines prudentiâ sustineret. Ille idem pater Lainez magni semper fecit Petrum Fabrum, eumque quasi cælestem quemdam ac verè spiritalem magistrum, & ad regendas, atque ex scrupulorum angustiis explicandas animas, apprimè eruditum suspiciebat. Et meritò quidem. Sed tamen aiebat Jacobus mihi, talem quidem esse Fabrum, si per se, ac seorsim spectaretur; sed tamen, si cum Ignatio componeretur, balbutientem puerulum sibi videri, præ sene sapientissimo. In quo certè nulla Fabro fiebat injuria. Ipse enim Faber hoc & agnoscebat & prædicabat; & Ignatium tamquam patrem ac magistrum suum, de interioribus animi sui motibus ac difficultatibus consulebat, & interrogabat: ab illius ore, tamquam infans ab uberibus matris pendebat: illum quasi perfectissimum omnium virtutum exemplar omnibus proponebat, si qui ab ipso consilium peterent, de perfectione consequenda. Monebat enim omnes, & seriò ac graviter hortabatur, ut, si celeriter & compendio (ut ita dicam) perfectæ vitæ excellentiam assequi cuperent, unum Ignatium sibi ante oculos ponerent, in illum intuerentur, illum imitarentur. Sic enim brevi futurum, ut omnes perfectæ virtutis numeros explerent. E

PP. Jacobi Lainii, Petri Fabri,

460 Et quoniam, quod istorum patrum de Ignatio esset judicium dicere cœpi, alios etiam testes addam gravissimos atque certissimos. Claudius F

Claudii Jaii, Simonis Roderici,

A dius Jaius (vivente adhuc Ignatio) acerbiſſimo ſtomachi dolore in itinere correptus eſt ; & cum nulla medicina , nullum præſens adeſſet remedium , Deum rogare cœpit , ut per merita ſervi ſui Ignatii , ipſum moleſtiâ illâ liberaret ; & ſimul atque preces fudit , liberatus eſt. Hoc idem Nicolao Bobadillæ accidit. Hic cum ardentiſſima febri repentè aliquando æſtuaret , Ignatio jam mortuo ſeſe commendans , ſtatim morbo levatus eſt. Simoni Roderico vitam precibus Ignatii prorogatam ſuprà ſcripſimus. Itaque eam de Ignatio habebat opinionem Simon ; quam de vitæ ſuæ parente habere par erat. Franciſcus Borgia , Societatis noſtræ tertius Præpoſitus Generalis , atque illuſtre humilitatis & totius ſanctitatis exemplum, vim verborum Ignatii admiratus, Loquebatur (aiebat mihi) tamquam poteſtatem habens. Longum eſſet perſequi ceteros , ac recenſere , quid optimi quique atque ſapientiſſimi totius Societatis patres , qui vel vitam cum morte commutârunt , vel

B ſuperſtites adhuc ſunt , & intimam conſuetudinem habuerunt cum Ignatio , de ejus ſanctitate ſenſerunt ac prædicârunt.

de S. Franciſci Xaverii. 461 Unum certè Franciſcum Xavérium (ut alios omittam) præterire non debeo , virum omnino apoſtolicum , & ad illuſtrandas luce Euangelii tot barbaras ac feras gentes à Deo miſſum, & miraculorum numero & magnitudine admirabilem. Bernardus igitur ille Japonius (de quo ſuprà mentionem fecimus) narrabat mihi , à Franciſco Xaverio , cum de Ignatio loqueretur , ſæpè ſe eas voces audiviſſe : Magnus Sanctus eſt , Bernarde , Pater Ignatius , magnus omninò Sanctus. Quaſi Sanctum certè Franciſcus ipſe venerabatur Ignatium. Itaque epiſtolas in genua procumbens præ reverentia ad illum ſæpè ſcribebat : conſilium petebat , & documenta ad Indorum converſionem: & quibuſdam in litteris ait , ſe quidem hæc ab Ignatio petere , ne , ſi id facere prætermittat , graviter à Deo puniatur , propterea quod ſpiritu illo , & luce conſilii ſanctiſſimi Patris ſui ac magiſtri , ad tot gentium ſalutem non eſſet uſus. Contrà verò omnium tempeſtatum vim , & periculorum incurſus , nomine ſe atque Ignatii interceſſione muniebat : appendebatque collo quaſi ſcutum firmiſſimum Ignatii nomen , manu ipſius Ignatii ſcriptum *a* , & ſuæ profeſſionis vota.

a

C *Adde exteros Marcellum 2 PP., Joannem 3 Luſitaniæ regem, Quirogam Card., b*

462 Et ne teſtes domeſticos tantùm proferre videar (quàmquam ii certiores ſunt) paucos aliquot exteros *b* adducam locupletiſſimos , atque auctoritate ſingulari. Marcellus ſecundus , Pont. Max. , Ignatii ſemper cupidiſſimus , tanti ſemper fecit ejus cum aliis de rebus , tum de pertinentibus ad Societatem judicium , ut in iis quidem plus apud ſe ponderis habere diceret ſolam Ignatii auctoritatem , quam omnes in contrarium rationes , ut libro tertio demonſtratum eſt. Joannes tertius Luſitaniæ rex eximius , & iis virtutibus , quæ regis propriæ ſunt , cumulatiſſimus , qui ab ipſo initio , Societatem & ornavit munificentiſſimè , & defendit acerrimè , magnam curam adhibuit , ut res omnes Societatis cognoſceret , & erga Ignatium ſtudium ſuum teſtaretur. Itaque

c Ludovico Gonſali *c* (qui Joanni principi filio ſuo à confeſſionibus fuerat) in Urbem proficiſcenti mandat , ut omnia Ignatii dicta factaque curiosè obſervet , & ad ſe diligenter perſcribat : & quid de toto homine ipſi videatur , ipſum regem certiorem faciat. Fecit Ludovicus quod fuerat juſſus, & poſt exquiſitam rerum omnium perveſtigationem (ut ab ipſomet accepi) ſcribit regi ; ſe quidem circumſpexiſſe omnia , & diligentiſſimè Ignatium obſervaſſe , prout rex juſſerat , & ita virtutum illius magnitudine atque excellentia captum eſſe , ut vel aſpectus tantummodo ipſius , & oris compoſitio , ac corporis motus vehementer ipſum Ludovicum ad Dei amorem inflammaret. Quocirca vel ex ſolo Ignatii intuitu , permultum ad virtutem ſe capere adjumenti. Gaſpar Quiroga *d* , qui vivit adhuc , S. R. E. Cardinalis , archiepiſcopus Toletanus , & fidei ſupremi conſilii præſes , ſummâ fuit amicitiâ cum Ignatio , neceſſitudineque conjunctus , multaque cum illo Romæ , & gravia tractavit negotia. Is laudandi Ignatium finem non facit , à religione , ſanctitate, atque prudentia , ceteriſque præclariſſimis virtutibus : tantam verò animi , vultuſque conſtantiam , & tam æquabilem ac perpetuum tenorem in omni vita , quantus in Ignatio fuit ; ſe in nullo mortalium vidiſſe affirmat. Multi principes viri , & tum Eccleſiaſtica , tum ſeculari dignitate præſtantes , ad Societatem poſt Ignatii obitum litteras ſcripſerunt : in quibus & mortuum patrem laudabant , & viventes ac mærentes filios conſolabantur.

A. Petro Ribadeneira.

d

E *Joannem Vegam Siciliæ proregem :*

463 Ex iis unus Joannes Vega fuit , qui tunc quidem pro Philippo rege Siciliam gubernabat ; poſteà verò regii conſilii præſes , in Hiſpania deceſſit è vita. Is (ut diximus) Romæ legatus Caroli V cæſaris apud Pontificem Maximum cum eſſet , magnam cum Ignatio contraxerat familiaritatem , ſummâque benevolentiâ illum deinceps proſecutus eſt. Mortuo igitur Ignatio , ad Jacobum Lainem , Vicarium jam tunc Generalem ; litteras ſcripſit , quarum caput unum de Hiſpano ſermone in Latinum tranſlatum hic ſubjiciam ; quod tanto viro dignum , & à noſtro propoſito non alienum eſſe judicavi. Triduo (inquit) aut quatriduo antequam mihi reddita eſt epiſtola , quam pater Polancus tuo nomine de beati Patris Ignatii obitu ad me miſit , nuntiatum erat nobis , illum è vita migraſſe , ſed obſcurè. Itaque magno tenebamur deſiderio , omnia certiùs cognoſcendi , & intelligendi , quis fuiſſet ſanctiſſimi Viri exitus , quis ſtatus ſit ſanctæ veſtræ Societatis ac Religionis. Non enim dubitabam (quod in hac epiſtola vidi , & in ea etiam , quæ ad patrem Hieronymum *e* ſcripta eſt) quin & illius vitam finis glorioſus clauſiſſet , & vos veſtramque Sodalitatem divina protectio provehat. Sed tamen permagnam ex hac exacta & diligenti rerum geſtarum narratione conſolationem atque ædificationem accepi , quæ tamen cum certo quodam doloris ſenſu fuit conjuncta. Non enim poſſumus non dolere eorum obitum ac jacturam , quos in hac vita dileximus.

e

F

cujus proferuntur epiſtolæ.

464 Benedictus Deus , qui Servum hunc ſuum è cuſtodia corporis eductum ad ſe vocavit eo tempore , quod ipſi opportunius judicavit : quique illum ita inſtruxit , & gratiâ ſuâ communivit , ut tot ſuæ virtutis monumenta , tot ſanctitatis trophæa relinqueret , quæ nulla conſumet vetuſtas , non dies , non aër , non aqua corrumpet , nulla vis labefactabit atque conficiet ; quemadmodum alia videmus diruta & abſumpta , quæ vanitate & ambitione fuerant conſtituta. Ego verò mecum ipſe cogito , quia pompa , quo triumpho , in cælo à beatiſſimis illis mentibus exceptus is ſit, qui tot clariſſimas victorias de gentibus immanitate barbaris , multitudine infinitis reportavit ; qui vel per ſe , vel per milites ſuos , lumen fidei ac religionis iis populis ac nationibus invexit , qui ſedebant in tenebris ac umbra mortis : qui mortalium plurimorum infidelitatem vicit , feritatem emollivit , ignorantiam depulit , perditam vitam profligavit. Itaque merito ſanè atque jure optimo,

A. PETRO RIBADENEIRA.

illius vexillum apud vexilla ſancti Dominici, ac D. Franciſci, & aliorum Sanctorum in cælo collocabitur, quos Deus elegit, ut non ſolùm carnis illecebras, & mundi blandimenta ipſi vincerent, ſed vincere alios docerent, & innumerabiles animas ab inferno liberarent.

de Sancti obitu ad Latinum ſcripta.

465 Quàm ſincera porro erit iſta Ignatii gloria! quam ſine aliorum Sanctorum invidia iſte triumphus! quam diſpar, quam diſſimilis, quam contrarius ſpecioſis, ſed fallacibus hujus mundi triumphis, quos fugaces & breves, miſeriâ & invidiâ pleniſſimos videmus, ac reipub. vehementer pernicioſos. Quæ omnia magnam nobis conſolationem afferre debent, & triſtitiam, quam ex morte Ignatii pro naturæ noſtræ imbecillitate cepimus, vel mitigare vel tollere: noſtroſque animos mœrore perculſos excitare, atque ſpe erigere, ut confidamus, illum jam regnantem, & verè viventem cum Deo, neque ſuæ Religionis, neque amicorum oblitum, manum nobis porrecturum, filiis ſuis promptiùs etiam opem laturum; denique eos apud Deum habiturum commendatiſſimos, qui Deum ipſum in Ignatio agnoverunt
B ac venerati ſunt. Hæc ille.

Judicium Joannis Avilæ.

f

466 Joannes Avila, vir excellenti virtute, prudentia, doctrina, & cum in univerſa Hiſpania, tum potiſſimùm in Bætica provincia (quam verbo Dei illuſtravit) notiſſimus *f*, cum Patrem Ignatium cum ſociis in mundum à Deo miſſum primùm audivit, ejuſque propoſitum atque inſtitutum intellexit, ſe quidem dixit, hoc idem, quod ille afferebat, jam diu animo concepiſſe, & magno labore atque ſtudio conquiſiviſſe atque indagâſſe; ſed perveſtigare tamen, atque deprehendere haud potuiſſe. Itaque eveniſſe ſibi aiebat, quod puero ad radices montis agenti, qui onus aliquod magni ponderis diu multumque verſat, & in faſtigium montis toto conatu ſubvehere molitur, neque tamen præ virium infirmitate poteſt: quod onus ſi vir aliquis, corporis mole & robore gigas, ſuſtulerit, minimo negotio transferet ſcilicet quò volet, & in cacumine montis collocabit. Atque hac ſimilitudine, pro ſua modeſtia, vir excellens, ſe quidem puſillum, Ignatium verò gigantem nominabat.

g

CAP. XVIII. *Habitudo corporis,*

C

467 Staturâ fuit modicâ *g*, vel potiùs brevi, cum ejus fratres procerâ fuerint, & quæ juſtam excederet: facie honeſta, fronte lata, atque exporrecta: depreſſis vi lacrymarum oculis: palpebris contractis, corrugatiſque: auribus mediocribus: naſo & à ſummo eminentiore, & ab imo diductiore: colore vivido, ac temperato: calvitio, totoque ore venerabilis. Vultus illi jucundè gravis, & ſeverè jucundus; quique tranquillitate quadam ac ſerenitate exhilararet intuentes, gravitate componeret. Ex altero crure nonnihil claudicabat, ſed honeſtè, & quod ambulandi moderatione tegeretur. Calloſos pedes, & nuditate crebriſque itineribus exaſperatos habuit: & crus alterum ex vulnere (ut diximus) imbecillum ſemper, ac tenerum: ut vel levem contactum abſque dolore non ferret. Quo magis mirandum eſt, tantum terrarum pedibus illum obire potuiſſe.

& infirmitas, victus ac veſtitus;

468 Principio maximis fuit viribus, proſperaque valetudine; quam jejuniorum, pœnitentiæque magnitudine afflixit, & perdidit. Itaque ſæpè morbo tentatus eſt, maximéque ſtomachi dolore per omnem vitam graviſſimo, inedia & vacuitate contracto. Fuit enim tenuiſſimi vulgariſque victus, & ita ſobrius, ut tres interdum dies, integram aliquando hebdomadam omni cibo potuque caruerit. Guſtatum ita amiſerat, ut nullam ferè ex cibo delectationem perciperet. D Quapropter egregii medici negabant, illum naturaliter ea corporis affectione tamdiu potuiſſe vivere. Veſtitus ejus vilis, & neglectus, ſed mundus: cultus ipſe ſine cultu. Nam quod de ſanctiſſimis viris Nicolao, ac Bernardo memoriæ proditum eſt, paupertas ſemper ei placuit, ſordes numquam.

effigies.

469 Et quoniam ſtaturam Ignatii atque oris & totius corporis habitum conſtitutionemque deſcripſimus, non erit alienum propoſito noſtro, illud etiam adjicere: nullam nos habere imaginem *h*, quæ ipſum ad vivum referat: quod non oblivione tamen aut incuria factum eſt. Sed cum Ignatius neque pictam, neque fictam imaginem ſuam pati poſſet, neque quidpiam quod vanitatem haberet, aut vanitatis umbram; ut hoc fieri permitteret, qui ab ipſo petere auderet, ex omnibus noſtris inventus eſt nemo. Ignatio inſcio, aliqua ad eam rem tentata ſunt; ſed fruſtra. Itaque imagines ejus, quæ circumferuntur, ex quadam ductæ ſunt poſt ipſius mortem effictæ. Quarum tamen omnium (meo quidem judicio) proximè ad veritatem accedit ea, quam Ildefonſus Sanctius, Philippi II regis pictor (qui exprimendis ad vivum rebus maximè excellit) me præſente & commonente, ex prototypo Romano, Mantuæ Carpetanorum depinxit hoc ipſo anno ſalutis noſtræ MDLXXXV. *h* E

ANNOTATA.

a *Plura circa Sancti apud ſuos venerationem collegi in Comm.* § 53.
b *Externos Sancti præcones protuli ibid.* § 55.
c *De eo dixi ibidem* § 91.
d *Hujus de* S. Ignatio *teſtimonium exſtat ibidem* § 56.
e Domenecum *intelligo; qui provinciæ Siculæ anno* 1553 *præfuit, ex annotatis ſuprà ad cap.* 15 *lit.* g.
f *Ejus elogium ac ſcripta dat Nicolaus Antonius inter Scriptores Hiſpaniæ.*
g *Ea, quæ huc ſpectant, ſupplet Commentarius* § 57.
h *De imagine diſſerui ibidem à num.* 595.

CAPUT XXXI. F

Oratio ac familiaritas cum Deo.

LIBER V. PRÆFAT. *Nonnullis ab auctore præmiſſis circa Sancti virtutes,*

HActenus de vita Ignatii, & morte diximus, quæ nobis ad continuationem quamdam hiſtoriæ, ſeriemque contexendam pertinere viſa ſunt. Nunc operæ pretium me facturum arbitror, ſi aliqua de ejus virtutibus ſeparatim dixero. Quamquam enim in iis, quæ de Ignatio explicata à nobis ſunt, omnium virtutum illius eminent inſignia, & probatiſſimi integerrimique animi lumen elucet: interdum tamen ipſa rectè facta, aliarum ſterum narratione obſcurantur: & ut maximè appareant, implicata tamen cum aliis & conjuncta minùs delectant & permovent, & agendi veriſſimam rationem docent, quam cum ſeorſum ſpectantur; neque pondere ſolùm, ſed numero etiam lectorem excitant. Tenuia verò quædam cur recenſuerim, dicerem, niſi Religioſis hominibus, & Parentem noſtrum Ignatium imitandi cupidiſſimis, hæc ſcriberem. Quibus perſuaſum nimirum eſt, parva non eſſe, ſine quibus majora conſtare

A stare nequeunt : & in perfectionis acquirendæ studio, Qui spernit modica, paulatim decidere : contráque, juxta Christi Domini nostri sententiam, Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelem esse. Et quoniam vos ego, fratres, intueor, vos meus hic, qualiscumque est, conatus spectat ; commemorándis Ignatii virtutibus, illum ordinem sequar, quem Ignatius ipse in Constitutionibus tenuit, cùm perfectam Præpositi Generalis formam describeret. Nam nihil minùs quam de se cogitans, suis coloribus se mihi videtur pinxisse. Neque tamen omnia persequar, quæ mihi comperta sunt ; sed pauca quædam ex multis excerpam, quæ vel illustriora, vel ad exemplum commodiora videbuntur. Sic enim & brevitati, & lectorum utilitati serviam.

CAP. I. *laudatur à dono orationis,*

471 Ut igitur de ea, quæ primo loco in Constitutionibus ponitur, devotionis virtute dicamus, quæ Deo hominem jungit, & ex perenni illo divinitatis fonte haurit, quæ in alios effundat : singularem quamdam orationis *a* gratiam Ignatius habuit. Ex quo primùm divina luce illustratus est, & à seculi vanitate ad Deum conversus, omnes contendit nervos, ut jugiter cum Deo ac familiariter versaretur, & in oratione totus omninò esset. Sacris initiatus, cum recitandis horariis precibus, divinoque Officio persolvendo occuparetur, tantâ divinæ consolationis copiâ perfundebatur, tantâ lacrymarum affluentiâ, ut in singulis penè verbis hærere, ac preces interrumpere, & in Psalmis legendis multum diei tempus ponere cogeretur. Ergo præ lacrymis *b* excæcatus ferme est. Qua de causa socii, ut omittere divinum Officium Ignatio liceret, à summo Pontifice impetrârunt *c*. In rebus gravioribus, etiamsi rationes probabiles multas haberet, nihil tamen consuevit priùs constituere, quàm rem Domino in oratione commendâsset. Hoc tamen studiosiùs faciebat, cum scribebat Constitutiones *d* ac regulas Societatis.

a

B

b

c

d

cui vacat impensiùs, dum condit regulas, secuto miro eventu.

472 Conscripserat aliquando regulas quasdam Ignatius, ad modestiam religiosam, & totius corporis motum decorumque pertinentes. Eas ut promulgaret, Romanæ domus Ministro jussit : cessavit ille aliquantulùm, ac fuit negligentior. Et mihi Ignatius hac ipsa de re agens, Ego, inquit, in meditandis regulis, scribendisque diutiùs laboro : Ministri autem, ut observentur, remissiores sunt, quasi parvo mihi constent. Certè vel hasce, quas publicare jussi, anteaquam perscriberem, septies & eo amplius orationem Domino, & lacrymas fudi. Quid de Constitutionibus, aliisque majoris momenti regulis credere par est? Has ipsas regulas postea domi nostræ promulgare P. Jacobum Lainem Ignatius jussit, & ad observationem earum nostros adhortari : atque exhortationi Jacobi patres fratresque, qui domi erant, antiqui & novi, ut ad unum omnes interessent, præcepit. Quod novum admodùm atque insolens fuit. Dum concio fit à Jacobo, ingens exauditur fragor, domus tota concutitur, tectum sub quo eâ ipsâ horâ considere in horto primarii patres à cœna consueverant (erat enim Augustus mensis, & calores maximi) repentè concidit : quos sine dubio ruina oppressisset, nisi præter morem, consuetudinemque in concione illos adesse Ignatius voluisset. Qui tectum collapsum videns, Deo, quòd omnes domesticos servâsset, gratias egit : Mihique videtur (inquit) Deus hoc facto significare voluisse, istiusmodi regulas sibi esse non ingratas.

C

473 In Constitutionibus scribendis, aliisque magni momenti rebus statuendis, Deum semper (ut diximus) consulebat. Consulendi autem modus hic erat. Exuebat imprimis se omni affectu, qui tollit sincerum de rebus judicium, abdicabatque à se omnem propensionem animi : deinde auxilium Domini, ac gratiam vera videndi ac persequendi petebat : tum rationes utraque ex parte considerabat perattentè & graviter ; earumque momentum ac pondus æstimabat, atque inter se etiam componebat. Postremò recurrebat ad Deum iterum ; & quæ cogitâsset atque invenisset, ejus in conspectu ponebat, ut ipse confirmaret, quæ in ipso operatus esset. A. PETRO RIBADENEIRA. *Quem tunc orandi modum tenuerit.*

474 Patrem Jacobum Lainem, qui omnium Sanctorum vitas, ortus omnium Ordinum, progressionesque legerat, scisitatus est aliquando Ignatius, quod ejus esset de regulis illorum patrum, constitutionibusque judicium, qui auctores ipsarum Religionum atque parentes extiterunt : num scilicet, quæ litteris mandâssent, posterisque suis tradidissent, ea omnia per revelationem accepissent ; an ex his suo sensu quædam, judicioque statuissent ? Cui Jacobus propius fidei esse respondit, gravissima quæque & maxima instituti cujusque quasi fundamenta à Deo, qui omnium Religionum fons est, patribus illis tradita fuisse divinitus : reliqua, quæ minora sunt, & naturam ipsam Religionis propriè non attingunt, Deum prudentiæ eorum, qui leges condiderunt, judicioque reliquisse. Sicuti etiam fecisse videmus cum pastoribus, ac principibus Ecclesiæ, in iis quidem, quæ ad ejus pertinent gubernationem. Tunc Ignatius : Tecum planè sentio. Ex quo conjicere licet, quæ propria sunt, ac præcipua nostræ Societatis firmamenta, ea Ignatium divinitus accepisse : cum verò de re aliqua leviori deliberabat, in qua divinam lucem non haberet, P. Lainem scisitatum fuisse, ut videlicet illius consilium exquireret, & apud se statueret, utrum posset pariter rem illam præscribere absque Dei revelatione, atque alias cælesti lumine collustratus scripsisset. *Quæstio circa Ordinum conditores ab eo proposita Lainio :*

E

475 In horas singulas sese colligebat, & à reliquis animum in Deum avocabat, conscientiamque suam discutiebat diligentissimè. Quod si negotium intercederet gravius, vel occupatio aliqua tanta, quæ piæ consuetudini impedimentum adferret ; proximâ horâ, vel certè primo quoque tempore, interpositam moram compensabat. Non tamen externarum rerum occupatione usque adeo distringebatur Ignatius, ut devotionis illius cursus retardaretur. Vidimus frequenter illum ex tenuissimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus est, ascendentem : ex plantulæ, frondis, floris, fructus unius aspectu, ex vermiculi alicujus, aut bestiolæ consideratione, supra cælos attollentem se, & ad ea, quæ à sensibus remota sunt, penetrantem, capientemque è singulis utilissima documenta, ad totius informationem vitæ. Atque hoc familiare nostris optabat esse, ut Deum in rebus omnibus præsentem cernerent, & mentes suas non in oratione tantùm ad cælestia attollerent ; sed universas res, atque actiones singulas in Deum referrent : neque minorem devotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consuetudinem assiduam, cum in aliis, tum verò in hominibus piè occupatis, tamquam magis expeditam probabat.

F

animi collectio, ascensus ad Deum,

476 Tam ferventer orabat, ut ex intensione animi, morbum aliquando contraheret. Anno verò MDL, quod ipso Christi Domini nostri die natali, duo Sacra continenter fecisset, in extremum vitæ discrimen adductus est. Neque verò in

orationis fervor, attentio, frequentia, progressus, donum lacrymarum,

A. PETRO RIBADENEIRA. e

in ſacrificio Miſſæ *e* ſolum ita intendebat animum, ſed in minimis etiam rebus, quæ ad Deum pertinerent. Cum menſæ benedicebat, cum, confecto prandio, gratias Deo agebat, in reliquis demum rebus, ita ſevocabat animum, ſeſeque colligebat, ut Deum veluti præſentem cernere videretur; ſemperque ante orationem præparabat animam ſuam, & quaſi in cubiculum cordis intrabat, & ita mens inflammabatur interior, ut facies etiam accenderetur, & tota (quod ſæpè animadvertimus) quodammodo igneſceret. Deum ſæpiſſimè alloquens ex intimo corde dicebat: Quid ego, Domine, extra te volo, aut quid velim? Et quoniam voluntatem ſuam ad divinam voluntatem accommodabat, idem volebat omnino, quod Deus; idem nolebat: in omnibus rara quadam illum conſolatione, atque æquabili mulcebat Dominus. Præſentem diem cum heſterno conferens, & cum profectu profectum, longiùs ſe quotidie progreſſum, & ardentioribus inflammatum ſtudiis in dies reperiebat: ut ſuum illum, quem Manreſæ habuit, ſtatum (quemque primitivam ſuam Eccleſiam ſtudiorum tempore ſolitus
B eſt appellare) extrema jam ætate, prima fuiſſe rudimenta diceret: & ea quotidie in ſe Deum expolire, quorum Manreſæ lineamenta duxiſſet. Cum in ſingulis precationibus uberrimè fleret, & continua lacrymarum fluxio lætitiam ſpiritui eximiam, magnam corpori debilitationem adferret, & ſuavitatem ſpiritûs potiorem longè corporis ſanitate duceret, verererurque, ne, ſi lacrymas cohiberet, aliquid de excellenti illa conſolatione, & ſpiritali fructu detraheretur; ratione tandem, conſilioque medicorum victus, à Deo petiit, ut liceret ſibi lacrymis imperare. Cujus rei tantam à Deo facultatem accepit, ut lacrymas ad arbitrium ſuum regeret, & illarum habenas vel adduceret, cum vellet, vel remitteret, tam conſtanti & æquabili divinæ conſolationis gratia, ut cum areſcerent lacrymæ, devotionis tamen vireret fructus, & cohibitus fletus circumfluentem viſitationis divinæ copiam nihil omnino reprimeret.

477 Ardenti deſiderio tenebatur, ex hoc carcere & vinculis evolandi ad Chriſtum *f*, ut quoties de morte ſua cogitaret, temperare ſibi à lacrymis præ lætitia non poſſet. Diſſolvi enim, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius ſibi exiſtimabat. Neque verò, ut ſummum ſuum bonum conſequeretur tantùm, & in beatiſſima illa viſione conquieſceret, Chriſti videndi deſiderio flagrabat: ſed (quemadmodum amici expetere præſentiam amicus ſolet) ut jucundiſſimo, multoque feliciſſimo illius perfueretur aſpectu. Atque ex hoc fortaſſe moriendi deſiderio, jugique meditatione mortis, admiratio illa naſcebatur, quam Ignatio cujuſvis hominis ſermo movebat, qui ſe poſt tres quatuorve menſes aliquid facturum diceret: cui (ſi quem nactus eſſet ejuſmodi) tacita quadam, benevolaque reprehenſione admirans, aiebat, Jeſu bone! tam diu te victurum putas? Dum ægrotaret, admonitus à medico, ne ſe angoribus daret, neve triſtioribus rebus occuparetur: cogitare attentè ſecum cœpit, num res tam nova & acerba ſibi poſſet accidere, quæ ſe moleſtiâ aliquâ afficeret, & perpetuam animi ſecuritatem perturbaret. Hæc cogitanti, illud (quod maximè inſidebat animo) ſolum occurrit: ſi quo modo Societas noſtra diſſolveretur. Progreſſus eſt longiùs, &, ut ſe excuteret ac diligentiùs pertentaret, quæſivit ex ſe, quam diuturna hæc moleſtia futura eſſet: ſtatuebatque, ſi hoc nullâ ſuâ culpâ eveniſſet, poſt quartam horæ partem, quam in oratione poſuiſſet, ſeſeque collegiſſet, ſe, ſi D quid ex ea re cepiſſet moleſtiæ, facilè depoſiturum, etiamſi univerſa (inquit) Societas deleatur, & tamquam ſal aquâ diſſolvatur. In divinis rebus P. Jacobo Laini aliquoties dixit, habere ſe paſſivè magis, quam activè: qui ſupremus gradus ab iis traditur ac perfectiſſimus, qui de contemplandi ratione ſcripſerunt. Itaque Areopagita Dionyſius, de magiſtro ſuo Hierotheo loquens, Erat (inquit) patiens divina.

478 Obſervavit aliquoties illum idem P. Jacobus orantem in hunc modum. Aſcendebat in ſolarium, unde liberè in cælum poſſet ſuſpicere: ibi aliquantiſper corpore immotus, fixis in cælum oculis ſtabat: tum genu flexo, Deum adorabat: deinde capite aperto, in ſcabello humili ſedebat, propter corporis imbecillitatem: continuo lacrymarum rivuli profluebant: idque ſuaviter, moderatéque & ſine ullo vel ſingultu, vel ſtrepitu, vel corporis motu. Nullus quantuſvis ſtrepitus (ſi nullâ ejus culpâ accideret) Ignatium obturbabat orantem: leviſſimus interpellabat, ſi vitari diligentiâ potuiſſet. Ita non ſtrepitus, ſed negligentiæ culpa, quam ſuſtinere ſibi videbatur, moleſta erat precanti. Orantem in cubiculo Ignatium, oſtio clauſo, importunè janitor interpellavit aliquando: cui ſemel atque iterum pulſanti nihil reſpondit Ignatius. Cum moleſtus eſſe pergeret, & perſeveranter obtunderet, oſtium aperuit, &, Quid (inquit) tibi vis? Cui janitor: En, inquit, Pater, litteræ, quas qui reddidit, tua ex patria allatas dicit, ſimulque litteras in manus Ignatio tradit: qui, recluſo oſtio, litteras in lucentem caminum (erat enim hiems) cremandas conjecit, & continuò ad intermiſſam orationem rediit.

Non vult in oratione interturbari:

479 Defectus ſuos, culpaſque quantumvis leves agnoſcens, deflenſque dicebat, cupere ſe, ut pro pœna ſibi Dominus abundantis illius conſolationis copiam adimeret, quo cautior, ſollicitiorque eſſet; ſed tantam miſericordiam Dei in ſe eſſe, gratiæque ſuavitatem, ut quo plus ipſe deficeret, atque emendationem hac ratione percuperet, eò Dominus liberalior in ipſum eſſet, & dulcedinis ſuæ theſauros largiùs effunderet. Itaque dicebat, perſuaderi ſibi non poſſe, hæc duo ſimul conjuncta, in ullo hominum tam valde reperiri, quam in ſe: ut in Deum videlicet æquè quis eſſet ingratus, & à Deo tam multa tamque magna beneficia quotidie acciperet. Propter magnam ſuam imbecillitatem, donatum ſe à Deo gratiâ devotionis dicebat, & ad nullam rem, ingraveſcente jam ætate, & corpore graviter affecto, idoneum, niſi ut uni Deo vacaret, & devotioni ſeſe penitus daret. Illam in primis conſuetudinem tenuit, ut reges, eoſque principes, ex quorum felici gubernatione univerſæ tranquillitas pendet Eccleſiæ, diligentiſſimè Deo, aſſiduéque commendaret. Id, quæ mox ſubjiciam, exempla demonſtrant. Anno Domini MDLV, XXI die Martii, cum Julius III, Pont. Max., eo morbo affectus eſſet, quo etiam exſtinctus eſt, orationes pro ſalute Pontificis domi inſtituens Ignatius, dixit, ſe quidem pro Pontifice, antequam ægrotaret, ſemel quotidie preces cum lacrymis Deo fundere ſolitum eſſe: poſt morbum verò, ſemel atque iterum id ſe in dies ſingulos præſtitiſſe. Leonora Maſcarenia, femina primaria atque clariſſima, & de Ignatio ipſo optimè merita, Ignatium per litteras rogavit, ut Philippum II, Hiſpaniarum regem, quem ipſa educavit à puero atque eduxit, ſuis precibus apud Deum haberet com-

deſiderium vitæ cæleſtis, imperium in animi affectiones, contemplatio.

f

C

deflet, orat pro regibus ac principibus.

F

men-

A mendatiſſimum. Cui reſpondit Ignatius, ſe quidem pro Philippo adhuc Hiſpaniarum principe ſemel orâſſe quotidie: poſtquam verò Carolus pater onus in illum rejecerat, & tot regnorum clavum tenere, & gubernacula tractare cœperat, ad quotidianas ſtataſque preces, alteras etiam ſe diebus ſingulis addidiſſe.

Sancti de oratione ac mortificatione judicium;

480 Illud etiam minimè prætereundum videtur, quod, quamvis ipſe tam excellenti eſſet orationis ſpiritu ornatus, pluris tamen interdum facere videbatur ſpiritum mortificationis, quam ſpiritum orationis, etſi ita connexi ii ſpiritus, jugatique inter ſe ſunt, ut ſejungi, diſtrahique difficulter poſſint. Ex quo, cum Religioſum quemdam virum ut laudaret quidam ex noſtris patribus, Ignatio diceret, Vir eſt multæ orationis: Ignatius, voce commutata, Vir eſt (inquit) multæ mortificationis. Eam porrò mortificationem intelligebat, non modò, quæ in corporis afflictatione poſita eſt; ſed multò etiam magis, quæ in propriæ voluntatis ac judicii expugnatione conſiſtit. Quocirca in hominibus potiſſimum honoratis, atque ſplendidis, ſui contemptum, omniſque faſtûs, exiſtimationis, atque excellentiæ conculcationem, ac victoriam, corporis maceratione longè anteferebat: quod videlicet ſit difficilius ſpiritum comprimere, quàm carnem affligere. Quamquam rebellis caro ſæpè affligenda eſt, ut ſpiritus comprimatur.

B

Uti & de iis, qui multum orant.

481 Qui prolixiori oratione utuntur, & multas horas in rerum divinarum meditatione collocant, iis magnopere cavendum eſſe ſentiebat, ne præfracti nimis ac duri fiant, & in proprio ſenſu pertinaces: neve ex re omnium fructuoſiſſima, & Dei communicatione præſtanti vitium ipſi contrahant, fiatque ſuâ ipſis culpâ venenum, quod præſens animæ eſt omnium morborum medicina. Solent enim quidam difficili admodum ingenio eſſe, & in propoſito obfirmati: ad quorum naturam, ſi orandi ſtudium nudum acceſſerit, & meditandi tantùm quædam aſſiduitas, abſque mortificatione, ſuique vincendi cura *g*, ita capite exſiccantur interdum atque obdureſcunt, ut dimoveri de ſententia, flectique non poſſint. Sunt turſus qui, quidquid in oratione ſentiunt, ſibi à Deo immiſſum putent, ſenſumque ſuum, ſenſum eſſe Dei, à quo diſcedere nefas ſit: itáque & ſentiendi regulam & agendi, ſenſum quem habent in oratione, certiſſimam ſtatuentes, ad eam omnes vitæ actiones dirigunt. In quo falluntur ſæpè. Ipſi enim non rarò judicium ſequuntur ſuum, atque animi impetum pro inſtinctu divino habent; vitiumque naturæ ſpecioſa quidem, ſed falſa excuſatione tegunt; prolabunturque frequenter in maximos errores, quibus orationi, rei præclariſſimæ, ac mortalibus utiliſſimæ, infamiam inferunt apud imperitos, exiſtimantes, rei id eſſe, non perſonæ vitium. Neque enim ad ſenſum noſtrum (quantumvis pius videatur ac divinus) detorquere, quæ certa ſunt; ſed contrà, ſenſus cogitationeſque noſtras (tamquam dubias & fallaces) ad rectiſſimam fidei & ſanctorum patrum normam, atque exploratiſſimam debemus exigere. Non enim dubiis perſpicua tolli, ſed illuſtrari perſpicuis dubia & confirmari par eſt.

g

C

ANNOTATA.

a *Dono orationis adde dicta in Commentario à* § 60.

b *Plura, quæ huc pertinent, dedi ibid.* § 61.

c *Diſpenſationis inſtrumentum exſtat ibid.* § *Julii Tomus VII.* 57, *à num.* 593.

A. PETRO RIBADENEIRA.

d *Mirabiles ſenſus tunc habitos dat Commentarius* § 42.

e *Quæ eò pertinent, illuſtrantur ibid.* § 60, *à num.* 616.

f *Adde, quæ de Jeſu mediatore dixi ibid.* § 63, *num.* 644.

g *Victoria, quâ homo ſe ipſum vincit, magni fiebat ab* Ignatio, *ex Commentario* § 74, *à num.* 755; *&* § 75.

CAPUT XXXII.

Caritas erga proximos; animi ſubmiſſio.

EX iis, quæ hactenus diximus, facilè elucet, quibus divini amoris facibus arderet Ignatius; quo erga proximos fraternæ dilectionis igne eſſet inflammatus. Ubique enim ſuæ caritatis argumenta, & cæleſtis incendii certa veſtigia relinquebat: cum ejus omnia conſilia, ſtudia, labores in Dei gloriam, & hominum ſalutem referrentur, & in eò uno conſumerentur, ut vitia radicitus è Chriſtiana republica revellerentur, virtutes inſererentur, conſervarentur, augerentur. Sed hoc iis exemplis fiet magis perſpicuum, quæ hîc apponam. Lutetiæ cum quidam pellicis amore nefario teneretur, neque ab illo Ignatius hominem poſſet ulla omnino ratione divellere, aliquando reſcivit, illum extra oppidum iturum, eò fortaſſe, ubi turpes ejus deliciæ erant. Ignatius igitur in lacum frigidiſſimum, viæ, quâ tranſiturus erat, adjacentem ſeſe conjicit, corporeque gelidis aquis immerſo, capite tantùm extans, ad illum jam appropinquantem, Perge, inquit, miſer, perge ad tuas fœtidiſſimas voluptates: impendentem capiti tuo ruinam non vides? inſtantem peſtem non perhorreſcis? Hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec juſtiſſimum Dei furorem in te paratum avertam. Exterritus homo, & hoc tam inſigni caritatis exemplo perculſus, reſiſtit, pedem refert, familiaritatem illam ſcelere copulatam ſtatim diſcindit.

CAP. II. *Lacui frigidiſſimo ſe immergit, ut libidinoſum cohiberet;*

F

paratus ad omnia pro animarum ſalute.

483 Dicebat ſe, ſi quid ad animarum ſalutem pertineret, paratiſſimum eſſe, nudis pedibus, cornibuſque onuſtum per plateas incedere: nullum denique recuſare habitum, aut ridiculum ac probroſum veſtimenti genus, quod eſſe utile hominibus poſſet: quod re ipſa comprobavit, ſi quando ſeſe occaſio obtulit. Ætate jam affecta nominatim rogatus, ut moribundum hominem juvaret, tametſi corpore erat morbis fracto, penéque conſumpto, eſſentque permulti, qui labore illum levare poſſent: tamen operam ſuam ei, qui peteret, negandam non exiſtimavit. Ergo totam noctem homini adfuit, in extrema illa pugna, & ancipiti contentione dimicanti. Religioſè, ſanctéque morem illum retinuit, ut nulli malum pro malo redderet, ſed vinceret in bono malum, & malefacta benefactis non tantùm exæquaret, ſed etiam obrueret. Qua de cauſa cum ſæpiùs appetitus eſſet à multis, & ad juſtam indignationem provocatus: ne minimam quidem commoti animi ſignificationem dedit, neque eos, à quibus graviter eſt laceſſitus, vel leviter, cum facilè poſſet, eſt ultus: quod quidem iis exemplis, quæ mox ſubjiciam, planum fiet.

484 Romæ anno MDXLVI Religioſus quidam

A. PETRO RIBADENEIRA.

eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante, graviter in Ignatium exarsit: qui etiam jactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, à Perpiniano Hispalim usque, igni se traditurum: idque Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eumdem, scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico, & opto, ut & tu caritate flagres, & amici tui, ac necessarii, non solùm qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritus sancti igne inflammentur, & ardeant: ut perfectionis culmen adepti, divinam gloriam augeant magis, & illustrent. Quod si quid, contra me (bone pater) habes, judices Romæ sunt, gubernator & vicarius, qui nunc, summi Pontificis imperio, res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant: ad illos referas, quæso, antequam sententiam pronuntient, ut ego, si quid debeo, solus exsolvam, & corpore meo potiùs satisfaciam (quod mihi quidem erit jucundissimum) quam alii, qui

B in Hispania sunt, nullâ suâ culpâ, pœnas indebitas pendant. Romæ apud S. Mariam de Strata x Augusti MDXLVI.

malum bono compensat, tum erga invidum,

tum erga fraudatorem beneficus,

485 Lutetiæ contubernalem Ignatii quemdam fuisse diximus, qui commissâ sibi pecuniâ Ignatium defraudavit, & in eas angustias hominem conjecit, ut magno studiorum suorum incommodo, quotidie mendicare cogeretur. Huic igitur pecuniæ fraudatori gratiam hunc in modum Ignatius retulit. In Hispaniam ille Lutetiâ discedens, dum opportunam Rotomagi navigationem expectat, in morbum periculosum incidit; qui usque adeo mitem Ignatium, ac singulari præditum caritate esse intelligebat, ut ad illum de sua adversa valetudine amicè scriberet; &, quasi esset beneficio à se aliquo affectus, opem ab illo sibi auxiliumque postularet. Oblatam occasionem Ignatii caritas avidè arripuit, ut libenter se impenderet, ac superimpenderetur ipse, pro anima illius, & carbones ignis non quidem vindictæ, sed divinæ caritatis in caput ejus congereret; Rotomagum quærendi juvandique hominis causâ confestim ire statuit, & magna spiritûs alacritate, ac robore animi, tridui iter, nudis pedibus, atque ita jejunus percurrit, ut ne aquam quidem gustaret. Porrò in hac Ignatii deliberatione, &

C Rotomagensi profectione, eximia quædam acciderunt. Quorum aliqua, brevitatis studio in priori editione prætermissa, nunc exponam. Primum illud: deliberanti Ignatio profectionem, & eum in modum, quem diximus, Rotomagum abire statuenti, magnus repentè metus, magnáque est injecta religio, quasi hoc esset tentare Deum. Sed cum in templo divi Dominici ferventiùs orasset, Deumque esset precatus, ut vias suas dirigeret, timore illo atque anxietate liberatus est: & novo divini spiritus robore, mirum in modum animatus.

magna cum victoria sui & divino solatio.

486 Alterum est, quod eo ipso, quo profectus est die, cum è lecto surgeret, & se in viam dare vellet, tanto subitò horrore correptus est, ut neque satis pedibus consistere, neque vestimenta induere posse videretur: sed hanc perculsi animi trepidationem divina virtute vicit, & ante lucem ex urbe Parisiensi egressus est: sic tamen, ut tres ipsas leucas ad oppidum Argenteuil usque, tam lentè atque gravatè conficeret, ac si pedes haberet plumbeos. Sed hæc tentatio, & totius corporis gravitas eatenus duravit, quoad, superato quodam collis jugo, & aspero adscensu, in planum atque spatiosum campum tandem evasit: ubi mirificè à Domino recreatus est, & tanta, tamque nova & subita luce perfusus, & spiritûs ardore incensus, ut omni prorsus molestia, corporisque gravitate depulsa, quasi cervus quidam, per latam illam planitiem sic curreret, ut volare magis, quam ambulare; magis rapi, quam se movere videretur. Deumque suavissimè alloquebatur, & tam validis clamoribus, ex vulnerato amore corde, interpellabat, ut satis liqueret, Deum ipsum, à quo ita tractabatur, illius profectionis Ignatio fuisse auctorem. Et quamvis dæmon impedire voluit hanc profectionem, & vano metu discutere; Deus tamen & Ignatium ad repugnandum illius conatibus virtute sua communivit, & victoriæ præmiis etiam in hac vita benignissimè affecit. Rotomagi debilitatum hominem offendit, jacentem erigit, confirmatumque jam, ad primos illos suos socios in Hispaniam cum litteris commendatitiis mittit, infidelitatem suam detestantem; admirantem Ignatii caritatem, gratias Deo agentem; quod in terris is vir esset; sibique eum ostendisset, qui beneficiis maleficia ulcisceretur, officio cum offensa certaret.

D

E

De externo quodam, ac suis bene mereturr;

487 Lutetiæ item Parisiorum quidam usque adeò in Ignatium concitatus, ut scalas jam ad eum occidendum ascenderet; vocem audit dicentem sibi: Infelix, quid facis? qua voce perterrefactus, à proposito destitit. Hic autem exsuscitator ejus accusationis postea fuit, quæ contra Ignatium, ejusque socios Romæ primùm conflata est. Quem ut beneficiis vinceret, ipsis Societatis inimicis deprecantibus, in Societatem admisit. Neque tamen in sancto propositio ille diu permansit. Quoniam adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt *a*. Quo minus est mirandum, ita in suos *b* fuisse benevolum, qui alienorum etiam fuerit amantissimus. Nam cum frater quidam gravissimè agitatus, tentationi inconstantiæ succubuisset, & Deum, fontem aquæ vivæ, relinquere, & ad cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam, redire omnino statuisset, neque hujus mortiferi vulneris causas aperire vellet: Ignatius peccatum aliquod in seculo admissum causam arbitratus, quod explicare frater verecundiâ prohiberetur, ipsum convenit, & vitam suam, quam degisset in vanitate sensus sui, familiarissimè exposuit, ut illum sui minùs puderet, & de Deo sentire in bonitate

F discceret. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Aliàs item, cum ex primis novem sociis molestissima tentatione quidam, periculosissimaque laboraret, & eo res esset adducta, ut non multum ab extrema pernicie abesse videretur; tres integros dies nihil omnino gustans, lacrymisque Deum pro illo assiduè orans, hominem in Societate servavit.

a

b

Deo alicubi miro modo causam ejus agente.

488 Acerbior item extitit alius quidam pater, impetu quodam animi abreptus in Ignatium, ac contumacior: pro quo in Missa orans Ignatius instantiùs, & magnam vim lacrymarum profundens, clamabat ad Dominum: Ignosce Domine: parce Domine. Cui Dominus: Sine me, ego enim pro te vindictam sumam: ego (nî resipiscat) ultor existam. Accidit autem postea, ut ille pater in templo quodam, Sanctorum reliquias aliquando venerabundus intueretur: & inter beatissima ossa, quasi hominis aspectum videret, truci vultu flagellum intentantis, nisi Ignatio paruisset. Quod ille ipse Ignatio, Ignatius mihi narravit. Eo viso, quamquam homo tumorem compressit, animosque submisit, multis tamen posteà, magnisque molestiis affectus est, ut verissimum fuisse con-

sta-

A ſtaret, quod Ignatio fuerat à Deo ſignificatum.

489 Ex multis virtutibus, quæ in vita illius eminent, jucundiſſima fuit acceptorum beneficiorum memoria, atque remuneratio *c*. Fuit enim non in Deum tantùm, ſed etiam in homines propter Deum re ipſa animoque gratiſſimus. Nam cum Societatis per univerſum orbem terrarum propagatæ unum ſit corpus, coagmentatum ex diverſis membris, & divina caritate conglutinatum, cujus corporis ipſe caput erat, quidquid beneficii in ſingula ejus corporis membra ubivis gentium conferebatur, id totum ad univerſum corpus pertinere judicabat, ſuique muneris eſſe ducebat, id pro ſua virili remunerari, & parem, quoad poſſet, gratiam referre: præſertim naſcentis Societatis initio, quando neque tam nota erat hominibus, neque tam probata quam nunc eſt, nec ex ſuis in noſtros beneficiis, ullam remunerationem, niſi à Deo ſperare homines poterant. Multa ſunt, eaque præclara, quæ à me afferri poſſunt ad virtutem hanc Ignatii declarandam, & grati animi pietatem: ſed ea pro meo inſtituto ſummatim attingam. In omnes de Societate benemeritos

B ſingulare ejus erat ſtudium ac benevolentia; in majores major. Quos noſtrorum orationibus ubique eſſe voluit quam commendatiſſimos: de felici noſtrarum rerum ſucceſſu ſingulatim faciebat certiores: invitabat, inviſebat, conſilio, opera, reque juvabat per ſe & ſuos. Denique multa faciebat, ſibi alioquin inſuavia, atque etiam moleſta, eam unam ob cauſam, ut illis gratificaretur. Et quamvis plura præſtaret, quam acciperet, & beneficia accepta gratiſſima viciſſitudine exæquaret beneficiis, atque interdum etiam vinceret; tamen datorum immemor, memor acceptorum, in rependenda gratia numquam ſatis ſibi feciſſe videbatur.

Grata beneficiorum memoria, *c*

d 490 Ut pacem *d* cum omnibus caritatemque conſervaret, à litibus, quantum licuit, & plus etiam fortaſſe quam per alios licuit, atque ab omni contentione forenſi maximè abhorruit: multa multis de jure ſuo concedebat, immo verò injuriam ſæpè accipiebat, fraudemque patiebatur, ne litigare cogeretur. Dicebat enim, non ſolùm hoc liberale eſſe, & Chriſtiano homine dignum, verùm etiam fructuoſum: quòd rerum temporalium jacturam, ſi quam pro ejus amore feceris, ſoleat Dominus abundanter compenſare. Itaque cum refectorium Romanæ domus eſſet obſcurum, ne-

C que vicinus in medio communique pariete feneſtram ſine ullo ſuo detrimento aperiri pateretur, quamquam jus noſtrum erat perſpicuum; ne tamen Ignatius judicio contenderet, ac in ipſo Societatis naſcentis initio litigioſus videretur, cæco potius ac perobſcuro triclinio octo aut eo amplius annos uſus eſt, nullumque verbum cum homine commutavit: donec empta ea illius domo, quæ cœnaculi luminibus officiebat, impedimentum ſublatum eſt *e*.

& amor patris.

e

491 Mirum ſanè eſt, quàm ardenter ac cupidè Ignatius humilitatem *f*, ab ipſo ſuæ converſionis initio, tamquam virtutum omnium matrem ac fundamentum complexus ſit. Itaque viliſſimo habitu ac ſeminudus incedebat, & tamquam mendicus cum mendicis hoſpitabatur: ignotus, abjectus, contemptus vivebat: lucem, honorem, hominumque æſtimationem fugiebat: laceſſitus injuriis, calumniis oppugnatus, carcere & catenis pro Chriſto vexatus, incredibili lætitia replebatur, ut totâ ejus in vitâ videre eſt. Cui ſanè vitæ doctrina etiam illius de humilitatis virtute, omni ex parte reſpondet. Summa ſpectantibus ab

CAP. III. *Submiſſionis exempla dat; documenta item S. Franc. Xav. aliiſque:*

f

imis cenſebat incipiendum, ne alta ſaperent, ſed humilibus conſentirent. Itaque quos aliò primùm mittebat ad vineam Domini, ſuis laboribus excolendam, eos ſic inſtituebat, ut humilitate ac contemptione ſui, viam ſibi ad ardua atque excelſa munirent: quòd tum demum reliquum ædificium ſtare poſſe diceret, ſi [in] humilitatis eſſet fundamento conſtitutum. Sic Franciſcum Xavier, & Simonem mittens in Luſitaniam, monuit, ut oſtiatim mendicarent, perque contemptionem ac deſpicientiam ſui, aditum ſibi ad fructum animarum, & Dei gloriam patefacerent. Alfonſum Salmeronem, Paſchaſiumque Broetum in Hiberniam proficiſcentes, ut Sedis Apoſtolicæ nomine, Nuntiorum perſonam ſuſtinerent, ut dictum eſt, pueros erudire, & Chriſtianæ vitæ documenta rudibus populis tradere juſſit. Et Jacobum Lainem atque eundem Salmeronem à Paulo III, Pont. Max., ad concilium Tridentinum deſtinatos, ut ſententias ſuas in theatro illo orbis terrarum graviſſimo atque eruditiſſimo dicerent, ita inſtituit, ac commonefecit Ignatius, ut initio xenodochia obirent, miſeris hominibus ægrotantibus inſervirent, egenorum haberent curam, pueros Chriſtianis inſtitutis priùs imbuerent, & tum demum vocati juſſique majora capeſſerent, & ad ſententias dicendas aggrederentur. Quod ita, ut juſſit, factum eſt, & tam feliciter, quàm ſcimus, ſucceſſu.

A. PETRO RIBADENEIRA.

E

492 Paupertatem *g* matrem noſtram vocabat: ignominioſumque affirmabat eſſe atque indignum, ſi Religioſi homines aut pecunioſi eſſent, aut haberentur. Illud Dei miſericordiâ eſt conſequutus, ut per multos annos antequam è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit. Immo verò uſque adeo erat divina luce perfuſus, ſuique perfectè cognitor atque contemptor, ut nullum ſe vitium diceret minùs extimeſcere, quam vanitatis & gloriæ inanis: quæ ex ignoratione plerumque, & cæco amore ſui ortum habet, & vel cedros ipſas Libani ſolet evertere. Obſervavi aliquoties ego illum, cum de propagatione Societatis, vel fructu, in ſermone familiari mentio incidiſſet, vel de alia re quacumque, quæ cum virtute illius, ac laude implicata videretur, colligentem ſtatim ſe, obortiſque lacrymis pudore quodam ſuffundi. Cum P. Lainez à quodam ex noſtris audiviſſet, in tutelam Ignatium archangelo à Deo datum: ipſummet Patrem, verumne eſſet, familiariter interrogavit: à quo verbis reſponſum

F nullum accepit; ſed vultûs mutatione, ac rubore oris. Sic enim eſt verecundatus (ut verbis Lainis utar) ſic expavit, ut virgo ſolet caſtiſſima, à viris ſola deprehenſa. Idemque ſæpè accidit, ut de iis rogatus, quæ cum ejus laude conjuncta eſſent, non aliter quàm verecundiâ ſilentioque reſponderet.

amat paupertatem, domitam habet vanam gloriam; &

493 Illum dicentem audivi, domeſticos omnes exemplo ſibi ad virtutem, atque incitamento eſſe, neque quemquam præter ſe unum, ſibi diſplicere. Mihi aliquando dixit, illud ſibi à Deo petendum eſſe, ut ejus ipſius mortui cadaver volucribus & feris laniandum abjiceretur. Nam cum ego, inquit, ſterquilinium & deteſtabilis omnino ſim, quid aliud meis criminibus dignum expetam? Ubi perſpicua res non eſſet, atque evidens, facilè aliorum judicium ſequebatur, & ſe, cum Superior eſſet, inferioribus exæquabat. Ludibrio omnibus ſe cupiebat eſſe: &, ſi animo indulgere ſuo voluiſſet, nudus, deſpicatus, & oppletus ſordibus, ut inſanus haberetur, per vicos ambulâſſet. Sed hunc humilitatis affectum, proximorum utilitas reprimebat, & caritas: cui ut

ſe deprimit mirificè;

A. PETRO RIBADENEIRA.

fructuosiùs deservitet, auctoritatis etiam suæ, ac personæ rationem habuit. De rebus suis rarò loquebatur, idque magnâ aliquâ causâ excitatus; vel ad sanandos eorum animos, & mærore liberandos, qui ab ipso consilium peterent, ac medicinam; vel ad acuendos socios, & adversùs omnes difficultates suo exemplo confirmandos, idque parcè, & nascentis Societatis initio: quâ jam constitutâ, mira taciturnitate sua omnia contexit.

demisse de se sentit in administranda Societate.

494 Sed ejus humilitas cùm in multis aliis se ostendit, quæ narrata à nobis sunt, tum maximè in illa honoris fuga elucet, & dignitatis recusatione, quam summa omnium consensione electus, ne vel Præpositus Generalis esset, adhibuit, vel cum jam esset, ut honorem deponeret. Quod certè eo admirabilius est, quod Ignatius tam graviter & asseveranter se ex animo, & coram Deo, non esse idoneum ad regendum alios, testatus est, longissiméque ab iis virtutibus abesse, quæ in eo, qui ceteris præsit, necessariæ sunt. Cum tamen constet, omnibus virtutibus ita illum fuisse cumulatum, ut qui ad alios gubernandos accesserint, cum iis præclarè agatur, si sint eas virtutes, quas ille, consequuti. Et quoniam obedientia, humilitatis filia est, & custos religiosarum omnium ac regina virtutum, illique Ignatius in Societate primas deferebat; ut arbitror, non erit inutile, quid de obedientia ille senserit, hoc loco exponere.

B

ANNOTATA.

a *Locum de caritate erga proximum declarat Commentarius* § 64.

b *Benevolentiæ huic adde dicta ibid.* § 79, *à num.* 805; *&* § 80.

c *Gratus Sancti animus pluribus confirmatur ibid.* § 64 *&* 65.

d *Amor pacis stabilitur ibid.* § 65 *& sequente.*

e *Hoc factum cum suis adjunctis retuli ibid.* § 66.

f *Hanc exemplis & documentis illustravi ibid.* § 67.

g *Quæ de paupertate hîc obiter, pluribus ibid.* § 71 *&* 72.

C

CAPUT XXXIII.

Perfectæ obedientiæ exempla & documenta à Sancto data; imperium in animi affectus.

CAP. IV. *a Excelluit obedientiâ S. Ignatius:*

PErfectæ obedientiæ Ignatii haud multa sanè habemus exempla *a*: neque enim obtemperare aliis Societatis Præpositis poterat, qui Societatis ipsius auctor, &, quoad vixit, primus Præpositus Generalis fuit. Illa tamen apertè ostendunt, quam excellenter omnes obedientiæ expleſſet numeros Ignatius, si aliorum subditus fuisset imperio. Paruit confessario suo semper in rebus gravissimis. Dedit operam, quantum salvâ conscientiâ potuit, ut munus Præpositi Generalis aut non susciperet aut susceptum deponeret. Summo Pontifici *b* obsequentissimum semper se præbuit, & in rebus arduis ac periculi plenissimis itidem se præbuisset. Admirabilem nobis de obedientiæ virtute atque præstantia doctrinam *c* reliquit. Denique multis argumentis docuit, hanc præclarissimam virtutem maximè sibi cordi esse, & intimis ejus sensibus insitam penitus, atque infixam.

b

c

D

suosque, ut in ea sint præstantes,

496 Optabat filios suos cum omnibus virtutibus excellere, tum maximè obedientiâ, in eamque omnem operam studiumque conferre. Hanc enim aiebat præclarissimam esse virtutem ac nobilissimam, omni victima, sacrificioque præstantiorem, humilitatis filiam, nutricem caritatis, justitiæ comitem, Religiosarum omnium virtutum ducem ac magistram, inimicam propriæ voluntatis, fraternæ benevolentiæ, & concordiæ matrem, tranquillitatis portum, & securæ mentis juge convivium. Dicebatque, ut nonnullæ Religiones, aliæ aliis rebus Societati præstant, sic optare se, ut hæc Societas, obedientiæ virtute ceteris antecellere niteretur. Ejus porro dignitatem atque præstantiam sic explicabat. Quemadmodum in hominum vita duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera pervulgata & communis, quæ divinis præceptis servandis continetur: altera illorum tantùm, qui Christi consilia toto pectore complectuntur, quæ via Religionis est; sic in ipsa Religione duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, & omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque Religiosi virtus maximè apparet. Imperfecta obedientia malè oculata est; perfecta, sapienter cæca: illa judicium suum de imperatis rebus sibi servat; hæc judicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem, hæc in neutram potiùs movetur: illa mandatis paret, judicio repugnante; hæc judicium judicio, voluntatem Superiorum suorum subjicit voluntati.

E

instruit,

497 Quocirca docebat Ignatius, eam obedientiam imperfectam esse, quæ præter executionem non habet voluntatis & judicii consensum. Nam obedientia, quæ in executione solùm posita est, obedientiæ non meretur nomen: quæ verò ad actionem voluntatem adjungit, efficitque ut ille, qui obedit, id ipsum velit, quod qui jubet, nondum perfecta est, si eò non progrediatur, ut id ipsum non solùm velit, sed etiam sentiat, quod Superior sentit; & quod jubetur, bene juberi existimet: sic, ut præter executionem, sit ejusdem voluntatis & sententiæ inter eum qui jubet, & qui obedit, consensio. Hæc obedientia rectissima est, & omnibus expleta numeris, maximéque excellens, quâ veluti captivamus intellectum in obsequium obedientiæ, & id rectum credimus, quodcumque sit à Superioribus nostris præscriptum: neque rationes præscripti exquirimus, aut sequimur, sed obedientiam avidè arripimus, nulla alia de causa, nisi quia obedientia est. Tunc mortui nobis sumus, ut Deo vivamus: neque in ullam partem impetu animi, atque inclinatione ferimur, sed indifferentes sumus, & ut mare, nullo vento movente, tranquillissimi. Nam illi alii, quorum vel voluntas obmurmurat, vel ratio obstrepit, obedientiæque contradicit, nondum sunt illud consecuti, quod Dominus in Euangelio ait: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Isti enim adhuc moriuntur, nec dum planè mortui sunt: & quia cæci non sunt, peccatum interdum habent: & videntes cæci fiunt.

F

quam fieri potest perfectissimè

498 Affirmabatque Ignatius, eos qui voluntate tantùm obediunt, ratione repugnante, unum tantummodo in Religione pedem habere, atque in magna plerumque incommoda incidere, & gravissimis perturbatæ conscientiæ molestiis implicari, multumque ab eo spiritu degenerare, quem

in

A. PETRO RIBADENEIRA *sub finem vitæ*

A in ipso Religionis ingressu primùm habuissent; qui nisi studiosè teneatur, labitur sensim, & effluit. Quapropter omni contentione elaborandum esse dicebat, ut id, quod sequimur, assequamur; & perfectionis viam ingressi, perveniamus ad id, quod in Religione perfectissimum est. Id adipisci haud fore difficile, iis rationibus. Prima, si nos Deo totos penitusque commiserimus, & divinæ illius providentiæ, universum orbem terrarum gubernanti, habuerimus fidem: quâ unicuique dat gratiam secundùm mensuram donationis Christi: & Superiori, ut regat; inferiori, ut obediat, facultatem tribuit. Altera, si vocationis nostræ ductum sequemur, ac spiritum; &, non quis sit, sed cujus personam gerat, quicumque tandem sit, qui nos regit, perspexerimus. Tertia, si fallacibus argumentis, quæ contra obedientiam objiciuntur, prudenter exclusis, ea exquiremus diligenter, quæ sunt verissima, & pro Superioris faciunt voluntate. Quarta, si eorum exempla, qui in simplici perfectaque obedientia, præter ceteros excelluerunt, ante oculos semper

B habuerimus maximéque illius, qui propter nos Patri factus est obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Si denique oratione instructi, humilitate ornati fuerimus, neque opinionibus inflati, neque amoris proprii, neque existimationis (quæ veræ obedientiæ pestes sunt) cupidi, sed demissè de nobis sentientes, nostrique judicii atque ingenii agnoscentes infirmitatem, non plus sapiamus, quam oportet; sed sapiamus ad sobrietatem.

circa istam virtutem; sensa super illa

499 Hæc sunt Ignatii præcipua quædam de virtute obedientiæ præcepta, quibus erudiebat suos, & ad omnem præclarissimæ virtutis excellentiam splendoremque conformabat. Sed quoniam uno anno antequam moreretur, hac ipsa de re quid sentiret, expressit, illud minimè prætermittendum videtur. Nam admirabili illa de obedientia atque divina epistola non contentus, quam ad fratres nostros Lusitanos scripsit, scribæ, qui excipe-

d ret, ad se accersito *d*, Scribe, inquit, quid ego de obedientia sentiam, ut hoc ipsum testatum Societati relinquam: undecimque brevissimis capitibus rem universam complexus est, quæ ego de Hispanico sermone in Latinum ad verbum penè conversa, hic attexam, ut res utilissima, maximéque Religiosis hominibus necessaria, ex ore tanti viri planiùs intelligatur. Sic igitur habent:

C 1 In ingressu Religionis, vel post ingressum, resignatus (hoc est, propria exutus, atque ab aliena pendens voluntate) omninò esse debeo in conspectu Dei, ac Domini nostri, ejusque qui loco Dei mihi præest.

2 Optare debeo, ut ille me gubernet, ac regat, qui abnegationi mei proprii judicii, & intellectus invigilat.

3 In quibus rebus peccatum non est, in iis omnibus voluntatem illius sequi, non meam debeo.

4 Tres sunt obedientiæ gradus: primus est, cum fit obedientia, propterea quod aliquid in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur: & hic quidem bonus est. Alter, cum fit, quod simpliciter mandatur; & melior est. Tertius est, cum obedientiam prævenimus; & id facimus, ad quod Superiorem propensum cernimus, tametsi nihil ille præcipiat: & hic quidem ceteris longè perfectior est.

5 Non debeo cogitare, qui me gubernat, summusne, an medius, an infimus sit; sed devotionem meam omnem in obedientia collocare, & illud magni pendere, quòd loco Dei Domini nostri præsidet. Nam personarum si distinguas gradus, perit obedientiæ vis.

500 6 Si quando tempus inciderit, quo mihi videatur à Superiore meo quid præcipi, quod contra conscientiam meam sit; Superiori verò aliud videatur; illi potiùs, quam mihi credam, siquidem aperta ratio non repugnat. Quod si hoc in animum inducere non possum; at certè meum judicium, sensumque relinquam, & ad unius, aut duorum, triumvè judicium tem totam rejiciam; ut, quod ab illis judicatum sit, id sequar. Hoc si recuso, longissimè à perfectione absum, & ab iis virtutum officiis, quæ veri Religiosi sunt maximè propria.

7 Denique meus esse non debeo, sed ejus, qui me creavit, quique illius locum tenet, ut me duci tractarique instar mollissimæ ceræ sinam, quæ sequitur fingentis manum. Ut in scribendis, accipiendisve litteris & contrà, in colloquio cum fratribus, aut silentio, id mihi salutare credam, quod jussus fuero; devotionemque meam in eo, quod præcipitur, totam constituam.

8 Ita me instituam, quasi corpus mortuum, quod neque voluntatem neque sensum habet. Secundò, non aliter quam parvulam quamdam statuam, quam quoquoversum velis, haud repugnantem vertas. Tertiò, talem me fingam ac præstabo, qualis baculus in manu senis est, ut me ad arbitrium suum utatur, ibique ponat, ubi eum adjuvare maximè possim: sic ego paratus ad omnia sim, ad quæ meâ operâ Religio uti velit, nihilque recusem, quod sit imperatum. E

9 Neque petere, neque rogare, multò minus flagitare debeo à Superiore, ut me aliquò potissimùm mittat, ut in hoc potiùs, quam in illo munere exerceat; sed cogitationes meas sive desideria simpliciter exponere, atque ad illius pedes abjicere, ut ille constituat, atque imperet; ego, quod ab illo constitutum fuerit, atque imperatum, id optimum putem.

10 In rebus tamen levibus ac bonis facultas peti potest, ut ad Stationes Urbis obeundas, ad spiritales gratias petendas, & his similia: dum eo tamen animo sis, ut, quod concessum negatumve sit, id optimum credas.

11 In his præterea, quæ ad paupertatem spectant, nihil meum ducam: sed ita me comparem, ut quarum rerum usum habeo, earum me vestitu cultuque ornatum, quasi statuam, existimem, quæ ornatum detrahenti nihil omnino aut resistit, aut repugnat. Hæc ille *e*. F

e depromens, ac eam docens miris instructionibus.

501 Neque verò nostrorum tantùm obedientiam ad hoc exemplum exigebat; verùm etiam aliarum Religionum homines, si qui fortè de obedientia Superioribus præstanda consilium ab Ignatio peterent. Ipse verò expletæ hujus cumulatæque obedientiæ magister, mordicus illam retinebat. Nam quo tempore, Societate nondum constituta, spes omnis Hierosolymam navigandi nostris patribus erepta est, P. Jacobus Laines Ignatio dixit, habere in votis se in Indiam, ad salutem silvestrium illorum hominum atque efferatorum proficisci. Cui Ignatius, Ast ego, inquit, nequaquam. Causam rogatus, Nimirum, quia cum obedientiæ voto simus obstricti, summoque Pontifici integros nos ad ejus voluntatem obtulerimus, ut, quocumque terrarum velit, suo nos arbitrio mittat, indifferentes esse debemus, ac medii, & in neutram potiùs partem pendêre. Immo verò, si me hoc tuum desiderium teneret, in contrariam partem flectere conarer animum, ut in ea æquabilitate tandem statuque consisterem, qui ad obtinendam perfectam obedientiam est ne-

A. PETRO RIBADENEIRA.

ceſſarius. Cum verò Præpoſitus eſſet Generalis, aliquoties dixit: Si ſummus Pontifex imperaret, ut oſtio Tiberino ſcapham, vel navigium, quodcumque primùm inveniſſet, clavo, malo, velis, remis, ceteriſque armamentis ſpoliatum conſcenderet, & ita abſque ullo commeatu mare trajiceret, ſe id non ſolùm æquo ſed etiam libenti animo facturum. Cum autem quidam ſummus vir, hunc illius animum admirans, Ignatio diceret: Quæ iſtæc eſſet prudentia? Reſpondit Ignatius, Prudentia, Domine, non tam eſt parentis, quam imperantis.

CAP. V. *Domitos habebat animi affectus,*

502 Appetitus omnes ſic Ignatius Dei gratiâ, ſtudio laboreque pervicerat, & obedientes rationi effecerat, ut non quidem ἀπαθὴς, & abſque omni animi affectione eſſet (hoc enim hominis naturæ eſt alienum:) ſed certè, ut ab omni commotione animi, motuque turbulento vacuus videretur. Eratque id conſecutus, ut, cum calidus naturâ, corporiſque conſtitutione bilioſus eſſet; propter ſummam tamen lenitatem, quam in omni ſermone, vitæque conſuetudine adhibebat, frigidus ipſis medicis, lentuſque potiùs videretur.

B Sed eo, quod in interiori affectu vitioſum erat, edomito, actio, ubi opus erat, vigebat: neque animi ſumma moderatio vim efficiendi ulla ex parte minuebat. Vidimus perſæpe illum affabiliter, hilaréque, & magna animi æquitate colloquentem cum ſuis, accerſere aliquem, quem objurgare vellet: primoque illius aſpectu commutare vultum, ad ſeveritatem componere, & quaſi iratus eſſet, graviter hominem corripere, & caſtigare. Statim tamen atque ille exceſſerat, ne puncto quidem temporis interjecto, ad ſuam illam tranquillitatem, jucunditatemque ſermonis, ſereno vultu, explicata fronte, rediiſſe; perinde ac ſi numquam aut ille interveniſſet, aut quemquam ipſe objurgaſſet. Itaque apparebat nihil animo fuiſſe commotum; ſed ſeveram illam objurgatoris perſonam & ſuſcepiſſe cum vellet, & depoſuiſſe. Quod in reliquis ejus actionibus videre fuit, ut ex illis perluceret moderatio animi, & tranquilliſſimus ſecuræ mentis ſtatus *f*.

f

eumdemque ſemper tenebat tenorem.

503 Eumdem tenorem ſemper tenuit in rebus gerendis, & perpetuitatem in omni vita. Nam quamvis corpore aliter atque aliter affectus eſſet, & propter valetudinis varietatem ad res tractandas vel magis vel minùs aptus; animo tamen idem

C ſemper erat: ut ad aliquid ab eo impetrandum, aut conficiendum, obſervare tempus & opportunitatem nihil eſſet neceſſe. Nam ſive illum ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio peracto, ſive prandio convenires, è lecto ſurgentem, aut ab oratione, perinde erat: ſive res lætæ, ſive triſtiores eſſent: denique in nulla rerum diſſimilitudine ac varietate, varius ipſe, ſuique diſſimilis fuit. Quæ animi æquabilitas, perpetuaque conſtantia in corpus etiam (ut paulò antè diximus) redundabat. Cum in menſa, aut in ſermone aliquo familiari cum Ignatio unà eſſemus: ſi cui noſtrum imprudenti verbum aliquod excidiſſet: ſi quid factum dictumve eſſet, quod minùs probaret, ſtatim colligebat animum, fingebatque vultum ad ſeveritatem, ut vel ipſo Patris aſpectu admoneretur, qui deliquerat. Quod in rebus ſæpè leviſſimis fecit, quarum culpa propter tenuitatem, ſenſus noſtros, aciemque fugiebat. Neque enim ſolùm apud ſe ipſe erat, ſed ſuos etiam volebat eſſe.

504 A conſanguineorum moleſtiſſima cura negotiiſque longiſſimè abfuit: & quaſi eſſet ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ut Melchiſedech, vel omnino mundo, & omnibus mortuus, quæ mundi ſunt, nihil quod ad eorum carnem pertineret & ſanguinem, ad ſe attinere judicabat. Spiritum fovebat, quoad poterat, & ut in virtute majores indies progreſſiones facerent, oratione, ſtudio, opera curabat: omniaque quæ in eos conferebat officia, veræ caritatis, ac religioſi ſpiritus moderatione definiebat. Quocirca cum ejus fratris neptem *g*, Loiolæ familiæ heredem, multi nobiles atque locupletes viri cuperent uxorem ducere: magni principes atque clariſſimi, quorum multa in Ignatium, Loioleamque familiam beneficia extabant, per litteras rogârunt Ignatium, auctoritatem ſuam interponeret, & ad ſuos ſcriberet, cupere ſe, ut fratris neptis in honeſtiſſimo matrimonio collocaretur; & certo cuidam nobiliſſimo viro, & neceſſitudine & vicinitate conjuncto, opibuſque præſtanti nuberet, quem illi ipſi nominabant. Ad quos Ignatius reſcripſit, matrimonium illud ſuâ nihil intereſſe; ſe jam tot ante annos ſeculo mortuum, curis illius omnibus nuntium remiſiſſe: non eſſe æquum, id repetere, quod pridem omiſerat, & aliena ſeque indigna tractantem, induere iterum tunicam, quam exuerat, rurſus inquinare pedes, quos laverat. Sed præſtat ipſiuſmet Ignatii epiſtolam, de hac ipſa re ad Ducem Najaræ ſcriptam apponere: ut tanti Patris verbis excitemur ad perfectionem, & admirabili exemplo magis etiam accendamur; ſic enim ait:

g

D *Quantum abhorreret à negotiis conſanguineorum,*

E

505 Literas tuas, XXI Februarii ſcriptas, heri mihi reddidit D. Joannes Guevara. Nulla autem excuſatione utar, quamobrem ad te hactenus non ſcripſerim. Eſt enim illa maximè idonea, & per ſe manifeſta, quòd, quicumque ſeculo renuntiant, ut Chriſtum perfectiùs ſequantur, omnia etiam quæ ſeculi ſunt, debent repudiare atque oblivi-ſci, ut cæleſtia ſtudioſiùs meditari, atque ardentiùs poſſint concupiſcere. Itaque iſta urbanitatis officia fugiunt, ut, quæ Dei ſunt, impensè curent. Sed ſi ulla mihi ſeſe obtuliſſet occaſio, tibi ad Dei gloriam inſerviendi, eam verò libentiſſimè arripuiſſem: & pro mea tenuitate etiam oſtendiſſem, quam me tibi, ac univerſæ familiæ tuæ obſtrictum putem: quotque & quam magnis majorum tuorum beneficiis me devinctum intelligam. Quod unum mihi reliquum fuit, ut te Deo commendarem, præſtiti ſanè hactenus, & præſtabo diligenter; Deumque precabor, ut te tuaque omnia quam feliciſſimè conſervet, & ſingulari quadam gratiæ ſuæ protectione, ad ipſius nominis gloriam, tueatur ac gubernet. Quod ad matrimonium, de quo ad me ſcribis, attinet, illud certè ejuſmodi eſt, & à mea minima profeſſione uſque adeo alienum, ut ab eo, quaſi meis inſtitutis omnino contrario, ac vehementer repugnanti, mihi temperandum ſtatuam. Poſſum enim tibi omni aſſeveratione affirmare, totos decem undecimve annos, ad nullum ex Loiolea familia ne litteram quidem me ſcripſiſſe. Perſuaſi enim mihi, cum ſeculo univerſo nuntium remiſi, illam quoque propter Chriſtum me ſemel reliquiſſe: neque debere me eam repetere, aut ullo modo propriam exiſtimare, quam tam certo, tamque conſiderato judicio reliqui. Sed ſi tu tamen ad majorem Dei gloriam fore judicas, ut duæ iſtæ familiæ & dominatus in unum coëant, & conjungantur; & ad eum finem, quem omnes ſemper ante oculos debemus habere, in rem utriuſque futurum putas; Ozaetæ Dominum, & Martinum Garziam, conſanguineos meos, & ad te evocandos cenſeo, & cum iis ipſis tranſigendum. Ab iis enim duobus, res illius quidem partis pendet,

conſtat ex ejus epiſtola.

F

A det, quod Joanni Guevaræ copiosiùs exposui. Itaque rem totam sapientiori tuo judicio relinquo: Deumque precor, ut nobis voluntatis suæ lumen ostendat, eamque perfectè adimplendi, abundantem gratiam tribuat. Romæ XXVI Augusti MDLII.

Animo non indulget.

506 Si sensum animi sui, eamque voluptatem, atque adeo utilitatem, quam ex cantu magnam capiebat, sequi, suoque indulgere genio voluisset (mirificè enim recreabatur ejus mens musicâ, atque incitabatur in Deum) se chorum in Societate instituturum (me audiente) esse dicebat; sed illud se prætermisisse, quòd Deo magistro atque auctore didicisset, præclarum quidem in choro canendi esse munus, atque sanctissimum, sed minimè ad illud nos à Deo esse vocatos. Aliam nostri instituti rationem, alia propria nostræ Religionis esse munia.

ANNOTATA.

a *Exempla ac documenta dat Comment.* § 68 & 69.

B b *De observantia erga Pontificem; præsides ecclesiasticos ac seculares, ibid.* § 70.

c *Ea elucet ex epistola Sancti, & ex Constitutionibus. Vide ibid.* § 69, *num.* 704; & § 58, *num.* 602.

d *Sacchinus Histor. Soc. part.* 2, *lib.* 7, *num.* 28, advocato ad se, *ait*, P. Joanne Philippo Vito *&c.*

e *Ea* testamentum B. Ignatii appellabat *Ribadeneira*; *ibid. num.* 27.

f *Adde dicta in Comm.* § 74, *à num.* 752.

g Erat ei proneptis ex fratre virgo, quæ deinde Joanni Borgiæ nupsit, hodie Philippi regis apud Cæsarem Legato. De hac in matrimonio collocanda *&c.*; *ait Maffeius lib.* 3, *cap.* 1.

CAPUT XXXIV.

Moderatio & efficacia sermonis; severitas benignitate temperata.

C

CAP. VI.

Loquitur meditatè ac prudenter:

SI is, qui in verbo non offendit, perfectus est vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus, ut beatus Jacobus ait; meritò sanè in perfectis viris haberi Ignatius debet, qui linguæ suæ (quam nullus hominum domare potest) frænum injecit, maximéque excelluit moderatione verborum. Si quid audiret eorum, quæ ad iram vel ad turbidiorem aliquem motum incitare homines solent, statim sese colligebat, jungebatque cum Deo: & quid responderet, accuratè meditabatur. Ex quo illud consequebatur, ut neque rationem inconsiderantia ulla præcurreret, neque non retineret animi tranquillitatem. Quamquam hoc non in hujusmodi rebus servavit solùm, sed perpetuum illi in omni sermone fuit, ut nihil temerè loqueretur, sed cogitatò & prudenter. Undecim annis antequam moreretur, amicissimo cuidam viro ac nobili suam operam in quodam negotio est pollicitus: postea se promisisse pœnituit: & hac de re, me præsente, agens, adjecit: Undecim duodecimve sunt anni, ex quo non memini me ita verbo lapsum, neque quidpiam promisisse, cujus postea me pœniteret.

508 Constat, illum per triginta, & eo amplius annos, ne fatuum quidem aut stupiduin appellasse quemquam; aliove contumelioso verbo affecisse. Quod in objurgationibus sæpè observavimus, ut sermonis gravitate adjuncta, acerbitas tamen omnis abesset: neque verbo morderet quemquam; sed rerum severa explicatione compungeret. Neque enim quemquam, cum asperiùs etiam objurgaret, vocabat aut non obedientem; aut superbum, aut inertem, & pigrum: sed quid cuique inesset vitii, rei explanatione ostendebat. In laudando parcus fuit, in vituperando parcissimus. Superlativis (ut vocant) vix utebatur nominibus. De aliis numquam detraxit: detrahentibus aures numquam patefecit. Alienorum vitia, etiam publica, & quæ in ore omnium versarentur, in sermone quotidiano ipse non usurpabat: & in illa ne alii incurrerent, cavebat. Si quid tamen aliis excidisset, ipse vel elevabat, vel etiam excusabat factum, aut animum certè, & voluntatem. Quòd si rei atrocitas excusandi, minuendique omnes aditus præcluderet, eò perfugiebat: Nolite ante tempus judicare. Deus solus intuetur cor. Domino quisque suo stat, aut cadit: cum gravissimè: Ego quidem certè hoc non fecissem: ut illud Domini præceptum penitus in ejus animo insedisse videretur: Nolite judicare & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. E

A. Petro Ribadeneira, abstinet ab omni contumelioso verbo, ac supervacaneâ laude:

509 De erratis verò domesticorum, mirum silentium; neque, si quid minùs decenter ab aliquo admissum esset, cuiquam aperiebat, nisi fortè, ut emendaret: & tunc quidem tam modestè ac mansuetè, tam existimationi illius, qui peccaverat, amicè, ut, si unus testis satis esset ad remedium, duos non adhiberet: nudamque culpam poneret ante oculos, nulla adhibita contentione, aut reprehensione verborum. Audivi ego ex ipsomet Patre, confessarium aliquando à se quæsitum, ut unam tantùm culpam confiteretur. Ea erat, quod erratum cujusdam tribus patribus aperuisset, cum duo ad remedium adhibendum sufficerent: & tamen is erat, qui deliquerat, ut uno illo errato divulgato, nihil ejus existimatio apud tertium illum patrem læderetur. Et ita loquebatur de omnibus, ut singuli bonam de ipsis opinionem illum habere intelligerent, seque illi cordi esse.

errata domesticorum mirè silentiò premit.

F

Sermò ejus erat simplex ac gravis; sed perquam efficax.

510 Ejus autem sermo, sententiarum erat gravitate plenus, non verborum copia; simplexque potiùs, & aperta videbatur narratio, quam aut amplificatio, aut confirmatio rerum, & contentio. Res ut erant, referebat: auditoribus ut consequentia cernerent, rerumque momenta ponderarent, suum judicium relinquebat. Atque hunc in modum, magnam habebat ad persuadendum vim ejus oratio: & tamen propensionem animi sui neutram in partem aperiebat. Illud erat in sermone prudentiæ, quod, quæ gravia essent, & aliquid ponderis haberent, in iis multum hærebat, eaque, levibus prætermissis, narratione ipsa ponderabat. Tanta ejus erat in sermone gravitas atque efficacitas, ut non tam humana videretur, quam divina: quocumque enim volebat, impellebat homines, non verborum ullâ vel copiâ vel elegantiâ, sed vi sententiarum ac pondere. Pervicaces ac ferreos etiam emolliebat, flexibilesque ad omnia reddebat & tractabiles, suoque imperio sic obedientes, ut se ipsi, suamque mutationem sæpè mirarentur. Neque solùm nostri, sed etiam alieni: neque gregarii tantummodo homines, atque infimæ notæ, sed maximi etiam viri, ac præstantissimi, irâ cum essent aut aliis turbidioribus moti-

A. PETRO RIBADENEIRA.

motibus concitati, ad lenitatem ejus sermone, ac mentis tranquillitatem flectebantur. In certamen verò disputationemque si quando cum illo descendissent, superiorem in ipso vim agnoscentes, facilè illi concedebant, animosque submittebant, Domino verbis ejus dante virtutem.

Efficacia illa quanta in eo fuerit,

511 Quod quamvis multis exemplis illustrari posset, duo tamen in præsentia adduxisse sufficiat. Quo tempore Romæ tam multa falsa in Ignatium à calumniatoribus, sociosque conjecta sunt, Joannes Dominicus de Cuppis, S. R. E. Cardinalis, sacrique Collegii decanus, Quirinum Garzonium, hominem nobilem, familiarem suum ac necessarium (qui Ignatium, sociosque hospitio benignè excepetat in vinea sua apud cœnobium sanctæ Trinitatis) severè monuit, ne se consuetudine Ignatii implicari aut circumveniri pateretur: nihil cum illo, illiusque sociis haberet commune, ne ex eorum conjunctione aliquid dedecoris in ejus nomen, infamiæque redundaret. Quirinus contrà, Ignatium, se, sociosque diligenter observasse ait, nihilque omnibus vestigiis indagantem, in eorum vita deprehendere potuisse, quod sanctitatem non saperet, quod non ad amussim quadraret ecclesiasticæ disciplinæ. Ad quem Cardinalis: Falleris, Quirine, falleris; nec mirum: neque enim tam multa tu de istis hominibus audire potuisti, quam ad me perlata sunt: qui speciem quidem habent pietatis, sed factis ejus abnegant veritatem. Lupum in specie lupi facilè vites: lupum autem ovilla pelle indutum, neque agnoscas facilè, neque declines. Perturbatus homo ad Ignatium venit: quidnam à Cardinale audierit, narrat: quid sibi faciendum sit, consilium petit. Ignatius verò læto vultu hominis mærorem abstergit, & verbis bono animo esse jubet. Cardinalis, ait, errorem suum, optima ex mente & rerum ignoratione profectum, cognita veritate libenter deponet, offensionemque in benevolentiam vertet. Neque existimes tantum virum, Quirine, solum in ea esse sententia, quæ tamen non propria ipsius est, sed eorum qui vel malevolentiâ adducti, vel zelo fortè Dei, sed non secundùm scientiam, ea spargunt in vulgo, & in aures principum etiam instillant, quæ aut confinxerunt ipsi, aut ficta ab aliis vera putant. Quoniam simulata & falsa, à sinceris & veris secernere atque internoscere, haud proprium illorum officium est. Orabimus Dominum: in silentio & spe erit fortitudo nostra: nos tacebimus; ille pro nobis loquetur.

exemplis comprobatur

512 Cum autem Cardinalis ea sæpè repeteret, atque inculcaret Quirino, rogatus ab ipso est, Ignatium ut alloqueretur, & ab ipsomet rationem dictorum, factorumque omnium reposceret, & de certis atque exploratis ferret judicium. Neque enim sapientis esse viri (qualis ipse esset) inauditum quemquam & indefensum condemnare. Audiam, inquit Cardinalis, si veniat ad me, & ita tractabo, ut dignus est. In summa, dies dicitur: Ignatius ad Cardinalem venit: remotis arbitris, ipso etiam Quirino pro foribus cubiculi exspectante, duas fermè horas Cardinalis Ignatiusque colloquuntur. Quo in colloquio tanta spiritûs Domini, verborumque Ignatii vis fuit, ut se Cardinalis ad ejus pedes abjiceret, suppliciter veniam peteret, abeuntem comiter benevoléque prosequeretur: eleëmosynam panis, vinique certam, ipsi in hebdomadas singulas sociisque decerneret: quam etiam ad extremum usque vitæ diem perliberaliter tribuit. Postremò ex inimico amicus, ex adversario eximius repentè patronus factus est. Quod Quirinus ex ipso tum Cardinale, ego ex Quirino postea accepi: qui non sine magna admiratione, & jucundissima recordatione, inter alia virtutis Ignatii documenta, hoc mihi solebat referre.

duobus

513 Huic persimile est illud: Compluti habitavit vir nobilitate atque dignitate excellens (cujus nomen de industria silentio prætereo) sed idem moribus dissolutis. Hujus ex vita, hominis scilicet ecclesiastica dignitate præstantis, magna offensio erat in populo. Multi fortè præeuntem illum sequebantur ruentem in præceps. Ignatius igitur sub vesperam domum illius ingreditur, loquendi cum illo facultatem petit; quæ postquam facta est, in cubiculo, solus solum hominem aggreditur, suaviter ac fortiter admonet, arguit, obsecrat, increpat cum omni patientia, & à perditæ vitæ rationibus, ad meliorem conatur mentem traducere. Hic homo principio furere & insanire, & magnis clamoribus se exturbaturum Ignatium, & præcipitem ejecturum dicere. A quo imperterrito, cum severitate vultus & tranquillitate, ac veritatis robore premeretur, mitiùs agere cœpit: iracundiam deinde temperavit, vocis contentionem remisit, aures clausas aperuit veritati. Quid verbis opus est? Famuli, qui initio domini sui clamores minaces ac iracundiâ plenos audierant (etenim Ignatii voces non exaudiebantur) illud unum exspectabant, & in id parati erant, ut jussi hominem abriperent, ac deturbarent, & in malam crucem abire permitterent. Sed ita Ignatii sermo in domini animum influxit; sic illum constrinxit ac obligavit, ut ad cœnam etiam invitaret, ipsique famulis, aliisque qui aderant, & in exteriori cubiculo rei exitum operiebantur, demirantibus, blandè, amicè, benevolè ac reverenter Ignatium acciperet. Qui, quo plus hominem demereretur, cœnam etiam non recusavit: quâ exactâ, quòd pluviosum esset ac tenebrosum cælum; mulam, famulosque cum facibus præsto esse dominus jussit, ut Ignatium domum reducerent. Sed ille, mulâ rejectâ, quos vitare nulla ratione potuit famulos, vix domo egressus declinavit, & per angiportum, & occultas vias digressus, præeuntes delusit: mirantesque quanam Ignatius evanuisset, ad dominum suum redire compulit: qui magnâ deinde benevolentiâ Ignatium prosequutus est.

Loquitur quidem parcè;

514 In communi consuetudine, negotiisque cum aliis contrahendis, parcè loquebatur; & consideratè: prolixè, ac libenter usque ad finem audiebat, sine interpellatione. Neque ex una in aliam rem fortuitò, & casu devolvebatur, sed consultò transibat, transitionemque præmunitione molliebat. Viros graves, auctoritatéque præstantes, numquam auctores proferebat, nisi magnarum rerum, in quibus nihil aut dubitationis inesset, aut vanitatis. In depellendis molestiis, animique perturbationibus sedandis, sermo illius familiaris valebat plurimùm. Scimus, quemdam venisse ad Ignatium, qui adhuc vivit in Societate, ita perculsum animo, tam acerbo, eoque diuturno mærore confectum, ut numquam respiraret, aut tranquilla mente conquiesceret. Et cum tristitiam animi sui aperuisset, uno Ignatii verbo in hodiernum diem omni molestia liberatum. Alium etiam in Societate superstitem novimus, qui inani quodam terrore correptus, vel umbram suam formidabat. Cui Ignatius pauciſſimis verbis, & vanum metum ademit, & mentis securitatem restituit.

515 Possem equidem alia hic exempla referre ma-

A magis interiora ac propria ; quibus constaret, quanta verborum ejus vis esset, ad animos hominum immutandos, tranquillandas conscientias perturbatas, ægras sanandas, afflictas consolandas, roborandas, atque erigendas infirmas & objectas : sed malo tacere, ne de me loqui videar. Hoc est certissimum, tam excellenti à Deo Ignatium gratia fuisse donatum, ut non rarò ad se venientium, paucis verbis, non solùm præsentem morbum depelleret ; sed sanaret in perpetuum, neque tantùm ægritudinem animi ; sed ægritudinis etiam quasi radices evelleret. Antequam Catechumenorum domus Romæ esset instituta : domi nostræ erudiebantur, qui ex Hebræis sacrum baptisma petebant : in his quidam, Isaac nomine, insanire ita cœpit aliquando, & quasi furiis agitari, ut è domo nostra se propipere statim vellet, & baptismi petitionem abjicere ; neque aut retineri à nostris, verbis & blanditiis, aut ulla alia ratione posset ad sanitatem revocari. Cui Ignatius ad se adducto, furentique, illud tantùm : Maneto nobiscum, I-
B saac. Quibus verbis placatus omnino ejus animus continuò est, sibique restitutus, lætusque domi in sententiâ permansit, baptismumque suscepit.

sed appositè, ac potenter;

516 Energumenum quemdam sermone suo liberavit, qui (ut arbitror) in sanctissimo quodam cœnobio vivit adhuc, mihi familiariter notus, antequam à diabolo liberaretur, & pòst. Energumenus hic, de quo loquimur ; juvenis quidam fuit Cantaber natione, Matthæus nomine, qui etiamsi noster non fuit, cum nostris tamen Romæ habitavit. Qui anno Domini MDXLI, quo tempore in cœnobium D. Petri de Montorio se recepit Ignatius, ut divinam voluntatem exquireret, deliberaretque, utrum onus Præpositi Generalis susciperet, an rejiceret, à dæmone correptus est, graviterque vexatus. Nam & se vehementer collidebat, & tanto pondere veluti defigebat, ut octo aut decem homines robusti illum humi jacentem vix loco dimovere possent. Et cum esset omnino litterarum rudis ; & maternam tantùm linguam callens, variis tamen linguis tunc loquebatur expeditè, scienterque. Præterea os primum inflabat, cui signum crucis à sacerdote impressum, confestim tumorem ab ea parte depellebat : sed ita, ut in inferiorem descenderet, gutturque occuparet, quem idem crucis signum admotum veluti deprimebat : in pectus deinde, stomachum, ventrem defluebat. Nam omnes istæ corporis partes, alia alii succedens, repentè turgebant, tumore (quasi crucis virtutem fugeret) delabente in inferiora membra. Hic igitur adolescens, quem ego tunc observavi aliquoties, vel dæmon potiùs in adolescente, cum à nobis audiret, Ignatium brevi domum rediturum, & ipsum ex obsessi hominis corpore exturbaturum, validè sese discerpens clamabat : Ne mihi nominetis Ignatium, quem ego inimicissimum habeo, omniumque hostem infestissimum. Revertit domum Ignatius ; quod, ipso absente accidisset, à nobis didicit ; Matthæum accersit, remotis arbitris alloquitur ; quid dixerit, fecerit-ve, mihi compertum non est. Juvenem certè illico sibi redditum constat, & ab illa dæmonis tyrannide liberatum. Qui (ut puto) in sanctissima Italiæ Camaldulensi eremo adhuc vivit, & appellatur frater Basilius.

uti planum fit exemplo energumeni.

517 Et quoniam de dæmonis in Ignatium odio (quem ipse hostem suum omnium atrocissimum nominabat) mentionem fecimus ; non erit abs te, illud quoque, quod est persimile, adscribere. Patavii miles fuit quidam Italus natione, homo simplicissimus, qui Ignatium de facie non noverat, neque ejus (quod sciam) nomen audierat. Hunc dæmon invasit : qui sacris precationibus dum exorcizaretur aliquando, de Ignatio loqui cœpit, eumque suis coloribus pingere tam scitè & appositè, ut P. Laines (de quo hæc audivimus) vehementer miraretur : addebatque diabolus frendens ac stridens, Ignatium omnium, qui viverent, sibi esse inimicissimum. Mortuo verò recèns Ignatio, Drepani (quæ civitas est in Sicilia) puella quædam virgo, quæ à dæmone vexabatur, interrogata à quodam sacerdote (multis magnisque viris præsentibus) Ignatiumne nosset, & ubinam illo esset ? Respondit, Ignatium inimicum suum, vitâ jam perfunctum, in cœlo esse inter alios sacrarum Religionum fundatores. Quæ tametsi, quod à dæmone profecta sint, certam non habent fidem ; tamen quoniam Dominus veritatem ab illo sæpè exprimit invito, hæc, quæ & veritati, & Ignatii moribus consonant, non sunt quasi falsa E repudianda. Nam homo habens dæmonium immundum, exclamavit voce magna dicens : Sine. Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene ? Venisti perdere nos ? Scio te, quod sis sanctus Dei. Et alibi : Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia ; Quia tu es filius Dei. Voluit itaque Dominus, ut dæmon ipsum vel invitus agnosceret, & Dei filium esse testaretur. Atque alia iis similia legimus in sanctorum virorum historiis, quæ ad eorum laudem pertinent.

A. Petro Ribadeneira.

Dæmonum odium adversùs S. Ignatium.

518 Ex multis, quæ admirabilia Ignatius habuit, illud equidem haud postremo loco numero, quod difficilem illam severitatis cum lenitate conjunctionem *a* tam perfectè obtinuerit. Formidabilis contumacibus, in obsequentes mitissimus : sponte tamen sua ad lenitatem semper, quam ad severitatem propensior. Novitium quemdam vacillantem in proposito, ollasque Ægypti suspirantem, ut ab ea mente deduceret, ac firmiorem redderet, humanissimè aliquando est alloquutus, sed frustra : tum ut reliqui patres idem præstarent, jussit. Ad quorum voces cum aures illius obsurdescerent, & nihil animus lenissimis admonitionibus, salubribusque consiliis flecteretur ; renuntiatum est Ignatio, obfirmatum pertinaciâ illum esse, ac summo manè postridie (nox enim erat) B constituisse discedere. Tum Ignatius : Haud ita sanè : neque enim apud nos ille pernoctabit : hominemque dimitti continuò jussit : ut cui inutilis benignitas extiterat, utilis, ejus exemplo, ceteris esset severitas.

Cap. VII.

Severitatem

a

519 Auctoritatem retinebat in primis omnium virtutum exemplo, deinde maximè prudentiæ opinione, & rerum gerendarum usu : tum in rebus periculosis, quæque vel exemplo inficiunt, vel contagione serpunt, severitate, qua magna præcipuè in eos utebatur, qui vel obstinati & insanabiles, vel cervicis in obedientia duræ, vel seditiosi, & fraternæ pacis, concordiæque perturbatores viderentur, vel opinionibus certè turgidi, atque inflati, & cedere nescii. Hos omnes in Religione pernicioso censebat esse. Quocirca neque illos, si tales sciret, in Societatem admittebat : neque cognitos postea retinebat ; si illis curandis nihil profecisset. Atque ut quisque doctissimus erat, ac nobilissimus ; ita solertissimus erat Ignatius, si quid in illo esset vitiosum, quod aut doctrinæ, aut generis opinione commendatum, ad alios manare, & corrumpere illorum integritatem posset. Illud etiam augebat auctorita-

& auctoritatem

A. PETRO RIBADENEIRA.

tem, quod in levibus *b* erratis, gravia interdum exempla ſtatuebat. Nam & in nonnullos, qui ad afflictam valetúdinem ex morbo confirmandam, inſcio ipſo, pilâ palmariâ in vinea luſerant, graviter animadvertit: & in quemdam novitium non ſacerdotem, manus interdum ſapone lavantem: & in alios etiam, pro minimis delictis magnas nonnumquam pœnas conſtituit, ne videlicet ex minimis maxima fierent; &, ſi minùs deformitate ac magnitudine nocerent; imitatione certè ſerperent, atque exemplo. Magnumque Religioni detrimentum inferri exiſtimabat, cum quarumlibet novarum *c* rerum inductione, tum verò illarum potiſſimùm, quæ ipſum Religionis ſtatum immutare poſſunt, ſenſimque pervertere: & quidem maximè in ipſo Religionis initio.

b

c

tum benevolentia

B

520 Benevolentiam verò ſuorum multa Ignatio conciliabant: ipſa ejus ſapientiæ in primis opinio, quâ imbuti hominum animi, ad amandum impelluntur: deinde amor, qui naturaliter amorem procreat, & parit. Sentiebant enim omnes, ſe illi filios eſſe cariſſimos. Præterea, cum ſingulorum & animi & corporis facultatem nôſſet, quantum quiſque oneris ferre poterat, tantum cuique imponebat, vel aliquanto etiam minùs; ne ponderis magnitudine opprimerentur, ſed potiùs cum gaudio illud perferrent, & non gementes. Si quid porrò ab illo noſtrorum aliquis peteret, quod negandum ſtatueret, negabat: ſed ſi rei ac perſonæ ratio poſceret, cur negaret, cauſas proferebat. Sin concederet, cauſas nihilominus addebat, cur negari poſſet: ut & qui non acciperet, minùs ferret moleſtè; &, qui acciperet, gratius, quod dabatur, haberet.

artificiosè conjungit.

521 Cum maximè cuperet, ut indifferentes ſui eſſent, & in his rebus, quæ ad obedientiam pertinent, neutram in partem moverentur; explorabat tamen diligenter; acutéque perſpiciebat, quò quemque natura duceret, quam in partem cujuſque propenderet animus, & ad illius ſe, honeſta cupientis, inclinationem accommodabat: cum id intelligeret, laborioſum eſſe, quod natura ſit repugnante; neque violentum quidquam eſſe diuturnum. Itaque in eo ſapientiæ illius ſplendor erat maximus, quod maximè diſjuncta tam artificiosè conjungeret, & indifferentiam cum propenſione cujuſque copularet: in alteroque exigendo elucebat ſeveritas, in altero præſtando eminebat humanitas. Si quid à quopiam eſſet commiſſum, quod pœnâ expiandum judicaret, ſtudiosè dabat operam, ut, qui in culpa eſſet, culpam agnoſceret: eamque non verbis, ſed rerum pondere exaggerabat: tum ut pœnæ modum ipſe ſibi ſtatueret, qui deliquerat: de qua tamen pœna, ſi gravis videretur, multum detrahebat Ignatius: ita fiebat, ut, integrâ benevolentiâ, nihil tamen eſſet impunitum. Et certè admiratione dignum eſt, quod in hac parte & vidimus & obſervavimus, ut in tanta hominum multitudine, nemo fere ab Ignatio aut verbis caſtigatus, aut pœnitentia aliqua graviore affectus indignaretur: nemo in objurgantem, ira, vel aliqua perturbatione incitaretur, ſed in ſeipſum exardeſceret, quod deliquiſſet. Se ab errore revocantes, æquè complectebatur ac ſuſcipiebat, ac ſi nihil deliquiſſent: ut præſenti benevolentia illorum minueret verecundiam, & omnem errati memoriam ſempiterna oblivione deleret: nec vulneribus modò, ſed cicatricibus etiam mederetur.

C

D

ANNOTATA.

a *De ſeveritate Comm. à* § 76; *de benignitate à* § 79.

b *Quomodo Sanctus ſe hîc gereret; dictum ibidem* § 77, *num.* 786.

c *Novitates oderat; vide ibid. à num.* 784.

CAPUT XXXV.

Commiſeratio; animi magnitudo.

CAP. VIII. *Solicitudo erga infirmos*

AD eamdem benignitatem pertinet ſympathia illa, & miſericordia, quam ex morbis ſuorum capiebat. Nam in eos præcipuè, qui valetudinis imbecillitate tentarentur, aut graviùs ægrotarent; eximia erat illius & caritas, & ſollicitudo *a*. Itaque jubebat, ſtatim ut aliquis in morbum incidiſſet, ad ſe referri: obſonatorem domûs bis quotidie ſibi renuntiare, num præfecto infirmorum emiſſet, quæ ad illorum ipſe uſum poſtulâſſet. Quod ſi pecunia ad ſumptus non ſuppeteret, ſtanneas lances, vel quadras perpaucas, quæ in domeſtica ſupellectile fortè reperiebantur, vendi primùm, deinde lectorum ſtragula diſtrahi jubebat. Et cum præclaros adoleſcentes ſumma ingenii ſpe, doctrinæque præditos, aut laborum magnitudine debilitatos, aut etiam exſtinctos in ipſo Societatis noſtræ exordio animadverteret (quod ſpiritûs quodam impetu longiùs noſtri progrederentur, quam moderationis & diuternitatis ratio patiebatur) domum in remoto loco Romæ exædificandam curavit: in qua, qui litterarum ſtudiis invigilarent, interdum laxarent animum, & aliquid de ſumma illa ſtudendi, meditandique contentione remitterent. Sed cùm inopia pecuniæ obſtaret, nonnullique id dicerent, vivendi tum quidem tempus eſſe, non laboriosè ædificandi: numquam de ſententiâ deduci Ignatius potuit; pluris ſibi eſſe dicens, quam omnes theſauros, cujuſvis fratris ſalutem. Illudque addebat, Cum homo ægrotat, rarò aliquid boni poteſt in aliorum utilitatem facere: quando verò ſanus eſt, poteſt multa bona facere.

E

a

F

planè ſingularis,

523 Cum graviſſimè ipſe langueret, & ad illum ſublevandum, patrum, qui Romæ tum quidem eramus, precibus temporarium Vicarium admittere cogeretur: omnibus, quæ domeſticus Miniſter ad ſe referre ex præſcripta ſui officii regula deberet, in Vicarium rejectis, illa tamen excepit, quæ ad curam, ſalutemque eorum, qui ægra eſſent valetudine, pertinerent. Hæc enim ad ſe tum etiam referri volebat. Patrem Jacobum Lainem cum Ignatio iter unà facientem, acerbiſſimus quidam dolor invaſit, quem ut levaret & mitigaret Ignatius, quem unicum ex eleemoſyna denarium acceperat, eo equum conduxit: in eum Lainem palliolo ſuo tenui attritoque involutum, impoſuit: & ut magis hominem animaret, ipſe, tamquam Elias alter, tanta animi alacritate, atque pedum velocitate antecedebat, ut Laines præeuntem illum equo vix conſequi poſſet.

ac verè paterna: quos volebat eſſe obedientes.

524 Dicam quod ægrotanti mihi accidit. Cum de nocte ſanguis mihi ex brachio eſſet miſſus, cuſtodeſque, qui excubias agerent, Ignatius appoſuiſſet, reliqui quieti ſe dediſſent, ad multam noctem, aliis dormientibus, bonus ſollicituſque pater vigilabat. Bis terve miſit, qui brachium explo-

A ploraret, circumligatumne esset commodè: ne fortè, solutâ venâ, sanguis efflueret, & subitum (quod nonnullis evenit) interitum adferret. Mirabili Dei providentia factum esse dicebat, ut tot ipse morbis esset obnoxius, ut ex suis doloribus aliorum dolores æstimare disceret. Et hoc quidem misericordiæ erat, & benignitatis. Illud tamen severitatis, quod ægros volebat omnem sui curam deponere; dicto audientes esse; patientes, tractabiles, minimè querulos, aut morosos; cælum ad arbitrium suum non mutantes; neque ea de re medicum consulentes: denique qui scirent, se Superioribus suis curæ esse; & nihil minùs sibi, quam de se, curandum. Qui secus facerent, in eos, ubi convaluissent, graviter animadvertebat *b*. Si quem verò cerneret difficili, immoderatoque ingenio, & propter contumaciam carnis, robustamque naturam, minùs se ad spiritus, mortificationisque legem accommodantem: illum verò, ut spiritus salvus fieret, facilè patiebatur suprà vires etiam aliquando laborare: &, si in morbum incidisset, haud ita gravatè ferebat, adhibebatque eum medicinæ modum, quem & paternæ caritatis ratio, & illius spiritalis salutis poscebat.

b

B

525 Constantiam Ignatii, fortitudinem, magnitudinemque *c* animi multa declarant. Cùm morbo sæpè tentaretur, & doloribus torqueretur, nullum umquam gemitum edidit, nullum afflicti animi signum: sed placidè, ut remedia adhiberentur, admonebat: tulitque triduo aliquando sedatissimè dentium dolorem gravissimum, neque ullam tamen doloris significationem dedit. Aliàs item, ad morbum, quo laborabat, curandum, quidam ex nostris lineum panniculum cervicibus Ignatii circumponens, & consuens, auriculam etiam illius incautè perforavit, acuque trajecit. Ad quem Ignatius moderatissimè illud tantùm: Vide, inquit, frater, quid facias Quamquam quid mirum, tam patienter illum Christianæ jam militiæ ducem, acûs tulisse vulnus, qui vanitatis adhuc miles, secari crus sibi tam fortiter pertulit?

CAP. IX. *Fortitudo animi in morbis,*

c

526 Romæ anno MDXLIII P. Petrus Codacius, magni vir animi, Christique paupertate dives, ac de universa Societate optimè meritus (qui primis illis, difficillimisque temporibus, ad sublevandam Societatis nostræ tum nascentis inopiam, singulari Dei beneficio nobis donatus est) cum in conducta domo viveremus, extruere aliam, in qua nunc habitamus, est aggressus, magna potiùs divinæ providentiæ spe, quam præsenti pecunia fretus. Ad ædificationem cæmenta, calcem, reliquamque materiam comparavit. Sed cum solvere creditoribus non posset, illoque diem ex die juberet exspectare, missi tandem domum à magistratu apparitores sunt, qui Codacium pignoribus ablatis coërcerent, & in domesticam supellectilem involarent. Ea erat tenuis sanè, ac peranguста, quæque nostram paupertatem satis per se indicaret. Minister domûs cum satellitum turbam irrumpentem aspiceret, misit repentè, qui curriculo Ignatium moneret de nostræ domus exspoliatione. Cui apud viros nobiles amicissimosque sedenti, qui missus erat, cum rem ordine in aurem insusurrasset, nihil omnino commotus: Bene, inquit Ignatius, habet, sat est; sermonemque suum, quem fuerat exorsus, pertexuit. Quo sermone omni post horam confecto, placido vultu Ignatius ad amicos; An nescitis, inquit, quem paulò ante nuntium acceperim? Quem? illi. Cum rem subridens aperuisset, & (quasi nihil ad se pertineret) æquissimo esset animo: perturbantur illi, rem indignam dicunt, seque in omnes partes versant, ut tam gravi malo remedium inveniant.

ac in temporalis rei

C

527 Sed eadem tranquillitate Ignatius, eodemque vultu, Nihil est, inquit, opus. Nam si lectos auferent, terrâ nobis cubile erit: pauperes enim sumus, & vitam pauperibus dignam agemus. Quod si ego præsens fuissem, nihil amplius ab illis certè postulavissem, quam ut scripta mihi quædam relinquerent, cetera suo arbitratu auferrent: id si negassent, næ ego haud magnopere contendissem. Quid plura? Hieronymus Stalla, homo nobilis, & vicinus & amicus noster, suam auctoritatem interponit: res nostras eodem loco futuras, suam fidem obligat: satellites nihil omnino de rebus nostris attingunt. Postridie amicus Societatis quidam sacræ theologiæ doctor, cui Hieronymus Arzius nomen fuit, hujus quidem rei omnis ignarus, sed divino afflatus instinctu, Ignatium accersit, ducentos aureos coronatos in manum Codacio dat: illis æs alienum dissolvit, & hoc tam illustri exemplo discit, quam sit extremis etiam rebus ac desperatis, sperandum in Domino.

A. PETRO RIBADENEIRA. *angustiis;*

D

E

528 Atque in hac firmissima in Deum spe, pecuniæque despicientia, Ignatii altitudo animi multùm excelluit. Erat enim voluntate, teque pauperrimus: animo, Deique fiducia opulentissimus. Quapropter nullum, qui ad institutum nostrum aptus, vocatusque à Deo videretur, à Societate umquam exclusit propter nostrarum rerum tenuitatem. Illudque frequenter usurpabat: Nos quidem Deo serviamus: ille certissimè reget nos, & nihil nobis deerit. Jactemus cogitatum nostrum in Dominum, & ille nos enutriet. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & pascemur in divitiis ejus. Et cum quidam non ex externis modò, sed etiam ex domesticis vehementer mirarentur, qua fretus spe, tam multos Ignatius, nullis certis reditibus fultus, Romæ haberet, quibus alendis magnæ facultates vix sufficerent, idque familiariter ex ipso quærerent: An nescitis (inquit) quantas vires spes in Deum habeat? vel ignoratis, parum illi esse loci, ubi omnia abundè suppetant? Quæ explorata si essent, & manu tenerentur, ubi nostra esset in Deum spes? Spes enim quæ videtur, non est spes. Nam quod quis videt, quid sperat? Atque ita sanè evenit sæpissime, ut nostra paupertas ex spe contra spem sustentaretur: ejusque rei multa sunt, eaque clarissima exempla, quæ si persequi omnia velim, longus nimis sim: pauca tantùm subjiciam, ex quibus similia intelligantur. Quo tempore bellum inter Paulum IV, Pont. Max., & Philippum Regem Catholicum gestum est, magna erat in Urbe annonæ caritas, & domi nostræ rerum omnium penuria: itaque nonnulli ex nostris suadebant Ignatio, ut familiam suam, quæ Romæ erat, divideret: & partem nostrorum ad alia collegia, ubi commodiùs ali possent, amandaret. Ignatius verò hoc ipso tempore Antonium Labacum, architectum apprimè nobilem atque excellentem, qui filium habebat in Societate, ad se accersiri jubet, cum eo, de solo eligendo ac designando, & duobus collegiis Romano & Germanico ædificandis agit diligenter; jubet, uti formam exemplarque delineet, rationes sumptuum subducat, ac rem totam perscribat. Atque hoc facto declaravit Ignatius, illa Dei opera altissimis fixa esse radicibus, & supra eam petram esse fundata, quæ neque imbrium vi, neque fluminum exundatione & concursu obrui possunt, neque ventorum impetu la-

cum summa in Deum fiducia:

F

A. Petro Ribadeneira befactari.

qui modo mirabili ſuccurrit noſtræ inopiæ.

529 Aliàs item, Romæ Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus propter obitum Pauli III, Pont. Max., in novi Pontificis electione occupatis, inopiâ noſtri premebantur: quibus extremam etiam famem metuebant multi, humana ratione rem æſtimantes. Ignatius verò, eo ipſo tempore, familiam ſuam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis candidatos in Societatem admiſit, multis ejus animum admirantibus; quibus, quod conſecutum eſt, admiratione nova admirationem ademit. Nam hoc ipſo tempore cum aliquando Joannes Crucius, domeſticus obſonator, homo ſimpliciſſimus, & fervens ſpiritu, ex divi Joannis Lateranenſis templo, veſperi domum reverteretur, ad amphitheatrum, quod vulgo Coloſſeum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos ſilentio tradidit. Ejus aſpectu plurimùm Joannes commotus eſt, & horrore quodam perfuſus: traditâ enim homo pecuniâ, ex oculis mirantis ſubitò evanuit. Aliàs etiam, dum idem item Joannes ſummo manè obſonatum it, obviam illi factus eſt quidam, qui marſupium aureis nummis plenum in manum dedit. Et quod nondum planè illuxiſſet, quis eſſet, agnoſci non potuit. Obſonator certè noſter, dæmonem ſuſpicatus, ejuſque timens inſidias, in templum divæ Mariæ ſupra Minervam, quod proximum erat, ſe repentè conjecit, precatuſque Deum eſt, ut ſe dolo & fraude omni liberaret. Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli ſuſpicabantur; & à diabolo, ut nobis imponeret, præſtigiis quibuſdam adumbratam. Sed tamen vera, & recens, & aurea fuit: eâque debita ſoluta ſunt. Eodem penè tempore, in alia noſtris difficultate verſantibus, dum in propatulo loco, apertam arculam tomento, & ſcrutis viliſſimis refertam, pater Joannes Polancus domi perſcrutatur, & ſcripta quædam diligentiùs inquirit, recentes nummos aureos, fulgenteſque in ea, caſu reperit, quibus ſubventum præſenti neceſſitati eſt. Nam illud divinæ quidem providentiæ ſignum, minùs tamen mirandum eſt, in ſummis rei familiaris anguſtiis fuiſſe, qui noſtræ neceſſitatis inſcii, pecuniam ultrò offerrent, vel etiam benignè domum deferrent: qua ratione noſtram ſæpè inopiam ſublevârunt.

B

C

Prænuntiat, collegium Romanum ex ſua indigentia emerſurum.

530 Atque hac quotidiana experientia Ignatius confirmatior, & indies ſingulari in Deum ſpe erectior evadebat, cum tot argumentis diſceret, ſe, ſuoſque illi curæ eſſe: & ubi majores rerum ad vitam neceſſariarum anguſtiæ timeri poterant, ibi divinam providentiam largiùs omnia ſuppeditare, & benigniùs ſibi præſto eſſe. Illud, propterea quod fuit maximè inſigne, & Romæ noſtris omnibus vulgatiſſimum, addendum puto. Anno ſalutis noſtræ MDLV, XVI Septembris, Joannes Polancus pecuniam ad ſumptus collegii Romani neceſſarios, neque mutuam, neque fœneratitiam, neque ulla alia ratione diligentiſſimè conquiſitam invenerat. Rem ad Ignatium placidiſſimè detulit. Ille verò in cubiculum ſe abdidit, orationi ſe dedit, Deum precatus eſt, ut præſenti ſubveniret inopiæ. Poſt orationem, Jacobum Lainem, Chriſtophorum Madridium, ipſum denique Polancum ad ſe vocat; ipſis, quid à Polanco acceperit, exponit; ſeque rem totam Deo commendâſſe ait; & ſe quidem neque prophetam eſſe, neque filium prophetarum; ſed tamen pro certo habere, Deum rebus providentiſſimè conſulturum. Et ad Polancum converſus; Tu (inquit) Polance, in ſex proximos menſes collegii res curato, & illi ſumptus neceſſarios ſuppeditato: ego te iſtarum rerum curâ poſtea liberabo. Permirum fuit; eo ipſo die, qui tamen jam vergebat in occaſum, duobus ex locis, ab hominibus noſtræ inopiæ atque difficultatis ignaris, ſponte pecunia miſſa eſt, qua ex illis tunc anguſtiis exire licuit. Profectus ſum ego Octobri menſe proximo in Germaniam inferiorem; & menſe Martio inſequentis anni MDLVI, cum ſex menſium ſpatium ab Ignatio definitum aut effluxiſſe jam aut appetere videretur, Romam ad Martinum Olavium ſcripſi, me ut de rei exitu faceret certiorem. Ille verò reſcripſit, pridie ejus diei, quam à me litteras accepiſſet, magnam pecuniæ ſummam eleëmoſynæ nomine Romam, noſtris allatam, æs alienum penè diſſolutum: Polancum anxia illa rerum neceſſariarum curâ liberatum, ſolutiore animo eſſe, res omnes fluere, & ſupra opinionem omnium, quam umquam antea, copioſiùs abundare: itaque verba Ignatii re ipſa & feliciſſimo ſucceſſu adeò eſſe comprobata, ut ipſe majora miracula non requireret, ad habendam fidem Ignatio: ſed cæleſte tantùm lumen, quo illuſtratus mentis oculis videret, quæ corporeis oculis cernebat.

D

E

Animi magnitudo in rebus arduis;

531 Quid illud, quod ex ſuperiori narratione perſpici potuit, quod, antequam ſocios cogeret Ignatius, ſe deſertum ab omnibus, quam cujuſquam patrocinio defenſum, in tot, tantiſque contentionibus eſſe maluit? Socios autem cum haberet, conjectas in ſe calumnias judicio eſt perſecutus: hominumque vel imperitorum ignorantiam, vel perditorum amentiam, nihil contra veritatem valere paſſus eſt? Quorum alterum, robuſti fuit animi, magnæque conſtantiæ: alterum etiam caritatis, eximiæque prudentiæ. Illud etiam præſtantis animi ſignum eſt, quod multi obſervârunt in Ignatio. Nam cum fracto corpore eſſet, morbiſque confectus, & multis auxiliis neceſſariò indigeret, ad tam multa, & magna negotia, tamque varia conficienda, quæ in conſtituenda Societate, ac propaganda, quotidie nova occurrebant: ſi tamen divinæ gloriæ ratio, aliorumque id poſceret major utilitas, libentiſſimè ſanè optimum quemque, ſibique maximè neceſſarium ab ſe dimittebat. Fecitque non F ſemel, ut, quibus in Societatis adminiſtratione plurimùm Romæ uteretur, eos fermè omnes, alium aliò amandaret, ſoluſque remaneret, qui tantam rerum molem ſuis humeris ſuſtineret. Infirmiſſima valetudine, affectaque jam ætate, ac propemodum extrema, ipſum ego Ignatium dicentem audivi, ſe quidem, ſi ex uſu Eccleſiæ Chriſti futurum eſſet, ut Româ vel in Hiſpaniam uſque ſuis pedibus iret, non modò æquo, ſed etiam libenti ac magno animo iter illud ſuſcepturum, &, ut ſperabat, etiam confecturum. Hoc, inquit, baculo innixus, pedes abibo. In adverſis ſuſtinendis, & magnis difficultatibus explicandis, ita erat excelſo animo, & erecto, ut morbo ſæpè oppreſſus, ſi quis nodus exiſteret, ad quem expediendum, virtute illius eſſet ac prudentia opus, ſtatim quodammodo convaleſceret: &, animo corpus regente, ſanus fortiſque videretur. Ex quo illud jam noſtris tritum erat, quoties ex morbo decumberet, optandum eſſe, ut aliquid ejuſmodi exiſteret, ad quod explicandum Ignatius è lecto ſurgere, & morbum depellere cogeretur.

ac ſuſtinendis adverſis.

532 Adiit aliquando Ignatius ad ſalutandum principem *d* virum, noſtri ſtudioſum, à quo minùs officiosè, quam par erat, exceptus eſt. Cauſam

d

A ſam Ignatius arbitratus eſt, quod minùs ejus operâ, ad res Societatis, atque petrocinio uteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis noſtræ percupidus, moleſtéque forſitan ferebat, quod alios ad noſtram defenſionem, ſe prætermiſſo, potiùs adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, Dicam (inquit) illi, & apertè dicam, me ante xxx annos à Deo didiciſſe, ut in iis efficiendis, quæ Dei ſunt, omnia auxilia conquiram: ſed ita, ut non in externis adjumentis ſpem meam, ſed in ipſo Deo bonorum omnium effectore, conſtitutam putem. Quod ſi inter hæc ſubſidia efficiendique inſtrumenta, ſe unum eſſe vult, libenter eo utemur: ſed ita demum, ſi intelligat nos ab uno Deo pendere; Deo non hominibus niti. Erat autem ut in rebus arduis ſuſcipiendis ſtrenuus, ita in ſuſceptis retinendis conſtantiſſimus, animique firmitate ſingulari: cujus conſtantiæ cauſæ multæ erant. Circumſpiciebat enim omnia attentiſſimè, animoque colluſtrabat, antequam quidquam aggrederetur. Orabat multum, flebat, gratiam flagitabat à Domino, cujus ſæpenumero divina luce perfuſus, voluntatem intelligebat, neque ſe ab ea divelli ullo modo patiebatur. Præterea abhibebat eos in conſilium, quorum curæ commiſſa erant, eorumque exquirebat judicium, quibus illa potiſſimùm eſſent cognita, atque explorata, quæ in deliberatione verſabantur. Atque hunc in modum prudenter ſuſceptum negotium, perſeveranter urgebat.

B

Dæmonem contemnit;

533 Compluti aliquamdiu habitavit in hoſpitali domo, quam vocant Altozanæ, quæ quidem domus, id temporis, lemuribus, nocturniſve larvis infamis vulgò ferebatur: eaque pars Ignatio ad habitandum data, quæ maximè putabatur infeſta. Ibi cum aliquando primis tenebris eſſet, horrore quodam perfuſus eſt; quaſi dæmonum truculentus aliquis, terrificuſque objiceretur aſpectus. Sed continuò ſe recepit, inanemque terrorem animadvertens, in genua procubuit, & magna animi vociſque contentione appellare, provocareque dæmones cœpit: Si tradita, inquit, à Domino, in me vobis poteſtas eſt, præſto ſum: poteſtatem datam in me, neque repugnantem neque verò recuſantem convertite: ſin poteſtatem

C nullam habetis, quid miſeri atque imbecilles furitis, larviſque umbratilibus, trepidos puerorum territatis animos, & injecto vano terrore concutitis? An quibus re non poteſtis, falſa rerum imagine nocere vultis? Quæ ea animi firmitate dixit, ut tunc omnem metum depelleret, & in poſterum adverſùs omnes diaboli impreſſiones ac terricula, multo etiam eſſet erectior.

qui eum voluit ſtrangulare, ac verberavit.

534 Dormientem Ignatium ſtrangulare diabolum voluiſſe, Romæ anno Domini MDXLI audivi. Guttur enim quaſi manu injecta ſtringere, præfocareque conatus eſt, tam fortiter, ut nullo conatu poſſet Ignatius Jeſu ſanctiſſimum nomen invocare. Sed cum nervos animi corporiſque omnes quantum maximè poſſet, intenderet, vim vi repellens, in ſuaviſſimam tandem vocem erupit, Jeſumque clamavit, qua voce diaboli conatus repulſus eſt. Porrò ex contentione Ignatius (quod poſtea vidimus atque animadvertimus) per dies aliquot raucus omnino ac ſine voce fuit. Huic affine eſt, quod à Joanne Paulo, qui diu comes Ignatii ſociuſque fuit, accepi. Dormiebat Joannes in cubiculo apud Ignatium proximo, & nocte intempeſta aliquando è ſomno excitatus, audire ſibi viſus eſt plagarum crepitum, & valentiſſimorum hominum ſtrepitum, quaſi Ignatium diverberantium, ipſiuſque Ignatii gemitus atque ſuſpiria. Ad Ignatium ſtatim accurrit; in lecto ſedentem offendit; ſtragulo ad pectus brachiis compreſſo, veluti erectum, atque invictum, & ad verbera excipienda paratum. Cui Joannes: Quid hoc, inquit, rei eſt, Pater? quid audio? quid video? Ad quem Ignatius: Et quid, inquit, audiviſti? Cum narraſſet: Abi, inquam, dormi. Rediit in cubile Joannes: paulò poſt audivit rurſus graviter pulſari Ignatium, cædique. Ad ipſum recurrit, immotum reperit, ſed veluti ex magna lucta animique contentione anhelantem, à quo denuò lectum repetere, ſomno ſe dedere, neque ampliùs ſurgere juſſus eſt. Otioſum eſſet, perſequi ſingula, quæ ad robur Ignatii, magnitudinemque animi pertinent. Etenim vir ille fuit in magnis cogitandis excelſus, in aggrediendis ſtrenuus, in adverſis ſuſtinendis invictus, & perſeverans, nullis periculis animum ſubmittens: nulla hominum potentia, aut auctoritate, ab eo, quod rectiſſimum duceret, ſtatuque conſtantiæ diſcedens.

A. PETRO RIBADENEIRA.

E

ANNOTATA.

a *Hæc expenditur in Commentario* § 80.
b *Exemplum protuli ibid.* § 68, *num.* 699.
c *Ea confirmatur ibid.* § 72 & 74.
d *Fuit marchio* de Sarſia (*apud Bartolum lib.* 4, *num.* 23 Sarriæ) *ex apographo* Dichos y echos *&c.*

CAPUT XXXVI.

Rerum ſpiritualium peritia.

Cap. X. Pacabat perturbatas conſcientias:

SIngulari conſcientias perturbatas tranquillandi gratia, ac prudentia fuit: uſque adeo, ut ſæpè, qui medicinam ab illo peteret, cum morbum ipſe ſuum explicare non poſſet, Ignatius tamen, quaſi intima & recondita illius cordis penetrâſſet, quæ in ejus animo verſarentur, clarè dilucidéque exponeret. Deinde ſimili aliquo exemplo, quod ſibi acciditſſet, remedioque, quod expertus eſſet, breviter explicato, facilè afflictis animis omnem mærorem, atque ægritudinem abſtergebat. Exempla multa ſunt, quæ brevitatis causâ prætermitto. Certè liquet, initio ita fuiſſe à Deo exercitum Ignatium, ac probatum, ut probari eum oportuit, qui tot filiorum parens, qui dux tot militum futurus eſſet.

B

ſacerdotem quemdam vitæ perditæ,

536 Lutetiæ quidem ſacerdos dignitate, profeſſione Religioſus, vita profanus ac perditus, Ignatio erat propter morum diſſimilitudinem maximè infeſtus. Ad quem ſanandum Ignatius, cum omnes ſibi aditus videret occluſos, hanc rationem excogitavit. Dominico quodam die, ad ſacratiſſimum Chriſti corpus ſumendum de more profectus, quod propè templum habitaret, ubi Euchariſtiam ſumere volebat, bene manè ad hominem diverſit: rogavitque, ut quoniam confeſſarium alium non haberet ad manum, ſibi peccata ſua confitenti operam daret. Ille exhorruit primùm Ignatii ingreſſu: deinde multò magis, quod id peteret, miratus eſt: poſtremò dedit invitus, quod honeſtè negare non poterat. In confeſſione Ignatius poſtquam quotidiana & leviora errata expoſuit, addidit, ſe etiam quædam præteritæ vitæ crimina, quorum ſtimulis maximè urgeretur, aperire velle, ut eorum recordatione,

A. PETRO RIBADENEIRA.

salubri pudore suffusus, veniam à Domino facilius impetraret. Hic cœpit delicta juventutis suæ, & ignorantias recensere, tanto dolore ac gemitu, tam profusis lacrymis, ut suo fletu flere hominem cogeret, vehementerque compungeret. Expendebat enim vero judicio, ac magno verborum & sententiarum pondere exaggerabat, quanta Dei esset, quem offenderat, majestas, quanta vicissim sua ipsius vilitas atque abjectio: quanta illius in se liberalitas & mansuetudo, quanta ipsius ingrati animi oblivio, & in tam benignum Dominum scelus; prorumpebatque Ignatius in lacrymas, & intimum doloris sensum deficientibus verbis explicare non poterat.

ad frugem,

537 Quid multa? cum in vita præterita Ignatii, sacerdos vitam suam præsentem expressam, quasique suis coloribus expictam cerneret, & alieno ex dolore, eoque gravissimo, sibi propter majorem causam vehementius etiam dolendum intelligeret; ita commotus est, atque animo commutatus, ut, quem priùs detestabatur, admirari Ignatium inciperet, vitamque suam detestari, cujus sordibus hactenus impensè oblectabatur. Itaque, navigationis cursu in contraria mutato, vela vertit, funemque reduxit: spiritualibus Exercitationibus ab Ignatio eruditus, sacris peregrinationibus sese, ac pœnitentiæ asperitatibus penitus dedit, vitamque & sacerdote, & Religioso homine dignam, ita instituit, ac persecutus est, ut sui Ordinis viris admirationi æquè esset atque exemplo. Certè ipse quasi salutis suæ auctorem Ignatium, ac vitæ parentem semper deinceps coluit, ac dilexit, idque apertè non destitit prædicare.

B

ac desperabundum

538 Aliàs item erat Ignatius Lutetiæ aliquando, unà cum assiduo quodam ejus comite, ac cœlestis disciplinæ discipulo (ex quo ipso hæc audivimus) hominem respicit quemdam horridum ac luridum per viam publicam transeuntem, prægrandi saxo onustum ac veluti gementem sub pondere. Divinitus collustratus (sicut rei probavit eventus) derepentè comitem suum simili se habitu induere, atque hominem subsequi jubet, facereque simulatè, quidquid illum verè facientem videret: se enim è vestigio utrumque consecuturum. Extra civitatem homo ille egreditur, insequitur Ignatii discipulus: in solitarium locum

C

se confert: quò postquam ventum est, rogatus homo à nostro, quid sibi vellet? quid quæreret? Suspendium, inquit, volo, & acerbissimam mihi mortem conscisce. Crucior enim nimis, & tristissimis rebus ac perditissimis ad restim adigor. Nulla enim erit requies, nullus laborum ac dolorum finis, nisi mors, quæ meta malorum est. Hanc mihi inferre statui, & idcirco huc veni. Cum autem alter se in eadem causa esse diceret, multisque vitam suam obsessam esse molestiis, ex quibus exire ipsi non liceret, nisi per mortem, Ignatius intervenit: & ad socium quasi ad ignotum conversus, Quis, inquit, tu? Unde? quò? quid tibi vis? quorsum saxum, quorsum sordidus atque incultus habitus?

ad saniorem mentem revocat.

539 Hic ille titubare, hærere, & supra modum afflictum se ac perditum dicere, nullumque desperatissimis rebus remedium esse, præter laqueum. Quem blandè consolatus Ignatius, sensim sermonis suavitate eò pellexit, ut se consilii sui pœnitere diceret, &, fero atque execrando mortis genere rejecto, spem suam magnam in Deo, vitæ ac salutis parente, atque certissimam collocare. Tunc ad hominem (cujus causâ omnia ex composito fiebant) Quid, inquit, tibi videtur? Ego enim consilium hujus boni viri (Ignatium indicans) sequi decerno: quando hanc mortem, quam mihi inferre parabam, brevem quidem, sed miserrimam, altera sempiterna & teterrima consequetur. Neque enim hæc præsentium ærumnarum mors finis; sed principium impendentium malorum, atque æternorum futura est. Quo exemplo animatus homo ille, & blandissimis verbis delinitus ab Ignatio & confirmatus, idem sibi placere dixit: & à detestabili illa, diraque se occidendi voluntate discessit, Deo gratias agens, quod miseriæ suæ socium invenisset, & communis calamitatis depulsorem.

D

Quales vellet esse aliorum magistros. Solidas virtutes

540 Vituperabat gubernatores aliorum & magistros, qui in spiritali vita ceteros omnes ex se metirentur, & ad eamdem, quam utilem ipsi sibi experirentur vivendi orandive rationem revocarent. Hoc periculosum valde dicebat esse, & hominis multiformis gratiæ Dei dona, variasque Spiritus sancti distributiones ignorantis; neque satis divisiones gratiarum, in eodem spiritu intelligentis. Unusquisque enim proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius verò sic. Ipse verò quantum in Dei via quisque profecisset, non fronte, ac vultu, sed animo & fructu metiebatur: neque ex facilitate quadam & bonitate naturæ, sed ex contentione, & sui cujusque victoria, virtutum momenta ponderabat: secernebatque acutissimè naturæ motus, & gratiæ. Itaque adolescentem quemdam *a* ex nostris, acri ingenio, & vehementi natura incitatum monens Ignatius, & ad pravos animi motus cohibendos paternè cohortans, Vince, aiebat, te, N., vince. Si enim te viceris, splendidiorem, quam alii, qui mitiori sunt ingenio, habebis in cælo coronam. Et cum hunc ipsum adolescentem Minister Romanæ domus, me coram, graviter accusaret apud Ignatium, & quasi minùs quietum, morigerum ac tractabilem insectaretur: Ignatius non vulgi trutina, sed veritate, & spiritalis prudentiæ statera rem æstimans, respondit Ministro: Mitiùs (quæso) & blandiùs. Equidem istum ipsum, quem tu tam acriter reprehendendum putas, plus ego in Dei via paucis mensibus profeciisse arbitror, quam duos illos integro anno. Nominavit autem duos, omnium ex fratribus candidissimos, & lenitate quadam ingenii, ac morum suavitate maximè amabiles. Ex quo apparet, non

E

illum exteriorem tantùm speciem respexisse, ut de virtutis solido fructu judicaret, & blandam quamdam mollemque naturam, quâ illi duo præstabant; sed rem totam perpendisse vera ratione, & conatu, studio suique pervincendi labore definîsse. Quæ nimirum in acriori natura perdomanda, majorem conatum, contentionemque desiderant.

a

præ doctrina æstimat: libros suspecti auctoris aversatur.

541 Simplicem hominem, & spiritu Dei atque amore plenum magis diligebat, quam eruditum, minúsque perfectum. Huic tamen, reliquisque, qui vel naturæ, vel fortunæ muneribus antecellerent, majorem curam adhibebat, propter eam, quæ ab illis in multos redundare potest utilitas. Quæ Religiones, nullis propriis reditibus, sed quotidianis eleemosynis vivunt, eas dicebat neque perpetuas, neque in suo instituto permanentes esse posse, nisi aut vitæ asperitate, aut insigni aliqua utilitate, hominum benevolentiam in se allicerent, & benignitatem excitarent. Istæ enim duæ res hominum animos plurimùm commovent, & vel admiratione, vel fructu ad liberaliter tribuendum invitant. Non temerè quolibet utebatur; sed magno delectu, quid cuique com-

F

A committeret, providebat : & gubernandi quidem alios, regendique, aut duram aliquam provinciam vix ulli tradebat, cujus ſpectata virtus, diuque probata antea non fuiſſet. Romæ tamen, ut periclitaretur ingenium, & vires aliquorum tentaret, eoſque paulatim ad majora exerceret, rudibus hominibus, atque inexercitatis in hoc genere officii, interdum eſt uſus. Illud diligentiſſimè cavit, ne quid noſtris obreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, & peregrinis omnino, aut novis opinionibus inficeret. Itaque cum timeret, ne ex Hebraicæ linguæ neceſſaria cognitione aliquid diſcerent, ex quo ad novas interpretationes perquirendas, novoſque ſacræ Scripturæ ſenſus delaberentur : ſtatuit, ut noſtri veterem, vulgatamque editionem, longo tot ſeculorum uſu comprobatam, omnino retinerent : & magno etiam ſtudio tuerentur. Quod concilium etiam Tridentinum, ſuis poſtea decretis cavit & ſanxit. Adde eódem, quod mali auctoris, aut certè dubii, ac ſuſpecti, bonum et-
B iam librum legi in Societate nolebat. Namque aiebat, dum mali auctoris bonus liber legitur, primò quidem placet ipſe liber, paulatim deinde, qui librum ſcripſit : qui quidem probatus, blandè in animos teneros, atque molles influit, & lectoribus jam benevolis, ſuique amantibus, doctrinam ſuam facilè perſuadet : ut quidquid ſcriptum ab illo ſit, id etiam verum judicetur. Ita, quod infectum veneno eſt, id longiſſimè etiam ſerpit, & dum principiis cautè non obſiſtitur, ægrè vitantur extrema. Hoc de Eraſmo Roterodamo, hoc de aliis ejuſdem farinæ ſentiebat ſcriptoribus: idque multò antè, quam Apoſtolicæ Sedis cenſurâ notarentur. Oportet enim monachum (ut præclarè ſcriptum eſt à divo Baſilio) hæreticum hominem averſari, genuinos, ac probatos libros legere : reprobatos & apocryphos penitus non contingere : nam Sermo eorum (ait Paulus) ut cancer ſerpit.

Magni facit victoriam ſui :

542 Eamdem etiam diligentiam adhibuit, ut ſtudium orationis ac mortificationis ex veritate in Societate (ut par eſt) æſtimaretur : ejuſque fructus, non falſis atque ſpecioſis titulis (qui imprudentium oculos plerumque excæcant) ſed ſpiritali profectu, & perfectâ ſui cujuſque victoriâ; tamquam certiſſimâ regulâ definiretur : ut ex iis,
C quæ mox ſubjiciam, fiet manifeſtum. Anno Domini MDLIII F. Reginaldus, Dominicanæ familiæ monachus, vir gravis, & vita, ætate, atque prudentia inter ſui Ordinis viros apprimè nobilis, noſtrique perſtudioſus, Ignatium XXIII Maii, officii gratiâ, Romæ convenit, & me ac P. Benedicto Palmio præſentibus, inter alia, Bononiæ in cœnobio feminarum ſuæ curæ commiſſo, virginem quamdam eſſe dixit admirabilem, & orationis virtute præſtantem : quæ ſæpenumero alienaretur à ſenſibus, atque extra ſe ita poneretur, ut neque admotum ignem, neque ſtimulos corpori adhibitos ſenſu perciperet : ad omnia denique mortuæ jaceret ſimilis, præterquam ad unam obedientiæ vocem. Excitabatur enim, ac veluti de leviſſimo ſomno expergefacta ſurgebat ab oratione, ſimul atque vocem præfectæ monaſterii ſe vocantis audiviſſet. Hæc eadem virgo, Domini noſtri Jeſu Chriſti cruciatus ferebatur imitari, & quos ille in corpore ſuo pro nobis dolores pertulit, ipſa ſuis doloribus ita repræſentabat interdum, ut in Chriſtum ipſum amore transformatam diceres. Nam ſtigmata habere in manibus videbatur, perfoſſum latus, caput veluti compunctum ſpinis atque transfixum, guttatim diſtillans ac cruore madidum : & id genus alia quædam ; eaque bonus pater ſuis ipſe oculis ſe vidiſſe aiebat, ſuis tetigiſſe manibus, alienis oculis atque manibus fidem negantem. A. PETRO RIBADENEIRA.

de quadam extatica quid dixerit ?

543 Hæc cum narraſſet, ex Ignatio quæſivit familiariter, quod ejus eſſet de iſtiuſmodi rebus judicium ; quas ipſe non audebat vel probare omninò, vel improbare. Cui Ignatius illud tantùm: Ex omnibus, inquit, quæ narraſti, pater, nihil minus habet dubitationis, quam illud promptæ obedientiæ ſignum. Reginaldo à nobis digreſſo, rogavi ego Ignatium ſolus ſolum, quæ ejus recondita eſſet de propoſita quæſtione ſententia ? Et ille, Proprium, inquit, Dei eſt, Petre, animas hominum ſanctificare, in eas influere, ſuis eas donis complere : idque tam copiosè facit nonnunquam, ut animæ Dei gratiâ circumfluentis plenitudo in corpus etiam derivetur, emineatque foris, quod intus eſt, ſed id perrarum eſt. Dæmon verò, quoniam vim ipſam non habet in animam, ſimulatis rerum atque adumbratis imaginibus, mortalium mentes, vanitatis ſectatrices, & novitatis avidas, per corpus ſæpè deludit. Idque exemplis etiam mihi notis confirmavit. Virginem autem illam Bononienſem, quam admiratione ſtupefacti homines intuebantur, peſſimum exitum habuiſſe audio, fumumque ex fulgore dediſſe.

ut de alterius falſa opinione ſanctitatis.

544 Atque illud quoque perſimile eſt. Anno opinor MDXLI Martinus de ſancta Cruce (qui Conimbricenſis poſtea collegii Rector fuit, Romæque anno MDXLVII feliciter obdormivit in Domino) vir tunc novitius Societatis, ac fervens ſpiritu, cum ſermonem aliquando cum Ignatio haberet (cui ſermoni ego quoque intereram) incidit mentio de femina quádam, Magdalena de la Cruz nomine, quæ per id tempus Cordubæ in Hiſpaniâ, & Religionis profeſſione, & opinione ſanctitatis omnium ore celebrabatur. Quam cum magnopere Martinus laudaret, eamque ſe vidiſſe, cum ea ſe collocutum diceret, ac multa contuliſſe, ex quibus ejus tum ſanctitas, tum prudentia eluceret : Ignatius graviter hominem objurgavit, quod feminam illam eo loco poneret, quodque tanti faceret exteriora quædam ſigna, & minimè certa ſanctitatis indicia pro non dubiis atque exploratis haberet : opinionemque illam deponere juſſit fallacem, homineque noſtræ Religionis indignam. Quod Ignatii judicium, aliquot annis pòſt, rei exitus comprobavit. Illa enim, quæ ab ipſa infantia Deo ſacrata fuerat, quæ pœnitentiæ aſperitate præclara, orationis aſſiduitate excellens credebatur, prudentiæ laude ſingularis, à qua (tamquam futura præſentiret, & conſcia divinæ voluntatis, mente præſaga ventura prædiceret) reſponſa multi petebant ; quæ denique omnium virtutum opinione florebat, & veluti de cælo delapſa virgo colebatur ; certis veſtigiis deprehenſa tandem eſt, cognitumque eſt omnibus ac compertum, fraude diaboli atque artificio egregiè illam hominibus impoſuiſſe, eamque deceptricem & levem, & falſa opinione, errore hominum, à pueritia commendatam, animum vultu, vitam parietibus, flagitia captioſis artibus dæmonis, præſtigiiſque texiſſe. Sed hæc obſtructio nec diuturna fuit, nec obducta ita, ut curioſis oculis tandem perſpici non poſſet. Ficta enim fucataque omnia celeriter decidunt.

Non vult ſermones cum tirone alienos à noſtro inſtituto.

545 Sacerdotem quemdam ex noſtris ad ſe (me coram) accerſitum acriter corripuit, quod cum novitio de rebus ab noſtro alienis inſtituto loqueretur ; exemplaque virtutum longè poſita potiùs quam domeſtica afferret ; ejuſque hominis ſpiritum

A. PETRO RIBADENEIRA.

ritum miraretur, & probaret maximè, cujus ſanctitas peregrino fervore, raptibus ac revelationibus potiſſimùm conſtare videbatur. Quæ quidem omnia procul eſſe à noviciis debent, quorum animi teneri adhuc & molles, certis, germanis, & in propria cujuſque vocatione, atque inſtituto, legitimis opinionibus imbuendi ſunt; erroribuſque, qui ferè incautis animis obrepunt, omni cura atque diligentia detractis, ad veras, ſolidas, atque expreſſas virtutes ſtudioſè effingendi atque efformandi. Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu. Quæque ſeminaverit tiro *b*, metet veteranus.

b

ANNOTATA.

a *Edmundum Augerium; ex Vita, auctore Nicolao Bailly, cap. 3.*

b *Qualis erga tirones Sanctus; docet Comm. § 82.*

CAPUT XXXVII.

B

Alia in rebus ſpiritualibus S. Ignatii induſtria.

Facta ac dicta,

BOnos bene valere cupiebat, malos malè, ut & illi integris ad Dei gloriam uterentur viribus, & iſti multiplicatis infirmitatibus acceleràrent ad Dominum, vel leviùs certè remiſſiúſque illum offenderent, juxta illud Prophetæ, Contere brachium peccatoris. Si quem ex iis, qui in ipſius poteſtate eſſent, præfractiorem eſſet nactus, quemque à recta obedientiæ regula perturbatio aliqua animi detorſiſſet (neque enim mirandum eſt, in tanta multitudine ejuſmodi aliquem reperiri:) cum hoc tam prudenter benevolentiâ, patientiâque certabat, ut vel mitigaretur omnino, & Ignatii caritati ſuccumberet, vel eò tandem extumperet, ut ſuam ipſe contumaciam agnoſceret, aut inexcuſabilem certè efficeret. Dicebat, à diabolo ita hominem aliquando tentari, atque opprimi quodammodò, ut de mentis exiiſſe poteſtate videatur: & interdum naturæ adſcribi, morbo nonnumquam, quod tentationi eſſet tribuendum. Diabolum item, cum adoriri quempiam, exagitareque infeſtiùs cupit, nocturnum tempus maximè obſervare, in quo ille, quem aggredi parat, è ſomno ſuſcitatur; ut experrecto fœda & impura ſtatim objiciat, antequam à Deo ſanctis cogitationibus occupetur. Perutile ſentiebat eſſe, cum quis graviùs impugnatur, ſi ſemper aliquem habeat, à quo recta audiens ſuſtentetur ac fulciatur: ut ubi oppugnantium dæmonum adeſt copia, ibi etiam propugnantium non deſit multitudo: & conatus conatu, quaſi clavus clavo, repellatur. Proprium divinæ bonitatis aiebat eſſe, ea vehementiùs defendere, quæ à diabolo acriùs oppugnantur: & firmiùs communire, quæ hoſtis demoliri conatus eſt: laboriſque, quem repugnando ceperis, magnitudinem, conſequentis conſolationis magnitudine compenſare.

C

remedia ad curandos morbos ſpiritûs;

547 Sanandis morbis, qui iidem videbantur, omnino diverſas, interdum etiam adverſas & contrarias adhibebat medicinas. Nam alium blandè curabat, ac ſuaviter; durè alium, & ſeverè: exitus tamen oſtendebat, ſemper eam curationem fuiſſe cuique adhibitam, quæ optima cuique eſſet, & accommodatiſſima. Atque hujus excellentis, divinæque prudentiæ ratio non una erat, neque ſimplex, ſed multiplex & varia. His vitiis curandis, quæ inveteraverant, penituſque in animis inſederant, efficax in primis fuit. Sic enim in omnes partes verſabat hominem, quem ſanare vellet: tam varia, multipliciaque remedia adhibebat, ut vix quidpiam eſſet tam inſitum, quod non evelleret. Modi autem, quibus utebatur, multi erant. In iis, crebra examinatio ſui ipſius, de ea re, quam emendare quiſque vellet, idque ſtatis horis, & certis. Et ne examinatio memoriâ excideret, antequam cibum ſumeret, lectumve peteret, fido alicui, certoque homini renuntiare jubebat, an examinationem illam ex præſcripto feciſſet: obſervare alios, qui in eodem vitio ſint, illoſque admonere: obſervari ab aliis, & moneri: pœnam certam conſtituere, quam ſibi toties infligeret, quoties deliquiſſet. Ipſe verò Pater, initio ſuæ ad Deum converſionis cum ad riſum, hominum aſpectu commoveretur, verbetibus riſum depulit, quibus ſe toties ad numerum afficiebat, quoties vel leviter riſiſſet.

D

documenta;

548 Dicebat, innocentiam vitæ ac ſanctimoniam multùm quidem per ſe valere, & ceteris rebus omnibus longè præcellere; ſed niſi cum prudentia, agendique cum hominibus modo ſit conjuncta, mancam fore atque infirmam, nec ſatis ad alios gubernandos idoneam: pluſque ſæpè exquiſitam prudentiam cum mediocri ſanctitate in gubernatione efficere, quam cum minori prudentia majorem ſanctitatem. Et hoc quidem, ſi de communi loquamur uſu ac lege. Nam privilegia Sanctorum extra ordinem ſunt. Poteſt enim Deus, & ſolet amicis atque electis ſuis beneficia magna ſæpè conferre, quæ tamquam extraordinaria, in communem reliquorum ordinem cogenda non ſunt. Præterea, non Dei tantummodo habendam eſſe rationem docebat, ſed etiam hominum propter Deum. Quod ſic explicabat: Ut quoniam in hac vita ſpectatorem non ſolùm Deum habemus & agonothetam, ſed etiam ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus: provideamus bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus: demuſque operam ac conitamur, ut Deo nos quidem primùm ac præ ceteris omnibus probemus (de cujus vultu prodit verum judicium;) ſed deinceps etiam hominibus propter ipſum Deum, Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. Item non tantùm id reſpiciendum, quod Dei zelus per ſe expoſcit, ſed hunc ipſum zelum ad proximorum utilitates exigendum ac conformandum. Quod tunc demum verus Dei zelus ac ſecundùm ſcientiam ſit, ſi aliorum fructibus ſerviat, & ad Dei gloriam, fratrum etiam ſalutem adjungat: eamque in Deo ipſo intuens ac perquirens, Deum ipſum in ſe, (ut ita dicam) propter Deum in proximis aliquando relinquat. Miſericordiam (inquit) volo, & non ſacrificium: &, Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ex quo multa facienda, multa fugienda ſunt, hominum non perverſo judicio, ut eorum ſaluti conſulamus. Ipſe autem Ignatius nonnulla ſe in noſtra Societate inſtituturum fuiſſe dicebat, Deum tantummodo ſpectantem: à quibus tamen abſtinebat, propter hunc, quem ad homines, Dei causâ, habebat reſpectum.

E

F

adde exempla de ſcrupuloſo in perſolvendis Horis,

549 Patrem Cornelium Brughelman, Flandrum, in recitandis divinis precibus anxiè nimis laborantem, & totum ferme diem ſcrupulosè collocan-

A locantem, hac ratione ſanavit Ignatius. Juſſit, ut preces ad horologium arenarium recitaret: & in eis universè recitandis non plus temporis poneret, quàm quantum alii patres conſueverant: quo tempore conſumpto, ſi qua fortè pars ad totum Officium divinum explendum deeſſet, eam ille eo die prætermitteret. Cornelius verò veritus, ne quam partem omittere cogeretur, dabat operam diligenter, ne ſibi tempus deeſſet. Vehementiùs enim angebatur, ſi quid omnino relinqueret, quam ſi quid minùs (ut ſibi videbatur) attentè ac devotè pronuntiaret. Ita ſcrupulus minor majori ſcrupulo, quaſi clavus clavo, exemptus eſt.

novitio contra vocationem tentato,

550 Adoleſcens quidam Germanus, noſtræ Societatis novitius, tam graviter aliquando vexatus eſt, ut de mentis conſtantia dejiceretur. Ad illum ſanandum nihil non tentatum ab Ignatio eſt; ſed nullo ſucceſſu. Sic enim obfirmato erat animo, ut omnibus conſiliis aures occluderet, omnibus machinis impenetrabilis reſiſteret. Sed miſerum adoleſcentem, fraudulenter circumventum ab veteratore humanique generis hoſte, atque irretitum videns, conatum diaboli ſuo Ignatius conatu, pertinaciam conſtantiâ, calliditatem caritate vincendam exiſtimavit. Rogat novitium, ut aliquot dies domi adhuc maneat, ea conditione, ut Societatis omnibus ſolutus legibus, ſuo arbitratu vivat, dormiat, vigilet, edat, bibat, in otio denique, atque in negotio ad ſuam voluntatem ſit: idque ut ita fieret, Miniſtro domûs præcepit. Accepit conditionem adoleſcens; ſe ſibi permiſit, liberè cœpit vivere, quaſi exſolutus regularum vinculis, quibus ſe dolebat conſtrictum. Sed hac remiſſione animi, hac Ignatii benignitate, quaſi reſpiravit, atque ita immutatus eſt, ut illum ſui puderet, pigeretque, & pœnitentiæ ſuæ pœnitentiam agens, ab ejus Patris amplexibus deinceps nollet diſcedere, cujus tantam in ſe experiebatur caritatem.

B

ac Doctore Pariſienſi ad Exercitia ſpiritualia inducto, artem Sancti aſceticam probant.

551 Doctor erat quidam Lutetiæ egregius, quem Ignatius Chriſto cupiebat lucrifacere: multis rebus fruſtra tentatis, ipſum aliquando uno ſocio comitatus (à quo hæc accepimus) domi ſuæ convenit. Animum relaxantem, & ſeſe honeſto quodam luſu oblectantem offendit. Erat autem luſus globulorum, qui ſuper menſam certa quadam ratione jaciuntur. Et ille, ut laxamento ſuo fortè excuſationem prætexeret; Opportunè, inquit, Ignati, advenis, ut unà mecum ludas. Negavit Ignatius, ſe luſus illius conſuetudinem habere, aut artem. Ille inſtare, urgere, efflagitare, ut unà ludat, animi causâ. Cum moleſtus eſſe pergeret, & vim propemodum afferret: Ludam, ait Ignatius, tecum, ſed ſeriò, atque ea conditione, ut, ſi vincar, aliquid tuâ causâ faciam; ſin vincam, tu viciſſim facias meâ. Placuit conditio, & ita convenit inter illos, ut victus triginta dies victoris juſſa faceret, & ad voluntatem illius honeſta imperantis ſe accommodaret. Luſit Ignatius, rudis, novus, inexpertus; neque enim globulos umquam in manus ſumpſerat; & ita luſit, ut doctorem ſurſum deorſum verſaret: neque umquam in menſa pateretur conſiſtere, vel unam manum lucrari. Ad quem Ignatii ſocius identidem dicebat: Domine doctor, digitus Dei eſt hic. Victus itaque eſt, deditque manus, & Ignatii voluntati ſe ad omnia ſubjecit. Ignatius verò hominem hortatus eſt, ut ſe ad tempus colligeret, & per triginta dies vacaret ſibi, Exercitationibus ſpiritualibus (aliis curis abjectis) ſe penitus dederet: quod & fecit, magna vitæ mutatione, hominumque admiratione.

C

552 Ferventes zelo religioſos, & diſſoluta omnia reformare cupientes ſic interdum reprimebat, ut diceret: Illud in hujuſmodi rebus in primis cogitandum, quid à nobis Deus in judicio exiget: quarumnam rerum rationem repoſcet, ut ad Dei judicium, non ad noſtrum ſenſum vitam inſtituamus. Exiget nimirum à nobis Deus vitam noſtræ vocationi conſentientem, & Religioſo homine ac privato dignam: ut verè contemptores mundi, ſpiritu ferventes, orationi inſtantes ſimus, & noſtri inſtituti muneribus ſtrenuè vacantes. Reliqua, quæ huc non pertinent, neque in noſtra poteſtate ſunt, quibus Deus non commiſit, eorum ab iis rationem non poſcet. Quamvis etiam deſiderio divini honoris ardere, & precibus inſtare, &, ſi quando res ferat, homines, in quorum poteſtate illa ſunt, etiam urgere debeamus.

A. PETRO RIBADENEIRA. Religioſos plus æquo ferventes reprimit:

Eccleſiam Europæam curat calamitoſo tempore;

553 Anno Domini MDLIV venit Romam ex orientis ſolis India Andreas Fernandez Luſitanus, probatæ virtutis vir, à Franciſco Xavier ad Ignatium miſſus, ut eum de rerum Indicarum ſtatu pleniùs doceret: oſtiumque magnum noſtris, ad multarum gentium converſionem, apertum eſſe diceret, ſi qui fortè Dei amore inflammati, ac divinæ gratiæ robore, ſuique contemptione muniti in eas oras proficiſcerentur. Fecit Andreas, à Franciſco quod fuerat juſſus, ſanè diligenter; mandata expoſuit; auxilia, novoſque milites poſtulavit ab Ignatio; reſponſum tamen certum nullum retulit. Tum Andreas me adhibuit deprecatorem, orans, obſecranſque, ejus ut cauſam ſuſciperem, quam Deo fore gratiſſimam ſperabat. Negotium ſuſcepi; egi cum Ignatio, qui, me audito, aliquantiſper ſeſe collegit, & gravi ſeveroque vultu hæc tantùm: Non minus, inquit, Petre, opus eſt bonis operariis atque ſtrenuis, iis quidem calamitoſiſſimis temporibus, ad Chriſti fidem in Europa conſervandam, quam ad illam ſerendam in remotiſſimis illis regionibus. Atque utinam hæc Ignatii verba vera eſſe, non tam noſtro malo experiremur. Illo enim ex tempore, magnas Eccleſiæ Catholicæ ruinas videmus; multas provincias hæreticorum furore conquaſſatas: ſerpere quotidie magis contagionis venenum, & incorruptas atque integras etiam nationes inficere. Opprimat hanc flammam Domini miſericordia, & Babylonicum incendium, noſtris peccatis excitatum, vento roris gratiæ ſuæ flante, benignè reſtinguat.

E

F

ex ejuſque miſeriis multum obſequitur ſacræ Inquiſitioni:

554 Atque ex iis tot tantiſque, quas Catholica Eccleſia patitur, calamitatibus ac ruinis, natum puto affectum illum pietatis in Ignatio, & incenſum ſanctæ Inquiſitionis tribunali omnibus in rebus obſequendi ſerviendique deſiderium. Nam cum animadverteret, avitam religionem, & Catholicam fidem, Chriſti ſanguine, & Apoſtolorum doctrina fundatam, à truculentis ſacrilegiſque fidei hoſtibus noſtra ætate, omnibus machinis pertinaciter oppugnari; & graviſſimos atque ſapientiſſimos viros, qui concilio ſupremo fidei præſunt, quaſi in vigilia quadam ſtare, luporum rabiem arcere, & ſanctiſſimæ fidei propugnationem ſuſcipere: dabat operam, ut ejus tribunalis auctoritatem, ad fidem ipſam tuendam apprimè neceſſariam, quam maximè poſſet, per ſe & per ſuos conſervaret. Quamobrem, quæcumque ipſi negotia ſeſe offerebant, ad Inquiſitionis officium pertinentia, tametſi à ſummo Pontifice ea impetrare minimo negotio poterat; ſemper tamen ad ipſos fidei Quæſitores rejecit, per eoſque confici voluit, quemadmodum multis exemplis ex-

A. PETRO RIBADENEIRA. *vult ſuos eſſe actuoſos, concordes, ſedulos, Deo cooperantes.*

plicare non eſſet difficile, quæ brevitatis causâ omitto.

555 Conſiderans varia, multiplicia, & graviſſima noſtri inſtituti miniſteria, & quam plena difficultatibus ac periculis ſit cum hominibus omnis generis atque ordinis tractatio; illos ſentiebat ad Societatem noſtram minùs habiles, qui non ſatis eſſent ſeculi officiis & negotiis idonei: illos verò aptos, & noſtro inſtituto congruentes, qui induſtria & dexteritate quadam etiam in ſeculo florere poſſent, aliiſque ingenii muneribus antecellere. Hæc enim illi ſive adjumenta naturæ, ſive ornamenta, à ſeculi vanitate ad Chriſti veritatem transferentes, utiliores Religioni noſtræ (quæ multùm in actione etiam ſita eſt) atque accommodatiores plerumque exiſtunt. Idque ipſa experientiâ compertum eſt.

Ut nihil eſt quod tranquillum religionis ſtatum magis labefactet atque evertat, quam diſcordia, ita nihil eſt quod majorem Religioſis ipſis notam inurat, eoſque vulgò magis deſpectos reddat, quam ſi diſcordes inter ſe ſint, atque eſſe intelligantur. Nam caritas ſi abſit, quæ vita eſt Religionis, mortuæ virtutes omnes Religioſæ, ac ſine vita ſint, neceſſe eſt. B

Coadjutorem quemdam ex noſtris, qui negligentior in re quapiam fuerat, me præſente, interrogavit Ignatius: Quid ſpectas, quid quæris in Religione? Quem ad finem actiones tuæ referuntur? Ille Deum ſe ſpectare reſpondit, Deum ſe habere finem, cujus causâ omnia faceret. Tum Ignatius, Si Deus, inquit, propoſitus tibi finis eſt, graviter certè mulctaberis. Nam mundo ſervire ac vanitati indulgere, haud magnum ſanè crimen eſt: Deum verò ſpectantem oſcitanter aliquid facere, atque ignavè, intolerabile eſt. Maledictus, inquit, qui opus Dei facit negligenter.

Perpaucos, ac fortaſſe vix ullum eſſe dicebat, qui perfectè intelligat, quantum Deo volenti in eo operari, ipſe impedimento ſit: quantumque Deus in nobis efficeret, niſi à nobis ipſis impediretur.

Sancti de frequenti communione, ac perſecutionibus judicium.

556 Inter commoditates, quas multas ac pergregias devotus auguſtiſſimum corpus Domini Jeſu percipiendi, ac frequens uſus ſecum affert, illam eſſe eximiam, quod dignè communicantem ita virtute Sacramenti confirmat, ut ne in peccatum grave labatur; aut ſi humana imbecillitate victus cadat, brevi certè à peccato reſipiſcat. C

Tanti æſtimabat perſecutiones ac vincula, quibus pro Chriſto fuerat vexatus atque conſtrictus, & eo numero ponebat, ut apertè diceret, ſi quæ à Deo creata ſunt omnia, altera in parte ſtateræ collocarentur; in altera, carcer, catenæ, probra; vix illa omnia præ iſtis momentum ullum apud ſe habitura. Neque verò creatam ullam naturam poſſe lætitiam talem in anima procreare, quæ æquare poſſit gaudium illud Spiritus ſancti, & puriſſimam alacritatem, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa magnaque pro ejus amore pertulerunt. Ex quo interrogatus à patre quodam, quænam eſſet compendioſiſſima ad perfectionem via? Reſpondit: Si multa adverſa, magnaque pro Chriſti amore patiare. Pete hanc gratiam à Deo. Nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit: hoc enim uno beneficio, multa magnaque ejus continentur beneficia. Ipſe verò Pater, hanc eamdem gratiam & poſtulâſſe à Domino videtur, & impetrâſſe. Nam cum reliqui ſocii ſeparati ab Ignatio eſſent, & quietiſſimè ſæpè viverent, ſimul atque Ignatius ad eos veniebat, & cum ipſis agebat, tempeſtas aliqua contra omnes, & perſecutionis procella repentè excitabatur. Quod pater Jacobus Lainez ſæpiſſime obſervavit, & ſimul ex eo conjecturam ſe capere aiebat, quanta Ignatii vis animi atque conſtantia, quantum rurſus & quam implacabile dæmonis in Ignatium eſſet odium, atque invidia. D

Sed quoniam ſpiritalis prudentia *a* Ignatii, in Exercitiorum ſpiritualium, & in Conſtitutionum libris (de quibus antea diximus) maximè cernitur, è quibus peti poſſunt, quæ ad hunc locum pertinent: hac omiſſa, quanta fuerit in illo rerum gerendarum prudentia, videamus. *a*

ANNOTATA.

a His adde effata aſcetica ex Comm. § 84.

CAPUT XXXVIII.

Prudentia in rebus gerendis, ac vigilantia. E

CAP. XI. *Ribadeneira graphicè exponit Sancti prudentiam,*

MAgnitudo illius animi cum ſumma erat prudentia; conſtantia cum egregia quadam moderatione conjuncta. Nam etſi in rebus magnis & arduis ægrè divelli poterat ab eo, quod ſemel rectum judicaſſet, eratque acer & efficax in agendo, non tamen propterea aut nimias celeritates ſuſcipiebat, aut tarditates: ſed feſtinabat lentè; opportunitateque temporum obſervata, res maturabat, in omnibus excellenti temperatione utens. Ex quo vix ullus ejus labor irritus, vix ullum non perfectum opus, in magnis etiam atque operoſis, fuit. In rebus ſuſcipiendis ſæpiſſime videbatur nullâ humanâ prudentiâ uti, ſed divinâ tantùm niti providentiâ: in exequendis tamen, & ad finem perducendis, omnes vias tentabat, ut inchoata perficeret; ea tamen cautione, ut non in humanis ſubſidiis (quæ tamquam efficiendi inſtrumenta ſumuntur) ſed in Deo, bonorum omnium effectore, ſpem efficiendi defigeret: &, ut res cederet, lætiſſimo ſemper, tranquilliſſimoque animo eſſet. Multa inſtituebat, quorum conſilia (quòd occulta eſſent) aut rationi parùm conſentanea nonnullis, aut admirabilia certè videbantur; ſed tamen eorum exitus exquiſitum ſpiritum, reconditamque prudentiam declarabant Ignatii: qui ante languorem adhibuiſſet medicinam, cuique futura tam ſolerter prævifa fuiſſent, & præcauta. Atque hæc quidem admirabilis atque divina prudentia, quâ omnibus in rebus utebatur Ignatius, ex copioſo illo ac cæleſti lumine derivabatur, quo ejus anima illuſtrata, non ſolùm præſentia cernere, ſed etiam futura proſpicere videbatur. Apparet enim, illi Deum ab initio univerſæ Societatis progreſſum, curſumque divinitus oſtendiſſe: & quam ſuaves ac uberes fructus, ex arbore, quam ipſe Ignatius plantabat & rigabat, dante incrementum Domino, ſancta Eccleſia perceptura eſſet. Idque tum ex aliis multis, tum ex iis, quæ ſubjiciam, conjectare licet. F

addens ejus prædictiones de Societate,

558 Anno Domini MDXL cum Petrus Maſcarenas, Joannis tertii Luſitaniæ regis apud Pontificem Maximum legatus, Ignatium urgeret, ut ex decem ſociis, ſex in orientis ſolis Indiam, ad regis ſui voluntatem mitti pateretur: Ignatius (ut ſuprà ſcripſimus) oratori reſpondit: Si ex de-

A decem ſex auferas, quotam obſecro partem reliquo orbi terrarum relinques? Quaſi pro certo haberet, exiguum illud paucorum ſociorum ſemen ſpargendum brevi, & per univerſum terrarum orbem diſſeminandum. Anno item MDXLIX mecum de Societatis noſtræ ſtatu atque incremento loquens, hæc eadem verba mihi dixit: Si decem annos vivemus, Petre, mirabilem Societatis quaſi curſum videbimus. Vivemus dico? immò verò ſi tu vives, videbis. Ego enim me tamdiu victurum non puto. Quod, ut dixit, ita certè factum eſt. Nam ipſe celeriùs vitæ laboribus defunctus eſt, & ſeptem tantùm poſtea nondum integros vixit annos: & nos intra decem, illos ab Ignatio definitos, mitificam Societatis augeſcentis propagationem, fructum, approbationem vidimus. Accedit eódem, quod, me audiente, anno Domini MDLV dixit. Nam cum collegium noſtrum Romanum certas ſedes non haberet, ſed incertis, iiſque conductitiis ædibus vagaretur; & locus certus, & ad collegium in Urbe conſtituendum idoneus quæreretur: monuit quidam ejus familiaris Ignatium, ut ædes vicinorum profeſſæ domui proximas (quæ multæ erant atque amplæ) coëmendas curaret; in quibus collegium ædificaretur: multaſque attulit commoditates, quas ea res habitura videbatur. Sed Ignatius totum illud ſpatium uni profeſſæ domui neceſſarium eſſe dixit. Cum ille inſtaret, & ingentem locum multarum domorum profeſſarum capacem, & collegiorum eſſe diceret: Ignatius, Nunc quidem, ait, ita videtur; ſed erit aliquando tempus, cum hæc una domus amplietur, & univerſum iſtum ambitum complexa, plus etiam ſoli requirat: citiúſque dixerim duos paſſus ad neceſſarios uſus adhuc defuturos, quàm unum pedem ſuperfuturum.

ac de aliis.

559 Neque tamen mirum eſt, Ignatio Dominum præſignificâſſe felicem ſucceſſum ejus Religionis, quam ipſe, eodem Domino auctore, atque adjutore fundavit: quandoquidem multa alia ei præmonſtrata videmus, quæ longo pòſt tempore futura erant. Anno Domini MDXXVII, quo tempore Ignatius egenus, abjectus, ac contemptus vivebat, quidam adoleſcens apprimè nobilis & copioſus, Ignatium intuens nudis pedibus, & vili habitu incedentem, juvenili quadam levitate commotus, procaciter ipſum irridens atque inſultans; Ardeam, inquit, ego, & flammis incenſus concidam, niſi hic, qui flammis conflagret, dignus eſt. Quod audiens Ignatius, placido ad eum vultu, Cave (inquit) ne hoc ipſum, quod imprecaris, tibi eveniat. Paucis pòſt diebus in tormentarium pulverem, qui ad publicam lætitiam paratus erat in turri domûs nobilis ejuſdem adoleſcentis, ignis ſcintilla fortè illapſa magnum repentè excitavit incendium, quo miſer adoleſcens, ambuſtus, ac ſemiuſtulatus eſt: ardoremque nimium reſtinguere cupiens, in aquam ſe conjecit, mortemque fugiens, in mortem incidit, brevique conſumptus eſt *a*. Anno verò MDXLI, cum ægrotantis Stephani Baroëli, Itali, ac tunc novitii noſtri, ſalus eſſet à medicis omnibus deſperata, pro illo in divi Petri Montorii rem divinam Ignatius fecit: quâ peractâ, dum uterque domum redimus, mihi dixit: Non morietur nunc quidem Stephanus. Qui quidem Stephanus & vivit adhuc, & vitam ſuam Ignatio planè acceptam fert. Et anno MDXLIII mihi ſecundò graviſſimè ægrotanti, in morbum me tertiò relapſurum prædixit. Anno item MDLV mittens in Hiſpaniam Hieronymum Natalem, & Ludovicum Gonzalem ſumma hieme navigaturos, navim Genuæ ſtatim conſcendere juſſit; ac commodam ipſos navigationem, & ſecundum habituros curſum, Natali præſignificavit. Patri Jacobo Laini prænuntiavit, illum, ſe mortuo, futurum Societatis Præpoſitum Generalem; & alia iis ſimilia prædixit *b*, antequam evenirent; quæ omnia ita, ut dixit, conſecuta ſunt.

A. PETRO RIBADENEIRA.

b

Operum piorum delectus, modus agendi cum hominibus,

560 Cum pietatis opera, quæ ad proximorum utilitatem pertinent, complecti omnia non poſſet, magno delectu, publica privatis; iis, quæ ad tempus fiunt, perpetua; certa ſemper incertis prætulit, & ſecura periculoſis: neque tam ſpectabat, quantæ res ipſæ eſſent, quam quantum ſpei ad eas conficiendas oſtenderetur. In hujuſmodi autem operibus beneficentiæ ac pietatis, libenti animo operam ſuam ſtudiumque ponebat, dum in ordinem redacta, legibuſque eſſent ac ratione conſtituta: poſtea vigiliâ ſuâ aliis traditâ, ſenſim ſubtrahebat ſe, & ad alia inſtituenda transferebat. Negabatque noſtris, hiſce finibus longius progrediendum: neque committendum, ut ſe iſtiuſmodi operum ordinaria adminiſtratione implicarent: quod à ſodalitatibus fere iis, collegiiſque gubernentur, quibus ſatisfacere (quod multorum ſint capitum) ſit perdifficile. Pulcherrimum arbitrabatur eſſe munus, noſtræque Societatis maximè proprium, verſandi cum hominibus familiariter, & agendi. Sed illud, quo plus habet utilitatis, ſi rectè fiat, eo etiam plus periculi, ſi ineptè. Nam ut moratus ſermo, & modeſti prudentiſque hominis aſſiduus uſus alios ad Chriſtum maximè allectat & invitat: ita præcipitis atque inconſiderati, à ſancto plerumque propoſito avertit: & offenſio contrahitur, ex quo quærebatur utilitas. Multas proinde cautiones cenſebat adhibendas, ut illud munus officii utiliter exerceretur: quas quidem exemplo magis tradebat, quam verbo. Eas enumerare omnes, longum nimis eſſet: nonnullas referre, commodum noſtris, utileque futurum puto.

nec non utiliter operandi, ac naturam propriam ſuperandi

561 Qui aliis igitur utilis eſſe cupit, in primis ajebat ſibi vacare debere: & ardere ipſum caritate, ſi alios velit incendere: ſuperare inanem metum: ambitionem tamquam peſtem fugere: voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aſpernari: & quidquid vitioſum eſt, à ſe repellere: ut omnibus turbidorum motuum radicibus evulſis, divinos ſatus, & in ſe aptiùs accipiat, & in alios utiliùs effundat.

Cum omnia vitia declinanda eſſe, tum ea cuique potiſſimùm, ad quæ proclivior cujuſque natura ſit: ab iis enim maximas impendere ruinas, niſi diligenter ſibi quiſque caveat. Illis præcipuè, quibus corporis conſtitutio bilioſa eſſet ac ferventior, magnopere cavendum cenſebat, ſi cum aliis iracundis item hominibus, & naturâ bilioſis verſarentur: facilè enim diſſidia naſci. Proinde, qui talis eſt, antè ſe comparet, ac ſæpiſſimè meditetur, qua ratione huic periculo reſiſtat. Neque tamen in præfervida, vehementique natura refrænanda, ejuſmodi proviſione animi utendum cenſebat ſolùm: ſed in reliquis item vitiis debellandis. Multum enim cohibet, & quaſi vinculis quibuſdam exultantem naturam conſtringit meditatio, & comparatio animi, & aſſidua accurataque eorum, quæ cogitaveris, dixeris, egeris, commemoratio. Quod ſi ſocium habeas, quicum communicari hoc officii rectè poſſit, ultro & citro, & ab illo moneri liberè, & illum monere placidè velis.

Qui ita in ſe fuerit conſtitutus, & intelligentiâ neceſſariâ inſtructus, & agendi modo, ad alios

A. PETRO RIBADENEIRA.

tum juvandos, tamquam in pulverem, aiebat, & ſolem poſſe deſcendere. Sed cogitandum tamen, ſe non cum perfectis hominibus, planéque ſapientibus vivere, ſed in medio nationis pravæ atque perverſæ: animumque ita ſuum debere inſtituere, ut neque ſcelerum ulla, & flagitiorum immanitate perturbetur, neque ulla hominum vel fatuitate vel fraude, ipſe non retineat vel cum prudentia columbæ ſimplicitatem, vel ſerpentis cum ſimplicitate prudentiam.

& cum arte quadam alienæ ſe attemperandi.

562 Dicebat, quibus artibus diabolus ad perniciem hominum uteretur, iiſdem nobis utendum ad ſalutem. Nam ut ille cujuſque naturam explorans, & animi propenſionem pertentans, ad eam ſe attemperat; & ambitioſis ſplendida, utilia cupidis, voluptuoſis jucunda; piis, quæ ſpeciem habent pietatis, proponit; & non irrumpit ſubitò, ſed ſenſim irrepit, & in animæ ſe familiaritatem inſinuat, penituſque tandem immergit: ſic ſpiritalis, ac peritus artifex, uniuſcujuſque naturæ convenienter ſe debet gerere: & in principio multa diſſimulare, in multis connivere, deinceps, partâ benevolentiâ, ipſos, quibuſcum agit, ipſorum armis expugnare. Ipſe verò in mores hominum, quibuſcum verſabatur, naturamque intrabat penitus, ſagacitate quadam non tam humana, quam divina. Nam vel ex uno congreſſu, aut uno ſermone, ita intimos illorum ſenſus perſpectos habebat, atque exploratos, ut modium ſalis cum eis comediſſe, illoſque intus & in cute nôſſe videretur.

B

Quædam documenta circa mulieres, promiſſa, ſermonem, concionatores;

563 Omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ ſpiritales aut ſunt, aut videri volunt, vitandam eſſe dicebat: ſed earum maximè, quæ ætate, conditione, ſtatu periculoſiores ſunt. Quarum ex conſuetudine plerumque aut fumus ſequitur, aut flamma. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.

Factis liberaliorem, quam verbis eſſe oportere: ut quod in diem craſtinum promiſeris, id, ſi fieri poteſt, hodierno præſtes.

In omni ſermone, maximéque in pacificandis hominum animis ac reconciliandis, in controverſis rebus definiendis, tractandiſque divinis rebus, eam moderationem cautionemque adhibendam, ut nihil imprudenter excidat: ſed verbum quodcumque noſtrum cogitemus ad multorum aures perventurum.

C

Concionatoribus, & iis, qui de loco ſuperiore populum docent, ſcribendum diligenter, & multo antè meditandum, quam dicerent: nil temerè aſſerendum: à novis, dubiiſque rebus abſtinendum: & modeſtè hominum vitia caſtiganda potiùs, quam plauſibilia, & quæ aures delectant, perſequenda. Ipſe verò conciones ſuas in deteſtatione vitiorum conſumpſit, & in virtutum prædicatione: idque ſemper propoſitum habuit, ut prævaricatores ad cor redirent, & ſummum Dei, infinitumque in ſe amorem agnoſcerent.

& eos, quibus aliquid negatur; circa aulicos, pauperes, & otioſos confabulatores.

564 Si quis quid petat, quod tuæ perſonæ indecorum judices, ab indignatione temperandum: & id curandum, ut & quod poſtulatur, neges; & amicum tamen eum, qui poſtulat, benevolumque dimittas.

Religioſi hominis officium affirmabat eſſe, ab aulica vita (ad quam, tamquam ad ſirenum ſcopulos quidam adhæreſcunt) homines ad Chriſtum potiùs abducere, quàm in illam quemquam inducere. Ipſe verò operam ſuam ad principum gratiam aucupandam, vel in eorum aulas intrandum petentibus reſpondebat: Ego quidem præſtantiorem Dominum nullum ſcio, quàm eum, quem mihi ipſe delegi: ad hunc vos ſi applicare cupitis, libentiſſimè meum omne ſtudium præſtabo.

D

Pauperibus, & egenis eleemoſynam petentibus facilè tribuebat ex noſtra paupertate, quod poterat. Si quis tamen apoſtata vel Religionis deſertor eſſet (quòd diaboli conatibus adverſandum diceret, non ſuffragandum) eum ne obolo quidem juvandum *c* putabat: niſi fortè, ut ad ſanitatem rediret. Nam in hoc genere officii, & hujuſmodi perfugis ad Chriſti caſtra revocandis, magna voluntate, & ſuam & ſuorum collocabat induſtriam. *c*

Si quis otioſus ad illum veniret, quicum tempus inutiliter terendum eſſet, ubi ſemel illum atque iterum admiſerat, ſi congreſſum ille ſuum ſæpiùs requireret, quoties ventitabat, toties ipſe aut de morte, aut de extremo judicio, aut de ſempiterno ſupplicio impiis parato, ſermonem inſtituebat. Sic enim aiebat fieri, ut ille vel moleſtus eſſe deſineret; vel certè ſi perſeveraret, ejuſmodi ſermonibus aliquid in pietate proficeret.

E

Alia quædam de rebus gerendis monita.

565 Dicebat præterea, in rebus gerendis illud in primis tenendum, ut te rebus, non res tibi ſubmittas: hoc eſt, ut rei gerendæ, non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque utilitati diligenter ſervias, & tempori. Denique tam congruenter omnibus, ut omnes lucrifaciat, ſapientem hominum piſcatorem, Chriſtique miniſtrum ſe attemperare debere, ut omnia omnibus fiat, & non ſibi, ſed fratribus vivat in Chriſto. Si quid tamen efficere in hominum ſalutem cupiat, vel ſi quem ab exitio ſtudeat ad ſalutem revocare: ubi diligenter ſuo perfunctus ſit munere, quoquo modo res cedat, æquiſſimè ſibi ferendum ſtatuat. Neque ſi ille, ad quem juvandum incubuerit, reſpuat medicinam, demittat idcirco animum: angelorum tutelarium exemplo (nam & hac utebatur Ignatius ſimilitudine) qui, quos à Deo ſuæ fidei commiſſos acceperunt, monent quoad poſſunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant: ſed ſi voluntatis libertate abutantur illi, & inobſequentes atque obſtinati ſint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nulla afficiuntur moleſtia: Curavimus, inquiunt, Babylonem, & non eſt ſanata.

Hæc, & iis ſimilia erant Ignatii documenta, quibus ſuos informabat, ut ad ſpiritales nundinas, animarumque copioſam mercaturam mitteret, ſed factis quam verbis illuſtriùs. Neque enim (quod de Nazianzeno Gregorio ſcriptum legimus) diſcipulis aliquid imperabat, quod non priùs ipſe feciſſet. Et cum ſingularis in eo prudentia fuerit, idem tamen ſentiebat in divinis rebus, qui nimis prudentes eſſe volunt, haud ſæpè magna præſtare. Numquam enim ſe ad ea, quæ pulcherrima ſunt, admovebit is, qui eorum difficultates, & ancipites eventus ſcrupulosè cogitat, aut anxiè nimis reformidat. Unde & Sapiens, Prudentiæ tuæ, inquit, pone modum: neque enim decet, ſine modo eam virtutem eſſe, quæ reliquarum virtutum modus & menſura eſt.

F

CAP. XII. *Specimen vigilantiæ ſancti Patris.*

566 Mirifica in illo ſollicitudo ad res conficiendas, atque vigilantia fuit. Non enim ſolùm efficiendi adjumenta excogitabat ſapientiſſimè, ſed magna etiam efficacitate utebatur inventis: rem cœptam perſeveranter urgens: alios, quibus utebatur adminiſtris, rebus agendis indormire haud quaquam ſinens, ſed impigros reddens, atque attentos. Cum ad principem virum aliquando adire vellet, ejuſque conveniendi copia non fieret, quatuordecim horas jejunus expectavit, ne-

bene

A bene gerendæ rei occaſio effluereț. Conſtatque per triginta quatuor, & eo ampliùs annos, numquam illum quod in Dei gloriam facere ſtatuiſſet, propter ullas temporis cælique injurias, ex præſtituta vel die, vel hora, in alium diem, aliamve horam rejeciſſe *d*.

ANNOTATA.

a *De hoc facto Commentarius* § 14, *à num* 135.

b *Alias prædictiones colligit Commentarius* § 87.

c *Exemplum dedi ibid. in Chriſtophoro Lainio* § 78, *num.* 790.

d *De conſtantia & æquabilitate animi ibid.* § 74.

CAPUT XXXIX.

B

Miracula à S. Ignatio patrata.

CAP. XIII. *Sanctitatem non in miraculis,*

EXpoſita nobis hactenus eſt Ignatii vita: ex qua ſumere quiſque ad imitandum poſſit, quod cuique maximè convenit. Sed dicat aliquis, ſi hæc vera ſunt, ut profectò ſunt, quid cauſæ eſt, quamobrem illius ſanctitas minùs eſt teſtata miraculis *a*: &, ut multorum Sanctorum vita, ſignis declarata, virtutumque operationibus inſignita? Cui ego: Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Ille enim eſt, qui facit mirabilia magna ſolus, propterea illius tantummodo infinita virtute fieri poſſunt, quæcumque aut naturæ vim aut modum excedunt. Et, ut ſolus ille hæc poteſt efficere, ita ille ſolus novit, quo loco, quo tempore miracula, & quorum precibus facienda ſint. Sed tamen neque omnes ſancti viri miraculis excelluerunt; neque qui illorum aut magnitudine præſtiterunt, aut copia, idcirco reliquos ſanctitate ſuperârunt. Non enim ſanctitas cujuſque ſignis, ſed caritate æſtimanda eſt. Quod docet D. Gregorius his verbis: Probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed unumquemque, ut ſe, diligere: de Deo autem vera cognoſcere, de proximo verò meliora quam de ſemetipſo ſentire. Nam quia vera virtus in amore eſt, non autem in oſtenſione miraculi, veritas demonſtrat, quæ ait: In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Qui enim non ait, in hoc cognoſcent, quia diſcipuli mei eſtis, ſi ſigna feceritis; ſed ait, ſi dilectionem habueritis ad invicem; apertè indicat, quia veros Dei famulos non miracula, ſed ſola caritas probat.

4

C

ſed in dilectione conſiſtere,

568 Teſtimonium ergo ſuperni diſcipulatus eſt, donum fraternæ dilectionis. Et idcirco paulò antè idem ſanctiſſimus Doctor dixerat, in hominibus caritatis humilitatem, non autem ſigna virtutum, eſſe venerandam. Itaque & Joannes Baptiſta, quo inter natos mulierum major non ſurrexit, ſignum (ut ait Euangeliſta) fecit nullum: & permulti alii ſanctiſſimi viri, lumina Catholicæ Eccleſiæ, & ornamenta, in hominum ignoratione jacuiſſent, & tenebris, ſi miraculorum lux, ad illorum gloriam illuſtrandam neceſſaria fuiſſet; quorum tamen vita & doctrina mundum univerſum illuminat. Et contrà, in extremo die multi dicent: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Et ne illos fortè mentiri credamus: ipſe Dominus (ut notat Auguſtinus) ait: Surgent pſeudochriſti; & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia; ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. divus Hieronymus ſic ait: Prophetare, & virtutes facere, dæmonia ejicere, interdum non ejus meriti eſt, qui operatur; ſed vel invocatione nominis Chriſti hoc agit; vel ob condemnationem eorum, qui vident & audiunt, conceditur, ut, licet homines deſpiciant ſigna facientes, tamen Deum honorent; ad cujus invocationem fiunt miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetaverunt, neſcientes, quid dicerent: & Pharao & Nabuchodonoſor ſomniis futura cognoſcunt: & in Actibus Apoſtolorum, filii Sceuæ videbantur ejicere dæmonia. Sed & Judas Apoſtolus cum animo proditoris multa ſigna inter ceteros Apoſtolos feciſſe narratur. Certè ex Paulo conſtat; & prophetiæ donum, & omnis ſcientiæ cognitionem haberi, & montes transferri etiam ſine caritate poſſe. Non ergo ita exigenda miracula ſunt, quaſi ab illis ſanctimonia cujuſque neceſſariò pendeat; ſed ad veram rationem res tota revocanda. Nam etſi ſæpenumero Deus ſervorum ſuorum declarat ſanctitatem ſignis atque miraculis; non tamen id ſempiternum (ut diximus) eſt, neque neceſſarium.

A. PETRO RIBADENEIRA.

E

569 Quæ enim miracula divi Auguſtini, quæ Chryſoſtomi, Athanaſiique legimus? quæ utriuſque Gregorii Nazianzeni, & Nyſſeni? ſanè pauca: quibus tamen propterea non auderemus Gregorium illum anteponere, qui Thaumaturgus, hoc eſt, miraculorum patrator, appellatus eſt. Unde D. Auguſtinus ſcribens clero, ſenioribus, & univerſæ plebi eccleſiæ Hipponenſis, & docens, neminem poſſe Dei conſilium perſcrutari, quare in aliis locis miracula fiant, in aliis non fiant; poſtremò concludit: Sicut enim quod Apoſtolus dicit, Non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum: ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult. Hæc dixerim, non ut miraculorum vim elevem, ſed ut prudens lector intelligat, rem totam Deo committendam: qui dona ſua unicuique diſtribuit, prout vult. Potuit ille, pro ſua occulta ſapientia, noſtræ hoc imbecillitati dare, ne miracula umquam jactare poſſemus. Potuit utilitati, ut auctore inſtituti noſtri minùs illuſtri, à Jeſu potiùs, quam ab illo, nomen traheremus: & noſtra nos appellatio ſacra moneret, ne ab illo oculos umquam dimoveremus: quem non ſolùm, ut communem humani generis liberatorem ac principem, ſed etiam, ut præcipuum ducem colere, atque imitari debemus, minimam hanc Societatem ſui nominis glorioſo titulo decorantem. Potuit hoc etiam tribuere temporibus, quibus hæc miracula neceſſaria non ſunt.

rationibus & exemplis probat auctor;

E

ea tamen Sancto noſtro haud defuiſſe, ex initiis,

570 Mihi verò tantùm abeſt, ut ad vitam Ignatii illuſtrandam, miracula deeſſe videantur; ut multa, eaque præſtantiſſima, judicem in media luce verſari. Quod item videri credo, non plebi imperitæ, res populariter æſtimanti, ſed gravi cuivis homini, & certo judicio eas ponderanti. Nam ſive initia hujus Societatis, ſive inſtitutum ſpectemus, ſive propagationem, conſecutaſque ex ea utilitates, miracula certè nulla deſiderabimus: cum tam multa iis rebus miracula ineſſe deprehendamus, per quæ Deus, & hoc opus ſuum eſſe, & radicis naturam, ex trunco oſtendit,

A. PETRO RIBADENEIRA.

& fructu. Quid enim admirabilius, quam militarem hominem, ferro & castris assuetum, à spiritu Dei alienum, ita immutatum, ut non solùm ipse Christo militaret, sed sacræ militiæ antesignanus esset, & princeps? Quid inusitatius, quam tot homines ingenio, studio, ætate florentes, ab Ignatio egeno ac despicato, nullâ magnâ vel litterarum scientiâ, vel sermonis elegantiâ & copiâ, huc adduci potuisse, institutum ut vitæ cursum abrumperent, spes suas prodigerent, paupertatis, dedecoris, atque ignominiæ sese telis objicerent, & tot laborum, periculorumque offerrent incursibus? Illud verò & novum & mirum planè videatur, necesse est, nisi ab eo factum intelligatur, cujus virtute, credentium multitudo erat cor unum, & anima una! Hispanos, Gallosque homines ita inter se convenisse, atque tristissimo tempore, & inter ipsos Hispaniæ, Galliæque reges, bellis infestissimo, tam amicè consociatos fuisse, ut quorum antea tanta fuisset nationum, voluntatumque dissensio, tam singularis repentè existeret studiorum, animorumque consensio, ut dissimilium morum tanta esset similitudo, & vitæ concors atque perpetua conjunctio. B

Institutoque, ac propagatione Societatis conficitur;

571 Nam institutum ipsum satis apertè auctorem suum indicat: quod neque subtilitate excogitari, neque prudentiâ humanâ constitui, neque industriâ gubernari tam sapienter umquam potuisset, nisi ille, qui sapientiæ omnis fons est, Ignatii mentem afflatu suo, instinctuque divino, & ad Societatem stabiliendam inspirâsset, & ad tam salutares leges, quibus ipsam temperavit, conscribendas impulisset. Neque verò hoc dubitationem ullam habet, aut habere fas est, cum Institutum ipsum, & à summis Pontificibus multis confirmatum, & ab œcumenico, sacroque concilio Tridentino tam luculenter comprobatum videamus. Quod quidem cum finito tempore novitiatûs, ut Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos ejiciant, jussissent, statim adjecit: Per hæc tamen sancta synodus, non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum Institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint. Nam quid ego de propagatione dicam? quæ tanta est, ut & admirationem omnibus rectè considerantibus moveat, & digitum Dei hîc esse ostendat, sine quo nullo modo fieri res tanta potuisset? Etenim ab eo tempore, quo Societas à Paulo III, Pont. Max., anno MDXL, confirmata primùm est, pauci anni fluxerunt: quo quidem tempore, non solùm per universa Christiani orbis regna dissemina- C ta est, verum etiam his finibus egressa, disjunctissimas provincias, regiones incultas, barbaras immanesque nationes peragravit: & apud illas domicilia etiam constituit. Nam ut Hiberniam, Angliam, Scotiam, Cyprum, Alexandriam, Mauritaniam, Insulas Fortunatas, ad Christianam religionem pro virili portione dilatandam, à nostris aditas præteream: ut de Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica, Gallia, Hispania, superiori atque inferiori Germania, nihil dicam: ut Austriam, Bohemiam, Poloniam, Lituaniam omittam (in quibus ita hæc Societas hactenus crevit, ut octodecim provincias, præter quatuor alias, ultra oceanum constitutas habeat:) certè videmus & in orientis solis Indiam penetrâsse nostros, & in extremis regionibus apud Malacam (quæ Aurea Chersonesus est) Molucasque insulas, sedes suas collocasse: & in Occidentis item Indiam, quæ Hispaniarum regi paret, esse delatos: & in D Brasilia terra, latissima quidem atque salubri, sed hominum anthropophagorum feritate formidabili, magna passim cum utilitate versari.

uti ex multiplici fructu,

572 Nam in Japonem, vastissimam regionem, & permultis insulis distinctam, nostraque ætate primùm à Lusitanis patefactam, & repertam nostri omnium Christianorum (quod quidem ex veterum scriptorum monumentis constet) primi lustrârunt, & in potentissimum latissimumque Sinarum regnum, ut in illud unius verique Dei nomen inveherent, sunt ingressi. Ad meridiem verò, Æthiopiam, Congum, Angolam, Monomotapam, aliasque exterioris Africæ oras, remotissimasque provincias obierunt, ac percursârunt. Et in hodiernum usque diem, in illarum quibusdam ita peregrinantur, & vivunt, ut neque maris interjecti immensitas, neque terrarum asperitas, neque vel silvestris cultûs, victûsque inopia, neque barbaras linguas, atque horridas intelligendi, discendique difficultas, neque in- E digenarum agrestis natura, & truculenta, innataque crudelitas, neque intentata supplicia, sociorumque ante oculos profusus sanguis, ab Evangelii prædicatione quidquam eos deterreat. Itaque tantus est ubique terrarum ex nostrorum hominum consuetudine atque usu fructus consecutus, ut minimè pœnitendus videatur.

in India mitioris moribus,

573 Nam ut de India primùm loquar; certè, quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt. Scissæ sunt enim in deserto aquæ; & torrentes in solitudine: & quæ erat arida, est in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, ortus est viror calami & junci. Et idolorum multitudine sublata, atque illudentium dæmonum præstigiis exstinctis, unius jam Dei cultus efflorescit: crucisque trophæum in urbibus, in viis, in desertis etiám, atque asperis locis collocatum, dæmones aspectu suo terret, homines recreat, pios consolatur, impios ad salutem invitat. Denique habitantibus in regione umbræ mortis, veritatis lumen ortum est. Ac tot miracula, & tanta per Ignatii filios edita sunt (quippe ad plantandam in novo atque inculto solo fidem apprimè necessaria) ut neque ma- F jora, neque illustriora requiramus. Siquidem & dæmonia multa, Christi tantùm nomine invocato, ab humanis corporibus ejecta, illuminatos cæcos: leprosos mundatos: omni propemodum morborum genere multos mortales liberatos: mortuos denique constat revocatos ad vitam: fontes divinitus repertos ad Christianorum sitim sedandam: & contrà, arefactos amnes ad infidelium damnandam perfidiam. Apud Molucas verò insulas, cum ab ea fide, veraque religione, quam semel susceperant, ad superstitionem multi, atque impietatem defecissent, cælum & terram, omnemque creaturam armatam scimus contra insensatos: & ignitis lapidibus, fulgure, fulmine, tonitru, turbine, & fragore ingenti perterrefactos infidelium animos: arbores radicitus revulsas: disturbatas domos: animalia passim extincta: posita flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.

quasi totidem miraculis, reportato.

574 Et quod omnium maximum, ac præstantissimum est, multa (ut modestissimè dicam) hominum millia, qui in summa barbarie, & feritate nati, atque educati sunt, importuna illa morum feritate depositâ, jugum suave Christi subierunt: & Christianæ disciplinæ

A næ disciplinæ legibus eruditi, ad mansuetudinem se, ac humanitati propiorem cultum revocârunt. Ut autem nemini dubium esse possit, hoc Dei opus esse, in memoriam revocemus illa verbera, ignominiosum illud supplicium, quod in collegio D. Barbaræ à Goveano doctore in Ignatium fuit constitutum: & intelligamus ex servili, probrosaque illa ignominia, Ignatio magno ejus desiderio flagranti parata, summam Dei Opt. Max. gloriam, cum incredibili innumerabilium populorum salute conjunctam divinitus effloruisse. Sed quid mirum, si Deus se in omnibus Deum ostendit? Cujus etiam proprium infinitæ bonitatis est, quo se quisque propter ipsius amorem magis submittit, atque abjicit, eo magis illum extollere, atque ornare. Quamobrem Deo Optimo Maximo maximas gratias agere omnes, & habere in commune debemus, qui præsentes Ecclesiæ Catholicæ ruinas sua benignitate resarcit: & nostrum ex continuis illius calamitatibus dolorem;
B & luctum magna hac consolatione levat: quod exeuntium hæreticorum jacturam, intrantium in Ecclesiam gentium reparat multitudine: estque hoc in tanto mærore solatii, quod plus nobis Dei bonitas adjecit, quam diaboli ademit invidia.

Mirabilia in Germania & Gallia, atque alibi

575 Sed ut ad ea veniamus, quæ collocata in omnium oculis sunt: videmus certè & apud hæreticos, non parum per hujus Societatis homines, in fide, veraque doctrina profectum esse: & apud Catholicos multum, in religione, ac pietate. Nam & in Germania, & in Gallia, & in reliquis provinciis, quibus hæresis, certissima pestis animorum, liberiùs grassatur, multi, nocte falsitatis depulsa, se ad veritatis lumen ab errore revocârunt: multos nostrorum prædicatio & doctrina nutantes in fide confirmavit: labantes sustinuit, jacentes erexit: devios, atque præcipites reduxit in viam: & à diluvii (quibus suffocabantur) aquis, in sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quâ unâ salus continetur) arcam, fidemque traduxit. Et optimorum adolescentium, qui errorem cum ipso nutricis lacte suxerunt, in nostris
C collegiis institutio, & ad pietatem informatio, majora nos etiam sperare in posterum jubet: & quotidiana Catholicorum cum hæreticis altercatio satis ostendit, multis locis, illorum vel languere animos, vel debilitatos esse impetus, atque compressos.

contra hæreticos pro Ecclesia Catholica sunt facta.

576 Nec mirum sanè. Nam cum aliquorum Ecclesiasticorum vel ignorantia, vel perversitate, vel negligentia (cum enim dormirent homines, inimicus homo superseminavit zizania) non suis lacertis & viribus fortes illi hactenus fuerint: & dum quorumdam hominum vitam nobis objiciunt, dum insciticiam exprobrant, dum funestas sacrilegasque faces, veris interdum criminationibus contectas, in nos contorquent, incautos simplicium animos, nescientes discernete doctrinam à vita, fidem à persona, potestatem à moribus, venetiis suis infecerint: quid mirum est, si hoc tempore veritas, inculpatæ vitæ, exquisitæque doctrinæ stipata studiis, in falsitatis castra invadere, & perrumpere importunam ejus audaciam, atque temeritatem valeat, quæ vel sola & nuda, tantam semper vim & potestatem habet, ut facilè se per seipsam defendat, & glorioſam reportet de hoste victoriam? Cùm præsertim, & qui dormiebant, sint excitati: & qui vigilabant, facti sint etiam acriores. Itaque hoc unum Ecclesiæ hostes propositum habent, ut iidem Jesuitarum hostes sint: & bellum adversùs eos gerant, quos bellum à se Catholicæ Ecclesiæ indictum, non ignavè propulsare animadvertunt. Quorum inflammatum in nos odium, non obscurum arbitramur divinæ in nos benevolentiæ signum: vituperationem, laudem; infectationem, gloriam & triumphum nostrum ducimus. Quos tamen diligimus, ut proximos; amamus, ut nostros aliquando fratres; ut pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Jesu Christi conspersos, benevolentiâ prosequimur. Prætermitto eas utilitates; quas Catholici integrique populi, filiorum Ignatii operâ & industriâ perceperunt: tum quod sint in promptu, & magis sit animadversione opus, quam explicatione: tum verò quod à me sine pudore commemorari non possint, quæ in hoc genere divina bonitas per minimam hanc Societatem effecit. Ipsi soli (cujus sunt) honor & gloria.

A. PETRO RIBADENEIRA.

Divinæ erant virtutis signa sunt, quæ sunt intra Societatem;

577 Et hæc quidem ad alienos. Quid illa, quæ ad domesticos, hoc est, ad nos pertinent; & interiora quidem magis sunt, non minùs tamen certa divinæ virtutis sunt signa? Primùm (vobis, fratres, quibus hæc nota sunt, loquor) quam multæ, quam variæ, quam eximiæ vocationes, ex omni penè natione in nostra Societate sunt eorum, qui singulari quodam divinoque afflatu excitati, omnium externarum rerum amputata vanitate, ad Christi crucem in hac Societate complectendam, adducti sunt? Quod item de reliquis sanctissimis Religionibus credo. Deinde, quam præclara est illa, quæ apud nos floret, dissimilium rerum similitudo? Quam eximia hominum disparium, & vel naturâ vel fortunâ, vel industriâ, & consuetudine inæqualium æqualitas? Quam conspirans, & planè conflatus inter se diversarum nationum consensus? Quam copulata omnium inter ipsos caritatis benevolentia? Quid mirifica illa scientiæ & humilitatis, prudentiæ & obedientiæ, adolescentiæ conjunctio & castitatis? Gravitatis in superioribus, comitatisque societas? quanta alienæ salutis cura? quantum publicæ utilitatis studium? quanta sollicitudo, ac procuratio? Quam læti peregrè venientium nostrorum fratrum congressus? quam jucundi eorumdem digressus abeuntium? ut sive manendum in aliquo sit loco diutius, sive longè gen-
E tium abeundum, lætissimo semper animo sint, & terrarum affectu, locorumque posito, eorumque, quibuscum vivunt, intemperato amore rejecto, Dei tantùm gloriam, & salutem proximorum spectare videantur. Agnoscamus Dei gratiam, fratres, & grati simus, atque hosce mores in Societate hactenus fuisse gaudeamus, & futuros semper speremus: &, ut sint, quantum possumus, animo connitamur.

sunt quæ magna

578 Hæc mihi magna miracula, & certissima sunt, quæ cum attentiùs considero, neque plura, neque majora ad virtutem Ignatii declarandam requiro. Nam si ex fructu arbor agnoscitur, ut ait Dominus: si neque de spinis colligi uvæ possunt, neque de tribulis ficus: si fons de eodem foramine, dulcem simul, & amaram aquam manare nequit: certè fateamur necesse est, & truncum, ex quo tam suaves, tantique fructus percipiuntur, optimum, ac suavissimum esse, & fontem nobilissimum, ex quo commoda in Christi Ecclesiam tam multa redundârunt. Præsertim si attendamus, quibus temporibus hæc, & locis gesta, & à quibus personis sint, quam acerbè præterea, & graviter impugnata. Gesta sunt enim nostris temporibus, hoc est, hæreseωn numero, errorumque novitate calamitosis, morum levitate perditis, ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione infelicissi-

A. PETRO RIBADENEIRA.

cissimis. Ex quo hæc Societas odiosa hæreticis semper visa est: Catholicis quibusdam minùs interdum necessaria: nonnullis fortè & suspecta etiam, & invisa. Gesta sunt autem non in angulis, non in deserto loco; sed in omnium gentium oculis, in celeberrimis urbibus, clarissimis academiis, in ore, atque luce hominum, vel potentia, & auctoritate, vel prudentia, & consilio, vel doctrina, vitæque integritate sine controversia principum.

ac certissima miracula;

579 Effecta sunt autem ab Ignatio, primisque sociis illius, ac filiis. In quos si animum paulùm intendas, magna te admiratio capiet perspicientem, nihil illos ex se attulisse, quod intuentium posset in se oculos, sua specie convertere. Neque enim illi aut stirpis ac generis opinione commendati, aut amicorum copia fulti, aut excellentis doctrinæ præsidio subnixi, primùm ad nos venerunt: sed abjecti, pannosi, obscuri, & ad speciem contemnendi, & ad sensum, cogitationemque viles. Quid de persecutionibus dicam, gravissimisque tempestatibus, quas hæc Societas nondum nata, in Parente suo pertulit? ut verò exiit in lucem, ac primùm emersit, ab omni penè hominum genere, ad hunc usque diem passa est? Quibus jactata procellis non hactenus est? quibus non telis appetita? ut mihi quidem (quod divus Hieronymus de Catholica Ecclesia scribit) persecutionibus etiam crevisse videatur. Ex quibus omnibus eam Deus eripuit, & victoriam dedit per Dominum nostrum Jesum Christum. Accidit enim illi, quod reliquis ferè sanctissimis Religionibus usu venit, quibus donatum est, ut in mundo pressuram habeant, & non solùm in Christum credant, sed etiam, ut pro illo patiantur.

quibus nulla alia S. Ignatii miracula comparanda esse, ex S. Augustino

580 Sed ut modum huic meæ narrationi ponam, iis miraculis, magnis, conspicuis, utilissimis, nulla alia Ignatii (meo quidem judicio) sunt comparanda. Itaque quæ narrata suprà à nobis sunt, quamquam sine miraculo fieri multa non potuerunt: & tot dierum jejunatio, viribus nihil omninò debilitatis; octo dierum raptus, & à sensibus destitutio; tot tantæque divinarum rerum illustrationes; P. Simonis periculosè laborantis sanatio, & sanitatis futuræ prædictio: dæmonis expulsio, & alia quædam vim naturæ modumque exsuperant: & illa etiam, quæ addi possunt, quorumdam, qui vel magnis periculis, vel morbis gravissimis expediti ac liberati sunt, ad vestium illius aliquando contactum: omnia hæc tamen quamquam magna, certa, atque admirabilia sunt, superioribus illis cum proximorum utilitate, & cum purissima atque sanctissima Ignatii vita conjunctis, inferiora multis partibus judico, & minora miracula ad sanctitatem Ignatii declarandam. Idque sanctissimis Augustino atque Gregorio magno auctoribus. Ex quibus D. Augustinus sic ait: Domini nostri & Salvatoris Christi Jesu miracula omnes quidem audientes & credentes movent, sed alios atque alios aliter & aliter. Quidam enim corporalia ejus miracula stupentes, majora intueri non nôrunt. Quidam verò ea, quæ gesta audiunt in corporibus, nunc ampliùs in animis mirantur. Nemo ergo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari: sed omnis homo habet oculos, quibus videre potest mortuos resurgere ita, ut resurrexit filius hujus viduæ, qui modò ex Euangelio recitatus est. Unde autem videant homines resurgere mortuos in corde; non omnes habent, nisi qui jam resurrexerunt in corde. Amplius est resuscitare semper victurum, quam resuscitare iterum morituram. Hæc Augustinus.

ac S. Gregorio,

581 Gregorius verò Augustinum secutus in lib. Dialog., cum Petrus Diaconus dixisset: Quid alii sentiant ignoro: ego autem præ cunctis miraculis hoc potius existimo esse miraculum, quo ad vitam mortui redeunt, eorumque animæ ad carnem ex occulto revocantur; respondet Gregorius: Si visibilia attendimus, ita necesse est, ut credamus: si verò invisibilia pensamus, nimirum constat, quia majus est miraculum prædicationis verbo atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura: in illo verò anima in æternum victura. Cum enim propono duos, in quo horum existimas majori factum virtute miraculum? Lazarum quippe, quem jam fidelem credimus fuisse, carne Dominus suscitavit: Saulum verò resuscitavit in mente. Minus est ergo quempiam in carne suscitare: nisi fortè per vivificationem carnis, ad vitam reducatur mentis, ut ei hoc agatur per exterius miraculum, quatenus conversus interiùs vivificetur.

probat;

582 Et homil. 29 tractans illa Domini verba: Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.; docensque, sanctam Ecclesiam quotidie spiritualiter facere, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat, subdit: Quæ nimirum miracula tanto majora sunt, quanto spiritualia: tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hæc verò spiritualia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt; istis autem perfrui, nisi boni non possunt. Nolite ergo, fratres carissimi, amare signa, quæ sunt cum reprobis hominibus communia: sed hæc, quæ modò diximus, caritatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto & occulta, & de quibus apud Dominum eo major fiet retributio, quo apud homines minor est gloria. Hactenus Gregorius.

quibus addit S. Eulogium mart. Cordubensem.

583 Divus Eulogius martyr Cordubensis, libro primo Memorialis Sanctorum, latè prosequitur hanc quæstionem, & respondens nonnullis tepidis ac mollibus Christianis, qui Martyres non putabant eos, qui à Saracenis pro Christi fide eo tempore interfecti sunt, propterea quod nulla edebant miracula, post multa sic ait: Miracula denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium, Dei providentia operatur, non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quam provida compensatione intueri, si eorumdem effectores signorum, expulsis vitiis, morum honestate præcellant: si seculo mortui, Deo vivant: si propter illam veram caritatem, quæ cuncta charismatum dona exsuperat, omnes affectiones mundi pro nihilo pensant: si acceptam virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris: si attentis auribus cordis, veri magistri admonitione percepta, non quia dæmonia eis subjiciuntur; sed quia nomina sua scripta sunt in cælis, exultant. Et idcirco hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorum auctoribus potiùs, quam ipse signorum effectus est admirandus, & quod sit magis prævium specimen eundi ad regnum quærendum, non verò quod signiferos ac notabiles nos ostentet. Quia sanctitas & timor Domini, cultusque regni cælestis non nisi ab idoneis & perfectis procedunt. Signa verò atque prodigia & Sancti & repro-

A reprobi faciunt. Quæ nihil aliud, quàm notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc provenit, ut qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit justus, ad æterna supplicia perveniat condemnandus. Ille autem, qui cælesti gratia illustratus, sub notitia sui creatoris vixerit sanctus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen Sanctorum gaudiis erit annumerandus. Huc usque beatus Eulogius.

Auctoris epilogus.

584 Hæc habui maximè, quæ de Ignatii vita moribusque conscriberem: tum ne Parentis nostri (quod in omnibus humanis rebus fere fit) paulatim memoria conseneſceret, tum etiam ut in perpetuum haberent nostri homines, unde omnium domestica peterent documenta virtutum. Quod ego si assequutus fuero; erit cur Deo gratulemur, auctori bonorum omnium; sin minùs, nostros certè qualescumque labores, vobis, fratres carissimi, quorum præcipuè gratiâ suscepti sunt, non ingratos fore confido.

A. PETRO RIBADENEIRA.

ANNOTATA.

a *De miraculis, & hoc loco, Commentarius* § 89.

GLORIA POSTHUMA,

EX VARIIS QUA SCRIPTIS,

QUA IMPRESSIS DOCUMENTIS.

E E

CAPUT I.

Gloria posthuma è loco natali.

§ I. *Domus Loyolanæ idea; sacellum sancti Patris.*

Domus Loyolanæ situs

Amus veteris & novæ domus Loyolanæ ideam è Ms. exemplari, quod inde ad nos misit R. P. Franciscus de Baza, collegii nostri ibidem Rector; cujus etiam benevolentiâ anno 1621 facilis nobis ad illud, ejusque sacrarium Ignatianum aditus patuit. Itaque è dicto exemplari delibo sequentia. Guipuzcoa provincia, Ptolemæo Varduli, quamvis longè ab hujus auctoris, aliorumque veterum geographorum Cantabriâ sita, una ex iis gentibus est, quæ Cantabriæ nomine censentur, & gloriantur; ac Septemtrionale Hispanici Oceani littus claudit Olearsone promontorio, Vidasso fluvio, nobili magis, quam magno à Galliis disjuncta. Hujus provinciæ umbilicum, & nobilem

C in primis locum tenet Azpeitia oppidum; cujus in tractu, quà vergit ad Occidentem, & Azcoitiam spectat, alterum in eadem provincia pari dignitate, & amplitudine oppidum, Loyolana domus est vetus cognominis familiæ, & gentilitia sedes. Ejus autem situs talis est. Ab Azpeitia in Azcoitiam passuum circiter mille spatio modica planities excurrit, prælatis montibus hinc inde coarctata, quam Urola rivus præterlabitur, ferri fabricis frequentibus dives; unde & illi nomen.

& structura; quæ munitio fuisse fertur antiqua,

2 Hac in planitie, pari fermè Azpeitiam inter, & Azcoitiam intervallo, ut adiri utrimque juxtà possit, velut toti latè viciniæ dominatura, quadratæ turris in morem surgit, colli modico imposita Loyola domus. Tota ædium altitudo pedes sex, & quinquaginta non superat: latitudo duobus pedibus major est. Quod materiam attinet, ad medium usque quadratis quidem, sed rudi opere lapidibus; inde coctis lateribus ad summum fastigium constat. Turritam olim munitionem Loyolanis pro arce fuisse, famâ proditum est (& quà lapideus est murus, eam habet crassitiem, fidem ut adstruat famæ:) sed cum sciſſi in factiones dynastæ turbis cuncta miscerent, Henrici IV, Castellæ regis, jussu turres hujusmodi omnes, quæ frequentes in provincia occurrebant, solo æquatas fuisse: cum Loyolana gente mitiùs actum: nam & ut munitio staret, quamquam magna sui parte mulctata, &, ut inædificaretur, permissum. Accedit & illud veteris munitionis argumentum, quod in imo muro fissuræ apparent aliquot extrinsecus (namque intus obstructæ sunt) pedes quatuor & ampliùs longæ, duos transversos digitos latæ: quæ fissuræ ab inferiori parte dilatantur in orbem mediocris globi tormentarii amplitudine: ut appareat, eas ad ejaculandi usum fuisse aptatas.

F

insignibus familiæ Loyolanæ conspicua

3 Equidem extant etiamnum apud nos ænea tormenta minora quatuor, quæ cum sacris ædibus, velut propria earum supellex, in nostram concessere potestatem. Ejusmodi autem fissuræ reperiuntur in utraque ædium facie, & quam Cæcias, & quam Africus perflat, singulæ. In ea verò, quæ in Caurum versa nunc templo excipitur, olim viæ militari imminebat, duæ. Atque hæc ita se habent in tribus sacri monumenti frontibus, quæ conspicuæ manent. Sed quà novis ædibus committitur, inductum parieti arenatum vetustatis argumenta submovit. Porro in obversa Azpeitiæ fronte ad cornu novo ædificio inclusum fornix leviter turbinatus ostium præbet: ostio gentilitium Loyolarum stemma imminet rudi saxo expressum. Lupi sunt duo in posticos erecti, & exertâ linguâ pensili aheno ab utroque latere inhiantes. Non illud apice coronatur, non parmæ, aut scuti figuram refert, simplicitate ipsa antiquitatem commendante.

Domus interior;

4 Jam interior domus, qualis nunc extat, in duas æquas tota divisa est partes intergerino pariete, quarum altera Azpeitiam, altera Azcoiti-

Ex Mss. am ſpectat. Subeuntibus ædes contra oſtium ſtatim occurrit ſacellum, quod olim ſtabulum fuiſſe, editumque in eo S. P. N. Ignatium, qualiſcumque traditio fert: nunc Virgini ſine labe conceptæ dicatum, adorandum in ſacra Euchariſtia cuſtodit illum, qui de Virgine naſci in ſtabulo dignatus eſt. Noſtris cœmeterium præſtat. A dextra ſcalæ longiori flexu mitigatæ ad ſuperiora ducunt. Ubi ad primam contignationem ventum, aulâ patet excipiendis confeſſionibus deſtinata, cujus ad extremum aperta in intergerino pariete feneſtra tranſverſim oblonga, ferreiſque clathris firmata locum facit ſupplicandi ad aram, primo S. Borgiæ Sacrificio, & calice, patenâque, quibus ſacrificavit, conſpicuis venerabilem.

aditus ad ſacrarium S. Ignatii, quod ſumma eſt venerationis.

5 Scalas omnes emenſos excipit ad lævam ſacriſtia, & ſecundùm ſacriſtiam ſecretius oratorium, aliquot ſanctorum Martyrum corporibus, & pluribus reliquiis inſignibus dives. Contra ſacriſtiam apertum in ſacræ domus pariete oſtium à novis ædibus ſubeuntes admittit. Dextrâ ſacellum eſt, cui ab antiquo præcipua ſemper veneratio ſtetit. Hîc Ignatium decubuiſſe, ab accepto in propugnatione Pampelonenſi vulnere ſaucium; hîc depoſitam valetudinem, ferente opem Apoſtolorum Principe, recuperaſſe; hîc ex fortuita piorum librorum lectione ad Chriſti, Sanctorumque ſectanda veſtigia exarſiſſe; hîc Deiparæ Virginis cum Filio ſe conſpiciendam præbentis viſione recreatum fuiſſe; hîc, ipſo orante, tremefactam domum, aut exauditæ orationis, aut victi, fugatique dæmonis ſigna dediſſe, conſtanti famâ tenemus. *Ad locorum ideam conducet ſchema ichnographicum; quod paullo poſt dabitur.*

B

Locus humili quidem tecto eſt depreſſus;

6 Hoc igitur præcipuæ venerationis ſacellum, quod nunc pro templo eſt, totam eam occupat ſuperioris tabulati partem, quæ Azpeitiam ſpectat, humili quidem tecto depreſſum, ſed cultu quam potuit exquiſitiſſimo ornatum. Totum pavimentum lævigatis marmoribus ſtratum, tectum & parietes variis picturis ſpectabiles ſunt. Prægrandes trabes, quæ ſubtegulanæ contignationi excipiendæ tectum interſecant, opere anaglyphico, eodemque inaurato obductas, pretioſæ per intervalla diſtinguunt æreæ lamellæ pictæ, & ſacræ interdum Sanctorum reliquiæ, ſuis in loculis decenter collocatæ. Acceſſit hoc anno novum tecto, & ſingulare ornamentum, quod ſive artis elegantiam, ſive artificis liberalitatem ſpectes, minimè prætermitti fas eſt.

C

ſed exquiſitiſſimè ornatus.

7 Hyacinthus Vieyra, egregius ſculptor, & architectus Luſitanus, ſuſcepta Romana peregrinatione, ad veneranda S. Ignatii cunabula divertit è via. Is, ut ſuam quoque ad ſacelli ornatum conferret ſymbolam, artis ſuæ monumentum inſigne poſuit operâ prorſus liberali. Quippe nulla mercede tres tabulas ſculpſit, tecto affigendas, quæ duarum trabium interſtitium occupent. Media, & major Ignatium exhibet ad populum Azpeitianum cum crucifixo concionantem. In altera diſceſſurus ad Indos Xaverius fidei vixillum accipit ab Ignatio, genibus advolutus, & reluctantis pedes deoſculatur, præſente, & rem mirante Luſitani regis Oratore. In altera Ignatius Borgiam, Gandiæ ducis habita accedentem, procumbentemque in genua, amplexu excipit. Tabulas nectit limbus mira venuſtate circumductus, ſuiſque mæandris, ac flexibus variæ cælaturæ, aliiſque Societatis Sanctis locum facit.

D

§ II. Ulterior ſacelli notitia; Sancti lipſanotheca; collegium, ædes ſacra.

Alia SEd omnium maximè vel pietatem excitat, vel oculos allicit ſacrum bema, quod à reliquo ſacello ferreis cancellis affabrè factis, argentatiſque ſecluditur. Tres aræ hîc ſunt, quarum quæ media, & princeps, S. Patri noſtro dicata, tota ex argento ductili eſt; opus Danielis Gutierrii Viſuntini, nobilis in Hiſpania argyrocopi, qui etiam reliquis duabus aris ex eadem materia conficiendis allaborat. *Aræ jam dictæ ſchema, media dumtaxat ſui parte ſecundùm delineationem Loyolanam hîc ſcalpro in æs inductum, ſed ad minorem formam contractum, repræſentamus inferiùs.* Habet autem ara princeps, incluſo frontali, argenti pondo quadringenta & ampliùs, præter candelabra, pulvillum, & reliquam altaris ſupellectilem, quæ quidem confici ex argento poſſit, argentea omnia. In medio cæleſtem panem ſervat tabernaculum, cujus in foribus jacentem ſuper crucem Agnum tamquam occiſum mirabundus adorat angelorum chorus; Pater de cælo æternus hoſtiam ſibi complacitam benigno vultu deſpectat. Antas Fides, & Spes veluti cuſtodiam agentes, obtinent, tabernaculi latera quatuor aliæ virtutes ambiunt, hinc inde binæ. Supra tabernaculum Atlantes duo ſuſtinere humeris videntur umbellam, quæ ſacram S. Ignatii lipſanothecam penſili nube obductam continet.

E

hujus loci ſacri

9 Ad utrumque umbellæ latus binæ ſunt areolæ. Ex his quæ umbellam proximè attingunt, in alterâ Princeps Apoſtolorum Petrus decumbenti Ignatio ſanitatem affert; in altera orantem ſacratiſſima Virgo parvulum Filium manibus geſtans, in ſuſcepto perfectioris vitæ ardore confirmare videtur. Quæ his ſuccedunt duæ aliæ ſingula oſtentant litterarum autographa, alterum S. Ignatii, S. Borgiæ alterum; quorum oras argentum gravat multâ elegantiâ, nec minori pondere fuſum. Bini aligeri encarpis pendentes medium tenent autographum argenteo margini incluſum; cujus in parte ſuperiori nubes ſacroſancto Jeſu nomine, velut ſole fulgenti gravida, radios circumquaque mittit, eidemque nubi ſuus cujuſque epiſtolæ auctor inſiſtit, duobus aliis aligeris palmas manu geſtantibus medius. Omnes autem hæ figuræ integro ſunt anaglypto.

F

ornamenta

10 Quod ſupereſt areolæ novis rurſus encarpis ſupplevit Loyolæ artifex: nam autographa cum ſuo, quem dixi, ornatu pondo unciarum trecentarum viginti ſex, Matrito miſit pro ſua in ſacram hanc ædem pietate P. Joſephus Caſſani S. I. è provincia Toletanâ, ea lege, ut ne alibi reponerentur. Jam ſtereobata Ignatium etiam exhibet duobus in locis: hîc cum Loyola diſceſſurus, extremum fratri valediceret: ibi cum Jeſum vidit, propitium ſe Romæ fore promittentem: Chriſti præterea Salvatoris, & Mariæ Deiparæ icones ſuum in eadem ſtereobata locum habent. Pro ſtylobatis telamones ſunt: paraſtadas, & zophorum varius aligerorum luſus exornat.

graphicè non cenſentur.

11 At frontalis in area eminent inauratæ SS. Ignatii, Xaverii, & Borgiæ effigies. Medio S. Ignatio aſſiſtunt hinc inde Religio & Sapientia armata, ramum prætendens olivæ; ſubjecta eſt arx, Pampelonenſem referens, multis circum tropæis mi-

militaribus ornata. SS. Xaverium, & Borgiam ludentes ambiunt aligeri: fasciam implicat multiplex, pro ingenio artificis, tum aligerorum, tum serpentium foliorum nexus. Superioris fasciæ nodum in medio colligit sacrosanctum nomen Jesu, radiis illustratum. Multa præterea sunt, ac pretiosissima ornamenta aurea, argentea, gemmea à diversis donata, quorum indicem texere, longum esset.

Lipsanotheca exquisitissimo splendore elaborata

12 S. Patris N. lipsanotheca, ut rem continet omni pretio, & æstimatione majorem, sic reliquum qualiscumque opulentiæ splendorem absorbet quodammodo, & obscurat omnem. Illa quidem initio ænea fuit: deinde è multorum symbolis argentea est effecta, ex qua pretiosa anathemata complura inconcinnè pendebant. Id neque ex dignitate visum, & sacram præterea reliquiam coacervata obruebant. Ergo ut redacta in ordinem, pretium thecæ & majestatem adderent, ex eorum consensu, qui donaria appenderant, deponuntur: aurum, & argentum funditur, colligatæ in monilia gemmæ solvuntur, aptanturque vel
B in orbem compositæ, vel in flosculos ab orbe protuberantes collectæ, vel per succrescentes intus ramos diffusæ. Sic ea demum coaluit theca, cujus hodie pretium mirari magis, quam indicare liceat. Est autem ex argento inaurato ad solis Eucharistici formam efficta; nisi quod sol non circinatur in orbem; sed paulo oblongior ovatâ specie exsurgit, radiorumque loco rosæ circum promicant multo gemmarum fulgore collucentes.

continet digitum sancti Patris, suavissimè fragrantem:

13 Caudicem premit monile unum, cui centum fermè adamantes, & in his eximiæ magnitudinis tredecim, pretium faciunt, ex scientissimi artificis indicatione, aurea didrachma ter mille: donum excellentissimi Domini D. Joannis Francisci Manrique de Arana, supremi armorum ab Catholico rege præfecti; culmen Ignatius tenet cum toga, & pallio cælum suspiciens, sanctissimumque Jesu nomen gemmis confictum dextrâ tenens. At intra orbem aligeri duo aurei ramos, & ipsos aureos, gemmisque prægraves jactare manibus videntur, aut in altum dirigere, mediam sacram reliquiam velut obumbraturi. Hæc autem reliquia digitus est, qui ex annulo aureo, smaragdisque pretioso intra crystallinum cylindrum attollitur, ab interiori quidem parte nonnihil exesus; sed ab exteriori satis integer, cum
C cuticula sua, & ungue. Odorem exhalare suavissimum, experientiâ ipsâ tenemus. Neque illum esse ascititium, credimus, quòd certi sumus, ab annis circiter quadraginta, quibus apud nos est, numquam fuisse inter odoramenta repositum. Quod si quando antea fuisset, debuisset certè multum de sua vi remisisse, cum tamen eamdem semper retineat, quamvis mutatis sæpius thecis, & crystallis, quibus includebatur.

qui quomodo

14 Ceterùm quemadmodum perlata ad nos tam insignis reliquia fuerit, operæ pretium erit cognoscere. Rem autem exceptam ab ejus ore, qui negotio interfuit, ex ædis sacræ rationario, paucis expediam. Hic S. Ignatii P. N. digitus dono missus olim Româ fuerat ad Margaritam Austriacam, Hispaniarum reginam, Philippi III conjugem: cui quantis nominibus obligata nostra Societas sit, exstructum Salmanticæ regiâ planè munificentiâ collegium tot clamat linguis, quot in dies parit utrique Orbi viros litteris, virtute, ac rerum gestarum gloriâ præstantes. Hinc Sinuessanæ duci cessit, regum dono, qui gratiosæ apud se Principi feminæ gratificari cum vellent, notam ejus in Societatem nostram benevolentiam & insignem in S. Ignatium pietatem egregio hoc munere cumularunt. Hujus porro ducis filius Sinuessanus dux fortè conscientiæ suæ arbitro utebatur P. Alfonso de Ygarza S.I., quo tempore cum excellentissimis Marchionibus Alcañizensibus, ut Societati Loyolanâ domo cederent, agebatur. *ex MSS.*

15 Cum autem Societatis totius votum id esset, pattis Ygarzæ desideria privatim actuebat natalis communio soli, quod S. Patentis gentilis esset, & ipse Guipuzcoanus. Ergo dum aliæ ab aliis ad rem obtinendam admoventur machinæ, ipse cum Superis agendum ratus, eumdem S. Ignatium conciliare negotio opitulatorem novendiali oratione statuit: eamque in rem, quâ erat apud Sinuessanum auctoritate, sacrum S. Patentis digitum orat, exoratque. Sed exacto novendio, ægrè homini fieri, ut carissimum pignus ab se dimittat: rem trahere, & procrastinare: denique animum in id obfirmare, ut reliquiam tamdiu apud se retineat, quoad repetatur. Interea Dux iste moritur: neque ille, neque heredes verbum de reliquia ullum: sic ea relicta tunc apud P. Ygarzam est, nullo rei conscio præter E
unum P. Franciscum Salinas. Neque diu Ygarzæ licuit depositò apud se pretioso pignore frui: quippe quem haud multo post in collegio Imperiali Matritensi subita apoplexia rapuit. *& inde*

illuc pervenerit.

16 Sed, ecce, dum ille fato suo fungitur, commodum ibi Visitatoris munus obibat è nostra provincia missus P. Petrus Hieronymus de Corduba, Sinuessanorum Ducum gentilis. Ad hunc autem P. Visitatorem sacræ reliquiæ indicium defert P. Salinas. Ille & muneris sui apud nostros potestate usus, & cognationis auctoritate apud Sinuessanum, sacrum pignus, injecta manu, vendicat sibi, Loyolanamque in domum, quam Societati jam tum addictam, ipse sibi delegerat, ut in ea extremum Religiosæ vitæ suæ actum peragere, quam primùm fidum per hominem transmittit.

Idea novæ fabricæ ejusque decora

17 Nunc novam fabricam, cui velut palæ gemma, sacra ædes inclusa est, breviter expediemus. Ejus ideam à Carolo Fontana, nobili architecto Romano, conceptam, ab eodemque & chartis delineatam, & typo expressam miserat revetendus admodùm Pater noster Carolus de Noyelle, S. I. Præpositus Generalis. Tota structura aquilam referet, expansis alis suspensam, cujus corpus templum magnificum sit; rostrum promineat in porticum; alæ in ædes expandantur; cauda verò
F desinat in triclinium, & alias communes cellas. Templum Ignatio dicandum, rotundum est tanta amplitudine, caveæ ut diameter pedes habeat centum triginta & unum. A pavimento ad zophorum è nigro marmore, inde è vario surgit, utroque polito, nisi quà sculpturis asperatur. In medio postes ingentes octo concameratum fastigium sustinent stupendæ molis: quippe cujus diameter pedes septuaginta quinque, altitudo à pavimento ad tholum numeret fermè ducentos.


magnificè erecta, & minutissimè hîc recensita

18 Iidem autem postes totidem ostiis, quibus, præter præcipuum, adiri templum potest, ita objecti sunt, ut à media cávea cerni nullum possit. Jam ab utroque principis aræ cornu singulæ sacristiæ sunt, cum sua quæque turre campanaria. Templi latera cingunt hinc sacra ædes templo sic adnexa, ut tamen medio compluvio separetur; inde palatium Loyolanis dynastis cum suo in templum suggesto, ex pacta lege sufficiendum. His succedit nostrorum habitatio, quatuor habens frontes, quæ ut ab interiori, & præcipua, mediis templo, & palatiis disjungitur, sic interiùs per officinas publicas committitur. At intra collegium

Ex Mss. advenarum oculos maximè rapit magnifica ſcalarum ſtructura, quarum uſus in collegium, & ſacram ædem communis eſt. Eæ aream occupant ſatis capacem, quæ circumitur tota, ſacra domo, & collegio concluſam. Ab ima radice quatuor habent aditus, utrimque binos, ſibique contrarios, quibus in unam conſcenditur areolam, unde, facto divortio, averſi fornices ſinguli per horum diſcrimina adituum, in ſuam quiſque diſcedentes partem, ad primam concamerationem deducunt. Hinc rurſus, ut à pavimento, bini ab utraque parte fornices connituntur in aliam aream, è qua duo item alii, ut ab inferiori, in averſa reflexi vix feſſos tandem deponunt in concameratione ſuperiori.

D

19. Hæc autem area ſuperior tam eſt capax, atque magnifica, ſcenæ ut tragicæ non abſimilem eſſe dicas. Quatuor in medio pilæ ad initia illarum ſcalarum, quas deſinere in ſuperiorem concamerationem dicebam, & in ſummis ſcalis aliæ quatuor, octo juſtæ magnitudinis ſtatuis locum faciunt. Muros ambiunt æquis interſtitiis podia duodecim, theatri in modum arcæ imminentia. Tectum venuſto hemiſphærio clauditur, cujus umbilico affixus haud vulgari ſculptura flos inauratus totam ædificii venuſtatem colligere in ſeſe velle videtur. Hæc omnia rudi ſtylo deſcripta, ut melius ob oculos ponantur, ſubjectæ tabulæ efficient. *repræſentantur.*




P. B. Boëttatt. ſcul.

Tabula prima, quam hic vides, eſt ara ex argento ductili elaborata; de qua dicebatur in exordio hujus paragraphi. Reliqua quò ſpectent, ex dictis abunde liquet.

§ III. *Publica erga ſacrarium Loyolanum veneratio; miracula.*

P. *Didacus Gamboa S. I. ad reverendum admodùm Patrem noſtrum Mutium Vitelleſcum, Præpoſitum Generalem, anno* 1642 *ſcribens iſta inducitur apud P. Joannem Rhò in Achate pag.* 12: Ut celeberrimum populorum concurſum undique ad hanc domum venerandam advolantium omittam, quamvis ſupra quindecim capitum millia cenſa ſint, alia plurima ſunt, quæ ſolemnitatem hanc illuſtriſſimam reddunt. Publicè igitur edicitur tota in provincia, natalem ſancti Patris noſtri diem feſtum omnibus eſſe (nam is provinciæ patronus eſt,) atque ad ejus domum adeuntibus indulgentiam longè ampliſſimam ex eccleſiaſtica

Memorantur bona opera, quibus profectus Sancti dies honoratus fuit.




Novæ domus Loyolanæ seú collegii, ac templi descriptio ichnographica.


A *Templum.* **B** *Sacristiæ.* **C** *Turres campanariæ.* **D** *Porticus.* **E** *Cella ostiaria.*
F *Cubicula.* **G** *Gradus.* **H** *Transitus.* **I** *Areæ.* **K** *Triclinium.* **L** *Fontes.* **M** *Culina.*
N *Cella penuiaria.* **O** *Solarium, seú locus apricus, quo sol in hieme captari solet.*
P *Solum primum sacræ domus.* **Q** *Sacellum inferius.* **R** *Ambulacrum in ædium culmine pro liberiore prospectu et aura.* **S** *Cellaria.* **T** *Tribunæ, quas vocant, templi, seu suggesta, podiorum in morem exstantia. Litteras* **R.S.T.** *vide in orthographia, hîc adjecta.*

Nova domus Loyolanæ seú collegii, ac templi

F. P. Bouttats. scul.




Antiqua domûs Loyolana.
A *Elevatio domûs.*
B *Planum secúndum.*
C *Planúm tertiúm, in qúo sanctum sacellúm.*
D *Antiqúum domûs sacellúm.*
E *Hierogazophýlaciúm.*
F *Sacrístia sancti sacelli.*
G *Fenestræ binæ in sacræ cameræ pariete, unde ad altare prospectis patet.*



descriptio orthographica

P. B. Bouttats. scul:



Scalæ, quibus ascenditur ad Sacrarium Loyolanum.

A *Extremitas scalarum, seu statio in solo superiore collegii.* **B** *Areola, cui innititur trames scansorius.* **C** *Areolæ scalarum collateralium.* **D** *Pes dictarum scalarum in solo infra id, quod dictum est supra.* **E** *Plateæ vel transitus.* **e** *Tribunæ, ut vocant.* **F** *Cubicula.* **G** *Paries, qua late patet ac dividit aream à transitu in tribus solis. Parietis fenestræ, num. 1 in solo superiore; num. 2 in solo secundo; et arcus num. 3 sunt soli primi seu terræ.* **H** *Paries exterior, qua respicit partem mediam inter orientem ac meridiem. Ejusdem fenestræ* h *jet in eadem forma fenestræ soli inferioris.* **Y** *Paries ex adverso sacræ domus, sequendo frontispicium collegii, qua est orientem inter et septemtrionem: ubi cubicula num 4.* **I** *Areola ducens è collegio ad sacram domum; quo intratur per portam num 5, et ad tribunas num. 6 ex adverso sacri sacelli.* **K** *Pavimentum ante sacram cameram.* **L** *Statio in summitate scalarum intra sacram domum: num 7 porta ad dictum pavimentum: num. 8 porta ad sacristiam.*

P. B. Bouttats scul.

A ſtica formula per octo conſequentes dies Deum ibi religiosè venerantibus eſſe propoſitam. Plerique pervigilium jejuni tranſigunt in provincia; & Aſpeythia oppidum, felix ejus patria, pio id jam uſu ac libera factitat devotione. Civitas hæc, quæ ſancti civis ſui beatificationem & canonizationem celeberrimo cultu olim proſecuta eſt, hoc præcipuè anno pietati erga patronum indulſit ſuum. Coactis enim è diſtantibus oppidis ſymphoniacorum nobiliſſimis, poſt veſpertinas laudes Deo in templo magnificè decantatas, Capitulum ad concinendum in Loyolano ſanctuario Completorium proceſſit; cum tam templum majus, quam Loyolæ ſacellum pretioſis peripetaſmatis, & altaria multo auro collucerent. Ubi adveſperaſcit, feſto campanarum pulſu, ignibuſque ad feneſtras perque plateas ſuccenſis, laudes Viri ſancti undique perſonant. Hoc anno magnis omnia aucta ſunt incrementis.

Ipſo autem feſto Loyolam itum, inſtructo agmine; ludi publici celebrati,

21 Itaque ſummò manè ob multitudinem confluentium vix liber per vias erat ingreſſus. Feſto iterum campani æris ſonitu, & muſicis organis undique concinentibus, inſtructo agmine frequentiſſimo accolarum pariter, ac peregrinorum, ac primæ quidem nobilitatis, qui ad celebritatem accurrerant, Loyolam itum eſt. Is fuit procedentis religioſi agminis ſplendor, ea ſpecies, ut regiæ aulæ aſſueti, nihil illius magnitudinis huic deeſſe affirmarent. Tum ex veteri more gentis, armata ſaltatio inſtituitur, rudibus & gladiis batuentium. Septuaginta hoc anno, eo in ludo pugnarunt, qui rubeis tæniis, albiſque calceis inſignes, nudos inter ſe fulgenteſque gladios admirabili corporum agilitate, armorumque tractandorum dexteritate agmina implicantes explicanteſque admirationi fuere.

aliaque publicè lætitiæ ſigna exhibita, dictio ſacra &c.

22 Viæ totæ lætis ac feſtis conviviis frequentatæ ſunt: [cum] quinque vicinis è provinciis publicum ad mercatum, quod Ignatii honori inſtitutum eſt, innumerabilis accurriſſet multitudo mortalium. Sequenti die clerus pariter ac magiſtratus inſtructo agmine, comitantibus de more feſtis choreis & muſicorum cantu, Loyolam venere. Ibi, quoniam ſuperius ſacellum frequentiam non capit, Sacrum ad januam domûs factum eſt, parato ad hoc inſtructoque altari magnifica ſub umbella. Super illud Sancti ſimulacrum ſacrificantis habitu, quod circumlatum eſt, reponunt. Is Jeſu nomen ſiniſtrâ ſuſtinet, indice dexteræ in illud intento, quaſi eo in nomine glorietur. Hoc triumpho antiquam ſuam ad domum ab infinita
C multitudine deductum excipiunt ſocii, & Sacro aſſiſtunt. Habita ad frequentiſſimam coronam brevis concio à Didaco Gamboa. Abſoluto Sacro, cuncti per vices ad ſacellum ſubiere, utque venerantium pietati eſt factum ſatis, rurſum inſtructum agmen Aſpeythiam rediit. Relictum eſt in Loyolano ſacello Ignatii cingulum affabrè, ad exprimendum Jeſu nomen, implicatum; quod exinde Aſpeythiam poſt octo hoſce feſtos dies refertur; ibique, donec Loyola collegium habeat, aſſervatur. Addita à prandio, ut moris eſt, taurorum venatio, exceptique epulo à magiſtratu viri nobiles. Eadem ludorum celebritas conſequentes dies habuit. Dominica die maximis imbribus aucti rivi, dejectique pontes, & Loyolanus reliquos inter, ſolitudinem fecerunt; ſed Transfigurationi ſacra die, & octavâ Ignatiani feſti ingens hominum vis per invia montium capto circuitu, adfuit celeberrimo concurſu.

23 Neque exterior hæc pietatis ſignificatio interiori ac ſolidiori fructu caruit. Confeſſiones totius anteactæ vitæ auditæ plurimæ; quamquam totius anni hæc meſſis eſt; cum plerique eorum, qui ſanctuarium Loyolanum ſive animi componendi, ſive opis poſcendæ cauſâ frequentes adeunt, ſolemni hoc more, animorum noxas omnes hîc deponant atque expient. Nec tardus in vota Deus eſt. Itaque noſtros, qui Aſpeythiæ agunt, plerique rogant, ut Loyolano in ſacello ſalutarem Hoſtiam velint offerre in gratiarum actionem, quod votorum rei ſint. Non defuit hoc anno, ut & ſuperioribus ſcripſimus, ad ſacrarium Servi ſui adeuntibus Deus: ſenſere enim opem, reliquos inter, duo; quorum alter mali dæmonis inſtinctu ad deſperata conſilia propemodum adactus, cum ſe religione voti ad inviſendum piè ſacellum audiendumque Sacrum obligaſſet, illico ſaniorem ſibi mentem, tranquillitatemque conſcientiæ redditam ſenſit, venitque hoc anno Loyolam. Alter ſcrupulis miſerum in modum conflictatus, hîc etiam pacem invenit. Alia curationum mira omittuntur. Omnia ſint ad Dei gloriam. *Hæc ibi, & ex oculato quidem teſte. Occaſione verò indulgentiarum, de quibus ſuprà, ex notitiis Loyolanis ſubdimus, quod inter alia monumenta ad S.* E Ignatium *pertinentia, ibidem aſſerventur* Bullæ Gregorii XV duæ, expeditæ eodem anno, quo ſanctum Patrem in Sanctorum numerum retulit; quarum in altera concedit indulgentias plenarias viſitantibus S. Ignatii cameram in die ejuſdem Sancti; in altera extendit indulgentiam ad totam octavam.

EX VARIIS. Internus animorum fructus; Dei beneficiis hunc ſubſecutis.

Summa domus Loyolanæ veneratio

24 *Ceterùm quanta poſtmodùm hujus ſacrarii fuerit per Hiſpaniam veneratio, quantus ad illud concurſus, quanta motio animorum; docent ea, quæ P. Franciſcus Garcia lib. 6. Vitæ* S. Ignatii *cap. ultimo ſcribit. Quin imo, uti teſtatur idem auctor,* non pauci extra Hiſpaniam veniunt, ut inviſant ſanctam domum: & præteritis annis nonnulli Galli ceperunt pro ſacris reliquiis majorem partem antiquorum laterum culinæ: & eorum pulveribus, nec non ſcobe è lignis ſacelli abraſa, ubi cum pauxillo aquæ ſumuntur, multi infirmi ſanati ſunt à variis infirmitatibus. *Hæc in fide Garciæ. Quibus ex P. Joannis Nadaſi Anno dierum memorabilium, ad diem* VIII *Septembris adde iſta de P. Antonio Savignaco:* Ante annos fere tricenos, brachia, paralyſi omnia remedia ſuperante, diſſoluta geſtabat è collo. Eorum uſum, in omnem vitam, facilem & commodum recepit, F voto Loyolam nuncupato ad ædem S. P. Ignatii.

beneficiis & miraculis

25 *In manibus meis verſatur fragmentum* ex litteris P. Joannis Baptiſtæ Veracis (*de quo Bibliotheca Scriptorum noſtræ Societatis*) Mediolano XXIX Januarii MDCXLII *datis: ubi poſtquam actum eſſet de* S. Ignatii *feſto, in Loyolano ſacello anno* 1641 *maxima cum ſolennitate celebrato, populorum concurſu per totam octavam &c., ſubduntur iſta:* Menſe Julio quidam calculari morbo laborabat: vovit ſe viſitaturum ſacellum, ſi liberaretur; & confeſtim, emiſſo calculo, liberatus votum adimplevit. Quidam viri primarii præteritis menſibus viſitaverant ſacellum: cum de reditu ad patriam cogitarent, ſupervenit pluvia. Illi verò S. Patrem rogaverunt, ut ſerenum cælum adduceret. Obtinuerunt. Porrò in ſupradictâ octava mulier partûs doloribus affligebatur; jamque ad mortem proxima cenſebatur. Verùm, applicatâ S. Patris ſubſcriptione, cum ad ſe rediiſſet, dixit, non vitæ deſiderio teneri, ſed cæli, ubi S. Pater degebat: ſolicitudinem ſuam eſſe, ut infans baptizaretur. Et extemplo brachiolum emiſit, completo baptiſmo uterque obiit. Puel-

EX VARIIS. la ex alto ceciderat loco. Jam per multum tempus lecto affixa in neutrum latus movere se poterat ; ademptâ spe resurgendi : die sancti Patris pervigilio admonita ab amico, ut sese sancto Patri commendaret, obtemperavit ; confestimque perfectè incolumis surrexit, atque ad sacellum venit gratias S. Patri agens immortales.

Confirmatur. 26 *Præter hæc, notitiæ Loyolanæ Mss., quas habemus, fidem faciunt, ibidem in collegio esse* testimonia duorum miraculorum, per merita S. Ignatii factorum : alterum *est* in Petro de Corta ab ischiidiaco morbo liberato, anno MDCLXXXIV; alterum in Ignatio de Gaztanaondo, cui carpus aridus repentè est ad sanitatem restitutus sub idem tempus. *In eodem Ms. documento notatur, quod ibidem sit* informatio sanitatis concessæ Angelæ de Elosu Aspeitiensi anno MDCVI, per contactum rosarii seu corollæ precatoriæ, quâ usus olim fuerat S. Ignatius. *Item* informationes authenticæ duorum miraculorum, quæ jam in lucem ab aliis edita sunt : alterum Loyolanæ domus miraculosè illuminatæ : alterum sanati claudi Villaregiensis.

B *De primo agit Franciscus Garcia loco suprà designato. De secundo mox dicam.*

§ IV. *Alia miracula ; Loyolana domus quomodo Societati Jesu acquisita.*

Homo per quinquennium laborans

Miraculum illud, quo de mox loquebar, typis seorsim editum habeo Hispanicè, Gallicè, ac Flandricè. Henao etiam illud inseruit Antiquitatum Cantabriæ libro 3, cap. 34. Ego autem ex nostro exemplo Ms., quod ex Hispanico Latinè redditum prænotatur, ista extraho : Inter prodigia .. locum habere singularem meretur id, quod hoc anno MDCXC accidit XIII Maii in sacro Pentecostes pervigilio, secundùm inquisitiones accuratè factas, & relationem à R. P. Petro Hieronymo de Corduba, Castellanæ provinciæ bis Præposito missam. Hunc in modum se res habuit.

debilibus ac distortis cruribus, C 28 Baptista Garcia, filius Joannis Garciæ, & Mariannæ de Echanis, qui Villam regalem, Guipuzcoæ oppidum incolunt, ab annis omnino quinque cruribus erat ita debilibus, ut niti neutro posset ; ita distortis, ut suo singula quasi juncta femori gressum non facerent, sed impedirent. Manibus igitur, ut poterat, usus, reptabat humi, & corpusculi molem magno labore promovebat ad parva etiam spatia locorum. Calamitas tam grandis, & allapsa fama de prodigiis, intercedente S. Ignatio in domo Loyolea patratis, fecerant, ut & ipse ab aliquot annis voveret novendiales in sacro loco comprecationes facere. Cum tamen parentes hactenus habuissent ad juvandum promissi complementum tardiores, novis eos, & fortioribus precibus rogavit, sinerent, facerentque tandem, ut votum exsequi suum posset. Et impetravit denique, cum etiam accessisset efflagitatio parochi, ut eò transferretur.

dum ex voto 29 Exorsus, quæ voverat, officia pietatis, per primos dies nihil in se immutationis persensit. Volebat scilicet Deus, ut antequam Sanctum suum ingenti honoraret miraculo, non modò patres Societatis in isto collegio degentes, sed etiam cæmentariæ & fabriles operæ prorepentem viderent manuum adminiculo ad altare miserum, & suas coram Sancto effundentem ærumnas audirent. Et jam fecerat id Baptista per dies septem D continuos ; cum octava luce sensit acutissimos dolores, quos vocibus, suspiriis, lacrymis testabatur acerbissimis. His commotus, misertusque homuncionis patrum aliquis, animat jam pusillanimem, & an sacras beati Ignatii reliquias honorare velit, interrogat. Cum affirmasset, easque magna animi teneritate esset veneratus, visi sunt nonnihil remittere cruciatus illi.

novenam ibi peragit ; 30 Ergo pater ad præbendas cuidam in sacro tribunali aures discedit : sed finita necdum confessio erat, cum novas audit, majoresque miselli voces, se præ magnis, quos pati nequiret, doloribus mori exclamantis. Accurrit interrupto Sacramenti ministerio pater, & an eum, ut jam in articulo mortis versantem, sacra donet absolutione, ambigit. His nimirum paroxysmis præludebatur curationi, naturæ vires plurimùm excedenti. Cum igitur quasi quiddam solatii quærens, aut fulcimenti, vestem patris apprehendisset, & hic manum jam pararet adjutricem porrigere, ecce gloriam Dei : Baptista sentit sibi genuum & tibiarum nervos firmari paulatim, & extendi adeo E firmarique crura, ut jam solum planta pedum tangeret.

sanatur. 31 Cumque jam se consistere pedibus persentisceret, stupore plenus, & lætitia, Sine, inquit, pater mi, sine me solum progredi. Tum productis ad statum usque naturalem tibiis, cœpit sine dolore, aut impedimento per sacelli ambulare spatia, & ad aram Sancti gressum dirigere, ejus beneficio tam prodigiosè restitutum. Post actas ibi Deo, & sancto Thaumaturgo gratias, quales & tantum postulabat miraculum, & repentina gaudia exprimebant, iterum in pedes erectus, & magnas jam hominum, quos acciverat fama prodigii, turbâ circumdatus, campanis, & alios in usus illuc allatis tubis lætum sonantibus, testes rei mirabilis in se factæ plurimos habuit, non jam ambulans dumtaxat, sed currens etiam, & præ magno gaudio identidem saltitans. Atque ita miraculi veritas, & series per testes plurimos, eosque oculatos comprobata, brevi ad vicinas provincias dimanavit.

Homines in subsultu pulveris nitrici non læsi ; membris capti, F 32 *De subsultu vasis, in quo erat pulvis nitricus, quem ignis corripuerat, Aspeitiam concutiente, hominibus mirificè illæsis ; scribit Henaus lib. 3, cap. 34. Alia quædam miracula notantur in Mss. notitiis Loyolanis, quæ ex Hispanico sic reddo :* Puer quidam Aspeitiensis dudum prostratus fuerat in lecto, mutus, surdus, ac membris captus, toto corpore iners, & à medicis depositus & chirurgis. Venit ejus mater ad sanctum sacellum cum candela : & postquam accendisset eam in ara primaria lipsani sacri (quod est S. Ignatii digitus) Sancto obtulit, quod, si illum sanaret, veniret cum filio peractura ei novenam. Hoc facto, domum suam rediit, & invenit puerum omnino sanum .. Puer illo prodigio sanitati redditus levavit se lecto, & venit extemplo cum sua matre adimpleturus novenam oblatam.

alter gressu privatus, 33 Dominicus de Yriondo, ætatis annorum unius supra triginta, oriundus ex oppido Azcoytiensi, & in præsentia incola Motricensis, malignis infestus erat humoribus, qui à medio corpore inferiùs eum privabant facultate gradiendi, crurum ac femorum usu prorsus impeditum. Vovit, nudis pedibus se venturum ad sanctum sacellum S. Ignatii. Et mox facto isto voto, omnino se sanum sensit. Venit nudis pedibus itinere quatuor leucarum per montes, ut votum impleret ; & confessus est, & communicavit in sancto

A cto ſacello.

Item alter genibus luxatus,

34 Notorium eſt Azpeitiæ; puerum quempiam, nomine Nicolaum de Orendain, luxatis genuum oſſibus, incedere non potuiſſe niſi baculo innixum, qui juvabat eum ſolummodo, ut cum difficultate graderetur: neque poterat aſcendere ad ſanctum ſacellum, niſi reptando manibus per gradus. Dixit illi puer ſacriſtiæ, ut in ſancto ſacello peteret à S. Ignatio, ut ſe ſanaret; utque lampadis ejus oleo, quod mirabilia patrabat, genua ungeret. Domum tulit oleum, illo ſeſe unxit; & noctu dormientem illum dolores genuum expergefecerunt; qui mox eum reliquêre ſanum ac robuſtum. Non videtur S. Ignatius eum excitare voluiſſe niſi iſtis cum doloribus, ut obſervaret miraculoſum beneficium, quod ab ejus manu accipiebat. Factum iſtud magnam Azpeitiæ admirationem concitavit, propterea quod viderent, modo tam repentino, ſine remedio humano incedere, & inceſſiſſe ſemper puerum iſtum adeo robuſtum, & adeo ſanum à ſuis genibus luxatis. Qui in gratiarum actionem duas in

B ſancto ſacello novenas inſtituit S. Ignatio.

quidam inſuper crure incurabilis, ſoſpitatur.

35 Juvenis quidam, nobilis alicujus ex oppido Toloſano famulus, multis medicorum & chirurgorum remediis adhibitis, adeo impeditum ſe ſenſit ex uno crure malè affecto, ut cum difficultate ac debilitate paucos poſſet paſſus conficere. Vovit, ſe Loyolam venturum, lipſanum ſacrum S. Ignatii in ſacello ſancto venerandi gratiâ. Dumque herus ejus videret, non poſſe eum incedere pedibus, dixit illi, ut uni ex ſuis inſidens jumentis, eò equitaret. Verùm juvenis hoc non admiſit, dicens, teneri ſe ex voto illuc ire pedibus, eo modo, quo poſſet. Incipiebat tam lentè ſuam laborioſam peregrinationem, ut unius horæ moras traheret in egrediendo Tolosâ, & ingrediendo iter Loyolanum. Venit ægrè ad locum quemdam, unâ leucâ Tolosâ diſſitum, & Loyolâ tribus: in quo ſenſit, ſe eſſe peculiari quodam robore ad conficiendas illas tres leucas; & quanto incedebat magis, tanto ſe ſentiebat magis agilem. Ex monte detexit ſanctam domum & collegium; flexit genua, ut S. Ignatium oratione interpellaret: & è veſtigio tantum ſenſit vigoris & agilitatis, ad proſequendum iter, ut curriculo accedens, in ſanctuarium ſeſe ingereret: ubi veneratus eſt reliquias S. Ignatii, & grates Sancto perſolvit de prodigii favore, quo eum proſecutus erat. *Atque hæc ibi. De ſingulari Azpeitienſium erga* S. Ignatium, *ex quo Beatis adſcriptus fuit, cultu, conſuli poteſt Henaus lib.* 3, *cap.* 32. EX VARIIS

A marchionibus de Alcanizes tranſit domus Loyolana ad Mariam Annam Auſtriacam, deindè ad Societatem.

36 *Dicendum nunc ſupereſt, quo pacto domus antiqua Loyolana Societati Jeſu ſit acquiſita. Rem, de qua documenta noſtra Mss. nos inſtruunt, contrahimus cum Franciſco Garcia lib.* 1, *cap.* 4 *Vitæ* S. Ignatii. *Anno itaque* 1681 *Mariæ Annæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum reginæ placuit, ut in domo Loyolana, quam marchiones de Alcañizes ſibi ceſſerant, fundaretur collegium Societatis Jeſu: cujus & ipſa voluit eſſe patrona, & filium ſuum Carolum II, Hiſpaniarum regem, ejuſque in corona Caſtellana ſucceſſores, regii patronatus heredes relinquere. Id quod ſua majeſtas acceptavit, mandando per decretum anni* 1683, *ut dicta fundatio annotaretur & inſereretur in regio patronatu. Atque in anteriore facultate, quam anno* 1681 *conceſſerat marchionibus de Alcañizes, ut à majoratu Loyolano ſejungerent domum terraſque adjacentes, ad collegii fundationem neceſſarias, mandaverat, ut in nova fabrica nullus deſtrueretur paries antiquæ domus, quo venerabilis antiquitas domûs permaneret.*

Primus novi ædificii lapis.

37 *Factum verò primum novi ædificii lapidem fuiſſe die* XXVIII *Martii anno* 1689, *diſcimus ex Ms. inſtrumento, quod eſt in promptu. Porro deſiderium erigendi Loyolæ collegium moverat noſtrum P. Joannem Barbianum, ut eâ gratiâ locupleti ſuo patrimonio nuntium remitteret. Videſis Henaum lib.* 3, *cap.* 39; *apud quem à cap.* 37 *invenies cumulatè deductas ex inſtrumentis, quæ producit, notitias, ad antiquæ hujus ac venerabilis domus ceſſionem, donationemque ſpectantes.*

CAPUT II.

Gloria poſthuma S. Ignatii ex commoratione apud Manreſanos, ac Barcinonenſes.

C F

§. I. *Spelunca, aliaque loca Manreſæ Sancto honorifica.*

Inſcriptione honoratur eccleſia B. Luciæ;

Ribadeneira in Vita breviore cap. 3 Joannes Baptiſta Cardona, *inquit*, doctor & epiſcopus Vicenſis (cujus in diœceſi Minoreſſa ſita eſt) & electus Dertuſenſis, Minoreſſæ in eccleſia B. Luciæ, antea valetudinario pauperum, ubi Societatis Jeſu auctor Ignatius pœnitentiæ duxit exordium, ad memoriam pœnitentiæ illius ſempiternam, lapideam pyramidem præclara cum inſcriptione erigendam curavit. *Quæ cum ibi, tum alibi in Vitis exſtat. Res acta* Sixto V Rom. Pont., & Catholico rege Hiſpaniarum maximo Philippo II. *De celeberrima Sancti exſtaſi ab uno Sabbato ad aliud, agens Ribadeneira lib.* 1, *cap.* 7, *illam*, Manreſæ cum adhuc verſaretur .., acciditſe, *indefinitè memorat. Locum verò Bartolus determinat lib.* 1, *num.* 14, *nimirum* ad S. Luciæ, in noſocomii peranguſto conclavi, à *Sancto* ideo optato, quod exigua feneſtra in templum pateret, unde infirmi Sacro intererant. *Vicenſus* (*de quo in noſtro Commentario prævio* § 5, *num.* 49 *diximus*) *agens pag.* 17 *de xenodochio S. Luciæ, portentoſum iſtum raptum aut exſtaſin octiduanam ibidem contigiſſe, affirmat; ac de ea inveniri teſtes auritos & oculatos multos in informationibus juridicis Barcinonenſibus anni* 1595, & 1606. Noſocomium verò ipſum Societati in collegium ceſſit, ægrotis intra oppidum commodiùs locatis, *ait Bartolus lib.* 1, *num.* 22.

magna in deneratione habetur locus ille, in quo contigit famoſus Ignatii raptus;

39 *Petrus Cantius, in Commentario prævio ſuperiùs* § 4, *num.* 29 *allegatus, ſic ſcribebat:* Habet (*Manreſa*) Societas noſtra collegium, pauper quidem & humile, quod ad ædificium attinet; ſed præcipuo ſancti Patris noſtri monumento ſummè dives. Scilicet intra ipſos collegii parietes exſtat etiamnum integrum, & numquam hactenus variatum noſocomium illud .., in quo per octiduum totum de ſabbatho in ſabbathum paſſus eſt mirabilem illam exſtaſin. Solùm locus iſte

EX VARIIS. iſte, in quo ſic jacuit exanimis, verſus eſt in ſacellum octo circiter pedibus longum, latum, & altum: nec alio vocatur nomine, quam RAPTUS S. IGNATII. Sacellum eſt tenerrimæ devotionis. Ejus pavimentum ſtratum eſt ex lateribus coctis, iiſdem ſcilicet, in quibus jacuit ecſtaticus. Et ne calcantium pedibus paulatim alterentur, aut excaventur lateres, conteguntur tabulato ligneo: quod tamen attolli poſſit, & attollitur ſubinde, ut venerantium oculis & oſculis pateat.

templum item Deiparæ à Sancto frequentatum: 40 *Luſtrandus nobis nunc locus ibidem alius. Vicenſus variis vicibus Sanctum fuiſſe in ſacello Dominæ noſtræ* de Villadordis; *ubi habuerit Chriſti, Mariæ, ac S. Petri, ut vult, apparitiones, pag.* 17, *num.* 57 *ſcribit conſtare ex proceſſibus anni* 1606. Quandoque, *ut Bartolus lib.* 1, *num.* 11, beatæ Virginis Villadordienſis ſacram ædem petens, ſeſquimilliari Manreſâ diſſitam, textum propria manu ex aculeatis herbis addebat faſciculum, ad erodendam carnem, configendamque comparatum: qui Villadordii etiamnum honorificè aſſervatur. *Ibidem ad dextrum latus aræ majoris viſ-*
B *tur imago* S. Ignatii, *teſte Garcia, lib.* 1, *cap.* 12, *cum inſcriptione, quæ inter alia memoret, quod iſtam eccleſiam frequentaret, ubi & ſingulares cæli favores acceperit. Inſcriptio autem ſignatur die* XIX *Februarii* 1632. *Plura ibidem.*

41 *Ex Garcia lib.* 1, *cap.* 11 *diſcimus, Sanctum adverſa valetudine Manreſæ laborantem,* in primo quidem morbo ex xenodochio *S. Luciæ, in altero autem è conventu S. Dominici, in ædes viri nobilis ac divitis Andreæ de Amigant deductum fuiſſe, valetudinis curandæ gratiâ: cubiculo autem, in quo infirmus decubuerat, magnam eſſe conciliatam venerationem; nec non infirmos tres eò deductos, invocato* S. Ignatio, *integram recuperaſſe ſanitatem. Poſtquam vero ibi dictus auctor Amigantorum familiam laudaſſet à beneficentia erga Sanctum, ac Societatem ejus; a reverendo admodùm Patre noſtro Joanne Paulo Oliva indultam eidem fuiſſe memorat communicationem omnium bonorum operum, quæ fiunt per totam Societatem. Addit præterea citatus ſcriptor, quod ipſemet Sanctus gratum ſeſe comprobarit: in cælo*
C *quidem, quando anno* 1635 *Joannes Amigantus repentina ac vehementi paralyſi correptus, Sancti à ſe invocati, ac ſibi apparentis patrocinio feliciter emerſit è ſua infirmitate: in terris verò, quando Præpoſitus Generalis electus, ad Amigantos ſcripſit &c.*

in quo æger decubuerat. 42 *P. Joannes Planus noſter in litteris ſuis, (quarum apographum collectioni monumentorum noſtrorum Romanorum inſeritur) ad R. A. P. N. Everardum Mercurianum datis*, Initio, *ait*, menſis Julii juſſu R. P. Petri Villalbæ Provincialis, Manreſam duo patres profecti ſumus, ut ibi ſolita Societatis erga proximum officia exerceremus.. Mirum certè, in ea civitate quam viva ſit Parentis noſtri memoria. Innumeri ſunt, qui eum ibi ſacco indutum, & eleemoſynam petentem viderunt. Vivit matrona, quæ Ignatium graviſſimo morbo laborantem excepit in domum ſuam. Vidimus cubiculum & cubile idem, in quo Ignatius ægrotus jacebat. Cauſa verò, quæ Ignatium ad domum iſtius adduxit, hæc fuit. Emigrarat Pater ex hoſpitali pauperum in cœnobium Dominicanorum; quod & Hiſtoria lib. 1, cap. 6 docet (modo verò cellula iſta deſtructa eſt propter domûs reædificationem:) ibi in morbum incidit. Devotæ mulieres, quæ Ignatio miniſtrabant, ne aliis eſſent ſcandalo, domum Religioſorum monachorum ingrediendo; rogaverunt hominem pium & divitem, nomine Amigant, ut cubiculum aliquod Ignatio domi ſuæ concederet, quouſque in priſtinam valetudinem eſſet reſtitutus. Etenim poterant illæ adire abſque ulla ſuſpicionis nota. Vir pius libenti animo concedit. Uxor hujus, quæ modò vidua eſt, narrat, inſolentes quoſdam ludibrii causâ ſolitos fuiſſe virum ſuum appellare Simonem Leproſum, eo quod Ignatium, qui in omnium ore ſanctus erat, velut alter Simon Jeſum recepiſſet: ipſam verò Martham, quæ ſatagebat circa frequens miniſterium Ignatii. D

Locorum veneratio ex teſtimonio Ribadeneiræ; & Petri Gil de ſpelunca; 43 *Ribadeneira in Vita breviore cap.* 3 *hæc fatur:* In animis Minoreſſanorum tanta vis amoris in Ignatium eſt impreſſa, ut, quamvis octoginta jam anni effluxerint; Minoreſſæ tamen exſtet etiamnum recens & jucunda memoria, hæreantque vitæ illius monumenta non pauca. Incolæ enim & magna uſque hodie pietate frequentant ea loca, in quibus ille commorari & orare conſueverat, & ejus precibus divinam opem implorant. *R. P. Petrus Gil, ſeu Ægidius (de quo in Commentario prævio § 13;) in epiſtola, menſe Decembri anno* 1605 *ad P. Petrum Ribadeneiram ſcripta,* E *teſte Vicenſo pag.* 14, *num.* 44, *hæc ipſi ſignificat, quæ ex Hiſpanico ſic ſonant:* Manreſæ res mirabilis ſunt miracula, quæ contingunt, & devotio, quâ civitas iſta tota, & loca vicina frequentant, quaſi continua cum ſtatione, ſpeluncam, in quam B. P. Ignatius ſe recipiebat *&c.*

de cujus publica & honorifica frequentatione 44 *Vicenſus pag.* 13, *num.* 42 *expreſſis verbis enumerat ſeptem hujus ſpeluncæ publicas ac ſolennes viſitationes, ab anno* 1596 *uſque ad* 1616. *Ibid. num.* 43 *civitatem Manreſanam in ſua ad ſummum Pontificem epiſtola anno* 1610 (*quam dicit authenticam aſſervari in collegio Bethlehem Barcinonenſi*) *ſcribentem inducit; unde diſcimus,* conſervari ſucceſſivè in illa civitate per traditionem beati Patris memoriam ac venerationem erga unum ſacellum & unam ſpeluncam, quò dictus Pater ſecedebat ad orandum. Et tantum creſcit devotio in dies ſingulos, ut vix ſit infirmus, quin pro eo inſtituantur novenæ in dicta ſpelunca, & ponantur vota atque anathemata. Et perſonæ maximè inſignes veniunt, ut eam venerentur: excellentiſſimi Domini, dux, duciſſa Monteleonis, proreges Cataloniæ, ſua mater, duciſſa Terranovæ, ac filius ejus: quatuor ſimul epiſcopi; Vicenſis, Barcinonenſis, Solſonenſis, & Algerienſis: Inquiſitores, Generalis S. Benedicti: adeo ut ſtatio continua & frequentia perſeveret in dicta ſpelunca civitatis apud eos, qui prope, & qui procul abſunt. Quas res videmus oculis noſtris, & manibus noſtris contrectamus. *Hæc apud dictum Vicenſum, ex Hiſpanico hîc verſa.* F

nonnulla profluntur. 45 Eamdem frequentiam, *ſicut addit*, omnium, tamquam in ſupplicatione, ad loca adeo ſancta, ſublatis ab iis terra ac lapidibus pro reliquiis, ſcribit civitas in alia epiſtola diei XIX Januarii, anni MDCII, ſacro concilio provinciali Terraconenſi; *quam is dicit* haberi in libro Proceſſuum canonizationis Sancti fol. 347. Conſequenter Mauritius Cardona citatus, *ait*, num. 17, qui fuit primus hujus ſpeluncæ dominus, affirmavit eum juramento, vidiſſe ſe diebus aliquot, plus mille perſonas ire ad eam viſitandam: ſeque à multis fuiſſe reprehenſum, quod ſe abdicaſſet tam ſancto ac devoto pignore; ſe, dominum ejuſdem exiſtentem, multa è rupibus ejus Valentiam, Cæſarauguſtam, Ilerdam *&c.* tuliſſe fruſta, quæ à ſe petebant oſculabantur, ac pro reliquiis aſſervabant.

46 *Ceterùm piiſſima hæc erga ſanctam hanc, ſpe-*

A *Confirmatur cultus Sancti apud Manreſanos propagatio.*

ſpeluncam veneratio, ac propagatio ad poſteros Manreſanos, colligitur & confirmatur ex iis, quæ anno 1674 *in ſuis litteris ſcribit Cantius:* In oppido, *aiebat*, toto vix eſt platea, cujus incolæ non aliqua vel miracula, vel miraculis ſimilia Sancto ſuo (nam ſuum eſſe volunt, & ſuo gloriantur) accepta referant, narrentque plenis buccis, & pleniore animorum ſenſu. Certè audiuntur paſſim matres, dum filiolos domum revocant, aut ad ſe accerſunt, Ignatiolos ſuos appellitare. Scilicet tantus amor, & veneratio eſt in Sanctum, ut ejuſdem nomine filios ſuos paſſim gaudeant vocari.

§ II. *Alia venerationis ſpecimina, cæleſtes favores, ſpelunca Societati Jeſu data.*

B *Maximi fit ab inſignibus perſonis hæc ſpelunca*

Illuſtriſſimus D. Lupercus de Arbizu, Manreſani collegii fundator, magno in pretio habuit ſacram illam ſpeluncam; prout eſt apud Vicenſum pag. 11, *num.* 41, *ex litteris ejus ad R. A. P. N. datis die* XXII *Decembris anno* 1619. *Retulerat autem num.* 40, *illam fuiſſe veneratum ſereniſſimum D. Joannem Auſtriacum, Cataloniæ proregem; omnes epiſcopos Vicenſes, quando in viſitanda ſua diœceſi eò divertunt, ipſam revereri; multoſque longa temporis ſpatia orando in ea conſumere; & ſacerdotes non paucos veniſſe ex remotis locis, ut in illo ſanctuario primitias ſuas celebrarent. Ad hæc*, uſus ferme in legem abiit, *teſte Bartolo lib.* 1, *num.* 22 *ſub finem*, ut qui Monſerratum ad Virginem adit, inſalutata Ignatii ſpecu, tribus diſſita leucis, non redeat: quod ſpatium à multis præ reverentia nudis pedibus obitur. Nec deeſt ſua pietati merces: ſoli enim ramenta peregrini, & de rupe aſſulas referunt, quibus efficaciſſimis utantur præſertim adverſùs faſcinationes & veneficia.

inter quas egregium ſpecimen dedit archiep. Burdegalenſis.

C 47 *Nec verò intra ſolos Hiſpaniæ limites ſtetit peregrinorum eò confluentium religio: nam Vicenſus pag.* 11, *num.* 35 *meminit actus publici, die* XVIII *Octobris anno* 1609 *notati; unde conſtet, Eminentiſſimum dominum Franciſcum Cardinalem de Sourdis, archiepiſcopum Burdegalenſem, veniſſe è Gallia, ut ſanctam hanc ſpeluncam inviſeret. Quanta autem cum ſignificatione pietatis id fecerit, narrat Garcia lib.* 1, *cap.* 12: *videlicet ſtationes omnes Sancti præſentiâ honoratas adire voluit; xenodochium, ſacellum Raptûs, fluvii Cardoneri margines: in ſpecu ad aram fecit: ſingulari deinde cum pietatis teſtificatione oſculum dedit ſolo*, S. Ignatii *pedibus calcato, lacrymiſque & ſanguine rigato: oleum lampadis petiit, rupiſque pulveres ſumma cum veneratione accepit; atque ut de iſtorum ſacrorum pignorum veritate magis conſtaret, eorum certitudinem teſtimonio publico roborari voluit: centum denique pœnarum peccatis debitarum dies relaxavit iis, qui xenodochii ac ſpeluncæ ſanctuaria viſitarent, uti habemus ex citato auctore.*

Sacellum ſpeluncæ ſuperædificatum;

48 *Sacellum ſpeluncæ ſuperædificavit illuſtriſſimus Robuſterus, epiſcopus Vicenſis, anno* 1603, *ex Garcia capite mox citato, ſub titulo* S. Ignatii *martyris, lapſu temporis in* S. Ignatii Loyolæ *nomen commutato. Annus autem ille confirmatur ex inſtrumento fabricæ prædicti ſacelli, die* XXXI *Martii, anno* 1603 *confecto, notario Raphaële Torres Minoreſſano, ad devotionem domini epiſcopi Robuſteri, ex Vicenſo pag.* 10, *num.* 33; *apud quem pag.* 9 *num.* 29 *juratus teſtis deponit, ſe obtuliſſe* 50 *ducatos ad ampliandum ſacellum; citaturque Informatio Minoreſſana anni* 1606 *fol.* 435. EX VARIIS.

pecunia ad ornatum collata; indulgentiæ &c.

49 *Domina Anna de Aymeric, Comitiſſa de Fuentes in Aragonia, Minoreſſæ ex nobili Aymericorum familiâ oriunda, reliquit in ſuo teſtamento mille ſcuta, ad ornatum hujus ſanctæ ſpeluncæ: & D. Petrus de Oſorio, nobilis Hiſpanus, commiſſarius generalis Lombardiæ, ætatis* 70 *annorum, qui Barcinone ad eam venit pedes, legavit mille & ducentas libras, ad ejuſdem ornatum. Gregorius item PP. XV eam jubilæo, die* XXVI *Januarii anno* 1623 *ditavit, pro prima Dominica Octobris; quo die ibi celebratur feſtum, præter dies* XXX *&* XXXI *Julii: quæ diſcimus ex Vicenſo pag.* 14, *à num.* 45. *De ornatu, tabula, ejuſque epigraphe meminit Bartolus lib.* 1, *num.* 22; *Garcia verò de cubiculis ibidem loci exſtructis, ad excolendos eos, qui Exercitiorum ſpiritualium gratiâ illuc ſecedunt.*

Malum talitris, E

50 *At nunc miracula quædam ſingulatim demus in fide Vicenſi, qui illa narrat:* nonnulla, *inquam*; nam referre omnia, (*ſicut is quidem teſtatur pag.* 15, *num.* 48) quæ inveniuntur de oleo lampadis; deque ſancta terra iſtius ſpeluncæ, quæ ordinariè in Catalonia & in omnibus locis datur infirmis, cum mirabilibus effectibus, infinita res eſſet. *Mox itaque à num.* 49 *hæc refert, ex Hiſpanico hîc tranſlata:* Spes Tabernera, à malo lateris infirma, accepit unum iſtius ſanctæ ſpeluncæ lapillum, à ſuo filiolo ſibi datum; eumque oſculata, ſenſit prodere ſuavem quamdam fragrantiam: ac tam citò recuperavit ſalutem, ut illo eodem die potuerit prandere & cœnare cum ſuo marito. Juravit poſtea, quod lapidem manu tenens dixerit: Sancte glorioſe, per pœnitentiam, quam feciſti in iſta ſancta ſpeluncа *&c.*

ulcera ſtrumarum,

51 Domina Beatrix de Ioſa, filia domini Hieronymi de Ioſa, convaluit à ſeptem ulceribus ſtrumarum, è quibus pus manavit multis annis, ſolummodò applicando illis pulveres ſpeluncæ. Obtulerunt argenteam lampadem pro ſacello Sancti Barcinone: juravitque virgo, quod, quando Sanctum cum lacrymis rogabat in dicto ſacello, ut ſe curaret; imago Sancti oculos ad ſe converterit, ac notatu digna ſe affecerit conſolatione: grata Sancti monumenta erga illam familiam nobilem, F à qua tot accepit beneficia, quando Barcinone ſtudebat, præſertim ab inſigni domina D. Eliſabetha de Ioſa, ipſius in ſpiritu diſciplinæ alumna.

cæcitas, dolor dentium ſoſpitantur.

52 Margarita Capdepos vidua, multis annis cæca, dum eſſet annorum 90, facto dumtaxat voto viſendi iſtam ſanctam ſpeluncam, recuperavit viſum; tribuſque primis diebus non vidit niſi roſas. Et Mauritius Bertran in Informatione Minoreſſana anni MDCVI juravit, quod, dum acutum dentium molarium dolorem ſentiret ſine remedio, ingreſſus in ſanctam ſpeluncam, lapillo ex ea ori impoſito, in perpetuum curatus fuerit.

Nefarii à perpetrando in ſpelunca ſcelere impediti.

53 Nonnulli, quibus ſubtraxerat manum Deus, voluerunt gravem contra illum offenſam committere in iſta ſancta ſpelunca; & non potuerunt, dum & numero eſſent ſeptem, & facilis cuilibet eſſet exſecutio, ſi per miraculum impedita non fuiſſet. Rem juramento confirmarunt quatuor teſtes, Franciſcus de Gaver nobilis, & Veguer; Mauritius Cardona (cui aggreſſores reſarſerunt damnum, quod ei intulerunt, frangendo portam ſanctæ ſpeluncæ) Mauritius Gomar notarius,

EX VARIIS. & Mauritius Asbert, doctor in jure; quibus rem narrarunt aggressores; *quos Bartolus lib. 1, num. 22 in fine, ponit* octo *fuisse.*

Sudor sanguineus miraculosus.

54 Miraculosus fuit sudor sanguineus (prout testati sunt doctores Bernardus Mas, & Stephanus Viñas medici: nec non canonici Jacobus Coromines, & Franciscus Fadre) qui visus est in pervigilio S. Ignatii anno MDCXXVII, in quodam sancto Crucifixo, lapidi insculpto *&c. At rem gestam dabo inferius inter miracula, quæ in Hispania contigere.*

Sanctæ spelunca vis sospitatrix ex regina Hisp.

55 *Famam rerum mirabilium, quæ fiebant in illa spelunca, perveniſſe etiam ad aures Margaritæ Austriacæ, sereniſſimæ Hiſpaniarum reginæ, argumento eſt inſtrumentum, cujus meminit Vicenſus pag.* 11, *num.* 34, *die* XIX *Decembris anno* 1602 *ſignatum, notario Raphaële Torres: unde eodem ibidem teſte Vicenſo*, conſtat, quod ad devotionem dominæ reginæ D. Margaritæ Austriacæ, decanus, judex eccleſiaſticus Manreſanus, juſſerit rumpi, & acceperit è rupibus iſtius ſanctæ ſpeluncæ duo ſegmina, quæ miſſa ſunt ſuæ majeſtati. *Et pag.* 9, *num.* 27 Andreas Sala notarius.. juravit.., quod ipſe tamquam conſiliarius adſtiterit, quando ex iſta ſpelunca fuerunt deſumpta fruſta rupis, quæ, tamquam reliquiæ, ad reginam dominam Margaritam Auſtriacam miſſa ſunt. *Obſerva obiter, Bartolum & Garciam tam diſcordare in anno (ſignant enim annum* 1603) *quam addere, quod prædicta Margarita Auſtriaca lapillum optarit ex iſta ſpelunca, imminente partu, ut Sanctum de more parturientibus faventem, ſibi quoque propitium redderet.*

ac proregis Cataloniæ factis ſtabilitur.

56 *Denique* excellentiſſimus Dominus D. Hector Pignatellus, dux Monteleonis, prorex Cataloniæ.. votum fecit *ſpeluncam* viſendi: quod complevit cum ſua uxore, matre, ſorore duciſſa Terranovæ, & cum ſuo ſobrino duce Terranovæ: quia ſanatus erat ab infirmitate, in qua à medicis depoſitus fuerat: & quia in ſua ſorore fecerat Sanctus aliud grande miraculum: *uti eſt apud Vicenſum pag.* 9, *num.* 28, *ex Informatione Barcinonenſi anni* 1606. *Vide Commentarium meum prævium num.* 1092.

Acquiritur Societati Jeſu ſpelunca.

57 *Quomodo autem venerabilis illa ſpelunca acceſſerit noſtræ Societati, pag.* 6, *num.* 17 *tradit Vicenſus ex Informatione authentica Minoreſſana anni* 1601, *pag.* 28; *& in Barcinonenſi anni* 1606, *fol.* 422; *ubi Mauritius Cardona juratus deponit*, quod excellentiſſima marchioniſſa de Aytona in Seros petierit à ſe dictam ſpeluncam: quam ille & Catharina, uxor ejus, ipſi donarunt: & dicta marchioniſſa, aut ejus heredes patribus Societatis, qui hodie eam poſſident. *Hæc ibi, ex Hiſpanico hic verſa. Scribit verò Garcias donationem illam dictæ marchioniſſæ eſſe factam die* XXVII *Januarii, anno* 1602; *&* Seros, *locum ſeu oppidum ipſius fuiſſe, ex eodem auctore etiam habemus. De nova, eaque inſigni fundatione dicam infrà cap.* 4, § 3 *in fine.*

§ III. *Exercitia ſpiritualia poſt Sancti mortem laudata; uſus eorum in Societate, & apud varios Sanctos &c.*

AD S. Ignatii *apud Manreſanos commorationem maximè ſpectant Exercitia ejus ſpiritualia; de quibus multa dixi in Commentario prævio* § 5 *& ſeqq.; quibus hæc addo pro gloria Sancti ex iiſdem poſthuma. Orlandinus lib.* 16, *num.* 125 Longam, *inquit*, Ludovicus Strada, vir egregiè doctus ac pius è familia S. Bernardi, ad ſocios Septimancenſes epiſtolam dedit Hiſpanicè, quæ longo pòſt tempore Italico ſermone edita Romæ eſt. *In editione Neapolitana anni* 1605 *notatur ſcripta* XII *Februarii* 1557. *Summam ejus dat ibidem Orlandinus; ac num.* 127 Adjicit, *ait*, his Exercitationum ſpiritualium laudes, quas appellat novitiatum quemdam, toti humano generi inſtitutum *&c. S. Franciſcus Saleſius in Tractatu De amore Dei lib.* 12, *cap.* 8, *pag.* 363, *editionis Toloſanæ anni* 1637, *ita loquitur; quæ è Gallico reddita ſic ſonant*: Sancta methodus, antiquis Chriſtianis familiaris; ſed poſtea penè omnino intermiſſa: donec magnus Dei ſervus Ignatius de Loyola eam in uſum reduxit tempore patrum noſtrorum.

Ludovicus Strada; ac S. Franciſcus Saleſius,

item epiſcopus Bellicenſis,

59 *Illuſtriſſimus Joannes Petrus Camus, epiſcopus Bellicenſis, anno* 1609 *à dicto S. Franciſco Saleſio, juxta Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, conſecratus*, Liber omnino aureus, *ait*, & omni gemma multò admodùm pretioſior ac divitiis: quo minoris valet, quidquid deſiderari in terra poteſt. O librum divinum ſingulari Dei cum lumine ſcriptum; quique adeo numquam ſatis laudari poſſit! Librum, qui abſcondit in ſe manna, medullam Libani, & ſinapi Euangelii! *Hæc dedimus ex Italico Carnolii cap.* 6, *qui citat Directionem ſpiritualem cap.* 19. *Alphonſus Rodriguez in Exercitio perfectionis & virtutum Chriſtianarum part.* 1, *tractatu* 5, *cap.* 25 *profert verba Pauli V, ex quibus die* XXIII *Maii anno* 1606 *Pontifex iſte indulgentias plenarias largitur Religioſis, qui per decem dies ſeceſſerint ad obeunda Exercitia ſpiritualia &c. Alexander PP. VII in litteris Apoſtolicis die* XII *Octobris anno* 1657,

atque Alexander P P. 7 magnificè ſentiunt de Exercitiis:

60 Nos, *ait*, qui probè ſcimus, quantopere conducant Exercitia hujuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſti fidelium mentibus; devotionem eorum, qui operi adeo pio & ſalutari vacaverint, cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis incitare volentes..; omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuſcumque alterius Ordinis & congregationis regularibus, quam aliis quibuſlibet eccleſiaſticis & laicis, qui in domo memoratæ Societatis, Exercitia prædicta juxta laudabilem ejuſdem Societatis conſuetudinem, per octidui ſpatium quandocumque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes & confeſſi, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint; quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus in perpetuum valituris. *Quid, quod Exercitia vel à jurato Catholicæ religionis ac Societatis hoſte probantur?*

heteradoxo quodam

61 *Exemplo ſit Gabriel Lermæus Calviniſta, apud Bartolum lib.* 1, *num.* 18, *qui vera falſis involvens, dum ſatyram voluit procudere, panegyrim eorum vel invitus edidit, ita ibi deblaterans*: Quid hoc incantamenti eſt, quæ faſcinatio, quâ Jeſuitæ homines dementant? Sua quidem illos extra frequentiam ædium in conclavia inductos, illic meridiana in nocte, luce omni excluſa, profundo mærore obruunt, triſtique horrore conſternant. Miſeri, quos ea ſors prehenderit! ut qui olim in antrum Trophonii deſcendebant; ſic dicant hi licet, ab ipſo

A ſo lumine, lætitiæ ac voluptatibus longum vale. Illuc enim homines ingreſſi, indidem ſtipites prodeunt, ſtupidi, amentes, vitæ deliciis funditus mortui, uniſque in poſterum lacrymis ac triſtitiæ victuri. Iis caveis ſepulto nec datur videre, nec videri, niſi magorum illorum ab aliquo bis illuc quotidie ſubmiſſa voce, vultu attonito magica carmina inferente, quæ paucis in chartula lineis infelici tradit, ut iis apud ſe aſſiduè verſandis graviùs faſcinetur. Quas verò illic chimæras fingant, quas forment imagines, quæ viſa ſomnient, quis ſatis enarret?

62 Flent, exclamant, irrugiunt; velut jam fumo ignis tartarei morderi ſibi oculos ſentiant; & anticipatis urantur flammis. Jurant quotidie, ſe ita victuros, tamquam ſub noctem morituri, neque caduca hæc niſi puncto individuo tacturos. Cum autem inde ſe efferunt, quaſi ſiderati mundum hunc intuentur, ut ſi nunc primum in eum ſubirent. Intuentur verò non iiſdem, quibus antea oculis, ſed perinde ut ſcenam interea vertiſſet, ſpectant illum, ut mare tempeſtatibus horrendum, & naufragiis infame; ubi navigare non ſit faciliùs, quam petire. Unde ad quemlibet ingreſſum videntur ſibi aut allidi, aut tranſverſum ire. Quare in portum quantocius ſubducere ſeſe deliberant, tandemque monachiſmo ſe dicant. Ad hæc Jeſuitæ, ſi fortè quod habeant emoti jam cerebri caput, in hac illud fornace eliquatum recoquunt & reducunt, tamdiuque malleo contundunt, quoad edomitum, ſuum ad morem formamque redegerint. Ex molliore vivendi habitu ad durum; ex obediendi duritie ad docilitatem; ex pigro actuoſum; firmum & ſtabilem ex fluctuante efficiunt. *Ita infrunitus ille è nigra bile, quam eructat, lucem affundit Exercitiis.*

vel per vituperia, eorum vim laudante.

B

63 *Maximi illa fiunt, & impenſè urgentur in noſtra Societate. Ut verò nihil dicam, quod, cùm de ea conſtituenda* Ignatius *ac ceteri patres deliberarent, uti videre eſt apud Maffeium lib. 2 cap. 9, viſum fuerit, ut ejuſdem* candidati cum aliis experimentis, tum verò præcipuè ſpiritualibus Exercitationibus.. probarentur; *quodque menſtruorum Exercitiorum uſum in tironibus confirmarit poſtmodùm* S. Ignatius; *ex Orlandino lib. 7, num. 2; quod denique in primo ac generali Examine cap. 4 inter alia experimenta ponatur* primum, in ſpiritualibus Exercitiis menſem unum plus minùs verſari; *atque in Conſtitutionibus noſtris part. 4, cap. 8, num. 5 ſanciatur, ut noſtri* ad Exercitia ſpiritualia aliis tradenda, poſtquam quiſque ea in ſe fuerit expertus, aſſueſcant; & dent operam omnes, ut.. in hoc armorum ſpiritualium genere tractando (quod Dei gratiâ ad ipſius obſequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere poſſint. *Ut, inquam, illa præteream; magnam curam habuit Societas, ea poſt obitum ſui Fundatoris promovendi apud externas perſonas. R. A. P. N. Claudius Aquaviva in epiſtola ad præſides provinciarum, Romæ die* XIV *Auguſti* 1599 *data, quemlibet eorum* majorem in modum hortatur, ut omni ſtudio excitare atque accendere nitatur uſum hunc Exercitiorum non ſolum in noſtris; verùm etiam in externis. *Et Paulò pòſt*; Magnopere, *ait*, optarem, ut noſtri primùm in ſe ipſis frequenter uſu illa excolentes, idoneos ſe magiſtros redderent, qui eadem poſtea cum fructu tradere ſecularibus poſſent. *Deſiderat etiam P. Claudius, ut uſum Exercitiorum ſedulò confeſſariis noſtris commendent, ut pœnitentes, quos aptos ad hæc judicarint, eò inducant: atque adeo* neceſſe futurum *addit; ut locorum Superiores* promptos ſe liberaleſque in eos admittendos exhibeant, qui per Exercitia ſpiritualia juvari cupiunt *&c.; ſuggeritque medium, plurimùm etiam ad rem conducturum*, ſi procuretur, quoad ejus fieri poterit, ut in ſingulis collegiis ac domibus ſtata ſint aliquot cubicula, in hunc uſum Exercitiorum pro externis deſignata *&c.*

Uſus eorum, in Societate

ex Vap.ius

64 *De S. Carolo Borromæo Bartolus lib. 1, num.* 18 *Vitæ S.* Ignatii *agens*, Junior, *inquit*, ad ſacram purpuram.. adlectus, Romæ in profeſſorum domum Societatis Jeſu recepit ſeſe, ut daret Exercitiis operam: quod ei deinceps, quamdiu vixit, ſemel quotannis ſolenne manſit, ac bis etiam, quoties licuit, Joanne Baptiſta Ribera, pòſt verò Franciſco Adorno, dicamne diſcipulis & admiratoribus, an, ut ipſe jubebat, animi ductoribus & magiſtris? Ex quo illud ipſius in ſynodo ſaluberrimum decretum, ne quis initiaretur ſacris, & ſacerdotio, niſi aliquot dies primis ſaltem Exercitiorum meditationibus purgatus. Reliquo dehinc anno ſanctus Archipræſul libellum terebat Exercitiorum, & contemplandi argumenta ex eo quotidie depromebat; ſentiebatque de illo ita magnificè, ut duci Mantuano Vincentio, bibliothecam ſuam locupletiſſimam monſtranti, Mihi quoque, dixerit, bibliotheca eſt perampla, ſed in libelli coacta epitomen, ex quo plura intelligo, quam poſſim ex ceteris omnibus diſcere; ſubdiditque hunc eſſe Exercitia S. Ignatii. Ex hoc illi Deus tanto digna magiſtro ac diſcipulo monita prælegebat. *Conſuleſis Joannem Petrum Giuſſanum in Vita laudati Cardinalis lib. 1 cap. 5; lib. 2, cap. 16; lib. 7, cap. 11; lib. 8 cap. 5, & 23. Quam ſolicitè verò Exercitiorum ſpiritualium uſum urſerit idem Sanctus in promovendis ad Ordines ſacros, perſpicuum eſt ex Actis eccleſiæ Mediolanenſis, à laudato Præſule conditis; tom. 1 pag. 388, editionis Lugdunenſis anni 1683, item pag. 116, & 364; tom. 2 pag. 859.*

S. Carolus Borromæus maximus Exercitiorum æſtimator.

E

65 *S. Franciſcus Saleſius Exercitia etiam obivit. Carolus Auguſtinus Saleſius in patrui ſui Vita lib. 6*, Penè reſpirabat, *inquit*, cùm ad Quadrageſimales conciones Camberium proficiſci oportuit. Ivit autem maturè, ut antequam intraret in negotia, parum otii ad collectiones animi haberet. Quamobrem ſpatio dierum octo, quo tempore hilaria ſunt, apud patres Societatis Jeſu Exercitiis religionis ſolitarius incubuit. *Quales ſeſe in præſenti argumento præſtiterint Eminentiſſimus Carolus Georgius Radzivil, epiſcopus Vilnenſis; illuſtriſſimus Hannibal d'Afflitto, archiepiſcopus Rhegienſis in Calabria; nec non illuſtriſſimus Ambroſius Ignatius Spinola, archiepiſcopus Hiſpalenſis; dabit Carnolius cap. 6.*

Ea etiam obivere S. Franciſcus Saleſius,

F

66 *De Seraphica matre Tereſia hæc accepimus:* Deo autem dante factum, ut quod quærebat, quam primùm id in Societate inveniret: agere quippe primùm cœpit cum quodam è noſtris, viro & apprimè religioſo & prudenti.. Hic, quantum quidem auditu accepi, per ſolita orandi præcepta, quæ in Exercitiis B. P. N. præſcribuntur, eam exercuit, etſi non per omnia: *uti loquitur interpres Latinus Vitæ à Franciſco de Ribera conſcriptæ.*

S. Tereſia,

67 *S. Maria Magdalena de Pazzis Exercitia ſummo in pretio habuit, ac diligenter promovit. In Vita ejus apud nos tom.* VI *Maii, die* XXV *ejuſdem menſis, à pag.* 298, *res illa ſic exponitur.* Anno.. MDXCIX cùm vidiſſet gloriam S. Joannis

ac S. Maria Magdalena de Pazzis

EX VARIIS. Euangelistæ, & S. Ignatii confessoris, de cujus spiritu multa mirabilia dixit, voluit mense Novembri cum tribus aliis matribus facere Exercitia ejusdem S. Ignatii, directore utens P. Virgilio Cepario.. Fecit autem illa maxima sua cum consolatione, sublimemque de ipsis conceptum formavit: &, dum vixit, sæpius eadem dedit sororibus, docens eas, quomodo in praxim deducenda essent lumina & inspirationes, quas inter ea Dominus communicabat. Atque hinc postea invaluit usus in isto venerabili monasterio, faciendi quotannis prædicta Exercitia spiritualia cum profectu non exiguo & incremento in spiritu, ac studio orationis. *Hæc nobis sufficiunt: videri interim de præsenti argumento potest Carnolius cap. 6.*

§ IV. *Usus Exercitiorum apud Italos, ac Venetenses in Britannia minore.*

B *Editus libellus docet, quid in hac materia Bononiæ sit factum:*

Libellus Parmæ ab uno è nostris hoc titulo editus est: Spiritualia S. Ignatii Exercitia in provincia Veneta sexui hominum utrique, magno animarum fructu, communicata anno MDCCI; *unde sequentia excerpo.* Et primò quidem Bononiæ in nostro D. Luciæ collegio fructiferum opus cœptum est extremis ipsis Bacchanalium diebus, quibus pium admodùm & religiosum triduum P. Aloysius Albicinus quinquaginta supra centum eorum adolescentium adhibuit, quos à Scholis piis vocant... Cleri pietas eluxit primâ, quæ mox secuta est, Quadragesimæ hebdomadâ. Octoginta circiter, quorum alii sacerdotio, minoribus alii, ut aiunt, Ordinibus præditi, sacris commentationibus octiduum integrum à P. Petro Contesino exerciti sunt. Hos proximè secuti sunt externi scholarum nostrarum auditores facilè ducenti, quos.. P. Franciscus Bonardus triduana rerum æternarum meditatione occupavit. Hebdomadam verò, quam Passionis vocamus, nobilitas utriusque sexus præcipua, exemplo pietatis verè singulari nobilitavit. Sex integros spiritualibus Exercitiis dies viri seorsim ac feminæ dederunt. Præfuit illis in domestico Salvatoris sacello P. Joseph Philibertus Barberius; habuitque sanè, unde laboribus abunde gratularetur suis.. Septuaginta *quippe* continenter numerati sunt, in iisque nonnulli, qui patritium ordinem excederent. Par in feminis studium, numerus etiam major; cum ad nonagesimum plus semel pervenerit. Congruis ipsas commentationibus excoluit egregiè in laterali ecclesiæ nostræ atrio P. Aloysius Masdonus, collegii Rector.

C *quid Brixiæ, & in agro Bergomensi &c.*

69 Brixiæ quoque cœptus lapso proximè anno mos feliciter continuatus est. Exculti sunt tres dies sacris Exercitationibus viri equites ac matronæ nobiles. Et quidem cum seriùs rei agendæ fama per urbem missa esset, ac domi facilè timeretur, ne satis pro re numerus futurus esset; timorem exitus disjecit, superavit exspectationem. *Nam* centum ferme numeratæ sunt ac propè omnes primariæ feminæ; totidem viri, equestres alii; alii proximi ab hoc ordinis. His P. Flaminius Lupus; illis præfuit P. Livius Pagellus, collegii nobilium moderator.. Patrum studium.. extendit *etiam* se in proximum agrum Bergomensem; ubi P. Joannes Antonius Petrobellus in oppido Albino Quadragesimalibus concionibus sacram præmisit decem dierum collectionem, quâ clerum illum Ignatianis commentationibus excoluit. Hoc idem fecit in oppido Clusone P. Marcus Fallardus, qui sociâ insuper operâ P. Hieronymi Zamperii quotidianas conciones diebus integris octo spiritualium Exercitationum cumulavit, viros ac feminas seorsum binis in templis excolens.. Castilionense collegium nec partibus defuit, nec hominibus pepercit suis. P. Peregrinus Tosettus, collegii prorector, erectum nuper proximo in oppido Lonati Capuccinorum cœnobium spiritualibus commentationibus exercuit dies octo. *Reliqua porro, quæ tum ibi, tum aliis per provinciam Venetam locis egregiè gesta sunt apud Carpenses, Faventiæ, Ferrariæ, Forolivii, Mantuæ, Massæ Lombardæ, Mirandulæ, Mutinæ; quibus adde domum probationis Novellarianſem, academiam Parmenſem, Placentiam, Patavium, Ravennam, Regium, Ariminense collegium ac Veronense; quæ recenset citatus suprà libellus.* D

Quid fiat Neapoli ac Romæ.

70 *In Solitudine sacra nostri Camilli Hectorei, de qua paulo post, § 44 Neapolim habemus; ubi* in septimana sancta anno MDCLXIX in domo professa Societatis Jesu tradita sunt Exercitia spiritualia solita, suo tempore, cum insolito accursu nobilium, senatorum, & magno satis affluxu variorum Ordinum Religiosorum, ut loci sat aliàs ampli spatium non potuerit omnes, illa postulantes, capere.. Quin & in spectabili hac civitate inceptum est aliud ad stuporem amplius. Ante Sexagesimam nempe traduntur Exercitia in famosis illis ampliſque carceribus, & coram venerabili Sacramento, uno in loco omnes incarcerati conveniunt. Maxima illîc cum ædificatione miseri hi rei pœnitentias publicas ultro eligunt, & fit genetalis communio; processio item instituitur per ambitum carcerum. Unde per confessionem generalem &c. magni animorum motus, magna mutatio in miseris reis videtur. Imo & in tremebus usus Exercitiorum locum habere cœpit magno cum fructu eorum, qui ad hasce damnati sunt.. Adolescentes, *sicut ibidem dicitur*, congregationis primariæ, erectæ in collegio Romano, omni anno per octiduum vacant Exercitiis; uti & qui educantur in seminario Romano, aliisque collegiis sacræ Urbis, sub directione patrum Societatis. E

Notitia quædam distincta F

71 *Ex iis, quæ P. Petrus Gallarati S. J. anno* 1729 *huc misit Mediolano, ista delibo*: Sancti Patris Ignatii cultus & veneratio Mediolani quam maximè increbuit, crescitque in dies, ex quo spiritualibus Exercitiis peragendis patefacta est domus, quam Sinapriam vulgò appellant, corrupto vocabulo, cum Scena aurea antea vocaretur. Hæc parvo intervallo ab urbe distat, fuitque olim suburbanus recessus ad delicias compositus, qui nobiles dominos pluries mutavit; donec ædium, ceteroquin splendidarum, instauratione diu neglecta, transiit in cauponam, quæ, confluente passim ad compotandum populo, flagitiorum subinde omnium receptaculum evasit: ut non solùm eo nomine infamis, verùm etiam dæmonum infestatione & spectris horribilis sit reddita; proindeque jam infrequens ac propè deserta, suæ ipsius ruinæ derelicta poterat videri.

circa ea, quæ apud Mediolanenses,

72 Omnium primi ad hunc sacrum secessum convenerunt anno MDCXCVI duo supra viginti sacerdotes, qui post expiatam ritu ecclesiastico, & lustrali aqua respersam totam domum, præfixasque in diversis ejus partibus sancti Ignatii imagines, exerceri cœpti sunt, tanta animorum quiete, & ab omnibus nocturnis terriculis immunitate ac severitate, ut compertum fuerit, nihil amplius juris in ea domo esse dæmoni, sed totum cessisse religioni ac pietati. Exinde alii post alios, non sacerdotes

A dotes modò, ſed omnium ordinum, etiam ſupremorum, cives confluxerunt tam cupidè, tam frequenter, ut neceſſe fuerit amplificare conclavia, & totum fermè annum (extra ſummos æſtus ſcilicet, & ſumma frigora) huic ſpirituali culturæ impendere, diſtributis in hunc modum vicibus, ut quater, qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici; quater nobiles & magnates viri; quater cauſidici & opulenti negotiatores; quater de promiſcuo populo, honeſti ceteroquin homines idoneique, exerceantur; quorum omnium numerus ad ſexcentos quotannis accedit, major utique futurus, ſi plures caperet domus..

& alibi fiunt. 73 Neque verò Mediolani hæſit tantum Sinapriæ bonum; ſed univerſam hanc regionem latè pervagatum eſt, aliis quoque civitatibus hoc exemplo permotis ad ſimilem exſtruendam in agro ſuburbano ſolitariam domum, Exercitiis peragendis deſtinatam; ut nullum jam propè in tota noſtra provincia collegium ſit, quod non hujuſmodi juvandorum proximorum efficaciſſimo inſtrumento feliciter utatur. Quin immo Mediolani etiam nobiles matronæ ſuum jam habent pro Exercitiorum ſeceſſu domicilium, perſonarum ſplendori ac decentiæ accommodatum, in quo decem

B dierum ſpatio penitus occluſæ, ad crates ferreas, monialium more, à noſtris in ſpiritu excoluntur.

De urbe Venetenſi in Britannia minore 74 *At ſacra hæc ſolitudo maximo utriuſque ſexûs numero frequentatur in Venetenſi minoris Britanniæ urbe. In Vitis D. Ludovici Eudonis de Kerlivio, præsbyteri nec non magni Vicarii diœceſis Venetenſis; P. Vincentii Huby S. J.; ac Catharinæ de Francheville, anno 1698 ſimul editis; exponitur, quantum operæ contulerint ad rem ſaluti animarum adeo fructuoſam. Enimverò venerabilis pater Hubius duo apud Venetenſes ad hunc ſeceſſum magna domicilia procuravit: quorum ſingula trecentas & eo amplius perſonas ſimul capere poſſint; ſacraque hujus generis aſceteria incredibili cum animarum fructu ipſe per ſe annis triginta direxit; ex elogio ejus, quod Menologio clarorum hominum noſtræ Societatis inſertum eſt. Noſter Camillus Hectoreus in ſua Solitudine ſacra, dictæ urbis Exercitia illuſtrat; è cujus interprete Latino part. 1, § 38 hæc excerpo:* In eadem Societas Jeſu domum habet unicè deſtinatam Exercitiis, ſemper patulam recipiendis, quotquot de regno ad eadem peragenda confluunt: quorum numerus tam eſt frequens, ut omni anno eorum numerentur aliquot centeni. Anno MDCLXV acceſſit ille ad ſexcentos.

C Anno MDCLXVI numeratæ fuerunt perſonæ, omnis generis & conditionis homines, ultra octingentas & quadraginta; partim de ſtatu eccleſiaſtico epiſcopi, vicarii, canonici, parochi, concionatores, miſſionarii, confeſſarii, regulares variorum Ordinum magno numero: de ſtatu ſeculari, domini de parlamento, magiſtratus civitatis, marchiones, comites, barones, gubernatores, capitanei, judices, advocati, procuratores omnigenæ.

Singularia exponuntur. 75 Acceduntque è locis ad triginta & plures leucas diſſitis, modò tempore verno, modò in autumno, alii pro commoditate ſua, diverſa anni tempeſtate. Memorabilis porrò eſt methodus, quâ convocantur. Sub initium anni imprimitur index dierum ſtatutorum, quibus inchoantur Exercitia pro qualibet claſſe: promulgatur ille à prædicatoribus è cathedra, à parochis ad aram, à confeſſariis pœnitentibus ſuis, præmittiturque fama impreſſis foliis per provincias. Viginti ſunt eorumdem vices; id eſt binæ omni menſe, excepto Octobri, qui vacat ob ferias autumnales. Duæ item ſeptimanæ vacant ratione occurrentium in iis primariorum feſtorum. Omnes de reliquo menſes frequentantur; unus quidem præ altero, omnes tamen copiosè. EX VARIIS

§ V. *Uſus Exercitiorum in ditione Subalpina, & adjunctis ei provinciis.*

Ædificium collegio Taurinenſi pro Exercitiis tranſcriptum. *EX documentis, quæ R. P. Antonius Falletti, provinciæ Mediolanenſis S. I. præſes, ad nos mitti juſſit per P. Petrum Gallaratum, iſta contraho:* In Subalpina ditione, & adjunctis provinciis, quæ ſubſunt regi Sardiniæ, maximè viget, floretque jam pridem Exercitiorum ſpiritualium, ut vocant, D. Ignatii uſus.. Anno milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo comes Silveſter Oliverius collegio Taurinenſi tranſcripſit ampliſſimum ædificium, egregio ſumptu ab ipſo excitatum, in eorum commodum atque uſum, qui ſpiritualibus Exercitiis animum intendunt: ea tamen mente tranſcripſit, ut illud fas eſſet collegii patribus villæ loco habere, quandò ſactæ locum exercitationes non obtinent. Ædes ſunt latiſſimè patentes ad formam Religioſæ domus, extra urbem poſitæ ultra milliarium, qua parte occidentem ſpectat.. Ad ſacellum, mediocris fere templi amplitudini accedens, ædificandum non modicam ſummam impendit abbas Emmanuel Philibertus Buneus, qui & adjecit ſupellectilem ſacram, & diverſi generis plurima ornamenta; idemque certam legavit pecuniam, ut ſemper adeſſet ſacello ſacerdos, capellani nomine à P. Rectore collegii eligendus, qui & univerſo ædificio cuſtos addiceretur. Anno deinceps decimo ſeptimo comes Oliverius extra ædium ſepta ſacellum aliud extruxit, ne tum præſertim, cum ſacræ habentur exercitationes, circumpoſiti agri ruſticanæ gentes feſtis diebus in ſacellum interius eſſent admittendæ.

Multi exercitiis imbuuntur Taurini, 77 Eſt Taurini antiquius collegio noſtro ſodalitium à D. Paulo nominatum, brevi intervallo à collegii clauſtris ſejunctum. A collegii primordiis noſtro utitur ſacerdote ad confeſſiones præſertim excipiendas, fovendamque ſodalium ad pia caritatis officia (plurima etenim ſodalitium illud complexum eſt) privatis, publiciſque adhortationibus alacritatem. Sodalitium idem plurimam jam pridem adhibuerat operam, ad Exercitiorum ſpiritualium ſtudium, inter laicos præſertim & nobiles excitandum, promovendumque. Delectus ex ſodalibus unus, qui agmen conſcriberet optantium in ſacram ſolitudinem per octiduum recipere ſeſe, qui eo tempore rem domeſticam procuraret: denique nulla in re, ſeſe exercentibus deeſſet. Nec deſunt plurimi, qui hunc ſacrum ſeceſſum expetunt cujuſque ordinis viri, præſertim ex civico, patritio, & eccleſiaſtico, ut major ſæpè adhibenda ſit induſtria in excludendis non paucis, quam in alliciendis. Labori verò par fructus, Deo opitulante, reſpondet..

in Subalpina regione, 78 Vetere jam conſuetudine Taurinenſes patres plurimis per univerſam Subalpinam regionem poſitis in domibus, D. Ignatii meditationibus multos exercent. In ſingulari ædificio nuper commendato Taurinenſis collegii quadraginta, vel quinquaginta diverſorum ordinum viri facilè ſexies vel ſepties quotannis colliguntur. Procul ab urbe aliis in domibus Taurinenſes patres ſexies pariter, vel ſepties, aliquando etiam, ut arbitror,

EX VARIIS. duodecies, ſingulis annis, ſimilia exhibuere poſtulantibus officia. Decies certè vel duodecies quolibet anno id præſtant in ſacris gynæceis, partim in urbe, partim extra urbem. Nobiles feminæ in remoto à turbis civitatis templo, diebus decem Pentecoſtes feſtum præcedentibus manè & à prandio ad horas plurimas in ſimile opus conveniunt, uno ex noſtris dirigente. Majorem hebdomadam in ſacris exercitationibus D. Ignatii pari ratione traducunt in collegio ſuperiorum diſciplinarum auditores, aliique etiam ætate graves fere ad quadringentos. Eo tempore per triduum exercentur pariter inferiorum diſciplinarum adoleſcentes facilè ſupra quingentos. Quod etiam in collegio nobilium fit ſeparatim à nobilibus in ſeminario agentibus, & ab externis diſcipulis eas ſcholas frequentantibus. Selecti tamen è convictorum nobilium numero aliquando dies octo volentes implent. In ſeminario epiſcopi alumni clerici ſub initium anni ſcholaſtici per triduum; ſub finem Quadrageſimæ per octiduum excoluntur.

B *in collegio item Montisregalis, ac domo Cherienſi:*

79 Collegium Montiſregalis, vulgò Mondovi, domum habet urbi proximam, quæ quatuordecim excipere poteſt D. Ignatii præceptis excolendos. Duplex quoque annò ejus numeri cœtus conſcribitur. Ad ædificium Exercitiis accommodatum, quod Plotii, atque aliud, quod Liſii apellatur, excurrunt identidem ejuſdem collegii patres. Bis fere vel ter ſacra gynæcea urbis Montiſregalis eaſdem exercitationes à noſtris quotannis expetunt. In ædibus ſodalitatum, virorum nempe nobilium, atque diſcipulorum, hi triduo, illi octiduo Quadrageſimæ tempore exercentur. Intra Cherienſem domum probationis, decem ſingulis annis eidem operi incumbunt. Duplex inſuper ſacrum ejuſdem urbis gynæceum. Nobiles & honeſtæ mulieres in aliquo urbis templo nonnumquam ad Exercitia colliguntur. Extra domum & civitatem identidem patres Exercitia tradunt.

ſui & Alexandrino collegio,

80 Alexandrinum collegium domum habet non procul ab urbe, domini Chriſtophori Cairi ære ædificatam, qui & proventum aliquem conſtituit, ut, quot admitti poſſent, ad pias exercitationes exciperentur. Frequenter à noſtris hujus collegii exhibentur Exercitia in ſeminario epiſcopi canonicis & parochis. Reditus ad quatuor ſupra viginti eo tempore ſingulis annis alendos ſtatuit optimus antea epiſcopus Alexandrinus, ad Taurinenſem deinde metropolitanam ſedem tranſlatus, Franciſcus Arboreus Gatinara. Illis alii ſe adjungunt de clero, qui numerum quadrageſimum complere conſueverunt. Duæ diſcipulorum, qui noſtros audiunt, ſodalitates triduo ſeparatim excoluntur; octo dierum habentur Exercitia in ſodalitio nobilium.

C

nec non Nicienſi, Cuneenſi, Pinerolienſi,

81 Nicienſis collegii domus, non procul ab urbe poſita, novem excipere poteſt, & ſingulis annis excipit. In æde ſodalitii nobilium Exercitia explicantur: diſcipulis verò, recepto more, per triduum. Cuneenſi collegio eſt domus ab urbe remota in diœceſi Toſſanenſi, quæ ſexdecim continere poteſt in religioſo ſeceſſu verſantes. Ter quoque anno pium munus à noſtris exhibetur. Bis pari numero exercentium ſe operam iidem commodant in oppido Boviſii. Bis pariter in Braydæ, ſeu Bardaratenſi oppido, ubi triginta ſingulis vicibus circiter conveniunt. Duobus præterea in Cuneenſi urbe ſacrarum virginum gynæceis Exercitia proponuntur, & per triduum diſcipulis, qui à noſtris erudiuntur. Intra ſepta Pinerolienſis collegii coguntur quotannis ad D. Ignatii exercitationes, ut plurimùm viginti. Sacræ virgines ſemel etiam excoluntur. Aliquando univerſo populo proponuntur Exercitia: aliquando nobilibus, ſeu honeſtis feminis: per triduum conſtanter diſcipulis. D

Vercellenſi, ac Salutienſi.

82 In collegii pariter Vercellenſi colliguntur circiter quindecim: id autem bis præſtatur annis ſingulis. Exercitia ſemel traduntur in ſacello ſodalitatis mercatorum & artificum: diſcipulis per triduum, ſemel unoquoque triennio in templo noſtro confertiſſimæ omnium ordinum multitudini D. Ignatii commentationes proponuntur diebus novem Pentecoſtes feſtum præcedentibus. In ſeminario epiſcopi expoſcunt ferè quolibet anno ad eaſdem exercitationes operam noſtram clerici ſexaginta. Admodùm frequenter idem munus patres Deo dicatis virginibus præſtant, & excurrunt ad ædificia ſacris exercitationibus deſtinata, quæ diverſis in locis excitata ſunt. In collegio Salutienſi per triduum ſacris exercitationibus diſcipuli excoluntur. Ejuſdem collegii patres à ſacris virginibus frequenter ad idem munus expetuntur. Inſuper frequentiſſimè idem præſtant pluribus procul in domibus huic operi deſtinatis; adeo ut etiam quatuor ſupra decem cœtus hominum quotannis diverſo tempore ac loco edoceant ac moderentur. *Ex tam latè itaque diffuſo, tamque fructuoſo ac ſtabili Exercitiorum, uti vidimus, uſu, magnus eorum poſt Deum auctori poſthuma accrevit gloria.* E

§ VI. *Sanctus apud Barcinonenſes poſt mortem glorioſus.*

Apparitio S. Ignatii

Commoratio ſancti Patris apud Barcinonenſes divinis favoribus inclaruit, ſecundùm præmiſſa in Commentario prævio § 11 & 12, quando degebat in vivis; ita tamen, ut gloria ejus, dum jam obierat, ſuperſtes ibidem manſerit. Res patet in Joanne Paſchale, de quo ibidem § 11. Solebat Joannes, *uti eſt apud Bartolum lib. 1, num. 31,* ab annis quadraginta, matutinis in templo majori cantibus adeſſe ad ſubterraneum S. Eulaliæ ſepulcrum, ſitum ad aræ principis radices. Eò igitur aliquando ſtato citiùs cum veniſſet, in aræ gradibus orabat, moram occupans bene longam inchoandi de more ſacri Officii: & cum recenti tunc conflictaretur caſu, illum, ſeque ac ſua Deo & Ignatio commendabat, haud pridem ad Superos tranſlato: Et, ô Pater, exclamans aiebat, quam nimiùm verè mihi cuncta hæc prævidiſti (*Vide Commentarium prævium à num.* 111) & nunc rerum mearum ſtatum certò, cujuſmodi ſit, è cælo vides, qui tanto antè in terra poſitus, qualis eſſet futurus, adſpexeras. Da, ſi minùs afflicto malorum ſolatium, at patientiam conſtantem, ut in eam tandem, quam pollicitus es, beatam ſalutem deſinant. F

Joanni Paſchali

84 Hæc & ſimilia oranti, en tibi velut ex longinquo muſicorum ſonus paulatim ad aures accidere, eaſque concentu admirabili mulcere, tum ex porta ſiniſtri ad aram lateris chorus totus prodire; poſt hunc mentium beatarum pompa ingens; tum clerus numeroſus, forma omnes inſigni ac planè cæleſti. Hi templum ingreſſi, & prope altare hinc atque hinc diſcreti, venerabili ſpecie ac divina virum medium excepere; qui ſacris veſtibus, ſtola, & chlamyde verendus, agmen illud claudebat. Erat antè templum in tenebris quartâ vix poſt hibernæ noctis dimidium horâ: verùm ultimi hujus ad ingreſſum ſic repentè totum reſplenduit, ut ardes

A ardere lucidiſſimis facibus videretur. Stetit hic ſacerdos ſupra monumentum S. Eulaliæ, ac diviniſſimam Euchariſtiam prona corporis inclinatione veneratus, ſumptoque de miniſtri manu thuribulo, fragrantiſſimo ſuffitu aram circùm ſæpius vaporavit.

facta 85 Eo miniſterio perfunctum præire quaſi ad egreſſum ſacer chorus dextram verſùs altaris portam, ubi Joannes ſplendore, ſymphonia, ritu novo hærebat attonitus, & ſtupens; cum fixo ſacerdotis in eum obtutu, & velut admirans, quod ab eo non agnoſceretur, nutu illum accivit, atque hîc demum apertis oculis eſſe Ignatium agnovit; ſurgenſque ad eum proſiluit. Excepit Sanctus vultu maximè hilari accedentem, quæſivitque familiariter, ecquid ſui memor; cum illius ipſe perpetuò meminiſſet: mærorem ſolatus eſt, refricatis ſpebus, quas ipſi olim æternæ ſalutis fecerat.

exponitur & confirmatur. 86 Hîc rogatâ Joannes venia complectendi, Sanctus adeunti manu bene precatus, ex oculis evanuit, totuſque viſi illius apparatus. Ad quæ, O Pater! Ah mi pater Ignati, ſuccamans Joannes, excivit aliquos è ſacerdotio: qui cum accurriſſent, hominem extra ſe repererunt, & effuſiſſimè lugentem: cujus ab iis interrogatus cauſam, enarrati nunc viſûs ſeriem iis omnem expoſuit: cujus una in poſterum quamdiu vixit, & quoties adverſis preſſus eſt, vel ſola recordatione magnum ſenſit doloris levamen. *Veritas iſtius apparitionis confirmatur ex relatione ipſiuſmet Joannis Paſchalis, jurejurando firmata (de qua Commentarius prævius num.* 112, *) tametſi factum ibi ipſe narret contractiùs.*

B

Imago S. Ignatii 87 *Hoſpitio etiam* S. Ignatii, *quo uſus eſt Barcinone, quando diſcendis linguæ Latinæ legibus dabat operam, ſingularem divina bonitas ſplendorem poſthumum impertiit. Dictum comprobo ex litteris noſtri Franciſci Ignatii Pallarès, die* XII *Septembris anno* 1699 *ſignatis: etenim ex iis, quæ ibidem circa domum Agnetis Paſchalis, Joannis homonymi matris, ac cubiculum, quæ Sancto hoſpitium præbuere, ſecundùm Commentarium prævium num.* 110, *memorat; diſcimus, in iſta domo ac Sancti cubiculo ſpectari parietes adeo copioſo ſanguine reſperſos, ut res moveat admirationem; ſanctuarium item illud hactenus quaſi ſemper ad uſus profanos adhibitum fuiſſe; & poſt menſium octo contentiones illum procuraſſe, ut in eo tabula collocaretur; cujus in ectypo, ab ipſo huc miſſo exhibetur cubiculum ſplendore plenum, Sanctus à terra ſublatus, flexiſque genibus, ac dextera manu pectori admota orans, ac dicens:* O Dios mio *&c. Id eſt:* O Deus meus! ſi homines te noſcerent. *Apponitur Joannes Paſchalis clam extra oſtium cubiculi illa obſervans.*

C

maligno ſpiritui terribilis; 88 *A pauco autem tempore, prout ex prædicta epiſtola habemus, quo tabula iſta in cubiculo fuit poſita in modum altaris, cum ſua lampade noctu diuque ardente ex eleemoſyna, contigit, ut quidam adoleſcens à maligno ſpiritu obſeſſus fuerit. Quando verò ſancti Patris imago, de qua dixi, quamque Pallareſius, poſtquam tabula eſſet picta, in lamella exprimi curavit, coram dæmoniaco ponebatur; rabiem incredibilem adversùs hanc imaginem movebat, ac majorem, quam adversùs varias alias ejuſdem Sancti imagines; furorem. Tamdiu autem res illa duravit, ut die quadam exorciſtæ imperarint dæmoni, ut ediceret cauſam, cur majorem rabiem, ac ſenſum magis ſingularem oſtenderet contra iconem hanc, quam contra varias alias* S. Ignatii *imagines. Diu quidem ille reſtitit; ſed demum exorciſmis coactus, cauſam eſſe dixit: quod videret, illum jam in veneratione eſſe locum, qui, ut in profanatione & oblivione maneret, & ipſe & infernus totus allaboraverant. Ad hæc; quia Deus ipſi exhibebat multos magnoſque favores, quos* S. Ignatius *in illo cubiculo acceperat; Deo ac Virgine ſanctiſſima illi imperante, ut eos referret eodem modo, quo ipſi repræſentabantur.*

EX VARIIS.

& cur. 89 *In principio hoc non curavimus, inquit prædictus Pallareſius; ſed poſt conſultationem & examen, imperavimus, ut diceret id, quod Deus & Virgo ſanctiſſima jubebant ipſum eloqui: multumque reluctatus malignus ſpiritus, retulit multos ac magnos admodùm favores, quos in dicto cubiculo acceperat* Ignatius, *cum in variis apparitionibus Chriſti Domini, ejuſque ſanctiſſimæ Matris, tum angelorum & Sanctorum. Hæc ex memorata ſuperiùs epiſtola exprompſi: quæ tametſi quatenus à dæmone profecta, non nitantur certa fide: non tamen idcirco mox tamquam falſa repudiari iſta debent; cum Dominus veritatem ex ipſo patre mendacii vel invito ſæpe extorqueat. Vide Ribadeneiram lib.* 5 *Vitæ cap.* 6; *& quæ dicam inferiùs num.* 161. *Ex his interim conficitur, commorationem Sancti viventis apud Barcinonenſes, peculiarem ei, poſtquam obierat, ſplendorem contuliſſe.*

D E

Gladius, & culcitra Sancti. 90 *His adjunge, quæ Petrus Cantius (de quo Commentarius prævius num.* 29) *è portu Barcinonenſi anno* 1674 *ſcribebat:* Inviſimus hîc quamdam domum, & in ea cubiculum, quod ſancto Patri pro domicilio fuit, dum vir inter pueros grammatices rudimentis operam dabat. Illam ſæpè conata eſt ſibi comparare Societas; ſed tradere recuſarunt ſemper fratres *quidam Religioſi*, qui domûs domini ſunt, veriti fortaſſe, ne illam in templum converterent noſtri, atque adeo nimia vicinitate ſuo ipſorum templo officerent. Vidimus etiam, & verò manibus ipſi noſtris contrectavimus gladium, quem ipſe Sanctus pro converſionis ſuæ principio appendit ad aram Divæ Monſerratenſis, ac noſtri non ita pridem pro dono aſſecuti ſunt, ſervantque modo hîc in ſacriſtia noſtra adinſtar theſauri, quovis dono pretioſioris. Aſſervantur ibidem culcitra, & tabulæ, in quibus ſanctus Pater decumbebat; in his quidem, dum rectè valebat; in illa autem, dum ægrotabat periculosè.

F

CA-

ex RIBADENEIRA. D

CAPUT III.

Gloria Sancti posthuma ex miraculis.

§ I. *Miracula usque ad annum Christi* MDC, *in Italia ac Sicilia patrata.*

Dantur hîc miracula ab an. 1561.

DE miraculis post Sancti obitum patratis mihi sermo est: nam circa ea, quæ vivens fecit, consule nostrum Commentarium prævium paragrapho 87, ubi agitur de spiritu ejus prophetico, & notitia arcanorum; § 88, ubi de vultu cælesti luce illustrato, apparitione, ac miro in dæmones imperio; § 89 & 90, ubi miracula à Ribadeneira asserta defenduntur; item § 101 parte 3 Relationis consistorialis Gregorio PP. XV factæ; quibus ex § 52 adde apparitionem eodem, quo Vir sanctus obiit, momento; ac proximo post mortem die puellam à strumis sanatam. De his ibi: de aliis verò, quæ deinde ad annum usque 1600 contigere, miraculis nunc dicam, quæ in brevi Vita, auctore Ribadeneira, interprete Quartemontio edita, cap. 18, & seqq. referuntur, incipiendo ab anno 1561; iis tamen omissis, quæ habentur in dicta Relatione consistoriali.

B

Puella Senis ab infestatione dæmonum,

92 Anno CIↃIↃLXI novi Senis in Italia puellam admodùm probam & simplicem, Jacobam Prati nomine, pedissequam nobilis matronæ cujusdam, quæ erat archiepiscopi ejusdem civitatis amita. In hanc admodùm dæmones erant infesti, ei se videndos variis figuris exhibebant, eam mira crudelitate cædebant. Duodecim annis in ea calamitate versata est. Ut verò B. Patris imaginem gestare cœpit, spiritus impuri quamvis oculis conspicerentur, & hunc esse magnis clamoribus inimicum suum testarentur, imaginem abjicere juberent; eò tamen audaciæ numquam venerunt, ut ad eam vel accederent, aut attingerent.

per imaginem Sancti;

93 Verùm cum objiceretur imago eorum adspectibus, demittebant oculos, aiebantque rem adeo sceleratam & impiam sese videre non posse. Ac licet eos irritaret puella, licet ad se percutiendam voce lacesseret, quamdiu tamen imaginem secum habuit, verberibus eam appetere numquam sunt ausi. Cum autem curiosiùs experiri vellet, an hic dæmonum timor ab imagine B. Patris, an aliunde proficisceretur, eam sepposuit, & ecce continuò dæmones, in eam impetu facto, tanta atrocitate verberarunt, ut velut mortuam reliquerint. Hoc incommodo suo periclitata, statuit in posterum hanc imaginem numquam deponere, quâ, velut clypeo, tuta esset, adeoque formidolosa dæmonibus: qui cum illam ferire non possent, feriebant parietes cubiculi & cistas & qualos.

C

uti & alius Anconæ;

94 Nec illud absimile, quod Anconæ anno CIↃIↃXCIX cuidam ludimagistro contigit. Hic auditis domi suæ lemuribus, qui principio cubiculum, eo absente, verrebant, lectum componebant, lumen afferebant; postea verò omnia turbabant, imagine B. Patris in cubiculo collocata, nullum deinceps in eo sensit incommodum, quamvis extrà magnos excitarent strepitus, januas fenestrasque aperirent & clauderent, & quadam inter se collisione tympanorum sonitum imitarentur. Verùm iisdem in locis etiam posita B. Patris imagine cunctus fragor conquievit, omnisque terror abscessit.

ac femina Romæ per reliquias ejusdem;

95 Dum anno CIↃIↃXCVII octavo Id. Jul. Romæ in æde sacra dæmon adjuratur, P. Joannes Baptista Peruscus lipsanothecam multis Divorum, atque inter ceteras etiam B. Patris reliquiis instructam sinu gestans, in eam Deo supplicaturus ingreditur. Hîc in ipso introitu diabolus, eo, quod secum pater gerebat, uri se magno clamore conqueritur. Sacris igitur exorcismis adactus, ut dicat, quid sit illud; confitetur esse reliquias B. Patris Ignatii, magni servi Dei, auctoris Societatis Jesu: eum in cælo beatam vitam agere, jam quidem incognitum, sed in terris brevi consecrandum. Tum P. Peruscus lipsanothecam accepit, quâ collo miseræ mulieris injectâ, dæmon ululat, & reliquiis E
hujus Patris uri se vociferatur: denique à muliere abscedit, Deo volente, ut tantum beneficium precibus B. Patris ferret acceptum.

alia in Majorica per chirographum;

96 In urbe insulæ Balearicæ majoris, femina Catharina Roca nomine, duodecim penè annis quotidie fuit à dæmone vexata. Jam manus ejus & caput ad parietem allidebat, jam tollebat altiùs, atque ei tantam gravitatem ac pondus addebat, ut duo viri benè valentes & robusti, junctis viribus, non possent vel unum digitum à terra sustollere. Nonnumquam more furiosi canis latrabat; aliàs grunniebat ut sus; à judicio frequenter & sensibus alienata in ore spumas agebat. Res erat commiseratione dignissima, tot quæsitis undique remediis non potuisse sanari. Tandem anno MDXCVIII, præcipitante Augusto mense, sacerdos quidam Joannes Pe * nomine, autographum * *in Hisp.* est Pi
B. P. Ignatii nomen capiti miserrimæ mulieris imposuit tum, cum sensibus esset destituta: illa verò furiosos & inusitatos toto corpore atque ore præsertim gestus egit: tum demum diabolus emigravit, liberamque ac sanam reliquit. Illa porrò sese honestè subduxit, Deoque precibus Ignatii recuperatæ valetudinis gratias egit. F

alia denique Senis per imaginem sospitantur.

97 Montischala locus est in agro Senensi. Ibi quamdam virginem, nomine Mnam *, filiam Gratiani Galæ *, maligni spiritus graviter affligebant, ei frequenter corporea & adspectabili forma apparentes, illicientesque in stuprum. Sed cum animadverterent, consensum se extorquere non posse, adeo crudeliter eam tutuderunt, ut corpus tumore ac livore decoloratum relinquerent. Verùm hoc eam malo Deus imaginis B. P. Ignatii applicatione liberavit.

* *In editione an* 1604 *Hisp.* Ulna
* *ibid. Hisp.* Gelasio

Sorores 4 Mutinenses, cum in corpore miserè,

98 Sed istud animadversione est dignius, planioremque facit, quam à Deo accepit, in dæmones potestatem. Eodem hoc anno MDC Mutinæ, civitate Longobardiæ, contigit, quod hîc exponam eo modo, quo ibi perscriptum est, atque ad nos inde transmissum, pressiùs tamen & breviùs. Quatuor sunt Mutinæ sorores, juvenes, honestæ & nobiles; quarum una matrimonio juncta; tres reliquæ nubiles. Hæ cum alia item nubili puella, quam cognatione etiam attingebant, multis jam annis adeo sævos & atroces atque assiduos insultus immundorum spirituum sustinebant, ut omnes ad commiserationem moverent. Morbo

con-

D continenter affligebantur, cui medici mederi non poterant, nec ejus naturam conjicere. In altiora loca nonnumquam deportabantur, ut inde præcipites agerentur: aliàs in ſecretiora domûs cubicula includebantur, veſtis diſcindebatur, capilli ſpargebantur, corpus lacerabatur: cum periculo vitæ allidebantur ad terram, & uſque eò cædebantur, quoad domeſtici ſonitum verberum audientes, opitulaturi advolarent.

tum in animo fœdè à diabolo divexatæ,

99 Porrò quamvis probæ virgines hæ fuiſſent, bene natæ honeſtéque educatæ, in ſermone verecundæ, ab infernis tamen hiſce belluis obſcœnitatem verborum, horribilia in Deum maledicta, vaſtoſque ac terribiles ululatus cogebantur emittere. Non poterant ſine magna vi ad precandum accedere, nec ad Dei laudem verbum audire vel proloqui. Intereſſe ſacroſancto Sacrificio, graviſſimum prorſus & intolerabile illis erat, propterea quòd dæmones quaſi defectas animo proſternebant, adeoque inſanos clamores edere compellebant, ut magna vi adhibita retineri vix poſſent. Cum ſe ad pedes ſacerdotis abjicerent, peccatorum confeſſionem iidem impediebant, cogebantque fœdum in modum, linguam exerere in Sacramenti ſacerdotiſque deſpectum. Sed quod illis graviſſimum fuit, indomitæ libidinis ſtimulo continenter miſeras agitabant: erant enim alioqui honeſtiſſimæ, ac domi nobiles, & earum aliquæ perpetuam Deo virginitatem voverant. Quin etiam ipſimet adjurati dæmones confeſſi ſunt, eò ſe machinas omnes contuliſſe, ut illis pudicitiam eriperent, atque in diſcrimen ſalutis animi corporiſque adducerent; ſed inanes ſuos conatus fuiſſe, propter uſum Sacramentorum, quibus acriùs eò ſe tuebantur, quò graviùs adirent periculum. Neque hac tantorum malorum varietate contenti, ejus, quæ in matrimonio erat, filium, quatuor & decem menſes natum occiderunt, atque ut graviùs ejus animum vulnerarent, ei moriturum denuntiarunt eo ipſo die, quo poſtea magno matris & totius familiæ dolore defunctus eſt.

B

omnia remedia adhibent; ſed fruſtra:

100 O altam & reconditam rationem judiciorum Dei! Virgines hæ religioſæ & piæ remedium quæſiverant à rebus iis omnibus, quas eſſe noverant in uſu quotidiano Eccleſiæ, ut ab hac hoſtium generis humani tyrannide liberarentur. Adhibuerant orationes, Sacrificia, exorciſmos, aquam luſtralem, reliquias Divorum, ceteraſque rationes & remedia, quæ in Eccleſiæ conſuetudine ſunt poſita. Uſæ diu fuerant operâ ſacerdotum, & Religioſorum virtute & prudentia ſingulari, ut ab his tamquam bonis medicis curarentur. Sacram ædem Lauretanam frequentârant, ceteraque loca, quæ religioſa habentur, eaque præſertim, in quibus Deus ſolitus in dæmones poteſtatem oſtendere.

C

Deo S. Ignatii meritis illam medelam reſervante;

101 Sed hæc fruſtra tentata ſunt omnia. Scilicet Deus iſtam curationem majori gloriæ reſervabat Ignatii, cujus meritis & orationibus quatuor illæ ſorores, & his alia cognatione juncta, diuturnis tormentis liberatæ ſunt: & jam incolumitatem, nativum oris colorem, & mentis alacritatem recuperarunt. Stimulus ille libidinis vim ſuam perdidit, oratio facilis tam ea, quæ eſt in voce, quam quæ in ſola mente. Interſunt rei divinæ magna religione & animi voluptate. Modeſtia elucet in moribus: colloquia cum domeſticis, ut ſolebant, ſuavitate condîta. Quocirca mirantur omnes, qui illas nôrunt, ſed multo magis, cum ante oculos ponunt viam & rationem, quâ precibus B. Ignatii his malis ereptæ ſunt: atque hæc eſt ejuſmodi.

102 Rector collegii Societatis Jeſu Mutinenſis miſeriam & calamitatem harum virginum cum inaudiſſet, re ex intimo animi ſenſu Deo commendata, divinitus admonitus (ut res ipſa monſtravit,) earum domum adiit, ſecum ferens impreſſam B. Patris imaginem, quam pietatis causâ ſervabat. Ingreſſus eſt earum cubiculum eo tempore, quo ſacerdos dæmones adjurabat, nulliquè penitus imaginis mentionem fecit, affixit eam parieti atque orationi inſtitit. Tum ſubitò tartarei ſpiritus inſanos clamores, horribiles edere ejulatus, Ignatii fundatoris Societatis adeſſe imaginem, quâ ſummo cruciatu conficerentur. Nec à petulantibus quidem maledictis temperabant: nunc glabrionem, nunc claudum, nunc cæcutientem appellantes. Cur autem his nominibus eum vocarent, fateri juſſi, reſponderunt, glabrum ſe nominaſſe propter calvitium & raram barbam; claudum verò propter tibiarum ex altero crure ſuffracto inæqualitatem; poſtremò cæcutientem, propter uberrimum fletum, quo de ſenſu videndi periclitatus fuerat: querebanturque, hominem longinquum & alienigenam inde uſque ex Hiſpania veniſſe, ut ſe implacabiliter & vivus & mortuus perſequeretur.

ex Ribadeneira, *cujus imagine,*

E

ac reliquiis,

103 Atque eo ipſo tempore multi tenebrarum principes confeſſi virtutem Ignatii, editiſque horrendis ululatibus, corpus unius ſororum egreſſi ſunt, eâ humi afflictâ ac velut mortuâ relictâ. Ex eo die reliquæ ſorores, earumque mater & univerſa domus colendi B. Patris amore teneri cœperunt, ſpe concepta valetudinis optatiſſimæ recuperandæ, adeoque natalem ejus diem ſolemnem ac feſtum agendi, pridieque jejunandi voto ſe obſtrinxerunt. Huic amori conſecuta res nova incrementum dedit. Nam Auguſtinus Vivado, pater Societatis, per id tempus Româ Mutinam proficiſcens ad concionandum, tulit ſecum lipſanothecam, in qua reliquiæ B. Patris erant inter ceteras: quibus in cubiculo ſororum occultè collocatis, dæmones mox has Ignatii reliquias eſſe vociferati ſunt, atque addiderunt, unde & à quo eſſent allatæ. Intolerabiles autem inde cruciatus ſe perferre confitebantur, ſe cunctos ex iis corporibus ejuſdem ſupplicatione deturbandos, Deumque ſtatuiſſe nomen ejus in terris gloriâ illuſtrare.

miro;

104 Alio quopiam die, præcipuus quidam dæmon, antequam egrederetur, illuſit quidem Ignatio, atque in eum maledicta congeſſit; ſed, imminente diſceſſu, Deus eum magno ſuo pudore fateri, oſſis ejus particulâ ſe aduri, tertioque Sanctum appellare adegit: Sanctus, inquit, Ignatius, ſanctus Ignatius, ſanctus Ignatius me ſua animi demiſſione, potentia, pietate, quâ fuit in ſanctiſſimam Virginem, expellit. Alii cum celare vellent, ſe per Ignatium pelli, mallentque depulſionem hanc aliis Sanctis attribui, quos ſingulari cultu ſorores illæ proſequebantur, in egreſſu tamen ſe mentitos eſſe, fateri cogebantur, & Ignatium ornare gloriâ ac dicere, ſolius ejus operâ in hac ejectione Deum uti velle. Aliàs inſanos clamores edebant, atque exeuntes; Ubi eſt, inquiunt, Lucifer, poteſtas tua: quandoquidem chartæ fragmentum, Sacerdotis iſtius imagine conſignatum, nos ejicit, neque potes obſiſtere? Aliquando cum eſſent inani conatu toto die ſæpius adjurati, ſe non abituros eſſe dicebant, niſi ſubſidium invocaretur Ignatii, cumque ſacerdos diceret: Impero vobis per merita B. Ignatii, ut exeatis, illi, nullâ interpoſitâ morâ, præcipites rabie ac furore cedebant.

F

105 Ita ſubinde loquebantur: Ah, ah! Deus,

EX RIBADENEIRA. *qui hic exponitur, modo, iberantur.*

itane verò nos gloriâ spolias, ut eam isti Sacerdoti claudo rugosoque tribuas? Quam efficacitatem impressa B. Patris imago ejusque reliquiæ habebant, eamdem & ipsius vitæ liber habere visus est. Cum enim ad ædes harum virginum deportatus esset ad eum legendum, & vel imponeretur earum capiti vel pectori, vel aliquod capitulum legeretur, tartareos spiritus cum mirè torquebat, tum ad abeundum, cedendumque Dei voluntati compellebat, qui mirabilis est in Sanctis suis, datque vim conculcandi leonem & draconem, deque omnibus dæmonibus triumphandi. Ad duos menses duravit iste conflictus, donec referretur plena victoria. Ut enim præclarè D. Bernardus ait, agens de duobus dæmonibus per sanctum Malachiam ejectis, istam moram & tarditatem non attulit inopia potestatis, sed statutum Dei, ut omnibus fieret inimici potestas apertior, & Sancti, qui eum exturbabat, victoria clarior. Anno

* *al.* 1568 MDLXIX * pridie Kal. Aug., qui dies est B. Patri natalis, quo primùm corpus ejus translatum est, quidam Dei servus in ejus sepulcro duorum dierum spatio suavissimum concentum & symphoniam continenter audivit.

B

Gravi infirmitate,

106 Romæ Drusilla Torsellina ægra morbo gravi, cum æstu febrique jactaretur, ad eamque gravissimus capitis dolor accederet, multa remedia quæsivit; in brachiis, in naribus, in capite incidendas sibi venas curavit. Sed his omnibus morbi vis non modò non levabatur, sed etiam gliscebat in dies. Ubi verò fronti particulam ossis B. Patris imposuit, repentinò convaluit.

cæcitate,

107 Alia mulier Olympia Norina tanto cruciatu doloris oculorum afflicta fuit, ut trium mensium spatio videndi sensum amitteret. Adjungebatur insuper continua febris & acerbus capitis dolor, qui nullam partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis eam capere patiebatur. Inter horum maxima cruciamenta morborum autographum B. Patris nomen allatum, quo mox ad frontem oculosque applicato, protinus vidit, omnique febris & doloris molestia liberata est.

maligna febri,

108 In eadem urbe anno MDXCVII Hieronymus Gabrielli, puer nobilis, septimum agens ætatis annum, in malignam febrim incidit, & lateris dolorem, exigua spe vitæ relicta: qui eodem scripto ab Ignatio nomine recreatus, ex morbo periculoque ereptus est.

tussi,

C

109 Anno MDXCIX Joanna Ursina, Corneliæ Ursinæ, ducis Cæsi, filia, tanta tussi quatiebatur, ut respitare non posset, nedum lac sugere. Dux mater eam Patri Ignatio commendavit, obsecravitque, ut ei pristinam valetudinem impetraret: atque ut omnes nossent, id beneficii ab se profectum, efficeret, ut in puella repentina mutatio facta videretur. Cum igitur filiola totam noctem diemque dimidiatum duxisset insomnem, puncto temporis in somnum incidit: mox tussis depulsa est, & lac nutricis hausit infantula. Dux autem beneficii memor sepulcro Patris votivam tabulam imponendam curavit.

surditate,

110 Eodem anno Angela Ruggiera penè unius anni spatio insolitum passa tinnitum in capite, auris dexteræ auditum perdiderat: cui simul atque aliquid reliquiarum B. Patris imposuit, votumque nuncupavit, sic extenuandi corpus inediâ die ejus natali, ut cibos omnes, præter panem & aquam, excluderet, sumendæque postridie SS. Eucharistiæ; integram exinde sanitatem recepit.

gravi lateris

111 Rursus eodem anno, die Lunæ, qui dies fuit XIV Kal. Aug., P. Michaël Vasquez, Religiosus Societatis Jesu professus, & studiorum collegii Romani præfectus, tanta doloris acerbitate lateris & renum conflictatus est, ut frigidus toto corpore sudor erumperet, & velut animam agens sensibusque destitutus, moriturus putaretur. Multa remedia leniendo malo adhibebantur, sed inani conatu: quinimmo quò plura medicamenta fiebant, tantò omnium judicio majora incrementa sumebat. Igitur B. Patris reliquias afferendas ad se curavit, & magnâ religione atque ex intimo animi sensu eidem se commendans, ad eam partem, quâ actiùs torquebatur, admovit, & illinc omnis cedere dolor, aliasque partes invadere, quasi fugeret persequentem: quas cum eædem illæ tangerent, ex illis etiam depellebatur: donec tandem undequaque adhibitis, ille in pristinam valetudinem restitutus est: nam quartâ vel quintâ post horâ cruentâ calculorum fragmenta, velut carnis particulis involuta, sine sensu doloris ejecit. D

ac renum dolore,

112 Sententia medicorum fuit, eum lapidem sacrorum pignorum virtute fuisse confractum, & quoniam acutus erat, pupugisse meatus atque læsisse. Ægrotus, nullâ interjectâ morâ, repugnantibus multis surrexit è lectulo. Eam enim morbi depulsionem non humanam, sed divinam esse judicavit, propterea absolutam atque perfectam, nec ex eo quidquam esse metuendum. Eidem patri Michaëli Vasquez cura mandata fuerat agendi cum purpuratis Patribus iis, qui Ritibus ecclesiasticis præsunt, de Ignatio in numerum Divorum adscribendo: ut videri possit Deus adeo subitum ei acutumque morbum immisisse, ut ipsemet beneficium Patris expertus, impensiùs ad studium consecrationis ejus incumberet. E

letali cancro,

113 Rursus alia matrona Romana cancro laborabat, qui per alteram serpebat mammam, adeoque gravis erat, ut judicio medicorum brevi moritura videretur. Ea ad B. P. sepulcrum cum oraret, è vestigio sensit è cælo vim quamdam ad se manare, & paucis diebus, nullâ factâ medicinâ, lues illa depulsa est, nullo etiam remanente vestigio. Et vir quidem ejus mulieris argenteam telam; mulier verò papillam item argenteam inauratam sepulcro donarunt, in memoriam accepti beneficii sempiternam.

exstincta in utero prole,

114 Alia quædam Orientia Casali prægnans, & cui nulla vitæ spes ostendebatur, quòd in utero fœtus esset exstinctus; cum pectori chirographum B. Patris nomen apposuisset, illicò mortuum onus effudit, incolumisque permansit. Sed alia miracula edita Romæ prætermittamus, quorum penè infinita est copia; aliasque provincias Italiæ percurramus. F

morbo gravissimo,

115 In agro Anconitano domus est divæ Mariæ Lauretanæ, in qua sanctissima Virgo nata, æternumque Dei Verbum nostram sibi humanitatem induxit. Ibi puer natus annos sex in gravissimum morbum incidit, eumque jam medici desperaverant: cùm, porrectâ illi particulâ tunicæ B. Ignatii, eoque suppliciter invocato, momento convalescit, neque vires pristinas ulla ex parte desiderat.

febri,

116 Mulier Recanati, quod oppidum milliario distat Laureto, gravissima febri exæstuans, etiam ex stomacho cum vehementissimè laboraret, B. Patri supplicavit: & mox febris remisit, omnisque doloris acerbitas.

fluxu sanguinis,

117 Adolescens de vita periclitatus, magna sanguinis continenter è naribus fluente copia; at qui nullo remedio sisti poterat, eum reliquiæ Patris suo contactu repressêrunt.

ulcere mamillarum,

118 Mulieri extremo dolore cruciatæ mammil-

A millarum, propter ulcus innatum, eædem adhibitæ reliquiæ ſaluti fuerunt.

calculo, 119 Eadem in urbe Horatius Leopardus, vir nobilis, anno MDXCIX; menſe Octobri, calculi oppreſſus doloribus, & obſtructis, obturatiſque meatibus illis, quibus humor à renibus & veſica profunditur, in ſummum vitæ diſcrimen incidit, & jam humana nulla remedia ſuppetebant. Igitur ſanctiſſimæ Virgini ſupplicavit, ut B. Ignatii meritis curaretur, ſimul Patris patrocinium imploravit: res mira, ipſo temporis momento mitigatur doloris acerbitas, urinam effundit, modicoque intervallo granorum arenæ copiam, & lapidum fruſta; nec ullum denique remanſit morbi veſtigium.

palpitatione cordis, debilitate, exſtincto in utero fœtu laborantes ſanantur. 120 Ibidem eodem anno & menſe Lucandia, Pompeii Georgii conjux, quam quintum jam menſem invaletudo graviſſima cordiſque palpitatio jactarat; particulæ veſtis ejuſdem appoſitione ſanata eſt. Eadem mulier cum eſſet nonum menſem gravida, fluxiſſentque illi non minùs quam viginti ſanguinis libræ, ita debilitata eſt, ut quodammodo ſenſus amitteret; ſalutem tamen ſuam, B ut potuit, B. Patri commendavit: quo facto, & fluxus ille ſanguinis ſtetit, & illa ad ſe rediit Nec ita magno intervallo cum prorſus eniti non poſſet; rurſus, invocato Ignatio, exſtinctum ſine dolore fœtum emiſit incolumis.

Apparet mulieri animam agenti, eamque curat. 121 Maceratæ, quod oppidum tribus ferme milliariis à Laureto disjunctum eſt, menſe Novembri, anno MDXCIX, dominæ Eliſabethæ Moronæ, quæ ejuſdem urbis epiſcopi neptis eſt, animam agenti ſine ſpe longioris vitæ, Pater apparuit, eique valetudinem illico reſtitutum iri promiſit, ſimul juſſit eam è lecto ſurgere, Deoque pro reddita ſibi ſanitate gratias agere.

Peſtilentem febrim, 122 Nolæ anno MDXCIX, menſe Novembri, Franciſcus Blaſius, vir nobilis, peſtilente febri vexatus, ad quam accedebant intolerabiles capitis & ſtomachi dolores, judicioque medicorum de vita periclitans: admonitus à matre Zenobia Tolfia, B. Patris officulum ad caput applicavit, eoque invocato, omni ſenſu doloris & incommodo liberatus eſt.

*mortiferam pleuritidem, * i. e.* Aletii, Lupiis, *vel* Lycii. 123 Lecci ***, civitate Apuliæ in regno Neapolitano, femina, Patientia nomine, dominæ Antoninæ Cubellæ famula, adeo crudeli lateris dolore correpta eſt, ut, deſperatâ vitâ, tantùm non ei ſepulcrum effoderetur. Allata interim ſunt C illi ſacra pignora B. Patris Ignatii: quibus applicitis, ſuavem in ſomnum incidit, quem antè capere nullo modo poterat: in quo & eumdem Patrem vidit veſte ſacerdotali indutum. Cui ille, Filia, inquit, à Deo opem pete: nam ex morbo ſanam te faciet: qua voce audita, mox valens lætaque ſurrexit.

offenſum pueri genu ſoſpitat. 124 In eodem oppido puer trimulus, baronis Beglibonis filius, è ſinu nutricis fortuitò excuſſus in terram, eo caſu dexterum crus graviter offendit; quem lapſum quia nutrix ſibi metuens parentes celaverat, adeo exulceratum eſt malum, ut puero ſemel & iterum, irrito quidem labore, crus fuerit incidendum. Porro cum tertiam inciſionem experiri periculoſum videretur, pater filio metuens, quem febri ac vulnere deficientem videbat, ad collegium Societatis confugit: reliquias B. Patris accepit, addiditque infanti. Interea chirurgi crus tertiò reſcindere parati, puerum meliori loco deprehenderunt; qui paucis diebus, curato vulnere, omni eſt periculo liberatus.

125 Pater è Societate Natalis Maſuca, navigans in Siciliam, captus eſt à Turcis, ac, ſæva tempeſtate coorta, fluctibus abſorberi timuit; at fidem B. Patris obteſtatus, protinus hanc vocem audivit: Eſto ſecurus, nec enim hac tempeſtate mergéris, nec devehéris ad Turcas. Itaque tempeſtas ſedata, navigiaque Turcarum apud inſulam Lampaduſam à Chriſtianis erepta ſunt. Sic ille duplici pitatarum & maris periculo ereptus portum tenuit. *ex* RIBADENEIRA. *Patrem Societatis à naufragio, ac Turcis liberat;*

126 Palermæ *** urbe Siciliæ, Coſmas Ferier, tertium agens ætatis annum, medici celeberrimi filius, tanta febri ac dyſenteria preſſus fuit, ut pater, ejus vitam deſperans, funebrem pompam appararet; ſed ei admoto veſtis ſacerdotalis, quæ B. Ignatii corpus attigerat, fruſtulo, repentè morbo levari cœpit, &, patre domeſticiſque mirantibus ac exultantibus, eodem die nullas ampliùs ejus morbi reliquias ſenſit. Sed omittamus Italiam ac Siciliam, ad Hiſpaniamque veniamus. ** imo* Panormi *ut & puerum à febri & dyſenteria.*

§ II. *Miracula ad annum uſque* MDC *in Hiſpania.*

E

Dolorem lateris, ANno MDLXX vel LXXI Toleti, hiberno quodam die ſub noctem, feminam quamdam, nomine Vegam, è familia Alfonſi Villategalis Duron, & Mariæ Torres, uxoris ejus, tantus lateris dolor invaſit, ut medici eadem nocte eam confiteri, ſacram Euchariſtiam percipere, teſtamentum facere juberent, ante lucem morituram exiſtimantes. Hoc ut audivit vir honeſtus Joannes Meſa, Alfonſi Villategalis amicus, ſupplex ad Deum acceſſit, & duo fragmenta, unum linei pileoli; altetum coril, quo ſtomachum P. Ignatius tegere, & ipſe Joannes Meſa ferre ſecum religioſè ſolebat, ad ægrotæ mulieris latus applicuit: eoque contactu morbum depulit. Et, Ah! inquit illa, Domine Joannes de Meſa, quid mecum actum eſt? quid eſt, quod mihi tam repentè omnem dolorem abſterſit?

item lateris & calculi, 128 In urbe Burgenſi domina Franciſca Bernui, Religioſa profeſſa cœnobii S. Dorotheæ, ſingulari virtute mulier & admodum ſolitaria, magno cruciatu calculi pleuritidiſque confecta, patrocinio B. Patris adjuta, unius anni ferè ſpatio pluſquam centum calculos majores minoreſve ſine ſenſu doloris ejecit.

& fluxum ſanguinis 129 Anno verò MDXCIII ruptâ quâdam pectoris venâ, ſanguis eidem per os effluens ſiſti non F poterat; donec tandem ejus ſacci particula, quem Pater in Monteſerrato primùm induit, cum ſuum pauperi veſtitum daret, in ſinum recepta, repentè fluxus ille ſanguinis repreſſus eſt, & ipſa libera, incolumiſque permanſit.

affectam valetudinem, * *al.* Gongora 130 Domina Joanna Gangora * ſacra virgo è conventu de Huelgas, morbo languida, diploma Sedis Apoſtolicæ quærebat, quo cœnobio ſibi liceret exire ad curandam valetudinem. Interim ad B. Ignatii patrocinium confugit, poſitaque ante oculos ipſius Patris imagine, priſtinas vires ita revocavit, ut litteris Apoſtolicæ Sedis nihil ſibi opus eſſe judicaret.

afflictionem ſpiritûs. 131 Maria Avala, è Franciſcana familia, gravibus animi moleſtiis torquebatur. Ei conſilium datum, ut ad B. Ignatium recurreret, propterea quod is eſſet, qui ægritudinem animi curare poſſet. Orationi igitur inſiſtens, Ignatii nomen oblita, dicebat: O ſancte Athanaſi, mihi divinam opem impetra, ut his, quæ patior malis, eripiar. Cùm hæc diceret, hanc vocem audivit: Non Athanaſius vocatur; ſed Ignatius. Eſto animo ſecura; nam,

ex Ribadeneira.

eo pro te Deum rogante, expetitam ſanitatem recipies: quod & factum eſt.

variolos,

132 Lanzarotus Ruffinus, natione Belga, variis laborans, à mediciſque deſperatus, chirographo B. P. accepto, ad perfectam valetudinem rediit, & ſurrexit è lecto, ſtupefactis medicis, atque iis omnibus, qui periculum noverant. Affectus eſt eodem beneficio dominus Lopes de Caſtro, nepos dominæ Eleonoræ Gallo, antiſtitæ cœnobii S. Dorotheæ: de cujus vita cùm medici Burgenſes & Valliſoletani ſpem perdidiſſent, ad B. Ignatium tamquam aſylum confugit, vovitque certam pecuniam egentibus ſe daturum: quo facto, priſtinam valetudinem recepit & confirmavit.

dolorem crucis,

133 Franciſcus Ortiz, paſtor eccleſiæ SS. Petri & Felicis, urbis Burgenſis, biennium acerbam vexationem pertulerat, ad crura juncturaſque defluente continenter humorum copia; ſed eumdem B. Patrem ſupplex adiit, & perfectam ejus incommodi levationem eſt conſecutus.

peſtem;

B

134 Sacerdos ex Auguſtiniana familia, vir gravis, & è conventu Burgenſi, prid. Id. Novemb. anno MDXCIX in diœceſi Burgenſi confeſſionem audivit filiæ Joannis Gomez, pagani hominis, puellæ, duos & viginti annos natæ, ardenti febri & peſte laborantis. Hortatus porrò eſt illam, ut quanto poſſet maximo affectu ſe B. commendaret Ignatio, unaque imagine ipſius ei in ſinum data, omnis ſubito lues ac febris evanuit.

multoſque peſtiferos:

135 Cives plerique Burgenſes eadem lue correpti, haurientes aquam, in quam immerſum fuerat B. Patris officulum, ſupplicantes priſtinam firmitatem ſunt conſecuti. Ipſemet etiam Franciſcus Ortiz, paſtor eccleſiæ SS. Petri & Felicis, ejuſdem urbis, permultos hac ratione fuiſſe ſanatos, eiſque hoc potionis genus ſe propinaſſe teſtatur: humanis enim remediis deficientibus, ad divina confugit. Nec verò obſcurum id fuit; ſed tota urbe vulgatum. Quin Baccalaureus ipſe Sanctius Cantabranenſis, paſtor eccleſiæ S. Stephani, eodem beneficio ſe uſum eſſe confirmat. Nam contagione & acerrima tertiana vehementer afflictus, eam aquam hauſit, Ignatiumque precatus, meliùs habuit.

C

136 Eamdem bibit & Abel à Turre, eccleſiæ S. Stephani, ejuſdem urbis, parochus, ſibi propinatam à matre, cùm eadem eſſet peſte correptus; ſtatimque epoto poculo liberatus eſt.

dolorem oculi,

137 Madriti P. Michaël Garſes, Religioſus Societatis Jeſu profeſſus, ex oculo dextero laborabat, acutiſſimoque pungebatur dolore, copioſo acrique humore eum obruente. Nec inciſione venæ, nec ullis remediis levabatur: quinimmo quò plura adhibebantur, eò magis ingraveſcere malum abſque ulla quietis intermiſſione videbatur. Tandem v Id Sept. anno MDXCVI, cum in ſummo cruciatu dolorum ejus oculi fuiſſet à prima luce in veſperam, P. Bartholomæus Perez miſericordiâ motus, tradidit ei Ignatii nomen, ipſius auctoris manu conſcriptum, & ad oculum juſſit adjungi. Sperabat enim lenitum iri dolorem, ut exploratum jam erat in multis, qui ad ejus opem confugerant. Pater igitur Garſes humi genua poſuit, preces concepit, oculum nomine contigit tum, cùm acerbiſſimus urgeret dolor, & eo ipſo puncto temporis reſtituta ſanitate lætatus eſt. Cubitum diſceſſit, ſoporatus noctem ſuaviter duxit, è lecto poſtridie manè ſurrexit, templum adiit, ſacras confeſſiones audivit. Omnes denique è collegio ſanum oculum vidimus, quem ſuperiori die planè cruentum videramus.

tibiam puellæ;

D

138 Gandiæ Franciſca Vignola, ætatis annum agens decimum tertium, unius penè anni ſpatio graviter ex altera tibia laborarat, nec incedere niſi claudicando poterat, idque admodum ægrè, præſertim frigidiori cælo, quod valde adverſum & infeſtum erat. Kal. autem Januarii, quo die gratiſſima Circumciſionis Domini memoria ab Eccleſia celebratur, anno MDC templum, quamvis difficulter, ad audiendum Sacrum cum adiſſet, indeque domum rediiſſet, vi doloris vehementer afflicta; hortante matre, ſalutem ſuam beato commendavit Ignatio, ejuſque nacta chirographum, tibiæ conjunxit: ſanata eſt: ambulavit, acſi nullum umquam perpeſſa fuiſſet incommodum. Ejus pater arte medendi eruditus, omneſque domeſtici factum in miraculorum loco numeraverunt. Poſtridie ejus diei, mater & filia ad ſacram Societatis ædem, Deo beatoque Ignatio gratias acturæ, convenerunt. Cereumque oſcillum tholis ejus ſuſpenderunt.

malè affectum crus,

139 Nec huic diſſimile contigit eodem loco, menſe Octobri, anno MDC, Joſephæ Borgiæ, Gaſparis Ferrieræ * conjugi. Cùm enim amplius unum menſem malè affecto crure loco ſe movere non poſſet, nec ullis medicamentis morbum depellere; Ignatii fidem imploravit ex animo, quintóque Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem in ejus honorem recitavit. Id cùm triduo continuaſſet, in lectuloque jacens, ac vim profundens lacrymarum, quòd magnis cruciamentis premeretur, opem B. Viri expoſceret, repentinus eam ſomnus oppreſſit. In ipſo autem ſopore Pater ei ſe videndum præbuit, lætoque & hilari vultu dixit, ſe ejus curandæ cauſsâ veniſſe, ſacraque manu mali ſedem contingere viſus, morbum ſuſtulit. Experrecta mulier, ſanam ſe eſſe mirata eſt, ac manè templum Societatis petivit, imaginemque ceream obtulit, perpetuum accepti beneficii à B. Patre monumentum.

* *In Hiſpanico eſt* Herrera

E

morbum comitialem,

140 Sed illud imprimis memorabile, quod accidit eodem loco, inſequentis anni menſe Novembri, virgini cuidam piæ, atque à ſeculi conſuetudine abſtractæ, Joſephæ Caſtellæ, annos natæ XL. Illa comitiali morbo laborabat, ejuſque tanta vis erat, ut à ſede rationis præcipitem, ac ſeipſam dentibus unguibuſque laniantem, multi prohibere vix poſſent. Cùm verò illa gravis agitatio conquieſceret, inſolitus dolor hærebat in corde: corpus erat adeo contritum & debile, ut ne inſequenti quidem die movere ſeſe aut aliquod opus ſuſcipere poſſet. Sed cùm audiviſſet, quanta beneficia per id tempus, variis in locis, in homines Deus per Patrem collocaſſet, ea nocte, quâ uſitatum malum recurrit, ſolitoque vehementiùs, ut nonnihil rediit ad ſeſe, fiduciæ plena, ſupplex invocavit Ignatium, quinquieſque orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem percurrit: & è veſtigio incolumem ſe deprehendit, dolore cordis & aliis cruciamentis ſoluram & liberam, quæ ceteroquin æquè ac aliàs ab illa ſenſuum alienatione remanſerant. Quies grata ſucceſſit, & tranquillam noctem (quod antea numquam) in ſomno traduxit. Ut porrò diluxit, ſurrexitque è lectulo, ſoror & fratris uxor eam domi oberrantem præter ſolitum cum viderent, magnam in admirationem adductæ ſunt. At illa, Deſinite, inquit, mirari; ſed gratias Deo mecum perſolvite, qui per B. Ignatium integras mihi vires, nullo mali veſtigio remanente, reſtituit.

F

dolorem colicum,

141 Octavo tamen vel decimo pòſt die crudelis adeo vis colici doloris eamdem ſubitò corripuit, ut penè vitam extorſerit: ſed quâ jam imbuta

A buta erat in Patrem pietate, illius protinus implorato auxilio, eâdem, quâ priùs, facilitate dolor aufugit. Et illa quidem ad ſacram Societatis ædem, duplicis beneficii teſtes, binas cereas imagines deportavit: quicunque verò hæc cognoverunt, divinam bonitatem atque potentiam magnificè prædicavere.

142 His adjungamus & illud, quod Deus eo- *febrim & anginam depellit.* dem in loco prid. Id. Decemb., anno ſuperiore ſeculari perfecit. Puella ſeptennis biduum febri agitata neque ſoporem ceperat, neque guttam aquæ libaverat, præfocante guttur angina; adeo ut deſperatâ jam vitâ parentes ſepulturam filiæ, magis quàm medicinam cogitarent. Cùm puellæ amita B. Ignatii imaginem conſpicata, (quam pater ejus, utpote faber, ad ſe delatam habebat domi, ligno includendæ gratiâ) accepit, atque in ſpem non dubiam erecta, ad puellæ caput admovit, opem ejus Sancti ſuppliciter obteſtari juſſit, ac novemdiales vovere ſupplicationes, ſi morbo relevaretur. Paret illa, & ſervata quartam horæ partem imagine, matrem vocat, B. Ignatii meritis incolumem ſe renuntiat, cibum po-
B ſtulat. Comedit igitur, bibit, & ea nocte uti vivens valenſque dormivit; poſtridie vero prima luce, ipſa & amita pariter ad collegium Societatis gratulatum iverunt, votivas novemdii ſupplicationes inchoarunt, imaginem ceream ſuſpenderunt.

§ III. *Miracula in Balearium inſularum majore, Germania, & India; quibus additur unum in Belgio anno* MDCX.

NUnc, continente relictâ, ad Beleares inſulas curſum dirigamus: in quarum majore Deus anno MDXCVIII magna & admirabilia per B. Ignatium patravit. Quid de mulieribus dicam, *Succurrit parturientibus,* quæ inter extremas pariendi anguſtias deprehenſæ, C præſentaneam mortem ſuam, fœtûs verò etiam æternam jam jamque exſpectantes, tamen vel pia B. Patris Ignatii invocatione, vel nominis ejus imaginiſve applicatione feliciter enixæ ſunt? Multis ſanè ejuſmodi probatæ fidei hiſtorias poſſem commemorare: ſed, ut ne in hoc argumento prolixus ſim, vel odioſus, unâ alterâve perſtringendâ me lectoremque expediam.

144 Hieronyma Rebaza in hac eadem inſula *de quarum una mirabile exemplum narratur:* complures dies intolerabili parturiendi dolore, corporis debilitate, animique defectione de vita periclitata, ſumptis variis fruſtra medicamentis, cum prolem in utero mortuam putaret, quòd nullo motu cieretur, potentiſſima ei medicina ad eam expellendam, non ſine propoſito vitæ diſcrimine parabatur. Sed, eâ repudiatâ, quia nimis erat anceps & dubia, cæleſtem ut ſecuriorem antetulit: afferri ſibi rogavit ſcriptum illud nomen Ignatii, quo tanta miracula in ea ipſa inſula Deus ediderat. Allatum eſt XIII Kal. Novemb. anno MDXCVIII; & quarta poſt horæ parte filium vivum ſanumque peperit. Sed illud multo majorem admirationem movit omnibus, quod os infantis pueri medicinis redundaret, quas mater ſuperiori triduo ſumpſerat. Obſtetrix eas exemit, & ex oculis ejulantis continuo fluxere lacrymæ, quæ cunctis gaudio riſum fecerunt.

145 Huic miraculo præſens affuit Hieronyma Pi, quæ Raphaëlis Pi matrimonium tenebat. Illa decimum ſextum jam annum continua cruciamenta glandium in faucibus enatarum patiebatur, quibus nullum remedium invenerat. Eódem accedebat & illud: dens in ore vacillabat, quo magnis inter edendum afficiebatur moleſtiis. Ergo cum vidiſſet Hieronymam Rebazam tam admirabiliter per ſchedulam, B. Patris nomine inſcriptam, periculo, in quo verſabatur, ereptam; idem & ipſa nomen popoſcit; quod oſculata, religioſéque venerata, momento temporis evaneſcente glandium dolore, denteque priorem firmitatem obtinente, convaluit. EX RIBADENEIRA. *quibus adde cruciamenta in faucibus.*

146 Hinc ea mulier ejuſque vir tanta pietate *febrim duplicem tertianam,* fuerunt erga P. Ignatium, ut ad conferenda per ipſum majora in eos beneficia, Deus commoveri videretur. Nam poſtridie illius diei, qui dies fuit duodecimus Kal. Novemb., Joannes Pi, eorum filius, duplice tertiana conflictatus eſt, adeo vehemente & periculoſa, ut quarto die, cum peccata in aure ſacerdotis exoneraſſet, ſacriſque epulis animum refeciſſet, de ſede mentis deturbaretur. Erat ei lingua tumida, oculi depreſſi atque turbati, ceteraque mortem præcurrentia ſigna E comitabantur: quarto Kal. Novemb. hæc, quam diximus, ſcheda ægro admota, proque ejus ſalute cum lacrymis eſt à parentibus ſupplicatum. Et, ecce, ſubitò febris remittere, æger ad mentem redire, vocem & oculorum claritatem recipere: & cum hæc fierent horâ fere noctis octavâ, poſtridie primâ luce ſanus & incolumis è lecto ſurgere. Ad eum interim venit medicus, quemque vel mortuum vel animam certè agere putabat, in pedibus conſiſtentem & carentem febri, valentemque deprehendit.

147 Equus, quo quidam Bartholomæus Con- *ophthalmiam &c.,* ſtantius chirurgus vehebatur, fortuito lapſu ſeſſorem ita humi afflixerat, ut capitis congelatio acerbam ei inſuper ophthalmiam gigneret, quæ nullam homini quietem ſomnumque indulgeret: jamque alterius oculorum ſenſum perdiderat; alter ita erat imbecillis, ut lumen ſolis ſuſtinere non poſſet: adeoque morbi, quem inſanabilem medici judicabant, curationem abjecerant. Cum ipſe feriâ quartâ ſanctæ hebdomadæ, ſcriptum F flagitavit adferri ſibi nomen Ignatii. Res mira, eo, qui deportabat, introëunte cubiculum, antequam propiùs ad eum accederet, repentè immodicum capitis frigus abſceſſit, &, oculorum dolore mitigato, inuſitatam cepit animi voluptatem. Ut verò tam admirabilem ſanationem ab ea ſcriptura manâſſe perſpexit, pannos, quibus caput ejus fovendi gratiâ involvebatur, abjecit; exclamavitque: Valeo, valeo: capitis atque oculorum dolore ſum liber. Eodem die januas feneſtraſque cubiculi aperiendas curavit, quas ad arcendum lumen oculo moleſtum occluſerat. Poſtridie ſanus & alacer ad collegium Societatis contendit, ad gratias Deo agendas, à quo propter Ignatii merita iis incommodis eſſet ereptus, omnemque rei geſtæ ſeriem liberis ſuis narravit.

148 Sed ne prætermittamus Germaniam. Eber- *extremos poſt puerperæ labores, editam prolem,* ſperga locus eſt non procul à Monachio, quæ ducum Bavariæ ſedes eſt: ibi mulier parturiens, extremos biduum labores perpeſſa, eniti non potuit; atque ita demum elanguit, ut exhalatura potiùs animam, quàm fœtum paritura videretur. Vir incredibiliter mærens, patrem Societatis adivit, qui ibi tunc erat, conſilium opemque in rebus adverſis petiturus. Pater memor miraculorum, quæ Deus variis in locis per B. Ignatium

EX RIBADENEIRA.

effeciſſet, & quidem in feminis, tali in re ac tempore conſtitutis, ejus opem pro muliere genibus nixus ardenter implorat. Quia porrò nullas tum alias ejus reliquias habebat, quas ad eam mitteret, Regulas Societatis ab eo olim conſcriptas chartâ involvit, viroque tradidit, ut iis tamquam re ſacra conjugem religiosè contingeret: Deum auxilio futurum, fiduciam modò tam præclaro opere dignam conciperet. Re perfecta, quas longa conflictatio vires ademerat, mulier revocavit, filium inde peperit, velut in figuram pullaſcentis ovi contractum, vehementer obſtetrice mirante, ceteriſque feminis ejus artis nequaquam ignaris. Ceterùm & mater & filius vitam incolumitatemque tenuerunt.

rabidam maris tempeſtatem,

149 Nec prætereunda ſunt illa, quæ alio ſub ſole apud Indos evenere. Anno MDXCVIII menſe Septemb. navicula, S. Mariæ Regalis * nomine, Cartagenam ſolvit è portu SS. Trinitatis inſulæ Cubæ. Eâ vehebatur Bartholomæus Loboguerrero, archiepiſcopus regni novæ Granatæ, cum eoque ejus rogatu Alfonſus Median & Franciſcus Figueroa, patres Societatis, aliique complures ordinis eccleſiaſtici & civilis. Iis longa ſpatia prætervectis, & in conſpectu Jamaïcæ conſtitutis, de-

B cimo Kal. Jan. concitata eſt adeo ſæva tempeſtas, ut omnes ob oculos certiſſimam ſibi mortem proponerent. Jam enim confractus erat major malus, aliuſque carchefii, & antennarum lacerata vela, tantâ violentiâ ventorum, ut nova reponi nullo modo paterentur. Tumentes fluctus tanto impetu ruebant in navim, ut ſub undis potiùs, quàm in ſummis aquis fluctuare videretur. Navarchus, Dominicus Rodriguez nomine, jam clavum deſtituerat, ſecum reputans, nihil opis ſupereſſe in rebus humanis, niſi Deus è cælo mitteret.

* *In Hiſp.* S. Maria de Regla

Sancti invocatione ſedatam,

150 Cùm rabies illa tempeſtatis unum diem tenuiſſet, & in horas invaleſceret, vectores omnes divinum numen placandum eſſe cenſuerunt. Hîc patres Societatis memoriâ repetentes ea miracula, quæ Deus ederet eo tempore, rogatu B. P. Ignatii; ejus auxilium ex intimo animi ſenſu flagitarunt, &, quantum potuerunt, voce contenderunt, ut archiepiſcopus idem ceterique præſtarent. Quod cum impensè ab omnibus eſſet factum, violentiſſimus repentè ventus defecit, ob-

C ſtupefactis omnibus & incredibili voluptate perfuſis: qui cùm ſe jam inter mortuos reputarent, vitam ſibi modò reſtitutam videbant. Archiepiſcopus Loboguerrero vovit anniverſariam ejus diei feſti celebritatem, Sacrificiumque pontificali ritu, ſi quando Romanus Pontifex Ignatium in numerum Sanctorum adſcriberet. Item & ceteri, qui cum eo navigarunt, ſua quiſque vota concepere, ut ex iis quæſtionibus liquet, quæ de hoc miraculo primùm Santeſæ, civitate novi Regni, archiepiſcopo domino Bartholomæo præſente, ſunt habitæ, deinde Cartagenæ, auctoritate Domini fratris Joannis Ladradæ, è Dominicana familia ejuſdem civitatis epiſcopi.

mi & aliam,

151 Sed non tum modò patres Alfonſus Median, & Franciſcus Figueroa, ceterique ejuſdem peregrinationis ſocii è periculis maris, & evidentiſſimo naufragio, precibus B. Patris emerſerunt: anno ſiquidem MDC majori navigio, cui B. V. de Aranzazu inſigne erat, è novo Regno Granatâ renavigantes in Hiſpaniam, cùm Bahamâ ſolviſſent, acerrimis tempeſtatibus jactati ſunt. Nam procellæ magno impetu puppim feriebant; proram verò adverſi venti: præterea ſyrtibus periculoſiſſimis cingebantur. Hîc rurſum P. Franciſco Figueroa reliquias B. Patris mari immergente, opemque ejus ſuppliciter expoſcente, ſubitò D mare tranquillatum eſt. Sed ut manifeſtius adhuc periculum ad Terceras inſulas incurrerunt, ita illuſtrius inibi Patris auxilium fuit. Etenim cum ventus ita ſub auroram invaluiſſet, ut navigium in adverſam plagam rejiceret, nautæ ceterique peregrini, mortem cernentes ob oculos, fixis ſolo genibus palam ſua peccata confeſſi ſunt, ac Dei miſericordiam imploraruht.

Sancti patrocinio depulſam.

152 Cùm, ecce, rupto majori velo, venit omnibus in mentem beneficium illud, quod in ſinu Bahamenſi per Ignatium ejuſque reliquias acceperant. Itaque P. Franciſcum Figueroa flagitarunt, ut aliquid item reliquiarum ejus mari immergeret, ſeſeque è manifeſto mortis periculo rurſus ereptum iret. Audiens dicto fuit pater, & momento temporis (O Dei bonitatem, ſuos honore ſervos ornantis!) tempeſtas illa ſedata, lux, diſſipatis nubibus, cælo reddita. Hinc quotquot eo navigio vehebantur, incredibilem animi voluptatem ceperunt, cum eſſent non periculo tantùm, ſed etiam periculi metu liberati, ut illi patres ceterique, qui erant in eorum ſocietate, teſtantur. Ne longum faciam, & alii permulti variis in locis ac regionibus ad Deum confugientes, Ignatiique præſidium implorantes, vel infeſtas animi libidines ſubjugarunt, vel animi tranquillitatem in dubiis, corporis valetudinem in morbis, ſecuritatem in periculis, robur in rebus adverſis ſunt conſecuti. E

Puella quædam miro modo à calculo ſanata.

153 Unum ad extremum omnino recens omitti non debet. Idibus Jul. MDCX, Burburgi, non ignobili Flandriæ oppido, ope B. Ignatii patratum miraculum. Antonina Maſia, duodennis puella, D. Alexandri Maſii, J. U. Licentiati, urbis illius conſiliarii filia, cùm ab ineunte ætate calculo fuiſſet obnoxia, eò denique devenerat, ut ipſos viginti ſeptem dies, reſtagnantem veſicæ humorem occluſis meatibus retinere cogeretur. Hinc corpus miſerandum in modum intumeſcere, febri æſtuare, omnis cibi appetentia in faſtidium verti, doloribus dies noctesque excruciari tantis, ut à tribus jam bene experientibus medicis deſperata, nihil niſi acerbam in horas ſingulas mortem exſpectaret. Aderat tum fortè Societatis noſtræ è proximo S. Winnoci-Bergenſi collegio ſacerdos *, qui cum moribundæ puellæ mentionem miraculorum B. Patris injeciſſet, ipſa protinus in ſpem patrocinii ejus erecta, votum concepit, ſiquidem ejus ope ſanitatem reciperet, pridiano maceratam jejunio, quotannis, die ejus natali, ſacra Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria piè, dum viveret, obituram. Nonnullis deindè ægro lateri adhibitis B. Patris reliquiis, & pleramque inſequentis noctis partem acerbiſſimis conflictata doloribus, manè ſub horam tertiam parentes, quorum jacebat in cubili, repentè inclamat, ſanam ſe, omnique malo liberam eſſe; mox longo ſitu putreſcentem corporis ſentinam exhaurit, & quidem (quod mireris) ſine ullo doloris ſenſu, nullis, ut antè, calculis arenuliſve permixtam; ſimul febris remittit, inflatio detumeſcit, ſurgit, ambulat, cibum ſumit. Eodem die ad templum, Deo beatoque Ignatio gratias actura, ſe confert, cujus natali die quindecim poſt dies occurrente, S. Winnoci-Bergas ad templum Societatis voti rea contendit. Et hucuſque perſeverat incolumis. Res geſta mandato reverendiſſimi D. Jacobi Blaſæi, Audomarenſis epiſcopi, examinata, multorumque idoneorum teſtium ac trium imprimis medicorum juratis teſtimoniis confirmata, deinceps ad divini nominis gloriam ſervique ejus Ignatii, omnium ore celebratur: *approbata* XXVIII *Julii* 1610.

* P. Theodorus Roſmer F

§ IV.

A

§ IV. *Miracula per S. Ignatium edita ab anno* MDXCI *ad* MDCXVI.

PARS PRIMA.

Sospitatæ puerperæ, abacti dæmones.

Parturientes sospitatæ Valentianis, Viennæ Austriæ,

PAter Josephus Juvencius Historiæ Societatis Jesu lib. 15, part. 5, § 9 selegit quædam Sancti miracula, ad tria præcipuè capita revocata. Ac primo quidem agit de ope, feminis ægrè parturientibus allata. 2°. De abactis dæmonibus 3°. De sanatis morbis, retardata morte, variisque periculis propulsatis. A primo incipientem audiamus. Valentianis in Belgio gravida mulier humi prolapsa, fœtum vel oppresserat vel debilitaverat anno MDC. Doloribus acerrimis per dimidium convulsa mensem, post appensam collo thecam reliquiarum B. Ignatii, levata partu est: sed infans nullum, quo vivere putaretur, signum dabat: eidem admotæ sacræ reliquiæ motum reddiderunt. Baptismo expiatus diebus adhuc aliquot superstes fuit. Viennæ in Austria anno sequenti mulier, instante partu, jacebat sextum jam diem capta oculis, auribus, voce. Admovetur collo charta, nomen Ignatii, olim ab eo scriptum, gerens. Erigit se continuò, videt, audit, loquitur, ac puerum feliciter enititur.

B

Ipris,

155 Ipris, in Belgio, uxor asperos mariti mores non ferens, proli, quam utero gestabat, ac sibi malè precata fuerat anno MDCIV. Vota temere concepta sæpè Deus ultor audit. Exactis mensibus, parturiebat ægrè, nullis remediis partum adjuvantibus. Agnovit infelix diras preces, & mortem, quam sibi & fœtui conciverat parricidiali voce, præstolabatur. Circumstabant feminæ complures è vicinia. Unam ex illis cogitatio subiit ac fiducia reliquiarum S. Ignatii, quas à suo fratre, Societatis sacerdote, acceperat. Eas collo parientis apponit: læta & sana partum reddidit: gratiæ Numini & S. Ignatio persolutæ; res publicis tabulis mandata Mulier non obscuro loco nata mortuos fœtus quater enixa jam fuerat Monachii, anno MDCX. Cum quintum parturiret, hydrope corripitur. Eo proles suffocata & visceribus clausis hærens, certum parenti miseræ minabatur exitium. Invisit S. sacellum, rediit sana; & onere ac periculo liberata.

C

Monte-Politiano, Barcinone, Avenione,

156 Josephus Avignianesius, Montis-Politiani primarius civis, cùm optata careret prole, ac sterilem doleret uxorem, venit in templum Societatis ipsis Kalendis Januar. anni MDCXII. Alia omnia cogitanti subiit petere ab Ignatio filium. Petiit: obtinuit. Sed infans mortuus eductus est. Orat Ignatium mæstus parens. Revixit infans, & eum bis à Divo sibi concessum exclamans pater, votum rite solvit.

Barcinone mulier eodem anno dolore partûs exanimata credebatur. Imago B. Patris illi vires ad partum edendum attulit. Omnes in lætitiam effusos repentinus turbavit mæror, quòd infans, qui vix emerserat, motus omnis ac sensus jaceret expers. Eamdem igitur imaginem imponunt puero, qui gemitu vitam testatus, astantium lætitiam redintegravit.

Avenionensem puerperam votum non dissimili periculo exemit. Prolem in ejus alvo arbitrati mortuam medici edixerant educendam per exsectum matris latus. Illa ferali edicto conterrita, obortis lacrymis tristem sententiam deprecabatur: cum admonita de implorando B. Ignatii patrocinio, concipit rite pias preces, & prolem vivam læta ejicit. *Ex Juvencio.*

Xera.

157 Feminæ Xetensi (*in Hispania*) fecunditas sua gravis erat: nam decies jam abortum passa, infelices edebat fœtus, mortalis vitæ atque immortalis exsortes. Undecimam prolem Divo commendat, & Sacrum ad illius aram, imminente hora puerperii, faciendum curat. Ex voto plane cecidit, ut, eâ ipsâ horâ, quâ sacerdos faciebat ad Beati aram, matre incolumi vivus infans prodiret in lucem, & salutis fonte tinctus, vitam ad aliquot dies propagaret. *Hæc Juvencius de puerperis; ad infestationes dæmonum, Sancti meritis expulsorum ac compressorum, mox ita pergens:*

Adolescens, qui se dæmonii devoverat,

158 Melitæ degebat anno MDCI flagitiosus adolescens, aleæ deditus, & prava ganeonum familiaritate implicatus. Susceptâ cum illis rixâ, malè mulctatus, & iræ impotens, orci dominum appellat vindicem injuriæ, seque illi totum devovet. Adest enimverò vocatus prædo avernalis, qui nec vocatus, ad perniciem ubique nostram excubat; in oblatam ultro possessionem irruit, nec miserum adolescentem dies noctesque vexare destitit, ac suadere, uti daret se præcipitem ex editiore loco. Furentem & violentæ necis scelerata consilia palam agitantem sodales, adolescentis vicem miserati, arripiunt, & in collegium deducunt ad patres, qui suspensis è furentis collo, sancti Ignatii reliquiis, abegerunt infandum hospitem, & redditum bonæ menti juvenem sacræ Confessionis remedio penitus sanaverunt. E

domus religiosa à lemuribus infestata,

159 Lemures infesti Religiosam eodem anno vexabant domum Avenione. In templo, in claustro, in triclinio, dirus lapidum imber depluebat interdiu: lucem excipiebat inquieta & turbida nox. Cerneres aperiri occultis manibus fores, lectos everti, vasa disjici, supellectilem è suis depromi armariis, omnia tumultu cæco misceri. Mæsta & trepida familia Superos votis precibusque fatigabat. Ecce autem illo ipso die, quo propositum à sacerdote S. Ignatii simulacrum fuerat, in æde nostra, istius cœnobii alumnus (scholas enim nostras studiorum causâ frequentabat) cum uno è collegii patribus deplorabat domesticos tumultus, &, num quid occurreret remedii, quærebat. Cui sacerdos S. Patris imaginem in manus tradens, addit, solitum Ignatium, cùm inter mortales degeret, mirum quoddam in tenebrarum potestates imperium exercere: proinde munimen hoc & propugnaculum suo conclavi prætendat, ac bono animo sit. Prætendit, ac somno benignè fruitur, quem à diebus multis non viderat. Ejus sodales, re comperta, effigiem amplo conclavi præfigunt, in quod omnes tamquam in arcem inclusi, nocturnos illos terrores procul in ultimas ædes abscessisse senserunt: quos demum abegerunt penitus, postquam sospitalem imaginem per totam domum suppliciter circumtulere. F

mulier à diabolo vexata; puella necem sibi consciscere meditans, Sancti meritis juvantur.

160 Non procul Massiliâ, feminam diris vexabat modis tartari satelles improbus, & in occupata miseri corporis possessione jam decem annos hærebat. Societatis sacerdos reliquiarum thecam probè clausam, in qua crines aliquot S. Ignatii delitescebant, mulieris collo inseruit. Illa furere, vociferari, uri. Væ, væ, inquiebat, isti comæ.

Jussa

ex Juvencio.

Jussa declarare, cujus comam diceret; numquam potuit adduci, ut eam nominatim appellaret: per ambages tamen satis indicavit; neque nomen Ignatii pronuntiabatur, quin metu cohorresceret, procumberet in genua, & contrà quam aliàs solebat, imperata dicto citiùs faceſſeret. Edidit dæmon tam inusitatæ formidinis & obedientiæ causam, ne scilicet graviſſimè torqueretur, si hominem videretur contemnere.

Alius incola ejusdem tartari, Colonienſi puellæ necem sibi conscisscere meditanti, oblatus, & humana specie aspectabilis, cum vias deformis leti plurimas illi aperiret, coactus est prædam prope desponsam omittere, postquam virgini dedit unus è sociis epistolam, cujus in clausula nomen olim suum Ignatius apposuerat. Instare dæmon, ut inutilem abjiceret chartam, quâ vexari se ac discruciari clamitabat: cumque tanto magis eam virgo retineret, elusus aufugit.

Venefica, ac dæmones ipsi potestatem S. Ignatii e umtiant.

161 Venefica nescio quid maleficii molita Bruntruti (*in Germania*) cum flammis addiceretur, confessa est, numquam se in cubiculum inferre pedem potuisse, ubi reliquiarum Ignatii theca servabatur.

B

Ejus vim ipsi dæmones apertiùs testati sunt Optæ, quod Castellæ Novæ oppidum est. Ibi femina, iræ impotens, filiam satellitibus erebi tradiderat anno MDCIV. Possessionem confestim duo dæmones adierunt. In ædem sacram collegii puella furens pertrahitur: adhibentur Ecclesiæ arma, sacri exorcismi, exuviæ Divorum insignium. In illis profertur epistola, manu S. Ignatii exarata, quam cum virgo invita & diu reluctans accepisset, dæmon se discessurum exacto mense promisit. Stetit promissis; visa est puella tristi jugo penitus erepta. Ecce autem paucis post mensem elapsum diebus, rursum furere ac bacchari. Reducitur in templum. Ibi cognitum est, erebi duos incolas diram possessionem inter sese fuisse partitos; ejectum quidem fuisse unum, ac potissimùm Ignatii meritis, quia unus dumtaxat appellatus, & exire jussus erat: alterum à divo Xaverio pulsum iri. Cujus imago ut est allata, dæmon humi abjectus, quasi arcana vi raperetur, processit, ac sacram effigiem deosculatus, Iam, inquit, jam excedo: vos quicumque hîc adestis moneo (miserum me, qui prodesse vobis, & ista denuntiare, cogar!) moneo, inquam, ut impias fugiatis voces, ut sanctiorem vivendi viam ineatis, ne in abyssum, in puteum, in stagnum sulphureum, vestra vos scelera detrudant: tot enim sunt, tam horribiles illic pœnarum formæ, ut eas qui vel obiter lustrasset oculis, nemo unus peccaret. Hæc manu & voce contenta effatus, siluit, quodque molestissimum dæmonibus accidere solet, cervices conculcandas præbuit. Puella sudans, defecta viribus, linguam exertans, jacuit aliquandiu; ac paulo pòst valens & læta surrexit, cohorrescente, quæ aderat cum prætore civitatis ac religiosis compluribus, multitudine.

C

Veneficium magica artis nec non pactum cum dæmone depulsa.

162 Novellariæ (*in Italia*) languebat æger à medicis depositus, quem veneficorum infandis artibus de mentis corporisque sanitate deturbatum ferebat fama. Horrendos edebat clamores; totum corpus incomposito motu jactabat, ut nulla spes esset sacri Olei, quod restabat unum, adhibendi. Aderat sacerdos è Societate. Is in genua provolutus, & Ignatii nomen, ab eo quondam epistolæ subjectum depromens, facessere dæmonem jubet. Continuò sibi restitutus æger quievit, oravit, inunctus est.

Pragensis mulier matrimonio juncta, ut negatam à natura prolem susciperet, magicas ad artes confugerat. Concepit illa quidem numerosos fœtus; sed omnes non sine maximis doloribus, & graviſſimo vitæ periculo, mortuos ejiciebat. Atrociores anno MDCVII dolores pertulit, nec tamen solitum cadaver poterat effundere. Moritura sacerdotem è nostris arcessit. Ille miseram primùm hortatur, ut nefandas artes detestetur. Tum ejus oculis objicit in tabella descriptum Ignatii nomen, quod præpeditâ morbo linguâ non valebat appellare. Oculis Ignatium & suspiriis infelix mater vocat. Vocatus adest. Infantis putridi deformis massa prorumpit è vivo viscerum tumulo: nec ipsa tantùm præsenti liberata nece fuit; verùm etiam id consecuta, ut sospites partus ipsa sospes deinceps ederet.

D

Est inter collegii Colonienſis gazas, vetus ac detrita S. Ignatii toga, quam P. Leonardus Kesselius illuc Româ detulit. Ea cum sæpè aliàs periclitantibus adhibita, tum verò mulieri, quam malus dæmon tenebat obsessam, saluti fuit anno MDCX. Furebat prædo tartareus impune, instantemque sacris carminibus sacerdotem non audiebat. Ubi togam humeris feminæ sensit injectam, obriguit, & noctu tacitus evasit.

E

Panormitanus adolescens animarum prædoni deditionem scripto exaratam suo & sanguine fecerat. Resipuit, infandamque rescidit pactionem. Sed ut difficiliùs ejicitur semel acceptus hostis, quam admittitur, retinebat possessionem antiquam dæmon, licet occultioribus modis, & juvenem ad immania scelera propellebat. Aquam ebibit sacris Ignatii reliquiis imbutam. Felici hausta scelerum imagines omnes detersæ momento sunt.

Eamdem aquæ simili vim inesse adolescens Siculus, incendio libidinis æstuans expertus est. *Audisti, lector, de vi tartarei hostis per* S. Ignatium *repressa; nunc ad alterum miraculorum caput, quod suprà erat propositum, progrediamur.*

PARS SECUNDA.

Sanati morbi, depulsa pericula.

F

Morbis à Sancto subventum Senis, Mutinæ, Catanæ.

ANno MDC matrona Senensis, diuturno victa morbo, jam funeris ordinem sui præscripserat, plangente familia. Votum nuncupavit de argentea imagine ad Ignatii tumulum transmittenda. Eadem die convaluit, ac tumulum, quem aperiri sibi jam jusserat, feliciter clausit.

Filiam cum proxima luctantem morte sanam recepit eadem arte Mutinensis mater, & beneficii testem puellæ statuam ex argento, Romam misit.

Cum primùm Catana imaginem B. Ignatii populo propositam aspexit, anno MDCI statim ad sacram effigiem, quasi ad salutare signum, preces multorum & vota non irrita confluxerunt. In iis præcipuè memoratur puella oculis capta, quibus admota felix imago clarissimam lucem restituit, veteri caligine, quam nulla discutere multis annis remedia potuerant, momento depulsa.

Fecit animos iste successus alteri feminæ, quam exstans è fronte immane ganglion miserè deformabat: appressit imaginem beneficam: detumuit frons, ac ne vestigium quidem pristini tuberis apparuit. His prodigiis excitata erga Ignatium pietas ad vicinas insulas brevi permanavit.

Alguaria, & alibi;

164 Alguarense collegium est in Sardinia: hujus in templo ante beatam effigiem accensa lampas ardebat, cui alendæ certam olei dotem matrona

A trona nobilis assignaverat. Accidit, ut ejus filiolam enatus è collo tumor, & fauces obsessas constringens, in vitæ periculum adduceret. Mater, flagitante filia, salutaris olei guttulas tres collo affudit: resedit illico tumor exitialis: relictæ tantum sunt guttarum notæ, testes miraculi.

Ejusdem olei salutarem morbis gravibus, præsentemque medicinam variis in locis ægroti complures experti sunt. Dominicus Grimaldus, quæ familia Genuensis magnam ab antiquitate commendationem habet, acri febre correptus, B. Patris reliquias illi objecit, eamque fugere compulit. Iis tamen amotis, cum febris rediret, repetitis & repositis ita fugata est, numquam ut reversa sit. Missa fuit Romam argentea tabula, votivum munus, index beneficii.

uti & Avenione.

165 Erat anno MDCI sacerdos Avenione, eruditione singulari, nec minori virtute præditus; sed quam sui obscurabant nævi, & quidem ab eo ipso, quem fœdabant, non observati. Nam ita usuvenit, ut, quemadmodum oculis, quo cernuntur cuncta, se ipse non cernit; sic animus noster ignoret vulgò sese; & quamvis in se possit intueri, sæpe nolit. Is igitur gravi morbo correptus, visus est virginem Deiparam videre minitantem, & expostulantem, quod sua sæpè monita negligeret; indignum esse, cui valetudo, quam postulabat, restitueretur. Adesse visus pariter S. Ignatius ad Virginis provolutus pedes, patroni supplicantis ritu. Hic interfata Virgo ab ægroto scisciatur, quam spem faceret vitæ melioris, si leto instanti eximeretur: cumque affirmaret æger, omnino fore sibi curæ, ut ea gratia, siquidem in immerentem, certè in ingratum collata non esset, idemque pro cliente suo sponsor Ignatius confirmaret, ratum supplicis votum habuit Deipara: & inane visum non fuisse reddita momento salus declaravit. Beneficium prædicare non cessavit sacerdos pius juxta & prudens: quod ut ostenderet acceptum se referre S. Ignatio, ejus imaginem in templo Societatis Avenionensi exstare voluit, grati ac memoris animi perenne monumentum. *Breviter mox perstringitur hîc exemplum pueri Mutinensis ex illapsa in fauces spina, à suffocatione liberati: at consuli possunt, quæ dabo infra § 5, part. 3.*

Plurima miracula edita sunt Gandiæ, atque in agro ejus,

C 166 In urbe & agro Gandiensi duo & septuaginta miracula locupletibus comprobata testibus in publicas tabulas eodem anno MDCI relata sunt: quorum fama permoti cives Manresani, apud quos Ignatius tirocinium quodammodo vitæ sanctioris posuerat, xenodochium annua ejusdem commoratione, ac præclaris virtutum exemplis veluti consecratum, coëmerunt, ac Societati utendum, cum vicino templo, possidendumque tradiderunt. Illorum adhuc nonnulli, quos vivax in eam usque diem senectus protulerat, edita quondam à B. Patre humilitatis, pœnitentiæ, & caritatis documenta renarrabant læti nepotibus; & quod ipsi præstare non potuerunt Ignatio, ejus filiis in civitatem suam accipiendis, libentissimè tribuerunt. Retulisse gratiam Ignatius tanto ampliorem credendus est, quanto vim è cælo bene de mortalibus merendi majorem obtinebat. Sed qui tam liberalis erat in externos, nequaquam in suos parcus exstitit.

uti & Villagarcia.

167 Infestum domui probationis Villagarciensi (*in provincia Castellana Societatis Jesu*) annum MDCI morborum gravitas & multitudo faciebat, ut beati Patris beneficentia illustrior eluceret. Duodecim è nostris, ibi fere jam depositos, sacræ illius reliquiæ metu ac periculo liberarunt.

Ipse Rector domûs, dum concionem pararet habendam in templo nostro, quod splendidissimo apparatu curaverat exornandum, ad celebrandam diem S. Parenti sacram, repentè diro apostemate oppressus, & in lectum dejectus est. Concionandi provinciam alteri demandare meditans, oravit S. Ignatium, ut in celebritate festæ lucis, voci suæ locum aliquem esse vellet. Hæc dicentem arctior solito somnus complectitur, quo discusso, maturuisse apostema deprehendit: nocte insequenti ruptum penitus, ac persanatum sensit, parataque Sancti laudes recentis prodigii prædicatione cumulavit. EX JUVENCIO.

Quidam è Societate egressurus, miro modo in vocatione confirmatur.

168 Eò fuit illustrius beneficium Alphonso Velæ, domestico Societatis adjutori collatum, quòd non corpori, sed animo graviter laboranti salus fuerit restituta. Versabatur ille in collegio Biatiensi provinciæ Bæticæ. Tædio sensim obrepente victus, de Societate deserenda cogitabat: neque jam aut amicorum preces, aut adhortationes præsidum ullas audiebat. Instabat funesta dies, quæ ovem perditam à sacro divulsam grege luporum inhiantium rabidis faucibus objiceret: cum ex amicis unus enixè ab illo flagitat, ut ne gravetur ante E S. Patris imaginem, recitata saltem oratione Dominica, illi commendare, quidquid animo agitaret. Morem gerit, magis ut obsequatur amico, quam quod inde quidquam expectaret auxilii. Sub noctem ingravescit mœror: ira, lacrymæ, mista pudore desperatio miserum convellunt. Erumpit cubiculo, & in vicinum hortum, ubi conceptum dolorem liberiùs effunderet, evadit. Ibi S. Ignatii species improvisa oculis objicitur. Noctem dimovit circumfusa lux, quæ micantem vultum facilè aspectabilem dabat. Compellat ore blando Velam, & quorsum à Societate sua deficere velit, rogat. Offusas menti tenebras paulatim depellit, eóque demum suadendo, minitando, pollicendo, perpellit, ut se in amantissimi Parentis potestate futurum, & in fide, quam pridem Christo dederat, mansurum sanctè promittat. Stetit promissis, nec Societatem nisi cum vita, demisit. Rem apud episcopi vicarium, collegii Rector, & sacerdos è nostris, qui Velæ à sacris confessionibus erat, jurejurando testatam, ut exstaret beneficii memoria, litteris consignarunt.

Tumor brachii, ulcera, puer mortuus sospitantur.

F 169 Stola S. Patris, quâ indutus divinam rem faciebat, à Præposito Generali donata Conimbricensi collegio, præsentem ægrotanti sacerdoti è nostris opem tulit anno MDCII. Huic brachium sic intumuerat, ut periculum esset, ne latens virus, & majoribus in dies glisens incrementis, brevi ad cor caputve profluueret, cum certissimo vitæ discrimine. Tumorem ac metum obvoluta brachio stola depulit. Inclusum fuit dulce pignus eleganti theca, simul cum epistola de virtute obedientiæ, quam S. Ignatius eamdem olim in urbem missam, sua manu scripserat.

Hieronymi Josæi, qui minoris Balearis præfecturam multis annis gessit, filiolam septem ulcera, collo circumjecta, miserè cruciabant; jamque sanies in pectus defluebat, medicis desperantibus. Mater Ignatium pro salute filiæ deprecata, pulverem è spelunca Manresana sumptum, ipsius collo semel iterumque asperfit. Fugerunt ulcera, cicatricibus, quasi ad memoriam prodigii, relictis.

Illud insignius. Matrona Gandiensis antequam mortuum filiolum tumulo inferret, frigidis artubus imaginem S. Ignatii, post aliquot preces summa cum fiducia recitatas, imposuit. Revixit puer, & ad sacellum S. Ignatii, cum matre, multisque miraculi

ex Juvencio. ſpectatoribus, ipſe teſtis omni exceptione major, proceſſit.

Puella à cardiaco morbo liberatur.

170 Eodem in oppido puellam quatuordecim annos natam cardiacus vexabat morbus. Eo decies aliquando per diem unum conflictata, propiùs ab interitu abeſſe judicabatur. Beatum Ignatium voto piè nuncupato vocat: nec fruſtra. Jacenti, & ſenſibus (tanta vis dolorum erat) deſtitutæ, ſe oſtendit S. Pater, altero quodam, ut apparebat, ſacerdote comitatus, ac ſanam eſſe juſſit. Illa exſurgens, parentes inclamavit, ut veneraturi accurrerent; at Ignatius jam ex oculis abierat. Gratias igitur actura feſtinavit ad Societatis collegium, cujus in templo effigiem S. Ignatii conſpicata, illum ipſum eſſe, quem vidiſſet, à quo fuiſſet ſanata, confirmavit. His attoniti prodigiis Valentini & Barcinonenſes ſupplicandum Pontifici cenſuerunt, ut debitos tam perſpicuæ ſanctitatis honores decernere dignaretur. Cataloniæ protex, ac Barcinonis primores, communi conſenſu legatos miſere præſulibus, qui Tarraconem ad concilium provinciale convenerant, oratum, ut idem à Pontifice flagitarent. Et aſſenſere patres, gratiiſque proregi actis, litteras ea de re ad Clementem, concilii nomine, perſcripſerunt.

B

Præter portenta in Europa, matrona Mexicana moribunda convaleſcit;

171 Non Hiſpaniæ dumtaxat, ſed Europæ totius eadem exarſerant ſtudia, variis excitata portentis, vix ut populus à publico temperaret cultu, & Romanæ Sedis ægrè juſſa exſpectaret. Europam tranſgreſſa Ignatii fama, & benefica virtus ultimas orbis partes eodem anno MDCII pervaſit. Matrona primaria in urbe Mexicana præter anginam, quâ mortales multi, faucibus obſtructis, de medio tollebantur, laterum dolore, ulcere ſub aurem putrido, & febri, ſic jacebat oppreſſa, ut quies tormentum; lectus ipſe, crux eſſet. Accitus ſacerdos Societatis allatam Ignatii effigiem moribundæ oſtendit, ſimulque accendit fiduciam recuperandæ ſalutis, eo deprecatore, cujus tot ac tanta ubique terrarum prodigia celebrarentur. Vix hora dimidia fluxerat, ſolutæ ſunt fauces, abiit febris, ſuis membris vigor acceſſit; ac ſtrato vegeta & valens exſiliit, quæ modo ne alienis quidem manibus moveri, ſine vehementi totius corporis dolore poterat.

C

Puſi & ejuſdem loci virgo à medicis depoſita: ac malè affectum alterius latus.

172 Ejuſdem civitatis virginem, à medicis depoſitam ſancti Patris imago ſervavit. Erat hæc effigies domi noſtræ, in æs inciſa, & incluſa cryſtallo nitenti. Hanc puellæ pater, jacturam dulciſſimæ filiolæ ægerrimè ferens, capiti morientis impoſuit. Ecce autem, cunctis intuentibus (& aderant bene multi) pretioſi cujuſdam liquoris guttas, tamquam totidem gemmulas, imago cœpit fundere. Quibus delibutum ægrotantis caput, quaſi benigno rore, noxium expulit calorem, & vitam fugientem revocavit.

Acceſſit huic miraculo ſtatim aliud. In ea, quæ frequens lectum puellæ circumſtabat, turba mulier triſtem vomicam ægro celabat pectore. Excitata præſenti prodigio, ſalutari lympha tumidum latus fovit; abſceſſit abſceſſus, & in Ignatii laudes omnium lætitia & gratulatio prorupit.

In Philippinis quidam è ſublimi labitur innoxiè.

173 In Philippinis, Zebuanæ inſulæ ſacerdos è ſublimi feneſtra decidens, & Ignatii opem implorans, ad terram, doloris expers & noxæ, corruit. Sed impreſſum in humo ſubſidente ac paulum excavata, corporis veſtigium manſit. Ex quo licuit conjicere, illum immani obterendum fuiſſe lapſu, niſi Numinis manus, Ignatii meritis invitata, labenti ſe ſuppoſuiſſet.

174 Anno MDCIII virgo nobilis fœdis ulceribus ita cruciabatur in urbe S. Jacobi, provinciæ Peruanæ, nullam ut corporis movere partem ſine ſummo dolore poſſet. Remedia, quæ poterat ipſa per ſeſe, adhibuerat, manus oculoſque medentium, pudoris amore, fugiens. Sed ingraveſcente morbo, & urgente matre, cum vita certum in diſcrimen veniret, coacta eſt chirurgum arceſſere. Tamen, priuſquam ille accederet, inſtitit ſummis precibus virgo apud S. Ignatium, quem ſuæ pudicitiæ cuſtodem inter Superos potiſſimùm delegerat, ut ulcera, quæ viriles deſiderarent manus, perſanaret. Hæc agitanti lenis obrepit ſomnus; quo amoto, ulcera penitus omnia, ne veſtigio quidem ullius relicto, diffugiſſe videt.

D

In Peruviæ fœda ulcera ſanantur, comitialis item morbus, ſurditas.

Aliam comitiali morbo jam novies tanto impetu dejectam, ut eſſet incertum, an adhuc ſpiraret, oſculum imagini beati Patris appreſſum, erexit ac ſanavit.

Sed corporum tamen morbi ſæpè animorum remedia ſanitaſque ſunt. Quamobrem ægrotis non expedit ſemper, ut iis, aut certè penitus, releventur. Dedita pietati femina, graviſſimos non ſemel morbos Ignatii patrocinio depulerat, variiſque per eum affecta beneficiis, incredibili ejus in dies magis colendi ſtudio flagrabat. Evênit, ut audiendi ſenſu omnino privaretur; neque tonantis cæli fragores horrificos perſentiſceret. Recurrit ad patronum; opem Ignatii ſupplex imploravit. Mirum! feminæ preces eatenus accepit Sanctus, ut, quoties in collegii templum ſubiret, expiandæ conſcientiæ causâ, vel audiendæ concionis, tam acutum audiret, quam quiſque vel maximè auritus; egreſſa templo ad priſtinam ſurditatem revolveretur.

E

PARS TERTIA.

Reliqua huc ſpectantia expediuntur.

Mulier Cazorlæ à triplici malo,

CAzorlæ (*in provincia Batica*) una & eadem mulier triplici portento valetudinem ter afflictam reparavit. Natum illi primò in ſcapulis apoſtema pronam decumbere per duos menſes coëgerat, ſomni expertem, atque adeo cibi, quem niſi diductis ferro dentibus capere non poterat. Medicus, quamvis nondum eſſet maturum apoſtema, nihilominus, quoniam vita tantis doloribus par non erat, illud aperiri novaculâ, & peſtem eximi juſſerat, aut igne ſaltem conſumi. Suavius remedium ipſa mulier excogitavit, & certius. Effigiem B. Ignatii applicuit humeris, applicuit languenti ſtomacho; ſomnum & cibum, apoſtemate diſſipato, cepit. Pòſt paulo humore frigido cor invadente, vocem ac propè vitam perdiderat: nutu petiit eamdem imaginem, & cum ea vocem ac vitam recepit: denique vexata gravi capitis dolore ac vertigine, quindecim dies exegit ſemianimis, & ſui vix compos; verba malè cohærentia effutiens, quo more phrenetici ſolent; nec oblita Patroni tamen cariſſimi eſt, cujus effigiem deoſculata, mentis pariter & corporis ſanitatem recuperavit. Medicus indignans, Quid iſta nos, inquit, mulier malè ſolicitat, quæ tam facilem medicinam domi habet?

F

alia Mutinæ à polypo ſanatur.

176 Mutinæ ſacram Deo virginem polypus dirè cruciabat. Eſt caruncula naribus innaſcens, & multiplices, radicum inſtar, fibras diffundens extra nares, inſigni deformitate; ac ſæpè intra fauces, manifeſto vitæ periculo, propter occluſos

A ſos vocis & pabuli meatus. Acceſſerat etiam ad dolorem fœtor intolerabilis, ut nemo ſine cruciatu propiùs pedem ferret. Demum inter medicos conſtitutum fuerat, ut candenti ferro naribus immiſſo peſtis exſtirparetur, quod unicum huic malo, cum inveteravit, remedium eſt. Hujus carnificinæ metu virginem exanimatam ſoror monet, ſancto ut Ignatio nuncupet votum. Piè nuncupat; manſuefcit dolor, laxantur fauces, polypus octiduo non toto, ſponte ſua decidit.

Ferdinandum Maſcarehiam, optimè de Societate noſtra meritum, fuſus toto corpore dolor acutiſſimus macerabat Oliſippone; intumuerant obſeptæ propemodum fauces, urebat ſanguinem febris: extrema omnia medici minabantur. Fefellit illos Ignatii nomen adſcriptum epiſtolæ. Hoc remedio jam conclamatus æger ſubitò eſt recreatus.

177 Illud mirabilius, quod anno MDCVII Limæ contigit. P. Alvarus de Molina, ex Ordine S. Dominici, vir probitate ac doctrina præſtans, ab annis octo tam ſæva conſtrictus erat paralyſi, ut trunco ſimilior, quam homini videretur, nec poſſet movere pedem, manum tollere, aut vocem, quæ perciperetur, edere. Cum Vitam S. Ignatii, & ab eo edita miracula perlegiſſet, adductus eſt in magnam ſpem recuperandæ tam potenti patrocinio ſanitatis. Votum ritè concepit, ſeque voti reum ſtatim ſenſit. Quippe VI Id. Novemb. vocem audire viſus eſt, ſurgere jubentem & progredi. Surrexit. Vigebant firmi rectique in greſſum pedes: manus in geſtum expeditæ: lingua in vocem ſoluta. Vix ſibi credens ipſi, experituri ambulat: ſurſum, deorſum per cœnobii ſcalas alacer it reditque. Convenerant omnes eo die in aulam ingentem, ubi placita theologica propugnabantur magno civium concurſu. Progreſſus ex aula unus quiſpiam è Religioſis, & P. Alvarum ſtrenuè progredientem conſpicatus, obſtupuit. Evocat patres: circumſtant attoniti, ſciſcitantur: audiunt miraculum explicantem, quem nemo niſi ægrè balbutientem hactenus viderat. Rumore ſtatim ſparſo, procurrit omnis ex aula cœtus, miraculum univerſi conclamant, & arcano impetu velut abrepti proſiliunt in templum, ubi miſtæ concinentibus organis gratulantium voces gratias Deo ac B. Ignatio meritas perſolverunt.

Sacerdos ex Ordine Prædicatorum, edito voto,

B

C 178 Aderat ipſe P. Alvarus non jam devectus alienis manibus, ſed populi plauſu & gratulatione deductus; & ante majorem proſtratus aram, ingens publicæ piæque lætitiæ materia, cernebatur. Facti per Dominicanos de re tota noſtri certiores, actis pariter Deo gratiis, ad cœnobium, quò tota civitas erat effuſa, convolarunt. Quamvis tot inſignis miraculi teſtes eſſent, quot in ampliſſima urbe cives; illud ipſum tamen R. P. Bartholomæus Ayala, procurator generalis Dominicanorum in Peruvia, ſuo ac ſuorum chirographo confirmatum & ritè perſcriptum edidit V Id. Novemb. Accepta quoque ſunt medicorum & civium aliquot præcipuorum teſtimonia, quæ miſſa Romam & per Europam diſſeminata B. Patris cultum & venerationem auxerunt.

à paralyſi reſtitutus;

179 Acceſſit huic miraculo, tamquam cumulus, alterum proprium nobis ac domeſticum. Chriſtophorus Meſa, novitius Societatis, Oleo ſacro jam inunctus, animam agebat in tirocinio Limano, cum omnia gaudio recentis prodigii fremerent. Cauſam reſcivit, & ſtupentibus, qui moriturum Deo commendabant, exclamat, rogatque, ut ſibi fiat ſurgendi poteſtas; velle ſe unà cum ceteris in templo hymnum ſolennem con-

cui ibidem acceſſit alterius è Societate ſubita ſanatio.

cinere. Jam valebat, ereptus morti ac periculo. Febrim & morbi reliquias quinto poſt die penitus expulit. Fama P. Alvari morbo admirabiliter liberati Peruviam implevit: conſecuta famam eſt pietas indigenarum & fiducia: pietatem alia compenſarunt miracula, quorum pleraque eidem narrationi per Dominicanos editæ adſcripta legere eſt, & quorum numero & magnitudine attoniti Limani magnificentiſſimum S. Ignatio ſacellum ſumptu publico poſuerunt. EX JUVENCIO.

180 Non leviora paſſim alibi patrata refetuntur. Surdum ac mutum infantem mater Toloſana fuderat. Inſanabile malum creverat cum ætate. Miſera parens puerum B. Ignatio dicat conſecratque. Ignatius viciſſim aurium ac linguæ uſuram clienti ſuo reddidit. Miraculum, poſito anathemate, voti rea mater, ad perennem memoriam, teſtatum voluit; illudque Toloſa longè latéque celebravit. *Surdus ac mutus infans; civis cujuſdam calculiis Toloſæ;*

Depulſus in eadem urbe morbus eò plus admirationis habuit ac lætitiæ, quod ab annis viginti civem dirè torquebat. Lectitanti Vitam divi Ignatii ſubiit orare hunc in modum: Fac, ô Beate, fac, ut eorum è numero ſim, quos tui memores bene merendo facis. Vix ea: prægrandem calculum, peſtem tot annos viſceribus abditam, dolore nullo emiſit. *Miraculum, quod ſequitur hîc, in puella Burburgenſi factum, habes ſuprà § 3, num. 153.* E

181 Nobilem Anglam profluvium ſanguinis à quadriennio vexabat. Venit in Galliam cum marito, religionis in exilio voluntario conſervandæ causâ. Ibi medicos experientiſſimos adhibuit; ſed nihilo feliciores popularibus ſuis ſenſit. Humanis deſtituta mediciis, ad S. Ignatium feſto ejus die recurrit in æde noſtra Rotomagi, & ſana rediit. Miratus conjux adeo repentinam medici cæleſtis opem, patres confeſtim de miraculo admonuit, illudque publico deinde monumento rite conſcripto memoriæ prodidit. *fluxus ſanguinis Rotomagi, remedium inveniunt; uti & calvaria è lapſu diffracta;*

Caralitana * virgo, ex ædium faſtigio præceps in pravimentum lapſa, caput comminuerat. Medici & chirurgi actum eſſe de puella pronuntiant. Imago divi Ignatii alligatur capiti confracto: deinde inungitur oleo, quo lampas ante Beati aram appenſa lucebat. Virgo ſe colligit, vivit, valetque. Medici adhuc illam vivere mirati, ſubeunt propere, & calvariam puellæ pridie diffractam, nunc ſanam & bene cohærentem nacti, miraculum magna voce conclamant. ** l. Calaritana*

F

182 Præſentem ejuſdem B. Patris opem unus è noſtris Bruntruti ſenſit anno MDCXIV: cui ad acerbiſſimos renum & lateris cruciatus, indicia morbi peſtilentis adjuncta, fecerant, ut noſtros ab ejus congreſſu medicus ſecluderet. Hac ille deſtitutione perculſus, ſeque depoſitum putans, Ignatianæ veſtis brevem laciniam lateri admovet. Hujus contactu lateris dolor abigitur ad humeros, eodemque amuleto inde pulſus, alias atque alias quaſi latebras occupans, tandem toto corpore extruditur. Quatriduo pòſt æger, medico ſtupente, incolumis exſiluit è lectulo. *morbus peſtilens,*

183 Circa Compoſtellam anno MDCIV arvis injectus ignis fuerat pro more. Sic enim ſteriles herbæ exſtirpantur, campi pingueſcunt, & novas à calore, ſinum telluris effœtum ſubeunte, vires ducunt. Ignem vehemens ventus ultra modum, & deſtinatos ab agricolis fines, tulit: nec vicinis modo meſſibus, ſed pagis oppidoque clademimportabat. Concurritur undique: pro ſe quiſque trepidat; mox, ubi nulla induſtria ſuperare mali vim poteſt, clamor, preces, complo-ratio miſerabilis. Advolant patres. Unus icuncu- *incendium vento vehementi diffuſum per pagos;*

ex Juvencio.

lam S. Ignatii projicit, quâ flamma violentior ingruebat. Resedit illa subitò ac detumuit ; mox sua per vestigia se reflectens, penitus evanuit.

aliud, quo domus conflagravit ; puteo aquis aucto ad exst.nguendas flammas.

184 Neque illud prætereundum, quod Setiæ (*in Campania Romana*) contigit anno MDCVIII. Pia virgo singulari studio B. Ignatium colere solita, precationi dabat operam in cubiculo sedens; cum ignis ædes totus invasit ex improviso. Cubiculum orantis flammarum globi, cum horrendo fragore, inundabant. Illa nequaquam exterrita, suum appellat Ignatium, ejusque nomen igneo torrenti opponit. Diceres, audivisse flammas beatum nomen. Vorticibus magno impetu retortis absistunt.

Prodigium hoc alio cumulatum est. Solicita circa puteum domesticum, sed exilem ac jejunum, familia trepidabat, ut flammas domaret aquâ. Puella rursus ad patronum suum supplici prece redit. Continuò puteus tam ubere vena fluxit, ut incendio exstinguendo non tantùm sufficerit, sed lymphas etiam limpidissimas postea dederit, ac perquam salubres, qui non nisi corruptas, & limo vermibusque infectas antea suggerebat. *Atque hæc quidem sunt miracula, quæ P. Josephus Juvencius ab anno 1591 usque ad 1516 memorat ; quibus loco suprà citato § 7 præmiserat nonnulla alia, occasione beatificationis S. P. N.* Ignatii ; *de qua egi in meo Commentario. Quædam ex illis ibidem tunc retuli § 99, num. 1034 & sequente ; quædam alibi remisi. Sunt autem hæc :*

B

Quidam à Sancto contra sicarios defensus · mentalis à diuturno morbo liberata :

185 Nobilem Hispanum, aurifodinæ præfectum, ignota sicariorum cohors invaserat. Equo deturbatum gladiis punctim cæsimque feriunt. Ille tot impar hostibus, unum Ignatii nomen sævientibus objecit. Adfuit Ignatius ipse, & clientem visus protegere, ictus hostium retudit, quorum inanis furor in Hispani veste lacerata stetit.

Dinantium, civitas Britanniæ Armoricæ, cœnobio virginum, quæ sanctæ Claræ instituta sectantur, celebris est. Ex iis una quædam cùm diuturna ægritudine conflictaretur, casu incidit in S. Ignatii Vitam. Legit ; miratur & virtutum exempla, & collata divinitus in hominem unum beneficia multo maxima. Hinc illius apud Deum gratiam & auctoritatem æstimans, venit in spem obtinendæ tanto Patrono valetudinis. Implorat opem ; valet ; gratiisque rite, cum omni virginum choro persolutis, litteras miraculi testes Societati dedit.

C

quidam menti restitutus, donec confessus esset :

186 Accitus in Granatensi collegio, ad ægroti confessionem excipiendam, P. Andreas Zea, reperit miserum exisse de potestate. Continuò positis humi genibus, à Deo per S. Ignatium enixè petiit, ut mentis sanitas tamdiu rediret ægro, dum confiteri peccata, & absolvi posset. Sibi statim restitutus æger depositi noxarum onus, quo levatus, in pristinam insaniam recidit.

mulier dæmoni devota, ad pœnitentiam traducta :

187 Collegii Mexicani Rector gravius ægrotantem feminam eodem, quo P. Andreas Zea, remedio curavit, nempe S. Ignatii potentissimo patrocinio. Illa se orco devoverat, cum in carcerem fuisset conjecta ; & oblatam possessionem dæmon accepisse videbatur. Nam præter incompositos, quibus bacchabatur, motus ; peregrino & erudito sermone proletaria mulier utebatur, aperiebat animorum arcana, subtiliter & acutè de rebus abditissimis disputabat. Rector scriptum in charta nomen Ignatii ejus capiti admovit. Diu obluctata, demum quieta mansit octo dies, vitæ crimina confessione deterst, & in eum novissimis munita Sacramentis locum, ut spes est, excessit, quò aditus humani generis hostibus numquam patet.

D

fugati lemures.

188 Viennæ in Austria familiam nocturna larva perturbabat, sæpe hominis vultum, aliás alium induens : sæpè fugiens oculos, auribus immani murmure obstrepebat ; vestes, stragula, supellectilem dissipabat ; petebat obvios lapidibus, raptabat per humum, sublimè tollebat. Transacto funestos inter tumultus mense, dominus ædium ad nos venit, tentatis frustra remediis pluribus. Datur S. Ignatii effigies ; affigitur eo maximè loco, ubi nocturnus fragor sæviebat : non inde tantùm, sed reliqua domo tumultus omnis, ac diræ lemurum præstigiæ in perpetuum exularunt.

§ V. *Miraculorum ab anno* MDLXVI *usque ad prædictum annum* MDCXVI *supplementum, & continuatio usque ad* MDCXXVIII, *ex centum miraculis à P. Daniele Bartolo excusis Vitæ S. Ignatii lib.* V.

E

Qua laudatus auctor pauca è pluribus, typo antea editis, miracula ibi seligit, ea se affirmat deprompsisse è Bulla Pontificia, è Relationibus Auditorum Rotæ, Actisque juridicis canonizationis ; uti & è processibus peculiaribus, atque documentis publicis, quæ multis in locis confecta sunt. E centum itaque Bartoli miraculis magnam quidem libabo partem ; at prætermittam tamen ea, quæ vel aliunde jam dedi superiùs, vel dabo inferiùs ex instrumentis, antè concinnatis, quam Bartolus sua scripta conderet. De his te, lector, monitum volui. Nunc ex P. Ludovici Janini interpretatione ea subdo, anno 1668 libello singulari Pragæ recusa, & à me hîc nova partium divisione ac titulis distincta.

PARS PRIMA.

Puella mirè ex aquis exempta ; obtrectatores puniti ; sanationes ; apparitio.

F

Filia quædam

IVerat Maria Nateria anno MDCXVIII, die altero Pentecostes, Loano Arassium, veneratura B. Virginem à Carmelo : distant à se ii pagi duodecimo milliari, & Genuensium fluvio imminent. Redeuntis iter tempestas imbrium noctem unam & diem perpetua occlusit ; resumit illud die Mercurii, littus maris legendo, quòd terra interior, altiori luto tunc esset invia : præcedebat matrem, quæ unà venerat, passibus ferè quinque & viginti ; cum nihil minùs advertens, in alveum subit torrentis Antognani, tunc magno impetu in mare præcipitis : vociferatur à tergo mater, discrimen conspicata, sed monentis vocem, maris strepitus extinguit ; infelix filia fluento rapido intercepta, gressum ad matrem referre nisa est, sed, supplantatâ mox aquæ impetu fugâ, dejicitur, & in mare abripitur. Hîc morituram in oculis filiam, & frustra contuens, & gemens mater, beatam Virginem à Carmelo invocat, quod

A quod facit etiam filia, cum fundo jam tertium emerſa, aquis ſupernatâſſet, mortem vicinam operiens.

190 Erat hæc virgo, Deiparæ cultui mirificè addicta: tantùm ſcire optaſſet, ſua obſequia Deiparæ grata accidere; ita ut pridie confeſſario dicere auſa ſit, incitati magis affectûs impetu, quàm arrogantia, non videri ſibi à Dei Matre tantopere diligi, & foveri, quantum ipſa, ſuis apud illam obſequiis, eſſet promerita: in quo quam longè à vero abeſſet, Deipara in præſens oſtendit. Vix popoſcerat ab ea auxilium, cùm cœpit aquis innatare, vultu in cælum verſo, diſtentis brachiis, pedibus ita junctis, ut ſi forent arctè colligati: eoque ſitu, nulla vi, ſed ultrò, quidquid hauſerat maris, revomit. Pergebat interea Deiparam urgens, & quòd altiùs in mare videret ſe rapi, & quòd morderent tunc animum, quæ de ſuis in eam meritis dixiſſe meminerat, rata ſe pœnam eorum luere: vocabat & alios in opem Beatos, quotquot in mentem ſuccurriſſent: B inter quos ſenſit magnâ ſe S. Ignatii fiduciâ erigi, quòd fratres duos haberet in Societate, & ante ſex dies per ſomnum vidiſſet à B. Virgine de Carmelo, & à S. Ignatio, ſe in mare prolapſam, ad terram ſubduci; quod quamquam illi tunc non aliud viſum, quàm imago ſomni, [tamen] impreſſit versùs Ignatium mentem, piâ confidentiâ imbutam. Quare hanc illi precationem concepit: O Beate Ignati! ſerva me: ſcis enim, me fratres in tuo Ordine habere duos. Dixerat, eratque intra mare mille paſſus projecta; cum repentè illi ex mente & oculis, mare, terra, mundus, adeoque præſens periculum evanuit, totamque hanc ſibi viſi pulcherrimi ſpecies abſtulit.

Deiparæ addicta, ejuſque & Sancti opem implorans,

191 Videbatur ſibi candidiſſima nube cingi, *mirabili* uſque ab cælo circumfuſa, & lucem complexa longè gratiſſimam, qualis eſt, aiebat, ſolis proximè orituri, quam benignè ferebat oculus, etſi multò vehementiorem. Theatrum exhibebat ea nubes, ſtantibus angelis confertum, eleganti forma, ſplendore tam acuto, ut conniverent ad eum oculi. In his duo hinc inde, quorum alter veſtem fuſci caſtanei, alter maximè candidam tenebat, agnovitque in iis Carmelitarum habitum, quem multos jam annos ex voto geſtaverat. Sub hæc, videndi vim ſibi addi perſenſit, ut, quà erat lux major & denſior in nube excellentiſſima, eam intenderet. Illic, ſed longis ſemotam ſpatiis, conſpicatur matronam, forma mira- C bili, cujus è ſinu lucis tam vividæ manabat flumen, ut ab aſpectu oculos arceret. Orat ergo S. Ignatium, eos corroboraret, ad contuendam ſpectaculi tanti præſtantiam; cum, ecce tibi, derepentè in editiori, ſupraque angelos, comparet Ignatius, apertis brachiis, ardenti vultu, conſpectu hilari; eamque pauliſper ſilendo contuitus, delabitur propiùs, ſic, ut commodè poſſet oris lineamenta diſcernere. Hîc autem Deipara, porrectâ manu, monſtrare illi Ignatium digito, velut indicans eſſe, quem invocârat, & jubens ſe illi commendare. At ipſa novo dolore icta, vocemque attollens: Ignoſce, ô B. Ignati! nunc enim memini, ſanctitatem tuam laudantibus, obſtitiſſe ſæpe incredulam, & exprobraſſe fratri meo Antonio ingreſſum Ordinis, cujus fundator Sancti nomen ab Eccleſia non obtinuiſſet. Agnoſce igitur, infert Deipara, Sanctum eſſe, & ex iis, quos ſubſidio advocaſti, unum adveniſſe, teque illius gratiâ ſervandam.

192 Quam quidem ſalutem animæ puella interpretabatur, aliud quodlibet periculum oblita, & pro illa Ignatium inſtanter precabatur; qui tametſi ſileret perpetuò, ſed aſpectus & oris explicata ſerenitas & arriſus quidam mirificè eam ſolabatur. Horas quatuor jam totas extra ſe poſitam hæc detinebant ſpectacula, quæ, ut ſe recepit, brevem ſe morulam putâſſe aſſeruit. Mater interea, filiæ mortem in momenta expectans, circumcurſabat ejulans, & imploranis miſericordem alicujus manum, quæ opitularetur pereunti. Promiſit operam peritiſſimus è vicinia natator, & ſuam Deiparæ ſalutem commendans, mari, ſed magno cum labore (nam intumuerat) nec minori alea ſe dedit, natandoque perlatus, puellam brachio prehendit; cui tunc viſo penitus dilabente, rediit maris, & periculi conſpectus idem, & horror, qui antè fuerat, auctuſque acceſſu natatoris, quem eſſe dæmonem, vel inde certiùs conjecit, quod ab eo tenta, cum eo mox ſub aquas depreſſa eſt: ſed ab eo amiſſa, ſitum illicò eumdem recepit, clamans, & Deo, parenti Virgini, S. Ignatio ſupplicans, ut ſe à poteſtate dæmonis eriperet. Natator expertus, quid poſſet, & videns contra uſum naturæ aquis ſuperferri, invento felici, quaſi tabula foret, cœpit eam ad littus impellere, & ejecit denique in terram tam facili & tam celeri natatu, ut non ambigeret, miraculo factum. Multos inde à principio acciverat matris miſeræ clamor & lacrymæ, vel opem laturos, vel triſtem ſpectaturos caſum: inter quos Petrus Maria Torretus Abenganus magnam viderat lucem puellæ imminere, & intermicare ex ea ſtellulas, ſive, ut apparebat, ſplendidos uniones, eſſeque id à Deo conjectans, qui ſalvam vellet, quam pridem alioqui torrens & mare ſorbuiſſet, gemino inde milliari per certum hominem advocârat, quem dixi, natatorem, Thomam Marenum nomine. A quo in terram expoſita, genua ſtatim flexit, rogavitque adſtantes, ad agendas ſecum Deiparæ & ſancto Ignatio vitæ ſibi ſervatæ gratias.

ex Bartolo. *viſione recreant,*

193 Fuit, ex ea qui quæreret, ecquæ lux fuiſſet, quæ procul ex littore impenderet illi cernebatur, & num aliquod viſum interim ſpectâſſet: at illa penitus omnia tacuit, veſtibuſque, ut potuit, mutatis, ad S. Franciſci de Paula perducitur: ubi mater pro illa Deum precabatur. Ad matrem prima vox ejus fuit, quod ante ſextum diem in ſomnis viderat, exitum habuiſſe; intelligi volens à B. Virgine de Carmelo, & S. Ignatio ſe mari eductam. Pervagatâ verò tam evidentis miraculi novitate, patres Carmelitæ Lonnenſes de illa juridicè interrogandam judicârunt; quibus faſſa eſt quidem, liberatores ſuos fuiſſe B. Virginem de Carmelo, & S. Ignatium; ſpeciem tamen, quam viderat, omnino ſiluit, ſeu religione ſcrupuloſiori non auſa, quam viderat, dicere, Dei Matrem, ſeu motu quodam inanis gloriolæ: quamquam viris aliquot Religioſis eam aperuit, ſed ſecretè, fide ab iis ſanctè priùs petitâ & acceptâ. Verùm non diu pòſt, nocte quadam oranti, ſuiſque liberatoribus, Mariæ & S. Ignatio gratias agenti, en adeſt iterum Dei Mater, eâdem, quâ nuper, ſpecie; niſi quod adſpectu ſevero, & digito minax: quibus inhoruit afflictiſſima, & longo fletu ac precibus inſtitit, ex ea cognoſcere, ecquam ſuam ob culpam, ejus minas & iram eſſet commerita. Cumque illa repentè ſe ſubducens, viſendam de cetero non præberet; converſis ad Chriſtum precibus, idem trium horarum ſpatio, ex eo contendit exorare, dum mærore & labore fracta, faciem in manus inclinavit, tantiſper interquietura. Hic verò in- *& à ſubmerſione liberatur.*

ex Bartolo.

credibili gaudio impleri, & vocem audire ter ſibi hæc juſſa repetentem : Narra ingenuè filia, quæcumque de Matre mea tibi monſtrata ſunt. Qua voce reſpirans, & minarum, quas extimuerat, edocta cauſam, ſimul eam fuiſſe Dei Matrem, quam viderat, imperata perfecit, & auctoritate legitima, quod pro teſtimonio dixerat, eſtque hîc à nobis recenſitum, firmari voluit; ſuperadditis tamen, quæ mater, natator, & rei ſpectatores jurati addidêre.

Duorum adversùs S. Ignatium obtrectatorum

194 Conciones habebat Arboſii, in comitatu Burgundiæ prope Dolam, ex Ordine religioſiſſimo vir quidam. Hic à doctore Gillabodo, virtute ac litteris noto, vocatus ad prandium, indignè accepit, efferri ab eo Ignatii merita & ſanctimoniam; auſuſque infelix in Sanctos ludere, Jeſuitarum, inquit, Fundatoris eò ſumma pertingit poteſtas, ut ſanet dolorem dentium, non plùs ultrà. Quæ vox ab homine tam ſpectatæ profeſſionis & habitûs, livore ſacrilego expreſſa, offendit graviter convivas, & mæſto ſilentio excepta eſt : erat enim S. Ignatio addictiſſima illa domus. Accidit ea ges die Lunæ, mediæ Quadrageſimæ proximo, quam ut concionibus expleret, qui cœperat, vindictam ſceleris Deus in gratiam populi diſtulit. Sed altero à Paſcha die, ab eodem denuo invitatus, temeritatis impiæ pœnam luit. Manu pateram tenens, ut biberet, improvisò inhorreſcit, vociferatur, dentes ſibi diſſilire, & os prorſus occludi, planéque poſt hæc, confixis veluti maxillis, verbum nullum miſit ; ſed mugitu & fremitu, deſperabundi more, adſtantes exterruit : ſub hæc enim miſerè abripi, furere, convelli, exagitari tam valida rabie, vix ut quinque aut ſex hominum manibus teneretur. Adhibentur, ſed fruſtra, medici ; nam inductus à Deo morbus, expugnabilis hominibus non erat. Inter hos angores triduum ſuperſtes, eloquenter populo reverentiam Beatis debitam ſuo ſupplicio ſuaſit, ac finem denique vivendi fecit, nec pœnitudinis aut alterius cujuſvis bonæ mentis indicium verbo alio dedit.

B

temeritas punita.

195 Ante hunc, anno MDCX luerat idem ſcelus in Hiſpania laicus alterius Ordinis. Hic prope Cordubam, cum in Societatis adjutorem incidiſſet, fœdis modis aggreſſus eſt illum, Societatem, maximéque S. Ignatium ludere, haud priden Beatis adſcriptum. Convitiorum & ſarcaſmi ſatur, veſtes exuit, ſeque nudus in rivum moletrinæ mittit. At, ecce, dum natat, in quo erat expeditiſſimus, videt iterum adjutorem noſtrum, & O ! inquit, tenerem hic Patrem veſtrum Ignatium : ego illum potarem tam liberaliter, ut impoſterum ſitiret numquam. Fuit hic ejus & verborum, & vitæ horrendus finis : ſubitò enim, velut plumbeus, in ima deprimitur, & aquis præfocatur. *De exemplo quatuor Mutinenſium, quod ſubditur apud Bartolum, dixi ſuprà* § 1.

C

Puer à purulento vulnere,

196 Hieronymus, patre Onophrio Effraſchio, Gandiæ natus, latum vulnus ſupra cilium ad tempus alterum accepit. Vulneri acceſſit totius oris tumor & febris vehemens. Suſpicatus chirurgus ex puris copia, quam exſiccare non poterat, latêre aliquid in capite, conſenſione [*dicamus potiùs* repercuſſione,] ut ſæpe fit, vulneris ejuſdem læſo, cogitabat de terebranda calvaria, ut fiſtuloſum ſaniei fluxum illo exitu purgaret : quod cum eſſet audax & lubricum, adhiberi ſecum peritiſſimum chirurgum voluit. Adſunt, puerum inſpiciunt, vulnus nudant, ut undique explorent, vixque cicatrix leviſſima comparet, ſanati vulneris exile veſtigium. Stupet chirurgus vulneris conſcius, putat ſocius ſe deluſum. Mater admodùm læta & alacris, Doctioris Podalyrii opus, ait, ſanatum ab S. Ignatio puerum ! nam ſe audita oſſis terebratione exterritam, ad eum confugiſſe, votum pro puero nuncupâſſe, altare illius novem diebus adeundi, ad agendas, ſi eam concedere dignaretur, ſanationis obtentæ gratias. D

juvenis à retentione urinæ curatur.

197 Jacobum Mongiardinum Chienſem, quinque & viginti annorum juvenem, vehemens febris lecto affixerat. Sed ſuppreſſa jam quinque diebus urina ad extrema deduxit, cum ne violentis quidem remediis, mali pertinacia laxaretur. Cùm ergo tumore, deliriis, aliiſque letalibus indiciis terreret medicos, chirurgo denique traditur, ad aperiendas ferro urinæ vias : at nec à chirurgo ſuſcipitur, niſi pro mortuo, & ſanationis deſperatæ, in qua fas eſſet artem experiri. Explicata jam erant ferramenta & faſciæ, totuſque carnificinæ apparatus ; cum adeſt officii gratiâ ægroto amicus è Societate ſacerdos, qui animæ primùm injectâ curâ, inde pro corporis ſalute hortatur, ut S. Ignatium invocet. Paret æger quàm poteſt piiſſimè, hinc pater Beati ejuſdem imaginem pectori admovet, atque hic illicò obſtructa natura tam ſubitò diſcuti, ut præfeſtina lectum omnem & cubiculum inundaret, ac paulò pòſt non ab eo tantùm, ſed alio quovis morbo ſanus conſurgeret. *Sequitur de Magdalena Talavera ; ſed de ea dictum in Relatione conſiſtoriali, Commentarii prævii numero* 1086. E

Cuidam è Societate in ſpiritualibus languenti

198 Jacobus Tirius, patriâ Scotus, dònis ab natura non vulgaribus cumulatus, ad Societatem venerat adoleſcens. Probatus de more in tirocinio, tranſcriptus eſt in collegium Romanum, litteris operam daturus. Illic dulci captum ſcientiæ poculo, pietatis colendæ deſeruit ſapor : tempus divinis ſacrum, examinandæ conſcientiæ, lectioni ſanctæ, locupletando ingenio totum dabat, quantò indies ſcientiâ ditior, tantò pietatis egentior. Neque illum priùs ſenſus tetigit ullus contractæ ex eo imbecillitatis, quàm cum urgeret neceſſitas ad exerendas vires virtutis arduæ, quibus pridem minui cœperat. Nam extra ſeculum agenti, & irritamenta vitiorum, mediocris probitas intactum conſervat theſaurum divinæ charitatis, quamdiu nulla impugnationis obſtinatæ impreſſio quietum animum quatiat ; at ſi valida pertinaxque inſtiterit, ſentiet planè tunc alio robore opus eſſe, ad ſuſtinendum hoſtem & vincendum, quàm quo ſe placida ſtatio facilè tuebatur. Quod juvenis, de quo hic ſermo eſt, nimis ſerò advertit. F

apparet, ac medetur.

199 Lactabat illum dolosa pace cacodæmon. Vigorem virtutis & animi ultrò per ſe in libris ſtolidè abſumentem, viribus acciſum, & propè attritum conſpicatus, nec repugnando ſatis parem, tormentum admovet miſero tentationis vehementiſſimæ, penéque adigit ad deditionem. Quòd tamen eſſet adoleſcens mentis valdè bonæ, divinam manum in auxilium poſcebat, atque, ut poterat, ſuſtentabat ſeſe. Hîc ejus miſertus Ignatius (qui decennio antè obierat) cogitationibus ſuis malè colluctanti, & tantùm non victo, ſpectabilem ſe ſiſtit, ſeveritate paterna objicit, quòd poſtpoſuiſſet virtutis ſtudium litteris ; haudquaquam enim eo conſilio ex mundi nugis in Societatem evocatum, claudenſque hoc epiphonemate reprehenſionem, Plus, inquit, virtutis, litterarum minùs ambiendum : moxque ex oculis receſſit. Quibus juvenis ab ſæva, quâ diſtrahebatur, animi tempeſtate, liber (nec enim tantùm correcturus errantem advenerat) ex eo tempore divinis addictiſſimus perſiſtit, eóque virtutis

A tutis pertigit, ut Germaniæ Aſſiſtens fieret, quo ſimul & munere, & vitâ defunctus eſt, Martii XXI anno MDXCVII. Sed triduo antè, Antonio Menageo, cui poſtremùm, ad mortem ſe comparans, confeſſus eſt, hoc, uti narravi, aperuit. *De apparitione Sancti, Keſſelio facta, egi in Commentario prævio num.* 929. *De Alvaro Molina ſuprà in Gloria poſthuma ex Juvencio.*

200 Anno hujus ſeculi primo, Februarii XXVI, Florentiæ ſubitus ignis cujuſdam ædes corripuit. Nox erat media, ventus prævalidus ſpargebat incendium in alias ædes: jamque ad Donatum Franciſcum Galligaium pertigerat. Ergo is, quidquid erat pretii alicujus, in tutum ejicere, pòſt in edita ædium ſcandere, volaturus inde cum aqua & accitis fabris, quo periculum propiùs vocâſſet. At, ecce, tecto ſeptem jam orgiis flamma ſuperior, tectum ipſum vivis inſtratum carbonibus, & impluente à flatu & incendio favilla; quodque his terribilius; ineuſſus impetu in os vapor, non opitulandi modò ſpem, ſed ſpirandi præcludens. Quare in genua provolutus, appreſſiſque in crucem pectori brachiis, tutelares ſuos Ignatium, & Xaverium largo fletu in auxilium advocat, ſpondens fore, ſi domum ab igne defendiſſent, numquam ſe divinæ majeſtatis offenſam admiſſurum. Sub quæ mox ſublimes in aëre ambos videt, duabus inter ſe diſtantes ſexpedis: Ignatium verò hæc ſibi dicentem: Abi modò, voti compos futurus. Ad hæc flammæ graſſantes momento ſubſidere, recondi ædibus, quas corripuerant, tandemque abſumi, Donati domo, quam circùm obſederant, undique illibatâ.

Alius in incendio incolumitatem adeptus.

B

PARS SECUNDA.

Procurata pœnitentia; varii morbi, & arreptitia ſanata.

HIſpali, mulier ſeptimum jam annum conſueverat incubo, hominis ſpeciem induto: cujus denique horrore flagitii tacta, exoſaque amores belluinos, adit è noſtris ſacerdotem, cujus inſtructa & corroborata monitis, domum redit, Confeſſionem ſeriò paratura. Redeunti occurrit eremita, qui defixo in eam obtutu, ſimilis miſerenti, quærit, unde is animi ejus mæror, cujus in fronte indicia legeret? Mulier arbitrata hunc eſſe, quem veſtis ſimulabat: Ecquid tibi, ait, curatio eſt, triſtis ſim an læta? Tua infert dæmon, causâ id quæro, tuo enim bono ſtudeo, plus quam putes. Adſum Româ nunc recens, unde mecum theſauros porto efficaciſſimæ veniæ, ſub horam mortis obtinendæ. Felicem te! potes pergendo, ut hactenus, tam eſſe nihilominus ſecura beatæ mortis & ſalutis, quàm ipſe ſum, qui me tamen hac vitâ, quam vides, & habitu macero. Credis ſtulta, tuis te rectè factis; non ſolâ Dei miſericordiâ ſervandam? pluriſque apud illum tuas lacrymas fore, quàm ejus ſanguinem? Mitte, quæſo, nunc de ſacerdotibus & Confeſſione eſſe ſolicita: viveſis, ut maximè lubitum, tantùm Dei confide bonitati, alia omnia arrogantia deputa. Senſit hîc mulier, Deo mentem illius advertente, nec eſſe hunc hominem, qui noſſet, quæ uni mortalium confeſſario explicârat; nec bonum genium, qui ſcelerata ſuaderet. Implorata Dei ope, jubet faceſſere, aiens, palàm abundè ſibi factum, quemnam eremitæ larva contegeret. Ad quæ ille mutato ſtylo: Qui verò ego ſim, & ſcies, & longè aliter, quàm reris, ſenties. Tuas ego turpitudines vulgabo, & faxo præter infamiam, quæ te inde ſequetur, ut etiam viva comburaris. Quibus dictis, repentè dilapſus eſt.

Mulier impuro commercio aſſueta,

C

ex Bartolo.

202 Metum inter & conſcientiæ lanienam confuſa & afflicta mulier, ad confeſſarium refugit, domum pergere non auſa. Intentari illi has minas à dæmone terrendi gratiâ, confeſſarius docuit, nec eſſe illas in ejus poteſtate; ſed ab eo id agi, ut metu illam everteret. Ceterùm haud vanè conjiciens, non hoc uno inſultu confectum iri negotium, ſanctis eam conſiliis armavit, ſtata illi edixit religionis officia, & S. Ignatii effigiem tradidit, vetans, illam umquam ab ſe amovere. His erectior facta, domum redit, abditque ſe conclavi ſola, ut vitam retexat Confeſſione expiandam. At extemplo adeſt ejus nefandus amaſius, cubiculum tamen reveritus, ſubſiſtit in limine, deridens ſimplicem, quòd fruſto chartulæ obarmata, ſe tutam ab eo crederet, jubenſque eam abjicere, nî mallet experiri, læſa indignatio quid poſſet. At illa hoc diligentiùs Sancti effigiem ſinu concludere, ejuſque opem flagitare. Quare blanditiis agere impurus hoſtis aggreditur, rogat, per quidquid ſeptennio gratum illi feciſſet, chartam projiciat; nam per Ignatium, cujus impreſſam habebat imaginem, non licere ſibi conclavis ingreſſum, ut ad eam accederet propiùs. Hoc ſi ab ea impetrâſſet, futurum ſe illi, nihilo quam antè, minùs benevolum. Quæ cum ſurdis auribus nugaretur, horrendo tandem cum fragore abſceſſit. Poſtridie verò mutato ſchemate, anumque indutus, revertitur; aiebat, eodem ſe confeſſario cum illa uti, adeſſe ſe illius nomine: oranti enim pro illa confeſſario Deum, obſtitiſſe, vetuiſſeque de ea impoſterum apud ſe agi, quæ ſe commercio dæmonis tam deteſtabili temerâſſet; ejus eſſe damnationem ratam, & extra ſpem poſitam. Quamobrem, ſoror, concludebat anus, vive dum vivis, & hîc genium cura: nam illic, quod expectes, nihil reſtat.

variis technis à pœnitentia avocatur;

E

203 Verùm ne hic quidem ſuus hoſti vaferrimo proceſſit ludus: divino inſtinctu & confeſſarii monitu verſatilem Protheum detegente, convitiis improbum abegit. Quibus in rabiem efferatus, avulſam ex ejus manibus ſancti Ignatii imaginem, in ignem conjecit; ſed intacta ex flammis in mulieris gremium confeſtim reſiluit: ex quo magnos animos illa ſumpſit, gnara, quanto & quam propitio interceſſore niteretur. Purgatis demum exomologeſi accurata criminibus, ad ſuſcipiendam poſtridie Euchariſtiam adornabat ſeſe; cum nocte crudelem in modum, ab ſuo dæmone impugnata, infelix ſuccubuit. Non viſo aliquo pavendo proſtrata, nec vocis ullius perſuaſione, ſed altè præcordiis expreſſo immanis ſuæ impudicitiæ portento ſiderata, cujus explendæ libidine concubinam dæmoni ſe dediſſet, horrore ſui & odio, divinam miſericordiam deſperavit, aptavit collo laqueum ſemel, iterum, tertiò, nodis ſemper, quos nexuerat, corporis pondus fallentibus, ſic ut ſuſpendio non potuerit fauces elidere. Quod animadvertens, non aliunde quam à Deo, & præſide ſuo Ignatio proficiſci; repetita ſpe meliorum, ſummo manè, inſultum dæmonis & triſte facinus, quod ejus impulſu deſtinarat, confeſſura, in templum accurrit, ritèque expiata, ſolidiorique firmata propoſito, cæleſti menſæ accubuit. Die inſequenti, ultimum denique ſe ſiſtit pœnitenti dæmon, qualis tot annos

at fruſtra: donec poſt deſperationem ſeriò convertitur.

F

ex Bartolo.

nos ab ea videri ſolitus, forma ſcilicet juvenili, ſed irato ac triſti ſimilis, profeſſus illi, ut vocabat, ſceleratæ imagini, & conſcelerato ſacerdoti coactum ſe cedere, illâque relictâ abire. Quæ ubi dixiſſet, horrendo fragore, amiſſæ prædæ dolorem teſtatus, receſſit.

Quædam febri hectica tabeſcens:

204 Thomaſam Baionam, febri dudum hectica tabidam & exhauſtam, pronuntiaverant medici, reſtitui, niſi miraculo, non poſſe: nocte etiam quadam, acceſſu doloris vehementi, & cordis palpitatione ad extrema redacta, commendabatur Deo, ut ſtatim obitura. Verùm illi ſuccurrit interea, ut vitam ab S. Ignatio peteret, quam & ſine mora impetravit, mutato in placidiſmum ſomnum agone, in quo luctabatur; ad diei exortum quievit: experrecta, nec febris, nec morbi præteriti quidquam ſibi reſiduum comperit, præter lateris dolorem exiguum, qui deterſus quoque eſt illitu olei, quod ante effigiem S. Ignatii Gandiæ ardebat: ubi hoc geſtum eſt anno hujus ſeculi primo.

B

Alia è carcinomate exeſa, curantur.

205 Hippolytam Bartholomaſiam, Mutinæ in S. Geminiani monialem, dirum carcinoma jam triennium exedebat, arroſoque intra nares palato & faucibus; vultuque deformato, graveolentiam exſpirabat tam tetram, ut ipſam ſe horreret. Medicos & chirurgos inexhauſti humoris malignitas, & pertinaciter hians plaga exhauſerat; in ferro & igne remedii una ſpes: ex duobus enim ejuſmodi, quibus manum chirurgus commodaverat, ægrotis, alterum, aiebat, interîſſe, alterum ſecando & urendo ſervatum. Aderat condictus curationi dies, cum ægrotantem ſoror miſerata, S. Ignatii potentem manum imploravit, ut & malum informe, & atrox mali remedium ab ea depelleret. Virginem adhibet Deo ſacram, per quam Deo promittit, ſe diem Sancti, præmiſſo jejunio, quotannis culturam, Sacrum curaturam illius honori, & appenſuram argenteum anathema. Nec fuit pluribus agendum: impetratum tulit quidquid optaverat, pridie, quàm eſſet ſecandum ulcus, ſub ſerum diei, ex palato & faucibus erupit fruſtum carnis latum digitos quatuor, duritie cartilaginea, ſecumque morbum omnem ita penitus abſtulit, ut nec igne, nec ferro deinceps, nec alio medicamento eguerit.

C

Siliquæ ſemen ex pueri aure miraculosè eductum.

206 Octavius, Benedicti Dandoli filius, Chienſis, octo annorum puer, ab colludentibus illuſus coævis, ſiliquæ ſemen auriculæ indidit. Spondebant illi per nares rediturum. Experturus digito primùm, pòſt etiam fuſo, quam altiſſimè valet, inſerit, introque propellit. Sub noctem exoriri dolor, incrudeſcere die inſequenti; chirurgi accurrere, volſellas, inſtrumentaque alia extricando grano admovere: quibus nihil effectum, niſi ut puer cruciatum non ferens, in deliquia laberetur. Extra ſpem igitur ſanationis deſtitutus, præter ſurditatem, quæ conſecuta eſt, acerbis identidem doloribus capitis torquebatur. Jam ſeptennium exibat ab ejus mali exordio, cum Societatis ineundæ cœpit puer deſiderio ardere, communicavitque hanc ſuam mentem cum patre ſuæ conſcientiæ arbitro: qui ſurditatem intelligens votis ejus ſine dubio obſtituram, ſuaſit eam rem S. Ignatio commendaret, quem ea domus venerabatur impenſiùs. Erat is haud pridem relatus inter Sanctos, ejuſque tunc feſti octiduum agebatur; paruit monenti juvenis magna voluntate, & pro more illius regionis, pauxillum goſſypii, quod S. Ignatii contigerat tabulam, auriculæ ingerit; ſed vix domum reverſus, tam ſævo capitis dolore cruciari, ut ex eo in deliri-um ſubiret. Quod familiares ſubveriti, ne de goſſypii vitio aliquo naſceretur, detrahendum auribus putârunt; at, ecce, dum trahitur tot annis ſepultum ſiliquæ ſemen, goſſypium ſequitur, humore turgens, & parte altera germinans, ſecumque omnem capitis dolorem abſtrahit, facultate auditûs impoſterum ſanâ & integrâ. *De mira, quæ hîc ſubditur, dæmonum infeſtatione Lauretana vide Commentarium prævium num. 931.*

D

Puella linguâ animo ſolita ſanatur;

207 Nec fuit minoris prodigii, puellæ annorum quindecim, eodem fere tempore ac loco reddita valetudo. Huic in Gandiæ comitatu, ex ſpectri cujuſdam objecti terrore, hæſit cordis ægrotatio tam fera, ut eam ab ſe, atque à ſenſibus abalienaret, cum horarum interdum quatuor & quinque deliquio; rabie interdum, morſu manus proprias appetentem. Ac principio quidem exerebat ſe quot hebdomadis mali furor, pòſt iterum, ac tertiò; demum ita crebrò, ut decies octies diei unius ſpatio rediret, qualis fuit ſupremus ejus morbi dies. Videns [autem] luſtrica ejus mater, numquam illi fuiſſe deteriùs, S. Ignatium lacrymis & precibus convenit, cujus multa narrari prodigia audiebat, infeliciſſimam puellam, nullaque jam ſpe niſi cæleſti nixam, ejus commiſit bonitati. Quo puncto temporis cum jaceret collapſa, oculos aperit, aſſurgenſque admodùm reverenter, jubet ſedes poni duobus patribus, quorum alter erat Ignatius; ab eo ſe ſibi redditam, ſe manu prehenſa erectam, ſe promiſſione illius factam certiorem comitialis morbi numquam de cetero reverſuri. Credita eſt primùm animo exerrare; at Sancti vultum & habitum deſcribens, & valetudine impoſterum gaudens conſtanti & integra, viſi ac miraculi veritatem cumulatè probavit.

E

uti & alius à letali

208 Sub annum hujus ævi ſextum, vocatus eſt in Societatem Hieronymus Falconius Barcinonenſis, ſed compendiis domeſticis infatuatus parens Michaël Baptiſta, obſtare non deſtitit, quoad negotium diſturbâſſet. Neutri tamen impunè res fuit. Miſſus à patre Leridam juvenis, faucium inflammatione corripitur, quam ex linguæ tumore ac nigredine, letalem medici indicant & judicant, cum ex centum eo malo affectis ſolerent vix quatuor ſanari. Edoctus periculum parens, faſſuſque non diſſimulanter veram mali cauſam, indignum ſe clamat, qui vivo filio potiretur, quem rationibus terrenis familiæ, quam Chriſto ſervire maluiſſet; peccatum ab ſe vehementer dolet, poſcitque multis cum lachrymis ab S. Ignatio veniam, mira ſpondens, ſi ab interitu filium vindicâſſet. Inde citatò Leridam pervectus, incolumem offendit filium, & quâ horâ illum Sancto commendârat, eâdem & febrim extinctam, & faucium æſtum. Cauſæ verò ignari medici, peritè ſtatuerunt, non potuiſſe momento peſtilentem febrim conſtanter deſinere, ſtabulante introrſum mali origine; ſed hoc fore recidivi letalis præſagium. Viſa certè eſt beneficio exorato ſuſpendi morbi vis potiùs quam ſanari: Itaque duodecimo pòſt die violenta febris accedere, ingraveſcere decimo ſeptimo, tumere, ſpiritûs via pituitâ obſtrui, denique medici affirmare, alterâ horâ poſt mediam noctem acceſſione decumanâ periturum.

F

faucium tumore:

209 At pater, cui animo hærebat, ratas fuiſſe, quas fuderat Barcinone, ad S. Ignatium preces, illas geminato affectu repetit, Societatis patres per nuntium rogat, ne graventur ejus chirographum ad ægrotum deferre; quod cum penes privatum eſſet, diu reperiri non potuit. Adeſt

A est interim prædictum à medicis supremum discrimen. Sine pulsu arteria, sudores frigidi, vicina mors, parens ultimùm filio piè adprecatur, numquam ab se postea revisendo. At, ecce, occurrit exeunti sacerdos è Societate, chirographum ferens tantopere antea requisitum, redeunt patri spes, redit ipse: S. Ignatii fiduciam filio facturus, hortatur, ab eo vitam petat, allatum ad hoc à patribus ejus chirographum; quod ubi patres detexerunt, admoveruntque jacentis osculo, revivisce re puncto temporis visus est, febris continuò abscessit, & cum ea quidquid exitium minabatur, ipseque haud diu pòst, lecto sanus & valens exsiliit, verùm doctus suo infortunio, in rebus divini obsequii meliùs sapere. *De Maria Bonnieria proximè hîc agitur; at de illa dicam infrà inter miracula Belgica.*

Mulier arreptitia

210 Quantum sequenti prodigio gloriæ vera religio, tantum accepit dedecoris Calvini hæresis. Editum est anno MDCXXVII Ostrogii, Poloniæ urbe, in luce totius populi: illic nobilem feminam, verùm cum suis hæreticam, invaserat dæmon. Hujus indicia linguarum varietas, La-

B tinæ, Germanicæ, Ruthenicæ, ac similium, quibus interrogata respondebat, etsi aliud numquam didicisset, præter maternum idioma; ad hæc maximè occulta pandere, narrare, quæ procul fiebant, vires prodere supra feminam haud paulò majores. Itum ab hæreticis in consilium sæpiùs, de illa ab hoste liberanda, sed eam provinciam aggredi cum illorum auderet nemo, Societatis patribus committi debere statuerunt, rogaruntque Rectorem collegii, ut eam susciperet: at is primùm ex iis audire voluit, num extra dubitationem posside ri eam à dæmone crederent; idque magno omnes consensu fassi sunt: quòd autem, qui maximè instabat Rectori, Calvini esset tam insanè tenax, ut malle se profiteretur in canem, aut porcum, quàm in Papistam transformari, hunc deinde adortus, Vos, inquit, quibus ritus Ecclesiæ superstitio sunt, & exoreismi deliria, quî fit, ut nunc illa requiratis? fidene, an necessitate? Vestros accersite prædicantes, qui mero Dei verbo tantopere tument: suum huc Euangelium applicent, quantum valent. Adsint quoque sacerdotes schismatici, experimini quid ii possint, ac tum demum nos adjutores succidaneos habetote; id enim æquum est, non agnosci modò, qui sint potentiores dæmonibus, verùm etiam qui in-

C feriores. Ad prædicantes quod attinet, respondent hæretici, artem illos nescire curandi arreptitios exorcismis. Quæ res, si patribus ex animi sententia cederet, habituros se Romanam fidem longè alio loco, quàm antè habuissent.

magno cum hæreticorum dedecore,

211 Hinc domum subitur ad exploratidum certiùs possessæ feminæ dæmonem, qui statim de facili compertus est: nam ut aquâ lustrali, ex ritu Catholico, eam Rector aspergit, & de reliquiis S. Ignatii, clàm ei aliquid applicuit, distorqueri mox, tremere, exclamare, se Ignatii ossibus cruciari. Quòd autem Rectori hæreticorum sanatio, quàm energumenæ esset antiquior, mandat ab iis proferri Calvini Institutiones, cum aliquot sectæ ejus libris, & dæmoni objici: quos ille, contrà quàm audacter expectârant, mirificè gratos & jucundos testari, excipere, dissuaviari: receptos verò ab Rectore, & inclusâ latenter S Ignatii effigie, denuò porrectos, furendo, ululandoque refugere: coactusque fateri, quid in iis timeret, Quam tu, inquit, iis injecisti S Ignatii imaginem? Quod ab hoste promptum ita confudit hæreticos, ut eorum unus, invidiæ impo-

tens, Bellè vobis Papistis, ait, cum diabolo convenit, & eum ex pacto circumducitis, quò lubet. Movit stolida & vecors interpretatio cujusdam ex patribus ardorem, palamque compellans hæreticum, Agite, inquit, conditionem æquam fero: precabor Deum, ut, si, quam profitemini, doctrina vera est, in me transeat hic dæmon, & pro sua rabie crucietur: sin è contrario vera est certaque Catholica, idem subeat in vos veri hostis, & vel unâ horâ vos torqueat. Excepta conditio meticuloso universorum silentio, & ab eorum nemine admissa. Tantùm ab iis Rectori supplicatum enixè, si quid ipse valeret ad liberandam infelicem, ne id illi negaret. EX BARTOLO.

& gloria Catholicæ religionis

212 Promittit Rector se facturum, atque in eam rem jejunium tridui, largitionem in pauperes, flagellationes, & alia pietatis officia collegio indicit. Patre subinde uno arreptitiam revisente, ad cujus aspectum efferari semper dæmon & furere; contrà, hæreticos adeuntes urbaniter alacriterque accipere, nominareque illos caros & amicos; sub hoc porrò temporis, quædam vi & ultrò locutus est dæmon, minimè omittenda: 1°. Nempe Jesuitis Ostrogienses nullos E sibi esse inimiciores, seque id agere, ut essent aliis exosi, ad eorum labores suo fructu privandos. 2°. Dein semel ab se tentatum, ignem collegio subdere, cœpisseque jam famulorum stationem corripere, sed restinctum priùs, quàm posset illum occultare. 3°. Tentâsse pariter, patrum conclavia intrare, facturum quidquid valuisset mali; sed illinc à Matre Virgine, & Ignatio repulsum. Venerat condictus celebri exorcismo dies, Virginis Purgationi sacer, locus Societatis templum, hæreticis diu frustrà nitentibus, ut domi eorum privatim haberetur: verùm sectæ illorum debebatur hic in publicum pudor, & novum Catholicæ fidei, potestatis summæ adversùs dæmones, trophæum. Vincta mulier multorum manibus in templum inducitur, statuiturque ante aram B. Virginis, & S. Ignatii memoriæ positam, ubi rugitu horrifico populum, qui confertissimus ad spectaculum aderat, consternavit.

liberatur.

213 Vibrandis in hostem exorcismis præmisit Rector brevem ad omnes allocutionem, quâ illis acerbum ob peccata dolorem commoveret: inde fletus omnium communis, piique affectus, diversis multorum vocibus expressi. Compulsus dæmon effari, quis esset? cur eam feminam occupâsset: diuque restitans, Ruthenum tandem F se esse respondit, ab Ruthena saga in id corpus immissum, veneficio incantati fili, quo sertum floreum ligabatur, de more gentis à femina capiti ornando impositum. Adactus iterum efferre, cujus esset præcipuè pòst Deum virtute pellendus: multa fremens ac frendens, denique Mariam & Ignatium contemptim nominavit. Quare horas duas exorcismis ardenter incumbitur coram S. Ignatii tabula, & cum beatissima Parente Virgine in opem vocatur; cui ne qua fieret alicujus flagitio mora, impetrandam gratiam inhibente, iteratò populus admonetur de peccatorum venia seriò petenda, iterandisque pro miserabili femina precibus. Quod factum à populo contentis vocibus cum esset, correptam violento impetu ex retinentium manibus, dæmon solo allidit ac velut mortuam, sed penitus liberatam, & sanam reliquit. Paulò pòst enim à circumstantibus erecta, ante augustissimum Sacramentum perducitur, ubi cum universo populo præ gaudio lacrymans, ejurato Calvino, Catholicæ fidei nomen restituit. *Joannam Claram, Majoricensem viduam Clarissimi*

ex Bartolo.

tio consistorialis dedit suprà in Commentario num. 1089.

Febris mortalis,

214 Ex tribus Lusitanis, Romam unà profectis, Genuæ primus, Romæ alter, ut primùm appulit, obiere: tertius Paulus Carvallius adjutor, jam quatriduum febriens, Senis subsistere cogitur, ad mortem, nisi S. Ignatius adfuisset, parandam potiùs, quàm recuperandam sanitatem: enimverò febris vehementer anhela, præfocati cordis anguſtiis malignitatem exeruit, & intendente se sub noctem malo, letalibus signis spem sanationis medicis abstulit, nostris necessitatem injecit admonendi fratris, ut ad mortem vicinam in procinctu staret. Verùm is interea quærit, sancti Ignatii num quod domi esset chirographum. Allatum, lecto se attollens, magna veneratione sæpiùs osculatur; fronti & pectori imponit, tum ad eum, qui id attulerat, Sanus sum, inquit, & vitæ securus: non vult P. Ignatius suum hunc filium nunc mori. Cui ille occasionem commodè hanc vertens, ad significandum illi propinquum discessum, At si te, inquit, Pater Ignatius in cælo secum esse velit (quod abesse videtur propiùs) an non libenter iturus sis? Tibi dico, ait, me ab eo sanandum: nam si cæcam curavit feminam, quod uni è nostris soror esset, mihi filio suo vitam scilicet non servabit? Hac nova confisus argumentandi forma, cordi chirographum apprimit, præsentissimum statim morbi sui antidotum; nam cum antè ab cibo abhorresceret, cœnam jucundè & appetens sumpsit, noctem solidam quievit, ac postridie valuit.

B

chiragra &c,

215 Majoricæ crudeli chiragrâ Spes Castillia tenebatur. Huic ad cruciatus assiduos, qui ægram interquiescere non sinebant, accedebat sua quot mensibus doloris intensio, tam interdum acuta, ut defectionem animi pateretur: jamque, altera manu capta, ejus usum omnem amiserat. Ad hæc ulcus pectori adnatum, carcinodem chirurgis & medicis minabatur, qui demum à curatione idcirco destiterant, quòd & inutilem, & malo pejorem adverterant. Quare humani jam inops remedii, intercessorem apud Deum S. Ignatium adhibet, seque illi ex animo committit, spondens, si per eum sanaretur, novemdiali se precatione veneraturam ipsius altare. Aderat tertius à promisso dies Augusti anno MDCI, cum se chiragræ, ulceriſque expertem, ac persanatam mirata est.

C

Oculus excæcatus medelam accipiunt.

216 Chii Theodora, septem circiter annorum, Græca, boæ papulis sic deformata est, ut ei lævus effluerent oculus, unaque expectatio omnis remedii. Advenerant illuc recentes nuntii de S. Ignatio inter Sanctos adlecto, isque Sancti honor publicis lætitiis colebatur. Hîc deformitatem filiolæ iniquissimè ferens mater, spem animo cepit, novi hujus Sancti meritis emendatum iri. pergit in Societatis templum, orat magno affectu, petit à patribus pauxillum gossypii, quo foret tacta S. Ignatii tabula: domum redux, familiam convocat, jubet votis communibus secum poscere, quod expetebatur, excæcato filiæ oculo gossypium imponit, promittens S. Ignatio cereum, festique ipsius annuam celebrationem. Post quæ, amoto gossypio, en, cernit oculum restitutum, & nihilo quàm antè fuerat minùs vegetum, & vivacem, auditque filiolam conquerentem, quod sibi tamdiu obscuro tegmine pressisset oculum, & prohibuisset à videndo; nempe cæcitatem, ut poterat, sic pueriliter explicabat,

D

PARS TERTIA.

Infirmitates animi & corporis sospitatæ; Sancti nomen mirè à pusione editum; lemures abacti.

Inter curatos animi morbos; miles, ac femina ad frugem conversi: alii in vocatione Religiosa stabiliti.

HAbent animi, ut & corpora, ægritudines suas; cæcutiunt, obmutescunt, surdescunt, febriunt, & intercluſis facultatum muneribus, jacent immobiles, prout ultrò se vitiis & perturbationibus variis mancipant: atque haud paulo gloriosius est, & prodigii mirabilioris, revocare illos ad sanum bonumque habitum, quàm humores corporum dissonos nativo concentui reddere, & membra perdita instaurare. Prorsùs in hac parte, admiranda omnino & patravit Ignatius, & pergit etiam nunc patrare. Erat Romæ in obsequio Ursinorum miles, qui ex tibia confracta jacens, sospitatorem optavit Ignatium; ejus ergo subscriptum epistolæ nomen affectæ parti vix applicuerat, &, ecce, vi pharmaci, quà minùs putaverat, sed quà graviùs dolebat, ictus est. Cœpit enim obortis magnâ copiâ lacrymis (à quo erat alieniſſimus,) præterita scelera detestari, Deoque supplicare, non jam comminutæ tibiæ ossa committeret, sed vitæ imposterum erectæ gressus ad salutem rectà dirigeret. Gandiæ anno MDCII flagitiosissimam feminam adeo sorbebat inveterata peccandi rabies, ut ne volens quidem posse videretur ab impuro divelli amasio. Hæc S. Ignatii effigiem ad lectum appendere monita, repentè sic immutata est, ut exinde impurum exhorruerit criminis socium, nec ejus conspectum ferre deinceps potuerit. Ibidem alteri, qui non erat integrè confessus letalia scelera, quinque in mentem revocavit, quæ sua gravi omiserat culpa. Quadam etiam Italiæ in urbe, ubi multi ex nostris dant litteris operam, si quem mannæ nausea vertisset ad repetenda Ægypti allia, moris fuit, ex S. Ignatii reliquiis ejus pectori apponere, ad stabiliendum vacillans propositum: quo salubri tactu revalescebat vocationis primæ vigor, & cœpto itinere pergebant. *Alfonsi Velæ historia, de qua hîc Bartolus, videri potest suprà* § 4, *part.* 2 *ex Juvencio.*

E

F

Puer à duobus malis convalescit;

218 Joanni Parentio Mutinensi, annorum duodecim puero, cruentæ exscreationis labor, tabidæ febris & medicaminum diuturnus, biduum vitæ reliquerant, ut quidem medici divinabant, credebaturque quantocius animam acturus; cum à patruo suo Societatis sacerdote invisitur, docetur-que votum Ignatio ad servandam vitam nuncupare. Ille, Promitto, inquit, beate Ignati, si per te incolumis evasero, & Deo placuerit mentem Religiosæ vitæ mihi injicere, me Societatem initurum: interea Romam ad sepulchrum tuum beneficii monumentum ex argento missurum. Verborum hic fuit & mali finis. Moritur febris, redit corpori vigor, surgit paulò pòst, cum sodalibus pueris lusurus. Eidem cum triennio post cœnanti spina faucibus transversa intercluderet animum, mater intuens singultantem, remedio, quo nullum habebat præsentiùs, succurrit: fauces signat reliquiis S. Ignatii: adolescens mente Ignatium invocat, moxque gestiens exclamat: Mater, spinam S. Ignatius, & periculum abstulit,

A lit : & abſtulerat revera ; nec enim aut illam ejecerat, aut deglutierat juvenis ; reperiri tamen, diligenter quæſita, non potuit.

uti & ruſtica puella à phreneſi &c.

219 Campi Gaiani ruſtica puella in agro Mutinenſi, primùm phrenitide, pòſt mente quoque omnino capta eſt : atque ubi furor eam invaderet, egebat cuſtodiâ diligenti, ne manus aut ſibi aut aliis inferret. Hujus vicem dolens Mutinenſis matrona, uſâque prudenter intervallo, quo mali acceſſus reſederat, hortatur, ut ſemel quotidie oratione Chriſti, & Virginis Salutatione S. Ignatii merita veneretur, ſeque ad hoc præſtandum, quamdiu viveret, voto apud Deum obſtringat : vovet illa, ſeu mater potiùs præſtituram ſe votum pro illa ſuſcipit : demum à matrona reliquiis S. Ignatii ſignata ita convaleſcit, ut nihil exinde phreneſeos, aut emotæ mentis prætulerit.

Puſio loqui neſcius dicit, ſe vocari velle Ignatium.

B 220 Gaſpar Mareſcanius, Caranzari pauperum patronus, duobus filiis tutelarium civitatis indiderat nomina Fortunati, & Vitaliani : tertio, ſi hunc ſuſciperet, nomen ſervabat Irenæi, inter urbis præſides tertii. Cùm autem uxore partui vicina, è noſtris adjutor fortè domum intrâſſet, illa tertium hunc partum ei plurimùm commendavit, ut felicem à Deo impetraret. Frater preces modeſtè pollicitus, ſignificavit S. Ignatium in fortunandis partubus eſſe mirabilem ; illum invocaret, ſponderetque ſe, ſi foret maſculus, Ignatii nomine dicturum, niſi quid ſecus forſitan decreviſſet. Promittit, paritque feliciter, & ex promiſſi fide infantem vocat Ignatium. Pater flocci pendens promiſſum conjugis, appellat Irenæum. Lis inter eos longâ & pertinax, iſto pietati pugnante erga præſidem urbis Sanctum ; illa promiſſæ in S. Ignatium fidei, neutro mutuis precibus aut rationibus invicem concedente, ac ne conveniente quidem in unam gemini nominis impoſitionem ; cum in ea uterque primo loco Sanctum ſuum vellet nominari. Tandem igitur ad hoc devenitur, jocone, an majore inſtinctu dubium ; infans ipſe litem decideret. Quare ad eum pater, Nunc demum, fili mi, dicito, ait, quî velis vocari ? Nondum verba conari puſio cœperat, nec cœpit, niſi poſt aliquot menſes ; mox tamen patri diſtinctè reſpondit : Ignatius. Ita litem pro matre & S. Ignatio diremit. *Circa Ferdinandum Pretellum, & Joannam Pignatelliam, mitto lectorem ad Relationem conſiſtorialem ſuprà citatam.*

C 221 Vincentio Callo, tormentorum muralium Melitæ libratori, filia erat circiter novennis. Huic menſe integro ludos in ſomnis faciebant miri promiſſores, magnaſque illi ſpondebant divitias. Quod illa poſtridiè narrabat parentibus, & promittentium habitum, ac lineamenta ſeorſum ſingulorum (erant enim iidem perpetuò) deſcribebat. Cœpêre exinde poſt illum menſem interdiu quoque ab ea videri unus primùm, pòſt duo, dein multi ſimul, & in iis etiam feminæ, quos probè illos eſſe meminerat, qui ſibi toties in ſomnis adſtiterant, & ſuo quiſque nomine notabantur Joannis, Bernardi, & ſimilium. Iis item, quibus antea, promiſſis lactabant ſimplicem, fore illam, ſi modò annueret, Melitæ totius ditiſſimam, provehendam in ſummos honores ejus familiam, habere ſe deſertis in templis auri copiam & gemmarum : hæc illi ab ſe omnia ſervari. Præter Spem (erat puellæ id nomen) domi hos hoſpites videbat, audiebatque nemo : quamquam ſe nimiùm apertè adeſſe indicabant, allatis puellæ munuſculis, quà pecuniarum, quà fructuum, & iſtiuſmodi aliis, quibus admittendis, vel adeuntium acceſſu, principio cautior, verita, ne deciperetur, paulatim denique aſſuevit ; & ſecuram præſtabant, cum dicerent, quod ab ſe metueret, nihil eſſe : ſe quoque, ut ipſam, Dei opus à Deo conditos, penes ſe theſauros ſubterraneos eſſe in templis S. Catharinæ de Turba, S. Sophiæ & S. Andreæ ; id confectum iri perfacilè, ſi eorum in altero gallina mactaretur alba, in alterum mel importaretur, in tertium piſcis. EX BARTOLO.

puella

222 Pergebantque nefarii lemures conſpici, blandiri, afferre munera, etiam ſemel ficus menſe Januario recentes : imò ſæpius ruri menſam inſtruebant, accumbebant, cibis coràm velut ſenſim abſumptis, haud ſecus, ac ipſa, edere videbantur. Poſtremò etiam ortam in ejus capite vomicam malagmate ſanârunt. Tenuitque biennium ſceleſta fabula, patre, quòd filiæ nihil inde damni accideret, pro re jocoſa id habente perperam. Nam, ut ſibi quoque ſpectabiles fierent, cupivit, ac per filiam petiit ; ſed triſtem repulſam ab iis tulit, non poſſe quidem tunc ab eo videri, fortaſſis tamen ſub mortem videndos. Erat puellæ domi clericus frater, qui ſacerdoti ad aram quotidie miniſtrabat : ex tota familia hunc unum ferre non poterant, ubicumque is ſuperveniſſet fabulantibus cum puella, impuri ora diſtorquebant, & ſannis deformibus ſpernebant. Quibus indiciis, & quòd puella jam adoleſcebat, ſuſpecta patri deinceps hæc amicitia eſſe cœpit, incertuſque, an eſſent homines, qui videri nollent, an dæmones, qui vellent aſpici, quicumque ii forent, ſtatuit domo abigere, primoſque ab arte, quam profitebatur, ducens exorciſmos, catapultam multis glandibus egregiè armat, tum filiam jubet, cùm primùm redirent, & cum ea in horto ſub arbore, ut conſueverant, ſederent, condictum ſibi ſignum dare. E

Lemuribus liberatur

223 Adſunt de more, ſed irati, vultuoſi, ac multùm queruli de infenſo parentis animo, in tam beneficos & amantes, clavemque tendendæ catapultæ, quam ſuffurati fuerant, oſtendunt. Ex quo tandem pater liquidò cognovit eſſe hos ſpiritus, reque ſacerdoti uteumque indicata, domum ab eo exorciſmis, ſacriſque precibus expiandam curavit. Quod is dum obiret, inclamantes ſe lamentabiliter dæmones audiebat puella, Heu ! Spes heu ! cernebatque cum impetu in ſupremam ædium partem procurrere, inde in hortum ſe dare præcipites. Ibat jam annus MDCIII, & Zurriccum in pagum, ubi hæc gerebantur, miſſus venit ex noſtris ſacerdos ad conciones majoris jejunii ; huic puellæ parens totam ab ovo retexit hiſtoriam, & moleſtiſſimam exponit filiæ, domûſque infeſtationem. F

per S. Ignatii imaginem.

224 Cui noſter ante omnia auctor eſt, ſacra Confeſſione tum animum purget, tum præcipuè filia, quæ jam [annum] ætatis agebat undecimum. Huic verò deinde S. Ignatii effigie tradita, ſeriò præcipit, eam lemuribus, ubi comparerent, confeſtim exhiberet, juberetque illos faceſſere, nihil ſecum illis in perpetuum eſſe velle. Fecit animosè quod imperabatur : maligni ſpiritus ad primum imaginis conſpectum, horrendum fremere ac vociferari, dira omnia jactare, imprecarique Jeſuitis, & pejores diabolo dicere, fugâ demum ſe tenebris condere : auſi tamen poſt paulum reditum tentare, longè alii videri voluerunt, nempe humanam exuti larvam, monſtroſa ſpecie, cornutis frontibus, ignem ore proflantes, quos illa denuo S. Ignatii ſubitò prolata effigie ſic ab ſe abegit, ut numquam ſe illi, quamdiu vixit, ſpectandos dederint. Verùm formis eorum im-

ex Bartolo. immanibus quasi siderata, mensem unum infirma jacuit, ipsaque familia multis deinceps calamitatibus id peccatum luit.

Sospitantur contracta crura:

225 Sub annum MDCXXVIII Graffio cuidam, annorum tredecim puero, contractis, obduratisque crurum nervis, carne ac suris ossium tenus exsiccatis, etiam pedes transversum in globum obtusi sunt: ita usu eorum captus, genibus solis & manibus repebat, suas ponè trahens inutiles tibias; sic miserabiliter affectus, Monachium in Noricis ex pago suo vicino perductus est. Illic egit sex menses mendicans: dum ejus misertus, nescio quis, narravit aliqua, non pridem ab S. Ignatio mirabiliter edita: suasit, ad eum confugeret, exspectationem movit sanitatis ab eo exorandæ. Aurem præbet monenti, ac studium mendicus, maximè post quoddam de eo læti somnii omen, vovet se spatio hebdomadarum trium, quotidie altare S. Ignatii nostro in templo aditurum, & recitaturum illic rosarium B. Virginis, incipitque statim quod voverat exequi. Trahi se curat ad templi fores, inde manibus nitens, adreptat ad Sancti altare, instaurat votum, B quod nuncupaverat, confitetur, sacræ mensæ accumbit, precatorium rosarium piè orans exsolvit, & sentit interea revalescere sibi crura, distendi nervos, redire & evolvi pedes. Experturus itaque an posset consistere; orantis ibidem feminæ, ut assurgeret, manum rogat; sed eo subsidio jam tum sanus minimè indigebat: constitit firmus, securè ac liberè ambulavit, Deum laudans, & agens S. Ignatio gratias, magno populi spectatoris & testis concentu & applausu. *Hanc narrationem excipit alia circa pedem inutilem Annæ Wolffseherin; sed illam dabo infrà ex apographo episcopalis confirmationis.*

collegium S. J. Panormitanum

226 Regebat Panormi collegium anno MDLXXIV Paulus Achilles, magnis vir dotibus & sanctimoniâ, isque tum per se eximiè, tum per suos, conversioni animarum magnis progressibus incumbebat. Hæc damna rei suæ inferri pati non potuit Dei animarumque hostis, vindictam adornavit, quâ nulla poterat [esse] detestabilior. Sagas quatuor meretrices instigat, ut se concordi nequitiâ suo quæque ab dæmone intra collegium importandas curent, omnesque flagitiorum artes expediant ad labefactandum alicujus pudorem. Nocte igitur quadam in collegii aream simul inferuntur, inde in summos gradus, quà porticuum aditus ad cubicula inducit. Illic occulta vi defiguntur, repellente magno impetu infames furias, quoties progredi conarentur: exstimulabant illæ Pegasos suos amenti rabie, videbanturque illi ad perfringenda obstacula conniti; verùm ut olim prophetam Balaamum sua docuit asina; sic scelerosas veneficas, vectores sui capri docuerunt, majori se potentiâ retro agi, quam nec ungue transverso valerent transilire, si vel unaquæque sexcentis dæmonibus potentissimis insideret. Ita derisi spretique paredri, suas in prostibula amicas reportârunt.

liberatur à fagis.

227 Sed earum unam, ut formâ, sic turpitudine & impudentiâ ceteris præcellentem, indignatio incessit tentati frustra apud nos facinoris, cui nullum alibi impedimentum ejusmodi obstitisset: integratura nefarium crimen sacrilegis apud nostros Confessionibus, molitur cum iis falsâ pietate amicitias in scelus faciles, ut cum denuo in collegium referretur, clandestinum illic receptorem in promptu offenderet. Verùm ne hac quidem viâ quidquam egit. Quamobrem eamdem iterum aleam quatuor furiæ repetunt, revehunturque in collegium ab suis dæmonibus intempesta nocte, penetraturæ in cubicula, si possent. Vix intra septa pervenerant; cum S. Ignatii occursu, veluti fulguris, luce terribili splendentis, impurissimum choragium dissipatur. Nec voce opus, nec manu fuit, ad indicendam fugam dæmonibus: primo Ignatii adspectu exire præcipitant, & suas secum aspórtant veneficas. Harum postea una ad frugem reducta, rem, ut à me narrata est, referebat, confirmabatque dicta minutim eorum recensione, quæ in collegii atrio & scalis viderat. D

Mortiferum vulnus

228 Admissus est Hispali adjutor laicus in Societatem. Ut verò solet bonum absens quæri ardentiùs, quàm partum servari, sensim intepuit prima illa in Deum pietas; ut necesse fuerit, juvenem ultra legitimum biennium probare, priusquam votorum nuncupatione adscriberetur in Ordinem: quâ ille offensus medicinâ tamquam injuriâ, retrorsum abiit, significatione minimè obscura, Religionis solo quam leviter hæsisset. Sive autem familiarium oculos non ferens, seu lucri fame, Indiam petere decrevit, & jam cum navarcho transegerat, expectatque proximè conscensurus; cum, ecce, à tergo transverberatur pugione, manu tantum abest inimicâ, sed ejus, quem numquam noverat: vultûs enim, & habitûs similitudine erravit in eo homicida, capitalem falsò hunc esse arbitratus, quem repositum animo gerebat, inimicum. Adest extemplo confessarius cum chirurgo, plus ille necessitatis inventurus, quam hic spei: Confessionis, & Viatici sacris mysteriis procuratur, tum ad medicationem venitur vulneris, cujus ubi locum & altitudinem exploravit chirurgus, facilè intellexit, nihil sibi, quod illic ageret, restare; ne tamen nihil egisse videretur, ut postmodum fassus est, albumen plagæ illitum adstrinxit, & sacerdotibus animandum ad mortem Christianè obeundam reliquit. E

subitò redintegratum.

229 Inter hæc infelix, nimis gnarus, ferrum longè alia vibratum manu, ab ea, quæ vulnus fecerat, totus erat in culpanda sua, lugendaque volubilitate, cujus præter acerbissimum dolorem, & pœnitudinem, nullum caperet fructum jamjam moriturus. Se quidem, si vitam divinæ bonitatis miraculo retineret, jurabat illam Deo & Societati in perpetuum redditurum. Ad hæc, sanctum Ignatium, quamvis seriùs agnitum, Patrem nihilominus appellans, mira polliceri servitutis æternæ obsequia, rediturum se domum mercenarii ac mancipii titulo, non filii jure; indignum se tam dulci nomine; flens, dolens, supplicans noctem illam traduxit, quæ illi suprema credebatur. Dedit Sanctus precanti aures propitias, flexusque misericordiâ, non vitam modò servavit morienti, sed repentinam contulit sanitatem. Manè de illa mortifera, altéque dorso infossa plaga, nihil comparuit præter inductam cicatricem, testem vulneris persanati. Hac duplici animæ & corporis valetudine donatus, ex promissi fide, Societatem diuturnis tum precibus tum sui experimentis repetitam, tandem obtinuit. *Bartholomæum Contestium, ac Columnam Cortei invenies in Relatione consistoriali; Olympiam verò Marinam seu Norinam in iis, quæ dedi in Gloria posthuma ex Ribadeneira* § 1, *num.* 107. F

Varia prodigia per Sancti chirographum edita;

230 Sed adeo multa sunt hoc solùm chirographo prodigia divinitus edita, ut justum volumen possint conficere: nam puella cæca Valentiæ, lumen ejus attactu recepit; & quidam ibidem ex ministris aulæ primariis vertiginem discussit, quæ post sex mensium irritam medicationem, degenerabat

A fabat in apoplexiam; & Madriti, è Societate Joannes Rojas torminibus ſtomachi periclitari de vita ſolitus, illius tactu ſic valuit, ut ad Confeſſiones in templum ſtatim deſcenderet; & è noſtris item Martinus Gardius diuturnum dentium dolorem momento diſſipavit; & dominus Joannes de Aquilera, Toleti Cartuſianus, ex nervorum contractione crure altero captus; ac Michaël Gloſius, S. Martini prope Heſdinium abbas, ex Præmonſtratenſium Ordine, brachiorum & crurum paralyſi, ejuſdem remedii mirabilitate ſanitatem adepti ſunt.

uti & punita cujuſdam in ſua vocatione inconſtantia.

231 Verùm ut alia taceam, quæ habentur in Actis, ad ſanctitatem Ignatii probandam confectis; unum addam, exempli quam prodigii non minoris. Romæ ſacerdos è Societate, concionibus & famâ notiſſimus, à nobis diſceſſit: abeundi cauſa ex iis fuit, quæ perſeverantis conſtantiæ jacturâ puniuntur. Hic anno ſeſquimilleſimo nono & nonageſimo, altero oculo graviter laborans, tandem illum amiſit; convenit illum officii gratiâ adjutor è Societate, qui S. Ignatii admoto chirographo mira conſueverat patrare: optavit ægrotus hujus quoque beneficii fieri particeps; cæcoque oculo chirographum appreſſit, Sanctum rogans, ut lucem redderet. Sed eventu, rogantis commerita non preces ſecuto; poſt amotum chirographum, altero etiam, quem ſanum habebat, oculo, cæcatum ſe comperit. Sancto, arbitror, id volente, ut ea cæcitas excæcati animi collyrium fieret.

B

PARS QUARTA.

Sanctus in variis aliis mentis ac corporis malis, ac maris tempeſtate ſoſpitator.

Fractum è lapſu caput per Sancti effigiem redintegratur.

MIchaël Hokolzerus, in collegio Sallienſi æduus, campanariæ turris ex culmine in præceps ruit; & mirum, tam alto alliſu non fuiſſe ſubitò extinctum, attrito tamen graviter corpore, capite ſaucio, & emortuis ſenſibus, in proximum lectum conjicitur. Chirurgi, ut caput hiare conſpiciunt tot ac tam letalibus fracturis, & ex valido afflicti cerebri recuſſu, convelli hominem ſæpius, pluſque vicies breviſſimo tempore epilepticis affectibus corripi, vitam illico deſperant. Sacro itaque oleo ungitur, magiſque de mortis, quam vitæ præſidiis illi proſpicitur. Succurrit nihilominus patri cuidam, ut S. Ignatio illum commendaret, cujus effigie capiti jacentis piè impoſita, cum domo univerſa, quæ tamquam morituro ſuis precibus aderat, eum à S. Ignatio petit, fuitque illico rata petitio. Redit ſenſuum uſus, monetur Sanctum invocare, interrogatur, num ejus imaginem agnoſcat? Ego verò, inquit, hanc probè agnoſco, ſed alia ſpecie, ac multo illuſtriùs illum vidi. Quonam autem modo, tametſi neſcitur; at ſcitur quamprimùm valuiſſe, nulloque impoſterum ruinæ illius ſenſu ſolita miniſteria integrâſſe.

C

Morbus diuturnus à S. Ignatio apparente ſanatur.

233 Reffredam Floſiam, Duaci in Belgio natam, morbi diuturnitas vix jam curabilem fecerat: cumque indormiſſet, duos videt in ſomnis Societatis cultu ſacerdotes, quorum alterum ſatis nôrat, Maximilianum Capellium, quo, dum is viveret, à Confeſſionibus uſa erat; alterum, qui eſſet, ignorabat. Maximilianus accedens proprius, Vides, ait, iſtum, qui mecum huc venit? Is eſt Pater Ignatius, proin, ſi quid eſt, quod à Deo velis, illo utere precatore, certóque quidvis impetrabis. Hic virgo pridem S. Ignatio imprimis addicta, reſpondit, ſe tantum optare temporis, quantum ad componendum negotium ſat foret, quod alioqui ſe tunc moriente peſſum ibat. Quæ dum diceret, attendebat defixis oculis, ecquid optatis Sanctus annueret. At is placido vultu, & ſilens annuit, manuque bene adprecatus abſceſſit. Excitata virgo, talique ſomnio mirè læta, multò effuſiùs gaviſa eſt, cùm ſe voti compotem advertit; lecto enim ſurgens, inopino conſpectu familiares territavit, quoad recenſita miraculi ſerie, cum iis Deo & S. Ignatio laudes meritas perſolvit: ipſa non modò convaleſcens, ſed primis viribus redonata, domeſticas operas repetiit.

EX BARTOLO.

ſedatur per eversùs imaginem tempeſtas:

234 Solverat navis S. Thomæ Philippinas magnò militum & vectorum numero, inter quos nonnulli è Societate. Poſt duorum & ſexaginta dierum navigationem comparet terra, quam arbitrati ſunt nautæ Caput Spiritus ſancti eſſe. Hanc tempus, obortis nebulis, perobſcurum oculis eripit, inde maris torrente in incertum abrepti, deferuntur in locum ſcopulis, præterquam à puppi circumſeptum, ex quibus navis duabus iiſdem, quâ ſe induerat, faucibus, nulla velorum & venti diſpenſatione eximi potuit, pertinaci auſa ſemper in ſcopulos ad certum naufragium repellente. Nox inter hæc ingruens in anchoris ad metum, in votis ad Deum exigitur: jamque illuxerat, cum tempeſtatis aucta violentia proximum exitium indicebat. Quare datur tormento ſignum ad revocandum navigium, quod plagæ explorandæ cauſâ dimiſſum fuerat, ut poſſet naufragis ſubſidio eſſe. At hîc navis prætori, Antonio Maldonato Riberæ, cogitatio incidit, ejus in cultum S. Ignatii præclariſſimo ſtudio mirè quadrans, implorandi nimirum illius auxilii, tum ut atrox diſcrimen diſcuteret, tum quantâ eſſet in cælis gratiâ, palàm incredulis faceret; pridie, ſiquidem de ſanctimonia illius, nondum videlicet Beatis adſcripti, altercatio fuerat, &, quantum ad aliquos, minùs honorifica, quam deceret. Ut autem conſtaret gratiam, quæ poſtularetur, ejus beneficio deberi, rogavit, ut horis ante meridiem duabus, ventum quâ valebat apud Deum poteſtate mutaret, quo poſſent iis defuncti ſcopulis, portum tenere incolumes. Supererant quatuor ad dictam decimam tantùm horæ, quidam è patribus temoni S. Ignatii imaginem appendit, atque illâ omnino, quam prætor ſtatuerat, decimâ tantùm ventus remiſit, quantùm definitè opus fuit ad explicandam navim ex illis faucibus, implicandam prorſus nautarum judicio in alios ſcopulos, ſi quâvis aliâ venti menſurâ veheretur. Sic ſalvi, læti, & alacres portum brevi tractu optatum attigerunt.

E

F

grave vulnus, eo patrocinante, curatur:

235 Tranſibat Mediolano Philippus Lopeſius Villanovanus, ubi jurgatus cum quodam ſibi noto, etiam ad manus venit; ac dum colluctantur, detractum ille Philippo pugionem ſub ejus mamilla defigit inter nonam & octavam coſtam. Increvit vulneri febris ingens, pulsûs durities, & ſudor frigidus cum deliquio ſpirituum & ægro anhelitu. Chirurgus plagam palmi altitudine metitur, & tam ipſe cum perito ſodali, quam medicus ex communi examine, non plus ei vitæ horis quadraginta reſtare pronuntiant. Jam quidem peccata expiârat apud ſacerdotem, quem primùm neceſſitas obtulerat, ſed quod Caſtellanè non ſatis ca-

ex Bartolo.

peret, ne quid resideret animo scrupuli, sacerdotem accivit è Societate; qui postquam audiit confitentem, plurimùm suasit, ut in patrocinio S. Ignatii vitam deponeret, peteretque ab eo servari, si è re animæ futurum prospiceret. Morem saucius gessit, vovitque, se ad ejus sepulchrum, si sanus evaderet, donarium ex argento missurum. Quibus ita peractis, febris ponit, redit spirandi facilitas, vulnus postridie bolidem vix uno digito admittit; quod suspicati medici ex tumore ortum, futuri abscessus prænuntio, nova consilia distulerunt, quoad clarioribus indiciis docerentur. Sed erat hæc conglutinatio, non tumor vulneris; quod intra quartum diem cùm planè coiisset, septimo ægrotus lecto se expedit, nono iter, quod cœperat, in Belgium repetit.

quibus adde puerum desperata valetudinis.

236 Fuit Stanislao Philippovizio, Varsaviæ proconsuli, quadrimus filius Hyacinthus vitæ ex morbis conclamatæ, cujus in momenta mors expectabatur. Auctor fuit matri sacerdos canonicus, ferendi puerum in Societatis templum, nuncupandique pro illo ad S. Ignatium voti. Paret piè suadenti mater, patre licèt admodum repugnante, quòd moriturum priùs crederet filium, quam ad templi fores ventum esset. Verùm longè secus, quam metuerat, evenit; tulit puerum mater, toto sacri tempore coram S. Ignatii effigie sustinuit brachiis, flens Sancti suffragio commendavit: peracta re sacra, sic sanum deprehendit, ut impositus altari, per se in pedes consisteret, quod piæ matris acerbas lacrymas gratulatoriis mutavit. *Annam Barzellonam dat Relatio consistorialis: miracula verò Munebregæ facta proferam aliunde inferiùs inter Hispanica. Isabella Rebelles, seu ut Bartolus, Roselli; ac Joannes Leyda sunt in dicta Relatione.*

Nobilis quidam Germanus amissis ludo pecuniis,

237 Michaëlem Ludovicum, nobilem germanum, miserat parens in Lotharingiam, ut Gallicam linguam in aula Ducis condisceret. At enim juvenis, præter linguam, mores didicit parùm sanos, inter quos ludendi vecors & impotens libido penè illi exitio fuit. Amissis enim foliorum ludo, quascumque habebat, pecuniis, solusque secum jacturam suam dolens, versabat animo, si dæmon pro fictis, ut vulgò facere dicebatur, veros sibi ac notæ optimæ nummos daret, nullam se ab eo conditionem rejecturum. Hæc mente conceperat tantùm, cùm ei extemplo se sistit æquævus juvenis præstanti grataque specie & cultu nobili, cujus tamen etsi elegantis multúmque urbani aspectu inhorruit, suspicatus haud falsò, hunc esse dæmonem; at is ei arridens, & humerum palpans, Homo nihili, ait, quid tute hic metuis? tibine adeò insulsus videor, & ore deformis, ut fastidio sim. Age modò, videsis tantum argentum an velis. Familiari hoc affatu factus audacior infelix, Argentum? inquit, verùm cujusmodi? adulterinum, umbratile, meo nobilis sumptui indecorum? Perbonum dico, subinfert dæmon, sincerum ac probatum. At scin' qua copia? quantâ tibi lubitum fuerit. En, & manum pecuniâ onerans, vide, examina, utere, ac si, qualem tibi ego illam præsto, probaveris, redi, ut de cetero condicamus.

init pactum cum dæmone,

238 Hac instructus pecuniâ sodales revisit, ludo adhuc immersos: ludum instaurat, jacturam resarcit, quam fecerat, nummis omnes exhausit, reditque alacer, quò illum hostis opperiebatur: qui obviam misero procedens, Sumne inquit, jam verax, an non? nummi ecquid veri ac boni? Imò optimi, ait adolescens. Alterum tantum utinam habeam. Alterum tantùm? dic sodes, velim, in promptu fuerit, subdit dæmon, sed tu mihi vicissim quid dabis? Excusanti egestatem in præsens Michaëli, Deest tibi, urget cacodæmon, aliquid sanguinis? non potes mihi quatuor stillas dare? prehensâque ejus lævâ, nullo sensu doloris visus est musculum brachio eximere, & inde guttas sanguinis aliquot putamine glandis excipere, porrectâque chartâ & calamo, Scribe, ait, dictatque characteres omnino decem, quorum in hujus miraculi tabulis formam vide, suntque maximam partem Græci, sed nullum, quod quidem significet, vocabulum componunt. Multo verò plures jussit altera in charta scribere, prioribus similes. Post hoc, Tua esto, inquit, hæc chartula, eamque inseruit vulneri, ex quo seu duxerat, seu visus erat musculum ducere, idque momento ita copulavit, ut una ejus appareret cicatrix. Pergensque porrò, Vi hujus chartulæ, quæcunque, ait, optaveris, à me feres; quodcumque jusseris, impetratum & factum putabis, idque per solidos septem annos; quibus expletis, meus futurus es: id enim hac altera in charta, quam penes me servo, tuo chirographo promittis. Placetne tibi conditio? Ad hæc altùm suspirans inconsultissimus juvenis, assensit nihilominus, moxque dæmon ejus se oculis abstulit. Postridie tamen bene matutinus ad eum revertit, suasitque quarumdam precularum, quas consueverat recitare, deinde morem omitteret: pios quoque ex eo libellos, quibus usus fuerat, emunxit, ut possimus, aiens, frequentiùs invicem majori consensu & alacriùs agere.

cujus termino fere elapso,

239 Exin vaferrimus adolescenti diu noctuque adesse, famulari qualibet specie, quacumque in re voluisset, docere illum maximè curiosa, sed numquam non pessima, novos ipsi quotidie flagitiorum modos ac figuras describere. Jamque condicti septennis bona pars fluxerat, attigeratque [annum] ætatis vigesimum, cùm domum à patre revocatur, expectante ab aula filium liberaliter institutum, nec generi suo indecorem. At heu! nihil eo turpius, nihil profligatius; pauci menses tempori deerant, quo se dæmoni mancipârat, & quâ ejus impulsu, quâ detestabilis conscientiæ furiis se ipse desperans, cœpit absona quævis, & alienissima tentare, sed semper sceleratissima. Nam parentem utrumque veneno petiit; igne castrum paternum; etsi neutrum Deus licere dæmoni voluit, à quo ille magicum pulverem ad hoc acceperat: ut nec miserum sivit manus sibi violentas inferre; bis enim in pectus laxatâ catapultâ, ignis ultra fomitem non ivit. Quæ postrema hominis rabies, calamitatis execrandæ, quam mente premebat, indicium fecit: sororibus siquidem furioso adstantibus, ne idem tertiò in se nefas tentaret, alteraque earum rogante cum lacrymis, unde illi tam demens & abominandum consilium? quive illius aut mæror, aut timor tantus, cui non posset nisi morte occurri? brevi fore, respondit, quod tunc confectum voluerat: non esse penes se, ut secus faceret, aut secus viveret.

ad frugem meliorem reduci incipit,

240 Quibus mater summatim acceptis, rescire ex eo particulatim singula voluit, nec sine deliquio animi audivit. Sed cùm esset Schvvefeldianæ hæreseos, induxissetque in eam filium, ejus magis lamentabatur vicem, quàm vera remedia requirebat, donec die quodam vidit coràm, illum à dæmone corripi, retortoque in tergum corpore, in glomum revolvi, ut medium rumperet, accurrensque tum Deo commendavit: tandem verò coacta Religiosis hominibus curandum tradidit, quo-

A rum ille faſtidio nauſeam ſimulans, brevi Eiſtadium aufugit, ſceleratiùs, quam antè, victurus. Verùm à germano Herbipolenſi canonico retractus, tutóque vinculis adſtrictus, Molshemium ducitur, committiturque Societatis patribus, omni ope juvandus, quam tunc illic S. Ignatius ſe liberaliter impertiri multis prodigiis teſtabatur. Quare hinc cruenta beſtia proſpectans, dolenſque, prædam ſibi è faucibus abſtrahi; dici non poteſt, quot minis, quot ludis, quanto terrore, & artibus, eam aſſerere contendit: incurſabat juvenem leoni nigro nunc ſimilis, nunc aliis feris, tamquam in fruſta diſcerpturus; quibus perterritus & vociferans miſer, in patrum brachia procurrebat, ac licet præter illum nemo ſpectra hæc cerneret, quandoque tamen rugitus, ac fremitus dæmonis etiam alios petcellebat. Curationis fecit initium totius vitæ confeſſio ſeriâ, cui apparandæ, præmiſſæ ſunt aliquot ex primis Exercitiorum meditationes: ſed malignus hoſtis, à patribus & iis, quæcumque ſuggererent, tam averſum adoleſcenti animum injecit, ut eorum conſpectum pro ſupplicio odiſſet, ac, ſi mentem interdum applicaret meditationi, occinebat in aurem continuò dæmon, ne ſe iis cogitationibus

B maceraret.

241 Formâ demum ſilveſtris hominis piloſâ reverſus, perpulit aliud ſyngraphum fingere priori convento geminum, & in obvium locum projicere, ut eo facilè invento, reſtitutum à dæmone verum ſyngraphum putaretur, & pacta pro irritis diſſoluta, liberque impoſterùm dimitteretur à patribus. Subodoratus dolum famulus, qui perpetuò lateri hærebat, Rectorem monuit, & acri objurgatione adoleſcentem Rector ita confirmavit, ut confeſſionem denique pararet integrè, ac rite obiret. At quanto ſuo cum ſudore? aduſque ſubinde intercluſi animi defectum, ob ſimulacra formidabilia & inſultus feros, quibus illum exagitabat dæmon. Sed iteratis crebrò exorciſmis, aqua luſtrali, & fervidis ad Deum precibus, confeſſioni finem, qui optabatur, impoſuit: ex quo mirificè refectus, magnos ſibi animos addi ſenſit ad impugnationes dæmonis frangendas. Inde in ſacello S. Ignatii, imploratoque illius auxilio, execrationes ſacræ inſtituuntur in dæmonem, ut adi-

C geretur inſertum manui detrahere ſyngraphum, & alterum, quod ſibi retinuerat, reddere. Ad hoc dies dictus Octobris duodecimus, ad quem ſe juvenis cum ſpontaneis pœnis, cilicio, flagellatione, inedia armâſſet, Rector de S. Ignatio Sacrum fecit, juvenis teſtibus externorum & patrum plurimis, Catholicam fidem ſanctè profeſſus eſt, ejuravitque pactum omne cum dæmone initum, ac utrumque ſuâ ſcriptum manu Rectori tradidit, à quo altari impoſitum, Deoque oblatum. Poſt hæc ſacrâ hoſtiâ confirmatus horrendum in modum expavit, & conſternatus, ac tremens, proclamavit, duos ſibi terribiles hinc indè ad latera dæmones adſtare.

mirabili modo recipit ſyngraphum dæmoni datum.

242 Corroboratus adversùs hunc metum, peractaque re ſacra, liberatus eſt à portentoſo illo ſpectro, abactis ab eo dæmonibus repetitione exorciſmi, & S. Ignatii invocatione, qui lectus potiſſimùm fuerat ad vindicandam ſuo præſidio miſeri juvenis libertatem. Spectri porrò, quo exteritus eſt, figura hæc erat: ſtabant utrimque ad latus altaris duo ſpecie caprorum ingentium dæmones, in poſteriores arrecti pedes, anterioribus quiſque inter ungulas unum tenebat ex ſyngraphis, quæ ſacra imprecatione repræſentare cogebantur. Iis ergo in fugam compulſis, cùm eæ chartulæ quærerentur, ecce tibi ad pedes exorciſtæ brevior illa comparuit, quam juvenis manui inditam diximus, cujus agnitu lacrymans, & eò lætior, quòd lævam intuens, unde ſine ſenſu revulſa fuerat, animadvertit illam, quæ ab initio hæſerat, productiorem cicatricem ſic evanuiſſe, vix ut ejus exile veſtigium cerneretur. Supererat alia neceſſariò dæmoni extorquenda, inſtaurantur, quæcunque ad recipiendam priorem adhibitæ fuerant pœnæ, profeſſio fidei, ejuratio dæmonis, exorciſmi, S. Ignatii merita, & votivum de illo Sacrum, ac divini epuli ſumptio, ſub quæ grandis ciconiæ deformi corpore adeſt dæmon, minore tunc juvenis jam divinitus confirmati, quàm exorciſtæ ſpectantis metu. Syngraphum alterum roſtro beſtia ſuſtinebat, quod precibus ad S. Ignatium ardenter & crebrò iteratis, velut ſibi excidere paſſa eſt, ſtatimque conſpici deſiit. Curioſiùs humi diù fruſtra quæſitum in altari tandem comparuit eo ipſo loco, ubi ejurantis dæmonem juvenis chirographum fuerat à ſacerdote repoſitum. Hinc Deo, Eccleſiæ, ac ſibi redditus adoleſcens, ſuæ poſt Deum liberatis ſancto Ignatio debitor, Chriſtianè deinceps vitam inſtituit.

ex Barotolo.

E

243 Noctu, cælo pluvio & obſcuro, Joannes Luzzanus Olbenſienſis, plauſtro vehebatur cum aliquot itineris ſociis, veneratque ad locum, Turriculæ nomine, præcipitem & anguſtum. Quare deflectens in prærupta plauſtrum, ruinam traxit in ſubjectum ſolum, altitudine hominum trium. Joannes cadens exclamavit: Ades S. Ignati! Quòd autem ſolutum alliſu vehementi plauſtrum Joannem operiret, obtritum comites putârunt accurreruntque ad illum inde extrahendum; ſed præter improviſum metum, nihil ei acciderat: nam quem in auxilium vocârat, adſtiterat juvantis habitu, atque ipſas quoque in heri gratiam ſervârat mulas.

Alius plauſtro non obvius:

244 Fuit Victoria Delphina, Laurentii Altierii, nobiliſſimi Romani conjux. Ad hanc partui vicinam anno hujus ſeculi tertio vocatus eſt è noſtris ſacerdos, Confeſſionem auditurus, & adfuturus morienti: nam defectionis animæ crebræ, ſuſpirioſi anhelitus, & profluvia ſanguinis immodica mortem inſtare nuntiabant. Perfunctus officio confeſſarius, imaginem illi ſancti Ignatii protulit, adhortans plurimùm ad ſalutem ab eo certa cum fiducia ſperandam: illa, imagine reverenter acceptâ, S. Ignatio vicem ſuam ex totis præcordiis commendat. Sacerdos maritum afflictiſſimum conſolatur, qui, eo auctore, vovet de ſepulchro S. Ignatii ter piè adeundo, Euchariſtia ſumenda, religioſo donario affigendo; quod votum ægrota ratum etiam habuit. Pergebant interea defectiones cordis, virium, ſanguinis etiam ad triginta libras, credebaturque obitus imminere; at confidentior affirmabat confeſſarius, rem propterea in extrema deduci, ut eſſet miraculi evidentia clarior. Nec verò illum fefellit opinio; dum enim noſtri ex veteribus erga nos domus illuſtriſſimæ meritis, ægrotantis periculo ſoliciti, S. Ignatio ſupplicant, ſenſim illam invadit partûs dolor, ceſſant animæ deliquia, vires inſtaurantur, intra horæ dimidium partum edit ſolito grandiorem & mortuum; ſed vivorum more præmiſſo capite effuſum, & contrà quàm virium & ſanguinis ferebat jactura: hoc uno ſe ex partu ægrota robuſtior & expeditior, quàm ex ullo antea recepit. Quod miraculo factum, qui jacentem curârant, teſtati ſunt medici, Marſilius Cagnatus, & Angelus Victorius. Ipſa virtutis totâ Româ perſpectæ,

mulier in partu liberata:

F

ex Bartolo. ctæ, multas deinceps vitæ horas, quam S. Ignatio acceptam ferebat, ad ejus ſepulchrum quotidie orando expendit.

Alii & alia; 245 Mariam Hieronymi Berardi uxorem, Majoricæ partûs difficultas jam quatriduum cruciabat, & cum medicis obſtetrix actum de illa cenſuerat, quòd vires jacenti deeſſent ad fœtum mortuum expellendum. Afferuntur ad illam Sanctorum reliquiæ, & in iis brachium S. Leonardi, ad emerendam illorum gratiam: ſed hanc Deus S. Ignatii gloriæ cedere voluit. Inferente ſermonem neſcio quo, de fortunatis ab S. Ignatio partubus, accerſuntur mox è collegio aliquæ illius reliquiæ; quas cum religioſo affectu ſibi impoſuiſſet parturiens, mortuam poſt paulum ejecit puellam, conglobato & putri jam corpore: ex quo tamen utroque nihil planè accepit detrimenti.

PARS QUINTA.

Alii corporis ac mentis morbi; duo mortui infantes; fatalis lapſus; amor inſanus ſanitatem recipiunt.

B

His adde tertiam.

MIrabilius aliud Carpentoracti in comitatu Vindaſcino factum. Matronam nobilem diuturni jam partûs torquebant dolores cum manifeſto vitæ diſcrimine. Agebatur dies S. Ignatii, quem canonicus, jacentis cognatus, piè veneraturus, collegii templum adierat. Illuc fortè oculos conjicit in votivam ex partu tabulam; viſus ſibi eſt doceri cælitùs de ferendo cognatæ remedio: ad eam accurrit; jubet illi ſuo nomine inculcari, ut ſpem ſuam omnem in ſancti Ignatii precibus locaret. Morem geſſit ſuadenti, & peperit; ſed deformem, monſtroſum, ſine ſenſu ac motu fœtum, nec ſatis liquidò ſacri fontis capacem. Fore tamen haudquaquam mutilam S. Ignatii gratiam, confiſus canonicus, qui noſtrum in templum reverterat, ſed æquè filio & matri liberalem, per ſe ac noſtros precando urgebat, ut beneficio materno infantis ſanitas cumulum adderet: cùm adeſt lætus, qui domo nuntiat, inſperatò reviviſcere infantem, & (incertum quo modo) pulchellum evaſiſſe. Ita preces gratulatio excepit, & pii canonici adversùs S. Ignatium mirè crevit religioſa fiducia. Foret mihi ſcriptu difficile, periculoſos partus numerare, quos S. Ignatius ſuo beneficio fortunavit; & parentes, quibus liberos impetravit, utrimque Deo magnificè Servi ſui gloriam propagante. Habent urbes quædam vel ab eo ſubſcripta litteris chirographa, vel ex ejus reliquiis aliquid, quod in occaſiones hujuſmodi fere perpetuò circumfertur cum manifeſto & prodigioſo divinæ opis auxilio. *Hîc ſequitur ſanatio Patientiæ Simoniæ; ſed adiſis quæ ſupra dedi ex Ribadeneira* § 1, *num.* 123.

C

Sacerdos qui à Societate deſecerat, à peſte & obitu corporis ſoſpes redditur.

247 Jonas quidam ſacerdos Germanus, è Societate ad Trevirenſis archiepiſcopi obſequium transfuga, peſte correptus eſt, licet ejus vitandæ gratiâ in arcem ſeceſſiſſet. Illic unâ ejus vicem dolente aniculâ, omni, præter illam, ſubſidio, & acceſſu privatum ſubinde vis morbi ſibi eripere, ſubinde reddere, objectareque miſero infeliciſſimum corporis & animæ ſtatum: cujus utrobique remedium deſperans, manum ſuomet jugulo violentam intendit, remque peregerat, niſi anicula cultrum inſano abſtuliſſet: prohibere tamen non valuit, quin ſe daret è feneſtra præceps in ſubjectam ſaxorum congeriem. Illic gravi afflictum & attritum caſu divina bonitas vitæ improbæ mortiſque ſceleratæ horrore perculit, auſuſque ad læſum & deſertum Patrem oculos tollere, S. Ignatio omni fide promiſit, ſi hoc defungeretur exitio, Romam ſe pedibus ad Franciſcum Borgiam iturum, deſertionis ſacrilegæ exſoluturum pœnas, & repetiturum infimis precibus Societatem, ex qua fugerat; quâ ſi indignus haberetur, ſervi ſaltem perpetui miniſterium domi patribus navaturum. Hanc promiſſionem cum lacrymis editam conſecuta eſt ſubita valetudo, cui nec de confracti corporis obtritu, nec de peſtilenti, quâ necabatur lue, quidquam ſuperfuit, pauloque pòſt Romam cum Franciſco Coſtero, ſoluturus, quod voverat, contendit. D

Cholica tormina ac calculus; 248 Elizabetham Calderoniam cholica tormina & calculi rabies ſic diſcruciabant, ut ſæpiùs animâ deſtitueretur: caſſiſque jam medicaminibus, ferè malis confecta putabatur. Huic ſoror, nomine Maria, S. Ignatii imaginem obtulit, ſuaſitque, ut ejus invocatione plurimùm niteretur. Illa; O beate Pater Ignati! qui tot, ac tantis Gandiæ ſplendes & clares miraculis, mihi quoque exorabilem te præbe: in te mea ſpes omnis recumbit. Voveo me, ſi convaluero, altare tuum novemdiali prece frequentaturam. Poſt quæ dicta, confeſtim dolore omni, quo tunc cruciabatur acerrimo, immunis, noctem totam tranquillè dormivit, manè abſque ullo punctionis ſenſu, inopinatò calculum ejecit è renibus, ſanaque ac vegeta in templum noſtrum venit, actura gratias, votique fidem præſtitura. E

nec non hydrops curantur. 249 Agnes, Joannè Tibaldo Manreſæ nata, anno hujus ævi tertio, in dolii modum, ut teſtes loquuntur, hydrope turgebat. Hujus longa per annum & violenta, ſed inanis planè curatio, medicos adegit ab ea abſiſtere. Fuit, qui matri auctor eſſet, portandam juberet in ſpecum S. Ignatii, qui ſe tam facilem in audiendis precibus invocantium præſtaret. Paruit mater, & vicinas quinque ſibi ſocias adjunxit, quibus, flexo genu, puellæ ſalutem efflictim rogantibus, viſa eſt inflatio paulatim diſcuti, mutari color, virtus & habitus membrorum reparari. Tum tandem haud multò pòſt, priſtinam integrè recuperavit ſanitatem. *Quæ proximè ſubjicit auctor de vicario Avenionenſi, compendio ſuperiùs* § 4, *part.* 2 *perſtringit Juvencius. De Petro autem Ferro dixi in Commentario prævio à num.* 917. F

Varii morbi, 250 Peculiarem habet admirationem, quod anno hujus ævi quinto, in Hieronymo Maggio Neapoli actum eſt: huic febri continua, defectionibus, flatibus, hydrope ſimul implicito, triduum omnino medici aſſignabant, niſi citiùs illum repentinus aliquis acceſſus extingueret. Quare hominum expers, appenſis ad pectus S. Ignatii lipſanis, medicam illius imploravit manum. Hæſerant appreſſa pectori horas ferè tres lipſana, cùm febri, flatibus, hydrope, morbis omnibus ſic abſolutus eſt, ut ne ullius quidem veſtigium ullum ſupereſſet. *Quæ his ſuccedunt de Catharina Moraleſia in S. Jacobi urbe regni Chilenſis, conſule* § 4, *part.* 2, *num.* 174; *ubi in Peruvia factum ponitur.*

ſurditas, 251 Cazorlæ, oppido Toletani Archiepiſcopi, virgo à teneris in perpetuum Deo ſacra, vitam in precibus & pœnis ſpontaneis ducebat; afficiebatur autem incredibiliter erga S. Ignatium, atque ad ejus effigiem quotidiana lege magnam partem religioſæ pietatis exigebat, & undecumquq

A que urgeret neceſſitas, ſecurum in ea ſibi perfugium locârat. Accidit ergo, ut deperditam clavim diu fruſta requireret, quâ ſuas pecunias claudebat: quare noto patrocinio aſſueta, illam à S. Ignatio rogavit. Per noctem verò appellari ſe audiens nominatim, apertis oculis videt Sanctum adſtare, vultu Beatorum lætitiam ſpirante: ex eo didicit, ubi clavis lateret, atque inſuper momenti non levis amiſſa ſyngrapha. Sed hæc magis ad Sancti benevolentiam, quam ad rationes piæ Virginis ſpectârunt. Mirabilius illud, quod paucis abhinc annis eidem evenit. Cùm enim ſic obſurduiſſet, ut ne quidem clamores ſibi aſſidentium audiret, Dei quidem ad nutus valde morigera, ob hoc tamen ſolum ægrè ferebat ſurditatem, quòd conciones & confeſſarium audire non poſſet, quibus ferè duobus omnis ejus conſolatio inerat. Quamobrem ſuſcepit depulſionem hujus incommodi apud S. Ignatium expedire, ſumptaque in manus ſacra illius effigie; teſtatur primùm; quæ corpus attinent, nihili ſe facere, mutam, cæcam, ſurdam [eſſe,] utcumque Deo viſum foret; quæ animum tangerent, iis verò ſe tangi, ut erat ſurditas, quæ multùm ei officeret: & proinde ex cor-
B dis intimo precatur, hoc ab ſe malum amoveri, eò ſaltem, ut aures ad divina liberas haberet, aliorum auditu facilè carituram. Sub quæ imaginem ſancto oſculo venerata, utrique appreſſit auriculæ. Utque illi mos erat, in templum ſe contulit. Ecce autem ipſo ab aditu, ſacerdotum vocem ſacris operantium explicatiſſimè audire, dein confeſſarii etiam, poſtea concionatoris. Sed quod miraculi miraculum quoddam eſt, è templo egreſſa, ſurda, ut antè, nihil audire; ingreſſa auditum recipere, perpetua prodigii mirabilitate; hæc enim anno ſeculi tertio dum perſcriberentur, unius jam anni continuâ experientiâ ea comprobârat.

252 Die anni ejuſdem ſeptimo, Petrus Guijarrus, ex S. Jacobi novæ Cantabriæ, cohortem *Infans mortuus unus,* ſuorum militum Durangum in oppidum reducebat: ducebatur & Inda, partum ſuum gerens, ante dies viginti editum, ſed uſque adeo infirmum, ut poſt iter diei, Petrus morti proximum contuens ſacro fonte abluerit. Non diu pòſt, feli-
C citer functum, mater, mancipium barbarum, levatura ſe illo pondere, abjiciebat in viam publicam: milites ob reverentiam baptiſmi, ſubitariâ humo volebant contegi: dux in pagum Corralem Morcilii deferri juſſit, ut ſacro tumulo conderetur: atque ad hoc matri colligari, ut vel ingratiis ſecum illum portaret, colligatuſque eſt tam arctè (quod teſtes affirmant) ut ſi foret infans adhuc vivens, vel iis vinculis necari potuiſſet. Injecit inter hæc duci Deus, ut flagitaret innocenti vitam ab S. Ignatio reddi, quem peculiari ſenſu pietatis colebat, idemque ut milites votis communibus facerent, magnâ expectatione perſuaſit. Exacto in precibus & itinere illo die, Corralem devenitur: Indus, qui cadaver infantis filii matri alligârat, explicitum vinculis, ſepeliendum humi ſternit. Dux mortuum intuens, ab S. Ignatio etiam tum rogando non abſtitit: cumque ad cadaver proximè acceſſiſſet, repentè infans reviviſcit, incredibili matris & ducis gaudio, qui feſtis propterea gratiis S. Ignatium celebravit.

253 Sed dignum majoribus fuit, quod ſeculi *& alter,* hujus anno undecimo Manreſæ Sanctus vitam infanti utramque contulit, temporariam & æternam. Natus fuerat poſt mortem & ſeorſum interim abjectus, dum matri conſulitur ex eo partu penè morienti: à matre obſtetrix ad infantem re-

verſa liventem & mortuum, & baptiſmi [indigum] miſerata, poſitis genibus S. Ignatium obſecrat, per quidquid illi eſſet Manreſæ carum, ubi tot à Deo fuerat bonis cumulatus, animam redderet infelici, ad hoc ſaltem, ut Chriſti lavacro tingeretur. Quæ dum orat; videt infantem moveri, & oculos aperire; exclamanſque cum iis, quæ illic aderant, factum miraculum, viventem gratulabunda ad matrem retulit. *De Religioſa Franciſcana, Burgi gravibus animi moleſtiis torta, hîc ſubditur; ſed de ea egi ſuprà num.* 131. ex BARTOLO.

254 Anno autem ævi hujus vigeſimo, pridie *matris ac filii lapſus* S. Ignatii, Paula Sbarballia Joannis Oltramarii cognati ſeptimeſtrem filiolum inter brachia geſtabat. Orto imbris & turbinum ſubito conflictu, accurrit in ſuperiora conclavia, ut occluderet aquæ ſpecularia vitrea: in eorum uno difficiliùs laborans; ſurſùm versùs cùm dextro brachio corpus extra feneſtram exporrigit; infans pectore tenus præcinctus laxiùs, ſubſultans, in vicum decidit, altitudine ulnarum octo: mulier, puero cadente, Jeſum, & S. Ignatium inclamat, in quem impenſiùs afficiebatur, labiturque & ipſa in proximam aream. E

255 Ubi cùm brevi animum recepiſſet; *ex alio,* Vidi (ait ipſamet) his meis oculis S. Ignatium ad latus, qui mihi infantem, quem tenebam, in ulnis repoſuit, appreſſitque tam diu ſuſtinens, dum, quæ animo linquente exciderant, vires rediiſſent. Erat Vir ſanctus in uſitata Societati veſte, palliatus, ætatis ſpecie virili, vultu, quem nullum, ubi hoc miraculum contigit, ſatis aſſimilaret apographum: infans alacer, & feſtivus gerulæ corridens, pannus, quo fuerat involutus, in imo feneſtræ jacebat.

256 Mutinæ anno MDCV Alberti Fontanæ fi- *pueri ardens* liolo ardens febris, capitiſque ac faucium tumor *febris,* ſic animæ viam obſtruxerat, ut niſi ægerrimè ſpiritum ducere non poſſet, nedum nutricis lac ſugere. Lugebat mater jamjam præfocandum; matris cognata, Livia Fontana, ejus æquè, ut infantis miſerta, in genua procidens, valetudinem puero ab S. Ignatio petiit; cujus mirificè patrocinio confidebat, tum ejus reliquiis, quas geſtabat in cruce argentea, guttur ejus ſignavit, inflatione mox & febri, horæ non integræ ſpatio difflatis, puer ut umquam egregiè valuit. F

257 Coloniæ Gerardus Otmarſeſius, ſacer- *morbus,* dos è Societate, cùm anno ſeculi duodecimo ex morbo periclitaretur, votum S. Ignatio nuncupavit, & ſacris ipſius lipſanis pectus & caput conſignavit, vitæ de cetero uſque adeo ſecurus, ut cùm validiſſimis febribus per decem dies æſtuaret, numquam illi de morte dubitatio ſuccurrerit. Nocte porrò hos dies conſecuta, ex inopinato deliquio refectus, eos crurum dolores expertus eſt, quibus in vita nihil paſſus eſſet crudelius, ratuſque id præter naturam eſſe, proximam ex eo ſanationem expectavit. Inde abalienatus à ſenſibus, paulò pòſt ſenſit inhalari ſibi in os exilem flatum, ſed unà immenſis animum inundare deliciis, argumento receptæ ſanitatis: unde in cantum euchariſticum Te DEUM erupit, feſtis lacrymis & pio ſingultu verba penè ſingula interpungens. *His adduntur ſanitates redditæ Iſabellæ Moronæ, ac puellæ Burburgenſi; at de hac ſuprà* § 3; *de illa verò breviſſimè* § 1.

258 Bazaini in Orientalibus Indiis Chri- *mulier inſano amore capta,* ſtianum femina ethnica perditè deperibat, ſpe flagitii prolioris ſacrilegè baptiſmum ſuſcipit, ſuſcipiturque domi à pia matrona, moribus ſecum imbuenda profeſſionis novæ ſanctimoniâ condi-

ex Bartolo. gnis: at enim ſcelerata ſenſim ſe prodidit, longè aliud ſpectare, quam precatorios globulos, & ſacrorum frequentationem, perflanteque, ob violatum baptiſma, flammam execrabilem diabolo, amens, & teneri non ferens, in hortum ſe dejecit, ex quo retracta minabatur, ſe ignem ædibus ſubjecturam. Itaque matrona nequiſſimæ beſtiæ importunitati propemodùm cedens, priùs tamen rem omnem ſacerdoti noſtro aperuit, qui ſatis intelligens, ſuas hîc partes dæmonem agere, S. Ignatii reliquias matronæ dedit, quas inſanientis collo indueret. Dum ergo ſolito rabioſiùs baccharetur, minaretur & fureret, hera quaſi optato diſceſſui aſſenſura, velle interim, ait, donare illam gemmâ ingentis pretii; & vittam ſericam ejus collo injecit, ex qua pendebant Sancti reliquiæ. Atque hîc illuſtri, manifeſtoque portento, ad earum attactum graſſantis in venas libidinis incendium omne illico concidit: hæſit quaſi ſtupens miſera tantiſper, tum in fletus effuſa, crimen ſuum
B & mentem faſſa eſt contemerati baptiſmatis. Complexa pœnitentem matrona, cum lacrymis S. Ignatium agnoſcere docuit mutationis tam ſubitæ auctorem, ejuſque lipſana gemmam eſſe, quam dare ſe dixerat; duxit è veſtigio in templum rogantem, ac inter eundum multis cum lacrymis ſacra lipſana aſſiduo oſculo venerantem. Inde animo apud ſacerdotem expurgato, ille penitus excidit, cujus inſanierat amore.

PARS SEXTA.

Ariditati orationis medetur Sanctus; infantem in cælum ſubducit; inſontem liberat; morbos & ambuſtam manum curat; mutat animos.

C *ariditas in oratione.* Enſit in cauſa admodùm diſpari par ſancti Ignatii patrocinium alia matrona: agebat illa Catanzari non modò Chriſtianam vitam, ſed non vulgaribus ſtudiis virtutum exercitam, potiſmùm verò contemplatione cæleſtium; cui Deus viciſſim magnas reponebat animi voluptates. Factum nihilominus aliquando, ut hæc illi vena deliciarum areſceret, &, obtenebrata mente, precationis pabulum, aliàs jam dulce, pro ſupplicio haberet: ac tentabat quidem omni ratione teneritatem priorum ſenſuum, ſed fruſtra, revocare. Fortè conjectis in ſanctum Ignatium oculis, quem in altari domeſtico colebat, ſupplex, ingentique affectu, præſenti ſuæ inopiæ ſubſidium ex eo petiit, qui tam celſo gradu familiaris apud Deum gratiæ fuiſſet; mox, tamquam aperto ſibi cælo, luce ſubitò tam clarâ, tantoque ardore perfuſa eſt, ut duarum horarum ſpatio Dei amore tota diffluëret, diei reliquum ſuaviſſimis in Deum animi motibus frueretur, quos multis poſtea identidem menſibus, ejus diei repetita memoria accendit.

infans in Sancti amplexu moritur, 260 Cuenca eſt in novo regno Granatenſi. Illic nobilis matrona videns infantem filiolum in oculis morientem, ad S. Ignatium, cujus habebat depictam tabulam, converſa, moriturum ei filium obtulit, ut, ſi placitum Deo foret, ſervaret incolumem. En autem hic latè ſplendere vultu Sanctus, & infantem versùs brachia pandere: vice versa infans exporrigere ſe in ſancta D
brachia, velut in affectus mutuos enitens; & in eo conatu innocentem animam efflavit. Mater, luctu in jucundiſſimam conſolationem commutato, miris gaudiis proſecuta eſt filium, ab S. Ignatio extra ſalutis pericula inter Sanctos ſubductum.

liberatio infontis, 261 In S. Ignatii (quæ una eſt de ſeptem coloniis ad Paranam Paraquariæ fluvium ſitis) noſtrorum curæ commiſſus juvenis calumniam paſſus eſt, ob quam ejectus è ſodalitate B. V. etiam carcere clauditur: cujus caſus dolorem non ferens, laqueo vitam finire decrevit; quod haud ſcio quo pacto interceptum miſero non proceſſit. Itaque de media nocte eamdem animo verſabat deſperationem; cum januæ rimas magna luce diſtendi advertit, ſuſpicaturque eſſe aliquem ex amicis, à quo viſeretur. Erat verò is amicus S. Ignatius, qui ſe illi ſpectandum præbuit luce immenſa fulgens, oreque exporrecto & hilari, ut qui deſperantem erecturus veniſſet: tum ejus capiti manu blandè impoſitâ, Eſto, ait, ſecurus, fili, nihil iſtic abs te peccatum eſt, brevique hinc liber dimitteris: quibus dictis receſſit. Adoleſcens E
ex magna commotione animi in clamorem erumpens, vicinos excivit, qui & carcerem deprehendêre clauſum, & juvenem ubertim lacrymantem: paulò verò pòſt, fidem fecit promiſſo: reſtituta inſonti poſt compertam innocentiam libertas.

luxatio vertebrarum, 262 Gaudianæ Mexici pago ſerva Inda, luxatis vertebris, jam biennium jacebat, ut præter gravem cruciatum, corpus, niſi admodum ægrè, non poſſet ſuſtinere. Illac tranſiens è noſtris ſacerdos, vicemque infelicis dolens, ſanctum Ignatium illi medicum advocavit, quòd jam nihil ſpei ab aliis reſtaret: tum Sancti fiduciâ illam erecturus, recenſuit illi prodigia, in vicinis ab eo patrata: denique in illam, precationem recitavit, quâ conſuevit orari Sanctus, ejuſque auxilium imploravit. Quo puncto temporis ſic perſanata eſt, ut ſtatim ſurgeret, inambularet in oculis omnium, & in argumentum receptæ ſanitatis ſublatum in humeros onus bajularet. Verùm redituris fortè doloribus nimis ſtultè cavens, & fovendo, quem receperat, vigori, cùm à patris diſceſſu, calefacto balneo uti voluiſſet, vix illud ſubierat, & diro totius corporis cruciamento ſtatim capta, reportanda in lectum fuit, levitatem ſuam plurimùm incuſans, & beneficii accepti frigidam æſtimationem. Fletu ergo & precibus, tum facti veniam, tum amiſſi doni reſtitutionem enixè F
flagitans, orationes aliquot recitat, novoque ſtatim miraculo confeſtim, ut fuerat, ſana fit, & prudentiùs, quam fuerat, cauta.

uti & triplex aliud miraculum S. Ignatium illuſtrant. 263 Ibidem anno hujus ævi ſecundo, tribus una occaſione miraculis ſervi ſui gloriam illuſtravit Deus. Puellam, paucorum annorum, diuturnæ febres in ſupremum diſcrimen redegerant, & deſperaverant medici; parens ad noſtros accurrit mæſtiſſimus; petiit ab iis, quam apud ſe habent, imaginem pictam S. Ignatii, flexis genibus ante Chriſtum de cruce pendentem: conceſſam fert domum, & Sanctum pro filiæ ſalute cum familiaribus precatus, illius capiti imaginem admovet: exin prodigioſus ſudor ex ſacra imagine guttatim fluere, gemmarum inſtar colore ſpectabili & magnitudine: ſtupere adſtantes rei novitate, in quibus mulier, grave, quo tumebat, apoſtema, intincto reverenter in ſacrum humorem digito, inungens, repentè curata eſt. Puellam quoque ſacræ imaginis attactus, febris & periculi ſecuram efficit.

264 Romam venit Guilielmus Guardefordius, ſacer-

A sacerdos Anglus, anno MDXCIV Societatem, quam
Accedunt his febris ingravescens, obtinuerat, ingressurus. Cupiens autem summopere die illo tirocinium inire, qui Augustino Anglorum apostolo sacer est, dissimulavit febrim, quâ illo ipso die correptus ardebat; sed eâ postridie ingravescens, viresque prosternens, & alia edens tristioris prognostici omina, jacentem graviter afflixit, vitæ metu tunc statim perdendæ, cùm ei primum grata esse cœpit. Tantisper igitur se lecto attollens, ardenter institit S. Ignatio, à quo, jam Patre, confidebat se tamquam filium aspici, ne tam præmaturè bono illo orbari se sineret, quod ipse tot annos, & tantis itineribus quæsitum, vix tandem possedisset: differret morbum in aliud tempus, ne Societati attulisse cadaver videretur; & penè illi priùs moriens, quam vivens, eam vixdum adeptus amitteret. Movit orantis gemitus sanctum Patrem; nocte insequenti spectabilem sese illi exhibuit in eo cubilis latere, in quod conversus oraverat; adstabant illi sex de Societate: habitu erat usitato cum superiori veste &
B bacillo, ut viventi mos fuit: accessit ad lectulum propiùs, & perinde ut corvos & canes à cadavere abigeret, ita circùm scipionem agebat. Inde paulùm recedens, blando illum, & perquam benevolo aspectu dignabatur. Accessit & de sociis alius, ex quo æger (quem sensus recuperatæ sanitatis alacrem fecerat) interrogavit, an possent & ipsi tantumdem præstare? Ad quæ ille subridens, prehensum humeris, à dextro in lævum convertit, stragulisque compositis, innuit ut dormiret. Tunc verò altè in placidum, & multarum horarum depressus somnum, cum evigilâsset, ita consanuisse se comperit, ut die eodem lecto exiliret, & solita cum aliis ministeria obiret.

265 Hoc inter Superos beatus, suum hunc filium beneficio affecit sanctus Pater; hunc verò,
sanata post combustionem manus: qui sequitur, superstes adhuc eumdem in finem. Coquum Romæ agebat in domo professa Joannes Baptista, sanctæ vir humilitatis, & sui egregius domitor: hic ministerii opportunitate, ad contemplandum æquè, ut ad laborem usus, ex illo, quem trahebat, igne, illos perpendere discebat damnatorum ignes sempiternos, unáque letalis
C immanitatem culpæ, quæ tam atroces commeretur pœnas. His cogitationibus immersus, & vitæ in seculo actæ horrore, extra fas in sui odium magno impetu raptus, manum injecit flammis ardentibus, totamque adussit: odoris graveolentiam domûs minister illac fortuitò transiens advertit, culinam ingreditur, causam rogat, cruciamenti violentiâ extorquente invito lacrymas, manum profert ambustam, suique jam errati conscius, veniam de genibus petit. Defertur ea res ad sanctum Patrem, spargitur totâ domo, damnant multi, & censent dimitti oportere, qui se suâpte insipientiâ prorsus inutilem Societati effecisset. At perspicacior Sancti mens, censuit gratiâ quàm pœnâ digniorem. Bonam noctis partem pro illo precibus impendit, exoravitque quod petebat, adeo cumulatè, ut postridie fratris manus comparuerit sana, integra, vegeta, & qualis, antequam ureretur. *Quia hoc miraculum brevissimè tactum fuit in Relatione consistoriali, superiùs indicata, ideo illud, quamquam à vivente etiamnum inter mortales* S. Ignatio *editum, præter morem inter alia hîc recudimus.*

266 Princeps Itala, serenissima ex domo, po-
liberatio stridie Calendas Novembris, anno MDCV deprehensa est possideri à dæmone. Sesquiannum eam tenuerat ignotis occupatam morbis, quos in atram bilem medici referebant: nam hebdomadas, & mensis jacebat amens, immobilis, elinguis, etiam ad interrogata; nec videbatur nôsse adeuntes. EX BARTOLO. Multos dies aut cibum respuebat, aut exspuebat ore tenus admissum, exsucca, exsanguis, instarque cadaveris; accedentes tamen invadebat furens, se ipsam quoque, nisi cura custodum obstitisset, in præceps datura, & conscissura vulneribus. Suspicati sunt ergo medici fascinum, qui morbus credebatur, cum observâssent suo omni labore cruciatus ægrotæ in cassum augeri, corpusque adeo defectum, vix posse naturæ viribus animam retinere. Parenti Duci suspicionem suam aperuit: adhibetur è nostris sacerdos, qui exorcismos in dæmonem torqueat, interposito S. Ignatii nomine: & hîc demum se palam, verisque indiciis dæmones proferunt: se illic sedem ingenti numero habere, obtinere corpus universum veneficiis obstrictum, nihil omisisse, quo illud perimerent; fuisseque planè rem confecturos, nisi eo sibi tantopere exoso Ignatii nomine compellerentur se prodere. Post hoc sibi vicissim animos addere, & exstimulare mutuò ad standum in gradu, & vim quamlibet sustinendam. Egit tamen hæc prima occulti hostis manifestatio, ut esset ægra im- E
munis à febri, serenior animo, & tractabilior, cibumque admitteret, tametsi quàm parcissimum poterat, si esset sacris precibus expiatus: quem à profano bellè discernebat.

267 Eductis jam in campum hostibus, initur pu-
a dæmonibus, gna, præmittitur à sereniſſimis parentibus, ipsaque ægrota S. Ignatio votum adeundi Romæ illius sepulchri, ornandique piis donariis in eucharisticum liberationis. Unaquæque sacrarum execrationum vibratio, adjuncta S. Ignatii invocatione, magno numero hostes expellebat. Jussi prodire qui laterent, & præsto esse ad linguam, vel pedes, imperatis parebant, signa dabant coacti discessûs, quæ injuncta fuissent: ab Jesu, Maria, unóque Ignatio se pelli conclamabant, licet alios item Sanctos alii sacerdotes in opem accerserent. Fuit inter nefarios spiritus obstinatè potens, qui ne tanta vi urgeretur, possessam ad extrema redegit, & pertinaciter obluctatus, tandem in exitu tam deformi specie exterruit, ut ejus deinde recordatione inhorreret. Dierum viginti conflictus hic fuit; & die conceptæ Deiparæ debellatum est denique, suaque cum turma residuus hostium, sta- F
tionem penitus liberam reliquit, morbisque omnibus, quos conciverant dæmones, absolutam. Decantatæ Deo ex ritu Ecclesiæ, laudes, votaque in Sancti honorem religiosè persoluta.

268 Condomi, Vasconiæ urbe, civis alioqui
mira animi in Sanctum pessimè affecti, honestus, perinfenso erat non modò in Societatem, sed in ejus quoque Parentem odio, tantumque aberat, ut, quæ nomen decerent, honoremque Beati, Ignatio recèns attributum, de illo loqueretur, ut passim potiùs simulationis illum fugillaret, & histrionicæ pietatis, atque ad hoc ejus lectitare gesta, ut ea vel in hypocrisim malignè detorqueret, vel in malam historici fidem, pergeretque ex iis convitia & dicteria fingere. Spectabat hunc suum è cælo Ignatius inimicum velut phreneticum medicus, eique à Deo misericordiam poscebat. Nocte igitur (incertum dormientine, an vigili) adstitit beata verendus majestate, & choro stipatus Cælestium, tacens quidem, sed per aliquam horæ partem spectandum se sistens; sub discessum verò tam blando illum intuitus est vultu, tam dulci amoris perfuso illecebrâ, ut hic ejus animum oculorum jactus configeret. Lecto desilit, conturbatus, flens, fronte humum verrens, injuriarum veniam ab eo petiit,

ex Bartolo. sumptam ex abaco ejus Vitam suaviatur, rigatque lacrymis, sanctè pollicitus tum S. Ignatio, tum Societati æterna deinceps obsequia, & observantiam tantò sanctiorem, quantò ipse fuisset injuriosior.

*& alterius satyris eum impetentis mutationes: *An Gerundæ in Catalonia?*

269 Longè aliter cessit cuidam alteri, sed Religioso, cujuscumque tandem Ordinis fuerit, indigno certè religiosa veste. Is Girondæ * in Aragonia, seculi hujus anno undecimo, sive invidus, sive incredulus, satyram adversùs sanctum Ignatium aggressus est scribere; cujus cùm partem factam relegit; miratur suam manum, suo ab ingenio diversam, contraria omnia dictanti ingenio vel malitiæ scripsisse. Nam præter laudes nihil relegebat, qui nihil præter probra manui suæ dictaverat. Errore igitur factum suo id putans, resumpto stylo, quod conceperat mente, denuo contexit; at, ecce, tunc etiam dictanti scelerato, manus propria Ignatii laudes, pro convitiis reddidit: ac mirum, quantumvis furiosè in cœpta incumbenti, non venisse in mentem, illam manûs, invito ingenio, operam non posse errori attribui. Repetita ergo tertiùm rabie, eodem successu delusus est. Sed nihilominus stupido pariter, sibique indignanti, dum sacrilegium integrat, revulsus calamus in medium cubiculi dissilit, ipsaque eâdem occultâ vi intorta ejus manus ingentem ipsimet colaphum impegit; quo tandem aliquando pudefactus & pavens, collegit sese, stylumque & animum erga S. Ignatium mutavit.

B

restituta vires, curatum carcinoma.

270 Raphaël Valcanerius Majoricensis, quadriennis, ægrotus destitutione virium interibat: cibi quatuor jam dies nihil admiserat, fueratque ad supremam luctam sacro oleo inunctus. Vocatus è Societate, qui eum juvaret, ut Christianè moreretur, reliquias secum S. Ignatii attulit, & licèt expertem rationis & stupentem, iis tamen ducta cruce signavit, commendavitque S. Ignatio. Quod ipsum & uxor præstitit, spondens, si convalesceret, se diem S. Ignatii festo annuo culturam, daturamque tribus pauperibus prandium. Votum conceperat, & vires statim redire; circumspicere adstantes, mentem recipere, moveri; cùm tamquam cadaver antea jaceret, febri denique posita valere. His soror acceptis, magnopere indidem remedium carcinomati

C

speravit, quo erodebatur jam per biennium. Suscepit ex voto sacellum S. Ignatii novemdiali cultu adeundum, illius imaginem, ab uno è nostris patribus acceptam, parti affectæ apposuit, & inde jam sibi meliùs fieri advertens, paucos intra dies bellissimè valuit. *De Benedicto Lopesio à latronibus defenso hîc sequitur; at vide dicta* § 4, *parte* 3, *num.* 185.

PARS SEPTIMA.

Anginæ, malè affectis membris, juveni, qui se dæmoni manciparat; infirmitatibus, luporum rabiei subvenit Sanctus: bina ejus apparitio.

Sanat puellam ab angina,

GAndiæ anno seculi primo Vicentiæ Cotziæ, septenni puellæ, fauces intercluserat angina, jamque triduo nihil cibi transmittens, non diu superfutura credebatur. Affertur ad eam imago S. Ignatii, quam ejus avus sculptor coronide ornandam acceperat; docetur Sancti opem rogare, seque ab eo, (uti & aliis Gandiæ contigerat) persanandam. Erigitur in genua suorum brachiis: Pater & Ave recitato, iconem faucibus apprimit, ad hanc momento dolor ponit, inflatio residet, exspirat inflammatio, cibum poscit, sumit, convalescit.

D

intercluſa membra,

272 De Beatorum honoribus, S. Ignatio decretis, Potosium nuntii venerant, & festis populi gaudiis solvebantur. Hinc tristis Christophoro Martinesio dolendi ansa, quòd eorum in partem non veniret; erat enim membris jam quadriennium interceptis, ut, nisi fulcris alaribus, non posset insistere. Conjectâ itaque in Sanctum confidentiâ, effusóque in eum animo, Itane, inquit, beatissime Patriarcha Ignati! communes inter lætitias, quæ tuo nomini celebrantur, ego doleam solus? & aliis omnibus honori tuo choros ducentibus, unus ego non possim vel gressum movere? Pios questus non sprevit sanctus Pater, eo ipso temporis puncto vigorem membris infudit tam validum, ut fulcra projecerit, & die proximè subsequenti, omni ex parte consanuerit.

E

pedes impeditos.

273 Huic planè consimile hoc eodem anno seculi hujus nono, Majoricæ contigit. Dum enim apud nos, honores tunc recèns beato Ignatio dicatos, prosequeretur communibus gaudiis gratulatio publica, mulier pedum usu privata, iis tamen ingratiis adesse in templo statuit. Dimovebat hanc soror ab imprudenti consilio, immensum objiciens populi concursum, dejectum iri à conferta turba, & pedibus proterendam. Quibus nihil mota, domo, ut poterat, conatu difficili tandem exit, vixque in vico constiterat, & explicari mox pedum nodos, redire iis spiritus, & vires; ipsa, fulcris alaribus procul à se abjectis, valens & alacris templum petit, Sancto gratias agit, epulo sacro illius memoriam & beneficium celebrat.

Juvenem.

274 Michaëlem Schrammeum, annorum septemdecim juvenem, studiorum causâ parens Herbipolim miserat; sed is, quod solent suo arbitrio permissi juvenes, in consuetudinem se dedit perditorum, à quibus inter alia scelera etiam dæmonem pro magistro habere didicit. In hunc modum res tota gesta est. Dabat operam

F

juri & insigni mago ejus quidam amicus. Michaëlem cum socio ejusdem ætatis, magi domum perducit. Illic alacriter bibitur: indè magus suas artes jactare; non fuit opus multâ mangoniâ ad infatuanda capita stultorum juvenum, & proritandam curiositatem, nova & mira factitandi, præsertim cum sterili curioso spes quoque utilis adderetur; suam enim quamdam extollebat radicem magus, quæ linguæ indita nihil non efficeret: jubendo quidem, si linguæ inesset, tangendo autem, digito inhærens, fores reseraret, & scrinia; comminueret catenas: subterraneos thesauros in apertum extraheret; & thaumaturgiæ similia ederet complura. Ceterùm eam vili fore, dumtaxat tantillum animi opus esse, ad ferendum semel dæmonis conspectum, non ingrata specie adfuturi, ad tradendam illi urbanitatis causâ exiguo syngrapho animæ potestatem. Immensum pretium execrandus diaboli proxenetes, teruntii fecerat; sed stolidi juvenes, præpotentis radicis ebrii desiderio, nihil abnuêre; sed pactis addi voluere, animæ potestatem non se ulteriùs dæmoni tradere, quàm dum ea radice uterentur: ubi lubitum foret, eam dæmoni abdicare, tunc se pacto solutos intelligi velle. Contestati hanc legem, mago digitum porrigunt, ex quo stillas aliquot

A quot exprimit sanguinis, dictatque novis discipulis formulam mancipationis, quâ se dæmoni, suo & sanguine & chirographo obstringunt.

qui se 275 Post hæc bacillis quibusdam instructos extra urbem ducit, in quadrivio consistit, humum circulo notat: ad characteres & carmina comparet in medio circulo improvisus dæmon, adolescentis vultu teneræ ætatis. Horrent ad nefanda spectacula novitii scelerum, certi, quod erat, cacodæmonem iis tegi: pallent, silent, mutuò contuentes, circumspiciunt ad fugam. At conscleratus artifex suî præsagus periculi, arcanis vinculis defixerat miseros, ut nullo conatu valuerint se inde eximere, animavit insuper adeo, ut inserto quisque bacillorum suorum fuscinulæ chirographo suo, se dæmoni dederet, medium circulum semper occupanti. Quibus ita peractis, diu collocutus est cum tyranno spiritu detestabilis magus, sed ignotâ linguâ, postea illorum mediis digitis, rimâ, ex qua sanguinem presserat, tenui, promissam radicem nullo sensu doloris infixit. Cum ea in urbem se referunt, illic in ædibus sceleratissimi præceptoris experimentum radicis & dare & capere, mira verè & fictè patrare, quæcunque illis convento prædicta fuerant.

B Quævis fera admoto digito recludi, sepultus infra duos palmos ducatus argenteus exilire de terra, &, ut ferrum magneti, admotæ manui adhærere; concha aquæ plena contactu dividi, attolli, & velut conglaciata sublimè pendere; catena, quam sibi datâ operâ circùm adstrinxerant, comminutâ frustatim ad pedes concidere. Hac illi experientiâ, duplo, quàm quæ agebant, incantati, vel decem, si tot suppeterent, animas, pro tam beata radice datas voluissent.

diabolo mancipaverat, 276 Inter hæc Michaël patriam repetit, ubi pueriliter hæc ostentans, palamque factitans, referandis præsertim seris & scriniis, vix furcam evasit. Furti enim grandis eam ob rem suspectus (reus, an insons) ægrè se laqueo subduxit; nec minus discrimen ab sociis adiit, qui se nactos thesauri latebras arbitrati, juvenem in sylvam pelliciunt, minis urgent, & præsenti nece ad prodendam sibi thesaurorum manifestariam radicem; quibus ipse, quæ prima se obtulit, cum dedisset, idcirco germanam putârunt, quòd is eam tenens, nescio quid mirum incantato digito coràm peregisset. Ita se illorum manibus & morti eripuit. Ex his oculos sensim ad sua damna advertere, fructum agnoscere venenatæ radicis, intelligere,

C quam exitiali amentiâ oppignorâsset animam æternis suppliciis, & exitio corporis plusquam probabili, ad paciscendum de nugis cum dæmone, denique serìò cogitare de rescindendis feralibus conventis. Quæ cùm amico sacerdoti, viro probo, aperuisset, ab eo imprimis edoctus est immanitatem culpæ & periculi, cui esset obnoxius: deinde plurimùm confirmatus, ad ferendum quidvis & agendum, quo tyrannidis admissæ jugum excuteret. Postremò Molshemium ad patres Societatis destinatus, ut ope S. Ignatii jam iis in casibus explorata, recuperaret à dæmone syngraphum, & pacta conventa rescinderet. Domi apud nos egit dies duodecim, in jejunio, cilicio, aliaque simili afflictatione; & paranda tum vitæ omnis expiatione, tum fideli dæmonis ejuratione. Condicto in eam rem die ducitur juvenis in sacellum S. Ignatii, ejusque patrocinio creditur, aderant complures, inter quos suffraganeus Argentoratensis; Rector collegii votivum S. Ignatio Sacrum facit; Michaël fidem solenni ex formula profitetur, quam cùm aggreditur legere, horrore mox tremere, & vocem Renuntio pronuntiaturus, interstrictâ gulâ præfocari, quòd is, penes quem cura ejus erat, lateri assidens, cruce sancta signatum, vocato S. Ignatii nomine, sibi restituit, pervicitque, invito dæmone, ut ejurationem ejus absolveret, quam Rector exceptam Deo obtulit, sacroque altari imposuit. Haudquaquam tamen comparebat aut dæmon aut syngraphum. Quare instauratis per aliquot dies spontaneis pœnis, precationibus, contestatione, & Sacro S. Ignatii; solenni commendatione, illius præsidium dæmonibus ineluctabile denuo juveni rogatur. EX BARTOLO.

S. Ignatii ope liberatur. 277 Die itaque decimo tertio anni MDCXIII Rector operans sacris ad canonem venerat, cùm excipitur à cunctis, qui aderant, stridor quidam velut præstricti chartâ parietis: nihil tamen undevis dimissum conspicitur. Sed vidit Michaël à dextro altaris latere dæmonem, ostentantem sibi suo scriptum sanguine syngraphum, quod ei Herbipoli dederat, deinde, eo projecto, evanescentem. Hoc verò postmodum, peracto Sacro, sub altaris mappa superiore repertum est, actæque Deo & S. Ignatio communes & lætæ ab omnibus gratiæ.

E *Familia in morbo pesti lenti,* 278 Grassabatur pestilens morbus Paraquaii anno seculi hujus quinto: depascebatur inter alias honesti viri familiam numerosam, ex qua brevi jam duo perierant: jacebant alii quà ægroti, quà morti proximi. Patribus è Societate illuc fortè appulsis, dum ea loca apostolicis excursionibus obeunt, lacrymabilem domus suæ statum exponit, & ab iis quidem consolationem, quæ Christianum decebat, accipit, sed præterea S. Ignatii iconem, ut ejus familiarem suo patrocinio tueretur, essetque sanis amuletum, & ægrotis salus. Magnam vir optimus Sancti fiduciam suis omnibus movet, jubet huic affectu præcipuo pro valetudine supplicent: faciunt, & quidem ex animo; redit postridie ad patres gaudio gestiens: narrat, ex quo imago domum subierat, & familiares illius medicam implotaverant manum, omnes ad unum valuisse, etiam illos, qui in extremis essent.

dentium cruciatus, ac pleuritis curantur. 279 Anno eodem in S. Jacobi urbe regni Chilensis, moniali gingivæ putris vermes & saniem mittebat cum intolerabili dentium cruciatu, quem nulla sedabant, sed nec levabant remedia. Nocte aliquando atrociùs solito laborans, imaginem S. Ignatii ab una ex Religiosis sororibus accepit, quam flens & flagitans aliquod tam sævo dolori solatium, ori piè applicuit, eoque ita dolorem absterfit, ut in miraculi argumentum dentes dentibus quateret, cum absque sensu peracerbo contingi antea mutuò ne leviter quidem sustinetet. Visa simplici fœminæ res tanta, tam repentina curatio, ut suspicata sit, esse fortuitam potiùs, quàm divinam, reputans nimis alienum, ut levi attactu imago hominis nondum inter Sanctos adlecti, cruciatus momento dissipâsset, quos nulla pharmaca domuissent. At enim incauta non diu anceps hæsit: vix suspicioni attenderat, cum tormento dentium integrato, incredulitatem suam & stoliditatem damnare didicit; quare petitam cum lacrymis veniam, & sanationem iteratam obtinuit. F

Rochum Bondium, Siculum sacerdotem, anno seculi volventis tertio, Vibonæ pleuritis opprimebat, accedenteque febri peracuta, & exscreatione sanguinis copiosa, extra spem humani remedii jam deposuerat. Potentiori ergo confisus medico, ab S. Ignatio valetudinem petiit, ejus

ex Bartolo. effigie impressam icunculam ori inseruit, tamquam præsentem morbo medicinam. Et verò, quantum speraverat, tantumdem piâ fiducia evicit: cum enim indormisset, post brevem somnum experrectus, febri, sputis cruentis, abscessu, dolore lateris caruit.

Lupi 280 Anno MDCXXVI fœda luporum eluvies montibus delapsa, valles aliquot Pedemontiorum fecerat inaccessas, interque has vallem, quæ Lanzus dicitur. Numero ac rabie armati adoriebantur incautos magna strage, nec ruri greges, nec homines, ab iis se satis tuebantur. Fuerat non pridem in templo principe Mezanilis positum S. Ignatio sacellum, illuc oppidani novemdialem supplicationem publicè decernunt, & Sacrum solenne, ad avertendam ferarum infestationem, magnis & frequentibus damnis furentium. Supplicantium agmina procedere cœperant, cum statim, quod expetierant, impetratum tulêre; vi enim divina lupi turmatim abacti fugere, vitare occurrentes; puero vel agno, si fortè obvii fuissent, resilire velut exterriti: duobus solùm, ad evi-
B dentiam miraculi, permissum sævire. Alter pusillum in gregem incidens, custode septenni puellâ cum fratre annis duobus minori, omissis ovibus & puella, ferox puerum occupat, sternit, rostro huc illuc versat & agitat, presso tamen semper & innocuo dente.

Lanzo pulsi: 281 Sed erat vicinia sancti Ignatii usque adeo secura, ut soror accurreret, lupam baculo cæderet, ac nihilo mitiùs ejulanti puero infestum auribus prenderet, amotumque à pueri corpore, in montem retruderet: audacior alter tugurium subiens, ex aliquot pueris illic hærentibus correptum collo quinquennem abstulit, & in sylvam refugit. Mater terram haud procul fodiens, ad ejulatus fletumque pueri accurrit; raptum videns, S. Ignatio ante omnia supplex advolvitur, pòst insequitur montem versùs, quà lupus puerum tulerat, sed nullis diu vestigiis assecuta, inopinatò audit inter saxa quædam, compellari se ab eo, Mater! adsum mater, & salvus. Narrat deinde, quo pacto foret derepentè ab lupo dimissus, aliquamdiu fixis tuente oculis, exsufflante, ac demum in sylvam se abdente. Comparatis autem horæ articulis, cognovit mater dimissum tunc à bellua filium, cum eum S. Ignatii tutelæ crediderat.

C *animalium pestis sanata:* 282 Gisolæ & Turture, pagis vallis ejusdem duobus, magna strage animalium pestis sæviebat, pari damno infelicium rusticorum. Huic ut occurrerent, ad S. Ignatium studia convertunt, cujus in exterminandis lupis experti erant beneficentiam. Ex voto illi sacram ædem designant in monte proximo, cui Bastiæ nomen, construendam, ex veteris castri congestis illic ruderibus. Nuncupato voto, cessat strages, difflatur pestilitas, ægra sanantur animalia, sacellum exstruitur; quod tanta statim S. Ignatii veneratione, tanto frequentatur populorum concursu, ut ex montis altero latere, novâ opus fuerit ad sacellum viâ, præter quod eminens è montis vertice, & subjectis latè conspicuum, sua quisque ex domo, multi preces illuc cultumque mittebant. His Sanctus erga se tam piè religioséque animatis paganorum affectibus non crebra modò respondit liberalitate, in supplicum gratiam; verùm illic quoque se adspectabilem præbuit.

duplex Sancti apparitio. 283 Paulæ, Thomæ Mussani conjugi, filium sanârat Ignatius, cum ab hernia tam malè haberet, ut in uno chirurgi ferro remedium omne positum censeretur. Hæc recitatis, quas Sancto voverat, precibus, si salvum ab eo filium exorâsset, ut has ei offerret, ad montem oculos convertit. Illic autem Sanctum editiori saxo conspicit insidentem, quà ejus altari locus fuerat designatus: erat vestitus, ut solet hominum de Societate, sed pulchrior atque ornatior, vultus cælum spectabat: assidebat haud procul, sed paulò inferior, eodem ornatu socius, sed minùs eleganti. Agnovit Sanctum mulier, tum interiore afflatu monita, tum voluptate animo impressâ, quâ se sensit illico delibutam. Rem communicavit cum parocho Ceris (quæ curia est in confinio Mezanilis, illius suasu precationes in Sancti honorem, & sacræ hostiæ sumptionem ferventiùs solito frequentavit; sic enim parochus futurum confidebat, ut promereretur secundò idem visum spectare, quò ptioris fides certior constaret. Nec prudentem virum sua cogitatio fefellit. Paula anni ejusdem, Decembris vigesimo, casu nescio quo vehementer afflicta, cum se suaque Sancti præsidio ardenter commendâsset, in sacellum oculos montem versùs reflectit, & videt secundò, eodemque in saxo S. Ignatium, qui aspectus, mærorem, quo obruebatur, puncto temporis discussit, & miris animum exaggeravit deliciis. Hæc totis circum vulgata pagis & oppidis, magnos erga Sanctum pietatis motus excivere; quibus crevit in eum multis locis religio: ædificatæ aræ & sacella; cultus, præmisso jejunio, dies ejus anniversarius festa & solenni veneratione. D E F

§ VI. *Miraculorum ac beneficiorum supplementum & continuatio usque ad annum* MDCCXXX.

CLASSIS PRIMA. EX ITALIA.

Vir à latrone, *Miraculorum collector Bartolo proximus fuit in Italia P. Ludovicus Carnolius; è cujus editione quarta Vitæ sancti Patris nostri Venetiis anno 1687 vulgatæ, miracula quædam contraham, quæ & facta sunt in Italia, & publica auctoritate munita. Pag. 482 illud occurrit: Anno* MDLXXIII, *die* X *Septembris, Julio Montalto facienti iter de improviso hostis sclopeto armatus à tergo adest, fixum habens, de medio illum tollere. Julius memor* S. Ignatii, *oculis in cælum sublatis, opem ejus implorat: atque eodem temporis puncto Sanctus in aëre vestitu sacerdotali spectabilis, expansis versùs illum brachiis venit, & animos ei addit. Interea temporis inimicus tribus vicibus tentat sclopetum exonerare; singulis strepitum laxatæ rotæ Julio audiente, & igne se innoxio circumdatum videnti. Donec postmodùm miro modo incolumis evasit. Ex authenticis actis curiæ episcopalis Forolivienſis &c. Valer. Brunaccino vicario generali.*

mulier ab exulcerata mammilla, 285 *Pag.* 463: *Anno* 1676 *Taurini Margaretæ Buggini, uxoris Petri Grivetti, intumuit & induruit mammilla dextera tantis cum cruciatibus, ut mentem ejus à rationis sede dimoverent. Chirurgus, adhibito ferro, diu hanc curationem continuavit, sed frustra: id quod etiam accidit aliis duobus, hujus artis peritis. Quinque igitur in mammilla purulentis plagis misera convellebatur; donec suasu comitissæ Lauræ Franciscæ*

A *tiſcæ Ferratis Beggiami, Sancto addictiſſimæ, emplaſtris & unctionibus rejectis, in honorem Sancti inſtituit novenam: cujus finis miraculoſum ipſius malo finem attulit, nullo ejuſdem ſuperſtite veſtigio. Ex Decreto archiepiſcopi Taurinenſis* VI *Februarii* MDCLXXVI.

monialis à paralyſi,

286 *Pag.* 476: *Soror Roſana Benedicta Viandoli, à puero jam tum Sancto devota, & aquâ in ejus honorem benedictâ, & ſacro lipſano è mórtis faucibus erepta, in profeſto ejus ſemper jejunabat, feſtum verò habebat ſolenne etiam tunc, quando facta erat monialis in S. Stephani Ravennæ: ubi die* XXVI *Auguſti* 1678 *letalis eam invaſit paralyſis. Patiebatur inſuper frequentia & diuturna animi deliquia: poſt quorum ultimum, dum veniſſet ad ejus manus ſacrum quoddam* Ignatii *pignus, oſculata illud eſt, & pectori adſtrinxit, ſe ei commendans. Sanctis autem aliis ei propoſitis, reſpondit, fiduciam ſeſe ſuam in Deo, in Deipara, atque in* S. Ignatio *collocaſſe: à quo; ſibi ſpectabili apparente, nocte diei* XXVIII *Septembris ſanata eſt. Ex Proceſſu jurato in foro archiepiſcopali Ravennate, & decreto Hieronymi Fabri,* B *vicarii generalis.*

ſacerdos à periculo mortis ex erumpente inteſtino,

287 *Pater Paulus Caſatus, Societatis noſtræ ſacerdos, ex diſrupto ad umbilicum peritonæo, & anno quidem ætatis octogeſimo tertio, ita laborabat, ut inteſtinum erumperet, niſi extrinſecus intra ſua ſepta cohiberetur. Die* XVIII *Decembris* 1699 *ex eo decumbit: remedia humana adhibet; ſed fruſtra: ad divina deinde confugit: Sancti patrocinium implorat, ſentitque ad levem digiti tactum, dum manum applicat ad partem affectam, reſtitui inteſtinum in locum ſuum; Sancto acceptum referens, quod ſibi reliquum fuit factum vitæ ſpatium. Ex ejus Ms. teſtimonio Parmæ die* XVII *Januarii anno* 1700.

monialis alia à variis malis, liberantur.

288 *Pag.* 474: *D. Barbara Chriſtina Maria, comitis Joannis Antonii Caſtelli, præſidis ſenatûs Nicæenſis filia, ac monialis Annuntiata Salutienſis, vomitu ſanguinis una cum animi deliquiis, febri tertiana duplice & acuta, ſiti inextinguibili, ſumma reſpirandi difficultate, ac continuis vigiliis cruciata, viribus omnino amiſſis, & ſuccedente pleuritide, obtenebrato viſu, impeditâ linguâ, anno* 1680 *ad agoniam pervenit. Quando in pervigilio* S. Ignatii *perſuaſum ei fuit, ut ſe ipſi commendaret, ſuperimpoſita ſibi imagine chartacea. Orat ergo Sanctum: ac deinde iterum eum invocat: quieſcit aliquantulùm ſine-* C *ſomno: vocem audit prænuntiam ſanitatis; quam eodem inſtanti temporis adepta eſt. Ex ſententia illuſtriſſimi D. Lepori, epiſcopi Salutienſis, & Relationibus impreſſis.*

Innocentia adversùs calumniam defenſa.

289 *In documentis noſtri collegii Lovanienſis, quæ habemus, notatur, ibidem in cubiculo R. P. Rectoris reperiri ſcriptum, ſic ſonans:* Ex litteris P. Joannis Briſſelii Romæ VI Junii MDCXXVI. Mirus caſus accidit Florentiæ XXIX Maii .. Adoleſcens quidam (*hîc anonymus; ſed alibi dictus Joannes Antonius Merlus*) infamaverat magiſtrum quemdam è noſtris Belizarium Taſſone turpi ſuſpicione. Res planè falſa erat; agebaturque etiam de honeſtate cujuſdam adoleſcentis è nobilioribus Florentinis. Quare actum fuit graviter cum infamatore; & cum adductus eſſet, ut errorem agnoſceret, coëgerunt eum noſtri, ut ad collegium veniret, &, ſcripto revocatâ calumniâ, famam noſtram reſtitueret. Venit, ſed perinvitus, cum ſubterfugere honeſtè non poſſet. Vocatus etiam fuerat parens infamatoris, ut adeſſet palinodiæ: qui dum diutius tardat, relictus eſt infamator in cubiculo quodam ſolus, ubi miſerè, neſcio quo furore, pectus ſibi duplici vulnere, non procul à corde confodit, & gulam propè ſecuit. Corruit exanimis, & paulò pòſt deprehenditur à noſtris in ſuo ſanguine volutans ſine voce, & mortuo quam vivo ſimilior. Supervenit parens vulnerati, & filii miſera ſpecie conſternatus arguit noſtros filii percuſſores. Et jam rumor totam urbem pervadit: jamque populus collegium vi rumpere & ſpoliare parabat, niſi, advocato ſatellitio magiſtratûs, vis prohibita fuiſſet. Ibi noſtri inopes conſilii, dum aliud non inveniunt, quo innocentiam ſuam adversùs tam atrocem calumniam, tam gravibus indiciis nixam tueantur; recurrunt ad ſanctum Parentem ſuum Ignatium: cui voto facto famam ſuorum commendant. Mira res! qui exanimis jacuerat ſine voce, loqui incipit, peccata confitetur, &, quod præcipuum erat, palam teſtatur, ſe ſibi, neſcio qua deſperatione, manus intuliſſe: nullam ſibi à noſtris aut alio ullo vim adhibitam. Hæc coram idoneis teſtibus profeſſus, innocentiam Societatis abſolvit. *Tragœdiam hanc pro innocentia Societatis egregiè vindicat P. Joannes Rhò in ſuo Achate adversùs pſeudo-* E *Conſtantinum, quem vocat, à pag.* 158; *& à pag.* 169 *probat;* S. Ignatii *ope implorata rediiſſe Merlo loquendi facultatem.*

Varias gratias præſtitit Sanctus apud Viglevanenſes &c.

290 *Sanctus Pater benignis etiam favoribus Viglevanenſes in ducatu Mediolanenſi dignatus eſt; prout liquet ex documentis Mss. noſtris; quæ ad annos* 1695, 1696, *&* 1697 *referunt, quænam facta ſint circa infirmitatum ſanationem, expulſiones dæmonis, mulierem mirificè ex aquis ereptam, uti & filiam à læſione ſervatam poſt lapſum. In exemplari noſtro Ms. narratur liberatio cujuſdam energumeni, interceſſioni SS. Ignatii ac Franciſci Xaverii attributa, quæ contigit Placentiæ die* XXVI *Decembris anno* 1697. *Factum confirmatur ex ſubſcriptionibus eorum, qui eidem ſeſe interfuiſſe teſtantur.*

oculi uſum puero reddit Ravennæ:

291 *Recens eſt factum illud apud Ravennates; quod ex editione Italica in compendium cogo. Pueruli cujuſdam annorum trium cum menſibus aliquot, oculus, die* X *Januarii* MDCCXIX *ex ferro candente graviter offenſus eſt. Accurrunt mater, ac binæ ejus ſorores; quarum una ad portam domûs digreſſa, vidit fortè tranſeuntem celebrem urbis chirurgum, & ab eo petiit remedium: qui diligenter inſpecto oculo, matri atque adſtantibus dixit, certum ſibi, quod, niſi Deus faciat miraculum, viſio eſſet perdita. Soror itaque matris, ac parvuli mater, dum nihil haberent ſpei in remediis humanis, ante* S. Ignatii *imaginem ſe proſternunt, & vivâ admodum cum fiduciâ patrocinium ejus implorant, edito voto, quod, ſi Sanctus parvuli oculum ſanaret, mater eum eſſet veſtitura habitu Sancti per unum circiter annum; ſoror verò matris ad aram Sancti in eccleſia S. Hieronymi patrum Societatis Jeſu, oblatura oculum argenteum. Et dum non eſſet ad manum aliquod ſacrum lipſanum, oculo offenſo applicuerunt imaginem Sancti. Puerulus, die tota in planctu ducta, & clausâ ſemper palpebrâ, (ita quidem, ut mater nullam in oculum læſum introducere potuerit remedii præſcripti partem;) tandem in ſomnum incidit, & placidiſſimè dormivit tota nocte. Denique poſt multas quietiſſimi ſomni horas, evigilat parvulus, ac perfectè videt. Redux poſtridie chirurgus inſpicit puerulum, & oculum adeo perfectè ſanum invenit, ut integrum à læſo non diſtingueret. Res geſta confirmatur ex hac approbatione:* Vidit Jo. Dominicus Micheleſius, parochialis SS. Ni-

EX VARIIS. Nicandri & Martiani in urbe Rector, & pro illustrissimo & reverendissimo DD. Raymundo Ferretti, archiepiscopo & principe, librorum imprimendorum censor, atque apprimè approbat &c. Imprimatur. Ubaldus Laurentius Gallisinus, Vicarius generalis &c. Imprimatur. F. Vincentius Martini, Ord. Præd. Vicarius S. Officii Rav.

292 *Anno* 1726, *die* VII *Augusti* S. Ignatius *miraculo illustravit Faventiam: cujus Italica relatio ibidem anno* 1727 *impressa est; Latina Ordinarii approbatione eidem præmissa. P. Josephus Rocchus Vulpius, cap.* 5, § 2 *in initio memorandus, rem gestam Latinè describens*, Julius Pasius, *ait*, sacerdos, annos natus sex & triginta, cum mensem jam decimum lenta adeo tabe consumptus esset, ut ne è lecto quidem per se, fractis omnino viribus, surgere valeret, verùm multiplici semper famulorum ministerio uti cogeretur, ad certissimum jam interitum properabat. Cum superiore anno, qui fuit à Virginis partu MDCCXXVI, Quintili mense deteriùs adeo habere cœpit, ut in horas eum exstinctum iri domestici putarent. Frequens enim sanguinis vomitus morbo cetero supervenit; qui quoties accideret, in præsentissimum vitæ discrimen Julium adducebat. Petierat ille nuper pro suo erga Societatem studio, in eam admitti, quod cum provectam ob ætatem infirmamque valetudinem non impetrasset, illud tamen repetitis precibus à Michaële Angelo Tamburino, quartodecimo Societatis universæ Præposito, obtinuerat, ut, quando à medicis in extremo vitæ discrimine constitutus pronuntiaretur, tria, quæ vocant, Societatis simplicia vota emitteret, ut defuncti corpus Societatis veste indutum, sociorum communi sepulcro inferri, animusque communibus eorumdem suffragiis adjutus, quam citissimè purgari valeret.

Incurabilem infirmitatem

B

293 Igitur circa finem Quintilis cum de ejus vita à medicis conclamaretur, habitus pro deplorato, tria illa emisit vota. Verùm cum pridie Kalend. Sextil. annuam sancti Parentis Ignatii memoriam solenniter in tota Christiana republica celebrari contingeret; sensit sibi Julius ea celebritate animos addi, ut ab Ignatio (cui sese, quantum in ipso, filium dedicaverat) vitam sibi ac pristinam veletudinem restitui & impensè peteret, & vehementer speraret. Itaque hac spe fretus, octiduum totum Ignatii se patrocinio compluribus adhibitis precibus commendavit. Porro die octava, quæ incidit in VII Idus Sextil., duabus ante solis occasum horis dum ferventiùs orat, & sperat, interiori voce moneri sibi visus est, quæ ei diceret, surgeret continuò quam expeditissimè; cælesti namque Ignatii ope ab omni prorsus morbo esse liberatum. Cæleste illud monitum fuisse probavit eventus. Etenim sanus confirmatisque viribus è lecto prosiliit illico, domesticisque, funus procurantibus, stitit se ex improviso attonitis, ac quod oculis intuebantur, cernere se adhuc dubitantibus.

Sanat

C

294 Proximo autem manè ad collegii templum, Sacrum in gratiarum actionem ante Ignatii aram oblaturus perrexit: universa gratulante urbe pro restituta ei tanto miraculo divinitus vita ac valetudine. Rem totam Cæsar Martinengus, collegii Faventini Societatis Jesu Rector, qui interfuit, Romam datis litteris ad III Idus Sextiles eodem anno ad Præpositum Generalem detulit; Juliusque ipse postridie Kalendas Septembres alterâ epistolâ confirmavit; restitutæque valetudinis beneficio adhuc se frui, nuperrimis litteris Præposito eidem significavit. Quibus ex litteris in tabulario Societatis Jesu Romæ asservatis, quæ in medium attulimus desumpta sunt: ut tam recenti miraculo sancti Parentis nostri Ignatii ex prodigiis in hanc usque diem patratis gloria & beneficentia semper effulgeat. *Approbatio Ordinarii, de qua suprà, sic sonat:*

Faventiæ:

D

295 In Christi nomine. Amen. Die XXII Martii MDCCXXVII illustrissimus & reverendissimus P. Thomas Cervioni, episcopus Faventinus, visis juratis attestationibus excellentissimorum DD. Julii Rondinini, Horatii Bartholomæi Traversari, & Hilarii Spadæ, medicorum physicorum Faventiæ & Ravennæ respectivè; necnon visis juratis pariter attestationibus illustrissimi D. abbatis Julii Pasi, patritii Faventini, & plurium fide dignorum testium, super longa, & dictorum DD. physicorum judiciis incurabili infirmitate, quam dictus D. abbas Julius Pasi passus est, & à qua, die septima Augusti MDCCXXVI, Octavâ festivitatis S. Ignatii Loyolæ, ab omnipotenti Deo, ad intercessionem ejusdem S. Ignatii, repentino miraculo liberatus fuit; aliisque visis videndis, & consideratis considerandis, ac adhibitis etiam in

E

consilium pluribus theologis, aliisque piis viris, de miraculo prædicto constare declaravit, illudque ad majorem omnipotentis Dei gloriam, & S. Ignatii Loyolæ venerationem publicandi licentiam concedendam esse, prout concessit. Et ita &c., non tantùm &c., sed & omni &c. Fr. Thomas, episcopus Faventinus. Præsentibus in ædibus solitæ Residentiæ D. S. illustrissimæ & reverendissimæ DD. Philippo Laghio, & Ludovico Raffi ejus cubiculariis testibus &c. *Et apponitur* Locus ✠ Sigilli: *ac subscribitur:* Antonius Bartolus notarius, & cancellarius rogatus.

cujus rei approbatio datur.

Favor cuidam è Societate collatus.

296 *Anno* 1728 *versùs finem vergente, P. Jacobo Antonio Amici S. I., miserrimè afflicto, morti proximo, ac jam in manus Jesu & Mariæ, spiritum commendanti, intimè inter alia dicitur:* Sume aquam sancti Patris tui Ignatii, & rosas meas, quas benedixisti die secunda Pentecostes: & eris liber à morte imminente; non autem à toto malo; quia Deus ita vult. *Aquam unà cum infusis rosas sumpsit: bibere eam potuit & loqui: reduces sensit in instanti vires: subitò incedere valuit, & se conferre ad oratorium templo conjunctum, ut Deo, Deiparæ virgini, &* S. Ignatio *gratias ageret. Habes, lector, rei compendium: quam pluribus exponit prædictus pater in litteris, ad R. A. P. N. Michaëlem Angelum Tamburinum piæ memoriæ, die* IX *Januarii anno* 1729 *Aretii datis; è quarum exemplo, Româ ad me missò, hæc summatim extraxi.*

F

CLASSIS SECUNDA. EX SICILIA.

Miraculum hoc post mortem illius, qui illud acceperat, revelatum.

E*Xstat exemplar typis editum hoc titulo:* Relatio magni miraculi, patrocinio S. Ignatii, Societatis Jesu fundatoris, editi, priùs Panormi idiomate Italico impressa typis Jacobi Bua, & Petri Camagna. Imprimatur. Abbas Gelosus V. G. C. S. V. Impr. Dainottus F. P.; deinde Græcii Latinè reddita, & ibidem recusa; nunc cum licentia Superiorum Pragæ, typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in collegio Societatis Jesu ad S. Clementem anno MDCLXIX: ex authentico processu desumpta illustrissimi episcopi Syracusani in Sicilia, Panormi impressa anno MDCLXVIII. *Subditur hæc rei narratio:* Etsi universa Dei opera iis sint pleniissima miraculis, quibus nullo umquam tem-

D tempore, ſuas mortalibus gratias deſiit communicare: Mirabilia ejus à ſeculo: infrequentiora tamen quædam ſunt, quæ, quia clariùs Dei digitum illuſtrant, inter ipſa mirabilia admiranda eluceſcunt. His illud ſimile, tum ex ſe, tum ex cæleſti comite viſione eſt, quod patri Hieronymo Zuccaro, Societatis Jeſu, in collegio Sicienſi, anno MDCLXV commoranti, in ſummam illius felicitatem evenit; quod quamvis ab eo uſque tempore, debitis cum ſolemnitatibus, pro aula illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Syracuſani in acta relatum ſit, ejus tamen manifeſtatio in hanc uſque horam dilata eſt, quando ejuſdem patris mors ſecretum aperuit, in quo ex tribus gratiis, ſibi è cælo in uno miraculo factis, duas, dum viveret, latêre voluit, quas ille multò acceptæ præferens ſanitati, duos annos, menſeſque plures ſilentio ſuo piam illud ſcire cupientium curioſitatem ſuſpendit, avidumque calamum ab ejus narratione prohibuit. Quapropter cum ejus vita impoſiti ſilentii obligatione demortua, reique ſerie, quæ ad integritatem, rationabileſque hu-
B jus miraculi circumſtantias pertinebat, intellecta, communi ſapientiorum ſenſu, ob eam, quam quiſque habet, Deum benedicendi obligationem, inque grati animi ſignum ob participatam ejus miſericordiam, in hac divinorum operum revelatione, eam luci publicæ deberi judicatum eſt: Etenim Sacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare honorificum eſt.

P. Hieronymus Zuccarus ex infirmitate corporis ad exeundum è Societate inductus;

299 Peſſimè igitur pater Hieronymus à pertinaci quadam apoplexiæ violentia, quæ dextro lateri ante ſex annos incubuerat, manu, brachioque ad omnia inutili relicto, habebatur; quæ quidem medicamentorum potentiâ, Liparenſiſque inſulæ balneis quinquies coacta, aliquot menſium inducias conceſſerat: nihilominus majori impetu priorem repetens effectum, vitæ perfectæque ſanitatis ſpem, & cum hac primum ſpiritûs fervorem eripiebat: unde ille in Religioſarum virtutum exercitio [minùs] promptus, & cæleſtis vocationis gratiæ correſpondendi [minùs] cupidus efficiebatur: quam indiſpoſitionem ſæpe ex corporis infirmitate malè cautorum attrahunt animæ; in qua etſi ipſi vacare culpa gravi videantur, attamen non niſi graviſſimum cenſendum eſt periculum, ne calor ille hoc languore refrigeſcat, qui ſupernaturalium virtutum naturam exigit pro ſui conſervatione. Sic infirmitatis moleſtiâ, ſpiritûs vigor enervatus,
C puſillanimitatique, à qua impugnabatur, cedens, v Julii ſtatuit admodùm reverendum Patrem Generalem de vitæ ſuæ ſtatu reddere certiorem; ut, ubi eum magno oneri, non ſubſidio Societati futurum cognoviſſet, poſſet, pro meliori judicio ſuo, uti privilegio, eumque nondum ſolenni profeſſione devinctum à Religioſis votis liberare.

ſed miro modo avocatus ab eo propoſito,

300 Sed Dominus ille, qui cum eſſet veritas & vita, ſimul fieri voluit paſtor & via, ut noſtram vivificaret mortalitatem, oviumque errantium ſemitas in ſalutis viam dirigeret, ſuaviſſimâ illi adfuit miſericordiæ ſuæ efficaciâ. Etenim dum ille calamum ſcripturus arriperet, ejus ſiniſtra manus, cujus ſolius uſu fruebatur, tali correpta eſt torpore, ut opus ſæpè reiteratum, nihilominus toto illius Dominicæ matutino tempore (v Julii erat) quia fruſtra tentabat, differre cogeretur. At quia ab inordinata paſſione obtenebrati mentis oculi, Domini præſentiam, qui eum illuminaturus advenerat, primo cæleſtis ſuæ lucis radio non intuebantur, eodem rurſus die in ſplendorum claritate magnus luminum Pater adfuit, eodem penè tempore, quo juxta devo-

tiſſimum civitatis illius morem, à multis abhinc annis de vita S. Ignatii eo veſpere in templo ad populum dicturus, ejus Vitam, à P. Daniele Bartoli deſcriptam, lecturus arriperet. EX VARIIS.

ex lectione Vitæ S. Ignatii

301 Nam dum ille caſu, ſiniſtra manu librum aperit, divinæ omnipotentiæ dextera, quæ in fortuitis hominum operibus manifeſtiùs æternorum conſiliorum abyſſum pandit, ante ejus oculos folio 440 legendam ſtitit caritatem & patientiam S. Ignatii in ſufferendo & in ſtabiliendis, in vocatione ſancta tentatis, dexteritatem; & in Parentis virtute, velut in luciditſimo ſpeculo, ſuum agnoſcens defectum, qui per vitæ imitationem filius ejus eſſe debebat, repentè ſui pudore plenus, aperuit oculos, oppletuſque lacrymis & multis affectibus compunctionis, centies implorans tepiditatis veniam, in Religioſæ diſciplinæ obſervantia exhibitæ, & præcipuè exiguæ mortificationis, inordinatæ vitæ, ſalutiſque temporalis amore, infirmitatis ſuæ tempore ſuſceptæ, ante ſancti Patris altare ſe ſtitit, firmiter ſtatuens, majori poſthac patientia quamvis afflictionem, à qua ipſe, ſive illius mali ratione, ſive quacumque alia de cauſa foret exercendus etiam uſque ad mortem, in mortificationibus, injuriis, & infamia ſine querela ulla, aut edito doloris verbo ſuſtinere. E

proponit meliora,

302 Et elapſo calidiſſimas inter lacrymas horæ ſpatio, comitantibus ardentiſſimis propoſitis, ut efficaciſſimo remedio, ad eliquandam ſpiritûs noſtri glaciem, inflammandamque cæleſtis medici clementiam, ad miſeriam noſtram ſublevandam, omnis triſtitiæ nebula ex corde fugata eſt; affligentium cogitationum quievit impetus; &, ut poſt planctum ac ſuſceptam propter Deum mœſtitiam evenire ſolet, interna Domini viſitatione facta eſt tranquillitas magna, ſimulque ab humore falſo in pectus decidente liberatur, à quo magno ſui dolore (quod crudelis infirmitatis à VII Maii reſiduum erat) quotidiana ſanguinis per os egeſtione, in hanc uſque horam duriter vexabatur.

eaque egregiè exſequitur

303 Sed quia amplæ cordis oblationes, & ferventia deſideria, quæ tentationum prælia non ſuſtinent, parùm grata Deo ſunt, divina ejus providentia fuit, patrem Antonium Caſaletti, qui pro vicino S. Ignatii feſto panegyrim adornabat, in morbum incidiſſe. Hinc pater Hieronymus, ad eum in ſe laborem ſuſcipiendum rogatus, etſi ob dextrum brachium, quod adhuc immobile F gerebat, ſe primò aliquantùm difficilem præberet, recentibus tamen etiamnum æſtuans propoſitis, petitis annuit; dumque imparibus labori viribus in explicanda Sancti gloria deſudat, natura præterito ſaucia, præſentique impugnata morbo, novo mali pondere oppreſſa ſuccubuit, & IV Auguſti, ruptâ pectoris venâ, potentiſſimis fruſtra adhibitis medicinis, tantam ſanguinis copiam effudit, ut die tertia, languentibus extremùm viribus, & tumido ob putridi ejectionem ſanguinis ſtomacho, graveolentiâ vel ipſi infirmo intolerabili, de ejus ſalute fuerit conclamatum. Solus ciborum intuitus extremam creabat illi nauſeam, tantumque in pectore dolorem ſentiebat, ut nec innixam pectori manum valeret ſuſtinere.

in magna quadam infirmitate:

304 Sequenti die, quæ fuit Sabbati & VIII Auguſti, quæ, ruptâ venâ ſeſe magis dilatante, ei ad undecim horarum ſpatio egerendum ex ore ſanguinem illuxerat, ut meliùs ad mortem, quam præſentem præſentiebat, ſe diſponeret, voluit cum patre Rectore generalem de tota vita confeſſionem inire, quam etiam mutuo pietatis

EX VARIIS. sensu perfecit, eumque, à quo teneræ compassionis affectu ad se sancto Ignatio commendandum animabatur, ad secum gaudendum invitavit infirmus, ob singulare, quod adipiscebatur beneficium in sancta Societate moriendi, ob maximum scilicet, quod à Sancto speraret in vita, dicens; se ob plura alia beneficia, & favores toties divinæ misericordiæ obligatum, quot guttas sanguinis effudisset; jam verò agnoscere se, suorum omnium impletam summam desideriorum, quæ erat in Societate moriendi. Inde conceptâ in Sanctum fiduciâ, cujus ante oculos habebat imaginem, votum emisit, quod, si fortè divinæ benignitati vitæ ejus grata esset prolongatio, potiùs eligere vellet contractus, inutilis, plenusque opprobriis & infamiâ, cum religiosâ patientia in Societate permanere, quam foris in majoribus honoribus; constantiore sanitate, aut quocumque lætioris vitæ genere supereresse.

cujus vi ad extrema deducitur;

305 Paulò pòst P. Rectore inde digresso, quadrantis horæ spatio quievit, & confestim (ut medicus eodem manè aliis patribus futurum prædixerat) nova mortali paralysi opprimitur, quæ in sinistrum latus decidens, indeque in dextrum decurrens, à planta pedis ad usque verticem eum paralyticum effecit. Jam circa mediam duodecimam matutinam dies ascenderat, quando in tali statu repertus est in forma votorum Religiosorum Societatis recitanda balbutire; tuncque pallidus, & clausis oculis, sine pulsu sensibili, instar cadaveris, tam tenaciter os & dentes clauserat, ut patri cuidam, instrumento quodam argenteo extrema tentanti, ut sanctissimum ei Viaticum largiretur, impossibile fuerit vel dentes divaricare, vel dextræ manûs digitos, quos ultima vis morbi occluserat, explicare. Et quia elata sæpius voce evocatus signum vitæ non edebat, quasi pro mortuo habebatur.

B

sed instantanea valetudine donatur, Sancto patrocinante:

306 Dumque de extrema Unctione ei celeriter elargienda à patribus agebatur, observatus ab omnibus fuit infirmus, quod dextrum brachium (tribus abhinc mensibus motu omni destitutum) elevaret, & quasi aliquid stringeret, quod ori appositum tenerè sæpius oscularetur, elevatoque pariter sinistro brachio, statim erectus in lecto resedit, magnisque & distinctis vocibus exclamavit: Sanctus Ignatius: Sanctus Ignatius: Sanctus Ignatius me sanavit! O manifestam cælestis dexteræ potentiam! Videntibus & mirantibus omnibus, è vultu pallor disparuit, è pectore evanuit tumor, revixerunt oculi, corroborati redière pulsus, & sensus, membraque omnia, nullo vel in minima corporis parte relicto infirmitatis vestigio, ab omni penitus malo liberantur; vestem Religiosam, qui quasi mortuus putabatur, expetiit, & post multa illi impressa amoris oscula, eâ se induit, velociterque in templum properavit, per quadrantis spatium ante altare S. Ignatii, facie in terram prostratus, & altero quadrantis horæ spatio in gratiarum actione, comitantibus omnibus patribus, ad novum spectaculum attonitis, innixus genibus perstitit.

C

cujus apparitio

307 Deinde in cubiculum reversus est, ubi patribus considentibus, cupientibusque mira illa, quæ acciderant, intelligere, ipse, petitâ priùs licentiâ, in eorum medio genuflectens, cœpit recensere, quemadmodum peractâ Confessione generali, & patre Rectore è cubiculo digresso, molesto quodam somno oppressus, & novâ simul in omnibus membris apoplexiâ tactus fuerit, à qua dum omnium corporis sensuum usu privatur, ecce lux nova desuper mentis affulsit; siquidem è regione sui, ex parte pedum, supra lectum videre sibi visus est sanctum Ignatium, qui ex vultu, velut ex fonte luminis, cælestium splendorum radios emittebat; aspectus illius erat antiquis illis Sancti imaginibus similis, quæ etiamnum regali in folio impressæ circumferuntur, detecto capite, ornatu sacerdotali, juxta imaguncúlam in membrana, quam pro consolatione sua gerebat in lecto moribundus, rubrâ casulâ, aureoque ornatu; piè supra pectus inclinârat dexteram, in sinistro palmi unius virgulam gestabat, simulque vasculum, in quo parvus calamus plumatus in quodam liquore mergebatur: qui cum pretiosissimo vasi minimè esset dissimilis, neutrumque gemmæ aut terrenæ medicinæ æquiparari posset, clarum fiebat, vas & liquorem esse cæleste. D

& sermo;

308 Primò expavit intuitu moribundus, toto corpore tremens, cùm S. Patrem gravi, severoque vultu adstantem vidit, & timore plenus allocutus Sanctum: Filium me, inquit, tuum esse memineris; & si tu me rejicis, in hoc extremo transitu quò me vertam? At reposuit Sanctus: Pro filio non agnoscebam, qui me ut Patrem non honorabat: qui incomparabili vocationis suæ dono non bene correspondisset, dum propter exiguam infirmitatis tempore patientiam, vocationem amittendi sese posuit in discrimen. Verissimum id esse respondit cum lacrymis infirmus; sed contritum jam esse, & pœnituisse, emisso præterea ante horam eo voto, quod ipse S. Pater non ignorabat. Subrisit Sanctus, serenoque vultu, Bono, inquit, animo esto; omnemque per hoc, ab ejus animo concepti doloris nebulam dissipavit, interrogans, num Religiosorum votorum formulæ recordaretur, cum prompto animo ea renovandi? Quod dum ille lætus affirmat, jussit illum ea renovare; omnique sublatâ morâ, orsus est Sanctus formulam: Omnipotens sempiterne Deus: quam integram de verbo ad verbum suggerebat infirmo, cordique imprimebat; quâ finitâ, Jam, inquit, te in filium suscipio: scito vitæ tuæ terminum imminere; hodie horâ tertiâ è vivis erit abeundum. E

cum infirmo habitus,

309 Et quî fiet, replicuit infirmus, ut me, sancte Pater, filium tuum sine Sacramentis decedere sinas? Non sine Sacramentis, respondit Sanctus, siquidem patri Rectori generaliter confessus es, & hoc ad salutem tuam satis erat, quamvis cum sacro Viatico & extrema Unctione majorem gratiam obtinuisses, & magna illius pœnæ pars, quæ in Purgatorio luenda manet, deleta fuisset. Deinde lætiore vultu assumpto, amœnissimaque ad omne cor beandum gravitate, Ne, inquit, paveas, etenim si hujus adhuc te vitæ tenet desiderium, ea tibi prolongabitur, dummodo in Societate ut filius eam impendas, juxta talenta ad gloriam Dei, proximorumque utilitatem laborando, bonorum propositorum tuorum, votique mihi adeo cari semper memor. Si verò hodie mortem præ vita hac elegeris, de æterna salute certus eris. F

atque ipsius infirmi responsum narratur:

310 Magna equidem oblatio, quæ sicut rarò è cælo facta est, sic rara eam solennitas comitatur, in qua non sine gravi contrariarum rationum pondere mens poterat confundi in tanta cælestium gratiarum abysso, in qua propositarum conditionum meritò fluctuabat electio. Sed infirmus jam corroboratus spiritu, promptè se filium obedientiæ esse respondit, æquali promptitudine in quamcumque harum duarum divinum inclinaret beneplacitum, nullam de se velle suscipere deliberationem, sed vitam æquè ac mortem divinæ dispo-

A dispositioni se liberè remittere, ut majori divinæ majestatis gloriæ & conveniret & placeret; motu cordis potiùs, quam linguæ ostendens, ad quam sublimis virtutis gradum velociter valeat pervenire, qui tepidi spiritûs vilitatem deserens, heroicâ se totum Deo redonat liberalitate.

ritus & modus, quo eum sanavit S. Ignatius;

311 Bene est, inquit Sanctus, adhuc modicùm vivendum est, quia talis est divina voluntas; pristina tibi sanitas restituitur, ut eam in Societatis ministeriis, ut meus verus filius, expendas. Et acceptâ ad dexteram virgulâ, ter caput leviter percussit, ter unam manum, terque alteram, similiter & pedes; iis ictibus afflictionem, agoniamque, quâ tenebatur, allevians. Repositâ in sinistram virgulâ, è vasculo eduxit calamum, cujus plumulâ, cælesti illo liquore tinctâ, in quinque percussis partibus salutiferæ crucis signum efformavit, in singulis divina Prophetæ verba repetens: Ego percutiam, & ego sanabo. Peracta unctione, eum de perfecta sanitate certificavit, mandans, ut in gratiarum actionem tria Sacra offerret, primum sanctissimæ Trinitati; secundum

B beatissimæ Virgini; tertium ad honorem suum: significans per hoc, quæ gratiarum actio pro cælestibus favoribus sit magis accepta, quos vel ipsi Cælites à divina misericordia nobis impetrare nequeunt absque potentissimo, promptissimoque auxilio benignissimæ ejus Genitricis.

addens duas, præter sanitatem, gratias

312 Tres præterea virtutum actus infirmo patefecit, ab ipso ægritudinis tempore exercitos, tamque divinæ liberalitati acceptos, ut singulares tribus gratiis eos voluerit remunerari, quarum minimam recuperatam sanitatem fuisse, semper affirmavit, nec immeritò; siquidem, ut post ejus mortem palam factum est, concessarum sibi gratiarum hæc erat secunda, eum ab inhonestis tentationibus liberatum iri, donec ultimus vitæ terminus appropinquaret. Quæ gratia præter liberationem à molestissimo eo tormento ei quoque signum attulit, quod de vicina ejus morte promissum erat, quod postea ab ipso immundo spiritu allatum fuit; nam confestim, habitâ licentiâ, eum rursus extremis vitæ suæ diebus aggressus est rebellis angelus, factus hac vice in sui confusionem cæli nuntius, iis ipse laqueis, quos patri tetenderat, involutus. Tertia gratia, lætiora, felicioraque fuerunt nova, quam quæ mortali homini umquam contingere possint, quibus de æterna sua prædestinatione certus reddebatur.

C

planè singulares.

313 Et hi erant duo illi favores, qui dum P. Hieronymus viveret, non poterant, nec debebant publicari. Interea advertit æger, S. Patrem ad cælum disponere reditum: quapropter apud eum pro paterna benedictione institit; cujus causâ lætissimo vultu Sanctus osculandam ei dexteram porrexit, ad quam æger cùm ore pertingere nequiret, anxius rogabat Sanctum, ut propiùs ad lectum accedere dignaretur; cumque Sanctus erigere dexteram jussisset, subitò ad illius vocis imperium, è toto corpore fugata paralysi, elevavit brachium, suaque manu dexteram Sancti strinxit, humiliterque eam deosculans, pretiosis illis verbis à Sancto benedictus fuit: Dominus te benedicat, & ab omni malo defendat, & perducat in vitam æternam.

Sanationis perfectio, publico plausu excepta,

314 Visione finitâ, & sancto Patriarchâ cælum repetente, statim felicis illius benedictionis effectus experiri cœpit, non solùm ab omni malo, seu morbo, sed à debilitate quoque, quæ post graviorem maximè infirmitatem remanere solet, integrè liberatus, eodem momento robustas vires expertus & usus, ut sanus deambulando, orando de genibus, & longo tempore perseverando, eodem die (erat enim vigilia S. Laurentii) jejunando, & in gratiarum actionem Sancto liberatori se publicè in refectorio flagellando, diem totum transigendo cum proceribus, magnaque parte populi, qui ad diffusam miraculi famam, privatâ priùs multorum relatione, postea horâ tertiâ, quando pro funere signum dandum erat, bombardarum, tubarumque clangore, gratulabundi accurrerant, comitante festivo campanarum omnium civitatis sonitu, qui civium corda replevit lætitiâ, eos ad Deum laudandum inflammans, qui mediante S. P. Ignatio, suæ devotissimæ patriæ sic favebat: quæ etiam in multis aliis personis, ab eodem Sancto cælestibus favoribus ornata fuit hujus celebris occasione miraculi, quos hîc referre non vacat; tum quia in authentico processu, ex quo jam narratum miraculum extractum est, non reperiuntur; tum ne attendentes ad distinctiones, ad meritum, particularitates, & numerum illorum, diutius hujus publicationem moremur.

docet nos esse gratos ac ferventes.

315 Interea ex præsentis narratione amplissimum desumimus argumentum, quam Cælitibus clientum suorum salus inhæreat animo; quantum beatissimæ Virgini, ob gratias à divina misericordia nobis impetratas, obligemur; & quantùm cavere quisque debeat, non solùm, ne Deum majoribus peccatis offendat, sed ne levibus etiam culpis calor spiritus intepescat; siquidem eum, ob infiniti amoris sui magnitudinem, fervidum, & ab omni macula purum ex corde nostro exigit; quem Jesu Christi sanguine indies magis & magis augere dignetur, ut omni eo fervore, quem mortalis hujus vitæ miseria sustinet, inflammetur, majorique ejus gloriæ consecratus, perpetuum ardeat holocaustum in beata æternitate.

E

RELIQUA AD SICILIAM SPECTANTIA MIRACULA.

Regalbuti miseris beneficus S. Ignatius,

Quæ Regalbuti in Sicilia patravit Thaumaturgus noster, dignissima sunt, ut eorum memoriam excipiant omnes anni consequentes. Rerum historiam continet libellus Italicus, anno 1668 *Panormi typis editus, cujus titulus Latinè sic sonat:* Compendium eorum omnium, quæ divina majestas dignata est operari in quadam imagine Patriarchæ S. Ignatii Loyolæ, Fundatoris Societatis Jesu, in civitate Regalbutensi; cum editione multorum miraculorum, ibidem ab eodem patratorum, quæ deprompta sunt ex tabulis super hac re juridicè formatis jussu illustrissimi ac reverendissimi domini F. Michaëlis Angeli Buonadies, episcopi Catanensis *&c. De imagine ipsa dicam infrà: hîc verò favores ac miracula concisè memoro.*

F

reddendo

317 *Anno* 1665, *die* 2 *Junii Antonia Marraro usu pedum ac manuum privata, scipione nixa unum vix passum promovere poterat. Ditâ verò per civitatem famâ illius prodigii, quod in imagine* S. Ignatii *contigerat, eò adrepsit summo cum labore: alienis brachiis in locum, ubi illa erat, introducitur: Sanctum invocat: sine difficultate imaginem tangit: eodem temporis puncto prorsus sanatur, omni dolore liberatur, expeditè progredi incipit, & summa cum agilitate mo-*

§ X VARIIS. *movet brachia, nulloque indiga ſuſtentaculo vel juvamine, domum redit. Prodigium huic ſimile contigit in Maria Sanctoro, à biennio omnium membrorum uſu privata; quæ poſtridie ſanationis jam dictæ, ad imaginis locum ſe contulit, pedumque ac manuum uſum recepit, ab omni malo ſoſpitata.*

uſum membrorum, 318 *Ejuſdem generis eſt prodigium ſequens. Joannæ Zapullæ viduæ confractus ex lapſu erat humerus dexter, & ita offenſus, ut domeſticis officiis fungi non poſſet, vel brachium attollere eò uſque, ut ſignum crucis formaret. Duravit malum à Paſcha anni 1665 uſque ad Junium anni 1666; quando ad imaginem perfugium habuit: & quoniam ad imaginem ipſam, ob contractionem nervorum brachii offenſa manu, uti deſiderabat, pertingere non valebat, parietem certè, cui illa erat affixa, tetigit; & in ictu oculi priſtinam valetudinem recuperavit.*

& oculorum, 319 *Tribus hiſce adde Vitam Mariam Felicem, devexæ ætatis feminam, à cæcitate ſanatam. Sciens illa, omni ſe humano remedio deſtitui, ſpem de* S. Ignatio *concipit: ad eum accurrit:* B *ante imaginem ſe proſternit: ejus opem implorat, ut ſacram ſaltem Hoſtiam, quando elevatur in Sacrificio Miſſæ, intueri poſſit. At voti compos eſt facta cum fœnore: nam pleno ac perfecto viſu donata diſceſſit.*

ac greſſum. 320 *Paucis pòſt diebus Sancti benignitas ad annorum octo ſupra viginti juvenem, nomine Bartholomæum Marrettam, ſe extendit. Is ex quodam lapſu adeo malè affectus fuerat, ut ſpatio annorum ſex, ſcipione, qui eum juvabat, ut pedibus inſiſteret, adjutus, vix ullum conficeret paſſum; ceterùm ad omnem aliam operationem inhabilis. His accedebat malis filius papulis infectus adeo, ut non ſine ratione timeri poſſet ejus vitæ. Uxor ipſius, de infirmitate filii ſolicita, confugit ad* S. Ignatium, *& modico goſſypio, lampadis oleo, quæ ardebat, intincto, domum redux parvulum ungit. Quo facto, pia mulier interiùs impelli ſe ſentit, ut remedium idem Bartholomæo applicet. Accedit itaque ad lectum decumbentis mariti; excitat eum ad fiduciam, medicinam illam offert, oblatam is lubens admittit; offenſas partes oleo ipſa ungit: deinde ad nocturnam quietem concedit. Manè ſub auroram evigilat Bartholomæus, & perfectè ſe ſanatum ac valentem videt.*

C *Incredula punitur.* 321 *His ſubditur ibidem exemplum incredulæ mulieris: nam eodem die, quo Sancti imago ſanguine ſtillavit, prima, miraculi audito rumore, è vicinis accurrit ad locum illum Nicolina Zuppetto; ſed quamvis ſanguinem vidit, miraculoſum tamen eſſe non credidit: auſa etiam conſanguineam ſuam, in cujus domo res illa contigerat, arguere nimiæ credulitatis. Sed poſtridie obſtinatæ in non credendo voluntatis pœnas dedit, tremendo quodam facto ſingulari attonita; quod ibi pluribus exponitur; ac deinde credidit.*

Alii Regalbutenſibus collati ab Ignatio favores. 322 Ignatius *verò lapſu temporis ſuos Regalbutenſes novis proſequi favoribus non ceſſavit, ſive per prodigioſam hanc, de qua dicebam, imaginem, ſive per alias duas; ſive aliquando etiam per oleum lampadis, ac ſolam ſui nominis invocationem. Facta quædam è pluribus, in citato ſuprà compendio à pag.* 34 *producuntur, authentica videlicet ſola, prout ibidem habemus, ac legitimis depoſitionibus juridicè probata. Ne verò ea nimis longè nos ducant, ſatis fuerit, illa deſignaſſe. Occurrunt itaque ibidem* 1°. *Febricitans puella priſtinæ valetudini reddita.* 2°. *Pag.* 37 *infans moribundus unico inſtanti ſanatus.* 3°. *pag.* 39, *dolor capitis ſubitò curatus.* 4°. *pag.* 42, *partus felix, & ſine dolore.* 5°. *pag.* 44, *ubera à putredine præſervata, ac lacte repleta.* 6°. *pag.* 46, *alterius mulieris mammillæ apoſtemate infectæ, & in ictu oculi redintegratæ.* 7°. *pag.* 47, *febri quartanæ prodigiosè finis impoſitus.* 8°. *pag.* 49, *malum frigoris, quo infirma cruciabatur, in ipſo acceſſu diſſipatum.* 9°. *pag.* 50, *apoſtema infantis depulſum.* 10. *pag.* 51, *parvula à papulis ſanata.* 11°. *pag.* 53, *eadem deinde moribunda, valetudini reſtituta.* 12°. *pag.* 55, *partus felix maſculi.* 13°. *pag.* 56, *idem à paralyſi ſoſpitatus.* 14°. *pag.* 59, *vas prodigiosè vino repletum: quibus ibidem à pag.* 62 *ſubditur publicum & authenticum documentum, die* XVIII *Aprilis anno* 1667 *ſignatum, in quo de imagine prodigioſa, ac miraculis fit mentio, & Sanctus in patronum civitatis Regalbutenſis aſſumitur publica auctoritate. Illud exhibebo inferiùs cap.* 4, § 1. *Veniamus ad alia Siciliæ loca.* D

Mulier Trepani poſt variis infelices partus, 323 *Habemus ſcriptum hoc titulo:* Relatio duorum miraculorum, quæ Trepani in Sicilia, interceſſione S. Ignatii patrata ſunt anno MDCLXX; ac deinde examinata, & authenticè approbata ſunt ab epiſcopo Mazarienſi (vulgo di Mazara;) in cujus diœceſi eſt Trepanum. *Hanc Italicè impreſſam Panormi anno* 1673, *Româ ad ſe miſſam, ac Latinè à ſe redditam P. Jacobus Schellebroot S. I. Antverpiam Gandavo direxit ad P. Danielem Papebrochium. Rei geſtæ ſummam inde excerpo*: Philippa Barnaba Trepani uxor Joſephi Guarnotta, poſt varios liberos infelici partu editos; quippe vel oculorum orbitate, vel uſus linguæ, vel alio defectu miſeros; XX Julii MDCLXX, nono partui proxima, extremis doloribus angi cœpit: qui majoribus ſemper aucti incrementis, abſque ſpe vitæ ulterioris, XXIV ejuſdem menſis, ipſam ad mortis articulum redegerunt. In vanum laborabat medicorum induſtria; dum proles ventre latens, nulla matri vitæ ſigna; obſtetrici verò non obſcura daret indicia, quod jam exſtincta, putredine diffluere inciperet. Unde humanorum mediorum depoſita ſpe; inque unicam animæ ſalvandæ curam versâ, extremis Eccleſiæ Sacramentis, ad iter æternitatis munita fuit. E

nono proxima, ac moribunda, patrocinante Sancto, fœtu liberatur; 324 Jamjam extremum ſpiritum reddituram ſanguine propiores circumflectebant; cum ex iis mulier quædam, hanc ſibi mentem, fortè cælitus miſſam, ſentire viſa eſt, S. Ignatii implorandam opem eſſe. Quare poſt fuſas tacitè, quanto potuit ardore, ad ipſum preces, ſpe plena ſe in pedes erexit, confidenter ad moribundam acceſſit; ac ſacrum numiſma, quod Sancti effigiem gerebat, mulieris decumbentis ventri admovit. Cùm, ecce, illa ipſo temporis momento, quo tangebatur, ſibi reddita, ſimul eo corporis ac animi vigore reſtituta eſt, ut infelicem fœtum partu fortunato fuderit, ac ſeſe mortis periculo exemerit. F

ſed mortuo ac corrupto: iterato tamen ejus patrocinio 325 Jamque ſibi videri abunde beati potuiſſent, niſi proles mortua ac jam penè ſemiconfecta tabe, adhuc madentes ex priori angore oculos ad ſe abſtraxiſſet. Hanc obſtetrix contrectare cœpit, accuratéque obſervare ſingula, num quis halitus, num quod intimis præcordiis latentis vitæ indicium deprehenderetur. At illius & aliorum, qui octo numero circumſtabant, & ſtudiosè omnia inſpiciebant, commune judicium fuit, non niſi cadaver nati infantis ſupereſſe; ac ne in dubium quidem admitti poſſe, ut ſacra luſtrali aqua tingeretur. Quæ cura dum per ſeſqui-

ho-

horam mulieres quasdam tenuisset, ut, applicitis variis quà fomentis, quà excitamentis, de vita periculum facerent; tunc, quæ ab ipsa desperatione vigorem sumit, fiducia in divinam opem, eamdem ac priùs mulierem erexit; atque ut erat à nova spe, vultu animoque inflammata, ad alios, qui aderant, Provolvamur, inquit, in genua, ac iteratò S. Ignatium invocemus. Dein libera voce, prolatis ad modum precantis, verbis, quæ pietas accensa & mentis ardor suggerebat, surrexit, & idem, quod antè, sacrum numisma applicuit exanimo infantis cadaveri.

subitò revivisit,

326 Res mira! continuò illud movere se; moxque etiam blandos & renidentes aperire ocellos. Miraculum, miraculum conclamant omnes; simulque ingenti stupore perculsi, & piæ mentis teneritudine delibuti, prorupêre in lacrymas præ lætitia. Suo deinde tempore de sacro fonte levatum, ei, qui in lucem edito vitam cælitus obtinuerat, Sancto sacrum esse voluerunt parentes, Ignatii nomine imposito.

publicè baptizatur, ac sesqui pòst anno vitâ defungitur.

B 327 Biduo pòst solemniter deportatus fuit in templum patrum Societatis Jesu: quò omnis ordinis, sexûs & ætatis concursu facto, innumera hominum multitudo confluxit, videndi studio prodigiosum infantem. In quo utrum præ altero potiùs obstupescerent, hærebant attoniti omnes; an vitam miraculosè acceptam, an vividam spirantemque aliquid supra reliquam domûs sobolem, formam vultûs, veluti è cælo donatam. Unum fuit, quod videri possit, non satis dignam fuisse terram hanc, qui istiusmodi flosculo diu gloriaretur. Sesquianno pòst parvulus Ignatius innocuam exhalavit animam.

Proli cuidam vita, ac deinde loquela datur;

328 *Anno* 1680, *mense Julio, simile jam relato miraculo contigit: nam Rosalia, uxor Dominici Baroni, in civitate Bizinensi, per triduum continuum gravissimis partûs doloribus discruciata tam cum periculo vitæ propriæ, quam prolis, implorato* S. Ignatii *patrocinio, mox cruciatibus liberatur, sine dolore parit, & bellè habet; sed quia fœtus erat deforme monstrum, frigidum, nigrum, ac nullum præterea præferens vitæ signum, recurritur denuo ad* S. Ignatium *: annuit is votis, & mox partus ille infelix sensum, motum, ac vitam accipit, infantuli formam induit, baptismo abluitur; impositio ei nomine* Ignatii. *At verò parvulus ille, dum esset ætatis anni unius cum dimidio, nullumque hactenus, ne balbutiendo quidem, verbum prolocutus, rogabatur Sanctus, ut ederet novum miraculum: ac paucis pòst diebus, avia ac matre præsentibus, stabat infans ante imaginem* S. Ignatii, *solvit linguam, ac claris notis primas pronuntiavit voces,* S. Ignatius; *ac deinceps semper perrexit expeditè loqui. Ex processibus juridicis, sententia illustrissimi Syracusani D. Francisci Fortezza, ac Relationibus excusis, quæ apud Carnolium indicantur: è quo ista contraxi cap.* 38.

C

uti & puellæ ex alto lapsæ sanitas.

329 *Relatu etiam dignissimum est illud, quod refert idem auctor cap.* 46 *in fine: cujus en tibi compendium. Anno* 1683 *Francisca, mensium novemdecim parvula, Josephi Calogeri filia, Messanæ ex edito quindecim palmorum loco delapsa, adeo miserè erat affecta, ut pro ea, tamquam mortua planctus fieret: donec soror Catharina Galibaldi, Tertiaria S. Francisci, quæ paulo antè interfuerat concioni de* S. Ignatio, *dixit domesticis illis, bono essent animo: etiamsi parvula mortua esset,* S. Ignatium *eam resuscitaturum, si illum cum fide invocarint. Factum id fuit: ad pristinum illa rediit statum; & cœpit ludere, & comedere.*

Postea observatum fuit, quod os cubiti dexteri motum esset suo loco; sed, invocato S. Ignatio, *solo digito tactum os in naturalem rediit locum, nullo signo doloris aut motu ab infante edito, nullo postea incommodo subsecuto. Pro rei veritate citantur processus & sententia archiepiscopi Messanensis D. Josephi Cigala.* EX VARIIS.

Quidam ex lapsu laborans curatur.

330 *Predictus auctor cap. citato sub finem aliud memorat prodigium; cujus hæc est summa: Anno* 1680, *mense Novembri Dominicus Gurreri ad prædium, extra civitatem Bizinensem situm, se contulit unà cum duobus filiis Melchiore ac Blasio. Illi inter se dum nugantur, Blasius ex lapsu os coxendicis dexteræ in plura frusta disfregit. Dum verò alia non prodessent remedia; votum Sancto edidere parentes: lasus ex eorum voluntate eum aliquoties invocavit: in somnum incidit; nec multo pòst tempore convaluit, dicens, se à Sancto sibi apparente sanatum. Hæc in fide processûs & sententiæ illustrissimi Syracusani D. Francisci Fortezza, quæ ibidem citantur. Alia quædam mirabilia apud Bizinenses edita notantur in exemplari Ms., quod habeo; quibus referendis supersedeo.*

Miracula Piatiæ facta.

E 331 *Supereſt nobis inspicienda Piatia, Siciliæ oppidum, in valle, uti lego, Netina situm, vulgò Piazza; de qua Carnolius cap.* 47 *sub finem scribit. Ex eo itaque habemus, confectum fuisse in forma authentica instrumentum plurimorum miraculorum, ibidem, Sancto bene favente, factorum, examinatorum, ac juridicè approbatorum: è quorum multitudine nonnulla is ibidem colligit; quæ mihi suffecerit, obiter quasi digito designasse. Anno itaque* 1682, *mense Julio nobilis dominus Michaël Trigona à maligna febri ad extrema deductus, sanatur; uti & ejus parvulus Onuphrius à mortali fluxu ac febri. Eodem anno ac tempore Francisca Venetia curatur ab acerbo & violento morsu canis. Reliqua apud Carnolium videri possunt.*

CLASSIS III. EX HISPANIA: AC PRIMO EX ARAGONIA.

Imagine Sancti è sacrario Munebregæ in ædem sacram delata.

P*Ræter plurima, Sancto nostro patrocinante, edita apud Hispanos miracula, egregiè inclaruit ibidem Gloria ejus posthuma ex miraculis Munebregensibus; Matriti Hispanicè excusis, ac deinde Latinè recusis Lovanii anno* 1623, *hoc titulo:* Narratio miraculorum anno MDCXXIII, Aprili & Maio, Munebregæ Bilbilensium ad imaginem S. P. Ignatii de Loyola, Societatis Jesu Fundatoris, à Deo Optimo Maximo patratorum. *Textum accipe:* Munebrega, duobus circiter passuum millibus à Calatayudo, Calatayudensium municipium est. Ibi labores suos, per Quadragesimam conciones habendo, impenderat sacerdos Societatis Jesu pater Valerius Piquer. In meta laborum, altero à dominicæ Resurrectionis die Paschali, qui anno isto millesimo sexcentesimo tertio supra vigesimum, in decimum & septimum Aprilis incidebat, etiam atque etiam obsecravit, ut imago S. Ignatii, quæ in sacrario visebatur, ad apertam lucem publicè in ædem sacram inferretur, ubi & sacerdotes ad Sancti honorem Sacra dicere, populus audire, omnes & piè Sanctum visendo colere, & preces offerre possent.

F Sanctæ obsecrationi Vicarius cum Clero suo prompta atque propensa voluntate annuit. Quod bene verteret sibi suisque & parochiæ suæ, de-

EX VARIIS. cantatis veſpertinis precibus, maximâ populi frequentiâ, inſigni pompa, imaginem ſancti Patris Ignatii de Loyola in altari ſancti Blaſii collocavit, ac veluti conſecravit. Mox ſalutata eſt imago ſonoro cantu per antiphonam & collectam de Sancto Ignatio, deinde ad horæ ſpatium concionem de illius laudibus, multorum miraculorum ac beneficiorum, quæ divina bonitas ad invocationem ſancti Patris Ignatii præſtitit, narratione illuſtri pater Valerius exornavit.

mulier claudа.

333 Inter hæc præſens erat Maria Gaſcon, ætatis annum agens quinquageſimum, Munebregæ nata, & marito juncta Hieronymo Ladron de Guevara; quæ altero pede ita fœdè claudicabat, ut vel paſſum unum progredi ſine alienis auxiliis non poſſet. Igitur ſancto Ignatio ſe commendans ſpopondit, ſi ſanitatem reſtauraret, elata voce publicaturam ſeſe miraculum. Ecce tibi è veſtigio ſanam ſe, corroboratamque tibiam ſenſit & magnis clamoribus exiliens ſubitò exclamavit: Miraculum, miraculum! & mox ſola ſine adminiculo accurrit ad ſacellum ſancti Ignatii, gratias relatura Deo & ſancto Ignatio, magna ſpectatorum admiratione ac plauſu; qui probè noverant, quàm atrociter affectam tibiam eò mulier attuliſſet. B

malè affecto brachio infirma; alia oculis:

334 Spectaculo huic Mariæ Gaſconiæ Maria Pariente, uxor Alfonſi Bueſſo, intererat, mancum geſtans aridumque brachium ſiniſtrum, cui curando cum remedia quæſiviſſet quamplurima, tantum abeſt, ut auxilium invenerit, magno damno, qui mederi debuiſſent; os brachii comminuerunt; unde & à medicis & à chirurgis, cum conclamatum eſſe judicarent, ademptâ ſalutis ſpe, depoſita eſt. Hac in deſperatione adſpiciens novum iſtud exemplum, ita Sanctum invocavit: Sancte Ignati, ſi me quoque ſanaveris, referam & ego tibi ſanitatis gratias. Vix hæc dixerat, cum ſenſit in brachio iſto ſiniſtro quamdam oſſium concuſſionem, & ſubitam ſalutem; unde elevata in altum voce: Sum & ego ſana, inquit, favore & meritis ſancti Ignatii: & agitavit brachium nullo dolore in omnem partem, non aliter ac ſi numquam antehac afflictum fuiſſet.

Intra ſemihoram Maria Santijus, uxor Paſchalis Bueno de la Muda, quæ adeo oculis caligabat, ut vultus hominum nullos ex aſpectu agnoſceret, eodem in ſacello ad eamdem imaginem ſupplicabunda ait: Sancte Ignati, aut recupera mihi oculorum aciem, aut ſanè fiat voluntas Dei. Quod ſi tamen per te oculos meos recuperavero, voveo curaturam me pro agendis gratiis, ut unum Miſſæ ſacrificium offeratur. Illico ſenſit unam oculorum vertiginem, poſt quam claro adſpectu vidit perſpicuè, & diſtinctè agnovit, quotquot aderant coràm ſpectatores, & in ſanitate, quam per Sanctum Ignatium adepta eſt, perſeverat. C

tertia item variis miſeriis torta,

335 Bernarda Benedid duos & triginta annos nata Munebregæ, & nupta Philippo Gomez, octennalibus variè torquebatur infirmitatibus, ulcus unum alebat in pulmonibus, aliud in brachio, non ſine diſtillatione catarrhorum in ſtomachum & pulmones: unde per certa temporum intervalla exulceratus ſtomachus, à carcinomate nauſeabundus ſubvertebatur non ſine vomitu puris ac ſanguinis; ex quo tanta ſtomachi debilitatio oriebatur, ut toto ſexennio nec cibum ullum nec pharmaca in ventriculo retinuerit. Quidquid ſumebat, rejectandum erat; tum ſi quando vi factâ conaretur, quod ſumpſerat, retinere, illico per nares erumpebat. Si quid verò fortè fortuna in ſtomacho reliquum reſideret, confeſtim in tantam ſanguinis copiam degenerabat, ut opus foret alternis menſibus bis terve ſanguinem minuere, ne per abundantiam ſuffocaretur. D

nec non crebris deliquiis, & palpitationibus cordis,

336 Accedebant inſuper crebra deliquia, anguſtiæ cordis & palpitationes; unde exhauſta & emaciata, vix oſſibus pelle ſola tectis hærebat, uſque adeo doloribus attrita, ut nec ſe loco movere, nec ab aliis moveri ſine gravi moleſtia poſſet. De tot verò morbis & doloribus conſulti medicinæ ac chirurgiæ periti, crebrò pronuntiaverant, nullam ab humana ope ſpem ſanitatis affulgere. Erat Bernardæ filiolus Philippus; is cum lacrymis matrem allocutus exclamavit: O utinam aliquis deportaret matrem in templum, ubi S. Ignatius tot præſtat miracula! Subjunxit maritus, auctorem ſe eſſe, ut Miſſarum novenam offerret. Reſpondit mulier: Ergone hinc me in ſepulcrum inferetis?

ſoſpitatore S. Ignatio, curantur.

337 His dictis ſupervenit pater Valerius Piquer, & bono animo eſſe jubens, Fide, ait, Deo & Sancto. Deinde reliquias ſancti Ignatii adorandas obtulit, eas mulier magno pietatis ſenſu adoravit, obſecrando ſanctum Ignatium, ut à Deo ſalutem ſibi impetraret. Confeſtim in deliquium, ſudore prorumpente, incidit: unde ad ſe reverſa, erecto animo, Bene habeo, inquit, & jam vado ad Sanctum. Jamque abituriebat; ſed per ſemihoram in lecto detenta, tandem agendum fuit, ut ſe è manibus ſpectatorum proriperet. Proripuit ſe plenis viribus valens & vegeta, & per gradus pedibus ſola deſcendit. Sed cum minimè conſultum cenſerent domeſtici, ob pluviam iter pedeſtre concedere roganti, geſtatoriâ ſellâ in templi limen illatâ, inde pedibus ſacellum adiit, gratias egit, orationes fudit, domum rediit. Domi ſanorum inſtar in cœna cibum ſumpſit, ſine ulla nauſea vomituque retinuit. Poſtero die reverſa ad eccleſiam, Confeſſione expiata, ſacra Communione refecta, in hanc uſque diem integris ſtomachi viribus, & incolumi ſanitate fruitur. E

Adde pedes & brachia impedita,

338 Paſchalis Cabrerizo Munebregenſis, duodecim jam ipſos annos à paralyſi diſſolutis pedibus progredi, niſi uno, ut minimùm, ſcipione ſubnixus, non valebat; brachio deinde adeo flaccido, ut ad omnem uſum inutile eſſet; ad hæc comitiali morbo obnoxius magnas in anguſtias cordis crebrò redigebatur. Ille, conſideratis S. Ignatii miraculis, deſiderio ſanitatis exardeſcens, ſpem piam adversùs Sanctum erexit, & cum pauper eſſet, eleemoſynam corrogavit, ſtipemque petendo regalem corraſit ad procurandum in altari Sancti Miſſæ ſacrificium, cui & ipſe interfuit, magna ſe pietate ac fiducia Sancto commendans. F

morbumque caducum;

339 Peracto Sacrificio cum ſcipioni de more innitens domum abiret, in ipſo templi limine ſe circumſpiciens, vidit ſanum ſe & jam à pedum calamitate incolumem, jam agilem. Igitur ſcipionem procul à ſe abjecit, curriculo cucurrit. Nec pedibus modò valetudinem recuperatam accepit, verùm & ſanum prorſus brachium deprehendit. In morbum verò caducum, & illas cordis anguſtias, ad hunc uſque diem relapſus eſt numquam. Quæ res toto municipio publicè ita percrebuit, ut paſſim omnes, ſepoſitis rebus ſuis, ad eccleſiam advolarent, Cabrerizum jam perſanatum attoniti adſpicerent; qui, gratiis Deo & Sancto ritè peractis, ſcipionem redditæ ſanitatis teſtem pro anathemate in ſacello appendit.

aduſtum brachium;

340 Maria Pardo, filiola Dominici Pardo, & Magdalenæ Ximeno Munebregæ, prope à biennio in ignem lapſa, brachium ſiniſtrum aduſſerat maximè circa cubitum: unde adeò ſiccati erant contractique nervi, ut omnem omnino brachio

A chio motum adimerent. Pater magiſter frater Petrus del Villar, ex Ordine ſancti Auguſtini ſacerdos, brachium unxit oleo lampadis, quæ coram S. Ignatio ardere ſolet; ex qua unctione puellula cœpit brachium nonnihil attollere; deinde cum mater iterum unxiſſet, Attolle, inquit, ô puellula brachium. Jam filiola brachium attollebat, & ſtatim percepit mater ſtrepitum ac veluti fragorem oſſium, qualis eſſe ſolet, cum vertebræ luxantur aut brachia in longum violentè protenduntur. Denique poſtquam diebus duobus tribuſve eodem oleo filiolam in brachio unxiſſet, ſanam & integram redhibuit.

pedem purulentum;

341 Maria Corriz, uxor Petri Bueno Munebregenſis, in extremum periculum adducta pedis amputandi ob purulentum ulcus, quod malis ignibus inflammatum ſerpebat, Miſſam ad altare ſancti Ignatii celebrari juſſit, oleo lampadis ejus ſe unxit, ſanam ſe ſubitò, & omni malo ac metu liberam ſenſit [ac] ſcipionem, quo nixa advenerat, ibi ad perpetuam memoriam collocavit.

*exſiccatum item, *An Viveſcana?*

342 Maria Muñoz, Michaëlis Marina uxor, Vijueſcana *, exſucca & exhauſta, & pede veluti exſiccato adeo [erat] debilitata, ut ſeſe loco movere non poſſet. Deſperatum erat à medicinæ peritis, & jam declaraverant, luem labemque remediis humanis eſſe potentiorem: nihilominus etſi deplorata, tamen deportata eſt Bellomontem ad celeberrimi nominis chirurgum. Hic morbum ut vidit, ſtatim edixit, nihil poſſe ampliùs artem manumque medicam; ſuadere ſe, ut ad ſanctum Ignatium recurreret, qui tot jam apud Munebreganos miraculis inclareſcebat; illam unam viam divinitus, cum nulla humanitus pateret ad recuperandam ſalutem, iniri poſſe ad invenienda ſanitatis præſidia. Conſilium chirurgi mulier pia ac prudens amplexa eſt, ſacellum ſancti Ignatii viſitavit: ibi cum Miſſam audiret, & ſe ferventi pietate Sancto commendaret, in eodem momento ſe adſpexit ſanatam, & ab immedicabili malo liberam: & pedibus domum regreſſa eſt.

B

ac fœdè vulneratum:

343 Vidua quædam Munebregæ paupercula dextro pede fœdè vulnerato, & utroque pede turgidè inflato, ſine ſcipionum adminiculo nuſquam progrediebatur. Hæc ſuam afflictionem, & ſimul ingentia miracula, quæ per ſanctum Ignatium Deus operabatur, attentè conſiderans, ſemet commendandi gratiâ ad ſanctum Ignatium proceſſit: ſincero cordis affectu ſeſe commendavit; & in eodem planè veſtigio tam plenam nacta eſt ſalutem, ut, relictis ibidem ſcipionibus, domum pedibus valens vigenſque repetierit, magnas Sancto gratias ob tam ſingulare beneficium referendo.

C

cæcitatem, & gangrænam,

344 Agnes Cavallero, uxor Martini de Huerta Nuevalenſis, oculis capta adeo, ut nullum ſine duce paſſum faceret; inſuper altero labiorum ulcerosâ gangrenâ atrociter exeſo, auditis ſancti Ignatii miraculis, apud animum ſuum decrevit viſere ſacellum ſancti Ignatii Munebreganum, & ab illo opem malis ſuis expoſcere. Ergo ſacellum intravit, per dies tres orationem magna fiducia & pietate produxit, unxit ſubinde labium & oculos oleo Ignatianæ lampadis: mox & labium & oculi integræ ſanitati reſtituti ſunt, & oculi ſanè nunc tam acuta acie pollent, ut filo per acum promptè tranſmittendo ſufficiant.

exulceratum pectus,

345 Antonius Franco, Caſtegionenſium incola ultra Caſtellæ Alarvam, domum redux, graves attulit febres, non ſine carcinomate in exulcerato pectore: unde non mediocriter torquebatur. Luſtratus à medico, cum exitialis infirmitas videretur, hoc reſponſi accepit: Diſpone animæ tuæ, & domui tuæ: negabatque medicus, ſe duodecim vitæ horarum ſecuritatem ex medicinæ præſagiis præſtare velle. Æger, ſpe medicorum amiſſa, cum, fama nuntiante, didiciſſet, miracula à Deo per invocationem ſancti Ignatii patrata Munebregæ; ungi pectus voluit oleo lampadis, quæ coram ſancto Ignatio in ſacello ardebat. Unctus eſt, imploravit unà cum adſtantibus magno pietatis ſenſu inclytum miraculorum gloriâ Ignatium, ſanitati redditus eſt. Jamque integris viribus, & planè incolumis, ac gratiæ hilaritatis plenus, contulit ſe ad ſacellum ſancti Ignatii Munebreganum, agendarum gratiarum gratiâ. EX VARIIS.

deliquia & ſpaſmos;

346 Franciſca Loſano, uxor Dominici Marco, incola Valtorres, ob pectus duplici callo admodùm turgido rigidoque afflictum, crebrò in deliquia ſpaſmoſque labebatur. Hanc fama percrebreſcens miraculorum ſancti Ignatii excitavit ad viſendum ſacellum, Sanctumque invocandum. Mira devotione erigebatur, tametſi à triduo extremæ Unctionis Sacramento munita jaceret. Commendavit ſe igitur ſpe firma, ſuamque valetudinem ſancto Ignatio in ſacello ſuo Munebregano. Nec ſpes irrita fuit: mox enim ſudor toto pectore erupit, & cum deinde novemdiali pietate ſacellum ipſa frequentaſſet, ſanam ſe eſſe, tubercula pectoris detumuiſſe, pallidum ſudoris colorem in rubicundum ſanguineumque verſum eſſe, cum gaudio animadvertit. Novennalis fuerat invaletudo, quæ novemdiali oratione & pietatis officiis reſtaurata eſt, implorata ſancti Ignatii ope; cujus auxiliaribus remediis ſana & hilaris domum repetiit. E

paralyſim,

347 Matthæus Pola brachium unum & pedem flaccida paralyſi diſſolutum, ad omnem motionem actionemve ineptum pendulumque trahebat. Is Munebregam versùs iter arripuit, ſpe ſubnixus recuperandarum per S. Ignatium virium, & ſanitatis reſtaurandæ. Eò ubi appulit, auſpicatus eſt novemdiale pietatis obſequium, unxit quotidie brachium ac pedem oleo ſacræ ibidem lampadis; octavo die ſanitatem ſimul ac robur tantum recuperavit, ut laboribus deinceps ferendis abunde ſufficeret.

impeditam linguam,

348 Petrus Garcia, ſenex in quatuor & ſeptuaginta annos profectus, Tortueranus, linguam habebat tam impeditam, ut omnem articulatæ pronuntiationis uſum viamque intercluderet. Audivit narrationem miraculorum ſancti Ignatii apud Munebreganos; ſacellum adivit, magna ſe pietate Sancto commendavit, linguam lampadis oleo perunxit; clarè diſtinctéque locutus eſt. F

recurvas manus,

349 Mulier quædam Bilbilenſis manibus tam recurvis, ut ad omne opus inutiles redderentur, & pedibus tam miſerè affectis, ut nec ad erigendum ſe, nec ad ingeniculandum vires ſuppeditarent, commendavit ſe ex imo cordis affectu ac magna devotione ſancto Ignatio; nec alia remedia adhibuit, & plenam ſtatim ſanitatem accepit.

pedes inhabiles,

350 Vidua ejuſdem urbis filiam propè ſeptennem domi alebat, pedibus ad officia ſua adeo inhabilibus, ut gradibus nec aſcendendo nec deſcendendo umquam inambulare poſſet. Mater, auditis miraculis, cum animum induxiſſet ſuum, velle ſanctum Ignatium viduas domi clauſas latere, iſtam precandi formulam pronuntiavit: O Ignati ſancte & glorioſe, non decet ſtatum meæ viduitatis, vias multas perambulare, ne quidem ad viſitandum ſacellum tuum Munebreganum; quidquid ibi tu potes polleſque, hîc etiam tu potes ac polles: beneficia, quæ ibi tu aliis præſtas, præ-

EX VARIIS. præstabis facilè hîc quoque filiæ meæ. O benedicte, ô Sancte, obsecro te, ut digneris illam sanare. Non multo postquam talibus verbis oraverat, vidit oculis suis filiolam sursum deorsumque per gradus ambulantem eo planè modo, acsi numquam claudicasset.

caput rotâ. rhedæ obterendum,

351 Filius D. Joannis Perez de Nueros ludebat ad rotam rhedæ, quæ paratis junctisque mulis stabat primùm, deinde procedendo puerum evertit ac solo affixit, rotâ verò à capite per mediam pueri faciem transeunte, & domina quadam, quæ id videbat, exclamante, O puer, S. Ignatius te liberet; in ipso momento ad oculi ictum restiterunt mulæ, & retrorsum currum rotasque egerunt. Eductus est è periculo puer nullo alio nocumento, quam vestigiis clavorum rotæ in facie apparentibus.

gressum claudum, opem S. Ignatii experta.

352 Quidam apud Bilbilanos S. Franciſci Religiosus longo temporis spatio claudicaverat. Decrevit malo remedium quærere visitando Munebregensium S. Ignatii sacello. Sensim procedendo vix quartam leucæ partem maximis doloribus confecerat, ac de meta attingenda propè desperabat: mox tamen sese commendans S. Ignatio, eique suas Matutinas preces recitans, consecransque, sensit vires animosque redire, & nova alacritate impelli se ad iter conficiendum. Inter progrediendum verò, quanto magis ambulabat, tanto meliùs habebat: donec Munebregam appulit, ubi plena sanitate recepta, gratias in sacello suo S. Ignatio retulit, & ob recuperatam valetudinem alacer in suum monasterium revertit.

B

ALIA IBIDEM MIRACULA.

Mortua vitæ redonata puella,

PArdos municipium est quadraginta familiarum: ubi puella duodennis hæmorrhoide afflicta, tam copioso sanguinis profluvio exhausta fuit, ut brevi tempore vitam amiserit. Quatuor jam horas mortua & jacebat & frigebat. Per easdem illas quatuor horas mater afflictissima nil egit aliud, quàm fide mirabili atque invicta constantia implorare opem S. Ignatii, rogare atque obsecrare, ut filiolam suam à morte ad vitam revocaret. Audivit matris preces S. Ignatius; filiola ad se, & ad vitam reversa, matrem appellat istis verbis: Mater, ô mater, jam vivo, jam bene habeo, jam S. Ignatius ad vitam me revocavit, & mandavit, ut me sistam sacello suo Munebregæ. Nulla mora fuit, sacello præsentata est. Postridie ad ovium custodiam (nam pauperculam & pastoritiam vitam agebat,) de more se contulit.

C

puerulus insuper.

354 Medicus, qui apud Munebreganos domicilium habet, filiolum genuerat tres propè jam menses natum. Is offulas deglutiendo strangulatus, fauces suas intercluserat, &, quemadmodum pater ipse, oculatus testis, affirmat, & juramento confirmat, planè vitam amiserat, usque adeo ut pater filiolum sepulturæ mandari voluerit, nisi mater fide majori, & ardentiori pietate filiolum oleo Ignatianæ lampadis perungendo, & obsecrando S. Ignatium pro filii suscitatione, filiolum Sancto obtulisset: unde in eodem temporis puncto puerulus sibi redditus est, & plorare cœpit & usque nunc beneficium S. Ignatii in valetudine pueruli integra perseverat.

Miraculum in ipsa Munebregana imagine,

355 Imago ista, tot jam miraculis à Deo illustrata, imago est S. P. Ignatii de Loyola, quam à sexdecim annis D. Licentiatus Rochus del Villar, canonicus Bilbilensis, collocavit in sacristia parochialis ecclesiæ Munebreganæ cum aliis fundato ribus Ordinum Religiosorum, inter imagines Cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum, magistrorum S. Joannis, vicecancellarii, præfecti justitiæ Aragonicæ, senatorum, Auditorum majestatis regiæ, aliorumque illustrium hominum, qui è Munebregisiis prodierunt. Quæ imago si cum aliis S. Ignatii imaginibus conferatur (sicut accepimus è quodam sacerdote, qui inde hanc in regiam Madritanam advenit) ostentat nescio quid supra vulgarem normam picturæ eminens atque excellens. D

prodigiosum liquorem sudante.

356 Primo die Veneris (quæ feria tunc in Aprilis lucem primam & vigesimam incurrebat,) ex quo in altari solenniter posita est, quantumcumque in sicco loco hactenus sedem habuisset, per horas quatuor à dextris sudavit sub brachio. Sudor verò, liquor erat quidem aqueo colore, non tamen omnino aquam dixisses; non etiam oleum; nec instar liquidi humoris fluebat, sed guttatim majoribus guttis destillabat; quem si extergerent, continuò substillabant aliæ atque aliæ guttæ succedentes; quibus duas linteas mappulas abstergendo imbutas prorsus madefecerunt. Denuo quatuordecim pòst diebus, feria sextâ, quæ Maii mensis quinta erat, sudor idem scaturiendo rediit & fluxit ad horas omnino duas. Illius sudoris spectatores fuerunt & testes sunt illustres in ordine ecclesiastico viri; inter quos pater magister reverendus Petrus del Villar, ex Ordine S. Augustini duo linteola eodem sudore humectavit. Non multis inde diebus mulier oriunda Alarvâ, cùm audiendo accepisset miracula S. Ignatii, exarsit magno sanitatis desiderio, optans liberari à molesto & acerbo pectoris tumore. Hac spe plena Munebregam petiit, Sancti opem in sacello imploravit, inter orandum aqua sudoris instar à tumore profluxit, unde doloribus levari sibi visa est: deinde è duobus istis unum linteolum S. Ignatii sudore imbutum pectori appressit, ex eo tumor in magnam aquæ copiam velut premendo expressam sese dissolvens resedit statim, & mulier humore tumoreque liberata sanitatem integram S. Ignatio acceptam retulit. E

Plurima alia ejusdem miracula, concursus &c.;

357 Miracula alia ab istis longè plurima contigerunt. Nec desunt qui litteris testantur, supra centum, intra quatuor septimanas, obvenisse miracula; inter quæ, extra illa, quæ paulò ante numerata narrataque sunt; computantur cæci quatuor, multi manci, paralytici, claudi, surdi, balbutientes: [adeo ut] longum esset vel numerando referre [eos,] qui sanitatem per oleum lampadis sancti Ignatii adepti sunt: nec numeramus propè innumeros, qui quotidie per S. Ignatii invocationem, incolumitatem nanciscuntur; cum vix dies abeat non aliquo miraculo illustris, & subinde tria quatuorve miracula in unum diem concurrant. Hæc est illa nempe miraculorum tam excellentium tam frequentium celebratissima gloria, quâ excitati accurrunt undequaque ad S. Ignatii sacellum tot cæci, claudi, paralytici, muti, balbi, hernioſi, quin & mulieres uberibus exulceratis, quibusvis denique morbis doloribusve tot oppressi homines, ut sacellum numquam non ejusmodi infirmis sanitatis competitoribus refertum sit. Confluunt quoque certatim ex municipiis oppidisve ac tota Aragoniæ regione innumeri; ex omni vero vicinia publicæ supplicationes tanto strepitu ac numero, ut si templum Munebreganum, quod non mediocrem populi multitudinem ambitu suo claudit, in sextuplò capacius spatium excresceret; & capiendo non esset, & verò maxima populi frequentia, quæ locum F

cum

A cum in templo reperire non posset, foris redundaret. Estque communis omnium sententia, sanctuarium in universa Hispania nullum per hosce dies cum sacello S. Ignatii Munebregano in frequentia populi conferri posse. Quamobrem populus Munebreganorum S. Ignatium Patronum sibi suisque adlectum solenniter indigitaverunt, & de colendo festo die Patrono suo votis sese obstrinxerunt Malvendenses etiam & Villaroyani, aliique Bilbilani municipes sacella dedicant, arasque consecrant sancto Ignatio de Loyola, Societatis Jesu Fundatori.

crebræ ac præclaræ animarum conversiones.

358 Ante hæc omnia gravibus momentis ponderandæ sunt tam crebræ, tam præclaræ perditarum profligatæ vitæ animarum ad bonam frugem conversiones, quæ per hanc occasionem extiterunt. Nam quis numeret aut æstimet pro dignitate Confessiones generales, aliasque expiationes, per quas desperatæ salutis peccatores à deploratis animæ morbis ad æternæ vitæ certam spem erecti sunt? Procul dubio hoc ipsissimum est, quod tot miraculis maximè spectat & exspectat S. Ignatius; qui licet toto vitæ cursu semper ad opera omnia misericordiæ incubuerit, peculiari tamen affectu ad spirituales infirmitates sanandas operam pro virili navavit; cum probè nosset, spiritualium morborum magis, quam corporalium curatione divinæ bonitatis à nobis gratiam iniri. Nos interea sancti Patris opem venerabundi imploremus omnes, ut per illius merita non corporis dumtaxat, sed & animi imprimis sanitatem à Deo, & bona magis animi quam corporis, malis omnibus profligatis, nanciscamur. Amen.

B

Fides hujus instrumenti.

359 Hæc sunt, quæ in hanc Narrationem referenda putavimus, sicut ea ex legitimis notis atque tabulis notariorum quinque regionum & unius Pontificii, coram senatu Munebregano legitimè transactis, ex aliis etiam aliorum fide dignorum auctorum litteris accepimus, quæ in unum collecta Madriti publica auctoritate typis evulgata fuerunt ad Dei & S. Ignatii gloriam sempiternam. Amen. Approbatio. Vidit. Datum Bruxellæ, XXIV Julii, MDCXIII (*imò* 1623) Henricus Smeyers Librorum censor.

C *P. Alfonsus de Andrada S. J. librum scripsit Hispanicè de* veneratione sacrarum imaginum, & origine ac miraculis imaginis Munebreganæ S. Ignatii, *anno* 1669 *Matriti vulgatum: ubi parte* 4, *cap.* 1 *&* 2 *tractat de mirabilibus in ipsa Sancta imagine factis; cap.* 3 *de primis ejusdem miraculis; cap.* 4 *& sequentibus prosequitur miracula; cap.* 10 *ea refert, quæ post annum* 1623 *contigere.*

Imago Deiparæ de Columna

360 *Præter hæc jam pridem typis edita, duo non edita huc misit Româ die* X *Martii anno* 1731, *P. Ignatius Pinius, ex instrumento notarii autographo, (quod utrumque postea ab eodem Patre Româ accepi) ibidem ex Hispanico Latinè reddita. Priori titulus hic præfigitur:* Miraculum patratum Munebregæ in imaginibus pictis beatissimæ Virginis Mariæ Columnatæ (vulgò del Pilar) & S. Ignatii de Loyola, Societatis Jesu Fundatoris, anno MDCCXXIII. *Sequitur* Aliud miraculum, quod perpetuò patratur ab alia imagine S. P. N. Ignatii, quæ colitur in templo ejusdem oppidi, & fuit prototypon præcedentis imaginis. *Utrumque dictus Pater accepit Romæ à R. P. Vincentio Joanne (Vicente Juan) Provinciali Aragoniæ S. J. Primum verò sic sonat:* Munebregæ (quod oppidum est distans à civitate Bilbilitana, vulgo Calatayud, tribus circiter leucis) die XXX Martii anni MDCCXXIII accidit in domo cujusdam presbyteri, præsidis ecclesiæ parochialis illius oppidi, qui vocabatur dominus Dominicus Cortesius, quod *ipso* abeunte Bilbilim, & consobrino ejus egresso ad ecclesiam, ancilla, quam habebant, cœpit verrere domum, in eaque aulam principalem, in qua erant inter alias plures duæ imagines egregiè depictæ, mutuò sese intuentes, utpote in parietibus adversis collocatæ in thecis ligneis deauratis; quarum prima exprimebat beatissimam Virginem Columnatam, vulgò del Pilar, quæ Cæsaraugustæ magna devotione colitur; altera S. Ignatium de Loyola modo, quo depictus à peregrino, in templo ejusdem oppidi singulari veneratione habetur. Igitur ancilla cùm verrisset aulam, & pulverem excussisset ab omni supellectili, advertit duas illas imagines quasi madefactas aliqua humiditate; detersit linteo: sed, ecce, iterum madefieri cernit ac sudorem emittere.

sudorem emittit,

361 Ipsa rei novitate attonita, januam aulæ obserat, vocat consobrinum domini sui, Emmanuelem Matthæum nomine, dicens: Veni, domine mi, & videbis novitatem miram, quæ domi accidit. Petit illico Emmanuel domum, tradit puella ipsi clavem januæ, quam obseraverat, &, apertâ aulâ, ostendit illi imagines sudantes. Miratur ipse; sed adhuc dubitans, detergit etiam linteo; cui ancilla inquit: Ne, domine, defatigeris tergendo imagines; nam & ego semel & iterum detersi; & continuò sudorem emiserunt; & nunc jam tertiò emittunt. Emmanuel narratione ancillæ, & oculorum experientiâ certior factus de prodigio, admonuit dominum Joannem Ramos, presbyterum, & regentem illius parochiæ curam, cujus jussu omnes ecclesiastici seculares, & Regulares aliqui graves, pluresque viri nobiles, aliique quam plurimi è plebe accurrerunt ad videndum sudorem mirabilem utriusque imaginis; & ubi ad prædictam aulam pervenerunt, ipse presbyter Joannes, accenso luminari, inspexit diligenter simul cum aliis utramque imaginem; & viderunt totam imaginem B. Virginis, ipsiusque columnam plenam guttis sudoris, ita ut aliquo instrumento potuissent colligi: reliquum verò lintei, vel tabulæ, ubi erat pictura, siccum omninò permanebat.

E

uti & ea, quæ est S. Ignatii;

362 Postea recognoscentes imaginem sancti Ignatii, viderunt perspicuè totum corpus, caput, faciem, manus, & calvariam, quam in altera [manu] habet, sudare: quin & ipsum nomen Jesu, quod supra calvariam depictum est ad dexteram Sancti, emittebat quasi rivulum sudoris usque ad calvariam, in qua sistebat, quin ultrà progederetur. Omnibus admirationi fuit tam insigne miraculum. Nihilominus ut veritas magis patesceret, adhibitus est dominus Josephus Colas, presbyter, & peritus in arte pictoria; qui recognoscens utramque imaginem, interrogavit dominum Philippum Mirtarte, an sciret, quanto antea tempore depictæ essent. Hic autem respondit, se id nescire; solùm verò scire, reverendissimum D. magistrum D. Fr. Sebastianum Matthæo, abbatem regii monasterii Claravallensis beatissimæ Virginis, vulgò de Piedra, dum esset Cæsaraugustæ senator deputatus pro regno Aragoniæ, emisse illas imagines anno MDCLXI easque habuisse usque ad mortem; & tunc reliquisse eas fratri suo Emmanueli Matthæo, in cujus obitu transierunt ad nepotem suum.

F

quem sudorem prodigiosum fuisse,

363 Hac responsione habita, & aliis diligentiis adhibitis ad omnem fraudem, & dubium quodlibet pellendum, pronuntiavit dominus Josephus Colas coram omnibus, se coram Deo, & juxta conscientiam suam habere illum sudorem utriusque imaginis pro re supernaturali & miraculosa; &

EX VARIIS. ut nullus eſſet locus dubitationi, omnes aliæ imagines, quæ in eadem aula erant, diligentiſſimè inſpectæ ſunt, & nulla ejuſmodi humiditatem habebat, vel à ſe, vel à muro, in quo pendebat, vel à tempore. Addidit deinde dominus Joannes Ramos, Regens parochiæ, ſe ex eo tempore, quo vocatus fuit ad examinandum hoc miraculum, quod cœpit valde manè, nempe horâ ſextâ matutinâ, ſumpſiſſe clavem januæ, quam bene obſeravit, & quater rediſſe eo die in aulam, ac qualibet vice reperiſſe utramque imaginem ſudantem, & ſudorem abſterſiſſe: & nihilominùs adhuc horâ ſextâ veſpertinâ juxta horologium Hiſpanicum (in qua fiebat examen ab omnibus prædictis) ſudabant.

publicè ac juridicè probatur.

364 Quare omnibus viſum eſt, ſudorem illum miraculoſum eſſe; ideoque omnis clerus, & magiſtratus illius oppidi non ignobilis, decreverunt illas duas imagines transferre proceſſione ſolemni in templum principale (uti fecerunt) eiſque erigere capellam inſignem in dicto templo: interim tamen dum non erecta eſt, in capella ſancti Michaëlis archangeli collocatæ ſunt. De quibus omnibus recepit teſtimonium authenticum Joannes Antonius Alagon, notarius publicus & regius, habitator oppidi de Alarba, in ipſo oppido Munebregæ, allegatis viginti ſex teſtibus, è quibus tres erant Religioſi graves Ordinum ſancti Dominici, S. Franciſci, & Carmeli; quatuordecim eccleſiaſtici ſeculares, & novem viri nobiles, aliis pluribus omiſſis, quos in teſtes adducere potuiſſet; & prædictum teſtimonium tranſcripſit ipſe notarius ex originali ſuo die XXI Februarii anno MDCCXXIX in oppido de Alarba; & in ejus tranſcripto duo alii notarii publici & regii, nempe Joſephus de Algora, & Bartholomæus Romeo teſtantur, illum eſſe notarium publicum & regium regni Aragoniæ, cui fides ubicumque adhibenda ſit. *Hactenus miraculum primo loco notatum; aliud iſta narrat*:

B

Actu publico confirmatur,

365 Idem notarius præcedens, nempe Joannes Antonius Alagon, cui fidem adhibendam eſſe teſtantur etiam alii duo præcedentes, teſtimonio ſuo authentico refert, quod die XX Februarii anno MDCCXXIX Munebregæ convenerunt in aulam capitularem illius templi dominus Dominicus Cortes præſes, dominus Auguſtinus del Villar, dominus Joannes Ramos, dominus Ignatius Vicente, dominus Joannes Monteagudo, dominus Joſephus Colas, D. Thomas de Lobera, dominus Chriſtophorus Garcia, dominus D. Chriſtophorus Tres, & dominus Ignatius Cortes, omnes presbyteri & beneficiati ejuſdem eccleſiæ, qui juramento præſtito in verbo ſacerdotis, & per Deum & Euangelia aſſeruerunt, inter diverſas capellas illius eccleſiæ, dari unam ſumptuoſam, dicatam ſancto Ignatio de Loyola (ubi collocata eſt ejus imago mirabiliter depicta à quodam peregrino, communiter exiſtimato angelo) & in ea erectum eſſe altare, plurima & pretioſa ſupellectili ornatum, atque ad eam imaginem nihil umquam pulveris perveniſſe, nec ullam eſſe hominum memoriam, quod aliquando pervenerit; licet omnes aliæ capellæ, quin & ipſa ſancti Ignatii, & omnes ejus ornatus ſæpe ſæpius multo pulvere cooperiantur.

C

quod imago S. Ignatii Munebregana alium vultum induerit,

366 Ad quam veritatem confirmandam narrarunt, quemdam ſacerdotem Societatis anno MDCCIII veniſſe ex Valentia Munebregam, ad viſitandam eam ſanctam imaginem ſancti ſui Parentis (de cujus nomine non erant memores prædicti teſtes:) & quidem veniſſe eo tempore, quo fabrica in templo fiebat, atque adeo omnia pulvere reſperſa erant. Fecit ille Sacrum in capella ſancti Ignatii, & deinde in eadem gratias Deo agens, & ſimul orans, ac intuens imaginem ſancti Patris, auditus eſt à pluribus circumſtantibus exclamare devotè, & prorumpere in hæc verba: Sancte Pater mi, quare te monſtras iratum contra me filium tuum, cum vultu tam ſevero & irato? Si non adimplevi obligationes filii tui, parce, Sancte mi: nam & ego in poſterum conabor eas exactiùs adimplere. Finita oratione, & ingreſſus in ſacriſtiam vocavit presbyteros eccleſiæ, & magiſtratum oppidi; eiſque ait: Summo gaudio affectus ſum ex viſione tam prodigioſæ imaginis ſancti Patris mei Ignatii, licet ſimul ſim quodam timore & ſtupore correptus, dum viderem ejus faciem, inter Sacrum faciendum & orationem, ex uno inſtanti in aliud mutatam; nunc triſtem, nunc iratam, nunc rubicundam; ita ut magnam mihi non ſolùm venerationem, ſed etiam admirationem & ſtuporem ingeſſerit.

D

ac pulvere ea non inficiatur.

367 Rogo tamen vos, ne imaginem tam mirabilem habeatis expoſitam pulveri; ſed cryſtallum ipſi anteponite, ne pulvis ad eam perveniat; nam video omnia pulvere plena: & quidquid opus fuerit ad opponendam cryſtallum, ego libenter expendam. Egerunt omnes gratias patri illi Jeſuitæ: addiderunt tamen, non opus eſſe cryſtallo ad impediendum pulverem, cùm hic numquam imaginem ſancti Ignatii attigiſſet. Ex quo multo magis miratur Jeſuita: ſuadentibus illis, aſſumpſit propria manu linteum, eóque percurrens totam imaginem, quaſi abſterſurus pulverem, nec atomum quidem invenit: quod eo mirabilius fuit, quo magis omnia altaria, omneſque aliæ imagines, & ornamenta, etiam ipſius capellæ, pulvere conſperſa erant, ratione fabricæ, quæ tunc extruebatur. Non contenti ſuprapoſiti teſtes hac experientia ad confirmandam ſuam aſſertionem de immunitate pulveris in ea imagine, juſſerunt prodire in medium quinque ſacerdotes, qui ibi aderant, quique ab anno MDCCIII uſque ad annum MDCCXXIX (ſuis quiſque temporibus) curam habuerunt de eccleſia illa, ejuſque ornatu & munditie: & omnes quinque ſub juramento affirmarunt, ſe toto eo tempore nihil umquam pulveris invenſſe in prædicta imagine: quamvis ſæpius cum ſpeciali cura & diligentia illam inſpexerint. De quibus omnibus teſtimonium accepit prædictus Notarius die & anno ſupradictis. *P. Joannes Baptiſta Arbizu S. J. in ſua Hiſtoria M S. collegii noſtri Cæſarauguſtani de Munebreganis favoribus agit part. 2, decade 8, cap. 9, pag. 578; de Cæſarauguſtanis per chirographum Sancti, ibidem apud noſtros aſſervatum, part. 2, dec. 6, cap. 10, pag. 34, & alibi.*

E

F

EX CATALONIA, ALIISQUE HISPANIÆ LOCIS.

Crucifixi

DE *Manreſa dixi ſuperiùs cap. 2; de miraculis, ibidem § 2 ſub finem. Addo ſequentia. Eſt mihi in promptu Hiſpanica epiſtola, Matriti edita anno 1627, circa miraculum, quod in ſpelunca Manreſana die* XXX *Julii, anno dicto 1627 contigit. Extracta eſt epiſtola ex proceſſu, ad facti probationem formato, juſſu illuſtriſſimi Domini D. Petri Magarola, epiſcopi Vicenſis. Agunt inſuper de iſto prodigio Italicè quidem Bartolus lib 1, num. 22; & Carnolius cap. 15; Hiſpanicè autem Garcia lib. 1, cap. 12.*

A Imago

369 *Bartoli verò interpres Latinè illud ſic reddit :* Magnis *apud Manreſanos* honoribus colitur Chriſti effigies de cruce pendentis, palmi fere unius, ex petra, cui inciſa eſt, dimidio eminens. Hæc, dum Ignatius Manreſæ degeret, baſi impoſita, regiæ imminebat viæ Barcinonem ducenti, ad commeantium pietatem. Inde aliquot annis, haud ſcio quo caſu, dejecta, jacuit aliquamdiu : donec Thomas Fadreus canonicus ſublatam domi ſuæ habere voluit. Poſtea tamen venerationis majoris ſenſu quodam permotus, in ſpecu Ignatii fiſſæ rupis hiatu ad lævam altaris excepit, addens fore tempus, quo ſummis honoribus totâ viciniâ coleretur. Quod facilè pro vaticinio à multis creditum, quibus canonici nota erat pietas ſingularis. Et cœpit eventus dicti fidem præſtare anno MDCXXVII. Dum enim pridie S. Ignatii, ſacri cantus in ſacello complentur, & ſtipant proximam Ignatii ſpecum, quotquot in eam ſubire potuerant ; ecce tibi primùm ex plaga lateris Crucifixi fluere ſanguis tam recens, & vegeti ruboris ; deinde ex manibus capitiſque punctionibus, ut vivo ex corpore fluere videretur.

B *in ſpelunca Manreſana ſanguinem emittit.*

370 Nihil omiſſum eſt ad deprehendendam novi oſtenti cauſam ; donec abſque ulla dubitatione compertum tandem eſt, fingi præter miraculum nullam poſſe ; pro quo ſedecim teſtes (aſſumpti, juſſu illuſtriſſimi Vicenſis, *ex epiſtola ſuperiùs citata*) dixere juridicè ; ex quibus canonici duo (iſtius eccleſiæ, *ex dicta epiſtola* ;) Doctores medici tres, juriſperitus unus : *additur in epiſtola*, reliquos eſſe incolas Manreſanos : ex iis teſtibus ſeptem affirmare cum juramento, quod D. Decanus Manreſanus admiſit, præſente ejus aſſeſſore D. Doctore Joanne Amigant, ac de mandato illuſtriſſimi epiſcopi, quod viderint.. liquorem, *de quo erat dictum*, tamquam ſanguinis effluere * è plagis ac capite Crucifixi *&c. Et ſignatur epiſtola* Manreſæ XVII Septembris MDCXXVII. Ludovicus Vidal ; *qui tunc erat Rector noſtri collegii Manreſani. Et inferiùs* : P. Epiſcopus Vicenſis.

* *In Hiſpanico eſt* Brollar.

Varii favores Manreſæ.

371 *Hiſce ſubnectere juvat quoſdam favores, ex documentis noſtris Manreſanis MSS. contractos. Anno itaque 1632 menſe Julio inviſit ſanctam ſpeluncam mercator quidam Gallus ; qui, à præſentiſſimo ex tempeſtate periculo mortis liberatus, votum ediderat, iturum ſe peditem ab urbe Tarraconenſi, ac inviſurum Deiparam Montis ſerrati, & ſpeluncam* S. Ignatii, *ſi malum illud evaderet.*

C

Anno 1634 Manreſæ mulier quædam per dies ſeptem cum puerperio conflictata erat adeo miſerè, ut proles extrahi nulla vi poſſet. Medicus pro depoſita eam habuit ; mortua utique jam prole præ violentia, nihil ei remedii ſupereſſe dicens, quam ſacrum lipſanum S. Ignatii. *Illud obtinuit, piè adhibuit, fœtum mox ſoras ejecit mortuum, & ipſa incolumis evaſit.*

Soror Beatrix Navarra, Religioſa ſanatur à paralyſi in brachio per reliquias S. Ignatii ; *ſimul atque eas applicarat, brachio valens & ipſius uſu. Eodem autem anno 1634 cum infans cujuſdam notarii Manreſani, nomine Madrigueræ, utroque eſſet oculo cæcus, in octava* S. Ignatii *ad ſpeluncam deferre eum ſtatuunt, & Miſſam jubere fieri ; & eodem die ludit in platea is, qui, quia antea non videbat, loco, quo collocabatur, ſe non movebat.*

372 *His addo ex litteris P. Joannis Baptiſtæ van Hollant S. J. Bergis S. Winoci die* XVI *Junii* 1644 *datis ad noſtrum P. Joannem Bollandum,*

Res mira in obſidione Fontarabiana.

quod in obſidione Fontarabiæ contigit, & ego, *inquit*, habeo à præcipuis è Magiſtratu urbis Toloſæ in Hiſpania ; quorum aliqui præſentes fuere. Illo, quo Galli Fontarabiam obſidebant, anno tuebatur munimentum aliquod cohors quædam ex provincia Guipuſcoa, S. Ignatio addictiſſimâ : cum, ecce, bomba (*globus eſt ingens è ferro fuſus, excavatuſque, ingeſto intus pulvere nitrico*) maxima jam accenſa ex alto mortem omnibus minabatur. Ex innato ſibi erga S. Patrem noſtrum affectu unanimiter clamitant omnes : S. Ignati, Patrone noſter, adjuva nos. Mirum dictu : accenſa bomba exſtinguitur, unique ſupra pedem cadit, & non lædit ; omneſque ad gratias Sancto habendas excitat. Exſtructum in cathedrali eccleſiâ S. Mariæ Toloſæ viſitur altare S. Ignatio dedicatum : in perpetuam rei memoriam iſtic affixa hæret bomba.

gratiæ Gandiæ obtentæ.

373 *Miracula Gandiæ, Valentiæ civitate, edita habes ſuperiùs. Quibus hîc ſupperaddo gratias, cuidam dominæ, erga Sanctum admodùm piè affectæ conceſſas, in fide documentorum noſtrorum Hiſpanicorum MSS. ; è quibus ſummatim illas delibo. Anno 1707 domina illa paucorum menſium uterum ferens, graviſſimis in doloribus ad* S. Ignatium *confugiens, baculum, quo uſus ille fertur dum vivebat, petiit, atque in eo remedium invenit, ac convaluit.*

E

Perſona eadem laborans continua febri per novemdecim menſium ſpatium, remedia omnia adhibet ; ſed fruſtra. Deinde illis relictis, die quodam octavæ in noſtra eccleſia S. Ignatio *ſacræ, magna cum fiducia ſalutem ab eo petit, & in puncto temporis à febri liberatur.*

Anno 1711 eadem domina uſu ſenſuum privatur in quodam infelici ac periculoſo partu ; ſed applicato ei quodam Sancti lipſano ſacro, mox ſine ullo dolore feliciter parit.

Anno eodem 1711 infans quidam ejuſdem feminæ à medicis erat depoſitus, vovet mater illum induere veſte Societatis, ſi Sanctus ipſi valetudinem reddat : quam mox redditam accepit. Cum idem infans poſt tempus aliquod ambuſſiſſet vultum, nullâ ei medicinâ applicitâ rogat pro illo Sanctum ; & curatur.

Anno 1713 matronam prædictam ad vitæ terminum deduxit febris peſtilens cum acuto dolore lateris ; ſed edito ab ea voto, vis morbi cœpit in inſtanti mitigari, infirma levari, & aliquot poſt F *diebus perfectè ſanari.*

Anno 1722 die 2 Julii milites ſeptem in domum prædictæ dominæ irrumpunt, capere aut occidere maritum ejus volentes ; ſed miro modo à S. Ignatio, *cujus illa patrocinium implorabat, liberatus dicitur.*

Imago S. Ignatii mirè ab incendio ſuperſtes.

374 *Compoſtellæ die* XXIII *Novembris anni 1726 excitato in ædibus D. Alexandri Franciſci de Chavarria horâ octavâ veſpertinâ incendio, vorax flamma, obvias res alias depaſta, miro modo pepercit imagini cuidam chartaceæ* S. Ignatii : *quæ inter cineres ac ruinas ſola ſine margine ſuperſtes deinde reperta eſt. Hæc rei ſumma ; cujus relationem pluribus deſcriptam, quam habeo, tamquam oculatis teſtibus conformem, atque adeo certam cenſet, ac ſuo nomine ſignat R. P. Antonius de Cangas S. J., Rector collegii Compoſtellani, die* XXV *Martii* 1729.

Viſus mulieri reſtitutus Corunii.

375 In ſcriniis Aſſiſtentiæ Hiſpaniæ, *teſte P. Ignatio Pinio in noſtris monumentis Romanis*, eſt comprobatio authentica miraculi, quo per S. Ignatii interceſſionem reſtitutus fuit viſus Dominicæ Gomez, quæ duobus annis cæca fuerat oculo

EX VARIIS. siniſtro ; octo verò menſibus utroque oculo, Corunii oppido & portu Gallæciæ, anno MDCXCVII. Comprobatio ipſa eſt facta x Junii MDCXCVIII ibidem. *Miracula Loyolana dedi ſuprà cap.* 1, § 3.

CLASSIS IV. EX SABAUDIA, AC GERMANIA.

Febri liberatur ægrotus ope S. Ignatii:

Documenta collegii S. J. Camberienſis ſic memorant : Dum R. P. Claudius Marius Dolanus, collegii hujus Camberienſis Rector eſſet ab anno MDCVIII uſque ad MDCXVI, probavit certam ſancti Parentis noſtri Ignatii opem domeſticus auriga. Ardebat quotidiana febri ; dum ipſo feſti pervigilio hortator ipſi noſter quidam fuit, ſanctum Patrem ut deprecatorem apud Deum adhiberet. Fecit eo auctore, nec vanæ ceciderunt preces : poſtridie enim, ægritudine depulſa, eſt in commodam valetudinem vindicatus.

quam etiam ſenſit clariſſimus ſenator Camberienſis :

377 Dum hujus collegii regimen haberet R.P. Franciſcus Bening ab anno MDCXIX uſque ad MDCXXIII, S. Ignatius Parens noſter rem ad memoriam inſignem in clariſſimo ſenatore operatus eſt. Hic, qua die feſtum coluimus relationis in Sanctos ejuſdem ſancti Patris, cum podagra ſolitò graviùs conflictabatur. Jamque nullus doloris erat modus ; cum recordationem ſubiit tibiæ, quam S. Ignatius ab impacto globo afflictam habuerat. Rogavit igitur, ut, quam olim à S. Petro curationem accepiſſet, ſuo non negaret clienti. Audita mox ſunt viri ſupplicis vota ; nam ſecundùm illas preces, omnis repentè abiit dolor.

B

ſenſerunt multæ mulieres.

378 Vidua patri ſuo, mortuone incertum, ſed certè ſine motu ſenſuque jacenti, obtinuit vitam vel vigorem, precibus ad S. Ignatium pro ipſo fuſis, donec confiteretur, communicaret, ultimumque ungeretur. Plurimæ feminæ fœtus enitentes ſuos, præſens Sancti auxilium expertæ, natis feliciter liberis Ignatii nomen indiderunt.

Sanitas reddita cuidam è Societate Jeſu.

379 Viceſimo primo collegii hujus Rectore R.P. Franciſco du Four è ditione Sabaudica Evianenſi, ab anno MDCXXXIV uſque ad MDCXXXVIII, inter beneficia, à propitia Dei manu tunc nobis derivata, non omittendum illud eſt, quod Melchiori du Faug, hujus collegii ſpirituali operario contigit anno MDCXXXVII, ipſo die S. Ignatii memoriæ ſacro. Cum ille priùs Avenione degeret, in pervigilio exaltatæ Crucis anni præcedentis cœpit copioſum ex gutture ſputare ſanguinem ; cui arcendo fruſtra medicorum chirurgorumque artes laboraverunt. Eodem ſæpè incommodo afflictatus ad patrium aërem venit, ſalutem quæſiturus ex obedientiæ mandato. Camberii cum eſſet, non deſtitit ea invaletudo miſerum torquere, atque ipſo veſpere, qui feſtum diem ſancti Patris noſtri Ignatii præcedit, ita effusè emiſit ſanguinem, ut totus lectus, etiam ſponda in eo innatare videretur. Unde ad vitæ exitum credebatur adductus, & extremo oleo inungendus exiſtimabatur. Ipſe autem in tanto periculo conſtitutus, quo remedio uti poſſet præſentiùs ad eam arcendam calamitatem, quam precibus ardentibus amicare numen per S. Ignatii merita, ut eo diſcrimine vindicaretur ? Valuerunt orationes ; ſic enim juvit boni Parentis patrocinium ſuum clientem, ut horâ quartâ matutinâ feſtæ diei ſanum ſe infirmus omnino, atque adeo valentem ſenſerit, ut continuò è lecto ſurgens, redditis gratiis ſuo ſoſpitatori, ad templum deſcenderit Sacrum facturus : atque ex eo tempore ſic vena effluens ſolidata eſt, ut patri curato deinceps pectus firmiſſimum conſtiterit ad habendas conciones, & alia miniſteria Societatis commodè obeunda, licet laborioſis conatibus opus eſſet.

C

D

S Ignatius prægnantibus adeſt.

380 Cum reſtitutus eſſet ad regendi munus & vigeſimus quartus hujus collegii Rector R.P. Franciſcus du Four ab anno MDCXLVI, plurimæ prægnantes mulieres ultrò faſſæ ſunt, ſibi præſens S. Ignatii præſidium adfuiſſe ; inter ceteras quædam uxorata in Monte Æmiliano, cum infeliciter ſemper pareret, admonita à noſtro, S. Ignatium invocaret, ab illo ſacras Sancti exuvias accepit, ut eas in partu ſibi applicaret. Hoc facto, fœtum edidit integerrimum ; quod numquam ei hactenus evenerat. Crevit in dies magno parentum ſolatio, qui, ut gratitudine aliqua beneficium tantum compenſarent, ad ſacellum noſtrum ſancto Patri conſecratum gratias relaturi non tardarunt accedere.

Beneficia varia Viennæ

381 *Provinciæ variæ, quæ ad Aſſiſtentiam Germaniæ S. J. ſpectant, egregiam planè nobis navarunt operam in communicandis favoribus Ignatianis, qui reducuntur ad puerperas, præſtigias magicas ac ſpectra, neç non ad corporis infirmitates. Gratiarum verò collatarum inſtrumenta ſunt vel Sancti reliquiæ, vel conſecrata in ejus honorem aqua, vel ejus chirographum, vel imagines, vel ſola invocatio. At quia multa coacervare exempla non vacat ; pauca è multis extraho. Ac primò, ad provinciam Auſtriæ quod attinet ; documenta Viennenſia MSS. ad annum 1662 ſic memorant :* Aula juniorum Archiducum ſalutem Leopoldi Ignatii, bimuli adhuc principis, ſancto noſtro debet Ignatio ; cum enim ob tumorem totius corporis, putreſcenteſque dentes, eò adductus eſſet, ut de ipſius ſalute à medicis conclamaretur : Auguſtiſſimi Parentes ultimam in D. Patriarcha medicinam repererunt ; noſtris enim eorum rogatu ad Divum preces fundentibus, eadem nocte tumor evanuit, denteſque ſolidior caro circumplexa eſt. Agnovêre miraculum pii Parentes. Eo igitur ipſo die, quo biennium Princeps expleverat, viſum eſt Cæſari, in privato aulæ ſacello ante ſacram Hoſtiam Deo, Divoque gratias dicere, diſtributis in horas diei totius iis omnibus, qui à parvulorum Archiducum obſequiis eſſent : quorum pars major pane cæleſti refecti ſunt.

E

in provincia

382 *Meritis hîc etiam laudibus proſequimur diligentiam noſtræ provinciæ Bohemicæ ob monumenta multa & varia ad nos tranſmiſſa ex manuſcripta ejuſdem Hiſtoria, quam R. P. Joannes Miller S. J. concinnavit, lib.* 4, *à pag.* 1164, *ducto exordio ab anno* 1602 *ad* 1728. *Verùm brevitatis causâ paucula inde dumtaxat excerpo. Ad annum itaque* 1712 *lego ſequentia :* Tantam, per hanc provinciam in locis Catholicis aqua S.P. Ignatii nomine benedicta mirandis effectibus, quos experti ſunt incolæ, præſertim in locis, ad quæ patres miſſionarii tertiæ probationis tempore mittuntur ad operandum, nacta eſt æſtimationem, ut quandoque per diem ſex, quandoque decem & plures urnæ fuerint ab iis benedictæ. Pagus integer teſtatus eſt, homines montanos eſſe ſtrumis obnoxios ; aqua hac hauſta nequaquam ſtrumas creſcere ultrà ; & ideo parvulis dari pro potu hanc aquam, ut communem evadant miſeriam. Eâdem aquâ ruricolæ agros conſpergunt, ut eos conſervent à muribus, pruina & grandine immunes ; dicuntque experientiâ conſtare, concuſſas etiam grandine ſegetes nihilominus virtute aquæ dictæ maturuiſſe, ac in horrea ſua illatas eſſe.

F

Bohemia

383 *Ad annum verò* 1714 *ita ſcribitur :* Præter ingentem copiam puerperarum à domiciliis ſingulis & miſſionariis notatam, lipſanis, aqua

vel

A vel icone Ignatiana feliciter adjutarum; ſingulare illud eſt, quod Oppolii puerpera, cum prolem inter ingentes dolores eniti non valeret, neque præſens ullum adeſſet remedium, occurrit parturienti, ſe chartaceam habere iconem S. P. Ignatii, cui ſe commendat, & complicatam imaginem deglutit: mox partum feliciter enititur, &, quod mirere, imaginem abſumptam recens natus infans pectori ſuo affixam in mundum affert. *Hæc ibi. Miris quibuſdam, per imaginem Sancti Pragæ patratis, locum dabo infrà; ubi de* S. Ignatii *imaginibus.*

Poloniæ, 484 *Provincia noſtra Polona ſuas quoque ad illuſtrandam S. Fundatoris noſtri gloriam poſthumam ſuppetias huc miſit, ex hiſtoria & litteris annuis variorum collegiorum acceptas. Breve ac recens eſt illud factum ex annuis collegii Breſtenſis:* Anno MDCCXXVI menſe Julio, in quadam monialium S. Brigittæ villa excitatum fuit ingens incendium, jam quartam depaſcens domum. Anxio & trepidanti villæ adminiſtratori ſubitò obortum eſt conſilium, ut benedictam S. Ignatii aquam, quam domi habebat, exſtinguendo adhiberet incendio. Feſtinus itaque accurrit, & lagenam aquæ S. Ignatii in ardentes effundit flammas. Res mira! B modica hæc unda totam compeſcuit flammam; cujus aſperſione exſtinctum incendium, nec ultra progreſſum.

Lituaniæ, &c. collata. 385 *Varia documenta gratiarum per merita* S. P. Ignatii *cælitus hominibus collatarum, excerpta ex Annuis collegiorum provinciæ Lituaniæ & ordine chronologico, ab anno* 1602 *ad* 1729 *ſedulò & accuratè relata, ac ad me miſſa præ manibus habeo; ſed dabit hanc mihi iſta provincia veniam, quod iis ſingillatim huc tranſcribendis ſuperſedeam, ne modum excedam. Ad hæc, provincia Germaniæ ſuperioris apparatum in hoc argumento bene longum atque operoſum ſuggeſſit è documentis ſuorum collegiorum. Nec tacuere provinciæ Rheni ſuperioris & inferioris. At finis non ſit, ſi omnia & ſingula perſequar.*

Profertur Ordinarii confirmatio 386 *Aſſervo ex impreſſo tranſcriptum* Exemplar epiſcopalis confirmationis illuſtris miraculi ope S. P. Ignatii Societatis Jeſu Fundatoris, ad ejuſdem aram in templo Societatis Jeſu Monachii in reſtitutione claudæ virginis, anno MDCXXX, XII Julii, inſpectante populo, patrati. Vitus Adamus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Friſingenſis, &c. Univerſis has litteras viſuris ſalutem in Domino. Cum nuper divinæ bonitati placuerit, S. I- C gnatii confeſſoris nomen novo iterum decorare prodigio, idque paſſim in ore & prædicatione multorum verſaretur; Nos pro paſtoralis officii noſtri ſolicitudine, ne incerta pro certis juxta imperitæ plebeculæ morem venderentur: ſed ut ſua veritati fides conſtaret; illud ad Tridentini decreta concilii, auctoritate noſtra ordinaria recognoſci fecimus, remque totam, ita ut ſequitur, conſtitutam comperimus. Anna Wolffſeherin undeviginti annorum virgo, Dachovii parentibus tenuis quidem fortunæ, boni tamen nominis, nata, ante hac honeſtis addicta ſervitiis, circa feſtum D. Michaëlis anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi octavi, ſive veneficio, ſive alio quodam infortunio, dextri pedis uſum amiſerat, ut miſerè ingeniculans, & ſiniſtræ dumtaxat plantæ ægrè nec niſi fulcri ope innixa, reperet veriùs quam ambularet, miſerabili omnibus eam intuentibus ſpectaculo. Atque ita ad quoſcumque labores inutilis reddita, in diverſis xenodochiis, noſocomiis, & ptochotrophiis ſtipem quæſivit: donec poſtridie D. Georgii ſuperiore anno in Dachovienſe ptochotrophium miſera civis ſuſcepta, illic uſque in undecimum Julii proximè elapſi, hoc eſt quinque propemodùm anni quaternionibus perſtitit. Intra quod tempus D. Jacobi feriis, anno præcedente, S. Ignatius ſeſe ipſi aſpectabilem præbuit, indutus caſulâ, & altera manu ſacroſanctum nomen Jeſu, altera librum tenens; quem Sanctum priùs ipſi incognitum, cum nec è cultu, quo apparuit, noviſſet, re poſtridie contubernalibus narrata, omnibuſque S. Ignatium nominantibus, primam tum de illo auditionem accepit. EX VARIIS.

circà miraculum Monachii factum. 387 Huic igitur miſeriam ſuam unius Sacri & cereorum pedum voto enixè commendavit. Cujus voti executionem cùm integro propè anno, eò quod pauperi & ab aliena ope dependenti nulla Monachium ad aram Sancti perreptandi occaſio eſſet; denique acriores ſibi ſtimulos, ad iter illud quibuſcumque auxiliis ſuſcipiendum, admoveri ſenſit. Itaque cum alia ex eadem pauperum tribu Barbara Schadlin, cujus dexterum brachium apoplexia debilitaverat, Dachovio Monachium verſùs reptare inſtitit. Aliquotenus progreſſa, fractis viribus neceſſatiò de meta aſſequenda deſperavit; quoad à quodam colono, frumenta ad forum vehente, ambæ ex commiſeratione in currum ſublatæ, & in urbem devectæ ſunt. Tum ad templum D. Michaëlis Anna, Barbarâ comite, perreptans ad S. Ignatii aram preces fudit, & calamitatis ſuæ hiſtoriam ædituis & patribus Societatis Jeſu explicavit; à quibus ad proſequendam recuperandæ ſanitatis ſpem animata, oleum è D. Ignatii lampade impetravit; eoque torpentes nervos inunxit. Poſtridie duodecimo Julii, in eodem Societatis Jeſu templo animum Confeſſione purgavit, rei divinæ ad aram ſalutis ſuæ ſupplex accubuit: qua ad finem tendente, intrinſecus impelli ſibi viſa eſt ad vires pedum tentandas, quæ tamen tantæ non fuerunt, ut ipſa moliri ſeſe & erigere in pedes poſſet. Subſidium igitur à Barbara comite ſua poſtulavit; quæ ipſa quoque manca cum oneri ſublevando par non eſſet, mulier Monacenſis Urſula Kirmayrin, quæ itidem Sacro interfuit, luctantibus opem tulit, & attonitam gaudio Annam erexit. Illa gradiendi facultate recuperatâ, aliquantum extra ſe poſita, ubi animum recepit, relicto illîc pro anathemate ſuſtentaculo, ad ſummam aram ſuis jam pedibus abſque ullius adminiculo, recto corpore acceſſit, & ſacram Euchariſtiam de manu ſacrificantis accepit. De priſtino malo primitùs aliquis nervorum tremor remanſit, F qui tamen libertatem ab inceſſu tamdiu deſito non prohibuit, niſi quod inuſitati greſſus frequentia aliquem cum laſſitudine recentem dolorem generaſſe videbatur, quem ipſum etiam poſtea crebrior Ignatiani olei uſus abſterſit. Quam immedicabilis omnium judicio morbi, præter naturæ ordinem factam & authenticis teſtimoniis comprobatam curam, ad omnipotentis Dei gloriam, S. Ignatii honorem & ægrorum ſolatium his ſcriptis publicamus, datis Friſingæ in epiſcopali reſidentia noſtra, die XVIII Auguſti, anno MDCXXXI. *Et infrà notatur hujus apographi exemplar excuſum* Apud Cornelium Leyſſerium, Electoralem typographum, anno MDCXXXI.

Abacti dæmones Trevitis: 388 *Litteræ annuæ noſtri collegii Trevirenſis inter ea, quæ habeo, ad annum* 1680 *referunt* pleniſſimam horroris, & indubiè maximi portenti rem (ſi juratis teſtibus, non uni, ſed pluribus danda fides) quæ in eccleſia *ibidem* metropolitana aliquot conſequenter noctibus, cum terrore ac conſternatione civitatis ac patriæ univerſæ contigit: cuique remedium tandem fuiſſe multi credunt re-

EX VARIIS. liquias & imagines S. P. N., quas ab ostiis & januis passim suffixerunt patres nostri rogatu canonicorum metropolitanorum. *Rei summa, pluribus ibidem descriptæ, est; quod à spectris tumultuantibus terrifico fragore omnia sus deque verti, ac frustatim frangi viderentur &c.*

sanata monialis Tridentii.

389 *Apographis è nostro collegio Tridentino acceptis inseritur sanitatis, à* S. Ignatio *cuidam ascetrii Ursulinarum virginum anno* 1707 *Oenoponti collatæ relatio; quâ ad invocationem Sancti ascetria illa à diuturno ac purulento ulcere in momento sospitata fuisse scribitur. Ex ejusdem præterea collegii litteris annuis ad annum* 1726 *discimus, D. abbatem Musochium vulgò dictum, Oratorii Neriani Præpositum, adornanda S. P. N. panegyri occupatum, manumque ei jam imponentem ultimam, auditûs organi, quam à Sancto petierat, in sinistra aure restaurationem consecutum fuisse. Nonnullis interjectis sequitur in dictis apographis prodigium intercessione* S. P. N. Ignatii *Molfeti in regno Neapolitano, confirmatum à reverendissimo D. episcopo Vigilienſi, in quadam Ordinis S. Benedicti moniali, cui pristinus membrorum usus restitutus est. Quod per transennam hîc additum sit.*

B

CLASSIS V. EX PROVINCIA BELGICA.

Claruit S. Ignatius beneficiis in Gallobelgica.

Allobelgicam provinciam Vir sanctus paternæ erga miseros atque afflictos caritatis visceribus complexus est. Cujus rei testes appello domos nostras Duacenam, Bethunienſem, Armenterienſem, Malbodienſem ac Namurcenſem; è quarum documentis Ignatiana beneficentia confirmatur. Breve est illud ex historia collegii Duacensis ad annum 1610; R. P. Ignatius tam in hac urbe, quam in vicinis locis miraculorum famâ hoc anno celeberrimus fuit, cujus effigies paucis mensibus saluti fuit non paucis.

Flandrobelgicam

391 *Supereſt denique nostra provincia Flandrobelgica, quam & Sanctus suâ præsentiâ vivus, & mortuus beneficiis ac miraculis illustravit. Beneficia notantur in instrumentis, quæ accepi è nostris collegiis Gandensi, Iprensi, Trajectensi ad Mosam; quæque bene multis fastorum hujus nostræ domus professæ Antverpiensis locis referuntur. Adde collegii Lovanienſis historiam Ms. ad annum* 1556, *occasione lineæ interulæ* S. Ignatii (*de qua Commentarius meus prævius* § 110, *num.* 1152) *sic habet:* Cujus deinde contactus desperatos subinde morbos ab ægris per certum miraculum dispulit. *Exemplo sit, quod ibidem ad annum* 1618 *scribitur de virginis Religiosæ, Ordinis Annuntiatarum, nomine Joannæ Blaesberge sublato morbo, qui ad desperationem jam sæviebat, per interulam seu indusium sancti Patris, instantissimis precibus à collegii Rectore petitum; quod infirma, summa cum veneratione amplexa, magna cum fiducia pectori appressit.*

C

variis favoribus

392 *Ad annum verò* 1611 *narratur, P. Joannem Boxhorn S. J., theologiæ ibidem studiosum, sed negotii alicujus gratiâ in Flandriam profectum, dum non procul abesset Bergis S. Winoci, & vehementi siti urgeretur, è villa proxima potum petiisse, ac poculum incantatum innoxiè hausisse, massâ ejusdem maleficâ sub reliquiarum S. P. N. theca, quam è collo gestabat, hærente; quam eò utpote sacra ac fortior earum vis, ne stomacho noceret, miro modo pertraxerit.*

Inter ecgrapha nostra è collegio Lovanienſi accepta notatur, ibidem in cubiculo R. P. Rectoris servari instrumentum authenticum alicujus miraculi, quod Lovanii contigit per intercessionem SS. Ignatii & *Xavcrii, & cujus apographum ante me habeo, in Lucia de Ridder Mechlinienſi, per annos duodetriginta à spectris & lemuribus terribiliter exagitata Lovanii, Bruxellis ac Mechliniæ; sed affixa ad parietem eorumdem Sanctorum imagine, fusisque ad eam precibus liberata. Res gesta à perillustri abbate S. Gertrudis, sub cujus jurisdictione Lucia prædicta habitabat, & ab aliis insignibus ac doctis viris examinata, atque habita fuisse pro* certo ac claro beneficio ac miraculo, *dicitur in scripto, quod linguâ nostrâ Belgicâ super hac re confectum, & à testibus ac notario consignatum est.*

D

Habeo instrumentum linguâ Gallicâ conscriptum, quod memorat, Annam de Witte Mechlinienſem, annorum quatuordecim spatio miserè laborantem multis gravibus & miris admodùm malis, anno demum 1626, S. Ignatio *patrocinante, ab iis liberatam fuisse.*

prosecutus est.

393 *Bergis S. Winoci die* VIII *Januarii* 1611 *P. Dominicus Schenckelius S. J. ad nostrum P. Franciscum Fleruntinum, tunc procuratorem provincialem Bruxellis, de cujusdam fratris nostri Gilberti Herman curata S. P. N.* Ignatii *beneficio tibia scribebat hæc:* Motus miraculis auditis, quæ in ultima B. P. nostri Vita P. Ribadeneira tractat, singulis B. P. N. vigiliis jejunium ad panem & aquam vovit, si ejusdem beneficio à varicibus liberaretur. Nec irritum fuit votum: statim enim suæ petitionis consecutus est complementum: & qui non sine insigni dolore molestiaque ad templum nostrum iverat, doloris expers paulo pòst abivit: tibiam suam postridie mihi frater noster ostendit curatam, parvulo tantùm relicto foramine; quam sine stupore aspicere non potui; quia quasi deploratam paucis diebus antè videram, & à medico nostro audiveram; *ait dictus pater in litteris sua manu scriptis, è quibus ista excerpsi.*

E

Anno 1625 *Mechliniæ Maria Cachlearia in nervo tibiæ ab igne læsa fuit; ruptâque venâ in dies sanguinem emittebat. Ad hæc, ex nervorum contractione, una tibia deformiter præ alia remanebat brevior. Sed latice in honorem Sancti benedicto, brevi tempore & sanavit ulcus, & tibiam reduxit ad priorem mensuram; ex publica sententia archiepiscopi Mechlinienſis, teste Carnolio cap.* 46.

F

Inter Litteras annuas nostri collegii Iprensis invenitur mira sanatio nobilis D. Petronillæ Franciscæ Diserinx, à veneficio, per invocationem S. Ignatii: *etenim institutâ ei à die* 1 *Junii* 1668 *novenâ, liberatur Narratio facti Flandrica, quam præ oculis habeo, juratis testimoniis roboratur.*

D. Petrus de Schot, præstito in manibus consulis ac scabinorum Buiburgensium juramento, testatur, fratrem suum anno 1636, *à continua & vehemente febri, appensis ægroti collo firma cum fiducia* S. Ignatii *reliquiis, sospitatum fuisse; & cantatum deinde Sacrum solenne in gratiarum actionem; ex juridico originali instrumento, è quo hæc extraxi, & quod notatur die* 2 *Novembris* 1656.

Recentissima sunt duo alia beneficia, quæ in Litteris annuis Mss. provinciæ Flandrobelgicæ notantur: & alterum quidem circa infantem, Antverpiæ ope S. P. N. ad baptismum perductum, ad an. 1727; *alterum verò circa puerperam, sine sectione mortuo fœtu liberatam; ad annum* 1728.

Miraculum

394 *Subjungo miracula tria, quæ tamquam talia auctoritate publica Ordinariorum roborata sunt.*

A *ſunt. Anno* 1628 *Burburgi ſequens contigit; ex cujus authentica & originali approbatione, membranæ inſcripta, & ab illuſtriſſimo D. Petro Pannetio, epiſcopo Audomarenſi data, excerpo iſta:* Inciderat ſoror Joanna Tereſia Dolicque, Religioſa profeſſa tertii Ordinis S. Franciſci conventûs nuncupati Hoſpitalis S. Joannis Baptiſtæ oppidi Broucburgenſis, die (prout colligere licuit) decima menſis Julii anni MDCXXVIII præteriti, in quoddam morbi genus (*tumorem nempe œſophagi, paulo ſupra orificium ſuperius ventriculi, natumque inde ciborum faſtidium &c.*) *Inter graviſſima itaque mala*, S. Ignatii *ope freta*, inſtat illa pro theca reliquiis referta, & maximè S. Ignatii capillis honorata, moræque impatiens, feſtinari avidè rogat. Quam circa horam ſextam veſpertinam ejuſdem diei acceptam, ſumma cum animi alacritate deoſculatur, colloque ſuo petit appendi; *adſtanteſque voce, quâ potuit*, rogat, quatenus Deum unanimes orare velint, ut Sancti iſtius interceſſione liberari poſſit; in quem finem & ipſa ejuſdem opem & auxilium ſeriò implorare non deſiſtit. Subſequuntur effectus, *ſicut pluribus ibidem dicitur.* Mirantur adſtantes omnes tantæ rei metamorphoſim; porriguntque ſorbitiunculam; ſed meliùs triplum oblati ſumpſiſſet.. die ſubſequenti bene manè optat ſurgere..

395 Surgit illa, &, nemine adſtantium adjuvante, abſque ulla prorſus difficultate induit ſe veſtibus; lectumque ſuum (ſi ei conceſſum fuiſſet) ſternere poſſe videbatur.. Quod autem adeo repentina curatio miraculo tribuenda ſit, pluribus cenſemus rationibus: nempe quod poſt apertum œſophagi tumorem, nullum remanſerit ulcus: deinde quod poſt tot dierum morbum, in inſtanti ſint ipſi, ad quaſvis corporis obeundas functiones, neceſſariæ reſtitutæ vires *&c.* His igitur rebus, earumque modo accuratè examinatis atque perpenſis, ſimul viſis.. locupletiſſimis relationibus, maximéque attentis medici judicio, & DD. archidiaconorum ac Decani ſententiis,.. Declaramus curationem illam miraculo per merita S. Ignatii obtento, acceptam eſſe referendam.. Datum Audomaropoli in palatio noſtro epiſcopali, anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIX, Kal. Novembris. *Apponitur ſigillum, & ſignatur* Libertus Galer ſecret.

Burburgi.

C 396 *Anno* 1635, *die* XXVI *Julii patratum eſt hoc miraculum; è cujus exemplari ibidem typis cuſo, iſta delibo:* Maria Bonnieria, Philippo Bonnierio & Annâ Hondiâ, honeſtis civibus, Antverpiæ nata, cùm annum circiter viceſimum ageret ætatis, gravi laborare cœpit lienis, uteri, jecoriſque obſtructione: ad quam depellendam cùm multa ac varia eſſent adhibita medicamenta, neque illa omnino levaretur, ſed fieret in dies imbecillior; obſtructionem in ſcirrhos degeneraſſe, arte humanâ incurabiles, medici cenſuêre. Biennium ægritudo tenuerat: ipſam verò ita & vires defecerant, & fregerat morbus, ut alterum dein biennium, minimùm certè duos ac viginti menſes jacuerit lecto affixa. Quo omni tempore neque conſurgere omnino, nec ſtare pedibus, nedum inambulare per cubiculum potuit, ac ne veſtibus quidem ipſa ſeſe induere, ut plurimùm nec pedem movere, nec attollere ad caput manus.

Miraculum Antverpiæ factum

exponitur ex natura

397 Interea frequenti corripiebatur animi defectione, adeoque diuturnâ, ut ſenas plerumque, denas ſæpè, quandoque viceñas, imò & quadragenas horas duraret. Intumuêre præterea crura atque abdomen: manifeſtum hydropis principium. Liventibus maculis corpus omne conſperſum: hypochondria dolor tam acerbus invaſit, ut ne leviſſimum quidem attactum, ſine ingenti ſenſu doloris & ſyncopes periculo ferre poſſet. Erant genuum pedumque nervi contracti; palatum undique puſtulis exulceratum ac perforatum. Unus eam medicus pridem deſeruerat, dictitans (etſi eſt alioquin ſingulari præditus experientia) nihil à ſe infirmæ afferri opis poſſe. Alter, non tam ſuperandi quam leniendi mali gratiâ, varia experiri inſtitit. At fruſtra fuêre omnia. Aliam è cælo ſoſpitatricem manum ita inveterata poſcebat ægritudo.

ex variis.

398 Quadriennium jam laboraverat, decubuerat ferè biennium Maria: cùm anno MDCXXXV, XXVI Julii, viſit eam è Societate Jeſu ſacerdos, cui illa jam à decem annis confiteri peccata conſueverat. Hic variis illam verbis ad tolerantiam hortatus, ait ſibi præſtantes quaſdam reliquias eſſe S. Ignatii de Loyola, Parentis ac Fundatoris Societatis Jeſu, quas ei ad dies aliquot concedere velit, ſi quâ par eſſet pietate & recuperandæ valetudinis fiduciâ ſuſcipere eas velit. Eximio ſenſu perfuſa pietatis, actis patri gratiis, eas ægra reverenter in manus ſumit, ſpe tanta, ut cùm moneret pater, eas ſe ad ipſius S. Ignatii, qui XXXI Julii celebratur, natalem repetiturum, illa apud ſe ſtatueret, eas omnino non reddere, niſi plenam adepta eſſet ſanitatem. E

morbi

399 Abit Pater bene illi precatus. Ipſa ad collum ſibi appendere ſacram thecam conata, cùm neſcio qua vi arcana cohiberi ſe ſentiret, (fortaſſis ut fiduciam difficultas intenderet) ſororem advocat: neque tamen eam paſſa eſt illas collo injicere, id à ſe fieri debere profeſſa, ſuperante imbecillitatem ſpe ſubſidii cæleſtis. Exinde ut ſancto munita amuleto eſt, vehementem toto corpore dolorem ſenſit. Nihil tamen eo imminuta fiducia eſt: adeoque amitæ ſe inviſenti, ac quærenti qui haberet, reſpondit ſe doloris quidem acerbitate penè enecari, brevi tamen S. Ignatii ope incolumen evaſuram.

ſpe infirmæ,

400 Pòſt ſecum ita Deum, ita Sanctum ferè precata eſt: Mi Deus, ecce tot jam annis, quod ſanctiſſimæ tuæ placuit voluntati, id egi lecto affixa; tu meæ nunc quoque per ſancti Ignatii merita voluntati obſecunda. Et ſpondeo, fore ut majore deinceps ſtudiò, tuo me obſequio devoveam. Tum ad S. Ignatium converſa, Sancte Pater, ait, tua ſæpenumerò imago dæmones fugavit, fac, quæſo, ut ſancti tui corporis reliquiæ eamdem in depellenda à me ægritudine vim habeant. Quæ cùm dixiſſet, ſenſim in ſuaviſſimum ſoporem reſolvitur, cùm octo ipſos dies vix dormiiſſet, & ſæpè aliàs moleſtâ vigiliâ, aut turbulentis inſomniis vexaretur. Poſt quinque circiter horas experrecta, ſanam ſe omnino comperit. Ne tamen ſororem (quæ in eodem cubiculo aliquot jam annis illi obſequium, cùm poſceret, præſtitura decumbebat) excitaret; quieſcendum ſibi adhuc tantiſper exiſtimavit: actiſque Deo & S. Ignatio gratiis, iterum ſomno corripitur. F

ac miro modo

401 Ubi denuò experrecta vigilare ſororem animadvertit (jam dies XXVII Julii illuxerat) ſanam ſe conclamat, veſtes poſtulat, induit, ac ſurgit nihil alienæ indigens opis. Deinde per gradus benè altos deſcendit; parentes, vix ſatis ſuis credentes oculis, ſalutat. Aditur ad domum Societatis: narratur miraculum. Concurrunt vicini, qui deſperatam ejus ægritudinem norant. Medicus, ubi ejus illi mentio eſt facta, quâ horâ objiſſet, quærit, obſtupeſcit audito, quod geſtum erat, & manifeſtam Dei manum pronuntiat. Ipſa dein-

redditæ ei ſanitatis.

EX VARIIS. deinceps integris etiamnum est viribus, neque ullis postea usa pharmacis, nec cibis, nisi quibus universa familia vescebatur.

Res examinatur, & ab illustrissimo Antverpiensi approbatur.

402 Quoniam Dei Sanctorumque mirabilia opera (secus quàm mortalium regum sacramentum) revelare ac prædicare religiosum est ac laudabile; visum est faciendum, ut res tota legitimis testimoniis probata, publica auctoritate, juxta concilii Tridentini decreta, confirmaretur, atque ad Dei, Sanctorumque honorem augendum, & populi inflammandam pietatem, publicaretur.

Reverendissimus Antverpiensium episcopus Gaspar Nemius, primordia suæ sedis (nam præcedente Dominica XXII Julii erat solenniter inauguratus) gavisus hoc cælesti beneficio illustrari, inque spem erectus fore, ut deinceps & populi sui erga Deum Divosque religio, & Dei ac Sanctorum erga urbem diœcesimque universam favor constaret; ne quid tamen temere fieret hoc in genere, duos è canonicis ecclesiæ cathedralis, viros graves & eruditos, Gasparem Estrix Plebanum, & Antonium Tassis, hunc juris utriusque,
B illum theologiæ, Licentiatos, jubet in rem totam sedulò inquirere.

tamquam verum miraculum.

403 Qui postquam XV omnino testes audiere (plures citari non attinebat, cùm essent alioquin ferè innumeri:) retulerunt, omnino constare, quæ jam sunt à nobis commemorata. Episcopus tandem habito theologorum aliorumque piorum virorum concilio, decrevit XV die Novembris, posse ac debere eam curationem, invocata S. Ignatii ope ita subitò factam, verum miraculum haberi ac publicè prædicari. Vidit G. Estrix Pleb. lib. censor.

Ad majorem verò gloriæ Dei & Sancti ejus honoris propagationem; die XXVI *Novembris, horâ nonâ habenda ad concionem dictio, ac deinde solennis Missa in templo domus professæ nostræ, in* D *gratiarum animi tesseram decantanda denuntiantur in impresso programmate.*

Aliud Ruremundæ.

404 *Anno* 1637 *Ruremunda vidit aliud miraculum, quod illustrissimus D. Jacobus à Castro pro tali habuit, ac approbavit publico suo testimonio, quod in lingua nostra Belgica typis editum præ manibus habeo, notum faciens, sese intellexisse ex testificatione expertissimi D. Henrici Ooms, doctoris medici, quod filiola ejus Joanna Clara mense Novembri* 1637, *undecimo ætatis suæ mense, sana; & pro ratione ætatis, corpore rectè constituto fuerit; sed quod pauco pòst tempore, eò fuerit redacta macilentiæ, ut pellis, consumpta carne, ossibus circumvolvi posset; & tametsi ex nulla causa naturali id oriretur; judicabat tamen dictus parens, suam prolem non posse supervivere ad octo dies. Suspicatus itaque repentinam istiusmodi macilentiam è malo quodam diabolico originem ducere, ad* S. Ignatium *habuit perfugium; sacrum solenne, si filia convalesceret, promisit; frustulum reliquiarum Sancti, collo ejus appendit, & aquam, in honorem ejusdem Sancti benedictam, cibo ac potui infantis admiscuit. Quo facto, illa eodem mox* E *die cœpit convalescere, & ad majorem in dies carnis plenitudinem promoveri; donec intra quatuordecim, ut summum, dies pristinum statum, imo meliorem, quam priùs, corporis constitutionem recuperavit. Dictus igitur Illustrissimus, re examinata,* Declaramus, *ait,* subitam causæ malì hujus depulsionem, & præcedentis constitutionis tam exiguo tempore restaurationem, adscribenda esse miraculoso beneficio sancti Patris Ignatii, & pro miraculo habenda. Actum primâ Februarii MDCXXXVIII. Jacobus episcopus Ruremondensis.

CAPUT IV.

Gloria posthuma ex imaginibus, ac patrocinio tutelari; singularis erga Sanctum veneratio.

§. I. *Imago Munebregana, Guadianensis, Antiquariensis, Regalbutana, ac Crembsiensis.*

C *De imagine Munebregana,*

QUam impense Sanctus præ animi in tenues umbras se colligentis modestia noluit se, dum viveret, depingi; tam sedulò divinam diceres providentiam curavisse, ut pluribus in locis imagines ejus, jam vitâ functi, redderet gloriosas. Has inter egregiè excellit Munebregana; de cujus miraculis sermo mihi fuit suprà inter prodigia Hispanica. Fertur ea fuisse depicta ab angelo, sub forma cujusdam peregrini latente. Rem narrant P. Alfonsus Andradius part. 3, cap. 1; P. Franciscus Garcia lib. 6, cap. 5, & P. Aloysius Carnolius cap. 42; qui imaginem præterea ibidem describunt. Anno 1722, die XIII Aprilis venerabilem illam picturam honorare Munebregæ mihi licuit.

Guadianensi,

406 *Civitas Guadianensis, novæ Biscaiæ in nova Hispania metropolis, imaginem habet* S. Ignatii *prodigiis claram; quorum multa juridicis informationibus; alia publicâ civitatis famâ esse roborata, testatur Garcia lib. 6, cap 5; qui de ipsa imagine nonnulla locutus, profert unum pro multis, idque primum, ait, omnium aliorum, quæ post acciderunt, miraculum de moribundo, ejusdem applicatione subitò sanitati restituto; cui prodigio aliud successerit majus; illud videlicet, quod imagine sublata à vultu moribundi, omnia ipsius symptomata ad Sancti in eadem expressi vultum commigrarunt, utputa pallorem, debilitatem, oculorum confractionem, hominisque jamjam animam exhalaturi spectaculum, eo usque, ut vel tres quidem sudoris guttæ, quæ erant in infirmi fronte, in vultu* S. Ignatii *impressæ fuerint: quin ipsæ etiam manus, & quidquid carnei in imagine videbatur, moribundi similitudinem præ se tulerint, & sic hodiedum perseverent; uti habes loco citato. Carnolius cap. 42 pro rei veritate citat relationes excusas, quæ è processibus extractæ sint.* F

& Antiquariensi,

407 *De prodigioso sudore imaginis Antiquariensis in provinciâ Bætica meminit Nierembergius in Vita* S. Ignatii, *cap. 36, pag.* 101, *editionis Cæsaraugustanæ anni* 1631. *Exstat inter apographa nostra Ignatiana scriptum hoc titulo,* Copia epistolæ P. Joannis de Casarubio Rectoris collegii Societatis Jesu Antiquariensis, ad P. procuratorem Matritensem scriptæ anno MDCXX super miraculo facto per B. P. N. Ignatium; *ubi circa mirabilem illum sudorem ita edisserit:*

quæ prodigioso sudore

408 Nolui Væ. Ræ. quidquam de hac re nuntiare, nisi confecto informationis instrumento, quod

A quod ad reverendiſſimum D. epiſcopum Malacenſem tranſmitto; ideoque rei ſeriem nunc Ræ. Væ. perſcribo, quod pluribus ſuis litteris à me petiit. Res accidit ipſo D. Mathiæ feſto XXIV Februarii. Celebrante nimirum Sacrum in capella vineæ noſtræ certo ſacerdote, uxor Philippi Muñoz, duæ ancillæ, & duo famuli adverterunt imaginem B. P. N. Ignatii aqueis guttis madere; nihilque aliud ſuſpicantes exiſtimarunt coloni incuriâ accidiſſe, ut, dum ſacellum aquâ aſpergeret, etiam imaginem madefeciſſet; ægrè ferentes, quod, cum venuſta eſſet atque pulchra, tam malè habita fuiſſet.

409 Poſtero die tranſivit illac cognatus ejus, qui nobis fundum vendiderat; petiitque ab inquilino, ut ſibi domum viſere liceret; quam ille non gravatè illi oſtendit, ſimulque oſtium atque feneſtram capellæ aperuit (nam clauſa fuerant,) & erat B. P. N. Ignatii facies, manus, & veſtis, qua parte ea apparebat, aquæ limpidæ guttis conſperſa. Ægrè item hoc tulit vir ille, expoſtulavitque quod inquilinus tam negligenter atque inconſideratè ſacellum aſpergeret, ut etiam B. P. effigiem madefaceret. Cui reſpondit inquilinus, affirmavitque ſe à multis diebus ſacellum non conſperſiſſe. Tum alter: Et unde ergo iſta aqua? Simul tabulam deponunt, eamque ſiccam deprehendunt, conſcendunt ſuperius tabulatum, ſcrutanturque quanam via eò aqua perveniſſet, & nullum indicium deprehendere potuerunt. Jamque ſudariolis omnem humiditatem abſtergebant; cum advertunt Beati faciem alium atque alium induere colorem: nimirum palleſcere, poſtmodùm erubeſcere: ſimulque facie, occipite, manibus atque veſte ſudare cœpit atque liquorem emittere, ut confertim quaſi matutini roris guttulis conſperſa conſpiceretur. Itaque miraculum judicantes in genua ſe provolvunt ac preces fundunt, & poſtmodùm abſterſa iterum imagine diſcedunt.

ſuis

B

madefacta.

410 Aderant eo tempore omnino ſex perſonæ, quando digreſſæ obviis paſſim ruſticanis hominibus rei ſeriem divulgarunt, ex quibus ſub veſperum viginti & unus in ſacellum convenerunt, accenſiſque luminibus cum beati P. effigiem ſiccam reperiſſent, ea continuò iterum colorem mutare cœpit, & tanta quantitate liquorem emittere, ut exuberantes rivuli in terram defluerent. Qua re in admirationem ducti etiam preces fuderunt, imaginemque poſtmodùm ſiccaverunt: ſed cum iterum eodem modo madefacta fuiſſet Sancti effigies, conceptis votis conſtituerunt, ſe lampadem, quæ continuò arderet, ibi poni curaturos, & poſt octavam circiter noctis horam inde diſceſſerunt. Itaque magis adhuc rei fama divulgata fuit. Die Jovis multus eò populus convenit; ſed imago non ſudavit. Die verò Veneris iterum eò convenerunt triginta & unus homines, quos vixdum loci anguſtia capere poterat, ſudavitque liquorem imago bis eodem modo atque die Mercurii præcedente fecerat. Poſtmodùm amplius non ſudavit: nam eam in cubiculum meum detuli, atque coopertam huc uſque reſervavi, donec res magis divulgetur. Atque auditis legitimo modo atque ſecundùm jura, viginti teſtibus, inſtrumentum fieri curavi. Per tria ex ſtrophiolis linteiſque, quibus abſterſa fuit aqua, miraculum perpetratum eſt, curato repentè infirmo, cui applicita fuerunt. Ita teſtes dixerunt & jurarunt.

C

411 *Duabus hiſce imaginibus adjungo tertiam, apud Regalbutenſes in Sicilia, miraculoſi ſanguinis effuſione, ac prodigiis celeberrimam. De his quidem egi ſuprà inter miraculorum notitias è Sicilia; de hac verò, uti & de ipſa imagine dicendum nunc eſt, ſecundùm eà, quæ tradit libellus excuſus, quem ibidem citabam. Rei geſtæ ſubſtantia habetur in teſtimonio, quod exſtat ad calcem prædicti libelli, & notatur datum.* In clariſſima urbe Catanæ die XVIII Aprilis quintæ Indictionis MDCLXVII. Quamvis divi Ignatii Loyolæ ſanctimonia civium noſtrorum animos jam pridem ad ſingularem ſui cultum, & venerationem excitaverit; nuperrimè tamen cum hanc noſtram Regalbuti civitatem præclaris ab ipſo auctam miraculis inſpexerimus; ita ut non ſolùm cives noſtros ad ſe traxerit continuis in dies miraculis, ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo noſtro Catanenſi epiſcopo ritè & authenticè approbatis, & typis impreſſis; ſed etiam vicinarum civitatum concurſu, ad venerationem, & gratias impetrandas à dicto ſancto Patriarcha Ignatio inſigni miraculo in noſtra civitate perpetrato; cum 2 Junii quartæ Indictionis MDCLXVI admiranda ejus imago papyracea ex digito indicis dextræ manus ſanguinem effudit; viſum cæcis reſtituendo; paralyticos ſanando, & alia quam plurima miracula, & gratias largiendo, ad ſacroſanctam & miraculoſam imaginem recolendam omnium civium mirabiliter animos excitavit:

EX VARIIS. *Regalbutenſis cum approbatione Ordinarii hîc notatur,*

E

412 Officii noſtri partes eſſe duximus in tutelarium Divûm, & patronorum numerum, ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium referre, ejuſque diem feſtum, omni pietatis ſignificatione quotannis celebrare, dictamque miraculoſiſſimam imaginem in theſauro noſtræ matricis eccleſiæ nunc conſervatam cum reliquiis ſancti Viti martyris, principalis noſtræ civitatis patroni, proceſſionaliter die feſto per civitatem deferre, ampliori deinceps noſtræ civitatis gloriæ ac emolumento futuram tanti Divi tutelam minimè dubitantes, quem D. O. M. ad majorem ſui nominis gloriam, ubique terrarum propagandam fideliſſimum miniſtrum elegit, atque illius Religioſæ familiæ inſtitutorem. Egregiam curam & ſtudium in animarum ſalute procuranda, non modò cives noſtri perſæpè ſunt experti; verùm etiam univerſi orbis nationes in dies experiuntur. Hoc verò priùs facta poteſtate ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo Fr. Michaële Angelo Bonadies, epiſcopo Catanenſi, nos Jacobus Roggeri, Aurelius Gualteri, Petrus Girardi, & Paulus Girardi Spect. jurati, & Vitus Palermo, prædictæ civitatis Sindacus, tam nomine proprio, quàm totius populi peculiari inſtantia & petitione, ut in futurum appareat, & ad perpetuam rei memoriam, mandamus per acta noſtræ curiæ hunc præſentem actum fieri, perpetuò valiturum ad gloriam, & laudem dicti ſancti Patriarchæ; & ad declarandum dictæ noſtræ civitatis erga Sanctum obſequium, hodie die decimo Aprilis quintæ Indict. MDCLXVII, feſtivo Domini noſtri Reſurrectionis die. Scribatur. Frater Michaël Angelus epiſcopus Catanenſis.

tum magiſtratus calculo Sanctus in patronum aſſumitur.

F

413 *Quarto loco occurrit imago Pragenſis; de qua excerpta è Ms. Hiſtoria provinciæ Bohemiæ S. J., quam num.* 382 *occaſione beneficiorum* S. Ignatii *citabam, referunt iſta:* Anno MDCLXXIV icon eadem, quæ prius in presbyterio majoris aræ, in templo Salvatoris Societatis Jeſu Vetero-Pragæ, ad latus Epiſtolæ, non procul à presbyterii cancellis expoſita viſebatur, & colebatur, occaſione inſignium aliquot beneficiorum per eam obtentorum, inde tranſlata & collocata eſt in latere ſacelli S. Ignatii, quod exſtat in eadem eccleſia: ut nimirum acceſſus ad eamdem iconem, & ad oſcula manui ejuſdem figenda, facilior red-

Pragenſis imaginis veneratio,

EX VARIIS. deretur. Præter radium auro & gemmis divitem, qui Sancti caput ambit, & pretioſum pariter à gemmis nomen Jeſu, à corde Sancti dependens, etiam manus ſiniſtra, quæ potiſſimam venerationem habet, radiis tota incincta eſt. Crevitque ab eo jam tempore mirum in modum devotio & accurſus matronarum præſertim partui vicinarum, quæ ad cetera cultûs genera, diem præſertim XXXI Julii, S. Patris onomaſticam, ſacra Confeſſione, & Communione celebriorem reddunt, & numiſmate, reliquias in ſe Sancti continente, ad collum appenſo, de felicitate partûs ſibi paſſim gloriantur. Porrò beneficia, quæ huic imaginis venerationi anſam dederunt, præ ceteris habentur ex fide digna relatione, etiam typis impreſſa, ſequentia duo:

ac gratiæ

414 Erat perſona nobilis, animò à Societate Jeſu tam averſo, ut etiam ejus Fundatorem in publico convivio proſcindere, convitiiſque laceſſere non vereretur. Accidit, Dei haud dubiè diſpoſitione aut permiſſu, ut in periculum fortunarum omnium ac honoris provolveretur, nec medium appareret, ex hoc labyrintho ſe extricandi. Succurrit memoria prioris temeritatis, perſonaque vindicem Dei manum agnoſcere cœpit. Hanc igitur ſibi iterum propitiam reddere, & præmiſſâ doloris plenâ peccatorum Confeſſione, ſacraque Synaxi [illatam] Sancto injuriam ardentibus precibus deprecari ſtatuit; quod & fecit. Ecce autem, dum oſculo Sancti manui fixo, diſceſſum parat, duo præter exſpectationem mira obſervat. Primò Sancti manum illam ſiniſtram videt, quamvis ardentiſſima æſtas eſſet, largo ſudore madentem: dein manum eamdem, dum ipſa ad ejus oſculum utcumque violenta corporis ultra cancellos protenſione ſeſe inflectit, ſuo loco moveri, & obviam ſibi extendi; quaſi Sanctus & deprecationem gratus acciperet, & veniam daret, & auxilium in neceſſitate polliceretur; quod & actutum experta perſona eſt, dum periculis omnibus exempta, hoc titulo ad novas grates reddendas obligatam ſe agnovit, atque profeſſa eſt.

per eam obtentæ.

415 Alterum erat, quòd, dum alio tempore majoris nobilitatis perſona uterum gerens, ad partûs felicitatem exorandam ſimili oſculo Sancti ſiniſtram colere vellet; verùm id ipſam graviditatis ob cauſam, cancellis obſtantibus, præſtare ægerrimè valeret; pariter Sanctus eamdem manum, ſuo loco reſolutam extenderit, & perſonæ illi ad oſculi facilitatem præbuerit.

Quædam imago Crembſii mirâ in impium vindictâ memorabilis.

416 *Quinta ſe offert imago Crembſii (oppidum eſt Auſtriæ inferioris) de qua in tranſmiſſis noſtri ibidem collegii monumentis lego mirum caſum, qui refertur ibidem ad annum* 1645. *Wertramus, Straleſundâ oriundus; ſupremus vigiliarum præfectus, quem Sueci Majorem vocant, octavo, qui feſtum* S. Ignatii *anteceſſit, die, iconem ejuſdem Sancti à pectore ad genua deorſum inter diras fœdum deformemque in modum mutilavit. Sed octavo poſt die, qui Sancto erat ſacer, cum rurſum collegii noſtri aream inſanas inter vociferationes obequitaſſet aliquantiſper, indeque digreſſus in proxima mœnia ſublimis evaſiſſet, operas in reparandis foſſis occupatas, pro ſuo munere ſpeculaturus; à tormenti glande, quod Cæſarei in oppoſita Crembſio Danubii inſula explo-ſerant, miſerè dilaniatus procubuit; non caſu, ſed divina vindicta; eò maximè, quod excuſſus tormento globus non recto, uti notatum à pluribus eſſe ſcribitur, ſed ſinuoſo volatu; ac duos inſuper per obſtantes turres in ſacrilegum impegerit, eumque à pectore deorſum, qua parte nimirum* S. Ignatium *in effigie conſciderat, fœdè diſcerpſerit.* D *Imago porrò illa poſtea in eccleſia fuit publicæ venerationi expoſita, priſtinæ violationis veſtigia hodiedum exhibens, inter complura anathemata in honorem ſancti Patris oblata à clientibus ejus, tanto prodigio excitatis; ſicut habetur ex iis, quæ loco citato ſubſequuntur. Atque hæ quidem ſunt imagines, de quibus hîc præ reliquis dicendum cenſui: in aliis præterea bene multis Virum ſanctum à Domino redditum fuiſſe inter homines ſpectabilem, principibus autem tenebrarum horribilem; planum eſt tum ex dictis circa miracula; tum ex gloria poſthuma ex commoratione Barcinonenſi, ſuprà cap.* 2, § 6.

§ II. *Sanctus in variis Hiſpaniæ, Italiæque locis &c. patronus tutelaris.*

Patronus eſt Sanctus Guipuzcoæ, Aſpeithiæ &c.

I*Nter documenta è noſtro collegio Loyolano huc miſſa notatur, ibidem exſtare de Guipuzcoano* S. Ignatii *patronatu Decretum provinciæ perhonorificum. Et Aſpeithienſes imprimis ejuſdem provinciæ incolæ apud P. Gabrielem de Henao Antiquitatum Cantabricarum tom.* 2, *lib.* 3, *cap.* 32 *religioſam admodùm erga Sanctum ſuum populærem comprobant venerationem; ut videre ibidem datur in inſtrumento antiſtitis Pampelonenſis D. Antonii Vanegas de Figueroa, ſignato in eadem urbe die* IX *Julii anno* 1610; *ſed ad noſtrum propoſitum præcipuè conducunt illa, quæ paullo poſt ibidem ab Aſpeithienſibus moderatoribus pronuntiantur; nimirum quod oppidum Aſpeithienſe, cujus id adeo intereſt, acceperit in Patronum, protectorem & advocatum ſingularem* S. Ignatium de Loyola, *attentis multis ac magnis beneficiis, quæ illud oppidum accepit per ejus interceſſionem in vita & in morte &c.; quæ dat aliud inſtrumentum ibidem. Comitia generalia Biſcaina anni* 1680 *magna cum conſenſione & applauſu* S. Ignatium *elegiſſe in ſingularem Patronum, protectorem & advocatum in cælis, habetur ex Garcia lib.* 1, *cap.* 1. *Adde, quod* populus Munebreganorum S. Ignatium patronum ſibi ſuiſque adlectum ſolenniter indigitaverunt, & de colendo feſto die, Patrono ſuo votis ſe obſtrinxerunt; *ex narratione miraculorum Munebreganorum, de qua dixi ſuprà num.* 357. F

Bononiæ, Beneventi

418 *Italia in hoc genere religionis erga Sanctum non mediocriter eluxit: nam Bononia Protectoribus ſuis ſanctum Patrem accenſet; ſicut legere eſt apud Maſinium in Bononia perluſtrata ad diem* XXXI *Julii. Factum exponit P. Antonius Macedo noſter in Divis tutelaribus orbis Chriſtiani; ubi ſub titulo* Bononia *pag.* 148: Anno, *inquit,* MDCXXXIV Antonio Barberino Cardinali Legato, ſæviente per urbem morbo peſtifero, & magnam incolarum ſtragem edente, ſanctiſſima Dei Mater laboranti populo, ejuſque opem aſſiduis precibus poſtulanti opportuna ſubvenit, unà cum beatis Ignatio de Loyola, & Franciſco Xaverio, ad quorum ſimul patrocinium confugerant cives, inſtituta omnium ordinum ſupplicatione ſolemni, templiſque decenter ornatis. Vix pauci abierant dies, cum depulſa prorſus lue peſtifera, integra urbi ſalus reſtituta eſt: quo effectum, ut communibus omnium votis Bononiæ Patroni delecti fuerint, & magni pretii periſtromata contexta, in quibus B. Virginis, Ignatii & Xaverii imagines

vife-

A vísebantur expreſſæ, cives à contagione liberantium. *Catalogus Sanctorum eccleſiæ Beneventanæ, à Mario de Vipera editus, ritu duplici* S. Ignatium *ſignat, cum una lectione propria; in qua datur ipſi locus inter urbis Beneventanæ patronos.*

ac Forolivii. 419 *Forolivienſes noſtrum Sanctum Protectoris titulo venerantur. Rem geſtam refero ex inſtrumento Italico, quod Româ huc miſſum ita interpretor:* P. Rector Forolivienſis ſcribit, quod, anno MDCLI devotorum eleemoſynis Romæ elaborari juſſo à P. Vincentio Buratti, tenerimè erga ſanctum affecto, divite ac devoto buſto ejuſdem Sancti argenteo, dictus pater rectè ſe facturum cenſuerit, ſi illud portaſſet in ſupplicatione in pervigilio feſtæ lucis, omni, qua poterat, ſolennitate; ſicut factum eſt; intervenientibus Magiſtratibus, ſonantibus omnibus civitatis campanis; & confluentibus admodùm nobilitate ac populo. Felix, quem actio hæc ſacra habuit, exitus animos ei addidit, ut illam continuaret uſque ad annum MDCLXXXIX; quo obiit cum opinione magnæ ſanctitatis. Poſtquam defecerat P. Buratti,
B patres ſemper perrexerunt idem facere uſque ad hodiernum diem; & accreſcere perrexit potiùs, quam minui numerus nobilium faces geſtantium. Ibidem etiam P. Antonius Maria Betti anno MDCCX illam ſuſcepit provinciam, ut curaret eligi ſanctum Patrem civitatis Protectorem, qualis etiam erat S. Franciſcus Xaverius; & quamquam variæ occurrebant difficultates, ſuperavit tamen eas magna exiſtimatione, quam de ſe concitaverat ſuo indefeſſo labore; ſucceſſitque functio ſacra cum pleniſſima approbatione & concurſu. *Hæc ibi.*

Civitas Catanenſis in ruinis Ætnæ 420 Authentica electio S. Ignatii in Patronum civitatis Catanenſis in Sicilia, *apud me eſt in collectione P. Ignatii Pinii è tabulario noſtro Romano: è cujus inſtrumento hæc depromo:* Die 1°. Auguſti VII Indictionis, milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono. Ex quo manus Domini tetigit nos, & in ſpiritu furoris ſui ex præruptis Ætnæ radicibus flammas eduxit ad devorandum; ad irritatam divini Numinis iram avertendam, quâ nos affligendo, quà tutelaris concivis Agathæ patrocinium invocando, in cinere jacuimus, & cilicio, manuſque non ſemel ſupplices tetendimus: tulimus preces Deo, ſed non evacuavimus timorem.

C 421 Quoniam verò ad multitudinem malorum
aſſumit Sanctum in patronum tutelarem, expellendam multiplicatio juvat interceſſorum, ad ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium, Societatis Jeſu Fundatorem, confugere conſilium fuit.. *eumque* in tutelarium Sanctorum, ac patronorum numerum referre ſtatuimus: ut Agathæ concivi, magnæque Deiparæ adjunctus Ignatius *, in funiculo triplici divina trahatur ad nos commiſeratio, quam, ut firmiter apud nos perſeveret, Redemptoris crucifixi clavo (quem in ampliſſimo S. Nicolai de Arenis monaſterio veneramur,) & quidem maximè trabali clavo in patrocinium etiam adſcito, firmatam imploravimus.

**I.* adjuncto *Ignatio*

uti ex publico inſtrumento conſtat. 422 Ideo hodie, habitâ priùs facultate ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo fratre Michaële Angelo Bonadies, epiſcopo noſtro Catanenſi, Nos don Antonius Sigona patritius, don N. N. N. N. N. N. ſenatores, don Hieronymus Aſmundo N. S. Juliani ſindacus, tam nomine proprio, quam totius populi petitione, & conſenſu, ad declarandum noſtræ urbis erga ſanctum Patriarcham Ignatium obſequium, mandamus per acta noſtræ curiæ præſentem actum fieri perpetuò valiturum, quo in futurum appareat Catanenſium fiducia in S. Patriarcham Ignatium, ab eoque impenſum auxilium in tempore opportuno. Cataniæ die primo Auguſti ſeptimæ Indictionis MDCLXIX. *Subditur:* Ex actis curiæ illuſtriſſimi ſenatus clariſſimæ urbis Catanæ extractum eſt cum ſigillo. Joſeph Intrigliolo S. Curiæ. Salva. *Et apponitur ſigillum civitatis Catanenſis.* Sindacus *idem ſonat quod* marchio; *ex teſtimonio P. Ignatii Pinii, qui hoc accepit à quodam patre Siculo.* EX VARIIS.

Patronus eſt apud Lycienſes, 423 *Ad hæc,* Sacra Rituum congregatio XXII Januarii MDCLXXXIX, ſupplicante Capitulo Cathedralis, & Univerſitate civitatis Lycienſis (*in regno Neapolitano, vulgò* Lecce) approbavit electionem SS. Ignatii Loyolæ, & Franciſci Xaverii, in Patronos minùs principales, *inquit laudatus Pater; qui poſtea inſuper me docuit, quod* Univerſitas *hîc non ſignificet ſtudium generale; quale eſt Pariſiis, Lovanii, Bononiæ, Neapoli: verùm Magiſtratum quemdam politicum, ſeu rectores populi in rebus politicis, qui præter Magiſtratum regium reperiuntur Lycii.*

& Caputaquenſes: pro his decretum 424 *Jam verò quid factum ſit apud Caputaquenſes (in dicto regno, vulgò* Capaccio) *dabit ſequens* Decretum illuſtriſſimi & Reverendiſſimi E D. Petri de Matta & Haro, epiſcopi Caputaquenſis; de electione SS. Ignatii & Franciſci in Patronos totius diœceſis Caputaquenſis, *è tabulario Romano huc directum. Textum accipe:* Multorum precibus ad nos humiliter porrectis tam de cleris, quam de Univerſitatibus diœceſis Caputaquenſis, de adſciſcendis patronis, qui nobis ovibuſque noſtris in cælis patrocinentur, ſanctis Ignatio & Franciſco; quorum alter Societatis Jeſu eſt Fundator Ignatius de Loyola; alter Fundatoris ſocius, Franciſcus Xaverius, Indiarum apoſtolus, perſpectâ communi in eos cleri, ac populi diœceſis prædictæ devotione, libenter aſſentimur, tum ad amplificandum templorum cultum, & ad majus auxilium promerendum; tum ad pietatem declarandam, quâ dudum ipſe eorum ſanctimoniam ſum amplexus.

ab Ordinario conditum 425 Quocirca nos invocantes venerabile nomen ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unius Dei Optimi Maximi, à quo tamquam à perenni fonte omne patrocinium, regimenque promanant, tenore præſentium conſtituimus, & decernimus prædictos ſanctos Ignatium & Franciſcum in Patronos totius noſtræ diœceſis eſſe adſcribendos: ac præcipimus noſtro reverendo Capitulo Cathedrali, aliiſque collegiatis, ac parochialibus eccleſiis, ut in dicta hac ordinatione quamprimùm populus frequentior fuerit, ſupplicationes publicas inſtituant, invocantes in litaniis Sanctorum proximè poſt alios confeſſores, horum præclara nomina: nec non die trigeſimo primo Julii, qui eſt Ignatio; die ſecundo Decembris, qui eſt Franciſco ſacer, recitent Officium ſub ritu duplici de communi confeſſorum non pontificum unà cum octava juxtà rubricas de patrono, & ſolemniter rem divinam faciant. Opportuno autem tempore inter Miſſarum ſolemnia populo promulgare meminerint hos dies celeberrimos pro cujuſcumque pia devotione feſtivos.

producitur. 426 Hortamur tandem omnes noſtræ jurisdictioni ſubjectos, ut horum Sanctorum imagines exponant, & altaria erigenda, & conſecranda curent. Nos verò, ut populi frequentiam convocemus, iis, qui in hujuſmodi diebus feſtis ſacro interfuerint, conſuetorum quadraginta dierum indulgentias impartimur. Quod cedat ad majorem Dei gloriam, animarumque ſalutem.. *Subſcribitur:*

EX VARIIS: *tur :* D. Petrus episcopus Caputaquensis. *De Regalbutensibus consule Decretum Catanense anni 1667; quod produxi superiùs cap. 4, § 1.*

Patronus est Sanctus Mezanilensibus contra lupos &c.

427 *In apographis collegii S. J. Lovanienſis asſeritur, ibidem in cubiculo R. P. Rectoris inveniri* Exemplar litterarum reverendi P. Rectoris collegii Taurinensis, IV Junii MDCXXVI; *quibus peculiare quoddam institutæ in honorem* S. Ignatii *publicæ venerationis documentum continetur.* Heri, *inquit*, me convenit Præpositus Mezanilensis (locus est mille & quadraginta hominum numerans capita) vir sancto Patri nostro Ignatio devotissimus: cui etiam templum curavit excitari. Narrabat is, Mezanilam & loca adjacentia à lupis jam omnino à triennio mirum in modum fuisse divexata, adeo ut ingentem stragem ediderint *&c. (Vide ex Bartolo miracula suprà data à num.* 280.) Nec modus erat illos abigendi & occidendi. Tandem bonus sacerdos populum pro concione adhortatur, ut novenam agant S.P.N. Ignatio. Quâ deinde finitâ, ne unus quidem uspiam comparuit lupus. Ergo gratias acturi pro tam magno bono, supB plicationem solennem cuncti ad templum instituunt. Tum è suggesto Præpositus: Quid, inquit, dabimus Viro huic sancto pro tam insigni & admiranda in nos beneficentia ac miraculo? Non exigo quotidianas singulorum ad templum concursationes; plures enim longiùs habitant: neque frequentia jejunia: plerique enim egeni sunt ac laboribus victitantes: unum istud dumtaxat contendo, ut fidem vestram universi Deo obstringatis, fore ut, quicumque in posterum vobis nascentur primogeniti, Ignatii omnes nomine insigniantur, & ubi ad quintum ætatis annum pervenerint, eidem sanctissimo Patrono isthic celebrent novenam. Concionali acclamatione excepta exhortatio: acclamaturnque unanimiter ab omnibus: Ita Deo, & Sanctissimo vovemus omnes, omnes. *Verbulo his addere liceat, quod Ludovicus XIII*, rex Christianissimus cum promotionem canonizationis B. Ignatii suscepisset; ex eo tempore beatum Patrem acceperit in patronum & tutelarem, maximè ad regnum suum ab hæresi perpurgandum; *ex Commentario prævio* § 100.

C § III. *Singularis erga Sanctum veneratio in Belgio, Germania, America.*

Singularis erga S. Ignatium cultus apud Belgas Namurci,

Documenta è collegio Namurcensi S. J. huc missa sic memorant: In ecclesia urbis principe & cathedrali, quotannis recurrente festa S. Ignatii luce, primæ festi Vesperæ cum festivo campanarum sonitu, musicoque concentu à Capituli decano celebrantur, ipsoque festo die, summum à canonicis, Decano ad aram faciente, canitur Sacrum, cum honorifica cathedratico clero præsenti distributione; idque ex pia cujusdam olim in ea ecclesia canonici & scholastri fundatione anniversaria in perpetuum. *Ad hæc, ex Litteris annuis anni* 1706, *ibidem sequentia notantur:* Sub sancti Ignatii patrocinio stabilita est Namurci missio ruralis duorum è nostris sacerdotum, qui bini per novem continuos annuatim menses, oppida & pagos Comitatûs & diœcesis Namurcensis obeunt, ad catecheseos, concionum & Confessionum sacra ministeria, aliaque pia opera, insigni ruricolarum profectu & solatio. Quæ missio Ignatiana meritò nuncupatur; est- que fundata ex unius è primariis civibus piâ caritate, & liberali in perpetuum dotatione. Nomen huicce pio fundatori est Vincentius Boverius, hîc nominari dignus, vir propè octogenarius, & ferri fabrorum mercatorum seu ferrariorum, uti vocant, etiamnum prætor emeritus; *anno nempe* 1729, *quo præsens documentum signatur Namurci scriptum esse.* D

ac Bethunia;

429 *In Notitiis ex Historia collegii Bethunienſis erutis atque huc missis, ad annum* 1626 Insignis *notatur* duorum conjugum erga S. Ignatium, Parentem nostrum, pietas & religio. Nam illi quotannis in æde primaria & collegiata S. Bartholomæi in hac urbe fundarunt Officium primæ classis de S. Ignatio; nimirum cum utrisque Vesperis, Matutino, Sacro solemni, concione, & insigni supplicatione totius cleri prædictæ ecclesiæ, per urbis præcipuas plateas: quem cum cereis ardentibus nostra quoque scholarum juventus longo ingrediens agmine condecorat. Sacellaniam à S. Ignatio nominatam fundarunt etiam ibidem. Atque ut tum hoc beneficium, tum illa festivitas ad sempiternum decus sancti Patris consisterent; E ipsi villam rusticam cum aliquot fundis DD. Canonicis affectarunt, mutuo contractu pariter inito ac obsignato: ita ut illa solemnitas non nisi Dominicâ infra octavam à canonicis celebranda sit; ne scilicet nostri die proprio aliquod incommodum in suis functionibus patiantur.

apud Germanos Clagenfurti;

430 *De singulari sancti Parentis nostri apud Germanos cultu quid dicam? Enimvero documenta è provincia Austriæ huc missa, de Clagenfurtensibus ad annum* 1700 *sic memorant:* Sancti Patriarchæ nostri venerationem apud Clagenfurtenses, & his adjacentia rura, in magna hodieque celebritate versari, argumento sunt plurima, quæ sincerum ejusdem cultum, & divino quodam instinctu conceptam in Divum hunc fiduciam redolent. Etenim nobiles perinde ac cives, Ignatium sibi maximè patronum deligunt. Imagines ipsius aut penicillo formatæ, aut arte chalcographi expressæ, in plerisque domibus tam agrestibus quam urbanis conspiciuntur *&c. Ibidem inter res Goritienses, post ea, quæ referuntur ad annum* 1712, *lego*, quod *ista civitas* jam anno MDCXL in foro Traunig præ foribus collegii 37 pedes altam columnam, eique superimpositam statuam divi Ignatii erexerit: cui subinde jamjam ruituræ anno MDCLXXXVII è posito marmore munifica manu aliam substituit illustrissimus & reverendissimus dominus Comes Andreas de Portia Melitensis Ordinis eques. F

& Lincii: item in Bohemia.

431 *Lincium quam piè erga* S. Ignatium *fuerit affectum, argumento sunt ea, quæ in citatis documentis occasione novi templi, quod in honorem ejusdem Sancti ibidem erectum est, ad annum* 1669 *dicuntur:* Ad augendam sancti Fundatoris nostri gloriam, & piorum, ac ejus cultui deditorum clientum fiduciam, instituta est à pluribus annis, novem, quæ ejus festum consequuntur, diebus ad conciliandum S. Ignatii patrocinium solemnis devotio; quæ ab omnium Ordinum, & præcipuè nobilitatis multitudine, quantum vix templum capere potest, frequentatur. Prima & ultima die habetur de Sancti laudibus ad populum concio. Singulis diebus coram venerabili Sacramento exquisitâ musicâ solemne Sacrum, & vesperi Litaniæ decantantur. Libelli pii, qui sancti Patriarchæ cultum, variarumque virtutum exercitium edocent, magno numero in nobilitatem & populum distribuuntur. *Adde ex historia Ms. provinciæ Bohemiæ S. J. ad annum* 1721, *quod* Devotio

A tio S. P. Ignatii honori per 12 consequentes Mercurii dies, paucis abhinc annis in quibusdam nostris ecclesiis inchoata; nunc sensim etiam in alias ecclesias per provinciam cum notabili augmento propagetur.

Quid in America?

432 *At cur in Europa moramur, quando singularis quædam erga* S. Ignatium *veneratio publica novi orbis nos vocat? Nam civitas Guadianensis, novæ Biscaiæ in Hispania nova metropolis, adeo religiosè sancto Patri est addicta, ut in omnibus necessitatibus recurrat ad patrocinium ejus, diem ei sacrum observet tamquam festum; ad Vesperas ac Missam celebritatis ejus, omnes cives se conferant, uti & Capitula duo, ecclesiasticum videlicet ac seculare, nec non judices atque administri regii, qui tribunal separatum constituunt, ex Garcia lib. 6. cap. 5.*

433 *Concludo hac singulari quodam & fortè hactenus inaudito exemplo: nam die 2 Novembris anno 1727 illustrissimus D. Josephus de la Puente & Peña, marchio de Villa Puente & Peña, eques Ordinis S. Jacobi, nobilis cubicularius suæ Majestatis &c., è Mexico ad visendam Manresanam Sancti speluncam profectus, promisit octoginta millia regiorum argenteorum nummorum* (octenta mil reales de ocho) *ad ejus fundationem. Nec verò solis fuit promissis dives: nam plus quam triginta millia dedit jam nunc; ex Hispanicis documentis collegii nostri Manresani, à R. P. Vincentio Joanne S. J., provinciæ Aragoniæ præside subministratis: diciturque laudati illustrissimi domini ad visendam speluncam adventus contigisse ex voto, quod fecerit, quia Sanctus eum curarit à gravi quadam infirmitate; prout indidem habemus. At nunc ad alia, quibus posthuma* S. Ignatii *apud mortales fama sumpsit incrementum, pergamus.*

EX VARIIS. *Affectus singularis erga Sanctum.*

CAPUT V.

B


Gloria Sancti posthuma ex ædibus sacris, honore sepulcri, apparitionibus. B

§. I. *Templa Romæ, in Belgio, & alibi.*

Templum collegii S. I. Romæ.

C *Templum planè augustum collegii nostri Romani, quod ob elegantiam ac venustatem meritò dixeris Urbis ocellum, nomen gerit* S. Ignatii, *& non mediocrem eidem celebritatis symbolam confert. Primus porrò ejusdem templi lapis consecratus & jactus est ab Eminentissimo Ludovico Cardinale Ludovisio anno 1626, die 2 Augusti. Exstat hujus rei gestæ narratio typis edita; in qua de statuis, inscriptionibus, versibus ac numismatibus &c. ratio redditur. Hoc, quod inter alia ibi refertur, memoriâ dignum. Sub prandium,* mensæ frugalitatem honestavit perpetua concio trium & viginti linguarum: quarum singulæ (si unam aut alteram excipias) singulos indigenas, & pronuntiatores patrios habuere; ut ne Japonia quidem, in urbe Roma, desideraverit oratorem suum. Concionis perpetuandæ materiam, & quasi texendo sacro peristromati filum præbuere sacræ sententiæ ex 17, 28, & 29 capite primi libri Paralipomenon; ubi rex Salomon instructum, apparatumque perscribit, quo divini templi fabricam longè magnificentissimam instruebat; *sicut loquitur exemplar Latinum, de isto apparatu anno 1627 Leodii excusum. In perpetuam grati animi memoriam erga familiam immortalibus titulis de Societate meritam, huc transfero numisma, quod cusum in ære rubro ante me habeo; in altera quidem facie repræsentans effigiem* S. Ignatii, *Apostoli 1æ. Cor. cap. 3 verbis circumscriptam; in altera verò his notatum vocibus, quas videre est in hoc ectypo, ad prædicti numismatis imitationem in hac lamina, chalcographi manu repræsentato.*

F



Ignatio *itaque, cui Gregorius XV Pontifex Maximus, Cardinalis Ludovisii patruus, Sanctorum decreverat honores; Cardinalis idem dein ædem sacram instruxit; ac proinde non venustè minùs quam verè in uno è dictis numismatibus scribitur:* ALTER IGNATIUM ARIS ADMOVIT, ALTER ARAS IGNATIO.

435 *Nihil attinet recensendis ædibus sacris, quæ* S. Ignatii *nomine sunt insignitæ, operosiùs immorari. Nadasius in Anno dierum memorabilium ad diem* XXXI *Julii earumdem catalogum texit. Quamquam verò inter ea non sit templum domûs professorum*

Domûs professa ibid, Jesu inscriptum, Ignatio tamen etiam glorioso.

EX VARIIS. *Romæ, non utique* S. Ignatii, *ſed* Jesu *nomini inſcriptum (vulgò* del Jesù:) *ex iſto tamen loco non parva gloriæ poſthumæ accretio à filiis ejus in ipſum ſanctum illorum Parentem tranſiit. Exſtat quippe Romæ libellus ſupplex, ſeu Memoriale, ut vocant, Italicum, à P. Ignatio Pinio ibidem pro me tranſcriptum, quod populus Romanus D. Cardinali Henrico Caëtano Camerario obtulit pro calice argenteo ſcutorum* 30 *cum quatuor facibus ſeu intorticiis, quem quotannis dono dat templo domûs profeſſæ, ipſo conſecrationis die, incipiendo ab anno* 1597. *Etenim* pro orationibus, concionibus, lectionibus, in tot docendis diſcipulorum centuriis aſſiduitate, & laboribus innumerabilibus, quos continuato opere ſubeunt in hac Urbe patres domûs Jeſu, *DD. Conſervatores Romani cenſent* convenire, ut aliqua grati animi teſſera erga eos exhibeatur. *Annuit die* XXIX *Novembris* 1597 *memoratus D. Cardinalis. Quæ quidem conſuetudo tenuit uſque ad hodiernum diem: nam* Hic calix, *teſte P. Pinio,* cum facibus ſeu intorticiis quatuor, ſingulis annis adhuc offertur in templo noſtro à DD. conſervatoribus die conſecrationis;

B *cum gloria utique* S. Ignatii *perenni, ad quem, quidquid noſtri ibidem faciunt pro bono publico, tamquam ad primam poſt Deum ſcaturiginem referendum eſt.*

Templum domus profeſſæ Antverpiæ,

436 *Nec indictum relinquam templum hujus noſtræ domus profeſſæ Antverpienſis, quod anno* 1621 *elaboratum fuit; hoc titulo chronographico ſupra ipſius portam aureis litteris marmori inſcripto:* CHRISTO DEO, VIRGINI DEIPARÆ, BEATO IGNATIO LOIOLÆ, SOCIETATIS AUTHORI, SENATUS POPULUSQUE ANTVERPIENSIS PUBLICO ET PRIVATO ÆRE PONERE VOLUIT. *Opus enimverò ad gloriam Sancti poſthumam maximè memorabile; in quo utique materiam cum arte inter ſe de pretio certaſſe diceres: ſtabat quippe è ſolido ac polito candido marmore, tantâ ſingularum partium ſymmetriâ, tam eleganti molis totius harmoniâ ſpectabilis; adeo exquiſitis & incomparabilibus manu Rubeniana pictis tabulis, per laquearia utriuſque porticus ſuperioris & inferioris horizontaliter appenſis, quaſi in aëre pendentibus ac ſecundùm optices regulas ingenioſiſſimè elaboratis diſtincta, ut non minùs Belgii delicium eſſet, quam omnium ſpectantium admiratio. Steterat verò opus hoc annis jam fere centum; donec anno* 1718, *die* XVIII *Julii (eheu!) fulmine tactum & in ci-*

C *neres redactum; ac anno* 1719 *mutatâ quidem materiâ, ſed ſervatâ tamen priſtina formâ, reſtauratum fuit.*

ac collegii Namurcenſis

437 *Alterum Belgii noſtri decus eſt templum noſtrorum patrum Namurcenſium: de quo notitiæ ex collegii ibidem Annalibus depromptæ ſic habent:* Namurci in primis ſuſpicitur Deo Servatori, ſub S. Ignatii nomine & invocatione ſtructum .. templum; quod ſive ſtructuram & artem, ſive materiem ſpectes, ſumptuoſum ſanè & magnificum eſt: quippe è ſolido marmore, eoque egregiè ſculpto & perpolito totum fere compactum: quo magnificentiùs vix reperire eſt. Primum lapidem anno MDCXXI ritè collocavit illuſtriſſimus D. Joannes Davinus, VI Namurcenſium epiſcopus: illudque ex Ordinum patriæ liberali munificentia, & aliorum largitionibus tandem abſolutum anno MDCXLV ſolemni ritu conſecravit illuſtriſſimus D. Engelbertus Desbois, VII ejuſdem civitatis epiſcopus. *Huc etiam ſpectat ſanctuarium Loyolanum; ſed de eo actum eſt ſuprà, occaſione gloriæ poſthumæ è loco natali cap.* 1.

438 *Apparitiones plurimæ* S. Ignatii, *mortali jam vita functi, immortalem apud Cælites gloriam illuſtrarunt. Numeroſum earum catalogum Nadaſius intexuit Anno ſuo dierum memorabilium, ad hunc diem* XXXI *Julii. Videri etiam poſſunt miracula Sancti: de quibus ſuprà. Hoc memorabile, quod venerabili ſervo Dei Julio Mancinello quinies vel ſexies videndum ſe exhibuerit; ſecundùm ea, quæ ſcribuntur in iſtius venerabilis Patris Vita lib.* 3, *cap.* 10; *è qua ibidem inter alia habemus, quod præviderit* ſeptem annis antè, quam in Beatorum ab Eccleſia referretur numerum, ipſique revelatum fuerit, venerationi futurum, tamquam magnum ſanctum. *Ad hæc, præſenſiſſe etiam ibidem dicitur tranſlationem ejus per harmoniam cæleſtem, cujus ſuavitas triduo duraverit. Ex Hiſtoria Societatis Jeſu part.* 4, *lib.* 8, *num.* 210, *anima P. Balthaſaris Alvari in cælos à* S. Ignatio *gloriosè avecta eſt. P. Mathias Tannerus Societatis Europææ part.* 1, *pag.* 270 *agens de P. Joanne Fernandez,* Quo tempore, *ait,* ædificabatur Societati templum S. Antonii Valliſoleti, apparuit Patri S. Ignatius in ſummitate fabricæ, indicans, quantâ curâ & auxilio E adeſſet illi perficiendo, & inter reliqua paucis innuens caſum mirabilem, qui poſt quinque abhinc dies citra periculum eſſet eventurus; Ego, inquiens, impedio, ne ferrum cuſpidatum quempiam terræ allidat. *Promiſſo reſpondit eventus; prout ibidem narratur. De apparitione Barcinonenſi Joanni Paſchali facta egi ſuperiùs cap.* 2, § 6.

D *Apparitionibus gloria Sancti honorata:*

in quatuor una miro modo corripit

439 *Mira eſt apparitio, quam lego in ecgrapho quodam litterarum noſtri P. Judoci Hagebaert, Antverpiæ* 2 *Novembris* 1643 *ad P. Ferdinandum del Plano datarum Gandavum; è quo ego eam deſcripſi, uti mox ſum dicturus. Sic verò in illo narratur:* Quia dubito, an R^a. V^a. audiverit, deſcribam viſionem mirabilem, quam ex Italia accepit Rector Pariſienſis, inde Leodienſis, & nos. In quodam provinciæ Venetæ collegio Societatis noſtræ quidam ſpectatæ virtutis pater cùm veſperi venerabile Sacramentum in templo ſalutaret, advertit duos è patribus noſtris ante ſummum altare ſub lampade altè inter ſe colloquentes. Exiſtimans eſſe magiſtros, monuit eſſe ſilentii tempus, atque ad cubicula recedendi quietis cauſâ: cui alter illorum ſeveriore voce reſpondit: Tuum eſt dormire; noſtrum eſt vigilare vigilias gregis. Attonitus pater ad cubiculum ſe recepit; ſed vix ante oratorium flexerat, cum F ab altero eorum, quos viderat in templo, pulſatur oſtium cubiculi; vocatur pater ad templum, & ſequitur, licet non abſque timore. Templum ingreſſus, videt SUM. P. N. verſus ſummum altare medium inter 12 graviſſimos patres confidentem judicis inſtar inter ſuos ſenatores, triſti atque auſtero vultu. Jubet accerſiri aliquem patrem, qui paſſim probatæ virtutis audiebat. Comparet hic, atque genua flectere juſſus, occulti criminis arguitur à S. P. N. dicente: Indignus es Societate mea: qui mox rei togam lacerari imperat.

tres patres.

440 Idem factum aliis duobus. Sequenti die, qui hæc viderat, narravit P. Provinciali totam rei ſeriem: qui, re diligenter examinata, reperit vera eſſe, de quibus accuſabantur illi tres patres. P. Provincialis eos monuit, ut pœnitentiam agerent, ac ſeriò ſe emendarent: qua monitione adeo ſunt exacerbati, ut à Societate dimiſſi ſint. *Hæc ibi; quæ ego deſumpſi è Ms. exemplari, quod aſſervatur in collegio noſtro Brugenſi: ubi & aliud ſervatur exemplar Gallicum hoc titulo, qui Latinè ſic ſonat:* Extractum cujuſdam epiſtolæ, ad noſtrum R. P. Rectorem collegii Pariſienſis ab aliquo

A quo ex patribus noſtris, qui eſt confeſſarius Gallorum Melitæ, x Aprilis MDCXLIII datæ.

§ II. *Gloria ſepulcri S. Ignatii ex ſacello Romano.*

Præmittuntur ea,

AT nunc nos invitat ſacellum, quod ſub R. A. P. N. Thyrſo Gonzalez, Societatis Jeſu Præpoſito Generali decimo tertio, Romæ erectum eſt, immortale videlicet gloriæ Ignatianæ monumentum. Joſephus Rocchus Vulpius in libello ſingulari de S. Ignatii *gloria, quem Vitæ ſancti Patris à Maffeio editæ, & novis à ſe typis recudi curatæ adjecit, cap.* I *de incomparabilis hujus operis apparatu ita ediſſerit:* Hoc, *ait*, clavum regente, nobiliſſimum ac magnificentiſſimum Parenti optimo Ignatio Societas univerſa procuravit ſepulcrum, multâque impensâ atque operâ tandem aliquando perfecit. Legaverat pridem ei parando Joannes Caſimirus Polonorum rex (is, cui Michaël Koributius in regno ſucceſſit) magnam pecuniæ ſummam, quam, ut longo tempore multiplicaretur, apud menſarios deponi juſſerat. Hic enim juvenis in Societatem Jeſu Romæ eſt ingreſſus, ex qua Romanâ purpurâ ornatus prodiit, quam regia mox chlamyde commutavit. Verùm annos unum & viginti cum regnaſſet, ſponte regno ſe abdicavit, privatuſque magis vixit ſe rege beatus; diemque in Gallia demum obiit anno à Virginis partu MDCLXXI. Summæ, quam Caſimirus legaverat, à liberalitate duorum è Societate Jeſu pariter Cardinalium haud modica facta eſt acceſſio. Siquidem Joannes de Lugo Cardinalis, vir ſacræ doctrinæ laude celebratiſſimus, ac Joannes Everardus Nidardus pariter Cardinalis, in magnis adminiſtrandis negotiis ſingulari ſolertia ſpectatiſſimus; quidquid pecuniæ & rei familiaris reſiduum ſibi morientibus fuerat, Pontificio ad hoc impetrato chirographo, divi Ignatii, Parentis ſui, quam magnificentiſſimè ornando ſepulcro uterque teſtamento legavere.

quæ anteceſſere ſacelli iſtius conſtructionem.

442 Potiſſimam tamen ſumptuum partem, quæ in nobiliſſimo atque ornatiſſimo exſtruendo ſacello collocata eſt, Societas Jeſu univerſa, in omni terrarum plaga degens, in publicum ac perenne grati animi teſtimonium erga optimum communemque Patrem, tam egregiè de ſe merentem, libentiſſimo promptiſſimoque animo certatim adjecit. Itaque auri vis multa, argentique, atque æris facti infectique ad opus congregata. Conquiſita undique vetuſta marmora pretioſiſſima, peritiſſimi delecti artifices, univerſoque operi elaborando quidam è Societate, mathematicas diſciplinas, quæ præcipuè architecturam ſpectant, probè callentes, præpoſiti. Cumque Sabellia gens, cujus antiquum altare ac ſacellum fuerat, dirui illud ægerrimè ferret, nec, ut loco cederet ad novum pretioſius multo ac magnificentius adornandum, ullo jam pacto adduci poſſet; rogante demum Romanorum Imperatore Leopoldo Ignatio, ſancti Parentis Ignatii, ejuſque Societatis ſtudioſiſſimo, gentium omnium communibus votis denique acquievit. Artifices plurimi permultos annos vaſtum opus urſere: donec anno poſt Chriſtum natum MDCXCIX elaboratum atque perfectum ornatiſſimè & elegantiſſimè ſepulcrum, altare, ac ſacellum prodiere. Quorum, quantum rerum novitas intra Latini ſermonis fines arctari patietur, ſingillatim hîc ornatum ac pretium exponam.

443 Itaque primum omnium ſacello in medio fulcrum convexâ aliquantùm figurâ è ſolo hinc inde conſurgit antiquis marmoribus variè intextum: ſuper quod ſtylobatæ quatuor totidem ſuſtentandis columnis impoſiti. Fulcri pars ima ex albo nigroque vetuſto; truncus è florido alabaſtrite; baſis verò ex antiquo flavo componitur. Fulcro qui innituntur ſtylobatæ, antiquo viridi conſtant ex marmore: ſingulorum verò frontes inaurato ex ære coruſcant, illuſtriaque Ignatii geſta egregio opere repræſentant. In prima enim, quæ ſeptemtrionali templi januæ proxima eſt, incendium, Ignatii ope invocata ſubitò exſtinctum cernitur; in altera dæmonium ex obſeſſi hominis corpore, ejuſdem patrocinio ejectum: ſacram virginem ab humanitus inſanabili morbo liberaram exhibet tertia. Frons verò, quæ ſub Ignatii ſtatua in hoc ordine quarta eſt ac media, Ignatium in obſidione Pampelonenſi accepto vulnere graviter decumbentem, & à divo Petro ei apparente ſanatum oſtendit. Quinta beatos Ignatium ac Philippum Nerium amiciſſimè amplexantes invicem refert. Claudorum, mutilorum, variiſque ex morbis ægrotantium multitudo, oleo, quo antè Ignatii aram aluntur lampades, inuncta ac priſtinæ valetudini reſtituta, in ſexta exhibetur. Septima denique captivos complures è carcere compedibuſque ſolutos miraculo repræſentat. Jam verò nobili huic fulcro quadratum imminet albo nigroque ex orientali plaga marmore advecto, ad columnarum rotundas baſes quatuor ſuſtentandas. Æneæ ſunt iſtæ deauratæque undique: ac ponè illas paraſtatarum baſes æneæ ſimiliter atque auro circumlitæ. Baſibus columnæ inſident quatuor ex pretioſiſſimo illo lapide, quo Armeniam aliaſque in orientem ſolem ſitas regiones divites eſſe perhibent; diciturque peculiari veluti ac nativo earum gentium vocabulo LAPIS LAZULI. Hujus pretium periti cum auro comparant: eſt enim cærulei cujuſdam coloris nitidiſſimi ac vividiſſimi, aurique venis nonnullis adſpergitur, quæ intuentium oculos mirum in modum delectant. Columnarum ſine capitellis & baſibus longitudo Romanos palmos octo & viginti extenditur, inſertiſque æneis ductibus auro litis ſtriatæ ſunt.

habita ratione

444 Paraſtatarum juxta columnas marmor ex nigro alboque inſperſis maculis admirabili naturæ luſu ac magiſterio diſtinguitur. Columnis ſuperimpoſita capitella fuſo ære elaborata, aureoque tectorio fulgida, altitudinis palmorum quatuor, unciarum duarum & ſemis: ita ut ſingularum altitudo columnarum cum capitellis ac baſibus ad quatuor & triginta palmos; latitudo verò dimidiæ, ubi craſſior eſt truncus, palmos tres atque uncias ſeptem conficiat. Quibus ex menſuris ſtudio hîc appoſitis, qui architecturæ leges noverunt, ceterarum quoque partium quantitatem facilè deprehendent. Supra capitella epiſtylium conſurgit è viridi antiquo lapide; deinde zophorus, ſive faſcia ex cæruleo columnarum, quam ornatus quidam æneus auro litus, Arabico opere diſtinctus, percurrit. Opus univerſum coronis magna, è viridi antiquo lapide dentata, perficit, æneis roſis ac frondibus auro tectis, menſuliſque diſtincta. Coronidi verò inſident hinc atque illinc cæleſtes alati genii duo; interque frontis alas ſtatuarum acervus imminet, divinarum Perſonarum Ternarium ſanctiſſimum, cæleſtium inter geniorum turbas ſublimi conſidens ſolio, repræſentans. Quod opus cum hactenus ex marmorato fuiſſet, nuperrimè, dum hæc ſcriberemus, Lunenſi ex marmore candidiſſimo perfectum eſt. Inter æterni

Pa-

EX EDITIS. *Datur ejuſdem deſcriptio.*

EX EDITIS. Patris ac divini Verbi ſigna, columba extollitur, divini Spiritus æqualis utrique nota, ex qua æneorum aureo tectorio fulgentium quædam veluti ſilva radiorum emittitur, qui ductu vario nunc in brevius, in longius modò ſpatium diſtènti, opus univerſum decore ingenti ac majeſtate colluſtrant.


cùm materiæ, 445 Sinus in altaris medio aperitur, quem nobilis ænearum frondium auro litarum ductu eleganter ornata extrinſecus undique coronis amplectitur. Supra coronidem cæleſtium geniorum Lunenſi è marmore ſigna duo æneam parmam aureo tectorio nitidam ſuſtentantia, in cujus umbone ex cæruleo columnarum confecto auguſtiſſimum Jeſu nomen montana ex cryſtallo coruſcat. Coronidis lineæ duæ in modum circuli infernè ſimul conjunguntur, intra quem alati genii cæleſtis æneum auro litum ſignum eminet. Ab utroque latere æneæ pariter auro lita cæleſtium geniorum hinc & illinc ſigna duo, ſupra frontes è viridi antiquo marmore collocata, certis volutationibus implicitum copiæ cornu ad cereas faces ſuſtentandas manu gerentia. Hæc pariter ſigna æneam auro litam ſimul atque argenteam tabulam ſuſtentare ſe ſimulant, in qua illa Ignatio perfamiliaris ſententia: AD MAJOREM DEI GLORIAM uncialibus litteris deſcripta legitur. Sinus totius cavum, quod ſemicirculari ac fornicatâ ſupernè figurâ eſt, pretioſis marmoribus cæruleo atque alabaſtrite æneis auro litis ductibus ac frondibus diſtincto undique conveſtitur. Nubium quoque deaurato ex ære diſperſi globi, quibus cæleſtium geniorum argentea ſigna quinque ſuperimpoſita. Superni ſinus fornix æneis deauratis frondentibus ramis quinque diſtinguitur.

tum partium ſingularum, 446 Hæc inter media divi Ignatii ſtatua conſurgit perfecto nitens argento, ex quo fuſa eſt, altitudinis ſupra humanam, palmorum ſcilicet Romanorum tredecim. Sacerdotali hæc amictu veſtitur, pretioſis lapidibus, gemmis ac margaritis ornatiſſimo, ut illi aptari quam veriſſimè poſſit: Omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Nobilibus quoque diſtincto marmoribus fulcro, æneiſque auro litis ornatibus ſuſtentatur. Ceterùm ſtatis tantùm diebus, ſolemnioribus nempe, proſtat hæc ſtatua: profeſtis enim tabulâ pictâ contegitur, in qua Ignatius ad Reparatoris noſtri Jeſu pedes in genua procumbens, cæleſti in gloria exhibetur cum vexillo, tamquam relati ex univerſo terrarum orbe triumphi inſigne. In ima tabula, terrarum orbis partes quatuor, Aſia, Africa, Europa, America ſuis quæque inſignibus, ac peculiariter ornamentis, muliebri habitu depictæ, Ignatium ſuſpicientes, & bene merenti gratias agentes, & novum tranſlati ad Superos auxilium implorantes. Quæ omnia quam ex merito de Ignatio prædicentur, Societatis Jeſu hiſtoriam legentibus ſatis conſtabit.

ac formæ; 447 Jam verò altaris menſa æneo inaurato ſuſtentaculo ambitur undique, quod raris lapidibus pretioſam, varioque ornatu affabre admodùm atque eleganter diſtinctam urnam, in qua ſancti Parentis oſſa teguntur, mirabili opere concludit. Porro frons hæc altaris ænea auro lita certis aliquoties feſtis diebus pretioſiori altera contegitur, puriſſimo fuſa ex argento, quam Olympia Aldobrandina, Romana primaria femina, D. Ignatii ſtudioſiſſima, ejus ornando ſepulcro dono dedit. Argenteam quoque lampada, cordis inſtar, ex quo flamma erumpit, ut diu noctuque ante urnam perpetuò arderet, teſtamento legavit. Supra aræ menſam eſt gradus ad candelabra aliaque ornamenta ſuſtentanda, mirabili ſanè opere elaboratus. Ejus materies argentum, quà fuſum, quà in lamina malleo diſtentum. Sex autem in partes dividitur; in quarum ſingulis D. Ignatii prodigium aliquod elegantiſſimè repræſentatur. Gradum ænei ornatus varii auro liti circumdant. Huic ſtatutis diebus crux imponitur pretioſiſſima, ex montana cryſtallo confecta, perraris diſtincta gemmis, æneoque deaurato fulcro, in quo Reparatoris noſtri Jeſu intra Deiparæ Matris ulnas demortuum corpus ſcitiſſimè cælatum eſt. Tabellæ quoque tres, in quibus de more preces quædam ad Sacrificium deſcriptæ ſunt, auro gemmiſque ornatiſſimæ, fulgent. Gradus, per quos ad altare aſcenditur, purpureo è marmore æneis inauratis ductibus interſecantur. Solium verò, ſive ſummi gradus area, ſupra quam, dùm ad aram faciunt, pedibus ſacerdotes conſiſtunt, ſectili opere pretioſis lapillis intexto componitur, adeo ornatè ac variè, ut Phrygium aut Attalicum opus videatur.

è quibus 448 Altaris latera ſtatuæ exornant ingentis magnitudinis egregiæque cælaturæ Lunenſi ex marmore. Et latus quidem quod ſeptemtrionali templi januæ proximum eſt, ſtatuarum quatuor acervum habet, in quo Chriſtiana Fides muliebri habitu, conſuetiſque inſignita notis ſtans cernitur. Hujus ad lævum humerum alatus eſt genius jaculum vibrans in ſibi ſubjectam feminam humi abjectam, conantemque hominem regiis ornatum inſignibus in genua procumbentem, ac ſacra fidei myſteria adorantem ab eo cultu avertere. Quæ omnia Congi in Africa regem ab inanium deorum profano cultu ad veræ religionis ſequelam traductum per Ignatii ſocios, triumphatis divino ab amore hoſtibus, quoſcumque ad eum avertendum profana ſuſcitaverat ſuperſtitio, repræſentat. Alterum autem altaris latus Religionem exhibet ſtantem pariter mulieris habitu ac cultu, quali nimirum pingi fingive ſolet. Pedum altero furiales homines proterit & conculcat, volumina præ manibus tenentes, quæ ab alato genio indignantis ſpecie diſcerpuntur. Quod improbos recentiorum ſectarum anteſignanos auctoreſque, Lutherum præcipuè, Calvinum, Zuinglium, atque alios eadem ex fæce homines, ſive hominum monſtra rectiùs dixeris, à Societatis Jeſu ab Ignatio conditæ hominibus impugnatos, magnamque partem debellatos peſſima cum eorum doctrina ſignificat. Atque hîc narrandi locus eſt opportunus, quod prodigii ſimile habitum eſt; nonnullos ſcilicet ex artificibus, qui in ſacelli hujus opere tam vario deſudaverunt, cum antea Lutheri ſimiliſque farinæ hominum erroribus miſerè à parentibus imbuti eſſent, atque ad eam diem in ea ſecta ſecuri obfirmatique vixiſſent, mente ex improviſo, dum ſacelli opus urgent, divina quadam virtute, mutata, errores omnes ejuraſſe, & intra unicum Chriſti ovile, poſtquam diu aberraſſent, includi feliciter voluiſſe; eam illis Ignatio ob præſtitum ſibi officium cumulante mercedem.

illud monumentum conſtat. 449 Ponè ſtatuas binis ex utroque latere ingentibus ſpecularibus orientali ex alabaſtrite achatis inſtar, variè æneis auro litis filis ornato, paries conveſtitur. Inter utrumque autem ſpeculare tabulæ duæ Lunenſi ex marmore, exſtantes nonnihil ſigniſque aſperæ, quibus anaglyptico, ut vocant, opere Societas Jeſu à Paulo III Pont. Max., anno à V. P. MDXL ſolemniter datis litteris approbata, & Ignatii nomen in Sanctorum indicem à Gregorio quintodecimo pariter Pont. Max. recenſitum anno MDCXXII, eleganti ſculptura exhibetur. Tabulas pretioſi marmoris cruſtæ,



P. B. Bouttats sculp.

A ſtæ, deauratique æris ornamenta præclara circumdant. Porro ſacelli pavimentum, quod clathris cingitur, nobili vario ex lapide, implexos Arabico opere flores referente contexitur. Clathri verò ſtylobatis octo diſtinguuntur; quorum fulcrum Perſico è lapide; baſis, faſcia, circulus & coronis antiquo è flavo, Parii linea interſecante, componitur. In ſingulorum verò frontibus ovatæ figuræ eſt ſpeculare cæruleo illo pretioſo ex lapide, Lazuli nuncupato, quod achatis cruſtæ, octo æneos auro tectos intra ductus, ambiunt. Hos inter ſtylobatas ænei clathri procurrunt, ſex in partes diviſi, eleganterque Arabico opere frondentes in ramos diſtincti. Singulorum longitudo Romanos palmos novem; altitudo tres ac ſemis. In medio ſingulis æneus alatus genius ſupernè inſidens; ſupra ſtylobatas alati pueri duo, luſu vario æneos lychnos ſuſtentantes. In lychnos ſingulos lucernæ quatuor, præcipuas terrarum orbis regiones, trophæa aliaque ſymbola, egregiâ cælaturâ referentes. Gradus, cui clathro-

B rum circuitus omnis impoſitus, ex viridi antiquo marmore conſtat. Valvulæ demum ad ſacelli aditum æneæ eleganti Arabico opere elaboratæ.

Obſervanda circa ſacelli latera &c.;

450 Circa ſacelli latera nigricanti vetuſto è marmore portæ duæ: ſingulis alati genii bini ſuperpoſiti Lunenſi è marmore, cæruleam pretioſiſſimam parmam, cui auguſtiſſimum Jeſu nomen, Societatis inſigne ac vexillum inſculptum ſuſtinent. Lychnorum utrimque duo auro argentoque ornata ſuſtentacula, ad quæ duo pariter alati genii argentei novæ ſtructuræ lampadas quatuor ſuſpenſas geſtant. Supra portas odea bina, ære, auro, varioque lapide, ornatiſſimè Arabico opere elaborata. Ad ſacelli frontem paraſtatæ antiquo è flavo, inauratis epiſtyliis, baſi Lunenſi, fulcro ex Africo. Supra faſciam Arabici luſus deaurato ex ære alatis pariter æneis auro litis geniis diſtincti. Supra templi verò coronidem marmoratum partim auro litum, partim verò albo tectorio tantùm, in quo variis è figuris luſus ornatuſque multiplex. Ex marmorato pariter fornicis latera undique conveſtita, in quibus aliquot divi Ignatii præclara facta & prodigia expreſſa ſunt. Fornice in medio pictura Ignatium cæleſti gloria fulgentem ſuper-

norum inter civium plauſus oſtendit. Septemtrio- EX EDITIS.
nalis templi januæ, quam ſacello proximam diximus, atrium marmoribus conveſtitum undique ac ſupernè marmorato auro lito ornatum. In atrii fornice ſymbola quatuor, Ignatii nomen, ac divinam, quâ ardebat, caritatem, immenſumque homines juvandi ardorem innuentia, cum ſacris ex Litteris eruta inſcriptione; ſcilicet ad expreſſam tormenti bellici pilam: IGNE ME EXAMINASTI. Pſal. XVI. Ad volumen cum flammis: IGNEA LEX. Deut. XXXIII. Ad orbem inter ignes: ET QUID VOLO, NISI UT ACCENDATUR? Luc. XII. Ad montem ignivomum: IN MEDITATIONE MEA EXARDESCET IGNIS. Pſal. XXXVIII. *Ita Vulpius.*

cujus hîc ectypon datur.

451 *Ornamentis ſacelli jam expoſitis adjungo ipſius ectypon, è prototypo Romano hîc æri incidi curatum, ad minorem tamen formam contractum; quo rem lectam tibi quaſi præſentem ſiſtas. Prototypo, quod dicebam, annotatur annus 1697; ejuſdemque deſcriptio cum Italico tum Latino ſermone jam pridem excuſa Romæ prodiit: quænam verò in ipſo opere, antequam perficeretur, mutata ſint vel addita poſt hoc, quod vides, ſchema; facilè deprehendet is, qui cum eo contulerit* E *recentiorem iſtam Vulpii deſcriptionem, atque adeo ſacellum repræſentantem eo in ſtatu, in quo nunc eſt. Porrò in ſacelli aram, quæ in lamina ſeorſim exarata fuit, exſtat anonymi cujuſdam epigramma, anno 1697 Romæ typis editum. Operis autem ſæpe dicti inventor eſt Andreas Puteus (vulgò Pozzo) Societatis noſtræ Religioſus, atque inter magni nominis pictores nomen meritus. Addamus hîc per tranſennam, inter altare ſummum & ſacellum* S. Ignatii, *eſſe è marmore ſacellum divæ Virginis; in cujus altari ſpectabilis eſt imago S. Mariæ antiqua,* de Strata *nuncupatæ, à qua nomen habuit templum noſtrum vetus. Ad ejus aram* S. Ignatium *& S. Franciſcum Borgiam in dicto jam templo Sacrum feciſſe; atque in templi Farneſiani ſacellum anno Jubilæi 1575 tranſlatam, elegantiore ſtructura exornatam, ac beatiſſimæ Virginis Sanctorumque reliquiis anno 1696 conſecratam fuiſſe; docet inſcriptio, ad prædicti ſacelli ingreſſum marmori inſculpta; quam ſæpe laudatus rerum Ignatianarum eruderator Romæ tranſcripſit.*

C

CAPUT VI.

F

Gloria S. Ignatii poſthuma ex Societate Jeſu, quam inſtituit.

§ I. Gloria ex SS. Tereſia, Philippo Nerio, Carolo Borromæo, & S. Maria Magdalena de Pazzis, in Societatis Fundatorem derivata.

S. Tereſiæ dicta

Gloria Societatis Jeſu eſt gloria illius, qui in Chriſto Jeſu eam genuit; eaque eſt tanto major, quanto laudatiores ſunt perſonæ, qui eam laudibus efferunt. Prætereo elogia tot ac tanta, inter ſuffragia pro Sancti canonizatione ab Eminentiſſimis Patribus, aliiſque Eccleſiæ præſulibus identidem repetita, quæ protuli in Commentario prævio § 102 & ſequentibus; de trium circa Societatem Sanctorum ſenſu, hîc mihi ſermo eſt. P. Nicolaus Lancicius Opuſculorum ſpiritualium tom. 2 edidit opuſculum 18, quod inſcribitur Gloria S. Ignatii de Loiola, fundatoris Societatis Jeſu: *ubi cap. 19 oſtendit auctor, S. Tereſiam magnæ* S. Ignatii *gloriæ cauſam exſtitiſſe:* quia Societatis Jeſu per S. Ignatium inſtitutæ ſe filiam agnovit; ejuſque operâ & in Confeſſionibus ſacris, & in ſpiritualium rerum magiſterio uſa eſt, & multa, Deo revelante, in commendationem Societatis Jeſu cognovit, verboque ac ſcripto teſtata reliquit, præſertim in Vita ſua, quam juſſu cujuſdam inſignis theologi ex Ordine S. Dominici conſcripſit. Ex qua deinde Italicè Romæ impreſſa anno MDCI, & ab archiepiſcopo Avenionenſi dedicata Clementi VIII, Pont. Max., hoc loco ad verbum Latinè reddita, quædam, *ait*, referentur.

in laudem Societatis,

453 *Illa ibi quamquam legi poſſunt; pauncula tamen inde excerpo, quæ ibidem ſic citantur. Cap.* 23, *pag.* 239, Fuit propter majus bonum meum, ut ego cognoſcerem, & tractarem cum gente adeo ſancta, qualis eſt Societas Jeſu. *Hîc ob-*

EX VARIIS. *ſervat Lancicius*, Antonium Kerbekium, Auguſtinianum, in Latina verſione Vitæ S. Tereſiæ, edita Moguntiæ anno MDCIII, typis Jo. Albini, omiſiſſe hæc, & fere omnia alia, quæ ſunt à S. Tereſia in commendationem Societatis Jeſu ſcripta. Cur autem omiſerit, non eſſe difficile divinare. *At pergamus. Pag.* 244 Perſonas *Societatis* ſanctas *vocat. Pag.* 246 *agens de ſuis confeſſariis*, qui, *ait*, quaſi ſemper fuerunt iſti benedicti homines Societatis Jeſu. *Cap.* 33, *pag.* 364: Conſolabar multùm, quod ſcirem, in illo loco eſſe domum Societatis Jeſu. *Cap.* 38, *pag.* 421 *ſcribit magnas ac mirabiles res, quas vidit de Societate*: propter quod, *inquit*, habeo dictum Ordinem in magna veneratione *&c.*

perperam in quadam editione operum ejus truncata ſunt.

454 *Hæc & plura ibidem; quorum fidem laudatus ſcriptor fortiter corroborat contra malignos vel invidos eorum obtrectatores. Quibus adde erutum à P. Ignatio Pinio Romæ è noſtro tabulario* Originale decretum Capituli generalis FF. Carmelitarum Diſcalceatorum, improbans impreſſionem mutilatam ſcriptorum S. Tereſiæ; *cujus Decreti apographum huc miſſum ſic ſonat*: Accepimus, ſcripta S. Matris N. Tereſiæ edita, eſſe
B truncata quoad illa omnia, quæ ſpectant Societatem Jeſu; ita ut cum & in manuſcriptis codicibus pleriſque, & in pleriſque exemplaribus pridem editis, ac in ipſomet S. Matris contextu originali, omnia illa, quæ notantur in libro, cui titulus, GLORIA S. IGNATII, exarata inveniantur; tamen in ea editione, de qua dictum eſt, omnia fuerint eraſa. Hanc infidelitatem editionis non tam Societati Jeſu, quam S. Matri injurioſam, omnino improbamus, & à nobis non eſſe profectam conteſtamur: quinimmo, ſi quis ex Ordine noſtro deprehenderetur, tale quid admiſiſſe, aut fieri curaſſe; impunitum non debere eſſe decernimus. Ipſam quoque editionem truncatam in uſu noſtrorum eſſe prohibemus. Propoſitionem hanc Capitulo noſtro generali propoſitam, & per acclamationem omnium approbatam teſtamur. Die VI Maii MDCL. Fr. Franciſcus à Smo. Sacramento Præpoſitus Generalis; *cujus & notatur apponi ſigillum: deinde ſubſcribitur* F. Joachimus à Jeſu Ma. Capituli generalis ſecretarius. *Maneat itaque, ex Seraphica Matre magnam gloriam in ſobolem Societatis Jeſu, atque adeo in* S. Ignatium, *ejuſdem Parentem, derivatam eſſe.*

C *S. Philippus Nerius petiit admitti in Societatem:*

455 *De gloria* S. Ignatii *ex S. Philippo Nerio profecta agit Lancicius in dicto opuſculo ſpirituali, cap.* 20. *Et verò quam tenerè vir ille ſanctiſſimus erga noſtrum Ordinem, ejuſque Parentem eſſet affectus, inde conficitur, quod ante inſtitutam à ſe Congregationem Oratorii Romani, petierit ab illo recipi in Societatem. Audiatur Lancicius*: Ego ſanè, *inquit*, anno MDXCVI hoc publicè à Bellarmino, tunc noſtro Rectore in collegio Romano audivi. Immo & cauſam ei à S. Philippo narratam, tamquam ſibi valde caro, ob quam illum admittere ad Societatem noſtram noluit S. Ignatius. Hoc ipſum anno MDCXXX R. P. Mutius Vitelleſcus, noſter Præpoſitus Generalis, mihi hoc ſciſcitanti dixit, ſe audiviſſe ſæpiſſime ex ore S. Philippi, quod petierit à noſtro P. Ignatio admitti ad noſtram Societatem. Poſtea cum Româ diſceſſiſſem, & ejuſdem R. P. Mutii conceſſione ad inſtantiam provinciæ Bohemiæ illuc migraſſem, cupiens ad perpetuam rei memoriam hac de re extare in archivio noſtro Romano teſtimonium R. P. Mutii; hoc ab illo petii XXII Maii, anni MDCXXXVI per litteras ad eum Olomucio datas, & id ab eo obtinui per litteras ab eo ad me datas Româ XXVIII Julii ejuſdem anni, ſubſcriptas ejus D manu propriâ, & ſigillo Præpoſiti Generalis obſignatas; quas penes me habeo, & diligenter conſervo, præter aliud earum exemplar, quod Romæ in archivio Societatis conſervatur; *cujus ecgraphum à P. Ignatio Pinio ibi pro me tranſcriptum ante oculos habeo; ubi tamen pro* Julii *notatur* Junii.

ejuſque Funtatorem magno in pretio habuit.

456 *De cæleſti ſplendore, quo S. Philippus vultum ſancti Patris noſtri radiantem vidit, dictum in Commentario prævio* § 88. *Certè* poſt mortem Ignatii *S. Philippus* ejus ſepulcrum adire, ibique orare ſolebat, & neceſſitatibus, quas P. Ignatio poſt ejus mortem commendabat, ſe à P. Ignatio ſolitum adjuvari, *ſcribit ibidem ac probat Lancicius.* Idem S. Philippus ex benevolo affectu erga P. N. Ignatium, & erga Societatem noſtram, poſt mortem ſui ultimi confeſſarii ſecularis ſacerdotis .. elegit è noſtra Societate confeſſarium P. Joannem Baptiſtam Peruſcum; *quin imo* etſi continuare ſuas Confeſſiones ordinarias coram eo non poſſet (frequentibus infirmitatibus corporis, & ætate octoginta annorum debilitatus) longè diſtante à domicilio Oratorii; ſolebat tamen per E intervalla aliquoties in anno adire P. Peruſcum, eique ſuæ conſcientiæ ſtatum in Confeſſione aperire; *prout ibidem invenies*

S. Carolus Borromæus piè eum coluit,

457 *Quantum verò in hac parte præſtiterit S. Carolus Borromæus, probatur ex Lancicio cap.* 21: *nam* & S. Ignatium mortuum piè coluit, & ejus Exercitiorum libello & uſu ad miram illam, toti mundo perſpectam vitæ ſanctimoniam pervenit, operâque Societatis à S. Ignatio inſtitutæ, perpetuò, dum potuit, uſus eſt; ut multis argumentis, iiſque certiſſimis apparet ex rebus geſtis S. Caroli, editis ab ejus domeſticis Prælatis Joanne Petro Giuſſano, & Grattarolio, & aliis. *Quæ chronologicè deducit laudatus Opuſculorum ſpiritualium auctor. De Exercitiis ſpiritualibus dixi ſuprà cap.* 2, § 3.

ac S. Maria Magdalena de Pazzis

458 *Supereſt S. Maria Magdalena de Pazzis; de qua ex apographo noſtro Italico delibo iſta, Latinè ſic à me reddita*: In quodam raptu, quem Sancta iſta habuit die XXVI Decembris anno MDXCIX, poſtquam vidiſſet, quomodo ſibi complaceret Deus, ac delectaretur tantopere in anima S. Joannis Euangeliſtæ, ut alios Sanctos, ut ita loquar, in cælo habere non videretur; vidit, F quod ſimili modo ſeſe oblectaret in anima S. Ignatii, Fundatoris patrum Jeſuitarum. Dixit, quod ſpiritus iſtorum Sanctorum eſſet idem; quia totus eſt amare, & conducere ad amandum. Et ſubjunxit: Spiritus feliciſſimus, qui hodie regnat in terra, eſt ſpiritus S. Ignatii; quia ejus filii in conducendis ad Deum animabus id curant potiſſimùm, notitiam ut ſuggerant, quam ſit Deo gratum, & quanti ſit momenti, attendere ad interna opera, & internè cum Deo tractare.

magni illum fecit.

459 *Delibo, inquam, iſta ex apographo noſtro Italico, quod è ſcriptis monaſterii S. Mariæ Angelorum, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis accuratè extractum fuiſſe teſtantur die* X *Februarii anno* 1729 *tres ejuſdem monaſterii (quod Florentiæ eſt) Religioſæ eidem ſubſcriptæ. Illud P. Ignatius Pinius à P. Caſotti S. I., olim in variis collegiis Rectore, tunc autem ſocio reverendi patris provinciæ Romanæ præſidis accepit, ac Româ ad me miſit. Et mox ibidem ſequitur*: Habet cauſam lætandi & gaudendi noſter pelicanus (*ita Sancta ſolebat nominare, in raptu præſertim, quamdam monaſterii tunc temporis Religioſam*) quia ad illud deducta eſt tempus adeo deſideratum,

A tum, quo videre licet in noſtra Religione germinare primitias ſpiritûs S. Ignatii. *His adde, quæ dixi obiter in Commentario prævio § 67. Latiſſimum laudis in S.* Ignatium *ab inſtituto à ſe Ordine derivatæ campum aperit P. Chriſtophorus Gomez in Elogiis Societatis Jeſu, ſeu Propugnaculo, ex ſummorum Pontificum, conciliorum, Cardinalium, antiſtitum; nec non Imperatorum, regum, principum, & aliorum virtute, religione, atque litteratura illuſtrium (etiam hæreticorum) teſtimoniis adversùs ejuſdem impugnatores conſtructo.*

§ II. *Gloria Sancti è beato exitu eorum, qui moriuntur in Societate Jeſu.*

Quibuſdam

G *Loriæ poſthumæ* S. Ignatii *magnum accreſcit ſplendoris ornamentum ex gloria cæleſti, quæ poſt vitam in Societate Jeſu piè ac religiosè peractam, tot ipſius filiis à Deo datur. Sed laus, quæ*
B *inde in ſanctum Parentem noſtrum derivatur, ita ei eſt propria, ut aliis Ordinum Religioſorum conditoribus etiam ſit communis. Diſpiciendum verò hîc, an noſtra Societas in hac re habeat quidpiam ſingulare. Inter monumenta Romana, quæ P. Ignatius Pinius mecum communicavit, exſtat ſcriptum hoc titulo:* Quo fundamento nitatur vox illa communis ſalvandorum in Societate. *Rem proponamus, & per partes quidem cum hac quæſtione connexas.*

circa hoc argumentum præmiſſis, ex factis

461 *Monumenta, quæ memorabam modò, ita nos edocent:* P. Gabriel Alvarez, rector collegii Majoricenſis, ſcriptum reliquit de F. Alfonſo Rodriguez, viro ſancto, & diuturno ejus collegii incola, quæ ſequuntur: Hic vir, inquit, in refectorio poſt cœnam, inter agendas de more gratias, vidit omnes præſentes fore ſalvos, nec illos dumtaxat; ſed omnes præterea, qui tunc erant in Societate, modò in illa perſeverarent: quâ notitiâ utebatur, quando aliquem de vocatione tentatum confirmare ſtudebat. Accidit id per Octobrem anno MDXCIX. Hæc habentur ex P. Gaſpare Hurtado, profeſſore theologiæ Compluti, qui accepit per litteras datas Hiſpali x Februarii MDCXXIX, à P. Jacobo Granado, viro
C ſat noto: is verò acceperat ab alio Societatis homine probatæ virtutis, qui deſcripſerat ex exemplari P. Sebaſtiani Mendez, viri in Bætica notiſſimi, & ſæpiùs Rectoris: cui ea ſcripto tradiderat P. Ferdinandus Ponce, vir notiſſimus in tota Hiſpania geſto jam provincialatu per Bæticam & Aragoniam.

venerabilis fratris Alfonſi Rodriguez,

462 P. Didacus Monteras, Præpoſitus Olyſſipponenſis, quique in contemplatione à Deo extaſes patitur, audita F. Alfonſi revelatione de ſalvandis in Societate, dicere ſolitus eſt, aliam habitam recentiorem, ſeque noſſe, cui facta eſt. Suſpicio eſt, ipſummet eſſe; qui tamen pro humilitate ſua id clam habuit (*additur in ſcripto, quod citabam*, anno MDCXIV.) Aiunt, tres annos eſſe, ex quo hoc dixit. *Nadaſius laudat patrem illum Didacum in Anno dierum memorabilium, ad diem* XXVII *Maii: de hiſce verò revelationibus agit idem ſcriptor in alio opuſculo, de quo mox dicam, cap.* 16, *num.* 21 *&* 22. Anno MDCXIV, *ſicut refertur in iiſdem monumentis,* cum idem Alfonſus Rodriguez in gratiarum actione omnes domeſticos intuitus eſſet tamquam angelos Dei; exarſit deſiderio, eos videndi in cælo: cumque ea de re cum Deo ageret, ibidem inter egrediendum, reſponſum accepit, ſe voti compotem fore. Ita teſtatur P. Joſephus Ramus ex provincia Aragonenſi, confeſſarius ipſius fratris Alfonſi. EX VARIIS.

ac S. Philipp. Nerii;

463 *P. Joannes Nadaſius, quem nominabam, in libro, quem inſcribit* Pretioſæ occupationes morientium in Societate Jeſu, *cap.* 16; Credo, *ait,* jurato P. Vincentio Ficherello, Piſtorienſis collegii nuper Rectori: cui crederem etiam injurato. Is in litteris, ad me anno MDCLVII, XXVII Aprilis datis, enucleatè narrat, quomodo antequam Romæ anno MDCXX, XVII Novembris Societatem ingrederetur, ad Julium Sanſedonium Groſſeti epiſcopum, virum ſapientiâ, ſcriptis, ætate, virtute, abdicatoquè, ut æternitati quietus vacaret, epiſcopatu, dignum S. Philippo Nerio magiſtro diſcipulum, ductus, ab eo præclara de Societate audierit, impensè hortante, ut perpetuas Deo gratias ageret, quòd ab illo ad eam Societatem eſſet vocatus; de cujus Religioſis S. Philippus Nerius (quocum diu ſe, ac familiariter egiſſe gloriabatur) dicere ſolebat: FILII IGNATII, QUI PERSEVERANT IN SOCIETATE, E IBI MORIUNTUR SANCTI; id eſt, obeunt mortem ſanctam. *Hæc ibi referuntur: quæ confirmantur ex apographo Italico (quod unà cum citatis monumentis Romanis huc miſſum fuit,) ejuſdem P. Ficherelli juramento roborato.*

proponitur mira prædictio S. Franciſci Borgiæ,

464 P. Matreſius Societatis Jeſu, *ex relatione ac fide dictorum mox monumentorum,* narravit anno MDCVII Barcinone in recreatione, quod Romæ die quadam ingreſſus ad B. P. Borgiam Marcus illius ſocius viſurus, num quid opus eſſet, invenit orantem valde lætum & lacrymis perfuſum præ gaudio. Igitur ſciſcitatus iterum ac tertiò gaudii & lacrymarum cauſam, hoc reſponſum tulit: Scito, frater Marce, Deum impensè amare Societatem, eique conceſſiſſe beneficium, quod olim Ordini S. Benedicti, nimirum ut trecentis primis annis, nemo, qui in ea ad mortem perſeveraverit, damnetur. Hæc P. Matreſius dicit, ſe accepiſſe ex ore fratris Marci. *In ſcripto,* Quo fundamento *&c; quod ſuprà citabam, additur:* Nec dubitari poteſt de fide hujus integerrimi fratris. *In eodem ſcripto, anno* 1607, *quo P. Matreſius rem ſuperiùs dicitur narraſſe, additur:* XVIII Martii.

F

ac cujuſdam patris Capucini circa ſalutem omnium in Societate morientium:

465 *Prædictio S. Franciſci Borgiæ confirmatur è citatis monumentis noſtris Romanis. Verba accipe:* Cum P. Matreſius in quodam collegio Italiæ habitaret, vocatus fuit à quodam Capucino, cujus erat magna opinio ſanctitatis, graviter tum decumbente, & morti proximo; qui ingredienti patri cellam, magna voce acclamavit: Juſſi te, pater, hac hora vocari, ut nuntiem, quæ mihi Deus nuntiare mandavit; nimirum omnes, qui in Societate moriuntur, ad cælum eunt: ſed è mea Religione tametſi multi ſalvantur, damnantur aliqui. Cum autem P. Matreſius temperare vellet, & ſtringere dicti illius univerſalitatem, & comparationis; reſpondit infirmus: Pater, res ſe habet, ut dixi: & Deus mihi mandat, ut dicam; & idcirco te vocari curavi: & paullò poſt cum ſanctitatis opinione mortuus eſt. Rem hanc narravit P. Matreſius P. Michaëli Carafa *, olim Præpoſito domus profeſſæ Valentinæ, & deſignato Viſitatori Sardiniæ: qui & relata initio à P. Matreſio in recreatione Barcinonenſi narrante audivit, & in collegio Complutenſi anno MDCXXVIII narravit.

* *al.* Carrera, *&* Terza,

466 *Hæc ita confirmantur è ſcripto* Quo fun-

EX VARIIS. *quæ alibi* damento *&c.*, *de quo suprà* : Pater Antonius Beatillus noster in litteris datis ad patrem Alegambe XXI Februarii MDCXXXII Neapoli, testatur, se tunc temporis, cum id agebatur, fuisse candidatum Societatis, & familiariter in collegio versari solitum fuisse cum patre Matresio ; qui cum rediret à visendo Capucino, & interrogaretur ab ipso P. Beatillo, quidnam voluisset ab ipso Capucinus ; respondit : Dixit mihi de nostra Societate tam præclara, ut verè felices nos reputare possimus, si illa sunt vera. Idem pater Beatillus Bariensis addit in eadem epistola, se pridem horum fuisse oblitum ; sed cùm anno MDCXXXI recitaret in Missa Euangelium de quinque talentis, de quo anno MDLXXXVII eumdem Capucinum concionantem in templo archiepiscopali Barensi secularis audierat, exstasim mentis se passum, & Capucinum concionantem de talentis, & patrem Matresium ab ipso vocatum, & in reditu sibi, quæ suprà retulimus narrantem, se vidisse ad finem usque Euangelii &c. *Et continuò his in Ms. nostro subditur* : Hæc omnia pater Joannes Baptista Rubeus Româ Mediolanum transmisit summo studio hinc inde collecta &c. ; *de quo patre agit Bibliotheca Societatis sub cognomine Italo* Rossi.

B

confirmatur. 467 *Rem aliquantulum elucidemus. In prædicto scripto dicitur* P. Vincentius Matresius in provincia Neapolitana, confessarius Ducis Monteleonis, proregis Barcinone *&c. Viri elogium inseruit Nadasius Anno dierum memorabilium ad diem* XXX *Septembris, quo obiisse ibid. notatur anno* 1607 ; *ubi & hoc, quo de agimus, privilegium narrat. Capucinus autem ille ibidem vocatur* Fr. Laurentius de Mola ; *ac* Barii anno MDLXXXVII *dicitur* obiisse cum bona opinione viri spiritualis ; *ac proinde vaticinium ejus tunc deberet accidisse. Scriptum verò, quod sæpius jam memoravi*, Erat, *inquit*, prædictus pater Capucinus de Mola, quod est oppidum non longè ab urbe Bario ; ubi concionatus est aliquoties magno cum spiritu, cum esset vir sanctæ opinionis, & definitor suæ provinciæ, & optimus concionator. In eadem decumbebat ægrotans, quando P. Vincentium Matresium, egregium & ipsum concionatorem, tum in collegio Barensi degentem, vocari ad se jussit. *Sed nihil de isto fratre Laurentio, nedum de prædictione ejus reperio cum in Annalibus PP. Capucinorum apud Zachariam Boverium ; tum apud R. P. Carolum de Arembergh in Floribus seraphicis istius Ordinis. Elogium P. Antonii Beatilli intexitur Bibliothecæ Societatis Jesu.*

D

468 *Habes, lector, quo nitatur fundamento mirabilis illa, quæ circumfertur, de salvandorum in Societate Jesu prærogativa : cujus veritati tantum tribues, quantum rationibus pro ea allatis deferendum esse censueris. Et verò erunt sine dubio, qui pro re adeo paradoxa, dixeram penè incredibili, majora credibilitatis motiva requirant. Quæ cum mihi non sint in promptu : superest, ut me contineam intra solos simplicis narrationis fines, relicta cuilibet in utramque partem sentiendi plenissima libertate. Hoc interim longè certissimum est, unicuique è Societate sedulò enitendum, ut dignè ambulet vocatione, quâ vocatus est ; & satagendum, ut per bona opera certam suam vocationem & electionem faciat ; quidquid sit de tali gloria posthuma, è beato exitu eorum, qui moriuntur in Societate Jesu, in* S. Ignatium *ejusdem Fundatorem derivata : cujus rebus gestis, miraculis, ac gloriæ posthumæ finem imponet* Dictorum conclusio.

E

AUCTARIUM

Circa beneficia patrocinio S. Ignatii attributa.

Mortuus infans ad vitam redit :

C

Is, quæ superiùs num. 484 *dixi de documentis è Polonia submissis, hæc adde ex Historia collegii Crosnensis :* Anno MDCLXXII perillustris reverendus Dominus Thomas Woytaleuiez, Præpositus Wielopolienſis, pro solennitate S. Ignatii à nostris invitatus, præsto adfuit, augendo honori divi Patris. In ejus absentia, neptis ex sorore illius, ipso S. Ignatii die enixa est fœtum, vivum quidem, sed præ nimia debilitate proximè ferè moriturum. Nihilominus baptismus infantis prolongari debuit, ob absentiam Præpositi, in cujus voto fuerat, infantem propria manu, sacro abluere fonte. Interim instante majori debilitate, antequam is rediret, infans absque baptismo è vita discessit. Redux Præpositus, & morte infantis sine baptismo ob sui absentiam, nimiùm tristis, accepto infantis corpusculo, super altare illud deposuit, & injuncta præsentibus terna oratione Dominica ac salutatione angelica, flexis genibus repetenda, ipse aliquantùm orationi intentus, hoc affectu clara & distincta voce suppetias S. Ignatii imploravit : O sancte Pater Ignati, ego propter honoris tui obsequium abfui ; tuum est hanc animam mihi restituere ; cui ob tuum obsequium, salutare baptisma non impendi. Vix ferventia complevit desideria ; en puer pridie emortuus, ope S. Ignatii vivere cœpit, manibusque Præpositi baptizatus, ac nomine Ignatii insignitus, cum ingenti parentum simulque Præpositi solatio, uberiores vixit annos..

uti & homo rusticanus.

470 Anno MDCXCVII rusticanus homo coram uno è nostris fassus est, se ante annos circiter sex præ desperatione laqueum sibi injecisse. Serò id advertit conjux, præcisoque laqueo, ultra tres horas exanimem jacuisse vidit, confluente ad cadaver plurimo vicino spectatore. Tristis mulier opem sancti Ignatii implorare cœpit, ne animam illam æternùm perire permitteret, quæ cum in corpore ageret, singulari affectu in S. Ignatium ferebatur. Sancta hæc dum continuat suspiria, videt exanimem conjugem in terra respirare, tandem loqui & de integro convalescere. Vitæ meliori restitutus ruricola, narravit, se aliquoties vidisse S. Ignatium de anima sua cum spiritibus immundis altercantem, eamque sibi jure debito appropriantem, nitentibus contrà malignis spiritibus. Tanto beneficio ad specialem divi Ignatii cultum vixit animatus.

F

Alii à dæmonis vexationibus

471 *Ex Litteris annuis collegii Bidgostienſis :* Anno MDCCXXIX admodùm reverendus dominus Antonius Snicinski, parochus vicinus, per annos circiter octo, terrores ac inquietationes, variasque immissiones à malo genio fuit passus, adeo ut loquentem dæmonem, sese infestantem, diu noctuque audiret. Adhibebat solitos exorcismos, sed irrito eventu. Tandem letali correptus morbo, unum è nostris invitavit, à quo in viam æternitatis disponeretur, simulque petiit, ut corpus

A pus ſuum poſt fata, in templo collegii Bidgoſtienſis humaretur. Imò ardenter expetiit, ut vivus adhuc ad collegium Bidgoſtienſe deferretur, ibique extremum diem expectaret. Inſuper expoſuit invitato patri continuas dæmonis infeſtationes, qui pro remedio aquam S. Ignatii adhibere, ejuſque iconem cubiculo affigere ſuaſit, utpote ei; qui virtutes horum, olim in ſocietate degens, didiciſſet. Aſperſa itaque ſæpiùs domus aquâ S. Ignatii, imago ejuſdem lecto affixa: ſtatimque evanuêre dæmonis terriculamenta, ipſeque parochus ſanitati reſtitutus, ſanitatem ſuam, & ab infeſtationibus immunitatem S. Ignatio gratus attribuit.

liberati. 472 *Ex litteris annuis collegii Poſnanienſis:* Anno MDCCXXIX Poſnaniæ domum militis præſidiarii, Leopoldi Stybel, malus genius longo tempore infeſtabat; imprimis intra quatuor ſeptimanas, quavis feria quinta, horâ ante meridiem undecimâ; poſtea verò ſæpius, quatuor interdum vicibus intra hebdomadam. Ad initium infeſtatio-
B nis, lenis quidam audiebatur ſtrepitus, quaſi hominis ſuſpenſo pede incedentis, tum cerberus infernalis in domeſticum inſiliebat canem, eumque in gyrum rotabat, terræ allidebat, violentam vexationem latratu horribili incuſante cane. Tum infans duorum annorum magno ejulatu, violenta apprehenſione projiciebatur in terram, lacrymis & incondito clamore, nutuque digitorum demonſtrans invaſorem. Tandem & ipſe miles cum ſua conjuge, quibus tota domus ceu rota agitari videbatur, vertigine capitis in terram proſtrati, præ afflictione ac timore vix ſpirabant. Poſcentibus opem à noſtris, loco remedii proviſa fuit aqua benedicta S. Ignatii, ſimulque imago S. Patris data, parietibus affigenda. Succeſſit feliciter remedium: cum enim totam domum aquâ illâ aſperſiſſent inquilini, ab inquieto hoſpite immunes erant. Sic facientibus contigerat, ut ſemel aqua S. Ignatii deeſſet; ſtatim igitur adfuit improviſus hoſpes, ſolitoque more miſeros incolas affecit moleſtiis. Quo periculo cautiores facti, ſi unum vas aquæ S. Ignatii deficeret, alterum procurabant, propriâ edocti experientiâ, toties ſe eſſe ab infeſtatione immunes, quoties domum aquâ S. Ignatii aſpergerent, quod facere non deſtiterunt, S. Ignatium, ejuſque opem deprædicantes, & uſum præfatæ aquæ benedictæ. *Quibus è variis provinciæ Polonicæ documentis accedunt varii alii favores circa ſalutem corporis, puerperia, ac machinas diabolicas.*
C

Beneficium Leopoldo archiduci præſtitum. 473 *Anno 1632 tempore belli Suecici, inſolens hoſtis Sereniſſimo Archiduci Leopoldo, Tyrolis domino, nuntiavit, ſe poſtero die, qui* S. Ignatio *erat ſacer, ſuam Serenitatem coràm ſalutaturum. Sed, rebus jam conclamatis, cum Sereniſſimus* S. Ignatio *provinciam ſuam enixè commendaſſet; eadem nocte, & illo ipſo tempore matutino Weimarius, re ac ſpe fruſtratus, quam celerrimè diſcedere debuit, velociſſimo ſui regis, tunc in Franconia periclitantis, per curſores accitu avocatus. Lau-*

datus Sereniſſimus Archidux in epiſtola ad Sereniſſimam conjugem, die 1 Auguſti 1632 Nazaretæ data, & ex Italico Latinè reddita, Grates, *inquit*, æternas debemus Domino Deo, & S. Ignatio. EX VARIIS.

Variorum aliorum beneficiorum ſumma. 474 *Ceterùm cum gratiæ, favores ac beneficia patrocinio Thaumaturgi noſtri adſcripta, &, quâ ſe extendit Aſſiſtentia Germaniæ Societatis Jeſu, obtenta, adeo ſint crebra, ut ad certum numerum revocari nequeant; ut tamen aliquam gratioſæ, quâ apud Deum valet, potentiæ ideam ſuggeram; è nonnullorum collegiorum ad dictam Aſſiſtentiam ſpectantium inſtrumentis recenſeo hæc ſola beneficia, prout indidem ea à me extracta invenio, relictis aliis pluribus; quæ volens inde non excerpo. Primo itaque loco ſint liberati à morbis, mortis periculo, vel corporis incommodis. In provincia Lituana ac Polonica centum. In Auſtriaca centum & quinquaginta. In Bohemica centum. In provincia Germaniæ ſuperioris centum. In provinciis Rheni ſuperioris & inferioris triginta. Secundo loco veniant gratiæ puerperis indultæ. In Lituana ac Polonica provinciis ſexaginta. In Auſtriaca quinquaginta. In Bohemica trecentæ. In provincia Germaniæ ſuperioris centum. In provincia utriuſque Rheni, quadraginta. Tertio loco reſervo ſancti patrocinium adversùs dæmonem, veneficia, lemures, ſpectra. In provincia Lituana ac Polonica quinquaginta. In Auſtriaca ſeptuaginta. In Bohemica quinquaginta. In provincia Germaniæ ſuperioris triginta. In provincia utriuſque Rheni quindecim. Summa, mille ducenta & quadraginta quinque. Quibus ſingulatim hîc non addo Belgica. Jam verò ſi alia, quæ vel ſcripta non ſint, vel huc non miſſa, quæ tamen alibi credere par eſt magno numero contigiſſe, hiſce omnibus accenſerem, quouſque eorum ſumma excreſceret? Cum autem documenta Lituana legam deduci uſque ad an. 1729; Polonica ad an. item 1729; Auſtriaca ad 1727; Bohemica ad 1728; Germaniæ ſuperioris ad 1727; Rheni ſuperioris ad 1726; Rheni inferioris ad 1725; Flandrobelgica ad 1728; inde conficitur ſtabilis ad hæc uſque tempora Ignatianæ beneficentiæ continuatio.*
E

Locuſtæ miro modo exactæ in Luſitania. 475 *Epimetri loco ſint iſta. P. Franciſcus de Smit S. J., Vitæ* S. Ignatii, *à noſtro item P. Andrea Luca Hiſpanicè vulgatæ, & à ſe deinde Flandrobelgicâ linguâ editæ appendicem adjunxit; in qua § 5, à pag. 706 ex epiſtola R. P. Prioris Linarezienſis (in diœceſi Conimbricenſi) Didaci Ruiz Cardoço ad R. P. Manuelem Facundes S. J. Rectorem collegii Conimbricenſis data die* XVI *Julii 1637; ibi, inquam, narratur mirabilis locuſtarum omnes terræ fruges depaſcentium exactio, formato reliquiis* S. Ignatii *ſigno crucis. Et mox inſecta illa animalia in terram concidiſſe tamquam venerabunda, dein avolaſſe, ac numquam poſtea reverſa fuiſſe, indidem habemus. Adde votum ſupplicationis annuæ cum Sacro, ac cultu diei, quo res accidit.*
F

APPENDIX

Addendorum mutandorum & corrigendorum

AD OMNES SEPTEM TOMOS

DE ACTIS SANCTORUM JULII.

TOMO I. DIE PRIMA.

DE B. BARTHOLOMÆO VICENTINO.

B QUam *multa incerta, dubia & implexa de beato iſto Viro à poſterioris ævi ſcriptoribus male combinata ſint, ex noſtro Commentario à pag.* 280 *plane intelligitur, idemque pluribus confirmat eruditiſſimus Echardus in ſua Bibliotheca ſcriptorum Ordinis Prædicat. tom.* I, *à pag.* 254, *ubi quod ex Marzario admittit, de Bragantina ſeu Bregantina familia, aliunde probatum cupio. De* Nemonico, Nemoncio, Nemoſia, *ſive* Lemoncia, *pro* Limiſſa *plura diſputat, ad ea explicanda quæ Papebrochius non repererat, tom.* VII *Maii pag.* 704; *neque ego ſatis diſtincta inveneram, ut proinde ad ejus normam corrigi facilè patiar, quæ de ea urbe à nobis dicta ſunt. Circa reliquas Beati dignitates, perſtat Commentarius, ex quo mentem noſtram iterum explicuimus in Reſponſione Gallica ad Obſervationes aliquas P. Matthæi Texte, quam ne hic referre cogamur, ſatis erit verbo indicare, nos à P. Matthæi titularibus placitis tantum abhorrere, quantum ad Echardum libenter accedimus.*

EODEM TOMO ET DIE.

C

DE SANCTIS FELICE ET MODERATO.

PAg. 288 *litt.* C, *corrigendum monuit R. D. Le Beuf canonicus & ſuccentor eccl. Autiſſiodorenſis, alibi à nobis laudatus, quod mihi ſuggeſſerat de D. Bargedé, tamquam* archidiacono; *cum merus laicus fuerit, ſub titulo* aſſeſſoris.

Eadem pag. litt. F, *corrigi voluit quod ſcripſerat de* Mailly le chateau, *eſſe diœceſeos Auguſtodunenſis, cum ad Autiſſiodorenſem pertineat: quodque ibi de* S. Moderati *reliquiis dicitur, melius expungetur.*

Id demum adjecit, veroſimilius ſibi videri, utriuſque Sancti reliquias, quæ ad S. Germani depoſita olim fuerant, multarum aliarum ſortem ſubjiſſe, quod anno 1567 *cum ceteris commixtæ fuerint.*

Alia epiſtola latina ad me data MDCCXVIII *pluſcula de iiſdem Sanctis coacervavit, non quæ ad ætatem, geſta aut martyrium ſpectarent, de quibus jam ſatis diximus nihil memoriæ proditum eſſe, ſed quæ ipſorum cultum paulo amplius illuſtrant, atque à confuſione non parum vendicant:* Volucram, *inquit*, quæſitum veſtrum de S. Moderato quibuſdam annotationibus novis illuſtrare. Ea propter aliquibus epiſtolis rector eccleſiæ S. Moderati ad Coram, vexandus mihi fuit, ſed ex ejus reſponſis res non omnino eliquata prodit. Dicam tamen hac de re quod fortaſſis gratum vobis erit. Certiſſimum eſt primo, omnia Kalendaria S. Germani Autiſſiod., diem v Septembris vacuum repræſentare. In iis nulla mentio SS. Felicis & Moderati; verùm ad diem I Julii habetur memoria de S. Moderato martyre, in aliquibus vero ad XVI Junii nomen S. Felicis martyris, quæ quidem memoria pro S. Moderato his terminis concipitur; „ Octava S. Joannis VIII Lect.; Moderati martyris „ IV Lect.„ Ita in Kalendario Miſſalis XII ſeculi, & in Kalendariis Breviariorum Mss., licet in textu eorumdem Breviariorum, nulla ſit lectio propria, ſed tantum oratio ſequens: „ Deus qui nos beati „ Moderati martyris tui concedis natalitio perfrui, „ ejus nos tribue meritis adjuvari. „

Pergit R. D. Le Beuf: Quoad S. Felicem; ejus memoria non apparet in Miſſali XII ſeculi ejuſdem eccleſiæ, neque in Proprio Sanctorum, nec in Kalendario. Ejus tamen nomen legitur in Kalendario unius Breviarii Ms. XIII ſeculi, & in Kalendario unius Hymnarii ejuſdem ſeculi, XVI Junii poſt nomina SS. Cyrici & Julittæ & ante nomina SS. Ferreoli & Ferrutii. Ex his videre eſt, cultum S. Felicis, quiſquis ille ſit, ſerius incepiſſe apud S. Germanum; cultum vero S. Moderati in eadem eccleſia multis ſeculis antiquiorem eſſe. Hericus revera IX ſeculo meminit non tantum eccleſiæ S. Moderati, tranſlationis corporis ejus, ſed & cultûs ejus apud S. Germanum, jam ævo ſuo antiquioris: at de S. Felice altum ſervat ſilentium, quin imo de eo ſilent omnes fere auctores qui de baſilica S. Germani & ejus reliquiis ſcripſerunt. E F

Tria igitur ex Herico diſcimus de S. Moderato, 1°, ipſum fuiſſe puerum; 2° martyrem; 3° habuiſſe eccleſiam propriam, ubi jam colebatur, & ex quâ in baſilicam S. Germani Autiſſiodorenſis delatum ſit corpus ejus. De pueritia Sancti vix dubitare quis poſſit, cum Hericus ejus tumulum viderit, ſuo tempore ad latus ſepulcri S. Germani collocatum. Circa martyrium quidem, nec tempus, nec modum, nec locum aſſerit; ſed martyrem fuiſſe clarè indicat, neque aliter ſcripſiſſe putandus eſt, quam tunc communiter credebatur. Ego vero eccleſiam ex qua ante tempora Herici fa-

A Età fuerat tranſlatio, ſemper exiſtimavi cum Violæo noſtro fuiſſe in illo pagulo ad amnem Coram, ſeptem ab hinc leucis poſito, qui SANCTI MODERATI nomen præfert in titulis XII ſeculi & poſterioribus. Alia conſimilis nominis eccleſia, ſiqua exſtitit, omnino ignota fuit ſupradicto Georgio Viole, Ludovico Noël canonico, & aliis Autiſſiodorenſibus topographis.

Hæc præmitto ut ſentiatis in quem ſtuporem inciderim, cum in prima reſponſione rectoris eccleſiæ S. Moderati ad Coram, legi, ſanctum eccleſiæ patronum eſſe quidem ſanctum Moderatum, verum talem Sanctum, ut confeſſorem coli, utpote qui ex opinione vulgi, circa fontem vicinum eremiticam vitam duxerit; hujus vero feſtum unicum celebrari XVI Maii, & omnia legi & cantari de communi; neque ullas reliquias corporis ejus, aut tumuli, vel libros aut Kalendaria illic conſervari. Inſtiti ego, fultus auctoritate Herici; ſubodóranſque aliquem ex parte populi errorem, ſcire volui, an non aliqua alia ibidem exſtaret eccleſia ſub invocatione cujuſdam S. Mauri: B Reſpondit rector, ſupereſſe ab alia parte fluvii in ſua parochia, vetuſtiſſimæ eccleſiæ rudera, in qua multi reperti fuerant ſarcophagi lapidei; ac vulgo à ſenioribus pagi vocitatam fuiſſe LA CHAPELLE OU L'EGLISE DE SAINT MEU: locum vero hactenus appellari *Naailly*. Addidit, imaginem dicti Sancti in quadam tabella ſupra majus altare eccleſiæ vici S. Moderati etiam nunc depictam videri; à parte Epiſtolæ, juxta imaginem S. Moderati, in qua repræſentatur ad modum juvenis, tunicella induti, dum S. Moderatus ab alia parte cernitur depictus ut eremita vel annoſus ſenex: nomen latinum S. MEU ſe prorſus ignorare; nullum feſtum de eo celebrari, nec ullis titulis aut documentis ſe tantas poſſe tenebras illuſtrare.

Hoc reſponſo ſatis edoctus, non hæſitavi, quin aſſererem, eccleſiam DE SAINT MEU, illam eſſe debere eccleſiam S. Mauri, quæ jam ſexto labente ſeculo, exiſtebat in diœceſi Autiſſiodorenſi ſub nomine Cellæ Mauri, eoque magis quod vocabulum Cella locum deſignat ab eremita aliquo pridem habitatum. Item in charta quadam XII ſeculi inveni conceſſionem eccleſiæ Naaliaci & eccleſiæ S. Moderati factam cœnobio Moliſmenſi, quod duas eccleſias deſignat, imo & duos pagulos aquis Coræ diviſos. Rurſus, fatentur antiqui de loco S. C Moderati, ſe quondam audiviſſe de Naaliaco, quod fuiſſet parochia, ſed poſtea ex Naaliaco & ſancto Moderato unicam fuiſſe conflatam. Ex quibus momentis anſam erroris me ſuſpicor detexiſſe, videlicet cultûs S. Mauri tranſlatione in eccleſiam S. Moderati, poſt deſtructam Naaliaci eccleſiam. Inde enim factum eſt, ut uterque Sanctus in tabellis depictus ſit, unus ut eremita, alter ut juvenis, quod occaſionem præbuit populis, ſæpe unius nomen pro nomine alterius uſurpandi, & ideam eremitæ à Mauro ad Moderatum, ideam vero juvenis à Moderato ad Maurum per inſcitiam traducendi.

Hactenus Cl. Viri obſervationes & conjecturæ; ex quibus veroſimillimè conſequi oſtendit, quod die XVI *Maii, qua colitur Sanctus quidam ſenior eremita, ſub nomine* S. Moderati *in eccleſia S. Moderati, coli deberet S. Maurus eremita, quia eccleſiam Naaliaci ſuo nomine dicatam habuit: die vero* I *Julii* S. Moderatus puer martyr *in ipſo ſui nominis viculo & ipſiuſmet nominis eccleſia. Aliis, quas præterea addit, conjecturis ſuperſedendum putavimus, quod hæc ad tollendam confuſionem, de qua agebamus, abunde ſufficiant. De* S. Felice *tam multa non habuit quæ diſputaret; ceterum ejus cultum, ſaltem à ſeculo* XIII *ſolidiſſimè probavit ex variis plurium eccleſiarum Kalendariis in quibus partim cum Cyrico & Julitta, Ferreolo ac Ferrutio conjungitur, referturque proinde, ut ſuo loco diximus, ad* XVI *Junii. Atque hæc de ſanctis* Felice & Moderato *dicta ſint ſatis.* D

EODEM TOMO, DIE II JULII.

DE S. JUVENALE PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Sancti cultus, & elogia. P. B.

H *Ujus Patriarchæ memoriam nullis unquam Faſtis Occidentalis Eccleſia celebravit. Eminentiſſimus contrà Annalium conditor ad annum* 454 *num.* 21 *eamdem acriter inſectatur his verbis:* Vides igitur, in Juvenale nihil optimo dignum epiſcopo reperiri; & ſecundùm parœmiam illam, in bello cervum, in pace ſe præſtitiſſe leonem: qui malis artibus, mentitiſque ſcriptis *&c. Nihilò mitiùs tractatur apud recentiores non Catholicos modò, ſed & heterodoxos. Papebrochius noſter ante tomum* III *Maii in Hiſtoria chronologica patriarcharum Hieroſolymitanorum etſi, num.* 100, *Baronii, ut* in Juvenalem plus juſto iniqui, *ſeveritatem incuſat; nihil affert tamen aut innuit, unde cultum* Juvenalis *aut ſanctitatem eruas. Hinc factum exiſtimo, ut ad diem* 2 *Julii fuerit inter Prætermiſſos relatus: neque enim ſola Menologii Sirletiani, & hoc nixa Ferrarii atque Caſtellani auctoritas ſufficere videbatur ad ſanctimoniam viri, tam atro paſſim calculo notati, tutò comprobandam. Neſcio verò, quo caſu acciderit, ut alia tunc temporis monumenta memoriæ ſeriùs occurrerint: nam ſi de Faſtis Orientalibus cogitatum tunc fuiſſet, patuiſſet profectò, aut huic jure ſuo locum inter Sanctos deberi; aut aliis, qui jam habent in opere noſtro, ſexcentis non deberi. Quotum enim quemque eorum tot celebrant eccleſiaſtica monumenta, quot* Juvenalem *hunc noſtrum?* F

Prætermiſſus hic fuit 2 *Julii;* E

2 *Feſtum ejus in Oriente duplex eſt: alterum die* XVI *Julii commune cum patribus, qui anno Chriſti* 451 *in Chalcedonenſi concilio rem Catholicam defenderunt; de quo vide dicta menſis hujus tomo* IV, *pag.* 120: *alterum proprium, ejuſque nomine conſignatum, die menſis ejuſdem ſecundo; quo notatur in Menæis Græcorum excuſis,* Μνήμη τῶν Ἁγίων πατρὸς ἡμῶν Ἰουβεναλίου, πατριάρχου Ἱεροσολύμων, Memoria ſancti patris noſtri Juvenalii, Hieroſolymorum patriarchæ. *Eodem prorſus die ac modo refertur apud Maximum Cytheræum; in Synaxario Ruthenorum peculiari diœceſeos Kiovienſis, teſte Georgio noſtro David, à quo illud Latinè verſum accepimus; & in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod ad uſus noſtros interpretatus eſt Gratia Simonius, ſæpe propterea in hoc opere memoratus. Alibi verò ad eumdem diem ac menſem eadem commemoratio exornata legitur elogiis, quæ hic non pigebit adſcribere.* *nunc autem probatur ejus cultus ex Menæis magnis, &c.*

3 *Menologium Slavo-Ruſſicum ſic habet:* Item ſancti patris noſtri Juvenalis, patriarchæ Hieroſolymitani, qui tertius conſecrator Hieroſolymis fuit poſt Cyrillum. Sedebat annis XXXVIII; obiit anno CDLIV ſub Marciano & Pulcheria. *De chronologia ejus agemus infrà. Menologium Cardinalis Sir-* *item ex Menologiis Slavo-Ruſſico, Sirletiano, Mediolanenſi, Taurinenſibus;*

AUCTORE P. B.

Sirleti ſolum hoc die Juvenalem *annuntiat in hæc verba :* Die 2 (*Julii.*) Natalis beati patris noſtri Juvenalis, archiepiſcopi Hieroſolymitani. Hic fuit, Theodoſio minore imperatore, tertius poſt Cyrillum Hieroſolymarum epiſcopus, recta fide & pietate inſignis ; qui cum Hieroſolymitanam eccleſiam triginta ſex annos rexiſſet, in pace requievit. *Menæa Mss. bibliothecæ Mediolanenſis Ambroſianæ, conſonantibus, ut adſcripſit Henſchenius noſter, binis exemplaribus Mss., quæ cum Ambroſiano textu Taurini contulit, ita ſonant :* Μνήμη ⸗ πατρὸς ἡμῶν Ἰουβεναλίου, πατριάρχου Ἱεροσολύμων ⸗ τοῦ Θεοδοσίου ⸗ μικροῦ, ⸗ εὑρεθέντος ἐν τῇ συνόδῳ τῇ Χαλκηδόνῃ · ὃς τῇ συνόδῳ συνηγορήσας, καὶ τὸν ⸗ εὐσεβέστατον βασιλέα Μαρκιανὸν τῇ συνέσει καταθέλξας, καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ παροικίᾳ γενόμενος, καὶ καλῶς τὸ ἑαυτοῦ ποίμνιον ποιμάνας, πρὸς Θεὸν μετέστη. *Hoc eſt :* Commemoratio P. N. Juvenalii, patriarchæ Hieroſol. ſub Theodoſio juniore ; qui interfuit Chalcedonenſi ſynodo ; quam cum defendiſſet, & imperatorem religioſiſſimum Marcianum prudentiâ ſuâ recreaſſet, atque ad propriam reverſus diœceſim, rectè paviſſet ovile ſibi creditum, ad Deum migravit.

B

ex Synaxario Ms. P. Sirmondi

4 *Diffuſiora ſunt hoc loco Synaxarium Ms. membraneum P. Sirmondi, eique conſona Menæa Mss. P. Chiffletii, cum ita Sanctum hunc laudant :* Μνήμη ⸗ ἐν Ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰουβεναλίου, πατριάρχου Ἱεροσολύμων.

Μνήμην γεραίρω τὴν Ἰουβεναλίου,
Οὗ μνῆμα θεῖον ἡ Παλαισίνη φέρει.

Οὗτος ἦν ἐν χρόνοις Θεοδοσίου ⸗ μικροῦ, ἀρχιερατεύσας μετὰ Κύριλλον τρίτος Ἱεροσολύμων, ὃς φθάσας ἕως τῆς βασιλείας Μαρκιανοῦ ⸗ καὶ Λέοντος · παρὼν καὶ τῇ ἐν Ἐφέσῳ συνόδῳ μετὰ τῶν διακοσίων πατέρων, διαλάμψας ἐν τοῖς δόγμασι μετὰ Κυρίλλου, ⸗ ὁμοίμοι πάντα Ἀλεξανδρείας, καὶ τιμηθεὶς παρὰ ⸗ βασιλέως Μαρκιανοῦ δόξῃ τῇ συφίαν. Καὶ ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει, ἐν τῇ Εὐθυμιακῇ ἱστορίᾳ, ἐν τρίτῳ λόγῳ, κεφαλαίῳ πεσσαρακοστῷ εὑρήσεις. Κτίσας δὲ τοὺς Βλαχέρνας ὁ βασιλεὺς Μαρκιανὸς σὺν Πουλχερίᾳ, Ἰουβενάλιον ἠρώτα, εἰ περὶ ⸗ σώματος ⸗ Θεομήτορος εἶδε, πῶς ἐτέθη. Ὁ δὲ εἶπεν, ἀπὸ γραφῆς μὲν μὴ εἰδέναι · ἀρχαίως δὲ λόγος καὶ ἀληθὴς φέρεται, ὅτι μετὰ τὸ κηδευθῆναι ὑπὸ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ἠκούετό τε ἀγγελικὴ ὑμνωδία ἕως τριῶν ἡμερῶν · μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν,

C

ἑνὸς τῶν μαθητῶν ἀπολειφθέντος ἠνοίχθη τὸ τάφος καὶ τὸ λείψανον οὐχ εὑρέθη, εἰ μὴ ἐντάφια μόνον. Καὶ παρεκάλεσε τὸν Πατριάρχην ὁ βασιλεὺς · Κἂν τὸ σορὸν μεθ᾽ ὧν ἐνταφίων βούλῃ σε * πέμψαι. Ὁ δὲ μὴ γέγονεν. Ὁ δὲ ἅγιος Ἰουβενάλιος ἐπισκοπήσας ἔτη λή, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο. *Hoc eſt :*

* *fortè* βουλεύσῃ ut fatageret

5 Memoria S. P. N. Juvenalii, patriarchæ Hieroſolymorum.

& Menæis Mss. P. Chiffletii ;

Juvenalii celebro memoriam, ſacrum
Cujus ſepulcrum eſt in Palæſtina ſitum.

Hic erat temporibus Theodoſii junioris. Hieroſolymorum archiepiſcopatum geſſit poſt Cyrillum tertius ; pervenitque uſque ad imperium Marciani & Leonis. Interfuit & ſynodo Epheſinæ cum ducentis patribus, doctrinâ præfulgens unà cum Cyrillo, celeberrimo patriarcha Alexandrino ; & ab imperatore Marciano propter ſapientiam honoratus. Atque hæc ita ſe habere, invenies in Hiſtoria Euthymiaca, libro tertio, capite quadrageſimo. Exſtructis autem Blachernis, imperator Marcianus cum Pulcheria Juvenalium rogavit de corpore Deiparæ, ſciretne, ubi poſitum eſſet. Reſpondit ille, ſe id quidem è ſcripto non didiciſſe ; antiquâ tamen & verâ tradi famâ, quod, poſtquam ſepultum illud fuiſſet à ſanctis Apoſtolis, audita etiam fuerit per triduum angelorum hymnodia : poſt tertium verò diem, uno diſcipulorum abſente, apertum fuerit ſepulcrum, nec inventæ reliquiæ, præter ſolas faſcias ſepulcrales. Et oravit Patriarcham imperator, [dicens :] Vel ſepulcrum cum faſciis deſidero huc ut mittas. Quod & factum eſt. Sanctus autem Juvenalius, cum annos XXXVIII ſediſſet, requievit in pace.

D

ex Menologio Baſilii imperatoris ;

6 *Ab hoc poſtremo elogio illud parum differt, quod ad eumdem diem ei recitatur in Menologio Baſilii imperatoris ; ut vide Julii noſtri tom.* I *pag.* 687, *ubi textus eſt Græcus, quem Latinè ſic vertimus :* Et memoria S. P. N. Juvenalii. Sanctus pater noſter Juvenalius præfuit quidem, imperante Theodoſio juniore, tertius poſt ſanctiſſimum Cyrillum factus Hieroſolymorum patriarcha : adſtitit verò & Epheſino ducentorum ſanctorum patrum concilio, unà cum celeberrimo Alexandriæ patriarcha Cyrillo, ſermone doctrinaque conſpicuus. Pertigit autem uſque ad quartam ſynodum, Chalcedone celebratam ſub imperio Marciani, qui eccleſiam in Blachernis erexit, & à quo rogatus, ubi conditum eſſet corpus immaculatum Dei Matris, ut illud per ſubmiſſos recipere atque in eccleſia jam dicta poſſet deponere ; reſpondit, id ſe quidem ſcriptum non reperiſſe, ſed ex antiquo didiciſſe ſermone, illud ſurſum aſſumptum eſſe, ſolis faſciis ſepulcralibus in monumento relictis. Tunc mittens imperator accepit eas & in Blachernis depoſuit. Sanctus vero Juvenalius ad propriam reverſus eccleſiam, obdormivit in pace.

E

quorum omnium conſenſus graviſſimus eſt.

7 *Habes hîc ergo vel ex ſola ſapellectile noſtra tabulas duodecim eccleſiaſticas, omnes inter ſe diverſas, quibus hujus Patriarchæ, nominatim expreſſi, cultus anniverſarius per Orientem, Ægyptum, Septemtrionem comprobatur ; præter alias haudquaquam pauciores, quæ illum abſque nomine venerantur, tamquam unum ex ſanctis patribus, qui concilium Chalcedonenſe, imò & Epheſinum celebrarunt. Quis audeat, obſecro, tot abjicere teſtimonia ; maximè cum ſingula ſingulorum non ſint hominum, aut privata ; ſed eccleſiarum, & publica ? Fateor equidem hæc inſtrumenta non ita ubivis pura eſſe omnia, quin eorum aliqua veris quandoque Sanctis viros minimè ſanctos admiſceant ; ſed hoc & rarò accidit, & non tanto conſenſu ; & aſſignari poteſt cauſa, cur fiat. Nimirum eccleſiarum Orientalium diuturnæ factiones, errores, & ſchiſmata, nonnullos eorum primipilos apud infectas aſſeclarum eccleſias ita commendarunt, ut ab his, tamquam eccleſiaſtici juris veritatiſque acerrimi vindices, in Sanctorum album intruſi ſint. At hæc ratio nullo prorſus modo ad* Juvenalem *pertinet ; quippe qui & ſchiſmatis Græci primordia tot ſeculis anteceſſerit, & in Romanæ Sedis communione obſervantiaque & vixerit ſemper & ſit mortuus. Ex quo id etiam ſequitur, ut cultus ejus in Oriente cenſeri debeat antiquiſſimus ; cum neque per ſchiſmaticos ſit introductus, neque ulla vel cauſa ſciatur vel occaſio, ob quam à Catholicis non niſi diu demum poſt obitum Sancti videri poſſit ſuſcitatus.*

F

Elogia S. Juvenalis privata apud Nicephorum, Theophanem,

8 *Sed nec à publicis elogiis privata diſſentiunt : à Nicephoro enim Caliſto lib.* 2, *cap.* 23 *appellatur :* Ἰουβενάλιος τῶν Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος, μέγας δὲ ⸗ θεοφόρος οὗτος. Juvenalius Hieroſolymorum epiſcopus, magnus ille, divinoque afflatùs numine Vir. *Sanctus Theophanes, ſeculo* IX *non admodum provecto defunctus, in Chronographia ſua, Pariſiis edita, pag.* 96, *hujus obitum conſignat his verbis :* Τούτῳ τῷ ἔτει Ἰουβενάλιος ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων ἐτελεύτησεν : Hoc anno Juvenalius SANCTISSIMUS epiſcopus Hieroſolymorum

A tum mortuus est. *Scio, epitheton ejusmodi, præsertim in Actis conciliorum, non esse argumentum Sanctitatis eorum, quibus ratione dignitatis episcopalis promiscuè tribuitur; verùm & hoc scio, neminem reperisse me in toto Theophanis opere, cui* Sancti, *nedum* Sanctissimi *titulum adscribat, nisi quos verè sanctos fuisse moribus & vitæ integritate agnoscit Ecclesia; cum tamen ad singulas propemodum paginas episcopos, patriarchas, aut Pontifices Romanos commemoret. Non est hîc ergo dignitatis ille titulus, sed virtutis & meriti, & quidem eminentis. Mirari proinde desinat Tillemontius tom.* 15, *pag.* 207, Sanctum *nuncupari à Bollando* Juvenalem, *quem sanctus Theophanes tot antè seculis* Sanctissimum *appellaverit.*

9 *Sed neotericus, inquis, Nicephorus est, nec satis etiam antiquus Theophanes. Quasi verò aliter* Basilium Seleucien- *de* Juvenale, *etiamnum superstite, æquales ejus sensem, senserint! Audi Basilium episcopum Seleucien-sem in Laudatione S. Stephani, quam cum aliis opusculis Parisiis anno* 1656 *Combefisius Græcè & Latinè vulgavit, ita pronuntiantem:* Condignam illius (*S. Stephani protomartyris*) memoriæ atque laborum illustriumque certaminum ecclesiam exstruente, qui nunc glorioſum ac spectabilem Jacobi thronum Juvenalis episcopus ornat; viro sci-

B licet, in quo doctrina, mores, vita, puritas, claritas, ac pietas Jacobi sospites sunt; ut qui illius religionis imago accurata existat. *Nescio, quo argumento Tillemontius loco citato hæc dicta suspicetur fuisse coram ipso* Juvenale: *nihil enim occurrit in tota Laudatione, ubi id innuatur. Sed enim sive præsentem, sive absentem; ita apud coætaneos eum laudare Basilius non potuit, quin & impudentis mendacii & adulationis impiæ reum se palàm apud omnes facere voluerit, si tot elogia cum illa opinione pugnassent, quam de notissimo tum* Juvenale *boni quique conceperant; atque adeo si talis hic eorum judicio fuisset, qualem auctores moderni faciunt. Hoc autem de antistite orthodoxo & celebri, ut fuit Basilius iste, absurdum est fingere.*

10 *Imperator quoque Marcianus, apud Labbeum Conciliorum tomo* 4, *cum ad monachos Alexandrinos col.* 851, *tum ad synodum in Palæstina congregatam de Theodosii, pseudopatriarchæ Hierosolymitani, tyrannide scribens, non dubitavit affirmare, quod cruentas istius parricidæ manus effugere potuisset* Juvenalis, *præ omnibus quæsitus ad necem, id & fidei ejus constantiæ, & peculiari erga illum sanctissimæ Trinitatis favori protectionique manifestè tribuendum esse:* Juvenalem quidem, *inquit loco priore*, sanctissimum episcopum & sancta Trinitas, &, ut res ipsa ostendit, fidei constantia servavit. *Loco autem posteriore*: Nam (*Theodosius*) impietati suæ laxans habenas, invadit sedem ter beati apostoli Jacobi; ratus, se eam tutò non habiturum, nisi eum, qui juxta sanctos canones in ea pridem collocatus est, sanctissimum episcopum Juvenalem de medio tolleret. Quare immisit, qui eum interficerent. Cum autem prædicto Viro potitus non esset propter ejus fidei stabilitatem, & sanctæ Trinitatis opem ac favorem in eum, &c. *Quis, obsecro, sanctissimæ Trinitati peculiariter carum asserat, quem non simul credat virum esse integerrimum? Quis verò etiam talem non credat, etsi alia deessent omnia, quem sibi importunè supplicem toties ac pro perse-*

Marcianum imperatorem.

C

quentibus se & calumniantibus orantem viderit? Vide infrà num. 21. *Nihil hîc addo de singularibus sanctissimi Euthymii ac discipulorum ejus erga hunc Patriarcham, & hujus vicissim erga illos benevolentia, familiaritate, officiis; quamquam enim non levia sunt hæc sanctimoniæ ejus indicia; tamen alia jam prolata, evidentioraque sufficiunt.*

AUCTORE P. B.

§ II. Sylloge gestorum ejus.

Acta S. Juvenalis *seorsum fuisse scripta, non scimus: itaque ex variis monumentis petenda sunt. Præcipua corrasit Papebrochius in laudata Chronologia patriarcharum Hierosolymitanorum à pag.* XXII; *quia tamen aliqua prætermisit, juvat hîc ejus historiam, quanta fieri poterit brevitate retexere. Ac primò quidem quid ante episcopatum Hierosolymitanum egerit, ignoratur: nam quod in Geographia sacra Caroli à S. Paulo, postremò edita, pag.* 304, *dicitur* Ephesinam antea rexisse ecclesiam, *error est; ut patebit, si locum Euagrii, ad margines ibi citatum, inspexeris lib.* 1, *cap.* 10; *ubi de ecclesia Ephesina non agitur, sed de synodo; cui certum est interfuisse* Juvenalem. *Porrò neque hoc satis constat, quo anno consecratus fuerit Hierosolymorum episcopus. Papebrochius id factum putat anno Christi* 418; *neque vidimus quidquam hactenus, quod ab hac sententia cogat recedere; uti neque Tillemontius vidit tom.* 15, *pag.* 867. *Primum hunc fuisse sedis istius patriarcham, idem cum aliis censet Tillemontius ibidem, pag.* 198; *alii tertium numerant post S. Cyrillum; ut asserit Papebrochius in Chronologia, pag.* XVIII, *num.* 82: *his accedunt suprà Menologium Slavo-Russicum num.* 3, *Synaxarium Sirmondi ac Menæa Chiffletii num.* 4, *& Menologium Basilii imp. num.* 6. *Certè S. Cyrillum diu ante tempora* Juvenalis *acriter de primatu, seu jure metropolitico, cum Acacio Cæsariensi contendisse, tradunt Theodoretus lib.* 2, *cap.* 26, *& Sozomenus lib.* 4, *cap.* 25: *in hujus verò sententia perstitisse Joannem, Cyrilli successorem, non obscurè significat S. Hieronymus in epistolis ad Pammachium & Theophilum adversus eumdem Joannem. De his plura inferiùs.*

S. Juvenalis fit episcopus Hierosol. circa an. Christi 418:

E

12 *Rogatu S. Euthymii Petrum Saracenis conversis in Palæstina Parembolarum episcopum* Juvenalis *consecravit aliquanto antè, quam ecclesiam lauræ S. Euthymii dedicaret; ut apparet ex hujus sancti abbatis Vita, tam ea, quam dedimus die* XX *Januarii, pag.* 307, *quàm alia sinceriore (quam & nos modò Græcam habemus ex codice Vaticano) à monachis Benedictinis edita Parisiis anno* 1688, *pag.* 29; *ubi & jam tum appellatur* Juvenalius Hierosolymorum patriarcha. *Ecclesiam verò jam dictam dedicavit, ut ibidem dicitur pag.* 31, *Mense Maio, die* VII, *Indictione* XI; *hoc est, anno Christi* 428 *vel sequenti. Comites tum secum adduxerat Passarionem, tunc chorepiscopum & monachorum archimandritam, & Hesychium presbyterum & ecclesiæ magistrum,* insignia luminaria, universoque orbi fulgentia, *quos unà cum Patriarcha magnus Euthymius videre non potuit, quin spiritu exsultaret. Eadem occasione Domitianum ac Domnum, ejusdem Sancti discipulos, ordinavit diaconos, ibidem pag.* 32. *Eodem anno cum à Theodosio imperatore submissam sibi & vim magnam pecuniarum in pauperes distribuendarum, & crucem auream lapillisque pretiosis distinctam, ut in sacro eam Calvariæ loco defigeret, accepisset;* hæc dona vicario munere compensaturus, dextera manus Martyrum principis Stephani reliquias per sanctum Passarionem obtulit: *de quarum receptione mirabili vide, qui hæc narrat, Theophanem pag.* 74. *Dixi eodem anno: quia post dedicationem ecclesiæ S. Euthymii* sanctus Passario non-

F

episcopum consecrat, & ecclesiam S. Euthymii, transfert reliquias S. Stephani:

AUCTORE P. B.

dum ſeptem menſium tempore expleto è vita exceſſit, *juxta Cyrillum in Vita S. Euthymii puriore, pag.* 32. *Duas ergo tranſlationes confundens Baronius, hanc non rectè diſtulit in annum Chriſti* 439. *Sed hæc aliàs.*

intereſt concilio Epheſino an. 431;

13 *Anno Chriſti* 430 *epiſtolam ad eum de hæreſi Neſtorii dedit S. Cœleſtinus Papa I tertio Idus Auguſti; nec multo poſt etiam S. Cyrillus Alexandrinus: utramque refert Labbe Conciliorum tom.* 3; *priorem col.* 376, *alteram verò col.* 385. *Deinde, indicta jam ſynodo Epheſina, antequam diſcederet, duos è diſcipulis S. Euthymii, Stephanum ſcilicet & Coſmam, eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis diaconos rogatus ordinavit; ut narrat Cyrillus monachus in Vita memorata pag.* 41. *Epheſum verò ſe contulit anno Chriſti* 431, *non ut epiſcopus tantummodo Hieroſolymitanus, verùm etiam ut epiſcoporum, qui profecti cum eo ſunt, Paleſtinorum (quorum unus erat Petrus ille, de quo antè meminimus) archiepiſcopus proprius* & metropolita, ut ibidem Cyrillus affirmat, nec obſcurè etiam Nicephorus lib.* 14, *cap.* 34. *Epheſum, teſte Socrate lib.* 7, *cap.* 34, quinto poſt Pentecoſten die adventavit. *In ſacroſancta ſynodo ſecundum à Cyrillo Alexandrino locum obtinuit, ut liquet Actione prima apud Labbeum tom.* 3, *col.* 445: *non numquam etiam primum, ut ibidem colliges ex ſubſcriptionibus col.* 654 *&* 767. *Ipſe quoque concilio initium dedit, ibidem col.* 466; *ipſe ab univerſa ſynodo delectus cum aliis ſex epiſcopis, imperatorem legatus adivit, col.* 783: *unde facilè conjicias, quod fuerit patrum omnium de hoc Viro judicium. Latinè doctum fuiſſe, palam fit ex Actione ſecunda, col.* 611. *Ex Actione quarta col.* 642 *accuſatur à quibuſdam, quaſi ſedem ibi Antiochenam Hieroſolymitanæ ſubditam eſſe contenderit, tum ex petitione prima ſchiſmaticorum, col.* 728, *quaſi antea non ſuos ordinaverit, & in Phœnicem ſecundam & Arabiam protendere ſuà jura ſtuduerit; denique ex epiſtola S. Leonis Papæ ad Maximum Antiochenum, quam idem Labbeus exhibet tom.* 4, *col.* 883, *quaſi in eadem hac ſynodo* ad obtinendum Palæſtinæ provinciæ principatum crediderit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. *Verùm hæc poſtea diſcutiemus.*

* ἐξ ἑαυτῶν ἀρχιεπισκόπου

B

C

ubi rem ſtrenuè geſſit:

14 *Ceterùm quàm ſtrenuè in eodem concilio adverſùs Neſtorium egerit, indicat odium aſſeclarum ejus antiſtitum Orientalium, quo non tantummodo S. Cyrillum Alexandrinum, ſed &* Juvenalem *cum ſex aliis epiſcopatu dejectum pronuntiaverunt in conciliabulis Tarſenſi, & Antiocheno; excommunicatum verò in Anazarbico: quæ omnia poſt ſynodum Epheſinam, eodem anno Chriſti* 431, *coacta fuere; ut vide apud Baluzium in ſupplemento ad collectionem conciliorum Labbeanam. col.* 939. *Poſt reditum Epheſinum uſque ad annum Chriſti* 449 *quid geſſerit, ignoramus, præter id, quod narratur à Cyrillo monacho in Vita S. Euthymii pag.* 42: Ceterùm archiepiſcopus Juvenalis Stephanum Melitenenſem Jamniæ (*in Paleſtina prima*) epiſcopum ordinavit, Coſmamque Cappadocem presbyterum ordinatum, ſtaurophylacem, id eſt, Crucis cuſtodem conſtituit. *Iidem ambo hi ſunt, quos ante ſynodum diaconos ordinaverat, ut numero ſuperiore dictum eſt.*

non ita in conciliabulo Epheſino an. 449,

15 *Interim quod per ea tempora non ſatis diſtinguerentur rationes* perſonæ & naturæ, *ex damnatione hæreſeos Neſtorianæ, quæ duas ſtatuebat in Chriſto perſonas, nata eſt oppoſita Eutychetis negantis duas in Chriſto naturas. Hanc ſub finem anni* 448 *damnavit in ſynodo quadam Conſtantinopolitana S. Flavianus ibidem antiſtes. At Eutyches cauſam ſuam ad generale concilium deferri poſtulans, uſque adeo, ut illud quamprimum indiceretur, inſtitit apud Theodoſium imperatorem, donec obtinuit. Indictum eſt ad Kalendas Auguſtas anni* 449 *in metropolim Epheſinam. Primatus in ea per litteras Theodoſii (quas vide Conciliorum tom.* 4, *col.* 109) *Dioſcoro Alexandrino aſſignatus, & quidem ſoli: nam quod ibidem, col.* 111 *Dioſcorus ait, ſynodi* auctoritatem ex æquo tribus datam eſſe, *ſibi ſcilicet,* Juvenali, *& Thalaſſio; id ex ipſis Theodoſii litteris falſum apparet: licet enim duos poſteriores nominatim exprimat, & ad* Juvenalem *quoque ejuſdem tenoris litteras ſeorſum dederit, nihil his tamen conferrè videtur amplius, quàm aliis, quos iiſdem adjungit per hanc phraſim ſatis latè patentem:* Et omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxæ fidei. *Horum ergo auctoritas quantacumque hìc fuit, ſubdita Dioſcoro fuit; in quem proinde non immeritò potiſſima ſemper hujus latrocinii redundavit invidia; etſi partem ejus illi tulere non minimam, qui ſive imperitiâ ſuâ dumtaxat, ſive ejus (imò & Eutychetis) inſuper dolis metuve capti, nimis ſeſe faciles præbuere, tum ad illi ſtatim aſſentiendum, tum ad reliquos eòdem auctoritate ſua atque exemplo inducendos; quos inter nemo diffitebitur, fuiſſe* Juvenalem.

D

E

ubi pœnam incurrit ſummo Pontifici reſervatam:

16 *Hoc modo ipſi partim adſcribitur, quod Euſebio Dorylæenſi, fortiſſimo Eutychetis adverſario, ingreſſus in ſynodum permiſſus non fuerit, tom.* 4 *conciliorum, col.* 145; *quod ipſum Eutychetem abſolvens, orthodoxum pronuntiaverit, ibidem col.* 256; *quod idem præſtiterit monachis Eutychianis, ibid. col.* 282; *quod S. Flaviani epiſcopi Conſtantinopolitani, & Euſebii Dorylæenſis damnationem depoſitionemque conſignaverit, ibidem col.* 305; *quod in eodem conciliabulo epiſcopis tergiverſantibus ipſe cum Dioſcoro puras chartas, incuſſo terrore, ſubſcribendas obtruſerit, ibidem col.* 114. *Hæc fere ſunt, quibus & nomini ſuo maculas illevit pœnitentiâ ſolâ delendas; & ab Eccleſiæ Diptychis fuit eraſus; ut eſt apud S. Leonem Magnum epiſt.* 40 *ad Anatolium; neque verò ſic expunctus fuit, ut plures alii, qui in eadem iſta ſynodo ſuccubuerant, quoſque abſolvi faciliùs permiſit Leo; ſed ita, ut cauſam ejus ſoli ſibi Sedes Apoſtolica reſervaverit:* De his autem, *inquit S. Leo epiſt.* 65 *ad Anatolium*, qui in hac cauſa graviùs peccavere, & ob hoc ſuperiorem ſibi locum in eadem infelici ſynodo vindicarunt, ut humiliorum fratrum ſimplicitatem arrogantiæ ſuæ præjudiciis aggravarent: ſi fortè reſipiſcunt, & à facti ſui defenſione ceſſantes, in condemnationem proprii convertuntur erroris; horum ſi ſatisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur; maturioribus Apoſtolicæ Sedis conſiliis reſervetur; ut, examinatis omnibus atque perpenſis, de ipſis eorum actionibus quid conſtitui debeat, æſtimetur, *&c. Inter eos verò, qui in hac cauſa graviùs peccavere, cenſeri etiam* Juvenalem, *ex epiſtola* 60 *ad Anatolium ſit admodum veriſimile.*

F

ſed hanc maculam eluit in concilio Chalcedonenſi anno 451

17 *Multo tamen hunc leviùs ibi peccaſſe, quam Dioſcorum, oſtendit anno* 451 *Chalcedonenſe concilium Actione prima; ad quam non ſolùm admiſſus fuit, ſed & ordinem ſuum ac locum occupavit (tom.* 4 *Conciliorum col.* 80) *& retinuit; cum ab ipſo ſtatim principio juſſu S. Leonis Magni per legatos expreſſo, & glorioſiſſimorum judicum & ampliſſimi ſenatûs ſuum Dioſcorus deſerere coactus fuerit, & pro reo ſe gerere. Rogatus dein-*

A *deinde* Juvenalis, *ut ceteri, quid de ſancti Flaviani doctrina ſentiret, ibidem col.* 177, dixit: Conſona beatæ memoriæ Cyrilli & ſanctiſſimus epiſcopus Flavianus dixit. *Et* exurgens *cùm epiſcopis Palæſtinis*, tranſiit in alteram partem (*adverſantium Dioſcoro ſcilicet & latrocinio Epheſino.*) Et clamaverunt orientales, & qui cum ipſis, reverendiſſimi epiſcopi: Deus bene adduxit te, Orthodoxe; bene veniſti. *In fine autem Actionis primæ cum judices & ſenatus cenſuiſſent, ſi & imperatori ſic videretur, epiſcopatu exuendum eſſe Dioſcorum, & cum eo* Juvenalem *Hieroſolymorum, Thalaſſium Cæſareæ Cappadociæ, Euſebium Ancyræ, Euſtathium Berytî, & Baſilium Seleuciæ Iſauriæ epiſcopos, qui principatum pſeudoſynodi Epheſinæ tenuerant*; Illyriciani reverendiſſimi epiſcopi dixerunt: Omnes erravimus; omnes veniam mereamur. Orientales, & qui cum ipſis, reverendiſſimi epiſcopi dixerunt: Multos annos ſenatui. Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, MISERERE NOBIS... Dioſcorum Chriſtus depoſuit; homicidam Chriſtus depoſuit; hæc juſta ſententia. *Quibus verbis non obſcurè ſignificant, omnes miſericordiâ dignos eſſe, præter ſolum Dioſcorum.*

B 18 *Interim nec* Juvenali, *nec aliis modò dictis epiſcopis* (*ſi fortè Euſtathium ſemel excipias*) *per miniſtros imperatorios licuiſſe videtur intereſſe Actionibus ſecundæ, tertiæ, & partim quartæ, tametſi jam ſubſcripſiſſent & depoſitioni damnationique Dioſcori col.* 458, *& Epiſtolæ S. Leonis Papæ ad Flavianum col.* 510. *Sed enim quàm invita id ſynodo fieret, oſtendunt clamores ad calcem Actionis ſecundæ col.* 369; *ubi* reverendiſſimi epiſcopi clamaverunt: Pro patribus (Juvenale *& aliis ſuprà; non tamen Dioſcoro*) petimus; patres ſynodo reddite: conſentaneos Leoni ſynodo; patres ſynodo. Has voces imperatori; has preces catholico; has preces Auguſtæ. Omnes peccavimus; omnibus indulgeatur. *&c. Iterum Actione quarta, col.* 507, omnes reverendiſſimi epiſcopi clamaverunt:... Patres ad ſynodum; concredentes ad ſynodum; qui ſubſcripſerunt, ad ſynodum;... ipſi etiam quinque (*ſupra nominati*) epiſcopi fidei ſubſcripſerunt: ſicut Leo, ſic ſapiunt. *&c. Ceſſere tum judices, ipſeque imperator: & intromiſſus in ſynodum cum reliquis quatuor* Juvenalis, *lætiſſima antiſtitum omnium acclamatione ſuſceptus eſt, col.* 510.

S. Flaviani doctrinam probando; S. Leonis epiſtolæ ſubſcribendo, damnando Dioſcorum.

C 19 *Quinimo Actione quinta cum placuiſſet, ex tota ſynodo quoſdam epiſcopos deſignari, qui expetitum ab imperatore decretum fidei conderent, delectus ad id cum primis* Juvenalis *fuit, col.* 560; *ſeſeque illi deinceps cum ſynodo univerſa ſubſcripſit col.* 581. *Actio ſeptima in Maximi Antiocheni &* Juvenalis *noſtri cauſam unicè inſumpta eſt. Contenderant illi nempe jam antea de certis epiſcopatuum ſuorum limitibus, & Sacras, hoc eſt, imperatoria reſcripta, pro ſe quiſque obtinuerant; ſed quibus nequaquam dirempta lis eſſet. Occaſione igitur uſi ambo conventûs Chalcedonenſis, Marciano imperatori controverſiam ſuam commendant: Marcianus eos ad judices ſuos remittit, quos aſſiſtere juſſerat concilio. Coram his in certa quædam capita epiſcopus uterque conſenſit, ut ſedes quidem Antiochenſis habeat duas Phœnicias & Arabiam; ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas. Hæc judicibus videbantur* ex conſenſu juſtè diſpoſita; *ſed tamen ad ſynodum referenda*, quatenus, *inquiunt*, & ex noſtro decreto, & ex veſtra ſententia, quæ fuerint placita, confirmentur. *Vix propoſita res patribus fuerat, cum à plu-*

Decretum fidei condit. Confirmantur ejus ſedi tres Palæſtinæ.

ribus laudata, ab omnibus, etiam Apoſtolicæ Sedis vicariis, probata eſt, & ſingulorum ſubſcriptione firmata; reſciſſis, quæ datæ prius de hoc negotio ad diſſidentes utrimque fuerant, litteris imperatoriis. Reliqua porrò, quæ deinceps uſque ad finem concilii communi cum aliis patribus judicio definivit, cum ad inſtitutum noſtrum neceſſaria non ſint, hîc non perſequor: ipſa, cujus intererit, adeat Acta concilii.

Eodem tempore interrogatur ab imperatore de corpore ac tumulo Deiparæ.

20 *Ejuſdem concilii occaſione accerſitus ad imperatorem cùm epiſcopis Palæſtinis patriarcha* Juvenalis, *rogatuſque de corpore ac ſepulcro Virginis Deiparæ, ea reſpondiſſe dicitur & feciſſe, quæ paragrapho ſuperiore num.* 4 *&* 6 *ex Synaxario Sirmondi, Chifletii Menæis, & Menologio Baſilii Porphyrogeniti ſuccinctè narrata ſunt; fuſiùs autem apud Nicephorum Calliſtum lib.* 2, *cap.* 23, *ac lib.* 15, *cap.* 14; *& S. Joannem Damaſcenum ſub finem Orationis ſecundæ, aliàs tertiæ, de B. Mariæ Aſſumptione; ubi omnia deſcribit ipſis verbis Hiſtoriæ, quam citat, Euthymiacæ: de quâ re non eſt hujus loci multa diſſerere. Conſulat, cui viſum fuerit, eruditam ſuper ea Diſſertationem Lambecii, quam ſecundis curis limatam inſeruit Commentariis de bibliothecâ Cæſarea Vindobonenſi, lib.* 8; *à pag.* 132; *ibi locum hunc pluribus illuſtratum inveniet, præſertim à pag.* 163.

E

Ejectus è ſede per Theodoſium monachum, injurias eximia caritate compenſat:

21 *Sub finem anni* 451 *Hieroſolymam reverſus Chalcedone* Juvenalis, *agitatam ſeditione terribili Palæſtinam invenit, auctore Theodoſio monacho, ſuprà quam dici poteſt, turbulento & crudeli. Is odiò Chalcedonenſis concilii, cui & ipſe cum turba monachorum ſui per omnia ſimilium interfuerat, monaſteria primùm, deinde etiam urbes, atque imprimis Hieroſolymam, uſque adeo concitavit; ut, Euagrio teſte lib.* 2, *cap.* 5, *ipſum denique* Juvenalem *ſit auſus aggredi, & compellere, ſi poſſet, ut ſententiam ſuam retractaret, ac damnaret anathemate. At cum ejus fidem atque conſtantiam labefacere fruſtra tentaſſet, ſedem invaſit; quam ne recuperare aliquando* Juvenalis *poſſet, occluſit urbem, ipſumque in ea conquiri juſſit ad necem: ſed & hoc fruſtra: nam, ut ſuprà ex Marciani imperatoris epiſtola, quæ ſcelera Theodoſii multa recenſet, obſervatum eſt,* Juvenalem ſanctiſſimum epiſcopum & ſancta Trinitas, &, ut res ipſa oſtendit, fidei conſtantia ſervavit. *Elapſus verò unà cum Domno, patriarcha nuper Antiocheno, in eremum, ut ait Theophanes pag.* 92, *ſeceſſit; & fortè ad S. Euthymium, ſuis partibus, quidquid moliretur cœnobiorum penè omnium ſeductor Theodoſius, conſtanter addictiſſimum, ac Domni & ante obtentas & poſt amiſſas inſulas Antiochenas archimandritam: inde porrò Conſtantinopolim, ut aſſerit Euagrius lib.* 2, *cap.* 5, *profectus eſt; ubi anno* 452 *Chriſtianæ caritatis exemplum dedit inſigne, dum ut meritas ab hoſtibus ac ſicariis ſuis, monachis, inquam, Theodoſianis, pœnas averteret, Marciani Pulcheriaque tot irritatam flagitiis clementiam* precibus multis *exorando permovit ad veniam: cujus rei teſtes ipſos habemus conjuges auguſtiſſimos, Marcianum tom.* 4 *Conciliorum col.* 861, *& Pulcheriam col.* 873.

F

reſtituitur anno 453 *per Marcianum imp.*

22 Cum verò peſtis illa, *inquit loco citato de Theodoſio Theophanes*, viginti menſes continuos (*hoc eſt à menſe Decembri anni* 451 *uſque ad Auguſtum anni* 453) Hieroſolymitanam occupaſſet ſedem, Marcianus, re comperta, ipſum comprehendi juſſit: at ille fugâ Sinæum in montem ſe recepit. Ipſo verò unà cum ſacrilegè ordinatis eliminato, Juvenalius in ſedem ſibi propriam eſt

AUCTORE P. B.

restitutus; non jam (*ut addit S. Leo Magnus in epistola* 99 *ad Marcianum*) resultante populo, *ut cum à concilio Chalcedonensi redierat*; sed desiderante. *Nec diu distulit, quin trium Palæstinarum antistites in synodum cogeret, ad ruinas Theodosiani furoris instaurandas. Ad hanc synodum litteras dedit Marcianus imperator, quas exhibet Labbeus Conciliorum tom.* 4, *col.* 778; *dedit & ipsa synodus ad archimandritas & monachos Palæstinos, ibidem col.* 889. *Quod verò ait jam assinatus Euagrius*, post *hunc* adventum Juvenalis multa tristia atque acerba contigisse; cum ex utraque parte fierent, quæcumque furor ipsis suggerebat; *fallor, si referri non debeat ante adventum ejus, quando devi sibi illata Theodosiani apud imperatorem conquesti sunt, & hic eis, exoratus à* Juvenale *tum adhuc apud se commorante, rescripsit, ea nec jussu suo accidisse, &, ne porrò acciderent, prospexisse jam sese. Tametsi diffitendum non sit, etiam post adventum* Juvenalis, *& imperatoris edictum, atque adeo utroque invito & obnitente, committi talia potuisse; cum hæreticæ seditionis incendia reprimi quidem subitò; sed opprimi simul atque exstingui non soleant.*

B

cui gratias ob id agit S. Leo PP. Eudociæ imperatricis conversio.

23 *Restituto* Juvenale *quantopere lætatus fuerit S. Leo Papa, prodit ipse tum epistolâ proximè citatâ ad Marcianum, tum epist.* 100 *ad Julianum episcopum Coënsem, datis die* IX *Januarii anno* 454, *tum epist.* 110 *qua ipsi Juvenali respondet ejusdem anni die* IV *Septembris: quas quidem epistolas legere nemo poterit, quin fateatur, aliter tum longè de hoc Episcopo sensisse Pontificem, quam moderna passim ferat opinio. Auxit verò postea, imò complevit Patriarchæ nostri triumphum S. Euthymius, cum Eudociam, Theodosii junioris viduam, à Theodosianis, quibus implicata dudum ac pernicioso fuerat, partibus avulsam, ad expetendam* Juvenalis *communionem ita perpulit*; ut sanctam urbem confestim petierit, & Archiepiscopo per Cosmam & Anastasium presbyteros conjuncta, Catholicæ Ecclesiæ communicaverit; plurimosque laicos & monachos, quos Theodosius deceperat (*& illa foverat impensissimè*) suo exemplo in Catholicam communionem reduxerit, *ut est in Vita S. Euthymii, pag.* 66. *Hoc autem contigisse videtur sub finem anni* 455, *vel initia sequentis potiùs, ut observat Tillemontius tom.* 15, *notâ* 66 *in S. Leonem: quo fere etiam tempore duos jam dicti Cosmæ staurophylacis fratres & S. Euthymii discipulos ab eadem Augusta commendatos, magnæ Resurrectionis presbyteros, ut ibidem dicitur*, Juvenalis *ordinavit.*

C

ceteræ ad Juvenalem spectantia.

24 *Hæc præcipuè sunt, quæ, servata temporum serie, de Viro hoc sancto digerenda putavimus: nam epistolas duas anno* 457 *ad illum destinatas, altèram à Leone Imperatore, habes tom.* 4 *Conciliorum col.* 889 *&* 890; *alteram à S. Leone Papa, legere est inter hujus opera; ubi numeratur* 119. *Obitum verò ejus anno* 458 *rectè consignavit Papebrochius in Historia chronologica patriarcharum Hierosolymitanorum pag.* XXIII. *Dies obitûs ac mensis idem esse potest, quem suprà observatum in Fastis ostendimus, secundus Julii; si, ut potuit, Anastasius ei statim successerit: nam* initium Julii, *quo hic in Vita S. Euthymii suffectus illi narratur, facilè ultra primum & secundum diem intelligi potest extensum. Quod asserit Basilius episcopus Seleuciensis in Laudatione S. Stephani, hujus protomartyris ecclesiam in ipso martyrii loco exstruxisse* Juvenalem; *item hunc* celebrare cœpisse (*festo peculiari*) glorioſum ac salutarem Domini Natalem, *nescio ad quos episcopatûs ejus annos referri debeat.*

D

§ III. Accusationes adversùs ipsum, & vindiciæ.

Diluuntur accusationes

T*Ametsi criminaturos non fuisse* Juvenalem *auctores orthodoxos & pios existimem, si ea ipsis videre licuisset omnia, quæ de publico ejus cultu suprà paragrapho primo corrasimus, testimonia; sintque hæc ipsa sanctitatis ejus adversùs obtrectationes quaslibet satis apud viros cordatos luculenta defensio; quia tamen impacta illi sigillatim crimina gravissimæ videri possunt auctoritatis obtentu firmari; otiosum non erit singula discutere. Hoc ut fiat commodiùs, universa reduximus ad capita duo; ambitionem videlicet ejus, & latrocinium Ephesinum: nam eò redeunt, quæcumque objiciuntur; & sunt utraque sanè episcopo (ne dicam Sancto) perquam indigna, nisi vindicentur; eo præsertim in loco, quem summus Pontifex Christus virtutum quidem suarum omnium exemplis, sed humilitatis tamen imprimis & mansuetudinis consecravit.*

de ambitione ejus inexplebili,

26 *Ad primum quod attinet, insatiabilem ejus aiunt fuisse dominandi cupiditatem, quam ostenderit* 1. *cum adversùs Nicæni concilii canonem septimum antistitum omnium Hierosolymitanorum primus jus metropoliticum sibi cœpit arrogare, episcopos in Palæstina consecrando, ut Petrum illum, de quo diximus num.* 12; *& antea dudum alios, apud Labbeum Conciliorum tom.* 3, *col.* 728. II. *Cum in concilio Ephesino jus illud sibi patrum suffragiis stabilire conatus est, idque per inanem gloriæ cupidinem, teste S. Cyrillo Alexandrino epist. ad Gennadium presbyterum & archimandritam, perque* ausus insolentes, *ut loquitur S. Leo epist.* 92 *ad Maximum Antiochenum, &* per commentitia scripta. III. *Cum in eodem concilio Actione* 3, *col.* 642 *dicere non erubuit, ipsum patriarcham Antiochenum ecclesiæ Hierosolymitanæ obedire & apud ipsam judicari oportere: id quod in pseudosynodo Ephesina subinde etiam affectasse videtur, ubi secundus à Dioscoro, Domnum Antiochenum anteceſſit, ibidem Actione* 1, *col.* 318. IV. *Cum à sacrosancta synodo Ephesina redux in Palæstinam, nihil de priori usurpatione remisit, mox Stephanum ordinando episcopum Jamnien sem, ut suprà num.* 14 *notatum est.* V. *Cum rursus in concilio Chalcedonensi post multas contentiones tantum effecit; ut sibi tres tandem Palæstinæ cesserint,* F *& quidem synodi totius calculo confirmatæ; ut vide suprà num.* 19. VI. *Cum huic synodicæ confirmationi tamquam legitimæ & absolutæ semper adhæsit, etiam postquam illam* S. Leo cassavit; *ut asserit Christianus Lupus in Appendice ad synod. Chalcedon. Action.* 7, *versùs finem; eodem referens hæc verba Liberati Carthaginensis: cap.* 13. Licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à synodo firmatum est, imperatoris patrocinio permanet quodammodo.

qua primus invaserit jus metropoliticum;

27 *Responderi potest ad* 1. *Ante* Juvenalem *jus illud sibi arrogasse tres ejus decessores, juxta paragraphum priorem num.* 11; *& inter eos quidem anno* 381 synodi Constantinopolitanæ ad sanctum Damasum Pontificem Relatio (*Conciliorum tom.* 2, *col.* 965) *sanctum* Cyrillum palàm agnoscit metropolitam; *ut fatetur Lupus loco citato ante medium; ubi etiam addit:* Atque ita & ejus successor Joannes perrexit se in dignitate ista ostentare. *Non igitur primus hoc fecit* Juvenalis. *Sed neque adversari censebatur notissimo tum canoni Nicæno, cum episcopos objectos ordinaret: Petrum enim*

A *enim episcopum consecravit, rogante Euthymio, cujus & sanctitas & sapientia pro miraculo erant. Hiccine sacrosanctum canonem violari siviſſet, atque adeo rogaſſet? Hunc accuſas tamen, niſi* Juvenalem *excuſes. Epiſcopi alii, cum ſe ipſi fateantur* à pientiſſimo Hieroſolymitanorum epiſcopo olim ordinatos, *ſi contra iſtum canonem conſecratos fuiſſe ſe dicerent, profectò epiſcopos eſſe ſe negarent: ſic enim habet ejus Nicænæ ſynodi canon ſextus:* Illud autem eſt omnino manifeſtum, quod ſi quis abſque metropolitani ſententia factus ſit epiſcopus, eum magna ſynodus definivit non eſſe epiſcopum. *Non hoc ergo queruntur, qui & epiſcopos haberi ſe quam maximè volunt, & velle non poſſunt, niſi in ordinatione ſua violatum non fuiſſe ſeptimum canonem agnoſcant. Quidni igitur* Juvenalis, *cum hæc faceret, uti ſe crediderit jure ſuo, non à ſe temerè primum uſurpato, ſed à deceſſoribus per manus accepto? Certè etiam Cyrillus monachus in Vita S. Euthymii pag.* 70 *cum omnes epiſcopatûs ejus annos enumerans, eos ait* in patriarchatu, ἐν τῇ πατριαρχίᾳ, *fuiſſe decurſos, manifeſtè indicat, epiſcopatum Hieroſolymitanum jam tum fuiſſe diu patriarchicum, cum ad illum* Juvenalis *aſſumptus eſt.*

B *qua illud in ſynodo Epheſina conatus iniquè ſit ſtabilire;*

28 *Ad* II *reſponderi poteſt; prudentiſſimum fuiſſe Viri ſancti conſilium, cum jurium ſuorum poſſeſſionem, bona utique fide ſaltem uſque à S. Cyrillo cœptam, & paſſim agnitam quidem; ſed à quibuſdam tamen (maximè quibus fraudi videbatur eſſe & incommodo) controverſam incuſatamque, conatus eſt œcumenicæ ſynodi judicio defendere. Rectè, inquis; niſi conatus id fuiſſet per inanem gloriam, malamque fidem ſeu ſcripta commentitia. Nimirum ita cenſuit ex animo S. Cyrillus patriarcha Alexandrinus, & in Epheſino concilio S. Cœleſtini Papæ vicarius ac præſes; & quia ſic cenſuit, ſic Romam ſcripſit. Idem quoque poſtea loco in objectione citato cenſuit S. Leo; ſed ex ſola illa S. Cyrilli epiſtola, quam cum pro ſe adducat, manifeſtè oſtendit, judicium illud ſuum abſolutum non eſſe, ſed poſita tantùm Cyrillianæ relationis veritate ſubnixum; quodque adeo ſubſiſtere nollet, niſi & illa ſubſiſteret. Quis verò relationem hanc dicat tam veram, quàm ſinceram fuiſſe? Quis hominum fines & interna conſilia poteſt introſpicere? Quis neſcit, quàm in ſimili judicio de intentione geſtiſque ſanctiſſimis S. Joannis Chryſoſtomi temerè, inclementer, obſtinatè, & tamen ſincerè Cyrillus idem deliquerit? Quidni ergo idem hîc potuerit accidere; & quod* Juvenalis (*ut antea Chryſoſtomus*) *zelum credebat eſſe & juſtitiam, Cyrillus ambitionem interpretari; aut quæ ſcripta legitima putabat eſſe* Juvenalis, *ea Cyrillus commentitia, hoc eſt apocrypha, judicare? Sanè aliter de* Juvenalis *intentione, inſtrumentis, & cauſa ſenſiſſe videntur Epheſini patres alii, quam Cyrillus: conjicitur id primùm ex eo, quod horum in hac re judicium ſynodalibus Actis Cyrillus non inſeruerit: ſecundò, quod idem adverſùs* Juvenalem *Romanam Sedem interpellarit, ac, teſte ibidem Leone,* ſolicita prece multum popoſcerit, ut nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. *Cur, amabo; niſi ut patrum faventem* Juvenali *ſententiam, quam Epheſi non potuerat impedire, ſuſpenderet Romæ? Tertiò, quod* Juvenalem, *ſoluta jam ſynodo, in priſtinæ poſſeſſionis uſu perſeverantem non modò toleraverit Cyrillus ipſe, cum eo conſtanter & palàm communicando; ſed etiam amicum Gennadium archimandritam, quòd illam tolerantiam damnaſſet, arguerit, non majorem, opinor,* Juvenali *facturus gratiam, ſi cauſam ejus ſynodus œcumenica non probaſſet, quam S. Chryſoſtomo, quem reprobaverat paucorum iniquiſſima ſynodus, & æquior numeroſiorque reſtituerat. Unius ergo Cyrilli judicio judicium opponimus Epheſinæ ſynodi; imò & Chalcedonenſis, de qua mox.*

AUCTORE P. B.

29 *Reſpondeo ad* III. *Locum ex Epheſinis Actis objectum, valde corruptum eſſe; ideoque à veteri ſcholiaſte,* διὰ τὸ κακοσύνταχτον καὶ ἀνακόλουθον, propter conſtructionem & ſenſum malè cohærentem, *ad marginem ita reſtitui:* Γεβενάλιος ... εἶπεν· Ἐχρῆν μὲν Γωάννην .. ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας, ἐνθυμούμενον .., σύνοδον ταύτην, καὶ τὸ Ἀποστολικὸν θρόνον συνεδρεύοντα ἡμῖν τῆς μεγάλης Ῥώμης, σὺν τῷ Ἀποστολικῷ τὸ Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας δόξεως, εἰς Ἀπολογίαν τὸ ἐπαγομένων αὐτῷ δεχμεῖν, ὑπακοῦσαι, καὶ τιμῆσαι, παρ' ᾧ μάλιστα ἔθος (δηλαδὴ τῷ τὸ Ῥώμης) αὐτὸν τὸ Ἀντιοχέων θρόνον ... δικάσεσθαι. *Hoc eſt*: Juvenalius dixit: Oportebat quidem Joannem, epiſcopum Antiochiæ, conſideratis hac ſynodo & Apoſtolico, qui nobiſcum conſidet, magnæ Romæ throno, ad hunc unà cum Apoſtolico eccleſiæ Hieroſolymitanæ concurrere, ſeſeque de objectis purgare, huic obedire, hunc venerari, apud quem (thronum nempe Romanum) præſertim mos eſt thronum Antiochenſium judicari. *Vides, hîc à* Juvenale *Antiochenſem eccleſiam non ſuæ ſubjici, ſed Romanæ. Et hunc quidem ſenſum adjuncta prorſus exigunt: agitur enim de contumacia, qua Joannes,* E *non à* Juvenale *ſeorſum, ſed ab univerſa ſynodo per Cyrillum, Cœleſtini Pontificis loco ei præſidentem, comparere juſſus, noluerat. Jam verò, quod in latrocinali ſynodo ante Domnum Antiochenum ſederit* Juvenalis, *id hujus arrogantiæ adſcribi non debet, ſed imperatoris Theodoſii mandato, vel tyrannidi potiùs Dioſcori, qui Domno ibi decreverat æquè ac Flaviano non modò locum ſuum non dare, verùm etiam epiſcopatum prorſus (uti fecit) eripere. Adde, loco citato in quibuſdam exemplaribus Mss. Domnum* Juvenali *præpoſitum legi, juxta Labbeum ibidem in margine, & Baluzium in Supplemento Labbei col.* 1161. *Unde nec Synodus Chalcedonenſis tom.* 4, *col.* 115 *queritur de injuria hîc Domno facta, ſed Flaviano.*

qua & Antiochenus patriarcha voluerit eſſe ſuperior:

C 30 *Ad* IV *reſpondeo, hoc ipſum eſſe argumentum non ambitûs iniqui, ſed juſtæ, ſuâ ſaltem opinione, poſſeſſionis; quam vel inde conjicias placuiſſe patribus Epheſinis. Ad* V *reſpondeo, nihil ibi quoque vel inanis gloriæ vel ſiniſtræ cupiditatis apparere: jus ſuum propoſuit Maximo Antiocheno; hic ſuum oppoſuit: convenit tandem certis pactis inter ambos: rem deinde imperatori aperiunt: is remittit ad judices, qui omnia* ex mutuo conſenſu juſtè diſpoſita *pronuntiant, referuntque ad ſynodum œcumenicam, tum Chalcedone collectam, patrum ſexcentorum & amplius diſcutienda judicio. Probantur omnium omnino ſuffragiis Actione* 7: *primus ſubſcribit ipſe Maximus Antiochenus: applaudit cum ceteris per vicarium ſuum Glycon Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus: quidam Deo gratias agunt in* eo quod duorum patrum contentio amicabili placito terminata eſt, *& quidem* apertè divina diſpenſatione jubente: *nemo ambitionem odoratus eſt, nemo commentitia queſtus inſtrumenta; nemo canones objecit Nicænos:* magnificentiſſimi *quoque* & glorioſiſſimi judices, *poſt epiſcoporum omnium aſſenſum exclamantes*, dixerunt: Et hoc opus fuit ſanctæ Trinitatis. *Quis verò hos omnes dixerit vel ignoraſſe quæ patres olim Nicæni ſtatuiſſent, vel cognita tam ſolenni concordique decreto,*

qua patriarchatum ſuum Chalcedone tandem confirmari fecerit; F

AUCTORE P. B.

cujuscumque demum ſpe atque obtentu boni, violaſſe ? Quod ſi aqua Juvenalis *cauſa tot judicibus viſa tum fuit ; quidni ipſimet pridem antea fuerit ? Quidni ergo eam, uti talem, optimo fine, ſtudio maximo, eâ denique, quam epiſcopus quiſque debet eccleſiæ ſuæ, fide conſtantiaque, abſque ulla arrogantis animi nota, perſequi potuerit, atque adeo debuerit ?*

tenueritque deinceps, obnitente Apoſtolica Sede,

31 *Ad* VI *denique, nego, Apoſtolicam Sedem iſti confirmationi contradixiſſe ; nego caſſatam illam à Leone Magno fuiſſe ; nego hoc Leonem, illud Liberatum aſſerere. Et de Liberato quidem certa res eſt, ſoloſque requirit oculos, quibus locum citatum inſpicias : non enim aut hoc decretum, aut* Juvenalem, *aut eccleſiam Hieroſolymitanam ullo prorſus modo attingit ; ſed eccleſiam Conſtantinopolitanam, ſed Anatolium, ſed ejuſdem Synodi canonem vigeſimum octavum, cui legati Apoſtolici neque aſſiſtere condendo voluerant, neque condito ſubſcribere. S. Leo ſi de confirmatione illa meminit uſpiam, id videri poteſt feciſſe potiſſimùm in epiſtola ad Maximum Antiochenum data* IV *Idus Junii anno* 453 *; quando ex reverſis pridem Chalcedone legatis ſuis, quæ ibi geſta fuiſſent, intimè dicerat omnia : at in ea nego, quidquam ſigillatim*
B *& abſolutè à ſancto Pontifice aboleri. Cum enim non ſatis diſtinctè queſtus apud eum fuiſſet Maximus, violata nunc eſſe, quæ Nicænis olim regulis ſtabilita in perpetuum fuerant, Antiochenſis eccleſiæ privilegia ; reſcribit Leo :* Tanta apud me eſt Nicænorum canonum reverentia, ut ea, quæ ſunt à ſanctis patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua novitate violari.... Unde cum aliquid pro Antiochenæ eccleſiæ privilegiis dilectio tua agendum eſſe crediderit, propriis litteris ſtudeat explicare ; ut nos conſultationi tuæ ABSOLUTE & congruè reſpondere poſſimus. Nunc autem ad omnia GENERALITER pronuntiare ſufficiat, quòd SI quid à quoquam contra Nicænorum canonum ſtatuta in quacumque ſynodo vel tentatum eſt, vel ad tempus extortum, nihil præjudicii poteſt inviolabilibus inferre decretis, & facilius erit quarumlibet conſenſionum pacta diſſolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte
C corrumpi.

& confirmationis decreto

32 *Ex quibus patet primò, nihil in hac epiſtola ſigillatim à Leone, nihil* abſolutè *decidi, ſed* generaliter *dumtaxat & hypotheticè*, Si quid contra Nicænorum canonum ſtatuta *&c. Patet ſecundò, cum certiſſimè confirmationem* Juvenalis *dudum antea noviſſet Leo, ei viſam tum hanc non fuiſſe ſtatutis Nicænis contrariam : alioqui potuiſſet hanc ſaltem ac debuiſſet* abſolutè *irritam caſſamque pronuntiare ; ſicut irritum pridem abſolutè pronuntiaverat ejuſdem ſynodi Chalcedonenſis canonem* 28, *qui eccleſiæ Conſtantinopolitanæ honorem ſecundæ ſedis tribuendo, locum Alexandrinæ atque Antiochenſi eccleſiis per Nicænos canones aſſignatum eripuerat, uti & aliis non paucis αὐτοκεφαλίαν. Patet tertiò, neque poſterius umquam cenſuiſſe Leonem, in confirmatione jam dicta Nicænis placitis vim allatam fuiſſe : hæc enim ſpondet ſe paſſurum non eſſe aliqua novitate violari ; cum interea poſt hanc tam diſertam ſponſionem verbum de confirmatis* Juvenali *Chalcedone Palæſtinis nullum fecerit, ne apud ipſum quidem* Juvenalem, *cui binas deinde litteras dedit, in quarum prioribus cum alia ſibi diſplicentia minimè diſſimulet, hoc tamen caput nequaquam attingit : non ergo improbavit ; non ergo credidit Nicænis legibus adverſari ; non ergo irritavit : imo verò tacendo approbavit : non enim hîc tacere potuit, niſi vel probando, vel connivendo. At enim ſi connivendo tacuiſſe dixeris, Leonem reum per ipſum agis Leonem :* Ad meum, *inquit epiſt.* 78 *ad Marcianum auguſtum*, tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in ſynodo Nicæna... ſunt conditæ, me (quod abſit) connivente, violentur. D

S. Leonis Magni auctoritate reſciſſo.

33 *Et quæ, obſecro, fuiſſet illa ſanctiſſimi fortiſſimique Pontificis vel æquitas in agendo, vel in ſcribendo ſinceritas ; ſi* Juvenalem *iniquo decreto gaudentem tam inuſitatâ conniventiâ paſſus eſſet eodem tempore ; quo ad extorquendum Anatolio canonem ejuſdem ſynodi vigeſimum octavum tot graviſſimis ac toties iteratis epiſtolis ad Marcianum, ad Pulcheriam, ad epiſcopos Orientis omnes, ad ipſum imprimis Anatolium, imperium univerſum, univerſam, donec voti compos eſt factus, commovit Eccleſiam ; idque ſolo, ut ubique inculcat, Nicænæ auctoritatis, cui nullam aliam ſive pactorum ſolennium, ſive quantacumque poſtea ſynodi dictitabat opponi poſſe, propugnandæ ſtudio : quæ, inquam, æquitas illa fuiſſet, quæ ſinceritas ; ſi* Juvenalis *confirmatione eamdem auctoritatem convelli judicaſſet ? Senſit hujus argumenti vim infenſus cum ceteris* Juvenali *Thomaſſinus, fruſtraque conatus eludere, huc tandem delabitur, Diſciplinæ eccleſ. part.* 1, *lib.* 1, *cap.* 12, *num.* 15 : E Rurſus id obſervari par eſt : quæ fecere Hieroſolymitani epiſcopi, ut ſedis apoſtolicæ ſibi reſtitueretur honor, quo (*poſt everſam olim urbem*) exciderant, ea non ſolùm veniâ, ſed etiam laude digna fuiſſe, ſi eccleſiæ ſuæ rebus magis, quàm ſuis, ſtudebant ex animo. *Nimirum hoc ipſum eſt quod volumus ; ſi modò cadere patiatur in S.* Juvenalem. *Nunc alterum accuſationum caput, ex latrocinio Epheſino ductum expendamus.*

Item diluuntur accuſationes petitæ ex latrocinio Epheſino ;

34 *Peccaſſe hîc* Juvenalem, *& quidem graviter, ultro faſſi jam ſumus* § 2, *num.* 16. *Sed & Sancti plures alii maximique peccavere non leviter : neque adeo hinc ſequitur, ut ex horum catalogo ſit expungendus. Sed intereſt tamen ſciri, tantane fuerit hîc ejus culpa, quantam aliqui faciunt ; tum an veniâ dignus non fuerit, ſed epiſcopatu potiùs exuendus : accuſatur enim* 1, *à Theodoro epiſcopo Claudiopolis Conciliorum tom.* 4, *col.* 113, *quaſi hæreticus ibi fuerit ; quod firmare videtur S. Leo epiſt.* 86 *ad Julianum Coënſem de* Juvenale *ſcribens*, quod contra ipſorum locorum ſanctorum teſtimonia, quibus totus mundus inſtruitur, ab Incarnationis Dominicæ veritate (*Epheſi*) deſciverit ; *& ad ipſum* Juvenalem *epiſt.* 110, Beatæ enim, *inquit*, memoriæ Flaviani condemnatio, & impiiſſimi Eutychis receptio, quid niſi Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm carnem negatio fuit ? *Accuſatur* 11, *ab ipſo Dioſcoro conciliorum tom.* 4, *col.* 111, *quaſi æqualem ibi ſecum poteſtatem habuerit ; neque ipſi proinde minus, quæcumque iſtic geſta dicantur, ſint adſcribenda, quam ſibi : imò & Theodorus Claudiopolitanus ibidem col.* 113 *de Dioſcoro*, Juvenale, *& multitudine ſeditioſorum pronuntiat abſque diſcrimine :* In ſanguine noſtro ludebant hæretici iſti. *Accuſatur* 111, *quaſi tam ſuperbus poſt hæc manſerit, ut errores ſuos numquam agnoverit, numquam eorum (ut alii fecere) veniam poſtulaverit. Ita fere Tillemontius in S. Leone, art.* 111 ; *ubi & aſſerit, illum ſaltem exauctoratione dignum fuiſſe.* F

de hæreſi,

35 *Reſpondeo ad* 1, *aliud eſſe à veritate deſciſcere, & Chriſtum ſecundùm carnem negare ; aliud, id per hæreſim facere, ſeu id faciendo hæreticum eſſe. Hæreticus non eſt, qui non eſt pertinax, qui judicium ſuum Eccleſiæ ſubmittit & ſummo ejus Pontifici ; quod ſemper feciſſe* Juvenalem, *patebit*

ex

A *ex numero ſequente. Cum Eutychis abſolutioni, cum depoſitioni S. Flaviani ſubſcripſit, primùm id fecit invitus, ut ibidem dicetur; deinde, antequam utriuſvis cauſam Eccleſia Catholica deciderit: nam nec S. Leonis epiſtolam ſynodicam, ſupprimente nequiter Dioſcoro, legerat (ut colliges ex Conciliorum tom. 4, col. 122) neque ejuſdem aliam de hoc argumento ad Flavianum; cui deinde lectæ ſubſcripſit, & quidem ſatis diu ante Chalcedonenſe concilium; ut erui videtur ex epiſtola S. Leonis 70 ad Anatolium: poſtremò utrumque ita præſtitit, ut in ipſis ſubſcribendi formulis oſtendat, ſequi ſe voluiſſe ac tueri doctrinam Eccleſiæ in ſynodis Nicæna & Epheſina propoſitam. Vide ambas ſubſcriptiones ejus Concil. tom. 4, col. 256 & 305. Sic autem eum ex animo ſenſiſſe, ut ſcripſit, teſtatur S. Leo epiſt. 65 ad Anatolium, ubi veri nominis hanc ſynodum negat fuiſſe*, in qua malevolentiam ſuam Dioſcorus, IMPERITIAM autem Juvenalis oſtendit. *In epiſtola quoque* 110 *ad ipſum* Juvenalem *duo ſe doluiſſe ſignificat, timiditatem ejus in hac ſynodo nimiam, qua* reſiſtendi hæreti-
B cis conſtantiam perdidiſſet; *& myſterii, quod ab Eutyche ſubverti non perſpexiſſet, inſcitiam, quam ſic exaggerat:* Quamvis enim nulli ſacerdotum liceat neſcire, quod prædicat; inexcuſabilior tamen eſt omnibus imperitis quilibet Jeroſolymis habitans Chriſtianus. *Imperitia verò, quantumvis inexcuſabilis, ſi malitia deſit & obſtinatio, conſiſtere non poteſt cum hæreſi; ut vulgo notum eſt: itaque hanc negat, qui accuſat illam.*

de fraude, violentia &c.

36 *Reſpondeo ad* 11, *falſum eſſe, quod loco citato Dioſcorus affirmat, juxta paragraphum præcedentem num.* 15. *Deinde ex ipſa ejus querela patet contrarium: queritur enim ibi, quod illum patres ſolum, quaſi ſolus omnia geſſerit, accuſent: faciebant hoc ergo patres; atque adeo ſolum ipſum auctorem præ ceteris agnoſcebant malorum: ſicut & ipſi ſoli locum inter judices non dedere, ſed ſeparatum, ut reo. Quis autem id eos feciſſe dixit iniquè; niſi Dioſcorus? Quod ergo* Juvenalem *& alios epiſcopus Claudiopolitanus conſpiraſſe per omnia cum Dioſcoro dicit, id illum eo putaſſe credibile eſt, quod adeſſe tyranno compulſi, ne nutu quidem auſi eſſent, quæ ſpectabant, arguere. Facinus indignum, fateor; ſed quod & metus armorum & impediendi ſceleris deſperatio tantùm imminuit; ut, qui læſus ibi maximè fuerat, Euſebius Dorylæenſis unum in Chalcedonenſi concilio, col.* 393, *Dioſcorum petens, negaverit, à quoquam alio ſe læſum fuiſſe; cum neutiquam ignoraret, depoſitioni ſuæ alios ſubſcripſiſſe quam plurimos. Quos ille excuſat, nos cur accuſabimus? Conſonat Julianus epiſcopus Hypæpenſis, ibidem col.* 424, *& ſolum omnibus opponens Dioſcorum,* Ipſe, *inquit,* primus proſecutus eſt injuſtum judicium, & omnes cum neceſſitate ſecuti ſunt. *Omnes judices Epheſini latrocinii, præter ſolum Dioſcorum, hæc, ibidem, vicariorum Apoſtolicorum verba ſpectant:* Sed illis quidem Apoſtolica Sedes veniam præſtitit de iis, quæ ibi non voluntariè ab eis geſta ſunt; qui & hactenus permanſerunt obedientes ſanctiſſimo Archiepiſcopo Leoni, & omni ſancto & univerſali concilio: hujus gratiâ & in ſua communione eos, ſicut confideles, ſuſcepit. Hic autem (*Dioſcorus*) & hactenus permanſit glorians *&c. Quæ verba quanto gaudio deinde S. Leonem compleverint, prodit ipſe epiſt.* 82. *Idem denique ſanctiſſimus Pontifex epiſt.* 93 *ad Theodoritum ita de Dioſcoro ſcribit:* Dum trahit plurimos & impellit ad erroris aſſenſum, multiplici animam ſuam vulnere
C ſauciavit; ſolus ultra omnes, & per omnes, & pro omnibus reus, qui cauſa reatûs omnibus fuit.

AUCTORE P. B. *de ſuperbia, ob quam fuerit meritus deponi.*

37 *Reſpondeo ad* 111, *atrociſſimam hanc eſſe calumniam. Quid? Errores non agnovit ſuos; cum omnes ac ſingulos coram ſexcentis & ultra patribus publica ſubſcriptione retractavit? Cum Eutychetem, quem deluſus antè abſolverat, condemnavit? Cum Flaviani doctrinam, quam antè rejecerat, reſciſſo judicio, pronuntiavit Catholicam, &c? Sed veniam non petiit. Nugæ. Hanc ſcilicet ſibi Leo tam ſolicitè reſervaſſet, juxta num.* 16; *ut non petenti & ſuperbè quodammodo ſpernenti obtruderet? Quid ergo eſt illud epiſt.* 110 *ad* Juvenalem: Gaudeo, te cæleſtem expetiſſe medicinam? *Quid illud in Chalcedonenſi ſynodo toties ejus, ſi non ore, ſaltem nomine repetitum:* Omnes peccavimus; omnes veniam poſtulamus: Omnes peccavimus; omnibus indulgeatur? *Adi ſuprà num.* 17 *&* 18. *Ex his porrò omnibus manifeſtum eſt*, Juvenalem, *quidquid ante notam Eccleſiæ definitionem imperitè timidèque, hoc eſt, non malitiâ, ſed humana fragilitate, peccaverat, luculentè poſtea compenſaſſe tum in ipſo concilio jam dicto; tum paullo poſt illud, quando Hieroſolymam reverſus, & ejuſdem, ſed jam notæ damnatæque ſectæ ſolicitationibus, terroribus, armis appetitus, eâ conſtantiâ reſtitit, ut & ſedem amiſerit, & martyrii, etſi non palmam, certè meritum tuliſſe videatur. Nimirum, ad exemplum S. Petri, præteritæ timiditatis & inconſtantiæ pudore ac pœnitentia timere jam nihil, præter ipſum timorem inconſtantiamque, didicerat. Et hunc privatus auctor epiſcopatu cenſebit indignum fuiſſe ac merito deturbandum? Immitem enimvero cenſuram, imò temerariam! Accuſat enim non* Juvenalem *tantummodo, ſed & Chalcedonenſe concilium univerſum, cujus ſuffragio dignus eſt habitus, cui non modo epiſcopatum, verùm & jus in tres Palæſtinas patriarchicum confirmaret: accuſat S. Leonem, ut qui ejus poſt glorioſum exſilium reſtitutione tantopere exſultaverit: accuſat denique eccleſias omnes, quæ, ut paragrapho primo vidimus*, Juvenalem *non ſolum ut dignum antiſtitem, ſed etiam ut ſanctum cultu ſupplice venerantur.*

TOMO II JULII, DIE VI.

AD *paginam* 389, *poſt num.* 140, *de S. Godeleva reliquiis Belliolanis adde ſequentia inſtrumenta:* Infraſcriptus canonicus cathedralis eccleſiæ S. Donatiani Brugenſis atteſtor, me hac XVI die menſis Junii anni Domini MDCXL dono dediſſe & per præſentes dare, ad requiſitionem & inſtantiam D. Gabrielis Jacquemyn presbyteri, R. adm. P. Fratri Gregorio Bergenſi, Ord. S. Franciſci Capucinorum presbytero ac concionatori particulam reliquiarum ſanctæ Virginis & Martyris Ghiſtellenſis, ſerico rubro involutam, & huic pyxidi incluſam, ac ſigillo meo munitam, quam inter alias reliquias à Rmo. Domino meo Dionyſio epiſcopo Brugenſi V. M. accepi donatione inter vivos, teſtorque illam ab eodem Rmo. veram & certam ſemper habitam, nam illam, dum viveret, meæ cuſtodiæ, ut capellano fidebat. Actum Brugis die & anno ut ſupra. Et erat ſignatum, Jacobus van Blootacker cum appenſione parvi ejus ſigilli. E F

Vicarii generales epiſcopatûs Iprenſis vacantis, univerſis has viſuris, lecturis, ſeu legi audituris, ſalutem in Domino. Permittimus ut reliquiæ, huic pyxidi incluſæ, publico cultui exponantur. In quo-

rum

rum fidem, has per Secretarium signari & vicariatus nostri signo communiri fecimus. Datum Ipris in Vicariatu mensis Julii die IV anni MDCXL. Et inferius erat subsignatum; de mandato DD. vicariorum, L. Blommaert secret.

Ego infrascriptus testor sub juramento, me has reliquias sanctæ Godelevæ virginis & martyris, de quibus hæc agit attestatio, & DD. Vicariorum permissio, ut publicè cultui exponantur, ex pyxide, ubi inclusæ erant, sumptas, propria manu, imposuisse imagini ejusdem V. & M. ex ligno deaurato in sacello S. Mariæ Magdalenæ quiescenti hîc Bellioli XXIV Julii anni MDCXL. Subsignatum F. Gregorius Bergensis concionator capucinus.

AD APPENDICEM DIEI VI Pag. 447

DE BEATO HUGONE PEREGRINO.

Multa de hoc B. Hugone, *quemadmodum supra de SS. Felice & Moderato, satis operosè indagavit Cl. D. Le Beuf canonicus ac succentor eccl. Autissiodorensis, videbarque dum ejus observationes cum Latina Beati Vita primùm acciperem, multa consecutus quæ jam dictis lucis aliquid afferrent; verum concepta spe plane frustratus sum, nam discussis accuratissimè omnibus, neque de ætate, neque de gestis plus quidquam repertum est, quam à nobis in dicta appendice jam pridem datum sit. Latinas istas lectiones septem quæ Vitam talem qualem continent, legi ac relegi sæpius, ut vel hilum extunderem quod narrationi jam datæ superaddi posset, at præter verbosissimam orationem, non huic magis quam aliis Sanctis convenientem, nihil prorsus occurrit, quod ætatem aut gesta vel per umbram illustret. Minus etiam placet, quod beatum hunc* Hugonem *cum synonymo archiepiscopo Rhemensi, è ducibus Veromanduis consuderit D. Ludovicus Noël in eamque sententiam pertraxerit Marlotium in historia Rhemensi tomo* I *pag.* 610 *&* 611. *Neque lucis quidquam affudit R. D. de Champs Verziacensis archipresbyter in epistola à D. Le Beuf datâ, ex qua id corrigendum quod ex Bargedæo dixeramus num.* 6, Sepulcrum ejus elevatum esse à terra ad latus circa altare majus, *nam archipresbyter ille loci parochus, fatetur, à quadraginta & amplius annis frustra quæsitum fuisse sacrum corpus, licet terra ad multos pedes effossa fuerit. Altare* B. Hugoni *in ecclesia dedicatum memorat, sierique de ipso Officium* VI *Julii, eo tutius, inquit, quod plures sub Hugonis nomine Sancti reperiantur, ac si de suo dubitaret; ut facile, intelligas, de communi Confessoris recitari omnia, procul que abesse jam rejectas à nobis lectiones. Verbo dictum sit, de Beato illo constantem cultum superesse; at præterea nihil præter populares traditiones quæ seculo* XV, *ut notat Le Beuf, à verboso aliquo sciolo exornatæ fuerint.*

AD DIEM VII JULII.

DE S. WOLFILAICO.

Postquam jam edita erant quæ de hoc Sancto dedimus, dicto jam tomo secundo à pag. 478 *ex S. Gregorio Turonensi atque ex Vita S. Magnerici, misit ad nos Luxemburgo* XXIX *Octobris* 1720 *noster P. Stephanus Petit Annotationes aliquot sive elucidationes Mss in Vitam* S. Wolfilaici stylitæ, abbatis Ordinis S. Benedicti, *olim, forte à seculo, compilatas*, opera & studio R. P. D. Jacobi de Vaulx, religiosi Aureæ Vallis, *simul cum rudi imagine stylitam aliquem referente, sic delineata ut eam hîc exhibere ausus non fuerim, non magis quam annotationes ipsas, pro Ordine Benedictino frustra decertantes, tum vero morales potissimum aut topographicas, ex quibus certe historici nihil, saltem satis solidi elicere mihi licuerit. Miracula quæ annotatione* V, *ex altero S. Gregorii capite, Vitam subsequente describit, in Acta non retuleram, quod ea omnia S. Martino ferme potius quam S. Wolfilaico tribui videantur. Verbo dicam, tota ea scriptio nihil me magnopere docuit, quod hîc typis dignum censere potuerim. Id notavi ex epistola Ampl. abbatis Caroli data an.* 1688 *ad Papebrochium, sub* S. Wolfilaici *nomine & cultu exstare ecclesiam parochialem, sub patronatu & in vicinia cœnobii, seu deserti, ut ipse vocat, Aurea Vallis. Hîc paucis noto, corrigenda ea quæ tom.* VI *Julii pag.* 171, *num.* 16 *lin.* 4 *dicta sunt, nempe*; Interim quidquid ad illum spectat, expendi poterit ad dictum diem XXI Octobris, *ubi legendum, quod* de eo hoc die omnia abunde expensa sint.

AD X JULII.

DE RELIQUIIS S. ALEXANDRI M., FILII S. FELICITATIS.

Quamquam eo die multa disputata sint de gloriosæ matris sanctorumque filiorum reliquiis, accessit postmodum notitia alia à V. C. Joanne Friderico Schannat nobis suggesta in Vindemia litteraria altera § X *pag.* 73, *ubi narrationem producit, quam* exstitisse *ait*, ad calcem Ms. codicis bibl. Moguntinæ, ex quo præcedens opusculum desumpserat, *nempe, uti scriptum erat*, Vitam B. Lamberti, monasterii Novi operis, juxta Hallas Saxonicas primi præpositi. *Quo titulo* Beatus *dici possit Lambertus iste, ad* IX *Februarii, quo obiit, posteris nostris examinandum relinquo. Neque vero de reliquiarum identitate lubet contendere; componat lector dictam narrationem cum nostro Commentario, dispiciatque quid verosimilius statuendum sit. Titulus est*; Translatio reliquiarum S. Alexandri martyris, ad idem Novi operis monasterium juxta Hallas. *Sic porro habet instrumentum:*

Qua occasione Otto imp. reliquias obtinuerit

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXII accersitus à Joanne Sanctæ Romanæ Sedis Antistite Otto Augustus, pro divinis restaurandis negotiis Romam venit, ibique coronam imperialem de altari S. Petri Apostolorum principis accipere meruit, & exinde more suorum prædecessorum Rempublicam, quam variis fœdatam erroribus reperit, misericorditer restauravit; habitoque colloquio in monte sancti Leonis, viduis & orphanis omnibusque ad se venientibus injustè oppressis legem dedit: quibus omnibus ritè peractis, ad Saxoniam repedare statuit. Peragratis igitur locis quam plurimis tandem Pennam, ad quam multa Sanctorum translata exstiterant corpora, applicuit, ibique episcopus & comes de Marsi sibi occurrerunt & obsides de illa provincia imperatori adduxerunt, quos advenientes imperator cum misericordia recepit, omnia enim ad votum, positâ de hoste reipublicæ victoriâ, successerant. Sedentibus autem illis & de multis rebus sermones texentibus, interrogavit imperator episcopum, si aliqua

A liqua ſanctorum corpora in ſua requieſcerent eccleſia? Reſpondit epiſcopus quare interrogatis domine? Reſpondit imperator, quia deſiderium habeo alicujus Sancti corpus obtentum mecum transferre. Reſpondit epiſcopus, multos Sanctos in epiſcopio noſtro ſcimus, ſed de quo deſiderium habeatis ignoramus: ſi placuerit dignitati veſtræ, veniat aliquis mecum ex veſtris fidelibus, & ſi invenerit quod majeſtas veſtra deſiderat, cum gratia Dei accipiat: ſtatimque imperator miſit Dodonem presbyterum capellanum regium cum epiſcopo.

quas Magdeburgum detulerit,

Dodo venerabilis presbyter, illic diligenter perſcrutatis Sanctorum reliquiis, invenit ſanctam Felicitatem martyrem cum ſuis ſeptem Filiis jacentem, qua viſa, agnovit ſibi deeſſe brachium quod imperatori antea Romæ fuerat datum, quod quidem brachium qualiter obtinuerit, breviter reſtat referendum. Cum enim Otto imperator, recepta imperiali corona, per diverſas Romanæ urbis eccleſias cauſâ devotionis pergeret, ſecundum

B temporis revolutionem aderat feſtivitas S. martyris Clementis, unde & imperator ad audiendum Miſſarum ſolemnia ad ipſius eccleſiam pertexit, ibique Papam obvium ſibi habuit. Divinis autem peractis officiis, Papa imperatori brachium ſanctæ Felicitatis dedit, quod de eadem eccleſia Adeldagus venerabilis Hamaburgenſis epiſcopus receptum imperatori uſque ad S. Petrum perductum præſentavit. Redeundo autem ad narrationis noſtræ ſeriem, dictus Dodo presbyter, agnitis ſanctiſſimorum martyrum S. Felicitatis Filiorumque ejus reliquiis, magno repletus gaudio, eam de ſepulcro una cum corporibus ſanctorum Alexandri & Felicis filiorum ejus levatam, Pennam adduxit. Has reliquias cum quampluribus aliis idem piiſſimus Otto Magdeburgh ſolenniter adduxit atque cum eiſdem eccleſiam metropolitanam ibidem v Kalendas Martii encæniavit.

unde corpus S. Alexandri

Tranſcurſis autem non paucis annorum curriculis, Adelgotus ſanctæ Magdeburgenſis eccleſiæ præſul devotiſſimus, divinum ampliare diſponens famulatum, Hallenſe monaſterium, ad Novum-Opus vocitatum, fundare cœpit, ſed immatura

C morte præoccupatus, ſucceſſori ſuo Ruodgero, conſimilis devotionis fervore accenſo, idipſum perficiendum reliquit. Eo igitur tempore, anno videlicet Dominicæ Incarnationis MCXXIII, Indict. II, decimo ſexto Kalend. Januarii tranſlata ſunt oſſa S. Alexandri martyris filii Felicitatis, & brachium S. Sergii martyris cum multis aliis reliquiis per dictum Ruodgerum antiſtitem ad dictum Hallenſe monaſterium, reconditæque ſunt hujuſmodi reliquiæ B. Alexandri pariter cum coſta matris ejus videlicet ſanctæ Felicitatis, in ſarcophago arte incluſoria mirificè fabricato, quod in eccleſia Novi Operis impræſentiarum cernitur.

ad Novi operis monaſterium pervenerit.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCXLVI temporibus Cæleſtini Papæ II, & Lucii II, qui Eccleſiæ Romanæ præſulatum diebus & menſibus paucis gubernaverant, quibus ſucceſſit Eugenius III diſcipulus S. Bernardi abbatis Claræ-vallenſis, qui unà cum apoſtolicis Cæleſtino & Lucio, eccleſiæ Novi-Operis larga Spiritualium donorum munia largitus eſt, regnante victorioſiſſimo Romanorum rege Conrado, aurigante currum Magdeburgenſis eccleſiæ Frederico archiepiſcopo, cujus tempore oſſa majora exceptis minoribus beatiſſimi Alexandri recondita ſunt, caput integrum duobus dentibus adhærentibus excepto mento, pectus, brachia, ſcapulæ, ſpina dorſi, adhærentibus cutis, femora, crura, quæ impræſentiarum veneratur in monaſterio Novi- D Operis, fideli populi Chriſtiani frequentia ad laudem, gloriam, & honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

AD XI JULII.

DE S. AMABILI VIRGINE, ROTHOMAGI IN PARTHENONE S. AMANDI.

HUjus Sanctæ notitiam acceptam refero ſæpius jam laudato D. Le Beuf, in epiſtola ſuperius non ſemel citata. Porro de dicto parthenone agit Franciſcus Pommeraye in appendice ad hiſtoriam celebris abbatiæ S. Audoëni, eidem tomo annexâ pag. 61, ubi Calviniſtarum iconomachorum ſtrages, latrocinia & abominationes enumerans domui iſti religioſæ illatas; ſic pergit auctor num. 6, cujus verba ex Gallico Latina facio: Quod vero luctuoſam ſtragem non parum auxit; id fuit potiſſimum, quod ſacræ reliquiæ, ibidem depoſitæ, combuſtæ fuerint; atque alias inter ſacra oſſa S. Amabilis virginis, quæ eo loci ſingulari E ſemper fuerant in veneratione, quamvis celebritatis origo non magis cognita ſit, quam natales aut geſta Sanctæ, cujus memoria non niſi antiqua traditione conſervata fuerit, quæque conſtantem quodammodo in legem apud ſanctimoniales iſtas tranſierit. Non ita pridem imago ejus ſpectabatur in S. Amandi, uti hodiedum aſſervata eſt, depicta inſtar filiæ regis, quemadmodum credita eſt regum Anglorum ſanguine progenita. Feſtivitas ejus recolebatur XI Julii, ut ex vetuſtis Breviariis Mss. manifeſtum eſt, invocaturque in Litaniis quæ à pluribus ſeculis in ea abbatia canebantur. Ceterum tametſi id cœnobium pretioſis ſuis reliquiis ſpoliatum fuerit, nihilominus perſeveravit in eam Sanctam veneratio, pluribus ad ejus patrocinium etiam hodie recurrentibus, quod non raro ſibi valde propitium experiuntur.

DE S. LÆTO PUERO M. PRUVINI IN BRIEGIO SEU BRIA GALLIÆ DOM. II JULII. F

Sylloge de Cultu & Actis.

ULtimo loco hîc ſubnectitur ſanctus Puer martyr, jam præteritus atque impoſterum omnino prætereundus, utpote in claſſicis aliiſve Martyrologiis nuſquam ſignatus, niſi notitias aliquas ſubmiſiſſent Pruvinienſis eccleſiæ canonici, quas anno 1724 ad nos promoveri curavit, numquam abſque elogio nobis nominandus noſter Joannes Harduinus, acceptas tunc primùm per R. D. Bellate canonicum regularem Ord. S. Auguſtini, neſcio cujus ſtudio collectas, certe tam inordinatas ac diſſolutas, ut quid demum ex iis colligi poſſit, vix intelligas. De S. Læto (Gall. Lié) meminerat quidem Caſtellanus, ſed ad diem VII Junii, ut jam retrogradi integrum amplius non eſſet. Quid porro ad eum diem ſeligendum ipſum moverit, nec conjecturâ aſſequi licet; eumdem vero ipſum Sanctum ab eo indigitari, quo de hîc loquimur, manifeſtiſſimum reddit ejus annuntiatio his verbis concepta: Sabinis (*à Savins*) inter Pruvinum (*Provins*) & Sigiacum (*Sigy*) ſancti Læti pueri, mira pulcritudine præditi, trucidati autem quod turpi deſiderio unius & ſuis conſanguineis conſentire renuiſſet. *Hinc factum, opinor,* *Ex miſſis ſerius notitiis*

A *ut ipſum in indice* Martyrem caſtitatis *appellarit.*

adjicitur martyr caſtitatis

2 *Hoc quidem recte, nam pro caſtitate vitam poſuit, ſiquid certi in ejus Legenda referatur: quod verò de uno ex conſanguineis aſſerit Caſtellanus, quaſi is puerum ad enorme crimen allicere conatus ſit, id Actis qualibuſcumque ad nos tranſmiſſis, conforme non eſt; in quibus nempe expreſſiſſimè dicitur, eâ cauſâ puerum crudeliter mactatum ac tandem capite plexum, quod ſocios ſeu familiares, puta cognatos, ut volunt, abominanda patrantes corripere non deſineret. Ut ut eſt; nam ſingula iſtiuſmodi Actorum adjuncta ſcrupuloſius diſcutienda, nedum admittenda cenſeo; verè* Lætus *noſter* caſtitatis martyr *nuncupandus videtur. Id autem ex collectaneis ad nos miſſis, præcipuè conſtat, coli ſanctum Puerum ut verè martyrem in picturis aliiſque ſacris monumentis, apud Sabinenſes & Pruvinenſes, præſertim à textoribus feſtivitatem ejus peculiari ſolennitate celebrantibus, non ſecunda Julii, quo die martyrio coronatum fert loci traditio, verum Dominica ſecunda Julii, ut nullus ſit dies determinatus ad quem* S. Lætus *referri poſſit, quæ ratio nos impulit,*

B *ut hîc ultimo loco adderemus; quæ de ipſo accepta diximus.*

cum brevi narratione cædis

3 *At enim ne variis traditionibus colligendis aut combinandis, diu fruſtra immoremur, dabimus hîc primùm quæ brevi compendio hiſtoricè de ipſo narrantur in hunc modum:* Lætus in Pruvinenſi territorio natus, ibidem gladio impiorum cæſus, martyrii palmam promeruit. In fide Chriſtiana à parentibus diligenter eruditus, pietate ac ſuavitate morum, adhuc puer effulſit. Cum autem quidam ejus familiares blaſphema verba in Deum jactare ſoliti, rem aliàs deteſtabilem facerent; Lætus divino zelo accenſus, ſæpe pravos eorum mores & infidelitatem libera voce redarguit. Sed hujuſmodi monita graviter ferentes, ipſius mortem nefarii illi moliuntur. In valle igitur natali pago vicina, cum iis aliquando occurriſſet, vix truculentas eorum manus evaſit, & fugiens, diverſis latebris pauliſper ab iis ſeſe occuluit. At repertus eſt tandem in proximo colle, ſuper arbore quadam inſidens, eumque aſſecutus perſecutor detrudit, & ſub eadem arbore caput ejus abſcidit. Sic Lætus noſter, ſuo perfuſus ſanguine, poſt extremam orationem factam, poſitis genibus gloriosè occubuit.

C *& mira ſepultura.*

4 Mox autem, quam pretioſa fuiſſet in conſpectu Domini mors beati Martyris, ingenti miraculo ac cæleſti teſtimonio comprobatum eſt: nam luce ineffabili ſplendeſcente, beati Læti cadaver ſe erexit (quod etiam de ſancto Dionyſio memoratur) ſuiſque manibus à corpore truncatum caput, ductu angelico vectitavit ad eccleſiam eidem Dionyſio dicatam. Porro illud contigiſſe die ſecunda Julii, circa annum MCLXIX vulgaris fert traditio. Anno autem MCC die Maii XVII Henricus quidam epiſcopus cum S. Jacobi Pruvinenſis abbate, à Sede Apoſtolica delegatus, ſacrum beati Martyris corpus ſolenni pompa ſublatum, in pretioſo feretro recluſit, illudque etiamnum magna populi veneratione aſſervatur in ſacello quod ibidem dictus præſul, ſub nomine ſancti Læti exſtructum, conſecravit: ubi multa Deus edidit miracula, prout fusè in ipſius hiſtoria narratur.

Cultus apud ſuos

5 *Elogii iſtius pars prior facile admitti poteſt, quin & illud ex collectaneis adjungi:* Lætus in pago territorii Pruvinenſis, quod Sabini caſtrum vocant, honeſtis juxta ac piis parentibus ortus, licet obſcuro genere fuit; artem quippe textoriam in paterna domo exercuiſſe creditur; ac tandem puer quatuordecim annorum illuſtrem martyrii coronam conſecutus eſt. *Utrum pater Perrinus dictus ſit, mater vero Egea, non video, unde eruerit collector noſter, non magis quam quod impii perſecutores conſobrini ejus fuerint, Achini nominati, ſeculo* XII *adhuc pagani: neque item quod arbor, cui puer Sanctus inſederat, copioſum ſanguinem effuderit, cujus ſuperſint veſtigia &c. Adde qua in altera hiſtoriæ parte dicuntur de vectitatione capitis ad S. Dionyſii eccleſiam, martyri Puero triumphanti ultro apertam. Fuſior illa hiſtoria, tum de geſtis tum de miraculis, non citanda, ſed huc mittenda erat. Placet clauſula his verbis concepta:* Capſa B. Læti, auro cælata, in cujus circuitu paſſio ejuſdem variis figuris exprimitur, pone majus altare conſpicitur nunc, in publicum omnium conſpectum propoſita ab aliquot annis.

D

& Officium.

6 *Concludo quæ ad cultum ſpectant collectâ ex Officio proprio, uti notatur, deſumptâ in hunc modum:* Omnipotens ſempiterne Deus, qui beatum Lætum martyrium ſub arbore ſubire voluiſti, concede propitius, ut nos pia devotione in

E hoc loco congregati, ejus meritis, arboris ſanctæ crucis fructus colligere, & ſub arbore illius, quem deſideramus, in hac vita ſedere mereamur, ut tandem ad cæleſtis vitæ gaudia verè læti pervenire poſſimus. Per Dominum. *Quodnam* Officium proprium *hîc deſignat collector, perſpectum non habeo, niſi ſupra datum elogium lectionum vices ſuppleat. Accedat demum pars inſtrumenti quo* anno MCDLV Ludovicus de Meloduno, Senonenſis archiepiſcopus omnibus & ſingulis confratribus & conſororibus confratriæ ſeu confraternitatis S. Læti martyris, in domo Dei Pruvinenſis fundatæ, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxaſſe *dicitur. Utrum etiam hodie ſuperſit ſacellum in ipſo martyrii loco conſtructum, cujus veſtigia aliqua relicta etiamnum appareant, in chartis meis ſatis explicatum non invenio; neque aliud ſupereſt memoria dignum quod hiſce adjiciendum cenſeam.*

AD DIEM DECIMAM SEPTIMAM JULII.

DE S. MARCELLINA VIRGINE.

Additur nova notitia

ANno 1725. *Acta* S. Marcellinæ *Commentario meo illuſtraveram, eumque jam tomo* IV *Julii à pag.* 231 *inſeruneram, quando duo viri eruditi, videlicet Joſeph Septimius à Laude & Alanus de Maculanis, eodem anno* 1725 *Mediolani de tumulo* S. Marcellinæ *virginis ediderunt Diſſertationem hiſtoricam, quæ poſt editionem memorati tomi noſtri ad manus meas pervenit. Duo auctores illi in ea Diſſertatione meritis laudibus extollunt pietatem ac munificentiam eminentiſſimi Cardinalis Benedicti Odeſcalci, archiepiſcopi Mediolanenſis, qui collabentem Ambroſianam baſilicam venuſtè reſtauravit. Præterea in eodem opere ſuo multa afferunt ad confirmandum verum locum tumuli, de quo numquam dubitavi, ut in præfato commentario meo licet videre.*

de tumulo S. Marcellinæ,

2 *Cum tamen curioſa quædam tradant de reliquiis ejuſdem Sanctæ, non ita pridem accuratè examinatis, quæ antea reſcire non potui, ea huic menſis Julii ſupplemento inſerenda eſſe exiſtimavi. Itaque laudati ſcriptores illi* § 3 *Diſſertationis ſuæ de his ſacris exuviis habent ſequentia:* Qua regione imum Ambroſianum ſacellum orientem excipit

A cipit ſolem, prominebat Marcellinæ ſepulcrum è pavimento in altitudinem circa unciarum triginta, in latitudinem verò unciarum viginti à pariete, ut fatetur Puricellus, per Ambroſium antiquitus; cum baſilicam iſtam conſtrueret, circumjecto modicè diſtans, quem tamen ex parte ſuperiores noſtri evertêre, ut, curvato in arcum muro, parvula patefieret feneſtra, quam jam innuimus in ampliorem nuperrimè formam extenſam.

qui unà cùm inſcriptionibus

3 Nihil autem erat videre, niſi cæmentitium opus in triangularem figuram aſſurgens, cujus poſteriori in ſuperficie, ut ex ſupracitata viſitatione anni noni, ſeculi ultimò elapſi, hæc inſcriptio fermè vetuſtate exeſa legebatur: HIC JACET CORPUS S. MARCELLINÆ. Puricellus circa annum trigeſimum ſextum notati ſeculi, paulo longiorem aliam exſcripſit; HIC JACET S. MARCELLINA, SOROR S. AMBROSII. Nos autem hanc aliam vidimus: HIC JACET CORPUS S. MARCELLINÆ VIRGINIS, SORORIS S. AMBROSII. Cum nempe à ſubterranei aëris edacitate diu ſe tueri nequiret lateribus calx ſuperinducta, eidemque commiſſi characteres, qui tumuli cuſtodiendi onus ſuſceperant, unà ſimul cum arenato, epigraphas ſemper reſtituere ſtuduerunt, mutatis additiſque perpaucis verbis, quæ abſconditi dignitatem theſauri clariori locutione teſtarentur. In apice illitus nigro colore hic alius titulus & Puricello & nobis in conſpectu fuit: VIRGO MARCELLINA, DIVI AMBROSII SOROR, ET A DIVO SIMPLICIANO HIC SEPULTA.

B

& picturis quibuſdam

4 Quà deinde idem ſepulcrum in occidentem obvertebatur, à ſanctorum Ambroſii, Protaſii & Gervaſii tumulo decem circiter paſſus procul poſitum excipiebat, ſextantis menſurâ ſuperinductum altare, eidem Virgini nuncupatum, cujus in fronte impreſſa triplex objiciebatur imago. Medium quæ locum tenebat, lilium manu gerens procul dubio ejuſdem Heroinæ caſtiſſimos referebat vultus. Aliæ in utroque latere effictæ duorum ſpeciem virorum exhibebant, quorum dexteræ liber inſerebatur. Haud tamen arguere potuimus (culpane temporum an pictorum, ignotum manet) cuinam inſervirent exemplari. Cetera ſive penicillo diſtributa, ſive muralis artis labore compacta, adeo ſqualentia, tabida, corrupta, ut non niſi ab inimica vetuſtate acceptas injurias explicarent.

C

examinatus eſt anno 1722,

5 Dirutâ de eminentiſſimi Principis noſtri mandato arâ, XVI Cal. Octobres anni MDCCXXII, in Veſperis, confractoque integumento cæmentitio, quo includebatur, arca ante oculos fuit ex vulgari & negligenter præparato lapide (vulgò ſariccio) longitudinis unciarum viginti quatuor, latitudinis quatuordecim, altitudinis verò quatuordecim cum dimidia, emensâ ſimul altitudine graviſſimi operculi ejuſdem materiæ, habentis intus & foris triangularem formam. Nulla ſuper eamdem nota, nullus titulus, nullum, quo muniretur, ſignum. Intererant huic operæ nomine ſecularis collegii D. Præpoſitus Reyna vicecomes, D. Canonicus Vandonus, & nomine collegii regularis Don Innocentius Gradignanus & Don Alanus de Maculanis, ambo in hoc Ambroſiano cœnobio ſacræ theologiæ magiſtri, qui omnes, ut, undique funibus circumvolutis, tota arcæ moles ſtatim firmeque colligaretur, curavere, appoſitis etiam utriuſque partis ſigillis, donec eâdem vectibus multoque conatu ac diligentia in Canonicorum ſacrarium tranſlatâ, ut erat in votis utriuſque capituli, res integra, quemadmodum ſequenti mane evenit, ad purpuratum Præſulem deferretur.

EX IMO PRESSIS. & in quo ſacrum ejus corpus

6 Ut primum die decima ſeptimâ nocturnæ tenebræ terris obductæ fuerunt, ipſemet de felicisſimo exitu minimè dubitans Princeps eminentiſſimus in rem præſentem ſe contulit. Inhærebant ejuſdem veſtigiis D. Gaſpar Reyna vicecomes præpoſitus hujus baſilicæ, & DD. Canonici Dominicus Maderno & Ambroſius Rozzonus. Cum his adfuere pariter D. Severinus à Porta hujus monaſterii & dictæ baſilicæ Ambroſianæ abbas, ac ſupra nominati duo ſacræ theologiæ magiſtri, D. Johannes Maria Macinagus S. T. D. cæremoniarum magiſter in templo metropolitano, honorarias vices apoſtolici notarii hac occaſione ſuſtinuit. Nec officium ſuum deſiderari paſſus eſt R. D. Paulus Bonomius in componendis coordinandiſque SS. corporum oſſibus peritiſſimus. Teſtes demum habuimus nobiles DD. Don Johannem à Porta, & Don Antonium Corbellam.

repertum,

7 Invocato itaque S. Spiritus auxilio, per duos fabros haud modicò niſu ſublatum fuit magni ponderis integumentum, occurritque primo aſpectu ſacra Marcellinæ calva, ceteraque ſubinde oſſa & exſpectatiſſimi cineres, quorum major portio quaſi in unum collecta, viſa eſt in ea parte arcæ, in quam primitus conceſſum fuit impatientem moræ oculorum aciem defigere: ut enim & hodie penes aliquas religioſas familias motis eſt, & ut eruimus ex menſura ejuſdem arcæ, quæ reſpondere nequit emortuo adultæ ætatis corpori in longum protenſo, cum depoſitum fuerit virginale cadaver in modum ſedentis, hinc ſuperiora ejuſdem membra, annorum curſu diſrupta compagine, ſubſedere quaſi in unum cumulum, cui ſuperſtabat venerabile caput.

E

& in alias lipſanotheeas, tranſlatum eſt.

8 Effluentibus præ gaudio lacrymis, thure cremato debitas Deo grates egere ac præſentes coluere exuvias ſimul cum eminentiſſimo Paſtore, quotquot ibi ejuſdem vel fruebantur conſortio vel dignitati ſerviebant. Nec æra tacuere campana: nocte enim quamvis intempeſta, utraque templi turris totam urbem noſtræ ac communis felicitatis pleno feſtivoque ſonitu admonuit, multis ſibi facilè perſuadentibus, id contigiſſe cælitus, ut quo die urbs noſtra Satyri votiva ſolennia peregerat, inclytæ ſororis lipſana, mercedem magnam nimis, aſſequi amplectique meruerit. Excepta inde unà cum cineribus oſſa partim credidere capſulis, partim lineis pannis collegere, omniaque ſtatim veſtiario condita & ſigillo Præſulis noſtri munita fuerunt, clave penes eumdem ſervata, donec ad diligentius ſingularum partium judicium ex anatomicorum ſententia deveniretur.

F

Anno Chriſti 1723

9 Examen iſtud longè accuratiſſimum contigit Idibus Septembribus anno MDCCXXIII in ſupra jam memorato canonicorum ſacrario. Aſſidebant D. Gaſpar Reyna vicecomes præpoſitus, Septimius à Laude archipresbyter, & Dominicus Madernus canonicus capituli ſecularis, roccheto & ſuperpellicio, ut in choro moris eſt tempore æſtivo, induti, quos opportuna ad hoc auctoritate munierat purpuratus Hierarcha. Implebat cancellarii munus S. T. D. Decius Ferrarius, canonicus S. Mariæ Pedonis, unáque aderat ſupradictus R. D. Bonomius, qui ſacra oſſa ex noviſſimis arculis reciperet, ſubjiceretque peritorum diſquiſitioni, quorum duo in hoc negotio excellentiores à majori noſocomio hujus civitatis accerſiti ſunt, ſcilicet Paulus Antonius Raymundus de Carnellis, & Abundius Defendens Briuſcus, ambo chirurgiæ doctores.

EX IMPRESSIS.

10 Teſtes fuere nobiles DD. abbas Don Johannes Baptiſta Friſianus, & comes Don Antonius Variſius de Roſate. Circumſtabant DD. Carolus Franciſcus Marianus, Johannes Antonius Carpanus & Ambroſius Rozzonus ex canonicis hujus baſilicæ, de capitulo autem monachorum Don Innocentius Gradignanus, Don Alanus de Maculanis ſacræ theologiæ magiſtri, Don Petrus Paulus Burronus tunc pro Priore, nunc viſitator ſecundus, & Don Laurentius de Georgiis moralis theologiæ lector. Prælecto per dictum D. canonicum Ferrarium diplomate delegationis, nec non interminatione ab Eminentiſſimo expedita gravioris anathematis ipſo facto incurrendi à quolibet ex præſentibus, qui auſus fuiſſet vel minimam harum reliquiarum portionem ſibi uſurpare, exploratum fuit ab iis, quibus, ut ſupra innuimus, hæc provincia demandata erat, num integra adhuc ſigna forent ſeræ veſtiarii impreſſa poſt primam viſitationem ſigillo Antiſtitis noſtri. *coram multis teſtibus*

11 Cum igitur nihil vitii compertum fuiſſet, clave per eumdem Eminentiſſimum commiſſa D. Canonico Ferrario, apertum fuit repoſitorium, quod inſignem hanc Gemmam ſervabat. In fronte ſacrarii capax menſa, quæ excipiendæ Miſſarum conventualium ſupellectili deſervit, hac occaſione ſuſtinens in argenteis candelabris accenſas ceras, ſupra conſuetum tapete lineo induebatur. Altera pariter medium occupabat prægrandis tabula conſultò appoſita, holoſerico Damaſceno aureis tæniis deſcripto, obtecta, cui ſuperinducta erat puriſſima ex lino mappa, quæ tamen coëunte ad invicem, ope ſubtiliſſimi glutinis, multiplici candida papyro obducebatur, ut attentiùs, ſi quis ex imponendis lipſanis decidiſſet minuſculus etiam pulvis, religioſâ avaritiâ colligeretur. *cum magna cautela*

12 Statim ac in priori menſa collocavimus refertas cæleſti theſauro capſulas, præmiſſa recitatione Antiphonæ de virgine & orationis propriæ de hac Heroïde, eas ſupplici thure nobilis D. Præpoſitus Reyna vicecomes adolevit. Tranſtulimus deinde in aliam menſam, in qua, reverentiâ, qua par erat, dictus D. Bonomius ſingula caſtiſſimi corporis oſſa diſtribuit recto ordine, quo humanum plaſma efformatur, ſingula anatomicorum oculis & inquiſitioni ſubjiciens, ac ſuo peculiari diſtinguens vocabulo, antequam congruenti ſedi aptaret. Hoc modo quamlibet partem propriis accommodatam locis, iterum ſolertiſſima acie ſcrutati ſunt periti; iterum uniuſcujuſque nomen pronuntiarunt, nec non ex earumdem minutiſſimo cautoque examine, expenſa qualitate, quantitate, & comparatione, declaravere, eſſe unius dumtaxat & ejuſdem corporis oſſa, reſpectu etiam feminei ſexus, brevis ſtaturæ. *ac pietate*

13 Haud diſſimili exinde lege hæc in una tantùm, de induſtria præparata, ex ligno capſa, tribus circiter cubitis oblonga, interiùs candido bombycino panno undique obtecta, ac ſtrata goſſypio, depoſuimus, adoravimus iterato thure, occluſimus ferrea clave, ac circumvolutas ex albenti ſerico vittas quinque in locis archiepiſcopali ſtemmate obſignavimus. Cineres etiam, ceteraſque exiles particulas collegimus in arcula unius circiter cubiti, quam circumdedere ſimiles vittæ, eodem munitæ ſigillo, totumque ſubinde theſaurum commiſimus conditorio, quod plura alia Sanctorum lipſana tuetur. Quæcumque verò in hac ſecunda viſitatione recognita fuere, examinata, ac ſuo quæque nomine, vernaculâ linguâ ab anatomicis enuntiata, hîc à nobis Latino idiomate fideliter recenſentur. *diſcuſſa ſunt ſingula ſacri cadaveris oſſa,*

14 Calva, ſeu caput integrum. Mandibula inferior intacta. Viginti octo dentes; ſcilicet quatuordecim ordinis ſuperioris, & totidem inferioris. Tres vertebræ colli. Duæ claviculæ. Duo oſſa poſteriora humerorum. Duæ ſcapulæ. Os ſternum. Coſtæ integræ ſexdecim, & in partes fractæ octo. Duodecim vertebræ, ſeu ſpondyli dorſi. Duo oſſa adjutoria brachiorum, ſive oſſa majora. Unum focile majus, altero deficiente. Duo focilia minora. Os ſacrum prorſus inviolatum, cujus vertebræ deſunt. Os pubis. Duo ilia ſeu iſchia. Duo oſſa coxendicum. Unum ſcutum genu; aliud deſideratur. Duæ tibiæ, & duo focilia crurum. Duo tali. Diverſa oſſa, quæ conſtituunt carpum & metacarpum manuum, cum pluribus articulis. Diverſa etiam oſſa tarſi & metatarſi pedum cum pluribus pariter articulis. *quæ hîc enumerantur*

15 Varia alia minuſcula fragmenta oſſeæ compaginis, in quæ etiam imminutæ creduntur vertebræ, & oſſa non inventa. Notabilis portio cinerum ac pulveris, in qua diſcernuntur plures particulæ tum oſſium, tum ligni, quæ levi digitorum attritu in pulviſculum attenuantur. Hæc tamen fruſtula lignea argumento quidem eſſe poſſunt, ſuppoſitam fuiſſe humando corpori ſubtilem aliquam & in brevi menſura ſectam tabulam, non autem ex aſſibus formata jam quieviſſe in capſa, dum in lapideum tumulum induceretur: in majorem enim procul dubio pulveris & fragminum copiam hæc materia abire debuiſſet. *præter minores particulas*

16 Quæſivimus demum ab anatomicis, an habita examinis ratio nos certos reddere poſſet, femineum verè eſſe hoc corpus; qui faſſi ſunt, non adeo facili judicio rem hanc poſſe ſtatui: in nonnullis enim oſſibus ſanè indicium aliquod natura inſculpſit. Sic claviculæ magis curvantur in maſculis, ut expeditiora ad motum ſint brachia, minus in feminis gratiâ venuſtatis. Os ilion latiùs patet, ſpinaque muliebris dorſi magis in latera protenditur, ut concepto fœtu tumens uterus innitatur ſecurius. Pariter os pubis ampliori in iiſdem forma diſponitur, quam in maribus, ut puerperii promptius niſibus obſequatur. Aſt minuta nimium & vel acutiores oculos fallentia ſigna quis certò aſſequi poterit? Quis ſententiam ſuam imperterritus proferet, ubi vix levibus cauſa agitur conjecturis, eruendis præſertim ex artubus à ſceleto expeditis, ac tredecim plus quam ſeculorum vitio & ſenio ſaltem aliqualiter attenuatis? Adeo ut mirum videatur, ac non ſine divinæ providentiæ beneficio eveniſſe, ut ferè omnes illibati hujus corporis partes infractæ inviolatæque in ſubterraneo humidoque hypogæo conſervari potuerint. *cum pulvere ligneo mixtas.*

17 *Laudati auctores paragrapho ſequenti inter alia agunt de quæſtione, in qua diſceptatur, utrum* S. Marcellina *Romæ, an Mediolani obierit. Nos in prædicto commentario noſtro num. 9 de controverſia illa breviter meminimus, & licet ea lis hactenus certò decidi non poſſit, tamen ibidem potiores judicavimus rationes Mediolanenſium, qui plerumque contendunt, hanc ſanctam Virginem in urbe ſua mortuam eſſe. Denique iidem duo ſcriptores reliquis paragraphis probant antiquitatem ac certitudinem veri ſepulcri, quod nos ultro & libenter admiſimus. Quare diutius his immorari non oportet, nec opus eſt alia tranſcribere, præſertim cum hic tomus jam in ſatis magnam molem excreverit.* *& alia circa certitudinem iſtius tumuli omittuntur.*

AD-

A

AD XX JULII.

DE S. MARINO PRESBYTERO CONFES.

AUTISSIODORI IN GALLIA.

H*Unc Caſtellanus in indice Martyrologii ſui univerſalis diaconum vocat, addita expreſſa nota omiſſionis, uti etiam revera in additionibus ejus prætermiſſus eſt æquè ac in Sauſſayo, neque in ullis ſolitis noſtris fontibus inventa uſquam ejus memoria. Catalogus Sanctorum Autiſſiodorenſium Ms. ipſum audet vocare* Sanctum, *at dubia manebat ejus ſanctitas, niſi ſubinde acceſſiſſet Kalendarium novum eccleſiæ Autiſſiodorenſis, in quo hoc die diſtinctè colitur, tamquam mortuus ſeculo* VII, *nempe ſi verum eſt, eo uſque vitam produxiſſe S. Deſiderium epiſcopum, de quo Hericus in S. Germani miraculis ſcribit, quod* baſilicam SS. martyrum Gervaſii & Protaſii, per manus Marini Diaconi conſtrui juſſerit, ſuiſque dotaverit rebus: quodque idem Marinus in eadem eccleſia requieſcat. *Addit autem Catalogus*, S. Marinum *à præfato ſancto epiſcopo ſuo Deſiderio ad ſacerdotium promotum eſſe; porro baſilicam de qua dictum eſt, redactam hodie in prioratum cœnobio Moliſmenſi ſubditum.*

FORTE SEC. VII.

D

VINDICIÆ BREVES

PRO HISPANICA S. JACOBI PRÆDICATIONE

CONTRA R. P. MICHAELEM A SANCTA MARIA, SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRUM, EX ORDINE FF. EREMITARUM S. AUGUSTINI.

B

E

§ I. Reſuſcitatæ hujus controverſiæ origo, progreſſus, ac materia explicantur.

G. C.

P*Oſt Liturgiam Mozarabicam, præcedenti tomo* VI *Julii præfixam, curioſo lectori indicavi, qua occaſione ex illuſtriſſimo ac excellentiſſimo D. Didaco de Mendoça Corte Real audiverim, quæſtionem de adventu* S. Jacobi *in Hiſpaniam inter ipſos Luſitanos & Hiſpanos agitari cœpiſſe. Deinde ex litteris doctiſſimi D. Emmanuëlis Pereira da Sylva Leal ampliorem hujus controverſiæ notitiam nactus ſum, quam eruditis lectoribus libenter communicabo. Itaque clariſſimus ille juris utriuſque Doctor, qui etiam lucubrationibus hiſtoricis in orbe litterario notus eſt, Ulyſſippone ad me die* XVIII *Junii anno* 1729 *poſt alia humanitatis officia de hac re ſic ſcripſit:* Quæſtio de adventu S. Jacobi Apoſtoli in has regiones, magna animorum contentione agitata fuit apud nos, confeſtim poſt erectam inſtitutamque à ſereniſſimo potentiſſimoque Rege noſtro Academiam, alumnis ejus in utramque ſententiam diviſis; & cum videam te cupidum ſciendi, quidquid apud eruditiſſimos commilitones meos circa illam huc uſque actum, ab initio repetenda res eſt, & breviter omnia, quæ ad illam pertinent, enarranda.

Ex litteris R. D. Emmanuelis Pereira da Sylva Leal narratur,

C

2 Simul ac Academiæ ſocii in unum convenere, illico unicuique peculiare munus miniſteriumque excellentiſſimi cenſores deſtinarunt, inter quos P. Michaeli de ſancta Maria Ordinis eremitarum S. Auguſtini, viro non vulgari eruditione prædito, obtigit non exigua ſanè provincia, ſcribendi ſcilicet de diſciplina & ritibus noſtrarum regionum peculiaribus; & P. Hieronymo Contador de Argote, viro pariter ſapientiſſimo, clerico regulari Theatino, parandi commentaria & monumenta in noſtra lingua vernacula, ex quibus poſtea Latina hiſtoria primatialis eccleſiæ Bracarenſis formanda eſt. Primus ſuorum ſtudiorum progreſſus coram Academia exponens, diſciplinæ rituumque eccleſiaſticorum inſtitutionem in noſtris provinciis, ſicut & fidei promulgationem, Paulo gentium Apoſtolo ejuſque diſcipulis vendicavit, abſolutè negans, S. Jacobum ad illas perveniſſe. Secundus è contrario Bracarenſem eccleſiam inſtitutam fundatamque à magno tonitrui Filio aſſeruit, dum in Gallæcia totaque Hiſpania verbum Dei diſſeminavit. Hinc natæ duæ diſſertationes, una Latina P. Michaëlis, altera Luſitana P. Hieronymi pro tuendo utroque aſſerto.

quomodo inter Luſitanos

3 *Dein laudatus D. Emmanuel recenſet quoſdam Caſtellanos & Aragones, qui ad defendendam* S. Jacobi *prædicationem in Hiſpania varias lucubrationes typis vulgarunt. Inter alios mihi notus R. D. Joannes de Ferreras, vir eruditus, tunc Matriti edidit Latinè Diſſertationem apologeticam, qua adventum* S. Jacobi *in Hiſpaniam contra argumenta R. P. Michaëlis tuetur. Ceteri autem Jacobei adventus vindices eamdem R. P. Michaëlis Diſſertationem Latinam vernaculo idiomate paſſim impugnarunt. Porro de iſtis Hiſpanorum lucubrationibus judicium ferre nequeo: jam enim ab anno & amplius fruſtrà Matritum ſcripſi, ut Hiſpanica & Latina hujus controverſiæ opuſcula oblato pretio obtinerem; ſed ne reſponſum quidem ullum recepi, licet aliunde certò ſciam, litteras meas eò perveniſſe. At parum intereſt, me iis opuſculis carere, cum ſine eorum ope adverſarius ſat facilè refutari poſſit. Nunc narrationem noſtram proſequamur.* ac Hiſpanos

F

4 *His omnibus adverſariis R. P. Michaël acriter reſpondit edita Diſſertatione Luſitanica, cui titulus eſt* Voz da verdade, *id eſt* vox veritatis, *& qua priorem ſuam opinionem confirmare conatur. Cum ita utrimque ferveret diſputatio, R. P. Michaël è vivis exceſſit, ut eximius D. Pereira da Sylva Leal teſtatur in iiſdem litteris, ubi ſimul prudentiſſimum Academiæ Regiæ conſilium exponit his verbis:* Anno MDCCXXVIII in fine Aprilis obiit P. Michaël; & ne quæſtio tanti momenti indeciſa remaneret, Academiæ cenſores collegæ ſuo reverendiſſimo P. Emmanueli Caëtano de Souſa, clerico pariter regulari injunxerunt illam ad exa-

agitari cœperit quæſtio,

AUCTORE G. C.

examen revocare, ſenſum ſuum circa ipſam aperire, & quid ſibi probabilius videretur, diſſertatione Latina exponere. Id impigrè præſtitit idem cenſor, ac ſocius Academicus laborioſiſſimus duobus magnæ molis voluminibus in folio, in quibus, ut audio, quidquid pro ſententia, S. Jacobi prædicationem aſſerente, cumulari poteſt, affatim invenitur congeſtum. Primus tomus jam typis excuſus eſt; ſecundus jam penè abſolutus, breviter typis mandabitur: eos, ſimul ac in publicum prodierint, ad te tranſmittam, ſicut omnia jam relata commentaria tranſmiſi. *Denique ibidem eruditiſſimus iſte Academiæ Regiæ ſocius meminit de ſuis lucubrationibus, quas deinde cum duplici R. P. Michaëlis Diſſertatione liberaliter ad me tranſmiſit.*

cui me ipſum inſcius immiſcui

5 *Sic anno 1728 ſeſe ea diſceptatio habebat, dum ego eodem tempore harum omnium rerum ignarus, ad diem* XXV *Julii occurrentia* S. Jacobi Majoris *Acta more noſtro illuſtravi, adventum illius in Hiſpaniam aſſerui, atque ita inſciens me huic liti immiſcui. Abſoluto commentario meo, venit ad Muſeum noſtrum Antverpienſe ex Batavia redux excellentiſſimus D. Didacus Mendoça Corte Real, qui me de hac ignota Luſitanorum Hiſpanorumque concertatione certiorem reddidit, ut tomo præcedente monui, & cui promiſi candidam ſententiæ meæ retractationem vel aliquam adverſarii refutationem, ſi Diſſertationes R. P. Michaëlis tempeſtivè ad nos mitterentur, antequam tomus* VI *Julii in lucem prodiret. Sed illæ una cum aliis Academiæ Regiæ operibus poſt editum tomum noſtrum ſeriùs (neſcio quo caſu) ad manus meas pervenerunt.*

B

de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam,

6 *Interim miſi in Luſitaniam duplex commentarii mei exemplar, quod defenſoribus Jacobeæ prædicationis non diſplicuiſſe intelligo ex altera epiſtola eximii D. Emmanuelis Pereira da Sylva Leal, qui eodem anno* 1729, *die* XX *Octobris ad me poſt alia ſinceri affectûs indicia ſic ſcribit:* Reverendus Pater D. Emmanuel Caëtanus de Souſa ingentis molis commentarium de adventu S. Jacobi ad has provincias, in duos tomos diſtributum, uſque ad finem decurrentis anni vel ſequentis initium, Deo dante, evulgabit. Illud confeſtim tibi tranſmittam: in eo namque invenies, quidquid ferè ſcripſiſti in tuo; & certè P. Souſam pluries audivi, poſt illud à me ſibi traditum

C

& perlectum, magni facientem, quod in omnibus ſententiam tuam, ſuæ, typis jam mandatæ, conſonam repererit. *Id ipſum etiam intelligo ex impreſſo Academiæ Regiæ congreſſu, qui menſe Aprili anni* 1730 *habitus eſt, ubi R. P. Emmanuel Caëtanus de Souſa accuratam ſtudiorum ſuorum rationem reddit, & commentarium meum nimiis laudibus extollit. Quid tamen de illo adverſarii prædicationis Jacobeæ judicent, ignoro, ac parum curo.*

quem R. P. Michael à ſancta Maria impugnavit duplici diſſertatione,

7 *Tandem poſt elapſos aliquot menſes ab edito tomo* VI *Julii cum aliis litterariis Academiæ Regiæ monumentis accepi duas R. P. Michaëlis Diſſertationes, quarum prima Latinè, altera Luſitanicè ſcripta eſt. Prior hunc titulum habet:* Diſſertatio hiſtorica de primo, potius unico, Evangelii prædicatore in Luſitania noſtra, totaque Hiſpania. *His verbis indicare voluit, ſolum S. Paulum Apoſtolum in Hiſpania prædicaſſe, ut ex decurſu operis patet. Alteri præfigitur magnificentior & clarior titulus, quem ex lingua Luſitanica ſic Latinum reddo:* Vox veritatis, quæ prolata ore antiquiſſimorum & ſanctiſſimorum Pontificum Romanorum, ſanctorum & vetuſtiſſimorum Patrum Eccleſiæ, Martyrologiorum utriuſque eccleſiæ, Latinæ & Græcæ, recentiorum, ſed ſapientiſſimorum theologorum ac interpretum, partim expreſſè, partim per evidentia ratiocinia clamat, quod non fuerit Apoſtolus Jacobus Major, ſed S. Paulus, Apoſtolus major Jacobo, & unus è duobus principibus Apoſtolorum, qui Hiſpaniam primis Evangelii radiis illuſtravit. Proponit ac tuetur duas iſtas veritates contra recentiſſimos earum impugnatores F. Michaël à ſancta Maria ex Ordine eremitarum S. Auguſtini, Magiſter ſacræ theologiæ, ſocius Academiæ Regiæ, quæ hiſtoriam ſacram & profanam Luſitaniæ examinat, deſignatus ad ſcribendum de diſciplina eccleſiaſtica & ritibus, & ad diſſolvenda dubia theologica, quæ in aliis negotiis academicis occurrunt. D

in cujus titulo plura promittit, quam in decurſu probet.

8 *Lecto hoc ſolo titulo, facilè quiſpiam crederet, planè de opinione noſtra actum eſſe: ſi enim ſummi Pontifices Romani, antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, Martyrologi Latini & Græci, ſapientiſſimi theologi ac ſacræ Scripturæ interpretes una voce clamant, ſanctum Apoſtolum Paulum, excluſo* S. Jacobo Majore, *in Hiſpania primos Evangelii radios ſparſiſſe, nihil aliud nobis reſtat, niſi ſententiam noſtram retractare. Si magnificis librorum titulis terrerer, is certè metum mihi incuſſiſſet. Sed poſt pervolutam & attentè expenſam utramque Diſſertationem comperi, quod promiſſor ille nihil tanto hiatu dignum protulerit. Quare non dubito, quin R. P. Emmanuel Caëtanus de Souſa, qui has Diſſertationes ex profeſſo refellit, in Latina majoris molis apologia ſolidè oſtenderit, reliquum R. P. Michaëlis opus huic ſplendido titulo non reſpondere.* E

Duæ rationes,

9 *At quid opus eſt tua brevi reſponſione, inquiet nonnemo, ſi R. P. Emmanuel Caëtanus de Souſa Diſſertationes R. P. Michaëlis Latino ingentis molis commentario refutaverit? Equidem fateor, reſponſionem meam non eſſe neceſſariam; attamen duæ potiſſimùm rationes me impulerunt, ut ſaltem breviter reſponderem. Prima eſt, quod excellentiſſimo D. Didaco Mendoça Corte Real palinodiam aut apologiam promiſerim, ſicut tomo præcedente monui, ſi ſat temporis ſupereſſet, ut tomo* VI *Julii ſententiam mutarem, vel argumenta R. P. Michaëlis diſſolverem. Ne quis igitur ſilentium meum pro tacita retractatione forſan accipiat, opinionem R. P. Michaëlis paucis refellendam eſſe exiſtimavi. Altera ratio eſt, quod in lectione primæ Diſſertationis obſervaverim, chronologiam noſtram ab adverſario non intelligi, quamvis eam contemptim rejiciat, & imperitè impugnet; quemadmodum infra demonſtrabo, poſtquam hîc nonnulla præmonuero.* F

quæ me Belgam impulerunt,

10 *Imprimis R. P. Michaël in Diſſertatione Latina cap.* 1 *populares ſuos de caco erga patriam amore accuſat his verbis:* Secunda, eaque nobilis opinio, docet, ſanctum Jacobum, Zebedæi filium, & Joannis Theologi germanum fratrem, primum ante Paulum, & quemcumque alium Evangelii diſſeminatorem obiiſſe Hiſpaniam, eamque euangelica luce luſtraſſe. Hanc indubiam eſſe volunt omnes ferè Hiſpani ſcriptores: cum tamen patriæ ſtudium interdum non tam de inveſtiganda veritate, quàm de ornanda patria immodicè laboret, ſuſpicari quis haud temerè poterit, tot, tamque ſtrenuas Hiſpanorum in hanc curam vigilias patriæ potius, quam veritatis amore impenſas. *Similia in Diſſertatione Luſitanica & alibi ſæpius repetit. Sed id de me ſuſpicari non poterat, qui Antverpiæ in Belgio natus atque educatus*

A *cætûs ſum, & cujus nihil intereſt, ſive S. Paulus Apoſtolus, ſive* S. Jacobus Major, *ſive neuter, ſive uterque Hiſpaniam prima Euangelicæ veritatis luce illuminaverit. Omitto alios exteros, qui prædicationem S. Jacobi in Hiſpania paſſim admittunt, & quorum aliquos in Commentario meo part.* 2 § 10 *aſſignavi.*

ut Hiſpanicam S. Jacobi prædicationem, tamquam probabiliorem

11 *Quod autem ait de Hiſpanis, qui hanc ſententiam noſtram* indubiam eſſe volunt, *nihil ſpectat ad me, qui prædicationem* S. Jacobi *in Hiſpania, non ut omninò certam, ſed tamquam veriſimiliorem defendo. Neque conſentio iis ſententiæ noſtræ defenſoribus, quos adverſarius in Diſſertatione Luſitanica* § 13 *acriter refellit, & qui adventum S. Pauli in Hiſpaniam negant, ut prædicationem* S. Jacobi *in eadem provincia facilius tueantur: nam in Commentario meo de Actis* S. Jacobi *Majoris ad diem* XXV *Julii probavi, rectè intellectam utriuſque iſtius Apoſtoli prædicationem in Hiſpania inter ſe non pugnare. Nolo etiam contendere de quibuſdam recentioribus, quos R. P. Michaël inter ſuos commilitones perperam numerat: nam ſi recentiores utriuſque partis fautores*
B *computandi ſint, adverſarios numero longè ſuperamus, quod ipſoſmet non negaturos eſſe opinor.*

contra concluſiones,

12 *At eruditum lectorem præmonitum velim circa veteres Eccleſiæ Patres, alioſque auctores, quos adverſarius pro ſua opinione tam confidenter allegat. Nemo ſibi perſuadeat, prædicationem* S. Jacobi *in Hiſpania ab his antiquis ſcriptoribus explicitè negari, etiamſi fallax Diſſertationis Luſitanicæ titulus id innuere videatur; ſed prudens lector ſciat, hanc prædicationis Jacobeæ negationem ex ſilentio veterum aut ambiguis illorum textibus per varia ratiocinia (an ea legitima ſint, mox videbimus) ab ipſo R. P. Michaële dumtaxat inferri. Hoc ipſemet adverſarius fateri cogitur, dum cap.* 1 *Diſſertationis Latinæ opinionem ſuam ita proponit:* Tertia denique ſententia aſſerit, ſanctum Jacobum Apoſtolum prædictum numquam in Hiſpaniam contendiſſe, proindeque inibi Euangelium numquam diſſeminaſſe, primumque ſtatuit fidei præconem Paulum Apoſtolum, Doctoremque gentium, per quem lux veritatis Hiſpaniæ affulſit.

C 13 Hujus aſſerti, non modo prout ſanctum Paulum Hiſpaniæ apoſtolum aſſeverat, ſed etiam quatenus negat Jacobi profectionem in noſtram Hiſpaniam, auctores & patroni ſunt antiquiſſimi & ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres, Hippolytus martyr, Traſeas & Apollonius quoque martyres, Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Gregorius Papa I, venerabilis Beda, Gregorius Papa VII, Ado Viennenſis, Iſidorus, necnon Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Nicetas Paphlago, Menologium Græcorum, Martyrologium Romanum, Hieronymus Seripandus eremita Auguſtinianus, S. R. E. presbyter Cardinalis, & ſacri concilii Tridentini præſes, in epiſtolam ad Romanos cap. 15: quos præclariſſimos quidem non ideo defenſoribus hujus ſententiæ accenſendos eſſe judico, quia ipſi prædicationem Hiſpanicam ſancto Jacobo expreſſè, & conceptis, ut aiunt, verbis abjudicent, ſed quia Paulinam ſic aſſerunt, ut Jacobeam ab eis excluſam conſequenter, nec obſcurè nec inefficaciter, probari poſſit, quæ omnia in ſequentibus oſtendenda ſunt.

quas R. P. Michaël ex SS. Patribus perperam deducit,

14 *Ex his patet, ſpecioſam illam antiquorum Patrum ſeriem, & totam ipſorum in hac quæſtione auctoritatem niti conſequentiis, quas R. P. Michaël ex eorum verbis, ſenſui ſuo accommodatis,* breviter defenderem.

deducit. Libenter ſingulas adverſarii ratiocinationes diſcuterem, & non difficulter illegitimam illarum ſequelam detegerem; ſed cum pluribus Sanctis ſim debitor, diutius mihi hærere hîc non licet in vindicanda Hiſpanica prædicatione S. Jacobi Majoris, *cujus Acta ad diem* XXV *Julii ſatis fusè conatus ſum illuſtrare. Præterea nolo falcem mittere in alienam meſſem, quandoquidem R. P. Emmanuel Cætanus de Sousa copioſas Jacobeæ prædicationis vindicias jam paravit, ut ſupra indicavi. Quare Hiſpanis ulteriorem Patroni ſui defendendi curam relinquo, & ob rationes ſupradictas tantummodo præcipua adverſarii argumenta obiter diluam, ne videlicet priorem meam ſententiam videar tacitè retractaſſe, & ne forte quiſpiam exemplo R. P. Michaëlis ſyſtema noſtrum chronologicum de morte Chriſti ſub duobus Geminis conſulibus malè intelligat, aut interpretetur.* AUCTORE G. C.

§ II. Argumentum de tempore diviſionis Apoſtolorum fruſtra nobis ab adverſario objicitur. B

R. P. Michaël ex chronologia noſtra,

A *Dverſarius in Diſſertatione Latina cap.* 2 § 2 *ex variis antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis probat, diviſionem Apoſtolorum anno duodecimo ab Aſcenſione Chriſti factam eſſe, & tunc Apoſtolos in ſuas provincias diſceſſiſſe. In hac re R. P. Michaël nobis amicam præſtat operam, cum eamdem ſententiam jam dudum ſecuti fuerimus, & non ita pridem iterum operosè ſtabiliverimus ad diem* XV *Julii, quâ diviſio Apoſtolorum in variis Martyrologiis celebratur. At hîc amicus adverſarius ex ea traditione, quam nos libenter amplectimur, perperam concludit,* S. Jacobum Majorem *eodem anno duodecimo poſt Aſcenſionem Chriſti ab Herode occiſum eſſe, adeoque numquam potuiſſe in Hiſpaniam proficiſci. Nihilominus exiſtimat, hanc ſuam concluſionem adeo certam eſſe, ut majores noſtros, qui antecedens admittebant, & tamen conſequentiam negabant, de manifeſto errore & evidenti contradictione audacter accuſarit. Sed quam temerè & infeliciter id fecerit, jam videamus.*

F

ac ipſis Henſchenii verbis,

16 *Primò R. P. Michaël in præfata Diſſertatione Latina cap.* 2 § 3 *citat Godefridum Henſchenium & Danielem Papebrochium, eoſque in Diatriba præliminari ad tomum* 1 *Aprilis pag.* XII *num.* 19 *&* 20 *ita ſcribentes inducit:* Facta porrò eſt diviſio Apoſtolorum anno æræ vulgatæ quadrageſimo, cum laberetur tunc poſt aſcenſionem Chriſti annus duodecimus, quod jam ſtatutæ chronologiæ (*quæ nempe mortem Chriſti collocat ſub duobus Geminis conſulibus anno* 29 *æræ vulgaris, ut antea ibidem probatur*) magnam addit confirmationem. Diſceſſit tunc S. Petrus, Apoſtolorum Princeps ad principem orbis urbem Romanam, ibique primam Eccleſiæ univerſæ cathedram collocavit; in qua teſtimonio omnium, ut infra ad ejus elogium dicetur, ſedit annos quinque & viginti, ſcilicet uſque ad annum LXV, quo eum martyrio coronatum infra demonſtramus. Tunc etiam S. Jacobus Apoſtolus, filius Zebedæi, & frater Joannis euangeliſtæ, potuit diſceſſiſſe in Hiſpanias, ut communis Hiſpanorum traditio habet; ac potuit tam ipſe, quam S. Petrus, ob occurrentes cauſas circa annum XLIII reverſus fuiſſe Hieroſolymam, quando Herodes Agrippa, ut affligeret quoſdam de Eccleſia, occidit Ja-

AUCTORE G. C.

Jacobum, fratrem Joannis, gladio: videns autem quia placeret Judæis, apprehendit & Petrum, volens post pascha producere populo. Hæc anno XLIII contigisse, infra in elogio S. Petri probamus. Cumque sic potuerit S. Jacobus ad tertium usque annum in Hispaniis substitisse, fit ut etiam in hac parte, quæ aliis tam difficulter probatur, non laboremus. *Laudo candorem adversarii, quo allegat ipsa Majorum nostrorum verba, ex quibus postmodum erroris convincetur.*

quæ perperam Papebrochio tribuit,

17 *Interim hallucinatur, dum etiam Danieli Papebrochio attribuit hanc Diatribam, quam solus Godefridus Henschenius composuit, ut ex initialibus nominis ac cognominis litteris G. H., ad marginem positis, colligere potuisset: nam ille nondum eo tempore admittebat opinionem Henscheniana de morte Christi sub duobus Geminis consulibus, eo quod tunc necdum intelligeret, quomodo obscuratio solis, quæ in Passione Domini contigit, & quæ à Phlegonte notata est, posset ad annum* 29 *referri. Hinc Papebrochius tomo* V *Junii pag.* 404 *in Anamnesi sua fatetur, quod inter alia per-*

B *peram existimaverit*, duodecim annos Apollonii, quibus ante divisionem Apostoli manserint Hierosolymis, sive (ut Henschenius benignè interpretatur) in Syria, non esse magni faciendos; sed potius tenendos duos, quos ille solus scripserit, alii verò eum transcribentes auxerint peperam ad duodecim. *Deinde ibidem certiora edoctus, & de veritate chronologiæ Henscheniana convictus, priorem suam opinionem candidè retractat his verbis:* Interim fateor ego in Henschenii magistri mei sententia non vacillaturum me fuisse, si magnam illam solis obscurationem, à Phlegonte notatam, ad annum XXIX reduci posse tunc credidissem. *Papebrochius itaque tomo* I *Aprilis nondum admiserat traditionem Apollonii de duodecim annis, quos Apostoli ante divisionem in Syria transegerint, etiamsi adversarius illum tunc pro hac opinione alleget. Sed faciliùs ei hunc errorem condonabo, quam alios, quos occasione hujus textus Henscheniani postea committit, & de quibus jam differendum est.*

& quibus adversarii chronologiæ nostræ dumtaxat urgeri possunt,

C

18 *Imprimis R. P. Michaël proximè citato cap.* 2 *Dissertationis suæ Latinæ* § 3 *post relata Henschenii verba sic scribit:* Hæc illi auctores pro possibilitate adventûs sancti Jacobi in Hispaniam. At in primis fatentur, hunc adventum aliis valde difficulter probari. *Id etiamnum fatemur, & ideo tomo* IV *Julii pag.* 10 *& sequentibus rejecimus varias opiniones, quæ divisionem Apostolorum ante vel post duodecim istos annos collocant, & consequenter ab antiquissima traditione sine sufficienti causa recedunt. Propterea ad diem* XXV *Julii in Commentario meo de Actis* S. Jacobi Majoris *part.* 2 § XI *num.* 432 *iterum sic scripsi:* Non diffiteor, veneranda Clementis Alexandrini & Apollonii auctoritate, quam tomo IV Julii pag. 12 & 13 defendimus, urgeri posse Hispanos, quos miror nondum amplexos esse systema de morte Christi sub duobus Geminis, quod Henschenius noster in Diatriba præliminari ante tomum I Aprilis solidè stabilivit, & Schelstratius, Pagius, aliique eruditi nonnulli jam in scriptis suis sequuntur. Porro hanc curam relinquo Hispanis: nobis enim hîc laborandum non est, cum in nostra sententia istis difficultatibus nos facilè expediamus.

cæcè nos impugnat,

19 *Nunc audiamus præcipuum adversarii ratiocinium, quo sententiam nostram ita impugnat:* Deinde, *inquit*, cum immediatè antea admiserint traditionem Apollonii, in eaque legerint Domini præceptum de mansione Apostolorum intra D fines Judaïcæ gentis duodecim annos, non video, qua veritatis specie, & qua cohærentia dicant, potuisse sanctum Jacobum tribus annis ante finitos vel inceptos illos duodecim in Hispania prædicare. Sic argumentor: Ergo non solùm potuit, sed & de facto sanctus Jacobus transgressus est illud Christi præceptum. Patet consequentia; quia præceptum erat, ne discederent ab illis finibus intra duodecim annos; at isti dicunt, tribus annis ante duodecimum annum Jacobum discessisse in regionem longinquam: ergo & potuit, & re ipsa transgressus est Jacobus præceptum Domini; quam verò absurda sit consequentia, quæ ex ipsorum doctrina sequitur, nemo non videt. *Quantam chronologiæ nostræ ignorantiam R. P. Michael (vir ceteroquin doctus & in studiis theologicis cum laude versatus) in hac argumentatione prodat, jam ostendemus.*

ut ex iterata

20 *Eruditus ille sacræ theologiæ magister, tricis chronologicis minimè assuetus, hoc loco pugnat cum umbris, quas sibi adversari imaginatur: numquam enim Henschenius asseruit*, S. Jacobum *tribus annis in Hispania prædicasse* ANTE finitos E vel inceptos illos duodecim *annos, quos Christus juxta antiquam traditionem mansioni Apostolorum in Syria præscripserat. Nullus nostrûm dixit*, S. Jacobum *discessisse in Hispaniam* tribus annis ANTE duodecimum annum, *usque ad quem Christus Apostolos intra fines Judaïcæ gentis remanere jusserat. Imo Henschenius diserte affirmat, divisionem Apostolorum factam esse* anno æræ vulgatæ quadragesimo, cum laberetur tunc post Ascensionem Christi annus duodecimus. *Igitur* S. Jacobus *juxta Henschenium non discessit in Hispaniam* tribus annis ANTE duodecimum annum, *ut fingit adversarius, sed potius* post *duodecimum annum inchoatum, seu ipso anno post Ascensionem duodecimo, qui cum quadragesimo æræ vulgaris anno concurrit. Hæc ipsa Henschenii verba adversarius citat, & tamen andabatarum more claram ejus sententiam cæcis ictibus frustra impetit. Ne quis exemplo tam illustris viri chronologiam nostram incautè aut præcipitanter oppugnet, eam hîc breviter explicabimus, & majoris claritatis causâ annos illius supputabimus.*

ac dilucida opinionis nostræ expositione

F

21 *Primò Henschenius ostendit, Christum pro redemptione generis humani incarnatum esse die* XXV *Martii in utero virgineo sanctissimæ Mariæ, &* XXV *Decembris natum, D. Lælio Balbo & C. Antistio Vetere consulibus, & quinque integris annis æram vulgarem prævenit, quia Christus juxta communiorem sententiam triginta tres annos & menses tres in hac vita mansit. Deinde cum antiquis Patribus statuit, illum sub Rubellio Gemino & Rufo Gemino, quorum consulatus in annum* 29 *vulgaris æræ incidit, die* XXV *Martii, feriâ sextâ in Parascene cruci affixum esse, die* XXVII *victorem à mortuis resurrexisse, & post quadraginta dies, videntibus discipulis, ad cælos ascendisse. Si jam ab Ascensione Christi, quæ juxta hanc chronotaxim anno* 29 *vulgaris æræ contigit, numeremus duodecim annos, quibus Apostoli juxta præceptum Domini in Syria manserunt, ingrediemur annum vulgaris æræ quadragesimum, ante cujus medium fluebat duodecimus istius præcepti annus, ut computanti apparebit.*

demonstratur,

22 *Quid ergo impedit, quo minus Apostoli illo anno duodecimo, seu vulgaris æræ quadragesimo in provincias sibi destinatas abierint, & tunc etiam* S. Jacobus *in Hispaniam discesserit? Cum verò Herodes* S. Jacobum *anno* XLIII *vel* XLIV *dum-*

ta-

A *taxat occiderit, poſt diviſionem Apoſtolorum tres aut quatuor anni ſuperfuerunt, quibus ſanctus iſte Apoſtolus in Hiſpania prædicare, & Hieroſolymam redire potuit, ut in Commentario de Actis* S. Jacobi *part.* 1 § 3 *fuſiùs probavi. Quid igitur huc facit inepta adverſarii argumentatio de tranſgreſſione præcepti, quod* S. Jacobus *& alii Apoſtoli in noſtro ſyſtemate chronologico exactè obſervarunt, cum intra fines Judaïcæ gentis duodecim annis incompletis manſerint, & tantùm anno poſt Aſcenſionem Chriſti duodecimo, ſeu vulgaris æræ quadrageſimo per orbem terrarum diſperſi fuerint? Quænam eſt abſurda conſequentia, quæ ex hac doctrina ſequitur, & quam ab omnibus videri, adverſarius temerè affirmat? At potius quanta ſit rerum chronologicarum ignorantia in tali oppugnatore, nemo non videt. Si chronologia noſtra ipſi diſplicebat, fundamentum illius, ſeu mortem Chriſti ſub duobus Geminis conſulibus collocatam, & anno vulgaris æræ vigeſimo nono affixam, evertere debuiſſet.*

B cui ipſe adverſarius inconſideratè favet. 22 *Ceterum ne quis hîc importunè contendat, duodecim antiquæ traditionis annos, commorationi Apoſtolorum in Syria præſcriptos, completè numerandos eſſe, legat ea, quibus collega meus Boſchius in Tractatu de patriarchis Antiochenis ante tomum* IV *Julii pag.* 5 *probavit, duodecim illos annos incompletè computari poſſe, & ubi textum Apollonii ac Clementis Alexandrini juxta mentem Henſchenii rectè expoſuit. Saltem in hac re nullum nobis negotium faceſſere poteſt adverſarius, qui chronologicis aliorum argumentis conſtrictus, in Diſſertatione Luſitanica ſeu Voce veritatis* § 10 *reſpondet, duodecim illos Apollonii annos inchoandos eſſe à tempore, quo Chriſtus cœpit prædicare. Si verum eſt hoc ipſius effugium, in noſtro ſyſtemate chronologico non tantùm duodecim illos annos numerare poſſumus utrimque omnino completos, ſed etiam prædicationi Jacobeæ in Hiſpania longiorem moram adſcribere. At cum R. P. Michaël ſolus, ni fallar, ad hanc reſponſionem confugerit, & una hirundo non faciat ver, ut habet proverbium, hoc loco dumtaxat ex conceſſis vel ad hominem, ut vulgo aiunt, argumentor, & poſtea novam hanc opinionem impugnabo.*

R. P. Michaël nos appellat divinaculos, C 23 *Adverſarius ſyſtema noſtrum chronologicum de quo hîc pauca dixi, fusè deductum ac antiquis teſtimoniis probatum præ oculis habuit in Diatriba Henſcheniana ante tomum* 1 *Aprilis, quam ipſemet citat, & nihilominus loco proximè citato contra nos cæco impetu ſic argumentari pergit:* Cum autem viderent, ſe urgeri poſſe, quia Jacobus duodecimo illo anno Hieroſolymis & erat, & occiſus eſt, recurrunt ad divinationes omnibus ejus ſententiæ defenſoribus communes; nempe propter occurrentes, inquiunt, cauſas potuit Jacobus poſt tres commorationis ſuæ annos ex Hiſpania Hieroſolymam redire; quæ fuerint, aut eſſe potuerint cauſæ iſtæ, non indicant hi divinaculi; quas verò ſocii alii excogitarunt, ſupra ex Auguſtino expugnatæ ſunt. *De ſententia S. Auguſtini, quam hîc & alibi defenſoribus prædicationis Jacobeæ in Hiſpania frequenter objicit, poſtea ipſum conveniemus. Porro reliqua argumenta, quæ hoc loco contra nos addit, ex eadem chronologiæ noſtræ ignorantia procedunt, & ex ſupradictis explodi poſſunt.*

quia incertam alicujus rei cauſam aſſignamus; 24 *Imprimis falſum eſt*, S. Jacobum *Hieroſolymis fuiſſe & ab Herode occiſum eſſe* duodecimo illo anno, *noſque ex ea parte urgeri poſſe: nam in Commentario ad Acta* S. Jacobi *part.* 1 § 3 *& alibi expreſſè diximus, martyrium ſancti i-*

ſtius Apoſtoli anno 43 *vel* 44 *affigendum eſſe, adeoque id tribus ut minimùm annis poſt annum illum duodecimum contigiſſe. Quomodo ergo hinc urgeri poſſumus? Quod autem ſubjungit de divinationibus ſeu conjecturis, ad quas hîc recurrimus, nihil ad chronologiam aut rem pertinet. Etſi enim probabilem reditûs Jacobei cauſam afferremus, opinio noſtra corruit, ſi* S. Jacobus *duodecimo poſt Aſcenſionem anno occiſus fuerit, cùm veterem Apollonii & Clementis Alexandrini traditionem de duodecim annis, intra fines Judæorum tranſactis, admittamus. Igitur iſte martyrii Jacobei annus ab adverſario erat probandus, & conſequenter fundamentum opinionis noſtræ evertendum.* AUCTORE G. C.

25 *Præterea an non licet hiſtoricis ac ſacræ Scripturæ interpretibus conjecturas proponere, dum certas quarumdam actionum cauſas ignorant? Nonne præſtat generales alicujus rei geſtæ rationes indicare, ſilente præſertim tota antiquitate, quam peculiares ſine ullo fundamento aſſignare? Vereor, ne ipſi ſancti Patres ex talibus adverſarii principiis appellandi ſint* divinaculi, *dum incertas alicujus eventus cauſas allegant. Quicumque hanc R. P. Michaëlis cenſuram approbant, & à nobis indubitatam Jacobei diſceſſus ex Hiſpania cauſam exigunt, hos rogatos volumus, ut nobis etiam dicant, cur S. Paulus tam citò Athenis diſceſſerit, cum ibi ſaltem aliquos ad fidem convertiſſet, & quidam Athenienſes poſt auditam ipſius prædicationem in Areopago dicerent, ſe illum de hac re iterum audituros, ut cap.* 17 *Act.* ℣ 32 *narratur. Cur S. Paulus non diutius remanſit in illa celebri ac docta civitate, cujus exemplo & auctoritate gentes vicinarum regionum ad veritatem agnoſcendam facilius induci potuiſſent? Quare etiam Apoſtolus apud philoſophos Athenienſes, viros minimè rudes aut barbaros, prædicatione ſua tunc tam parum profecit? Si in genere occurrentes cauſas aut alias conjecturas afferant, propriâ ſuâ ſententiâ cognomen divinaculorum non effugient.* ſed in quæſtionibus dubiis

26 *Audiant interim S. Joannem Chryſoſtomum, qui homilia* 39 *in Acta Apoſtolorum has quæſtiones diſcuſſit, ac ibidem primò ſe ipſum iſta interrogat:* Curnam Paulus, cum ſic perſuaſerit, ut & Athenienſes dixerint: Audiemus te iterum ſuper hac re; cumque pericula non eſſent, feſtinat relinquere Athenienſes? *Tunc huic quæſtioni ita reſpondet:* Fortaſſis ſciebat, ſe non magnum lucrum factutum; & alioquin etiam à ſpiritu in Corinthum ducebatur: .. Athenienſes enim, quamvis novæ doctrinæ amatores eſſent, attamen non attendebant; neque enim hoc curabant, ſed ut ſemper haberent novi aliquid, quod fabularentur, ſtudebant. Niſi enim hic mos illorum fuiſſet, non dixiſſent: Novorum dæmoniorum annuntiator videtur hic eſſe. Sed hæc erant illis admodum obſcura. Attamen perſuaſit Dionyſio Areopagitæ & aliis quibuſdam: nam illi forſan, utpote vitæ moderatioris, citius acceperunt ſermonem, alii verò non item. Itaque Paulus viſus eſt ſibi jam ſufficienter jactaſſe pietatis ſemina. *malumus cum S. Chryſoſtomo*

27 *Si nos, mutatis rerum circumſtantiis, ſimiles conjecturas faceremus de diſceſſu* S. Jacobi *ex Hiſpania ad urbem Hieroſolymitanam, haud dubie ab adverſario ejuſque defenſoribus* divinaculi *vocaremur. At ſpero fore ut S. Chryſoſtomus divinaculis non annumeretur, etiamſi hîc bis formulam dubitandi* fortaſſis & fortè *adhibeat. Si R. P. Michaëlis ſectatores admittant hanc S. Chryſoſtomi interpretationem, videant, quomodo eam conciliaturi ſint cum verbis S. Auguſtini ſtrictè intellectis quæ adverſarius infra Hiſpanis opponit,* *conjecturas proponere,*

AUCTORE G. C.

& de quibus paragrapho ſequente agemus. Quod ſi hæc S. Chryſoſtomi explicatio illis non placeat, ipſi meliorem ac certiorem Paulini diſceſſus cauſam ediſſerant: nam ſi tantum conjecturas attulerint, inter divinaculos numerabuntur.

quam exemplo adverſarii pro certa venditare ſententiam,

28 *Nos interea iſtud divinaculorum cognomen nihil curamus, & malumus cum S. Chryſoſtomo, aliiſque viris doctis interdum timidè conjecturas proponere, quam temerè dubia pro certis venditare exemplo adverſarii, qui cap. 2 § 3 ſic confidenter ſcribit:* Juxta ſanctos Patres, Apoſtolorum divulſio à Judæa, & à ſe invicem, facta non eſt ex præcepto Domini, niſi eo anno decimo ſecundo*; ſed initio ejus anni duodecimi Jacobus ab Herode fuit occiſus, UT OMNES DOCENT: plexus namque capite eſt ineunte anno ſecundo Claudii imperatoris, qui duodecimus annus erat ab Aſcenſione juxta veram chronologiam, OMNIBUS HISTORICIS PROBATAM: ergo Jacobus morte præpeditus nec in Hiſpaniam venit, nec venire potuit. *Hoc loco R. P. Michaël iterum juxta erroneam ſuam hypotheſin argumentatur, & in*

B *craſſa chronologiæ noſtræ ignoratione perſeverat, ut ex ſupradictis colligi poteſt. At quomodo adverſarius tam certò aſſerere potuit* S. Jacobum *ab Herode occiſum fuiſſe ineunte anno duodecimo poſt Aſcenſionem Chriſti*, ut omnes docent, *quandoquidem Cornelius noſter à Lapide in Commentariis ad Acta Apoſtolorum cap. 12 refert ſex opiniones, quæ martyrio* S. Jacobi Majoris *diverſos annos aſſignant? Qua fronte tam aſſeveranter pronuntiat de certo Jacobei martyrii anno, acſi omnes auctores illum probarent, cum tamen maximè de eo diſceptent?*

id eſt duodecimo

cui plures eruditi contradicunt.

29 *Etiam non intelligo, quomodo adverſarius tam confidenter affirmet,* S. Jacobum *capite plexum eſſe,* ineunte anno ſecundo Claudii Imperatoris, *cumque annum cum duodecimo poſt Aſcenſionem Chriſti concurrere* juxta veram chronologiam, omnibus hiſtoricis probatam: *certè enim noverat, aut noſſe debuerat, annum ſecundum Claudii imperatoris cum anno duodecimo poſt Aſcenſionem Chriſti non componi ab Henſchenio, illiſque omnibus auctoribus, qui mortem Chriſti conſulatui duorum Geminorum & conſequenter anno vigeſimo nono vulgaris æræ affigunt. Inter alios conſulere potuiſſet eruditiſſimum Schelſtratium* (*hunc ipſemet in Diſſertatione Luſitanica pag.* 86 inſi-

C gnem ſcriptorem *appellat*) *qui in Antiquitate Eccleſiæ illuſtrata, tomo 1, integra Diſſertatione primæ chronologiam Henſchenianam variis teſtimoniis ac argumentis confirmat. Legere potuiſſet tomum ſecundum ejuſdem operis, ubi laudatus auctor Diſſert. 1 in Annalibus prædicationis Apoſtolicæ, martyrium* S. Jacobi Majoris *& captivitatem S. Petri anno decimo quinto poſt mortem Chriſti, & tertio Claudii imperatoris conſignat. Qua igitur confidentia R. P. Michaël jactat, ſeſe ſecundum Claudii imperatoris annum ineuntem connectere cum duodecimo anno poſt Aſcenſionem Chriſti* juxta veram chronologiam, OMNIBUS hiſtoricis probatam, *niſi ſola ſua auctoritate ex hiſtoricorum catalogo expungat Antonium Capellum, Henſchenium cum ſociis, eminentiſſimum Noriſium, utrumque Pagium, Emmanuelem Schelſtratium, Honoratum à ſancta Maria, alioſque omnes eruditos, qui mortem Chriſti ſub duobus Geminis conſulibus collocandam cenſent?*

Adverſarius falsò nos accuſat,

30 *Interim adverſarius opinioni ſuæ mordicus adhæret, & cap. 3 Diſſertationis Latinæ § 3 de chronologia noſtra, quam non intelligit, cæcè & contemptim ita pronuntiat:* De Bollandianis nihil eſt curandum; quia, ut ſupra vidimus, admittunt hanc Apollonii traditionem, & illa non obſtante, gloriantur à ſe inventam viam, qua firmetur traditio Hiſpanorum de prædicatione Jacobi in Hiſpania; quia nempe potuit in Hiſpaniam ire ANTE finitos illos duodecim annos: at hæc via longè ante hos auctores & inventa fuerat, & trita ab ſcriptotibus Hiſpanis. Quod ſi ad diem XXIX Junii contrarium dicunt, ſibi contradicunt; adeoque de illis, ut dixi, curandum non eſt. *In paucis hiſce lineis occurrunt varia falſa & abſona, quæ jam ſingillatim ac breviter ſunt detegenda.*

D

quaſi gloriemur de inventa novæ chronologiæ via,

31 *Etiamſi antiquam Apollonii traditionem admittamus, & ſimul Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem tueamur, eamque cum probabiliore chronologia facilè conciliemus, nuſquam tamen gloriamur, hanc viam à nobis primò inventam eſſe, quemadmodum adverſarius hoc loco perperam fingit. Potiùs ultro fatemur; ſanctos Eccleſiæ Patres, alioſque antiquiſſimos ſcriptores nobis hanc viam præmonſtraſſe. Certè Henſchenius poſt enumeratos veteres hujus viæ duces, in jam ſæpe laudata Diatriba ante tomum 1 Aprilis pag.* V *etiam recentiorem, qui ſibi præluxit, memorat his verbis:* Eamdem ſententiam nuper aſſeruit, ut certiorem & conſtantem Eccleſiæ Catholicæ traditionem, Antonius Capellus, Franciſcanus conventualis. *Nemini itaque R. P. Michael perſuadebit, nos de prima hujus viæ inventione gloriari, niſi ſimul probaverit, nos mente captos eſſe. Quod ſi forte velit, nos alicubi dixiſſe, quod Henſchenius, hanc viam ingreſſus, nonnulla hiſtoriæ & chronologiæ conciliandæ ſubſidia detexerit, ac diſſolverit aliquas difficultates chronologicas, quas alii nondum clarè explicuerant, quænam hæc gloriatio eſt? Præterquam quod facile ſit inventis aliquid addere, meminerit adverſarius comparationis ſuæ, quam in Diſſertatione Luſitanica pag.* 158 *cum graviſſimis theologis inſtituit de pygmæo, qui humeris gigantis inſidens longiùs proſpicit, quam ipſe gigas. Si quis dicat, pygmæum plura, quam gigantem, vidiſſe, an propterea gloriatur, aut illum præfert giganti, ſine cujus ope vix quidquam vidiſſet? Hanc comparationem ſuam R. P. Michaël applicet Henſchenio, qui gigantæis aliorum humeris impoſitus detegere potuit aliqua, quæ illi non viderunt, aut penitus introſpicere noluerunt.*

E

cum interim ipſi libenter fateamur,

32 *Jam ſæpius & penè ad nauſeam explicuimus, quomodo prædicatio* S. Jacobi *in Hiſpania commode cum chronotaxi noſtra componi poſſit. Nihilominus videmur ſurdo canere, aut cæco lumen præferre: nam adverſarius antiquum obtinet, & hoc loco iterum craſſam chronologiæ noſtræ inſcitiam prodit, dum ibidem aſſerit, traditionem Hiſpanorum de adventu S.* Jacobi *in Hiſpaniam à nobis firmari*; quia nempe potuit in Hiſpaniam ire ANTE finitos illos duodecim annos. *At quoties igitur dictum oportet, nos non affirmare, quod ſanctus iſte Apoſtolus* ante, *ſed* poſt *duodecim Apollonii annos in Hiſpaniam profectus fuerit? Jam toties diximus, diviſionem Apoſtolorum factam eſſe anno poſt Aſcenſionem Chriſti duodecimo ſeu vulgaris æræ quadrageſimo, ut me crebriùs eadem repetere tædeat. Digitis ſuis computare poterat adverſarius duodecim Apollonii annos, iiſque incompletè numeratis ab anno vulgaris æræ vigeſimo nono, perveniſſet ad annum ejuſdem æræ quadrageſimum, quo diviſi ſunt Apoſtoli, & quo conſequenter juxta noſtram ſententiam* S. Jacobus *in Hiſpaniam diſceſſit. Cum autem* S. Jacobus *ſecundum noſtram chronotaxim anno* 43 *vel* 44 *vulgaris æræ occiſus fuerit, ex hoc computo facilè collegiſſet, ſuffi-*

F

A *ſufficiens tempus ſupereſſe, quo ſanctus Apoſtolus illic in Hiſpania prædicare; ac Hieroſolymam, ubi martyrio coronatus eſt, reverti potuerit.*

illam ab antiquis tritam eſſe,

33 At hæc via, *inquit*, longè ante hos auctores & inventa fuerat; & trita ab ſcriptoribus Hiſpanis. *Viam hîc noſtram intelligit, quæ diſceſſum S. Jacobi ſtatuit quidem* ante illos duodecim annos *ductos ab æra Mortis Chriſti vulgari; ſed non ante illos, ſi ducantur à conſulatu Geminorum. Imprimis igitur reſpondeo, viam illam tantò minus ab adverſario contemnendam fuiſſe, quanto magis ab aliis trita fuerat. Præterea ſcire cupio, an antiquos vel recentiores Hiſpanos deſignet, dum viam illam ab Hiſpanis ſcriptoribus tritam affirmat. Si antiquos intelligat, manibus pedibuſque in ſententiam ipſius deſcendimus: non enim ignoramus, Idatium & Paulum Oroſium, veteres Hiſpanos, huic viæ inſtitiſſe, & mortem Chriſti ſub Geminis conſulibus collocaſſe. Quod ſi recentiores Hiſpanos ſignificare velit, eos nobis aſſignari cupimus, & miramur, quod adverſarius illos tum operose urgeat traditione Apollonii, ſi illam nobiſcum admittant. Ceterùm non tam contemptim* B *ab ipſo rejicienda erat illa via, quàm Tertullianus, Severus Sulpitius, S. Auguſtinus, Victorius Aquitanus, Proſper, & alii veteres auctores triverant, ut ex Diatriba Henſcheniana diſcere potuiſſet. Si verò ſcriptores iſti nondum ei ſufficiebant, conſulere poterat Schelſtratium tomo I Antiq. Eccleſ. diſſert. I, & Honoratum à ſancta Maria in Reflexionibus Gallicis tomo 3 lib. 5 diſſert. I, ubi plures antiqui ſententiæ noſtræ patroni recenſentur.*

& acſi nobis ipſis contradicamus,

34 *Denique R. P. Michaël innuit, nos ad diem* XXIX *Junii in Commentario ad Acta SS. Petri & Pauli contraria docuiſſe iis; quæ Henſchenius in Diatriba ſua ſtabiliverat.* Quod ſi ad diem XXIX Junii, *ait*, contrarium dicunt, ſibi contradicunt, adeoque de illis, ut dixi, curandum non eſt. *At ſi adverſarius non cæcutiebat, hîc oculis ſuis fidere debuiſſet, & legere ea, quæ Henſchenius, Papebrochius & Fanningus ibidem ſcripſerunt. In Commentario illo,* § 2 *inveniſſet hæc Henſchenii verba:* Fundamentum hujus diſſertationis jactum eſt in tractatu præliminari ad tomum primum Actorum Aprilis. *Tunc ibidem chronologiam ſuam, quam in Diatriba ante tomum I Aprilis probaverat, breviter repetit, & quibuſdam punctis hiſtoricis confirmat. Deinde* § 3 *ejuſdem Commentarii vidiſſet candidam Papebrochii Anamneſim, quâ priorem ſuam opinionem revocat, & chronotaxi Henſcheniana ſubſcribit, ut jam ſupra indicavimus:*

C

quæ ſingula refutantur.

35 *Poſtea* § IV *ibidem comperiſſet, Fanningum veſtigiis Henſchenii fideliter inſiſtere, & legiſſet ſequentia illius verba:* Sublato igitur poſt paſſionem ſuam in cælum Chriſto, anno vulgaris æræ XXIX, conſulibus duobus Geminis, Petrus gerere ſupremum Pontificatum cœpit. Anno ſequenti XXX exorta fuit perſecutio in diſcipulos; & Saulus, in Paulum tunc converſus, poſt tres annos venit Hieroſolymam videre Petrum, videlicet anno XXXIII. Scripſit apud Euſebium lib. 5 cap. 18 Apollonius, ſub annum CLXXXV martyrio coronatus, tamquam ex veterum traditione, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ne intra duodecim annos à ſua Paſſione diſcederent Hieroſolymis; ſumpta civitate primaria pro tota regione Palæſtinæ, vicinaque Syria, ſic ut per intervalla recurrerent Hieroſolymam. Duodecimus porro annus à Paſſione Domini, in noſtra ſententia eſt quadrageſimus vulgaris æræ. Illo igitur anno diviſi diſperſique fuerint Apoſtoli. *Quid ad comprobandam Henſchenii chronologiam accuratiùs dici potuit? Adverſario itaque aut ejus defenſoribus incumbit oſtendere, ubinam Bollandiani ad diem* XXIX *Junii Henſchenio aut ſibi ipſis contradixerint.*

AUCTORE G. C.

§ III. Præcipuum adverſarii argumentum refellitur ac enervatur.

Præter alios ſcrupulos hîc omiſſos.

Si ſequi vellem exemplum R. P. Michaëlis, de nova ipſius opinione poſſem dicere, eam non eſſe curandam, ſicut ille de malè intellecta Bollandianorum chronologia ſuperiùs pronuntiavit. Potiori autem jure id facerem, quia ad diem XXV *Julii in Actis S.* Jacobi *jam pleraque ipſius argumenta diſſolvi, & aliquot effugia ei præcluſi. Ne tamen videar hoc modo injuriam collegis meis illatam ulciſci, & contemptui contemptum rependere, nolo omnia adverſarii argumenta tacitus præterire. Attamen non volo etiam ſingulos ipſius* E *ſcrupulos, ſeu potius leviores errores redarguere. Sic R. P. Michael in Appendice Diſſertationis ſuæ Luſitanicæ pag.* 158 *perperam accuſat Hiſpanos, quaſi Beato, presbytero Libanienſi, temerè titulum* ſancti *tribuerint, ut opinioni ſuæ pondus adderent. Si adverſarius legiſſet ea, quæ Henſchenius noſter tomo* III *Februarii pag.* 146 *& ſequentibus ad diem* XIX *ejuſdem menſis de hoc S. Beato edidit; tali ſcrupulo non laboraſſet, & falſam iſtam accuſationem adverſariis ſuis non impegiſſet. Neglectis etiam quibuſdam minoris momenti ratiunculis & ſophiſmatibus, præcipuâ R. P. Michaëlis ratiocinia breviter convellere conabor; R. P. Emmanueli Cætano de Souſa pleniorem omnium argumentorum refutationem relicturus.*

fruſtrà adverſarius Hiſpanus objicit verba S. Auguſtini,

37 *Adverſarius totis viribus impugnat popularem & incertam quorumdam Hiſpanorum traditionem, juxta quam nonnulli aſſerunt, paucos Hiſpaniæ incolas ab Apoſtolo* Jacobo *ad Chriſtianam fidem adductos fuiſſe. Primò illis infœcundæ prædicationis aſſertoribus cap.* 2 *Diſſertationis Latinæ* § 1 *opponit verba S. Auguſtini, qui apud nos tomo* 2 *editionis Lovanienſis pag.* 6 *in epiſtola ad Voluſianum poſt alia de Apoſtolis ſic ſcribit:* Numero exigui per mundum diſſeminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt, per afflictionum anguſtias uſque ad terrarum extrema dilatantur. *Tum R. P. Michaël poſt hunc S. Auguſtini textum, quaſi jam partâ victoriâ, gloriabundus interrogat:* Vides Auguſtinum defenſoribus iſtis Jacobeæ prædicationis inefficacis reſiſtentem, contradicentem, repugnantem? F

quæ accommodè explicari poſſunt;

38 *At illi defenſores præter alia, quæ ad eam facilitatem reſpectivè explicandam ſufficerent, rotundè reſpondere poſſunt, iſta S. Auguſtini verba accommodè accipienda eſſe, ita ut Apoſtoli populos plerumque facilitate mirabili converterint, etiamſi id non ſemper & ubique contigerit. Sic certè exponendus eſt ipſe ſacræ Scripturæ textus, dum dicuntur Apoſtoli omnibus gentibus aut univerſæ creaturæ, quæ ſub cælo eſt, & ſine ulla exceptione ubique Euangelium prædicaſſe: nam interpretes conſentiunt, has ſimileſque ſacræ Scripturæ expreſſiones ſtrictè intelligendas non eſſe, ſicut R. P. Michaël cap.* 3 *Diſſert. Latinæ* § 3 *ultro fatetur. Quamvis autem Apoſtoli plurimas gentes ad fidem Chriſtianam mirabiliter converterint, & præcipuas mundi regiones peragraverint; non tamen ubique eum-*

AUCTORE G. C.

eumdem prædicationis suæ fructum retulerunt, ut S. Chrysostomus homilia 75 aliàs 76 in Matthæum indicat his verbis : Ubique prædicatum est, sed non omnes crediderunt, neque receptum est ubique. *Unde in eadem homilia dicit, quod* gentes integræ *prædicationi Apostolorum restiterint.*

imo exiguus fructus, quem S. Jacobus in Hispania fecisse traditur,

39 *Quinimo ipse S. Paulus aliquo modo innuit, prædicationem suam non semper & ubique optatum successum habuisse, dum epist. 2 ad Thessalonicenses cap. 3 ℣ 1 & 2 ita scribit :* De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos : & ut liberemur ab importunis & malis hominibus : non enim omnium est fides. *Cornelius à Lapide ad hunc Apostoli textum post alia sic notat :* Nihil horum hîc intendit Apostolus ; tantum enim dat causam cur aliqui sint importuni & mali, quia scilicet non omnium est fides, non omnes habent fidem, non omnes credunt ; sed multi, audita etiam prædicatione fidei, nolunt credere, voluntque persistere in sua infidelitate, ac consequenter in pristina sua malitia & vitæ improbitate : .... fides enim & lex Christiana res excelsa, ardua, & heroïca est, ad quam nemo pertingit, nisi suas concupiscentias generosè superet, & heroïcè se ipsum vincat, ut mores Christianos assumat ; & hoc significat hæc sententia : NON OMNIUM EST FIDES, scilicet quod fides non est hominum animalium & carnalium, sed eorum tantùm, qui quasi heroës ad rem tam arduam connituntur, & gratiæ Dei cooperantur, vitamque spiritualem, imo angelicam sectari contendunt. Adde Apostolum non loqui hîc de hæreticis, qui semel fidem Christi susceperunt, sed postea ab ea apostatarunt ; sed de infidelibus, judaizantibus & paganis, qui numquam Christi fidem susceperant, sed illam impedire & evertere omnibus modis nitebantur, qualis fuit Alexander Ærarius, ut fatetur ipse Paulus 2 Timoth. 4 ℣ 14. Ita Chrysostomus, Theophylactus & alii.

B

ex interpretatione S. Chrysostomi

40 *Hæc Cornelii nostri interpretatio confirmatur ex S. Chrysostomo, qui illa Apostoli verba ;* Datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet, *hom. 26 in epistolam 2 ad Corinthios cap. 12 sic exponit :* Quænam ergo horum verborum sententia est ? Postquam, quisnam tandem iste stimulus, & quis angelus satanæ sit, aperuerimus, tum demum hoc etiam exponemus. Nonnulli ergo, eum dolorem quemdam capitis, quem diabolus ipsi conflavisset, intelligere censuerunt. Absit autem, ut ita sit : neque enim Pauli corpus diaboli manibus ac potestati addictum fuit ; quippe cum diabolus ipse vel Pauli dumtaxat jussis atque imperiis cederet, eique Paulus & leges, & certos terminos præscriberet, cum fornicatorem illum in carnis interitum ipsi traderet, nec eos ille transire ausus fuerit. Quid igitur his verbis sibi vult ? Satan Hebræorum linguâ adversarium sonat, ac Scriptura tertio Regum libro adversarios hoc nomine appellavit : nam de Salomone verba faciens ait ; Non erat satan in diebus ipsius (hoc est adversarius) qui bellum ipsi inferret, aut molestiam exhiberet. Quod ergo ait, hanc habet sententiam : Deus prædicationem lætè ac feliciter progredi non permisit, quo animos nostros demitteret, verùm adversarios in nos impetum facere passus est : hoc enim ad deprimendum fastum vim habebat, non item ad illum capitis dolorem propulsandum. Quocirca per angelum satanæ Alexandrum Ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, atque cum ipso contendebant, ac bellum gerebant, eumque in vincula conjiciebant, cædebant ac raptabant, intelligit ; quod videlicet ea, quæ satanæ erant, perpetrarent. *Doctissimus Theodoretus, Cyri episcopus, similem hujus Paulinæ locutionis interpretationem reddit.*

C

D

ex Athenienſi S. Pauli prædicatione,

41 *Videtur etiam S. Paulus in superstitiosa civitate Athenensi paucos ad fidem convertisse, quia post eruditam ipsius prædicationem in Actibus Apostolorum cap. 17 à ℣ 32 legimus sequentia :* Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant ; quidam verò dixerunt ; audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. *Si hoc loco multi fuissent conversi, haud dubiè scriptor Actuum id more suo expressisset. Adde, quod S. Chrysostomus supra § 2 num. 26 verosimilem hujus parvæ messis causam expresserit, etsi postmodum ecclesia Athenienſis florentissima fuerit, ut Origenes lib. 3 contra Celsum testatur. Si igitur S. Paulus propter majorem cujusdam gentis superstitionem, superbiam, luxuriam, aliaque inveterata vitia interdum minus profecerit, quid obest, quo minus id etiam aliis Apostolis acciderit? Sanè hodierni Christianæ fidei prædicatores, qui in Oriente & Occidente inter infideles versantur, quotidianâ experientiâ discunt, propter corruptos mores unam nationem præ altera difficiliùs ac rariùs ad evangelicam veritatem amplectendam adduci.*

E

paucitate Christianorum Cæsareæ in Ponto,

42 *Præterea Hispani illi, qui prædicationi S.* Jacobi *exiguum fructum tribuunt, opinionem suam probare possent exemplo, quod adversarius quotannis ad diem* XVII *Novembris in Breviario Romano præ oculis habebat, ubi de S. Gregorio Thaumaturgo, episcopo Neocæsarienſi, leguntur sequentia :* Migraturus è vita cum quæsisset, quot in civitate Neocæsarienſi reliqui essent infideles, responsumque esset, tantùm esse septemdecim ; Deo gratias agens, Totidem, inquit, erant fideles, cum ego episcopatum. *Hoc loco R. P. Michaël non potest recusare testimonium Breviarii Romani, cum hæc narratio desumpta sit ex Actis S. Gregorii Thaumaturgi, quæ S. Gregorius Nyssenus posteritati reliquit, & in quibus circa finem planè similia referuntur. Antea verò sanctus ille ejusdem vitæ scriptor narraverat, quomodo Phædimus, antistes Amasenus, Gregorium Thaumaturgum ad episcopatum promovere voluerit,* illam ei civitatem destinans atque attribuens, quam contigerat ad illa ipsa usque tempora adeo simulacrorum erroti deditam esse, ut cum infiniti essent, qui ipsam urbem & regionem circumjacentem incolerent, non plures, quam septemdecim invenirentur, qui sermonem fidei recepissent.

F

ubi tamen S. Petrus Apostolus

43 *Eruditus adversarius non ignorabat, Neocæsaream esse urbem Cappadociæ in Ponto Polemoniaco sitam (unde nonnulli eam simpliciter in Ponto collocant) in qua S. Gregorius Thaumaturgus initio episcopatûs sui tantùm septemdecim Christianos invenit. Haud dubiè etiam noverat, ipsum Apostolorum principem Petrum incolis Ponti, Cappadociæ & conterminarum regionum Evangelium annuntiasse, ut Eusebius, Hieronymus, aliique tradunt, & confirmatur ex prima S. Petri epistola, quam cap.* 1 ℣ 1 electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ *inscribit. Sanctus Augustinus lib. 22 contra Faustum Manichæum cap. 89 asserit, hanc S. Petri epistolam* ad gentes *istarum provinciarum scriptam esse ; Estius autem cum aliis probabiliter existimat,*

A *mat, illam ab Apostolo Petro ad conversos harum regionum incolas, tum qui ex Judæis, tum qui ex ethnicis, Christiani facti erant, directam fuisse:*

fidem prædicaverat,

44 *Hispani ex his antecedentibus non improbabiliter concludent, S. Petrum saltem in Cappadocia non magnum prædicationis suæ fructum retulisse, quandoquidem post ducentos fere annos, à prædicatione S. Petri elapsos, Neocæsareæ, quæ erat una ex præcipuis istarum regionum urbibus, tam pauci Christianæ religionis cultores reperiebantur. Adversarius aut illius defensores non dicant, numerum Christianorum illic persecutionibus diminutum esse: Hispani enim respondebunt, sanguinem martyrum antiquitus fuisse semen Christianorum, & Ecclesiam inter persecutiones maximè excrevisse, ut ex objecto S. Augustini textu eruitur, & innumeris aliorum Patrum testimoniis confirmari posset. Neque proficient dicendo, S. Petrum tantummodo obiter eas regiones percurrisse, atque ideo tam paucos ibi ad fidem Christianam conversos esse: nam S. Paulus non minori celeritate va-*

B *rias urbes ac provincias prædicando pertransiit, & Hispanis id etiam asserere licebit de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania, cui certum temporis spatium assignare non possunt. Saltem ea responsio nihil officit mihi, qui dumtaxat contendo,* S. Jacobum *venisse in Hispaniam, sive uno, sive duobus annis in ea prædicaverit. At, inquies, R. P. Michaël in Dissertatione Latina cap. 2 § 1 hæc effugia Hispanis præclusit, ibi eos aggreditur hoc ratiocinio:* Rejiciuntur insuper adversarii, quia, ut rectè Estius supra, certè non videtur, Jacobum profecturum ex instinctu Spiritus sancti (sicut ex eodem instinctu Apostoli alii in suas singuli provincias abierunt) in Hispaniam, ubi præsciebat, nullum ab Apostolo fructum faciendum esse, & Apostolum sine fructu Hierosolymam redituruin: nulla enim ratio hujus disparis dispositionis assignari cum fundamento potest.

ex diversis gentium moribus,

45 *Imprimis Hispani huic ratiocinio opponere possent exemplum S. Pauli, qui Athenis cum exiguo animarum lucro prædicavit, quamvis alibi plurimos ad fidem adduxerit. Addere possent parvam prædicationis messem, quam S. Petrus in Ponto & Cappadocia collegit. Denique probabilem hujus discrepantiæ causam refundere possent in diversam indolem nationum, quæ propter pervicaciorem superstitionem, luxuriam, superbiam, aliave flagitia ab euangelico jugo magis abhorrebant. Quod si adversarius his responsionibus non*

C *acquiescat, Hispani ex illo quærent, cur non tantum ex diversis gentibus, sed ex sola natione Judaïca interdum multi, interdum pauci ad fidem Christianam conversi fuerint. Sic Petrus unica concione convertit tria circiter Judæorum millia, ut Act. 2 ℣ 41 legimus:* Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. *At Judæi, prædicante S. Stephano, ut Act. 7 ℣ 56 & sequentibus narratur,* impetum fecerunt UNANIMITER in eum. Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: Domine Jesu suscipe spiritum meum. *Hispani igitur non immerito adversarium rogabunt, ut rationem hujus disparis dispositionis cum fundamento assignet.*

ac denique ex ipsa S. Augustini sententia

46 *Porro Hispani totum R. P. Michaëlis & Estii ratiocinium evertere possunt argumento, quod S. Augustinus tomo 7 editionis Lovanienſis pag. 163 sive lib. 1 cap. 8 contra Cresconium Grammaticum aliosque Donatistas ita profert:* Videte, quid de ipso Domino Jesu Christo, ejusque servis prophetis & apostolis sentiatis: nempe enim Dominus ipse, Filius Dei, numquid cum solis discipulis vel turbis, qui in eum crediderunt, an non etiam cum inimicis tentantibus, obtrectantibus, maledicentibus habuit de veritate sermonem? Numquid eum etiam cum una muliere de quæstione orationis contra opinionem vel hæresim Samaritanorum piguit disputare? Sed illam, inquis, crediturarn esse præsciebat. Quid toties adversus Judæos, Pharisæos, Sadducæos, non solùm minimè credituros, verum etiam maximè contradicturos & persecuturos coram in os eorum quam multa locutus est? Nonne ab eis ultro cum voluit, quod voluit, inquisivit, ut eorum illos responsione convinceret? Nonne illis dolosè tentando quærentibus, cum redarguti obmutescerent, sine ulla ambiguitate respondit? Quod cum faceret, nullus ex his legitur ad eum sequendum fuisse conversus. Et utique noverat, quia præscius erat, nihil ad eorum salutem, cum hæc ad eos vel in eos, vel adversus eos diceret, profuturum. Sed nos fortasse suo firmavit exemplo, qui futuram fidem perfidiamve hominum prænoscere non valemus; ne si quando nimium duris nimiumque perversis sine fructu salutis eorum locuti fuerimus, deficiamus & desistamus ab instantia prædicandi, cum inaniter piguerit laborare. E

probabiliter propugnari posset,

47 Quid, quod etiam ipsum diabolum, quem jam non solum Deus, sed ne homines quidem dubitare possunt, nullo modo ad justitiam conversum iri, Filius Dei tamen insidiosè tentantem & de Scripturis sanctis quæstionum laqueos opponentem, de Scripturis sanctis respondendo convicit; nec judicavit indignum cum satana Christus de divinis eloquiis habere colloquium: quid utique prævidens, nisi quod Judæis & diabolo nihil proderat, credituris gentibus profuturum? Prophetas etiam legimus missos ad homines tam inobedientes, ut Deus ipse, qui prophetas mittebat, de his, ad quos mittebat, prædiceret, quod verbis eorum obtemperaturi non essent. Omitto, quod prophetico spiritu, quo futura cernebant, etiam hoc utique nosse potuissent, quod eorum verba contempturi fuerant, quibus ea tamen vehementi instantia non tacebant. *Deindè sanctus Doctor sententiam suam confirmat ex Actibus Apostolorum, variisque exemplis ostendit, infructuosa hujusmodi colloquia non tantum habita fuisse ab ipso Domino Jesu Christo,* qui se imitandum discipulis præbuit, *sed etiam ab ejus servis ac imitatoribus, atque inter alia memorat supradictam concionem S. Pauli, qui in Areopago Athenienſi coram philosophis Epicureis & Stoicis de fide Christiana disseruit. Quomodo igitur S. Augustinus cum seipso & S. Chrysostomo conciliabitur, nisi verba illius, supra Hispanis ab adversario objecta, juxta interpretationem nostram accommodè intelligantur?* F

quamvis ea Hispanorum traditio

48 *Hactenus exercitii gratiâ, ut in scholis dici solet, argumentatus sum ex principiis istorum auctorum, qui* S. Jacobo *exiguum prædicationis fructum in Hispania adscribunt. Nunc strictum adversarii mucronem à me planè averto, & R. P. Michaëli omnem lædendi spem præcido. Certè opinio illa, qua nonnulli sibi persuadent,* S. Jacobum *in Hispania vix ullam sementis suæ messem collegisse, non est antiqua & constans omnium Hispanorum traditio: nam excellentissimus D. Joannes Fernandez de Velasco in Vindiciis Hispaniarum tutelaribus, quas pro adventu* S. Jacobi *contra eminentissimum Baronium Hispanicè edidit, quasque Erycius Puteanus Latinitate donavit, apud interpretem suum pag. 6 de hac opinio-*

AUCTORE G. C.

ne sic scribit : Tametsi, quod ad prædicationis effectum attinet & sparsi Euangelii proventum, quòrumdam auctorum opinio est, novem dumtaxat homines aliquos à gentili errore revocatos ; revera tamen, ut Callixtus Pontifex refert, plurimi fuere. *Deinde post allatas aliquot sententiæ suæ rationes concludit, plures quam septem aut duodecim (hunc numerum alii exprimunt) ab Apostolo* Jacobo *in Hispania ad fidem Christi adductos fuisse, & contrariam quorumdam auctorum expressionem pag. 7 sic explicat :* Itaque scriptores, qui septenarium sive duodenarium numerum referunt, de præcipuis Apostoli discipulis intelligendi & sectatoribus : hi enim viventis quocumque vestigia secuti, mox in munus etiam exstincti succedentes, Hispaniam repetierunt, facti à Petro episcopi, & velut ad relictum Euangelii opus missi, ut religionis colligerent fatam à Magistro messem.

49 *Ex his apparet, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem solidè propugnari posse, etsi singularis illa quorumdam traditio solido fundamento non nitatur. Quare miror, adversarium in Dissertatione Latina cap.* 2 § 1 *tam operosè argumentari contra incertam illam traditionem ; de qua ipsemet ibidem sic scribit :* Hæc à nullo antiquo patre aut scriptore tradita, nullo fide digno monumento reperta, à recentibus his pro contentione, non pro veritate, excogitata convincuntur & conficta. *Cur igitur tanto conatu hanc fabulam impugnat ? Cur toties argumentum suum ex Augustino repetit, acsi omnes Jacobeæ prædicationis assertores hoc unico argumento contrivisset ? Breviter ab Hispanis exigere debuisset, ut antiquitatem & concordiam hujus traditionis probarent.*

sit incerta ac inconstans

B

50 *Hæc importuna R.P. Michaëlis confidentia me movit, ut superiùs nimis fusè ostenderim, prædicationi* S. Jacobi *in Hispania nihil officere illam popularem quorumdam Hispanorum traditionem, quam adversarius tanto molimine impugnat : illa enim stante, objectus S. Augustini textus facilè explicatur, & aliud adversarii ratiocinium ex ipsis Augustini verbis refellitur, ut ex supradictis liquet. Ea autem corruente, corruit præcipuum R. P. Michaëlis argumentum, quod contra Hispanos tàm acriter urget, & interim inconcussa stat Hispanica* S. Jacobi *prædicatio ; quam cum excellentissimo D. Joanne Fernandez de Velasco contra discrepantem quorumdam auctorum opinionem tuemur. Cum itaque Hispani hujus traditionis defensores ac oppugnatores de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam inter se consentiant, mihi non magis laborandum est de ea populari traditione, quam de alia, qua varii littorales Hispaniæ populi primum* S. Jacobi *appulsum sibi vindicant, & de incerta primi hospitii prærogativa inter se disceptant, ut in Actis* S. Jacobi *part.* 2 § XI *num.* 433 *& sequentibus dixi : talibus enim dissidiis nullum detrimentum infertur opinioni nostræ, quia omnes illi concertatores ad asserendam Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem unanimiter conspirant. Sic præciso præcipui argumenti nervo, ad alia quædam R. P. Michaëlis ratiocinia discutienda progredior.*

nec à defensoribus Jacobeæ prædicationis necessariò admittenda

C

§ IV. Alia quædam R. P. Michaëlis argumenta obiter diluuntur.

ADversarius *cap.* 2. *Dissertationis Latinæ* § 1 *hanc præfigit thesim :* Divisio Apostolorum ex Hierosolymis in remotas gentium provincias facta non est, nisi postquam gloriosus Jacobus Major martyrio coronatus in cælum evolavit. *Si S. Jacobus ab Herode occisus fuerit, antequam Apostoli per varias orbis partes dispergerentur, manifestè sequitur, eum in Hispania non prædicasse. Quare R. P. Michaël hanc propositionem suam primò probare nititur antiqua Apollonii traditione de jam sæpe memoratis duodecim annis, quibus Christus Apostolos in urbe Hierosolymitanâ aut vicinis regionibus commorari jusserat, priusquam ad remotas gentes abirent. Rectè ibidem ostendit, hos duodecim commorationis annos ab Alphonso Salmerone nostro, & aliis quibusdam Jacobeæ prædicationis assertoribus admitti. Cetera ipsi viderint, quomodo hos duodecim annos cum sua sententia ac chronologia concilient : nam traditio illa, quam libenter amplectimur, nobis nullum facessit negotium, ut* § 2 *satis superque demonstravimus.*

D

R. P. Michaël falsò existimat, divisionem Apostolorum factam esse

52 *Cum hic igitur frustra hærendum non sit, pergamus ad alteram adversarii probationem, qua thesim suam confirmare conatur in hunc modum :* Probatur secundò eadem conclusio ex Act. Apostolorum cap. XII, ubi refertur, Petrum è vinculis ab angelo solutum, eodemque angelo ducente, in domum Joannis Marci perveniſſe, & ipsius domûs familiæ vix præ gaudio & admiratione credenti modum evasionis suæ è carcere per angelum narrasse, & quia inde statim abiit in alium locum, priùs eidem familiæ dixisse NUNTIATE JACOBO ET FRATRIBUS HÆC ; sed fratres isti erant Apostoli, ergo Apostoli Hierosolymis erant eo tempore, quo Jacobus Major occisus est, & Petrus de carcere liberatus. *At quia satis prævidebat, subsumptam hujus syllogismi propositionem ab adversariis suis liberè negandam esse, probat eamdem verbis Tirini nostri, qui voce* fratribus *apostolos significari existimavit. Deinde R. P. Michael ad illam Tirini interpretationem confirmandam congerit frivolas quasdam ratiunculas, quæ nos hic morari non debent, ut eas vel levi oculo percurrentibus apparebit.*

post quam S. Jacobus martyrio affectus erat,

E

53 *Ne igitur hoc loco tempus inutiliter teram, rotundè nego minorem propositi syllogismi : nam in Actibus Apostolorum & Epistolis Pauli per vocem* fratres *plerumque Christiani vel alii ab Apostolis diversi intelliguntur. Imò cap.* XI *Act.* ℣ 1 *fratres & Apostoli sic expressè distinguuntur.* Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Judæa ; quoniam & gentes receperunt verbum Dei. *Sic etiam S. Paulus in epistola prima ad Corinthios cap.* 15 ℣ 5 *& 6 de apparitione Christi post resurrectionem suam scribit hoc modo*: Visus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. *Unde Bartholomæus Petrus Lintrensis, Duacenus sacræ theologiæ doctor, in Commentariis ad Actus Apostolorum cap.* 12 ℣ 17 *hæc verba* Nuntiate Jacobo, & fratribus *diserte explicat de solo Jacobo Minore, Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopo, &* fidelibus seu Christianis Jerosolymæ degentibus.

ut ex Bartholomæo Petro Lintrensi

F

54 *Quinimo eximius iste Actuum interpres ex hoc ipso textu, quem adversarius nobis opponit, longè probabilius colligit, reliquos Apostolos ante illam Herodis persecutionem toto orbe dispersos fuisse, & de hac re ibidem ita disserit :* Cur hîc nulla fit mentio aliorum Apostolorum ? Hæc reticentia signum est, nullum aliorum Apostolorum tunc fuisse Jerosolymæ..... An igitur ante hoc tempus contigerat illa celebris, quæ commemoratur, Apostolorum divisio ? Ita videtur : nam alioqui omni-

& nostro Cornelio à Lapide ostenditur.

omnino apparet, quod rex Herodes ad gratificandum Judæis non ſolum Petrum, ſed & alios Apoſtolos ſtuduiſſet tollere è medio, ſi eo uſque hæſiſſent Jeroſolymæ. *Cornelius noſter à Lapide cum Duaceno iſto ſacræ theologiæ profeſſore conſentit, tametſi aliam opinionis ſuæ rationem afferat, quando ad hæc verba* Nuntiate Jacobo *cap.* 12 *Act.* ℣ 17 *notat ſequentia :* Minori *videlicet Jacobo* (nam Major jam erat occiſus ℣ 1) qui erat epiſcopus Hieroſolymorum. Unde videtur, quod ceteri Apoſtoli jam abierant in ſuas provincias, ut dixi initio capitis : alioqui enim eis pariter ſuam liberationem nuntiari juſſiſſet Petrus. *Itaque adverſarius jure conqueri non poteſt ob negatum ſyllogiſmi ſui ſubſumptum, cum uni Tirino duos interpretes oppoſuerim, haud dubie plures inventurus, ſi mihi eos pervolvere luberet aut vacaret. Nunc ad alia objecta pergamus.*

55 *In Actis* S. Jacobi *ad diem* XXV *Julii part.* 2 § 12 *expoſui variis modis verba S. Pauli, quæ in epiſtola ad Romanos cap.* 15 ℣ 20 *exprimuntur hoc modo :* Sic autem præſticavi Euangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem. *Hic autem Apoſtoli textus rectè intellectus prædicationi Jacobeæ in Hiſpania nequaquam officit. Nihilominus R. P. Michaël cap.* 4. *Diſſertationis Latinæ* § 2 *putat, ſe novam opinionis ſuæ demonſtrationem reperiſſe in S. Chryſoſtomo, qui juxta ipſum in Homilia* 29 *ad caput* 15 *epiſtolæ ad Romanos hæc Apoſtoli verba ſic exponit:* Sed neque ad eos abiit *(ſcilicet Apoſtolus Paulus)* qui prius fuerant edocti; uſque adeo ſcilicet abſtinuit, quo minus alienis ſe diſcipulis ingereret, gloriæque gratiâ, quod faciebat, faceret; ut & ſtudio eos MAXIME voluerit docere, qui nondum audierant de Chriſto : non enim dicit; ubi nondum crediderant, ſed ubi nondum nominatus eſt Chriſtus : id quod plus eſt.

57 *Poſſem lectores ad memoratum commentarium meum de Actis* S. Jacobi *part.* 2. § 12 *remittere, ubi ſimiles objectiones diſſolvi. Attamen hîc obiter reſpondebo, ne quis decipiatur mutilato S. Chryſoſtomi textu, ex quo adverſarius ibidem ſic confidenter argumentatur :* Et quis rogo, non videt, ſanctum Chryſoſtomum, qui ſæpe aliàs docet, Paulum in Hiſpania prædicaviſſe, prædicationem in ea ſancti Jacobi hîc apertiſſimè inficiari ? Primo namque ait : Paulus AD ILLOS NON ABIIT, QUI PRIUS FUERANT EDOCTI ; ſed Paulus abiit ad Hiſpanos : ergo Hiſpani ab alio priùs non fuerant edocti. *Sed hoc & ſequentia ipſius ratiocinia ultro corruunt, ſi integer S. Chryſoſtomi textus attentè expendatur, ut jam breviter demonſtrabo.*

57 *Imprimis hîc majorem in adverſario fidelitatem requiro; quia immediatè præcedentia & cum aliis connexa S. Chryſoſtomi verba ſtudiosè videtur ſuppreſſiſſe: nam Sanctus ille orator de his Apoſtoli verbis* ITA VERO CERTANS EUANGELIZARE, UBI NON EST NOMINATUS CHRISTUS *hom.* 19 *ad cap.* 5 *ſic diſſerit :* Vide rurſus aliam hyperbolen, quod non ſolùm tot populis Euangelium prædicavit ac perſuaſit, ſed quod neque ad eos abiit, qui prius fuerant edocti *&c. Cur R. P. Michaël hanc* hyperbolen *omiſit ? Nempe meritò verebatur, ne adverſarii ipſius cum S. Chryſoſtomo dicerent, Apoſtolum hoc loco hyperbolicè locutum eſſe. Præterea Chryſoſtomus in ipſo textu nobis objecto ſatis declarat, S. Paulum non ſemper prædicaſſe, ubi Chriſtus non erat nominatus, quando ibidem expreſſè dicit, quod Apoſtolus* voluerit eos MAXIME (*id eſt* præcipuè *vel* plerumque) docere, qui nondum audierant de Chriſto. *Itaque hunc S. Pauli locum rurſus interpretor, ſicut eminentiſſimus Hugo de ſancto Charo in ſupradicto Commentario meo num.* 439 *eumdem explicuit his verbis :* Prædicavit; ubi Chriſtus non erat nominatus, MAXIMÈ, licet etiam aliis. AUCTORE G. C.

58 *Jam vero proximum R. P. Michaëlis ſyllogiſmum, mutata unica voce, quæ vim argumenti non minuit, ſic in ipſum retorqueo :* Paulus ad illos non abiit, qui prius fuerant edocti; ſed Paulus abiit ad Romanos; ergo Romani ab alio Apoſtolo prius non fuerant edocti. *Major ab adverſario ponitur & admittitur; Minor eſt certiſſima; conſequentia autem videtur legitima, etſi conſequens ſit falſum. Denique tota argumentatio habet eamdem formam, in qua adverſarius ſuam inſtituit. Quoſcumque R. P. Michaëlis diſcipulos aut ſectatores provoco, ut hunc nodum planè diſſolvant. Forte pervicaciores quidam imitabuntur exemplum ſui magiſtri, qui ſimili fere argumento preſſus vana quæſivit effugia, & poſt alia frivola reſponſa confugit ad quamdam interpretationem divi Thomæ, qui Lect.* 3 *ad caput* 15 *epiſtolæ ad Romanos dicit, quod Paulus non intenderit ad docendos Romanos* principaliter ire, quia reputabat eis ſufficere doctrinam Petri, qui primus inter Apoſtolos Romanis fidem prædicavit. *Deinde Angelicus doctor ſubdit, quod Apoſtolus tamen intenderit aliquam moram apud Romanos trahere; & poſtea eorum auxilio in Hiſpaniam proficiſci.* & argumentum in ipſum adverſarium retorquetur.

59 *Quandoquidem R. P. Michaël in hac cauſa ad S. Thomam appellat, libenter cum ipſo ibimus ad hunc judicem, qui Lect.* 2 *ad caput* 15 *ejuſdem epiſtolæ ad Romanos, ſuperſùs controverſa S. Pauli verba* Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, *ſic explicat:* Poteſt autem alienum fundamentum dupliciter intelligi; uno modo doctrina hæretica, quæ eſt aliena à veræ fidei fundamento, & ſic hoc, quod dicit, NE, ponitur cauſaliter : ea enim intentione Apoſtolus voluit prædicare illis, qui nomen Chriſti non audierant, ne, ſi præventi eſſent à doctrina pſeudo-apoſtolorum, difficilius eſſet eos ad veritatem reducere.... Alio modo per alienum fundamentum poteſt intelligi doctrina veræ fidei ab aliis prædicata, & ſic poteſt ſumi ly NE conſecutivè : non enim vitavit Apoſtolus prædicare illis, quibus antè fuerat ab aliis prædicatum, ſicut ipſis Romanis ſpecialiter prædicavit, quos priùs Petrus inſtruxerat : ſed eo prædicante illis, qui nihil de Chriſto audierant, conſecutum eſt, ut non ædificaret ſuper alienum fundamentum, ſed ipſe jaceret prima fidei fundamenta. *Diceres, Adverſarium hæc verba ſtudiosè ſubticuiſſe, ne nobis ſolutionem argumenti ſui ultro ſuppeditaret.* Præterea ex divo Thoma,

60 *Etiamſi altera S. Thomæ interpretatio nihil R. P. Michaëli profit, tamen ex ea novos ſpiritus ſumit, & poſt citata Angelici doctoris verba nos animosè aggreditur hoc modo :* Hinc liquet, argumentum adverſariorum eſſe contra ipſos; quia Paulus Romam non ivit eo fine, ut Romanis prædicaret, quia Petrus Romanis priùs prædicaverat; ſed primò ut à Romanis in Hiſpaniam deduceretur; ſecundò ut cum Romanis converſis conſolaretur. Ex his redarguitur pars adverſa ſic : Quia Petrus Romæ jam prædicaverat, Paulus Romam non tetendit, ut ibi prædicaret; ſed Paulus in Hiſpaniam tetendit, ut in ea prædicaret : ergo Jacobus in Hiſpania non prædicaverat. quem ſibi faventem exiſtimat,

61 *Verùm præcipua illa profectionis Hiſpanicæ intentio non impediebat Apoſtolum, quo minus alios ſimul fines præ oculis haberet, & Romanos in tranſ-* & ex ipſis S. Pauli verbis probatur,

Cum ex truncatis S. Chryſoſtomi verbis

adverſarius malè argumentetur,

integer S. Chryſoſtomi textus datur,

AUCTORE G.C.

tranſitu aliquantiſper inſtrueret, ut ipſemet ad eos ſcribens cap. 1 ℣ 11 & ſequentibus ita indicat: Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos..... Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in ceteris gentibus..... Ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare. *Ut alia conſectaria omittam, ex his S. Pauli verbis ſaltem ſequitur, quod ipſe deſideraverit interdum ſuper alienum fundamentum ædificare, & aliquando ob juſtas cauſas alienis diſcipulis ſe ingerere, niſi urgentioribus Euangelii negotiis in Oriente detentus fuiſſet. Cur ergo adverſarius argumentatur ex duabus Apoſtoli intentionibus, & alias ſibi contrarias omittit?*

hunc Apoſtolum aliquando fidem Chriſti prædicaſſe,

62 *Præterea advertendum eſt, quod S. Paulus hoc loco non dicat, ſe hactenus Romam non veniſſe, ne ſuper alienum fundamentum ſeu præviam Petri doctrinam ædificaret; ſed innuit, ſe non potuiſſe citiùs Romam ire, quia uſque adhuc prohibitus erat propter majorem prædicandi neceſſitatem in iis regionibus, in quibus plerumque Chriſtus nondum*

B *fuerat annuntiatus, ut ipſemet ſatis declarat, quando in eadem epiſtola ad Romanos cap. 15 ℣ 19 ſcribit, quod euangelium Chriſti ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum prædicaverit, ac deinde ℣ 20 & ſequentibus ita pergit:* Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus erat Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem; ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annuntiatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis; cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero. *Franciſcus Macedo ex his Apoſtoli verbis rectè colligit, quod S. Paulus tamdiu iter Italicum & Hiſpanicum diſtulerit, quia S. Petrus Romæ &* S. Jacobus *in Hiſpania prædicaverant, ut in commentario de Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 12 *num.* 441 & 442 *retulimus.*

C *ubi antea alii eamdem annuntiaverant.*

63 *Sed quid diutius de intentione Apoſtoli diſputamus, cum ipſa illius opera loquantur? Certò enim ſcimus, quod Paulus Romæ per duos annos Judæis & gentilibus Chriſtum prædicaverit, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum, ubi cap.* 28 ℣ 30 & 31 *legimus ſequentia:* Manſit autem biennio toto in ſuo conducto; & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni fiducia ſine prohibitione. *An igitur S. Paulus numquam ſuper alienum fundamentum ædificavit? An ſemper prædicavit, ubi Chriſtus non erat nominatus? Si id Romæ ab ipſo factum eſt, cur in Hiſpania fieri non potuit? Quid R. P. Michaël huic argumento reſponſurus fuiſſet, ignoro. Poſſem hîc addere Antiochiam Syriæ, Galatiam, Aſiam, aliaſque urbes & provincias, in quibus S. Paulus Euangelium prædicavit, licet in iis Chriſtus antea fuiſſet annuntiatus; ſed ex dictis abundè liquet, ſupradicta Apoſtoli verba, quæ opinioni noſtræ objiciuntur, non tam ſtrictè intelligi poſſe, quam adverſarii contendunt.*

64 *In Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 6 *prædicationem hujus Apoſtoli in Hiſpania confirmavi ex veruſtiſſimo Officio Gothico, quod eccleſia Hiſpanica ab immemorabili tempore celebravit; in eo autem præter alia legitur hymnus, ex quo excerpſeram ſequentes verſiculos, qui opinionem noſtram ſtabiliunt.*

D *Adverſarius imperitè carpit veterem hymnographum,*

Magni deinde filii tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis inſignia,
Regens Joannes dextrâ ſolus Aſiam,
Et levâ Frater poſitus Hiſpaniam.

Si R. P. Michaël eruditioni ſuæ conſulere volebat, debuiſſet hoc antiquum Jacobeæ prædicationis teſtimonium intactum relinquere, aut ſolidioribus argumentis impugnare: nam adeo frivolæ ſunt ratiunculæ, quibus illud impetit, ut refutationem non mereantur. Attamen patienter audiamus unum alterumve illius ratiocinium, ne videamur ipſum prorſus contemnere, & ut juxta paræmiam, hic ex ungue leonem cognoſcamus.

eo quod ſorti S. Joannis tribuerit Aſiam,

65 *Poſtquam adverſarius cap.* 4 *Diſſertationis ſuæ Latinæ* § 3 *ineptas quaſdam de latere ſiniſtro cavillationes propoſuiſſet, ibidem contra auctorem hujus hymni ſic vitilitigare pergit:* Præterea falſum eſt, quod ſolus Joannes Aſiam rexerit: in Aſia namque vaſtiſſima omnium orbis parte (ſi Americam excipias) etiam alii Apoſtoli prædicarunt: Thomas enim in India plures convertit; Philippus verò totam ferè Scythiam: ergo non ſolus Joannes Aſiam rexit. *Sed an bonus ille vir non noverat, hîc ab hymnographo indicari Aſiam minorem, quæ in partitione provinciarum S. Joanni obtigit, & quæ plerumque in Actibus Apoſtolorum ac epiſtolis S. Pauli ſola voce* Aſia *ſine epitheto deſignatur. Hæc Aſia minor, ut pars à ſuo toto, ab Aſia latiſſimè ſumpta diſtinguitur, & nec Indiam nec Scythiam comprehendit.*

E

quod nomen ſæpiſſimè Aſiam minorem deſignat,

66 *Si propter hanc expreſſionem carpendus ſit hymnographus noſter, etiam reprehenſionem merebitur S. Hieronymus (Euſebium, S. Gregorium Magnum, alioſque veteres brevitatis cauſâ prætermitto) qui in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 9 in elogio S. Joannis inter alia de illo ſic ſcribit:* Sub Nerva principe redit Epheſum, ibique uſque ad Traianum principem perſeverans totas Aſiæ fundavit rexitque eccleſias. *Ipſe autem Joannes ſatis clarè indicat, has eccleſias in Aſia minori ſitas eſſe, dum in Apocalyſi cap.* 1 ℣ 11 *eas ita enumerat:* Mitte ſeptem eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ & Laodiciæ. *Quinimo videntur hoc adverſarii ratiocinio tacitè reprehendi S. Lucas in Actibus Apoſtolorum, S. Paulus in ſuis epiſtolis, ac S. Joannes in Apocalypſi, eo quod* F *agentes de Aſia minori eam ſine diſtinctione tantùm* Aſiam *appellent. Profectò R. P. Michaël magis honori ſuo conſuluiſſet, ſi ab hac criſi abſtinuiſſet.*

& eumdem explodit, quia Joannem à dextra Jacobi collocat,

67 *Jam videamus, an feliciùs ſuccedat alterum ipſius ratiocinium, quod loco proximè citato contra eumdem hymnographum ita ſarcaſticè inſtituit:* Tandem quæro, *inquit*, quo jure egregius iſte hymni concinnator Jacobum in ſiniſtra (etiam præſcindendo ab eo, quod in malam partem accipiatur) loco certè minus nobili, minuſque digno ponat, cum è contra in Euangelio quoties de his duobus Apoſtolis fit mentio ſub propriis nominibus, Jacobus Joanni præponatur. *Tum poſt inutilem de majori alterutrius ſanctitate diſputatiunculam ita concludit:* Quare politus ille vates pro ſuo arbitratu Joannem à dextris, Jacobum à ſiniſtris, ſedere fecit. *Tandem etiam vitioſum ſacri poëtæ metrum carpit, ut huic hymno omnem fidem abroget. At ſi propter vitia metri aut grammaticæ liceat negare antiquitatem quorumdam monumen-*

A *numentorum, quæ sæpius ab imperitis amanuensibus transcripta sunt, facilè auctoribus suis abjudicabuntur plura opera, quæ tamen eruditi venerantur. Hoc certè est nodum in scirpo quærere, de quo R. P. Michaël alibi adversarios suos perperam accusat. Verùm jam quæstioni ab ipso propositæ directè respondeamus.*

cum tamen S. Chrysostomus illum dignioremexistimet.

68 *Hæc altera adversarii argumentatio variis modis refutari posset; sed ne inutiliter tempus perdamus, pro nobis abundè, ut spero, ei satisfaciet S. Chrysostomus, qui in Catena Græcorum Patrum ad Matthæum, à Balthasare Corderio & Petro Possino collecta, tomo 1 pag. 134 de ordine Apostolorum observat sequentia:* Præponit verò Petrum & Andream ceteris, quod ii primi omnium vocati essent. Deinde Jacobum quoque Joanni præponit, non dignitatis prærogativa, sed simpliciter ordine ætatis. *Alteruter interpres has voces* ordine ætatis *ex sensu supplevit, sicut etiam diverso charactere indicavit. Certè hanc fuisse mentem S. Chrysostomi patet ex Homilia 32 aliàs 33 in Matthæum, ubi in novissima editione Montefalconiana tomo 7 pag. 363 ad hæc verba Euangelistæ Matthæi cap. 10 ℣ 3* Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus *circa nominum ordinem sic notari jubet:* Viden', quomodo non secundum dignitatem ponat? Mihi namque videtur non aliis modò, sed & fratre quoque suo, Joannem esse majorem. *Non erat igitur tantopere explodendus ille hymnographus, qui forte in S. Chrysostomo, aut aliis sanctis Patribus legerat, Joannem dignitate fratri suo Jacobo antecedere, atque ideo illum à dextris collocarit.*

B

R. P Michaël temerè asserit,

69 *Tandem adversarius contra solem loquitur, quando cap. 5 ejusdem Dissertationis Latinæ § 2 asserit, quod traditio de Hispanica* S. Jacobi *prædicatione* nihil aliud sit, quam quædam vox & fama post seculum nonum orta & usquequaque sparsa à Castellanis occasione sumpta ex reliquiis sancti Jacobi in Gallæcia sepultis, & ex Hierosolyma illuc asportatis non multo antea; cui famæ, cujus proprium est facta æquè atque infecta canere, post seculum decimum subscripsere scriptores quidam sine aliquo examine aut indagatione. *Quinimo infra addit sequentia:* Certum quoque est, post octo secula in Gallæciam translatum ejus (*videlicet* S. Jacobi *Apostoli*) corpus *fuisse. Si* certum est, *corpus* S. Jacobi Majoris *post octo secula in Gallæciam translatum fuisse, cur tam seram translationem nullis testimoniis confirmavit?*

C

reliquias S. Jacobi post octo secula in Gallæciam fuisse translatas,

70 *Nihilominus hoc debili fundamento nititur adversarius, quando post alias falsas hypotheses cap. 4 Dissertationis Latinæ § 2 adventum* S. Jacobi *in Hispaniam ita oppugnat:* Tempore, quo Hieronymus hæc scripsit, nondum beati Jacobi sacræ reliquiæ in Hispaniam fuerant delatæ; sed adhuc erant in Judæa; ergo si quisque Apostolorum in provincia Euangelii à se prædicati tunc requiescebat, non Hispania, sed Judæa fuerat provincia, in qua beatus Jacobus Euangelium juxta sanctum Hieronymum prædicavit. *Variis modis hoc ratiocinium possem refellere, si mihi hîc diutius hærere luberet. Sed R. P. Hieronymus Contador de Argote, clericus Regularis & academiæ Regiæ socius in Dissertatione sua Lusitanica solidis rationibus demonstrat, corpus* S. Jacobi *ante tempora S. Hieronymi in Hispaniam translatum fuisse. Ne igitur operosè actum agamus, nunc istam improbabilem hypothesin, qua totum adversarii argumentum sustentatur, breviter evertemus.*

71 *Qua verisimilitudinis specie R. P. Michaël affirmat, corpus hujus Apostoli* post octo secula *ex Oriente in Hispaniam translatum esse, quandoquidem Mauri ineunte seculo octavo Hispaniam invaserunt? An Christiani Orientales eo tempore hunc sacrum thesaurum misissent ad tam longinquam regionem, in qua furori aut ludibrio infidelium Maurorum periculosè exponeretur? Tillemontius saltem magis caute divinavit, corpus* S. Jacobi *seculo septimo Hierosolymis in Hispaniam missum fuisse, ut Saracenorum, tunc Palæstinam devastantium, furori subduceretur. At in gratiam R. P. Michaëlis hîc repeto dilemma, quod tunc Tillemontio opposui in Actis* S. Jacobi *part. 1 § 4 num. 43, ubi sic argumentabar:* Si reliquiæ S. Jacobi Majoris usque ad seculum VII fuerint in Palæstina, vel fuerunt ibi notæ vel ignotæ. Si fuerint notæ, mirum est, Eusebium, Hieronymum, aliosque scriptores, dum de hoc S. Jacobo loquuntur, numquam de iis meminisse, præsertim cum aliorum Sanctorum reliquias & sepulcra in Terra sancta non rarò assignent. Si verò fuerint ignotæ, quomodo Saracenorum persecutioni subduci, & in Hispaniam seculo VII transferri potuerunt? *Hoc dilemma ab utriusque adversarii sectatoribus dissolvi cupio. Præterea R. P. Michaël, qui asserit, reliquias illas seculo nono translatas esse, fidem abrogare debet antiquissimis Martyrologis, aliisque sanctis viris, qui ante seculum* IX, *seu ante repertas* S. Jacobi *reliquias, prædicationi Jacobeæ Hispaniam assignarunt. Jam videamus, quomodo adversarius frustra conatus fuerit hæc veneranda antiquitatis testimonia eludere aut negare.*

AUCTORE G. C.

cui assertioni unicum dilemma opponimus.

B

§ V Aliquot effugia adversario occluduntur.

Adversarius imprudenter affirmat, Hispanicam S. Jacobi prædicationem

F *Rustra se expedire nititur R. P. Michaël inelutabili S. Hieronymi auctoritate, qua constrictus tenetur, ut paragrapho sequente singillatim ostendam. Frustra etiam tentat eludere testimonium S. Isidori Hispalensis, qui in libro De ortu & obitu Patrum, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem bis affirmat: nam adversarius in Dissertatione Latina cap. 4 § 3 hunc librum, quem nonnulli S. Isidoro abjudicant, tamquam genuinum hujus Sancti fœtum agnoscit, & ideo gratis ibidem asserit, utrumque istud testimonium huic operi* ab aliquo vel sciolo, vel adversæ sententiæ studioso *additum & insertum fuisse. Tota autem hujus accusationis probatio perperam eruitur ex ipso S. Isidoro, qui in eodem opere dicit, S. Paulum in Hispania prædicasse: hinc enim adversarius more suo infert,* S. Jacobum *numquam in Hispaniam venisse. Sed in Actis* S. Jacobi *& supra jam toties probavimus, illam utriusque Apostoli prædicationem inter se conciliari posse, ut hoc loco eadem repetere tædeat. Quare potius discutiamus alterum R. P. Michaëlis argumentum, quod circa eamdem materiam secundis curis, quæ meliores esse solent, in Voce veritatis § 13 pag. 100 excogitavit. Ut autem vis & solutio istius argumenti clarè intelligantur, res paulo altiùs repetenda est.*

F

intrusam esse operibus S. Isidori Hispalensis

73 *Gregorius VII Papa anno Christi* 1074 *ad Alphonsum Castellæ & Sancium Aragoniæ reges dedit epistolam, in qua eos hortatur, ut Hispani in celebrando Officio ecclesiastico recipiant ordinem Romanæ ecclesiæ,* sicut cetera regna Occidentis & Septemtrionis, *& in eo Officii ecclesiastici ordine servando sequantur Ecclesiam Romanam, à qua sciebant, se* suscepisse religionis exordium. *Hanc Romani Pontificis epistolam in Actis* S. Jacobi *part. 2 § 14 exhibuimus, & ibidem ostendimus, eam Hispanicæ* S. Jacobi *prædicationi nullo modo obes-*

AUCTORE G. C.

se : Gregorius enim ab Hispanis tantummodo exigit debitam obedientiam, & ideo inter alia ad eos hæc scribit : Quapropter, ut filios carissimos, vos adhortor & moneo, ut vos sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen, ut matrem revera vestram, Romanam Ecclesiam recognoscatis. *Id autem facere debebat Hispania*, sicut cetera regna Occidentis & Septemtrionis, *quæ omnia ab Ecclesia Romana susceperant religionis exordium, quiscumque demum in iis Euangelium prædicasset.*

post tempora S. Gregorii VII Papa,

74 *Attamen adversarius ex illa Romani Pontificis epistola infert, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem post tempora Gregorii VII seu annum* 1074 *operibus S. Isidori ab aliquo insertam esse, & in Voce veritatis pag.* 100 *id Lusitanicè probare conatur in hunc fere modum : Cum S. Isidorus inter clarissimos Ecclesiæ scriptores numeretur, & per antonomasiam fuerit doctor Hispaniæ, memorati duo reges, eorumve subditi, & sapientissimus Papa Gregorius non ignorasset prædicationem* S. Jacobi *in Hispania, si illa eo tempore in scriptis S. Isidori legebatur. Imo juxta adversarium reges illi*

B *eorumque subditi non tacuissent ; sed potius respondissent, Pontificem in ea re falli, & sese habere firmam traditionem, testimonio egregii doctoris Isidori confirmatam, quod non ab Apostolo Paulo, sed à Jacobo Majore, exordium religionis suscepissent. Ita ille magis acutè, quam verè argumentatur : nam præterquam quod talis Hispanorum responsio nihil ad rem pertinuisset, ut ex supradictis colligi potest, totum hoc adversarii ratiocinium à veritate aberrat, quemadmodum jam demonstrabo ex antiquis quibusdam S. Isidori codicibus, in quibus Hispanica* S. Jacobi *prædicatio refertur.*

cum tamen testimonium istud de adventu S. Jacobi in Hispaniam

75 *Saltem laudo candorem R. P. Michaëlis, quia loco proximè citato in margine notat, ab illustrissimo Petro de Marca antiquum S. Isidori codicem De ortu & obitu patrum citari, in quo Hispanica* S. Jacobi *prædicatio legatur. Nihil verò nos movere debet, quod adversarius ibidem confidenter addat, Gregorium VII Papam ac duos supradictos reges codice illo antiquiores esse. Laudo, inquam, hunc adversarii candorem, etiamsi laudare non possim ejus astutiam, quâ verosimillimam istius codicis ætatem subticuit, quam tamen illustrissimus Petrus de Marca in epistola ad Henricum Valesium data, & à nobis tomo* V *Junii à pag.*

C 544 *cum animadversionibus recusa, sic diserte expresserat :* His adjungendum putavi testimonium vetustissimi codicis manuscripti ex bibliotheca S. Germani Parisiensis, in quo ille tractatus Isidori ante OCTINGENTOS ANNOS adscriptus unà cum aliis ejusdem auctoris libris continetur..... Nec dissimulandum est, in eodem codice legi Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque, Hispanis fidem prædicasse : quæ vetusti codicis auctoritas à quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ forsan loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso.

In Parisiensi Ms S. Isidori codice,

76 *Cur, obsecro, R. P. Michaël* octingentos annos *istius codicis san-Germanensis suppressit? Nempe perspicax ille sacræ theologiæ magister satis videbat, supradictam suam argumentationem judicio illustrissimi Petri de Marca prorsus corruere : si enim iste S. Isidori codex, in quo Hispanica* S. Jacobi *prædicatio exprimebatur, tunc octingentos scriptionis annos habebat, manifestè sequebatur, illum ante tempora Gregorii VII, seu annum Christi* 1074 *exstitisse, adeoque prædicationem* S. Jacobi *in Hispania post tempora Gregorii VII non fuisse ei insertam, quod adversarius contendebat.* D *Certè majorem sinceritatis laudem mereretur, si opinionem de tanta codicis illius antiquitate candidè retulisset, eamque postea rotundè negasset. Sed tunc ego etiam apertè respondissem, me in hac materia pluris facere unicam assertionem illustrissimi Petri de Marca, qui in antiquis hujusmodi monumentis dignoscendis exercitatissimus erat, quam centum negationes R. P. Michaëlis, qui eodicem istum numquam viderat.*

& altero Musei nostri, qui sunt Gregorio VII seu anno 1074 *antiquiores.*

77 *Confirmationis gratiâ hisce adjungo veterem Musei nostri codicem, signatum* ✠ *Ms.* 117, *de quo in Actis* S. Jacobi *num.* 384 *mentionem feci, & in quo post aliud ibidem relatum Jacobeæ prædicationis in Hispania testimonium, leguntur sequentia :* Hii fuerunt Christi discipuli, prædicatores fidei, & doctores gentium, qui dum omnes unum essent, singuli tamen eorum propriis ceteriſque * locis in mundum ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit ; Andreas Achaiam, Jacobus Spaniam, Thomas Indiam ; Johannes Asiam, Matheus Machedoniam ; Philippus Galiam ; Bartholomeus Licaoniam ; Simon Zelotes Egiptum ; Mathias Judeam ; Jacobus frater Domini Hierusalem ; Judas Mesopotaniam. Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors propria traditur, qui ab omnibus gentibus magister & prædicator eligitur : nam sicut Petro & reliquis circumcisionis apostolatus est datus, ita Paulo preputii in gentibus. *Hæc fideliter, nullâ mutatâ litterâ, transcripsi ex membraneo nostro S. Isidori codice, qui cum san-Germanensi certare potest de antiquitate, & de quo certissimè pronuntio, quod ætatem S. Gregorii VII Pontificis longè superet, ut ex oculata codicis nostri inspectione omnes eruditi & veterum characterum periti mecum judicabunt. Sic igitur adversario præclusus est exitus, quo oppositum sibi S. Isidori testimonium effugere conabatur.*

* *forte* certisque

E

R. P. Michaël nulla verisimilitudinis specie nobis persuadere nititur,

78 *In Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 8 *retulimus verba S. Juliani præsulis Toletani, qui seculo septimo floruit, & Jacobeam prædicationem in Hispania litteris mandavit. Sed adversarius unica responsione hoc testimonium explodit, & more suo confidenter dicit, istud S. Juliani opusculum esse suppositium, aut Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem ei ab impostore aliquo intextam fuisse, etiamsi illud ex bibliotheca Bavarica prodierit. At hoc modo R. P. Michaël quamlibet veterum monumentorum auctoritatem facilè eludet : si enim ipsi opponatur Martyrologium Autissiodorense, quod ante octingentos annos in Gallia Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem asseruit, tantummodo respondere debet, istud Martyrologium confictum aut interpolatum esse. Eadem facilitate negabit testimonium Martyrologii Blumiani, quod anno Christi* 772 *in Germania exaratum est, ut videre licet in iisdem* S. Jacobi *Actis part.* 2 § 9, *ubi de utroque illo Martyrologio plura diximus.*

F

testimonium S. Juliani de Hispanica S. Jacobi prædicatione ab impostoribus confictum esse,

79 *Itaque adversarius sine ullo fundamento & contra omnem veri speciem, non tantum in Hispania, sed etiam in aliis regionibus sibi fingere cogitur impostores, qui antiquis codicibus Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem perfidè inseruerint. Quid, obsecro, Gallos aut Germanos movere poterat, ut in gratiam Hispanorum similia confingerent? Præterea oportet omnes illos diversarum regionum impostores conspirasse ad fingendam Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem, quæ nihil ad ipsos attinebat. Quid improbabilius aut ineptius excogitari potest? Nihilominus R. P. Michaël ad absonas ejusmodi assertiones debet recurrere, ut opinionem*

A *nionem ſuam tueatur. Sed an ſeriò putabat, has exoticas ſuas imaginationes ab eruditis viris approbandas eſſe?*

& falsò dicit, S. Beatum, Freculphum, Notkerum

80 *Non minus infeliciter adverſarius tentavit evadere auctoritatem S. Beati, aliorumque auctorum ſubæqualium, qui in ſcriptis ſuis de Hiſpanica* S. Jacobi *prædicatione meminerunt: mihi enim amplam redarguendi materiam præbet, dum in Diſſertatione Latina cap.* 5 § 4 *de ſcriptoribus illis ſic loquitur:* Opponunt ſecundò auctoritatem Beati presbyteri Libanienſis, Treculphi (*voluit dicere* Freculphi, *Lexovienſis in Gallia epiſcopi*) Notcheri &c. *Tum poſt recitatam quamdam ex S. Auguſtino ſententiam, quæ nihil ad rem facit, huic oppoſitioni ſic reſpondet:* At auctores hi poſt ſeculum decimum, & plures alii recentiores ſimpliciter & ſine ullo probationis genere de hac prædicatione locuti ſunt. *Nunc omnes hujus reſponſi hallucinationes ſingillatim ſunt detegendæ.*

poſt ſeculum decimum floruiſſe

B 81 *Imprimis R. P. Michaël fallit aut fallitur, dum ad oppoſitos ſibi auctores reſpondet; illos* poſt ſeculum decimum *de Hiſpanica* S. Jacobi *prædicatione locutos eſſe: nam S. Beatus, presbyter Libanienſis, ſeculo octavo ſcripſit, ut ex opere noſtro ad diem* XIX *Februarii, tomo* III *iſtius menſis pag.* 146 *& ſequentibus diſcere potuiſſet. Freculphus verò circa medium ſeculi noni obiit, ut eminentiſſimus Bellarminus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis & alii bibliographi paſſim tradunt. Denique B. Notkerus, cognomento* Balbulus, *ante finem ſeculi noni Martyrologium ſuum abſolvit, ut apud nos tomo* I *Aprilis pag.* 577 *poterat videre. Addo, quod ab adverſario hic omittantur auctor Martyrologii Gellonenſis & Walafridus Strabo, qui ante medium ſeculi noni floruerunt; & Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem diſertè affirmarunt. Qua igitur fronte aſſerere potuit, omnes hos auctores* poſt ſeculum decimum *de Jacobea prædicatione locutos fuiſſe?*

& ex aliorum opinione adventum S. Jacobi in Hiſpaniam retuliſſe.

C 82 *Quaſi R. P. Michaëli non ſufficeret, hac reſponſione tam turpiter erraſſe, ibidem in margine alterum errorem ſic addit:* Multi ex his auctoribus non affirmant, ſed referunt, eam prædicationem ſancti Jacobi affirmari ab aliis; ut patet de Treculpho (*lege* Freculpho; *ut ſupra monui*) qui ait: DICITUR, QUOD SANCTUS JACOBUS &c. *Quis non putaret, ſaltem aliquos ex his auctoribus, cum* multi *ab adverſario appellentur, ſic de Hiſpanica* S. Jacobi *prædicatione ex aliorum fide locutos eſſe? At omnes ſupradicti auctores, ſi ſolum Notkerum excipias, ſine ulla reſtrictione aut ambiguitate Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem abſolutè affirmant. Quomodo igitur, inquies, R. P. Michaël verba Freculphi citavit? Fateor, me id ignorare: nam Freculphum pervolvens nihil ſimile inveni; quin potius tomulo* 2 *Chronicorum lib.* 2 *cap.* 4 *legi, quod Freculphus illo loco bis Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem affirmatè aſſeruerit. Quare adverſarium hîc de fraude ſuſpectum habebimus, donec ejus defenſores oſtenderint, citata ab ipſo verba in Freculpho inveniri. Hinc hactenus ſequitur, quod* multi *illi auctores redigantur ad unicum Notkerum, cujus mentem in Actis Jacobeis part.* 2 § 10 *explicuimus.*

Non minus infeliciter auctoritatem S. Beati

83 *Præterea adverſarius eodem cap.* 5. § 4 *ad evertendam S. Beati auctoritatem in margine notat ſequentia:* Beatus, presbyter Libanienſis, & alii ſicut de B. Jacobo in Hiſpania, ſic de B. Philippo in Gallia dicit prædicaſſe; quod cum ſit apertè falſum, patet, hos auctores ſibi inexplorata ſcripſiſſe. *At non tam facilè Gallicam S. Philippi prædicationem accuſaſſet de aperta falſitate, ſi legiſſet epiſtolam, quam illuſtriſſimus Petrus de Marca ad Henricum Valeſium ſcripſit, & quam Papebrochius noſter tomo* V *Junii a pag.* 544 *cum animadverſionibus ſuis iterum edidit: nam varia doctiſſimi iſtius præſulis argumenta Papebrochium ita moverunt, ut non diffiteretur, S. Philippum obiter in Gallia Euangelium annuntiaſſe, quemadmodum in Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 8 *rurſus monui. Itaque enervanda erant teſtimonia, quæ illuſtriſſimus Petrus de Marca pro Gallica S. Philippi prædicatione attulerat; priuſquam adverſarius illam tam contemptim rejiceret, & ea de cauſa S. Beato aliiſque fidem abrogaret.*

AUCTORE G. C.

variis modis eludere conatur;

84 *Videtur ipſe R. P. Michaël huic effugio diffidere, & propterea in Diſſertatione ſua Luſitanica* § 14 *pag.* 106 *fatetur, Gallicum S. Philippi prædicationem non tam improbabilem eſſe, quam ſit Hiſpanica* S. Jacobi, *quia S. Philippus ſaltem Hieroſolymâ diſceſſit ad prædicandum gentibus, adeoque Gallia potuit pars iſtius prædicationis fuiſſe. Proinde poſtmodum excogitavit alias quaſdam reſponſiones, quibus iſtud S. Beati teſtimonium convellere conatur. Hinc in Voce veritatis pag* 138 E *& ſequente dicit, ſcripta hujus viri pii (nimis ſcrupulosè à titulo* Sancti *abſtinet, ut ſupra* § 3 *obiter obſervavi) tempore Antonii Poſſevini noſtri nondum fuiſſe typis vulgata. Cum autem poſtmodum prælo ſubjecta fuerint, & Hiſpani curam editionis habuerint; ſine ullo ſcrupulo audacter concludit, quod non temerè judicari poſſit, Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem iſti editioni fraudulenter ab aliquo fuiſſe inſertam.*

eludere conatur;

85 *Verùm hoc loco adverſarius nimis temerè procedit: prius enim legere debuerat Nicolaum Antonium tomo* I *Bibliothecæ Hiſpanicæ, qui lib.* 6 *cap.* 2 *num.* 41 *Commentarios in Apocalypſin S. Beato vindicat, ac variis locis manuſcriptos haberi demonſtrat. Præterea R. D. Joannes de Ferreras, primarius regiæ Matritenſis bibliothecæ cuſtos, in priori ſuâ Diſſertatione Latina de adventu* S. Jacobi *in Hiſpaniam num.* 23 *teſtatur, idem opus Ms. Matriti in bibliotheca regia conſervari, & ſub finem illius notari, quod Facundus æra* 1085 *id eſt anno Chriſti* 1047 *iſtud exſcripſerit. Quinimo ipſe eruditiſſimus D. Joannes de Ferreras anno* 1721; *ſi rectè recordor, mihi iſtud teſtimonium in eodem S. Beati opere Matriti oſtendit. Quapropter debuiſſet adverſarius per ſe aut amicos conſulere iſtud Ms. Matritenſe, aut alia à Nicolao Antonio aſſignata, antequam adeo temerarium judicium proferret.*

& hunc aliosque antiquos teſtes rejicit, quia ſimili phraſi utuntur;

86 *Denique R. P. Michaël teſtimonia S. Iſidori, S. Juliani, venerabilis Bedæ, & S. Beati de adventu* S. Jacobi *in Hiſpaniam unico ſpiritu diſflare tentat. Unde in Voce veritatis pag.* 180 *notari jubet, Hiſpanicam* S. Jacobi *prædicationem apud ipſos iiſdem penè verbis exprimi, quod eſt, inquit,* manifeſtum fictionis indicium, *& ex quo liquet, ſimiles illas expreſſiones in opera eorum perfidè intruſas eſſe. His ſcriptoribus addere poterat Freculphum, Lexovienſem in Gallia epiſcopum, poſt cujus verba, in Actis Jacobeis part.* 2 § 10 *allata, de illa ſimilitudine ſic judicavimus:* Videtur Freculphus hîc præ oculis habuiſſe aliquem Iſidori Hiſpalenſis codicem, quia non tantùm illius verba, ſed etiam opinionem de auctore epiſtolæ Catholicæ exſcripſit. *Idem de aliis dici poſſet, niſi S. Julianus & S. Beatus in ſuis expreſſionibus ab Iſidoro & inter ſe diſcreparent, ſicut facilè videbit, qui in Actis Jacobeis part.* 2 § 7 *& ſequentibus teſtimonia eorum inter ſe conferre voluerit.*

87 *Imo licet hæc teſtimonia ſibi ſimilia eſſent,*

AUCTORE G. C. quo argumento ſuſpectas reddit de interpolatione epiſtolas S. Petri & S. Judæ,

tantummodo ſequeretur, unum auctorem ex altero ſua tranſcripſiſſe, & juniores ſcriptores verbis antiquiorum ſententiam ſuam confirmaſſe: ſi enim illa verborum ſimilitudo ſit manifeſtum fictionis indicium, *ut adverſarius generaliter aſſerit, vereor, ne tali ratiocinio epiſtola ſecunda S. Petri, vel epiſtola Catholica S. Judæ, reddatur ſuſpecta de interpolatione, & conſequenter ſacra illarum auctoritas in dubium revocetur, quia non tantùm ſimiles phraſes, ſed interdum eadem verba, in diverſis iſtis epiſtolis leguntur. Cum itaque hoc argumentum R. P. Michaëlis nimium probet, juxta commune philoſophorum axioma, nihil probat. Quare ipſemet ſine dubio magis cautè ſtrictéque in hac materia locutus eſſet, ſi prævidiſſet, ex univerſali ſuo principio tam abſurda conſectaria deduci poſſe.*

quæ ſimili ſtylo, & ſubinde iiſdem verbis ſcripta ſunt; ut Eſtius

88 *Miror, adverſarium in parum diſcrepantibus iſtorum auctorum teſtimoniis dijudicandis non meminiſſe Eſtii ſui, qui in præfatione ad epiſtolam B. Judæ de ſimili duorum Apoſtolorum ſtylo ſcripſerat his verbis:* Convenit argumentum hujus epiſtolæ cum iis, quæ B. Petrus ſcribit in ſecunda epiſtola, præſertim capite ſecundo & initio tertii: nam quæ hîc ſcribuntur adeo cum illis ſimilia ſunt, ut hujus auctor S. Judas ea non ſolùm legiſſe videatur, verùm etiam, partim contrahendo, partim extendendo, partim iiſdem vocibus & ſententiis utendo, imitatus fuiſſe. *Hoc certè loco laudabiliter ſecutus fuiſſet exemplum cariſſimi ſui Eſtii, quem alibi toties laudat, & de S. Juliano, ac S. Beato; aliiſque ſcriptoribus ſimile judicium tuliſſet. Saltem ab ipſo breviter indicanda fuerat hæc Eſtii opinio, ne quis ex memorata ſtyli ac verborum ſimilitudine, quam nimis generaliter* manifeſtum fictionis indicium *vocaverat, perperam de epiſtolis S. Petri & S. Judæ, ſimilibuſve ſacræ Scripturæ textibus argumentari poſſet.*

B

& Cornelius à Lapide demonſtrarunt.

89 *Similem explicationem invenire poterat apud noſtrum Cornelium à Lapide, qui in proœmio ad epiſtolam Judæ de eadem materia ſic judicat:* Nota, hanc epiſtolam valdè ſimilem eſſe epiſtolæ ſecundæ S. Petri cap. 2, adeoque multas cum eo eaſdem vel penè eaſdem habere ſententias. Quare vel S. Petrus illas ſumpſit ex S. Juda, ut ejus dicta confirmaret, uti vult Salmeron; vel certè Judas illas accepit ex S. Petro, ut volunt Baronius anno Chriſti LXVIII, Adamus Sasbout *&c...* Porro ut videas S. Petri & S. Judæ harmoniam & conſonantiam, accipe eaſdem utriuſque ſententias per parallela digeſtas. *Tum Cornelius in Commentariis ſuis ad epiſtolas canonicas pag. 570 & ſequente ſubdit parallelum, in quo ex una parte ſententiæ S. Petri, & ex altera ſimiles S. Judæ expreſſiones repræſentantur. Si ſectatores R. P. Michaëlis hæc attentè expenderint, ob aliqualem ſtyli & verborum ſimilitudinem non facilè tradent univerſales criticæ regulas, ex quibus tam periculoſa conſectaria deducantur. Nunc ſupereſt, ut adverſario quoddam alterius generis effugium in chronologia præcludamus.*

C

R. P. Michaël ab adverſario ad anguſtias redactus,

90 *Jam ſupra vidimus, quanto ardore R. P. Michaël defenderit duodecim illos annos, quibus Apoſtoli intra fines Judaicæ gentis manere juſſi ſunt, ut antiqua traditio teſtatur. Præterea adverſarius aſſerit, Chriſtum poſt triginta tres ætatis ſuæ annos cruci affixum fuiſſe, & Apoſtolos per totum terrarum orbem diſperſos eſſe anno Claudii imperatoris ſecundo, quem cum quadrageſimo ſecundo Chriſti anno componit. Hinc R. D. Joannes de Ferreras ad hominem argumentatur, & rectè contendit, ab adverſario non inveniri duodecim* D *iſtos annos, quibus Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti intra fines Judaicos permanſerint: nam juxta chronologiam adverſarii ab anno trigeſimo quarto, quo Chriſtus crucifixus eſt, uſque ad diviſionem Apoſtolorum ſeu annum Chriſti quadrageſimum ſecundum necdum novem anni effluxerant, ut calculum annorum ſubducenti apparebit.*

novum quærit effugium chronologicum,

91 *Duro huic nodo R. P. Michaël novum cuneum adhibendum cenſuit, & in Voce veritatis* § 10 *pag. 74 Luſitanicè reſpondet; R. D. Joannem de Ferreras falsò ſupponere, quod duodecim illi anni à morte Chriſti computandi ſint, & ibidem confidenter affirmat, duodecim iſtos annos ab anno trigeſimo primo, quo Chriſtus prædicare cœpit, ex antiqua traditione numerandos eſſe. Nova enimvero & hactenus omnibus eruditis ignota antiquæ iſtius traditionis interpretatio! Sed parum referret, eam hactenus inauditam eſſe, niſi etiam foret falſa, ut mox demonſtrabimus. Nihilominus R. P. Michaël loco proximè citato dicit, hanc explicationem ſuam maxime conformem eſſe Euangelio Matthæi, ubi cap.* 10 ℣ 5 *leguntur ſequentia.* Hos duodecim miſit Jeſus; præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. *Itaque ex his verbis colligit, tunc præceptum de duodecim annis cœpiſſe.* E

quod cum ſacra Scriptura non videatur poſſe conciliari;

92 *Sed dum adverſarius ad ſummas anguſtias redactus hoc effugium excogitavit, & ſic ab una difficultate ſe expedire conatus eſt, in alteram multo majorem incidit: ſi enim tunc Chriſtus Apoſtolis præceperit, ne intra duodecim annos ad gentes abirent, aut civitates Samaritanorum intrarent; quomodo ſervarunt hoc præceptum Apoſtoli illi, qui non diu poſt martyrium S. Stephani, Saulo Eccleſiam perſequente, Samaritanis Euangelium prædicarunt? Quoſlibet R. P. Michaëlis defenſores rogatos volo, ut hanc novam ipſius opinionem concilient cum Actibus Apoſtolorum; ubi cap.* 8 ℣ 14 *& 25 hæc narrantur:* Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem..... Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini, redibant Jeroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. F

dum nos interim diſtinguentes duplex Chriſti præceptum

93 *Nos in ſententia noſtra ſupradictum Matthæi textum cum proximè citatis Actibus Apoſtolorum facilè conciliamus, quia cum pleriſque ſacræ Scripturæ interpretibus diſtinguimus duo Chriſti præcepta, quorum primo Apoſtolis prohibuit, ne ante glorioſam ſuam reſurrectionem gentibus aut Samaritanis Euangelium prædicarent. Alterum vero dedit poſt glorioſam ſuam reſurrectionem, & tunc Apoſtolis præcepit, ut Hieroſolymâ diſcederent ad remotas nationes, ac docerent omnes, poſtquam videlicet adhuc duodecim annis manſiſſent intra regiones Judaïcas, & præcipuè Judæos ad fidem amplectendam patienter invitaſſent, quemadmodum habet antiqua Apollonii & Clementis Alexandrini traditio, quam R. P. Michaël tam impenſè tuetur.*

cum Cornelio à Lapide,

94 *Hinc Cornelius à Lapide in Commentariis ſuis ad caput* 10 *Matthæi* ℣ 5, *de hoc priore Chriſti præcepto ſic diſſerit:* Primum eſt hoc Chriſti præceptum, quod ipſe Apoſtolos mittens prædicatum, eis aſſignat ſcilicet, ne gentes & Samaritanos adeant, ſed Judæos; cujus vera ratio erat, quod Chriſtus volebat primò ſuum adventum & Euangelium prædicari Judæis: hi enim erant filii regni, ac filii Abraham, Iſaac, Jacob, David &c., quibus à Deo promiſſus erat Meſſias, id eſt Chri-

A Christus : alioqui enim Judæi contra Christum & Apostolos excipere potuissent ac dicere : Tu non es verus Messias, quia euangelizas gentibus & Samaritis. Messias enim nobis Judæis à prophetis promissus est, non gentibus. Hoc præceptum fuit temporarium dumtaxat ; duravit enim solum toto tempore vitæ Christi : nam post passionem & resurrectionem suam Christus misit Apostolos euangelizare gentibus per totum orbem.

& S. Hieronymo,

95 *Videtur etiam S. Hieronymus distinxisse hæc duo præcepta, quando in Commentariis ad cap.* 10 *Matthæi, in novissima editione Parisiensi tomo* 4 *part.* 1 *col.* 35 *sic scribit :* IN VIAM GENTIUM NE ABIERITIS, ET IN CIVITATES SAMARITANORUM NE INTRAVERITIS ; SED POTIUS ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT DOMUS ISRAEL. Non est contrarius locus iste ei præcepto, quod postea dicitur : EUNTES, DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANTI ; quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem præceptum est. Et oportebat primùm adventum Christi nuntiare Judæis, ne justam haberent

B excusationem, dicentes, ideo se Dominum rejecisse, quia ad gentes & Samaritanos Apostolos miserit.

chronologiam nostram facilè tuemur.

96 *Ex dictis defensores R. P. Michaëlis vident, memoratum Matthæi textum frustra ab ipso citari, ut probet, duodecim illos Apollonii annos ab anno trigesimo primo Christi sive ab exordio prædicationis ejus computandos esse. Deinde facilè concludent, hanc ejus opinionem novam esse, quam eruditi viri hactenus ignoraverint, eique propterea aptari posse verba, quæ ipse ex Prœmio S. Hieronymi de Scriptoribus ecclesiasticis desumpsit, & cap.* 4 *Dissertationis Latinæ* § 2 *contra adversarios suos ita profert :* Ego quid acturus, qui nullum prævium sequens, pessimum, ut dicitur, magistrum memet ipsum habeo. *Cetèrùm non præcluси adversario hoc effugium, quia opinioni nostræ incommodat : si enim hanc novam illius sententiam admitterem,* S. Jacobo *in Hispania longiorem moram tribuere possem, ut ex supradictis* § 2 *liquet. Neque systema ipsius impugno, quia novum est ; sed istud rejicio, quia falsum esse existimo. Nunc ad aliam, eamque ultimam luctationem progrediamur.*

C

§ VI. Adversarius constringitur ineluctabili auctoritate S. Hieronymi, quam frustra tentat eludere.

Adversarius auctoritate S. Hieronymi constrictus,

IN *gratiam R. P. Michaëlis hic breviter repetendum est argumentum, quod in Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 5 *contra adversarios sententiæ nostræ protuli ex S. Hieronymo, qui in Commentariis ad caput* 34 *Isaiæ post alia de Apostolis affirmat, quod* spiritus congregaverit eos, dederitque eis sortes atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in euangelii sui atque doctrinæ provincia requiesceret. *Ex his Hieronymi verbis cum eminentissimo Aguirrio deduxi, unum ex Apostolis in Hispania prædicasse, eumque diversum esse ab illo, qui Euangelium in Illyrico annuntiavit. Cum autem antiqua traditio, variis testimoniis suffulta, prædicationem Hispanicam* S. Jacobo Majori *attribuat, tandem probabilius concluси, hic ab Hieronymo* S. Jacobum, *tamquam determinatum Hispaniæ apostolum, implicitè designari.*

AUCTORE G. C.

inter alia frivola effugia

98 *Adversarius in Dissertatione sua Latina cap.* 4 § 2 *miris modis sese torquet, ut auctoritatem S. Hieronymi explicet aut infringat. Quamvis autem ibidem confidenter jactet, sibi plures argumenti nostri solutiones ad manum esse, variasque etiam offerat ; pleræque tamen adeo violentæ sunt ac miseræ, ut vix responsum mereantur nam duabus primis responsionibus suis probare nititur, quod S. Hieronymus vel sibimetipsi contradixerit, vel illa expressione* alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, *tacite indicaverit unicum & eumdem Apostolum Paulum, qui in Illyrico & Hispania Euangelium annuntiarit. Quinimo contendit, eamdem horum verborum explicationem dandam esse ab illis omnibus, qui prædicationem S. Pauli in Hispania admittunt. At profecto R. P. Michael vel ejus sectatores diu laborabunt, antequam viro cordato, & linguæ Latinæ utcumque perito persuadeant, nomine partitivo* alius *atque* alius *unicum & eumdem hominem significari. Porrò ex infrà dicendis patebit, ad hanc exoticam expositionem nobis recurrendum non esse.*

E

respondet, unam vocem S. Doctori pro altera excidisse,

99 *Interea patienter audiamus alias adversarii responsiones, inter quas ab ipso* tertia solutio *appellatur illa, quæ jam sequitur :* Si adversarii, *inquit*, legissent Hieronymum epistolâ tertiâ ad Augustinum, & est septuagesima quinta inter Augustinianas in nova editione monachorum sancti Benedicti, hæc non dicerent. Ibi namque sanctus doctor simpliciter, ut ait, & ingenuè fatetur, se rerum, quas in mente coacervaverat, multitudine obrutum, eas amanuensi suo dictasse, nec ordinis, nec verborum interdum, nec sensuum memorem. Nihil ergo mirum, quod verbulum illud ALIUS & ALIUS Hieronymo exciderit non attendenti, proindeque neque intendenti diversitatem Apostolorum, in Illyrico & Hispania prædicantium. Quærunt ergo adversarii, ut in proverbio est, nodum in scirpo.

quo responsionis genere qualibet S. Augustini

100 *Sed si responsio ista nomen solutionis mereatur, facilè solvemus qualibet nobis opponenda sanctorum Patrum testimonia : semper enim respondere possumus, polygraphos illos viros, obrutos multitudine & diversitate rerum, quas in mente coacervaverant, forte unum pro altero scripsisse aut amanuensibus dictasse. Sic S. Augustinus lib.* 2 *Retractationum cap.* 12 *errorem suum fatetur his verbis :* In primo ergo libro in eo quod positum est, Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem, mendositas codicis nos fefellit ; nam DUODECIM scriptum est, non DUOBUS. *Sic etiam sanctus Doctor eodem libro cap.* 62 *alterum errorem corrigit hoc modo :* Nomen hominis, qui hoc facere solebat, quasi certum posui, cum sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus medicinæ artis magister scripsit, regem Cyprium facere solere, sed nomen ejus proprium non expressit. *Plura hujusmodi afferri possent.*

F

aliorumque Patrum testimonia eludi poterunt :

101 *Unde Hispani simili responsione superiùs sibi oppositam S. Augustini auctoritatem eludere potuissent : dùm enim sanctus Doctor asserit, populos* facilitate mirabili *ab Apostolis conversos esse, respondere poterant, istud nomen* facilitate *Augustino excidisse non attendenti, & forsan* charitate mirabili *legendum esse. Certè eodem fundamento, id est nullo, Hispani illi dicerent, ab Augustino vocem contrariam* facilitate *pro* difficul-

AUCTORE G. C.

tate *ſcriptam eſſe, quo R. P. Michaël contendit, ab Hieronymo vocem* alius *pro* idem *amanuenſi dictatam fuiſſe. Neque adverſarius hinc evaſiſſet reſpondendo, magnum in hac re diſcrimen eſſe inter S. Auguſtinum & S. Hieronymum, cum ille ſcripſerit duos Retractationum libros, quibus ambiguas ſuas ſententias clarius explicuit, vel erroneas ingenuè revocavit: nam ipſemet R. P. Michaël in Diſſertatione ſua Luſitanica ſeu Voce veritatis § 14 pag. 106 affirmat, quod viri docti ac pii rectè demonſtrarint, S. Baſilium, S. Chryſoſtomum, S. Auguſtinum, alioſque in quibuſdam ſcriptis ſuis erraſſe. Si igitur exemplo adverſarii ſic argumenta diſſolvere liceat, nullo negotio qualibet contraria iſtorum Patrum teſtimonia eludemus.*

quare videns, hac via ſe non proficere, aliud argumentum nobis opponit,

102 *Cum R. P. Michaël ſatis præſentiret, hoc ſuum reſponſum, ſeu potius effugium, ab eruditis explodendum eſſe, voluit ei alteram reſponſionem addere, & ſimul fatalem nobis ictum ibidem minatus eſt hoc modo:* Sit quarta ſolutio, & ſimul validiſſimum in adverſarios argumentum ex hoc ipſo Hieronymi loco ſic. Hieronymus hîc ait: ALIUS (Apoſtolus) IN HISPANIA, prædicavit ſcilicet: ergo unicus Apoſtolus prædicavit in Hiſpania. Patet conſequentia; quia Hieronymus non dicit ALII, ſed ALIUS in numero ſingulari. Atqui juxta Hieronymum Paulus prædicavit in Hiſpania: ergo unus Paulus; ergo ex Apoſtolis ſolus Paulus prædicavit in Hiſpania: ergo juxta Hieronymum Jacobus in Hiſpania nullatenus prædicavit. *Adverſarius putavit, ſe hîc ex principio Grammatico deduxiſſe demonſtrationem hiſtoricam, quæ vix certitudini mathematicæ cedat. At illam nunc paucis examinemus.*

B

quod in adverſarium eadem formâ retorquetur,

103 *Ne lectorem hîc longiore diſputatione detineam, iiſdem ferè verbis, & in ſimili prorſus forma validiſſimum iſtud argumentum (ſic adverſario ſophiſma ſuum appellare placuit) contra ipſum R. P. Michaëlem ita retorqueo:* Hieronymus hîc ait; ALIUS (Apoſtolus) IN INDIA, prædicavit ſcilicet: ergo unicus Apoſtolus prædicavit in India. Patet conſequentia; quia Hieronymus non dicit ALII, ſed ALIUS in numero ſingulari. Atqui juxta Hieronymum Thomas prædicavit in India: ergo unus Thomas; ergo ex Apoſtolis ſolus Thomas prædicavit in India; ergo juxta Hieronymum Bartholomæus in India nullatenus prædicavit. *En ſimillimum ratiocinium, & tamen falſum: nam ipſemet Hieronymus in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, aliique veteres auctores ex antiqua traditione referunt, Bartholomæum in India prædicaſſe.*

C

ex teſtimonio S. Hieronymi,

104 *Neſcio, quid defenſores R. P. Michaëlis ad hanc retorſionem reſponſuri ſint: nequeunt enim negare prædicationem S. Thomæ in India, quam S. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam de quinque quæſtionibus novi Teſtamenti tomo 4 noviſſimæ editionis Pariſienſis part. 1, col. 167 ſic exprimit:* Divina quippe natura .... in omnibus locis verſabatur; CUM THOMA IN INDIA, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum ſingulis Apoſtolis & apoſtolicis viris in ſingulis cunctiſque regionibus. *Neque poſſunt recuſare teſtimonium, de Indica S. Bartholomæi prædicatione, quod idem ſanctus Doctor in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum cap. 36, tomo 4 ejuſdem editionis Pariſienſis part. 2 col. 112 profert his verbis:* Pantænus Stoicæ ſectæ philoſophus .... tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis divinis, quam in ſeculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ epiſcopo mitteretur; ubi reperit, Bartholomæum de duodecim Apoſtolis adventum Domini Jeſu juxta Matthæi Euangelium prædicaſſe, quod Hebraïcis litteris ſcriptum, revertens Alexandriam, ſecum detulit. *Legi etiam poteſt Euſebius lib. 5 Hiſt. eccleſ. cap. 10, ubi eamdem Bartholomæi prædicationem fuſiùs ex veteri traditione narrat.*

D

& quod ipſemet poſtea deſtruit,

105 *Pluribus hoc loco urgere poſſem R. P. Michaëlem, niſi ipſemet hoc ſuum* validiſſimum in adverſarios argumentum *poſtea deſtrueret, quando in Voce veritatis pag. 147 contendit, nomine partitivo* alius *interdum eleganter multos ſignificari. Id autem probat ex Salluſtio, qui in Bello Catilinario cap. 6 narrat, quomodo Aborigines Troianis immixti fuerint, & diſpari genere, diſſimili lingua, alius alio more viventes, ... facilè coaluerint. Hinc infert vocem* alius *aliquando uſurpari pro* alii, *& nomen iſtud ſingulare vim pluralis numeri habere. Deinde ex eo concludit, apud Hieronymum nomine* alius *multos Apoſtolos, & eoſdem in diverſis provinciis, ideoque Paulum in Græcia, Illyrico, ac Hiſpania indicari potuiſſe.*

dum ſibi ſubſidium accerſit

E

106 *Ex hoc adverſarii ratiocinio imprimis patet, quod ipſemet hoc loco diruat ſuam argumentationem, quam antea operosè conſtruxerat, & quam tanti faciebat, ut eam pro validiſſimo in adverſarios ſuos telo haberet. Deinde non video, qua ratione R. P. Michaël ex citatis Salluſtii verbis concludat, ab Hieronymo eoſdem Apoſtolos in diverſis provinciis deſignari: Salluſtius enim nomine partitivo* alius *non ſignificat eamdem nationem, quæ in variis urbibus commorabatur; ſed contra clarè diſtinguit duos populos, qui diſſimili idiomate & diverſis moribus in eadem urbe Romana antiquitus vivebant. Etiamſi ergo gratis ſupponamus, S. Hieronymum ſimili loquendi modo uſum fuiſſe, tantummodo ſequeretur, tali expreſſione ab ipſo indicari plures Apoſtolos, qui in eadem regione Euangelium annuntiarint.*

ex phraſi Salluſtiana,

107 *Præterea magnum eſt diſcrimen inter phraſim Salluſtii & S. Hieronymi, quia Salluſtius participio pluralis numeri* viventes *& verbo* coaluerint *ſatis oſtendit, ſe hîc de pluribus agere. Dum etiam apud Virgilium legimus* pars in fruſta ſecant, *& apud Livium* pars in juveniles luſus verſi, pars veſcentes ſub umbra, *ex addito numero plurali ſtatim intelligimus, illos de multis loqui, eoſque magis attendere ad vocis ſignificationem, quam ad ipſam vocem ſingularis numeri, cum qua verbum aut adjectivum ſolet in numero concordare, ut Grammaticis notum eſt. Hieronymus autem nullo ſigno innuit, per vocem* alius *plures à ſe denotari: ubique etenim in numero ſingulari ſcribit, Apoſtolos ad prædicandum Euangelium ita diſperſos fuiſſe,* ut alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unuſquiſque in Euangelii ſui atque doctrinæ provincia requieſceret.

F

quæ nihil opinioni ejus prodeſſe oſtenditur.

108 *Circa iſtam conſtructionum diſparitatem plura obſervari poſſent; ſed ne ſimilibus Grammatica minutiis cum tædio inhæreamus, liberaliter adverſario concedemus, ab Hieronymo per vocem* alius *plures Apoſtolos ſignificari potuiſſe. Si defenſores R. P. Michaëlis inde inferant, alios Apoſtolos in India, alios in Illyrico, alios in Græcia ſemen euangelicum diſperſiſſe, eodem jure ego inde concludam, etiam alios Apoſtolos, videlicet Jacobum & Paulum, in Hiſpaniis prædicaſſe. At tunc delere cogentur titulum, quem R. P. Michaël Diſſertationi ſuæ Latinæ ita præfixit:* Diſſertatio hiſtorica de primo, potiùs unico, Euange-

angelii prædicatore in Lusitania nostra, totaque Hispania. *Quod si contendant, in hoc eodem Hieronymi testimonio per vocem* alius *modò plures Apostolos, modò unicum designari, nemini frivolam illam exceptionem persuadebunt, & eruditorum ludibrio sese exponent.*

Etsi Græcia Asiatica prædicationi S. Joannis,

109 *Forsan hac occasione curiosus quispiam me interrogabit, quis ex Apostolis ad Græciam, quis ad Illyricum perrexerit. Quandoquidem S. Hieronymus in supradicto testimonio dicit, quod spiritus congregaverit Apostolos,* dederitque eis sortes atque diviserit, *satis manifestè indicat, se hoc loco agere de præcipuis regionibus, quæ Apostolis sorte obtigerunt. Quapropter ex mente ejusdem sancti Doctoris respondeo, Græciam Asiaticam S. Joanni obtigisse, eumque Epheſi in Ionia, quæ est Asiæ minoris provincia, diu commoratum esse, ut sancti Patres & antiqui scriptores passim testantur. Ne autem videar Ioniam gratis in Græcia collocare, audi eumdem S. Hieronymum, qui in Commentariis ad Isaiam lib.* 18 *cap.* 66, *sive tomo* 3 *novissimæ editionis Parisiensis col.* 507 *de hac re sic scribit:* Græci autem, qui sermone Hebraïco appellantur JAVAN, Ionas significant; unde & Græci Iones, & mare Ionium. *Sanctus Doctor in Commentariis ad caput* 3 *Sophoniæ prophetæ, sive tomo proximè citato col.* 1670 *eamdem explicationem suam repetit his verbis:* Sciendum, quod alii è contrario asserant, pro COLUMBA ibi posse intelligi ἑλλάδα id est GRÆCIAM, ut sit sensus: A FACIE GLADII JONA id est, A FACIE GLADII GRÆCIÆ, Jona enim tam columbam, quam Græciam significat. Unde & usque hodie Græci Iones, & mare appellatur Ionium, & apud Hebræos permanet eorum vetus vocabulum.

& Illyricum latè sumptum S. Andreæ tribui possit,

110 *Ad alteram quæstionem respondeo, Illyricum latè sumptum sancto Andreæ præcipuè assignatum fuisse: nam teste Hieronymo S. Andreas in Achaia, & juxta Gregorium Nazianzenum oratione* 25 *in Epiro Christum prædicavit. Græci verò in suis Menæis ad diem* XXX *Novembris præter alias vicinas gentes, quas S. Andreas Euangelicâ doctrinâ imbuit, sorti ejusdem Apostoli attribuunt* populos, qui Thraciam & Macedoniam incolunt, quique ad Istrum usque extenduntur, Thessaliam quoque & Græciam seu Helladen, & gentes ad Achaiam usque procurrentes. *Jam verò regiones illæ ad Illyricum latè dictum pertinent, ut constat ex Sexto Rufo Festo, qui in Breviario rerum gestarum populi Romani omnes Illyrici provincias ita enumerat:* Habet Illyricus decem & septem provincias; Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Suaviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas; & in diœcesi Macedoniæ provinciæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Prævalis, Creta. *Hinc sequitur, S. Andream præsertim prædicasse in Illyrico Orientali, cujus provincias & urbes Carolus à sancto Paulo in Geographia sacra à pag.* 184 *distinctè recenset. Propterea tamen non nego, in Illyrico aliisque multis regionibus prædicasse S. Paulum, qui* effusus est super faciem universæ terræ, *ut S. Hieronymus de illo affirmat. Jam ad alia R. P. Michaëlis effugia examinanda revertamur.*

tamen nullo fundamento Hispania assignavetur S. Mathiæ

111 *Cum adversarius satis videret, se violentis suis explicationibus nihil proficere, ac honorificè elabi non posse, aliam evadendi viam excogitavit. Quare tandem genuinum testimonii Hieronymiani sensum admittit, & nihilominus ibidem Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem sic negare pergit:* Nam dato, *inquit*, & non concesso, quod Hieronymus voluerit per li ALIUS IN ILLYRICO, ALIUS IN HISPANIA diversos Apostolos indicare, non sequitur illum ALIUM, qui prædicavit in Hispania, fuisse Jacobum Zebedæi: cum enim de quolibet Apostolo verè dici possit ALIUS APOSTOLUS, nulla est major ratio, cur illud ALIUS potius determinetur ad Jacobum, quam ad alium Apostolum, verbi gratiâ Mathiam: nam & hic alius Apostolus est. *Tunc post futiles quasdam ratiunculas ac falsas hypotheses, quas hîc refellere piget, ex his sic concludit:* Unde ex Hieronymi auctoritate, cui adversarii maximè fidunt, etiam intellecta, ut ipsi volunt, solùm sequitur, Jacobum in Hispaniam (*melius dixisset* in Hispania) numquam prædicasse. AUCTORE G. C.

ut ridiculè contendit adversarius,

112 *Henschenius noster die* XXIV *Februarii Acta S. Mathiæ collegit, & in Commentario prævio* § 2 *varias de prædicatione ejus opiniones retulit: nam Isidorus & Freculphus Judæam, Nicetas Paphlago aliique Græci Æthiopiam, denique nonnulli Pontum Euxinum & Macedoniam apostolicis ipsius laboribus assignant. Sed hactenus nemini in mentem venit, nisi soli R. P. Michaëli, Hispaniam prædicationi S. Mathiæ attribuere. Quo igitur fundamento adversarius hanc Hispanicam S. Mathiæ prædicationem viris eruditis obtrudere ausus est, cum nullus veterum aut recentiorum illam somniaverit?* Interim *ipsemet fatetur, opinionem de Hispanica* S. Jacobi *prædicatione apud incolas & exteros post seculum nonum invaluisse. Qua ergo confidentia hîc asserit, non esse majorem rationem, cur in testimonio Hieronymiano vox illa* alius *ad Jacobum, quam ad Mathiam referatur? Si S. Paulo in prædicatione Hispanica alium Apostolum, à Jacobo distinctum, juxta mentem S. Hieronymi superaddere volebat, saltem minus improbabiliter assignasset S. Petrum, qui etiam erat* alius Apostolus, *& cujus profectionem in Hispaniam Metaphrastes & Galesinius affirmant, ut apud Gasparem Sanctium Tractatu* IV *de prædicatione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Hispania cap.* 2 *videre est.*

etiam temerè cæcos appellans eos, qui S. Paulo certam sortem denegant,

113 *Sed quia R. P. Michaël prævidebat, sese Hispanicam S. Petri prædicationem (multo minus ea sancto Mathiæ tribui potest) non facilè criticis persuasurum esse, verosimiliter ab illa commemoranda abstinuit, & statim ad priorem suam opinionem stabiliendam relabitur. Unde ibidem rursus contendit, solum S. Paulum ex Apostolis in Hispania prædicasse, & defensoribus Jacobeæ prædicationis insultat hoc modo:* Ceterùm adversarii quidam non timentes, se à rectè sentientibus judicandos esse contentiosissimos, dicunt, ut à fide dignis audivi, Hieronymum cum dixit, Spiritum sanctum Apostolis sortes seu provincias ad prædicandum divisisse, minimè comprehendere Paulum voluisse, quia huic non aliqua determinata regio sortitò obtigit; sed doctor gentium cum esset, effusus est super faciem universæ terræ: Hieronymus autem loquitur (inquiunt) de assignatione determinatarum provinciarum, quæ singulæ singulis Apostolis datæ sunt: ergo illud ALIUS IN HISPANIA de Paulo intelligi nequit. *Tunc primò nobis applicat verba S. Augustini, qua sanctus Doctor lib.* 2 *contra Gaudentium cap.* 5 *sic pronuntiat:* Puto, quod non in carne, sed in ipsa mente cæcantur, qui contendunt latere, quod cernitur. *Deinde instituit ratiocinium, quod non magis rem conficit, quam mox recitata S. Augustini sententia; & quod partim ex supradictis refelli, partim rotundè negari potest.*

114 *Si* in ipsa mente cæcantur *illi, qui determinatam sortem S. Paulo non attribuunt, haud du-*

AUCTORE G. C.

dubiè cæci fuerunt S. Iſidorus, S. Beatus; & Freculphus, qui poſterior phraſin præcedentium imitatus, poſt enumeratas ſingulorum Apoſtolorum ſortes tomulo 2 Chronicorum lib. 2 cap. 4 ita diſertè concludit: Paulo autem cum ceteris Apoſtolis nulla ſors propria traditur, quia in omnibus gentibus magiſter & prædicator eligitur. *Propter hæc clara trium veterum ſcriptorum teſtimonia ſuſpicor, clauſulam S. Juliani Toletani antiſtitis, quam adverſarius in Voce veritatis pag. 107 ſecutus exemplum Natalis Alexandri nobis pro carmine Leonino fruſtra obtrudit, ut in Actis* S. Jacobi *part. 2 § 8 à num. 393 oſtendi, poſt aſſignatas Apoſtolis ſuas provincias ſic emendatiùs legendam eſſe:* Quiſque ſua ſorte Chriſtum ſparſit; ſine ſorte verò per Paulum toto diſpergitur orbe.

cum tamen S. Iſidorus & S. Beatus,

115 *Quidquid ſit de hac meâ corrigendæ lectionis ſuſpicione, quam eruditis codicum Mss. inveſtigatoribus examinandam dumtaxat propono, ex multis ſanctorum Patrum locutionibus colligo, ipſos nullam propriam prædicationis ſortem S. Paulo tribuiſſe: nam S. Gregorius Magnus Papa Romanus hom. 17 in Euangelia depingens extremum judicium, in quo Apoſtoli cum populis à ſe converſis comparebunt, inter alios de prædicatione S. Pauli ſic loquitur:* Ibi Petrus cum Judea converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit; ibi Paulus converſum, ut ita dicam, mundum ducens; ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Joannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectu ſui Judicis converſam ducet. *Hinc antiquus ſcriptor, quem Villalpandus noſter ſub nomine S. Remigii Rhemenſis edidit, in caput 1 epiſtolæ ad Romanos de S. Paulo ita ſcribit:* Cum reliqui Apoſtoli ſingulis in locis prædicaſſent, verbi gratiâ Andreas Achaiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, ille omnibus gentibus & omnibus regnis prædicator exſtitit. *Hinc etiam Apoſtolus ille à Chryſoſtomo paſſim* magiſter *aut* prædicator orbis *appellatur. Denique ex variis S. Hieronymi phraſibus ſimilia deduci poſſunt.*

aliique veteres prædicationi iſtius Apoſtoli totum mundum aſſignent;

B

116 *Quod ſi forte quis ex ſectatoribus R. P. Michaëlis reſpondeat, Patres illos hîc hyperbole uſos eſſe, ſaltem id nemo aſſerere poterit de Actibus Apoſtolorum, epiſtolis Pauli, aliiſque antiquis ſcriptoribus, quando hiſtoricè narrant, S. Paulum in Cypro, Pamphilia, Piſidia, Lycaonia, Syria, Arabia, Galatia, Phrygia, Macedonia, Aſia, Græcia, Achaia, Illyrico, Italia & Hiſpania Chriſtianam doctrinam promulgaſſe. Jam ab adverſariis diſcere cupio, an S. Paulus omnes illas regiones pro ſorte ſua acceperit. Si affirmant, quænam igitur fuit ſors Petri, Andreæ, Joannis, & Philippi, quibus variæ ex illis provinciis obtigerunt? Si cum adverſario dicant, Hiſpaniam fuiſſe ſortem S. Pauli, cur id potius de Hiſpania, quam de aliis provinciis jam enumeratis aſſerunt? Quapropter rotundè illam adverſariorum aſſertionem negabimus, cum nullus ex ſanctis Patribus Hiſpaniam S. Paulo pro ſorte aſſignet, quamvis plures ex iis tradant, ipſum in Hiſpania prædicaſſe. Quod ſi ex Hiſpanica S. Pauli prædicatione inferant, ſortitò illam provinciam ei obtigiſſe, idem dici poterit de omnibus ſupradictis regionibus, in quibus S. Paulus Chriſtum annuntiavit, atque ita mox propoſita difficultas recurrit.*

quam prædicationis latitudinem dum adverſarii explicabunt

C

117 *His reſponſionibus præcluditur effugium R. P. Michaëli, qui loco proximè citato vim argumenti noſtri fruſtra eludere nititur his verbis:* Quod verò Apoſtolus (*nempe Paulus, de quo hic ſermo eſt*) etiam in aliis pluribus regionibus prædicaverit, hinc ſolùm ſequitur, ſortem Paulo datam fuiſſe latiorem ſeu ampliorem, quam ſortes ſingulis aliis Apoſtolis datæ; at Hiſpaniam Paulo ſorte datam conſtat ex unanimi conſenſu ſanctorum Patrum (*adverſarius hîc prodit temerariam confidentiam, cum nullus ſanctorum Patrum de Paulina illa ſorte meminerit;*) ex quo potius ſequitur, Hiſpaniam non Jacobo, ſed Paulo ſortitò obtigiſſe: nam Hieronymus non eamdem eaſdemque provincias duplici Apoſtolo diviſas aſſerit, ſed aliam vel alias huic, aliam alii.

D

cum R. P. Michaële de ampliore hujus Apoſtoli ſorte,

118 *At R. P. Michaël hîc in fine nobis imprudenter ſuppeditat arma, quibus ipſemet vulneretur: ſi enim S. Hieronymus in hoc teſtimonio* non eamdem eaſdemve provincias duplici Apoſtolo diviſas aſſerit, ſed aliam vel alias huic, aliam alii, *quomodo adverſarius in Voce veritatis pag. 147 potuit S. Paulo Græciam, Illyricum, & Hiſpaniam pro ſorte propria aſſignare, cum illæ regiones etiam aliis Apoſtolis ſortitò obtigerint, ut ſancti Patres ac antiqui ſcriptores teſtantur? Si hoc loco* Hieronymus non eamdem eaſdemve provincias duplici Apoſtolo diviſas aſſerit, *quomodo idem ſanctus Doctor ſupra num. 104 laudatus S. Bartholomæo & S. Thomæ Indicam prædicationem adſcribit? Denique ex hac adverſarii clauſula ſequitur, ut Hieronymus totam illam Apoſtolorum diviſionem reſtrinxerit ad duos Apoſtolos, quorum unus ad Indiam, alter ad Græciam, Illyricum, & Hiſpaniam perrexit. Quis autem hanc conſequentiam admittet, ſi attentè textum Hieronymi expenderit? Ex his concludo, ſanctum Doctorem hîc dumtaxat generaliter egiſſe de præcipuis ac vaſtis regionibus, quæ Apoſtolis diſtributæ ſunt, ſive in iis unus ſive plures Apoſtoli Euangelium prædicaverint.*

magis ſe conſtringent.

E

119 *Nunc ſupereſt, ut R. P. Michaëlem urgeamus altero S. Hieronymi teſtimonio, cujus fundamentum habemus in Euangelio Matthæi, qui cap. 4 ℣ 18 & ſequentibus de vocatione quorumdam Apoſtolorum ita ſcribit:* Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ (*hoc apud Lucam cap. 5 ℣ 1* ſtagnum Geneſareth, *& apud Joannem cap. 6 ℣ 1* mare Tiberiadis *appellatur*) vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos. Illi autem ſtatim, relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum. *Marcus cap. 1 ℣ 16 & ſequentibus ſimilia eodem fere modo narrat.*

Denique adverſarius preſſus textu Euangelico,

F

120 *Evidenter ad hæc Euangeliſtarum verba alluſit S. Hieronymus, dum in Commentariis ad caput 42 Iſaiæ, tomo 3 editionis ſupradictæ col. 319 ſic ſcripſit:* Apoſtolos enim videns Jeſus in littore juxta mare Genezareth reficientes retia ſua, vocavit & miſit in magnum mare, ut de piſcatoribus piſcium faceret hominum piſcatores, qui de Jeruſalem uſque ad Illyricum & Hiſpanias Euangelium prædicarunt; capientes in brevi tempore ipſam quoque Romanæ urbis potentiam. *Cum Apoſtoli illi, quos Chriſtus vocavit* reficientes retia ſua, *fuerint* S. Jacobus *& S. Joannes, inde in Actis Jacobeis part. 2 § 5 cum eminentiſſimo Aguirrio intuli, unum ex his duobus Apoſtolis judicio S. Hieronymi in Hiſpania prædicaſſe, ac tandem* S. Jacobo *Hiſpanicam prædicationem proba-*

cum verbis S. Hieronymi conjuncto,

A *habilissimè adscripsi, quia illam nemo S. Joanni assignaverit.*

miris modis se torquet, ut eam auctoritatem effugiat;

121 *Constrictus hoc argumento R. P. Michaël nodum istum solvere aut scindere conatur tali responsione:* Si discursus hic aliquid valet, sequitur, quod, sicut adversarii ex hoc Hieronymi loco inferunt, prædicasse Jacobum in Hispaniâ, ita inferre debuisse (*lege* debuerint *vel* debuissent, *ut syntaxis exigit*) Joannem prædicasse de Hierusalem usque ad Illyricum; sed hæc Joannis prædicatio falsò ex Hieronymo inferretur: ergo & illa Jacobi. Patet, quia auctores isti volunt, illud QUI DE HIERUSALEM USQUE &c. referre ac significare prædicationem filiorum Zebedæi: ergo si Hispania ab istis Jacobo assignatur; pars altera, nempe DE HIERUSALEM USQUE AD ILLYRICUM Joanni debuit assignari, quod tamen falsissimum est. Igitur doctor eloquentissimus, ut sæpe aliàs solet, per synecdochen hîc locutus [est,] sumens partem pro toto, id est dicens
B de Jacobo & Joanne, quod de aliis tantùm Apostolis verum habet.

sed ei omne effugium occluditur,

122 *At unde adversarius tam certò noverat, confectarium illud de Illyrica S. Joannis prædicatione, quod ex proximè citatis S. Hieronymi verbis deduci potest*, falsissimum *esse, ut supra confidenter affirmat? Priùs solidis rationibus probandum erat, quod S. Joannes* de Hierusalem usque ad Illyricum *prædicare non potuerit: nam falsitas hujus prædicationis non rectè eruitur ex solo aliorum scriptorum silentio, cum saltem juxta testimonia veterum auctorum Apostolus ille ab urbe Hierosolymitana semel atque iterum usque ad civitatem Ephesinam pervenerit, & pleraque ipsius expeditiones apostolicas ignoremus, ut apud Tillemontium in Actis S. Joannis tomo* 1 *Monument. eccles. pag.* 335 *& sequentibus videre est. Nec refert, quod S. Paulus quoque* ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum *doctrinam euangelicam annuntiaverit, quia Paulus etiam Ephesi in Asia minore, & in Achaia, aliisque regionibus eamdem docuit, ubi tamen postea S. Joannes, S. Andreas, & alii Apostoli Christum prædicarunt.*

& quanto magis se expedire conatur,

123 *Quandoquidem S. Joannes ad Parthos aliasque remotas gentes discessit, ut in Actis Jacobeis part.* 2 § 5 *num.* 355 *retuli, certe nullo modo est improbabile, illum Epheso ad viciniores Illyrici provincias aliquando navigasse. Huic opinioni aliquod fundamentum præbet Eusebius in editione Valesiana lib.* 3 *cap.* 23, *ubi ex Clemente Alexandrino recitat sequentia:* Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque provincias rogatus
C se contulit, partim ut episcopos constitueret; partim ut ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines, sibi à divino Spiritu indicatos, in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret. *Propter has congruentias & supradictum S. Hieronymi testimonium nobis sit verosimile, S. Joannem inter alias apostolicas excursiones, quas haud dubiè tempore diuturnioris suæ vitæ sæpius fecit, nonnumquam ad Illyricum excurrisse. Nimis ergo temerè adversarius asseruit, Illyricam S. Joannis prædicationem ex hoc posteriori S. Hieronymi testimonio falsissimè inferri.*

AUCTORE G.C.

tanto arctius quanto rationibus aliis

124 *In hac sententia non est recurrendum ad synecdochen: nihilominus R. P. Michaëli gratis ac liberaliter demus, S. Hieronymum synecdoche usum fuisse. At numquam audivi, quod illa rhetoricæ figura possit excedere inviolabiles veritatis terminos, aut sese extendere ultra limites, quos expressæ rerum circumstantiæ ei præfigunt. Quare notari velim, S. Hieronymum hic agere de illis Apostolis, quos Christus* de piscatoribus piscium *fecit* hominum piscatores, *& quos juxta stagnum sen* mare Genesareth *retibus suis occupatos invenit. Atqui ex Euangelio Matthæi & Marci scimus, Petrum, Andream, Jacobum & Joannem hos piscatores fuisse. Ergo S. Hieronymus id nullo*
E *modo intellexit de Paulo, qui nec piscator fuit, nec ita ad apostolatum vocatus est.*

constringitur.

125 *Itaque expressio S. Hieronymi, quæ adjunctis verbis* reficientes retia sua *ad Jacobum & Joannem restringi videtur, tantummodo per synecdochen extendi potest ad quatuor illos piscatores, quod facilè concedemus: nam in ea hypothesi satis commodè intelligimus, quomodo quatuor isti Apostoli Euangelium prædicaverint* de Jerusalem usque ad Illyricum & Hispanias; capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam; *cum Andreas in Illyrico, & Jacobus in Hispania doctrinam Christi annuntiaverint. Petrus verò Romæ docuit, & nil solicitus de magna imperatoris potestate, multos ex primoribus Romanis ad fidem Christianam convertit, atque ita quodammodo cepit* in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam, *quæ etiam juxta priorem nostram sententiam mystico quodam sensu capta est à Joanne, ut in Actis* S. Jacobi *part.* 2 § 5 *num.* 354 *explicui. Libenter diutius cum hoc illustri adversario digladiarer; sed jam me aliò vocant Cælites mensis Augusti, quibus potiùs,*
F *quam genio meo, obtemperandum est. Quapropter R. P. Emmanueli Cætano de Sousa & Hispanis ulteriores* S. Jacobi *vindicias relinquo.*

INDEX HISTORICUS

IN SEPTIMUM TOMUM JULII.

A

Achardus *abbas monaſterii S. Germani Autiſſiodorenſis* 289 b

Achilles (*Paulus*) *S. J. Rector collegii Panormitani ope S. Ignatii ſagas fugat* 812 b c d

Adam *primus abbas monaſterii beatæ Mariæ de Lanchenhemio Ordinis Ciſtercienſis* 169 c

Adelaïs *filia Ludovici Pii imperatoris ex priori conjuge Ermengarde* 275 d

Adelgadus *præſul Hamburgenſis* 865 b

Adelelinus *vel* Adelerinus *abbas S. Lupi Trecenſis* 52 a b

Adelgotus *præſul Magdeburgenſis* 865 b

Adelwoldus *vel* Æthelwoldus *epiſcopus Wintonienſis in Anglia* 317 a b 318 f

Adornus (*Franciſcus*) *S. J. ſpiritualia S. Ignatii exercitia tradidit S. Carolo Borromæo* 787 d

Adulfus *vel* Aldulfus *epiſcopus Roffenſis* 159 d f

Adwinus *vel* Altwinus *epiſcopus Lichfeldenſis in Anglia* 159 d f

Ægidius *vel* Gil (*Petrus*) *S. J. variis quæſtionibus Nicolai Lancicii reſpondet* 432 e 433

Ægidius *epiſcopus Mutinenſis laudat Societatem Jeſu* 504 a b

Ælfredus *rex Angliæ* 315 d 317 e f

Ælius *Ceſetianus Romanæ urbis præfectus* 20 d e f 22 e

Ælius *Dionyſius Romanæ urbis præfectus* 22 e f

Ælwardus *abbas Glaſtonienſis in Anglia* 316 f

Aëtius *cum Attila confligit* 64 d 77 e

Afflitto (*Hannibal d'*) *archiepiſcopus Rhegienſis in Calabria obivit ſpiritualia S. Ignatii Exercitia* 787 f

Agatimbrus *præſul Metenſis* 305 a b

Agazzari (*Alfonſus*) *S. J. vice-præpoſitus domus profeſſæ Romanæ* 604 c

Agricola *fortè altero nomine* Julius, *præfectus Galliarum* 203 e f

Aguilleres (*Conſalvus*) *Brugis S. Ignatium hoſpitio excepit* 439 b

† Albani *martyris tumulum in Anglia veneratur S. Germanus Autiſſiodorenſis* 213 d 214 b c

Albergatus (*Nicolaus*) *S. R. E. Cardinalis* 335 c

Albertus *dux Bavariæ varias litteras dedit ad S. Ignatium* 501 *&* 502. *Fundavit collegium Ingolſtadienſe & Monachienſe Societatis Jeſu* 733 f

Alboïnus *rex Longobardorum* 51 c

Alcantara (*Jacobus de*) *ex Ordine Franciſcano confeſſarius S. Ignatii de Loyola* 431 c

Aldbertus *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 d

† Aldricus *epiſcopus Senonenſis* 127 c

Alexander III *Papa S. Helenam Suecam in numerum Sanctorum retulit* 329 c c

Alexander VII *Papa, dictus antea Fabius Chiſius* 179 a. *Obeuntibus ſpiritualia S. Ignatii Exercitia concedit indulgentias* 786 e

Alexander *Ciſtercienſis abbas, ordine nonus poſt S. Bernardum* 3 b

Alfonſus *rex Caſtellæ* 88 f

Almardus, Alnardus *vel* Alinardus *epiſcopus Lugdunenſis à Menardo Sanctus appellatur* 3 a

† Alodius *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 158 e f *An ſit idem cum Alogio vel Alodio archimandrita?* 211 a 255 e 280 b

Alpinus *epiſcopus Cathalaunicæ civitatis* 70 e 81 f

Altinck (*Joannes*) *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 f

Altovita (*Antonius*) *archiepiſcopus Florentinus* 504 f

Alvarez (*Gabriel*) *S. J. Rector collegii Majoricenſis* 851 b

† Amator *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 193 e f 195 b

† Ambroſius *epiſcopus Mediolanenſis* 157 f

Amicus (*Jacobus Antonius*) *S. J. anno* 1728 *jam moribundus interceſſione S. Ignatii prodigiosè ſanatur* 824 e f

Amigant (*Andreas de*) *Manreſæ S. Ignatium hoſpitio excepit* 784 b

† Anaſtaſius *presbyter, multa à Monothelitis paſſus eſt* 85 f 86

Andoilette (*Petrus*) *abbas S. Lupi Trecenſis* 52 e

Andreas *epiſcopus Pragenſis* 128 f 129 a

Angelo (*Balduinus de*) *S. J. vacillans in ſua vocatione, in ea confirmatur familiari exemplo, quod S. Ignatius de ſe narrabat* 365 a b c

† Anianus *epiſcopus Aurelianenſis* 82 c, 83 b, 200 c, 257 b

† Anthimi *Acta fuerunt conjuncta cum Actis SS. Simplicii, Fauſtini, & Beatricis* 35 e f, 36 a

Antonelli (*Joannes Baptiſta*) *clam abſtulit aliquas B. Joannis Columbini reliquias* 343 e f

Antoninus *Pius imperator quamdiu regnarit?* 26 d

Antonius (*Nicolaus*) *ſcriptor Hiſpanus corrigitur* 410 f

† Apollinaris *Sidonius, epiſcopus Arvernorum, ſcribit S. Lupo Trecenſi* 54 b c d

Aquaviva (*Claudius*) *Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu* 473 c

Aquaviva (*Rodolphus*) *S. J. ab infidelibus occiſus in Salſettana regione* 697 c

Araozius (*Antonius*) *obitis ſpiritualibus S. Ignatii exercitiis, Societati Jeſu adſcriptus* 424 b *Fuit præpoſitus provincialis in Hiſpania* 427 c

Arbieu (*Michael de*) *S. J. ſcripſit de nobili ſtirpe S. Ignatii Loyolæ* 411 d e

Arbizu (*Joannes Baptiſta*) *S. J. contexuit hiſtoriam Ms. collegii Cæſarauguſtani* 834 e f

Arbizu (*Lupercus de*) *fundavit collegium Manreſanum Societatis Jeſu* 785 a b

Archintus (*Philippus*) *Pontificis Romani in Urbe vicarius ſpiritualia S. Ignatii Exercitia approbavit* 426 f, 427 a

Arcones (*Andreas Lucas de*) *S. J. Hiſpanicè edidit Vitam S. Ignatii* 598 c

Ardaricus *rex Gepidarum* 77 e, 79 f

Areſius (*Paulus*) *ex Ordine Theatinorum ad epiſcopatum Derthonenſem aſſumptus* 450 b

Argaïzius (*Gregorius*) *ex Ordine S. Benedicti refellitur* 422 d e f, 444 c

Arias (*Alvarus*) *S. J. aſſerit, S. Ignatium divinitus cognoviſſe Societatem Jeſu à ſe fundandam* 475 a b

Aringhus (*Paulus illuſtravit Romam ſubterraneam*

neam 130 c
Arnaldus *archiepiſcopus Narbonenſis* 129 c
Arnulfus *abbas Arulenſis* 136 e f
Arzius (*Hieronymus*) *amicus S. Ignatii gratum ejus animum expertus eſt* 535 a
Aſpertus *archiepiſcopus Mediolanenſis* 29 a
Aſſerius *epiſcopus Scireburnenſis in Anglia* 315 b d
Aſta *mater S. Olavi martyris* 90 e
Aſtridis, *regis Sueciæ filia, ab Olavo, ſancto Norvegiæ rege, uxor accipitur* 99 b c
Attila *dux Hunnorum urbi Trecenſi extrema minitatur* 64 d
† Auctor *epiſcopus Metenſis* 79 f
Augerius (*Edmundus*) *S. J. teſtatur de propheticò S. Ignatii ſpiritu* 585 c d
Aunarius *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 222 c, 280 c
Autiſſiodorenſes *aliquot epiſcopi ſanctitate inſignes* 280 & 281 e
Auxiliaris *præfectus Galliarum, & Urbis, aut præfectus prætorio per Italiam* 197 c
† Aventinus *presbyter & diſcipulus S. Lupi Trecenſis epiſcopi* 82 a
Avila (*Joannes*) *varios diſcipulos ad S. Ignatium miſit* 571 f. *Quanti faceret S. Ignatium* 750 b.
† Avitus *præſul Viennenſis* 262 f
Avitus *antiſtes Arvernorum* 264 a, 266 a
Aymeric (*Anna de*) *comitiſſa Fuentes, munifica erga ſpeluncam Manreſanam S. Ignatii* 785 d
Azebedo (*Ignatius*) *S. J. cum triginta octo ſociis à Calviniſtis occiſus in mari* 697 d

B

BAcchinius (*Benedictus*) *ſcriptis ſuis antiſtites Ravennates illuſtravit* 181 f
Baccius (*Petrus Jacobus*) *Italicè ſcripſit Vitam S. Philippi Nerii* 521 b
Bacle (*Nicolaus le*) *decanus Trecenſis* 53 b
Badius (*Raphaël*) *nobis communicavit notitiam reliquiarum S. Marthæ, quæ apud Humiliatas moniales ſervantur* 12 a
Balæus (*Joannes*) *ſcriptor hetèrodoxus & mendax reprehenditur* 317 c d
Balduinus *archiepiſcopus Trevirenſis* 308 d
Bandurus (*Anſelmus*) *edidit numiſmata imperatorum Romanorum* 234 f
Barnabitæ *litteris teſtantur, quanti facerent S. Ignatium* 519 b c
Baronius (*Cæſar*) *S. R. E. cardinalis multùm promovit canonizationem S. Ignatii* 604 & 605
† Bartholomæus *Vicentinus ubi fuerit antiſtes* 854 b
Bartholomæus *Carthuſianus Senenſis Vitam B. Petri Petroni, Italicè à Joanne Columbino ſcriptam, Latinè interpolavit* 339 b, 402 d e
Bartolus (*Daniel*) *S. J. Vitam S. Ignatii Italicè conſcripſit* 598 c
Barzæus (*Gaſpar*) *S. J. miſſionarius in Perſia* 170 b
Baſilius *Macedo imperator reædificavit ædem S. Callinici martyris* 40 a
† Baſilius *præſul Cæſarienſis contexuit elogium S. Julittæ martyris* 143 b c & *ſeqq.*
Battorius (*Stephanus*) *rex Poloniæ Societati Jeſu fundavit collegium Claudiopolitanum in Tranſilvania, Rigenſe in Livonia, & Poloſcenſe in finibus Moſcoviæ* 733 f
Baza (*Franciſcus de*) *S. J. Rector collegii Loyolani multa de S. Ignatio nobis ſubminiſtravit* 777 b
Beatillus (*Antonius*) *varia monumenta nobis communicavit* 16 e
Beatrix *aliqua ignota inter Sanctas Hiſpanas à Ferrario refertur* 3 c d
Belcarus (*Feus*) *Italicè conſcripſit Acta B. Joannis Columbini* 335 c f, 336 a
Belfredellus (*Petrus*) *diſcipulus B. Joannis Columbini* 369 a f
Bellarminus (*Robertus*) *S. R. E. Cardinalis poſt mortem in vetus ſepulcrum S. Ignatii tranſlatus* 603 b c
Benedictus I *Papa an inter Sanctos referendus?* 169 f
Benedictus III *Romanus Pontifex* 27 f, 28 d e 29 a
Benedictus XIII *Papa Vincentium à Paulo Beatis adſcripſit* 470 e
Benedictus *monachus Claudioceſtrenſis ſcripſit vitam S. Dubricii* 199 a b
Benenatus *epiſcopus Tuburbitanus in Africa* 146 b.
Bening (*Franciſcus*) *S. J. Rector collegii Camberienſis in Sabaudia* 836 a
Berganza (*Franciſcus de*) *ſcriptor Hiſpanus ex Ordine S. Benedicti refellitur* 462 a b c & *ſeqq.*
Beti (*Faccius*) *diſcipulus B. Joannis Columbini* 383 a
Bettinus (*Antonius*) *epiſcopus Fulginas ex Ordine Jeſuatorum* 345 d
Beyerlinck (*Laurentius*) *ſcriptor Belga* 164 b c
Bidermannus (*Jacobus*) *S. J. Vitam S. Ignatii in compendium redegit* 597 f
Blancus (*Franciſcus*) *archiepiſcopus Compoſtellanus fundavit Compoſtellæ collegium Societatis Jeſu* 734 a
Blaſius (*Chriſtophorus*) *ex Ordine Dominicano ſuaſione B. Joannis Columbini arctiorem paupertatem amplectitur* 372 d 373 e
Bloſius (*Ludovicus*) *abbas Latienſis Societatem Jeſu benevolo affectu proſecutus eſt* 425 e, *Allaboravit, ut Societas Jeſu in Belgium admitteretur* 507 d e f
Bobadilla (*Nicolaus*) *S. J. unus ex primis S. Ignatii ſociis* 441 d, *Recuſat epiſcopatum* 486 a b
Bodo *præſul Tricaſſinus* 52 b
Boëthius (*Hector*) *ſcriptor Hiſtoriæ Scoticæ* 88 d
Boldettus (*Marcus Antonius*) *Italicè edidit obſervationes ad cœmeteria Sanctorum martyrum* 34 d
Boleſius *vulgo* Bouleze (*Joannes*) *quoddam commentum edidit de origine Societatis Jeſu* 436 f, 437
Bollandus (*Joannes*) *S. J. teſtatur de Antverpienſi S. Ignatii hoſpitio* 439 e, 475 b c
Bonafede (*Joſephus*) *Italicè ſcripſit de geſtis, miraculis, ac documentis B. Joannis Columbini* 336 d
Bonannius (*Philippus*) *ſcripſit de Ordinibus religioſis* 344 f
Boninſegnius (*Spinellus*) *tertius præſes generalis Ordinis Jeſuatici* 369 a e
† Borgia (*Franciſcus*) *S. J. librum Exercitiorum S. Ignatii de Loyola obtulit Paulo III Papa approbandum* 420 f, 421 e, 426 e. *Jubet Ribadeneiram ſcribere Vitam S. Ignatii* 655 b
† Borromæus (*Carolus*) *archiepiſcopus Mediolanenſis, & S. R. E. Cardinalis fundavit Mediolani collegium Societatis Jeſu* 734 a. *Sæpius ſpiritualia S. Ignatii Exercitia obivit* 787 d e, 850 e
Borromæus (*Fredericus*) *archiepiſcopus Mediolanenſis, & S. R. E. Cardinalis* 173 a
Boſſuinus (*Joannes*) *abbas Feltwerteuſis in Friſia* 167 f
Bouhours (*Dominicus*) *S. J. Vitam S. Ignatii Gallicè conſcripſit* 598 e

Bour-

Bournaut (*Philippus de*) *Moliſmenſis abbas* 53 b
Bozius (*Thomas*) *librum edidit de ſignis Eccleſiæ* 432 f
Broëtus (*Paſchaſius*) *S. J. unus ex primis S. Ignatii ſociis* 453 e, 700 d
Bromton (*Joannes*) *abbas Jornalenſis in Anglia* 318 e
Broniaco (*Joannes de*) *S. R. E. Cardinalis* 12 c
Brouwershaven (*Adrianus Cornelius de*) *rector univerſitatis Lovanienſis de inſtituto Societatis Jeſu judicium ſuum declarat* 506 e
† Brynulphus *epiſcopus Scarenſis* 127 c. *Scripſit Vitam S. Helenæ Sueciæ* 331 b c, 332 a
Buceius *vel* Butius *epiſcopus Tifernas, amicus B. Joannis Columbini* 376 e, 478 c, 394 a
Bucherius (*Ægidius*) *S. J. edidit antiquum Calendarium Romanæ Eccleſiæ* 130 b
Bulæus (*Cæſar Egaſſius*) *ſcripſit Hiſtoriam univerſitatis Pariſienſis* 410 f. *Huic operi varias ineptias inſeruit* 437 f, 439 f, 440 a
Buonadies (*Michaël Angelus*) *epiſcopus Catanenſis* 827 f, 841 e, 843 c
Buren (*Gerardus de*) *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 e

C

† Cælestinus I *Papa* 194 e, 195 e
Cæleſtinus II *Papa* 865 c
Cærulidens (*Haraldus*) *rex Daniæ* 90 f
Cæſar-Auguſtani *inquiſitores condemnant decretum, quod Sorbona contra Societatem Jeſu tulerat* 507 a b
Caëtanus (*Camillus*) *patriarcha Alexandrinus* 594 f
Caietanus (*Conſtantinus*) *Benedictinus à congregatione Caſſinenſi ejuſdem Ordinis improbatus* 421 e f, 422 a. *Item à Luſitana Benedictinorum congregatione* 422 a b
Calculus (*Willelmus*) *monachus Gemmeticenſis ſcripſit hiſtoriam Normannorum* 94 c
Camera (*Ludovicus Conſalvus à*) *S. J. ſcripſit ſummatim Vitam S. Ignatii ex ore ipſiuſmet Sancti exceptam* 591 f, 592 a
Camargo (*Ludovicus de*) *S. J. præpoſitus domus profeſſæ Antverpienſis* 634 a
† Camelianus *epiſcopus Trecenſis & S. Lupi ſucceſſor* 70 e, 80 a, 82 a
Campegius (*Joannes*) *epiſcopus Bononienſis laudat Societatem Jeſu* 504 b c
Campianus (*Edmundus*) *S. J. ab hæreticis in Anglia occiſus* 697 e
Camus (*Joannes Petrus*) *epiſcopus Bellicenſis laudat ſpiritualia S. Ignatii Exercitia* 786 d e
Caniſius (*Petrus*) *S. J. Germanorum apoſtolus & hæreticorum malleus* 424 d. *Peractis ſpiritualibus S. Ignatii Exercitiis, Societatem Jeſu ingreditur* 482 b
Cannicarus (*Thomas*) *S. J., infirmarius S. Ignatii, reſpondet variis quæſtionibus, ſibi circa mortem Sancti à P. Lancicio propoſitis* 511 *& ſeqq.*
Cant (*Petrus*) *S. J. in epiſtola deſcribit Montem Serratum* 414 d e f. *Varia narrat de gloria poſthuma S. Ignatii, quæ Manreſæ ſupereſt* 783 f, 784 a, 785 a. *Item de Barcinonenſi* 791 e f
Canus (*Melchior*) *ex Ordine Prædicatorum Societati Jeſu injurius* 426 e, 429 a, 472 e, 525 e, 556 a, 712 b, 714 f
Canutus, *cognomento Magnus, rex Daniæ* 102 f, 103
Canutus *filius Suenonis, regis Daniæ* 93 a b
Capgravius (*Joannes*) *edidit Legendam Sanctorum Angliæ* 316 b c
Caraffa (*Joannes Petrus*) *poſtea ſub nomine Pauli IV Romanus Pontifex* 455 b c d, 654 d
Cardona (*Joannes Baptiſta*) *epiſcopus Vicenſis* 783 c
Cardona (*Joannes*) *prorex Navarræ* 413 f
Carneiro (*Antonius*) *abbas generalis congregationis Luſitanæ Benedictinorum* 422 c
Carnolius (*Aloyſius*) *S. J. ſcripſit Italicè Vitam S. Ignatii Loyolæ* 409 f, 598 e
Carolus *epiſcopus Novarienſis compoſuit hiſtoriam Mediolanenſem* 171 f, 173 b c
Carolus V *imperator* 413 c. *Fundavit collegium Panormitanum Societatis Jeſu* 733 f
Carolus Magnus *Ludovici Pii pater, & Caroli Calvi avus* 222 b, 223 d
Carolus *Calvus imperator* 29 a, 192 c d e, 221 e
Carolus *rex Suecorum & Gothorum* 329 c
Carolus *archidux Auſtriæ fundavit collegium Græcenſe Societatis Jeſu* 733 f
Carrera (*Franciſcus*) *contexuit elogia ſanctorum Siculorum* 176 c
Cartuſiani *varii teſtantur, S. Ignatium prædixiſſe, condendam à ſe Societatem Jeſu* 447 *&* 448. *Naſcentem Societatem magnâ benevolentiâ affecerunt.* 482 *&* ſeqq. *Hinc mutua meritorum communicatio inter utrumque Ordinem* 482 e, 707
Carvajalius (*Gutterius*) *epiſcopus Placentinus fundavit collegium Societatis Jeſu Placentiæ in Hiſpania* 742 d e
Caſa-Nova (*Innocentius*) *ex ſuppreſſo Jeſuatorum Ordine uſque ad annum* 1726 *ſuperfuit* 351 e
Caſarubio (*Joannes de*) *S. J. Rector collegii Antiquarienſis* 840 f
† Caſſianus *epiſcopus Auguſtodunenſis ex tumulo S. Germanum Autiſſiodorenſem alloquitur* 217 c
Caſtaldus (*Joannes Baptiſta*) *contendit, S. Ignatium petiiſſe, ut in Ordinem Theatinorum admitteretur* 448 f
† Caſtritianus *præſul Mediolanenſis* 171 b, 172 c, 173 b
Caſtrius (*Lambertus*) *S. J. apud Cartuſianos Colonienſes ſepultus* 482 c
Caſtro (*Alfonſus à*) *S. J. ab infidelibus interfectus* 697 b
Caſtro (*Joannes de*) *Cartuſianus ex S. Ignatio diſcit, condendam Societatem Jeſu* 447
Caſtro (*Jacobus à*) *epiſcopus Ruræmundenſis approbat miraculum interceſſione S. Ignatii patratum Ruræmundæ.* 840 d e
Catherinot (*Nicolaus*) *edidit Sanctuarium Bituricenſe* 131 e
Cazorla (*Andreas*) *S. J. præpoſitus provincialis provinciæ Bæticæ* 472 f
† Cenſurius *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 191 e, 201 a, 255 f
Ceparius (*Virgilius*) *S. J. direxit S. Mariam Magdalenam de Pazzis in obeundis ſpiritualibus S. Ignatii Exercitiis* 788 a
Cerda (*Melchior de la*) *putat, S. Ignatium adhuc infantem prænuntiaſſe ſuum nomen* 409 f
Cerretana (*Blaſia*) *uxor B. Joannis Columbini* 355 a. *Beati mariti ſui ſepulcrum ornat* 398
Cervioni (*Thomas*) *epiſcopus Faventinus approbat recens miraculum interceſſione S. Ignatii patratum* 824 d e
Chailly (*Joannes de*) *abbas S. Lupi Trecenſis* 52 f
Chamerota (*Joannes*) *S. J. affirmat, S. Ignatio typum Societatis Jeſu, à ſe fundandæ, divinitus fuiſſe revelatum* 475 b
Charibertus *Pariſiorum rex Ingobergam legitimam conju-*

conjugem repudiavit 265 f
Charlat (*Quintinus*) *S. F. non diu post ingressum Religionis constituitur à S. Ignatio rector collegii Romani* 573 c
Chelidonius *episcopus Vesontionensis* 195 a, 196 c
Chlodosvinda *regina Longobardorum* 51 c
Christina *filia Haconis, regis Norvegiæ* 88 f
† Chrothildis *regina Franciæ, Clodovei primi conjux* 185 e, 263
Cisneros (*Garcias de*) *composuit quemdam librum Exercitiorum spiritualium.* 419 e, 420 b c. *Differt ab Exercitiis S. Ignatii de Loyola* 421 a b, 422 f
Clanones *vel* Chanones (*Joannes*) *ex Ordine S. Benedicti fuit in Monte Serrato confessarius S. Ignatii de Loyola* 415 b c
Claudius (*Joannes*) *Hugonottus Gallus varios è Societate Jesu occidit* 697 d
Clavius (*Christophorus*) *S. F. testatur de translatione corporis S. Ignatii* 600 b
Clemens IX *Papa suppressit Ordinem Jesuatorum* 345 a, 451. *Festum S. Ignatii sub ritu duplici celebrari præcepit* 627 a b
Clemens X *Papa concedit Assistentiæ Hispanicæ & Germanicæ Societatis Jesu, ut Officium S. Ignatii singulis hebdomadis recitetur* 627 c d e
Clericorum *regularium Religio est Societas Jesu* 471 a b
Cleves (*Catharina de*) *dux Guisiæ accepit reliquias S. Ignatii* 631 b
Cleyn (*Franciscus de*) *S. F provincialis provinvinciæ Flandro-Belgicæ* 633 b
Clodovæus *rex Francorum intercessione S. Marthæ à gravi ægritudine sanatus dicitur* 5 d, 6 b, 11 e,
Clotarius I *Galliæ monarcha* 265 d f
Codrettus (*Hannibal*) *S. F. familiaris S. Ignatio multa de eo retulit* 527 d. *Latinè reddidit Vitam ex ore ipsiusmet sancti Ignatii exceptam* 592 d
Codurius (*Joannes*) *S. F. inter primos S. Ignatii socios* 453 e, 699 e f
Cointerel (*Natalis*) *abbas Ordinis Cistercienſis in Normannia* 631 c d
Combefisius (*Franciscus*) *opera S. Maximi Græco-Latinè edidit* 85 f
Conradus *avunculus Caroli Calvi* 273 c, 275 d
Conradus *rex Romanorum* 865 c
Conradus *abbas monasterii Senonensis S. Columbæ* 275 e
Consalvus (*Ludovicus*) *S. F. Vitam S. Ignatii de Loyola ex ipsius Sancti narratione breviter conscripsit* 416 c
Constantius *imperator Arianus S. Felicem Papam martyrio affici permisit* 46 a b, 50 d e
Constantius, *scriptor Vitæ S. Germani Autissiodorensis, quis fuerit?* 191 c d. 255 f, 256
Constantini *quatuor istius nominis patriarchæ Constantinopolitani distinguuntur* 84
Constantinus *Veglanensis episcopus* 450 b
Contarenus *S. R. E. Cardinalis S. Ignatio per literas significat, brevi approbandum esse institutum Societatis Jesu* 466 f, 467 a
†Corcodemi *Martyris mirâ revelatio* 207 c & seq.
Cordova (*Petrus Hieronymus*) *S. F. provincialis provinciæ Castellanæ* 630 f
Coret (*Jacobus*) *S. F. Vitam S. Ignatii Loyolæ sub quinto Apocalypseos angelo adumbravit* 413 a, 598 e
Corneus (*Fulvius*) *S. R. E. Cardinalis fundavit collegium Perusinum Societatis Jesu* 734 a
Correa (*Petrus*) *S. F. ab infidelibus occisus in Brasilia* 697 b, 743 f, 744 a
Corsettus (*Antonius*) *Ordinem Jesuatorum contra adversarios scriptis defendit* 351 a
Cosmus II *dux Florentiæ* 505 c
Costa (*Joannes*) *postea Legionensis episcopus spiritualia S. Ignatii Exercitia contra calumniatores defendit* 427 c e
Costerus (*Franciscus*) *S. F. in risum propensus salutare monitum à S. Ignatio accipit* 543 e f. *Detulit Bruxellas candelam, cum qua S. Ignatius animam Deo reddidit* 633 c d
Cottamus (*Thomas*) *S. F. in Anglia ab hæreticis trucidatus* 697 e
Cousinetus (*Jacobus*) *Vitam S. Lupi Trecensis copiosissimis notis illustravit* 57 c
Criminalis (*Antonius*) *S. F. interficitur in India ab infidelibus* 525 e, 697 b
Cuellar (*Joannes*) *Antverpiæ S. Ignatium hospitio excepit* 439 e, 475 c
Cueva (*Bartholomæus à*) *S. R. E. Cardinalis quam tenero affectu dilexerit S. Ignatium* 519 d
† Cyrillus *ad sedem Hierosolymitanam promotus fuit ab Arianorum factione* 49 b

D

Daniel *episcopus Wentanus in Anglia* 159 d e f
Daniel (*Gabriel*) *S. F. historicus Gallus* 413 a
Daventria (*Jacobus de*) *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Daventria (*Regnerus de*) *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 f
Davinus (*Joannes*) *episcopus Namurcensis* 846 c
Deiotarus *rex Paphlagoniæ* 39 e
Delis (*Margareta*) *Bononiæ videt S. Ignatium eodem tempore, quo ipse Romæ mortuus est* 513 c d
Desbois (*Engelbertus*) *episcopus Namurcensis* 846 c
Desiderius *episcopus Viennensis* 265 e
Desiderius *episcopus Autissiodorensis* 265 d e
† Desiderius *episcopus Autissiodorensis* 190 d
Diaz (*Petrus*) *S. F. cum sociis à Calvinistis occisus* 697 d
Diceto (*Radulphus de*) *scriptor Anglus* 159 e
Diertins (*Ignatius*) *S. F. spiritualia S. Ignatii Exercitia explanavit* 423 b
Dini (*Franciscus*) *Acta SS. Floræ & Lucillæ, aliorumque martyrum defendit* 13 c, 19 e
† Dionysius *Alexandrinus testatur, Philippum imperatorem Christianis favisse* 134 a
Dockum (*Hermannus à*) *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 f
Dolanus (*Claudius Marius*) *S. F. Rector collegii Camberiensis in Sabaudia* 836 a
Domenec (*Antonius Vincentius*) *collegit monumenta de Sanctis Cataloniæ* 137 a c, 138 d
Domenecus (*Hieronymus*) *S. F. Societatem Jesu in Belgium induxit* 703 b 704 b
Dominicus *à Monticello, discipulus B. Joannis Columbini* 381 d, 382 c, 405 a
Dottis (*Gaspar de*) *innocentiam S. Ignatii contra calumniatores publico scripto declarat* 458 a b c
Dunstanus *abbas Glastonienſis in Anglia* 316 e f
† Dunstanus *archiepiscopus Cantuarienſis an à Dunstano abbate Glastonienſi distinguendus sit?* 316 f, 317 a
Durannus *abbas Selebienſis in Anglia* 296 d

E

EGgericus *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 d
Eguia (*Jacobus & Stephanus de*) *fratres per spiritualia S. Ignatii Exercitia ad institutum*

Societatis Jesu amplectendum inducti 424 b
Eguia (*Jacobus*) *S. J. fuit confessarius S. Ignatii* 512 b. *Quanti faceret sanctitatem Ignatii* 516 a b, 559 c
† Eligius *episcopus Noviomensis ecclesiam Deo consecravit sub titulo S. Lupi Trecensis* 53 c
† Elladius *episcopus Autissiodorensis* 207 f, 208 f
Emma *regina Francorum* 286 f, 287 e
† Enneco *ex Ordine S. Benedicti* 409 d e
Enriquez (*Leo*) *S. J. anno ætatis vigesimo tertio sacerdos consecratus statim jubetur agere præfectum spiritus in collegio Conimbricensi* 573 d
Eocharis *rex Alanorum* 216 f, 259 e
Erardus (*Edmundus*) *S. Martini in areis abbas* 53 b
Erbernus *archiepiscopus Turonensis an Sanctis sit adscribendus.* 171 a b
Ericus, *cognomento victoriosus, rex Sueciæ* 91 a
Ericus XIV *rex Sueciæ* 113 d
† Ericus *est patronus ecclesiæ Upsaliensis* 88 c
Ermengarda *prior conjux Ludovici Pii imperatoris* 275 d
Ethelredus *rex Angliæ* 94 c
Ethelwolfus *Visi-Saxonum rex* 315 a
† Eutaristus *Papa* 171 f, 172 d
† Eucherius *episcopus Lugdunensis laudat S. Lupum Trecensem* 54 a
Eugenius III *Papa fuit discipulus S. Bernardi* 865 c
† Eupronius *episcopus Augustodunensis* 66 c
Eurardus *vel* Everardus *abbas S. Lupi Trecensis* 52 d
† Eusebius *Vercellensis* 176 d, 260 f, 261 a, 262 e f
† Eusebius *Romanus colitur die* XIV *Augusti* 47 a
Eusebius *Nicomediensis rebaptizavit Constantium imperatorem Arianum* 46 a b
Eustachia *dicitur fuisse uxor S. Germani Autissiodorensis* 203 d
Eysengrenius (*Guilielmus*) *corrigitur* 593 e
Eystenus *archiepiscopus Nidrosiensis in Norvegia* 112 b c
Eyzo *abbas Feltwertensis in Frisia.* 167 d

F

FAber (*Petrus*) *S. J. primus S. Ignatii socius* 440 f, 441 a, 453 d, 454 b, 700 e f, 706 & 407
Faber (*Carolus*) *varia nobis suggessit monumenta Provinciæ* 4 f
Facundes (*Manuel*) *S. J. Rector collegii Conimbricensis* 853 f
Falletti (*Antonius*) *S. J. Provincialis provinciæ Mediolanensis subministravit varia de usu & fructu, quem Exercitia S. Ignatii habent in ditione Subalpina & vicinis provinciis* 789 & 790.
Farnesius (*Odoardus*) *S. R. E. Cardinalis honorificum tumulum erigi jussit Cardinali Bellarmino* 603 b c
Farnesius (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis fundavit Societati Jesu collegium Monte Regali in Sicilia* 733 f, 734 a, 742 f
Faustinus *presbyter Luciferianus S. Felicem Papam falsò accusat* 44 c d
Ferdinandus I *imperator varias epistolas scribit ad S. Ignatium* 496 & seqq. *Fundavit diversa collegia Societatis Jesu* 733 f
Ferdinandus *rex Hispaniæ* 411 c, 413 c
† Ferrerius (*Vincentius*) *à quibusdam dicitur Societatem Jesu prænuntiasse* 475 d
Ferrerius (*Franciscus*) *in S. Ignatium & socios injurius publicâ sententiâ condemnatur* 485 d e f
Ficherellus (*Vincentius*) *S. J. Rector collegii Pistoriensis* 851 d
Florentius *Wigornienſis historicus Anglus* 93 a c
Fonseca (*Alfonsus*) *archiepiscopus Toletanus* 672 b
Forjot (*Nicolaus*) *abbas S. Lupi Trecensis* 52 f, 53 a
Fortezza (*Franciscus*) *antistes Syracusanus in Sicilia* 829 c d
Fortin (*Joanna*) *mater S. Guilielmi episcopi Briocensis* 121 c
Foscararius (*Ægidius*) *Magister sacri palatii spiritualia S. Ignatii Exercitia commendavit & approbavit* 426 f, 427 a
Four (*Franciscus du*) *S. J. Rector collegii Camberiensis in Sabaudia* 836 b d
Franciscus *à Monticello, discipulus B. Joannis Columbini* 381 e, 382 e
Fraternus *episcopus Autissiodorensis* 255 e, 280 a b
Fredericus *præsul Magdeburgensis* 865 c
Fredericus II *rex Daniæ* 96 f
Fredericus III *imperator* 411 e
Freminius *præsul Metensis* 305 b
Fronto *dicitur fuisse præsul Petragoricensis ecclesiæ* 11 d e
Frusius (*Andreas*) *S. J. spiritualia S. Ignatii Exercitia Latinè vertit* 426 f, 523 c
Fulbertus *episcopus Carnotensis* 193 e
Fuxo (*de*) *Cardinalis, & legatus Avenionensis* 7 a

G

GAlba *imperator Romanus* 138 d
Gallarati (*Petrus*) *S. J. suggessit notitiam de Exercitiis S. Ignatii, quæ Mediolani obeuntur* 788 f, 789 a b
Gallonius (*Antonius*) *edidit Historiam sanctarum virginum Romanarum* 19 a
Gallorum *regum ac principum erga S. Germani Autissiodorensis reliquias veneratio & munificentia* 185 f, 186 a b
† Gallus *antistes Claromontanus* 166 a
Galterus *abbas Selebiensis in Anglia* 292 e
Gamans (*Joannes*) *officiosissimus operis nostri promotor & adjutor* 307 e
Ganus (*Christophorus*) *scripsit de gestis S. Joannis Columbini* 335 b
Garcia (*Martinus*) *frater S. Ignatii de Loyola* 414 c, 445 f
Garcia (*Franciscus*) *S. J. non ita pridem Hispanicè edidit Vitam S. Ignatii Loyolæ* 410 a, 598 f
Garibay (*Stephanus*) *historicus Hispanus* 410 d, 319 c
Gasparis (*Nicolaus*) *Antverpiam attulit reliquias S. Hathebrandi* 163 & 164
† Genovefa *velum accipit à S. Germano episcopo Autissiodorensi* 74 d, 75 d, 211 f, 212 a b, 216 c
Gerardus I *episcopus Cameracensis* 169 c
Gerardus *abbas S. Lupi Trecensis* 52 d
† Germanus *episcopus Parisiensis* 185 c
Germanus *abbas Selebiensis in Anglia* 301 e, 302 d e
Gervasius, *scriptor Anglus seculi* XII 159 c
Gil *vel* Ægidius (*Petrus*) *S. J. variis quæstionibus Nicolai Lancicii respondet* 432 e, 433
Gillot (*Savinus*) *Rippatorii abbas* 53 b
Giron (*Franciscus*) *S. J. Rector collegii Salmanticensis* 419 d e
Gisio (*Jacobus*) *chronologiam rerum Septemtrionalium ex aliis auctoribus collegit* 91 e
Gitro *invasor Angliæ fit Christianus* 328 & 329

Giuſſanus (*Joannes Petrus*) *ſcripſit Vitam S. Caroli Borromæi* 787 e
Glaber (*Rodulphus*) *hiſtoricus, & aliquandò monachus Autiſſiodorenſis* 289 c. *Interceſſione S. Germani prodigiosè ſanatus eſt* 290 c d
Glandorpius (*Joannes*) *edidit Onomaſticon Romanum* 14 f
Godinus *Bracarenſis epiſcopus* 129 e
Gogordanus (*Pontius*) *S. J. Romæ habitavit cum S. Ignatio* 592 b e
Gomez (*Chriſtophorus*) *S. J. collegit varia elogia de Societate Jeſu* 519 e
Gonzalez *de Mendoza* (*Petrus*) *archiepiſcopus Granatenſis conſcripſit Hiſtoriam Salicenſem* 19 b
Gonzalez (*Thyrſus*) *Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu magnificum ſacellum erexit Romæ S. Ignatio* 847
Gordianus *imperator varias de Perſis victorias retulit* 133 f
Goveanus (*Jacobus*) *S. Ignatium magnis laudibus proſecutus eſt* 440 a b
Gramacius *præſul Metenſis* 305 b
Granatenſis (*Ludovicus*) *magni faciebat S. Ignatium* 519 a
Grave (*Joannes*) *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 e
† Gregorius *Papa teſtatur per brandea ſeu pannos, reliquiis ſanctorum admotos, miracula patrari* 33 f, 34 a
† Gregorius *Turonenſis meminit de baſilica S. Lupi Trecenſis epiſcopi* 51 c
Gregorius III *Pontifex Romanus* 159 e
Gregorius XI *Papa in honorem S. Marthæ ſumptuoſam aram exexit* 8 f. *Ordinem Jeſuatorum confirmavit* 347 b
Gregorius XIII *Papa miſit ad reginam Hiſpaniæ corpus cujuſdam S. Beatricis* 35 d. *Nomen S. Joannis Columbini Martyrologio Romano inſeri juſſit* 334 e, 335 a. *Confirmat inſtitutum Societatis Jeſu* 723 & ſeqq. *Fundavit collegium Romanum ejuſdem Societatis* 733 d e
Gregorius XIV *Papa cognomen Jeſu Societati noſtræ aſſeruit* 473 d
Gregorius XV *Papa Ignatium de Loyola ſolenniter numero Sanctorum adſcripſit* 623 & ſeqq.
Gretſerus (*Jacobus*) *S. J. Vitam S. Ignatii vindicavit à calumniis Luthi Miſeni hæretici* 519 e f, 588 f, 589 a, 597 d
Grimkel *epiſcopus, quem S. Olavus rex ſecum ex Anglia in Norvegiam duxit* 96 b c d
Groenskè (*Haraldus*) *pater S. Olavi martyris* 90 e f, 91 b
Gruterus (*Janus*) *edidit novemdecim ſcriptores Hiſtoriæ Auguſtæ* 15 b
Gualdricus *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 190 c
Gualla (*Jacobus*) *edidit Sanctuarium Papiæ* 135 e
Gudbrandus *avus maternus S. Olavi martyris* 91 f
Guelfaccius (*Thomas*) *à Joanne Columbino mirabiliter ad frugem reducitur* 371 a f
Guelfo *vel* Welfo *abbas monaſterii Centulenſis S. Richarii, & Senonenſis S. Columbæ* 275 e
Guerrerius (*Petrus*) *archiepiſcopus Granatenſis fundavit Granatæ collegium Societatis Jeſu* 734 a, 742 d
Guerrois (*Nicolaus des*) *Gallicè conſcripſit Hiſtoriam eccleſiaſticam præſertim diœceſis Trecenſis* 31 a, 51 a
Guidiccionius (*Bartholomæus*) *S. R. E. Cardinalis primùm adverſatur inſtituto Societatis Jeſu approbando, & poſtea eidem mirificè favet* 468 b
Guido *abbas Ciſtercienſis & epiſcopus Rhemenſis* 129 c
Guilielmus *Malmesburienſis edidit catalogum abbatum Glaſtonienſium* 316 f
Guilielmus *Rameiſienſis ſcripſit Vitam S. Ncoti* 315 f
Guitherus *abbas monaſterii S. Lupi Trecenſis* 52 d e f
Guttamus (*Joannes*) *S. J. à Turcis captus ſolicitudine & curâ paternâ S. Ignatii liberatur* 569 a
Guzman (*Didacus de*) *S. J. teſtatur, quid S. Ignatius de nomine Jeſu, Societati noſtræ indito, ſenſerit* 473 a b
Guzman (*Didacus de*) *archiepiſcopus Hiſpalenſis edidit decretum de feſto S. Ignatii celebrando* 625 b

H

HAco *rex Norvegiæ* 88 f, 96 b
Haeftenus (*Benedictus*) *ex Ordine S. Benedicti corrigitur* 461 f, 462
Hammontanus (*Gerardus*) *Prior Cartuſiæ Colonienſis naſcenti Societati Jeſu impensè favet* 482 b c. *Obit ſpiritualia S. Ignatii Exercitia* 482 d. *Petrus Faber & S. Ignatius ei pro beneficiis gratias agunt* 482 e f, 483 a b. *Reſponſoria ipſius epiſtola ad S. Ignatium* 483 c d
Haraldus, *frater S. Olavi, poſtea rex Norvegiæ* 110 d f, 111, 120
Harduinus (*Joannes*) *S. J. nuper vulgavit Acta conciliorum* 39 e. *Suggeſſit notitiam de S. Lazaro puero martyre, qui in opere noſtro erat omiſſus* 865 f
Harphius (*Henricus*) *ſcripſit Theologiam myſticam* 483 d
Haute (*Bernardus van den*) *S. J. Rector Lovanienſis varia monumenta de S. Ignatio ſubminiſtravit* 522 f
Hectoreus (*Camillus*) *S. J. agit de fructu, qui per ſpiritualia S. Ignatii Exercitia fit Neapoli, & Venetiis in Britanniâ Minore* 788 d e, 789 c
Heldricus *abbas S. Germani Autiſſiodorenſis* 285 d, 287 c d
Helyotus (*Hippolytus*) *Gallicè ſcripſit de Ordinibus religioſis & militaribus* 346 d
Hemmo *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 e
Henao (*Gabriel de*) *illuſtravit Antiquitates Cantabriæ* 410 b
Henricus *abbas Croylandenſis in Angliæ* 319 e f
Henricus *epiſcopus Tricaſſinus* 52 d
Henricus IV *rex Galliarum magnum Miſſarum numerum à Societate Jeſu poſt mortem pro beneficiis obtinuit* 536 f
Henricus VIII *rex Angliæ* 315 a b
Henricus *comes Trecenſis* 61 a
Henricus *rex Luſitaniæ fundavit varia collegia Societatis Jeſu* 733 f
Henricus *Cardinalis fundavit collegium Eborenſe Societatis Jeſu in Luſitania* 742 a
Henricus I *rex Angliæ* 296 d f
Henriquez (*Alfonſus*) *epiſcopus Sidonienſis* 606 e
Herbernus *vel* Heribertus, *archiepiſcopus Turonenſis an Sanctis adſcribendus?* 171 a b
Herbertus *abbas Selebienſis in Anglia* 296 f
Heriboldus *vel* Heribaldus *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 175 f, 278 b
† Hericus *metricè ſcripſit Vitam S. Germani Autiſſiodorenſis, & alia quædam* 192 a b
Heyden (*Henricus vander*) *abbas Villarienſis* 162 f, 163, 164 b c
Hidulphus *archiepiſcopus Trevirenſis* 168 c

Hie-

Hieronymus *secundus præses generalis Ordinis Jesuatici* 385 a b
Higdenus (*Ranulphus*) *historicus Anglus* 198 b
† Hilarius *episcopus Arelatensis* 195 a, 215 b
† Hiltebrandus *socius S. Bonifacii* 164 e
† Honoratus *abbas Lerinensis, & postea archiepiscopus Arelatensis* 61 f, 70 f
Hormisdas *Romanus Pontifex* 305 c f
Hosius (*Jacobus*) *moritur, & S. Ignatius videt ejus animam ad cælum tendere* 459 d, 684 b c
Hospinianus (*Rodolphus*) *hæreticus crassam prodit ignorantiam, quæ carpitur* 351 e f
Hostius (*Jacobus I*) *S. J. primus in Siciliam intravit* 545 b c
Hoyto *abbas Feltwertensi in Frisia* 167 d
Hrærekus *Heidmarchiæ regulus* 97 d e f. *Mansuetudo S. Olavi regis erga illum* 98
Hucbertus *abbas monasterii Agaunensis* 278 f, 281 b c
Hugo *Flaviniacensis scriptor sæculi* XI 51 f. *Laudat S. Lupum Trecensem* 56 a b
Hugo *abbas Selebiensis in Anglia* 297 c, 299 a
Hugo *communiter cognominatus* abbas *à pluribus abbatiis, quas habebat* 275 e
Hugo *episcopus Autissiodorensis* 186 d
Huylenbroucq (*Alphonsus*) *S. J. Societatem Jesu adversus famosos quosdam libellos vindicavit* 474 c

I

Jacobus *Philippus Bergomensis scripsit supplementum Chronicorum* 345 d
Jaius (*Claudius*) *S. J. unus ex primis S. Ignatii sociis* 453 e, 737 c. *Recusat episcopatum Tergestinum* 487 b c d
Ianinus (*Ludovicus*) *S. J. Vitam S. Ignatii à Bartolo Italicè scriptam Latinitate donavit* 598 c d
Jarislaus *Russiæ rex* 99 b
Jesuatorum *Ordo quando institutus* 345 b e
† Ignatius *martyr à S. Ignatio Loyolâ affectu peculiari fuit honoratus* 533 f
Ignatius *abbas monasterii Angelomontani in Helvetia* 32 b c
Imbertus *archiepiscopus Arelatensis* 6 c
Ingigerdis *vel* Ingris *S. Olavo, regi Norvegiæ desponsata* 97 b *Sed dein negata* 99 a b
Ingoberga *regina Franciæ à Chariberto repudiata* 265 f
Ingulphus *abbas Croylandensis in Anglia* 315 b, 318 a
Ingwaldus *episcopus Londinensis* 159 d e f
Innocentii III *Papæ decretum circa infirmos à S. Ignatio instauratum* 480 e f, 481, 704 c. *Etiam nuper à Benedicto XIII renovatum* 481 e f
Innocentius IV *Pontifex Romanus* 121 a d f, 124 f
Innocentius VIII *Romanus Pontifex* 411 c
Joanna *regina Jerusalem & Siciliæ &c.* 6 e
† Joannes *abbas Reomaensis* 289 e
Joannes *episcopus Aretinus* 27 f, 28 d e, 29 a
Joannes *episcopus Autissiodorensis* 289 b
Joannes II *antistes Ravennas* 181 c
Joannes III *rex Lusitaniæ primos patres è Societate Jesu in Indiam mitti curat* 440 b c. *Quanti faceret S. Ignatium* 519 c d. *Fundavit varia collegia Societatis Jesu* 733 f. *Omnia dicta & facta S. Ignatii notari jubet* 592 e
Joannes *Casimirus rex Poloniæ* 847 a b
Joannes *rex Anglorum* 319 e
Joannes *patriarcha Constantinopolitanus* 306 a
Jolanda *uxor Frederici de Lotharingia, ducis Vaudemontii* 7 b e
Jonas *Arngrimus scriptor Islandus carpitur* 90 c, 102 e
Jonus *ex episcopo Stafangrensi fit archiepiscopus Nidrosiensis* 111 f
Isabella *regina Hispaniæ* 411 c
Isicius *episcopus Viennensis* 262 f
Itto *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 d
Juditha *Bavarica secunda uxor Ludovici Pii imperatoris* 275 d
Julius *forte altero nomine* Agricola, *præfectus Galliarum* 202 d, 203 e f
Julius II *Pontifex Romanus* 53 a
Julius III *Papa Petrum Canisium S. J. constituit administratorem episcopatus Viennensis in Austria* 486 c d e f, 487. *Romæ condit collegium Germanicum* 493 b. *Confirmavit Societatem Jesu* 714 & seqq.
Justus *præsul Lugdunensis* 60 d
† Juvenalis *patriarcha Hierosolymitanus in variis ecclesiasticis Græcorum fastis colitur* 855 e f, 856. *Contra varias accusationes defenditur* 860 & seqq.
Juvencius (*Josephus*) *scripsit historiam Societatis Jesu* 593 f. *Narrat quædam S. Ignatii miracula* 799 & seqq.

K

Kalkar (*Henricus*) *scripsit de ordine Cartusianorum* 308 e, 88 c
Katilli (*Nicolaus cognomento Albus*) *archiepiscopus Upsaliensis* 88 c
Kesselius (*Leonardus*) *S. J. Rector Colonensis, S. Ignatium adhuc vivum videre cupiens, miro modo sit voti compos* 587 a
Koributius (*Michael*) *rex Poloniæ* 847 a b

L

Lainius (*Marcus*) *post peracta spiritualia S. Ignatii Exercitia ingreditur Societatem Jesu, quam antea de hæresi suspectam habebat* 424 b c
Lancicius (*Nicolaus*) *S. J. multa de S. Ignatio curiosè inquisivit* 430 f, 432 e f
Landricus *Comes Autissiodorensis* 289 d
Laso (*Alfonsus*) *episcopus Majoricensis* 606 e
Laude (*Josephus Septimius à*) *novam notitiam suggessit de reliquiis S. Marcellinæ* 866 f
Laurentius (*Thomas*) *ex ordine Prædicatorum honorificum de S. Ignatio & Petro Fabro testimonium perhibuit* 444 f, 445 a
Laynez (*Jacobus*) *S. J. tertius S. Ignatii socius* 441 b c, 702 e f, 737 b. *Recusat dignitatem cardinalitiam* 487 e
Leo *à S. Thoma Benedictinus improbatus à Lusitana Benedictinorum congregatione* 422 a b
Leo IX *Papa Christum sub specie pauperis leprosi suscepit* 364 f
Leo XI *Papa Clementi VIII successit* 606 c
Lesmæus (*Gabriel*) *Calvinista laudat spiritualia S. Ignatii Exercitia, dum ea voluit vituperare* 786 f, 787 a b
Liberius *Papa in exsilium mittitur* 47 f
Lindanus (*Henricus*) *S. J. aliqua de cultu S. Helenæ Suecæ suppeditavit* 330 d e
Linek (*Carolus*) *S. J. scribit Vitam S. Ignatii sub Imagine absolutissimæ virtutis* 527 a, 598 f
Llanes (*Bernardus*) *ex ordine S. Dominici, Prior conventus Manresani* 417 a
Loartius (*Gaspar*) *S. J. variis modis à S. Ignatio probatus* 571 f. *Interrogatus, quid de ea pro-*

probatio ne sentiret, acutè respondet 571 f, 572 a
Lodbroch (*Ragnar vel Ragnerus*) *rex Daniæ* 90 f
Loftunga (*Thorarinus*) *poëta Islandus vel Norvegus* 110 b
Lopes (*Franciscus*) *S. J. à Mauris interfectus* 697 c
Lopez *est cognomen familiæ Loyolanæ* 410 c
Lotharingia (*Fredericus de*) *dux Vaudemontius* 7 b e
Lotharingia (*Carolus à*) *episcopus Virdunensis, accepta à Gregorio XV Papa facultate, Societatem Jesu ingreditur* 624 d e. *Fundavit collegium Societatis Jesu Ponte Mossoni* 734 a
Lotharius *Caroli Calvi filius* 223 d
Loyola (*Æmilianus*) *S. J. nepos ex fratre S. Ignatii de Loyola* 424 c
Lucius II *Papa* 865 c
Ludolfus *Saxo ex Ordine Carthusianorum collegit Vitam Christi, cujus lectione forsan conversus est S. Ignatius de Loyola* 414 b c
Ludovicus XI *Franciæ rex lipsanothecam S. Marthæ munificè fieri jussit* 8 b c
Ludovicus *rex Germaniæ* 276 c, 278 b
Ludovicus XIII *rex Galliæ promovet canonizationem S. Ignatii* 610 & 611
Ludovicus *rex Hungariæ* 689 c, 692 a
Ludovicus XII *rex Galliæ* 53 a
Ludovisius (*Ludovicus*) *S. R. E. Cardinalis quid senserit de S. Ignatio* 519 d. *Quam munificus erga ejus memoriam* 845 b c e f
Lugo (*Joannes de*) *S. R. E. Cardinalis* 847 b
Lupus (*Christianus*) *S. Felicem perperam à Pontificatu Romano excludit* 50 b
Lyræus (*Hadrianus*) *S. J. edidit apophthegmata S. Ignatii* 575 a

M

MAchon (*Ambrosius*) *archiepiscopus Calaritanus impensè laudat Petrum Ribadeneiram* 594 c
Maculanis (*Alanus de*) *novam notitiam subministravit de reliquiis S. Marcellinæ* 866 f
Madera (*Joannes*) *conatur S. Ignatio religionem injicere, ut eum à victu mendicando avertat* 438 e f
Maffeius (*Joannes Petrus*) *S. J. eleganter scripsit Vitam S. Ignatii* 597 e
Magarola (*Petrus*) *episcopus Vicensis* 834 f
Magdalena, *Ferdinandi imperatoris filia, fundavit collegium Halense Societatis Jesu* 733 f
Magdalena *soror S. Ignatii litteras ab eo accepit de Communione menstrua* 531 e
† Magnentia *& aliæ virgines* 261 e f, 262 f, 263 a b
Maginus (*Joannes Antonius*) *edidit mappas geographicas Italiæ* 343 e
† Magnericus *præsul Trevirensis* 308 e
Magnus, *cognomento Nudipes, rex Norvegiæ fugit ad insulam Manniæ* 111 e f
Magnus (*Joannes*) *scripsit historiam Gothorum* 87 b, 90 a
Magnus, *filius S. Olavi, succedit patri in regno Norvegiæ* 110 b c. *Prodigiosam ejus opem experitur* 119 e f, 120 a
Maihewius (*Eduardus*) *scripsit Trophæa Sanctorum Anglorum* 314 c, 316 a
Malcolmus IV *Scotiæ rex cum Malcolmo III confunditur* 4 d e
Malderus (*Joannes*) *episcopus Antverpiensis* 161 d f, 162 f, 163 e
† Mamertini *conversio ab idololatria* 206 & 207
† Mammes *vel* Mamas *martyr in Gallia celebris propter translatas eò reliquias* 268 a
Manareus (*Oliverius*) *S. J. testimonium reddit de sanctitate Ignatii* 516 c. *Aliqua improbat circa modum Vitæ Ignatianæ longioris, quam Ribadeneira conscripsit* 596 d e. *Multa de S. Ignatio litteris mandavit* 443, 578 & seqq. *Faciem sancti splendidam videt* 586 b c
Mancinellus (*Julius*) *S. J. revelationem rei cujusdam accepit à S. Ignatio* 537 a, 661 a
Manricus (*Antonius*) *docuit S. Ignatium de Loyola artem militarem* 412 e, 413 c
Manrique (*Alfonsius*) *archiepiscopus Burgensis* 606 e
Manrique *de Lara* (*Maria*) *ducis Najaræ filia, Barcinonense collegium Societatis Jesu perpetuis reditibus firmavit* 734 b
Mansfeld (*Gebehardus à*) *elector Coloniensis* 483 e
† Marcellianus *episcopus Autissiodorensis* 207 f, 208 f
Marcellinus *presbyter Luciferianus famam S. Felicis Papæ turpiter proscindit* 44 c d
Marcellus II *Papa S. Ignatium benevolentissimè excipit* 408 c d. *Quanti eum faceret* 518 e, 749 c
Marcellus *præfectus Galliarum* 197 c
Marchina (*Petrus*) *canonicus collegium Conchense Societatis Jesu perfecit* 742 e
Marcus *episcopus Britanniæ* 198 b
Marescotus (*Ludovicus*) *precibus B. Joannis Columbini adhuc viventis subitò sanatur* 387 d e
Margarita *Austriaca inopiæ collegii Romani societatis Jesu succurrit* 466 d. *Aliquando apud S. Ignatium à noxis expiare animum consueverat. ibid.* e. *Epistola ejusdem ad S. Ignatium ibid.* f
† Mariæ *Ægyptiacæ Vita occasionem conversioni B. Joannis Columbini præbuit* 356 c
Marinus *vel* Martinus *Pontifex Romanus* 317 d e
Martinengus (*Cæsar*) *S. J. Rector collegii Faventini* 824 c
Martines (*Petrus*) *S. J. ab infidelibus truciatus in America* 697 c
† Martinus *episcopus Turonensis* 157 f, 192 f, 194 e
Martinus V *Pontifex Romanus Ordinem Jejunatorum tuetur* 350 a b c
Matresius (*Vincentius*) *S. J. mira aliqua narravit de morientibus in Societate Jesu* 851 f, 852 a b
Matta *& Haro* (*Petrus*) *episcopus Caputaquensis* 843 d e, 844 a
† Mauritius *& alii martyres legionis Thebeæ ubi quiescant* 278 f, 281 b
† Maximus *abbas multa à Monothelitis passus.* 85 f, 86
Mayr (*Georgius*) *S. J. Vitam S. Ignatii Græcè edidit* 531 b
Medicis (*Cosmus de*) *dux Florentiæ* 343 e
† Meletius *ad cathedram Antiochenam evectus fuit ab Arianorum factione* 49 b
Meloduno (*Ludovicus de*) *archiepiscopus Senonensis* 866 e
† Memorii *& sociorum martyrium* 64 e, 78
Mendez (*Alfonsus*) *S. J. ab infidelibus interfectus in India* 697 b
Mendosia (*Maria*) *marchionis Mondejaris filia, fundavit Complutense collegium Societatis Jesu* 734 b
Mendoza (*Franciscus à*) *S. R. E. Cardinalis* 648 c, 649 a b, 673 b, 674 a
Mercurianus (*Everardus*) *Præpositus Generalis*

Societatis Jesu 595 d
Mercurius (*Joannes Andreas*) *archiepiscopus Messanensis & S. R. E. Cardinalis* 505 c
Merovæus *rex Francorum* 77 e
Messenius (*Joannes*) *scripsit de antiquitatibus Suecicis* 331 e
Meursius (*Joannes*) *scripsit historiam Daniæ* 89 f
Michaël *à sancta Maria, qui prædicationem S. Jacobi in Hispania nuper impugnavit, pluribus refellitur* 869 & seqq.
Michomer *discipulus S. Germani Autissiodorensis* 256 e f
Miller (*Joannes*) *S. J. varia collegit miracula & beneficia intercessione S. Ignatii præstita* 836 e
Mingello (*Antonius à*) *discipulus B. Joannis Columbini* 369 a f
Minoritæ *in Ravaria habent reliquias S. Ignatii* 632 a b
Miona (*Emmanuel*) *sacerdos per spiritualia S. Ignatii Exercitia ad Societatem Jesu amplectendam inductus* 424 a. *Scripsit S. Ignatius ad eum epistolam, qua commendat Exercitia spiritualia* 524 c
Miræus (*Aubertus*) *cincinnavit Fastos Belgicos & Burgundicos* 161 f
Miron (*Jacobus*) *spiritualibus S. Ignatii Exercitiis peractis, Societati Jesu se addixit* 424 c. *Fit provincialis Lusitaniæ* 742 c
Modoaldus *episcopus Trevirensis* 307 d
Mola (*Laurentius de*) *Capucinus aliqua mira dixit de morientibus in Societate Jesu* 851 f, 852 a b
Morales (*Jacobus de*) *S. J. Rector collegii Cæsaraugustani* 533 d
Morigia (*Paulus*) *scripsit Italicè historiam Jesuatorum* 333 c, 336 b c
Moronus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis* 493 b
Mothier (*Simon*) *S. J. Martyrologium Romanum cum notis edidit* 131 e
Munsterus (*Sebastianus*) *cosmographiam suam Carolo V imperatori dedicavit* 112 c

N

NAdasi (*Joannes*) *S. J. præter alia scripsit Annum dierum memorabilium Societatis Jesu* 412 a
Naja (*Martinus de la*) *rector collegii nostri Bilbilitani Acta SS. Floræ & Lucillæ Hispanicè edidit* 30 f
Naironus (*Faustus*) *edidit Dissertationem de origine, nomine & religione Maronitarum* 306 d
Natalis (*Hieronymus*) *S. J. apologiam scripsit pro spiritualibus S. Ignatii Exercitiis* 426 d. *Fuit generalis commissarius Societatis Jesu in Hispania* 427 c. *Ob nimiam in suos subditos duritiem à S. Ignatio reprehensus* 567 e
Nemius (*Gaspar*) *episcopus Antverpiensis approbat miraculum intercessione S. Ignatii patratum Antverpiæ* 840 a
Nennius *scripsit historiam Britonum* 198 c. *Sæpe fabulas obtrudit. ibid.* c d e f
Neo *antistes Ravennas* 181 e
† Nerius (*Philippus*) *magni faciebat S. Ignatium* 520 f, 521 a b. *Faciem S. Ignatii splendentem vidit* 586 c, 850 c d
†† Nicasius & *Eutropia martyres* 79 f
Nicetius *episcopus Trevirensis meminit de ecclesia & miraculis S. Lupi Trecensis* 51 c d
Nickel (*Goswinus*) *Præpositus Generalis Societatis Jesu* 573 e, 575 b
Nicolaus I *Pontifex Romanus* 131 e
Nidardus (*Joannes Everardus*) *S. R. E. Cardinalis* 847 b
Nierembergius (*Joannes Eusebius*) *S. J. Hispanicè scripsit Vitam S. Ignatii Loyolæ* 409 f, 598 c
Nieto (*Laurentius*) *abbas Benedictinus Montis Serrati* 415 a b
Nigronius (*Julius*) *S. J. refellit fabulam, quæ asserit, S. Ignatium petiisse, ut in Ordinem Theatinorum admitteretur* 448 e f
Niguſanus (*Vincentius*) *episcopus Arbensis S. Ignatium sacris Ordinibus initiavit* 456 e f, 681 a
Nobilibus (*Romulus de*) *discipulus B. Joannis Columbini* 369 a f
Nordis (*Hermannus*) *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Nordis (*Joannes*) *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Noyelle (*Carolus de*) *Præpositus Generalis Societatis Jesu* 779 e
Nunnius (*Joannes*) *S. J. designatur patriarcha Æthiopiæ* 526 b c, 744 b c d

O

ODescalcus (*Benedictus*) *S. R. E. Cardinalis Mediolani basilicam Ambrosianam munificè restauravit* 866 f
Odilo *abbas Cluniacensis* 289 d e
Olahus (*Nicolaus*) *conscripsit gesta Attilæ ducis Hunnorum* 64 d f
Olai (*Ericus*) *decanus Upsalensis historiam Gothorum & Suecorum compilavit* 90 a
Olavius (*Martinus*) *qui puer S. Ignatio Complutum intranti primus eleemosynam dederat, postea Societatem Jesu ingressus est* 671 a b. *Scripsit apologiam pro Societate Jesu contra decretum Sorbonicum* 502 f, 503 a
Olavus, *cognomento Pacificus, rex Norvegiæ* 111 b
Olavus *rex Suecia* 96 f. *Cum S. Olavo rege Norvegiæ pacem inire cogitur* 97 b
Oliva (*Paulus*) *Præpositus Generalis Societatis Jesu* 627 b c
Olivieri (*Horatius*) *S. J. Assistens Italiæ* 629 a
Ondulphus *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 d
Optatianus *episcopus Trecensis* 77 c
Ordulfus *Saxoniæ dux* 119 e
Orta (*Petrus Franciscus*) *S. J. testatur de ultima translatione corporis S. Ignatii* 602 a b
Ortizius (*Petrus*) *nascenti Societati Jesu infensus, postea eamdem summâ benevolentia prosecutus est* 455 b e
Osbrandus *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Osbrandus *alter abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Osius *Cardinalis fundavit collegium Societatis Jesu Brunsbergæ in Polonia* 734 a
Osketulus *abbas Croylandensis in Anglia* 315 c, 318 a
Osorio (*Petrus de*) *legavit mille ducentas libras ad ornandam spelunçam Manresanam S. Ignatii* 785 d
Ottar, *cognomento Niger, poëta Islandus* 92 a b, 93 c
Ottellius (*Hieronymus*) *S. J. ob imprudentem concionem punitur à S. Ignatio* 546 b c
Oviedus (*Andreas*) *S. J. magna simplicitate consentit, ut S. Ignatius officium Præpositi Generalis deponat* 493 a, 525 f. *Postea fit episcopus in Æthiopia* 526 b c

P

Pace (*Benedictus de*) *tabellio episcopi Tifernatis verbis B. Joannis Columbini miro modo convertitur* 376 c d

Pacheco (*Joannes*) *erexit Villaretanum collegium Societatis Jesu* 734 b

Paganelli (*Elias*) *abbas Selebiensis in Anglia* 299 a

Paiva (*Didacus*) *non fuit scriptor è Societate Jesu, ut perperam asserit Eysengrenius* 593 e

Pallarès (*Franciscus Ignatius*) *S. J. scribit quadam de posthuma S. Ignatii gloria, quæ Barcinone supereſt* 791 b c d e

Palma (*Franciscus*) *S. J. Rector collegii Bononiensis* 513 c d

Pancirolus (*Guidus*) *edidit Notitiam dignitatum imperii* 15 b

Panvinius (*Onuphrius*) *Felicem Martyrem nec pro Papa nec pro Sancto agnoscit* 45 c

Papinus (*Hieronymus*) *ex Ordine Prædicatorum reddit honorificum de Societate Jesu testimonium* 503 a b

Paschalis (*Joannes*) *habet miram visionem de S. Ignatio glorioso, quem antea viventem noverat* 790 e f. 791 a b. *Varia narrat de iis, quæ S. Ignatius Manresæ fecit* 417 d e f, 430 b c

Paschalis (*Agnes*) *Manresæ S. Ignatium de Loyola magnâ benevolentiâ prosecuta est* 417 d e f, 418. *S. Ignatius Hierosolymis ad eam scribit* 429 e

Pasius (*Julius*) *sacerdos anno* 1726 *Faventiæ mirabiliter intercessione S. Ignatii sanatus* 824 a b c

† Patiens *antistes Lugdunensis* 191 e, 200 f

† Patricius *fuit discipulus S. Germani Autissiodorensis* 259 b c

Pauck (*Engelbertus*) *somniat, S. Ignatium de Loyola tertium S. Francisci Ordinem amplexum esse* 416 f

Paulinus *Pistoriensis discipulus B. Joannis Columbini* 380 a d

Paulis (*Laurentius de*) *S. J. procurator, & promotor in canonizatione S. Ignatii de Loyola* 410 b, 432 b

Paulo (*Vincentius à*) *institutor Missionum apostolicarum Beatis adscriptus* 470 e

Paulus III *Romanus Pontifex spiritualia S. Ignatii Exercitia approbavit* 427 b c. *Nascenti Societati Jesu multum favit* 489 & seqq. *Societatem Jesu in religiosum Ordinem erexit* 467 a b

Paulus IV *Pontifex magni faciebat S. Ignatium* 508 d e. *Aliqua in Societate Jesu immutare voluit* 585 c d e

Paulus V *Papa aliquos ex Jesuatis ad sacros Ordines promoveri permisit* 348 c d. *Officio ecclesiastico B. Joannem Columbinum coli permisit* 335 a. *Quando Ecclesiam regere cœperit* 414 a

Payva *Andradius* (*Didacus*) *Societatem Jesu ab hæreticorum mendaciis & calumniis vindicavit* 475 f, 476 a, 493 d e. *Magni faciebat S. Ignatium* 519 b

† Pazzis (*Maria Magdalena de*) *spiritualia S. Ignatii Exercitia in magno pretio habuit, & diligenter promovit* 787 f. *Ea cum magno fructu obivit* 788 a *Quanti faceret Societatem Jesu* 850 e f

Pedrocciùs (*Thomas*) *spiritualibus S. Ignatii Exercitiis adversatur* 427 d

Pedrosa (*Gaspar de*) *S. J. juridicè examinat Vitam S. Ignatii à Petro Ribadeneira scriptam* 594 & seqq.

Pegna (*Joannes*) *magister S. Ignatii in studiis philosophicis* 650 e

Pelagiana *hæresis à quibus in Britanniam sit invecta* 196 a b

Pelletarius (*Joannes*) *S. J. Rector collegii Ferrariensis* 503 a

Penudus *abbas Feltweriensis in Frisia* 167 d

† Peregrinus *primus Autissiodorensium episcopus* 207 c, 208 e

Perez (*Bartholomæus*) *S. J. varia ex Petro Ribadeneira quærit circa mortem S. Ignatii* 513 a b

Perpinianus (*Petrus*) *S. J. Vitam S. Ignatii conscribere meditabatur* 593 d

Petreius (*Theodorus*) *recenset scriptores ex Ordine Cartusianorum* 414 b

Petri *diversi antistites Ravennates distinguendi* 181 e f

Petronius (*Alexander*) *medicus Romanus testatur, se vidisse splendidam S. Ignatii faciem* 586 c d e

† Petrus *Damianus in rebus historicis non facit magnam fidem* 17 d f, 18 a

† Petrus *Chrysologus magni faciebat reliquias S. Germani Autissiodorensis* 185 b, 220 b

Petrus *Pistoriensis, discipulus B. Joannis Columbini* 380 a d

Petrus III *episcopus Aretinus* 28 e f

Philibertus *princeps & Sabaudiæ dux fundavit collegium Camberiense & Taurinense Societatis Jesu* 733 f

Philippus II *rex Hispaniæ quando è vivis excesserit* 414 a

Philippus III *rex Hispaniæ* 413 f, *Quando gubernare cœperit* 414 a

Philippus *episcopus Briocensis* 121 a

Philippus *imperator Decium exercitui Romano præfecit* 133 e

Philippus *frater regis Castellæ Christinam, filiam regis Norvegiæ uxorem duxit* 88 f

Philippus *princeps Hispaniæ, postea secundus istius nominis rex scribit S. Ignatio* 494 b c

Piccolomini *de Aragona* (*Ascanius*) *archiepiscopus Senensis* 344 a

Piccolomineus (*Alphonsus*) *discipulus B. Joannis Columbini* 368 c, 369 e

Piccolomineus (*Bartholomæus*) *discipulus B. Joannis Columbini* 368 c, 369 e

Piccolomineus (*Bindus*) *discipulus B. Joannis Columbini* 368 c, 369 e

Pien (*Ignatius*) *S. J. multa monumenta subministravit de S. Ignatio Loyola* 417 a. *& sæpe alibi.*

Pignatelli (*Hector*) *prorex Catalauniæ* 431 e

Pimentel (*Henricus*) *episcopus Conchensis* 625 b

Piminiola *soror S. Hilarii Arelatensis, & uxor S. Lupi Trecensis* 56 b, 61 a b

Pinchon *vel* Pichon (*Oliverius*) *pater S. Guilielmi episcopi Briocensis* 121 b

Pinellus (*Dominicus*) *S. R. E. Cardinalis* 607 & 608

Pitseus (*Joannes*) *collegit scriptores Anglos* 315 f 216 b

Pius II *Papa veneratus est reliquias B. Joannis Columbini* 333 f, 334 a. *Nomen suum civitati indit* 382 c

Pius IV *Papa edidit decretum de perpetuitate Præpositi Generalis Societatis Jesu* 585 d

Pius (*Rodulphus*) *Carpensis Cardinalis Loretanum Collegium Societatis Jesu condidit* 742 e

Placidia *imperatrix S. Germanum Autissiodorensem honorificè excipit* 219 a b. *Quanti fecerit reliquias S. Germani Autissiodorensis* 185 b d e, 220

Pla-

Placidus *abbas monaſterii Urſinenſis in Germania* 31 e f, 32 a b

Polancus (*Joannes*) *S. J. ſcribit litteras encyclicas de morte S. Ignatii* 509 & 510. *Teſtatur, librum Exercitiorum à S. Ignatio de Loyola compoſitum eſſe* 420 d. *Conſtitutiones S. Ignatii ex idiomate Hiſpanico Latinas fecit* 523 d

Polus *S. R. E. Cardinalis exquirit judicium univerſitatis Lovanienſis circa Societatem Jeſu* 506 f

Polychronius *epiſcopus Babylonis* 132 f, 133 a

Pommerayus (*Franciſcus*) *ſcripſit hiſtoriam archiepiſcoporum Rotomagenſium* 113 d

Ponce (*Ferdinandus*) *S. J. Provinciális provinciæ Bæticæ* 851 c

Pontanus (*Elentherius*) *S. J. diſcipulus S. Ignatii* 556 e. *Sermone S. Ignatii à tentationibus liberatur* 616 f, 617 a

Ponte (*Ludovicus de*) *cognomen Jeſu Societati noſtræ inditum miro exemplo confirmat* 473 f, 474 a

Poppo *archiepiſcopus Trevirenſis* 307 f, 308 d

Portia (*Andreas de*) *eques Ordinis Melitenſis columnam marmoream S. Ignatio erexit* 844 f

Poſati (*Georgius*) *ex Ordine Jeſuatorum jam ſuppreſſo uſque ad annum* 1726 *vixit* 351 e

Poſtellus (*Guilielmus*) *è Societate Jeſu dimittitur* 562 e f, 563 a b c d

Prato (*Guilielmus à*) *epiſcopus Claromontanus ſcribit ad S. Ignatium* 494 f, 495. *Fundat duo collegia Societatis Jeſu* 742 f, 743 a

† Priſci *& ſociorum martyrum corpora S. Germano Autiſſiodorenſi revelata* 258 a b

Protaſius *archidiaconus Urgelitanus* 190 d

Puccius (*Robertus*) *præſul Piſtorienſis & S. R. E. Cardinalis ſpiritualia S. Ignatii Exercitia utiliter obivit* 425 c

Puccius (*Antonius*) *S. R. E. Cardinalis facultatem concedit, ut S. Ignatius ejuſque ſocii ad ſacros Ordines promoveantur* 456 b c d

Puente *& Peña* (*Joſephus de la*) *munificus erga Manreſanam S. Ignatii ſpeluncam* 845 d

Pujol (*Antonius*) *archiepiſcopo Tarraconenſi à cæremoniis & confeſſionibus* 417 e. *Cum S. Ignatio de Loyola Barcinonem diſceſſit.* 418 b

Pulchricomus (*Haraldus*) *primus totius Norvegiæ rex* 90 f, 91 f

Pulchronius *diſcipulus S. Lupi Trecenſis* 56 b, 70 e, 81 e

Pungilupus (*Hermannus vel Armannus*) *auctor hæreſis Fratricellorum* 392 d 394 c

Puteo (*Petrus de*) *canonicus erigere cœpit collegium Conchenſe Societatis Jeſu* 742 e

Q

Quadratus (*Petrus*) *fundat in Hiſpania collegium Societatis Jeſu, ſicut ei S. Ignatius diu ante conditam Societatem Antverpiæ prædixerat* 439 c, 475 c

Quartemontius (*Gaſpar*) *S. J. breviorem S. Ignatii Loyolæ Vitam, à Ribadeneira Hiſpanicè ſcriptam, Latinè reddidit* 410 c

Quiroga (*Gaſpar de*) *S. R. E. Cardinalis S. Ignatium impensè laudat* 520 a b c d. *Fundavit collegium Toletanum Societatis Jeſu* 734 a

Quiros (*Ludovicus*) *S. J. occiſus ab infidelibus in India Occidentali* 697 c

R

† Radegundis *regina Galliæ reliquias S. Mammetis vel Mamantis martyris ex Oriente obtinuit* 268 a

Radulfus *rex Gallia* 286 f,

Radulphus *abbas S. Germani Autiſſiodorenſis* 184 e

Radzivil (*Carolus Georgius*) *epiſcopus Vilnenſis, & S. R. E. Cardinalis peregit ſpiritualia S. Ignatii Exercitia* 787 f

Raginarius *eccleſiæ S. Lupi Trecenſis theſaurarius* 52 a b

Raguier (*Jacobus*) *epiſcopus Trecenſis* 53 a

Refuge (*Carolus de*) *monaſterii Cellæ abbas* 53 b

† Remigius *antiſtes Rhemenſis* 268 b

Remondus (*Florimundus*) *honorificè meminit de decem primis Societatis Jeſu patribus* 453 f

Renatus *rex Jeruſalem & Siciliæ &c.* 6 d e f

Renzolius (*Aloyſius*) *Ordinis Jeſuatici definitor* 335 d

Reyndo *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 c

† Rheticius *epiſcopus Auguſtodunenſis* 193 f

Rhò (*Joannes*) *S. J. refutat fabellam, quæ dicit, S. Ignatium expetiiſſe Ordinem Theatinorum* 448 f

Rhodis (*Michaël*) *Societatem Jeſu ingreditur juxta prophetiam S. Ignatii de Loyola* 434 c d

Ribadeneira (*Petrus*) *in Belgium miſſus à S. Ignatio, ut Societas Jeſu ibi admitteretur* 507 c d, 526 b. *Quale teſtimonium det de ſanctitate Ignatii* 516 *&* 517 a b c. *Vitam S. Ignatii Loyolæ copiosè conſcripſit* 409 a b 593 & ſeqq. *Mirâ S. Ignatii benevolentiâ ac manſuetudine victus, in Societate Jeſu perſeveravit* 517 f, 518 a b, 564 f, 565 a, 571 e

Ribera (*Franciſcus de*) *ſcripſit Vitam S. Tereſiæ* 787 f

Ribera (*Joannes Baptiſta*) *S. J. ſpiritualia S. Ignatii Exercitia tradit S. Carolo Borromæo* 787 d

Ribera (*Joannes de*) *archiepiſcopus Valentinus & patriarcha Antiochenus* 606 e

Richardus *dux Burgundiæ* 286 f, 287 e

Richardus II *dux Normanniæ* 94 e

Richardus *Comes Rotomagenſis* 289 c

Ricordatus (*Petrus*) *ſcripſit hiſtoriam monaſticam* 29 b

Riera (*Petrus*) *S. J. fuit confeſſarius S. Ignatii* 512 b e

Robertus I *archiepiſcopus Rotomagenſis* 94 e f

Robertus *rex Galliæ* 287 e, 289 c.

Robertus *Dux Burgundiæ* 289 f

Robuſter (*Franciſcus*) *epiſcopus Vicenſis viſit Manreſanam S. Ignatii ſpeluncam* 418 f, 785 c

Rodericius (*Simon*) *S. J. unus ex primis S. Ignatii ſociis* 441 c, 454 b c

Rodriguez (*Alfonſus*) *S. J. varias habuit viſiones* 851 b

Rognualdus *vel* Ragnualdus *Occidentalis Gothiæ comes, & amicus S. Olavi regis Norvegiæ* 97 a b

Rojas *&* Sandoval (*Bernardus*) *archiepiſcopus Toletanus & S. R. E. Cardinalis* 606 d e

Rolewinck (*Wernerus*) *edidit Faſciculum temporum* 288 e

Romæus (*Franciſcus*) *Magiſter generalis Ordinis Prædicatorum Societatem Jeſu laudat, ac ſuis commendat* 712 c d e

Romanus *præſul Metenſis* 305 b

Roſſi (*Joannes Baptiſta*) *S. J. copiosè & eleganter conſcripſit Acta B. Joannis Columbini* 336 d e

Roſtagnus *archiepiſcopus Avenionenſis* 6 c

Rovirola (*Raphaël de*) *epiſcopus Barcinonenſis viſit Manreſanam S. Ignatii ſpeluncam* 418 f

Rubeus (*Hieronymus*) *ſcripſit Vitam S. Petri Chryſologi* 288 e

Rudolphus *abbas Feltwertenſis in Friſia* 167 e

Ruodgerus *præſul Magdeburgenſis* 865 c

Ruricius *episcopus Lemovicensis* 55 e

S

SAcchinus (*Franciscus*) *scripsit historiam Societatis Jesu* 412 d. *Refellit fabulam, qua dicitur S. Ignatius petiisse Ordinem Theatinorum* 448 e
† Salesius (*Franciscus*) *laudat spiritualia S. Ignatii Exercitia* 786 d. *Ea obit* 787 e f
Salesius (*Carolus Augustinus*) *scripsit Vitam S. Francisci Salesii patrui sui* 787 e
Salmeron (*Alfonsus*) *unus ex primis S. Ignatii sociis* 441 c d, 700 d e
Salomon *rex an sit damnatus, controvertitur* 407 d e
Sanctis (*Bartolus vel Bartolaccius de*) *discipulus B. Joannis Columbini* 376 f
Sanctis (*Blancus de*) *discipulus B. Joannis Columbini* 388 f, 389 a b
Sandoval & Rojas (*Bernardus*) *S. R. E. Cardinalis* 596 b, 606 d e
Sancto Cassiano (*Mathias de*) *S. Ignatium & socios infamiâ afficere nititur, & mendacii convincitur* 484 d e f. 485 a b
Saturnus *vel* Saturninus *discipulus S. Germani Autissiodorensis an idem sit cum Fraterno vel Faturno Sancti magistri successore?* 170 e f
Saulius (*Hieronymus*) *archiepiscopus Genuensis reddit honorificum de Societate Jesu testimonium* 504 d e
Saxo *Grammaticus scripsit historiam Daniæ* 90 a
Scardeonius (*Bernardus*) *scripsit de antiquitate Patavina* 348 b, 350 d
Schannat (*Joannes Fredericus*) *aliquam notitiam suggessit de S. Alexandro martyre, filio S. Felicitatis* 864 e f, 865
Schoone (*Laurentius van*) *S. J. provincialis provinciæ Flandro-Belgicæ* 414 d
Sebastianus *rex Lusitaniæ fundavit diversa collegia Societatis Jesu* 733 f
Seguier (*Dominicus*) *episcopus Autissiodorensis* 189 d
Segura (*Baptista*) *S. J. ab infidelibus trucidatus in India Occidentali* 697 c
† Seraphia *martyrium subiit die* XXIX *Julii, quamvis mense Septembri colatur* 4 d
Serra (*Joanna*) *Manresæ S. Ignatium de Loyola hospitio excepit* 418 b
† Servatius *episcopus Tungrensis* 77 b
† Severus *episcopus Trevirensis* 64 c, 70 e, 72 a, 81 f 216 e
† Siagrius *vel* Syagrius *episcopus Augustodunensis* 280 d, 281 f
† Siardus *canonicus Pramonstratensis in Frisia* 166 f
Sigridis *regina Sueciæ* 91 a b
Siguardus *vel* Siguatus *poëta Islandus* 92 e, 93 f 110 b
Siliceus (*Joannes*) *archiepiscopus Toletanus* 426 a. *Persequitur Societatem Jesu* 525 f. *S. Ignatius eum excusat, ac Societati amicum reddere conatur* 546 f, 547 a, 736 e f, 737 a b
Silos (*Josephus*) *in Historia Theatinorum perperam asserit, S. Ignatium à B. Caietano Thienæo petiisse, ut in Ordinem Theatinorum admitteretur* 450 e
Silvester *episcopus Briocensis* 121 b
Silvius (*Michaël*) *Viseensis episcopus, & S. R. E. Cardinalis* 577 a
Simeon *Dunelmensis historicus Anglus* 93 a c
† Simplicius *episcopus Augustodunensis* 62 b, 193 f, *Duplex hujus nominis antistes Augustodunensis distinguendus videtur* 194 a b c, 204 a
Sioko *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Siricius *Papa Romanus* 158 a d
Sixtus V *Papa in festo B. Joannis Columbini plenarias indulgentias concessit* 334 e. *Tentavit cognomen Jesu à Societate nostra auferre* 473 b c *Auxit Collegium Romanum Societatis Jesu* 733 e
Skotkonung (*Olavus*) *rex Sueciæ* 91 e, 92 c, 95 f, 97 b. *Moritur* 100 e f
Smit (*Franciscus de*) *S. J. Vitam S. Ignatii Flandricè edidit* 598 e
Societas *Jesu liberatur onere dirigendi sanctimoniales* 488 f
Soria (*Melchior de*) *episcopus Trojanus* 596 b, 606 e
Soria (*Jacobus*) *dux pyratarum Calvinistarum multos è Societate Jesu occidi jubet* 697 d
Sosa (*Joannes*) *S. J. ab infidelibus interfectus in Brasilia* 697 b, 743 f, 744 a
Souciet (*Stephanus*) *S. J. de opere nostro optimè meritus.* 57 c
Spedus (*Joannes*) *edidit Theatrum Britanniæ* 315 a
Spinola (*Ambrosius Ignatius*) *archiepiscopus Hispalensis peregit spiritualia S. Ignatii Exercitia* 787 f
Spinula (*Augustinus*) *archiepiscopus Granatensis & S. R. E. Cardinalis* 625 b
Spondanus (*Henricus*) *errat in assignando anno natali S. Ignatii Loyolæ* 411 d
Stephanus *discipulus B. Joannis Columbini* 376 f
Stephanus I *præsul Upsalensis in Suecia* 329 f
Stigius (*Otto*) *Nidrosiensem bibliothecam cremari curavit* 112 d e
Strada (*Franciscus*) *S. J. per spiritualia S. Ignatii Exercitia à profana militia, quam meditabatur, ad sacram conversus* 424 b. *Lovanii habet conciones Latinas* 703 b
Strada (*Franciscus*) *ex Ordine Cistercienſi laudat spiritualia S. Ignatii Exercitia* 786 d
Suarez (*Franciscus*) *S. J. breviter ostendit, Societatem Jesu opportuno tempore institutam esse* 468 c d
Sueno *Danorum rex* 91 e, 92 f
Surius (*Laurentius*) *putat, S. Ignatium de Loyola fuisse ducem militum* 412 f
Syfrydus *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 d
Sylveira (*Consalvus*) *S. J. jussu regis Monomotapæ ab infidelibus occisus* 697 b c

T

Taifali *vel* Thaphaili *quales gentes?* 149 b
Talasius *episcopus Andegavensis* 66 e
Tamburinus (*Michaël Angelus*) *Præpositus Generalis Societatis Jesu* 824 b f
Tapia (*Carolus de*) *scriptor Hispanus corrigitur* 410 f, 412 b, 413 c, 422 d e
Tapperus (*Ruardus*) *academiæ Lovaniensis cancellarius quotidie tres horas meditationibus piis impendebat* 425 d
Taurusius (*Franciscus Maria*) *S. R. E. Cardinalis impensè laudat S. Ignatium, cui morienti adfuerat* 520 e f
B. Taussinianus (*Joannes*) *scripsit aliqua de gestis B. Joannis Columbini* 335 c
Tedo *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 c
† Telesphorus *Papa* 172 f
† Teresia *obivit spiritualia S. Ignatii Exercitia* 787 f. *Quanti faceret Societatem Jesu* 849 c f 850 a b

Ferrer (*Martinus*) *archiepiscopus Cæsaraugustanus* 625 c
Teudechilda *regina Galliæ ab altera ejusdem nominis distinguitur* 265 f
Theobaldus *Comes Campaniæ* 289 f
Theodeberga *uxor Lotharii Lotharingiæ regis* 281 b c
Theodemirus *Calaguritanus episcopus* 129 e
Theodericus *Visigothorum rex* 77 e
Theodoricus *rex Austrasiæ* 265 f
Theodosius I *imperator* 193 d
Theodosius *junior imperator Menæis Græcorum inseritur* 4 a, 129 b
Theodosius *presbyter Gangrensis* 85 f
Theodricus *monachus Nidrosiensis brevem historiam de regibus Norvegiæ conscripsit* 89 b
Theophilus *imperator impius* 309 c f
†. Thienæus (*Caietanus*) *condidit Ordinem Theatinorum* 448 f. *Falsò dicitur S. Ignatius petiisse, ut in hunc Ordinem reciperetur* 448 e f, 449 & seqq.
Thomas *archiepiscopus Mediolanensis* 172 d, 173 a
Thoubeau (*Claudius Joachimus*) *S. J. nobis communicavit Mss. epistolas S. Ignatii* 488 f
† Tiburtii *martyris reliquiæ translatæ* 278 b c d. *Miracula in ea translatione patrata* 278 e f
Tillemontius *iniquus S. Felici Papæ carpitur* 47 e 48 b
Tiraquellus (*Andreas*) *eruditè scripsit de nobilitate* 340 a
Toleto (*Joannes Alvarus de*) *Cardinalis Burgensis spiritualia S. Ignatii Exercitia approbat* 426 f, 427 a
Tondutius (*Julius Cæsar*) *historiam scripsit civitatis Faventinæ* 155 a
Torano (*Joannes de*) *S. Ignatium & socios calumniatus, calumniæ convincitur & condemnatur* 485 c d
Torfæus (*Thormodus*) *Daniæ Norvegiæque regis historiographus* 90 c
Torres (*Bartholomæus*) *postea episcopus Canariensis spiritualia S. Ignatii Exercitia adversus accusatores propugnavit* 427 e f, 428
Torres (*Michaël*) *S. J. vix anno post novitiatum elapso ab Ignatio statuitur visitator cujusdam provinciæ* 573 c
Torretta (*Guilielmus de*) *vovit ingredi Societatem Jesu, anno 1459 sic dictam, diu antequam nostra Societas conderetur* 474 c
Tosi (*Joannes Baptista*) *S. J. Rector collegii Tusculani* 628 e
Trivinius (*Melchior*) *S. J. Rector collegii Pragensis* 630 a b
† Trophimus *unus ex septuaginta discipulis* 171 d e
Truchses (*Otto*) *episcopus Augustanus & S.R.E. Cardinalis fundavit collegium Dilinganum Societatis Jesu* 734 a. *Quomodo affectus fuerit erga S. Ignatium* 519 d, 520 f
Trygguinus (*Olavus*) *condidit urbem Nidrosiensem in Norvegia* 87 a
Turamini (*Honorius*) *abbas Aretini monasterii varia nobis de SS. Flora & Lucilla submisit* 16 f
Turnonensis *Cadinalis fundavit collegium Societatis Jesu Turnoni in Gallia* 734 a
Turrianus (*Michaël*) *S. J. ab Ignatio ad negotia quædam peragenda in Lusitaniam missus* 569 c
Tyo *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 d

U

UGolinus *ex Ordine Minorum ad episcopatum Faventinum assumptus* 155 a
Ulfhildis *filia S. Olavi regis Norvegiæ* 119 e
Ulloa (*Magdalena*) *fundavit diversa collegia Societatis Jesu in Hispania* 734 b
Undalinus (*Petrus Claudius*) *scriptor rerum Norvegicarum* 87 b
† Urbani *martyris reliquiæ translatæ* 278 b c d
Urbanus II *Papa à quibusdam titulo beati decoratur* 2 b
Urbanus V *Papa Ordinem Jesuatorum approbavit* 347 b, 393 f
Urbanus VIII *Papa suppressit & exstinxit Jesuitissas, quæ privata auctoritate congregationem instituerant* 489 b
† Ursus *antistes Ravennas* 181 e

V

VAlentinianus I *imperator* 196 e
Valentinianus III *imperator* 195 a b, 220 f
† Valerianus *episcopus Autissiodorensis* 207 f, 208 f
Valkendorp (*Eiricus*) *archiepiscopus Nidrosiensis* 112 e
Vanegas de Figueroa (*Antonius*) *episcopus Pampelonensis in Hispania* 414 a
Vannus *à Monticello discipulus B. Joannis Columbini* 375 a f
Vargas (*Alfonsus de*) *collegit Hispanicè Vitas Martyrum, quorum reliquiæ in conventu Hortensi servantur* 19 d
Varingi *vel* Waringi & Waregi *quales sint?* 117 a b
Vedrianus (*Ludovicus*) *collegit monumenta Mutinensia* 135 f
Vega (*Joannes de*) *prorex Siciliæ* 505 c. *Quanti faceret S. Ignatium* 749 e f, 750 a
Vega (*Suerus*) *proregis filius Syracusanum Societatis Jesu collegium erexit in Sicilia* 742 f
Velati (*Joannes Baptista*) *S. J. respondet variis quæstionibus à Lancicio circa S. Ignatium propositis* 521 & 522. *Ex coadjutore temporali fit concionator* 572 d e
Venustus (*Gabriël*) *S. J. ex ore S. Philippi Nerii audivit elogium de S. Ignatio* 521 a b
Verallus (*Hieronymus*) *legatus Pontificius apud Venetos concedit S. Ignatio, sociisque facultatem ubivis celebrandi, prædicandi &c. in ditione Veneta* 457 c d e, 681 a
Vergara (*Alfonsus*) *canonicus Conchensis spiritualia S. Ignatii Exercitia à calumniis vindicavit* 427 c d e
Vesuntionense *concilium in causa Chelidonii episcopi* 64 b
Vicens (*Franciscus*) *apologiam edidit pro Manresana S. Ignatii spelunca* 418 b c
Vicente (*Joannes*) *S. J. Provincialis Aragoniæ varia instrumenta misit de Munebregana S. Ignatii imagine* 833 c
Victoria (*Joannes Alphonsus*) *peractis spiritualibus S. Ignatii Exercitiis, egregium se vincendi specimen edit* 424 d e
Vido *episcopus Assisiensis* 151 c
† Villa-nova (*Thomas de*) *archiepiscopus Valentinus scribit ad S. Ignatium* 494 a
Villa-nova (*Franciscus*) *S. J. necdum sacerdos jubetur à S. Ignatio esse rector cujusdam collegii* 573 d
Vincentius (*Franciscus*) *pius socius B. Joannis Columbini* 359 b, 360 c
† Vincentius *episcopus Sanctonensis* 60 d
Vincentius *frater S. Lupi Trecensis* 59 e f
Vincentius (*Julianus*) *epistolam S. Ignatii de obedientia impugnare ausus est* 524 a b
Viole (*Georgius*) *scripsit Gallicè Vitam S. Germani*

ni Autissiodorensis 193 f
Vipera (*Marius de*) *putat, Bencventi esse reliquias & ecclesias S. Lupi Trecensis* 53 f
Viperanus (*Joannes Antonius*) *episcopus Juvenacensis* 556 c
Vishavæus (*Cornelius*) *peractis spiritualibus S. Ignatii Exercitiis ad ingrediendam Societatem Jesu permotus est* 425 d
Vitalis (*Ordericus*) *scriptor seculi* XII 315 c
Vitelleschus (*Mutius*) *Præpositus Generalis Societatis Jesu* 413 d. *Testatur eam à S. Ignatio divinitus fuisse præcognitam antequam institueretur* 475 a
Vives (*Ludovicus*) *Brugis S. Ignatium convivio excipit* 439 b
Vizzanus (*Carolus*) *sancti Officii Romani assessor, scribit ad vicarium generalem Consentinum* 453 a b c
Vortigernus *rex Britonum* 198 b
Vortimerus, *Vortigerni filius, rex Britonum* 198 b
Vulpius (*Josephus Rocchus*) *S. J. nuper Vitam S. Ignatii à Maffeio scriptam recudi jussit, & quoddam auctarium addidit* 847 a

W

Walameris *Ostro-Gothorum rex* 77 e, 79 f
Waldrada *pellex Lotharingiæ regis* 281 c
Wallingfordus (*Joannes*) *scriptor Anglus* 93 c
Walsingamus (*Thomas*) *scriptor Anglus* 94 c
Warighemius (*Guilielmus*) *S. J. testatur de Antverpiensi S. Ignatii hospitio* 475 b c
Welfo *sive* Guelfo *abbas monasterii Centulensis S. Richarii, & Senonensis S. Columbæ* 275 e
Wion (*Arnoldus*) *ex Ordine S. Benedicti refellitur* 422 f, 461 f, 462
Witmanstadius (*Philippus Jacobus*) *academicus Viennensis in Austria aliquot capita decreti Sorbonici, contra Societatem Jesu lati, refellit* 506 d
Wormius (*Olaus*) *fastos Danicos litteris Runicis edidit* 88 d. *Etiam alia scripsit* 330 c

X

† Xaverius (*Franciscus*) *S. J. secundus S. Ignatii Socius* 441 b, 454 a, 738 e f, 739 & seqq. *Quanti faceret S. Ignatium* 515 c d e f 749 b
Ximenius (*Jacobus*) *S. J. putat, S. Ignatium prædixisse, cognomen Jesu numquam à Societate auferendum esse* 473 d
Xistus I *Papa* 172 a, d

Y

Ypez (*Antonius de*) *Hispanicè edidit Chronicon generale Ordinis S. Benedicti* 137 b *Censet, S. Ignatium de Loyola librum Exercitiorum seriùs composuisse* 419 c d
Ysunça (*Joannes de*) *Rector Palentinæ diœcesis Societatem Jesu publico instrumento laudat* 505 d e f, 506 a

Z

Zannettus (*Augustinus*) *episcopus Sebastenus publicum testimonium reddit de utili labore S. Francisci Xaverii & Bobadillæ* 497 b c
Zeelandre (*Jacobus de*) *S. J. accepit à Petro Ribadeneira reliquias S. Ignatii* 633 b c
† Zenobius *episcopus Florentinus* 135 b
Zeyno *abbas Feltwertensis in Frisia* 167 e
Zuccaro (*Hieronymus*) *S. J. intercessione S. Ignatii multa & mira beneficia obtinuit* 825 & seqq.
Zypæus (*Franciscus*) *Juris-consultus Belga* 164 b c

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

Abundiacus, villa pagi Altissiodorensis 271 a
Agdæ, tractus Norvegiæ 90 f
Alesia, Alexia, Alisia, olim urbs, nunc vicus in ducatu Burgundiæ 71 c
Alisiensis tractus (*l' Auxois*) pars Burgundiæ in Gallia 215 e
Anciolina vallis in Dominio Florentino 388 f
Angelomontanum cœnobium in Helvetia. *S. Eugenius M.* 32 b
Antiquariensis in Bætica *S. Ignatii imago* 840 f
Antverpia, ur. Belgii *dedit S. Ignatio Loyolæ hospitium & eleemosynas* 439 a; *qui prophetiam ibi edidit* ibid. c
Aqua pendens, ur. Hetruriæ 394 e
Arar, Araris (*la Saone*) fluv. Galliæ 215 e
Arcidossum opp. 378 d
Arelate, Arulæ opp. in Luscinone 140 a
Arnus fluv. Italiæ 388 f
Arulense monast. in comitatu Ruscinonensi 139 b
Ascianum in territorio Senensi 385 b
Assum locus in Hetruria 382 b
Augvaldznesia, vulgò Aulsnes in Norvegia 101 a
Autricus mons (*vulgo Mont-artre*) juxta Autissiodorum 204 b
Azcoitia, opp. in Guipuzcoa Cantabriæ 777 c
Azpeitia, opp. in Guipuzcoa Cantabriæ 777 c

B

Biscaia *à* Cantabria *distincta* 410 e
Bougeaille in Comitatu Burgundico 281 c
Brionenses in Campania Gallica 71 e
Brugis urbe Flandriæ *hospitio exceptus S. Ignatius Loyolæ* 439 b
Burburgum, opp. Flandriæ. *Miracula duo S. Ignatii Loyolæ* 798 e, 839 a

Bur-

Burgi, ur. Hiſpaniæ. *Miracula S. Ignatii Loyolæ* 795 e & ſeq.
Burgundia Mediana, Burgundiæ Ducatus 281 f

C

CAdacherium, opp. in Catalaunia 141 e
Cære civitas in Faliſcis. *S. Felix PP. II & mart.* 46 c
Caieta, ur. regni Neapolitani 642 c
Cantabria, Hiſpaniæ provincia 777 b
Capdequers *vide* Cadacherium
Cartenna, ur. Mauritaniæ Cæſarienſis 179 e
Cingulum opp. Piceni 380 c
Columbarum opp. urbi Senenſ. ſubjectum 387 e
Cormtem inſula (*vulgo* Carmen) in præfectura nunc Stavangerleenſi Norvegiæ 101 a
Cornetum vel Cornuetum opp. Hetruriæ 390 b
Corſignanum, opp. Tuſciæ 382 c
† Coſmæ & Damiani monaſt., pòſt S. Mariniani 205 f
Crempſium, opp. Auſtriæ inferioris. *Imago S. Ignatii* 842 e

D

DIvio (*Dijon*) Ducatûs Burgundiæ caput 281 d

E

ELmet, regiuncula in ducatu Eborácenſi 304 e

F

FAlconis-mons, opp. Galliæ in Campania 271 c
Feldwerth monaſt. *vid.* Oldekloſter
Fivelingoa, pars Friſiæ. *S. Hathebrandus* 161 b
† Floræ cœnobium in Aretina urbe 29 d

G

GAiacum monaſt. in tractu Vaſtinenſis Galliæ 258 c
Gandia, Valentiæ civitas; *ubi miracula S. Ignatii Loyolæ* 796 d; *gratiæ* 835 e
Gangra, ur. Paphlagoniæ Mediterraneæ. *S. Callinicus M.* 39 e
Gatteenſis S. Laurentii eccleſia in Romandiola. *Tranſlatæ eò reliquiæ B. Joannis Columbini* 343 b
Goethene, parœcia & fons S. Helenæ in Gothia 333 b
Gothlandia, inſula in mari Baltico 92 d
Guadianenſis civitas in nova Biſcaia *prodigioſa S. Ignatii imagine memorabilis* 840 c
Guipuzcoa, provincia Cantabriæ 777 b
Guleta arx inter mare Mediterraneum, & lacum Tunetanum 689 c

H

HAlogiæ Aquilonaris præfectura Nidroſienſi ſatis vicina verſus Boream in Norvegia 99 c
Helena, ur. Galliæ in comitatu Ruſcinonenſi 139 b
Hordia, provincia verſùs Aquilonem Norvegiæ 101 d
Hringiſacrum, opp. in mediterraneis Norvegiæ 97 e

I

JAfa *vid.* Joppe
Jonquera, oppidulum in Catalaunia 141 a e
Joppe, ur. exciſa Terræ ſanctæ 644 c
Irſingum *vide* Urſinenſe monaſterium
Juliani cœnobium Autiſſiodori 279 d

L

LAcus Vulſinius in ditione Eccleſiæ 397 a
Latiſco mons 66 b
Lindiſneſia, tractus Norvegiæ 90 f
Liſterleen, præfectura Norvegiæ 91 a
Loyola in Guipuzcoa Cantabriæ, *patria S. Ignatii* 410 c, 777 c
Luirſcogs Heithr, locus in Jutia 120 a

M

MÆria, vulgo Noordmeer & Sundmerland in Norvegia 99 f
Mandalſleen, præfectura Norvegiæ 91 a
Manreſa, opp. agri Barcinonenſis; *quo divertit S. Ignatius Loyola* 417 c, *unica ibidem Sancti ſpelunca* ibid.; *ejus deſcriptio* ibid. e; *Exercitia ſpiritualia ibi compoſita* 419 a
Meduacus fluv. Italiæ duplex 684 e
Meleredenſe cœnobium (*Moutier*) in pago Autiſſiodorenſi 266 b
Metodorum (*Nanterre*) vicus Galliæ in agro Pariſienſi 211 f, 212 f
Mons Alcinus in Italia 382 e
Mons Minoris Jovis in Sabaudia 272 f
Mons ſerratus in Catalonia *S. Ignatio Loyola memorabilis* 414 d; *ædis Deiparæ majeſtas* ibid. e; *loci ſitus ac natura* ibid.
Monticellum, oppid. Hetruriæ 382 b
Mortkaliæ ſaltus (*Bois de Mouchar*) in Comitatu Burgundico 281 c
Morvennicus pagus, *regiuncula montoſa & ſilveſtris variis partim locis attributum* 270 b
Munebrega Aragoniæ municipium *miraculis S. Ignatii Loyolæ inclytum* 829 f. *Imago ejus miraculoſa* 832 c, 840 c
Muſciacas, vulgo Mauzac ſeu Mozac, locus in pago Ricomagenſi apud Arvernos 266 a

N

NAnnetodurum, Nemetodorum. *Vid.* Metodorum
Naupactum (*Italis Lepanto*) in ſinu Corinthiaco 689 c
Nedeleſleen, præfectura Norvegiæ 91 a
Neoti locus in Anglia 314 c
Nidroſia, urbs Norvegiæ primaria. *S. Olavius rex & martyr* 87 a

O

OLdekloſter, monaſterium in Friſia. *Abbas S. Hathebrandus* 161 b
Olearſo promontorium Guipuzcoæ 777 b
Orba, opp. Helvetiæ 281 c
Oſcara fluv. (*Ouſche*) in Ducatu Burgundiæ 281 d
Oſilia, inſula in mari Gothlandico 92 d
Oſtrenſis ſinus, (*vulgo Oſter fioerd*) in Hordia ſeptemtrionali Norvegiæ 101 e

P

PAriſiis *geſta à S. Ignatio Loyola* 436 c & ſeqq. 440 & ſeqq.
Pauliacum, villa ruris Senonici 266 f
Petriolum, locus in Italia 382 c
Piatia opp. Siciliæ. *Miracula S. Ignatii Loyolæ* 829 e
Pons Lapideus, *al.* Lepidi Romæ 37 a
Portus Mantuanus, caſtrum in ſuburbio Mantuæ 401 f

Pragæ *imago S. Ignatii* 841 f
Pruvinum in Briegiò Galliæ. *S Latus puer M.* 865 f

Q

† QUiricus, locus in valle Orciæ 398 e

R

RAumarichia, præfectura in Uplandia Norvegica 97 d
Regalbutum, civitas Siciliæ. *Miracula S. Ignatii Loyolæ* 827 f. *Imago miraculosa* 841 c. *Sanctus ibi patronus* ibid. e

S

SÆla, insula Norvegiæ 95 a
Salinæ, opp. in comitatu Burgundico 281 c
† Salvatoris abbatia, pagus in Italia 395 e
Sanctonicus pagus, provincia Galliæ 281 f
Sautungsund, locus in Norvegia 95 b
Sicilense in Sicilia S.J. collegium *insigni miraculo honoratum à S. Ignatio* 824 f
Scodeva, Skodwe, opp. Westrogothiæ. *S. Helena M.* 329 c
Segovia in Hispania duplex 649 a
Sigtuna, locus Sueciæ haud procul Stockholmiâ 92 b
Sognia, Aquilonaris Norvegiæ provincia 101 e
Stiklastadæ, opp. seu prædium in Norvegia 106 e

T

TArasco, ur. in Provincia. *S. Martha* 4 f
Tech, fluviolus Galliæ Narbonensis 139 b
Ternodurum castrum in Campania Gallica 258 c
Terranerum, municipium versùs urbem Senensem 387 c
Thaiphali, Scythica natio 149 b
Thotnia, præfectura in mediterraneis haud procul Valdresiâ in Norvegia 102 a
Tifernum Tiberinum opp. in Umbria 378 b
Tiranus mons in territorio Aretino 28 a
Trecæ, ur. Galliæ. *S. Lupus ep. conf.* 51 a
Trepanum, ur. Siciliæ. *Miraculum à S. Ignatio patratum* 828 e
Tuburbum duplex in Africa 146 b
Tullum in Lotharingia. *Patria S. Lupi ep. conf.* 59 a

V

VAldresia, provincia mediterranea Norvegiæ 101 e
Vallesperii territorium, *al.* Vallis Pyrri, tractus Ruscinonis 139 b, 140 b
Vallis felix, cœnobium in Bavaria inferiore 32 f
Vangium, (*vulgo* Vangs) ad orientem utriusque Hordiæ, sive Horlandiæ in Norvegia 101 d
Vestfoldia, tractus Norvegiæ 90 f
Via Portuensis juxta ripam Tiberis *&c.* 37 b
Vidassus, fluv. Guipuzcoæ in Cantabria 777 b
Vikà, tractus Norvegiæ 95 c
Vingulmarchia, pars Norvegiæ 90 f
Ulfasunda *vide* Sautungsund
Vorsia, versùs Aquilonem provincia in Norvegia 101 d
Uplandi, tractus Norvegiæ mediterraneæ 91 c
Urola rivus Guipuzcoæ in Cantabria 777 c
Vrolium villa ad Sequanam 78 d
Ursinense monast. in Germania. *S. Eugenius M.* 31 e

W

WAringi *seu* Varingi, quinam sint. 117 a

INDEX ONOMASTICUS

Lapæ, *opercula libri* 184 d
Antelucari, *lucem seu solis ortum prævenire* 275 e
Archiclavus, *thesaurarius* 269 d
Ardica, *pars superior regiæ* 183 f
Armilla januæ, *forte annulus januæ &c.* 266 b
Astula, *segmentum* 270 a
Barile, barillus, *amphora, cadus, vel dolium* 141 e
Brevis, *schedula* 86 d
Buteo, *nomen avis rapacis* 287 e
Buteones, *fortè à* buta, *hoc est lagena* 287 e
Bustilla, bustula, buxtula, *pyxis seu capsula* 287 d
Cacabatus, *instar cacabi denigratus* 299 a
Cambutta, *baculus, scipio* 258 c
Capi, *falcones* 270 a
Carrucata terræ, *tantum agri, quantum uno aratro per annum coli potest* 296 f
Cati, catti, *feles* 140 b
Confalonerius, *vexillifer in exercitu; item dignitas civilis* 355 c d
Confecratio, *baptismus* 93 d
Delumbè, *debiliter, ex debilitate* 290 b
Diarsicè, *per elationem* 81 d
Epilogus *pro epitome* 322 e
Freda, *ornamentum vel umbraculum quoddam* 265 e
Frigoritici, *febricitantes* 269 c
Gallicæ, *quoddam calceamenti genus* 392 b
Generositas, *nobilitas stemmatis* 216 a
Glosochonium, *sepulcrum, aut loculus* 183 d
Hercia, *repagula &c.* 300 d
Inconfectum solum *quid sit* 205 f
Indifferenter, *sine dilatione* 272 e
Lichinum, *ellychnium* 304 d
Lista, *limbus* 141 d
Lyridæ, *quædam panis aut frixæ farinæ species* 329 b
Militissa, *matrona nobilis, ditionis domina* 329 f
Pallæ, *aulæa* 270 a
Parentela, *parentes* 75 f
Podium, *infimus chori locus, vel ambo* 206 b
Potestas, *magistratus* 205 e
Quattrini, *nummi quidam parvi valoris* 644 c
Recluſa, *sanctimonialis solitaria* 302 e
Recullans, *retrogredi cogens* 302 a
Regia, *valvæ basilicæ* 183 f
Sanctimonialis, *femina aut virgo integræ vitæ* 24 f
Scholastici, *litterati* 290 c

Secretarium, *crypta* 278 c
Secretarius, *adituus* 322 e
Signum, *campana* 277 e
Siria, *provincia, ditio, territorium* 296 e
Sindacus, *marchio* 843 d
Stativa, *aqua non manans* 147 e
Subsecretarius, *sacrista secundarius* 292 e
Tigris, *culter major, ensis* 265 f
Tregincrius, *auriga, mulio* 141 e
Typhus, *febris* 266 e
Typus, *morbus comitialis, aut similis convulsio* 68 b
Vanga, *ligo &c.* 304 a

INDEX MORALIS

A

Bstinentia *à cibis inusitata S. Germani ep. Autiss.* 204 c d. *B. Joannis Columbini* 366 a. *Petri Fabri Soc. Jesu* 441 a. *Vide* Jejunium
Acedia *cujusdam in Societate coadjutoris à S. Ignatio severè castigata* 770 b
Adolescentia *pia S. Eudocimi* 311 b. *Item S. Neoti* 321 b c
Adversa. *Vide* Injuria.
Æditui *negligentiam non patitur S. Germanus ep.* 265 b
Ægrotans *B. Joannes Columbinus, domo clam fugit ad nosocomium pauperum, ut commodis domesticorum obsequiis ita se fraudet* 360 e & seq. Ægrotantium *in Societate Jesu cura quam tenera in S. Ignatio fuerit* 565 & seq. 762 e
Ægrotos *invisens S. Germanus ep., uno die totam sanat familiam* 219 a. *Vide* Misericordia.
Ambitionem *præteritam inusitato humilitatis exemplo expiat B. Joannes Columbinus* 366 d & seqq.
Amor divinus *ardentissimus in B. Joanne Columbino* 338 a. *Hinc seminudi corpus in aspera hyeme æstu fervebat vix tolerabili* 366 c. *Hinc Jesum in ore semper habuit* 367 & seqq. *Hinc eumdem aliis innumeris inspiravit* ibidem & seqq. *Idem ex illius ardore deliquium animi patitur, radiante interea vultu* 388 a. *Idem amor ardentissimus in S. Ignatio* 446 e f, 538 d & seq. 613 f, & seq. 751 f
Amore insano *furens mulier, convertitur ope S. Ignatii* 817 f, & seq.
Angeli *Martyres solantur & fovent* 177 e, *puerum quinquennem docent, & mox vitâ functum in cælos deducunt* 264 e
Angina *statim sanata ope S. Ignatii* 797 a d, 801 a & seqq. 808 e, 820 c. *Vide* Guttur
Anima *S. Amatoris ep. specie columbæ à Sanctis concinentibus invecta cælo* 203 b. Animæ *insepultorum nocturnis infestationibus exsequias exigunt* 211 c d. Animam *P. Hozii cælo inferri videt S. Ignatius, procul à moriente dissitus* 653 d, 684 b c. *Anima P. Codurii cælum item ab aliquo gloriosè ingredi visa* 699 e. Animas *purgatorio detentas qua industria juverit S. Franciscus Xaverius* 739 b
Animi *per diem collectio frequens à S. Ignatio suis commendata* 530 c, *ab ipsomet semper usurpata* 751 f
Animi magnitudo *S. Ignatii in rebus arduis & adversis* 550 & seqq. 614 e. *S. Francisci Xaverii* 739 c d & seqq. *S. Ignatii* 764 e & seq.
Animi perturbatio *vitanda semper, si res parum succedunt, & imitanda sedulitas ac tranquillitas angelorum* 580 f. *Hac parte mirificè excelluit S. Ignatius* 749 d, 753 f, 763 b c d.
Apparitiones *S. Marthæ V., prædones absterrentis* 12 e. *S. Beatricis pacem Ecclesiæ instantem prænuntiantis* 36 e. *Christi, & S. Petri* 77 d. *S. Stephani protomartyris ecclesiam suam Metensem ejusque episcopum protegentis* 78 a. *S. Olavi regis & M. nepotem arguentis ob curiosè inspectas tactasque reliquias suas* 111 e. *Christi Domini S. Olavum regem ad cælum invitantis* 115 c. *S. Olavi, sacerdotem sanantis fœdè mutilatum* 117 e f: *Suspensum innocentem sustentantis* 118 f: *Filio suo victoriam pollicentis* 119 f: *Fratrem liberantis è carcere* 120 b: *Filio optionem offerentis vel beatæ statim mortis, vel periculosæ senectutis*, ibidem b d. *SS. Abdonis & Sennen MM. navigantes ad portum citissimè appellentium* 141 a. *S. Rufini M. disceptantes de obtinendo ejus corpore componentis* 152 f. *Christi veram suam effigiem ostendentis* 183 a. *Plurium Sanctorum S. Mamertinum ad Christi fidem inducentium* 287 & seq. *S. Germani ep. ægrum attactu sanantis* 277 c. *S. Urbani M. paralyticum sanantis* 279 e. *S. Tiburtii M.* ibidem. *Christi cum Sanctis moribundum episcopum consolantis* 289 b. *S. Germani jubentis digitum suum transferri in Angliam* 292 c d, & seq. f. *Ejusdem jubentis monachum vel melius vivere, vel brevi expectare pœnam inobedientiæ* 302 b. *S. Neoti Ælfredo regi victoriam pollicentis* 327 e & seq. *Christi gratias agentis B. Joanni Columbino* 364: *eumdem consolantis post actum mortificationis heroïcum* 380 f. *Ipsius Joannis Columbini adhuc viventis, sed inde, ubi apparuit, procul absentis* 384 b c. *Ejusdem* 400 d, 402 b. *Christi Domini S. Ignatio dicentis:* Ego vobis Romæ propitius ero 459 f & seqq. 683. *S. Ignatii, statim post obitum glorioso* 513 c: *Gratias agentis bene merentibus de Societate* 537 a b: *Arguentis aliquem, qui scientias magis, quam spiritum excolebat* 575 b. *Deiparæ Virginis moribundum sanantis* 584 e. *S. Ignatii Romæ viventis & apparentis Coloniæ Agrippinæ* 587 a. *Christi & Mariæ Virginis Matris S. Ignatio sese exhibentium* 640 f, 641 & seq. a f, 643 c, 644 b, 654 a, 668 c. *Animæ P. Hozii cum insigni gloria* 684 b c. *S. Ignatii cum glorioso comitatu amicum familiariter consolantis* 790 e & seq: *Moribundam sanantis* 795 b c: *Ejusdem cum B. V.* 801 b. *S. Petri S. Ignatium sanantis* 659 b c. *S. Ignatii vacillantem in Societate confirmantis* 801 e. *Cardiacum morbum sanantis* 802 a. *Ejusdem cum B. V. Deipara submersam puellam sospitantis* 805 c, *& sæpius deinceps. Mirabilis est quæ narratur* 826 & seq. *Item* 846 d
Apoplexia *Sanata per chirographum S. Ignatii* 812 f, 825 & seqq.

Aqua *in cerevisiam, hydromeli, vinum versa* 119 b
Aquâ benedictâ *domatur draco* 11 c. *Benedicta nomine S. Ignatii miros præstat effectus* 836 f, 840 d e, 853 a b
Ariditas *in oratione sublata, ope S. Ignatii* 818 c
Arma *deponi jubebat S. Amator ab ingredientibus ecclesiam* 202 f
Avaritiam *suam præteritam quomodo compensaverit B. Joannes Columbinus* 357 b, *imò quam inusitato supplicio sit ultus* 380 e
Austeritas *vitæ. Vide* Mortificatio.

B.

Baculus *S. Germani ep. subitò crescens frondensque* 257 f. *Item alius ejusdem* 258 a
Beatificatio *solennis S. Ignatii pluribus ornata miraculis* 608 f & seq.
Benedictionem Apostolicam *& indulgentiam à summo Pontifice morti proximus postulat S. Ignatius* 747 d
Benedictionem *clericorum & monachorum occurrentium quantâ reverentiâ palàm expetere olim soliti Cambrenses in Anglia* 199 e. *Episcopalem expetit Præfectus Galliarum* 202 e
Bestiæ *in Martyres emissæ, eosdem defendunt* 138 b, 147 f
Blasphemiæ *duorum Religiosorum in S. Ignatium fevali catastrophe punitæ* 806 a c. *Alia per Sancti apparitionem benignissimè emendata* 819 f. *Item alia non uno miraculo* 820 a. *Item alia, nec sine miraculis* 842 a b
Blasphemus *occupatus & suffocatus à dæmone* 36 e. *Alterius pœna & feralis exitus* 68 c d f. *Alterius* 69 b c. *Aliorum pœnæ miraculosæ* 270 f
Brachium *aridum sanatur ope S. Ignatii* 830 b. *Vide* Paralysis
Brandea *quid sint, & quanta virtutis* 33 f & seq.

C

Cæcis *visus restitutus ope S. Olavi reg. M.* 108 e, 110 c, 111 c, 115 e, 116 a, 118 b. *Ope SS. Abdonis & Sennen MM.* 141 a. *Ope S. Terentii conf.* 155 e. *S. Germani ep.* 213 e, 266 d, 270 d, 273 e f. *Ope S. Helenæ Suecæ* 333 a. *B. Joannis Columbini* 400 e & seq. *S. Ignatii* 618 c f, 785 f, 794 b, 800 f 812 f, 823 f, 828 b, 830 c, 831 c, 832 e f, 835 f, 841 d e
Cæli *ac stellarum aspectu animabatur ad serviendum Deo S. Ignatius* 637 a, 660 d
Calamitates *variæ per Sanctorum reliquias depulsæ* 139 & 141 d
Calculo *laborantes subitò sanati ope S. Ignatii* 781 f, 795 a e, 798 e, 803 d, 816 e
Calvinianorum *sacrilegia Autissiodori* 187 b. *Eorumdem insigne dedecus occasione mulieris arreptitiæ* 809
Calumniæ *in Jesuatorum congregationem jactatæ, majorem illi splendorem afferunt* 392 & seq. *Uti & expromptæ in Exercitia Spiritualia S. Ignatii, eadem illustrarunt* 425 & seqq. *& in ipsam Societatem Jesu* 737 a, 744 & seqq., *In hanc atrocissima per S. Ignatium miraculo planè detersa* 823 c d
Calumniaturus *monachum, fit mutus illico* 300 f
Campanæ *spontaneo sonitu reliquias Sanctorum honorantes* 141 a. *Annuntiantes adventum S. Germani ep.* 257, *& ad consuetum Officium invitantes sacerdotem* 268 f & seq.
Cancro *liberati ope S. Ignatii* 794 e, 808 b, 810 b, 820 c, 831 c
Candelæ *ultrò accensæ in adventu reliquiarum S. Germani, quæ sæpius antè per admotam flammam accendi non potuerant* 261 b
Canonicatum *renuit S. Franciscus Xav.* 454 a b
Capitis dolores *gravissimi sanati ope S. Ignatii* 618 e, 632 b, 828 d
Captivi *plures liberati, invocato S. Germano ep.* 299 & seq. *Invocato S. Ignatio* 795 d. *Item alius* 818 d
Carceres *quos, quam diu, quam patienter ac libenter sustinuerit innocens S. Ignatius* 646 f & seq. 648 a d, 671 d & seq. *Item ejus socii* 683 a
Carcinoma. *Vide* Cancer
Cardiacus *morbus subitò sanatus ab apparente S. Ignatio* 802 a, 808 d
Caritas *in hostes rara S. Olavi regis & M.* 106 e. *S. Germani ep. in furem* 214 f. *B. Joannis Columbini erga petulantem irrisorem* 371: *erga Senenses suos, à quibus damnatus exsilio fuerat injustissimè,* 374 c. *Ejusdem exhortatio ad inimicos diligendos vehemens* 404 c. *S. Ignatii erga sibi infensos amor & beneficentia* 429 c, 431 e f, 435 e, 613 e, 614 e, 650 a b, 708 c d, 753 f & seq. 760.
Caritas *in proximum excellens S. Guilielmi ep.* 123. *S. Ignatii* 613 c, 641 e f, 753 & seq. *Vide* Misericordia. Zelus animarum.
Caritas fraterna *excellens in discipulis B. Joannis Columbini* 375 b c, 383. *Ipsis à moriente commendata* 396 b, 404 e. *In Societate Jesu nascente* 682 b, 699 d, 701 f, 736 b
Castitas *eximia S. Guilielmi ep. per impudicas mulieres non semel, sed frustra tentata* 122 d e. *Quantoperè curæ fuerit S. Ignatio* 555 c & seqq. 614 f, 660 c. Castitatem *perpetuam Deo vovet, assentiente conjuge, B. Joannes Columbinus* 358 c, *eamque assidua mortificatione tuetur* ibidem e & seqq. Castitatis *insigne donum acceptum referebat S. Ignatius Virgini Matri cum puero Jesu sibi apparenti* 636 f, 660 c & seq. *De ea periclitantibus puellis idem prospicit insigni caritate* 705 e
Catechizandi *studium in S. Ignatio cum fructu magno* 645 f & seq. 651 f & seq. 678 c, 700 a b
S. Catharinam V. M. *quam impensè coluerit Ven. Catharina fundatrix Jesuatarum* 253 a, *ab eaque revelatur ei mors imminens* 353 c
Cellula *S. Germani ep. quam angusta & incommoda fuerit* 259 c d
Cervus *ad S. Neotum confugiens defenditur à canibus & venator insequens fit monachus* 324 e. *Alii ultro se offerunt ejusdem Sancti obsequio* 324 b
Chiragra *sanata ope S. Ignatii* 810 b
Cholici doloris *exstinctio per S. Ignatium* 796 f, 816 e
Christiani *sub Diocletiano, tamquam infames, lege agere prohibiti* 144 b c
Christi præsentia *sub speciebus Eucharisticis clarè exhibita S. Ignatio* 640 f
Christi crucifixi *amore accensus B. Joannes Columbinus, eumdem aliis infinitis prædicando agendoque communicat* 367 & seqq.
Christum *sub forma leprosi fovet B. Joannes Columbinus* 363 b
Ciliciorum *usus sub habitu seculari quam pius ac frequens olim apud Pisanos* 379 e. Cilicium *perpetuo gestat S. Germanus ep.* 204 d
Claudi *& pedibus debiles restituti statim patrocinio S. Ignatii* 609 a, 782 c f, & seq. 820 d e, 827

827 f & seq. 830 a, 831 f, 832 b e f, 837 c
Clementia *S. Olavi regis & M. erga insidiatos vitæ suæ* 98 c d e: *erga reum capitis, quem & morti proximum rex idem contactu sanat* 103 f: *erga subditos perfidos* 106 d e. *Vide* Caritas in hostes. Mansuetudo.
Cogitationum *à bono & malo spiritu proficiscentium discrimen* 659 e f
Colloquia pia *quanti æstimaverit B. Joannes Columbinus* 339 b c, 404 a: *quam in iis excellens ipse fuerit* 375 d e, 386 b, *nec sine miraculo* 386 d e. *Ea nugis obturbari ægerrimè ferebat* 387 b. *Eadem plurimùm expetiit S. Ignatius* 641 e, 642 b, 643 b, 645 d, 647 e, 649 e, 651 f, 662 e, 667 f, 671 e, 672, 678 a
Colloquia *inutilia quàm industriè vitarit S. Ignatius* 772 d
Concionum *& sacrarum lectionum frequentiam in templis restituit S. Ignatius* 613 e
Conjuges *ad mutuum amorem divinitus incitati* 165. *In votum perpetuæ castitatis consentiunt* 358 c
Consanguineorum *negotia temporalia abhorrebat S. Ignatius* 758 d
Conscientiæ examen. *Vide* Examen conscientiæ.
Conscientias *alienas arte mirabili tractabat S. Ignatius* 765 e & seqq. *Vide* Scrupulus.
Contemplationis *sublimis explicatio data à B. Joanne Columbino* 405
Contemptus sui *magnus in S. Ignatio* 755 f. *Vide* Humilitas.
Contractio *membrorum subito resoluta ope S. Olavi regis & M.* 115 f, 120 e. *Ope S. Guilielmi ep.* 125 b. *S. Germani ep.* 216 d e, 217 e, 266 e f & seq. 268 c, 269 d, 277 a b d e. *SS. MM. Urbani &c.* 279 a b c. *S. Germani ep.* 302 d. *Ope S. Ignatii* 812 a, 813 a, 831 f
Contumeliis *grates rependit S. Ignatius* 429 c, 431 f, *iisque lætatur* 645 a b f, 673 b c, 676 f & seq. 737 a, 744 & seqq. 754 & seq. 770 c
Contusio *membrorum gravissima momento sublata patrocinio S. Ignatii* 782 a
Conversationem *cum externis qualem exegerit S. Ignatius in suis* 581 a d, 771 e d & seq.
Conversio *mira S. Germani ep. Autiss. à dignitate seculari ad clericatum* 202 f & seqq. *S. Mamertini ab idololatria ad fidem Christi & vitam monasticam* 206 & seqq. *Adolescentis perditæ vitæ ad sanctissimam ope B. Joannis Columbini* 371 a. *Item rustici per eumdem* 376 b. *Item senis cujusdam per eumdem* ibidem c, *peccatoris obstinati.* 377 a
Cor *venerabilis Beatricis V. à Christo transfixum igneo jaculo* 3 c
Correctio. *Vide* Peccantes.
Cordis palpitatio *sublata per reliquias S. Ignatii* 795 a, 830 d
Corpora *Martyrum occulta, eorumdem indicio revelantur* 138 c, 209 b. *Post obitum Deo curæ sunt* 152
Corpus *S. Olavi regis & M. cælesti luce coruscum* 108 f, *in sepulcro incorruptum crescentibus capillis & unguibus per annos plurimos* 109 e & seqq.; *quod Lutherani tandem, ne cujusquam oculis miraculum pateret amplius, terrâ obruerunt* 113 c. *Incorruptum quoque in sepulcro repertum corpus S. Guilielmi ep.* 124 d e. *S. Petri ep.* 183 d, *S Germani ep.* 276 a. *S. Eudocimi* 313 d. *B. Joannis Columbini* 343 a b. *S. Franc. Xaverii* 741 b. Corpus *S. Julittæ M. inter ignes illæsum* 144 e. Corpus *S. Fabii M. truncatum mersumque ad littus emergit integrum* 179 c d
Crucifixi *Domini effigies lapidea in spelunca S. Ignatii Manresana sanguinem emittit* 835 a
Crucis signo *se identidem munire docetur S Mamertinus adhuc ethnicus ab apparentibus ei Sanctis* 209 c e. *Eodem labantes ecclesiæ parietes sustinet S. Germanus ep.* 257 e. *Eodem omisso, bibens, occupatur à dæmone* 264 e f. *Eodem morbos pellit S. Terentius conf.* 155 e. *S. Franc. Xaverius* 741 a. *Diabolum verò Ven. Catharina fundatrix Jesuatarum* 353 c
Crus *graviter offensum statim sanatur ope S. Ignatii* 795 c, 796 a, d e, 838 e

D

Dæmon *furtum fateri cogitur & restituere per S Germanum ep.* 205 a. *Idem adversùs eumdem pugnat pro hæreticis* 212 c d e, 213 a. *In tentandis & fallendis hominibus quem servet modum, quæ tempora* 574 d. *Assumpta specie S. Pauli Apostoli sub obtentu piissimo Novitium Societatis Jesu delusit insigniter* 587 e. *Qua specie sæpè luserit S. Ignatium initio conversionis* 638 f, *donec, detecta fraude, eum subinde baculo abigebat* 641 b, 664 f. *Qua fraude virginem luserit* 767 c d. Dæmoni *per syngraphum devotus, ad pœnitentiam adducitur, & receptâ syngrapha, liberatur ope S. Ignatii* 814 c & seq. *Item alius* 820 f & seq. Dæmones, *magnâ hominum strage editâ, vincuntur à S. Germano ep.* 205 b c. *Iterum ab eodem post excitatam in eum tempestatem* 212 d e. *Eorumdem ab illo detectæ pulsaque illusiones* 287 f. *Aufugiunt à cœnobio, cum primum in eo pristinum paupertatis rigorem instauraſſet B. Joannes Columbinus* 385 f. *Mirum in eos imperium exercuit S. Ignatius* 587 & seq. 664 f. *Hujus imago picta dæmonibus terribilis* 791 c, 792 b c e f & seqq. 799 f. *Item ejusdem qualibet reliquiæ* 792 d e & seqq. *passim.* Dæmonis *incubi assueta per septennium impurissimo commercio, liberatur, & convertitur ad pœnitentiam ope S. Ignatii, cujus habebat effigiem* 807. (*Vide* Imago.) *Illusiones eorum inusitatas patitur puella; sed eludit ope S. Ignatii* 811 c. Dæmones *divinæ gloriæ inservire coacti* 216 d, 218 d. 454 e, 791 d e, 793 f, 800 b c, 808 a. *Inimicissimum sibi esse dixerunt S. Ignatium* 761 c d. *Idem eis insultat* 765 b. *Eorum unus suffocare tentans S. Ignatium, invocato Jesu nomine, pellitur* 765 c. *Tentationes eorum quàm graves aliquando sint* 768 b c
Dæmoniaci *liberati ope S. Lupi ep. Trecensis* 70 b. *S. Pulchronii ep. Virdun.* 70 e. *S. Alpini ep. Catalaun* ibid *SS. Abdonis & Sennen MM.* 140 f. *S. Germani ep.* 205, 215 a, 218 e, 219 f, 264 f, 276 a b, 303 e. *S. Eudocimi* 312 b c, 314 b. *B. Joannis Columbini* 341 e f, 399. *S. Ignatii* 761 b, 791 & seq. 799 e f & seq. 804 c, 809, 819 d e, 823 e
Decimas *quàm liberaliter olim pependerint Cambrenses* 199 e
Deiparam Virginem *devotissimè coluit Ordo Jesuatorum* 349 c. *S. Ignatius* 532 c, 612 c, 614 d, 636 f, 637 e f, 638 a b d, 640 d e, 653 b c, 660 b c, 661 e f, 662 a b, 677 e f, 683 b, 699 c, 784 a
Delatoribus *alieni delicti non statim credebat S. Ignatius* 560 f & seq.
Dentium dolor *sanatus illico ope B Joannis Columbini* 401 d e. *Ope S. Ignatii* 785 f, 797 d, 813 a, 821

821 e f
Desperatione *misericordiæ Dei impulsa per diaboli dolum concubina, suspendere se frustra conatur, protegente S. Ignatio, eamque per pœnitentiam reducente ad Deum* 807
Detractionis *ac temerariæ suspicionis funesta consectaria* 117 e f
Devotio *S. Ignatii in Deum à tempore conversionis semper accrevit* 654 a, 752 a b. *Vide* Oratio.
Diabolus. *Vide* Dæmon.
Dignitates ecclesiasticas *quanto studio declinaverit ab intio Societas Jesu* 486 & seq. 709 c & seqq.
Dilectione *ab alio superari fœdissimum est* 55 c. *Vide* Caritas.
Disciplina. *Vide* Religiosa disciplina.
Dissidium *SS. Pauli apost. & Barnabæ de Joanne innocuum* 153 b
Dominicam diem *opere servili violantes puniti* 267 c. *Ejus religionem quàm severè observaverit S. Olavus rex & M. Vide* Festum. 105 f
Draco *domitus aquâ benedictâ* 11 c
Duritia *in pauperes redarguta miraculo* 153 c

E

Ecclesiam *suam maxima liberalitate ditavit S. Germanus ep.* 259 a. Ecclesiam *suo nomine dicatam dirui non patitur S. Germanus ep.* 266 c. Ecclesiam *sputando, dormiendo &c. turpari non sinit S Germanus ep.* 290
Ecclesiæ Romanæ *auctoritatem quanti fecerit B. Joannes Columbinus* 403 b
Ecclesiastico *fundo suum dilatans vicinus dominus punitur* 268 e. *In eo equos injustè pascens punitur divinitus* 266 e. Ecclesiastica bona *diripientes puniti miraculis* 267 e, 268 e, 270 c, 271 b c, 286 f & seq. 297 d, 298 b c
Ecstases *in oratione mirabiles Ven. Catharinæ fundatricis Jesuatarum* 352 f & seq. *B. Joannis Columbini* 388 a. *S. Ignatii* 432 b, *toto octiduo continuo* 665 a. *Vide* Illustratio. Oratio.
Eleemosynæ *S. Lupi ep. Trecensis* 70 c. *S. Guilielmi ep.* 122 f & seq. *S. Germani, centuplo mox compensatæ* 218 f. *Alterius, miraculo probatæ* 399 d. *S. Ignatii* 446 a c. 638 e, 642 e f, 644 f, 646 d, 671 b, 686 f, 772 d. *Vide* Misericordia.
Energumenus. *Vide* Dæmoniacus.
Epilepsia *sanata ope S. Olavi regis & M.* 119 d. *ope SS. MM. Urbani &c.* 279 a. *S. Germani ep.* 296 d. *S. Ignatii* 446 c, 796 f, 802 d, 808 d, 830 f. *Vide* Morbus comitialis.
Episcopatus *S. Lupi Trecensis quàm diuturnus, quàm Sanctus* 54 c, & seq.
Episcopum *quanta deceat humilitas, quàm assidua verbi Dei prædicatio* 67 c d
Episcopus *ex monacho factus S. Lupus Trecensis, nihil de prioris vitæ austeritate remittit* 56 b, 70 b
Episcoporum *& cleri auctoritas apud S. Olavum regem & M.* 96 b c
Erasmi Roterodami *libros, ut pietati noxios aversatur S. Ignatius* 670 d e
Erysipelas *gravissimum statim sanatum ope B. Joannis Columbini* 400 c d
Eucharistiæ sacrosanctæ *usus frequens malè suggillatus à quibusdam in S. Ignatio* 436 a, 613 e, 646 b c. *Quanta fuerit ejus erga illud SS. Sacramentum devotio* 531 d. *Illud sumens Ven. Catharina fundatrix Jesuatarum, alio omni cibo abstinebat illo die* 353 a. *Eo non abstinendum, quamvis dulcedinem ejus minus percipiamus* 574 c
Examen conscientiæ *quam accuratè instituere consueverit S. Ignatius* 583 c, 735 d
Exercitia spiritualia *S. Ignatii quid sint; quomodo obeunda; eorum emolumenta; & vindiciæ* 423 & seqq. *Quanto fervore eà primùm susceperit P. Petrus Faber S. J.* 441 a, *aliique socii S. Ignatii* 667 b c, *& Sancti alii* 787, *ubi de illis multa dicuntur à pag.* 786 *ad* 790
Exsilium *injustum, quanto gaudio exceperit B. Joannes Columbinus* 373

F

Famæ *alienæ jacturam, quàm insigniter restituerit S. Ignatius* 678 d. *Idem subinde famæ suæ ac suorum adversus obtrectantes efficacissimè consulit* 653 e, 675 e f & seq. 680 b, 685 b, & seq., 703 d. 708 c, 712, 741 f, 743 c
Febres *miraculo depulsæ per S. Germanum ep.* 215 c, 266 e, & seq. 269 e, & seq. c. *Per SS. Urbanum & Tiburtium MM.* 278 e, 279 d. *Per S. Germanum ep.* 302 d. *Per B. Joannem Columbinum* 375 c, 387, 409 f, & seq. *Per S. Ignatium* 609 a, 617 c, & seq. 749 a, 794 b f, 795 b, 797 a, 802 b, 810 a, 817 e f, 818 f, & seq. 828 c d, 829 e, 835 e, 836 a, 838 f.
Feminarum *curâ spirituali Societatem liberari curat S. Ignatius* 708 e. *Earum alloquium & aspectum fugit constanter S. Eudocimus* 311 c. *Cum iisdem, etiam Deo sacris, rarò & graviter versandum esse, docet moriens B. Joannes Columbinus* 397 a. *Cum iis cautè, etiam in rebus spiritualibus, agendum sacerdoti ex sententia S. Ignatii, per experientiam comprobata,* 653 c d, 772 b
Festos *Sanctorum dies ipsis eorum natalitiis seu die obitûs celebrare veteres consueverunt* 215 d. *Vide* Natalis.
Festum *violans per ancillam coactam laborare, duplici per miraculum pœnâ plectitur* 116 e. *Ob eamdem causam divinitus puniuntur alii* 153 f, 267 c, 304 a. *Vide* Dominica dies.
Fides *in Deum eximia S. Ignatii* 612 f & seq. 641 e f, 664 d. Fidei professio *dictata ante susceptum sacrum Viaticum à B. Joanne Columbino* 395
Fiducia *in solo Deo collocata quantum boni afferat* 379 e f, 384 e, 387 d, 389 d, 403 c, 550 f & seq. 574 f, 582 f & seq. 668 d e f & seq. d, 763 e, & seq.
Filii *carissimi mortem immaturam non dolore, sed gratiarum actione prosequitur B. Joannes Columbinus* 339 c d
Filii *in matrimonio sterili precibus obtenti. Vide* Sterilitas.
Fons *excitatus precibus S. Callinici M.* 42 b. *Alius per merita S. Olavi regis & M. quosvis morbos expellens* 110 a. *Alius per merita S. Germani ep.* 270 e. *Alius per merita S. Julittæ M.* 144 f. Fons *S. Helenæ Suecicæ celeber miraculis in Zelandia Danica* 330 d
S. Francisci Xaverii *magna fiducia in sanctitate & reliquiis S. Ignatii etiam tum viventis* 749 b
Fures *comprehensi indicio S. Germani ep.* 268 f, 270 c d. Furtum *in juniore ætate à se commissum ultro palàm facit S. Ignatius, & liberaliter damnum resarcit* 678 d. Furtum *dæmonis & coacta restitutio* 205 a. *Idem accidit homini S. Germani jumentum furato* 214 e f. Furto *ablata per miraculum restituuntur, invocato S. Rufino M.* 153. c d. *Ope S. Germani*

ep. 205 a, 214 e f
Fures *ſacrilegi miraculo ſiſtuntur immobiles* 154 b, 214 e f, 270 c d. 271 c, 296 b, 785 f. Furtum *unius pomi, S. Germano oblati, ſeverè punitur* 264 d. Furtum *rei ad eccleſiam ſpectantis divinitus punitum* 267 e, 268 e, & ſeqq. *Etiam in brutis animalibus raptu viventibus* 269 c f.

G

GLobus tormentarius *neminem lædit, invocato S. Ignatio* 835 d
Gloriæ Dei *amplificandæ ardor eximius in B. Joanne Columbino* 367 & ſeqq. *Eumdem commendat diſcipulis moriens* 396 c. *in S. Ignatio* 538 d, 614 b, 661 d
Gloriam & honores *hominum fugitat S. Terentius conf.* 156 e. *S. Hathebrandus ab.* 162 e, 167 b. *S. Germanus ep.* 214 f, 219 a, 271 f. *S. Eudocimus* 312 a. *S. Neotus* 321 f, 322 f. *B. Joannes Columbinus* 364 b e. *Idem exemplo mirabili* 366 d. *Quod imitari voluit diſcipulos ſuos* 369 & ſeqq., *maximè* 406 b. *S. Ignatius* 445 c, 446 f, 634 c, 638 e, 668 e
Gloriam vanam *quanto ſtudio ſuperaverit S. Ignatius* 641 c & ſeq. a, 662 c, 668 a, 670 e, 755 e
Gratum animum *erga benemeritos imprimis exhibere ſtuduit S. Ignatius* 534 f & ſeqq. 755 a. *Etiam jam cælo receptus* 537 a, 785 e
Gubernandi ratio *fortis & ſuavis in S. Ignatio* 557 & ſeqq. 580 e & ſeqq. 761 e & ſeq.
Gutturis tumor *periculoſus illico ſanatus ope B. Joannis Columbini* 400 c, & ſeq. d. *Ope S. Ignatii* 808 e. *Vide* Angina. Ulcera.
Gymnaſiorum *Societatis Jeſu utilitates publicæ* 726 & ſeqq.

H

HÆmorrhois *continuò ſanata ope S. Ignatii* 794 f, 795 f, 803 e
Hæreſeos *auctores olim Britanniâ pulſi* 216 f
Hæreſim *quanto ardore oppugnandam ſuſceperint SS. Germanus & Lupus epp.* 74 & ſeq. 211 e & ſeqq., *ideo à dæmonibus fruſtra vexati* 212 c
Hæretici *Sanctorum miracula manifeſta quantum oderint* 113 a b c. *Latrocinia ſua ſacrilega apud Norvegos, ipſimet poſtea deteſtati ſunt* 112 d e. *Eorum ſuperbia & invidia à SS. Germano & Lupo epp. gloriosè victa* 213. Hæreticis *Sanctos implorantibus aliquando miraculoſa beneficia conceduntur* 330 d. *Multos convertit S. Ignatius ante inſtitutam Societatem Jeſu* 440 d. *Ad eorum converſionem validior eſt morum ſanctitas, quam diſputatio* 480 c d. *Adversùs eorum conatus Eccleſiam ſemper Dei providentia per apoſtolicos viros defendit* 688 & ſeqq. *Eorumdem odia adverſus Societatem Jeſu naſcentem, & hujus adversùs illos conſtantia* 685 d & ſeq. *Illorum ſeculis proximè elapſis horrenda flagitia* 689 f & ſeqq.
Hernia *ſanata ope S. Guilielmi ep.* 125 e. *Ope S. Ignatii* 822 c
Homicidarum *ictus in clientem innoxios reddit S. Ignatius* 804 b, 822 f
Horas canonicas *ſcrupulosè recitantem quomodo emendaverit S. Ignatius* 768 f & ſeq.
Hoſpitalitas *inſignis S. Germani ep.* 204 e. *Quanti eam in aliis fecerit idem Sanctus* 272
Hoſpitia *viliora in itineribus deligebat S. Germanus ep.* 211 c d e, 215 a
Humilitas *eximia S. Sidonii Apollinaris ep.* 54 c d e. *Quantam in epiſcopo exigat S. Lupus* 67 e d. *Humilitas S. Guilielmi ep.* 123 c d e. *S. Germani ep.* 217 e, 219 a, 271 f. *S. Eudocimi* 312 a. *S. Neoti* 321 f. *Ven. Catharinæ fundatricis Jeſuatarum* 352 f, & ſeq. *B. Joannis Columbini* 360 f & ſeqq. *maximè* 366 d & ſeq. *&* 380 e, *&* 395 b f & ſeq. *Item diſcipulorum ejus* 369 & ſeqq.; *quorum unus per unum hujus virtutis actum heroicum ad magnam Sanctitatem evehitur* 370. *Ejuſdem ad eamdem amandam adhortatio* 406 & ſeq. *S. Ignatii* 492 d, 539 & ſeqq. 566 e, 579 a b, 615 a b c, 678 d, 680 d, 686 f. 698 f & ſeq. a f, 700 b c, 734 f & ſeq. 752 e f, 755 c d e f, & ſeq.
Hydrops *miraculo ſanatus per S. Guilielmum ep.* 123 e f, 125 a. *Per S. Terentium conf.* 157 b. *Per S. Ignatium* 617 f, 816 e f

I

JEjunia *ſevera S. Lupi ep. Trecenſis* 70 b. *S. Germani ep.* 204 c d, 217 f. *Ven. Catharinæ fundatricis Jeſuatarum* 352 e & ſeq. *B. Joannis Columbini* 366 a. *S. Ignatii* 614 f, 640 a, 650 a b, 662 d, 663 e, 750 c
Jeſu *amor in S. Ignatio* 531 f
Jeiu nomen *uſitatiſſimum fuit B. Joanni Columbino* 337 f, 367 & ſeqq. *Hinc ipſe ejuſque ſectatores ex ore infantium & lactentium nomen accepere* Jeſuati 389 d. *Idem nomen quanti fecerit S Ignatius* 683 d: *hic ejus invocatione dæmonem pellit* 765 c
Ignem *illæſa ſuſtinet puella ope S. Guilielmi ep.* 125 e. *Idem ex obedientia præſtitit Jeſuatus quidam* 350 d, 387 b. *Corpus S. Julittæ M. inter ignes illæſum* 144 e
Illuſio *dæmonis in moniali per ecſtaſes, ſtigmata Chriſti &c.* 767 c d e. *Vide* Dæmon.
Illuſtrationes *cæleſtes S. Ignatii in ſeceſſu Manreſano & alibi* 640 & ſeqq. *maximè cum ſeſe ad presbyteratum & primitias præpararet* 653 a b, 654 a, 659 c, 660 b c, 664 & ſeq. 683 b, 684 b c
Imagines *ſeu effigies S. Ignatii miraculis frequentes* 617 f & ſeqq. *maximè Munebregana* 829 & ſeqq. *Aliam chartaceam ante partum deglutit mulier, quæ deinde prolis editæ pectori affixa apparuit* 837 a. *Vide plura de variis imaginibus ejuſdem Sancti* 840 & ſeqq. *Ea quàm ſint dæmonibus terribiles* 791 c & ſeqq. 804 d, 807 d, 811 f, 837 f & ſeq. d, 853 a b e. *Qui earum aliquam violavit, pœnas prodigioſas dedit* 842 c d. *Iiſdem varii morbi depulſi* 795 f & ſeqq. *paſſim. Quædam earum fundunt liquorem ſalutarem* 802 c, 818 f, 832 e, 833, 840 & ſeqq., *& ſanguinem* 828 c, 841 c d e
Imprecatione *matris, filia occupatur à dæmonibus* 800 b
Impudicarum mulierum *converſioni quanto ardore, ſumptu, induſtria conſulverit Romæ S. Ignatius* 704 f & ſeq. *Quædam poſt longum cum dæmone commercium mirabili ejuſdem Sancti ope ad pœnitentiam convertitur* 807: *uti & alia libidine furens* 817 f
Incendium *exſtinctum per reliquias S. Marthæ V.* 9 b. *S. Lupi ep. Trecenſis* 68 d e. *per imaginem S. Olavi regis & M.* 118 a. *per reliquias ejuſdem* 118 e. *Ope S. Urſi ep.* 158 c. *Ope S. Germani ep.* 213 e, 298 e. *Per icunculam S. Ignatii* 803 f & ſeq. *Per SS. Ignatium & Xaverium invocatos & apparentes* 807 a. *per aquam nomine S. Ignatii conſecratam* 837 a

Indulgentiam *peccatorum & benedictionem Apostolicam à summo Pontifice morti proximus petit S. Ignatius* 747 d
Infans *prædicit pœnam invasoris iniqui & blasphemi* 36 e. *Recens natus nomen Ignatii sibi indendum diserte pronuntiat* 811 b. *Alius in miraculoso ejusdem Sancti amplexu moritur* 818 c d. *Alius din mutus, pronuntiat primò nomen S. Ignatii, & dein expeditè loquitur* 829 c. Infantium *patronus peculiaris S. Lupus ep. Trecensis* 68 b c
Inimicitias *capitales ad pacem redigit B. Joannes Columbinus* 377 b c
Inimicos *oratione & miraculo juvat S. Callinicus M.* 42 a b. *Vide* Caritas
Injuriarum *& invidiæ tolerantia eximia in S. Genovefa V.* 216 c. *In Ordine Jesuatorum* 349 f & seqq. *maximè* 373 e, 404 c, 406 c. *In S. Ignatio* 537 & seq. 550. 613 b f, 670 a, 671 b, 770 c. *Vide* Patientia. Contumelia.
Innocens *suspendio mulctatus conservatur incolumis, invocato S. Olavo M.* 118 f; *alius, invocato S. Germano ep.* 301 b
Invasoris *iniqui pœna ab infante pronuntiata* 36 e
Invidia *monachi plectitur divinitus perpetua cæcitate* 290 d
Inundatio *repressa ope S. Germani ep.* 298 d
Iram *mariti quomodo vicerit conjux B. Joannis Columbini & quanto fructu* 356 a d. *Vide* Mansuetudo.
Irridendum *omnibus quasi fatuum sese offert ex humilitate B. Joannes Columbinus* 367 a, *idem imperans discipulis suis* 369 b & seqq. *Simile quid fecit S. Ignatius* 645 b. *Vide* Humilitas. Opprobria. Mundi contemptus.
Iter *quam piis exercitiis condire solitus fuerit B. Joannes Columbinus cum suis* 373 f, 376 b, 380 a, 384 d, 388 e. Itinera *per incommoda S. Ignatii cum spontanea & maxima egestate* 668 c, 673 e f, 679 a b c. *Sociorum ejus* 680 c e & seq. 701 e f
Judæi *multi Romæ ad Fidem conversi operâ S. Ignatii* 704 d e
Judicia hominum *& obloquia flocci facit B. Joannes Columbinus* 360 a b & seqq. *Vide* Humilitas. Opprobria.
Juventutis *institutio. Vide* Gymnasia.

L

Lacrymarum donum *insigne in S. Ignatio* 528 & seq. 614 c, 751 & seq. *Vide* Oratio.
Lapsus *ex alto præcipites innoxii, ope S. Ignatii* 608 f, 802 c, 815 e, 817 d e, 823 e
Laterum dolores *illico sanati ope S. Ignatii* 785 e 794 d, 795 b e, 802 b, 821 f, 835 e
Latro. *Vide* Homicida
Lectio *fortuita Vitarum Sanctorum mirificè convertit B. Joannem Columbinum* 337 d, 356 c. *S. Ignatium* 612 b, 636, 659 d & seq. *Item alium quemdam eadem lectio nutantem in Societate Jesu mirificè confirmat, & cælestibus favoribus cumulat* 825 b
Lecto *durissimo semper usus S. Germanus ep. Autiss.* 204 d e, 215 a, 217 f. *Item B. Joannes Columbinus* 358 f, 363 d. *S. Ignatius* 430 d, 446 b, 791 f. *S. Franc. Xaverius* 740 e
Lemures. *Vide* Dæmon.
Leones *cuidam eremitæ familiares* 183 a b
Leprosum *suo lecto excipiens S. Ignatii socius, lepram contrahit; sed postridie miraculo sanatur* 454 f. *Sub forma leprosi teterrimi Christum bajulat & fovet B. Joannes Columbinus* 363 b
Libros, *etiam non malos, auctoris mali legi vetat S. Ignatius* 767 a
Lingua *innocenti exsecta restituitur ope S. Olavi regis & M.* 115 e f
Lites *quanto impendio fugerit S. Ignatius* 755 b c
Litteras, *earumque studiosos egregie fovit Carolus Calvus imp.* 221 f. *Vide* Studia.
Locustarum *agros depascentium exactio per reliquias S. Ignatii* 853 f
Luce *cælesti fulget B. Joannes Columbinus in hac vita* 363 a, 375 e, 388 a. *S. Ignatius* 430 d, 446 f, 585 f & seq. 667 e
Lucri *cupiditas quam communis inter homines* 355 f. *Quomodo eam in se ultus sit B. Joannes Columbinus* 357 b
Luporum *dira grassatio mirabiliter sublata patrocinio S. Ignatii non sine pluribus miraculis* 822 a b, 844 a
Lutheranæ *sectæ quam fœda primordia* 689 f & seqq. Lutheranorum *rapinæ & sacrilegia apud Norvegos* 112 d e
Luxatio *diuturna corporis statim sanatur ope S. Ignatii* 818 e, 828 a b, 829 c d

M

Maledici *funestus interitus* 435 d e, 771 b c
Mammillarum *gravissimi dolores & morbi sanantur ope S. Ignatii* 619 a, 794 f, 822 f, 828 d
Mansuetudo *S. Guilielmi ep.* 123 f. *S. Ignatii* 537 b & seq. 564 f, 753 f, 763 b. *Vide* Patientia. Caritas.
Maria Deipara. *Vide* Deipara.
Marmor, *ut cera mollis, digito cedit S. Germani ep.* 257 a
Martyrii *desiderium in SS. Lucilla & Flora VV.* 24 b. *in Eugegio rege* ibidem d. *in S. Callinico* 41 c. *in S. Memorio diacono & sociis* 78 c. *in S. Julitta* 144 d. *in S. Secunda V. M.* 147 e
Martyrum *ignotorum reliquiæ quanti faciendæ* 33 c & seq. Martyrum constantia *singularis inter tormenta* 41 d, f, & seq. Martyrum Acta *legenda & considerandæ perfectionem amantibus ex consilio B. Joannis Columbini* 408 f
Medicis, *agente S. Ignatio, interdictum, ne ægros nondum peccata confessos tertiò visitent* 704 c d
Mendacium *quantopere vitandum* 180 f
Milites *non Christianos in exercitu suo non ferebat S. Olavus rex & M.* 106 d
Militiam *profanam cum sanctitate composuit S. Eudocimus* 311 e
Miracula *Sanctorum quantum oderint hæretici; quàm putidè ea conentur eludere atque supprimere* 113 a b c. Miracula *adhuc vivens propemodum infinita patravit S. Germanus ep.* 204 & seqq. *Multa B. Joannes Columb.* 375 & seqq. *maximè* 387. *Multa S. Ignatius* 446 c d, 588 f, & seqq. 616 f. *S Franc. Xaverius* 741 a b
Miracula *spiritualia potiora sunt corporalibus* 272 a, 773 & seqq. *Illa assidua sunt apud reliquias S. Germani ep.* 272 a. *& per S. Ignatium propè infinita* 773 & seqq. 781, 795 f, 798 e *& passim sequentibus, maximè* 810 d, 825, 832 b
Misericordia *Attilæ in mulierem pauperem* 65 b. *S. Lupi erga pauperes, captivos, ægrotos* 70 c d. *S. Olavi regis & M. erga reum moribundum* 103 f. *S. Guilielmi ep. erga pauperes* 122 f & seq. *S. Rufini M. jam cælo recepti erga pauperem duriter vexatam* 153 c. *Cambrensium in Anglia mirabilis erga pauperes commiseratio*

199 c. *S. Germani ep. erga pauperes & miseros* 213 e, 214 d f, 216 f, 217 e f, 218 f, 219 b. *ejusdem erga inclusos carceri reos, quos miraculo omnes liberat* 219 c, 299 & seq. *S. Endocimi erga pauperes* 311 d. *B. Joannis Columbini erga pauperes* 337 f, 357 d, 358 f. *Erga ægros* 359 f, *& ipsum Christum sub forma leprosi latentem* 363 b. *Discipulorum ejus erga fratrem ægrotum* 375 b c. *ejusdem actus heroicus erga ulceroſum, quem lingendo sanat* 382 a. *S. Ignatii erga pauperes, cum & ipse pauperrimus esset* 435 a b c, 446 a c, 582 e. *Sociorum ejus erga ægrotos* 454 e f. *S. Ignatii in pauperes* 613 c, 638 e, 644 f, 646 a, 772 d

Missæ Sacrificium *qua præparatione, quo modo celebraverit S. Ignatius, quæ ejus post illud recollectio* 526 f & seqq. *In eo permagni faciebat externam reverentiam* 529 f. *In eo frequentes ejus visiones cælestes* 654. *Primitias anno solido differt, ut ad eas se comparet* 683 b. Missæ Sacrificio celebrando *ultra horam insumebat S. Ignatius, & quibus ex causis* 579 f

Missam audiens *S. Ignatius legere solebat historiam Passionis Christi* 639 a

Modestia *vultus & morum singularis in S. Ignatio primùm converso* 417 e. *& deinceps* 556 c. *Ejus defectum graviter castigabat* 557 e. *Modestia primorum ejus sociorum* 680 c. *Ipsius S. Ignatii* 749 c d. Modestiæ regulas *à se præscriptas quanti fecerit S. Ignatius* 751 c

Monachos *quanti fecerit S. Guilielmus ep.* 123 c d

Monasticum *habitum olim episcopi plures gerebant* 195 e

Morbi *incommoda in deliciis habet Joannes Columbinus* 360 e & seqq.

Morbus caducus. *Vide* Epilepsia.

Morbo comitiali *efficaciter opponitur patrocinium S. Lupi ep. Trecensis* 68 c, 69 b c. *Vide* Epilepsia.

Moribundis *subitò restituta sanitas ope B. Joannis Columbini* 383 e, 387 d e, 401 b & seq. *BB. Virginis Deiparæ* 584 e. *S. Ignatii* 617 b & seq. 794 f, 795 b d, 796 a, 800 f, 802 b c, 803 c, 808 f, 810 f, 813 c d, 814 b, 816 f, 820 b, 823 b c, 824 a b c, 825 & seqq. 828 d, 830 c, 835 e, 836 c, 839 c. *S. Germani ep.* 303 a

Mors *instans revelata S. Olavo regi M.* 106 f. *S. Terentio conf.* 157 d. *S. Amatori ep* 202 d. *S. Germano ep.* 217 b, 220 a. *S. Neoto* 325 d. *S. Ignatio* 747 c. *Huic ejusdem cogitatio tam dulcis erat, ut ab ea sæpe animum avocaret, ne tantum ejus consolationis sentiret* 641 d, 735 b c, 752 b c

Mortificatio corporis *severa eluxit in venerabili Beatrice Virg.* 3 c. *In S* Lupo *ep. Trecensi* 70 b. *In S Germano ep. Autissiod* 204 c & seqq. *In S. Neoto* 323 b. *In B. Joanne Columbino* 337 c. *In toto Ordine Jesuatorum* 347 d, 349 b. *& Jesuatarum* 352 b. *& harum fundatrice venerabili Catharina* 352 e & seq. *In B. Joanne Columbino* 358 e & seqq. *qui ex ejus assiduitate fit in dies corpore robustior, cum antea debilis esset* 366 b; *quique eâdem discipulos suos experiebatur severissimè* 368 & seqq. *imò eamdem restituit apud Dominicanos Senenses* 372. *Ejusdem descriptio & stimuli* 405 d. *In S. Ignatio* 446 b, 555 b, 614 c, 637 e, 638 f, 645 c, 661 c, 662 d, 666 f, 750 c d, 792 b c

Mortificatio *animi & affectuum in S. Ignatio* 553 c & seqq. 614 e, 758 a b. *Vide* Victoria sui.

Mortificationem *voluntatis & judicii longè præsebat S. Ignatius mortificationi corporis* 753 a

Mortificationes *suas celare conatur S. Guilielmus ep.* 123 e. *Vide* Humilitas. Gloria.

Mortui *ad vitam revocati: ope S. Marthæ V.* 5 f, 11 d. *Ope S. Lupi ep. Trec.* 70 c. *Ope S. Guilielmi ep.* 125 c. *Ope S. Germani ep.* 219 d e, 257 c, 260 e, 301 f & seq. *Per applicitam imaginem S. Ignatii* 801 f, 817 b c, 829 a b, 832 b c, 852 c d

Mortuum *fingens mortuus continuò invenitur* 288 a

Mortuum *asellum vitæ restituit S. Germanus ep.* 288 d. *Pisces mortuos S. Neotus* 324 a

Mulieres *ad constantiam virilem hortatur S. Julitta M.* 144 e

Mundi contemptum *verbo & exemplo efficacissimè urget B. Joannes Columbinus* 366 & seqq. *maximè* 380 e, 395 f, 406 a. *nec sine fructu mirabili* 368 & seqq. *Item S. Ignatius* 755 c d

Munditiem externam *in se suisque requirebat S Ignatius* 581 c, 750 d. *& maximè in ecclesiis* 614 d

Mutilatio *membrorum sanata ope S. Olavi regis & M.* 117 e f

Mutis reddita loquela ope S. Lupi ep. Trecensis 70 b. *ope S. Olavi reg. & M.* 111 c, 116 b. *S. Germani ep.* 217 b, 267 f, 277 a. *SS. MM. Urbani &c.* 279 a b c. *S. Germani ep.* 295 b. *S. Ignatii* 782 f, 803 d, 829 c, 831 f

N

NAtales dies *suos ignotos ipsi Sancti miraculo revelant* 209 b

Nitor. *Vide* Mundities.

Novas res, *tametsi pias, introduci nolebat S. Ignatius* 581 e f

Novitios *ad Religionem admittendi, atque excercendi ratio, quam servabat S. Ignatius* 570 & seqq.

O

OBedientia *cæca laudatur* 200 f. *Eadem miraculo insigni probatur apud Jesuatos* 350 d. *item alio magis etiam admirando* 387 b. Obedientia *perfecta, etiam judicii subjectionem exigit* 582 d. Obedientiâ *quantâ fuerit S. Ignatius; quantâ suos esse voluerit* 541 & seqq. 756 & seqq.

Oculorum *dolores acutissimi mox depulsi ope S. Ignatii* 796 c, 797 e, 810 c. *Vide* Cæci.

Officium ecclesiasticum *neglectum arguunt campanæ ultrò sonantes* 268 f & seq. f

Oleum *in ardenti lampade diu non imminutum ope S. Germani ep.* 265 b

Oleum *salutare multis locis emunat meritis S. Germani ep.* 269 e

Oleo *consecrato dæmonum veneficia tollit S. Germanus ep.* 205 b c. *Eodem oculi & brachii usum amissum restituit* 210 b. *Eodem maris tempestatem sedat* 212 d. *Mutam eodem sanat* 217 b

Oleo lampadis *ardentis ad sepulcrum S. Eudocimi pelluntur morbi varii* 312 c. *Item oleo lampadis accensæ ad imaginem S. Ignatii* 800 f & seq. 803 e, 828 b c, 831 a, 832 f

Opprobria *& contemptum amabat B. Joannes Columbinus* 366 d & seqq. *Iisdem exercens palàm tirones suos* 369 & seqq. 406 c. *Vide* Contumelia. Mundi contemptus.

Orationis *studium eminens in S. Lupo ep.* 70 b. *S. Hathebrando* 166 a. *In S. Neoto* 321 f. *In Ordine Jesuatorum* 347 d, 349 b. *In ea sublimis*

blimis à terrâ elevatur dum Ven. Catharina fundatrix Jesuatarum 352 f. *In ea micantibus undique radiis cingitur B. Joannes Columbinus* 363 a: *uti & S. Ignatius* 430 d *qui & sublatus in ea visus est aliquoties sesquicubito à terra* 432 b. *In ea externam reverentiam permagni faciebat* 530 b. *illi insumebat quotidie septem horas & amplius* 640 b c, 662 d. *In ea ecstasim patitur per totum octiduum continuatam* 665 a. *Plura de ejusdem oratione* 751 & seqq.

Orationi *multùm deditis cavendam esse monebat S. Ignatius judicii pertinaciam* 753 b c

Ornatus *corporis non decet virginem Deo devotam* 212 c

Orphanis *rectè educandis quid contulerit Romæ S. Ignatius* 705 c. *Vide* Misericordia.

Ossa *S. Ignatii apparent conspersa stellis* 600 e

Otium *in Societate non ferebat S. Ignatius* 557 d. *Vide* Acedia.

P

PAnis *nomine S. Germani ep. signatus, multis salutaris* 265 c. Pane *tantùm hordeaceo vescitur S. Germanus ep. Autiss.* 204 c d

Paralysis *sanata ope S. Lupi ep. Trecensis* 70 b. *Ope S. Terentii conf.* 156 f & seq. *Ope S. Amatoris ep.* 203 c. *S. Germani ep.* 220 c. *SS. MM. Urbani &c.* 279 e. *S. Ignatii* 618 b, 781 e, 803 b, 813 a, 823 a, 825 & seqq. 828 d, 830 e, 831 b e, 832 e f, 835 c, 841 d e

Passionem Christi *meditanti Ven. Catharinæ obstrepunt dæmones, sed frustra* 353 c

Patientia *injuriarum & contumeliæ in S. Guilielmo ep.* 123 f & seq.

Patientia *in adversis est omnibus necessaria* 166 c d. *ea eluxit mirificè in S. Genovefa* 216 c. *In S. Joanne Columbino* 338 b, 361 e. *In ejus discipulis* 349 f & seqq. *maximè* 406 c. *In S. Ignatio* 431 b f, 537 & seq. 559 & seqq. 164 e. *Virtutis hujus fructus uberrimus* 574 c, 770 c

Patrimonium *amplissimum ecclesiæ donat S. Germanus ep.* 259 a

Pauperes *quanta caritate foverit S. Guilielmus ep.* 122 f & seq. *Vide* Misericordia. Duritia.

Paupertas *S. Germani ep.* 204 d e, 220 b, 259 a b. *Ea quanti sit pretii, verbis factisque docet B. Joannes Columbinus* 359 & seqq. *maximè* 365 & 405 f. *Viros primarios ad eamdem permovet* 368 & seqq. *Et consobrinam suam non sine miraculis* 386 e. *Ejusdem quàm severè studiosus fuerit S. Ignatius, etiam inter consanguineos id ægrè ferentes* 438 e, 445 e, 547 & seq. 638 e f, 641 e & seq. 651 f, 652 f & seq. 667 f & seq. 678 b, 681 c, 755 e. *Qualem Societati præscripserit* 548 & seqq. *Eam in quibusdam cœnobiis collapsam restituit B. Joannes Columbinus* 372, 377 d. *& quidem dæmones inde simul cum ingenti strepitu per hoc abegit* 385 f

Peccantes *severè corrigebat S. Ignatius adhuc privatus, non sine periculo suo* 642 d, 643 c, 668 f. *Vide* Religiosa disciplina.

Peccatores, *invocato S. Eugenio M., ad pœnitentiam permoti* 32 e. *Obduratus quidam qua caritate conversus tandem sit per B. Joannem Columbinum* 377 a. *Per S. Ignatium* 753 d, 765 f & seq.

Peccatum mortale *numquam commisit S. Ignatius ex quo primùm conversus fuit* 653 f

Pecuniam *pro viatico oblatam renuit B. Joannes Columbinus, ne diffidere videatur divinæ providentiæ* 389 e. *S. Ignatius jam acceptam, eadem ex causa pauperibus totam distribuit* 642 e f. *Postea verò obtrusam recusavit* 652 b c

Pedum dolores *sublati subitò ope B. Joannis Columbini* 401 c & seq. *Vide* Claudi.

Pelagianos *tam acriter quam feliciter expugnant SS. Germanus & Lupus epp.* 211 e & seq.

Peregrinatio *supplex S. Servatii ep. ad limina Apostolorum* 77 c. *S. Ignatii Romam & Hierosolymam* 614 d, 641 e & seqq. *S. Helenæ Suecicæ viduæ Hierosolymam* 332 e

Perfectionis religiosæ *præcepta à B. Joanne Columbino data* 408 c

Perjuriorum *ultor singularis S. Germanus ep.* 265 a 269 c

Persecutio *in B. Joannem Columbinum & Jesuatos à Senensibus suscitata, ultione divinâ punitur, donec postulatur ab innocentibus venia* 273 & seq. Persecutionum *tolerantiâ excellit S. Guilielmus ep.* 124 a b. *Vide* Patientia.

Perseverantia *in sancta vocatione. Vide* Propositum. Vocatio.

Peste afflati *sanantur ope S. Ignatii* 796 b, 803 f, 821 e, 842 f

Pestiferum *invisit S. Ignatius, non sine victoria sui magna* 650 f

Pestilentia *in armentis cessat, ope S. Ignatii* 822 e

Phreneſis *illico sanata ope S. Ignatii* 811 a

Phthisis *sanata ope S. Ignatii* 446 d, 808 a, 824 b. *Vide* Febris.

Pisces *ad vitam revocati precibus S. Nevti* 324 a

Plaustrum *contritum momento restituit S. Germanus ep.* 286 a

Pleuritis. *Vide* Latetum dolores.

Podagræ *dolor acutissimus momento cessat ope S. Ignatii* 836 b

Pœnitentiam *ardore & fructu miro prædicat B. Joannes Columbinus* 367 & seqq.

Pœnitentiæ *spatium suspenso cuidam & jam, ut creditur, mortuo obtinet S. Ignatius* 432 c. *Idem jam vitâ sanctiùs præstat mente capto* 804 e. *Item alteri mortuo vel mortui simili* 836 b

Polypus *teterrimus sanatur ope S. Ignatii* 802 f

Prædicatio *efficax B. Joannis Columbini* 372 & seqq. *Vide* Sermo.

Prædones *absterriti apparitione S. Marthæ V.* 12 e. *Vide* Fures

Precibus *urbem ab hostili exercitu defendit S. Lupus ep. Trecensis* 70 a

Principum *cum ecclesiasticorum tum secularium quam observans fuerit S. Ignatius* 545 & seqq.

Promissum *in vita implet post obitum S. Germanus ep.* 261 b

Prophetico spiritu *futura, absentia, occulta cognoscit S. Germanus ep.* 209 e, 211 f, 214 e, 217 b, 218 f. *S. Neotus* 325 b. *S. Helena Suecica* 332 c. *B. Petrus Petronus* 340 c d. *B. Joannes Columbinus* 381 c d. 384, 387 e, 390 a. *S. Ignatius* 430 d, 434 b, 439 c, 446 d e, 574 f, 584 & seq. 653 b, 682 b d, 699 f, 703 a 707 a, 738 d, 748 d, 771 a b c

Propositum *sanctioris vitæ mirâ constantiâ tenet B. Columbinus* 361 d & seqq. *Qui secus faciunt, tristes habent exitus* 393 b. *Eadem eluxit constantia in S. Ignatio* 662 f & seqq. *Vide* Vocatio.

Providentia Dei *mira erga sperantes in se* 36 d, 379 e f, 384 e, 387 d, 389 d, 574 f, 582 f & seq. 668 d e f & seq. d, 763 e & seq.

Prudentia *maxima S. Ignatii cum in rebus aliis tum in directione aliorum spirituali* 748 e f, 765 e & seqq. 770. *Vide* Gubernandi ratio.

Psalterium *totum quotidie recitabat memoriter præter Horas Canonicas aliasque preces S. Guilielmus ep.* 123 b c
Pudicitia. *Vide* Castitas. Virginitas.
Puellis *de castitate periclitantibus quomodo prospexerit Romæ S. Ignatius* 705 c
Pueri *vix quinquennes olim à parentibus ad monasteria deferebantur, per monachos piè educandi* 264 b
Puerperæ *desperatæ vel feliciter enituntur, invocato S. Ignatio, vel certè earum proles baptismi gratiam consequuntur* 608 f & seq. 631 f, 634 a, 781 f, 794 f, 795 b, 797 c f, 799 a b c d, 800 d, 811 b, 815 f & seq. 828 d e, 829 b, 835 c e, 836 b d f & seq. 842 b, 853 e
Puteus *aquas salubres dat pro corruptis, ope S. Ignatii* 804 a

R

Radii solis *vestem sustinent S. Hathebrandi ab.* 166 e
Regiæ pietatis *exemplum in S. Olavo rege & M.* 98 a
Regulas *& ordinationes suas Superiorum localium prudentiæ vel moderandas, vel omnino aliquando omittendas permittebat S. Ignatius* 582 b
Religiosam disciplinam *quantâ constantiâ ursérit S. Hathebrandus ab.* 166 a b. *S. Germanus apparens, eamdem urget minis perquam severis* 302 b. *S. Ignatius in eadem vindicanda severus* 557 & seqq. 581 c
Religiosi *honorandi sunt, etsi non omnes boni sciantur esse* 302 b c
Reliquiæ *Sanctorum varias diraque calamitates pellunt* 141 d, 263 & seqq. *Item morbos gravissimos* 12 d. *Ut S. Eugenii M.* 32 d. *S. Lupi ep. Trecensis* 51 d, 68 c, 69 b c. *S. Olavi regis & M.* 108 & seqq. *S. Guilielmi ep.* 124 e & seq. *SS. Abdonis & Sennen MM.* 140 e & seq. *S. Germani ep.* 264 & seqq. *S. Ignatii* 781 & seqq.
Reliquiæ *Sanctorum suavissimè redolentes; ut S. Marthæ V.* 7 e. *S. Olavi regis & M.* 109 d. *S. Guilielmi ep.* 124 d e. *SS. Abdonis & Sennen MM.* 140 e. *S. Petri ep.* 183 e. *S. Germani ep.* 264 a. *S. Eudocimi* 313 e. *S. Neoti* 326 a. *B. Joannis Columbini* 343 c, 397 e. *S. Ignatii* 779 c
Reliquias *Sanctorum olim Romani non dividebant; sed earum loco rogantibus brandea mittebant* 33 f. Reliquias *S. Olavi regis & M. curiosè inspiciens tangensque ab apparente Sancto arguitur* 111 e. *Alius minùs eas reverens punitur* 118 e. Reliquiæ *S. Germani ep. Autissiod. quanti factæ* 185 b & seq. 263. *Earum ex indiscreta devotione violatio punita* 263 f, 291 d
Reliquiæ Martyrum ignotorum *quanti faciendæ* 33 e & seq.
Reliquiæ *SS. Floræ & Lucillæ moveri non possunt, nisi ad locum miraculo designatum* 28 a. *Item SS. Memorii & sociorum MM.* 79 c
Reliquiæ *S. Ignatii stellis conspersæ apparent* 600 e
Reliquiariam *thecam collo appensam numquam deponit S. Germanus ep.* 204 e, 220 b. *Ejusdem contactu cæcam sanat* 213 c
Renum dolores *sublati ope B. Joannis Columbini* 400 f. *Ope S Ignatii* 794 d e
Restitutio *injustè sublatorum extorta miraculis* 205 a, 214 e f, 286 f
Revelationem *cælestem temerè evulgans punitur* 258 e f
Reverentiam *in templo necessariam esse, demonstratur miraculis* 290 a
Rex *simul & apostolus Norvegiæ fuit S Olavus M.* 114 & seq.
Regem *superbum ac durum acriter castigat S. Neotus, prædicens ei futura* 325 b & seqq.
Risum *initio conversionis verberibus in sese compescuit S. Ignatius* 768 d
Rosarii Mariani *usum suis præcipit S. Ignatius* 532 e

S

Sacramentorum *Pœnitentiæ & Eucharistiæ usum frequentem in Ecclesia restituit S. Ignatius* 613 e, 684 e
Sacra utensilia *usibus profanis adhibentes punitè* 267 d e
Sacrilegium. *Vide* Fures. Hæretici.
Sanctitas *non in miraculis, sed in Dei dilectione consistit* 773. *Ejus externa tantùm indicia, quantumvis mira, suspecta erant S. Ignatio, nec temerè* 767 c e
Sanctorum Acta *fortuitò legens, mirificè convertitur B. Joannes Columbinus* 337 d, 356 c. *S. Ignatius* 612 b, 636 & seq. 659 d & seq. *Sacerdos quidam Societatis Jesu, qui statuerat eam deserere tamquam inutilis ex infirmitate; quæ res est lectu digna* 825 & seqq.
Sanguinis fluxus *sanatus ope B. Joannis Columbini* 401 c. *Vide* Hæmorrhois.
Scandala *principum quam constanter insectatus sit S. Amator ep.* 202 c d
Scrupulis *supra modum vexatus S. Ignatius initio melioris vitæ* 639 c & seq. 663. *Nunc est peculiaris adversus illos patronus* 781 d, 795 f, 798 e
Sepelire *mortuos jucundissimum fuit B Joanni Columbino* 367 c
Sepeliri *vult in ecclesia sua S. Germanus ep. peregrè moriens* 220 a. *B. Joannes Columbinus in cœnobio S. Abundii loco vili* 395 f
Sepulcra *miraculis assiduis clara: SS. Martini ep. Turonensis, Germani Autissiodorensis, Lupi Trecensis* 51 d, 68 b c, 74 c. *S. Olavi reg. & Mart.* 87 d e, 109 & seqq. *S. Guilielmi ep.* 124 e & seq. *S. Ruffini M.* 153 c. *S. Germani ep. Autiss.* 263 e & seqq. *S. Eudocimi* 313 a. *B. Joannis Columbini* 398 & seqq. Sepulcra *Sanctorum certis locis Deus ipse assignat* 152.
Sepulcra *Sanctorum religiosè visitare consueverat S. Germanus ep.* 213 d, 215 d, 217 c. Sepulcrum *S. Germani ep. quidam ex devotione indiscreta violans punitur, sed cum pœnitentia votum emittens liberatur* 263 f
Sepulturam *& preces per nocturnas infestationes exigunt umbræ insepultorum* 211 c d
Sermonis *moderatio & efficacia in S. Ignatio* 759 & seqq.
Serpentes *solo imperio fugat S. Germanus ep.* 210 c d
Societas Jesu *quam opportuno tempore instituta; ejus finis, & media ad illum* 468 & seqq. 688 & seqq. *Ejus institutio diu antè S. Ignatio revelata divinitus* 474 f & seq. *Ejus Constitutiones quot inter divinas illustrationes conditæ sint* 491 & seq. 735 c d e. 751 d e. *Quot ex ea vitam fidei causâ usque ad annum Christi* 1585 *profuderint* 697 b. *Societatis fama honorque defenditur per Ordines Dominicanum*

num & FF. Minorum 712. *Instituti Societatis idea* 714 & seqq. *Tres sacerdotes ejusdem Societatis, eâ indigni pronuntiantur ab apparente S. Ignatio, & ejiciuntur* 846 e f. *Ejusdem Societatis elogia à Sanctis dictata* 849 & seqq.
Solitudinis *amor in S. Germano ep.* 204 f. *In S. Neoto* 322 f
Somni *parcissimus S. Germanus ep.* 204 e, 430 d. *S. Ignatius* 662 d. *S. Franc. Xaverius* 740 e & seq.
Spes *in Deo eximia S. Ignatii* 613 b, 641 e f, 763 e & seq.
Sterilitas *mulierum sublata divinitus* 165, 177 d, 399 e
Stomachi dolor *momento sublatus per merita S. Ignatii adhuc viventis* 749 a. *Item per merita ejusdem jam in cœlis agentis* 813 a, 830 c, 837 a
Strumæ *miraculo sanatæ ope S. Ignatii* 785, 836 f
Studia litterarum *impensè fovit in aliis S. Lupus ep.* 55 c d
Studiis litterarum *sic addictum in Societate Jesu, ut virtutem ac spiritum negligeret, severè corripit apparens ei S. Ignatius* 806 d
Studiorum *causâ consuetis mortificationibus & exercitiis apostolicis minus tantisper indulsit S. Ignatius* 438 a : *ac motus in speciem sanctos tum illabentes, tamquam tentationes repellit* 645 d e, 650 e, 670 c, 674 d
Stultus *propter Christum videri voluit B. Joannes Columbinus* 367 a, *idem exigens à discipulis suis* 369 b & seqq.
Submersa *filia mirabili modo sospes evadit invocato S. Ignatio* 804 f & seq. *Item mulier* 823 e
Surdorum *sanatio per miraculum ope S. Germani ep.* 266 c, 276 a, 277 e. *S. Imiterii* 306 f. *S. Ignatii* 782 f, 794 c. *Sed modo prorsus mirabili* 802 d e, 803 d, 816 f & seq. 832 e f, 838 a
Suspensus *ob falsum crimen, invocato S. Olavo, servatur incolumis* 118 f, *invocato S. Germano ep. alius* 301 b
Suspenso *& pro mortuo habito spatium pœnitentiæ precibus obtinet S. Ignatius* 432 c

T

TEmpestas *maris sedata subitò ope S. Guilielep.* 125 e. *S. Germani ep.* 212 d e; 275 b. *S. Ignatii* 795 d, 798 a c, 813 b
Tentatio *non statim Superiori manifestata, quousque deduxerit novitium Societatis Jesu* 587 e
Tentationes *& phantasmata carnalia quanta severitate expugnaverit Ven. Catharina, fundatrix Jesuatarum* 353 b
Tentationes *graves, quas recèns conversus sustinuit & vicit S. Ignatius* 639, 662 f & seq.
Testamentum *pium B. Joannis Columbini* 395
Thomæ Kempensis *libellus De imitatione Christi maximo in pretio & familiarissimus erat S. Ignatio* 331 a, 670 e
Tolerantia *in adversis, omnibus necessaria* 166 c d
Tormenta *dira non sentit prorsus illæsus rusticus, invocato S. Germano ep.* 300 e
SS. Trinitatem *singulari devotionis affectu prosecutus est S. Ignatius* 528 & seq. 640 d e, 664 b

V

VArioli *seu papulæ sanantur ope S. Ignatii* 828 b d
Venefica *prohibetur ingressu per reliquias S. Ignatii* 800 a. *Aliarum strophæ eluduntur ope ejusdem Sancti* 812 c
Veneficium *innoxium redditur per reliquias S. Ignatii* 838 c f
Verbum Dei *ejusque ministros aspernata civitas ultione divina concidit funditus* 381 c d
Verborum *quam parcus fuerit ad mensam S. Ignatius* 643 b
Vestimenta *S. Lupi in sepulcro pluribus seculis incorrupta* 52 e
Vestitus *vilissimus & incommodus S. Germani ep.* 204 d. *B. Joanni Columbini* 366 a. *S. Ignatii* 638 c, 644 e, 661 f, 662 b, 669 d
Viaticum sacrum *quam piè susceperit B. Joannes Columbinus* 394 f
Victoria *obtenta per invocationem S. Olavi regis & M.* 116 c d, 118 c, 119 f & seq. *Alia insignis reportata sub auspiciis SS. Germani & Lupi per solum cantum Alleluiaticum* 214 a b. *Alia per invocationem S. Germani ep.* 276 f, 289 e. *Ope S. Neoti* 328 c
Victoria sui *heroica cujusdam è sociis S. Ignatii* 454 f. *Hanc ille Sanctus assiduè commendabat suis* 553 f & seq. 766 c & seq. *Eâdem ipse clarissimus* 662 f. *Sti & S. Franciscus Xaverius ulcera lingens* 680 d. *S. Ignatius* 754 c, 758 a b. *Vide* Mortificatio.
Vigiliæ *longæ & statæ S. Lupi ep. Trecensis* 70 b. *S. Ignatii* 640 c. *Vide* Somnus.
Vinum *miraculo obtentum ope S. Ignatii* 828 d
Virginitatis *amor in SS. Lucilla & Flora MM.* 23 e. *In S. Genovefa* 212 a b. *In S. Eudocimo* 311 c. *In Ven. Catharina fundatrice Jesuatarum* 353 b f. *Vide* Castitas.
Virtuti *minus quam litteris vacantem arguit apparens S. Ignatius* 575 b
Visiones *mirabiles exhibitæ Mamertino ethnico* 207 & seq. *S. Ignatio* 640 e & seqq. ; *maximè* 653 a b, 654 a, 659 c, 660 b c, 664 & seq. 683 b, 684 b c. *Vide* Illustratio.
Vitam *brevem longiori, sed periculosæ, præferre divinitus docetur Magnus Norvegiæ rex* 120 e
Vocatio *Jacobi Sanchez ad Societatem Jesu per vocem ex tabernaculo Ven. Sacramenti prodeuntem* 474 f & seq. Vocatio ad Religionem *quàm solicitè servanda* 166 c, 393 b. *Eâ indignos nec ferebat S. Ignatius, neque dimissos viatico dignabatur* 561 e & seqq. *Idem in ea ex aliqua tentatione nutantes mirificè confirmabat* 564 & seq. 769 b. Vocationem *suam ad Societatem Jesu deserens, ut solitudinem colat, ostento divino redire cogitur* 682 c d. *Quid ad suos aliquot in ea confirmandos fecerit S. Ignatius* 754 e f, 769 a. *Mortuus idem vacillantem in Societate confirmat* 801 e, 810 e. *Alium ad eamdem reducit insigni miraculo* 812 e. *Alium ejus desertorem severè punit miraculo* 813 a, 816 c. *Alium confirmat apparens* 825
Voluntatis *divinæ in rebus agendis explorandæ modus à S. Ignatio præscriptus* 574 b
Voluntatis *suæ cum divina conformatio mira in S. Ignatio* 752 c
Votum *in honorem Sanctorum Deo nuncupatum quantæ sit efficaciæ, toto passim opere, ubi miracula narrantur, eluceſcit.*
Vulnus *attactu sanguinis S. Olavi regis M. mox sanatum* 108 d, *tactu baltei ejusdem* 119 e.
Vulnus letale *subitò sanatum ope S. Germani ep.* 301 d. *S. Ignatii* 617 e, 803 e, 806 c, 812 c, 813 c f, 819 e, 831 b, 832 a

Ul-

U

Ulcera *ſanata ope S. Joannis Columbini* 400 e f. *S. Ignatii* 513 d, 785 e, 794 f, 801 d e, & ſeq. 818 f, 822 f, 828 d, 830 c, 831 a c d, 838 a
Ulcera *ægroti teterrima lingendo ſanat B. Joannes Columbinus* 382 a
Umbræ *domum infeſtant, donec inſepulta corpora ritè tumulantur* 211 c d
Urbis *excidium precibus avertit S. Lupus ep.* 70 a
Urinæ detentio *ſanata ope S. Ignatii* 806 d
Uſtulata *manus ſanatur illico per chirographum S. Ignatii* 608 f. *Item alia ſanatur ejuſdem Sancti patrocinio* 819 c, 830 f
Uxorem *conſentientem relinquit S. Lupus ep. Trecenſis, & fit monachus* 69 e
Uxoris *importunitatem mirâ patientiâ conſtantiaque ſuperat B. Joannes Columbinus* 361 d

Z

Zelus *diſcretus & verus quis* 768 c f
Zelus animarum *in S. Lupo ep. Trecenſi* 54 b, 73 e. *In S. Olavo rege & M.* 96 & ſeqq. *In S. Germano ep.* 211 c & ſeqq. *In B. Joanne Columbino* 367 & ſeqq. *Actus hujus zeli valde ſingularis erga peccatorem obduratum* 377 a. *In S. Ignatio* 534 a, 612 b, 613 c, 645 f & ſeqq. 673 d e, 678 c, *& in ſociis ejus* 681 c d & ſeqq. *In S. Ignatio* 704 & ſeq. *in S. Franciſco Xaverio* 738 f & ſeqq. *In S. Ignatio* 753 & ſeq. 765 b

FINIS.